6
41 0
18

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

CAROLI
MOLINÆI
FRANCIÆ ET GERMANIÆ
CELEBERRIMI JURISCONSULTI,
ET IN SUPREMO PARISIORUM SENATU
ANTIQUI ADVOCATI,
OMNIA QUÆ EXTANT OPERA,

EX VARIIS LIBRORUM APOTHECIS, IN QUIBUS LATEBANT, nunc primùm eruta, & simul typis commissa, permultisque mendis, quibus sensim scatebant, ad exemplaria tùm ab Authore recognita, tùm à Viris Doctissimis, Jurisque Peritissimis inter legendum notata, & quàm fieri potuit diligentissimè purgata.

EDITIO NOVISSIMA QUINQUE TOMIS DISTRIBUTA, auctior & emendatior.

HORUM SERIEM PAGINA SEQUENS INDICABIT.

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS,

Sumptibus NICOLAI PEPINGUE', in Aulâ Palatii primariâ è regione Cameræ Consultorum-Juris, ad insigne Solis aurei.

M. DC. LXXXI.

CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

CAROLI
MOLINAEI
FRANCIAE ET GERMANIAE
CELEBERRIMI JURISCONSULTI,
ET IN SUPREMO PARISIORUM SENATU
ANTIQUI ADVOCATI,
OMNIA QUAE EXTANT OPERA.

EDITIO NOVISSIMA QUINQUE TOMIS DISTRIBUTA.

TOMUS SECUNDUS.

Digitized by Google

ORDO ET SERIES
OMNIUM TRACTATUUM
QUI IN HOC SECUNDO CAROLI MOLINÆI
OPERUM VOLUME CONTINENTUR.

Quorum & qui de novo huic editioni supervenerunt notati extant asteriſco fronti cujuſlibet novi Tractatus inſcripto.

JUS GALLICUM.

TRactatus contractuum & uſurarum, redituumque pecunia conſtitutorum, pagina 1

Sommaire du livre Analytique des contrats, uſures, rentes conſtituées, interests & monnoyes, 333

I. P. Stilus Curiæ Parlamenti in ſeptem partes diviſus : In primam partem ejuſdem ſtili Parlamenti additiones Stephani Aufrerii, 409

II. P. Inſtructiones ſtili Parlamenti, 470

III. P. Ordinationes Regiæ antiquæ & authenticæ, 487

IV. P. De legibus & privilegiis Regni Franciæ, 539

V. P. Quæſtiones Joannis Galli, 551

VI. P. Tractatus de forma Arreſtorum, 633

VII. P. Arreſta Parlamenti Pariſienſis, 658

Oratio de concordia & unione Conſuetudinum Franciæ, 690

Notæ ſolemnes ad Conſuetudines Gallicas, 693

Commentaria in Conſuetudinem Burbonienſem, 757

Commentaires ſur l'Ordonnance de 1539. 765

Conſilia & reſponſa Juris Analytica. 809

De la Monarchie des François, 1031

De Monarchia Francorum, 1051

* *Notæ in Commentaria Bartholomæi Craſſenæi ſuper Conſuetudinibus Burgundiæ*, 1071

Notandum irrepſiſſe in hoc volumine conſilium ſuper facto Concilii Tridentini cum ſequenti, pag. 1005. *&* 1018. *quod quidem debet reponi in quinto volumine poſt alterum conſilium latinum ſuper eodem Tridentino Concilio, poſt paginam* 393

Irrepſit quoque epiſtola nuncupatoria tractatus de eo quod intereſt, Ampliſſimo Sanctiſſimoque Ordini Senatus Pariſienſis, pag. 803. *quæ eſt tertii voluminis.*

LUDOVICI MERCANTII

EPIGRAMMA.

Hactenus humana paſsim commercia vitæ
Involvit miſera conditione chaos:
Dum ſibi quiſque facit cenſuram fœnoris, & fas,
Auſus civilem prætereiſſe modum.
At tu componis turbata, expungis iniqua,
Et fers confuſis Carole rebus opem.
Nec ceſſas legum ſtudio ſarcire ruinam,
Auxilio poſtquam ſcis opus eſſe tuo.
Solvis nodoſi, & penetras ænigmata juris,
Quæ nullus potuit ſolvere adusque Ioor.
Sic tandem in ſumma ſunt qui caligine rerum
Auxilium extremis ſpemque tuleri malis.
Et qui civiles ritus æquumque tuentur
Sic Deus humanis rebus adeſſe ſolet.

Digitized by Google

AMPLISSIMO VIRO DOMINO D. FRANCISCO OLIVARIO,

Franciæ Cancellario, Carolus Molinæus Jureconsultus Parisiensis

εὐπραξίαν.

Hæc epistola nuncupatoria cum præfatione sequenti est tractatus commerciorum & usurarum, &c.

QUANQUAM maximo alioquin & propensissimo affectu illustrissimo nomini tuo, dignissime Cancellarie, has lucubrationes meas dedicem: tam multis tamen, & his gravissimis rationibus ad id impellor, ut magnitudinem desiderii longè transcendat judicium. Cum enim jamdudum (ut nosti laborum meorum primitias Regiæ Majestati, tanquam totius Reipublicæ nostræ capiti, justitiæque ipsi ἐμψύχῳ dicaverim, summo certoque animi judicio, ut luculenter testatum liqui, par est eodem judicio, ejusdem majestatis & Reip. fidelissimis & prudentissimis Magistratibus reliqua subinde opera consecrare, tanquam ejusdem Majestatis radiis membrisque potissimis, viris patriciis, communis Reip. parentibus, non tam honorum titulorumque, quàm paterno in Remp. affectu summis. Tibi igitur ἄνερ εὐδοκιμώτατε tanquam Magistratuum omnium culmini & antistiti, hoc opus (etsi splendori cùm dignitatis tum eruditionis tuæ impar) jure tamen & ordine debetur. Ad hæc, cùm sit à me exantlatum, restituendo vero ἀγνοίᾳ plurimarum legum sensui, juvandæque praxis & judiciorum disciplinæ, cuinam magis commendari possit aut debeat, quàm tibi vero & æquissimo νομοφύλακι jurisque asylo? Rursus cùm hos labores Reip. Franciæ ornandæ causa susceperim, cuinam magis dicare queam, quàm tibi ejusdem Reip. fidelissimo patritio, & propugnatori vigilantissimo, quique bonos omneis & honesta studia magno favore prosequeris? Hîc plura (ne te forsan remorer) prætereo. Heroicas autem & politicas virtutes tuas, summamque & multijugam eruditionem, altissimumque judicium, & in rebus gerendis prudentissimum exploratissimumque consilium, dexteritatem, constantiam & fidem, cum ingentibus in Remp. meritis, quibus ad tantæ dignitatis apicem evectus es, ut gentilitio illi longeque pulcherrimo cognomini tuo ab oliva, pacis & sapientiæ symbolo, Palladisque insigni congruentissimum, ita toti Reip. litterisque ac studiis honestis faustissimum, non ausim rudi hoc sermone meo attingere, nec id (etiam si eloquio par essem) insignis tua pateretur modestia, quâ confido te candido affectu munusculum hoc (tametsi magnitudini & eruditioni tuæ impar) susceperum. Cui si tibi paululum vacet animum advertere, scies me veritati & Reip. literariæ navasse operam, ex æquo in re judiciaria praxique & legibus interpretandis: nec lynceos mentis tuæ oculos fugiet specimen quoddam inchoari εἰς ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου. Neque enim jam ante complures annos scribere cœpi, ut aliquid esse viderer: sed cùm post diuturnum juris studium, longumque forensium causarum exercitium periculum studii & industriæ feciissem, nec modicam æstimationem mihi comparassem, omissa lucri reique factitandæ occasione, quæ in manibus erat, pulcherrimi operis desiderio ad commentandum me contuli, exemplo quadantenus veterum Jureconsultorum, qui non nudas meditationes privati studij umbratilis, sed quæ multo rerum usu, forensique exercitatione dolaverant, ipsisque rerum experimentis consulendo & judicando cum jugi æquitatis studio solida, æqua & usibus hominum accommoda exploraverant, scriptis demum mandabant Quod si auram tantùm popularem captassem, nihil plausibilius erat quàm in commentariis consuetudinum consistere, quod etiam nec grave, nec incommodum futurum erat. Utiliora verò τὴ χαλεπότητος molientem plurima inopina velut agmine facto circumsilierunt incommoda, quibus tamen (etsi remorer) non frangor, nec cedam. Quin si (quod optamus & prudentissimis fidelissimisque tuis consiliis brevi speramus) ea Reip. tranquillitas redeat, qua, dum commentari cœpi, fruebamur, paucis annis (Deo dante) conficiam, quæ vix alioquin pluribus annis queam. Cumque inter præcipuas virtutes tuas φιλοπολίτης sis, omnemque δυσνομίαν & effrenatam litium multitudinem averseris, in gra-

Oliva pacis & sapientiæ symbolum.

tiam tui rursus ad finem hujus tractatus excudi curavi ratiocinationem meam de unione & concordia consuetudinum Franciæ, non ut Minervam doceam, sed ut meum quoque φιλοπολίτην tibi magis approbem. Deus autem Optimus Maximus tuis omnibus & consiliis & factis adsit, prosperet ac felicitet in commune totius Reipub. bonum, decusque tuum immortale, ἔρρωσο, vir illustrissime, ἐν εὐτυχῶν διατέλει. Parisius, Calendis Januarij, Anno salutis M. D. XLVI.

CAROLUS MOLINÆUS JURECONSULTUS PARISIENSIS, candidis Lectoribus.

QUoniam nuper eruditis quibusdam viris, etiam in Philosophia, bonisque litteris exercitatis, non solum novum & insolens, sed etiam minus aptum visum est, quod commentationes meas in hac practica Philosophiæ moralis parte Analyticas vocem, quasi nec etymon, nec proprietas vocis (quæ Geometris est demonstrationis inventio) professioni nostræ congruant, quam post Aristo. in 1. Moralium, omni demonstratione carere censent, ut nec scientiæ (propriè sumpto vocabulo) nomen mereatur. Quibus ut (prout justum est) satisfaciam, operæprecium duxi consilii mei super hoc rationem (quam non semel aliàs subindicavi) plenius hîc exponere, ut sciant omnes, me nec hanc vocem finxisse, seu primum in Latinam linguam transtulisse, nec temere, nec impertinenter usurpasse: sed à Græcis primùm deductam, & jam olim, rursusque non ita pridem à doctissimis viris in alio nec dissimili argumento usurpatam, certo consilio tanquam instituto meo elaboratissimo peculiariter arridentem, delegisse. ἀνάλυσις enim Græcè (ut à significatione vocis incipiam) idem est quod resolutio vel retexio, ἀπὸ τοῦ ἀναλύω, quod est, retexere, & ad sua principia (ut compositum ad simplicia) resolvere: unde ἀναλυτικὸς, id est resolutivus. Jam palàm est nec etymologiam, nec significationem vocis disconvenientem esse professioni nostræ: imo rem ipsam valde necessariam, ut ex scriptis meis liquet, & deinceps magis liquebit: nisi fortè morosi quidam ad merè naturalem resolutionem restringere vellent, ut omne corpus per corruptionem resolvitur in sua principia vel elementa, quod esset ineptum, cum etiam Græcis & classicis authoribus, præsertim Aristoteli & Galeno, ejus vocis significatio latius pateat. Galenus enim in arte medica in princip. ἀνάλυσιν accipit (& procul dubio proprie) pro prima (ex tribus) specie methodi, quæ à toto in singulas partes progreditur, ut quando aliquod totum doctrinaliter in suas partes singulatim & ordinatim dirimitur. Aristoteles quoque libros suos syllogismorum non solum duos posteriores, in quibus de syllogismis demonstrativis, sed etiam duos priores, in quibus de simplici syllogismo tractat, ἀναλυτικοὺς, hoc est ad verbum, resolutivos peculiariter nuncupat: nec dubium quin apte & proprie. Constat igitur vel ex ipso Aristotele, unde potissimum nos petunt, ἀνάλυσιν non solum pro resolutione naturali vel mathematica, sed pro doctrinali vel logica, idque proprie accipi: & rursus in doctrina non solum pro demonstrativa, sed etiam pro methodica, ut apud Galenum vel probabili, ut apud Aristo. in libris Priorum. Quid quòd Aristo. etiam in lib. 2 magn. Moral. & in materia mere morali vocat ἀνάλυσιν (nec dubium quin apte & proprie) syllogismum (quem neoterici practicum vocant) qui fit per inductionem & exactam singulorum disquisitionem. Hactenus de hujus vocis energia & propria acceptione, qua satis superque constat nos non abuti, etiam si hæc scientia nostra nullis demonstrationibus niteretur, quod falsum est, ut in præfatione novorum intellect. satis deduxi. Quod si cui libeat plenius de prædictæ vocis acceptionibus videre, legat quæ διεξόδως & scitè scripsit doctissimus medicus Nicolaus Leonicenus in quæst. de tribus doctrinis, ubi plene de doctrina resolutoria. Cæterum vocem hanc primus omnium (quod sciam) olim Latine usurpavit illustris & Christianus Philosophus, vir Consularis, Severinus Boëtius in lib. 1. Topicorum Ciceronis, ubi cùm Cicero scite & argute duas exactè differendi partes fecerit, unam inveniendi (quam topicen vocat) alteram judicandi, Boëtius fusius enarrans in his duabus non solùm dialectices, sed omnium artium & scientiarum summam, fructum & complementum consistere rectè graviterque censet, & posteriorem hanc, de qua agitur, analyticen vocat. Superiore autem ætate Ambrof. Leo Nolanus medicus Græce Latineque doctissimus, in præfatione Actuarii his verbis, Analesis & analetica, identidem apte usus est, tertia tamen syllaba corrupta, quem exceptoris vel typographi errorem esse puto: dicendum enim analysis, & analytica. Intelligit autem hoc verbo tanquam aptissimo & emphatico tractationem exactam, & omnibus numeris, præsertim præfatæ resolutionis & judicii absolutam. quibus omissis, fontibusque neglectis (quod & in juris nostri tractatoribus accidit) queritur Arabas præclarissimam medicinæ scientiam intricasse & confudisse, quam

ἀνάλυσις.

Gale. Methodus resolutoria. Aristot.

Syllogismus practicus.

Nicolaus Leonicenus. Boetius.

Ambrof. Leo Nolanus.

Digitized by Google

hunc bonarum litteratum præſidio, Hippocratis & Galeni fontibus detectis ſuæ luci, dignitati & integritati reſtitutam videmus. Sed hoc in jure noſtro non æque εὑρίσκειν ἐστι, verùm longe majoris tum inventionis tum judicii, tum uſus, & cæter. ut alibi fuſius tracto. Cum igitur poſt diuturnum juris forenſiſque exercitationis ſtudium non infeliciter exactum, utpote cum inde non vulgarem æſtimationem, reique cum ſplendore factitandæ occaſionem nactus eſſem, his jam ante complures annos omiſſis, deſiderio quàm maxime poſſem de Republica bene merendi, omnes ætatis & ingenii vires, (utinam tam εὐτυχῶς quàm καλῶς) converterim ad explicandas potiores magiſque neceſſarias legalis noſtræ philoſophiæ partes, tam in theorica quàm in praxi, in queis maxima & perpetua analyſi opus eſſe conſtat, non immeritò nec inepte commentationes meas hujus vocis titulo cognominavi, ſeu potius oneravi, quippe qui vel hac ſola voce exactam diſcuſſionem & judicium profitear. Quod autem aduſque in aliquam juris partem edere diſtulerim, etiam fere tribus annis, poſtquam illuſtris quondam Procancellarius Dom. Franciſcus Montolonæus ſtudioſorum amantiſſimus (qui me de ratione & ſcopo ſtudiorum meorum ſæpius interrogaverat, reque intellecta ſumme probaverat, omnem etiam opem & favorem pollicitus, ut niſi præmatura mors abſtuliſſet, luculenter oſtenſurus erat) Regium in id diploma privilegii ampliſſimi ad me miſit, remoris illis & calamitatibus imputandum eſt, quas in epiſtola liminari Annot. in conſil. Alexand. majore certe cordolio, quàm ſermone nimis alioquin prolixo perſtrinxi. Cæterum nec me interim quieviſſe ſatis oſtendunt laborioſa magis quàm ſplendida interim edita: ingenium autem & induſtriam non defuiſſe Tractatus hic utcumque indicabit, in quo & ſtilum & methodum obſervavi, quam non doctioribus, ſed diſcere cupientibus commodiorem judicavi, unico & numerorum & quæſtionum ordine facilitatis gratia ſervato: quanquam plures alioquin materiæ inſint, ut in catalogo ſequenti, quem præfixi. Cæterum nullis numerorum repertoriis textum interſecari volui, brevitatis cauſa: quin id adprime curavi, ut quàm pauciſſimis chartis multa complecterentur, libro non ad pompam, ſed ad ſtudioſorum utilitatem, & exactam chalcographiæ correctionem (cui rei plurimum operæ dedi) concinnato. In fine indicem alphabeticum ſubjeci, non chartarum, ſed textus & quæſtionum numero, ut breviſſimum, ita ſtudioſorum, non deſidioſorum ſtomacho accommodatum. Quoties autem in contextu leges cito, libro non expreſſo, intelligitur in Pandectis, de quibus auguſtior ipſa nominis majeſtas ſatis in dubio intelligendum oſtendit. Cùm autem vulgaris hæc notula. ff. librariorum errore corrupta littera π emerſerit, ut rectè ſcripſit Alciatus & jam ad juris civilis repurgationem doctiorum omnium ingenia contendant, merito deinceps eum errorem relinquendum cenſui. Rurſus in gratiam eorum qui Reipublicæ bene volunt (quæ ſemper eſt potior, utpote ſanior pars) iterum in hoc operis edendam curavi diſceptationem & ſententiam noſtram de repurgatione & concordia conſuetudinum noſtræ Reipublicæ, etiam ſi ſciam jam partim expertus, omnem hunc laborem meum, & præcipuè omnem affectum & pietatem meam in patriam & Rempublicam à quibuſdam non ſolum contemni, ſed etiam vel teſtato irrideri. Sed qualibus illi cunque titulis turgeant, mera ſunt propudia, non minus Reipublicæ, quàm veritatis hoſtes, quos Pſalm. 37. me docet fortiter negligere, & in officio & vocatione pergere, ut Deo unico & adjutore & vindice meo dante, quandiu vivam, totis viribus adnitar. Vos autem candidiſſimi & chariſſimi, quos veræ virtutis amor, & Reipublicæ charitas afficit, & generoſum pectus recti ſibi conſcium incendit, hos labores noſtros vobis inſumptos habete, bonique conſulite. Datum Pariſiis Calend. Januarii 1546.

Scopus ſtudii.

Franciſcus Montolonæus.

A TRES-CHRESTIEN TRES-HAUT ET PUISSANT PRINCE Henry de Valoys, par la grace de Dieu Roy de France, ſecond de ce nom, Charles du Molin Jureconſulte de Paris ſon tres-humble ſubject, Heureux commencement de regne, avec accroiſſement de perpetuelle paix & felicité.

Epiſtre dedicatoire du commancement du livre analytique des cõtracts, uſures, &c. en françois.

COmme dés long-temps (Sire mon ſouverain Seigneur) j'aye employé mon ſçavoir, labeur & induſtrie pour le bien public de voſtre tres-feal & tres-obeïſſant peuple, & pour l'honneur de cette voſtre tres-noble Repub. Françoiſe, & entre autres œuvres que j'ay dés & depuis dix ans compoſé & mis en lumiere, en aye fait imprimer un traictant reſolutoirement des Commerces, Uſures, Rentes, conſtituées, Rachapts, Monnoyes & choſes connexes, avec nouvelle & neceſſaire interpretation de pluſieurs paſſages de droit touchant leſdites matieres, qui ſont en frequent & quotidian uſage, au moyen dequoy ay eſté requis par pluſieurs de vos bons ſubjects, de

leur en faire, & à tout voſtre peuple un ſommaire en françois ; afin que ceux qui n'ont le loiſir ou capacité de voir le livre latin, en ayent le fruit en brief & en leur langue, ce que volontiers ay fait ne deſirant autre choſe que ſervir à la connoiſſance de la verité, & au bien & honneur public. Lequel ſommaire parfait & preſt à imprimer le vous ay deſtiné, ayant des long-temps deſir de vous dedier & preſenter un de mes œuvres. Surquoy eſt apparu voſtre tres-heureux advenement à voſtre triomphante Couronne, & combien que un ſi petit livre, ne ſoit digne d'approcher de voſtre tres-haute Royale & ſacrée Majeſté. Toutefois n'ay deſiſté le vous dedier & offrir, pour trois grandes & urgentes raiſons ; La premiere, car attendu que l'ay compoſé dicté & publié en langue françoiſe, pour le bien & honneur du peuple françois, il n'eſt deu à autre qu'à vous qui en eſtes le Chef ſouverain, garde, tuteur, protecteur, & pere. La ſeconde, pour le tres-grand & heroique zele qu'avez ja monſtré avoir à la ſeule vraye & royale Nobleſſe, qui eſt ſongneuſement cercher ſuivre & promovoir par bon, prudent, & veritable conſeil, tout ce qui eſt de vertu, meſmement politique, de droicte & entiere reformation & adminiſtration de bonne & ſincere juſtice, en quoy faiſant (par le don de Dieu Roy des Roys, & Seigneur des Seigneurs) regnerez heureux & aimé ſur tous, au ſalut & honneur de vous & voſtre heureuſe proſperité, & de tous vos ſubjects & alliez, & ſignamment pour la tres-loüable bienveillance & affection paternelle qu'avez commencé monſtrer & exercer envers voſtre peuple, & au ſoulagement d'iceluy, ce qui me rend certain que mes labeurs, & ce petit preſent vous ſeront agreables. La tierce, car tout ainſi que j'ay dedié le premier de mes œuvres & commentaires ſur les Couſtumes de voſtre bonne ville de Paris, capitale de voſtre Royaume, à feu de bonne memoire François premier de ce nom voſtre Pere, comme Chef de toute la Repub. pour le bien & honneur de laquelle me ſuis aprés longue eſtude, & plus longue experience ſubmis à ces labeurs, en delaiſſant mon propre bien & profit particulier, comme il eſt notoire : par meſme raiſon eſt decent que le premier de mes œuvres faits à meſme fin venant en lumiere au meſme temps de voſtre heureux advenement à la Couronne, vous ſoit dedié. Auſſi pour un gage & ſigne de l'hommage, obeiſſance, reverence & amour que doibs à vous, Sire, comme à mon ſouverain Seigneur ; & que de la ſplendeur du titre de voſtre tres-haut & tres-illuſtre Nom, ce petit livre ſoit annobly, & plus benignement receu, & veu des lecteurs. Au ſurplus, Sire, ſi voſtre excellence & magnificence royale monſtre me ſçavoir gré de mes labeurs, vous me augmenterez le cœur & la force à pluſtoſt & mieux les parfaire, meſmement ſur la repurgation & reſolutoire interpretation du droict civil, choſe impoſſible, ſinon à celuy qui prealablement avec longue & diligente eſtude des theoriques, auroit conjoint longue experience, practique & exercice des choſes judiciaires, & ſeroit encore entier de ſes ſens & aage ſuffiſant à telle extrication & labeur. Ie laiſſe à dire le teſmoignage que j'ay eu long-temps & pluſieurs fois des plus grands de voſtre Cour de Parlement és nominations, & celuy qui reſulte de mes eſcripts. Mais ne vous puis celer qu'en travaillant ſur l'explication deſdites Couſtumes, j'ay trouvé & conneu clairement qu'il ſeroit tres-neceſſaire, utile, facile, s'il vous plaiſt, pour oſter la grande multitude, & ambiguité des procez dont voſtre peuple eſt trop foulé, de reduire en une brieve & equitable conſonance (non toutes les Couſtumes de voſtre Royaume) mais pluſieurs contrarietez & diverſitez & intrications qui y ſont, qui ne ſervent que pour ſubminiſtrer & nourrir matiere de procez, auſſi de clairement expliquer pluſieurs choſes qui y ſont trop ambiguës, & ſupplier pluſieurs autres qui defaillent, & en ſorte que par la ſimple lecture, tous vos ſubjects ſçeuſſent aiſement comme ils ſe doivent gouverner & uſer en leurs negoces & differens, choſe trop plus prompte & plus facile à faire ſans comparaiſon (que par mes laborieux commentaires ſur leſdites couſtumes) une reduction ſur ce digerée & arreſtée par voſtre conſeil ſous voſtre authorité aprés l'avis de chacun pais ſur les articles de la premiere forme qui leur ſeroit envoyée dont vous

ſeroit gloire & honneur immortel, & tres-grand ſoulagement & ſtabiliment de voſtre Royaume, & pour n'eſtre icy trop prolixe, j'en ay fait imprimer à la fin de ce petit preſent, les points & moyens principaux. I'ay pluſieurs fois ſur ce offert mon labeur & induſtrie, à en dreſſer la premiere forme. Mes œuvres témoignent aſſez mon ſçavoir & legalité, & que ſuis majeur de toute ſuſpition, & le teſmoignera la poſterité qui en jugera ſans envie. Dieu vous doint, Sire, heureuſement regner & proſperer en paix, par bon conſeil, bonne & droite juſtice: Donné à Paris le premier jour de Iuin mil cinq cens quarante ſept.

AMPLISSIMO ET ILLUSTRISSIMO VIRO DOMINO D. Chriſtophoro Thouano Cælio, Equiti ac ſupremi Pariſiorum Senatus Præſidi Primo, digniſſimo & eruditiſſimo, Carolus Molinæus Franciæ & Germaniæ Juriſconſultus, & in eodem Senatu antiquus Advocatus εὐπαρίτιτος.

Multis nominibus, plurimiſque & eiſdem graviſſimis cauſis tibi, tuæque prærogatæ dignitati (Princeps Ampliſſimi Galliarum Senatus Illuſtriſſime) & debetur, & dedicatur ingens hæc omnium Galliæ conſuetudinum univerſitas, in duos Tomos, non abſque gravi maturoque judicio à nobis diſtincta. Prior Tomus ab urbe noſtra natali totius Franciæ Imperii capite, in qua dexterrimè & æquiſſimè Principem Supremi & Primarij totius Galliæ Senatus, agis: incipiens ad Oceanum, uſque Occidentalem & Borealem pertingens, per Belgium & Sequanos, ripas Ligeris meridiem verſus attingit. Poſterior Tomus, à Ligeri reliquam Galliæ partem, tam Orientalem, quàm Meridionalem, & Occiduæ reſiduum complectitur. In queis univerſitas omnium Galliæ conſuetudinum, novo & venuſto noſtro ordine, cum brevibus annotationibus noſtris marginalibus & analyticis, continetur. Cuinam verò magis dicari debeat quàm tibi, Principem Senatus in urbe capitali & natali, & principe (à qua reliquæ omnes Galliarum conſuetudines fluunt) agenti? Deinde tibi, Pariſienſi, & à Pariſienſi? Tertiò tibi, Tibi, inquam, qui ante quinque & quadraginta annos ſtudia mea cognoviſti, probaſti, publicis etiam (non ſine ſuperioris numinis afflatu) editis elogiis, ante annos quindecim exaratis: verùm ita, ut nemo unquam ſine adulatione & ſine fuco, de me liberius & rectius ſcripſerit, & vaticinatus fuerit. Ego enim & tota familia mea luculenter experti ſumus, quæ de me in doctiſſimis & eruditiſſimis illis tuis elogiis, ante quindecim annos ſcripſiſti, ipſo tuo ἀδελφῷ ad me tranſmiſſo.. Ego quoque ab eo tempore, in eodem ſtadio indefeſſus cucurri, in eodem piſtrino ſemper laboravi, ut omnes, totaque Europa cognoverunt: quanquam familiæ meæ nimis infeliciter, propter infelicia, in quæ cecidi, tempora: ſed bene habet, quòd ſanctè & doctè vaticinatus es, ea mihi, poſteritati tandem honori fore. Ego vero nimis aut ſocors aut ſtupidus viderer, niſi me memorem & gratum horum æſtimatorem eidem poſteritati declararem. Sed quarta inſuper urget ratio, quod tu ipſe bonæ parti harum Conſuetudinum reformandæ, non ſolùm præſens interfuiſti, ſed auctor, & ipſarum judex legum, veluti, νόμος ἔμψυχος præfuiſti. Hæc ſciant velim omnes, tibique in primis gratiam habeant copioſæ hujus & multijugæ editionis: Tu verò feliciter vale, antiquorum laborum meorum, quos & plane noſti, mihi nimis infelicium, memor. O utinam ſcires, quàm multa, quàm magna & luce digna habeam repoſta: hoc Franciſcus ille Montholonæus novit, etiam ſæpe palam teſtatus: ille quoque magnus Franciæ Cancellarius Olivarius, affinis tuus, ingentia valde pollicitus: ſed ambo morte præventi lampada tibi certe currentes manu tradiderunt: ut omittam te honorificentiſſime, ſæpe de me, ſanctiſque ſtudiis meis in medio illo ampliſſimo Senatu, locutum eſſe: quod & illuſtriſſimi deceſſores tui fecerunt: quos dexteritate, vigilantia, diligentia & eruditione longe antecellis. Hic iterum, felicius, Vale, Pariſiis. Idib. Novemb. anno χριστιάδος ſeſquimilleſimo ſexageſimo ſexto.

Hæc epiſtola eſt Univerſitatis Conſuetudinum Generaliũ & Particularium Franciæ & Galliarum.

AMPLISSIMO ET ILLUSTRISSIMO VIRO DOMINO D. Antonio Sennetonio, Mediomatricum Præfidi Integerrimo & Prudentissimo, Carolus Molinæus, Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, S.

Hæc epistola est Conciliorum duorũ Analyticorum in causa Martini ab Aragonia.

EN, Præses Amplissime, veteris nostræ amicitiæ μνημόσυνον σὲ τον habes: ne quis eam locorum & temporum intercapedine, rerumque tam varia vicissitudine intercidisse putet. Ego certe cùm primum ante viginti annos in Senatorum ordinem amplissimi nostri Parisiorum Senatus cooptatum & conscriptum te vidi, & Philosophiæ nostræ civilis ergo, magnam tecum necessitudinem contraxi, magnopere in tui amorem & eruditio tua & integritas me traxit. Et ne affectu magis quàm judicio loqui videar, à virtutibus tuis celebrandis tempero: quæ satis etiam per se elucent, & cunctis conspicuæ sunt: & quarum splendor & fiducia ad tantæ & antiquissimæ & amplissimæ civitatis Metensis, imò vetustissimæ Mediomatricum ditionis ἡγεμόνιαν præ cæteris delectus & missus es: Civitatis inquam & urbis olim regiæ, & antiquæ Reipub. in fortissima illa Belgica Gallia sitæ: cujus etiam olim caput fuit sub Austrasiæ Regibus, necnon sub multis & primoribus Francorum Regibus, qui regnum Franciæ in Galliis fundarunt; & primùm in Belgio regnaverunt. Celebrat Jureconsul. noster Modestinus in leg. si duas. §. decet. ff. de excus. tut. Metropoles gentium, quarum una Metensis illa magna, Mediomatrix etiam veteribus Romanis dicta, Cæsare authore lib. 4. belli Gallici, nempe medium, imo etiam tempore Austrasii regni caput tenens inter tres insignes civitates, Tullum, Virdunum & Treverim. Quid quòd locupletissimis, imo etiam oculatis testibus, Cæsare initio Commentar. belli Gallici, & Strabone in 4. Cosmographiæ, Belgæ fortissimi, robustissimi & generosissimi omnium Gallorum, erant delitiarum, luxus, & omnis effœminationis aversantissimi, Germanisque & Franciæ Orientali propinquissimi, ut etiam à nonnullis Belgia superior, Francia Orientalis dicta sit? Quam etiam veteres Jureconsulti, Pandectarum authores, inferiorem Germaniam vocant, in leg. ult. ff. de censibus. Feliciter vale, Præses Dignissime καὶ ἐυγνωμονήσατε & hilariter accipe dicata tibi consilia mea in causa Ducis Villæ-Hermosæ, principis Aragoniæ, non munus, ἀλλὰ μνημόσυνον, non quasi ominis Ethnici vice, his Ianuarij Calendis, sed ut veram & solidam memoriam καὶ σφραγίδα, publice contestatam antiquæ nostræ & perpetuæ amicitiæ, literarum & honestorum studiorum commercio inchoatæ & auctæ. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, tibi civibusque tuis & inclytæ illi Reipub. gratiam suam & pacem det, servet, multiplicet. Datum Parisiis Calendis Ianuarij, Anno Χριστογόνου sesquimillesimo sexagesimo.

PRÆCLARISSIMÆ CHRISTIANÆ ET NOBILISSIMÆ Principi Joannæ Reginæ Navarræ, Carolus Molinæus Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, Consiliarius libellisque supplicibus in Regia Præfectus, successum & incrementum honoris & fœlicitatis perpetuæ desiderat.

Hæc epistola est Tractatus de origine & progressu Regni & Monarchiæ Francorum.

QUum à juventute mea, Heroîna Generosissima, & Præcellentissima, maximo semper affectu & honore prosecutus fuerim nobilissimas illas & inclytas domos Borbonij & Navarræ: eò amplius & penitiùs præcellenti Majestati tuæ addictus sum, in qua, & in generosissimo filio tuo Henrico Principe fœliciss imæ indolis, & Regiæ spei, nobilissimisque tuis liberis, celsitudines & virtutes augustissimæ ambarum illustrissimarum domuum unitæ & conjunctæ sunt, sed longe altior, & præcellentior causa est, alliciens & (ut magnes ferrum) Majestati tuæ devinciens pios om-

nes timentes & amantes Deum, & Jesum Christum filium ejus servatorem, mediatorem, & Redemptorem unicum, Regem regum, Dominum dominantium, nempe Christianissimus ille & constantissimus zelus tuus sanctissimi & vivifici verbi Dei, magnæque illæ virtutes, quas Spiritus sanctus tibi insevit, & in te splendere, & opulenter soboleſcere facit. Ut ergo publico quodam elogio humilem meum antiquum, fidelem, & syncerum affectum erga Majestatem tuam profitear, Opusculum hoc meum sub tui nominis splendore publicum accipis, tuæque dicatur Majestati, quæ jamdudum scit meam Jurisprudentiam, & antiqua mea sacrarum litterarum, necnon antiquitatis, rerumque politicarum studia, pro defensione & propugnatione veritatis verbi Dei, veræque religionis, sub imminenti capitis, & facultatum omnium periculo insumpta fuisse, nec parum profuisse Reipublicæ & Coronæ Franciæ, quam maximo amore, & honore prosequeris, tibique maximopere multis nominibus devincis, quorum amplior & celebrior memoria fiet, loco, & tempore opportuno, aspirante Deo summo patre luminum, qui tibi det regni sui incrementum videre, illud quoque redintegrare, & conservare, & pacem Dei in utrisque regionibus, & regnis Navarræ & Franciæ. Datum Parisiis die 7. Septembris, Anno χιλιοστιας sesquimillesimo sexagesimo primo.

PRIVILEGE DV ROY.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Grand-Conſeil, Requeſtes de noſtre Hoſtel & de noſtre Palais à Paris, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Juſticiers qu'il appartiendra; ſalut: JEAN BAPTISTE COIGNARD Imprimeur & Marchand Libraire à Paris; Nous a fait remontrer qu'il auroit cy-devant acquis une part au Privilege du Livre intitulé *Caroli Molinæi Iuriſconſulti Opera*, qu'il voudroit reimprimer, s'il Nous plaiſoit luy vouloir accorder nos Lettres ſur ce neceſſaires. A CES CAUSES, deſirant traiter favorablement ledit Expoſant, eu égard au merite de l'Ouvrage, & à la grande dépenſe qu'il faut qu'il faſſe pour une entrepriſe de cette conſequence: Nous luy avons permis & permettons d'imprimer & faire imprimer ledit Ouvrage tout autant de fois qu'il ſera neceſſaire pendant le temps & eſpace de trente années, à compter du jour qu'il ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois, en telle marge & caractere qu'il voudra: Faiſant tres expreſſes inhibitions & deffenſes à tous Marchands Libraires Imprimeurs, & à tous autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, contrefaire ou alterer leſdits Livres, les vendre ny les diſtribuer par toutes les Terres & Seigneuries de noſtre obeyſſance d'autre impreſſion que de celle dudit Expoſant, à peine de trois mil livres d'amende, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſpital General, & l'autre tiers audit Expoſant, de confiſcation des exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & intereſts, à la charge de mettre deux exemplaires deſdits Livres en noſtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres en noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre amé & feal Chevalier Chancelier de France le ſieur d'Aligre, avant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes: SI VOUS MANDONS que du contenu en icelles vous faſſiez & ſouffriez joüir & uſer pleinement & paiſiblement ledit Coignard & ceux qui auront droit de luy, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit donné aucun empeſchement: VOULONS qu'en mettant au commencement ou à la fin de chacun deſdits livres copie deſdites Preſentes ou extrait d'icelles, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adjoûtée & aux copies collationnées par l'un de nos Amez & Feaux Conſeillers Secretaires comme à l'Original: MANDONS au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous exploits, ſaiſies, & autres actes requis & neceſſaires, ſans pour ce demander autre permiſſion, nonobſtant toutes oppoſitions ou appellations quelconques, clameur de Haro, Charte Normande, priſe à partie, & Lettres à ce contraires, dont nous nous reſervons la connoiſſance & à noſtre Conſeil: CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNE' à Saint Germain en Laye le vingt-troiſiéme jour de Janvier l'an de grace mil ſix cens ſoixante ſeize, & de noſtre regne le trente quatriéme. Par le Roy en ſon Conſeil. DESVIEUX.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté le premier Février 1677. Signé D. THIERRY, Sindic.

Ledit Coignard a aſſocié audit Privilege Denys Thierry, Nicolas Pepingué, la veuve Damien Foucault, Jean Guignard, J. Cochart, Theodore Girard, Auguſtin Beſoigne, Antoine Dezalliers & Charles Oſmont, pour par leſdits Aſſociez en joüir & uſer conjointement durant tout le temps porté par iceluy.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 29. jour de Novembre mil ſix cens quatre-vingt.

TRACTATUS

TRACTATUS CONTRACTUUM, ET USURARUM, REDITUUMQUE PECUNIÆ CONSTITUTORUM.

CUM NOVA ET ANALYTICA EXPLICATIONE,

L. Eos C. de Vſur. L. periculi pretium. D. de naut. fœn. & omnium Legum uſurariarum, hiſque cognatarum theoreticè & practicè.

OMNIA EX SITU ET PULVERE, IN QUO AB AUTHORIS intempeſtiva morte delituerant, vindicata, difficilibuſque cùm ænigmatoſæ, tum vetuſtate fugientis ſcripturæ nodis liberata, diligenti ope, & ſagaci induſtria Simonis Bobæi in Suprema Pariſienſi Curia Patroni Colummeriorum Præfecti, & Authoris quondam generi.

QUÆSTIO PRIMA.

SYNOPSIS.

1. *Ardua ad civilem Philoſophiam via.*
2. *Non illa tamen ingrati laboris.*
3. *Rerum permutandarũ causâ numus adinventus.*
4. *Error DD. in damnandis uſuris.*
5. *Vſuræ propriè in mutui dationem cadunt.*
6. *Modus contrahendi penes Iſraëlitas, apud quos non dominii, ſed quò tutius deberetur, rerum transferebatur poſſeſſio.*
7. *Non ita in civitatum, aut oppidorum ædificiis, ſalvo tamen ea redimendi jure, annuâ die.*
8. *Circanſcripta ſuis finibus Iſraelit. jura, exteros non obligabant.*
9. *Vaniſſimi, qui legitimas uſuras Divinæ & humanæ legi adverſari temerè ſcribunt.*
10. *Damnati mercatores qui obtentu brevis dilationis merces impensò vendunt.*
11. *Vindicatus ab prava aliorum interpretatione §. mutui datio l. 2. D. ſi. certum petatur.*
12. *Expoſitus Steph. Forcatulus, & Zaz. ad d. §.*
13. *Pecunia quæ reditus causâ datur, perpetuò in accipientem tranſit ſpe omni repetendi præciſâ: ſecus in mutua, & latè de reditu.*
14. *Quod cujuſque intereſt, nihil aliud, quàm quod abeſt, aut quod quiſque lucrari potuit, latè excutitur intereſſe.*
15. *Lucullus uſuris hoſtis infenſiſſimus. Ibidem Plutarchi locus in Lucullo perperam acceptus ab interprete, enodatur.*
16. *Aſſerta vera lectio c. quoniam multis 47. Diſt. reſtitutáque ſeſcupli vox.*
17. *Concilium Nicænum à Conſtantino coactum, quo centeſima, & ſeſcupla uſura damnata, háſque clerici exercere vetiti.*
18. *Contemptum Taciti teſtimonium, qui fœnus unciarium ad l. 12. Tabul. refert. nihil de eo à Decemviris in ſuis decreti cautum.*
19. *Quæ uſu receptæ uſuræ ab anno V. C. 398. ad tempora Juſtiniani, in Romana politia, elegantiſſimè demonſtratur.*
20. *Nuſquam in jure univerſo dari caſum, quo uſurarum uſuræ exigantur,*
21. *Reprobatus Alciatus, qui lectionem l. cum quid decedens. §. codicillis. de leg. 3. temerè violavit d. l. aſſerta vetus lectio.*
22. *Bernardus Sylveſtris ignoratione juris uſuras legale latrocinium appellitat, malè.*
23. *Vſura centeſima pluribus diſcutitur.*
24. *Minor vindicans fundum propriâ pecuniâ emptum, pretium & illius uſuras inciviliter petit.*

Infra num. 331.

UANDOQUIDEM Juſtitiæ commutativæ ratio circa contractus & commercia potiſſimùm verſatur, quorum æqualitas & juſta proportio non in commentitiis figmentis, ſed in rebus ipſis earúmque vera ὁμοιότητι & commenſuratione conſiſtit, cujus tamen juſtitiæ & proportionis judicium à bonis legibus & politicis ordinationibus pendet, præcipuè abuſurariis, quarum & verba & ſenſus multis ſæculis temporum calamitate, bonis literis & artibus abſoletis, barbarie ubique graſſante, ignota fuerunt, donec hoc fœlici ſæculo exorti inſignes & eruditiſſimi viri bonarum literarum vindices, verba & voces legum uſurariarum nos docuerunt, & nativæ ſuæ luci reſtituerunt.

1. Reſtabat ſenſus, non quid nominis, ſcire enim leges, ait Jubentius Celſus, *lib. 16. de Legibus*, non eſt

verba earum tenere, hoc est, verum sensum grammaticalem duntaxat: sed earum vim ac potestatem nosse, hoc est usum, effectum & judicium in vere interpretando, docendo, consulendo ad agendum & cavendum, de jure respondendo, & judicando: quæ sunt omnia munia boni Jurisconsulti. Non solum enim sanctissima (ut inquit Domitius Ulpia.) sed & gravissima & altissima res est nostra hæc civilis sapientia, nec tam facilis aut parabilis, quàm inexperti quidam putant, nec bonarum quidem literarum, quæ maximum alioquin adjumentum præstant, callentissimis. Nec enim alioquin literatissimi & eloquentissimi, statim sunt Ciceriones, quibus (*ut ille in oratione pro Murena*) jactare liceat, triduo se Jurisconsultos futuros. Atqui arguté tum locutus est Cic. non enim dixit triduo se Jurisconsultum evasurum, sed professurum, quæ videlicet tam longo Juris studio & usu forensique exercitatione detritus perdidicerat, etiamsi subinde Trebatii & aliorum Jurisconsultorum consilio indigeret. Rursus nec tam abstrusa, difficilis & inextricabilis, ut desperandum sit, non solùm ad commodum aliquem gradum & usum (ut multis contingere videmus) promoveret, sed tamen si multis quasi prodigiosum persuaderi nequeat quin si à theoriæ praxisque Juris peritissimo, reliquisque numeris (ut alibi descripti) absoluto, cui & otium & animus adsint, integrè & *αὐτοψικῶς* ut decet, tractetur, obtineri tandem & haberi queat, quod & posse & debere esse testatur Neratius: Jus finitum hujus videlicet Philosophiæ doctrina clara, expedita, completa, & undique repurgata. Cùm autem in hac Philosophia plus triginta annis desudaverim, & simul in exercitatione forensi jam plus tribus & viginti annis detritus sim, etiam ante annum sesquimillesimum quadragesimum sextum, quo primum hunc Tractatum scripsi & edidi, omnémque assiduam operam & industriam collocavero, non ad pomœria proferenda, rémve familiarem augendam (ut jam satis notum est) sed quàm maximè liceret, Reipub. commodarem, nequicquam horum ingratitudinem temporum veritus, partium mearum esse existimavi, non amplius cunctari, quin hanc (inter alias, quæ Deo Optimo Max. dante, prout otium suppetet, prodibunt) Juris Civilis partem de Contractibus & Usuris, & rebus his cognatis, quæ latissimè patet, simul & de Reditibus sub facultate redimendi pecuniâ constitutis: quibus tempore quoque Justiniani inventis, veteres usuræ tandem exolescentes, imo veluti sexagenarii de ponte dejecti, loco cesserunt, decisivè & analytice tam in jure, quàm in praxi explicarem, repurgatis plurimis paralogismis & erroribus, qui superiorum sæculorum barbarie & insciti irrepserant, non solùm in vulgus, sed in doctrina quoque, hactenus in hac parte nimis depravata, quin etiam in judiciis. Quòd si mea doctis tantùm approbare cuperem, paucis defungi, & quid censeam promere liceret, & quod scrupulosæ singulorum discussioni trado, dictionis ornatui dare, idque majore tum doctiorum laude, tum vulgarium admiratione. Sed ego nec paucorum qui cæteris supereminere tantum cupiunt judicio, nec aura populari, sed publica utilitate Opera mea metior, præcipuè juvenum discendi cupidorum, quibus quàm maximè commodare queam, eorumque ingenia maturare, præcipuum mihi studium est. Peripicuitatis igitur & facilioris doctrinæ gratia *ἀμαθέστερόν τι πατέσιν* paulo fusiori & liberiori stilo utar, & in primis quàm potero *διδακτικῷ*.

In Epistola liminari Anaut. in consil. Alex. l. 1.

Usura quid?

2. Et quia basis & epitasis totius hujus *συναλλάγματος* versatur præcipuè circa usuras & reditus emptitios earum succedaneos, prius videndum est quid sit usura. Et est quicquid ultra sortem mutuatam percipitur. Et Latinis ab usu, Græcis à partu, Hebreis à morsu vocatur. Dicitur enim usura, quia propter usum sortis accedit. Græcè *τόκος* à *τίκτω*, id est pario, velut Græcis *τόκευς* vel *τοκεὺς* filium significat. Unde etiam Latinis dicitur fœnus, quasi fœtus, eo quod numus numum pariat; quod contra naturam est, ut pulchrè tradit Aristot. *Politicôn lib. 1. c. 7.* dicens quod *ἡ χρηματιστικὴ*, id est ars fœneratoria, sive usura, meritò odio habetur, quoniam quæstum facit à numo, cum non ad hoc institutus sit: commutationis enim causâ numus, non à natura, sed à *νόμῳ*, id est lege inductus est, quasi medii seu fidejussoris vice, quod libro 5. Ethicorum latius prosequitur. Fœnus autem seipsum majus facit, unde & nomen scilicet *τόκος* quod partum significat) venit; quia sicut illa quæ pariuntur, similia gignentibus sunt: ita in fœnore, numus numum parit. Hinc maximè præter naturam hunc quæstum esse colligit Aristot. Et Suidas *ex Aristophane in nubibus* ait, *τόκος* sive usuram esse ferám quandam belluam, *θηρίον τι εἶναι*, quæ per menses & dies amplius argenti semper gignit, serpente tempore. Et quidam Bernardus *in libro de cura rei familiar. quem referunt Calderi. in Rep. cap. navigantis. in v. oppositi. de usu. Saly. in authent. ad hæc. C. eodem. q. 24.* simili tropo inquit: quòd Usura est latro legalis prædicens quod intendit (scilicet rapere) [Sed hi dupliciter errant, primò malè Bernardo Abbati attribuendo dictum illud quod est cujusdam Sylvestris, qui è veterano milite Monachus cucullatus evaserat. Secundò verba præposterando, *ut infrà num. 48. in fi.* ut rectè scripsit Fely. *in c. sicut col. 13. ex. de re judica.* non esse confidendum talibus recitatoribus. Tertiò injuriæ sunt nostris legibus quasi usuræ sint latrocinium à legibus approbatum, quod quàm insulsum sit, liquebit *infrà q 2.*] Item similis est usura morsui aspidis, unde Hebræis נשך à morsu dicitur, *ut Exodi 22. vers. 25. Si mutuo dederis pecuniam populo meo pauperi qui tecum est, non eris ei tanquam exactor*, לא תשימון עליו נשך id est: ad verbum *neque inferes ei morsum, sive neque impones ei usuram.* Per morsum enim Hebraïco schemate fœnus quo nocetur proximo, intelligitur, *Deuter. 23. ibi. Ne morsum inferas fratri tuo, &c. alienum mordebis, &c.* Hinc appositè gravitérque scripsit Ioan. Chrysost. *super illud Matth. 5. Et volenti mutuare.* Similis est, inquit, pecunia usurarii morsui aspidis. Percussus enim ab aspide quasi delectatus vadit in somnum, & per suaviratem soporis moritur: quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit. Sic qui sub usura accipit, sub tempore quasi beneficium sentit, sed usura per omnes suas facultates decurrit, & totum convertit in debitum. Hactenus Chrysost. hinc vetus scommain accipientes sub usuris: *breves divitiæ, longa calamitas.* Pari schemate Bald. *con. 449. Ius naturale. lib. 3.* ait quòd usurarius similis est vermiculo ligni, (hunc esse puto qui Latinè Cossus, Græcè *ξυλοφάγος* dicitur, quem Plin. *lib. 17 naturalis hist.* teredinem vocat, & tanquam delicatissimum cibum in deliciis fuisse refert, quod etiam autumat Hieron. *contra Iovinian.*) quia vermiculus (verba sunt Baldi) ad tactum lenis apparet, sed dentes habet ita durissimos, quòd omne lignum rodit & devorat: Ita & usurarius est vermis patrimonium rodens, & quanvis naturaliter eveniat, quod animus majora facinora magis detestetur, tamen in usurario contrarium est, quia quanto majores usuræ, tanto dulciores sunt. Et sicut ignis comburit infinitum, si combustibile habeat sibi approximatum, ita usurarius, tanquam os inferni, devorat & rodit quanto plus habet in marsupio. *Vide si vacat, apud Bald. ibi, ubi latius urget.*

Bellua ἡφιγεώτης.

Latrolegalis.

Morsus aspidis.

Cossus.

Ignis.

3. Sed tamen ignis ille in suos tandem authores convertitur, eósque devorat, nedum in alio sæculo, *ut Iacobi 5.* sed etiam plerunque in hac vita: conturbat enim domum suam qui sectatur avaritiam: *Prover. 15.* Et vetus testatur paræmia, *Malè parta malè dilabi.* Quàm pulchrè Hesiodus, *μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσα κακίῃσι*, hoc est, Ne malè lucreris, mala lucra æqualia damnis. Quinetiam *ut appositissimè scripsit Ioan. Chrysost. 1. Corinth. 5.* *πάσας τὰς ἐπιτροπὰς καὶ τοὺς ὅλους τοὺς πλούτους καιρὸν ἐξέλαυνε πολὺν ὄντα, νῦν χαλκεύσαντες πονηρίας καὶ πολὺ σαπρὸν ὑπόθεσιν τοῖς, τοιούτου ἕνεκεν καὶ δίκαια, καὶ μικρὸν ὅταν πάντα πᾶσι, πονηρίας ἴνδυτον τὸν χαλκεύσαν πατὴν ἀποκλείσας καὶ πάσῃ διαφθορᾷ ἐξέτεμεν*, hoc est,

Mala lucra.

Sæpe exiguum lucellum fraude quæsitum, magnas opes rectè partas evertit. Nihil enim est quod facilius omnia corrumpit quàm fraus. Quod si capsam illam ferra, ostio, vecte quoque communieris, tamen frustra id facis, siquidem fraudem intus conclusum habes violentissimum prædonem, qui quicquid invenit, diripit. *Hactenus Chrysost.* Usura autem & fœnus idem sunt & συνώνυμα propriè loquendo, nisi quòd verbum Usura latius in jure patet, quia fœnus non capitur nisi pro usura strictè sumpta, videlicet in mutuo.

Divisio usurarum.

4. Sed usura tripliciter in Jure accipitur: Primò largè pro accessione vel augmento successivo sortis in quantitate consistentis, ex quacunque causa, etiam aliàs quàm ex mutuo debitæ, puta ex causa venditionis & traditionis rei, *l. Iul. §. ex vendito de act. emp. l. curabit. l. fruc. C. eo. l. 2. c. de usur.* vel dotis & susceptorum onerum matrimonii, *l. cùm post usur. §. in domum de jur. dot. c. salubriter ex. de usur.* vel propter moram in bonæ fidei judiciis, legatis & fideicommissis, *l. qui solidum de leg. 2. not. in l. mora. de usur.* Quandoque etiam largissimè & παραχρηστικῶς pro omni injusta superabundantia, sive debeatur quantitas, sive non, *ut c. putant. 14. quæst. 3.* [vel etiam pro quavis supergressione, ut dum indigenti opera unius diei ergo labus simulat opus esse quatuor dierum, et indigentem mergat captans momentaneam ejus necessitatem, *ut in leg. 2. Cod. si cens. vel reliq.* & qui quacunque proximi egestate pro usu vel commutatione rei cujuscunque, sive pecuniæ sive pecoris, sive mercium, sive operarum abutuntur ad plus exigendum quàm oporteat secundùm bonam fidem & legitimum commercium. Sed hoc modo comprehenderet omnem excessum etiam monopolia, *de quib. lib. 4. Cod. tit. 59.* & quia in jure nostro non legitur ita accipi, omittendum est. Hoc autem primo, & largo modo promiscuè & crebrius in toto nostro jure Civili accipitur: *adde no. inf. quæst. 74.* Secundo strictè & propriè pro eo quod accepit ultra sortem in mutuo, *ut in l. si tibi decem, in prin. de pact. l. rogasti, §. si tibi de reb. cred.* Unde hoc solo casu dicitur fœnerator, debitor usurarius, & pecunia fœnebris *l. fœnerator. de naut. fœn. l. debitor. l. pecunia de usur.* Patet, quia pecunia dotalitia, vel per emptorem, aut quemvis quoquo vero titulo, aliàs quàm ex mutuo debita, non dicitur pecunia fœnebris, etiamsi ex mora veniant usuræ, prout nec dicitur propriè fœnus, nisi in solo mutuo. Hoc etiam casu propriè & planè militant sanctiones, & pœnæ contra usuras & usurarios statutæ, exceptæ constitutione de modo usurarum, quæ non solùm in contractu mutui quantumvis justa causa interusurii subsistente, *ut inf. nu. 75.* sed etiam in omnibus aliis contractibus, ultimis voluntatibus, & causis, ubi debetur quantitas, locum habet, *ut in l. pœnam. de usur. l. Iulianus. §. idem Papin. de actio. emp. l. 3. in fi. de ann. leg.* Et sic quantum ad quantitatem seu moderationem usurarum, generaliter & largè capiuntur usuræ, ne qua fraus fiat constitutionibus, *ut in d. §. Idem Papin. & d. l. 3.* Tertio modo interpretativè seu præsumptivè, quod est, quoties contractus non est in forma mutui. Sunt tamen sufficientes præsumptiones fraudis exquisitæ ad occultandum mutuum & usuram.

Subdivisio.

5. Usura autem propriè & illo secundo modo capta dupliciter adhuc accipitur. Primo formaliter & propriissimè, pro eo quod propter ipsum mutuationis officium tantum, sine alia justa causa exigitur. Et hæc est formalis usura, inhonesta & vitiosa, & semper est contra naturam mutui, quod debet esse gratuitum. Et hanc Legistæ rectè vocant usuram lucratoriam. Secundo modo minus proprio, pro eo quod ultra sortem accipitur in mutuo, non propter officium mutuandi, sed propter aliam justam causam, puta propter indemnitatem mutuantis. Et hæc non est contra, sed præter naturam mutui, & cessante fraude vel excessu, non est inhonesta nec illicita, prout non est vera & formalis usura, sed ejus quod interest legitima & æquabilis pensatio. Hanc vocant Legistæ usurarum recompensatoriam, *ut scripsi in cons. Paris. c. 1. glos. ult. nu. 10.* Rursus ad plenioris declarationem, usuræ secundo illo & communiori modo sumptæ trimembratim dividuntur, *ex sent. Bald. Saly. Pan. & aliorum in l. usuras. C. de usur. Petr. Anchar. in rep. c. peccati venia. col. 8. de regul. jur. in 6.* Quædam lucratoriæ, quæ scilicet tantùm propter officium mutui: Quædam compensatoriæ quæ propter justum interesse: Quædam punitoriæ, quæ est pœna in defectum solutionis appositæ, sive ab homine, sive à lege, *de qua infra. quæst. 36. & latius dixi in extricat. labyrinth. de eo quod interest. quæst. 4.* Item usuræ quædam legales seu legitimæ & licitæ: quædam improbæ & illicitæ, *ut dicam in sequentibus, præsertim. q. 2.* Item usura quædam negociatoria seu principaliter intenta, quædam incidens, *ut nove dicemus inf. q. 69. &* in figura *infr. ad fi. q. 74.* Usuram autem lucratoriam, quæ est propriissima & formalis, tam Theologi quàm Juris professores variè definiunt. Sed nemo unquam dexteriùs & dilucidiùs quàm doctissimus ille Philippus Melanchthon *in sua epitome Philosophiæ Moralis*, dicens:

Definitio.

6. Usura est lucrum supra sortem exactum, tantùm propter officium mutuationis. Potes etiam sic brevius cæteris definire: Est lucrum ex mutuo exactum. Verbum lucrum, implicat omnem accessionem debitori onerosam, & excludit justam damni creditoris compensationem, quæ etiam excluditur per verba sequentia ex mutuo, quæ non solum denotant proprium & materiale subjectum, sed etiam objectum & causam propter quam, utpote omni alia justa causa cessante.

Usura mentalis.

7. Verbum autem, exactum, implicat tam tacitum quàm expressum pactum, & excludit liberalem & meræ spontaneam debitoris remunerationem, quæ nunquam est usura, sed mera donatio, etiamsi creditor ea sola spe & principaliter ab initio motus fuerit ad mutuandum, & utcunque vitiosa intentione peccaverit quia usura illa mentalis nihil habet commune cum donatione sequenti, nec eam vitiat, nec ad restitutionem erga proximum obligat, sed solùm ad pœnitentiam erga Deum, prout in simili ex tex. de simonia mentali *in c. fi. de simon. fac. tex. in leg. inter omnes. §. rectè. D. de jur. inst. de oblig. quæ ex quasi delic. nascun. §. placet, in fi.* Et ita etiam in usura tenent Pau. de Leaz. *in clem. prim. de usur. Anth. Butri. in cons. 17. occurrentib. Cardin. Flor. in c. consuluit. de usur. an cl. ex gran. eo tit.* Hæc etiã fuit vera opinio Inn. *in d. c. cõsuluit* licet ibi referat diversam aliorum opinionẽ, quam fatetur tutiorem; ita etiam communiter tenent Theologi, *ut Richard. in quart. sent. d. 15. quæst. 5. art. 5. & Scot. eadem dist. Ang. cl. in sum. ver. restitutio. versi. usurarius, quem refert & sequitur Gabr. Biel. in quart. sent. d. 15. quæst. 11. dub: 4. Sum. Sylvestri. in ver. usura. 6 quæst. 3.* Quamvis Vincentius Host. Ioan. And. Pan. *in d. c. consuluit. Henr. Boich. in c. In civitate col. fi. de usur. gl. in d. c. fi. Et ibi Card. Fl. de Sim. Io. And. in c. peccatum, in fi. & ibi Ph. Franc. de reg. jur. in 6. Archid. in c. si fœneraveris. 14. quæst. 3. quem refert & sequitur Petr. Anch. in Rep. c. peccati venia. col. 6. quæst. 1. in fi. de reg. jur. in 6. Laur. de Rod. in Rep. d. c. consuluit. q. 3. Card. Fl. in clem. unic. in prin. q. 25. de usur. Alex. con. 93. lib. 6. Petr. de Palude in 3. sent. dist. 37. q. 2. art. 2. concluf. 5. ubi ineptam differentiæ rationem meturi nitiuntur. Archiep. Flor. part. 2. tit. 3. c. 7. §. 35. Guid. Pap. in tract. de contract. illicit. nu. 12. 15.* faciunt differentiam inter simoniam mentalem & usuram mentalem, ut in hujusmodi usura, licet non in simonia sit necessaria restitutio, & malè.

Remissio usuratum.

8. Et quanvis Raym. *in sum. tit. de usur. vers. sed nunquid voluntas*, quem seq. Guido. Pap. *in d. numer. 15. & Gosfred. in sum. eo. in §. in summa.* Et Iacob. Almain. *in 4. sent. dist. 15. quæst. secund. artic. de usuris.* Philip. Dec. *cap. ex parte numer. 6. de off. de legat.* velint saltem pauperibus restituendum, quod non probatur, quia si etiam formalis usura & in pactum deducta non obligat ad restituendũ, nec pauperibus erogãdum, secuta spontanea

remiſſione uſuratum ſolutarum, vel liberali ſolutione animo donandi facta poſt mutui reſtitutionem, vel liberationem, *ut tenet glo. in c. peccatum. verb. reſtituatur in prin. & ibi Anchar. Phil. Franc. de reg. jur. in 6. Rejecta ſcrupuloſa diſtinctione Dy. ubi per tex. in l. ſi rem. §. omnis de pig. actio. in l. item liberatur in prin. quibus modis pig. vel hypoſol. l. certe. §. Julianus. de preca. Idem tenet Hoſti. in ſum. §. ult. verſ. quid ſi fœnerator. ti. de uſur. Federic. de Sen. com. 18. in uſuraria. Lauren. de Rodul. in Rep. d. c. conſulunt. quæſt. 7. Alex. con. 91. viſis actis. col. 1. lib. 2. And. Tiraq. in tract. retract. convent. in fi. quæſt. 28. in fi.* Secus ſi remiſſio vel ſolutio non eſſet merè liberalis, ſe ad emerendum gratiam fœneratoris ad futura mutua, vel aliàs fraudulèta vel impreſſiva, in quo ſufficiunt conjecturæ, *ut per Io. Andr. in addi. Speculat. de uſur. in 2. addi. Io. Cal. in com. 10. ſub. tit. de uſur. Bal. in l. Rogaſti. §. ſi tibi. ſi cer. pet. Fran. Purpura. l. petens. num. 77. Cod. de pact. l. Rogaſti. num. 14. ſi cert. pet.* Igitur quanto minus ad reſtituendum obligat ſimplex præterita depravata intentio in animo retenta, quæ nullo modo eſt cauſa acquiſitionis, ſed ſpontanea liberalitas donantis, eſt immediata & principalis cauſa ipſius acquiſitionis, Et idem in ſimilibus eſt dicendum. *fac. tex. in leg. ſi ergo. Si cert. pet. Ibi exceptione uti poterit, quia eſt ſecundum intentionem dantis.* Infinita ſuper his occurentia prætereo, non enim quæcumque ſupplendo aut emendendo tam è Theologorum, quàm Jurium profeſſorum commentariis in hac materia vario & longo ſtudio collegi, huc conferre volui: ſed ea duntaxat quæ ad præſens inſtitutum ſatis ſunt.

9. Redeundo è digreſſiuncula, communis eſt omnium ſententia, quòd uſuræ propriè non cadunt niſi in mutuo, ut rectè tradit *gl. 14. q. 3. in ſum.* & omnes Theologi & Juriſperiti ubique ſequuntur, qui etiam conſentiunt de ſe illicitas eſſe, non ſolùm quia prohibitæ, ſed etiam quia malitiam habent involutam. Et quòd ſint contra jus naturale multas ultra Ariſtot. *Ethicorum quint. & Politicôn. prim.* rationes adducunt, quas hic referre nolo. Sed remitto ad loca vulgata, *& ad S. Th. in 2. 2. quæſt. 78. art. 1. Io. And. in cap. peccatum. de reg. jur. in ſext. Gabr. Biel. in quart. ſent. diſtinct. quinta quæſt. undecima. Conrad. in tract. de contract. quæſt. 22.* Quod jure divino prohibeantur, paſſim legitur tam in novo quàm in veteri Teſtamento, *ut Exod. viceſimo ſecundo dicitur* ibi. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes*, ut rectè habet vulgata editio, Hebræi, ἐπεκρούσεις legunt. *Nec inferes ei morſum ut ſuprà numer. ſecund.* Et *Levit. c. 25. ibi. Pecuniam tuam non dabis ei ad uſuram.* Et *Deuter. 23. ibi. non fœneraberis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et ibidem. *Fratri tuo abſque uſura id quo indiget, commodabis.* Pulchrè & emphaticè Tigurina abſolutiſſima tranſlatio habet. *Ne morſum inferas fratri tuo fœnore pecuniæ, aut fœnore alicujus eſculenti, imò fœnore cujuſcunque rei, quæ morderi poſſit. Alienum mordebis fœnore, fratrem autem tuum non mordebis, ut fœlicitet & fortunet te Dominus.* Quod autem dicit *alienum, mordebis*, mihi nec præcipere nec permittere videtur, ſed hoc innuere & ſignificare, quòd ſi quem uſuris opprimas, jam non tractas ut fratrem, nec officium proximo debitum impendis, ſed pro extraneo habes, vel pro hoſte, ut innuit D. Ambroſ. qui ibi jus uſuræ, ubi jus belli eſſe ſcripſit, & habetur *in c. ab illo 14. quæſt. 4.* Si quos enim furto vel vi, vel clam & palàm deprædari licuerit, eoſdem & quibuſcunque uſuris exhauriri & opprimi poſſe conſequitur. Quod nota ad verum intellectum *d. c. ab illo* quia Sophiſtæ non valentes ſeſe extricare, finxerunt poſt Alex. de Ales non eſſe textum D. Ambroſ. ſed Ambroſii adoperti cujuſdam hæretici, *Vide ſi vacat, Conrad. tract de contrac. quæſt. 42.* Sed circa illud *Deut 23. c.* videtur ſpeciale quoddam *μάνναν* ſtatutum fuiſſe inter Iſraëlitas. Non enim erat domini terræ, ſed advenæ, & coloni Dei: & invicem conſervi, ſeu concoloni ejuſdem domini: tum agricolæ erant, aut paſtores ovium; non decebat eos amplior negotiatio; & multòminus negotiatio fœneratitia. Non poterat unus ab altero emere terram, niſi ſub facultate redimendi, adhuc non verâ emptione, ſed pigneratitiâ. Neceſſe enim erat ſaltem Jubilæo anno terram redire ad dominum, & poſſeſſorem priſtinum, fructibus cõputatis in ſortem; refuſo reſiduo duntaxat: imò neceſſe erat liberam ſemper eſſe facultatem redimendi, ſeu potius luendi: & quandocunque debitor redimere poterat, fructus deducebat à tempore venditionis, & reliquo ſoluto poſſeſſionem ſuam recuperabat: *Levit. 25.* Et ſic non ſolum inter eos vetita erat vera venditio, & acquiſitio prædiorum ab alterutro: ſed etiam ſimplex antichreſis & tantum permiſſa mora puta pignoratitia, nempè fructibus in ſortem imputandis. Quomodo ergo inter eos uſuræ formali locus eſſe potuiſſet: ſed hæc judicia τῶν πατρώων, non erant ſtatuta, nec locum habebant, reſpectu exterorum. Quod autem dixi prohibitam veram venditionem & acquiſitionem prædiorum inter eos; exceptionem unam recipiebat: videlicet, in domibus ſitis in urbibus, vel oppidis mari circumdatis, quæ poterant abſolutè vendi; ita tamen ut infrà annum, à venditore, vel ejus propinquo redimi poſſent: ſed non poſt annum, nec tempore eãdem Jubilæi. Quod etiam dixi de venditione, vel pignoratione prædii ruſtici, ſanè intelligendum, quando debitor non exuebatur propriè agriculturæ induſtriâ, & ſubſidio vitæ, nec tecto neceſſario, ut quando unum tantùm è pluribus prædiis, quo carere poterat, vendit, aliàs, inter Iſraëlitas non licuiſſet, ut patet *Exodi 22. ad fin.* ut ſi debitor habet unicum veſtimentum, non licet illud pignori capere, niſi eâdem die ante ſolis occaſum reſtituatur, ergo nec tectum unicum, nec caſam negotiationi ſuæ (quâ aliàs privaretur) neceſſariam. Ad hoc quæ dicemus *inf. num. 65. & num. 261.* Sed ab exteris non erat prohibitum, nec ex eis ſervos, & ancillas emere in perpetuum, jure dominii, quod non licebat de Iſraëlitis, ſed ad temporarium famulitium tantùm. *Levit. 25. ad fin.* Rurſus quòd jure divino uſuræ prohibeantur, habes *Pſalm. 15. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* verſi. 5. ibi. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, & ibi latè Jo. Æpinus Theol. Et Pſ. 54. verſ. 11. *Et non defecit de plateis ejus uſura & dolus.* Ezech. 18. ibi. *Ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit.* Et Nehemiæ. 5. ibi, *Uſuráſne ſinguli à fratribus veſtris exigitis?* Et paulò poſt, *Non eſt bona res quam facitis.* Et Lucæ 6. ibi, *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Sed hîc advertendum, quòd tam Theologi ſcholaſtici, quàm Canoniſtæ & Legiſtæ, adùſque magis ad literam, quam ſpiritum ſeu mentem & ſcopum divinæ legis aſpicientes, cenſuerunt aliquid peculiaris & innati vitii ineſſe ipſi uſuræ, vel lucro uſurario magis quàm in venditione doloſa, inæquali, vel alia ſimili ſpecie fraudationis. Idque non ex eo, quòd proximus magis lædatur, ſed ex eo quòd ultra ſortem in mutuo quicquam capiatur: quaſi uſura in ſe, & per ſe, ſit deteſtabilior, & malitioſior, ſeu de ſe magis illicita: ita ut dixerit *Ber. in trac. de contr.* quòd licet quandoque uſura non ſit contra charitatem, tanquam aliquòd nocivum, eſt tamen ſemper contra eam, tanquam aliquod inhoneſtũ. *Et Pet. Anch. poſt alios Can. in Rep. c. peccati venia q. 3. col. 7. de reg. jur. in 6. ſcripſerit*, uſurarum prohibitionem eſſe ita ſtrictam & rigoroſam jure divino, ut non poſſit modificari per leges, etiam in caſibus ubi verſatur publica utilitas, & commune bonum, & civilis amicitia, quam natura conſtituit inter homines.

Vſuræ jure divino prohibitæ.

10. Hinc in infinitas ambages, multóſque errores, & paralogiſmos inciderunt, quibus referti ſunt ſpinoſiſſimi eorum libri, ex eo quòd non reſpexerunt ad ſcopum divinæ legis quæ eſt charitas, ut ipſe teſtatur Chriſtus *Matth. 7. Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis: hæc eſt enim lex & Prophetæ*, id eſt, hic eſt ſcopus: & D. Paul. 1. *ad Tim. 1.*

Scopus divinæ legis

Thesis. *Finis legis est charitas*: & Rom. 13. ad Gal. 5. *Qui diligit proximum, legem adimplevit.* Non est igitur usura lege divina prohibita & illicita, nisi in quantum est contra charitatem. Cum autē Usura multipliciter capiatur, (ut ex prædictis liquet) illa sola prohibetur & damnatur, per quam charitas & dilectio proximi offenditur.

Hypothesis. Et ita præfata loca, & quæcunque similia facræ paginæ intelliguntur. Finge mercatorem non inopem, ut ex licita negotiatione superlucretur accipere mutuum, & promittere menstruam vel annuam usuram, vice portionis futuri lucri: dicésne creditorem, qui non potest ostendere, quòd tanti sua interfit, & fortè nullo modo aliàs interest, non posse licitè stipulari, nec recipere hujusmodi usuram sine incommodo debitoris? Quicquid turbæ illæ scripserint, nihil hîc video noxiæ, nihil contra jus divinum, aut naturale, quia nihil hîc fit contra charitatem: sed potius ex mutua charitate. Patet, alter beneficium mutui de suo concedit: alter benefactorem de parte lucri inde secuti sine damno suo remuneratur. Ergo creditor licitè ultra sortem recipit, eademque ratione ab initio in hunc casum & eventum ita pacisci licet, infra tamen legitimum modum, & dummodo qui stipulatur nullam proximo fraudem meditetur, neque usuram iniquè exigat: imò nec recipiat quidem si jacturam dando faciat debitor: sed hoc tantùm accipiat & exigat, quod bona fide & cum æquitate vellet à se accipi, vel exigi, in eadem peristasi existens, vel in simili necessitate deprehensus. Scio quid hic Sophistæ illi argutentur, ut *Conrad. de contrac. q. 22. conclus. 13.* nempè quòd debitor non potest dare partem lucri sui, quin in ea parte damnificetur, etiamsi major pars sit lucri quam retinet, quia (inquit) totum & solidum lucrum est suum, ex quo non provenit ex re creditoris, sed ex re vel pecunia, quæ jam tota est in dominio solius debitoris. Sed facilè est respondere hanc argutiam non esse fundatam in aliquibus divinis aut naturalibus præceptis, sed in humanis & positivis commentis. Quid dico? imò nec in aliqua humana luce, seu lege, sed in perplexis quorundam imperitè doctorum intersomniis: quare contra nos non est efficax. Et ultrà, quòd merè sophistica sit, ostendo, quia creditor mutuando dat causam propinquam & efficacem, hoc est ut vulgò dicunt, sine qua non, hujus lucri, ergo lucrum dare videtur. Igitur partem lucri saltem in eventum lucri stipulari potest, ex divinis & naturalibus, imò etiam ex civilibus regulis. Ex quo debitor ex mutuo cum hoc onere majus compendium refert, quàm si caruisset mutuo, apparet mutuum etiam cum hoc onere esse in commodum debitoris, & non in ejus incommodum. [Et intelligo semper de commodo lucri in hypothesi: non autem de commodo periculi vitandi, quia de periculo, & damno alieno non licet quæstum facere.]

Conscientia. 11. Ultimò, cùm ex hypothesi debitori supperat, unde commodè & retenta bona parte lucri possit reddere sortem cum usura, sequitur hujusmodi usuram non esse in damnum nec in fraudem proximi, sed potius in aliquam non modicam ejus utilitatem: tantum abest ut aliquatenus sit contra charitatem vel dilectionem proximi: igitur non est contra leges divinas vel naturales, ergo etiam in conscientia licita est: quæ præcisè sequitur rectam rationem, rei divinæ conformem, & puræ veritati inhæret, circumscriptis commentitij juris apicibus, inquit *Bal. Iuris professorum ... in l. rogatii. §. si tibi. col. 2. si cer. pet. Idem in l. 2. fi. C. de rectig. & commis. act.* Conscientia non ligat quos natura non obligat. Non est igitur verum, sed erroneum & superstitiosum, quod illi hactenus scripserunt & docuerunt, quamlibet usuram aut fœnus, seu quicquid omnino commodi ob mutuatam pecuniam creditor recipiat, à lege divina damnari: quia imò non damnatur usura, nisi quæ fraudi proximo est, ipsumque prægravat. Non obstat universalis illa negativa *Lucæ 6.* ibi. Nihil inde sperantes: quia illic Christus non de usura, sed de restitutione sortis vel repensione æqualis beneficij loquitur. Patet, quia ibi loquitur contra dantes his tantùm, qui reddituri sunt paria, quod faciunt Ethnici & peccatores. Ampliorem autem docet & requirit à suis justitiam, videlicet ut indigentibus mutuum dent hoc animo, ut etiamsi nihil restituturi sint, tamen gaudeant opitulari proximo: tantumque abesse docet ut beneficium pereat, ut hoc copiosius præmium repensurus sit Deus, quo munus repensum & speratum fuerit ab hominibus. Ut ergo non vult Christus non nisi certa spe restitutionis mutuari, sed magis spectari quò indigenti subveniamus, quam quò pecunia sit in tutoria si frater non ita egeat, quin possit cum suo commodo sortem cum aliquo fœnore benefactori reddere, non prohibet sicut non prohibet repetitionem mutui, etiam in publico judicio, sed vult semper & ubique rationem haberi charitatis proximi pauperis. Et latè docet, qua humanitate pauperes, qui omnino aut commodè solvendo non sunt, tractare debeamus. Non ergo accipere usurà quamlibet, sed cum damno fratris accipere dilectioni repugnat. Si tua igitur pecunia frater lucratur aliquid, partemque lucri tibi decidat, Dei benedictionem participas non alienam: nec propriè à quantitate ejus quod accipis, sed ab incommodo proximi debitoris, usuræ noxia estimanda est: ita tamen ut non excedantur metæ legibus aut politicis ordinationibus constitutæ. Hanc etiam sententiam ponit & videtur sequi *Innocen. in rubrica de usuris in fine. in antiq. & expressim Aret. Feli. Matth. 5.* Et hoc est quod rejectis scrupulosis aliorum distinctionibus de vera & brevi lege contractuum scripsi in *consuetu. Paris. §. primo. glos. fin. num. 21.* paucis quidem (quòd illic non esset locus) sed æquè pollentibus verbis.

12. Sed operæprecium est videre, quid tandem effecerint illi præposteri religiosi: quid inquam, nisi quòd probos & innocentes indebitè contristarunt, boniſque negocium facesserunt, ut exempla nonnulla extant apud *Petr. Ancha. in repetitione cap. peccatum. colum. 23. & rep. cap. peccati venia. q. 1. col. 6. de reg. in 6.* De quodam Raynerio cive Senensi, qui benedictione Dei temporis spatio ditatus erat, minutis munusculis rusticorum, quibus gratis pecunias suas mutuabat sub termino, quo lapso, minuto (pro facultate & commoditate debitoris) accepto munusculo & omni alia pactione, & exactione cessante, diem solutionis prorogabat: quo mortuo: in hæredem tanquam usurarij hæredem cœpit Episcopus inquirere, causificans illa minuta fuisse illicitè percepta à defuncto, eúmque fuisse usurarium mentalem, quia non mutuasset, nec terminos solvendi prorogasset, nisi sub spe talium munerum, quódque licet ea fuissent minutatim gratisque data, tamen intentio fuerat corrupta. Contra vero intercedebant pauperes rustici tam benigno subventore orbati, séque inquisitioni opponebant, dicentes se liberaliter olim dotasse, & adhuc hodie sponte remittere, & meliorem virum non vidisse, & quod subveniendo pauperibus non erat repertus similis illi: incusantes etiam Episcopum, quod malè faceret hæredes molestans. Quibus non obstantibus, dicit Petrus Ancha. (ut erat temporum suorum erroribus fascinatus) se post longam disputationem conclusisse eum fuisse usurarium mentalem, & consequenter secundùm suam opinionem, *de qua suprà num. 7.* ad restitutionem obligatum. Quid dicemus de tam sanctulis Episcopis & quæsitoribus? An illud *Matth. 7. Hypocrita ejice primum trabem, &c.* An verò juxta paræmiam, quod helleboro repurgandi Anticyras navigare debuissent? Adhuc parum erat eos probis & bonæ fidei hominibus infestos esse, nisi etiam eadem opera vicissim iniquorum cupiditati patrocinarentur, *ut latius infrà num. 78.* Hinc fovetur error multorum (quam superstitionem auxerunt inepti Canonistæ facientes crimen Ecclesiasticum, vel ut vocant spirituale quò

Ἀφιδρυμία.

trahant ad ſuum forum) qui præpoſterè religioſuli, vel ſemiobolum ultra ſortem officioſi mutui recipere abhorrent, ne vel tantillum uſura contaminentur, interim tamen nedum abhorrentes, ſed etiam ſedulò & callidè inhiantes ad non modicam fraudationem & circumventionem proximi, in vendendo, permutando, aut aliàs negociando. Sed hi (qui multi etiamnum hodie ſunt) fucum fortè faciunt hominibus: at non Deo, cui omnis fraus & circumventio odio eſt.

13. Apud quem penes magnitudinem doli & læſionis ſeu offenſæ dilectionis æſtimatur, quocunque nomine vocetur, aut in quamcunque contractus vel quaſi uſura latè delicti, vel quaſi nominati vel innominati ſpeciem cadat inter homines: imò generaliter omnis iniqua ſuperabundantia, ſuperlucrum vel incrementum appellatione uſuræ venit latè ſumpto vocabulo, ut 14. q. 3. *c. putant.* 14. q. 4. c. *ſi quis obſtitut. & Ezech.* 18. ibi. Uſuram & ſuperabundantiam, vel ut Tigurina verſio, fœnus & exceſſum. Unde judices à lege dati ſuper uſuris inquirendis & coërcendis, nedum contra mutuantes ad uſuram ſeu formaliter fœnerantes procedere poſſunt: ſed etiam contra eos qui quacunque arte aut calliditate ſolent contrahentes circumvenire, ut iniquè ſuperlucrentur.

Piratica terreſtris.

14. Et maximè contra illos improbos mercatores, qui nolentes indigenti mutuare, neque reditum ad rationem beſſis uſuræ emere, eò quòd non quantum cupiunt lucrarentur, velut admota nec miſſura cutem nili plena cruoris hirudo, vendunt merces longè ſupra juſtum precium prætextu modicæ dilationis præcij: accepto interim idoneo fidejuſſore vel tuta cautione. Eaſdémque merces per ſe vel vicaria manu per interpoſitos ſuæ cupiditatis adminiſtros, vel etiam ejuſdem artis & fraudis conſortes invicem in hac piratica exercenda præpoſitos, mutuáſque in id operas libenter præſtantes, mox viliſſimo precio redimunt, deinde aliis juſto aut cariori precio revendunt: tripliciter peccantes & ſuperfœnerantes ſuper eadem merce, & eodem ferè tempore. Et hanc barbaricam deprædationem ſuaves illi homines non uſuram vocant, ſed mercantiæ curſum & fortunam. Sed verè ſcelus eſt, & nequitia plus triplo uſura gravior & deteſtabilior. Nemo enim vera & formali uſura damnificatur, niſi poſt longum intervallum & diutinum pecuniæ uſum: & adhuc ſemper facultatem habet debitor ſolvendo liberari ab uſura, & maturè ſolvendo modicum aut nullum ſentire damnum: ſed illa arte piratica ab illis nequiſſimis inventa, ſtatim & abſque remedio pauper damnificatur & deprædatur. Et quod indignius eſt, hanc nequitiam ut plurimum exercere ſolent in conſtitutos in anguſtia, & repentina aliqua clade aut miſeria afflictos: tantóque audacius & crudelius, quantò promptæ pecuniolæ ſubſidio pauper magis indiget: non minus miſeria & clade aliena in ſuæ nequitiæ compendia abutentes, quàm barbari illi totius humanitatis hoſtes, qui naufragio ejectos deprædantur. Convicti igitur præter contractuum annullationem, & partis læſæ ſatisfactionem, graviſſimè longè magis quàm ſimplices uſurarii mulctandi ſunt: quinetiam corporaliter pro frequentia & qualitate admiſſi puniendi, prout lucrum illud propriè non eſt uſura, ſed vera præda piratica, quia non percipitur ſucceſſivè, nec propter uſum, ſed ſtatim ut præda & extorſio, & ab afflicto, cui ſubveniendum erat, ut ille apud Ariſtophanem: Non es fur, inquit, ſed latro. Et quemadmodum famoſi latrones & piratæ ſuos habent exploratores: ita nec his peſſimis expilatoribus ſui deſunt emiſſarii, circumforanei quidam furciferi: qui licet ad operiendum fucum artem aliquam mechanicam prætexant, quam minimè exercent, nihil aliud quàm per omnes vicos & fora dies totos obambulant, inſidiantes ſi quem venentur civem, advenámve pecunia indigentem: illicò aſſiliunt, illiciunt, pelliciunt, obſequioſiſſimum ementientes animum nuris technis, & quid non (ipſe vidi) etiam ad omnem miſerationem geſtu vultúque ſubdolè compoſito, quinetiam obortis & fluentibus Crocodili lachrymis, adſimulant pluſquàm fraternum vel paternum affectum, ſéque miſeram & indigam egentis ſortem ægerrimè omnium ferre & imis viſceribus miſerari: omnémque opem interim pollicentur in propitio aut minus incommodo fœneratore inveniendo. His artibus incautos, alioquin perculſos, animóque ægroto malè affectos facilè permovent, & in fidem ſuam adactis quidlibet perſuadent. Sed cùm æquendum eſt negocium, puta reditus conſtituendus, niſi pauper debitor iſtis harpyis quantam ſortis partem ſalarii nomine poſtulant, decidi conſentierit, illicò rem omnem ad initium alio mendacio redigunt, culpam etiam artificioſè in miſerum debitorem rejicientes, quòd dum cunctaretur fœnerator commodius aliquid reſcivit, vel ab alio præoccupatus fuit. Poſtremò (neque enim illi ſam cutim ſemel attactam mittere volunt hujuſmodi ſanguiſugæ) quod extremum eſt auxilium, ad piratas illos (& quam vulgò vocant finantiæ perditionem) tanquam ad ſacram anchoram deducunt, unde longè uberius & multiplicius tanquam è ferventi naufragio ſperant compendium, miſeras merces caro redemptas rurſus (velut geminato othćio) notis colluſoribus, aut aliis quibus gratificari volunt hujuſmodi fortuitis lucris inhiantibus vili addicentes, & utriuſque operæ (hoc eſt multiplicis perfidiæ) mercedem ſuper reſiduo, quaſi corraſo preciolo ſibiipſis retinentes. Tædet me hujus tam putidæ narrationis: ſed magis permovet rei indignitas, ad quam ſatis exibilandam vix magna eloquentia ſuffecerit, in hac regia urbe, tot ſceleratiſſimos & perfidos nebulones his præſtigiis nedum victum, ſed etiam quæſtum facere. Hæc ſcribens accepi à fide dignis deprehenſum anno 1540. in regione Occitana, in loco vulgò dicto Givodan, quemdam regiorum portoriorum & impoſitionum redemptorem, qui pauperes ruſticos Regios collatores acerbè urgens ad ſolutionem, certos eis pannos ſummo precio brevi dilatione data vendebat, quos per interpoſitas perſonas viliſſimo redimebat precio, quod adhuc non numerabat: ſed pro debito Regio retinebat, mox dilatione privati debiti lapſa, eoſdem pauperes ad ſimilem ſed graviorem (utpote aucto debito) verſuram adigebat, quam appoſito ſatis vocabulo lingua loci vernacula vocabat, *eſtonpade*. Et hac piratica arte, prætextu & impreſſione Regii officii, grandem pecuniam tempore brevi corraſit: dignus furcifer, qui pro gravitate facinoris & pernicie exempli, præter ablatorum & damnorum reſtitutionem, mulctam & privationem officii, laqueo vitam finiret. Inventi ſunt etiam ſcelerati homines, qui omnia propè fori puta boarii vel equinarii animalia, partim per ſe, partim per interpoſitos criminis participes emerent: deinde pauperibus ruſticis jugo boum arandi cauſa egentibus, non ſolùm boves aratorios juſto precio vendere, ſed etiam carò: nec id ſolùm, ſed etiam pecuniæ mutuum injuſto precio à ſe emendum denegabant: jumenta autem vel equos longè iniquiori precio, prætextu brevis dilationis ſolvendi, mediantibus pignoribus aut fidejuſſoribus, comparandos offerebant, ea fraudulenta intentione, ut eadem jumenta mox ab eiſdem per ſe, vel interpoſitos ſui ſceleris adminiſtros viliſſimo nempe dimidiato priori precio redimerent, aut cum vili jugo boum permutarent. Rurſúſque eiſdem equis vel jumentis, quater aut quinquies ſimiles verſuras & impoſturas aliis pluribus facerent: non unum publicum legis Juliæ de annona, ſed plura ſimul connexa teterrima crimina patrantes, ad quæ multiplicanda pleróſque homines mera Sathanæ & Mammonæ mancipia irritat, & in eorum caſſes deſtitutos civilium legum auxilio pauperes precipites agit inepta illa ſuperſtitio & præpoſtera illorum religio, qui leges civiles & omnes legitimas uſuras ſcelerum & noxiæ mortalis

non minùs perniciosè (ut eventus docuit) quàm temerè damnaverunt. Hîc obiter confingenda est piratica quædam, quàm audio exercere à rusticis in pagis huic urbi subjectis. Vicinus vicino mutuat decem vel vigenti aureos: dum autem debitor offert solutionem, creditor lucro insidians jactat se non indigere, sed majorem gratiam facturum, eáque confidentia abigit debitorem, qui rursus securè utitur, donec improbus creditor tempus captans quo debitor pecunia caret, insilit pignora direpturus, subornato quopiam qui in aurem debitori dicat, ut uno vel duobus dolis vini, vel tertia parte messis fundi dilationem redimat brevem, videlicet in tempus quo fructus vendi solent. Et hac arte multos impiè ditescere & quartam aut tertiam plus minus sortis partem in anno super lucrari: quę ut teterrima usura duplicem centesimam excedens graviter profliganda & punienda.

15. Ad rem redeundo, sequitur ex prædictis, quòd sicut non omnis usura de se illicita est, sed solùm quando fit contra charitatem vel in fraudem, aut circumventionem proximi, quemadmodum & in cæteris contractibus. Jam ergo soluta est quæstio, videlicet quòd si hujusmodi reditus justo & consueto precio bona fide ematur, hoc est sine ulla mala intentione aut fraudatione proximi, licitus est contractus, etiam in foro conscientiæ, aliàs non: puta si munus justo precio, vel justo, sed insidiando fortunis & bonis debitoris, vel ubi eleemosyna succurrendum erat: & hæc veritas, ut latius infrà probabimus. Sed tamen interim propter vitiligatores (si qui fortè, ut paulò post hanc editionem 1551. Lugduni, contigit, non discendi, nec examinandi, sed carpendi studio nostra legant) apertè contestor, non hæc à me tantis exantlata laboribus, ut ullum fœneratoribus aut usuris patrocinium præstem, aliquémve fenestram rebus odiosissimis adaperiam: sed ad veritatis tam in conscientia, quàm in foro externo elucidationem, æquitatis & συμμετρίας; harmoniam laboro, ut nedum usurarij contractus, sed etiam his affines & æquipollentes cohibeantur.

Intentio Authoris.

16. Sed ita ne præcludatur via justis & utilibus contractibus, & ne necessitati commerciorum laqueus injiciatur: quo sensu scripsit *Io. Gerson in tract. de contract. Considera.* 11. quòd prætextu præcludendi aditum usuræ, non debent reprobari multi contractus, qui secundùm legem Dei non sunt usurarij aut prohibiti, & sunt utiles: & hoc ne laqueus populo injiciatur. In quo prudentia & innocentia Legislatoris summoperè desiderantur: quibus non esset opus, si omnes & semper spiritu Dei, hoc est lege charitatis duceremur. Necessaria sunt igitur in hac vita propter hominum aut imperfectionem aut malitiam hæc judicialia & politica: non ut libidini magistratuum, aut avaritiæ pragmaticorum pareant, sed ut charitati communi serviant, & sic *ministerium*, hoc est in subalternationem & famulatum legis Dei.

17. Nunc ad ampliorem doctrinam omnémque scrupulum amoliendum probemus licitas esse emptiones redituum, etiam stante vulgata opinione, quòd usuræ etiam legales propriè & strictè sumptæ, videlicet in mutuo, sint de se illicitæ. Hîc retinendi sunt in primis certi termini, præsertim usitati, ne sequatur inextricabilis confusio, ut in simili tradit *Bar. in tra. de Alveo, in ver. novus, in prin. Et Io. Ger. in lect. 2. super Marcum.* Deinde excutienda sunt ad vivum totius materiæ fundamenta. Præcipui autem termini in hac materia sunt duo, videlicet Mutuum, & emptio reditus. Videamus quid sit utrique proprium, & in quo differant. In mutuo tria secundùm omnes, sed penitus considerando quatuor requiruntur. Primùm, quòd pecunia fiat accipientis. Secundùm quòd gratis. Tertiùm, quòd detur jus utendi aliquo tempore (hæc duo perperam omissa sunt à *Bar. & docto. in definitione mutui in l. 2. in fi. si cer. pet.*) Quartum quòd accipiens obligetur cum effectu ad idem genus,

Mutuum.

sive ad tantumdem in eodem genere restituendum: idque adeò præcisè, ut nullo interitu liberetur. *l. 2. in prin. de reb. cred.* Primùm non est proprium mutui, quia convenit emptioni fundi & infinitis contractibus: similiter nec secundum, quia convenit donationi, & etiam depositi facto ad numerum. *l. Lucius depositi.* Sed tertium & quartum est propria & specifica differentia mutui, & propter quartum differt ab emptione reditus sive perpetui, sive temporalis. In qua recipiens sive venditor nullo modo obligatur ad restituendum precium sive pecuniam ob id acceptam, neque in corpore, neque in genere, sed prorsus & perpetuò alienatur sine spe unquam reperendi, cujus ex diametro oppositum est in mutuo. In quo licet pecunia fiat accipientis, non tamen liberè, nec prorsus abalienatur, quia mutuatio non est alienatio, sed administratio. *tex. in l. Regasti §. si fugitivus. ubi. Alex. Deci. & omnes Doct. si cer. pet.* quia vertitur in creditum, & recipiens obligatur ad restituendum idem genus: non in abstracto, quod nihil est, sed veram & realem substantiam, genere & qualitate (non individuali corpore) eandem & certam.

18. Et hoc est quod vult textus ille vulgatus & clarissimus, Sophistarum ineptiis obscuratus, & à novissimis injuriosè lancinatus, & transpositus, *in l. 2. §. mutui datio. de reb. cred.* ubi dicitur quòd res mutuabiles recipiunt in genere suo functionem, id est formalem & substantialem æquipollentiam, ut una res fungatur vice alterius uniformiter & substantialiter: idque per solutionem (id est per solvendi facultatem) quàm specie (ut habet vera litera, vel secundum vulgatam literam quæ in idem recidit) potius quàm per speciem (id est) magis quam per ipsum corpus individuum mutuo traditum. Non enim illud individuum est in obligatione. Rursus nec genus abstractum, aut quid incertum: sed certa substantia, quæ certitudo non est restricta ad ipsum corpus in individuo mutuatum, sed ad substantiam ejusdem generis qualitatis & quantitatis, quod per solutionis facultatem pulchrè velut experimento palpabili cognoscitur. Quia si ipsum mutuatum corpus attendas, est facultas solvendi aliud pro alio: si verò genus, qualitatem & quantitatem, non est facultas solvendi aliud pro alio: imò quia obligatio non est contracta ad ipsum corpus mutuatum, sed ad idem in genere & quantitate, non offenditur (etiam in mutuo) sed stat illibata regula, quòd aliud pro alio non solvitur præsertim quia id quod solvitur recipit functionem: ideóque subrogationem consubstantialem & identificam cum re mutuata: quæ functio accidit & fit per solutionem (id est solvendi facultatem, quia satis est tantundem solvere) non autem per speciem seu corpus mutuatum. Hoc quod obiter menti occurrit, ad notandum visum est, quia doctores adúsque suis ineptiis textum clarissimum obscuraruntur, & juvenum ingenia, quæ maturare debuerant, perturbaverunt, & novissimè *Steph. Forcatulus in sua eleganti penu. cap. 10.* vim inferre ipsi literæ, & ejus verba transponere ausus est. [Udalricum Zazium *opinor secutus, qui in novis intellect. cap. 1. col. 3.* temerè reprehendit Paulum I. C. auctorem. *d. §. mutui.* quem Scotinon, id est, obscurum vocat, quùm post Ulp. nullus I. C. clarius, & dilucidius scripserit: & addit Zazius Rotam textus. *d. §. mutui convenit*, debuisse, & male per prædicta.] Sed ad rem, illa quam diximus est propria & substantialis differentia utriusque contractus.

§ Justa declaratio § mutui datio in l. 2. de reb. cred.

19. Ex qua apparet quòd usura propriè & strictè sumpta solùm cadit in mutuo, non autem cadit in emptione reditus. Patet, quia de substantia mutui est, quòd sit officium gratuitum, & quòd recipiens obligetur ad restituendum idem genus tantùm, non autem potest in plus obligari. *l. si tibi decem. in prin. de pac. l. rogasti. §. si tibi. de reb. cred.* Si vero paciscatur quòd teneatur aliquid reddere ultra sortem, ipso

jure non valet tale pactum, nullâque oritur obligatio dictis ll. quia est contra substantiam actus. Non autem sufficit nec efficere potest tale pactum, ut actus transeat in alium contractum: tum quia nec natura contractus, qui re contrahitur, nec verba patiuntur. *fac. no. per Bar. in l. ubi ita donatur, de donatio. causa mor.* Tum quia tale pactum est vera & propria usura. Patet, quia illud solùm præstatur propter usum & temporalem retentionem pecuniæ mutuatæ, & sic ex etymo & definitione est vera & propria usura, & pactum remanet prorsus nullum. [Tum quia sors non perit mutuanti, cui prius debetur, & potest exigere, & interim stat periculo debitoris, ergo non debet interim esse quæstui creditori, cujus periculo non stat, *l. si is qui §. si quem. D. Comm.*] Quæ omnia cessant in emptione reditus, ubi sors nunquam restituitur, saltem non obligatur venditor ad ullam restitutionem. [Primò verum est dicere quod sors perpetuò perit ipsi creditori, qui nunquam potest repetere. [Secundò, non potest verè dici, quòd aliquid præstetur vel percipiatur ultra sortem: sed benè, quòd aliud loco sortis prorsus alienatæ percipitur, videlicet jus annui reditus, & sic non potest hîc cadere vera usura: quia cùm usura non sit, nisi quod accedit sorti, semper præsupponit primò sortem deberi, & posse repeti, licet interim abeat in creditum, ut fit in mutuo. Secundò usura præsupponit interim aliud solvi pro usu vel retentione sortis, quæ est propria ratio usuræ, unde non potest propriè cadere in emptione reditus, ubi sors sive precium nullo modo abit in creditum prout abit in mutuo: sed prorsus abalienatur, & omnino recipienti acquiritur, qui non obligatur ad aliquam restitutionem precii, sed tantùm ad præstationem reditus pro precio recepto venditi.

Qui reditus liciti.

20. Et sic concludo, quòd reditus pecunia emptus, etiam de novo ad hoc constitutus, dummodo valorem & commensurationem precii seu sortis tempore contractus inspecto non excedat, alio cessante vitio non est illicitus, nec verè nec præsumptivè usurarius: sed omni jure etiam positivo licitus & permissus. Et ita ex professoribus juris tenuit. *Bald. in rep. l. jusjurandum. col. 40. cum seq. & col. 44. de jurejur.* Et multi quos latè citatos vide per D. *Andr. Tiraq. in conf. Pict. tit. Retrac. §. 1. gl. 6. num. 15.* Et fusius quidem cæteris tractavit *Petr. Anchar. in disput. incip.* Antiquis & modernis temporibus. *l. & in Rep. c. peccati venia. col. 20. de reg. jur. in 6. Panor. in disp. incip. Angerio.* sed dum ansam solvere satagunt, nodum ligaverunt, ut in c. cum olim de verb. signif. quorum intricationes infrà suis locis per vivas, sensatas & punctuales rationes extricabuntur. Ut autem paucis diluantur errorum causæ circa hanc conclusionem, verum est, quod hujusmodi reditus longè majorem recipiunt functionem & similitudinem cum sorte & pecunia numerata, quàm res corporales vel jura antiqua. Et sic quanto plus habent symboli, tantò faciliorem recipiunt transitum & confusionem cum sorte, ut videlicet de facilè videatur sors ipsa particulatim reddi, prout solvitur reditus: hinc errorîs causa multis rerum & negotiorum expertibus tam è Theologis scholasticis quam è nostris, puta *Henrico de Gandavo, quodlib. 8. q. 22. Greg. de Arimino & Salic. in authen. ad hæc, ad finem. C. de usuris*, ut cæteros omittam, dum putant hos contractus solo nomine, non re & effectu differre, sed in idem recidere, imò eandem rem veritatem, & substantiam fatis semper manere. Cùm quis dat mille, & recipit annuatim centum, vel octoginta, per tot annos, ut longè suprà sortem inveniatur habuisse, sive dixerit se mutuare, sive reditum emere, quacunque contractus formula partes usi sint. Tum per similitudinem reditus pecuniarii ad sortem pecuniariam, quæ sunt ejusdem substantiæ in genere. Tum quia hic reditus sorti homogeneus, non per manus creditoris è re sua, puta fundo empto sibique tradito; nec per manus tertii super re aliena, sed per manus debitoris super se, & bonis suis solvitur & percipitur. Quas ob res non poterant intelligere aliud reddi vel solvi annuatim, quam idem in genere, & ab eodem: & sic singulis annis certam partem sortis, donec sorte exhausta non poterant intelligere aliud præstari, vel recipi quam ultra sortem: & sic stante vulgari sententia de usura legali in mutuo de se mala, non poterat hic reditus stare. Atqui dummodo hic reditus sit justo precio constitutus, & sic non excedat saltem summam quantitatem communis interusurii, ut infrà q. 5. q. 69. tum verè neque sors, neque pars sortis, neque à debitore sortis quicquam penditur: sed aliud à sorte, videlicet jus reditus, quod est jus formatum, incorporeum, perpetuum, penitus diversi generis & speciei à sorte: & sic quantocunque tempore solvatur, nunquam potest dici aliquid solvi ultra sortem, imò nec aliquid de ipsa sorte cœptum esse reddi.

Errorum causæ.

21. Retineamus igitur realem horum extremorum differentiam, non enim de nominibus disputamus, nec verbis legem imponimus, sed de rebus ipsis. Realiter enim & substantialiter, & effectibus differunt mutuum, & emptio reditus: maximè, quia recipiens mutuum obligatur precisè ad sortis restitutionem, idque etiam suo periculo, *l. incendium, C. de reb. cred* vendens autem reditum nullo modo obligatur ad restituendum precium quod recipit, sed illud perpetuò acquirit. Modò intendamus hæc duo extrema, fac alteri mutuata mille simpliciter sine alio termino, ita quod debitor est purè obligatus, & quotidiè cogi potest ad totius sortis restitutionem, ab altero verò mille libris emptum reditum perpetuum non redimibilem quinquaginta librarum: nonne clarum est, quòd in primo exemplo si creditor vel modicum quid exigat ultra mille, sine alia causa quam ratione mutui, & nudi usus pecuniæ, iniquè facit, & meram usuram exercet: in secundo autem exemplo tametsi creditor post viginti annos tantum receperit, quantum ab initio numeravit, nihilominus potest perpetuò reditum exigere, & nihil iniquum admittit, nullamque usuram exercet: sed jure suo dudum justè acquisito utitur. Hæc sunt clarissima per prædicta. Et ratio naturalis est & manifesta, quia primo casu non fuit orta obligatio nisi ad sortis restitutionem dumtaxat. Igitur quòd creditor quicquam ultra sortem exigat, injustum est & iniquum, cùm semper habuerit debitorem purè obligatum, & in facultate sua fuerit totam sortem repetere, quæ non transivit in potestatem debitoris, nisi ad tempus consistens in potestate & arbitrio creditoris. Contraria omnia in secundo casu, ubi ab initio nulla oritur obligatio ad sortis restitutionem. Sed sicut creditor illam perpetuò alienavit, ita justum & æquum est perpetuò illi conservari emptum reditum valori summæ perpetuò alienatæ correspondentem, alioquin nulla existeret æqualitas. Et sic talis reditus non est usura, sed vera merx & res empta.

Differentia mutui & reditus.

22. Restat confutanda superstitiosa quædam & irrationabilis opinio. Quidam enim ut *Bonaventura tract. de contract. Bernard. Senensis de Evangelij æterno sermone 41. cap. 2.* alii tenuerunt penitus illicitum, quòd reditus ematur super persona venditoris, & debitoris obligantis se & suos personaliter ad solvendum aliquid annuum, pro certa summa pecuniæ per eum recepta, ex quo nullum subest prædium, ex cujus fructibus ille reditus confici possit, & tandem successu temporis debitor obligatur ad plus dandum quàm acceperit. Et in hac sententia videtur esse *Innoc. in c. in civitate, in fi. de usur. & ibi seq. Ioan. de Ligna dicens*, quòd si venditur reditus non habita relatione ad rem, contractus est illicitus & fœneratitius. Si verò constituitur reditus in re, & venditur, valet contractus, dummodo non sit fraus nec deceptio ultra dimidiam, & res sufficiat ad ferendum talem reditum. *Et seq. Laurent. Rodul. in tract. de usur. parte 2. q. 12. Franc. Aret. con.* 151. uno the-

mate, & alii quos omitto. Et moventur, quia priori casu venditur pecunia, & plus tandem recipitur quàm datum fuerit, quod est illicitum. Secundo verò casu venditur res immobilis usque ad valorem reditus, quod est licitum. Voluit tamen *Ioan. de Ligna in c. ult. q 1. de usur.* quòd non requiritur reditum vendi & constitui super certo prædio, sed possit constitui generaliter super bonis, dummodò sufficiant, & ad bona hypothecata fiat relatio, & sufficiens & idonea sit hypotheca. Et hanc opinionem sequi videtur *Ph. Melanch. in epit. phil. mord.* dum præfatam differentiam laudat, subdens tamen, quòd si bona illa hypothecata insigni clade afflicta sint, debet vicissim pro portione remitti de reditu. Sed illi dum superstitiosius & scrupulosius arguntur, non vident quorsum res evadat, videlicet ut tanto justior sit contractus, quanto creditori melius & tutius cavetur: eoque magis illicitus, & usurarius, quo minus ei cavetur. Atqui ridiculum est, adversus usurarios contractus sic disputare, ut negotium agas fœneratorum, debitores autem quò pauperiores sint & minus prædibus prædiisve idoneis cavere potuerint, eo magis excludantur, & vel hoc subsidio frustrentur. Dicamus ergo, quòd si licitum est justo precio emere reditus ad hoc noviter constitutos, super certis prædiis ad hoc sufficientibus & specialiter hypothecatis (ut omnes tenent, pauciis exceptis, quorum sententia jamdudum explosa est) multo magis licitum est emere sub generali bonorum hypotheca. Et multo fortius absque ulla hypotheca, vel alia cautione, quàm nuda fide pauperis debitoris: tantoque majorē gratiam & liberalitatem exercet creditor, alioquin sui juris, suæque potestatis, *facit supra num.* 20. Et hæc adeo clara, ut in his asserendis nulla sit opus ratione, seu sensu. Si enim reditus nulla hypotheca, nullo fidejussore, nulla alia cautione subnixus sit, sed in sola personali obligatione debitoris, cuius solius fidem secutus est creditor, tantum abest ut hoc vitiet contractum, & usuram inducat, ut eo longius amoliatur omnem suspicionem & rationem usuræ. Patet clarissimè, quia quicquid alleviat vel minus gravat debitorem, & dereriorem facit creditoris conditionem, elevat & minuit suspicionem & rationem usuræ. Vanum est ergo & præposterum hîc requirere specialem vel generalem hypothecam rei immobilis, quia non hoc recipit substantiam nec justificationem reditus, sed solum securitatem creditoris. Thesis.

23. Puto tamen quod doctissimus ille Phil. Melan. in loco prælegato non senserit simpliciter prædictam hypothecarum cautionem requiri, ut contractus sit licitus, maximè ex parte creditoris: sed quod aliò respexerit, forsan quòd non sit licitus alia ratione ex parte debitoris, ut qui promittat in futurum solvere & continuare, de quo tamen incertus sit an præstare poterit, cùm nunc non habeat prædia super quibus tutò collocare possit, nec certus sit an in futurum dives & potens evasurus sit, cum etiamsi maximè sit industrius, modica inopina valetudo omnem spem absorbere possit. Vel quod mihi verisimilius videtur, quòd non sit licitus ex parte creditoris alia ratione, quia si debitor tam pauper est, ut bona quæ nunc habet, non sint idonea tanto reditui ferendo, quanta sors est qua indiget, debet ei creditor gratis mutuare. Vel forsan respicit ad finem politicum, ut ab his contractibus arceantur ignavi, aliena quadra vectitare quæritantes, sua tandem & aliena decocturi. Contra quos in hunc finem edito libello scripsit Plutar. Περὶ τῶ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. Sed hæc conclusiom nostræ minimè obstare possunt: non primum, quia eadem ratione sequeretur quod pauper infirmus non posset licitè promittere sese restituturum mutuum adversæ valetudinis tolerandæ curandæque causâ receptum, quod facere sperat ex futuris operis sanitate reddita. Quod non minus absurdum est quam quod Conrad. Pellica. vir alioqui doctus & in sacris litteris exercitatissimus, nimis incautè Proverbio 6. scripsit, non licere pro alio sub termino fidejubere, de quo dicam *infrà q.* 32. Minus obstat secundum, tum quia non loquimur in casum eleemosynæ erogandæ, de quo latè dicemus *infrà num.* 71. Tum quia quidam sunt pauperes sensu & patrimonio præsenti, habent tamen industriam, qua creditori non solùm satisfacere, sed etiam postea rebus compositis, reditum redimere poterunt (de reditibus enim tota quæstio est) & interim hoc subsidio gravem aliquam & alioquin inevitabilem cladem evitare, ut experientia docet. Et licet his æquum esset gratis mutuare, vel etiam debitum à potenti & divite creditore, qui rem notam habet; tamen quandoque creditori non innotescit, quandoque creditor non ita abundat quin suo egeat, potest tamen tunc reditum emere, in quo etiam beneficium non modicum facit, præferendo pauperem ditiori prædiis prædibúsve tutissimè cavenți. Nonobstat tertium, quia tales ignavi nepotes etiam à liberali mutuo excludi debent præsertim filiusfam. imminente etiam Senatusconf. Macedoniano.

24. Hinc apud nos plurima supremi hujus Senatus arresta lata sunt contra mercatores filiisfam. vel adolescentibus sine parentum, tutorum vel curatorum consensu mutuantibus, aut termino dato vendentibus, ut anno sesquimillesimo vicesimo sexto in Vigilia Nativitatis Dominicæ latum Arestum pro tutore cujusdam minoris, obligationes annullatæ, & inhibitum omnibus mercatoribus dare quascunque merces minoribus, sine consensu patris & matris, tutorum & curatorum, sub pœna amissionis mercium, & mulctæ arbitrariæ. Sed his cessantibus, non sequitur improbandum contractum hujusmodi, qui bona fide fit, etiamsi tunc debitor solvendo non sit, sed fore speret in futurum. Ex quibus liquet veritas conclusionis nostræ de justitia horum redituum ampliatæ primo etiam in reditu de novo mediante pecunia constituto *supra num.* 20. Ampliatur secundò, etiamsi nuda personali debitoris obligatione nitatur, citra prædes & prædia & absque ulla hypotheca, *supra num.* 22. Fallit primò, ut procedat dummodò constituatur justo precio, de quo, *infrà q.* 5. *num.* 124. Fallit secundò, nisi fiat in fraudem & lesionem proximi, quæ fit dupliciter. Primò, quando creditor captat fortunas & bona debitoris. Secundò, quando mores debitoris captantur, & datur ei occasio prodigendi, luxuriandi & decoquendi. His casibus contractus est illicitus, & nedum creditor in foro conscientiæ peccati reus est: sed etiam in foro contentioso (si constet) præter annullationem reditus, puniendus est. His velut firmatis fundamentis pergamus Deo duce, ad excussionem materiæ, & quæstionum utriusque extremi. Arestum.

25. Et primò circa mutuum, quia incidenter venit, non immorabor, sed summatim expediam. Usque ad duodecim casus numerat *Panor. in c. conquestus de usur. post. Hostiens. in sum. eo. §. in aliquo casu*, ubi Hostien. numerat tredecim, in quibus licet recipere ultra sortem, refert *Ambros. de Vignatem rep. c. salubriter. de usur.* Infinitas quæst. cumulant vulgo dicti Summistæ, ad quas remitto, & *in Repet. c. Consuluit. c. naviganti. de usur. ad Petr. Ancha. in Repet. cap. peccati venia non datur. de reg. jur. in 6. Franc. Purpur. in l. rogasti. §. si tibi. ff. cer. pet.* Exactius & prestius loquuntur Theologi, inter quos *Alexand. de Ales Part. 3. q. 66.* ponit quatuor casus in quibus usura in vero mutuo est permissa, quos *Scot. in 4. senten. dist. 15.* quem sequitur ibi *Gabr. Biel. q. 11. col. 5.* reducit ad duos scilicet ad pœnam & ad interesse. Ego verò cum nostris reduco ad unum, videlicet ad justum & verum interesse: non quòd Legistæ vel Canonistæ melius in hac materia senserint quàm Theologi. Vera est enim Theologorum sententia, moderatam pœnam stipulari & exigere etiam in mutuo, non in fraudem proximi, sed ne creditor ipse sponsione fraudetur, & pecunia sua careat Theologi exactius loquuntur.

in termino non est contra jus divinum, nec contra conscientiam, ut ex his quæ dicam *inf. eo. q. 2. q. 74. Et in tract. quod interest. q. 20.* Sed quia moribus invaluit, ut mutuum debeat esse & maneat gratuitum: omnésque leges usurariæ in mutuo prorsus exolverunt, quod est justum & rationabile, tum attenta natura mutui, tum advitandum frequentiam turpium quæstuum. Quo fit ut omnis pœna mutuo apposita (nisi quatenus de tanto vero aut verisimili interesse constat) in fraudem veterum & exoletarum usurarum apposita censeatur.

26. Hinc manat conclusio, quod adhoc ut liceat aliquid exigere vel stipulari suprà sortem in mutuo [secundum communem Scholasticorum tam Theologistarum, quam Juristarum doctrinam, ut non præjudicem his quæ nuper dixi *num.* 10.] unica est causa duntaxat, quæ est verum & justum interesse ipsius creditoris. Hanc conclusionem declaro. Primò, ut interesse non possit metiri, nisi ex parte creditoris, non autem ex parte debitoris, nec ex ejus necessitate vel lucro salvis his quæ dixi suprà *num.* 10. quoniam cùm mutuum debeat esse gratuitum, & mutilitatem recipientis non credentis, quantumcumque constet debitorem superlucraturum ex mutuo, vel damnum maximum evasurum, non est justa causa secundum Scholasticam doctrinam, ut quicquam exigere possit creditor ultra sortem: Prout non est justa causa gravandi legatarium etiam post tempus ultra legatum restituere ex eo quòd interim magnum lucrum consecutus est, vel pœnam imminentem evasit, *text. in l. imperator. §. si certum de leg. 2.* Sed re vera textus ille in contrarium facit, quia probat legatarium propter tempus posse ultra legatum gravari additamento usurarum communium illius temporis, etiamsi nec lucrum interim fecerit, nec pœnam evaserit, sed tenendo communem sententiam vulgatæ doctrinæ, fatendum est quod saltem, est justa causa ut debitor obligetur ad antidota, juxta *l. sed etsi lege. §. consuluit. de petit. hered. c. cum in officiis. de test.* utque creditor à debitore spontaneè beneficium remunerante, & liberaliter aliquid offerente recipere possit. Sed non est justa causa, ut quicquam tacitè vel expressè ultra sortem reddi pacisci possit; quin esset contra naturam & substantiam mutui, usurarium & sorti imputandum. Solam autem indemnitatem sibi servari, pacisci potest, ut infrà dicam. Hoc enim pactum indemnitatis non prorsus tollit gratuitum officium mutuationis, nec illud excludit, sed restringit, quia tantò minus officiosus est creditor. Verum alia justa causa est à simplici officiositate mutui accedente, pura si creditor contra naturam mutui reciperet in se periculum totius sortis vel partis, quia tunc sicut in damnum creditoris hujusmodi mutuum excedit terminos mutui, ita in ejus commodum excedi potest à non suis terminis, *ut in l. Lucius. 1. depos. in l. nave. Sauphel. loca. l. periculi precium de naut. fœn. & inf. q. 3.* Et sic contemplatione suscepti oneris potest aliquid stipulari, nec est usura, quia non recipit propter officium mutuationis, sed propter onus susceptum, cui & non sorti, nec mutuo, correspondet pactum, ut *not. Bal. in l. cunctos populos. col. 4. C. de sum. Tri.* Imò dico quod propriè hoc casu non est mutuum, sed contractus locietatis, vel do ut des facio aut facias, & sic cessat subjectum usuræ, ut infra de eo latius. Sed occurrit quæstio.

Obligatio antidotalis.

27. An liceat obligatione illa antidotali pacto deducere incivilem, & si alio modo quam tacitè insit? & communis est sententia Theologorum, & nostrorum, quod non. Et licet fateantur licere stipulari benevolentiam vel amicitiam in genere, negant licere in specie, etiam similis beneficii, nisi hoc adjecto quod promittens non plus obligetur quam aliàs tenebatur cessante pacto. Ita sensit *Thom. Aquinas. 2. 2. q. 78. art. 2. in respons. ad tertium, & expresse glos. si. in c. si fœneraveris, & ibi. Arch. 14. q. 3. gl. in cle. 1. in prin. in verb. anera. & ibi Anchar. Car. Flor. q. 20. de usur. Ray. & Goffr. in sum. eo tit. Io. Cald. in rep. c. si. q. 5. & ibi Io. de Ana. de usur. Bal. in Rub. col. 1. C. de usur. Salyc. in auth. ad hæc. q. 18. eo. ti. Anchara. in rep. c. peccati venia. col. 13. q. 8. de reg. jur. in 6. Lud. Ro. con. 500. summarius. Laurent. de Rodul. in rep. c. consuluit, col. 1. in 2. oppo. de usur. Card. Io. de ana. in d. c. consuluit. col. pen. Et ibi. Panor. in si. & post eum Gab. Biel. in 4. sent. dist. 65. q. 11. col. 3. Anton. in sum. part. 2. c. 7. §. 5. Barb. c. illo vos. col. 2. de pig. Ias. l. ex hoc jure. col. 13. n. 65. de just. & jur. Sum. Sylvest. in verb. usura. 1. q. 2. & q. 3. Ph. Dec. in l. rog. sti. §. si tibi. col. fin. & ibi Franc. Purp. col. 3. si cer. pet.* Sed certè nimium superstitiosi sunt; quare placet opinio. *Ang. Cla. in verb. usura* 1. §. 4. quam prius volui defendere *Hosti. in sum. eo. tit. §. ult.* quam etiam æquam esse, & se non reprobare dixit Purpura *in d. §. si tibi, num. 16.* Licere & valere pactum, ut vicissim mihi, si indigeam, & commodè possis, mutues: satis est enim quòd non in plus nec alio casu obligeris, quàm naturalis ratio & charitas ipsa exigit. Tametsi alio modo & efficacius quoad forum humanum & externum obligeris, civili videlicet vinculo addito: verùm formulæ & adstrictiones fori externi nihil ad conscientiam, dum non offendatur charitas.

Quod interest.

28. Redeundo ad nostram conclusionem, declaratur secundò, dummodo illud interesse non sit prætextus usuræ, nec ut negotietur, vel locupletetur creditor ex mutuo; sed duntaxat indemnis serveturr debet ergo seriò fundari in causis veris, efficacibus & propinquis, non in simulatis, fictis, aut remotis: quod etiam sensit *Deci. in leg. quatenus in fi. de Reg. jur. in c. cum venerabilis. col. 5. de except.* Declaro tertiò, ut verum interesse creditoris non tantùm ex damno incurso, sed etiam ex lucro cessante æstimetur: & quòd utrumque propriè veniat appellatione interesse diserte explicat Jureconsultus *in leg. si commissa. rem ra. hab. ibi.* Inquantum mea interfuit, id est, quantum mihi obest, quantúmque lucrari potui. *Adde text. in l. 3. in fi. de eo quod cer. loc. l. unica ad fi. de senten. quæ pro eo quod interest. l. quicquid C. arbi. tu. l. si in l. §. colonus. l. si fundus. §. si loca. l. si mulier. §. rectum amota.* Circa quod considerandum, quòd regulariter non est par ratio lucri & damni. *l. ult. C. de jur. delib. l. Proculus. in fi. de damn. infec. l. qui autem in prin. quæ in fraud. cred. l. si is cui §. ult. de fur.* quod etiam in hac disceptatione ejus quod interest, habet locum, *d. §. ult.* Unde in pluribus & proclivius habetur ratio damni incursi, quàm lucri cessantis. Si igitur de damno incurso constare debet, antequam adjudicetur, *ut per Bal. l. etiam col. 2. de execu. rei jud. Io. Lup. rep. c. per vestras. §. 6. infertur. de donat. inter vir. & uxor.* quanto magis de lucro cessante? Unde rectè post *Bar. scripsit Paul. in l. 3. §. fi. de eo quod cer. loc. & in l. nummis de in lit. jurand.* quòd non sufficit aliquem esse consuetum negociari & lucrari, ut ex mora ei præsteretur interesse lucri cessantis, nisi lucrum illud sit certum, hoc est, certum sit, quòd illo tempore lucratus fuisset ex re debita, si illam recepisset, *idem Bar. in l. unica. col. ante p. C. de sent. quæ pro eo quod interr.*

Lucrum cessans.

29. Non tamen dico, quin pro ratione materiæ subjectæ per conjecturas probabiles probari possit, *ut not. per Bar. & alios, in l. si traditio. C. de actio. emp. in l. unic. C. de sentent. quæ pro eo quod interest*: sed quòd probari debet lucrum certum & probabile. Et ut pulchrè. *Paul. in l. 3. §. ult de eo quod cer. loc.* non sufficit lucrum fuisse in potentia incerta vel remota, sed oportet fuisse in actu vel in potentia certa & propinqua; *sequitur Decius con. 322. ad fin. Idem volunt Theologi in 4. sentent. d. 15. inct. 15. & ibi Gabr. Biel. quæst. 11. col. 5. Sylvest. in verb. usura 1. quæst. 19.* Summa enim divisio (ut dicere soleo) circa effectum & perceptionem ejus quod interest, sive in lucro, sive in damno, est quoddam interesse propinquum, quoddam remotum: illius non hujus ratio tam in conscientia, quàm in foro judiciali habenda est. Utriusque pulchra quædam exempla

Summa divisio.

tradidi *in Conſ. Pariſ. §. 6. gloſ. 7. num. 18. plenè dixi in extricat. Labyrinthi C. eod. tit. de eo quod intereſt*, ut ſæpe miratus ſim, cur doctores *in l. unica* tam multas diviſiones præter jus excogitantes, non poſuerint præcipuam hanc & magis neceſſariam divitionem.

30. Adverte etiam quòd licet doct. noſtri, *poſt. Bart. in l. 3. in fi. de eo quod cer. loc. & in d. l. unica. in fi.* ſoleant reſtringere æſtimationem lucri ceſſantis ad hominem ſolitos negotiari, *ut Card. clem. unica. §. ſane. q. 4. de uſur.* ita ut hoc debere articulari & probari velit Alexander. *in lege divortio, in prin. col. 7. in inſulam. §. uſura:, col. 2. ſol. matr. & in con. 141. viſo themate in prin. lib. 5. Philippi Dec. in c. cùm venerabilis. col. 5. de except. & conſilio 39. col. 2. Lud. Gomeſius inſt. de action. §. actionum. num. 17. in fi.* Tamen dico quòd hoc non eſt perpetuum, ſed causâ majoris frequentiæ accipiendum, quoniam *quemadmodum ſuper Conſuet. Pariſ. §. 6. gloſ. 7. num. 18. diximus*, fructus amiſſos damno magis quàm lucro ceſſanti adſcribi, ita in juſtis negociationibus & mercatoribus, lucrum ceſſans (utpote fructus operæ & induſtriæ) vicinius eſt damno emergenti. Et meritò, oleum enim & impenſam perdit mercator, videlicet (etiam deducto ſumptu) operas, laborem & induſtriam, niſi lucretur, non tamen ſequitur in aliis perſonis prorſus negari, ſed rarius conſiderari. Et aſſentior Philip. Melancht qui *in Epit. Philoſ. mora.* ſcripſit, judicem probabili ratione etiam ad reliquas perſonas lucri ceſſantis exemplum accommodare poſſe. *Idem ſentit. Pet. Ancha. in d. cle. unica de uſur. & diſertè omnes Theol. in 4. ſentent. diſtinct. 15. & ibi Gabr. q. 11. Conrad. in tract. de contract. q. 30. 35.*

31. Declaro quartò contra omnes fere noſtros doctores ut quantum ad intereſſe tam lucri quàm damni non ſit differentia, ſive mutuati fuerint numi, ſive oleum, vinum, frumentum, aut aliæ ſpecies, nec an actio ratione loci ſolutionis ſit (ſecundum eos) arbitraria, vel non. Unde quemadmodum & quo caſu ſi pecunia mutuata ſua die reddita non fuerit, venit omne intereſſe immediatum & propinquum, quod ob eam moram creditor paſſus fuit, ſive in damno, puta ſi tantam pecuniam ſub pœna debuit, vel ſub pignore quod diſtractum fuit, vel pœna commiſſa: eo quod debitor, cujus fidem ſecutus erat, fefellit. *l. nummis de in lit. juran. l. 3. §. penult. de eo quod cer. loc.* ſive in lucro ceſſante, ut quia merces ſolebat comparare, & comparaturus & lucratus fuiſſet, ſi debitum in termino recepiſſet. *d. leg. tert. in fine.* Idem dicendum in vino, oleo, frumento mutuato, aut aliis ſpeciebus. Et in hoc valde erraverunt omnes ferè noſtri doctores, dum nudam paucarum legum literam magis quàm ſenſum omnium, & naturalem rationem ſecuti reſtrinxerant *d. leg. numis, & d. leg. tert.* ad numos ſive ad pecuniam ſtrictiſſimè ſumptam, contra æquitatem & mentem juris, idque metu apparentis contrarii, *in leg. ſi ſterilis. §. cùm per venditorem, de action. empt.* quem textum ad omnem contractum extendunt, imò ad omnem obligationem, in aliud quàm pecunia ſtrictiſſimè ſumpta debetur: utque uno inconvenienti admiſſo, plura ſequuntur, novas voces & diviſiones intrinſeci & extrinſeci intereſſe confinxerunt, quæ prorſus non habentur in jure, *ut inquit Alcia. in tract. eius quod intereſt, & ante eum Fulgo. in l. 1. in principio. col. 1. de actio. empt.* Plus dico, quòd etiam ſunt contra veritatem & mentem juris, quia rectè jura penſando, ubi de extenſione vel reſtrictione ejus quod intereſt agitur, non curatur, nec attenditur, an aliquod intereſſe ſit intra rem vel ex ipſa re, an verò extra rem: ſed ſolùm, an ſit circa rem, *ut inquit tex. d. §. cùm per venditorem*: Id eſt propè, non longè, ſeu propinquum, conjunctum & immediatum. Et ita intelligo illum tex. contra omnes, excepto Fulgo. qui ſolus veritatem in hoc ſummis digitis attigit, ſed non explicuit, nec auſus eſt inveteratos & receptos errores convellere. Hîc multi glo. & doctorum errores refellendi, plurimarum legum germanus & nativus intellectus nova interpretatione reſtituendus, quæ ſuis locis reſervamus. *Vide ad finem extricationis prioris noſtri Labyrinthi de eo quod intereſt. q. 12. uſque ad finem.*

32. Declaro quintò, ut nullum veniat intereſſe, nec damni, nec lucri, niſi poſt moram, *l. lecta. verſ. ante. verſi. ſed cùm ſortis petitio dilata ſit. verſi. non enim, ſi certum petatur. in l. in hac. in fi. de condict. tritic. Ant. Butr. & alii in cap. ſalubriter. de uſur. Paul. in l. Julianus, §. ex vendito. de action. emp.* Et hîc adverte, quòd licet mutuum ſit contractus ſtricti juris, tamen mora committitur citra litis conteſtationem per diei certæ lapſum, & congruam interpellationem, extrajudicialem, ut communis opinio, gloſ. & doct. *in dicta l. vinum, ubi latè Laſ. & Purpur. ſi cer. peta.* naturali & civili ratione ſubnixa & tenenda, quamvis Soci. *Ibi num. 8. cui Deci. ibi. col. 6. ſubſcribit*, quædam verborum & ſyllabarum aucupia contra communem adducat, à qua tamen non recedit, nec recedendum eſt, quicquid noviſſimè ſcripſerint *Lud. Gomeſ. in §. actionum, num. 19. num. 20. inſt. de act. Alcia. in d. l. vinum*: facientes differentiam in hoc inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris: & malè. Fortius tradunt Theologi & benè, quòd etiam citra ullam expreſſam interpellationem in foro conſcientiæ, ex ſignis, egeſtate, vel reverentiali metu creditoris moram committi, *ut per Ricar. in 4. ſent. diſt. 35. art. 1. q. 2. Thom. 2. 2. q. 33. in fin. primi art. Clava. in ver. mora. §. 1.* Item etiam tenent noſtri, *ut Bart. in l. 1. in prin. de oper. no. nunciat. l. ſi quis mihi bona, §. ſed qui ſi mandavit de acquir. hered. Laſ. in l. vinum, ſi certet. & ibi Deci. num. 12. Purpurat. num. 37.*

Mora.

33. Sunt tamen qui opinantur, debitorem teneri in foro conſcientiæ rependere creditori quod ejus interfuit, etiam ante moram, & pendente termino, *ut Io. de Turre cremata 14. quæſt. 3.* In ſumma fateor debitorem ultra reſtitutionem ſortis naturaliter obligari ad antidora, ſed antidoraliter, pro modo accepti beneficii: & ſic quanto magis creditor officioſior & beneficentior fuit, quod non ſolùm penes quantitatem mutui attenditur, ſed etiam penes promptitudinem & liberalitatem animi & modum, puta ſi noluit nomen debitoris coram notario aut teſtibus traduci, ſed ſimplici chirographo, aut fide contentus fuit, & penes alias circumſtantias, puta difficultates, aut pericula locorum aut temporum, in quibus ſubventionem proximi propriis commodis præpoſuit. Non tamen puto hanc antidoralem obligationem ſufficere ad obligandum debitorem, etiam in foro conſcientiæ ad aliquid ſolvendum ultra ſortem, etiam ratione damni per creditorem, mutuationis causâ, interim ante moram incurſi (licet quidam hoc incautè ſcripſerint *citans Conrad. de contract. quæſt. 3. & Io. Nider. in eodem tract. cap. 3. qui hoc non dicunt.*) ſicut nec is qui donum accepit, tenetur rependere donatori damnum ſeu diminutionem patrimonii ab eo incurſam propter donum, alioqui non ſtaret donum. Tunc hoc eſſet contra actus naturam & finem. Ipſa enim experientia docet, ſæpe uſuvenire, ut quis vix poſſit ſeriò erga proximum officioſus eſſe, niſi in aliquo ſibi officiat. Tum non poteſt cenſeri debitor efficacem dare cauſam damni, ſicut nec donatarius, ex quo uterque pariter habet ſponraneam voluntatem domini gratis mutuantis vel donantis. Et ſic ceſſant omnia argumenta contrarium opinantium. Et hoc niſi debitor ſit dives: creditor autem propter officium impenſum ad notabilem egeſtatem redactus ſit. Tunc enim ceſſit & venit dies obligationis antidoralis & beneficii efficaciter rependendi, quod ſine vitio ingratitudinis, & gravi noxa prætermitti non poteſt. Item niſi quid debitor dolo aut callidè fecerit, puta dum ſciret imminentem neceſſitatem, vel lucrandi occationem, prævenit & celavit creditorem, qui ſi ſciſſet, non erat mutuaturus cum damno vel omiſſione liciti lucri. Item niſi minis vel metu, aut importunis precibus, aut alia qua-

Obligatio antidoralis.

seu potius (ut arbitror) à centesima parte sortis singulis quibusque calendis nuncupant. Quoddam verò exemplum ex Athenæo refert Budæus in loco prælegato de triplici centesima, & de quodam qui pro beneficio habebat sibi mutuari ad usurâ sesquidrachmalem sive sesquicentesimam. Sed erat abusus, quia etiam apud Athenienses ipsa centesima licet legibus permissa, tamen sordida & probrosa habebatur, & ea de re Æschines in *oratione contra Ctesiphontem* criminabatur Demosthenem.

37. Unde verisimile est nullo modo lege communi fuisse permissam ultra centesimam, licet nonnulli privatim contra leges (ut & hodie) abuterentur. [Sic abutebantur Publicani illi Romanorum, Asiatici, prædonum institutores occasione fortè bellorum civilium, ultra centesimam cum nexu, hoc est, obligatione, & servitute personali exigebant, & insuper ultra duplum, & adhuc cum anatocismo, scilicet usurarum usuris, quos meritò Lucullus (ut in ejus vita refert Plut. Chæroneus) coërcuit, & primum quidem ultra centesimam exigi vetuit. Deinde omnes usuras sortem excedentes abscidit, scilicet ne unquam ultra duplum. Tertiò, qui usuras sorti miscuissent, seu anatocismum fecissent: de quò infrà *num.* 44. *cum seq.* & sorte, & usuris privavit. Leonardus Interpres malè locum illum elegantem vertit, bis enim ignorantia Jurisp. peccavit, ut etiam interpretibus Aristot. alioquin doctissimis contigit, qui omnes ignorantiâ legum, vertendo locum de usuris tractantem graviter erraruntut patet infrà *n.* 440. ubi novam, & veram loci illius versionem dedimus. Plutarchus in vita Luculli sic scripsit ὅσοῖς μὲν γὰρ ἐπέβαλε πρᾶξαι πλέον, ἢ καὶ πρὶν εἰς ἓν ἔτος ἀπῄτουν, ἀπεστέρει δὲ τὸν μαχόμενον τῷ δρόμῳ τοῦ ἀνύσαι. Et paulò post. ὁ δὲ τὸν τέταρτον ἐπιβαλὼν ἐπέβαλε τῷ πατρί hoc est, Primum quidem centesimam excedi vetuit, secundo, ne usuræ sortem excederent: Qui vero sorti usuras miscuisset, toto privavit. Quartum quod maximum erat, adjecit, ne fœnerator ultra quadrantem reditum debitoris capere posset, magnam Romæ calumiam ab improbis: magnas verò laudes à Provincialibus retulit.] Quòd autem bellis & cladibus laborante imperio sub tempora Constantini magni quidam negotiatores exercebant usuras terrestres, nedum centesimam, sed etiam hemiolias seu sesquicentesimas, erat transgressio legum, & abusus meritò damnatus & reprobatus in celeberrima illa universali Synodo Nicena, ut habetur in *c. quoniam multi. dist.* 47. Ubi verba illa, Hemiolia, & Sescupla (quæ idem significant) debent intelligi de sesquicentesima, quamvis Th. Aquinas in *tract. de usur. c.* 2. *in fi.* exponat illa verba pro usura, quæ dimidium sortis parit in anno, sorteque æquantur in biennio. Et sic esset plusquàm quadruplicata centesima, quod est prodigiosum, & contra verba expressa *dicti conc.* ubi verbum Græcum *Hemiolia*, sive ἡμιόλιον; idem est quod totum semel, & rursus dimidium totus, Latinè secundum Ciceronem dicitur sescupla, vel sesquialtera. Adverte hæc vera inspecto solo tex. *d. c. quoniam multi* 47. *dist. sumpto ex can.* 17. Canonum Concilii Niceni secundum priorem editionem: sed inspectâ secundâ editione quæ habetur 14. *q.* 4. *c. quoniam multi*, & quam sequitur: vel tradit Ruffinus *lib.* 10. *Eccles. hist. c.* 6. *vers.* 18. & de utraque editione, in primo tomo Conciliorum generalium apparet eo tempore fuisse differentiam inter usuras pecuniæ mutuatitiæ, seu nummorum: & usuras specierum liquidarum, vel aridarum, putà vini, vel frumenti, debiti aut mutuo datiquia in usuris pecuniæ taxata erat centesima, in usuris specierum, vel fructuum, quæ & quando solebant non in nummis, sed in eisdem fructibus exigi, modus erat, non centesima, sed sescuplum, ut in *d. c. quoniam* 14. *q.* 4. ubi in verbo sescuplum, codex valde mendosus, & mendosior, ubi reposuerunt septuplum: forsan hunc errorem haurientes ex dicta secunda editione, ubi pessimè legitur septuplum, omnino enim legendum est, sescuplum, ut in editione mea decreti magni, quam feci Lugduno anno sesquimillesimo quinquagesimo secundo, ita textum illum restitui, & ita restituendi esse, non solum sensus communis & historicus docet, sed etiam prima editio dictorum Canon. Nicen. de qua in *c. i. q.* 47. *dist.* ubi fit mētio Hemiolix, & sescuplæ, quæ idem sunt, ut dixi, nec ibi referunt ad centesimam, sed ad sortem ipsam in speciebus liquidis, vel aridis consistentem in quibus licebat pacisci de sesquialtero restituendo, id est, de tribus modiis, vel doliis pro duobus, ut patet in lege Constantini magni, quæ extat. in *Cod. Theod. lib.* 2. *tit.* 33. *de usur. l.* 1 lata ad medium Aprilis, Paulino, & Juliano Coss. & sic anno Christi trecentesimo vicesimo septimo, quo devicto Licinio, solus Constantinus imperare cœpit, & post biennium Niceæ convocavit Oecumenicum Concilium longè celeberrimum, ubi usura illa centesima, & sescupla reprobatæ fuerunt, & Clericis interdictæ, ut etiam patet in *c. pen.* 45. *dist.* non tamen intelligendum, quod *d. lege Const.* licuisset simpliciter fruges humidas, vel arentes indigentibus mutuas dare, & usuræ nomine tertiam superabundantem partem consequi, id est, pro duobus modiis tres modios: sed sanè intelligendum sub competenti intervallo quo debitori liceret uti sibique negociari, & ita ut pro rata temporis non gravaretur notabiliter ultra æstimationem centesimæ, quæ semper erat *aequa* permissionis, utique debitor interim quandocunque se liberare posset solvendo sortem, & usuram pro rata temporis, ut patet sanctione ejusdem legis ibi. Quod si conventus creditor propter commodum usurarum debitum recipere noluerit, non solum usuris, sed etiam debiti quantitate privandus est. Poterat igitur debitor prævenire ne solveret integram tertiæ tantum partis accessionem, ergo pro rata temporis currebat. nec tamen sescuplum sorte comprehensa excedere poterat, ut in simili dicam infra, de *remissis usuris. num.* 105. ut valdè erraverint qui putarunt majorem licentiam fœnerandi fuisse in fructibus, seu speciebus, quam in nummis contra text. in *l. cum non frumentum. Cod. de usur.* & contra metas usurarum generaliter statutas. non obstante *lege frumenti, leg. oles. Cod. eod* quia nullo modo dicunt licere majorem usuram exigere in fructibus, aut quantitatibus aliis à nummis: sed tantum *d. lex oleo.* dicit in illis speciebus, licere ejusdem materiæ usuram accipere, ut centum cados olei mutare sub usura in oleo infra tamen legitimum modum, ita ut non habeatur ratio valoris vel pretii olei mutuati, quod est intelligendum nisi contingeret excessivum valorem olei supervenire, ita quod debitor notabiliter læderetur ultra legitimum modum, tunc enim reductio fieri debet. Sed interim ad formam sescuplæ, in speciebus, levior erat usura in illis, quàm in nummis, quoniam usura non poterat currere usque ad duplum, sed tantùm usque ad dimidium, quò ubi pertigisset, desinebat, & creditor tantum poterat sescuplum conventum exigere, & non aliud, etsi debitor per decem, aut 20. annos nihil solvisset.

38. Illud satis constat, Romanos magistratus usuras centesimas sæpe tolerasse & concessisse, ut præter Lucullum Cicero Proconsulatu Ciliciæ fungens, translatitio edicto centesimas usuras statuit, ut provinciam graviori fœnore liberaret, quod provincialibus & vicinis etiam fœneratoribus acerbissimis & publicanis gratum fuit, nisi uni Scaprio Pompeii Magni quæstori, qui quaternas centesimas impudenter postulabat, turmasque equitum ad eas vi exigendas petiit à Cicerone, qui hoc recusavit, & vetuit, ut ipse refert in libro quinto epistolarum ad Atticum, *Epistola ultima*: Et libro sexto *Epistola prima*, & *Epistola tertia & quarta*. Et pariter Plinius Junior è docto & famoso Rhetore, causarúmque Romæ patrono, primùm à Trajano optimo Imperatore ad præfecturam ærarij

Abusus publicanorum.

Lucullus.

Hemiolix usura.

Plinius.

commendario fuiſſet, M. Manlio Capitolino perduellionis, & regni affectati reo, 400. prope homines produxiſſe (quibus ſine fœnore pecunias mutuaſſet, ſi tam leve & ferè inutile erat fœnus, quale unciarium, quod centum duntaxat annis ſortem æquat. Cato verò Portius, qui factus eſt Conſul anno Urbis conditæ 559. & Cenſor anno urbis 570. loquebatur de tempore vetuſto ante legem 12. tab. quando cives Rom. ex lege Romuli duas tantum artes exercebant, agriculturam, & militiam intra parvos & anguſtos fines, vix octo leucarum. Dionyſius Halic. *l. 1. antiquit. Rom.* ſed poſtquam dilatis finibus, admiſerunt commercia, neceſſariò ſubintravit fœnus, temperatum tamen initio, ut veriſimiliter tẽpore legis 12. tabul. & d. Plebiſciti non excederet ſemiſſes. Adhuc decimo anno poſt illud plebiſcitum, ad ſemiunciam redactum eſt, ut teſtatur Livius *lib. 7.* ubi in fine dicit, ſe legiſſe apud quoſdam L. Genutium Tribunum plebis tuliſſe ad populum, ne fœnerare liceret. Sed non legit rogationem iſtam prolatam, nec adhuc firmat rogatum fuiſſe; & ſi fuit, hoc contigit circa annum urbis 413. Prædicta autem moderatio videtur ridicula ut pote parum abeſſe à mera prohibitione fœnoris: ſed advertendum quod non tam fiebat ŏdio fœnoris (quod non eſt veriſimile, tunc temporis ſemiſſem exceſſiſſe) quàm odio crudelitatis in exigenda ſorte, velut aſpero nummo, *infrà num.* 786. ad internecionem pauperum civium, ſi quidem lege 12. tab. anno urbis 301. lata, licebat debitorem non ſolventem, etiam civem Rom in vincula, & ſervitium abducere, etiam in nervum & compedes mittere: & ſi creditor operas ejus, & carnificinam faſtidiebat, poterat eum, niſi trinundino die ſatis feciſſet, occidere vel Barbaris vendere. Hinc (ut teſtatur Livius *lib. 2.*) tanta erat avaritia, & crudelitas potentiorum, & Patriciorum in cives Plebeïos qui villis incenſis, & pecoribus abactis ab hoſtibus, etiam militando pro patria, & tributo iniquo tempore imperato, ære alienum cumulatum facere coacti. Inde agris paternis, & avitis, reliquiſque bonis exuti, cum ea perſolvendo non ſufficerent, à creditoribus non modò in ſervitutem, ſed in ergaſtulum, & carnificinam abducebantur, ut anno urbis 259. ob multitudinem vinctorum magna exarſerit ſeditio, quam Servilius Conſul, advocatâ in concionem plebe, repreſſit dicens, Patribus curæ eſſe ut conſulatur plebi: ſed priùs arcendum periculum univerſæ Reipub. cùm Volſci hoſtes propè ad portas eſſent, & dixit: ne quis civem Rom. vinctum, aut clauſum teneret quominùs ei nominis in militiam edendi, apud Conſules, poteſtas fieret. Et ne quis militis, donec in caſtris eſſet, bona poſſideret, nec venderet, liberos nepotéſve ejus moraretur. Sed paucis diebus partâ victoria, cùm plebs promiſſa Conſulis & fidem Senatus expectaret, cœpit aſperius jus de creditis pecuniis dici, & paſſim nexus practicari etiam in eos qui bello fœlicem operam navarant, ita ut biennio pòſt, anno urbis 261. plebs fruſtrata trans Anienem amnem tribus ab urbe millibus paſſuum in ſacrum montem ſeceſſerit, & tribunis plebis tum primum creatis redit. *l. 2. §. iiſdem temporibus. de orig. jur.* Sed nec ſic quidem nexus ſublatus, necdum uſura, ſed ſævitia, & aſperitas potentiorum aliquantum reſtricta, Tribunorum plebis creatione: quod fuit primum initium libertatis plebis. Deinde in ſecunda ſeceſſione exercitus, quem plebs urbana ſecuta eſt, in Aventinum montem ob libidinem Appii Claudii Decemviri, anno urbis 305. de qua textus in *l. 2. §. initium. De origine jur.* Decemviratu abrogato, & reſtituta, in cauſa capitali, provocatione ad populum, lex centuriatis comitiis lata eſt, ut plebiſcita vim legum haberent, & univerſum populum ligarent. *d. l. 2. §. deinde cùm eſſet. Livius lib. 3.* Quod fuit alterum initium libertatis plebis acerrimum. Sed nec ſic quidem barbara illa creditorum durities in bona & corpora humiliorum ſublata, ita ut tunc verſura etiam homines frugi deceret: utilius enim erat etiam duplici fœnore, acerbum, vel impudicum creditorem benigno, & pudico mutare. Et interim in Patricios agri ferè omnes derivarentur, ut ſinguli eorum ferè tantùm agri poſſiderent, quantum trecenti plebeii, qua occaſione M. Manlius Capitolinus, anno urbis 370. ferè regnum occupaverat, offerens ſe ducem plebi, ad prohibendum jus de pecuniis dici. *Livius lib. 6.* Manlio è rupe Tarpeïa (unde Gallos ejecerat) dejecto, anno urbis 371. Manlius Capitolinus.

42. Poſt alios duodecim annos, Tribuni plebis leges promulgarunt: primam de ære alieno, ut uſuris ſorti imputatis, reſiduum trinâ die perſolveretur: Secundam de modo agrorum, nequis plus 540. jugera agri poſſideret: Tertiam, ne Tribunorum militarium conſulari poteſtate comitia fierent: ſed alter Conſul ex plebe crearetur. His autem legibus ferendis reſiſtentibus Patriciis toto quinquennio, ſolitudo fuit omnium Magiſtratuum: eiſdem Tribunis ſemper à plebe decennio continuatis. Tandem communicato Conſulatu anno urbis 348. plebs unum Prætorem Urbanum, & duos Ædiles Curules è Patritiis inſtitui conceſſit. Sed anno urbis 403. cum ære alieno, & nexu identidem miſerè vexaretur; nam etſi ante quinque annos fœnus unciarium factum eſſet; tamen acerba ſortis exactione obruebantur, & nectebantur inopes, & ad obviandum gliſcenti ſeditioni, quinque viri creati ſunt, qui ingentem vim æris alieni ſuſtulerunt, partim ſolvendo è publico pro debitoribus, populo congrua dilatione ſolvendi acceptâ caventibus, partim eorum qui cavere non poterant, bona commodè, & juſto pretio vendendo, aut in ſolutum dando. *Livius lib. 7.* Nunquam enim lex illa de uſuris ſorti imputandis perlata fuit, ſed anno urbis 408. Tito Manlio Torquato, & Cæio Plancio Coſſ. ſemiunciarium tantùm ex unciario fœnus factum eſt, & conceſſum debitoribus quartam partem æris alieni ſtatim numerando, reliquum trini die perſolvere. Tandem poſt 20. annos cùm C. Publius ob æs alienum paternum (neque enim ex lege 12 tabularum licebat ſuo heredi, hereditate patris abſtinere) nexum ſe L. Papyrio creditori paterno dediſſet, qui non contentus operis ſervilibus ad libidinem Sodomiticam abuti voluiſſet, & reluctantem verberibus laceraſſet, tumultu, & concurſu facto, lege latâ nexi ſoluti, & nexus in poſterum ſublatus, cautúmque ut pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet, & ne quis in compedibus, aut nervo teneretur ob debitum pecuniarium, niſi pœnâ ob delictum inflictâ. Hoc fuit tertium libertatis plebis initium, ut teſtatur Livius *lib. 8.* Idem ferè priùs Athenis Solon lege caverat ne videlicet corpora pro debitis pignori darentur, ut refert Plutarchus in ejus vita, & in libro de vitanda uſura. Non igitur illi legis 12. tab. monitores qui Patricii erant, omnia æqua è Græcorum legibus tranſcripta, & dilata deſumpſerunt: ſed quædam perdura in rem ſuam, & plebis oppreſſionem (ut de nexu, & de ſuo neceſſario herede) reſervarunt, & aſſeruerunt. Anno quidem urbis 413. L. Genitius Tribunus plebis tulerat ad populum, ne fœnerare liceret. *Liv. ad fin. lib. 7.* ſed ea de re nunquam lex, neque plebiſcitum latum fuit: imò ſenſim fœnus à ſemiuncia ad ſemiſſem, & ſic duodecuplo auctum, ut refert Alexander ab Alex. Genial. dierum *l. 2. cap. 7.* Tandem imperio in Aphricam, Græciam, & Aſiam prorogato, neceſſitas rerum & commerciorum ad aſſem auxit. Sed hac centeſimâ gravior erat acerbitas creditorum debitoribus expilandis inſidiantium, ut paulo poſt bellum ſociale, quod fuit anno urbis 663. cùm ære alieno oppreſſa eſſet civitas, Sempronius Aſellus Prætor, quoniam ſecundum debitores jus dicebat, à fœneratoribus in ipſo foro occiſus eſt, teſte Livio *lib. 4. octavæ Decadis.* Refert Florus in *Epitome lib. 74.* quod facinus nec Senatus vindicare valuit. Appian. belli civilis *lib. 1.* Magna erat inconſtantia poſi-

Vacatio Magiſtratuum.

tix legumque Romanorum quas Cornelius Tacitus *lib.* 3. testatur post leges 12. tabul. ambitiosè, & dissentione ordinum per vim plerumque latas. Nunquam igitur fuit certus, & constans usurarum modus apud veteres Romanos, nec eorum quidem florente Imperio, sive sub Consulibus, sive sub Imperatoribus, donec post tertiam inclinationem Imperii, Constantinopolim ferè relegati, Justinianus legibus magis, quàm finibus Imperii magnus, post mille trecentos fere annos à Roma condita, certos tandem, & perpetuos usurarum fines taxavit, in *l. cos. C. de usur.* Prius autem Romani tredecim ferè sæculis, pro temporum & locorum varia consuetudine, vel constitutione, modò gravioribus, modò levioribus fœnerabantur, semper tamen infra centesimam, exceptis trajectitiis negotiationibus, ut satis patet in *l. idemque, mandat. l. tutor qui repertorium. §. ex cæteris causis, de administratione tut. l. 1. de usur.*

Triplex moderatio.

43. In hoc tamen laudanda est æquitas & moderatio magistratuum veterum Romanorum, qui non solùm præ cæteris victis nationibus fœnus cohibebant, & leviores usuras tolerabant; sed insuper triplicem moderationem usurarum invenerunt & statuerunt. Primò usurarum usuras vetuerunt. Secundò non permiserunt passim centesimam, sed leviores usuras partim quibusdam constitutionibus, partim consuetudine cujusque regionis: quem modum nec pœnæ quidem nomine, aut alio colore fraudari permiserunt. Tertiò vetuerunt exigi ultra duplum, in quo inest simplum: ut videlicet postquam usuræ semel ad quantitatem sortis ascenderint, non possint amplius currere, nec exigi. Hæc tria ante etiam Justinianum statuta erant, sed minùs plenè. Justinianus autem tanquam Hercules Alexiacos pleniſſimam & adeò perfectam moderationem confecit, ut nihil addi possit: & ita restrinxit & cavit in singulis illorum trium, tam æquabili proportione, ut nec fœneratores, nec debitores justè queri possint; sed rerum & pecuniarum commercia, & debitorum competenti commodo, neutrorúmque injuria tractari possint, tam exactè ut vix laxari sine robore, vix magis restringi sine injuria seu impedimento commerciorum queat, tanta cautione & prudentia, ut vix salubertimæ legi fraudem facere liceret, nisi ea priùs cum bonis artibus & literis per Gothicæ barbariei inundationem in tumulo ignorantiæ sepulta.

Justinianus.

Anatocismus.

44. Circa primam adhuc tempore Ciceronis vulgò exigebant usurarum usuras, dumque Ciliciam administraret, eas permisit, etiam centesimarum usurarum centesimas usuras, non tamen in singulos menses, sivè immediatè à fine cujuslibet mensis, nec in singulos trimestres aut semestres, sed demum in singulos annos, scilicet casu quo debitor per annum integrum in solvendis menstruis usuris cessasset. Hanc vocat Cicero renovationem fœnoris lib. 6. ad Atticum *Epist.* 1. 3. & 4. *lib.* 5. *Epistola ultima.* verbo Græco aptissimè vocat *Anatocismum*; ubi impudentiæ arguit Scaptium, qui centesimis cum anatocismo cóque anniversario, id est in singulos annos revocando, contentus non esset. Postea Principes Romani usurarum usuras omninò & generaliter vetuerunt, nota etiam infamiæ contrà facienti injusta. *l. improbum fœnus. C. ex quibus caus. infam. irrog.* Sed hîc vide quàm sit ingeniosa avaritia: hoc enim fœneratores interpretati sunt, quando quis usurarum usuras per se, hoc est tanquam de alia nova sorte separata à principali stipularetur, ut tunc haberet locum prohibitio legis, quia hæc nova sors retinet nomen & originem meræ usuræ. Secùs quando usuræ, in sortem principalem, existimantes veluti novatione factâ, redigerentur, & deinceps totius summæ usuræ stipularentur, fieréque verus anatocismus, quasi tunc non essent usurarum usuræ de quibus nova constitutio: sed usuræ totius & unius sortis principalis renovatæ seu auctæ, saltem quando hoc non fiebat ab initio, sed in singulis terminis nova pactione, quasi novum esset mutuum summæ tunc debitæ & exigibilis, velut brevi manu exactæ & rursus fœneratæ. Et hoc bello vaframento pinguius agebant suum negotium, & debitores magis gravabantur: quia priore casu, quem solum interpretabantur veterum, licebat debitori particulari solutione dictæ novæ sortis ex prioribus conflatæ, cum suis reliquis sese ab usurarum usuris liberare: hoc verò secundo casu, quem concessum, sive non prohibitum (tanquam lege verbis inposita) interpretabantur, nulla particulari solutione neque usurarum auctarum, neque sortis auctæ licebat debitori sese extricare, quia hujusmodi renovatione quasi in generatione seu novatione facta, unicum totius deinceps erat debitum. Hunc cancrum & vafrum commentum penitissimè resecuit Justinianus, in *lege ultima, C. eod.* ubi in universum abolevit usurarum usuras, sive præteriti, sive futuri temporis, sive in sortem redactarum, sive non, sive una ab initio, sive singulis terminis repetita nova stipulatione fœneratoria, & sanxit nullas omninò usuras posse accedere, nisi pro rata primæ & antiquæ sortis duntaxat. Et sic omnis ἀνατοκισμὸς funditùs sublatus est, quam legem priorem declaratoriam, & gravis abrogatoriam, ad præterita, videlicet ad tempus declaratarum legum protensam fuisse puto, & adhuc posteriore sanctione, *leg. fi. in princip. C. de usur.* Hoc extendit etiam ad usuras legales, & post novationem necessariam, putà debitore in certam summam tam pro sorte quàm pro usuris condemnato, & judicatum detrectante, ultra quatuor menses induciarum ei à lege gratis & sine aliquibus usuris concessarum. Quamvis enim esset facta legalis novatio totius debiti & summæ, & justum esset debitorem contumacem gratuito legis beneficio abusum, usuræ totius summæ novatæ deinceps mulctari: tamen ut penitùs aboleretur *Anatocismus*, & nullus ei locus cujuscumque justæ causæ prætextu relinqueretur, censuit legales has & justè punitorias usuras pro rata veteris tantùm sortis currere, & exigi vetuit ullas quantulascunque usuras pro conflato ex veteribus usuris incremento, etiam à debitoribus, nedum privato creditori, sed etiam magistratui contumacibus, usque adeò Anatocismum exosum habuit. Et sic etiam has legales usuras rei judicatæ dupliciter moderatus est. primò, duplicem centesimam ad simplicem reducendo. *l.* 2. *C. de usur.* Secundò, omnem etiam hîc ἀνατοκισμὸν abolendo, *l. ult. eo tit.* ex quo judex astrictus fuit in sententia sua discernere quantitatem sortis ab usuris, alioquin reus tanquam à sententia in sui damnum incertæ appellare potuisset, *§. curare. Inst. de actio. l. in summa §. qui sortis. de re judicata.*

45. Rursus sanctionem de usurarum usuris extendendam puto, etiam quatenus usurarum usuræ non excederent legitimam usuram: putà si mercator, qui stipulari posset besses, stipulatus fuerit semisses, & earundem semissium semisses. Quanquam enim primis mentibus vel annus conventæ usuræ cum usurarum usuris non excedant legitimas, sed sint infra besses, ut patet rectè calculanti, tamen nec in terminus juris recipiendas puto, quia etsi ab initio non excedant, tamen successu temporis legitimum modum excedere poterunt, etiamsi mutuum vel dilatio non detur nisi usque ad tale tempus, infrà quod usuræ cum usurarum usuris non possent legitimas excedere: etiamsi pactum sit, quòd post terminum illum nulla currat usura, quoniam usurarum usuræ absolutè, & omnino in jure damnantur. *d. l. ult. ibi nullo modo. C. de usur.* & sic indistinctè non valent, etiam quantumcunque modicæ usuræ cum longè minoribus usurarum usuris stipulentur. Non tamen putaverim, quòd ipso jure infament, juxta *l improbum. C. de his qui not. inf.* nisi saltē simul cum usuris principalibus legitimum modum excedant, ut extensio. *d. l. si.* sufficiat ad nullitatem, non autem censeatur extensio facta etiam ad infamiæ ipso jure

incurrendæ pœnam, nisi modus quoque legitimus in quantitate excedatur, ut in *d. l. improbum.* Nec est simile de eo quod dicemus, *infrà q.* 27. *num.* 237. de pœna, quia pœna est momentanea, & sic si initio non excedat legitimum modum, nunquam excessura est: secus si pœna multiplicaretur, quia tunc idem esset quod in usura. Non obstat *l. cum quidam. §. in tacito.* ibi. *ergo & usurarum emolumentum D. de usurif.* Quia intelligitur intransitivè, ut in simili exposui in Annot. ad Philipp. Dec. in *l. 1. num. 5. de regul. jurir*, id est, emolumentum quod est usura, ut ibi rectè exponit Accurs. id est hæres qui tacitam fidem interposuit, de restituendis mille incapaci: restituet fisco non solum mille, sed etiam usuras ejus summæ. Quemadmodum fundi tacitè fideicommissi fructus omnes etiam ante litem à fisco motam restituet. *l. cum qui de his quibus ut indig.* sed non usuras fructuum, nec pretii fructuum quos vendidit. Et sic quicquid sciolus quidam juveniliter scripserit, nullus est casus in jure, quo usurarum usuræ debeantur, vel usquam debitæ fuerint. Nec *d. §. in tacito*, corrigitur, (ut malè putat) per *d. l. cum qui in fin. princ.* Conveniunt enim, & nullo modo discrepant, ut etiam Accurs. vidit, & docuit, minus obstat. *l. Caius Seius l. Seia l. cum quidam, in princ. de usuris l. 1. §. penul. de pign.* quia non ibi sunt usurarum usuræ, nec propriè pœna, seu nova accessio usuræ: sed fœnus uberius, & legitimum conservatur in casu, quo leviores usuræ suâ die non solvantur, ut in simili dicam infrà *q.* 25. fac. not. infrà *q.* 21. *num.* 224. Et probat textus rotundus in *l. pecuniæ de usur.* minus obstat *l. qui negotiationem. §. ex duobus, §. ult. de administ. tut. l. tutor. qui §. si quas eod. tit. l. idemque. §. 1. in fin. D. mandati.* Quia ibi, mutatione, personæ cumulus sortis cum usuris, novam unam sortem facit. Quod enim usuræ à sorte distinguntur, hoc est, respectu debitoris, vel ejus heredum, aut fidejussorum, vel causam habentium. *l. si prior. §. sciendum. D. qui potiores in pig. hab. l. secundus. C. de pign. & hypoth.* Sed si procurator, tutor, vel curator sortem cum usuris à debitore recipiat: totus ille cumulus est, nova sors respectu recipientis, qui totius usuras post moram debet, quia totum pariformiter recipit. Est enim, ut nova persona, ita novum negotium, nova obligatio. Idem, si tertio legetur nomen cum usuris, totum enim est sors, text. in *l. uxori usufr. D. usu & usufr. leg.* & sic nullum est exemplum, nullum vestigium in jure, quo usurarum usuræ debitæ fuerint adeout, etiam si gestor, vel tutor, qui à seipso debet exhibere, diu sortem, & usuras Domini, non à tertio exactas, sed à seipso debitas retinuerit, non tamen ultra duplum teneri possint, quum tamen nullo jure cautum sit, & ut somnium rejiciendum. Secundam verò principalem moderationem centesimæ, variè & minus perfectè tam per constitutiones, quam per locorum consuetudines inchoatam, Justinianus plenissimè & exactissimè pulchra & decentissima symmetria absolvit in *d. l. eos.*

46. Circa tertiam constat ante Justinianum principalibus constitutionibus suprà duplum usuras exigi vetitum. *l. si non sortem, in princ. versi. suprà duplum. de condict. indeb. l. usuræ. C. de usur.* quam moderationem Jurisconsulti etiam in trajectitiis negotiationibus locum habere declaraverunt. *l. nihil interest, versic. quod in singulos. de naut. fœn.* infra *q.* 4. Et hæc erat magna & insignis moderatio, præsertim in nautico fœnore, ut re ipsa liquet, & infrà *num.* 91. Tamen ante Justinianum in duobus erat diminuta. Primò, quia non habebat locum, quando creditori erant data pignora, quod intelligitur quando erant ei tradita nedum pro sorte, sed etiam nominatim pro usuris. *l. per retentionem. C. eod.* quia tunc usuræ semper currebant etiam ultra duplum, ad effectum, quòd etiamsi creditor non habuisset actionem pro excedentibus duplum, tamen saltem habebat exceptionem & retentionem pignoris. Nec illud carebat civili saltem commentitia ratione stante, *l. usuræ C. eod.* quia creditor habens pignus penes se, videtur potentialiter & virtualiter habere, & quasi sibi ipsi solvere & percipere omnes quantascunque currentes usuras usque ad valorem pignoris. Et sic civili quadam fictione dici poterat, quòd omnes præteritæ usuræ usque ad concurrentiam valoris pignorum à creditore possessorum, censerentur perceptæ, vel solutæ, & consequenter non deberent computari in duplo per *d. l. usuræ.* sed istud erat durum & inique comparatum. Invitabantur enim creditores ad nunquam numerandum, nisi haberent pignora penes se, & lex magis favebat duro, quam benigno fœneratori, semperque erat aperta via, qua posset in immensum fœnus etiam ultra triplum vel sextuplum excurrere, & tandem omnia recepta pignora absorbere, utque illis per usuras absorptis, nova exigerentur pignora pro infinita continuatione & multiplicatione aliarum futurarum usurarum ejusdem sortis, ad quod rursus cogerentur debitores ne sors præter pignora pro præteritis futuris absorpta, cum novis inde productis usuris exigeretur. Quare meritò emendatum fuit per Justinian. *in l. pe. C. eod.* ubi vetuit duplũ excedi, etiam si creditores pignoribus acceptis sibi cavissent. Secundò diminuta erat moderatio dupli in hoc, quòd in dupli cumulo non veniebant, nec computabantur usuræ solutæ, sed solvendæ, seu dubitæ duntaxat. *l. usuræ, C. eod.* Quam gloss. & Doctores stultè putantes centesimam sorti exæquari in anno nunquam intelligere potuerunt. Nova nostra, & vera Epitome d. l. talis est. An usuræ sortis summam impleant, & duplum cum ea efficiant, & sic ultra peti non possint, sed compensandæ cum sorte: tempus solutionis inspicitur, nec habetur ratio usurarum prius solutarum. Quidam nostrorum laborum compilator, & erroso restringit d. l. in eventum, quo debitor postquam cœpit usuras solvere, desiit tandiu, ut usuræ nunc debitæ sortem excedant, sed tum mera divinatio est, tum literæ textualis contorsio, quia secundum hoc, clausula, *tunc enim in d. l* non staret illativè: sed correctivè, contra phralim totius l. *quâ stante.* Itaque utile erat reliquatorem esse: & melioris conditionis erat debitor non solvens solvente frustratore vel litigatore verecundo & fidem servante. Sic è contrario melioris erat conditionis rigidus & acerbus exactor, qui nulli termino pepercisset, quàm benignus creditor, quod erat iniquum, & semper diligenter appellando poterat fœnus in infinitum multiplicari, & sic liberum erat fœneratoribus duplici compensatione eludere. Ad quod primùm Justinianus, nec in secunda quidem sui codicis editione animadvertit, donec querela ad se delata, & tota re perfecta, districtè sanxit, omnes indistinctè etiam solutas usuras duplo imputari, ut in *novellis, constit.* 121. cujus epitome reperitur in *constit.* 138. ubi non deest (ut Haloander putat) nova constitutio, sed cùm librarii errore dicta. 121. *constitutio*, his in eo libro scripta fuisset, postea errore detecto quæ secundo loco superfluè scripta erat, non fuit penitus inducta, sed relicta epitome, ne semel receptus numerorum ordo perturbaretur.

Usura non ultra duplum.

Nova Epitome l. usuræ C. de usur.

47. Et sic *d. l. usuræ. C. eo.* est prorsus correcta, quæ etiam post tempora Justiniani plus nongentis continuis annis nunquam fuit intellecta, usque ad tempora Budæi nostri, qui primus in annotation. *digest. leg. 1. ad leg. Juliam majestat.* præposteram glo. & Doctor. perversionem detexit, & verum & genuinum intellectum detegit, sed quòd non esset exercitatus in jure, putabat in hoc duplo non inesse simplum, & sic posse usuras currere usque ad duplum sortis, sorte non computatâ. Sed secundum hoc non esset usuris præfigere meram dupli, sed tripli. Et intellectus Budæi nedum est contra regulam communem juris, qua regulariter duplum, triplum & similia multiplicativa nomina includunt simplum, sed etiam contra text. apertum *d. l. usuræ.* quæ manifestè probat non licere usuras exigere ultra sortis summam. Ergo in hoc

Intellectus l. usuræ C. de usur.

duplo continetur simplum. Et clarius liquet *in d. constit.* 121. *in Novell.* Ad hoc externa quædam testimonia pulchrè citat Alcia. *Parerg. lib.* 1. *c.* 33. ubi textum *dicta l. usuræ.* legit negativè, non exiguntur, ita etiam legit Grego. Haloander, quæ lectio planior est: in vulgata autem lectione deest negativa, *non*, sed tamen idem sensus resultat. Omitto casum unum singularem, in quo usura non potest excedere tertiam partem sortis: de quo, ne in his progymnasmatis sim prolixior, reservo dicendum. *infrà q.* 4. *num.* 105. [Apparet Alciat. graviter errasse *disp. lib.* 4. *c.* 12. dum volens restituere literam rudius olim per Rogerium è græco translatam, gravius errat. *in l. cum quis decedens. §. edicillis. De legat.* 3. Et ubi littera communis habet in effectu, quindecim milia deposita, reponit tantum quinque milia sortis deposita, ut sic aggregatum sortis & usurarum ascendat triginta milia, & consequenter sors, non semel, sed sexies duplicata esset, quod est universo juri, & historiæ contrarium: Aut ergo non vidit, aut errabundè descripsit Archetypum Florentinum in quo habetur δωδεκα μύρια πεντακισχίλια, id est, quindecim milia, & sic triginta milia (quæ sunt aggregatum) non excedit duplum etiam secundum communem rudiorum literam, quæ verior erat emendatione Alciati. Ex prædictis generaliter sequitur, quòd quamprimùm usuræ lapsu temporis sortem æquaverint, quòd tunc sive fuerint solutæ, sive non, statim ipso jure desinunt currere. Et si de facto continuetur solutio, quicquid deinceps solvitur, in sortem imputatur: & cùm iterum summam sortis, & sic ejus duplum æquaverint, ipso jure liberatur debitor & à sorte & ab usuris. Idem si postquam supra sortis quantitatem (computando à prima solutione) solvi cœperint, debitor sortis residuum repræsentare & offerre velit, *ut in d. constit.* 121. *in fi.* Hæc est undecunque absolutissima usurarum moderatio, Justiniano authore.

Error Alciati.

Defensa communis lectio.

48. Quæ si servaretur, longè utilius esset (ut nunc sunt in multis locis præsertim Lugduni tempora & mores) passivè, quàm activè fœnerari: hoc est accipere quàm dare mutuo sub usuris: & longè melior esset conditio debitorum, quàm fœneratorum, ut manifesta sit vanitas & imperitia quorundam tam Theologorum, quàm Canonistarum, qui Justinianum nostrum peccati arguunt, nec non hæreseos insimulant, propter statutas usuras. Non tamen illum non solùm omni crimine hac in re liberamus: nec prudentissimum modo, sed pium etiam τοῦ ὀνόματος præstitisse evincimus, atque adeò & Hexastili assertorem. Nec est mirum, si insigniter illi paralogizati sunt, cùm rationem subjectæ materiæ, imò etiam ipsas voces Centesimæ & partium ejus prorsus ignoraverint: quo factum est ut omnes, quotquot scripserint post tempora Justiniani, tota via aberraverint, etiam Theologi scholastici, quibus est parcendum, si alios sequendo lapsi sunt in spectantibus ad alienam professionem: quamvis non sit eis parcendum in causis Religionis, dum relicta sacræ Scripturæ regula deviant, sequendo decreta hominum, etiam contra pium edictum ejusdem Justiniani *in Novellis, constit.* 146. & contra leges Caroli Magni, Ludovici Pii, & filiorum ejus Imperatorum, & Franciæ Regum, quas in præfatione libri in Abissus, edidi, & in libello gallico, De origine, & progressu Monarchiæ Francorum. *numer.* 104. *numer.* 200. Sed quàm infeliciter quidam aliàs cordati sanctis nostris legibus (earum ignorantia) insultarint, ostendit quidam Bernardus Sylvestris in *epist. de curia, & regimine rei familiaris ad Raymundum militem*, inter alia dicens: *Quid est usura legalis? latro prædicens quod intendit.* Iste apertè vocat legales usuras latrocinium publicum sive publicè auctoratum, nec sensu suo errat. Putat enim centesimum annum semissem omnibus communem biennio sorti æquari: ut Accurs. & cæteri, quibus non erat doctior: sed si legum sensum, & modum intellexisset, minimè improbasset, ut ex sua paræneſi œconomica apparet illum cordatum fuisse: Eam Epistolam Canonistæ, & Legistæ malè attribuerunt Bernardo Abbati Clarevallensi, verba etiam præposterando, dum dicunt, latro legalis, *ut sup. numer. secund.* sed alterius esse, liquet in fine operum Abbatis Bernardi, ex Architypis Clarevallis unpressorum Parisiis, anno 1536.]

Justinianus in usuris nõ peccavit.

49. Has inveteratas tenebras induxit bonarum literarum ignorantia & contemptus, usque ad tempora Hermolai Barbari, qui primus in Plinium *libr.* 14. *c.* 4. non in primis, sed in secundis demum castigationibus ex Columel. de re rustic. *lib.* 3. *c.* 3. diu latentem veritatem invenit, quem Socin. *l.* 3. *§ fi. ad leg. Falcid.* latè secutus est. Dein Nebricens. *in Lexico. in verb. semisses.* Leonar. Porri. *deponder. & mensur. libr.* 2. Plenissimè verò & acerrimè omnium Budæus, *in lib. de asse:* Alciat. *disputt. lib.* 3. *c.* 1. & 2. Quibus addo antiquissimum unum testimonium, quia clarissimum est à præfatis non allegatur, quod legi apud Vigilium virum doctissimum in sua præfatione Græcarum Institutionum Theophili Antecessoris, ubi meminit Ioannis legum doctoris & scholiographi Græci, qui sub tempora Iustiniani scripsit brevia quædam & utilia glossemata. Ex quibus præfatus Vigilius refert scholia græca *in d. leg. tert. §. item si Resp. ad legem Falc.* quæ sequuntur. τὸν ἐπὶ τοσούτοις μησὶν δοὺς ἀνατοκισμὸν ἐπὶ ἑνιαυτόν, ἐδιώκετο ἐφ' ἑνὶ ἑνιαυτῷ τοσαυτάκις τοὺς τόκους τρέχειν ἐποίουν, αἰσιόχρου τῷ ἀνατοκισμῷ τοὺς τόκους τῷ ἑνιαυτῷ ἑνὶ μησὶ ἑκάστου μησιαῖα, δεκατέσσαρα, τριακοντατέσσαρα. τοὺς γὰρ ἐπὶ τρισὶν ἑκατοστοῖς τοσούτους τὸ ἓν μησιαῖα, τὸ δὲ ἑνιαυτῷ ιβ'. μησιαῖα αἰσίως, ὁ δοὺς ἀνατοκισμὸν. τοὺς γὰρ ἐπὶ τρισὶν ἑκατοστοῖς ϡϐ'. ϙ'. μησιαῖα τὸ ια'. μησιαῖα. Hoc est, tantam quantitatem videri legatam, quanta si legata sit, posset unoquoque anno usuras trientes colligere, habitâ ratione annuæ quantitatis legatæ. Veluti legata sunt annua decem numismata, videntur. 250. numismata legata. Usuræ enim trientes hujus quantitatis sunt decem numismata. Si verò legata essent. 20. numismata. 500. viderentur legata. Usuræ enim trientes quingentorum numismatum, sunt viginti numismata. Hactenus Ioan. Reliqua testimonia (quia transcribere nolo) vide si libet apud præfatos authores. Quorum maximè Budæi nostri fœlici studio & solertia Musarum fores apertæ, factúmque ut omnibus (nisi prorsus ἀμούσοις) hæc pateant, nec jam sit opus solem facibus illustrare. Utile tamen & jucundum visum est, brevem quandam centesimæ & partium ejus tabulam subjicere, quam olim supra viginti annos (hæc autem dictabam anno 1545. dum assem Budæi, & d spunct. Alcia. perlegissem) descripsi, non in alium tum usum, quàm propriæ memoriæ gratia, utque semper & in nictu oculi conspicere mihi liceret antiquarum simul & nostratium usurarum rationem & proportionem: illo priùs necessario fundamento præsuppositio.

Quales vitl rationem usurarum legalium detexerunt.

Io. Scholiographus Græcus.

50. Quòd centesima gerit typum assis integri, cùm sit integra solida & summa legalis usura, *ut sup. n.* 40. & nomen capit à centesimis calendis, in quibus completur, & sortem æquat. Solebant enim veteres, tam Græci, quàm Romani, ut plurimùm per καλάνδας vel calendas, hoc est in singulos menses solvendas usuras stipulari. Et si quidem singulo mense centesimam partem sortis, hæc erat centesima, solida & summa usura: si verò ducentesimam sortis partem, hæc erat semis; si trecentesimam, triens: si quadringentesimam, quadrans: quia quadrans non est nisi quarta pars centesimæ; & sic de cæteris quotis partibus menstruis. Quòd si cupis per annos computare, fac sortem esse centum aureorum, tunc duodecim aurei annui facient centesimam sive assem usurarium. Et ex necessaria consequentia undecim annui in centum faciunt deuncem, decem annui dextantem,

novem dodrantem, octo bessem, septem septuncē, sex semissem, quinque quincuncem, quatuor trientem, tres quadrantem, duo dextantem, unus cum dimidio sescuncem: unicus aureus unicam, semiaureus annuus semiuncium centesimæ, sive semiuncialem usuram. Sed ὡρισμένως scribit Alciat. *lib. 5. disputt. c. 1.* in centesima centum fieri ducenta octo annis, & parvum calculi errorem contemnit. Quoniam exactè computando, centesima non æquat sortem in octo annis, sed in octo annis & triente, hoc est quatuor mensibus, quia octo anni non continent nisi sex & nonaginta menses. Semis ergo usura sorti æquatur in ducentis mensibus, sive in sexdecim annis, & besse: deunx autem sortem æquat in centum novem mensibus, & undecima parte unius mensis, & sic in novem annis, uno mense, & undecima parte unius mensis. Dextans in centum viginti mensibus æquat sortem, & sic in decem annis, & proportionatur reditui annuo, ad rationem unius in decem. Sicut & quincunx proportionatur reditui annuo ad rationem unius in viginti. Dodrans sortem æquat in centum triginta tribus mensibus & triente, id est, in undecim annis uno mense, & tertia parte mensis. Bessales autem usuræ sortem æquant in centum quinquaginta mensibus, & sic in duodecim annis cum dimidio. Trientes in trecentis mensibus, seu viginti quinque annis. Quadrantes in quadringentis mensibus, id est, triginta tribus annis & triente, sive quatuor mensibus. Sextantes in sexcentis mensibus, id est, quinquaginta annis. Unciales in mille ducentis mensibus, id est in centum annis, cùm videlicet milleſima ducenteſima pars sortis solvitur quolibet mense, donec centesimo anno completo, æquatur sorti. Semiunciales in bis mille quadringentis mensibus, id est, in ducentis annis, ut quando bis milleſima quadringenteſima pars sortis quolibet mense solvitur, usque ad æquatam sortem.

Disproportio. 51. Ex his vides non esse eandem proportionem centesimæ seu partium ejus, & reditnum nostrorum. Nec mirum, quia centesima & singulæ partes ejus, non sunt fœnus annuum, sed menstruum: econtrà hi reditus non sunt fœnus menstruum, sed anniversarium. Unde centesima non proportionatur numero annorum, sed mensium. Patet, quia continet præcisè & adæquatè certos menses æquales, putà centum. Idem in qualibet parte, vel quota centesimæ: non autem continet præcisè & adæquatè certos annos: quia centesima non impletur octo annis, nec alio certo adæquato annorum numero, sed octo annis cum triente. Quæ consideratio non est otiosa, licèt mathematica magis quàm juridica videatur. Multùm enim prodest, ut velut oculis aspici, palparive possit, cur, quantum, & in quo differat proportio reditnum sive usurarum nostrarum, à ratione centesimæ & partium ejus. Tota enim disproportio, quantum ad cursum & incrementum temporis, versatur in hoc, quòd centesima discurrit per menses, nostri verò reditus per annos: putà reditus ad rationem unius anni pro duodecim, vel quindecim. Unde sicut centesima, & singulæ ejus partes semper certo suo mensium numero sortem æquant: ita nostri reditus semper certo suo & adæquato annorum numero sortem æquant. In multis tamen aliis differunt à centesima, & ejus effectu, ut posteà dicemus. Sed libet hîc semel rationem proportionis utriusque rei patefacere. Quemadmodum in usuris centesima tanquam summa gerit typum assis: ita dici potest quod in reditibus nostris, is qui est ad rationem unius, putà aurei annui in duodecim, gerit typum assis, quoniam suprà non potest ascendi, nec licet majorem reditum annuum & perpetuum emere. Proportio. Duodecima usura. Quæ fœnerandi ratio, duodecima vocari potest aptissimè, & ita novè vocamus habita ratione ad annos, non ad menses, prout est duodecima pars sortis in anno: singulis autem mensibus esset duodecima duodecimæ, videlicet centesima quadragesima quarta pars sortis. Et quia hujusmodi reditus non solent esse menstrui, sed annui, rectè summa ratio sive plena quantitas horum reditnum tanquam as vocari potest duodecima, & pariter in quotas partes dividi, sicut as. Unde reditus unius aurei annui pro viginti quatuor aureis sortis vel dimidii aurei annui pro duodecim sortis (quod in idem recidit) rectè vocabitur semis nostræ duodecimæ. Dodrans verò, quando quolibet anno tres quartæ partes unius aurei pro duodecim, vel solidus aureus pro sexdecim aureis, præstatur. Bessis autem duæ tertiæ partes pro duodecim, vel reditus integri aurei pro octodecim aureis, quod idem est. Triens autem, tertia pars annuæ aureæ pro duodecim, vel aureus annuus, pro triginta sex aureis. Idem de reliquis partibus assis, quas consultò prætereo, quoniam in usu & praxi parum sunt utiles, eò quòd vulgò non computant per hujusmodi uncias, sed tantùm suppurant, quoto anno pensitatio annua ad sortem ascendat. Nec inutile hæc invicem contulisse, ad majorem horum elucidationem: nulli enim labori parco, ut omnia perspicua, & ad veritatis amussim explicata reddam, præcipuè rudibus dicendi cupidis, ad studia, & ingenia eorum maturanda.

Mathematica ratio. 52. Et quemadmodum in centesima, si unciam demas, fit deunx: si sextantem, fit decunx seu dextans si quadrantem, dodrans: si trientem, bes, si quincuncem, septunx: si semissem, semis: si septuncem, quincunx, & sic de reliquis diminuendo pensionem: itidem facere licet in duodecima, diminuendo reditum retrogradè per uncias, remanente eadem sortis quantitate: quibus in causis quota parte minuitur pensio, tota prolongatur tempus complendæ sortis. Unde si decrementum pensionis sit, 4. pars pensionis, augmentum temporis ad sortem æquandam erit quarta pars totius temporis aucti, non autem temporis augendi duntaxat. Verbi gratia, si de pensione detrahitur semis, prolongatio temporis sive in centesima, sive in duodecima, erit semis totius, non autem dimidia pristini temporis, sive augendi tantùm (quod recideret in bessem) sed intelligitur, quòd augmentum per se faciet semissem totius augmentati: & sic in effectu est duplicatio, ut quemadmodum diminutio est subdupla, ita & augmentum sit duplum. Et pariter si quarta pensionis detrahatur, prolongabitur tempus sortis completivum, non de quarta partè sui per se, sed de quarta totius, ut augmentum sit quadrans totius, & primi & additi temporis simul. [Dicitur enim quarta pars addi respectu totius aucti, ut est pulcher textus in *l. si ita scriptum in fin. 2. responsi. De hered. instit.*] Unde si de pensione detrahatur quadrans, debent annis duodecim addi non tres, sed quatuor anni, ut sors compleatur. Et è converso pari proportione, si non mutata pensionis quantitate velis eam reducere ad rationem semissis, duplicanda est sors. Si verò ad rationem trientis, triplicanda, ut in *l. 3. §. Item si reipub. ad legem Falcid.* Si verò ad rationem bessis, ad sexcuplam: si ad rationem dodrantis, ad sesquitertiam proportionem sors augenda est. Pariter, si reditum duodecimæ reducere velis ad quintamdecimam, quod est praxi frequentissimum, detrahenda est quinta pars pensionis, manente eadem sorte, vel manente eadem pensione, addenda est sorti quinta pars totius summæ auctæ, sive quarta pars augendæ, seu augenda sors ad proportionem sesquiquartam. Verbi gratia. Centum annua in mille ducentis sunt vera duodecimà, quam si reducas ad quintamdecimam per diminutionem pensionis, detrahi debent viginti, & remanebunt octoginta annua, quasi denarium Parisiensem reducas ad Turonensem, respectu pensionis tantùm. Si verò per augmentum sortis, addenda sunt sorti trecenta, quasi denarium Turonensem reducas ad Parisiensem, respectu sortis tantum. Vel ab initio, cape pro pensione annua vicesimam sortis, & ejusdem vicesimæ tertiam partem super-

alde, & erit quintadecima, ut ad oculum liquet in calce sequentis Tabulæ.

¶. Sequitur abacus sive tabula usurarum & reditum, quam olim concinnavi, ut verum calculum, proportiones, & voces assis utriusque partium semper in promptu, & in numerato haberem.

a Hæc summa & gravissima. sup. num. 40. & in 1. tantò casibus. inf. nu. 47. & in trajectitiis, q. 30.

Centesima *a* est quolibet anno octava, & vicesima quinta pars sortis, mense centesima pars sortis, & sic in 100. mensibus, sive in 8. annis & 4. mensibus sortem æquat. Hac ratione solvuntur in anno duodecim in centum.

Videtur assimilari reditui unius annui pro octo: sed non est ita, quia centesima est levior dimidio nummo quolibet anno, seu 24. parte nummi quolibet mense. Patet, quia in dicto reditu solveretur precisè quolibet anno octava pars sortis, quæ impletur in 8. annis: sed in centesima non solvitur annuatim octava pars sortis: deficit enim dimidia unius integri, & etiam non implet sortem in 8. annis, sed additis 4. mensibus. Unde si pro 100. liceret emere reditum ad rationem unius annui pro octo, debitor solveret 12 ½ annua, ubi in centesima non solveret nisi 12 annua.

b Bud. lib. 1. assis verbo Græco vocat epidecatum fœnus, quasi dicas decimatium.

Dextans *b* seu decunx ut duabus unciis minor est centesima, ita duabus major est bessе. Ad centesimam est subsesqui quintus: ad bessem, sesquiquartus: ad quincuncem, duplus: ad sextantem, quintuplus: ad unciam, decuplus. Hac ratione quolibet mense solvitur centesima vicesima pars sortis, sive quolibet anno decima pars sortis.

Proportionatur reditui decimæ. Summa

c Hæc jure æstimando summa est strictè capiendo usuram, & adhuc justis tantùm negotiatoribus concedita *l. eos.*

Bes *c* sunt duæ partes centesimæ, sive 150. pars totius sortis quolibet mense. Unde æquatur sorti in 150. mensibus, & sic in 12. annis, & sex mensibus, hac ratione solvuntur in anno 8. in 100.

Hæc levior est reditu duodecimæ, qui triente unius nummi gravior est, pariens 8. ½ annua in centum. Eadem est ad centesimam subsesquipla, Græcè ἐπιμόριος, id est, tertia parte minor, ad semissem sesquitertia, Græcè ἡμιόλιος ad trientem dupla, ad quadrantem dupla, superbipertiens tertias, ad uncialem octupla.

d Hanc Pli. lib. 14 c. 4. ad 6a. vocat civilem, & modicam: sed tempore suo, quo etiam besses erant omnibus in usu.

Semis *d* est dimidia centesimæ, sive 200. pars sortis quolibet mense: unde sorti æquatur in 200. mensibus, & in 16. annis & bessе, & parit in annos 6. in centum. Mediocris

Paulò levior reditus unius annui pro 16. qui quadrante gravior est quia quolibet anno parit 6 ¼ in centum.
Eadem ad centesimam, subdupla: ad dodrantem subsesquipla: ad bessem, subsesquitertia: ad septuncem, subsesquipla: ad quincuncem, sesquiquinta: ad trientem, Græcè ἡμιόλιος Latinè secundum Ciceronem, quem Budæus sequitur, sesquipla: vel secundum eundem Ciceron. ex Timeo Platonis, sesquialtera: ad quadrantem, dupla: ad sextantem, tripla: ad unciam, sextupla: ad semiunciam, duodecupla. Et sic de aliis.

e Hanc secundam moderationem nostram summi juris interusurium non excedit, ut inf. q. 74.

Quincunx *e* uncia minor est semisse, septem verò unciis centesima. Et est 240. pars sortis, quolibet mense: unde sorti æquatur in 240. mensibus, sive in viginti annis, & parit 5. annua in 100. Levis

Proportionatur reditui vicesimæ.

f Hæc magis est liberalitas quàm usura: ut sup. n. 39. & Iuriscons. vocat levissimam *l. si legatum in princ. de oper. pub.* Inf. q. 69. ad 8a.

Triens *f* est tertia pars centesimæ, ut quando quolibet mense solvitur 300. pars sortis. Unde in 300. mensibus, sive in 45. annis æquat sortem, pariens annua 4. in centum. Levior

Proportionatur reditui vicesimæquintæ.

De hac in l. si. versic. quod

Quadrans *g* est quarta centesimæ, sive 400. pars sortis quolibet mense: unde sorti æquatur in 400. mensibus, sive in 33. annis, & 4. mensibus, ut si solvantur annuatim 3. in 100. Levissima

g non obstaverit. C. de pet. hæredit. in authen. hoc jus. C. de sacros eccles. in novell. constit. 120. inf. q. 74.

h De hac in l. Titium §. præfectus de admin. tut. ad hanc: imò etiam ad sequentem legitur quædam facta restrictio Romæ, ut sup. num. 41. sed numquam pa

Uncialis *h* est duodecima pars centesimæ, sive duodecima pars centesimæ partis, in mense: unde in 1200. mensibus, sive in 100. annis æquatur sorti ut solvatur annuatim 1. in 100.

Semiuncialis est 24. pars centesimæ, quæ in 2400. mensibus, sive in 200. annis æquatur sorti.

Reliquas assis partes singulatim describere nolo, quum prædicta, cum figura sequenti abundè sufficiunt.

refellio (quæ etiam ridicula est) observata fuit]

Tabula

Tabula & proportio utriusque assis usurarii.

	Centesima menstrua.			Duodecima anniversuria.			
Divisio per nomina partium	Assis per quotas unciarum.	Mensstrua quantitas sortis, & quot mensibus sors æquatur.	Sors æquatur in annis.	Sors 1440	Sors 1200	Sors 120. libræ.	Æquatur in annis.
As	12	100	8 1/3	120	100	10. l.	12
Deunx	11	109 1/12	9 1/11	110	91 2/3	9. l. 3. s. 4. d.	13 i. m. 1/11
Dextans	10	120	10	110	1/3	8. l. 6. s. 8. d.	14 4. m. 2/11
Dodrans	9	133 1/3	11 1/11	90	75	7. l. 1/2	16
Bes	8	150	12 1/2	80	66 2/3	6. l. 13. s. 4. d.	18
Septunx	7	171 3/7	14 2/7	70	58 1/3	5. l. 16. s. 8. d.	20. 4/7
Semis	6	200	16 2/3	60	50	5. l.	24
Quincunx	5	240	20	50	41 2/3	4. l. 3. s. 4. d.	28 9. m. 1/3
Triens	4	300	25	40	33 1/3	3. l. 6. s. 8. d.	35
Quadrans	3	400	33 1/3	30	25	2. l. 1/2	48
Sextans	2	600	50	20	16 2/3	33. s. 4. d.	72
Uncia	1	1200	100	10	8 1/3	16. s. 8. d.	144
Col. 1.	2	3	4	5	6	7	8

	Duodecima.	Decima quinta.	Vicesima.	Vicesima quarta.	Vicesima quinta.
Sors 100	8 1/3	6 2/3	5	4 1/6	4
Sors 120	10	8	6	5	4 4/5
Sors 1000	83 1/3	66 2/3	50	41 2/3	40
Sors 1200	100	80	60	50	48

Nota quòd duæ tantùm primæ columnæ communes sunt omnibus sequentibus utriusque assis: reliquæ verò columnæ primi assis nihil habent commune cum columnis secundi, nisi in hoc generali theoremate, quòd quantum detrahitur quantitati usuræ, tantum pro rata augetur seu prolongatur tempus æquandæ sortis. Et contrà, quantum detrahitur de tempore, tantum additur usuræ. Secunda verò columna: non solùm designat numerum & quotas unciarum: sed etiam quantitatem centesimæ mensstruæ, fingendo sortem esse 100. vel annuæ centesimæ, fingendo sortem esse 100. ut patet ad oculum. Quare non posui in tabula centesimæ specificum exemplum certæ sortis, prout tria exempla posui in duodecima, in 5. 6. & 7. columnis, quamvis sufficeret unum. Sed cùm relevent à labore supputandi, tum plenius rationem proportionalem ostendunt.

a *As & suprema etiam sorte numquam reddenda, nisi volente debitore.*

Duodecima. a

Decimatertia.

Decimaquarta.

Decimaquinta. b

Decimasexta.

Decimaseptima.

Decimaoctava.

Vicesima. d

Vicesimaquarta. e

Vicesimaquinta. f

b *Media, inf. num. 122. 246. 269. ubi jungi potest cum antichresi.*

[*Est etiam ferè media inter bessem, & semissem centesimæ, quæ parùm superat septuncem, qui præcisè medius est, inter bessem & semissem,*]

c *Minoris non potest emi fundus sub pacto redimendi, inf. num. 267. 321.*

d *Hæc secundùm mos est hodie summum justum interusurium sortis exigibilis, inf. q. 27. in fi. quæst. 74. n. 551.*

e *Hanc excedi vetuit Justinian. à mutuantibus agricolis, inf. q. 1.*

f *Hæc legitima judicatura simplices perpetui, nec redimibilis reditus. l. 5. §. item si reipub. ad l. Falcid. inf. quæst. 5.*

dant, & papyrus capere posset, non sum gravatus apponere: nec non in margine partes duodecimæ vulgariores, & quæ sunt in usu. Et rursus seorsum in pentagono ad hoc concinnato, & hic suprà posito, pro negligentioribus, vel occupatis, quibus non vacat ad proportionem tabulæ superioris advertere. Nec tanta diligentia contentus, cellulas quindecimæ & vicesimæ in §. 6. & 7. columnis decenter adscripsi, ut promptiùs & faciliùs discernere liceat, utri vicinarum quæque partium magis accedant. Et sic vides quòd quintadecima magis accedit dextanti quàm dodranti, à quo magis distat: ideò ejus cellula magis subintrat cellulam superiorem dextantis, quàm inferiorem dodrantis. Contrà vicesima magis accedit septunci quàm bessi, unde ejus cellula magis propendet in septuncem inferiorem, quàm in bessem superiorem.

Nova & plana declaratio l. eos. §. 1.

54. Ut autem postquàm cœptum est, perfectam habeamus intelligentiam. *d. l. eos.* §. 1. hactenus malè declarare, norandum, quòd quamvis ante Justin. esset aliquis modus usurarum tam ex consuetudine regionum. *l.* 1. & per to. *de usur.* quàm ex constitutione Principum. *l. constit. C. eod.* tamen quia adhuc ille modus gravior erat & licentiosior, ad certam moderationem & formam coarctatus est per Justinian. qui in

Duplex taxatio.

hoc §. 1. duplicem fecit taxationem, primam quadrimembrem, secundam simplicem & uniformem. In prima in princ. §. usque ad *versic. & eam quantitatem*, taxat usuras, quæ ex vi stipulationis vel pacti tantùm debentur: idque quadruplici forma, pro varia negotii vel personarum qualitate, videlicet centesimas in trajectitiis, trientes illustribus aut superioribus personis, bessès justis negotiatoribus, semisses promiscuè cæteris hominibus. Secunda taxatio, in *versic. & eam quantitatem*. taxat usuras, quæ quocunque casu, citra stipulationem vel pactum debentur, puta propter moram. Et has uniformiter ad rationem semissis usuræ restringit, ut non possint ultra eam formam exigi, etiam prætextu consuetudinis loci. Si enim de consuetudine loci debeantur minores semissibus, illæ solùm peti possunt: quia d. l. non venit ad augendum, sed ad restringendum usuras, ut patetem text. Et sic vides, quod dictum versic. *& eam quantitatem*. refero non ad omnia præcedentia, sed ad ultimum & immediatum versiculum duptaxat, qui de semissib. loquitur. Et hic est verus & germanus sensus. d. l. & ipsa verborum phrasis ostendit. Tum si dictus vers. *& eam quantitatem* referretur ad omnia præcedentia, sequeretur absurdum, videlicet quòd impunitior esset mora facta illustri quàm vili & privatæ personæ quod est iniquum: quia cùm saltem æqualis sit mora, æqualis debet esse pœna. *l. cum quidem.* §. *si pupillo. in fi.* §. *si debitoresì, de usur.* eò maximè, quòd hujusmodi pœna infligitur à lege, quæ regulariter omnibus æqualis est. Alia ratio est in usuris, quas quisque provisione sua, & pacto suo habet. Hîc enim cum de fœnore negotiatorio & principaliter intento agatur, cohibenda fuit avaritia, sed ea cautela, ne commercium rei pecuniariæ tolleretur: in quo habenda fuit ratio cessantis interim lucri, vel damni imminentis creditorum & qualitatis personarum: quare justis rationibus aliter in re trajectitia, & extra eam, aliter in cæteris taxatum est. Hæc autem distinctio ex parte creditoris seu fœneratoris tantum metitur, non autem ex parte debitoris: Et meritò, cùm sit facta ut sit condecens, & quàm innocentissimus fieri potest cursus commerciorum & negotiationum, utque quàm moderatè & innocenter fieri potest, consulatur indemnitati fœnerantium. Unde mercator potest capere bessès etiam ab illustri: & tamen illustris non potest capere ultra trientes etiam à mercatore, scilicet principaliter fœnerando, & in terminis hujus quadrifariæ taxationis: secùs quando citra negotiationem fœnoris accidit propter moram ex provisione legis usuras deberi: quia hoc spectat ad vers. *& eam quantitatem*. Nec est absurdum, sed valde congruum, & reip. utile, permitti illustribus tale fœnus exercere, tum quia ad magnam tenuiorum revelationem spectat, ut inveniant, à quibus levissima usura mutuari possint, & consequenter, ut cæteri homines discant & assuefiant levioribus usuris uti: quod tum maximè fiet, quando invenientur qui trientibus fœnerabuntur. Nec hoc dedecorosum est dignitati illustrium, sed magis laudabile & glorioſum, exemplo optimi illius Imperatoris Alexandri Severi, supra *nu.* 39. Nec tamen tam levi trientario fœnore dicuntur negotiationem, sed potiùs magnificentiam exercere.

55. Et observa diligenter differentiam inter taxationem illam quadriformem, & istam uniformem, in versi. *& eam quantitatem*. Prima spectat ad ipsum negotium seu commercium fœnerandi, & ad contractus fœnebres, qui sunt quædam negotiatio. Secunda incidit alii justæ obligationi non fœnebri, nec spectat ad negotiationem fœneratoriam: sed ad usuram incidentem. In prima venit usura ex sola provisione hominis: in secunda ex dispositione legis. Et licèt utraque spectet ad congruam indemnitatem creditorum in genere, tamen prima magis spectat ad temperandum & moderandum lucrum fœneratitium. Secunda verò non spectat ad temperandum lucrum, sed ad temperandam compensationem quàm expeditiorem & moderatiorem ejus quod interest propter moram fidemve non servatam. Et sic primo casu magis est lucratoria & propria: secundo verò casu magis est compensatoria & impropria usura. Priore casu non potest fœnerator aliud interesse consequi, etiam si velit usuras omittere vel compensare: quia semel pro omni eo quod interest, transegit cum usura conventa, quandiu scilicet usura currere debet. Si enim fœnerasset usque ad certum tempus, tantùm præmonito debitore de damno futuro, si falleret: qui hac conditione accepit & fefellit, ex tunc venit quod extrinsecùs interesse probatur. *l.* 3. §. *uls. de eo quod cer. loco.* dicemus latiùs *in tract. de eo quod interest*. Secundo verò casu si creditor aliunde probare potest quantum sua interest, potest omissis usuris legitimis illud probare & consequi. *l. cum duobus.* §. *idem respond. pro socio.* Et sic vides latissimam & utilissimam inter hæc differentiam, quam nullus scholiographorum aut Commentatorum adusque aperuit.

56. Quòd autem (redeundo ad literam) verbum *stipulationis*, in hoc §. omnem conventionem comprehendat, clarum est: quia aliùs hoc respectu lex esset impolita verbis: patet accepto pignore. *l. per retentionem. l. si usuras. l. pignorib. sup. eod.* vel in frumento hordeo. *l. frumenti. sup. eod.* quibus casibus ex nudo pacto debentur: non autem licere debet pacto, quod stipulatione non liceret. Patet etiam per text. *in l. ult. vers. cum usuræ utiliter. inf. de usuris rei jud.* ubi Justinian. mentionem faciens hujus l. dicit se per hanc legem moderasse usuras ex contractibus descendentes, non dicit ex stipulatione, sed generaliter. Et sic in hoc §. verbum *stipulatio*. causa majoris frequentiæ expressum est, eò quòd regulariter non soleant deberi usuræ ex nudâ conventione citra stipulationem. Cæterum si pacto nudo, quovis modo, etiam per simplicem retentionem debeantur, vel in pacto tacito, ut speciale in argentariis *novell.* 136. locus est huic taxationi, quæ generaliter obtinet, in tantum ut nullam propriè recipiat limitationem, sed simplicem declarationem. Et primò in mera usura sive propriè sumpta, quæ citra pactum & provisionem hominis non deberetur, quam Doctores lucratoriam vocant, ut in mutuo: Si enim venditor re tradita, stipuletur usuras, quandiu pretium non solvitur: potest ea stipulari usque ad concursum valoris fructuum, etiamsi hæ usuræ relatæ ad pretium excedant rationem centesimæ: etiamsi venditor sit illustris (hoc autem rarissimè potest contingere, potest tamen: ut si fundus magni reditus vili distrahatur, *ne*

infrà q. 78.) Nec habet locum hæc lex, quia hæc non est vera usura, sed indemnitas, & repensio ejus quod aliàs indebitè abest: quoniam merè liberalis fuit traditio, pretio non soluto. Igitur, ut etiam dixi in *consuet. Pariſ.* §. 1. *gloſ. ult. q.* 3. Idem ſi illuſtris ſtipuletur ſemiſſes in caſu, ubi ſine pacto veniunt, puta ratione moræ, ut in *verſ. & eam qualitatem.* qui debet rurſus declarari, & limitari, ut procedat, dummodò aliàs non ſit à lege certa quantitas uſuræ taxata. Secùs in caſibus, in quibus apparet legem etiam de certa quantitate providiſſe, quia illa ſervari debet: nec in hoc verſiculo legibus ſpecialibus derogatur, ſed conſuetudini excedenti duntaxat.

Tres caſus centeſimæ.

57. Et invenio ſolùm tres caſus ſpeciales: Primus in tutore, vel negotiorum geſtore pupilli, qui pupillarem pecuniam in proprios uſus ſua authoritate convertit, *l. qui ſine de nego. geſt. l. tutor qui repertorium. § pecunia. l. non exiſtima de admit. tuto. l. curator C. arbitri. tutel. l.* 1. *Cod. de uſur. pupill.* Idem ſi dolo negaverit ſe habere ad alendum pupillum. *d. l. tutor qui.* §. *idem ſoleat.* Et iſte primus caſus, utpote in juſtiſſima ratione fundatus, adhuc eſt in viridi obſervantia, non tamen abſolutè, reſpectu quotæ centeſimæ; ſed prout bonus & prudens judex ex totius rei æquitate arbitrabitur, ut dicam *infrà q.* 74. [Sed etiam talis tutor qui ſolvit uſuras pecuniæ pupillaris. Lucratur, & retinet compendium à ſe factum, nec præſtat utrumque. *l. Titium & Mævium.* §. *alteri. de adm. tut.* ſic minor eligens vindicare fundum de ſua pecunia emptum cum fructibus. *l. ſi ut proponis. C. de rei vend.* debet pecuniam & ejus uſuras omittere.] Secundus, in ſocio, qui ſolus neceſſarios ſumptus fecit in refectionem domus communis, cui currunt uſuræ centeſimæ impenſarum à die refectionis perfectæ, uſque ad quatuor menſes immediatè ſequentes duntaxat: poſt quem terminum, etiamſi nihil ſit ſolutum, non currunt *l. ſi ut proponis. C. de ædific. privat. l. ſi fratres* §. *idem reſpondit ff. pro ſocio.* De quo vide Cepol. *de ſervit. urb. præd. c.* 99. *de refectione.* Jaſ. *repet. l. quominùs col.* 19. *in fin.* Puto tamen, quòd in terminis juris poſtquàm centeſimæ deſierunt currere, quòd durante mora currant ſemiſſes, infrà reſiduum dupli, prout aliàs jure communi (utpotè in bonæ fidei judiciis) currunt etiam illuſtri creditori (ut dixi) vel mercatori: huic tamen, non illi licebit beſſes ſtipulari abſque clauſula retroactiva, ideſt, pro futuro tantùm tempore. Non obſtat quòd ſpecialis proviſio centeſimæ facit ceſſare generalem diſpoſitionem ſemiſſis: quia verum eſt quandiu durat, ſed poſtquàm ceſſat, non præſtat impedimentum. Tum ſpecialis illa proviſio facta eſt fœnore refectionum, & reædificantium, ut adhoc alliciantur, & citiùs eis ſolvatur. Unde non debet contra eos, ſed pro eis interpretari. Hinc ait textus in *d.* §. *idem reſpondit* quòd is qui refecit, poteſt, ſi malit, omiſſis uſuris illis centeſimis quadrimeſtribus, omiſſa etiam vindicatione partis ſocii, in iis quod ſua intereſt agere. Sed hodie ſpecialis iſte caſus centeſimæ, cum pœna commiſſionis dominii meritò exolevit, tanquàm commentum iniquum, & ſupergreſſioni proximum idoneum: & remanſit communis pro ſocio actio, in qua hodie quod intereſt ad rationem quincuncis uſuræ ſecundùm moderationem noſtram interuſurii, de qua infrà. *q.* 74. *num.* 540. ſine prolixiori diſquiſitione petenti adjudicari poterit. Tertius caſus in *l. ult. in princ. C. de uſur. res judic.* Sed & hic caſus meritò exolevit: quia moribus noſtris rem judicatam ſtatim facere coguntur, vel cogi poſſunt debitores. Cæterum in jure non invenio ultra tres prædictos caſus exceptos: & ſic ſtandum eſt regulari uſuræ, quæ eſt ſemis, quam Plin. natural. hiſt. *lib.* 14. *cap.* 4. *ad fin.* vocat civilem & modicam.

58. Reſtant ſuper textus verſ. *illos verò*, duæ neceſſariæ quæſtiones, quæ à nemine tanguntur. Prima,

An fœneratio ſit juſta negotiatio.

an qui ſolam fœneraticiam profitentur, dicantur liciti negotiatores, ut eo ipſo poſſint beſſes ſtipulari. Videtur quòd non: quia licet iſtud ſit actus quæſtuarius, & vera negotiatio: videlicet non ſemel; ſed frequenter, & velut ex profeſſo venerari, ut not. in *l. legatis. in princ. de leg.* 3. per Bald. *in rub. C. de conſtit. pecunia.* Et in ſpecie text. in *l. cuicunque* §. 1. *de inſtit. actio.* tamen hæc lex non videtur loqui de hac, ſed alia negotiatione, quod oſtenditur: primo, quia antequam quis poſſit ſtipulari beſſes, text. præſupponit, & prærequirit, quòd præſit ergaſterio, vel aliquam licitam negotiationem exerceat. Ergo non poteſt quis incipere negotiari à beſſali fœnore, niſi prius aliam negotiationem jam actu exerceat: Imo eſt hic textus quod alia demum negotiatio facit poteſtatem exercendi quæſtum ſeu negotiationem beſſalis uſuræ. Ergo negotiatio uſuraria ſibi ipſi hoc non præſtat. Non enim idem poteſt eſſe privilegium, & cauſa privilegii, ſed poſſe fœnerari beſſibus eſt privilegium juſtæ negotiationis, igitur ea juſta negotiatio aliud eſt quàm fœneratio. Secundo, quia ſimplex diſpoſitio non videtur in dubio trahi ad caſus odioſos. arg. *l. Lucius.* § *pen. de legat.* 3. notat. Alex. *conſ.* 199. ubi tetigi. *lib.* 6. Sed hujuſmodi [illegible] odioſa eſt. *ſuprà num.* 2. *infrà q.* 69. unde verbum *negotiatio* in hoc textu maximè adjecto verbo emphatico, licita, non intelligitur de fœneratitia. Tertiò, per locum ab abſurdo, quia ſequeretur quòd lex plus faceret ei, qui frequenter & ex profeſſo, quàm ei qui parcè & obiter fœnerat. [Quartò text. rotundus *in* §. *cæterum. inſt. quod cum eo qui, &c.* ubi appellatione negotiationis non venit fœneratio, quia tributoria datur de eo quod eſt in negotiatione: ſed non de eo quod eſt in fœnebri pecunia & quod appellatione negotiatorum ſeu mercatorum non veniunt fœneratores, not. Jaſ. in *l. princip. in fi.* per illum text. *D. ſi certum pet.* text. *l. in eam. in princ.* & ibi Bart. *de inſt. act.*] Item ſequeretur quòd homines induſtrii & pecunioſi allicerentur ad ſolam hanc otioſam & odioſam fœneraticam, cæteris honeſtionibus, & hominum generi utilioribus artibus omiſſis profitendam: contra intentionem hujus legis, quæ ut homines ad eas neceſſarias artes alliceret, profeſſoribus earum permiſit beſſes, cæteris in ordinem ſemiſſium redactis. In contrarium, quia iſta lex non eſt permiſſoria vetitarum, ſed moderatoria conceſſarum uſurarum. Et ſatis liquet quod ante hanc legem licita eſſet negotiatio beſſalis fœnoris, prout negotiationem, nec opificium exercentibus licitum erat promiſcuè beſſes ſtipulari. Hæc autem lex non videtur negare fœneraticam (modò intra modum conceſſum) eſſe negotiationem licitam, nec vetat uſum beſſium, niſi officina & negotiatione licita carentibus: ergo manet vetus mos, quatenus per hanc legem expreſſum non mutatur. *l. præcipimus. C. de appell.* Secundò quia *l. jubemus. in princ. de erog. mil. annonæ lib.* 12. C. contractum fœneratorium vocat negotiationem. Tertiò eſt caſus in *novell. conſtitut.* 130. §. *ſi tamen. de uſuris nauticis* in duobus fœneratoribus, qui ex ſola fœneratica quæſtum faciebant, nec aliam artem exercebant, quibus quando non ſubeunt ſortis periculum, permittuntur beſſes: quandiu verò ſubeunt periculum, permittitur aliud majus lucrum, pro quadam conſuetudine maritima illius temporis, facit quòd ſimplicem argentariam exercentibus permittitur beſſis, etiam ex nudo pacto: imò etiam ſine pacto tacitè cautum intelligitur, ut in *novell.* 156. *de argent. contract.* Ad abſurdum reſponderur quod nuper diximus, quantitatem fœnoris ex qualitate creditoris metiendam. Quodque ut quiſque honeſtior, hoc minùs decet eum negotiari, *l. nobiliores. C. de commer. & mercat.* multò minùs præſertim pluris fœnerari.

59. Solvendo dico, primam & negativam partem eſſe veram, quod etiam hæc lex ſatis innuit per adducta pro hac prima parte. Non obſtat *dicta l. jubemus.*

quia non dicit esse justam negotiationem seu professionem. Nec obstat novella 130. quia fuit abrogata per Justinianum alia constitutione sub eodem *tit. de naut. usur.* quæ licet in vulgatis nostris authenticis, & in editione Haloandri sit ordine prior, videlicet sub *num.* 110. tamen ut rectè scribit dom. Ant. Augusti. *Emend. lib.* 2. ordo ille non debet attendi. Multa etiam ibi præposterè scripta deprehendisse se dicit: quin etiam alium pervetustum novellarum librum invenisse, ubi constitutio abrogata, quæ 130. existimatur, prior in ordine habetur sub *numero* 106. cui adscriptum est τοῦτο ἀνώτερον ἐστι. id est, hanc abrogat centesima decima. Et hodie ille ordo sine dicta ascriptione apparet in exemplari Græco August. edito anno 1558. Et meritò abrogata fuit, triplici ratione. Prima: quia multùm excedebat centesimam, cùm exigeretur octava pars sortis, etiamsi navigatio & pecuniæ detentio non excederet duos menses: quo casu exigebatur plusquam sextuplex centesima pro rata temporis. Et erravit in facto. Socin. *in l.* 3. §. *item si respublica. col.* 5. *ad Treb.* putans illam usuram fuisse annuam, & circiter ad centesimam reduci. Secunda ratio, quia illa usura erat valdè difformis communi usuræ, quæ solet esse menstrua, & semper sive menstrua, sive annua, pro rata temporis tantùm successivè decurrere, ut in præcedentibus satis. Et tamen secundùm illam formam non currebat successivè, nec pro rata temporis, sed semel pro una navigatione, sive binis mensibus, sive anno, sive tempore intermedio duraret, accedebat sorti una uniformis summa, videlicet octava, nunquam periculi pretium: quod primò erat abhorrens & difforme ab omni usura. Secundò, erat captiosum: quia tantundem exigebatur pro brevi, sicut pro longiori navigatione & periculo. Tertiò, erat iniquum, quia indifferenter exigebatur pro simplici periculo marino, raro & minùs frequenti. In casu autem præsentis & serii periculi imminentis, nolebant dicti fœneratores dare pecuniam sine periculo, & sic non poterat ea pactio vel consuetudo fundari, nec defendi per *l. periculi pretium, de nau. fœn.* ut *infrà q.* 3. novè dicemus. Tertia ratio, quoniam etiam circa besses excedebat *dictam legem eos*, per quam non permittuntur besses quibuslibet, sed dumtaxat justam aliquam negotiationem profitentibus & exercentibus, quod erat perexquisitum: sed illi fœneratores nullam aliam artem exercebant, quàm hanc fœneratitiam, quam solam vitæ subsidio habebant, ex hypotheli dictæ constitutionis. Igitur erant incapaces bessalium usurarum, quas tamen indifferenter stipulabantur citra ullum sortis periculum, prætextu consuetudinis maris & nauclerorum, quam per subreptionem ad nauclerorum simili morbo laborantium testificationem curarunt confirmari à Justiniano, tanquam jam laris legibus non repugnantem, ut patet indicta constitutione: quam licèt jam in provinciis promulgaram, idem Justinianus cognita veritate revocavit, & pro infecta haberi voluit. Non obstat *d. novella* 136. quia longè alia ratio in argentariis illis antiquis & similibus, quam in nudam fœneratitiam exercentibus. Argentarii enim (ut eleganter Budæus noster in *l. in nave. loca.*) non tantùm publico collybo, hoc est, permutandis pecunus præerant, sed majorem etiam negotiationem exercebant, & rationes conficiebant, ad quarum fidem recurrebatur. *l. prætor ait, cum l. seq. de edend.* Faciebant enim collegium approbatum, eorúmque officium & ministerium publicam causâ habebat. *l. argentarius in princ de edendo.* Illis in publico solebant in longum tempus idoneæ tabernæ locari: sicut hodie officinæ illæ quæ sunt intra & circa Palatium Regium hujus urbis. *l. qui tabern.* (quæ ita intelligitur.) *de cont. emp.* In illis speciale erat, ut ex nudo pacto deberentur bessæ: imò tacitè cautum intelligebatur. *d. novell.* 136.

Argentarii.

60. Secunda quæstio, an si justus mercator, qui ad rationem bessalis usuræ fœneravit, vendat vel cedat, nomen ipsum fœneratorium alii non negotianti, possit cessionarius besses usuras exigere? nec quæritur de reliquis præteritis ante cessionem, sed de futuris. Hæc quæstio, licet prima facie videatur hodie inutilis, tamen valde necessaria est, non solùm ad exactum intellectum legum; sed etiam multarum in praxi quotidianarum quæstionum decisionem, ut patebit in sequentibus, præsertim in *q.* 74. *n.* 520. Et primò videtur quòd sic ex regula generali. *l. qui in jus de reg. jur.* cum vulgat. Secundò, ex regula magis speciali, quia omne jus, omnis actio cedi potest. *l. nominis. in fin. C. de hered. vel act. vend.* Hoc autem casu, usura bessis est jus formatum, & jure actionis debetur, ergo cuivis cedi potest. Et inquit text. in *l. empt. de act. vel hered. vend.* quod beneficium vēditoris prodest emptori, seu cessionario. Tertiò, quia initium & origo obligationis attendi debet. *l. si procurat. in princ. mand. l. clam possidere. in princ. de acq. possess.* Et dispositio perfecta non vitiatur, licèt posteà deveniat ad casum, à quo incipere non potest. *l. plurib.* §. 1. *de verb. oblig.* & cessante causa, non cessat effectus rei perfectæ. Dyn. *c. factum legitime de reg. jur. in* 6. Sed hîc obligatio bessium ab initio valida fuit & perfecta: igitur non vitiatur, nec desinit, licèt fœnerator denegat negotiari, vel alii non negotianti cedat. Quartò, quia si debitor contraxit cum non negotiante, & semisses promisit; deinde creditor cedat mercatori, vel eum heredem relinquat, non tamen videntur deinceps currere posse ultra semisses, cùm non possit hæres vel cessionarius plus juris habere, quàm auctor suus *l. hæred. l. nemo plus juris, de reg. jur.* Igitur idem è converso: ut si mercator cui currunt besses, alii cedat, non desinat eadem usura currere: quoniam ex persona successoris non debet conditio obligationis immutari. *l.* 2. §. *ex his, de verb. oblig.* In contrarium videtur per text. in *l. cùm quidam.* §. *si debitor. de usur. in l. Titia.* §. *usur. de legat.* 2. *& quod trad. Bald in rub. ad fin. C. de usur.* Sed Bald ibi non benè colligit, nec cæteri controvertentes melius, ut tanto *infrà num.* 120.

61. Breviter concludo pro parte negativa, quòd etiamsi idem mercator qui besses stipulatus est, desinat negotiari, ipso jure desinunt currere besses & incipiunt semisses tantùm deberi pro tempore futuro. Idem si quoquo titulo cedat, ut heredē relinquat eum cui besses stipulari non licet, quoniam quòd justus negotiator vel argentarius besses stipulari possit, speciale est, & quoddam privilegium, ideò cessante persona vel causa privilegii, cessat privilegium. *l. privileg. de reg. jur.* & succedit prohibitio juris communis, ibi, *Cæteros autem homines dimidiam tantummodo. d. l. eos.* Dico tamen, quòd licèt argentarius non fuerit expressè pactus de usuris, & posteà cœpit simplicem nūmulariam collybisticam vel aliam justam negotiationem exercere, non desinunt etiam in futurum currere besses, quum sit capax bessium, quamvis videatur cessare privilegium dicti taciti pacti *novell.* 136. quia illud pactum tacitum habet vim expressi. *l. cùm quid. si cer. pet.* & alioquin deciperetur authoritate. *legis d. novellæ*, cujus cōfidentia non fuit expressè stipulatus, vel pactus, vel probationes non custodivit. Non obstant allegata in contrarium, quia procederent in jure firmiter acquisito, vel de jure communi quærendo, non autem in quærendo speciali privilegio. Usura autem futuri temporis non est acquisita, sed quærenda. *leg. Seia. de usur.* & sicut commensuratur tempori, ita mutationem & alterationem à tempore recipit, ut ibi probatur. Et est casus rectè inspiciendo in *l. ult. de fisc. usur. lib.* 10. *C.* ubi vetatur fiscus ultra semisses à debitoribus suis exigere indistinctè, sive principaliter ab initio cum eis contraxerit, sive cum alio contractum nomen quocunque modo ad fiscum devolutum sit. Pondero hoc ultimum ex quo sequitur quòd si debitor priùs cum mercatore privato contraxerit, & besses promiserit, si posteà quocunque modo incipiat esse debitor fisci, ex tunc ipso jure non currunt nisi semisses. Quanquam si un-

tio minores semissibus promiserit post devolutionem ad fiscum, non continuò, nec ipso jure currunt semisses, sed permittitur fisco eas deinceps stipulari, vel sortem exigere. Igitur si mercatori qui stipulatus erat besses, alius non negotians successerit, non currunt deinceps nisi semisses, etiamsi pupillus sit, qui non potest melioris conditionis esse, quàm fiscus. Quid ergo, si creditor stipulatus semisses incipiat mercari, vel mercatori cedat, an incipiant currere besses? Respondeo, non, quia ipso jure non currunt, sed ex stipulatione tantum. Ideò dicendum, quòd si debitor non potest cogi solvere sortem, quandiu usuras conventas pendet. *ut l. item quia. in fin de pact.* non poterit ullo modo cogi ad promittendum majores usuras. Item quandiu vel tacita dilatio solvendi durat, alioquin sive idem, sive novus creditor qui potest sortem exigere, potest compellere debitorem, quantas illi licitum est usuras deinceps promittere: non directè, nec præcisè, sed causative, si debitor dilationem & usum sortis redimere velit. Et ita debet intelligi. *d. §. si debitores. in leg. cum quidam de usur.* non quòd ipso jure fisco qui priori creditori successit, currant semisses, nec etiam data mora debitoris? sed solùm priores minores usuræ. Verum est quòd procurator fisci, qui potest sortem exigere, cogere potest debitores, ut deinceps se obligent ad semisses, si velint usum sortis redimere.

62. Nunc accipe tex. d. §. 1. cum Scholiis nostris principio. legis omitto; quia non spectat ad hunc tractatum; sed ad materiam præscriptionum temporis, de quibus dixi in *Consuet. Paris. tit. 4.* quò te remitto.

L. eos. §. usque ad finem legis.

SUper *a* usurarum verò quantitate etiam generalem sanctionem facere necessarium duximus, veterem duram & gravissimam earum molem ad mediocritatem deducentes. *b* Ideóque jubemus, illustribus *c* quidem personis, sive eas præcedentibus minimè licere ultra tertiam partem centesimæ usurarum nomine in quocunque *d* contractu vili vel maximo stipulari. Illos verò qui ergasteriis *e* præsunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, usque ad bessem centesimæ suam stipulationem moderari. In trajectitiis *f* autem contractibus, vel specierum *g* fœnori dationibus, usque ad centesimam tantummodo licere stipulari, nec eam excedere, licet veteribus legibus hoc erat concessum. Cæteros *h* autem omnes homines dimidiam tantummodo centesimæ usurarum nomine posse stipulari, & eam *i* quantitatem usurarum etiam in aliis omnibus *k* casibus nullo modò ampliari, in quibus citra stipulationem exigi usuræ solent: nec liceat judici memoratam augere *l* taxationem occasione consuetudinis in regione obtinentis. Si quis autem aliquid contra modum hujus fecerit constitutionis, nullam penitus de superfluo *m* habeat actionem; sed & si acceperit, in sortem hoc imputare compellitur, interdicta licentia creditoribus, ex pecuniis fœnori dandis aliquid detrahere *n* vel retinere siliquarum nomine, vel sportularum, vel alterius cujuscunque causæ gratiâ. Nam si quid hujusmodi factum fuerit, principale debitum ab initio ea quantitate minuetur: ut tam ipsa minuenda pars, quàm usuræ ejus exigi prohibeantur. Machinationes etiam creditorum, quia in hac lege prohibiti majores usuras stipulari, alios medios subjiciunt, quibus non ita interdictum est, resecantes, jubemus, si quid tale fuerit attentatum, ita usuras computari, ut necesse esset, tamque si ipse, qui alium interposuit, fuisset stipulatus. In quo casu Sacramento etiam illationem locum habere sanciamus.

SYNOPSIS.

1. *Summa hujus §. divisio.*
2. *Pecunia illa verè trajectitia, quæ creditori periculo agitatur.*
3. *Nemini ex liberalitate infliguntur usuræ.*

a Super.] Hic §. dividitur in duas partes principales. Prima taxat cursum usurarum. Secunda ibi, *si quis autem.* fraudes vetat & amputat. Rursus prima pars usque ad versic. *& eam quantitatem*, loquitur de usuris quæ ex stipulatione vel pacto tantùm debentur, & eas quadrifariàm taxat. Sed in versi. & eam. loquitur de usuris quæ citra pactum, putà, propter moram debentur, & has uniformiter ad semisses coërcet. At in versi. *nec liceat.* qui refertur ad omnia præcedentia, derogat consuetudini graviorem usuram permittenti.

b Ideóque.] Sequens quàdrifaria taxatio nullam exceptionem patitur.

c Illustribus.] Inferioribus tamen & particularibus personis: unde istud non censetur præfigi supremo Principi, licèt sit super omnes illustres, ut not. Alex. & alii *l. 1. in princ. de offic. ejus cui mandat. est jurisdict.* Sed fiscus in hoc uteretur media & communiori via, videlicet semissibus. *l. fi. in f. de fiscal. usur. lib.* 10.

d Quocunque.] Sive ex mutuo verò vel interpretativo, & quando conceditur usus vel dilatio solutionis pecuniæ largè sumptæ, seu quantitatis, vel rei fungibilis ex quacunque causa debitæ, sive in magna, sive in parva quantitate, sive per stipulationem, vel quodcunque pactum de usuris conveniat, nisi tamen aliunde quàm ex pacto efficaciter debeantur, ut latiùs suprà *num.* 36.

e Ergasteriis.] Id est, officinis: tabernarii sunt vel opifices, Græci vocant ἐργαστικοὶ. Non ergo sufficit aliquem esse operarium vel mercatoris administrum, seu factorem, ad hoc ut possit sibiipsi stipulari besses, ut sunt qui locant operas suas: sed oportet esse mercantiæ, vel officinæ, vel tabernæ Magistrum, vel professorem. Si quis tamen non sit talis solus, sed cum aliis quorum est socius, puto sufficere non solùm quando socianti (de quo non esset dubium) sed etiam sibiipsi privatim stipuletur, & extra causam societatis. Nec est necesse ad hunc textum quòd mercator fœneretur in causa suæ, vel cujuslibet mercaturæ; sed satis est mercatorem fœnerari, ut besses stipulari possit, dummodo justam & licitam negotiationem exerceat, &

quandiu exercet. Secùs si nudam fœneratitiam exerceat, vel postquàm alii non negotianti cessit, vel negotiari desiit, ut *suprà num.* 58.

f Trajectitiis.] Id est, simplici Grammatica, de his quæ flumen aut mare transvehuntur. Legaliter autem & secundùm usum commerciorum, quæ sunt præcipua materia legum, intelligitur de pecuniis vel mercibus, quæ creditoris periculo trans mare vehuntur. Unde legaliter propriè trajectitia pecunia dicitur, quandiu ipsa, vel merx inde comparata, periculo creditoris trans mare vehitur, quamprimùm autem desinit vehi, vel stare periculo creditoris, desinit esse trajectitia, nec ampliùs currere potest centesima *l.* 2. *de naut. fœn. l.* 1. *& ult. infrà tit. sequenti.*

g Specierum.] Puta frumenti, vini, salis, piperis, metalli, & omnium rerum fungibilium, vel mercium aliarum à numis, quæ in mutuum cadere possunt. Idem de his quæ per se propriè in mutuum cadere non possunt, si æstimata dentur, ut in *l. pro auro. sup. eod.* Et intellige, quando hoc vel eorum æstimatio fœneratur sub eadem qualitate pecuniæ trajectitiæ, videlicet ut navis creditoris periculo trajiciat, & quandiu hic trajicit, ut sic verè & propriè sit pecunia trajectitia, saltem largè sumpto verbo pecunia, & ita necessariò debere intelligi hunc text. probat tum alternativa vel argument. *leg. prim. de reb. dub.* tum ratio nautici fœneris, tum leges, digest. quæ non permittunt stipulari centesimam, nisi à suscipiente periculum maritimum: tum totius legis phrasis & intentio, quæ non est facta ad laxandum, sed magis ad restringendum veteres usuras. Verbum autem *specierum* (ut sæpè aliàs in jure) dicitur ad tollendam frivolam quorumdam dubitationem, & omnem occasionem cavificandi fœnus frumenti, vel alterius speciei, vel quantitatis, quàm pecuniæ strictè sumptæ, non subesse huic sanctioni, arg. *l. frumenti. l. oleo. sup. eod.* earúmque specierum prætextu hanc legem eludendi.

h Cæteros.] Etiam si sit collegium vel civitas, nisi esset collegium opificii, vel negotiationis licitæ, vel nisi fortè civitas ipsa vel collegium prophanum negotiationem exerceret secùs si quædam Ecclesia vel Collegium Ecclesiasticum, vel militum, vel nobiliorum, aut simile corpus eorum quibus interdictum est negotiari: consequitur enim non posse justos negotiatores censeri, & sic non potuerunt semisses excedere.

i Et eam.] Scilicet dimidiam centesimæ. Refertur enim ad proximam tantùm, non autem ad omnes quantitates præcedentes: quoniam diversa est ratio in usura legali, de qua tantùm loquitur hic versiculus, & in usurâ conventionali, de qua omnia præcedentia. Quia conventionalis, quæ non venit nisi ex provisione hominis, & est quædam negotiatio, vario modo pro qualitate creditoris taxanda fuit, secùs in legali, quæ venit ex natura casus subjecti, vel provisione legis, quæ pariter omnes respicit. Et alioquin sequeretur quòd etiam in bonæ fidei judiciis impunitior esset mora facta illustri, quàm privato, quod est absurdum; sed non est absurdum negotiandi occasionem magis illustribus adimi, quàm privatis. *l. nobiliores infrà de commer. & vectigal.*

k Omnibus.] Nisi in quibus lex specialiter de certa alia legali usura providet, ut de centesima in tribus casibus, videlicet in *l. tutor. qui repertorium. §. pecunia. §. idem scient. de adminis. tutor.* in *l. si ut proponis. infrà de ædific. privat. & l. ult. infrà de usur. rei jud.* quorum duo ultimi casus exoleverunt.

l Augere.] Sed benè minuere. Unde si consuetudo loci sit de minoribus, non licebit judici majores, licet non excedant semisses, adjudicare: argum. *l. tutor. qui repertorium. §. ex ceteris de admin. tutor.* Idem ubi lex specialiter providit de minoribus, *ut in l. ult. §. præterea infrà de jur. dot.* ubi speciale est in extraneo, qui liberaliter dotem promisit, ut currant trientes post biennium, aliàs nullæ currerent contra eum qui ex liberalitate sua convenitur *l. liberalitatis. de usur. infrà num.* 519. item *l. cùm quidam in fin. §. eod.* ubi casus est specialis de trientibus infrà semestre à termino legatas Reip. statuas ponendi à præside præfixo. *l. si legatum. in princ. de oper. publ.* Aliàs Reip. currunt eædem usuræ legales, quæ & privato secundùm jus commune, ut nuper dixi super verb. *cæteros.* Si ergo erat consuetudo ante hanc legem, quòd venditori post traditionem currerent besses usuræ pretii, illa consuetudo corrigitur per hanc legem, & solùm peti possunt semisses etiam post moram regularem, etiamsi venditor erat mercator, etiamsi probare velit, pluris sua interfuisse: quia satis est, etiam rigore juris, quod simplex mora operetur cursum usurarum communium, nec debitor ex inopinatò ultra æstimationem promiscui interusurii ita à jure taxatam teneri debet, nisi esset casus, in quo etiam de casuali interesse teneretur, de quo ad *tract. quod interest*, & *infrà q.* 74.

m Superfluo.] Et sic contractus usurarius excessivus non annullatur in totum, sed solùm pro rata excessus, & tunc ipso jure *l. solutum §. si in sortem. in fin. de pignor. actio.* Et si de facto ultra licitum receptum fuerit, cedit ipso jure in diminutionem sortis, & de residuo currunt usuræ permissæ. *l. pecul. l. plac. ff. eod.*

n Detrahere.] Et sic in mutuo fœneratitio vel alio contractu usurario non potest creditor expensas suas contractus, vel ejus occasione facere de sorte: sed tenetur facere de suo, nisi quatenus mitiorem legitima usuram stipulentur text. ling. in *l. nihil interest. in fin. de naut. fœn.* & id solùm est de sorte, quod liberè hoc est in jus & potestatem debitoris numeratur.

o Juramento.] Etiamsi debitor non deferat, cùm exigat juramentum per hunc textum, etiamsi non sint alia indicia fraudis. Faciunt quæ scripsi in Consuetud. Paris. §. 176.

Nunc excussis fundamentis, & lege capitali noviter expedita, libet reliquum materiæ tam juris quàm praxis per quæstiones ordinis gratiâ absolvere.

QUÆSTIO PRIMA.

SYNOPSIS.

1. *Vix esse, ut octavæ sortis pars ne ab agricolis quidem annua die fuerit exacta.*
2. *Eruitur Germanus intellectus non. 32. 33. & 34. expuncto spurcissimo mendo quod jam diu his incubabat.*
3. *Quid Justinianum impulerit, ut const. nondum cred. Agric. ediceret.*
4. *Dubitatum de fide novellarum.*
5. *Ceration, vel siliqua! nihil aliud, quàm vicesima quarta pars sortis.*
6. *Quod dicitur usuras in agricolis ad trientes esse reductas, de pactis usuris, non de legalibus exaudiendum.*

QUæro primò, Si prædicta vera sunt (ut sunt verissima) quî stare potest *auth. ad hæc. C. de usur.* & constitutio unde sumitur incip. *Rem duram. in auth. nullum credentem agricol. collat.* 4. Ubi in primo responso Justinianus volens speciali favore prosequi agricolas, & ultra præcedentium legum moder-

tiones communes eos præ ceteris ab usuris levare, concedit ab eis exigi annuatim octavam modij partem in singulos modios mutuatos usurarum nomine. Certè perdiu miratus sum, & initio suspicabar constitutionem esse supposititiam: sed suppositioni omnia exemplaria reclamant, tum Latina & vulgaria, in quibus etiam alia constitutio confirmatoria habetur, & extensiva ad milites, quæ errore præcedit, cùm sequi debeat, tum Græca, in quibus ter consecutivè habetur, constitutione 32. 33. & 34. ut suppositioni minimè locus esse possit. Quinetiam Interpres miperus Gregorius Haloander & Græcam exhibet, & Latinam, & hanc majusculis literis, quasi eadem constitutio ab initio bis & Græcè & Latinè à Justiniano edita fuerit. Quid quod idem habet exemplar Augustanum nuper anno 1558. Græcè editum. Tamen quo diutiùs cogitavi, eò certiùs inveni, nec verisimile, nec verum esse posse, Justinianum unquam permisisse à quibusvis, nedum ab agricolis, octavam sortis partem annuatim usurarum nomine exigi: quod multis concludentibus argumentis, tam ex dictis constitutionibus, quàm aliunde petitis necessariò convincitur. Primò, quia octava pars annua sortis excedit centesimam menstruo ceratio, sive una siliqua, quolibet mense, quæ est vicesima pars quarta solidi. Et quolibet anno excedit centesimam dimidiosolido, ut supra in *Abaco*. Sed certum est quod Justinianus nunquam permisit usuram graviorem centesima: & adhuc centesimam non permisit, nisi in trajectitiis: alioquin omninò vetuit tanquam improbum fœnus, *d. l. eos*. Igitur non permisit ab agricolis (quibus magis favere volebat) exigi centesimam: igitur multo minus permisit ab eis exigi graviorem centesima, qualis est illa octava pars annua. Secundò, etiam ante Justinianum centesima erat improbum fœnus extra trajectitiam, vt sup. *n.* 36. Igitur multo magis tempore Justiniani, qui omnium fuit maximus usurarum profligator & moderator, ut sup. *n.* 43. Igitur non potest stare, sed repugnat: quòd primus, imò solus Imperatorum statuerit vulgò centesimas, & multominùs quàm centesima graviores. Et si statuisset (quod tamen stare non potest) adhuc dici non posset quod statuerit exigi ab agricolis. Tertiò, celeberrima Nicena Synodus circa annum Domini 324. centesimas damnauit, etiam inter negociatores *c. quoniam multi* 47. *supra n.* 37. Cujus Synodi decreta Justinianus tanquam Sacram Scripturam amplexatur & approbat, ut in epistola *Inter claras C. de Sum. Trin.* & rursus in *nouell. const.* 131. *in prin.* Igitur fieri non potest, ut nedum centesimas, sed etiam graviores permiserit. Quartò, communes usuras à 12 semisses reduxit *d. l. eos* Igitur quî fieri potest ut eas plus duplo auxerit, idque agricolis, qui propter vitæ tenuitatem, & agrorum necessariam culturam maiori favore & misericordia digni sunt. Imò quî fieri potest ut dum speciali beneficio plus duplo quàm in cæteris communiter hominibus usuras restringere voluerit in agricolis, ut patet in dictis tribus constitutionibus, oppositum tamen ex diametro fecerit, videlicet eas non solùm duplo, sed etiam pro duplo augendo, idque specialiter contra pauperes agricolas. Certè hoc non fuisset eis dare speciale beneficium, sed speciale & inauditum excidium, non medelam (ut profitebatur) sed mortem inferre: Multúmque delipuisset Justinianus, nedum contra omnes & antiquas & novas leges, sed etiam contra morem suum & leges à se positas: quinetiam contra specialem intentionem suam in dictis constitutionibus de quibus agitur: etiam contra tenorem expressum & specificum earundem constitutionum, ubi vetat ab agricolis usurarum nomine exigi in anno ultra unum ceration, sive ultra unam siliquam singula numismata, sive in singulos nummos vel solidos.

Siliqua.

Ceration.

64. Ceration autem Græcè, siliqua Latinè, secundum omnes bonos authores & Græcos & Latinos est vicesima quarta pars unius nummi sive solidi, accipiendo solidum pro uno toto & integro instar assis consummato, ut Authores accipiunt secundùm Bud. in 5. assis & in *leg. quia vulgò de adilit. edict.* Robert. Sena. *de ponderibus & mensuris. tom. 7. in principio.* Igitur stare nequit, sed est prorsus repugnans & ἀδιανόητον, quod in alio responso vèl exemplo earumdem constitutionũ permiserit ab eisdem agricolis exigi fœnoris annui nomine plus in triplo, videlicet octavam partẽ sortis. Ex quibus liquidissimè probavi quod Justinianus nunquam sensit, nunquam statuit, nec permisit, id quod in dictis constitutionibus tam Græcè quàm Latinè vulgò scriptum habetur de octavâ parte modii, vel sortis annuatim usurarum nomine præstanda. Quid dicemus? necesse est enim dicere, aut codices esse mendosos, aut dictas tres constitutiones 32. 33. & 34. suppositicias & à novel. cum auth. *Ad hæc* C. eo expungendas. Sed mendosos esse codices reclamat omnium & Græcorum & Latinorũ, quæ extant, exemplarium concordia, & omnium & veterum & recentiorum sive Interpretum, sive Glossulariorum aut Commentatorũ consensus inveteratissimus, & adusque intemeratus. Contra verò dicere suppositicias & adulterinas esse, longè terrius & audacius mihi videtur flagitium. diù certè (quæ mea est non tam contratio, quàm Religio in rebus novandis, & præsertim circa textus ipsos Legum) propter novitatem & gravitatem rei judicium suspendi: utriusque interim linguæ rerumque antiquarum peritos consului, nec aliud invenire potui, nisi quod confirmarunt ceration seu siliquam in numeris & ponderibus esse vigesimam quartam partem solidi, ut dixi.

65. Tandem postquàm sæpiùs, maturè & penitissimè cogitavi, & rem omnem perpendi, dico quod dictæ constitutiones non sint suppositiciæ, sed veræ, salubres & dignæ Justiniano Principe, τῷ ἀληθεστάτῳ καὶ φιλανθρωποτάτῳ. Continent enim sanctionem saluberrimam æquitatis, & paternæ in pauperes subditos providentiæ plenam. Sed est unicum mendum, idque manifestarium in libris nostris, in uno verbulo ἐγδόῳ in Græcis, seu octavam vel octava in Latinis, Utque paucis promam quod sentio de vero τρόπῳ intellectu dictarum constitutionum: cùm Justinianus edita *lege*, *Eos*, communes usuras ad semisses reduxisset, multi fœneratores acerbi in Thracia circa Constantinopolim, ubi frequens est usus commerciorum, videntes sibi præreptam licentiam bessibus aut aliis usuris ultra semisses fœnerandi, ut avaritiam suam & solitam duritiem per obliquum exercerent, aliud machinamentum aptissimum, videlicet τὴν ἀνοχὴν excogitaverunt. Terras enim & prædia debitorum, præsertim pauperum agricolarum sibi pignoris hypothecæve nomine mancipabant, fructusque per manus suas vice usurarum percipiebant. Cúmque istud non modò esset multùm lucrosum creditoribus, qui hypothecæ incumbentes vacabant periculo, & efficiebantur velut usufructuarii: magis autem damnosum debitoribus, qui non solum usum, sed etiam usumfructum prædiorum fiorum amittebant. Verum adhuc magis opportunum erat fraudibus & circumventioni legum, propter incertum & subinde variabilem valorem fructuum, ut in *lege fi ea lege C. eodem.* idonea materies rapacitati fœneratorum, quibus proclive est, quanti plurimi sint fructus percipere, sed quammminimi acceptum ferre: non audentibus debitoribus veram rationem exigere, ne creditores irritent, & ab eis ad restitutionem sortis & usurarum, vel vilem hypothecarum distractionem importunè adigantur. Et sic conniventibus oculis, facile erat creditoribus per viam antichreseos legitimas usurarum metas per indirectum securè transgredi: Non enim puto, nec verisimile est, quod directò ausi fuissent transgredi vel centesimas, aut alias etiam dudùm veritas usuras stipulari, præsertim nuper lata

Mendum sublatum.

lege eos, & juxta regiam ipsam Constantinopolim, sub oculis Justiniani & Magistratuũ suorum. Unde non est stultè existimandum, quod quisque etiam mercator ausus fuisset stipulari ad rationem unus pro cẽ. in anno, sive annuatim duodecimam sortis partem: quia directè, licet modicè bessis excedit, & multò minus quòd quisquam ausus fuisset tempore dictatum constitutionum stipulari octavam sortis partem annuam, quæ etiam directè centesimam excedit. Nec propter improba fœnora satis veteribus legibus emolita lata est dicta novella, unde puto quòd tunc mercator non stipulabatur circiter ultra rationem decimæ tertiæ partis sortis in anno, & alius quam mercator circiter non ultra decimam septimam partem sortis in anno. Sed lata est novella, quia præter id quod communes illæ usuræ per *leg. eos.* concessæ nimis erant de se graves pauperibus agricolis, adhuc callidi & avari homines velamento antichreseos nedum metas legum excedebant, sed etiam pauperes agricolas prorsus enecabant, & dominium prædiorum brevi pro sorte & usuris sibiipsis vendicabant, utque legis transgressio minus appareret, non menstruum, sed annuum fœnus exercebant. Quæ mala & calamitates ut præcipuè in pauperes grassabantur: ita omnium maximè in agricolas, ut præ cæteris sterilitatis tempore, solent ad penuriam adigi, ita hoc tempus captare solebant homines avari οἱ πλεονέκται, & modicam frugum mensuram sub nouo annuo fœnore mutuantes, eorum terras sub colore antichreseos abstrahere. Hinc fiebat, ut agricolæ terris exuti semel omnem suum quæstũ vitæque subsidium & industriã, quæ in agris colendis & exercendis, gregibus fovendis, cæterisque operibus rusticis consistit, amitterent: & mutuatoria sorte consumpta, cùm nihil viatici, nec unde viaticum parari posset, supereſſet, alii fame, alii frigore necarentur, vel solum vertere cogerentur: Ita ut ea lues & contagio (teste Justiniano) non esset barbarica incursione inferior. Nec enim duriora passi fuissent à prædabundis hostibus, quàm hac pernicioſa arte, à malis & ingratis concivibus.

66. Quare Justinianus rei indignitate motus tantas intolerandas, non solùm agricolarum, sed etiam Reipublicæ quæ ab illis alitur, calamitates amoliturus, æquissimam & saluberrimam legem prudentissimè more suo sanxit, duo capita continentem. Primò annuum illud fœnus ad rationem unius in quatuor & viginti reduxit in agricolis. Secundò omnem antichresin sive mobilium, sive immobilium, ab illis accipi vetuit, pœnâ in utrumque caput constituta, amissionis sortis & usurarum, si quid à creditore contrà fieret. Et hanc legem, quo cunctis facilius innotesceret, & Græcè & Latinè promulgari jussit, ac rursus alia lege prædictam sanctionem, quæ Præsidi Thraciæ directa erat, etiam ad Illyricanas Provincias direxit, omnesque fœnerantes etiam milites ea sanctione teneri declaravit. Hic est verus & nativus sensus dictarum constitutionum à nobis emaculatus, & nativæ suæ puritati post plus sexcentis annis inveteratam depravationem à nobis restitutus. Quod si quis adhuc litiget, neque vim facere literæ tot sæculis concorditer receptæ, quæ uniformiter in omnibus exemplaribus se habet, in Græca quidem novella ὁ ἥμισυ τῆ τοῦ τόκου μοίρας ἐφ' ἑκάστῳ εἰς ἑκατὸν ἔτος. in Latina verò, Cum parte modũ octava in singulos modios in unoq; anno. Idem habet exemplar Græcum Huldrici Fulgeri Augustani duodecim annos editum post primam hujusce Tractatus editionem. Respondeo primò, me ullam vim facere veræ & nativæ literæ Novellarum, quam constat nunquam se habuisse. Jam enim quinque demonstrationibus docui, Justinianum nunquam permisisse octavam sortis partem annuatim usurarum nomine exigi. Nec etiam vim facio literæ vulgo receptæ: quia non propria authoritate ab ea discedo, sed necessitate manifestæ veritatis compulsus; quinetiam à litera ipsâ vulgò recepta in eadem constitutione impellor. Secundò dico quod liber ille in titulo Authenticorum vulgò circumfertur, à Latinis Glossulariis & Commentatoribus juris receptus, non est prototypus τῶν νεαρῶν, seu Novellarum, quas Justinianus commendat in *leg. unica ad fin. de emendat.* Codic. ubi Accursius etiam de corpore dubitat, an liber Authenticorum sint illæ Novellæ, & in *leg. penult. in fin. C. de hæret.* apertè sentit aliud esse.

Codex non vellarum.

67. Ego verò dico librum illum Novellas ipsas seu partem earum continere, & ab illis verè deſumptum esse; sed per quemdam & Græci idiotismi, & Latinitatis imperitum traductum esse, atque ideò multis mendis & depravationibus scatere. Patiter dico quòd Græcus ille Novellar. codex, quem Greg. Haloander Latinum fecit, adhuc minus est prototypus Novellarum, imò longius in multis recedit & discrepat à prototypo, non solùm in nativa litera, sed etiam in sententia, quàm præfatus liber Authenticorum, qui vulgi manibus teritur. Ipse enim ex multis deprehendi, Codicem illum Græcum, quem Haloander Latinum fecit, fuisse transcriptum ex libro privato cujusdam Græci scholastici, vel studiosi juris, qui in libro suo proprii usus gratiâ, multa super textu & in margine annotaverat, præcipuè circa ea, in quibus posteriores novellæ colligunt vel limitant priores, quæ omnia ut erant à privato homine in textu mutata & margini addita, successione temporis, dum libri ad vetustatem vergentes imperitorum operâ transcriberentur, desultaverunt in contextum ipsius literæ textualis quem Haloander eleganter certè & fideliter, hoc est, cum mendis suis & insciciis ad verbum transtulit: erat enim vir Græcè Latinéque doctissimus, sed in Iure non satis exercitatus: pleraque verò longo & assiduo studio illic deprehendens, opus esse vidi novo & analytico glossemate, quod cœpi. Sed ut plura alia quæ concepi, & jam dudum parturio, nondum (propter diutina hæc bella, & clades Reipub. quæ me ad stivam forensem invitum redegerunt) conficere potui: Recentior autem editio Augustana quamvis in quibusdam purior sit; tamen in multis manca est, nec est prototypus novellarum. Tertiò dico quòd non solùm conſtat, Justinianum non permisisse usuram annuam octavæ partis sortis, imò contrarium semper statuisse: sed etiam per ipsasmet constitutiones, de quibus agitur, constat, quòd vetuit exigi ab agricolis ultra tertiam partem octavæ partis, sive ultra vicesimam quartam partem sortis annuatim usurarum nomine. Sic enim littera Græca habet, ἥμισυ μοῖρα τόκου ἑκατοστὴ τὸ, ἐφ' ἑκάστῳ μηνιαῖον ἀναλόγως μερίζεται ἐν μοδίοις ἕως, id est, ad verbum. Si verò nummi mutuati sint, pro unoquoque nummo annua siliqua nomine usuræ: quod Haloander elegantius sic vertit: Si verò pecunia numerata sit in singulos solidos singulas annuas siliquas. Latina verò & vulgata litera sic habet; Sin autem pecunias dedit, nihil amplius quàm siliquam unam pro singulo solido annuam præstare.

68. At siliqua, quam Græci Ceration vocant, ut supra, num. 64. est vicesima quarta pars solidi. Alciat. in *l. frumenta. in verſic. ſiliqua de ver. ſignifi.* & in tract. *de ponderibus & menſur.* Anton. Augustin *Emendation. lib. 2. c. 9.* Nec absimile præfecti monetales & aurifices etiamnum vulgò caracton vocant vicesimam quartam auri puri, ut infrà *quæſtione finali.* In dictis enim constitutionibus ceration vel siliqua ponitur ad designandum vicesimam quartam partem puræ, meræ, & veræ sortis. Habemus itaque liquidatum utrumque extremum. Primum quòd Justinianus nunquam statuit usuram fructuum aridorum in agricolis esse octavam sortis partem in anno, ut satis probatum est. Secundum, quòd in mũmmis statuit vicesimã quartam sortis partem pro

summa

ſumma uſura annua ab agricolis exigenda. Igitur infertur tertium, videlicet quod eandem uſurarum proportionem intelligitur ſtatuiſſe in fructibus aridis, aut aliis quibuſcunque rebus quæ agricolis mutuantur: neceſſe eſt enim alteram deficientem vel obſcuram legis partem per aliam declarari, *leg. 1. de rebus dub. leg. utrum. De petit. heredit.* ſaltem quando eſt eadem ratio proportionis utriuſque, ut hic. Nec enim admittendum eſt ut quidam ineptè putant, Juſtinianum aliam rationem uſurarum ſtatuiſſe in fructibus ſive aridis, ſive liquidis, aliam in nummis: cum nulla ſit diverſitatis ratio, ſed omnino eadem ratio. Et ſive uſura conſiſtat in fructibus, ſive in nummis, non refert; ſed utrobique ad eundem legitimum modum ſemper reduci debet, *ut dicam infrà eo. quæſt.* 21. & eſt caſus rotundus in *l. cùm non frumentum. C. de uſur.* Cui legi Irnerius, aut quiſquis is fuit, ſubjecit auth. *Ad hæc*, è dictis jam depravatis novellis deſumptam, quaſi dictam legem corrigentem, & differentiam ſtatuentem inter uſuras fructuum & nummorum, & malè. Debebat autem ſubjici, *l. eos*, *aut l. pen. C. eod.* ubi cum fœnore antichreſis permittitur, verùm in agricolis diſtrictè & juſtiſſimè per novellas prohibetur.

69. Ex prædictis quinque ſingularia habes, quæ alibi nec in toto corpore juris, nec in novellis inveniuntur. Primum de fœnore annuo à jure introducto vel approbato in hac novella, licet omnes aliæ leges Romanæ non meminerint, niſi de menſtruo, videlicet de centeſima, & partibus ejus. Nec alicubi inveni fœnoris annui mentionem antiquiorem dicta conſtitutione, ut quis ſuſpicari poſſit, quoſdam fœneratores improbos poſt moderationem *d. leg. eos*; cœpiſſe non jam in menſes, ſed in annos fœnerari, ut hac forſan occaſione imperitis imponerent, & conſtitutas metas facilius excederent. Verùm ſive menſtrua, ſive annua, ſive alia quavis fœnerandi formula (in qua non eſt vis, ſed in ſola quantitate currentis uſuræ) non licet metas legibus præfixas excedere. Non obſtat, quòd fœnoris annui ſit etiam luculenta mentio & comprobatio in *novell.* 160. quia ibi non loquitur de fœnore propriè ſumpto, in quo ſors ſaltem poſt tempus congruum repeti poteſt cum uſuris, prout hic loquimur, & in dictis tribus novellis: ſed ibi loquitur de reditu pecuniâ conſtituto, in quo ſors eſt alienata, nec repeti poteſt per creditorem à debitore, licet debitor cum velit, & ſibi expedit, poſſit redimere, prout in vulgatis noſtris reditibus, unde licet ille contractus ſit quædam ſpecies fœnoris etiam negotiativi, *ut infrà q. 69. num.* 444. tamen propriè & ſtrictè non eſt uſura nec fœnus, ſed emptio reditus redimibilis, veræ & formalis uſuræ ſuccedanei, ut eſt caſus rotundus in dicta novella 160. de qua latius infrà, *quæſt.* 75. Cæterum uſuræ communes *per leg. eos*, reductæ ab beſſes vel ſemiſſes, noviſſimè per Juſtinianum agricolis eorum favore ad trientes uſuras reductæ ſunt. Trientes enim in viginti quinque annis ſortem æquant: hæ verò in viginti quatuor annis. Et intelligo de uſuris quæ pacto debentur ex mutuo, ut Conſtitutio loquitur: vel obligatione recidente in mutuum, quas negotiativas vocamus infrà *quæſt.* 69. Secus in his quæ ex diſpoſitione legis incidenter veniunt; unde ſi agricola emerit & acceperit fundum, vel etiam boves, & differat ſolvere pretium, tenebitur ad uſuras legales, quæ ſunt ſemiſſes, niſi conſuetudo regionis ſit de minoribus, *d. leg. eos.* 9. *eam quantitatem*: & eodem mòdo licebit de eiſdem in dicto vel ſimili caſu paciſci. ut ſuprà, *num.* 56. Et ſic hoc caſu ceſſabit in agricolis primum caput: non tamen ſecundum de vetita antichreſi. Tertium, antichreſin non poſſe accipi ab agricolis in contractu fœneratitio, quæ eſt ſingularis & optima limitatio dictæ *l. ſi ea lege.* Quartum, pœna amiſſionis ſortis & uſurarum in utrumque caput, quòd eſt ſpeciale hîc, cùm aliàs in jure (dempta infamia in fœnore improbo, non ſit ſpecialiter impoſita pœna fœneratori excedenti, ſed ſolùm exceſſus reſcindi ſoleat. Quintum, quòd hic modus uſuræ metitur ex perſona & qualitate debitoris; quod intelligendum eſt ad reſtringendum, non autem ad augendum ullo caſu. Unde illuſtri non licet agricolæ fœnerari ad hanc rationem unius annui in viginti quatuor: ſi tamen hoc fecerit, modò non exceſſerit, non incidet in pœnam Conſtitutionis ob tam modicum exceſſum, ſed fiet reductio ad rationem unius annui in vigintiquinque, ut non excedat trientales, *de leg. eo.* Ex hac nova diſcuſſione & interpretatione noſtra habes multa nedum ad intellectum juris, ſed etiam ad verum judicium & praxim in judicando & conſulendo utilia, de quibus tracto infrà *q.* 35. Et licet jura Digeſt. & Codicis permitterêt antichreſes in fœneratoris contractibus, *l. ſi ea pactione*, *l. ſi. ea lege C. eo.* non eſt defunctoriè accipiendum, ſed quando fiebat bona fide, ita quòd debitor non patiebatur aliud incommodum; ſed æqualiter tam debitori quàm creditori conſulebatur. Unde valde excedebant illi fœneratores, de quibus in dictis Conſtitutionibus. Ex his habes erroneam eſſe & ineptam vulgarem illam & famoſam authenticam incipientem: *Ad hæc*, quæ ab homine privato & indoctè perito inſerta eſt Codici Juſtinianæo, indeque eradendam & expungendam eſſe. Si cui tamen congruum videatur, veram & genuinam dictarum novellarum ſententiam loco dictæ ſpuriæ authenticæ reponi, deberet Codici inſeri immediatè poſt, *l. eos.* vel poſt *l. pen. eod. ti.* ut ſequitur.

IN NOVELL. NE QUIS MUTUUM DANS Agricolis terram, &c. Conſtitut. 32. 33. & 34.

NEMINI cujuſvis conditionis etiam militi fœnerari licet agricolis, ultra viceſimam quartam ſortis partem annuam, nec ob id terram, boves, aut aliud pignus ab eis accipere, & contrafaciens actione cadit.

QUÆSTIO SECUNDA.

SYNOPSIS.

1 *Iuriſconſultũ divini & humani peritum oportere.*
2 *Gratuita in pauperes miſericordia ſine pœnitentia, inanis.*
3 *Quales in proximum eſſe debeamus, deque charitate, ex divinis libris.*
4 *Nihil tam liberum quàm religio, & fides, & ideò ad illam non compellendi homines.*
5 *Vſuræ favorabiles in mutuatione pecuniæ.*

6 *Improbati Canoniſtæ, qui damnatis civilibus uſuris mutuaticiæ pecuniæ commodo pauperes defraudarunt.*

7 *In mutuo tacitum ſubeſt fruendi tempus, ſecus depoſitum eſt, aut in commodati naturam influit.*

8 *Improbum fœnus eſt quod modum ſuperat à lege, vel conſuetudine inductum.*

9 *Tranquillitati Reipublicæ neceſſarium valdè mutuationis officium.*

QUæro ſecundo An. *d. l. eos*, & Juſtinianea uſurarum moderatio ſervari potuerit inter Chriſtianos in foro conſcientiæ. Non eſt hæc ſupervacua, nec impertinens, ſed utilis, & neceſſaria quæſtio tametſi fortè ſcioli quidam cavillaturi ſint partim otioſam, partim alienam nempe Theologicæ profeſſionis. Sed hi ſimul inſcitiam & ignaviam ſuam produnt, quippe qui nec prima quidem profeſſionis noſtræ elementa teneant aut intelligant, in quibus Juriſprudentia, *divinarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia eſſe definitur. Inſtitut. de juſti. & jure in prin. & in l. 1. ff. eod.* Juriſconſulti munus eſſe, licitum ab illicito diſcernere. Non ignoro quoſdam verbum illud, *divinarum rerum notitia*, referre ad veterem Romanorum paganiſmum, & hujuſmodi prophanas religiones, δεισιδαιμονίας, ritus & ſacra ab hominibus inventa & conſtituta, quæ abominatur Deus, *Deut.* 12. 1. *ad Coloſſ.* 2. Sed illi toto cœlo errant, & nimis injurii ſunt in ſacras noſtras leges, & optimum & Chriſtianum Princip. Juſtinian. qui per eaſdem leges religiones paganicas, earumque ritus & ſacra damnat. *C. de paganorum ſacrifi. & templ. C. de Iudæis & calicol. per tot.* ſolamque veram Chriſtianam religionem in ſolo immutabili & vivifico verbo Dei fundatam complectitur, & ab ea Codicem ſuum orditur, *tit. de ſum. Trinit.* Neceſſe eſt igitur ea verba, *divinarum rerum*, de lege divina & eloquiis Dei intelligi. Et ipſe experientia didici ſine illis non poſſe leges noſtras rectè intelligi, nec ad verum ſcopum dirigi, & multo minus rectè practicari. Quid quòd ſapientia divina *Prover.* 8. clamat: *Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo, per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Quem in finem nominatim jubet Deus *Deuter.* 17. *in fin.* etiam Regem, omnémque Reip. rectorem, ut ex text. *Joſue* 1. exemplar divinæ legis ſecum habere, in eóque legere omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat in timore Dei legem ejus cuſtodire & facere, nec ad dextram vel ad ſiniſtram declinare. Quòd autem etiam regi, & cuicunque principi nominatim præcipitur, an putas à judicibus, & Juriſprudentiam in Rep. publicè profitentibus ſine ingenti flagitio negligi poſſe? Longè igitur majus quiddam eſt Juriſprudentem eſſe, quàm vulgò putant. Perperàm igitur Canoniſtæ, inter quos Petr. Anchar. in *diſputation. antiquis*, ſibi ſolis arrogant hujus quæſt. deciſionẽ, & ad ſeſe limitant Scholaſtici Theologi, inter quos Conrad. tractat. *de contract. quæſt.* 49. qui tamen ſibi parum conſtat, quia *quæſt.* 34. *col. pen.* fatetur, quòd ad jus civile ſpectat definire, An contractus ſit uſuratius, vel non: nec magis in his ignoratione rerum humanarum, quàm divinarum erratur, ut exemplum luculentum nuper dedit Alciat. *Parerg. lib.* 6. *c.* 20. ubi adverſus calumnias vulgarium Canoniſtarum & Theologaſtorum imperitum defendit Juſtinianum ex eo quòd ut illi impingit, ſæculi ſui ſapientiâ uſus eſt, & petius addit quòd illud evangelicum, *Mutuum dantes*, &c. veteres tempore quoque Juſtiniani interpretabantur conſilium ad perfectionem vitæ præſtitum, donec poſtea Gregorio nono & Clementi quinto pontificibus Romanis placuit illud ad præcepti neceſſitatem trahere. Et pariter contra omnes Theologos cenſet leges humanas de divortiis quas tanquam evangelio repugnantes rectè abrogatas, fatetur tamen rurſus à Papa reſtitui poſſe, & ſic licitas fieri, ſed hoc errore nihil exitialius: agit enim in fundamentum, & non ſolùm jus divinum facit mutabile, ſed etiam religionem Chriſtianam quam ab unico ſuo fundamento quod eſt verbum Dei *Matth.* 7. *in fin.* præter quod aliud poni nequit. 1. *Corint.* 3. derorquet ad arenam inſtabilem humanarum opinionum & traditionum. Hinc autem fieret ut ſubinde alia, atque alia tandémque prorſus, contraria, & plus quàm ethnica fieret. Purius locutus fuerat Alciat. apud Gallos legens Biturigibus *vult. l. C. de ſumma Trinit. in princ.* Sed poſteà Bononiæ agens ſub vicinia, & ditione Papæ ſermonem mutavit. Sed ad rem.

Sacræ ſcripturæ notitia Iuriſconſulto neceſſaria.

Error Alciati.

71. Primum excludendi ſunt caſus, in quibus proximorum charitas exigit liberale mutuum, donum, ſeu præſentem eleemoſynam, quæ eſt beneficentia miſeris propter Deum exhibita, à verbo ἐλεῶ, quod miſereri ſignificat: in quo pluribus diſſerũt, & diſtingunt. Thom. 2. 2. *q.* 32. & in 4. *ſenten. diſtin.* 15. *q.* 2. Richard. & omnes in 4. *ſenten. diſtin.* 15. Gabri. Biel in 4. *diſtin.* 16. *q.* 4. Clavaſi. Sylveſter. & cæteri Summiſtæ in verb. *Eleemoſyna* & expreſſim in Mutuo Conrad. de *contract. q.* 19. At brevia & ſimplicia ſunt verba Chriſti *Matth.* 5. τῷ αἰτοῦντί σε δίδου, καὶ τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανίσασθαι μὴ ἀποστραφῇς. *Petenti abs te dato, & capientem mutuum accipere, ne averſeris.* Et Lucæ 6. παντὶ δὲ τῷ αἰτοῦντί σε δίδου, id eſt. *Omni autem petenti abs te tribue.* Quo loco miror Eraſm. à communi receſſiſſe, & maluiſſe transferre, exigenti, quum verba ſint clara, & priore loco, in eodem verbo, & pariter in paraphraſi communem litteram ſecutus ſit. *Et Luc.* 11. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν, id eſt. Veruntamen ex his quæ adſunt, date, (vel aptius, datis, objectivè ſeu ironicè, ut ibi ſentit Eraſm. in annotat. & in paraphraſi Philip. Melanch. in Apolog.) *eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt.* [*Vobis.* Id eſt, vos malè putatis omnia peccata veſtra expiaſſe dando eleemoſynam, prius enim mundanda ſuper pœnitentia, & fide in Chriſtum unicam hoſtiam, deinde faciendi veri fructus pœnitentiæ, opera charitatis, vel vos malè utimini cibis per luxum, & pauperes negligendo: & perſuadetis vobis luxum veſtrum, & cibationem multâ lotione ut aſperſione aquæ veſtræ luſtralis mundari. Mer. c. 7. Imo cibamini ſobriè, pauperibus etiam conſulendo, & mundus erit uſus cibi ex divinis obligationibus proventi: & omnia quæ purificatis aqua [tom. 2. b. recto demum uſu, & non per ſuperſtitioſas lotiones veſtras munda ſunt: hic eſt verborum ſenſus, & planior priore. Dixi in annot. ad 4. *Evang. par.* 64. *unionis noſtræ L.* 11. 41.] Ubi magis miror. Eraſm. ſecutũ communem transferendo, quod ſupereſt, contra vim & ſignificationem apertam Græci verbi ἐνόντα, quod ſonat quæ licent, & ſunt in poteſtate noſtra, quaſi de rebus præſentibus, quæ nobis adſunt & ſuppetunt, vel preſſiùs ad verbum, inſunt; non autem de his duntaxat, quæ redundant, prout nonnulli malè accipiunt. Quibus in verbis non hoc vult Chriſtus, ut cuilibet, quavis ratione petenti demus, ſi forte ſcurra, decoctor, ἄσωτος, helluo ad inertiam & luxum fovendum petat. Hinc ait Auguſtin. Utilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligat: quàm eſurienti panis frangitur, ut injuſtitiæ ſeductus acquieſcat. *c. non omnis* 5. *quæſt.* 5. *c. minium*, 23. *quæſtion.* 4. Sed vult indigenti ſubveniri, etiamſi rependere nequeat, quemadmodum Luc. 6. ibi, & δανίσασθε μηδὲν ἀπελπίζοντες id eſt; Mutuum date, nihil inde ſperantes. Non vetat juſtam mutui repetitionem, etiam in judicio; ſed vult indigentibus, etiam qui ſolvendo non ſunt, & à quibus nihil ſperatur, dari, nóſque in omnes pro ſua cujuſque portione beneficos eſſe: non de his quæ ſuperſunt, vel redundant duntaxat, ſed etiam de his, quæ adſunt & ſuppetunt, non tamen, ut pulchrè tractat Paul. 2. *Corint.* 5. ut aliis relaxatio ſit, nobis autem anguſtia; ſed ut ex æquabilitate in præſenti tem-

In Eraſmum.

pore noſtra copia illorum ſuccurrat inopiæ : & è diverſo ut fiat æquabilitas.

Charitas non incipit à ſe.

72. Si enim vult Deus primum rationem haberi eorum, quos nobis cognatione carnis conjunxit, & maximè domeſticorum fidei, ut docet Paul. *Galat. ult. & 1. Timot. c. 5.* non exigit ut noſipſos in pari egeſtate poſtponamus, non tamen propterea dicendum, quòd charitas benè ordinata incipiat à ſeipſa, prout hactenus volunt Scholaſtici Theologi Canoniſtæ & Legiſtæ, & latiſſimè Ioan. Igne. in *l. 1 §. ſi ſibi manus, col. 1. 2. de Senatuſconſ. Silan.* Hoc enim eſt contra Paul. *1. Corint. c. 13.* dicentem, quòd non quærit quæ ſua ſunt. Incipit ergo à fide & amore Dei; & hinc dimanat in efficacem amorem omnium proximorum. Quantum autem & qualiter exequi debet: nulla certa perpetua regula comprehendi poteſt; ſed hoc ſatis docet lux illa, quam Deus in cordibus ſuorum accendit, & fovet, cujus bona eorum opera, velut radii quidam ſunt, quam etiam Ioan. *Epiſt. 1. cap. 2.* vocat χρίσμα id eſt unctionem. Poteſt tamen candidè & bono ſenſu illud accipi, quod charitas incipiat à ſeipſa, videlicet tanquam ab exemplo & comparatione noſtri, ut quemadmodum egentes volumus nobis ab aliis ſubveniri, ita aliis egentibus ultrò ſubveniamus, ut hoc vel ex animo noſtro in ſimili metiamur. [Ut pulchrè, & appoſitè inquit text. *Eccleſ. cap. 31. verſ. 16.* Intellige quæ ſunt proximi tui ex te ipſo.] Non igitur dicendum quòd incipiat à ſeipſa, tanquam à primo gradu operis ſic ordinato, ut voluerunt Sophiſtæ: ſed quod reſpectu proximi incipiat, id eſt, metiatur, perpendatur, æſtimetur à ſeipſa, ut non ſit alius ſenſus, quam qui habetur in illo divini & naturalis juris mandato. *Matth. 7. Luc. 6.* Prout vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis ſimiliter. Singuli igitur ex ſemetipſis ſic metiantur. Nemo ignorans non cupit doceri; nemo dum labitur peccato, non cupit ſecretò & amanter admoneri potius quàm traduci: nemo cùm egeat non vult ſibi ſubveniri, nemo vult obtrectari famæ ſuæ: nemo fraudari, aliorúmve petulantia, ſuperbia, ignavia, gravari: hanc legem naturaliter omnibus inditam eſſe velut librum in corde ſcriptum luculentiſſimè oſtendit Ethnicus ille Imperator Alexander Severus, qui (Authore Ælio Lampridio) clamabat ſæpius, & quoties aliquem caſtigaret per præconem dici jubebat. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quam ſententiam uſque adeò dilexit, ut in Palatio & in publicis operibus perſcribi juberet, quaſi præcipuam totius vitæ & politiæ normam. Ex hoc igitur communi ſenſu, qui nulli mortalium non eſt inditus, quiſque ſumat ſibi conſilium, qualis eſſe debeat ergà proximum ſuum. Quod ergo ſibi fieri nolit, ne faciat alteri: quòd ſibi fieri gaudet, præſtet in alterum. Hæc eſt ſumma omnium quæ docent lex & Prophetæ; quos aut ſi non vacat, aut ſi per inſcitiam literarum non poteſt quis evolvere, certè nemo non habet domi regulam (velut librum in corde ſcriptum) ad quam dirigat actus ſuos, modòrationi quàm cupiditatibus obtemperare malit. Hoc ergo demum módo charitas incipit à ſeipſo: hoc eſt à propriæ ægeſtatis non in alium, non curva, nec fucata, ſed candida & ſincera æſtimatione & menſura. [Quod autem dixit charitatem non quærere quæ ſua ſunt: reſpectu finis, vel fruitionis aut immodici affectus dictum eſt: Non enim charitas excludit amorem, & curam ſui, nec ſuorum, ut poſt Paulum, *ſuprà num. 71.* in fine. Et Chriſtus ait, qui ſibi nequam eſt, cui bonus? Sed ut dixi, aut non eſt virtus Theologica, ſeu Chriſtiana aut neceſſariò incipit à Deo: hinc deſcendit ad proximum, & pariter in nos ipſos. Ita tamen, ut ſcopus, vel terminus, à quo, & ad quem, ſit gloria Dei, à quo incipit, & ad quem ſingula referuntur. Ait enim Chriſtus ipſe *Matth. 22. Luc. 10* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: ſive ut Moyſes inquit, Hebraicè. *Deuter. 6.* Meodeca, id eſt, ex omnibus facultatibus tuis. Et proximum tuum ſicut teipſum. Ergo, ut pulchrè explicat *Auguſtin. libr. 7. de Doctrina Chriſtiana cap. 22.* Teipſum, non propter teipſum debes diligere, ſed propter Deum: nec aliter proximam, ſit ergo principium, & finis, & ſingulorum regula gloria Dei.]

Alexander Severus.

73. Sed jam nimium efferor. Redeundo ad quæſtion. dicendum quòd mutui largè ſumpto vocabulo, triplex eſt uſus. Primus per modum eleemoſynæ, ut quando fit indigenti, etiamſi nunquam reddere queat, & ſine ſpe reſtitutionis, niſi quatenus meliorem ſortem adeptus commodè reddere poterit. Secundus per modum ſimplicis officioſitatis temporariæ & gratuitæ, ut quando omnino ſperatur reddi, & ad hoc recipiens obligatur præcisè. Tertius per modum negotiationis, ut quando creditor non mutuat gratis, ſed de certo, quæſtu paciſcitur. Primus modus magis accedit dono quàm mutuo: non tamen eſt merum donum, ſi non detur abſolutè, ſed cum ſpe recipiendi, ſi contingat recipientem divitem fieri, & reddere poſſe. Interim tamen dans veram eleemoſynam facit, & Domico fœneratur. *Proverb. 19.* Secundus modus eſt verum mutuum propriè ſumptum, utpotè tria ſua ſubſtantialia habens ut *ſuprà num. 17.* Tertius modus non eſt proprie mutuum, cùm non ſit gratuitum, ſed eſt verum fœnus. Primum autem modum, & generaliter omnem gratuitam beneficentiam, vulgo putant non ſpectare ad materiam legiſlationis externæ, ſed conſcientiæ, & ad Eccleſiaſticos, quorum partes ſunt non modum certum præſcribere: ſed verbis adhortationis excitare populum ad charitatem & beneficentiam ſpontaneam & hilarem: quando nihil Deo placet, niſi quod ex lubenti proficiſcitur dilectione, juxta illud Auguſt. *& habetur 2 2. q. 5. cap. ad finem.* quòd leges humanæ benefacere non cogunt, licet malefacere prohibeant: nam benefacere (inquit) nemo poteſt, niſi elegerit, niſi amaverit. Et certè eleemoſina nullo jure actionis (ſcilicet poſitivæ & commentitiæ) deberur, nec ad hoc pauperes jure ordinario agere poſſunt, Jure Civili, vel Canonico, ſed benè ut vult gloſ. *cap. ſicut hi. verſi. eſurientium. 47. diſtinct. in c. Domino ſancto.* in verb. *neceſſitate. 50. diſtinct. in cap. exigunt. 1. q. 7.* ſuperiore addito, & extra ordinem (ut aïunt Juriſconſulti) judicis ad hoc implorando officium, quod miſericorditer impenditur, ut inquit gloſ. *in rubric. de interrogat. actio. ff.* & dicta gloſ. ſeq. *Specul. de inſtr. edi. §. nunc aliqua. num. 66.* Alberic. in *diction. ver. elemoſyna. canoniſtæ in cap. 1. de emption. & vend.* Panor. Io. de Ana. in *cap. 3. de fur.* Alex. in *l. 1. in princ. col. 19. de off. c. ejus cui manda. eſt juriſd. ct.* Feli. in *cap. ſi qui teſtium, ad fi. de teſtib. in cap. 1. de offic. jud.*

Mutui triplex uſus.

74. Verùm altius & penitiùs advertendum, quòd omnis bona actio ſpectans ad ſubventionem & conſervationem politiæ & œconomiæ, ſaltem in quantum externa, ſpectat etiam ad legiſlatorem externum. Alioquin primum illud juris civilis præceptum *honeſtè vivere*, eſſet vel otioſum vel impertinens quod nefas eſt dicere: vel ad certa crimina legibus damnata reſtringendum, & ſic eſſet ſuperfluum, propter ſequens præceptum, *alterum non lædere.* Quinetiam Ethnici ut Ariſt. in *lib. politicôn.* rectè cenſet magiſtratum politicum tenuiorum & pauperum curam habere debere. Et præceptum illud divinum, *Deuter. 15.* ibi. *Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos*, non ſolùm ſpectat ad ſingulos, ut quemcumque concernit: ſed præcipuè ad Reges ſeu Magiſtratus & πολιτικὸς quorum officium eſt non cauponatoria, ſed liberalis & ſinceræ æquitatis & juſtitiæ diſtributio, & omnium ſubditorum præcipuè pauperum protectio & ſubventio. Quòd ſi hodie non ſolùm hæc negligunt, ſed libidinibus & rapinis addicti multos ad extremam inopiam redigunt, tanto certè majores dabunt ruinas & pœnas, juxta illud: *Potentes potenter tormenta patien-*

tur. Sap. 6. Auguſtinus autem in loco prælegato, partim non loquitur de quibuſlibet humanis legibus, ſed de certis coercitivis, partim loquitur de bona actione interiori, vel quatenus eſt opus fidei, quod ſpectat ad Regnum Dei ſpirituale & internum, ad quod leges humanæ non pertingunt, licet ſubſervire debeant. Ut Greg. Mag. *lib.* 1 *Epiſt. cap.* 45. negat Judæos ad Baptiſmum cogendos; ſed frequenti prædicatione invitandos. Itaque poteſt, imò tenetur Princeps & Magiſtratus penuria, aut quavis calamitate afflictis, vel non petitus occurrere, & ad congruam eleemoſynam ſui quoque exemplo, à ſe incipiens cæteros exhortari; & ſi opus, ſit compellere. Cujuſmodi neceſſitatis debitæque elemoſynæ, & pie exhibitæ, habes in ſacris literis ſpecimen inſigne & exemplum memorabile, *Nehemiæ* 5. ubi dum plebs Judæorum recens à Babylonica captivitate reverſa, cuperet præ penuria & fame uſuris ſuccumbere, prædia oppignorare, corpora nexui & ſervituti ſubjicere, fidelis ille dux Nehemias advocata concione acriter increpavit optimates & Magiſtratus, quòd tributa exigerent à tenuioribus fratribus, juſſitque eis agros reddi, vineas, oliveta & domos ſuas ſine uſuris, hoc eſt ſine ullius acceſſionis gravamine reſtitui. Non enim hîc agitur de formali uſura, quæ execrabilis erat Hebræis, & multò minus de centeſima legali: ſed centeſima erat ibi tributum centeſimæ partis reddituum & bonorum, quòd Judæi pendere ſolebant pro ſtipendiis & ſumptibus rectorum ſuorum, quod Nehemias ob paupertatem populi vetuit. O piſſimum ducem & verè populi patrem, qui ſubditos ſuos redemerat, plurimiſque pecuniam & frumentum mutuaverat, quæ publicè remiſit, præter annonas ſive ſtipendia ducatus ſui, quæ non exegit; ſed propriis ſtipendiis militavit, & Remp. difficillimis temporibus dexterrimè curavit. At jam dudum hujuſmodi ducum ſtirps defecit. Habuit ea ætas reliquiarum captivitatis Babylonicæ in paupertate & ærumnis ſuis ſpecimen inſigne favoris & providentiæ Dei, quia ad reſtaurandam diſſipatam politiam Judaïcam duos fideles Miniſtros eodem tempore dedit Eſdram & Nehemiam, alterum Sacerdotem & Scribam doctum in lege Dei, ſoloque Dei verbo nixum templi & legalium inſtaurationem populique in lege Dei eruditionem graviter procurantem. Alterum μαγιστρατον ducem, ſolam populi & Reip. charitatem præ oculis habentem ad reædificationem & tuitionem diruræ Hieroſolymæ, populumque miſera paupertate & ſervitute liberandum, hoſteſque debellandos totis viribus, facultatibus & conſilio die noctequeque fœliciter incumbentem. [Neutro alterius functionem uſurpante, nec refrigerante, ſed mutuò cohortante, & juvante] Ea memorabilis Hiſtoria præ oculis habenda erit, quoties de collapſa politia reſtituenda conſtituendum erit. Ecquid aliud moratur, niſi peccata populi tantorum bonorum indigni? Sed ad rem ſpectat ergo eleemoſyna & gratuita beneficentia quando res poſtulat etiam ad jus civile & civilem Magiſtratum. Et quia hujus quæſtionis cardo non verſatur niſi circa tertium modum vel uſum mutui.

Princeps & magiſtratus debet curam pauperum gerere.

Nehemias.

Quomodo Reip. reſtituta.

75. Advertendum quòd Doctores Scholaſtici communiter tam Theologi, quàm Canoniſtæ & Legiſtæ (ut ex eorum ſcriptis apparet) imaginantur dupliciter uſuram ſeu acceſſionem verſari poſſe in mutuo. Primo propter officium ipſum mutuationis duntaxat. Et hoc loco caſu cenſent & definiunt uſuram eſſe, hocque modo loqui putant omnes leges civiles uſurarum quas damnant. Secundo modo propter moram in caſum meræ, vel citra moram in compenſationem veri vel probabilis intereſſe, propter carentiam pecuniæ mutuatæ. Et illud putant non eſſe uſuram, nec ſpectare ad leges uſurarias, quæ modum uſuris præfigunt. Sed ipſi tota via errant, cùm juris inſcitia, tum rerum inexperientia. Quis enim unquam propter mutuationis officium duntaxat uſuram ſtipulatus eſt? Et non in compenſationem vel damni incurrendi, vel utilitatis ceſſaturæ, vel participationem lucri quod facturus eſt debitor, ut *ſuprà num.* 10. Putáſne tot Juriſconſultos & τοποθέτας Juris Civilis in hoc ſolum laboraſſe, ut meram præfigerent uſuris, quæ propter ipſum mutuationis officium exhibitum duntaxat ſtipularentur: & non potius, imò duntaxat his quæ in compenſationem ejus quod creditoris intereſt, vel quoad ſors reddatur, intereſſe poterit, ſtipulantur? Iſtud verò cùm ſenſus communis, tum rerum experientia, ipſa quoque legum omnium id genus ſeries clamat. Primus igitur ille modus, ſive intellectus merè phantaſticus eſt, velut ſomnium & deliramentum rejeciendus. Relinquitur ergo ſecundùm opinionem omnium & Theologorum & Juriſtarum, quòd leges juris noſtri Civilis uſuturiæ, non ſunt uſuriæ: quum non ſint officii (ſed interuſurii compenſatoriæ. Unde quia modus, *l. eos*, non eſt modus uſurarum, ſed interuſurii, eritlicitus, etiam in foro conſcientiæ ſecundùm eorumdem traditionem. Et generaliter ſequitur, quòd Juriſconſulti & Juſtinianus nunquam ſtatuerunt, nec approbaverunt veras & meras uſuras, ſed moderatam & æquabilem interuſurii, ſeu promiſcui intereſſe compenſationem, in commerciis & civili vita neceſſariam. Ad hoc enim duntaxat omnes leges uſurarias collimaſſe conſtat, non autem ad compenſandum ſeu vendendum ſolum ipſum officium mutuationis: ſed nec cogitaſſe quidem unquam de ipſo officio compenſando, quod ſatis innuit text. in *l. illud de adil. edict.* ibi.. *Et an uſuras pretii conſequatur, quaſi quod ſua interſit accipere*, in *l. ſocium qui. in prin. pro ſocio*, ibi, *non quaſi uſuras, ſed quòd ſocii interſit meam eum non adhibuiſſe. l. in inſulam. §. uſuras. ſolu. matri. l. nec enim in fi. de pign. action. l. purè. de doli except. l. ſi quis pro uxor. §. ſi uxor. de donat. inter vir. & uxor.* ergo mira ἀντίφασις ſecundum ſententiam omnium, contra opinionem omnium ſoluta eſt quæſtio. Si dicas quòd ſolus Philip. Melancht. noviſſimè definivit uſuram eſſe lucrum tantùm propter officium mutuationis, alios verò aliter variè definiviſſe; reſponſio in promptu eſt, quòd & ſi antiquiores tam Theologi quàm Juriſtæ politioris linguæ penuria non ſint uti illis verbis, officium mutuationis, tamen illud ipſum omnino ſenſerunt, ut eorũ ſcripta indicant. Philip. Melanct. autem hoc ſuo elegãti & lepido ſermone, nihil prorſus addidit nec detraxit: ſed duntaxat & ſignificantiùs & elegantiùs & dexteriùs eorum mentem complexus eſt, ut *ſuprà num.* 6. Fateor mentem omnium eſſe, quòd niſi ſubſit verum & juſtum intereſſe, non ſubeſt alia cauſa acceſſionis, quàm propter officium mutuationis, & ſic eſt uſura, & eſſe præſumitur, niſi quatenùs de vero & juſto intereſſe proberur. Sed ego dico primò, quòd per hoc non impugnatur, ſed magis juſtificatur jus civile quòd nunquam ad nudum officium mutui vel dilationis reſpexerit: ſed ſolùm ad æquabilem veri interuſurii compenſationem in communi. Unde licet aliqui (quorum re vera nullo modo intereſt) abutantur, id non eſt legis, ſed hominis vitium. Dico ſecundò, quòd rerum experientia ſemper docuit & docet, quòd rarum eſt nullo modo intereſſe: frequens autem & ſolitum eſt quòd interſit creditorum, ob notabilem dilationem mutui, vel quantitatis debitæ. Igitur ſi ratio & compenſatio hujus intereſſe in conſcientia admittitur ſecundùm omnes, neceſſe eſt leges civiles omni noxa & impietate eximere, quæ tantùm ad id quod communiter & promiſcuè intereſſe ſolet, non ampliandum, ſed quàm fieri commodè poterat, reſtringendum rendunt (præſertim cùm adaptari debeant ad ea quæ crebrò & communiter, non autem quæ rarò accidunt. *l. nam ad ea. de leg.* Tertiò plus dico, quòd taxatio Juris Civilis, magis ad commodum debitorum facta eſt, ut parabilis & commodus eſſet eis uſus æris alieni, quàm ad commodum creditorum: hujuſque parabilitatis in

Leges nunquam approbaverũt meras uſuras.

Vulgaris doctorum error.

communi statuendæ rationem magis habuerunt leges, quàm promiscui creditorum interesse compensandi. Quarto, quod ut propter necessitatem commerciorum necessarius fuit usus nummi: ita (licet non æquè frequenter) necessarius est usus aris alieni, consequenter necessaria aliqua æquabilis dicti usus compensatio, ut quàm commodè queat, haberi possit. Hæc autem compensatio cùm sit pro usu æris alieni, nihil aliud est quàm vera & propria usura, ex etymo verbi & nativa significatione, ut patet in toto jure, & apud omnes bonarum literarum Authores. Non tamen hæc scribo quòd omnino probem formulam antiquam fœnoris legalis, & taxationem, *l. eos*, & multò minùs quòd in usum reduci cupiam, aut suadeam, quippe qui censeam etiam dictam taxationem, & exactam illam moderationem Justiniani, de qua *supra num.* 43. nimis esse vagam & minus commodam, ut *infrà. q. 69. in fi. q. 75.* sed ut fundamenta materiæ sensim aperiendo simul & jus nostrum civile in hac parte quam tractamus, ab omni nequitia & impietate vindicemus, qua plus sexcentis annis à rerum & verborum imperitis Sophisticis immeritò suggillatum fuit.

Æqualitate proportionis conservatur civitas.

76. Ut autem pulchrè differit Arist. *lib. 5. ethicôn Nicomachéion*, Æqualitate conservatur civitas, æqualitate inquam, non quantitatis, sed proportionis, & ut ipse ait *κατ' ἀναλογίαν, καὶ μὴ κατ' ἰσότητα, τῷ ἀναλόγῳ γὰρ ἀνάλογον συμβάινει ἡ πόλις.* Debent ergo Legislator tanquam communis Reipublicæ parens, non solùm crimina prohibere, sed etiam in commerciis iniqua lucra & damna arcere. *l. illicitas in princ. de offic. præsid.* & in his ita moderari rationem contractuum, ut primùm æquabile, deinde parabile sit commercium omnium quæ usibus hominum vel civium necessaria sunt. Cùm autem inter alia, propter crebras & varias hominum necessitates, necessarius sit usus æris alieni, necesse est modum aliquem æquabilem constitui, quo nec credentes, nec creditum accipientes damnificentur; sed utriusque, præsertim debitoribus, tanquam parti debiliori commodè consulatur: hoc autem suo tempore rectè mihi præstitisse videtur Justinianus: Cùm enim nondum communiter receptus esset alius modus quàm formalis fœnoris, quod ubique invaluerat, nec repentè mutuari suppetebat, nec expediebat, necdum increbuerat abusus insidiandi fortunis debitorum, id quod bonus & prudens Legislator potuit & debuit, executus est, prædictâ sua moderatione, *suprà num.* 43. Et contendo ob id reprehendi non posse, quod non solùm permisit, sed etiam authoravit usuras ita moderatas. Etiamsi aptius quoddam, imò ob increbescentem hominum malitiam magis necessarium, receperit posteritas, ut *infrà q. 69. q. 75.* Quoniam secundùm communem rerum humanarum cursum, qui in legibus condendis debet attendi, certum est creditores ex credito vel dilatione pecuniæ debitæ sæpius damnificari, non semel tantùm ratione moræ debitoris, & fidei non servatæ, sed etiam successivè pro rata temporis. Contra verò debitores locupletari, magnumque interim lucrum facere vel damnum evitare, ut quandoque minime eis onerosum, sed valdè lucrosum sit, modicas usuras creditori pendere, donec re sua gesta sortem reddant. Omnino vero damnosum hoc subsidio privari, & sic vel commodis suis in opportunitate deesse, vel necessitari importunæ succumbere, & avita fortè prædia iniquis conditionibus (ut fit in peristasi quæ moram non patitur) distrahere. Justa igitur fuit moderatio civilis usurarum, non solùm in quantum permissoria: sed etiam in quantum dispositiva: nec minus necessaria quàm utilis, creditoribus quidem, ne teneantur probare quantum ratione moræ vel dilationis interfit. Sed multo magis debitoribus, qui modicis his usuris majoris compendii occasionem redimunt, omnique alio fœneratorio gravamine interim defunguntur, etiamsi constet creditoris pluris interesse. Quòd si quis causetur dictas leges saltem eo casu injustas fuisse, quo constaret creditoris pecuniam otiosam habentis nullo modo interfuisse. Respondeo primò, hoc esse rarissimum, & sic dictas leges non esse factas propter hunc casum, sed propter id quod frequenter accidit, *l. nam ob eas de legib.* ideo semper essent justæ in se, licet aliquis (quod hominis vitium est, non legis) eis abuteretur. Quemadmodum justæ sunt leges actionum & judiciorũ, etiamsi multi: imò major pars litigantium in hoc regno (quæ præcipuè despotum culpa est, Eunomiam nostram de qua in *Epist. in lib. 2. consiliorum Alexand.* & in *fi. hujus tractatus repetita pral.* latè disseruimus contemnentium) illis abutantur. Respondeo secundò casum illum non esse possibilem, nec admissibilem, quia creditor quantumvis alioquin habens pecuniam otiosam, nisi confidisset de negotiatione usuræ legitimæ potuisset utilius negotiari. Et sic justè latæ fuerunt dictæ leges promiscuè in commun, sine exceptione casus quo creditoris habentis pecuniam prorsus otiosam, nullo modo interfit. Et hoc propter bonum publicum, & quotidianam necessitatem commerciorum & mutuationum quæ notabiliter impedirentur, si alicujus interesse probatio exigeretur à fœnerantibus, sub præfata moderatione: vel si audiretur debitor caussificans & probare offerens nullo modo interim creditoris interfuisse.

Necessitas usus æris alieni.

77. Nec abs re inquit Bal. in *l. cunctos, col. 3. C. de fum. Trin.* in *c. 1. col. 1. de jure jur.* & in *cons. 453. lib. 1.* secundum veterem impressionem, quòd expedit multos invenire fœneratores, alioquin multi fame perirent. Et hoc semper docuit & docet rerum experientia, contra quam frustra verborum argutiolis nititur Conrad. de *contract. q. 48.* Comprobat Alciat. in *l. usura in fin. de verb. signif.* dicens quòd publicè interesset, etiam inter Christianos, civilem *l. eos*, observari: nam propter canonum prohibitionem, inquit, non nisi pessimus quisque, & impudentissimus fœnerator. Et (ut ob simile absurdum invehitur Justinian. in leges punientes secundas nuptias in *Novell. ne mulier. quæ secund. nup. iteranf. constit. 2. §. cum igitur.*) quia per novos canones (malè, ut *infrà q. 74.* positos, & pejus ad nos usque intellectos) non licet legaliter, & apertè moderatè fœnerari: ideireo ejus quod interest vel cambii nomine, aut alio ficto, & accersito titulo, contra leges & antiquos canones, immoderatissimè fœnerantur: imò deprædantur & deglubunt pauperes, subita quavis necessitate perculsos, eò quòd palàm, & à probis & humanioribus viris fœnerari non liceat. Usque adeo hominum vulgus præposteris intemperiis agitur, aut pinia superstitione à medio justóque civili deterretur: aut posito omni Dei timore, proximique amore, quà fraude, quáve injuria, inexplebili avaritiæ sine modo indulget.

Imperii Ecclesiastici.

78. Culpa certè Pontificum & Sacerdotum, quorum partes erant docere & instituere populum: hósque meritò in jus vocat Alcia. *in d. l. usura. in fi.* quòd usque adeo de parvis solliciti graviora exigentes non coërcent, ut adjuvent potius colludendo, pecuniasque suas clam in communionem lucri credendo. Vide quid effecerint imperiti illi Canonistæ, & ad eorum stomachum ficti theologastri, & titulo tenus Ecclesiastici, dum quamlibet etiam levissimam usuram mortalis noxæ damnaverunt, legibus etiam civilibus palàm à suggesto tetricè conviciantes. In tanta enim hominum multitudine, & crebris quotidianarum egestatum incursibus, pauperes & adversa clade afflictos (quorum gratiâ sancitæ erant dictæ leges) omni legum & probonum hominum auxilio semel spoliaverunt, & crudelissimis latronibus qui cum prædam dividerent, prodiderunt. Siquidem divites & probi mercatores legalibus alioquin & modicis usuris grataanter subventuri novis (ut vulgò eos detorquent) canonibus vetiti, & præpostero religionis metu perculsi, prorsus mutuum & subventionem proximi denegant, contra illud

pulchrum præceptum. *Deuter.* 15. *Si unus de fratribus tuis, qui moratur intra portas civitatis tuæ in terra, quam Dominus Deus tuus datturus est tibi, ad paupertatem devenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum; sed aperies eam fratri pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Non ages quippiam callidè in eius necessitatibus sublevandis. Et Eccles.* 29. *Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.* Et multo fortius contra illud Matth. 5. *Volenti à te mutuari, ne avertaris.* Et sic etiam modica pecunia ad tempus indigentes, coguntur, hereditia avita vili & perpetuo vendere, aut cum pessimis hominibus damnosam vorsuram ex vorsura facere. Hinc damna & fraudes, & ex his mendacia, calliditates & dolositates, & mutuæ deceptiones innumeræ, quas discunt & assuescunt homines. Quo fit ut cùm maximè post flagitiosè exfibilatam dict. sanctã *l. eos*, rarissimi fuerint & sint qui velint & possint gratis mutuari, pauciores in dies inveniantur, increbescente scilicet & in dies irritata hominum malitia, & infidelitate, quæ etiam facit ut quandoque non imputetur deneganti mutuum, qui sine causa fraudari timet, ut *Eccles.* 29. *vers.* 10. *Multi non causa nequitiæ &c.* Et ut habet Tigurina editio. *Multi non per malitiam se avertunt ab homine, sed immeritò defraudare metuunt.* Quid plura? Num aliam artem, necessitate hominum loco mutuatitiæ usuræ, inventam, videlicet emptionem reditiuum etiam pretio consueto, & constitutionibus taxato, cavillari ausi sunt homines superstitiosuli, & usurariæ pravitatis, etiam contra Pontificum decreta insimulare, ut alioquin credituri, etiam ab hac subventionis via revocentur: utque simul è diverso debitores satis vulgò ad fallendum proclives, nedum ab agnoscenda bona fide retrahantur, sed etiam ad injuriam & ingratitudinem invitentur, & velut classico impellantur, utpote nedum ad denegandum debitum, sed etiam ad exprobandum contumeliosè crimen usurarium propitio creditori?

79. Contra illud Eccles. 29. *Mutua proximo tuo, cùm indiguerit: & tu quoque debitor, redde tempore constituto. Serva promissum, neque agas dolo cum eo, & invenies omni tempore qui subveniant tibi.* Et in summa, superstitio illa non modò sanctis legibus contumelios est: sed etiam hominibus infesta, eorúmque societati inimica, tenditque ad inducendum & fovendum scandala illa omnia infidelium debitorum, quæ *Eccles.* 29. graphicè describuntur, & seriò damnantur. *Multi* (inquit) *quasi inventionem* (id est quasi rem nullius seu casu inventam quæ occupatione fit accipientis) *æstimaverunt fœnus & præstiterunt molestiam his qui se adjuverunt, donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam. Et in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tarditatis, & murmurationum, & tempus causabitur. Si autem potuerit reddere, adversabitur. Solidi vix reddet dimidium, & computabit illud quasi inventionem. Sin autem fraudabit illum pecunia sua, & possidebit illum inimicum gratis, & convitia, & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam. Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.* Hactenus verba Ecclesiastica recitavi. Reliqua vide ibi eo. c. ne totum transscribam ubi postquam infidelitatem debitorũ castigavit, jussitq; debita etiam fœneratitia quæ tamen modũ & civilem æquabilitatem non excedũt, bona fide solvi: vicissim jubet creditores benigne agere erga debitores, pauperum misereri, nec propter eorũ inopiam denegare mutuum.

80. Non tamen interim ignoro librum nobilis illius Hierosolymitæ Jesu filii Syrach, qui Ecclesiasticus dicitur, inter apocrypha ab Hebræis reponi, ut per Hieron. in prologo galeato. Sed utcunque apud Hebræos canonicus non sit, verè tamen Ecclesiasticus est, & Sanctis omnibus in usu semper fuit, pro certitudine doctrinæ, & morum Ecclesiasticorum perfectione, quare & alio nomine dictus παναρετος, quasi virtutum omnium capax. Est enim vera & sacra Christianorum Ethica, circiter 250. anno ante Christum natum scripta. Et in summa totum illud 29. cap. mihi videtur sincerum glossema, & expressa declaratio mentis verborum Christi, quæ habentur *Matth.* 5. *l. Luc.* 6. *cap.* Nihil enim jucundius, nil tutius, nil (ut pressius Græce dicam) ἀσφαλεστερον, quàm locum unum Sacræ Scripturæ per alium, vel pauca per plura ejusdem Scripturæ quasi eodem Spiritus Sancti Magisterio interpretari. [Ut etiam docet Hilarius in *lib. de Trinit.* & super *Psalm.* 34. Augustin. de *doct. Christ. lib.* 2. *cap.* 9. *in fi.* & transscripsit Gratianus in *cap. relatum* 37. *dist.* non autem extraneas, & ethnicas sententias admiscendo ut *summulæ* scripsit Scot. in 3. *sent. dist.* 24.] Paulo prolixior fui, sed impulit me propugnatio veritatis adversus ineptum & *supra.* 600. annos inveteratum errorem. Concludo ergo quòd non in casibus eleemosynæ, de quibus *supra*, sed in usu civilium commerciorum, etiam à Christianis servari posset *d. l. eos*, nisi exoleviisset, commodiore & honestiore alia fœnoris forma (videlicet par abalienationem sortis) inventa & subrogata, qua pariter uti non licet in prædictis casibus eleemosynæ, vel officii debiti, aliàs sic dummodo etiam absit circumventio proximi, hoc est cessante fraude, quæ sit, vel quando creditor hoc prætextu venatur debitorem, & ejus bona, videlicet insidiando & captando occasionem, ut magno debitoris incommodo urgeat, ejusque bona diripiat: vel quando non fœneratur indigenti, ex honesta & utili causa; sed luxurioso & profusuro, quem mox decocturum deglubat: ut Macedo, qui pessimo exemplo filiisfamilias in malos usus, atque adeo incertis nominibus, id est causis saltem veris non expressis fœnerabat, locumque fecit Macedemoniano *S. C. l.* 1. *ad Maced.* quod primum Athenis veteri lege sancitum à Solone refert Alex. ab Alex. Gen. dier. *l.* 1. *cap.* 7.

81. Has & similes fraudes persequi debent prudentes Ecclesiastic, & docere ne quicquam vel justis legibus jà peccato excusarum iri qui eis injustè utitur contra charitatem proximo debitam, & à Deo præceptam. Suadere etiam debuerunt, non nisi gratuita mutua fieri verè indigentibus, etiam cum damno sortis, si vires creditoris ferant, & justa necessitas debitoris postulet. Simul & debitores admonere, ne ingrati & fraudatores creditorum existant, pigros etiam illos & ignavos ventres increpare, qui per desidiam & luxuriam malunt aliena quadra victitare, & usuris subjici, quàm honesto labore, vel manibus victũ quærere, quos meritò integro libello persequitur Plut. Charoneus, ὅτι τὸ μὴ δεῖν δανείζειν, id est, quòd non oporteat fœnerari, scilicet passive. Illic enim Plutar. non in creditores, sed in ignavos subjicientes se in perniciem suam usuris, invehitur. Non autem debuerunt legibus conviciari, nec mortalem imputare noxam, moderatas illas usuras exigentibus, etiamsi alioquin divites sunt, & pecunia erat otiosa. Quippe nunquam futura sit otiosa volenti negotiari vel emere prædia, quas occasiones, & alias utilitates etiam usura legali potiores amittit mutuans.

82. Nec dicas prædicta tantum procedere in emptione reditus, ubi pecunia prorsus abalienatur, nec repeti potest: non autem in mutuo fœneratico, ubi creditor habet actionem efficacem ad repetendum sortem cum usuris pro rata decursi temporis, *l. lecta. si cert. pet.* & maximè si mutuum sit tutò collocatum, & sic creditor certus est de lucro, citrà sortis periculum, quia de jure etiam in mutuo gratuito, quantumcunque debitor purè obligetur, tamen tacitè inest cõgruum spatium ex qualitate personarum, & negotii quod debitori uti liceat, adjuvari. Quippe nos non decipi beneficio oportet, ut de commodato (quod & gratuitum est) dicitur in *l. incõmodato. §. cum autem §. idemque commodat.* In tantum quòd si quandocunque & incontinenti liceret repetere, jam non esset mutuum, vel commodatum, sed depositum. *l.* 2. *§.* 1. *deposit. infrà qu.* 83.

Ecclesiasticus dictus panaretos.

Fida interpretatio Scripturæ.

Conclusio.

S.C. Macedonianum.

Plutarchus.

Mutuo inest fruendi tempus.

nec creditor impartiret, sed potius acciperet beneficium. Licet igitur in venditione, aut aliis similibus contractibus, in quibus noluimus concedere, sed accipere pecuniam, non insit tacitè illa dilatio, tamen ineſt mutuo, in quo id agitur, ut creditor officiosè det usum pecuniæ mutuatæ. Et ita tenet Bart. in *l. si pœnam in fi.* & ibi. Immo. Alex. Iaſ. *de verb. oblig.* Decius in *l. vinũ. n.* 15. *ſi cert. pet.* in *l. in omnibus obligationibus, de reg. jur.* Purpura, in *l. rogaſti. §. ſi tibi, nu.* 13. *ſi cert. pet.* ad hoc tex. *Eccleſiaſt.* 20. *verſ. Hodie fœneratur quis, & cras expetit? & odibilis eſt homo hujuſmodi.* Amplio, ſi ſtipulatio ſimpliciter appoſita fuerit, vel cum pœna certa die non expreſſa, qua ſtipulatio intelligitur ſecundum naturam actus, ſuper quo interponitur. *l. ſi ſtipulatus. de uſur. l. ſi legatis ſervi nomine. de leg. 2. l. damni infecti quidem. in pr. de dam. infecto. l. inter ſtipulantem. in pr. de verb. obli. l. 1. §. belliſſimè, ut legat. nom. caveat. in l. 2. §. parui de privi. credi. not.* Bart. & alii in *l. cum mota. C. de tranſact.* Bart. in *l. qui Romæ, §. duo fratres. col. 4. quæſt. 2. de verb. oblig. l. ult. col. 2. de duob. reis.* Iaſ. in *l. ſingularia col.* 8. 9. & ibi Decius *col. 6. ſi cert. pet.* Amplio etiam, ſi ſub inſtrumento garantigio obligetur debitor, quia illud tantùm concernit ſecuritatem creditoris, & efficaciorem facit obligationem, non autem ampliat: nec facit ut debitor in plus teneatur, ut de ſtipulatione tradit Alex. in *l. 1. in fi. de pact.* & omnes in *rubr. de verb. oblig.* Unde executio ſtatim fieri non debet, aliàs eſſet retractanda, ut dixi in *conſu. Pariſi. §.* 166. Quòd ſi in gratuito mutuo tacitè dilatio ineſt, multò fortius in fœneratitio.

Stipulatio ſecundum naturam actus.

83. Solebant etiam veteres illi fœneratores non repetere mutuum donec durabat curſus uſurarum, qui non poterat ultra quantitatem ſortis extendi: quò cum ventum erat, ſtabat, & duplum repetebatur, præteritis uſuris etiam ſolutis imputatis, ut ſatis colligitur in *l. uſuræ, l. pen.* & per to. *C. de uſur.* & in *l. 1. C. de condict. ex lege.* Interim ergo debitori frui licebat, & creditor amittebat interuſurium & lucrum, quod aliàs interim facere potuiſſet. Et licet illud lucrum, eſſet incertum, & uſuræ certæ, tamen ſi benè conſideres æquam illam taxationem, *l. eos.* videbis uſuras adeo pro varietate perſonarum temperatas, ut leviores ſint & lucro, quod interim facere poteſt debitor, & lucro, quod interim omittit creditor. Quòd ſi forte actum fuiſſet, ut recipiens mutuum teneretur ex tunc, & quandocúnque petente creditore, ſortem reſtituere, cum effectu: quaſi in hoc ſemper paratam, & in numerato habere: tunc puto abſque dubio, quòd etiam tempore Juſtiniani nullæ cucurriſſent uſuræ, utpote ceſſante cauſa finali legis uſurariæ, ſublato uſu & utilitate debitoris, & retento penes creditorem, qui quolibet inſtanti poteſt uti: & ſic perinde eſt, ac ſi pecuniam apud ſe retinuiſſet: imò longè plus eſt, quia debitor ſine cauſa cuſtodia & periculo oneratus eſſet, ut infrà *quæſt.* 3. Si verò ab initio ſit merum & gratuitum mutuum, adhuc poſt moram nedum poteſt peti ſors, ſed etiam quod ratione moræ intereſt, igitur in hunc eventum, vel ab initio ſtipulari licet uſuras moderatas. Idem ubi de jure venunt propter moram, quia vice intereſſe, ut inquit Ulpia. in *l. illud de ædilit edic.* non quòd hodie peti poſſint juxta text.] in *d. l. eos.* ſed remiſſius & moderatius, ut novè tradam. infrà *q.* 74.

84. Ceſſent igitur amodo Ἰουστινιανέων ſacrarúmque legum indocti & imperiti irriſores. Hactenus qui æquiores fuerunt, Juſtinianum excuſaverunt, per ſutorium (ut aiunt) atramentum, quòd uſuras & leges iniquas nullas & abuſivas tantùm toleraverit propter bonum publicum, & ad deterius vitandum, ſicut lupanaria: ita Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. in *reſp. ad tertium*, & in *opuſc. de uſur. c.* 4. *in fi.* & *gloſſ. pen. in fi. c.* 2. 10. *diſtinc.* Jo. And. poſt Gerard. de Senis in *Mercuri. peccatum. de reg. jur. in* 6. Bern. de Evang. xter. *Ser.* 38. v. 3. Bart. Bald. *l.* 1. *col.* 3. *C. de ſum. Trinit.* & ibi Purpura *num.* 51. Ioan. Gerſ. *de contrac. propoſ.* 17. Pett. Anchar. in *Rep. cap. peccati venia. quæſt.* 2. *col.* 7. *de reg. jur. in* 6. Chriſtoph. Procus. §. 1. *Inſt. de Adop.* Nos autem veritate retecta, ab omni impietate & probro in hoc vindicamus & Juſtinianum, & leges ejus, quas juſtas fuiſſe, & licitè tempore ſuo ſervatas vivis rationibus evicimus. Fruſtra verò nobis objiciunt antiquos canones, nempe Concilii Nicæni, quos nec Juſtinianus licet ducentis ferè annis poſterior ignoravit, alioquin eos nominatim non comprobaſſet in *conſtit.* 131. *in pr. de Eccleſ. Canon. in Novell.* Sed illi Canones, ut patet in *cap. quoniam multi* 47. *diſt.* & in *rapſodia Conciliorum tomo* 1. *cap.* 18. [Quos Ludovicus Pius Imperator & Francorum Rex *in Concilio Aquiſgranenſi. cap.* 40. anno Domini 816. innovavit] non probibent niſi centeſimas & ſeſquicenteſimas, ut *ſupra num.* 37. eaſque non nauticas, ſed terreſtres. Idque Clericis quanquam mentem Concilii arbitror fuiſſe, omnibus avaritiam & injuſta quæcunque lucra cenſurâ Eccleſiaſtica prohibere. Sed ex hoc non colligitur omnes uſuras eſſe injuſta lucra, ſed ſolum centeſimas, aut centeſima graviores. Secus autem de minoribus arg. *cap. nonne, de præſumpt.* non tamen hinc inferendum quaſcunque minores centeſima non eſſe turpia lucra. Sed hoc per d. Concilium relictum fuit in legibus & conſuetudinibus cujuſcunque religionis, quibus uti permittit Deus, dummodò temperatæ ſint, & ſine fraude & damnificatione proximi. Turpes ergo ſunt & in conſcientia illicitæ, quæ excedunt quotam ab æquabili lege vel conſuetudine loci taxatam, quæ in jure vocantur improbum fœnus pariterque uſurarium, *l. improbum fœnus. C. ex quibus cauſ. infamia irroge.* Quæ autem non excedunt, ſi ſimplici animo fiant (modò etiam non fraudetur proximus ſubventione debita, ut *ſuprà num.* 78.) licitæ ſunt, ſicut & cæteri contractus bona fide initi. Si autem vitioſo affectu aut fraudulenter fiant, illicitæ ſunt, ſicut & omnis fraus vel malitia in cæteris contractibus admiſſa. Uſura tamen exceſſiva aut vitioſa cæteris paribus odioſior & ſordidior eſt aliis fraudationibus propter multa: tum propter continuationem & multiplicationem delicti in ſucceſſu temporis, *cap. fin. de conſuet.* tum propter majores ſordes avaritiæ. *cap. ſi ut hi.* 47. *diſtinct.* tum propter inverſum ordinem & uſum naturalem rei, *ſuprà num.* 2. *infrà num.* 441. tum propter publica commercia, ſi hujuſmodi ſordidi quæſtus frequentarentur & augerentur, eò quod otioſi aliorum facultates tandem exhaurirent, ut per Innoc. & alios in *rub. de uſur.*

Canones Nicæni.

Quæ turpes uſuræ.

Lucrum uſuræ ſordidius & odioſius.

85. Ex prædictis liquet, quòd leges civiles in hac materia nullo modo contrariantur Evangelio, nec legi divinæ: ut prorſus inſanierint & apertè blaſphemaverint, qui dixerunt Evangelio obrui κοινὰς ἐννοίας naturaliter inditas hominibus, civilia jura aboleri, Reſp. everti, omnem ἰσότητα tolli. Ut enim verbo Dei cuncta creata, ita firmata ſunt & conſervantur, nullúmque regnum, nulla reſpub. fœlicius adminiſtrari poteſt, quàm ſub Evangelio, nec florentius & diutius conſervari, quàm obſervatione mandatorum Dei. Finis enim omnis ſive regiæ, ſive alterius rectæ politiæ eſt, honeſtè vivere, alterum non lædere, jus ſuum unicuique tribuere, quod nullo alio modo & verius & ſolidius & uberius haberi & retineri poteſt, quàm per Evangelium & verbum Dei. Juſtitia (inquit Paræmiographus *cap.* 14. *ad fi.*) elevat gentem, miſeros autem populos facit peccatum. Non tamen dicendum (ut Sophiſtæ) quædam præcepta, ut non reſiſtere malo, non judicare, non contendere in judicio, non jurare omnino ;(quæ ruditer & indifferenter accepta, naturæ politicíſque ordinationibus repugnare videntur) eſſe conſilia (ut etiam Canoniſtæ, quos ſequitur Alciat. *Parerg. lib.* 6. *cap.* 20. interpretantur) ſed referenda ſunt ad perſonas & caſus ad quos pertinent, ut de præcepto mutui dixmus *ſuprà*

Leges civiles non repugnant Evangelio.

Sub Evangelio floret & regnum & reſp.

Iuſtiniano maſtiges.

num. 71. Non obstat *cap. paratus* 23. *q.* 71. quia Augustin. ipse, seu potius in *Epist.* 4. *ad Marcellinum*, non ait præfatas sententias esse mera consilia, sed quod non semper referendæ sunt ad opus, sed ad præparationem cordis exituram in actum quando opus est, & locutio, & ratio docent. Multum olim delectatus sum audiens à quodam Theologo publicè Parisiis Psalterium interpretante, locum illum Psalm. 41. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, sic exponi, pauperem esse qui omnino indiget nec reddere potest, & huic non mutuandum, sed dandum. Egenum verò esse qui aliquando commodè reddere poterit, sed nunc indiget: ut qui habet filiam elocandam, nec tantum pecuniæ numerare habet ut ad dotem sufficiat, nec posset ex propriis bonis conficere absque vili & damnosa distractione, & huic gratis mutuandum, non autem reditus emendus ab eo. At quosdam esse qui creditam sibi pecuniam cupiant ut negotientur, vel latifundia dilatent, & ab his licere reditus emere. Hæc est enim vera praxis & concordia divinæ civilisque legis. Dum ad excudendum recognoscerem, commodò venit in manus meas libellus elegantissimus eruditissimi viri Joan. Æpini in *Psalm.* 15. ubi tres facit hominum ordines, quos juvare decet dissimili ratione & modo.

Consensus divinæ & humanæ legis.

Tres hominum ordines.

86. Quidam (inquit) pauperes, qui ad mendicitatem inevitabili necessitate rediguntur, nec reddere queunt. Quidam indigentes, his ad tempus opus est, sed aliquando reddere poterunt. Quidam possessiones tenent, quibus de suo, satis est, qui ad tuenda vitæ necessaria commoda alienis rebus ac bonis non indigent. Primis gratuita beneficentia seu eleemosyna: secundis mutuum debetur: tertiis permittitur inter se lucro pacisci. Mutuum & beneficentia habent apud Deum ampla præmia, in hac & in futura vita. Redituum emptio lucrique studium nulla præmia habent à Deo: Hæc Æpinus. Nec iste ordo & distinctio personarum est humana aut voluntaria interpretatio: sed necessarius & apertus sensus scripturæ. Non enim præcipit omnibus ut dent, sed his quibus suppetit: nec præcipit omnibus dari, sed egentibus: igitur pro modo egestatis. Ad primos ergo pertinent præcepta divina de eleemosyna. Ad secundos, leges divinæ de mutuo præcepto & usuris veritis. text. apertus. *Levitici* 25. *versi. si attenuatus* 35. Quòd si simpliciter daretur his quibus mutuare convenit, nulla servaretur æqualitas, quòd uni esset afflictio, alteri foret relaxatio & occasio inertiæ. Ad tertios generales illæ sententiæ de omni fraude & injustitia veritis, & ne alter alterum supergrediatur. 1. *Thessal.* 4. generalissima illa, *Alteri ne feceris quod tibi nolis*, *suprà num.* 72.

87. Cæterum particulare judicium de contractuum formis, æqualitate & justitia, non ex Sacra Scriptura peti debet, sed ex civilibus legibus quæ de his negotiis disertè & signatè loquuntur, & penès quas semper fuit authoritas judicandi de contractibus. Christi enim regnum non est de hoc mundo, ideo nec politias ordinat, nec leges condit de humanis negotiis, ac commerciis: sed rejicit harum legum cognitionem in civilem magistratum. *Homo* (inquit Christus) *quis me constituit judicem aut divisorem inter vos? Luc.* 12. *vers.* 14. Perfectissimè autem & signatè agit quæ patris sunt, & quæ ad regnum Dei & hominum salutem pertinent, ostendens se esse verum æternúmque verbum Patris, panem vitæ, unicam viam, veritatem & vitam, de reliquis generales tantùm sententias præscribit. Itaque Evangelium justitiam quidem & æqualitatem in civilibus negotiis exigit: sed formas ac regulas eorum non describit, nec indicat specialim quid in singulis contractibus justum & injustum, æquum aut iniquum sit: ideo necesse est in his sequi ordinationes publicas consentientes rectæ rationi, nec eas transgredi licet. Non enim propter pœnas tantum, sed etiam propter conscientiam obedientia debetur legitimo magistratui in politicis ordinationibus, *Rom.* 13. Itaque magnus & pernicious error est, Christi præcepta de beneficentia & mutuo, & singula alia Evangelii præcepta indifferenter sine judicio detorquere ad omnes omnium ordinum ac statuum homines, eáque opponere legibus honestis, utilibus & necessariis ordinationibus.

Legibus parendum.

88. Dominus enim præcipit, nonnulla consulit, ne resistamus malo, ne judicemus, ne condemnemus, ne in judicio contendamus, ne omnino juremus, ut alteram maxillam obvertamus in dexteram impingenti alapam, ne repetamus ablata, ut rapienti tunicam permittamus & pallium, ut inimicos diligamus, & benefaciamus iis qui nos odio habent: ut omnibus nostris renunciemus, ut omni petenti tribuamus, ut vendamus omnia quæ possidemus, & distribuamus ea pauperibus, ut ad convivia nostra vocemus pauperes, debiles, claudos, cæcos, non amicos, fratres, cognatos, vicinos, divites, qui nos rursus invitare possint & beneficia beneficiis pensare, ut gratis accepta, gratis demus, ne aurum & argentum possideamus, ne æs in zonis circumferamus, ne peram, calceamenta, binas tunicas habeamus, & id genus alia [quæ Christus præscribebat his quod ad Evangelium omissis omnibus bonis, & periculis per totum orbem promulgandum emittebat, qui non poterant de injuria personæ, vel bonorum, sine vocationis omissione, queri. Alioquin rectè docuit B. Augustin. *Epist.* 4. *ad Marcellinum* hæc præcepta magis esse ad præparationem cordis, quam ad opus, quod in aperto sit, & habetur. in *cap. paratus*, 23. *q.* 1. vide *suprà num.* 85. Si hæc & similia præcepta Christi apponerentur ad omnes indifferenter, & extenderentur honestis, utilibus & necessariis politicis ordinationibus consentientibus rectæ rationi, profectò nihil maneret integrum in ulla rep. Aboleerentur namque omnes necessariæ politicæ ordinationes, quia leges judicia constituunt, juramenta exigunt, proprietatem rerum approbant, defensionem concedunt, præscribunt defensionis formas, ostendunt quo pacto & res & personæ defendi jure debeant & possint, commendant civilem justitiam, jubent gratiam reddere, monent beneficia beneficiis esse pensanda, docent ut in omnibus officiis ac beneficiis grati simus, & par pari referamus. Porrò hisce naturæ & legum civilium sententiis non repugnant Evangelii præcepta, si rectè intelligantur & referantur ad illas personas, & ad istos ordines quibus Dominus concionatus est, quibus hæc præcepta dixit. Dominus enim suis præceptis non abrogat publica judicia, non vetat juramenta, non adimit magistratui vindicandi jus, non spoliat privatos homines justæ defensionis jure; sed jubet ut Christiani de suo jure cedentes, ante omnia sectentur quæ charitatis sunt, ne seipsos privato aliquo vindictæ genere vindicent, ne quid designent Christianâ modestiâ indignum, in quo alia est persona ministri verbi, alia magistratus, alia privati patrisfamilias. D. Paulus 1. *Corint.* 6. apertè docet inter Christianos non damnari judicia, id tantùm reprehendens in Christianis, quòd cum probro Christianæ religionis apud impios judices litigarent, & quòd se publico judicio invicem exagitarent, & injuriis afficerent. Præterea Dominus contra publica jura, & leges naturæ non prohibet tenere proprium, & habere possessiones; sed jubet ne bonis animum apponamus, utque nostris facultatibus proximo in necessitate sua serviamus.

De præceptis & consiliis non confundatur.

89. Quod autem ait, *Gratis accepistis gratis date*, [ut Alphonsius Tostatus *παραφραστὴς*, id est, regum vel Samuel c. 9. 4. 8. malè extendit, & ad quamlibet scientiam, & ad omne id, quod totaliter tam in acquisitione, quàm in administratione nullum laborem habet:] Ita minus benè quidam ad donum potentiarum & sanationem referunt: quæ restrictio mihi

Gratis accepistis, gratis date.

mihi videtur absurda; quia hoc modo illud dictum non haberet locum hodie. Ego verò puto etiam præcipuè de doctrina & Sacramentorum administratione, & omni ministerio Evangelico intelligendum. Nec acriùs divus Paulus invehitur (non solum sui, sed multo magis futuri temporis labes deplorans) quàm in cauponantes & quæstui habentes Evangelium. Sed fidum ministrum viaticum interim etiam publico stipendio capere, & eo contentum esse, non est vendere, nec ob id minus gratis dat. [Ut disertè probant verba Christi dantis jus recipiendi victui necessaria: in ipsa autem commissione, in qua jubet nos gratis dare *Matthæ.* 10. *vers.* 10. ait, *dignus est operarius cibo suo*, & Luc. 10. *vers.* 7. *Edentes, & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua*, & apertè fecit, & docuit *Paul.* 1. *Cor.* 9. *ad Gal.* 6.] *Quemadmodum bonus & diligens operarius mercede remissa, verè gratis operari dicitur; etiamsi sumptus interim capiat* [ut est pulcher text. in *l. naturalis.* §. *sed si facio ff. de præscr. verb.* ubi etiam (quod plus est) mutua impensarum refusio non impedit gratitudinem officii.] Vendere autem & gratis non dare, est ad quæstum, ventrem aut gloriam propriam abuti. Longior fui quàm vellem; sed mihi has quæstiones in foro conscientiæ, & externo tractanti, necesse & utile fuit simul divinæ & humanæ legis scopum & conciliationem ostendere.

90. Summa decisionis quæstion. nostræ circa quatuor versatur, quæ sunt eleemosyna, mutuum, usura, & emptio reditus. Tota autem epitasis versatur super verb. *Mutuum*, quod non semper eodem modo fit, ut dixi suprà num. 73. Nempe in sacris litteris quandoque exigitur etiam sine spe restitutionis, ut *Lucæ* 6. & suprà num. 71. & tunc non est propriè mutuum, sed mera eleemosyna. Quandoque cum spe restitutionis, prout charitas, & debitoris, nonnunquam etiam creditoris facultas patitur. Et tunc propriè & strictè accipitur, nec usuram aut aliquam accessionem patitur, quia non est negotiatio, sed officiositas. Quandoque accipitur pro fœnore seu actu negotiationis, ut quando ab initio mutuatur sub certis usuris, & illi cum quo licet aliàs pacisci de lucro vel quæstu, & tunc non est propriè & merè mutuum, sed fœnus, & actus negotiationis: qui esset de se licitus inter eas personas, & illis casibus quibus emptio reditus est licita, prout fuit licitum tempore Justiniani: sed hodie rationabiliter emendato in hoc jure civili, non licet negotiari, nec de aliqua usura pacisci in vero mutuo. Sed de mitiori & aptiori modo fœnerandi, consuetudine & politica generali ordinatione provisum est ut infrà *q.* 79. *ad fi.* Item duplex interesse, quoddam promiscuum ratione simplicis interusurii successivi, & communis hujus quod in ratione & moderatione fœnoris redituúmve emptitiorum versatur. Quoddam particulare seu casuale propter quasdam causas accidentales concernentes specialiter ipsum creditorem, de quo suprà num. 28. *cum sequent.* latè infrà num. 493. & 498. Utriusque autem ratio cessat in foro conscientiæ, quatenus subventio debitori egenti debetur ab ipso creditore, aliàs utriusque ratio licitè haberi potest: secundum limites tamen & metas civilium legum & politicarum ordinationum. Hactenus satis superque διαπυτικῶς discussum & decisum, an & quatenus liceat usurarum nomine propter interesse interusurii successivi usus ultra sortem accipere, & Justinian. Constitutio à vitiligatoribus defensa, quæ si à lege 12. tabul. olim inventa & statuta fuisset, multis seditionibus caruissent Romani quibus eorum historiæ scatent: quod enim Tacitus lib. 6. *ait, vetus Urbi fœnebre malum, & seditionum, discordiarumque celeberrima causa*, rogo, unde processit, nisi ex nimia, aut licentia, aut prohibitione fœnoris, & instabilitate legum suprà num. 40. Et quam sit sæpe necessarius usus æris alieni, Tacitus eo loci ostendit dicens inopia rei nummariæ dum multi fortunis prævolvebantur, & eversio rei familiaris dignitatem, ac famam præcipitaret, Tiberium Cæsarem opem tulisse, dispositio per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum prædibus caviisset. Sic de duplo Suet. Tranq. in *Octavio Aug.* c. 41. inter ejus liberalitates refert, quod invecta urbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, ut fœnore diminuto, prædiorum pretia augerentur, & ut ait Crosius, omnium rerum duplum. Et postea quoties ex damnatorum bonis pecunia superflueret, usum ejus gratuitum, iis qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. Si ergo hoc erat beneficium, ergo usuræ tunc temporis excedebant duplum, vel quadruplum.

QUÆSTIO TERTIA.

SYNOPSIS.

1. *Usura centesima tamdiu durat, quamdiu trajectitiæ pecuniæ periculum præstat creditor.*
2. *Centesimam naviganti de trajectu maritimo esse capiendam.*
3. *Vellicatur Hostiensis, fœnus navigantis pecunia damnans.*
4. *Mutuum non est, pacto intercedente, ut nihil restituatur, aut sors amplior data reddatur.*
5. *Leges trajectitiæ de periculo infrequenti loquuntur &*
6. *Mensarii sive campsores, modicum aliquid ultra sortem legitimè capiunt.*

91. TErtiò quæro, An & quantum capere liceat propter periculum sortis numeratæ susceptum? Breviter distinguendum, aut in mutuo, aut extra casum vel contractum mutui. Primo casu aut de periculo marino seu trajectionis maritimæ, aut de alio periculo. Quoad primum trajectitia usura, nullatenus dubitandum est, quin saltem usque ad limites juris civilis, videlicet usque ad centesimam licita sit & fuerit, rejectis ineptis Canonistarum, ambagibus & distinctionibus Bernard. in *tract. de Evang. æterno. sermone* 34. *in princ. & c.* 1. quoniam clarum est primò quòd hujusmodi usura non præstatur propter officium mutuationis. Secundò, quòd non propter nudum usum pecuniæ, nec propter nudum interesse interusurii temporis: sed propter aliam justissimam causam, videlicet periculi contra naturam mutui spectantis ad creditorem, cujus periculi centesima est pretium respectu debitoris, justissimum. Et sic omnis materia & ratio usuræ deficit *l. periculi pretium de nauti. fœno.* Quòd autem justissimum sit liquet, propter multitudinem & magnitudinem periculorum, quæ versantur in mari, & propter exiguitatem & utilitatem pretii, videlicet centesimæ, respectu tantorum & continuorum periculorum totius sortis. Tum quia centesima non currit nisi quandiu durat navigationis maturæ periculum. *l.* 1. *l. nihil interest. de*

naut. fœno. l. 1. 2. Cod. eo. Navigatio autem ut plurimum inter mercatores non excedit ſex menſes, & ſæpe non excedit menſem, vel octo aut tres dies. Et ſic pro ſuſcepto ſemeſtri periculo, creditor non habet nili 6. in centum. Et pro bimeſtri periculo, duo in centum: & pro uno menſe, unum tantùm in centum, quæ eſt valde modica ſumma. Et è diverſo in his trapſmarinis negotiationibus lucra ſunt valde magna. Et ſic debitor multum lucratur de pecunia mutuatitia, & adhuc exoneratur ab ingentibus periculis, pro valde modica ſumma, videlicet unius menſtrui in centum, ita ut major ſit inæqualitas ex parte creditoris, quàm ex parte debitoris. Et ſic non poteſt dici uſura.

92. Tum ea ceſſat quoties id quod eſt ultra ſortem, non præſtatur propter ipſam mutuationem vel dilationem, ſed propter aliam juſtam cauſam, ex qua reſultat, facio ut des, vel do vel trado, ut des, ut inquit Bald. in *l. 1. col. 4. C. de fœn. Trj.* ubi examplificat in ſuſceptione periculi. Idem prius tenuit Jacob. Butriga. in *l. 1. C. de naut. fœno.* Et hoc approbant omnes Theologi, ut etiam creditor poſſit aliquid accipere ultra ſortem pro ſuſceptione periculi, in *4. ſentent. diſt. 15.* & ibi Gabr. Biel *quæſt. 11. col. 8.* Thom. in *tract. de uſur. c. 9.* Jo. Gerſ. *in tract. de contract.* Arch. Florent. *Part. 2. tit. 1. cap. 8. §. 14.* cum ſeq. Clava. in verbo. *Vſura. 1. quæſt. 37.* Sylveſt. *eo. verb. q. 34.* Conrad. *de contract. quæſt. 39.* Jacob. Almain. in *4. ſentent. diſt. 15.* & benè, quia talis ſuſceptio vel aſſecuratio eſt pecunia æſtimabilis, ergo & penſabilis, ut eſt text. in *d. l. periculi pretium.* quæ non loquitur in ſolo periculo nautico, ſed generaliter quoties, & quandiu creditor in ſe periculum mutui ſuſcipit. Et ſic (ut ſimul eodem filo ſecundum membrum expediam, videlicet quando creditor ſuſcipit aliud periculum quàm trajectitium & marinum) generaliter videtur, ut tandiu poſſit centeſimam ſtipulari; quod verum puto de jure: & intelligo non de ſimulato vel modico periculo, ſed vero: nec minus pro illo tempore gravi quàm in trajectu marino, & ad commodum debitoris ſuſcepto, ut ſi negotiator iter facere debeat per loca latronibus infeſta. Cùm enim eadem & [illegible] minor ſit ratio, idem jus eſſe debet, & expreſſim vult Bald. in *d. leg. periculi.* & in *rub. Cod. de naut. fœno.* Paul. in *l. 1. C. eo.* Clava. in *verb. uſura. 1. q. 38. in fin.* Non tamen de facili admitti debet hujuſmodi extenſio, & niſi clarè conſtet de veritate & paritate periculi, ne ſit prætextus fraudi uſurariæ.

93. Faciunt *per.* Paul. in *l. in nave Sanpheli col. 1. locat.* ubi tenet valere pactum factum cum tertio (quod ego intelligo inter ipſum mercatorem & extraneum, non autem inter duos extraneos, ut tango infrà num. 97.) Quòd ſi merces ſalvæ veniant ad portum, habebit certam ſummam pro centenario: ſi verò pereant, tenebitur emendare damnum. Idem tenet Laurent. Rodul. in *repet. c. conſuluit, pag. 3. quæſt. 3. de uſur.* ſequitur Jo. And. *c. ſi. quæſt. 13. eo. tit.* Alexan. *l. à Titio, col. 1. de verb. obli.* Jaſ. *l. illa ſtipulatio.* in *prin. eo. tit.* Si igitur valet cum tertio, ergo & cum creditore, dummodo fraus abſit, & pretium non excedat æſtimationem periculi habita ratione ad ejus qualitatem & magnitudinem: ut hic ſimplex centeſima non excedit, ſed multò magis exceditur à magnitudine periculi marini. Et puto quòd prudenter non faceret tertius, qui rem ſalvam foce promitteret tantum periculi ſuſcipiendo pro tam modico pretio. Et tamen ille tertius nihil mutuat, nec dat interim aliquid de ſuo. Quanto ergo officioſior eſt creditor, quam magis præ tertio illo, debitori (cui pecuniam ſuam interim mutuat) quàm ſibi conſulit? Et tamen pro omni pretio non poteſt nec per ſe, nec per alium ultra centeſimam ſtipulari. *d. §. in trajectitiis.*

94. Imò ſi ſubtiliter advertas, non permittitur ei pro pretio periculi ſtipulari ſolidam centeſimam, ſed ſol'm iem ſem vel trientem. Patet quia communiter citra periculi ſuſceptionem poteſt creditor ratione communis & promiſcui interuſurii, per legem temperatiſſimam taxati, ſtipulari ſemiſſes, vel etiam ſi ſit negotiator, beſſes. Et tamen ſi ſuſcipiat hujuſmodi periculum, non poteſt aliam centeſimam per ſe ſtipulari, ſed tenetur uſuram communem & totum aliud intereſſe ſuum in illam imputare: ita quòd pro pretio & compenſatione, ſuſcepti de novo tanti periculi, non addit niſi alterum ſemiſſem, ſi ſemiſſes, vel trientem ſi beſſes uſuras ſtipulari poterat. Et ſic qui poteſt habere ſemiſſes citra periculum, eo ſuſcepto non addit uſuræ niſi unum menſtruum in ducenta: qui verò beſſes, non addit uſuræ niſi unum menſtruum in trecenta. Et ſecundù hoc eſſet dicendum (& verum puto) quòd tertius qui promittit rem ſalvam fore, & periculum emendare, non poteſt ſtipulari ultra dimidiam centeſimæ eorum quæ ſalva eſſent, alioquin creditor qui plus facit & commodat, quia interuſurium pecuniæ ſuæ præſtat, deterioris eſſet conditionis, quàm tertius, quod abſurdum eſſe etiam Theologi cenſent. Et hæc eſt nova & valde notabilis limitatio ad illud dictum Doctorum de quo ſupra num. 93. & ad not. per Doctores *in dicta l. periculi pretium*, de qua ſtatim dicam.

95. Sed ſi hæc vera ſunt, prout ſunt veriſſima, quid mentis habuit Greg. dum uſurariæ pravitatis damnavit exigentem aliquid ultra ſortem, ex eo quòd ſortis periculù in ſe ſuſcepit. *c. naviganti. in pr. de uſuris?* Breviter dico, quòd in illo textu duo ſunt cõſideranda. Primum, quod loquitur præſuppoſito quod vera ſit vulgata illa & ſuperſtitioſa opinio ſatis ſuprà confutata, quòd uſura de ſe mala ſit, non quia proximum lædit ſeu mordet (ut Hebræi dicunt) ſed quia capitur aliquid ultra ſortem, propter nudum officium & temporis ſucceſſum. Secundum, quòd adhuc ille text. non loquitur de periculo marino, nec de alio quocunque vero aut probabili periculo; ſed quando citra probabile dubium & periculum prætexitur periculi ſuſceptio, ut hoc colore quæſito, creditor qui nullum juſtum metum damni habet, certus ſit de convento lucro: Patet per illum text. in princ. qui ſimul conjungit mutuantem eunti ad nundinas, ubi communiter nullum imminet periculum, alioquin homines (ut plurimùm) non convenirent, & inanes eſſent nundinæ, quæ etiam undique publicam ſecuritatem habent in corpore juris clauſam *lege ſecun. de nundi. lege unica. Cod. eod.* Et ſic per not. in *lege prim. de rebus dub.* quod ibi ſimultaneè dicitur de mutuante naviganti, intelligitur de navigante in flumine, vel ita cutò, ut ceſſet juſtus timor periculi. Rurſus patet per totum diſcurſũ d. cap. ubi ab omni labe uſuræ excuſat eum qui propter repreſentationem pecuniæ & dilationem traditionis rei, minoris emit: vel cùm non eſſet tam citò venditurus, pluris vendit propter repreſentationem rei, & dilationem ſolutionis pretii. Et hoc propter probabile dubium valoris futuri, tempore ſolutionis; oportet ergo improbabilem omnino fuiſſe metum periculi in primo Reſp. *d. c.* & minoris æſtimationis quam ſit repræſentatio vel dilatio modici temporis, alioquin æquè ibi excuſaretur creditor, atque in ſequentibus Reſponſis, imò multo fortius, quanto ſuſceptio dubii periculi totius ſortis major eſt & gravior, quam dubium cadens in parte pretii, aut valoris rei. Et hic eſt verus intellectus totius dicti *c. ſi.* quem imperiti Decretiſtæ ſuis gloſſis & commentis obſcurarunt. Longè acutius viderunt Scholaſtici Theologi *in 4. ſent. & locis ſuprà num. 91. allegatis*, ubi intelligunt dictum *c.* in prin. quando creditor prætexit ſuſceptionem periculi avaritiæ ſuæ, nec vult mutuare niſi ſuſcipiendo periculum, & aliquid eo colore exigendo ultra ſortem & verum intereſſe. Et invenio etiam quòd ita ſentit Guliel. Bont. in *problemate de reditibus emptitiis.* Jaſ. in *l. illa ſtipulatio. in pr. de verb. oblig.*

Verus intellectus c. naviganti de uſur.

96. Præterea Calderi. in *repe. d. c. naviganti.* & omnes Canoniſtæ in *c. per veſtras*, per illum text. *de dona. inter vir. & uxo.* approbant contractum, quo pecunia committitur mercatori ad partem lucri, modò

etiam creditor ferat partem damni. Sed hic creditor fert totum damnum, nec potest habere lucrum, nisi valde modicum, & adhuc incertum. Igitur justior est, & longius abest ab usura hic contractus, quàm qui approbatur in *dicto c. per vestras*. Multum ergo desipuerunt Canonistæ dicentes, etiam leges de nautico fœnore correctas esse per *dictum c. fin.* tametsi eos perfunctoriè sequatur Jo. Fab. in *rub. Cod. de naut. fœn.* & Guid. Pap. in *tract. de contract. illicit. col. 7. num. 18.* Contrarium & sanius scripsit Jacob. Butri. in *l. 1. Cod. eo. tit.* Quem refert, licet malè reprobet Petr. Anchan. in *reper. c. peccati venia quæst. 5. de reg. jur. in 6.* Ridiculè autè argutatur Hostiens. in *sum. de usur. §. in aliis autem*, dum tanquam cæteris subtilior Sophistico dilemmate nititur ostendere etiam naturali ratione iniquum esse trajectitium fœnus, non obstante susceptione periculi, dicens: aut recipiens juvat se denariis, aut non: si non juvat, iniquum est creditorem lucrari; si juvat, ergo non remanet dominium pecuniæ penès creditores: Et sic non debet facere lucrum de re aliena. Et sic infert (sed repugnante rerum causa) quòd periculum quod in se creditor retinet, in nullo debitorem relevat, sed potius oneratum relinquit. Hæc est argutia Hostiens. [Quã juvenis quidam anno 1550. juris, & praxis expers authore tacito, ad hoc defendere nisus est, ut analytica nostra suo invento jure reprehendere videretur imperitis.] Atqui communi experientia constat non esse è re industrioſi, sed malè nummati mercatoris, etiam gratis & simpliciter mutuari, in negotiationem marinam, ne forte tempestate (quæ illic frequens immunet) nedum sumptum, laborem, pecuniam, & spem amittat, sed etiam repente obæratus solum vertere, aut omnium semel facultatum jacturam facere cogatur. Contrà pauperi industrio plurimum expedit periculo creditoris fœnerari, ut fœlici navigatione, si contingat frui: sin secus, superesse liceat.

Sophist. Hostiens.

97. Capio tertium quæst. nostræ membrum, videlicet quando datur vel promittitur propter susceptionem periculi extra casum vel contractum mutui. Adverte, aut promittitur ipsi danti vel numeranti, aut tertio extraneo. Primo casu istud recidit in effectu in mutuum: nec differt à mutuo trajectitio, nisi quod in mutuo trajectitio vel simili promittitur major usura menstrua, vel aliter pro rata temporis. Hoc verò casu non augetur obligatio pro rata, vel lapsu temporis, sed una certa major summa semel solvenda, velut sub qualibet conditione promittitur. Et sic in effectu idem dicendum quod in mutuo. Secundo casu non potest esse mutuum nec simile mutuo, ut quando mercator paciscitur cum extraneo, quòd perdat, refundetur sibi damnum ab eo, sive in totum, sive usque ad talem summam: & vicissim si lucretur, dabit ei tantam summam super lucro. Nec enim venditio est, nec mutuum, nec societas, nec alea, sed actus negotiationis: & est contractus innominatus, do sub una conditione, ut des sub opposita conditione. Sed hoc nudum pactum sine stipulatione, jure communi non est efficax ad agendum. Non enim mercator se obligavit ad navigandum vel negotiandum: sed hoc positum est in conditione, quæ non sufficit pro implemento, licet sufficiat hoc casu pro causa implenda. Et in hoc differt à casu nostræ *l. periculi*, ubi valet pactum sine stipulatione, quia præcessit implementum creditoris numerantis sortem. In alio differt, quia hoc secundo casu totum id quod dandum est illi extraneo, est periculi pretium, quod non meretur esse tantum, sicut illud quod additur ei, qui sortem prorogavit, ut priore casu: in quo solum augmentum est periculi pretium. Et hoc secundo casu licitum est pactum, si fiat à mercatore vel negotiatore in negotiatione sua, quia tunc est actus negotiationis licitæ. Si verò fiat inter duos extraneos, tunc recidit in aleam, vel vanæ sponsionis speciem; & non valet etiam cum stipulatione, ut in *l. quibus, de aleæ lusu & aleator.* Et sic limitanda, quæ multùm neglectim & inconsideratè tradunt Doctores in locis allegatis suprà *eod. num. 93.* Novè dixi in *l. cum ad præsens, ff. si cer. pet.* & in *l. à Titio de verb. oblig.* in novis intellect. quòd, quia præsentis materiæ limites excedit, emitto.

98. Hic necessariò noviter explicanda nobis est *l. periculi pretium, de naut. fœnor.* quam omnes glossæ & Doctores adusque tam in *d. l.* quam in *l. quod se.* ubi Bart. *col. 1.* Franc. Ripa. *col. 6. num. 23 in fin. si cer. petat.* & alii ubique intellexerunt loqui de mutuo, & usura centesima, sed malè. Dico ergo quod ille text. loquitur de certa summa semel solvenda, vel de majori summa semel solvenda (quod in idem recidit) in casum vel eventum bonæ fortunæ vel superlucri recipientis. Quod autem suprà sortem in illum eventum promittitur, aptissimè ibi pretium periculi vocatur, quia est indicatura & pensatio suscepti periculi. Puta si dem piscatori centum aureos, ut se paret ad piscandum, ea tamen conditione ut si non capiat, perdam sortem: si verò capiat, reddat centum quinquaginta, residuum lucretur. Unde non est hic propriè mutuum, quia non agitur ut tantumdem reddatur, sed ut vel nihil reddatur, vel ut reddatur alia major summa. Non est etiam propriè contractus venditionis, tum quia non est res quæ vendatur, nec spes quidem. Non enim promittit emptor jactum retis seu piscationem incertam, sed super ea (si ferre possit) promittit solvere certam summam. Tum quia nec pretium quidem cessurum est piscatori, sed illud sub conditione restituturus cum auctuario. licet sub alia conditione, scilicet non capiendi, nihil restituturus sit. Et sic non potest esse venditio, nec respectu pretii, nec respectu rei. Non est etiam contractus societatis, quia periculum non est commune, nec etiam lucrum commune: Sed tantum numerans debet certam summam habere super lucro in casum superlucri. Non est etiam propriè & strictè loquendo, contractus usurarius, quia nihil præstatur pro successivo usu temporis, prout in trajectitia. Nec etiam est alea, nec species negotiationis. Restat ut sit contractus innominatus, *do ut des*: do quidem purè, ut sub una conditione nil des, sub alia plus des. Et consequenter illud quod pluris daturus es, est periculi pretium. Non enim sine causa dandum est, sed ex justa causa, quia periculum sortis suscepi, merito illud *plus* rectè dicti periculi pretium appellatur: siquidem tanti periculum illud indicatur. Valet autem pactum hujusmodi sine stipulatione, quia rei interventu & implemento, tanquam justa causa subsistente, formatur. *l. jurisgentium §. si cum nulla. de pact.* hoc vult dicere *d. l. periculi.* Non autem loquitur de centesima, quia licet centesima sit quadamtenus pretium periculi in trajectitia vel simili casu, *ut suprà num. 90.* tamen in se non est nisi vera accessio usuraria & successiva, quod non congruit pretio. Hic est verus & *primus* intellectus *d. l. periculi.* Ex quo diametraliter contra omnes glos. & Doctor. infertur, quòd illud *plus*, non est successivè, sed semel solvendum: nec subest moderationi centesimæ, sed propriam naturam & effectum habet.

Novus intellectus *legis periculi pretium*, de naut. fœnor.

99. Sed hic mihi ipsi forsan & effectui rerum contrarius videar. Quid enim facilius, quàm in trajectitia, in casu quo navis fœliciter redeat, paciscì non de centesima simplici dupla, vel tripla: sed de certa summa semel solvenda, quæ longe decuplam aut vigecuplam excedat? Puta si mercatori industrio, sed qui nuper (ut sæpè) jacturam fecit in mari, dem mille, in apparatum reperendæ navigationis erogaturo, & rursus in magna periculi periclitaturo, ea conditione, ut si rursus mergat, sortem amittam: si verò fœliciter emergat, restituat mille quingenta. Hæc enim pactio nil aliud est quam vera hypothesis, & exemplum *d. l. periculi pretium*, ejusdem omnino rationis cum exemplis piscatoris & athletæ ibi positis, modò perpendamus effectum, & quò res evadat.

Fac navem anno & quindecim diebus lapsis onustam mercibus revert, hîc non una, sed octuplex erit centesima: quoniam quingenta in mille ad annum & quindecim dies tantum valent, quantum octo centesimæ. Rursus fac navem sic redire in semestri & octo diebus, tunc illa quingenta erunt in effectu octodecim centesimæ. Fac navem sic redire paulò post trimestre, tunc illa quingenta triginta, sex centesimis prodigiosissimo fœnori æquipollebunt. Quid hîc dicemus? quomodo novum nostrum contra omnes intellectum novámque sententiam de eo quod sortem semel excedit, non reducendo ad centesimam tuebimur? Obstat enim primò quod nuper *numero* 114. diximus hunc casum non differre à mutuo trajectitio, nisi quod hic obligatio semel certa quidem placita summa augetur: illic autem successivè augetur, infrà limites à lege præfixos. Non minus autem est usura, si mutuans paciscor de aliquo semel taxato ultra sortem reddendo, ut in *l. si tibi. in princ. de pact. l. rogasti §. si tibi. si cer. petat.* quam si paciscar de aliquo successivè pro rata temporis accedendo, ut in *l. lecta. si cer. pet.* Igitur utroque casu locus esse debet legi trajectitiæ. Secundò obstat quòd nec per viam pœnæ, nec per aliam quamcumque directam vel obliquam machinationem licet legitimum modum excedere, quin ad eum reduci debeat, *l. pœnam de usur. l. cum allegas l. eos fi. C. eod.* Sed hîc esset via aperta vel plus trigecuplo excedendi legitimum & supremum centesimæ modum, quia cupiens fœnerator legem transgredi, non stipularetur usuram centesimam, sed certam magnam summam casu quo navis salva esset.

Nova declaratio trajectitiæ.

100. Respondeo, quòd omnes illæ leges trajectitiæ, quæ permittunt stipulari centesimam suscepto per creditorem sortis periculo, intelliguntur de periculo non imminenti, sed utplurimum raro contingenti tempore & loco illius trajectionis: ita quòd propter raritatem casus magis utplurimum interfit hoc genus fœnoris exercentium fœnerari centesimis, sub tali periculo, quam alàs bessibus. *Lex* autem *periculi* loquitur de periculo imminenti, & ita frequenti & impendenti, ut frequentius sit, aut propè æquè frequens ac lucrum. Quòd autem nova hæc nostra consideratio, nec divinatoria sit, nec iniqua, sed necessaria ad harum legum ad invicem, & cum usu commerciorum conciliationem, patet: quia si leges trajectitiæ intelligerentur de periculo impendenti, vel saltem æquè frequenti, ut evasio periculi, nunquam fuisset nec esset utile: sed longè damnosissimum illud fœnus exercere; & frustra fuissent statutæ dictæ leges, cùm non fuissent usui, quod est absurdum; Utilius enim fuisset semissibus, imò etiam trientibus tuto fœnerari, quam centesimis: imò quàm dupla centesima sub tam præcipiti & impendenti sortis periculo. Quòd si forte quispiam dicat trajectitiam non ideo sic taxatam esse, ut esset usui, sed ut saltem in hac parte abstraherentur homines à fœnerando: hæc evasio multis modis refellitur. Primò, quia per totos tit. *ff. & C. de naut. fœn.* satis liquet, leges esse latas ut essent usui, & tunc frequenter usui fuisse. Secundò, quia minimè expedit reipub. homines abstrahi à fœnerando congruo & æquabili fœnore, periculo suscepto: imò potius expediret allici, quò juvenibus & industriis mercatoribus consuleretur, qui ut plurimum dum negotiari incipiunt, omnes fortunas suas majorémve partem habent in ære alieno, ut est notum. Tertiò videtur casus; *extare* in *Novell. de usur. naut. const.* 130. ubi duo fœneratores hanc solam artem exercebant, & inde vitam sustentabant. Sed certè text. ibi *versic. Illos autem* valde obscurus est & mutilus, nec restituitur per Haloandrum, quia in libro Florentino Marcianæ Bibliothecæ, unde transcriptum exemplar habuit, ea Constitutio deest, ut testatur *Anton. Augustin. emendat. lib.* 2. qui utinam nobis eam cum reliquis quæ desunt (ut pollicetur) edat. Interim mihi non videtur ibi loqui de centesima; sed de certa summa semel solvenda in fine navigationis, ut dixi *suprà num.* 59. Cæterum quod dixi, leges trajectitias loqui de periculo raro & non impendenti, satis colligi potest ex cunctis, id genus legibus, *digest. & Cod.* quia si rectè expendas, invenies quòd non solebant creditores trajectitiam hanc usuram exercere promiscuè, nec omni loco & tempore, sed duntaxat in certo loco, vel intra certa præstituta tempora, nuninum tutiora, & minus periculis obnoxia: extra quæ loca & tempora nolebant teneri de periculo sortis, & malebant bessès tutò, quam centesimas cum ancipiti periculo, ut in *leg. secunda, tertia & quarta C. de nautic. fœnor.* in *l. nihil interest*, ibi, *An post diem præstitutum*, & ibi, *Post diem periculi, l. fœneratur*, ibi, *Intra statuta tempora*, & rursus in fi. *ff. eod.* ita etiam debet intelligi, *lex tert. ff. eod.* sive enim ibi legas (*convenit*) ut habet litera Parisiensis & communis, debet intelligi de tempore solito & congruo navigationi in quo non solet timeri periculum. Et est sensus, quod tacitè conventum censetur de tali tempore, si non est expressum quo & quanto tempore, periculo creditoris navigari possit. Sive ibi legas (*convenit*) ut habet litera Norica, debet intelligi de tempore expressim convento, quò demum creditoris periculo navigari possit. [Non etiam solebat frequentari nisi in mari Mediterraneo, & intra fines pacatos imperii. Aliud per Oceanum, & Barbaros non subditos imperio, ut consului pro quodam mercatore Rupellano, qui dederat nongenta, ad quadraginta in centum, usque ad reditum ex insulis Fortunatis per pericula multorum hostium suóque periculo.] Et sic nedum necessarius: sed etiam tum literæ, tum menti legum convenientissimus noster intellectus.

Leges debent esse commodæ usibus hominum.

101. Minimè etiam divinatorius est, quia ut vel communis sensus fateri cogit, omnes leges de commerciis & negotiis hominum debent esse conformes æquitati commerciorum, & coaptatæ usui & utilitati hominum, quorum gratiâ latæ sunt. Lex ergo fœnoris trajectitii debet ita ut dixi intelligi, ut sit æquabilis, & in communi utilis. Ut enim parum gravantur fœneratores tam raro periculo suscepto; ita non multum superlucrantur, superaddito triente, ut sæpe magis interfuerit debitorum sic fœnerari, quo magis modica usura nempe sesquipla, modicique temporis sint in tuto. Nec minus pulchrè & appositè quadrat noster intellectus verbis & menti *d. l. periculi*, & exemplis in ea expressis. Plures enim sunt piscandi jactus, quam fœlices piscationes: & plures sunt athletæ currentes ad unum bravium, quòd unus solus obtinere potest. Illic magis impendet & frequentius est perdere, vel vinci, quam superlucrari, vel vincere. Meritò suscepto tanti tamque impendentis periculi certum suum magis pretium meretur, quam sit adjectio semissis vel trientis usuræ in nautico fœnore, extra peritasses locorum & temporum.

102. Præterea in nautico fœnore, si pecunia salva sit, etiamsi debitor omnibus deductis, nullum lucrum fecerit, tenetur tamen non solùm ad sortem: sed etiam ad usuras centesimas, quas solvet de suo. Sed hîc in dubio non censetur actum, quòd debitor solvat illud augmentum de suo, si minus lucretur, ut in exemplo piscatoris, sed censetur actum quod solvet de eo tantum quod ceperit: reliduum verò perdat creditor. Si autem quid supersit, illud sit piscatoris, vel mercatoris in simili. Non tamen intelligo quod illud pretium vel augmentum possit promiscuè ascendere ad dimidium sortis, ut *suprà* exemplificavi: sed debet intelligi arbitrio boni viri, dummodò etiam subsit justa causa & materia aliter contrahendi, purà justæ negotiationis, vel virtutis exercendæ. Secus, si non subsit nisi ludicra

vanitatis causa: quia tunc vergit ad aleam, vel sponsionem, nec oritur obligatio. *l. quibus de aleæ lusu.* Non tamen libet discedere a litera nostra Parisiensi, & communi in hac *l. periculi*, quæ habet si modò in aliam speciem non cadat, quæ est etiam litera antiqua, secundum quam legit & exponit Accurs. & alii Doctores ibi (licet Haloander noviter legat. Si modò in aleæ speciem non cadat) quæ lectio ut in se vera est, ita non congruit reliquo contextui, nec stare potest, quia clausula exemplificativa immediatè sequens ubi veluti, non potest referri, nec ad pretium periculi, nec ad aleam; & sic renenda est antiqua & communis litera. [Cæterum longè alia est ratio collybi, quod cambium vulgò vocant: non enim collybistæ seu campsores aliquid propriè percipiunt ultra sortem propter pericula viarum à quibus probè cavere solent: nec tam propter laborem, quàm propter industriam & mensam ad hoc instructam, quæ non conservatur sine industria, & sumptu: Itaque collybistes pro permutatione pecuniarum, sive præsenti, & reali, sive (ut per literas, nuntios, vel alium modum) in alia, regione, certo loco, & tempore numeret, vel numerari faciat, aliquid capiens, vel retinens, si modum non excedat, licitè facit, nec peccat: rejectis sophisticis distinctionibus Angeli, Clavas. in verb. *usura num.* 54. quia non curamus de forma, vel modo, sed tantum de excessu. Hinc decidit Baldus in *cap. 1. col. 2. in fin. ex. De plus. petit.* quod de Perusio Parisiis reddere nonaginta pro centum, & sic retinere per campsorem decimam partem sortis, attenta locorum intercapedine, contractus est licitus jure gentium, & utilis, & suffultus ratione naturali: ad hoc etiam Baldus in *Rubrica. C. de constit. pec.* Bald. Salyc. *l. 3. C. de exercit. act.* & in *authent. ad hæc. C. de usur.* Alex. *cons. 61.* & *lib. 2.* Lud. Rom. *cons. 238. col. 2.* Guid. Pap. in *tract. de contract. illicitis. num. 21.* Anton. part. 2. *tit. 7. cap. 17. §. 7. c. 7. §. 4.* post Laurent. de Rodolph. Franc. Purp. in *l. singularia. num. 81. si certum pet.* Redeundo ad rem. Accipe text. *d. l. periculi*, cum novis & analyticis scholiis nostris.

Defenditur communis litera.

Lib. 22. ff. de nautico fœnore. Scævola libro 3. Responsorum.

EPITOME.

Sed datur certa summa in erogationem honestam, cui periculum amittendæ sortis impendet, cum pacto, quòd periculum sit creditoris: in casum verò superlucri, tenetur debitor certam majorem summam dare creditori, valet pactum sine stipulatione, nec subest taxationi usurarum, quia augmentum sortis non est usura, sed periculi pretium. H. D. C. M.

PEriculi *a* pretium *b* est, & si conditione quavis pœnali *c* non existente, recepturus sis quod dederis, & insuper aliquid præter pecuniam: si modò in aliam speciem *d* non cadat: veluti ea, ex quibus conditiones nascuntur: ut si manumittas, si illud non facias, si non convaluero, & cætera. Sed nec dubitabis, *e* si piscatori erogaturo in apparatum, plurimum pecuniæ dederim, ut si cepisset, redderet: & athletæ, unde se exhiberet, exercéretque, ut si vicisset, redderet. In his enim omnibus & pactum sine stipulatione ad augendam obligationem prodest.

a *Periculi.*) Scilicet serii & impendentis, ut non minor sit trepidatio & dubietas sortis & impensæ amittendæ, quàm superlucrandi: ut in exemplo piscatoris: & athletæ in text. Et hæc est propria & specifica differentia materiæ, & decisionis hujus legis, à legibus trajectitiæ usuræ, quæ hic non habent locum.

b *Pretium.*) Largè, quia non hic venditio, & etiam non dicitur pretium simpliciter, sed pretium periculi, id est, ejus pensatio vel æquamentum: ideo non est usura.

c *Pœnali.*) Quod per quandam remotam similitudinem dicitur dicto obscuriorem more Scævolæ, cujus sunt verba. Ut enim natura pœnæ est esse in pendenti, utpote sub conditione, qua extante committitur, ea verò deficiente cessat: ita hic utriusque contrahentium damnum vel lucrum in pendenti est. Neutrobique tamen dicitur pœnalis obligatio, nec debitor tenetur ad pœnam sed ad pretium periculi, si superlucretur.

d *Speciem.*) Id est, in alium contractum, in quo aliquid dandum vel repetendum est sub conditione, sed non propter periculum sortis susceptum, sed propter aliam causam secutam, vel non secutam: ut si manumittas, &c, subaudi, decem promisi, vel dedi, ut hoc faceres, vel non faceres.

e *Non dubita.*) Sequuntur propria exempla hujus libri.

QUÆSTIO QUARTA.

SYNOPSIS.

1. *Defensa vetus & probabilis lectio §. quod in singulos. l. nihil interest de nautico, explosa Haloandri, & Budæi emendatione.*
2. *Quibus temporibus usu recepti Semisses, & tremisses.*
3. *Notatus Franc. Duarenus, qui usuras trajectitias pro libidine paciscendi licuisse commentus est.*
4. *Iure Pandectarum ultra duplum non extensa usura trajectitia.*
5. *Verus purus intell.* l. nomen de leg. 3.

QUarto quæro de intellectu §. *quod in singulos, in l. nihil interest. ff. de nautic. fœno.* Multum enim prima facie videtur adversari his quæ *suprà num. 49.* diximus, nullum esse in jure exemplum usuræ gravioris centesimæ: Doctores autem hactenus videntur hunc §. intellexisse de dupla centesima. Ita etiam nominatim Budæus *lib. 1. assis.* & Hieronym. Grosset. in *l. lecta. si cert. pet.* quòd veteri & communi literæ textus non consonat, quia non loquitur de duplici centesima, nec de triplo, quod duplex centesima in sui fine cum sorte

conficeret: sed loquitur simpliciter de centesima, & sic una tantùm. Item de duplo non excedendo in fine & periodo cursus, quod vix centesimæ potest accidere. Sed de duplici centesima expressum videtur, prout Haloander legit, qui verbum (*centesimæ*) à situ suo veteri & communi, qui est post verbum, *finem*, transponit post tria verba, & subjicit nomini illi numerali, & quotitativo duplum. Sic enim legit, *Quod in singulos dies in stipulatum deductum est, ad finem non ultra duplum centesimæ debetur.* [Quam lectionem accepit Haloander à Budæo nostro, qui primus in Annotation. ad Pandectas ita legendum censuit, putans sensum esse, usuram nauticam, seu trajectitiam ascendere posse ad duas centesimas lucri: & sic in summa triplum conficere.] Quæ lectio ut nova est, noviter fabrefacta, & ab aliis & veteribus & novis exemplaribus dissentiens, ita minimè sequendam puto, sed veterem & communem lectionem, quam litera Parisiensis, & omnes, præter novam illam Noricam sequuntur, retinendam, tum propter ejus fidem, tum propter aliarum legum consonantiam, cui nova lectio obstrepit. Nauticum enim fœnus taxatum ad centesimam, quæ etiam jure digestorum summa & gravissima erat usura, ut ostensum est *suprà numero* 40. Et sic non est verisimile, jure digestor. toleratam & multò minùs approbatam in hoc §. duplicem centesimam. [Non obstat l. 1. *De naut. fœn.* Quia quicquid dicat Bud. in *d. l.* nihil interest, non sunt in d. l. duæ centesimæ, nec simul, nec seorsim, quasi pro duobus commeatibus, prima pro trajectu, secunda pro reditu; quia etiam in fœnore Amphiteroplo non potest esse duplex centesima, sed una tantum: si enim pecunia, vel merces ejus loco subrogatæ sunt periculo creditoris pro trajectu tantum, eousque tantum currit heteroplum fœnus centesimæ: Quod si etiam in remeatu itet periculo creditoris, continuatur eadem centesima, simplex, & non dupla in suo cursu, & quæ duplum numquam excedere poterit, & erravit Haloander inconsultè sequendo Budæum.] Non obstat quod ante *leg. eos.* quædam veteres leges tolerabant quoddam fœnus trajectitium excedens centesimam. *d. l. eos versi. in trajectitiis*: tum quia nullæ hujusmodi leges relictæ sunt in corpore juris: tum quia, ut dixi *suprà num.* 36. non est verisimile quòd excederet in duplo sesquialtero vel minori.

104. Hæc autem veritatis studio duntaxat paucis perstringo, non autem, ut vel in minimo derogem immortali gloriæ, tum Gregorii Haloandri viri de literis & legali Philosophia benè meriti, magno studiosorum damno, immatura morte nobis præreptì: tum inclytissimæ illius Reipublicæ Nurembergensis, quæ tali viro publicis stipendiis sumptus ornando legali instrumento suppeditavit, cujus gloriæ ne mica quidem est in hoc tam vasto regno. Quippe supra duodecim annos famam in amplissima foro, & aureæ illius messis post diuturnum studium & usum facultatem nactus, in ipso progressu quo ad opes & honores hoc tempore itur, his postergatis omnem operam meam converti, ut vel stipendiis meis Philosophiam hanc repurgatam & parabilem redderem. Sed exinde assiduis bellorum cladibus conturbato honorario censu, nil promovendæ rei spei supereſt; adeo nulla habetur gratia, ut etiam hæc meditans non minus tributis frequentibus vexer, quam si rei factitandæ intenderem; nec pensi habent, tantum his studiis detrahi, quantum viatico meo (unde illa sustento) detrahitur: Sed ad rem. Plus dico, quòd etiamsi lectio Haloandri in hoc esset vera, & non adulterina, nihil adhuc concluderet contra sententiam nostram: quia adhuc textus ille novus non loqueretur de dupla centesima, sed de duplo centesimæ. Et sic deberet intelligi de duplo in quo inest simplum, quod in idem cum veteri & communi lectione recidit: & probatur, tum ne quid exorbitans à cæteris juribus tacitè inducatur: tum quia regulariter in jure duplo inest simplum, ut *suprà numero* 46. Et sic ea verba duplum centesimæ, sive transitivè, sive intransitivè intelligantur, non concludent esse duplam centesimam, sed unam duntaxat centesimam, quæ in sui fine duplum cum forte conficit, nec ultrà progredi potest. Et sic tantum abest, ut ea nova lectio sententiæ nostræ adversetur, ut eam magis confirmet, & extendat procedere indistinctè, etiamsi in dies singulos, aut alia quavis solita vel insolita formula concipiatur vsurarum stipulatio, ut mox dicam. Nihilominus placet communis litera. His scriptis, editionique paratis, prodierunt in lucem libri septem *Parergôn* Alciat. qui lib. 6. *cap.* 15. nobiscum sentit, communemque literam sequitur, & Accursii transpositionem reprehendit; quam tamen Accurs. numquam fecit, sed Budæus, & post eum Haloander. Quare puto ibi mendum esse, & Alciatum non de Accursio, sed de Haloandro cogitasse & scripsisse. Novissimè quoque editi sunt doctissimi libri emendat. Anton. Augustini, qui *lib.* 1. *cap.* 9. communem literam tuetur. Retenta igitur veteri vera & communi litera hujus §. tota obscuritas oritur propter verbum, *ad finem.*

105. Ut autem penitissimè discutiatur, notandum quod duplex est summitas, & ut Græcè pressius dicam, ἄκμη sive supremus gradus, vel excessus finis & terminus usuræ, ut & *infrà num.* 459. Primus est in quantitate, pro rata cujusque mensis, vel alterius certi temporis successivè currentis: & ista quantitas non est uniformis, sed diversos habet gradus, ut in *d. leg. eos*, quorum summus & inexuperabilis est centesima. Secundus est in cumulo seu totali summa & periodo, seu fine finiente: & hic non sunt gradus, sed unicus & idem terminus uniformis, & eadem periodus, videlicet dupli, seu æquamenti sortis. Et quòd dico hoc extremum uniforme, fallit in unico pulchro & singulari casu. *l. jubemus in princ. vers. hoc videlicet observando, de erogat. milit. annon. lib.* 12. *C.* ubi permittitur actuario negotiari cum militibus, ita ut in singulos solidos amplius quam unum tremissem pro quocunque temporis spatio accipere non possit, sed benè minus tremisse: & sic cumulus usuræ non potest in fine cujuscumque, sive brevis, sive prolixi temporis tertiam partem sortis excedere, sed benè infrà subsidere. Tremis enim (ut pulchre ex Lampridio declarat Budæus noster in *l. quia vulgo de edi. edi.*) est tertia pars solidi, sicut semis dimidia. Alexander enim Severus optimus Princeps, qui Jurisconsultorum nostrorum consilio innocens & anæmaton gessit imperium, & ut inquit Herodian. ἀναίμονα ἄρξας, gravissima tributa à Sardanapalico Heliogabalo imposita, ad tricesimam partem reduxit: ita ut qui decem aureos sub impio Heliogabalo pendebat, tertiam tantùm partem aurei præstaret, tuncque primum semisses & tremisses formatæ sunt. Et adverte ad *l. jubemus*, quia glos. & Doctores non explicant. Ea negotiatio non est intelligenda de universali seu mercatili & quæstuaria militantibus prohibita, ut eo *lib. negotiator. ne milit.* sed de negotiatione particulari eorum quorum milites egent in expeditione, videlicet pro emendis sagulis, equis vel pro victu & hujusmodi necessariis. Et prohibetur actuarius cum eis contrahere antequam eis debitum stipendium integrè persolverit: quo in manus militum persoluto, potest ei vendere quorum indigent, vel etiam mutuare de suo pecuniam sub usuris legitimis: ita tamen ut mox quàm trientem sortis æquaverint, amplius currere non possint. Et hoc specialiter in militibus statutum est, cum actuariis vel erogatoribus contrahentibus, ne usuris mergantur,

Laus reip Nurembergensis.

ἄκμη usurarum duplex.

Tremisses.

Alexander. Anæmatos.

& ne in totum cum eis ſub dilatione contrahi non poſſit. Non autem eſt intelligendum quòd poſſint ſtatim vel etiam poſt unum vel duos annos dilationis debere ſingulos tremiſſes in ſingulos ſolidos, quod eſſet pluſquàm centeſimam inducere, & contra leges & eandem legem quæ cohibere vult uſuras non augere. Taxatio igitur illa reſpicit non curſum, ſed cumulum & finem uſuræ: quæ conſequenter ſi erat ſemis, non poterat currere ultra quinque annos, ſex menſes, & beſſem menſis, quo tempore triens ſortis æquatur. Si verò beſſalis, non poterat currere ultra quatuor annos & duos menſes, quo tempore triens ſortis æquatur, & ſic de aliis. Sed poſt *l. eos.* à Juſtiniano latam, non licuit majores ſemiſſibus ſtipulari, quia actuarius ille non erat, nec eſſe poterat juſtus negotiator: de quo in *d. l. eos.* quod non profiteretur artem quæſtuariam, militantibus & negotia & militaria tractantibus veteram. & quòd in *d. l. jubemus.* vocatur negociatio, intelligitur de privata & particulari, ſicut quælibet commutatio: quia omnis fœneratio eſt vera negotiatio, ut inf. *q.* 69. non tamen juſta, ſeu genus negotiationis per ſe approbatum, ut ſup. *num.* 58. Et hoc ſolo caſu excepto, idem & uniformis uſuræ periodus eſt duplum, in quo ſemper ineſt ſimplum, & ſic duplum eſt omnis uſuræ finis finiens, & ſuprema periodus. Quamprimum enim ventum eſt ad duplum, illic ceſſat & ſiſtit omnis uſura, qualiſcunque ſit, nec ulterius ullo modo progredi poteſt. Quo fit ut non plus tandem lucretur, qui gravioribus, quàm qui levioribus uſuris fœneratur, niſi in repræſentatione: quia quanto quis gravioribus fœneratur, tanto citius duplum recuperat, ſed non licet ſive graviore, ſive leviore uſura plus duplo conſequi: nec licet hoc duplum citeriori tempore conſequi, quàm ſecundum limites & gradus. *d. l. eos.* Et ad iſtos duos gradus ſeu terminos videlicet temporis ſeu ſpatii, & cumuli ſeu ſummæ totius reduci poteſt omnis illa triplex & multiplicirer coarctata uſurarum moderatio ſupr. *nu.* 44. cum ſeq.

106. Nunc videamus de quo fine ſeu termino loquatur hic §. *ibi ad fi. centeſimæ.* & clarum eſt quòd non loquitur de ſummitate ſucceſſiva & progreſſiva in curſu temporis, quia hoc ſatis clarè importat verbum centeſimæ. Loquitur ergo de ipſa periodo & fine curſus, ſeu termino terminante, qui propriè finis eſt: quia tunc uſura omnis deſinit currere. Et ſic ſenſus eſt clariſſimus, quòd hic tex. non loquatur de duplici, ſed de una tantùm centeſima trajectitia: & quærit, quis ſit finis curſus hujus centeſimæ, ſive uſque ad quantam ſummam poſſit aſcendere, donec ſiſtatur, hoc eſt, deſinat currere. Et reſpondet Papin. quòd finis eſt duplum. [Poteſt etiam vox *finis*, hic accipi, non pro termino finiente, vel finito, ut regulariter capitur, ſed pro quantitate, vel modo, ut *l. in inſulam.* §. 1. *in fin.* ibi *ad finem ſuperſtui*, id eſt, uſque ad quantitatem reſidui. *ff. ſoluto matri.* & in *l. alteri. de adim. leg.* ibi, *ad eum finem* id eſt, uſque ad eandem quantitatem, vel pro modo, ſeu rata; & ſic hic eſt quæſtio, de ſtipulatione centeſimæ, diurna, ſive in dies ſingulos concepta, ſed ad ratam centeſimæ.] Et ſic utrò modo accipiatur vox, *finis*, idem omnino ſenſus eſt: Et mens hujus. §. eſt generaliter definire, nunquam deberi nec currere ultra duplum, etiam in fœnore trajectitio, ſive in menſes, ſive in dies ſingulos, ſive aliter concipiatur ſtipulatio. Hic eſt verus & γνήσιος intellectus hujus §. verbis, mentique, & cæteris legibus & regulis conformis: contrà verò communis intellectus de duplici centeſima eſt contra mentem & verba hujus §. & contra reliquas omnes leges & regulas. [Sed nimis erravit Franc. Duar. *Diſp. Ann. lib.* 2. *c.* 3. putans ſemper licuiſſe, quantum quiſque vellet, ſtipulari in trajectitia: longè enim aliud periculi pretium, de quo nuper docuimus, aliud uſura trajectitia: nec ſignari meruit locus Julii Pauli, quem *in lib.* 2. *ſentent.* citat, ut pote in prima cõſtitutione digeſt. abrogatus: Et niſi etiam veteribus Romanis fœnus nauticum certos fines habuiſſet, non fuiſſet vitio datum M. Catoni Rom. Cenſori, quod in nautico fœnore modum excederet fraudem faciendo; adjuncto debitoribus ſocio liberto ſimul navigante, & negotiante, quo Cato minus damni, & plus lucri, præter modum ſolitum perciperet. ut Plut. Charon. teſtatur in ejus vita: Nec obſtat, quod de integritate Catonis ſenioris dictum *eſt ſup. num.* 41. hoc enim dicebat Cato inter cives, & contribules ſuos: Exterorum verò nullum habebat reſpectum, ut tetigi in *parte* 1. *de origine, progreſſu, & excellentia regni Francorum. nu.* 57. *Gallicè edita Lugduni, & Pariſiis anno* 1561. & Latinè *Lugduni anno* 1563.] Accipe text. ſecundum veterem communem & veram lectionem cum brevi ſcholio noſtro.

---

§. 1. *Quod in ſingulos in l. nihil intereſt, ff. de nautico fœn.*

Novus & vetus intellectus §. quod in ſingulos.

QUOD in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt, *a* adfinem centeſimæ, non ultra duplum *b* debetur.

a *Ad finem.*) Id eſt [ad rationem centeſimæ vel in ejus periodo: facit tex. in *l. in inſulam*, §. *fructus. in fin. ſolut. matr.*) ſeu cùm deſinit currere.

b *Duplum.*) Et ſic regul. *l. ſi non ſortem.* §. *ſupra duplum ff. de condict. in deb.* habet locum uniformiter in omni fœnore, etiam trajectitio, quocunque modo ſive menſtruatim, ſive dietim, aut aliter ſtipulatio fœnoris concipiatur.

107. His (ut ſuprà) elaboratis, editionique paratis, venerunt in manus meas elegantes & perutiles libri emendati doctiſſimi viri Anto. Auguſtin. Hiſpani: qui *lib.* 1. *c.* 9. dicit non eſſe vitium in communi litera *l. d. nihil intereſt*, prout jam diximus: ſed ſolum in interpunctionibus, quas ita emendandas ex animadverſione Lælii Taurelli cenſet, ut iſte §. *quod in ſingules*, non ſit §. per ſe, ut vulgò omnes libri habent: ſed ut cum *verſic. pro operis*, à quo incipere debet, ſit eadem oratio, & unica periodus, legendo ut ſequitur, Pro operis ſervi trajectitiæ pecuniæ gratiâ ſecuti, quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt, ad finem centeſimæ, non ultra duplum debetur. Ita autem punctuandum & legendum ex eo cenſet, quod nunquam in ſingulos dies uſuræ promitteerntur, ſed in menſes aut navigationem: nec aliam præterea rationem adducit. Ego quidem libenter & jucundiſſimè legi hanc animadverſionem Do. Lælii Taurelli, cujus & præfati Anto. ſtudium & induſtriam in repurgandis juris noſtri fontibus ſummè probo, maximiſque laudibus & præmiis dignam dico. Si tamen unquam, maximè in his, judicium exactiſſimum adhibendum eſt, nec ex uno aut altero veriſimili decernendum, ſed ipſa juris *ἀνάλογα* in conſilium adhibenda & ſingula ſingulatim, & rurſus ad invicem & ſimul *ἀναλογικῶς* expendenda. Quanquam in hoc primo art. non opus eſt multis contendere, utra lectio ſincerior ſit: quandoquidem utriuſque idem omnino ſenſus ſit. Patet, quia ſecundum vulgatam & communem lectionem ſenſus eſt in *verſ. nec pignora.* continuato uſque ad §. *quod in ſingulos.* quòd etiam prætextu operum ſervi creditoris, causâ trajectitiæ pecuniæ miſſi, li-

§. nec pignora.

mulque cùm debitore navigantis, non poteſt deberi major uſura quàm legitima. Sed ſi minor uſura ſtipulata fuerit, tunc ſtipulatio operum prædicti ſervi poteſt valere uſque ad id quod legitimæ, tonique uſuræ deeſt duntaxat, & non ultrà, ut in §. *in ſtipulatione.* in eadem. *l. nihil intereſt. in fi.* Et ſic probat text. ille ſingularis & pulcherrimus, quod ſicut nullo ingenio, nullo prætextu licet fœneratori aliquid intrinſecus de ſorte detrahere, aut demetere, quin tantumdem decedat uſuræ pro rata, *ut ſuprà l. eos. verſ. interdicta:* ita nullo ingenio, nullo prætextu licet fœneratori qui de quæſtu pacifcitur, aliquid extrinſecus detrahere, ſeu aliquo ſumptu vel onere extrinſeco & adventitio gravare vel onerare debitorem pro uſu pecuniæ, ultra æſtimationem interuſurii legibus taxatam, quocunque prætextu vel colore quæſito. Puta ſi creditor diffidens debitori mittat cum eo unum de ſervis ſuis, & velit aliquid ſtipulari pro operis ſervi ſui, quibus interim carebit, non poteſt, ſi ſummam legitimam uſuram ſtipulatus ſit: quod in *d.* §. *nec pignora.* pulchrè ampliatur, etiamſi creditor in eam rem pignora vel hypothecas acceperit. Dubium autem faciebat, quia jure veteri & digeſtorum licebat aliquid fœneratori, pignore accepto, vel per viam retentionis, quod aliàs non licebat, *l. per retentionem. l. pen. in fin. Cod. de uſur.* Et ſic videbatur quod ſaltem jure retentionis & pignore accepto, poſſet creditor operas ſervi ſibi ſervare. Ratio verò ampliationis duplex eſt: Prima, ne qua occaſione modus uſuræ excedatur, & debitores ultra modum legibus taxatum graventur: creditores autem ſervi (alioquin ſorte inutilis) & alimenta & operas alioquí nullas interim lucrentur. Secunda, quia quod creditor mittit hunc ſervum, non debitoris ſed ſuiipſius tantùm gratiâ facit, nec inde debitor in aliquo relevatur: igitur hoc ſumptibus creditoris, non debitoris fieri debet. Quid ergo de alimentis ejuſdem ſervi? Text. non meminit, & meritò, quia tacitè videtur actum quòd ſervus interim non ſtabit otioſus, ſed ſerviet debitori: & ſic cùm alimenta ſervi ſint vilia, non poſſunt communiter tanti eſſe, quin compenſentur cum tantulo ſervitio. Si verò ſervus erat prorſus inutilis, vel fortè tranſuehere & alibi diſtrahere volebat creditor, tunc etiam vecturam & alimenta ſervi putaverim deducenda de uſuris, & creditori adſcribenda, quatenus hic ſumptus ſimul cum uſura legitimum modum excedit, alioquin creditor qui minorem uſuram ſtipulatur, poteſt aliquod aliud onus debitori imponere, uſque ad id quod legitimæ uſuræ deeſt, non ultrà, tam reſpectu curſus quàm reſpectu cumuli ſeu periodi, quia non poteſt duplum in quo in eſt ſimplum, in fine excedi, omni onere à creditore impoſito deducto, quocunque modo, vel in dies ſingulos concipiatur uſurarum ſtipulatio, ut novè evicimus. Hic eſt clariſſimus & perfectus ſenſus *d. l. nihil intereſt. in verſi. nec pignora*, ad finem uſque, etiam ſecundùm omnem literam, & veterem & ſolidam punctuationem, de qua clarum eſt, nihil omnino immutari ex nova punctuatione Anton. Auguſ. quia ſecundùm eum, eadem oratione utrunque prædictorum æquè probatur: videlicet primum, ſecundùm communem ſententiam, quod nullo onere, nullo ſumptu poteſt debitor per fœneratorem gravari ultra legitimam uſuram. Secundum pro nova noſtra & vera ſententia contra communem, quod etiam jure digeſtorum in trajectitiis non poterit uſura creſcere ultra duplum, quacunque forma vel arte ſtipulatio conciperetur. Cùm igitur ad ſenſum legis & deciſionem caſuum non referat utra punctuatio verior ſit, non eſt contendendum, omnino veteri jam ſolitæ, & jam multis ſeculis aduſque receptæ punctuationi ſtandum.

§. In ſtipulatione.

Pandectæ Florentinæ.

108. Cùm enim Pandectæ Florentinæ (quas religioſiſſimè colendas cenſeo) nullis hujuſmodi diſtinguantur intervallis, nec ulla alia juſta ratio aut utilitas exigat, ſequitur non eſſe à recepta lectione, & punctuatione recedendum, quæ tandiu æqua & apta viſa eſt. *& eſt l. in rebus novis. de conſtit. prin.* Et ne quibuſdam fortè ſola authoritate citra aliam rationem niti videar, fortius probare queam, quod etiam ſi aduſque libri noſtri punctis caruiſſent, punctuatio noſtra melior & eligibilior eſſet, quàm nova Taurelli, & Anton. Patet, primò, quia ſecundùm novam in §. *pro operis*, reſponſum Papiniani eſſet obſcurum & imperfectum, quantum ad principalem quæſtionem, quæ eſt, An ultra legitimam uſuram liceat operas ſervi ſtipulari. Licet enim id ſatis neget quantum ad exceſſum dupli, ſi couſque perſeveret uſura, ut duplum attingat: tamen nihil decideret, nec clarè negaret dictas operas licere ſtipulari infra duplum, id eſt, quandiu uſura currens non eſt exceſſura duplum: ut qua citeriori tempore navis redit & deſinit curſus uſuræ. Quid autem abſurdius, quàm Papinian. acutiſſimi omnium Juriſconſulti reſponſum ita punctuari, ut contra morem ſuum, & peculiarem ingenii & orationis dexteritatem, aliquid obſcuri vel imperfecti ſubſideat? Secundo, quia ſecundum hoc, vertic. præcedens, ib. *nec pignora*, ſuperflueret: ſi enim ad præcedentia referatur, ubi de legirimo uſurarum modo non excedendo agitur: rogo quid operabitur? Nec enim dubium eſt ipſo jure non tenere pignora, ſi principalis obligatio non teneat. Nec elabi licet, dicendo, quòd aliquale dubium eſſe poterat, quoniam in materia uſuraria toleratur aliquid viâ pignoris & retentionis, quod aliàs non toleraretur, *l. per retentionem. l. pen. Cod. de uſur.* quodque hoc dubium ibi tollitur, quia illud per pignus vel per retentionem numquam fuit receptum, niſi infra legitimum modum: ut patet in *dd. ll.* ſupra verò legitimum modum diſertè ait lex, penitus illicitum eſſe, nec ullum pignus valere. *l. ſolutum. §. ſi in ſortem, in fin. de pignor. actionib.* Cùm igitur principium *d. l. nihil intereſt*, tantùm prohibeat fœnus excedens legitimum modum, & ſic improbum & penitus illicitum, ſuperfluum eſſet extendere etiam datis pignoribus: quia l. (præſertim Papin. acutiſſimi) non debet eſſe de indubitabili. *l. quod Labeo de Carbon. edict.* & in terminis, quando litera legis dupliciter punctuari poteſt: ita punctuanda eſt, ut operetur & decidat caſum dubitabilem, etiamſi aliàs pœnalis ſit, ut decidit *glo. Ioan. Andr. ſigu. in c. 1. ver. clarum. & ibi Gemi Phi. Fran. de temp. ordi. in 6.* dixi in conſuet. Pariſ. §. 41. *num.* 15. Sed ſi referas verba, nec pignora, ad ſequentia, ut ſit una periodus uſque ad §. *quod in ſingules*, tunc non erit ita de indubitabili, nec abſque nova & ſingulari deciſione per prædicta: nihilque obſcurum, aut imperfectum erit *in d. verſic. nec pignora*, nec etiam in §. *quod in ſingul.* immediatè ſequenti: ſed omnia erunt aptè diſtincta, clara & perſpicua. Non obſtat, quod deciſio *d.* §. *quod in ſingul.* erit ſuper inſolito, tum quia etiam ſi frequentius ſtipularentur nauticas uſuras in menſes aut navigationem: quandoque in alteram tantùm, quod fœnus Græci Hetereoplum: quandoque in utramque navigationem ſive in commeatum & remeatum, quod Amphoteroplum fœnus vocabant, ut tradit Pollux de *vocab. naut. lib.* 8. & exemplum eſt *in l. qui Romæ §. Calimachus. de verb. oblig.* Tamen non ſequitur quin quandoque ſtipularentur in dies ſingulos, ſaltem in trajectitia. Quando (ut plurimum) fiebat pactum, quòd periculum non ſpectaret ad creditorem per certos totos menſes, vel per totam navigationem, ſed uſque ad certos dies duntaxat: ut *l. in nautica l. fœnerator, de naut. fœn.* Tum quia Papinian. in eo. §. ſpecialiter & expreſſim decidere voluit, non poſſe duplum excedi, nec in trajectitia quidem licet periculum ſit creditoris, & quacunque formulâ ſolitâ vel inſolitâ concipiatur ſtipulatio. Ex quibus concludimus, communem & receptam punctuationem meliorem & aptiorem eſſe, & omnino retinendam.

Litera legis quomodo punctuanda.

[Ex

[Ex his fluit clarus intellectus, *l. nemen in fin. princ. de leg.* 3. ubi ratio dubitandi erat, quia ignorante testatrice actores ejus jam stipulati erant decem pro usuris præteritis, quæ amplius non currebant, ex eo quod sortem æquabant: & sic cumulus sortis videbatur aliud debitum per se stans in stipulatione separata, & ideo non contineri in legato, quo 10. simpliciter legatæ erant: contrarium decidit, quia est incrementum summæ legatæ: quamvis terminatum, nec ulterius crescens.] Pergamus ad alia.

QUÆSTIO V.

SYNOPSIS.

1 *Quod in reditu dicatur justum pretium latè.*
2 *Quæ sit communis æstimatio reditus fundiarii perpetui.*
3 *Verissima interpretatio, l. si quis argentum, §. sin autem donator. C. de donat.*
4 *Fundiarius reditus, reditu in nominibus consistenti præstantior, & utilior.*
5 *Bes usura gravior, justè negotiantibus indulgetur.*
6 *Constitutio Caroli V. quâ, pecuniarii reditus bessem non exsuperant.*

209. QUintò quæro de justo pretio horum reddituum, qui loco usurarum antiquarum in usum irrepserunt. Respond. Justum pretium in redditibus annuis & perpetuis, sed perpetuò ad liberam debitoris voluntatem redimibilibus notoriè statutum est, & observatur in hoc regno ad rationem duodecim pro uno. Idque non tam certis constitutionibus regis, quàm supremorum tribunalium Arestis, & utentium moribus, generaliter & in communi comprobatum. Quare non est dubitandum, quin hoc sit justum pretium. *l. pretia rerum. ad leg. Falcid.* & not. in *l. 2. C. de rescind. vend.* etiam in foro conscientiæ, ut per Jo. Gerson. *de contract. consid.* 5. ubi consuetudinem communem sequitur pro regula justi pretii. & in *consid.* 9. ait quòd arbitrio legislatoris subjacet contractuum modificatio, limitatio, vel amplificatio: & quòd formalis ratio contractuum consistit in conformitate ad leges, & in *consid.* 19. ait, quòd nullus debet censeri sapientior, quàm legislator, & sequitur Dom. Philip. Melanch. in *epit. mor. philo.* dicens legem magis esse dominam rerum nostrarum, quàm nos ipsos. Et licitos esse contractus legibus & authoritate boni & prudentis magistratus concessos, & sufficere medium & æqualitatem quam constituunt, & licere Christiano uti policitis ordinationibus. Sed ut hæc sufficiunt & concludunt ad justitiam pretii in dicta specie: ita non sufficienter illuminant intellectum, ad sciendum quid in quæstionibus particularibus connexis, & in cæteris speciebus, & reditibus (putà temporalibus) dicendum, nisi analyticó more nostro radices ipsas materiæ subjectæ excutiamus, & rem ipsam per causas suas cognoscamus. Ut igitur hæc fiant illustriora, simul & utiliora, quàm brevius & dilucidiùs fieri poterit, exagitemus primùm justitiam & æqualitatem pretii, in d. specie.

Pretium justum.

Lex domina est.

110. Agedum quòd non sit justum pretium, sed defectivum, quòd quis pro 12. aureis possit habere aureum annuum perpetuò, vel decem pro centum viginti. Probatur primò per text. optimum & rotundum in *l. 3. §. item si reip. ad Falcid.* ubi legatum annui & perpetui reditus æstimatur ad rationem trientariæ usuræ, sive tertiæ partis centesimæ, hoc est, ad rationem viginti quinque pro uno, sive ad pensionem unius anni quinquies & vicies multiplicatam. Et quòd ibi verum, justum, & commune pretium æstimetur, patet, quia in ratione legis Falcidiæ, de qua ibi agitur, verum, justum & commune pretium inspicitur. *l. pretia rerum. l. cum Titio. l. quantitas. l. in quantitate. ad leg. Fal.* & sic in *d. §. item si reip.* nihil est speciale in repub. ut ibi *col. 1. ad fi. & col. 6. n. 8.* vult Socin. qui primus post inveteratissimum errorem detectum ab Hermolao Barb. dictum. §. rectè quidem, sed non plenè explicuit, & in terminis duntaxat juris: nil enim tradit quod ad praxim & usum nostrum faciat. Igitur istud pretium duodecim pro uno, & infra dimidiam justi pretii. Et ad pleniorem explanationem advertendum, quod multùm erravit Bud. *lib. 1. de ass. char. 27. in primo excussis*, & *char. 32.* in novissimè impressis super intellectu d. §. *item si reip.* dum ex eo infert, si hodie legaretur reip. reditus octo aureorum, quòd in ratione legis Falcidiæ aut alia consimili, æstimandum esset legatum paulo minùs centum, & 50. aureis, attento quòd hodie apud nos commune pretium horum reddituum est ad rationem duodecim pro uno. Sed istud nullo modo potest accommodari ad rationem trientariæ usuræ, quæ in d. §. ponitur, pro mensura justi pretii reditus. Budæus.

111. Non tamen aberravit Bud. in calculo, sed ut erat inexercitatus in jure, præsuppônit duo erronea. Primum, quòd in d. §. specialiter augeatur pretium reditus favore reip. non autem quod commune pretium expendatur. Secundum quod Jurisconsultus in d. §. referat & mensuret augmentum pretii ad communes usuras secundum *l. eos. C. de usur.* quæ sunt semisses, & ita augmentum sit sesquiplum, prout stante eadem quantitate usuræ, si sit trientalis, ejus sors erit sesquipla ad eam quæ resultaret sortem, si usura esset semis. Et sic colligit primò, quòd in terminis juris legatum reditus perpetui factum privato debet æstimari ad rationem semissis usuræ. Verbi gratia, si sit ei legatus reditus annuus perpetuus sex aureorum, debet tale legatum æstimari centum aureis semel solvendis, & non ultrà: quia centum aurei jure communi ad rationem semissis usuræ pariunt sex aureos annuos. Secundò colligit ἀναφορὰν in terminis nostratis usus & consuetudinis, quòd si (ut ipse præsupponit) dictum legatum senûm aureorum perpetui reditus factum privato, debet hodie apud nos æstimari duobus & septuaginta aureis: & sic ad rationem duodecimæ communiter usitatæ. Ita si idem legatum factum sit reip. debet proportionaliter ad rationem sesquialteram augeri, seu ὑπεραίρειν plus æstimari, videlicet centum & octo aureis: vel quod in idem recidit, quod legatum octo reditus annui privato factum, paulo minùs centum aureis æstimandum est: sed factum reipub. paulominùs 150. aureis. Sed hîc Budæus toto cœlo erravit. Quod enim primò præsupposuit in dicto §. pretium commune augeri speciali favore reip. falsum est, ut nuper dixi: nec jura trahenda sunt ad gratiam. *l. jura non in singulas. de legib.* Secundum etiam præsuppositum falsum est, quia tempore digest. nondum facta tanta moderatio, quæ per *d. l. eos* postea supervenit: sed privati promiscuè & communiter etiam bessibus fœnerabantur, ut patet in *l. Publia. depo.* & per *to. de usur.* Plus dico, quod dato quod dicta *l. eos* præcessisset dictum §. *item si reip.* vel quod eo tempore communes usuræ fuissent besses, hoc nihil ad rhombum; quia Jurisconsultus ibi nullo modo se refert ad rationem usurarum communium vel aliarum, nec secundum eas metitur suam dispositionem. Intellectus §. item si reipubl.

112. Quinimò dico, quòd ibi jurisconſ. non intelligit ullo modo augere communem æſtimationem reditus legati, nec aliquid ſpecialiter ſtatuere: ſed ſolùm vult deſignare, quod & quantum ſit ad minimum, juſtum, commune & æquale pretium perpetui reditus annui. Utque pleniùs quàm fecerit *Socin.* & ad uſum & praxim reducẽdo interpreter text. *d. §. item ſi reip.* dico, quòd ibi Jurisconſultus intendit deſignare certam, juſtam & æquabilem æſtimationem annui perpetui reditus, perpetui inquam & non redimibilis: ſed ſicut ſi eſſet quędam plena proprietas perpetuò tantos fructus afferens. Unde cùm fructus ejus ſint perpetuò uniformes & incommutabiles, facile certam, limitatam & ſtatam æſtimationem recipit, quod nequit eſſe perpetuum in terra frumentaria vel vineata non ſolùm quia horum fructuum æſtimatio civilis, hoc eſt, indicatura fori, ſed etiam naturalis proventus, & bonitas, & ubertas tempore variatur: certus autem & limitatus pecunię reditus tutò collocatus tempore non variatur. Porrò licèt hic §. loquatur de legato certi hujuſmodi reditus in genere, & ſic de conſtituendo, vel aſſignando idoneo de novo: tamen idem eſt, ſi teſtator certum ſimilem reditum ab antiquo ſibi debitum idoneè collocatum legaverit. Idem ſi ſimilem reditum in bonis heredibus ſuis reliquerit. Idem, ſi tantundem reditus perpetui alii debeat. Semper enim eadem ratio & neceſſitas eſt æſtimationis fiendæ in ratione l. Falcidiæ, in qua totum patrimonium quantum erat, tempore mortis æſtimatur, *l. quantum patrimonii, cum l. ſeq. ad l. Falcid.* Si tamen eſſet antiquus reditus teſtatori debitus minùs tutò collocatus, aut litigioſus, aut in loco remotiſſimo exigendus, quia priùs quæcunque damnoſa, ſive originaria, ſive accidentalis qualitas æſtimanda & detrahenda eſſet, non planè procederet hic §. qui præſupponit reditum bonum, hoc eſt liquidum, tutum, in loco præſtandum, nec aliqua alia clade affectum.

Prudentia veterum Iuriſconſultorum.

113. Hic vide, ut veteres illi juriſconſulti nedum philoſophiæ & theoriæ, ſed commerciorum praxiſque, & rerum omnium politicarum fuerunt peritiſſimi, ut in omnibus juſtum ipſum medium civile & æquabilitatem ſummam ſequuntur. Non enim potuiſſet unquam, ne nunc quidem poſt tot ſecula poteſt juſtior & æquabilior in perpetuum æſtimatio fieri. Cùm enim per varios rerum ſucceſſus & inclinationes, & ſeculorum intervalla, communis prædiorum & vectigalium æſtimatio non ſoleat minus ſemel æſtimari, quàm reditium vigint annorum cumulus aſcendat: [quam æſtimationẽ multis teſtibus in regione Borbonenſi, & Arvernenſi probatà vidi anno 1543.] nec plus communiter quàm 30. annorum cumulus aſcendat, mediam ipſam viam elegerunt, æſtimando certum perpetuum, incommutabilem reditum ſuper alienis bonis prædiiſve percipiendum, quantum penſionum 25. annorum cumulus aſcendit. Non tamen intelligas, quòd iſtud pretium ſit medium in ſe, ſed minimum. Eſt quidem medium reſpectu varietatis pretii fundorum inter illud quod ſolet eſſe minus, & illud quod ſolet eſſe majus pretium fundorum: ſed reſpectu ſui, videlicet communis valoris, & æſtimationis hujuſmodi reditus, dico quòd illa ratio 25. pro uno, eſt minimum pretium juſtum: nec poteſt eſſe minus (reditu tutò collocato) quin ſit injuſtum per defectum. Et moveor, quia juſtum, plenum & communiter pretium fundi integri in loco ab externis cladibus tutò ſiti, eſt ad rationem triginta pro uno annuo, ut docet experientia, & communis hominum utilitas, ſecundum quam pretia metiuntur: quia repræſentatio ſimultanea commodi tot annorum æquipollet fundo, nec minùs communiter utilis eſt in commerciis hominum, quàm totus ipſe fundus. Et verisimile eſt etiam olim tempore harum legum, ſimile circiter fuiſſe pretium, tum per prædicta, tum quia 30. anni ſunt tempus longiſſimum & perpetuum in jure, ut *inſtit. de perp. & temp. actio. in princ.* Quòd autem juſtum & commune pretium fundorum quandoque & in quibuſdam locis à dicta ratione uſque ad viginti pro uno, & citra minuitur, id accidit vel propter vicinitatem fluminis exundare ſoliti, vel hoſtium, vel aliam cladem ſæpiùs illic quàm alibi fructus populantem: quod periculum ceſſat in hujuſmodi reditu tutò collocato. Ideò cùm etiam fructum habeat certiorem & uniformiorem, rationabiliter minorem recipit defectionem à pleno & integro pretio, quam venditiones feudorum in genere ſuo. Quare etiam ſæpè ſolent à multis plus vendi & æſtimari, quàm fundi ſimilis reditus, non ſolùm à nolentibus redimere, alioquin non redimibilem (in quibus ut pote abundantibus, & de acquirendo certantibus rationabiliter non æquè proclive eſt læſionem dici, ſicut in verdent & indigetne, ut tango *infrà quæſt.* 14. facit *l. Alienus. ad l. Fal.*) Sed etiam à vendentibus tertiò, nomen ipſum, quod nonnunquam ad rationem 40. pro uno æſtimatur, ſed tunc multùm exceditur commune pretium. Invenio etiam in *authẽ. de eccleſ. titul. §. fin autem annua.* quòd hujuſmodi reditus ad Eccleſiam ſpectantis alienatio permittitur tribus concurrentibus: quorum unum eſt, ſi vendatur ad rationem 35. pro uno. Et ſic apparet iſtud non eſſe communiter juſtum pretium, ſed illud aliquatenus excedere. Verisimile eſt autem quod excedat in ſexta parte, & ſic in quinque, tum per prædicta, tum ſicut in ſimili: è converſo permittitur in eiſdem novellis conceſſio in emphiteuſin rei Eccleſiaſticæ, diminuta ſexta parte reditus annui, ut *authent. Præterea. Cod. de ſacroſan. Eccl.* Ex quibus reſultat, quod juſtum & integrum pretium hujuſmodi reditus eſt ad rationem 30. pro uno, ſicut & fundi in tuto loco ſiti. Cum autem juſtitia hujus pretii quandam probabilem latitudinẽ recipiat, tam in fundo quàm in reditu per notata inf. *quæſt.* 14. tamen ut certior & limitatior eſt utilitas hujuſmodi reditus quàm fundi: ita hujus latitudinis fines laxiores ſunt in fundis, quàm in hoc reditu: ubi ut extremum majus poteſt dici dicta ratio 35. pro uno in *authẽ. de Eccleſ. tit. §. fin autem*: ita extremum minus dicta ratio 25. pro uno *d. §. item ſi reip.* Commune autem & adæquatum pretium ad rationem 30. pro uno annuo. Sed quid, ſi hujuſmodi reditus conſiſtat in frumento, vino, aut alia ſimili quantitate? Reſpond. Idem, modò obligatio ſit limitata, ut appareat certa, ut in *l. ſtipulationes quædam certæ ff. de ver. oblig.*

ἀναλγία Juſti pretii fundorum & redituum.

114. Nec obſtat, quòd horum fructuum æſtimatio ſingulis annis ſubinde variatur, quia dico, quòd primò debet attendi crebrior valor, & æſtimatio penſionis unius anni, quæ colligitur multis, putà 15. vel 20. annis invicem collatis temporis proximè ſequentis & præcedentis æſtimationem fiendo, & ſic crebriore & communiore unius penſionis æſtimatione reperta, deinde tricenies, ſi plenum & integrum pretium quæras: aut ad minus quinquies & viceſies in ſe ducta ſeu multiplicata, totius reditus (pro illa tamen ætate) valorem & æſtimationem colligere, juxta hujus §. æquiſſimum & practicum gnomonem. Ex his videtur pretium noſtrorum redituum de quibus principaliter agitur, eſſe minùs dimidia, imò vix tertia juſti pretii. Nec obſtat quòd ſint redimibiles, tum quia nihilominùs habitu perpetui ſunt, & actu perpetuo durare poſſunt. Igitur idem ac de perpetuis judicandum, *l. ſuſſicit.* & ibi Jaſ. *de condict. indeb. l. juriſp. in princ. de excuſ. tut.* tum quia ſi redimantur, illicò poſſunt & ſolent cum novo debitore redintegrari, & ſic ſemper continuari.

115. Probatur ſecundò, quia non poteſt meliùs dijudicari æqualitas juſti pretii reditus, quam per collationem & proportionem juſti pretii fundi, ſimilem reditum ex fructibus afferentis, & cujus pretium pro modo fructuum ſive redituum æſtimatur, *l. ſi fundus. in pr. de bonis eorum qui ſub tut. l. ſi fundum per fideicommiſſ.* & ibi Jaſ. de *leg.* 11. *l. ſi quis Cod. de reſcin. emp.* adde inf. *nu.* 167. Sed notum eſt (hæc autem dictabam anno 1542. ante maledicta hæc bella redintegrata) quòd etiam in locis ubi fundi viliores ſunt, non minoris æſtimantur,

quòd si cumulus fructuum, in 20. annis, ut in Picardiæ finibus, Flandriæ adversis, ubi vilius æstimantur propter incommoditatem limitaneorum & pericula incursionum, & tamen ad rationem 20. pro uno. At circa hanc urbem ad rationem 30. pro uno ad minus venire solent. In locis autem mediis, ut circa urbem Bellovacensem, ad rationem pro uno: Fundus enim in agro Parisiensi centum annui reditus oneribus deductis afferens, non minùs communiter æstimatur, quàm tribus millibus: & sic quantum cumulus fructuum in 30. annis ascendit, etiamsi non sit feudum nobile, nec jurisdictionem annexam habeat: quia tunc multo pluris æstimaretur. Et intra urbem, domus, quæ ultrà centum annua locari non solent, quatuor aut quinque millibus justo pretio veneunt. Et sic quantum cumulus fructuum in 40 vel 50. annis ascendit, ut præstet ruri, quàm urbi census comparare.

Judicatura domorum urbis Hierosolymæ & Parisiensis.

116. Talis videtur fuisse domorum status, valor & locatio in civitate Hierosolymorum supra mille annos tempore Justiniani, ut patet in *novell. de alienat. & emphyt. constitutione* 120. *§. hoc quoque.* ubi permittitur Ecclesiæ Hierosolymorum (ut majores reditus ruri emat) domos suas urbanas vendere, ad rationem 50. pro uno inspectis pensionibus. Et sic verisimile est Hierosolymam tum pacatissimam, & frequentissimè habitatam fuisse, ut tale pretium justum & in usu illic tum habitum fuerit, ut tanti tum illic ementes reperiri potuerint: ut & nunc in hac populosissima urbe Parisiens. [Testatur etiam Hieronymus ad *Paul. Hierof.* tempore suo celebrem, & universi generis hominum toto orbe concurrentium plenam: & prope in Bethleheem obiit, centum annis ante imperium Justini Magni.] Ex prædictis satis probatum videtur, rationem duodecimæ non esse justum pretium, præsertim cùm tutissimè prædibus, prædiisque caveatur.

Pactum redimendi diminuit de pretio.

117. Nec obstat quòd prædicta in fundis procedunt, quandò perpetuò venduntur sine facultate redimendi: sed hujusmodi reditus venduntur sub perpetua & libera facultate redimendi, quæ multùm diminuit de pretio & valore rei. *l. fundi partem. de contr. empt.* Panor. in *c. in aliquibus. n. 2. de decim.* quia fateor quòd non parum diminuit. Sed non debet diminuere adusque, imò nec ultrà tertiam, inf. *eo. quæst. 35. num. 267.* multò minùs ultra dimidiam, quoniam non auffert dimidiam partem utilitatis reditus: Pretium enim rerum & jurium augetur vel minuitur secundum quod plus aut minùs deserviunt utilitati hominum, ut per Thom. Aquin. in *tract. de usur. c. non, col. 9.* Gabr. Biel. in *quart. sentent. distinct. 115. quæst. 12* Jabolen. leg. pen. de *usur. & usufruct. leg.* At palàm est, quòd peremptiones horum reditiuum, ad rationem duodecimæ potest aliquis plus in duplo lucrari, quàm in emptionibus prædiorum. Igitur hi reditus non saris justo pretio emuntur ad rationem duodecim pro uno: præsertim à cautis illis negotiatoribus, qui nunquam emunt, nisi prædibus & prædiis abundè cautum sit, ut tam de sorte, quàm de usuris securi & in tuto sint eoque magis cùm reditus consistit in pecunia. Et sic in fructu uniformi certo & liquido, qui sine ullo sumptu & labore percipitur. Præterea notum est in communi praxi, quòd reditus fundiarii perpetui, non redimibiles, nedum intra, sed circa hanc urbem, etiamsi non sint qualitatis censualis, nec dominium directum, aut aliam utilitatem implicent, justè æstimantur ad rationem triginta pro uno: igitur si sint redimibiles, non debent minùs æstimari quàm saltem ad rationem quindecim pro uno, quia sola facultas redimendi non debet diminuere ad summum ultrà dimidiam partem pretii. Facit quod hujusmodi reditus inventi sunt & subrogati loco veterum usurarum, in quibus æquè licebat debitori onus excutere, quandocunque sortem cum usuris pro rata temporis restituendo: & tamen pretium commune usurarum erat paulò supra rationem sexdecim pro uno, & minori pretio fœnerari (nisi certis casibus exceptis) erat prorsus illicitum. Igitur justum pretium horum reditiuum non deberet esse minùs quam ad rationem sexdecim pro uno.

118. Dum hæc scribo, occurrit vulgaris illa doctrina, gloss. & Doctorum qui (sed indigestè & negligtum ut solent) dicunt, quòd de jure commun justum pretium fundi est, quantum cumulus fructuum viginti annorum ascendit per text. in *auth. de non alienan. §. si verò alicujus.* & ibi *glo. collat. 2 glo. fin. in auth. perpetua.* Et ibi Saly cet. *quæst. pen. Cod. de sacrosanct. Eccl.* Ludov. Rom. *cons. 423. propleniori col. 1.* Guid. Pap. *cons. 180. col. 2.* Jas. *l. si fundum per fideicommissum, c. 2. n. 5. de leg. 1.* Sed hæc doctrina gloss. & Doctorum est falsa: quia nullibi in jure determinatur certum commune justum & adæquatum pretium fundorum: quod etiam impossibile esset, quum sit facti, & volubilis cujusdam vicissitudinis ab incertis infinitarum inferiorum causarum & circumstantiarum casualibus differentus dependentis. Ad hoc pulcher text. in *l. 3. §. divi fratres. de jur. fisci.* Sed benè reperitur in jure taxatum pretium simplicium reditiuum perpetuorum, videlicet in summo & cum quodam excessu ad rationem 35. pro uno in *authen. de Ecclesiastic. tit. §. Si autem.* Et in minimo ad rationem 25. pro uno. *d. § Item si resp.* Ex quo satis elicitur justum & adæquatum horum reditiuum & pari ratione fundorum in tutis locis sitorum pretium esse ad rationem 30. pro uno. Non obstat dictus *§. si verò alicuius.* quia ibi casus est specialis in concessione in emphyteusim temporalem rei Ecclesiasticæ pretiosæ, sed paucorum reditiuum. Et sic ad alia præsertim longè diversa, inferre non licet, & adhuc dispositio *d. §. si verò.* non potest stare, quia si prædium dignum multo pretio, paucos autem habeat reditus, qui fieri potest, ut pensio emphyteutica, non pro modo reditiuum, sed ad quantitatem pretii totius in viginti annos distributi taxetur, quin pensio longè excedat reditus, & nullum inveniat emphyteutam? ad quod glos. & Doctores ibi non advertunt. Benè invenio in *auth. de Eccles. tit. §. si autem annuales. col. 9.* quod permittitur remota solemnitate annuum legatum Ecclesiæ, aut pio loco, super locis remotis factum, vendi ad rationem 35. pro uno, videlicet pro pretio, quòd 35. annis ex pensionibus percipi posset. Et in *authen. de alienat. & emph. §. sanctissimas.* permittitur Hierosolymorum Ecclesiæ, domos urbanas vendere pro pretio, quod ex 50. in pensionibus colligitur, ut meliores reditus emat.

Intellect. l. si quis argentum §. fin autem donator. C. de donat.

119. Sed hæc non specialem modò, sed singularem habent rationem, prout in *l. si quis argentum §. fin. autem donator. Cod. de donation.* ubi reditus annuus æstimatur quantum quindecim annorum cumulus ascendit, & specialis est ratio favore donatoris, & in casu quo non habet fundos, unde præstet reditum, meritò ne ex liberalitate sua periclitetur cautum est, ut semel solvendo præfatam summam (licèt longè infra justam æstimationem) liberetur. Et ita tenent Petrus Cy. Alberic. ibi speciale esse favore pauperis donatoris, & benè sequitur Jas. in *l. 2. § mutui datio. col. pen. si cert. pet.* in *leg. non amplius, §. cum bonorum de legat. 1.* Catelli. Cora *memorial. incip. solvi non potest.* Petr. Girard. *sing. 34.* unde valdè erravit gloss. in *d. leg. si quis, §. 1.* dum divinando intelligit de reditu temporali causà alimentorum donatarii, dumque contra text. interusurium deducit. Nec minùs erraverunt Bal. Saly. & alii indidem colligentes, justam æstimationem prædii & fundi esse quantum ascendit cumulus fructuum in quindecim annis, & male. In dicto verò *§. sanctissimas. verf. hoc quoque concedimus.* Singularis est ratio propter contingentiam facti illius temporis, ut suprà *num. 116.* ne propter alienandi prohibitionem & solemnitatem favore Ecclesiæ introductam privaretur Ecclesia utili commercio dicti temporis. Non enim ibi taxatur valor domorum Hierosolymitanarum, nec Ecclesiæ in

Intellect. §. sanctissimas C. de alienat & emph.

particulari, nèc omnium civium in communi ad rationem unius pro quinquaginta, ſed cùm tantus valor Urbanorum prædiorum illic tunc temporis inualuiſſet, viſum eſt Juſtiniano omnem ſolemnitatem & prohibitionem alienationis, Eccleſiæ favore introductam, Eccleſiæ Hieroſolymorum remittere, pro illo tempore, & quantum ad prædia Urbana duntaxat, dummodò illis ſummo illo pretio diſtractis, fructuoſiora ruſtica prædia compararet, nec tam utilem opportunitatem omitteret. Et ſic in d. §. *Sanctiſſimas*, in primo reſponſo eſt diſpoſitio localis, ſuper Eccleſia Odenſi & Tonenſi: ſed in 2. reſponſo eſt proviſio & localis, & temporalis ſimul: videlicet ſuper prædiis Urbanis Eccleſiæ Hieroſolymorum, & quandiu duraret opportunitas illius temporis. Quod dico, quia ibi libri noſtri vulgares ſunt mendoſiſſimi etiam à tempore Accurſii, & exinde corruptiores, ut deprehendi conferendo librum meum cum veteribus exemplaribus, ſed ſequenda eſt tranſlatio Haloandri. In dicto autem §. *Si autem annale.* ponitur diſpoſitio non localis, nec temporalis, ſed generalis: quia cuique Eccleſiæ, vel loco pio permittitur legatum ſibi reditum annuum in remotis ſitum, ſine alia ſolemnitate vendere duobus aliis concurrentibus. Primò, quòd vendatur ad rationem unius pro triginta quinque, & ſic pleno & integro pretio addatur ſexta pars. Secundò, quòd in ejus utilitatem convertatur: quibus concurrentibus, ſolemnitas & prohibitio alienationis remittitur. Et ſic convinci videtur pretium uſitatum reddituum noſtrorum eſſe injuſtum, & infra dimidiam juſti & æqualis pretii. Tertiò, in terminis noſtris fortioribus reperio quòd Guid. Pap. *d. conſ.* 180. reprobavit, & tanquam uſurariam annullandam, cenſuit certam emptionem reditus, quamvis ſub libera facultate redimendi, eò quòd eſſet emptus infra rationem viginti pro uno, attenta conſuetudine Delphinatium emendi reditus ad rationem quinque pro centum.

120. Ego quidem circumſcripta conſuetudine, & Conſtitutione, putarem (ut dixi) juſtum pretium redituum redimibilium, ut non redimibilium eſſe, quo tantùm reditus percipitur, quantum regulariter & communiter ex prædiis (quæ pari conditione & pretio comparari poſſent) diligenter cultis cultura deducta perciperetur: puta bis mille in reditum redimibilem centum annorum vel prædium redimibile centum annui reditus afferens. Duo verò millia quingenta vel tria millia in reditum perpetuum centum annuorum non redimibilem, vel in prædium non redimibile centum annui reditus vel circà. Ita tamen ut propter liberam & perpetuam facultatem redimendi non diminuatur juſtum pretium, niſi in quarta vel tertia parte, vel ſaltem ad ſummum, non ultra dimidiam. Et ſecundùm hoc in locis populoſis ſolida pace & politia fruentibus, ut hîc ubi prædia communiter æſtimantur ad rationem triginta pro uno, inſpectis fructibus: juſtum pretium reditus perpetui non redimibilis tutò collocati, non eſſet minùs quàm triginta pro uno. In locis autem mediocribus, ubi prædia communiter væneunt, ad rationem viginti quinque pro uno, juſtum pretium perpetui non redimibilis reditus eſſet ad eandem & non minorem rationem, ut *d.* §. *Item ſi Reip.* ubi non potuiſſet Juriſperitus majori & in commune juſtiori æquabilitate reſponſum ſuum temperare. Quare non puto quicquam ibi ſpeciale, ſed generaliter obtinere in omni ſimplici annuo perpetuo non redimibili reditu, ut dixi. Si verò venditori reditus daretur libera & perpetua redimendi facultas, juſtè & notabiliter pretium diminui poſſet, ſed non infrà dimidiam. Hæc eſſet mea ſententia, quæ manifeſtam habet rationem & æqualitatem.

121. Fateor quòd naturaliter & de ſe utilior eſt emptio prædiorum: quia per reditus cum ſolo, hoc eſt cum pleno dominio & poſſeſſione fundi, in multis notabiliter præſtantior eſt, & ad longè plures uſus & commoditates hominum deſervire poteſt: putà habitationis, oblectationis, exercitii, valetudinis & reditus & imperii œconomici, & variè diſponendi liberæ facultatis, [& quia non ſubeſt furibus, & multis cladibus quibus mobilia ſubſunt] quàm ſimplex reditus abſtractus ab omni dominio & poſſeſſione ſoli, & in ſolis nominibus conſiſtens, furibus, igni, fugæ debitorum, & aliis periculis obnoxius quibus vacant prædia & eſt text. in *l. magis puto*, §. *nec paſſim. de reb. eo.* ubi prædia minoris ære alieno laborantis prohibentur alienari, ſi minor habet reditus & obventiones, quæ tanquam viliora prius diſtrahi jubentur. Sed tamen in uno alio præcellunt reditus tutò collocati, videlicet ob uniformitatem & certitudinem præſtationis, quæ [ſi non fallat, ut quando tutiſſimè cautum fuit] nec periculis nec ſumptibus, nec curæ culturæ (quibus prædiorum reditus obnoxii ſunt) ſubjacet. Et ſic compenſatione facta eorum, in quibus excedunt & exceduntur invicem *inæqua* ferè adæquantur.

122. Verùm quia publica non tam utilitas, quàm neceſſitas hominum exigit eſſe uſum aliquem promiſcuum, & commercium parabile pecuniarum, tam ad negotiandum quàm ab inopinatis neceſſitatibus occurrendum; ipſaque publica juſtitia exigit certam præfigi metam, quam excedere non liceat: juſtè & prudenter uſu & conſuetudine cordatiorum civium, & ſupremorum judicum hujus regni taxatum eſt ſummum pretium horum reddituum, ad rationem duodecim pro uno, non quin pretium poſſit eſſe majus, ſed quòd nullatenus liceat minoris emere, nec ultra duodecimam ſortis partem in anno ſtipulari vel exigere. Verum eſt quòd ſi ſola reddituum æqualitas in collatione & proportione ad prædia expenderetur, juſtius erat taxare ad rationem quindecim pro uno, quæ æquabilior eſt, ut ex prædictis liquet. Sed quia quadamtenus habenda fuit ratio eorum (quæ major turba eſt) quibus licèt deſiit aut voluntas, aut idonea occaſio pecunias collocandi in emptiones prædiorũ, malunt tamen inde aut negotiari, aut negotiantibus in ſocietatem dare, quam ab egentibus etiam prædibus & prædiis tutò caventibus, emere reditus paulò leviores quibus minor ſpes tum quæſtus, tum redemptionis affulgeret: tum quia in univerſum prudens legiſlator communem omnium commerciorum curſum, & omnem omnium utilitatem ex æquo curare & providere debet, juſtè taxatum eſt ad rationem duodecimæ: nec eſt iniqua hæc taxatio, ſed omnibus conſideratis, in communi æquabilis. Nec obſtat quòd plus tertia parte excedit ſemiſſes, quæ ſunt communes & regulares uſuræ, de jure communi taxatæ, in *d. l. eos.* Imò etiam aliquantulum excedit beſſes, ut patet in abaco: quia reſpondeo, quòd etiam jure communi digeſtorum ante *l. eos.* beſſes fuerunt communiter omnibus licitæ, ut ſuprà dictum eſt. Unde ſatis eſt quòd hæc taxatio congruit beſſibus, nec eas excedit, niſi fortè in tam modico, putà ducenteſima octogeſima quarta parte uſuræ menſtruæ, vel viceſima quarta parte penſionis annuæ, ut tam modicus exceſſus conſiderari non debeat: tum etiam ob aliud videtur hic reditus uſura beſſe levior, in qua debitor remanet obligatus ad ſortis reſtitutionem, ad quam poteſt cogi ſub modificatione, de qua ſuprà *num.* 81. Sed in hoc reditu nullo modo obligatur ad ſortem, nec unquam reſtituere cogi poteſt, etiamſi incipiat labi facultatibus, & prædes & prædia ſuppoſita pereant, ut in *extravag. Regiminis. de emp. & vendi. in communibus.* Sed iſtud levamen alio multo graviore pondere compenſatur, quia antiquæ illæ uſuræ nunquam ultra quantitatem ſortis currebant, ſed mox cùm eò ventum erat, ceſſabant etiam ſolutis uſuris computatis *num.* 47. At hi reditus ſemper etiam in infinitum currunt,

quòd est pauperibus debitoribus gravissimum. Non autem erat tam grave, quòd poterant interim cogi ad sortem : tum quia ad hoc rarissimè urgebantur, quandiù solvebant modicas illas usuras : tum si contingebat urgeri, non poterat præcipitanter fieri, *ut supra num* 82.

123. Et hoc observando veteres illæ legales usuræ cum omni sua moderatione de qua suprà *num.* 43. *cum seq.* benigniores, leviores & utiliores essent debitoribus temporario usu æris alieni indigentibus : quàm novi isti earum succedanei reditus ad rationem duodecimæ. Tum propter leviorem quantitatem pensionis currentis, tum quia cessat omninò currere, quam primùm sortem æquavit, tum sæpè emptores reddituum tot talibusque prædibus sibi cavent, ut quandoque debitores à dictis fidejussoribus magno suo damno cogantur importunè redimere, ut infrà *q.* 30. Proinde licèt justiores & æquiores essent usuræ civiles & moderatior *l. eos.* justum tamen fuit hos reditus omnibus indifferenter concedi, etiam remotis distinctionibus personarum de quibus in *d. l. eos.* ne fortè ditiores & honestiores videntes sibi minus quam negotiatoribus tribui, recusarent prorsus hoc subsidium vel indigentibus, quorum utplurimùm magis interest cum ditioribus & honestioribus negotium habere. Tum qui liberaliori & generosiori sunt animo, facilius ad minoris fœnerandum inducuntur, putà ad rationem quindecim pro uno (ut quidam æquiores faciunt) dum vident se gratiam impartiri & liberalitatem exercere, quàm si eisdem pluris non liceret. Novi ipse quosdam honestos viros, qui cùm emerint ad summam rationem duodecimæ, non tamen solent hoc summo jure exigere, sed circiter rationem unius pro quindecim : reliquum liberaliter debitoribus grato animo solventibus remittentes, quod valdè honestum est & laudabile. [Contra hodie tanta est infidelitas debitorum, qui plures infideliores heredes relinquere solent, ut longè tutius, & utilius sit in emptiones prædiorum pecuniam collocare.]

Duodecim. summa est.

124. Ut autem in reditibus, quandocunque redimibilibus perceptio unius annui pro duodecim sortis est justa : ita & suprema, & quam nullatenus augere vel aggravare licet, nec in quantitate, nec in qualitate pensionis, aut adjecti oneris, sive in accelerando tempore primæ solutionis, sive in restringenda libertate redemptionis, aut aliàs quocunque modo vel prætextu, etiamsi debitor nullis prædiis prædibúsve cavere possit, utcunque pauper sit, quin sit vitium usuræ superabundantiæ, vel incrementi illiciti. Unde creditor sive emptor nullum aliud commodum à debitore exigere potest, nec directè, nec indirectè, nec per se, nec per alium quovismodo, ultra præfatam taxatam pensionem, quin sit usurarium & restitutioni subjectum : secùs si emptor non stipuletur pensionem, nisi ad rationem quindecim pro uno, vel infrà, quia tunc poterit licitè stipulari aliquod aliud commodum, dummodò simul cum pensione non excedat rationem unius pro duodecim, ut *supra num.* 107. In quo dico habendum respectum, non ad commodum aut versum in rem creditoris, sed ad incommodum & onus debitoris : ita ut ad summum non gravetur nec oneretur facto creditoris ullo modo, ultrà quàm sit onus istud unius annui pro duodecim. Quòd si forsan extrinsecùs præter formam contractus sine facto vel culpa creditoris in aliquo gravetur, non est in consideratione quantum ad justitiam ipsius contractus. Et quemadmodum in æquissima *d. l. eos ad fi.* non licebat creditori de pecunia fœneratitia quicquam demetere vel retinere siliquarum vel sportularum nomine, aut alio quocunque prætextu, quin hoc cederet damno creditoris, & in diminutionem sortis, & futurarum usurarum : ita & hodie nihil quocunque colore detrahere licet de sorte, imò nec differre : nec unquam incipiet currere reditus, nisi pro rata pecuniæ, quæ in manus & liberam potestatem debitoris pervenerit.

125. Advertendum etiam, quòd meo judicio bonum esset statuere, quòd supremi illi reditus, minimo illo pretio duodecim pro uno empti essent redimibiles, pluribus saltem duabus vicibus æqualibus : & hoc triplici ratione. Prima propter rigorem & gravitatem reditus, quod ultra prædicta ostenditur, quia jure civili & communi per *d. l. eos.* summa & gravior usura, & quam nullo modo excedere licebat, erat bessis. Patet quia nec tantillum ultrà stipulari licebat, nisi stante gravi & continuo sortis & usurarum periculo penès creditorem ut in trajectitia, quæ non est mera usura, quia non percipitur propter simplicem usum pecuniæ, nec propter nudum interusurium medii temporis, sive in damno, sive in lucro cessante consulentis : sed propter aliam justissimam, imò præponderantem causam, videlicet, susceptionem gravis & continui periculi marini. Relinquitur ergo quòd usurarum legitimarum, quæ propter temporarium usum pecuniæ, seu pressiùs propter utilitatis & commercii interusurium præstantur, summa gravior & rigorosior de jure communi est bessis, unde nec ista tanquam nimis gravis omnibus conceditur : sed justis & veris negotiatoribus duntaxat, quibus lucrum pro tempore non facere de pecuniis & industria sua est verum damnum incurrere, ut suprà diximus *num.* 28. Summa autem & gravior, quæ communiter esset licita, non poterat excedere semissem centesimæ. Verùm hujusmodi duodecima nedum plus tertia sui parte excedit semisses, quæ solæ erant communes; sed nihilominùs hæc est communis, & adhuc aliquantulum excedit besses, quæ erant summæ, nec omnibus licebant. Igitur negari non potest, quin etiam jure civili inspecto, hujusmodi duodecima sit exorbitans, ex quo communiter permittitur, licèt excedat besses, saltem est valdè gravis & rigorosa. Unde meritò cùm sit ἀσαφὴς, torúmque periculum sit solius debitoris, vel in hoc relevari deberent debitores, ut possent sortem restituere, & se liberare per plures, saltem duas vices. Secunda, quia etiam ante centum viginti annos non reputabatur reditus hujusmodi licitus, nisi concurrente facultate redimendi, non una & simplici, sed per plures vices & portiones, ut patet *in d. extravag. regiminis.* Tertia, ut homines allicerentur ad mitiùs fœnerandum, videlicet ad rationem quatuordecim, vel quindecim pro uno vel suprà elevando, quibus casibus licitum esset pacisci, quod non liceret redimere pluribus vicibus, sed semel tantùm & integraliter. Et ego tam in judicio quàm extra vidi, multa instrumenta antiqua, ante sexaginta vel quinquaginta annos confecta, quibus etiam mercatores hujusmodi reditus emerant ad rationem quatuordecim pro uno, & circà : ita quòd frequens tum erat etiam majori pretio duodecima emere.

Bes est summa usura.

126. Cæterùm de reditibus, quæ civitas aut Resp. sub pacto redimendi ad subveniendum publicis necessitatibus vendit, ut per Federic. de Senis. *cons.* 303. *incip. quæst. vertitur inter cives.* Pau. *cons.* 189. *præsens dubium lib.* 1. Ant. Butrig. *cons.* 17. *occurrentibus.* Petr. Anchar. *disput. incip. antiquis.* Laur. de Rodul. in *tract. de usu. q.* 14. & in *quæst. montis.* Archiep. Flor. *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 11. mihi non videtur æquum, quòd cives emant à sua Resp. ad summam rationem duodecimæ, sed quintamdecimã sufficere : non quin duo decima sit vel hoc casu justè, maximè cùm soleat ea emptio ab invitis exigi, quod pretiũ diminuit *l. Item si verberatũ* §. 1. & ibi Angel. *de rei vendic.* facit text. in *l. non enim ff. de act. rer. amot.*, sed publicæ honestatis & utilitatis ergò. Sic enim fiet, ut minùs graveturResp. utque citiùs redimere poßit : tum majus erit levamen, quod ex hac moderatione accedet ærario & Reipublicæ quàm sit gravamen, quod ex hac diminutione reditus inferetur particularibus civibus, in quorum etiam commune commodum redundabit, quia leviora erunt portoria & vecti-

Resp. favor.

vectigalia quæ à populo ob dictorum reditnum contributionem penduntur. Et istud intelligo dummodò emptiones hujusmodi his demum qui commodè facere possunt, indicentur non si indigentibus vel angustia rei familiaris pressis, quibus ob id mutuari, versuramve facere opus esset, ut mihi accidit. Offero tamen mihi debitos à civitate reditus ad rationem decimæ quintæ reduci: dummodo mihi restituantur, quæ mutui vel alterius indictionis nomine à me frequenter exacta sunt: à me, inquam, nulla prædia possidenti, sed sumptibus propriis solo labore multis casibus obnoxio qualitis familiam alenti, idque quàm parcissimè, quo plus & laboris & temporis supersit ad hæc & alia quæ meliori majora in ornatum & commodum ingratæ, nullíusve Reip. componenda. Scio hæc (ut omnia studia mea) ab improbis, qui sub hoc infœlici Despotiâ nimis multiplicati sunt, irrideri, sed bonos & virtutis zelatores alloquor, quos plures esse scio, qui miseram & diuturnam hanc Reipub. & bonorum studiorum vicem doleant, suamque Reip. politicam ἰσονομίαν, & virtuti dignitatem quamprimis reddi desiderent: quod faxit Deus.

Liberalis oblatio.

127. Rursus advertendum, quod in regionibus in quibus rariora sunt commercia, & minora lucra quæstuaria, quia non solent illic homines tam assiduè & latè negotiari, prout solent in Italia, Gallia, & circumjacentibus locis, necesse est in præfatis regionibus minorem esse usum, & minorem necessitatem, & consequenter minorem utilitatem æris alieni, prout usuvenit in superiore Germania. Et consequenter cùm debitor istic non sit tantùm ex sorte, vel ejus occasione lucraturus, sicut in his locis, non est justum creditorem ibi tantum lucrari ex hoc fœneratitio usus pecuniæ quæstu, sicut apud nos. Unde non debent ibi usuræ, sive reditus empritii, qui earum loco successerunt, esse tam graves sicut hîc; sed leviores, prout ibi pecunia, hoc est usus pecuniæ & quæstus, qui ex ea fieri potest, est vilior. Quamobrem in superiore Germania reditus etiam quandocunque redimibilis, non justè emeretur ad rationem etiam unius pro sexdecim, licet apud nos hæc ratio esset justissima, & valde moderata, utpote cum non sit nisi dodrans duodecimæ, quia adhuc secundùm hanc rationem creditor ibi nimis lucraretur suprà & ultrà, quàm sive emptione prædiorum, sive aliter negotiando communiter istic superlucrari liceat. Unde ibi justissimè, & prudentissimè & summa æquabilitate in conventu Vvormaciensi publico solemnique decreto Germaniæ nobilissimæ illius politiæ concessum est, ut centum florenis emantur quinque floreni annui reditus, declaratúmque quæstum usurarium & illicitum fore, si minori pretio emeretur, ut refert Joan. Æpinus, *Psal.* 15. Et intelligendum de reditu quandocunque ad voluntatem debitoris redimibili. Et istud demum, non autem minus pretium justum esse censet Conradus Summenhar Tubingensis *tract. contract. q.* 33. *& q.* 84. Et debet intelligi secundùm usum & modum Germaniæ, ubi scripsit. Idem tamen Conrad. *q.* 83. *concluſ.* 2. refert, quòd olim & centò annis ante tempus suum consuetum fuit in quibusdam civitatibus Germaniæ dare quindecim florenos pro reditu redimibili unius floreni. Et nondum centum anni in Delphinatu non licebat minoris emere hos reditus etiam sub libera & perpetua facultate redimendi, quàm ad prædictam rationem viginti pro uno. Ut consultus Guido. Pap. Jurisconsultus Delphinas consuluerit *conſ.* 180. emptionem hujusmodi reditus ibi minoti pretio factam, prorsus nullam & usurariam. Quæ ratio respondet quincuncuali usuræ, quam etiam Satyrici modestam vocant, ut *inf. nu.* 531. quod notandũ ad plenam hujus materiæ intelligentiam. [At in Comitatu Burgundiæ Carolus V. Germanorum Imperator, & Comes Burgundiæ, Constitutione publicatâ in Senatu Dolano 19. Decemb. anno 1545. statuit, reditus pecuniâ constituros non posse excedere 8. in centum quæ est ratio bessalis usuræ, sive reditus, sive redimibilis, sive non (scilicet ex pacto) quia tacitè censentur esse redimibiles, etsi cautum non sit: quod extendit etiam ad præteritos reditus, ut cùm eandem rationem inducunt, non solum pro tempore futuro, sed etiam pro tempore præterito: ita ut ultrà eam rationem ante dictam Constit. solutum deducendum sit super futuris, scilicet reliquis; non autem intelligas super sorte, nisi statim redimeretur, sed & ea regio non est multùm commercialis.] Ex his habes omnem rationem & justitiam veterum & recentium usurarum noviter excussam. Et præterea quid dicendum de reditibus pecunia constituris, videlicet quod apud nos ad constituti rationem duodecimæ, nedum in judiciis; sed etiam in conscientia sunt liciti, dummodò non sint fraudulenter empti, hoc est ad exhauriendum facultates proximi & cumulatis usuris extorquendum ejus prædia, nec scienter exigantur ab eo cui aliàs gratis mutuandum vel eleemosyna subveniendum est, nec præstetur fomentum ignaviæ decoctorum, nec luxuriei adolescentium.

Decretum Vvormaciæ

128. Item quòd nedum naturaliter, sed (ut ita loquar) essentialiter semper sunt redimibiles, nec in contrarium paciscí, aut ullo tempore præscribi potest, quoniam hæc libera & perpetua redimendi facultas necessariò requiritur ad justitiam & tolerabilitatem horum reditnum: quod verum puto, etiamsi ad rationem unius pro quindecim vel octodecim, vel suprà (infrà rationem unius pro viginti) constituti sint, ut etiam nullo pacto, nec temporis lapsu possint fieri non redimibiles, quia infrà rationem viginti pro uno parum absunt à semissibus usuris, & precium nimium deficit ab æqualitate & valore reditus perpetui non redimibilis, ut notum est. Siquidem commune & legale hujus pretium sunt viginti quinque pro uno, quæ est ratio trientariæ usuræ & civilis indicatura perpetui non redimibilis, text. *d. l.* 5. §. *ult. ad leg. Fal.* De reditu autem unius pro viginti, quæ est ratio quincuncis usuræ & citrà, infrà trientariam, non ausim pronunciare semper redimi posse, etiam citrà pactum, quia non ita multum recedit à civili pretio, & sunt regiones in quibus tanti possunt emi prædia similis reditus. Veruntamen in istis reditibus pecunia constitutis, longè facilius expenditur, & minus toleratur inæqualitas, quàm in reliquis omnibus commerciis. Præterea tanquam succedanei usurarum, & servitutes imposititicæ, semper odiosi sunt, & favorabilis redemptio. Quare magis inclinarem ut semper redimi possent, etiamsi cautum non esset: imò etiamsi contrà cautum sit, nisi sint constituti ad rationem viginti quinque pro uno quod ultimum aliter non determino, quoniam negotiorum, regionũ, & aliarum circumstantiarum varietas eandem & perpetuam certæ taxationis formulâ non admittit, ut inquit Scævola in *l. Mævia* §. *uxore de annuis & menſt. legatis l. de acceſſionibus in prine. de diver. & temp. præſcript.* Nec est meum de quoquam determinare sine concludenti ratione aut æquitate. Postremò ex prædictis habes, quòd hi reditus semper sunt odiosi, quantacunque pecunia constituti. Sunt enim usurarum succedanei, eoque magis vel minus, quo viliori vel majori pretio empti sunt, tanto enim magis fœnori improbo accedunt vel recedunt. Omnium igitur odiosissimi, prout & durissimi sunt ad rationem unius pro duodecim empti. Et quod dictum est de debitore seu venditore, ut sine vitio non possit onerari nec astringi ultra onus simplicis duodecimæ, ampliandum in ejus successore, sive universali, sive particulari, putà fundi specialiter hypothecati emptore, novam recognitionem, quam titulum novum vocant, faciente. Nunc occurrebat de justitia, vel injustitia, & pretio reditnum temporalium novè discutere: sed ne nimium remoret, praxis magis quàm theoriæ cupidos, placet primum particulares & quotidianas quæstiones horum consuetorum reditnum decidere, incipiendo à paucis levioribus, deinde scandendo ad plures arduas, itaque.

Perpetua redimendi facultas.

QUÆSTIO SEXTA.

SYNOPSIS.

1. *An domini directi civiliter laudimia exigant à censuariis propter redituum venditionem.*
2. *An appositio pacto de redimendo reditu creditori debitor legales sumptus refundere teneatur.*
3. *Quid de laudimiis.*

SExtò quæro de pactione usitata, de qua solet fieri instrumentum ejusdem datæ, qua debitor promittit creditorem exonerare ab omnibus laudimiis & aliis similibus juribus vel angariis, & pro eo si opus sit, solvere. Respondeo breviter, hanc pactionem in se usurariam & illicitam esse, quia istud est proprium onus emptoris, ut notat Alberic. *l. & ideo de cond. furt.* Bald. in *rub. C. de reb. cred.* Alex. *consil.* 51. *visis lib.* 3. Plenè dixi in *consu. Paris.* §. 23. *num.* 7. §. 55. *gloss.* 2. Unde iniquè & sine causa rejicitur in venditorem, præsertim quando emptor emit vili pretio, ut in casu hujus duodecimæ, in qua non potest esse minus nec vilius pretium, etiam nullo alio onere supra reditum adjecto venditori. Benè fateor, quòd tunc potest esse justum istud pactum, si emptor contemplatione oneris suscepti per venditorem det ei majus pretium, vel minorem capiat reditum, vel quid aliud æquipollens faciat, aliàs non. Unde potest esse justum & tolerabile pactum, si ematur reditus ad rationem unius pro quindecim, vel suprà? sed si ad rationem duodecimæ, omnino injustum in se, non tamen vitiat contractum: sed vitiatur, cùm sit separabile *l. penult. de usur. d. l. eos ad fin.* Verum est tamen, quòd istud pactum in se mero jure supervacuum est, quantum ad laudimia, quia de venditione & constitutione horum reddituum etiam specialiter super certis fundis censualibus, nulla laudimia nec alia jura dominis directis fundi suppositi debentur ut novè & clarissimè probavi in *consuet. Paris.* [super §. 58. *& tribus immediate sequentibus*, quia d. articuli, & similes in aliis consuetudinibus hujus regni debent (ut semper docui) intelligi] in reditu non redimibili, vel redimibili ex accidenti super fundo censuali vendito, vel ad unum fundum limitato, secus in hoc reditu usurarum succedaneo, cui essentialiter inest libera redimendi facultas, qui non censetur pars fundi supposiri, nec res immobilis, sed potius mobilis, & conductio usus pecuniæ, nisi quoad quædam, *ut ibi plenè dixi, & fac. infrà quæst.* 69. *num.* 444. [Et ita secundum hanc sententiam nostram judicatum fuit in præfectura Ambianensi mense Aprili, anno sesquimillesimo quadragesimo nono, post Pascha, & censuarius absolutus à petitione domini directi perentis laudimia à censuario, qui hujusmodi reditum super fundo censuali constituerat: Et ita tandem generali decreto Senatus Parisiensis opinio mea comprobata, & secundum eam correcti & emendati quatuor articuli, videlicet 55. 59. 60. & 61. Consuetudinis Parisiens. Arresto solemniter lato die 10. Maii anno sesquimillesimo quinquagesimo septimo, ut scripsi in 2. *parte Consuet.* §. 58. Ita etiam debet restringi *Consuet. Nivernensis, tit.* 4. *De feudis.* §. 25. videlicet ad aliam speciem reditus tanto pretio constituti, ut possit esse non redimibilis, ut novè docui in *cons. Paris* §. 59. *num.* 10. *&* §. 58. *q.* 4. Multi domini directi etiam Ecclesiastici olim me consuluerunt volentes laudimia exigere ratione horum vulgarium reddituum, meque audito, desliterunt. Et ità debet intelligi *cons. Meldunens.* §. 142. *cum seq.* Et ità corrigendæ sunt erroneæ Consuet. Trecarum §. 38. 39. Victriacum §. 31. Calvim. §. 24. Avar. seu Biturig. *tit.* 6. §. 8. nisi restringendæ ad reditus vicesimæ, vel majoris sortis, qui possunt esse non redimibiles ex genere fundi: & sic faciunt perpetuum præjudicium domino directo.] Nec unquam vidi, nec à majoribus audivi de facto exacta fuisse quædam laudimia de venditionibus horum reddituum super certis prædiis censualibus, licet sint & fuerint frequentissimæ. Hoc etiam esset injustum, cum hoc casu dominus directus ex hac simplici hypotheca nullum omnino præjudicium patiatur, ut in *dicto* §. *ostenditur.* Porrò licet non soleat hujusmodi frequentissimus contractus sine tali pacto iniri, tamen hujus pacti frequentia non processit initio ob aliquem justum metum laudimiorum: sed ex avaritia & sedulitate tabellionum, qui solent ultrò creditorem hujus pacti commonefacere, ad hoc ut multiplicatis instrumentis majus lucrum ferant. Ex hoc sequitur istud pactum non solùm esse nullum, sed etiam supervacuum: nec posse creditori prodesse, sed bene quandoque obesse, cum aliis pactis & sinistris conjecturis per notata *infrà eod. quæst.* 50. *cum sequent.* Pulchrè autem procederet quæstio, si hujusmodi contractus fieret in locis, in quibus de facto vigeret statutum, quòd de omni contractu deberet solvi gabella, quia nihilominus teneretur iste emptor de suo solvere, non obstante pacto. Plus dico, quòd si debitor sive venditor initio de facto solveret, vel aliàs facto suo exoneraret creditorem, non curreret reditus nisi pro residuo pretii remanentis libere & efficaciter debitori. Et istud quandocunque opponi posset per text. in *d. l. eos versi. sta si quis.* Consequenter fatus sunt creditores, qui dictum pactum apponunt, quia si supervacuum est, ut est, sumptum superfluum faciunt; si verò de facto faciant debitori aliquid ab initio ea ratione solvere, debebit illud deduci de sorte, nec curret reditus nisi de residuo.

Laudimia.

Arrestum.

130. Item quid de quadam vulgari clausula, in eodem instrumento apponi solita qua venditor seu debitor in casum redemptionis tenetur omnes legales sumptus refundere? Videtur enim injusta in hoc summo reditu duodecimæ, in quo libera facultas redimendi est de necessitate justitiæ & æqualitatis contractus. Cùm autem celebretur gratia utriusque, sequitur quòd non debent omnes sumptus rejici in alteram partem, præsertim miserabiliorem; sed saltem debent esse communes æqualiter, nec concessio facultatis redimendi videtur justa causa sese exonerandi ab his sumptibus, quia hæc facultas non datur de gratia, sed de necessitate, sine qua contractus ex parte creditoris esset nimis excessivus & injustus. Tamen dicendum clausulam hanc non esse injustam, ex quo facultas hæc non datur post certum tempus; sed liberè & ab initio, ut possit debitor, si velit, postridie redimere: quo casu æquum est, creditorem qui nihil lucri fecit, nec facere potuit, indemnem reddi à debitore qui licet non fuerit fortè usus pecunia, tamen habuit facultatem & jus perpetuò vel quandiu vellet utendi, quod jus non habuit creditor in reditu. Si igitur justum est eum reddi indemnem ab initio, igitur & ex intervallo: quia si tempore medio percepit reditum legitimum, cantit etiam pecunia, cujus interusurium est ex dicti reditus æquamentum. Videamus ergo de effectu hujus clausulæ, & clarum est quòd extenditur ad moderata salaria tabellionum, & impensas instrumentorum inde confectorum. Sed etiam ad exonerandum creditorem ab omnibus laudimiis & aliis quibuscunque oneribus, de quo ultimo solet fieri instrumentum separatum? Videtur quod non, per

Legalis sumptus.

nuper dicta, sed certè illa procedunt, quando debitor ultis oneratur ab initio & stante contractu: quia quandiu durat reditus, debet debitor frui integra sorte, nec potest in aliquo onerari vltra duodecimam annuam partem sortis quâ fruitur. Unde non debet interim sors onerari nec diminui, nec cogi debitor ad quodcunque aliud solvendum super sortem, alioquin deinceps non curreret reditus nisi pro residuo sortis, text. *d. l. eos ad fi.* Sed quando resolvitur & finitur contractus per redemptionem, cessant illæ rationes. Et sic non videtur injustum, quòd hoc casu teneatur debitor, qui vult redemptione uti, servare creditorem indemnem à laudimiis vel gabellis: si quæ debeantur, vel etiam de facto exigi soleant etiam ab initio contractus, Quemadmodum in venditione fundi etiam minùs justo pretio: sed cum facultate redimendi, quæ propterea non datur de gratia (quæ esset supra omne dubium) sed de justitia & æqualitate contractus: tamen licèt ab initio hæc onera spectent ad emptorem, stante contractu, ut dixi in *cons. Parisiens.* §. 23. *numero* 7. tamen dum resolvitur per redemptionem, tenetur redimens hæc ab initio, sive ex intervallo redimat, indemnem ab his reddere emptorem, ut dixi in *cons. Paris.* §. 184. Adverte, hæc incidens quæstion. de se supervacua est, quia (ut dixi) in hujusmodi reditu hæc jura non habent locum quicquid adusque putent: sed quia alicubi contingere potest exigi, & ad pleniorem hujus materiæ lucem non est supervacua.

131. Dico ergo, quòd prædictis non obstantibus quantumcunque prima facie urgere videantur, hunc debitorem redimentem ad hæc non teneri, & præfatam clausulam ad ista non posse extendi in hoc reditu duodecimæ. Et moveor, quia succedaneus est antiquarum usurarum, imò multò illis gravior, unde omnis interpretatio fieri debet, ne qua debitor ampliùs adhuc supergraveturquàm constitutum & permissum sit, ne videlicet supra onus duodecimæ, quod est supremum gravamen. Unde in residuo non minùs favendum est debitori, quam olim jure communi, quando non tolerabantur nisi minores usuræ, & tamen semper licitum erat debitori se liberare, sortem cum usuris debitis offerendo, neculteriùs ullo casu gravari poterat. Igitur hodie saltem hoc relinquendum est, ut debitor sortem cum reliquis debitis offerendo liberari possit, nec teneatur ad aliud cujuscunque indictionis nomine; non obstante quocunque pacto tanquam injusto & à jure reprobato, salva impensa literarum contractus, qui tolerabilis est, quia modica & usu recepta non simpliciter nec absolutè. Sed ideò quia literæ quæ sunt in dominio creditoris restituuntur & transferuntur in debitorem, qua ratione justum est eum dictarum literarum, quas recepit, sumptum restituere: secùs de aliis. Unde si fieret pactum, quòd teneatur debitor exonerare creditorem ab omni indictione, decimatione vel tributo à civitate vel tyranno, jure vel injuria imponendo ratione reditus per eum acquisiti vel possessi, ipso jure non valeret pactum. Et hæc multò fortius procedunt, si qua laudimia vel jura solvat creditor nulla necessitate coactus, sed voluntariè, ut pro hujusmodi reditu feudum specialiter hypothecatum sit, quare ut tutior esset hypotheca, fecerit se à patrono infeudari de hoc reditu, & ei quid solverit pro investitura, quod facere non tenebatur, per ea quæ dixi in *cons. Paris.* §. 10. *nu.* 10. Tunc supra omne dubium est, non posse hæc debitori quandocunque redimenti in dictos legales sumptus imputari, & multò minùs relevia per creditorem interim resoluta, etiamsi hoc nominatim cautum esset in constitutione reditus. Non tamen vitiat contractum hæc clausula, sed in hoc tanquam usuraria, aut melius tanquam excessiva vitiatur, per notata *infrà quæst.* 90. Et hæc nisi reditus majore pretio emeretur, puta ad rationem quintædecimæ, vel alia conditione quæ eos compenset.

QUÆSTIO SEPTIMA.

SYNOPSIS.

1. *Plures eandem sortem capientes ad solidum reditum obligari nequeunt, sed pro virili portione sortis.*
2. *Plures ritè accipiuntur fidejussores.*
3. *Vi clausulæ* chacun d'eux, &c. *videri spretum divisionis beneficium.*

132. SEptimò quæro, quid de clausula, quilibet in solidum, assueta quando plures accipiunt eandem sortem, pro qua eundem reditum vendunt? Prima facie videtur injusta, & sic pro non adjecta in hac duodecima, in qua non licet quovis modo metas concessas excedere, Sed clarum est, quòd omnes non possunt naturaliter & effectualiter habere solidam sortem, præsertim quando debitores non sunt aliàs socii, nec contrahunt ratione communis alicujus utilitatis, sed singulorum: igitur singuli non possunt ad solidum reditum obligari, sed solùm pro virili sua, seu pro rata sortis ad singulos pervenientis, quia hujusmodi obligatio usurarum succedanea non potest in plus contrahi nec currere, quàm pro rata sortis, quàm quis verè recipit *d. l. eos ad finem.* Contrarium dicendum est, quia argumentum procederet, si singuli obligarentur ad novum vel alium reditum, ita quòd reditus multiplicaretur, quia tunc oporteret multiplicari sortem, vel quantitatem sortis à singulis receptæ reditum restringi: sed hic quotcumque sint debitores, non obligantur nisi ad unum & eundem reditum: & si non plus onerantur text. in *l. si duo. ff. ut leg. sive fid. nom. cau.* Et in veritate & in effectu non est nisi una & eadem obligatio, quemadmodum non est nisi unicus reditus constitutus vel debitus, *l. in duob. §. ult. de duobus reis*, licèt ea obligatio super pluribus personis vel subjectis in solidum resideat. Veluti si hæc pluribus auditoribus in schola perlegenem, non esset nisi una & eadem vox, licèt apud plures in solidum & æquè principaliter resonaret, ut novè dixi in *tract. de divid. & individ. super l. 4. de verb. oblig.* & tetigi in *consuet. Paris.* §. 2. *glos.* 4. *q.* 6. Unde ex quo gravamen non augetur, nec multiplicatur, nec etiam creditor inde plus lucratur, nullum est inconveniens creditorem unum vel plures cum reo accipere fidejussores, etiamsi æquè principaliter se obligent renunciando exceptioni divisionis & discussionis seu ordinis. Et veluti non est inconveniens plura prædia specialiter & nominatim hypothecari, licèt unum ex illis abundè sufficeret, hæc enim non spectant ad augendam obligationem, sed solum ad eam assecurandam: quare non vitiant, quemadmodum non vitiat si debitor sub instrumento garentigio executionem habenti paratam obligetur. Sic de jure *l. si non singuli Cod. de reb. cred.* habet locum non solùm in simplici mutuo, sed etiam in usurario. Et hic adverte, quod aut plures ab initio æquè principaliter contrahunt & se obligant in solidum, & creditor eorum fidem in solidum sequitur, & tunc respectu creditoris nullo modo sunt fidejussores, sed omnes principales

Una obligatio.

principales: etiamsi constet quòd ad unum tantum pecunia pervenit, ut Pulchrè Paul. *l. sed Iulianus ad Macedon.* reprobata opinione Guil. ibi. Idem Roman. *cons.* 114. habent tamen & nova constitutione beneficium divisionis, si omnes vel plures sint præsentes & solvendo: in *auth. de duobus reis, const.* 99. Aut verò primò contrahitur cum uno in totum, deinde accedit alius qui se etiam obligat, & hic est verus fidejussor, ex quo non intercessit animo novandi, & habet beneficium ordinis in *auth. de fidejussor. const.* 4. etiamsi se principalem debitorem constituerit, ut ibi tenet Accur. & benè idem Bald. *cons.* 198. *num.* 7. *lib.* 1. *decisio. Tholo. quæst.* 8. Curtius senior *cons.* 6. licet aliter teneat. Alex. *cons.* 126. *in fin. lib.* 6. *cons.* 29. *num.* 36. *lib.* 7. (secundùm dispunctionem nostram) sed malè, ut ibi dixi. Et sic iste postea etiam in eodem instrumento accedens habet beneficium ordinis; & si plures taliter accedant, habent etiam inter se beneficium divisionis, ex Epistola Adriani, nisi his beneficiis renunciaverint.

Beneficium divisionis.

133. Sed hîc quæritur, Quid si duo principaliter contrahant sub hac vulgata clausula copulativa, (*chacun d'eux un seul & pour le tout, & sans division*, hoc est uterque in solidum, & absque divisione,) utrum per hoc verbulum, & absque divisione, intelligatur renunciatum beneficio divisionis, etiamsi in toto instrumento non sit aliqua alia clausula renunciationis? Vidi multos olim dubitare: breviter dico renunciatum intelligi, non solùm quia alioquin hæc adjectio nihil operaretur contra regulam, *l. si quando ff. de legat.* 1. sed potissimè quia mens contrahentium verisimiliter non fuit apponere hanc clausulam ad designandam formam obligationis satis expressam in clausula immediatè præcedenti, sed ad designandum effectum & executionem obligationis. Tum novum istud privilegium divisionis non fuit concessum hoc casu qualificato, sed in obligatione simplici, in qua solum conventum est utrunque teneri in solidum, ut patet per text. in *novell. de duobus reis.* Ergo non debet extendi ad hunc casum ubi plus conventum fuit, videlicet quòd tenerentur in solidum & absque divisione, tum de facili fit recursus ad jus commune & priorem statum *l. si unus, §. pactus ne peteret. de pact.* Et ita puto intelligendam communem observantiam Pictonum, cujus meminit Dom. Andræas Tiraq. in *consuet. Pictan. tit. de retract. §.* 51. *num.* 10. dicens apud Pictavos observari, ut obligati in solidum absque alia renunciatione possint in solidum exigi. Quod hinc dimanasse puto, quia vulgò solet apponi vulgata illa clausula, absque divisione, quæ hoc importat, absque alia renuntiationis formula. Alioqui simplex communis observantia non ita debet accipi, nec potens est ut jus corrigat, ut dixi in *consuet. Paris. in proœmio. glos.* 1. Item an is, qui ab initio se principaliter cum altero obligavit, excluſus sit à quodam beneficio ordinis, de quo in *l. unde quæritur ff. commodati*, videlicet si doceat omnem pecuniam ad alterum pervenisse, & petat eum præsentem prius conveniri & excuti suo periculo. [Respondeo illud remedium nunquam fuit introductum, nisi ubi vià proceditur actionis, & ad vitandum circuitus multarum, & ordinariarum litium; unde non habet locum, ubi via executionis veluti post sententiam procedi potest, ut plenius dixi in *consu. Paris.* §. 166. quò remitto. Item quid si dicta clausula sine divisione discussione vel æquipollens deficit in protocollo, sed est ibi verbum abbreviatum renuncians & cætera: an possit extendi ad renunciationem divisionis, vel discussionis? Respondeo non, & ita supra sexdecim annos obtinui per Arestum supremi hujus Senatus, ut dixi, ad Alexand. *cons.* 28. *lib.* 2. Item quid si vir etiam prædia uxoris obligat & promittit quod ipsa ratificabit & se æquè principaliter sine divisione obligabit, quod postea fecit, vel sic ab initio vir & uxor simul in solidum, & sine divisione reditum constituant? Plenè discussi *in consuet. Paris.* §. 108. quò remitto, quia hoc excedit materiam usurariam. Vide tamen quæ dicam *infrà quæst.* 38.

QUÆSTIO OCTAVA.

SYNOPSIS.

1. *Ex clausula* fournir & faire valoir, *constituto omnibus bonis & generaliter reditu, novas peremptis prioribus hypothecas assignare debitor non tenetur.*
2. *Nisi debitoris dolus arguatur.*
3. *At reditu limitatim ad certa prædia constituto, extinctis hypothecis prioribus, ad nudam solutionem reliquorumque cõtinuationem debitor coarctatur.*

134. OCtavo quæro, quid de clausula Gallicè, *fournir & faire valoir*, videlicet qua debitor promittit hypothecas in futurum fore idoneas? Respondeo breviter si reditus non est limitatim constitutus ad certa prædia; sed simpliciter omnibus bonis, & quibusdam specialiter hypothecatis, tunc hæc clausula nihil addit, nihil operatur in ipso principali debitore. Neque enim somniandum est quòd debitor obligetur ad omnes casus futuros bonorum & facultatum suarum, quasi teneatur & cogi possit sortem reddere, peremptis quocunque casu bonis & hypothecis, nisi alias hypothecas vel fidejussores subroget: quoniam debitor ad hoc obligari non potest in hoc reditu, duplici ratione. Prima, quia de substantia essent ialis hujus reditus est, quòd sors omnino & perpetuò abalienetur, ut nec directè, nec per indirectum reperi possit à creditore, ut *suprà numero* 17. & *infrà quæst.* 50. *cum seq.* Secunda, quia de natura emptionis & venditionis est, ut perfecta venditione periculum sit emptoris, *l. necessariò de peric. & commod. rei vend.* Igitur semel empto & constituto hujusmodi reditu, necesse est periculum hypothecarum & facultatum debitoris esse ipsius creditoris hactenus, ut hoc prætextu non possit creditor compellere debitorem ad restitutionem sortis, vel novam assignationem, quasi novam constitutionem reditus. Non obstat *l. incendium, Cod. de reb. cred.* quia procedit quatenus debitor iste est obligatus & obligari potest, videlicet ad solutionem & continuationem reliquorum in quantitate & in genere, remota limitatione certi fundi: non autem allegari potest d. *l. incendium*, quatenus debitor non est obligatus nec obligari potest, videlicet ad restitutionem sortis, vel ad novam constitutionem vel assignationem reditus. Benèverũ est, quòd si initio mentitus fuerit se tunc esse solvendo, & creditorem deceperit, tenetur tanquam dolosus venditor in id quod interest, *l. si de date in fi. de inr. dot.* [Imo etiam ad redimendum, seu potius ad resolvendum contractum si falsas cautiones, vel hypothecas dederit, prout contractus emptionis ob

hujuſmodi deceptionem reſcinderetur, *l. & eleganter ff. de dolo*, [Et quemadmodum venditor nominis vel hereditatis tenetur, ſi ſciens actionem vel hereditatem manem, tanquam bonam & locupletem vendiderit vel affirmaverit, & emptorem deceperit, *l. hoc autem l. niſi de hered. vel act. vend.* Tenetur etiam pignoratitia vel crimine ſtellionatus, ſi res alienas vel prioribus hypothecis exhauſtas hypothecaverit, *l. cum debitore, de pignor. act.* ad quæ omnia tenetur ex natura actus ſine iſta vulgari clauſula. At reditu ſemel bona fide vendito & aſſignato, liberatus eſt debitor ab ipſa conſtitutione & aſſignatione, velut quaſi traditione reditus, nec tenetur ad novam conſtitutionem vel aſſignationem ob cauſas futuras, quarum periculum ſpectat ad emptorem *d. l. neceſſario*. Nec valeret pactum contrarium in hac materia ſuſpecta & uſuræ obnoxia, alioquin pro eadem ſorte teneretur debitor aut heredes ſui pluries conſtituere & aſſignare reditum, quod eſt abſurdum & iniquum: non diceretur vera emptio reditus, cum non ſervaretur natura emptionis, ſed magis vergeret contractus in locationem pecuniæ, ſeu veram & effectualem uſuram, omni vetere uſura graviorem.

135. Secus ſi debitor conſtitueret reditum non generaliter & abſolutè: ſed limitatim ad fructus, reditus & poſſeſſionem certi fundi, de quo dixi in *Conſuet. Pariſ.* §. 11. *num.* 15. & §. 70. Quia tunc dicta vulgaris clauſula adjecta multum operatur, quia illa omiſſa, debitor non teneretur in aliquo, perempto fundo ſuppoſito, vel quatenus ſterilis aut inutilis efficeretur: ſed adjecta dicta clauſula operatur ut debitor & heredes ſui in ſubſidium, hoc eſt perempto vel minus ſufficiente dicto fundo, teneantur, non ad ſortis reſtitutionem, vel novam reditus aſſignationem; ſed ad ſimplicem ſolutionem & cóntinuationem reliquorum. Multum etiam operatur in tertio ſingulari ſucceſſore certi fundi ſpecialiter hypothecati, qui recognitionem, quam titulum novum vocant, faceret, *ſecundum ea quæ ſcripſi in d.* §. 70. dummodo ex certa ſcientia animo augendæ obligationis hujus tertii poſſeſſoris adderetur, & hoc conſtaret, aliàs præſumitur per errorem appoſita, quia in neceſſitatibus nemo liberalis exiſtit, *l. rem legatam de adim. legat.* Talis enim recognoſcens non præſumitur voluiſſe aliud facere, quam id ad quod tenetur de conſuetudine, & ex natura priſtinæ obligationis. Puto autem certam ſcientiam probatam, ſi in eodem inſtrumento narretur (vel aliunde probetur, quod iſte recognoſcens emerat hunc fundum ad onus hujus reditus, & exonerandi ſeu indemnes ſervandi venditorem & ſuos. Non tamen hæc clauſula inducet novationem, nec quod teneatur hic tertius ſolvere, ſi deſierit poſſidere: ſed quod teneatur præſtare hypothecam idoneam & ſufficientem, & ſic in ſubſidium de ſuo tenebitur. An autem ea clauſula junctis verbis ſuper omnibus & ſingulis bonis operetur vim ſpecialis hypothecæ, nimis excedit materiam hujus tractatus, quare remitto ad ea quæ ſcripſi in *Conſuet. Pariſ.* §. 70. [Quidam, *pour un retraict ayant à faire de deux cens écus, vend, cede*, circiter, *trente livres de rente à luy deuës à* tertio, *promet fournir*: ſolvit poſtea cedens: Dicit, *qu'il trouve par ſon Conſeil du Chaſtelet, qu'il n'eſt tenu que* in ſubſidium, *& qu'il ſe prenne*, contra tertium. Idem tenet Mango, quaſi ſufficiat præſtare nomen idoneum, *l. ſi nomen de hered. vel act. vend.* Ego contra & *Faure* mecum: quia *l. ſi nomen* loquitur in ſimplici ceſſione, ſed hîc eſt plus quàm ceſſio, vel delegatio, quia cedens promiſit, *fournir & faire valoir*: Et ſic quod ipſe ſolvet ſine diſcuſſione: nec aliàs emptor erat contracturus: & quod ità ab initio intellectum fuit, patet per triennalem ſolutionem.

136. Plures alias ſupervacuas clauſulas omitto, ut illam qua debitor ſe deveſtit à bonis ſuis, & inveſtit creditorem uſque ad concurrentiam reditus, & ad hoc latronem inſtrumenti procuratorem conſtituit, quia tale conſtitutum ratione loci & quotæ incertum non valet, ut dixi in *conſu. Pariſ.* §. 64. Sed an hæc clauſula operetur, quòd creditor propria authoritate poſſit apprehendere poſſeſſionem bonorum debitoris, videtur quòd ſic per not. Bart. in *l. prædia de acq. poſſ.* Jaſ. *conſil.* 145. *col.* 5. *lib.* 2. ſaltem ſi clauſula eſt de certo ſpeciali fundo, & ſic nulla ſit rei & poſſeſſionis incertitudo. Contrarium dicendum eſt, quia dicta clauſula hoc caſu eſt nulla duplici ratione. Prima propter ſui incertitudinem: ſecunda propter naturam & limitationem duodecimæ, quam excedere non licet, nec reſpectu majoris commodi creditoris, nec reſpectu majoris gravaminis debitoris. Unde etiamſi debitor conſtitueret ſe poſſidere certum fundum limitatum nomine creditoris, quo ſecuritate vel perceptione reditus, non valeret, ſed nullum eſſet hoc conſtitutum, tanquam uſurarium & rationem duodecimæ excedens: quia hujuſmodi reditus cum hoc pacto plus valet quàm ſimplex reditus, & debitor magis gravaretur, & ſic pretium non eſſet ſufficiens, niſi diminueretur reditus, putà ad rationem unius pro quindecim, ut novè probavi, *infrà eod. quæſt.* 35. De clauſula autem qua debitor promittit damna & intereſſe, tangam *infrà quæſt.* 21. *in fine*.

QUÆSTIO NONA.

SYNOPSIS.

1. *Non tenetur debitor ad domum creditoris pecuniam debitam perferre.*

2. *Faciendæ ſolutionis attenditur domicilium quod creditor habuit tempore contractus.*

137. NOno quæro, quid ſi pactum ſit quòd debitor teneatur hujuſmodi reditum ſolvere in domicilio creditoris? Reſpondeo cum Scævola, *in l. Maria. §. pen. de annuis legat.* non poſſe abſolutè reſponderi, cùm multa oriri poſſint, quæ pro bono ſint æſtimanda. Ideóque hujuſmodi varietas viri boni arbitrio dirimenda eſt. Retenta autem theſi noſtra, quò debitor ultra ſolutionem unius pro duodecim, facto vel commodo creditoris gravari non poteſt, facile vir bonus & prudens judicabit, quid in ſubjecta quaque hypotheſi dicendum ſit omnibus, circumſtantiis expenſis, totóque perſpecto negotio, ut poſt Triphonium in *l. bona fides ff. depoſiti* dixi in *Conſuet. Pariſ.* §. 14. *num.* 86. Clarum eſt autem de jure, in debitis quæ non habent annexam recognitionem dominii, vel exhibitionem reverentiæ, quales emphyteuſes, cenſus dominicales & feuda: ſed concernunt merum commodum pecuniarum, ut in his reditibus, quod etiamſi ſit certa dies expreſſa ſolutioni, non tenetur debitor pro ſolutione adire domum creditoris, niſi cum ſunt ejuſdem fori, & res ſine alio ſumptu & labore deferri poteſt, ut pecunia, alioquin tenetur creditor mittere ad domum debitoris, ut tenent Guil. Alberic. Bart. Bald. Paul. & omnes Doctores in *l. Item illa de*

conſtit. pecun. Bald. in *l. ult. Cod. de condit. inſert. in legat.* Joan. Imol. in *l. cum filiusfam. §. ult. reprobata opinione* Ang. ibi *de verb. oblig.* Igitur in quæſtione noſtra. Si ſint ejuſdem fori, clauſula illa, quòd tenebitur debitor reditum afferre & ſolvere in domicilio creditoris, non eſt ponderanda: nec facit reditum exceſſivum, quia alioquin tacitè inerat, & hoc dummodo reditus conſiſtat in pecunia. Secus ſi in fructibus ſive liquidis, ſive aridis, quia in his deferendis ex natura rei requiritur ſumptus & labor, nec ineſt quòd debitor debeat deferre ad creditorem, etiam ejuſdem fori: ſed oppoſitum, videlicet quòd creditor debet accedere, vel mittere, ut à debitore capiat & tollat ſumptu ſuo & periculo, ut eſt text. in *l. 1. §. licet. autem de peri. & commod. rei vend.* & tradit Paul. in *d. l. item illa in fin. princ.* Et ſic in iſtis clarum eſt, quod etiam ſi partes ſint & maneant ejuſdem fori, dicta clauſula ſuperaddit onus notabile debitori. Unde ſi aliàs per ſe reditus ſit ad rationem unius pro duodecim, debet minui, vel aliquid addi ſorti proportionaliter, ad æſtimationem oneris adjecti, alioquin reditus erit exceſſivus & moderandus.

138. Et debet in his attendi domicilium, vel locus deſtinatus tempore contractus, quia non debet deinceps eſſe in poteſtate creditoris, mutare domicilium in præjudicium debitoris. Et è diverſo, ut tradit Joan. Imol. in *d. l. cùm filiusfamilias §. 1. de verb. obligat.* Si verò tempore contractus ſint diverſi fori, tunc licet reditus conſiſtat in pecunia, adhuc videtur quòd dicta clauſula ponderanda ſit, & faciat dictum reditum exceſſivum & moderandum. Patet, tum quia de jure hoc onus tacitè non ineſt, ſed oppoſitum: tum quia ſi magna eſt diſtantia locorum, negari non poteſt quin debitor magno labore, ſumptu & periculo afficiatur in deferendo, præter magnitudinem quantitatis, quæ per ſe eſt in ſummo gradu, videlicet ad rationem unius pro duodecim. Et quoties debitor tenetur portare ad domum creditoris, intelligitur proprio ſumptu & periculo, & non creditoris, ut not. Bald. in *l. ult. C. de condi. inſer. in legat.* Sed certè non eſt præcipitanda ſententia, quia cùm creditor poſſit emere ab his, qui ſunt ejuſdē fori, ſi forenſem præferat, juſtè ſtipulari poteſt, indemnem ſe ſervari, per notata *ſuprà num. 25. cum ſeq.* quod duntaxat facit, apponendo hanc clauſulam, nec in hoc durius, imò benignius facit, quàm ſi à forenſi fidejuſſores idoneos, æquè principaliter obligatos, in eadem civitate & foro exigeret, prout cautiores & amariores prædibus & prædiis in eadem civitate ſibi caveri volunt, priuſquam vel teruncius extendatur. Cæterùm quòd forenſis debitor fidejuſſores hujuſmodi redimendo, vel ſingulis annis pecuniam ſuo ſumptu ad loca remota deferendo, ultrà rationem unius pro duodecim gravatur, hoc venit extrinſecus à contractu & creditore, & natura rei, propter conditionem debitoris vel caſum in ejus perſona cadentem, qui do ſe non debet imputari creditori, nec ei nocere *d. l. item illa, in princ. de conſt. pecunia l. ſi uno, §. item cum quidam*, ubi per gloſ. & doct. *locat.* & hoc ſecundum jus actionis conſiderando. Cæterum quælibet calamitas debitoris poteſt eſſe materia charitatis & miſericordiæ exercendæ ſecundum not. *ſuprà quæſt. 2.*

QUÆSTIO DECIMA.

SYNOPSIS.

1. *Si conſtitutus reditus* 10. *ſortis partem annuatim ſuperet, contractus eſt ipſo jure nullus.*
2. *Si non excedat, reducendus, & quâ ratione latè.*
3. *Actus ab initio exiſtens (licet tunc ad nihilum redigi potuiſſet) tractu temporis confirmatur.*
4. *Decima extra modum, eſt avariorum.*
5. *Uſurarum moderatio ad nondum ſoluta pertinet, non ad ſoluta.*
6. *Quo tamen caſu moderatio ad jam ſoluta extenditur detractum in ſortem non imputari tribus vehementiſſimis rationibus probatum.*
7. *Reditus exceſſivi moderatio etiam ad inferiores judices pertinet.*
8. *Coercitio uſurariorum Eccleſiaſticæ juriſdictionis non eſt.*

139. DEcimo quæro, quid de reditu conſtituto pretio minori duodecim pro uno, an contractus ſit nullus tanquam uſurarius, an verò tanquam ſimpliciter exceſſivus moderandus: Et videretur reditus indiſtinctè moderationi ſubjectus, & reductioni ad rationem duodecimæ, per text. in ſimili, in *l. pronuntiatum. Cod. ſi cert. peta. l. cos. §. ſi quis autem Cod. de uſur. & ff. eod. l. pecuniæ fœnebris in prine. l. uſuras illicitas. l. placuit*, ubi ſi quis uſuras illicitas, & ſupra modum vel uſurarum uſuras ſtipulatus ſit, non tamen annullatur contractus, ſed ad modum permiſſum reducitur. Et nullus eſt caſus in jure, in quo propter exceſſum, vel admiſtum illicitum fœnus totum vitietur, excepto caſu ſingulari in Novellis *de fœnerante agricola, conſtitut.* 32. ut *ſuprà eod. quæſt.* 1. Tamen Stephan. Bertrandi *conſ.* 206. *ſi non ſint. lib.* 3. decidit reditum conſtitutum ad decem pro centum in totum non valere. Breviter reſpondeo diſtinguendum: aut reditus excedit decimam ſortis partem in anno, aut non. Primo caſu, vt quando eſt emptus pretio minori decem pro uno nullus eſt contractus in totum, nec aliquid debetur de reditu: ſed quicquid ſolutum fuerit, debet imputari in ſortem, à qua liberatus erit debitor, reſiduum ſortis ſolvendo: ſi verò plus ſolverit, reperet. Secundò caſu valet contractus, & debetur reditus. Sed an & qualiter ſit moderandus, ſubdiſtinguendum. Aut reditus excedit duodecimam: ſed non decimam ſortis partem in anno: aut non excedit duodecimam. Primo caſu moderandus eſt ad rationem unius pro quindecim: Secundo caſu conſervatur, nec moderatione indiget, utpote juſto pretio conſtitutus. Hæc eſt brevis, & præjudicata deciſio, quippe quòd non ſit meum inventum, ſed ampliſſimi Senatus noſtri æquiſſima ſententia, multis Arreſtis, à viginti quinque annis, & citra conformiter latis promulgata. Cujus ſententiæ juſtitia & abſoluta æquitas nulla probatione, nulla commendatione indiget, ſed ſeipſam oſtendit. Quid enim juſtius, quàm eum qui uſque adeò fœnore improbo ſeſe maculat, ut dextantes excedat ſtipulando, undecim annua in centum vel plus, & in perpetuum, in eo ipſo puniri, in quo peccavit, videlicet ut omne lucrum amittat, qui tam avidum & nimis exorbitans lucrum contra omnia jura, & mores affectavit? Hujuſmodi enim crudelis & Barbarica uſura etiam inter Ethnicos probroſa fuit, ut *ſuprà numero* 36. nec eſſet iniquum tam immanem pleonexiam etiam ſortis damno lege data mulctari. Quòd igitur omni lucro ſorte ſoluta privatur, moderata, imò nulla proprie pœna eſt; ſed ejus quod ſuum eſt, reſtitutio. Qui verò decem annum & perpetui reditus pro centum ſtipulatur, licet modum excedat, non tamen adeò exorbitat: porrò

justè judicatur usuratius contractus, vel simpliciter excessivus, à magno vel modico excessu, quia tota iniquitas usuræ circa damnificationem proximi versatur, ut *suprà num.* 13.

Reditus dextanjts.

140. Tum olim reditus illi ad rationem unius pro decem, justi in commune habiti fuerunt, & à pluribus Pontificibus approbati. Primùm anno Domini 1424. à Martino V. quem Conventus Constantiensis, cæteris abrogatis, elegit & confirmavit. Deinde anno Domini 1455. à Calixto III. ut patet in *extravag. regimini de empt. & vendit. in communibus.* Et adhuc hoc anno sesquimillesimo quadragesimo, vix dum sexaginta anni, & tales reditus in hoc regno tolerabantur: non quòd omnes uniformiter tanti fœnerarentur, nec quod esset crebrior forma fœnerandi. Sæpè enim & frequentius minoris fœnerabantur, & meminì in multis causis subhastationum & veteribus sententiis discussionum, sive adjudicationum per decretum, plures legisse oppositiones & adjudicationes redituum suprà 70. vel 100. annos ad rationem unius pro duodecim, vel tredecim, vel quatuordecim, vel circa constitutorum, & rariùs mentionem fieri constitutorum ad rationem unius pro decem. Et sic non erat tum certa magis frequentata fœnerandi ratio, sed difformis & varia, ita tamen ut ratio decimæ tutior & gravior esset, & ἀκριβὴ, quam excedere non licebat, tolerabatur tamen id temporis. Sed tandem desinentibus bellis, quibus hoc regnum à tempore Philippi Valesii per ducentos fere annos miserè concussum & dilaceratum fuerat, simul subortarum humaniorum literarum beneficio detecta luce, apparuit excessivum esse hunc reditum decimæ, quare tacito bonorum consensu, non enim lata est nec promulgata super hoc aliqua constitutio, sed tractu temporis bellorum feritate barbarieque sensim mitigata, excessus antiquorum redituum apparuit: unde consuetudine bonorum judicum sententiis comprobata, statutum est & receptum, ne hi reditus rationem unius in duodecim sub libera & perpetua redimendi facultate excederent.

141. Hinc est quòd reditus ad rationem decimæ, & infrà, id est, paulo minuendo, reditum, duodecimam tamen excedentem, non in totum annullantur tanquam usurarii. Tum quòd non ita multum differant à justo & permisso modo, tum quòd à veteri more & memoria hominum non exorbitant, sed tanquam simpliciter excessivi moderantur, & reducuntur ad justam & æquabilem quantitatem: non unius in duodecim, quia licet illa sit in se justa, tamen est summa & extrema, ut suprà dictum est: sed juxta legum exempla mediam viam eligendo ad rationem unius in quindecim, quæ est melior & temperatior forma; optima verò & absolutissima ratione factum est à Senatu nostro, ut is qui novam & justam præfinitionem quadamtenus transgreditur, non in totum; sed quadamtenus puniatur, & in quo paulum excedere voluit, paululum excedatur reducendo reditum non ad summum illud, quod contemplit: sed ad mediocrem & æquabiliorem quintamdecimam. Qui verò non parum; sed multum transgreditur, nedum contra novas, sed etiam contra veteres omnes & leges, & mores, omne lucrum amittat, & quod suum est, duntaxat recipiat. [Fac. Bald. in *c.* 1. *col.* 3. *de plus pet.* Et quæ anno 1537. scripsi in *consuet. Paris.* §. 18. *numero* 17. Et cum ita absolutissima æquitate & ratione digesserit Senatus, ubicunque in toto regno servandum est. Ut enim præclarè inquit Bald. in *l. nemo Cod. de sent. & interlocut. omn. judic.* ratio non clauditur loco. Et consequenter consuetudo Aurelianens. §. 376. quanquà redacta anno sesquimillesimo nono, & similes debent huic generali cedere.] Ex prædicta distinctione invalebit in praxi modus loquendi, ut contractum 10. excedentem, vel aliter ita vitiosum ut nullus sit, vel in totum annullandus, vocent usurarium: cùm autem non est in totum rescindendus, sed moderandus, vocent excessivum, quem stylum ut aptum retinebimus. Et adverte, in quantum dicti reducendum ad quintamdecimam in eo qui modicum excessit, rursus temperandum est, ut procedat si hæc reductio fiat per judicem in invitum, vel re non integra, putà postquam creditor jam aliquot annis exegit reditum excessivum. Secus si res non est integra, quia creditor jam aliquot annis exegit reditum excessivum. Secus si res non est integra, quia creditor nihil adhuc recepit, vel si quid recepit, non integrè, sed infrà legitimum modum, & insuper voluntariè sine lite offert moderationem ad rationem 12. à tempore contractus, quia tunc audiendus est. Cùm enim de facto nondum excesserit, sed re integra, bona fide agnoscat, non est in aliquo puniendus, faciunt notata *inf. quæst.* 35. *num.* 261. Secus in eo qui deliquit excedendo 10. quia tunc cùm contractus sit nullus, non admittitur etiam ex modico intervallo ad offerendam hanc moderationem: sed dicendum ut in quæst. sequenti. Jam hæc quæst. videtur ex his pulchrè & pleniſſimè expedita: sed ut scias quam multa mihi prolixa cogitationum contentione, non superficie tenus; sed ima inquisitionis vena, penitus singula quæque ἀναπαιδῶς persequenti extricanda fuerunt, selectiora quædam ex his & utiliora carpam & singulatim attingam. Duo principaliter discutienda sunt. Primùm super moderatione reditus in se: secundum super moderatione reliquorum præteritorum tam solutorum, quam nondum solutorum. Utque faciliori methodo per singula, quam sinuosa una distinctione procedam, has incidentes quæstiones subjiciam.

Prudentia & æquitas Senatus.

Ratio non clauditur loco.

Duæ quæstiones incidentes.

142. Quæro primò, quid si reditus ad rationem 10. vel inter 10. & 12. constitutus sit ante 60. annos ab hoc anno sesquimillesimo quadragesimo quo hæc scribimus, an debeat reduci ad rationē unius pro quindecim. Et prima facie videtur quod sic, per prædicta, subsisto: quia hic incidit duplex quæstio prima, an reditus adeò antiqui, putà suprà 60. vel 100. annos non illicitè, nec ultra rationem 10. constituti, sint moderandi? Secunda, quatenus sint moderandi? Quantum ad 1. non videntur in aliquo moderandi, duplici ratione: Prima propter antiquitatem temporis; quia etiam sine forte vel pretio potuissent reditus acquiri, vel præscribi: igitur multò fortius minori pretio, igitur indubiè pretio illo tempore justo. Secunda ratio, quia illo tempore reditus empti ad rationem 10. reputabantur justi, & tolerabantur, unde non fuerunt illi reditus antiqui hoc pretio illicitè, sed licitè acquisiti & exacti, ne dum in foro contentioso, sed etiam in foro conscientiæ. Igitur temporis progressu non cœperunt esse usurarii, nec illiciti in se. Hinc prima facie videbatur quod non essent etiam pro tempore futuro moderandi, quoniam æqualitas & justitia cujusque contractus attenditur & metitur penes æstimationem rerum, & statum qui erat tempore contractus *l. si voluntate Cod. de rescind. vendit.* Et meritò, quia tunc contractus accepit firmitatem irrevocabilem, secundum qualitates & limites, qui tunc inerant, & contractum informaverant, *l. sicut. C. de actio. & oblig. l. Rutilia Polla de contrab. empt. cum similibus.* Tum actus validus ab initio (licet tunc annullari potuisset) tempore confirmatur, ut *not. Dec. in l. quod in initio. nu. 9. de reg. jur. glo. & doctores in c. non firmatur eod. in 6.* Igitur multò fortius, quando ab initio non poterat nec annullari, nec modificari. Quibus non obstantibus constanter dico moderandos esse pro tempore futuro per text. insimili in *l. penul. C. de usur.* ubi æquissimè lanxit & declaravit Justinianus moderationē, *l. eos eod. ti.* habere locum nedum in contractibus & stipulationibus subsecutis; sed etiam præteritis: non tamen pro tempore lapso ante *d. l. eos*, sed pro futuro post publicationem, *d. l. eos*, quantumcunque veteres illæ usuræ fuissent justè

stipulatæ, secundùm justum, legitimum & consuetum modum tempore contractus currentem.

143. Igitur idem dicendum in illis reditibus quia in veritate succedanei sunt veteribus illis usuris non improbis, sed legitimis, de quibus in *d.l. eos*, earumque loco subrogati, urgente hominum crebra & quotidiana necessitate, ut suprà probavimus, & satis patet in tex. *d. extravag. regimini.* Valet igitur argumentum ab illis usuris ad hos reditus, subsistente æquitate, & eadem ratione ut hîc & infrà *q.* 75. præsertim cum odiosi sint, ut apud omnes bonos in consessu est: & tanto magis quanto veteribus illis usuris graviores, quæ tamen odiosæ erant & restringendæ, ut in *l. qui semisses, in prin. l. cum quidam. §. divus. de usur. l.* 3. 4. 5. *Cod. eo.* Igitur horum reddituum restrictio non prohibitoria & penitus exclusiva (quod excipio propter necessitatem & utilitatem publicam) sed moderatoria valde favorabilis est, & interpretatione adjuvanda. *l. hac modo de condit. & demonstr.* comite semper legali æquitate, quam assiduè speculamur, & sequimur.

Valet arg. ab usuris ad hos reditus.

144. Plus dico, quod etiam ultra septuaginta, vel centum, vel ducentos annos, decima pars sortis in annos singulos reditus perpetui non erat justa & æqualis in se, prout nec communis, ut dixi, sed excessiva: quamvis tunc toleraretur, eò quòd veteribus illis usuris nova & præpostera imperitorum & superstitiosorum religione sublatis & velut è ponte dejectis, cœperunt homines nomine & forma contractus, mutatis longè durius & majore compendio, tanquam ruptis vinculis fœnerari, idque pro libidine & arbitrio. Alii ad rationem unius in decem seu dextantis usuræ, quæ tamen secundum *d. l. eos.* non erat permissa nec licita, nisi in trajectitiis, & sub gravi periculo creditoris. Alii verò ad rationem unius in undecim, tredecim, vel quatuordecim, plus aut minus. Et sic non omnes fœnerabantur ad rationem unius pro decem: sed solùm avâriores, & qui summum fœnus exercebant: nulli enim hos reditus emebant minori pretio decem pro uno, sed bene plures majori pretio: ut satis patet in *d. extrâv. ag. regim.* Et sic unus annuus nûmus in decem erat summus & excessivus reditus, licet pro illo tempore toleratus. Præterea ex tex. *d. extrav. regimini.* liquet, quod reditus emptus ad rationem decem pro uno, semper erat redimibilis ad voluntatem debitoris, nedum semel totum redimendo, sed etiam pluries & particulariter, & tamen sub hac tam ampla facultate minimum pretium erat decem pro uno. Igitur restricta hac facultate, ut non liceret particulariter, sed semel tantum & integraliter redimere, augeri debebat illud pretium: alioquin erat minus justum. Et sic concludo quod reditus emptus ad rationem decem pro uno, cum facultate redimendi semel totam sortem cum reliquis simul restituendo, quantumcunque antiquissimi, nunquam fuerant satis sufficienti pretio empti, & sic indubitanter reducendi, non obstante quavis temporis antiquitate per prædicta.

Ratio decimæ semper sunt excessivæ.

145. Modò succedit secunda quæstio, quatenus illi antiqui reditus sint moderandi? Et videtur quòd non ad rationem unius in quindecim, sed unius in duodecim. Ratio, quia reductio ad quintamdecimam, est quædam pœna, in quantum denegat duodecimam communiter concessam: unde non debet infligi ei qui tempore contractûs non peccavit. At reductio ad duodecimam nullo modo est pœna, sed juris communis executio, quia jure communi etiam veteres usuræ ab initio licitè constitutæ debent reduci ad modum novæ constitutionis pro tempore futuro post novam constitutionem. *l. penult. Cod. de usur.* Sed in his antiquis, tempore contractus inspecto quo tolerabantur, non deliquit emptor, licet valde modico pretio emendo, ex quo erat pretium toleratum, & sic tanquam sui temporis foro usus, non debet in aliquo puniri. Sed satis est, quòd deinceps reducatur ad pretium hoc tempore licitum, & permissum juxta *d. l. penult.* licet secus in eo qui tali pretio, videlicet ad rationem decimæ, emisset ab anno domini sesquimillesimo: ex quo paulatim talis reditus cœpit communiter inter bonos & graves pro minus justo atque excessivo haberi. Et sic ab initio modum quadamtenus excessisset, meritò mediocriter excedi deberet, & ad quintamdecimam ex Senatusconsultorum æquissima sententia reduci, ut suprà *num.* 141. Subsistito, quia hæc nostra distinctio clarè & sine scrupulo procederet, si essemus adhuc in anno domini sesquimillesimo vel circà, in ipso confinio & motu velut horizonte moderationis horum reddituum. Tunc enim justum erat antiquiores reditus decimæ reduci ad simplicem gliscentem duodecimam, tanquam justè constitutos ad justiorem, quæ oriebatur, constitutionem, pro futuro tempore juxtà, *d.l. penult. Cod. de usur.* Eos autem qui tunc vel circa de recenti emittent ad rationem decimæ, ad decimàm quintam propter excessum reditus admissum reduci: postea verò procedente tempore, post quindecim vel viginti, & multo fortius post quadraginta annos. Alia ratio distinctionem nostram reformat, quia justitia vel causa reductionis ad quintamdecimam non solùm super excessu ab initio tempore contractus admisso fundari potest, ut in præcedentibus: sed etiam in alio excessu, & quavis alia justa ratione, putà quia creditor post supervenientem decimæ moderationem, nihilominus semper multis annis exegit reliqua ad rationem decimæ, quæ tamen à tempore superventæ dictæ moderationis, à videlicet quadraginta, vel ad summum à quinquaginta annis non debebatur integraliter: sed ex tunc obstare cœpit exceptio reductionis ad rationem duodecimæ per *d.l. penult. Cod. de usur.* Et sic cùm ab inde plus justo receperit & modicus annuus excessus non parum post multos annos ascendat, quod tamen sorti imputare non est æquum cùm reditus ab origine non sit vitiosus, seu excessivus, sed tantùm ex post facto modicum excedere cœpit: nec etiam æquum est creditorem statim teneri simul restituere, quod per plures annos singulatim & bona fide & titulo justo recepit & consumpsit, [quanquam nec hoc plenè sufficeret: quia creditor etiam hujus indebiti interusurium percipit, quo debitor retro caruit.] Ideo hoc casu justum & æquissimum temperamentum est (etiam creditori minus damnosum) reducere ad rationem unius in 15. compensando modicum, licet ob facultatem redimendi incertum futuri temporis successivum damnum, cum modico licet certo præteriti temporis multorum annorum lucro successivo.

146. Unde hodie indistinctè omnes reditus ad rationem decimæ, vel inter decimam & duodecimam constituti, sive antiquissimi, ut ante 50. vel 100. annos constituti, sive antiqui, ut à 50. 40. vel 30. annis sive recenter constituti, reducuntur uniformiter ad rationem quintædecimæ pro tempore futuro. Et licet prima facie nimis inæquale videatur eadem lance appendere, & antiquiores justè ab initio empros, & recentiores minus justè empros reditus, tamen alia ratio æqualitatem lato modo & ὁ πάσι reducit, quia licet aliquis dictorum reddituum initio non sit injusto pretio emptus, tamen ex quo moderatio non est facta tempestivè, videlicet ab initio generalis moderationis supervenientis, ut debuit *d. l. penul.* sed multum tardè, & postquam per multos annos creditor ad veterem rationem reddituum exegit indebitè, non satis est justam & debitam moderationem nostram pro tempore futuro fieri, sed ut relevetur debitor à tam diutina retardatione debitæ moderationis, justum est reductionem fieri ad rationem unius in quindecim: & ita modò observamus, & à 20. annis indifferenter observari vidi, & rectè,

Arestum. 147. Vidi etiam inter alia, memorabile Arestum latum anno sesquimillesimo decimo septimo: die 21. Julii, pro quodam Barentonio de Chamborant, qui anno Domini 1493. constituerat reditum decem aureorum annuorum pro centum aureis, & per multos annos solverat; tandem lite suborta, per judicium prudentissimi hujus Senatus facta est reductio ad rationem quintædecimæ in futurum, & reditus declaratus perpetuò redimibilis, & rectissimè & æquissimè judicatum fuit. Et sic licet tempore contractus inspecto utpote septem annis ante annum sesquimillesimum fuisset reditus justo saltem adhuc tolerato pretio emptus, nihilominus facta est reductio non ad simplicem & concessam duodecimam, sed ad quintamdecimam, quod non fuit factum propriè ob vitium vel defectum originarium contractus, nec ob aliud, nisi quia ultra 15. annos à tempore moderationis in communi superventæ, retardata fuerat dicti reditus moderatio, & interim creditor ad rationem decimæ receperat. Porrò licet nunc & deinceps non sit opus hac nostra consideratione in praxi, tamen quia non est inutilis ad plenam & radicalem totius hujus materiæ intelligentiam, & multarum aliarum quæstionum decisionem, omittere nolui.

148. Secundò quæritur, quoad secundum, de quo suprà *num.* 141. *in fin.* videlicet de præteritorum reliquorum moderatione. Breviter semper utplurimum observari vidi, eandem moderationem extendi ad reliqua debita & nondum soluta, sed non ad jam soluta, quod habuit rationem & æquitatem, secundum eam (quæ fuberat) facti contingentiam. [Facit *l. pennlt. De condict. indeb. l. ad quod penè. De solutis. l. quod à quoquam. De reg. jur.*] Ego verò pro doctrina absolutiore & æquabili distinguendum censeo. Aut reditus ad rationem decimæ vel inter decimam & duodecimam constitutus est ante annum Domini sesquimillesimum, aut post. Primo casu, quia videtur & præsumitur bona fide emptus, utpote cum adhuc tale pretium toleraretur; licet aliquot paucis annis ante annum sesquimillesimum inciperet minus tolerari: tamen quia non potest probari publicè hoc pretium, jam tunc habitum pro injusto, & alio vitio & onere cessante, satis est moderationem extendi ad reliqua paucorum novissimorum annorum non soluta, non autem debet extendi ad omnia soluta à tempore contractus. Et id optimè & æqua ratione, quia hoc casu non fit reductio ad quintamdecimam, propter vitium vel excessum reditus tempore contractus, quia justo saltem in communi tolerato pretio emptus. Sed fit eò quòd creditor post moderationem in communi circa annum 1500. superventam, nihilominus exigere perrexit veterem jam excessivum reditum, idque indebitè per *d. l. penult. C. de usur.* & multis annis continuando, unde in quandam congruam compensationem, ut suprà numer. 146. fit reductio ad quintamdecimam. Igitur hæc reductio non debet hoc casu extendi ad reliqua jam soluta, non solùm à tempore contractus usque ad moderationem superventam circa annum sesquimillesimum (de quibus non est dubium) sed nec etiam ad reliqua cessa & minus debitè exacta à dicto anno sesquimillesimo. Ratio, quia aliàs non deberet fieri reductio ad quintamdecimam, sed ad simplicem duodecimam, & alioquin excessus præteritarum solutionum bis compensaretur, sive bis reputaretur, quod esse non debet. Unde ego dico, quod si forsan ab anno sesquimillesimo nulla reliqua soluta fuerant, sed vel gratis remissa, vel præscripta sine præscriptione reditus (ut accidere potest) tunc non debebit etiam hodie hoc anno 1540. fieri reductio ad quintamdecimam, sed solùm ad simplicem duodecimam. Ratio, quia hic creditor nec tempore contractus, nec abinde modum concessum excessit: ergo non est in aliquo puniendus, nec à modo concesso excludendus, sed ad illum duntaxat reducendus, juxta *d. l. penult. C. de usur.* Eadem ratione dici potest quod si forte fortuna, purà propter longam litem semper continuatam nihil solutum fuit à 50. annis, & tamen nihil præscriptum, quia tunc reliqua cessa ante annum sesquimillesimum debent solvi ad rationem & modum contractus. Abinde verò ad rationem duodecimæ, prout reduci debebat, & in eadem stare, donec redimatur: salvo, si antequam redimeretur, supervenirent major in communi moderatio, ut si statueretur quod amplius non excederent modum quintædecimæ, hoc enim statutum traheretur ad præteritos reditus pro tempore futuro post statutum, ut *d. l. penult. C. de usur.* & sic à tempore statuti deberet reduci, & solvi ad rationem quintædecimæ. [Unde si in Neustria hi reditus de ratione decimæ (illic adusque recepta) reducerentur ad duodecimam, etiam antiqui reditus decimæ, ad eam rationem semper exacti, minimè deberent ad quintamdecimam reduci: sed tantum ad duodecimam, & pro futuro tantum. Quod si civis Parisiensis emeret à Normanno reditum decimæ, deberet omnino reduci, ad duodecimam quidem, si statim fieret, vel antequam diu creditor exegisset decimamquintam per rationes prædictas: & idem si civis Rothomagensis emeret Parisiis quod enim Rothomagi permittitur ratio decimæ, hoc est, propter crebriorem, & majorem necessitatem commerciorum, ideo debet intelligi inter ipsos Normannos, apud quos utilior, nec negotiosior est usus pecuniæ, nec debet extendi inter alios.]

149. Sed si quid debitor hujusmodi reditus antiqui factus est tutor pupilli hæredis creditoris: ab anno Domini 1500. & duravit administratio usque ad annum 1524. vel ferè per triginta annos, deinde agitur de rationibus distrahendis? Respondeo quod interim potuit & debuit debitor à seipso exigere, pro ut legitimè debetur, unde ab anno 1500. & à tempore administrationis non computabuntur reliqua, nisi ad rationem duodecimæ, prout erant legitimè debita, & nulla hodie fiet reductio ad decimamquintam, sed solùm ad duodecimam, prout si ab initio administrationis facta fuisset, uti debuit. Nec est audiendus, si fortè dicat debitor se semper in rationibus acceptum retulisse ad rationem contractus, quasi ad eum modum solverit: quia hoc facere non debuit, sed solùm ad rationem tunc legitimè debitam, nec potuit augere rationes in præjudicium pupilli vel creditoris, ad finem reducendi ad quintamdecimam. Sed hoc vix accidere potest: quia cùm possit debitor cras redimere, suà non interest allegare, quod solvit ad rationem contractus: sed potius suà interest, ut videatur solvisse ad rationem concessam & moderatam. Et si fortè in rationibus imputasset secundum modum contractus, potest re integra, prout quemlibet errorem calculi corrigere, nec creditor hoc impedire potest; etiam si offerat in futurum reduci ad decimamquintam, cujus non indiget debitor, qui vult nunc redimere: ideo hanc incidentem quæstionem non posui, nisi ad majorem declarationem materiæ. Secundo verò casu, quando hic reditus emptus est ab anno sesquimillesimo: & tunc dico quod hæc moderatio quadamtenus pœnalis, utpote ad decimamquintam, debet extendi ad omnia, etiam soluta reliqua à tempore contractus. Ratio, quia respicit non solum compensationem reliquorum excessivè receptorum, sed principaliter pœnam excessus commissi tempore contractus, emendo viliori pretio.

150. Tertiò quæro, quo casu moderatio extenditur etiam ad jam solutas pensiones, utrùm quod de illis jam solutis detrahitur, debeat imputari in sortem. Videtur quod sic, si non sint debita reliqua in quæ possit imputari, *l. cum & fortis, de pignorat. actio. l. in his §. 1. de solution.* Breviter respondeo quod non nisi tunc debitor redimere velit, triplici ratione. Prima, quia illud non fuit solutum eo animo, ut converteretur in sortem.

Secunda, quia contractus non est usurarius, nec annullandus, sed in modico tantum excessivus, & excessus detrahendus duntaxat. Si igitur satis est excessum detrahi, igitur quod detrahitur, non debet sorti imputari, aliàs propter unum modicum excessum duplici pœna afficeretur creditor, & duplicem pateretur reditus dimmutionem: primam propter reductionem reditus currentis ad quintamdecimam: secundam, propter diminutionem sortis. Tertiam, quia non potest fieri redemptio pro parte, nec sors per partes reddi: quod fieret, si quod detrahitur, sorti imputaretur. Igitur ne fiat injuria creditori, satis est quòd imputet in pensiones debitas, non solutas, & superfluum restituat. [Vel in sortem imputet, si tunc debitor redimat.] Non obstat *d. l. cum sortis*, & similes, quia loquuntur in sorte debita & exigibili: sed hæc non est debita, nec exigibilis, & sic nec compensabilis pro parte, *ut infrà quæst.* 43. Quartò occurrit quæstio, quid si creditor sortis offerat moderationem? sed hæc coincidit cum alia altiori quæstione quî cum simul expedietur in quæst. sequenti.

Judices inferiores moderare possunt.

151. Quintò notandum, quod prædicta sive cessatio & annullatio, sive moderatio, prout casus exigit, fieri potest non solùm à summis tribunalibus, sed etiam à quibuscunque inferioribus judicibus: quod ultimum, ut indubitatum, non scriberem, nisi quosdam stupidiores etiamnum controvertentes vidissem, an Præses Parisiensis hujusmodi moderationem facere possit? quasi solis supremis judicibus æquitate uti liceat, aut quasi inferiores superiorum recta judicia imitari non debeant: aut quasi inferior vulnus infligere debeat, ut sit quod à superiore sanari debeat. Sed quorsum circuitus, quorsum vulnera, ut medico indigeas? ideo minimè dubitandum est quin etiam infimi & subalterni judices possint: quoniam hujusmodi æquitas non est singularis (ut certi casus dispensatio ex causis tunc occurrentibus, contra jus scriptum, vel communiter receptum, quæ meritò summis tribunalibus reservatur (sed communis in hujusmodi negotiis, æquè concurrens, nec est contra leges & constitutiones; sed magis illis conformatur, nec in particulari, sed in communi justitia fundatur. Unde meritò spectat ad officium cujuslibet aliàs competentis judicis. Nec senatus ita (ut in principio hujus quæstionis) decrevit ex speciali dispensatione, sed ex ipsa generali & communi justitia & æquitate: quare ab omnibus imitandum, & sequendum est.

Etiam sine rescripto Regio.

152. Quid ergo dicemus de specie, quam nuper vidi in facto Appellans à condemnatione solvendi & continuandi reditum, impetravit rescriptum ad declarandum contractum usurarium & computandum reliqua in sortem, vel saltem ad moderandum? Et constabat de reditu contracto ante centum annos, ad rationem unius in decem: cum pacto tamen, quòd non curreret, quandiu viveret debitor, certis etiam oneribus adjectis debitori, quæ nisi cum cursu reditus ad vitam debitoris suspenso compensarentur, effecissent ut infrà rationem unius in octo inveniretur. Tamen hoc anno 1540. more Gallico computando die Lunæ decima Januarii in publicis Parlamenti actionibus, appellans exclusus fuit à suo rescripto, & condemnatus in expensis instantiæ dicti rescripti, & quantum ad principalem instantiam sententia confirmata, & appellans in mulctam & impensas appellationis damnatus. Ego dico, malè & perperàm fuisse judicatum in utroque judicio: quia in prima instantia judex à quo debebat suis partibus fungi, & reditum moderare, quamvis debitor non haberet ad hoc rescriptum Principis: Senatus autem dicere debuit, malè judicatum, benè appellatum: & emendando judicium reducere reditum ad quintamdecimam absque impensis tam instantiæ dicti rescripti in causa appellationis impetratæ, quàm causæ appellationis condemnare. Et moveor ad compensandum impensas causæ principalis: quia debitor plus petebat volens contractum annullari: & etiam creditor in culpa erat, non offerendo moderationem debitam. Reliqua ex hypothesi & prædictis clara sunt. Fortè moti fuerunt judices ad illam duritiem denegandi omnem moderationem, propter reditus antiquitatem: quia contractus erat ultra centum annos, sed malè cum per *d. l. pen. C. de usur.* tum quia legitimarum usurarum succedanei sunt hujusmodi reditus, & in materia usuraria, sive agatur de illicita usura, sive de excessu, sive de in totum annullando, sive de moderando, nunquam currit præscriptio, ex quo de origine certò constat, *ut infrà quæst.* 17. Et sic non obstat quòd tanto, imo minori tempore poterat acquiri reditus, nulli moderationi subjectus etiam sine ullo pretio, quia verum est, nisi constet de origine vitiosa.

153. Postremò pro stylo quæri potest, an ad finem annullationis vel moderationis reditus in judicio persequendæ opus sit rescripto Cancellariæ regiæ? Videretur quod sic, saltem in curiis inferiotibus, ex quo venitur contra factum proprium, vel illius à quo jus vel causa habetur. Et ita vulgò solent ad Cancellariam recurrere, sive ab initio litis, sive sub finem, & ante sententiam, obtinendo literas regias, quibus judici mandatur procedere, non habendo respectum ad contractum, tanquam usurarium, & illum annullare vel moderare. Quo non obstante, constanter dico, nullis hîc opus esse Cancellariæ mandatis, vel restitutionibus in integrum. Ratio, quia Constitutiones regiæ usurarios contractus nominatim prohibent, & annullari jubent, & consequenter eos, qui modicum excedant, moderari, ut Constitutio *Ludovici anno* 1512. §. 64. & 66. Et sic non opus est aliis mandatis, cùm mandatum Constitutionum semper loquatur, & vigeat, quibus omnes judices in regno etiam non regii parere debent. Ita etiam decisum Arresto hujus Senatus, de quo *infrà num.* 352.

Judex Ecclesiasticus.

154. Plus dico: quòd etiam judex Ecclesiasticus hoc potest & debet facere, si fortè coram eo personaliter agatur contra Clericum ad solutionem duntaxat certarum præteritarum pensionum reditus pecuniâ constituti. Si enim appareat de nimio vel modico excessu secundùm prædicta, poterit absolvere reum in totum à petitis, vel in moderatam quantitatem condemnare, & ita conformiter ad justas Constitutiones pro suæ jurisdictionis modo jus reddere. Cæterùm de ipso jure reditus perpetui in se quantumcunque allegetur, & sit usurarius, non potest cognoscere: sed hoc spectat ad solum judicem secularem, ex quo ab alterâ parte contenditur esse verum reditum, qui inter immobilia censetur. Secùs si esset reditus temporalis, *ut infrà quæst.* 63, vel alia usuræ species, quæ non concerneret proprietatem vel hypothecam rerum vel jurium immobilium: quia tunc cognitio spectare potest ad judicem Ecclesiasticum inter suos, secundum not. per Steph. Aufr. in *repet. gloss. l. de offic. ordin.* dixi in procem. *consuet. Paris. gloss.* 5. Alioqui si agatur de annullatione & declaratione usuræ reditus perpetui, vel etiam de ejus perpetua moderatione, hoc spectat ad solos seculares judices, privativè ad Ecclesiasticos: etiamsi tam actor quàm reus sint Episcopi, vel alterius ordinis Ecclesiastici: tantum abest ut usurarum cognitio omnimoda, & judicium non spectet ad secularem potestatem.

Canonistarum error.

155. Quod autem Canonistæ, quos adusque Legistæ, ut Alexan. *cons.* 29. *num.* 6. *lib.* 4. (ubi dixi) Decius *consilio* 170. Jason. *consil.* 153. *collat. fin. lib.* 4. sequuti sunt, dixerunt esse crimen merè Ecclesiasticum, & de foro suæ Ecclesiæ duntaxat, ita ut secularis nequeat cognoscere, nisi ubi sola facti quæstio vertitur, merum ludibrium est, in adulationem Pontificum, & depressionem secularis potestatis, etiam præter jura Pontificia superstitiosè inventum. Nullus est enim text. in toto jure Pontificio, qui hoc dicat, vel ex quo concludenter colligi possit. Quod enim Alex. 3. in *c.* 1. *cum seq.* &

in c. *præterea paræcianis, de usur.* damnat usuras, & usurarios jussit coërceri, clericos officii beneficiique suspensione, laïcos excommunicationis censurâ pro officio suo fecit. Quemadmodum idem Pontifex & alii quædam alia crimina & maleficia coërceri rectè voluerunt, ut in *titul. de his qui fil. occid. tit. de homic. tit. de adul. tit. de raptor. tit. de furt.* non tamen sequitur quòd sint de foro Ecclesiastico. Et in summa, satis erat (ut tilerent Canonistæ) quòd nulla reperitur decretalis, quæ dicat vel innuat usurarum coërcitionem & cognitionem judicibus secularibus ademptam esse, vel non competere in subditos. Hoc ergo malè somniaverunt Canonistæ, non veteres illi pauciores, sed turba postea secuta, ut patet per Alberio fidelem antiquitatis conservatorem *in rubr. C. de usur. col.* 2. *num.* 3. ubi refert veterem quendam Canonistam tenentem quòd crimen usurarum spectat ad Ecclesiam, quod ad peccatum & pœnitentiam laïcis prædicandam duntaxat, ut non quò ad cogendum eos (scilicet judicialiter) ad restitutionem. Postea ut ille ait, in contrarium communis opinio Canonistarum invaluit, qui vocaverunt illud crimen Ecclesiasticum, deinde crimen vel causam quasi spiritualem, *ut gloss. ult. in c. ex literis de jurejuran.* Postremò (quod nimis ridiculum est) purè vel merè spirituale. Sed ut in præcedentibus dictum est, illa superstitio ex duplici errore processit. Primò ex ignorantia juris civilis, maximè *dict. l. eos*, hic fuit primus impulsus, quasi jura civilia impiè usuras statuant. Secundò ex ignoratione juris divini, quasi usura de se habeat malitiam involutam, etiamsi non sit in damnum, nec in fraudem proximi: sed cùm non habeat malitiam aut iniquitatem annexam, ut latè suprà *num.* 10. nisi quatenus est contra charitatem proximo debitam, sequitur quòd non est magis de foro Ecclesiastico, quàm reliquæ fraudes, & crimina. Tertiò superstitionem auxit, imò tandem ridiculam effecit, studium ambitionis & avaritiæ nimis detectum.

156. Hic occurrit quæstio quam obiter expedire volo, An usurarius, scilicet qui fœnus improbum exercuit, criminaliter puniri possit? Jacob Butrigar. voluit quòd sit. [Et idem sentiunt Monachus, And. & Geminianus in *c. 1. de usur. in 6.*] cujus oppositum decidit Bald. in *l. improbum C. ex quibus causis alic. infam. irrog.* motus quia jure non cavetur. Eadem ratione innuit Ang. *in disput. Astensis miles, col.* 3. quòd non potest nec debet torturæ subjici. [Et opinionem Baldi latè sequitur Philip. Dec. *Consil.* 170. *vol.* 2. Aret. in *c. 9. num.* 80. *De offic. ord.* tanquam communem.] Sed opinionem Butrigarii contrà Bald. latè tuetur Joan. Baptista Caccia. *sup. repet. l. 1. collat.* 10. *C. de sum. Trin.* Cornæus *contr.* 19. *lib.* 3. cum quo inclinat Decius. *leg. rogasti* §. *si tibi in fin. si cert. pet.* & contra Ang quòd torqueri possit, consuluit Socin. *cons.* 219. *in fin. lib.* 2. ego verò dico, quod in præsumpta vel interpretativa usura illicita, vel quando non est magnus vel enormis, nec consuetus excessus, sufficit nullitas vel moderatio contractus; si verò appareat de enormi vel dolosa circumventione, aut de consuetudine improbam & vetitum fœnus exercendi: quia hæc cadunt in delictum, & non in simplicem momentaneam fraudem contractus, tunc etiam mulctari, aut gravius pro qualitate admissi, criminaliter puniri poterit: quod etiam Constitutiones citatæ suprà *num.* 153. *in fin.* innuunt. Nec dubito quin perfidi illi, de quibus suprà *num.* 14. *cum sequent.* etiam corporaliter puniri possint, & torturæ subjici, ut quandoque fieri vidi ab hoc Senatu. Angel. autem in dicta disput. loquitur, quando nondum constabat de noxis circumstantiis improbi fœneris cadentis in delictum: & sic non meruit simpliciter reprehendi à Socino. [His editis vidi Hier. Grat. *cons.* 49. *lib.* 2. ubi ad tertium quæsitum tenet, verum usurarium non posse puniri aliâ pœnâ, quàm ordinariâ, quæ habetur in *c. quia in omnibus ex. de usur.* ubi communione, oblationibus, & sepulturâ privatur: Et hoc nisi usura transeat in aliud genus delicti, putà hæresis: Ego verò nego pœnam d. capit. quia in omnibus esse pœnam ordinariam delicti, sed esse sententiam excommunicationis, vel censuræ Ecclesiasticæ, quæ non habetur pro punitione delicti; Et tenet ut dixi, quicquid idem Grat. dicat *cons. 79. lib.* 2.]

An usurarius criminaliter puniendus.

QUÆSTIO XI.

SYNOPSIS.

1. *Removendus creditor, qui intendit ut pretium sibi reddatur, aut ut legi contractus stetur quatuor rationibus vallatum.*
2. *Creditor invito debitore, petere potest, initio contractus, ut ad rationem quintædecimæ reditus reducatur.*
3. *Reditus excessivus utique semper reducendus ad rationem quintædecimæ.*

164. UNdecimò juxta prædicta quæro, utrum creditor qui reditum duodecimam vel etiam decimam pretii partem excedentem emit, petere possit ut vel pretium sibi reddatur, vel contractui stetur? Videretur quod sic, ex quo electio datur debitori, & sic non videtur à creditore, sed à seipso læsi, si nolit à contractu recedere, & pretium reddere: tum quia non videtur debitor audiendus ad dividendum contractum vel ejus commodum: sed quòd in totum debet acceptare, vel in totum discedere, saltem re integra, hoc offerente creditore: tum quia remedium vult uti debitor hujusmodi contractu læsus est, in effectu restitutio adversus læsionem: ergo etiam creditor debet restitui, eique pecunia reddi, *l. quòd si minor. § restitutio de min. l. unica C. de reputat.* ita quòd etiam favore læsi minoris non debet contractus dividi *l. tutores §. curator de min.* Quid plura? videtur text. in *l. Julianus §. si quis colludente de actionib. empt. & vend.* & ita in simili tenet Andr. Tiraq. in *tract. retract. conven. in fi. quæst.* 28. Quibus non obstantibus, dicendum creditorem non audiendum, quadruplici ratione manifesta. Prima quia aliàs locus esset apertus cuicunque fœnori vetito, & omnes leges usurariæ inutiles essent, & illusoriæ: qua enim facilitate & egestate debitor injustis usuris se subjecit, eadem eligeret illis exhauriri. Secunda, quia ista petitio vel oblatio creditoris nullam novam electionem, nullum commodum affert debitori, nihil penitus, quam quod ex forma ejusdem contractus illiciti etiam eo stante, jam spectat ad debitorem: quippe qui ex forma contractus non tenetur ad aliud, quam vel reditum conventum pendere, vel sortem reddere. Et sic creditor idem petens, vel offerens, nihil aliud petit quam rigidè & præcisè contractui injusto omnino stari: & sic ridiculum est dictum creditorem in hoc audiri posse: & plus quàm ridiculum, pro beneficio hoc accipere. Tertia, quia prima pars dictæ oblationis, seu petitionis, videlicet contractui stari nedum est injusta, sed impossibilis, quia nulla voluntate, nullo juramento debitoris justificari potest *leg. non dubium. C. de legib.* Et consequenter etiam secunda pars, videlicet de restituenda pecunia, est injusta, per rationem, *l. Scius*

& Agerius ff. ad leg. Falci. Quarta, quia quòd reditus nullus eſt, in favore debitoris, & in pœnam creditoris introductum eſt: unde non debet retorqueri in odium & damnum debitoris: quod eſſet, ſi ſtatim cogi poſſet ſortem reddere. Nec etiam debet id eſſe debitori inutile, prout eſſet, ſi deberet ſtare contractui, vel ſortem reddere: quod etiam eſſet mugatorium, quia creditor in nihilo puniretur, ſed haberet intentum. Non obſtat §. *ſi quis colludente*, tum quia ibi contractus poteſt approbari, nec laborat niſi morbo extrinſeco, cujus oppoſitum hîc eſt: tum quia ibi per reditum ad priorem ſtatum plenè conſulitur indemnitati læſi, cujus oppoſitum hîc eſt, quia debitori per injuſtam uſuram læſo, cùm indigeret credito ſub conceſſis uſuris, non conſuleretur, ſi adigeretur ſtatim ad reſtitutionem ſortis, ſed magis læderetur.

158. Modò plura decidenda occurrunt, ſuper reditu nullo vel moderando: quæ ut breviter omiſſa diſputatione habeas, Dico, quòd hoc caſu quando reditus eſt nullus, putà excedens decimam ſortis partem, tamen creditor non amittit ſortem: & excludo caſum juris, de quo in *novell. de his qui mutuò dant agric. conſt.* 33. & etiam caſum in quo eſſent tot pravæ & ſceleſtæ circumſtantiæ, ut creditor mereretur damno ſortis affici. Sed ut non eſt juſtum, debitorem ſtatim cogi ſortem reddere, tum per prædicta, tum ne durius cum eo agatur in reditu funditus nullo, quàm in paululum exceſſivo: ita non eſt juſtum, debitorem nunquam reddere ſortem, eamque ſemper tenere ſterilem creditori, volenti bonam fidem agnoſcere. Sic ergo res temperanda eſt, diſtinguendo tria tempora facilioris doctrinæ causâ, videlicet principium, medium, & finem. Et voco principium tempus contractus, vel paulò poſt contractum, putà infra primum annum. Et tunc dico, quòd poteſt creditor offerre ſeu petere reditũ reduci ad rationem quintædecimæ: quod etiam invito debitore fieri debet, niſi malit ſortem ſtatim reddere. Ratio, quia cùm creditor velit bonam fidem agnoſcere, & purgando vitium læſione ſublatâ debitorem indemnem reddere, non debet debitor deinceps lucrari ſive locupletari cum jactura aliena. Et hic advertendum eſt ad duo. Primum, quod iſta reductio non poteſt peti per creditorem ad rationem duodecimæ, tum propter delictum per eum admiſſum, tum quia reductio regulariter non debet fieri ad ſummum, qualis eſt duodecima, ſed ad mediocre & æquabile, qualis eſt quintadecima. Secundum, quòd hæc reductio non debet fieri à die contractus, cùm ſit nullus, ſed ſolùm à die bonæ fidei agnitæ per creditorem, & reductionis per eum oblatæ debitori: temporis autem interim preterfluentis intereſſurium omnino perit creditori. Et licèt debitor, ſi velit, poſſit hanc reductionem petere vel offerre, tamen quia non cedit ad commodum debitoris ſed creditoris, cùm alioqui reditus ipſo jure nullus ſit, non tenetur debitor prævenire, ſed poteſt ſinere tempus labi, & interim uſuram lucrifacere. Ideo de ſolo creditore locutus ſum, à quo hæc diligentia procedere debet. Poteſt autem creditor ſi velit, nullam reductionem, ſeu potius novam, juſtam & æquabilem reditus conſtitutionem petere vel acceptare: ſed tunc tenebitur expectare ſortem ſibi reddi per ſingulos annos, vel terminos conventos, donec quantitas ſortis expleta ſit, nec prius reſtituere tenebitur debitor: ſi eſt paratus, reditum æquabilem, videlicet ad quintamdecimam, conſtituere.

159. Sed quid? debitor initio obtulit & petiit reduci ad quintamdecimam: ſed creditor per aliquot menſes vel annos noluit, nunc autem, putà tertio anno à die contractus, vult reduci. Reſpondeo. Reductio fieri debet ut ex nunc, omni præteriti temporis uſura ceſſante. Et adhuc poteſt debitor penſiones juxta formam contractus præteritas, pro rata temporis, invito creditore ſimul per ſe ſolvere vel offerre, licèt in diminutionem ſortis cedant, & pro rata reſidui ex nunc & pro futuro tempore duntaxat reditum quintædecimæ offerre: & ſic in effectu partim particularem ſortis reſtitutionem facere, partim pro reſiduo reditum ad quintamdecimam moderatum, & in futurum tantùm offerre. Nec eſt mirandum: quia iſta non eſt proprè reductio prioris reditus, qui nullus eſt, ſed novi reditus æquabilis conſtitutio. Nec poteſt creditor invito debitore petere, reditum conſtitui de tota ſumma, denegando in ſortem accipere ſeorſum pro rata temporis præteriti, tanquam particularem ſortis reſtitutionem, ex quo ſorti imputatur: quia quod ſorti imputatur, hoc eſt in præjudicium & odium iniqui fœneratoris. Unde in ejus commodum capi non debet, quominus liceat debitori pro rata temporis præteriti ſeorſum ſolvere, juxta formam contractus, licet ſorti imputet: tum quia pariter debitor non poſſet poſt aliquot menſes vel annos, totam ſummam invito creditore retinere, etiam totius ſummæ pro futuro tantùm tempore reditum quintædecimæ offerendo: ſed cogi poteſt pro rata temporis præteriti ſolvere, & de reſiduo pro futuro tempore quintamdecimam (donec reſiduum illud refundat) pendere. Et ſic jam habes medium tempus obiter declaratum, videlicet poſt duos, tres, vel 4. annos, à die contractus injuſti. Aut enim debitor nihil dum ſoluit, & tenetur præciſè ſolvere ſorti imputando pro rata temporis præteriti: & de reſiduo ſi petat creditor, reditum quintædecimæ conſtituere, niſi malit debitor etiam reſiduum, & ſic totum reddere. Plus abſolutè dico, quòd cùm non de reductione, ſed de nullitate reditus agatur, & de nova reditus æquabilis conſtitutione: cúmque vetus nullitas & nova conſtitutio in odium fœneratoris accipi debeat, licebit debitori ſemel dividere, hoc eſt, ſemiſſem vel quotam voluerit ſortis partem ſine uſuris reddere: & de reſiduo (quantum ſibi placuerit, retinere) reditum quintædecimæ offerre. Aut verò debitor interim juxta formam contractus ſoluit, & tanti ſors ipſo jure jam diminuta eſt, & electionem habet debitor reſiduum offerendo liberari, vel creditore ſilente, pergere ſic particulatim ſolvere, donec ſors æquata, & ſic ſoluta ſit. Creditore verò finem præveniente, etiam volente bonam fidem agnoſcere, poteſt debitor quantam partem reſidui volet, offerre, & de reliquo reditum quintædecimæ offerre, per prædicta.

Tria tempora.

160. Venio ad finem temporis, quem intelligo tanto tempore lapſo, quo ſecundum formam contractus ſolvendo, ſors expleta eſſet, & tunc aut debitor ſemper quotannis ſoluit reditum, & expeditum eſt, quòd ut expleta ſorte nihil ultrà debet. Quòd ſi porrò ſolverit, tanquam indebitum condicet: cùm enim nulla facta ſit reductio: nec purgatum ſit vitium, omnia ſorti ſemper neceſſariò imputantur. Aut verò debitor nihil ſoluit, & totanni præterierunt, quorum penſiones ſufficerent ad ſortem æquandam, & ita tum creditor poteſt illam ſortẽ exigere, nec tenetur ulterius differre, nec in reditum etiam ad rationem duodecimæ (ſi pro tempore futuro offeratur) convertere. Tum quia non poteſt, nec decet durius agi cum creditore, quàm quòd contractus reditus in ſimplex mutuum converſus intelligatur, ſolutione diviſa & dilata in proximos annos ſortem æquantes. Unde illis lapſis, totam ſortem, vel (ſi quid interim ſolutum ſit) quod ſupereſt, indilatè exigere poteſt. Tum quia ſi debitor poſtquam per tot annos ſortem creditori ſterilem poſſedit, vellet deinceps eam retinere quoad vellet, certum pro futuro tẽpore pendendo reditum, deberet etiam temporis præteriti, ſaltem (quod propter conſtitutionem dico) à quinque noviſſimis annis conſimiles penſiones offerre. Nunc autem capiendo alium caſum, de quo ſuprà *num.* 157. *in fi.* videlicet quando reditus non eſt nullus, ſed exceſſivus, res eſt expedita, ſaltem in conſtitutis ab anno Domini, ſeſquimillelimo, cùm

ſemper reductio facienda ſit uniformiter ad rationem quintædecimæ, etiam pro præteritis & ſolutis penſionibus, ut in *quæſt. præcedenti, num. 148.*

161. Sed unus tantùm ſcrupulus oritur, quia non videtur æquum quod fœneratori improbo conſtituatur reditus quintædecimæ ut in prædictis, æquiparando eum creditori paululum excedenti, cui fit reductio ad quintamdecimam: ideo præfato improbo, nulla videtur fienda conſtitutio, ſaltem non tanta, ſed ad rationem ſemiſſis vel quincuncis uſuræ, putà ad decimam ſextam aut viceſimam ſortis partem. Reſpondeo Improbus eſt deterioris conditionis in duobus aliis. Primò, quia illi non fuit reductio, donec offerat, & bonam fidem agnoſcat, & omni intermedii temporis interuſurio privatur. Secundò, quia tempore reductionis poterit debitor pro rata temporis præteriti ſolvere, & invito creditore, ſortem, etiam prout volet, ſemel dividere, & pro reſiduo & in futurum duntaxat reditum moderatum offerre: quæ duo ceſſant in eo qui modum modicè exceſſit: quia huic nullum tempus perit, nec vacat uſura æquabili, quæ ſemper ad rationem integræ ſortis currit. Si quid enim ex penſionibus prius ſolutis decidatur, id non ſorti, ſed reliquis imputatur, ſecundum notata in *quæſt. præcedenti num.* 150. Quòd ſi priore caſu improbus ille fœnerator mox pœniteat, ſiquidem antequam ad alia divertatur, vel ante ſortem numeratam, & contractum completum, cùm nullum fuerit delictum conſummatum, ceſſant prædicta, & reformari poteſt contractus ad rationem duodecimæ: ſed ſi poſt contractum perfectum, & pretium numeratum, etiamſi eadem vel poſterâ die pœniteat facienda eſt reductio ad rationem quintædecimæ, quod ſufficit, nec tamen æquiparatur creditori modicè excedenti: quia ſatis eſt quòd ille improbus, donec bonam fidem agnoverit, eſt in periculo, ut in multis: & quanto magis differt, deterioris ſit conditionis eo qui parum exceſſit.

QUÆSTIO XII.

SYNOPSIS.

1. *Reditus non excedens decimam, non eſt nullus, nec nullitati ſubjiciendus.*
2. *Fœnerator illicitum ſortem proſequitur, non reditum.*
3. *Melioris conditionis eſt modicè modum excedens quàm fœnerator improbus.*

162. DUodecimò, ad uberiorem prædictorum declarationem, utque nihil penitus ſcrupuli ſubſideat, quæro: quid ſi quis emit centum annui reditus pro mille, & de facto plenam ſolutionem recepit per 10. annos: nunc autem debitor detrectat? Breviter iſta quæſtio ſoluta eſt ex notatis ſuprà *quæſt.* 10. videlicet quòd debitor non poteſt dicere creditorem ſortem ſuam recepiſſe, quia non ſolum reditus non eſt nullus, ſed nec annullandus. Et licèt duplici ratione ſit moderandus, prima quia ab initio exceſſit creditor, putà minori pretio emendo: ſecunda, quia per multos annos penſionem exceſſivam exegit: tamen ſufficit moderationem fieri ad quintamdecimam, etiam in jam ſolutis à tempore contractus, nec quod detrahitur, debet imputari ſorti, ſed in reliqua, ſi qua debeantur, vel reſtitui debitori, per notata *ſupra quæſt.* 10. *num.* 150. Et hoc dummodò reditus nullo modo excedat rationem decimæ. Secus, ſi ex pactis vel oneribus adjunctis, excederet rationem decimæ: quia tunc poſt ſolutiones decennales liberatus eſſet debitor, & eſſet dicendum ſicut de reditu reprobo. Amplio, etiamſi creditor non exegerit integram, ſed minorem, & non excedentem penſionem: quia ex quo ex mera facultate & temporaria liberalitate hoc fecit, non eſt in conſideratione cùm ſemper ipſe, vel ejus ſucceſſor ſecundùm formam contractus deberi prætendat: ideo quicquid ſolutum in ſortem imputandum, quemadmodum ſi per 10. annos nihil ſolutum eſſet, ſufficit tamen hodie ſortem vel quod ſupereſt, offerre. Sed retento themate. quæritur de reditu decimę, quid in caſu converſo, ſi per totos 10. annos nihil ſolutum ſit, an poſſit creditor refutare moderationem, & omnem reditus continuationem petendo ſibi totam ſortem ſtatim & ſimul reddi? Videretur quòd ſic: tum quia debitor diu non implevit ex parte ſua. Et ſic videtur quòd creditor non teneatur ulterius implere, nec relinquere ſortem penes debitorem, ſaltem quando nullum vult habere commodum reditus, nec interuſurium etiam pro tempore præterito: ſed illud remittit: tum quia etiam improbus fœnerator, videlicet qui emit ad rationem unius pro 8. vel 9. poteſt poſt lapſum totum tempus quo ſors expletur, putà poſt 8. vel 9. annos, ſi nihil interim recepit, petere totam ſortem ſibi ſtatim reddi, ut dictum eſt in quæſtione præcedenti. Igitur multo fortius hoc facere & petere poteſt creditor non improbus, qui non reprobum, ſed paulò exceſſivum tantùm fœnus ſtipulatus eſt, ut valde abſurdum eſſet deterioris conditionis eſſe juſtum, quàm injuſtum creditorem. Solvendo contrarium dicendum eſt: Non obſtat primum objectum: quia debitor offerendo reliqua præteriti temporis, ſaltem à quinque noviſſimis annis, ſub eadem congrua quintædecimę moderatione, poteſt moram purgare.

163. Non obſtat ſecundum objectum, quia licèt inter hoc creditores mero jure ſive quantum ad jus agendi eis competens ſit differentia: tamen quoad iſtud de quo nunc quæritur, videlicet in jure exigendi, non eſt differentia in effectu, & tamen fœnerator improbus non eſt melioris, ſed ſemper deterioris conditionis. De primo, videlicet eſſe differentiam ad agendum, patet: quia juſtus ille fœnerator non habet actionem ad ſortis repetitionem, ſed ſolùm ad reditus continuationem ſub moderatione competenti. Fœnerator autem improbus nullum jus, nullam actionem habet ad reditum, ſed ſolùm ad ſortis velut mutui repetitionem. Porrò licèt ab initio contractus eam actionem habeat mero jure, non tamen purè & præcisè; ſed in diem, vel ſub illo æquitatis temperamento, de quo in quæſt. præcedenti in princ. tamen poſt lapſa tempora, quæ ſecundum formam contractus ſortem æquant, ut hic, habet actionem puram ad totius ſortis repetitionem, & non ad aliud, etiam poſt multa alia tempora. De ſecundo, videlicet non eſſe differentiam effectualem, quantum ad iſtud quæſitum, patet, quia ut creditor juſtus (etiamſi omne commodum & interuſurium abdicare velit) non poteſt debitorem cogere ad ſortis reſtitutionem, etiam poſt lapſa dicta tempora: ita nec poteſt fœnerator improbus, utcunque actionem habeat puram. Probo, quia quòd reditus omnino nullus eſt, nec reducibilis, odio fœneratoris, & in favorem debitoris juſto prudentum & reip. conſenſu præter jus commune introductum eſt, ut ſupra *q.* 10. *in princ.* Unde non debet retorqueri contra debitores, nec pro fœneratoribus. Igitur utrum maluerit debitor, poteſt eligere, vel meram nullitatem, vel moderationem reditus ad quintamdecimam. Et hanc eligendo effectus erit m

hoc themate, quòd potest fœneratori pro reliquis præteritis, offerre quinque novissimorum annorum reliqua, ad rationem quintædecimæ pro tempore præterito, cum continuatione reditus ad eandem rationem, donec redimat. Et quanquam regulariter hoc non sit utile debitori, quia sic faciendo perdit non modicam summam, quam poterat sorti imputare, & reddito reliduo, in totum liberari: tamen accidere potest, debitorem in tali tunc esse peritali, ut præstet tantam summam, quanta sunt quinque novissimorum annorum reliqua moderata, perdere, & nihilominus ad reditum quintædecimæ totius sortis obligatum esse, quàm totam sortem restituere. Ex his patet fœneratorem improbum, postquam diutius in scelere suo inforduit, & quo magis vitium purgare distulit, longè meritóque deterioris conditionis esse eo, qui paululum modum excessit, sive tempore medio reditus solutus sit, sive non. Hanc duodecimam quæstionem (cum non sit nisi periphrasis præcedentis) non necessitatis, sed perspicuitatis ergò posui, non ignorans interim ad gravitatem orationis, & acuminis famam præstabilius & plausibilius fuisse, paucis verbis magna sensa concludere, quàm levia & minuta quæque curiosius persequi, non sine opinione nimiæ cujusdam anxietatis, & scrupulositatis apud criticos & morosos quosdam. Atqui promptius mihi erat, paucis majori gravitate & splendore defungi: sed malui communi multorum utilitati, quam majori nominis mei commendationi consulere, opusque meum pluribus vel rudibus populariter utilius fore, quam paucis doctis acceptius, magisve suspiciendum. Itaque si qui hoc meum consilium reprehendant, eò ipso sese reprehensibiliores ostendent.

QUÆSTIO XIII.

SYNOPSIS.

1. *Minor juris communis regulis obligatur.*
2. *Improbus reditus alieno etiam nomine constitutus, pœnæ nullitatis subjicitur.*
3. *Emptor supplementum offerens veri pretii vindicantem minorem summouet, & elegans declaratio l. patri. §. 1. de minoribus.*
4. *Minor pro parte restitui inciuiliter petit.*

164. DEcimoquartò occurrit necessaria quæstio, an quæ in tribus præcedentibus quæstionibus dicta sunt, habeant locum in minore. Nec supinè intelligas de eo qui successit majori, qui taliter contraxit, de quo non est dubium, etiam pro reliquis currentibus tempore minoris ætatis: sed quando minor ejus tutor vel curator emit reditum sibi novè constitutum supra rationem duodecimæ, vel etiam decimæ: prima facie videntur prædicta omnia habere locum, cùm non sint singulariter pro jure speciali, sed generaliter pro jure communi introducta. Minor autem jure communi utitur, *leg. fi. Cod. de in integ. restitut.* & regulariter statuta ligant etiam minores & infantes. Ludovic. Roman. *jmg. ult.* Alex. *cons.* 49. *col.* 3. *lib.* 1. *cons.* 119. *num.* 35. *cons.* 254. *lib.* 6. In contrarium, quia jure communi sufficeret reductionem fieri ad duodecimam communiter concessam, ad quam etiam secundùm jus commune ipso jure fieret, per not. sup. *quæst.* 10. *in princ.* Quod autem introductum est de annullatione reditus, vel reductione ad quintamdecimam, factum est in pœnam improbè, vel excessivè fœnerantis, & sic speciali quadam ratione præter jus commune, de quo in *l. eos, in fi. Cod. de usur.* Respondeo. Aut minor per se sic contraxit, & tunc aut erat capax talis fraudis intelligendæ & committendæ, putà jam 18. vel 20. annos natus & expertus, negotiorúmve peritus, præsertim veniam ætatis habens: & tunc cùm capax sit delicti, capax est & dignus pœna *l. si ex causa. §. nunc videndum. §. penult. l. auxilium, de minor. facit l. 2. Cod. si adverſ. delict.* Aut verò tutor vel curator ejus sic contraxit, vel etiam minor ipse, sed inexpertus, & verisimiliter harum rerum ignarus, & tunc videretur cessare dicta pœna, speciali ratione præter jus commune inducta. Et sic reditum ipso jure reducendum ad duodecimam, ut in simili de jure communi. *l eos, in fi. cum aliis, sup. quæst.* 10. *in prin.* tum quia aliàs adversus hanc captionem minori damnosam, & sine dolo ejus inductam, videretur minor restituendus, ut se restringere possit ad formam concessam.

165. Sed certè si hæc fenestra aperiretur, sequeretur idem dicendum, si negotiorum gestor vel procurator generalis nomine absentis, quodcunque fœnus improbum contraxisset, & esset aperta via ad contemnendas & fraudandas pœnas publicarum ordinationum. Semper enim fœnerator improbus nominé cujusdam minoris, vel absentis, vel symmistæ sui contraheret, securus quòd si non posset illicitum obtinere, saltem lucrum duodecimæ haberet. Quare puto indistinctè eam nullitatis pœnam locum habere, sive quis nomine proprio, sive alieno, sive tutor vel curator etiam infantium, sive tanquam procurator vel gestor illicitè vel excessivè fœneraverit. Tum ut omnis fraudationis facultas excludatur. *l. 1. Cod. de fabricen. fib. lib. 11.* tum quia non agitur de pœna criminali, sed civili: imò de simplici nullitate actus, quæ propriè non est pœna. ut not. in *l. non dubium*, per Bal. *Cod. de legib.* Felyn. *c. 1. de constit.* tum quia agitur de acquirendo: in quo indistinctè per omnem gestorem domino præjudicari potest, *leg. servus. Cod. de pact.* quanto magis ubi de acquirendo lucro, & maximè odioso, ut hîc? Tenebuntur tamen nomine proprio tutor, procurator, vel gestor domino culpa carenti ad omne interesse, etiam lucri legitimi (videlicet duodecimæ) amissi. Prædicta limito, si fortè debitoris calliditate vitiosè contractum sit, omissa licita forma secundum quam creditor imperitus & inexpertus aliàs contracturus erat, ut infrà *quæst.* 42. *in fi.* Item limito, ut respectu domini insontis teneat contractus, quantum ad clausulam hypothecæ duntaxat ex data contractus pro restitutione sortis, vel congrua satisfactione tantùm, ut dicam infrà *quæst.* 15. *in fi.*

166. Rursus prædicta & quæ in tribus præcedentibus quæstionibus, multo magis locum habent in Ecclesia, triplici ratione. Prima, quia Ecclesiæ, seu viris Ecclesiasticis minus congruit fœnerari, quàm privatis, & in eis fœnus est execrabilius. Secunda, quia Ecclesia abundantiorem justitiam servare debet quàm privati *c. prim. §. si diversum, de alienat. feudi in usib. feud.* Tertia, quia Ecclesia seu Ecclesiastici, quos vocant, per expertos & sagaces negotia sua tractant, & sic excedendo sunt in fraude vel dolo, unde non excusantur, sicut nec minor hujus doli capax. Et idem in civitate, collegio, & similibus: non obstat quòd delictum personæ non debet redundare in detrimentum Ecclesiæ, *c. delictum de reg. jur. in 6.* tum quia verum est in jam acquisitis: sed hic sumus in acquirendis, ubi indistincte nocet sive committendo, sive omittendo, per not. in *l. servus,*

Ecclesia.

Delictum personæ an in damnum Ecclesiæ.

Cod. de pact. præsertim cum agitur de acquirendo lucro, ut hîc.

167. Quid è converso, si minor ipse qui fœneravit, conqueritur, putà quia emit centum reditus pro sesquimille, vel pro bis mille, nec dubitatur de validitate contractus, cùm minor possit alienare pecuniam sine decreto, ut notatur per gloss. & Doctores *l. 2. §. fuit quæsitum ad Trebell.* tradit dom. And. Tiraq. in *tract. retract. proximitat. §. 1. glos. 7. numer. 104.* Sed quæritur, an restitui possit in integrum. Videtur quod sic: licet hîc non agatur, nisi de majore lucro omisso: quia etiam ad lucra minores restituuntur. *l. ait prætor. §. hodie. l. non omnia. de minor.* Respondeo. Si emit pro sesquimille, & hîc ad rationem quintædecimæ, non debet restitui: quia quintadecima est media & æquabilis ratio horum reddituum, ut suprà *quæst. 5.* & sic minor non est læsus. Si dicas, quòd poterat habere paulò majus lucrum ad rationem duodecimæ, id non obstat propter duo. Primò, quia illud est supremum lucrum, & nimis odiosum. Secundò, quia modicum distat à quintadecima: unde propter lucrum tam modicum & odiosum non debet dari restitutio. *l. scio. de in integr. rest. c. 1.* juncta glossa in verb. *detrimenti. extra eo.* Præterea satis est, quòd non est læsus, quia non dicitur emisse injusto sive excessivo pretio, sed justo & æquabili, licet non minimo, ut dixi. Si verò emit minori pretio, sitque reditus minor quintadecima, puto defectum esse notabilem & considerabilem in minore, eúmque restituendum, non ut præcisè cogatur debitor sortem reddere (ne decipiatur & damnificetur) sed ut teneatur quod deest reditus supplere, retenta & manente eadem sorte: vel quod superfluum est pretii seu sortis restituere, manente reditu. Nec enim debet restitutio plus afferre, quàm abstulit læsio, ut not. in *l. nam postea quam. §. quòd si minor. de jurejuran.* Bar. in *l. qui propino. § item quæritur de procur.* Et restitutio in integrum ex bono & æquo temperanda est, *l. quod si minor, §. non semper de minoribus.* Hinc infero pulchram declarationem *ad l. patri. §. 1. versi. item ex diverso de minor.* ut possit emptor fundi excludere minorem, offerendo supplere justum pretium: quando constat quod minor non est læsus in vendendo, sed solùm in minoris vendendo, ut si minor alii carius addicturus est, vel erat. Secus, si constet quòd inconsultè fundum fortè majorum, vel vicinum vendidit quem potius expediebat retinere vel redimere: quodque etiam nunc velit retinere pro se & sibi hoc expediat.

168. Sed hoc casu quæritur, An teneatur debitor supplere reditum, vel reddere de pretio, ita ut fiat reductio ad rationem duodecimæ. Et videretur hactenus teneri ut fiat reductio ad rationem quintædecimæ: quia est justa & æquabilis, & nullam læsionem continet. Sed verius pro eousque teneri hoc casu, ut fiat reductio ad duodecimam propter duo. Primò, quia propter notabilem defectum suspicio est, quod emptor facilitate minoris abusus fuerit, eumque quadam arte deceperit, vel induxerit, si cum solo adulto carente curatore contraxerit: vel si cum tutore vel curatore ex tanta inæqualitate suspicio est sordium, vel collusionis, aut quòd factum sit ad emerendam gratiam emptoris, de bonis & in præjudicium minoris. Secundò, quia licet modicus excessus non sufficiat ad aliquam restitutionem, tamen notabilis excessus sufficit, ut fiat integra totius læsionis reparatio. Simile in *l. 2. Cod. de rescind. vend.* Hæc autem suppletio sive reductio debet fieri non solùm pro tempore futuro, sed etiam habita ratione à tempore contractus, & totius pecuniæ numeratæ, dummodò debitor sciverit se cum minore contrahere. Unde si debitor eligat sortem restituere, & à toto contractu discedere, ut potest *l. tutor. §. 1. de minor.* tenebitur offerre vel supplere reliqua præteriti temporis ad rationem duodecimæ à tempore pecuniæ sibi numeratæ.

Restitutio in integrum est de bono & æquo.

169. Sed quid si minor velit se dicere læsum, non eo quod viliorem reditum emit: sed eo quòd indiget pecunia sua, & sic cogere debitorem ad sortis restitutionem? Respondeo. Aut illa indigentia supervenit post contractum, & clarum est non esse in consideratione, *l. verum. §. secundum, de minor.* Aut verò suberat tempore contractus, & tunc quemadmodum si fundum etiam justo pretio, sed sibi onerosum emerit, potest restitui ut redhibeatur, dummodò res integra, & sine captione bonæ fidei venditoris: ita & hîc admitti posse non negaverim, etiamsi summo pretio, videlicet ad rationem duodecimæ emerit, dummodò res sit integra bonæ fidei venditori, & sine ejus captione fiat. Si enim is pecuniam vel bonam partem in necessitates suas expenderit, vel interim hoc contractu confisus, alias occasiones sibi consulendi quas recuperare non potest, prætermiserit, non puto temerè restitutionem admittendam ad finem redhibendi, nisi aliàs appareat venditorem pellexisse & induxisse minorem quadam fraude, aliter non fœneraturum. Res est enim boni & æqui restitutio, & ita temperanda, ut neutra pars indebitè capiatur, *l. si ex causa, §. non semper. l. minor annis. §. prædia de minor.* Quinetiam pupillorum & minorum interest, ne temere prætextu restitutionis contractus suos revocent; alioquin non reperirentur qui ab illis nisi forsan prædibus acceptis, fœnerari vellent, *d. §. non semper. l. cum plures. §. 1. de admin. & conf. tut.* Quòd si debitor offerat alium eodem pretio empturum nomen reditus, vel si undecunque habeat minor cui eodem pretio vendat, & noluerit, non est audiendus; & multo minus si pro parte tantùm restitui velit. Cæterùm non semper inveniuntur qui velint eodem pretio emere, præsertim si non sint fidejussores, licet aliàs debitor non solvendo sit. Quare hæc incidens quæstio non est otiosa.

QUÆSTIO XIV.

SYNOPSIS.

1. *Quemadmodum l. 2. Cod. de rescind. vend. non habet locum in veris usuris, ita nec in reditibus qui usurarum vicem subeunt.*
2. *Ferenda circumscriptio modica.*
3. *Nimia d. l. 2. duritiei.*
4. *Quomodo dignoscendum an venditor læsus sit ultrà dimidiam ex Senatusc. celeberrimo.*
5. *Nova declaratio, ut emptor læsus dignoscatur, & num. 6.*
7. *An d. l. 2. in datione in solutum obtineat.*

170. DEcimoquartò occurrit quæstio, An in materia usuraria habeat locum *l. 2. Cod. de rescind. vend.* Clarum est quod non in vera & formali usura: cùm certos augmenti tantum limites habeat, quos nec tantillum excedere licet, sed infrà subsidere, quantumvis liberum est, nisi quatenus creditor liberam rerum suarum dispensationem non habeat. Idem dicendum in usura interpretativà. Idem in his reditibus usuræ succedaneis, sive de nullitate, sive de moderatione agatur. Idem in omni contractu facto in fraudem usurarum, vel taxationis horum reddituum, ut infrà *quæst. 56. cum seq.* Hæc autem quæstio supervacua videtur; sed præmunit viam ad multas arduas

quæstiones, *infrà quæst.* 28. *quæst.* 40. *cum seq.* Ideo ut plenius omnes capiant radicalia fundamenta, quæ sunt bases decisionum & totius analyticæ nostræ œconomiæ, notandum quod *d. l.* 2. non magis lata est pro contractibus usurariis, quàm pro contractibus lucrativis. Est enim lata non ad determinandum medium justum (ut vulgò imperiti putant) sed ad refrænandum seu limitandum vagam & incertam declinationem, ab ipsa justa & vera æqualitate contractuum commutativorum duntaxat, de quibus tantum loquitur, & in quibus naturaliter, hoc est, de se requiritur exacta illa & summa æqualitas, quam Aristot. *lib.* 2. & latius *lib.* 5. *Ethicorum*, Arithmeticam proportionem vocat, quasi exæquatissimam, non aliter atque centrum juxta distat undique à circunferentia: non quod in commerciis commutativis æqualitas consistat in puncto indivisibili, sed *in medio* & in quadam latitudine. Quod enim in illis dixi de summa æqualitate, verum est respectivè videlicet comparatione justitiæ distributivæ, quæ, est totius ad partes, hoc est universi ad singulos, in qua proportio Geometrica attenditur, qua latior est: æqualitas autem commutativa quæ est partis ad partem, hoc est, inter singulos, strictior est, ut quæ illa exactissima ducatur.

Proportio Arithmetica & Geometrica.

Justitia commutativa distributiva.

171. Quod autem quædam leges, *l. in causa* 2. §. *pen. de minorib. l. item si pretio*, §. *ult. locati dicunt*, in his commutativis naturaliter licere seu concessum esse invicem se circumvenire, non hoc pro fraudationis authoramento arripiendum est: nec etiam propriè pro jure naturali, quum semper bonum & æquum sit, sed pro mutua quadam & tacita indulgentia contrahentium adinvicem, qui vel mutuo naturali amore non dedignantur aliquid modicum, sive scienter, sive ignoranter remittere de jure suo: vel si fortè non ex amore, saltem nimiam scrupulositatem alii tanquam sordidam, alii quia non vacat, dedignantur & aversantur. Ex prædictis duobus, vel eorum altero nascitur illa indulgentia: difficulter enim & rarò exactam illam & Mathematicam æqualitatem scrutari, cognoscere & servare possunt: & si quando possint, non vacat, & si possint & vacet, adhuc utilius & honestius est modicum excessum vel defectum, si quis sit, mutuò condonare, quod in summa & individua æqualitate inquirenda immorari & torqueri, nimiamque litigandi materiam tolerare. Et alioqui vix ulla frequentia, vix ulla fides & stabilitas commerciorum esset, ut etiam tangit Petrus Anchar. *Rep. & cap. peccatum, col.* 20. *de reg. jur. in* 6. Quare non solum utile, sed necesse fuit modicam a summa illa æqualitate defectionem indulgere, quæ ideo naturaliter licere dicitur, tum quia contrahentes tacito quodam naturali consensu id sibi mutuò condonare videntur: tum quia de natura contractuum ea esse videntur, sine quibus commodè non possunt in communi & promiscuo usu haberi: unde tacita hæc & mutua condonatio non dicitur donatio, sed concomitantia & sequela contractus; quia æqualitas contractuum non est Mathematica, sed Moralis. Unde nec consistit in puncto indivisibili, sed in mediocritate, quæ latitudinem admittit gradualem, ut apud Aristot. *Ethic.* 2. Sed ea latitudo & indulgentia non eò protrahenda est, ut quid dolo, fraude, vel præter bonam fidem admittere liceat: sed restringitur ad circumventiones, quæ naturaliter hoc est propter naturalem illam facilitatem vel imbecillitatem hominum irrepunt, citra omnem dolum & fraudem, & ut nostri Doctores aptè dicunt, re ipsa. Cæterùm oportet contractum bona fide ab utraque parte fieri, text. in *l. res bona, de contrahenda empt. & vend.* in *l. bonam fidem C. de action. & oblig.* Unde non est admittendum ut hoc prætextu liceat alterum scienter alterum ignoranter supergredi notabiliter, licet citra dimidiam, hoc enim non solùm est contra legem divinam 1. *ad Thessal.* 4. & pulchrè text. *Levit.* 25. ibi. *Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, non contristes fratrem tuum*, & non modò in foro conscientiæ, sed & in foro contentioso, probata sententia decipientis, & ignorantia decepti reparanda, ut alibi fusius probavi, tetigi apud Decium in *l. semper in contractibus de reg. jur.*

Quæritur decipere licet.

172. Rursus ea indulgentia etiam in his quæ naturaliter & reipsa irrepunt, cohibenda fuit, ne nimis & intolerabiliter vagaretur. Hinc Diocletiano & Maximiano Ethnicis visum fuit, satis esse licentiam illam per excessum vel defectum à justa & vera æqualitate declinandi, ad dimidium justi pretii vel æstimationis, id est ipsius æqualitas, cohibere, ne ulterius vagari posset. Sed certè hæc cohibitio valdè disproportionata est, utpotè quæ proportionem æqualitatis dimidio totius fraudari concedat; & sic inæqualitatem admittit duplæ ad subduplam: fit enim ut quos Arithmetica illa æqualitas decebat, alter tamen alterum duplo supergredi, alter dimidio fraudari, & ad subduplum redigi impunè possit. Fit enim ut decipiens decipere possit in duplo, videlicet habere bis æquivalens ejus quod dat (cùm secundum naturalem justitiam sufficeret & deberet habere semel tantum) & tamen non teneatur dicta lege, nec alia actione, nisi acceperit plus quàm bis suum æquivalens: & sic plus duplo rei à se datæ, seu plus duplo ejus quod secundùm naturalem justitiam habere debet: quod est valdè excessivum & à justa æqualitate, & naturali justitia nimis remotum. Nec mirum est duritiem illam exiisse à sanguinariis illis & crudelissimis Christianæ pietatis hostibus, qui decimam illam prolixiorem & truculentiorem persecutionem toto imperio, donec fessi illud abdicarent, pertinacissimè exercuerunt. Hinc durities dictæ legis secundæ multum placet & opportuna est viris tyrannicis & pleonecticis, qui sciunt & possunt sibi vigilare & cavere ne unquam decipiantur, ut nunquam sibi metuant à d. *l. sed bene sperent d. l. sibi profuturam*: ut cauti sunt & veloces ad alios supergrediendos, ut magno damno meo expertus sum, teste hypothesi quæ ex fide Historiæ habetur super *consu. Paris.* §. 23. *quæst. fin.* per Titium enim patrem meum intelligo, qui dimidiam partem in feudo vendito habebat, reliqua erat mea; nomen autem iniqui emptoris & contractuum simulatorum (de quibus ibi) authoris, qui jam decessit, subticui & subticeo. Sed ut malis viris, *dictæ l.* 2. idonea & favorabilis est: ita bonis & simplicibus insidiosa. Quod si ominari liceret, vel ipsa legis *inscriptio* portendit siquidem lupo inscribitur, tametsi ibi lupus ipse captus esset.

Nimia est latitudo l. 2. C. de rescind. vend.

Leges dant à tyrannis.

173. Nec tamen illa taxatio caret aliquali, putà Mathematica quadam ratione: est enim medium inter summam æqualitatem & summam inæqualitatem: quia summa æqualitas est, quando utraque pars commutationis invicem æquivalet, ut quando datur justum pretium, vel res æquivalentes permutantur: contrà summa inæqualitas, quando ab una parte totum seu integrum datur, ab altera parte nihil datur, vel res nullius valoris. Igitur media sive dimidiata æqualitas vel inæqualitas est, quando ab una parte totum seu integrum præstatur, ab altera verò parte dimidium duntaxat æquivalentis. Hactenus deceptionem permittit *d. l.* videlicet usque ad dimidiam, justi pretii seu æquivalentis inclusivè: sed non ultra dimidiam, quantumvis utrinque bona fide contractum sit. Ideo *d. l.* licet duriuscula, non tamen prorsus irrationabilis: ideo illi standum est in sua materia, prout etiam in usum ubique recepta fuit. Sed cum hoc æquitatis temperamento, ut clarè probata enormi læsione, etiam citra omnem verum dolum, judices (quibus bonum & æquum præ oculis semper obversari debet, *l. quod si Ephesi in fi. de eo quod cer. dse dari oportet*,) non debeant tam claram & nimis scrupulosam

Mathematica ratio.

& exactam de ipsius dimidiæ excessu probationem exigere, quod & supremo & æquissimo Senatui nostro placere intelligo. [In quo ultima Decembris anno 1557. æquissimũ Arestum per amplissimum illum D. Pet. Seguierium Præsidem pronuntiatum fuit in purpura: quo declaratum fuit ad cognoscendum venditorem deceptum esse ultra dimidiam, satis esse inspici pretium venditori remansurum, non autem attendi debere quod emptor dominis directis emptionis ergo præstare cogitur: nec ob id pretium majus æstimandum fateor rem his servitutibus obnoxiam tanto minoris valere: sed aliud est quod minus valeat aliud quod de toto minus valeat, seu totum hoc rejici in venditorem.]

174. Justius autem (ut ego quidem censeo) & æquius fuisset, illam circumveniendi ipsa licentiam, sive inæqualitatis litrus & supremum terminum, velut ἀκμὴν, ad bessem pretii seu æquivalentis limitare, ut videlicet liceret circumvenire usque ad tertiam partem dantaxat: putà si res valeat duodecim, & vænierit octo, non subveniatur: sed benè si vænierit septem cum dimidio, vel aliàs minus quàm octo. Et contra si res valens duodecim ematur, decima octava non subveniatur emptori, sed tantum si pluris per errorem emerit. Quòd enim requiritur ut venditor minus semisse habeat, antequam illi subveniatur, manifestè durum est, ut non immeritò multi scripserint id bono viro non convenire, & hæc duritiei partim ansam dedit pertinaciæ inepti erroris omnium glossulariorum, & omnium ferè Doctorum utriusque Juris, videlicet Azo. in *summa Accur* Odofre. Albert. Joan. Fab. Bald. Paul. Pantha. in *d. l.* 2. Hostien. Henric. Bohic. Panor. in *c. cum causam de empt. & vẽd.* Fabi. de Monte sancti Savi *in tract. de emption. & vend.* 8. *quæst.* 1. *col.* 2. *in fin.* Anton. Burgos. *in c. cum dilecti, col.* 4. *num.* 4. *de empt. & vend.* ubi tenent quod emptor quirem valentem decem, emit pro sexdecim, dicitur læsus ultra dimidiam justi pretii, & potest uti beneficio *d. l.* 2. quemadmodum venditor dicitur læsus ultra dimidiam, si eandem rem vendidit pro quatuor. Nam sex (inquiunt) sive in emptore, sive in venditore excedunt dimidiam justi pretii de decem. Et reprobant opinionem tenentium, quod ut emptor decipiatur ultra dimidiam, oportet quòd rem valoris decem emat proviginti & uno. Imò non simpliciter reprobant, sed cum convitio explodunt & irrident, dicentes hos somniare: hoc enim scommate utitur Bald. *d. l.* 2. *quæst.* 17. inflatus, opinor, Philosophiæ suæ opinione, Scotique sui, cæterorumque Scholasticorum Theologorum, qui ad eundem lapidem offenderunt *in* 4. *Sent. dist.* 15. Atqui illi non solùm toto cælo errant, sed etiam ridiculè pertinaces sunt, & sibiipsis plaudunt, & quia non solùm omnes gloss. & Doctores utriusque Juris quotquot legi (excepto Petro Petri, quem sequitur Cyn. in *d. l.* 2. excepto etiam Rostredo *in libel. suis tit. de action. quanto mino.* quem Specular. illius & aliorum compilator *in tit. de emptor. & vend. versic. nbi autem*, sequi videtur) sed etiam Scholastici Theologi, *ut Scot. in* 4. *sent. dist.* 15. *& ibi Gabriel. Biel. & Iacobus Almain. quæst.* 2. *& alii*, licet non minus Philosophiam, quàm jura humana præcipuè canonica suis scriptis & placitis admisceant, ad hunc lapidem pariter offenderunt, quos ipse diu sequutus sum, donec ad analyticum examen revocavi.

Relationũ confusio.

175 Placet semel hic, postquam incidit, erroris radices funditus ita convellere & veritatem stabilire, ut nemo posthac, qui hæc legerit, in hoc errare possit. Causa erroris præcipua fuit, indiscreta proportio & confusio relationum, quoniam proportionem pretii referunt ad utrumque contrahentium, non solùm ad venditorem, ut in *d. l.* 2. sed etiam ad emptorem, quod est ineptum, ut statim ostendam. Causa pertinaciæ subocculta fuit, primò duritiei illa dictæ l. quæ antequam subveniat, requirit læsionem ultra semissem, & sic permittit læsum à decipiente in duplo sibi pergredi, quod de se bonæ fidei non congruit, ut dixi. Secundò, quod illa duritiei, ut prima fronte obscurior fuit ex parte venditoris, tum propter valorem rei minus expositum, & primo cogitationis occursit incertum: tum propter casum legis in venditore specificum, omnemque diversæ cogitationis aciem statim penitus abscindentem: ita prima fronte luculentior fuit & liquidior ex parte emptoris: tum quia ex parte emptoris non est specificè lex prodita, quæ statum cogitationis impetum abscindat: tum quia pretii, quod in pecunia numerata consistit, longè liquidior & luculentior est excessus. Et patet ad sensum, quòd excessus in pecunia, velut objectum lucidius & certius, longe penetrabilior est sensibus, longè citius eos perstringit & persuadet, quàm excessus in valore domus vel fundi, qui solet esse incertior & obscurior. Et sic non est mirum si Doctores duritiem tantæ inæqualitatis, quantam *dicta l.* 2. admittit, citius animadverterunt ex parte emptoris, qui certam & liquidam pecuniam numerat: quàm ex parte venditoris, qui rem prima facie æstimationis obscuræ tradit, præsertim cùm lex non loquatur expressim de emptore decepto, & de causis pertinaciæ. Satis capio causam erroris jam non tam pro rudibus docendis: quàm pro pervicacibus & cavillatoribus retundendis: & dico rem venditam id esse emptori, quod pretium est venditori. Quid enim aliud venditori pretium est, quàm rei venditæ pensatio, quæ debet esse æquivalens, ut justa sit & æqualis commutatio? Eodem modo è diverso emptori res empta nil aliud est, quàm pretii conventi pensatio, quæ pariter esse debet æquivalens pretio, ut sit justa & æqualis commutatio. Porrò licet res & pretium sint idem respectivè, hoc est eandem proportionem & similem habitudinem habeant propriis suis respectibus, videlicet secundùm objecta vel personas ad quas referuntur, & quibus debentur: tamen non sunt idem respectu ejusdem personæ vel objecti, ut sensus communis ostendit, & sic non debent hæ relationes confundi: alioquin tota doctrina perturbaretur, ut adùsque factum est; sed debent congruè singula singulis ad quos spectant referri, sive expressè, sive tacitè & intellectualiter.

176. Nunc in proposito, si constet venditorem esse deceptum, & quæratur quantùm sit deceptus, an ultra vel citra dimidiam, brevis & expedita doctrina datur in *dicta l.* 2. *in fi.* ut inspiciatur, an pretium conventum sit infrà dimidiam veri pretii. Poterat autem dari doctrina ut non minus vera & certa, ita doctrinalior, generalior, & magis Methodica, inspiciendo quantum res vendita supervalet pretio convento; & tunc dicendum fuisset quod si supervaleret ultra duplum, tunc esset venditor læsus ultra dimidiam: si verò res duplo tantùm supervaleret, esset læsus in dimidia tantùm, & non ultra dimidiam: si verò supervaleret aliquanto, sed minus duplo, tunc esset læsus infrà dimidiam tantùm. Quæ ratio, quanquam necessariò tacitè insit, & eliciatur per prædicta: tamen si fuisset expressa, nunquam ortus esset & multo minus invaluisset ille vulgaris error. Omnes enim idem statim vidissent ex parte emptoris, videlicet cum non esse deceptum ultra dimidium, nisi pretium plus duplo supervaleret rei emptæ. Prior autem via, non posterior ideò tradita fuit in *d. l.* 2. quia imperatoribus & allectis suis satis erat super particulari duntaxat casu respondere *ut l. responsum. C. de transf.* nec eis (etiamsi maxime cupiissent) vacabat tam studiosos esse doctrinæ & methodi, quam Jurisconsultis nunc in foro, nunc in musæo suo atque in propria arena versantibus & scribentibus, tum quia prior illa & brevior & aptior, & magis specifica ad particularem hypothesim *d. l.* 2. quæ est, de venditore læso. Læditur enim propriùs & directius in pretio: quàm

in re: quia venditor vult rem totam alienare, & sic læsio non incipit à re qua vult carere, & qua non indiget ut servet: sed vult habere æquivalens quo indiget, videlicet justum pretium. Unde si minùs justum pretium habeat, nec demum læditur, & sic propriè & directè læsio venditoris ex ipsa vi & potentia contractus & incipit & formatur à defectu seu minoritate pretii, non autem à supervalentia rei, licet illa sit prior: sed nondum incipit læsio, nisi quando conveniatur de minori pretio. Et sic prior illa via ex parte venditoris est brevior & clarior; posterior autem via prolixior & præpostera: contraria autem sunt ex parte emptoris, quantum ad relationes respectivas duntaxat. Cæterùm quantum ad proportionem & decidendi rationem idem omnino, prout non debent hæc ad imparia, sed ad paria judicari. Licet enim nulla lege nominatim specificetur, quando emptor dicatur deceptus ultra dimidiam: tamen satis tacite cautum censetur per *d. l.* 2. ex eo quod ibi decisum est in venditore: quia idem intelligitur in emptore ex natura correlativorum & identitate rationis: eadem videlicet stante proportione, non autem iisdem stantibus relationibus: quia tam esset hoc absurdum & impossibile, quàm emptor & venditor non possunt esse idem, sed necessariò duo distincta relative opposita. Debet ergo fieri congrua relationum singularum ad singula directio & adaptatio. Supposito ergo quod emptor sit læsus, si velimus scire an sit læsus ultra dimidiam, siquidem hoc explorare libet ex priore illa & breviore regula *d. l.* 2. *in fin.* tunc inspiciendum an res empta valeat minus dimidia pretii conventi: & tunc necessariò erit læsus ultra dimidiam, non aliàs. Non autem secundùm hanc priorem regulam incipiendum est à pretio, sed à re empta, alioquin esset confundere relationes, & totam doctrinam pervertere. Quod si quis vellet incipere à pretio, non esset assumenda prior regula formaliter expressa in *d. l.* 2. sed dicta posterior regula, quæ in *d. l.* 2. virtualiter subintelligitur, non exprimitur. Patet, quia ut dixi, quod est pretium venditori, id res est emptori. Emptor enim vult alienare pretium, sed vult acquirere rem æquivalentem: & sic respectu emptoris à re incipit, & à re metienda est læsio secundum doctrinam methodicam *dicti l.* 2.

177. Et sic quemadmodum venditoris læsio directè cognoscitur, si pretium conventum sit minus dimidia valoris rei emptæ; ita emptoris læsio directè cognoscitur, si res empta valeat minus dimidia pretii conventi. Et rursus quemadmodum in venditore secundùm regulam posteriorem, oportet rem plus duplo supervalere pretio convento, ut sit læsio ultra dimidiam: ita in emptore oportet pretium conventum plus duplo supervalere rei emptæ. Unde si rem valentem decem emerit pro quindecim, non est læsio in dimidia, sed in tertia parte duntaxat, quia pretium non supervalet rei, nisi pro tertia parte seu triente: si autem emerit pro sexdecim non est læsus nisi paulò suprà trientem. Si verò emerit pro viginti non est læsus nisi in dimidia: & sic ut sit læsus ultra dimidiam, necesse est quod 21 aut plus viginti emerit, alioquin nec res valebit minus dimidia pretii conventi: nec pretium conventum plus dimidia supervalebit rei. Cùm igitur hæ sint demonstrationes clarissimæ, & certissimæ, communis error scholæ cedere debet veritati. Non nego quin communis sententia de emptore, qui rem decem valentem emit pro sexdecim habeat æquitatem in se, si per se circumscripta omni lege positiva, consideretur: quia ut dixi, satis fuisset licentiam circumveniendi extendi ad 5. partem, salvo bene justi æquivalentis: & longè justius fuisset ita constitui, quàm usque adeo, videlicet usque ad semissem inclusivè, relaxare. Sed postquam lex lata est, nec irrationabilis, licet dura, illi standum est. Ex eo quod in usum abiit & ligat respectu venditoris, necesse est ut eodem modo liget respectu emptoris. Et sic communis sententia est falsa & injusta, quia contra legem: & iniqua, quia contra æqualitatem correlativorum. Alioquin si verum esset de jure scripto subveniri emptori, qui rem valentem decem emerit pro sexdecim diceudum esset eodem modo è cõtrario subveniendum venditori, qui rem valentem decem vendit pro sex quia non minus esset deceptus, quàm dictus emptor casu converso, videlicet ultra tertiam.

Sophisti-cum dilemma Alberici & Bald.

178. Ex prædictis liquidò apparet ridiculum & sophisticum esse illud dilemma Alberici & Baldi, quòd sex (in dicto themate) sive in emptore, sive in venditore excedunt dimidiam justi pretii decem. Volunt dicere, quòd si decem sint justum pretium, tunc sex addita vel detracta faciunt excessum vel defectum ultra vel citra dimidiam justi pretii, quod est argumentum verè Scoticum in 4. *sentent. distinct.* 15. ubi Gabriel Biel, *quæst.* 10. *col.* 8. dilatat, & sequitur per gloss. in *d. c. cum causa*, dicens quòd si justum pretium sunt viginti, tunc si venditur pro triginta uno, dicitur plus dimidio justi pretii vendi: si verò venditur pro novem, dicitur minus dimidio justi pretii vendi. Et probat, quia hoc casu dimidium justi pretii est decem; ergo excessus est undecim, & defectus similiter undecim: ergo utrobique; sit fraus plus quàm in dimidia justi pretii. Videsne argutiàm mathematicam, sed prorsus ridiculam? Tunc enim procederet proportio hujus argumenti, quando pretium non esset pretium, sed certa solida summa per se considerata, nec ad aliud relata: tunc enim additio vel detractio certæ summæ pariter se haberet ad excessum & defectum. Sed hîc justum pretium est verè pretium, & sic non est tale per se, sed per relationem ad rem appretiatam. Et sic qua ratione venditor non est deceptus ultra dimidiam, nisi res plus duplo supervaleat pretio: eadem ratione non est emptor deceptus ultra dimidiam, nisi pretium plus duplo supervaleat rei: & sic hoc casu non dicitur emptor taliter deceptus, nisi emerit ultra quadraginta. Eodem modo, licet aliis verbis, hallucinatur Jacob. Almain. in *d. distinct.* 15. *quæst.* 2. dicens esse deceptionem ultra dimidiam ex parte venditoris, si rem valentem decem det pro quatuor: & ex parte emptoris, si eandem rem emat pro sexdecim. Et probat, quia hoc ultimo casu pretium quo res venditur, datum ab emptore decepto, continet: primò justum pretium, videlicet decem: secundò dimidium justi pretii, videlicet quinque: tertiò aliquid ultrà, videlicet unum.

Lapsus Jacob. Almain.

179. Videsne excitatem plusquàm Cimmeriam? fatentur enim quòd hoc casu ut venditor decipiatur ultra dimidiam, debet habere minus quàm quinque, putà quatuor: & sic res quam tradit, primò continet pretium conventum: secundò rursus continet non modo dimidiam pretii, sed tantumdem: tertiò continet seu valet aliquid ultra duplum pretii conventi. Cur ergo non vident idem necessariò dicendum in emptore decepto, videlicet quòd antequam sit deceptus ultra dimidiam, debet pretium plus duplo continere rem emptam seu ejus valorem? Vides quàm præcipitanter & indiscretè Theologi isti in apertos errores ferantur, quàm in mediis tenebris acuti & ingeniosi sibi videantur: sed tanta socordia, ut nec Arithmeticæ quidem vulgata axiomata teneant, quibus hæc quæstio sine argumentis simplici demonstratione solvi poterat. Forsan dices nimiam videri inæqualitatem, si in emptore decepto oporteat addi justo pretio tantumdem, & aliquid ultrà, & tamen in eo emptore decepto sufficit non totum pretium, sed partem pretii detrahis. Respondeo dupliciter. Primò per aliam inæqualitatem, ad quam sophi illi non advertunt, licet in eodem themate, quia emptor decipiens non dat, nisi quatuor de suo, & tamen venditor decipiens dat decem seu rem valentem decem de suo; unde necesse est longè majorem quantitatem superaddi per emptorem deceptum, quàm detrahi venditori decepto,

Demonstratio arithmetica.

& tamen eadem est proportio per vulgata theoremata Arithmetices: quia quanto emptor minus dat, minus requiritur dari à venditore, ut sit deceptus ultra dimidiam: quanto autem venditor plus dat, tantò magis exigitur dari ab emptore, ut dicatur deceptus ultra dimidiam. Secundò respondeo, quòd dimidia illa refertur ad æquivalens, sive sit merx, sive pretium, sive aliud commutabile quod quis habere debet. Dicitur ergo habere minus dimidia, vel decipi ultra dimidium, quando id quod dat, valet plus duplo: quod verò recipit, valet minus dimidia ejus quod dat: quia quod in *d. l.* 2. dicitur in venditore de dimidia pretii, si ad emptorem applicetur, debet necessariò intelligi de re empta, non valente dimidiam pretii, & in utroque debet intelligi de pensatione quæ ab altero speratur & stipulatur, quæ secundum veram justitiam debet esse omnino æqualis, & tamen toleratur ut possit esse inæqualis usque ad dimidiam justæ æqualitatis, non ultra.

Axioma. 180. Tolle exemplum triviale quidem, sed ad utramque partem efficaciss'mum in permutatione: Finge Titium volentem vendere aut aliàs pro æquivalenti commutare domum suam urbanam (fortè quòd migraret, aut ruri agere cuperet) incidisse in Caium qui noluit emere, sed permutationis vice dedit ei certum fundum. Modò si fundus non æquivalet domui, sed valet minus dimidia, certum est Titium juvari beneficio *d. l.* 2. etiam si non dederit domum suam pro nihilo, sed pro re valente ultra quartam partem, vel fortè ultra quincuncem, sed minus semisse æquivalentis. Et sic tunc demum subvenitur decepto, si res quam dedit, plus duplo supervaleat rei quam accepit. Secùs si res quam dat, non supervaleat nisi in duplo, quia tunc non propterea læsus esset in duplo, licet det duplum, quia accipit simplum, videlicet fundum valentem dimidium domus quam dat, & sic non esset læsus nisi in dimidia, non autem ultra dimidiam: unde non subvenitur per *d. l.* 2. satis in hoc duram, ut dixi. Ergo eodem modo necesse est dicere subveniri vel non subveniri Caïo si deceptus sit. Igitur si fundus quem dedit notabiliter, supervalet, etiamsi valeret tantumdem & semis, puta domus Titii valet decem vel duodecim, fundus verò Caii valet quindecim vel octodecim, non subvenitur, quia non esset deceptus nisi in triente & non ultra trientem. Patet, quia habet domum qua valet bessem fundi sui. Idem si fundus valet ultra trientem, vel etiam quincuncem, puta si domus valet decem, fundus autem valet sexdecim vel octodecim. Idem si fundus duplo supervalet, ut quia domus valet decem, fundus autem valet viginti, & sic duplum, adhuc non subvenitur, quia Caïus non læditur in duplo, licet det duplum, quia accipit dimidium æquivalens, & sic non læditur nisi in altero dimidio duntaxat, non autem ultra dimidiam. Ut ergo lædatur ultra dimidiam & juvetur *d. l.* 2. oportet quòd pro domo sibi data valente decem tantùm, fundus à se datus valeat viginti unum, & sic ultra duplum ejus quod accepit: alioquin cum accipiat dimidium vel plus dimidio ejus quod dat, non esset læsus ultra dimidium, sed solùm in dimidio vel infrà dimidium. Igitur si Caïus emere maluerit, & non dederit fundum, sed pretium: & domo empta valente decem tantum, dederit sexdecim, non est læsus ultra dimidiam, sed solum ultra tertiam: igitur necesse est quòd dederit ultra viginti, antequam dici possit ultra dimidiam deceptus. Non enim per *d. l.* 2. magis subvenitur permutanti quam ementi vel vendenti.

181. Habes ergo demonstrationem non solum clarissimam, sed etiam palpabilem & omni hæsitatione superiorem, nisi quam fortè communis sensus deficiat. Nec enim re penitus detecta deinceps errari potest, nisi contra sensum communem, ut demiret tamdiu communem Scholam in re tam clara errare potuisse, quin magis miror etiam summos legum vertices etiam veritate semel percepta, non solum dum subtilius loqui volunt, impegisse: sed etiam supino errore, vel adusque convitia, ridiculè pertinaces fuisse. Cujus pertinaciæ causa fuit (ut dixi) nimia durities *d. l.* 2. quæ in eo qui dat nummos, liquidius & promptius prima facie sese sensibus offert, quàm in eo qui dat speciem, ut exempla venditoris & permutantium declarant. Jam me tædet prolixitatis, quam scio peritis non fore gratam, sed malo discentium utilitati & suscepto semel instituto perspicuè, plenè & bona fide inservire, quàm altiori, sed minus perspicua orationis gravitate doctorum tantùm gratiam promereri. Pectus etiam & indignatio me evehit, dum video legum doctrinam per incogitantiam & præcipitationem Interpretum tam præposterè multis in locis passim depravari; & hinc non subsidium, sed negotium discentibus parari, ut diu expertus sum. Quid enim accidit Panorm. qui dum in *c. cum dilecti. col.* 2. *de empt. & vendit.* ferè veritatem ut cauda anguillam renuisset, postea in *c. cum causam in eod. tit.* plenius sed citra analysim communi errori subscripsit, dicens quòd alioquin non esset reperire casum deceptionis in venditore. Nam si res (inquit) valeret decem, oporteret quod daretur pro nihilo, vel minori quàm nihil, quod est impossibile. Hoc quidem prima facie imperitos omnes perstringit & stupefacit: sed si revoces ad nostram analysim, apparebit ridiculum esse, & contra sensum communem, quia Panorm. confundit relationes: quoniam de excessu pretii in emptore arguit ad defectum pretii in venditore, quod est ineptum, relationis & proportionis perversivum, quia excessus pretii super re empta in emptore non refertur, nec proportionatur ad defectum pretii in venditore: sed refertur & proportionatur excessui rei venditæ super pretio in venditore. Et pariter defectus pretii in venditore decepto proportionatur defectui valoris rei emptæ in emptore decepto. Et sic quemadmodum emptor tunc demum reperitur ultra dimidiam deceptus, si res non valet dimidiam pretii, ut quia valentem decem emit pro viginti uno: ita eodem modo venditor tunc demum reperitur ultra dimidiam deceptus, si pretium non valet dimidiam rei. Et sic non est opus quòd vendat pro nihilo, sed quòd vendat minus dimidia, quàm res sua valeat: quo casu dat plus duplo, nullo deducto, & tamen non læditur in duplo, & multo minus in toto, quia habet partem justi pretii, quæ de damno deduci debet. Et pariter emptor dans viginti unum pro re valente decem, non dat pretium pro nihilo quia habet rem valentem decem, & sic ferè dimidium justi pretii: quo fit ut non possit dici læsus in duplo, & multo minus in toto, sed solum modicum supra dimidiam. Similis paralogismus est, dum dicunt quod hoc casu quo res valet decem, vendenti pro quatuor non absunt nisi sex; sed ementi pro viginti uno absunt undecim, & sic videtur emptor plus decipi, quia respondeo, quod imò non plus, sed minus decipitur, quia illa sex sunt plus ultra quatuor, quàm illa undecim ultra decem. Patet, quia sex excedunt quatuor de toto & rursus de dimidio totius: sed undecim non excedunt decem nisi de toto, & decima parte totius. Et ut tandem finiam, utque promptè deinceps & sine errore cognoscatur, & servetur æqualitas inter emptorem & venditorem, debet excessus decipientis venditoris, ad excessum decipientis emptoris, & è diverso defectus decepti venditoris, ad defectum decepti emptoris referri, & ex æquo metiri.

Error. Panorm.

182. Summa brevis est, quando deceptus non habet dimidium æquivalentis, hoc est, non recipit dimidium ejus quod dat. Sed ad rem. Nota quòd *d. l.* 2. non est facta, nisi pro veris & naturalibus contractibus commutativis, in quibus tacito quodam naturali sensu, partes sibiipsis modicam læsionem mutuò condonare

condonare & indulgere videntur, *l. in causa, §. idem Pomponius de minor. l. Item. si ex pretio §. quemadmodum locatis* cujus summa declinatio velut litus & ἀκμὴ taxatur ad dimidiam *in d. l.* 2. Unde primò non habet locum in lucrativis: secundò non habet locum in aliis reciprocis quidem contractibus seu respectivis: sed qui non sunt ordinati commercii causa, nec fiunt ad mutuam commutationem: unde non habet locum in redditione rationum, ubi calculus versatur, aut ubi aliàs de simplici calculi ratione agitur. Tunc enim ut calculus repetatur, non requiritur læsio in dimidia, & multò minùs ultra dimidiam, sed sufficit læsio non minima aut non contemnenda, nisi super læsione judicatum vel transactum sit, *l. unica C. de error. cal. pariter dict. l.* 2. non habet locum in simplici divisione, licèt glossa & Doctores in *l. majoribus. C. commun. utr. judicii* & ubique contrarium dicant: & malè, ut plenius dixi in *conf. Paris.* §. 148. & ita observatur. [Et sicut judicatum fuit pro Gulielmo Ruelliro, contra filium primogeniti Probi Præfecti criminalis Maillarti soceri sui: sed si reus jam se accommodaverat aliquot annos in loco, non est repetenda divisio in speciebus: sed supplendum in pecunia: nam aliâ ratione non habet locum *l.* 2. in divisione, quia non est voluntatis, sed necessitatis: secùs in terminis, *l. in controversia De transf.* adeò ut etiam inter filios, si antiquior, vel primi matrimonii, dicit se solum heredem in prædiis sitis Artheſii, vel alibi, vel solum institutum testamento, vel majorem partem suam esse ex donatione, vel successione alterius, & transigunt quia tunc oportet esse læsionem ultra dimidiam, ad rescindendum: quia non est simplex divisio, sed rerum controversarum decisio, & etiam practicatum locum esse, *d. l.* 2. etiam si sit contractum per formam transactionis, dummodò ostendatur valdè enormis læsio, ut dixi in *nnn. ad Alex. conf.* 42. *num.* 11. *lib.* 1. & ad Philip. Decium *conf.* 479. *num.* 11. Pariter & quartò *d. l.* 2. non habet locum in datione in solutum, quia si debens centum, putans debere 130. det fundum in solutum, pro 130. in totum nulla est, seu in totum revocatur nec locus est supplemento text. in *l. si non sortem §. si centum. De condict. indeb.* sive in judicio, sive extra judicium factum sit. Paul. ibi Bald. *l. certi condictio §. quæritur si certum pet.* Ludovic. Rom. *l.* 1. *§. pen. de verb. obligat. L. si is ad quem de acquir. hæredit.* Carol. Ruyn. *conf.* 136. *lib.* 1. Sed hic plus est: quia non solùm actor (nisi reus malit resolvere) potest petere partem fundi pro rata vice supplementi; sed invito reo supplere volente, potest totum repetere, & verum debitum solvere: quia si sciviſſet se minùs debere, maluiſſet solvere, nec erat remansuram alienaturus: nisi hoc constet, ut quia referat exposita venditioni, quia tunc solùm repetet summam indebitam in qua erravit, per *l.* 1. *C. de rer. perm.* quantulacunque sit, etiam infra dimidiam valoris rei. Pariter & 5. qui fundum integrum emit ignorans suum esse usumfructum, quamvis venditio valeat: tamen deducet, vel repetet pretium pro modo ususfructus. Etsi non esset læsus, nisi longè infra dimidiam pretii. text. in *l. officia* (quia ita debet intelligi *de cont. empt.* Et hoc nisi venditor fuisset sciens: quia tunc emptor potest resolvere, si velit, nec fuisset emturus, sed suo usufructu contentus, si sciviſſet. Nec hic requiro claram probationem de scientia, vel dolo: sufficit verisimilitudo notabilis doli, vel culpæ, nec agatur velut in integrum restitutione: Nec habet locum *l. in civile, C. de rei vend.* Nec hoc ex sua culpa, aut dolo lueretur. Id enim bona fides abhorret, *l. ne ex dolo. De dol.* Sic & sexto, si quis compensando errat, non solùm si in totum, sed etiam si in modica parte, *l. venditor in fin.* quæ ita debet intelligi, sicut generaliter loquitur (*C. de rescindend. vend.* quamvis nullus adhuc animadverterit quia compensans non intendit principaliter contrahere, sed solvere. Idem in similibus quæ sunt magis declarationes ad *d. l.* 2. quàm veræ limitationes, quia propriè non loquuntur in istis, in quibus magis de distrahendo quàm de contrahendo agitur, nec agitur de vera commutatione, ut quis det rem suam ut acquirat alienam, nec censentur partes invicem velle quicquam remittere: sed potiùs agitur ut præcisè & adæquatè quisque quod suum est, vel partem suam divisim ferat & habeat. Et sic cessat vera materia commutativorum, & dispositio *d. l.* 2. quæ ita, ut supra debuerat ἀναγνωσθῆναι tractari, quod nullus adusque attigit: unde etiam in contractu commutativo, si constet utramque partem expressè egisse de præcisa exæquatione, etiam læsio infra dimidiam retractabitur: nec tunc erit locus *d. l.* 2. ut in casu in quo *consuluit Decius conf.* 350. & hæc ratio decisiva, ut ibi in annotat. novè dixi.

Calculus.

L. 2. non habet locum in divisione contra omnes.

183 Ex prædictis patet quod *d. l.* 2. non potest habere locum in contractibus usurariis, verè vel interpretativè, eorúmve succedaneis, quia propriè non sunt contractus commutativi, sed magis eorum & naturalium commerciorum præambuli, quo videlicet æs alienum commodè nobis comparemus, quoad commutationes legitimas, seu commercia necessaria utamur, dando aliquid temparatum creditori pro usu pecuniæ, quandiu ea, vel re inde comperata utimur, aut per creditorem uti licet. Quod enim datur pro hujusmodi usu æris alieni, licèt habeat similitudinem & proportionem quandam commutationis, ut *suprà num.* 17. tamen non est propria & naturalis commutatio: sed vera usura, quia non datur pro sorte aut pro pensatione sortis quæ repetitur, sed pro usu sortis, præter naturalem destinationem sortis, ut *supra n.* 2. & *inf. q.* 69. in pensationem promiscui successivi interessurii creditoris, id quod verè fit in his reditibus de quibus loquimur, quibus licet non insit acerbior illa usura, quæ est quando facultas repetendi sortem cum usuris est penes creditorem: tamen non deest usura, quia non tollitur, licet debitor non teneatur sortem reddere, quandiu usuras solvit, *l. item quia, §. ult. de pact.* meritò in istis non potest habere locum *d. l.* 2 sed regula illa quod præfixi limites, nullo modo possunt excedi, sed quòd quantumvis infrà subsistere liberum est. [Hinc in dote cessat *d. l.* 2. *l. jure succurrendum in fin. de jure dot.*] Unde si quis emerit ad rationem unius pro decem, putà centum reditus pro mille, non potest dicere se paratum supplere sextantem, putà ducenta, ut fruatur reditu concesso, sed omninò reduci debet ad quintamdecimam, alioquin pro excessu admisso non puniretur. Similiter non potest offerre addere etiam trientem, videlicet quingenta, ut fruatur reditu convento, quoquo pretio, nec teneretur debitor onerare se superfluo ære alieno. Similiter si emerit supra rationem unius pro decem, non potest offerre suplere justum vel majus pretium ad evitandam nullitatem: sed si velit errorem agnoscere, potest petere ut pro futuro tempore tantùm reducatur ad quintamdecimam, nisi malit debitor quod superest sortis, statim reddere. Si verò creditor dicat se deceptum, ut quia emit ad rationem trientariæ usuræ, non auditur, si petat reduci vel augeri reditum ad rationem decimæ, vel quintædecimæ, vel sortem pro rata reddi: quia non dicitur certare de damno incurso, sed de minori lucro; nec verè læsus est in vera & propria commutatione, sed in stipulanda minore usura, unde non est locus reductioni nec restitutioni, salvo eo quod de minore dictum est *sup. q.* 13. Et quòd *d. l.* 2 non habeat locum in contractu usurario, vel de usura suspecto sentit Philip. Decius in *l. petens, nu.* 17. *C. de pact.* & clarè decidit Bald. *in rub. C. de usur. in fi.* ubi in venditione fundi adtempus tam modico pretio ut emptio fructuum esset usura rectè negat locum esse supplemento & remedio *d. l.* 2. sed non satis diserte explicat. Quod enim dicit quia *d. l.* 2. loquitur in venditione perpetua, meliùs dicere

debebat, quia loquitur in vera commutatione verarum mercium. Quod autem arguit esse usuram, quia finalis effectus ad solum interusurium vel commodum medii temporis, debebat addere, scilicet ex parte creditoris; ex parte verò debitoris redemptio temporarii usus æris alieni, ut hodie, detecto verò usurarum elencho liquet. An & quando sit usura propter emptionem ususfructus vel fructuum ad tempus, liquebit ex his quæ novè dicam de reditibus temporalibus *infrà quæst. 63. cum seq.*

QUÆSTIO XV.

SYNOPSIS.

1. *Evanescente usurarum promissione, salva interim manet sortis obligatio & hypotheca & num. 3.*
2. *Hypotheca recipit dividuitatem.*
4. *Actus agentium non operatur ultrà eorum voluntatem.*

184. DEcimo-quintò quæro, si reditus est nullus, putà quia excedit decimam, an remaneant bona debitoris hypothecata pro restitutione sortis, supposita quòd contractus factus sit sub hypotheca generali, vel etiam speciali? Prima facie videtur quod sic, quia jure communi contractus quantumvis usurarius, valet usque ad modum concessum per notata *sup. quæstione* 10. *in princip.* Et si quando non valet promissio usurarum, remanet obligatio sortis cum hypothecis pariter hîc licet contractus sit nullus, verum est quantum ad obligationem reditus sive usuræ: tamen sicut remanet obligatio ad sortem, videntur eatenus remanere & subsistere hypothecata, quatenus remanet & subsistit obligatio. Tum si non valet quod ago ut ago, valet ut valere potest, *l. si tam angustis loci de servi. l. via. in princ. de servit. rusticor. prædior.* saltem quando non est defectus formæ, sed materiæ, ut hîc potiùs esse videtur, *l. si unus, l. si acceptilatio de pact.* præsertim in habentibus symbolum, ut hîc: quia hi reditus sunt succedanei veterum usurarum, & sic de facili resolvi potest in simplex mutuum. Non obstat si dicatur quòd actus non operatur ultra intentionem, *l. non omnis, si cert. petat.* verum est ultra intentionem primitivam, vel secundariam, ut tradit Bald. in *l. si absentis in 2. oppo. C. si cert. peta.* not. Alciat. & alii in *d. l. non omnis.* Lancelo Galiau. in *l. prima §. si quis sta col. 7. de verb. oblig.* Sed hîc secundaria videtur intentio, ut si contractus non valeat, omninò reddatur pecunia, saltem tanquam mutuum. Præterea non est inconveniens subsistere hypothecam pro parte, sive rei hypothecatæ, sive ejus pro quo hypothecatur, putà hypothecans fundum non erat dominus nisi pro parte, vel si erat dominus in totum, resolutum est dominium partis ex causa vetustiore, ut in *l. lex. vectigali ff. de pignoribus l. fin. C. communia, de legat.* vel si procurator hypothecavit pro majori summa quàm mandatum esset. In contrarium arguitur nullam ex eo contractu subsistere hypothecam, quia cùm principalis actus sit ipso jure nullus, pariter omnia accessoria, ut hypotheca, *l. cùm principalis de reg. jur.* præsertim cùm sit nullus in pœnam, ob peccatum contra legem & jus publicum, quo casu cessat regula quod valeat ut valere poterat, ut tradit Bald. in *l. quæcunque, col. 1. C. de bon. quæ lib.* Jas. in *l. 1. §. si quis sta, col. 8. de verb. oblig.* Et sic non obstant contraria, & in specie non obstat ultimum de intentione secundaria, quia verum est, & intelligendum de intentione concernente implementum & executionem obligationis expressè & principaliter contractæ, ut in *d. l. si absentis*, ubi expressè & principaliter obligatio fœneratitia contracta est ad sortem cum usuris nomine absentis. Unde licet mutuans primariò & directò acquirere intenderet absenti, & pariter intenderet debitor absenti obligari: tamen secundariò actum videtur, ut si absens ratum habere nolit, remaneat nomen ipsi mutuanti & stipulanti nomine suo, licèt fecerit eum actum nomine alieno. Et ex hac secundaria intentione sustinetur contractus principalis in se, & consequenter hypothecæ, fidejussores, & omnia accessoria: secùs de intentione secundaria, per quam non sustinetur actus, qui remanet nullus & sine effectu, ut hîc: quia tunc non remanent hypothecæ, nec fidejussores, aut alia accessoria. Non obstat ultimum, quia procederet, quando ab initio valuit & subsitit aliqua hypotheca: sed hîc ab initio non valuit: & hæc nota, quia sunt magni effectus, & valent ad multa.

185. Et ita præjudicatum videtur Arresto supremi hujus Senatus die 7. Martii, anno sesquimillesimo decimo tertio, in specie hujusmodi. Qui æs alienum à pluribus contraxerat, & primò super certa domo sua vendiderat reditum ad rationem duodecimæ reditus ædis divorum Innocentium hujus urbis, cum clausula, quod non redimeret nisi post quatuor annos à die contractus: adeò inepti quidam præposterè religiosi sunt, ut pro templis putent licentiùs fœnerari licere. Posteà idem debitor super eadem domo vendit reditum secundo creditori ad rationem simplicis duodecimæ, tandem (ut fit) domus obærati & reliquatoris debitoris subhastatur; advolant creditores, præsertim duo hi qui per judicium & Arestum discussionis inter omnes creditores hypothecarios & chirographarios latum, positi sunt hypothecarii ordine suo, secundùm datas hypothecarum, videlicet æditui tanquam antiquiores in primo ordine: & secundus ille creditor in secundo, nemine per totos undecim sequentes annos reclamante: quibus lapsis decreto domus interim adjudicato, cùm ventum esset ad executionem prioris Aresti discussionis, & distributionem pretii inter creditores, secundùm ordinem eorum in Aresto præstitutum, & ad hoc creditores auctoritates suas seu instrumenta ederent & adferrent: ut sorte cum reliquis recepta, restituerentur emptori vel debitori, illic forte fortuna secundus creditor lecto diligentiùs & inspecto instrumento ædituorum, reperit illam clausulam usurariam, quòd non posset redimi nisi post quatuor annos, & sic deprehensa nullitate, supplicat Senatui habito rescripto (quo per notata *sup. num. 153.* non erat opus) ut admitteretur ad allegandam usuram & nullitatem reditus ædituorum, non obstante omissione dudum facta, & Aresto discussionis, in quo non fuerat de hoc cognitum, lapsuque decem annorum, tandem lite super hoc judicialiter contestatâ, obtinuit actor, & per Arestum homologando rescriptum actoris fuit admissus ad impediendum distributionem aliquam pecuniæ seu pretii dictæ domus fieri æditui, quorum reditus annullatus, reliquis in sortem computatis, absque expensis tamen illius instantiæ; quia æditui propter illud Arestum discussionis videbantur causam aliquam litigandi habuisse. Et sic videtur secundam hanc partem illo justo & memorabili Aresto confirmatam, quod est magni effectus: quia æditui petebant sibi distribui sortem cum reliquis, quæ jam erant majores sorte, quia petebant reliqua non

Arestum.

ſolùm ceſſa poſt Arreſtum diſcuſſionis, ſed etiam præterita à die contractus vel ultimæ ſolutionis, & in his, omnibus aliis tanquam poſterioribus creditoribus præferri, juxta *l. Lucius ff. qui potior. in pig. hab.* & ita etiam per Areſtum diſcuſſionis (in quo de uſura non fuerat diſputatum) obtinuerant: & tamen dicto Areſto & longi temporis ſpatio non obſtante, repulſi ſunt non ſolùm à prioritate, ſed etiam à diſtributione ſubſiſto, quoniam iſtud Areſtum nihil expreſsè diſponit de reſtitutione & modo reſtitutionis ſortis, ſi quid ex ea ſupereſſet, deductis reliquis ſoluris: quia hoc non fuerat petitum, & fortè nihil ſupererat, dicta deductione facta, alioquin dicendum eſſet, ut mox in fin. quæſt. quòd ſi reditus non ſit nullus: ſed moderandus, tunc abſque dubio remanent hypothecæ & fidejuſſores ſub eadem moderatione, ut ſuprà dictum eſt. Item ſi fœnerator improbus purgare vitium velit, & petere ut debitor condemnetur ad reddendum ſortem, tanquam merum mutuum, ut ad reditum quintædecimæ pro futuro duntaxat tempore conſtituendum, ſecundum ea quæ novo & æquali temperamento diximus ſuprà *quæſt.* 11. *cum ſeq.* petere poterit, ut de hoc caveat debitor ſub hypotheca bonorum ſuorum, quæ ad effectum novi hujus, & liciti reditus ex nunc, dum conſtituetur, nec trahetur retrò ad tempus contractus, quia non eſt antiqua, ſed nova hypotheca. [Prout non eſt verus reditus ab initio nullus: ſed novus, novo voluntario debitoris facto (quod retrotrahi nequit *l. potior D. qui pot. in pig. hab.*) contractus. Nec obſtat, quod licèt iſte novus contractus ſit voluntarius debitori: tamen neceſſarius eſt reſpectu creditoris, & in ſequelam veteris contractus; ergo hypotheca debet retrotrahi, quia reſpondetur quòd, ab initio nulla fuit omninò hypotheca reſpectu alicujus reditus nec in totum, nec in parte: ſed tantùm reſpectu ſortis, & ſic reſpectu reditus de novo contractus nullum eſt fundamentum hypothecæ in veteri diſpoſitione, quæ hoc reſpectu funditùs nulla eſt, nilque ſupereſt, quo retrotrahi poſſit: ſed reſpectu ſimplicis reſtitutionis ſortis, vel ejus reſidui, deductis reliquis ſolutis, verius eſt remanere veterem hypothecam per allegata pro parte 1. & quia contenti debemus eſſe pœnis legibus conſtitutis *l. 19. De verb. obligat.* quemadmodum ſi quis recepit mutuum ſub hypotheca bonorum ſuorum, & poſt quatuor annos ejus loco conſtituit reditum creditori ſub hypotheca: quod attinet ad reditum, & ejus reliquam, creditor, non habet hypothecam, niſi ex die hujus novi contractus, ſed ſi ſors ipſa periclitaretur, haberet hypothecam & prioritatem ex die mutui, quia per ſecundum contractum (quo etiam gratiam fecit debitori) non cenſetur renunciaſſe juri veteris hypothecæ in terminis ſuis remanenti: hæc enim notio non eſt ad talem finem facta, nec actus agentium operantur ultra eorum intentionem, & multò minùs in captionem *l. non omnis in princ. ff. rer. pet.* non obſtant jura allegata pro ſecunda parte: quia, ut quatenus principalis actenus non obligat, non valent hypothecæ nec acceſſiones, ita valent, quatenus principalis actus obligat ut ad reſtitutionem ſortis.] Sed quid ſi contractus eſt nullus & uſurarius, ex eo quòd ſive directò, ſive per indirectum, ut infrà *quæſt.* 52. pactum erat, non ut poſt tempus tantùm redimere poſſet; ſed ut poſt tempus cogi poſſet redimere vel ſortem, aut quid majus reddere vel amittere? Et videretur remanere hypotheca pro reſtitutione ſortis, ſaltem quando apparet de reſtitutione clarè & formaliter conventum, quia ita eſt de jure per notata ſuprà *quæſt.* 10. *in princ.* Sed hoc non obſtante, dicendum nullam ſubſiſtere hypothecam, quia licèt jure civili Romano talis contractus non ſit indiſtinctè nullus, niſi in exceſſu, ſalvo caſu ſuprà *quæſt.* 1. tamen moribus & publicis noſtris ordinationibus in totum vetitus, illicitus & nullus habetur, & ſic nulla etiam conventa hypotheca oritur *l. non dubium C. de leg.* [Quia hoc eſt verum reſpectu reditus, vel uſuræ, quæ ne in tantillo quidem ſuſtinetur: ſed non reſpectu reſtitutionis ſortis, pro qua ſupereſt vera obligatio. Rurſus advertendum, quòd etiamſi deneganda eſſet vetus hypotheca, & ejus prioritas etiam reſpectu ſortis, iſte rigor non debet habere locum, niſi reſpectu ejus qui ſic illicitè contraxit, vel contrahi mandavit.] Secùs ſi tutor, procurator, vel geſtor de pecunia domini, eo tamen fraudis inſonte, vitioſè contraxit, quia tunc licèt contractus nullitati ſubjaceat, ut ſuprà *quæſt.* 13. tamen in quantum ſupereſt obligatio, videlicet ad ſortem, vel congruam ſatisfactionem, ſecundum notata ſuprà *quæſt.* 11. *q.* 12. ſupererit etiam hypotheca, ex quo non tutori, nec geſtori, qui ſolus deliquit, acquiritur, ſed domino inſonti. Unde ſanè intelligendum eſt præfatum Areſtum, videlicet quòd ſi forſan imputatis reliquis ex die contractûs, ſolutis ædituis, aliquid ſortis ſupererat, habuiſſet ea Eccleſia hypothecam & prioritatem ex die contractus ad finem dicti reſidui.

QUÆSTIO XVI.

SYNOPSIS.

1. *Res judicata pro veritate eſt.*
2. *Moderatio exceſſivi reditus pro futuro tempore fieri debet.*
3. *Expoſitum Senatuſconſultum quoddam.*

286. DEcimoſexto ſuccedit quæſtio, an ejuſmodi contractus uſurarius & nullus poſſit confirmari ſententia? Videtur quòd ſic, quia pro veritate habetur, *l. res judicata de regul. jur.* & facit ut indebitum debeatur, nec condici poſſit *l. 1. Cod. de condict. in deb. cum vulg.* Contrarium pulchrè tenet Alberic. in *rub. collat. fin. Cod. de uſuf.* Idem ſentit Bald. in *l. cum allegas. collat. 2. Cod. eod.* loquitur tamen in ſententia voluntaria, vel per conſenſum debitoris lata. Dom. autem Andreas Tiraq. *in tract. retract. convent. quæſt. 1. gloſſ. 2. num. 35. cum ſeq.* obiter hunc locum attingens facit Petr. de Anchar. & Alexand. in hac re ſibi ipſis contrarios, dicens quòd priorem partem tenuerunt Petr. Anchar. *conſ. 82.* & *conſil. 306.* & Alexand. *conſil. 91. collat. 1. lib. 2.* (ſed quòd poſteriorem partem tenuerunt iidem Petr. Anchar.) *conſ. 234.* Alexand. *conſ. 82. collat. 2. num. 5. lib. 3.* Sed mihi non videntur invicem, nec ſibiipſis contrarii, quia in locis priùs hic citatis loquuntur quantum ad executionem ſententiæ: & dicunt, quòd exceptio uſurarum non poteſt opponi poſt ſententiam ad impediendam executionem, quod eſt verum: & ita etiam vult Angel. & Imol. in *l. 4. §. condemnatum de re jud.* Lap. *alleg. 53. incip. an oporteat.* Barb. *conſil. 18. collat. penult. lib. 1.* quod limita niſi in continenti ſine altiori indagine plenè conſtaret de uſura. per not. in *l. ille à quo §. ſi de teſtamento ad Trebell.* In locis verò poſteriùs hic allegatis Anchar. & Alexand. loquuntur, quando agitur de repetendis uſuris principaliter per viam actionis non impedita ſummaria executione ſententiæ, ſi qua ſit, quia ad hunc finem non obeſt exceptio rei judicatæ. Et ita ut ſuprà

Sententia.

intelligendum esse, quòd non transeat in rem judicatam in hac materia volunt Jo. de Imo. in *l. stipulatio ista, §. alteri. col. antepen. de verb. oblig.* Jas. *consil. 21. col. 2. lib. 1.* Ita tenet Ambr. de Vignx. in *repet. c. salubriter, num. 21. num. 134.* declarans ut non sit interim impedienda executio *num. 141. de usur.*

187. Ut autem plenè & breviter habeas, dico quòd in sententia, à qua non fuit appellatum, nec potest appellari, non fuit discussum nec cognitum de usura, & tunc non procedit quæstioni usurariæ, nisi in hoc quòd executio sententiæ non debet impediri, nisi in promptu constet, prout in promptu constabat in exemplo Aresti de quo in quæstione præcedenti meritò ibi fuit impedita executio: aut verò in sententia, hoc est in instantia eam præcedente, fuit discussum & cognitum de usura, & tunc aut probata fuit usura, & si quidem sententia cõtinet errorem expressum, non valet tanquam contra jus legis: ideò non est quærendum an transeat in rem judicatam. Si verò non continet errorem expressum, tamen non transit in rem judicatam, propter turpitudinem & animæ periculum, imò potest dici nulla propter iniquitatem manifestam: quæ dicitur manifesta, quia colligitur ex actis, ut not. in *c. inter cætera de re judic.* Curtius senior *consil. 59. collat. 6.* Aut verò non fuit probatum vitium usuræ, & sic sententia non fuit injustè lata: & tunc licèt non debeat impediri executio (nisi ut suprà) tamen propter præfatum periculum & peccatum continuum non transit in rem judicatam, nisi in quantum aliunde præcisum est probationibus: quod fit dupliciter. Primò, quando probationes non adferuntur per instrumenta, aut confessionem partis, sed per testes, & jam in priore instantia super hoc fuissent testimonia recepta & publicata. Secundò, quando allegantur nova facta ex longo intervallo, præsertim post mortem eorum, qui poterant defendere, & contrariam veritatem defendere, quia præsumitur contra eum, qui differt agere donec adversarii probatio deperierit, ut est glossa in *cle. sæpe. in §. & quia* in verb. *non obstante, ad finem, de verb. sign.* ubi glossa vulgò in libris habetur corrupta, quia ibi (*quo non audiatur*) debet legi. (*quo casu non audiatur.*) Idem pulchrè tradit Bald. in *consil. 37. quidam rabellio. l. 1.* Matth. de Afflict. in *dec. Neapol. 13. an 9. conjectura* & in *dec. 58. ad fin.* [Ad hoc bonus text. in *l. ult. vers. quid enim si cum nosset de perdita. Cod. de fide instrum.* [Et prædicta intelligе, quando allegatur vitium clarum, hoc est in quo (si sit in confesso) non est dubium juris: secùs si fortè prætenditur vitium, de quo sit dubium juris inter peritos, quia tunc omninò standum erit rei judicatæ.

188. Prædicta extende, nedum si agatur de fœnore improbo, & reditu nullo: sed etiam si agatur de reditu excessivo & moderando, quia sententia lata contra moderationem debitam non transibit in rem judicatam, saltem pro tempore futuro, nisi secundum prædicta: quia etiamsi moderatio fuisset justè denegata, putà per judicium latum ante annum sesquimillesimum, cùm reditus ad rationem decimæ tolerabantur, tamen hodie saltem pro futuro tempore fieri debet, quia *per l. pen. C. de usur.* superveniens moderatio fieri debet pro futuro tempore, etiam in usuris vel reditibus priùs legitimè constitutis, sive tempore illo judicis aut rebus judicatis confirmati fuerint, sive non: quia possunt impedire quin leges futuræ locum habeant, etiam in antiquis usuris vel reditibus, pro futuro tempore: quemadmodum si hodie statueretur ut tamen quintadecima esset summa ratio reddituum, deberent reditus priùs ad rationem duodecimæ legitimè constituti quibuscunque sententiis & Arestis confirmati reduci ad 15. pro futuro tamen tempore, per d. *l. pennlt.* ut diximus suprà *quæst. 10.* Igitur multò fortius si illa moderatio fuerat injustè denegata, idem si reditus hujusmodi fuerit imperitè per sententiam declaratus non redimibilis: quia hoc modo reduceretur ad contractum usurarium & illicitum. Et sic

Solutio.

hoc non obstante semper redimi poterit per notata *supra quæst. 5. & in quæst. seq.* prout sæpè supremi hujus Senatus Arestis hujusmodi reditus justo pretio constituti declarati sunt perpetuò redimibiles: sæpè injusto pretio supra decimam constituti annullati, non obstantibus sententiis vel etiam Arestis super moderatione vel incidenti confirmatione præcedenti, ut in Aresto suprà *num. 185.* & in alio infrà *num. 222.* facit text. in *l. si fundus §. si pluris de pign.* ubi non obstante sententia, qua debitor non restituendo pignus condemnatus fuit pluris quàm deberet, & esset cumulus sortis & legitimarum usurarum, si tamen offerat quod re vera debet, audiendus est.

189. Quid ergo de quodam judicio nuper mihi exhibito? Quidam anno 1387. emit reditum ad rationem decimæ, sub hypotheca generali debitoris, deinde post 40. annos, videlicet anno 1427. heres creditoris ab herede successore debitoris accepit recognitionem reditus, & post decem annos sententiam, per quam certus fundus declaratur hypothecatus ad continuationem reditus; post aliquos sequentes annos creditor ob reliqua in vim dictæ recognitionis & sententiæ subhastari fecit dictum fundum, & post octuginta annos subhastationibus adhuc pendentibus successor debitoris sive dominus fundi hypothecati anno 1537. petiit à Senatu, ubi lis erat devoluta, ut actor teneretur edere instrumentum originale constitutionis præfati reditus, si facultatem haberet, aut per eum non staret, vel jurare se non posse edere, nec dolo fecisse quo minùs posset. Creditor utrumque detrectabat, dicens sufficere prædictam recognitionem & sententiam, quæ centum annos excedebant, & petebat decretum rei subhastatæ adjudicari. Creditor, qui non negabat se habere, fuit condemnatus per Arestum ad exhibendum instrumentum originale, & in expensis instantiæ exhibitionis, & benè. Tunc dominus fundi, Arestum; visa constitutione originali reditus pro centum libris, & sic ad rationem decimæ constituti, duo objecit: primùm quòd in constitutione non fiebat mentio dicti fundi, nec apparebat constituentem dominum fundi. Quæ objectio licèt excipiens esset singularis successor non valuit, propter recognitiones & sententias ultra centum annos specifice obtentas contra eos qui tunc possidebant dictum fundum tanquam domini. Secundò allegabat, quòd reditus saltem ad rationem quintadecimæ reducendus erat cum libera facultate redimendi: tamen per Arestum die 19. Maii anno 1543. dictum fuit quòd ille reditus continuaretur sine moderatione, & redimendi facultate, & quòd dominus fundi recognitionem seu titulum novum inde conficeret, alioquin quòd decretum fundi adjudicaretur. Non dico creditorem fuisse de ordine judicum, sed in utroque membro perperàm judicatum, quia debebat reditus ad quindecim reduci sub libera & perpetua facultate redimendi. Non dubito judices motos fuisse propter antiquitatem temporis, plus quàm centenariam; sed præscriptio in hac materia non magis operatur, quàm res judicata, ubi de veritate plenè constat, ut dicam in *q. seq.* Quid ergo dicendum de eo quòd nunc in executione Aresti dominus fundi vel ejus vidua suo & tutorio filiorum nomine petit non exhibitionem, quam semel habuerit: sed copiam præfatæ constitutionis originalis reditus sibi suis impensis dari? Prima facie videtur creditorem non teneri, quia semel produxit, & instrumenti fides approbata est in judicio, nec petens copiam, dixit se velle redarguere de falso, nec id se posse facere jurat, & insuper lata est diffinitiva de non moderando nec redimendo quæ excludit omne interesse petentis copiam, igitur non est audiendus per *l. ult. Cod. de fide instrum.* Quibus non obstantibus dicendum dictam copiam dari debere, cui non est bonum veritatem denegari. *c. 1. in fin. de contention. inter dom. & vassal. de investit. feu. in usi. feudo.* nec occultari *de. sæpe §. citationem de verb. sig.* Idque

Veritas non est occultanda.

judex pari non debet *l.* 1. §. 1. *ad legem Corn. de fal. facit c. accepimus de fide instrum.* Et quod dixi *in consuet. Paris.* §. 5. *num.* 46. tum apparet hic de justo interesse petentis copiam, cum prædicta judicia, veritate detecta, non transeant in rem judicatam, ut dixi. Plura hujusmodi occurrentia prætereo, ne sim prolixior, & quia ex prædictis poterit ingeniosus tam rectum judicium quam praxim satis in cæteris id genus elicere.

QUÆSTIO XVII.

SYNOPSIS.

1. *Baldi sententia qui non existimat de contractu usurario agi posse post 30. annos, sed tantum excipi.*
2. *Veritas prævalet præsumptioni.*
3. *Vtilius non habere titulum, quàm improbum habere, aut edere.*
4. *Notati judices qui redituum redemptioni autumant præscribi.*
5. *Judicio furti elapsi longissimo tempore præscribitur.*
6. *Tertius possessor rem per usuram acquisitam justo tempore capere potest.*
7. *Si reus petat redemptionem, & offerat, id non solùm vim habet petitionis incidentis, sed exceptionis peremptoriæ.*
8. *Reditus pecuniâ constitutus non obstante longissimo tempore, redimibilis est.*
6. *Petrus Lysetus primarius Curiæ Parisiensis Præses, arguitur inscitiæ.*
10. *Hypotheca, ut accessorium, non mutat naturam principalis.*

190. DEcimo-septimò succedit quæstio, an in materia usuraria locus sit præscriptioni temporis? Et primò videtur quòd propter periculum animæ, quod est tantò gravius, quantò diuturnius *c. ult. de const.* Et ita tenet Alberic. in *rub. col. ult. C. de usur.* etiamsi interverierit sententia, quam nunquam dicit transire in rem judicatam: sequitur Jas. in *l.* 1. §. *si procurator. col.* 4. *num.* 13. *si quis jus dicen. non obtemp.* fac. Bald. *cons.* 322. *l.* 1. *& ult.* quæ not. Alex. *cons.* 73. *viso themate col. ult. l.* 2. *cons.* 46. *circa præsentis col.* 3. *l.* 3. Latè Barba *cons.* 51. *lib.* 1. Jacob de Sanct. Georg. in *l. mutuum col.* 1. *si cert. pet.* Petr. Gitar. in *sing.* 18. Franc. Bald. in *tract. præscrip. in* 4. *parte* 5. *partis princ. quæst.* 3. *in fin.* Hieron. Cagno. *repet. l.* 2. *col.* 5. *C. de pact. inte. empt. & vend.* Dom. Andr Tiraq. in *tract. retract. convent.* §. 1. *glos.* 2 *num.* 31. *cum. seq.* In contrarium videtur æquè habere locum præscriptio in contractu usurario, sicut in alio dummodo interveniant substantialia & requisita ad præscriptionem, & sic quod non sit aliquid magis speciale de se in materia usuraria, quàm in alia. Tum quia nullo jure cavetur hæc peculiaris & specialis differentia, tum quia in ipsa difformitate & ratione peccati, non distant violentia, furtum, dolus, & reliquæ fraudes, à fraude usuraria, quæ non habet peculiarem à cæteris malitiam: sed magnitudo læsionis & læsæ charitatis gravitatem auget indifferenter cujuscunque delicti, quocunque vocetur nomine, ut *supra num.* 13. Et sic cæteris paribus, æquè locum habere potest temporis præscriptio in materia usuraria, sicut in alia quacunque fraude & circumventione, dolo vel re ipsa factis: & ita sentit Bald. *in cons. incip. utrùm post* 30. *annos*, quod est *cons.* 272. *lib.* 3. secundum veterem impressionem, & *cons.* 322. secundum novam, ubi vult non posse quæri de nullitate sententiæ vel fraude, aut simulatione contractus usurarii post 50. annos augendo, sed solùm excipiendo. Alexand. etiam in *cons. præalleg.* non se fundat nisi in regulis communibus de possessore malæ fidei: & loquitur in eo, qui est in mala fide; vel in errore juris resistentis & prohibitivi, vel in habente causam ab eo, à quo excludit præscriptionem longi temporis, *authent. mala fid. C. de præscript. longi temp.* Ergo videtur hæredem, qui est in bona fide saltem singularem successorem, omninò longissimo tempore tueri posse, quod est verum excipiendo & regulariter.

An præscriptio.

Conclusio.

191. Sed ut hæc plenè liqueant, quæ nondum à quoquam plene discussa vel digesta reperi, dico: Aut quæritur, an debitor possit tempore quærere liberationem adversus creditorem? Et clarum est quod sic, secundum regulas juris communis, nec de hoc est quæstio. An verò creditor qui non habet jus validum vel firmum possit usucapere contra debitorem? Et hîc distinguendum. Aut agitur de continuanda usura videlicet de præscribendo contra debitorem ejusve successorem super jure vel actione principali, ut solvere & continuare teneatur in futurum: aut verò super accessoriis, putà de conditione competente debitori ad reliqua præterita, tanquam indebitè soluta, vel de jure & facultate redimendi. Primo casu sit conclusio, quòd nulla præscriptio currit etiam plus quàm longissimi temporis. Ratio prompta est, quia quantò magis illicitum fœnus continuatur, tantò peccatum gravius est, & sic nunquam purgatur, sed magis augetur tempore, *c. ult. de consuet.* Ampliatur primo, ut procedat nedum in improbo, sed etiam in excessivo fœnore, videlicet cum respectu annullationis, quàm respectu moderationis reditus. Et ita pluries vidi per Arresta supremi hujus Senatus, plures reditus aliàs moderari, si paululum excedebant duodecimam: alias annullari, si etiam decimam sortis partem excederent, non obstante quòd essent constituti ultra 60. vel 80. annos ante controversiam motam. Ampliatur secundò, etiamsi sint ultra 100. vel 200. annos, aut à longiori tempore constituti, dummodò liquidè constet de pretio & qualitate constitutionis. Non obstat quod tanto vel minori tempore poterat creditor acquirere talem reditum sine ullo pretio, quia verũ est ex justo titulo, licèt non vero, sed putativo, putà donationis, legati, divisionis, aut alias, vel quãdo non constat de initio vitioso: secùs si constet de initio vitioso, vel defectivo, quia tunc omnis perceptio, vel quasi possessio interfluens super illo titulo fundata, eodem vitio quo continuatur quotidie inficitur; & sic quocunque temporis lapsu, vel quasi possessione non obstante, remanet reditus in eadem qualitate in qua apparet fuisse ab initio. Ideò si appareat nimis excessive & sic nulliter constitutus, putà ultrà unum pro decem debet nullus declarari; si verò modicum excessivus, debet moderari secundum notata *suprà num. quæst.* 10

Ampliatio 1.

Ampliatio 2.

192. Non obstat quod tempus centum annorum, quod est plusquam immemoriale, ut dixi in *cons. Paris.* §. 5. *num.* 63. habet vim, const. *l. hoc jure* §. *ductus aquæ de aqua quotid. & æst.* quia omninò verũ est quando non apparet de origine: & ita propriè loquitur d. §. *ductus aquæ*: ubi de origine non constat, quia memoriam hominum excessit. Secùs si constet certò de veritate originis, quia tunc præsumptio, quæ oritur propter antiquitatẽ, cedit veritati, *c. veritati.* 8. *dist* faciunt notata *in cons. Paris. d.* §. 5. *num.* 62. Et quãvis regulariter,

ut in rebus præſcriptibilibus præſcriptio legitimè completa præjudicet veritati originis etiam de qua conſtet, ut not. in d. *conſ. tit.* 4. tamen ſpeciale eſt in uſura, quando de ejus continuatione agitur, quod nullum temporis ſpatium, nulla ſucceſſorum bona fides patrocinatur præſcriptioni: quoniam lex ſemper & continuè reſiſtit curſui uſuræ illegitimæ, vel exceſſivæ: quo caſu, videlicet quando lex continuè prohibet & reſiſtit, ceſſat uſucapio & præſcriptio, *l. ubi lex in pr.* & ibi doctores *de uſuc. c. fi. de conſ.* ſa. quod not. Bart. in *l. ſed & ſi lege §. ſcire. de pet. her.* Jo. de Pla. in *l. unica de fund. rei privat. lib.* 11. *Cod.* Bene verum eſt, in iſtis ſi non conſtet de origine, ſpatium temporis prodeſſe poſſe, ſed in vim præſumptionis duntaxat, & allegato licet non probato juſto & licito titulo: ſed nullo modo prodeſſe poteſt in vim veræ & propriæ præſcriptionis, putà ſi conſtet de veritate & origine vitioſa, ut etiam ferè in ſimili recordor ſcripſiſſe in *conſ. Pariſ.* §. 7. *n.* 15. *n.* 16. Ita quod ſi unquam, maximè hic quadrat dictum illud vulgatum, quod eſt de mente Innoc. *c. dudum de decim.* quòd melius eſt non habere, vel non oſtendere titulum, quàm oſtendere, ſed malum & vitioſum. Ampliatio 1. Amplio tertiò, etiam ſi fortè heredes, aut etiam ſingulares ſucceſſores creditoris juſto errore facti per præfata tempora bona fide percepiſſent reditum, putà prætextu cujuſdam antiquæ recognitionis, ſeu novi tituli non continentis vitium, quia quandocunque detegatur verum originale, & vitium reditus, ſuccurrendum eſt ſub modificatione, de qua infrà *limitatione.* 1. Unde etiamſi inſtrumentum reditus eſſet in licita forma, putà unius pro duodecim vel quindecim, tunc coram notariis numeratis: ſi tamen poſteà inveniatur, & certò probetur, quòd nunquam fuit tantum pretii numeratum, quod ſufficiat ad rationem decem pro uno, caſſandus eſt contractus tanquam uſurarius, quantuncunque longiſſimo tempore ſucceſſor uſurarii bona fide perceperit. Et notanter dixi, ſi certò probetur, quia non ſufficeret ad hoc quælibet probatio vel præſumptio, aliàs legitima poſt tantum temporis. facitur notata ſuprà *nn.* 188.

Ampliatio 4. 193. Amplio quartò, ut procedat etiam in hoc regno, non obſtante Conſt. regia anni 1512. §. 46. quæ non habet locum in contractibus uſurariis, ſive de ſimulatione & nullitate, ſive de fraude & reſciſione agatur, ut etiam dixi in *conſ. Pariſ. tit.* 4. *in rubr. Et ita obſervatur per dominos judices uſurarum æquiſſimos in ſupremo hoc Senatu.* Ampliatio 5. [Quamvis in indoctis & quæſtuariis aliter quandoque judicatum ſit.] Amplio quintò, etiamſi debitor vel quivis ejus ſucceſſor recognoverit reditum coram judice, & ſententiam ſubierit condemnatoriam, non in contradictorio judicio, ſed voluntariam, ut decidit Alberic. in *rub. col. ſi. Cod. de uſu.* Bal. in *l. cum allegat. col.* 2. *eo. tit.* & ſequitur Jaſ. in *l.* 1. §. *ſi procurator. col.* 4. *ſi quis jus dicen. non obtemp.* dom. Andr. Tiraq. in *tract. retract. convent.* §. 1. *gl.* 2. *num.* 34. Ampliatio 6. Amplio ſextò, etiamſi in contradictorio judicio ſub modificationibus, de quibus in quæſtione præcedenti. Ampliatio 7. Amplio ſeptimò, non ſolùm reſpectu veri debitoris, ſed etiam fidejuſſoris vel tertii poſſeſſoris rerum hypothecatarum, vel etiam poſterioris creditoris, ut ſuprà *eod. quæſt.* 25. quia hæc exceptio rei cohæret *l. exceptiones.* §. *res de except. l. tam mandatori. l. pen. Cod. de non num. pecun.* Ampliatio 8. Amplio octavò, ut etiam nullo tempore nulla exactione vel recognitione acquiratur poſſeſſio, vel quaſi percipiendi vel exigendi reditus uſurarii in aliquo, vel immoderati, quatenus reducendus eſt. Ratio, quia in juribus incorporalibus, in quibus non eſt vera, ſed quaſi poſſeſſio, quæ plus habet juris quàm facti, quandocunque lex prohibet vel reſiſtit, nulla acquiritur poſſeſſio, vel quaſi, ut diximus in *conſuet. Pariſ. tit.* 3. *in rubr. Præterea etiamſi aliqua acquiratur poſſeſſio*, non valeret ad aliquod interdictum, imò nec ad proviſionalem perceptionem, pendente lite, quia petitorium abſorbet poſſeſſorium. *cap. cum dilectus de can. poſſ. & proprietat.* Et ita in ſimili decidit Oldrad. *conſ.* 249. Bonifacius in *ſi.* Et hoc præſuppoſito, quòd in promptu conſtet de vitio vel exceſſu: alioquin quaſi poſſeſſio interim conſervanda eſt *cap. Laudabilem. ut lite pendeu. cum vulgat.*

194. Amplio nonò, ut procedat non ſolùm ex parte creditoris in jure exigendi reditum uſurarium vel exceſſivum: ſed etiam ex parte debitoris in jure redimendi reditum etiam juſtum & legitimè conſtitutum. Probo primò, quia in iſtis reditibus ad rationem duodecimæ vel quintædecimæ conſtitutis facultas redimendi eſt inſeparabilis, quia eſt de ſubſtantia & neceſſitate juſtitiæ & validitatis horum reddituum tantulo pretio conſtitutorum, ut notatur ſup. *quæſt.* 5. *num.* 128. Et ſic nullo tempore poteſt illi juri redimendi, præſcribi, quia non ſolum contra naturam & ſubſtantiam actus præſcriberetur, non ſolùm contra jus privati debitoris, ſed etiam contra jus ipſum & leges uſurarias, & præſcribendo reduceretur reditus, mediante hac facultate juſtus & legitimus, ad reditum uſurarium & illicitum: & ſic talis præſcriptio nullo tempore incipere, nec compleri poteſt per prædicta. Probo ſecundò, quia iſtud jus redimendi non ſolùm conſiſtit in agendo vel jure actionis, ſed etiam in excipiendo, & facultate exceptionis: unde ſicut natura exceptionis perpetua eſt, & nulla temporis præſcriptione tollitur, *l. pure. in fin. de dol. excep.* ita & jus redimendi exceptioni conjunctum, & quod per viam exceptionis vel retentionis proponi poteſt. Et quemadmodum juri offerendi, quod juri excipiendi conjunctum eſt, nunquam præſcribitur, ut tradit Bart. in *l. pign. de uſuc.* Ant. Neguſant. *tract. pign. part.* 5. *membr.* 3. *in* Franc. Bald. *tract. de præſcrip.* 4. *part.* 5. *partis quæſt.* 2. [Phil. Dec. *conſ.* 164. ubi in annot. approbavi de latè Udar. Zaz. *inſt.* Act. contra Jo. Fabr.] Et ſicut in præcedentibus dictum eſt juri ſoluta in ſortem imputandi, & reſiduum, ſi quod ſit, offerendi in reditu uſurario, vel juri imputandi reliquis, quod moderationi legitimæ ſupereſt in reditu exceſſivo, nunquam præſcribi, quia in jure excipiendi conſiſtit, ut illi conjunctum eſt: ita & in jure redemptionem offerendi vel petendi in reditu licito, ſed de ſe redimibili. [Probo tertiò, quia in recognitionibus, ut etiam apochis, reliquorum hujus reditus ſemper fuit recognitio quantitatis antiqua redimibilis, ſemper enim fit relatio ad titulum, & ejus qualitatem, & ſic ſemper interrumpitur præſcriptio temporis, imò nunquam poteſt incipere: quia ſemper in eadem qualitate poſſidetur. adde infrà *num.* 201.] Adde quæ dixi in *quæſt. ſeq.*

Ampliatio 9. Juri redimendi an præſcribat.

195. His à me ſcriptis, fœliciter in lucem prodierunt Commentaria uberrima doctiſſimi Senatoris Do. And. Tiraquelli, de utroque retractu: ubi in *trac. retract. convent.* §. 1. *gl.* 2. *nu.* 30. *cum ſeq.* idem tenet. Ita etiam quandoque judicari vidi in ſupremo hoc Senatu: exemplum unum retuli. ſup. *quæſt.* 10. *nn.* 147. quanquam memini quandoque Senatum noluiſſe promptè decidere, ... in conſilio deliberandum reſervaſſe, an hi reditus duodecimæ etiam poſt tempus, putà 3. vel 4. annorum ad hoc in contractu præfixum redimi poſſint, de quo min mè deinceps dubitandum eſt per prædicta. & infrà *quæſt.* 19. ſed non vidi ſupremam hanc curiam judicaſſe hos reditus redimibiles, quando erant ante triginta vel plures annos, etiam ſub expreſſa & libera facultate redimendi ab initio, & abſque ullo vitio conſtituti: tamen pluries illic vidi de facto judicari in pluribus hujuſmodi contractibus aliquo vitio laborantibus, quòd infra tres vel ſex menſes debitor ſortem cum reliquis ſolvendo redimere & luere poſſet: alioquin reditus eſſet perpetuus & non redimibilis. [Imò etiam anno 1546. vidi in publicis cauſaurum actionibus hujus Senatus reditum con-

And. Tiraq.

ſtitutum ad rationem quintædecimæ, cum pacto, ut non eſſet redimibilis, declarari redimibilem infrà tres annos, ſed non poſt. Ego etiam ſcio, quod in tertia Arestum. claſſe inquiſitionum hujus Senatus, die 23. Aug. anno ſeſquimilleſimo trigeſimo tertio, delatore quodam Bourgovino, habito etiam reliquarum Senatus claſſium conſilio, reditum ante 54. annos ad rationem duodecimæ conſtitutum, redactum ad rationem quintædecimæ pro tempore futuro, ſed declaratum non redimibilem ob lapſum 54. annorum. Et pejus Senatus Dolanus, die 7. Sept. anno 1547. declaravit in prædictis in totum 40. annis præſcribi.] Ego verò dico, tam circa redemptionis ademptionem, quàm limitationem errores fuiſſe, etiamſi reditus erant antiquiſſimi, ut ſup. *num.* 189. Multi enim ignoraverunt, & adhuc ignorant verum elenchum uſurarum & horum reddituum. Quamobrem neceſſe habui pleniùs & exactiùs diſcutere. Sed licèt multi ignorarent perpetuam & liberam redimendi facultatem eſſe de juſtitia horum reddituum, illiſque neceſſariò annexam: non tamen debebant ignorare regulam illam juris communis. Quòd juri offerendi ſi juri exceptionis vel retentionis conjunctum ſit (ut hic) nullo tempore præſcribitur. Sed non eſt novum multa eſſe, quò vel judices peccent, multaque accidere, quæ doceant quàm ſit juſta & neceſſaria, *l. nemo. de ſenten. & interlocu. omn. judic.* exemplis non eſſe judicandum. Et hæc ſcribens anno 1544. recordor ſupra viginti quinque annos audiviſſe à Dom. Joanne Molinæo patre meo, antiquo Advocato, quòd ab Antiquis ſemper audiverat & viderat teneri & obſervari in praxi, quòd facultas quandocunque redimendi ſemel conceſſa, ſemper etiam poſt triginta annos peti poteraſ, & quòd ita indiſtinctè & bona fide tempore ſuo obſervabatur, etiam poſt conſuetudinem Pariſienſem in ſcriptis redactam, ubi præſens fuit: donec famoſiſſimus ille Advocatus Iac. Diſome deciſionem illam Ang. *conſ.* 35. *incip. ex pacto. de retrovend.* quòd juri redimendi triginta annis præſcribatur, anteà pragmaticis ignotam in medium forum invexit, utque practicaretur auctor fuit: imò occaſio, ſiquidem ille clientuli cauſæ ſemel inſervire duntaxat voluit Sed vulgus iſtud imitatorum pigrum pecus, ad pauca advertentes, ſtatim illud incautè protraxerunt ad hos reditus, cùm tamen Ang. loquatur in fundo vendito & tradito ſub eo pacto, & ſic quando jus redimendi in mero jure agendi, & non excipiendo conſiſtit, & ita debet in caſu ſuo accipi, non autem extendi ad diverſum caſum horum reddituum, ubi jus redimendi etiam jure exceptionis competit. [Sed adhuc ubi tantùm jure actionis competit, vetus ſimplicitas æquior erat, & veteri legi divinæ conformior. *Levit.* 25. Hoc eſt ſemper obſervatum apud Lotharingos: ubi per plura turbarum etiam teſtimonia probatum vidi, quòd in omnibus venditionibus, ſub facultate redimendi, nunquam ei præſcribitur, etiam per centum annos: ut etiam hodie obſervant in Ducatu Lotharing. ubi anno 1547. vidi redemptionem fundi poſt triginta novem annos præſtitam.]

Imitatores pigrum pecus.

196. Hîc impertinens non erit tangere caſum, de quo his ſcriptis, conſultus fui: anno 1478. conſtitutus fuerat reditus ad rationem decimæ, & per Areſtum latum anno 1542. reductus fuit ad rationem duodecimæ, declaratus etiam redimibilis de gratiâ infra tres annos, quibus laptis non poſſet redimi. Nunc inter primogenitum & reliquos heredes veteris debitoris lis eſt ſuper contributione redemtionis, quia reditus erat aſſignatus ſuper feudis, ideò dicunt ſecundogeniti, quòd primogenitus debet contribuere pro media; & ſic pro rata bonorum ſubjectorum, ille verò quòd viriliter. Reſpondeo quòd ille benè, ſive voluntaria, ſive neceſſaria ſit redemptio, cùm non eſſet reditus limitatus ad feuda, & omnes heredes eſſent viriliter obligati, & ſic æqualiter ſenſuri erant commodum redemptionis. *l. 2. Cod. ſi cert. petat.* dixi in *conſuet. Pariſ.* §. 11. *num.* 14. Sed certè illa reductio ad duodecimam nimis mollis fuit & generoſa creditori, quia debebat fieri ad decimam quintam, ut ante 25. annos rectiùs in eadem Curia judicatum fuerat in ſimili, de quo ſuprà *quæſt.* 10. *num.* 147. Cæterùm tantùm abeſt ut debeat redimibilis fieri de gratia, ut limitatio ſit injuſta, nec teneat per prædicta, & ſup. *quæſt.* 16. *& in ſortioribus terminis in quæſt. ſeq. & quæſt.* 19. Redeundo ad rem ex prædictis habes ſpeciale eſſe in materia uſuraria, non abſolutè, ſed demum quando agitur de continuanda uſura, ut nulla unquam cujuſcunque temporis currat vera præſcriptio. Imò ſi rectè perpendas, videbis nihil hîc opus ſpecialitatis in materia uſuraria, cùm abundè ſufficiat illa regula juris communis tempore non præſcribi juri offerendi vel redimendi cum jure excipiendo conjuncto.

197. Concluſio ſic ampliata limitatur. Primò reſpectu penſionum condicendarum vel reſtituendarum, videlicet quæ perceptæ fuerunt, ultra quantitatem ſortis reditus uſurarii, putà infra decem pro uno conſtituti: quamvis enim validitas reditus in ſe non poſſit capi, nec pro futuro, nec pro præterito tempore, tamen condictioni particularium penſionum receptarum præſcribi poteſt, ſicut & actioni furti præteriti & condictioni indebiti longiſſimo tempore præſcribitur: unde ſi à centum annis conſtitutus & continuatus fuerit reditus infra rationem decem pro uno, primorum quidem annorum penſiones, uſque ad concurrentiam ſortis in illam ſemel compenſatæ ſunt, ſequentium autem annorum penſiones non poſſunt condici, niſi quæ à triginta annis ſolutæ ſunt, inſpecto tempore condictionis intentandæ: antiquioribus autem videlicet ante triginta annos (ſalvis caſibus interruptionum) præſcriptum eſt. Sublimito primò in ipſo fœneratore, qui contra jura improbum fœnus contraxit, & ſemper fuit in poſitiva mala fide, *c. qui contra jura, de reg. jur. in 6.* Et ſic quandiu vivit nulla uſucapio incipere poteſt: ſed benè incipere poteſt ab ejus herede etiam univerſali, dummodo non appareat quòd ſciverit qualitatem, & pretium reditus, & ſic nullitatem uſurariam, quia ſcientia & mala fides defuncti non nocet heredi in præſcriptione longiſſimi temporis, ut ſcripſi in *conſuet. Par.ſ.* §. 68. & ad Alex. *conſ.* 110. *in fi. lib.* 1. & ad *conſ.* 51. *num.* 7. *lib.* 5. Secùs ſi appareat heredem vel quemvis ſucceſſorem ſciviſſe illam qualitatem, quia eo ipſo reperitur in poſitiva mala fide, etiamſi erret in jure, quia talis error non relevat, etiam ad præſcriptionem longiſſimam in his, quibus jus prohibitorium & punitorium reſiſtit, ut dixi in d. §. 68. Nec obſtat quòd error juris prodeſt, ut quis faciat fructus ſuos, vel eos præſcribat, ut notant Jo. Fab. Bal. & alii in *l. venditionis Cod. de uſuc. pro empore per l. ſed. & l. leg.* §. *ſcire de petit. hered.* Quia reſpondetur primò, quòd hîc nulli ſunt fructus, ex quo nulla eſt res, nullum jus afferens fructum, quum reditus ſit ipſo jure nullus, & ſic penſiones non poſſent eſſe fructus rei, quæ non ſubſiſtit; ſed ſunt ſolutiones indebitæ. Nulla etiam poſſeſſio, vel quaſi detecta nullitate, ut dictum eſt. Secundò reſpondetur, ut pulchrè inquit Bart. in d. §. *ſcire.* quem alii ſequuntur. ibi & Alexand. *conſ.* 73. *col. fin. lib.* 2. quod objectum non habet locum, quando jus reſiſtit prohibendo & puniendo, ut hic, quia talis error non poteſt cauſare bonam fidem etiam ad ſimplex lucrum fructuum.

Mala fides defuncti.

Error juris.

198. Sublimito ſecundò, quòd dictum eſt à triginta noviſſimis annis ſolutas penſiones condici poſſe, ut non procedat reſpectu heredis fœneratoris, niſi in quantum tempore repetitionis locupletior inventur. *l. ſi non ſortem.* §. *libertus. l. in ſumma.* §. *in frumento, de condict. indeb.* & in dubio præſumitur locupletior factus de eo, quod ipſemet recipit in pecunia, licèt non ita præſumitur locupletior in fructibus conſumptis, ut

in simili dixi in *consuet. Paris.* §. 22. *num.* 53. *in fi. & num.* 52. Et hæc limitatio sublimitanda est, ut procedat quando ille successor, qui recipit, errabat in facto, & ignorabat qualitatem & nullitatem reditus, secùs si sciebat, & tamen sciens non deberi tanquam debitum recipit, quia tunc delinquit, etiam si recepit à soluente sponte, sed intuitu prætensi debiti, vel ne molestetur. Aliud enim si scienter & animo donandi solvat. juxta regulam *cujus per error. de reg. jur.* sup. *num.* 8. Et quamvis talis tanquam ex debito scienter recipiens non committat formale furtum, tum quia non est author contractus, tum propter voluntatem soluentis, licèt erroneam vel non liberam, ut declarat Bart. in *l. quoniam, de condict. furt.* tamen non longè abest à furto, ut innuit Scævol. in d. *l. quoniam.* & omninò est in dolo & mala fide positiva, & sic precisè ad restitutionem obligatur, etiamsi recepta perdiderit, & constet quòd non fuerit, nec sit locupletior. Et nota singularem hanc limitationem ad dictam regulam ex d. §. *libertus*, ut procedat in eo, qui bona fide & ignoranter, secùs in eo, qui scienter indebitum recipit: quia tunc non debet distingui, an fuerat vel maneat locupletior, vel non. De quo etiam est bonus text. in *d. l. in summa.* §. *si servum. de condict. indeb.* facit tex. in *l. patri.* §. *prædium. versic. ex quo de minor.* prout novè induxi in *consuet. Parisien.* §. 22. *quæst.* 10. *num.* 53. & §. 55. *glos.* 1 *num.* 13. & §. 58. *num.* 7.

Limitatio §. Libertus.

199. Principalis conclusio limitatur secundò, ut procedat, in quantum contractus laborat vitio usuræ in se, sive aperto, sive palliato, quòd postea detegitur: secùs si laboraret alio vitio, putà quando esset justo pretio constitutus, sed per minorem 25. annis, & sine decreto judicis, quia tunc huic vitio præscribitur quinque annorum spatio post majorem ætatem, juxta *l. si quando. Cod. si major factus &c.* dummodò interim creditori solutum fuerit, ut manserit in quasi possessione reditus, ut scripsi in *cons. Paris. tit.* 4. & dixi sup. *quæst.* 13. inf. *quæst.* 37. *ad fin.* Idem si argueretur metus, aut aliud vitium temporarium non permanens & successivum, de quo remitto ad jura communia præscriptionum. Idem si reditus sit justo pretio constitutus super fundo, sed à non domino, tamen à domino fundi per errorem solvatur, quia poterit creditor bona fide usucapere, sed longissimo demum tempore, ut novè probavi in *consuet. Paris.* §. 7. *num.* 17. *cum seq.* & § 66. & in *quæst. seq.* Idem in similibus, ubi deficit vitium usuræ, in tantum quòd etiam si creditor emens hujusmodi reditum, solverit pretium de pecunia ipsius debitoris, si bona fide fecerit, post triginta annos contra majores completa cum effectu præscriptione non prodesset hoc detegere, quia non fuit verum vitium usuræ, nisi probaretur de fraude creditoris, ut inf. *quæst.* 44. Limitatur tertiò, ut procedat, quando clarè constat de origine: secùs si non appareat, quia temporis spatium facit præsumi justam originem, non per modum præscriptionis strictè sumptæ, sed per modum præsumptionis. Qualis autem præsumatur origo, & quantum tempus requiratur, quia est alia ampla materia, reservo inf. *eod. quæst.* 20. Limitatur quarto, ut res per fraudem usurariam acquisita non afficiatur vitio reali, sed per tertium singularem successorem secundùm jus commune usucapi possit, ut plenius *quæst. seq.* & inf. *quæst.* 61. Modò hoc primò casu excusso, reliqua in effectu expedita sint. Igitur in secundo casu, quando non agitur de continuanda usuraria præstatione in futurum, sed de præscribendo super toto actu præterito, sit conclusio, quòd præscriptio longissimi temporis cum bona fide debitorem ab omni condictione & repetitione excludit: putà si debitor reditum verè usurarium sortem restituendo cum reliquis, vel sine imputatione solutarum pensionum redemerit: nisi enim constiterit debitorem pensiones usurarias sponte redemptionis tempore aut postea donasse, clarum est debitori acquisitam condictionem indebiti ad earum repetitionem, cui procul dubio triginta annis præscribetur: dummodò præscribens non sit in positiva mala fide, quod jam declaratum est. Hic occurrit tractare, & qualis usucapio procedat in venditione vel alienatione fundi, facta per usurariam pravitatem. Sed ne hic sim prolixior, reservo inf. *quæst.* 61. post materiam pactorum legis commissoriæ. [Nondum liber meus venerat in manus Judicum quando ad medium Novemb. an. 1546. Petrus Brotlet, cognatus meus, per sententiam præfectorum libellorum Palatii, Arresto confirmatum, exclusus fuit à redemptione reditus ad rationem duodecimæ constituti, propter lapsum temporis, plusquàm quadragenarii. Sed mox in casu simili, magna exarsit quæstio, coram eisdem judicibus libellorum Palatii, inter Thomam Raponel, Secretarium Cameræ Regiæ, dominum de Baudeville, actorem, & Pharaonem Charpentier, Parlamenti Advocatum reum, in hac specie, an. 1488. pro centum libris Turonensibus constitutis fuerat reditus annuus, perpetuus, & semper redimibilis sex librarum tredecim solidorum Parisiensium, sive octo librarum, sex solidorum, & quadrantis Turonensium, quæ est ratio duodecimæ, paulò tamen levior, de quatuor denariis Parisiensibus annuis tantùm, ut patet in abaco, anno 1546. vigesimo octavo Augusti. actor, qui & debitor coram duobus notariis, obtulit reo creditori, centum libras Turonenses sortis principalis, cum reliquis, usque tunc debitis, & quadraginta quinque solidos Turonenses pro legalibus sumptibus, sine præjudicio supplendi, vel detrahendi, de illis petens non solùm redemptionem, sed etiam cessionem actionum, contra possessores aliorum quoque prædiorum eidem reditui obnoxiorum, & reum detrectantem vocavit in jus, coram eisdem præfectis, concludens, ut præfata sua oblatio justa declararetur, refusque damnaretur et revendere, seu dimittere, & cedere dictum reditum, receptâ sorte principali, & reliquis, ad usque diem oblationis, cum legalibus sumptibus, & ad sumptus litis: reus absolvi concludens, allegabat 58. annis præscriptum esse facultati redimendi, urgens eorumdem judicum in paulò fortioribus terminis præfatam recentem sententiam, recenti Arresto, vix à novem mensibus confirmatam: necnon plura alia erronea judicia, de quibus sup. *num.* 195. & futiles quasdam ratiunculas: ut quod justum pretium reditus non redimibilis est ad rationem unius, in viginti, aut ad rationem unius in 24. Ergo constitutus ad rationem duodecimæ absque facultate redimendi, non continet læsionem ultra dimidiam: igitur stare debet, sine dicta facultate ab initio, & hic multò magis potest illi triginta aut saltem quadraginta annis, rescindi, tum tempore contractus inspecto, si tunc sortem convertisset in prædia, nunc haberet quadruplo majorem reditum, & absque facultate redimendi, & quædam alia, non digna relatu: Contra quæ omnia, & communem fori sententiam actor librum meum protulit: Judices adierunt Senatum, & in classibus inferioribus discordes, & dubias sententias invenerunt: sed in majore classe inquisitionum sententiam meam laudare, & confirmare audierunt, atque ita judicarunt, adjudicando conclusiones actoris, sed absque expensis instantiæ, die 1. April. anno 1546. ante Pascha reus appellatur, sed undecimo mense, per Arestum classibus congregatis latum ad finem Febr. anno 1547. relatore Do. Carolo Chansecleo sententia confirmata fuit. Quia Catharina Lapostole, vidua Antonii Selin Consiliar. Parla. conventa à Joanne Babè, in personali, & hypothecaria, & adtitulū novum constituendum reditus duodecimæ: petit redemptionem, & per sententiam eorumdem præfectorum, die 15. Jun. anno 1545. petitiones actoris adjudicatæ, & vidua exclusa à sua petitione, & in expensis condemnata; quia in contractu non erat data facultas redimendi & insuper 39. anni elapsi erant, appellavit, & aresto lato 23. Febr. 1545.

Appellatio,

Appellatio, & id à quo appellatum annullata, absque mulcta, & expensis causæ appellationis: & tamen conclusiones actoris principalis adjudicatæ, vidua condemnata ad titulum novum dicti reditus, & inexpensas causæ principalis, & quantum ad incidentem quæstionem redemptionis appellatus, damnatus pari redemptionem, & actiones suas viduæ cedere, absque impensis dicti incidentis. Nondum erat liber meus editus, quo evincitur in simili specie reo petente redemptionem, & offerente: id non solum habere vim petitionis incidentis, sed peremptoriæ exceptionis ad finem absolvendi à principali per notata *inf. quæst.* 39. *num.* 296. Sed fortè dicta vidua non obtulerat de præsenti redimere, & sic in effectu tantum petebat reditum declarari redimibilem, quandocumque sibi placeret redimere; sed post editionem libri nostri frequentia sunt Arresta in sententiam nostram, ut illud pro Dom. de la Trimoüille, contra Capitaneum Senonensem, de reditu ante 75. annos ad rationem quintædecimæ sine pacto redimendi constituto, tamen redemptio adjudicata fuit, & nuper in publicis causarum actionibus, mense Martio anno 1560. Dum quidam prædio suo vendito, parte pretii receptâ, pro residuo ab emptore reditum duodecimæ stipulatus esset, infrà quatuor annos tantum redimibilem, judicavit Senatus perpetuò redimibilem, quantumvis Advocatus venditoris fundi caussificaretur hunc reditum esse partem fundi, & quod in regione Laudunensi, ubi situs est hujusmodi reditus, post triginta annos reputantur fundiarii. Sed hoc ultimum est manifestus abusus, de quo *infrà quæst.* 57. & ex hypothesi prædium non erat alienatum, partim pro tali reditu, sed absolutè venditum pro certo totali pretio, pro cujus pretii totalis parte constitutus fuit reditus: quæ duo valdè differunt: per notata *inf. quæst.* 52. *nu.* 370. Addo aliud Arrestum in magna classe iniquisitionis latum die 20. Martii anno 1547. ante Pascha contra Cardinalem Castellionensem Episopum Belvacensem, qui ex transactione ante centum annos factâ petebat reditum, qui per eandem transactionem erat redimibilis, sed caussabatur centum annis, juri redimendi præscriptum. Cui sententiæ fiscales pro Rege, & Pari Franciæ adhærebant: sed Senatus juxta sententiam nostram judicavit adhuc semper redimi posse. Scripsi etiam, & obtinui pro Guillelmo Gochetel Cameræ Regiæ Secretario, contra Mariam Chevrier reditum ad rationem quintædecimæ constitutum cum facultate redimendi per instrumentum separatum usque ad decem annos, data nihilominus post 50. annos, liberè redimi potuisse. Ex quibus liquet, quam iniqua, & frivola fuerit intercessio Ecclesiasticorum in redactione consuetudinum Bituricensium, tit. 6. *de censibus, reditibus, & hypothec.* §. 24. *in fine*, ubi dicitur, quod omnes reditus deinceps pecuniâ constituendi erunt redimibiles. Petrus Lyserus Primarius Parlamenti Præses, qui in eo actu præsidebat, nihil permisit decerni de præteritis, seu jam constitutis, eò quòd præscriptionem temporis admitteret passim suis Arestis ostendens, se verum elenchum usurarum, & horum redituum ignorare. Sed hodie veritate detectâ, idem dicendum de præteritis, nisi ad rationem trientariæ usuræ, sine pacto redimendi constituti sunt, vel cum pacto redimendi, sed vel seorsim appositio, & ignorato, vel contrariis recognitionibus (quæ in tali reditu valere possunt) per longissimum tempus interrupto juxta notata, *sup. eadem quæst.* & 18. & 19. Non est prætereunda pulchra quæstio, de qua judex ipse (ut antè quæstuarios judices ubique ferè erectos solitum erat) me consuluit. Duo fratres prædium commune Burello ad reditum fundiarium triginta duorum sextariorum frumenti concesserunt: postea anno 1503. primus vendidit 2. pro sexaginta libris Turonensibus sex sextarios frumenti reditus annui capiendos, & percipiendos singulis annis, super jure quod habebat, ex dicta concessione, & super omnibus ejus bonis mobilibus & immobilibus. Exinde secundus semper percepit à Burello, per manus ejus 60. sextarios, residuum verò dimidiæ pensionis 32. sextariorum, Burellus semper solvit, primo vel ejus heredibus. Contigit anno 1550. unum filiorum primi, coram Præposito *de Provins*, juxta Campaniam, petere redemptionem dicti reditus tex sextariorum, ab heredibus secundi, qui excipiunt, 1. de 47. annis, & sic quod non potest peri redemptio, etiamsi olim peri potuisset, secundo, quod semper receperunt per manum Burelli Emphyteutæ & heredum ejus, & nihil per manum actoris, vel ejus decessorum, & sic non dubitandum de præscriptione contra eum, qui cum nihil in hoc commune habuerunt, nec eum recognoverunt: Tertiò, quod non sumus in terminis constitutionis novi reditus, sed in terminis venditionis reditus constituti, & à tertio debiti, & sic non in materia usuraria, sed in materia venditionis fundi, vel juris immobilis, ut *quæst.* 62. *num.* 412. Quartò, quod actor est unus tantum filiorum, vel heredum, nec potest agere ad totum. Actor altiùs ingrediens habuit literas regias ad eundem judicem, ad rescindendum contractum tanquam usurarium, vel ad eum reducendum ad rationem quintædecimæ, & declarandum liberè redimibilem. D. Math. Quadrigarius, alii à judice consulti, censuerunt, actorem in omnibus excludendum, reósque absolvendos & actorem condemnandum, in expensas, tam instantiæ principalis, quàm instantiæ literarum regiarum, quasi post annos 47. irredimibilem. Judex famâ nominis mei, & lucubrationum mearum illectus ad me censuram meam petens, misit, & visis actis die 17. Martii, anno 1550. conclusiones actoris adjudicandas, cum impensis in utráque instantia, etiamsi nec literas quidem Cancellariæ habuisset: sub hoc temperamento, nisi malint rei dividere, & consentiendo actori receptionem pro parte ejus tantum, & ita visis etiam rationibus meis, quas semper solebam judicibus decisivè trasmittere ut summatim sequuntur. Primo enim, non fuit venditio veteris reditus, non partis ejus quidquid rei cavillantur, sed venditio, & constitutio novi reditus frumentarii pro pecunia, quantumvis sit specialiter assignatus super reditû fundiario, & super aliis bonis, quia hypotheca securitas est accessoria naturam rei non mutans. Secundò, licet tempore contractus inspecto justo pretio constitutus fuerit: tamen post 20. annos rei perceperunt commodum, excessivum, moderationi subjectum, & absque moderatione: ita ut etiam sine beneficio Principis reditus reducendus sit ad rationem quintædecimæ, etiam in pecunia si malit actor, per notata *quæst.* 21. nisi fortè malint rei restituere, quod ultra rationem valoris duodecimæ à tempore 25. aut plurium annorum receperunt: ad hoc ut reductio non fiat nisi ad rationem duodecimæ. Cæterum reditus, utpotè justo pretio constitutus nullo modo cassandus est. Tertiò liquet locum esse redemptioni: quod si rei per manum Emphyteutæ receperunt, hoc instar *ἀντιχρήσεως* habet, & favorabiliorem causam actoris reddit per notata *quæst.* 74. *nu.* 568. & 576. anno 1558. vidi gravem *quæst.* de reditu decem librarum Turonensium, anno 1362. pro octoginta quatuor francis auri constituto; & postea per Capitulum Sancti Stephani Trecensis à creditore, empto pro centum francis auri: nunc agitur de redemptione, & an in pecunia, & quanta, & an Capitulum, quod interim, multa ex prædiis hypothecatis acquisivit, teneatur contribuere? Ad primam *quæst.* omnes Advocati mecum consenserunt redimi posse, excepto Advocato fiscali, propter lapsum plusquam centum annorum, dubitante, & addente, quod post tantum temporis petens redemptionem tenetur docere de origine: non autem reus edere: Sed in hac materia tenetur reus edere contra se, vel se juramento purgare, ut *supra quæst.* 16. *num.* 189. & *infrà*

quæst. 20. *num.* 211. *ad* 2. *quæst.* constabat per relationem Præfectorum monetalium quod tunc, videlicet anno 1362. francus auri non valebat nisi viginti solidos Turonenses, ergo reditus usurarius: tamen fortè propter dubium solidorum illius temporis valorem, vel aliàs, sufficiebat debitori obtinere redemptionem, ad ultimam quæstionem dicendum, ut *quæst.* 89. *num.* 680.

QUÆSTIO XVIII.

SYNOPSIS.

1. *In præscriptionibus non sufficit imaginaria possessio.*
2. *Titulus putativus contra tradentem non parit usucapionem.*

200. DEcimo-octavò circa id quod nuper tactum est in quæst. præcedenti, quæro, Titius fundum suum donavit Caïo, retento usufructu, deinde tanquam dominus, dedit vel permutavit, aut vendidit reditum super eodem fundo, postea decessit, exinde Caïus vel ejus heres reditum solvit per decem annos: An creditor usuceperit seu longo tempore acquisierit jus reditus super eo fundo? Prima facie videtur quod sic, dummodo Caïus ipse vel ejus heres dominus & possessor fundi, solverit reditum, sive per se, sive per alium sua voluntate, aut ratihabitione, sive putaverit reditum deberi, sive non: quia cùm sit dominus & possessor, potest quasi possessionem reditus super eo fundo transferre: secùs si alius sine mandato solverit, imò etiam si Titius diu supervixisset & solvisset reditum etiam per longissimum tempus, nihil tamen usucepisset creditor: quia etiamsi quandoque sufficiat titulus putativus, tamen possessio putativa nunquam sufficit, [ut novè dixi in *consuet. Parisiens.* §. 1. *glos.* 5. *nu.* 40. quòd putativa possessio non est possessio rei; sed labiorum, vel falsæ opinionis, & sic nihil. *Innoc. in c. olim* 3. *de rest. spoliator.*] Titius autem cum verè possideret, nisi tanquam usufructuarius, nullam possessionem vel quasi transferre potuit per notata in *l. quamvis*, §. *si conductor de acquir. possess.* per Imo. & Panor. in *c. cum venissent de restit. spoliat.* Socin. *con.* 266. *col.* 2. *lib* 2. & quod notat Joan. Andræas in *c. ultimo de offic. vicar. lib.* 6. quòd vicarius contrahendo & quantocunque tempore solvendo non possit fundum Ecclesiæ censualem facere, cùm non possideat: & sequuntur Petr. Anchar. Phil. Franc. Ibi Franc. Bal. in *tract. præscrip. par. pri. quinta part. prim. quæst.* 10. Breviter (quia hæc quæstio excedit materiam usurariam & contractuum) dico non esse in effectu locum præscriptioni longi temporis; sed longissimi duntaxat contra Caïum vel ejus heredem ignoranter solventem, etiamsi eodem errore titulum novum recognitionis confecerit: quia hujusmodi solutiones vel recognitiones tanquam indebitas condicere potest, à die primæ solutionis vel recognitionis erroneæ, ut in simili dixi in *cons. Parisi* §. 7. *num.* 24. *num.* 27. Nec condictioni indebiti præjudicat constitutio anni 1512. §. 46. quia condicens indebitum, non dicitur venire contrà pacta & conventa, nec petere illa rescindi, ut dixi in *consuet. Parisi. tit.* 4. *in rub.* Eodem modo si me putem tibi obligatum ad tradendum fundum ex venditione vel legato, & trado, nec usucapis in effectu contra me, sed benè ad commodum meum, quia obligaris mihi condictione indebiti: quod nota ad singularem limitationem consuet. Parisi. §. 66. *cum seq. & omnium consuetudinum similium.* Ex his obiter habes, quod in hac materia non est locus præscriptioni longi temporis contra ipsum debitorem, sed benè contra tertium creditorem, eundem reditum suum esse, vel sibi deberi prætendentem. Præsumptio verò *l. cum de in rem verso. de usur. & l. si certis. Cod. de pact.* valet duntaxat ad simplicem probationem, quandiu de contrario non probatur, ut *infrà in quæst.* 20. non autem ad præscriptionem longi temporis, de quo etiam *infrà quæst.* 44.

Condictio indebiti.

Usufructuarius non transfert quasi possessionem reditus.

QUÆSTIO XIX.

SYNOPSIS.

1. *Præscriptio assimilatur pacto.*
2. *In juribus creditor insciente debitore, non potest sibi mutare causam possessionis.*
3. *Permissum ad tempus, eo lapso, censetur prohibitum.*

201. DEcimò-nonò quæro (ut cognatas materias simul expediam.) Quid de reditibus pecuniâ constitutis, ad quorum juitionem non requiritur, quòd redimibiles sint, ut ad rationem trientariæ usuræ, sive viginti quinque pro uno, quæ est legalis indicatura *l.* 3. §. *ult. ad leg. Falcid.* & sic non spectant ad materiam usurariam, ut *infra quæst.* 69. Si ab initio data sit facultas quandocunque redimendi, an tempore expiret? Videtur quòd sic triginta annis, ex quo non est de natura contractus, & pacto, remitti potest etiam ab initio, ergo & præscriptione, quo pacto æquiparatur, *l. alienationis verbum*, & ibi Dyn. & alii *de verbor. signif.* Bald. *authent. Hoc ius porrectum. Cod. de sacros. Eccles.* Jacob. in *tract. feud.* in verb. *cum pacto de non alienand. Matth. de Afflict. decis. Neapol.* 13. *Colat.* 1. Contrarium simpliciter dicendum puto: patet per singulos casus discutiendo. Aut enim præstatio vel solutio fit in eadem qualitate, videlicet tanquam pro reditu redimibili, & tunc nunquam præscribitur tali facultati vel actioni, imò magis in qualibet solutione præscriptio interrumpitur per expressam recognitionem, *l. cum notissimi* §. *imo. Cod. de præscrip.* 30. *vel* 40. *annos.* Aut verò solutiones simpliciter factæ sunt etiam per 30 vel 40. annos & ultrà non facta tempore solutionis nec per alium actum mentione aut recognitione, vel reservatione, quòd ille reditus redimibilis sit. Et hîc quidem multum disputari posset, sed decisivè procedendo dico non esse præscriptum. Tum primò, quia in dubio censetur semper eadem originaria qualitas tacitè repetita & subintellecta simplicibus præstationibus reliquorum & omnis perceptio & quasi possessio subsequens, intelligitur secundum titulum præcedentem, de quo constat, ad quem refertur, & secundum illum determinatur, ut est glossa notabilis in *l. quædam mulier*, in

fin. de rei vendic. glossa & ibi Bart. in *l. 2. Cod. de acq. & retin. possess.* Sequitur Bar. in *l. cum solus, ad fin. de usur.* Ang. in *consil. 160. viso. puncto.* Soc. *consil. 15.* insignis Doctor *lib. 4.* [Fac. Jac. de Sanct. Georg. in *l. mutuum. col. 1. ff. si cert. pet.*] Tum secundò, quia constat quòd ab initio creditor ipse per primas solutiones & apochas etiam simpliciter factas, non fuit constitutus in quasi possessione nisi reditus redimibilis & qualis constitutus est duntaxat. Ergo in eadem qualitate etiam per tempus immemoriale semper censetur ipse, heredes ejus vel etiam causam habentes possedisse: quia nullo tempore censetur causa possessionis semel posita immutata, nisi justa causa intervenerit, & de hoc appareat, *l. cum nemo. Cod. de acquir. & retin. possessione.*

202. Tum tertiò, quia in istis incorporalibus non est in potestate solius creditoris, vel aliam servitutem prætendentis, etiam alia causa extrinsecus superveniente, immutare sibi causam possessionis, vel quasi, in præjudicium debitoris, nisi in eo sciente & patiente, per notata in *l. 2. Cod. de servit. l. quoties, 2. de servit. l. quod si forte §. 1. si servit. vend.* & dixi in *consuetudine Parisiensi tit. 6.* Et sic oporteret prius constare quod si creditor sciente & patiente debitore usus fuisset, tanquam de reditu non redimibili, priusquam inciperet in quasi possessione hujus qualitatis constitui. Tum quartò, quia hujusmodi reditibus præstandis per manum debitoris, jus redimendi magis consistit in jure exceptionis & facultatis, quam in mero jure actionis. Et sic huic juri excipiendi de non continuando reditum, redemptionem offerendo nunquam præscribitur, ut in *quæst. præcedenti.* Et ita teneo per prædicta, tum propter odium hujusmodi redituum & onerum, & favorem redemptionis & liberationis, & quia de facili res redit ad sui principium *l. si unus, §. pactus de pact. c. 1. de reg. jur.* Aut verò apparet solutiones & apochas vel etiam antapochas esse factas tanquam de reditu perpetuo non redimibili: & tunc videretur factum debitori præjudicium, saltem per 30. vel 40. annos solutionibus in ea qualitate continuatis. Sed adhuc idem puto non esse præscriptum: & moveor nedum rei æquitate (ex quo constat de origine & veritate) sed etiam civili ratione, quia constat hujusmodi qualitatem falsam & erroneam, & sic legitima juris præsumptione per errorem insertam, & non ex certa scientia. Ec sic cum non processerit sciente debitore, nec ventum sit ad actum facti, non constituit creditorem in aliqua quasi possessione hujus qualitatis: & sic nondum potest dici cœpta præscriptio, tantum abest ut ullo spatio completa censeri possit, nisi aliud interveniat. Præterea illa verba enunciativa in solutionibus apposita, non sunt apposita propter se, & sic nedum non disponunt, sed nec fidem quidem faciunt etiam inter easdem partes, si de ipso enunciato principaliter & propter se queri incipiat, ut dixi in *consuet. Parisiensi §. 1. glos. 5. num. 30.*

203. Sed quid si hujusmodi verba enunciativa non fuerint incidenter, sed principaliter propter se prolata, & in recognitione & professione, seu titulo novo reditus expressim sub hac qualitate facto? Et videretur statim præjudicatum, quia erronea recognitio principaliter & propter se emanata, statim facit plenam fidem, & illi statur donec de contrario probetur, ut dixi in d. §. 1. *glossa 5. num. 32.* Nec videtur post triginta annos quæri posse de errore, sed omnino condictioni erroneæ recognitionis præscriptum esse, etiamsi quis velit de contrario. Quibus non obstantibus, puto quod constito de vera origine & qualitate reditus redimibilis & pecunia constituti: & quod dicta recognitio & solutiones subsecutæ in qualitate reditus non redimibilis, & pecunia constituti per errorem processerint, non est præscriptum facultati redimendi. Et moveor, quòd dicta recognitio sive confessio nihil disponit (quia etiam non est facta animo aliquid de novo disponendi, unde recognitiones non sunt verus titulus, ut dixi in *consuet. Parisiens. §. 7. numer. 22.*) sed solùm probationem induxit, contra quam contrarium probari poterat, & sic non immutavit veram qualitatem reditus. Ex tempore autem sequenti non fuit mutata in hoc: quia hic agitur non de mero jure agendi, sed de jure offerendi conjuncto exceptioni, & liberationi in futurum, sed juri offerendi conjuncto cum jure exceptionis, quæ semper perpetua est, & cui favore liberationis nunquam præscribitur, per not. *quæst. præcedenti.* Secus quando jus redimendi non est conjunctum cum jure exceptionis, nec cum favore liberationis, sed in mero jure actionis consistit: quia tunc illi, sicut & actioni competenti ex pacto de vendendo vel vendito triginta annis præscribi potest. Imò cæteris paribus, idem est in fundo quod in reditu, quia quamdiu non trado, sed retineo fundum, & sic quamdiu jus redimendi est conjunctum cum jure excipiendi (quo agentem redimendo quando libuerit, & commodum fuerit, excludere possum) non incipiet currere præscriptio ad redimendum: quod etiam expressim decidit Signorol. de Homed. *consil. 139. casus a pretis.* Deci. *consil. 164. in fin.* & in *l. petens. collat. 2. Cod. de pact.* Sed quid si in constitutione præfati reditus non fuit pactum, quòd quandocunque redimi posset, sed ex post facto? Respondeo. Quandocunque & quocunque modo facultas redimendi supervenerit, sive pacto, sive legato, habent locum prædicta, ut non præscribantur: [si tamen debitor cœperit solvere in qualitate redimibilis, vel creditor in ea qualitate recipere, ita quòd qualitas possessionis fuerit mutata de non redimibili ad redimibilem] quia tunc non solum semper ea facultas juncta est cum jure excipiendi & favore liberationis, & cum favore recursus rei ad sui originem & principium: [sed etiam quasi possessio reditus recepit novam qualitatem reditus redimibilis, secus de simplici pacto licet apposito ex intervallo facultatis redimendi, non alterata quasi possessione; quia tunc tali facultati præscribi potest 30. annis.] Item secus si debitor scienter recognosceret reditum sub qualitate non redimibili, vel aliàs non simplici repudiatione in absentia partis, quæ non valeret: sed pacto tacito vel expresso illi facultati renunciaret, quia ex tunc creditori perpetua replicatio acquireretur.

Recognitio non est titulus.

204. Nunc occurrit pulchra quæstio, de qua hodie consultus fui. Soror fratri cesserat ante triginta annos portionem suam hereditariam, pro certo annuo reditu redimibili ad rationem unius in sexdecim. Tandem cùm ab herede fratris deberentur undecim annorum reliqua heredi sororis, convenit inter eos, ut infra annum debitor redimeret, & liber esset ab omnibus reliquis: & casu quo infra annum non redemisset, teneretur solvere reliqua reditus à tempore dictæ conventionis & deinceps, remissis semper reliqui temporis ante conventionem præteriti. Debitor non redemit infra annum, sed post aliquod tempus offert pretium redemptionis cum reliquis à tempore dictæ conventionis: creditor negat locum esse redemptioni, tum ob lapsum 30. annorum, etiam ante dictum pactum, tum quia debitor stipulatus est ut posset redimere infra annum à tempore dicti pacti: & sic tacitè confessus est, quod aliàs non poterat amplius redimere, & juri redimendi post annum renunciavit, quia permissum ad tempus censetur postea prohibitum *l. si unus §. 1. l. epistola §. fin. de pact. l. statu liberum §. stichum. de legat. 2.* latè dom Andr. Tiraquell. *tract. de retract. convent. §. 1. glos. 2. numer. 44.* Contrarium respondi per prædicta, non obstat lapsus 30. annorum, quia illud jus competit etiam per modum exceptionis. Non obstat pactum, quia licet partes intelligerent, quòd non poterat amplius redimi, & quòd facultas ad

annum daretur ex gratia, totum hoc erat per errorem juris, & nullam induxit renuntiationem juris redimendi, quòd debitor ignorabat sibi perpetuò competere *l. mater. de inoffic. testament.* Quinetiam si stante eodem errore, dispositum fuisset, & expressè vetitum post annum redimi posse, vel ei juri renuntiatum, condici posset renuntiatio vel pactio erronea. Igitur multo magis excipit. *l. cum & soluta Cod. de condict. indeb.* nisi ex certa scientia ita pactum & limitatum fuisset illud jus redimendi, vel cùm de eo jure dubitaretur & lis immineret, ita super eo transactum fuerit, remissis dictis reliquis, contemplatione transactionis.

QUÆSTIO XX.

SYNOPSIS.

1. *Per continuatam longissimo tempore reditus præstationem, non præsumitur reditus, nisi causata soluta fuerit.*
2. *Diuturna usurarum solutio, earum justum titulum probat.*
3. *Nuda feudalis recognitio probationem præfert.*
4. *Instrumentum principaliter confectum, & super universa obligatione plenissimè probat.*
5. *Frequentiores reditus pecuniarii.*

Si non constat de origine.

205. Vicesimò quarto, quid si non apparet de origine, sed tantum de solutione & continuatione reditus per aliquot annos? hæc est ambagiosa & difficilis quæstio, quam tamen Deo duce, decisivè procedendo, claram & expeditam reddemus. Continet autem duo capita, Primum, an & quanto tempore deberi probetur: Secundum, si debitus præsumatur, qualis præsumatur origo & qualitas, videlicet an pecunia & quanta constituta, an verò potius ex alia causa, & an redimibilis, vel non. Et hujus secundi capitis materiam nondum invenio à quoquam tractatam: sed benè materiam primi capitis latè in loco peregrino *l. solent.* per Bart. occasione ineptæ gloss. ult. Accur. ibi. *de offic. procon. & leg.* & latius per omnes in locis ordinariis *l. cùm de re in rem versò. de usur. l. si certis annis Cod. de pact.* per canonistas in *c. pervenit de censi.* per Franc. Bald. in *tract. præscript. in 1. parte tertiæ partis princip. quæst.* 20. quorum singulas concertationes nolo hìc velut sub incudem reducere, quoniam justo libello opus esset; sed analyticè more nostro procedendo, ea solùm quæ ad rem nostram spectant, decisivè attingere. Et quantum ad primum caput, dico, si annua & uniformis præstatio cujuslibet reditus facta est non expressa causa, putà, apparet quolibet anno Titium solvisse Sempronio decem nummos vel modios, sed non apparet qua ratione, tunc non inducitur nec præsumitur obligatio annua pro tempore futuro, quantumcunque creditor certam specificam sufficientem causam prætexere velit: quia ad illam etiam allegatam præsumendam ad finem agendi pro tempore futuro, non sufficit probare annuas solutiones etiam conformes singulis continuis annis, longo vel longissimo tempore factas esse, nisi specificè probetur illas præstationes esse factas ex causa illa specifica quæ allegatur, ut sentit Bar. in d. *l. cum de in rem verso, ad fin.* & est de mente Baldi in d. *l. si certis annis collat. 2. in fin.* ubi vult quòd petitio debet fundari non super tempore, sed super causa: sed probatio debet fieri super præstatione, & quòd sit facta ex certa scientia, scilicet illius causæ quæ allegatur. Et quòd sit necesse probare solutum singulis annis ex causa specifica quæ prætenditur, diserte vult Salicet. in d. *l si certis annis collat. ult.* & ibi Alexand. *collat. 3. in fin.* Riminald. *collat. 2. & 3.* Idem Bal. *cap. 2. si de fund. defunct. fuer. controv. inter dom. & agnat. §. si quis per triginta collat. 2. in usib. feud.* Rapha. Cur. Lud. Rom. in *l. qui alienam in prin. de acquir. hered. in leg. 1. §. denique ad fin. De aqu. pluv. arcend.* Confirmat. Salic. in *repetit. d. l. cum de in rem. vers. collat. tertia, & collat. quint. quæst. quart.* Anthon. Butrigar. in *repet. c. pervenit. de censi. collat. 9.* Alexand. in *consil. 113. super primo col. 2. & 3. consil. 108. in causa & lite ad fin lib. 2. consil. 75. visis, ponderatis ad fin. lib. 4.* Fely. *cap. causam quæ collat. 3. de præscript.* Franc. Bald. de *præscript. part. 1. tertia part. princip. q. 1. num. 22.* Stephan. Bertrandi *consil. 296. ponitur in facto. consil. 283. viso processu. col. fin. lib. 3.* faciunt quæ scripsi in *consuet. Parisi. §. 7. num. 9.* Et ratio est manifesta, quia præstatio vel alius actus non probat, nisi quatenus inde de necessitate infertur *l. probationem Cod. de locato l. neque natales Cod. de probat c. in præsentia eo tit. l. 2. de his qui sunt sui vel alien. jur.*

206. Sed præstatio informis, hoc est, non expressa causa, potest esse facta ex causa liberalitatis, vel ex causa obligationis temporalis & finitæ, & non ex debito perpetuo, & sic non probat idem semper deberi in futurum, nisi fortè si uniformiter continuata, ut debita à tempore immemoriali: quo casu non est necesse allegare vel probare aliam causam, quia tanti emptoris observatio habet vim constituti, ut tradunt omnes in dicta *l. cùm de re in rem verso.* & in d. *l. si certis annis per vulg. §. ductus aquæ in l. hoc jure de aq. quoti. & æstiva.* Constito autem de præstationibus causatis, requiruntur & sufficiunt decem continuorum annorum præstationes d. *l. cum de in rem verso.* & clariùs in *l. litibus in prin. Cod. de agri. & censi. lib. 11.* quod est æquissimum. Tum quia ex tam frequentibus & solemnibus præstationibus satis apparet de veritate causæ, ejusque sufficienti & deliberata recognitione: tum quia ex his non modò resultat verisimilis bona fides creditoris, & ejus longæva quasi possessio: sed etiam videtur titulus putativus, fundatus in facto & repetita tacita confessione ipsius debitoris adversarii: unde tanto justior causa erroris & tituli putativi causatur, qui in præscriptionibus sufficit per not. in *l. Celsus de usucap.* & tetigi in *cons. Parisi. §. 7. num. 33.* Adverte tamen diligenter quod hic in veritate non est titulus putativus, prout etiam nullus est hoc casu longi temporis præscriptioni locus contra ipsum debitorem, sed benè contra tertium creditorem, *ut suprà quæst. 18.* Sed est hoc casu legalis duntaxat præsumptio tituli, qui veritati cedit, si probetur. Ideo ut tenent omnes Doctores in locis præfatis, contra hanc præsumptionē quælibet legitima probatio debitoris admittitur. Secus dico (& hoc nota quia Doctores non dicunt) si essent præstationes, ut dictum est, causatæ, tanquam de reditu perpetuo, continuatæ per 30. annos à majore, & sic per longissimum tempus, quia tunc creditor allegare posset etiam se usucepisse, id est, non solum probationem seu præsumptionem juris, sed etiam juris novi acquisitionem, casu quo probetur de defectu principii, & sic non debet amplius admitti debitor ad probandum

de errore, vel de indebito, aut alio præterito vitio, nisi vellet probare de vitio usurario secundũ notata suprà *quæst.* 17. Præscriptio enim disponit contra veritatem, ubi de veritate aliàs constaret in materia præscriptibili, ut dixi in *consuet. Pariſ. tit.* 4. *in prin Rub.* Ecce in summa primum caput nostræ quæst. sed ut clarius liqueat hæc ingens & quotidiana materia.

207. Non obstat prædictis novus intellectus Angel. & Rapha. Fulgos. *ad. d. l. cum de in rem verſo.* ubi volunt nunquam ex longi temporis præstatione titulum præsumi, sed solum qualitatem tituli, de quo jam constat. Tum quia ipsi non loquuntur, ubi præstationes sunt factæ nominatim ex certa causa & titulo, tum utcunque in d. *l. cum de in rem verſo.* in a. responso, non colligatur fuisse diutina præstatio, sed unica tantùm esse potuerit, quod est verius, quia satis ex aliis de dote vel debito principali constabat secundum Ang. & Fulgos. ibi. & idẽ tenet Jo. Pilæus & Lancelot. Decius in d. *l. ſi certis annis col. pen. verſi. & inquantum.* Tamen in primo responso *d. l. cum de in rem*, constat de diutina præstatione usurarum, & quòd super ea fundatur præsumptio stipulationis usurarum, quæ aliàs non venirent ex mutuo, licèt in rem verso. Igitur diutina præstatio usurarum ex debito solutarum probat præsumptione dictæ legis earum titulum legitimum, quod non faceret minoris temporis præstatio, quod impræsentiarum sufficit. Tum quia contra eos est text. rotundus in d. *l. litibus*, ubi nullo modo constabat de substantia tituli, & tamen præsumitur: frustra igitur sese torserunt super *d. l. cum de in re-*
Alcia. *verſo.* Ulterius scio quòd Alcia. in suo glossemate d. *l. ſi certis. gloſ.* 3. *ver. in poſterum*, nititur impugnare communem illam sententiam de præstationibus causatis, idque ex multis quæ non sunt inventionis suæ, sed fuerunt inventiones Jo. Mariæ Riminaldi in d.
Io. Riminald. *l. ſi certis. colu.* 4. cujus nomen subticet, quibus tamen non obstantibus idem Riminaldus ibidem communem sequitur. Sunt autem non leves prima facie objectiones, quas propter quotidianam hujus materiæ utilitatem plenius (paucis tamen) explicare liber.

208. Primò, quòd si semel in prima solutione expressa sit causa, tunc statim à principio in vim confessionis nocet, & plenè probat, etiamsi aliæ præstationes non sequantur, quoniam confessio, causata parte præsente & acceptante facta, etiam extra judicium plenè probat. *l. Publica. §. ſi depoſi. l. cum de indebito §. fin. de probat. l. generaliter. Cod. de non. num. pecunia l. unica. Cod. de confeſſ. c. cum ſuper. c. ex parte de confeſſ. cum ſimilibus*, sed soluens expressim ex causa reditus perpetui à se debiti fatetur reditum perpetuum deberi, imò plus quam fatetur: quia de facto soluit. Igitur satis est semel ex hac expressa causa solutum: benè fatendum est, quod debitor probando de errore & rem aliter se habere, nedum potest solutum condicere, sed etiam in futurum liber manere: tamen interim fundata videtur intentio creditoris in jure reditus perpetui, vel ex unica solutione ex hoc casu expressim facta. Secundò videtur casus in *l. plures apochis. Cod. de fid. inſtrument.* ubi potest creditor cui soluitur reditus exigere à debitore antapocham, vel exemplar datæ apochæ, cum subscriptione debitoris, idque ne possit debitor in futurum denegare debitum, vel præscriptionem opponere. Igitur antapocha vel exemplar apochæ quæ non sunt aliud quàm instrumentum simplicis solutionis causatæ probant debitum in futurum, alioquin non prodessent ad convincendum negantem, sed solùm ad temporis præscriptionem amoliendam, contra mentem d. *l.* ibi. *& ſibi iniquam forte libertatem vendicantes, vel &c.* Tertiò videtur probari per *l. optimam C. de contrab. & commiſſ. ſtipulat.* ubi verba enuntiativa in contractibus apposita plenè probant inter easdem partes. Igitur idem in quasi contractibus, cùm sit eadem ratio, ut in solutionibus in quibus quasi contrahitur. *§. item ei cui inſti. de oblig. quæ ex quaſi contract. naſcuntur. l. in area. de condict. indeb. l. ex maleficiis. §. is quoque. de action. & obligat.* Quartò, quia etiam verba enunciativa per modum causæ prolata disponunt, fortius igitur probant. *l. emptor. §. ancillam de rei vendicat.* Quintò, si is cui competit querela inofficiosi testament, aliquid scienter emerit, conduxerit, vel quid simile fecerit, aut soluerit heredi scripto, censetur ipso facto testamentum approbare, & fateri talem esse heredem, non solùm quoad actum gestum, vel solutionem præteritam, sed etiam quo ad omnia & perpetuo. text. in *l. ſi proponas* §. 1. & ibi Bart. Ang. *de inoffic. teſtam.* Igitur qui semel soluit reditum tanquam creditori reditus perpetui, fatetur reditum perpetuum illi deberi, non solùm quoad illum actum solutionis præteritæ duntaxat, sed etiam quoad omnes futuras solutiones, & in perpetuum. Et adhuc siquidem scienter hoc fecerit, videtur sibi in perpetuum præjudicasse, si autem ignoranter, donec de errore docuerit. Sextò soluens ex intervallo partem mutui confessi, censetur interim confiteri nedum super parte soluta, sed super toto, ita quod in totum excluditur exceptione pecuniæ non numeratæ, *l. cum fidem. Cod. de non. num. pecu.* Septimò, heres quædam legata, sine deductione Falcidiæ, scienter soluens, in omnibus amittit Falcidiam, *Anth. ſed cum teſtator. Cod. ad l. Falcid.* Octavò, simplex recognitio in feudum, vel emphyteusim, licèt non semper disponat, tamen inducit probationem, nedum quoad illum actum, vel præteritam solutionem, sed etiam in futurum, donec de errore probetur, per notata Bart. Baldi Pauli & aliorum in *l. cum falſa. Cod. de jurис & facti ignor.* & diximus in *conſ. Pariſi. §. 1. gloſ. 5. num.* 32 *§. 7. num.* 22. *§.* 35. *quæſt.* 4. *in prin.* Nono generaliter qui recipit aliquid tanquam à tali, vel solvit tanquam tali, licèt intelligatur confiteri eum tamen, quatenus, de contrario probetur. *l. non idcirco. Cod. de jur. & fact. ign.* tamen tantisper dum non constat de errore, nocet confessio, ut ibi notata & per Phi. Deci. in *c. cum ſuper. col. 1. de off. deleg. & in conſil.* 665.

209. Ex quibus minus mirum est, si Alciat. in d. *l. ſi certis.* à communi sententia discesserit, non tamen sibi constat, quia communem defendit, quando causa solutioni adjecta non præcisè futurum respicit: ut in solutione usurarum, vel simplicis reditus: tunc enim non continuò (inquit) fateri videtur se in posterum quoque soluturum, nisi longi temporis præstatio id sua leat. Secus si causa etiam ad futurum ex sui natura referatur ut in soluente ex causa emphyteusis talis fundi. Sed nec adhuc Alcia. in hoc ultimo persistit, ut unica taliter causata solutio sufficiat, nisi in possessorio, & sic tandem relabitur in communem & nostram sententiam, quia non negamus quin vel ex una causata solutione constituatur recipiens in quasi possessione juris enunciati, secundum ea quæ scripsi in consuet. Pariſ. *tit.* 4. nec de hoc quæritur. Sed quæst. nostra est, an & quantum sufficiat ad adjudicationem juris prætenti, etiam in petitorio? in quo procul dubio dicendum est, quod requiruntur & sufficiunt decem annorum, non incertæ & vagæ, sed causatæ & continuatæ præstationes: text. est (*ultra d. l. cum de in rem verſi.*) rotundus, ut melior de jure, in *l. litibus in prin. Cod. de agricol. & cenſit. lib.* 11. Et hoc nisi de conditione vel statu personæ putà adscriptitiæ ageretur, quia tunc longissimum tempus acquireretur. *l. cum ſatis. Cod. eo. tit. not.* Bar. Jo. de Platea & alii in d. *l. litibus* Ias. & alii in *§. præjudiciales. Inſti. de action. & teſtes in conſu. Pariſ. §. 7. num.* 8. Et ita punctualiter decidit Speculator in *ti. de loca. §. nunc aliqua. quæſt.* 65. ubi si emphyteuta non vult ulteriùs soluere, nisi dominus de jure suo ostendat, decidit quod interim dominus est in sua quasi possessione tuendus, sed in petitorio succumbet, & adversarius absolvetur,

nisi dominus de jure suo doceat, vel nisi doceat longo tempore pensionem tanquam ab emphyteuta solutam: quod sufficit, per d. *l. litibus*. Et sequitur Paul. in *l ficuti. §. sed si quæratur. col. 2. si servitus vend.* Cave tamen ab eo quod volunt Specular. & Paul. etiam agenti petitorio sufficere probare præstationem decennalē causatam, quia intelligendum, ut novè dixi, quod sufficiat ad præsumptionem legitimam juris & tituli: quæ præsumptio satis est, nisi de contrario probetur: sed non sufficit ad veram creationem juris, si de contrario probetur. Unde si reus probet de veteri pleno & libero dominio, debet absolvi, non obstantibus præstationibus decennalibus, in qualitate emphyteusis, tanquam erroneis & errore probato inefficacibus, & condicibilibus, nisi elapsum esset cum bona fide longissimum tempus, ut plenè & novè discussi in consue. *Paris. §. 7. num. 17. cum seq.* Sed ad rem.

210. Pro dilutione objectorum diligenter advertendum (& hujus inconsideratio paralogisare fecit Alciat.) magnam esse differentiam inter recognitionem formalem alicujus juris successivi, & simplicem unius termini solutionem pro una vice: quia recognitioni inest expressa, saltem implicita promissio, at solutioni nulla promissio inest. Recognitio respicit directò totum jus, & principaliter tendit ad obligandum in futurum: solutio autem non respicit ipsum jus, sed unum terminum elapsum, nec ullo modo tendit ad obligandum in futurum: sed duntaxat ad exonerandum à certa prætensa & præterita pensione quæ solvitur. Benè verum est, quod si solutio ex ea causa fiat simpliciter, id est non adjectis verbis ob causam à recipiente prætensam, vel alia clausula, aut protestatione reservatoria, implicat confessionem & recognitionem quandam de causa expressa, vel de eo jure, cujus contemplatione fit solutio. Sed talis recognitio, vel confessio, sive tacitè vel expressè enunciata, non fit principaliter & propter se, sed propter solutionis efficaciam, & securitatem, & ad consequendam certam & tutam liberationem, & sic succedit regula, quod enunciativa verba non plenè probant enunciatum etiam inter easdem partes, nisi ad validitatem actus, qui tunc principaliter gerebatur duntaxat, ut in d. *l. primam*: non autem si de ipso enunciato principaliter moveatur quæstio, quia tunc illa verba alibi & propter aliud enuntiata, non faciunt nisi præsumptionem inter easdem partes, ut diximus in *consuet. Paris. §. 1. glo. 5. num. 30.* Ex quo clarissimè sequuntur duo; primum, quod principalis ipsa recognitio, seu confessio juris reditus, in se plenam fidem facit inter easdem partes de jure confesso etiam in petitorio, quia ad hunc finem principaliter, & deliberatè fit, & hoc principaliter & per se agitur & intenditur. Verum est tamen, quod si per errorem aut alias vitiosè facta sit, poterit confitens sibi consulere remediis juris communis, quia dicta recognitio fit ad probationem conservandam, non autem ad quid de novo disponendum. Secundum, quod ipsa simplex solutio quantumcunque causata aut ejus instrumentum, benè probat reditum enunciatum deberi, quantum ad vim & effectum solutionis, & ut non possit debitor, quod solvit repetere tanquam indebitum, ex eo quod non aliter constet de veritate causæ vel obligationis expressæ, utque onus probandi indebitum ad finem condicendi solutionem rejiciatur in solventem. Sed eadem solutio sola non probat debitum pro cæteris solutionibus, ad hoc ut creditor agere & exigere possit, prætextu confessionis implicitæ in solutione factæ, quia actus solutionis non est factus nec ordinatus ad hunc finem. Et hoc est quod voluit dicere Bal. in d. *l. si certis col. 3.* & ibi Salyc. Riminal. d. & Alex. sequuntur, licèt non ita declarent, quod ex præstatione non inducitur confessio, sed præsumptio, quod ille qui solvit credit causam veram, id est, non inducitur deliberata & justa confessio per se principaliter facta ad finem recognitionis totius juris in se: quia non hoc agitur; sed solum inde resultat, perfunctoria incidens & minus deliberata confessio, non propter se, nec ad finem præjudicandi perpetuò super toto jure facta, sed solum ad finem præjudicandi super illo actu momentaneæ solutionis, unde non præjudicat in principali super toto debito, nisi per longa tempora continuata sit: secus in scriptura confecta super confessione principaliter & per se facta super toto jure, & debito recognoscendo. Hæc ergo valde differunt: hinc Bal. d. *col. 3.* & Saly. *col. fi.* referunt cautelam, quam ab eorum arate procuratores monasteriorum (adeo semper avaritiæ præ cæteris hominibus studuerunt) observabant colligendo censum, ut facerent solventes expressim & principaliter confiteri, & recognoscere rem emphyteuticam vel censuariam, quo casu non est opus temporis diuturnitate, sed statim tali confessioni statur, nisi error ea probetur, per not. in d. *l. cum falsa*. Addo, nisi probetur, aut verisimiliter appareat impressiva vel malè extorta: de quo remitto ad jura communia, & ad ea quæ dixi in *cons. Paris. §. 1. num. 13.*

Differentia recognitionis & solutionis.

Solutio.

Avaritia Monasteriorum.

211. Ex his responsio patet ad omnia objecta, excepto sexto, in quo dicendum quod ibi non agitur de successiva obligatione præsumenda in futurum ut hic: sed de removenda exceptione, vel querela adversus præcedentem dispositionem, de qua constat. [Ad 7. autem omnes erraverunt per malum intellectum *l. ult. Cod. ad l. Falcid. & auth. sed cum testator.* non servatur apud nos in praxi. Remitto ad novos nostros intellect. quia illud nimis exorbitaret à presenti tractatu.] Ex his remanet communis sententia clarè explicata & defensa: in quantum autem diximus confessionem incidentem solutioni causatæ non probare debitum vel jus principale, quodad pensiones futuras vel restantes, debet intelligi de probatione plena, ut dictum est. Facit tamen magnam præsumptionem, ut omnes Doctores fatentur intensiorem aut remissiorem, pro circumstantiis & qualitate personarum & negotii, prudentis judicis arbitrio expendendis, ut ad plenam fidem, per aliam semiplenam probationem, vel alia congrua adminicula produci possit. Et hîc adverte, quod licèt dicta causa non appareat expressim specificata & repetita in singulis præstationibus decem continuorum annorum, si tamen ex verisimilibus & validis conjecturis colligi possit, debitorem ex illa duntaxat causa semper solvisse, & eandem causam tacitè repetitam vel subintellectam fuisse, satis est, ut vult Riminald. in d. *l. si certis col. fi.* quia etiam sufficit causam cujusque obligationis ex legitimis conjecturis probatur voluit Bal. & Saly. & alii in *l. generaliter. Cod. de non numer. pecunia.* Rursus diligenter advertè, quòd hic causa non debet accipi pro titulo, quæ est causa remota, quamvis id prima facie Saly. & Alex. in locis præfatis sentire videantur: sed intelligitur de causa propinqua & substantiali ipsius obligationis: videlicet quando illa præstatio est facta & continuata expressim jure obligationis perpetuæ, sive tanquam reditus annuus & perpetuus debitus à solvente. Hæc est enim sufficiens causa, etiamsi nunquam dicatur, quo titulo sive donationis, sive legati & permutationis, vel venditionis, debeantur, ut est de mente Bar. Bal. exhibendi habeat, quorum saltem aliorum, in locis præfatis. Non tamen nego, quin creditor teneatur exprimere, quo titulo sit constitutus reditus (nisi sit heres vel cessionarius, justam habens specificæ originis ignorantiam) & instrumentum originale constitutionis exhibere, si facultatem juramento purgare tenetur, *ut suprà num. 189.* Quòd si non possit docere de originali constitutione & qualitate, non tamen excludetur à jure reditus in futurum, ex qua præsumptione, d. *l. cum de in rem verso. in 1. responso.* & d. *l. litibus.* sufficientem habet probationem, eo ipso

quòd probatæ ſunt, ſaltem annorum decem continuorum diſtinctæ præſtationes, ex cauſa & jure reditus perpetui.

212. Sed dico (& hîc expedio ſecundum noſtræ quæſt. caput) quod in dubio ſemper pro eo quod levius & minus eſt, præſumatur. *l. ſemper in obſcuris. de regul. jur. l. ſi ita ſit adſcriptum. in fi. l. apud Iulianum. §. ſcio. de legat. 1. l. nummis. l. qui concubinam. §. cum ita de leg. 3. ult. ff. De prætor. ſtipulat. c. ex parte de cenſib. c. in obſcuris.* & ibi Dy. *de reg. jur. in 6.* quod procedit etiamſi reditus eſſet debitus Eccleſiæ, quia etiam in relictis Eccleſiæ habet locum regula *d. l. ſemper in obſcuris*, & *d. §. ſcio. cum vulg.* ut tenet Bal. *novel. tract. de dote, parte 6. privileg. 73.* Imol. Jaſ. in *d. l. ſi ita ſit adſcriptum. col. fi. de legat. 1.* Phi. Deci. *d. l. ſemper in obſcuris num. 3.* non obſtante quòd dicit Bar. in *l. Titia. §. Seia. de auro & argent. lega.* quem ſequuntur Ludo. Rom. *ſing. 515.* quæro quid Petrus Anchar. Imol. in *c. judicante.* & ibi Panor. *col. 2. num. 6. ex. de teſt.* teneant favore Eccleſiæ, vel religionis eſſe ſpecialem, ut in dubio intelligatur de majori & pretioſiori: & malè, quia text. *d. §. Seia.* ubi fundantur, facit in oppoſitum: quia ibi accipitur minimum eorum, quæ pro qualitate loci tacitè intelliguntur, & ſic concordat cum *d. §. Seia.* ad hoc, quæ dixi *conſ. 4. num. 24. in 1. tom. meorum conſiliorum.* Si igitur non conſtet, niſi de ſimplici præſtatione decennali vel ulterioris temporis, nihil infertur in futurum, ſed præſumetur potius donatio, quæ non obligat ad continuandum. Si verò conſtet de præſtatione facta jure obligationis reditus annui, vel reditus ſimpliciter, nulla expreſſa qualitate, adhuc intelligitur de reditu temporali, & ſic non habet creditor fundatam intentionem in futurum, niſi aliud, vel reditum longius durare probet. Si verò conſtet ſolutiones factas jure reditus perpetui, habet creditor fundatam intentionem in reditu perpetuo in genere, ſed non in reditu fundiario, hoc eſt ex conceſſione fundi ad reditum conceſſi, etiamſi conſtet ſingulas ſolutiones factas tanquam de reditu perpetuo debito ſuper domo, vel certo prædio ſoluentis, nili conſtet eſſe factas tanquam de reditu fundiario, vel aliàs de ea qualitate probetur, alioquin in dubio cenſebitur impoſititius.

Præſumitur quod eſt minus.

Etiam ſi debetur Eccleſiæ.

213. Se hîc inſurgit quæſtio, An præſumatur pecuniâ conſtitutus: Videtur quòd ſic in dubio: tum quia frequentior, & magis communiter accidit. Igitur *l. cert. condict. §. ſi nummos. ſi cert. pet.* tum quia veriſimilius eſt, tum quia minus & reſolubilius. Igitur ut nuper allegatum eſt. *l. ſemper in obſcuris. de regul. jur.* facit, quòd à paucis annis per Arreſtum ſupremi hujus Senatus de quodam reditu ſuper quadam domo hujus urbis antiquitùs debito, cujus origo ſeu cauſa ignorabatur, judicatum fuit, quod non cenſeretur fundiarius, ſed aliter conſtitutus & redimibilis. Quibus non obſtantibus, dico, quod licet proclivius ſit præſumere per pecuniam, quàm aliter conſtitutum, & potius ex hac quàm alia cauſa præſumatur, tamen non eſt hæc præſumptio ſufficiens probatio: quia multi ſunt modi ſeu tituli reddituum non impoſititiorum, videlicet donatio, legatum, permutatio, & ob dotem vel diviſionem, & aliis innumeris cauſis. Quicunque igitur prætendet certam ſpecificam conſtitutionis cauſam, eam probare debet. *l. ei qui dicit. ff. de probat.* Et ſic non obſtat, ſed concordat dictum Areſtum, quia per antiquas conſtitutiones regias omnes reditus impoſititii debiti ſuper domibus vel prædiis hujus urbis & ſuburbiorum ſunt redimibiles, & etiam fundiarii quandoque. Et ideo cùm reditus in dubio præſumatur impoſititius, debitor habet fundatam intentionem, ad redimendum: niſi creditor probet eſſe fundiarium, & adhuc immediatè poſt jus clientelare vel cenſuale domino directò debitum, quod eſt, quando non apparet de reditu interme lio, & adhuc infra primam dilationem hoc probare debet, aliàs redemptionem patitur, ut in *conſt. Carol. VIII. ſuper redemp. redit. §. 25.* Cæterum per generale Edictum publicum die 5. Februarii anno 1539. in omnibus aliis urbibus vel oppidis hujus regni, & eorum ſuburbiis, non habentibus ſuper his aliud privilegium vel ſtatutum, omnes reditus impoſititii redimi poſſunt pro pretio conſtitutionis, etiamſi aliàs non eſſent redimibiles, putà ad rationem trientis uſuræ conſtituti. Quòd ſi non appareat quo pretio ſint conſtituti, ad rationem quindecim pro uno redimi poterunt.

Edictum.

An præſumatur pecuniâ conſtitutus.

214. Et ſic antequam debitor ſe juvare poſſit dicto edicto, debet probare reditum pecunia conſtitutum fuiſſe, quia mentio pretii in dicto edicto facit intelligi de venditione ſtrictè ſumpta, ut dixi in *conſue. Pariſ. §. 22. in prin.* [Non obſtat, quòd frequentius contingit reditus eſſe pecuniâ conſtitutos quia dico, primò quod ea crebrior frequentia, & contingentia non ſufficit contra tertium, ad eum privandum iure ſuo, & munus ad agendum: quia non probat hoc eſſe quod ab hoc contingit abeſſe *l. neque natales. Cod. de probat.* aliàs poſſet eſſe, quod quis cogeretur pati redemptionem ad rationem quintædecimæ, ubi deberet habere ad rationem trigeſimæ, Dico 2. quòd licet in oppidis favorabile ſit redimi, tamen iniquius eſt aliquem damno affici, nec decet lucrum de damnis aliorum conſequi: Et ita anno 1549. ex hac noſtra ſententia judicavit ſupremus Senatus Pariſ. per Areſtum, pro cœnobitis Burſimedii Bleſenſis contra quemdam *Taſſe*; Hoc ergo quod dixi, ſcilicet reditum pecuniâ conſtitutum.] Quo probato edictum locum habet, etiam pro reditibus prius conſtitutis quantumcunque antiquis, de quo non eſt dubium. Plus dico, quòd etiam habebit locum in villis & locis poſt edictum in oppida erectis, [per paſſivam interpretationem. *l. non eſt novum cum l. ſeq. De legibus.*] quia edictum ſemper loquitur *l. Arriani. C. de hæret.* Jaſ. *l. unica. col. 11 de condict. ex lege.* Sed extra dicta loca, quod ſi conſtet per ſufficientia argumenta reditum fuiſſe pecuniâ conſtitutum, ſed non conſtat quanto pretio, videretur debitorem non poſſe redimere, niſi probet quanto pretio, ſaltem niſi probet eſſe conſtitutum infra rationem unius in viginti vel circà, per notata ſuprà *num. 125. num. 140.* & quia poteſt eſſe quòd ſit conſtitutus ad rationem quincuncis uſuræ, vel ſuprà. Sed certè frequentiſſimè contingeret magnam injuriam fieri debitoribus, penes quos authoritates ſeu tituli reddituum eſſe non ſolent, & paſſim creditores poſſent aburi celantes titulum, præſertim antiquum, ad alias probationes (quæ in reditibus antiquis & continuatis deficere non poſſunt) confugiendo. Quare puto generaliter præſumendum non majori quàm quintædecimæ pretio emptum, & debitorem ad hanc rationem redimere offerentem audiendum [niſi conjecturæ probabiles ex parte creditoris afferantur, quod longè maiore pretio conſtitutum ſit.] Et adverte non dico in dubio præſumi præcisè ad rationem quintædecimæ emptum, cum veriſimilius de minori pretio, ſed quia quandoque (licèt rarò) accidit quoſdam mitius fœnerari quàm ſit duodecima: rariſſimè verò & ferè nunquam accidit, levius quintadecima fœnerari: ideo conſtito reditum fuiſſe pecunia conſtitutum, puto in dubio debitorem abundè ſatisfacere, ſi offerat ad rationem quintædecimæ redimere, præſertim cum dubietas hæc creditori, penes quem & poteſtas, & cuſtodia inſtrumentorum eſt, potiùs quàm debitori imputanda ſit. Et ſic illud edictum nihil addit ſpecialitatis in urbibus & oppidis, niſi quod reditus, etiam quos conſtat ad rationem trientis vel quatrientis uſuræ conſtitutos aliàs non redimibiles redimi poſſint, ut prædia urbana liberentur, quod eſt nimis frivolum. Nullus enim negotium ſuum agens talem reditum vellet redimere, quia redimendus eſſet pretio conſtitutionis, quo debitor duplo majorem (licèt redimibilem) emere poteſt: unde priorem reditum conſti-

nuabit,& adhuc tantundem & plus lucrabitur. Et sic illud edictum parum utile est, nec per illud contingeret prædia urbana liberari: sed Poletius ille *decisionum* dicti edicti compilator erat in illa falsa sententia, quòd hi reditus etiam ad rationem duodecimæ constituti non essent sui natura, sed tantùm ex convention redimibiles, eóque facultatem redimendi pacto coërceri posse, & omnino triginta annis præscribi. Unde putabat sese magnum operæpretium facere, cùm nihil ageret. Ut autem rectè consuleretur privilegium hujus urbis de redimendis reditibus omnibus impositiis, quocunque titulo, etiam citra pecuniam creatis quinetiam fundiariis, secundo loco post jus clientelare, vel censuale constitutis, ad omnes hujus regni urbes & oppida extendendum erat. adde infrà *eod. quæst.* 40.

QUÆSTIO XXI.

SYNOPSIS.

1. *Labente hominum ætate, aucta rerum pretia.*
2. *Inconstans æstimatio pecuniæ.*
3. *Creditor aliud pro alio non recipit invitus.*
4. *Nulla æstimatio duodecimam excedit.*
5. *Aliqui reducendum ad dictam quantitatem.*

Reditus spectetur.

215. Vicesimo primo quæro, quid de reditibus pecuniâ constitutis, non tamen in pecunia, sed in vino, frumento, vel similibus speciebus? Breviter omnino idem dicendum, quod suprà de constitutis in pecunia dictum est, videlicet quod nullo modo debent excedere onus duodecimæ: quod si excedant, sed citra decimam, moderandi sunt ad rationem quintædecimæ: si decimam excedant, omninò tanquam illicitum fœnus annullandi sunt: & quòd non magis liceat metas excedere in frumento aut aliis speciebus, quàm in pecunia, casus est in *l. cùm non frumentum. Cod. de usuris.* Verum est, quod olim iniqui usurarii minus verecundabantur excessum admittere in reditibus quam pecuniæ prætextu (ut arbitror) incertitudinis & variabilis valoris granorum. Quinetiam prætextu superstitiosæ sophistarum opinationis, qui ægrius admittunt reditum in pecunia, quàm in dictis fructibus consistentem emi posse, ut refert Conrad. *tract. contract. quæst.* 79. *conclus.* 2. quod non multum abest à superstitione Minoritarum de non contingendis nummis. Sed memini olim multo frequentiores & majores abusus & excessus vidisse in reditibus granorum, quam in reditibus pecuniæ, donec æquissimi hujus Senatus exterorúmque judicum diligentia usque adeo coërciti sunt, ut nullus ferè supersit locus vetito excessui, sive pecuniæ, sive cujuscunque grani vel fructuum reditus ematur. Siquidem dum primùm in togatorum ordinem allectus essem, anno, 1522. centum viginti libræ Turonenses justum habebantur pretium annui reditus unius modii frumenti lectissimi mensuræ Parisiensis. Et ita sæpe supra viginti annos in auditorio præsidis Parisiensis in judicio, ex communi veterum & præstantiorum togatorum fori præsidialis consensu comprobari vidi: idque etiam passim sequebantur advocati amplissimi hujus Senatus. Tunc etiamnum à majoribus audiebam, quod præteritis retrò temporibus centum libræ Turonenses pro justo pretio habebantur: & tamen hodie illud pretium, videlicet centum viginti librarum, non censetur venire nisi ad rationem duodecimæ: & sic ad justum pretium requiruntur centum quadraginta vel centum quinquaginta libræ. Et hoc facit diversitas temporum, quia olim propter paucitatem populi, copiam, & utilitatem frumenti, & omnium quæ ad victum, modius annuus frumenti in centum libras Turonenses non excedebat rationem duodecimæ.

216. At hodie communiter rationem decimæ & frequenter rationem sextæ vel etiam quartæ partis sortis excedit, quia ab uno sesquimillesimo cœperunt sensim pretia augeri. Unde rationabiliter abinde justum pretium annui reditus modii frumenti (& semper intelligo mensuræ Parisiensis) cœpit augeri, & stare ad 120. libras Turonenses. Et sic communiter stetit usque ad annum millesimum quingentesimum vigesimum quartum, à quo tempore cœperunt omnium rerum pretia valde, non momentaneè, sed perseveranter augeri, unde ex tunc pretium dicti reditus viginti aliis libris ad minus auctum fuit, & ita hodie scilicet anno 1545. quo hæc scribuntur, stat ad 144. libras Turonenses. [Et eadem ratione post 10. annos aucto frugum pretio, præsertim anno 1566. quo Parisiis sextarius frumenti 16. vel 18. libris Turonensibus væniit, auctum est quoque pretium hujusmodi redituum, ad 200. libras Turonenses.] Ex his liquet quàm fuerit justum quoddam Arestum supremi hujus Senatus in publicis causarum actionibus latum die Lunæ 19. Februarii anno 1531. de quo multi rationem decisivam ignorantes mirabantur. Sesquimodius sive octodecim sextarii frumenti reditus annui perpetuò redimibilis vænierat anno sesquimillesimo nono pro 140. libris Turonensibus tandem debitore usurarium esse reditum causante, lite super hoc mota, coram dominis ad libellos supplices hujus basilicæ delegatis, creditor ad excludendam usuram posuit in facto, & probare obtulit, quòd tempore contractus sextarius frumenti valebat decem solidos Turonenses tantum communi æstimatione, quod factum prædicti domini receperunt, & ad probandum admiserunt, reclamante debitore, & appellante a l senatum: ubi re cognita mox cùm advocati peroravissent, pronunciavit senatus malè judicatum per dictos dominos in dicta interlocutoria, quam emendando, & insuper negotium principale evocando & illud decidendo, declaravit prædictum contractum nullum & usurarium, & intimatum (qui erat creditor, vel ejus successor) in omnes impensas tam totius causæ principalis, quàm appellationis condemnavit. Hinc multi etiam ex insignioribus circumstantium advocatorum pars fremere, pars stupere, quasi ad insolitum portentum, eò quòd etiam appellatus à tam bona causa (ut videbatur) cecidisset, & quod negotium principale citra conclusionem causæ indecisum esset & quòd creditor à facto illo peremptorio exclusus esset. Si enim illud factum erat verum (ut probari offerebatur) sequebatur quòd reditus erat nimis justè constitutus, utpote circiter ad rationem quintædecimæ, & quòd potuisset tunc emi pro centum octo libris ad rationem duodecimæ, & tamen fuit emptus centum quadraginta libris. Ego verò dixi & dico, senatum optimè & justissimè judicasse: Patet diligenter excussa decidendi ratione: quia præter id quod factum illud non erat sufficienter articulatum: debuerat enim articulari quod ante contractum, & per plures annos invicem collatos frumentum non plus valuerat.] tempore dicti Aresti notorium erat, & adhuc est saltem Antiquariis, quòd

Arestum.

ante

inte viginti duos, imò etiam ante viginti quinque annos justum & commune pretium ad rationem duodecimæ modii annui frumenti non erat minus quàm centum viginti libræ Turonenſes : ergo pretium ſeſquimodii ſimilis reditus tempore contractus non erat minus quàm centum octoginta libræ Turonenſes, & tamen erat emptus pro centum quadraginta libris Turonenſibus tantùm, & ſic infra rationem decimæ : igitur nullus & in totum caſſandus, *ut ſuprà quæſt.* 10. Et ſic apparebat contrarium factum eſſe falſum notoriè, nec allegatum à creditore niſi cauſa morandæ litis. Igitur rectè fecit Senatus allegationem falſam & calumnioſam repellendo, juxta notata Innoc. *in c. poſt electionem de conceſſ. præb. in c. nullus, de præſumpt.* Bal. *leg. 2. col. 5. Cod. ſentent. reſcind. non poſſe.* [Addo aliud in ſimili notabile Arreſtum. Quidam nomine *De Troie*, anno ſeſquimilleſimo decimo quarto emit modium annuum tritici, pro centum libris, & ſic excedendo decimam, quia tunc modius valebat quindecim libras. Præſes Pariſienſis reduxit ad 15. in pecunia : tamen debitor, *Lalloite*, Procurator Caſtelleti appellavit à minima, ceu in quantum ſententia erat contra ſe, & per Arreſtum, die 5. April. anno 1546. ante Paſcha, dictum fuit, malè judicatum, & emendando judicium contractus declaratus nullus, & illicitus, ut in fraudem uſurarum, reliquis in ſortem computatis, & creditore condemnato in expenſis.]

217. Quid igitur hodie dicemus de reditibus hujuſmodi modiorum frumenti, olim ante 40. vel 50. annos pro centum libris, vel abinde ante viginti annos pro centum viginti libris conſtitutis ? Hæc quæſt. percelebris fuit tempore magnæ illius cariſtiæ, quæ anno ſeſquimilleſimo viceſimoquarto accidit, cum præcedenti anno ſub idibus Novembris in toto ferè regno ſemina frugum in viſceribus terræ inſolito frigoris rigore, gelúque diriguiſſent, nihilque (niſi rurſus à quibuſdam ſeminatum) metitum fuit. Tuncque in noſtro Senatu obſervatum fuit, ut debitores præfatorum reddituum liberarentur, ſolvendo unam libram Turonenſem pro ſextario frumenti, & ita ſæpe dicto anno 1524. & deinceps in cauſis occurrentibus privatorum judicari vidi a Senatu. Et licet juſtius & æquius erat decerni debitores liberandos ſolvendo in pecunia ad rationem duodecimæ, per ea quæ ſtatim dicam, tamen in tam repenti, inopina & prægrandi mutatione pretii frugum, nondum ratione horum reddituum plenè detecta, & quandiu prior frugum vilitas ſperabatur brevi reditura, fuit & habita eſt illa proviſio & moderatio generalis æqua, licet non diſtingueretur quo pretio reditus eſſent conſtituti. Et licèt promiſcuè debitores hoc modo ad rationem decimæ ſolverent, abundè tamen ſibi cautum arbitrabantur : nec abs re, tum quia habuerant commodum vilitatis præcedentium annorum : tum quia in rebus novis plerumque ſatius eſt ſenſim admollire, quàm repente inſilire & ad vivum reſecare. Quare licèt initio temporaria videretur illa proviſio, fervente cariſtia, tamen meritò perducta eſt in conſequentiam ſubſequentium annorum.

218. Hinc rationabiliter factum eſt, ut pretium horum reddituum, quod erat centum viginti librarum, auctum ſit ad centum quadraginta quatuor libras, vel circà, eò quòd ſi ſextarius communiter uno franco æſtimatur, conſequenter modius noſter duodecim francis ſive libris communiter æſtimatur : & ſic ad rationem duodecimæ pretium reditus erit centum quadraginta quatuor francorum paulò plus vel minus, quæ modica variatio tolerabilis eſt in hujuſmodi redditibus ſpecierum : quarum etiam communis æſtimatio non eſt (ſicut nummorum) uniformis & perpetua. Sed certè ut illa communis æſtimatio ſextarii, collatione & compenſatione facta ubertatis & ſterilitatis plurium, putà decem continuorum annorum, juxtà notata ſuprà *quæſt.* 5. *num.* 114. rationabilis fuit tempore ſuo, ita hodie non procederet. Præterea quantum ad ſolutionem penſionum horum reddituum non habet integram, & abſolutam & perpetuam æquitatem, ſive ad creditores, ſive ad debitores aſpicias. Reſpectu enim creditorum valdè inæquale eſt, quòd ille qui mitius fœneratus eſt, puta ad rationem unius pro quindecim vel octodecim, æquè redigatur ad unam libram proſextario, ſicut ille rigidior, qui emit præcisè ad rationem duodecimæ. Reſpectu verò debitorum etiam manifeſta eſt iniquitas, quod ille qui pro centum viginti libris hujuſmodi reditum conſtituerat, teneatur loco modii frumenti, duodecim libras ſolvere, & ſic ad rationem unius pro decem pendere, habito reſpectu ad ſortem receptam ; quod eſt injuſtum & iniquum, & multò iniquius idem ſtatuere in eo qui hujuſmodi reditum conſtituerat olim pro centum libris, tametſi juſto pretio tempore contractus inſpecto : quia ſic appareret, quod cogitur ſolvere duodecim pro centum in anno, quæ eſt rigidiſſima illa centeſimæ uſura, nuſquam niſi in trajectitiis permiſſa. Non tamen arguo iniquitatis vel injuſtitiæ primam illam moderationem pro tempore ſuo : habuit enim multum æquitatis primum illud temperamentum etiam alioquin minus abſolutum in ſui exordio, attenta novitate rei, & tam repentino fervore inopinatæ cariſtiæ, & quod prior vilitas brevi reditura ſperabatur.

219. Verùm nihil impedit rebus plenius conſideratis melius conſtituere, cum etiam æquo æquius inveniatur *l. ſi ſervus communis §. idque evidentius de furt.* nec fit injuria majoribus, ſi quandoque vel deterior aliquid melius inveniatur *l. 1. §. ſed neque Cod. de veter. jur. enucleando.* Dico ergo cum duodecima ſortis pars ſit ἄτμητον, & ſupremum reditus incrementum, quod nullo modo tranſgredi, ſed benè infrà ſubſidere licet, & quod numquam nullóque caſu permittendum eſt creditoribus uſurariis quicquam exigere ultra rationem duodecimæ, ſive prætextu incertitudinis valoris ſpecierum pro penſione, ſive uſura ſolvendarum, ſive prætextu pœnæ appoſitæ, aut alio quocunque colore, quemadmodum jure civili, nullo caſu, nullo machinamento, licet excedere legitimum modum uſuratum *l. eos. Cod. de uſur. cum ſimilibus.* Cum igitur hi reditus ſint antiquarum uſurarum ſuccedanei, & eorum ſuprema & legitima meta ſit duodecima, nullo modo, nulloque caſu licitum erit eam tranſgredi. Ex quo infero quod quantumcunque creditor juſto pretio (tempore contractus inſpecto) emerit reditum meri frumenti, vel frumenti & ſiliginis, aut alterius ſpeciei, ſi tempore penſionis ſolvendæ, penſio totius anni, vel illius termini pro rata excedat duodecimam ſortis, ſecundùm communem æſtimationem pro tempore currentem, non tenetur debitor ſolvere integram penſionem, ſed ſolùm pro rata duodecimæ ſortis in anno, & non ultrà. Probo clariſſimè, quia ſi debitor offerat in pecunia duodecimam ſortis ſibi numeratæ partem pro penſione anni, tunc offert ſummam debitam, & id quod de ſupremo rigore debere poteſt, quodque nullo ingenio, nulla arte excedi poteſt : ergo neceſſe eſt creditorem contentari, & debitorem ab omni reſiduo pro illo termino abſolvi. Non obſtat quod aliud pro alio non tenetur recipere, putà pecuniam pro frumento, quia iſto ita ſalvo quod infrà dicam. Sed tunc ſi velit ſibi ſolvi in frumento, non poterit exigere integram quantitatem conventam, ſi excedat duodecimam ſortis ; ſed ſolum ad ratam valoris duodecimæ duntaxat, ſuperfluo tanquam indebito remiſſo, imò tanquam illicito & impoſſibili deberi per prædicta ; adde, ſumptibus etiam vecturæ deductis : horum enim ratio habenda eſt, ſi deferri debet ad domum vel horreum creditoris, per notata ſuprà *quæſt.* 9. Non obſtat quòd ſi frumentum ſit viliſſimi pretii, & ſic quantitas con-

venta totius anni non valeat duodecimam sortis, quod nihilominus teneatur creditor recipere, nec potest aliquid ultra conventa petere: quia verum est. Non tamen sequitur, quod in casu converso, si quantitas conventa plus valeat, quod illam integram exigere possit, quia non est inconveniens, quod creditor percipiat usuras infra summum legitimum modum, prout est inconveniens & illicitum, quod ullo casu percipiat ultra supremum & extremum modum. (Et hanc sententiam nostram sequendo, & exequendo, anno 1553. requirente Procuratore Imperatoris Caroli V. Burgundiæ Comitis, Senatus Dolanus justè decrevit, debitores hujusmodi redituum electionem habere solvendi reliqua in numinis, ad rationem duodecimæ.)

220. Confirmo, quia cum hi reditus grani vel vini sint captiosi & periculosiores debitoribus quàm reditus pecuniæ (ut superiorum temporum experientia docuit) cautius in his est agendum, minórque in his debet esse licentia legitimum modum fraudandi: magis ergo debent restringi. Hîc appositissimè facit quod decidit Alex. *consil.* 180. *in fin. lib.* 7. quòd statutum permittens Judæis fœnerari usque ad rationem tot denariorum pro libra, non potest, nec debet extendi ad alias species fungibiles, putà frumenti. Itaque non licebit eis in istis, etiam ad æstimationem statuti fœnerari, quia statutum est odiosum: unde de pecunia non debet extendi ad frumentum vel aliud, nisi esset æstimatum, ut debitor solvendo pecuniam ad rationem statuti liberari posset. Igitur in proposito, quia certum est quod inventio & permissio horum redituum in pecunia est odiosa duplici nomine, primo, quia usurarum succedanea: secundo, quia veteres usuras excedit & magis exorbitat, ut *suprà quæst.* 5. *ad fin.* igitur non debuit extendi ad reditus aliarum specierum qui magis captiosi sunt. Saltem tanta cautela adhiberi debet, ut non possit modus concessus excedi, utque debitor solvendo in pecunia infra legitimum modum possit liberari, præsertim cùm hi reditus nullum justum habeant concessionis vel approbationis initium. Sed diu post reditus pecuniæ limitatim concessos inventi, & excogitati sunt ab aliquibus, & verisimiliter ab avaris & iniquis occasionem quærentibus communem & receptam reddituum taxationem fraudandi, ut eventus docuit. Semper etiam fuerunt & sunt rusticani & alii possessiones ruri habentes, sed carentes pecunia reposita, procliviores & faciliores, dum occurrit necessitas utendi æris alieni, ad constituendum reditus in his fructibus quam in pecunia; ex qua facilitate facilius incurritur & præsumitur captio & læsio *l. dolt* §. *diversum. de novation.* Bal. *l. singularia. collat.* 4. *si cert. pet.* [Ideo benè consuluit Alex. *consil.* 180. *lib.* 7. quod permisso facta Judæis fœnerandi in nummis, non extenditur ad alias species: sed debet intelligi nisi facultas sit debitori solvendi in nummis ad ratam permissam. Tunc enim fœnus est in nummis cum electio sit debitoris: Secùs quando hujusmodi permissio limitata est ad certam speciem contractus, quia tunc non licebit ei fœnerari in alia specie Philip. Corn. *Consil.* 193. *lib.* 4.]

221. Præterea quando creditor emit reditum ad supremam hanc duodecimæ rationem, & stipulatur pensiones non in pecunia, sed in frumento, rogo cur creditor magis stipulatur in frumento quàm in pecuniis? Rectè & sincerè rem perpendamus. Aut enim hoc facit ad majus sui commodum, eò quòd magis sperat superlucrari, vel melius rebus suis consulere sic agendo, quàm si stipularetur pecuniam. Itaque hoc facit, non habita in hoc ratione debitoris, sed solum sui gratia, etiamsi debitori incommodius sit triticum fortè (ut solent stipulari) lectissimum solvere, quàm pecuniam ad rationem duodecimæ. Et tunc clarum est quòd illicitè facit, quia ut sibipsi magis consulat, debitorem gravat ultra rationem simplicis annuæ & duodecimæ partis sortis. Patet quia deteriorem facit debitoris conditionem, quàm si pecuniam stipularetur, & quàm futura esset, si debitori liceret oblata pecunia defungi. Ergo excessus iste moderandus est, & ita reducendus, ut debitor in aliquo non graveretur ultra pensitationem duodecimæ sortis in anno: & sic ad justitiam hujusmodi reditus, necesse est quòd sit in facultate debitoris, ut solvendo pecuniam ad rationem duodecimæ liberetur. Aut verò hoc facit non sui, sed debitoris ipsius gratia, cui fortè agricolæ commodius est frumentum, vel aliam moderatam frugum speciem solvere, quàm pecuniam: & tunc adhuc clarius est quòd si debitor omnino solvere malit pecuniam ad rationem duodecimæ, audiendus est: quia hîc ultra prædictas rationes accedit, quòd favori suo cuilibet renuntiare licet. Igitur debitor, qui frumentum tanquam pecunia levius promisit multò fortius liberandus est, offerendo pecuniam, quam si recuset creditor frumentum postulans, eo ipso declarat se iniquum usurarium fuisse, utpote non fuisse contentum pecunia ad rationem duodecimæ, qui est summus rigor, sed voluisse præcisè stipulari frumentum, & ad illud obligatum habere debitorem, etiamsi inde magis graveretur, quàm solvendo præcisam duodecimam in pecunia.

222. Ex quibus etiam clarissimè infero, quòd in hujusmodi reditibus, si propter moram debitoris veniendum sit ad æstimationem, sive (ut vocant) appretiationem reliquorum, sive pensionum aliquot annorum reditus frumentarii, quamvis adusque solitum sit æstimari, non quanti plurimi etiam in suo quoque anno frumentum valuit (prout in pensionibus colonorum, quas Galli vocant, *moissons de grain*, constito de mora fieri potest, ut scripsi in *consuet. Paris.* §. 195. sed solùm quanti communiter valuit suo quoque anno, hoc est secundum æstimationem, quæ toto proximo anno post diem solutionis elapsum frequentior & communior fuit in foro, quod est satis laudabile: tamen hoc non sufficit, nec est æquitas perfecta, sed dimidiata. Dico ergo, quòd non potest fieri illa æstimatio cum effectu ultra ratam duodecimæ. Si enim inveniatur quod frumentum etiam communiter plus valuit, non debet ullo modo damnari ultra duodecimam sortis in anno, quam etiamsi ab initio obtulerit, nedum ab expensis absolvi debet; sed etiam eas obtinere contra avarum creditorem, unà cum damnis & interesse, si fortè executionem facti, seu bonorum pignorationem passus sit post eam oblationem. Et hæc est veritas à nobis novè detecta, deinceps observanda & practicanda, quicquid hactenus durè nimium & rigidè per imperitiam & errorem observatum fuerit, ultra modum favendo usurariis in necem & expilationem pauperum debitorum, maximè ruralium, & ita videlicet electionem esse debitoris solvendi in pecunia ad rationem duodecimæ, vel in fructibus conventis, non excedendo duodecimam, communi æstimatione, tempore solutionis inspecto, pluries consului, & his scriptis, tandem supremi hujus Senatus Arresto confirmatum fuit anno 1544. ad finem Februarii in publicis causarum actionibus, cùm circa annum 1515. constitutus fuisset reditus modii frumenti lectissimi pro centum libris Turonensibus, deinde anno 1527. per sententiam Præsidis Parisiensis, & etiam per Arestum moderatus fuisset ad rationem duodecimæ, & sic aliquot annis continuatus, postea rursus lis emersisset ad Senatum devoluta, debitore ad cessationem reditus instante, surgens clarissimus & integerrimus vir. Dom. Gabriel Marilhac Regius Advocatus doctissimus, idem concluserit, & inquantum reditus tenere deberet, quòd debitoris esset, electio solvendi in pecunia ad rationem duodecimæ vel in frumento: & mox Senatus judicavit contractum nullum tanquam illicitum & usurarium, non obstantibus dictis sententiis & Arestis super præcedenti moderatione, & quod omnia etiam retrò soluta à tem-

Quanti plurimi.

Arestum.

potè contractus in sortem imputarentur, & debitor in totum liberaretur solvendo residuum sortis principalis infra duos menses : quibus lapsis pro residuo sortis duntaxat curreret reditus ad rationem quintædecimæ, & debitor haberet electionem solvendi reliqua futura in pecunia vel in frugibus. Si verò (redeundo ad rem) inveniatur quòd frumentum communiter non valuit nisi infra quantitatem pecuniæ, quæ ex duodecima debetur, non debet debitor condemnari ad quantitatem duodecimæ ; sed solùm ad quantitatem æstimationis communis, quam solvendo liberaliter debet.

223. Ex his corollaria duo sequuntur, primum, Quòd amodo utilius est creditoribus emere reditus in pecunia, quàm in frugibus, quamvis à non paucis annis per magnum abusum contrarium sæpe acciderit, prout diu practicari vidi, sed ab indoctè peritis, & ex ignoratione legum & æquitatis per nos retectæ. Patet, quia emens in pecunia semper certus est se percepturum annuatim duodecimam sortis. Secus in emente in frugibus, qui potest minus percipere, si fruges minus valeant, nec tamen potest plus percipere, si supervaleant. Et adhuc casu quo supervaleant, non est creditoris, sed debitoris electio, an solvat quantitatem conventam in specie conventa, etiam deducto eo quod ultra rationem duodecimæ supervaleat : an verò solvat duodecimam in pecunia, quia, ut dixi, necesse est facultatem hanc se liberandi, duodecimam in pecunia solvendo, esse in facultate debitoris : alioquin ultra duodecimam sortis receptæ gravatus esset, quod est illicitum, & nullo pacto, imò nec etiam juramento, vel temporis, vel rei judicatæ præscriptione induci potest, sicut nec improbum aut excessivum fœnus. Et hæc in reditibus summo jure constitutis ad rationem duodecimæ : secus in reditibus constitutis ad rationem unius in quindecim vel octodecim, & deinceps. Puta si quis modium frumenti annuum emerit, non pro centum quadraginta quatuor libris, quæ est præcisè duodecima, ut diximus : sed pro centum octoginta libris, quæ est ratio unius in quindecim, vel pro ducentis sexdecim libris, quæ est ratio unius in octodecim : quia tunc tali benigno fœneratori utilior erit reditus frugum tempore caristiæ, quam similis reditus pecuniæ. Si enim tempore solutionis frumentum conventum plus valeat quàm quintadecima vel octodecima sortis, nihilominus integrum debetur, nec potest debitor deducere quod supervalet, nec offerre pecuniam pro frumento, sed præcisè (si facultatem habeat) solvere totum frumentum conventum, alioquin veram & integram communem æstimationem, dummodò nunquam excedat duodecimam sortis in anno. Et est ratio, qua his casibus hæc onera compensantur cum liberalitate quam fecit creditor, nedum suscipiendo in se casum & fortunam temporariam utilitatis frumenti in casum ubertatis, si fortè in anno pensio frumenti non valeat, nisi ad rationem trientariæ, vel quadrantis usuræ : sed etiam (quod majus est & potissimè considerandum) faciendo gratiam in principali, videlicet in pretio perpetuo ad libitum debitoris fruendo pro dodrante vel besse duodecimæ. Et eisdem casibus rectè procedit, quòd sicut indistinctè creditor fert damnum utilitatis & ubertatis, ita indistinctè suum facit lucrum caristiæ & sterilitatis : quia etiam istud lucrum non excedit duodecimam, & sic non est prohibitum nec illicitum. Et ideo si fortè in tantum excesserit valor, ut excedat duodecimam sortis, tunc etiamsi sit fortuitus & inopinatus, dummodò illius anni communis æstimandus est, ut nunquam creditor ultra duodecimam percipiat, & si de facto receperit, restituendum est vel deducendum, quod usque ad triginta annos peti potest : quoniam nullo pacto, nullo prætextu licitum est excedere duodecimam : & ita exactè & religiosè observandum, ne qua fenestra aperiatur metas præfixas excedendi in hujusmodi reditibus usuratum succedaneis.

224. Sed hic quæritur, An saltem infra duodecimam sortis in anno teneatur debitor quanti plurimi à tempore moræ ? Videretur quòd sic. Primò per notata in *l. unum ff. si certum petatur.* quæ tamen nihil facit, ut ibi novè dixi, sed per *l. in hac. de condict. triti. l. 3. in fin. de action. empti.* Secundò in vim vulgaris clausulæ, quâ debitor promittit refundere omnia damna & interesse in defectum solutionis in terminis conventis. Tertiò ad minimum non videtur quin debeat considerari istud pactum, & quod verè interesse probatur, saltem infra metas duodecimæ, & quatenus creditor tam pro pensione, quàm pro incremento restringit se ad rationem duodecimæ. Contrarium dicendum est, quia non datur accessio accessionis, sive in usuris *l. fin. Cod. de usur.* sive in pœnis *l. fin. de magistra. conveni. l. 3. Cod. de fiscal. usuris lib. 10.* sive in fructibus *l. nec eorum* & ibi Bart. *de usur.* [Nec in pretiis fructuum, etiam à malæ fidei possessore, ante litem motam perceptorum, & venditorum text. in *l. eum qui in fin. princip. de his quib. ut indignis* nec commodorum commoda *l. 2. §. si indemnitatis. De administ. rerum ad civit. pert.* nec pœna pœnæ.] Sed ipsamet pensio est vera accessio & usura, saltem est fructus reditus, & sic non accedunt illi aliæ usuræ, sive quæcunque incrementa. Benè tamen venit æstimatio communis, in qua non præcisè momentaneus valor, qui fuit etiam precisè tempore solutionis fiendæ, & diei cedentis inspicitur, nec etiam subsequens similis brevis caritas, sed valor, qui communior & magis continuus fuit, proximo tunc sequenti anno, per notata in *l. pretia rerum. ad leg. Faced.* quæ quidem æstimatio non est incrementum, nec nova usura, prout nec est pœna, sed simplex persecutio, & restitutio debiti, dummodò non excedat duodecimam. Nonobstat pactum de refundendo interesse, quia dupliciter interesse potest referri : Primò ad has accessiones, vel incrementa à tempore moræ. Et ad istud, quia prohibitum in hac materia, dictum pactum non refertur : Secundò non solùm propter moram, nec immediatè ratione moræ, sed propter sumptus factos per creditorem, ut suum debitum servet & consequatur : & in his potest dictum pactum habere effectum, dummodò sumptus sint probabiles, & facti post veram moram, & ex justa causa, & adhuc subeunt moderationi, *l. unica. Cod. de sent. quæ pro eo quod interest profer.* Item si quid creditor impenderit, vel amiserit de suo, ad amoliendam fraudem vel technam quampiam à debitore structam, ad frustrandum creditorem reditû & jure suo. Ex quibus obiter habes, quid & in quibus operetur illa vulgaris clausula promittens omnia damna & interesse. An autem pro his sumptibus competat jus hypothecæ non solùm à die liquidationis, sed etiam à die contractus, prout nuper judicatum fuit, dixi in *consuetudine Parisiens. tit. 5. in rub.* Et sic quòd Alberic. in *l. quod in stipulatione de usur.* sentire videtur generalem illam clausulam de damnis nihil operari, debet intelligi nisi secundum naturam actus & dispositionem juris communis faciunt notat. *infrà quæst. 73. in fin.* [Ut tempore Ciceronis Cornelius Consul legem tulit, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam fœneraret, hoc est, ne liceret usuram accipere de pecuniis, esculentis, pannis, & id genus victuum, vel expensas concernentibus mutuatis, vel venditis exteris legatis, quoniam Romani ad turpia lucra abusi erant.]

Non est accessio accessionis.

QUÆSTIO XXII.

SYNOPSIS.

1. *Mercatores tolerabilius fœnerantur.*
2. *Venditor reditus sortem universam consequi debet.*
3. *Debitor sortem restituere debet, intra modicas temporis inducias, aut pergit reditus.*

225. VIcesimo-secundò quæro, An valeat hujusmodi reditus ad rationem duodecimæ constitutus mercatori pro summa illi debita ex venditione & traditione mercium? Videtur indubitanter quòd sic. Quia jure communi venditori statim à traditione rei ipso jure, non solùm sine stipulatione vel pacto, sed etiam sine alia interpellatione currunt usuræ pretii, quandiu differtur solutio *l. curabit. l. fructus, in fin. Cod. de action. empti l. Iulianus. §. ex vendito ff. eod. l. ult. de peric. & cõmodo res. vendit. l. cretio in fin. de usur.* etiamsi res vendita nullos fructus afferat, ut tradit. Bal. Saly. in *l. usuras Cod. de usur.* Paul. in *d. l. curabit.* Igitur multò fortius venunt ex pacto & alienata sorte pretii ut hic. Nec est absurdum, quòd istud proveniat ex alia negotiatione mercium; imò hoc nomine justior videtur reditus ratione personæ ementis reditum, qui est justus mercator, cui honestius est quàm cæteris fœnerari, cuique justa lege civili etiam pluris quam cæteris fœnerari conceditur *d. l. eos. §. 1.* Et tamen iste non excedit metam etiam omnibus non negotiantibus promiscuè concessam. Tum justitia horum redituum fundatur in eo quod interest, ratione interusurii successivi, & promiscui usus pecuniæ: sed illud interesse est longè certius, majus & justius in mercatore & justo negotiatore, quàm in alio, per notata suprà *num.* 30. Et noranter ait Bal. in *l. ult. §. 1. collat. 1. Cod. de jure dot.* quòd secundùm usum bonæ mercaturæ affertur lucrum decimæ partis sortis, unde probat statuta quòd pro usuris vel interesse dotis dilatæ solvantur decem in centum. Igitur de ratione duodecimæ in justo negotiatore pro debitis ex negotiatione minus videtur dubitandum. In contrarium tamen lata sunt plura

Arestum. supremi hujus Senatus Aresta, & præcipuè famosum illud pro Joanne Mailly equite contra [Rodulphum le Feron, electum Mondiderii, atque Præfectum collectarum, sic vocant hujusmodi judices: quia plebs initio solebat eos eligere, postea Rex in officia formata (quæ ad popellum magis deglubendum vendit) erexit. Is Rodulphus non erat professione mercator obstante officio judicaturæ Regio: sed semel emerat magnam vim lanarum in portu, emit ab equite centum coronatos annui reditus, anno 1509. pro mille coronatis, quos solvet, partim in dicta lana æstimata mille centum triginta tribus libris, sex solidis, sex denariis Turonensibus, residuum verò in coronatis, vel nummis ad rationem decimæ, tunc in loco vigentis: postea eques pro reliquis pignerationem passus appellavit à sententia Prædis Parisiensis qui dixerat executionem validam, & perficiendam, & per Arestum latum die 23. Decemb. anno 1512. sententia fuit annullata absque emenda, & expensis causæ appellationis & reditus annullatus pro rata pretii lanarum, reliquis in sortem imputatis: pro residuo verò sortis innumeratæ staret reditus ad rationem unus in 15. & infra annum redimi posset: hæc vera species, & summa dicti Aresti, aliud fere simile tantum fuit, die secunda Maii. Anno millesimo quingentesimo decimo tertio. Respondeo: Non sunt hæc Aresta indifferenter & sine judicio ad omnes contractus mercatorum protrahenbenda, sed ex bono & æquo, eadem ratione & eisdem circumstantiis subsistentibus. Aut igitur in continenti post venditionem & traditionem mercium pro pretio earum constituitur hujusmodi reditus, & non valet, quia est casus dictorum arestorum per quæ meritò reprobatur propter multa. Primò, quia mercator ex eisdem mercibus, & alioquin justo pretio venditis, & eodem actu haberet duplex commodum, duplicem negotiationem, & duplicem quæstum, primum ex venditione & expeditione mercium, secundum ex acquisitione reditus. Secundò, quia mercator ex eo quòd non recipit promptam pecuniam, pluris (ut allolet) venderet, & adhuc ad rationem illius gravioris & excessivi pretii stipularetur reditum, & tic esset via aperta ad fraudandam & excedendam duodecimam. Tertiò propter perniciosum exemplum & deformationem civitatis, quæ tandem sequi posset. Cum enim omnes mercibus passim indigeant, omnes tandem & omnia prædia usuris eorum subjicerentur.

226. Quartò, ut diximus suprà *num.* 58. hujusmodi usuræ seu reditus non tolerantur propter se, nec ut homines negotiationem fœneratoriam exerceant: sed utsit aliquis commodus & parabilis usus æris alieni, sine quo commercia & civilia negotia conservari non possunt. Non igitur debent in tantum laxari, ut sit periculum, ne reliquæ meliores & honestiores negotiationes deserantur aut conturbentur. Quintò, ne alliciantur mercatores ad vendendum merces, non minutatim egentibus pro usu suo, sed in globo constituentibus hujusmodi reditum pro acervis mercium, quas illico vili distracturi sunt, ut suprà *num.* 14. & hinc sit occasio corruptelæ multorum levium hominum. Hinc prudenter sentit *Ioan. Gerson tract. de contract. considerat.* 10. ad arbitrium legislatoris spectare quandoque contractus aliàs per se licitos ad vitandum abusum invalidare. [Ut tempore Ciceronis Cornelius Consul legem tulit ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam fœneraretur, hoc est, ne liceret usuram accipere de pecunia, sesculentis, pannis & id genus victuum, vel expensas concernentibus mutuatis vel venditis exteris legatis, quia Romani ad turpia lucra abusi erant.] Conclusio prædicta ampliatur, etiamsi ex intervallo sed brevi, putà infra sex vel octo menses argumento *l. si ventri §. in bonis de privig. creditor. l. si quis post hac. C. de proscript.* Si verò emptionem dicti reditus sequeretur traditio pannorum, vel alterius mercis æstimatæ loco pretii seu sortis ipsius reditus, tunc multo magis prædicta procederent. Fallit ex notabili intervallo putà anni, vel biennii. In quo tamen advertendum, quòd si probabiliter appareret mercatorem dictas merces sive contemplatione differendæ solutionis, aut aliàs caro & excessivo pretio vendidisse, non subsisteret reditus, quantumcunque ex magno intervallo: nec excessus conventi pretii mercium compensaretur cum interusurio termini dati & solutionis quantumcumque dilatæ, quia ante omnia oportet integram & solidam sortem cum effectu ad venditorem reditus pervenisse.

227. Et sic quando mercator vendit non mercatori magnam pannorum vel mercium quantitatem simul, ita quòd apparet non emi ad usum emptoris, contractus valdè est suspectus de occulta versutia aut alia fraude, idque tantò magis, quantò minus professioni & qualitati debitoris merces conveniunt, & vix est ut reditus subsistat. Et præsuppono hos contractus

fieri inter majores & habiles ad contrahendum. Si verò appareat merces fuisse venditas & traditas particulatim pluribus separatis vicibus, & non infra brevem terminum, sed eo temporis successu, quo homines similis conditionis indigere solent, & tandem inito calculo debitor pro summa restante, reditum constituat etiam ad supremam hanc rationem duodecimæ, non puto approbandum, sed standum contractui, dummodo vel libro rationum mercatoris appareat singulos pannos vel merces non fuisse excessivo; sed justo & congruo pretio (etiamsi in continenti solvendum fuisset) venditas. Amplio primò, etiamsi ultimi panni vel mercis præstatio fuerit de recenti facta, quia satis est quòd intervalla præterita præstationum, earúmque quantitas, & pretium, & qualitas debitoris ostendunt nullam versutiam, nullam fraudem subesse, nec debitorem in aliquo læsum esse. Nec potest tunc dici, quòd mercator faciat duplicem quæstum ex eisdem mercibus, quia notabilis distantia & intervallum præstationum hoc tollit: interusurium enim interim amissum bonam partem quæstus excludit.

Intervallum.

Ampliatio.

228. Nec obstat, etiam si dicatur, quòd omnes fere illæ merces fuerant traditæ ultra sex menses constitutionis Regiæ anni 1512. §. 67. vel etiam partim ultra tres annos, de quibus in *consuet. Paris. §. ultimo*, quia ut dixi in *dicto §. fin.* illæ brevissimi temporis præscriptiones non habent locum, ubi debitor veritatem & bonam fidem recognoscit. Sunt enim introductæ in favorem debitorum, qui sine apocha & testibus (ut fit) solverunt, & præcipuè heredum eorum. Unde non impediunt quin debitor de illis excipiens teneatur etiam ad petitionem mercatoris agentis, interrogationibus de calumnia, bona fide & veritate, etiam speciatim & cum jure-jurando respondere, ut sæpè consului. [Heres propriorum petit se indemnem reddi de domo vendita, culpâ materni. Respondi non deberi, nisi defunctus disposuisset; quia potuit quovismodo domum paternam reducere, vel pati reduci ad mobile: sed si erat obligatus pro reparationibus, materni solvunt, nec repetunt. Idem *si pour le bailleur d'heritages*, condemnatus fuit, *à reparer*, de certa summa jam taxata, aliàs censebant esse onus heredis paterni: sic per sententiam Præsidis, *les maternels condamnez à payer les reparations ja liquidées de la maison qui venoit du paternel.* Respondi, non appellandum.] Si verò appareat merces fuisse particulatim venditas & traditas secundùm decentiam status debitoris: sed non ita distantibus intervallis, quin omnes præstitæ sint infrà ultimum sesquiannum aut brevius tempus ante datam & principium cursus reditus; sunt tamen aliàs venditæ justo pretio, nec aliud vitium apparet: tunc prudentes judices non solent reditum annullare, nec etiam reducere ad rationem unius pro quindecim (quia fieret nimium, ut pote perpetuum præjudicium creditori) sed solent intervallum supplere. Et pluries judicari vidi reditum annullari, debitorem condemnari ad restitutionem sortis, salvo quòd nisi eam restitueret infra semestre, vel aliud modicum tempus, quod ex tunc reditus curreret, & effectum suum sortiretur, & hoc est æquum temperamentum, juxta *l. in ambiguis, in fi. de reg. jur.* Hoc ergo casu consulendum esset mercatori, ut offerret remittere reliqua semestris vel anni ad supplendum terminum, & ex tunc debitor in omnes impensas litis damnandus esset, & multò magis, si tempore contractus actum est, quòd non currat reditus nisi post annum: vel si tempore finalis calculi actum est, quod nisi debitor solveret infra annum, quòd ex tunc prout ex tunc, constituit reditum ad rationem duodecimæ, vel leviorem: cujus tamen pensiones currere incipient post illum annum, absque retroactione standum erit contractui. [Nec est verum hoc casu reditum ortum esse immediatè ex ipsa venditione mercium quasi loco pretii datarum, quamvis eodem tempore pactum sit, attento longo intervallo, seu notabili dilatione gratis datæ, & quod merces non fuerunt injusto pretio æstimatæ, nec simul loco solidæ præsentis sortis venditæ, sed retrò ex multis intervallis absque cogitatione vel spe transfundendi in reditum, & sic sine fraude: multum enim refert reditum hujusmodi generari immediatè ex una venditione mercium, semel ad hunc finem facta, quod est reprobum, vel ex clanculo.]

Arrest.

QUÆSTIO XXIII.

SYNOPSIS.

1. *Supellex improprie reditum recipit.*
2. *Non currit reditus nisi pro ratione verè numerationis.*
3. *Diversa ratio ejus qui lucrum ambit, & ejus qui damnum declinat.*
4. *Legitima compensatio dilationis reditus, cum modico rerum datarum decremento.*

Supellex loco pretii.

229. Vigesimo-tertiò. Dum hæc scriberem, accidit quæstio de facto, Titius indigens pecunia rogat Caïum, ut à se emat centum reditus ad rationem duodecimæ, Caïus carens tunc pecunia otiosa; sed abundans supellectili argentea, offert ei dare de dicta supellectili usque ad valorem mille ducentorum communi æstimatione pro pretio reditus: An sic legitimè contrahi possit, videtur quòd sic: tum primò per text. qui ad hoc expressius videtur in *l. si pro mutua C. d. de reb. cred.* ubi quælibet species communi consensu æstimata potest dari loco sortis sub usuris, in tantum ut licet fuerit stipulatus centesimam, tamen valet stipulatio usurarum usque aduśuram legitimam, pro rata æstimationis communi consensu definitæ, & sic statim currit usura. Tum secundò, quia ex hypothesi Caïus non est mercator, nec aliàs erat venditurus supellectilem, quæ non erat venditioni exposita, & sic cessat hic ratio duplicis quæstus, de qua in quæst. præcedenti. Tum tertiò, quia Caïus non erat distractaurus supellectilem, nisi in gratiam Titii, utque ei commodet, ejusque precibus. Ex quo videtur, quòd etiam plus justo pretio vendere posset, cùm non esset aliter venditurus, per text. in *l. alienus, ad leg. Falc.* facit *l. non enim æquum rerum æmetar.* Quartò, saltem Caïus indemnitati suæ cavere potest, ut tota præsens communis æstimatio duntaxat intret in sortem, ut servetur indemnis per notata *supra num.* 25. Et sic videtur quòd decrementum seu damnum confusionis artificii dictæ supellectilis, quam mox Titius venditurus est artificibus ad pondus seu ad communem æstimationem, detracto artificio, possit esse debitoris, & non creditoris: saltem hoc casu, ubi creditor non erat venditurus, nec conflaturus supellectilem nisi in gratiam debitoris, facit *l. si quis nec causam, in princ. ff. cert. petat.* ubi etiam depositum gratiâ depositarii factum ejus est periculo: quod intelligitur etiam de casu fortuito, ut ibi Philippus Decius tenet contra communem, & benè, ut ibi dixi in *annot. num.*

6. fortior text. in *l. rogasti in princ. ff. cert. petat.* ubi si mutuum rogatus dedit lancem vel massam auri vendendam, ut pretium cederet in mutuum, etiamsi sub usuris, periculum interim est debitoris: si igitur ejus est periculum totius corporis, multò magis conflaturæ, quæ immediatè ejus gratiâ fit. Quintò & ultimò, si Caïus suppellectilem suam integro pretio vendiderit volenti fortè similem comparare, potest mox vel postridie reditum ad rationem duodecimæ integri pretii emere ab emptore, ut *infrà quæst.* 27. igitur & hîc, quia videtur Caïus primo vendidisse Titio supellectilem justo integro pretio, deinde ab eodem emisse reditum ad rationem concessam duodecimæ loco solutionis pretii purè debiti, & promptè remissi. Imò videtur Caïus brevi manu pretium integrum supellectilis suæ recepisse, & rursus in emptionem reditus dedisse, *l. licet* §. *quoties de jure dot.* & celeritate conjungendarum inter se actionum unam actionem occultari, *l.* 3. §. *fi. de donat. inter vir. & uxor.*

230. Breviter contrarium respondi, quia ex quo vult emere reditum, eumque ad supremum gradum duodecimæ, licet non agat de duplici quæstu vel negotiatione; sed de una tantùm, necesse est quòd plenam, integram & liberam sortem det debitori: alioquin impossibile est reditum currere, nisi pro rata sortis, quæ liberè remanet, & à tempore quo liberè remansit debitori, *d. l. eos in fin.* Et sic cum ista suppellex non sit communiter idonea ad tantam pecuniam (qua promptè opus est) comparandam, nisi remissa artificii æstimatione, necessariò debet illud damnum seu decrementum spectare ad creditorem, & non ad debitorem: quia creditor volens accipere summam mercedem interusurii pecuniæ, debet sortem integram ejusdem pecuniæ prius implere, *l. Julianus* §. *offerri, de act. empt.* Tum supellex quam dat, licet qualis est & extat fabre facta, valeat communiter mille ducenta, tamen qualis est & extat, non est idonea ad aliquem reditum, vel fructum, saltem hujusmodi adfectandum, nec ad usum qui ex pecunia numerata sit: igitur detrimentum conflaturæ seu distractionis debet esse creditoris, qui vult habere summum pretium interusurii pecuniæ inde comparandæ. Secus si non stipularetur creditor nisi ad rationem quintædecimæ, vel semissis usuræ: ita quòd diminutio reditus compenset decrementum dicti artificii, ita ut saltem non excederet duodecimam partem pecuniæ, quæ remansura est penès debitorem, detracto dicto decremento. Non obstant allegata in contrarium: quia hîc non agitur de mutuo liberali; sed de contractu quæstuario usus pecuniæ: & sic necesse est utrumque extremum debitè servari. Primum, quod creditor prius impleat ex parte sua, ut integra pecunia utenda perveniat ad debitorem. Secundum quòd reditus sive usura non excedat duodecimam dictæ pecuniæ annuam. Quòd si creditor ipse indigeat, nec possit aliter pecuniam dare sine majori suo incommodo, abstineat potius ab hujusmodi reditu. Si enim non est ferendus volens emere fundum alterius vili pretio, ex eo quòd pecunia sua pluris sibi valet & utilior est, sive negotiando, sive ob aliam propriam egestatem, vel ob pœnam, aut aliud quodcunque damnum imminens vitandum: multò minus in fœnerando, ut hîc, ferendus est, ut simul & de summo quæstu rituali, & de quovis alio prætenso interesse sarciendo paciscatur, alioquin omnes leges usurariæ & rituales fraudari possent. Et specialis non obstat, *d. l. si pro mutua*, tum primò, quia debet intelligi secundum alia jura, dummodò illæ species essent statim æquè utiles debitori, ut sors, vel deducto interitus detrimento æstimatæ. Tum secundò, quia jus civile in hac parte, præsertim super usuris in mutuo, tam in magnitudine, quàm in indifferenti permissione usuræ, nimis indiscretum & laxum fuit, in quo hodie meritò correctum est, & sic *d. l. si pro mutua*, cum similibus exolevit, ut diximus *infrà quæst.* 69. *in fin.* Tum tertiò, quia *d. l.* loquitur de meris usuris, quæ de jure sunt pretium simplicis interusurii, secundum taxationem juris Civilis (quam licèt nimis magnam repetemus) tamen illæ meræ usuræ civiles multò leviores sunt, quam reditus duodecimæ multis modis. Unde per notata *infrà quæst.* 75. non licet ex illis permissivè arguere ad nostros reditus duodecimæ, in quibus in hoc est diversa ratio, non solùm quia reditus isti sunt longè graviores respectu quantitatis: sed etiam quia sunt pretium non solùm interusurii, sed etiam sortis perpetuò alienatæ. Et sic necessariò præsupponunt, quòd prius ante omnia debeat creditor implevisse, fortémque integram dedisse, & transtulisse cum effectu in liberam & perpetuam fruitionem debitoris: aliqui non potest incipere cursus reditus, nisi saltem pro rata veri & effectualis implementi, *l. eos in fin. Cod. de usur.* vel nisi decursu reditus remittatur in perpetuum pro rata dicti decrementi, quod in idem recidit: ut si ematur reditus ad rationem 15. vel 16. & sic in effectu, *d. l. si pro mutua*, juncta cum *l. eos. Cod. de usu.* prout fieri debet, per *l. non est novum, de legib.* magis concordat quàm obstet, cum communiter intelligatur & semissibus: quam quantitatem sic reditus ille non excederet, nemo in hac quæstione dubitaret, quin statim debeat valere & currere reditus, juxta *d. l. si pro mutua.* Ex quibus patet solutio ad secundum & tertium. Non obstat quartum: quia hic reditus est limitandus ad sortem quæ remanet penes debitorem. Non obstat ultimum: quia aut illa venditio supellectilis facta est à negotiatore, putà aurifice, qui solet de talium rerum venditione negotiari, & tunc de contractu reditus sequenti dicendum ut mox in *quæstione præcedenti.* Aut est facta ab alio qui de his non negotiatur, & adhuc dico, quòd si ex probabilibus conjecturis apparet dictam venditionem supellectilis præcessisse in fraudem, ut mox debitum conventi pretii convertatur in sortem reditus præmeditati, putà, quia debitor non indigebat supellectile, sed pecunia: nec emebat supellectilem pro usu suo; sed ut inde pecuniam corraderet: creditor autem volebat simul vendere supellectilem, & omne decrementum rejicere in futurum debitorem reditus: tunc ea omnia observanda sunt quæ nuper dixi. Si verò venditio supellectilis sine fraude facta est, putà empta ab eo, qui ea uti volebat ad usum supellectilis destinatum: tunc non est inconveniens, quòd ille emptor vendat venditori suo reditum ad rationem duodecimæ pretii conventi & justè debiti, ut *inf. q.* 27.

231. Redeundo ad quæst. thematis quæro, quid si de facto contractum sit ad rationem duodecimæ totius valoris supellectilis sine dicta deductione? Prima facie videtur distinguendum, *ut suprà quæst.* 10. videlicet quòd si decrementum artificii sit infra sextam partem sortis conventæ, vel eam non excedat, reducendus sit reditus ad rationem quintæ decimæ: & tunc hæc reductio non debet fieri habita ratione ad sortem conventam, sive ad sortem putativam; sed ad veram sortem duntaxat, quæ realiter & cum effectu pervenit ad debitorem. Ratio, quia superfluum non est de sorte: reditus autem non debet nec potest metiri, nisi ad veram sortem. Unde in nostro themate si decrementum sit ducenta, & non ultra, non sufficerot centum reditus conventi reduci ad octoginta annua; sed deberent reduci ad sexaginta sex cum besse unius annua: quia alioquin non esset punire excessum, nec reducere ad quintamdecimam, sed circiter ad duodecimam: quia ducentis detractis, non sunt nisi mille in sorte, cujus duodecima sunt octoginta tria cum triente tantùm: quintadecima verò sexaginta sex cum besse unius duntaxat. Quòd si decrementum essent centum duntaxat, & sic sors esset undecies centum, duodecima essent nonaginta unum cum besse unius. Et sic reducendo ad decimam quintam, reditus annuus esset

ſeptuaginta trium librarum, ſex ſolidorum, & octo denariorum Turonenſium. Si verò decrementum excedit ſextam partem ſortis conventæ, & ſic invenitur reditus ſupra rationem decimæ, ſeu major decima, videtur ipſo jure nullus. Sed adverte, quia hæc diſtinctio communiter, ut *ſuprà quæſt.* 10. æquabilis eſt, ſed in caſu ſpeciali hujus hypotheſis plus juſto rigidior eſt. Quare ſic dicendum puto, aut decrementum non excedit ſextam partem ſortis conventæ, & tunc ſufficit reditum reduci ad rationem duodecimæ veræ ſortis, ad quod etiam ipſo jure reducitur. Aut verò excedit, ita quòd reditus excedit decimam veræ ſortis, & tunc ſufficit reduci ad rationem quintædecimæ veræ ſortis, nec debet in totum annullari hoc caſu. Et moveor, quia in caſu *d. quæſt.* 10. creditor nihil amittebat in gratiam debitoris, nullam jacturam patiebatur: ſed quod deerat veræ ſorti, ſibi remebat, & tamen ſcienter ſtipulabatur ultra modum conceſſum: & ſic de mero lucro illicito certabat, meritò non debet ille eſſe ſine pœna: ſed ſiquidem modicum tranſgrediatur, tunc moderationem duodecimæ, ſi verò multum, nullitatem reditus pati debet. Sed in hac hypotheſi creditor primùm jacturam fecit in gratiam debitoris: deinde non ſtipulatur ultra modum, habito reſpectu ad id quod ſibi abeſt hujus contractus occaſione; ſed tantùm habito reſpectu ad id quod remanſurum eſt debitori: in quo faciendo non certat de novo lucro captando, ſed ſolùm de ſua indemnitate ſeu damno vitando, inter quæ eſt maxima differentia, *l. Proculus de dam. infect. l. ult. C. de codicill.* Accedit quòd ideò non videtur malitiosè, ſeu ſcienter excedere; ſed magis ex bona fide: tum quia putat ſe ſortem integram dare, ex quo dat ſupellectilem tanti in ſe valentem, tum quia etiamſi ſciat debitorem decrementum illud paſſurum, tamen etiam ſcit ſibi illud abeſſe debitoris ergò unde occaſionem habet arbitrandi ſibi licere reditum ſtipulari ad rationem ejus quod ſibi abeſt, ut indemnis ſervetur, & ne officium ſuum ſibi damnoſum ſit. Ex quibus liquet, quòd hìc non eſt ea ratio pœnæ, quæ in *d. quæſt.* 10. Ideo omni alio ceſſante vitio, ſufficit reditum ad duodecimam veræ ſortis reduci, niſi tantum ſit decrementem, quòd reditus excedat decimam veræ ſortis: quia tunc ob nimiam diſproportionem juſtum eſt reduci ad decimam quintam veræ ſortis: & ſatis propter ſpeciales circumſtantias conſulitur creditori in hoc quòd reditus in totum non caſſatur. Si verò conſtaret de fraude creditoris, qui alias erat conflaturus ſupellectilem, & tamen dedit eam in emptionem reditus indigenti, ut ejus egeſtate abutereretur ad duplicem quæſtum, videlicet ſupremi reditus, & decrementi artificii ſibi ſervandi, tum tanquam ceſſante ſpeciali æquitate ſtandum his quæ dicta ſunt *ſuprà quæſt.* 10. Si verò conſtet de majori fraude & dolo, ut quia per interpoſitas perſonas, vel colluſores fraudis ſocios eandem ſupellectilem ſibi vilius redempturus erat; quod & fecit, tunc indiſtincte omni commodo reditus in totum privandus eſt, & adhuc pro modo admiſſi extra ordinem plectendus, ut *ſup. num.* 14. *quæſt.* 10. *in fin.*

232. Redeundo ad quæſt. thematis, quæro, Quid ſi decrementum artificii erat ducentum, & tamen creditor ſtipulatus eſt ad rationem duodecimæ pretii conventi, ſed cum pacto, quòd non curreret reditus niſi poſt biennium, an teneat contractus? Videtur omnino quòd ſic, ex quo tantumdem remittitur debitori de reditu, quantum eſt dictum decrementum. Contrarium verum eſt, quia decrementum illud cadit in ipſa ſorte, & eſt verum ſortis decrementum: & ſic neceſſe eſt pro rata ipſum jus reditus perpetuò diminui, quia non poteſt ab initio conſtitui, nec deinceps currere, niſi pro rata veræ ſortis, nec eſt verum quòd differendo reditum, aliquid remittatur de ipſa quantitate reditus perpetui in ſe, prout neceſſe eſt quatenus ſors minuitur: ſed ſolùm aliquid remittitur de reliquis certi modici temporis, quæ temporalis remiſſio nullo modo compenſari poteſt cum aliqua diminutione ſortis, quæ reſpicit ipſum jus reditus, & ejus perpetuitatem. Et eſſet in effectu convertere uſuram in ſortem, & uſurarum uſuras ſtipulari, quod penitus illicitum eſt, ut *ſuprà num.* 44. tum quia agitur, quòd tempore redemptionis tota conventa ſors reddatur: & ſic iſtud pactum vel retardatio curſus reditus nullo modo impedit quin neceſſe ſit reditum perpetuò reduci ad rationem veræ ſortis ſecundum prædicta. Alioquin ſequeretur quòd quis pro mille poſſet emere centum annua, differendo curſum reditus in biennium, vel etiam pro nongentis differendo curſum in triennium; quod eſt impoſſibile, niſi convulſis legibus uſurariis, & de uſurarum uſuris. Cæterùm dilatio curſus reditus bene poteſt compenſari cum modico incerto & vix conſiderabili decremento: item cum ſollicitudine & veriſimili dilatione, quam patietur debitor ſupellectilem commodè diſtrahendo, ad pecuniam comparandam. Nec enim intelligendum eſt (etiam deducto ante omnia decremento artificii de ſorte ſeu pretio communi ſupellectilis) quòd ſtatim à tradita ſupellectile poſſit hujuſmodi reditus currere, præſertim ſi ſupellex ad locum remotum deferenda eſt, ut diſtrahatur: ſed debet etiam non quantitate perpetua, ſed de principio curſus reditus deduci tempus illud veriſimiliter requiſitum ad diſtrahendam ſupellectilem: alioquin eſſet vitium accelerationis temporis quod reputandum eſſet: imò poſſet eſſe tale, ut ſufficeret ad reducendum reditum ad quitamdecimam quandoque etiam ad annullandum, ut *infrà quæſt.* 50. Sed hìc quiſpiam cauſari poterit, fore ut creditor officioſus capi poſſit. Quid enim ſi rogatus à debitore in ejus gratiam ſupellectilem ſuam pretioſam dederit, ſtipulatus reditum, deducto omni decremento artificii, mox autem vel infrà menſem vel tempus diſtractionis, debitor redemptionem offerat: & ſic creditor & ſupellectili ſua, & reditu, omnique commodo, ſimul & æſtimatione artificii, quod fortè pretioſiſſimum erat, fraudatur, & multò minùs habere invenitur, quàm valeret ſupellex ſua? Reſpondeo. Debitor ſi queat, præſertim ſi ea occaſione magnum damnum evitavit, debet ex bono & æquo creditorem indemnem ſervare, eique naturaliter & in conſcientia obligatur ad antidora, *ſuprà num.* 27. Sed nulla civili actione cogi poteſt, quia purè redimendo ſolvit quicquid civiliter debet: & ſatis eſt quòd creditor poterat lucrari ſub conditione: ſi reditus perſeveraſſet, *l. ſi ſuper, Cod. de tranſaction.* & emendo reditum hujuſmodi, aream emit, & ſic queri non poteſt, *l. nec emptio de contrab. empt. l. ſi factum retis. de actionib. empt.* ſed omni tunc præſenti cómodo vel incommodo cum ure & ſpe futuri reditus ſemel tranſactum fuit: nec poſſet hoc caſu naturalis illa obligatio in civilem deduci, nec paciſci in vero intereſſe refundendo, caſu quo brevi illo tempore redimeretur. Et licet de hoc paciſci liceret in liberali mutuo, ut *ſup. num.* 34. non tamen in hoc reditu negotiativo & quæſtuoſo. Si tamen conſtaret aliquem finxiſſe indigentiam, ut creditorem eluderet, & damno afficeret, teneretur perpetuò ex empto in id quod intereſt: utcunque enim ille finxerit, tamen ex parte creditoris eſt vera emptio bona fide inita, cujus actione dolus perpetuò purgari poteſt. Ex prædictis decidituir aliqua quæſtio quam vidi in facto, quod emens hujuſmodi reditum dedit & ceſſit in partem pretii nomen, non per venditorem, ſed per tertium debitorem, qui non erat benè ſolvendo, vel aliàs litigioſus, aut obæratus, aut in tali potentia conſtitutus, ut non liceret habenti nomen commodè quando vellet exigere. Breviter reſpondeo quòd ſi creditor ſciat eam nominis qualitatem, quia periculo debitoris ſe exonerat, tunc ſi nomine deducto, reditus excedit de-

Nomen pro pretio.

cimam sortis, in totum annullandus est: si verò non excedit decimam, sed duodecimam, reducendus est ad quintamdecimam per notata *suprà quæst.* 10. Et hoc pro rata ipsius pecuniæ numeratæ tantùm, aliàs nulla esset moderatio, ut nuper dixi *num.* 231. Ampliatur, quantumcumque creditor caverit non solùm de evictione, sed etiam de bonitate nominis. Fallit primò, ut procedat quando totus reditus debebat statim currere: secùs si saltem pro rata nominis non debebat currere, nisi post nomen exactum, vel post certum tempus bona fide taxatum, & verisimiliter sufficiens ad exigendum nomen sumptu & periculo creditoris, si quo sumptu opus esset. Fallit secundò, si creditor putabat nomen bonum, & sine ullo sumptu & difficultate exigibile: quia constito de bona fide, si postea quocumque casu etiam fortuito, & postea de novo supervento secus contingit, non vitiatur reditus pro residuo sortis numeratæ, sed saltem curret ad ratam duodecimæ, non autem pro rata nominis, nisi postquam venditor exegerit, vel fuerit in culpa exigendi. Fallit tertiò, ut procedat, quando hæc cessio per creditorem obtruditur, & fit ejus tantùm gratia: secus si venditor esset fidejussor debitoris, & ut impediret distractionem bonorum ejus, procuraverit cessionem nominis habere mediante venditione hujusmodi reditus, ita quòd creditor bona fide processit, & nullum onus per se huic duodecimæ addidit. [Sed occurrit pulchra quæstio. Emptor reditus nil numeravit debitori, à quo emit reditum centum pro ducentis à debitore debitis tertio, erga quem promittit venditorem liberare? Respondeo. Reditus non incipit currere, nisi à die quâ constat venditorem ante obligatum. Tertiò liberatum fuisse cum effectu per emptorem, sed duodecim annis post primam horum editionem, contigit species hujusmodi. Quidam debens dominæ *de Saint Mesmin* mille octingentas libras, pro reliquis reditus ducentarum librarum ad rationem duodecimæ, carceratus, prædiis etiam suis subhastationibus suppositis solvit mille creditrici, & pro residuo constituit 66 ½ reditus duodecimæ. D. *L'Avilier*, ejus filio, à quo octingentas libras recipiens solvit creditrici, & sic plenam corporis, & bonorum pignoratorum relaxationem habuit. Postea rescripto regio obtento egit ad ultimi hujus, reditus cassationem, reliquis in sortem imputandis reliquum offerendo, quasi hic reditus pro reliquis prioris constitutus fuerit, Præfecti libellorum supplicum palatii reum absolverunt. Respondeo quid si constaret personam filii creditricis interpositam, vel secundum reditum fuisse constitutum de pecunia creditricis, appellationem sufficiendam, quia idem esset, ac si creditor cui 600. reliquorum hujusmodi reditus debentur, emeret reditum hujusmodi, 50. pro 600. quæ ei numerat: sed mox, vel paulò post, debitor eidem illa 600. in solutionem veterum reliquorum restituit: vel si creditor mutuaret debitori 600. usque ad mensem, & interim debitor eandem summam solvit eidem, pro veteribus reliquis & lapso mense pro eadem summa constituit eidem reditum 50. si ergo idem fiat per personam interpositam idem juris est: secùs si debitor & damnosè negotiatur cum tertio, ut corrosam summam reliquorum solvat creditori usurario, qui nihil numerat, nullam habet societatem, nec intelligentiam cum illo tertio.]

QUÆSTIO XXIV.

SYNOPSIS.

1. *Accessio accessionis nusquam datur.*
2. *Colonus si tardius pensiones intulerit ad illarum usuras etiam non interpellatus tenetur.*
3. *Novellæ Iustiniani in Gallia non receptæ.*
4. *Sustinetur Emptio reditus ad ratam duodecimæ inita pro reliquis fundiarii reditus.*

233. VIgesimo-quartò, opportunè succedit quæstio mihi dum hæc scriberem, proposita de redita ad rationem duodecimæ constituto per rusticum colonum domino suo pro reliquis conductionis. Prima facie videtur non valere, quasi dominus duplicem fructum & quæstum ex fundo suo capiat: quin etiam fructus fructuum, quod est absurdum, quia non datur accessio accessionis: & in specie, quòd fructuum usuræ peti non possint, non solùm si fructus solo judicis officio veniant, sed etiam si jure actionis debeantur, casus est in *l. neque eorum, de usur.* Accedit, quòd jure novellarum nemini licebat ab agricolis accipere ultra semissem duodecimæ, ut novè diximus *suprà quæst.* 1. Tamen respondeo contractum prædictum non improbandum, si aliud non obsit: quia hoc casu fructus seu pensiones non sunt accessio, sed ipsum principale. Major enim pars fructuum cedit colono pro cultura, & quæstu suo. Reliqua autem pars, quæ segregatur domino, tam ejus est, quàm res mutuò data vel deposita, & ipsi colono principaliter æs alienum, quum omnis opera sua jam pensata sit. Confirmatur, quia jure *digest.* & *Cod.* colonus ipso jure sine alia interpellatione tenetur ad usuras pensionum tardiùs illatarum, *l. quæro in princ. locati l. cum quidem. §. ex locato, de usu. l. præses, l. de locat.* igitur multò fortius deberentur ex pacto. Unde manifestum est, illas pensiones non esse accessionem, quia etiam non veniunt in consequentiam; sed principaliter. Nec obstat, *d. l. neque*, quia loquitur quando fructus veniunt in consequentiam & accessoriè. Dico tamen, quòd etiam in terminis juris communis non veniet duplex accessio. Unde si pensio non consistat in pecunia, sed in frumento, vino, vel aliis speciebus, si dominus velit habere æstimationem quantiplurimi à tempore motæ, juxta notata in *l. vinum si cert. pet. in l. in hac de condict. tritic.* (quod in praxi restringimus ad annum proximum à die solutionis fiendæ: ut retigi *suprà ead. quæst.* 21. *num.* 122. & latiùs in *consuet. Paris. §.* 195. glossa in vers. *moissons de grains*) tunc non poterit simul cum auctuario quanti plurimi petere illas usuras legales, etiam de jure communi, & licet sint semisses tantùm. Plus dico, de jure etiam pactum expressum non valere, quòd simul cum æstimatione quanti plurimi posset usuras petere, etiam pro rata pensionis communis tantùm, & non pro rata auctæ æstimationis: quia licèt hoc modo non esset propriè accessio accessionis, tamen esset duplex accessio ejusdem principalis debiti, quod non est ferendum. Sic in præsenti dico, quòd non posset reditus constitui habita ratione ad æstimationem quanti plurimi valuerunt pensiones: sed solùm pro rata æstimationis communis, & adhuc eo casu tenebitur dominus remittere dictam accessionem & æstimationem quanti plurimi, si velit habere accessionem reditus: quia non est ferendum quòd de eodem debito vel forte capiat duplicem accessionem: est enim hujusmodi reditus vera accessio sortis, sicut usura, cujus succedaneus est. Et adhuc si contingeret dominos nimium aburi dictis reditibus adversus rusticos, vel colonos suos, magis cohiberi debeant aut moderari

Colonus.

moderari, ut in præcedenti quæst. & quemadmodum Justinianus tempore suo propter abusum reduxit ad semissem duodecimæ in novella *constit. 32. cum seq. sup. quæst. 1.*

234. Alioqui non debent infringi, nisi ex justa causa, putà si locatio est facta excessiva mercede, ita quòd pauper colonus non potest solidam solvere, & tamen acerbus dominus nihil remittit, nec dilationem concedit; sed pro residuo mercedis, quam non potest promptè exigere, emit ab eo summum reditum duodecimæ: vel si locatio initio mediocri mercede facta est, sed frugibus afflictis, & aspera annona superventa, nullam tamen dominus avarus respirationem dat colono, sed solidum exigit quantum potest, & pro residuo reditum emit ad rationem duodecimæ. Tunc enim puto prudentis judicis officio incumbere, ut saltem denegatam dilationem concedat, permittendo colono infra annum vel aliud moderatum tempus liberè debitum solvere: alioquin termino lapso ex tunc non retrò reditus currat, ut in simili. supra *quæst. 22. in fi.* vel reditum in quantitate, putà ad rationem decimæ sextæ, & decimæ octavæ moderare, vel etiamsi ex personarum & circumstantiis negotii res exigat in totum annullare: ut aliter prout totius causæ æquitas (quæ certis regulis definiri nequit) suggerat, prospicere, *l. bona fides. depositi. leg. quòd si Ephesi. in fi. de eo quod certo loco. leg. de accessionibus. de diver. & tempor. præscript.* Non obstant novellæ, ne quis mutuum dans agricolæ, quia nunquam fuerunt in usum receptæ apud Francos, nec etiam apud Gallos, quibus Justinianus & successores sui nunquam imperaverunt, ut dixi in *consuet. Pariſ. tit. 1. in rub. 9. cum seq.* Suspicor etiam quòd dictæ salubres novellæ non diu steterunt in usu post obitum Justiniani, afflicto undique Imperio. Cùm ergo liceat omnibus vel agricolis ad rationem duodecimæ fœnerari, nec justum, nec expediens esse videtur, hoc commercium interdici dominis erga proprios agricolas: ne fortè coloni inopes cogantur solum vertere, aut erga extraneos duriores versuris succumbere: verisimile est enim quod benignius illis cum dominis suis agatur. Quorsum igitur hoc prohiberetur? His scriptis supervenit & pendet quæstio in Senatu hoc anno 1544. An valeat emptio reditus duodecimæ facta pro reliquis reditus fundiariis? In qua dicendum est, quòd si cessante alio vitio, & dummodò reditus fundiarius non sit excessivus, nec procuratus in fraudem, putà quando est antiquus. Secùs si debitor mediante certa summa, recognovisset se tenere domum suam in censum & emphyteusin, vel in simplicem reditum à creditore, deinde eidem pro reliquis ejusdem reditus constituerat alium reditum ad rationem duodecimæ: quia tunc puto secundum reditum omninò annullandum, tanquam usuram usuræ, vel in fraudem anatocismi. Idem si vili pretio vendidit domum suam, quam ab emptore conduxit, & pro reliquis conductionis eidem hujusmodi reditum constituerat: quia tunc satis est præsumptionis ad totius posterioris contractus annullationem, ut infrà *quæst. 56. cum sequentibus.* Si verò dominus concessit fundum proprium in reditum Titio, sed gravi reditu, tamen tempore sterilitatis urget solidum, & pro reliquis illius temporis emit reditum duodecimæ, puto moderandum, vel in quantitate, putà reductione ad decimam quintam vel decimam-octavam vel induciis datis, ut infra annum liberè redimere liceat, alioquin currat reditus in posterum, ut nuper dixi in colono: aut aliter ex bono & æquo pro totius rei qualitate temperandum, hic succedit quæstio 235. de qua 1560. fui interrogatus ab uno antiquo Advocato.

QUÆSTIO XXV.

SYNOPSIS.

1. *Non infliguntur pœnarum usuræ.*
2. *Potest quis minoribus usuris non ex solutis majores stipulari.*
3. *Reprobati Doctores in usurarum quæstione.*
4. *Odiosior qui ab initio fœnus illegitimum stipulatur, licèt ex post facto licitum exigat, quàm qui ab initio licitum stipulatur, illicitum postea exigit.*

235. Vicesimoquintò succedit quæstio, quam ante tres & viginti annos scilicet 1522. vidi in facto. Quidam alioquin empturus reditum ad rationem duodecimæ, cupiens evitare molestiam interpellationis & appellandi nomen debitoris, in sesquimille libras numeratas, stipulatus est centum viginti libras annuas, in quatuor hic consuetis trimestribus terminis solvendas (hic reditus est vicesima quinta parte, & sic paulò plus semiuncia minor duodecima) cum pacto, quòd debitori in ipsa die cujuslibet termini, vel infra triduum, solventi remitteretur sexta pars pensionis illius termini, videlicet centum solidi: An pactum valeat, ita quòd lapso triduo non liceat purgare moram, offerendo viginticinque, sed necesse sit solvere triginta? Respondeo, valere pactum, nec posse lapso triduo moram purgari indistinctè, nullamque probabilem dubitationis causam subesse: quia nulla est pœna hic apposita dationi quantitatis, nulla secundaria usura aut accessio: sed liberalis remissio partis debiti sub conditione solvendi residuum in triduo. Et sic cùm totum purè debeatur in termino, non potest debitor uti exceptione pacti conditionalis de non petendo partem, nisi conditione specificè servata: & in omnem eventum satis est, quod apparet de justitia integræ petitionis, ut per Bald. in *l. cùm allegas, col. pen. in fin. C. oppo. Cod. de usur.* Sed fac pro eodem pretio venditum fuisse reditum annuum centum librarum tantùm: sed appositum est pactum pœnale, quòd nisi debitor solverit in ipsa die cujusque termini, vel infra triduum, cadat in pœnam centum solidorum, pro quolibet termino. Et videretur prorsus non valere hoc pactum. Primò, quia pœnarum usuræ peti non possunt. *l. ult. de magistra. conveniend.* Igitur nec usurarum pœnæ, sicut nec usurarum usuræ, vel fructuum, aut alterius accessionis. *l. nec eorum. de usur.* Secundò, quia est pœna dationi quantitatis appositæ, quæ secundum communem Doctorum sententiam non valet, ut in notata *dict. l. cùm allegas.* etiamsi apponatur sorti principali. Quantò ergo minùs, cùm apponatur usuris & accessionibus sortis, & adhuc non semel, sed per multiplicationem & dinumerationem temporis: ut videatur potiùs secundaria usura, & sic usura usuræ, quàm simplex pœna? Usuræ autem usuræ de jure non admittitur, etiam infra legitimum quantitatis modum, ut diximus supra *num. 45.* In contrarium argumentum quòd valeat: quia ille contractus cum suo pacto non differt à præcedenti, re & effectu, sed nudo ver-

horum ſono, ut patet ad ſenſum. Utrum enim facilius ſit ad paciſcendum, ſive ad loquendum, dicere aut ſcribere, tanti væneunt centum viginti libræ reditus, cum pacto remittendi centum ſolidos pro quolibet termino ſolvendo infra triduum: vel, tantidem væneunt centum libræ reditus, ſub pœna centum ſolidorum, pro quolibet defectu ſolutionis in termino vel infra termini triduum: nónne hæc omnimodo converruntur? Cur igitur magis liceat in primo quàm in ſecundo caſu, quum ſit idem caſus, niſi quatenus nudo & lubrico verborum tectorio extrinſecùs, hoc eſt, quoad inanem ſonum differre videntur.

236. Anne mera deſipientia eſt, leges verbis imponere, ſaltem in materia uſuraria, aut alàs prohibita, & ubi de vitanda legum fraudatione agitur. *l. contra legem, de legib. l. non dubium. Cod. eod. l. ult. Cod. de uſur.* & maximè in materia conſcientiæ & æquitatis, ubi ſimplex veritas & effectus rerum attenditur, non autem verborum formula? Et hæc certè neceſſariò concludunt, quia tamerſi quandoque in purè poſitivis, putà in conditionibus voluntariis, hoc eſt, ab homine appoſitis in ſua donatione, ſubſtitutione, legato, vel alio actu, ab ejus ſola voluntate dependente; referat quandoque ſic aut ſic locutum aut ſcriptum eſſe, & verborum formulæ in illis (non tamen ſemper) ut alibi diximus, expendantur. Tamen ubi agitur de fraudatione proximi, vel legis, neceſſe eſt formulas omnes verborum ſubſidere, ſolùm verò effectum & veritatem realem attendi: alioquin ſola verborum (eodem manente effectu) differentia jam ipſamet eſt fraudatio & cavillatio. *dict. leg. contra leg. m. cum vulg.* infrà *numer.* 565. Ultra hæc pro ſententia noſtra textus eſt rotundus. *in l. pecuniæ. §. 1. de uſuris.* Et ſic nullo modo ampliùs dubitandum eſt, etiam in praxi conſulendo, aut judicando. Non obſtat primùm: quia iſta non eſt uſurarum pœna, vel alia acceſſio uſuræ, ſed legitima uſura, imò paulò infra modum legitimæ. Clarum eſt autem, quòd poteſt quis ſtipulari minores uſuras, & ſimul ſi ad diem ſolutæ non fuerint, poteſt licitè ſtipulari majores, dummodo ſemper infra legitimum modum, quo caſu non cenſetur ſtipulando majores, ſtipulari pœnam, ſed fœnus uberius, quale ſimpliciter & abſolutè ſtipulari, licebat; ut inquit textus *dict. §. 1.* Majorem autem gratiam proximo facit, & longiùs abeſt ab avaritia & fraudatione legum coërcentium uſuras, qui ſtipulatur minores, & in defectum earum majores, vel etiam pœnam loco minorum, infra tamen legitimum modum: & ſic dat proximo facultatem aliquam minoribus uſuris ſe liberandi, quam ſi non daret hanc facultatem, ſed præcisè ſtipularetur ſummas & legitimas uſuras.

Lex verbis non imponenda. In conſcientia veritas & effectus, non verba.

Pœna valet in datione quantitatis.

277. Non obſtat ſecundum: quia omnia jura clamant valere pœnam, etiam dationi quantitatis appoſitam, in omni materia, ſive in contractibus, ſive in teſtamentis, ſive etiam in uſuris, dummodo non excedat legitimum modum uſurarum text. in *l. pœnam. de uſuris. l. Julianus. §. 16. idem Papinianus de actione empt. l. cum allegas. Codice de uſuris.* Et ſic non eſt curandum de contraria opinione gloſſæ & Doctorum ad quos non leges, ſed illi ad leges flecti & attemperari debent. Tunc conſtat omnes gloſſ. & Doctores in hac materia toto cœlo aberraſſe, & prorſus hallucinatos fuiſſe ignoratione literarum, & terminorum legalium, eoque prolapſos eſſe, ut uſuras (utcunque ſe jactent) minimè correxiſſe, aut emendaſſe, ſed veteres majores uſuras in acerbiores ridiculè commutaſſe, deprehendantur, ut ex prædictis liquet. Ex his ſtat concluſio, quòd nedum in reditibus fundiariis, ſed etiam in reditibus pecuniâ conſtitutis poteſt locus eſſe pœnæ. Limito primò, ut procedat, dummodo pœna momentanea ſit, reſpectu ſingularum principalium præſtationum, ut in *l. pecuniæ. l. Seia. de uſuris.* Secùs ſi reſpectu ejuſdem præſtationis pœna eſſet ſucceſſiva & multiplicata, putà ſi non ſolùm eſt dictum, quòd ſolventur tot ſolidi, ſi non ſit ſolutum in termino vel infrà octo dies: ſed quòd rurſus ſolventur totidem ſolidi: vel alia pœna, ſi per alios octo dies ejuſdem penſionis ſolutio differatur, & ſic deinceps, ut in caſu, de quo infrà *quæſt. centeſima, ad finem.* Hæc enim in effectu eſt vera uſura, & ſic uſura uſuræ omni caſu vetita: & ſic non obſtant quæ diximus ſuprà *num. quadrageſimo quinto.* Limito ſecundò: dummodo pœna ſimul cum penſione non excedat rationem duodecimæ: & ſic vides, quòd nullo caſu etiam momentaneo & indirecto, putà per viam pœnæ, licet excedere duodecimam etiam eo prætextu, quòd creditor longè infra duodecimam ſtipulatus fuerit, putà ad rationem unius pro viginti vel viginti quinque: quia in defectum ſolutionis, vel moræ etiam plurium dierum, & menſium, non licebat ſtipulari tantam pœnam, quòd ſimul cum penſione excedat modum legitimum. Et quantumcunque creditor debitorem relevet, in hoc quòd etiam infra tres vel plures menſes à termino liberari poſſit, ſolvendo quincunces aut trientes uſuras, non tamen etiam in compenſationem tanti beneficii ſtipulari poterit vel tantillum ultra duodecimam, quemadmodum jure civili non licet eodem prætextu ſtipulari, vel tantillum ultra ſemiſſes communiter, vel ultra beſſes in legitimo negotiatore. *dict. l. eos. ad l. pœnam. de uſuris.*

Non valet uſura uſuræ.

238. Sed quid ſi de facto pœna excedat modum? Reſpondeo, non in totum vitiabitur, ſed ſolùm quatenus excedit, *d. l. pœnam. leg. placuit. de uſur.* Quod ſimpliciter verum puto, quando exceſſus eſt caſualis, & incipit à conditione ut tunc ſit tantùm moderandus, ut hîc in pœna. Secùs quando exceſſus incipit à diſpoſitione, & eſt principaliter intentus: quia tunc diſtinguendum puto, ut ſuprà *eod. quæſt.* 10. ut ſi non excedat rationem unius pro decem, reducendus reditus ad rationem unius pro quindecim, per judicem, niſi creditor ſponte, & ſine lite moderationem ad legitimum modum obtulerit. Si verò excedat rationem unius pro decem, emninò caſſandum ſit, penſionibus ſolutis in ſortem computatis. Unde ſi creditor emat reditum ad rationem unius pre novem, quantumcunque det debitori facultatem ſe deliberandi à reliquis, ſolvendo reliqua ad rationem unius pro quindecim, vel etiam unius pro viginti in termino, vel etiam infra plures dies, vel menſes à termino, nihilominùs debitore ſortem reliquis in eam computatis offerente, puto reditum in totum annullandum: inſpecta principali intentione & diſpoſitione contractus: tum odio hujuſmodi reddituum, tum quia mali exempli res eſt. Unde quantumcunque creditor hoc pacto magis releuare videatur debitorem, quàm ſimpliciter ad ratione duodecimæ ſine hoc pacto emendo, quia multæ fraudes fieri poſſunt, nec hoc prætextu excuſandus eſt, qui non veretur improbo fœnore tam enormiter leges tranſgredi. Non obſtat quod nuper diximus, effectum magis attendi, quàm verborum formulam, & ſic non videretur diſtinguendum, an contractus incipiat à minori, vel à majori reditu: quoniam dico, quòd hoc caſu hæc differentia non tam verborum formam, quàm effectum & realem naturam obligationis reſpicit. Magis enim delinquit & legem contemnit, qui ab initio

Res mali exempli.

& principali dispositione stipulatur improbum fœnus, licèt sub certa conditione licito fœnore contentari velit, quàm qui solum licitum fœnus in dispositionem principalem deducit, licèt posteà sub conditione pœnam stipuletur, usque ad improbum fœnus ascendentem. Et ratio est manifesta: quia primo casu creditor directò, primariò & principaliter legem contemnit: secundo casu casualiter & secundariò. Primo casu & ab initio nulla est in se & per se principalis dispositio, quia habet expressum, perpetuum & continuum fœnus improbum: & sic est nulla cum omnibus suis accessoriis clausulis, nec principale nullum validari potest ab accessorio, *leg. ex pupillari. ff. de vulg. & pupill. subst.* Secundo verò casu principalis dispositio in se valida est & legitima, & sic per accessorium, putà per appositionem pœnæ, etiam supra modum excessivæ non vitiatur: & sic pariter propter principale validum, pœna ipsa non vitiatur in totum, sed juxta naturam principalis ad legitimum modum reducitur. facit *l. cum principalis de reg. jur.* Et sic non verbalis, sed realis est nostra distinctio. Hæc me addere oportuit, ne quam forte hic ansam vitilitigatoribus relinquam. Secundò limito præfatam conclusionem, ut pœna vel major usura non possit in præteritum extendi, pro tempore quo minor reditus vel usura fuit, ut in quæstione sequenti.

QUÆSTIO XXVI.

SYNOPSIS.

1. *Creditor purè duodecimam jure stipulatur.*
2. *Cum stipulationes stricti juris sint, eas strictè interpretari oportet.*
3. *Nisi præcisa sortis repetitione, duodecima non currit.*

239. VIcesimosextò quæro, Quid si quis stipuletur unum annuum pro viguti (quæ est ratio quincuncis usuræ) cum pacto, quòd si quo anno debitor non soluerit pensionem illius anni, tunc ex die contractus, sive totius sortis numeratæ, unum annuum pro duodecim solvere teneatur? An debitor qui postquam per plures annos quincunces soluit, nunc reliquator esse cœpit, teneatur etiam pro præteritis annis quibus soluit, supplere usque ad rationem duodecimæ? Dubium facit quòd creditor licitè stipulari potuit duodecimam purè & præcisè: & sic videtur quòd possit eamdem stipulari sub conditione, etiam ex die contractus: cùm per hoc non plus oneretur, sed minùs gravari possit debitor. Sed absque dubio dicendum est quòd solùm duodecimam solvere teneatur pro annis quibus cessavit. casus est in *leg. cum quidem. in princ. de usuris.* Et sic pro tempore, quo minores usuræ cucurrerunt, & solutæ sunt, majores retrò non debentur ob cessationem sequentem, etiam infra legitimum modum, & quantumcunque expresso pacto, vel stipulatione id cautum sit. Et ratio est, ut pulchrè inquit Baldus ibi in lectione antiq. *iniquitas pacti in seipso.* quia iniquum est, quòd ille qui pro tempore præterito obtemperâvit, pro eodem tempore pœnam incurrat, & sic meritò tale pactum à lege reprobatur. Non obstant *lex lecta. in fine. si certum petatur. l. hujusmodi. 2. l. si ita stipulatus fuero. in princip. ff. de verborum obligation.* quia ibi tempore medio nulla usura cucurrit, nec soluta fuit: & sic nullum est inconveniens, quin creditor in aliquem eventum, vel ex die contractus legitimum reditum vel usuram stipulari possit, qualem ab initio stipulari licebat. Interim autem relevatur debitor in duobus: primò, in facultate immunitatis consequendæ à reditu, vel usura: secundò, & in omnem eventum in interusurio, seu dilatione reliquorum medii temporis: & sic magis habet unde gratulari, quàm queri possit. Hic recordor pulchræ quæstionis, quàm olim in facto.

340. Cuidam in contractu matrimonii promissæ sunt quater mille libræ, videlicet sesquimille præsenti pecunia, residuo infrà tres annos solvendo: & in defectum solutionis: verba cautionis erant hujusmodi Gallicè, *Et en ce cas dés à present comme dés lors, en luy constituë rente au denier douze*, id est, ex tunc prout ex tunc constituitur reditus ad rationem duodecimæ. Accidit non fuisse solutum in hac triennii, non fuit dubium quin extunc currere inciperet reditus: sed an retrò quoque ex die contractus peti posset, dubitabatur: non quin ita expressim cavere potuisset, ut in dicta leg. & per notata infrà *quæst.* 42. *num.* 170. sed an ita satis cautum intelligeretur ex illo brevi verborum involucro, ex nunc, prout extunc, siquidem omnes præfatæ leges loquuntur, quando illud cautum fuit per verba clara & expressa sine scrupulo, ut sunt illa, tunc ex hac die in annos singulos, & cætera. Unde secùs videtur, quando apponuntur verba perplexa, ut videntur ista, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, promitto vel constituo, omissis etiam illis verbis, in annos singulos: quo casu etiam Bald. in *dicta l.* hujusmodi dicit esse perplexitatem, & relinquit cogitandum. Præterea in stipulationibus fit strictæ interpretatio l. *quicquid adstringendæ, de verborum obligationibus*, & semper in dubio fuit interpretatio, contra eum qui se fundat in verbis, & contra actorem vel creditorem. *l. veteribus de pact. l. Labeo scribit de contrah. empt.* Alex. *in l. paciſci Cod. de pact.* & in *cons. 194. consideratis verb. col. pen. lib. 2.* Decius *cap. in præsentia col. 17. de probat.* quantò fortiùs ubi etiam cucurrit odiositas, subjectæ materiæ & usuratum, ut hîc? Quibus non obstantibus dicendum, ex contractu reditum vel usuram peti posse, & ita expressim idem esse in iis verbis ex nunc, prout ex tunc, sicut in illis, ex hac die, tenent Bart. Bal. (qui dubitare desiit) & Jaso. *in l. si ita stipulatus fuero in princ. de verborum oblig.* sentit Paul. *in dicta l. hujusmodi. 2. in fi.* quia hæc verba tantumdem important: nec est à proprietate verborum recedendum. *l. non aliter in princ. de legat. 3.* etiam in materia odiosa. Franc. Aret. *l. cum lege ff. de testamentis.* Tum alioquin verba ex nunc prout ex tunc, nihil operarentur, quia illis omissis, æquè curreret reditus pro tempore futuro. Ergo adjectio illorum verborum operari debet etiam pro tempore præterito; non tamne sint superflua contra *l. si quando in princ. de leg. 1. cum vulg.* quàm ne contra propriam & genuinam significationem improprientur, vel restringantur ad actum constituendi, seu nudam promissionem, & non ad effectum promissionis; & ita consului, licèt plures dubitarent. Et intellige quando socer non poterat cogi solvere ante terminum, aliàs non curreret reditus nisi ad rationem quincuncis, ut not. infrà *quæst.* 81. Sed quid si sub eadem clausula erat datus terminus solvendi usque ad octo vel decem annos; an conclusio nostra debeat restringi ad quinque novissimos annos per constitutionem regiam anni 1512. art. 71. Respondeo, Non; nec dicta constitutio habebit locum pro annis lapsis ante terminum, ut plenius dixi *in cons. Paris. tit. 4. in Rubr.* Sed advertendum quòd alia ratio videtur annullare pactum, quia præfatæ leges loquuntur in terminis juris, & in usura legali, quæ currit, licèt

Clausula ex nunc prout ex tunc.

sors non sit alienata, sed exigi possit: nos autem loquimur in duodecima, quam impossibile est currere, nisi priùs sorte alienata & irrepetibili. suprà *num.* 17. Igitur impossibile est retrotrahi ad tempus prohibitum & inhabile, videlicet quo sors non erat alienata, sed poterat peti & exigi per creditorem, Solve fatendo objectum, sed quòd sumus in præsenti quæst. in diversis terminis ab omni usura legali vel nostrati, infra illud tempus: quia illud pactum est pars æquè principalis contractus dotalis, & sic non censetur necessio, sed pars principalis legitimæ conventionis per notata infrà *quæst.* 52. *num.* 370. Et sic tantò fortiùs vides, quòd dicta constitutio regia de quinque annis non potest hîc habere locum, pendente dicto tempore, & intelligendum quòd eo casu sors erat alienata perpetuo: ideo in contractu matrimonii infra modum duodecimæ toleratur.

QUÆSTIO XXVII.

SYNOPSIS.

1. *Vera propria usura moribus Galliæ sublata.*
2. *In reditu qui redimi potest infra rationem viginti pro uno, locum habet retractus.*

241. VIgesimoseptimò quæro: debetur pecunia ex mutuo, deposito, legato, vel aliàs, convenit, quòd nisi infra tale tempus solvatur, & quòd debitor constituit, & solvere abinde tenebitur reditum ad rationem duodecimæ, vel etiam ad rationem unius pro quindecim, aut viginti, an valeat pactum? Respondeo. Refert quòd agatur: aut enim agitur de justo & pleno contractu reditus, videlicet ut ex tunc eo casu alienata sors, nec ampliùs possit exigi, nisi simplex reditus, & vàlet pactum. Aut verò agitur quòd debitor in casum moræ solvat tantam pensionem, quantam afferret talis reditus, & non valet: quia creditor posset exigere & cogere debitorem ad ejus solutionem, quando vellet, & tamen simul pro rata temporis dilatæ solutionis exigere reditum, & sic esset vera & propria usura, quæ moribus nostris ubique in totum abolita est, ut suprà *num.* 17. *cum seq.* Hîc autem non præsumitur actum de justo reditu & alienatione sortis: ex quo apparet quòd debitor remanet obligatus ad sortem. Unde nisi aliud exprimatur pactum de solvendo reditu in defectum solutionis, intelligitur de simplici pensione, quæ est vera usura: unde debitor non tenebitur eam solvere, & si solverit, poterit in sortem imputare, & reliquum sortis offerendo liberari, & etiam creditor poterit nihilominùs sortem quando volet, exigere, deductis pensionibus si quas receperit: quoniam dictum pactum de solvendo reditu in defectum, est (prout etiam in dubio censetur) appositum favore creditoris, per notata Bart. in *l. quamvis de pignorat. act.* Lanc. dec. *in l. qui duos. de legat.* 1. & quod notat Bal. in *l. 1. quæst.* 2. *Cod. de his quæpœn. nomine* Dec. *cons.* 12. *col.* 1. ubi dixi in annat. & per text. in *l. si fratres. §. idem resp. socius ff. pro socio.* An autem idem sit, si similis clausula ponatur in testamento, vel in sententia, dicam infra *quæst.* 73. Prædictam conclusionem quando reditus non valet limito in dote promissa, ut in *fi. quæst. præced.* Item limito in pecunia debita ex venditione fundi, aut simili translatione rei fructiferæ, per ea quæ scripsi in *cons. Paris. §.* 1. *gl.* 9. *quæst.* 3. *num.* 19. Unde cùm emptor venditori constituisset reditum pro pretio rei emptæ, cum pacto, quòd teneretur illum redimere infra 4. annos, consultus respondi pactum valere, & reditum cum effectu currere, non solùm infra quadriennium quo creditor non potest sortem exigere: sed etiam per quadriennium, donec redimatur vel solvatur sors cum reliquis. Et ita etiam judicatum fuit in Arresto supremi hujus Senatus, pro magistro Jo. Cointerello in publicis causarum actionibus, die Martis post meridiem, octava Maii, anni 1537. hujusmodi enim contractus non differt in effectu à concessione fundi in reditum, quem tenebitur accipiens redimere infra certum tempus pro certo pretio, de quo non dubitabatur quin valeat in foro conscientiæ: ergo & præcedens contractus, quia in conscientia non attenditur formula & conceptio verborum contractus, sed solum effectus suprà *num.* 236. Est enim & hoc secundo casu vera venditio fundi subjecta retractui proximitatis, & aliis consuetudinibus rerum venditarum, ut nuper respondi cuidam Sesquinormano Cenomano, qui putabat se fraudaturum consuetudinem retractus, ex eo quod concesserat fundum in reditum, quem teneretur accipiens redimere. Imò plus dico quòd etiam si non teneatur accipiens redimere, si tamen reditus est redimibilis infra rationem viginti pro uno, censetur venditio fundi, & habent locum retractus & alia jura venditionum, ut dixi in *cons. Paris. §.* 13. *gl.* 5. *quæst.* 10. *in fi. & §.* 23. *quæst.* 19. Et adverte quod in dicto casu, in quo constituì, non erat contentio supra quantitate vel excessu reditus, quia non excedebat fructus; sed solum difficultas erat propter dictum pactum. Si verò reditus ob moram conventus excederet, idem dico, dummodò esset valdè moderatus, & ad summum non excederet vicesimam partem pretii in anno, & res non esset vendita ultra justum pretium, aliàs secùs. [aliàs reditus excederet sortem: quia sors est vera æstimatio rei traditæ pro sorte. Quod verò excedit, accessio est & usura usuræ.] & ita limitandum dictum Arrestum per ea quæ dicam infra *quæst.* 74. Si verò reditus ascenderet ad duodecimam, ut in *quæst. præcedenti, num.* 240. non deberet hoc casu in totum annullari, sed solùm ad vicesimam reduci, ut infra *num.* 221.

Solutio.

Quæst. incidens.

Arrestum.

Solutio quæst. incidentis.

QUÆSTIO XXVIII.

SYNOPSIS.

1. *Pactum interdum est pars pretii.*
2. *Qualibet ex causa, jure populi Romani ultra legitimum modum usuras extorquere non licet.*
3. *Venditor qui distraxit justo pretio, in dolo non est.*

242. VIcesimooctavò quæro, Quidam nobilis debens capitulo Meldunensi 10. libras Parisienses reditus redimibilis, ad rationem duodecimæ, videlicet pro 150. libris Turonensibus, vendit Titio ligna sylvæ suæ cæduæ pro ducentis vel trecentis libris? Titius non habens tantam pecuniam paratam, soluta

parte pretii, pro centum quinquaginta libris reliduis promisit venditori solvere annuatim tantam summam ad quam ascendit dictus reditus, donec sortem reddat venditori redempturo à dicto capitulo: & ultra se obligavit ad solvendum venditori residuum dicti pretii infra tres annos, vel ad exonerandum eum à dicto reditu, & omnia damna & interesse, si quid horum factum non sit: utrum valeat pactio? Consultus respondi quòd sic: sed ne posthac paralogisari contingat decisionis causas semel ἀναπεώς excutiamus. Probatur primò per notata in præcedenti quæst. & cum res sit dicto aresto decisa, non videtur disputandum. Probo secundò, quia illud pactum est pars pretii, *l. fundi partem, de contrab. empt.* quòd ostendo, quia non erat tunc, aut tam citò, aut tantam lignorum quantitatem venditurus, nisi ut liberaretur à dicto reditu, nec aliàs venditurus, nisi justo & præsenti pretio, quo se liberaret, nec voluit vendere sub dilatione partis pretii, nisi sub dicto onere solvendi interim reliqua reditus, aut redimendi vel persolvendi infra dilationem; & sic dicta pactio non potest dici usuraria, cùm sit pars pretii justi. Tertiò probatur, quia dicta pactio in se est justa, quod ostenditur dupliciter: Primò, quia venditor nihil stipulatur à Tito, nisi quòd præsente pecunia, facere poterat & facturus erat, & sic infrà limites & veri & justi interesse de quo constat, ita quòd hæc pactio esset justa in mutuo per notata *supra num.* 25. Unde tenent Doctores & Theologi, quòd volens negotiari de pecunia, si eam mutuet: potest stipulari non solùm sortem reddi, sed etiam quantum interim fuisset lucraturus, & quòd volens redimere reditum usurarium, si mutuet eam pecuniam, potest stipulari, nedum sortem reddi, sed etiam quantum pro usuris interim cogetur solvere. Secundò, quia ista pactio non fit in gratiam venditoris, quia mallet promptam pecuniam; sed in gratiam emptoris: igitur non potest dici venditor committere aliquam usuram per notata. Bal. in *Rub. col.* 2. *C. de usur.* & venditor non facit hoc pactum ut sibi magis negotietur vel caveat, sed ut consulat emptori, utque ei liceat interim pinguiùs de pretio negotiari. Quartò, hæc tantò fortiùs procederent, si venditus esset fundus, aut alia res fructifera, ut in quæstione præcedenti, quæ tantò magis videtur in dubitata; sed quò res esset illustrior, posui exemplum in re mobili, & nullum pariente fructum.

243. In contrarium verò arguitur, primò, non debet admitti saltem major licentia fœnerandi vel fraudandi fœnoris, quàm sit de jure Civili: & loquimur de proprio illo & formali fœnore, in quo debitor potest cogi ad restitutionem sortis, & nihilominùs ad successivum actuarium, quandiu differtur solutio. Sed Iure Civili nullo casu licet legitimum modum egredi, non solùm in vero mutuo, sed sive ex venditione, vel ex testamento, aut aliàs debeatur quantitas. text. in *l. Julianus* §. *idem Papin. de action. empt. l.* 3. *in fin. de annuis legat. suprà eod. num.* 7. At hîc legitimus modus enormiter exceditur, sive jus civile attendas, *l. eos, C. de usur.* sive mores nostros: quia licèt reditus sint appobati usque ad 12. sortis partem annuam, hoc intelligitur dummodo sors sit perpetuò alienata, ita quòd nunquam teneatur debitor reddere: quod est præcipuum substantiale horum reddituum, qui sic differunt à mutuo vero & interpretativo, ut *sup. num.* 17. Sed hîc debitor remanet efficaciter obligatus ad sortis restitutionem, & ad hoc cogi potest, ac si mutuò accepisset: & sic est interpretatiuum & effectuale mutuum. Igitur non potest obligari ad hunc reditum, quia mo jus enormiter excedit ur, & alioquin justius esset quòd alienata sorte vendere posset reditum ad rationem unius in decem vel octo, quod tamen nemo diceret propter nimium excessum. Sed hîc est major excessus, cùm possit cogi reddere sortem. Et alioquin sequeretur excessus intolerabilis, etiam fundo fructifero vendito. Fac fundum centum annua ferentem vendi tribus millibus summo & justo pretio, secundum notata *sup. quæst.* 5. & emptorem fundo recepto, rogare dilationem pretii usque in biennium & interim offerre reditum ad rationem duodecimæ, donec solvat: si hoc admitteretur, sequeretur quod posset obligari ad ducenta quinquaginta annuatim, & nihilominùs lapso termino, cogi ad restitutionem trium millium cum reliquis ejusdem pensionis, etiam post terminum, quandiu solvere differret. Quod non solùm legitimum modum excedit, sed est apertè iniquum, cùm pensio ferè in triplo fructus excedat: jure autem communi licet stipulari pensionem fructibus congruentem, quandiu solutio differtur, *l. sicut empt. o, in fin. cum l. seq. locati* sive habito respectu ad pretium, excedat legitimum modum usurarum, sive non: quia potuit fundus vendi vili pretio, ita quòd fructus excederent usuras legitimas pretii: & tamen licitum est fructus integros stipulari, donec pretium solvatur, sicut licebat rem retinere, ut dixi in *consuet. Part.* §. 1. *glos.* 9. *nu.* 19. Sed si fructus sint minores usuris legitimis, ut assolet, cùm res est vendita justo pretio, jus commune permittit stipulari pensionem excedentem fructus, donec solvatur, dummodò non excedat legitimum modum usurarum, alioquin ipso jure non valet ultrà legitimum modum, ita quòd hoc casu licet stipulari ad rationem semissis usuræ, & non ultrà. Igitur prorsus injustum & improbum fœnus esset, stipulari ad rationem duodecimæ quæ besses excedit, ita ut cùm hoc sors repeti possit. Est ergo manifesta iniquitas in hoc exemplo, quia ducenta 50. reditus perpetui sorte alienata liberè redimibilis tribus millibus æquipollent summo pretio fundi valentis ad summum tria millia. Tantus autem reditus sorte non alienata, sed repetibili, longè plus valet: & sic esset hic fundus datus pro pretio longè superexcedente summum pretium, & adhuc iniquus, si res vendita non affert fructum, ut hîc. Non obstat secundum, quòd hic reditus sit pars pretii quia supponitur quòd res erat vendita justo pretio, & sic dictus reditus non est, nec esse potest pars pretii justi in totum, vel in parte: cùm pretium conventum sit integrum justum pretium, & sic ille reditus non est nisi pretium ipsius dilationis: igitur subesse debet legibus & coërcitionibus usurariis, *d.* §. *idem Papinianus*. Secùs si res ipsa esset minori pretio vendita, ita quòd pactum esset additum ad supplendum & æquandum justum pretium: quia tunc erat pars pretii, non autem accessio: & sic non subesset legibus usurariis, & ita loquitur & intelligitur *d. l. fundi partem*, quæ expressè dicit rem tantò minoris venditam, propter pactum: non obstat tertium, quia sive attendatur interesse vel egestas creditoris, non tamen licet hoc prætextu ultra legitimum modum fœnerari, sive attendatur quòd sit in gratiam debitoris idem: alioquin sequeretur quod liceret excessivum fœnus exigere à debitore qui majus aliquod compendium assequeretur, vel majus damnum evitaret de usu pecuniæ, quod est falsum per notata *sup. num.* 29. Non obstat primum de dicto Aresto, quia negari potest ibi rem væniisse justo pretio, vel rem benè discussam, nec exemplis, &c. ut *sup. num.* 195.

Solutio quæstionis incidentis.

Quando pactum est justum vel accessio pretii.

Quæstio incidens.

244. Quid dicendum? Respondeo pactum esse justum in hac hypothesi: & pro brevi & exacta doctrina & conciliatione contrariorum dico, quod aliud est velle negotiari seu quæstum facere de usu vel dilatione pecuniæ, aliud velle in præsenti re sua uti, vel sibi caveri de certo imminenti damno vitando, vel de certo imminenti lucro non amittendo. Primum spectat ad materiam usurariam, & compensationem promiscui successivi interusurii pecuniæ, & est verum fœnus. Secundum verò non spectat ad interusurium, sed ad certum justum interesse, de quo constat, & sic cessat materia usuræ & fœneratoris. Aut ergo non apparet de certa præsenti vera justa causa interesse, ultra generale interesse promiscui interusurii; ut in casu dicti Aresti, in quæstione præcedenti ad finem, vel etiam ultra interesse lucri soliti & ordinarii mercaturæ, vel cujusvis justæ

Solutio.

negotiationis creditoris, ut *inf. num.* 497. & tunc pactum est illicitum & usurarium. Non tamen puto hoc casu omnino annullandum; sed ad quincuncem centesimæ reducendum, ut in *fi. quæst. præcedentis, & infrà de reditibus temporalibus, num.* 464. Et moveor, quia venditor non est in dolo, quia incipit à contractu justo & indubitato, nec vendi nisi justo pretio, & verisimiliter existimavit sibi licere duodecimam annuam pretii stipulari, quandò solutio differtur, ut imperiti vulgo putant: unde licèt erret in jure, satis est excessum moderari, & ita rem temperari, ne venditor maneat in totum deceptus cum damno, & emptor decipiens inde locupletetur. Secùs in eo qui incipit à negotiatione fœneratitia emptionis reditus ultra rationem decimæ, vel cum pactis illicitis: quia propter nimium excessum dolosè factum omni lucro privari meretur, ut *suprà quæst.* 10. & *infrà quæst.* 80. Aut vero apparet in specie de certa præsenti casuali & justa causa interesse, ut in hac quæstione, & tunc licitum est pactum illud, interesse excedens ut in hoc casu ubi venditor non stipulatur sibi ipsi præcisè talem reditum solvi; sed alienativè, ut vel sibi causa indemnitatis suæ, vel creditori suo teneatur emptor solvere reditum, & omninò infra terminum, vel pretium sibi solvi, vel creditori suo in causam dictæ redemptionis. Et sic apparet quod venditor non certat hic de aliquo novo quæstu pro usu pecuniæ, vel solutionis dilatione, & sic cessat materia & graviras usuræ; sed tantùm certat, ut indemnis servetur à certo & præsenti damno. Cæterùm etiam commodare certat emptori quantum potest salva indemnitate sua in casu, cujus veritatis & justitiæ certitudo omnem fraudis materiam & suspicionem excludit, ut in simili *infrà num.* 571. & sic neutrobique quicquam obstat.

QUÆSTIO XXIX.

SYNOPSIS.

1. *Creditor actiones cedere compellitur.*
2. *Duo illa simul non competunt, reditus perceptio, & sortis repetitio.*
3. *Quando fidejussor creditori succedit, confusione obligatio fidejussoria evanescit.*

245. VIgesimo-nonò, succedit appositè quæstio: duo in solidum constituerunt hujusmodi reditum, alter recepit totam pecuniam & intercessori suo instrumenti indemnitatis expedivit, ut *sup. quæst.* 7. promisit etiam infra quinque annos reditum redimere, vel aliàs eum exumere ab obligatione quod non facit. Tandem lapso quinquennio, videns fidejussor debitorem non velle aut non posse redimere & interim sese subinde compelli, redemit reditum, & habuit cessionem actionum: quales sint, prout teneatur creditor cedere ut *inf. quæst.* 46. Utrum possit cogere debitorem ad redimendum, & nihilominùs quandiu redimere differt, exigere reditum, prout facere poterat creditor? Videtur quòd sic, cùm habeat duo jura, & gerat diversas personas, tum quia debitoris non interest magis quam si creditor non cessisset, vel cessisset extraneo. Imò æquiùs ferre debet, quòd commodum reditus cedat fidejussori adjutori suo, alioquin æquè cessurum extraneo; nec ferendus est si invideat hoc fidejussori, cui fidem non servat, cuique officium impensum non debet esse fraudi, prout esse videtur, si ei non liceat cessionem efficacem accipere à creditore, eò quia fidejussor prout accipere posset: si esset extraneus. Non obstat *l.* 1. *C. de dolo.* Tum quia ibi fidejussor cerrabat de lucro ex infortunio debitoris, sive de acquirendo sibi in perpetuum prædia debitoris, vili ut in talibus executionibus assolet, distracta: hic autem certat de indemnitate vitanda, & licet certè de retinendis fructibus reditus, hoc non videtur lucrum, sed indemnitas, quia interim abest sibi pecunia sua, cujus interusurium æquipollet dictis fructibus. Tum quia *d. l.* 1. vult fidejussorem redhibentem pignora cum fructibus, si quos excepit, servare indemnem, & sibi rependi pretium cum usuris legitimis, & sic ultra pretium debet retinere alterum duorum, vel fructus, vel usuras, pro sua indemnitate. Quibus non obstantibus, contrarium est dicẽdum, quòd non potest cogere ad redimendum, & simul quandiu differtur redemptio, exigere reditum, quia impossibile est, quòd hic reditus currat & debeatur, si debitor teneatur & cogi possit sortem restituere, ut in *quæst. præced. in princ.* Et sic eo ipso quòd iste est effectus creditor quocunque titulo, sive universali, sive particulari, sive lucrativo, sive oneroso, & eo ipso quòd jure creditoris fœneratitii vult uti, & sic pensiones percipere, sese vicissim obligat, ut debitori perpetuo quandiu volet sortem habere, eaque frui liceat; sunt enim incompatibilia hæc duo jura, videlicet jus reddituum hujusmodi percipiendi, & jus sortem repetendi, quia esset mera & propria usura undique reprobata, & profligata. Utque iniquum est & usurarium, sive usuræ κὰτ' ἐξοχὴν & convertibile quem posse fructus fundi, aliunde justo pretio empti lucrari, & tamen venditorem quando volet, cogere posse ad redimendum sine restitutione fructuum? ita & hic.

246. Tum palam est creditorem ipsum teneri de evictione sortis, hoc est, ut eam solidè utróque semel faciat accipientis, utque ab eo nunquam condici nec repeti possit text. in *l. ex empto in princ. de action. empt.* facit *l. nam & si fur. fi cer. pet.* Igitur idem præstare tenetur quicunque ejus successor, vel cessionarius volens eo jure uti. Non obstat, si dicatur quòd percipiet interim has pensiones non tanquam usuras, sed tanquam fructus reditus semel justè constituti & acquisiti: quia verum est quòd erunt justi & tolerandi fructus, si nolit jus habere repetendi sortem: sed si jus eam repetendi habere velit, necessariò erunt veræ & propriæ usuræ intolerandæ & improbum fœnus utpote bessem excedens. Minùs obstat quod dictum est de interusurio, quia longa est distantia inter fructus pecuniæ perpetuò abalienatæ, & ejus quæ ad libitum creditoris repeti potest, quia si ad libitum creditoris repeti potest, nullum est interusurium, suprà *n.* 17. *n.* 82. Si verò repeti possit non ad libitum, sed commodè & congruo intervallo, & usu concesso, tale interusurium ad rationem semissis usuræ promiscuè de jure taxatum est; ita tamen ut nunquam possit sorti jungi, nec duplum excedere, cui inest simplum ut suprà *n.* 44. (Vir & uxor, & mercator cum nobili (pro quo fidejubent) singuli in solidum constituunt reditum. Vir semper solvit, facit sibi cedi actiones quatuor annorum: non potest pignorare mercatorem pro toto, sed nonne potest pro besse? Videtur quod sic, quia vir & uxor pro uno reputantur: imò, quia uxor habet alia bona & singuli in solidum, & sic sunt quatuor. Ergo pro semisse potest exequi, quia etiam cessio communis est sibi, & uxori tamen dicebat Mango contra judicatum, dum ageret causam. *Dom. Auberii.*) Nec adhuc hodie tales usuræ recipiuntur. Præterea etiam civili & juridica ratione probatur, quia obligatio principalis & accessoria, puta fidejussoria in eodem subjecto concurrere non possunt, sed minùs principalis, videlicet fidejussoria, extinguitur *l. si rem, promittendi de duob. reis. l. hæres*

Obligatio principalis & fidejussoria non concurrunt.

§. *fervo.* §. *seq. de fidejuss.* & nominatim quando fidejussor creditori succedit, vel creditor efficitur. text. in *verfic. quod si idem d. l. heres.* Nec obstat si dicatur quòd omnis quidem obligatio, qua fidejussor creditori tenebatur, extinguitur propter eam incomparabilitatem, quia non potest quis obligatus esse sibipsi: sed quòd non sequitur extingui obligationem, qua debitor tenetur fidejussori, quia imò sequitur omninò perimi in necessariam consequentiam: debitor enim non tenetur fidejussori, nisi quia fidejussor est obligatus creditori. Cùm ergo fidejussor ea obligatione exemptus sit, necessariò desinit debitor ei teneri, tanquam fidejussori. Amplio etiam si fidejussor aliis postea cederet aut venderet illum reditum, quia tota illa fidejussoria obligatio semel extincta non reviviscit, *l. qui res. §. aretè. de solut.* Secùs si non proprio, sed nomine alieno verè, & sine fraude emisset: item secùs si reditus ab eo ex causa vetustiori sine fraude & collusione evinceretur, ita quod confusiones medii temporis retrò restituendæ essent, ut in *l. 2 §. fin. de hered. vendit. l. Papinianus de servitut. l. debitor. ad Trebel.* Tertiò limito, si fidejussor succedat creditori per redeptionem, ut in *quæst. sequenti.*

QUÆSTIO XXX.

SYNOPSIS.

1. *Nemini officium suum debet esse damnosum.*
2. *Principalis debet obligatione fidejussorem exonerare.*
3. *Fidejussor qui diu perstitit in obligatione, potest petere ut absolvatur.*
4. *Debitorum interest ne damno afficiantur fidejussores, ut facilius fidejussores inveniantur.*

247. TRigesimò quarto, Quid si iste fidejussor malit recuperare pretium redemptionis duntaxat, & offert deducere & in sortem imputare, si quas pensiones receperit vel debeantur, & vult cogere debitorem ad propriè restituendum residuum sortis seu pretii, an possit? Videtur absque dubio quod sic, quia licèt redemptione sua mero jure exemptus sit obligatione, ut amplius eximi non possit, tamen sibi abest pretium, & sic non videtur in effectu exemptus, sed vetus creditor, qui fruitur pretio, videtur adhuc frui reditu. *l. qui quia de usufr.* quem etiam cum debitore de eodem, pretio renovare potest. Secundò, quia alioquin videretur officium fidejussoris ipsi fraudi verti, contra *l. sed si quis quem admodùm testament. aperiant. l. videlicet. ex quibus cauf. major.* & appositissimè text. in *l. si servus communis. §. adjunge evidentius de furtis* ubi potius toleratur, & æquius est principalem seu dominum ultra rei suæ æstimationem damnificari, quam quod alii officium suum, quod ejus cum quo contraxit, non etiam sui commodi causà suscepit, damnosum sit. Tertiò, quia de jure valet pactum inter debitorem & fidejussorem indistinctè, quod debitor teneatur eum eximere ab obligatione. *l. Lucius mandati l. si pro ea. C. eod.* quæ regula non reperitur limitata hoc casu, nec videtur justa causa limitandi. Quartò, quia de jure si fidejussor quo solveret accepit sub usuris consuetis, potest à debitore repetere sortem cum usuris *l. si. mandati §. si fidejuss. mandati.* quinetiam si fidejussit pro debito usurario, & ut solveret reliqua, accepit suo usuris consuetis, videtur posse repetere hanc sortem cum usuris: quia licet respectu ejus quod debitor debet creditori, sint usuræ usurarum, tamen respectu ejus quod debet fidejussori suo, ut eum reddat indemnem, totum est sors, prout totum hoc fidejussori abest, ob officium debitoris gratiâ susceptum. Sed hîc fidejussor non cerrat de aliquibus usuris, & multo minùs de usuratum usuris, nec de aliquo interesse refundendo, sed duntaxat de sorte principali, in quam offert imputare reliqua, si qua receperit, & sic nulla videtur difficultas. Quintò, quia ista clausula seu actio, quòd teneatur debitor infra congruum aliquod tempus, putà quinque vel sex annorum reditum redimere, vel aliàs fidejussorem eximere ab obligatione, usitatur & justa reputatur communiter etiam inter bonos & graves, & sic videtur licitum arg. *l. quis sit fugitivus §. apud Labeonem de Æd. libit. edict. cap. nisi essent de præb.* Bald. *l. 1. col. 7. C. de his quæ pœnæ nom.* Cepol. *tract. de simula. contract. in princ. col. 3.* latè Dom. And. Tiraq. *in tract. retract. conven. in fin. nu. 127. nu. 130.*

248. In contrarium arguitur, quòd etiam illa clausula vulgata, qua debitor ille usurarius promittit redimere reditum ut fidejussor obligatione eximatur, ab initio sit nulla, tum quia contra naturam, imò contra substantiam reditus, quæ est quòd debitor possit, nec tamen teneatur, nisi cùm libuerit, redimere: alioquin contractus prorsus est illicitus & usurarius. Tum quia aliàs esset prompta fraudis occasio aperta, quia creditor volens mutare, & debitorem ad restitutionem obligatum habere, & tamen interim gravissimam hanc usuram exigere, & omnia bona debitoris brevi absorbere, non vellet emere reditum, nisi accepto sibi placenti fidejussore, quem nominaret, per quem quoties vellet, cogeret debitorem ad restitutionem sortis cum usuris: & sic passim promiscuè & impunè improbissima & intolerabilissima usura etiam ethnicorum legibus damnata exerceretur. Consequenter necesse est talem clausulam contra naturam & substantiam actus appositam, & tot tantisque fraudibus viam aperientem nullam esse, *l. non dubium C. de legibus.* Ad allegata in contrarium dici potest satis esse quod clausula indemnitatis operetur, ut teneatur debitor reditum solvere, & singulis annis exonerare fidejussorem, & à reliquorum obligatione eximere: non autem quòd obligari possit ad eximendum ab ipsa principali obligatione reditus, ne detur occasio fraudibus, & infringatur natura principalis obligationis per accessoriam. Non obstat quod fidejussor, qui diu fuit in obligatione, potest petere se eximi. *d. l. Lucius mandati. d. l. si pro ea C. eod.* quia hoc verum in obligatione momentanea, & secundum ejus naturam, & post longam moram debitoris, ut in dictis legibus: sed hîc est obligatio successiva, & nulla est mora debitoris in redimendo: quia ad hoc non tenetur, nec teneri potest. Tum hoc est contra naturam nedum principalis, sed etiam fidejussoriæ obligationis, quia fidejussor se obligavit in perpetuum, & secundùm naturam reditus, ad quem redimendem debitor compelli non potest.

249. Quid dicendum? Respondeo. Aut non fuit expressum actum, quòd debitor tenebitur redimere vel eximere fidejussorem obligatione, sed solùm quod tenebitur indemnem servare, & non potest cogi redimere, etiamsi paratus sit fidejussor reliqua in sortem imputare? Non obstat quod diu vel perpetuò remanebit in obligatione, quia hoc est de natura hujus obligationis successivæ, & sic prævisum fuit, & tamen fidejussit, & perpetuò se obligavit. Simplex autem promissio indemnitatis intelligitur secundùm naturam obligationis principalis, quemadmodum si quis fidejusserit pro conducente ad viginti vel octoginta annos, & stipulatus sit indemnem se servari. Aut verò actum fuit, quòd infrà congruum aliquod temporis, putà quinque vel sex annorum, debitor tenebitur eum obligatione eximere, & puto valere pactum. [Ita Solutio.

tamen ut moderatè exerceatur : unde respondi, cum debitor principalis mortuus esset relictis infantibus sub tutore qui urgebatur ad redimendum per fidejussorem, cùm non haberet mobilia, sed prædia, quæ illi distrahere oportuisset maximo damno. Respondeo quòd si tutor offert solvere, & videtur cavere de indemnitate, debet tempus redimendi prorogari; quia etiam alias nimia exactio redemptionis non obstante tanta indemnitate facit præsumere quandam collusionem cum creditore:] dummodò nulla fraus intervenat, nec fidejussor sit socius bonorum creditoris, nec cum eo colludat, nec tempore contractus seu pacti, nec tempore executionis pacti. Si verò colludat, siquidem ab initio, dico quod propter fraudem, quæ ad improbum fœnus recidit, & quæ clam & per interpositam personam commissa gravior est, quàm si fuisset aperta, debet contractus in totum annullari, omnibus etiam jam solutis reliquis in sortem imputatis, & ultra tam creditorem quàm fidejussorem pro dolo & stellionatu cum infamia quam incurrunt, mulctandos: nisi re integra pœnituerint, & nihil nocivum sit debitori, per *l.1.C.de his qui sibi adscr.l.1.C.de crim.stellionat.* & notata in *l. qui ea mente de furtis.* Si autem ex post facto collusio supervenerit, non debet contractus ex eo solo annullari, sed aliter dolus puniendus erit, & omne damnum restituendum debitori. Si verò tempore contractus fidejussor erat socius bonorum creditoris, non puto ex hoc solo fraudem vel collusionem præsumendam ad finem annullationis contractus & reliquas pœnas, sed puto quòd clausula de eximendo ab obligatione non valebit. Idem si tunc non erat socius, sed postea cœpit esse. Idem si multò fortiùs, si creditori successerit, etiam in parte, putà pro dimidia vel tertia, ita quod verisimiliter non interest fidejussoris petere exemptionem obligationis, & sic doli exceptione repellitur, quia nec bonæ fidei, nec suscepto fidejussoris officio convenit debitorem urgere ad redimendum, si sua non interest, ut assolet quando fidejussor est socius in reditu pro med a vel tertia parte. Secùs si ex sexta vel decima parte, ita quòd notabiliter sua interest eximi obligatione. Si verò fidejussor successerit creditori ex legato vel alio titulo lucrativo, dicendum omninò fidejussoriam obligationem extinctam, ut in *quæst præcedenti in fin.* secùs si redemerit vel alio titulo oneroso acquisiverit reditum, quia tunc poterit eligere an malit reditum percipere, quo casu deinceps cessabit fijussoria obligatio: an verò malit cogere ad redimendum, & pretium recuperare, quo casu debet amittere omne commodum reditus, & si quid receperit, deducere. Sed quid si per errorem juris putans jus suum de petenda redemptione sibi conservatum iri, recepit pensiones unius vel alterius anni? Puto sibi non nocere, sed solùm tenebitur in sortem imputare: quia ex hujusmodi errore non fuit debitor in aliquo damnificatus, non potest objicere culpam, ex qua potiùs lucrum sentit, *l.cum in fundo. §. quod simulier de ure dotium* & ad summum poterit juramento errorem juris & animum non remittendi probare.

250. Non obstat quòd de necessitate horum reddituum est, quòd debitor non teneatur redimere, quia hoc est verum respectu creditoris, vel habentium causam ab eo: & tunc nec directò, nec per indirectum potest adstringi debitor: secùs respectu fidejussoris, dummodò competens aliquod intervallum detur debitori ad redimendum, ut interim beneficio fidejussionis adiutus sit, non deceptus. argu. *l. in commodato. §.idemq.est ff.cõmodati.* quod sufficit, & potest fidejussor ab initio tempus, quo tenebitur stare in obligatione, limitare *l.tutori Cod.de neg.gest.* Etsi contrarium diceretur, non esset favere, sed officere debitoribus, qui non ita de facili fidejussores invenirẽt, argum. *l.quòd si minor, §.non semper.de minoribus l.si mulier tanquam ad Vellesan. l.ratio.Cod. de rescind.vend.* sequerentur etiam pleraque alia absurda. Quid enim si tutor vel curator ut sub finem temporis redimeret fundum minoris paternum, cùm non habeat satis pecuniæ pro pretio complendo, vendidit reditum ad rationem duodecimæ & sese proprio nomine obligavit, & promisit ratum haberi per minorem majorem factum, & posteà reddendo rationes expensam ferat sortem reditus, ut ea recepta, reditum redimat, minor autem major factus controvertat, ratificans reditus constitutionem, & offerens illum solvere, & indemnem reddere tutorem, ut ipse major pecunia fruatur, nonne iniquum est tutorem, qui satis officio suo perfunctus est, rursus deinceps cogi manere in obligatione, quandiu majori, suisque libuerit? Est sanè iniquum: habet ergo actionem ut exoneretur etiam antequam solvat vel redimat. text. in *l. fin. de contraria vel utili act.tut.* item sequeretur quòd melioris conditionis esset fidejussor gravem compensationem exigens à debitore, quam purè & liberaliter fidejubens. Pone (ut vidi de facto) aliquem nolle fidejubere, nisi debitor simul se obliget ad duplum ejus summæ, qua indiget, ut sic dupletur reditus, & debitor habeat dimidiam partem sortis, fidejussor aliam dimidiam. & utrique, quasi mutuò fidejubeant, in solidum obligentur. Modò quis negaverit, quin mutuò possint sese obligare (ut habeo in facto) ad redimendum, utique ad hunc finem teneatur alter alteri dimidiam partem sortis cum dimidia reliquorum conferre post sex menses vel aliud competens tempus, quàm alter ab altero ad hoc interpellatus fuerit, idque sub pœna. Vides mutuam hanc pactionem esse licitam: ergo fateri oportet esse licitam ad commodum illius, qui merè liberaliter fidejussit, alias melioris conditionis esset durus, & sibiipsi negotians, quàm humanior, quod esset absurdissimum, & pessimi exempli §. *fina. institut. de donation.*

QUÆSTIO XXXI.

SYNOPSIS.

1. *Fidejussoria obligatio sine mercede procedere debet.*
2. *Damnanda magis fraus clam expatrata.*
3. *Fidejussor qui liberationem à spontaneo debitore accepit, mercedem accepisse non dicendus est.*

251. TRigesimo-primò quæro, Quid si debitor mutuum accipiens, vel reditum vendens, partem aliquam sortis, vel quid aliud det, vel promittat fidejussori ut intercedat, quia aliter non vult fidejubere? Prima facie videtur hoc justum & licitum, *l. hoc iure. §. Labeo. de donat. ubi textus* dicit non esse donationem, sed mercedem officii, & text. in *l. si remunerandi, §. Maurus mandat.* adde *l.in antiquæ in princ.& §.1.C. ad Vellei.* & ita tenet Clavas. *ver. fide, ussor. in fin.* Ita sentit & servari dicit Lauren. de Rodulph. *tract. usu. part.3.q.3.* licèt tutiùs dicat abstinere, cum quo transit Anton. *part. 2. tit. 1. c. 7.* §. 45. Decius autem *consil. 7. n. 1.* & communiter Doctores nostri simpliciter tenent licere. Sed disputatione omissa, breviter dico fidejussorem turpiter exigere & accipere, & condici posse per debitorem, quod in mutuo satis clarum est. Ut enim creditor pro officio mutui nihil potest honestè exigere, ita fidejussor, imò multò minùs: quia minus officii impendit, quàm creditor suum gratis mutuans. Si creditori ipsi sors mutuaticia, quæ abest, nihil debet parere: quantò minus fidejussori simplex verborũ prolatio, cùm nihil ei absit? Si creditorem propter officium mutuationis aliquid ultra sortem exigere

Fidejussoris officium gratuitum.

gere (licèt interim pecunia sua sibi absit) est usura: in fidejussore cui nihil abest, est plus quàm usura, quæ re ipsa, ut iniquior, ita deformior & sordidior est in fidejussore, etiamsi vulgo quidam imperiti non sic sentiant, eò quòd nondum viderunt reprobari: eò quòd elenchum usurarum & cur illicitæ sint, ignorent: eò quòd fortè rariùs usuvenit quemquam velle quæstum facere vel lucrari de officio fidejussionis: sed non minùs iniquum & reprobum, tametsi rariùs usurpatum. Et sic concludo sufficere debere fidejussori, quòd indemnis servetur, tum alioquin malitiosis hominibus fenestra pateret usuras gravissimas exercendi: fœnerator enim nollet mutuare, nisi tali accepto fidejussore, per cujus interpositam personam aliquid de sorte retineret, vel ultra sortem stipularetur. Quæ autem dicimus in mutuo, locum habent in his reditibus loco veterum usurarum subrogatis: pactum tamen seorsum factum cum fidejussore non nocebit innocenti creditori. Sed si appareat eum cum fidejussore vel alia interposita persona collusisse, tunc dico quòd etiam modicus excessus, qui aliàs non sufficeret ad cassationem, sed ad simplicem moderationem reditus: quia major & tetrior est fraus, quę occultè & per interpositam personam fit. argum. *l. pupillus §. sed si per interpositum. ff. de auter. & consensu tutor. & curat.* Non obstat *d. l. hoc jure §. 1.* quia non approbat has mercedes, nec ad hunc finem loquitur ille text. sed solùm ad finem ostendendi, quòd non cadunt in damnationem. Loquitur enim quando stipulatur, promittitur vel datur merces pro officio futuro, & dicit esse extra causam donationis (quod etiam de usura dici potest) nec valere tanquam veram donationem. An autem alio modo valeat, recurrendum est ad materiam subjectam, & ad alia jura.

252. Nullo verò jure cavetur, nec ratio Philosophiæ Moralis, aut justitiæ commutativæ suadet, sed potiùs repugnat fidejussorem posse aliquid accipere pro officio fidejussionis, quod de se est non minus: imò magis gratuitum, quàm verum mutuum: & sic esset turpe lucrum, & illicita exactio. Cæterùm indemnitatem accipere, non est exigere propter officium fidejussionis, sed propter damnum, ut in mutuatione dictum est suprà *num.* 25. & hanc ergo stipulari licet, prout etiam gratitudinem & antidoralem obligationem, ut suprà *num.* 27. nec est vitiosum, si debitor sponte & liberaliter fidejussorem maximè officio functum remuneretur, ut suprà *num.* 8. quæ remuneratio ut nullo jure cogente fit, ita in causam donationis cadit *l. donari videtur*: & ibi Philip. Dec. *de reg. jur.* scilicet largè: neque enim quælibet *ἀντίδοσις* rationem liberalitatis & donationis excludit, licèt pro rei qualitate rationem meræ donationis elevet *l. sed etsi lege §. consulnit. de petit. hered. junct. l. si pater. §. si quis, de donat.* Sed quid (ut fit quotidie) si debitor fidejussorem associet in contractu vel negotio principali? Respondeo si aliàs æqualiter non est vitium, etiamsi fidejussor aliter noluit fidejubere: ut in *fin. quæst. præced.* sed si contemplatione fidejussionis minus solvat de pretio, & tamen partem æqualem habeat, vel minùs ferat damni, aut plus lucri, injustum est, & reputandum tanquam illicitè extortum. Et loquor de fidejussionibus obligationum certarum, in quibus apparet quæ & quanta sit indemnitas, & quod fidejussori datur vel promittitur eam excedere, præsertim quando fidejubetur pro indigente temporario usu rei alieni. Secùs in fidejussionibus obligationum incertarum, quibus inest dubium grave & incertum periculum, ita quod id quod fidejussori datur, non separatur ab indemnitate, sed est pars indemnitatis, prout bonus vir ex totius, particularis negotii circunstantiis arbitrabitur. Item secùs si fidejussor non præstet nudum officium verbi & securitatis: sed vel pignora tradit, quibus interim caret, vel operam præstat, aut aliud dispendium vel periculum subit, ut Phil. Dec. *consil.* 7. uti tetigi in annot.

QUÆSTIO XXXII.

SYNOPSIS.

1. *Damnata inconsulta fidejussio.*
2. *Dotium nomine non accipiuntur fidejussores.*
3. *Minor fidejubere non potest.*
4. *Nec mulier.*
5. *Improba fidejussio in luem nequam adolescentum.*

253. TRigesimo-secundò, opportunè occurrit quæstio tractata suprà *nu.* 23. An fidejubere liceat? Novam & otiosam dices quæstionem, esto quidvis, modò lucem & perspicuitatem, (quam unicè vel commentationum nostrarum contemptu colimus) locis non contemnendis offerat. Scribit Parœmiographos *cap.* 20. *Tolle vestimentum ejus qui fidejussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.* Eandem sententiam repetit. *cap.* 27. *versus*, *cap.* 22. *ad fin. Noli esse cum his qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis*: ubi nova Tigurina editio habet. Ne sis inter eos qui stipulata manu fidem jubent, & pro debito obstringunt. Cur enim committeres, ut si solvendo non essent, lectus tuus sub te auferretur? & *cap.* 27. *Stultus homo plaudit manibus suis, cum spoponderit pro amico suo*, secundum vulgatam editionem: Tigurina verò sic habet, Qui stipulata manu pro proximo fidejussor spondet, imprudens est. Ex quibus prima facie reprobari & prohiberi videtur fidejussio. Et ita disertè scripsit Dom. Conrad. Pellic. *Prov. 6. duritis addens*, illud esse nedum rei familiari periculosum, sed etiam contra rationem & conscientiam, etiam contra Deum. Causificans primò, quò fidejubens confidit in hominem, carnem & sanguinem instabilem pro quo fidejubet exponit: deinde, quod nimium tribuit sibipsi, pollicendo certò de contingentibus & dubiis in futurũ, quæ ex Deo pendent, qui non vult solicitos esse de crastino, sed totos pendere ex Dei providentia, addens quòd cùm Judas *Gen.* 43. *vers.* 3. se pignus interposuisset pro fratre Benjamin adducendo, vindictam sensit & angustias vehementes, quia Domini voluntatem non prætulerat. Sed hîc ille rerum communis vitæ inexpertem se esse ostendit, & locum fecit insigniter illi proverbio, —*Quandoque bonus dormitat Homerus.* Iisdem enim causificationibus non liceret promittere reddere mutuum, nec aliud quodcunque debitum, præsertim ad diem certum, [Item filius qui noluit fidejubere pro patre carcerato, ut eum eximat de carcere non posset exheredari, quia non poterat fidejubere sine peccato. Nec potest opponi, cur non soluit: quia non poterat tunc solvere. Id etiam, noluit fidejubere de repræsentando patre, & stando juri tantisper dum quæritur instructio, vel probatio innocentis patris: quanta impietas hac superstitione justificaretur?] sed & omnis ratio & usus commerciorum & negotiationum, sine quibus resp. stare nequit, de medio tolleretur: Quid enim plus facit fidejussor, quàm si se obliget, ac si mutuum ipse recepisset? Philipp. autem Melanchthon *Prov.* 6. melius exponens, Non vetat (ait) spondere, & officia charitatis præstare, sed vetat confidere hominibus, quod ultimum mihi non videtur *κατὰ τὸ ῥητόν.*

Salomon.

Error Pellicani.

254. Breviter ego puto in Parabolis sicut & in Eccle-

siastico multa contineri præcepta & documenta œconomica & politica Philosophiæ Moralis, pro talibus accipienda, non autem continuò trahenda ad obligationem legis divinæ, sicut nec ad gratiam & virtutem Evangelii, unde in locis prælegatis puto Salomonem nihil aliud agere, quàm deterrere à nimis frequenti & inconsulta fidejussione, ne contingat nimiùm debitis illaqueari, præsertim alienis, & à functione propria intempestivè avocari, quæ solet esse seges & occasio multarum fraudationum, dissidiorum, & noxarum conscientiæ, quibus summopere obviandum est: & hoc satis indicat verba Salomonis in iisdem Paœmiis, *cap. 6.* & vetus illud Proverbium, *sponde, noxæ est.* Eras. *centur. 6. adag. 97.* Et hæc est una de causis, propter quas jura prohibent fidejussores dotium, *l. 1. C. ne fidejuss. vel mandator. dot. dentur.* Cùm enim frequentia matrimoniorum & dotium sit necessaria, si fidejussores interponerentur, brevi accideret omnes ferè cives fidejussionibus proprio vel hereditario nomine implicitos esse: cumque nimis ampla sit materia litium ex dotibus, adhuc amplior, multiplicior & irretitior esset, adjectis fidejussoribus, reciprocatione litium, evictionum & recursuum mutuorum. Sunt etiam aliæ rationes, quas trado in *consuetudine Parisiensi de donation. §. 136.* Quædam ergo fidejussio à jure prohibetur ob publicam utilitatem, unde in dotibus: quædam eliditur ob inconsultam utilitatem, ut in minore *Cod. si adversus fiscum* & in muliere, quæ est ratio *S. C. Velleiani*, ut *infrà num. 94.* Et pulchrè lex distinguit imbecillitatem sexus, de qua in *l. 2. ad Velleia.* à vera liberalitate & debito pietatis officio: ut cùm mulier fidejubet pro patre in necessitate constituto, quo casu cessat Velleianum, *l. si pro aliquo. in fin. ad Velleia.* Est etiam flagitiosa fidejussio, quando fit in necem vel corruptionem ipsius debitoris, putà filiifamilias vel adolescentis aut alterius nequiter aut inutiliter consumpturi, quod est incentivum insolentiæ, luxuriæ, & aliorum flagitiorum. Quo casu non solùm scienter credentes, sed etiam fidejussores conscios, pro modo culpæ vel collusionis puniendos puto. Cæterùm his cessantibus, fidejussio nedum est actus honestus, & sæpè necessarius in usu & tractu commerciorum, sed etiam pro fratre indigente actus pius. Et D. Paulus proprio αὐτογράφῳ fidejussit apud Philemonem pro Onesimo, hæc quoque nobili illo ornatur encomio Ecclesiast. 29. *Vir bonus fideiubet pro proximo suo: at homo impudens patitur fidejussorem excuti & luere*: unde mox sequentibus versiculis deterret à nimia vel inconsulta fidejussione, propter subversionem domorum & ingentes perturbationes instar fluctuum maris, & cætera.

Fidejussio inconsulta.

QUÆSTIO XXXIII.

SYNOPSIS.

1. *Reditus per partes dissecari non potest.*

2. *Fructus pignoris in sortem imputantur.*

255. TRigesimo-tertiò, occurrit quæstio, quam vidi in facto. Debitor obæratus patiens subhastationem unius ex prædiis suis, cui multi creditores, quibus hujusmodi reditus debebantur, intercesserunt: ne propter multitudinem confluentium creditorum, prædium illud vix emptorem inveniret, & vili addiceretur, dedit singulis creditoribus intercedentibus viginti vel triginta aureos, ut renuntiarent oppositionibus suis super eo prædio, quo liberiùs & cariùs, ut pote sine onere dictorum redituum distraheretur, salvis juribus & hypothecis suis super debitore & aliis ejus bonis. Nunc quæritur an dicti creditores teneantur summam sic receptam in sortem imputare? Dubium facit, quod creditores non exegerunt nec receperunt in sortem, nec in reliqua, sed tanquam pretium renunciationis seu remissionis partis hypothecatum. Tum exinde jura seu nomina eorum minus valent, & verisimiliter minori pretio distrahentur vel æstimabuntur, cùm sint deteriorata propter remissam dictam hypothecam: igitur justè receperunt pretium, nec tenentur imputare, facit *l. si stipulatus §. si ex duobus. de fidejuss.* Quibus non obstantibus ex quo debitor semper æquè remanet in solidum obligatus ad dictos reditus, ut prius: dico quòd potest dictas summas imputare creditoribus quibus soluit, non in sortem, hoc est in diminutionem reditus in futurum, sed in reliqua, non solum præterita, sed etiam futura, si reliqua quæ nunc debentur, eam summam non exhauriant. Si enim debitor vellet nunc redimere, res esset expedita: sed cum nondum redimere velit, non est justum eam summam ex nunc forti imputari, quia esset scindere reditum, & redimere pro parte, quod est injustum, ut in fortioribus terminis dictum est, *supra q. 10 n. 105.* Nec etiam dicendum est quod creditores possint summas sibi datas, velut vice pignoris retinere, donec redimatur, tempore verò redemptionis deducendas: quia hoc modo creditores solidum & summum reditum perciperent, & tamen interim debitor non frueretur tota sorte, sed creditores haberent partem pecuniæ, qua liberè fruerentur, & cujus interusurium ultra solidum reditum lucrarentur, & sic ultra rationem duodecimæ, quod non est ullo modo ferendum, proinde non est æquum debitori condictionem seu repetitionem dictæ summæ statim dari, nisi hypothecam dimissam, vel aliam æquipollentem securitatem restituat, sed in reliqua etiam futura debet imputari: nec occurrit quod melius dici possit.

256. Confirmatur, quia licet ea summa non sit data in pignus, sed tanquam pretium remissi pignoris, est tamen fructus pignoris, seu ejus occasione acquisita creditori: & sic non debet cedere ejus lucro, sed imputari, *l. si pignore de pign. action.* præsertim in his reditibus, ubi prohibetur quicquam ultra constitutum exigi à debitore. Prædicta etiam æquè procedunt, si debitor cujus omnia bona sint hypothecata redituì, vellet unum ex prædiis suis vendere, vel in dotem dare liberè, sine onere alicujus hypothecæ, & aliquid dare creditori, quo consentiret & hypothecam dicti prædii remitteret. Limitantur autem ut procedant in reditu summo ad rationem duodecimæ: secus si esset sub ratione quintædecimæ vel leviori, putà sors centum quinquaginta in decem annua, quia tunc etiamsi creditor accipiat usque ad triginta vel infra, ut quasdam hypothecas remittat, vel quemdam fidejussorem exoneret, nullum est vitium usuræ: creditor enim justè causari potest, quod contemplatione majoris securitatis plurium hypothecarum, vel fidejussorum minori reditu contentus fuerat. Cæterum cùm debitori remaneat sors sufficiens ad reditum, nihil fit ultra constitutum, scilicet interim, sed tempore redemptionis illa triginta debebunt imputari vel deduci de sorte: alioquin creditor ultra metas concessas à tempore receptionis dictæ summæ lucraretur, quia ex tunc haberet solidum reditum, & tamen restituerentur ei centum quinquaginta, præter illa triginta quæ habuit, & præter interusurium dictorum triginta, quod est illicitum. Igitur licere debet debitori redimere pro centum viginti: idem in similibus. Quod si creditor non accepisset certam summam, sed tantum auctus fuisset reditus ad rationem duodecimæ vel infrà, putà ad duodecimam cum dimidio annuatim à tempore remissionis hypothecæ vel fidejussoris, tunc res

esset expeditior, & nihil esset repetendum. Item limitantur ut non procedant in reditibus fundiariis, vel ex supplemento divisionis immobilium, vel etiam ex donatione vel legato constitutis, & sic aliàs quàm ad temporarium æris alieni usum redimendum.

QUÆSTIO XXXIV.

SYNOPSIS.

1. *Creditor impunè pretium accipit à fidejussore, ut illum obligatione liberet, & absque sortis diminutione.*
2. *Debitor dedisse illud videtur, cujus nomine convenire à fidejussore potest.*
3. *In re obscura potius favendum illi est qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando.*

257. TRigesimo-quartò quæro, quid si creditor non accepit à principali debitore, sed à fidejussore, ut eum obligatione eximat? Prima facie non videtur vitiosum nec repetendum, non solum quia non fuit hoc præmeditatum tempore contractus, nec alia fraus interceßit, sed multò magis quia vera, nova & efficax causa supervenit: creditor enim dat liberationem, & remittit isti jus suum & actionem validam & efficacem, quod dare & facere gratis non tenebatur; igitur justè mercedem accepit. In contrarium, quia si non licet accipere à principali, ut in quæstione præcedenti non videtur licitum accipere à fidejussore, quià accessorium sequitur naturam principalis. Breviter idem decernendum puto in his reditibus, sicut in vero mutuo: unde quemadmodum si quis fidejussit in mille mutuata cuidam, qui in transmarinam negotiationem abiit, si creditor rogatu fidejussoris sibi metuentis, eum liberaverit obligatione fidejussoria centum acceptis, nemo dixerit esse usuram, nec ideo minus creditorem exigere posse mille à debitore, si redierit & solvendo sit: quia illa centum non sunt recepta nomine debitoris, nec de bonis eius, nec propter officium mutui, nec eius occasione, nec debitoris interest: sed sunt recepta à fidejussore suum proprium & non debitoris negotium gerente, utque fidejussor liberaretur periculo quod imminebat, si debitor qui alia bona non habebat, rem periculo obnoxiam malè ageret, utque illud periculum in creditorem transferretur, & sic illa centum sunt veluti periculi pretium, ut *suprà quæst. 3. num.* 92. Cessante verò dicto periculo, si creditor verisimiliter non est amissurus debitum, licet fidejussorem liberet, injustè videtur accipere, & maximè in debito usurario: Ita dicendum in his reditibus usurarum succedaneis. Et sic concludo quod si subest imminens periculum sortis & reditus in persona debitoris, non est reprobandum quod creditor aliquid accipiat à fidejussore, quem non solum obligatione, sed etiam periculo eximit: cessante verò probabili periculo, injustè accipit, nisi alia justa causa accedat, ut quia contemplatione fidejussoriæ cautionis minorem reditum emerat, & illud quod accipit, non excedit illud quod remissum fuit de reditu, ut in quæstione præcedenti.

258. Sed casu quo injustè accepit, oritur quæstio per quem repeti possit? Non enim videtur per fidejussorem, cui justè dicere potest creditor: Restitue me in priorem statum, & redi in obligationem, & ego tibi restituam: nec per debitorem cujus non interest. Respondeo si debitoris interest, putà si fidejussor (quem tenebatur debitor infra certum tempus obligatione eximere, ut *suprà quæst. 30.*) repetere potest à debitore tanquam damna & interesse, quod creditori fidejussor dedit; tunc enim debitor ipse dedisse vel ei abesse videtur, quatenus contra eum fidejussor habiturus est regressum, *per not. in l. in duobus §. 1. & in l ult. de jurejur. in l. si fide, usforis, de pact.* Et sic earenùs poterit deducere creditori, primum in reliqua, deinde in sortem *l. cum & sortis, de pig. actione.* Si verò debitoris non interest, nihil deducere, nec causari poterit: nec etiam fidejussor, nisi priorem subire obligationem tam respectu personæ lucr, quàm bonorum quæ tunc habebat, vel æquivalentem dare cautionem offerat. arg. *l. ult. in fin. si cert. pet.* vel nisi redemptum sit à debitore & plenè satisfactum creditori. Unde puto quod iste fidejussor volens injustè datum statim repetere, si offerat creditori redimere sortem cum reliquis offerendo & simul imputando id quod dedit, & petendo cessionem actionum & jurium contra debitorem, ut loco creditoris subrogetur, audiendus est, & ad hoc potest compellere creditorem. Non obstat *l. nulla Cod. de solution.* quia iste nuper fidejussor, propter reliquias prioris obligationis, & ejus quod dedit, & negotii nuper gesti cum creditore, non est merè extraneus, & indemnem reddendo creditorem, cui dat totum quod suum est, justè dictam deductionem facit, & cessionem petit, ut indemnis servetur sine dispendio creditoris, *l. in creditore. in fin. de evictionib.* & alioquin jam creditor certaret de lucro, fidejussor autem de damno vitando. Et sic vel in dubio vincere deberet *l. non debet §. in re obscura de reg. jur. l. jure succursum, in fin. de jure dotium.*

QUÆSTIO XXXV.

SYNOPSIS.

1. *Debitor ultra duodecimam non oneratur.*
2. *Casus Novellæ 32. explosus.*
3. *Antichresis non est, nisi fructus pignoris usurarum vice sit.*
4. *Fœnerator improbus omni commodo destituitur.*
5. *Ejus quod in loco fieri solet, non præsumitur ignorantia.*
6. *Pactum redimendi rei valorem imminuit.*
7. *In mera antichresi creditor non impunè egreditur qui ultra decimam.*

Antichresis. 259. TRigesimo-quinto opportunè succedit quæstio, quid si ἀντίχρησις facta sit ut in *l. si is qui bona de pignorib.* putà si debitor eodem contractu venditionis reditus tradat creditori fundum ejusdem reditus quoad redimat, ut creditor tuto sine procrastinatione, & appellandi sollicitudine per manus suas percipiat, vel si tradat fundum majoris valoris fruendum usque ad concurrentiam reditus? Et prima facie non videtur vitiosum, sed licitum esse: quia non videtur creditor plus quam concessum sit per hoc lucrari, sed est tantùm plenior quædam securitas, ut de prædibus prædiisque dictum est suprà *quæst. 7.*

nec prohibetur creditor fructus fundi hypothecati percipere, & in usuras imputare : sed prohibetur facere suos ultra sortem & usuras. Tum si creditor sub libero pacto redimendi emat fundum non afferentem communiter majores fructus in anno quàm sit duodecima pars pretii, non videretur contractus usurarius nec illicitus : igitur nec iste contractus. Quòd enim licitè fieri potest uno modo, potest magis licitè fieri alio modo liberaliori & leviori ipsi debitori, ut hîc, ubi remanet dominus. Tum non prohibetur hujusmodi creditor conducere fundum debitoris justa mercede, super qua primum deducetur reditus quod in effectu in idem recidit cum antichresi. Non obstat constitutio 32. in *authen. nullum credentem agricolæ* quia est specialis dispositio in agricolis *supra eod. quæst.* 1 in quibus etiam est magna ratio specialitatis prohibendæ antichreseos, ne videlicet impediatur agricultura, & pauperes rustici fundis semel exuti, simulque potiori sua industria fraudati, nunquam exoluere queant, sed solum vertere cogantur. In cæteris autem hominibus manet jus commune, de quo in *d. l. si is qui* §. *si autem* in *l. si ea pactione, l. si ea lege. Cod. de usu.* Quibus non obstantibus contrarium puto : quia simplex duodecima est supremus gradus & ἀκμὴ horum reddituum : nec potest debitor ad summum plus gravari, quàm usque ad rationem simplicis duodecimæ : cui si antichresis adjungatur, debitor actu notabiliter plus gravatur, quia amittit possessionem, usum & fruitionem domus vel fundi sui, & multa commoda præter annuum reditum inde provenientia. Creditor autem præter annuum reditum & pleniorem securitatem, habet usum fundi : & licet in simplici duodecima nullum debeat percipere commodum, nisi in fine anni vel termini consueti, tamen hic continuè, & semper ante terminum percipit, & in summa, loco simplicis reditus ad finem anni persolvendi, plenum usumfructum perpetuum ad heredes, & quemcumque successorem transmissibilem & cessibilem.

Solutio.

260. Quare concludo hujusmodi pactum antichreseos (& loquor de perpetua & absoluta antichresi, & sic propriè sumpta, quæ gratia creditoris fit, non autem de temporaria, de qua infrà *n.* 262. & 269.) ipsô jure non valere in præjudicium debitoris, nec eum obligare, quin quandocumque libuerit, fundum repetere possit, & à creditore exigere rationem fructuum etiam percipiendorum, ut si quid ultra reditum perceperit, aut percipere potuerit, reddat. Si enim fructus etiam percipiendi, id est, qui percipi debuerunt & potuerunt, licèt dolo culpave lata creditoris non sint percepti imputantur creditori liberali, nullum reditum percipienti *l.* 1. & 2. *Cod. de pignor. actione*, quanto magis creditori fœneratitio ? Sed an saltem creditor habeat retentionem ? Certum est quòd non pro futuris pensionibus, sed pro præteritis videtur quòd sic, per *l. si non sortem* §. *si centum, de condict. indeb.* Subsisto, quia istud dependet partim à forma & causa seu fine pacti : partim ab altiori illa quæstione. An istud pactum non solùm vitietur, ut dictum est, sed etiam vitiet contractum principalem ? quem simul expedire malo, & dico in terminis quæstionis nostræ, quando creditor emit reditum ad rationem duodecimæ, simul cum idonea & perpetua antichresi, primò discernendi sunt duo casus principales. Aut enim ab initio pactum est quod creditor antichresin possidebit, & ea fruetur donec redimatur, fructus interim percipiendo vice pensionis, & absque redditione rationum & restitutione fructuum, si quando pensiones excedant. Aut verò actum est quod creditor tenebitur rationem reddere, vel quod non faciat fructus suos nisi pro rata pensionum. Primum casum subdistinguo in tria membra, aut fructus dicti fundi secundum æstimationem & cursum communem excedunt decimam sortis partem : aut non excedunt decimam, sed duodecimam : aut nec duodecimam excedunt. Primo membro dico contractum omnino usurarium, nullum & cassandum, fructibus etiam percipiendis in sortem imputandis : quia constat quòd creditor noluit esse contentus decima, sed voluit eam supergredi, & illicitum fœnus exercere, etiam supra rationem unius pro decem. Igitur per not. supra *quæst.* 10. imò hoc casu duplici nomine fœnerator magis excedit, quàm in simplici excessu decimæ. Primò per interpositionem antichreseos fraudem facit publicis & politicis ordinationibus quod est deterius & odiosius ; quam si simpliciter nullo alio velamento & machinamento fraudis exquisito contraxisset. Secundò, quia non tolum excedit & gravat debitorem paulò ultra decimam, respectu ejus quod percipit : sed etiam in alio notabili commodo, videlicet in usu, imò in effectuali usufructu antichreseos, utsic debitor nedum perdat ultra rationem decimæ, sed etiam privetur usu fundi sui. Quamobrem non puto hoc casu inquirendum, nec requiri ad cassationem, quòd præcisè reditus fundi communiter excedant annuatim decimam, sed satis est apparere quòd communiter ascendunt usquoad decimam sortis ; etiamsi communiter non excedant : quia non proinde reditus ad rationem unius pro quindecim reducendus erit, sed in totum annullandus : quia cômodum possessionis antichreseos, & jus per manus suas fruendi additum decimæ, facit notabiliter præponderare ultra decimam, & debitorem verè gravari ultra rationem decimæ, & sic reditus tanquam usurarius & illicitus in totum annullandus. Et hoc intellige, quando creditor tempore contractus sciebat reditus fundi decimam sortis annuatim æquare vel excedere : secùs si ignorabat, & erat in bona fide, quia putabat communiter non excedere duodecimam : tunc enim dicendum ut in secundo casu principali.

Distinctio.

261. Secundo membrô, quando fructus non ascendunt communiter usque ad decimam sortis partem, excedunt tamen duodecimam, & tunc nisi aliud etiam vitium accedat, non puto reditum annullandû, sed reducendum ad rationem unius in quindecim simplicis reditus præter nullitatem pacti : & hoc nisi creditor, re integra, offerat discedere ab antichresi, & simplici duodecima contentari per not. sup. *quæst.* 10. *n.* 141. Et ita dicendum puto, etiamsi creditor tempore contractus sciebat valorem fundi : si verò ignorabat, non debet esse locus reductioni ad nudam decimamquintam, sed sufficeret pactum antichreseos vitiari & fructuum & reliquorum rationem iniri, ut in secundo casu principali, nisi appareat de magna pervicacia creditoris in fruendo tota antichresi sine deductione, postquam scientia supervenit, quia arbitrio judicis potest esse sufficiens ad reducendum ad rationem unius pro quindecim. Nec enim impunita debet hîc esse nimia impugnatio vel contemptus veritatis agnitæ. Hujus membri conclusio fallit, ut vitiet, si hæc antichresis exigatur ab agricola, taliter quòd pauper rusticus exuatur omni sua industria & subsidio vitæ : tunc enim propter multa simul concurrentia, puto reditum annullandum. Primò, propter nimiam avaritiam paciscentis de tanto quæstu hujus duodecimæ, cum eo cui eleemosina, vel gratuitum mutuum debetur. Secundò, quia non solùm de supremo lucro paciscitur, sed etiam spoliat debitorem omni sua industria & subsidio vitæ : licet enim reditus duorum jugerum cum tugurio rusticano (si communi æstimatione expendantur) non valeant ultra decem annua ; tamen rustico exercenti simul cum parsimonia & œconomia rusticana valent in quadruplo, & sufficiunt dempta sterilitate aut vi majore ad totius familiæ exhibitionem, quam defraudat & ad rectum adigit crudelis fœnerator sua illa antichresi. Quare propter nequitiam & perniciem exempli, puto sufficere ad contractum annullandum, etiamsi expressum sit, quòd creditor non lucrabitur fructus ultrà ratam reditus constituti. Non tamen puto quòd debeat amittere sortem, quamvis sit casus dictæ novellæ 32. quia illa cum sua pœna à memoria hominum excessit, non tamen exolevit ratio super qua

fundata est. Secùs si agricola multos habeat fundos, & unam quo carere potest, daret in antichresin, maximè si actum esset, quòd solvendo reditum posset antichresin revocare quando vellet. Et quod dictum est de agricola, producendum puto ad casus, ubi est eadem ratio & nequitia pacti, puta si est nobilis pauper, qui sumptibus suis exiguum avitum prædium coli facit, unde cum reliqua rusticana œconomia familiam exhibet. Redeundo ad distinctionem.

262. Tertio membro, quando fructus non excedunt rationem duodecimæ, dicendum ut mox in secundo casu principali. Et nota, quòd hoc primo principali casu, hoc est quantum ad nullitatem vel moderationem reditus, non attenduntur fructus quantiplurimi, imò nec fructus contingentes tempore contractus vel annullationis aut deductionis reditus: sed tantùm communis valor & æstimatio reddituum fundi, ut suprà *quæst.* 5. *num.* 114. quia non agitur de restitutione vel compensatione momentanea fructuum certi temporis cum reliquis, sed de justitia vel injustitia perpetua totius contractus annuæ & perpetuæ præstationis. Secundò vero casu principali quando creditor non debet lucrari fructus, sed tantum eos percipere pro rata pensionis: & tunc istud solum pactum antichreseos non vitiat in aliquo, quia non debet reditus annullari nec moderari, sed tantùm vitiatur pactum. Fallit primò, ut vitiet si exigatur ab agricola, vel ubi est similis ratio, ut nuper dixi præcisè & perpetuò, hoc est donec redimatur, sed ad tempus certum vel incertum, & ex justa causa, ut si debitor est suspectus vel ignotus creditori, qui fidejussorem idoneum petit, & interim donec fidejussor adducatur, debitor tradit pignora vel fundum, & recipit sortem, qua prompte indiget, & agitur expressè vel tacitè, quod quamprimum debitor idoneè caveat, recipiet pignora vel fundum fructibus super pensionibus deducendis: Non enim puto hujusmodi pactum reprobandum, modò non sit color quæsitus fraudandæ vel excedendæ simplicis duodecimæ, & alioqui nisi hoc admitteretur, malè consuleretur multis indigentibus. Tum hoc casu, non est vera antichresis, cum non fit actum, ut retineat fundum fructus in usuras percipiendo, donec fors reddatur, ut *d. l. si is qui bona. §. 1. de pign.* Imò non est pignus perpetuum, cum creditor non habeat jus perpetuò retinendi, sed solùm donec idoneè caveatur: & sic est pignus temporale seu provisionale, & accipio pignus pro possessione vel detentione creditoris: cæterum nuda hypotheca semper perpetua est. Et adverte, quòd in dubio non intelligitur actum de propria & perpetua antichresi gratiâ creditoris facta, sed solùm quando expressè actum est, quòd creditor per manus suas certo fundo ad hoc sibi realiter tradito fruetur perpetuò, hoc est donec redimatur, ut in *d. l. si is qui bona. §. 1.* Aliàs nisi hoc actum sit, non intelligitur fundus in veram & perpetuam & præcisam antichresin, quæ est in gratiam creditoris, sed in pignus temporale: & sic magis in gratiam debitoris, qui ad libitum revocare poterit, alio pignore non damnoso nec fructili dato, vel data idonea cautione pro securitate reditus. Ita enim in dubio præsumendum, tum quia minimum, *l. in obscuris, de reg. jur.* tum quia benignius & minus captiosum.

263. Modò decidere promptum est, an creditor habeat retentionem pro præteritis & debitis pensionibus? quia de antichresi impropria, seu pignore temporali non est dubium quòd sic. De propria & præcisa antichresi dico quòd non: Aut enim vitiat, aut tantùm vitiatur: primo casu cessat quæstio, quia nulla sunt reliqua. Sed an pro restitutione sortis retineri possit? Respondeo, quod fundus ipse non potest simpliciter retineri, quia non tenetur debitor statim totam sortem restituere, licet contractus nullus sit, ut notavi suprà *quæst.* 11. Fateor quod si sint lapsi quidam termini solvendi, potest fundus præcisè retineri pro tanta summa, quæ tunc deberetur secundùm formam contractus tanquam conversi in mutuum dictis terminis restituendum, & creditor talem sortis quantitatem tunc repetere potest, ut in *d. quæst.* 11. Alioquin nullam habet fundi retentionem simpliciter, sed benè eo modo, quo potest debitorem cogere ad constituendum reditum quintædecimæ, pro residuo sortis, quam nondum potest exigere, vel ad illud residuum restituendum, ut statim dicam. Idem dico de mobilibus in pignus datis tempore contractus, de fructibus autem à creditore perceptis, puto indistinctè, quod retineri possint infra sortis quantitatem, quia consumpti ipso jure compensantur, *l. fin. Cod. de pign. actione* non tum verò consumpti, etiam percipiendi æstimandi sunt: non tamen quantiplurimi, sed communiter, & æstimatio in sortem cedere debet, non autem restitui, nisi sortem excedat, etiamsi ea quantitas excedat summam, quam creditor nunc secundùm formam contractus posset exigere: quia ex quo actum erat quod dictos omnes fructus pro reditu lucraretur, satis consensum intelligitur, ut omnes statim converti possint in sortem. Non obstat ei quod dixi de communi æstimatione, si quis dicat, quod ex quo contractus est nullus, tanquam usurarius, debet creditor fœneratator improbus teneri quanti plurimi, tanquam fur, quia dico quod tota pœna, saltem civilis, improbi fœnoris, satis est consumpta & inflicta, eo ipso quod talis creditor non redigitur ad modum reditus concessum, nec ad alium leviorem, sed omni commodo & interusurio privatur. Imò etiam omni hypotheca, ut dixi suprà *quæst.* 15. & redigitur ad instar simplicis creditoris mutui, imò etiam chirographarii, imò etiam non purè exigibilis, sed sub moderatione, de qua sup. *quæst.* 11. Et sic non debet ulterius puniri, saltem civiliter.

264. Nec mirum videri quod eum onero fructibus percipiendis, non autem quantiplurimi, quia sic est de jure communi, in quovis justo creditore, qui etiam citra moram tenetur de fructibus percipiendis, id est, qui pro modo diligentiæ, ad quam tenetur, percipi potuerunt & debuerunt, & non sunt percepti, culpa lata, vel levi, qua tenetur, non autem culpa levissima qua non tenetur; & tamen eorumdem fructuum etiam percipiendorum æstimatio communiter censetur: nisi creditor toto debito accepto vel compensato injustè denegaret restitutionem fundi, & esset in vera mora, quia ex tunc, & deinceps posset teneri quantiplurimi. *l. 3. §. fi. de actio. empti l. in hac de condict. trit.* Ita dicendum in proposito, quòd si dictus creditor tota sorte recepta vel compensata, vel ea tantùm parte sortis, quam exigere poterat, interpellatus de restitutione fundi sit in mora, cùm nullum jus hypothecæ nec retentionis habeat, ex tunc à tempore interpellationis & moræ tenebitur, nedum de omnibus, etiam percipiendis diligentia, qua tenebatur; sed etiam de omnibus, etiam levissima culpa percipiendis, etiam qui à domino seu debitore percipi potuissent, etiam sub æstimatione quanti plurimi. Non obstat *d. l. si non sortem. §. si centum, de condict. indebiti* quia non denego etiam huic improbo fœneratori jus retentionis pro summa ei debita, sed solùm quatenus nondum potest exigere. Unde dico quod quemadmodum potest offerre debitori, ut de residuo sortis quam nondum potest exigere, reditum quintædecimæ constituat, vel residuum illud prompte restituat, ut suprà *quæst.* 11. ita potest ad hunc finem jure retentionis fundi vel pignorum uti. Alioquin sive acceptet oblatam à debitore moderationem quintædecimæ, sive eam recuset, & malit tibi sortem dependi, secundum terminos contractus, non potest interim retinere pignora, nisi forsan debitor esset suspectus, nec caveret. Restituenti autem creditori saltem sub hypotheca bonorum generali, cavere debet de reliquo sortis suis terminis restituendo. Et sic *d. §. si centum*, cum similibus intelligitur pro debito puro, ut loquitur, non

Creditor tenetur de percipiendis non quantiplurimi.

l. si non sortem, §. si centum.

autem pro debito in diem, nisi quatenus aliqua justa ratio suadeat. Secundo casu, quando pactum antichreseos non vitiat, sed tantum vitiatur, clarum est retentionem procedere pro reliquis jam debitis, non autem pro futuris.

265. Non obstant adducta in principio hujus quæstionis. Et primò, quòd creditor sub libero pacto redimendi potest emere fundum, cujus reditus annui communiter ascendunt ad duodecimam partem pretii: quia dico, quòd contractus est injustus propter nimiam pretii modicitatem, *ut* infrà *quæst.* 56. & in fraudem usuræ, seu simplicis duodecimæ, longè plus enim lucratur creditor hac via, debitor verò longè plus gravatur per prædicta. Et ultrà, quia hoc casu facultati redimendi præscribi potuisset per heredes creditoris longissimo tempore, & per successores ejus singulares longo tempore, juxta notata suprà *quæst.* 17. quod est aliud periculum longè gravissimum. Nec etiam obstat quòd creditor possit conducere fundum debitoris justa mercede, super qua prius deducet reliqua reditus sibi debita, quia verum est in se: dico quòd si est facta hujusmodi locatio tempore contractus, & non erat aliàs debitor locaturus, sed culturus & fruiturus per manus suas, & sic conductio prætextu mutui vel venditionis reditus fuit extorta, usuraria est, & vitiatur, nec obligat debitorem: non tamen vitiat contractum reditus, ex quo aliàs justa mercede facta est. Amplio istud, quòd non vitiat contractum, etiamsi aliàs debitor erat pluris locaturus, & inveniebat qui majorem mercedem, sed plus justo offerebat, quia hoc non consideratur, ubi agitur de vitiando contractu, quæ est quædam pœna: sed requiritur, quòd creditor verè, hoc est secundùm communem æstimationem percipiat, vel per eum stet, quominus percipiat ultra duodecimam, ut debeat fieri reductio ad rationem unius in quindecim, vitiata semper extorta illa conductione: vel quòd percipiat ultra decimam, vel circiter usque ad decimam sortis partem, ut totum vitiari debeat, si creditor sciebat plus valere, secundùm prædicta. Si verò ignorabat, & erat in bona fide, quantum ad hoc, quòd nolebat nec sperabat lucrari ultra duodecimam, licet vellet minus justè sibi nimium prospicere de conductione vel antichresi, non puto ex hoc solo contractum reditus annullandum, nec etiam reducendum: dummodò veritate cognita interpellatus offerret quod justum est deducere, nec litigare malit, ut suprà *quæst.* 10. *num.* 141. Præsumitur autem scientia, si communiter hoc erat notum in loco: quia præsumitur quòd debuit inquisivisse. *l. qui cum alio. de reg. jur.* Si igitur locatio verè facta sit, mercede notabiliter defectiva, idque sciente creditore, ita quòd deducto lucro, quod justa mercede factam locationem sequi solet, lucraturus est tam de superlucro locationis, quàm de reditu, ultra decimam sortis partem in anno, tunc totus contractus tam reditus quàm locationis annullandus est, & omnes fructus sorti imputandi per prædicta. Ut enim in vero mutuo quicquid accedit sorti, est usura suprà *num.* 14. *quæst.* 3. *per to.* ita & in his reditibus quicquid ultra simplicem duodecimam accedit, vetitum est, & saltem interpretativè usurariù. Fac. quæ Bal. & Salycet. tradunt in *l. cum allegas. Cod. de usu.* de eo qui non vult mutuare nisi quid vendat. Et ut in simili inquit Felin. *in cap. debitores in fin. de jureju.* turpiter exigit, & accipit hanc conductionem vel similem contractum, ex quo veratur simplicem duodecimam egredi: secùs si debitor non erat tanti locaturus, quia tunc cessat omnis exactio & excessus, & non vitiat, nec vitiatur. Non obstat quòd antichresis specialiter prohibita est agricolis, *dicta constitutione* 32. quia verum est ibi speciale esse in agricolis, in duobus. Primò in hoc, quòd non potest ab eis exigi usura ultra rationem semissis duodecimæ, quæ proximè accedit ad rationem trientalis usuræ. Secundo, quòd licet usura sit ita levis tamen non licet ab eis antichresin accipere sub pœna totum amittendi, ut suprà *quæst.* 1. [Chilianus Berlichingem fateor mihi à Conrado Echetero sexcentorum florenorum nomine quos à me mutuò habet, decimas numorias pignori esse appositas: ipsius Conradi filius Haimoni, & Erasmo fratribus hanc gratiam feci, ut à me debiti nomine appellari idipsum anni spatium ad explicandam solutionem habeant: Quod si anno revoluto, solutioni paritum non fuerit, pactum actum est inter nos dictas decimas, mihi esse debere commissas, & pro sorte venditas. Acta sunt hæc anno M. CCCC.LXVI. Quæro an non præscriptione longissimi temporis debitor à repignerationе submoveri possit, quod probandum erit. Constat de mutuo usurario, & de pacto legis commissoriæ, prohibito; non solum ex parte creditoris est mala fides, sed etiam prohibitio legis. Punctus legis est contra creditorem; sed sunt duo genera circunstantiarum, facti primum, ex *l. qui habebat. De leg.* 1. *& glos.* in *l. creditor. de reb. cred.* Si fors æquivalebat, antichresis videtur ex tanto tempore 100. annorum relicta in solutum. Secundum genus interruptionum, si heredes creditoris interceperunt possessionem vendendo, pignorando, ut de re propria: Deinde tantum temporis omnes istæ circunstantiæ tacitam præsumptionem, *l. qui habebat*: quia non possunt sibi mutare causam possessionis per seipsos, etiam 1000. annis. Recognoscit & habet creditoris sponsionem illam, & quod non habet alium titulum: & sic heredes debitoris liberè luunt amissis fructibus adusque oblationem sortis, supposito quod usuræ non sint excessivæ; aliàs superfluum usurarum commutaretur in sortem & reliqui fructus essent cum illa decima restituendi. Facit Arestum *de Catherine de Medicis* Regina Franciæ, quæ post 300. annos recuperavit terras depositas *à l'Evesque de Clermont*, quia titulus erat in cimeliarchiis.]

266. Cæterùm verum est, quòd jure communi digestorum *& Codicis* non est prohibita simplex antichresis, etiam in debito usurario, *dicta lege. si is qui bona* §. 1. *l. si ea pactione. l. si ea. lege. l. per retentionem. l. penult. Cod. de usur.* Sed ego dico, quod illa jura debent sanè intelligi, quando res erat talis, quæ aliàs solebat & poterat commodè locari à debitore, ita quòd justo pretio locando non damnificaretur: & quando pro tali quantitate usurarum vel reditus dabatur creditori, quòd antichresis æquè commoda & utilis erat futura ipsi debitori, sicut creditori: tunc enim ratio æqualis eventus lucri & damni hinc inde liberat tale pactum ab iniquitate usuraria, ut innuit. *d. lex, si ea lege*, aliàs secùs. Unde quod Accurs. in *d. leg. si ea pactione.* in fine, sentit pactum non vitiare nec vitiari, nisi esset læsio ultra dimidiam dicti pretii, rejiciendum est ut erroneum & iniquum, quia in hac materia usuraria. *lex secunda. Cod. de rescin. vend.* non habet locum in debitore: nec potest creditoribus suffragari, ut suprà *quæst.* 14. quia modus usurarum est limitatus, & quicquid directè & per indirectum excedit, vitium est, & à legibus reprobatum. Et adhuc hodie apud nos dicta jura antichreseos, etiam non probata æqualitate, non possunt habere locum in terminis duodecimæ: quia ex quo duodecima est pro summo nostro fœnore limitata, & exactè commensurata, tam ad periculum vel damnum, quod potest ferre creditor percipiendo pensiones sortis super bonis alienis per manus debitoris, quàm ad commoditatem debitoris, qui rebus suis & ære alieno fruitur, ut notatur suprà *quæst.* 5. non licet creditori hos fines egredi in duodecima: sed si leviorem reditum stipuletur, ita quòd incommodum quod verisimiliter patietur debitor ex simplici antichresi (simplicem voco, quando fructus communiter non excedunt usuram vel reditum, vel si excedant, actum est expressè vel tacitè, quòd reddi debeant) compensari posset cum diminutione reditus, non vitiabit nec vitiabitur. Unde si quis stipuletur semissem duodecimæ tantùm, non esset dubium quin liceret ab usurio pacisci de simplici antichre-

Sed non est ad hoc necesse tantum diminuere de pensione, alioquin ferè tanti posset emi reditus perpetuus non redimibilis, vel etiam fundus sine facultate redimendi per notata suprà *quæst.* 5. utque ibi dixi, *num.* 115.

267. Non potest melius cognosci quantum justè & æquabiliter diminuendum sit de reditu, quàm ex analogia seu proportione justi pretii fundi. Si enim fundus perpetuò & simpliciter vendatur, non licet aliquid diminuere de vero & exacto pretio (non dico quominus contractus valeat) sed quin eatenus recedatur à justa & exacta æqualitate, ad quam solam (& non ad id quousque decipere & transgredi licet) necessariò hæc analogia referenda est per notata suprà *quæst.* 14. Si verò emptor facultatem redimendi concedat, justè potest aliquid diminuere de pretio, non offensa exacta illa æqualitate. Plus autem minui potest, si facultas sit libera & perpetua: si verò temporalis & limitata, minus: prætextu autem liberæ & perpetuæ facultatis redimendi juste demi potest quarta pars pretii totius, aut ad summum (ut ego quidem reor) tertia. Verbi gratiâ, si fundus valet triginta justo integro pretio, si emptor det liberam & perpetuam redimendi facultatem, potest emere viginti duobus cum dimidio, & sic dempta quarta parte: & erit hoc casu justum pretium, puto etiam quòd possit emere pro viginti, & sic dempta tertia parte. Hinc appositissimè dixit Socin. *cons.* 15. *col. ult. lib.* 1. quòd quæ valent centum absolutè vendita, si cum pacto redimendi vendantur, valent septuaginta tantùm: sed non puto quòd ob dictam liberam facultatem possit plus tertia parte diminui de justo integro pretio, nisi recedendo à justa & exacta æqualitate. Et istud mihi videtur naturale ipsi contractuum justitiæ, & boni prudentisque viri arbitrio consentaneum. Sed emptio hujusmodi reditus cum æquivalente antichresi parum distare videtur ab emptione ejusdem fundi eodem pretio, sed simili libera facultate redimendi. Cùm igitur communiter apud nos non imminente bellica clade, justum & integrum pretium fundi valoris centum annui reditus sit ter mille, si perpetuò & simpliciter væneat: si verò sub libera facultate redimendi, sit bis mille ducenta quinquaginta, aut ad minus bis mille, secundum analogiam nostram, quam naturali justitiæ & boni prudentisque viri arbitrio convenire putamus, videtur inferendum quod si quis emat centum annui reditus, ita tamen quod vice reditus, debeat frui certo fundo venditoris ejusdem reditus donec luatur seu redimatur, quòd debeat emere saltem duobus millibus, & sic ad rationem quincuncis usuræ.

Pretia fundorum.

268. Verùm advertendum, quòd licèt hæc antichresis non multum distet ab emptione ipsius fundi, sub eodem pacto redimendi: tamen non tam parum abest, quin sit notabilis distantia. Quia in venditione & traditione fundi venditor statim omne dominium & possessionem amittit, quæ transferuntur in emptorem: sed in hac simplici antichresi, venditor remanet dominus & quod emptor efficitur possessor, non est simpliciter, sed tanquam creditor hypothecæ incumbens: unde dicitur possidere ad commodum venditoris. *l. servi nomine. de usucapion. l. fciendum. §. creditor qui fatisda. cog.* nec potest per se intervertere, nec etiam mille annis usucapere, ut tetigi suprà *quæst.* 17. *quæst.* 19. Quin etiam illa possessio, debito soluto, vel etiam oblato juris effectu resolvitur, ut dixi in *consuet. Paris. §.* 64. Et sic antichresis, quantum ad possessionem & commodum fructuum duntaxat, non distat: sed quoad omnia alia multùm distat ab emptione fundi. Quamobrem puto quòd rationabiliter plus potest diminui de justo integro pretio, ab accipiente fundum per viam simplicis antichresis, quàm ab emente sub simili redimendi facultate, idque etiam notabiliter, non tamen ultra semissem totius pretii fundi absolutè venditi. Undè non puto justum, quòd creditor emat cum idonea & æquipollente antichresi ad rationem unius pro tredecim vel quatuordecim, & sic detrahendo unam vel etiam duas tantùm uncias de reditu duodecimæ: quia licèt detractio sextantis sive sextæ partis sit considerabilis, ut per Bart. in *l. si societas, §. arbitrorum. ff. pro socio.* tamen commodum idoneæ, perpetuæ & præcisæ antichreseos est considerabile: tum suprema illa ratio duodecimæ est nimis rigida, licèt toleretur tanquam ἀκρον, & summum jus, sive tanquam summitas extremi, quod transgredi non licet. Et sic si ab ea modicùm recedatur, reditum diminuendo, non dicitur recedi ab ab æqualitate. Patet etiam, quia ipsa quintadecima est verum medium & æquabile temperamentum, ut suprà *quæst.* 5. *quæst.* 10. *num.* 146. ita quòd emens ad hanc rationem, etiamsi est minor, non dicitur læsi, nec potest restitui, ut suprà *quæst.* 13. *num.* 167. unde ut creditor habeat jus & commodum idoneæ & irrevocabilis antichreseos, puto quod debet diminuere de summo jure reditus ad minus usque ad quintamdecimam. Sed an hoc sufficiat? Videtur quòd non: quia quintadecima etiam in simplici reditu, & citra dictum pactum est medium, & sic adjecto dicto pacto præcisæ antichreseos vergit ad extremum: unde videtur quòd saltem ad rationem unius pro sexdecim debeat emi, cum hoc tam oneroso pacto præsertim cum ratio unius pro sexdecim non videatur nimis levis, quia adhuc paulò gravior est semissibus legalibus, quæ sunt usuræ communes juris.

269. Verùm dico primò, quòd licet quintadecima sit medium ratione æquabilitatis proportionis, tamen quia non est necessarium, voluntarium censetur, & est quodammodo gratiosum, si creditor sine alia compensatione illud eligat: potest ergo compensationem non excedentem hanc gratiam accipere sine injuria debitoris. Sed istud pactum idoneæ & præcisæ antichreseos rectè compensari videtur per reductionem ad quintamdecimam (ut ego quidem existimo) nec video quòd justiùs & æquabiliùs res temperari possit, utriusque partis & creditoris & debitoris æqua ratione habita. Nec enim creditor gravatur, quia non cogitur ad moderandum ultra modum, nec adhuc sine idonea compensatione: nec etiam debitor læditur, sed fit ejus melior conditio: quia quinta pars reditus annuatim remittitur, & ubi solveret centum ad rationem duodecimæ, non solvit nisi octoginta: quod est sibi utilius, quàm retinere fundum suum non ferentem nisi 80. & solvere centum annua. Sive autem fundus non afferat communiter reditum, nisi quantus est ille reditus ad quintamdecimam moderatus, & simpliciter datus in perpetuam antichresin, sine redditione rationis fructuum, sive plus afferat, & creditor debeat reddere rationem fructuum, vel ad hanc molestiam vitandam justo communi pretio ad modicum tempus conducat, ad onus solvendi debitori superfluam mercedem, deducto reditu non refert, & tunc sub hoc temperamento locum haberet hodie. *l. si ea lege. Cod. de usur.* cum similibus citatis sup. *num.* 266. ut incertum modici excessus fructuum compensetur cum modico defectu, sicut in locatione, quæ justo communi pretio fieri solet ad 6. vel 9. annos, non tamen improbo contractum nec pactum, si creditor conducat justo pretio ad longum tempus, vel donec redimatur. Sed hoc casu si contingeret valorem reddituum fundi naturaliter & perseveranter augeri, ut in exemplo suprà *quæst.* 21. *num.* 216. tunc hujus debet haberi ratio, etiam non obstante pacto perpetuæ locationis, quæ hoc casu in longo tempore captiosa censetur, licèt in modico tempore non censeatur captiosa. faciunt notata infrà *quæst.* 60. *num.* 409. Non autem puto ad justitiam hujus pacti exigendam reduci reditum ad rationem unius pro 16. tum quia rigore juris defendi posset etiam totius fundi emptio tali pretio absolutè facta, non obstante læsione venditoris re ipsa, quia non esset ultra semissem; sed citra dimidiam: tum quia etiam emptio totius fundi tali pretio, scienter quidem, non autem absolutè, sed sub libera facultate redimendi jure tueri potest, ut infrà *quæst.* 56.

num. 398. tum quia hæc reductio detraheret quadrantem duodecimæ, & sic quartam partem solidi reditus singulis annis, nec remaneret nisi dodrans duodecimæ, quod cederet in commodum debitorum: quia de facili non invenirentur creditores, qui vellent tantam quantitatem reditus remittere, accipiendo congruam antichresin, quam sub moderatione reditus dare frequenter è re debitorum est: igitur non est rès ita arctanda. *l. quod si minor. §. non semper. de minor.* Sufficit ergo moderatio ad æquabilem quintamdecimam. Nec obstat, quòd ratiò unius pro sexdecim est paulo gravior semissibus juris: quia verum est in sola quantitate currente: sed quantum ad alia, etiam quintadecima est debitoribus levior & commodior illis semissibus. per notata infrà *quæst. 69. ad fi.* Et prædicta intelligo de præcisa & perpetua antichresi, quæ fit in gratiam & commodum creditoris: ut quandò creditor non contentatur tuta hypotheca reditus per manus debitoris solvendi, sed præcisè vult habere reditum fruendo per manus suas, quod Galli vocant, *En assiette de terre:* idque perpetuò, hoc est, donec reditus luatur. Secùs si foret antichresis temporaria ad commodum debitoris, vel ita ut liceret debitori antichresin revocare idoneis prædiis prædibúsve cavendo: quia tunc non est propriè antichresis, sed simplex temporaria securitas, & sufficeret rationem duodecimæ non excedi, ut suprà *num.* 262. Unde si esset actum, quod si debitor velit antichresin revocare, tunc tenebitur solvere ad rationem duodecimæ, & idoneè prædibus prædiisve cavere de solvenda duodecima, puto pactum omnino valere: idem, si non sit expressè actum, sed tacitè & verisimiliter, de quo satis constaret: putà si creditor hoc obtulerat, liberum esse debitori: quia tunc manifestum est antichresin esse in favorem & commodum debitoris, Sed in vera, præcisa & perpetua antichresi ad commodum creditoris, non debet creditor excedere quintamdecimam, quo casu puto pactum præcisum antichreseos in hujusmodi reditibus tolerari posse, nec video justam causam in commune prohibendi vel arctius restringendi. Sed mihi videtur hæc commensuratio & συμμετρία in commune æquabilis, & tam creditoribus quàm debitoribus utilis, dummodò etiam omnis fraus & omne aliud gravamen debitoris cesset. Unde excludo agricolas, à quibus justissima ratione vetuit Justinianus fundos in antichresin accipere: quia omnis opera & omnis quæstus agricolarum in cultura consistit, & ab ea pendet etiam reipubl. salus & conservatio. Ex his habes hanc materiam ἀντιχρήσεως novè & plenè discussam.

Antichresis temporaria.

270. Duo tamen menti occurrunt, primum, de quo nuper interrogatus fui: Creditor emens reditum ad rationem duodecimæ, accepit etiam pignora pretiosa & vendibilia, putà vasa aurea & argentea, usque ad quantitatem sortis. Respondeo reditum non currere: quia censetur sortem penès se habere, quia tantumdem bonorum debitoris præsertim vendibilium habet: & si actum sit quòd remaneant penès creditorem donec sors restituatur, puto funditus reditum non valere, nec convalescere restitutis pignoribus, etiam pro tempore futuro, nisi rursus constituatur, ut *quæst.* 12. Si autem actum sit quòd remaneant penès creditorem donec fidejussor idoneus adductus sit, tunc restitutis pignoribus non dubitatur, quin deinceps currere possit: sed an possint peti reliqua pro tempore quo pignora manserunt penès creditorem? Respondeo. Res ex bono & æquo æstimanda est, & circumstantiis personarum, quantitate & qualitate pignorum, & brevitate vel mora temporis, & gravitate vel levitate reditus, & aliorùm onerum attentis. Neque enim justum & æquum est creditorem sibi ad quantitatem sortis bona debitoris possidere, & tam magnum reditum exigere per prædicta. Secundò occurrit, Quid si ex post facto de antichresi convenerit? Respondeo. Si ex probabili intervallo, cùm cesset suspicio extorsionis reditus, non vitiabitur reditus: sed tamen non poterit creditor ultrà quantitatem semel conventam lucrari ex fructibus pignorum, quantumcunque reditus sit minor quintadecima; sed rationem reddet, ut dictum est *l. 1. & 2. Cod. de pign. actio.* Sed si est reditus duodecimæ, non potest efficaciter pacisci de vera etiam simplici antichresi, nisi reditus ad quintamdecimam reducatur secundùm prædicta. Quoniam licet intervallum operetur, quòd reditus semel validus non vitietur, tamen non operatur, ut possit hujusmodi reditus ultra legitimum modum aggravari vel augeri: quemadmodum de jure etiam ex intervallo non potest pactum ad excedendum legitimum modum usurarum in futurum, & valet argumentum per notata *quæst.* 75. suprà *num.* 143.

Pignora pretiosa.

QUÆSTIO XXXVI.

SYNOPSIS.

1. *Liber homo ad perpetuam servitutem se obligare non potest.*

2. *Bonorum cessioni renuntiari non potest.*

271. TRigesimosextò quæro, Quod si debitor non dat fidejussores, nec pignora, sed obligat se ad solutionem & continuationem reditus, non solùm personaliter, & sub generali hypotheca, sed etiam corpus ad carceres publicos? Hæc quæstio formatur non in terminis juris communis, sed in terminis receptæ consuetudinis, qua debitor potest, nisi solverit, se obligare ad publicum carcerem, coràm publica persona, donec solverit, ut dixi in *consuet. Paris.* §. 162. *gl. fi.* 2. Respondeo hujusmodi obligationem corporis seu carceris hoc casu non valere, non tamen per se solam vitiari, sed vitiari propter tria potissimùm. Primò, quia creditor plus exigeret quam ferat simplex consuera obligatio duodecimæ limitatum permissa, & debitor plusquam deceat gravaretur. Verum est quòd hæc ratio benè concludit in duodecima, sed non si ad rationem unius in quindecim vel viginti constitueretur, sed adhuc generaliter idem dicendum *per sequentia.* Secundò, quia esset perpetua quædam & præcisa servitus, ad quam liber homo obligare sese non potest. *l. 2. de libero hom. exhib. l. Titius §. Titio. de condition. & demonst.* notant gloss. & Doctores in *l. antiquitas. Cod. de usufruct.* in *l. post certi. Cod. de liberal. causa* Jo. Fab. Ang. Aret. §. *pen. instit. de jure person.* Guid. Pap. *dec. Delph. quæst. 61.* facit quod de nexu sublato dictum est suprà *num.* 31. & dum olim Solon Athenis σεισάχθειαν, id est, oneris iniqui, quo tenuiores à potentioribus premebantur, exclusionem instituit, immensum fœnus ad mediocritatem reduxit: Sanxit etiam ne cui liceret ob usuras jus in corpus habere, ut Plutarch. in ejus vita. Tertiò, quia hujusmodi obligatio ad carceres non valet nisi in vim consuetudinis, ut notatur in *l. ob æs. Cod. de actionibus & obligationibus.* Igitur ad limites hujus: quia consuetudo tantum habet de essentia & potentia, quantum de usu, & non plus. *l. 1. §. si quis hoc interdicto,* & ibi Bart. *de itiner. actuque privato* præsertim quando est contra jus, ut hîc: nec extenditur, etiamsi sit eadem ratio. Bal. in *l. fin. col. 3. Cod. communia utriusque jud.*

Carcer.

Solonis σεισάχθεια.

Sed

Sed illa obligatio ad careceres numquam fuit usitata, nisi in obligationibus momentaneis, ubi quid semel solvendum est : igitur non debet extendi ad obligationes perpetuas & successivas, ubi est diversa ratio, & majus præjudicium. Amplio, etiamsi debitor cessioni bonorum renunciaverit : quia non valet renunciatio, ut tenent Dyn. Bartol. Angel. Imol. *l. alia, §. eleganter. ff. solut. matr.* Joan. Fab. *§. fi. Instit. de action.* in *l. fi. Cod. qui bon. ced. pos.* Alex. *cons. 37. n. 6.* Labyrintho 2. ubi dixi. Subamplio, etiamsi juratum sit, ut dixi in *consuet. Paris. §. 126. glos. 2.* licet contrarium *velit Decisio Tholos. 61.* & dato, quòd per juramentum renunciari posset cessioni (quod non admitto) non procederet in obligatione successiva & perpetua, ut hic. Limito, quando probaretur de dolo malo & impostura debitoris, & creditor nō certaret de reditu; sed de sorte recuperanda *l. fin. quæ in fraudem creditorum.* Notant Joan. Fab. Ang. Aret. Jas. *§. fi. Instit. de action.* Cæpola *causa crimi. cons. 9.* Auffrer. in *addit. q. Tholos. 61.* [Quartò probo, quia posset debitor per obliquam, & continuam molestiam subinde repetitam cogi redimere: Ex quibus patet, nullam, imò abusivam esse praxim illam fori Ecclesiastici, & conventionalem obligationem ad censuras Ecclesiasticas excommunicationis, quæ in Comitatu Burgundiæ maximè frequentatur, præsertim in Diœcesi Bisuntina, ubi ex simplici contractu coràm Notariis Ecclesiasticis, fertur nomine Officialis ignorantis sententia excommunicationis, & mandatur sine alia cognitione causæ, & sine sententia denuntiari, & publicari, si non solvatur in termino, & idem servant in constitutionibus redituum hujusmodi annorum, ut in singulos terminos futuros feratur successiva sententia excommunicationis ob defectum futuræ solutionis in singulis terminis, qui est abusus manifestus : quia etiam in summa semel solvenda, & in sententia contradictoria, & definitiva causa cognita lata vix conceditur. *cap. Romana §. caveant, de sentent. excommun. in 6.* Ergo extendere ad contractus coram Notariis eorum factos, abusus est, & omnino nullæ sunt, & spernendæ censuræ, & magis abusivæ in obligatione successiva : & in re usuraria, ut hic.]

QUÆSTIO XXXVII.

SYNOPSIS.

1. *Minor jure communi usus inciuiliter in integrum restitutionem petit.*
2. *L. lex, Quæ tutores C. de administ. tut. communi usu Galliæ explosa.*
3. *Quamuis pretium in rem minoris versum sit, non ideo tamen contractus confirmatur.*
4. *Sub usuris accipere minor non vetabatur, si sors in illius rem versa fuisset.*
5. *Minori qui mutuam pecuniam accepit, ita demum jura subueniunt, si illam profligauit.*
6. *Creditor contrahens cum persona contrahendi non idonea, vehementer curare debet ut pecunia in illius rem vertatur.*
7. *Pensatur cum fructibus interusurium.*

[Minor.] 272. TRigesimo-septimò quæro, utrùm tutor vel curator nomine minoris, vel adultus minor viginti quinque annis curatore carens, possit hujusmodi reditum sine decreto vendere & constituere? facile est uno verbo decidere quòd non : quia si non potest similem reditum sibi debitum sine decreto alienare, multò minùs de novo super se & bonis suis constituere, & ita communiter tenent Pragmatici & pro indubitato habent. Sed ut scias quanta sit & necessitas & utilitas analyticæ nostræ inquisitionis, quamque ad multa pateat, etiam in his quæ vulgò nullius dubitationis vel disputationis esse putantur, libet paucis argumentorum locos in apertum educere, quatenùs res tota velut in rem præsentem oculis exposita, plenè discerni queat. Pro parte affirmativa cōstat de jure, quod minor sine decreto potest mutuari sub usuris, nec poterit restitui tanquam usus jure communi, saltem si constet sortem in rem ejus versam, *l. 2. Cod. si adverf. credit.* Igitur constituere potest hujusmodi reditum, qui loco veterum usurarum successit : saltem si constet sortem in rem ejus versam. Non obstat, si dicatur quòd non potest prædia ad reliqua seu continuationem reditus hypothecare sine decreto : quia de hoc non quæritur, videlicet de securitate creditoris in hypotheca immobilium, sed solum de ipso jure reditus in se, & de simplici obligatione personali ad solutionem & continuationem reditus, quæ sine ulla alia prædiorum prædúmve cautione subsistit, ut *supra numero 22.* Sicut de jure tutor potest simplex debitum fœneratorium (si pupillus indigeat) sine decreto contrahere, ut est textus in *l. quid ergo. §. 1. verb. consequitur de contrar. vel uti. actio. tutel.* Confirmatur, quia hîc reditus, cùm non sit nisi vulgare æquamentum interusurii pecuniæ mobilis, pro mobili in multis habetur, & expressim multorum locorum statutis & moribus absolutè, & quò ad omnia inter mobilia cōputatur, ut dixi in consuet. *Paris. §. 57.* Præterea rectè considerando, hujusmodi obligatio potius videtur rei mobili, quàm immobili accedere. Patet, quia hîc debitor non obligatur præcisè ad continuationem reditus, sed sub hac perpetua conditione & facultate, nisi malit sortem reddere : & sic in effectu videtur obligatus ad sortem, cum facultate differendi solutionem, quandu maluerit reditum pendere, vt *infra quæst. 69. dub 444.* Et licèt obligatio seu continuatio reditus possit esse successivè perpetua, si sors nunquam reddatur : tamen quia ita successiva perpetuitas non dependet à voluntate creditoris, sed debitoris, non est in consideratione ad dicendum obligationem perpetuam. Nec propriè habent locum quæ notant Doctores in *l. sufficit de condict. indebiti* cum similibus locis : quia ibi obligatio potest esse perpetua; debitore invito, quod hic esse non potest, imònec momento quidem perseverare, nisi debitore volente, aut nisi stet per casum in ejus personam contingentem, qui non habetur in consideratione. Semper enim & perpetuò liberam habet facultatem omnem in futurum excutiendi obligationem, sorte cum reliquis præteritis oblata. Igitur nunquam potest hæc obligatio censeri perpetua, cùm quòd perseveret, non sit in potestate creditoris, sed solius debitoris. Igitur nulla est perpetuitas, quia obligatio non est obligatio, quatenus in arbitrio vel potestate debitoris consistit, *l. stipulatio non valet de verborum obligation.* & patet per definitionem obligationis. Igitur obligatio successiva continuationis hujusmodi reditus, cùm non dependet à voluntate & potestate creditoris; sed debitoris, non spectat ad titulum *de præd. minor. sive decret. non alien.* cùm rei mobili magis quàm immobili seu stabili conveniat. Nec obstat, si dicatur quòd ille titulus extenditur etiam ad res mobiles, exceptis his quæ servando servari non possunt, & animalibus supervacuis, quæ sunt oneri & sumptui, *l. lex quæ tutores. Cod. de administr. tutor. & fructibus, l. final. in fin. eodem titulo*, quia *dicta l. lex quæ tutores* quæ

Hi reditus inter mobilia.

est Constantini Magni, è qua compilatores Codicis desumpserunt *l. final. C. quando non decr. opus est*, quam etiam Justinianus imitatus est *in dicta l. 1 finalan fine de administr. tutorum*, quæ nunquam fuit in usu recepta in hoc regno, & jamdudum ubique exolevit, nec manet prohibitio nisi in rebus immobilibus, vel quæ illis exæquantur, secundùm jus antiquum Pandectarum.

273. Pro parte verò negativa facit communis omnium sententia, quòd reditus annui (nisi sint ad modicum tempus limitati, inter Immobilia computantur, ut tradit Baldus *l. etiam, col. 2. Cod. de exceptione rei judicatæ, l. hac edictali §. is illud C. de secundis nuptiis l. unica in fin. C. uti possidetis c. 2. §. sciendum de feud. cogn. in usib. feud. c. cum M. Ferrariensis col. 2. de constit. c. quæ etiam super glos. final. de elect.* Alex. *l. si constanti. in fi. soluto matri.* & plures quos citavi in *consuet. Paris. §. 57.* & plenius Dom. Andræas Tiraquell. in *tract. retract. proximitat. §. 1. glos. 6.* hinc dicit Bald. in *c. ad audientiam 2. de rescrip.* quòd qui non potest alienare, non potest hujusmodi pensiones constituere. Et licèt Doctores non loquantur, quando pensio ad liberam debitoris voluntatem redimibilis est, tamen satis de mente juris videtur, quòd si minori debeatur hujusmodi pensio, alioquin perpetua, non possit sine decreto alienari, & ita etiam rectè observatur. Igitur eadem vel fortiori ratione non poterit minor sine decreto hujusmodi reditum annuum super se vendere, vel aliter de novo constituere. Et plerumque satius est partem patrimonii vendere, quàm usuris succumbere, ut scripsit Bernard. in *œconomica ad Raymundum militè*. Tradit Christophor. Porcus. *Instit. quibus alien. licet in princip.* & Salicet. Phil. Corn. in *l. final. §. ipsum C. de bon. quæ liberis.* Et hæc est communis & recepta sententia in foro, quæ consequenter ampliaretur. Primò, etiamsi minor vendidisset ad rationem quintædecimæ, vel levioris usuræ. Secundò ampliaretur, etiamsi minor veniam ætatis impetraverit, vel aliàs industrius sit, juxta notata in *l. 1. C. qui & adver. quos.* quia licèt venia tollat restitutionem in integrum, & industriositas illam difficulter (quia facit præsumi non esse læsum per ætatem) tamen non tollunt nullitatem actus, ubi de alienatione vel hypotheca rei immobilis agitur, vel quæ immobili æquiparatur *l. 2. & 3. C. de his qui veniam ætat. impetraver.* Tertiò ampliaretur, etiamsi constaret pecuniâ versam in rem minoris, quia hoc non validat alienationem prædii vel similis juris. *l. non solum. l. utere. l. si prædium C. de prædiis minorum sine dec. non alien.* Videsne quorsum res evadat? Nempe ut liceat minori qui dupliciter tum in rem suam versione, tum leviori fœnore meliorem conditionem suam fecit, beneficium tamen & liberalem creditorem contra legem divinam (*ut sup. nn. 79.*) illudere, & non solùm reditum in futurum denegare; sed etiam sortis reliqua in sortem imputare. Habet igitur communis sententia, si indistinctè accipiatur, multas reprehensiones: justis itaque decretis temperari debet. *l. Salvius de legat. præst. l. in ambiguis in fin. de regulis juris. l. patri §. prædium.* Ibi, *ita temperanda res erit, de minoribus.*

Bernard.

Decisio.

274. Dicit itaque, quòd si constet minorem, vel ejus tutorem aut curatorem utiliter contraxisse, & pecuniam in rem & utilitatem ejus versam, valere & tenere hujusmodi reditus constitutionem in se absque ullo decreto si ad rationem duodecimæ constitutus sit, & generaliter locum habere omnia quæ in præcedentibus dicta sunt. Probo primò per text. in *d. l. quid ergo, §. consequitur de contrar. & uti actio. tut.* ubi tutor potest pro pupillo, si indigeat, pecuniam accipere sub usuris, non solùm sub communibus, vel in regione frequentatis; sed etiam talibus, quibus potest, si necessitas urgeat, vel sub eisdem usuris, a quibus pupillum liberavit, aut liberare intendit. Quinetiam potest de suo fœnerari pupillo suo, pecuniam suam in rem pupilli insumendo, etiam sub tantis usuris, quantas à quovis (licite tamen, & intra metas legum) potuisset stipulari, si tamen multum profuit pupillo: quæ omnia mero jure sine decreto vel aliqua solemnitate procedunt. Imò non solùm tutor; sed etiam quivis negotiorum gestor potest eodem modo usuris subjicere quemcumque, cujus negotium utiliter gerit. *l. & in contraria de usur.* & consequenter etiam minorem, igitur minor per se taliter contrahere potest, text. *C. si adver. cred. per tot.* Consequenter eodem casu hujusmodi reditum vendere, ut pote veterum illarum usurarum succedaneum. Scio objici posse, multum referre inter veteres usuras, quæ nunquam duplum excedebant, sed cùm eo ventum erat, cessabant, ut *suprà num. 46.* & sic non poterant immobilibus æquiparari. Secùs in his reditibus, qui in infinitum excurrere possunt, & sic immobilibus comparantur. Sed hæc differentia non tollit rei æquitatem, quam tamen legis positivæ rigor adhuc moratur.

275. Ideo solvo & probo secundò per text. *in l. si pupillorum, in fin. digest. de reb. eor.* qui ubi si prædium minoris ex contractu præcedenti, putà prædecessoris erat hypothecatum sub usuris, potest tutor solvendo primo, hypothecare secundo creditori sub levioribus, vel similibus usuris, & jus hypothecæ prioris creditoris ad sequentem transferre. Ex quo habes quòd solus tutor sine decreto potest duo: primum, nomine pupilli accipere sub usuris: secundum, prædia minoris jam hypothecata hypothecare, dummodò non in graviorem causam. Tertiò probo, etiamsi prædia nullo modo erant hypothecata: tamen potest ea tradere pignori pro mutuo usurario: & licèt sine decreto non constituat creditori formalem hypothecam, tamen constituit illi legitimum jus retentionis, & sic quoddam pignus per viam exceptionis, text. in *d. l. si pupillorum, §. si obligaverit, l. si fundus §. quanquam de reb. eor.* Quartò probo, fac pupillum ex contractu paterno debere centum reditus ad rationem duodecimæ sub hypotheca speciali & generali prædiorum: Caius volens commodare pupillo, offert solvere sortem, & reditum moderari ad rationem quintædecimæ, dummodo in reditu & hypotheca prioris creditoris & jus illius subrogetur, hoc enim fieri potest, text. in *l. 1. C. de his qui in prior. credit. loc. succed. l. Aristo. quæ res pignor. obligari poss. l. si prior, §. a Titio qui potior in pignor. habeant.* Et licèt dicta jura non loquantur, quando minor est debitor, tamen eadem est ratio in minore: qui etiam non lædituf; sed jure communi utitur, & sic non opus est decreto, *l. fin. C. de in integ. restitution.* & non opus est decreto, quando futurus secundus creditor minoris offert solvere priori creditori, etiam eadem conditione, ut habeat prædia hypothecata, & in jus prioris succedat: casus est rotundus in *d. l. si pupillorum, in fin.* Et sic ubi pecunia in rem minoris vertitur, non solùm potest creditori sine decreto acquiri obligatio successiva, non solùm una cum jure retentionis, sive pignoris immobilium per viam exceptionis, sed etiam una cum formali jure hypothecæ immobilium.

276. Nec dicas quòd hoc casu secundus creditor dicitur quoddam negotium gerere cum priore creditore, & ab illo cessionem jurium accipere: quia illud procederet, quando secundus creditor, qui etiam est creditor hypothecarius, vel justus possessor, & non simplex chirographarius, offert & solvit priori: quo casu etiam sine pacto expresso succedit in jus illius, tanquam ab eo habens causam seu cessionem expressam vel tacitam, *l. 1. Cod. qui potiores l. fin. Cod. de his qui in prior. credit. loc. l. potior §. final. l. si prior §. sciendum §. si tertius. l. quærebatur qui potior. l. cum sciendus, l. cum posterior. de distract. pignor.* Sed nos loquimur hic in longè diversis terminis, videlicet in merè extraneo, qui non erat creditor pupilli, nec habebat jus offerendi

priori creditori ad finem petendi ab eo cessionem jurium vel subrogationem in locum ejus. *l. nulla. C. de solutionib.* Et fortè aditus creditor recusabat jura cedere, volens simplicem apocham dare: ideo iste adivit debitorem vel ejus tutorem, & numeravit ei pecuniam priori creditori solvendam, ut ejus loco subrogaretur. Hoc enim casu duo requiruntur videlicet pactum succedendi loco primi, & quòd ex ea pecunia prior ille creditor dimittatur, *dicta. leg. Aristo in princip. in dicta leg. prima. Cod. de his qui in prior. credit. loc.* Nec requiritur istud pactum fieri cum priore creditore vel eo sciente; sed sufficit fieri cum solo debitore, vel cum repræsentante, ut in dictis juribus, & distinctè in *d. l. si prior. §. à Titio qui potior in pig. vel hypoth. hab.* Et sic vides quòd iste secundus creditor nullam causam habet à primo, sed solùm causam habet à debitore: & tamen succedit in ipsum jus primi, saltem in jus simile & æquè potens, etiam in præjudicium aliorum creditorum posteriorũ primo, quibus tamen non dicitur damnum inferri, sed lucrum non afferri: quia duntaxat novissimus iste loco primi subrogatur, eodem in cæteris rerum statu manente. Ideò toleratur, licet non interveniat factum primi, sed duntaxat factum debitoris & hujus novissimi. Et hoc meritò moribus introductũ & jure comprobatum fuit, quia cæteris creditoribus damnum non affert: debitoribus autem prodest, quo facilius viam inveniant acerbiorem aliquem creditorem dimittendi, vel commodius mutandi, & sic cùm istud sit de jure communi, & in debitorum favorem, æquè fieri potest à tutore vel adulto carente curatore, etiam respectu hypothecæ immobilium, cum non offendatur in aliquo constitutio *de prad. minor. sine decret. non alien.* quia hic non est in effectu nova hypotheca, sed transfusio unius creditoris in alium, eâdem vel mitiori conditione.

Quomodo unus creditor in locum prioris subrogetur.

277. Quare idem omnino dicendum, etiam respectu obligationis reditus, utcunque per se maximè jure immobilium censeatur: quia hic in effectu non est creatio novi reditus, sed potius creditoris mutatio, & simplex nuda versura, eadem vel meliori conditione, cujus commercij utilitas non intelligitur per dictam constitutionem minoribus interdicta, ut declarat textus in *d. l. si pupillorum in fin.* Et sic hoc casu nullo modo obest dicere, quod reditus iste differt à debito usurario, de quo loquitur *d. l. si pupillorum in fin.* quia satis est, quod ibi expressim permittitur transfusio hypothecæ prædialis. Igitur eadem ratione transfusio debiti principalis, licet vicem immobilis gerat magis quam debitum usurarium: quia non est major ratio prohibitionis in hoc reditu, quam in hypotheca prædiali. Et sic si de uno conceditur, igitur & de alio concedi videtur, stante eadem ratione, ut hîc quod dico propter formulam argumenti, cui vel ad rigorem satisfactum est in hac specie. Porro licet non videatur ita formaliter satisfactum aliis casibus, ubi minor non est obligatus simili reditu, tamen si sit è re minoris, hujusmodi reditũ de novo vendere, dico quòd vel sine decreto potest efficaciter constitui. Non dico quantum ad formalem hypothecam prædiorum, quod non est nisi accessorium accidentale, sed quantum ad ipsam substantiam obligationis reditus, ut currat, debeatur, & exigi possit, nec debeant reliqua in sortem imputari: tum quia fundamentum illud unicum partis negativæ, quod censetur inter immobilia, non est usquequaque verum, cùm stabilitas vel perpetuitas dependeat à facto vel voluntate debitoris, ut supra num. 272. tum quia cum usus veterum usurarum exoleverit, & hic reditus subrogatus sit, par est licere minoribus eodem casu sub hoc reditu fœnori accipere, quo licebat jure communi sub veteribus usuris, videlicet cùm sors in rem eorum versa est; *l. 1. C. si adverf. credit.* Alioquin omni commercio æris alieni fraudarentur, nisi interveniente decreto, quod sæpè non potest ita tempestivè interponi, quin idonea & percommoda æris alieni fœnerandi occasio amittatur, & ab aliis præoccupetur: quandoque etiam non expedit egestatem domus inquisitione illa exacta, quæ in decreto requiritur, propalari: & sic non esset de mente, sed contra mentem juris, quòd minores hac commoditate privarentur, prætextu prohibitæ alienationis immobilium, in eorum tantùm favorem sanctæ.

Utilis versura.

278. Plus dico, quòd hoc casu potest tutor vel adultus curatore carens, constituere quasi pignus, seu quasi hypothecam in prædiis suis, per viam retentionis sive exceptionis, videlicet tradendo prædia creditori. text. in *d. l. si pupillorum §. si obligaverit,* & in *d. leg. fundus §. quanquam de reb. eor. qui sub tut. l. utere. l. si prædium. C. de præd. minor sine dec. l. consilio §. 1. de curator. furios. l. patri. §. prædium de minor. cum similibus.* Quod ultimum intelligendum secundum notata *suprà q.* 35. Salvo, quòd non poterit sine decreto facere pactum propriæ & strictæ antichreseos, hoc est, irrevocabilis, etiam vendendo ad rationem semissis, vel quincuncis usuræ: quia esset quædam species alienationis, saltem non esset minus, imò plus quàm vera, propria & specialis hypotheca prædij: & sic offerendo cavere de reditu continuando, sive per decreti interpositionem, sive per fidejussorem, vel hypothecarum aliarum dationem, quandiu minor est, poterit indistinctè antichresim revocare, vel major factus, hypothecando prædia sua idonea. Quo casu sive major sit, sive minor, revocando antichresim (si de illa eodem contractu contemplatione levioris reditus conventum fuerit) tenebitur solidum reditum ad rationem duodecimæ offerre, & idoneè cavere, secundum notata suprà *num* 269. Et sic fœnerans minori, volens sibi cavere de efficaci antichresi, utque major factus illicò ratificet, habet justum & legitimum remedium, videlicet emendo ad rationem duodecimæ reditus, triente, vel ad minus quadrante quotannis remisso; mediante idonea antichresi, & quandiu ea fruetur, addita etiam conditione ratificationis per majorem factum: levitas enim reditus faciet stare & ratificari antichresim, donec redimatur. Dico etiam, quod creditor nullum pignus accipiens tempore contractus, potest pacisci, quòd minor major factus, vel ejus hæres tenebitur, tunc, si nondum erit facta redemptio, hypothecare prædia: & omnino valet pactum in se; sed quando fiet hypotheca, non valebit hypotheca, nisi ex tunc: nec trahetur ad diem pacti seu contractus, & sic erit posterior alienationibus & hypothecis medio tempore legitimè factis. Sed ad hoc creditor duplex ab initio habet remedium: primum, ut maturè curet decretum cum debita inquisitione & causæ cognitione interponi, & cum eodem decreto poterit hypotheca constitui. Secundum, ut eodem contractu accipiat quædam prædia in pignus pro securitate sua, donec tutò caveatur, ita ut reddat rationem fructuum, & reliqua deducta pensione reditus restituat, ad quam reddendarum rationum molestiam evitandam poterit eadem prædia justa mercede locare minori usque ad quantitatem reditus, vel conducere ab eo, ita ut compensata singulis terminis quantitate reditus, reliquum solvat: quo facto, retentionis beneficio & jure exceptionis potior erit omnibus jus posterius prætendentibus. Quia quemadmodum jure exceptionis poterat excludere debitorem, ita & omnes causam habentes ab eo, post jus retentionis acquisitum: quod singulariter notandum. Verum est tamen, quòd istud non procedit nisi per viam retentionis, & quandiu retinet: sed non tenebitur discedere à dicta retentione, nisi facta idonea & tuta hypotheca:

Jus retentionis.

& hæc procedunt, quando pecunia in rem minoris versa est, & hoc constat.

Versum in rem minoris.

279. Et intellige versum esse in rem minoris, non quando extat, seu quum nummis minoris permixta est, sed tunc demum, quando est utiliter impensa ad commodum minoris, ita quod minor non solùm habuit æs alienum, sed etiam fruitionem & commodum æris alieni: & sic locupletior factus, non solum in sorte, sed etiam in interusurio seu commodo sortis, ut quando inde graviores usuras dissolvit, vel commissum emphyteusis evitavit, vel fundum avitum tempore fortè redemptionis expirâte redemit, vel res perutiles aut necessarias comparavit, vel utiliter per se negotiatus est, aut in societatem negotiantium contulit. Alioquî si non perdidit sortem, sed otiosam habuit, non dicitur in rem eius versa, quantum ad hanc materiam, sed tantùm extare, prout tunc non dicitur locupletior factus nisi in ipsa sorte extante, non autem in aliquo interusurio seu commodo sortis. Item inconsultè vel imperitè negotiatus, nec damnum nec lucrum fecerit, sed sortem tantùm servaverit. Quibus casibus non puto emptionem reditus à minori factam sine decreto (quæ de rigore non subsistit) nec ex æquitate defendi posse, sed tantum sortem in qua sola locupletior factus est, repeti posse, confusis in eam pensionibus reditus, si quæ solutæ sint. Et adverte quod regulariter non exigo probari à creditore minorem locupletiorem factum in sorte, sive eam extare, ad hoc ut eam repetere possit: non enim quia minor eo ipso præsumitur pecuniam per lubricum ætatis amisisse vel dissipasse, argum. *l. nam posteà. §. si minor. de jurejurando. l. minoribus C. de in integrum restit.* & leges quæ dicunt, minori qui mutuum accepit succurrendum, vel actionem creditori denegandam, loquuntur conditionaliter, si captus sit, si dissipavit, scilicet per lubricum ætatis. *l. ait Prætor. §. proinde. l. patri. §. si pecuniam. l. verum §. sciendum. de minoribus. l. 2. C. de filiofamil. minore.* Verum est quod ex variis circumstantiis dissipatio præsumitur, puta causæ vel temporis, ut si profusuro vel cedenti in ludo creditor mutuavit. *d. l. si verò non remunerandi. §. si adolescens. mandat. leg. si quis cùm sciret, de pro empt. l. 2. quarum rerum actio non datur,* vel qualitatis personæ: ut si adolescens nondum excesserit decimum octavum annum, vel si excesserit, tam levibus erat moribus, ut verisimiliter amissurus esset: vel quantitatis, si nimis magna, sive semel sive diversis vicibus plus mutuatum, quàm probabile sit minorem indiguisse: unde occasio & suspicio oritur corruptionis magis, quàm officii bona fide impensi. Tunc enim creditor etiamsi gratis mutuavit, tenetur probare in rem versum, vel extare, ut petere possit, alioquin puto probandam esse captionem vel amissionem per debitorem: facit *l. illud ad fin. de evictionib.* Sed in quantum creditor etiam usuras infra legitimum modum, vel reditum, aut aliam compensationem interusurii peteret, puto quod probare debet indistinctè etiam in utilitatem minoris impensam pecuniam, ut in casibus supra num. 274. vel similibus, ut appareat minorem nedum in sorte, sed etiam in fruitione & interusurio sortis locupletatum.

Minor non præsumitur dissipasse pecuniam.

Intellectus tit. C si adverſ. credit.

280. Et ita debet sanè & planè intelligi & modificari tit. *C. si adverſ. credit.* quod enim gloss. & omnes Doctores ibi intelligunt creditorem, qui minori sub usuris mutuavit, indistinctè & sortis & usurarum damno affici, nisi probet in rem versum minoris, non est æquum nec verum: quia regulariter ad finem simplicis sortis repetendæ non tenetur creditor probare in rem versum vel extare, nisi ex circumstantiis de amissione appareat, vel nisi constet de dolo vel illectatione creditoris, ad corrumpendum mores adolescentis. Cæterùm licet mutuaverit sub usuris, dummodo aliàs bona fide, non debet propterea periclitari in sorte, per jura allegata supra *q.* 10. *in princip.* Nec est verum quod vulgo putant gloss. & Doctores in *lege primâ C. si adverſ. cred.* quòd ibi speciale quoddam statuatur in odium vel pœnam fœnerantis: quia ille titulus non loquitur tantùm de fœneratore, sed simpliciter de creditore, qui propriè verificatur de mutuante, sive gratis, sive sub usuris mutuet, quemadmodum Græcis *Δανειστὴς* dicitur, qui dat mutuo, sive absque, sive sub usura. Tum quia leges dicti tituli commodè possunt intelligi ex bono & æquo secundum prædicta, & juxta alia jura, ut nuper declaravimus: igitur non debet ad specialitatem, vel pœnam trahi, præsertim cùm nec verba, nec mens cogant, imò nec concludant. Fateor quòd regulariter magis præsumitur contra mutuantem pecuniam minori, & durius contra eum agitur circa probationem vel præsumptionem versionis in rem minoris, quam in numerante minori ex causa validæ emptionis, vel alia quapiam justa causa, ut innuit text. in *leg. quod si minor. §. restitutio. de minor.* Et ratio est duplex: prima, quia numeratio ex causa mutui est merè voluntaria: sed ex alia justa causa, præsertim antiqua, est debita & necessaria. Secunda, quia ad capiendum & corrumpendum leves adolescentes non est contractus magis idoneus mutuo, & procliviores sunt ad abutendum mutuo, & pecunia mutuatitia, quàm ullo alio negotio, ut docet experientia, & patet in *leg. 1. ad Macedon.* meritò in istis major solicitudo exigatur à creditore, ut videat ne det decocturo, vel rem malè gesturo.

Solicitudo exigitur à creditore.

281. Alioquin pecunia creditori pereat, à quo nullo tutore vel curatore adhibito cum solo minore scienter contrahente, justum & æquum est hanc solicitudinem exigi, non solùm tempore contractus inspecto, sed etiam postea. Nec enim continuò liberatus est periculo, si tempore mutui dedit sobriè rem suam gerenti, & quo opus erat, nec supervacuam pecuniam accipienti, si lubrico & facilitate ætatis antè perdat, quàm in rem suam vertat, perit enim periculo creditoris: quia sive minor tempore contractus, putà supervacuum mutuum capiendo, sive non tempore contractus, sed postea per imprudentiam perdendo mutuum initio prudenter acceptum, captus sit, poterit restitui. Secùs, si mutuum prudenter acceptum postea casu fortuito perderet: quia tunc, nec tempore contractus inspecto, nec postea per imprudentiam seu lubricum ætatis captus esset, unde non restitueretur. *l. verum. §. sciendum. de minor.* Non obstat § *at ex contrario. ad fin. Inſtit. quibus alien.* licet vel non ibi, *Aut furto, aut vi amiserit,* quia ille §. loquitur de pupillo, cui sine tutore mutuatum est, quique ipso jure ab initio non obligatur, nec indiget restitutione. unde quomodocunque amiserit, non incipit teneri: quia satis est, quòd cessat æquitas replicationis, ex quo non est locupletior. Nos autem loquimur de adulto carente curatore, qui ab initio civiliter & naturaliter obligatur, & indiget restitutione in integrum, si captus sit. Unde si ab initio non oritur restitutio, quia prudenter mutuatus est, licèt possit ex post facto oriri, si per imprudentiam perdat, tamen non oritur, si citra imprudentiam casu fortuito perdat. Si verò ab initio fuerit materia restitutionis, ut quia temerè mutuatus est, non desinit competere restitutio, licèt non per imprudentiam, sed per casum fortuitum superveniat amissio. Et hoc est etiam de mente dicti §. sciendum, ubi in quantum denegat restitutionem minori, fato vel casu fortuito læso, loquitur de eo, qui ab initio sobriè rem suam administrans contraxit & se obligavit, & quando ab initio nulla captio fuit, nec supervenit, nisi per casum fortuitum, qui ab initio non poterat prævideri nec præcaveri, ut in

exemplis dicti §. & justum & æquum est creditori, qui semel in culpa fuit, temere mutuando levi & inconsulto juveni, adscribere quicquid postea contigerit damni, cujus culpa illa præcedens causa sine qua non, seu occasio fuit. Nec est injurium creditorem etiam bona fide mutuantem hoc duplici seu successivo periculo onerari, utque teneatur esse sollicitus de prudentia & cautione juvenis, quo illi bene consulatur, non solùm tempore mutui, sed etiam tempore usus & de ipsa collocatione pecuniæ, ut sic vices in hoc curatoris suppleat, aut suppleri curet, quia sine curatore cum minore viginti quinque annis contrahit: ut sic ad ejusmodi creditorem spectet periculum sortis, facilitate vel lubrico minoris ætatis, sive tempore contractus inspecto, sive postea contingens, etiamsi gratis mutuavit: multo fortius si sub usuris, paciscendo de quæstu usurario sive redituali. Eadem enim omnino hic ratio est in emptione reditus, quæ in conventione usurarum. Et hoc est generale, quod creditor debet esse curiosus de versione in rem, quatenus contrahit cum persona prohibita vel minimè habili, ut in *l. vir & uxor. l. fin. in princ.* & ibi Paul. *ad Vellejan.* not. *in l. civitas de reb. credit.* in *auth. hoc ius porrectum C. de sacrosanct. Eccles.* Cæterùm non continuò sequitur hunc creditorem etiam damno sortis afficiendum nisi locupletatum probet minorem, ut adusque nimis indistinctè tenuit communis schola: sed satis est quod damno usurarum vel reditus afficiatur, nisi probet sortem in rem minoris impensam.

282. Et in summa dico, quod sicut minor etiam ab initio supervacuò vel inconsultè mutuatus, non habet eo ipso intentionem fundatam ad excludendum creditorem à sorte, nisi perditionem probet, ita non habet creditor intentionem fundatam ad usuras, vel aliud commodum præter sortem, nisi probet conversum in rem minoris. Jam sentio longius me sensim evectum quàm destinaram, sed quia hæc non minus utilia, & ad exactum legum intellectum, & rectam praxim in quotidiano usu necessaria sunt, quàm noviter à nobis elaborata & explicata, libenter pro communi discentium utilitate, obiter addam ex prædictis multorum locorum juris sincerum & practicum intellectum dependere, ut *l. prædiorum l. utere. l. si prædium. C. de præd. minor. l. si fundus. §. quanquam de rebus cor. qui sub tut. l. patri §. prædium. de minor.* Accurs. autem in §. *prædium*, verbo *locupletior.* quem nemo scribentium ibi reprehendit, tenet minorem non teneri ad usuras pretij ex persona sua, sive ex contractu suo licet fructus petat: quod est falsissimum, & contra textum apertum in *d. l. si prædium* & in *d. §. quanquam* cum similibus, & contra æquitatem naturalem, de qua in *l. nam hoc natura. de condict. indeb.* in *l. jure naturæ. de reg. Jur.* ut mox liquebit. Ratio autem cur in dictis locis minor etiam ex persona sua tenetur ad usuras, est, ne cum jactura aliena lucretur. textus est in *d. §. quanquam in fin.* ubi dicitur, quod si creditores paterni ipsius pupilli dimissi sunt de pretio fundi, sine decreto venditi, si pupillus reperens fundum cum fructibus nolit reddere pretium simul cum usuris medii temporis, dicitur lucrum captare ex damno alieno, & sic etiamsi pretium offert, sed detrectat usuras, adhuc in istis certat de lucro ex jactura aliena, quia non solùm habuit pretium tempore medio, sed etiam interusurium pretij, cùm paterni creditores inde dimissi sint, qui potuissent facere pignorari & distrahi bona pupilli, qui beneficio dicti pretii tanta incommoda evitavit. Contra vero emptor interim pecuniæ suæ interusurium amittit, & tamen totum lucrum restituit, videlicet fundum cum fructibus.

Summa.

Novus, verus plurium leg. intellect.

283. Nec valet dicere quod interim habuit interusurium fructuum, tum quia illud nullum est, cùm non sit accessio accessionis *l. neque eorum de usur.* tum si quod esset, non esset considerabile pro interusurio totius pretii, præsertim simul non particulatim numerati, deinde non brevi, sed longo tempore retenti. Et quia prædicta ratio naturalis est, decisio locum habet non solum quando emptor vel alius contrahens non fuit in culpa, sed solemniter & bona fide contraxit, ita quod minor beneficio restitutionis indiget: sed etiam quando emptor contra jus decreto omisso, contraxit, ita quod fundus rectè vendicari potest, ut in *d. §. quanquam* & in *d. l. si prædium*. quod si pretium quidem non perierit, sed salvum sit, non autem fuerit utiliter impensum in rem pupilli, tunc dico, quòd licet minor vel factus major recipiat fundum cum fructibus, tamen satis habet reddere pretium, nec tenebitur ad aliquas usuras. Probo primò, quia jam cessat ratio finalis & decisiva, quia pupillus nullum habuit usum vel commodum pecuniæ. Secundò, quia omnes leges, quæ dicunt minorem teneri etiam ad usuras pretij, loquuntur signatè & disertè, quando constat minorem locupletatum fuisse, non solùm in pretio, quod non perijt, sed etiam in interusurio pretij: aliàs nullo jure cavetur eum teneri etiam usuras restituere. Tertiò probo per textum in *d. l. patri. §. prædium versi. item ex diverso in fin.* ubi textus præcidit, quod eatenus tenetur de pretio respondere, quatenus inde locupletior factus est; ergo si tantum pretium extat, nec aliter versum est in utilitatem minoris, non tenetur nisi ad pretium, quia non est locuples in interusurio, sed in solo pretio. Si enim non sit salva nisi pars pretij, non tenetur nisi ad illam partem: si autem totum pretium interim versum sit in usus utiles minoris, tenetur ad totum pretium, & ad usuras totius pretij, ergo pro rata si pars versa est: hic est verus & nitidus intellectus dicti versiculi.

284. Sed ei quod nuper dixi, non esse regulariter exigendum à creditore, ut probet pecuniam minori non deperijsse, multum prima facie in terminis quæstionis nostræ obstat *l. prædiorum, l. si prædium C. de præd. minor & quod tradunt gloss. & omnes Doctores* in *d. l. prædiorum*. Alex. in *l. si cum dotem. §. . in fin. solut. matrim.* quod quando contractus est nullus, debet creditor probare minorem locupletatum ex pretio, ut illud repetat etiam excipiendo: sed si contractus tenet, & petatur restitutio, debet minor amissionem probare. Sed in quæstione nostra communis est opinio fori & Pragmaticorum, contractum esse nullum ipso jure. Respondeo primò, quod communis hæc Pragmaticorum sententia est vera, sanè tamen intellecta & modificata, ut supra dixi *num.* 274. Sed est advertendum, quod iste contractus emptionis reditus redimibilis symbolisat cum mutuo usurario prout ejus loco subrogatū esse constat. Unde quemadmodum in mutuo usurario duo sunt, videlicet mutuum, & pactio quæstus usurarij, quæ sunt diversa & separabilia ab invicem: ita licet non æquè formaliter saltem æquipollenter & potentialiter in hac emptione reditus sint duo, videlicet datio pretij & pactio quæstus reditualis, donec sors reddatur. Et licet hæc duo non sint in hoc contractu ita formaliter actu separata, sicut in formali mutuo, tamen sunt separabilia: quia si emptio reditus in totum vitietur, datio pecuniæ in simplex mutuum resolvitur. Unde si emptus est ejusmodi reditus super minore sine decreto, fateor quod ipso jure non valet actus, quantum ad obligationem reditus & hypothecam immobilium: sed nihil impedit quin remaneat actus validus, quantum ad simplicem mutuationem sine usuris, in quam resolvitur alio non probato, & sic pretium tanquam mutuum reddi debet, etiamsi non probetur in rem versum, nisi ex circunstantijs personæ, loci vel temporis, aut alijs, ut supra *num.* 279. præsumatur malè dissipatum.

Contra glossam & Doct.

285. Secundò respondeo, quod communis illa distinctio gloss. & omnium Doctorum inter nullitatem & restitutionem, utcunque primo tinnitu aures demulceat, non est vera secundùm sensum eorum, prout jura quæ citant, malè intelligunt, ut tetigi supra n. 273. præsertim quia non expendunt in dictis juribus ideo probationem exigi à creditore quia vult recipere pretium cum usuris: & sic debet probare minorem commodum interusurij pecuniæ habuisse, quod fieri non potest, nisi simul probando pecuniam minori salvam fuisse. Cæterum ubi de simplici recuperatione pretii agitur, etiamsi contractus sit nullus, puta fundo vendito sine decreto, locum habent quę prędixi, ut regulariter minor restituere debeat, nisi probet lubrico ętatis amissum, vel nisi probet niniam juventutem, vel imbecillitatem, vel aliam circunstantiam tempore numerationis apparentem, ut verisimile sit pecuniam amissam vel inutiliter profusam esse, & idem in restitutione in integrum, ut si mobilia vendit, & læsus sit, vel rem immobilem cum decreto. Alioquin quis ferat juvenem viginti circiter annos natum, & sobriè rem suam gerere solitum allegare solam amissionem pecuniæ, & probationem rejicere in emptorem, ut fundum cum fructibus recipiat, nec reddito pretio, nisi creditor in rem minoris versum probet, idque prętextu nullitatis contractus ex defectu decreti? Et sic dicta communis sententia irrationabilis est, & dicendum ut novè declaravi, & sic ceteris paribus non est in articulo differentia inter nullitatem & restitutionem. Et licet dicta lex prædiorum non dicat expressim, quod repetebatur pretium cum usuris, tamen non negat. Ideò secundùm alia jura ejusdem materiæ debet intelligi lex *non est novum, cum lege sequenti, de Legibus.*

Tertio, etiamsi in *dicta l. prædiorum* actum fuisset de solo pretio recuperando, tamen dicta lex non dicit, nec probat creditorem teneri probare minorem locupletatum esse de pecunia per eum accepta, vel in patrimonium ejus relata, quia ibi pecunia non fuerat data minori, sed curatori suo, quo cum illicitè contra leges contractum erat, & constabat quod perfidus curator non contulerat totum pretium in patrimonium minoris, meritò non minor debet teneri, nisi de parte quæ in bona ejus collata probabitur. Eodem modo juxta *d. l. prædiorum*, intelligitur *l. sine herede §. interposito. de administ. tutorum.*

Emendatio praxis.

286. Emendata juris interpretatione, praxim quoque emendare promptum est: Solent enim nonnulli, dum hi casus in judicio occurrunt, indistinctè condemnare emptorem ad restitutionem fundi cum fructibus, super eis deductis melioramentis, refuso pretio quod invenietur in utilitatem minoris conversum. In quo dupliciter peccatur, primò onerando indistinctè creditorem onere probandi versionem in utilitatem minoris, quod non semper fieri debet per prædicta. Secundò etiam eâ probatâ, non habendo rationem interusurij, quod est iniquum, fructus adjudicando à die contractus. Debebit ergo bonus Judex constito de illa versione, æstimare illud interusurium, & pro rata cum fructibus compensare. *l. minor annis. §. prædia. de minorib.* non autem debet æstimare ad rationem duodecimę, prout vulgò imperiti putant, quoties de interusurio æstimando agitur, sed ad rationem quincuncis usurę, ut tactum est suprà *quæstione* 2^a. *in fine*, & plenè infra, *quæstione* 74. *num.* 532. Quid. in verò non adjudicant fructus nisi à die litis contestatæ, quod est magis erroneum, ut tetigi in *Consuetud. Paris §.* 22. *quæst.* 10. Ex prædictis plenè liquet quid dicendum, quando ab adulto carente curatore emptus est ejusmodi reditus. Sed quid si à tutore vel curatore minoris? Respondeo. Non habet creditor fundatam intentionem contra ipsum minorem vel ejus heredem ad solutionem vel continuationem reditus, ex eo solo quòd sors tutori vel curatori numerata est, nisi quatenus probetur versum in utilitatem minoris *dicta l. prædiorum*: Sed si hoc controvertatur à minore vel majore facto habebit creditor quatenùs versum non probat, recursum contra tutorem vel curatorem: quia licet non contraxerint nisi nomine officij, tamen nisi doceant se in rem pupilli vertisse, vel hoc diligenter curasse, tenebuntur nomine proprio ad omne interesse creditoris, in quo veniunt etiam reliqua reditus. Quòd si sine eorum dolo & culpa perierit pecunia, damnum est creditoris quantum ad ejusmodi reliqua reditus, sibique imputare debet, nisi illi proprio nomine se obligaverint. In dubio autem numerata tutori, nec illi, nec pupillo perisse præsumitur; respectu verò tutoris, etiam in rem pupilli conversa præsumitur, prout curare debuit: & hoc creditore contra eum agente, non autem contra ipsum pupillum conversa præsumitur, ideo creditor habet fundatam intentionem contra tutorem vèl curatorem in utroque, non autem contra minorem nisi ad sortem.

287. Sed quid si minor major factus solvit & continuavit reditum per aliquot annos, deinde recusat, nisi creditor sortem retrò versam in ejus utilitatem probet? Videtur creditorem non teneri probare, quasi major factus saltem scienter solvendo satis comprobaverit. *l. pupillus, §. idem ipse. de auct. tutor. l. si filius. de minor.* facit *l. sed Julianus in fin. ad Macedon.* In contrarium quasi simplex solutio veniat executivè ad actum primum, & sic non confirmet *l.* 3. *§. scio de minor.* & quæ notant Bart. Jas. in *l. pen. de condict. ob turpem causam.* Sed ne longius efferar, omissâ in præsenti hac incidenti disputatione, puto quod si major factus infra quinque annos conqueratur, tenebitur creditor probare non obstantibus solutionibus factis à majore, sed post quinque annos nil probare tenetur, si major interim solverit vel recognoverit. Nec requiro quòd singulis annis solverit, satis est quod aliquas solutiones fecerit, ita ut creditor fuerit & manserit in quasi possessione reditus contra majorem, secùs si major factus nihil solverit, nec aliter recognoverit: quia tunc simplici silentio, ex quo creditor nihil interim possidet, non dicitur approbasse, etiamsi contractus esset de facto suo, & non de solo facto tutoris vel curatoris: quia si reditus non subsistit, nulla quasi possessio fuit acquisita creditori tempore minoris ætatis, etiamsi tunc solutum fuerit, ut plenius dixi in *Consuet. Paris. tit.* 4. quò remitto, ne sim prolixior in his quę materiam usurariam excedunt. Ultimò juxta notata supra *num.* 275. Quid si tutor cùm pupillus careret pecuniis, esset tamen redimendus ager paternus, tempore expirante, vel ædificia urbana aut rustica reficienda, erogavit de suo & sibi in rationibus ascripsit interusurium ad rationem duodecimæ? Respondeo. Potuit tutor ad sui commodum ascribere interusurium, ad hoc ne fortè videatur illud remisisse, juxta *l. Nesennius ff. de neg. gest. l.* 1. *C. eod.* sed non potuit ad augendam vel determinandam quantitatem interusurij, quæ ex bono & æquo æstimari debet, ut in *l. quid ergo. §. conqueritur. de contraria vel util. action. tut. l. & in contraria. de usur.* in dubio non debet æstimari ultra rationem quincuncis legalis, per not. inf. *num.* 531. quod si justitia circunstantiarum majorem usuram exigat, non debet ad summum semis vel modus. *l. eas.* excedi, per not. infrà *q.* 71. *in fin.* cùm sors repetibilis sit.

QUÆSTIO XXXVIII.

SYNOPSIS.

1. *Dilucidè excutitur §. l. Vir uxori. ff. ad Velleian.*
2. *Quando in rem suam fidejubet mulier, ei non subuenit SC. Velleianum.*
3. *Viro numerata pecunia semper in communionem incidisse præsumitur propter Galliæ consuetudinẽ.*
4. *Indemnitatem extraneo promittens mulier SC. Velleian. non adjuvatur.*

Vir & uxor.

288. TRigesimo-octavò quæro de quæstione quotidiana, Vir & uxor simul vendunt & constituunt reditum cum vulgata clausula, simul & in solidum & absque divisione, de qua suprà *quæst.* 7. Non est dubium quin teneat obligatio in solidum respectu viri: sed quæritur an idem sit respectu uxoris. Hæc quæstio generalis est, sive simul acceperint simplex mutuum, sive rem simul emerint, & in solidum promiserint sortem vel pretium reddere, & ad multa alia. Et primò videtur quòd mulier teneatur pro dimidia & non ultrà, ipso jure: quia præsumitur ad utrumque æqualiter perveniſſe, & sic tenetur pro sua dimidia, *l. reos §. cum in tabulis, de duobus reis*, pro reliqua autem dimidia videtur fidejussisse pro viro: & sic ipso jure non teneri, *Authent. si qua mulier. C. ad Velleian.* & ita sentit Bart. *consil.* 124. quem sequi videtur Baldus in *l. mater. col.* 5. *C. de rei vend.* Paul. *d. §. cum in tabulis*, & in *consil.* 286. *col.* 1. *consil.* 360. *lib.* 1. Nicol. Boërius *decis.* 23. Sed quòd totum præsumatur pervenisse ad virum, & quòd mulier non teneatur in aliquo, nisi in quantum probabitur ad eam pervenisse, tenet Speculat. *tit. de obligat. §. ante omnia versic. sed porro*, & ibi Ioan. And. in *addi.* Alberic. Bald. Paul. in *dicta l. si qua mulier. Cod. ad Velleia.* Paul. Salyc. Bald. in *Authent. hoc amplius. col. pen. C. de fideicom.* & in *cap. constitutus. ad fin. de procur.* Imol. in *cap. cùm contingat. col.* 15. *de jurejurand.* Alexander in *addit.* ad Bald. in *l.* 1. *C. de duobus reis.* Fabian. in *tract. de emption. & vendit. quæst.* 38. *tertiæ partis princ.* Matth. de Afflict. *decis. Neapolit.* 209. & plures quos citat And. Tiraq. in *tract. retract. proximitat.* §. 31. Et istud est verius in terminis juris: sed in terminis nostrarum consuetudinum, ubi conjuges sunt communes, videtur procedere prior opinio. Pro analytica decisione excutiendum est quid juris, si mulier cum extraneo pariter obligetur, & de intellectu §. *mulier. in l. vir uxori. ad Velleia.* & an duo correi debendi videantur invicem fidejubere. In quo ultimo gloss. & Doctores multa miscent *in dicto §. mulier.* & in *l. reos. de duob. reis, & in l.* 1. *C. eod.*

289. Breviter veritas est, quod inter non prohibitos & respectu creditoris nunquam sunt fidejussores, sed æquè principales debitores: sed inter se dicuntur invicem fidejubere, quatenùs pecunia ad unum non pervenit, vel quatenus negotium ad eum non spectat. Probo, quia si duo tanquam correi accipiant idem mutuum, vel vendant eundem reditum, creditor utriusque fidem & æquè principaliter sequitur, & sic non obligantur ei in aliquo tanquam fidejussores, sed solum tanquam principales, sive creditor sciat ad alterum tantum pecuniam pervenire, sive non, ut tetigi ad Alex. *cons.* 29. *num.* 36. *lib.* 7. ex quo ab initio non voluit nisi cum utroque æquè principaliter contrahere: Sed cum pecunia non possit æqualiter ad utrumque pervenire, sed solùm pro parte, pura pro dimidia, necesse est dicere quod inter ipsos correos, is ad quem non spectat negotium in totum, sed solùm pro parte, in quantum se obligat & fide sua esse jubet, non pro parte sua tantùm, sed etiam pro parte perventura ad alterum: & sic quatenus res ad alterum pertinet, verè pro illo fidejubet, seu fidem suam interponit, eo ipso quod promittit solidum: quod si tota pecunia, totumve negotium spectet ad alterum, respectu illius in totum fidejubet. Doctores autem in locis præfatis & passim istud limitant in duobus correis ex causa lucrativa, quod est erroneum commentum, ut alibi dixi super *l. in l. Falcidia hoc observandum ad leg. Falcid.* in novis intellect. Nunc ad rem. Si mulier & Titius ejusdem mutui correi debendi fiant, videtur in totum cessare Velleianum: quia non habet locum nisi inter mulierem & creditorem, cujus respectu mulier non fidejubet: quia supponitur colorem non fuisse quæsitum à creditore, qui ab initio voluit æquè principaliter cum muliere contrahere: & sic etiamsi sciverit quod mulier commodo alieno in toto vel in parte inserviebat: non tamen continuò locus est Velleiano. *l. si fœnebris C. ad SC. Velleian.* tum si cum sola muliere tutò contrahi potest. *dicta l. si fœnebris.* Igitur & quovis alio correo simul adjecto, quia propter adjectum mulier non fit deterioris conditionis. In contrarium videtur locus esse Velleiano pro parte spectante ad Titium, quia mulier eatenùs respectu Titij pro eo se obligavit, & verè fidejussit. Quinetiam creditor ex ipsa forma contractus scivit aut scire debuit eam pro parte Titij respectu illius intercedere, igitur eatenus locus est Velleiano. *l. imo. ad Velleian.* Hę sunt hinc inde veræ rationes dubitandi. *d. §. mulier.* ubi Jurisconsultus Africanus rem, alioquin ancipitem & lubricam pulcherrimo temperamento secat & conciliat, dicens, quod si mulier indidem majus damnum vitat, quàm sit hoc quod solidum cum alio promittit, tunc licet dimidia tantum ad eam perveniat, cessat Velleianum, cui ea ratione cessante, locus erit pro ea parte, ut si mutuum captum sit ad emptionem cretæ rei æquipollentis tantùm. & sic ad mulierem nec respectu pecuniæ, nec respectu commodi aliquid pervenit, nisi pro sua parte duntaxat. Et hic pro vero intellectu dicti §. *restituendo*, adverte, quod Bartolus & omnes intelligunt ibi fieri differentiam, an mutuum accipiatur in causam necessariam, an verò in causam voluntariam, quæ non est vera; sed manca & inepta interpretatio, quæque obtenebrat veram mentem & sententiam pulcherrimæ decisionis dicti §.

290. Nos dicimus veram mentem & sententiam esse, quod si mulier nullum ferat commodum nisi limitatim ad partem quæ ad eam pervenit, locus sit Velleiano pro reliqua parte, quæ nullam adfert utilitatem mulieri: si verò mulieris interfuit etiam reliquam partem correi solvi, tunc cessat Velleianum. Ratio decidendi clara est & æquissima, quia quando mulieris non interest nisi partem sibi contingentem solvi, tunc militat ratio fidejussionis, sive fidei pro alieno negotio interpositæ pro parte alium tantùm contingente. Quando verò mulieris interfuit totum solvi cessat ratio fidejussionis: quia non videtur in aliquo pro alio, sed in totum pro commodo suo obligari. Et dato quod videretur quodammodo partim pro alio obligari, tamen id, pro alio ipsam obligari sua interest hoc casu, itaque quod fidejubet, in rem suam fidejubet, & sic cessat Velleianum. *l. aliquis. in princ. l. si mulier. l. bona fide in fin. ad Velleian. l.* 2. *Cod. eod.* Et generaliter quoties mulier

Novum Intellect. §. mulier. in l. vir uxori ad Velleian.

fidejubendo vel quovis modo intercedendo non fit pauperior, cessat Velleianum. text. in *l. si pro aliquo. l. si mulieri dederim ad Velleian.* Igitur multo magis, quando sic contrahendo facit meliorem conditionem suam, quàm si non contraheret: tunc enim negotium suum agit, inquit textus in *dicta lege bona fide in fin.* Et sic infero quod non solùm quando mutuum contrahitur in causam necessariam, ad majus commune damnum vitandum: sed etiamsi in causam voluntariam, sed longe majorem, quam sit mutuum, utilitatem afferentem, putà ad emendum rem majoris pretij vel commoditatis quam sit mutuum: tunc enim verè interest mulieris, non solùm suam, sed socij partem solvi, alioquin privaretur occasione irrecuperabili rem tam utilem & percommodam acquirendi. Et sic hoc casu, etiam totius summæ respectu in rem suam obligatur & negotium suum agit, & sic cessat Velleianum. Malè igitur dixit Accursius ibi in verb. *accepta, versic. item quid si hoc plus valet.* licet omnes Doctores sequantur, sed perperam, non intelligentes mentem nec sententiam, veramque decidendi rationem dicti §. Plus etiam infero, quod si ibi Titius & mulier fuissent socij omnium bonorum, vel certæ negotiationis, in quam contraxissent illud mutuum, tunc omninò cessasset Velleianum, quia interfuisset mulieris etiam partem Titium contingentem solvi, quo communis societas ad commodum mulieris augeretur, non solùm de portione contingente mulierem, sed etiam de portione contingente Titium, & sic se obligasset ad commodum suum in totum, sive non magis pro suâ quàm pro Titij parte. Loquitur enim dictus §. quando Titius & mulier non erant socij, licet in certam rem communem vel communiter mutuarentur: quod si fuissent socij, & in causam societatis se obligassent, prorsus cessaret Velleianum. Et hæc est vera & germana sententia dicti §. ex qua liquet vera & clarissima decisio quæstionis in utroque membro, sive mulier simul mutuum capiat, vel obligetur cum extraneo. Non obstat quòd cum eâ sola contrahi potest, quia tunc totum negotium ad eam spectat: & non sequitur idem esse quando simul cum alio obligatur, quia tunc ex forma contractus negotium non spectat ad eam in totum; sed solùm in partem. Consequenter obligando se in totum, dicitur fidejubere pro parte correi, iúque etiam respectu creditoris, cùm mulier sit prohibita, & alioquin aperta esset viâ fraudandi Velleiani, videlicet faciendo mulierem simul æquè principaliter obligari. Et sic saltem pro dimidia juvatur Velleiano, nisi sua totum contractum tenere interfuerit, quo casu non juvatur, ut dixi. Idem si dolosè affirmaverit creditori ignoranti totum ad se pertinere, vel se socium esse, vel sua in totum interesse, argumento, *l. 2. in fin. princip. ad Velleian.* vel nisi probetur creditorem scivisse quòd ad mulierem nil spectabat, sed totum ad correum: quia tunc satis constat colorem quæsitum in formula obligationis in solidum, & locus erit in totum Velleiano. Non obstat si quis dicat quòd in *dicto §. mulier*, agitur de una summa solvenda in futurum, in quo major facilitas, hîc autem de uno perpetuo jure reditus vendendo, & statim velut cessione transferendo, in quo est major difficultas & cunctatio: & sic non ita videtur mulier labi per imbecillitatem, sed quod idem debeat judicari sicut de venditione fundi, vel nominis reditus antiqui per alium mulieri debiti. Quia imò multum refert inter venditionem reditus antiqui, & de novo constituendi, ut infrà *quæst. 68.* quia hæc posterior magis participat de mutuo & fœnore, & in ea majus est periculum quàm in una summa: ergo magis subveniendum, etiamsi non esset tantus metus imbecillitatis. Et adhuc non est verum non subesse tantam facilitatem: ut enim blanditiis & pollicitationibus indemnitatis lactari potest & allici mulier ad fidejubendum pro una summa semel solvenda: ita & pro reditu constituendo, vel ad simul cum alio fundum aliorum vendendum.

291. Sed quid si simul cum marito obligetur? Respondeo. Idem in terminis juris, vel in locis, in quibus uxor non habet communionem bonorum cum viro, vel ubicunque, si est derogatum communioni, salvo quòd ubi dixi juvari Velleiano, ipso jure tuta est quando cum viro *Authent. si qua mulier. C. ad Velleian.* Item salvo, quòd in dubio in totum tuta est, quia vir, penes quem est administratio, præsumitur totum recepisse, & de toto disposuisse: quemadmodum in patre, penes quem est administratio, quando pater & filiusfamilias simul mutuantur. tenent Dyn. Imol. Alexand. & omnes in *l. si enim dotem, §. transgrediamur solut. matrim.* Curt. senior. *cons.* 54. In locis autem, in quibus uxores cum viris habent communionem bonorum ut hic, vel ubicunque si ex pacto sint communes, dicendum quòd uxor efficaciter obligatur in solidum. Et ita observatur, & pluries judicari vidi: & memini circiter octo annos cùm quædam vidua hujusmodi reditus venditi pignorationem bonorum suorum passa in solidum, deinde sententia Præsidis Parisiensis pignoratione confirmata, & ad solutionem in solidum condemnata appellasset ad Senatum, in publicis causarum actionibus succubuisset, sententiámque Arresto confirmatam cum expensis & mulcta frivolæ appellationis. Prędicta amplio, etiamsi constet soli viro pecuniam numeratam: quia semper cadit in causam communionis, in quam etiam accepta & impensa censetur, *l. fin. Cod. ad Macedon.* Quod est limitandum, nisi tempore contractus vel numerationis pecuniæ constaret virum profusurum, vel in res suas proprias aut alienas quovis modo aliàs quàm in causam societatis & commodum commune sui & uxoris impensurum, idque creditor sciret, quia tunc manifestè scit mulierem non in rem suam, sed alienam obligari, & sic intercedere. Quapropter ipso jure non obligaretur mulier, nisi quatenùs probaretur virum saniori consilio ductum in commodum societatis cum effectu consumpsisse: Non enim sufficeret ostendere quòd momento seu brevi tempore contulit in societatem, ut mox idem vel tantundem abliguriret, vel aliò transferret: quia est fraus de re ad rem, vel de tempore ad tempus. Et quod dixi de creditore sciente tempore contractus, idem si tunc ignorabat, sed tempore numerationis pecuniæ scivit: hinc enim detegitur quòd non implevit mulieri, quia scienter dedit aliter consumpturo. Nec obest si dicatur quòd numeratio non est voluntaria, sed necessaria, quia tenetur solvere viro etiam id quod debetur uxori, cùm sit summa mobilis, cujus maritus dominus est, & potest dare vel credere cui vult: quia dico quòd si creditor velit habere mulierē obligatam in solidum, ad hujusmodi reditum perpetuum vel etiam ad unam summam semel solvendam. Sed jure cōntractus ex proprio capite mulieris non in consequentiam simplicis communionis, debet necessariò implere illud quod est causa sustinendi & justificandi hanc obligationem in solidum, videlicet solvere cum effectu in causam & commodum societatis, vel saltem bona fide, tanquam recipiente marito in eam causam ut in dubio præsumitur. Alioquin impossibile est quod habeat eam obligatam in solidum: & tamen verum est quòd solvendo soli viro, quem scit in aliam causam impensurum, liberatur ab obligatione, qua tenebatur mulieri solidum numerare. Sed liberatur non tanquam solutione eius quod debetur mulieri, sed tanquam remissione eius obligationis factâ à viro, qui potest illam remittere & discedere à contractu pro parte uxoris, consen-

Arrestum.

consentiente creditore sine alio consensu vel scientia uxoris: & novum contractum per se inire, priori resoluto. Et sic non potest creditor habere eam obligatam ex dicto contractu, à quo respectu mulieris discessit, vel quem ei non implevit: sed benè habebit virum obligatum ac si solus contraxisset, & consequenter mulierem vel ejus heredem ad dimidium reliquorum quæ debebuntur soluto matrimonio, sicut ad quodlibet aliud debitum mobile à solo viro contractum, in simplicis communionis consequentiam: Et hæc nota, quia necessaria, quotidiana & nondum à quoquam declarata.

292. Ex quibus etiam intelligis quæ sit ratio communis observantiæ apud nos, quòd licèt mulier non possit hypothecare, nec pati hypothecari vel dari pignori bona sua scienti creditori pro alio, sed talis pignoratio vel hypotheca nullius est effectus beneficio Velleiani, *l. quamvis in princ. l. fin. §. 1. ad Velleis. l. Senatusconsultum l. fi sine C. eod.* etiamsi conjugata major annis consensu & auctoritate viri hoc faciat: tamen pro viro mutuum accipiente, vel aliter se obligante, potest cum ejus auctoritate etiam heredia sua antiqua sibi propria hypothecare, quod etiam his qui multum temporis consumpserunt in studio legum, sed nondum satis in praxi exercitatis, absurdum adeò videtur, & præposterum ad materiam Velleiani, in qua multò minùs intercedit uxor pro viro, quàm pro extraneo, ut multi putent Velleianum desuetudine abrogatum: sed non est ita. Quòd enim apud nos vulgò receptum est & usitatum, mulierem pro viro hypothecare posse heredia sua, ideò est, quia vir mutuatur vel obligatur in rem communem, & in tuitionem vel augmentum societatis communis: quod etiam in dubio præsumitur. *l. fi. C. ad Macedonian.* Secùs si inter eos non esset communio bonorum ex pactis matrimonialibus, vel si jam facta esset bonorum separatio, vel si mulier vellet obligare pro tertio, quia non obligaretur efficaciter obstante Velleiano. Idem si pro viro non in causam societatis, sed in commodum proprium solius viri, vel suorum: hoc enim multò minùs fieri posset, duplici prohibitione ipso jure impediente. Prima, quia per consuetudinem nostram prohibetur uxor quovis modo dare viro: secunda, quia ipso jure non potest intercedere pro viro *d. Authent. si qua mulier.* Idem si pro viro in aleam profusuro, vel aliter perdituro & creditor hoc sciret. Et ita sanè intelligenda est observantia nostra, qua non aboletur, sed retinetur Velleianum. Si verò constaret solius mulieris negotium geri, & quòd tota sors non pro viro, nec in communionem, sed in heredia uxoris exoneranda, vel à commisso liberanda, aut aliàs in solius mulieris utilitatem impenderetur pecunia, tunc teneretur in solidùm, secundum formam contractus, cessante Velleiano, & vir etiam in solidum teneretur creditori: quia licèt prohibeatur ei donare, non tamen prohibetur pro ea fidejubere, vel etiam solvere repetendum ab ea, ut dixi in *consuetudine Parisiensi* §. 111.

Velleianum manet.

293. Sed jam de his satis: libet tamen obiter addere quæstionem, quam nuper vidi in facto. Vir & uxor simul cum Titio, quilibet in solidum, vendiderunt hujusmodi reditum, tamen Titius fidejubebat pro viro & uxore, qui (ut moris est) in alio instrumento sese obligaverunt, quilibet in solidum, ad exonerandum & indemnem reddendum Titium, qui posteà mortuo viro, agit contra mulierem in solidum ad indemnitatem. Consultus respondeo quòd benè agebat, etiamsi nulla esset renunciatio Velleiani, qua non fuit opus, duplici ratione. Prima, quia quando mulier alii etiam extraneo promittit indemnitatem, non dicitur intercedere, & cessat Velleianum, *l. quamvis §. 1. l. tutor. in princ. ad Velleian.* Secunda, quia id multò minùs, quando promittit suo fidejussori, quia etiam pro eo promittere posset creditori *l. sed si cum, l. aliquando in fin. princ. ad Velleian. l. de die §. 1. qui satisdare cogantur.* Et sic dicta mulier per sententiam Præsidis Parisiensis in totum condemnata appellavit, & in Senatu habuit rescriptum regium ad de novo proponendam exceptionem Velleiani, videlicet pro dimidia, qua tenebantur heredes defuncti viri. Tandem per Arestum anno 1543. exclusa fuit ab homologatione rescripti, & sententia confirmata, & mulier in omnes expensas & mulctam frivolæ appellationis condemnata, & rectè. Sed quid è converso, si in veritate vir & uxor fidejubebant pro Titio, qui pecuniam accepit sibi numeratam à creditore hoc spondente. Et prima facie videretur mulierem efficaciter & in solidum secundùm formam contractus teneri, ex quo creditor cum ea æque principaliter contraxit: quia tunc mulier tenetur, etiamsi alii donare vel commodare volebat, non solùm si hæc creditor ignorabat, *ut l. si mulier tanquam ad Velleia.* sed etiamsi sciebat *l. si fœnebris Cod. eod.* nisi fuerit color quæsitus, qui non videtur quæsitus, eo ipso quod creditor scivit, sed tunc demum quando creditor illi tertio, putà Titio mutuaturus erat, tamen eo quòd ejus facultates suspectas haberet, maluit mutuari, vel viro & uxori solis pecuniam dare ab eis dandam Titio, vel eos omnes ejusdem pecuniæ Titio dare correos accipere, ut declarat pulcher text. in *l. quidam voluit. ad Velleian.* & tradit Paul. in *l. sed si ego. in princ. ad Velleian.* & Doctores in locis præfatis. Alioquin sola scientia creditoris cum muliere principaliter contrahentis non sufficit, nisi quando mulier principaliter mutuatur, vel se obligat ad præcedentem aliquam intercessionem, in qua beneficium Velleiani habet, dissolvendam: quia tunc sufficit scientia creditoris, secundum Paul. in *l. Seia. §. fundum in fin. ad Velleia.* ubi est casus specialis secundum eum, quando fit in consequentiam prioris alterius fidejussionis, *facit. l. quamvis Cod. eod.* Sed certè (ut istud obiter expediam) Paul. multum fallitur, quia in *d. §.* fundum. Scævola (qui mos suus erat quoties factum non plenè narrabatur) non respondet decisivè, sed præsuppositivè & conditionabiliter, videlicet si intercessio erat, & si creditor scivit, & fuit particeps fraudis de persona viri ad personam mulieris, ut in *l. quidam voluit. eod. tit.* alioquin si mulier etiam sciente creditore mutuare potest, ut tertio etiam, (quod maius est) ut viro, donet *d. l. si fœnebris*, absurdum est quòd non possit à sciente mutuari, ut solvat vel donet ei pro quo priùs fidejussit. [Vidua cum vicino vendidit reditum, quisque in solidum renuncians Velleiano: vicino vergente ad inopiam, habet rescriptum ex beneficio Velleiani. *Elle est condamnée à en payer la moitié*, & de reliquo *absoute*: tamen ipsa solverat diu tota reliqua, an possit repetere mediam? videtur quòd non per *leg. repetitio.* contrà per legem, ipsa potest petere redemptionem mediæ, & imputare quod soluit ultra mediam reliquorum: Nec creditor potest dicere, quòd suum recepit bona fide, quia recepit ab ea, quam sciebat habere exceptionem pro media, & sciebat errantem totum solvere.]

Arestum.

Intellect. §. fundum in leg. Seia, ad Velleian.

Mos Scævolæ.

294. Prædictis igitur non obstantibus dico in hac incidenti quæstione mulierem non teneri in aliquo, ope exceptionis Velleiani. Ratio, quia nihil sortis fuit numeratum mulieri, nec in rem ejus versum: & hic impossibile est quòd obligetur ad reditum etiam in parte, multò minùs in solidum. Non obstat *d. l. si fœnebris*, quia in tribus multum vel ex diametro differt à casu nostro. Primò, quia ibi tota pecunia fuit numerata mulieri, & in ejus dominio & libera dispositione posita & relicta per creditorem, meritò efficaciter obligatur creditori: quia nullo modo intercedit, sed principaliter mutuum contrahit & recipit. Quòd autem mente gerat alii posteà dare, hoc nihil ad rem: quia mulier dare non prohibetur, nec pro alio solvere *l. sed si ego. in fin. ad Velleian. l. quamvis Cod. eod.* facilius enim propter imbecillitatem temerè se obligat mulier

Ratio Velleiani.

pro alio, quàm alii temerè donet *d. l. sed si ego in fi.* Ideò prudenter Senatusconsultum factum est ad subveniendum mulieribus; tum demum dum pro aliis verbaliter se obligant, vel sua dant pignori: quia ad hoc temerè faciendum, nec præcavendum in futurum propensiores sunt & illectabiles, non autem dum realiter pecuniam vel rem suam de facto donant vel solvunt pro aliis, quia non solent hoc ita temerè facere. Præsens enim damnum quàm futurum faciliùs prævidere & cavere possunt; & sic ipsissima viva ratio Senatusconsulti militat in casu nostro: quia mulier nihil dat de suo, nihil etiam recipit, sed solùm verbaliter se obligat in rem alienam. Secundò, quia in *d. l. si fœnebris* creditor principaliter contrahit cum sola muliere, & sic licèt sciat quid mulier inde posteà factura sit, tamen ex eo solo non concluditur color quæsitus, nisi probetur de tractatu habito à creditore cum eo cui mulier datura est, ut mulier pro securitate creditoris interponeretur, quo tractatu habito satis probatum est colorem quæsitum. *d. l. quidam volunt.* quo cessante, vel non probato, non arguitur ille color ex sola scientia creditoris, qui totam pecuniam soli mulieri numerat, & ponit, & relinquit in ejus dominio & libera disponendi facultate: unde cùm principaliter cùm ea sola sine alio suspecto tractatu contraxerit, & sic in casum licitum, non tenetur esse sollicitus quid illa posteà agat, sive de toto, sive de parte *l. vir uxori in princ.* & ibi Paul. *ad Velleian.* Sed hic creditor ab initio non cum sola muliere, sed cum tribus contraxit, quæ forma in contractum deducta, non est minùs, sed plus quàm simplex tractatus: quia ex forma contractus certum est quòd tota pecunia non perveniret ad mulierem in solidum; & tamen facit eam obligari in solidum, & sic jam non sumus in casu *d. l. si fœnebris*, sed in casu *d. §. mulier.* in *d. l. vir uxori.* Inter quos casus est latissima differentia, ut ex prædictis apparet: quia in *d. leg. si fœnebris*, tota pecunia soli mulieri datur, & in ejus solius potestate in solidum relicta est, unde ipsa sola & in solidum obligatur, non speciali aliqua conventione, nec adjecta clausula in solidum, sed naturaliter vi ipsa ex natura & potestate simplicis & nudi actus gesti: sed in *d. §. si mulier.* pecunia non numeratur soli mulieri, sed duobus, nec relinquitur in solidum in potestate mulieris, sed solùm pro parte eam contingente, unde ex vi ipsa & natura actus gesti, alio non addito, mulier non obligatur in solidum, sed solùm pro portione aut virili sua *l. reos. §. cùm in tabulis, de duobus reis.* Quòd obligatur in solidum, id non est ex vi simplicis contractus & numerationis, sed ex suprà dictis & adventitia clausula, ut singuli teneantur in solidum, quæ clausula necessariò de se implicat quandam fidejussionem inter prohibitos, inter quos non statur verborum formæ, suprà *num.* 35. *num.* 236. quia creditor eo ipso scit mulierem respectu correi intercedere, quatenus pecunia perventura est, & negotium spectat ad correum. Ideò hoc casu fit temperatissima illa & æquissima distinctio de qua suprà *numer.* 290. quam nos primi omnium deteximus, & naturæ suæ puritati restituimus. Cùm igitur in casu proposito nullo modo esset è re mulieris, pecuniam in toto vel in parte pervenire ad Titium extraneum: & tamen tota ad eum pervenerit, prout totum negotium ad eum spectabat, eique gerebatur, sequitur quòd mulier non obligatur efficaciter in aliquo, sed in totum habet beneficium Velleiani, & tantò fortiùs, cùm ex hypothesi creditor nihil numeraverit mulieri, nec ejus viro, sed totum solverit Titio: Et sic non solùm; sciebat mulierem in totum intercedere quia sciebat totum negotium geri Titio: sed etiam soli Titio totam pecuniam numeravit, & illi soli implevit.

295. Sed quid, eodem novissimo themate retento, sic creditor tribus illis simul, vel singulis æqualiter pecuniam numeravit? Respondeo. Idem ex quo creditor sciebat totum negotium ad Titium spectare, & totam pecuniam ad eum statim perventuram: hic enim non est sola scientia, sed etiam in contractu & in numeratione accedit is, cujus solius negotium geritur, & cum eo negotium gerit creditor in solidum, quod sufficit ut appareat colorem quæsitum, probatur in dicto §. *mulier.* ubi hoc casu in correis debendi deciditur locum esse Velleiano, quatenus negotium ad mulierem non spectat, & ejus non interest: sed hic nullo modo ad eam spectat, nec ejus interest in aliquo, & creditor hoc scit, igitur illa in totum juvatur Velleiano. Quare idem puto, etiamsi eodem themate retento, creditor soli viro & uxori, vel etiam soli uxori pecuniam numeraret, quia ex quo non numerat pro ea, nec ut liberè de ea disponat, nec agitur ut sit penès eam solam in toto vel in parte libera sortis dispositio: apparet semper in totum eam intercedere, & creditorem hoc scire, unde quod soli mulieri numerat, tanquam per canalem fluxuram pecuniam ad Titium, hoc magis fraudem & colorem exquisitum arguit, tantùm abest ut purget. Sed quid si creditor bona fide sic contraxit, ignorans solius Titii negotium geri? Respondeo secluſa dicta scientia & omni tractatu, & fraude creditoris, contractus judicandus est ex sui forma, secundùm quam apparet & præsumitur negotium spectare ad singulos tres viriliter, *d. leg. reos. §. cùm in tabulis*: adventitia enim clausula de obligatione singulorum in solidum, ad solam creditoris securitatem pertinet. Ideò sive creditor tribus illis simul pecuniam numeravit, sive singulis tertiam partem, non refert: scit enim semper creditor, ex eadem contractus forma mulierem fidejubere respectu Titii pro parte eum contingente, videlicet pro tertia: unde pro tertia parte tuebitur exceptione Velleiani: pro parte verò contingente mulierem, ipsa pro se obligatur, & pro parte viri secundùm nostros mores tanquam in rem suam, vel si è re sua obligatur. Et idem si creditor solverit viro bessem, tam pro parte viri quàm mulieris: quia præsumitur quòd vir illam impendet in communem societatem. Et sic mulier pro besse, seu duabus partibus efficaciter obligatur: si verò non esset communio inter eos, tunc pro parte viri mulier ipso jure non tenetur: pro parte verò Titii ope exceptionis: pro sua autem parte efficaciter tenetur, nisi constet quòd tunc vir habebat omnem administrationem; & sic etiam partem uxoris accepit, ut nuper in simili dictum, *num.* 291. & quæ remisivè citat Andræas Tiraq. in *tractatu retract. proximitat. §. 31. num. 7.* adhuc non tenebitur mulier in aliquo, nisi quatenus in rem ejus versum, vel è re sua utiliter impensum probabitur. Si verò creditor non tribus simul, nec singulis suam partem, sed soli Titio totum numeravit, tunc puto etiamsi non constet eum scivisse solius Titii negotium geri, quòd mulier non tenetur in aliquo; sed in totum tuta est Velleiano: nisi quatenus creditor probet versum in rem mulieris vel societatis, quæ est inter eam & virum. Quod probatur si ostenditur quòd Titius cum effectu & sine fraude partem sortis dedit viro: quia idem est ac si viro & uxori dedisset, secundum mores nostros, argum. *dict. l. final. ad Macedonian.*, nisi constaret quòd tunc vir erat profusurus. Et moveor, quia hoc casu creditor nihil implevit mulieri: unde non potest actionem contra eam habere, nisi priùs illi impletum probet. Ex ex forma contractus, juncta forma executionis, satis est præsumptionis ad colorem quæsitum probandum. Idem etiam si in contractu esset dictum, quòd creditor soli Titio, etiam tanquam exterorum procuratori, posset totum solvere, quod & fecit: hoc enim nisi alia justiore præsumptione elidatur, sufficere puto ad colorem præsumendum, ut locus esse debeat Velleiano. Probato tamen quòd in veritate totum negotium spectabat ad Titium, licèt directò non probetur aliter scientia & tractatus creditoris

quæ in istis de facili probari non possunt, satis est, quòd ex quo creditor totum numerat soli Titio debet esse curiosus ut Titius gerat æquè negotium mulieris, quam scit vel scire debet Velleiano in totum juvandam, si nulla utilitas negotii ad eam spectet, & satis ostendit se putare nihil ad mulierem spectare, ex quo nihil ei, nec ejus viro soluit: & hoc nisi Titius esset socius bonorum viri & mulieris: vel negotiorum gestor eorum. Ex quibus apparet quid dicendum, si agebatur quòd dimidia sortis spectaret ad virum & uxorem: dimidia verò ad Titium, ut sæpè fit: tunc enim mulier tenetur efficaciter ad dimidiam, pro dimidia verò Titii juvatur Velleiano, viro semper in solidum manente obligato cum effectu. Paulò longior fui quàm destinâram, sed res utilitas & necessitas me ad hoc laboris impulit: siquidem nonnulli prætextu dictorum judiciorum & Arestorum multùm desipiunt, putantes mulierem, quando cum aliis æquè principaliter contrahit, & in solidum obligatur, non juvari Velleiano, eò quòd non juvatur apud nos, quando cum viro suo obligatur. Et tamen magis prohibetur intercedere pro viro quàm pro aliis. sed his lectis, desinent falli, quando scient rationem dictorum judiciorum & observantiæ esse, quia propter communionem bonorum viri & uxoris, in quam contrahitur, non censetur mulier nisi è re sua obligari.

QUÆSTIO XXXIX.

SYNOPSIS.

1. *Nuda oblatio, quamuis realis, non sistit cursum usurarum.*
2. *Intellectus legis* Tutor *pro pupillo, de* administratione Tutelæ.
3. *Debitores minorum in publico pecuniam deponebant.*
4. *Consignatio requiritur ad impediendum cursum usurarum.*
5. *Obligatio majorum usurarum si minores die conditâ non solvantur, conditionem habet.*
6. *Purgatâ morâ, usuræ propter moram inflictæ cessant.*

Oblatio.

296. TRigesimo nonò quæro, debitor creditori obtulit sortem cum reliquis, an tunc sine consignatione & depositione impediatur cursus reditus? Videtur quòd non, duplici ratione: quia iste reditus jure actionis ex conventione currit, & ab initio sortis numeratæ incipit currere: igitur per simplicem oblationem extrajudicialem, etiam realem non impeditur cursus nec ipso jure, nec opere exceptionis, donec consignatio & depositio facta sit, *l. si creditrici l. acceptam Cod. de usur.* ubi Bart. Salyc. Paul. ita tenent. Idem diserte Rapha. Cu. Imol. Aret. Alex. Soci. Jas. in *leg. qui Romæ §. Sera. collat. final. de verb. oblig.* ubi dicunt solam oblationem, etiam realem, ad inhibendum cursum usurarum, quæ cœperunt currere, nihil operari, & videtur text. in *l. tutor pro pupillo in fin. de administ. tut.* Idem Anton. Negusan. *in tract. pign. parte 3. membri tertii 5. partis*, & omnes ferè glos. & Doctores ubique. Secunda, quia ubi agitur de resolutione contractus, non sufficit sola oblatio, etiam realis: sed requiruntur consignatio & depositio *l. si a te.* & ibi Paul. *C. de pact. inter empt. & vend.* Bald. *d. l. acceptam. col. 5.* & ibi Paul. *in fi.* Nicol. Boër. *decis. Burdeg. l. 124. n 25.* sed hic oblatio tendit ad redemptionem, & sic ad resolutionem contractus. Sed his non obstantibus, dico quòd sola realis oblatio etiam extra judicium, debitè facta, videlicet congruo loco & tempore, ipso jure impedit cursum sive usurarum, sive reditus pro tempore futuro: quia ipsi obligationi usurarum vel reditus inest conditio, nisi sors cum reliquis offeratur, vel saltem (quod in idem recidit) inest limitatum tempus, quòd sors cum reliquis soluta vel oblata sit, & sic ipso jure impeditur cursus: quia usuræ vel reditus non sunt promissæ, nec debentur hoc casu. Probatur etiam: quia ejusmodi oblatio actionem parit, etiam ad fructus *l. 2. de pact. inter empt. & vendit.* Igitur multò magis parit offerenti exceptionem, ne fructus vel reliqua debeat *l. 156. §. 1. cui damus. de regul. jur. cum vulgari.* Non obstat dicta prima ratio, quia est erroneum commentum glossæ & Doctorũ qui in hoc valdè erraverunt, nedum contra legalem ipsam æquitatem, sed etiam contra apertos textus juris in *l. penult. de Naut. fœn.* & clarius in *lege, qui Romæ §. Sera. in fin.* ibi. *Jure usuras non deberi, de verbor. obligat.* ubi mirum quàm miserè Doctores seſe torqueant, ut eludant & contorqueant illum textum: præcipuè Joan. Imol. qui initio vel in epitome *dicti §.* cogitur fateri, quòd saltem ope exceptionis in futurum non debentur, & impediuntur currere: sed mox nimiũ altercando, veritatẽ amittit. Et Franciſc. Aret. ibi *collat. pen.* communem errorem sequitur. Nos verò diximus textum *dicti §. Sera.* nullo modo impropriandum, nec cavillandum, sed propriè & planè accipiendum, ibi, *Jure, scilicet mero, vel ipso jure.* [Hoc verum quando est liquidum ita fieri debere: secùs si est error facti, putà, quia creditor probabiliter putet, *cons. 57. num. 13.* non posse redimi, & est error facti, & litigatur an possit redimi: non enim tenetur jus suum dimittere indiscussum, & sic interim currit reditus, nisi conventum sit, si erat justum litigare, si non erat, consignatio: secùs si error juris, ut in his reditibus.] Non autem est subaudiendum, jure scilicet exceptionis: & multò minùs divinandum, quòd illic nondum inceperit usura currere, ex eo quòd adversarius illicò transactioni reclamavit, ut communiter elabi satagunt omnes Doctores, quia dico quòd ibi usuræ erant purè promissæ, & sors jamdudum erat penes Seiam promittentem, & sic statim ab eodem instanti promissionis incœperunt usuræ currere: & sic hæc evasio est deterior priore subauditione, quam subauditionem adhuc omnes ineptiùs rejiciunt. Ad has autem ineptias adducti sunt glossæ & Doctores propter literam quarumdam legum malè intellectam, dehinc detortam, ignorantia legalis æquitatis & praxis judicium (ut illis passim usuvenit) heberante.

Contra glossam & omnes.

Oblatio realis.

297. Dico ergo quòd non obstat *l. si creditrici, Cod. de usuris*, quia apertissimè commenta eorum destruit, & nostram firmat sententiam. Decidit enim quòd non debentur usuræ, non ex eo tempore quo consignatio & depositio secuta est: sed ex eo tempore quo priùs oblatio facta est. Cedo, quid clarius pro nobis contra vulgatam & inveteratam sententiam dici potuisset? multùm ergo hallucinantur, dum illum textum pro se adducunt. Et intellige semper de reali oblatione: verbalis enim non sufficeret, nisi creditore (potestatem liberandi habente) recusante vel impediente, ut tradunt omnes in *l. si mora, fol. matrim.* in *l. qui Romæ. in princ. de verb. oblig.* infrà *num. 325.* Ant. Negusan. *tract. de pignor. parte quinta.* And. Tiraquell. *tract. retract. conventional. §. 4. gloss. 6. num. 21.* Nicol. Boër. *dec. Burdeg. l. 123. num. 26.* sed ad rem. Non obstat *l. si per te l. in fin. C. eod.* quia nihil pro eis facit, nisi fortè à contrario sensu, qui non debet admitti contra æquitatem manifestam, & alia jura. Eodem modo respondeo ad *l. acceptam Cod. eod.* ad *l. debitor usurarius l. evictis in fine ff. eod.* & similes. Tum debet attendi scopus dictæ *legis*,

acceptam: tendit enim ad demonstrandum viam, qua debitor, creditore nolente accipere, plenissimè etiam ipso jure ab omni periculo & obligatione liberetur, quod non est nisi per consignationem & depositionem: interim autem non negat quin simplex cursus & obligatio futurarum usurarum per legitimam oblationem impediatur. Non obstat dicta *l. tutor pro pupillo in fin.* in notat. *Vlpian. de administr. tut.* quia dico (& adverte) quòd Ulpianus ibi non reprehendit Marcel. quasi erraverit in regula communi: rectè enim respondebat Marcellus, inspecta communi regula: sed in hoc lapsus est, quod nimis celeriter & indifferenter respondit, non advertendo ad specialem & differentem rationem particularis casus subjecti, nec altiùs notando & disputando, prout exemplo Herennii Modestini faciendum est Jurisconsulto, ut benè & optima ratione decernat. *l. ult. §. magistris de muneribus & honoribus.* Hunc autem lapsum & defectum Ulpianus in notis suis subtiliùs & maturiùs advertens supplevit, dicens non sufficere obtulisse: hoc autem non est accipiendum pro regula, ut temerè & erroneè hactenus factum est à nostris, glossis & Doctoribus. Non enim Ulpianus ibi regulam ponit, nec feorsum principaliter aliquid decidit aut disponit, sed solùm notat seu corrigit nimis indiscretum & indifferens responsum Marcelli. Igitur notula illa Ulpiani à compilatoribus Pandectarum concisè intercalata, non debet per se & generaliter accipi, sed ad illud Marcelli responsum referri, & ejus limitibus contineri, prout natura est notulæ, seu correctiunculæ, ad alios casus non extendi, sed in cæteris jus commune intactum relinquere *l. præcipimus C. de appellat.* Marcellus autem ibi nullam generalem regulam statuebat, nec aliquid generaliter definiebat: sed tantùm respondebat super casu & quæstione particulari ibi posita, videlicet in tutore, qui statim à pubertate pupilli cessavit administrare, pecuniam quoque tanquam allerta reliqua præteritæ administrationis novo ephebo obtulit, nec aliud fecit: postea dum ex notabili intervallo rationes discuterentur, quæsitum fuit an tutor, qui reliquator erat, deberet usuras consuetas pecuniæ tutelaris, pro tempore medio, quo semper illam penès se habuerat? Respondit Marcellus non deberi: fundans se in dicta oblatione, & sic in regula communi, ut patet in textu. Illud enim responsum in sola oblatione fundatum, satis præsupponit regulam esse, solam oblationem sufficere ad sistendum cursum usurarum, etiam quæ cœpissent currere. Sensit tamen Marcellus animum suum tacita quadam objectione seu dubitatione pungi, putà eò quòd justitia vel sufficientia oblationis penderet à redditione rationum, quæ nondum erant redditæ, licèt essent præambulæ, & nuper impubes non posset commodè sine curatore intendere, nec plenè in mora constitui. Ideò in hoc dubio (alioquin nisi subdubitasset, non erat opus quicquam responso absoluto aliter addere) subjunxit Marcellus, justius sibi videri usuras non deberi per tutorem, ex quo tempore medio per eum non steterat, quominùs rationes redderet, licet novellus ephebus non fuisset per illam simplicem oblationem sibi soli factam plenè constitutus in mora, nec ulteriùs cogitavit aut animadvertit Marcellus super illa quæstione, sed celeriter ad alia diverrit, quo factum est ut responsum suum valdè indiscretum & minoribus captiosum esset. Quid enim facilius tutori infido & reliquatori, qui cupit diu pecuniâ pupillari frui sine onere usurarum, quàm ei nudiustertius impuberi pecuniam, & aliquot fortè discoopertos nummos coram sibi addictis testibus offerre, testarique per se non stare, quominùs conventus statim tutelam, hoc est rationes & reliqua restituat: interim autem neque curatorem novello puberi dari, nec ab illo conveniri, nec illum convenire curet, sed securus pecuniâ pupillari fruatur?

Novus intellect. leg. tutor pro pupillo, de administratione & consens. tut.

298. Vides quorsùm evadant parum exacta consilia: illud enim responsum Marcelli nedum est contra æquitatem per prædicta, sed etiam contra jura specialiter prodita in minoribus *l. si reus paratus de procur. l. ait prætor §. sed etsi pecunia de minoribus l. finali C. de usur. pupillari.* & hujusmodi oblatio etiam realis facta soli adulto etiam curatore carenti, est elusoria & incongrua, duplici ratione Prima, quia dependet à redditione & discussione rationum, quod non potest rectè expediri cum minore. Secunda, quia etiamsi summa esset liquida, non poterat tutò solui minori propter metum restitutionis in integrum *leg. 1. C. si adver. solutionem*, unde non tenebatur tutor illi præcisè solvere, *dicta l. prætor. §. 1. de minorib.* non tamen hoc prætextu potest tutor, aut alius debitor pupilli vel minoris retinere interim pecuniam penes se: quia potest cogi ut deponat vel consignet text. in *l. frustrà tutores Cod. de administr. tutor.* Hinc inolevit mos ab antiquo, ut debitores minorum non solverent eisdem, sed in publico consignarent, *dicta leg. si reus paratus de procurat. l. qui mutuam §. si fidejussor. mandati l. fidejussor qui minori de fidejuss.* Et ad hunc morem alludens Ulpian. annotavit non sufficere obtulisse, nisi deposuerit obsignatam in loco tuto. Item alia ratione non valuit dicta obligatio, quia tutor ille tenebatur admonere novum puberem, ut curatorem sibi peteret. text. in *l. ita autem, §. si tutor, in leg. tutor qui repertorium §. pecuniæ quæ in area, de administr. tut.* Quod cùm non fecerit, offerendo soli nuper pupillo, non potuit eum constituere in aliqua mora, nec moram propriam purgare. Item non solùm tutor admonere debet puberem, ut sibi curatorem petat, ad quod simpliciter tenetur, sed etiam si usuras vitare velit, & moram irregularem, debet non solùm offerre se paratum rationes reddere, & reliqua solvere, sed etiam denuntiationibus frequenter interpositis, puberem adjudicium provocare; quod si pubes contemnat, & tempus extrahat, debet tutor apud acta in judicio protestari, per se videlicet non stare quominùs tutelam restituat, qua solenni, seria, & judiciali oblatione, & interpellatione, & protestatione facta, securus erit tutor ab usuris: textus est in *l. ult. C. de usur. pupillarib.* quæ ita planè & simpliciter debet intelligi. Quòd enim Accursius ibi supplet solemni consignatione opus esse, falsum est, ut statim dicam. Quòd autem omnes Doctores dictam legem ult. detorquent ad testes examinandos, ad perpetuam rei memoriam, vel ut pubes cogatur agere, eique certum ad hoc tempus præfigatur, ultra quod non audiatur, & falsum & divinatorium est, & prorsus *a rebus alienum.*

Responsa parum exacta, periculosa.

Novus intellect. leg. ult. C. de usur. pupill.

299. Quàm sit falsum liquet: quia nunquâ conceditur examinare testes ad perpetuâ rei memoriam, nisi reo, vel ei, qui nunc agere non potest: ita quòd interim deperire poterit probatio, ut tenent omnes, & not. in *l. in lege, Aquilia, si delatum Chyregraphum ff. ad legem Aquiliam*, in *auth. sed & si quis C. de testib.* in *cap. significavit, de testib.* Sed tutor statim tutelâ finitâ, efficaciter agere potest, non solùm si pubertate, sed etiam si prius quovis modo finita sit, etiamsi pupillus nolit agere text. in *l. 1. §. hanc actionem l. à tutela, de contraria & util. act. tutor.* igitur Doctores malè, & nimis supinè detorserunt dictam legem ultimâ ad illud remedium. Quòd autem sit divinatorium, patet: quia in tota dicta lege ult. nullum verbum de testibus, vel probationibus nec in specie nec in genere: relinquitur ergo quòd *dicta lex ult.* debet planè & simpliciter (ut dixi) intelligi, quando agitur, ut tutor consulat securitati suæ adversus periculum & damnum usurarum in futurum, donec redditæ sint rationes, & reliqua persoluta: & clarè decidit non sufficere nudam oblationem, sed requiri & sufficere quòd sit taliter facta: ut appareat non esse fictam nec nugatoriam, sed seriam: ita quòd non steterit per tutorem, sed per adultum, vel curatorem suum in mora constitutum, quod totum quia de

judicio bonæ fidei agitur, à circunſtantiis negotii & perſonarum, & totius rei æquitate pendet. *l. bona fides, depoſiti l. mora. de uſur.* Quid enim (& loquor in terminis juris, qui prius exactè diſcutiendi ſunt) ſi pubes eſt in primo vel tertio pubertatis anno, & bis aut ter à tutore denunciatur, vel etiam in jus vocatur, ut curatorem ſibi petat, & rationes audiat, proteſtante etiam judicialiter tutore, ſe ad hoc paratum & reliqua, ſi qua ſint, illaturum, nec aliud actum ſit? Et non putaverim ſufficere: ea enim quindecim vel ſexdecim annorum ætas, harum functionum inexperta, nimis imbecillis eſt, & circunventionibus obnoxia, quippe juri dicundo præſunt (præſertim ſub deſpotia) niſi petentibus & proſequentibus officium ſuum non impendunt. *l. 4. §. hoc autem de damn. infect.* Quare puto hoc caſu tutorem bona fide non eſſe perfunctum, nec ſatisfeciſſe menti *dictæ leg. fin.* utcunque verba obſervaſſe videatur: ob id nec uſuris interim exonerari, niſi etiam ipſe curatorem petierit & dari fecerit, cum effectu, vel proximiores agnatos & cognatos puberis interpellaverit, etiam in jus ſi opus ſit, ut curatorem eligant & dari faciant per judicem. Et hic eſt plenus intellectus *dictæ leg. fin.* debet enim intelligi de adulto capace talium denunciationum & interpellationum, capace, inquam, non ſolum ſecundùm meram juris ſubtilitatem, ſed ſecundùm negotii & perſonæ qualitatem, & mores regionis conſuetos, ſi hujuſmodi fiant cum ſolo adulto: ut putà ſi jam viginti annorum eſt, & induſtrius, vel etiam octodecim annorum, ſi in ea ætate induſtrium & idoneum ſe eſſe oſtendat, & facultas adſit hinc negotio intendendi (quid enim ſi daret operam literis, vel cuipiam arti diſcendæ, rei verò gerendæ inſuetus & expers eſſet) alioquin non purgatur, ſed conduplicatur mora & culpa tutoris, qui adulti ſui ad hæc negotia imbecillitatem, vel imperitiam, vel aliam occupationem notam habet, vel habere debet: ſi nihilominùs cum eo ſolo has denunciationes & interpellationes faciat. Debet ergo hoc caſu imbecillitas vel imperitia adulti, propinquorum ſaltem convocatione ſuppleri, alioqui ſatis clarum eſt tutorem non ſeriò, nec ex bona fide, ſed cum fraudis aut ludificationis ſuſpicione verſari, nec in aliquo revelabitur. Ita etiam debet intelligi quod dicitur in *l. ſtatutem. §. ſi tutor de admini. tuto.* tutorem teneri puberem factum admonere, ut ſibi curatores petat, ut videlicet non ſufficiat ſolum puberem admoneri, niſi ejus ætatis induſtriæ & peritiæ ſit, ut quid ſit rei ſciat, & poſſit ſibi curatores idoneos petere, ſiſpique per ſe ſuper hoc conſulere. Alioquin niſi etiam propinquos ejus tutor ſeriò & prudenter admoneat, non dicitur bona, ſed mala fide verſari, ſi adminiſtrationem per ſe deſerat, ſolo pubere admonito, nec aliter ſecuritati & adminiſtrationi rerum & jurium puberis provideat.

Intellectus l. fi. Cod de uſur. pupil.

300. Apud nos autem hæc ceſſant, quia non facimus differentiam inter tutelam & curam, ſed durat tutela ſemel ſuſcepta uſque ad 25. annum, niſi prius ex juſta cauſa tutor ſeſe exonerare faciat à judice, ut ſcripſi in *conſuet. Pariſ.* §. 99. Sed jam ſenſim nimis efferor: aut ergo (ut paucis reliqua perſtringam) pubes curatore caret, & dicendum ut ſuprà: aut curatorem habet legitimum, & ſufficit quòd tutor illum vel eo authore puberem etiam ſemel & extra judicium debitè interpellet, paratus rationes edere & reliqua ſolvere, & ipſo jure ceſſet curſus uſurarum in futurum, etiamſi jam tutore ceſſante ab adminiſtratione & ſilente: currere cœperint, nec ad hoc neceſſaria eſt conſignatio, ex quo non tutor, ſed curator eſt in mora. *l ſi ex ſtipulatu. de verborum oblig.* Non obſtat *l. ait prætor. §. cæterùm. de minoribus.* quia ille text. (prout nec ullus alius text. juris) non dicit tutorem vel alium debitorem præcisè teneri tutò conſignare, ad inhibendum curſum uſurarum: ſed duntaxat cauſatu-

Novus intellectus. l. ait prætor. §. cæterum de minoribus.

vè, videlicet caſu quo debitor nolit (prout propter metum reſtitutionis in integrum non tenetur) curatori recipere parato ſolvere. Tunc enim tenetur tutor eo vocato, conſignare, ut deinde curator, ſi velit, faciat ſibi per judicem conſenſu conſignantis dari, omni periculo reſtitutionis per hanc viam ſublato, & debitore à tempore legitimæ conſignationis ipſo jure & pleniſſimè liberato: alioquin ſibi imputet debitor delicatus, qui non vult legitimo curatori ſolvere, nec de ejus apocha confidere. Current enim ut prius uſuræ, etiamſi millies realiter rutò ſolvere offerat, niſi deponat: ita etiam debet intelligi notula Ulpiani in *dicta leg. tutor. pro pupillo. in fine*, videlicet in tutore, qui offert pecuniam pupillarem: ſed tamen non vult ſolvere, niſi rutò & pleniſſimè liberatus: quia nihilominùs current uſuræ, niſi legitimè deponat. Quod nota ad ſincerum & ſolidum intellectum multarum legum, quia nullus gloſſator & Doctores aduſque animadvertit, licèt in anguſtiis textuum, qui contrarii videntur, miſerè ſeſe torqueant: nec niſi per diſtortas & commentitias divinationes elabi queant, unde major intricatio inſurgit, cùm res ſeriò agitur: videlicet ubi ad conſulendum vel judicandum ventum eſt.

301. Vide qualiter concilient §. *ſi pupillo. in l. cùm quidam. de uſur.* cum *dicta l. ait prætor.* dicunt enim dictum §. *ſi pupillo.* loqui in uſuris ſolo judicis officio debitis, qua facilius impeduntur: & ideo in illis non requiritur conſignatio, ſed quòd dicta *l. ait prætor.* loquitur in debitis ex conventione, in quibus requiritur conſignatio. Ita gloſſa & Doctores in *d. l. ait prætor.* Imo. Cun. Areti. Alex. Socin. Jaſ. & alii in *l. qui Romæ. §. Seia cavit. col. fin. de verbor. obliga.* Bal. in *leg. acceptam. in tertia oppoſi.* & ibi Paul. *Cod. de uſur.* Socin. *conſil.* 133. *col. pen. lib.* 1. quod errore duplicatur *conſi.* 174. *lib.* 2. Atqui utrique membro jura reclamant? contra primum eſt text. in *d. l. tutor. pro pupillo. in fi. de adminiſt. tut.* ſecundum vulgatum & receptum aduſque intellectum. Contra ſecundum eſt text. in *l. pecuniæ. in fine de uſur.* Ad primum dantur duæ ſolutiones ſeu potiùs depravationes: prima communis, quòd ibi loquitur in uſuris, quæ jam cœperunt currere. Ideò non prodeſt oblatio debitoris etiam realis, & per quam creditor conſtituitur in mora, nec impedit curſum, nec ipſo jure, nec ope exceptionis, ut dicunt omnes in *dict. §. Seia.* Sed ego dico primò, quòd iſta ſolutio divinat: quia poteſt eſſe quòd tutor ſtatim ab adminiſtratione dumiſſa obtulit, antequam inciperet eſſe in aliqua vel regulari mora rationes reddendi: & ſic antequam cœpiſſent uſuræ currere. Vel etiam poteſt eſſe quòd primò obtulit, deinde mox vel ſimul abſtinuit ab adminiſtrando, & tamen ille textus generaliter & indiſtinctè decidit, quòd ad impediendum curſum uſurarum non ſufficit obtuliſſe, niſi depoſitione & conſignatione ſecura. Igitur manifeſta divinatio eſt ſubaudire, quòd priùs tutor fuerat in mora, quòd jam cœperant uſuræ currere, de quo nihil in illo textu. Secundò dico, quòd iſta ſolutio in ſe, in caſu in quo loquitur, videlicet in uſuris, quæ ſolo judicis officio debentur, eſt manifeſtè irrationabilis & inſulſa: quia cùm hæ uſuræ nullo jure actionis currant, ſed ex ſola æquitate judicis officio, quod Doctores mercenarium dicunt, & propter moram irregularem, ſequitur quòd illa ceſſante per congruam oblationem, ſive jam cœpiſſent currere, ſive non, debeant ceſſare: & ita bona ratione decidit Bal. *d. l. acceptam. in tertia oppo.* quod ibi multum commendat Paul. *Cod. de uſur.* ſed tamen interim non recordantur de text. in *dicta l. tutor pro pupillo.* Secunda minùs communis ſolutio ad *dictam l. tutor pro pupillo.* eſt quam niſi libri mendoſi ſint, ſubindicant Cuman. Alexand. & Socin. in *dicto §. Seia*, videlicet quòd *dicta l. tutor.* loquitur in uſuris debitis ex conventione, quòd (quia non eſſet dictum ſanæ mentis, *l. ex maleficiis. §. tutelæ. de action. & oblig.*) libros

mendosos puto. Ad secundum d. *l. pecuniæ. in fin. de usuris.* respondent omnes, quòd loquitur in usuris, quæ nondum cœperant currere, sed ego dico primò, quòd quantumcunque oscitanter & defunctoriè legentibus litera *d. l.* huic solutioni arridere videatur, tamen est merè divinatoria: quia cuilibet attentè legenti liquet, quòd potest esse, debitorem illum, etiam ante moram creditoris, cessasse in minoribus usuris sua die solvendis: & tamen text. generaliter & absolutè definit non deberi majores, sed minores tantùm, pro tempore, quo post mortem testatoris, cùm non esset cui solveretur, cessatum fuit. Ergo generaliter pro isto eodem tempore debet intelligi, sive debitor jam vivo creditore cessasset, sive non: maximè cùm ratio decisionis in textu expressa pro tempore moræ post obitum, æquè habeat locum, sive ante obitum cessatum fuit, sive non. Igitur restringere textum ad casum, in quo ante obitum semper solutum fuit, nec cœptum est cessare, nisi per obitum creditoris, merè voluntaria divinatio est. Secundò eadem ratione dicta solutio falsa est, quia contra rationem decisionis in textu expressam, quæ utroque casu æquè locum habet. Tertiò est in se irrationabilis: iniquum est enim exigere majores usuras tanquam in defectum minorum, pro tempore, quo minores propter casum in personam creditoris accidentem solvi non potuerunt. Quod latiùs demonstratur, quia quod textus ille loquitur de obitu creditoris, est exemplum, sive contingentia facti: unde habet locum dato quovis alio impedimento ex parte creditoris, & præcipuè data voluntaria ejus absentia. Unde quorsum evadat communis error & solutio, videlicet ut creditor voluntaria sua absentia facere possit, ne debitor, qui semel in novissimo termino cessavit, deinceps vitare queat, quominùs majores usuras debeat, etiam si sua quaque die cum reliquis præteritis soluturus præstò sit. Quartò dico, quod nullo modo sustineri, vel defendi potest; est enim contra omnia jura, etiam apertissima quia obligatio majorum usurarum, si minores sua die non solvantur, conditionalis est, & sub ea conditione concepta, text. est in *d. l. pecuniæ* & in *l. lecta. in fin. si cert. pet.* & apertior text. in *l. Seia. ad fin. de usur.* disertè inquiens, plures conditiones eam stipulationem continere, & per singulas pensiones conditionem expectandam: igitur ad commissionem majorum usurarum non inspicitur tempus primæ cessationis, nisi pro illa pensione tantùm: igitur sequentium pensionum pœna (ut pote conditionalis) evitari potest, debitore solvente: vel si per casum in personam creditoris contingentem fiat, quo minus solvere possit.

Verus intellectus & conciliatio legum.

302. Postquam satis profligatum & repurgatum est in hac parte velut Augiæ stabulum, ut hos textus nativæ suæ puritati restituamus, dicimus primò, nullam esse differentiam, quantum ad materiam oblationis & consignationis, & purgandæ vel impediendæ moræ vel pœnæ per oblationem vel consignationem, inter usuras officio judicis vel jure actionis aut conventionis debitas: nec inter usuras, quæ cœperunt vel non cœperunt currere seu deberi, prout nulla lege cavetur, nec ulla bona ratione suadetur. Secundò, non esse deinceps laborandum in conciliatione *d. l. ait prætor.* & *dict. §. si pupillo.* cùm nullo modo obstent, sed in diversis & oppositis casibus loquantur, videlicet. *d. l. ait prætor.* in debitore, qui præsenti tutori vel curatori recipere parato solvere non vult, metu restitutionis in integrum: hic enim non excusatur, nisi ritè deponat & consignet, alioqui offerendo quod dare non vult, frustrà ludificari conabitur. Dictus autem *§. si pupillo*, loquitur in parato solvere tutori ipsi, qui non est, aut abest, quod (etiamsi Reipub. causa absit) non imputandum, nec fraudi vertendum devoto debitori. Tertiò (ad quod nulla adhuc glossula & Doct. animadvertit) magis conciliandæ erant adinvicem, *dicta l. tutor. pro pupillo in fin.* & *dicta l. pecuniæ in Cod. de usuris.* & rursus ambæ cum *dicto §. si pupillo.* Ego verò dico aliam rationem esse in tutore, aliam in alio flebitore pupilli vel minoris: quia tutor etiam tutela finita & administratione omissa (& loquor in terminis juris communis) ad multa ex bona fide tenetur propter reliquias prioris gestionis, & recentis administrationis, ad quæ non tenetur debitor extraneus. unde tenetur cœpta negotia, quæ sine periculo intermitti non possunt, continuare, *l. 1.* & per tot. *ut causa post puber. adsit tutor* admonere de damno aliunde imminenti & similia, & inter alia tenetur admonere ut pubes curatorem sibi petat. *l. ita autem. §. si tutor. de admin. tut.* quod etiam ex bona fide accipiendum est. Si enim tempore depositæ administrationis jam sit adultus 18. vel 20. annorum, & industrius, vel etiam junior, sed literis (stipendiis forsan alienis) vacans: patrimonium verò vel nullum, vel ita compositum habens, ut curatoris ministerio non egeat, non tenetur tutor de hoc admonere. Intelligitur enim *d. §. si tutor.* quando minoris utilitas vel necessitas hoc exigit, quo etiam casu intelligitur de admonitione seria & congrua: ita ut officio bonæ fidei respondeat. Si enim pubes quindecim vel sexdecim annorum sit, non sufficit illum solum admonere: idem si majoris ætatis, sed hebes, nec si in judicium solus vocetur, eique protestetur. Ita etiam sanè debet intelligi *d. l. fin. Cod. de usur. pupilla*, videlicet in adulto capace talium denuntiationum: alioquin fieri debent, vocatis etiam his, qui consulere possunt & debent, ut cesset omnis captio. Et hæc est vera ratio elenchi & notæ Ulpiani in Marcellum in *d. l. tutor. pro pupillo*: non tamen eam ita crudè intelligas, quasi præcisè requiratur consignatio in tutore: hoc enim esset contra *d. l. fin. Cod. de usur. pupill.* Quod enim notat Ulpian. de consignatione, intelligitur secundum alia jura, ut videlicet requiratur consignatio, si tutor plenissimè liberari velit, vel etiamsi cursum tantum usurarum inhibere velit, sed adest curator vel adultus industrius, & rei gerendæ capax paratus recipere. Tunc enim (si nolit debitor apocham curatoris vel adulti confidere) requiritur consignatio, ut in *d. l. ait prætor.* aliàs non requiritur ad sistendum cursum usurarum, sed sufficit bona fide observare ea quæ in *d. l. fin.* Et ita concilio dictam *l. tutor.* & dictam *l. fin.* ad invicem: dictus verò *§. si pupille.* in *l. cum quidam de usur.* loquitur in extraneo pupilli debitore, cui non debet nocere, quo creditor impubes sit & tutore destitutus, ut nec ob aliam casum in personam creditoris contingentem durior fieri debet conditio debitoris. *l. si fundus. in fin. de leg. commiss.* & pulchrè Alex. *cons. 92. num. 9. lib. 1.* Aret. *cons. 161. Verum est col. 2.* Longior fui quàm vellem, sed pluribus interim omissis, necessaria tantùm attigi, nec paucioribus explicare potui.

303. Rejectis ergo vetustis illis scholæ communis erroribus, quòd per oblationem etiam realem, & undequaque congruam, etiam per moram creditoris, non impediatur cursus usurarum, quæ semel currere cœperunt, censemus etiam ipso jure impediri, quemadmodum & præcedens mora, si qua fuerit, purgatur *l. illud. de peric. & comm. rei vend. l. si servum. §. sequitur. de verb. oblig.* & commissio pœnæ impeditur, sive ex sententia, *l. Celsus in fin. de arbitr.* sive ex contractu *l. traiectitia. de action. & oblig.* notant glossæ & Doctores in *l. 2. in fin. Cod. de jure emphy.* Adde *l. pen. de naut. fœnore.* quæ tamen propriè loquitur in vera usura trajectitia, & dicit quòd si debitor etiam infra tempus constitutum, videlicet infra quod periculo creditoris sub ea usura fieri potest, velit sortem restituere, si per creditorem stet quominùs accipiat, ex tunc non currit, seu non potest ampliùs peti pœna illa vel usura, qui est verus & *primus* intellectus *dictæ l. pen.* ab Accursio & Doctoribus

Intellect. l. pen. de naut. fœnore.

aduſque, ſicut & aliæ leges hujus materiæ, depravatus.

Concluſio. Concludimus ergo per ſolam congruam etiam extrajudicialem ſortis cum reliquis oblationem, horum redituum curſum ipſo jure impediri. Amplio qualiſcunque ſit ille reditus, etiam ad rationem trientalis uſuræ conſtitutus, etiamſi non pecunia, ſed ratione fundi vel legato, aut aliùs quomodocunque, dummodo redimibilis ſit, ſeu certâ ſummâ extinguibilis. Utque radicitùs explicem, dico, quòd data congrua oblatione, ut in hac quæſtione non eſt differentia inter veras uſuras & reditum, modò, ut dixi, redimibilis ſit: nec etiam an uſuræ ſolo judicis officio vel jure actionis currant, nec an propter moram tantùm, ſive judicis officio, ſive conventione ad caſum moræ limitata debeantur: an verò etiam citra moram (quòd non niſi in debitis ex conventione contingit) currant. Ceſſante autem vera oblatione, benè eſt differentia inter uſuras, quæ ex ſola mora, vel propter moram tantum currunt, ſive officio judicis, ſive etiam jure actionis: & inter eas quæ circa moram currunt, quia in illis quocunque modo ceſſet mora, vel per abſentiam, aut alium caſum in perſonam creditoris contingentem, cui offerri & ſolvi non poteſt, ipſo jure curſus impeditur. *l. pecuniæ. in fin. l. cùm quidam. §. ſi pupillo de uſur.* quod intelligendum, ſi alioquin debitor ſolvere paratus eſt, vel nondum incidit in moram: ſecùs ſi interim non ceſſavit propter abſentiam vel impedimentum ſuperveniens creditoris, ſed propter moram ſuam: quia tunc abſentia, vel alius caſus contingens in perſonam creditoris, non debet tali nihilominùs moroſo debitori prodeſſe. faciunt notata in *l. qui commeatus. ff de re milit.* Quando verò citra moram currunt, clarum eſt, quòd ſola abſentia, pupillaritas, vel aliud impedimentum creditoris, curſum non impedit, nec ipſo jure: nec ope exceptionis. Quæ autem propter moram currunt, ea ceſſante, ideò ipſo jure currere deſinunt, quia ceſſat cauſa effectiva, ut per Bal. Paul. in *d. l. acceptam.* & inf. *num.* 617.

Obligatio uſurarum conditionalis.

304. Quæ verò citra moram currunt, ſed redimi vel extingui poſſunt, ideò ſecuta congrua oblatione, ipſo jure currere deſinunt, quia obligationi ipſi ineſt tacita conditio & expreſſa limitatio, donec ſors cum reliquis ſolvatur, quod reſpectu futurarum præſtationum pro impleto habetur contra creditorem, quamprimum per eum ſtat. *l. jure civili. de condition. & demon.* Et quòd obligatio uſurarum futuri temporis ſit conditionalis, probat text. *l. ubi autem. §. pen. de verb. oblig.* ubi text. dicit eam obligationem incertam, quod non eſt propter incertum quantitatis in ſe, ſed quia incertum eſt debitum iri: & ſic neceſſariò conditionalis eſt, cùm poſſit ſe habere ad eſſe vel non eſſe. Et conditionalem eſſe tradit expreſsè Bart. in *d. §. pen.* Ita etiam expreſſim tenent Paul. Alex. & alii in *l. qui Romæ. in prin. de verb. oblig.* Probat etiam *l. lecta. ſi cert. pet. l. Seia. de uſur.* Prædictis non obſtat, ſi quis argueret, quod ſola congrua oblatio non debeat impedire curſum reliquorum ipſo jure, quando non ob ſolam moram præſtantur, ſed tantùm ope exceptionis ex æquitate: quia natura oblationis non eſt tollere obligationem, ſed creditorem in mora conſtituere, & periculum in eum transferre. *l. qui decem, in prin. de ſolut.* Tum quòd in contractibus una eſt obligatio tota ab initio, licèt ſit ſucceſſiva. *l. ſenatus. in fin. de donat. cauſ. mort. l. ſi ſtichum. in fin. de verb. oblig.* licèt aliud in legatis. *l. in ſingulos de annuis legatis l. cum in annos. l. nec ſemel quando dies legat. ced.* Et ſic quòd in contractibus ſtatim ceſſit dies omnium præſtationum, licèt nondum venerit, niſi ſua quaque die. *l. cedere diem de verb. ſign.* Tum quòd obligatio etiam annua vel menſtrua non poteſt ipſo jure etiam ab initio ad tempus contrahi. *l. obligationum fere. §. placet. de act. & oblig.* ut ibi vulgò intelligunt omnes gloſſ. & Doctores & in *l. lecta, ſi cert. petat.* Verùm (ut alibi plenùs tracto, ne hîc ſim rurſus juſto prolixior) dico quòd malè intelligunt, quoniam hi ultimi textus non debent intelligi de obligatione ſucceſſiva, ſeu multiplicativa, putà decem annorum quandiu vivam, ſed de obligatione momentanea: putà ſi quis purè quidem promittat ſemel ſolvere decem, ſed quoad vivet, vel donec victurus eſt ſtipulator, vel uſque ad annum, ut ſit tempus illud certum vel incertum, appoſitum non causâ multiplicandæ vel differendæ, ſed causâ arctandæ, ſeu limitandæ ſolutionis, ita ut poſt illud tempus lapſum non ampliùs teneatur ſolvere, licèt interim purè teneatur: tunc enim ab initio eſt obligatio pura & efficaciter acquiſita, ſed ineſt pactum de non petendo poſt tempus certum vel incertum, unde ſemel efficaciter nata obligatio non tollitur ipſo jure ex ſolo lapſu temporis, etiam ex pacto ab initio ſimpliciter inexiſtenti, ſed tantùm ope exceptionis. Secùs ſi non ſic ſimplex pactum nudum, ſive nuda coarctatio temporis, quæ in dubio non refertur ad ipſam obligationem, ſed ad nudam executionem vel ſolutionem: ſecùs, inquam, ſi eſt conditio reſolutiva. Nihil enim impedit quo minus quælibet etiam momentanea obligatio purè contrahi poſſit ſub qualibet conditione reſolutiva, qua extante, ipſo jure deberi deſinit, ut per totũ titul. *de in diem addictione* & de *leg. commiſſor.* junctis his quæ *in conſuetudine Pariſienſi §. 23. num. 11. cum ſeq.* Item ſecùs ſi eſt obligatio ſucceſſiva: quia tunc ex quo reſpectu futuræ præſtationis duo concurrunt: primùm quòd nondum eſt pura, nec acquiſita: ſecundum, quòd eſt limitata ad vitam debitoris vel creditoris incertam, & ſic incertum eſt an pro tempore futuro purificabitur & acquireretur. Dico quòd ex his duobus ſimul junctis, etiam in contractibus reſultat tacita quædam conditio, non reſolutiva ejus quæ nondum eſt, ſed ſuſpenſiva obligationis, quæ eſſe vel non eſſe poterit. Idem dico in omni reditu redimibili: idem in omni penſitatione, quæ non debetur ſimpliciter, ſed mediante ſucceſſivo alio implemento creditoris: unde conductor qui ad certos annos conduxit, etiam ſubtilitate juris, ipſo jure non tenetur ad mercedes ejus temporis, quo creditor habere licere, fruique non præſtitit: quia in iſtis non ſolùm ineſt dies, ſed tacita conditio ſuſpenſiva, etiam ex forma ipſius obligationis, videlicet ſi alter impleat; quemadmodum qui fructus naſcituros promittit, ipſo jure non tenetur ſi non naſcantur, ita penſiones futuræ ſunt vice fructuum, qui non naſcuntur ipſo jure, contra quam ab initio expreſsè aut tacitè actum fuerit. *l. non omnis. in prin. ſi cert. pet.* Tranſeamus ad reliquas quæſtiones.

Novus intellectus *l. obligationum fere §. placet de act. & oblig.*

QUÆSTIO XL.

SYNOPSIS.

1. *Ex moræ irregularis privilegio, contra debitorem ex bonæ fidei contractu currunt communes usuræ.*
2. *Creditor qui semel debitorem appellavit morâ commodum ad hæredes suos transmittit.*
3. *Debitor minori solvere non compellitur, nisi ex judicis decreto.*
4. *Non ferendus delicatus nimium debitor, aut creditor importunus.*

305. QUadragesimò quarto, Debitor paravit pecuniam ut reditum redimeret, sed tunc decessit creditor, relictis pupillis tutore carentibus, utrùm nihilominùs interim currat reditus? Breviter dico quòd sic, cum effectu, nec interrumpitur ex eo, quòd creditor reliquit pupillos, vel infantes, vel hæreditatem jacentem, sicut nec ex eo quòd creditor fortè furere, vel peregrè abesse cœperit. Debet ergo debitor curare tutorem dari, vel curatorem hæreditati jacenti, vel bonis absentis aut furiosi: & tunc illi tutori vel curatori offerre cum effectu, & ex tunc ipso jure desinet reditus currere. Putò etiam, quòd si non potuit tam citò tutor vel curator constitui, quin unus aut alterter minus laberetur, nulla reliqua deberi ex eo die, quo debitor judicem & agnatos vel cognatos pupilli, vel furiosi vel absentis, vel eos quos prima causa successionis jacentis contingit, interpellare cœpit, dummodò non remissè, nec fraudulenter, sed seriò, diligenter & bona fide prosecutus fuerit. arg. *l. fin. Cod. de usur. pupillar. l. mora. verf. cæterum, de usur.* & sic oblatio & numeratio sequens trahetur ad initium interpellationis seriæ seriòque prosecutæ. Non obstat primò, si dicatur quòd debitor ipso jure, vel alio non facto tutus esse debet, ex quo jacente hæreditate vel relictis pupillis tutore carentibus, non est persona cui solvi possit. *l. cum quidem. §. si pupillo. de usur.* quia dico, quòd ibi loquitur in usuris, quæ non jure actionis, sed solo judicis officio veniunt; & adhuc (& hic est punctus) in usuris quæ veniunt & currunt propter moram irregularem, non quamlibet, sed quæ ex speciali minoris ætatis privilegio duntaxat inducitur. *l. in minorum. Cod. in quib. causis in integr. restit. non est necessaria* unde illa specialis & irregularis mora cum suis effectibus meritò restringitur & modificatur in jure dupliciter. Primò, ut procedat dummodo pupilli vel minores habeant tutores vel curatores quibus solvi possit & illis solvendo plena liberatio haberi: alioquin non est quòd imputetur debitori, nec debet privilegium minoris alis captiosum esse, nec in dammum aliorum, lucrum verò minorum annis accipi. Unde illa specialis & privilegiata mora satis multum operatur, ut contra debitorem ex contractu bonæ fidei vel testamento currant usuræ communes, videlicet semisses. *l. eos. §. & eam quantitatem. Cod. de usuris* quandiu sciens vel scire debens cui possit & debeat solvere, differt tamen, etiam absque alia hominis interpellatione, absque eo quòd extendatur non solùm contra debitorem non interpellatum, sed etiam contra eum qui non habet cui solvere possit. Unde non tenetur protestari, nec aliam diligentiam facere, vel sumptum, ut de tutore vel curatore provideatur, ad hanc privilegiatam moram evitandam, quæ non intelligitur à jure introducta, nisi quando minores habent, cui solvere possint. Si verò tutorem vel curatorem habeant, sed non est publicè notum, vel etiam rumor est falsus quòd careant, non puto debitorem excusari, si à vicinis vel agnatis inquirendo rescire potuit, & non inquisivit: secùs si inquisivit & celatum fuit, vel etiam si non inquisivit, sed ita occultum tenebatur, ut non nisi fortuitò vel cum magna difficultate scire potuisset. Secundò restringitur, ut procedat quandiu durat minor ætas, qua cessante, sive qua minor major effectus fuerit, sive quia heredem majorem reliquerit, cessat ipso jure dicta privilegiata mora, cum omnibus suis effectibus pro futuro tempore, ita ut deinceps requiratur interpellatio hominis, quam sufficit semel congruè fieri, vel aliàs de jure communi. text. est singularis in *l. Titia Seio. §. usuras. de leg. 2.*

306. Secùs si tutor vel curator minoris semel congruè interpellasset ut solveretur, quia tunc semel mora incursa de jure communi, durat ejus effectus, prout aliàs de jure communi, donec legitimè purgetur, de quo not. in *l. item illa. de constitut. pecun.* in *l. si ex legato. l. si insulam. l. si servum. de verb. oblig.* idem si semel paterfamilias debitorem interpellaverit, & in mora regulari constituerit, quia ejus effectum transmittit ad hæredes. *l. cum patrifam. de usur.* imò etiam ad hæreditatem jacentem, vel pupillos tutore carentes, quia jam debitor non certat de mora irregulari & privilegiata non incurrenda, & sic non excusatur *per d. l. si pupillo.* sed agitur de mora jure communi incursa purganda, quæ non purgatur ex eo solo, quòd postea hæreditas creditoris jacet, vel ejus hæres est pupillus tutore carens, sed opus est quod debitor faciat de tutore vel curatore provideri, cui offerat, vel seriò provideri curet, ut appareat per eum non stare, juxta *l. fin. Cod. de usur. pupill.* Et licèt *dict. l. fin.* non propriè loquatur de mora incursa purganda, quia tutor ille non fuerat priùs interpellatus, tamen quia, ut dixi in *quæst. præcedenti*, speciale est in tutore, quòd tenetur sese interpellare & puberem admonere ut sibi curatorem petat. *l. Ita autem §. si tutor. de administ. tutor.* propè est, ut hæc ratio specialitatis & reliquiæ priot administrationis tantum operentur in tutore, quantum interpellatio in extraneo, & pariter hæreditas jacens vel pupillus non certat tunc propriè de lucro etiam harum usurarum respectu, sed potiùs de damno. Patet, quia si solvisset debitor ut tenebatur quando interpellatus fuit, hoc remansisset in hæreditate, eámque vel bona pupilli auxisset, quod incommodum datum est per moram injustam debitoris, vel ejus occasione propinqua & immediata: unde moratori imputandum est: nec debet ejus commodo cedere, quòd postea creditor decessit, sicut nec si mox furore correptus esset, hoc enim non facit cessare damnum vel incommodum per moram datum. Mora regularis.

307. Item secùs si mora irregulari re ipsa jure commodi contracta in *l. curabit. Cod. de action. empt.* hujus enim effectus non cessat, sive pupillus tutore carere incipiat, sicut nec si minor major efficiatur. Ratio, quia per hos eventus non cessat causa, nec ratio dictæ moræ, unde si paterfamilias fundum vendiderit & tradiderit, moxque decesserit incerto successore, nihilominùs perseverat ea mora irregularis, & currunt usuræ pretii, text. est rotundus in *l. evictis. §. post traditam. de usur.* idem ergo si decesserit relictis pupillis tutore carentibus, vel hæreditate jacente, vel si tutor vendiderit & tradiderit, mox pupillus tutore carere cœperit: perseverat autem effectus dictæ moræ, donec seriò & legitimè purgata sit, juxtà modum. *l. fin. Cod. de usur. pupillar.* vel notat. in *d. l. item illa* & aliis citatis sup. *num.* 306. *in pr.* idque primo non obstante Mora irregularis juris communis.

ſtante d. §. *pupillo.* qui procedit in ea mora irregulari duntaxat, quæ ſpeciali minoris ætatis privilegio præter jus commune introducitur, de qua in *d. l. in minorum.* & in *d. l. Titia. §. uſuras.* quæ etiam cœpta ceſſat ad tempus, pro tempore quo minor deſinit habere tutorem vel curatorem, cui ſolvi poſſit, & in totum deſinit, poſtquam major factus eſt. Sed quid ſi eſt adultus & induſtrius curatore carens? videretur eam moram privilegiatam ceſſare, quia non poteſt huic ſoli tutò ſolvi propter metum reſtitutionis in integrum, ut in *l. 1. Cod. ſi adverſus ſolut. l. 1. Cod. ſi adver. credit.* Unde generaliter inquit text. in *l. 1. in fi. de minoribus* quòd non committitur his rerum ſuarum adminiſtratio, etiamſi benè gerant, nec de alienatione immobilium agatur, & ait text. in *l. ait prætor. §. 1. eod. tit.* quòd non tenetur debitor ei ſolvere niſi judice decernente. Subliſto, & ex bono & æquo dicendum puto, inſpecta quantitate rei ſolvendæ: ſi enim jam ſagax & maturus appareat, ut veriſimiliter nulla captio nec reſtitutio futura ſit, ut in *l. 1. Cod. qui & adverſ. quos.* tunc locus erit dictæ *l. in minorum*, aliàs non niſi curatorem ſibi decerni faciat. Sed quid ſi veniam ætatis impetravit? puto non ceſſare, ſed magis confirmari beneficium dictæ *l. in minorum* arg. *l. fi. Cod. de his qui veniam ætat. impetr.* & quia jam tutiſſimè ſolvi poteſt.

308. Secundò principaliter non obſtat, ſi dicatur quòd etiam ſi uſuræ non veniant officio judicis, ſed jure actionis, adhuc earum curſus impeditur ipſo jure, ſi creditoris hæreditas jaceat. *l. pecuniæ. in fi. de uſur.* quia ibi loquitur in uſuris debendis propter moram in futurum incurrendam; unde ſi mora non incurritur, non debentur, ut quando debentur ſub conditione, videlicet in caſum moræ, ſeu in defectum ſolvendi minores uſuras. Quare ſi tunc non ſit cui ſolvi poſſit, tanquam ceſſante mora, & deficiente conditione, non committitur ſtipulatio majorum uſurarum, ut in *l. Seia, eod. tit.* Secùs ſi uſuræ debeantur putè vel in diem ſucceſſivè, propter ſortem priùs numeratam, ſive debeantur citra moram ſortis, ut in *l. item quia. §. fi. de paſt.* ſive propter moram ſemel admiſſam in ſorte reſtituenda, vel donec reſtituta ſit, vel aliter mora purgata, ut in *l. lecta. ſi certum petat.* quia tunc etiamſi ſuperveniat creditorem furere, vel peregrè abeſſe, vel mori relictis pupillis ſine tutoribus, vel hæreditate jacente, aut aliàs non ſit cui ſors offerri & ſolvi poſſit; non tamen eo ipſo deſinunt uſuræ currere, nec ipſo jure, nec ope exceptionis, etiamſi eſt tantùm mora irregularis, tunc communis *d. l. evictis. §. poſt traditam.* ſed ſolùm à tempore congruæ oblationis ſortis. *l. ſi crediturî. l. ex prædiis. Cod. de uſur.* ut in quæſtione præcedenti, vel à tempore diligentiæ ſeriò factæ ad ſolvendum, ut in *l. final. Cod. de uſur. pupill.* & in princip. hujus quæſtionis. Ratio quia hoc ultimo caſu curſus earum non fundatur in aliqua nova mora de novo ſingulis terminis incurrenda, prout in *dictâ l. pecuniæ & l. Seia, de uſuris*, ſed vel in veteri pactione citra moram, *ut in dictâ l. item quia in fin.* vel in mora præterita, ut in *d. l. lecta.* unde ſi in *d. l. lecta. in fine* unius menſis contigiſſet non eſſe cui pars ſortis tunc reſtituendæ ſolvi potuiſſet, debitor moram non incurriſſet reſpectu illius partis. *d. l. pecuniæ in fin. l. ſi fundus. in fin. de leg. commiſſ.* Alex. *conſ. 92. col. quarta lib. 2. conſ. 172. col. 1. lib. ſecund.* Purpura. in *l. vinum, num. 24. ſi cert. pet.* & quia latè tradit Fran. Aret. *conſ. 161. col. ſecunda cum ſeq.* Et ſic non occurriſſent uſuræ dictæ portionis ipſo jure, ſicut nec futurarum portionum, donec mora in illis commiſſa eſſet, *per* text. in *d. l. lecta verſ. pen.* quod nota, quia gloſ. & Doctores ibi non declarant.

Intellectus §. pupillo in l. ſi dictum, de eviction.

309. Tertiò principaliter non obſtat, ſi diceretur quòd etiam in his quæ competunt jure actionis ſoli pupillo, ſi tutor non appareat, denunciari vel proteſtari poteſt. *l. ſi dictum, §. pupillo de evict.* quia ut novè dixi in *conſuet. Pariſ. gloſ. 13. num. 7. cum ſeq.* illud eſt, quia denuncians certat de damno vitando, & jure ſuo conſervando, & quia periculum eſt in mora, & nuper inveni quòd Franciſc. Aret. *conſ. 26. num. 1.* ita ſentit. Cæterùm quòd Accurſ. ibi Paul. Alex. in *l. ſi ex legati cauſa. de verb. oblig.* & alii ubique dicunt hoc eſſe favore pupilli introductum, falſum & inſulſum eſt. Plus dico, quod *de §. pupillo*, non debet ita ruditer intelligi, ſed ex bono & æquo, videlicet ut amicis & cognatis denuncietur. arg. *l. ergo, ex quibus. cauſis maio. l. hoc autem. §. 1. ex quibus cauſis in poſſ. eat. l. aut qui aliter. §. ſi ſorte. quod vi aut clam. l. penult. in fin. Cod. de min num. pecunia* ut etiam tutorem creari faciat, ſi tempora patiantur. Ita etiam *d. l. ſi dictum verſ. pen.* ubi loquitur de venditore abſente, ſanè debet intelligi, quando emptor fecit quod potuit ut illum inveniret, vel ad ejus notitiam tranſiret: & ad hoc pondero illum textum ibi. *Cognoſcere ubi eſſet, non potuit*, quod præſupponit emptorem non fuiſſe negligentem, ſed diligenter bona fide verſatum. Similiter nunciationes, illæ, de quibus in *l. de pupillo, §. nunciare, l. operis cum l. ſeq. de operis novi nunciat.* debent ſanè intelligi, dùmodò ita fiant ut deveniant in notitiam, alioqui plus quàm ridiculum eſſet dicere, quòd ſufficiat eſſe nunciatum uni furioſo vel infanti: unde malè conſulunt Paulus *conſ.* Contra Paulum. 240. *Effectus primi dubii lib. 1.* quod poſſit denunciari hæreditati jacenti, pro regreſſu evictionis, ſaltem ad pretium, nec teneri emptorem facere curatorem apponi.

310. Et ſumma, quanquam in quæſtione noſtra non agatur de aliqua mora purganda, tamen quia agitur de exercitio juris, videlicet redimendi, quod jure actionis competit debitori, qui in hoc non eſt debitor, ſed creditor, ita accipiendum eſt, prout quando agitur de actione intentanda, vel de debitore interpellando & conſtituendo in mora; debet ergo oblatio & interpellatio fieri perſonæ legitimæ, quæ in mora conſtitui poſſit, alioqui non impeditur curſus redituri ipſo jure, nec ope exceptionis. At minor tutore vel curatore carens, non poteſt interpellari ut in mora conſtituatur *l. ſi ex legati cauſa, de verb. obligat. l. is qui. §. ceſſatum. ut in poſſ. legat.* niſi ſit adultus habens veniam ætatis, vel aliàs ſeſe publicè induſtrium oſtendens, ut in *l. 1. Cod. qui & adverſ. quos reſt.* nec enim hæc redemptio continet alienationem immobilium, cùm ſit ex contractu debita & neceſſaria. Non obſtat ſi dicatur, quòd de natura hujuſmodi reditus eſt, ut liberum ſit debitori quandocunque voluerit ſortem cum reliquis offerendo ſe liberare, aut quòd durior & deterior obligationis conditio fieri non debet propter caſum in perſonam creditoris ſeu fœneratoris contingentem: ut per Paul. *conſ. 240. col. 2. lib. 1.* Alex. *conſ. 92. num. 9. lib 1.* & ſic quod vel pupillo tutore carenti vel hæreditati jacenti, ſaltem coram teſtibus, offerre & proteſtari ſufficiat, quia quod quandocunque liberum eſſe debet debitori redimere, intelligendum eſt bona fide, & ſine captione creditoris arg. *l. ſi cui de ſervitutib.* videlicet ut creditori vel his ad quos ſpectat, congruè & bona fide denuncietur, ut ſibi conſulere queant, utque quantum fieri poteſt, utriſque ſine alterutrius captione conſulatur, non autem amarè, nec tanquam inter infeſtos. *l. ſi id quod §. ſi quas. de donat. inter. vir. & uxor.* ſed cum quodam temperamento, & omnia ex bono & æquo. *l. ſi quid venditor. de ædil. edicto* ut nec nimium delicatus debitor, nec nimium onerosus creditor audiatur. *l. ſi ſervos. in fin. de pign. act.* Quòd ſi dum tutor pupillo, vel curator hæreditati jacenti vel furioſo dari curatur, unus aut alter terminus ſine fraude & culpa debitoris labatur, non erit fraudi debitori, ut dixi in princ. quæſtionis alioquin ſi debitor nulla congrua creditoris, vel eorum ad quos ſpectat, interpellatione vel inquiſitione præmiſſa, etiam teſtato, vel etiam judice adito redimere offerat, etiamſi ſortem cum reliquis conſignet, non prodeſt: quia conſignatio non valet, niſi præcedente debiti oblatione ei cui de-

Summa.

betur, *l.* 2. & ibi Salic. in 1. *not. Cod. de usur.* Ang. in *l. acceptam. col. fin.* & ibi Paul. *col. pen. Cod. de usuris* Jas. *conf.* 9. *col. pen. conf.* 216. *lib.* 1. Ludov. Gozad. *conf.* 71. *col.* 3. Et facienda est oblatio ei qui potest recipere, & offerentem liberare. *l. si reus paratus.* & ibi Bal. *de procurat.*

311. Si verò nec personæ, nec domicilio offerri possit, eò quòd sedem mutaverit creditor, nec scitur ubi sit, facta summaria inquisitione per apparitorem à vicinis locis ubi versabatur (quod omnium postremum est) per edictum publicum sive præconio vocabitur, per notata in *l. si eo tempore. Cod. de distract. pig.* gl. *in l. si finita.* §. *si plures. vers. vel si non inveniatur. de dam. infect.* Bart. *in extravag. ad reprimendum in ver. per edictum.* Bal. in *marg.* in verb. *citatio per præconem.* Socin. tract. *de cit. art.* 23. latè Domin. And. Tiraq. in *tract. retract. præmium.* §. 9. *glos.* 3. Et ita debet intelligi *l. si creditrici. in fin. C. de usuris.* Sed an tunc etiam requiratur depositio & consignatio? Omnes ferè glos. & Doctores ubique tenent quòd sic, sed non est verum, quia jure non cavetur, nisi ad effectum consequendi liberationem ipso jure. *l. acceptam. Cod. de usuris leg. observat. Cod. de solut.* Sed ad purgandam moram vel impediendum cursum usurarum, non requiritur consignatio, nisi uno casu: videlicet si debitor nolit tutori vel curatori recipere parato solvere metu restitutionis. *l. air prætor.* §. *primo de minorib.* Videbatur alius casus, videlicet quando præsumptio degenerat contra debitorem, qui præsente creditore, recusat, & mox eo absente offert, ut in *l. si reus paratus de procurat.* sed non est ita, quia ibi consignatio ipsa non jubetur à judice, sed solùm locus tutus ubi fieri possit, à volente decernitur: quia debitor obtrudebat pecuniam & procurator ad lites non habebat potestatem recipiendi, nec solutionem, nec consignationem. *l. sed si tantum. de pact. l. hac jure de solut.* Præterea in *d. l. si reus*, dicta consignatio nihil operatur, nec purgationem moræ, nec inhibitionem cursus quarumcunque usurarum, nec eximit consignantem à periculo, nec transfert illud in creditorem, cui mora facta est, donec congruâ oblatione illi factâ, mora purgetur: ut nuper dixi per *leg. secund. Cod. de usur.* donec ea consignatio notificata sit creditori, & lapso exinde competenti termino, infra quem potuit & debuit creditor accedere, vel procuratorem cum mandato sufficienti mittere ad recipiendam pecuniam oblatam & consignatam, & dandam apocham: in casum tamen, quo solutio non esset debita, nisi in loco ubi offertur: secùs si esset debita in loco ubi creditor sese paratum recipere offert, quia illuc esset mittendum. Cæterùm ad impediendum judicium (scilicet in principali) sufficit quòd debitor offerat condemnari solvere specialiter & designatè quod debet, quale & ubi debetur, nec requiritur consignatio, quæ solutionem seu executionem judicari respicit. Ex his habes multorum jurium novum & verum tam speculativum quam practicum intellectum, solidamque plurium quotidianarum quæstionum decisionem. Eadem enim ferè dicenda sunt, si quis fundum sub facultate redimendi venditum velit redimere: de quo vide plenè per Dom. And. Tiraq. in *tract. retr. convent.* §. 4. Ut autem has duas quæstiones uno verbo decidere potuissem, ita & singulas leges noviter interim explicatas prolixiùs singulatim tractare, sed maluit ad juvenum utilitatem stylo attemperato quàm breviùs & dilucidiùs cuivis fructum analytici laboris mei promere. Si quem juvat videre quàm multa mihi legenda & evertenda fuerint, legat quos cumulatim citat Dom. And. Tiraq. in loco prælegato & in *tract. retract.* §. 1. *glo.* 13. *& glo.* 17.

QUÆSTIO XLI.

SYNOPSIS.

1. *Melius est ab initio cautionem adhibere, quàm causâ vulneratâ remedia quærere.*
2. *Prælati, Episcopi, & tutorum, & curatorum vicem subeunt.*
3. *Templa, & Ecclesiæ ex jurisdictione judicis sæcularis pendent.*

312. QUadragesimoprimò, subsequenter quæro, Utrùm sola realis oblatio facta soli tutori, vel curatori minoris impediat ipso jure cursum reditus? Dubium facit modificatio seu declaratio supremi hujus Senatus facta ad Edictum Regium die 5. Februarii, anno sesquimillesimo tricesimo nono, de quo suprà *rod. quæst.* 20. *ad fin.* quia præfata modificatio, quæ certam solemnitatem redimendi requirit in reditibus debitis Ecclesiis, Collegiis, Prochotrophiis, aut Prælatis Ecclesiasticis, idem vult observari in reditibus debitis minoribus vel similibus personis existentibus, vel quæ debent esse sub tutoribus vel curatoribus: & sic videtur quòd non sufficiat tutori vel curatori offerre, imò nec ab illo redimere de facto numerando sortem cum reliquis, sed quòd priùs minor ipse & agnati vel cognati cum tutore vel curatore deberent ad personam vel domicilium, si commodè fieri possit, aut saltem per Edictum generale per quatuor dies publicatum in prætorio, & significatum in loco domicilii eorum citari coram judice ordinario, ut consulat de rectè collocanda pecunia redemptionis in rem & commodum minoris, quemadmodum prærequiritur, quando à Collegio vel Curato Ecclesiastico. Sed hoc non obstante, dicendum absque dubio sufficere oblationem factam soli tutori vel curatori ad sistendum ipso judice cursum reditus, per notata in *duabus præcedentibus quæstionibus.* Non obstat dictum Senatusconsultum, quia non est factum ad incommodandum debitoribus, nec in aliquod eorum præjudicium, quominùs promptè liberari queant, sed duntaxat ad consulendum juribus & commodis Ecclesiarum, Nosocomiorum, locorum piorum, minorum, & similium, ne pecunia redemptionis cum eorum damno irreparabili temerè absumatur & pereat præsertim Prælatis & administratoribus Ecclesiasticis occasione dicti Edicti provocatis celerem & defunctorum redemptionem reddituum Ecclesiasticorum & profusoriam consumptionem fortis. Quæ mala prudenter prævidens Senatus, salubri Senatusconsulto amoliri voluit, & sic super ipsa oblatione, viribus ejus & effectu, videlicet super cursu reditus sistendo, Senatus nihil movit, nihil decrevit, sed duntaxat super ipsa tota redemptione, seu plena & securissima liberatione debitoris a sorte principali, seu potiùs super congrua & utili collocatione pecuniæ, & ne temerè dissiparetur. Et sic ipsa reditus cohibitio remanet in jure communi, uti prius secundum prædicta. Plus dico, quòd illud Senatusconsultum non est, nec continet jus novum, nec ad hunc finem emanavit, sed est simplex declaratio & suppletio civilis & commodæ interpretationis, quæ in omni, præsertim nova & nimis brevi vel generali lege requiritur, ut testatur Jurisconsultus in *l.* 2. §. *post originem. de origine juris.* & prudenter antevertit Senatus obviando periculis, quod longè satius est, quàm post causam vulneratam remedia quærere. *l. fin. Cod. in quibus causis in integ. restitut. non est necessaria.*

313. Unde idem Senatusconsultum omnes conditiones & modificationes juris communis & legalis æquitatis recipit, & ita sanè debet intelligi, ne in quasdam

Amortisatio.

reprehẽsiones incidat. *l. salvius Aristo de legatis præstãd.* Quòd enim primò excipit reditus debitè amortisatos (verba sunt fori) non est intelligendum (ut quidam imperiti vulgò putant) quòd amortisatio faciat reditum aliàs de se redimibilem, non posse deinceps redimi. ut enim patet ex his quæ raptim perstrinxi in *consuet. Parisi* §. 41. *quæst.* 12. amortisatio non respicit jus privatorum, nec illud tollit aut minuit; sed solùm jus Superioris confirmantis, videlicet ut res possit perpetuò manere & retineri in patrimonio Ecclesiæ, Collegii vel similis corporis, nec possit cogi ad ponendum extra manus suas per confirmantem, sed benè per alium etiam inferiorem, cujus justè interest, qui non consensit amortisationi. unde si Collegium habeat reditum sive naturâ, sive pacto, vel aliàs quacunque causa redimibilem, quantumcunque etiam nominatim sibi confirmari, seu (ut vulgo dicunt) amortisari faciat à Rege, sub quacunque forma, & quocunque pretio, tamen semper, ut prius, redimi poterit per debitorem. Benè verum est quòd si Rex ex justa causa & propter bonum publicum per suam constitutionem faciat reditus per se non redimibiles, redimi posse, non censetur comprehendere reditus taliter à se confirmatos, ut perpetuò possideri possint; sed hi reditus censentur à constitutione excepti, ut in *constit. Caroli septimi super redemp. red.* §. 21. quia alioquin beneficium confirmationis seu amortisationis semel concessum, quod stare debet, aboleretur in effectu quod princeps verisimiliter non intendit. Et ita etiam debet intelligi §. 21. ut reditus amortisatos excipiat à constitutione, seu beneficio redimendi per legem novam dato, non autem quòd excipiat eos à jure redimendi jam acquisito & competenti debitoribus ex quacunque justa causa, unde etiam dico quòd *dictus* §. 21. debet intelligi de reditibus debitè amortisatis, tunc videlicet tempore dictæ constitutionis Caroli VII. Secùs de amortisatis postea quantumcunque solemniter, quia ex quo jus redimendi semel radicatum erat, & acquisitum debitori ex dicta constitutione, non potuit illud jus sibi legitimè quæsitum sine consensu suo tolli, per quamcunque amortisationem, seu confirmationem per creditorem impetratam vel emptam, quocunque pretio, quacunque causa à principe, nisi debito consenserit. Cùm autem illud novum & indigestum edictum non soleat nisi de reditibus pecuniâ constituris, & sic semper sui naturâ redimibilibus, nisi tanto pretio venditi sint, quanto redimi vix expediat, minus videtur quadrare dicta exceptio reditûum amortisatorum. Et certè non benè quadrat ad verba & tenorem dicti Edicti, quod loquitur de pecuniâ constitutis duntaxat. Patet ibi, *Pour le prix qu'elles auront esté constituées, s'il en appert.* Clausula verò immediatè sequens, ibi, *& s'il n'en appert*, non refertur ad constitutionem, sive ad titulum & causam constitutionis, sed ad quantitatem pretii reditus ejusdem qualitatis, ut in clausula præcedenti.

314. Verùm dicta exceptio benè quadrat ad mentem & intentionem Senatus qui vidit è Repub. esse, illud Edictum intelligi generaliter de omnibus reditibus, saltem non fundiariis, sed imposititiis quocunque titulo, & ita debuisse statui, & strictius scriptum favorabiliter extendendum juxtà *l. hac modo de conditicin. & demonstra.* Quod satis clarè Senatus subindicat in proœmio & contextu modificationis suæ, dum quantum licet conformare & exæquare intendit cum veteribus constitutionibus & privilegiis hujus urbis, & rectè meritò redarguit errorem *nam nuò μικροψυχίας* compilatoris, quantumvis alioquin *μεγαλοψυχότατου* & suo ipsius judicio *μεγαλόδοξος*, licèt expressim statuere non attenter *dia διανοιαν*, dici tamen non potest quantum Monarcharum interfit, Senatus authoritatem vereri, & prudentum bonorumque frequenti consilio niti, ne improborum libidini pareant. Secundò, inquantum dicta modificatio Ecclesiis & Parœciis admiscet Collegia, non est intelligendum de Collegiis Canonicorum, quæ vocantur Capitula Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, sed de Collegiis scholarum vel similibus, ubi unus quem Primarium vel Archididascalum vocant, præest, & solus administrat, ut in gymnasiis hujus Academiæ, in quibus est eadem ratio, quæ in Ecclesiis unum Prælatum habentibus, vel orphanotrophiis unum administratorem. Sed longè diversa & opposita ratio est in Capitulis Canonicorum, qui commune negotium simul diligenter in commune commodum intenti curant: ideò sufficit à solo Capitulo sine alia solemnitate redimere, secus si à Prælato vel administratore aut similibus, qui licèt tutorum vel curatorum loco sint. *leg. orphanotrophos. Cod. de Episcop. & cle.* 1. 2. *quia contingit de relig. domib. in clem.* tamen quia perpetui sunt, & nonnunquam (teste experientia) solent proprium, non Ecclesiæ negotium agere, meritò de illis pariter diffiditur. Ideo prudenter & justè declaravit Senatus, non fore tutum debitorem, qui à solo Prælato, vel solo orphanotropho, aut simili redimat; licèt enim tutus sit, & plenissimè liberaretur solvendo ei reliqua argumẽto *l. sancimus.* 2. *de Cod. admini. tuto.* quia vicem gerunt fructuum, in quibus etiam distrahendis alia solemnitas non requiritur *l. fin. in fin. Cod. de admin. tutor.* Tamen ubi agitur de extinguendo & resolvendo in totum ipso jure reditus, meritò cautius agendum est. Tum quia hic majus periculum versatur, tum quia reditus iste vicem rei immobilis in multis habet, ut diximus in *cons. Paris.* §. 56. & sup. *eod. quæst.* 37. Tum, ut obvietur fraudibus, ne infidi administratores in præjudicium Ecclesiæ, pauperum, & successorum, colludant cum debitoribus: vel si non colludant, malè dissipent receptam pecuniam. Quas ob res multum laudanda est, & pro generali lege in hoc regno servanda hæc æquissima provisio Senatus, ut debitor volens redimere, citari faciat coram judice Prælatum cum patrono, si quis sit, vel cum collatore ordinario, vel si beneficium non sit titulatum, illum vel heredes illius qui reditum dedit, vel orphanotrophum & alios respectivè (si tamen commodè, & sine magnis sumptibus citari possint) alioquin per edictum in prætorio per quator dies publicatum, & in loco beneficii significatum, ad deliberandum de collatione pecuniæ, & illis non comparentibus, debitor consignando in judicio, liberabitur à reditu.

315. Hîc advertendum ad multa, Primò, quòd hæc solemnitas non est præcisè de forma, uti scripta est, sed cùm sit æquitatis declaratoria, sufficit observari per æquipolliens, eadem servata æquitate, videlicet palam & bona fide vocatis his, ad quos principaliter negotium, vel cura spectat. Et consignatione facta sive in judicio, sive in manibus probi viri (dummodò judex nominatim decreverit) puto statim debitorem ipso jure in totum liberatum, nec ulteriùs teneri de periculo, nec quid fiat vel contingat, sed congrua solemnitate omissa; periculum erit debitoris, & adhuc curret reditus cum effectu, si pecunia perierit, vel dissipata sit. Si tamen omni solemnitate omissa, constet pecuniam aliter rectè collocatam in rem Ecclesiæ vel pauperum, liberatus erit debitor in totum, per dictam versionem in rem, quæ tamen non præsumetur in dubio; sed debitor allegans probare tenebitur, cùm huic fortunæ sese subjecerit, omni solemnitate neglecta, & Senatus authoritate contempta. Secundò, quòd tempore obligationis realis factæ soli Prælato vel administratori, qui domini loco vel creditoris est, debitor liberatur à reliquis, dummodo perseveret, & non sit in mora servandæ hujus solemnitatis, secundùm notata suprà *num.* 298. Tertiò, quòd in quantum loquitur de judice dictarum Ecclesiarum, Collegiorum, vel locorum, debet intelligi, non de Ecclesiastico, sed se-

Bonorum consilium, Reip. Regibusque necessarium.

cular Ordinario loci, quia istud negotium jurisdictionis secularis est; quin etiam templa & Ecclesiæ sunt de territorio & jurisdictione secularis potestatis, ut dixi in *consuet. Paris.* §. 41. *num.* 65. Si tamen esset utiliter factum coram judice Ecclesiastico, non esset dubitandum debitorem æquè liberatum. Quartò, in quantum loquitur de impensis, debet intelligi, quò debitor has (dummodo modicas) recuperet, vel ei deducantur: quia fiunt principaliter gratiâ creditoris, utque illi non debitori consulatur. Quintò, quòd prædicta procedunt quando reditus, invito creditore, redimi potest, aliàs servanda esset solemnitas in alienationibus prædiorum Ecclesiæ requisita. Sed utrum prædicta procedant etiamsi redimatur ab ipso Prælato vel administratore, qui nomine administrationis suæ, reditum emit? Videtur quod sic, quia dicta modificatio non distinguit. Econtra quòd non, quia cum eo contractum est. arg. *l. quod servus in fin. l. filiæ*, & ibi Bart. *de solution.* in *l. filius Cod. de pactis.* in *l. si urbana, de condict. indeb.* Respondeo. Aut ille administrator emit reditum voluntarie de pecunia de qua aliàs liberè disponere poterat. (Et idem si hujusmodi reditum ad se spectantem dedit Ecclesiæ vel corpori administrationis suæ) & tunc licèt nomine administrationis emerit, tamen ei solvi, sive ab eo redimi poterit, omissa hac solemnitate, quia totum istud in bona fide versatur, ut dixi, sed liberalitas per emptorem exercita, per se bonæ fidei præsumptionem inducit, & omnis fraudis suspicionem extinguit. Fallit si emptor jam manifestè mutasset mores, & cœpisset dissipare vel proprio commodo, & non administrationi suæ studere. argumento *l. cùm quis in princip. de solution.* Pariter fallit, si redimens fraudem participavit, vel sciebat emptorem mutato animo, velle in alios usus pecuniam convertere. Aut verò administrator emit de pecunia administrationis non liberè, sed ex necessitate, vel quia poterat cogi similiter collocare, & tunc servanda dicta solemnitas, vel æquipollens cautela, quemadmodum si redimeretur ab eo qui juxta dictam modificationem compulsus fuerat, vel compelli poterat, ut suprà, collocare.

316. Tertiò principaliter in quantum eandem solemnitatem requirit in redimendis redditibus minorum, sive habeant tutores & curatores, sive non: sanè debet intelligi ut ea solemnitas, vel æquipollens requiratur, quando minor est destitutus tutore vel curatore, & sufficit id quod dictum est suprà *num.* 305. Si verò tutorem vel curatorem habeat, nulla alia solemnitas requiritur; sed tutò redimere licèt à tutore vel curatore, dummodo bona fide, & aliàs non sit manifestè suspectus, nec est tanta suspicio in tutore vel curatore qui temporalis est, & speratur creditorem majorem factum, ratione exacturum, quanta in Prælato orphanotropho. Quòd si major esset manifestè prodigus, idem dicendum quod in minore: si verò minor veniam ætatis haberet, vel esset vicinus majori ætati industrius, & res suas per se prudenter administrans juxta notata in *l. 1. Cod. qui & adversus quos.* puto quòd sine alia solemnitate ab illo redimi posset, sicut similis pecuniæ summa, etiam ante terminum tali tutò solvi potest. Quartò, in quantum loquitur de reditu non communi, sed spectante ad mulierem conjugatam, non requirit prædictam solemnitatem: & rectè; sed vult sufficere numerari pecuniam marito, ut in hæredia uxoris futura impendat, in quo licèt non exprimatur, tamen satis subindicatur requiri uxorem, quatenus commodè licet, admoneri, ut id curet à viro fieri. Tum quia ab illa propriè fieri debet redemptio, cùm ipsa sit creditrix & domina reditus, si tamen absit, & maritus petenti redemptionem offerat recipere, & in commodum uxoris impendere, tenetur debitor ei numerare: alioquin curret reditus, ne pecunia sterilis sit mulieri, nec in rem ejus impendi possit facto vel mora debitoris. Numeratio verò soli viro facta sub ea conditione vel commemoratione, ut in rem vel commodum mulieris impendatur, sufficit ad hoc ne cadat in communionem, utque teneatur vir rationem reddere tanquam de re propria uxoris, quod Senatusconsultum satis innuit, & plenius dixi in *consuet. Paris.* §. 108. Item istud debet intelligi in patria consuetudinaria, seu quando vir & uxor sunt communes in mobilibus & quæstu: secùs in patria juris scripti, ubi uxor non est communis; tunc enim licet etiam reditus sit nominatim datus in dotem, tamen nullo modo redemptio fieri potest à marito, nec illi numeranda pecunia; sed numerari debet mulieri, à qua sola potest redimi, cum bonorum suorum administrationem habeat, & non vir. Si verò per ætatem vel aliam imbecillitatem non habet bonorum suorum administrationem, tunc observandum est, prout in minore curatore indigente dictum est, & prædicta extendi possunt quando agitur de redimendo fundo sub ea facultate vendito.

QUÆSTIO XLII.

SYNOPSIS.

1. *Eadem ratio fructuum naturalium & civilium.*
2. *Error And. Tiraquelli.*
3. *Differentia inter bonæ fidei, & malæ fidei possessorem, quo ad fructuum reputationem.*

317. QUadragesimosecundò, succedit quæstio: Debitor volens redimere, obtulit sortem cum reliquis tutori vel curatori heredis creditoris, vel ipsi heredi majori annis, qui detrectat recipere & redemptionem consentire, non dolosè, se ex justa ignorantia, quod nondum sciat qualis sit reditus, nec an sit pecuniâ constitutus, nec an & quanti redimibilis sit. An interim reditus currat? Prima facie videtur quod sic cum effectu, saltem quamdiu non est negligens ex instrumentis hereditariis, quæ penes se habet vel habere potest, veritatem rescire: quia cum talis non sit in mora, nisi doceatur ab interpellante id fieri debere, *l. si quis inficiatus.* ubi Bart. & alii *ff. depositi* vel saltem nisi lapso tempore, quo potuit & debuit veritatem rescire, sequitur quod interim non venit in aliquo puniendus, sed fructu reditus suos faciat ut priùs, cum non sit in mora, ut per glos. & Doctores in *l. quod te, si cert. pet.* in *l. qui in alterius. de reg. jur.* Sic in simili, si venit fundus sub pacto redimendi, deinde venditor offerat pretium hæredi emptoris, non constituit illum in mora, nec potest habere fructus à tempore oblationis, sed solùm à tempore quo docuit de pacto vel jure redimendi, ut tenent recentiores in *l. 2. Cod. de pact. inter empt. & vendit.* etiamsi aliàs sufficiat pecuniam offerre etiam extra judicium sine consignatione & depositione ad constituendum emptorem in mora, *ut* supra *quæst.* 39. igitur idem in casu nostro, quia sicut se habent fructus naturales ad fundum, ita pensiones ad reditum, sive ad ipsum jus reditus, cujus sunt veri fructus civiles. Sed his non obstantibus, contrarium dico, quia non solùm de natura, sed etiam de justitia & necessitate hujusmodi redituum est, ut non currant, nisi quandiu debitori sortem habere licet eaque plenè frui respectu creditoris, unà cum facultate perpetua se se li-

Berandi, forte cum reliquis pro rata temporis oblata: nec hi reditus licitè contrahi possunt, nisi sub hac conditione. Ineſt etiam ab initio tacitum pactum de non ſolvendo ſeu continuando reditum facta congrua oblatione. *per notata ſupra quæſt.* 39. Igitur ea facta, ſive creditor ſit in vera & formali mora, ſive non, propter caſum in perſonam ejus contingentem, ipſo jure deſinit reditus currere; quemadmodum de uſuris in quarum locum reditus ſuccesſerunt, dictum eſt in præcedentibus. Cur autem in hoc articulo aliud ſit, quando fundus ſub pacto redimendi væniit, ratio eſt in promptu: quia emptor fundi eſt interim purè & pleno jure dominus argum. *leg. generaliter. qui & à quibus manumiſſi liber. leg.* 1. *§. ſervi appellatione ad Syllanian. cum vulg.* & fructus ſuos facit per ſeipſum jure dominii, & illud jus fructus percipiendi & ſuos faciendi purum eſt, & nulla conditione nec tacita, nec expreſſa ſuſpenſum: unde oblatione facta ut non reſolvitur ipſo jure, ſed manet dominus, ita & jus fructuum illi annexum, nec reſtituendi ſunt, niſi ratione moræ, à tempore moræ, vel litis conteſtatæ, ut ſtatim dicam. Sed hic licèt reditus in ſe ipſo jure non reſolvatur per ſimplicem oblationem, niſi ſecuta redemptione vel ſolemni conſignatione & depoſitione, tamen fructus reditus non dependent à domino fundi pensesdebitorem exiſtentis, ſed ab obligatione perſonali, qua tenetur debitor, cui obligationi ineſt tacita illa conditio, niſi forsitan reliquis offeratur, quæ interim donec vel extet, vel deficiat, ſuſpendit futura reliqua, & cùm extat, ipſo jure impedit obligationem futurorum reliquorum. Item facilius venditori reditus per manus ſuas ſolventi acquiritur exceptio, quàm venditori fundi traditi actio ad fructus recuperandos, in quibus non poteſt uti retentione, prout in reliquis facere poſſet debitor poſt congruam oblationem, etiamſi ipſo jure currere non deſinerent.

Differentia inter fundũ & reditum redimibiles.

318. Sed hîc circa venditionem fundi redimibilis quidam errores convellendi occurrunt: certant enim & quandoque variant Doctores an ſufficiat ſimplex oblatio realis extra judicium, an verò requiratur conſignatio & depoſitio, ut latè per Doctores And. Tiraq. in *tract. retract. conventional. §. 4. gloſſ. 6.* ubi *n.* 4. decidit requiri conſignationem & depoſitionem ad finem recuperandi fructus poſt conſignationem, aliàs eam non neceſſariam, & in eo ſolo communi errore fundatur, quo dicunt, ſolam oblationem non impedire curſum uſurarum quæ fructuum loco ſunt, niſi fiat conſignatio, ſed hoc ſatis confutatum eſt ſuprà *quæſt.* 39. Breviter dicendum veritatem ſtare ab eorum ſententia, qui tenent ſolam realem congruam oblationem etiam extra judicium ſufficere: quod verum eſſe dico, etiam quò ad recuperationem fructuum, dummodo emptor vel ejus ſucceſſor interpellatus ſciverit vel ſcire debuerit ſe teneri revendere, & ſic in mora conſtitutus fuerit, juxta not. in *l. quod te. ſi cert. peratur.* Cæterùm quandiu propter juſtam ignorantiam vel imperfectam oblationem non eſt in mora, non teneri ad reſtitutionem fructuum quos interim percipit, etiam non conſumptorum & extantium, etiamſi conſignatio quantumcunque aliàs ſolemniter facta ſit, probo: tum quia in bonæ fidei judiciis veniunt fructus à tempore moræ: tum quia etiam in ſtricti juris judiciis mero jure veniunt à tempore moræ, ſi res fuit actoris text. in *l. videamus, ff. de uſur.* quorum utrumque hîc concurrit, quia fundus fuit actoris, & actio eſt bonæ fidei. Unde multò fortius hoc caſu veniunt fructus à tempore moræ, quàm in primitiva venditione, ubi ſi emptor offerat pretium & petat fundum, extunc veniunt fructus ratione moræ, ob ſolam qualitatem bonæ fidei: hîc autem accedit, quòd petit rem quæ fuit ſua, & pro hac ſententia caſus eſt in *l.* 2. ubi ita tenet Paul. *Cod. de pact. inter empt. & venditor.* nec poteſt ille text. cavillari, dicendo, quòd ibi hoc eſt propter legem conventionis, quia conventum erat ut oblatione facta fundus reſtitueretur, ut ibi pingit. Hier. Cagn. *num.* 60. Tum quia text. non dicit, ſola oblatione facta & ſic quòd ſufficit ſola oblatio, non eſt ob certam determinatam legem conventionis; ſed ex veteri regula, & diſpoſitione juris communis, ratione moræ. Tum quia illud verbum (*obtuliſſent*) & verbum (*oblatam*) intelligitur cum effectu, ſecundùm alia jura, videlicet de oblatione per quam interpellatus conſtitutus eſt in mora. Tum quia *d. l.* non debet reſtringi ad caſum, in quo formaliter pactũ eſt de oblatione; ſed juſtius verbum (obtuliſſent) ſonat facti contingentiam vel potius abbreviatum in reſcripto ſermonis ſeu libelli ſupplicis privatæ partis compendium. Unde *d. l. generaliter* habet locum, quandocumque prædium eſt venditum ſub pacto de retrovendendo, etiamſi non ſit facta mentio de oblatione, ſive quandocumque offertur pretium; quia illud tacitè ineſt, & expreſſum nihil operatur, ſed ſecundùm materiam ſubjectam (videlicet à tempore moræ) intelligitur.

316. Sed multo fœdius erravit Hieron. Cagnol. in repetitione *dictæ legis ſecundæ col. 7. num.* 73. ubi dicit quòd ſi venditor ageret poſt depoſitum pretium contra heredem emptoris, adhuc non venient fructus, niſi à tempore quo fecerit fidem de pacto redimendi; & ita dicit ſe aliàs obtinuiſſe, & miror quòd hoc ſequatur (ſed aliis ut reor occupatus) Domin. Adræas Tiraq. in *d. tract. retract. convent. §. 4. gloſſ. 6. num.* 50. Ego non facio vim in conſignatione, quæ per ſe regulariter non inducit moram, ubi aliàs non eſſet mora, ſed in lite mota, & conteſtata, quod verbum agendi ſignificat: & ſic à tempore litis conteſtatæ mero jure veniunt omnes fructus indiſtinctè, etiamſi actor nihil conſignaverit, etiamſi actio ſit ſtricti juris *l. cum fundus in princ. de reb. credit.* ſive reus ſit in bona, ſive mala fide *l. certum C. de rei vendicat.* etiamſi habeat juſtiſſimam cauſam litigandi, ut excuſetur ab expenſis, non tamen à fructibus. Rota, *dect.* 182. probabilis in novis, quia ſunt pars rei & ad hoc oneris cenſetur quaſi contractum tempore litis conteſtatæ *leg.* 3. *§. idem ſcribit. de pecul.* Quod autem dixi in redemptione fundi, ut non veniant fructus à tempore oblationis, vel etiam conſignationis citra veram moram; ſed ſolùm à tempore moræ, vel litis conteſtatæ, vel quæ debuit conteſtari, ſi per fruſtrationes rei diu & injuſtè conteſtatio fuit protracta per not. in *leg. ſi cum in fin. ſi quis cautionibus in judic.*

Error Hieron. Cagnol.

320. Limito, ut procedat, quando venditio eſſet facta juſto pretio, ſaltem habita rationabili tantùm deductione propter pactum de retrovendendo, putà quando fundus valoris triginta integro pretio (ſi abſolutè venderetur) væniit viginti ſub hoc pacto, ut ſuprà *quæſt.* 35. *num.* 267. ſecus multò ſi minori pretio, ut in effectu ſit fraus uſuræ vel antichreſi. Unde ſi fundus centum annui reditus afferens væneat ſub libera facultate redimendi pro mille quadringentis, licet læſio non ſit infra dimidiam juſti pretii propter pactum redimendi: tamen contractus non eſt juſtus, utpote in fraudem perpetuæ antichreſeos, quam non poteſt creditor ſtipulari, niſi augeat pretium ſaltem ad rationem quindecim pro uno, ut diximus ſuprà *quæſtione* 35. *numer.* 268. Et ſi emerit pro mille quingentis, ſciens valorem fundi & egeſtatem venditoris, debet reduci ad naturam antichreſis, ut non poſſideat emptor jure dominii, ſed jure creditoris, ut numquam præſcribat: quoniam ſolo nomine murato, non debet eſſe licitum emere & viliori pretio & duriore debitoris conditione. Non tamen eſt contractus annullandus, ut pote quum alio ceſſante vitio, nullum fœnus improbum reſulter, etiamſi emptor nolit ſupplere juſtum pretium, ad quod etiam non tenetur: ſed ſatis eſt ei mederi, quod & quatenus occaſionem fraudis facit, videlicet ut caſu quo væniit, infrà rationem quin-

tædecimæ possit venditor repetere fundum, idoneè cavendo de solvendo reditu: quod tamen ita temperandum est, ut neutra pars lædatur, & nulli captioni locus sit. Unde non sufficit si debitor idoneè cavere velit de tanto reditu præstando, quantum affert fundus: potest enim justè emptor dicere & offerre, vel quòd venditor idoneè caveat de reditu integro ad rationem duodecimæ, donec pretium reddatur pendendo, vel quòd contractus stet non jure acquisitionis dominii, sed jure hypothecæ & antichresis, ut in simili de antichresi diximus suprà *quæst.* 35. Quod si hoc casu malit venditor contractui stare, quàm fundo recepto duodecimam annuam solvere: deinde mortuo emptore, hæredi ejus offerat pretium, venient fructus à tempore oblationis, sicut in formali antichresi, vel nudo reditu: & extunc desinit reditus currere, sive hæres interpellatus habeat justam causam ignorantiæ, sive non: nec erit tunc differentia inter hæredem bonæ fidei, & malæ fidei, nisi in hoc, quòd in eo qui est in vera mala fide, reputabuntur fructus sub æstimatione quanti plurimi in *l. in hac de condict. triticar. l. fin. de condict. furtiva*, sed in eo qui justam habet causam ignorantiæ, quia non est in vera mora, reputabuntur solùm sub æstimatione communi. Et ne quis hic hæreat in terminis, voco reditum simplicem, qui percipitur de manu creditoris: antichresim autem, quando creditor percipit per manus suas, sed tanquam de fundo debitoris hypothecato, in hoc tradito, vel justa mercede conducto à debitore, ut creditor super fructibus vel mercede reditum capiat. Venditionem verò fundi, quando creditor interim jure & titulo domini fruitur, quia fundum ipsum emit sub pacto redimendi.

321. Hic occurrit quæstio mihi dum hæc scriberem proposita. Creditor emit fundum ducenta circiter annua ferens pro mille octingentis, sub facultate redimendi, & eodem contractu venditores, qui erant quatuor (quò tutior esset reditus, licet unus eorum esset dominus fundi, cæteri loco fidejussorum subrogati) singuli in solidum conduxerunt fundum ab emptore usque ad sex annos pro centum quinquaginta annuæ mercedis. Apparet manifestè istud esse factum loco emptionis reditus, quia hac via securius sibi cautum arbitrabatur creditor, quam per simplicem emptionem reditus, & hoc dummodo appareat, quòd emptor non insidiabatur proprietati fundi, nec aliquid ultra rationem simplicis duodecimæ concessæ lucrari volebat in effectu. Quare ut propter eam solam verborum artem & cautelam sine reali & effectuali transgressione ejus quòd vetitum est, non debet creditor in invidiam trahi, nec lucro aliàs concesso privari: ita ejusdem artis & cautelæ prætextu, non debet ultrà quàm concessum sit, lucrari, nec debitores ultra concessum gravari. Ideo cùm creditor esset honesta & legalis persona, nec solitus fœnerari, respondi contractum non esse illicitum, nec moderationi quidem subjectum, sed non forte majoris efficaciæ quàm simplicem emptionem reditus, prædibus prædiisque vallatam, finitóque primæ conductionis tempore, non teneri venditores reconducere; sed (etiam nunc ea pendente) quemlibet eorum posse impedire ne emptor alii locet, vel per se fruatur, offerendo solvere & continuare reditum, donec redimatur: facta quoque sortis & reliquorum oblatione congrua; ex tunc ipso jure reditum non currere, sive emptor vel ejus heres sit in bona vel mala fide. Idem si paulo majori pretio emptor emerit, sed modico, ut infra rationem quintædecimæ, salvo quòd nec justo & solito fœnore defraudat creditorem, qui quadamtenus pretium auxerit. Hunc enim non poterit debitor in ordinem redigere, nec jure antichreseos aut possessionis fundi excludere, nisi offerat solvere & continuare reditum ad rationem duodecimæ. Si verò creditor emit ad rationem sexdecim pro uno, vel majori pretio, tunc quia non ita multum recedit à justo pretio veræ & justæ emptionis ipsius fundi, considerata facultate redimendi, nulli fraudi (alio cessante vitio) locus est, sed est censenda vera emptio fundi: & tunc simplex oblatio pretii vel etiam consignatio non faciet ex tunc fructus debere restitui, nisi sit juncta cum vera mora emptionis vel ejus hæredis, vel post litem contestatam, ut dixi, nec video quòd justiori, æquabiliori & usibus hominum aptiori & commodiori symmetria decerni possit. Interim tædet me prolixitatis, styli, & gestit animus ad alia: sed malo perspicuitati & juvenum utilitati, quàm brevitati & affectui meo inservire. His scriptis, valdè agitata fuit quæstio in Prætorio Parisiensi, de quadam honesta vidua, quæ plura prædia magni reditus vilissimo pretio emerat à quatuor in solidum vendentibus, & per aliud instrumentum eadem die eisdem locaverat usque ad sex annos, pro pensione quæ ad rationem duodecimæ pretii quadrabat, data facultate redimendi ad eosdem sex annos, quibus lapsis eisdem sub eisdem pactis ad tres annos relocavit, quibus lapsis venditores neque reconducere, neque pensionem continuare volebant; sed omnia computare in sortem, tanquam contractu nullo. Et fuit vidua, quantumvis honesta nec fœnerari solita, in magno periculo, ob emptionem præcisam & vilissimam, & facultatem redimendi limitatam, forma contractus inspecta: licèt satis constaret quòd vidua noluerat habere prædia, sed simplicem duodecimam & ejus securitatem, donec per notarios & proxenetam probavit se initio noluisse nisi simplicem duodecimam & hypothecam. Et quòd illa forma contractus processerat facto & inventione debitorum, & ab eis viduæ tenitenti tanquam securior obtrusa fuerat, non sine aperta suspicione doli ad eam decipiendam & omni reditu fraudandam per debitores machinati, rationes & dilutiones quas allegavi pro vidua, brevitatis causà omitto.

QUÆSTIO XLIII.

SYNOPSIS.

1. *Ipso jure admittitur compensatio ad impediendum cursum usurarum.*
2. *De liquido ad liquidum fit compensatio.*
3. *Depositio ritè facta ipso jure absolvit.*

Compensatio.

322. QUadragesimo tertiò succedit quæstio, An fiat compensatio ipso jure ad impediendum cursum horum reditiuum? Prima facie videtur quòd sic, juxta *l. si constat, l. etiam Cod. de compens. l. ejus Cod. de solution. l. cum alter. cum l. sequent. de compens.* ubi indistinctè compensatio fit ipso jure ad inhibendum cursum usurarum, sive jure actionis, sive officio judicis etiam privilegio minoris ætatis debitarum, sive utrumque debitum sit usurarium, sive usuræ sint æquales hinc inde, sive inæquales, sive non sit debitum usurarium nisi ab altera parte. Et idem ad vitandum remissionem pœnæ, tenent glossæ Bart. Bal. Ang. Paul. Fulgos. & omnes in *d. l. si constat.* & generaliter ubicumque defectus solutionis posset afferre præjudicium vel damnum debitori. Alex. *consil.* 45. *num* 4. *lib.* 3. *consil.* 74. *num.* 4. *lib.* 5. Socin. *consil.* 130. *ad fin. lib.* 4.

Curt. senior. *consil. 70. col. fin.* Jas. in *bonæ fidei inst. de actionib.* Adde Socin. in *l. Iulianus, col. 2. num. 9. de condition. & demonstr.* ubi ampliat, etiamsi hinc inde versaretur pœna ex diversis causis, puta ex diversis compromissis, reprehendendo Bart. & Paul. ibi; sed non meruerunt reprehendi, quia non sentiunt contrarium, sed ita debent intelligi, prout etiam intelligit ibi Alexander in *addit. ad Bart.* Ampliant communiter legistæ ad debita jurata, ad impediendum perjurium, ut Bart. Ang. Raph. Curt. in *l. amplius, rem rat. habere* Joan. Fab. Joan. de Plat. in §. *in bonæ fidei. Institut. de Action.* Bal. in c. *ad nostram 1. de jure jur.* & placet tum ad pœnam perjurii vitandam, *d. l. si constat.* tum quia nihil interest compensare an solvere, inquit text. in *l. si debitor. qui potior. in pig. hab.* Tum quia debitor facto creditoris sui, qui quod debet non solvit, impedire, imò jam impeditus fuisse videtur, quominùs sua die solvat vel solverit, & sic inutilis, est actio ei per quem stat, *l. potiet in fin. qui potior. in pig. hab.* Imò debitor eo ipso solvere vel solvisse videtur, inquit text. *l. Iulianus ait, de condition. & demonstr. l. 3. in princ. de statu lib.* Tum etiam conditio quantumcunque in forma specifica impleri debeat, tamen compensando impletur, *l. si peculium* §. 1. *ver. quòd si hered. de statu lib. & d. l. Iulianus ait.* Quæ ampliatio placet, licet turba Canonistarum, exceptis Baldo & Imo, contrarium teneat in *d. cap. ad nostram* 1. quos Jas. maluit sequi in *d.* §. *in bonæ fidei.*

323. Quod autem omnes ferè Doctores rursus ampliant in emphyteuta, ad vitandum commissum, non placet, ut scripsi in *consuetudine Parisiensi* §. *quæst.* 5. Item limito, ut prius compensatio fieri intelligatur in usuras, si quæ debeantur, reliquum autem in sortem. Patet, quia etiamsi ab homine offeratur compensatio, vel etiam realis solutio non tenetur creditor admittere nisi prius usura solvatur *l. cum & fortis, de pignor. action.* cum vulg. Sed ad rem: concludo in his reditibus nullam fieri compensationem ipso jure, sed demum congrua oppositione facta ab homine, quæ vice oblationis sit. Ratio, quia nulla est obligatio sortis reddendæ, igitur nulla compensationis materia. Tum alioquin circumventirentur creditores, qui pecuniam quidem à se debitam tenentur habere paratam & otiosam ad solvendum debitori, mox aut quandocunque voluerit exigere: & tamen non possent sortem reditus exigere, nec cum ea compensare, nec reditus interim nisi ad nutum debitoris currere, quod esse iniquum, nec etiam esset æqualitas, quam compensatio requirit, quia creditores non possunt invitis debitoribus reditualibus, cum reddituum sorte compensare, quod eisdem ex alia quavis causa deberent, potest enim dicere debitor; nolo compensare, quia nolo nunc redimere, sed reditum continua quod autem mihi debes exigere, volo. Quantamcumque igitur summam purè debeat creditor, currit reditus ipso jure & cum effectu, donec debitor significet creditori se velle redimere, & indictam summam compensare, quo facto velut solutione statim, ipso facto resolvitur reditus, dummodo ea summa à creditore purè debita non sit minor sorte cum reliquis tempore hujus significationis debitis, vel dummodò debitor offerat residuum ad redemptionem requisitum: ut enim non potest fieri redemptio reditus pro parte: ita nec compensatio reditus pro parte invito creditore. Non obstat quòd licet aliàs non admittatur particularis solutio, tamen compensatio particularis sive pro rata admittitur, ut tradunt Doctores in *l. quidam æstimaverunt si cert. petat.* quia ea est natura compensationis propriè sumptæ: quæ tunc demum locum habet, quando hinc inde versatur debitum purum & liquidum & exigibile, saltem de jure (neque enim considerabile est quòd alter minus solvendo sit cùm sibi ipsi quisque dives semper & solvendo sit, *l. quærebatur, ad leg. Falcid.*) ut sic debiti creditique invicem contributio fieri possit, *leg. 1. de compensat.* & tunc etiam qui minorem summam debet, potest alteri invito pro rata compensate, etiam residuum debiti non offerendo, etiamsi creditor minoris summæ, ne dividatur, offerat minorem solvere, nihilominus tenetur compensationem pati, quâ etiam oblatâ, jam censetur recepisse, & penes se habere partem compensatam, & non potest deinceps ipso jure petere nisi residuum, & hic nulla captio alterutrique versatur. Cessante autem mutua obligatione hinc inde exigibili, cessat materia veræ & propriæ compensationis, unde in his reditibus, quando debitor redimere volens offert creditori, eidemque debitori suo, non est propriè compensatio strictè sumpta: de qua in *l. 1.* & toto tit. *de compensation.* Patet, quia non est debiti & crediti contributio: quia offerens non debet quod offert, quum non possit cogi ad offerendum, *Institut. de obligat. in prin.* nec est propriè solutio debiti, sed voluntaria meræ facultatis restitutio sive resolutio, quæ non potest fieri nec offerri pro parte, sicut nec implementum cujuslibet conditionis, *leg. cui fundus, de condition. & demonstrat.* Unde si summa offerenda major est eâ quam debet creditor, nihil agit debitor, nisi residuum realiter offerat, quo facto satis est, quia etiam implementum conditionis fit compensando, largè sumpto vocabulo, sive magis propriè loquendo, imputando, dummodo integre fiat, *l. Iulianus ait de condition. & demonstration.* cum vulgar.

324. Hinc vides rationem differentiæ, cur quamvis hi reditus non habeant propriè symbolum cum pœnis, sed cum usuris, & tamen de jure in debito usurario fit etiam ipso jure sine ministerio hominis compensatio pro rata, etiam in parte, ad impediendum cursum usurarum pro ea parte, *d. l. si constat. cum l. seq.* licet hoc pro parte non prosit ad evitandam commissionem pœnæ pro rata, nisi tantumdem debeatur: quia etiam expressè ab homine oppolita compensatio partis non impediret totam pœnam committi, *l. 5. in fin. de verborum obligation.* igitur multò minus tacitè & ipso jure impedit. Cur igitur in hoc hi reditus magis accedunt pœnæ quam usuræ? Respondeo, hoc eti non quia usuris tanquam earum successanei magis accedant: sed quia debitor non est obligatus ad sortem, nec ad eam restituendam cogi potest à creditore. Cujus oppositum est in usuris illis veteribus juris scripti, in quarum sorte proinde cadit vera compensatio, *ut d. l. 2. cum leg. seq. d. l. g. si constat.* secus hic. Unde quoties continget currere certum reditum ita tamen quòd nihilominus creditor, si velit, possit sortem exigere cum reliquis usque ad solutionem, ut in casu suprà *quæst.* 26. & in *can. salubriter de usur.* & infrà *quæst.* 78. tunc locus erit regulæ juris communis de compensando etiam ipso jure, sine hominis ministerio, etiam pro rata portionis, ut amplius non currat talis reditus, nisi pro rata residui, *d. l. si constat.* Et intellige ex eo tempore quo creditor potest sortem exigere, secùs pendente termino dato debitori ad solvendum, ut suprà *quæst.* 27. *ad fin.* quia cùm compensatio sit quædam executio, non prius ipso jure fieri, quàm exigi potest, nisi offeratur à renuntiante suæ dilationi. Ex his habes quòd compensatio ipso jure bene habet locum in reliquis, quæ exigi possunt, sed non in ipsa sorte reditus, quæ exigi non potest. Amplio, etiamsi uterque alteri debeat reditum ejus quantitatis, etiam ejusdem qualitatis, sive uterque sit non redimibilis, sive uterque vel alter tantùm redimibilis, quia si non sint redimibiles, non compensantur interim nisi reliqua præterita, non autem reditus in se, etiamsi alter offerat, nisi utraque pars consentiat: idem si alter tantùm reditus sit redimibilis. Si verò uterque redimibilis est etiam pro pari summa, adhuc potest uterque dicere: nolo redimere à me debitum, sed volo vendere, vel alii cedere mihi debitum, id quod liberè facere potest; &

Solutio.

reditus venditus vel cessus transit in tertium sine aliquo onere compensationis, nisi respectu reliquorum præteritorum ante cessionem, per ea quæ plenè & novè scripsi in *consuetudine Parisiensi* §. 74. Unde quantumcumque uterque reditus redimibilis sit, etiam pro pari summa, non est locus compensationi ipsius reditus in se, etiam ab homine oblatæ, nisi utraque parte consentiente. Nec obstat si dicatur, quod quamvis hic non cadat compensatio ipsius juris reditus, quia neutrobique est sortis obligatio, neuter enim tenetur ad sortem restituendam: tamen quòd alia ratione debet esse locus compensationi, quasi non interesit ejus cui offertur, cùm sint reditus omnino similes, & æquivalentes, æquè tutò collocati, & omni respectu pares. Quia imò notabiliter interest, quia potest nolens compensare justè dicere: indigeo nunc pecunia, ideo nolo compensare nec confundere, sed volo vendere ut pretio fruar; tibi verò pendam tuum reditum, vel causari potest aliter se velle de jure reditus tanquam de re sua disponere *l. in re mandata Cod. mandati.*

325. Sed hic incidit quæstio in reditibus de voluntate debitoris redimibilibus. Utrum congruè oblata compensatio cum summa per creditorem debita extinguat reditum ipso jure? Videtur quòd non, quia hic (ut dictum est) non est propria & adæquata compensatio, sed potius imputatio, seu ficta & æquipollens oblatio sortis & reliquorum debitorum, quæ in effectu videtur debitor offerre, ex quo offert tantumdem compensare. Sed oblatio etiam realis licet faciat ipso jure sistere cursum reditus pro tempore futuro, tamen non liberat, ipso jure à præteritis, nec reditum ipso jure resoluit, ut suprà *quæst.* 39. At fictio non potest plus operari quàm veritas *l. si filiusfamilias. ubi Jas. & omnes si cert. peta.* Breviter contrarium dico duplici ratione, prima, quia certum est quòd consignatio legitimè facta, videlicet integrè judice adito, parte vocata, liberat ipso jure, *leg. acceptam Cod. de usur. leg. obsignatione Cod. de solution.* & resolvit ipso jure, *l. si à te Cod. de pact. inter empt. & vendit.* Sed hic per creditorem stat quominus consignetur, quia non soluit quod purèdebet, unde consignatio fieret: ergo in ejus præjudicium pro facta habetur, *l. jure civili de condition. & demonstrat.* Secunda, quia hæc imputatio est plus quàm consignatio. Patet, quia creditor habet jam eam summam penès se, quod est plus quàm si consignatum esset, quia id dicitur ei ipso facto solutum esse: igitur hæc imputatio fortius, saltem non minus liberat, quàm consignatio, & viciſſim creditor ipso jure liberatur ab eo quod debebat imputari pro rata, & hoc quando creditor tantum purè debebat, quanta erat summa offerenda: aliàs si quod esset supplendum, requireretur residui realis oblatio, ut cursus reditus impediretur, & illius residui consignatio, ut resolutio & liberatio ipso jure obtineatur, infero quod hæc imputatio in duobus relevat, & expeditior est reali oblatione: primo, quia in oblatione reali non sufficit pecuniam offerre in sacculo, nisi extrahatur, & præsente creditore, numeretur nisi creditor recuset, vel per eum stet, ut Paul. & Alexand. in *l. si mora soluto matrim.* Alexand. in *l. si servus, col. 2. de vulg. & pupil.* Jas. in *l. qui Romæ in prin. de verb. oblig.* & alii suprà *num.* 297. allegati. Secundò, quia debet fieri in loco ubi debetur reditus, *juxta not. in leg. usuras Cod. de solution.* quæ omnia cessant in hac imputatione, quæ potest fieri ubicumque inventur creditor, nisi si quid superesit realiter offerendum.

QUÆSTIO XLIV.

SYNOPSIS.

1. *Solutio aut liberatio dici non potest, nisi nummi in accipientem transeant.*
2. *Consumptio conciliat mutuum, quem non conciliarat numeratio.*
3. *Dolus dans causam contractui bonæ fidei, facit contractum ipso jure nullum, idem de distractu.*
4. *Expedit plures actiones habere.*

326. QUadragesimo-quartò occurrit jucunda quæstio. Quid si debitor de facto redemerit de pecuniis ipsiusmet creditoris? Hæc quæstio prima facie videtur ridicula, & nullius negotii: sed certè valdè seria & operosa est, & ad multa utilis. Et primò videtur redemptio ipso jure nulla, quemadmodum talis, solutio (super qua tantùm fundatur) ipso jure nulla est: non est enim solutio, nec fit liberatio, nisi nummi fiant in solidum accipientis, *l. si servus Cod. de action. empt.* vel illud quod in solutum datur *l. si quis aliam, de solution.* aut donec præscriptione vel consumptione recòcilietur solutio, *l. si alient, de solution.* & not. in *l. nam & si fur ff. si cert. petat.* Quòd si nummi sint creditoris, non est nec futura est liberatio, *l. si mandavero §. si mandaverim, in fin. mandati.* Sed redemptio hujusmodi reditum nihil aliud est quàm vera solutio & luitio, saltem quando fit à debitore. Quòd si quis causetur esse veram revenditionem, (quamvis hoc negari possit, saltem respectu debitoris, qui non magis dicitur reditum vendidisse, quàm usum certæ quantitatis in genere conduxisse, ut infrà *quæst.* 69. *ad fin.* & faciunt not. suprà *quæst.* 37. *in prin.*) tamen etiamsi maximè illud verum sit, etiamsi dicatur esse omnino idem, atque cùm quis fundum sub eo pacto venditum redimit, adhuc clarum est quòd iste redimens tenetur præcisè facere nummos accipientis, *l. ex empto in fin. prin. de action. empt.* Alioquin nil redimit, nec fundus fit ejus, etiamsi retardatur, quia revendens non videtur habere fidem de pretio, ex quo non vult revendere, nisi præsenti pecuniâ, quemadmodum si quis vendit præsenti pecuniâ, vel etiam simpliciter non transfert dominium etiam tradendo, nisi nummi sui fiant §. *venditæ Instit. de rer. divisione.* Unde fortiùs probatur, quia emens reditum hujusmodi, nil emit, nisi pecunia numerata sit, & facta accipientis, suprà *l. eos & quæst.* 23. Nec unquam incipiet reditus currere, nisi pro rata pecuniæ factæ venditoris cum effectu: igitur necessariò sequitur, quòd redimens nil redimit, nec unquam desinit reditus currere, nisi pecunia facta sit accipientis, quoniam horum correlativorum idem jus, eadem ratio, & de uno dictum de altero quoque intelligitur, *l. fin. de acceptil. leg.* 2. *de rescind. vend. l.* 2. *de Cypress. lib.* 11. *Cod.* imò sequitur quòd nisi in solidum pecunia facta fuerit creditoris, non desinit reditus in solidum currere, nisi fortè unus tantùm numulus deficeret, qui non esset in consideratione *l. quamvis de condition. & demonstrat.* quia creditor non tenetur nec vult sortem recipere pro parte, nec redemptionem pati pro parte. Quibus non obstantibus quantumcumque expedita videantur, dico distinguendum esse: aut debitor redemit de nummis creditoris, scienter & mala fide, aut bona fide. Primo casu prædicta procedunt, ut semper currat reditus cum effectu, adeò ut nec in reliquis locus sit præscriptioni quinquennali ex constitutione anni 1512. §. 70. cùm facto & dolo debitoris impediatur

Solutio

impediatur creditor agere, & hæc ampliatio prima. Amplio secundò, etiamsi debitor & authores sui non detinebant, putà ex depositо, sed verè possidebant pecuniam alienam: debuit enim debitor potiùs tanquam alienam domino restituere, quàm ut suam ad redimendum dare: aliud est enim reddere, aliud quasi de suo dare *l. 1. §. eleganter. ad fin. depositi.* imò dando ut suam contrectavit, domino invito, & furtum commisit. Amplio tertiò, etiamsi tantùm aliqua pars pecuniæ erat creditoris, quia ex quo scit debitor, meritò totum ei imputatur, nec cursus reditus impeditur in aliquo, quia non potest redimi pro parte, nec compensari pro parte, ut in quæstione præcedenti. [Non obstat *l. si in ad nummos in princ. vers. sin autem communes*, ibi, *confestim pro parte mea nascitur. De solut.* quia loquitur in mutuo, vel solutione debiti merè dividui.]

327. Sed incidenter quæritur, an saltem consumptione, reconcilietur redemptio? videretur quòd sic, non obstante quavis mala fide redimentis, per text. in *l. nam & si fur. de reb. cred. & si certum petat.* Contrarium verò est, *quia d. l. nam & si fur.* & similes loquuntur quãdo quis dat vel numerat pecuniam alienam cujusdam tertii ut suam: quia tunc consumptione secuta, contractus reconciliatur inter contrahentes: nec origo attenditur, *l. non unde originem C. de reb. cred.* Secùs si pecuniam domini ipsimet domino mutuet; vel solvit, quia ab initio nullum est mutuum, *l. suæ res de contrahend. emptione nulla solutio l. si procuratorem §. si liber homo l. si mandavero, §. si mandaverim ff. mandati* nec unquam futura est reconciliatio, nisi per numerationẽ alterius pecuniæ. Cùm enim dominus per consumptionem non possit magis fieri dominus, liquet quòd consumptio in domino non potest operari reconciliationem, licèt eam possit operari in non domino, & sic conclusio quarto amplianda, ut nec consumptione reconciliari possit.

Consumptio.

328. Secundo verò casu quando debitor ignoranter & bona fide redemit, putans pecuniam suam, & tunc omissa disputatione, breviter dico quòd reditus, est & manet statim redemptus & extinctus, salvo, nisi in contrarium appareat de evictione seu errore & defectu pretii, & debitor statim sit in mora solvendi seu refundendi pretium: quia tunc etiamsi verè solvisset, nec solvisse videtur, *l. qui sic de solut. l. 3. de divortiis.* Et ad sic dicendum moveor ratione & Paradigmate, quia redimens certat de damno vitando, & alioquin capi posset, & sequerentur multa absurda. Quid enim si succederet ei, cui creditor vel prædecessores sui tantam vel majorem pecuniæ summam, non ad numerum, sed signatam in loculo deposuerunt, & debitor putans loculum hereditarium de pecunia inde sumpta redemerit, quam si sciviſſet alienam, erat tamen omninò de aliis pecuniis suis redempturus? Nisi enim dicamus eum liberatum propter bonam fidem, sequitur magna captio: quia dum putat se liberum, reditus super eum currit, & sine facto & culpa sua perdit occasionem sese liberandi, & invitus & nescius implicatur ære alieno, aliisque incommodis subjicitur: putà si prædia sua vendat sine onere dicti reditus, quem de pretio prædiorum venditorum maturè redemisset, si sciviſſet. Item sequeretur quòd incurreret hæc magna incommoda culpâ creditoris, qui negligens fuit debitum prosequi & reposcere, quod est absurdum: quia mora & culpa sua, suo cuique authori, non alii debet esse nociva, *l. mora, de verborum oblig. cum vulgarib.* Sequeretur etiam quòd depositarius in effectu servaret depositum proprio damno & periculo, lucro verò deponentis. Et sic nostra distinctio æquissima est, captionem omnem excludens, jus utriusque partis conservans, & utrumque reddens indemnem: & sic etiam dato, non concesso, quòd alioquin esset dubia, foret tamen eligenda & sequenda, *l. 1.* & ibi Paul. *si quis cautionib.* Rursus, alio legali exemplo confirmo, quemadmodum si fundus de pecunia ipsius emptoris bona fide redemptus sit, redit verè dominium per retraditionem, & manet redemptus fundus: quia ex quo emptor retradidit, dominium retransstulit, prout intendebat retransferre, & fidem habebat de pretio soluto, licèt per errorem, quia non impedit effectum retranslationis dominii, ex quo non fuit extorta dolo. Secùs si redimens (& idem in ementre) fuisset in mala fide: quia tunc illa venditoris fides & confidentia solutionis esset dolo extorta, & consequenter propter dolum dantem causam ipso jure nulla, secundum naturam contractus bonæ fidei: distractus enim æquè bonæ fidei est, *l. de tutela C. de integ. restitut. minor.* text. in *l. 2. Cod. de pact. inter empt. & vendit.* Et sic non obstat *d. §. vendita*, quià dico quia licet vendens vel revendens hoc velit facere præsenti pecunia tantùm, tamen eo ipso quòd contentatur de pecunia, & habet pro soluto, habet fidem de solutione; quantumcumque erret: & sic vix est, an dolus solventis dederit causam vel non. Non obstat, *d. lex si quis alium*, quia loquitur in permutatione, vel datione speciei pro specie, secùs si res pro pecunia, ut hic *l. si prædium Cod. de evictionẽ.* Et sic nostra distinctio optimè & clarè procedit etiam per puncta juris.

329. Non obstat aliud esse, si quis emerit reditum de pecunia debitoris, & quòd tunc sive bona fide, sive mala fide indistinctè non valet nec currit reditus, nec est idem quod in emptione fundi, quia hoc casu diversa est ratio correlativorum, ut mox summatim ostendam: Postquam enim semel incidit fermo, melius est simul totum conficere. Quando reditus emptus est, vel redemptus de pecunia aliena: Aut enim de pecunia tertii aut verò recipientis. Si pecunia tertii consumptione reconciliatur *d. l. nam. etsi fur.* Si verò pecunia recipientis, nunquam reconciliari potest consumptione, ut dixi, sed distinguendum inter ementem & redimentem. Quantum ad ementem autem, non est ulteriùs impræsentiarum distinguendum de bona vel mala fide numerantis, sed indistinctè non valet, nec ulla oritur obligatio reditus constituti de pecunia recipientis (nisi scienter animo donandi hoc faceret) cùm enim verè nil solutum sit, nec profectum pretium, & sic non subsit sors, impossibile est ejus usuram sive reditum hujusmodi succedaneum currere vel deberi. Idem si hic reditus non spectet ad negotiationem fœneratoriam, sed commutatricem, putà ad rationem trientalis usuræ constitutus, sive redimibilis, sive non, indistinctè; quidquid enim solvitur, indebitum est, & condici potest. Fateor quòd si emptor sit & maneat bonæ fidei, potest esse locus præscriptioni temporis, etiamsi sit reditus duodecimæ, cùm non sit contractus ex sui forma, nec ex mente contrahentium usurarius, juxta notata suprà *quæst. 17.* non autem poterit esse locus præscriptioni longi temporis etiam prætextu *legis de in rem verso ff. de usuris* per not. suprà *quæst. 18. in fin.* sed longissimi duntaxat, propter negotium cum putativo debitore gestum, ex quo oritur condictio indebiti, quæ perpetua est: ita quòd in hac materia non potest esse locus minori tricennariæ præscriptioni, nec constitutioni quidem regiæ de decem annis, ut suprà *quæst. 17.* Quantum verò ad redimentem, benè distinguendum, ut dixi, inter bonam & malam fidem; ratio differentiæ hoc casu inter ementes & redimentes bonæ fidei est. Tum primò, quia emens certat de obligatione quærenda & lucro eoque usurario, & sic utcunque bonæ fidei sit, ob defectum sortis nihil acquirit: redimens verò certat de liberatione & damno vitando. Tum secundò, quia emens reditum semper percepturus est de manu venditoris, & sic non potest quantum ad hoc æquiparari emptori fundi, prout potest redimens redemptori fundi æquiparari. Postremò sensus communis & totius negotii legalis æquitas satis apertam & solidam in hoc articulo differentiam ostendit. Quòd si lector diligens & acris ingenii scire velit quid tiet de veteri actione ad pecuniam

Plena decisio.

domino suo de facto solutam. Hæc quæstio excedit metas hujus tractatus, sed in gratiam studiosorum non gravabor paucis perstringere.

330. Breviter dico, quòd si dominus tempore dictæ solutionis nullam habebat personalem actionem contra solventem ad pecuniam suam, sed solùm realem vel præparatoriam, putà rei vendicationis vel ad exhibendum: & tunc cùm illæ solutiones consumptæ sint, non habet electionem inter remediâ, sed pecunia ut sua retenta, & solutione reprobata, solùm habet actionem ex novo contractu ad solutionem pretii tanquam solutione non facta. Fallit, si solvens mala fide solvit, & sic furtum commisit, & condictione furtiva ex delicto, & actione furti obligatus fuit: quia tunc habet dominus electionem inter remedia, ut dicam in sequenti membro. Amplio etiam, si solvens nesciat recipientem esse dominum, sed putat alium esse dominum, vel ignorat quis sit: quia satis est quòd sciat alienam esse, ut contrectando & dando ut suam, furtum committat *l. fin. Cod. unde vi. & toto tit. de furtis*; si tamen solvens habebat animum furandi: secùs si putabat fortè spectare ad fratrem vel patruum suum, quem credebat permissurum. Si verò tempore solutionis orta est domino extrinsecùs actio penalis, putà condictio furtiva, ut dictum est, vel alia vetus personalis actio, putà depositi, competebat, ut suprà *num.* 328. tunc habet electionem inter remedia approbandi vel reprobandi solutionem, prout utilius sibi visum fuerit, aut maluerit; non autem posset eandem solutionem simul approbare & improbare, nec utrisque ut pote contrariis remediis uti *l.* 1. *Cod. de furtis.* Hujus brevis decisionis veritas & æquitas patet discurrendo per omnia exempla sive contractuum commutativarum rerum, sive solutionis debiti usurarii legalis, sive redemptionis reditus nostratis: putà si vendidisti fundum Titio, qui solvit de pecunia tua. Erit autem illustrius exemplum in venditione rei mobilis: ut si vendidisti ei merces pro centum, quæ solvit de pecunia tua. Aut enim scienter & furtum committendo, & alia circunstantia non adjecta secundum terminos juris, non commisit furtum mercium, sed pecuniæ, contrectando illicitè, & solvendo tanquam suam: ex quo furto obligatus est condictione furtiva, etiamsi prius non contrectasset, nec furtum commisisset: à qua condictione non liberatur per dictam solutionem ipsi domino factam, quia illud non est reddere domino, sed quasi de suo in rem suam, non in rem domini dare, *inquit textus in l.* 1. §. *eleganter depositi* unde non magis liberatur condictione furtiva, quàm si cuivis suo nomine solveret, aut aliter consumeret: restat igitur condictio furtiva *l. in re furtiva, l. fin.* & per totum *tit. de condictione furtiva* cum pœna furti, quibus agere potuit dominus, non tamen bis consequetur (citra duplum aut quadruplum furti) eandem pecuniam: quia agendo ex delicto, necessariò ratam habet solutionem, seu potiùs solutionis consumptionem: non autem qualitatem & malitiam furti, & sic interim liberatus manet fur à pretio mercium. Potest etiam dominus, omissa via delicti, reprobataque solutione tanquam non facta, pecunia verò ut sua retenta, agere ex vendito ad pretium. Si verò Titius bona fide solvit, tenebatur autem commodati vel depositi ex facto prædecessoris, æquè dominus habet electionem, ut reprobata solutione, tanquam restituto commodato vel depositi pecunia retenta, veterique actione remissa, veram de novo solutionem petat ex vendito, vel si malit solutione approbata, tanquam obligatione & actione ex vendito sublata, veteri actione commodati depositive ad restitutionem pecuniæ agat. Nec otiosa est hæc plurium actionum distinctio, *l. non est novum. de action. empt.* Multa enim contingere possunt, ut interesit unam aut alteram eligere posse. Quid enim si Titius non est solvendo, & merces consumpserit, & sic inanis est actio ex vendito, *l. non is, de dolo*, sed pro depositi vel commodato dati erant fidejussores vel prædia hypothecata? & sic utilis est vetus actio depositi vel commodati. Contra si tempore venditionis & solutionis bona fide factæ, nondum præscriptum erat actioni commodati vel depositi, sed modicum temporis restabat: quo posteà effluxo, sublata est vetus actio; non tamen ex hac odiosa præscriptione supervenienti reconciliata est præcedens solutio: quia nullo jure, nec ulla concludenti ratione probatur: & sic actio ex vendito, quæ non obstante illa solutione superfuit, adhuc superest, & utilis est, si Titius solvendo sit, vel quandocumque ad pinguiorem fortunam deveniat. Eadem dicenda sunt, si Titius debebat tibi sub bessibus vel semissibus usuris centum, quæ de tua pecunia solvit, salvo quòd hoc casu si Titius bona fide solverit, non potes ex intervallo solutionem reprobare, ut centum cum usuris medii temporis & futuri, donec solvatur, petas: & hoc ne Titius ignorans usurario debito (quod aliunde maturè dissolvisset) alligetur. Et sic agendum erit actione veteri, tanquam depositarius depositum in rem suam per errorem converterit; si tamen medio tempore præscripta erat vetus actio, puto superesse actionem ex mutuo ad sortem tantùm, non autem ad usuram, cujus cursus semel citra dolum debitoris remissus non reviviscit. Idem omninò si Titius de tua pecunia redemerit reditum duodecimæ, vel alium quem tibi debebat, & sic plenissimè expedita est hæc quæstio cum suis appendicibus, tam theoricè quàm practicè.

QUÆSTIO XLV.

SYNOPSIS.

1. *Extraneus pro debitore consignans creditorem constituit in mora.*
2. *Nemo jus suum vendere coarctandus.*

331. QUadragesimo-quintò succedit quæstio, An alius possit pro debitore offerre & redimere reditum? Videtur quòd sic, *l. solvendo, de negot. gest. l. si pro me. de solutionibus*, ubi probatur hoc procedere etiam invito debitore: sed quòd etiam creditori invito possit, per quemcumque offerri, ut etiam in mora constituatur, & etiam periculum in eum transferatur, est casus in *l. qui decem* §. *sed quid si ignorante, de solutionibus*, & in *l. cum & postliminii, Cod. de captivis & postliminio rever.* Hinc decidit Angel. in *l. tale pactum* §. *post divisionem.* per illum textum de pactis, quòd etiam debitore convento, potest quilibet extraneus offerre debitum pro eo, & impedire processum: nec potest dicere creditor, nolo quòd solvatur nisi per conventum. Et licèt non clarè probetur in illo textu; quia ibi offerens totum, non est extraneus, sed unus ex hæredibus debitoris: tamen clarè & disertè probatur in juribus prælegatis, per quæ tenent omnes Doctores ibi, & in *l. obsignatione Cod. de solutionibus*, & in *l. acceptam, Cod. de usuris*, & ubique, quòd sicut ipse debitor offerendo constituit creditorem in mora, & deponendo & consignando liberatur ipso jure: ita si quivis alius pro eo, etiam sine mandato offerat, vel consignet.

Tertius offerens.

In contrarium autem videtur, quòd non simus hic in terminis horum jurium, quæ loquuntur, ubi quod debetur duntaxat offertur. Unde si ageretur de liberando debitore à reliquis præteritis, prædicta planè procederent: non autem quando agitur de redimendo & resolvendo ipso jure reditus: quia tunc quod offertur, non debetur. Debitor enim non est obligatus ad redimendum, nec ad sortem, sed est ipse creditor qui obligatus est pati redemptionem, & revendere: unde non solùm sumus in terminis dictorum jurium, sed in terminis oppositis: videlicet quòd extraneus petit solui vel fieri, quòd non sibi, sed alu debetur, in quo oppositа regula est, peti non posse, *l. invito. Cod. de solutionibus.* Sic si quis vendiderit fundum sub pacto redimendi, non potest extraneus absque mandato venditoris offerre, nec in mora constituere creditorem, qui non tenetur ei, nisi de mandato docenti acquiescere, & idem in retractu proximitatis, ut dixi in *consuet. Paris.* §. 174. De quo ultimo plenius scribit Dom. Andr. Tiraq. in *tractatu retract. proxim.* §. 1. *gloss.* 9. *num.* 255. *cum sequentib.* item capi posset creditor. Quid enim si extraneus hic oblator ignotus est, & fortè furatus est pecuniam oblatam, vel numerando aut consignando ab alio depositam, furtum committet, & nummi extantes vendicabuntur per dominum, *l. si filiusfamilias, ff. si certum petatur.* vel si pecunia sit offerentis, si sit minor vigintiquinque annis, vel ei bonis interdictum sit, poterit sive per restitutionem, sive jure communi repetere pecuniam creditori solutam, etiam consumptam, vel etiam his cessantibus, non obstante judicis decreto, qui declaravit debitorem consignatione liberatum, repetere summam consignatam, & decretum elusorium reddere.

Solutio. 332. Solvendo distinguo, aut iste extraneus offerens non vult sibi cedi jus reditus, sed duntaxat vult illud supprimere, aut vult cessionem jurium. Primo casu valet oblatio, & statim ipso jure desinit reditus currere. & ultra facta (ad recusationem creditoris) debita consignatione, ipso jure resolutus est reditus, & debitor in totum liberatus: non tamen tenebitur creditor literas reditus, licèt manes, restituere extraneo, donec ostendat mandatum: nec easdem consignare, sed sufficit, quòd paratus sit eas reddere debitori, vel habenti mandatum: & interim potest judex constito de oblatione, recusatione, & consignatione, declarare reditum resolutum. Verum est quòd hæc judicis declaratio parum operatur: quia implicat tacitam conditionem, si consignatio non revocetur, prout creditore tamen citato, si est facta in judicio, revocari potest à consignante, cùm non sit acceptata per creditorem, per notata in *leg. acceptam Cod. de usur.*, & hoc quando extraneus nomine proprio consignavit, licèt ad commodum debitoris, cui in casum quo creditor acceptaret, donatum volebat, alioquin judex non debet permittere pecuniam reddi, nisi citato debitore, cujus nomine consignatum est, & cujus esse pecunia præsumitur. Secundo casu, quando offerens vult sibi cedi, non debet audiri. Ratio, quia primo casu oblatio resolvitur in veram solutionem, & meram liberationem, ideo habent locum jura pro prima parte citata, & eadem naturalis æquitas, ut alium pro eo solvendo liberare possimus. Secundo verò casu, non esset liberatio, sed creditoris mutatio, & cogere eum ad vendendum jus suum, quod est injuriosum, *l. nec emere Cod. de jure deliberan. l. id quod nostrum de regul. jur.* unde cessant prædicta jura & æquitas, & locum habent opposita, pro secunda parte addicta. Hoc etiam captiosum esset debitoribus, quorum interest insçios non mutare creditores, quos nonnunquam habent propitios, faciunt quæ scripsi in *Consuetudine Parisiensi* §. 172. quòd reditus duodecimæ etiam super hæredis antiquis constitutus, non potest jure proximitatis retrahi invito debitore, ne fortè cogatur incidere in manus avari & intractabilis, qui fortè prius denegavit, quod debitor ab extraneo amico invenit. Ad primum casum non obstant præfatæ captiones creditoris; tum quia non sunt verisimiles, ideo viderentur frustrationis causâ allegari: quòd si sit aliqua probabilis suspicio, non tenebitur creditor acceptare, sed justè recusare poterit. Nec obstat, quòd sua non interest: quia saltem pignori pecuniæ incumbet, quia imò causari potest, se velle eam statim utiliter impendere: nec aliud esse, quàm damnum & periculum quærere. Facta autem hujusmodi suppressione reditus, is qui solvit vel consignavit, habet obligatum debitorem ex gestione ad eam summam, & pro commodo gestionis duntaxat: unde non poterit eum cogere statim ad eam summam restituendam, nec ad aliquem reditum interim pendendum; sed ad eam summam restituendam, nec ad aliquem reditum interim pendendum: sed ad eam summam duntaxat particulatim, & commodis intervallis restituendam, boni viri arbitrio, habita ratione personarum, & quantitatis & facultatum debitoris: ita ut ea gestio non oneret, sed competenter relevet debitorem, juxta *l. sed an ultro de negot. gest.*

QUÆSTIO XLVI.

SYNOPSIS.

1. *Creditor tertio soluenti, vel offerenti, jura, & actiones suas cedere compellitur.*
2. *Debitor præstans id ad quod tenetur, obligationem distrahit.*
3. *Obligatio passiua cedi non potest, ut nec ei subjacentes qualitates.*
4. *Obligatio de reditu continuando noxali assimilatur.*

333. QUadragesimo sextò consequenter ad prædicta sese offert pulchra quæstio plures includens quia multæ sunt notabiles limitationes ad dictam *l. nulla, Cod. de solutionib.* in quibus creditor tertio solventi vel offerenti tenetur jura sua & actiones cedere, ut plenè per Paul. in *l. si res obligata de legat.* 1. quas summatim tangit Alex. apud Bald. in *d. l. nulla. C. de solution.* & latè Ant. Negusan. *tract. pig. in* 3. *memb.* 5. *part. prin.* ubi videas; non enim transcribo. Sed de effectu quæro. Utrum istis, quibus competit beneficium cedendarum, putà correis, vel fidejussoribus, vel possessoribus fundi specialiter hypothecati, offerentibus & redimentibus, teneatur creditor cedere jus reditus? Breviter teneo, quòd sic, sub nova nostra modificatione, de qua in quæstione sequenti, & nisi in meræ extraneo, ut in quæstione præcedenti. Et quia hæc quæstio multa comprehendit, ut videas quanto molimine mihi constent analytica mea, arguam utrinque. Et primò videtur indubitanter quòd sic, unà cum omni hypotheca & jure totius reditus, *l. fidejussoribus, l. cum is qui l. si fidejussores, in fin. de fidejussor. l. cum alter. l. seri. pro Cod. eod. l. cum possessor. de censib.* ubi disertè dicitur quòd creditor tenetur ad venditionem nominis. Et hoc videtur æquissimum, maximè quando is qui perit cessionem, urgetur ab eodem creditore ad solutionem, ut quando creditor unum ex correis in solidum persequitur, vel bonæ fidei emptorem, qui fundum specialiter hypothecatum ad reditum sine onere emit, qui secun-

dum consuetudines Francix etiam personaliter sine discussione conveniri potest. Si igitur ut sese eximat, sortem cum reliquis offerat, mediante cessione, videtur creditor teneri, & in mora constitui, nec currere deinceps reditum, si recuset recipere cedendo. Secundò confirmatur, quia redemptioni inest revenditio, sed iste creditor tenetur ad patiendum & præstandum, ut à se redimatur : igitur revendere tenetur, quia necessariò inest tanquam correlativum, *l. cum emptio. de rescind.vend.l.fin.de accept.*& revenditioni inest venditio: venditioni autem nominis inest cessio,& transeunt actiones utiles sine alia cessione,*l.2.C.de action. & oblig. l. ex nominis Cod. de hæred. vel action. vend. l. si cum emptore ff. de pact.* Tertiò,quia creditor fœneratorius tenetur correo debendi, fidejussori, vel possessori, sortem cum reliquis offerenti, cedere nomen ipsum cum usuris ipsis præteritis & futuris, cum hypothecis & omni jure, *l. Paulus de fidejussor.*& ut inquit text. in *leg. fidejussoribus*, in *leg. cum in cod.* tenetur nomina ipsa cum omni jure suo vendere, cedere & transferre. Igitur ad idem tenetur creditor iste reditualis, cùm hi reditus sint veterum illarum usurarum succedanei. Quartò per æquitatem & rationem *legis in creditore,de evictionem.* quæ videtur locum habere saltem in emptore bonæ fidei fundi hypothecati, qui emit sine onere, & nunc evincitur à creditore, à quo (quia à venditore suo non defenditur) redimit, ne & re sua, & pretio, & recursu evictionis parum sæpe tutæ careat, & similiter in fidejussore, qui ne perpetuò cogatur pro alio solvere, redimit, & sibi cedi petit. Nec enim videtur quòd creditor hoc denegare possit, cùm sine ullo dispendio hoc possit, *l. in creditore, de evictionem. l. jure succursum de jure dot.* Quintò, quia istud jus redimendi, cui obligatio revendendi inest, non solùm in excipiendo, sed etiam in jure obligationis & actionis consistit : & sic verè in jus subsistens, & in bonis debitoris, prout si est actio, ergo est in eius bonis, *l. rem in bonis, de acquir.rerum dom.* ergo istud jus hypothecari potest,& est hypothecatum posterioribus creditoribus. Potest etiam cedi ex regula generali,*l.ult.C.de hæred.vel action.vend.*& tacitè transit, & cedi videtur in cessione vel alienatione fundi ad talem reditum hypothecati, sive cum onere, sive sine onere dicti reditus transferatur, & sic fidejussor saltem singularis successor,qui rem acquisivit cum omni jure & pertinentiis, videtur sufficientem habere causam à debitore in jure redimendi, & revendendi. Sexto, quia etiam ipsi debitori solventi cedi potest à creditore contra usucaptorem, vel alium habentem jus posterius ab alio, quàm ab ipso debitore, ut not. gloss. & Doctores in *l.usucapio Cod. de pignor.* Et videtur quòd creditor ad hoc teneatur,cùm non habeat dispendium, argum. *dict.a l. in creditore.* Et sic quòd teneatur cedere habenti jus vel causam à debitore.

Jus redimendi est in bonis.

334. In contrarium argumentor, hunc creditorem indistinctè nemini teneri reditum cedere, sed sufficere quòd offerat pari redemptionem & suppressionem reditus, & cedere actiones pro reliquis præteritis quæ sibi solventur : sed pro sorte vel ipso jure reditus nihil cedere teneatur, nec extraneo, nec correo, nec fidejussori,nec possessori pignorum. Et probo, quia etiamsi totum corpus juris ad hunc finem excussèris, non invenies hoc beneficium cedendarum fuisse introductum nec datum, nisi contra eos, qui tanquam sibi debitum & exigibile recipiunt & receperunt: & his qui quod sive in totum, sive in parte ab alio, & à se exigi potest, vel poterat,solvunt vel solverunt. Sed hîc dum creditor sortem jure redemptionis accipere compellitur, non accipit quod sibi debetur, nec exigit, sed exigitur, & facit id ad quod invitus tenetur, & cogi potest : & sic non tenetur cedere pereuntes actiones, quia nullo jure caverit, imò videtur in se injustum, quia satis est debitorem id præstare & facere, ad quod duntaxat tenetur, & hoc faciendo solvitur,in totum omnis obligatio. *Instit. quib. mod. toll. oblig. in princ.* nec ultra quicquam exigendum. Porrò iste creditor non est creditor, nisi in quantum concernit exactionem reliquorum præteritorum, quoad futura enim, incertum est debitum iri, ut suprà *num.* 301. *num.* 304. *num.* 317. & sic pro præteritis & debitis tantùm possunt adaptari jura prædicta : sed non videntur posse adaptari, in quantum idem creditor tenetur & cogi potest redemptionem pati : quia hoc respectu non est creditor, sed verus debitor, ut dictum est. Cúmque se obligaverit ad meram & nudam suppressionem reditus, reponendo ad statum qui erat ante emptionem & creationem reditus, sequitur, quòd hoc faciendo, omni obligatione eximitur:consequenter nullas actiones cedere cogitur, sed sufficit quòd res ad pristinum statum redeat, quod etiam de se proclivius & facilius est, *l.si unus §.pactus, in fin. de pact.*& sic non obstat primum. Secundum verò non obstat, quia istud revendere, quòd tacitè inest, intelligitur secundum materiam subjectam: & sic de simplici suppressione sive resolutione reditus, qui etiam non fuit creatus, nisi cum hoc onere, ut annullari & resolvi pollet, & res ad priorem statum redire. Certum est autem quòd quando ab initio appositum fuit pactum redimendi, non fuit intellectum de alia redemptione, quàm de ista per quam reditus extinguitur, & res ad priorem statum redit : non autem fuit intellectum de translatione ipsius juris permanentis. Igitur hoc eodem modo debet verbum revenditionis,sive tacitum, sive expressum intelligi, nec ulterius operari potest, *l. non omnis in princ. si cert. pet.* Non obstat tertium : quia loquitur, quando sors debetur creditori, & potest exigi per eum qui eo respectu, scilicet sortis, verè dicitur creditor, *leg.fin. in fin. Cod. de jure dot.* & tunc conveniunt jura, quæ loquuntur de cessione fienda à creditore. Sed hic est oppositum ; quia isto respectu redemptionis creditor non est nisi debitor.

Beneficium cedendarum actionum.

335. Ad quartum prompta est responsio, quod *d. l. in creditore*, loquitur in eo qui vendidit pignus jure creditoris : & sic licet non teneatur de evictione, ex defectu juris pignorantis *l. 1.* & per to. *Cod. de evictionem.* tamen tenetur præstare se creditorem fuisse, hoc est, tenetur ad limites juris pignoratitii, seu qualitatis in qua vendidit : unde tenetur omne jus pignoratitium, quale habet, si est efficax, saltem contrariam pignoratitiam, quam in omnem eventum habet, contra debitorem cedere emptori suo, ejusque indemnitati, quantum sine dispendio suo potest consulere, & ad hoc emptori suo ex proprio contractu obligatus est, & iv hoc emptor secutus est fidem venditoris sui, & plus creditor ad hoc tenetur etiam jure actionis. *l. fin.de distr.action.pignor. & d. l. in creditore*, ubi text. inquit. *quòd ad hoc teneatur ex empto.* Sed in casu nostro creditor non est aliquo modo obligatus ad conservandum fidejussorem vel possessorem indemnem : & possessor non fuit in aliquo secutus fidem creditoris, nec etiam fidejussor, nisi in hoc, quòd creditor, sorte cum reliquis oblata, teneretur pari redemptionem, & meram extinctionem reditus : igitur non tenetur ad cedendum. Secus in eo qui emit à Titio reditum antiquum redimibilem, debitum ab aliis eidem Titio, sibique cavit novis prædibus prædisque, pro securitate & evictione venditionis sibi factæ per Titium : quia si secuta vel imminente evictione agat contra fidejussorem Titii, videlicet quem accepit à Titio, qui fidejussor ut viret molestiam evictionis, & periculum assignandi reditum super bonis suis, redimit : tunc enim tenetur creditor cedere fidejussori actionem ex empto & omnem aliam actionem vel hypothecam, quam habet contra Titium. & exteros primos primi debitoris fidejussores, vel pignora, ratione dictæ emptionis & evictionis. Ratio, quia illa evictio erat debita creditori per istum qui petit cessionem, & redemptio est congrua satisfactio pro evictione : & sic omnis actio evictionis cedenda est satisfacienti per jura prædicta quæ

Creditor quando de evictione.

tunc conveniunt. Sed in quæstione nostra nec evictio, nec redemptio, nec sors debetur creditori, sed de-
taxat debitor habet facultatem extinguendi reditum, forte cum reliquis oblata, qua facultate vel exceptione fidejussores quoque, & possessores pignorum uti possunt, cùm sit exceptio realis: igitur non possunt excedere limites exceptionis, nec cessionem petere: quia non venit ex natura exceptionis, vel facultatis luendi, nec per prædicta jura. Ad quintum fateor, quod hæc facultas competebat etiam per modum actionis, non tamen continuò est jus per se subsistens & cessibile: nec est in bonis per se, & propriè, sed facit quo minus dicitur esse in ære alieno, & abesse à bonis. Non enim aliud est quàm diminutio obligationis passivæ, qua tenetur creditori, quemadmodum dies vel conditio obligationis, vel exceptio non petendi, non est propriè in bonis, sed facit ut minus absit à bonis. Idem si debitor habet jus petendi vel condicendi liberationem certo casu, quemadmodum enim ipsa obligatio passiva non potest cedi: nec ita ejus accidentia & qualitates, sive augeant, sive diminuant obligationem, non obstat *d. ex fin. Cod. de hæred. vel actio. vendit.* quia præsupponit materiam ad hoc idoneam, ut cedi possit videlicet quando actio competit ad aliud nobis dandum vel faciendum, quod alii dari vel fieri potest, ut etiam quando creditor detinet fundum luendum, secùs quando nil detinet, & actio competit ad liberandum, vel non præstandum in futurum: hoc enim cedi non potest. igitur nec singularis successor potest in hoc casu habere à debitore. Ad sextum respondeo, nullo jure expressum, quòd creditor teneatur cedere debitori: & quòd non teneatur, sentiunt Salyc. in *leg. 1. Cod. de his quæ in prior. cred. loco succed.* & expressè Anto. Negusan. in *tract. pig. 3. memb. 5. par. num. 43. cum seq.* Sed ne tandem nimis altercando veritas amittatur, aut ita intricetur, ut vix extricari queat, jam jam tempus est, ut ad decisionem analyticam accingamur.

Solutio.

336. Dico igitur intermissis paulisper argumentorum perispheriis, ipsum veluti centrum inspiciendo, quòd tota hujus quæstionis difficultas & epitasis versatur in duobus punctis. Primum, an creditor iste reditualis ex vi contractus vel obligationis sit obligatus non solùm ad meram redemptionem, nudamque resolutionem patiendam forte cum reliquis oblata: sed etiam ad cedendum & transferendum jura, si petatur & petentis interesit. Secundum, si fortè non est ad hoc obligatus ex vi ipsa obligationis: an verum sit, & dici possit, quòd sors ipsa vel quid mobile ei debeatur; utrumvis sit, habeo intentum. Sed ostendo etiam utrumque verum esse, igitur decisio indubitata. De primo sic: Fac debitorem decem reditus annui redimibilis pro centum viginti, super quibusdam fundis suis in specie, & super omnibus bonis in genere, vendere unum ex fundis specialiter hypothecatis ad onus dicti reditus, id est quod emptor tenebitur illum solvere. & indemnem reddere debitorem, accidit emptorem gravatim exolvere reditum, ita quòd sæpè debitor impetitur & exigitur à creditore: debitor autem meritò molestiam hanc subinde in singulis terminis ad indemnitatem agendi contra emptorem pertæsus & exosus mavult redimere reditum: itaque creditori suo sortem cum reliquis offert, petens jura & actiones sibi cedi, quod duplici consilio facit, tum ut evitet molestiam circuitus & recursus subinde importunè suscipiendi & inferendi: tum ut deinceps reditus ad commodum suum currat, utrùm teneatur creditor cedere? Accur. in simili variavit, & in *l. 1. §. cùm prædium. de pignor.* tenuit cedi non posse, nec si creditor etiam velit. Sed *in l. usucapio Cod. de pignorib.* tenuit cedi posse, si velit creditor. Doctores hanc ultimam, illa reprobata, sequuntur, & volunt, quòd non teneatur creditor debitori suo cedere, ut dixi, excepto solo Bart. qui subobscurè tamen sentit creditorem cogi posse in *d. §. cum prædium* & in *l. Aristo. quæst. 3. quæres pignori oblig. poss.* Ego dixi veritatē esse, quòd in casu nostro vel similis æquitatis, tenetur creditor etiam debitori ipsi, si ejus interesit (ut hic) cedere. Probo per regulam & æquitatem *l. in creditore. de evictio.* quia creditori nullo modo nociturum est, debitori verò profuturum: igitur evici, quòd creditor non est obligatus ad nudam suppressionem reditus, sed etiam ad ejus cessionem. si opus sit, & petatur: igitur hæc cessio justè peti potest ab omni posteriore creditore vel habente jus, vel causam à debitore, putà si debitor primò vendidit fundum Caio minori pretio, ad onus dicti reditus: secundò vendidit domum æquè hypothecatam Seio, sine onere, sed integro prétio: quia Caius dictum reditum solvere, & indemnitatem præstare tenebatur. Creditor autem subinde impedit Semm, fortè urbi morantem & viciniorem, cui gravius & molestius est idemtidem impeti & impetere, modò venditorem suum, modò Caium pro recursu suo, quàm reditum redimere: itaque sortem cum reliquis offert, petendo cessionem jurium & actionum, quibus præcipuè uti intendit contra Caium, & ab eo reditum suo otio suáque opportunitate exigere, prout Caius ad hoc tenetur venditori suo, à quo ad hoc onus emit, nonne hic adest manifesta æquitas. *d. l. in creditore*, & oppositum est mera iniquitas? Igitur & huic tertio cedere tenetur simpliciter, videlicet tam contra debitorem principalem, quàm contra Caium, & alios, quos ea res contingit. Quod autem dixi de debitore, qui vendidit rem specificè hypothecatam, illustrioris exempli causâ dixi, propter consuetudines Franciæ secundum quas possessor fundi specialiter hypothecati potest in solidum sine discussione ad reditus continuationem conveniri. Item autem quod debetur & valet cessio secundum terminos juris, videlicet cessante dicta consuetudine, ut si debitor ad hoc oneris vendiderit fundum generaliter tantùm hypothecatum, deinde quia emptor lentus est in solutione reditus, debitor ne subinde semper impetatur, redimit, sibique cedi petit: hoc enim æquum est, & sua interest, & æquè fieri potest: & sic creditor cedere tenetur. Et hoc casu poterit cessionarius per simplicem hypothecariam cessam cogere emptorem suum ad solutionem reditus vel dimissionem & subhastationem fundi empti, idque sine aliqua discussione ratione promissionis suæ, dicti specifici pacti in venditione fundi appositi: vi autem dictæ hypothecæ, jure cessò, præferetur omnibus aliis creditoribus, quibus cedens præferebatur, exceptis tamen illis quibus ipse debitor ex pacto suo, vel eorum quorum est hæres, tenetur. Idem si debitor non alienavit expressè, sed pallùs est usucapionem fundi, quàm tamen creditor quantum ad se, semper interrupit, vel quia creditor erat minor, ut sæpe usuvenire potest.

Etiam debitori cedendum.

337. De secundo dico, rectè, subtiliter & realiter ex communi & naturali sensu, considerando non corticem seu formulam, aut tectorium verborum, sed rerum exitus & effectus, quòd in effectu creditor hujusmodi non est creditor reliquorum, & continuationis reditus tantùm sed etiam sortis ipsius non copulativè: nec alternativè, sed subjectivè seu subordinatè, vel analogicè. Patet, quia continuatio reditus ei non deberur præcisè, sed nisi malit debitor sortem reddere, & donec eam reddat, quæ obligatio quasi similis est obligationi noxali *l. 1.* & per to. *de noxal. action. l. miles. §. decem. de re. judi.* & illi de qua *in l. si quis stipulatus fuerit. de solut.* ut enim illic, ita hîc, unum est in obligatione, videlicet continuatio reditus, alterum in solutione, videlicet restitutio sortis, quæ sit in libera & perpetua facultate debitoris, obligatio continuandi non est præcisa nec stabilis; sed semper commutabilis & resolubilis sorte oblata atque ideo conditionalis. ut suprà *quæst. 39. num. 301.* Et sic licet restitutio sortis non sit putè in obligatione, saltem est in

Hi reditus sunt mobiles.

obligatione conditionaliter, videlicet si nolit debitor continuare reditum, sed obligatione eximi. nec obstat, quod ista conditio est in voluntate debitoris, & sic impedit omnem obligationem, etiam, conditionalem. *l. stipulatio non valet. de verb. oblig.* quia verum esset, si illa conditio conferretur in meram voluntatem debitoris, vel in liberum ejus arbitrium: secus quando voluntas non est libera, sed certo casu astringitur. Et ad summum, licet dici possit debitorem nullo modo obligatum ad sortem formaliter & distinctè loquendo, tamen negari non potest, quin effectivè & conditionaliter sit obligatus ad sortem, & quin hæc conditionalis & effectiva obligatio sit formaliter pars detractiva, vel modus & diminutio obligationis formalis continuandi reditum. Si igitur creditori offeratur sors, non dicitur offerri, quod ei nullatenus debetur, sed quod modaliter, effectivè, & conditionaliter debetur. Præterea cum sors ipsa sit vera æstimatio, & pretium appretiatum juris continuationis reditus, sitque in potestate debitoris offerre istud pretium, sequitur quod non dicitur debitori redimens offerre aliud à debito, sed veram & conventionalem æstimationem rei debitæ, pro redemptione debitam, quamque ex pacto pro re solvere & offerre licet: ideo non est mirum, si vel hoc respectu creditor reditus dicatur (prout vulgo verè dicitur & habetur) creditor, & sic habent locum, & adaptantur omnia jura de offerendo creditoribus, & cessionem petendo.

Rationes autem in contrarium adductæ sunt nimiæ subtilitates, quæ realitatem vulnerant, inquit Bald. in *rub. de postul. præla.* imò æquitatem, meritò à judicibus admitti non debent. *l. sicut §. si debitors. qui potior. in pig. hab.* Nec est verum, quòd quantum ad hoc sit aliqua bona, solida & effectualis differentia inter eum qui emit reditum redimibilem ab antiquo constituentem, & accipit prædes evictionis, ut suprà *num.* 335. & eum qui emit constituente de novo sub prædibus: utroque enim casu idem jus reditus æqualiter acquirit & eodem modo revendere, seu restituere tenetur: igitur pariter utroque casu cedere potest, & tenetur in casibus juris. Præterea etiam in terminis juris, quòd creditor teneatur non solùm extinctionem debiti pati, sed etiam jura cedere, non solum in debitis momentaneis, sed etiam in successivis, etiamsi sortem exigere non possit. Patet, fac fœneratorem dilationem restituendæ sortis dedisse debitori, donec usuras solvere, seu continuare vellet, ut in *l. item quia. in fin. de pact.* nunc fidejussor vel justus possessor sortem cum reliquis offerens petit cessionem. Clarum est, quòd fieri potest, & debet. *l. fidejussor. cum l. seq. de distract. pig. l. Paulus. de fidejuss. cum simil.* igitur & in casu quæstionis nostræ cùm non sit in hoc dispar ratio, quin etiam ipse debitor posset sibi cedi contra eum qui emit cum hoc onere vel susceptt, ut suprà *num.* 336. Igitur eodem modo & correi & fidejussores & detentores, quorum justè interest.

Nimia subtilitas.

QUÆSTIO XLVII.

SYNOPSIS.

1. *Extraneus cessionem postulare non potest, quamvis ei permittatur solutio.*
2. *Creditor hypothecarius alteri creditori debitum offerre potest, & in pignus manum injicere.*

338. QUadragesimoseptimò quæro, An creditor chirographarius possit creditori redituali offerre, & cessionem petere? Videtur quòd non, per text. in *l. cum tibi. Cod. qui potio. in pig. habeantur* ubi Bal. Salyc. & omnes ubique ita tenent, & latè Ant. Negusan. *tract. pign. 3. memb. 5. par. num. 6.* nisi fortè secundum eosdem possideret, & conveniretur à creditore, quia tunc ut quilibet possessor posset offerre, & cessionem petere: quod intelligo, quando justè, voluntate debitoris, aut aliàs absque vitio possessionem nactus esset. Idem puto, si tantum detineat, sed habeat jus retentionis contra debitorem & dominum, licet non creditorem, secus si esset injustus possessor, & hoc constet: quia tunc non putaverim teneri creditorem ei cedere, & ita tenet Bal. *in l. mulier.* per illum text. *qui potior. in pig. hab.* Paul. in *l. si res obligata de legat. 3.* Licet Anton. Negusan. in loco prælegato *num.* 20. & *num.* 26. latè contrarium teneat per text. in *l. Paul. §. fin. quib. mod. pig. vel hypoth. sol.* & malè: quia d. §. *fin.* non loquitur de cessione, sed simplici oblatione ad extinctionem debiti: unde non debet extendi ad beneficium cessionis casu quo esset vitiosus & injustus possessor, maximè si possessio ab eo possessorio judicio avocari potest: tum quia non debet esse melioris conditionis quàm extraneus, qui non est in vitio, & tamen non potest petere cessionem, licet possit solvere. *l. nulla, Cod. de solution.* tum quia jure non invenitur datum hoc beneficium possessori, nisi justus sit. *d. lege mulier.* Solvendo dico, veram esse regulam, quod chirographarius creditor licet possit offerre ut quilibet extraneus, non potest cogere sibi cedi actiones. Amplio, non solùm si creditor hypothecarius unam summam semel solvendam prætendit, sed etiam si debitum successivum prætendat, ut creditor fœneratorius, vel reditualis. Fallit primò jure exceptionis, si sine ullo vitio possideat, vel jure retentionis detineat, ut dictum est. Et tunc diligenter advertendum, quod aut creditori hypothecario debetur una summa semel solvenda tantùm, aut debitum redituale vel usurarium. Primò casu si ille non agat contra hunc possessorem vel detentorem, non est locus huic oblationi. Quod enim dictum est huic possessori vel detentori competere jus offerendi, & cessionem petendi, procedit ad conservationem justæ possessionis vel detentionis duntaxat: unde quamdiu creditor istud omittit, licet iste possit ut mere extraneus debitum offerre, tamen non potest ullam cessionem petere. Quòd si voluntariè totum offerat, ita ut sibi jura cedantur, non constituit creditorem in mora, nec prodest debitori: quia creditor non tenetur talem oblationem modalem acceptare, cùm non teneatur ad modum, videlicet ad huic etiam offerenti cedendum. Probo, quia licet jure caveatur, quòd creditor hypothecarius etiam non conventus possit voluntarie offerre alii creditori etiam pignus possidenti, & avocare pignus, & cessionem jurium. *l. 1. Cod. qui potior. in pign. l. cum secum de dist. pig.* tamen hoc non cavetur de possessore nisi justo, idque non simpliciter, sed ita demum, si urgeat eum creditor avocando rem sibi hypothecatam: quia tunc justus possessor potest agentem excludere offerendo debitum, & cessionem jurium petendo. Casus est singularis in *l. mulier. qui potior. in pig. hab.* unde si creditor malit reum, hoc est, possessorem omittere, & eum pati absolvi, ab observatione judicii duntaxat, quam solutionem recipiendo cedere actiones suas, non tenebitur cedere: non enim tenetur huic possessori ad cessionem, nisi causativè, videlicet si velit eum cogere ad solvendum, vel justa sua possessione aut jure retentionis desistendum, quanquam enim nullus sit textus in jure, quo expressum sit justè detinenti, & nudum jus retentionis habenti, competere jus offerendi,

Chirographarius creditori an cedendum.

& cessionem petendi: tamen quoniam in eo est omnino eadem ratio & æquitas, sicut in justo possessore, ideo idem jus, & *dicta l. mulier.* huc extendi debet ut quemadmodum justus possessor ad conservationem suæ possessionis per viam exceptionis seu defensionis duntaxat potest, si impetatur, offerre, & cessionem petere, & ad hoc actorem cogere causativè, videlicet ut vel recipiendo debitum, jura cedat, vel molestare possessorem desinat.

339. Ita & justus detentor ad conservationem juris sui retinendi. Secundo casu, quando creditor est usurarius, vel reditualis, & sic quotidie augetur debitum, tunc puto quòd justus possessor vel habens jus retentionis, non tenetur expectare sese impeti: & sic non solùm per viam exceptionis, sed etiam per viam petitionis seu prosecutionis potest prævenire, & tali creditori offerre sortem, cum reliquis cessionem petendo, & ad hoc eum cogere, & respectu sui in mora constituere. Et ratio est quia periculum est in mora & jus exceptionis possessoris vel detentoris tempore fit aut fieri potest deterius, cum major dem-ceps summa erit offerenda: & sic puto, quòd judicis officium implorando, potest occurrere etiam creditore silente, & petere, ut debitum recipiat, & actiones cedat, nisi malit saltem pro futuro tempore, hoc est, respectu futurarum pensionum hypothecam duntaxat, & jus rem avocandi remittere; hoc enim oblato non interest possessoris vel detentoris, donec imputatur. Et sic interim cessabit officium judicis, tanquam causa periculi cessante, quemadmodum dum summa semel solvenda debetur: alioquin gliscente periculo, puto judicis officio petenti justo possessori vel detentori subveniendum, qui hoc casu videtur coactè & impulsus accedere, nempe ad periculum gliscens amoliendum. Et sic non est minor æquitas, quàm cum possessor vel detentor impetitur: facit quòd compulsus videtur, qui timet & potest compelli. *lege novissimè, quod falso. tut. author.*, & quòd ubi periculù est in mora, multa conceduntur, quæ aliàs non concederentur. *l. de pupillo §. si quis rivos.* ubi Alex. Jas. *de oper. novi nunciat.* Alex. in *l. 1. in prin. col. 15.* & ibi Jas. *col. 2.* & deci. *col. 19. de officio ejus cui mand. est jurisdict.*

QUÆSTIO XLVIII.

SYNOPSIS.

1. *Strictum jus æquitate temperari oportet.*

340. QUadragesimooctavò hìc incidenter quæritur, Quid si creditor chirographarius nihil possidet vel detinet de bonis debitoris, & sic non habet interesse ad conservationem justæ possessionis, vel retentionis, quam non habet, an possit causari sua interesse: quia propter incrementum reditus vel usuræ debitor efficitur non solvendo? Fac debitorem non habere in bonis nisi fundum ferentem centum annua, vel non habere nisi mobilia ad summum mille quingenta, debere verò Caro sub hypotheca centum reditus ad rationem duodecimæ, & Titio sine hypotheca ducenta semel solvenda. Et sic futurum est, ut currente reditu brevi absorbeantur bona debitoris, nec supersit unde Titio solvi possit. Et quid si debitum Titii est in diem, & sic interim discutere nequit debitorem, nec viâ pignorationis & distractionis sibi consulere, ut de bonis debitoris maturè Caio, deinde de residuo sibi satisfiat? Non est dubium, quin possit sorte cum reliquis oblatâ reditum supprimere, ut quilibet extraneus suprà *quæst.* 45. Sed nonne justa causa hìc est, ut petere possit Titium cogi cedere actiones & jura sua, alioquin sibi inutilia, cúmque id sine injuria cedentis, & ejus contra quem ceditur fieri possit? Certe hæc duo per se non sufficerent ad cessionem exigendam, ut patet in mero extraneo. *l. nulla. Cod. de solut.* sed quia hìc plura etiam alia concurrunt, videlicet quod Titius non est omnino extraneus, cùm sit justus creditor, fortè ex causa liberalis & officiosi mutui: tum quia non merè voluntariè venit ad hanc oblationem, sed necessitate compulsus, ne perdat debitum suum: tum quia non certat de lucro, ut merè extraneus, sed de damno vitando; & sic Caius naturali & civili æquitate facere tenetur, quod sibi nocet, & alteri, ex juxta causa de damno vitando certanti prodest facit *l. in summa, §. quamquam. de aqua pluvia arc. l. in creditore. in fin. de evict.* Tum quia habet justam causam à debitore, cui competit jus redimendi & cessionis, suprà *num.* 336. Tum licet non habeat hypothecam, tamen tempore & loco habere porerit pignus prætorium vel judiciale, quod non erit quantum ad istud minoris efficaciæ, per supradicta de justo possessore vel detentore. Igitur omisso circuitu ad hoc aliàs requisito, prout omitti debet ubi periculum est in mora, & æquitas suggerit, ut hic puto his cognitis satis justam causam esse, ut Caius teneatur & cogi debeat Titio jura cedere: ut enim maximè deficiat casus legis scriptus, non tamen deficit legalis æquitas quæ ex toto negotio colligitur. *l. bona fides depositi.* Similiter dico, quòd creditor etiam chirographarius, de quo non est dubium quin discussione facta & ordine servato, possit forte oblata cogere eum, qui fundum debitoris emit sub pacto redimendi, ad reponendum fundum in bonis debitoris, licet merè extraneus non possit, ut suprà *quæst.* 5. tamen si debitor non habet alia bona, & periculum est in mora, ut quia tempus redimendi expirat, potest creditor etiam chirographarius, etiam in diem, etiam invito vel absente debitore, judicis officium implorando, realiter offerre, non ut statim cogat, emptorem invitum capere sortem & restituere fundum, sed ut interim interrumpatur cursus temporis redimendi, donec & sub hac conditione seu causa cognita, appareat de justo hujus debito, & debitorem aliàs non esse solvendo, ut sic ex tunc ea facultas fundum redimendi jus in pignus prætorium vel judiciale deduci debuerit. Ad commodum enim ejus qui sine alterius damno de damno vitando certat, dumque periculum est in mora, æquum est circuitum non expectari, sed præveniri, faciunt quæ scripsi in *cons. Parisi. §. 62. quæst. 10. in fin.* quòd creditor etiam non habens hypothecam, si aliàs debitor efficeretur non solvendo, potest canonem emphyteuticum domino directo, etiam debitore invito, ad impediendum commissum offerre, quod in creditore hypothecario senserunt Bart. Bal. Ang. Salyc. in *l. ex vectigali. de pignor.* per illum text. qui tamen non probat, sed per alia media probatur, ut dixi in *d. §. 62. quæst. 10.* quò remitto, ne materiam hujus Tractatus excedam.

QUÆSTIO XLIX.

SYNOPSIS.

1. *Hypothecam non habens inciviliter oblationem facit & cessionem petit.*
2. *Spontanea pignoris venditio, & coacta differunt.*
3. *Qui ritus in distractione pignoris.*
4. *Simplex creditor non vetatur pignus emere.*
5. *Ei qui utiliter negotia administravit, addicuntur usuræ.*

342. QUadragesimo nonò, ad pleniorem intellectum quæro de effectu hujus cessionis: Iste cessionarius, putà secundus creditor cui debebantur mille, qui ne bona hypothecata per antiquiorem creditorem reditualem exhaurirentur, sed confusis debitis indemnitati suæ melius consuleretur, juxta *l. fidejussor. ff. de neg. gest.* solvit illi antiquo creditori sortem cum reliquis, & habuit cessionem: An possit à debitore vel aliis possessoribus reditum exigere? Videtur indubitatum quòd sic, quemadmodum poterat cedens: cum in omne jus illius successerit. *l. cum secundus. de distract. pignor. l. si potiores. Cod. de his qui in priorum cred. loco succes.* Et in terminis, quòd easdem usuras in futurum petere possit, prout cedens potuisset. Videtur casus in *l. si prior,* §. *sciendum qui potio. in pignor. hab.* & text. clarior. in *l. cum prior. in* 2. *Respon. de distract. pignor.* Addo text. in fortioribus terminis, videlicet in fidejussore solvente, & cessionem accipiente, in *l. fidejussor. de distra. pignor.* in *l. Paulus. de fidejuss.* Istud enim non tam odiosum est in secundo, vel tertio creditore, sicut in fidejussore, propter *l. primum. Cod. de dol.* In contrarium arguitur, primò quia non videtur quantum ad hoc bona & solida differentia inter venditionem fundi, sub pacto redimendi, & venditionem reditus redimibilis: nec videtur quod posterior creditor volens sibi consulere, debeat esse melioris conditionis redimendo hujusmodi reditum, quàm redimendo fundum sub simili facultate venditum. Sed si deficientibus aliis bonis debitoris, redimeret fundum, ut in *quæst. præcedenti*, non posset redimere sibi acquirendo, nec ut fructus suos faciat tanquam extraneus emptor, sed solùm redimere posset luendo, utque in bonis debitoris reponatur. Igitur si reditum redimere velit, debet hoc facere luendo, non autem sibiipsi acquirendo. Et sic non potest deinceps petere aliquas pensiones reditus, sed solùm eam summam tam sortis quàm reliquorum præteritorum, quàm priori creditori pro redemptione & luitione solvit: alioquin posterior creditor redimens reditum esset melioris conditionis, quàm redimens fundum, quod videtur absurdum & iniquum, saltem in his reditibus duodecimæ. Patet quia debitum usurarium sive jus reditus vili pretio emptum firmius esset, favorabilius & durabilius, quàm emptio fundi majori pretio facta, quod est absurdum. Minus enim consuleretur ei qui magis sese gravat, majus pretium numerando, quo plus commodet debitori, dominium fundi illi recuperando, maximè sub tempus facultatis redimendi expirantis, quam ei qui minus sese gravat, minorem summam numerando, quique minus commodi affert debitori reditum simplicem redimendo: quod videtur iniquum. Utque res oculis subjiciatur, finge debitorem. Titio vendidisse fundum centum reditus annui ferentem, pro mille octingentis, sub pacto redimendi infra decem annos: deinde Caio sub hypotheca pro mille ducentis vendidisse centum reditus annui quandocunque redimibilis, postremò à Sempronio mutuatum mille sub hypotheca bonorum, vel alium reditum sub hypotheca vendidisse. Vides, quòd si Sempronius deficientibus vel non sufficientibus aliis bonis debitoris, & fortè decennio illo expirante, redimat fundum, non potest, nec fundi quidem reditus pretio impares suos, donec pretium sibi refundatur, facere: sed tenetur in bonis debitoris liberum fundum reponere?

342. Si igitur nolit fundum redimere, eò quòd fortè non habet satis pecuniæ, vel si habet, non vult tantum officii debitori exhibere, sed vult reditum redimere, sibique cedi facere, nome tenebitur jus reditus tanquam extinctum, pari luitionis jure, in bonis debitoris reponere, seu confundere? qua fronte prætextu cessionis jurium & hypothecarum petet sibi deinceps magnos fructus redempti reditus solvi, quos nec longè minores quidem petere potuisset, si fundo redempto longè plus debitori & omnibus creditoribus ejus commodasset, & majus de suo pretium solvisset? Nonne hoc videtur contra *l. secundum naturam, de reg. jur.* Secundò probatur, quia iste Sempronius vel quivis posterior creditor, qui vult cogere Caium vel alium priorem creditorem usurarium vel reditualem, sorte cum reliquis oblata, ut sibi jura & actiones cedat vel vendat non potest hoc facere, nisi ratione & vi hypothecæ, quam habet in bonis debitoris, quæ priori creditori pro credito vel reditu suo priùs hypothecata sunt. Patet in *l. posterior. de distract. pignor.* aliàs hypothecam non habenti non datur hoc jus ferendi, & cessionem petendi. *l. nulla Cod. de solutionibus.* etiamsi est creditor chirographarius. *l. cum tibi. Cod. qui potior. in pignor. hab.* Et sic istud jus offerendi & cessionem petendi est quædam vis & effectus, & velut fructus pignoris vel hypothecæ: igitur iste creditor cessionarius non potest fructus hujus cessionis, quæ est fructus hypothecæ suæ, suos facere vel lucrari, sed tenetur in sortem & extenuationem debiti sui, vi cujus cessionem exegit, computare, & superfluum (si quid supereat) restituere vel imputare in deductionem pretii, pro redemptione fundi, per *l.* 1. *&* 2. *Cod. de pignor. act. l.* 1. *Cod. de distract. pignor.* Et maximè in terminis quæstionis nostræ, ubi jus ipsum & nomen redimendi & cessionem petendi competens debitori contra priorem creditorem, videtur hypothecatum huic posteriori creditori, sicut alia bona & nomina debitoris. *l. nomen. C. quæ res pignori vel hypoth. oblig. poss.* pensiones autem futuræ sunt fructus dicti nominis, seu juris redimendi, igitur in sortem imputandæ. Idem de omni lucrò quod percipit creditor occasione pignoris, vel hypothecæ, etiam si sit pœna. *l. si pignore de pignor. actione.* Nec obstat quòd ibi dicitur non restitui, nec imputari, si ab ipso debitore percipiatur, quia verum est in pœna, quæ propter furtum vel aliud delictum per debitorem adversus creditorem commissum exigitur: quia aliàs liceret debitori impunè delinquere in necem creditoris, quæ ratio cessat in his fructibus seu reliquiis reditus, vel fundi sub facultate redimendi venditi: & sic stat regula de imputando omni lucro occasione pignoris vel hypothecæ percepto.

343. Tertiò probatur, quia ad summum iste cessionarius non debet habere duplex commodum ex hac cessione, quæ vi pignoris fit, sed hic haberet duplex imò triplex commodum. Primum, quia conservat & confirmat suum pignus debiti sui pristini. *l. quærebatur. qui potiores in pignor. hab. l.* 1. *l. prior. Cod eodem titul.* Secundum, quia succedit in jus & prærogativam hypothecæ

privilegiique

privilegiúque perſonalis, pro ſumma priori creditori ſoluta, ut in ea præferatur omnibus, quibus prior ille creditor præferebatur. *l. ſi potiores. Cod. de his qui in prior. cred. loc. ſucce.* utque eodem jure venditionis pignorum uti poſſit *l. cum ſecundus, de diſtract. pign.* Tertium, quia ultra hæc lucrarentur fructus dicti juris, & facultatis redimendi, quæ tanquam exiſtens in bonis debitoris ſibi hypothecata erat, & vi cujus hypothecæ obtulit, & redemit, quod videtur abſurdum per prædicta. Et ſi quis dicat, quòd hic poſterior creditor mediante pecunia ſua, dicitur verè emere & acquirere ipſum jus & dominium reditus ſibi ceſſum, & ſic quòd deinceps percipit, & ſuos facit fructus reditus, tanquam de re ſua propria, non autem tanquam de re hypothecata, reſpondetur, quòd hoc eſſet verum, ſi prior ille creditor reditualis ſponte & voluntariè huic non tanquam debitori offerenti, ſed tanquam cuilibet extraneo vendidiſſet reditum: ſecùs quando ex neceſſitate juris, habenti jus offerendi, ut in *quæſt. noſtra*, quia tunc licèt dicat ſe cedere & vendere jus ſuum, tamen hoc non intelligitur fieri ad transferendum dominium, ſed ſolam hypothecam, in ceſſionarium, quia non cenſetur emere, & pecuniam dare dominii acquirendi causâ, ſed gratiâ ſervandi pignoris, ſeu pro debito priſtino, & ſuccedendo in hypothecam & privilegium prioris creditoris pro ſumma ei ſoluta. text. in *l. cum poſterior. in l. fidejuſſor de diſtract. pig.* Igitur iſtud debet ei ſufficere, prout in ſimili ſeu in fortiori, ſi virtute hypothecæ, quam habet ſuper facultate fundi redimendi, quæ eſt in bonis debitoris, cujus reliqua bona non ſufficiunt, redimat fundum ab emptore, & ſibi cedi faciat jura emptoris: quia hoc fit ex neceſſitate juris & hypothecæ, non cenſetur fieri cauſa acquirendi dominii fundi redempti, & fructus futuros lucrandi, ſed causâ ſervandi pignoris *dicta l. cum poſterior. de diſtract. pign.* Et ſic cùm per hoc non cenſeatur agi, ut poſterior offerens ſibiipſi redimat, ſed ut jus in bonis debitoris reponatur, ideò per ceſſionem emptoris, quæ fit redimenti & numeranti pretium, id ſolùm cenſetur agi, ut fundus ejus pecuniâ redemptus, & in bonis debitoris repoſitus ſit numeranti ſpecialiter hypothecatus pro pretio redemptionis, ita ut pro ea ſumma præferatur omnibus, quibus emptor ſive revenditor ante revenditionem prælatus fuiſſet, juxta pulchrum text. & ſingularem in *l. licet. Cod. qui potior in pign. habeant* quamvis aliud eſſet, ſi emptor ſponte, non coactus, nec in vim facultatis redimendi, ſed merè voluntariè huic eidem, tanquam cuivis extraneo, fundum ſub eodem revendendi onere vendidiſſet. Tunc enim iſte verus emptor fieret dominus fundi, & fructus ſuos faceret, donec pretium redemptionis per eum, ad quem ſpectat, debitè offerretur. Et ſic multum intereſt inter ſponteneam venditionem, ſeu quando creditor pignus abſolutè jure conventionis vendit ut in *l. cum prior de diſt. pign.* & inter coactam venditionem, ſeu ceſſionem quæ fit ex neceſſitate juris.

344. Vides quanto molimine omnem (quod aiunt) lapidem moveam, quantopere hæc pro parte negativa urgeant, omitto quàm ſit odioſa horum reditiuum propagatio, & favorabilis eorum reſolutio, & alia id genus. Sed his non obſtantibus, concludo pro priore parte affirmativa, quia veritas juris eſt, quod is, cui ex præfata neceſſitate juris fieri debet & fit ceſſio, non ſolùm pignus & debitum ſuum confirmat, non ſolùm ſuccedit in jus & prærogativam hypothecæ & privilegii perſonalis cedentis pro ſumma ei numerata: ſed etiam ſuccedit in omne & tale jus, quod & quale competebat cedenti, & ad commodum & lucrum uſurarum, ſi debitum erat uſurarium, tanquam in locum cedentis ſubrogatus, & omninò eodem modo, jure & effectu, quo cedens uti poterat, idque ſive ceſſionarius ſit unus ex creditoribus hypothecariis, ſive unus ex fidejuſſoribus. text. ſunt aperti in *l. fide, uſſor.* ibi, *cum uſuris medii temporis.* in *l. cùm prior.* ibi *& uſuras medii temporis de diſtract. pign.* in *l. Paulus de fidejuſſ.* Idem in creditore chirographario, ſi tamen rem poſſideat, non aliàs, niſi prout notat. ſuprà *quæſt. 47. ad fin.* Et generaliter idem in omni tam juſto poſſeſſore, ut nullo interdicto poſſeſſorio poſſet ab eo poſſeſſio auferri. Idem ſi non poſſideat, ſed tantùm detineat, habet tamen jus retentionis contra debitorem & dominum rei: quia tunc puto quòd non ſolùm poteſt hypothecarium repellere, & abſolvi oblato debito, quod cuilibet conceditur, ut in *l. ſi fundus. §. in vendicatione de pign.* in *l. Paulus. §. 1. quibus modis pign. vel hypothec. ſol.* ſed etiam poteſt cogere creditorem ad cedendum ſibi jura & actiones, quod juſto demum poſſeſſori conceditur in *l. mulier. qui potior. in pign. hab.* & extendendum duxi ad eum qui non poſſidet, ſed juſtè detinet, & jus retentionis habet, ſed non ad injuſtum detentorem, vel etiam poſſeſſorem, licèt aliud velit gloſſa in *dicta leg. mulier.* Ant. Neguſ. *tractat. pign.* & malè ut ſuprà *num.* 338. Similiter correo debendi cedendum eſt etiam in ſolidum, & cum commodo uſurarum, contra plures alios correos, deducta tamen portione ſolventis tantùm ut notat. per gloſſ. & Doctores in *leg. prim. in fin. Cod. de duobus reis.* per Alex. *conſ.* 38. *in fin. lib.* 5. Et intellige correos propriè & efficaciter, videlicet de obligatis ſingulis in ſolidum cum effectu, ſine beneficio diviſionis: ſecùs ſi plures ſint obligati in viriles, quia tunc ſi unus velit totum offerre, licèt poſſit, ad finem liberandi & luendi tantùm, non poteſt cogere creditorem, niſi velit, ad ſibi cedendum jura: quia pro portionibus aliorum quas non habet, haberetur pro merè extraneo, cui non competit jus petendi ceſſionem, totum debitum offerendo, *l. nulla. Cod. de ſolut.* Idem puto ſi mero jure teneretur in ſolidum, ſed habet beneficium diviſionis. Idem puto etiam ſi cum effectu & ſine exceptione diviſionis teneretur in ſolidum: ſed creditor offert dividere obligationem, & eum liberare virilem ſuam fovendo, quia tunc ad nullam ceſſionem cogi poteſt, etiamſi totum debitum ab uno offeratur, quo caſu per correum totum mediante ceſſione offerentem, non puto in aliqua mora conſtitui creditorem recuſantem omninò cedere, ſed offerentem debitum dividere, & partem contingentem, ſine ceſſione, per modum merx luitionis recipere.

345. Et ſic vides quod quantum ad hujuſmodi ceſſionem omnium jurium cum effectu, non eſt differentia inter eos, qui habent jus offerendi, ſive ſint creditores hypothecarii, vel juſti detentores, ſive fidejuſſores, aut mandatores; ſed in alio eſt differentia, videlicet quando agitur de vendendo ipſo pignore, hoc eſt dominio & jure debitoris transferendo. Utque hæc materia nondum exactè diſcuſſa, ſemel plenè liqueat, & omnes leges hujus farraginis penitùs explicentur, notandum, quòd in jure non refert creditorem vendere, vel cedere jura ſua; ſed hæc pro eodem accipiuntur, & verè idem ſunt, quia qui accepto quod ſibi debetur, cedit jus ſuum, verè illud juſto & toto pretio vendit, meritò jura promiſcuè ceſſionis & venditionis verbo utuntur. *l. cum hic. l. fidejuſſoribus l. ſi fidejuſſores §. 1. l. Paulus. de fidejuſſ. l. fidejuſſores de neg. geſt.* Sed eſt magna differentia an creditor vendat vel cedat jus ſuũ nomine ſuo, vel ſimpliciter, an verò jure cõventionis, vel legis, vendat ipſum pignus ſive rem, dominium & jus debitoris ſibi pignoratum: quia inter hæc duo eſt quadruplex differentia. Prima, quia creditor ſtatim poteſt liberè, ſive vendendo, aut quovis titulo, diſponere de ipſo nomine, vel jure ſuo, & illud cum ſuis acceſſoriis in quemvis libuerit, quovis modo ſine alia ſolemnitate transferre, inſcio vel invito debitore, ſicut de alia re ſua. *l. in re mandata Cod. mandati*, quia nomen eſt creditoris non debitoris. *l. 2. Cod. de hered. vel act. vend.* pignus autem ſive rem hypothecatam, non poteſt (cùm non ſit ſua) liberè vendere: ſed demum ſi vel quatenus hæc poteſtas ſibi competit, & adhuc bona fide & ſervata debita & conſueta ſolemnitate.

Differt venditio rei à ceſſione nominis.

Soluto.

Solemnitas pignoris vendendi.

346. Unde si actum sit ne væneat, non habet potestatem vendendi etiamsi debitor sit in mora, nisi in longa mora deliteſcat, ludificando creditorem, quia tunc si postquam creditor saltem ter competentibus intervallis interpellaverit debitorem ut solvat, & adhuc cessaverit, habet creditor à lege potestatem vendendi. *l. si convenerit.* infra *de pign. act.* nec supereſt, nisi solemnitas, videlicet ut cùm venditurus est hoc notum faciat debitori. *l. creditor hypothecas. Cod. de distract. pign.* deinde ut bona fide vendat: non sibi etiam per interpositam personam. *l. & qui sub imagine. Cod. de distractio. pign.* & servatis etiam cæteris solemnitatibus consuetis. *l. quæ specialiter. Cod. eod. l. cùm contra. Cod. si ex vendito pign. ag.* Si verò nihil actum sit de potestate vendendi, vel simpliciter dictum est, quòd vendere poterit, sed de modo & forma nihil cautum, non censetur aliud expressum quàm quod tacitè inest: habet enim creditor potestatem vendendi, sive tacitè, sive expressim à debitore, sed quantum ad solemnitatem, videlicet tempus, modum, & formam, si quid expressim convenerit, tenendum est. *l. si creditor Cod. de jure dom. impetrando.* Si verò de forma non sit actum, solemnitatis juris scripti est quòd post congruam interpellationem debitoris ad solvendum, vel sententiam contra eum latam, expectetur biennium, quo lapso, licebit vendere, bona fide tamen, & notificando debitori, & consueta observando, ut suprà. Quòd si nec tunc inveniatur, qui vel pro debita summa emere velit, permittitur creditori rescripto Principis impetrare dominium pignoris vel rei hypothecatæ, quo impetrato infra aliud biennium, licebit debitori debitum cum usuris (si debitum erat usurarium) & damnis offerendo rem recuperare, vel perpetuò agere ad id quod pignus supervalet, si quid supersit. *d. l. fin.* Cujus forma quia nimis est incommoda, & adhuc litium materiam relinquit (semper enim super prætensa venditione rei vili pretio poterat litigare debitor vel posteriores creditores contra creditorem vendentem, emptor autem inquietari poterat ab antiquioribus creditoribus, vel potiora jura prætendentibus, nisi programmate admoniti contempsissent. *l. si eo tempore. Cod. de remiſ. pign.* à quo programmate excepti intelligebantur absentes, impediri, vel justam causam ignorantiæ habentes) ideò inventa est solemnitas subhastationum, pro rebus immobilibus, de qua ad consuetudinem cujusque loci, pro mobilibus verò, ut judice adito, debitore vocato, pignora vendenda decernantur, deinde trinundino die pro cujusque municipii stylo vel more subhastentur & addicantur ut dixi in *cons. Paris. tit. 7. in rub.* Et quia gloss. & Doctores in præfatis locis malè & neglectim more suo declarant, nobis hic vel obiter & cursim explicandum fuit. Nunc ad rem.

347. Secunda differentia, quia creditor sæpè tenetur cedere seu vendere omne jus suum, ut illis quibus jus offerendi competit, de quibus satis dictum est. Sed nunquam tenetur cuiquam vendere ipsum pignus, sive rem, jus & dominium debitoris. Tertia quia cessionario vel emptori creditoris potest à quocunque offerri, à quo cedenti offerri poterat, eique cessionarius cedere seu vendere cogitur, quemadmodum cedens tenebatur. Sed emptori ipsius pignoris jure creditoris solemniter venditi, à nemine posteriore creditore offerri potest. *l. cum prior. in prin. de distract. pign. l. 1. & 2. Cod. si antiquior cred. pign. vend. l. fin. Cod. si ex vend. pig. agatur.* Et ratio est aperta, quia cessionarius juris creditoris est tantùm subrogatus loco cedentis, & ejus tantùm personam repræsentat; nec potest plus aut fortiùs jus habere per jura vulgata, sed emptor pignoris (quamquam & huic actione ex empto tenetur creditor cedere omne jus suum, *penult. de distract. pig. l. in creditore, de eviction.*) tamen est dominus, & sic non potest evinci à quocunque creditore posteriore venditore suo, vel posterius jus habente, nec ei offerenti tenetur jus & locum suum cedere. Quarta quantum attinet ad cessionem seu venditionem jurium creditoris, non est differentia inter offerentes, sive sint creditores hypothecarii, sive fidejussores, vel coheredes, ut dictum est: sed multum inter hos refert, quando agitur de venditione & alienatione ipsius rei pignoratæ vel hypothecatæ, hæc enim ut in casu legitimo, de quo suprà *num.* 346. fieri potest cuilibet, cum bono pretio & ritè ementi: ita & eodem casu potteriori creditori vel cuilibet possessori tanquam extraneo: sed non potest tutò fieri fidejussori, vel mandatori, seu alii intercessori, nec correo, nec cohæredi, & facta resolvetur in simplicem cessionem seu venditionem jurium creditoris, si debitor, vel correus, vel cohæres conquerantur, & sic non amittet debitor, vel correus, vel cohæres jus offerendi. text. in *l. 1. Cod. de dol.* in *l. si mandato Titii. §. Paulus ff. mandati* in *l. Paulus de fidejuſſ.* in *l. fin. §. quatuor. de lega. 2.* Ratio est manifesta, quia fidejussor, vel alius intercessor, censetur habere mandatum ad solvendum *l. in debitam. de condit. indeb.* saltem suscepit officium commodandi debitori, qui in hoc fidem ejus sequitur: unde fidejussor si queat, debet potiùs luere, non autem negotium suum gerere, sibi ipsi emendo & acquirendo bona debitoris. Si verò eo animo vel modo faciat, ut sibiipsi negotietur, fidem non servat, sed dolum committit: at in dubio præsumitur pro officio fecisse, ut rem debitori, non sibi servet. *l. Paulus de fidejuſſ.* facit *l. meritò pro soc.* Itaque tenetur mandati propter fidem susceptam, sive ruptam, sive non servatam. *l. 1. Cod. de dolo l. si mandato Titii. §. Paulus mandati & d. l. Paulus.* Idem dico de omni gestore, procuratore, vel alio administratore: quia fidem quam in susceptro debitoris negotio gerendo professus est, præstare tenetur: secùs in simplici creditore, qui nullum in hoc negotium debitoris gerendum suscepit, ideò non prohibetur sibi emere, sicut nec extraneus. text. in *l. cum prior. in princ. de distract. pig.*

Fidejussor an emere possit.

348. Videtur tamen aliqualis differentia inter creditorem, vel justum possessorem, cui jus offerendi & cessionem petendi competit, & inter merè extraneum: quasi creditor vendens vel addicens habenti aliàs jus offerendi, non censeatur in dubio voluntariè & sponte facere, sed ut in talibus necessitate juris fieri solet. *l. fidejussor. in fin. de distract. pign. facit. l. rem legatam. de adim. legat.* tum quasi habens jus offerendi censeatur hoc casu eo uti, & non tam acquirendi dominii, quàm servandi pignoris sui causâ faceret, licèt contractus sonet de venditione & emptione ipsius pignoris, ut interpretatur text. in *l. cum posterior de distract. pign.* Verùm licèt proclivius sit ita in dubio interpretari in habente jus offerendi, quàm in merè extraneo, tamen vix est ut hæc subtilis differentia procedat: quia creditor in dubio simpliciter & nomine proprio vendendo, non censetur vendere, nisi jus quòd habet, eo ipso quòd dicit se vendere rem sibi pignoratam, & sic non erit in dubio, nisi venditio nominis, sive posteriori creditori, sive merè extraneo fiat. Rem autem ipsam pignoratam, vel hypothecatam, seu dominium & jus debitoris non centetur vendere, nisi quando hoc exprimit, & jure conventionis seu legis dicit se facere, hoc est ex potestate sibi à lege vel debitore concessa, & servatis solemnibus requisitis de jure, & consuetis, & sic non relinquitur locus dubio: quia quando simpliciter tanquam creditor vendit, non censetur nisi jus quod habet, videlicet nomen ipsum vendere, quemadmodum quando pignus sibi datum alii dat in pignus, non censetur propriè alii rem ipsam pignorare (si tanquam creditor & non tanquam dominus faciat, propter *leg. si quis dominum §. 1. locati*) sed solùm nomen suum & jus pignoris quod habet, subpignorare censetur, unde solutione vel alia satisfactione, sublato nomine, pignus illud, vel potiùs sub pignus ipso jure resolvitur, *l. 1. Cod. si pignus pignori dat. sit.*

Cohæret. 349. Quod autem dictum est in fidejussore vel administratore, & idem in correo vel cohærede, aut rei communis indivisæ consorte, ratione communitatis & fraternitatis, & favore luitionis per *dictum §. quatuor.* Idem si restituere hæreditatem gravatus, quòd ex pecunia hæreditaria luere poterat, maluit tamen sibi per se vel interpositam personam emere. *l. Lucius. §. Titia ex asse ad Trebell.* Sed hîc mentem subit, quòd nonnulli temerè dictum §. *quatuor.* extra materiam luitionis, etiam contra eum qui non erat tutor, vel administrator, extendunt, & ad acquisitionem portionis ab uno ex sociis vel cohæredibus, de quo remitto ad ea quæ scripsi in *conf. Par. §. 150. quæst. fin.* ubi novè & analyticè declaravi. Quod autem dixi de administratore vel gestore seu procuratore, sanè intelligendum, si de sua pecunia nomen vel rem ipsam pignoratam emit nomine proprio, cùm non posset fieri luitio commodè de bonis domini: secùs si ille administrator habebat de bonis domini, unde luere poterat: quia tunc nec simplici quidem cessione nominis juvari potest, sed omnia in sortem imputare tenetur. Imò si tardiùs quàm potuisset redemerit, vel luerit, tenebitur ratione culpæ damnum resarcire. Cæterùm ubi non de acquirendo rei dominio agitur, sed de simplici nomine sive de acquirendo jure creditoris, & succedendo in ejus locum, non est prohibitum fidejussori solvendo de sua pecunia accipere cessionem, & ipsum nomen emere, & fructus nominis, putà usuras, si debitum erat usurarium, suos facere, vel pensiones reditus, si fidejusserat pro reditu. Et sic habes nitidum & clarum intellectum. *l. credi. §. sciendum, qui potior. in pignor. hab. l. fidejussor. l. cum posterior. de distract. pignor. l. Paul. de fidejuss. l. 1. Cod. de dolo.* Quod enim dicitur in d. §. *sciendum.* quòd secundus creditor, qui cessionem jurium primi habuit, non potest petere usurarum usuras, hoc est quia in locum prioris creditoris successit, nec potest alio nec diverso jure uti. Unde licèt solverit cedenti sortem, & usuras simul una solutione, non potest dicere totum esse sortem, nec totius deinceps usuras novas exigere, quia esset capere usurarum usuras, quod nefandum est. Cæterùm idem textus non negat, sed magis ab exclusione antiqueti innuit cessionario veteres usuras currere, sicut & cedenti currebant: manet enim antiqua sors, & antiqua usura, ut priùs, sicut nomine cessò vel vendito: Talis enim emptor vel cessionarius in hoc negotium suum gerit, videlicet nomen tale, quale est acquirendo; ut si cedenti non currebant usuræ, nullæ usuræ debeantur cessionario, quod etiam dicitur in *d. l. Paulus.* Rationem fructuum & usurarum haberi oportere, debet intelligi contributionem esse faciendam: quia iste non potest facere fructus suos, etiamsi fundum emere voluerit, sed debet restituere cum fructibus, sicut cedens debebat. Debet etiam tanquam jure cessò habere usuras, quas & quousque cedens habuisset, non autem novas usuras; unde quamprimùm æquarent sortem, inspecto initio & primo cursu usurarum, ulterius currere nequeunt, & sic fructus debet primùm in usuras imputari, deinde in sortem, & hoc elucidato, reliqua loca plana sunt. Est enim omninò creditoris subrogatus, ut inquit text. in *d. l. Paul.* quod vel fidejussori permittitur, neque enim collusori aut malæ fidei emptori denegaretur. *l. 1. C. si ex vendito pign. agat.* non autem ut proprietatem pignorum sibi acquirere possit.

Intellectus multarum legum.

350. Restat diluere contraria pro parte negativa adducta. Ad primum illustrius erit illud exemplum in personis diversorum, si singas Sempronium redimere reditum, cessione recepta, quartum verò & ultimum esse creditorem, putà Petrum, cui mille debeantur ex mutuo, quique debitore discusso, cogat Titium reponere fundum in bonis debitoris, refusis mille octingentis. Restat major obstantia, quia melioris conditionis est Sempronius, cui reditus currit, licèt minus pretium numeraverit, & nihil commodaverit debitori: Petrus autem qui plus numeravit, & plurimum profuit, nedum debitori, sed etiam Sempronio, ut sit unde percipi possint reliqua reditus, nullum habet reditum, nullam usuram, & adhuc licèt sit prior, quantum ad mille octingenta, per notata suprà *num.* 344. tamen quoad mille sibi debita vincitur à Sempronio, tam pro sorte quàm pro reliquis dicti reditus. Nec obstat si dicatur quod Petrus potest sibi consulere, offerendo Sempronio sortem reditus cum reliquis, & etiam sua mille, ut omninò eum excludat & in ejus locum succedat, quia multa contingere possunt, ut non expediat Petro, vel non possit tantùm pecuniæ profundere. Breviter respondeo verum esse assumptum, sed non sequelam: quia nulla est iniquitas aut absurditas: non enim insurgit, nisi propter interusurium reditus vel usuræ, quàm unus percipit, alter non. Sed cùm præsupponatur in facto, debitorem fuisse discussum à creditoribus, alioquin Titius non potuisset ab eis vel uno ex eis cogi ad patiendum redemptionem, sequitur quòd sumus in casu, in quo bona debitoris distrahuntur, vel creditoribus satisfaciat, & sic cessat, aut mox cessabit interusurium. Attamen quia hæc solutio non omninò satisfacit, quia subhastationes & adjudicationes extrahi possunt, & interim aliquot anni dicti reditus excurrunt: ideò respondeo secundò per textum pulcherrimum in *l. & in contraria, de usur.* ubi ei qui utiliter gessit negotia, adjudicantur usuræ, etiamsi non est mutuatus sub usuris, sed pecuniam suam otiosam in commodum alterius insumpsit, dummodo longè plus commodi attulerit, quàm sit ea usura. adde text. in *l. atqui natura, §. non tantum. versi. contra. de negot. gest.* Et idem in procuratore. text. in *l. si verò non remunerandi. §. si mihi mandaveris ff. mandati,* imò etiam idem in tutore contra pupillum. *l. quid ergo, §. consequitur. de contrar. & utili act. tut.* idem in socio. *l. si unus. §. pen. pro socio.* Et sic dico, quòd in casu dilatæ refusionis dictorum mille octingentorum, etiam cessante interim mora, per *d. §. si mihi mandaveris. & d. §. consequitur.* debet interim Petro congruum interusurium adjudicari: quoniam suâ pecuniâ utiliter gessit negotium debitoris, & omnium aliorum creditorum: nec illud interusurium debet esse minus quàm reditus fundi redempti, ita tamen si non excedat rationem quincuncis usuræ, hodie secundum nos, ut notatur infrà *num.* 531. nec etiam debent excedere reditus, nisi fortè essent tenuissimi, ut in domo magni pretii. suprà *num.* 116. quia tunc si magno incommodo omnes liberavit, ut quia facultas redimendi expetebat, justum est adjudicari interusurium etiam ad prædictam rationem quincuncis, licèt fructus sint ad rationem quinquagesimæ. Plus dico, quòd etiam in isto interusurio debet omnibus præferri, quibus per *d. l. licet. qui potior. in pign.* præfertur in sorte: quia istud interusurium, cùm non excedat quantitatem fructuum, qui aberant & erant extra bona debitoris, censetur justa pars pretii fundi redempti. Non solùm enim Petrus pecuniam suam insumpsit, sed etiam incommodum & interusurium, quod aliunde facere poterat: quo omisso, maluit uberiùs communi debitoris & creditorum omnium utilitati consulere, prout efficaciter fecit, ut potè cùm jam expiraret facultas fundi redimendi. Ad secundum, libenter fatebor, quòd coactionem quidem ad cedendum habet in vim veteris suæ hypothecæ, sed cessionem ipsam non habet in vim dictæ hypothecæ, nisi mediatè & partim, sed multò magis & immediatè in vim pecuniæ suæ, quæ cùm sit una alia sors, non tenetur ejus fructus computare in deductionem veteris hypothecæ, quæ licèt pariat jus petendi cessionem, non tamen parit jus illam assequendi, & sic jus cessum non est fructus pretii veteris hypothecæ, sed potiùs immediatè est fructus pretii numerati. Per quæ patet responsio ad tertium, quia omnia illa

commoda non consequitur, nisi mediante sua pecunia, quæ illi abest, & quæ omnibus illis incommodis æquivalet, & sic nihil est quod invideri aut reprehendi possit. Quòd autem nuper dixi de fundo sub facultate redimendi vendito, intellige de vendito justo pretio, vel circiter: secùs si tam modicò pretio, ut recidat in fraudem antichreseos: quia tunc non solùm offerri potest, sed etiam cessio exigi cum suis oneribus, sicut in reditu duodecimæ, secundum notata suprà *eodem quæst.* 35. *quæst.* 56.

QUÆSTIO L.

SYNOPSIS.

1. *Improbatum Curiæ Parisiensis Senatusconsultum.*

2. *Libera, & sine pretio esse debet, reditum redimendi facultas.*

351. QUinquagesimò, generaliter quæro, Ob quæ pacta hi reditus sint nulli? Breviter respondeo, ob pacta quæ sunt contra substantiam hujus contractus: quod tamen non est indistinctè accipiendum, ut statim dicam. Tria autem substantialia hujus contractus, primum, quòd sors perpetuò abalienatur, nec unquam repeti possit, ut suprà *num.* 17. Secundum, quòd reditus non excedat duodecimam sortis partem annuam. Tertium, quòd semper liberè redimi possit, ut suprà *quæst.* 5. Pactum contra primum (quod est negativum ad nunquam repetendum) absolutè in totum vitiat: pactum verò contra secundum, si non excedat rationem decimæ, reducitur ad modum mediocrem, videlicet ad quintamdecimam. Si verò excedat apertè rationem decimæ, in totum vitiat, ut suprà *quæst.* 10. & sic gravitas vel mediocritas excessûs facit in totum annullari, vel reduci. Hinc est quòd si non est aliud vitium quàm accelerationis temporis, quod est contra istud secundum substantiale, quod non debet currere reditus, nisi pro rata temporis & duodecimæ, annuæ sortis, siquidem acceleratio est valdè modica, putà unius vel duorum dierum in fine anni, non est in consideratione. Si verò est octo vel quindecim dierum, putà contractum est & pretium numeratum Idibus Januarii, convenit tamen quòd pensio annua solvatur Calendis Januarii proximis, ob illum solum excessum (quia modicus est) non debet contractus annullari, nec in cursu suo, & sic in perpetuum moderari, sed excessûs corrigi, videlicet deducendo de pensione primi anni semel pro rata temporis accelerati, vel sortis tardiùs solutæ, quam reductionem sufficit semel fieri. Sed quid si acceleratio esset enormis, putà sex mensium, ut de facto vidi, quanquam instrumentum non haberet, nisi de dimidia pensione pro primo anno, sed (quod odiosius & periculosius erat) creditor ante pecuniam numeratam extorserat à debitore syngraphum de tanta summa, quanta erat dimidia pensio post sex menses solvenda? Respondeo, cùm nec retenta esset pars pretii, quod aliàs erat justum, nec aliud adesset vitium, non esse reditum annullandum. Sed si creditor pergeret de facto ad exigendum etiam contentum in syngrapha, & sic pensionem integram pro dimidia, nec re integra vitium purgaret, ut suprà *num.* 141. *quæst.* 11. *in fin.* puto re detecta, ultra conditionem syngraphæ, justam causam esse reducendi reditum ad decimamquintam, ex quo constitutio ab initio habuit notabile vitium aliqua pœna dignum. Circa hæc pridie in consultatione audivi recitari quoddam Arestum hujus Senatus *die* 27. *Martii anno sesquimillesimo decimo octavo* pro debitore cognominato Gobaches appellante à Præside Parisiensi, contra magistrum Joannem *le Brun* creditorem, quo reditus fuit declaratus nullus ob accelerationem duorum mensium cum dimidio. Sed puto quòd alia concurrebant in dicto Aresto, quòd propterea noluerunt se qui doctiores & insigniores togati nostri Ordinis, qui simul consulebantur.

352. Pactum autem contra tertium substantiale vitiat in totum, si limitat libertatem redimendi ab initio: si verò limitet vel tollat post tempus, non vitiat, sed tantùm vitiatur, dummodò nullum aliud concurrat vitium. Ratio hujus ultimi est, quia istud tertium substantiale continet duo capita: primum negativum, videlicet quòd creditor non sit tempore contractus præcisè certus de lucro in futurum: secundum affirmativum, videlicet quòd ea facultas perpetua sit. Unde pactum contra primum caput negativum, putà quòd non possit redimi nisi post annum, vel aliud tempus, vel tempore redemptionis lucretur emptor fructus anni inchoati, vel sequentis, ipso jure semper vitiat: sed non aquè pactum contra secundum caput, tum quia negativa potentiùs negat & afficit, quàm affirmativa, ut notavi in *l. hoc genus de condition. & demonst.* Deci. in *l.* 1. *col.* 3. ubi retigi. *Cod. de pact.* tum quia contra primum caput major præsumptio, & evidentior est avaritia & iniquitas, quàm contra secundum caput. Hinc etiam post unam sententiam, & longum intervallum, per arestum justissimum nostri Senatus in totum cum suis hypothecis & accessoriis annullatus fuit reditus, ob solum pactum de non redimendo nisi post quatuor annos à die contractus, non obstante favore Ecclesiæ, non obstante quòd debitor infra istud tempus noluit redimere, non obstante judicio priori & longo silentio, ut diximus suprà *quæst.* 15. Hinc etiam idem Senatus ante 30. annos annullavit in totum reditum emptum per quemdam cognominatum *Chastelpers*, propter solum pactum de non redimendo nisi post annum à die contractus. Hinc etiam per aliud arestum in publicis causarum actionibus latum *die* 19. *Aprilis anno sesquimillesimo* 13. post Pascha, inter Joannem *Reves* appellantem à præside Parisiensi, & Girardum *de Sas* appellatum seu intimatum: cum appellans vendidisset patri intimati certum reditum frumenti redimibilem, cum pacto tempore redemptionis solvendi pensionem anni tunc inchoati, postquam aliquot annis solvisset creditori, quandiu vixit, eo mortuo, in jus vocavit ejus filium, qui ex divisione cum cohæredibus totum reditum prætendebat, idque coram Præside, ut reditus annullaretur, & literæ restituerentur restituendo sortem pensionibus solutis in eam imputatis, Præses simpliciter reparando excessum dixit, quod debitor posset redimere libere solvendo sortem cum reliquis, absque reliquis anni inchoati tempore redemptionis. Debitor appellavit ad Senatum, ubi licet creditor allegaret debitorem non habuisse neque literas regias restitutionis, neque dispensationem juramenti, & sic non fuisse nec esse admissibilem, & nihilominus per prædictam sententiam rescisso dicto pacto, factus erat indemnis, & absque interesse, & adhuc quod ipse creditor habebat cohæredes, à quibus habebat cautionem. quos laudare & in jus vocare superevictione volebat, diemque judicii proinde diffindendum: tamen per illud justum arestum dictum fuit. Malè judicatum, benè appellatum, creditor condemnatus in omnibus expensis tam causæ principalis quàm appellationis,

Arestum.

Arestum.

& quòd debitor liberaretur ſolvendo ſortem principalem cum legalibus ſumptibus, penſionibus ſolutis in ſortem computatis, ſalvo creditori recurſu contra cohæredes ſuos, & illis exceptionibus ſuis in contrarium. Verum eſt quod in caſu dicti ultimi areſti appellans allegabat etiam notabilem modicitatem pretii; ſed de hoc non fuit inquiſitum, ſed ex ſolo dicto pacto, de quo conſtabat, totus contractus abſque dilatione fuit annullatus, idem de pactis ſimilibus. Unde ſi eſſet pactum, quandocumque poſſe redimi, ſed quòd redimens teneretur aliquid ſolvere ultra ſortem, vel majori pretio, hoc ſolum pactum ſufficit ad annullandum in totum: eſt enim contra primum & negativum caput tertii ſubſtantialis, quia creditor ex tempore contractus efficitur præcisè certus de lucro, licet in modico. Hinc etiam communiter tenent, quòd ſola libertas ſe liberandi ablata vel reſtricta ab initio contractus facit contractum in totum uſurarium & illicitum. Ita decidit Bald. *conſil.* 487. Apparet quoddam inſtrumentum, *lib.* 1. & *conſil.* 114. Secundum ea *lib.* 3. in noviter impreſſis. Imol. *conſil.* 25. Guido. Pap. in *tract. de contract. illicit. num.* 26. & in *ſing.* 477. *incip. licet pactum*, & in Deciſion. Delph. *quæſt.* 516. *in fin.* Bern. in *tract. de contract. & uſur. ſerm.* 39. *art.* 2. *c.* 1. Facit Hentic. Bohic. in *c. in civit. in fin. de uſur.* Alexand. *conſil.* 54. *lib.* 6. Et licet Carpol. *in tract.* 2. *de ſimul. contract. præſum.* 10. quem ſequi videtur Dom. Andr. Tiraq. in *tract. de retract. conven. §.* 1. *gloſſ.* 2. *num.* 67. & Jaſ. *conſil.* 153. *lib.* 4. ſentiant iſtud ſolum pactum per ſe ſine aliis conjecturis aut præſumptionibus non ſufficere, tamen ipſi non loquuntur in hac ſpecie hujus contractus, ſed in venditione fundi, & ſic intelligendo, quòd venditio fundi erat aliàs juſto pretio facta, vel non nimis modico: ita quòd facultas redimendi non erat omnino debita, ſed ferè gratis data. Sed in caſu noſtro ubi eſt omnino debita, ſimplex pactum eam ab initio etiam modicè reſtringens, vitiat totum contractum ipſo jure. [*Le Vidame de Chartres*, jam ſex annos debens mercatoribus conſtituit hunc reditum uni qui acceptat pro ſe, & ſocio: ita quod ſi infra annum ſocius nolit gratum habere reditus non valebit, & cogi poterit ſolvere. Poſtea poſt ſex annos dicébat reditum nullum: quia per indirectum cogi poterat reddere ſortem: *fuſt le contract caſſé par Arreſt*: tamen reliqua ſoluta manerent, & niſi infrà annum ſolveret, reditus curreret; quod valdè æquum. Idem per aliud areſtum contra dom. *de la Porte*, vel ejus affinem. Monaſterium *de Turon prés de Vendoſme* pro 360. libris Turon. emit. 25. *livres de rente*, uſque ad quatuor annos, intra quos *ſeroit tenu la mettre en aſſiette*, aliàs, *le contract nul; & ſeroit tenu rendre le prix auſſi*, poſt 4. annos *à la volonté*. Reſpondeo uſurarium, & malè judicatum *aux Requeſtes du Palais*, quamvis *Marillac* teneret benè judicatum: ſimilis contractus *du Chapitre de S. Quentin uſuraire par Arreſt.*]

Facultas redimendi non debet arctari.

353. Non me fugit interim quidnam commenti ſint Doctores ſuper illo problemate, An pactum vel adjectum contra ſubſtantiam actus vitiet, an verò tantum vitietur? In quo valdè ſe torquent Bart. in *l. ubi ita donatur. de donat. cauſa mortis*, Bal. poſt Cyn. in *l. ſi pater familias de adoptione*, dum veluti reti ventos venantes, certis finibus rem hanc incertam, utpote ex infinita rerum & cauſarum varietate pendentem includere fruſtra moliuntur, qua ut inquit Scævola in *l. de acceſſionibus de diverſ. temporib. & præſcriptionib.* abſolutè definiri nequit: ſed ex ſingulorum caſuum peculiari æquitate æſtimandum eſt. Hactenus tamen definire poſſumus: aut pactum poteſt facere diſpoſitionem tranſire in aliam ſpeciem, aut non: primo caſu, quod eſt quando & poteſtas & intentio agentis vel agentium concurrunt, & tunc utrumque ut valere poteſt, conſervatur. Secundo verò caſu ſubdiſtinguendum: aut actus dependet à voluntate unius, vel eſt contractus non reſpectivus, aut verò eſt contractus reſpectivus. Primo caſu, aut pactum venit ad augendum, & non vitiat, ſed vitiatur, *l. cum precario. de preca.* [Quid ſi pactum: an poſt annum poterit cogere debitorem reddere ſortem non ſolvendo reliqua, vel computando in ſortem? Reſpondeo quod non vitiat, ſed debitor nequit, tam citò cogi, ſed benè poſt quatuor, ſaltem poſt ſex annos.] Ratio, quia nihilominus adeſt voluntas diſponentis in principali actu: quia qui amplius concedere vult, utique & quod minus eſt, vult: & ſic illud plus additum ſecundùm intentionem diſponentis, ſeparabile eſt, & ſic non vitiatur utile per inutile, ſed tantum inutiliter adjectum vitiatur, *l.* 1. §. *ſed ſi mihi, de verbor. obligat.* Aut verò pactum venit ad diminuendum, ſeu reſtringendum, & vitiat, *l. per ſervum in fin. de uſu. & habitat.* Ratio eſt propter limitatam voluntatem diſponentis, qui quod potuit, noluit, & quod voluit non potuit, *l. multum intereſt Cod. ſi quis alteri vel ſibi*, quod eſt intelligendum in ipſa diſpoſitione. Sed ex intervallo detractio partis inſeparabilis non cenſet de dubio fieri animo totam præcedentem diſpoſitionem revocandi vel annullandi: & ſic in dubio detractio remanet inutilis, *l. ſed ſi de fructu. de uſu. & habit.* Secundo caſu ſubdiſtinctionis, quando eſt contractus reſpectivus, ut in quæſtione noſtra, nihil abſolutè reſponderi poteſt, ſed ex bono & æquo (dixi) æſtimandum eſt *l. Mavia §. uxore de annuis legat.* Sic in quæſtione noſtra baſis deciſionis eſt nimius vel modicus exceſſus, quod eſt ipſum dictamen æquitatis. Deciſio autem principalis quæſtionis procedit in terminis ſimplicibus, non compoſitis, videlicet quando non eſt niſi unicum de dictis pactis vitioſis: quia ſi plura ſimul concurrant, tunc quæ aliàs non ſufficerent ſingula benè, ſufficiunt ſimul ad annullationem contractus: quæ verò conjecturæ vitioſæ, ſeu præſumptiones requirantur & ſufficiant ad annullationem contractus, non poteſt abſolutè definiri: poſſunt enim eſſe duæ vel etiam una ita potentes ut ſufficiant, poſſunt eſſe tres ita debiles vel contrarias conjecturis elevatæ, ut non ſufficiant: totum igitur ex plena & legali ſui cujuſque caſus æquitate judicabitur.

Nova theoria an pactum contra ſubſtantia actus vitiet, vel vitietur.

QUÆSTIO LI.

SYNOPSIS.

1. *Omnis pactio extra ſimplicem duodecimam reprobata.*

2. *Non currit reditus ante realiter factam numerationem.*

354. QUinquageſimo-primò, rurſus generaliter quæro de reliquis pactis vel clauſulis, quæ per ſe vel cum aliis poſſunt annullare reditum. Primò ſtat regula generalis, quod omnis pactio vel clauſula, per quam debitor ultra rationem ſimplicis duodecimæ gravatur, eſt nulla ipſo jure, idque vel abſque literis regiis & diſpenſatione juramenti objici poteſt, ut ſuprà *quæſtione* 10. *num.* 153. & quæſtione *præcedenti numero* 352. An autem etiam vitiet, id ex bono & æquo, ut in præcedentibus & ſequentibus decernendum eſt. Nunc methodi gratiâ accipe catalogum pactionum vel clauſularum, quæ vitiant, aut

quæ tantum vitiantur. Et primò, earum quæ solæ per se vitiant, & exempli vice sex se offerunt, prima, si paciscitur quòd debitor teneatur aliquando redimere directò, vel per indirectum. Secunda, quòd in defectum redemptionis ipsa antichresis, vel alia res debitoris cedat in solutum: quod ampliatur, ut in quæstione sequenti. Tertia excessus decimæ. Quarta, quòd teneatur debitor majori summâ redimere. Quinta, quòd non possit redimere nisi post certum tempus. Sexta, quòd creditor debeat habere pensionem termini cœpti, vel sequentis tempore redemptionis: harum singulæ solæ totum contractum ipso jure vitiant, quia sunt directè & enormiter contra substantialia, videlicet duo prima contra primum substantiale, tertium contra secundum, quartum quintum & sextum contra tertium substantiale; sed adverte circa primum argumentum. Clausulæ autem, quæ non ita repugnant, nec singulæ per se vitiant, licet vitientur, sunt potissimum tredecim. Prima clausula qua debitor obligatur ad laudimia vel gabellas, aut quæcumque similia jura cuicumque ratione contractus debita, vel ab eo prætensa, sive ab initio contractus, sive tempore redemptionis, ut suprà *quæst.* 6. Secunda, constitum bonorum debitoris, sive in genere, sive in specie decertare, & consequenter clausula quòd possit creditor propria auctoritate ingredi, vel se facere investiri per dominos directos usque ad concurrentiam reditus, vel usque ad tot jura, vel de certo fundo. Debet enim debitor liberè frui & pecunia accepta, & bonis suis, salva hypotheca & solutione reliquorum via ordinaria & solita exigenda, ut suprà *quæstione* 8. Tertia, multò fortius pactum antichresis etiam simplicis, suprà *quæstione* 35. Quarta, quòd non licet debitori vendere aut aliter alienare bona sua, vel res hypothecatas, etiam cum onere, sine consensu creditoris. Quinta, quòd de pretio seu sorte debeant prius lui seu redimi priores hypothecæ bonorum debitoris, seu prædiorum hypothecatorum.

355. Tamen ad hanc clausulam advertendum quòd propriè non vitiat, nec vitiatur, sed sustendit cursum reditus, qui non incipiet currere à die contractus, nec à die qua creditor tenet ad hoc pecuniam in numerato, velut consignatam & paratam, & sibi aliàs sterilem: quia ex quo non vult considere de debitore, sed retinere penès se, donec sit in rem debitoris probè collocata, licet per hoc non minus debitori quàm sibi consulat, imo etiamsi hoc faciat duntaxat ut debitori consulat, puta reditu alioqui satis sibi tuto, tamen ex quo debitor non habet liberum usum, sed cogitur eousque relinquere in manibus creditoris, non est justum reditum prius currere, quam pecunia soluta sit in rem debitoris. Imò impossibile est reditum currere ante veram & realem solutionem, nisi saltem pro rata: potest enim incipere currere pro rata, quando non fuit actum quod curreret ultra concessum: nec est aliud vitium, ut suprà *quæst.* 10. Sed quid si citra pactum arctativum debitor creditorem rogaverit pecuniam præsentem & solutioni paratam retinere, vel servare talibus aut talibus dandam, vel in certum usum mox exponendam? Videtur non retardari cursum: quia extunc debitor videtur accepisse & deposuisse, *l. pecuniam, de solutionib. l. peculiaria, in fin. si certum pet.* Contrarium puto quòd non incipit currere reditus, nisi post pecuniam realiter & cum effectu expensam, saltem pro rata: quia cum simus inter prohibitos, non statur pactis: nec confessioni recepti & depositi, ne fraudibus via aperiatur, faciunt notata suprà *num.* 35. Sexta, si debitor corporaliter ad carceres, ad continuationem reditus obligetur, suprà *quæst.* 36. Septima accelaratio paucorum puta decem vel quindecim dierum primæ solutionis, ut in *princip. quæst. præced.* Octava, quòd debitor teneatur redimere in eisdem & totidem speciebus, etiamsi sint majoris valoris tempore redemptionis, ut infrà *quæst.* 90. Nona, si est modicitas pretii; sed citra rationem decimæ. Decima, limitatio redimendi non ab initio, sed post tempus, ut in *quæstione præcedenti.* Undecima, in reditibus specierum, si est pactum, quòd debitor teneatur sub æstimatione quantiplurimi à tempore moræ. Duodecima, si esset pactum vel intellectum, quòd debitor nequeat se liberare ab illis speciebus, offerendo in pecunia ad rationem duodecimæ per ea quæ dixi suprà *q.* 21. Decima tertia, si pactum sit quòd debitor tenebitur intercedere, vel impedire, ne à propinquis suis possit reditus jure proximitatis retrahi, de quo dixi in *consuet. Paris. §.* 172. & tactum est sup. *quæst.* 45. *num.* 332. Hæc omnia & similia ipso jure nulla sunt, vel moderanda, nisi quatenus cum alia gratia à creditore facta debitori compensantur: sed singula per se non vitiant reditum in totum. Sunt autem quinque potissimum, ex quibus reditus potest levior fieri, ex parte creditoris. Primum diminutio duodecimæ, ut si non stipuletur nisi ad rationem quintædecimæ, aut vicesimæ. Secundum, si paciscitur quòd non incipiat reditus currere, nisi post annum, vel aliud tempus, ut suprà *q.* 23. *in fin.* Tertium, si pactum est de remittenda parte reditus solvendo per debitorem in termino, vel infrà triduum, ut suprà *quæst.* 25. Quartum, si per plures vices redimi possit. Quintum, si minori pretio redimere liceat. Et est notandum quòd prætextu primi horum quinque non licet directò pacisci contra reliqua duo substantialia, nisi tantum esset pretium, quòd posset emi reditus perpetuus non redimibilis, secùndùm notata suprà *quæst.* 5. quia tunc non spectarent amplius ad materiam usurariam, ut not. suprà *quæst.* 19. & infrà *quæst.* 69. Prætextu etiam reliquorum quatuor non licet ullo modo stipulari ultra rationem duodecimæ, nec directò pacisci contra aliquod ex dictis substantialibus: sed benè licebit onus aliquod accidentale, puta laudimiorum, vel antichresis, imponere debitori, dummodò sufficienter compensetur per aliam relaxationem factam à creditore, secundùm notata suprà *quæst.* 7. *quæst.* 34.

QUÆSTIO LII.

SYNOPSIS.

1. *Quædam leges improbant legem commissoriam, quædam admittunt.*
2. *Sublato principali, corruit & accessorium.*
3. *Pactum etiam commissorio simile reprobatum.*
4. *Homines sollicitiores de præsenti, quàm de futuro damno.*
5. *Pactum legis Commissoriæ in favorem creditoris.*
6. *In reditibus perpetuâ pecuniæ alienatio.*
7. *Dos, spontanea largitio.*
8. *Senatusconsultum de prohibendis donationibus inter conjuges de veris & realibus donationibus intelligendum.*

356. QUinquagesimo secundò, quæro, si in constitutione hujusmodi reditus creditor non accepit antichresin, sed ne debitor nimium cessaret in solutione, pactus est, quòd si debitor defecerit in solu-

tione reditus per quinque vel octo annos continuos, quòd res hypothecata, puta fundus, vel domus debitoris similem circiter reditum afferentis, fit ex nunc, prout ex tunc vendita & acquisita in solutum seu permutationem pro jure reditus & reliquis tunc debitis, an ex hoc solo pacto, cessante omni alio vitio, contractus in totum annulletur, etiam quando reditus erat emptus ad rationem quintædecimæ? Solutio facilis est ex prædictis: sed antè materiam hanc à nobis reseratam multum erat ambagiosa, etiam peritis, ut patet ex his quæ latè tradit Dom. Andr. Tiraq. in *tract. retract. conventional. in fin. quæstione* 24. & 25. Cardo enim disputationis & decisionis hujus quæstionis versatur timul circa duo. Primò circa intellectum legis commissoriæ pignorum, secundò circa peculiarem naturam horum redituum: undę si ab utraque parte argumenter, nimiam fore video prolixitatem, nec non intricationem, quia materia legis commissoriæ pignorum minus exactè adusque tractata & intellecta est in jure. Ut ergo brevius & clarius utrumque *methodice* expediamus, incipiendo à vero & *veri* intellectu legum, septem omnino sunt leges in hac materia, quarum tres, scilicet 1. & 3. *Cod. de pactis pignor. l. quamvis de solutionibus*, improbant pacta legis commissoriæ: reliquæ verò *scilicet l. Titius de pignor. action. l. cùm dominum Cod. de pignor. l. fin. in prin. de contrahend. empt. & vend. l. si fundus* §. *fin. de pignor.* videntur ea admittere. Doctores volentes hæc jura conciliare, distinguunt, Aut istud pactum fit inter debitorem & fidejussorem suum, vel extraneum, & indistinctè valet, *d. l. fin. de contrahend. empt.* & hæc prima conclusio. Aut verò inter debitorem & creditorem, & tunc subdistinguunt: aut fit pactum quòd res erit empta justo pretio tunc æstimando, & indistinctè valet, *d. l. si fundus* §. *fin.* & hæc secunda conclusio: idem si fiat pactum simpliciter quòd res erit empta, quia intelligitur justo pretio. Aut verò fit absolutè pactum, quòd res cedet creditori in solutum pro debito, nisi solutum sit in termino, & hic rursus subdistinguunt. Aut non agitur de pignore, nec de re hypothecata pro illo debito, & indistinctè valet, quia non est pactum pignoris. Bal. *c. 1. col. 1. in fin. de feudo. dat. in vicem legis commissoriæ in usib. feudo.* ubi etiam loquitur in formali mutuo, & hæc tertia conclusio. Aut verò agitur de ipso pignore, vel re pro illo debito hypothecata, & sic in formale pactum legis commissoriæ pignoris. Et adhuc tertiò subdistinguunt, aut fit ab initio contractus, & non valet ipso jure, non tamen vitiat, sed vitiatur *l. fin. C. de pact. pignor.* etiamsi accesserit juramentum, *c. significante, de pignor.* & hæc quarta conclusio. Aut verò factum est ex intervallo, & tunc non valet ad agendum, *d. l. quamvis de solutionibus*: sed benè ad excipiendum vel retinendum, *d. l. Lucius de pignor. action.* & hæc quinta & ultima conclusio. Hanc distinctionem à Petro. in *d. lib. 1.* quem ibi sequitur Cyn. inchoatam, absolvit Bart. in *d. l. quamvis.* quem Paul. ibidem & in *d. l. Titius.* sequitur. & Salyc. *l. 1. Cod. de pact. pignor.* Alex. *consil. 178. col. 1. lib. 7.* Feudistæ in *cap. 1. de feud. dat. in vicem legis commissoriæ Canonistæ in d. cap. significante.* Fabian. de monte sanct. Savi. in *tract. empt. & vend. quæst. 7 col. 3.* Anto. Negusan. *tract. pignor. part. 4. in princ.* & omnes ferè ubique.

Lex commissoria.

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

Tertia conclusio.

Quarta conclusio.

Quinta conclusio.

357. Sed ea distinctio peccat in omnibus membris suis, uno solo videlicet penultimo excepto, quod loquitur de formali pacto legis commissoriæ pignoris facto cum creditore in cõtinenti: usque adeo soliti sunt Doctores magis ad literam paucarum legum utcumque conciliandam attendere, quàm mentem omnium ad vivam ipsam & legalem æquitatem inveniendam & aperiendam. Dicimus ergo quod prima illa conclusio, quòd indistinctè valeat inter debitorem & fidejussorem, non est vera. Non obstat *d. l. fin. de contrahend. empt.* quia ibi non dicitur quod prædia ipsa sint fidejussori empta pro debito; sed simpliciter dicitur quòd sint empta: & sic intelligitur justo pretio, quoties enim dicitur simpliciter quòd res sit empta, nisi solutum sit in termino, non intelligitur pro debito, sed pro justo pretio, à judice vel bonis viris æstimando, ut rectè tradit Bart. in *d. l. quamvis.* & in *d. l. si fundus* §. *fin.* 1. sequitur Hosti. Jo. And. Panor. in *d. c. significante col.* 2. Anto. Negusan. *tract. pignor. part. 4. num.* 6. Bertrand. *consil. 98. puto col. fin. lib.* 2. non autem quòd simpliciter valeat pactum, & nominatim quòd *d. l. fin. de contrahend. empt.* ita debeat intelligi, non quòd valeat pactum, ut pignora sint commissa & acquisita fidejussori pro debito, quod cogetur solvere, quia infra terminum non fuerit liberatus à debito: sed tantùm ut valeat pactum, quòd ea pignora sint eo casu fidejussori empta justo pretio tunc æstimando, vel empta simpliciter, quod eodem modo intelligitur juxta *d. l. fundus* §. *fin.* decidit Imol. in *d. c. significante.* & sequitur Alex. in *d. consil. 178. num. 9. lib. 7.* & est veritas, licet communiter Doctores malè advertendo aliter sentire videantur. Et invenio quòd idem quod Imol. priùs tenuit, expressè And. Iser in *d. c. 1. de feudo. dat. in vicem legis commissoriæ* ubi dictam *l. fin.* intelligit secundùm *dictam leg. si fundus in fin.* Et idem sentit ibi Alvaro. *col. 2. limitans d. l. fin.* procedere, dummodo fidejussor convenerit de justo pretio, aliàs secùs: & hoc ibi sequitur Præpositus ad verbum. *Confirmo*, quia fidejussionis officium gratuitum esse debet, *l. 1. ad fin. mandati*, & nullum lucrum debet facere de officio fidejussionis, ut novè dixi suprà *quæst.* 31. unde indemnitatem duntaxat stipulari potest, & non aliud. Igitur non potest præcisè stipulari certa pignora, vel certum fundum suum esse in præfato casu, quia esset stipulari ultra indemnitatem, nec etiam aliquam de rebus debitoris quam elegerit, quicquid in simili scripserit Bart. in *d. l. si fundus* §. *fin. in fin.*

358. Plus dico, quòd licet illud pactum, quòd res eo casu sit empta fidejussori justo pretio, valeat in se, videlicet non tanquàm venditio actualis, sed potius tanquam pactum de vendendo: tamen donec res æstimata & in solutum adjudicata sit, poterit debitor moram purgare, debitum offerendo cum legitimis sumptibus fidejussoris, eum indemnem reddendo, & sic luere pignus, & impedire venditionem: quia oblato debito & indemnitate, cessat causa pacti & venditionis promissæ: & hic fidejussor non est alius quàm verus creditor indemnitatis. Igitur dicta oblatio realis ipso jure impedit venditionem & alienationem, & si non erat realis, tamen seria. quia debitor offerebat se paratum solvere, sed addictio fuit præcipitata, debet rescindi per judicem, *l. fundus de rescind. vend.* & notatur in *l. si residuum Cod. de distract. pignor.* Phil. Corn. *consil. 230. lib. 1.* Et ita sentit Ang. in *l. cùm dominum, in fin. C. de pignor.* quem seq. Hippo. Marsi. *singul. 468. incip. Sciunt* verum est quòd idem Angel. in *l. 1. in fin. Cod. de pactis pignor.* limitat, ut procedat jure retentionis, si debitor possideat, secùs si creditor, vel is cui venditionis jure cedere debet, possideat: sed hæc limitatio falsa est, & contra text. in *d. l. si residuum*, & in *l. si priusquam eod. tit.* & *d. l. fundus* & *l. pactum vulgare Cod. de pignor. action. cum similibus.* Ratio quia omnia ista pacta sunt accessoria obligationis principalis, & ad ejus securitatem: ergo sicut oblatio debiti, vel compensatio impedit & elidit obligationem principalem: ita impedit & elidit omnia hæc pacta, & eorum effectum, ut tradit Bald. in *d. l. pactum vulgare.* & sentit Anto. Negusan. *tract. pignor. part. 4. col. 1.*

359. Non obstat quòd secundùm hæc istud pactum non esset propriè venditio conditionalis (cùm nondum sit conventum de certo pretio) sed pactum de vendendo sub conditione: & quòd hoc videtur contra text. in *d. leg. fin. in fin. princ. de contrahend. empt.* ubi dicitur, sub conditione emptionem factam &c

contractam obligationem : quia respondeo quòd ille textus non vult aliud dicere, nisi quòd valeat pactio, non solùm quod eadem pignora sint eo casu hypothecata fidejussori, sed etiam quòd ei vendantur, & tunc contractam esse obligationem ad vendendum eidem sub eadem conditione : & sic jam videtur conditionalis venditio, scilicet futura, non autem quod extante conditione, statim sit consummata. Et ita debet intelligi, tum ut concordetur cum *d. l. si fundus in fin.* tum ut vitentur iniquitas præcisè commissoriæ, quæ habet locum etiam in fidejussore, qui ut indemnis servandus est, ita pro officio fidejussionis nihil exigere debet, ut dixi, tum eadem & simili phrasi loquendi utitur textus in *d. l. si fundus in fin.* ubi dicit, hoc casu videri conditionalem esse venditionem : & tamen liquet quod propriè & strictè loquendo non est venditio etiam conditionalis, cùm nondum sit conventum de certo pretio : sed est verum pactum de vendendo, quod non ineptè dicitur conditionalis venditio, quia potest sequi, & futura speratur venditio. Ex his patet malè consuluisse Steph. Bertran. *consil.* 134. *Ponitur in facto quòd cum nobilis in* 3. *dub. lib.* 1. ubi in hac materia facit differentiam inter pactum directum, quòd res eo casu maneat empta pro debito (quod est formale pactum legis commissoriæ) & inter pactum, quo tantùm est facta eodem casu promissio vendendi eodem pretio vel debito : & dicit istud secundum pactum non esse prohibitum, sed validum, quod est falsum ; quia est simile formali pacto legis commissoriæ, & eandem extorsionem continet : igitur æquè prohibitum, *l.* 1. *Cod. de pactis pignor.* Et quod æquè nullum & prohibitum sit, sentit dom. And. Tiraq. in *tract. retract. convent. in præfat. num.* 11. *& in fin. num.* 52. *&* 141.

Contra Bertrand.

360. Secunda etiam conclusio, quòd indistinctè valeat pactum, ut res sit empta justo pretio, non est vera indistinctè : quia dico quod non procedit in mutuo, quia mutuans nullum lucrum stipulari potest propter officium mutui, etiam prætextu dilationis, prætertim damnosum debitori : sed jus emendi vel acquirendi rem alterius justo pretio, est lucrum seu commodum considerabile damnum afferens domino, & æstimationem rei suæ diminuens textus in *l. si æquo. de legat.* 1. & sic est usura formalis in mutuante *suprà* 14. *quæst.* 3. per tot. & turpiter decipitur. Fely. *c. debitores in fin. de jurejur.* Unde si tempore mutui fiat pactum, quòd nisi infra certum tempus sit solutum, talis domus debitoris sit acquisita creditori pro pecunia mutuatitia, dico quòd ipso jure non valet illud pactum tanquam usurarium, licet valere teneat Bal. in *c.* 1. *collat. in fin. ut feud. dat. in vicem legis commissoriæ*, quem ibi sequitur Alvarot. & pessimè. Sed plus teneo, quod etiamsi esset expressum, quòd esset vendita justo demum pretio tunc æstimando, adhuc non valet tanquam usurarium, licet etiam in mutuo valere teneat Guid. Pap. in *tractat. de contract. illicit. col.* 10. *num.* 25. ubi etiam jactat se hoc practicasse in suo rustico, & malè. Nec est mirandũ de Guidone, licet alioquin in hujusmodi contractibus valde timidus sit & superstitiosissimus : hæc est enim natura superstitionis, præposterum facere judicium, illic trepidare, ubi non est timor, & contrà securum esse in manifesto periculo, iniquos contractus admittere, & temperatos averiari, semper aberrando à scopo : quod Canonistis & quibusdam Theologis scolasticis pariter accidit, ut suprà *num.* 78.

Superstitio præpostera.

361. Ex his etiam reprobo consilium illud, quod quidam antiqui dabant feneratoribus, ut facerent fieri instrumentum hoc modo : Si pecuniam ad tempus non solvas, sit fundus mihi emptus justo pretio, declarando arbitrio talis & talis, quos ex nunc eligimus arbitratores & bonos viros : quod laudat & approbat Bart. in *l.* 3. *Cod. de pact. pignor.* & sequitur ibi Salycet. & Fabian. de mont. sancti Savi. in *tract. de emption. & venditionum quæst.* 7. *col.* 3. Carpol. *suprà* 309. *incap. pactum pignoris.* ubi *tamen in fin. subdit*, quòd si constaret fœnerarorem prius egisse cum dictis arbitratoribus de æstimando fundum pro debito, licet multum plus valeret, quod tunc non teneret pactum. Sed ego dico quod etiamsi non constet, quinetiamsi nec ea fraus facta sit, non valere pactum ipsò jure tanquam usurarium & pacti seu commodi de emendo extorsivum, cæterum extra mutuum, vel etiam in mutuo, sed ex intervallo, potest conclusio defendi. Ex his etiam liquet tertiam conclusionem notoriè falsam esse in mutuo, quicquid dixerit Bal. & post eum Alvarot. in *d. c. de feudo. dat. in vicem legis commissoriæ*, quia in mutuo, si non valet pactum de vendendo justo etiam tunc æstimando pretiò, ut nuper dixi, multò minus valet venditio præcisa pro debito eodem casu quo non solvatur. Cæterùm quidam volunt, ad hoc ut pactum legis, & præcisè commissoriæ sit reprobatum in pignoribus, requiri rem, super qua fit pactum, esse specialiter hypothecatam pro eodem debito, ut tenuit Bertrand. *consil.* 254. *vide col.* 1. *lib.* 1. quem sequitur dom. Andr. Tiraq. in *tract. retract. convent. in fin. num.* 139. Contrarium & melius, quod non refert an generaliter tantùm, an verò specialiter sit hypothecata, tenuit idem Bertrand. *consil.* 97. *quamvis lib.* 1. *consil.* 178. *venditio lib.* 3. Ruger. de Mor. *rep. l. traditionibus num.* 53. *Cod. de pactis.*

362. Sed ego dico quòd etiamsi res nullo modo sit hypothecata, tamen pactum non valet. Probo primò, quia eadem est ratio captionis & illaqueationis debitoris, simul asperitatis & avaritiæ creditoris, sive res sit hypothecata, sive non. Secundò, quia promptum esset fraudem facere de re ad rem, quia creditor non caveret sibi de hypotheca super re, quam sibi dimitti vel rapere affectaret, sed super aliis rebus, vel bonis, & sic eadem est ratio prohibitionis. Tertiò, nedum formale pactum legis commissoriæ, sed etiam simile reprobatur, *l.* 1 *Cod. de pact. pignor.* Igitur licet deficiente hypotheca non sit formale pactum commissoriæ pignoris, est tamen simile, & ejusdem rationis ; igitur æquè prohibitum, *l. non dubium Cod. de legib.* Unde pessimè loquitur Bart. in *d. l. quamvis num.* 2. *de solutionib.* dicens valere pactum quod vir fecit uxori de dando in solutum pro dote aliquam rem non hypothecatam, & majoris pretii : & non esse simile cum pacto legis commissoriæ, quia imò omnino simile est, per *l.* 1. *Cod. de pactis pignor.* & sic dicta tertia conclusio indistinctè falsa. Cæterum omnes consentiunt quòd istud pactum non solum in mutuo, sed generaliter in omni debito est prohibitum, quia *l.* 1. *C. de pactis pignor. & rub.* dicti tituli generaliter & indistinctè loquitur. Sic & *c. significante de pignor.* & est casus in *d. l. quamvis de solution.* & latè Alex. *d. consil.* 178. *col.* 1. *lib.* 7. Unde quarta conclusio, videlicet quòd hoc pactum ab initio factum cum creditore vitietur, hæc sola semper vera est. Tamen in quantum dicunt, quòd licet juramentum non firmet pactum, tamen metu periurii est servandum, dico quòd ex quo tenetur creditor purè relaxare, non tenetur debitor servare, nec periurus est, quia juramentum non est iniquitatis vinculum, ut dixi ad Alex. *consil.* 27. *consil.* 59. *lib.* 1.

363. Quinta verò conclusio, quando ex intervallo, quòd tunc valet ad excipiendum, (licet omnes Doctores quotquot legi sequantur) tamen falsa est. Probo primò per textum in *d. l. quamvis*, quæ generaliter & indistinctè decidit non obligari, etiamsi fiat ex intervallo, nec distinguit sive maritus possideat ea prædia, sive non. Fieri enim poterat ut maritus non solum hypothecasset, sed etiam ea se nomine uxoris possidere constituisset, vel etiam tradidisset, ut non detineret nisi ejus nomine, & tamen text. non distinguit. similiter *l. fin. C. de pactionib. pignor.* non distinguit, ergo non est distinguendum, *l. de pretio. de publiciana in rem actione. l.* 2. *§. generaliter de legat. præstan.* Probatur etiam in *l.* 1. *&* 2. *eod. tit.* ubi permittitur ex intervallo

pactum

pactum secundùm naturam actus: ergo pactum præcisim commissoriæ etiam ex intervallo vetatur. Probatur etiam in *l. si fundus §. fin. de pignor.* ubi sive ab initio, sive ab intervallo, permittitur solùm pactum de addicendo justo pretio tunc æstimando, ergo pactum præcisum semper prohibetur. Alterius probatur, quia etiamsi creditor jam possideat hypothecam, non minùs, imo major est ratio subvenienda facilitati debitoris, & obviandi rapacitati creditoris, & consequenter, non est minus, sed majus periculum & major necessitas explodendi legem commissoriam, quàm si debitor semper possideret. Ergo hæc prohibitio non minùs habet locum, creditore jam possidente quam non possidente: & contrarium dicere, non esset fraudes excludere, sed augere & accessere, contra verbum & mentem legum. Et sic nimis inepta est communis sententia, quæ etiam nullo colore, nullo fundamento nititur, nisi dicta *l. Titius* duntaxat malè ad usque intellecta, censent enim omnes illic esse pactum legis commissoriæ, quod est insulsissimum. Nec enim magis ad pactum *legis commissoriæ*, quàm in *l. eleganter in fin. & in. Cod. ut in l. si prædium Cod. de solut.* ubi fundus datur creditori in solutum cum similibus, ubi dicitur quod illa dario est venditio legitima simili, & in *Authent. hoc si debitor, Cod. de solution.* ubi debitor etiam meliorem ex rebus suis dat in solutum creditori.

Novus intellectus legis Titius de pignoratitia actione.

364. Tria autem sunt de substantia formali pacti, *legis commissoriæ* stricte & propriè sumptæ. Primum, quòd fiat super pignore vel hypotheca, & verbis directis, non obliquis, sit etiam communiter omnes tradunt. Secundum, quòd de dando creditori in solutum, pro debito, pro quo res est hypothecata. Tertium, quòd non pure, nec de præsenti, sed in casum, quo debitum non erit solutum in termino. Hæc est propriè & strictè lex, id est pactio commissoria pignorum, videlicet ut pignora cadant in commissum, debito ad diem non soluto. Unde dicitur hæc lex commissoria, ad similitudinem commissorum emphyteuticorum, vel publicanorum *l. 2. Cod. de jure emphyteutic. l. commissa ff. de public.* Ex mentò *hæc lex* videlicet pactio, penitus, damnata & reprobata fuit, propter duo: primum, captio fragilis debitoris secundum, asperitas avari creditoris, ut in *l. fin. Cod. de pact. pignor.* Solent enim hypothecari, vel in pignus dari res supervalentes debito: nolebant autem creditores mutuum dare, vel exactionem debiti differre, nisi sub lege vel pacto expresso commissi pignorum, si solutum non esset in termino convento. Cui legi facile sese submittebant debitores, tùm quòd aliter pecuniam vel usum pecuniæ redimere non poterant, tum quod sperarent interim rebus suis consulere: tum quod debitor egestate pressus & adhuc in hac perplexa, inter duas non modicas passiones constitutus, videlicet inter spem rebus suis consulendi pecuniâ adeptâ, & metum hanc occasionem amittendi, nec aliam in tempore inveniendi, non est in plena deliberandi & electionis arbitrii facultate. Et docet experientia quòd facile huc aut illuc impelluntur, & quaslibet leges subscribunt, ut per Solicet. in *l. si ex cautione Cod. de non num. pecun.* Et hac via & occasione creditores & egestate & facilitate debitorum in suum compendium abutebantur. Deficiente autem primo requisito, quod duo capita continet sive alterum tantùm, sive utrumque deficiat, non est propria & stricta lex commissoria pignoris, cùm deficiente primo capite, non sit facta super pignore, & deficiente secundo capite, cùm tunc non sit facta verbis directis, sed obliquis: & sic est potius pactum de vendendo vel dando in solutum, quàm venditio, vel datio, quamquam etiam utroque capite deficiente, tamen si duo alia requisita adsint, est pactum simile ejusdem effectus, ejusdem captionis & acerbitatis: & sic eadem sanctione prohibitum censetur, nec promptum sit prohibitionem legis commissoriæ fraudare.

Ratio legis commissoriæ.

365. Et propriè illud primum caput, quòd fiat de pignore, non est requisitum, nec de substantia, sed grandi frequentiæ expressum, eò quòd ante prohibitionem non solebant hæc pacta fieri, nisi de rebus pignoratis vel hypothecatis. Et sic quod frequentiæ causa expressum est, non restringit, ut notatur supra, utque dicta probatio etiam ad præterita propter nequitiam pactum se extendit *d. l. antiq.* & ad tale pactum super rebus non pignoratis factum, sed eidem nequitiæ involutum. Idem si hoc pactum factum sit verbis obliquis, quia lex non est imponenda verbis, *l. fin. Cod. de usur.* præsertim in materia fraudibus obnoxia. Et probatur etiam in *l. 1. Cod. de pact. pignor.* Deficiente autem secundo, etiamsi reliqua adsint, non est pactum legis commissoriæ, nec illi simile, sed pactum de vendendo justo pretio tunc æstimando, de quo in *d. l. si fundus §. fin.* Ideo cessat prohibitio *dictæ l.* quamquam quandoque propter aliud vitiari potest: ut si tempore mutui exigatur per creditorem, ut superdixi *num. 360.* Deficiente etiam tertio, etiamsi reliqua adsint, ut si non sit pactum de commisso suspensivo in futurum, sed pignus de præsenti datur in solutum, non est pactum legis commissoriæ, quia non est pactum, quod res ex tali pacto in commissum, sed de præsenti venditur vel communicatur, & sic cessat prohibitio dictæ *l. 3.* & habent locum leges, quæ de pura & mera datione in solutum, seu de venditionibus loquuntur, ut *l. si prædium Cod. de eviction. l. cum dominam Cod. de pignor.* Cessat enim hoc casu occasio captionis debitoris, quia de præsenti intendit vendere, pro ut absolutè vendit vel permutat: & sic non est præsumptio, quod hoc faciat vili pretio, nec de re qua carere non possit, vel cum alio damno suo, sed cum justa æqualitate, & de re quam sibi commutare expedit, prout hujusmodi contractus inter creditores & debitores non sunt, nec debent esse prohibiti, alioqui commercia tollerentur. Sed quando pacisitur de futuro & conditionali commisso rei suæ, præsumptio est quòd nec justum pretium, nec an tali re carere possit expendat, propter spem fruitionis, & præsentem egestatem, judicium non parum hebetatum propter *l. pignus num. 359.* dictum est, fulgere interesse hominem ad præsens damnum, quam futurum periculum præcavendum.

Species d. l. Titius.

366. Quòd si inconsiderantes scripserunt Doctores esse pactum legis commissoriæ in *d. l. cum dominus*, quod esse non potest, propter defectum tertii substantialis, non magis quam in *d. l. eleganter in fin. fin.* & in *d. l. si prædium*, cum similibus, multò inconsiderantius scripserunt esse pactum legis commissoriæ in *d. l. Titius*, ut qua non unum tantùm, sed illa tria simul deficiunt. Patet, quia ibi fundus ille venditus non erat hypothecatus, sed creditor aliud pignus acceperat: cumque futurum esset ut creditor jure suo utendo pignus illud legitimè distraheret, quia debitum non solveretur, tenens debitor magis damnificari per distractionem pignorum, rogavit creditorem ut a se fundum emeret, debito super pretio deducendo, & quanti vendere volebat nuncupavit creditori, qui gratum habuit: quare debitor venditionis chartam in privato epistolio conscripsit, & ad creditorem transmisit, & sic perfecta fuit venditio, quam postea debitor paratus priore debito cum usuris oblato revocare volebat, & decidit non posse. Hic est casus clarus & nudus *d. l. Titius*, in qua nihil de pacto legis commissoriæ, nec quod legi commissoriæ congruat. Primò non est venditio facta de pignore, quamquam hoc in effectu ad rem non faciat, ut dixi. Secundò, fundus non est venditus, nec datus in solutum pro pristino debito, quamquam & hoc extra legem commissoriam fieri posset, *l. si prædium Cod. de eviction.* sed est aliud, videlicet non hypothecatus fundus venditus certo alio suo, & congruo pretio. Tertiò, non fit venditio facta conditionabiter, casu quo non solveretur, ad finitum tempus

commissi, sed de præsenti. Ex his liquet Doctores multum præcipitanter & neglectim sese habuisse in tractatione harum legum: quare minùs mirum est, si tam graviter impegerunt. Ruit igitur unicum & totum fundamentum conclusionis illius, quam omnes adusque tenuerunt, quod pactum legis commissoriæ ex intervallo valeat ad exceptionem, quæ in sola *d. l. Titius*. fundatur, quæ tamen minus facit ad thombum, quàm *l. 2. Cod. de rescind. vend.* Præterea etiamsi *d. l. Titius*, loqueretur in terminis legis commissoriæ, non solùm probaret pactum valere ad excipiendum, sed etiam ad agendum, & sic oppositum & contrarium ex diametro, *d. l. quamvis*. Quis enim revelavit Doctoribus, quòd ille fundus tempore dictæ venditionis & ipsius diei mansisset penes creditorem, ab eóve possideretur: aut quod debitor promptus pro tempore præmineret, possessionem vacuam dicti fundi venditi tradidisset creditori? lex enim, quantum ad hoc, generaliter & indistinctè loquitur. Quòd si aliquid in facto præsumendum sit, longè verisimilius est, quòd debitor, idemque dominus, fundum suum possidebat, & quòd venditione conclusa, antequam traderet, pœnitere voluit, & creditori traditionem fundi petenti prius debitum cum usuris obtulit, ad quod non fuit admissus. Et sic patet, quod hi pactum valet ad agendum, utque hoc clucidatur, non est opus quicquam addere, vel præsumere in facto de novo, sed sufficit dictam legem assumere prout jacet, quæ de simplici venditione solo consensu, per literas & in absentia conclusa loquitur. Et sic si quis dicat quòd emptor tunc fundum emptum jam possidebat, vel quòd traditionem habuit antequam venditor pœniteret, manifestè divinare convincitur & literæ legis de proprio sensu extollere, quod non est licitum, *l. cum de Indebito §. videndum est*, ibi, *nihil enim addidit*, ubi hoc notat Bald. in 5 notat. & sequitur Angel. & utrique fundit. *de pactis & pactum*. sed profectis tanquam de veritatum rejiciendum, *leg. fin. Cod. de contrahenda & committenda*. Et sic *d. l. Titius*, nullo addito probaret [illegible]

Summa commissoriæ.

[illegible] bona fide fiat, & cessante alio vitio; quia sicut debitor tunc potest rem purè vendere creditori, justo prætio prius super debito deducendo: ita potest vendere in diem, ut interim dilationem lucrifaciat. Non tamen sequitur quòd æquè possit fieri ab initio tempore mutui, sicut tunc poterat rem eidem tanti vendere, purè, vel in diem, aut sub conditione: quemadmodum non sequitur, potest debitor ab initio tantundem liberaliter donare, ergo potest tantundem vel minus usuræ promittere; quia in tam indigenti ut huic velut servituti farneris identidem sese subjiciat, non præsumitur liberalitas; sed extorsio, vel usus æris alieni redemptio, *l. rem legatam, de adimen. legat.* Et nota quod ubi valet istud pactum, intelligitur favere creditoris: unde ejus est electio an exigat debitum, an vero hoc pacto utatur, *l. 2. & 3. de lege commissoria l. quamvis de pignor. action.* Pactum autem quòd pignus sit de præsenti cessum pro debito, non est pactum legis commissoriæ, ut minus inepte putat Angel. in *l. 1. Cod. de pactis pignor.* nec ibi simile, sed est pura & mera datio in solutum de præsenti, ut in *l. cum fœminam Cod. de pignor. l. si prædium Cod. de eviction.* quod de se non est magis prohibitum, quam qualibet venditio. Cùm enim debitor de præsenti addicit, præsumitur in dubio consulte facere, nisi constet de fictione, fraude, vel alia extortione, de quo ad materiam simulationis vel fraudis contractuum recurrendum.

258. Principalem conclusionem nostram de vero pacto commissi in totum prohibito hactenus ut procedat in vero & perpetuo commisso damnoso debitori, & lucroso creditori. Secus si esset actum, quòd dominus vel fundus debitoris esset eo casu emptus creditori non absolutè & in perpetuum, sed sub libero pacto redimendi, ita fructus interim cederent loco usurarum vel minus, quia tunc valebit pactum: dummodò tamen illi fructus non excedant communes legitimum modum usurarum, statutum nostrarum, videlicet unius anni pro quindecim, aliàs non, *quæst. 42. infra*. Hæc enim de vero pacto legis commissoriæ, sed pactum interdum pignoris compensandi & de vero pactum quando obligat, unde recepit omnes modificationes & conditiones, quas diximus suprà in antithesi, *quæst. 35.* & infrà *quæst. 69.* & cæteris similibus. Non obstat si dicatur quòd hic creditor amisso pacto potest exigere pecuniam, ut nuper diximus *num. 37. in fin.* Et sic quòd de nullo reditu vel lucro potest pacisci, per notata suprà *quæst. 27.* quia responsio prompta, quòd ab initio, tempore extantis conditionis, vel re integra, hoc est antequam pacto uterer vel illud eligar, potest eligere pecuniam, & sic in perpetuum jure & commodo pacti excluditur, *l. commissoriæ Cod. de pactis inter empt. & venditor. l. de lege in fin. l. post diem de lege commissoria*. Postquam autem cepit pacto uti, vel illud elegerit, non potest amplius petere pecuniam, quæ semel in perpetuum abalienata est, quemadmodum si eo casu stipulatus esset reditum, etiam ad rationem duodecimæ, quod licitum est etiam pro pecunia mutuatitia, ut suprà *num. 35.* & infrà *quæst. 80.* habet enim nihilominus electionem; sed donec verbo vel facto elegerit, non ultrà.

259. Item secus, si pactum illud non esset ad commodum creditoris, sed debitoris, ita quòd magis per illud obligaretur & astringeretur creditor, quàm debitor, ut si domus vel fundus dandus in solutum minus valet quàm debitum, vel utilius sit debitori illum dare quàm pecuniam, & tamen ita convenit ut interim dilatio solvendi detur debitori, nec sit creditoris, sed debitoris electio, an pecuniam an verò fundum dare malit; sed tunc non est pactum legis commissoriæ, de quo loquuntur dicta jura, quod est in solius creditoris favorem & electionem, & in

dammum & illaqueationem debitoris; ſed eſt pactum oppoſitum, ut liceat debitori aliud pro alio creditori vel invito ſolvere. Item eadem concluſio loquitur de pacto in ſolius creditoris favorem, in compenſationem vel pœnam dilatæ ſolutionis vel ſatisfactionis debiti, & ad redimendam interim per debitorem uſuram modici temporis, ſub periculo perpetui commiſſi rei ſuæ facti fortè in cauſa locationis, ſaltem ultimæ volũtatis *l. 1. ff. quorum legat.* ita quod iſtud pactum licet non ſit formalis uſura, quia non eſt debitum ſucceſſivum pro rata temporis & ſortis, eſt tamen vera pœna in fraudem legitimarum uſurarum adinventa. Sed an valeat ſaltem uſque ad modum legitimæ uſuræ? Videretur quod ſic, per *leg. cum allegas, Cod. de uſur.* cum notata ſuprà *quæſt.* 10. *in princ.* Contrarium dicendum eſt, quod in totum non valet, & ſic propter nimiam avaritiam & improbitatem pacti nulla fit reductio, etiamſi eſſet factum de aliquo jure redimibili, putà quòd in defectum ſolvendi in termino certus reditus vel nomen debitum cederet in commiſſum: ſed in totum reprobatur hoc pactum, & omni ejus commodo privatur creditor, *l. 3. C. de pactis pignor.* quod procedit etiamſi res deducta in pactum, parum excederet debitum, ita quod dilatione inſpecta, illud quo res ſupervalet, non excederet legitimum modum uſurarum, quia electio certæ rei committendæ poteſt frequenter, etiamſi ſit minoris valoris, plus gravare debitorem, quàm penſitatio legitimæ uſuræ, quæ in quantitate conſiſtit: unde meritò tale pactum indiſtinctè & in totum reprobatur, niſi appareat eſſe factum in favorem & electionem debitoris, ut nuper dixi.

370. Secus autem ſi apparet non eſſe factum ad redimendam dilationem ſolvendi, nec eſſe extortum à creditore in locum uſuræ vel ſimilis quæſtus dilatæ exactionis, ſed eſſe factum ſponte, tanquam extremum ſive pars æquè principalis legitimæ commutationis vel conceſſionis, ut in contractu venditionis, ſi venditor certam quantitatem jugerum terræ, vel ex certo grandi latifundio vendiderit, ſub pacto quod niſi menſuraverit & tradiderit infra tale tempus, tunc totidem alia jugera ſic & ſic confinata ſive ejuſdem, ſive alterius melioris ſitus, ſint vendita, vel certum quoddam prædium, non refert, valet pactum quia non eſt, nec eſſe poteſt quid acceſſorium in fraudem uſuræ vel dilationis: ſed eſt æquè principale extremum legitimæ commutationis; nec enim ſecundum prædium minus eſt venditum vel emptum quàm primum, cujus loco ſubrogatum eſt, ſive ab initio fiat hoc pactum, ſive ex intervallo, ut eſt caſus in *l. 2. Cod. de pactis pignor.* nec eſt inconveniens quòd hoc caſu electio ſit emptoris, utrum malit tempore lapſo: quia non eſt contra naturam & juſtitiam contractus, quod emptor ſive purè ſive in diem habeat electionem & liberum arbitrium, non an emptum habeat, ſed ut quam rem volet ex certis emptam habeat, *l. ſi in emptione §. ſi emptor de cont. empt.* Et pariter ex parte emptoris, ſi tempore venditionis conventum, ſit, quod niſi pretium infra certum tempus ſolverit, certa domus emptoris ſit empta, venditori pro pretio, vel in ſolutum pretii, non eſt pactum legis commiſſoriæ, ſed pactum legitimum & validum, ut pote pars aliqua principalis legitimæ commutationis. Ut enim poterat venditor permutare fundum ſuum cum dicta domo, ita poteſt ſtipulari eandem domum, cujus ſimilem fortè emturus vel redempturus erat pretio fundi ſua die reſoluto, & ſic domus non eſt compenſatio interuſurii dilatæ ſolutionis pretii, nec in toto, nec in parte, ſed eſt extremum æquè principale legitimæ conventionis. Et ſic non magis ſpectat ad materiam pacti legis commiſſoriæ, quam quælibet vera permutatio aut venditio. Eſt enim in effectu, vel vera permutatio domus cum fundo, conventa in caſum, quo emptio fundi ex parte emptoris ſua die non impleretur, vel nova venditio & emptio domus pro pretio fundi in eandem conditionem collata & conventa. Secus ſi venditor ex intervallo, & acſita obligatione pretii, faceret hoc pactum cum emptore debitore ſuo, videlicet quod niſi infra tempus ſolveret, certa domus ejus cederet in ſolutum: quia tunc eſſet inſpiciendum, an fieret bona fide ad levamen debitoris & ejus electionem, ita ut ejus conditio fieret melior per hoc pactum, ut nuper dixi, & tunc valet, quia non eſt pactum pœnæ nec commiſſi, ſed pactum favorabile debitori, ut aliud pro alio ſolvere poſſit. Aut verò fit ad commodum & electionem creditoris, & videtur pactum extortum ob dilatam exactionem pretii, & incidit in materiam & ſanctionem legis commiſſoriæ, nec aſtringet debitorem, quin oblato priore & principali debito, liberetur, *d. l. quamvis d. l. 3. Cod. de pact. pignor.*

Pactum pars æquè principalis.

371. Nec obſtat quod emptor non ſolum ab initio tempore contractus, ſed etiam ex intervallo poſt acquiſitam obligationem fundi vel evictionis, poteſt ſimile pactum facere cum venditore, ſi fundum intra tale tempus vacuum non tradat, vel ſi traditus evincatur, *d. l. 2.* quia iſtud etiam ſi fiat ex intervallo, non poteſt cadere in uſuram, nec in ejus fraudem, ſed eſt vera ſatisfactio vel compenſatio ipſius principalis debiti, ſecundùm naturam prioris obligationis conventa & facta; Et ſic in hoc eſt quædam differentia inter emptorem & venditorem ex intervallo. Et ratio differentiæ manifeſta eſt, quia venditor obligatur non ſolum ad traditionem, ſed etiam ad evictionem, utque habere liceat: & ſic non præter, ſed juxta naturam obligationis quod paciſcatur ſive ab initio, ſive ex intervallo, de alio fundo dando, ſi is qui traditus eſt, evincatur; & hoc nihil habet commune cum uſura: emptor autem obligatur ad dandum quantitatem, quæ eſt obligatio momentanea, & in qua poteſt cadere uſura: ideo ex parte emptoris, iſtud pactum, ſi quidem fiat ab initio bona fide, poteſt eſſe extremum legitimæ commutationis, ut eo caſu contractus tranſeat in aliam legitimam ſpeciem: ſed ex intervallo, cùm non remaneat, niſi obligatio ad certam ſummam pecuniæ, non poteſt amplius iſtud pactum eſſe extremum legitimæ conventionis præteritæ: ſed compenſatio dilationis, & interuſurium prætii debiti, quod cadit in uſuram & legem commiſſoriam, niſi fieret nova alia principalis & legitima commutatio de præſenti, ut in *l. Titius de pignor. actione.* Ex his habes materiam commiſſoriæ pignorum plenè & novè cum legali æquitate & in theoria & in praxi elucidatam.

372. Ut autem hujus diſceptationis utilitas ſit illuſtrior, & quam latè pateat experiamur, libet quæſtionem unam quotidianam huc incidentem paucis utrinque diſputare, & *αὐτοψιεῖ* decidere. Vidua mercatrix pro dote filiæ nubentis promittit ſex mille, dimidium præſente pecunia, reliquum verò poſt annum numerandum (quòd etiamſi non dicatur, ex die nuptiarum intelligeretur *l. tali de jure dotium.* Alex. *conſil.* 145. ubi dixi *lib. 5.*) ea tamen conditione, quod niſi infra annum perſolutum ſit, domus quam vidua inhabitabat, ſit pro illis tribus millibus acquiſita, ſeu data in dotem filiæ, & ex tunc eo caſu vidua conductam domum habeat pro certa mercede ad modicum tempus. Anno lapſo, vidua offert reſiduum dotis, ut de domo diſponere valeat, gener ſeu filia non vult, ſed eligit domum. An poſſit? Videtur quod ſic, quia hic eſt dies & pœna, unde non videtur mora purgabilis, *l. magnam Cod. de contrahend. & commit. ſtip.* Unum ſolum obſtare poteſt, ſi dicatur eſſe pactum legis commiſſoriæ: ſed reſpondetur primò, quòd non invenitur expreſſim in jure reprobari pactum, *legis commiſſoriæ*, niſi reſpectu creditoris, qui pecuniam numeravit indigenti, à quo hanc legem extorſit, ut in *l. fin. in fin. Cod. de pact. pignor.* ubi creditores

id ſolum recuperare jubentur quod dederunt : & ſic præſupponit creditorem pecuniam ſuam credidiſſe, idque indigenti, & ſub hoc pacto : quare hoc pactum tanquam ab indigente extortum reſcindit. Sed hîc gener nihil numeravit, ſed illi numeratum eſt : & ſic non poteſt congruè adaptari materia & caſus, *d. l. fin.* ſed materia & caſus, *d. l. magnam*. Secundò reſpondetur, quòd etiamſi prohibitio *legis commiſſoriæ* deberet extendi, ut non ſolùm haberet locum in mutuo, ſed generaliter in omni debito, ut ſuprà *num.* 367. debet intelligi dummodò concurrant eædem rationes prohibitionis, videlicet fragilitas & captio debitoris & aſperitas creditoris, volentis ea fragilitate abuti, nec aliter credere, aut dilationem dare debitori, qui ſic cogitur temerè ſeſe ſubjicere huic pacto, non expenſo valore rei committendæ, nec an eam vendere expediat. Sed omnes hæ rationes ceſſant in præſenti caſu, tam reſpectu creditoris quam reſpectu debitoris, quia debitor videlicet mater, non indiget pecunia accipienda à genero, ſed debet ei dare. Gener autem non certat de ſuperlucrando prætextu pecuniæ ſuæ, cùm nihil det, nec etiam de circumvenienda ſocru, ſed de congrua & uberiore dote accipienda. Patet, quia dicta domus eo caſu extante, non cedit lucro ipſius generi, ſed efficitur res dotalis, tanquam verè in dotem eo caſu data, *l. ita conſtante de jure dot. l. ſed quod inde de legat.* 2. & ſic non poteſt cenſeri uſura dotis, ſed vera dos. Et in terminis noſtrarum conſuetudinum eadem domus eo caſu non efficietur communis inter conjuges, nec jure conquæſtuum cenſebitur, ſed verum & proprium uxoris patrimonium, ut dixi in *conſuetudine Pariſienſi* §. 107. Et poteſt iſtud pactum eſſe appoſitum, non quòd mater non haberet tantam pecuniam ; ſed alio certo conſilio matris, ut videlicet infra illum annum exploraret, mores & induſtriam generi, utque ſemper liberam optionem retineret reliquum dotis dandi vel in pecunia, vel in fundo, prout magis filiæ ſuæ vel ſibiipſi expedire videret. Et ſic iſtud pactum non poteſt eſſe pactum illud reprobum & odioſum legis commiſſoriæ, ſed pars contractus dotalis favorabilis : & cùm totus iſte contractus dotalis non fiat, ex eo quòd dotans indigeat pecunia, vel uſu æris alieni, præſertim ejus cui dat dotem, ſed ex abundantia, vel etiam munificentia dotantis, ut de ſuis facultatibus eroget in congruam vel etiam uberiorem dotem, ſatis communis ſenſus oſtendit, ceſſare hic rationes & odium legis commiſſoriæ, tum quia actus dotandi non ſolet fieri in indigentia, nec ex præſcripto tanquam certæ quantitatis exactio, ſed matrimonio compoſito, & pro illius modo, & magis ut arbitraria erogatio, *l. quæro de jure dot. l. cum poſt* §. *gener. eod. titul.* nec eſt actus ex inopinato incidens, nec qui differri ſine damno non poſſit, ſed longè præviſus, in quo differre, & cunctari, & varias, & cum variis conditiones tractare & eligere licet, unde non ſolet ex aliqua neceſſitate aut coarctatione, nec præcipitanter, ſed ſponte & longa omnium pactionum expenſione fieri. Et ſic in themate & pacto de quo agitur, cenſetur mater prudenter & maturè, & è re ſua & filiæ ſuæ ita pepigiſſe, diligenter expenſis viribus patrimonii, & valore domus, & commodo vel incommodo hujuſmodi alienationis : ceſſat etiam omnis extorſio, & conſequenter omnis materia & ratio legis commiſſoriæ ; nec iſtud pactum cenſetur appoſitum ad redimendam dilationem ſolvendi modici temporis, ſed ad congruentiùs vel uberius dotandum. Et ſic ſtandum eſt pacto, alioquin gener qui aliàs cum aliis erat contracturus, nec diu differre poterat emptionem domus vel prædiorum juſtè queri poſſet ſe deluſum, & damnificatum. Et ita tenet Bal. Novel. *tract. de dot. parte 6. quæſt.* 54. ubi ſubdit ſe ita conſuluiſſe in pacto ex intervallo adpoſito, in quo ultimo cum ſchola communi errat, ut ſtatim dicam. Tertiò confirmatur, quia ſi mater dediſſet dictam domum in dotem cum pacto redimendi pro tribus millibus infra annum, non eſſet dubium quin pactum valeat, & poſſit domus incommutabiliter retineri poſt annum. Sed videtur iſtud pactum de domo danda in ſolutum, niſi tot mille infra annum ſolvantur, in eundem effectum recidere, & ſic ſi unum valet, quòd valeat & alterum, ne lex imponatur verbis : ſed iſtud ultimum non valet, quia hæc duo non verbis : ſed re differunt, ut mox dicam.

373. In contrarium, quòd pactum non liget, niſi juxta notata in *l. pactum vulgare Cod. de pignor. action.* & ſic quòd vidua quaſi re integra audienda ſit, videtur primò per *d. l. quamvis de ſolut.* ubi prima facie videtur caſus in ſimili, imò in fortiori : quia ibi pactum fiebat ex intervallo, & tamen dicitur quòd non ligat, igitur multò minus, ſi in continenti, ut hîc, quæ eſt bona conſequentia ſecundum communiter Doctor. Secundò, quia ab initio non eſt conventum de domo, ſed de certa ſumma, pro cujus ſecuritate domus eſt hypothecata, cum pacto commiſſi, ſi ſolutum non ſit in termino, & ſic eſt verum pactum de pignore dando in ſolutum : quod licet hactenus valeat, ut pignus diſtrahi poſſit, tamen non impedit re integra, debitum offerri, *d. l. pactum vulgare.* cum aliis ſuprà *num.* 358. Tertiò, quia iſtud pactum eſt in favorem ſolius generi, qui eſt creditor, & ſola mater debitrix obligatur, non autem gener : quia non tenebitur accipere domum in ſolutum, niſi velit, ſed habebit electionem vel exigendi debitum, vel accipiendi domum, quod eſt inæquale igitur ſufficere videtur ; quòd habeat debitum in continenti oblatum : quo ſi non contentetur, videtur certare de ſuperlucro, imò de de vero lucro commiſſi reprobato : quo ſi non licet uti adverſus quemvis extraneum debitorem, multò minus erga ſocrum, quæ loco matris eſt. *Inſtitutionibus de nuptiis* §. *ſocrum.* Quartò, quia magna captio fieret mulieri, quæ ut facile ſperabat ſe perſoluturam infra annum, facilis fuit ad temerè conſentiendum huic pacto, cujus conditionem eventuram non ſperabat : & ſic adeſt materia & ratio legis commiſſoriæ, & tantò magis ſi mulier habebat alias juniores filias tempore ſuo elocandas, totam autem peculii augendi induſtriam exercebat in eadem domo, in qua ſuam apothecam tenebat, quia ſi brevi conductione finita carendum eſſet, privaretur potiori vitæ ſubſidio, & occaſione reliquas filias congruè nuptum elocandi. Et hanc partem, quod iſtud pactum indiſtinctè non valet, ſive ex parte mulieris, cui dos venit reſtituenda, ut in *d. l. quamvis*, ſive ex parte viri, cui dos venit danda, latè tenet Anton. Neguſan. *tract. pignor. parte 4. num.* 7. per quæ videntur elidi, quæ ſuprà dicta ſunt ad excludendum pactum legis commiſſoriæ. Non obſtat ultimum, quòd non poſſet pecunia offerri poſt annum : ſi ab initio domus ipſa eſſet data in dotem ridimibilis infra annum ; quia ut hoc eſt indubitatum, ita nihil habet commune cum hoc pacto, in quo ab initio de ſola pecunia convenit, & ſola pecunia debetur. Domus autem non debetur, niſi ſub conditione acceſſoria, & in pœnam, velut jure commiſſi, ſi in termino ſolutum non ſit, ſic inter hæc duo non eſt modica, nec verbalis, ſed maxima & realis differentia. Tunc autem eſt verbalis tantum differentia, quando eadem remanente principaliter in eadem obligatione, & diſpoſitione, ſola verborum formula variatur : ut ſi dicatur, niſi ſolutum ſit, talis res erit in ſolutum, vel extunc eo caſu venditur, aut aliis verbis. Sed ſi eadem res ab initio principaliter datur vel venditur, diametralis & realis eſt differentia.

374. Quid dicendum ? Concludo pro prima parte, quia cùm in hujuſmodi contractu omnia ſint merè ſpontanea & perpenſa, & ab omnis extorſionis ſuſpicione aliena, ceſſat odium, & ratio legis commiſſoriæ,

& adeſt favor dotis, ad quam augendam tendit illud pactum. Limito, niſi quatenus probaretur, quòd domus multùm ſupervalebat dictæ ſummæ, & quòd mulier ignorabat. Item niſi probaretur de aliquo dolo vel fallacia generi ad circunveniendum ſocrum, ut eam excluderet domo, in qua omnem ſuam mercaturam exercet, & unde ſibi reliquiſque filiabus victum & dotem comparat. Et prædicta tantò magis vera ſunt, quando gener vel filia aliquid dant vel faciunt, ut nuper habui quæſtionem de patre, qui filiæ nubenti, quam faciebat renunciare futuræ ſucceſſioni ſuæ opulentæ, promiſit decem millia in dotem, quæ niſi ſolverentur infra trimeſtre, dedit & conſtituit in dotem quingentas libras perpetui non redimibilis reditus ſuper bonis ſuis. Non eſt dubium quin pactum valeat: quia dictus reditus non ſolùm eſt vera dos caſu ſua ſponte conſtituta, ſed etiam conſtituta, contemplatione renuntiationis futuræ ſucceſſionis facit Corn. *conſ.* 145. *lib.* 2. unde cùm accidiſſet poſt nuptias patrem infra trimeſtre mori, non perſoluta ſummâ, relicto filio unico univerſali hærede, qui poſt trimeſtre cœpit patrem ſummæ ſolvere ſorori recipienti. Reſpondeo, quòd vir ſolus non potuit præjudicare uxori in jure reditus jam acquiſito, nec ipſa ſi conſenſiſſet: quia minor præjudicare poterat in jure immobili, ſed oblata ſumma recepta, vendicare reditum, niſi frater vellet eam ad ſucceſſionem admittere. Idem in ſimilibus.

375. Non obſtat *d. l.* quamvis, de ſolutionibus, quia reſpondeo dupliciter. Primò quòd ibi pactum non ſpernitur ob *l. commiſſoriam:* ſed quia continet donationem inter virum & uxorem, quia ibi non apparet pactum exortum, nec in fraudem uſurarum, nec ad redimendam dilationem factum; ſed apparet quòd fuit ſponte ex intervallo pendente dilatione, quæ incerta eſt, nec in aliquo extenditur, vel differtur contemplatione pacti: & ſic illud pactum eſt merè gratuitum, & donationem continens inter eas perſonas prohibitam. Conſtat enim factum ſine alia cauſa, conſtante matrimonio, ibi *Vir uxori*, & ibi *Direpto, id eſt, poſtquam erit direptum.* Verum eſt, quòd Bart. ibi, & alii poſt eum, reprobant hunc intellectum, ſed malè reprobant. Dicit enim Bart. quod *d. l.* non diſtinguit, ſive morte, ſive divortio dirimatur matrimonium, & tamen quòd indiſtinctè rejicit pactum: & ſic non propter donationem prohibitam, quia confirmaretur morte, & ſic caſus præmorientis viri debuiſſet excipi, quod non eſt factum. ſed Bart. malè & incautè loquitur: quia oratio Severi, de confirmandis morte hujuſmodi donationibus, non ſpectat ad promiſſiones vel ſtipulationes, ſed ad reales & puras donationes traditionibus rerum factis: ſecus ſi vir ſtipulanti ſponderit, quia morte non confirmatur, licet vir in ea voluntate deceſſerit. textus in *l. Papianus de donatio. inter. vir. & uxo.* Pulchrè Paul. *conſ.* 138. *lib.* 1. Sed in *d. l. quamvis*, vir nil tradidit, ſed tantùm ſtipulanti uxori ſpopondit in futurum dare, & ubi de præſenti dediſſet, non tradidit: & ſic non erat metuendum, nec excipiendum de confirmatione per obitum. Et ſic ſtat rectè & tutè defenſus hic primus intellectus, qui etiam plenior & verior eſt. Confirmatur, quia conſiderandum eſt tempus. digeſtorum quo alter conjugum abo altero liberè ſeptem teſtibus adhibitis divertere poterat. *l. nullum. & per to. de divort.* Et ſic poterat uxor per illud pactum ſolicitari ad divortium, ut lucraretur prædia viri, vel illud pactum exigere, ne illico importunè diverteret, meritò illic reprobatum fuit, etiam circa conſiderationem legis commiſſoriæ. Secundò reſpondeo, quòd ibi poteſt illud pactum rejici propter odium legis commiſſoriæ, in quam incidit: & tamen non eſt in aliquo contra deciſionem ultimæ quæſtionis noſtræ.

376. Et adverte, quia omnes gloſſ. & Doctores, hallucinati ſunt: putant enim indiſtincte facilius admitti hoc pactum ex intervallo, quam in continenti: & quando ex intervallo, diſtinguunt, ut valeat ad excipiendum retinendo. ut *d. l. Titius.* non autem ad agendum *d. l. quamvis* quod eſt ineptum & contra rationem, ut ſatis ſuprà *num.* 363. confutavi. Dicendum, quòd in mutuo iſtud pactum odioſius eſt, & minus tolerandum, ſi apponatur ab initio, quam ſi ex poſtfacto: quia tunc ab initio major eſt ratio extorſionis & fragilitatis debitoris. Sed in aliis contractibus, ubi iſtud pactum non eſt contra naturam actûs, ſed eſt pars vel extremum legitimæ conventionis, ut in exemplis noviſſimis. Contrarium eſt, quia ab initio appoſitum valet, quoniam eſt pars legitimæ conventionis, & ceſſat materia, fraus, & odium *legis commiſſoriæ.* Sed ex intervallo poſt obligationem ad pecuniam purè ſemel acquiſitam, non valet regulariter, quia tunc incidit in legem commiſſoriam. Patet, quia non apponitur, niſi ad redimendam dilationem, vel nimis ſtrictam & rigidam exactionem debiti. Suſpenditur enim in futurum, caſu quo non ſolvatur in termino, interim autem facilè ſpectant debitores ſe ſoluturos, & ſic non expendunt valorem rei, nec an diſtrahere expediat, & ſpe fallente, in magnam captionem incidunt, quam debito oblato reſcindi æquum eſt, & hic eſt etiam propriè caſus *dicti l. quamvis.* Non obſtat, quòd ibi viro non tenebatur purè, ſed in diem incertum: & quòd nulla fuit dilationis prorogatio: quia ſatis eſt, quòd ſecundùm jura. *ff.* uxor poterat liberè divertere, & dotem repetere, & ſic vir tenebatur purè & quandocunque dotem reſtituere, ſi uxor vellet. Quare hoc metu, utque uxorem retineret & ne ſtatim cogeretur ea divertente, dotem reſtituere, impulſus eſt ad illud pactum, quod conſequenter incidit in legem commiſſoriam & meritò ſpernendum eſt. Et ſic multum errat. Bal. *novel. tract. de dot. par.* 6. *quæſt.* 54. & alii ubique, dum putant hoc pactum factum uxori à marito eſſe validius ex intervallo: quia contrarium eſt dicendum quod ab initio tempore contractus dotalis bona fide factum eſt validum, ſive ex parte dotem promittentis, ſive accipientis: quia tunc eſt factum ſponcanee, & ſine extorſione, & eſt pars legitimæ conventionis. At ex intervallo poſt obligationem acquiſitam, ſi fiat ad dilationem redimendam vel producendam, non valet, tanquam in fraudem uſurarum, & legis commiſſoriæ. Unde ſi poſt contractum matrimonium gener paciſceretur cum ſocru, quòd niſi perſolveret in termino, talis domus eſſet in ſolutum, ſpernendum eſſet pactum, ſalvo quòd poſſet valere ſecundùm naturam hypotheca, juxta *l.* 1. *Cod. de pact. pign. l. pactum vulgare. Cod. de pign. act.*

377. Plures alias quæſt. prætereo, ne nimis evager à principali materia noſtra, ad quam propius accedendo, quæro, An iſtud pactum caſu quo non valet, vitiet actum ſeu contractum principalem? Breviter de jure dicendum, quòd non, ſed duntaxat, vitiatur per textum in *l. fin. in fine Cod. de pact. pign.* ubi tantumdem hoc eſt, jus commiſſæ rei, ſeu commodum hujus pacti creditor amittit. Reliqua autem jura, etiam quò ad uſuras legitimas, & omnia acceſſoria ſalva manent, per *l. eos. in fine. Cod. de uſuris* cum aliis, ſuprà *quæſt.* 10. *in prin.* unde prima facie videretur quòd in terminis horum reddituum vulgarium non vitiaret, ſed tantum vitiaretur: tamen omnino dicendum, quòd ſi reditus ematur ad rationem duodecimæ, vel etiam quintædecimæ, pactum in eodem contractu appoſitum, quòd niſi redimatur infrà certum tempus, certus fundus debitoris, ſive hypothecatus, ſive non, cedat in ſolutum, ipſo jure vitiat, & annullat totum contractum: adeo ut ſi quæ penſiones ſolvantur, debeant in ſortem imputari. Ratio manifeſta, quia iſtud pactum implicat duo, primùm quòd non poſſit perpetuò liberè redimi ſed ſolùm uſque ad certum tempus: & iſtud licet quando ſolum eſt, non vitiet, ſed vitietur: quia eſt contra ſecundum caput tertii ſubſtantialis,

ut suprà *quæst.* 50. tamen junctum cum aliis, etiam quæ per se sola non vitiant, vitiaret. Secundum, quòd debitor omnino infrà certum tempus teneatur redimere, & sortem vel rem æquivalentem restituere: quod est directè contra primum substantiale negativum, quo sors nunquam debet posse repeti, quod vel solum in totum vitiat: quia ut sæpe dictum est, perpetua abalienatio sortis est de necessitate substantiali horum redituum, prædicto vili pretio constitutorum, & sic posse sortem repetere, vel ad redimendum cogere, aut rem quampiam in solutum cedere, tollit omne fundamentum & subsistentiam horum redituum, etiamsi debeat cedere in solutum pretio justo tunc æstimando, quia sic deberet reddi sors: secus si reditus esset emptus ad rationem vicesimæ, ut infrà *num.* 534.

378. Ex quibus patet hodie detecto horum reddituum elencho, funditus, & absque dubio, nullum esse contractum illum, quem latè discutit dominus Andræas Tiraquel. in *tract. retract. convent. in fin. quæst.* 24. de hujusmodi reditu pecunia empto cum facultate redimendi infra duos annos, & cum antichresi, dato, videlicet certo fundo creditori possessuro & percepturo interim fructus loco reliquorum, & cum pacto, quòd nisi debitor redemerit infra illud tempus, cedat ille fundus creditori in solutum. Et loquitur Tiraquel. de constituto ad rationem duodecimæ, ut exponit *in fin. d. quæst. num.* 142. nec clarè decidit, sed magis inclinat, subdubiè tamen, quòd totus contractus vitietur: sed minimè dubitandum, etiamsi esset emptus ad rationem quintædecimæ, cùm hic tria vitia concurrant. Primum, limitatio facultatis redimendi ad brevissimum tempus biennii. Secundum, pactum antichreseos, ut creditor per manus suas possideat, & fruatur. Tertium quòd debitor teneatur redimere, aut rem plus valentem perdere, quod pejus est: & duo alia ex abundanti, videlicet quartum, quod ad dictam redemptionem teneatur infra illud brevissimum tempus biennii: quintum, quòd antichresis cedat in solutum, non pro justo tantum pretio, sed absolutè: licet pluris valeat, quàm sit sors. Sed idem Tiraquel. in *eadem quæst. num.* 139. tenet indubitanter valere dictum reditum, si sit constitutus ex intervallo: puta quia pecunia primum fuit simpliciter mutuata, postea conversa est in emptionem reditus cum eisdem pactis, quod pariter est indubitanter falsum: quia quandocunque reditus hujusmodi constituatur, necesse est substantialia sita servari, & constitutos limites non egredi. Sed fortius tenuit dom. Tiraquel. non solùm enim dicit valere hoc ultimo casu, constitutionem reditus, sed etiam dicit simul cum ea valere omnia alia pacta, nec esse illicita: quod nedum falsum, sed intolerabile est. Idem Tiraquel. eodem loco *quæst.* 25. reliquit cogitandum, si sub eisdem pactis emanet reditus ad rationem quintædecimæ. Ex quibus facilè intelliges quàm fuerit necessaria, laboriosa hæc nostra nova & exactissima totius hujus materiæ dispunctio, utque semel Herculeos hos labores subirem. Neque enim mihi quid sentirem, exprimere satis erat: sed simul & inventioni, & judicio, & docendi & convincendi muneri insudandum fuit. Quid igitur dicemus in terminis, in quibus excitandæ cogitationis lectorum gratiâ formavi quæstionem nostram principalem in princ. videlicet quando in defectum solutionis reliquorum per quinque vel octo annos, certus fundus debitoris debet cedere in solutum? Breviter respondeo, quòd hæc sola clausula non vitiat, sed vitiatur. Ratio, quia debitor non cogitur directò & necessariò redimere, vel dare in solutum: sed solum sub certis conditionibus, quas de facili evitare potest: & ad hoc habet norabile intervallum, puta, quinquæ vel octo annorum. Potest etiam liberè perpetuò redimere, & interim bonis suis frui: quia nulla est antichresis, datio verò in solutum non apponitur redemptioni, nec fit in defectum redemptionis quocunque tempore, sed solùm in defectum solutionis reliquorum multorum continuorum annorum, & adhuc illa datio in solutum restricta est ad rem non majorem reditum afferentem, meritò illa clausula non vitiat, sed vitiatur: secus si alia concurrerent, puta acceleratio temporis, & quòd non posset redimi nisi usque ad certum tempus, aut alia vitia, ut in specie sequenti in qua consului.

QUÆSTIO LIII.

SYNOPSIS.

1. ***Pactum antichreseos non sufficit ut contractus ad nihilum reducatur.***

379. QUinquagesimo tertiò, Quidam Nivernensis anno 1532. pro septingentis nonaginta quatuor libris vendidit 76. libras reditus annui quem constituit & assignavit super decem libris reditus emphyteutici, sibi per alium super aliis prædiis debiti, & super aliis redditibus & censibus dominicalibus & certis fundis suis, & omnibus bonis, cum clausula, hypothecas perpetuò fore idoneas, de qua suprà *quæst. octava*, cum pacto redimendi semel, vel per duas vices ad summum, infra quindecim annos tantùm: quibus elapsis, teneretur emptori dare authoritates & instrumenta, vel copias exemplatas dictorum reddituum, censuum & prædiorum suorum, & facere creditorem illis frui per manus suas. Et casu quòd non sufficerent ad dictum reditum, promisit evictionem & supplementum ex reliquis hæreditis & bonis suis ad hoc etiam hypothecatis, & erat solutionis acceleratio sesquimensis. An teneat contractus, vel reductioni aut nullitati subjaceat? Prima facie videretur non esse nullus, sed moderandus ad rationem quintædecimæ, per notata suprà *quæst.* 10. quia licet sit modicitas pretii, tamen non est ultrà, sed paululum citra rationem decimæ. Licet etiam concurrat notabilis acceleratio temporis, tamen non est enormis, & adhuc ista compensari, saltem elevari possunt, pacto per duas vices redimendi. Cæterùm non est hic verè pactum legis commissoriæ, nec agitur de dando in solutum, & extinguendo reditum permutatione fundi, sed solùm est pactum antichreseos in certum eventum, & post quindecim annos: quibus lapsis non videtur debitor prohibitus ex forma contractus redimere reditum & antichresin una vice, licet facultas redimendi per duas vices non sit concessa, nisi ad quindecim annos. Sed illud pactum antichresis, etiam ab initio purè appositum, etiam simul concurrente modicitate pretii, citra tamen decimam sortis partem, ut hic, non sufficit ad annullandum contractum, sed solùm cum dicta modicitate ad reducendum ad rationem quintædecimæ, ut suprà *quæst.* 35. Igitur multò minus vitiare debet hoc casu, ubi non purè, sed post longum tempus & conditionaliter appositum est. Quòd si solùm pactum legis commissoriæ non vitiat, sed prorsus vitiatur, ut in *quæstione præcedenti*, *in fin.* multò minus pactum antichreseos vitiare debet, sed potius vitiari, vel ad simplicem moderationem cooperari. Sed his non obstantibus res-

pondi, contractum in totum annullandum propter quinque notabilia vitia simul concurrentia. Primum, notabilis modicitas pretii, quod est circiter ad rationem decimæ. Secundum, notabilis accelerario solutionis, ut pote sesquimensis. Tertium, restrictio facultatis redimendi ad quindecim annos. Licet enim infra illud tempus paululum amplietur, videlicet ut possit redimi per duas vices: tam hæc ampliatio modica utilitatis est, nec sufficeret ad tenuitendum aliquid de substantialibus, etiamsi esset perpetua. Denegatio verò redimendi postquindecim annos longè præponderat, & est contra substantiam hujus redditus, etiamsi esset justo pretio emptus: Et licet expressè non prohibeatur debitor redimere post quindecim annos, satis est quòd ei non permittitur nisi usque ad quindecim annos, ut peccetur contra substantialia. Quartum, astrictio ad redimendum per obliquum, qua non solùm facultas redimendi limitatur, sed etiam effectualiter compellitur debitor redimere, vel aliud longè majus inconmodum incurrere, quàm sit reditus excessivus. Si enim simplex pactum legis commissoriæ etiam de fundo æquipolleuti sufficit ad annullandum in totum hujusmodi reditum, etiam justo pretio constitutum, nec aliter vitiosum, per notata supra *num.* 377. igitur multò fortius pactum antichresis perpetuæ multorum hæreditorum longè præponderantium, quæ majus præjudicium secum trahit, vitiabit contractum pluribus aliis vitiis laborantem. Quintum, periculum perpetuum debitoris, quia per dictam licet perpetuam & præcisam antichresin non liberatur: nec ea antichresis stat periculo creditoris possidentis, sed periculo debitoris, qui tenetur perpetuò non solùm de evictione fundorum, sed etiam de eorum casu vel deterioratione. Hæc est summa consilii mei in dicta specie.

QUÆSTIO LIV.

SYNOPSIS.

1. *Tempore non coarctanda redimendi facultas.*

2. *Pacta possunt rescindi, salvo manente contractu.*

380. QUinquagesimo-quartò, ad majorem elucidationem, liber paucis explicare potiora puncta certæ causæ percelebris in qua scripsi. Petrus *Berrin* miles 14. Martii anno sesquimillesimo duodecimo vendidit Joannæ à *Gravilla* tunc viduæ magni Præfecti aulæ octingentas libras reditus annui perpetui, super omnibus bonis & hæredibus specialiter & generaliter, pro viginti mille libris, quæ est ratio trientis usuræ, prima solutione futura die secunda Februarii proxima, cum pacto, quòd pro perceptione reliquorum dicta creditrix possideret & frueretur castro, jurisdictione, territorio, & appenditiis terræ vulgo nuncupatæ *le Fay*, spectantis ad debitorem, ita quod posset creditrix & habitare, & omnes quoscunque fructus & reditus, & jurisdictionis, & prædiorum, vinearum, pratorum, stagnorum, & sylvarum cæduarum, censuum, & subfeudorum nomine suo per manus suas percipere, & suos facere, ligna etiam ad comburendum, & usum in sylva non cædua capere: & hæc prima clausula aggravans. Et cum pacto (ne creditrix & sui inquietarentur in libera fruitione dictæ terræ & pertinentiarum) quòd super ea sorte viginti millium, primitus dilluerentur omnes reditus, cum reliquis & omnes obligationes debitæ & constitutæ per debitorem vel prædecessores suos, super dictis locis, ut ab omni hypotheca primitus purgarentur: & hæc secunda clausula. Et cum pacto unius facultatis redimendi usque ad octo annos duntaxat: & hæc tertia clausula. Et cum pacto, quòd tempore redemptionis nulla fieret deductio de eo quod reditus dictæ terræ singulis intermedüs annis supervaluerint reditu convento: & hæc quarta clausula. Et cum pacto, quòd nisi debitor redimeret infra dictos octo annos, tunc dictum castrum cum dictis omnibus suis appenditiis cederet in solutum, & spectaret ad creditricem & suos, in perpetuum hæredium, & debitore ad evictionem obligato: & hæc quinta clausula, cum multis aliis clausillis solitis, & insolitis, quas brevitatis causâ, & quia non sunt tanti momenti, prætereo. Reditus communes & annui dictæ terræ valebant ferè, duodecimam sortis partem, videlicet circiter mille sexcentas libras annuas, plus minus, & progressu temporis eo perunt plus valere. Terra autem ut erat commodè sita cum omni jurisdictione in duplet infantia, & magnis appenditiis, quinquaginta circiter millibus valere potuit. Creditrix autem semper prorogavit facultatem redimendi, donec anno sesquimillesimo 27. debitor impetratis ad hoc Cancellariæ literis egit ad declarationem nullitatis contractus & restitutionem terræ, fructibus in sortem imputandis & restitutionem fructuum sortem excedentium, & æstimationem lignorum grandium arborum per eam vel secundum ejus virum (cui interim nupserat) indebitè cæsarum, damnis & interesse tam deteriorationis ædificiorum quàm demolitionis sylvarum non cæduarum. Tempore disputationum juris, actor consilio & opera mea usus est, plures nullitatis causas Advocati partibus fungens amplificando & urgendo singulatim, ad duodecim usque colligens ex eo contractu & circumstantiis negotii.

381. Primùm urgebam accelerationem sesquimensis, sed hoc leviculum erat in reditu tam grandi pretio empto. Secundò urgebam aliam accelerationem, quia in consequentiam antichresis rea mense Junio percipiebat fœna pratorum, mense Julio segetes, in Autumno vina, census & reliquos reditus, & sic ferè infra medium annum, à die contractus, erat habitura plus duplo quàm esset reditus conventus. Sed certè nec illud erat considerabile sub nomine solius accelerationis; quia etiam in reditu duodecimæ non fuisset virium stipulari quotam partem reditus singulis mensibus vel trimestribus, sed multum ponderis habet, in quantum fructus plus duplo excedunt reditum conventum, & ascendunt circiter ad duodecimam sortis annuam. Tertiò ex his inferebam modicitatem pretii, quia licet rea verbis tenus fingeret emere reditum trientarium, tamen re vera, factis ipsis, emebat reditum majorem duodecima. Pater, quia non fuit contenta reditu trientario, etiam tuto collocato, sub idonea hypotheca, sed voluit præcisè habere per manus suas copiosos reditus, ferè duodecimam æquantes, etiam intuito contractus in specie, simul cum mitigi antichresi, fruitione castri, habitatione, honore jurisdictionis cum teliquis commodis quæ simul excedebant utilitatem simplicis duodecimæ pretii conventi. Quartò ponderabam limitatam facultatem redimendi ad octo annos duntaxat, quæ auget æstimationem reditus, & elevat pretium. Quintò quòd pretium non erat liberum, nec sit mera facultate debitoris, sed in certam impensam prius destinatum, cum jure retentionis, idque nominatim in favorem creditoris, ut cantant verba contrac-

tus, videlicet ad id, ne ipsa inquietaretur in libera possessione antichresis, & perceptione fructuum, ut ante omnia omnes hypothecæ quibus dicta terra tenebatur, dissolverentur de pretio, quod creditrix poterat ad hunc finem retinere, nec tenebatur solvere debitori nisi residuum. Sexto, urgebat formale pactum *legis commissoriæ*, quòd nisi redimeretur infra dictos octo annos, tota dicta terra cederet in solutum, & sic non solùm debitor non poterat liberè & perpetuo redimere, sed etiam tenebatur etiam infra modicum tempus octo annorum redimere, vel longè deteriorem conditionem subire. Septimò, quòd in casum hujus commissi obligabatur debitor ad efficiendum terram cum suis appenditiis, ab omnibus hypothecis & oneribus liberam, exceptis feudalibus duntaxat, & de evictione sub hypotheca omnium bonorum. Octavò, magnum valorem dictæ terræ, quæ ferè triplum, & omnino ultra duplum pretii valebat, & sic non solum obligabatur ad redimendum, sed etiam obligabatur ad hoc sub pœna dupli vel tripli. Nonò, urgebam quòd in casum redemptionis pactum erat, quòd nihil deduceretur de supervalore fructuum, nec haberetur ratio cujuscunque excessus fructuum, quantacunque summâ singulis annis excessissent reditum conventum, & sic rea in omnes eventus sive redimeretur, voluerat esse certa de lucro, & non solùm de lucro, sed etiam de lucro excessivo & illicito, utpote supra æstimationem simplicis duodecimæ. Decimò, alia clausula, quòd rea posset scindere sylvas cæduas ad sui commodum, & adhuc pro suo usu & suorum capere ligna in altis nemoribus, sine ulla horum deductione in casum redemptionis. Quasdam alias suspectas & insolitas clausulas ex tenore contractus, & ex circumstantiis personarum & negotii urgebam, quas brevitatis causâ omitto. Et obtinui per sententiam Præsidis Parisiensis prædictum contractum declarari nullum, & ut talem restituendum actori: rea condemnata discedere à dicta terra & pertinentiis, pati actorem possidere & fructus colligere, & æstimationem grandium arborum per eam cæsarum, damna & interesse deteriorationis ædificiorum, restituendo tamen per actorem sortem viginti millium per eam solutorum actori, vel alias ad ejus liberationem. A qua sententia non solùm rea appellavit, sed etiam procurator debitoris, qui tamen ipsa actu die appellationi renunciavit, & nihilominus etiam post conclusionem causæ in mistantia appellationis admissus fuit appellans ad appellandum, & deducendum causas appellationis, ex eo quòd rea non fuerat condemnata in damna & interesse demolitionis altorum nemorum, & ex eo quòd actor erat condemnatus simpliciter ad sortis restitutionem, & non alternativè ad restituendum sortem, vel deducendum illam super fructibus, damnis & interesse per eandem sententiam sibi adjudicatis, vel adjudicandis.

Arestum. 382. Tandem Arresto Supremi hujus Senatus emendata fuit sententia respectu utriusque partis, respectu rei in hoc, quòd non fuit contractus in totum annullatus, nec omnia computata in sortem, sed salvo redditu convento inter se, reliqua omnia vitiosa pacta rescissa: respectu vero actoris in hoc, quod illa damnata fuit in damna, & interesse demolitionis altorum nemorum facta per virum, cui interim secundo nupserat, & adjectum, quod super sorte principali deducerentur fructus dictæ terræ & pertinentiarum, in quantum excedebant reditum conventum, & similiter æstimatio dictarum grandium arborum cæsarum.

Arestum. Postea per aliud Arestum super executione prioris, facta liquidatione supervalentiæ fructuum & grandium arborum cæsarum ad decem mille libras, dictum fuit, quòd non curreret, nec deberetur nisi dimidia pars reditus conventi, videlicet quadringentæ libræ annuæ, a tempore quo constitit eam habuisse dictas decem mille libras ex supervalentia fructuum, & æstimatione grandium arborum, quasi ex tunc redemptione vel exunctione reditus facta pro parte. Quæ Aresta summè laudavi, prout sunt & fuerunt justissima & æquissima, nec prudentius aut justiori temperamento decerni potuisset.

383. Quantum ad primum Arestum, licet concurrerent velut plaustra vitiosarum pactionum, quarum una sufficeret ad annullandum reditum duodecimæ: & quamvis in effectu reditus non esset trientarius, quia noluit creditrix remanere in illis terminis, sed in effectu erat ad rationem duodecimæ, vel graviorem, propter concursum tantæ, tam præcisæ antichreseos, & ejus fructuum, & sic de rigore contractus potuisset in totum annullari, per notata supra *quæst.* 80. & quia iste contractus videtur durior quàm emptio fundi, de qua suprà *quæst.* 56. vix enim pretium ascendebat ad tertiam partem communis valoris dictæ terræ: Tamen quia contractus incipiebat ab emptione reditus levissimi infra semissem duodecimæ, videlicet ad rationem unius annui in viginti-quinque, æquissimum fuit mitius agi cum tali emptrice, nec contractum ad eundem rigorem admitti, atque emptiones formaliter factas ad rationem duodecimæ. Tunc satis constabat actorem, qui erat prudens, & Lemovicus natione, plus commodi consecutum ex interusurio dictæ pecuniæ, vel lutione redituum, quos tempore contractus debebat, quam esset simplex commoditas tam levissimi reditus, trientalem usuram non excedentis. Quare non solùm æquum, sed justum fuit, saltem istud levissimum commodum, trientarium duntaxat, creditrici servari, juxta *l. placuit. de usur.* cum similibus, quas in hoc casu, & simili servari æquum est. Idem puto, si reditus fuisset emptus ratione quincuncis legalis usitatæ, videlicet unius annui in viginti: & generaliter quanto creditor leviorem reditum stipulatus est, tanto benignius cum eo agi æquum est, si quid peccatum sit. Sed si hoc casu reditus fuisset emptus infra rationem unius in viginti: putarem prorsus annullandum, propter nimiam multitudinem vitiorum, & illicitarum clausularum simul concurrentium: secus si non essent tot simul vitia, in quo certa regula dari non potest, cùm in plena totius particularis cujusque negotii æquitate consistat, quæ pro infinitis circumstantiis alia est atque alia, non in se (quia semper in se eadem ubique est, & apud omnes, ut pulchrè & divinè scripsit Cicero in *lib. 3. de rep.* qui mendosè rep. incommodo periit, sed divinum illud fragmentum refert Lactantius in *tract. super Iræ Pythagoræ*) sed pro subjecti casus varietate, ut juxta Aristotelem. *Ethic. lib. 1. bonus & prudens judex æstimabit.* Quantùm ad secundum Arestum, quamvis ex in reditu non est annullandus, etiamsi moderandus sit, non debeat regulariter dividi, nec pro parte redimi, ut supra *quæst. 19. num.* 150. agitur multò magis, quando nulla in se moderatione indiget, ut hic. Tamen justissimè decrevit Senatus, tum quia, quòd hic reditus non fuit annullatus, summa fuit æquitas, per prædicta, tum quia creditrix dum penes se habuerat illas decem mille libras vel æquipollens: unde cùm exigat commodum à debitore de sorte data, æquum est ut & ipsa æquale commodum eidem pendat, vel deducat de pecunia, quam ab eo injuste retinuit: & sic juste velut quadam compensatione, vel redemptione brevi manu utilitatis gratiâ factâ, reditus etiam retro divisus fuit, videlicet à tempore quo compensari vel repetari jus illum erat. Videtur in tota hac quæstione ut pote prudentissimi nostri Senatus authoritate justissimè & æquissimè decisa, non disputantis, nec decidentis, sed simplicis recitatoris partibus, submisse & bona fide functus sim, decidendi rationibus quam

Æquitas ubique & semper eadem.

quàm breviùs & clariùs potui aſperſis, ut rectè conſulendi & judicandi artem diſcere cupientibus perpetuò ſint uſui. Et lata fuerunt dicta Arreſta circa annum Domini ſeſquimilleſimum trigeſimumquintum.

QUÆSTIO LV.

SYNOPSIS.

1. *Debitor ob id quod offert uſurarum continuationem, debiti ſolutionem non rectè recuſat.*
2. *Pactum irritum, quod contra bonos mores initur.*
3. *Expuncta negatio* l. qui Romæ. De verb. oblig.
4. *Vſuræ non debentur niſi in ſtipulationem deductæ.*

384. QUinquageſimo-quintò, juxta notata ſuprà *quæſtione* 52. Quid dicemus de quæſtione quam tractat Accurſius in *leg. qui Romæ. in princ. de verbor. obligat.* & in *leg. ult. Cod. de pact. pign.* Si quis accepit mutuum ſub uſuris, cum pacto, ut uſque ad annum non ſolvat, An poſſit priùs ſolvere offerendo uſuras præteriti temporis pro rata? Et decidit quòd non, niſi totius etiam futuri temporis uſuras offerat. Et quid ſi etiam dederit fundum in antichreſin, ut creditor fructus vice uſurarum caperet, cum pacto, ut non liceat luere in eo anno? Et dicit valere pactum, & quòd non licet priùs luere niſi conventum eſſet, quòd non liceret in perpetuum luere, vel ante triginta annos. Et ſequuntur Bart. Alberic. Angel. Paulus, uterque Imol. Jaſon, & omnes in *d. l. qui Romæ. in princ.* Bald. & alii in *d. l. ult. Cod. de pact. pignor.* uterque Imol. Jaſon, & alii, in *l. qui pecuniam. ſi cert. pet.* Ita etiam eſſe de jure civili intelligit Laurentius de Rodulph. in *tract. uſur.* & Anton. in *ſumma parte 2. tit. 1. cap. 7. §. 14.* Illud etiam pro indubitato habent gloſſ. & Doctores in *d. l. qui Romæ.* quòd ſi debitor mutuetur centum vel altam ſummam ſub uſuris, poteſt aliquot menſium vel futuri temporis uſuras ab initio ſolvere, vel de ſumma mutuata deducere, & nihilominùs current uſuræ pro rata totius ſummæ, deducto ſolo tempore, pro quo jam ſolutæ uſuræ. Nonne videntur intemperiis acti, qui tam fœdè erraverunt? Sed adhuc hanc erroneam duritiem exacerbaverunt Doctores in *d. l. qui Romæ. in princ.* Jac. Butrig. & alii. in *l. qui pecunia. in fin. ſi cert. pet.* dum reprobantes diſtinctionem Accur. ibi, communiter tenent, quòd etiam ſi debitor velit alium æquè idoneum debitorem dare creditori, qui ſe obliget de ſolvenda ſorte cum uſuris, non tenetur creditor acceptare, nec poteſt debitor ante tempus ullo modo liberari, niſi totius etiam futuri temporis uſuras ſolvendo. Nos verò dicimus, primò quòd jure civili benè invenitur expreſſum, quod debitor non poteſt detrectare ſolutionem ſortis, licèt offerat continuare uſuras. *l. fin. in fin. Cod. de jure dot.* niſi hoc expreſsè conceſſerit creditor, ut non teneatur debitor reſtituere ſortem, quandiu uſuras præſtabit. *l. item quia. §. fin. de pactis.* Sed nullibi reperitur in jure, quòd debitor nequeat ſe liberare ab uſuris futuris, offerendo ſortem cum uſuris præteritis pro rata temporis, nec quòd hoc paciſci poſſit. & ſic gloſſ. & Doctores ſine lege, ſine ratione locuti ſunt: imò contra jura, rationemque manifeſtam. Eſt enim juris exploratiſſimi, quòd uſuræ, etiamſi jure actionis debeantur, ſunt tamen acceſſio obligationis principalis, & velut ejus fructus. *l. uſuræ vice fructuum. de uſur.* unde neceſſariò regulantur ſecundùm obligationem principalem: qua ſublata in totum, vel in parte, ipſo jure nullæ currunt uſuræ, niſi pro rata debitæ ſortis duntaxat. Et ſicut congrua oblatio debiti obligationem principalem elidit, ita elidit uſuras futuras, & omnia pacta acceſſoria. *l. cum principalis. de reg. jur.* ſentit Bal. in *l. pactum vulgare. Cod. de pignor. actione*, imò ſola congrua oblatio debiti principalis ipſo jure impedit curſum uſurarum futurarum, etiamſi jure actionis cœperint currere: quia non debentur niſi ſub ea conditione, ſi ſors non ſolvatur: quia conditione per congruam oblationem deficiente, ipſo jure non naſcitur obligatio uſurarum temporis ſequentis, licèt omnes gloſſæ & Doctores adverſque contrarium tenuerint & peſſimè, & clarè evicimus: ſuprà *quæſt.* 59.

385. Supereſt de pacto, ne debitor ſolvere & ſe liberare poſſit, ſaltem uſque ad certum tempus: ſed clarum eſt de jure, quòd non valet in materia uſuraria, quia jure civili nullæ currunt, nullæ tolerantur uſuræ, niſi pro rata temporis & ſortis, ut ſemper libera ſit facultas debitori ſe liberandi ab uſuris futuris, etiam ipſo jure, & per ſolam congruam oblationem. *d. l. qui Romæ; §. Seia. leg. ſi creditrici. Cod. de uſur.* cum aliis, ſuprà *quæſt.* 29. Et ſic pactum contrarium ipſo jure non valet, imò deducit ad fœnus improbum, & authori ſuo infamiam inurit, *leg. improbum, Cod. ex quibus. cauſ. infamia irrog.* Patet quia tetrius & improbius eſt tale pactum facere, quàm ſupra modum conceſſum, & ſic improbum fœnus ſtipulari: igitur illud non minus, ſed magis infamiâ maculat. Quinetiam extra materiam uſurariam non valet pactum, quod debitor ſolvendo non poſſet ſe liberare, niſi ad beneplacitum creditoris, ut decidit Paul. in *l. item quia. in fin. de pactis.* Sed tale pactum nullum eſt, & improbum, non ſolùm propter fraudem uſurarum, ſed etiam quia contra bonos mores: tendit enim ad fovendam malitiam, fraudem & avaritiam, & ſic ipſo jure non valet. *l. pacta quæ contra. Cod. de pactis. l. jus gentium. §. prætor. aut. de pactis. l. illud convenire ff. de pact. dotal.* Tum etiam quia contra publicam utilitatem, cùm publicè interſit homines liberos eſſe à debitis, & ſic non valet, tanquam contra id quod publicè intereſt. *l. de die. cum leg. ſeq. de pact. dotalibus* & tanquam derogans libertati & naturali facultati, quàm quis abdicare non poteſt. Et ita rectè conſuluit Paul. *conſil.* 144. *Pactum iſtud lib.* 2. licèt idem Paul. aliter ſentire videatur in *d. l. qui Romæ in princ.* quem Alexand. ibi ſequitur, reprobans dictum Pauli in *d. l. item quia in fine.* & malè. Quòd ſi reprobantur pacta, actiones & ultimæ voluntates, quibus ædificia urbis deformantur. *l. gemma. ad exhib. leg. 2. §. ſi quis nemine. ne quid in loco publ. l. cætera de lega.* 1. multò magis hæc pacta, quibus perſonæ ipſæ deformantur, & cuidam ſervituti ſubjiciuntur.

Non valet pactum impediens facultatem ſe liberandi.

386. Quòd autem pro abſoluto habent omnes gloſſ. & Doctores in *dicta l. qui Rom. in princip.* creditorem poſſe ab initio futuri temporis uſuras

Error gloſſ. & Doctorum.

quasdam recipere, earumve gratiâ de sorte detrahere, sine diminutione sortis & usurarum futurarum, deductis prærogatis duntaxat, est contra omnia jura in materia usuraria, quæ volunt ipso jure non currere usuras, nisi ad modum concessum, & pro rata sortis, quæ cum effectu pervenit ad commodum & usum debitoris. *leg. pecunia fœnebris leg. placuit de usur.* ita quòd si quid initio quacunque ratione detrahatur de sorte, necesse est usuras non currere, nisi pro rata residui. *l. eos. in fin. Cod. de usur.* Tum regulariter nullæ usuræ solvi possunt ab initio, cùm non debeantur nisi sub conditione quæ nondum extat, ut suprà *numer.* 301. Sive igitur initio debitor quid de suo solverit, sive de sorte detraxerit, usurarum futurarum nomine, tanti necesse est sortem ipso jure minui, & pro rata residui duntaxat usuras currere. Ex quibus liquet quòd glossæ & Doctores in hac materia usuraria nihil penitùs intellexerunt, nec in significatione terminorum & vocum, primùm ab Hermolao Barbaro detecta, nec in decisione & sententia juris, quam suæ luci & puritati restituimus. Cæterùm nihil est in toto jure, nec iota quidem, quo gloss. & Doctores à tam supinis erroribus (quos de suo invexerunt) excusari possint: quia primò de dicto pacto non luendi nullum verbum in *d. l. qui Romæ.* nec in toto jure, nisi contra ineptam eorum sententiam. Quinimò *dicta l. qui Romæ. in princ.* directò probat contrarium, secundum communem, receptam, & veram literam, quam ipsimet & omnes concorditer sequuntur. Accursius enim in verb. *integram* refert, quòd quædam alia litera habet (& non integram) quæ ut est directò contraria communi & perpetuò receptæ literæ, ita prorsus inepta est & adulterina: faceret enim *dictam l. qui Romæ*, contrariam æquitati, & reliquis omnibus legibus usurariis, nisi reliquam *d. l* literam violenter impropriando, prout ibi Accursius facere nititur, sed supervacuò: quia dicta litera negativa nunquam fuit recepta, nec sanum intellectum menti legum consonum admittere potest: nec opus est ulteriùs circa literam immorari, cùm necesse sit sequi affirmativam, communem, veterem & ab omni ævo inconcussè receptam literam, cui etiam litera Norica Haloandri consonat, & hac retenta, mirum est glossas & Doctores adeò deliraße, ut clarum & simplicem legis sensum præposteris commentis suis prorsus perverterint, ut propè dubitem, an socordia magis, an verò perfidia, studio videlicet leges obscurandi (quod aliqui sceleratè & tyrannicè jactant) laboraverint.

Novus intellectus l. qui Romæ in princ.

387. Ut igitur τὸν γνήσιον, intellectum restituamus, accipe speciem liquidam & simplicissimam, nihil addendo nec detrahendo, sed omninò κατὰ τὸ ῥητὸν καὶ τὴν διάνοιαν, juxta literam pariter & mentem legis. Titius mutuatus est mille à Caio Romæ, quæ promisit ei solvere post tres menses Lugduni per solemnem stipulationem, tamen Caius non numeravit Titio integra mille, sed retinuit aliquid pro usuris illorum trium mensium, putà viginti, pro usura bessali proximi trimestris: vel si Caius numeravit integra mille, illicò Titius de summa recepta, vel de alia, non refert, solvit aliquid Caio pro usuris futuris proximi trimestris, putà viginti, quæ est ratio bessalis, & magis verisimilis usuræ, quæ erat suprema & magis frequentata tempore digestorum nec aliter pepigerunt de usuris, quia sperabat Caius futurum, ut post trimestre sors sibi vel suis solveretur Lugduni juxta stipulationem, & interim satis sibi, saltem per retentionem, cautum putabat de dictis usuris prærogatis. Quare non fuit sollicitus aliter pacisci de usuris: vel si pactus est, nudo tantùm pacto convenit: vel si quid aliter convenit de usuris, nullo modo constat, quare pro nullo vel omisso habetur, prout nec de hoc quicquam haberur in themate, cui nil addo vel detraho, & in quo tria tantùm simul gesta narrantur. Primum, mutuum certæ summæ, putà mille. Secundum, stipulatio dictæ summæ post tres menses in certo loco remoto solvendæ. Tertium, retentio partis sortis pro usuris, vel alia prærogatio futurarum usurarum, quod idem est. Hoc facto, post paucos dies qui non possunt intelligi de mense, sed de octo, vel decem, vel quindecim ad summum diebus, & eisdem partibus adhuc Romæ in loco contractus existentibus, Titius sive pecunia aliunde recepta, vel alia quacunque causa, mutato proposito, obtulit Caio nongenta octoginta coram testibus, videlicet sortem integram, deducta summa, quam Caius usurarum nomine retinuerat, vel quam Titius ei prousuris ab initio prærogaverat, & in effectu summam ab eo verè receptam. Caius autem recipere noluit, & lapso trimestri, petit mille sibi solvi Lugduni, certi condictione ex stipulatione. Titius excipit se dudum congruè obtulisse quod debebat: de oblatione verò & ejus qualitate, & reliqua totius facti prædicti serie constabat. Ideò status causæ juridicialis erat, & totius rei cardo super validitate & sufficientia dictæ oblationis versabatur, quæ consistebat in duobus: Primum, an fuisset sufficiens in quantitate oblata. Secundum, an in qualitate, videlicet ratione loci & temporis. Circa primum, expeditum erat oblationem fuisse sufficientem: quia in mutuo impossibile est contrahi obligationem ultra quam verè mutuatum sit. *l. si tibi decem. in principio. de pactis. l. regasti. §. si tibi. si certum petatur. leg. hactenus. in fine. de constit. pecunia. leg. cùm ultra. Cod. de non numerata pecunia.* Sed Caius verè non mutuavit mille, quia retinuit viginti, & in effectu non mutuavit, nisi nongenta octoginta, quæ solùm debentur. Non obstat stipulatio de mille, quia ex quo in veritate constat non esse mutuata nisi nongenta octoginta, non possunt plus in effectu deberi, nec præsumitur animus donandi, & stipulatio regulatur secundùm naturam rei, super qua interponitur. *l. si stipulatus. de usuris. leg. si legati. de legatis, primo* cum aliis suprà *numer.* 83. Et hoc nisi allegatum fuisset, & constitisset stipulationem factam de pluri, propter verum & justum interesse Caii, & quòd tantùm ejus interfuerat, quantum stipulatio excedit, quod est novum factum, non allegatum, nec probatum, & de quo non erat quæstio: sed solùm an Titius obtulisset integrum debitum, & quantum verè debebat, de quo constabat quòd sic, & sic quantum ad hoc oblatio erat notoriè sufficiens. Quare nec de hoc fit quæstio in hac lege, imò habetur pro indubitato, & præsupponitur oblationem fuisse sufficientem, quantum ad summam oblatam. Patet in textu ibi, cùm integram summam ad quam obligatus est, obtulerit. Quæ verba non referuntur ad factum, videlicet ad formulam cautionis seu stipulationis, quæ erat de mille, sed referuntur ad jus, quod ex facto oritur, & de quo jure tantùm agebatur, non de summa verè debita, ad quam Titius erat verè obligatus: & cùm totam eam summam obtulerit, meritò relinquitur primum illud caput tanquam indubitatum, & transitur ad secundum, formando quæstionem de quantitate oblationis duntaxat, videlicet. An fuerit sufficiens, vel non, in quantum facta est alio tempore & loco: an integrum debitum, videlicet nongenta octoginta possint sua die & loco conventis peti, non obstante dicta oblatione tanquam incongrua ratione loci & temporis? Et respondet Scævola quòd sic, videlicet debitum peti posse sua die & loco conventis, non ergo respondet (ut dixi)

de quantitate debiti, vel ſumma petenda, de qua non reſtabat dubium : ſed ſolùm ſuper loco & die ſolutionis, ſuper quo ſolùm formatur quæſtio in textu. Ratio autem dubitandi erat, primò, quia oblatio fuerat integra & ſufficiens, quantum ad ſummam debitam & oblatam : ſecundò, quia erat aliàs (videlicet citra locum & tempus) debitè facta creditori præſenti & recuſanti : tertiò, quia erat facta infra paucos dies à contractu, & ſic non videbatur Caius habere probabile intereſſe ad recuſandum. Quibus non obſtantibus, reſpondet quòd juſtè recuſare potuit, ratione loci & temporis incongrui, quæ fuerunt veriſimiliter appoſita favore utriuſque. Et dato quòd ab initio fuiſſet appoſita favore ſolius debitoris) de quo non conſtat, nec in dubio præſumi debet (adhuc tempore oblationis poterat intereſſe creditoris, quia oblatio & pœnitentia debitoris non erat in continenti, ſed poſt intervallum (licet breve) infra quod potuit creditor miſiſſe ad locum deſtinatum, vel aliter diſpoſuiſſe de debito ibi per ſe, vel alios mandàtum vel ceſſionem jam habentes eóque proficiſcentes, recipiendo. Quòd ſi non licuit debitori mutare propoſitum, niſi ſaltem oblato intereſſe, quod non fuit oblatum, meritò rectè concludit Scævola, quod non obſtante dicta oblatione, poteſt creditor petere pecuniam mutuatitiam & debitam, die locóque conventis, & quòd tenetur debitor ibi ſolvere. Ecce caſum liquidum & genuinum dictæ legis nativæ ſuæ puritati nunc demum reſtitutæ. Quòd ſi reliquæ ſingulæ leges pari ſtylo eſſent explicatæ, & rurſus omnes cum legalis æquitatis methodo, quam jam olim ſpeculamur, & quantum per negotia licèt, proſequimur, in manibus haberemus, & fœliciter experiremur aureum illud & optatiſſimum, ſed multis jam ſæculis non tam deſideratum quàm deſperatum Neratij *πραμάτιον*, jus (ſanctiſſimam videlicet illam, & divinam artem boni & æqui) finitum eſſe, & poſſe, & debere. Mihi verò non ſolùm ſtipendiis propriis militandum eſt ; ſed etiam, licèt ex peculiato, tributa pendenda, continuæque calamitates miſeræ hujus deſpotiæ præferendæ magno ſtudiorum meorum detrimento.

Jus finitum.

388. Sed ad rem, forſan objiciet aliquis, quòd nil hîc dicam de uſuris. Reſpondeo, nec lex de hoc quærit, nec decidit aliquid, ſed tantùm duo expreſſim decidit : Primum, tanquam expeditum & indubitatum, videlicet quòd uſuræ ab initio mutui deductæ, vel prærogatæ, ipſo jure minuunt ſortem, ita quòd reſiduum duntaxat remanet mutuatum & debitum, etiamſi totius prioris ſummæ fuerit facta promiſſio per ſtipulationem ſolemnem : quia ſtipulatio non facit extendi obligationem mutui, ſed tantùm corroborat ; nec impedit exceptionem pecuniæ non numeratæ, vel in factum, ſi tota ſumma in ſtipulatione comprehenſa, non ſit cum effectu numerata, & hoc conſtat, ut hîc conſtabat, & eſt caſus rotundus in *l. cùm ultra. C. de non num. pecun.* Secundum, quod videbatur dubium, & hîc expreſsè ad interrogationem conſultoris deciditur, eſt, quod capiens mutuum, & promittens ſolvere certo alio loco & tempore, non poteſt poſteà, licèt infra paucos dies, mutare propoſitum, in præjudicium creditoris : nec illi invito ſolvere in loco contractus : & ſi ibi obtulerit poteſt nihilominùs ſua die & loco conventis conveniri ad ſolutionem, non obſtante priore oblatione, tanquam incongrua, ratione loci & temporis. Hæc duo dumtaxat clarè & liquidè decidit hæc lex in ſui principio. Cæterùm an aliquæ uſuræ debeantur de ſumma effectualiter numerata, nihil hîc decidit, quia de hoc non fuit quæſitum, nec aliquid dictum in themate. Ideò inquirendum erat de veritate facti ſine eo articulo, deinde incurrendum ad alia jura : per quæ apparet, quòd ſi non fuerit aliud actum, quàm quod hîc recitatur in themate, nihil debetur uſurarum nomine, quia nil fuit conventum, & dato quòd fuiſſet conventum de certis uſuris, non ſufficeret, niſi fuiſſet deductum in ſolemnem ſtipulationem, quod non fuit actum, igitur quia ſumus in mutuo, *l. quamvis Cod. de uſur.* Quòd autem creditor ſibi cavere voluit, retinendo partem ſortis pro uſuris futuris, vel aliter recipiendo ab initio pro futuris uſuris, nihil egit, tum quia uſuræ nondum debebantur ; tum quia impoſſibile eſt incipere aliquas uſuras currere, niſi pro rata ſortis verè & efficaciter datæ debitori, & ejus uſibus relictæ. Et ſic ſumma recepta vel deducta ab initio uſurarum nomine, neceſſario in ſortem imputatur, eámque diminuit : quia impoſſibile eſt, quòd incipiant aliquæ uſuræ currere niſi pro reſiduo, & adhuc pro illo reſiduo non poſſunt deberi niſi per expreſſam ſtipulationem. Et ſic in caſu *dictæ l. qui Romæ, in princ.* nihil erat, nec eſt dicendum de uſuris. Quod autem dicitur per retentionem uſuras ſervari poſſe, tunc demum verum eſt, quando ſolutæ ſunt poſt tempus quo deberi poterant, & quando ſaltem nudo pacto debebantur, ut in *l. 1. & l. per retentionem C. de uſur.* aliàs in ſortem imputantur, vel repetuntur.

Stipulatio non extendit.

389. Quòd ſi quis objiciat, tum creditorem fore deluſum, & fruſtratum juſto & probabili intereſſe, cujus loco putabat ſibi cautum per prærogationem uſurarum, & tamen nec uſuras, nec intereſſe habet, ſed utramque perdit. Reſpondeo, quòd in hac lege nullum verbum, nulla quæſtio, nulla deciſio de eo quod intereſt, nihil etiam per hanc legem præjudicatur, ſi fuiſſet de intereſſe conventum, vel ſi debitor fuiſſet in dolo, ſed tunc ad alia jura recurrendum eſſet. Vnde ſi hoc caſu debitor de facto non ſolvat die & loco conventis ſummam effectualiter mutuatam, actio erit arbitraria in id quod intererit creditoris, *l. aut ſi mutua. de eo quod cert. lo.* Alioquin nullum debetur intereſſe hoc caſu, propter interuſurium trium menſium, etiamſi creditor vellet probare de intereſſe : quia non fuit conventum, nec debitor interim fuit in mora, nec dicta ſtipulatio facta eſt de pluri, ad compenſandum verum intereſſe, de quo non fuit actum, nec cogitatum, nec etiam fuit facta ad acquirendum uſuram legitimam. Et quamvis fortè putaret creditor, hoc modo uſuram conſervari, licèt erraret in jure, hic error ſibi non prodeſt ad lucrum uſuræ conſervandum, vel acquirendum, *l. juris ignorantia ff. de jur. & facti ignor.* & impoſſibile eſt uſuram haberi per prærogationem, ſed neceſſe eſt quòd ſucceſſu temporis ſerpat pro modo ſortis : aliàs ſi prærogetur, neceſſariò cadit in ſortem, vel repetitur, nec poteſt creditor in aliquo relevari, ex eo quòd inconſultè ſibi cavit, errando in jure, quia certaret de lucro & de acquirendo. *d. l. juris ignorantia* ; ſed dicta ſtipulatio directò facta eſt ad augendam obligationem principalem ſortis mutuatitiæ, quod eſt impoſſibile. *d. l. tibi decem. in princ. cum ſimilibus.* Et ſic quod potuit, ſcilicet ſtipulari uſuras legitimas & earum ſolutionem expectare tempore ſuo, noluit : quod autem voluit, non potuit, ut in *l. multum intereſt C. ſi quis alteri vel ſibi.* Si verò conſtaret actum ab utraque parte, quod illud plus cenſeretur promiſſum, vel datum in compenſationem veri & juſti intereſſe creditoris, tunc ſervari poſſet, dummodò tanti veriſimile eſſet, ſecundum notata ſuprà *num.* 28. de quo nihil ad themа & deciſionem hujus legis, quam habes nove & ad amuſſim explicatam. Et ex prædictis vides non ſolùm falſa & abſurda ; ſed prorſus *ἀνεσεδώρα*, quæ gloſſa & Doctores de pactis non luendi, & prærogatione uſurarum hîc commenti ſunt, & hanc legem clariſſimam & æquiſſimam pervertentes intricaverunt, & ad iniquum ſenſum cæteris legibus & legali ipſi æquitati quam paſſim ignorant, contrarium detorſerunt. Initium autem erroris fuit, quod illa

verba *l. cùm integram ſummam, in quam ſtipulatione obligatus eſt*, retulerunt ad factum, & non jus, quod ex facto oritur, & putaverunt ibi rurſus recitari factum duntaxat, non autem poni deciſionem juris clari & indubitati ex facto præcedenti reſultantem, citra dubium. Et ſic putaverunt *hanc leg.* velle & tolerare, uſuras initio prærogari poſſe, ſine diminutione ſortis etiam in mutuo, & quod eſt abſurdiſſimum, & cujus oppoſitum *hæc lex* dicere intendit, & pro re certa & exploratiſſima diſertè præſupponit. Quare non eſt mirum, ſi aberrantes à ſcopo, quo plura ſcripſerint, eo magis intricaverint, & prolixius erraverint, ut extra viam currentibus accidit. Sed nimis reſupinus fuit primus ille error, quia non ſolum eſt contra omnem rationem, & reliquas leges; ſed etiam contra caſum in terminis hujus *l. ibi detracta, &c.* & ſic non ſolum ſenſum legis apertum, ſed etiam litteram ipſam offenderunt, & ſibiipſi repugnantem fecerunt.

390. Redeundo ad quæſtionem principalem quæritur: An iſtud pactum, quod debitor non poſſit luere, nec ſe liberare ab uſuris futuris niſi poſt certum tempus, non ſolùm vitietur; ſed etiam vitiet uſuras? Et prima facie de jure videtur, quod non vitiet, ſed tantùm rejiciatur, *l. placuit. l. uſuras illicitas de uſur.* cum aliis ſuprà *quæſt.* 10. *in princ.* Et quia non invenitur in jure pœna ſcripta hoc caſu, igitur *in l. prævaricationis, de prævaricat.* Et notatur in *c. fin. de jure patron.* Sed certè *d. l. placuit.* & ſimiles, loquuntur in exceſſu qui ſeparari poteſt, & in quo non peccatur niſi in exceſſu, & ſic pœna non excedit delictum, *l. reſcriptum, de his quibus ut indig.* Sed iſtud pactum reſpicit totum contractum, & totam ſortem & uſuram, ita quod peccatur ſuper tota uſura: unde puto quod hoc caſu, etiam in terminis juris communis, poſſet bonus judex præter nullitatem pacti privare tam improbum fœneratorem commodo totius uſuræ: tum quia ſuper toto deliquit, tum propter perniciem exempli, quod etiam extraordinariam pœnam mereretur, ut ſuprà *quæſt.* 10. *in fin.* Multò magis hodie hujuſmodi pactum (etiam ſolùm & ceſſante alio vitio) hos vulgares reditus in totum inficit. Modò accipe textus *d. l. qui Roma in princ.* cum brevi noſtro & analytico gloſſemate, & epitomam utramque legis deciſionem complectente.

MVTVANS nil poteſt decerpere de ſorte, pro uſuris futuris, ſed uſura prærogata ipſo jure minuunt ſortem, & obligationem ſortis, etiam in ſtipulationem deductam, ita quod ſufficit debitori reſiduum offerre, videlicet detracta ſumma pro uſuris ab initio data vel retenta. Si tamen conventum ſit de loco & tempore ſolutionis, non poteſt alibi offerre invito creditore, ſed à loco & die conventis convenire poterit.

Scævola lib. 20. ff.

QUi Romæ pecuniam mutuam acceperat ſolvendam in longinqua Provincia poſt menſes tres, eamque [a] ibi dari ſtipulanti ſpoponderat, poſt paucos dies Romæ teſtato [b] creditori dixit, paratum ſe eſſe Romæ eam numerare, detracta ea ſumma [c], quam creditori ſuo uſurarum nomine dederat. Quæſitum eſt, cùm integram ſummam, in quam ſtipulatione obligatus [d] eſt, obtulerit, an eo loco, in quo ſolvenda promiſſa eſt; ſua die integra peti poſſit. Reſpondit, poſſe ſtipulatorem ſua die ibi, ubi ſolvendam ſtipulatus eſſet, petere.

a *Eamque.*] Scilicet totam, licèt totum numeraverit, ſed partem retinuerit pro uſuris futuris, aliter non paciſcendo de uſuris.

b *Teſtato.*] Id eſt cum ſeria obteſtatione & teſtibus.

c *Summa.*] Putà ſi ſumma in ſtipulationem deducta ſit mille, creditor initio detraxerat vel acceperat 20. pro uſura trimeſtris proximi, ideò debitor obtulit 980. & ſic totam ſummam verè mutuatam & debitam.

d *Obligatus.*] Quia non potuit in plus obligari quàm verè & effectualiter numeratum ſit, *l. ſi tibi decem in princ. ſuprà de pact.* etiam adjecta ſtipulatione, *l. cum ultrà C. de non num. pecun.* Et ſic pro expedito habetur, oblationem hanc eſſe ſufficientem quantum ad quantitatem & ſummam oblatam, ſed non reſpectu diei & loci, ut ſequitur, in text.

QUÆSTIO LVI.

SYNOPSIS.

1. *Judices juris imperiti poſſunt repudiari.*
2. *Diſcutitur, an pretij vilitas & pactum redimendi ſatis per ſe prodant contractum ſimulatum.*
3. *In pœnalibus cauſis extenſiva interpretatio admittitur.*
4. *Intellectus* l. 2. C. de reſcind. vend.
5. *Quod quis damnum ſuâ negligentiâ ſentit, non videtur ſentire.*
6. *In ambiguis quod minimum eſt, ſequimur.*

391. QUinquageſimo-ſertò quæro? Quid ſi Ius ferens communiter centum reditus annui venierit pro mille, ſub perpetua & libera redimendi facultate? An præſumatur factum in fraudem uſuræ vel duodecimæ? Et pragmatici vulgò putant quod non, etiamſi probetur proloquium mutui vel reditus, ex quo emptor noluit mutuare, nec reditum emere, ſed fundum, niſi aliter probetur de ſimulatione & contractu pignoratitio: non tamen negant locum eſſe legi 2. *C. de reſcind. vendit.* ſi probetur læſio ultra dimidiam: quam læſionem hîc ſubeſſe alij dubitant, alii verò prorſus negant, rerum æſtimationem ex ſua cupiditate metientes. Cùm enim nolint ſub incerto emere, & multo minus ſub libera & perpetua redimendi facultate, vix dimidiam juſti alioquin pretii valere æſtimant rem ſub hoc onere venditam, & ſic nullam aut ſaltem modicam læſionem eſſe cenſent in hoc contractu, quod eſt valde crudele & inhumanum, ita ut ſentiam, hujuſmodi [illegible], quos conſtat hoc infixæ cupiditatis conſilio affectuque ſaucios, ut prædium propter liberam redimendi facultatem vix dimidia juſti pretii ſui totius æſtiment, ſi judices deſignentur in hac vel ſimili cauſa, recuſari poſſe, non ſecus

Pretia rerum.

Cauſa recuſationis.

atque laborantes morbo, vel causa consimili, *ut cap. personas de testibus*, & quemadmodum indocti & illiterati in puncto subtili recusari posse censent Cyn. in *l. certi. Cod. locati*, Joan. And. Gemin. in *cap. statutum. §. assessorem. de rescriptionib. in 6.* Bald. in *l. fin. quæst. 16. C. de hæred. instituend.* Barba. *in cap. fin. §. his autem. col. 12. de offic. deleg.* Nec etiam puto fidem adhibendam depositionibus testium, qui si deponerent fundum sub tali onere venditum non valere ultra dimidiam justi alioquin pretij, & quod nollent ad summum pluris emere sub tali onere, nec putent id esse prudentis patrisfamilias, nisi saltem redimendi facultas ad aliquot annos limitetur. Et moveor, quia ratio hujus testimonij non est fundata in sensu sensato, imo nec in æquitate recti judicij naturalis (istud enim non spectat ad testem, sed ad Judicem) sed in affectu seu judicio nimia privati commodi cupiditate depravato. Unde etiamsi major pars ementium ita observaret, non puto in judicio boni & æqui considerandum: quia rerum pretia non ex affectibus singulorum, imò nec ex multorum depravatis affectibus, vel etiam ex corrupta potentiorum, vel ditiorum consuetudine, sed communiter, hoc est secundum communem hominum & indigentiam & utilitatem, & prout res usibus & commodis hominum utiles sunt, æstimantur argumento *l. pretia. ad l. Falcid.* & diximus suprà *quæst. 5.* Sed certum est, quod, hic pecunia emptoris non valet ultra octogenta tria, cum triente reditus annui perpetuò redimibilis per manum debitoris solvendi: fundus autem sub eadem facultate venditus longè supervalet dicto reditui, tum propter possessionis, tum propter dominii translationem, tum quia facultati redimendi fundum præscribi potest ab emptore triginta annis, vel etiam à tertio singulari successore, longo tempore, ut pulchrè tradit dominus And. Tiraq. in *tract. retract. conven. §. 1. gloss. 2. num. 3.* Licet aliud sit in facultate redimendi reditum, quæ debitori competit; per notata suprà *quæst. 27.* cum duabus seq. & infrà. *quæst. 61.* Rursus arguitur, etiam retenta temperatissima nostra analogia & æquabili æstimatione, de qua suprà *quæst. 35.* quòd libera facultas redimendi non diminuat de justa & communi æstimatione totius fundi, ultra tertiam partem: adhuc in hoc themate non reperietur deceptio ultra dimidiam, sed solùm & ad summum in dimidio, quia fundus iste ad summum etiam in locis alta pace fruentibus valet ter mille, per notata suprà *quæst. 5.* & deductis pro mille triente ratione liberæ facultatis redimendi retentæ, restant duo millia justi pretii, sed venditori dantur mille: & sic ad summum non læditur ultra dimidiam justi pretii, habita ratione pacti, ut haberi debet, & sic videtur nullo modo subveniendum huic venditori, cùm liceat usque ad dimidiam invicem circumvenire. *l. in causa. §. Idem Pomponius ff. de minorib. l. Item si pretium. §. quemadmodum locati.*

392. In contrarium videtur: esset enim via aperta ad fraudandum duodecimam, & illicitum fœnus exercendum: quia nolens contentari reditu duodecimæ super fundo, emeret ipsum fundum prædicto vili pretio sub pacto redimendi. Hîc incidit obiter excutienda famigerata illa & controversissima. quæstio. An hæc duo sola, scilicet vilitas pretii & pactum redimendi sufficiant ad convincendum contractum simulatum vel in fraudem usurarum? Et partem affirmativam tenent glos. *fin. in cap. conquestus. de usur.* Alberic. in *leg. emptione Cod. plus valere. quod agit.* Imol. in *cap. ad nostram. col. 4. de empt. & vendi.* Paul. *cons.* 141. Viso processu. *num. 2. lib. 2.* Fulgo. *cons.* 134. & plures, quos citat Cæpol. in *tract. de simulat. contract. in 6. casu. prin. col. 2.* Jo. de Ana. in *d. c. conquæstus. col. 3.* & in *cons.* 58. *visis instrumentis.* Alex. *cons.* 54. (ubi tetigi) *lib. 6.* Guid. Pap. *decis.* Delphi. 516. Ambr. de Vig. in *repe. d. c. ad nostram. & c. fallibiter. num. 11.* cum seq. *de usur.* Barb. *cons.* 51. *lib. 1.* Steph. Bertrand. *consil.* 86. Ponitur in facto. *lib. 1. cons. 218.* cùm scriberem. *col. 1. & 2. consil. 235.* Pretii vilitas. *consil. 287.* cum præsupponatur. *lib. 2. consil. 111.* Ponitur in facto. *lib. 3.* Thomas Ferrat. *cautel. 17.* Matth. de Afflict. *decis. Neap. 65.* Aymo latè *consil. 156. num. 4.* cum seq. & *num. 16.* & novissimè Guliel. Cassador. in *decis.* Rotæ. *sub tit. de usuris.* Negativam autem, quòd illa duo sola non sufficiant, tenent. *Cyn. Salyc.* in *d. l. ab emptione.* & plures, quos citat Cæpol. in *d. tract. de simulat. contract. in 6. casu. princip. col. 2. & 3.* ubi hanc partem sequitur, & requirit ad minus tres præsumptiones. Idem sentit. Alex. *cons.* 109. *in fin. cons.* 119. *num. 4. l b. 4. consi. 28. num. 4. lib. 5.* Socin. *cons.* 248. *lib. 2.* & plures, quos citat Decius. *cons.* 167. *num. 3.* ubi hanc partem sequitur: ultra quos adde Paul. *cons.* 74. *col. 3. lib. 2.* Corn. *cons.* 224. *cons.* 241. *cons.* 346. *col. fin. lib. 1.* Jas. *cons.* 150. *lib. 4.* Corn. in *tra. de contract. quæst. 84. concluf. 3. & concluf. 4.* Matth. de Afflict. *decis. Neapol. 40. col. fin.* Hiero. Cagno. *repeti. l. 2. col. 3. num. 19. Cod. de pact. inter. empt. & vend.* Idem sentit Nicol. Boër. *decis.* Burdegal. 102. ubi malè citat Alberic. pro hac parte, & utraque factio crebrioris sententiæ caculum sibi vendicat.

393. Quod certè vix discerni potest, si sententias numeres: tanta est Doctores hac in re varietas: sed si sententias ponderes facilè invenies, quòd affirmativæ assertores, ut plurimum loquuntur in magna & enormi pretii modicitate, negativè verò sequaces ut plurimum in mediocri, seu non tam magna pretii vilitate, & sic resultat communem sententiam & mentem Doctorum rectè intellectam esse, quòd illa duo sufficiunt, si est magna disproportio, & modicitas pretii, alioqui sola non sufficiunt. Et loquuntur Doctores in eo qui necessitate rei familiaris, vel aliqua egestate pressus sic vendit: secus si nulla egestate impellente, sed scienter & sponte; quia libet sic contrahere, vel donare, quod licet Doctores non exprimant, tamen ita intelligunt & ad id quod frequentius accidit, se referunt. *leg. nam ad ea. de leg.* Et hæc communis sententia videtur æquissima, & sic infertur, contractum de quo agitur nullum & usurarium. Verùm adhoc subsisto, quia nondum adest plena, & legalis æquitas. Doctores enim omittunt unum quod est inter præcipua in hac materia, in qua de discernendo inter deceptionem usurariam, & deceptionem reipsa, & inter contractum in fraudem usurarum, vel simpliciter excessivum agitur: videlicet, an emptor sciverit notabilem illam supervalentiam rei, & modicitatem pretii, an vero ignoraverit, & fuerit in bona fide, putans justo pretio emere: quo ultimo casu, nulla fraus, nulla usura cadere potest. Et adverte, quòd hîc scientiam refero ad notitiam veritatis facti, ex quo resultat disproportio illa, & nimia inæqualitas secundum rectam rationem, & sensum communem fraudis & pravæ cupiditatis expertem, ut nuper dixi: non autem refero ad privatas opiniones, & singulares quorumdam affectus, quorum judicium noxius avaritiæ habitus ita pervertit, ut æstiment rem tantum & non plus valere, quantùm vendi vel emi potest quomodolibet, etiam cum notabili supergressione proximi: hujusmodi enim opinio non est scientia, sed error affectatus, malitia involutus: nec distat à simplici fraude & dolo, nisi quod non est simplex fraus & dolus, sed dolus inveteratus, & qui jam in habitum transiit & obvaluit, eoque magis noxius est & inficit.

Vilitas pretii & pactum redimendi.

394. Nunc ergo postquam punctis resolutis ad umbilicum decisionis pervenimus, singulos casus obiter distinguendo dicimus primò in adæquato casu quæstionis nostræ, quando venditor aliqua egestate pressus fundum centum annua communiter ferentem, & valentem tria millia, vel circa, vendit pro mille, sub libera facultate redimendi, quòd tempor scivit

magnam illam læsionem, seu valorem fundi, contractum nullum esse, tanquam usurarium, sive in fraudem duodecimæ, imò etiam in fraudem decimæ, hanc conclusionem non solùm ratio manifesta probat, & æquitas elicit, sed etiam necessitas vitandarum fraudum extundit. Hic enim concurrunt extrema, & subjectum, & materia, & effectus improbi fœneris, videlicet alter indigens usu æris alieni, alter indigentia aliena abuti volens in suum compendium, & excessivum lucrum: nihil autem hic est quod fœnus & usuram adumbret, nisi solus titulus emptionis & venditionis fundi. Sed hic titulus nullo modo prodesse potest huic emptori, quia non bona fide, sed mala fide negotiatur: scienter enim supergreditur, & enormiter lædit indigentem & in angustia constitutum quem potius liberali mutuo sublevare debet, aut saltem justo pretio partem fundi vel aliam rem emere. Cùm igitur mala fide & iniquè extorqueat titulum emptionis tam iniquæ, non debet ei titulus iste prodesse *l.* 1. *ne ex dolo. de dol. malo* Aut enim emptio est simulata, & res est expedita: aut non est simulata, & saltem hoc casu est iniqua, & mala fide extorta: & sic in effectu, respectu tam enormiter & scienter decipientis, idem esse debet, ac si esset simulata, vel non interveniisset: quia non debet tam enormiter & scienter decipienti deceptio sua in aliquo prodesse. Et sic elisо titulo, vel rectorio emptionis, non remanet aliud quàm mutuum usurarium, sive datio pecuniæ pro lucro excessivo, donec pecunia reddatur. Et ita necesse est dicere: alioquin omnes leges usuratiæ, & cohibitiones horum redituum essent illusoriæ, solaque verborum formula, eodem semper effectu manente, passim fraudari possent: quod tam absurdum est, ut etiam in pœnalibus fiat interpretatio extensiva, ne lex sit inutilis & eluforia, *l. fin. de calumniat. l. sed Iulianus* §. *mutuis dationem ad Macedonian.* dixi in *Consuetudine Parisiensi* §. 13. *gloss.* 3. *num.* 9. Et sic hoc casu, titulo emptionis expuncto, tanquam simulato, aut saltem tanquam fraudulento, & sic fraudatori inutili, concludo contractum nullum velut improbum fœnus, utpote rationem duodecimæ excedentem, omnesque fructus etiam percipiendos in sortem imputandos, fundumque residuo, si quid sortis superfit, oblato, vendicari posse, nec non superfluos fructus condici posse: multipliciter enim & scienter excessit emptor rationem decimæ. Primò, quia non contentatur reditum ad rationem decimæ emere super fundo, sed etiam vult habere possessionem fundi per manus suas, velut perpetuam antichresin, imò etiam velut perpetuum usumfructum, donec sors reddatur. Secundò, quia nec his contentus vult eodem vili pretio ipsius fundi plenam, proprietatem emere, idque scienter. Tertiò, quia consequenter vult habere augmentum, ut non solùm de fructibus & usufructu, sed etiam de toto fundo possit tanquam dominus disponere; quinetiam per se, vel hæredem longissimo tempore, vel per alium longo tempore facultati redimendi præscribere, & sic multipliciter superexceditur ratio decimæ.

Primus casus.

Conclusio.

395. Sed quid pro secundo casu, si emerit fundum plus mille, sed minus quàm mille ducentis, putà si emerit undecies centenis, & sic inter decimam & duodecimam, habita ratione ad reditum fundi, eodem in cæteris retento themate? Et videretur adhuc idem quod in casu præcedenti, tum quia adhuc est magna disproportio pretii: tum quia adhuc in effectu ratio decimæ excedi videtur, per nuper dicta. Tamen verius & æquius puto non concurrente alio vitio, non esse hoc casu summo illo jure totius contractus cassationis utendum, attento quòd proventus annuus per se communiter consideratus non excedit rationem decimæ, licet excedat rationem duodecimæ: quæ proportio in istis potissimùm attendi debet. Unde dico quòd contractus debet reduci ad reditum non duodecimæ, quia nimis eam scienter emptor excessit, sed quintædecimæ, juxta notata suprà *eod. quæst.* 10. *quæst.* 35. & sic contractus vitiabitur quantum ad tria. Primò, quantum ad venditionem ipsius fundi, seu dominii & possessionis fundi. Secundò, quantum ad tantum commodum annuum: quia fit reductio ad decimamquintam, & etiam à tempore contractus, secundum notata suprà *quæst.* 10. *num.* 146. Tertiò, quantum ad jus fruendi & percipiendi per manus suas: quia venditori idoneè caventi, videlicet per idoneam hypothecam, de solvendo & continuando reditu quintædecimæ redimibili, tenebitur fundum restituere. Et sic hoc secundo casu, emptor qui non tantum excessit, est melioris conditionis, quàm priore casu, in duobus vel tribus. Primò, quia reservatur ei commodum ad rationem quintædecimæ. Secundò, quòd fructus percepti de fundo non imputantur ei in sortem, sed in reliqua, quod includitur in primo. Tertiò, quia circa illos fructus non tenetur nisi de dolo lata & levi, non autem de levissima culpa, ut priore casu dici potest per notata infrà *num.* 401.

Secundus casus.

396. Sed quid pro tertio casu, si emerit pro mille ducentis, eodem in aliis themate retento, & sic ad rationem duodecimæ, habito respectu ad fructus communes fundi? Breviter puto hoc casu idem dicendum quod in immediatè præcedenti, salvo quòd non debet fieri reductio ad rationem quintædecimæ, sed ad reditum duodecimæ, per notata suprà *quæst.* 23. *quæst.* 35. *num.* 261. *quæst.* 52. *in fin.* Idem si emerit pro mille trecentis, vel mille quadringentis, vel circa, infra sesquimille: quia si velit debitor recuperare fundum ante redemptionem, prout potest, tenebitur offerre, & saltem per idoneam hypothecam cavere de solvendo & continuando reditu ad rationem duodecimæ totius pretii, licet fructus fundi venditi minores sint, quia justè causari potest emptor se pluris emisse, & minori proventu contemplatione possessionis fundi, & fruitionis per manus suas: ideo si velit venditor fundum repetere, tenetur integrum duodecimæ reditum penitere, sub idonea hypotheca. Sed an hoc casu possit emptor petere ut reditus duodecimæ solvatur à tempore contractus, videlicet extunc supplendo, quod interim de fructibus defuit ad complendam duodecimam? Breviter dico quod non: sed solùm pro tempore futuro post revocationem fundi præstanda est duodecima argum. *l. cum quidam in prin. de usur.* & quæ dixi suprà *quæst.* 26. Nec potest æquabilior fieri proportio, per notata *suprà quæst.* 35. Nec obstat si dicatur quòd hoc casu, putà si emit talem fundum pro mille quingentis, omnino standum sit contractui, & nullo modo possit rescindi nec moderari: quia non est læsio ultra dimidiam justi pretii, nec in dimidia, sed multum infrà dimidiam. Patet, quia justo toto pretio sine ulla facultate redimendi, mille quingenta excedunt vel faciunt ad minimum dimidiam justi pretii fundi valentis centum annua, per notata suprà *quæst.* 5. Igitur impositо rei emptæ onere, perpetuæ & liberæ facultatis redimendi, illa mille quingenta multum & notabiliter excedunt dimidiam justi pretii.

Tertius casus.

397. Respondeo primò, quòd *l.* 2. *Cod. de rescind. vend.* loquitur in eo, qui bona fide contrahit, nec scit se notabiliter supergredi & decipere proximum: non autem loquitur nec procedit in eo, qui scit se notabiliter decipere, ut in casu nostro, quo loquimur in emptore sciente, ideo cessat materia & dispositio *d. l.* 2. ut dixi suprà *quæst.* 14. *num.* 171. Respondeo secundò, ut Cæpol. in *tract. de simul. contract. in* 6. *casu princ. col. penult.* verum esse, quòd propter solam minoritatem pretii non potest rescindi contractus, ex *d. l.* 2. nisi sit minor dimidia: sed quando cum modicitate pretii alia concurrunt, ut hic, tunc modicitas pretii, etsi non sit minor dimidia, benè consideratur cum alus

ad præsumptionem doli vel usuræ. Item libera facultas redimendi non debet rationabiliter diminuere ultra tertiam partem totius justi pretii ad summum, ut suprà *quæstione* 35. *numer.* 368. Et sic cùm hoc casu etiam considerata facultate redimendi remaneat notabilis læsio pauperis & indigentis venditoris, nimium verò lucrum emptoris, cum ejus scientia tempore contractus, & sic ex parte emptoris insit quædam extorsio vel supergressio notabilis scienter facta tempore contractus, quæ recidit in fraudem antichreseos, & quadamtenus in fraudem duodecimæ: & simul cùm non liceat solo contractus nomine mutato, vel sola contractus formula variata, plus exigere ab indigente temporario usu æris alieni, vel plus eum gravare, quàm per leges vel mores de legitimo interusurio concessum sit, quæ aliàs passim fraudarentur, sequitur idem judicandum esse quod de contractu antichreseos, ut suprà *quæst.* 35. Si autem taliter emerit pro sesquimille tantùm, dicendum puto per easdem rationes, non debere contractum valere in vim præcisæ venditionis ipsius fundi, sed benè in vim præcisæ antichresis, ut non possit venditor invitum emptorem cogere ad restitutionem fundi, cavendo de reditu duodecimæ, dum tamen emptor paratus sit fundum retinere non jure dominii, sed jure perpetuæ antichresis, donec redimatur: & ad hoc recognoscendum potest emptor cogi, nisi malit fundo reddito sibi caveri de reditu duodecimæ. Nec obstat, quòd non emit infra dimidium justi pretii, etiam circumscripto pacto redimendi, quod notabiliter diminuit illud pretium: quia *l.* 2. *Cod. de rescind. vend.* non habet locum hoc casu, in quo constat de tribus simul concurrentibus. Primò, de scientia emptoris. Secundò, de indigentia venditoris, qui præ egestate, & sic non voluntariè vendidit, nec animum donandi habet. Tertiò, quod hîc subest materia fraudis, saltem respectu antichresis: quoniam non potest minori pretio fieri pactum præcisæ antichreseos in constitutione reditus, ut suprà *quæst.* 35. *num.* 369. quod æquabilissimum temperamentum sola verborum formula non est fraudandum.

397. Sin autem taliter emerit paulo majore pretio, putà mille sexcentis, eodem in cæteris themate retento puto omnino standum contractui, licet scienter paulò minus justo pretio emerit: quia non est inæqualitas adeo notabilis, & sic tolerari debet, ne stabilitas & latitudo contractuum nimium restringantur. Nec video quod justius aut æquabilius decerni possit. Quartus casus. Et advertendum quòd in prædictis sive de nullitate, sive de reductione contractus agatur, ut suprà, non potest emptor, invito venditore, offerre supplere justum pretium, nec petere quòd venditor deceptus capiat supplementum pretii, vel receptum pretium reddat fundo recepto, fructibus interim amissis: quia *d. l.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* non habet locum in materia usuraria, vel usurariæ fraudi obnoxia & suspectæ, *ut dixi suprà quæst.* 14. Prædicta procedunt in emptore sciente.

398. Modò necesse est explicare quid dicendum, Quintus casus in tres subdividitur. si fortè emptor bona fide valorem fundi ignorans, emerit pro mille, eodem in reliquis themate retento? Hic multa hinc inde torqueri possunt: sed malo διδακτικὸς esse, quàm κομψαγεν. Quare disputatione omissa, primum dico bono viro convenire, quam primum rescierit, tam iniquam pauperis venditoris sortem ad bonum & æquum per se reducere, nec legis positivæ occasione ad tam iniquum compendium uti, *l. fin. Cod. de usucap. pro empt.* Quòd si velit summo jure uti, videtur prima facie nullo modo subveniendum venditori majori vigintiquinque annis. Primus casus mille. Primò, quia non potest probari eum esse læsum ultra dimidiam justi pretii: quia fundus cum tali onere non potest probari valere ad summum ultra duo millia, sed venditor recepit mille. Secundò, quia potest postridie, aut in fine anni, aut quandocunque libuerit, eodem pretio redimere: & sic nullos fructus perdet nisi suâ negligentiâ, unde non videtur hoc damnum sentire, *l. quod quis de reg. jur.* Sed ad istud secundum responderi potest, quum nos loquimur in venditore necessariò indigente usu æris alieni: & sic non potest statim reddere, & interim ultra legitimi interusurii meras damnificatur dupliciter. Primò in carentia possessionis & œconomia exercitationis fundi sui. Secundò, in quantitate magni emolumenti fructuum. Ad primum verò dici potest quòd hîc duo concurrunt, imò tria, quæ subtrahunt contractum à materia, *d. l.* 2. *Cod. de rescind. vend.* & redigunt ad materiam fraudis usurariæ, videlicet primum, modicitas pretii; secundum, enormis modicitas, quia vix dimidia justi pretii, tertium pactum redimendi, ita quod communis glossæ & Doctorum sententia stat à decepto venditore: tamen ex quo non accedit aliud vitium præter prædicta, & constat quòd emptor tempore contractus erat in bona fide, ignorans tam magnum valorem fundi, seu veritatem facti (aliàs parum moraret opinionem à corruptis moribus & effectibus, & non à recta ratione ortam, ut in principio quæstionis) licet postea emptor re cognita, velit summo jure uti, mihi certè videntur in hac specie quamproximè ad æquilibrium, strictum jus, & æquitas seu naturalis justitia pugnare. Quod si unquam, maximè hîc, æquitatem desiderii naturalis ratio aut dubitatio juris moratur, scilicet dictæ positivæ *l.* 2. quæ multum dura est, in quantum inæqualitatem & deceptionem admittit dupli ad simplum, videlicet usque ad dimidiam, ut suprà *quæst.* 14. Ideò justis decretis rem sic temperandam puto, ex doctrina Jurisconsulti in *l. in ambiguis in fin. de reg. jur.* ut nec prorsus omne subsidium læso hoc casu, denegetur, nec omnino frena laxentur communi illi sententiæ, secundùm quam contractus in totum deberet annullari, & fructus in sortem computari. Stricti juris & æquitatis certamen.

399. Puto ergo contractum reducendum ad reditum duodecimæ, nec video quod melius aut justius dici possit, nec æquabilius temperamentum dari. Quia hoc modo emptor propter suam ignorantiam multum satisque lucratur, præ illo qui fuisset sciens simulque pauperis & decepti venditoris indemnitati consulitur. Dico etiam, quòd hoc casu non debet hæc reductio fieri à tempore contractus, nisi habita ratione ad fructus interim perceptos per emptorem, & in rem suam conversos, quia propter bonam fidem non debet haberi ratio fructuum, ultra quàm sit unde locupletior argum. *l. indebiti in princip. leg. in summa & bi quiff. de condict. indebit.* Et quæ notantur in *l. si me & Titium si cert. petat.* Plus dico, quòd in dubio non præsumitur inde factus locupletior: quia potuit tanquam re sua largius vel splendidius uti, argumento *l. sed & si lege* §. *si quis re sua de petit. hæredit.* dixi in *consuetudine Parisiensi* §. 22. *quæst.* 10. *num.* 52. Et sic petens rationem haberi superflui fructuum præteritorum, debet probare etiam illud superfluum in rem emptoris versum: secus esset in eo qui tam enormi vilitate sciens emisset à vendente ob egestatem: quia tanquam interpretativè fenerator improbus teneretur fructus etiam percipiendos & de culpa levissima in sortem imputare. Si verò ignorans, sive bonæ fidei emptor emerit, infra mille & longè minus dimidia justi pretii, deducto onere redimendi, tunc puto locum fore dictæ communi sententiæ, salvo quod de fructibus consumptis non tenebitur emptor, nisi quatenus probabuntur in rem ejus versi propter bonam fidem, ut dixi; in quo tamen sufficiet probatio per verisimilitudinem propinquam aliunde non elisam. Sin autem idem bona fide emerit pro mille ducentis, vel etiam undecies centum, ita quod nulla sit læsio, nisi re ipsa & notabiliter minus dimidia, attento dicto onere redimendi: tunc puto non esse in judicio Ratio fructuum. Secundus infra mille. Tertius casus supra mille.

locum dictæ communi sententiæ, quæ etiam propriè non loquitur hoc casu ubi modicitas pretii non est excellenter enormis, sed notabiliter citra dimidiam, ut suprà *num.* 393. & sic non poterit venditor major annis sibi providere, nisi redimendo actione ex contractu. Et magna est differentia inter scienter vel ignoranter, parum vel multum decipientem; nec mirum, sicut inter dolum, vel quasi, & bonam fidem. Postremò, adverte circa priores quatuor principales casus de sciente, quòd non exigo probari, quòd emptor sciverit se circumvenire venditorem formaliter & præcisè ultrà dimidiam justi pretii: sed satis est probari, quod sciverit se multum & notabiliter lædere & supergredi in hoc negotio fratrem suum, contra legis divinæ præceptum. 1. *ad Thessalon.* 4. ubi beatus Paulus brevem & absolutam horum regulam tradit, ut dixi in *consuetudine Parisiensi* §. 1. *glos. fin. num.* 21. Nec etiam exigo proloquia mutui vel reditus præcessisse, nec quòd emptor in specie cogitaverit de contractu usurario, vel de formula duodecimæ, aut decimæ fraudandæ vel excedendæ (quamquam hæc multum adminiculari possint) sed satis est, quòd sciverit se notabiliter iniquo pretio emere, & venditorem fraudare: & sic scivit se dare operam rei illicitæ. Unde qualiscumque excessus, etiam opinione sua major, illi meritò imputatur, præsertim ad finem; hunc civilem contractum iniquum annullandi: unde non exigitur tam exacta doli vel scientiæ probatio, sicut si de pœna criminali ageretur, sed velut in civilibus. Ex prædictis habes hanc materiam novè & analyticè referatam & decisam, multorumque modorum & quæstionum inde pendentium solutionem, ad legalis æquitatis & recti judicii naturalis gnomen penitissimè exæquatam, sinceræque praxi, & communi hominum utilitati accommodatissimam. [Et secundum prædicta debent moderari, & ad bonum, & æquum reduci, infinita dicta, & consilia Doctorum nimis indiscreta, ut *consulunt Steph. Bert. consil.* 86. *ponitur in facto. lib.* 1. Ubi decidit, quod pretii vilitas (cùm res valeret plus duplo) & pactum de retrovendendo simul juncta faciunt præsumi contractum pignoratitium, & fructus, retro debere computari in sortem; Quod non est simpliciter, & generaliter verum; sed in terminis primi prædicti casus.]

QUÆSTIO LVII.

SYNOPSIS.

1. *In reditibus, improba lex commissoria.*
2. *Fructus rei est, vel pignori dare licere.*
3. *Non nomen, sed effectus contractus inspiciendus.*

400. QUinquagesimo-septimò, opportunè succedit quæstio. Quidam dominus & possessor fundi alaudialis valentis mille ducatos justo toto pretio, in egestate constitutus, submisit fundum in emphyteusim Caïo, sub pensione annua ducatorum quindecim naturæ emphyteuticæ: & recognovit ab eodem retinere in emphyteusim sub periculo commissi, si per triennium deficeret in solutione pensionis, & hoc mediantibus trecentis ducatis, quæ recepit à Caïo. Postea cessatum fuit in solutione per triennium: Titius petit totum fundum jure commissi, quid juris? Videretur prædictam recognitionem valere, cùm sit facta tanquam de re sua, videlicet recognoscentis, & ex certa scientia: & sic rem factam emphyteuticam, per ea quæ latè scripsi in *consuet. Parisiens.* §. *feodist.* 1. 5. *numer.* 21. cum sequent. & consequenter petitionem actionis adjudicandam. Breviter in contrarium est veritas, quia quæ scripsi in *d cto* §. 1 procedunt in recognitione facta sponte, ex justa causa, & bona fide recepta, cujus oppositum est in proposito: quia primò non fuit facta sponte, sed quia recognoscens indigebat mutuo & temporario usu æris alieni, nec aliter habere poterat. Fuit etiam illicitè per usurariam pravitatem extorta per Caïum, qui pro pecunia indigenti data debebat saltem usuris legitimis, aut quæstu concessio contentari, sed egestate pauperis abutens voluit, & ut inquit pulcher textus in *l.* 2. *Cod. sine Censu & reliq. captans momentariam ejus necessitatem*, quæstum illicitum facere multipliciter. Primò, reditum acquirendo emphyteuticum, qui plus duplo valet quam simplex reditus. Secundò, huic reditui emphyteutico subjici voluit fundum supervalentem sorti ferè in quadruplo. Et sic præter id, quod pro modico facit se dominum directum & emphyteuticum, adduxit debitorem in eam captionem, ut perpetuò penderet in periculo perdendi totum fundum pro minimo pretiolo: per quæ concludo contractum usurarium, in fraudem vetiti fœnoris & legis commissoriæ machinatum, alioquin si hæc forma contractus admitteretur, frustratoriæ erunt omnes prohibitiones improbi fœnoris, & legis commissoriæ: quia fœnerator nolens contentari usura legitima, nec quæstu concesso, non stipularetur excessivum reditum, nec aliud manifestè reprobum fœnus, nec pactum legis commissoriæ, sed æquè faciliter induceret debitorem in casses & laqueos hujus recognitionis & submissionis, quæ æquipollet improbo fœnori & legi commissoriæ, imò gravior & damnabilior est, propter duo. Primum, propter majus damnum & periculum debitoris. Secundò, propter magis exquisitam & artificiosiorem fraudem, & sic meretur contractus in totum annullari, omnibus in sortem imputatis.

401. Tamen quia singula æqua lance rimari volo, nec ita usuras invehi, ut non solùm debitores indemnes serventur, sed etiam cum jactura creditorum locupletentur, non puto continuò hunc rigorem ad unguem servandum hoc casu, propter duo. Primò, quòd ad quantitatem, quia creditor non est stipulatus reditum, nisi ad rationem quincuncis usuræ, quæ est inter bessem & septuncem nostræ duodecimæ. Secundò, quia non accipit antichresin, sed permisit debitorem frui fundo, & rebus suis consulere: & sic interim adusque creditor non habuit, nec percepit de facto, nisi modicum quæstum, videlicet ad rationem quincuncis usuræ: debitor autem interim fruitus est magna summa pecuniæ, respectu modicæ pensionis, necdum aliter de facto in effectu gravatus in alio: quia creditor nondum injecit manum fundo, nec illum patrimonio suo univit, nec alii spoliato debitore concessit, nec pensionem auxit, tanquam post commissum acquisitum, durnis renovata emphyteusi, necdum aliam innovationem fecit, licèt nunc via judiciaria nitatur jure commissi uti. Et licèt interim gesserit se pro domino directo, & aliquoties receperit pensionem jure dominicali, tanquam emphyteuticam, tamen re integrâ remisso excessu, interim re vera non plus sibi adfuit, nec plus abstulit à debitore, quàm sit illa modica pensio: nec debitori de facto plus abest, nec in plus gravatus fuit. Et si dicas quod imò gravatus fuit in hoc, quòd interim non potuit liberè disponere de fundo suo, tanquam esset conditionis emphyteuticæ, nec æque potuit hypothecare aut commutare,

commutare, æque ac si non fuisset nisi hypothecatus ad reditum permillum, & sic non plenè frui potuit fundo suo, quia fructus & commoditas rei est, vel pignori dare, aut aliter disponere licere, *l. ult. C. de usur.* contrà verò creditor pleniùs interim stante forma contractus, potuit in bonis suis computare. Hoc quidem fatendum est, sed respondendum quòd horum fructuum seu potiùs commoditatum, quarum casus vel usus rariùs accidit, non tanta debet haberi consideratio, sicut fructuum ordinariorum, qui de facto manserunt in manu debitoris, & non creditoris. Facit, *l. Seio, §. modico. de annuis legat.* & quæ dixi ad Phil. Dec. *consil. 632. col. 2.* & sic cùm debitor adusque majus de facto commodum habuerit ex contractu, quàm creditor, non est justum in totum annullari contractum: sed sufficit id quod iniquè simplici reditui superadditum est, rescindi, dicta videlicet injusta qualitate detracta, manente reditu in sua quantitate, tanquam simplici pensitatione hypothecaria redimibili. Et intelligo quòd maneat hypotheca ex die contractus, ex quo reditus non fundiùs annullatur, sed illicitis concomitantiis exuitur. Ideò autem addidi (redimibili) quia hoc favorabile est, nec facit præjudicium hoc casu considerabile creditori: tum quia non est justum debitorem cogi manere obnoxium tali fœneratori, à quo tam malè semel acceptus fuit argumento *l. semel malus de reg. jur. in 6.* Et ita justis decretis res temperanda est, non absimili ratione, quàm in *quæstione præcedenti num. 399.*

Senatus Neapolit.

402. Modò adverte quòd hic casus de facto olim accidit in consilio Neapolitano, ut per Matth. de Afflict. *dec. Neapolit. 80.* ubi cùm sedere soliti sint viri graves, docti & probi, valdè miratus sum, non esse moram aliquam quæstionem, an tota res deberet adjudicari in commissum, an verò pro rata pecuniæ tantùm. Unde conjicio quòd ibi reus offerebat rem committi seu vendi pro rata pecuniæ, ut liberaretur, cùm fortè non haberet pecuniam paratam ad redimendum: actor autem petebat totius commissum: & sic præfati domini rectè judicaverunt pro reo, alioquin satis clarum erat contractum illum esse factum in fraudem usurarum, & legis commissoriæ. Et licet isthic forsan non utantur fœnore nostro, needum esset adeò detecta ratio usurarum: tamen semper erat aliqua earum persecutio & execratio. Et huc propemodum accedit Matth. in *d. dec.* dicens, magnam esse differentiam inter illum, qui concedit rem suam magni valoris pro censu unius denarii, sub lege commissi, & illum qui tali conditioni submittit rem suam liberam valentem mille, pro trecentis ducatis: Nam, inquit, primo casu solvitur census in recognitionem directi dominii: sed in secundo casu in veritate pensio solvitur ad rationem quinque pro centenario, & sic in compensationem pecuniæ receptæ, & non concessionis rei, nec dominii directi. Unde quia non est inspiciendum nomen contractus, sed potiùs effectus & rerum substantia, rectè sentit illum contractum continere justitiam & honestatem: nec tamen aliud decidit. Nuper etiam nullum & usurarium esse respondi non absimilem contractum, quo debitor pro viginti francicis vendiderat semodium annuum vini boni, puri & vendibilis, in singulis vindemiis capiendi super certa sua vinea & alio fundo contiguo: cum pacto, quòd ille reditus deberetur jure census perpetui, cum jure dominii directi & laudimiorum, & juribus dominicalibus: quia attento quòd crebriori æstimatione semodius ejus regionis valebat duos francicos & paulò plus, erat reditus emptus paulò infra rationem decimæ, quam aggravabat dictum pactum, licèt esset nullum, etiamsi reditus fuisset aliàs nullo pretio constitutus, etiamsi dicta prædia fuissent allaudialia. Quia non sunt expressè facta censualia ex justa causa, sed tantùm fuit cautum, quòd reditus per se esset censualis: quod fieri non potest, nisi priùs fundus verè censualis sit, ut scripsi in *consuet. Paris. tit. 2. in rub.*

QUÆSTIO LVIII.

SYNOPSIS.

1. *Rei venditio sub pacto redimendi sapit naturam pignoris, & antichreseos.*
2. *A fisco nulla speratur gratia.*
3. *Sacrilegium est de Regum contractibus dubitare.*

Fundi fiscales.

403. QUinquagesimo-octavò, Quid ergo dicendum de hac specie, cùm Rex decrevisset partem domanii sui vendere sub facultate redimendi, usque ad certam summam, qua prompte indigebat, ut faciliùs & ocyùs emptores inveniret, promulgavit edictum, quo statuit domanium vendi sub dicto pacto usque ad dictam summam, putà centum mille librarum, idque ad rationem decem pro uno, hoc est, ut prædium mille reditus annui ferens valeat pro decem millibus, & in specie de fundis domanii sitis in tali loco, jussit vendi usque ad decem millia reditus annui ad dictam summam centum millium conficiendam. Et illud edictum publicatum & homologatum fuit in supremo hoc Senatu, Procuratore Generali Regis hoc requirente. Quæritur an emptores tuti sint, & valeant contractus? Videtur quòd non, per nuper dicta, suprà *quæst. 56.* cùm emptores ab initio convicti sint de scientia valoris fundi, & indigentia vendentis non patiente moram: quòd si illicitum est à privato, præsertim in angustia constituto, tam vili pretio scienter emere, multò magis à Rege seu Republica. Tum si in fundis privatorum censetur hoc casu pignoratio, & non vera & valida venditio, multò magis in fisco, & rebus domanii, quæ non possunt vendi, sed benè dari in pignus ad tempus, ita quòd venditio talium rerum sub pacto redimendi magis tenet in vim pignoris & antichresis, quàm in vim veræ venditionis, per ea quæ scripsi in *consuetudine Parisiensi §. 1. gloss. 5. num. 54. §. 2. gloss. 4. num. 16. cum seq.* Breviter dicendum, standum esse edicto, Senatusconsulto & contractui. Primò, quia illud est justum pretium rerum, quod taxatum est à Superiore, *l. 1. §. cura annis*, ubi Bar. & omnes *ff. de officio præfect. urb.* Alberic. *1. part. statut. quæst. 69.* Angel Aret. *§. pen. Inst. de publ. jud.* Jo. Gerson. *tract. de contract. in 3. quater.* Sed Rex ipse & Senatus lege generali statuerunt illud esse justum pretium pro illo tempore: igitur emptores justo pretio emerunt, nec debent esse sapientiores lege vel legislatore, ut pulchrè ait Aristot. Rhet. *lib. 1. c. 37. in fin.* & est text. in *Authent. de judicibus §. oportet. col. 6.* Gerson *tract. de contract. num. 5. quater. conclus. 19.* Phil. Melanch. in *epitome Phil. Moral.* Secundò, quia considerandum est tempus bellicæ calamitatis, quo prædia sub tali perpetua & libera facultate vendita parum valent, præsertim in limitrophis sitâ: non enim sperant emptores se fruituros tempore pacis & ubertatis, sed solùm quandiu tempus erit turbulentum: serenitate verò reddita,

Pretium justum.

mox redimentur prædia. Et sic inspecto tempore contractus, & periculo emptorum, qui non sunt certi de fruendo commodo suo, sed solùm prout commodum erit & libitum venditori, pretium non fuit injustum: præsertim in fisco vendente, à quo nulla unquam speratur gratia, nec quod facultas redimendi remitti aut usucapi possit: & maximè pretio lege generali, Senatus etiam auctoritate taxato. Tertiò, quia hæc taxatio non fuit facta ad petitionem emptorum, sed proprio motu Regis, & ex certa scientia, una cum pragmatica sanctione, juxta *l. fin. in fin. Cod. de diver. rescript.* Et sic quando defuisset justo pretio, constat quòd Princeps unà cum Consilio & Senatu scienter illud & sponte remittere voluit. Quartò, nec pretium quidem propriè remittit, sicut nec absolutè fundum alienat: quia quantò minoris vendit, tantò minoris, quando libitum fuerit, redimet; & sic in effectu, fructus duntaxat, & quandiu volet, alienat. Quintò, quia emptores non cupiebant illa prædia emere, nec aliàs erant empturi, sed aliter forsan utiliùs negotiaturi: unde sequitur quòd provocari tali pretio oblato potuerunt justè emere, etiam dato quòd fuisset minus pretium: quod non per prædicta. Ita volunt Theologi Scholastici, ut Jo. Nider. *tract. de contract.* Conrad. *eod. tract. quæst. 23. versic. ad primam & quæst. 58. conclus. 1.* Sextò, quia non debent auctoritate Regis & legis, & pragmaticæ formæ & Senatus decipi, *l. 1. Cod. de his qui veniam ætatis impetraver.* Et hoc cederet non solùm ad ignominiam, sed etiam in detrimentum Regis & fisci sui, *l. ratas C. de rescind. vend.* & stabilitatis contractuum suorum & sanctionum. Postremò, etiam sacrilegii instar esset de eorum firmitate dubitare, quantò magis convellere, *l. 2. Cod. de crimin. sacrileg.* & fide sublata, nulla est Respublica. Mitto illa vulgaria, quòd pro ram solemniter gestis à Principe semper præsumitur: & quòd nisi subditi vigore Edicti & Senatusconsulti tuerentur semper à novis officialibus fisci subinde inquietari, & vel ad litem redimendam cogi possent, vel cum magno sæpè damno vulgatum illud experiri, quòd potentioribus pares esse non possumus, *l. quia etiam in principio. de alienat. judic. mutandi causa fact.* Et sic responsum est omnia objecta, excepto ultimo, cui satisfacit jussus principis & authoritas Senatus, quo jubente, sunt in commercio textus *leg. apud Julianum in fine de leg. 1. l. finali. ut in possessione legat.* saltem sub eo pacto liberæ redemptionis, & ita ab omni ævo usitatum est in hoc regno.

QUÆSTIO LIX.

SYNOPSIS.

1. *Pons ob imminens ruinæ periculum potiùs rei mobilis obtinet vicem.*

2. *In nautica pecunia non datur egredi centesimam.*

404. QUinquagesimo-nonò, subsequenter quæro de mobili, Nuper accidit ejusmodi quæstio, Publicanus conduxit à rege quoddam portorium ad onus illic construendi pontem sublicium, deinde convenit cum fabris ad centum aureos: cùm autem non posset promptè solvere, vendidit pontem seu commoditatem illius Titio centum aureis solvendis dictis fabris, & eodem contractu conduxit eundem pontem à Titio singulis aureis, in singulas hebdomadas, sub pacto redimendi infra quatuor menses: paulò pòst Titius petit mercedem locationis. Publicanus obtinet rescriptum ad imputandum in sortem, & declarandum contractum usurarium, quid juris? Pro Titio facit, quòd verè non emit jus pontis, seu portorium perpetuum, sed solùm commoditatem pontis qui temporarius est, non perpetuus, & adhuc continuè perire potest, & frequenti reparatione indiget: quare magis vicem habet rei mobilis & periculo obnoxiæ. Tota autem hæc impensa & periculum spectant ad Titium emptorem, quod esset luculentiùs in navi tractoria funibus alligata adtrajiciendum flumen loco pontis. Et sic merces non intelligitur dari propter solum interusurium pecuniæ, sed simul propter periculum spectans ad emptorem. Quibus non obstantibus, respondeo contractum usurarium. Patet, quia Titius in effectu pro usu pecuniæ stipulatus est ultra quadruplicem centesimam: esset enim recepturus sortem ante biennium, videlicet singulis annis quinquaginta duos aureos in centum. Sunt enim in anno duæ & quinquaginta hebdomadæ, cum uno die, vel cum duobus diebus, quarto quoque intercalari anno. Quòd autem sit stipulatus pro usu pecuniæ, & in fraudem mutui & usuræ, satis convincitur ex illis duobus: videlicet pacto redimendi, & enormi modicitate pretii, propter nimium excessum fructuum conventorum certorum, & liquidorum. Non obstat quod dictum est de periculo & impensa, quia verisimile non est futurum infra paucos annos: & omninò publicanus redempturus est, antequàm ulli periculo vel impensæ locus verisimiliter esse possit. Et sic inanis est hoc casu insimulatio periculi vel impensæ; & satis est quòd apparet emptorem voluisse certum esse de tanto superlucro, videlicet ultra quadruplicem centesimam, cùm etiam in trajectitiis, ubi longè majus quàm hic periculum versatur, non liceat egredi unam centesimam, quin sit improbum fœnus. Quòd si cum his accedat Titium esse solitum improbè fœnerari, vel alia noxia circumstantia, ex qua satis appareat de dolo vel malitia Titii, puto contractum in totum annullandum, videlicet mercedibus in sortem imputatis: alioqui si Titius esset rusticus, vel harum rerum imperitus, & maximè si constet eum provocatum à publicano offerente sub tali mercede conducere, non putaverim contractum in totum annullandum, sed moderandas mercedes adunam centesimam, videlicet ad aureum menstruum: non autem ad rationem nostræ duodecimæ, secundùm quam non haberet nisi circiter bessem aurei in mense: quia emptor non dolosus nimis gravaretur, quoniam reditus hujus mercedis non est tutò collocatus, nec vacat periculo, de quo tenetur conductor: quæ notabiliter minuunt æstimationem hujus reditus vel usuræ, quæ tanto major est quanto tutior & certior, & è diverso. Quare non debet hoc casu interusurium vel usura metiri seu restringi ad rationem duodecimæ, quæ taxata est in redditibus, qui solent esse tutò collocati & periculo debitoris. Unde si hoc casu ab initio Titius locasset pro duobus aureis menstruis, non putarem (alio cessante vitio) subesse usuram considerabilem, nec contractum annullandum vel moderandum: quinetiam eodem themate retento, si Titius erat aliòqui vir simplex, seu non constet eum improbo more extorsisse tantam mercedem, & ante litis contestationem offerat moderationem dimidiæ, videlicet ad duos aureos menstruos, puto audiendum, ut in simili suprà *quæst. 10. num. 141. quæst. 11. in fin.* idem in similibus.

QUÆSTIO LX.

SYNOPSIS.

1. *Locationes ad modicum tempus pro mobili censetur, ideò cessare debet dispositio* l. 2. de rescind. venditione.
2. *Vnius diei interjectio, non levat, sed auget præsumptionem.*
3. *Gravius est vili pecuniâ fundum emere, quàm vili pretio in antichresin accipere.*

405. SExagesimò, occurrit lepida quæstio mihi proposita, dum hæc scriberem. Agricola egens pecunia tertulam suam (quæ colono pro quinquaginta annis, ad modicum tempus secundùm communem æstimationem locari poterat) vendidit cuidam theologastro, negotia cujusdam Abbatis procuranti, pro sexcentis libris, sub facultate redimendi, usque ad sex annos: postridie venditionis conduxit ab emptore, pro septuaginta libris annuatim usque ad eosdem sex annos: primo & secundo anno solvit, in tertio detrectat & habet rescriptum in forma communi ad declarandum utrumque contractum usurarium, & pensiones solutas imputandum in sortem. Reus qui erat magister Sorbonicus, & forensibus negotiis & litibus se immiscuerat, multis argutiis se tuebatur. Primùm hoc dilemmate: Aut enim agitur de primo contractu, & justus est & firmus secundùm jura: quia si qua sit læsio (attento revendendi pacto) est multum infra dimidiam justi pretii, & sic rescindi non debet, sed reus absolui. Aut verò agitur de secundo contractu, & idem, imò multò magis: tum quia non continet læsionem ultra dimidiam justæ communisque mercedis: tum quia hujusmodi locationes ad modicum tempus pro mobili habentur; quo casu, ut pragmatici dicunt, non observatur remedium, *l.* 2. *Cod. de rescind. vend.* de quo dixi in *consuetudine Parisiensi* §. 22. *num.* 47. Præterea dicebat locationem esse factam ad commodum agricolæ, & ad magnas ejus preces, alioquin causabatur emptor se potuisse jure suo utendo, alii locare, aut per manus suas frui, vel aliter disponere, non habita ratione majoris incommodi venditoris, cui gratiam hanc fecit eidem locando: & licèt merces sit paulo carior communi æstimatione locationum, tamen præter id quòd non excedit dimidiam, conductor multum superlucratur, & longè meliùs ei consulitur, quàm si emptor aliter disposuisset, prout jure facere poterat, & facturus erat, nisi precibus agricolæ devictus ei sic locasset, ejus gratiâ illud de jure suo remittendo, quòd aliter liberè disponere poterat, magno venditoris incommodo. Negabat etiam locationem, partem esse venditionis, sed duos separatos esse contractus contendebat, nihilque commune habere; quod sic probabat: quia venditio erat pura & simplex, absque onere & conditione, nisi dictæ redemptionis: & sic ex tunc sibi licuit liberè per se frui, aut aliter disponere. Consequenter locatio postera die secuta, non fuit facta ex vi prioris contractus, vel alia quacunque necessitate, sed ex mera voluntate locantis, & ad preces conductoris, ejusque gratiâ, ut etiam ex forma & narratis contractuum apparebat. Tum quia actus non dicitur factus in continenti, sed ex intervallo, etiamsi fiat eodem die ex quo semel partes ad extraneos actus divertunt: textus in *l. continuus in prin. de verb. oblig.* & omninò quando est factus alio die, etiam immediatè sequenti, textus in *l. si ex duobus de duob. reis.* & quæ *not. Cornæus cons. fin. in fin. lib.* 1.

406. Quibus non obstantibus, respondeo utrumque contractum censeri unum & usurarium, & in totum annullandum. Et primò, si constaret tempore venditionis actum de dicta locatione, non esset dubium, per ea quæ statim dicam: idem si uterque contractus esset factus eodem die, per ea quæ tradit Bald. in *l. pen. §. mulier. ff. solut. matr.* ubi dicit, *quod tunc censentur correspectivi*, idem Bald. Salyc. Dec. *l. petens Cod. de pact.* Socin. *consil.* 273. *col.* 2. *lib.* 2. Curtius senior *cons.* 54. Dec. *consil.* 245. *num.* 5. Et ferè in terminis Geminian. *consil.* 16. latè & remissivè Andr. Tiraquell. in *tract. retract. proxmit. §.* 1. *gloss.* 7. *num.* 97. & in *repet. l. si unquam ver. donatione largitus num.* 103. *Cod. de revoc. donat.* Addo etiam, si in diversis instrumentis: quia multiplicatio instrumentorum non minuit, sed auget præsumptionem fraudis vel simulationis, ut pulchrè Cornæus *consil.* 23. *ad fin. lib.* 3. Sed hoc casu tamen non probetur aliter præmeditata locatio, & sic intervallum unius diei, adhuc idem puto. Et moveor: quia primus contractus, etiamsi aliud secutum non fuisset, non est integer, sed suspectus, propter magnam pretii modicitatem, & pactum redimendi: imò etiam propter scientiam emptoris convincitur per se factus in fraudem antichreseos, per notata suprà *quæst.* 35. & *quæst.* 56. Et sic cùm jam simus in materia suspecta, sufficit brevitas temporis ad fraudem conjunctionis actuum præsumendam, *l. si ventri, §. in bonis ff. de privileg. credi. l.* 1. §. *quæ oneranda, vers. sed si post intervallum, quæ. rerum actio non datur l. dubium* ibi, *brevi temp. Cod. de repud. notant Doctores in l. post contractum de donat. in l. si quis posthac. Cod. de bon. proscript.* ex quibus juribus apparet hanc præsumptionem non restringi ad unum, duos vel tres, sed ad paucos dies judicis arbitrio, ut rectè tradit Angel. in *d.* §. *in bonis* Carpol. *tract. de simulat. contract. in* 2. *casu princ. vers. quando.* imò in materia suspecta intervallum unius diei non purgat, sed auget præsumptionem fraudis, ut pulchrè tradit. Alex. *consil.* 51. *col.* 1. *consil.* 119. *ad fin. & consil.* 2. *seq. lib.* 4. Aymo. *consil.* 56. *ad fin.* Satis ergo in præsenti apparet, unum contractum alteri inesse, & sic totum hunc contractum factum non solùm in fraudem antichresis, ex formula dictæ venditionis, sed etiam fraudem duodecimæ, imò etiam in fraudem decimæ: quia pensio, de qua sibi caveri voluit emptor, excedit notabiliter & annuatim decimam sortis partem.

407. Et sic in totum debet annullari per notata suprà *quæst.* 10. *quæst.* 56. nec ullum habet pondus, quòd in instrumento locationis narratur eam esse factam ad preces agricolæ, neque enim minus: imò magis ob id censetur conductio extorta. Patet, quia avarus & acerbus emptor passus est se rogari, & obsecrari, ut modicum gratiæ faceret, cùm longè majorem gratiam facere teneretur, & sic dictæ preces in eum retorquentur. Cùm enim iniquissimè egisset cum paupere agricola, sustinuit se ab eo obnixè rogari, non de gratia (quippe qui longè magis relaxare tenebatur) sed & de injuria, imò ne graviorem inferret injuriam. Quare etiamsi spontaneam agricolæ voluntatem probare vellet, non esset audiendus nec admittendus, cùm non relevaret, sicut non relevat probare, quòd usura sponte promissa sit ab indigente; egestas enim voluntarium excludit, per notata suprà *num.* 304. & infrà *num.* 411. & sicut non prodest spontaneam voluntatem causari, ubi de metu illato constat super hoc, de *renun. c.* 2. *de his quæ vi metus ve. causa.* Patet igitur,

quòd emptor non fuit contentus emere ad rationem decimæ, sed voluit habere commodum ultra rationem decimæ fœnore improbo, imò plusquàm improbo, propter possessionem & proprietatem fundi interceptam. Et sic non est dubitandum de nullitate contractus, cui multiplex inest extorsio: prima, quia fœnerator excessit duodecimam: secunda, quòd etiam decimam notabiliter excessit: tertia, quòd nec his contentus etiam dominium & possessionem fundi intercipere voluit, & has reales noxias non purgat, sed aggravat excogitatum verborum, & diversorum instrumentorum machinamentum, & ita cõtra fraudatorem, rei illicitę dantem operà singula expendenda sunt. Facit quod ait Hostiensis *in sum. de Iudæis* §. *quibus*, quod de malo verbo & de malo homine non debet præsumi nisi malum. Felyn. *c. audiris c. 19. de præscript.* Jas. *l. 1. §. si vir uxori de acquir. possession.* Pluris juris rigore dici posset, quòd etiam si non fuisset nisi primus contractus, adhuc deberet in totum annullari, etiam sine restitutione sortis, per textum *novell. constit. 32.* & suprà *quæst. 1.* cùm sit factus non solùm in fraudem communis antichreseos, de qua suprà *quæst. 35. quæst. 56.* sed etiam in dicta constit. novellarum. Ex quo enim constat factum in fraudem antichreseos & cum agricola, fit locus dictæ constitutioni non solùm æquipollenter *per l. non dubium C. de legib.* sed etiam à fortiori, quantò gravius & deterius est vili pretio fundum ipsum emere, quàm eodem pretio in antichresin accipere? Sed quia tantus rigor, præsertim amissionis sortis, non est in usu, sufficit contractum annullari, sorte tantùm servata.

QUÆSTIO LXI.

SYNOPSIS.

1. *Aliud est simulatè contrahere, aliud verè & vitiosè.*
2. *Quod jure pignoris, vel hypothecæ possidetur.*
3. *Actio ad redimendum, & actio rescindens in rem concepta.*

408. SExagesimo-primò, nunc materia antichreseũn & pactorum legis commissoriæ theoricè & practicè referata, opportunè occurrit quæstio reservata suprà *quæst. 18. in fin.* An fœnerator vel improbus acquisitor, aut successores sui, fundum fraude usurariâ possessum usucapiant; putà si mille mutuatus, fundum aut aliud pignori vel in antichresin tradiderit creditori, cum pacto, quòd cedat in solutum nisi infra certum tempus luat. Breviter præsuppositis, nec repetitis his quæ dixi suprà *quæst. 17.* dicendum, quòd si debitor lapso termino, tandiu non vendicaverit, nec condixerit rem suam, ut cœperit bona fide, jure & opinione domini possideri per heredem vel successorem usurarii 30. annis, tunc per 30. annos præscriptum erit & vendicationi & condictioni, quemadmodum & condictioni furtivæ præscriptum esset: ita intelligitur *d. cons.* Bald. *in c. utrum*, de quo suprà *quæst. 17. in pr.* idem in quacunque simili, sive formali, sive præsumpta usura. Putà si quis fundum situm vendiderit vili pretio, sub pacto de retrovendendo: ita tamen, quòd non posset liberè redimere, sed solùm post tres aut quatuor annos, qui est contractus sufficienti juris præsumptione usurarius, notatur in *c. illos vos: de præscript.* & sup. *num. 352.* si enim debitor lapso illo tempore non redimat, nec aliter ritè conqueratur, poterit successor miqui acquisitoris triginta annis omni querelæ, sive rescissioni, sive nullitati usurariæ præscribere: & ita debet intelligi præfatum consilium Baldi. Et adverte quòd Bald. ibi subtilè facit differentiam inter contractũ factum in fraudem usurariam, & contractum simulatum: quia aliud est simulatè contrahere, quo casu nullum transit dominium, & directò res vendicari potest *l. emptione C. plus val. quod agitur*, aliud verè contrahere, sed vitiosè & per fraudem usurariam: quo casu transit dominium, sed agi potest ad rescissionẽ & repetitionem, quando contractum est in fraudem hominis, licèt per consequentiam in fraudem legis ipso jure non valeret, *l. si libertus ff. de jure patronat. l. non dubium C. de legib.* Et in dubio censet Bald. potiùs præsumi fraudẽ & dolum, quàm simulationem: quod est verum, quando ex forma contractus apparet, quod emptor voluit acquirere, & non apparet de contrario: secùs si appareat emptorem seu creditorem recognovisse, se tenere jure pignoris vel hypothecæ, tunc vera simulatio satis detecta est, & eodem casu nunquam etiam mille annis præscriberetur; quia quandiu in illa qualitate possidetur, nunquam potest incipere præscriptio, ut notatur in *l. cum notissimi* §. *illud.* & ibi Jo. Fab. Bald. *Cod. de præscript. 30. vel. 40. annor.* Bald. in *rub. col. 4. de præscript. in c. quoniam frequenter, col. fin.* & ibi Panorm. §. *fin. col. 27. ut lite non contest.* Bald. *consil. 342. lib. 1.* Corneus *cons. 176. lib. 3.* Paulus *l. pignus, l. si rem* §. *omnis de pignor. action.* Franc. Bald. *tract. de præscript. 4. parte 5. partis princ. quæst. 2.* latè. Jo. Igneus in *l. in cognitione ad Sillanian.* Unde cùm Scholares stipendiati Collegii Belvacensis hujus Academiæ, qui debebant quinquaginta aureos reditus Episcopo Belvacensi, cui dederant tria feuda, ut frueretur fructibus in locum reditus, nunc autem ea repetebant volentes per se solvere reditum, licèt Episcopus allegaret præscriptionem plusquam longissimi temporis, tamen obtinuerunt per sententiam præfectorum libellis supplicibus Palatii anno 1544. mense Julio, & benè. Secùs si fundum emisset sub pacto redimendi, quia 30. annis juri redimendi præscriberetur, vel 40. contra Ecclesiasticos, ut latè decidit Franc. Balb. *tract. præscript. 4. parte 5. partis princ. quæst. 3.* Bertran, *cons. 181. vide consultationis lib. 3.* Et benè, ex quo justè acquisivit, & interim non est in mora, nec in mala fide, & intelligo cessare interim recognitionem dicti pacti vel aliam interruptionem. Sed quid si expressè pactum est de redemptione toties quoties, vel in infinitum? Quia hoc nimis excedit hunc tractatum, vide Fabian de monte sancti Savi. *tract. de empt. & vendi. 7. princ. quæstione 13.* Petr. Girard. *sing. 18.* Alciat. *d. l. petens*, & alios quos citat, & latè comprobando persequitur Andræas Tiraquel. *tract. retract. convent. §. 1. gloss. 2. num. 18. cum seq.* ubi tenent nunquam tunc præscribi quorum sententia vera est in ipso paciscente, vel in improbo & fraudulento acquisitore, qui interim injustè & mala fide possidet: secùs in hærede bonæ fidei, qui longissimo tempore, vel singulari successore, qui longo tempore, nisi fundus posset vendicari, propter *Authent. malæ fidei Cod. de præscript. longi temp.* ut dixi.

Differentia fraudis & simulationis

409. Adverte tamen, quòd hæc actio ad redimendum, sicut & actio rescindens secundum rationabiles usus nostros, est in rem scripta, ut tetigi ad Alex. *cons. 10. num. 2. lib.* Et sic tertius singularis successor, qui potest rectà conveniri, non solùm potest perficere tricenariam usucapionem utendo adminiculo auctoris (quod est verum, etiamsi expressè cum hoc onere redimendi emerit, quia hoc solum, nisi etiam notitiam pravitatis usuræ vel facti habuerit, non inducit malam fidem, nec operatur recognitionẽ, nec interruptionẽ, respectu ejus cui competit actio argumento

l. 2. Cod. de præscript. longi temp. ut dixi in *cons. Paris.* §. 68.) sed etiam si nimium temporis longissimi restet, potest ex capite suo, longo tempore usucapere, dummodo emerit bona fide, & sine dicto onere (quantum ad usucapionem longi temporis) etiamsi author mala fide sic vendat, dummodò aliàs sit dominus, & non improbus foeneratorius acquisitor, & sic cessent termini *dictæ Auth. malæ fidei.* Sed casu quo longo tempore taliter præscriptum fuerit, dico quòd is qui mala fide sic vendidit sine dicto onere, tenetur ad omnia damna & interesse, etiam actione ex priori contractu, usque ad triginta annos, à die fidei ex contractu debitæ taliter ruptæ ei, cui jus redimendi competebat, ut plenius dixi in *consuet. Paris.* §. 68. quò remitto.

QUÆSTIO LXII.

SYNOPSIS.

1. *Discrimen inter antiquum reditum & novum.*
2. *Licet se invicem circumscribere infra dimidiam.*
3. *Vilior reditus ob facultates redimendi.*
4. *Emptor reditus non facit fructus suos, nisi pro portione justi exsoluti pretii.*
5. *Quale redituum pretium legitimum.*

410. SExagesimo-secundò, occurrit arguta & necessaria quæstio. Titius habens hujusmodi reditum, putà centum annuorum, redimibilem ad rationem duodecimæ, pecuniâ indigens vendit illum Caio pro mille, an valeat & firma sit venditio? Videtur omninò quòd sic, tum quia est vera & permissa venditio nominis. *Cod. de hered. vel act. vend.* per totum nec est læsio in dimidiâ, sed solùm in sexta parte justi pretii: tum quia Titius scienter & sponte tali prerio vendidit, & sic non potest conqueri, etiamsi esset enormis læsio, ut notatur in *leg. 2. Cod. de rescind. vend.* Nec obstat quòd est vera venditio reditus redimibilis ad rationem duodecimæ, quia non est venditio reditus de novo ad hoc constituti, sed reditus antiqui dudum constituti: inter quæ non est levis, sed magna & multiplex differentia. Primò, quia venditio reditus jam constituti spectat ad contractus commutativos rerum, sicut venditio fundi: sed venditio reditus constituendi spectat ad interusuria pecuniarum, & contractus usurarios, ut infrà *quæst. 68. & quæst. 69.* Igitur sicut venditio fundi non potest rescindi, nec fraudis insimulari, si non est læsio nisi in sexta parte, sequitur quòd iste contractus non potest rescindi, nec fraudis insimulari. Secundò, quia vendens nomen reditus sibi à tertio debiti non continuò nec magis censetur facere ob egestatem, quàm vendens fundum. Ut enim fundus, ita & nomen reditus potest vendi, quia vendens migraturus est, nec ei expedit illo fundo vel reditu frui, vel quia vicinus aut debitor est rixosus, vel infinitis de causis aliis, quàm redimendi usus æris alieni. venditio autem hujusmodi novi reditus super se, semper fit causâ redimendi usus æris alieni. Tertiò, constituens de novo hujusmodi reditum super se, non minùs dicitur usum sortis conducere pro pensione reditus conventi, donec sortem reddat, ita ut quandiu volet, eadem mercede conductum habeat, ut infrà *quæst. 69.* Ideò spectat ad negotiationem fœneratoriam, quod non potest dici, nec verificari de vendente nomen reditus sibi debiti: quia non potest dici conducere pretium, quum illud perpetuò acquirat, nec intendit unquam reddere, nec ad aliquid successivum, vel contemplatione pretii recepti obligatur, sed cedendo nomen venditum liberatur, nec tenetur in aliquo, nisi fortè de evictione, sicut in venditione fundi. Quartò, venditio hujusmodi reditus novi nunquam potest fieri minori pretio, nec majori vendentis onere, quàm receptum sit in simplici duodecima, quantumcumque debitor pauper sit, vel fidejussores invenire non possit, vel alias sit non solvendo, ut suprà *num. 124.* vel ex eo quòd debitor moretur in loco multum remoto, ut suprà *quæst. 9.* Sed nomen hujusmodi reditus minùs rutò collocatum, vel alia clade affectum, minoris potest vendi, prout ob id minùs valet (ut dixi in *consuet. Par.* §. 22. *num. 65.* Igitur isti duo contractus, videlicet venditio similis reditus antiqui, & reditus de novo super vendente constituendi, diametraliter differunt, sicut venditio fundi, & venditio reditus duodecimæ. In contrarium arguitur, primò, quia ex hypothesi Caius scienter emit injusto pretio à constituto in egestate, quæ excludit voluntarium simpliciter, ut per Aristo. in 3. *Ethi.* Scotum *in 4. sentent. dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 3. Bal. *l. pen. ad fin. Cod. quomodò & quandò judex sent. deb. præs.* per notata suprà *num.* 364. facit quod Dec. *l.* 4. *num.* 3. ubi tetigi de *reg. jur.* & sic cessant jura positiva, quòd licet invicem decipere infra dimidiam, quia non habent locum in scienter decipiente, ut dixi suprà *quæst.* 14. *num.* 171. Cessat etiam limitatio, per quam *l.* 2. *Cod. de rescin. ven.* non habet locum in scienter minoris vendente, quia hoc procedit quando cum scientia concurrit spontanea voluntas donandi, vel alia causa justa remittendi: secùs, non concurrente spontanea voluntate, sed quadam coactione vel egestate, qua emptor scienter in suum compendium abutitur: tum enim verum est dicere, quòd scienter & mala fide fratrem suum supergreditur. Tum leges illæ quòd liceat quadamtenus decipere, præsupponunt justitiam pretii non esse in individuo, sed in quadam latitudine, quæ multum & paucum recipit, & fundantur in hoc, quòd intra illam latitudinem medium non nimis excedit: & sic propriè non habent locum, ubi præcisè certum pretium taxatum est, præsertim quando illa taxatio est in gradu extremo, ut hic: quia mille ducenta sunt certum & taxatum pretium hujus reditus in extremo vilitatis; non enim potest dari minus aut vilius pretium, quin sit injustum, sed benè majus, ut suprà *quæst.* 5.

411. Secundò, quia prædicta subtilis differentia inter emptionem novi & veteris reditus verbalis magis quàm realis videtur, & secundum veram rei substantiam & effectum non differunt, ut tenet Conrad *de contract. quæst.* 79. quia utrobique cæteris paribus eadem omninò res versatur, idem abest & adest emptori, & venditori: igitur sicut non licet emere hujusmodi reditum de novo constituendum minori pretio quàm sit fors duodecimæ, nec ab egente nec à volente negotiari: ita non licebit minori pretio hujusmodi reditum jam constitutum emere, nec ab egente nec à volente negotiari, cùm istud pretium taxatum sit ad minimum, nec sit dabile minus istud pretium. Tertiò, quia alioquin via esset aperta fraudibus: frequenter enim accidit vel hujusmodi reditus habentes egere prompto subsidio æris alieni, tuncque quòd fœnerator improbus cupiens metas concessas transgredi, recusaret emere reditum de novo constituendum, sed veterem reditum emeret ad rationem decimæ, vel viliori pretio: igitur vitandæ fraudis ergò fieri debet prohibitionis extensio, ut notatur suprà. Quartò, quia si non licet ab egente scienter emere fundum ad eandem rationem, ut suprà *quæst.* 56. nec etiam licebit

nomen reditus à tertio debiti, in quo saltem non minor fraudis suspicio & occasio versatur in venditione fundi. Quid dicendum? Respondeo. Venditio nominis hujusmodi reditus, de se est contractus commutativus rerum vel jurium, nec potest de se reponi inter contractus negotiationis fœneratoriæ per notata in *prin. hujus quæst.* & infrà *quæst.* 68. Et quicquid dicat Conrad. in *d. quæst.* 76. differentia illa non est verbalis, sed realis: benè verum est, quod in utroque, cæteris paribus, idem abest & adest ipsi emptori, sed non est idem in venditore: quia venditori reditus novi super se nihil realiter abest, sed solùm obligatus est ad annuam pensionem, donec sortem reddere velit: venditori verò nominis illud cedenti statim nomen ipsum & jus perpetuum abit, & in alium in totum transfertur, sicut cùm venditur & traditur fundus. Tamen consideranda sunt duo. Primum, quòd venditio reditus nominis antiqui, cæteris paribus, non parum affinis est in effectu venditioni reditus de novo constituti, & potest fieri & eligi in fraudem reditus de novo constituendi, ut in 3. *arg. secundæ partis.* Secundum quòd hujusmodi reditus est res habens notoriè certum pretium taxatum ad minimum, sive in extremo vilitatis, quæ taxatio locum habet non solùm in puncto constitutionis reditus de novo, sed etiam in ipso jure & nomine reditus jam constituti: si tamen hoc ultimo casu turò collocatus sit, & sic non habet locum taxatio. *l.* 2. *Cod. de rescin. vind.* Et sic jungendo simul primum & tertium argumentum secundæ partis, dico contractum in hac hypothesi injustum, non propriè tanquam usurarium, cùm de se non spectet ad negotiationem fœneratoriam, sed simpliciter injustum ob vilitatem pretii, vel si sit suspicio fraudis, ut in 3. *argum.* tanquam interpretative usurarium. Amplio, sive Titius vendat illum reditum absolutè, sive retenta sibi facultate redimendi. Nec obstat, quod hoc ultimo casu reditus videtur emptori vilior, & deterioris conditionis, quasi subjectus duplici facultati redimendi, videlicet erga primum & secundum venditorem, & sic quòd minoris emi possit per notata suprà *quæst.* 35. *num.* 268. quia dico illud hoc casu non esse ullo modo considerabile, cùm iste reditus semper sui naturâ, imò substantialiter redimibilis sit, nec sit spes, quod ullo temporis spatio fieri possit non redimibilis.

Solutio.

412. Conclusionem limito, ut procedat quando reditus est liquidus, & turò collocatus: secùs, si litigiosus, vel debitor, aut res suppositæ minùs solvendo sint, vel difficilis conventionis: quia tunc tanto minoris est pretii per notata in *l. pretia rerum. ad leg. Falci.* non ipsi debitori, qui sibi semper quantum ad hoc dives est. *l. quærebatur. ad leg. Falc.* sed ipsi creditori tale nomen habenti. Sublimito, ut procedat si simpliciter vendatur & cedatur nomen, nec vendens obligetur de evictione, nisi ut debeatur, juxta *l. si nomen. de hered. vel. act. vend.* Secùs, si cedens promittit non solùm evictionem juris, sed etiam facti, videlicet debitorem fore solvendo: quia tunc idem est ac si solvendo esset, vel ac si venditor ipse sese ad continuationem reditus obligaret. Et sic esset idem quod in constitutione novi reditus, prout in veritate nova obligatio continuandi reditus constituitur & venditur in persona cedentis. [Quidam *baille à rente* feudum, *pour* 100. *rachetables pour* 100. *livres à trois fois*: postea indigens pecuniâ vendit, *pour* 60. *livres, le premier veut* habere pro pretio? Respondeo. Injustum, quia noluit redimere à domino, quem negat alii velle vendere: deinde vult commodo uti, quod injustum. Melius est, ut dominus possit aliquam gratiam habere ab emptore, vel cessionario suo, cui bonum fecit.] Modò in terminis quæstionis nostræ, quando hic reditus liquidus & turò collocatus venditus est ab indigente prædicto vili pretio, quæritur quomodo reformandus sit contractus. Et videretur reducendus ipsi Caio ad rationem quintædecimæ, commodo Titii, juxta notata suprà *quæst.* 10. & effectus esset, quòd Caius de reditu empto non posset percipere nisi sexaginta sex, cum bisse unius integri, annuatim videlicet, non pro rata decimæ quintæ partis pretii, quod numeravit: reliquum autem dicti reditus, videlicet 33. cum triente unius annua, remanerent in ære Titii, & ad eum spectarent, ita ut nec Caius admitteretur ad supplendum justum pretium, ut reditu integro potiretur, & istud observare non esset injustum, justo illius odio, qui scienter egentem proximum supergressus est. Et eadem ratione si emisset infra rationem decimæ, omni jure empto & commodo privaretur, sorte duntaxat servanda in quam, si quid exegisset, imputaretur. Verùm æquius puto hunc rigorem & pœnam ad hunc casum (nisi aliæ sortes concurrant) non extendi, non solùm per regul. *§. in pœnalibus.* in *l. non videtur. de reg. jur.* sed præcipuè quia hic contractus (ut dixi) de se est alterius generis, quàm reditus de novo constituendus, ut & infrà, *quæst.* 68. Quare hoc casu sufficere puto, quod emptor non faciat fructus reditus suos, nisi pro rata justi pretii numerati, donec quod justo pretio deest, suppleverit. arg *l. fin. in fin. de fun. dota.* Non enim hoc cedere debet commodo debitoris reditus, nec poterit debitor redimere à Caio eodem pretio, quo Caius emit prætextu *l. per diversas cum. l. seq. Cod. mandati.* Quia dictæ leges statutæ sunt contra eos, qui præ avaritia vel alios vexandi libidine, vili redimunt actiones litigiosas vel dubias: ideò statuunt ut reus vel prætensus debitor, litem & vexationem redimere possit eodem pretio (quod insidiator ille numeravit) oblato, non autem ut veri debitores, de quibus constat, cum jactura creditorum locupletentur, ut etiam tenet Antoni. *parte* 2. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 12. & alibi fusiùs tractavi. Ex prædictis infinitæ aliæ particulares quæstiones decidi possunt.

L. per diversas.

413. Jam tempus est ut reditus temporales novè & analyticè excutiamus, videlicet ad tempus certum vel incertum limitatos, putà ad decem, quindecim aut viginti annos, vel ad vitam unius aut plurium personarum: quæ res nobis necessariò explicanda est, ad plenam & radicalem materiæ usurariæ cognitionem. Quamvis enim non sit necessaria ad intellectum & rectum judicium redituum usus ariorum & usurarum communium, quæ ex prædictis suis liquent; illud tamen scias, nondum te radicitus & ad vivum rationem usurarum perdidicisse & intelligere, nisi horum quoque temporalium, præsertim certi temporis redituum rationem calleas, deque eorum justitia vel injustitia non defunctoriè, sed subtiliter & scitè, hoc est per veras decidendi rationes respondere valeas: quod ut planum fiat, nobis hæc novo stylo, nova & propria inventione & judicio discutienda & ad amussim decidenda sunt. Qui enim hactenus de his scripserunt, aut rem ipsam perverterunt, vel obscuraverunt, aut quod erat disputatione scituque præcipuum, intactum omiserunt. Utque cæteros taceam, videre est quàm multipliciter, anxiè & laboriosè distinxerint & subdistinxerint Petrus Anch. in *disp. incip. antiq.* & in *repet. cap. peccati venia. col.* 22. *de reg. jur. in* 6. Panor. *disp.* 5. *incipiente Augerio.* Primò enim componunt distinctionem quadrimembrem. An utrumque, videlicet reditus & tempus sit certum: an utrumque incertum, an reditus incertus, tempus incertum; an contra tempus certum reditus incertus. Secundò, distinguunt, an reditus qui venditur, sit antiquus, an verò constituatur de novo: & hic subdistinguunt, an in sola persona, an verò in bonis debitoris, quæ ferè sunt mutules ingeniorum carnificinæ. Potior autem eorum difficultas est, quod certitudo percipiendi ultra sortem facit usuram, quam præsupponunt de se semper illicitam: qui error ex ignorantia elenchi usurarum processit, ut satis suprà deteximus. Cùm enim jus percipiendi certum reditum ad tempus etiam certum,

Reditus temporales.

sive aliàs sit reditus antiquus, vel ejus pars, vel de novo constitutus, res sit quæ vendi potest, sequitur non esse continuò colligendam usuram, vel quid illicitum, ut rectè vidit Conrad. *tract. de contract. quæst.* 77. *cum seq.* nisi appareat vendi in fraudem usuræ vetitæ, vel nimis vili pretio; & hic est punctus, de quo tamen omnes siluerunt, videlicet quod sit justum pretium, quæ proportio, seu legitima indicatura horum reddituum. Quod non potest melius cognosci, quàm (ut in simili dixi suprà *quæst.* 5.) collatione ad emptionem ususfructus fundi, vel certi vectigalis ad vitam vel certum tempus, vel ex congrua analogia ad pretium perpetui non redimibilis reditus: in quo facile est mihi paucis verbis totius rei summam & sententiam meam promere, quæ est, quòd si quantitas annua reditus non excedit duodecimam sortis, sufficit quod in fine non excedit duplum. Si verò duodecimam sortis partem excedit, debet tam modicè excedere, ut habita ratione ad quantitatem currentem, & durationem reditus, creditor minùs inde lucretur, debitor autem minùs oneretur, quàm si contractum esset in forma vulgaris duodecimæ. Habes in brevi sententiam meam; sed quia mihi non arrogo illud *αὐτὸς ἔφα*, & rei novitas & utilitas rationem plenè reddi exposcit, ut commodius & docibilius hat, primùm aliquot particulares quæstiones proponemus, non tam exemplorum vice, quàm ut in illis densior argumentorum vis aptius absumatur, & veluti ferro via aperiatur & complanetur ad eam, quæ mox sequetur totius materiæ analyticam decisionem præcedentium, quæstionum semper ordine retento & continuato.

QUÆSTIO LXIII.

SYNOPSIS.

1. *Creditor in reditu perpetuo non coarctatur nisi solidam sortem recipere,*
2. *In eodem reditu debitor se liberandi facultatem habet.*
3. *Vilius emere propter inopiam venditoris illicitum.*
4. *Quomodo interusurii ratio habenda.*
5. *Creditor minùs reditûs, non plus potest exigere.*
6. *Media usurarum via, duodecimæ ratio.*

414. SExagesimo-tertiò, quæro, Quidam pro mille ducentis emit jus percipiendi ducenta annuatim usque ad 12. annos, an valeat. Videtur quòd sic, tanquam non excedens legitimum modum, videlicet rationem duodecimæ. Patet, quia creditor non est plus lucraturus, quàm si emisset centum perpetui & redimibilis reditus in quo fine duodecimi anni habituatus erat duplum, videlicet summam sorti æqualem ex reliquis præteritis, & rursus sortem integram in numerato, si debitor velit redimere: vel jus sorti æquipollens, si nondum velit redimere: quia jus hujusmodi reditus perpetui redimibilis adhuc subsistens æquipollet adæquatæ suæ sorti toti, nec plus valet in aliquo. Et sic in effectu in fine duodecimi anni nec plus adest creditori, nec plus abest debitori hoc casu, quam in reditu perpetuo duodecimæ, cùm utrinque duplum duntaxat habeatur, vel debeatur. Non obstat quod hoc casu ducenta annua tam pro sorte quàm pro usuris solvuntur, & sic singulis annis sors partim prærogatur: quia hoc non minus est ad commodum debitoris, qui particulari solutione liberatur, quàm ad damnum creditoris, qui particularem solutionem recipere cogitur, ubi in reditu perpetuo non teneretur recipere sortem nisi simul. Et tamen interim æquè habet pro usura centum annua, non solùm usque ad 12. annos, sed etiam perpetuò, donec tota sors simul cum reliquis debitis reddatur. Item probatur, quia quod creditor primò percipit annuatim centum, hoc procul dubio justum est: quod autem secundò simul percipit alia centum, etiam æquè justum vel justius est, ex quo utraque pensio finitur duodecimo anno. Patet, quia hæc secunda centena compensantur cum remissione totius reditus: ad minus autem verè remittitur reditus perpetuus centum annuorum post duodecim annos, qui quidem reditus non valet minùs, quàm 1200. semel solvenda, pro qua remissione, 1200. particularim solvuntur vel redduntur. Et quia perimitur reditus statim, sed post 12. annos, ideò etiam non solvuntur hæc mille ducenta simul, sed particulariter per 12. annos. Et sic in hoc contractu sunt duo mista, quæ debent distingui, videlicet pensio centum, quæ est justa in se, etiamsi esset perpetua, & rursus alia similis pensio, quæ etiam justa est ob remissionem reditus, quæ remisso æquivalet. Quod ut fiat illustrius, specie quadam individua velut re ipsa oculis subjecta, fac Titium habere reditum annuum ducentorum sibi debitum: sed quia indiget prompta pecunia ad momentaneam erogationem, quò celeriùs & minore dispendio defungatur, vendit Caio fructus dicti sui reditus ad 12. annos, pro mille ducentis. Quis hunc contractum iniquitatis usurariæ, vel excessus illiciti arguere queat, si tamen reditus duodecimæ licere credat? Si quidem omninò idem hîc est effectus, sive personam Caii attendas, qui est dives, plurima fortè hujusmodi negotia exercens, cujus non refert qualiter in 12. annis duplum habeat, dummodo habeat, sive simul, sive in numerato, sive in idoneo nomine, sive una simultanea solutione, ut quando tempore redemptionis duplum simul solvitur, quia tempore medio nihil erat solutum, sive partim diversis præstationibus reditus, partim refusione sortis, ut quando tempore redemptionis interim reliqua fuerant soluta, sive per plures diversas uniformes solutiones tantùm, ut in themate hujus quæstionis. Sive etiam personam Titii attendas, cujus non interest an mediam partem alterius reditus sibi debiti solvat annuatim Caio, ad formulam duodecimæ, reliquam verò dimidiam partem ejusdem reditus quotannis in arca reponat, donec cùm ad summam sortis sufficiat in fine duodecimi anni, & sic redimat: an verò integram pensionem sibi debiti reditus annuatim solvat usque ad 12. annos duntaxat, vel cedat aut vendat Caio percipiendam usque ad idem tempus? Non enim interest Titii utrùm potiùs faciat, nisi quod sua magis interest, hac secunda via (ut in casu hujus quæstionis) uti tanquam breviore, expeditiore & tutiore, ne videlicet interim sumptum & operam impendat in pecunia illa sibi debita exigenda, comparanda, & interim suo periculo custodienda, donec ad redimendum sufficiat. Quod periculum, laborem & solicitudinem, quæ subiturus erat ad rationem duodecimæ, nullo incommodo vitat vendendo hunc reditum temporalem, & assignando super alium reditu sibi debito. Præterea quid si Caius malebat modo consueto emptionem ad rationem duodecimæ contrahere: sed rogatus & impulsus à Titio, cui hoc magis expediebat, emit fructus 12. annorum dicti reditus?

415. Sed his non obstantibus, quantumcunque prima facie urgere videantur, puto hujusmodi contractum nullum, & in totum reprobandum, reliquis in sortem imputandis, & quatenus ultra sortem solutum esset, condicendis, tanquam notabiliter in

fraudem duodecimæ: quam non parum, sed multum excedit, non in extremo dupli, sed in extremo cursus usuræ, & multiplici gravamine debitoris. Patet primò, quia hîc sors in effectu non alienatur: sed eam tenetur debitor præcisè, licèt particulatim, restituere. Et licèt debitor quoad formam verborum non promittat sortem, sed reditum temporalem, tamen quia in hac materia magis effectus quàm verba, attenditur, & iste reditus propter sui magnitudinem & temporis brevitatem gerit vicem duplicis sortis restituendæ, sive sortis & interusurii æqualis sibi, non dicitur sors liberè alienata, prout ad justitiam reditus requiritur, ut suprà *num.* 17. Secundò, quia hîc debitor non potest redimere, nec se liberare abusuris vel reditu, sed tenetur præcisè per 12. annos ducenta solvere. Et sic ab initio certus est creditor de toto lucro, cujus oppositum est in perpetuo reditu, ubi creditor nunquam certus est de lucro in futurum, sed debitor liberam & continuam facultatem habet se liberandi: quod etiam est de essentia & justitia legitimi reditus. Tertiò, quia per creditorem non licet debitori frui tota sorte per totum tempus, quo reditus hic temporalis durat, prout est de essentia & justitia legitimi reditus. Patet, quia cùm magnitudo reditus longè & in duplo superexcedat summam & communem æstimationem interusurii: rapit secum partem sortis; quia cùm non possit totum id quod solvitur, attribui simplici interusurio, sed solùm pro media, sequitur quòd altera dimidia restitutioni sortis attribuitur. Et sic in primo anno restituit debitor unciam sortis, cum interusurio plenæ sortis, & rursus secundo anno alteram unciam, & sic sexantem, & tamen solidum interusurium totius sortis continuat: sexto verò anno jam semissem sortis restituit, & tamen solidum interusurium continuatur, ita ut ultimo anno verum sit ad minus dicere, quòd solvit centum usuræ nomine in centum, & sic tandem usura æquipollet sorti in anno, quod quia est inauditum & horrendum, meritò dictus contractus non moderandus, sed in totum cassandus, per notata suprà *quæst.* 10. Non tamen poterit creditor sortem ante tempus repetere, invito debitore, si debitor paratus sit reditum quintædecimæ pro eo quod supersest sortis constituere, secundum ea quæ suprà dixi *quæst.* 11. Non obstant allegata in contrarium, quia ut diximus suprà *quæst.* 4. *num.* 105. duplex est summitas usuræ, altera dupli, altera quantitatis currentis. Et licèt prima hîc non excedatur, tamen satis est secundam excessivè transcendi, ut in totum debeat contractus annullari, salva sorte, nulla interusurii habita ratione, juxta notata suprà *quæst.* 10. *num.* 141. Non obstat hypothesis illa de Titio & Caio, quia non fundatur, nisi in singulari commoditate Titii, nec in ea qualibet, sed quæ erat tempore contractus. Pretia autem rerum non debent ex singulari quapiam alterius partis utilitate, præsertim temporaria metiri, sed communiter *l. pretia ad Falcid.*

416. Quinetiam si Titius erat tunc admissurus decuplum, nili sic celeriter contraxisset, hoc nihil facit ad justitiam contractus: quia non licet vilùs emere propter indigentiam venditoris, & è converso, ut rectè tradit Sanct. Tho. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. & omnes Theologi Scholastici in 4. *dist.* 15. Ad summum etiamsi ex circumstantiis dicta hypothesis erat tunc commodiùs Titio sic contrahere, quàm reditum duodecimæ vendere, hoc non erat verum, nisi rebus diu sic stantibus: sed cùm diu in eodem statu stare non possint, in *novel. de non alien. constit.* 7. §. *ut autem*, & sic fieri possit ut infra semestre superveniat Titio facultas redimendi suaque interfit redimere: vel contrà, ut superveniat ei non egestas, vel aliud negotium, ut sua magis interfit, ad rationem simplicis duodecimæ per aliquot annos diutiùs solvere, sub libera facultate quamprimum & quoties licebit, redimendi, quàm 200. libras per singulos duodecim annos præcisè vendere. Igitur etiamsi, ut res sunt tempore contractus, sua non interfit abdicare à se facultatem plenius & diutius sub eadem usura ære alieno fruendi, vel utramque aut alterutram abdicare, tamen in futurum interesse poterit: & sic etiam tempore contractus inspecto, suà interest huic difficultati vel periculo se non alligare, nec se astringere ad gravius onus, quàm sit vel esse possit simplex duodecima: tum etiamsi prævideri posset eundem statum fore, ut non interfit Titii per totos 12. annos. Hæc singularis & fortuita contingentia, non immutat pretium rerum, ut dixi, nec facit, ut liceat Caio metas constitutas excedere, hoc est, durius fœnerari, quàm per simplicem duodecimam (quæ summa est usura) liceat. At non permittitur duodecimam exigere, nisi sub duplici fœnerantis onere; primum, quòd nunquam possit repetere sortem, nec ejus partem, sed liceat debitori ea frui, quamdiu libuerit, simplicem duodecimam pendendo. Secundum, quòd creditor nunquam sit certus de usura futura, sive nunquam habeat jus incommutabile ad hoc lucrum, sed semper & continuò habeat debitor & sui facultatem redimendi. Et hæc duo onera sunt de essentia & justitia duodecimæ, quæ tamen in dicto contractu Caius à se rejicit, & contrariis oneribus onerat debitorem. Igitur contractus tanquam formaliter & effectivè nimis excedens, usurarius, & nullus, ita ut sententiam non posse justificari, etiamsi Caius ab initio det facultatem redimendi, puta, quòd Titius possit quandocumque redimere, etiam computando vel deducendo in sortem reliqua excedentia rationem duodecimæ: puta si dicatur quòd in secundo anno possit Titius redimere solvendo undecies centum, vel tertio anno solvendo mille, vel in fine sexti anni solvendo sexcenta, & sic de aliis, præter reliqua præterita etiam ad rationem duodecimæ pro rata fruitionis pecuniæ reducta: quia hoc quidem modo tolleretur unum onus, vel duo onera superaddita duodecimæ; sed remanere aliud tertium onus, videlicet quòd debitor non habet facultatem fruendi sorte, quamdiu voluerit, sed ad restituendum cogitur. Et sic necesse est ad tollendum vitium improbi fœneris, quod creditor hujus contractus formulam in voluntatem debitoris reponat, ut sit ei liberum non solùm usque ad certum tempus, sed quandocunque solvere, vel defungi, ad formam & rationem simplicis duodecimæ: quia non potest in plus, sed benè minus adstringi.

417. Ideo in casu dictæ hypothesis si constet de bona fide creditoris, qui nolebat hanc formulam exigere, sed debitor sic contrahere maluit, deinde post aliquot annos objiciat vitium & nullitatem contractus, dico quod creditor propter suam bonam fidem, quia non debitorem decepit, sed ab eo potius deceptus est, non debet omni commodo fraudari. facit suprà *quæst.* 42. *in fin.* sed debet ei reservari ad rationem duodecimæ, quod est expeditum, si nihil interim solutum sit, vel solùm dimidia, infra dimidiam reditus conventi solutum sit: quia tunc condemnabitur debitor solvere ad rationem duodecimæ, contractu ad hanc rationem, tam pro præterito, quàm pro futuro tempore in totum redacto. Sed si per aliquot, puta sex annos, reditum conventum, puta ducenta annua solverit, mox in septimo anno liberatum se (tanquam tota sorte soluta) contendat, & instrumenta tanquam cassa & nulla condicat, tunc non parum difficultatis est, non solum in supputando, sed multò magis in arbitrando quantum pro reliquis, seu potius interusurio præteriti temporis deducendum sit. Certum est enim non esse deducendam solidam duodecimam totius sortis pro singulis annis, non facta defalcatione pro rata temporis, etiam partis sortis singulis annis restitutæ; quia esset enormissimè duodecimam excedere in quantitate & qualitate; non enim debitor fruitus est tota sorte per totos sex annos. Et primò occurrit dubium

juris,

juris, quantum & qualiter sit æstimandum interusurium. Secundò difficultas facti, scilicet in faciendâ novâ calculatione & subductione singulis annis, ad quam omnem & juris & facti molestiam vitandam, æquum temperamentum videtur semis duodecimæ totalis sortis per singulos annos non facta, sed compensata omni alia subductione. Et secundùm hoc dicta summa soluta dodrans, videlicet nongenta in sortem imputanda sunt, restant trecenta, quæ solvere debet debitor, ut in totum liberetur, vel reditum duodecimæ pro his 300. constituere, nec video quo justiori decreto hæc res si accidat, temperari possit. Scio raram esse hanc speciem, tamen cùm sæpe in aliis terminis sub eadem vel simili decidendi ratione usu veniat, tum absolutioris doctrinæ gratiâ, paucis explicanda fuit: longam enim argumentorum contentionem omitto.

418. Sed ne dum brevis esse laboro, obscurus fiam, præsertim circa istud novissimum temperamentum semissis duodecimæ, in quo non parum multis aliter dicendum videri possit, placet analyticam nostram super hoc ab utraque parte discussionem quam brevius & dilucidiùs queam explicare. Et primò pro creditore argumentabor super defectu. Secundò pro debitore super excessu hujus temperamenti. Quantum ad primum, eodem ultimo themate retento de creditore bonæ fidei, videtur ei injuria fieri, reducendo ad semissem duodecimæ, etiam respectu totius sortis, absque alia diminutione, etiam pro præterito tempore tantum, patet triplici medio. Primò, per locum ab absurdo, quia erat licitè & utilè contracturus ad formam duodecimæ; rogatu verò debitoris & in ejus gratiam bona fide contraxit, ut in hac quæstione, & tamen secundùm hoc temperamentum sua bona fides & officiositas sibi damno fraudique vertitur: contrà verò debitori sua ingratitudo & forsan astutia (si per dolum præmeditatum creditorem ad sic contrahendum pellexit) lucrum affert, quod est absurdum: creditor enim præter incommodum particularis per 12. vices luitionis, quod ex forma contractus suscepit, multiplici alio inopinato incommodo contra formam contractus efficitur. Quoniam primo fraudatur dimidio reditus conventi, sive interusurii totius temporis præteriti, quod sorti imputatur. Secundò, pro tempore futuro perdit totum reditum conventum, & redigitur ad formulam duodecimæ pro modico residuo sortis non compensatæ. Tertiò, subit contractus divisionem & transformationem. Quartò, nulla ratio habetur ejus commodi, quod debitor ex forma & contemplatione contractus consecutus fuit, per plures particulares præstationes se liberandi. Et sic non videtur istud nostrum decretum esse justum temperamentum: deberet enim esse, quantum fieri potest, æquale inter utrumque extremum, ut per Aristotel. in *primo magnorum moral. cap.* 34. Sed videtur merus favor debitoris, etiam ingrati vel dolosi, nulla ratione habita creditoris bonæ fidei & nimium forsan desiderio calidi debitoris obsecuti. Secundò, arguitur per regulam, *l. placuit, de usuris, l. eos. in fin. Cod. eod.* quæ hic servari debet propter bonam fidem creditoris qui propterea puniri non debet: igitur integra duodecima ei servanda est facta deductione pro rata temporis & sortis, ut sic conservetur contractus, inquantum fieri potest, eo duntaxat resecato, quod modum concessum excedit. Tertiò, quia in dubiis media via eligenda est. *l. antiqui si pars hæredit. pet. cum vulgar.* Igitur inter hæc duo extrema, alterum annullationis contractus in totum, alterum conservationis contractus in totum, servandum interusurium simplicis duodecimæ pro rata temporis & sortis: nec videtur justius decretum eligi posse, cùm sit medium communiter approbatum juxta, *l. ambiguis, de reg. jur.* Confirmatur, quia hoc modo neuter læditur, neuter alterum supergreditur, sed utrique quod suum est conservatur, utrique quod juris est secundùm legitimum modum tribuitur. Patet, quia debitori non permittitur nec plus nec minus solvere reditus, quam secundùm modum concessum, & vicissim creditori non permittitur plus, nec prohibetur minus exigere. Et sic hæc videtur media via & eligenda, præsertim hoc casu, ubi constat de simplicitate & bona fide creditoris, quem æquum est eatenus indemnem servari, quatenus mores & leges permittunt, ut id tantùm præcidatur, quod non est permissum.

419. Porrò non est modica, sed notabilis distantia inter hanc & priorem viam; quia secundùm priorem rotundi semissis non restant nisi 300. creditori debita: sed secundùm hanc exactæ duodecimæ, omni debita deductione facta, restarent ultra 460. videlicet 460. libræ, tres solidi, decem denarii, cum triente denarii, computando per vulgares libras, quæ sunt viginti solidorum duodenariorum. Primo enim anno, quo debitor tota sorte potitus est, duodecima fuit centum; secundo verò anno quo initio ejusdem ducenta secundùm formam contractus soluta sunt, quorum centum primò cedunt pro usura præcedentis anni, reliqua verò centum, sortem ipso jure minuunt, reperiuntur penès debitorem undecies centum, quorum duodecima eodem secundo anno currens est, 91. ½ quæ usura primò debet deduci de ducentis, quæ solvuntur in fine secundi anni, & sic residuum 200. videlicet 108. ½ statim minuunt sortem residuam tertii incipientis anni, in quo non remanent penès debitorem nisi 991. ½ sortis, quorum duodecima sunt 82. libræ 12. solidi 9 denarii ½ qui primò deducuntur de ducentis, quæ solvuntur in fine tertii anni, quorum residuum videlicet 117. libræ 7. solidi 2. denarii ½ statim minuunt sortem residuam quarti anni incipientis, in quâ sorte non sunt amplius nisi 874 libræ 6. solidi, unus denarius cum triente, quorum duodecima sunt 72. libræ 17. solidi, duo denarii, cum duodecima & tricesima-sexta parte unius denarii, quæ usura primò deducitur de ducentis, quæ in fine quarti anni solvuntur, residuum verò 200. sorti imputatur, & sic in quinto anno sors non est nisi 747. libræ, tres solidi, tres denarii, quinque duodecimæ partes, & una tricesimæ-sexta pars unius denarii, quorum duodecima sunt 62. libræ, quinque solidi, tres denarii, cum triente denarii circiter: quia hic incidit quædam refractio nimis prolixæ & scrupulosæ explicationis: quæ usura primò deducitur de ducentis, quæ solvuntur in fine quinti anni, & sic sexto anno non remanent in sorte nisi 609. libræ 8. solidi. sex denarii, cum besse & tricesimæ-sexta parte unius denarii, quorum duodecima sunt quinquaginta libræ 15. solidi, duo denarii & circiter decima octava pars unius denarii. Et sic omni subductione facta, duodecima illorum sex annuorum, pro rata temporis & sortis, est 460. librarum, trium solidorum, & circiter decem denariorum cum triente denarii.

Supputatio.

420. Nunc pro debitore paucis arguitur, quia contractus in sui forma peccat contra omnia tria substantialia duodecimæ, ut suprà *quæst.* 50. & sic non debet reduci ad semissem duodecimæ, etiam omni prædictâ subductione facta, & multò minus sine subductione. Nec obstat quòd etiam duodecima sit medium justum & approbatum inter totalem nullitatem & totalem conservationem contractus: quia utcunque hoc urgere videatur, & ad pauca advertentium oculos perstringere, magnam tamen implicat fallaciam, & peccat in designatione secundi extremi, sub quo statui nequit integra illa conservatio contractus in sui forma. Quamvis enim diametraliter opponatur totali annullationi, & hæc videantur & sint vera suprema extrema contradictionis, secundùm regulas Dialecticæ, tamen non quadrant pro extremis adæquatis in hac morali & civili diatriba, quia primum quidem extremum stare potest & admitti, prout verè

Argum. pro debitore.

Ratio extremorum secundum leges.

ſtat: quoniam contractus eſt funditùs in totum nullus, ut probatum eſt: ſed ſecundùm extremum non poteſt ſtare, ſed eſt prorſus impoſſibile & inadmiſſibile, & ſic licet primum extremum poſſit exigi, tamen ſecundum non eſt exigibile, nec ullo modo tolerabile. Et ſic non debet, nec poteſt poni pro extremo correſpondente, ſed prorſus rejici. Extremum autem quod priori correſpondere, ſtareque poteſt, eſt conſervatio contractus, non in totum, nec in ſui forma (quod eſt impoſſibile) ſed quàm maximè conſervari poteſt, videlicet conſervando creditori lucrum etiam à tempore contractus ad rationem duodecimæ, pro rata temporis & ſortis: hoc eſt enim ſummum & maximum quod pro eo fieri poteſt. Itaque ut ſummus rigor fieri poſſit creditori, eſt abſoluta peremptio contractus & quæſtus, & reductio ad ſimplex mutuum, ſola ſorte ſalva: ita ſumma commoditas fieri poſſibilis creditori eſt, conſervare quæſtum ad rationem duodecimæ pro rata temporis & ſortis: hic eſt enim ſupremus gradus hujus quæſtus: quemadmodum ſummus rigor & ſupremus defectus eſt nullum prorſus quæſtum relinqui, ſed omnia ſorti imputari: & ſic patet quòd hæc demum ſunt vera, propria & adæquata extrema. Quod ergo videbatur eſſe medium, non poteſt eſſe medium, quia neceſſariò eſt ſummum & poſterius extremum.

421. Quid dicendum? Reſpondeo ſtandum prædictæ ſententiæ noſtræ de rotundo temiſſi duodecimæ. Probo primò, quia contrahentes noluerunt inire reditum duodecimæ, nec aliquam ejus quotam vel partem, de quibus ſuprà in *abaco*, ſed diverſam fœnoris negotiativi ſpeciem, videlicet reditus temporalis. Et ſic proportio & analogia duodecimæ propriè non eſt ad rhombum, ſed impertinens: recurrendum igitur ad materiam & proportionem reddituum temporalium, qui quantitatem ſemiſſis duodecimæ ſortis integræ non debent excedere, ut infrà *quæſt.* 17. Ad hunc ergo modum reducendus eſt excellus hujus reditus in creditore bonæ fidei. Secundò ſuadetur etiam per regulas duodecimæ, in quantum huic contractui affinis eſt. Cùm enim propter bonam fidem creditoris, de qua conſtat, non ſit æquum illi ſervari ſummum rigorem primi extremi: nec rurſus juſtum ſit plenum & ſummum quæſtum illi tribui, ac ſi modum non excelliſſet. Ipſa legalis noſtra æquitas exigit mediam quamdam viam eligi. Ut autem medium rectè temperetur, non ſufficeret hîc quæſtum duodecimæ reduci ad decimam quintam: quia decimaquinta parum diſtat à ſummo gradu, à quo quinta parte duntaxat minuitur. Quod ut ſatis eſſet ubi quis parum tranſgreditur, ita non ſufficit in hac magna & multiplici transgreſſione: quia primò ſors non erat perpetuò alienata: ſecundò, debitor non poterat liberè redimere, & nihilominus paciſcebatur creditor de ſummo quæſtu ad rationem duodecimæ, imò & paulò ſupra duodecimam: quia non obſtante quòd pars ſortis quotannis redderetur, tamen ſolidus reditus currebat, nec minuebatur pro rata ſortis reſtitutæ. Non ergo ſufficeret reduci decimamquintam, ſed ad ſemiſſem duodecimæ, ſaltem pro tempore præterito, quamdiu creditor ſecundùm formam contractus exegit, nec vitium correxit. Secus ſi nihil exegiſſet, vel ſi debitori, etiam poſt contractum, liberum fecerit ut ſemper ad rationem duodecimæ frui, ſolvereque poſſet: & tamen debitor maluerit formam contractus ſequi. Quo ultimo caſu etiam contractus in ſui forma ſervari poteſt: quia tunc fit in gratiam debitoris, non creditoris, nec interim debitor obligatus eſt ad formam illam contractus, ſed eſt in ſua facultate: nec creditor exigendo recepit tanquam ab obligato ad eam formam, ſed tanquam à malente ſic liberari; imò potius eſt obligatus ſolus creditor ad particularem redemptionem recipiendam, quod onus creditoris, & quæ facultas debitoris ſunt juſtum æquamentum, ut reditus ſeu quæſtus duodecimæ primi anni non minuatur in ſequentibus annis, pro rata ſortis reſtitutæ, vel reſiduæ penès debitorem. Sed ſi de facto exegerit ſecundùm formam contractus, tanquam ab obligato, tunc impoſſibile eſt quæſtum duodecimæ etiam pro primo anno ſuſtineri, quantumcunque creditor in bona fide fuerit, & multominus pro ſequentibus annis. Quia ſimul bonam partem ſortis penès ſe haberet, de qua alios reditus emere vel aliter negotiari poſſet, & tamen ſolidum & ſupremum reditum exigeret, quod eſſet monſtro ſimile. Ex his patet æquitas præfati noſtri temperamenti in dicta ultima ſpecie, & totius quæſtionis ratio deciſa.

QUÆSTIO LXIV.

SYNOPSIS.

1. Odioſa non extendi debent.

2. Rotati Canoniſtæ.

422. SExageſimo quartò ſubſequenter quæro, facdictum temporalem reditum dimidio minui in quantitate, ſed duplo augeri in tempore ſeu duratione: ut ſi quis pro mille ducentis emat centum reditus, uſque ad viginti quatuor annos. Breviter reſpondeo, contractum valere, quia licet ſit diverſa ſpecies à formula reddituũ vulgò receptorum, & veterum uſurarum vice ſubrogatorum: quæ formula utpote odioſa non videtur ad alium caſum extendi poſſe: tamen cùm omnis uſurarum reſtrictio favore debitorum introducta ſit, dico quòd non cenſetur vetitus, ſed permiſſus omnis alius uſus, in quo, etiam in communi, melior eſt conditio debitoris, & benignùs agitur, quam ſecundùm formam reddituum permiſſorum: ſed hîc multò melior eſt conditio debitoris, licet ante duodecim annos redimere non poſſit, quam ſi quandocumque redimere non poſſet; ſed ita ut cauſativè redimere teneatur, ne videlicet alioquin reditus perpetuò currat: idque ſaltem quando neutra ſummitas uſuræ exceditur, ut quando non ſolvitur annuatim ultra modum conſuetum & approbatũ. Et adhuc tandem non exceditur duplum; ſed cùm ea ventum eſt, finitur, ut hîc: imò tota ratio uſuræ, & formalis & interpretativæ hîc ceſſat. De formali patet, quia ſolutiones reditus tendunt ad luitionem & liberationem, quam non nimis longo tempore operantur, & ſic non ſunt in meram compenſationem interuſurii, prout in reditibus vulgatis, ſed magis ſunt pro reſtitutione ſortis, quæ non ſolum alienata perpetuò ad voluntatem debitoris, ſed omnino & formaliter, ut non teneatur illam reſtituere, nec præcisè, nec cauſativè, quia non habet opus redimere, cùm tempore ſuo per ſe finiturus ſit reditus. De interpretativa patet, quia quod annuatim ſolvitur non excedit modum conceſſum præter id quod nulla redemptione opus eſt, ſed viceſimo quarto anno finiente, timetur, quod longe utilius eſt quàm facultas redimendi cum onere perpetui reditus, donec redimatur. Si igitur eodem pretio emerit ad quindecim vel viginti annos magnam gratiam facit debitori, tantum abeſt ut alicujus vitii vel exceſsûs notari poſſit, quicquid Canoniſtæ deliraſſent: quod procedit etiã in terminis juris civilis in emptore, qui ventus eſſet ultra ſemiſſes vel trientes (puta illuſtris) fœnerari: quia hîc non eſt fœnus, ex quo ſors non redditur, nec in fraudem fœnoris, ex quo minus duplo ad finẽ habiturus eſt,

& minus gravatur debitor quàm per usuram legitimam. Sed quid si pro mille ducentis sortis stipuletur paulo suprà centum, puta centum viginti annua, usque ad quindecim annos? Respondeo; valet contractus, ex quo omnino melior sit conditio debitoris, quàm si centum duntaxat promitteret, donec forte restitueret, quod ut sit dilucidius formo quæstionem sequentem.

QUÆSTIO LXV.

SYNOPSIS.

1. *Reditus perpetui, & qui redimendi pacto subjacent emi, & vendi justo pretio possunt.*
2. *Reditus excedens semisses usuras juris civilis annullandus.*
3. *Usuræ non deducuntur nisi quatenus inciviler.*
4. *Subtilius excutitur duodecima.*
5. *Restrictione contractuum fœneratitiorum ditior, non pauperior fieri debet debitorum conditio.*

423. SExagesimo-quintò quæro de quæstione quam tractat Jo. And. in *addit.* ad Spec. *de usuris.* Quidam pro mille vendidit centum quinquaginta annui reditus usque ad decem annos, vel fructus certos sive incommutabiles certi vectigalis ad totidem annos, an contractus sit licitus? & Joan. And. *ibi* Laurent. de Rodul. in *tractatu usurar. part.* 2. *quæst.* 17. & omnes Doctores, ubique tam in lecturis quàm in summis tenent esse usurarium, ex quo fructus sunt certi; quod non caret ratione, non propter certitudinem fructuum, sed propter certitudinem lucri futuri, quia hoc casu non licet debitori redimere ante tempus etiam offerendo totam sortem vel residuum sortis cum usura præterita pro rata temporis, puta in fine primi anni, offerendo mille & quinquaginta, vel postquam solvit pro primo anno, offerendo in fine secundi anni nongenta quinquaginta, & sic creditor certus est de certo lucro, etiam pro tempore futuro, ut nec debitor redimere, nec se liberare ante tempus possit: quod videtur improbum & illicitum fœnus, quia de jure omnis usura cessat, sorte cum reliquis præteritis oblata, idque ipso jure, ut novè diximus, suprà *quæst.* 39. & nullibi in toto jure civili reperitur, cursum aliquem usurarum permitti contra debitorem restituere seu luere volentem, nec sunt inventæ nec permissæ usuræ, nisi contra debitores morosos vel fruentes ære alieno, & quamdiu frui volunt. Verùm quia reditus perpetui & redimibiles emi & vendi possunt justo pretio, ut dictum est suprà *quæst.* 5. sequitur quod etiam temporales reditus licitè emi possunt justo pretio, & cessante omni alia fraude. Quinimò non minus, imò magis & frequentius debitorum interest, temporales quàm perpetuos etiam redimiles reditus vendere. Solum ergo discutiendum est, an sit justum pretium in proposita specie. Prima facie videtur quòd sic, quia per hunc contractum melior est conditio debitoris, quàm si venderet reditum perpetuum & redimibilem ad rationem duodecimæ, pro eodem pretio: quod tamen esset justum & sufficiens pretium debitori, igitur hoc casu eidem debitori justum & sufficiens est: imò justius & sufficientius. Quod autem melior hîc sit ejus conditio patet re ipsa, sive cursum medii temporis, sive finem & exitum attendas: quia inspecto cursu reditus, debitor non solvit hîc nisi 50. annua pro usura (centum enim annua sunt pro particulari restitutione sortis) sed in reditu duodecimæ solveret ferè duplum, videlicet annuatim octoginta tria cum besse unus, idque perpetuò, donec sortem simul & integrè cum dictis ferè duplo gravioribus usuris restitueret. Si igitur mille sunt justum pretium tam gravis & perpetui reditus, igitur sunt debitori plus quàm justum & superabundans pretium hujus temporalis & levioris reditus. Idem inspecto fine vel exitu reditus. Aut enim debitor tempore medio solvit in terminis, & tunc particulari sortis restitutione cum duplo ferè leviori usura liberatus apparet in totum & à sorte & ab usuris: ubi in reditu duodecimæ remaneret adhuc obligatus ad usuras, donec sortem integram simul cum reliquis restituat. Aut verò debitor tempore medio nihil solvit, licet debitum recognoverit, & adhuc multò melioris est conditionis, quàm in reditu duodecimæ: quia in hoc reditu temporali præter id quod interim per decem annos tota sorte cum reliquis liberè fruitus est, non tenetur nunc solvere nili mille quingenta, ut in totum liberetur: sed in reditu duodecimæ oporteret eum solvere primùm octingenta triginta tria cùm tertia parte unius, idque pro usuris præteritis decem annorum duntaxat, & adhuc ad easdem usuras in futurum perpetuò obligatus remaneret, donec sortem cum integris subsecutis usuris restitueret. Tum tertiò hujusmodi reditus jure communi licitus est: quia non excedit legitimum modum usurarum legalium, imò est sexta parte minor. Patet, quia semis usura in mille, sicut quinque mensitua, vel sexaginta annua: sed in hoc reditu non sunt nisi 50. annua: igitur sive jus commune, sive mores nostros attendamus, neutrobique excedit, sed est infra legitimum & concessum modum. Quartò, iste reditus in effectu reducitur ad rationem quincuncis usuræ: patet, quia ultra sortem non solvitur nisi media pars sortis in decem annis, & adhuc lapso decennio, non solùm sistit usura, sed in totum debitor liberatur reliquis præteritis solutis, licet in quincuncibus currere pergat donec sorti æquata sit, quod est in fine vicesimi anni, ut supra in *abaco.* Et Johan. And. in *addit. de rub.* refert quemdam suo tempore dixisse, quòd iste reditus stat ad quinque pro centenario, quem multis ineptis & præposteris computationibus nititur reprehendere, subducit enim usuras, quas creditor acquirere potest, de usuris vel pensionibus receptis, quod est stultum & absurdum. Verùm è contrario deducendum est annuatim de sorte, quod debitor singulis annis solvit vel solvere tenetur de sorte, ut pro rata residui duntaxat metiatur quantitas usuræ, ut statim dicam.

424. Breviter prædictis non obstantibus, dico dictum contractum illicitum & usurarium, propter nimium pretii defectum, & usuræ lucri-ve excessum: hic enim reditus notabiliter excedit semisses usuras juris civilis, & duodecimam vulgò frequentatam. Non obstant in contrarium adducta, quia secundùm jus civile procedere possent, si debitor singulis annis solvere teneretur 50. duntaxat, & interim tota sorte frueretur usque ad finem decennii: sed non est ita, quia debitor quotannis non solùm usuram, sed sortis partem restituit. Et hîc advertendum primò, quòd si dividas sortem æqualiter in singulos annos, quasi in fine cujusque anni certa & æqualis sortis quota pendatur, residuum autem pensionis cujusque anni cedat loco usuræ, ut hîc de 150. annis, si centum adscribas restitutioni sortis, 50. verò usuris, tunc computatio & usuræ proportio erit plana & facilis per singulos annos: quia primo anno, quo

debitor tota sorte fruitur, illa 50. currunt ad rationem ûnius pro viginti in anno sive quincuncis usuræ. Secundo anno, quo non remanent nisi. 900. in sorte, currit usura ad rationem unius pro octodecim. Tertio anno, quo non sunt nisi 800. in sorte, currit usura ad rationem unius anni pro sexdecim. Quarto anno, quo non sunt nisi 700. in sorte, currit ad rationem unius pro quatuordecim. Quinto anno, quo non sunt nisi 600. in sorte, currit ad rationem duodecimæ Sexto anno, quo non sunt nisi 500. in sorte, currit ad rationem decimæ sive dextantis usuræ. Septimò anno, quo non sunt nisi 400. in sorte currit ad rationem unius pro octo. Octavo anno, quo non sunt nisi 300. in sorte, currit ad rationem unius pro sex, quæ est dupla duodecima nono anno, ad rationem unius pro quatuor. Decimo tandem anno ad rationem unius pro duobus: & sic tandem in quadruplicem centesimam exit. Secundò advertendum, quòd penitius inspiciendo, subtilior debet fieri usuræ deductio: quia de jure non debet usura resecari, nisi quatenus sustineri non potest. Cæterùm valet actus quantum potest *d. l. eos, in fin. l. pecuniæ fœnebris, in princ. l. usuras illicitas, l. placuit de usur.* Et alioquin fieret injuria creditori, cui imputaretur gravitas usuræ, quæ prima fronte apparet in ultimis annis, & tamen non compensaretur cum levitate usuræ priorum annorum, licet in eodem contractu. Itaque non debet hîc fieri illa æqualis rusticorum more divisio, qua nihil inæqualius. Quia hîc non una simplici quantitate, sed de proportione quantitatis ad quantitatem agitur. Et adhuc non semel de una quantitate ad aliam, sed pluries: & de diversis quantitatibus ad diversas per singulos annos hujus decennii. Quia licet quolibet anno eadem proportione metienda sit usura, videlicet semissis secundum jus, vel duodecimæ secundum mores nostros, tamen quolibet anno nova fienda est computatio, prout quolibet anno, si pensio solvatur secundùm conventionem, minuitur quantitas sortis penès debitorem permanentis, ut suprà *num.* 416. Et sic cujusque anni per se usura admetienda est ad ratam quantitatis sortis penes debitorem illo anno remanentis.

Divisio rusticorum.

Supputatio legalis usuræ.

425. Ut (verbi gratiâ) primùm computando secundum formam usurarum legalium, primo anno, quo debitor tota sorte fruitur, currunt usuræ legales, videlicet semisses, pro rata totius sortis, & sic faciunt sexaginta unde prima pensio centum quinquaginta, quæ in fine primi anni solvitur, primum imputatur in usuras debitas, seu quantæ deberi possunt pro rata dicti anni & sortis, per illum annum manentis in potestate debitoris: & sic confunduntur sexaginta pro usuris semissibus præteritis & debitis primi anni, restant de eadem pensione 90. quæ cùm non possint imputari in futuras & nondum debitas usuras, cedunt sorti, & sic secundo anno debitor non habet nisi 910. in sorte, cujus semisses usura facit 54. cum dimidio, & decima parte unius videlicet 54. libras, & 12. solidos: quorum viginti sunt libræ, si per libras computemus, quæ usura primùm deducitur de pensione secundi anni, residuum verò hujus pensionis, videlicet 95. cum duabus quintis unius, sive 95. libræ cum octo solidis minuit sortem tertii anni, in qua non remanent nisi 814. libræ cum 12. solidis, & sic de reliquis: quorum computationem propter crebram numerorum fractionem Arithmetices insuetis abhorrentem & prolixam magis quàm necessariam omitto, contentus fontes ipsos exactissimæ nostræ discussionis indicasse. Summa, si rectè reliquum numerorum absolveris, invenies usuras semisses totius dicti temporis & sortis, hoc est pro rata fruitionis sortis, non excedere 320. & tamen creditor accipit. 500. Plus invenies quòd ante finem noni anni, si pensio continuata sit, sors (etiam usuris legitimis pro rata deductis) erit exhausta: ita quod decimo anno currit usura vel pensio sine fundo, imo post exolutionem seu restitutionem sortis, cum usuris suis legitimis, adhuc debitor solvit 150. libras indebitas. Patet brevi collectione, omissa particulari nimis prolixa computatione, quia in fine noni anni debitor jam solvit primo respectu sortis 500. & sic tantùm restarent centum de sorte: sed interim & secundò solvit quotannis 50. quæ in dictis novem annis faciunt 450. & sic in fine noni anni solvit 150. Consequenter verum est dicere, quòd ex tunc restituit sortem, & adhuc ultra sortem 350. Et tamen pro rata temporis & sortis, quam pro tempore penes se habuit, non debebat usque ad 320. pro usuris legalibus, & consequenter jam solvit plus quàm triginta indebita, ultra sortem & usuras legales, & adhuc post annum solvère debet 150. æquè indebita, & sic plus quam 180. indebita. Igitur liquidò apparet enormis excessus etiam legalium usurarum, & quòd dictus contractus in se etiam secundùm jus civile non potest sustineri, cùm debitoris conditio longè sit deterior, quàm si ad usuras semisses pro rata temporis & sortis penès se manentis juxta. *l. lecta de reb. cred.* se obligasset.

426. Explicata proportione usurarum legalium, venio ad proportionem nostræ vulgaris duodecimæ, secundum quam prima facie videtur ille contractus sustineri etiam quotannis post primum annum sub lucendo de sorte tantam summam, quanta pensio anni immediatè præcedentis excedit duodecimam sortis partem ejusdem præcedentis anni. Patet, quia etiam hac subductione facta, singulorum annorum duodecimæ partes sortis, quam debitor singulis annis penes se habuit, simul unitæ, faciunt circiter 525. libras, 16. solidos, & 8. denarios, & tamen debitor non solvit tantam summam pro usuris in hoc contractu, sed 500. duntaxat, & sic videtur hîc esse melior debitoris, & deterior creditoris conditio, quàm secundùm formam duodecimæ. Siquidem in hoc contractu primo anno, quo debitor tota sorte fruitur, duodecima illius anni parit 83. libras cum tertia parte unius libræ, ut pote in mille libras. Residuum verò conventæ pensionis, quæ in fine primi anni solvitur, dicta usura duodecimæ deducta, sunt 66. libræ 13. solidi cum triente solidi: quod residuum statim in sortem imputatur. & sic in secundo anno non remanent in sorte & fundo penès debitorem nisi 933. libræ cum sex solidis & besse solidi, cujus sortis duodecima pars sive usura secundi anni parit 77. libras 15. solidos 6. denarios cum besse unius denarii, quæ primùm deducuntur de 150. quæ solvuntur in fine secundi anni, residuum verò dictæ pensionis, faciens 72. libras 4. solidos, quinque denarios cum triente denarii, rursus diminuit sortem, quæ diminuta fuerat initio secundi anni, & sic initio tertii anni inveniuntur in sorte 869. libræ, duo solidi, duo denarii, cum besse denarii duntaxat, quorum usura duodecima sunt 72. libræ 8. solidi 6. denarii, cum una sexta & una decima octava parte denarii, quæ deducitur de pensione, quæ solvitur in fine tertii anni. Residuum verò pensionis faciens 77. libras, undecim solidos, 5. denarios cum besse denarii, & besse sextantis unius denarii, minuit sortem incipientis anni quarti, in quo remanent penes debitorem 791. libræ, octo solidi 9. denarii circiter cum semisse denarii, quorum duodecima sunt 65. libræ 18. solidi, cum denarii dodrante & semuncia, quæ usura deducitur de pensione quarti anni. Reliquum pensionis faciens 84. libras, unum solidum, undecim denarios, cum sexante & semuncia denarii, minuit sortem incipientis quinti anni, quæ habet 707. libras 6. solidos 10. denarios, cujus duodecima sunt 58. libræ, 18. solidi 10. denarii, cum dextante denarii, quæ usura subducitur de pensione quinti anni: pensionis verò residuum minuit sexti incipientis anni sortem, quæ fit 616. librarum, 5. solidorum, 8 denariorum, cum dextante, cujus duodecima sunt 51. libræ, 7 solidi, denarius unus cum besse: qua usura

Supputatio duodecimæ.

deducta ſuper penſione ejus anni, reliquum penſionis ſortem incipientis ſeptimi anni minuit, quæ ſors ſit 517. librarum, 12. ſolidorum 10. denariorum, cujus duodecima ſunt 43. libræ 2. ſolidi 8. denarii, & dextâns denarii, quæ uſura ſubducitur de penſione, quæ in fine ejuſdem anni ſolvitur: reliquum penſionis faciens centum ſex libras 17. ſolidos 3. denarios cum ſextante, minuit incipientis octavi anni ſortem, quæ habet 410. lib. 15. ſolidos 7. denarios, cujus duodecima ſunt 34. libræ 4. ſolidi 7. denarii, cum heptunce denarii, qua uſura ſubducta de penſione ejus anni, reſtant 115. libræ 15. ſolidi 4. denarii, cum quincunce, quæ minuunt ſortem anni noni, quæ eſt 295. librarum 5. denariorum, cujus duodecima parit 24. libras 11 ſolidos 8. denarios, & quadrantem denarii, quæ uſura minuit ejus anni penſionem, de qua reſtant 125. libræ 8. ſolidi 3. denarii cum dodrante denarii, quæ ſortem decimi & ultimi anni minuunt: in qua remanent 169. libræ & circiter 12. ſolidi, quorum duodecima ſunt 14. libræ 16. ſolidi 8. denarii, quæ cum ſua ſorte in fine ſui ultimi anni faciunt 183. libras 16. ſolidos 8. denarios, quorum loco debitor ſolvendo 150. libras in totum liberatur, prout etiam ſingulis prioribus annis, præter commodum particularis lutionis, liberatur minorem quantitatem ſolvendo, quàm ſi ad rationem duodecimæ ſolveret, & particulatim redimeret ſingulis annis. Singulorum etiam annorum duodecimæ uſuræ, quantumvis ad vivum, ut ſuprà, reſecatæ, & ſubductæ ad ratam temporis & ſortis, tamen ſimul aſcendunt circiter ad 525. libras 16. ſolidos 8. denarios, pro quibus debitor non ſolvit niſi 500. libras, in hoc contractu, qui proinde videtur admittendus, ut levior duodecima notata. Ex his etiam vides, quòd ſecundum ſupputationem duodecimæ non abſorbetur fundus ſive ſors in ultimis annis hujus decennii, prout abſorbetur ſecundum curſum legalis uſuræ, de quo non eſt mirandum: quia duodecima longè major & gravior eſt ſemiſſe legali. Porrò quantò major, tantò plus ſingulis annis exhaurit de penſione conventa 150. quantò verò plus exhaurit de dicta penſione, tantò minùs penſionis ſupereſt, quod ſorti imputetur. Et ſic ſors minùs diminuitur, quàm ſecundum ſemiſſem legalem, in quo levior uſura minùs abſumit de penſione. Et ſic tantò major pars penſionis in fine cujuſque anni ſupereſt & imputatur ſorti, quæ conſequenter citiùs abſorbetur & compenſatur in emiſſe legali, quàm in duodecima. Cùm autem apud nos licitus ſit reditus duodecimæ, utcumque gravior ſemiſſe, videtur licitus hic contractus: quò melior invenitur conditio debitoris, quàm per formalem duodecimam. Eſſet enim ridiculum & fanaticum, ita contractus fœneratorios vel fœnoris ſuſpectos reſtringere, ut durior & deterior ſiat conditio debitorum, utque contractus eis levior & utilior denegetur, duriore permiſſo, ut ſuprà *num.* 22.

427. Quibus tamen non obſtantibus in ſententia perſiſto, & dico hunc contractum eſſe illicitum, etiam in terminis morum noſtrorum, ſcilicet duodecimæ permiſſæ. Et recordandum eſt ejus quòd ſæpè diximus, non eſſe apud nos ita faciliter permiſſam duodecimam, ſicut in jure civili permittuntur ſemiſſes, aut aliæ uſuræ legitimæ, quæ promiſcuè veniunt, etiam citra pactum, putà ex mora in contractibus bonæ fidei, ſive debitor poſſit cogi per creditorem ad reſtitutionem ſortis cum uſuris præteritis, ſive non, ſub certis modificationibus, ſuprà *num.* 43. Sed noſtri reditus non ita de facili admittuntur, ſed demum ex conſtituto expreſſo, ſub triplici eſſentiali onere. Primò, quòd creditor nunquam poſſit repetere ſortem, ſed poſſit debitor perpetuò frui. Secundò, quòd nunquam currat reditus, niſi pro rata temporis & ſortis, nec ultra metam conceſſam. Tertiò, quòd debitor quandocunque ſe liberare poſſit, ſortem cum reliquis præteritis offerendo, ſub his conditionibus ſimul concurrentibus permittitur eſt emere reditum uſque ad duodecimam ſortis annuam ad ſummum. Sed omnes illæ conditiones hîc deficiunt. Prima, quia creditor cogit debitorem ad reddendum ſortem cum auctuario, nec licèt debitori toto tempore integra ſorte frui. Secunda, quia debitor parte etiam majori ſortis reſtituta, cogitur nihilominùs eumdem reditum uſque ad tempus conſtitutum continuare: & ſic ultra ratam duodecimæ ſortis quam habet, vel habuit penes ſe pro tempore quo auctuarium accedit. Tertia, quia debitor infra illud tempus conventum non poteſt ſe liberare ſortem offerendo, etiam cum uſuris præteritis, ad rationem duodecimæ, pro rata temporis & ſortis, quod cæteris acerbius eſt: quia etiam de jure, ſi quis ſtipuletur non ſemiſſes, ſed leviores uſuras, putà quincunces, adhuc non poſſet eas lucrari, ſtante pacto, quòd debitor non poſſet luere, vel ſe liberare: quia in hunc caſum nunquam fuerunt introductæ, nec permiſſæ aliquæ uſuræ, licèt debitor interim tota & plena ſorte fruatur, ut ſuprà *quæſt.* 15.

428. Non obſtat quòd ipſe contractus utilior ſit & levior debitori, quàm reditus duodecimæ, tum primò propter facultatem reddendi ſortem per plures vices: tum ſecundò, quia in ſumma minùs de ſuo numerat, quàm ſi in fine tanti temporis reditum duodecimæ redimeret: quia imò ſecundum promiſcuum uſum & communem æſtimationem tres illæ commoditates, quas debitor alieni æris uſu indigens ex reditu duodecimæ habet, longè præponderant his duabus commoditatibus hujus reditus: contra verò hæ duæ commoditates longè graviori intrinſeco incommodo comitantur & venuntur. De prima commoditate patet, quia propriè debitor non habet hanc facultatem, ſed adſtrictionem paſſivam: quia præcisè tenetur reddere in terminis, & ſic privatur commodo fruendi tota ſorte, uſque ad finem totius temporis conventi; quod eſt deterius & damnoſius, quàm ſi teneatur totum ſimul in fine temporis reddere, & inter in poſſit ſub eadem uſura tota ſorte frui. De ſecunda commoditate patet, quia verum eſt quòd mille in decem annis ad rationem duodecimæ pariunt octingenta triginta tria, cum triente unius, pro quibus hoc caſu ſolvuntur 500. tantùm. Sed etiam hoc caſu prorſus ceſſat ratio duodecimæ: quia debitor tota ſorte non fruitur toto tempore ad tantam uſuram generandam requiſito. Et licèt deducta uſura pro rata, qua debitor ſorte non fruitur, adhuc reliquum uſuræ duodecimæ excedat 500. libras, de 25. libris, & circiter de 16. ſolidis, octo denariis, ut dixi: & tamen debitor non ſolvit niſi 500. reſpondetur, non ſufficere ad juſtificam, ſeu juſtum pretium duodecimæ, quòd non currat uſura, niſi pro rata ſortis pro tempore manentis penes debitorem: ſed etiam requiruntur alia duo ſubſtantialia, videlicet quòd debitor poſſit perpetuò vel ſortem retinere, vel reditum redimere, prout maluerit. Quibus omiſſis non eſt in conſideratione, quòd debitori in decem annis remittantur viginti quinque libræ & aliquot ſolidi, quæ vix ſunt pars viceſima totius duodecimæ. Et alioquin ſi remiſſa aliqua parte, ut putà uncia vel ſextante duodecimæ, liceret omiſſis aliis ſubſtantialibus conditionibus, fœnerari, ſequeretur veteres omnes uſuras, imò graviores velut ab inferis revocatas paſſim admitti: quia etiam remiſſo quadrante ſive quarta parte duodecimæ, quod ſupereſt adhuc ſemiſſes civiles aliquantulum excedit, ut patet in *abaco*. Et ſic concludo prædictum contractum uſurarium, & in totum annullandum, ſalva reductionis æquitate ad ſemiſſem rotundam duodecimæ totius ſortis abſque alia ſubductione, ſi conſtet de bona fide creditoris, ut in ſimili dixi ſuprà *quæſt.* 63. *num.* 418.

QUÆSTIO LXVI.

SYNOPSIS.

1. *Ære alieno difficile carere possumus.*
2. *Duodecimam usus recepit ex magna causa.*
3. *Non passim omnes temporales reditus damnandi.*

429. SExagesimo-sextò ad uberiorem declarationem quæro, Fac plus septima parte duodecimæ remitti, & omnes requisitas conditiones adesse, dempta una, putà, promittit debitor in mille decem annis fruendis solvere 70. annua usque ad 10. annos: deinde in fine decennii totam sortem reddere, ita ut interim quandocunque liberari possit, sortem restituendo cum reliquis pro rata temporis. Hic enim ad plenam justitiam contractus una sola deest conditio, videlicet quòd debitor possit perpetuò frui, nec teneatur unquam reddere, donec malit redimere: cujus loco remittitur annuatim pluspquam septima pars usuræ consuetæ, videlicet 13. cum triente unius, quæ singulis annis debitor lucratur, & creditor perdit: quod (tanquam duodecima levius) videtur admittendum. Sed breviter non putaverim hujusmodi contractum tolerandum: quia esset in effectu reducere passim in usum veras & formales usuras semissibus multò graviores, ut patet in *abaco*. Quod ut plenius liqueat, pro contractu arguitur: videtur enim multò melior conditio creditoris, quàm in formali duodecima cùm usuram notabiliter minorem solvat, & tamen plena sorte fruatur, cum libera facultate redimendi. Et licèt post decem annos cogi possit sortem reddere seu redimere, nisi malit creditor usuram prorogare, hoc non videtur grave, nec considerabile propter duo. Primò, quia debitores semper aliquando redimere intendunt, idque infra modicum tempus, prout etiam maturiùs redimi sæpiùs usu venit: Sunt enim hujusmodi contractus gratiâ temporarii usus æris alieni, quo vix in civili vita carere possumus. Secundò, quia hic debitor non potest cogi statim redimere, nec infra modicum tempus, sed solùm post longum tempus, tantum & tale, infra quod verisimiliter omninò redempturus erit etiamsi alioqui; nunquam teneretur redimere, nisi in quantum propter moderationem reditus allicitur ad non redimendum etiamsi possit: quod non est in consideratione, nisi ad magis justificandum contractum: quia in hoc debitor non certat de damno vitando, sed de lucro captando. Et sic non gravatur debitor in aliquo per defectum hujus conditionis, attenta longitudine temporis, infra quod non potest cogi redimere. Non ergo gravatur, si promittit facere post longum tempus, id quod sua interest, breviori tempore facere, & verisimiliter è re sua facturus est. Quòd si fortè gravatur, gravamen illud longè levius est, & minoris æstimationis, secundùm communem cursum, qui debet attendi, quàm sit id in quo multò ampliùs relevatur per notabilem moderationem usuræ, ut palam sit fore, ut secundum hanc formam creditor minùs lucraturus sit, debitor verò non minùs rebus & commodis suis provisurus in decem annis, quàm si perpetuò frui liceret sub eadem usura. Et sic videtur forma contractus levior & benignior duodecima: & consequenter non minùs, imò magis admittenda. Secùs si debitor cogi posset redimere post annum vel biennium, aut aliud non multum tempus, infra quod verisimiliter dubitatur, quod non erit usu æris alieni perfunctus, nec commodè reddere poterit.

430. Quibus non obstantibus persisto in sententia, & moveor, quia mihi non videtur justum, sed minus pretium, aut non satis remitti de usura, duplici ratione. Prima, quia creditor non remittit sextam partem usuræ, & accipit pactum de redimendo, videlicet ut teneatur debitor post decem annos redimere & sortem restituere: quod pactum potest esse majoris æstimationis & periculi, quàm sexta pars usuræ, & plus commodi afferre creditori securo de repetitione sortis, quàm detrahat remissio sextæ partis usuræ: & tamen minus sexta parte detrahitur. Secunda ratio, quia quòd supereſt usuræ, adhuc excedit legitimum modum juris, videlicet semissem: & sic non debet admitti. Non obstat, quòd admittatur usura gravior semisse in duodecima, quia hoc specialiter in usum receptum est, intervenientibus simul copulativè pluribus conditionibus, de quibus suprà *quæst.* 23. *quæst.* 50. & præcipuè illa conditione, quòd sors perpetuò alienata sit, & nunquam repeti possit. Unde non debet illud extendi, una dictarum conditionum, præsertim hac insigni deficiente. Et etiamsi alioqui justa sit causa percipiendæ usuræ, intelligitur infra metas à jure præfixas, quæ non sunt correctæ ut excedi possint, nisi in formali duodecima. Non obstat quòd secundùm communem cursum debitor magis sublevatur secundum hanc formam, quàm secundum formalem duodecimam, quia non est verum, nisi secundum quasdam particulares, casuales & incertas circumstantias, quæ non sufficiunt ubi certam metam in communi constitui expedit ad fraudes & lites vitandas. Tum etiamsi quandoque vel plerumque hoc verum sit, tamen sæpè accidere poterit debitorem plus lædi, dum decem annis exactis, redimere cogetur, quàm sublevetur ex dicta moderatione usuræ: tum etiamsi maximè tempore contractus debitor omninò speret ante decem annos redimere. Et hoc tunc fit verisimile, tamen brevi momento rerum status mutari, & facultates labi possunt, & sic eo ipso gravatur debitor, quòd se subjicit huic periculo, ut suprà *num.* 416. quod non videtur satis pensatum per tam modicam remissionem usuræ. Præterea etiamsi omninò esset, & futura semper foret melior conditio debitoris, adhuc non sequitur quòd creditori liceat legum metas excedere: quod nullo casu concessum est, nisi specialiter in formali duodecima. Ergo nullomodo debet extendi, per notata suprà *num.* 220. Tum non licet vilius emere propter necessitatem vel utilitatem singularem venditoris pecunia indigentis, per notata suprà *num.* 243. sed debet attendi qualitas & utilitas rei venditæ cum pactis & oneribus appositis; sed hoc onus redimendi & pretium reddendi, licèt post decem annos dilatum, præponderat, aut saltem semper periculum est, ut præponderare possit illi modicæ remissioni partis usuræ medii temporis, & sic contractus est injustus. Sed an ad ejus justificationem sufficiat restringere reditum ad decimam quintam sortis partem annuam, putà ad sexaginta sex cum bisse unius annuatim? puto quòd non. An ergo sufficiat quadrantem solidi reditus, videlicet duodecimæ, detrahere: putà restringendo reditum ad rationem 62. cum dimidio unius, annuatim? videtur quòd sic, hoc notabile commodum & levamen debitoris præ vulgò permissa duodecima, & quia alioquin crebriùs solent debitores ante decem annos redimere, ut nuper dixi. Sed nec adhuc sufficere puto, ex quo communes metæ juris excedunturr, & sumus extra specialem casum duodecimæ.

Solutio.

Nullo prætextu licet excedere usuras legales.

451. Quid ergo si reditus restringatur infra com-

munes metas juris, putà ad semissem legalem, videlicet ad 60. annua? videretur tunc omninò tolerandus, tum communis utilitatis, præsertim debitorum gratiâ: tum quia reditus hoc modo longè moderatior est usura legali in tribus aliis. Primo in hoc, quòd creditor non potest interim sortem repetere, licèt debitori liceat se liberare, quod est magni effectus, & maximi ponderis in hac materia, valdeque discrepans à forma juris civilis, secundùm quam potest creditor sortem interim exigere cum usura præterita, futuri temporis usura duntaxat omissa, *l. fin. C. de jure dot.* Secundò in hoc, quod non potest reditus excurrere usque ad duplum, sive æquamentum sortis: sed longè infra duplum residet & sistitur, licèt jure civili possit ascendere usque ad duplum, suprà *num.* 49. sed istud parum valet per notata infrà *quæst.* 70. *ad fin.* Tertiò in hoc quòd spatium, infra quod non potest creditor repetere, sed licet debitori sorte frui, non est breve, nec mediocre: sed valdè magnum, putà usque ad longum tempus; infra quod verisimile est quòd poterit debitor rebus suis consulere, & commodè redimere. Vides quàm hæc multum urgeant, rationique & æquitati consona videantur? & tamen usquè adeò usuras averſor, adeò religiosè in his incedo, ut nec hunc contractum admittere audeam: sed dicendum ut infrà *quæst.* 71. *num.* 464. in decisione totius materiæ reservo. Ex his novissimis quatuor quæstionibus, speciatim αὐτοψίας gratiâ disputatis, jam satis liquet, non omnes temporales reditus, etiam utrinque & temporis & quantitatis respectu certos, etiam de novo pecunia constitutos damnari & rejici debere, licèt cumulus pensionum sortem excedat, quicquid hactenus voluerint omnes Canonistæ & Legistæ, etiamsi pensio annua excedat duodecimam sortis partem, ut suprà *quæst.* 64. *ad fin.* Sed frana injicienda & ita res temperanda, ne quis in fraudem non solùm vulgò concessæ duodecimæ, sed nec etiam legalium usurarum, & justarum negotiationum, aut ad alium excessivum turpemve quæstum abuti possit, sed intra semper legitimum & probabilem modum contineantur. Cujus, ne fortè lector interim in incerto vagetur, duo sunt exempla. Primum, quando pensio annua non excedit vulgatam duodecimam, nec ultra duplum currit, ut suprà *quæst.* 64. Secundum, si pensio duodecimam quidem excedit, sed tam modico excessu, in quantitate & temporis duratione, ut deductâ sortis summâ, residuum totius luerum infra semissem duodecimæ subsideat, ut si quis pro mille non stipuletur ultra centum quadraginta unum cum dimidio & sextante unius annuatim in decem annos duntaxat, vel pro mille ducentis non stipuletur ultra 150. annua in duodecim annos duntaxat, & ad summum. His enim casibus & similibus videtur omnis abesse noxa, omnique fraudi, & illicito quæstui via præclusa. Nunc quia jam ad totius hujus materiæ decisionem accingor, ne forte novas conclusiones abruptè & non ex evidenti ratione & utilitate magnaque & exantlata animi contentione metiri videar, placet analyticam nostram super his meditationem quamclarè & expeditè licebit (eme) explicare, non prolixitatis studio, nec inconsultà indulgentiâ stylis sed veritatis & æquitatis propugnandæ gratiâ, & ne fortè in decretum jurisconsulti in *l. penult. de Constit. princ.* peccare videar, quæ nisi jam ad alia festinantem vellicarent, & morarentur, libenter hoc tam prolixo molestoque mihi labore carerem. Primo igitur generaliter discutiam de justitia vel injustitia horum reditiuum temporalium, deinde de modo seu justo pretio. Quod ad primum,

Duo casus liciti reditûs temporalium.

QUÆSTIO LXVII.

SYNOPSIS.

1. *Non currunt usuræ nisi pro rata temporis, & sortis penès debitorem existentis.*
2. *Creditoris lucrum centesimam excedens illicitum.*
3. *Certi temporarii reditus defensi.*
4. *Vapulant Canonistæ.*

432. SExagesimo-septimò generaliter quæro, An omnes reditus temporales & certi sint rejiciendi: ex multis enim viderentur illiciti. Primò, quia creditor certus est præcisè de lucro futuro. Secundò, quia debitor non potest redimere, nec se liberare, etiam sorte, re integra, oblata, vel residuo sortis cum reliquis præteritis. Et istud in idem recidit cum primo: & est contra naturam & substantiam utriusque fœneris, & legalis & nostratis, & utrumque excedit: & sic tanquam improbum fœnus rejici debet, nec videtur modicitas fœneris excusare, quia etiam jure civili nullum unquam fœnus quantumvis modicum, permissum vel toleratum fuit, in quo non liceret debitori se liberare: idque quandocunque commodum esset, & liberet sortem cum reliquis offerre, suprà *quæst.* 39. Tertiò, quia fors non est perpetuò alienata: Non enim licet debitori tota sorte frui, quandiu usura currit: sed cogitur in effectu sortem per partes reddere, eadem nihilominùs (etiam tandem supra ratam sortis) usura currente: quod ultimum est pariter contra formam juris & morum nostrorum. Quartò, quia fieret fraus prohibitioni veterum usurarum, quæ hac via per obliquum reducerentur in usum: quia volens mutuare ad terminum sub semissibus vel quincuncibus usuris, reditum temporalem illis congruentem emeret, solo mutui nomine mutato, & nomine emptionis ascito. Quintò, non solùm fieret fraus, sed etiam transgressio enormis veterum usurarum, ut patet in secundo exemplo, ad finem quæstionis præcedentis, ubi in fine decennii creditor invenitur recepisse mille quadringenta sexdecim cum dimidio & sextante unius: & sic ferè dimidium sortis superlucratur: quod lucrum licèt prima facie non videatur excedere quincunces, tamen in veritate rectè computando, excedit semisses, quinetiam centesimam. Patet, quia nullo jure permissus fuit cursus cujuscunque usuræ, nisi pro rata temporis & sortis penes debitorem remanentis. Imò hoc est de essentia & necessitate usuræ: quia non potest esse nec dici sine sorte penes debitorem interim remanente. Igitur ut maximè conservetur contractus, quantum potest, & computetur usura, quanta maxima singulis annis currere & deberi potest, putà semis (neque enim communiter licet de jure ultra semissem lucrari) tamen singulis annis pensio creditori soluta debet ejus lucro cedere pro rata semissis duntaxat: residuum autem pensionis cùm non possit nec præteritis usuris jam solutis, nec futuris nondum debitis imputari, necessariò cedit in diminutionem sortis: & sic primo anno, quo debitor mille libris fruitur, currere potest usura sexus usque ad sexaginta. Itaque de pensione, quæ in fine primi anni solvitur, primò sexaginta usuris imputantur: residuum verò pensionis videlicet octo-

Supputatio.

ginta unum cum dimidio & sextante unius sorti imputantur. Et sic secundo anno debitor non habet de sorte ultra nongenta octodecim cum trientre : & sic semis illius anni vix excedit quinquaginta quinque. Itaque in secunda solutione adhuc plus diminuitur de pensione tertii anni, & sic deinceps : ita quòd in fine noni anni non remanent nisi undecim cum dimidio in sorte : & sic illo anno non potest deberi unum pro semisse, sed circiter bessis unius. Sed esto currat unum, & sint duodecim cum dimidio in fine decimi anni, saltem de pensione ultimi anni detrahi debent centum viginti novem cum sextante unius, tanquam summa prorsus indebita, & sortem & usuras legitimas transcendens : & sic hæc summa indebita deduci debet de lucro usurarum. Cùm autem facta deductione sortis singulis annis ut suprà diminutæ, cumulus usurarum legitimarum non excedat trecenta triginta sex cum dimidio unius, ut patet rectè calculanti : & super eadem summa deduci debeat prædicta summa centum viginti novem cum sextante indebitè exacta, non remanebunt in lucro nisi circiter ducenta septem ad rationem semissis, omni debita deductione exactè facta, & tamen creditor in dicto exemplo ultra duplum hujus summæ superlucratur, videlicet quadringenta sexdecim cum dextante unius. Cùm autem duplum semissis sit centesima, sequitur rectè calculando & subducendo, quòd lucrum creditoris hoc casu centesimam ipsam excedit : igitur nullo modo tolerari potest, nec debet. Quia etiamsi possent admitti veteres usuræ vel contractus æquipollentes, saltem non potest, nec debet admitti earum excessus. Et prædicta procedunt etiam in reditibus temporalibus, in quibus tempore suo finito, præter reliqua temporis præteriti, nihil omninò debetur, nec exigi potest, de quibus principaliter disputatur. Multò verò fortiùs procedunt in reditibus, in quibus cursu finito, sors integra ultra præterita reliqua peti & exigi potest. Quibus etiam illud obstat, quòd sunt usuræ formales juris civilis exoletæ, nec reducendæ, ut suprà in *quæstione præcedenti*.

433. In contrarium, quòd hi reditus sint liciti & tolerandi, sub moderatione tacta *quæst. præcedenti in fin.* arguitur primò : quia licitum est emere usumfructum fundi vel reditus jam constituti ad tempus. Quòd si plena proprietas fundi centum reditus annuatim afferentis vanire potest pro bis mille quingentis, vel tribus ad summum millibus justo & summo pretio, ut suprà *quæst.* 5. Igitur ejusdem fundi dominium ad tempus viginti vel triginta annorum, saltem tanti temporis simplex ususfructus, dimidio minùs vanire potest justo pretio : & rursus ususfructus dimidiati temporis minori & subdimidio pretio (ut videtur.) Sed hujus reditus per manum alterius percipiendi non est tanta indicatura cæteris paribus, nec tanta commoditas, quanta ususfructus, ut notatur suprà *quæst.* 5. & *quæst.* 35. Igitur simplex reditus ejusdem quantitatis centum annuorum, etiam non redimibilis, usque ad viginti quinque vel triginta annos emi potest pro mille ducentis, vel 1500. summo & justissimo pretio. Et sic videtur quòd idem tempus dimidiati temporis dimidiato pretio justè emi posset, putà centum annua usque ad decem annos pro sexcentis, consequenter non videtur dubitandum quin septuaginta quinque annua usque ad decem, vel etiam vsque ad duodecim annos justè emi possint pro sexcentis. Non obstat quod habetur Levitici vigesimo-quinto ubi etiam emptor fundi tenetur computare fructus in sortem, & residuo pretii oblato, reddere fundum : quia illud est præceptum judiciale illius temporis & solius politiæ judaïcæ, quæ ad nos non pertinet. Ubi etiam prohibebatur terra absolutè vendi, quò maneret in familia, & fructus duntaxat vendi poterant, nec adhuc absolutè, sed sub duplici conditione. Prima, quòd fructus imputarentur in sortem : Secunda, quòd non venderentur ultra tempus proximi Jubilei, quo omnis possessio ad familiam suam redire jubebatur : de quibus nihil ad nos, ut tradunt omnes Theologi. Probatur secundò, quia sicut validi sunt hi duo contractus simul justo pretio facti, videlicet venditio fundi, & ejusdem per venditorem ab emptore conductio, argumento a fortiori, *l. sicut emptio ff. locati* ita valent hi duo simul facti, videlicet venditio ususfructus absolutè vel ad certum tempus justo pretio, & ejusdem ususfructus per venditorem ab emptore conductio. Fac Titium vendere Caïo fundi sui centum annua ferentis usumfructum usque ad decem annos, pro sexcentis libris, nemo dubitat de justitia contractus : nec minus erit justus, si Titius qui asserit fundum ferre communiter centum annua, caveat de evictione dicti communis valoris asserti : nec rursus erit minus justus, si Titius eundem usumfructum conduxerit ab emptore pro centum annuis : sed hi duo contractus simul juncti omnino & per omnia æquipollent venditioni reditus temporalis centum annuorum usque ad decem annos pro sexcentis. Igitur si prior duplex contractus justus est, necesse est hunc simplicem justum esse. Tertiò, quia nemo dubitat de justitia reditus semel redimibilis ad rationem quintædecimæ : nec enim dubitatur ad rationem duodecimæ, sed reditus adeò moderatus, ut supra *quæstione præcedenti in fine.* multò levior est & utilior debitoribus omni respectu, quàm sit reditus ad rationem duodecimæ, vel etiam quintædecimæ. Quia sive ex parte creditoris, ille minus lucratur quàm in quintadecima, & interim particularem sortis refusionem in effectu pati cogitur : sive ex parte debitoris, quia longè majorem pendit usuram, & per aliquot particulares præstationes in totum liberatur. Quartò, quia hujusmodi venditio, sive de jam constituto, sive de constituendo de novo, est cùm utilis, tum necessaria usibus & commoditatibus hominum. De utilitate patet, quia sæpe usuvenit homines etiam locupletes repentè indigere usu æris alieni ad breve tempus, vel momentaneam aliquam necessitatem vel utilitatem, puta si possessor multorum immobilium, sed pecunia recondita carens (quod sæpè nobilibus vsuvenit) imperatur de quadam gravi summa, ex contractu fortè paterno de cujus solutione vel remissione brevi docere poterit per testes, sed interim per provisionem summa numeranda est, ne prædia per abusum graviori nec reparabili damno distrahantur : huic enim longè utilius est moderatum temporalem reditum vendere, quàm perpetuum ad rationem duodecimæ : Idque triplici ratione. Prima, quia de fructibus unius prædiorum suorum poterit commodè reditum exolvere : & sic primò sine aliqua distractione particulatim redimere. Secundò, leviore usurâ quam foret duodecima pro rata temporis & sortis. Tertiò, quia reditus tempore suo per se velut naturali morte finietur, citra solicitudinem comparandi pecuniam ad cumulum sortis simul conficiendum & restituendum ; quod propter lubricam fluxibilitatem pecuniæ vix unquam accideret, ut redimeretur : idem si quis hujusmodi, pro elocanda filia vel domo construenda, aut aliis infinitis justis causis indigeat. Igitur non possunt, nec debent prohiberi, vel reprobari temporales reditus etiam certi : cum sæpè usu veniat eos utiliores esse indigentibus & leviores reditibus concessis & approbatis. [*Le 12. Septembre 1560. à Partenay, Louys Chauvin Escuyer fait bail à Maistre Pierre Guillemard Advocat, pour cinq ans pour soixante livres tournois pour les cinq années*, quæ statim solvuntur, saltem infra trimestre, *& chacun an les profits des deux métairies, qu'il promet valoir chacun an dix septiers*

Hypothesis.

Utilitas.

ſeptiers ſeigle, vingt boiſſeaux avoine, trente livres tournois, pour le profit de nourrir des beſtes, douze chappons, deux douzaines de poulets, & douze oiſons. & faire le tout rendre en la maiſon dudit Advocat. Reſpondit idem *Saint Meloir*, nec eſſe uſuram, nec *rente de bled en verd*, & malè judicatum. *Par le Seneſchal de Poictou, qui fut le champ à abſous* hæredes *Chauvin declaré ſans lettres, le contract nul, & tout computé* in ſortem. *Et deffenſes aux Notaires d'en faire de pareils*, hoc etiam requirente *le Procureur du Roy, que bled en verd*, & malè, *que ce n'eſt pas là de bleds, ne un ruſtique.* Eſto quod ſit venditio fructuum, tamen non eſt veritum, *davantage le contrait ejoint ceſſe, la rente devoit courir au profit dudit Advocat*, per *l. 2. C. ſi cert. pet. l. certa conditio §. quoniam ff. eod. l. & ſi abſentis*, ubi textus rotundus *in fin. Cod. ſi cert. pet. Auſſi ſans l'eſperance de la validité dudit contract, il eſt certain que le vendeur ſe fuſt fait ceder les actions de ladite rente*: igitur, *s'il eſt decen*, habentur pro ceſſis, *l. 1. 2. & 3. Cod. de his qui in prior. credit. loc. ſucced.* ſufficit enim tacitum pactum, & tacitum pactum ſubeſſe probat textus in *d. l. ſi abſentis in fin.*]

Neceſſitas. 434. De neceſſitate liquet, quia non ſolent reditus perpetui emi, niſi à tutò caventibus, non ſolùm prædibus, ſed etiam prædiis, ne quando creditor vel ejus hæres ſortem cum reliquis amittat: debitore vel ejus hærede ad pauperiem redacto: quod multis cautis frequenter accidere poteſt. Atqui frequenter accidit, ut quibus deſunt prædia quæ hypothecari poſſint, non minus, imò magis, ex juſtis etiam & honeſtis cauſis, ære alieno ad tempus indigeant; & hic in iſtis non ſolùm utilitas ſuadet, ſed etiam neceſſitas cogit, moderatos temporales reditus admittendos, ne vel omni prorſus deſtituantur ſubſidio, dum non inveniunt, qui perpetuos reditus emant ſine prædiorum hypotheca: vel ne cogantur nedum de quæſtu redituali pacisci cum fœneratore; ſed etiam de alio quæſtu, vel parte ſortis, cum tertio prædiorum poſſeſſore, redimendæ fidejuſſionis & hypothecæ prædiorum ergo, unde longe gravius damnum conſequetur, ut quotidiana docet experientia. Hujus neceſſitatis exemplum eſt inſigne in mercatore vel negotiatore induſtrio, vel in quolibet ex induſtria ſua quæſtum mediocrem & honeſtum faciente, prædiis tamen carente, cui ſive ad prædium comparandum, vel domum conſtruendam, vel negotiationem exercendam, aut aliud utile vel neceſſarium, opus eſt temporario ære alieno. Cùm enim defectu tutæ & perpetuæ hypothecæ non ſit inventurus emptorem perpetui reditus, facilè tamen (ſi hoc permiſſum ſit) inveniet emptorem reditus temporalis, quo etiam longè facilius & levius defungetur (modò temperatus ſit) quàm reditu duodecimæ: Facile eſt enim, ut quis ſequatur fidem hominis legalis & induſtrioſi ad quinque, ſeptem, vel decem annos, etiam ſine prædibus & prædiis: difficile verò, quod perpetuò ſequi velit, ſine tuta hypotheca. Tum ſi prædibus omnino opus ſit longè facilius homo inſtructus inveniet, qui fidem ſuam ad tempus interponant, quàm ad reditum perpetuum. Et hæc de hac utilitate & neceſſitate debitorum (quibus potiſſimùm conſulendum eſt) clara ſint.

Exemplum. 435. Idem de utilitate creditorum, quorum etiam rationem ſine debitorum injuria, & ex juſtis & honeſtis cauſis habere æquum eſt & juſtum. Fac juvenem bonæ indolis, qui per quinque annos operam dare literis, vel cuipiam honeſtæ arti cupiat, cui forte in eam rem legata ſint quingenta, nec aliud viaticum habet modò non expedit ei pecuniam penes ſe ſervare, tum quia facilè ſurripi vel diſſipari poteſt, ut ea ætas multis ejuſmodi captionibus obnoxia eſt *leg. 1. de minoribus*, tum quia etiam ſi is tutiſſimè ſervare & diſpenſare poſſet, non ſufficerent centum annua ad alimenta & ſumptus ſtudii. Minus etiam expedit emere reditum etiam ad rationem duodecimæ, quia non haberet niſi quadraginta unum cum dimidio & ſextante unius annuatim. Rurſus minus adhuc expedit collocare in emptionem prædiorum: quia adhuc minorem duplo reditum haberet. Nec etiam tutum dare in ſocietatem, ne clade inflictâ pereat bona pars ſortis, reliquâ ſterili manente, præter reliqua onera & impedimenta rationicinorum. Unum ſupereſt, ut huic expediat dare utiliter ſuo periculo negotiaturo, tutóque caventi de congruo reditu temporali, puta centum viginti in quinque annos proximos: Hæc enim forma contractus neutram partem lædit, & utrique utilis eſt. Innumera hujuſmodi exempla juſtis & honeſtis cauſis fundata, quotidiana ſuggerit experientia. Cùm igitur utilitas hominum expoſtulet, cùm neceſſitas urgeat, quæ inſania eſt hujuſmodi reditus abſolutè prohibere? jam palàm eſt imperitiam illam & ſuperſtitionem Canoniſtarum & Theologaſtrorum, qui eos turmatim ſecuti ſunt, multorum malorum cauſam fuiſſe, multiſque fraudibus & improbis fœnoribus anſam dediſſe ut ſatis ſuperque ſuprà *num. 14. num. 78.* Cæterùm cùm duodecima jam nedum tolerata, ſed etiam approbata ſit, nedum in humano, ſed etiam conſcientiæ foro extra caſus fraudationis vel eleemoſynæ debitæ, prorſus ridiculum & fanaticum eſt temporales reditus omnino reprobare. Quinò, rem paradigmate velut oculis ſubjicimus. Fac ex emphyteuſi fruente, vel locatione, legato, aut alias certum vectigal, puta 40. librarum annuarum deberi Titio uſque ad decem annos, qui malens habere pecuniam paratam, vult vendere reſiduum dicti reditus decem annorum: certum eſt juſtè vendi & emi poſſe, & juſtum pretium eſſe multò minus, quàm ſit cumulus penſionum reditus in decem annis. Cùm autem mille libris poſſit hujuſmodi reditus quadraginta librarum perpetuus nec redimibilis etiam tutò collocatus emi, ut in *l. ſi hæres §. item ſi reipublicæ ad l. g. Falc.* ſequitur quòd dimidio pretio, puta quingentis, idem reditus emi poteſt uſque ad viginti, aut viginti-quinque annos. Et pari ratione videtur, quòd ſub dimidio pretio, puta ducentis quinquaginta, emi poſſit uſque ad decem annos; ſunt igitur hic ducenta quinquaginta juſtum & magnum pretium. Imò ſi quis pro ducentis vendiderit, nemo facile dixerit venditorem in aliquo deceptum, minúſve juſto pretio habuiſſe. Si igitur reditus antiquus vel jam conſtitutus tanti emi & vendi poteſt, igitur & reditus de novo conſtituendus, quia non refert nec quoad juſtitiam pretii, nec quoad intereſſe contrahentium ſive venditoris, ſive emptoris, an reſiduum reditus antiqui an vero tantumdem reditus de novo conſtituti vendatur: utrobique enim tantumdem tantique venditur & emitur. Igitur ſi unus contractus juſtus eſt, & alter. Et iſtud tam evidens eſt, ut non ſolùm argumentum concludens, ſed demonſtratio omne dubium ſuperans videatur, & ſic ſtat veritas à parte affirmativa.

436. Ad argumenta partis negativæ. Non obſtat primum, quia dummodò reditus iſte ſit moderatus, ut ſup. *quæſt. 66. in fin.* & infrà *num. 457.* creditor non eſt certus de lucro, ſed de damno, vel de minori lucro: quia plus lucrari potuiſſet ex duodecima, ut patet ad ſenſum. Non obſtat ſecundum, quia eſt idem cum primo: & ſic jam reſponſum eſt. Et ultrà reſpondeo, quòd imò debitor in his temporalibus reditibus faciliori conditione, utpote particularim, redimere poteſt: & ſic eadem temporali & moderata penſione ab utroque, videlicet & à ſorte, & ab uſuris liberari. Ad tertium reſpondeo: primò, quia hîc ſors eſt magis alienata, quam in duodecima: quia nunquam ſperatur ſimul reddi, nec cauſativè quidem,

prout est in duodecima : sed pensiones cedunt simul in sortem & usuras : quæ licet in fine reditus videantur excedere ratam sortis tunc restantis, tamen compensantur cum levioribus usuris, quæ solvuntur ab initio, & cum commodo particularis solutionis, & longæ dilationis. Et sic non obstat quartum, quia ex quo nunquam hic speratur sors reddi, debitor longè facilius defungitur, & ære alieno liberatur, quàm secundùm formam semissis legalis, ut sensus communis ostendit. Et sic non relinquitur locus fraudi, cùm in hac forma sit deterior creditoris, & melior debitoris conditio, quàm in semisse legali. Et sic non obstat quintum, quantumcunque subtiliter & fortiter inductum : quia dico, quòd istud, partem sortis in fine cujusque anni repræsentari, fit commodo debitoris, non creditoris : igitur non debet in odium creditoris retorqueri, nec beneficium rapina interpretari. Assumptum probo, quia notum est, quòd creditor longè utilius negotiaretur, non solùm secundùm bessem, sed etiam secundùm semissem legalem, si hodie permitteretur. Et rursus notius est quòd adhuc utilius negotiari poterit secundùm duodecimam vulgò permissam, secundùm quam in decem annis lucraretur 833. cum triente, & adhuc restaret sors simul integrè reddenda, vel solidus & summus reditus continuandus, ut suprà *num.* 424. Sed hìc creditor redigitur ad lucrum dimidio minus, & adhuc particularem sortis restitutionem recipere cogitur : quod non est sibi minus grave, nec debitori minus utile, quam dicta remissio lucri fœneratitii. Et sic hæc particularis restitutio, cùm sit magis officiosa & commoda debitori, quàm creditori, non debet obliquè torqueri, quasi esset novum rapinæ genus, veteribus & nostris usitatis formis gravius. Et omnino satis est, quod res ipsa ostendit, hanc formam debitoribus longè utiliorem duodecima, & consequenter si hæc forma eligitur, palàm est communiter magis in gratiam & levamen debitoris, quàm commodo creditoris eligi. Ex quibus non solum pars affirmativa in genere, sed hæc forma in specie latè defensa manet. Sed ut omnia penitissimè excutiantur, advertendum ad duo : primò, ad primum argumentum hujus affirmativæ partis, in quantum ibi & etiam in ultimo argumento infertur, quod sicut centum reditus usque ad triginta annos emi possint pro mille quingentis, ita reditus dimidii temporis dimidio pretio emi possit : quia hæc consequentia, tametsi prima facie ad pauca advertentibus videatur tam firma quàm demonstratio Mathematica, tamen non est vera, sed fallax, ut postea dicam : & etiam non concernit justitiam contractus in genere, sed justitiam pretii, de quo postea *quæst.* 71. fusius. Secundò, in quantum ultimo loco arguendo, dixi nihil referre, an reditus sit antiquus, vel de novo constituatur : quia imò refert, ut altius per se tractatur, in *quæst. sequenti.*

QUÆSTIO LXVIII.

SYNOPSIS.

1. *Reditus certus ad certum tempus, quo possit sors exsuperari, non est usurarius.*

2. *Usura est præstatio quædam præter sortem.*

437. SExagesimo-octavò quæro, an in venditionibus horum redituum temporalium referat ad majorem præsumptionem vel affinitatem usuræ, & ad justitiam pretii & contractus, an reditus sit antiquus seu jam constitutus, an de novo in eam rem constituendus. Breviter omnes Doctores Scholastici, tam Canonistæ, Legistæ & Theologi, in hoc erraverunt. Petrus enim Anchar. in *disp. antiquis* & Panor. *disp.* 5. & omnes ferè Canonistæ & Legistæ tenent, multum referre, & omnino usuram esse in reditu certo de novo à vendente constituto ad tempus certum, ita quòd tandem emptor majorem summam percipiet, quàm fuerit pretium : & censent evidentiorem esse fraudem & usuram in venditione reditus de novo ad hoc constituti, quàm in venditione reditus prius constituti. Contrarium ex diametro tenet Conrad. in *tract. contract. quæst.* 79. *conclus.* 8. *conclus.* 3. & *conclus.* 5. ubi fixè tenet quòd illa novitas constitutionis nihil prorsus facit nec ad justitiam vel injustitiam, nec ad præsumptionem fraudis vel usuræ seu mutui impliciti augendam vel minuendam. Breviter dico, quòd Canonistæ, in quantum censent reditum certum ad tempus certum, quo tandem sors exceditur, esse usurarium, errant per prædicta, & meritò reprehenduntur à Conrad. *d. tract. quæst.* 77. cum sequenti. Sed in quantum Conrad. censet absolutè non magis fraudem præsumi in constitutione reditus novi, quàm in reditu antiquo, malè dicit : & in hoc rectiùs loquuntur Canonistæ, in quantum censent fortiùs & faciliùs præsumi fraudem in constitutione reditus de novo, quàm venditione nominis reditus antiqui in perpetuum, vel ad tempus, quod est verum propter duo, videlicet primò propter symbolum : secundò ob discrimen negotiationis. Declaro primum, quia de ratione & forma usuræ est, quod debitor ipse obligetur ad præstationem aliquam successivam ultra sortem, id quod realiter & adæquatè verificatur, quando debitor ipse reditum solvere promittit, vel de novo constituit, usque ad tale tempus, quo pensiones sortem omnino excessuræ sunt. Non autem sic verificatur, quando debitor vendit reditum antiquum sibi ab alio debitum : quia cessione statim liberatur, nec remanet obligatus ad præstationem successivam, sicut nec quando vendit fundum, & sic manifestum est constitutionem reditus novi in ipsius debitoris persona, multò expressius symbolum habere cum usura, quàm venditionem nominis reditus antiqui. Igitur in novi reditus constitutione longe proclivius & facilius est fraudem usuratum præsumere. Declaro secundum, quia venditio nominis reditus antiqui, seu à tertio debiti non est eadem, sed diversa species negotiationis, à venditione reditus de novo super ipso vendente & bonis suis constituti. Illa enim spectat ad contractus commutativos, hæc verò ad usurarios, sive qui gratiâ redimendi usus æris alieni fiunt. Et quia hic punctus (qui est cardo principalis totius hujus materiæ) nondum fuit à quoquam nec scientiæ moralis Philosopho, nec Theologo, nec Jurisconsulto reseratus, plenè quambreviùs & dilucidiùs licebit, expediam in *quæst. seq.*

QUÆSTIO LXIX.

SYNOPSIS.

1. *Negotiatio fœneratitia rejicitur.*
2. *Honesta commutatio militibus, & nobilioribus concessa.*
3. *Quibus modis acquirere possimus, ex Philosopho.*
4. *Nummus, non modò præsentis, sed futuræ inopiæ fidejussor.*
5. *Quod ultra sortis restitutionem, propter dilationem solutionis, usumque pecuniæ datur, usura est.*
6. *Usura trientalis, vera est usura.*

458. SExagesimo-nonò quæro de discrimine negotiationis seu contractuum, strictè sumpto verbo contractus, videlicet pro commutativo, respectivo vel quæstuario. Respondeo, duplex est negotiatio: altera rerum absolutè, sive dominij & proprietatis rerum acquirendarum, vel transferendarum: altera, non rerum absolutè, sed usus vel fruitionis ipsarum rerum. Ad priorem spectant omnes contractus propriè commutativi, ut permutationes, & etiam venditiones propriè & absolutè sumptæ, quę etiam facilioris cõmutationis gratiâ, nummo fabricato inventæ sunt, ut autumat Jurisconsultus in *l. 1. de contrahend. emption.* & Aristoteles *lib. 1. Politicõrum, cap. 5. & lib. 5. Ethicorum.* Ad secundam non spectant contractus proprie commutativi & momentanei, ipsarum rerum: sed locationes, emphyteuses, & similes contractus successivi, ad habendum & compensandum usum seu fruitionem rei alienę nullo modo cõmutatę vel alienatę, vel non in totum, aut non perpetuò alienatæ, ex quibus oriuntur obligationes non momentaneæ tantùm, ut in priore specie, sed successivæ. Rursus hæc posterior duplex est: quia quandoque nobis comparamus usum vel fruitionem fundi, vel equi alieni, aut rei similis, cujus salva manet substantia in dominio & possessione prioris domini seu concedentis, & utrinque oritur obligatio successiva, & utplurimum dicitur locatio, & conductio. Quandoque comparare volumus usum æris alieni, cujus dominium & possessio non possunt interim remanere penes priorem dominum, sed abeunt in creditum: debitor autem obligatur ad tantundem vel æquipollens, & aliquid ultra pro usu sive interusurio pecuniæ: & ista proprie dicitur negotiatio fœneratoria, quam Aristoteles *Politicõn libro 1. cap. 7.* κατὰ μετάβασιν peculiariter vocat, & jure meritòque odio haberi censet *& Cicero l. 1. Offic.* versus finem. Et advertendum quod Aristot. illic non loquitur de qualibet usura in re qualibet mutuabili, sed de ea duntaxat quæ in nummis fit: nec de hac qualicunque, sed quâ opes sine modo, mensura & fine corraduntur, & aliorum bona exhauriuntur, ut patet *sexto cap. cum sequent. dicti libri 2.* Politicõn attentè legenti, ubi etiam Aristoteles decenter non species contractuum Iurisconsulti more distinguit aut prosequitur, sed suo & Philosophico more fines, & modos acquisitionis discernit, & pulchrè ostendit quę & quatenus ad œconomiam & politiam requiritur, & quatenus laudabiliter ad officium prudentis œconomi seu prudentis patrisfamiliàs & viri politici spectat, vel non. Cùm autem acquisitio non sit possessionis, sed usus gratiâ: divitiæ autem sint multitudo instrumentorum rei familiaris ac Reipublicæ *cap. 6.* colligit veras demum divitias esse sufficientiam rerum necessariarum & utilium: huiusque acquisitionis studium his finibus limitatum, secundùm naturam esse, partemque œconomicæ & politicæ disciplinæ.

Quotuplex negotiatio.

Aristot.

Acquisitio naturalis.

Divitiæ. Aristotelis locus explicatus.

459. Hinc varias τῆς κτητικῆς, hoc est acquisitionis species à natura & arte deducit, primasque cap. 7. meritò dat agriculturæ & pecuariæ, quem quæstum utpote cæteris parabiliorem, & omnium innocentissimum & convenientissimum maximè naturalem & œconomicum asserit, & per auxesin ἡ οἰκονομικὴ χρηματιστικὴ, hoc est ad verbum, domesticissimum quæstum vocat: Interpretes rectè vertunt, maximè proprium. Cui subjungit ἡ μεταβλητικὴ, id est commutatricem, non quamlibet, sed rerum quæ adsunt, ad acquisitionem necessariarum & utilium, quæ desunt usus non quæstus gratiâ, eamque vocat œconomicam mercaturam, & laudat, dicitque secundùm naturam esse. Et hęc jure civili, nec militibus, nec nobilioribus prohibetur: quia rebus suis superesse possunt *leg. qui stipendia. C. de procurat. l. filius. §. milites. ff. eod.* Commutationem autem, quæ quæstus gratiâ fit, vituperat, cùm non sit secundùm naturam, sed arte excogitata, ad augendas opes sine modo, in aliorum damnum, quam Aristoteles c. 6. & 7. vocat τὴν καπηλικὴν seu καπηλείαν: ut cùm res emuntur, ut rursus cariùs vendantur: seu generaliter, cujus finis usus non est, sed quæstus. Sed omnium maximè improbat & execratur ἡ ὀβολοστατικὴν id est, quæstum fœneratorium, cap. 7. ubi diligenter advertendum, quòd dum Aristoteles ibi διττῶν δὲ ὄντων, &c. duplicem facit speciem τῆς χρηματιστικῆς, id est, quæstus seu artis parandæ rei, alterum καπηλικὴν, alterum οἰκονομικὴν. Sed sub hac œconomica comprehendit non solùm acquisitionem naturalem, quæ ex fructibus terræ & animalibus fit, quam paulo post οἰκονομικὴν vocat, sed etiam primam illam τῆς μεταβλητικῆς speciem. Probatur primò, quia Aristoteles se refert ad prędicta, ibi ὥσπερ εἴπομεν, ubi disertè sub œconomica hanc primam commutationis speciem inclusit, quæ licet sit ab arte, tamen intra fines naturæ continetur, eoque non est contra naturam, sed ut verbis Aristotelis utar, cap. 6. εἰς ἀναπλήρωσιν τῆς κατὰ φύσιν αὐταρκείας, id est, ad supplementum sufficientiæ, quam natura desiderat. Igitur ibi τῆς δὲ μεταβλητικῆς ψεγόμενον, non loquitur generaliter de omni commutativa, sed duntaxat de secunda eius specie, quam καπηλικὴν vocat. Secundò, quia hanc apponit œconomicæ, ergo nulla eius species est: & sic non intelligit de ea, quam partem œconomicæ esse dixit. Tertiò, per illa relativa καὶ τούτου μὲν & τῆς δὲ, quorum primum expressè refert secundam & proximam partem divisionis: ergo necessariò istud secundum refert priorem duntaxat partem, quæ est καπηλικὴ. Quartò, qui hanc negat esse secundùm naturam, ergo non intelligit de illa prima specie, quam naturæ consentaneam esse dixit. Nam obstat particula ἀλλ' οὐ κατὰ φύσιν, quæ non minus primæ speciei τῆς μεταβλητικῆς, quàm secundæ de se convenit: quia hęc particula non debet sola considerari (prout non est tota ratio) sed simul cum priore sui parte, ἐγγὺς γὰρ καὶ φύσει, ut sumatur ratio integra: & sic non loquitur de omni commutativa, quæ ex mutuis rerum commerciis fit, sed de ea demum, quæ fit præter naturam: nec verò œconomicæ, aut politicæ pars est ulla: quod etiam clarè probatur, cap. 6. ibi, ἢ καὶ δεῖ, ubi καπηλικὴν negat esse à natura, non quod sit παρὰ φύσιν, sed quia excedit fines naturæ, videlicet sufficientiam naturalem; & versiculo præcedenti disertè ait, τὴν μεταβλητικὴν, id est, commutativam negotiationem primum à natura profectam. Ita-

Inhonestæ.

Caponatoria.

que encomium illud ἀναγκαίας καὶ ἐπαινετῆς, hoc est necessariæ & laudabilis, toti œconomicæ convenit, etiam primæ speciei commutatricis. Quare ψεγομένης, hoc est justum illud vituperium, nullo modo spectat ad negotiationem commutativam, nisi postquam & quatenus sufficientiæ naturalis metas excedens degenerat in cauponatricem. Quod quia olim me torsit, nec Interpretes explicarent, moræque impatiens, textum ipsum Aristotelis studio privato excussi, non sum gravatus hęc non omnino ἀνεπιδίοντα tradere, ut aliorum saltem mei similium laboribus occurrerem. Latiorem aliam acquisitionis divisionem, quanquam non per singula generum, sed per genera singulorum, subdit Aristoteles capite 7. tres faciens species principales: Primam merè naturalem à fructibus & animalibus, quam αὐτοφύτου vocat: secundam μεταλλικὴν, quæ per commercia fit. Et hanc rursus in tres species dividit, ὧν μέγιστον ἐμπορία, δεύτερον δὲ τοκισμός, τρίτον δὲ μισθωτικὴ, id est mercaturam, quæ prima & maxima est, secunda fœneratio, tertia mercenaria, seu operę locatio sine arte. Mercaturam autem iterum subdividit in ναυκληρίαν, φορτηγίαν, ἀγωγήν, est, navigationem, vectionem quę plaustro aut jumento fit, & mercatum, qui non longinqua petit, sed propius exercetur, ut Stobęus rectè interpretatur. Tertiam autem principalem speciem mediam inter naturalem & commutativam, ut cędua materia, & omnis metallica. Circa hanc tertiam mirum est omnes Interpretes, & veteres & nuperos, uno excepto, insulsè errasse, vertendo (quartam speciem) non solùm contra textum apertum Aristotelis qui habet τρίτον δὲ τόκος, sed etiam contra sequentem contextum. Novissimè autem Ioachimus Perionius Græcè Latinéque doctissimus rectè vertit, tertium genus.

Genera acquisitionum

Vsura odiosissima.

430. Redeundo unde digressi sumus, omnium quęstuum maximè Aristoteles insectatur fœnus, tanquam longius degenerans, in quo nummus non solum prętèr naturam, sed etiam prętèr destinationem suam nummum parit. Non enim ad quęstum faciendum ex seipso, sed ad alias necessarias rerum commutationes facilius expediendas inventus est: utque sit medium in commutationibus. Aristoteles dicto cap. 6. & latius *lib. 5. Ethic. cap. 5.* γίνεται (inquit) τοῦ μέσου, τοῦτο γὰρ ἔστιν. hoc autem modo est medium, quia volens permutare triticum quo abundat, cum vino quo indiget, expeditius facit vendendo frumentum certis nummis, quibus vinum comparabit: hoc modo nummus est medius, καὶ τοῦτο ποιεῖ σύμμετρα. Sed in usura, omnis ordo & naturæ, & artis, vel instituti pervertitur: quia ordinatur non ut sit medium commutationis, nec ut sit prędidium indigentiæ, sed immediatè ad quęstum, eumque nummorum: & sic nummus contra naturam suam est primum & ultimum in hac negotiatione, ejusque utrumque extremum facit. Vnde Aristoteles *4. Ethic. cap. 1. ad fin.* fœneratores & lenones recenset inter τοὺς ἀπαιδεύτους ἰσχύος καὶ βιοχειριστίας, id est illiberales artes & turpia lucra exercentes. Sed utcumque hæc negotiatio malè audiat, nec immeritò lapidetur odioque laboret, non tamen omnino à Republicâ excludi potest, tum propter nimium crebras necessitates usus æris alieni, ut suprà *num. 77.* tum propter utilitatem interusurij, quâ creditor interim fraudatur, debitor verò fruitur, cujus & jure & æquitate habenda est ratio, ut infrà *num. 510.* præsertim in magnis summis. Necessariò enim sequitur, sæpe necesse vel utile est alterum alterius pecuniâ uti, sive ad rem propriam tuendam vel augendam, vel quęstum honestum exercendum. Est enim nummus, ut Aristoteles *5. Ethic. c. 5.* ἐγγυητὴς, id est, velut fidejussor, non solum prędentis, sed etiam futuræ indigentiæ. Et ille usus vel interusurium efficacem habet utilitatem pecuniâ æstimabilem, quæ utilitas est ejus ad quem spectat pecunia, vel cui purè debetur: is ergo non tenetur commoditatem aliquam quæ sua est, alij gratis dare, & utilitates proprias omittere, ut omnes vel Theologi scholastici fatentur in *4. Sentent. dist. 15.* textus in *c. Precaria. ad fin. 10. quæst. 2.* facit *l. iure naturali de reg. juris. l. nam hoc natura. de condict. indebit.* Ergo concedens usum pecuniæ suæ, vel sibi debitæ, potest congruam interusurij compensationem stipulari & recipere. Rursus necesse est modum adhiberi, & certis congruis limitibus cohiberi hunc quæstum, nè in immensum excedat, & sit occasio aliis desidiæ & luxus, aliis angustiæ & expilationis, quod abundè prætitit Justinianus tempore suo, ut suprà *num. 43.* Igitur omne justum odium & execratio usurarum derivari & impendi debet in usuras improbas, vel non concessas aut excessivas, vel in casus ubi debetur mutuum vel eleemosyna: non autem extra illos casus, in usuras temperatas & concessas. De illis & non de istis intelligi debent omnes rationes reprobativæ fœnoris (ut amplius in his non remorer) alioquin non caterent hyperbola sophistica & paralogismis. Verum est quòd sunt plures modi fœnòris seu compensandi interusurij æris alieni, & sic sufficit aliquem congruum modum retineri, prout hodie exoleta veteri forma fœnerandi, successit, invaluit, & comprobata est alia forma, videlicet redituum vulgarium.

Nummus est medius.

Quæ turpes usuræ.

441. Et sic patet, quod ad ultimam illam speciem negotiationis æris alieni spectant leges usuratiæ, & omnis materia usuræ, sive veræ vel interpretativæ, explicitæ vel implicitæ, & omnium contractuum usuris succedaneorum vel æquipollentium. Harum autem negotiationum differentiæ & effectus magni sunt & manifesti: quia in prima illa & principali, quę propriè & strictè commutativa rerum dicitur obligatio mutua, actúque contrahitur, eaque momentanea. At in secunda principali, quę pro usu rerum fit, contrahitur obligatio non momentanea, sed successiva, de qua dixi in novis intellect. in *l. corruptionem. C. de usufruct.* Et in hujus priore specie pro usu rerum, quę non abeunt in creditum, hinc inde actu contrahitur obligatio successiva, cùm concedens ad patientiam successivam, recipiens pariter ad pensionem successivam obligetur. In ultima autem specie pro usu pecuniæ quæ abit in creditum, nulla contrahitur obligatio passiva ex parte credentis, qui nullo modo saltem actu obligatur, quod dico propter notata suprà *num. 230.* sed solum ex parte recipientis, qui solus obligatur ad aliquid successivum usui pecuniæ, & temporis spatio commensuratum, prætèr quantitatem sortis. Et hic semper est usura, sive vera aut formalis, sive interpretativa, vel alia contractus forma usuræ succedanea: vera inquam, seu formalis, quando obligatio sortis & usuræ clarè distinguuntur, vel distingui possunt, puta quando recipiens obligatur ad duo separatim, videlicet primò ad restitutionem totius sortis simul, quæ est obligatio momentanea, & rursus ad menstruam vel annuam aut aliam successivam præstationem pro usu pecuniæ, quę est obligatio successiva, ut in *l. lecta. si cert. petat.* vel aliam summam semel solvendam in fine termini: quæ cum sit distincta à restitutione sortis, & propter dilationem vel usum promissa, est vera usura, ut *l. si tibi in principio. de pact. regapta. §. si tibi. in fin. de reb. cred.* Interpretativa vero, quando utraque obligatio non est separata, nec promptè separabilis, sed vel conflata in unam successivam, quæ restitutionem sortis & alicujus summę ultra sortem pro cursu temporis implicat, ut in dictis reditibus temporalibus: vel quando alia contractus forma excogitatus tecidens in eundem effectum, vel parum

Obligatio momentanea, successiva.

Vera usura.

Interpretativa.

diffantem ab vſura. Ad hanc interpretativam reducuntur omnes contractus facti in fraudem uſuratum, ſive in totum, ut *in cap. ad noſtram, in cap. ſuperius ſupra quæſt.* 56. ſive in parte, ut in *cap. in civitate de uſur.* Succedanea autem, ut noſtri reditus ad rationem duodecimæ vel quintædecimæ. Omnes enim hi contractus fiunt ad habendum & compenſandum per debitorem temporarium, uſum æris alieni, & in hoc conveniunt, & ad hoc ultimum ſubdiviſionis membrum redigũntur. Cumque omnes fiant ad habendum vel compenſandum per debitorem uſum pecuniæ, omnes de uſura plus minus participant: ſunt enim vel verè uſurarii, vel interpretativè, vel quid ſuccedaneum.

Succedanea.

442. Do ratione autem veræ & formalis uſuræ ſtrictè ſumptæ, eſt quòd debitor ſit obligatus ad reſtitutionem, & ad hoc cogi poſſit à creditore, ſive purè, ut in *l. fin. C. de jure dot.* ſive poſt tempus *l. item quæ §. ſi. de pact. l. 1. C. de condict. ex lege*, & ad aliquid ultra, ſive ſemel, ut in *d. §. ſi tibi*, ſive ſucceſſivè, ut in *dicta l. lecta*, idque propter uſum vel intereſſurium pecuniæ. Tunc autem eſt uſura interpretativa, quando ob uſum quidem pecuniæ, ſive ad hoc numeratæ, & per debitorem receptæ, ſive per eum retentæ aliquid penditur, ita ut non poſſit prima fronte diſcerni uſura à ſorte, licet creditor propter conceſſum uſum pecuniæ, non minus lucretur, nec minus in tuto ſit de ſorte recuperanda, quàm in formali uſura. Ex quo patet quòd reditus noſtri uſitati, alia fraude non admiſta, non ſunt propriè nec vera, nec interpretativa uſura: quia ſors perpetuo, & abſolutè alienatur, nec tenetur debitor eam reddere. Conveniunt autem cum vera & formali uſura primò in hoc, quòd pecunia immediatè fructum pecuniarium pro rata ſortis & temporis parit, ſicut in vera uſura: ſecundò in hoc, quòd debitores temporali æris alieni uſu indigentes, his reditibus utuntur, quemadmodum olim ſolebant uſuris uſum pecuniæ redimere: tertiò in hoc, quòd habentes pecuniam otioſam volentes fœneraticam exercere, veteri formâ exoleta, hoc commodè utuntur, imò commodius & lucroſius, cum duodecima beſſes excedat. Nec obſtat, quòd ſortem ab initio exigere non poſſunt, tum quia cauſativè poſſunt cum auctuario præterito, hoc eſt niſi velit debitor gravibus his uſuris, alioquin quotidie currentibus, exhauriri: tum quia plerumque creditor tanti nomen ipſum tutò, ut ſolent, collocatum vendere poteſt, ſi indigeat, & ſic ſortem quando volet ab alio recuperare, reliqua quoque præterita à debitore. Et ſic hæc via fœnerandi durior eſt legali debitoribus in ſui curſu, & utilior creditoribus, nec in alium finem reperta eſt, quàm ut hoc modo debitores uſum æris alieni tantiſper dum volent, emere poſſint, utque creditores de uſu pecuniæ collatæ negotiari & ditari poſſint. Et ſic hi reditus veriſſime ſuccedanei ſunt veterum uſuratum, nec poſſunt cenſeri propriè inter negotiationes commutativas, cùm nulla res verè commutetur, & multò minus inter contractus, quibus comparatur uſus rerum, quarum ſalva interim manet ſubſtantia: & ſic neceſſe eſt cenſeri inter contractus quibus æris alieni uſus redimitur.

Hi reditus ſunt ejus fœneris.

443. Quod ſi rectè expendas, utcumque ſibi creditores verbis blandiantur, tamen non minus dicuntur venditores vel locatores uſus pecuniæ, quàm emptores reditus, & viciſſim debitores non minus dicuntur emptores & conductores juris fruendi, ſeu retentionis ſortis, hoc eſt ipſius uſus, quàm venditores reditus. Hæc Titium vendere 100. annua pro 1200. ſub facultate redimendi, ego dico quod æque emit uſum veræ ſortis ad primum annum pro 100. & deinceps pro rata: ita tamen ut ejuſdem pecuniæ uſus ſit ſibi emptus eodem pretio, quandiu uti volet, & donec ſortem reddat, nec habeat creditor interim actionem nili ad pretium uſus pro rata temporis & ſortis. Et ſic in veritate creditor æquè verè vendit & locat uſum pecuniæ, ſicut is qui vendit vel locat fundum, vel ejus uſumfructuum ad tempus pro certo pretio, vel mercede, ita ut ſit emptus vel conductus recipienti pro ſimili pretio, vel mercede pro rata temporis, ſive cum pacto rurſus vendendi vel locandi de trimeſtri in trimeſtre, vel de anno in annum, quamdiu recipiens voleat. Ut enim in hac venditione vel locatione fundi vel uſusfructus ad tempus cum pacto continuandi ad voluntatem accipientis non dicatur tradens emere, ſed potius vendere vel locare, ita & in venditione hujuſmodi reditus, ipſa reali veritate reſpecta, quæ verborum formulis mutari non poteſt. Hoc autem ſolum commodi ferè debitor præ veteribus uſuris, quod poteſt habere uſum pecuniæ emptum vel conductum, quandiu è re ſua eſt, & ſimul retinet veterem & liberam facultatem ſeſe liberandi, ſorte cum reliquis oblata: quapropter hi reditus tolerantur, & neceſſe eſt tolerari propter crebras hujuſmodi neceſſitates æris alieni tempeſtive fruendi. Et quæ dico de reditibus, procedunt in venditis vel conſtitutis ad rationem duodecimæ vel quintædecimæ, vel etiam citra, ſupra rationem vigeſimæ partis annuæ ſortis.

444. Secus in emptis ad rationem trientalis uſuræ, vel majori pretio: quia hi non ſpectant ad materiam uſurariam, nec ad hanc ultimam ſpeciem contractuum commutativorum uſus, ſed ſpectant ad priorem illam ſpeciem contractuum commutativorum rerum ſicut emptiones prædiorum. Ratio, quia in iſtis ceſſant prædictæ rationes fœneratitiæ redimendi vel compenſandi uſus æris alieni, & omnis proportio & ſubrogatio loco veterum uſuratum, tam ex parte debitoris, quàm ex parte creditoris. Contrà verò ex parte utriuſque pariter habet locum eadem ratio & proportio juſtificativa, quæ in perpetua venditione & emptione fundi juſto pretio facta. Patet, ſive emptio hujus reditus ſit facta ſimpliciter, & ſic ſine facultate redimendi, prout nunquam (niſi de gratia emptoris) redimibilis eſt, cum legitima indicatura reddituum non redimibilium, ſit penſio annua, quinquies & vigeſies multiplicata, *leg. ſi hæres. §. item ſi Reipubl. ad leg. Falc.* Et tunc certum eſt ex parte emptoris, quod non poteſt directò cogere venditorem ad redimendum, nec etiam per indirectum (videlicet damni currentis reditus) propter magnam utilitatem reditus, nec etiam volente venditore, tenetur redemptionem pati, nec ſi emptor maximè cupiat & offerat, veriſimile eſt unquam redemptorum. Et ſic emptor non poteſt ullo reſpectu dici vel cenſeri accipere talem reditum pro uſu temporario pecuniæ, vel in compenſationem uſus temporarii: tum quia ſors nunquam reſtituenda ſperatur: nec reſtitui poteſt invito emptore, nec venditor reſtituere tenetur, nec emptor ſi indiguerit, poterit ab alio ſortem recuperare per venditionem nominis, quia non eſt veriſimile quod illud tanti quanti emit vendere poſſit, ſed longè minus ſecundum communiter accidentia: tum quia tam vilis iſte reditus non eſſet condigna compenſatio intereſſurii tantæ ſortis. Et ſic emptor iſte dicitur percipere reditum, non tanquam mercedem temporalis uſus pecuniæ, ſed jure perpetuo & incommutabili, tanquam fructus juris perpetui & incommutabilis, non minus quod emptor fructuo fundi juſto pretio empti. Pariter ex parte venditoris non debetur uſura, cum nihil ſolvat pro uſu pecuniæ; ſed reditum incommutabilem, cujus juſtum & integrum pretium recepit. Sive autem ab initio data ſit facultas redimendi, tunc multò minus vergit ad uſuram, cum eò magis accedat gratiæ: quia hæc facultas non erat debita, ſed merè gratioſa. Idem ſi ex poſtfacto quocunque modo ſine fraude fiat redimibilis: ſecùs ſi in contenti, mediante reſtitutione dimidiæ partis ſortis, quia tunc vel contractus eſt reformatus, & in reditum

duodecimæ vel circà conversus, *l. juris gentium §. adeo de pact.* vel censetur prior contractus factus in fraudem duodecimæ, quod in eundem effectum recidit. Non obstat si dicatur hic reditus habere symbolum cum usura trientali, quæ tamen est vera usura, *d. l. eos*, licet levior *l. si legatum in princ. de operib. pub.* quia respondeo quod in dicta usura trientali potest debitor cogi restituere sortem ad libitum creditoris, text. *l. fi. ad fin. Cod. de jur. dot. l. 3. in fi. de eo quod cer. loco*, & sic non desinit esse usura, licet levior. Sed hic nullo modo potest creditor sortem, nec directò, nec indirectè reperere, nec si nomen venditioni exponat, consequenter hic reditus nullum habet symbolum cum usura trientali; sed maximè discrepat. Præterea etiam formalis ipsa trientalis usura propter exiguitatem magis est actus liberalitatis, quàm negotiationis, magis gratiæ quæstui fœneratitio accedit, cùm etiam debitor interim non solùm amplius negotiari; sed etiam prædia comparare possit, & de fructibus solvere, ut suprà *num.* 39. Ex his liquet vulgatos nostros reditus non esse speciem contractuum commutativorum rerum; sed novam speciem artis fœneratoriæ, in qua non minus utile, quàm jucundum erit paucis ostendere, in quibus conveniant & disconveniant cum veteri legali usura seu antiqua fœnerandi arte.

QUÆSTIO LXX.

SYNOPSIS.

1. *Usura legalis est accessio quædam principalis obligationis.*
2. *Hæc numquam supergreditur duplum.*
3. *Vulgati reditus æternùm currere possunt.*
4. *Mutuum accipiens servus est creditoris.*

Convenitur in specie.

445. SEptuagesimò quæro, in quibus conveniant & disconveniant antiquæ legales & nostrates usuræ? Hoc satis ex abaco & prædictis colligi potest; sed plenioris elucidationis gratiâ, conveniunt primò in materia: quia utraque est incrementum successivum pro rata temporis & sortis, in quo utraque differt à pœna, quæ est momentaneum augmentum, licet pœna sit quædam species usuræ impropriè tamen sumptæ. Secundò conveniunt in fine, quia utraque fuit inventa aris alieni tantisper fruendi gratiâ, & utraque est pensatio seu taxatio interusurii, seu promiscui usus pecuniæ. Hinc taliter contrahentes vulgò appositissimo vocabulo dicuntur dare vel accipere pecuniam ad interesse. Tertiò, neutra spectat ad contractus propriè commutativos; sed ad negotiationem successivam quæstuariam usus pecuniæ. Et in hoc utraque differt à reditibus fundiariis, & etiam ab imposititiis constitutis in compensationem immobilium, vel ex donatione, vel legato, vel etiam pecunia emptis; sed ad rationem vigesimæ quintæ pro uno, vel majori pretio. Tunc enim quia non speratur redimi, cum id non expediat debitori, apparet esse commutationem perpetuam, & nihil minus quam negotiationem usurariam. Quartò, utraque certos limites habet excessus, sed non defectus. Quintò, neutrobique creditor debet esse certus præcisè de lucro seu augmento futuro: quia in utraque necesse est debitori competere liberam facultatem luendi, seque liberandi sorte cum reliquis præteritis oblata: in quo potissimum differt à reditu temporali. Sextò, neutra usuram usuræ admittit. Septimò, neutrius excessus usucapione, seu quantumvis longa continuatione confirmari potest in futurum. Differunt autem primo in forma, quia legalis usura est mera accessio alterius principalis obligationis: nostrates autem usuræ sunt principalis quædam obligatio, & inventum quoddam consuetudinis hominum, loco veterum usuratum subrogatum. Secundò, quia usuræ legalis cursus non est perpetuus; sed ipso jure cessat, cum tantam summam attigit, quanta est sors: nostra verò, nec duplo, nec quadruplo, nec decuplo finitur; sed in infinitum currere pergit, donec redimatur. Tertiò, in illa potest creditor nihilominus repetere sortem, congruo tamen spatio data, ut *suprà num.* 85. sed in illa creditor nullum jus, nullam actionem habet ad sortis repetitionem. Quartò, in illa fit compensatio ipso jure, etiam pro parte: secus in ista *suprà quæst.* 43. Quintò, illa semper est menstrua, excepto solo casu *novellæ* 32. *ne quis mutuum dans agricolis*, ubi est annua *suprà quæst.* 1. quamquam jure non prohibetur esse anniversaria ad rationem menstruæ: nostra vero semper est annua, quamquam & mestrua vel trimestris esse possit ad rationem concessam vel infrà, summa autem differentia est, quod proprium & peculiare legalis est, ut duplum numquam excedat, & possit debitor cogi per creditorem ad sortis restitutionem. Proprium verò & peculiare nostratis usuræ est, quòd in infinitum excedere potest, & nequit debitor à creditore cogi sortem restituere. Rursus hæc summa differentia mutuam quamdam analogiæ & compensationis proportionem implicat: ut enim in legali, in potestate creditoris est, vel purè, vel post tempus sortem repetere, ita justum est quod non possit usura in infinitum currere; sed ad certum congruum limitem tantum, videlicet dupli. Et è diverso in nostrati, ut non est in potestate creditoris; sed solius debitoris; quando sors reddatur, ita æquum est reditum in infinitum currere donec redimat: tum quia hæc sublatio dupli vel alterius limitis cumuli compensatur cum facultate sortis repetendæ perpetuò ablata. Et in specie hæc nostra duodecima proportionatur bessi legali: primò, quia ut de jure bessis est summa mera usura, ita duodecima est supremus reditus. Quòd autem bessis esset summa usura, patet, quia jura non permittunt communiter graviorem usuram, nisi in trajectitiis, & creditore suscipiente periculum sortis marinum: & sic illa non est mera usura, sed partim compensatio periculi suscepti *suprà quæst.* 3. Secundò, proportionatur bessi in quantitate, nisi quod duodecima excedit aliquantulum bessem legalem, qui parit annuatim 8. in 100. duntaxat: sed nostra duodecima parit octo & tertiam partem unius, qui excessus est valde modicus.

Analogia.

Differunt in quinque.

446. Et exactè ad amussim expendendo, legalis usura non est notabiliter levior nostra in hoc primò quod bessis non omnibus; sed justis negotiatoribus duntaxat: at nostra duodecima omnibus permittitur. Secundò, quòd bessis aut alia quævis legalis usura nunquam progreditur ultra duplum, in quo sors inest: sed nostri reditus in infinitum, quod videtur gravius. Verum istud in effectu rectè considerando nihil est, quoniam ob id quòd de jure nunquam currit ultra duplum, non solent debitores in aliquo relevari, sed magis gravari: hinc enim fit ut magis sint solliciti creditores, ut maturius sortem cum usuris exigant, prout de jure possunt, *l. fi in fi. Cod. de jure dot.* Et noti sunt fœneratorum mores, quàm sint vigilantes & solliciti, ne quâ contingat pecuniam manere sterilem, præsertim apud alium, & sic illa limitatio dupli non tam operatur revelamentum debitorum, quam eorum compulsionem: admonitionem autem, & excita-

Reditus nostri leviores & commodiores legalibus usuris.

tionem fœneratorum. At more noſtro licet reditus in infinitum currere poſſit, tamen nunquam poteſt debitor cogi reddere ſortem; ſed reddere poteſt quandocunque libet. Et iſtud cæteris paribus, videlicet conferendo duodecimam beſſi legali, longè tranſcendit omnes conditiones & effectus, quibus beſſis legalis levior videtur: & ſic omnibus deductis, noſtra duodecima eſt levior, utilior & commodior debitoribus beſſe legali. Et in ſumma attento jure, digeſtis uſuræ noſtræ ſunt in effectu leviores legalibus, & ad uſum æris alieni redimendum, & compenſandum. Benè verum eſt quod jure *Codicis per l. eos*, in quantum uſuræ communes ſunt taxatæ ad ſemiſſes, illæ ſunt leviores duodecima noſtra, uno circiter quadrante duntaxat, quo duodecima excedit ſeu anteverrit ſemiſſem legalem, videlicet quantum circiter beſſis excedit ſemiſſem: ſed adhuc perpetua ſortis alienatio, quæ fit in duodecima, præponderare videtur illi quadranti: & ſic non eſt verum ſimpliciter, legales uſuras leviores eſſe noſtris & uſitatis: imò juſtè exoleverunt veteres uſuræ: quamdiu enim tolerabantur, omnes indifferenter (illuſtribus exceptis) illiciebantur ab omnibus uſuras ſaltem ſemiſſes exigere, ut ſic nullus ferè contractus, nullum commercium, uſuris vacaret, mutuorum quoque liberalitas & officioſitas ubique frigebat & exoleſcebat, omnium domus & familiæ uſuris implicabantur & divexabantur, quod & dedecoroſum & detrimentoſum erat, quà publicè, quà privatim in tota Republicâ; unde uſuræ illæ meritò odio ſemper habitæ tandem minus dedecoroſa & damnoſa via recepta penitus vetitæ & abrogatæ ſunt. Noſtri verò reditus juſtiniani quoque tempore inventi & probati, ut infrà *quæſt.* 75. meritò retenti ſunt & ſucceſſerunt, tum ob publicam neceſſitatem alicujus fœnoris retinendi, ut ſuprà *num.* 77. *num.* 441. tum quod hac forma cõmodior eſt & tolerabilior multis nominibus. Primò, quia dedecus illud publicum & frequentia uſurarum excluditur: nec enim poſſibile eſt paſſim frequentari uſuras, cum non ſit locus fœnori niſi ſorte perpetuò alienata, ut nullus locus fœnori relinquatur, niſi prius deſinat eſſe vera uſura. Secundò, conſequenter honeſtati & puritati commerciorum, & paci & tranquillitati publicæ, & familiarum conſulitur, & mutuo ſua frequentia, & honeſtas conſervatur. Tertiò, ſufficiens medium paſſivè fœnerandi, uſum æris alieni redimendi relinquitur egentibus in communi. Quartò & rapacitati & impreſſioni fœneratorum reprimendæ, libertati verò debitorum ſufficienter conſulitur. Certum eſt enim quod miſeria illa eſt ſervitus debitorum, juxta illud *Proverb.* 22. *Qui accipit mutuum, ſervus eſt fœnerantis*, & pariter occaſio rapacitatis creditoris non conſiſtit propriè in uſuris quæ creſcunt, (quia ſi moderatæ ſunt) ut legales (facile particularibus ſuis ſolutionibus elui poſſunt) ſed in ipſius ſortis vel extorſione, vel fruitione, ſi ſit in poteſtate creditoris exigere ſortem cum uſuris quoties volet, vel ſinere debitorem frui, quamdiu creditor volet, & inſidiari periſtaſi debitoris in quadem anguſtia conſtituti, ut tunc ſortem & uſuras importunè urgere poſſit, & omnia ejus bona & hæredia abſorbere, ſic demum pendere; vera & miſera ſervitus eſt, idque ſervitutis genus tolerare in Republica non eſt aliud, quam cupidis & pleonecticis hominibus (quæ magna ſemper turba eſt) indulgere, & reliquam plebem: imò Rempubl. prodere, & eorum direptioni exponere. Quibus malis non eſt locus per noſtros reditus, ita (*ut ſatis ſuprà diximus*) temperatos: qui licet ſint quædam negotiatio fœneratoria (ut clarè oſtendimus) non tamen ſunt veræ uſuræ, ſed veterum & veratum uſuratum medicinæ, non tamen ſunt favorabiles, ſed odioſi, ut ſuprà *quæſt.* 5. *ad fin.* licet tantò minus odioſi vereribus uſuris, quantò minus nocivi. Quod autem ſcripſit Cyn. *in l. emptione C. Plus valere quod agit.* Gallos legales quidem uſuras ſpreviſſe; ſed adinveniſſe & practicare quadruplo graviores, non de his reditibus, ut ſuprà, temperatis intelligi debet, quos etiam multi ignorant ſpeciem fœnoris eſſe: ſed de fraudationibus, & impiis illis uſuris Lugdunenſibus, quibus nuſquam gentium auditæ ſunt, nec adhuc audiuntur graviores & deteſtabiliores, magno Magiſtratus & Principum flagitio qui eas tolerant, ut infrà *quæſt.* 74. *num.* 580.

Legales uſuræ juſtè vetitæ.

QUÆSTIO LXXI.

SYNOPSIS.

1. *Non ideò perpetuus eſt reditus, ideo injuſtus eſt, modò ſi penſio modica ſit.*
2. *Sine ſorte, nulla eſſe poteſt uſura.*
3. *Legalis & conſuetudinarii reditus collatio.*
4. *Nemo in anno ultra duodecimam lucrari poteſt.*
5. *Ex cauſa venditionis veniunt uſuræ ex mora.*
6. *Sortis diminutio uſuræ quantitatem imminuit.*
7. *Prolatio temporis meliorem facit debitoris cauſam, creditoris deteriorem.*
8. *Redemptio ante tempus interdum creditori nociua.*
9. *Vſuram legitimam egredi non licet.*
10. *Mobilium ratione non impetrantur reſcripta principalia, nec in his locum obtinet* lex 2. Cod. de reſcind. vend.
11. *Conſtitutio Ludovici XI. quæ vetat, ne ſpes meſſis in viridi venundetur, de quibus perſonis loquatur.*

447. SEptuageſimo-primò ſuccedit quæſtio. Utri magis accedant reditus temporales, an legali & formali uſuræ, an verò vulgatis his reditibus? Reſpondeo abſolutè reſponderi non poſſe, cùm variæ fingi poſſint formæ redituum temporalium, & ſic modò plus, modò minus de uſura participant. Sunt enim (ut his ſemel exactum finem imponam) non minus quàm tres horum varietates. Prima biceps, videlicet, aut ad tempus certum, ut ſuprà *quæſt.* 63. *cum tribus ſequentibus*, aut ad tempus incertum, ut in *quæſt. ſeq.* Secunda etiam biceps, videlicet aut in fine temporis ſors non debet reddi; ſed prorſus finitur obligatio, ut ſuprà *quæſt.* 63. *cum duabus ſeq.* aut vero reſtat obligatio ad ſortem, ut ſuprà *quæſt.* 66. Tertia verò triceps, videlicet, aut penſio annua eſt æqualis duodecimæ parti ſortis, ut ſuprà *quæſt.* 64. aut eum excedit, ut ſuprà *quæſt.* 63. & *quæſt.* 65. aut verò minor eſt; ut ſuprà *quæſt.* 96. Et rurſus hæ ſimplices varietates invicem plus minus jungi ſeu miſceri poſſunt. Modò ad plenam deciſionem ſufficit dicere utrumque caſum primæ diviſionis ſeu differentiæ, quæ potiſſima eſt. Aſſumo igitur primò decidendum primum caput, videlicet quando reditus eſt ad tempus certum; & iſtud caput dividitur principaliter in duas

Tres diviſiones redituum temporalium.

Primum caput in tres caſus.

formas seu casus, videlicet prima: quando sors in fine non redditur: secunda, quando reddi debet: sed expeditioris methodi gratiâ divido in tres formas seu casus. Primus casus est, quando sors in fine non debet reddi; & tamen pensio temporalis interim non excedit duodecimam sortis partem annuam, ut suprà *quæstione* 64. & ille casus longissimè omnium abest ab usura. Secundus casus illi oppositus, quando tota sors in fine reddi debet, & quod interim solvitur, non imputatur in sortem, ut suprà *quæstione* 66. Et is casus omnium proximè accedit veræ & formali usuræ. Tertius casus inter utrumque ferè medius est, quando sors in fine non redditur; sed annua pensio duodecimam sortis partem excedit, ut suprà *quæst.* 63. *&* *quæst.* 65. Et iste casus non tam recedit ab usura ut primus, nec illi tam prope accedit ut secundus: & sic est quodammodo mistus. Licet enim prima facie videatur simpliciter magis congruere cum primo, quia sors in fine non redditur: sed obligatio finitur, tamen non est absolutè verum nec expeditum, quòd conveniat cum primo magis quam cum secundo: sed debet inspici quantitas pensionis annuæ: si enim modicum excedit duodecimam sortis partem, puta non ultra quintam partem, ut suprà *quæstione* 64. in fin. tunc verum est quòd magis convenit cum primo casu, in eo quòd præ secundo casu multum recedit ab usura, licet non tantum recedat quantum primus casus. Aut verò pensio annua multum excedit duodecimam, puta proportione dupla, ut suprà *quæstione* 63. vel sesquialtera, ut suprà *quæst.* 65. & tunc magis convenit cum secundo principali casu: & in hoc multum accedit usuræ & quæstui fœnerario.

448. Modò ego dico quòd primus casus non habet difficultatem, non enim spectat ad contractus usurarios, imò simpliciter, nec ad negotiationem usus rerum; sed ad contractus commutativos, & ad primam speciem negotiationis, est enim ejusdem rationis, ac si fundus vel ejus ususfructus ad certum tempus ematur justo pretio. Aut ergo non durat tanto tempore ut excessurus sit duplum, & non est dubitandum de justitiâ contractus: aut verò tanto tempore duraturus est quòd tandem excedet duplum sortis, & adhuc non spectat ad contractus usurarios? & potest pensio esse tam modica, ut pretium sit justum, & contractus justus & verè commutativus, etiamsi reditus sit perpetuus, ut suprà *quæstione* 5. *num.* 112. & sic multum deliraunt Canonistæ in hoc articulo: vt suprà. q. 64. Tota igitur difficultas relidet in secundo & tertio casu, ad quam planè & *distinctè* resolvendam, advertendum quòd in his contractibus quantò sors citius recuperari potest, tantò magis hi contractus mutuo, & sic fœnori accedunt: quantò verò tardius recuperari potest, tantò minus participiant de mutuo & fœnore: hæc est clavis. Patet, quia præcipuum proprium & peculiare veræ & formalis usuræ est, quod sors non sit prorsus alienata, sed ad libitum creditoris repeti possit. Unde si sors omnino & perpetuo sit alienata, nullo modo est, nec esse potest vera usura, cùm sine sorte vel fundo subsistere nequeat. Si verò alienata quidem sit quoad corpora numerata, seu eorum proprietatem: sed non quòd ad genus, quia remanet obligatio ad eandem quantitatem ejusdem generis & bonitatis, tunc est verum mutuum, & accedente auctuario vera & formalis usura, & hoc casu si obligatio sortis est pura, nullo modo etiam propriè loquendo dicetur sors ipsa alienata; sed ad usum precario concessa, idest, ad voluntatem creditoris mutuata, sive gratis, sive sub formali usura. Sors enim propriè non sunt illa corpora in individuo quæ numerata sunt, nec in illis post traditionem subsistit. Abeunt enim in creditum, hinc deinceps non sunt periculo creditoris. Sors autem ipsa de qua loquimur, non est quid momentaneum & transiens, sed res permanens: non qualitas vel accidens, nec nudum abstractum, vel vera & realis substantia ejusdem generis, quantitatis & bonitatis, cujus erant corpora in quibus numerata fuit. Non igitur subsistit in dictis corporibus, quæ transeunt in potestatem debitoris, sed in substantia ejusdem generis eadem qualitate & quantitate determinata, *ut novè diximus suprà num.* 18. Et hæc substantia, sive obligatio ad dictam substantiam, si est pura, est solidè in potestate solius creditoris, & non debitoris, & sic nullo modo alienata dicitur. Casus est rotundus in *l. rogasti.* §. *si fugitivus de rebus credit.* ubi servus habens simplicem administrationem peculii potest mutuare, & ibi Alexand. & alii notant, quòd mutuum de se non dicitur actus alienationis; sed administrationis. Tunc autem rectè dicitur alienata in totum, si hæc obligatio in totum est remissa: igitur si sit debitor ad tempus, non ineptè dicitur alienata ad idem tempus: & sic quatenus facultas fruendi est in potestate debitoris, consequitur veram esse dictam conclusionem, quòd quantò sors citius recuperari potest, tantò magis inest de ratione mutui, & etiam fœnoris, si quid ultra percipitur; quantò verò tardius recuperari potest, tantò minus inest de ratione mutui & fœnoris.

Clavis.

Sors.

Mutuum non est alienatio.

449. Assumo igitur tertium illum casum, cujus exactum & adæquatum exemplum est, si quis pro mille ducentis stipuletur centum quinquaginta annua usque ad duodecim annos. Jam autem diximus, suprà *quæst.* 65. *num.* 428. istud esse justum temperamentum, quòd clarius brevi figura proportionum legalis usuræ, duodecimæque adinvicem, & dicti reditus ad utrumque, oculis exposita, quàm longioti sermone probabitur.

Primum exemplum.

In communi



Ad oculum vides hunc temporalem reditum minus lucrosum esse creditoribus, & minus gravem debitoribus, utroque & legali & usitata usura: in cujus fraudem non potest censeri hic contractus fieri, & multò minus in fraudem alicujus justæ negotiationis, & sic non est dubium quin justus & tolerabilis sit, *per not. suprà quæst.* 67. Non tamen hæc scribo comminiscendis aut confirmandis novis speciebus fœnerandi, sed ad omne genus fœnoris (quantum salva communi commerciorum necessitate & utilitate fieri potest) restringendum, & quam penitissimè ne quovis modo excedatur, temperandum. Hujus autem novissimi contractus temperatura quàm exacta & absoluta sit, seipsa ostendit. Cùm enim debitor non possit liberè perpetuò frui sorte, prout potest in duodecima; imò nec potest tota sorte frui ad malum tempus, sed quotannis partem reddere cogitur: liquet quòd communiter detrahitur pars dimidia, saltem non minus dimidia utilitatis interusurii dictæ sortis, quam communiter debitor habiturus erat in duodecima: igitur ad minus dimidia usuræ, seu incrementi detrahi debet. Et adhuc subtiliter deducendo, ut suprà *quæst.* 65. *num.* 427. dici posset quòd hîc non detrahitur dimidia, sed longè minus dimidia usuræ pro rata temporis & sortis penes debitorem manentis. Verum non puto dictam subtilem subductionem admittendam, duplici ratione: prima, quia excluderetur omnis usus (tanquam prorsus inutilis) horum reddituum temporalium, de quorum utilitate & justitia patuit suprà *quæst.* 67. Secunda, quia quod debitor non fruitur sorte toto tempore, sed quotannis partem repræsentat, non est omni respectu ad incommodum debitoris: quia non solum operatur diminutionem utilitatis fruendi (quod est in commodum debitoris) sed etiam adfert ei utilitatem se liberandi à sorte, particulari solutione, quod est ad commodum debitoris. Unde istud non debet ex una parte tantùm considerari, videlicet ad allevandum debitorem dumtaxat, sed etiam ad commodum creditoris, & proportionaliter compensari. Et sic puto satis esse ad justitiam & tolerantiam hujus contractus, dimidium lucri seu incrementi in duodecima concessi detrahi, tota sorte simul & semel inspecta, sine alia subductione: nec etiam puto majus lucrum tolerandum in hac specie contractus per prædicta.

451. Quid ergo si quis dimidiato pretio emat eundem reditum dimidiati temporis, puta 150. lib. reditus annui usque ad sex annos duntaxat pro 600. lib. Videtur eadem ratione licitum & tolerandum. Patet, quia quantò minuitur sors, tantò etiam diminuitur reditus duratio: & sic videtur omnino eadem proportio, ergo idem jus. Patet etiam per demonstrationem Mathematicam: quia sicut se habet major summa ad majus commodum, ita minor summa ad minus commodum: si igitur dans 1200. potest superlucrari dimidiam sortis, videlicet 600. emendo reditum temporalem 12. annuorum: igitur dans 600. & sic subdimidiatam sortem, potest lucrari dimidium hujus dimidiatæ sortis, videlicet 300. emendo reditum dimidiati temporis, videlicet 6. ar. ut suprà *quæst.* 67. *num.* 437. Breviter in contrarium est veritas, nec enim hic reditus proportionatur priori, sed illum dupliciter excedit. Primo, quia in 6. annis, & sic duplo citiùs recuperatur sors, quàm in priore contractu. Secundo, quia licet hic sit diminuta sors de dimidia, non tamen diminuitur usura, sed exigitur quanta exigi potest in vera duodecima. Patet, quia duodecima annua hujus sortis est 50. sed exigit 100. annuatim, & rursus 50. annuatim, donec finiatur reditus, & sic solidam duodecimam: & tamen in hoc contractu sors non in tantum alienatur, sicut in duodecima, quam multis

Secundum exemplum.

modis excedit: imò nec in tantum alienatur ſicut in priore ſpecie, ubi non reſtituitur ſors, niſi per 12. vices & 12. annos: ſed hîc hac ultima ſpecie ſors duplo citiùs recuperatur, & tamen ibi in priori ſpecie non poteſt ſors in anno parere ultra ſemiſſem duodecimæ ad ſummum. Non obſtat quòd hic creditor non habet in fine temporis incrementum, niſi ad dimidiam ſortis: tum quia habet illud in ſex annis, & ſic duplo citiùs quàm in priore contractu, ubi non habet iſtud lucrum dimidiæ, niſi poſt 12. annos: tum quia uſura potiſſimè pro rata temporis decurrit & menſuratur, ut ſuprà *quæſt.* 3. & 4. Et ſicut in anno non poteſt quis lucrari ultra duodecimam ſortis, etiam in formali duodecima: ita in 6. annis non poteſt lucrari ultra ſemiſſem ſortis, etiam in formali duodecima. Ergo in forma hujus reditus, ubi lucrum debet eſſe ſaltem dimidio minus, non poterit lucrari niſi ſemiſſem duodecimæ in 12. annis, & quadrantem duodecimæ in 6. annis. Non obſtat argumentum contrarium, quia utcumque oculos ad pauca aſpicientium perſtringat, tamen eſt fallaciſſimum. Eſt enim idem ac ſi quis colligat, quòd quantò tempus fruendæ ſortis minuitur, tantò augeri poſſit uſura, quod præpoſterum eſt ac ridiculum: quoniam diminutio temporis in hac materia diminuit uſum & commoditatem ſortis: & ſic non debet adduci pro cauſa conſervationis vel augmenti uſuræ, ſed pro cauſa diminutionis. Prima igitur illa ratio, quòd hic quantò diminuitur ſors, tantò reditus abbreviatur, duplicem (in hac materia, in qua eidem ſucceſſivæ penſioni, & ſortis reſtitutio, & uſuræ præſtatio implicitæ ſunt) fallaciàm implicat. Primam, quia hæc decurtatio temporis non facit meliorem, ſed deteriorem cùm fruendæ tum luendæ ſortis conditionem. Et ſic non ſolùm non debet impedire, vel compenſare diminutionem uſuræ, pro rata ſortis: ſed etiam novam diminutionem uſuræ inducere. Secundam, quia verbum (abbreviatio reditus) prima facie ad pauca advertentibus videtur ſonare ſolam abbreviationem uſuræ: ſed non eſt ita, quia principaliter efficit repræſentationem citeriorem ſortis: & ſic clarum eſt, quod in hoc ſecundo exemplo, in quo non ſolum ſors dimidio minuitur, ſed etiam tempus reſtituendæ ſortis duplo acceleratur, neceſſe eſt duplicem uſuræ diminutionem fieri: primam ratione ſortis diminutæ, ſecundam ratione temporis diminuti. Hîc enim minus eſt debitoris commodum, quàm in priore exemplo, in duobus: primo in minori ſumma ſortis, ſecundo, in citeriori repræſentatione, & breviori fruitione: & ſic non ſufficit commodum creditoris ſeu uſuram minui in duratione ſeu pro rata temporis, ſed debet etiam minui pro rata ſortis.

452. Quanta ergo erit hoc ſecundo exemplo diminutio uſuræ? Et videtur quòd ad quadrantem duodecimæ, ut in ſubjecta figura: quia primò debet diminui uſura pro rata ſortis, & ſic pro dimidia. Unde ſicut in priore exemplo non ſolvuntur ultra 50. pro uſura ad inſtar ſemiſſis duodecimæ, ita hoc poſteriore exemplo non debent ſolvi ultra 25. pro uſura ad inſtar ſemiſſis, rurſus & ſecundò: quia non ſufficit hic uſuram ſemel diminui pro rata ſortis dimidiatæ ſed etiam rurſus diminui debet pro rata temporis dimidiati, & ſic pro alia dimidia. Unde ſequitur quòd pro uſura non ſolventur ultra 12. cum dimidio, ad inſtar quadrantis duodecimæ. Utque hæc dilucidius, & minori ſtudioſorum labore percipiantur, proximam figuram ſubjunxi indagatricem.



In qualibet cellula primò in medio ſignatur caſus contractûs, & rurſus ſeorſum quantitas uſuræ currentis, deinde in ſummo cumulus uſuræ ſeu lucri totius, & imo cumulus ſortis & lucri ſimul. Ut prior cellula ad collateralem ſequentem dupla ſorte tantùm: ita dupla uſura excedit, tam in curſu quàm in cumulo. Ut ſuperior excedit ſuam inferiorem duplo tempore: ita & dupla uſura currente, ſed quadrupla in cumulo. Ut verò ſuperior dextra tranſverſalis inferiorem ſuam tranſverſalem duplo & ſortis & temporis excedit: ita quadrupla uſura currente, & octupla in cumulo excedit. Ut autem ſiniſtra ſuperior & dextra inferior tranſverſales invicem eodem modo excedunt & exceduntur, ita velut compenſatione factâ eadem currit uſura, licet ſuperior tantum excedat in cumulo, quantum excedit in tempore. Monadici verò numeri in capite, ordinem cellularum, puta prima primam, ſecunda ſecundam notant.

Præterea quòd hæc reductio ad quadrantem in hoc ſecundo exemplo cùm ſortis tum temporis dimidiati, nec in exemplo ſolius temporis dimidiati, ut in caſu tertiæ cellulæ, neceſſaria videatur, non ſolùm per analogiam dictæ proportionis, ſed etiam per experimentum reale rationis & ſenſus communis oſtendo. Si quis enim de facto mutuat 1200. uſque ad annum, ut eo lapſo recuperet ſortem & 50. ad inſtar ſemiſſis duodecimæ, non facit tantam gratiam debitori, nec ſe tam gravat, quàm ſi ſub eodem annuo auctuario mutuaret uſque ad 12. annos, ita ut teneretur debitor reddere particulatim ſingulis annis, ut in primo exemplo: ergo non debet tantum commodi habere. Aſſumptum liquet, quia in primo exemplo debitor habet duplex notabile commodum: primum, jus fruendi majori parte ſortis ad multos annos: ſecundum jus ſeſe duodecim particularibus cum magnis intervallis ſolutionibus liberandi, quibus commodis hoc caſu privatur, quia tenetur ſemel totum ſolvere in fine anni. Igitur non poteſt creditor tantum commodi ſtipulari, quantum poteſt in primo exemplo, in quo non poteſt ſtipulari ultra ſemiſſem duodecimæ: igitur hoc caſu non poteſt ſtipulari uſque ad ſemiſſem duodecimæ ſortis, ſed longè minorem uſuram. Confirmatur, quia vetus uſura meritò exolevit, nec eſt in uſum reducenda: ſed hic caſus ob brevitatem dilationis proximè accedit vero mutuo, in quo ſors non cenſetur in effectu alienata: quia etiam in vero & mero mutuo, etiam nulla dilatione data, non poteſt ſtatim ſors repeti, ſed congruum aliquod intervallum fruendæ ſortis datum intelligitur, ut diximus ſuprà *num.* 83. Et ſic dilatio eſt valdè brevis, nullam licet uſuram ſtipulari, ne veteres uſuræ reducantur: ſi verò dilatio ſit notabilis eatenus dicitur ſors alienata, nec adhuc licebit tantum uſuræ ſtipulari, quantum in longiori dilatione & alienatione, ſed pro rata ſeu modo dilationis. Qui modus non videtur melius deſignari poſſe, quàm ſuprà figuratum eſt, videlicet ut quemadmodum ſi dilatio & ſolutionum diſtributio ſit in duodecim annos, tunc licet ſtipulari uſque ad ſemiſſem duodecimæ ſortis ſingulis annis, & non ultra: ita ſi dilatio dimidio brevior ſit, eadem ſorte manente, liceat ſtipulari uſque ad dimidiam dicti ſemiſſis, hoc eſt uſque ad quadrantem duodecimæ ſortis ſingulis annis, & non ultra, quod etiam neceſſariò clariùs oſtenditur. Fac eadem dilatione ſtante ſortem dimidio minutam, ut in ſecunda ſuperiori cellula, certum eſt quòd ſemis duodecimæ ſortis ſunt viginti quinque duntaxat. Si igitur hunc ſemiſſem in tam longa dilatione, & cum multis particularibus conditionibus excedere non licet, ut dictum eſt, & diminuta commoditate ſolutionis & dilationis neceſſariò diminuenda ſit uſura pro rata, ſequitur quod dicta diminutione facta ad dimidiam, quòd eadem uſura debet dimidio minui, & ſic ad quadrantem duodecimæ totius reduci, ut in ultima cellula dictæ figuræ, quod rurſus oſtenditur. Aſpice primùm ſuperiorem cellulam (quòd eſt primum illud exemplum à nobis datum) vides quòd ibi ſumma & juſta ratione & temperatura reſtringitur uſura annua ad ſemiſſem duodecimæ ſortis totalis, licet dilatio & diſtributio ſortis ultra longum tempus excurrat, in & per duodecim annos. Igitur in ſua inferiori cellula, ubi eadem ſorte manente dilatio & ſolutionum diſtributio ad tempus dimidio minus, videlicet ad ſex annos, reſtringitur, non debet permitti tanta uſura, ſicut in ſuperiori cellula; ſed dimidio minor, & ſic ad quadrantem duodecimæ totius ſortis, ut vides in figura. Alioquin ſi propter acceleratonem repræſentationis ſortis, & reſtrictionem facultatis per multas particulares ſolutiones & intervalla ſolvendi non diminueretur uſura, ſequeretur magna diſproportio & iniquitas per prædicta. Ut igitur hoc caſu primæ inferioris cellulæ, eadem ſuperioris cellulæ ſorte manente, diminuitur debitori commodum & ſpatium fruitionis in dimidia: neceſſe eſt dimidio minui uſuram, quæ in caſu primæ cellulæ ſumma eſt, quemadmodum uſura, quæ in caſu ſecundæ ſuperioris cellulæ ſumma eſt, debet dimidiari in caſu quartæ ſeu inferioris ſuæ cellulæ, ut probatum eſt. Et ſecundùm hæc adeo quadrant illa quatuor proportionabilia, ut unum aliud neceſſariò probet & inferat, & unaquæque collateralis collateralem ſuam, & unaquæque ſuperior inferiorem ſuam cellulam, & viciſſim è diverſo, ſeſe probent & elucident, etiam per Mathematicam (ut videtur) demonſtrationem.

452. Et ex illis quatuor reliqui caſus ad eandem proportionem relati decidi poſſunt, verbi gratia. Accipe caſum ultimæ cellulæ, quæ eſt illud ſecundum exemplum, ſuprà *num.* 451. & diminue primò ex una parte ſeu latere, videlicet dimidiando tempus, eâdem ſorte manente, & tunc ad eandem proportionem ſequitur, quòd uſura ſemel dimidio minui debet: ita enim fit in ſua collaterali ſeu tertia cellula, reſpectu ſuæ ſuperioris: & ſic pro 600. libris in tres annos licebit ſtipulari 206. ½. & ſic dimidium uſuram dictæ ultimæ cellulæ, quæ eſt 12. ½. duntaxat. Secundò diminue eundem caſum ex altero latere tantùm, videlicet dimidiando ſortem, eodem temporis ſpatio manente, puta 300. in 6. annos: & idem dicendum, videlicet dimidiandam uſuram dictæ ultimæ cellulæ, & ſic quotannis uſque ad ſex annos licebit ſtipulari 56. ¼. Hi enim ultimi caſus utrimque, ſed æquipollenter oppoſiti ſimiles ſunt, & eadem proportione metiuntur, ut patet in figura in ſiniſtra tranſverſali. Tertiò, eundem caſum diminue utroque latere, videlicet tam in tempore quàm in ſorte, puta 300. libras in 3. annis, & tunc prior uſura, videlicet caſus integri dictæ ultimæ cellulæ, debet dupli ci reſpectu, & ſic bis diminui, conſequenter ad dimidium dimidiæ, ſeu quadrantem uſuræ dictæ ultimæ cellulæ reduci: & ſic licebit ſtipulari 103. ½. quolibet trium annorum, & non plus. Sed hic incidenter ſeſe obtrudit quæſtio non inutilis. Quid ſi tempus rurſus abbrevietur? Et primâ facie non videtur admittendum ullum pactum queſtus uſurarii vel incrementi, quoniam ob tam brevem dilationem non dicitur ſors in effectu alienata, ſed cenſetur merum mutuum ad voluntatem creditoris, ſaltem poſt breve tempus reſtituendum. Unde non debet eſſe locus uſuræ etiam largè ſumptæ, niſi ſors non debeatur ex mutuo ſeu numeratione creditoris, ſed ex venditione, vel alia juſta cauſa, ex qua venire poſſunt uſuræ ex mora, ut dicemus infrà *quæſt.* 74. Iridem ſi ſors eſt valde modica: quia hæc pacta mer- uſurii compenſativa fundantur in compenſanda utilitate fruitionis æris alieni, tempore & ſorte notabilis,

Pro modica an debeat admitti fœnus?

quæ probabilis utilitas ceſſat in modico tempore, vel modica ſumma. Sed certè licet non ſubſit tanta utilitas ſeu intereſſe ex parte creditoris, non minor tamen, imò major ſubeſt ex parte debitoris, cui vario fœnore contracto in diverſis modicis ſummis, novum hoc commodum accedet, quòd particulari luitione faciliùs liberari poterit. Itaque fœnus quidem negotiativum æquè in parvis ſummis & brevi tempore, intra tamen ejuſdem proportionis limites tolerandum: ſed in fœnore incidenti ea ratio ceſſat, nec de facili habenda ratio interuſurii brevioris ſummæ vel temporis.

453. Redeundo ad rem, ſecundùm prædicta non procedit exemplum, de quo ſuprà *quæſt.* 67. *num.* 436. ſed ibi pro quingentis libris non liceret ſtipulari ultra centum & decem libras, octo ſolidos, & quatuor denarios annuos uſque ad quinque annos. Et in ſumma utriuſque dextræ collateralis cellulæ uſura debet eſſe utroque reſpectu, videlicet curſus & cumuli, dupla ad uſuram oppoſitæ ſuæ collateralis. Uſura verò utriuſque ſuperioris cellulæ debet eſſe dupla in curſu, & quadrupla in cumulo ad uſuram ſuæ inferioris cellulæ. Uſura verò dextræ ſeu primæ ſuperioris tranſverſalis cellulæ debet eſſe quadrupla in curſu, & octupla in cumulo, ad uſuram inferioris ſuæ tranſverſalis. Uſura verò ſiniſtræ ſuperioris tranſverſalis eſt æqualis uſuræ inferioris ſuæ tranſverſalis in curſu, ſed in fine ſeu cumulo uſura ſuperioris duplo excedit uſuram inferioris. Et ſic ubi eſt idem tempus, eadem eſt proportio uſuræ, licet ſit diverſitas ſortis, ut patet in utriſque collateralibus: habent enim eandem invicem vel ſemiſſis vel quadrantis proportionem. Sed ubi eſt diverſum tempus, tunc indiſtinctè diverſa eſt ratio, proportio ſeu menſura uſuræ, ut patet inter omnes ſuperiores & inferiores ad invicem, ſive directas & perpendiculares, ſive tranſverſales cellulas: idque ſive inter eas ſit idemtitas ſortis, ut in directis, ſive diverſitas ſortis, ut in tranſverſalibus: quarum omnium ſive perpendiculariter, ſive tranſverſaliter mutuò ſeſe aſpicientium. Si una ſemiſſis uſuræ, altera quadrantis habet proportionem, idque propter ſolam temporis differentiam: nec immeritò, quia potiſſimum fundamentum & menſura uſuræ eſt tempus, ſeu ſpatium fruitionis. Uſura enim legitima nihil aliud eſt, quàm juſtum & æquabile pretium promiſcui interuſurii ſeu fruitionis, pro rata ſeu menſura temporis: ex quibus nihil exactius aut juſtius videtur proportione ἡ τῦ συμμετρείᾳ dictæ primæ figuræ. Et ſic expeditum videtur quod in dicto ſecundo exemplo ſuprà *num.* 451. debeat uſura omnino reduci ad quadrantem duodecimæ ſortis.

Tempus potiſſima menſura uſuræ.

434. Sed utcunque hæc plenioris diſcuſſionis gratia ſic munita, ſolida & meluctabilia videantur, tandem decidendo dico, quòd ſufficit reduci ad ſemiſſem ſortis ſuæ totalis, ut in primo exemplo dictum eſt, ut ſic pro 600. liceat emere reditum annuum 125. uſque ad ſex annos, ſine fraude uſuraria. Prior autem illa figura non peccat in duabus ſuperioribus, ſed in duabus inferioribus cellulis tantùm, quod verum eſſe probo per ſenſum communem, & civilem rationem. Primò, ut enim modus uſuræ largè ſumptæ non ita laxandus eſt, ut legitimum modum excedat, tantumve lucri afferat, quantum juſta & laborioſa negotiatio: ita nec è diverſo uſque adeò reſtringendus, ut penitus inutilis ſit, & ſic excludatur commercium æris alieni commodè fruendi & compenſandi, duriore interim fœnore admiſſo. Quorus autem quiſque de interuſurio æquabili pacturus, vellet dare ſexcenta pro centum & duodecim cum dimidio annuis, uſque ad ſex annos duntaxat? nullum enim haberet commodum interuſurii. Patet, quia vel incommodum tot particularium ſolutionum per tot notabilia intervalla præponderat illis ſeptuaginta quinque, quæ ſortem in fine excedunt: & ſic interuſurium ipſius ſortis remanet abſque compenſatione. Conſequenter prior figura non poteſt ſtare, quia etiam ſecundùm eam ſequeretur, quod pro 600. in tribus annis non poſſet creditor capere ultra ſex cum quadrante annuatim, & ſic octodecim cum dimidio duntaxat ultra ſortem in fine triennii, quod eſſet ridiculum: quia ſemis legalis etiam pro ſolo primo anno, aſcendit ad triginta ſex, & quadrans legalis, qui magis eſt excluſio uſuræ quàm uſura, aſcendit ad octodecim, etiam pro primo anno tantùm, & tamen hoc caſu creditor primo anno non acciperet niſi ſex cum quadrante: & ſic ſextam ferè tantùm partem ſemiſſis legalis, ſeu uſuram propè uncialem: & adhuc teneretur recipere ſortem per ſex particulares ſolutiones, cum notabilibus intervallis. Secundò probo, quia non dubitatur quin juſtum ſit pecuniæ interuſurium, quantum ex reditibus prædiorum (quæ ex ea pecunia perpetuo & juſto pretio emi poſſent) colligi poteſt, ut ſuprà *quæſt.* 5. nec etiam dubitatur quin fundus viginti quinque reditus annui ferens, emi poſſit juſto pretio pro ſexcentis, ſub facultate redimendi uſque ad tres annos, vel etiam uſque ad annum, per notata ſuprà *quæſt.* 35. & *quæſt.* 56. licèt non teneatur creditor recipere redemptionem per partes. Igitur multò minùs dubitandum, quin eodem pretio emi poſſit reditus annuus centum vigintiquinque uſque ad ſex annos: quia tunc debitor non ſolùm non verſatur in tanto periculo perdendi temporis facultatem redimendi, ſed etiam habet aliud commodum, videlicet, quòd poteſt ſe liberare multiplici particulari ſolutione: & tamen in effectu non plus ſolvit tam in principali quàm in uſura, & adhuc non cogitur cedere poſſeſſioni fundi ſui, ſed per manus ſuas ſolvit, quod eſt levius, ut ſuprà *num.* 115. & *num.* 267. Tertiò probatur civili ratione, quia hæc uſura vigintiquinque in 600. per ſex annos reſtituenda, non excedit ſemiſſem totius ſortis duodecimæ: multùm etiam recedit à ſemiſſe legali, quo ferè tertia parte minor eſt, totâ ſorte inſpecta: igitur nequit cenſeri improba vel exceſſivè uſura. Quartò probatur ratione & proportione Arithmetica: quia ſicut ſe habet caſus primæ ſuperioris cellulæ ad caſum ſuæ inferioris, & è diverſo: & eodem modo de caſu & uſura ſecundæ ſuperioris cellulæ, ad ſuam inferiorem in idemtitate ſortis, & duplicitate temporis: omninò enim conveniunt ſorte, ſolo verò tempore differunt: igitur non debet eſſe differentia inter uſuram utriuſque caſus, niſi ratione ſolius temporis duntaxat, ut videlicet in ſuperiore caſu longiore ſeu duplo tempore currat, quàm in inferiore caſu: & idem in ſecunda, ſuperiori cellula, & ſua inferiori. Igitur utriuſque inferioris cellulæ uſura non debet differre ab uſura ſuæ ſuperioris, niſi in ſola duratione temporis. Et ſic prima figura debet in inferiori cellula corrigi in hoc, ut in priore inferiori currant 50. & in ultima currant 25. pro uſura temporali: & ſic per omnes cellulas currat uniformiter ad rationem ſemiſſis duodecimæ ſortis ſuæ totalis. Et hæc veritas, ut vides in ſequenti figura deciſiva.



Hujus figuræ veritas cùm seipsam ostendat, verborum adminicula non desiderat *l. 1. C. si minor ab hereditate se abstinere.* Ad argumenta verò primæ partis & figuræ, quæ reducuntur ad unum, videlicet, quòd usura debet minui non solùm pro rata sortis, sed etiam pro rata temporis seu fruitionis, respondeo, quòd etiam in hac secunda figura minuitur in singulis cellulis à prima, & pro rata sortis, & pro rata temporis. Patet primò in secunda & collaterali, ubi non est nisi dimidium sortis, licèt sit idem tempus, & totidem duodecim annuæ particulares solutiones: ideò ibi usura iminuitur pro rata sortis, scilicet ad 25. sed non pro rata temporis: quia currit usque ad illud tempus duodecim annorum, quemadmodum restitutio sortis per solutiones particulares totidem annorum dilata est in hac cellula, sicut in prima. Secundò, in tertia cellula, ubi est tanta sors quanta in prima. Et sic tanta usura currit quanta in prima, nec minuitur pro rata sortis, quia sors non est diminuta: verùm quia restitutio sortis non est dilata in tam longum tempus, nec in tot particulares solutiones, sicut in prima, sed ad durationem vel fruitionem & solutionum distributionem dimidio minorem, ideò eadem usura semis, in sui duratione, pro rata hujus temporis seu durationis minuitur, ut non currat nisi dimidio tempore quàm prima. Non autem debet iterum diminui, quia non est hîc nisi unica ratio diminutionis. Ideò in quarta & ultima cellula, ubi est duplex diminutio, prima sortis, altera temporis, meritò duplex fit usuræ diminutio: una ratione sortis ad dimidiam ejus quantitatis, quæ currit in prima cellula, quemadmodum hîc sors est dimidio minor: altera ratione temporis, quia hæc usura diminuta non currit nisi usque ad tempus dimidium primæ, prout hîc est tempus dimidio minus, quàm in prima: & hæc duplex diminutio sufficit, quemadmodum non est nisi duplex ratio diminutionis. Et hæc vera est & γνησια proportio, ut patet in dicta secunda figura, cui standum: quia ut diminutio sortis operatur diminutionem quantitatis usuræ currentis, quæ soli sorti correspondet, & ad eam solam refertur & mensuratur, ita diminutio temporis operatur diminutionem cumuli, seu summæ totalis usuræ: Diminutio enim temporis non diminuit usuram aliàs cursuram pro tempore diminuto, sed illam pro eodem tempore in totum præcidit & impedit: & sic diminutio temporis seu durationis pro dimidia, aufert funditùs dimidium usuræ futuræ, seu cumuli. Et sic necesse est stare huic secundæ figuræ, nec potest major à prima cellula diminutio fieri, servata vera proportione. Et sic per omnes currit semis duodecimæ, quod justum est, prout justum esse probatum fuit in primo casu. Consequenter non currit major usura pro rata sortis cujusque casus. Et sic usura undique est eadem & æqualis pro rata sortis & temporis, seu spatij, tam in cursu quàm in cumulo. Patet, quia ut in prima cellula usura facit unciam sortis in biennio & sesquiunciam in triennio, sextantem in quadriennio, quadrantem in sexennio, & semissem sortis in duodecim annis: ita in secunda cellula usura pariter facit eodem modo unciam suæ sortis in biennio, sesquiunciam in triennio, & sic deinceps. Et similiter in tertia cellula usura facit unciam suæ sortis in biennio, quadrantem in sexennio, & sic de aliis. Idem in ultima cellula. Quòd autem in his duabus inferioribus cellulis cumulus usuræ non excedit quadrantem sortis suæ, non est quin sit eadem omninò proportio currentis usuræ, sed quia duplo citiùs quàm in inferioribus cellulis finitur cursus usuræ, in inferioribus duplo citiùs sors sua repræsentatur. Et hæc vera & absoluta proportio: quia singuli casus eandem omninò habent justitiæ, medij, & æqualitatis rationem temperaturam, μιμεπτικαν, & omnia invicem pulchrè & ad amussim correspondent. Et idem dicendum de justitia & æquabilitate

omnium cæterorum casuum eandem usuræ proportionem non excedentium.

456. Summa ad justitiam & æquabilitatem horum mistorum temporalium redituum, videlicet quæ tempore prorsus finiuntur, & in quibus integra pensio annua duodecimam totius sortis excedit, requiritur & sufficit, sorte primum æqualiter distributa, per omnes conventas pensitationes quod supereſt in singulis annuis pensitationibus, rationem semissis duodecimæ totius sortis non excedere. Et in summa, quod facta æquali deductione sortis super pensione singulorum annorum, ut id quod supereſt non excedat in anno dictum semissem. Nec refert sive hujusmodi reditus in longum tempus, & per multas pensiones, sive in modicum tempus, & per paucas pensiones extendatur. Hic semis est brevis & rotundus noster κώμων, ad naturalem civilémque rationem & æquitatem juxta exæquatus, hominumque usibus & communi commerciorum utilitati in ære alieno commodè & cum æquali compensatione fruendo accommodatissimus, & unde non potest insurgere occasio fraudandi duodecimam, aut alium justum contractum vel negotiationem. Et sic hæc nostra commensuratio non solùm æqua & utilis est in se, sed etiam non potest esse nociva, nec occasio fraudis, nec etiam ob sui temperaturam futura est inutilis: cum (ut suprà *num.* 436.) sæpè usu-venire possit, ut creditor malit hanc speciem contractus, quàm sortem perpetuò alienare, etiam mediante solida duodecima, vel ipsius creditoris utilitatis gratiâ: eò quòd vel pinguiori temporali reditu magis egeat, quàm reditu duodecimæ sibi inutili, vel quòd fidem debitoris & fidejussoris sequi noluit in perpetuo reditu, & perpetua alienatione sortis: quam tamen sequi non detrectat in reditu temporali, ut suprà *num.* 436. Quòd si hoc quandoque sit è re creditoris, multò magis & multò frequentius è re debitoris esse potest, ut suprà *quæst.* 62. & sensus communis ostendit: his enim interusuriis subjiciunt se debitores æris alieni redimendi, & ad tempus fruendi causâ dumtaxat: & sæpius accidit repentinam hanc indigentiam accidere his qui infra paucos annos luere possunt, & tantò citius quantò commodius luere licebit. Et sic si debitor sperat se infra triennium sortem redditurum, & per tres annos commodè reddere posse, vendat reditum hujusmodi usque ad tres annos tantum: si verò non ita confidat de facultatibus suis, speret autem posse reddere particulatim solvendo infra sex annos, vendat hujusmodi reditum ad sex annos. Si verò minus confidat de viribus suis, aut ad longius tempus egeat, vendat hujusmodi reditum ad decem vel duodecim annos, aut aliud tempus, plus minus provt sibi expedierit sub ratione ejusdem usuræ. Quòd si malit debitor plus usuræ respectu cumuli solvere, ut perpetuam & liberam, tam luendi, quàm tota sorte fruendi facultatem habeat, poterit reditum duodecimæ constituere. Sed precedens forma longè levior & utilior est debitoribus, quibus supperit infra paucos annos commodè luere: tum quia particulari sortis restitutione, tum quia dimidio minore usura defungi poterunt. Ex his patet quàm vera & æqua sint exempla quæ posui suprà *quæst.* 67. *num.* 436. de eo qui pro 500. emit 120. reditus annui usque ad quinque annos. Hic enim veræ usuræ semissi deest deunx unius integri singulis annis: poterat enim emere reditum quinquennalem 120 $\frac{1}{12}$ $\frac{11}{12}$ hoc est per libras computando, reditum centum viginti librarum, sexdecim solidorum, & octo denariorum ad complendum semissem duodecimæ. Quòd si eadem quingentorum sorte emat reditum usque ad decem annos, potest emere septuaginta cum deunce unius integri annuatim usque ad 10. annos dumtaxat, per eundem gnomonem & proportionem figuræ secundæ. Contrà, si pro mille emat reditum usque ad quinque annos, potest stipulari 241. cum besse unius annuatim, quòd si eadem sorte emat reditum usque ad decem annos, potest stipulari 241. cum besse unius annuatim & non ultrà. Rursus eadem sorte usque ad duodecim annos, potest emere 124. reditus dumtaxat. Pariter pro 600. potest emere 85. reditus usque ad decem annos, & sic de aliis ad eundem gnomonem.

457. Sed quid si tempus reditus excedat duodecimum annum? Respondeo: eodem gnomone semper observato, æquè licitum erit: & licet quantò reditus annuus est longior, tantò major futurus sit cumulus usuræ in fine, tamen adhuc non dicitur creditor plus lucraturus, nec melioris esse conditionis, sed potius deterioris, quia tantò tardiùs sortem recuperaturus est, & tantò major est alienatio sortis, quæ cum tantò longiore continuatione usuræ compensatur. Imò dilatio sortis recuperandæ præponderat continuationi hujus modicæ & dimidiatæ usuræ, scilicet semissis duodecimæ. Patet, quia creditor sorte recepta, potest multis modis amplius negotiari, quàm sit hæc levis usura. Unde cùm soleant homines utplurimum negotiari, quantò hujusmodi reditus brevior, tantò communiter melior est creditoris conditio: quantò verò longior, tantò communiter deterior est ejus conditio. Patet, quia tantò dicitur sors magis alienata, & contractus tanto minus participat de natura mutui & fœnoris, in tantum quod reditus sub eodem gnomone potest extendi ad tantum tempus, putà supra viginti annos, quod transibit in aliam speciem contractus, nec amplius erit contractus fœneratorius, sed commutativus rerum vel jurium: quod citra dubium accidit, si extendatur ad 24 annos, putà si quis pro 1000, vel 1200. emat reditum sub eodem gnomone ad 24. annos (erit enim sors æqualiter dividenda in 24. annos) deinde portioni sortis singulis annis addantur 41$\frac{2}{3}$ si sors sit 1000. vel 50. si sors sit 1200. Et si sic sors est mille, solventur annuatim 83$\frac{1}{3}$. Si vero sors est 1200. pendentur centum usque ad 24. annos qui contractus est idem numero, sup. *quæst.* 64. Et sic spectat ad primam speciem contractuum commutativorum, & nihil participat cum fœnore, etiam largè sumpto, sive cum tertia specie negotiationis, de qua supra *quæst.* 69. Idem puto si reditus sub eodem gnomone ematur infra 24. sed ultra 20. annos, tanti enim sæpe possunt emi reditus etiam perpetui in prædiorum comparatione, quamvis vile sit pretium, ut suprà *quæst.* 5. Et sic hoc casu ridiculum est dicere, hujusmodi emptionem reditus spectare ad contractus fœneratitios, quia multò fortiori ratione per notata suprà *quæst.* 35. idem dicendum esset de emptionibus prædiorum ad rationem viginti duorum pro uno factis, quod est falsum & absurdum per notata sup. *quæst.* 5. *quæst.* 56. Si verò hujusmodi reditus sub eodem gnomone non extendatur ultra vicesimum annum, puto spectare ad illam tertiam speciem negotiationis fœneratoriæ, largè sumpto verbo fœnoris, plus tamen vel minus, prout breviori vel longiori tempore finitur.

458. Sed hîc incidit pulchra quæstio. An prolongato hujusmodi reditu ultra 12. annos, puta usque ad 15. aut 20 possit usura augeri? Prima facie videretur quod sic, quia prolongatio temporis auget usum & commoditatem sortis ipsi debitori, & detrahit creditori, ut nuper dixi. Igitur quanto tempore prorogatur, tanto proportionaliter quadamtenus augeri potest usura, quæ non est aliud quàm compensatio vel æquamentum dicti usus & commoditatis. Igitur per *l. Secundum naturam, de reg. jur.* breviter contrarium dicendum est, quia ut diximus suprà *quæst.* 4. *num.* 105. duplex est quantitas usuræ: prima intensa, videlicet in cursu successivo & continuo, secunda extensa, videlicet in cumulo & fine

Duplex quantitas usuræ.

cursus. Prima consistit in jure, seu determinatione juris, & bessis semis, &c. Secunda consistit in cumulo seu aggregato ex toto tempore quo currit usura, & sic dependet à contingentia facti, prout citiùs aut tardius contingit usuram finiri. Et quamvis in legali usura duplum sit meta cumuli seu finis finiens, tamen in his reditibus temporalibus oportet metam cumuli esse multum, saltem de sexta parte infra duplum: alioquin contractus transiret in aliam speciem, ut nuper dixi. Rursus prima est ipsa quantitas summæ, scilicet currentis. Secunda verò non est quantitas summæ currentis, sed quantitas cumuli, ideò non respicit directò sortem, sed tempus seu durationem cursus usuræ. Quare prima quantitas, scilicet intensa, semper & præcisè mensuratur à sorte & non à tempore. Et licet non currat, id est non augeatur in cumulo nisi pro rata temporis, tamen omninò nunquàm currit nisi uniformiter ad modum sortis, ita quod hæc quantitas intensa semper uniformiter & necessario limitatur ad ratam sortis verè & cum effectu numeratæ *dict. leg. eos, in fin.* nec unquam augetur, etiamsi sors ad longum tempus alienata sit, vel pactum sit de ea non exigenda quandiu solventur usuræ *l. item quia. in fin. de pact.* Secunda verò quantitas scilicet extensa, quæ consistit in cumulo, non mensuratur à sorte, sed à solo tempore, vel spatio temporis. Et sic liquet solutio quæstionis, videlicet quòd ob quamcumque continuationem vel prolongationem temporis, quantitas usuræ currentis non potest in se augeri, sed in cumulo duntaxat. Et eodem modo rursus solvitur contrarium, quia prolongatio temporis, sicut auget, seu potiùs continuat usum & commodum sortis debitori extensivè, ita auget quantitatem usuræ extensivam, scilicet continuationem & cumulum: sed sicut non auget sortem, ita non potest augere usuram intensivè, seu quantum ad quantitatem currentem. Ex quibus etiam detegitur captio & fallacia dictæ primæ figuræ, cujus omnia argumenta eò tendùnt, ut propter diminutionem temporis & commodorum à longiori tempore dependentium, debeat usura simpliciter diminui, & prolongato tempore pariter augeri. Solvitio. Solvo, quod ob diminutionem temporis & indè dependentia, debet usura diminui in tempore seu in continuatione, & summa seu cumulo finali: sed non in sui forma, nec in quantitate summæ currentis & denominantis usuram, quæ directò respicit sortem, & ab ea sola formam suam & determinationem recipit. Igitur ob solam breviationem temporis & inde dependentium, non debet usura diminui dupliciter, sed semel & uno respectu tantùm, videlicet respectu durationis seu continuationis, non autem respectu summæ currentis. Ergo in tertia cellula non debet diminui usura, nisi in spatio temporis seu finali cumulo, non autem in summa currente. Et in quarta cellula duplici quidem respectu diminui debet, scilicet semel intensivè pro rata sortis diminutæ, & semel extensivè pro rata temporis breviati: non autem debet dupliciter diminui; & multò minus quadrupliciter. Unde usura quartæ cellulæ debet esse quantum ad quantitatem currentem subdupla, non autem subquadrupla ad primam: in cumulo verò subquadruplæ, non sub octupla ad cumulum primæ: & sic dicta prima figura plurimùm abest à vera proportione.

459. Vide quorsum evadat paralogismus ille, quod diminutio temporis diminuat quantitatem usuræ currentis. Non solùm enim eò ducit, ut dimidium tantum usuræ debitæ currat in inferioribus cellulis, sed etiam ut in casibus inferioris sortis & temporis nulla aut inutilis currat usura, & sic ut plures legitimi & utiles contractus iniquè reprobentur, contra notata suprà *num.* 16. Et rursus eò ducit, ut in casibus majoris sortis & temporis currat usura intolerabilis, puta ad solidam duodecimam, & sine facultate redimendi & ultra duplum, usque ad triplum inclusivè, & tamen eò res devenit, ut illa proportio primæ figuræ per semetipsam subvertatur, nec sibi constare queat. Patet: duplica sortem & tempus in singulis cellulis, certum est quod hæc duplicatio non tollit, quin debeat esse eadem proportio & illatio. Modò vide, quanta erit usura currens primæ cellulæ: si enim ob tempus duplicatum debet duplicari, ut in prima figura: necessario sequitur quod usura primæ cellulæ præter partem sortis erit 200. & omissis brevitatis causâ reliquis cellulis, accipe suam collateralem, videbis eam habere eundem reditum annuum cum sua inferiore cellula, & sic eundem cum illo primo exemplo, supra num. 450. Et ex consequenti necessario limitatio dicti exempli & primæ cellulæ dictæ figuræ, erit frustratoria & inanis, quoniam licebit eam ludificare, videlicet pro 1200. emendo 15c. reditus annui, non usque ad duodecim tantùm, sed usque ad viginti quatuor annos? quod planè & necessariò licitum esset, secundùm proportionem dictæ primæ figuræ, & tamen secundùm eamdem figuram penitus est illicitum. Secunda verò figura cum omnibus quæ infernè aut supernè ex ea produci possunt, in eadem proportione & æqualitate consonat, quælibet oculis subjacere, quò res sit & jucundior & dilucidior. Accipe utramque figuram, cum suis (supernè tempus & sortem augendo, infernè minuendo) annexis, ut oppositæ juxta se positæ magis elucescant, primam priore loco, juxta ordinem scripturæ.



Quanquam ambæ ſuperiores tetragonæ figuræ pro omnibus hujuſmodi caſibus & excutiendis & decidendis ſufficiant, tamen ne quis imperfectum quiddam hac in re cauſetur, aut quid deſideret, ſolidas & integras tabellas ex ſolidis quatuor tetragonis ſingulatim conſtantes, multóque lucidiores adſcripſi, cum ornamentis peripherici, ſupernè, dextrorsùm ac ſiniſtrorsùm, videlicet ſummarum, temporum & proportionum diſcriminibus, ſuo quoque loco decenter adjectis, ut intus non repetantur: ſed in ſingulis caſibus & cellulis. Primò, pars quota ſortis unius: Secundò, ſub ea currens uſura: Tertiò, ex utraque procedens & conflata penſio annua: & hæc tria in medio cujuſque cellulæ. Quartò, in ſuperiori extremo cumulus totius uſuræ in fine temporis ſeu reditus. Quintò, in inferiori extremo cumulus totius & ſortis uſuræ, ut ſingula perquàm diſtinctè pervideri, & invicem undique ab omni latere ſive directo, ſive tranſverſali, conferri, expendi & judicari queant: minutulas autem quaſque numerorum fractiones non univi, ſed diſtinctè notavi, ut faciliùs numerorum ratio in oculos incurrat, ut ſequitur.

Tabella prima exploratiua.

Varia Proportio	Quantitas fortis in eadem in quolibet ſpatio directo. 1400		1200		600		300		Spatium temporis eidem in quolibet tranſeundi. 24. annis		12. annis		6. annis	
duodecima currens in fine	100	4800	50	2400	25	1200	12½	600						
		3100		1550		775		387½						
tripla.	200	7200	100	3600	50	1800	25	900						
Semis	200	1200	100	600	50	300	25	150						
		300		150		75		37½						
Seſquialtera	100	3600	50	1800	25	900	12½	450						
Quadrans	400	300	200	150	100	75	50	37½						
		450		225		112½		56¼						
Seſquioctava	800	75	400	37½	200	18¾	100	9⅜						
		825		412½		206¼		103⅛						
Seſquitricesima ſecunda.	25	2475	12	1237½	6¼	618¾	3⅛	309⅜						

Tabella ſecunda decliua.

Semis currit in omnibus. Proportio vero cumuli dupla.	Quantitas fortis eadem in quolibet ſpatio directo. 2400		1200		600		300		Spatium temporis eidem in quolibet tranſeundi. 24. annis		12. annis		6. annis	
	100	2400	50	1200	25	600	12½	300						
		200		100		50		25						
	100	4800	50	2400	25	1200	12½	600						
Seſquialtera	200	1200	100	600	50	300	25	150						
		300		150		75		37½						
	100	3600	50	1800	25	900	12½	450						
Seſquiquarta.	400	600	200	300	100	150	50	75						
		500		250		125		62½						
	100	3000	50	1500	25	750	12½	375						
Seſquioctava.	800	500	400	250	200	125	100	62½						
		700		450		225		112½						
	100	3700	50	1850	25	925	12½	462½						

In prima figura aſcendendo de gradu in graduni, duplatur uſuræ curſus, & quadruplatur cumulus : & contrà deſcendendo, uſuræ curſus duplo, cumulus autem quadruplo minuitur. Sed in ſecunda figura ſive aſcendendo, ſive deſcendendo idem manet curſus uſuræ : cumulus autem pro modo temporis variatur. In ſecundo tranverſali ſpatio per omnia conveniunt ambæ tabellæ, quia ibi eadem eſt proportio uſuræ currentis & temporis. In reliquis autem prima tabula immoderatè : ſecunda verò temperatè augetur & minuitur : unde in prima ſuperné eſt improbum fœnus, infernè verò nimis leve & inutile fœnus : ſed in ſecunda primæ ſuperiores cellulæ nihil habent commune cum fœnore, ſed ſpectant ad contractus commutativos rerum, inferiores autem ad fœnus temperatiſſimum.

460. Ex quibus jam videri & palpari potest triplex error primæ figuræ: scilicet excessus, defectus & repugnantia: quia primò in superioribus cellulis toleraretur nimium & improbum fœnus, ut suprà *num.* 460. secundò in penultimis nimia restrictio usuræ, seu justi interusurii, videlicet dimidio minus quam justum sit: & in ultimis rursus fieret duplo major restrictio, videlicet quadruplo minus quam justum sit, & sic usus plurium justorum & utilium contractuum inique reprobaretur & excluderetur: tertiò, cellulæ primi & secundi ordinis transversalis invicem pugnant, & seipsas mutuò subvertunt. Patet, quia si in prima cellula liceat pro 2480. in viginti quatuor annos accipere 300. annua, sequitur necessariò quòd in sua inferiori, ubi in duodecim annis, & sic duplo citiùs eadem sors repræsentatur, licere debebit accipere pensionem majorem sesquialterâ proportione videlicet 450. quod tamen est falsum, nec licet accipere ultra 1300. ut patet per reliquas cellulas & proportionem ejusdem figuræ. Rursus si in prima & secunda secundi transversalis non licet excedere 300. vel 150. ut probat eadem figura, sequitur necessariò quòd in suis superioribus non possit licere tantam, sed minorem pensionem annuam accipere. Alioquin sequentur necessariò duo absurdissima, primum, quod vana & ridicula esset limitatio omnium cellularum secundi transversalis: quia creditor pro eadem sorte non eligeret formam secundi ordinis, sed suæ superioris, utpote duplo utilioris: Haberet enim reditum dupli temporis, & in fine loco sesquipli, triplum sortis: & idem esset, ac si debitor pro eadem unica sorte obligaretur bis ad summum reditum, vel ac si soluto ac persoluto uno summo reditu, rursus obligaretur ad solvendum & continuandum tantundem, sine nova sorte. Secundum, quòd duo contradictoria simul essent vera, videlicet quòd pro 1200. non liceret accipere ultra 150. annua, usque ad duodecim annos, nec ultrà sesquiplum sortis in cumulo totius, ut in secunda transversali: & contrà, quòd liceret accipere usuras ad viginti quatuor annos, & usque ad triplum sortis, quæ omnia cessant in secunda figura & tabella. Et tamen prima & secunda non differunt, nisi in uno solo, videlicet in eo, quòd in prima augetur vel minuitur usura pro rata temporis aucti vel minuti, non solùm in cumulo, sed etiam in quantitate currente, secùs autem: quia solùm debet augeri vel minui in cumulo ob tempus, non autem in quantitate currente, nisi pro rata solius sortis tantùm, ut in secunda figura & tabella. Vide quot quantosque errores in fine pariat unicus error initio modicus & coloratus, ut suprà *num.* 452.

Conclusio. 461. Redeundo ad incidentem quæstionem, suprà *num.* 451. stat conclusio, quòd ob diminutionem vel prolongationem temporis non debet augeri vel minui usura, vel ratio interusurii invensivè, sed extensivè dumtaxat. Undè si pro 1200. pro reditu quindecim annorum, non potest stipulari ultra 150. annua usque ad idem tempus, & dans eadem 1200. pro reditu 20. annorum, non potest stipulari ultra centum & decem annua usque ad idem tempus. Idem de cæteris ad eum sensum gnomonicis.

462. Superest adhuc circa hunc articulum reditus temporalis unus alia incidens, & necessaria quæstio. Quid si fiat pactum, quod debitor redimere seu se liberare possit, quando volet, ante tempus sortem retinendo cum usura pro rata, puta in casu primæ cellulæ, vel secundæ figuræ, ut debitor post semestre, sortem reddens liberetur, solvendo quadrantem duodecimæ, videlicet viginti quinque pro dimidio anno, vel post annum solvendo quinquagintas, & sic 1250. tam pro sorte, quàm pro semisse duodecimæ, vel post biennium solvendo 300. tam pro sorte sortis, quàm pro usura temporis pretermissi, videlicet, seu residuum sortis futuri temporis absque usura, & sic deinceps, an contemplatione hujus pacti possit usura augeri? Dubium facit primò, quod nuper diximus non posse usuram augeri, quantumvis sors magis alienetur, & tempus fruitionis sortis prolongetur, & pensio annua notabiliter minuatur notabili damno creditoris, quantò minùs hic augeri debet, ubi propter hoc pactum sors non magis alienatur, nec pensio in se minuitur, nec sit damnum creditori ob hoc pactum: quod licèt profit debitori, non tamen nocet creditori; quippe qui statim sorte recepta, poterit pinguius negotiari, vel reditum duodecimæ emere, unplus duplo lucraturus est quàm in hoc temporali reditu. Breviter omnino dicendum est, hujus pacti contemplatione usuram augeri posse. Ratio, quia tota gravitas hujus temporalis reditus consistit in duobus: primò in hoc, quòd non licet redimere ante tempus, in quo solo de se & sua specifica proprietate excedit utrumque, & veterem legalem & nostratem usuram. Secundò in hoc quòd non potest perpetuo frui sorte, sed particulatim redimere cogitur, in quo solo excedit non legalem, sed nostratem usuram tantùm. Tertium est illud, quod non minuitur usura in fine temporis pro rata sortis restantis, non est in consideratione: quia compensatur cum multo leviore usura præcedentium annorum. Ex duobus autem illis oneribus, primum potius & gravius est: quia illo respectu hic reditus magis exorbitat, & utramque usuram excedit. Sed illud onus per illud pactum remittitur: & sic justissima causa est, ut usura non debeat ad tam modicam summam, quæ vix trientariam usuram excedit, reduci. Tum redemptio ante tempus creditori quoque quandoque nocere potest, ut in casu suprà *quæst.* 67. *num.* 330.

462. Restat videre in quantum usura ob hoc onus remissim augeri possit, seu quanto minus à solida usura diminui: Nec enim dubium est non posse locum esse solidæ duodecimæ, quia debitori non licet liberè perpetuò tota sorte frui, sed cogitur sortem restituere, quamvis hoc fiat per tot particulares solutiones, ut propemodum expediat sic gravari. Et certe illud onus, quo tenetur debitor redimere particulari restitutione sortis per duodecim annos, est adeò leve, ut potiùs sit beneficium debitoris, quam onus: quia rectè considerando, non debitor, sed creditor inde damnificatur; non creditor, sed debitor commodo afficitur: minuenda tamen est duodecima, quia sors non est prorsus alienata: & primâ facie abunde sufficere videtur eam minuere quarta sui parte: videlicet tribus unciis, & secundum hanc rationem solveretur, dodrans duodecimæ, videlicet nonus in anno, cùm sors sit 1200. Et illud quidem non est minimum in se, quia per hanc viam multis modis longè melior est conditio debitoris, quàm in formali duodecima: tum ob usuram quarta parte minorem, videlicet ad rationem unius anni pro sexdecim, tum propter liberam facultatem redimendi simul, vel per duodecim particulares solutiones annuis intervallis. Et licèt cogi possit redimere per totidem paralielas (ut ita loquar) solutiones, tamen præter id, quòd illud est magis beneficium debitori, quam onus, adhuc quantum gravari potest, compensatur duplici majoris levamine: primò, in diminutione quartæ partis solidæ usuræ, secundò in hoc, quòd libera facultas redimendi multùm notabiliter ampliatur, & longè utilius quàm in duodecima: quæ hic debitor non solùm potest liberè semel quando vult, redimere; sed etiam potest, si malit, redimere per prædictam particularem solutionem, quod non posset in duodecima. Et adhuc postquàm experit particulariter redimere, non cogitur perseverare, sed potest semper residuum redimere simul & semel, cùm libuerit, ex vi dicti pacti, ita quod dici posse videtur tolerandum hunc contractum, etiam sine diminutione duodecimæ: quia dictum onus redimendi per tot particulares solutiones, est magis beneficium quàm onus, attenta dicta duplici

facultate redimendi, ad optionem perpetuam debitoris, & quòd reditus nisi temporalis redimatur, tempore suo finietur, sine alia redemptione. Igitur non videtur disputandum de justitia & tolerabilitate contractus, detracto quadrante duodecimæ. In contrarium arguitur non esse tolerandum hunc contractum, nisi ultra dictum quadrantem adhuc una uncia detrahatur. Et moveor, quia jam propter sortem non prorsus alienatam non sumus in terminis duodecimæ: Et sic ad tolerandum novam speciem contractus fœneratorii, non est satis quòd ea contractus species levior & commodior sit debitoribus quàm duodecima: sed illud quoque necessarium est, ut metas legales non excedat. Has autem non licet excedere, nisi in formali duodecima ubi specialiter, multis simul concurrentibus, receptum est, ut suprà *quæst.* 50. Sed hic detracto dicto quadrante, adhuc quod supereſt usuræ, communes usuras juris, videlicet semissem legalem excedit. Patet, quia dodrans duodecimæ sortem æquat in 16. annis, quod non facit semis legalis; sed desunt octo menses, ut in *Abaco*: quod licet modicum sit, tamen negligendum non puto, adeò in his religiosè incedo. Cùm ergo de jure non liceat legalem usuram excedere, etiam prætextu longæ, non perpetuæ alienationis sortis, *l. item quia in fin. ff. de pact.* nec prætextu particularis solutionis, ut in *l. lecta, si certum petatur*, nec alio ingenio, suprà *l. eos in fin.* non debet licere, nec tantillum, etiam sub hac contractus forma. Quare hoc casu ad tolerantiam contractus non quadrans tantum, sed triens duodecimæ detrahendus, videlicet triginta tria cum triente unius de centum, & sic restabunt sexaginta sex cum besse unius pro usura annua, quæ est bessis duodecimæ, & in octodecim annis æquaret sortem. Et sic in hac specie cõtractus licebit creditori contemplatione dicti pacti, augere usuram duabus unciis, videlicet semissis ad bessem, & non ultrà: quod est rationabile, & undequaque temperatissimum, & concludendo justius est. Sed tamen primum de quadrante deducto, non est iniquum, ideò tum utilitatis gratiâ (quia multum levior est duodecima) tum quia quòd semissem juris excedit, ferè minimum excedit, & multis aliis debitoris commodis transcenditur, tolerari posse puto, non autem si minus quadrante detraheretur: unde nullo modo putaverim ad rationem quintædecimæ eisdem conditionibus tolerandum.

463. Nunc paucis explicandus restat secundus ille principalis casus suprà *num.* 448. hoc posteriore loco reservatus, quando tota sors in fine reditus temporalis reddi debet, ut si pro 1200. stipulor certum reditum usque ad duodecim annos, ita ut in fine temporis integra sors reddi debeat, de quo suprà *quæst.* 66. Et præsuppositis his quæ ibi dixi in fi. quæstionis detracta uncia semissis legalis, & sic reditu ad rationem quincuncis legalis reducto, putà ad quinquaginta annua, si sors sit mille, vel ad sexaginta annua, si sors sit 1200. tunc junctis illis tribus, quæ suprà *quæst.* 66. *in fin.* & his quatuor simul concurrentibus, videtur contractus tolerandus, tanquam multò levior utraque usura & veteri legali & usurata duodecima, non solùm in usura currente, sed etiam in aliis commoditatibus debitorum, per notata suprà *quæst.* 66. non repeto. Tum quia debitor ille communiter utiliùs negotiari potest, facit quòd non solùm citra vitium & reprehensionem fraudis usurariæ, ut sup. *quæst.* 56. *num.* 398. sed etiam justo & adæquato pretio, ut suprà *quæst.* 35. *num.* 267. fundus ferens quinquaginta reditus annui, potest emi pro mille, & sic ad rationem quincuncis usuræ sub libera & perpetua facultate redimendi, sed hic debitor habet liberam facultatem redimendi, nec solvit ampliorem reditum, & adhuc per manus suas absque datione antichresis, & cessione portionis bonorum suorum, quod non est levis ponderis & considerationis, ut suprà *quæst.* 35. *quæst.* 56. In contrarium arguitur, nec sub hac quidem quincuncis legalis moderatione tolerandum dictum reditum, nisi simul cum præsuppositis conditionibus *d. quæstionis* 66. reducatur ad rationem trientalis usuræ, aut saltem ad rationem semissis duodecimæ, & non ultrà. Et hoc primò, quia hic reditus, qui non imputatur in sortem, quæ postea reperi potest, est ipsissima formalis vetus usura: undo non debet admitti, nec in usum reduci, nisi cum tot moderationibus, ut nequeat lædere, nec fraudis occasio esse, prout in effectu fit, reductione facta ad trientalem, vel semissem duodecimæ: quia tunc ob sui moderationem potiùs est exclusio usuræ, quàm vera effectualis usura. Et sic cum hoc adjuncta illa notabili conditione, quòd non possit sors repeti ante longum tempus: item alia, quòd post illud tempus longè infra duplum desinat omninò reditus currere, nec pactum sit de transferendo post tempus in alium reditum, nec de alia pœna, si sors statim tempore lapso, non reddatur, nulla relinquitur acerbitas, nec odiositas usuræ: imò contractus magis participat de gratia, quàm de quæstu, & sic magis tunc laudandus, quàm vituperandus. Secundò, quia in dicto tertio casu principali, suprà *num.* 448. reditus ille temporalis minus non admittitur, nisi usura annua reducta ad semissem duodecimæ totius sortis: ergo nec hic debet admitti major usura. Patet, quia ibi licet debitori luere, seu redimere per plures, putà decem vel duodecim particulares solutiones, & tamen non potest excedi semis duodecimæ: sed hic licet debitor possit quandocunque redimere, vel interim tota sorte frui; tamen non potest redimere particulariter, sed simul & semel tantùm. Atqui commodum tot particularium solutionum per decem vel duodecim annos, etiam sine alia facultate redimendi ante tempus, præponderat commodo tota sorte ad tempus fruendi, cum facultate redimendi simul, & non per partes, secundum communiter accidentia: saltem hi duo casus æquales sunt, seu parum in commodo vel incommodo distantes, ergo non debet in uno, præsertim in isto ultimo, qui formali usura similior est, major usura admitti quàm in altero.

464. Non obstat quòd debitor interim, etiamsi acceperit sub ratione quincuncis, ampliùs negotiari potest: quia verum est, sed non sequitur quòd ad tantam usuram obligari possit: quia creditor qui non negotiatur, non debet tantùm lucrari pro usu pecuniæ, quantum is qui cum ea negotiatur: sed multò minus, & ad summum dimidio minus, ut plenius infrà *num.* 594. Non obstat de emptione fundi ad rationem quincuncis, quia ibi venditor nunquam tenetur redimere, nec etiam restituere: & sic est casus longè diversus ab isto, ubi debitor in instanti cogitur integram sortem restituere sine deductione reditus. Ideò non est mirum, si emptio fundi sub libera facultate redimendi, sit justa ad rationem quincuncis, & forsan tolerabilis ad rationem semissis legalis: hic autem reditus etiam ad rationem quincuncis non sit justus, nec tolerandus, & adhuc nec ad rationem trientariam videtur tolerandus, nisi alias prædictis conditionibus concurrentibus, ut dixi. Secùs ergo, si post tres annos, vel aliud modicum tempus, cogi posset debitor sortem integram simul reddere: quia tunc nulla usura conventionalis & quæstuaria passim toleranda esset per prædicta, præsertim ad vitandos abusus. Loquimur enim hic de negotiativa, quæ scilicet ab initio & principaliter intenditur. Ea verò quæ præter principale propositum ex postfacto propter moram venit, proprium syntagma requirit, de quo infrà *quæst.* 74. Concludendo super hoc ultimo, licèt hæc posterior pars sit severior, tamen prior pars non est iniqua, propter illa quatuor simul concurrentia. Primò, quòd debitor potest liberè redimere. Secundò, quòd non potest creditor sortem repetere, nisi post longum tempus, putà post decem vel plures annos. Tertiò, quòd redi- Conclusio.

tus non excedit quincunces. Quartò, quòd etiam citra redemptionem omninò desinet currere, postquàm mediam sortis, vel circiter æquaverit, ita ut notabiliter infra duplum subsideat sinè appositione alterius pœnæ vel oneris, casu quo in tempore non redimeretur. Cùm enim ratio probabilis interusurii & de jure & de consuetudine habenda sit, subsistente justa causa, & infra metam congruam: meta autem congrua & laudabilis sit quòd non excedat quincunces, ut infra *num.* 537. reliqua autem tria prædicta sint satis justa, gravique causa in communi usu & æquabilitate commerciorum, sequitur quòd tolerari potest, licèt non sit fœnus incidens, sed vera & negotiativa fœneratio.

465. Sed ne forsan imperitis otiosa videantur hæc nostra exantlata theoremata, aut scholastica magis quàm in foro & quotidiana praxi necessaria, quasi hi reditus temporales insolentes sint, & à moribus nostris alieni: placet paucis discutere facti speciem, quæ nuper accidit, & de qua cùm hæc excuderentur, consultus fui. Plures rustici, mense Julio, anno sesquimillesimo quadragesimo-quarto, pro octingentis 36. libris Turonensibus vendiderunt singuli in solidum septuaginta modios mediatim frumenti lectissimi, pro alia dimidia hordei & avenæ mensuræ, qualis est mensura Parisiensis, solvendos decem vicibus, videlicet decem modios singulis proximis annis, Idibus Novembris, usque ad septem annos, vel septimam solutionem. Accidit primo anno, mense Novembri, tempore primæ solutionis, dictos decem modios valere circiter tertiam partem sortis: sequenti verò, scilicet præsenti anno, magis auctum est pretium, ita ut hoc mense Novembri (quo hæc dictans ferventibus typis addo) valeant ferè dimidiam sortis. Videntes rustici sese sic obrui, nec bona sua sufficturæ, cùm etiam causarentur se ne teruncium quidem recepisse, sed à propriis parœciæ suæ administris bellorum calamitate infestatis, seductos & compulsos ad hanc obligationem nomine proprio (cùm causa communis esset) subeundam, obtinent rescriptum ad declarandum contractum nullum & usurarium. Creditor autem mox contractum interim exequi postulat, quod judices simpliciter, mediante satisdatione ex communi stylo, fieri jubent. Rustici monitu meo, fiscalibus exposuerunt calamitatem suam, contractus captionem, & enormem hujus provisionis excessum, triplicem ferè centesimam hoc tempore excedentem, foreque ut obruti nec regiis tributis sufficere queant. At illi nec ad impediendam, nec ad moderandam executionem intercedere voluerunt, multis rationibus ex forensi trutina: Causabantur enim primò non esse hîc contractum reditus, sed venditionis certæ quantitatis grani, cujus solutio tantum erat in plures terminos distributa: quare nihilominùs esse puram venditionem certæ quantitatis mobilis, *l. si cum præfinitione l. Firmio*, §. *pater quando dies legati cedat.* Secundò, etiamsi esset reditus temporalis, tamen quia ad modicum tempus, pro mobili habendus: pro mobilibus autem non dari rescripta regia rescisionum, nec auxilium, ex *leg. secunda C. de rescind. vendit.* ut etiam tetigi in *consuet. Paris.* §. 22. *num.* 47. Tertiò, quòd etsi pro mobilibus practicaretur remedium dictæ legis secundæ, non haberet locum hîc, tempore contractus inspecto, quo modius frumenti non valebat communiter ultra viginti libras. & sic attenta notabili dilatione & particulari solutione, nec læsio quidem ulla dici poterat. Igitur etiam utroque jure civili & canonico, omne remedium deficit. Quartò, quòd nec etiam hodie post contractum potest dici læsio, prætextu magnæ caristiæ: tum quòd ea læsio non sit a contractu, sed à casu: & sic non considerabilis, *l. verum, de minoribus*, tum quòd rursus ad magnam utilitatem æquè recidere potest in sequentibus annis: & sic quòd incertæ duus in utramque partem compensatione facta, nulla dici potest læsio: præsertim quòd ab initio æquè se habeat contractus ad lucrum & damnum, & adhuc hodie pro sequentibus annis sese habere potest. Igitur per *leg. si ea pactione, l. oleo. C. de usur.* Videsne quorsum res evadat, si causa hæc pauperum rusticorum, & similis, sola forensi trutina expendatur? Postremò eis consului, ut libellum supplicem porrigerent, ut admitterentur ad eam provisionem solvendam in pecunia, cum auctuario ad rationem vulgaris duodecimæ: videlicet annuatim septimam partem sortis cum duodecima parte totius sortis: utque rursus super hoc animos judicum tentarent, si qua fortè tanta calamitate lenire queant, & evadere irrecuperabilem prædiorum venditionem, quæ etiam prætextu fieri solet, quia est alius ejusdem trutinæ forensis abusus, quem novè detexi in *consuet. Paris.* §. 166. quò remitto, quia non omnia simul effundi possunt.

Hypothesis.

Forensis trutinæ.

466. Ex his vides quàm sit necessaria nostra hæc nova & analytica æquitatis discussio: ad quam cum ventum est, hic contractus in sui forma non est aliud, quàm vera & effectualis constitutio reditus temporalis, & in progressu vera captio recidens in caput & internecionem pauperum rusticorum. De primo patet, quia convertitur, & omninò idem est dicere, Vendo decem modios reditus usque ad septem annos, vel vendo septuaginta modios solvendos decem singulis annis usque ad septem annos. Hæc enim nullo juris aut facti effectu differunt (cùm neutro casu possit debitor, creditore invito, solvere ante terminum) nisi sola verborum figura, quæ non debet in his attendi, ut suprà *quæst.* 25. Dico tamen quòd iste contractus circumscriptis factis fraudum & aliarum circumventionum, de quibus in negotio principali, non est in se usurarius, sive illicitus, nec annullandus, ex quo tempore contractus, modius frumenti non valebat circiter ultra viginti, vel viginti quinque libras: & sic non erat apertus excessus decimæ, nec etiam duodecimæ pro rata temporis. Sufficit ergo reduci ad congruam moderationem, per ea quæ nuper dixi: nec potest esse melior, nec æquabilior moderatio, quàm ad rationem semissis duodecimæ, ut probavimus. Porrò ex eo quòd reditus iste non est in pecunia, sed in granis, quorum variabilis est æstimatio, consistit, non est justior nec favorabilior: sed magis captiosus, odiosior & suspectior, ut in simili dixi, suprà *quæst.* 21. Et consequenter duplex est hîc facienda moderatio: prima naturalis, ut nunquam in quacumque præstatione excedat rationem semissis duodecimæ: secunda accidentalis, ut ad hanc rationem liceat debitoribus solvere in pecunia, per notata suprà *num.* 219.

Duplex moderatio.

467. Ita tamen ut hoc casu, si contingat grana minoris valere, non habeant debitores electionem solvendi in granis, infra dictam rationem semissis duodecimæ; sed teneantur præcisè sive in granis, sive in pecunia, rationem semissis implere, prout creditorem adigunt ad eam non excedendam. Et moveor inspecto statu, qui erat tempore contractus: quia rebus in eodem statu manentibus, reditus non erat excessivus, sed recidebat circiter ad rationem semissis duodecimæ, pro rata temporis tantùm, ut patet calculando: quia si modius frumenti non excedebat viginti libras, & consequenter (ut plurimum) modius hordei vel avenæ decem libras, iste reditus esset citra illum semissem, & paulo levior. Si verò modius frumenti plus valebat, non tamen viginti quinque libras communiter excedebat: idem reditus esset paulò citra rationem duodecimæ. Sors enim 816. librarum in septem annos pareret annuatim centum octoginta octo libras, sexdecim solidos, & duos denarios cum duabus septimis denarii, ad rationem lucri duodecimæ: ad rationem verò semissis centum quinquaginta tres libras, unde viginti solidos

cum semisse duabus septimis denarii, modò per te confer prædictum granorum valorem. Cùm ergo inspecto valore, qui erat tempore contractus, reditus ille non excederet modum, aut parum excederet: quanquam laboraret inconsulta & periculosa captiositate, & specie quadam aleæ, non est danda debitoribus ea electio libera in pœnam creditoris, ut possit debitor solvere in pecunia ad hanc moderationem, si grana superarent, vel infra eam in granis, si minùs valeant: sed ut semper teneantur, saltem ad rationem semissis implere, sive in granis, sive in pecunia *argumento eorum quæ dixi supr. num.* 223. de eo qui emit ejusmodi reditum ad rationem quintædecimæ, tempore contractus inspecto. Et hæc est manifesta æquitas, quam nemo candidi pectoris & ingenii sequendam diffitebitur.

478. Eodémque contextu diluta sunt omnia illa objecta forensia: non enim in alia re versatur fœnus, quàm in mobili: nec spectat ratio & limitatio legis secundæ. *Cod. de rescindend. vend.* ad contractus, qui speciem habent fœnoris, ut suprà *quæstione decimaquarta*: qualis est iste. Non enim est venditio certæ quantitatis grani, distributa solutione in plures terminos favore debitoris: quia hoc esset verum, si liberum esset debitori solvere antè diem, & dilationi renunciare. Cùm ergo hic non sit hujusmodi dilatio data, sed negotium gestum, videlicet annua præstatio redacta ad necessitatem obligationis præcisæ, est verus, formalis & præcisus reditus temporalis. Et cùm sit factus ad redimendum per debitores temporarium usum æris alieni, est verum fœnus negotiativum. Et sic nec etiam obstat dicta lex, *verum, de minor.bus* quæ etiam alia ratione non quadrat in proposito: Nec enim verum est, debitores hîc solo casu ex postfacto lædi: quia hujusmodi contractus de se implicitam habet aleam, eamque notabilem & periculosam: nec est actio providentis hominis, sed inconsulti, ita quòd minor, qui sic contraxisset, & tali fortunæ se subjecisset, posset restitui: quia eo ipso læditur, ut retigi *num.* 416. & sic tantò odiosior est contractus.

De non vendendo frumento in viridi.

479. Fateor tamen quòd in hoc casu non habet propriè locum constitutio Ludovici II. Franciæ Regis, de prohibitione emptionis frumentorum immaturorum, seu in viridi certorum prædiorum: quia in casu dictæ constitutionis longè major est (quàm hîc) alea, nempe duplex, scilicet primò periculum quòd non metantur, sed priùs pereant, quàm metantur: secundò, post messem periculum utilitatis, ut longè minoris valeant, quàm in viridi æstimati sunt. Non tamen ea Constitutio emanavit in favorem emptorum, sed in favorem pauperum rusticorum venditorum, qui de facili alliciebantur modica præsenti pecunia oblata ad vendendum spem messis futuræ, tantoque viliori pretio, quantò incertior, & pluribus casibus obnoxior: quia pauperum facilitate homines cauti abutebantur. A multis enim vilissimo ementes, si in uno loco vel semel perdebant, modicum perdebant, sed pluries, & in multis locis plurimùm superlucrabantur: & hac turpi & aleatoria negotiatione magnum quæstum faciebant, expilatis pauperibus rusticis. Quare gliscente hoc malo, non solùm justa, sed etiam necessaria causa fuit, hanc aleam & negotiationem sordidam in universum pœnali sanctione prohiberi, quæ non fundatur super sola usura interpretativa (ut vulgò putant) sed super alea & contractibus aleatoriis Reipublicæ perniciosis, & etiam super usura largè sumpta, sive superabundantia & supergressione casuali, & damnis civium ex hujusmodi contractibus inconsultis. Quæ dicta Constitutio (ut potè lata ex causa justâ & Reipublicæ utili) potest extendi, ubi ipsa eadem ratio numero concurrit: ut si quis emeret futuram vindemiam. Eadem enim est ratio aleæ & supergressionis venditoris, & facilitatis ad vili vendendum spem incertam & periculis obnoxiam, ex qua facilitate proclivitas captionis insurgit, & præsumptio læsionis. Bald. *in l. singularia. col.* 4. *in fine. si certum petatur.* nec ineptè idem Baldus in *lege prima, in fine de calumniat.* tales emptiones factitantes vocat usurarios: venantur enim captiones, & certant de majori & excessivo superlucro pro modico pretiolo. Cæterùm & si quandoque videatur cessare ratio usuræ, ut quando pretium non prærogatur, sed solùm solvi debet tempore messis vel vindemiæ, & sic vilius non emitur ob usum pecuniæ, sed ob aleam: nihilominus habet locum dicta Constitutio, prout omnia ejus verba verificantur: quia etiamsi cessaret usura strictè sumpta, non cessat & capratoria negotiatio Reipublicæ inutilis & perniciosa, super qua prohibenda principaliter fundatur.

Aleatoria negotiatio.

480. Secùs si quis emeret certam quantitatem fructuum, etiam futurorum, seu pro futuro tempore absque limitatione adnascturorum ex certis fundis: quia tunc non loquitur nec adaptatur dicta Constitutio. Paret ibi, *Bledz en verd sur le plat pays*; & ibi. *si ce n'estoit en plein marché*: quia etiam hoc casu non est tanta alea, sed una tantùm incertitudo, scilicet valoris aut viliratis fructuum. Non tamen dicendum quòd prior casus, de quo in dicta constitutione, sit justior isto, & quòd in eo non sit usura, saltem largè sumpta, sive superabundantia illicita, sicut in isto (ut ineptè & præpostèrè putat Salyc. in *Authentic. ad hæc quæst.* 10. *col.* 4. *Cod. de usur.*) quia fimò in casu dictæ constitutionis est major alea, major captio, & majus detrimentum Reipublicæ, quàm in isto, & sic tantò iniquior & injustior est isto, de quo loquimur: in quo quia inest non modica: licèt non tanta alea & occasio captionis, magis spectat ad iniqua lucra & contractus inconsultos & popinâ dignos, quàm ad justa & honesta, & in communi vita necessaria commercia. Ideò manca est doctrina omnium Canonistarum & Theologorum, ut Antonini *parte* 2. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 9. comprobantium hujusmodi contractus propter probabile & propè æquale dubium: non enim satis est ad justitiam contractus cessare inæqualitatem, propter æquilibrium dubii vel periculi, nisi etiam cesset alea, & occasio magnæ captionis & supergressionis, non solùm supervacuæ in communi, sed etiam nocivæ Reipublicæ. Et de his satis: ex quibus habes novè & plenissimè elucidatam & decisam materiam omnium redituum temporalium ad certum tempus. Videndum est summariè de his, qui ad tempus incertum.

Contra hæc Lyceum.

QUÆSTIO LXXII.

SYNOPSIS.

1. *An incertitudo reditus illum justum efficiat.*
2. *Theologi quidam reprehensi, qui emptiones redituum in vitæ diem illicitas affirmabant.*
3. *Incertus reditus minoris est æstimationis, quàm certus.*
4. *Intellectus* l. hæreditatum, ad l. Falc.
5. *Quid juris si duo in vitam reditum emerint.*

Reditus ad vitam 1. exemplum Oldr. 1. proverb. à fine.

471. SEptuagesimo secundò, quæro de quæstione, quam tradit Oldr. quæstione 206. Abbas & conventus vendiderunt cuidam Archiepiscopo quandiu vivet, quadringentas libras Parisienses reditus annui, pro bis mille quadringentis libris Parisiensibus, cum pacto quòd si Archiepiscopus decederet infra biennium à die contractus & numeratæ pecuniæ, venditores restituerent mille libras Parisienses de sorte: Contigit quòd Archiepiscopus supervixit quindecim annis, & sic ex reditu bis percepit sortem & dimidium sortis, & nihilominùs pergit reditum exigere, quandiu vivet: ideò conqueruntur venditores de ulura vel excessu. Decidit Oldrad. contractum nec usurarium nec excessivum fuisse, sed justum & licitum, & venditores compellendos ad observandum. Et fundatur propter incertitudinem lucri & damni: quia emptor ita poterat parum ut diu vivere, & sequitur Joann Andr. in *addit.* ad Specul. *rub. de usur. ad fin.* Alberic. *in l. jubemus nulli, col. penult. Cod. de sacrosanct. Eccles.* & omnes, nemine contradicente. Et certè hic non est propriè disputandum de usura, sed de justitia seu æqualitate pretii, quia incertitudo tempore contractus æquè se habebat ad lucrum, sicut ad damnum. Ad hoc not. per Doctores, in *l. de fideicommiss. C. de transact.* in *l. si pater puellæ. C. de inoffic. testa.* in *lege, si ea lege C. de usur.* Nusquam tamen legi etiam à laicis vel fœneratoribus similem reditum annuum ad vitam tam modico pretio emptum fuisse, videlicet ad rationem unius pro sex, ut in *d. quæst. Old.* & adhuc in totum periculum non erat emptionis: quia pactum erat quòd eo decedente infra biennium, venditores restituerent ferè dimidiam partem sortis, videlicet mille libras Parisienses: si autem decederet post biennium, venditores nihil restituerent de sorte, sed solverent pensionem pro rata vitæ emptoris. Et sic ille contractus nimis vergebat in commodum emptoris, qui mihi minùs honestè de tanto quæstu pactus videtur, quàm pro dignitate sua deceret, cùm esset Archiepiscopus. Unde dico Oldr. malam causam fovisse, nisi fortè tempore contractus ille Archiepiscopus fuisset moribundus, ut tunc verisimiliter non esset victurus ultra quinque vel sex annos & ex inopinato supervixisset, quod non est verisimile: quia Oldr. ejus advocatus non tacuisset, & adhuc in tam sene vel moribundo talis contractus ex neutra parte honestus fuisset, per ea quæ mox dicam. Baldus autem *cons.* 292. *quia ex facto. lib.* 5. disputat de alio reditu ad vitam sine dicta clausula de refundenda parte sortis certo casu, sed simpliciter ad vitam, & majori & justiori pretio, videlicet centum quadraginta reditus annui pro mille ducentis, & sic paulò infra rationem unus pro novem: quia etiam supervivente creditore, non erat sors implenda in novem annis, sed circiter post novem annos & tres menses, & sic ibi longè justior erat contractus, quàm in casu Oldradi. Et licèt ibi creditor emerit ad vitam suam & uxoris, vel alterius eorum, & sic ad duas vitas in solidum, tamen quia illæ simul currunt, & verisimiliter parum distabant, præsupponendo quòd ambo essent mediocris ætatis, puto Baldum qui decidit standum contractui, non malè consuluisse. Baldus etiam in *cons. incip. queritur de tali casu. quod est cons.* 410. *lib.* 1. secundum veterem impressionem, & *cons.* 220. *lib.* 1. secundum novam impressionem, decidit hujusmodi contractum valere, ad vitam unius, pretio ad rationem unius annui pro decem: de quo non probata alia fraude, non est dubitandum. Rursus Bal. *cons. incip. instrumentum. quod est cons.* 18. *lib.* 1. secundum veterem, & *cons.* 157. *lib.* 2. secundum novam impressionem, decidit valere hujusmodi reditum ad rationem unius pro decem, emptum ad vitam duorum, & cujuslibet eorum in solidum: licèt ibi emptores, vel ultimus eorum supervixisset 20. annis, & usque ad duplum sortis tantùm recepissent, quod cessante omni alio vitio, tolerandum puto: etiamsi longiùs vixissent, dummodò tempore contractus non essent ambo juniores, sed mediocris ætatis: [prout etiam in juvene qui verisimiliter diu supervicturus est, aliud censent Baldus & Paul Castro in *l. si pater puellæ. C. de inoff. test.* Sub eadem limitatione scilicet, modò sint mediocris ætatis, sustineri potest consilium Roman. *cons.* 302. *ego nunc contractum*, ubi tuetur emptionem 120. reditus annui ad vitam viri & uxoris simpliciter pro mille, & sic ferè ad rationem unius pro octo. Sed quid de empto ad rationem unius pro decem ad vitam patris emptoris, & duorum filiorum, quorum unus erat septemdecim annorum tantùm, alter bimulus: quem contractum Rapha. Curt. *cons.* 181. proponitur: cui subscripsit Fulgos. valere consuluerunt. Ego verò diversum hoc casu censeo: quoniam emit ad vitas trium in solidum, quorum unus infantiam, alius pueritiam nondum excesserat.

5. exemplũ Bal. pro 10. ad vitam unius.

4. exemplũ Bal. 1. pro 10. ad vitam duorum.

5. exemplũ Rom. pro 1. ad vitam duorum.

2. exemplũ Bal. pro 9. ad vitam duorum.

473. Jam exemplorum ad aperiendum materiam satis, & longiore disputatione omissa, quanquam nec in hac re defuerunt *ecclesiæi* quidam Theologi, qui hujusmodi redituũ ad vitam exceptiones tanquam usurarias & illicitas nominatim reprobaverint, ut Henric. Gandensis *quodlibeto primo. quæst.* 39. *quodlibeto secund. q.* 15. Quinetiam alii præposterè religiosuli, magis delirantes, ut non solùm hos contractus redituum vitalium, sed etiam emptiones ususfructus prædiorum ad vitam improbitatis usurariæ damnaverint, nisi pretii quantitas æqualis sit cumulo fructuum, ut Goffrid. & Raymond. in *summis.* quorum delirium abundè confutaverunt cæteri communiter tam Theologi, quàm Legistę & Canonistæ: tamen quoniã hi quandoque hujusmodi contractus etiam nimis excessivos, & iniquis cõditionibus perperam probant, ut in primo & ultimo exemplis prędictis: quandoque timidè & per ineptas rationes potiùs in dubium revocant quàm reprobent, ut Laurent. de Rodulph. in *repetit. cap. consuluit, part. 2. q. 11. q. 15. q. 18. de usur.* quem sequitur Anton. *part. 2. tit. 1 c. 8. §. 10.* reditum 16. annuorum ad vitam plurium pro 100. ita ut debitor possit redimere, credit illicitum: non tam ob modicitatem pretii, quàm eò quòd reditus non sit constitutus in fundo, nec ad fundum relatus: sed ad personam, licèt bona pro observatione contractus obligentur, quod est ineptum, ut suprà *num.* 22. Cæterùm omnes ferè solent hujusmodi contractus neglectim ac indiscriminatim admittere, sub hac sola moderatione, si non est læsio ultrà dimidiam justi pretii, habita ratione ad verisimilitudinem longioris aut brevioris vitæ, ut Ancharan. in

disput. antiquis in primo casu. Panorm. *in disp.* Angelo *legistæ* in *l. si ex pactione*, quæ moderatio (utpote nimis vaga) periculosa est in materia suspecta, per notata supra *quæst.* 15. *quæst.* 56. Quamvis enim hic contractus in se communiter non ut species negotiationis fœneratoriæ, ob continuum periculum & sortis & reditus admittendi: sed potius spectet ad primam speciem negotiationis, de qua supra *quæst.* 69. tamen præter id quod in fraudem quandoque fieri potest, habet speciem aleæ, quæ est reprobata à jure, nisi in modico, quod damnificare non potest: & gratiâ virtutis exercendæ retrigi, supra *quæst.* 3. *num.* 93. Non enim fit sine captione vel periculo enormi captionis alterutrius: & licet Legistæ & Canonistæ ad hoc non adverrant, tamen non est negligendum à judicibus & viris politicis, qui captiosos & Reipublicæ inutiles contractus non debent fovere, ut alibi dixi. Verùm quia contractus iste potest fieri ex causa justa & honesta, & usibus hominum accommoda & utili, sicut emptio ususfructûs, vel jactus retis non debet reprobari, modo probabilem & causam & modum habeat. Causam dico, ut non appareat factus ex vanitate vel temeritate, sicut alea. Modum verò, circa bonam fidem, pretium & alias pactiones probabilem autem, quia non possunt hæc, præsertim modus, certa particulari regula penitùs definiri: sed necesse est *à casu* accipi, seu potius ex qualibet probabilitate possibili haberi, quam ex certa, vera & absoluta æstimatione impossibili haberi in his nobis incertis & assiduè pendentibus à futuro. Debet ergo hæc probabilitas non neglecta nec supina esse, ne captio captioni addatur, sed quàm magis æquabiliter & temperatè fieri possibile est: quod circa modum consistit in tribus. Primo, in ætate, valetudine, & aliis verisimilitudinibus vitæ futuræ. Secundò, in quota seu quantitate reditus, puta in sexta vel decima vel quintadecima parte sortis: & in pactis, quæ sunt pars augmentativa vel diminutiva pretij. Tertiò, in numero personarum, ad quarum vitam debebitur reditus, an una vel plures, an simpliciter, an in solidum.

Modus probabilis.

473. Breviter autem puto hac probabili justitia justum esse reditum ad vitam emptum, ad rationem unius anni pro decem ab unica persona mediocris ætatis, puta triginta quinque annorum: intelligo enim communiter mediocrem esse ætatem, à tricesimo anno ad quadragesimum in masculo, & paulo minori tempore in fœmina. Et quo istud fit dilucidius, argumentor paucis utrinque. Primum quòd possit emi viliori pretio: Primò, quia cæteris paribus, reditus incertus minoris est æstimationis, quam reditus certus, præsertim hac tanta & tam intensa incertitudine: quia quotidie potest creditor mori, & reditus finiri, ut nec horâ quidem certitudinis habeat: quanquam certum sit linendum cum vita, *l. 1. de cond. ex demonst.* & hæc tanta (qui major esse nequit) incertitudo, videtur ad minus dimidiâ valoris reditus diminuere. Sed sesquimille sunt justum pretium reditus certi centum annorum usque ad triginta annos, etiam contractus communatorij primæ speciei & minimè fœneratorij, ut supra *quæst.* 69. Si enim reditus perpetuus centum etiam cum proprietate fundi potest emi pro trecentis summo & justissimo pretio, ut supra *quæst.* 5. igitur dimidio minus, videlicet pro 1500. potest emi similis reditus, vel ususfructus fundi usque ad triginta annos. Certum est enim quod restrictio juris vel dominij ad triginta annos, tollit ad minus dimidium valoris dominij perpetui, ut supra *num.* 333. Igitur si quis talis ætatis, ut præsumatur adhuc victurus triginta annos, emat centum reditus ad vitam suam, licet aptitudine videatur emere reditum triginta annorum, tamen quia iste reditus habet præfata tanta incertitudine, multò minùs valet quam reditus certus triginta annorum, & ad summum non valet nisi dimidio minus. Igitur si prorille reditus certus emi possit 1500. summo & justissimo pretio, iste incertus poterit emi 750. summo & justissimo pretio: & hoc etiam sensus communis, & rerum experientia ostendit: Si enim duo reditus subhastentur, prior centum ad triginta annos, secundus, centum ad vitam Titij qui verisimiliter adhuc triginta annis victurus est, certum est quòd iste secundus multo minori pretio licitabitur, & rationabiliter pretio dimidio minori addicetur, igitur &c. Nec videtur communior reductio, quam ad dimidiam, quæ est medium inter summum, vel inter medium excessivum: & inter summam vel inter medium defectum, ut patet ad sensum. Arguitur secundò, quia simplex perpetuus nec redimibilis, nec alter dissolubilis reditus centum super prædio alieno, per manus alienas percipiendus, etiam tutissimè collocatus, potest emi bis mille quingentis justo & legitimo pretio, licet paulò viliori pretio, *l. 3. §. item si Respublica ff. ad leg. Falcid.* supra *quæst.* 3. igitur idem reditus ad triginta annos dimidio pretio, videlicet 1250. iustè emi potest. Igitur similis reditus, sed incertus, puta ad vitam illius qui verisimiliter triginta annos circiter, & non plus victurus est, sub dimidiato pretio, videlicet 625. justè & legitimè æstimari, emique poterit, & sic adhuc minori pretio.

474. In contrarium, quod istud ad rationem unius pro decem, non sit hîc justum pretium, sed debeat esse duplo majus, arguitur per *leg. hæreditatum ad leg. Falcid.* ubi relictum annuum ad alimenta in homine 35. annorum, æstimatur non decuplo, sed duplo decupli, seu vicecuplo, hoc est quantus est cumulus viginti annorum. Et ratio est, non quòd triginta quinque annos natus præsumatur adhuc victurus viginti annis, & non ultrà, & quasi habens quindecim annos præsumatur adhuc in casu *d. l.* victurus triginta annis, & non ultrà, & sic de aliis exemplis, *d. l.* ut ibi glossa & omnes Doctores ineptè putant: sed ratio est, quia in casu *d. l.* qui non implevit vicesimum annum, præsumitur communiter supervicturus sexaginta annis: qui verò implevit tricesimum quintum annum, & infra quadragesimum, præsumitur supervicturus circiter 40. annos. Sed quia hæc præsumptio ob immanem incertitudinem non debet accipi pro re certa, nec tantum æstimari quantum certa, sed dimidio minus, ideo fit reductio totius verisimilis temporis, ad dimidium vel circiter, residuo compensato cum dicta incertitudine. Si igitur in ratione legis Falcidiæ, ubi communis æstimatio attenditur, *l. pretia rerum, ad leg. Falcid.* tale relictum hominis 35. annorum æstimatur ad rationem unius pro viginti, videtur id esse commune pretium, & sic dimidio minus justum in casu nostro: quem si forsan malis comparare legato ususfructus quàm alimentorum, adhuc erit deterius: quia tunc deberet æstimari ad rationem unius pro 15. per *d. l. hæreditatum in fin.* Sed ad istud argumentum facile est respondere, primò, quod taxatio *d. l. hæreditatum*, non habet locum, nisi in casu suo, ut tenent Imol. Paul. Alexand. & omnes, ibi Jas. in *l. eas qui sta. §. qui sta putatur, col. 5. de verb. oblig.* Matthæus de Afflict. *dec. Neap.* 34. Secundò dico, & hic est verus & *omnes* intellectus, *d. l.* noviter à nobis detectus, quòd taxatio *d. l. hæreditatum*, non respicit communem nec veram æstimationem legati, quoniam hoc esset inepissimum, & contra sensum communem, & alia jura. Quis enim vellet alimenta ad vitam unius adhuc infantis emere ad rationem unius pro 30. vel ad vitam 55. annos habentis ad rationem unius pro 20. quanti liceret etiam fundos in perpetuum mercari? Rursus quis nisi mente captus, aut sua jactans, usumfructum fundi ad vitam unius infantis, vel adolescentis ad rationem unius pro triginta emere vellet, quanti eundem fundum vel etiam meliorem in perpetuum emere liceret? Item de jure, legitima indicatura reditus perpetui, nullo pacto resolubilis, tutò collocati, est ad rationem unius pro viginti, quemadmodum *l. 3. §. item si Respublica ad leg. Falcid.* Igitur reditus similis quantitatis ad vitam, sive

etiam alimentum, vel ususfructus, non potest nisi multò minùs valere. Et hæc tam clara & non festa sunt, ut mera insania esset, vel cogitare quidem primores illos Iurisconsultos juris authores hæc ignorasse, aut in his desipuisse.

475. Quid ergo? Ego plus dico illam taxationem non esse factam favore legatariorum, nec alimentorum quidem, ut Accurs. & omnes Doctores ibi & ubique adusque stultè putant. Quorsum autem augere verum & communem valorem? Contra vero manu debuisset, si favendum erat legatario, quò tantominorem Falcidiam paterentur. Præterea dico quòd intentio dictæ *l. Falcidiam* non est, quod præcise & adæquate de taxata ibi quantitate detrahatur Falcidia, ut omnes adusque falsò putaverunt: esset enim contra rationem, & in plurimarum legum ejusdem ritûs correctionem, ut mox ostendam. Dicimus ergo primò, quòd illa taxatio facta est favore hæredis, & immunitatis quartæ sitæ. Patet, quia fit ad inveniendam rationem æstimandæ & deducendæ Falcidiæ in legatis non solùm in diem certum, sed etiam in certis. Igitur tam ipsiusmet hæredis favore fit, quam ejus grâtiâ inventa est Falcidia, *l. potest hæres ad leg. Falcid.* Secundò, quòd respectu legati puri & certi, nullus exigitur circuitus ad inveniendam rationem seu quantitatem Falcidiæ, sed sufficit unica consideratio, scilicet adæquatio valoris communis legati ad reliquum totius hæreditatis, tempore mortis inspecto, *l. in quantitate in princ. ad leg. Falcid. l. fin. eodem §. quantitas*, in legatis autem certis, sed in diem duo exiguntur: primum æstimatio & deductio interusurij seu commodi medij temporis, vel intervalli: secundum, dicta adæquatio: Legatum enim in diem in ratione Falcidiæ non tanti æstimatur: quanti res est ipsa legata, ut in legato puro: sed detracto prius dicto interusurio, deinde residui fit adæquatio ad reliqua bona, textus in *l. Falcid. in princ. l. cum in princ. in quantitate, & in diem l. qui 40. in fin. ad leg. Falcid.* In legatis autem incertis, & in diem simul, ut in successivis ad vitam, tria necessariò sunt faciendæ: primum, quia detractio Falcidiæ, quæ est certa quota, debet esse certa, & de certo, seu certificato, necesse est ante omnia dici legati incertitudinem ad quandam probabilem certitudinem reduci: aliàs quin impossibile esset Falcidiam adhibere. Secundò, quia legatum illud incertum ad certam probabilem summam seu æstimationem reductum nihilo magis purè simulque præstatur, sed in diem & successivè: ideò detrahendum est commodum interusurij, sicut de legato certo in diem dictum est. Tertio demum fit illa adæquatio. Cùm autem de duobus ultimis jura essent prompta, ut plusquam notorium est, solùm restabat providere de primo, de quo nihil tum erat dispositum in jure: quare & ad hunc super illo primo prius requisito duntaxat providendi, facta est dicta lex, & taxatio in ea contenta, non ad taxandam præsumptionem vitæ hominis in casu *d. l.* ut vulgò malè putant, sed ut fiat quædam formula ad inveniendam probabilem quandam certitudinem in his incertis. Non potest autem probabilius & commodius incertum illud ad certum quid æstimari vel reduci, prima utique specie, & in genere, quam ad diem: dum totus incertus tum quia dies illud in genere est medium inter majorem & minorem inæqualitatem, ut dixi, tum quia incertitudo utriusque oppositi extremi, videlicet vel integræ vitæ hominis, quanta verisimiliter esse potest & solet communiter, vel vitæ abruptæ, & mortis immaturæ, quorum alterutrum ferè pariter, & æque frequenter usuvenire solet, non possunt meliùs & probabilius inveniri, comperiri, (quando ad certam quamdam æstimationem veniendum est) quàm æqualiter, hoc est ad medium, ut fere totum verisimilius & communis vitæ hominis incertum tempus æstimetur dimidiato tempore certo, sicut ferè fit in singulis exemplis *dictæ legis*, & recte inspicitur, & hæc sit est vera ratio & intentio.

476. Et notabiliter dixi (ferè) quia in certis *dictæ legis*, non debet præcisè, nec ad vivum resecari, tanquam Mathematicum quoddam seu magicum præscriptum, cui nec addi, nec demi possit, quod nec excedi, nec minui queat: sed primò (utpote in materia morali) debet accipi cum temperamento legalis æquitatis, & omnium totius negotij circumstantiarum, *juxta leg. bonæ fidei de posit.* Secundò, utpote in materia, quæ certam, perpetuam, præcisam, & imflexibilem determinationem non recipit in singulis particularibus casibus, necesse est taxationem *dictæ legis*, non pro determinatione perpetua & specifica singulorum omnium casuum (cùm nil praxim & particulare venturum sit, ut nimis præcipitanter & indigestè more suo putaverunt adusque omnes glossæ & Doctores) sed pro quadam probabili forma seu methodo in genere suo, & quantum ad circumstantiam verisimilis durationis temporis in genere tantùm, sine præjudicio aliarum circumstantiarum cujusque particularis casus, de quibus nil cavetur in *dicta lege*. Si enim legatarius alimentorum vel ususfructus, puta Titius, appareret tam afflictæ valetudinis, ut verisimiliter ultra decem annos victurus non sit, secundùm crebriorem contingentiam hominum aliter affectorum, tam licet non sit decem, quindecim, vel triginta annorum ætatis, tamen certum est quod legatum non debet æstimari quantum in triginta vel in duobus & viginti annis ascendere possit secundum formam *dictæ legis*. Et hanc non fuisse intentionem Jurisconsultorum, certo certius est omnibus vel pueris, nisi quibus sensus communis desit, aut ita ægrotent ut elleboro ad purgandum cerebrum indigeant: & tamen ad cervicosos & pervicaces convincendos probo. Forma seu æstimatio *dictæ legis* est medium probabile inter majorem & minorem inæqualitatem, id est inter extremum majus, quod est totum verisimile tempus vitæ hominis, & extremum minus, quod est immatura & anticipata mors: & tendit ad utrumque compensandum incertum, vitæ abrumpendæ cum incerto vitæ usque ad verisimilem [illegible] inæqualitatem. Et hoc ipsa viva ratio, forma & mens *dictæ legis* omnium ferè ejus exemplorum continuò & proportio ostendit. Sed illo particulari casu existente tabis non esset probabiliter, nec aliquo modo mecha cum vergat ad extremum majus: imò, quod detectus est, illud manifestè transcenderet quandoque tempus, ut cum Titius est infra viginti annos: quandoque ultra duplum, ut cum Titius est triginta annorum ætatis: & esset, plusquam manifesta & absurdas & magnas. Omitto, fac Titium esse sexagenarium annorum, sed adeo præter communem hominum temperaturam vigacem, ut verisimile sit eum adhuc viginti aut viginti quinque annos victurum, nonne vergit ad extremum minus? Num iniquum est æstimari legatum, quantum ascenderet in 5. annis tantùm? conflat enim ex prædictis, quòd Ulpianus ibi æstimavit ad octogenarium ad 5. annos, respexit (ut simili quoque in prioribus exemplis) ad id quod secundùm crebriorem hominum contingentiam evenire solet, ita ut supponat vitæ ultra octo decem annos vel circiter non ultra tendere. Et quia rationabiliter periculum est, ut quotidie moratur, comperiendo facta incerti probabiliter æstimavit ad dimidium temporis, sine præjudicio aliarum particularium circumstantiarum, si de illis constaret, ut dixi. Quòd autem Ulpianus ibi eandem quinque annorum æstimationem fecerit videtur, cujuscunque ætatis sit legatarius sexaginta annos egressus. Hæc non ex præscripto, tanquam exacta & perpetua determinatione accipienda est, sed [illegible] comperiendi subditate cum sit, in [illegible] certis, quæ specialiter in communi de certo determinationem compositionem admittunt. Specialior enim & exactior determinatio non est doctrinæ, nec methodi communis, sed spectat ad circumstantias particulares [illegible]

singulorum casuum. Plura super intellectu & effectu *dictæ legis hæreditatum*, legumque cognatarum dicenda erant, quæ in novis intellectibus trado, unde satis habui excerpere, quæ ad hujus quæstionis decisionem faciunt.

477. Ad quam redeundo, prefata conclusio suprà *num.* 468. confirmatur: quia saltem ille reditus non potest esse majoris æstimationis & valoris in communi quam tantundem certi reditus, usque ad 17. annos, qui tamen pro mille emi potest, ut nuper dixi. Verum non puto dictum reditum incertum dicto casu minori pretio, quàm ad rationem decimę emi posse, quin sit modicitas pretij: Et moveor, quia sicut in emendo reditu certo & perpetuo turò collocato requiritur quod pretium (ut justum & integrum sit) non excedatur à pensionibus 30. annorum collectis, saltem 25. annorum, per notata supra *num.* 433. & *quæst.* 5. *num.* 120. Et pariter ut reditus certus ad 25. vel 30. annos limitatus, justè dimidio minori pretio quam prior æstimatur: ita reditus temporalis, sed incertę durationis, qui verisimiliter usque ad 30. annos durare poterit, non ultra (in quantum verisimile est) quia potest interim perire, nec habet aliquid firmum, rationabiliter adhuc minus quam dictus reditus temporalis certus & stabilis æstimatur: non tamen dimidio minus quam ille temporalis certus, quem fortassis notabiliter excedet, sed aliquanto minus, & omnino plus dimidio minus quam ille perpetuus. Sufficiet ergo reduci ad tertiam partem pretij dicti perpetui certique reditus. Ut enim perpetuitas restricta ad triginta certos annos, facit rationabiliter ut vel eadem sorte manente, reditus certus annuus, qui alioquin simplex poterat esse perpetuus, possit in quantitate currente duplari: vel ut priori quantitate reditus manente, pretium subduplari, seu dimidio minus esse possit: ita huic temporalitati addita incertitudo, tanquam nova & secunda causa diminutionis, facit ut vel eadem sorte seu pretio manente, idem prior reditus, qui in simplo poterat esse certus & perpetuus, & in duplo certus & tricenarius, triplo augeri, vel eodem reditu manente, pretium subtriplari possit, seu ad tertiam partem pretij reditus certi & perpetui reduci. Non autem quod pretium possit stante eadem quantitate reditus subquadruplari: vel stante pretio reditus quadruplari possit, prętextu hujus temporalitatis & incertitudinis. Sufficit enim quod propter duas causas vilificationis à certo & perpetuo duas solidi partes amittat, & sic reducatur ad tertiam, non autem (alio non concurrente) ad minorem partem pretij, cùm etiam verisimiliter tempore contractus inspecto, durare possit usque ad triginta, vel etiam circiter usque ad quadraginta annos. Ut igitur reditus certus perpetuus debet emi justo & integro pretio ad rationem unius pro triginta, ita temporalis & incertus, sive qui verisimiliter duraturus est usque ad triginta vel quadraginta annos, debet emi ad rationem unius pro decem, justo, non defectivo pretio.

Probabilis æstimatio.

478. Non obstant duo argumenta suprà *n.* 474. adducta ad probandum quod viliori pretio emi possit: quia respondeo primò, quod hujus incerti reditus comparatio, ut & verius & tutius inveniatur justum pretium, rectà fieri debet ad solidum ipsum reditum, videlicet ad certũ & perpetuũ, & qui tanquã solidus, & perfectus debet esse proportionaliter cæterorum, velut minus perfectorum, regula & gnomon: non autem ita faciendus est collatio ad reditum temporalem certum, qui una (scilicet perpetuitatis) perfectione caret, nisi servata semper proportione primi seu solidi ad ultimum, quod in effectu est conferre ultimum primo, non secundo: quod clarius explico sic. Primus & solidus ille reditus excedit istum, de quo in conclusione suprà *num.* 474. in duobus, & sic pretium solidi debet hujus pretium excedere dupliciter: & sic velut duabus partibus consequenter debet esse triplum ad hujus pretium, quod ad illud erit subtriplum, rectà & æquali proportione, quæque aptè quadrat. Igitur ut proportio solidi ad hunc dupliciter diminutum rationabiliter est tripla, ita proportio illius intermedij seu certi temporalis reditus debet ad hunc esse circiter sesquipla, non dupla. Nec obstat, quod proportio valoris secundi ad primum rationabiliter est subdupla, non autem subsesquipla: ergo ejusdem secundi ad ultimum debet esse dupla non sesquipla: quia dico quod inspecta communi utilitate hominum, secundum quam pretia rerum admetiuntur, suprà *num.* 391. primus reditus ad minus duplo utilior est, & duplo supervalet ultimo, sed dimidio tanto duntaxat. Et sic quamvis secundus, videlicet reditus annuorum 100. usque ad 30. annos, non valeat nisi 1500. tamen tertius & ultimus iste non debet ob id valere 750. tantum, sed mille. Secundò respondeo, quod in alio peccant dicta argumenta, quia (ut in simili suprà) non tantum valet parva summa respectu parvæ, quantum magna respectu magnæ: quemadmodum pars fundi, non tantum valet per se, quantum totus fundus in toto *l. Mævius* §. *filiusfamil. ercisc. l. Mævius*, §. *in fundo*, *de leg.* 2. Bartol. in *l. uxorem*, §. *agri plagam*, *in fin. de legat.* 3. Salycet. *l. fin. C. de jure det.* Et sic non valet illatio, quæ fit in dictis argumentis ad minores summas: quia licet sit eadem proportio respectu simplicis summæ, seu simplicis numeri mathematicè, tamen non est eadem proportio utilitatis in commerciis & usibus hominum: sola vero Mathematica proportio non concludit, ubi non de quæstione merè mathematica physicaliter, sed de morali civiliter agitur.

479. Tertiò respondeo quod in hoc casu de quo loquimur, non est tanta incertitudo, ut pretium sub quadruplo minuatur ad primum solidum reditum? Loquimur enim in eo qui emit ad vitam suam, non ad vitam tertii, & sic certus est sibi commodè consultum iri quamdiu vivet: quæ certitudo cęteris paribus præponderat incertæ spei transmittendi posse se ad hæredes ad vitam tertij, si fortè ille tertius supervivat, ut sensus communis ostendit, eademque certitudo ad vitam ipsius emptoris sibi consultum esse, quantum cùm hoc excedit utilitatem dicti reditus temporalis certi, & omnino excedit respectu ipsius emptoris: & si hic ultimus reditus non est omni respectu inferior secundo, sed certo respectu illud utiliter & efficaciter transcendit, & sic deberet potius æqualis esse, quam subduplus. Et ad summum, dato, non concesso quod respectu tertii licitatoris (cui ut pote ad alterius vitam ementi minus valet) possit in subhastatione subduplus esse, dimidioque minus quàm secundus ille licitari, non tamen idem sequitur in eo qui mercatur ad vitam suam propriam: quia iste sibi tutius consulit, nec in tantum aleæ se subjicit, sicut ille tertius. Nec obstat quod hujus ementis ad vitam suam videatur singularis utilitas, quæ non debet expendi, sed communis: quia imò est communis utilitas, nempè qualis est cujusque talis conditionis, pariter ad vitam suam ementis. Et sic rectè & subtiliter inspiciendo, emere ad vitam tertij, est alia diversa species contractus minus probabilis & legitima, magisque aleæ accedens. Et hoc ergo casu de quo supra *num.* 474. jam satis undequaque excusso, velut exæquato gnomone, facile est reliquos casus probabiliter æstimare. Quid igitur si duo ad vitam suam emant, puta vir & uxor, vel duo fratres, vel socii? Respondeo: Si ambo sint mediocris ætatis, puto eodem pretio admittendum, si simpliciter, non in solidum ematur: quia quòd reditus non finietur in totum morte primi morientis, compensatur cum eo, quòd finietur pro dimidia, morte alterutrius ex duobus primò morientis.

Si verò cum clausula (in solidum) mihi videtur nimis modicum esse pretium ad rationem decimæ, & aliquantulum augendum, puta ad rationem duodecimæ, vel circiter, nisi ambo non mediocris, sed paulo inclinationis essent ætatis, aut valetudinis. Pariter si ad vitam plurium quam trium, vel ad vitam unius aut duorum juniorum, & firmioris valetudinis, tanto probabiliter boni viri arbitrio augendum erit pretium, nec specialius hęc lubrica & incerta definiri possunt. Itaque primum exemplum Oldradi & sextum utriusque Raphaëlis in principio quęstionis prorsus reprobanda sunt. Secundum & quartum Baldi, & quintum Romani, de inclinatione ætatis aut malè affectis intelligi debent. Tertium autem Baldi, etiam in homine mediocris ætatis expeditè procedit. In his autem modicus excessus pro nihilo est, cùm non sit æstimatio nisi crassa & probabilis: notabilem verò & multum excessum sufficiet ad probabilem modum reduci, sed maximus & enormissimus excessus faciet, ut meritò in totum cassari possit, nec locus sit *leg.* 2. *C. de rescindend. vend.* propter odium & suspicionem horum contractuum, postquam ad fœnus degenerant, data tam enormi inæqualitate, qualem esse puto, modò propter magnitudinem reditus, modò propter qualitatem emptoris: primo casu si tantus est reditus, ut in quinque vel sex annis sortem æquaturus sit, & emptor etiam alioquin grandęvus multum verisimiliter brevi superlucraturus, ut in casu Oldradi. Secundo casu, si reditus de se non excedit, ut quia non sit æquaturus fortè nisi in decem annis; sed emptor erat tam juvenis & vivax, ut verisimiliter esset percepturus ultra quintuplum vel sextuplum, & maximè si ad vitam plurium juniorum, ut in ultimo casu utriusque Raphaelis. Et sic duo illi casus, primus & ultimus, stant pro duobus oppositis exemplis, dissimilis, sed intolerandi excessus, ex parte emptoris seu creditoris, circa quem solùm de fraude usuraria quærendum est. Transeamus ad alia.

QUÆSTIO LXXIII.

SYNOPSIS.

1. *Alciatus in hac quæstione reprehensus.*
2. *In Vltimis judiciis facile non præsumitur fraus.*
3. *Legata contra bonos mores illicita.*
4. *Excussus §. ultim. leg.* 3. De annuis legatis.
5. *An præfatus §. immutatus?*
6. *Aperitur legitimus Vsurarum modus.*
7. *Quibus casibus procedat lex* Quod in stipulatione. *De Vsuris.*

480. SEptuagesimo-tertiò quæro de usuris testamentarijs: Testator legavit quingentos aureos, & jussit hæredes, quandiu differrent, quadraginta aureos singulis annis legatario dare pro fructu dictæ summæ, ita ut hæredes haberent facultatem fruendi dictâ summâ quingentorum aureorum solvendo summam. An hæc dispositio testatoris valeat? Hæc quæstio quotidiana est & antiqua, ab Antecessoribus multum disputata & controversa. Eam ut plene & exactè decidamus, libuit ponere in propriis terminis, in quibus olim accidit, & variè decisa fuit: quoniam Francis. Aretin. *consil.* 151. super ea consultus decidit usurariam esse, & omnia sorti imputanda. Socin. autem in *leg.* 2. *col.* 3. *de his quæ pœnæ nomine.* dicit se primò fuisse aditum & requisitum ab hærede, ut pro eo consuleret, sed noluisse, verum ad sui refutationem præfatum Aretin. consuluisse pro hærede. Deinde subdit Socin. se requisitum à legatario consuluisse pro eodem, & Joannem Baptistam de Sancto Severino Præceptorem suum subscripsisse, & ita in Curia Romana in favorem legatarii judicatum fuisse. Verùm non inveni ullum hujusmodi consilium inter consilia Socin. pro legatario; sed benè inveni quod idem Socin. *consil.* 56. *viso testamento, collat.* 1. *lib.* 3. consuluit pro hæredibus contra viduam legatariam, petentem pensiones sibi legatas à marito in casum restitutionis dotis dilatæ, & decidit sorti imputandas per multa, & inter alia per dictum consilium Aretini Præceptoris sui. Verum est tamen quod idem Socin. *consil.* 41. *lib.* 4. *num.* 2. *num.* 5. *& num.* 9. videtur prima facie similem reditum ex simili legato tueri: sed non est ita, quia ibi tantum consulit & concludit contra legatarium pro possessoribus habentibus causam ab hærede. Alciatus autem parado. *lib.* 5. *cap. ult.* sententiam quidem Socin. in *dict. leg.* 2. rectè tuetur: sed dum suam tradit, malè restringit legem tertiam in finalibus verbis de annuis legatis ad eam formulam, quando testator expressit se legare illùd annuum pro usuris: hoc enim suum commentum divinatorium est, legemque verbis imponit: sed Alciat. nondum detecto usurarum elencho, minori incommodo extricare sese non potuit. Socin. autem & Alciat. ut non modicam lucem attulerint, ita non modicam reliquerunt confusionem, dum diversos vel oppositos casus non distinguunt, sed pro eodem confundunt. Socin. enim in *dict. leg.* 2. *col. penult.* ponit casum diversum à casu in quo consulit Aretinus, & tamen dicit, & putat se loqui in eodem casu. Alciatus etiam tractat casum ab utroque diversum, putans interim se in eodem puncto versari.

Tres casus.

481. Ut igitur hæc ad amussim extricemus in his usuris testamentariis, dicimus tres diversos casus seu quæstiones in disputationem venire. Primus, quando principale nunquam peti potest, sed reditus annuus duntaxat. Et hic quandoque hæres potest, si velit, statim redimere, quandoque non habet hanc optionem, nisi post mortem legatarij, ut in *in casu in quo consuluit Barba. consil.* 66. *lib.* 2. Secundus, quando utrumque semper peti & exigi potest, & sors & usura seu reditus. Et hi duo casus simplices & ad invicem diversi, imò oppositi sunt. Tertius mistus participans de utroque, videlicet quando ad certum tempus usura tantùm peti potest, & non sors, post tempus verò utrumque. Primus ergo casus is est, quem præfixi themati hujus quæstionis, in quo pessimè pro negativa consuluit Aretin. *dict. consil.* 151. licet hunc expressè sequantur Ias. *l.* 1. *lect.* 1. *col.* 12. *C. de Summa Trinit.* & in *l. unica. col.* 2. *C. de his quę pœnæ nomine.* Ioan. de Monte ferrato *in repetit. nemo potest. col.* 2. *de leg.* 1. Hier. Cagnin. *repetit. l.* 2. *col.* 1. *C. de pact. inter empt. & vend.* & idem in simili consuluit Barba. *dicto consil.* 66. *lib.* 2. & malè. Quia impossibile est hìc ullo veram usuram, quum nullum sit mutuum, item nulla pactio, nulla extorsio, nulla negotiatio, nullum opus creditoris intercesserit, pariter impossibile est hìc invenire usuram interpretativam, etiam ex postfacto, post acceptationem legati, nec materiam usuræ: quia hęres non est obligatus ad summam principalem, nec potest legatarius ullo modo illam exigere. Et hìc non sumus in terminis cujuscunque usuræ, sed in terminis certi perpetui reditus, qui certâ summâ extingui potest, de quo latè per Baldum in *repetit. l.* 2. *col.* 24. *de jurejurando,*

in quo, etiamsi sit ex contractu negotiatio, omnes hodie communiter & Legistæ & Canonistæ & Theologi consentiunt, non esse verum nec interpretativum mutuum, nec materiam usuræ, ut supra *num.* 17. quod est exploratissimum in presenti specie: quæ omnino convertitur, & omnis ejusdem rationis & effectus est cum illa, quando testator legavit certum annuum & perpetuum reditum, ita tamen quòd certa summa semel data extingui possit: de quo dubitari non potest quin valeat, quantulacunque sit ea summa, qua reditus redimi potest: quanto minus dubii, quando illa summa est satis proportionata ut hic, qu'a reditus est minor 12. parte summæ principalis, & sic error Aretini & sequacium nimis est resupinus. Potest etiam dici hic esse legatum alternativum, quia etiam summa principalis est posita in dispositione, & data electio debitori: igitur legatum verè seu effectualiter alternativum, nihil habens commune cum materia usuraria, nec in forma nec in fraude aut suspicione, cum non sit electio creditoris, sed debitoris. Et hoc pulchrè & singulariter decidit Baldus, *l. unica col. 6. quæst. 3. C de his quæ pœnæ nomine.* Idem etiam sentit Paul. *l. 1. col. 3. de summa Trinit.* & in rub. *de his quæ pœnæ nomine*, quæ decisio verissima est & exploratissima, utcunque Aretinus & sequaces ineptè & sine dente arrodere nitantur.

482. Non obstat *§. ult. in d. l. 3. De annuis leg.* quia non loquitur in hoc casu, quando summa principalis non potest peti, sed loquitur in casu opposito videlicet quando creditor potest eam si velit exigere. Et hic est secundus casus, quem priore ranquam indubitato omisso, assumo, & dico quòd nec hîc potest cadere vera usura nec formaliter nec secundùm intentionem, nec interpretativè, cùm non sit mutuum, nec aliquid simile mutuo, aut ad illud reducibile, cùm creditor nihil numeret, nihil extorqueat, nullum pactum faciat, sed tantùm quod offertur, ex aliena liberali & merè spontanea voluntate recipiat, dum legatum acceptat. Et sic omnis & materia & forma & effectus & odium usuræ cessant per notata Theologorum, in 3. *sent. dist.* 37. & in 4. *distin.* 15. & in *summis*, & ubique, & per Jo. Andr. & alios in *c. peccatum de reg. jur. in Mercurial.* & omnes ubique, ut nullus omnium dubitasset de hac specie, si non fuisset textus in *d. l.* 3. *§. fin.* qui est de se clarus, facilis & sine nodo: sed glossæ & Doctores erronea illa & vulgari de usuris opinione suprà *num.* 9. præoccupati, spinas & nodos ex seipsis invexerunt. Crebrior autem sententia fuit distinguentium: Aut apponitur simplex pœna semel committenda, & valet etiam in defectum quantitatis legatæ solvendæ, nec presumitur in fraudem usurarum adjecta, quia in ultimis voluntatibus non ita presumitur fraus, *l. ex hoc edicto, §. 1. de alienation. judicii mutan. cau. facta*: aut verò dinumerationem temporis, & tunc sit vera usura sive apponatur quantitati legatæ, aliàs non debitæ, sive quantitati aliàs debitæ, puta doti restituendæ. Quare censent quòd ut jure civili non valebat, nisi infra legitimum modum usurarum: ita hodie in totum non valeat, eò quòd hodie nullus sit modus usurarum, sed in totum sint prohibitæ. Et ita clarè vult Bart. *in l. Cum stipulati, de verb. oblig.* Bal. in *l. cum allegas. in* 10. *oppos.* & ibi Saly. *col.* 2. *C. de usuris*, sequitur Ancha. in *repetit. c. peccati col.* 11. *in repetit. c. nemo potest, col.* 3. *de reg. juris*, & in *cons.* 33. *cons.* 139. Paulus *cons.* 101. *l.* 1. Alex. in *l. divortio in prin. col.* 7. *soluto matrimonio*, & in *cons.* 27. *l.* 4. *Socin. dict. cons.* 56. *l.* 3. *Lancelo. Dec. l. Apud Iulianum §. fructus col.* 2. *notab.* 4. *de legatis* 1. *& d. §. ult. l.* 3. *De annuis legat. Purpurat. in l. rogasti §. si tibi, col.* 8. *ubi multos citat si cert. petat.* Idem Aymo. *cons.* 89. & omnes ferè. Pauci verò tenuerunt indistinctè nec in testamento quidem valere pœnam dationi quantitatis oppositam, ut Jas. *d. l.* 1. *de C. summa Trinitate.* Jo. de Monteferrat. in *d. l. nemo potest col.* 2. *de legatis* 1. Jo. Benedic. in *repetition. c. Raynutius verb. si absque liberis more.* 2. *num.* 329. & addition. ad Alex. in *l.* 4. *§. Cato num.* 149. *de verb. oblig.* quæ sententia priore stultior & ineptior est. Paucissimi vero in quibusdam locis attigerunt veritatem in hoc puncto: duos enim tantum invenio, videlicet Rom. *cons.* 510. *col.* 10. & Paul. in *rubric. in fin. de his quæ pœnæ nomine, l.* 1. *col.* 3. *Cod. de summa Trinitate*, qui reprobata sententia Bart. Bald. & communi, tenent non esse usurarium, sed licitum & validum, etiamsi per dinumerationem temporis pœna vel pensio apposita sit in testamento. Et disertè loquuntur in hoc secundo casu, videlicet quando illa pensio apponitur ob retardatam solutionem: & sic quando creditor vel legatarius potest sortem exigere si velit, sive sors debeatur ex solo testamento, sive aliàs, ut si esset dos restituenda. Socin. autem in *d. l.* 2. non loquitur in hoc casu, sed in longè minus dubitabili, videlicet quando creditor seu legatarius non potest petere summam principalem, nisi post certum tempus, & interim testator certam pensionem solvi jussit, qui est certus & mitius casus, de quo infrà *num.* 484.

483. Quòd autem Alciat. in hoc secundo casu super *d. §. fin.* distinguit, an testator expresserit illud annuum solvendum pro usuris, & tunc sit vsura, & non valeat: an verò hoc non expresserit, & tunc non sit vsura, sed valeat dispositio; hæc commentitia evasio est, quæ non placet, tum quòd divinat, tum quòd hæc non sit mens Jurisconsulti in *dict. §. pœna.* tum quòd legem verbis imponat, quod specialiter in materia vsurata vel de vsura susceptura reprobatur, *l. finali Cod. de usuris*, tamen sententia Alciati non prorsus caret ratione & veritate: posset enim esse vera, stante erronea illa & vulgari opinione & conscientia criminis, quòd omnes vsuræ de se sunt probrosæ, illicitæ aut interdictæ: hoc enim stante, sequitur quòd testator expressim jubens solvi certas vsuras futuras, vel pro vsuris, juberet quid illicitum, probrosum & interdictum. Et si tum peccaret, cerraret alios inducere in peccatum: consequenter ipso jure non valeret legatum vsurarium, per dictum *§. ult.* nec per rationem Alciati, sed per aliam rationem quàm dicat, videlicet quòd legata, quæ impossibilia sunt, vel legibus interdicta, aut probrosa, non valent *§. ult. Institut. de legat. l. unica in fin. Cod. de his quæ pœnæ nomine.* Unde etiam in terminis juris, si legatum vsuratum fieret, hoc modo videlicet, & quia talis creditor vel legatarius est fenerator improbus: lego ei improbi fœnoris nomine tot annua vel menstrua quoad solvantur, putarem hujusmodi legatum annuum vel menstruum nullum, & pro non scripto habendum, *l. Turpia. in princip. de leg.* 1. Hoc modo potuit forsan aliquo tempore stare & defendi sententia Alciati per hæc jura ultimò allegata. Sed istud est prorsus extraneum à casu & intellectu *dicti §. finalis* qui loquitur quando legatum est factum non animo pactum inducendi, vel aliquid turpe, sed bona fide & recta conscientia.

Non valet legatum inducens peccatum.

484. Unde ille textus ponit decisionem, & modificationem. Decisio est, quòd legatum annuum vel menstruum, donec certa alia quantitas legata solvatur, est validum simpliciter, sive interim dilatio solvendi detur hæredi sive non detur, sed legatarius summam principalem exigere possit: textus enim non distinguit, sed magis sonat quando principalis summa exigi potest. Modificatio est, quòd si illa pensio sit relicta vice vel nomine vsurarum, sive ad earum instar, non debet excedere probabilem modum vsuratum, sed ad illum reduci quatenus excederet. Ut autem locus sit hujus modificationi, non requiritur quod testator expresserit se relinquere illam pensionem pro vsuris majoris summæ debitæ seu legatæ, sed sufficit sive expressè, sive tacitè ex circumstantiis, vel qualitate materiæ subjectæ hoc appareat. Expressè autem appareat, sive testator dixerit se legare pensionem vel reditum tanquam vsuram vel pro vsuris, vel pro

Declaratio §. fin. l §. de annuis legatis.

interusurio; vel pro lucro, vel pro fructu, seu emolumento summæ principalis, aut aliis similibus vel æquipollentibus verbis. Tacitè autem apparet pro usuris legatum, quando constat de duobus, primò quòd pensio non legetur per se principaliter, seu eque principaliter, ut in casu singulari Bal. in *l. unica quæst. 5. Cod. de his quæ pœnæ nomine*, & *suprà num.* 484. sed in consequentiam, & tanquam accessorium principalis summæ. Secundò, quando legatur tanquam accessio successiva, propter dilationem, & in casum dilationis solvendi summam principalem. Tertiò, quando non apparet de alia justa & specifica causa à testatore intenta, puta si vellet illam pensionem dari tertio, vel in certum opus: ita quod dicta pensio non caderet in accessionem compensatoriam interusurii ipsius legatarii, vel punitoriam dilationis ad commodum ejus cui dilatio fit: his concurrentibus, censetur vice usurarum relicta. Unde licet non fit usura strictè sumpta, utpote deficiente pacto & extorsione, sed largè sumpta, prout usurpatur in jure civili: & licet testator tantam vel majorem summam eidem legare possit, tamen ex quo non principaliter, sed in consequentiam legati, & in pœnam successivam & lucrativam, vel compensatoriam dilatæ solutionis, & sic ad instar usurarum principalis summæ, Jurisconsultus interpretatur ejusmodi legatum accessorium non debere excedere probabilem modum usurarum, quæ est justissima & æquissima interpretatio: quia istud legatum habet symbolum cum pœna & usura, imò est vera pœna & usura largè, saltem largissimè ut in jure sumpta. Sed contenti esse debemus pœnis legibus comprehensis, *l. si ita stipulatio, de verb. obligat. l. unica in fin. C. de senten. quæ pro eo quod interest.* Nulla igitur inde fit injuria legatario, si jubetur contentari pœna vel usura probabili. Nec etiam voluntas testatoris per hoc offenditur, quia legatum istud non propter se, nec principaliter, sed in consequentiam & propter aliud, videlicet ad puniendam moram vel dilationem, & ad instar usurarum relictum est, quod satis secundum legitimum & probabilem modum impletur, & sic nihil æquius, nihil temperatius dicto responso: quod habet locum non solùm si principalis summa debeatur ex eodem testamento, sed etiam si aliunde. Unde si testator creditoribus suis certas pensiones leget, quandiu debita ab heredibus exigere different, locus est prædictæ moderationi, ut etsi contemplatione testamenti diu distulerint, non possint exigere pensiones preteritas suprà probabilem usurarum modum, sed bene secundùm probabilem, vel infra, hæc est æquissima, clarissima & indubita mens *dicti* §.

485. Cæterùm si dicta pensio non sit legata vice usurarum, cessat modificatio, nec textus eam restringit, sed relinquit voluntati & dispositioni testatoris. Contingit autem non esse relictum vice usurarum multipliciter, non solùm quando pensio est principaliter legata, sed etiam quando est legata in consequentiam. Et primò quando est legata principaliter, potest illud contingere tripliciter, primo quando sola pensio principaliter legatur, & sola est in obligatione, licet certa summa extingui possit: puta si leget centum annua, sive in perpetuum, sive ad vitam: ita tamen quòd si hæres solverit simul quingenta, liberetur à reditu pro futuro tempore: & valet totum legatum, nec debet ulla reductio reditus fieri, nec ad triginta annua, quasi ad instar semissium, nec ad quadraginta annua, quasi ad instar bessalium usurarum. Secundo modo, quando pensio est in obligatione eque principaliter, & est debitum alternativum, & electio debitoris, totum valet, ut suprà *num.* 482. nec locus est modificationi hujus §. Quare hi duo casus non spectant ad casum & materiam hujus §. sed ad primum illum casum, suprà *num.* 483. Tertio modo quando in dicto debito alternativo est electio creditoris, ut si leget Titio ducenta annua perpetuò, vel mille semel ad ejus electionem: ita tamen quòd si elegerit reditum, possit usque ad decem annos vel ad vitam eligere dictam summam sine restitutione vel deductione reliquorū: hæc species spectat secundum illum simplicem casum sup. *num.* 477. Et quamvis non sit in individuo species hujus §. est tamen in effectu similis, tamen totum legatum simpliciter valet, nec locus est modificationi: quia reditus eque principaliter debetur, non autem relictus est accessoriè & velut usura, prout loquitur textus *dicti §. fin.* Nec dici potest hoc esse factum in fraudem modificationis *hujus §.* quia testatori licet facere quod vult & modificatio *hujus* §. non est derogatio potestatis testatoris, sed interpretatio æquitatis, ut dixi, quæ cessat, quando reditus non est legatus ad instar usurarum ut hic. Quando verò pensio est legata in consequentiam, qui est punctualiter casus *hujus* §. multis modis constare potest pensionem non esse legatam vice usurarum, ut quoties apparet de alia justa & specifica causa compensanda, quàm simplicis interusurii vulgaris & promiscui, puta si legaverit mille pro dote, & quamdiu post tempus nuptiarum legatariæ differetur solutio, centum, vel sesquicentum annua, vel si legaverit ad onus requirens sumptum, vel etiam ad modum in favorem legatarii: ut si juveni industrio legaverit mille ad negotiandum, vel ad apothecam erigendam, vel ad ponendum in societatem cum mercatoribus, & quamdiu differetur solutio, sesquicentum vel ducenta annua. His casibus & similibus totum valet absque modificatione hujus paragraphi, quia constat quòd pensio non est legata vice usurarum simplicium, sed ad compensandum aliud certum, justum & specificum interesse, quod simplicibus legalibus usuris non compensaretur. Aliàs in dubio præsumitur relicta vice usurarum & promiscui interusurii: & sic in dubio locus erit modificationi *hujus* §. cujus habes plenum & *primum* intellectum.

486. Restat videre, an & quatenus hodie in usu procedat: & omnes quidem Legistæ & Canonistæ concorditer tenent esse correctum, saltem in ultimo responso. Ego verò contrà, nullo modo correctum nec derogatum esse in aliquo, sed in viridi & vigore & observantia, nisi quatenus per errorem imperitorum veritas obscurata latuit. Patet quia etiam stante vulgari errore, quòd usuræ, non quia primum iniquè lædunt & damnificant, vel quòd (ut Hebræi dicunt) mordent, sed quia usuræ, eo ipso sint reprobatæ, tanquam de se malæ: tamen jura civilia non sunt correcta nec immutata in aliquo in hac materia per novos canones, nisi in mutuo vero vel interpretativo, seu fraudulento, sive in usuris strictè sumptis, quæ sunt lucrum pacto exactum propter officium mutuationis, sive formalis, sive interpretativæ, semper tamen interveniente exactione pacti, sive extorsione. Alioquin cessante omni pacto & extorsione, non congruit definitio, & consequenter nec definitum, ut concorditer tenent omnes Theologi, Legistæ, & Canonistæ. Ergo cessante mutuo vel pacto, & multò fortius cessante utroque stat immutatum jus civile. Sed hic in *hoc* §. *fin.* nedum alterutrum, sed utrumque cessat: ergo nulli canones, nec vulgaris quidem opinio, obstant. Dices, qui fit igitur ut omnes Legistæ & Canonistæ erraverint super *hoc* §. Respondeo, non solùm ignorantia elenchi usurarum, sed etiam neglectus vocum in causa fuit: indè licet Scholastici Theologi (cur enim eos non attingam, quatenus jura nostra attrectant) in dicto elencho passim erraverint, ut suprà *num.* 9. *cum seq.* nullus tamen inter eos inventus est, qui hanc spontaneam testatoris voluntatem ad materiam usurarum spectare arbitraretur, aut judicaret illicitam, sed benè unus insignis simpliciter & specialiter amplexus est, & comprobavit juris civilis dispositionem in *d. §. fin.* scilicet Jo. Gerson. *tract. contract. col. antepen. atten.* 6. ubi citat. Pet. *l. de Pau. in 3. sent. dist.* 37. ubi de hoc articulo nihil dicit. Ratio autem cur in Io. Gerson.

his minus lapsi sint Theologi, est quia diligentius & exactius terminorum definitiones retinent & expendunt: cujus rei nostri negligentiores justè pœnis ab Aristotele designatis plexi sunt, ut crebrius paralogisarentur, ut est luculentissimum exemplum super *d. §. fi.* quem correctum & abrogatum omnes fere asseverant, idque propter superventos canones; imò verius ob malum eorum intellectum, & ob vulgatam opinionem de innata malitia & prohibitione usurarum, tanquam rei per se malæ.

487. Totum autem eorum offendiculum versatur in hoc: quòd textus in *d. §. fin.* vocat hanc pensionem usuram: ex quo continuò, non expensa definitione, distinctione, & æquivocatione verbi usuræ, colligunt locum esse vulgari opinioni. Alioquin luce clarius est secundum omnes, quòd illi canones de usura strictè & propriè sumpta dumtaxat loquuntur, & quæ definitur suprà *num.* 6. ad quam etiam notoriè restringitur vulgaris illa opinio, & similiter pœnæ & sanctiones contra usuras & usurarios latæ, excepta quantitatis moderatione, quæ latè patet, ut suprà *num.* 4. At in jure civili verbum usuræ æquivocum est, vel (ut pressius loquar) analogum: non solum enim propriè & strictè accipitur, ut in *leg. si tibi decem ut princ. de pact. leg. tetta si certum peta.* sed etiam largè, ut in *d. l. curabit, Cod. de actionib. empt.* quin etiam largissimè & impropriè pro quocumque successivo incremento, vel superabundantia, promiscuè accipitur, ut in *d. §. fin.* ubi (ut pulchrè declarat Joan. Gerson in *loco prælegato*) nomen usuræ, non accipitur strictè & propriè, sed pro superabundantia, & sic largissimè & impropriè. Nostri igitur fallaciâ æquivocationis vel analogiæ paralogisati sunt: pauci tamen quandoque veritatem attigerunt, sed variarunt: quia Roman. legendo cum communi errore transit, ut in *leg. stipulatio ista §. alteri, de verb. oblig.* Plenius autem & exactius discutiendo in *d. cons.* 510. *col. decima*, tenet etiam hodie immutatam stare dispositionem *d. §. fin.* contra Paul. legendo, ut in *leg. 1. col. 3. Cod. de summa Trinitate*, & in *rub. de his quæ pœnæ nomine*, nobiscum sentit: de consulendo casu interviens communem errorem secutus est. Cæterùm ad summum error aut opinio magistrorum non facit jus *c. ego solis 19. distinct.* & rectè tradunt omnes *in c. 2. de Constit.* non esse curandum de communi opinione, quæ ratione aut lege convincitur, per *leg. 1. §. sed neque Cod. de veter. jur. enucle.* constat autem omnes adusque ex ignorantia elenchi usurarum erasse. Nunc autem detecta veritate, non solùm primus ille casus, de quo in themate, sed etiam secundus ille, de quo in *dicto §. fin.* pro indubitatis habendi sunt.

Verbum usuræ analogum.

488. Sed hic circa *dictum § fin.* oritur alia necessaria quæstio, Quis sit ille probabilis modus usurarum? Constat autem, quòd ibi se refert ad metas sive limites usurarum largè in jure sumptarum, videlicet augmenti successivi sortis in quantitate consistentis, sive ex mutuo, vel ex vendito, aut alias debito, sive illud augmentum propter pactum, vel propter moram debeatur, ut in *l. 1. & per totum de usur.* Unde prima facie videtur modus ille esse semis centesimæ non ultra, saltem post *d. leg. cos.* nisi fortè legatarius esset justus negotiator, quo casu dici posset modum esse bessem ad summum. Confirmatur, quia hodie nec ille vel alius modus meræ usuræ toleratur in usura strictè & propriè sumpta: nec regulariter toleramus aliquod fœnus, nisi forte abalienata, videlicet quando creditor illam exigere nequit, licet offerri possit à debitore, ut suprà *quæst. 69. in fin.* Igitur in casu *d. §.* ubi creditor summam principalem exigere potest, si velit, non possumus, nec debemus existimare modum probabilem esse ad rationem duodecimæ: quia hic modus non permittitur, nec toleratur, nisi quando creditor numquam sortem exigere potest. Igitur satis est ad summum hìc servari modum legalis usuræ, videlicet semissis, vel etiam bessis, si sit justus negotiator, juxta *d. leg. cos.* quæ non potest dici correcta, nec immutata in aliquo, quantum ad hunc casum, ubi deficit ratio & definitio usuræ strictè & propriè sumptæ per prædicta. Quibus non obstantibus, puto etiam hodie probabilem modum esse ad rationem bessis legalis, sicut erat tempore digestorum & *dicti §. fin.* qui modus, quantum ad hoc, non fuit immutatus per *l. cos.* quæ per *d. l. cos.* bessis non definit esse probabilis modus in se, licet ibi, quantum ad contractus vel usuras largè sumptas, restringatur ad certas personas: & taxatio *d. l. cos.* non est facta pro usuris illis largissimis & impropriè sumptis, quæ ex sola liberali & spontanea dispositione testatoris veniunt, nec opus est quòd *d. §. fin.* recipiat interpretationem passivam & restrictivam à dicta *l. cos.* ex quo per *dictam l. cos.* bessis non est modus improbabilis. Et sic pondero verbum illud (probabilem) *in dicto §. fin.* quod pleniorem & latiorem significationem recipit, videlicet ut non sit necesse hoc casu fieri præcisam restrictionem & exæquationem ad usuras proprias, sed sufficiat probabilis largo modo, *modo* ut ea dispositio testatoris non nimium excedat taxationem vulgarem usurarum. Unde si modicum excedit, non puto opus esse reductione, cùm non sit vera & odiosa usura. Et sic concludo, quòd hodie apud nos potest ascendere ad duodecimam sortis partem annuam; quia non multum, sed modicum besses legales excedit, sed ultrà non puto debere admitti, quia jam esset modus improbabilis. Unde si testator leget mille ducenta, & quoad solvantur, centum annua, valet legatum mirorum, licet legatarius summam principalem exigere posset. Sed si legasset ultra centum annua, deberet ea pensio reduci ad centum, tanquam ad probabilem modum, non autem ad minorem summam: neque etiam hìc locus est reductioni ad decimam quintam, propter nimium excessum, de quo suprà *quæst. decim. numer.* 141. quia hic nullum delictum versatur, imò nulla usura, nisi æquivocè & impropriè. Sed etiam diligenter advertendum, quòd hoc casu ea pensio numquam poterit excedere duplum, in quo inest simplum, sed quamprimum summam principalem omnibus etiam solutis pensionibus computatis æquaverit, ipso jure desinet currere: quia supra duplum omnis modus usura est improbatus, ut suprà *num.* 46. etiam in trajectitiis, *l. nihil interest §. quod in singulos, de nautico fœn.* & suprà *quæst.* 4. & sic cùm ea pensio limitetur ad modum probabilem reliquarum usurarum, necessariò restringitur ad duplum.

490. Sed interim quibusdam forsan videbor oblitus dicti tertii casus, suprà *num.* 481. atqui fervente cogitationis æstu & confectionis brevitatisque affectu, prudens lubensque calamum ad calcem usque quæstionis torsi, sciens interim tertium illum & mistum casum quem tractat Socin. in *d. l. 2.* tacitò expediri, & indubitabilem reddi per prædicta. Si enim nihil est vitii, quando legatarius utrumcumque voluerit, petere potest, multò minus quando non currit reditus, nisi pendente dilatione, quia legatarius fortem petere non potest: sed an tunc locus sit modificationi *hujus §.* Breviter dicò quòd sic, si est eadem ratio, non alias. Unde si pensio legata est in consequentiam, ut quando dixi lego mille, & volo quòd non teneatur hæres, seu quivis gravatus solvere, nisi post decem annos, ita ut interim quoad solvat, det centum annua legatario: tunc si non apparet de alia causa quàm promiscui interusurii, satis apparet hanc accessoriam pensionem esse legatam ad instar & vice usurarum, licet interim sors peti non possit argumento *leg. ritus quia in fin. de pact.* Ideo sufficiet annuatim solvere 80. secundum terminos bessalium juris communis, vel apud nos 83. cum triente unius: quia hoc

excedit modum probabilem, secundum mores nostros. Alioquin si apparet de justa causa specifici interesse suprà *num.* 786. vel si pensio non est legata in consequentiam ad instar usuræ, sed principaliter, ad instar principalis relicti, ut si legavit centum annua in perpetuum redimibilia pro mille, etiamsi addat, ut creditor si malit, possit statim, vel post certum tempus cogere ad redimendum, non erit locus dictæ modificationi, non potest allegari fraus: cùm non sit materia alia persona prohibita: & sic cessant quæ dixi suprà *quæst.* 25. *num.* 236. Nec hîc lex imponitur verbis, sed ex verbis voluntas testatoris (qui alioquin ut vult, disponere potest) colligitur, quæ est intensior & efficacior ad conservationem integri legati reditus, quando ad hoc incipit & principaliter legatur, quàm quando legatur accessoriè, & per modum pœnæ vel usuræ dumtaxat. Ideo ratio & æquitas modificationis, quæ militat hoc ultimo casu, non sic militat in præcedenti casu.

490. Jam me tædet prolixitatis, sed ut verbum unum addam cogit glossa Accursii hîc, quæ censet nullam pensionem deberi, si testator jussit usuras præstari in genere, quoad solveretur, alio non expresso: quod non est absolutè verum. Dicendum quòd aut testator dilationem solvendi legati hæredi dedit, & tamen interim jussit usuras præstari in genere, hoc est alio non expresso: & tunc Accursius verum dicit, & procedit *l. quod in stipulatione de usur.* Idem in contractibus, & omni dispositione, ubi aliàs nullæ usuræ debentur. Fallit si disponens addit verbum, legitimas, vel consuetas: quia tum propter relationem expressam ad taxationem legis, quæ est de semissibus, vel consuetudinis, quæ potest esse minor, sed non major semissibus, de illis intelligitur, nec est dispositio incerta, nec procedit dicta lege quod in stipulatione, ut etiam rectè sentit Accur. in *d. l. eos. in ver. consuetudinis in fin.* Aut verò testator purè legavit, nulla dilatione adjecta: & tunc legatum accessorium usurarum in genere, quoad solvatur, non est inutile: quia intelligitur de usuris legitimis, videlicet semissibus, quæ aliàs veniunt officio judicis, ratione moræ, nisi minores in regione frequententur: quia tunc de illis intelligeretur *d. l. eos.* Et hoc casu propter præceptum testatoris seu legatum usurarum, statim ab adita hæreditate sine alia interpellatione censetur mora fidei. Et sic istud legatum usurarum in genere duos effectus operatur: primus, quod usuræ quæ aliàs solo judicis officio deberentur, scilicet semisses, vel si quæ consuetæ minores veniunt jure actionis; secundus, quòd illæ usuræ current sine alia interpellatione. Ex quo enim de jure veniunt certæ usuræ, puta semisses, legatum verbis tenus incertum, de illis intelligitur, & à jure supplebitur, nec est nullum propter incertitudinem, prout esset nullum, quando aliàs de jure nullæ deberentur, ut in membro præcedenti. Idem exteris paribus, in contractibus: quia si venditor stipuletur usuras in genere in defectum solutionis pretii, hujusmodi stipulatio vel pactum non erit inutile propter incertitudinem: quia intelligitur de legitimis usuris, ex quo certæ sive aliàs à jure, sive à consuetudine minoris taxatæ de jure veniunt. Aliquin in casu, quo de jure nullæ certæ usuræ veniunt, stipulatio vel pactum incertum erit inutile, *dicta lege, quod in stipulatione, leg. tutor. in fin. eo tit.* fac. infrà *quæst.* 83. *ad fin.* Nec intelligitur de consuetis, nisi expressum sit, & hæc in terminis juris civilis. Hodie verò apud nos, cùm istæ usuræ non sint in usu, quando fors peti potest, hæc ultima quæstiuncula non tam inutilis est in praxi, quàm ad pleniorem intellectum juris, in quem finem (cùm nullus Doctorum hoc explicet) omittendum non duxi. Sed quandiu fors peti non potest, tunc etiam apud nos in praxi non puto præceptum illud vel legatum accessorium in genere fore inutile, sed poterit æstimari ad rationem quincuncis usuræ, vel citra, cùm apud nos ea sit hodie congrua æstimatio promiscui interusurii, subsistente justa causa, ut in *q. seq. num.* 5. & 7. prout subest hoc casu ob notabilem dilationem, & voluntatem testatoris: quæ si esset de certa usura, posset valere usque ad duodecimam, per prædicta. Cæterùm de usuris legatorum, quæ non ex dispositione testamenti, sed extrinsecus ratione moræ veniunt, non est hujus, sed sequentis quæstionis.

QUÆSTIO LXXIV.

SYNOPSIS.

1. *Discrimen inter successivum interesse, & casuale.*
2. *Bessem excedere non licet, ne quidem per rationem pœnæ.*
3. *Fructus dotis marito addicuntur ad sustinenda onera matrimonii.*
4. *Vtilitas interusurii.*
5. *Errores Doctorum in materia ejus quod interest.*
6. *Venditor re traditâ stipulari non potest, ultra legitimum usurarum modum.*
7. *Lucrum dicitur omni sumptu, & labore deducto.*
8. *Infamantur usura Lugdunenses.*
9. *Impius anatocismus.*
10. *Si debitor in diem ante tempus solvere cogatur, deducitur interusurium.*
11. *Legitimum augmentum.*
12. *In contractibus bonæ fidei religio judicantis supplet quod omissum est.*
13. *Improbum fœnus ad bessem reducitur.*
14. *Cumulantur errores Doctor. in interesse casuali.*
15. *Gener socero dilationem ad solvendam dotem indulgens justè de lucrandis fructibus pactum init.*
16. *Vsus pecuniæ dicis causâ commodatæ licitè vendi potest.*
17. *Argentario possunt deberi besses ex pacto tacito vel expresso.*
18. *Quid sit legatum?*
19. *Venditor jure venditæ rei fructus retinet, donec pretium solvatur.*
20. *Emptor non dicitur moram facere nisi post rei traditionem.*
21. *Post quam usuræ legitimæ veniunt.*
22. *Emptio sub facultate redimendi non est vitiosa.*
23. *Vsuræ propter moram infliguntur.*
24. *Papa non potest facere non peccatum de peccato.*

Interusurium.

941. SEptuagesimo-quartò succedit quæstio valdè utilis & necessaria, sed non minus difficilis & intricata, de interusurio seu usuris, quæ Judicis officio veniunt in bonæ fidei judiciis & legatis, propter moram regularem vel irregularem, ut in *l. curabit C. de actionib. empt. l. mora §. 1. de usur. leg. in ma-*

norum C. in quib. causis in integ. restitutio non est necessaria, vel etiam præter omnem moram, ut quando cohæres usuras pecuniæ conferendæ infert, non quòd fuerit in mora, sed quia cohæres confert fundum cum fructibus, vel ut in *l. fi. C. de peti. hæred.* vel quando agitur de æstimando legato in diem, in computatione legis Falcidiæ, *l. area. ad l. Falc.* vel legato puro cum onere plus restituendi post tempus. *leg. generaliter. §. cui legatum de fideicommiss. libertatib.* vel quando debitum exigitur ante tempus. *leg. si constante, §. quoties. solut. matri.* vel quando sponte per errorem solvit ante diem longam, ut teneo super *l. in diem. de condict. indeb.* & generaliter quocumque casu debitum in diem certum æstimandum est. In hac quæstione duo principaliter excutienda sunt: primum, an hodie veteribus legalibus usuris desuetis, veniat aliquod interusurium seu interesse successivum, & planè usura largè sumpta in prædictis & similibus casibus. Secundò, si quod veniat, quantum sit, & quatenus æstimari debet. Et hæc in genere, sed prius speciatim multa per se discutienda & decidenda occurrunt. Primò, an illud interesse hodie post veram moram æstimandum sit ex simplici promiscuo interusurio, non probata speciali causa damni incursi, vel lucri cessantis. Secundò an æstimandum sit citra veram moram, etiam ex tola mora irregulari. Tertiò, an possit ejus haberi ratio, etiam pro tempore quo data est solvendi dilatio. Quartò, an possit tempore contractus vel postea deduci in pactum. Quintò usque ad quam summam vel proportionem possit deduci in pactum, vel æstimari. Rursus hic occurrit distinctio necessaria, inter interesse successivum, & interesse casuale seu momentaneum. Illinc distinguenda varietas casuum particularium diversam rationem habentium, puta legatarii, vel ejus qui mutuavit, vel venditoris, vel generi cui dos dari debet, vel viduæ cui restitui debet, vel ejus qui coheredibus conferre debet, vel quando nomina in diem æstimanda sunt, sive in computatione Falcidiæ, sive in adjudicationibus divisionis inter socios vel cohæredes. Vides, dum ad finem propero, quantus sese disputationum campus rursus aperiat: nec docti ignorant, quot sub his singulis velut lapidibus scorpiones lateant, quantæ logomachiæ: quàm sit facile promptuaria longo studio conquisita & redundantia præ manibus habenti splendidas & operosas de his diatribas texere, singulos videlicet casus singulatim excutiendo, erroneas sententias convellendo, veras autem confirmando aut retegendo: sed operosam brevitatem fector, non prolixam operositatem, judicii in primis, deinde methodi rationem habens. Paucas igitur ad hoc aptiores quæstiones singulatim excutiemus, ad sinuosam hanc materiam, ut in simili *supra num.* 414. aperiendam, mox plenè & novè decidendam. Sit hæc prima quæstio.

Quæst. 1.

492. Quidam operarius sua industria in trimestri lucrari solitus quatuor in centum, & in anno sexdecim in centum, reducendo rude sericum ad usum textoriæ, vendidit textori globos serici valentes centum justo communi & præsenti pretio, idque pro centum 12. solvendis in fine anni: quo elapso, emptor vult solvere centum duntaxat, dicens residuum esse usurarium, quæritur quid juris? Videtur quòd benè dicat: primò *per. c. in civitate, de usur.* constat enim quòd venditor carius de duodecim vendidit ob dilationem solutionis. Non obstat dictum Bal. in *rub. Cod. de usur.* limitantis d. cap. in civitate. ut procedat in his quæ pondere, numero, vel mensura constant: tum quia illa limitatio reprobatur per Laurent. de Rodulph. in *reperto. cap. consuluit. col. 2. in 4. oppositi. de usur.* & per Jo. And. in *d. c. in civitate. col. 2.* tum quia hi globuli venduntur & traduntur ad numerum: & sic pro emptore facit dicta decisio Baldi. Secundò argumentor, quia debitor pendente illo termino, non est in mora, cùm habeat dilationem: & sic creditor non potest pro illo tempore petere aliquod interesse prætextu damni incursi, vel lucri cessantis. Tertiò, quia dato quòd possit interim causari sua interesse, tamen hoc non potest ab initio taxari, per notata *sup. num.* 34. In contrarium quòd standum sit contractui, probatur primò quia venditor dilationem dando, exponit se periculo rem & pretium perdendi, si interim fallat, aut facultatibus cadat debitor: & sic videtur posse stipulari pretium hujus periculi *l. periculi pretium. de naut. fœn.* Sed hæc ratio non valet, & meritò tribus melioribus rationibus refellitur. Prima, quia imò periculum semper dicitur esse debitoris, ex quo nullo casu liberatur. *leg. incendium. Cod. de reb. cred.* Secunda, quia idem dici posset in mutuo, & sic esset aperta via usuris. Tertia, quia eluderetur dispositio dicti cap. in civitate, in magna æquitate fundata. Ideo probatur aliter & secundò, quia forsan tempore solutionis poterit merx plus valere: sed hæc ratio evertitur *per c. fin. in fi. de usur.* quia venditor erat tunc venditurus justo præsenti pretio, videlicet pro centum, si emptor tunc solvisset. Ideo tertiò probatur, quia supponitur in facto, quòd hujusmodi operarii raro vendere possint globulos suos, nisi textoribus, qui semper illis indigent: & tamen non solent emere præsenti pecunia, sed mediante dilatione, infra quam solent telas suas inde texere & vendere, deinde de pretio earum materiæ pretium solvere. Quo casu non habet locum dictum capitulum *in civitate*, seu licet pluris vendere ob terminum, etiam per eum qui alias erat minori & præsenti pretio venditurus, ut tenuit Salyc. *Anth. ad hæc. quæst. 9. Cod. de usur.* sequitur Joan. And. *dicto capitulo in civitate. col. 2.* Quartò probatur quia ex hypothesi poterat venditor, & solebat ex justa sua negotiatione plus lucrari de sua pecunia in præsenti soluta, infrà unum annum, quàm sit illa duodecima. Patet, quia poterat lucrari sexdecim, & tamen pro hoc lucro solito & certo omisso, non stipulatur nisi duodecim, igitur licitum per notata in *leg. 1. in fi. de eo quod certo loco. & supra num.* 30. Et sic hæc duo simul juncta, videlicet primum, quod constat de certo, justo & solito lucro omisso: secundum, quod pretium illius compensativum non excedit, sed est minus, faciunt cessare omnia in contrarium adducta: & ita in individuo consuluit Decius *consil.* 111.

Limitationes c. in civitate, de usur.

493. Ubi secundum communem & Theologorum & Juristarum scholam benè, sed secundùm censuram juris civilis malè consuluit: quod multis mirum videbitur, sed non his qui suprà scripta nostra legerint & intellexerint. Est enim illud pretii incrementum solida centesima, jure civili prohibita, nisi in trajectitio fœnore, & quandiu creditoris est periculum. Et sic jure civili illud immensum debet reduci ad octo, ad rationem bessis, quam nec per viam pœnæ licet excedere. *l. Julianus. §. idem Papinianus de actionib. emp.* Igitur multò minus per viam pacti præcisi, ut statim dicetur. Nec dicas contractum tuendum per *l. 2. Cod. de rescind. vend.* quia hic constabat inter partes illa duodecim fuisse addita justo pretio ob dilationem anni. Plus dico, quòd illud incrementum est longè gravius centesima: quia in centesima licet debitori quandocumque offerre sortem, & liberari ab usura pro rata temporis *sup. quæst.* 55. sed hic emptor non habet hanc facultatem ex forma contractus, sed præcisè tenetur ad 12. Et sic venditor nedum stipulatur lucrum veritum, sed certum & præcisum, & est duplici respectu fœnus improbum, ut infrà *num.* 517. Nec obstat quòd illud secundum vitium, videlicet sublatæ facultatis se liberandi infra annum, debeat compensari cum dilatione totius summæ datæ usque ad eundem annum præter formam juris civilis, quo à debitore currente usura, nihilominus sors exigi potest *l. fin. in fin. Cod. de jure dot.* quia respondeo tripliciter: Primò, quòd hæc dilatio anni brevior est, quam ut mereatur aliquam compensationem interusurii, saltem majo-

rem ea, quæ datur & taxatur à jure communi. Secundò, quòd nec prætextu dilationis, nec prætextu quòd usura desinat currere post dilationem, nec alio ingenio, licet metas interusurii in jure taxati excedere, quin sit penitus illicitum, nullum & reprobum: textus in *l. solutum, §. si in fortem in fine de pignor. act.* Patet quia etiam nec data facultate interim sine aliquibus usuris se liberandi, licitum est limites juris excedere. *l. Tulianus. §. idem Papinianus de actionib. empt.* nec dubium quin hæc juris civilis censura & limitatio liget etiam in foro conscientiæ, nisi quatenus communis & inveteratus error juris in conscientia excusari posset. Tertiò respondeo, non esse simpliciter verum, quod vulgò putant creditorem fœneratitium posse semper quandocumque velit, in terminis juris civilis sortem cum usuris pro rata temporis exigere: quia licet hoc verum sit in his quæ currere incipiunt ex simplici mora, secus in his quæ ex conventione & quæstu fœneratitio, quia in his dilatio danda erat debitori, infra quam commodè poterat uti sorte: nec teneretur reddere, alioquin nullus esset usus pecuniæ, ut patet in *l. 1. Cod. de condict. ex leg. ibi pecunia fœnebris dicen habet.* adde notata suprà *num.* 83.

Quæst. 2. 494. Secunda quæstio. Socer dotis nomine futuro genero promittit centum aureos solvendos infra duos menses à die consummati matrimonii, & hypothecavit suam apothecam, quæ valebat trecentos aureos integro pretio, & erat alteri locata pro duodecim aureis mercedis annuæ: & pactum est quòd nisi persolverentur in termino, dictus gener ex tunc caperet pensionem dictæ apothecæ, pro rata quantitatis sibi debitæ, donec persolveretur, non computando dictas pensiones in sortem, an valeat pactum? Breviter Cornæus *consil. 44. lib. 2.* tenet valere absque dubio, supponendo hunc generum mercatorem fuisse, qui ex sua negotiatione poterat ex dictis centum lucrari ultra duodecim aureos in anno. Sed si de hoc non constet, adhuc putat Corn. valere pactum, infra tamen limites consuetudinis loci, scilicet Perusii, & in civitate Tuderti, refert ibi Corn. & in *consil. 71. col. ult. lib. 4.* consuetum esse in dotibus usuras exigere ad rationem 8. pro centenario, & non plus, quæ sunt belles legales. Sed (omnia interim circa ultimum dictum hæsitatione Doctorum aliorum post Jo. Andr. in d. c. salubriter: tenentium non valere pactum, nec consuetudinem aut statutum: aliorum verò tenentium valere) quantum ad primum dictum, videlicet consulto quòd gener poterat & solebat ex negotiatione sua superlucrari, omnes post Hosti. in *d. cap. salubriter*, tenent simpliciter pactum valere, tanquam compensativum veri, non minoris, sed majoris vel æqualis interesse lucri cessantis. Et hac communi sententia fretus Corn. *in d. consil. 44.* dicit eo casu ita indubiè de jure esse tenendum, videlicet usque ad rationem duodecim in centum. Sed certè de jure decisio sua non est dubia, sed jure aperto falsa, quia æquissimo jure civili, prætextu cujuscunque interusurii, non licet etiam mercatori ultra belles usuras stipulari: *textus in d. l. eos.* Sed hæc pensio extenditur usque ad solidam centesimam: & sic improbum fœnus, & quatenus ultra belles, penitus non valet, *d. l. eos. l. lo nium. l. si in fortem. in fi. de pign. act.* sed infrà belles & terminos dictæ consuetudinis. Cumque tunus inter mercatores, illud pactum absque dubio, & jure optimo valet, alio non requisito: licet Corn. (nondum detecto usurarum elencho) subdubiter. Sed exactionis discussionis gratiâ quæritur, an pactum in totum sustineri possit hoc casu, tanquam pars dotis & legitimæ conventionis? Videtur quòd sic, cùm in fine pactorum dotalium soleat apponi clausula, sine quibus matrimonium non sortiretur effectum, quæ ad omnia pacta refertur: & forsan sine hoc pacto gener non erat cum tali contracturus, sed cum alia, vel aliam dotem, vel in fundo maluisset, & invenisset. Et sic eo casu non tam videtur illud esse pactum usuræ, quàm pactum dotale, & tantò dos uberior, ut in simili suprà *num.* 372. Quemadmodum quantò fundus in dotem datus, aut dari promissus est fertilior, tanto dos est plenior, & fructus quanticunque sint, debentur, & cedunt lucro mariti pro oneribus matrimonii. *l. pro oneribus. Cod. de jure dotium.* Igitur & usuræ conventæ, quum vicem fructuum habeant *l. usuræ vicem, de usuris.* & quòd cedant marito, sicut & fructus. textus est in *l. si quis pro uxore, §. si uxor viro. de donation. inter virum & uxorem.* Quibus non obstantibus, dicendum, nullo modo nec de consuetudine, nec de jure valere posse pactum ultra belles legales. Non obstat primum: quia ex hypothesi gener promptè recipiendo dotem, erat omnino sine usuris contracturus: ergo usuræ non sunt nisi pretium simplicis dilationis & interusurii: igitur non possunt per se esse pactum dotale æquè principale, nec extremum principale legitimæ conventionis, duplici ratione. Prima, quia non computantur in sortem, nec ejus loco subrogantur, ut suprà *num.* 372. Secunda, quia non debetur principaliter, nec propter se, sed accessoriè & ob dilationem sortis principalis non alienatæ, sed exigibilis: & sic sunt vera & formalis usura, & consequenter (si terminos legum excedant) verum improbum fœnus. Nec est simile de fructibus, qui sunt causa & accessio intrinseca ipsius fundi dotalis, quæ longissimè distat ab usura, infrà *num.* 512. Multò minus simile de pacto, de quo suprà *num.* 372. quia illud subrogatur loco sortis principalis, quæ desinit deberi.

Quæst. 3. 495. Tertia quæstio. Venditor re traditâ, moram regularem vel irregularem pretii patitur, an & quas usuras petere possit? Quantas, omnes silent. Quòd autem aliquæ veniant, omnes fatentur, vendito fundo fructifero, etiamsi aliter non constet de interesse venditoris. In venditione verò rerum fungibilium, videlicet quæ in pondere, numero, vel mensura consistunt, omnes negant aliquas usuras venire, nisi quatenus de vero interesse, & ejus quantitate, post veram moram probetur: quo casu aiunt, quantum etiam verisimiliter, etiam ex solo vulgaris ac solitæ negotiationis lucro amissum sit, deberi prout etiam volunt in mutuo. In venditione verò rei non fungibilis nec fructiferæ, puta fundi sterilis, si de alio certo interesse non constet, controvertunt. Alii, ut Bald. in *leg. 2. Cod. de usuris.* Paul. in *leg. curabit. Cod. de actio. empt.* Petr. Ancha. in *repetition. cap. peccati veniæ. de regulis jur. in 6.* Jo. Andreas in *cap. unquæstus. de usur.* Alexand. *consil. 147. num. 2. lib. 5.* tenent nihilominus deberi usuras propter implementum venditoris, & perfidiam emptoris. Alii vero ut Salyc. in *dicta leg. 2.* Socinus, *consil. 88. num. 8. lib. 4.* contrarium tenent. Quarta quæstio, si legatarius certæ quantitatis moram passus sit, an & quæ veniant usuræ, & quid tenendum in praxi? Quinta quæstio, si Titius debens centum reditus perpetui, redimibilis pro mille solvendis infra biennium, mutuavit mille ad onus solvendi interim dictum reditum, & redimendi vel restituendi sortem infrà biennium, an valeat pactum? Has tres ultimas & alias similes, necesse est brevitatis causâ, totius materiæ decisioni reservari: ad quam semel ἀναστικῶς complectendam, inquirendum est de uno in genere, deinde de reliquis necessariis in specie. Quæst. 4. Quæst. 5.

Interusurium. 496. Itaque primò in genere quæritur, an interusurii ratio de jure habenda sit? Et videretur absolutè quòd sic, ut passim in jure, in omni materia, & præsertim in hac nostra usurarum, quæ non sunt aliud quam pensatio interusurii, & veniunt in omnibus bonæ fidei judiciis & legatis ex mora, vel etiam citra moram, quandiu creditor est minor. *l. Titiâ Seio. §. usuras de legatis 2. l. in minorum. Cod. in quibus causis in integr.* Et hæc sine dispositione hominis, vel etiam in omni contractu & obligatione ex dispositione hominis infrà

limites

limites, *l. eos.* item in aliis materiis, ut quando debitor diem, eò quòd de solvendo sua die satisdare non potest, cogitur repræsentare, & ante diem solvere: hoc enim fit, deducto interusurio, seu commodo medii temporis, *l. si constante. §. toties soluto matrim.* Idem eadem æquitas suadet, ubicunque debitor sine sua culpa ante tempus exigitur, ut in *l. 1. Cod. de condictione ex leg. secus si culpa sua, ut in d. §. quoties.* Et hìc ideò dictam leg. 1. citavi secundùm communem omnium adusque receptum intellectum: quia licet commentitius & falsus sit (*ut dixi in novis intellect.*) tamen semper manet æquitas illius deductionis. Item ut valeat dispositio, quæ aliàs non valeret: valet enim legatum creditori factum, ob solam utilitatem interusurii, *l. debitor, de legatis. 2.* Item generaliter quoties de nomine in diem pura pecunia in diem debita æstimanda agitur: tantò enim minus propter illud interusurium medii temporis deficiens æstimatur textus in *l. circa l.* in *l. Falcid. in ratione, §. in diem l. qui quadringenta. in fi. ad legem Falcid. l. nisi dolo. §. hæc cautio, §. quoties. si cui plusquàm per leg. Falcid.* Et contrà, quantò ante tempus prærogatur vel exigitur, tantò pluris æstimatur. §. *pius autem Inst. de actio.* Sic tantò minus debere, & tantò minus gravari quis dicitur, quantò tardius solvere tenetur, & contrà *l. generaliter §. si cui legatum, de fideicom. libertatib.* in tantum ut debitor obæratus solvens uni creditori ante tempus, fraudare dicatur reliquos creditores, quibus purè debetur: ita ut revocatoria agere possit textus in *l. ait prætor, §. si cum in diem, l. omnes. in fin. quæ in fraudem creditorum.* quod est intelligendum, quando tempus restans & anticipatum est notabile: secus si modicum. Et intelligendum, quòd ante tempus illud lapsum creditores possunt revocare pecuniam, ut commodum seu fructum medii temporis habeant in solutionem cedendum pro rata: si verò tempus sit lapsum, aut propriè lapsum, ut possint repetere interusurium pecuniæ ab eo qui pecuniam recipit, non simpliciter, sed probando eum interim superlucratum, & locupletiorem, non aliàs, nisi probent eum participasse fraudem, vel nisi fuerit in mora injusta & pervicacia, ut inde possit esse actio arbitraria, & per judicem, vel bonum virum æstimari & adjudicari, quasi quod interfit, non propriè quasi usura, nec ex propria vi & potestate actionis, seu hujus judicii revocatorii, quod est stricti juris, ut alibi novè declaravi, & aliquid tetigi infrà *num.* 514.

Declaratio leg. ait prætor § si cum in diem quæ in fraudem creditor.

498. Et quòd dixi eum teneri post tempus, quatenus locupletior probatur, debet intelligi ad limites communis & solitæ utilitatis hujus interusurii, inter homines ejusdem conditionis duntaxat, non autem in quantum præter id ex singulari quadam circunstantia vel industria locupletatus esset: quoniã hoc interdicto satis est fraudatos creditores indemnes ab alienatione servari, non autem quòd superlucrentur de alieno, ut suo loco plenius tractavi. Eodem modo intelligendum quòd denegatur condictio indebiti soluti in tempus centum in *l. in diem. de condictione indebiti.* scilicet quando tempus est modicum: secus si maxima temporis intercapedo per errorem omissa sit. Ita soleo conciliare opiniones, de quibus per Jas. in *dicta l. in diem.* & in *l. cum quis ad finem. C. de juris & facti ignorantia.* Ex quibus patet quòd interusurium vel commodum medii vel anticipati temporis usus pecuniæ, sive post tempus solutæ, sive repræsentatæ utilitatem habet æstimabilem & considerabilem in jure. Hinc dicit textus in *l. quid ergo, §. usuras. de contraria & utili action. tutel.* quòd etiam tutori contra pupillum suum non debet pecunia sua utiliter impensa esse sterilis, etiam ante moram: tamen non indiscriminatim jura disponunt hanc æstimationem deberi. Nec enim infinitè, sed duntaxat infra legitimum modum usuratum: & adhuc infra hunc modum non semper, nec quocunque casu: spernunt enim in modico tempore ut in *dicta l. in diem. de condictione indebiti.* Et generaliter in omnibus stricti juris judiciis, etiam post moram, imo etiam post litem contestatam, secundùm communem & veram glossam & Doctorum sententiam in *l. 1. C. de condictione indebiti. in l. lite. de usuris* (*quam alibi novè declaravi*) quanquam ex dispositione hominis infrà metas legum caveri non prohibeatur. Non obstat *lex, aut si minus. de eo, quod cert. loc.* quia non loquitur de simplici interusurio, vel ejus æstimatione, sed de eo quod casualiter interest, eò quòd sua die & loco, quo præmonitus erat & promiserat debitor, non reddidit mutuum: quapropter actio fit arbitraria. Idem si ob nimiam pervicaciam arbitraria fiat, ut alibi dixi.

Solutio.

499. Hìc opportunè & necessariò videndum occurrit, quæ sit differentia inter interusurium, & interesse casuale sive momentaneum. Et hæc est una de clavibus totius hujus materiæ, nec non tractatus nostri de eo quod interest: quam tamen glossæ & Doctores adusque ignoraverunt, ut mirum non sit, si tam necessaria clave carentes, germanum harum legum sensum adaperire nequierint, sed magis intricaverint. Dico ergo, quòd quoddam est interesse casuale & momentaneum, scilicet quod simul eodem tempore totum incurritur, seu committitur: non quòd contingat semper uno puncto temporis mathematico, sed vel ὁ πλάτων, aliqua certa temporis intercapedine, ut in *l. 1. l. Iulianus. de action. empt.* Quoddam promiscuum & successivum, scilicet quod totum non incurritur simul, sed successivè pro rata temporis: & illud vocatur à jure, interesse usuratium, in *l. debitor. de legatis. 1.* in *prin.* in *l. socius. pro socio.* & pro rata temporis æstimatur. *l. circa ad legem Falcidiam. l. nisi dolo. §. quoties, si cui plusquam per legem Falcidiam.* Differunt autem plurimùm: quia primum nunquam committi & deberi potest, nisi post moram, culpam, vel dolum debitoris, & causa justa & quantitas probanda est, nisi in quantum pacto vel juramento difficultati probandæ quantitatis subvenitur, ut suo loco dicetur. Secundum autem etiam citra moram & culpam debitoris deberi potest ex pacto, vel etiam quandoque citra pactum ex justa causa compensationis, ne quis cum alterius jactura locupletetur, ut suprà *num. 76.* nec probatione indiget. Primum semper est singulare, sive ad singularem utilitatem damnum passi referatur. Secundum verò est commune, & ad communem æstimationem interusurii refertur, ut infrà *num. 512.* Primum cadit in omni re: sive in speciebus factis, vel pecuniis: secundum non cadit nisi in pecuniis strictè sumptis. *l. text. in fi. de usuris.* Primum versari potest in omni obligatione, sive bonæ fidei, sive stricti juris: secundum verò non habet de se solum in obligationibus stricti juris, nisi ex pacto. Primum habet in jure temperamentum, & limites proprios, de quibus in *l. Titius. cum l. sequent. de actio. empt.* in *l. unica. Cod. de senten. quæ pro eo quod interest*: secundum verò habet alios suos limites, *in l. eos.* Primum nunquam gerit vicem fructuum, sed benè secundum quodammodo, ut infrà *num. 511.* Quandoque utrumque ex eadem obligatione, & respectu ejusdem sortis deberi & peti potest, ut est textus in *l. ter. ad finem. de eo quod cer. loc.* in *l. qui solidum §. etiam de legatis. 2. facit. l. Lucius. de action. empt.* Et tamen unum non est aliud, nec invicem confunduntur, sed unumquodque seorsum per se venit & per se consideratur, ut in eisdem juribus probatur. Conveniunt autem in hoc, quod utrumque est accessio principalis obligationis: utrumque soluta vel remissa principali obligatione, seu pro rata remitti censetur. *l. centum Capuæ. l. fin. de eo quod cert. loc. leg. quart. Cod. depositi* infrà *quæst. 82.* Utrumque per se odiosum & restringendum, & in jure quàm magis commodè potest, restringitur. Et de primo dicitur *in l. fin. de præter. stipulat.* quòd ad exiguam summam deducitur, id est, quamminimùm potest æstimatur &

Duplex interesse.

taxatur, juxtà regulam juris, *In obscuris quod minimum est, sequimur.* De secundo verò, quod in dubio de levioribus, aut nullis usuris intelligitur, ut suprà *l. eos* suprà *quæst.* 73. *in fine.* Ex his vides glos. & Doctores utriusque juris non minùs ignorasse materiam ejus quod interest, quàm materiam usurariam: & ita est, ut vix discernere queam, in utra fœdiùs lapsi sint: omnes enim ferè aiunt legem unicam, *Cod.* quod interest, id quod singulariter tantùm interest, taxare, quod non solùm falsum & perperàm subauditum, sed etiam ineptum, & reliquis juribus contrarium esse acerrimè & clarissimè convici in *tract. de eo quod interest*, quem simul cum isto edendum apparo.

Duo extrema.

499. Restant (ut utriusque interesse medium ipsum æquabile & legitimum ostendamus) examinanda duo, videlicet singula horum duorum extrema, quæ tamen adusque sunt in ore omnium, communis scholæ calculo recepta & approbata. Primum videlicet primi extremum est, quòd licet cuilibet sese indemnem servare, & de toto eo quod sua singulariter, vel communiter, etiam in lucro cessante, interest, vel intererit, sibi cavere, totumque illud exigi posse. Secundum videlicet, secundi extremum, est nullam haberi rationem interusurii propter moram vel defectum implementi, hoc est, nihil hac de causa adjudicandum, nisi quatenus quid quantique verè interfit probatur. Utque res exemplis velut oculis subjecta

Hypothesis.

dilucidior sit, quantùm ad primum, accipe hypothesin & sententiam Hostien. in *cap. salubriter. de usur.* de mercatore proficiscente cum pecuniis ad nundinas, quem aliquis indigens rogat mutuo sibi dari illas pecunias, offerens in certo termino restituere cum lucro quod sperari potuisset verisimiliter fieri in nundinis; censet Hostien. tale lucrum licitè percipi, tanquam interesse lucri cessantis, dummodo mercator non simulaverit se ire velle ad nundinas, cùm non esset iturus, & sequitur Archidian. 14. *quæst.* 3. *cap. usura*, Roman. *consi. quingentesimo decimo septimo. collat.* 8. Panor. Jo. de Ana. *dicto c. salubriter.* Alexand. *consil.* 228. *libro. secund.* Deci. *consilio* 111. & omnes communiter ubique. Idem sentiunt Theologi, ut Tho. 2. 2. *quæst.* 78. & clarius Scot. *in quart. senten. distinct.* 15. *quæst. secund. art. secund.* ubi tenet quòd ab initio tempore mutui, & cessante mora, valeat pactum, quod debitor ultra restitutionem sortis teneatur indemnem reddere creditorem, tam de damno imminenti, quam de lucro cessaturo: puta si erat impensurus eam pecuniam in mercantias vel emptiones prædiorum, unde tantum erat lucraturus. Idem tenent Raymund. in *summ. de usuris*, Bernard. *de Evang. æterni. serm.* 36. *cap.* 2. Gabr. Biel. *in* 4. *sententiar. distinct.* 15. *sub quinque circumstantiis*, quas ibi deducit & requirit idem Clavasius in *sum. ver. usura.* §. 19. *cum sequent.* Antoni. *par.* 2. *tit.* 1. *cap.* 7. §. 17. *cum sequent.* Idem Conrad. *tract. contract. quæst.* 30. *ubi septem circumstantias exigit, quæ recidunt cum illis quinque.* Et licet Innocentius *in cap. fin. de usur.* paulum deflectat à sententia Hostiens. & magis censeat esse usuram, dicens se non posse hujusmodi pactum excusare: in cujus sententiam non tam vitio pacti, quàm propter periculum abutendi, & occasionem simulationis & fraudis usurarum inclinant Joan. Andr. Joan. Calderi. *quæst. tert.* & Joan. de Ligna. in *eodem. cap. fina.* Salyc. *Authen. ad hæc col.* 5. *Cod. de usur.* Laurent. *de Rodolph. tract. usurar. par.* 2. *quæst.* 2. Ambros. de Vigna. *repetit. d. c. salubriter. numero* 47. *cum sequent.* tamen si verè constet creditorem tantum damni passum, vel certi lucri amisisse post moram, omnes & Theologi & Canonistæ & Legistæ tenent valere pactum: imò etiam extra pactum & juramentum resarciendum in foro conscientiæ, ut nominatim Scot. in *loco prædallegato*, & Innoc. in *cap.* 1. *de usur.* exemplificans in creditore, qui ob moram debitoris accipit tantumdem ab alio sub usuris: quem sequitur Salyc. in *l.* 2. *Cod. eo.* Petr. Ancha. *consilio* 376. *secundò dubitatur, col.* 1. Quam sententiam promptum est canonibus pontificiis confirmare. Inquiunt enim *in cap. precariò.* 10. *quæst.* 2. quòd ratio & usus obtinet, Neminem invitum contra utilitatem & rationem cogi de proprio facere beneficium, adeo ut nullus negociator subtilius & accommodatius axioma promere queat.

500. Quantum ad secundum, res dilucidior & vulgatior est, quàm ut exemplis aut alia declaratione indigeat. Omnes enim scholæ hactenus & Theologi & Canonistæ & Legistæ tenent uno ore ubique, nullam rationem habendam esse simplicis interusurii (videlicet in debito quantitatis, ubi de certo post moram damno incurso vel amisso lucro, non constat) etiam ex pacto expresso, tanquam usurario, legesque omnes civiles hac in re non solùm nullitatis, sed etiam impietatis damnant. Totum autem eorum fundamentum est, quòd usuræ de se omnino malæ sint, jure divino & naturali prohibitæ, ut suprà *num.* 9. Nonne vides utrumque extremum in summo & præcipiti stare? siquidem altero omne interesse, quantumcunque sit, rependi volunt, etiamsi centesimam vel quadruplicem excedat, etiamsi puncto temporis duplum excedat, idque contra metas legum: altero verò omne promiscuum interesse excludunt, omnemque pactionem, quantulacunque sit, moderatissimam quoque legum temperaturam, de qua suprà *num.* 43. cum convitiis etiam exsibilantes. Unde meritò eis accidit, ut toties ridiculè & præposterè impegerint, ut exemplum unum tradit Alberic. *l.* 1. *col. penul. in fi. Cod. de sacrof. Eccles.* quòd collegium judicum Bergomi nullas usuras, etiam in contractibus bonæ fidei, admittit, nisi de damno & interesse probetur: & tamen statuta dicti loci limitant & fingunt interesse in quolibet contractu ad tatam solidorum duorum pro libra in anno, sine alia probatione. Et putat Alberic. ibi non solùm tale statutum, sed etiam pactum valere, nesciens de jure esse improbum fœnus utpote dextantis usuræ.

Præpostetum statutum Bergomense.

501. Nunc plenius retegamus errorem inveteratum utriusque extremi. Circa primum, quantumcunque communis error sit plausibilis, communique sensui & moribus, presertim ἐπὶ πλεονεκτῶν, reique factitandæ addictorum arrideat & commodet, juxta *d. c. precariò* 10. *quæst.* 2. & not. suprà *num.* 272. dico primò quòd ut simpliciter per omnes traditur, est contra jus civile & bonas leges, omni respectu, sive eam pactionem referas ad æstimationem interesse casualis, sive ad pœnam, sive ad interusurium, vel usuram: Si enim ad primum, leges vetant illud interesse casuale & momentaneum, casu quo (ut post moram vel evictionem) debetur excedere duplum, in quo inest simplum *l. Titius cum leg. seq. de act. emp. leg. unica. Cod. de sent. quæ pro eo quod interest*, etiamsi pluris interesse constat: sive referas ad pœnam conventionalem, puta dato spatio liberè luendi, ut infrà *num.* 517. quia etiam tales pœnæ debent esse moderatæ, *l. unica Cod. de sent. quæ pro eo quod interest*, ut ibi dixi, & in fraudem legum, ut hic non valent. Si ad tertium, adhuc minus excedere licet, sed standum intra limites *l. eos.* Secundò, quòd istud sit directò contra sanctas leges civiles usurarias, probo: quia non solùm gratis ad tempus mutuanti, sed nec venditori quidem qui tradidit, cui & res, & pretium, & utriusque usus & commoditas absunt, licitum est ab emptore, cui hæc adsunt, etiam dilatione data & pœnæ nomine, si ad diem solutum non sit, stipulari ultra legitimum modum usurarum; textus ut in *l. Julianus.* §. *idē Papinianus de actio. empt.* Nec dicas, ut vulgò sentiunt, quòd ibi non constabat de aliquo interesse venditoris, sed erat pœna merè lucrativa, sicut usura lucrativa est; quia ille textus simpliciter & generaliter loquitur. Tum non est verisimile, nihil aut minus illic interesse, quàm in reliquis venditionibus, nec debet

Plena declaratio *l.* Julianus, §. idem Papinianus de act. emp.

textus contra communem verisimilitudinem restringi. Tum istud nihil aliud esset dicere, quam omnes leges usurarias earumque metas, ad usuras merè lucrativas restringere, ut Theologi scholastici, Canonistæ & Legistæ passim imaginari & præsupponere videntur, quæ est falsa & perniciosa imaginatio, ut mox dicetur. Tertiò rursus casus est rotundus in *l. fin. de pericu. & commodo rei vend.* quæ probat *d. §. idem Papinianus* generaliter intelligi: Loquitur enim & exemplificat speciatim in venditore, negotiatore seu mercatore: nec hoc solùm, sed etiam cujus constabat pluris interesse, utpote qui pretio soluto, ex mercatu superlucrari poterat plus quam essent usuræ: & tamen decidit quòd non potest quicquam exigere ultra legitimum modum usurarum. Nec dicas quod ibi emptor ignorabat venditorem esse mercatorem, ut Jo. Fab. & quidam alii in *d. l. unica. Cod. de sent. quæ pro eo quod interest.* conantur elabi; quia hæc evasio non solùm est divinatoria contra *l. fi. Cod. de contrahen. emp.* sed etiam contra præsumptionem juris, *leg. qui cum alio, de reg. jur.* & contra præsumptionem facti permanentis: quia non solet quis esse mercator ex uno actu, & quin hoc publicum sit. *leg. sed ista. §. proscribere de institoria act. l. legatis in prin. de lega. tert.* Item est contra verba aperta, phrasin & mentem d. leg. fi. *Usuras duntaxat.* &, *ibi non omne.* quæ limitationes non congruerent, sed supervacuæ essent in eo qui non potest nec solet superlucrari: facit *l. si sterilis, §. cum per venditorem, de actio. empt.*

Bes legitima meta interusurii mercabilis.

502. Quartò specialius ostenditur, quia mercatori licitum est ex negotiatione sua congruum quæstum facere, & tamen sive mutuet pecuniam, de qua negociaturus erat, sive ex venditione mercium aut alias debitam permittat utendam debitori, etiam notabili dilatione data (& supposito in debita ex venditione mercium, quòd non sint merces venditæ carius ob dilationem pretii, sed justo tantùm pretio, propter notata sup. *quæst.* 22) non potest de jure civili ultra bessis usuras stipulari, etiam eo prætextu, quòd de pecunia negotiando majorem quæstum facere posset, ut clarè probatur in dict. *l. eos.* ubi justo mercatori permittitur stipulari usuram duabus unciis majorem communi: quòd non fit alia ratione, nisi quia justus mercator plus lucratur, & majus interesse habet ex carentia suæ pecuniæ, quàm alius diversæ professionis, qui non negotiatur. Ideo rationabiliter permissum fuit in jure justis denum, non fictis, aut Reip. inutilibus, aut inhonestis, aut ventris mercatoribus, majorem præ aliis usuram stipulari. Cùm enim usuræ non sint à jure permissæ, nisi propter interesse interusurii quo privatur creditor, & fruitur debitor, cujus sunt æquabilis & legitima compensatio, ut suprà *quæst.* 69. & infrà *num.* 530. justum fuit mercatoribus, quorum præ cæteris magis interesse solet, majorem usuram permitti. Et sic patet quod bes non permittitur mercatori, nisi in compensationem quæstus & interesse justæ suæ negotiationis & professionis. Igitur eo prætextu, etiamsi de majori lucro vel interesse probare velit, non potest majorem usuram stipulari, alioquin d. *l. eos.* esset frustrà posita. Cùm enim certum sit mercatores communiter plus solere lucrari, quis dubitat hoc probari posse? Igitur metæ d. *l. eos.* procedunt & ligant, etiam si constaret, & creditor probare vellet de majori quæstu vel lucro omisso: de quo etiam textus in d. *leg fi. de pericu. & com. rei vendi.* Ex quibus patet evidenter, quòd etiamsi mercator diceret (ut apud Odofred. in *leg. emptione. C. plus valere quod agi.*) nolo fœnerari: nolo usuram, sed duntaxat indemnis servari: non certo de lucro novo vel majori captando, sed de damno quæstus mei solvi & certi vitando: Ecce ex hac pecunia possum lucrari negotiando in proximis nundinis, quæ sunt hinc ad bimestre, duodecim in centum ad minus, tamen quia indiges pecunia mea, & forsan non poteris commodè reddere, & negotium tuum conficere ante has nundinas, sed benè infra quatuor menses, mutuo tibi gratis usque ad bimestre, ita ut si infra bimestre, saltem initio proximarum nundinarum reddas, liberaris, nihilque ratione interesse solvas: si verò non reddideris tempestivè in nundinis, reddes quando voles infra aliud bimestre, satisfaciendo mihi semel de præfato meo interesse ad rationem duodecim in centum, ratione tanti ad minus, vel majoris lucri interim tua causa per me amissi in intermedijs nundinis. Adhuc hæc conventio, etiamsi maximè tale lucrum certum sit, & probandum offeratur, non valet de jure, nec valere potest, nisi usque ad modum justis negotiatoribus concessum, scilicet bessium. Et sic illa duodecim in centum intra quatuor menses, quæ sunt triplex centesima, debent reduci ad duo cum besse unius minimi: sunt autem centum minima vel integra in centum, & sic de aliis numeris. Et sic fiet reductio ad summam longè minorem usura conventa, ut potè infra subquadruplam: & hoc si debitor solvat in fine quatuor mensium: si autem solvat vel offerat in fine trium mensium, non solvet pro interesse vel usura mercatili, nisi duo, videlicet ad rationem bessis pro rata temporis: quia semper necesse est debitores posse se liberare, solvendo usuram legitimam pro rata temporis, ut suprà *quæst.* 55. Et sic profusis corruunt, non solùm sententia Host. & sequacium: sed etiam omnes modificationes aliorum tam Theologorum quàm nostrorum, videlicet tam modificatio eorum qui Hostiensem sequuntur, dummodò de tali lucro vel interesse certo constet, quàm modificatio eorum, qui aliàs quinque, aliàs septem conditiones requirunt, quæ in idem recidunt: nec sufficiunt quia omiserunt & ignoraverunt majorem & potiorem & magis necessariam, quæ est, quòd non excedatur modus legitimus, & taxatio hujus interesse vel interusurii mercatilis hoc casu (videlicet quando quis de sola pecunia vult negotiari, seu fœnerari) à jure facta, quæ consequènter etiam in foro conscientiæ ligat, per notata suprà *num.* 87.

Pecunia non tantem patere debet quantum industria.

503. Quintò convincitur, & quàm sit æquà sanctio juris civilis ostenditur, quia utcunque admittatur aliquem esse fructum æstimabilem & considerabilem pecuniæ seu interusurii, ut infrà *num.* 510. tamen pecunia, præsertim quæ brevi reperi potest, non debet tantum lucri vel fructus adferre, quantùm industria, quæ præterit, nec reddi potest: Quis enim ferat fœneratorem domi residentem otiosum, nisi fortè in calculandis suis calendis, ut cum fœnore & pulvisculo sortem post certum terminum certò & extra omnem aleam reperat, tantum lucri certi facere, quantum industrius & diligens mercator, industriam, sumptum & laborem simul cum tanta pecunia periculo exponens, damnaque & pericula tum personæ, tum bonorum non rarò experiens? Eadem ratione quis ferat mercatorem tantum lucrari de pecunia, quam otiosè & tutò fœneratur, quantum de ea, cum qua periculo personæ bonorum & industriæ negotiatur? Hæc sunt dilucidiora quam ut argumentis indigeant. Sic etiam de jure compendium mercaturæ multò majus est, quàm lucrum usuræ, ut est textus in *l. Titium & Mævium, §. altero. De administrat. tutor.* Solet autem communiter à *πολλοῖς* dimidium lucri attribui industriæ, dimidium autem pecuniæ, argumento *l. cum duobus. §. in coeunda, pro socio.* & notant Bar. & alii in *l. 1 post glo. Cod. pro socio.* & Bar. in *l. illud. Cod. de colla.* & in *l. si tibi decem §. si pactus. de pact.* & in *l. 1. §. nec castrense. col. 2. de colla. bono.* & in *l. cum oportet. in princ. Cod. de bonis quæ lib.* & in *suo tract. de duobus fratribus.* Alex. *con. 132. num. 22. lib. 5.* Bertran. *con. 71. pro facilori. col. 2. lib. 1.* Aymo. *con. 36. num. 1.* Lucrum autem hîc non dicitur, nisi omni damno sumptuque & labore deductis, ut in *l. Mutius pro socio. Instit. eo §. quod tamen*, glo. & Doctores in *l. illud. Cod. de colla.*

Et sic necesse est corruere sententiam Hosti. & aliorum, etiam cum dictis quinque vel septem modificationibus, qui admittunt pactum de tanto hujusmodi lucro resarciendo: debet autem (etiam cessante alia lege) reduci ad dimidium, per hanc ultimam rationem, & adhuc non sufficit de jure, si excederet modum legitimum usurarum. Sextò, non solùm fraudaretur bes mercatilis in quantitate, sed in personarum qualitate. Non enim de jure pro omni etiam justæ mercaturæ interusurio conceditur, nisi justam negotiationem profitentibus & actu exercentibus, cæteris omnibus semis tantùm. d. *l. eos.* Sed prætextu præfati communis erroris hodie de facto Lugduni crebrius non justi mercatores, sed hi qui nunquam mercaturam exercuerunt, vel eam deseruerunt, nummularias illas mensas vel societates, quas vocant *Banques*, erigunt, & meram solamque fœneratitiam exercent, & tamen in hoc, privilegio justorum mercatorum frui volunt: qui novus est abusus ultra prædicta, etiamsi bessibus contentarentur, quas tamen in duplo, imò etiam in triplo excedere non verentur: & tamen non est eis licitum semisses excedere, ut pote cum neque sint argentarii: quippe nudam fœneratoriam solius quæstus proprii causâ exercentes: nec aliàs justi mercatores, imò multò iniquiores fœneratores, quam illi de quibus in *Authent. de nauticis usur. constit.* 130. qui non tantum excedebant, quos tamen Justinianus justè omni prærogativa mercatorum, vel bessibus fœnerandi, non obstante Constitutione super hoc in eorum favorem jam promulgata, privavit, & in ordinem cæterorum, quibus semisses tantùm licent, redegit, ut dixi suprà *num.* 59.

Abusus. 504. Septimò, ex præfato communi errore sequuntur multa absurda & pernicioſa. Primò, occasio irretiendi passim homines gravissimis & inextricabilibus usuris. Secundò, difficilius & carius redditur commercium pecuniarum, & usus æris alieni, quod reipublicæ expedit esse facile & commodum, ut notatur suprà *num.* 77. *num.* 447. Tertiò, occasio nullam justam negotiationem exercentibus, excedendi nedum semisses, sed etiam besses, quinetiam centesimam. Quartò, non solùm his qui propalam & ex professo meram fœneratitiam exercent, ut mensarii illi Lugdunenses, ut nuper dixi, sed etiam quibuslibet, sive publicè, sive privatim, sive palàm, sive clam. Quid enim facilius vel cuivis fribolario, nedum justo mercatori aut negotiatori, quam hoc genus interesse, quale Hostiensis & communis schola admittit, prætendere? imò etiam qui non potest negotiari, sed est cujusvis diversæ professionis, causari potest se pecuniam suam societati mercatorum in commune lucrum daturum, aut aliud non abtimile: prout hac arte quosdam Episcopos & sacerdotes improbam fœneratitiam exercere tempore suo questus est Cyprianus, & justius temporibus nostris Alciat. in *leg. usura. in fi. de verb. significe.* Quintò allciuntur mercatores, præsertim divites, spe tum superabundantioris, tum certioris lucri, ad negligendam & intermittendam honestam mercaturam & solitam mercium negotiationem Reipublicæ utilem & necessariam: turpia verò, iniqua & longè excessiva lucra sectanda, hujusmodi fœnus improbum exercendo: idque citra sumptum, labores & pericula, retenta interim opinione & officina mercatoris, sed solo nomine, ad illusionem populi duntaxat: idque jam nimium docuit, & etiamnum docet experientia. Quorsum enim toties inquisitio decreta in mercatores omissa honesta & necessaria mercatura sua fœneratoriam improbam exercentes? Sed omne flagitium superavit, quod etiam Parisiis factitare cœperant multi divites & famosi mercatores, nempe horribilem illam pyraticam terrestrem, de qua suprà *num.* 14. Neque enim amplius illis curæ erat pannos conficere, aut distrahere, aut alias merces parare, evehere aut invehere: sed assiduè domi sedentes per interpositos venatores venabantur pecunia indigentes, quibus merces cariſſimè ad brevem terminum, puta trimestris vel semestris ad summum venderent, & illicò per eosdem interpositos vilissimo redimerent, & elatas antiqua eodem momento postica reciperent, ut tandem hæc impostura & illusio diffamata sit, & aliquot supra octo annos partim è mercatoribus, partim è proxenetis suis, per judices super hac re datos mulctatis (eò quòd non plenis probationibus, sed tantùm conjecturis verisimilibus adeo vereratoriè & callidè agunt, revinci potuerant) aliquantulum repressa sit: plures tamen adusque sæpe abuti pergunt.

Impiæ usuræ Lugdunenses. 505. Quid quòd hodie non clam, sed propalam grassantur crudelissimæ illæ usuræ Lugdunenses, ubi prætextu interusurii mercatilis in singulis nundinis, quæ quater singulis annis habentur famosi illi mensarii hanc solam artem exercentes, capiunt circiter quatuor cum dimidio in centum, sive octodecim annua, & sic sesquicentesimam: & tamen vacant omni periculo, labore & sumptu, & sunt cautionibus vel pignoribus tuti & certi de sorte non alienata, ut pote lapso trimestri vel semestri repetibili, cum tanta *Βαρβαροτητι*, usura, donec sors cum usura reddatur. Nos autem censemus hoc esse gravissimum peccatum & scandalum, contra legem Dei, contra sacras leges & Decreta sacri Concilii Niceni, suprà *num.* 37. & 84. graviterque peccare Magistratus qui tolerant: Quod enim accipiunt quatuor cum dimidio in trimestri, non licet eos de jure capere ultra unum cum dimidio, & sic dictæ usuræ tertiam tantùm partem ad rationem semissis, quæ tantùm eis licita est: tres autem semisses sesquicentesima continet. Quòd si hi sint justi negotiatores, honestam aliam mercaturam profitentes & verè exercentes, tunc loco illorum quatuor cum dimidio in trimestri licet eis accipere duo tantùm ad auctionem bessium, quæ est summa usura, ut suprà *num.* 446. & plena & abundans pensatio mercatilis interusurii solius pecuniæ, prout ea sola debet considerari, contra eum qui de eadem non negotiatur nisi usuram recipiendo, ut suprà *num.* 58. Jus autem civile in hac materia, licet sit correctum, in quantum, quanquam infra congruas metas, sed nimis vagè & dissolutè, tolerabat ex provisione hominis ubique pacisci de usuris, etiam in formali mutuo, etiam ab initio ante moram, tamen non est correctum, sed in viridi observantia, secundum omnes & Theologos & legistas & Canonistas, in quantum verat & restringit usuras vel earum excessum. Et sic ille usus Lugdunensis etiam citra anatocismum, est merus abusus, prorsus damnabilis & nullo modo excusans, nec in conscientia quidem, etiam prætextu consuetudinis, propter nimium morsum (ut Hebræi loquuntur) seu excessum, nec etiam in foro judiciali, si coram Doctore & bono judice agatur: frustra verò consuetudinem, frustra quorcunque judiciorum præjudicia, quæ hic aggravant, non excusant, *c. fi. de consuet.* frustra quæcunque statuta, edicta & homologationes (si quæ sint) causabuntur. Tantum enim abest ut excusent, ut eis maledicat Spiritus sanctus per os Prophetæ, dicens. *Væ vobis qui condidis leges iniquas! Esaiæ.* 10. Cùm autem morsus is enormis acerbæ hujus usuræ sit contra legem Dei, & contra præcepta aperta & negativa juris divini moralis pluries repetiti in locis citatis suprà *num.* 2. *num.* 9. nullo prætextu, nullo tempore excusari aut tolerari potest: Non enim potest dici societas, cùm creditor nullum periculum subeat, nec participet, sed omnino certus sit de sorte & tanto lucro: nec etiam dici potest mercatura, nec justa negotiatio, cùm creditor nullam industriam, nullum laborem, nullam mercem (quia pecunia non est merx, suprà *quæst.* 69. faciunt suprà *num.* 58.) adhibeat: sed est solum & merum mutuum fœneratorium, idque non solùm contra omnia jura, sed etiam contra sacrum Concilium Nicenum.

Leges iniquæ maledicuntur à S. Spiritu.

Differunt societas, mercatura, fœnus,

Non tamen statim & indiscriminatim reos censeo noxæ mortalis eos, qui sic adusque ex juris ignorantia fœnerantur, putantes licitum ob consuetudinem eorum qui probi habentur, & tolerantiam Magistratuum, dummodò non exigant à pauperibus, sed à divitibus negotiantibus, præsertim quando ad hoc provocantur & rogantur ab illis, tantum fœnoris, ut partem lucri, ultrò & cum gratiarum actione offerentibus, & asserentibus sibi commodum fieri: ut Institor Regis Portugalliæ, qui etiam privatos rogat sibi fœnerari ad rationem sexdecim in centum in anno, quæ est sesquitertia centesima, & tutò cavet de sorte cum tanta usura restituenda post semestre, aut quoties post alium brevem terminum voluerit creditor exigere. Et superlucratur institor, sibique gratiam fieri dicit præ supradictis mensariis, qui exigunt octodecim annua in centum, & sic plenam sesquicentesimam. Veritate verò deinceps per nos detecta, non sic, saltem non tam faciliter excusabuntur. Et cùm tota hæc nostra œconomia, quæ in se est æquissima, non sit aliud quàm veteris juris non abrogati, sed virentis (licet nimis crassâ ignorantia hactenus offuscati) genuina & certissima declaratio, debet etiam ad contractus jam factos & usuras præteritas & negotia pendentia extendi, per textum in *l. fin.* C. *de usur.* Peccatum autem maximè Principum est & Magistratuum, qui usque adeò τὸ πρᾶγμα negligunt, ut tam barbaricam iniquitatem tandiu tolerarent & multò magis eorum, qui etiam authorant: Sunt enim rei non solùm omnium improborum fœnorum, quæ inde procedunt, sed etiam omnium fraudationum, quæ jam diu & in dies passim committuntur à mercatoribus in mercantiis suis, ut damna hujusmodi improborum fœnorum compensent cum aliena jactura, ut superlucrentur. Quid ergo dicemus de nefariis illis, qui superaddunt anatocismum? ego quidem non audivi de facto nunc fieri, legi tamen apud Alexand. *conf.* 2. *conf.* 107. *libro* 2. quorum epitome *conf.* 8. *lib.* 6. ubi pessimè approbat. Et nuper legi in libro de *Arithmetica & Geometria lingua Hispanica*, per quendam ab Urtica Ordinis Dominicani artificiosè composito, plura exempla: quibus mendicus ille docet expeditè calculare quantum resultet lucri, quando pactum est quòd æquè lucrum pariat lucrum sive usuram, sicut sors: ex quibus patet, etiam de facto practicatum fuisse, & tantùm scelus etiam alia scelera prodigiosa superfœtatione produxisse.

Institor Regis Portugalliæ.

Mercatura argenti.

Ἀσέβημα

506. Hujusmodi verò scelera nullatenus depositi vocabulo, quod huic negotio fœneratores indunt, velari possunt: cùm notorie nec creditor egeat custodia alienæ pecuniæ suæ, nec det in Custodiam, sed in usum quæstuarium: debitor verò non præstet officium depositi vel Custodiæ, sed sibi utendam accipiat, & paciscantur de mercede usus, tripliciter metas juris excedentes, & sic de triplici improbo fœnore, cum quo sors infra tres vel sex menses reddi debet. Et sic est verissimum, & (ut ita loquar) formalissimum mutuum fœneratitium, nec eis patrocinari possunt, *l. Lucius*, *l. Pubia depositi*, ut novè ℈ γνώμας declaravi, infrà *quæst.* 83. quibus non est in dignoscendo in fœnore Lugdunensi, usque adeò res protrita est, ut vel solo nomine sese prodat. Vulgò enim hanc vocant mercaturam argenti, & lucrum ipsum pretium argenti, ut non possit hæc negotiatio clariùs fœneratio, nec clarius hoc lucrum fœnus vocitari, per notata suprà *quæst.* 69. Unicum pro multis exemplum proniam, quod ipse vidi anno 1538. Mercator magnum & honestum quæstum faciens, egens in eam rem promptis sex mille aureis in proximis nundinis, misit schedulam (his enim brevibus & privatis causis fides est ex laudabili more inter probos & notos mercatores) ad quendam mensarium, rogans pro se & quodam in hac re associato provisionem, id est auxilium sibi fieri in proximis nundinis de 6000. aureis solatis, in depositum pro duabus nundinis, hoc est ad utendum semestri, ita ut hoc depositum non constet pro illis duabus nundinis, ultra 4 ½ vel 4 ¾ ad summam non ultra 4 ¾ pro illis duabus nundinis, hoc est dilatione duarum nundinarum seu semestris. Quis non videat tale depositum esse merum purumque mutuum fœneratorium, mercedémque depositi esse verè mercedem seu quantitatem fœnoris conventi, pro usu pecuniæ ad brevissimum tempus mutuatæ: & tamen ita non solùm hactenus utuntur, sed etiam securè utuntur, & nomen Dei identidem suis schedulis velut religiosi aut religiosè agentes inserunt. In eo exemplo clarè vides, ut debitor haberet pro magno beneficio primum numerum, hoc est centesimam & simul quincuncialem usuram pendere. Quatuor enim cum quarta parte unius pro 100. in trimestri faciunt solidam centesimam, & rursus quincuncem ejusdem; subaudiunt enim verbum, in centum, pro facilior: quota sortis, & spatium unarum vel duarum nudinarum usurpant pro trimestri seu semestri. Pro mediocri verò beneficio habebat secundum numerum, videlicet pendere quatuor cum triente unius, quæ faciunt centesimam, quincuncem & tertiam partem unciæ. Quòd si utroque beneficio excluderetur, adhuc pro justo pecuniæ commercio habebat tertium numerum, videlicet quatuor cum dimidio, quæ faciunt veram sesquicentesimam, non autem dimidiam sesquicentesimæ: quia illa verba (pro duabus nundinis) intelligunt distributivè, id est, tantam usuram pro primo, & rursus eandem pro secundo trimestri: Solet enim ibi fœnus seu pretium (ut vocant) argenti communiter variari, & plus minus æstimari in singulis nundinis, & ratò solet ibi de facto minus valere sesquitertia centesima, videlicet quàm quatuor pro centum in trimestri, ratò etiam (quod sciam) solet excedere sesquicentesimam, quam dictus mercator (nomina reticeo) integrè cum sorte & sponte pro virili sua dependit, nec me super fœnore consuluit, sed super eo, quòd illud mutuum acceperat in communi simul cum quodam ipsius creditoris consanguineo, qui postea cum dimidia parte pecuniæ (nisi eam creditori collusori restituisset) aufugerat in Angliam, ubi opera & sumptu mercatoris comptehensus & carceratus fuerat, sed exemptus opera creditoris, qui tamen non contentus à mercatore suam virilem, ut dixi, cum tanto fœnore recepisse, prosecutus est eum coram Conservatore dictarum nundinarum, & in Senatu Tholosano, & in magno Regis consilio super residuo sortis & fœnoris, causificans eum principaliter ut mandatorem, ut in solidum obligatum, peténsque tantundem fœnoris, interesse nomine, quandiu dilata erat aut differretur totius restitutio: Causabatur enim creditor se accepisse dictos 6000. aureos mutuo à mensa nummularia, hoc est à sua vel communi sociorum, ad interesse, séque singulis annis damnificatum ultra 500. in 6000. & pro justissimo & debito interesse habebat prætextu dictæ sententiæ Hostien. & communis adusque omnium erroris. Vides indidem *insidias cæcas*.

507. Sed mirum quàm effervuerunt à paucis annis ficto quodam edicto quamsolemniter publicato, quo liceret 5. in 100. accipere in singulas nundinas, quod æquat sortem in quinque annis, nec distat à duplici centesima nisi decem mensibus, & quorumdam pecuniæ, qui fidentes edicto, tantique cupidine lucri accensi dictis mensis commiserant, mox à fisco occupatæ. Non nego quin magnam pœnam mereantur tam improbi & scelerati lucri cupidi, sed videant ὁ ἀγχιστεὺς quàm fœdis sceleribus sese commaculent, dum subditos ad peccandum irritant. Dupliciter enim, teste Gregorio, peccant, & duplici pœna digni sunt, quemadmodum qui benè præsunt, divo Paulo teste, 1. *Timoth.* 5. duplici honore digni sunt. Plurima verò sunt illis honestissima, omnique laude dignissima

remedia, tum emendandorum, tum beandorum subditorum, si liberet eis *πολιτεύειν*, partesque reipublicæ agere, ut tenentur, solo reipublicæ charitatis, non autem tyrannidis, avaritiæ, libidinum, &c. scopo propositò: Sed ad rem. Non potes illud exemplum excusare prætextu qualitatis debitoris, qui non solùm non non erat qualitatis eorum quibus gratis mutuandum, de quibus suprà *num.* 86. sed cum certaret de negotiando & superlucrando, poterat cum eo de parte lucri pacisci, ut in exemplo, suprà *num.* 10. cum sequenti, multum enim illud primum exemplum distat ab isto, ob nimium morsum & excessum: Quanquam enim quandoque inter aliquos divina & humana lex non vetent de congruo lucro pacisci, semper tamen vetant de excessivo, qualis est centesima, quæ semper, citra trajectitiam & susceptum à creditore periculum, fuit probrosa, ut suprà *num.* 40. sed hîc est multò major centesima, & sic improbissimum fœnus, non solùm jure divino ob tam acerbum morsum, sed etiam bonis legibus humanis, & Decretis Sanctorum Patrum damnatum & execratum. Ego quidem inter ipsos mercatores & negotiatores, si metas juris *d. l. eos.* non excederent, hanc negotiationem interusurii pecuniarii reprobare non possem, nec vanum arbitrarer quòd nomen Dei in suis schedis in signum legalitatis & bonæ fidei adscriberent: sed in tanto tamque enormi excessu cogor legibus divinis & civilibus, & sacris Patrum Decretis damnantibus, subscribere, quamque in his sceleratis negotiis nominis divini mentionem usurpare solent, meræ hypocriticam asserere, juxta illud Evangelicum Lucæ 6. *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Sed nihilominus (culpâ certè τῶν ἀρχόντων) tantum malum serpit per magnum & abominandum scandalum ad alios quàm mercatores & justæ negotiationis professores, idque tam activè quàm passivè: quod tam notorium est, ut non sit opus plura exempla referre. Quinetiam audivi quendam Advocatum Lugdunensem, qui quòd non tam doctus esset, nec tam ex patrocinio lucraretur, quàm aliqui doctiores & famosiores, ut eos tandem divitiis vinceret, ad hanc sceleratam artem confugit, & quicquid ex advocatione vel aliunde corradebat, ad mensam nummulariam, ad hæc impia lucra participanda deponebat, & tandem exteris quidem ditissimus, sed odiosissimus, & meritò contemptissimus evasit, nec nisi ingratis & extraneis haredibus commodavit, tandémque (ut fit) suprà *num.* 3. malè parta malè dilapsa sunt, thesauri videlicet iniquitatis & modius ira plenus, ut inquit Michæas c. 6.

508. Nec rursus valet, si dicas quòd in casu Hostiensis suprà *num.* 500. mercator ille dat pecuniam suam huic debitori in articulo egestatis, utque illi commodet gratiâ illius non ut de paupertate illius negotietur: & quod in residuo id solùm agit, ut indemnitati suæ caveat de lucro, quod alioquin de ea pecuniâ negotiando facturus erat. Quia dico primò quòd istud est mera sophisticatio verborum, meumque præstigium: sed adeò futile, ut ad primam excussæ veritatis scintillam evanescat. Quò magis enim debitor eget & angustus est, eò minùs ab eo exigi debet tantùm ab est ut tantæ usuræ prætextus esse possit, quòd debitor alioquin mutuo denegato, majorem cladem subiturus est, & aliàs probandum esset iniquum illud exemplum, quod ex Athenæo refert Budæus *lib.* 1. *Assis.* de eo qui tridrachmali fœnore obrutus, rogabat amicum mutuam sibi fœnore sesquicentesimo & sic dimidio leviore dare pecuniam, qua officinam unguentariam instituat, ex cujus quæstu tam acerbo fœnore liberari possit. Cæterùm ut mercator negotiando cum mercibus verè negotiatur: ita hoc modo mutuando, & sibi de solito lucro cavendo, veriùs & ampliùs negotiatur, ut dictum est, ipsaque res ostendit: cùm ablique mercibus, citra veram earum commutationem & devectionem, citra laborem & industriam, citra pericula personarum & rerum, citra dubium & casum intermissionis lucri cursusve negotiationis, quæ sæpe adversa valetudine, morte vel aliis infinitis casibus impediri, vel in totum abrumpi potest: sed turò & continuè, idque solis nummis negotietur. Non est ergo verum dicere quòd in gratiam debitoris lucrum suum omittat: sed quòd de ejus paupertate quæstum faciat, ut longè uberiorem prætenso quæstu omisso, ita longè nequissimum & improbissimum. Omitto quàm longè illæ harpyæ fugerent hoc genus fœnoris, si sperarent plus lucrari posse negotiando: non multum absimiles antiquis quibusdam, sed improbissimis Oratoribus, qui cùm linguam haberent turpiter venalem, plura tamen talenta silendo, quàm cæteri exactè & laboriosè dicendo, lucrari sese gloriabantur, ut apud Valer & Aul. Gellium in *Noct.* Omitto quod altera manu quàm latè & commodè possunt, negotiantur: quatenus autem non possunt & otiosam pecuniam habent, altera manu tam improbè fœnerantur, tantáque hypocrisi, ut nec pessimi viri esse, sed alienum negotium proprio, salva indemnitate, præferre videantur. Sat scio interim me prolixitatis à quibusdam argui, sed non solùm rei indignitas, verumetiam necessitas eò impellit, nec tam scelerata & inveterata lues satis insectari aut convinci potest.

509. Nunc accipio secundum oppositum extremum, quod multum quidem plausibile videtur, cùm justo usuratum odio, tum liberalitatis & gratuitorum officiorum favore. Sed illud effatum falsum & iniquum esse probatur: primò, quoties debitor in diem ex causa, sed sine sui culpa cogitur ante tempus solvere, debet æstimari & deduci interusurium, seu commodum medii temporis, idque indistinctè; etiamsi debitor non sit mercator aut negotiator, nec aliter de certo specifico ejus interesse sive damni incurrendi, sive lucri amittendi constet. *l. si constante §. quoties soluto matr.* ut notant glos. & Doctores in *l.* 1. *Cod. de condict. ex leg.* Igitur si quod mihi purè debes, frustraris, & notabili tempore differs solvere & moram purgare, debet æstimari & reddi interusurium & commodum medii temporis, quo tua mora frustratus sum; etiamsi non sim mercator, nec solitus lucrari vel negotiari, nec aliter probem de aliquo specifico interesse, per locum ab eadem contrariorum disciplina, quando eadem esset hic ratio utriusque: imò etiam per locum à correlativis: quod enim æquum est debitori, ut in dicto §. *quoties*, debet etiam conversò casu æquum esse creditori, *l.* 2. *de expressis lib.* 11. *l.* 1. *vers. æquissimum de solut. l. pen. in fin. Cod. de solution.* nec frustratio debet esse impunita, *l.* 3. *ad fin de usur. l. si hominem, mandati l. fin. de re judi. l. Divi. ad leg. Falcid.* Secundò, usus seu fruitio pecuniæ habet aliam præter numerationem vel restitutionem sortis utilitatem usibus hominum commodam, considerabilem & æstimabilem, *legibus citatis* suprà *num.* 497. Igitur concedens usum pecuniæ suæ, vel sibi debitæ, quam non tenetur mutuare, nec differre, potest pacisci de interusurio: quod sibi abest & debitori adest, usque ad summam congruam, nec excessivam. Et sic poterit locus esse interusurio, non solum quando debitori anticipatur solutio ante tempus: sed etiam quando notabiliter prorogatur sive ob moram & frustrationem debitoris, sive ex pacto, quòd etiam per canones probatur; inquiunt enim. Neminem invitum cogi de proprio facere beneficium. 10. *quæst.* 3. *c. Item* cum etiam communis schola velit congruam seu æquivalentem pensationem accipere licere pro usu rei afferentis fructum, sive naturalem aut industrialem, ut fundus; sive civilem, ut domus, vel equus, vel navis, *l. si navis, de rei vend.* sequitur licere de usu pecuniæ pro modo interusurii, quod fructum & commodum adfert.

510. Hinc usuræ dicuntur fructus pecuniæ, *l. qui quadringenta §. fin. ad leg. Falc. l. generaliter §. si eus legetur, de fideicommissar. libertat.* & vicem fructuum obtinere, *l. usura vicem, de usur.* & omne commodum inter fructus connumeratur, *l. videamus 2. in fin. de usur. facit l. 2. §. belliss. ut legat. nomine caveat.* Tertiò, omnes definiunt usuram esse lucrum, excludendo quicquid vel ultra sortem, sed ob aliam æqualem compensationem percipitur: igitur licèt aliquid exigatur ultra sortem, dummodò non excedat æstimationem interusurii, non erit usura, sed solùm quatenùs congruum modum excedit. Sed modus legalis in sui quantitate non excedit congruum modum, nec possibile est, stante congrua & communi æquabilitate commerciorum, minoris æstimare, suprà *num.* 76. Nunc apertis radicitùs fundamentis, & ratione utriusque interesse, paucis explicemus, quæ sit sanctio juris civilis super utroque: deinde quid observandum in praxi, & sic reliquum totius materiæ planum erit. Hic rursus quammulta novè discutienda & convellenda occurrunt: sed ut hujus tandem immensi æquoris portum conspiciamus, libet graviore disputatione omissa, veritatem ipsam & sententiam nostram planè & *jubeatis* exponere.

Quotuplex accessio.

511. Breviter notandum quòd duplex est accessio rei in genere generalissimo, una cognata seu naturalis vel quasi, quæ dicitur causa, sive à re immediatè, sive mediatè causetur, *l. æquit. l. videamus, ff. de usuris, l. cum fundus, in princ. de reb. cred.* Hanc vocat Justinianus legitimum augmentum in *l. fin. verific. vel si ipse Cod. de pet. hared.* de qua alibi suo loco dicemus. Altera accidentalis & extrinsecùs accedens: & hæc triplex: scilicet æstimatio quantiplurimi, usura sive interusurium, & interesse casuale momentaneum: harum trium solæ usuræ habent vicem fructuum duplici ratione. Prima, quia sunt quid successivum, sicut fructus civiles domus vel navis locatæ, & pariter successivè renascuntur: unde videntur in fructu, *l. dotis §. si vir in fundo, solut. matr.* unde usuræ dotis cedunt marito, sicut fructus, *l. si quis pro uxore, §. si uxor. de don. inter vir. & uxor.* Secunda, quia sunt compensatio, seu communis æstimatio promiscui successivi interusurii, ad quod referuntur. Unde malè dixerunt Nicol. Matharel. Alberic. & alii in *l. unica C. quod interest*, & ubique, quòd usuræ non referuntur ad commune, sed ad singulare interesse: quia imò ad singulare per prædicta, confutando opinionem Hosti. & sequacium, sed ad commune interesse interusurii promiscui & communis: non tamen sunt fructus propriè & strictè, quia non ex ipso corpore, sed ex alia causa, id est nova obligatione, & sic extrinsecus veniunt, *l. usura, de verb. sign.* Æstimatio verò quantiplurimi non potest habere vicem fructuum, non solùm quia sit semel, sed etiam quia est pars æstimationis ipsius rei vel corporis, licèt accidentalis: unde dicitur utilitas sive interesse circa rem, *l. si sterilis §. cum per venditorem de act. emp.* non autem intra rem, ut omnes glos. & Doctores pessimè hactenu. interpretati sunt. Non enim est intra rem, sed necessario penitùs extra rem, quia esse desiit: si enim adesset, non diceretur æstimatio quantiplurimi, sed simpliciter æstimatio & actualis concomitantia rei, & veniret etiam citra moram & culpam. Postquam autem res eviluit, major illa æstimatio, quæ propter culpam, vel moram debitoris amissa fuit, est species interesse seu accessionis, quæ ideò non dicitur esse remota & impertinens, sed circa rem, quia est æstimatio qualitatis, quæ semel rei adhæsit, & ejus pars fuit. Unde hæc accessio tum quòd ob præteritas reliquias magis accedit parti rei, quàm mulæ accessioni, tum quòd magis consistit in damno resarciendo, quàm in lucro, longè favorabilior est & facilius accedit, quàm usura. Patet, quia venit etiam in obligationibus stricti juris citra pactum, *l. in hac, de condict. trit.* interesse verò casuale nihil habet commune cum re, nec cum ejus fructibus vel quasi, & longùs cæteris accessionibus à re recedit, & cum illa quantiplurimi proprium syntagma requirit, *tract.* in *d. l. unica.* Et hæ tres accessiones in omnibus rebus fungibilibus, non solùm in nummis, sed etiam in cæteris quantitatibus mutabilibus versari possunt, *l. frumenti, l. oleo. Cod. de usur. l. nummis de in lit. jurand.* not. in *l. Paulus de solut.* quicquid omnes glos. & Doctores adusque dixerint. In speciebus autem possunt versari accessiones quantiplurimi & interesse casuale, sed non usura, nisi quatenus essent res æstimatæ, & tanquam tales vice prètii datæ, *l. 3. in fin. de usur. l. pro auro C. eod.*

Summa usurarum secundum jus civile.

512. Circa usuras autem hæc est civilis sanctionis summa. In bonæ fidei judiciis veniunt, non solùm ex pacto, stipulatione tamen vallato, sed etiam ex mora regulari, ut in *l. mora §. in bonæ fidei, de usur.* vel irregulari *l. curabit. Cod. de action. empti.* Sed in strictis juris judiciis, ex stipulatione expressa tantùm, *l. quamvis Cod. de usur.* ex pacto & tamen nudo peti possunt in mutuo duobus tantùm casibus. Primò, à civitate, *l. etiam de usur.* non à pupillo vel simili privilegiata persona: quia speciale est in pecuniis publicis mutuò datis propter publicas necessitates, sicut & in argentariis dictum est suprà *num.* 59. & sic casus *d. l.* etiam nullo modo debet extendi, sed strictè accipi. Secundò, in frumento vel hordeo mutuo datis, *l. frumenti Cod. eod.* quæ etiam stare debet in casu suo, nec extendi ad venditionem vel emptionem, aut aliam obligationem earumdem specierum: & hæc omnia, infra limites & moderationes juris, de quibus suprà *num.* 43. Interesse verò casuale non accedit, nisi post veram moram, culpam vel dolum, & ex justa causa propinqua & probanda, sic suprà *num.* 29. nec ultra duplum in casibus certis: quæ limitatio non habet locum in doloso, quin ob dolum omnis casus incertus est, ut suo loco dixi. In incertis autem casibus judex non debet excedere id quod verè ex justis, veris, propinquis & efficacibus causis interfuisse apparet, *d. l. unica.* & in dubio ad exiguum deducitur, *d. l. fin.* Cæterùm in omni obligatione, sive bonæ fidei, sive stricti juris, versari potest, ut dixi: & de eo loquitur *to. tit. de eo. quod certo loco*, & ejus est peculiaris materia.

Interesse casuale.

Nova declaratio de eo quod certo loco actio arbitraria.

513. Non tamen statim præcipitanter intelligendum occasione verborum dictæ rubricæ, quod non veniat arbitrandum hoc interesse in actione stricti juris, nec sit arbitraria, nisi solutio in certum locum destinata sit: & è diverso quod arbitraria sit, & hoc interesse æstimandum, eo ipso quod certo loco solvendum est, ut omnes ferè glos. & Doctores ibique ex ignorantia legalis æqualitatis malè & imperitè opinantur, sed maturè graviterque intelligenda sunt duo; primò, quod ibi loci mentio fiat tanquam circunstantiæ prægnantioris, ut pote quæ diem includit, *l. 3. §. si quis ita eo. tit.* Et gratiâ commodioris & frequentioris exempli in quo versari debeat arbitrium judicis ad æstimandum & taxandum, an & quantum extrinsecus interfit, unde non restringit: & sic etiamsi locus non sit adjectus, si tamen debitor fuit expressè vel tacitè prænonitus de futuro interesse creditoris, si falleret, & conditione susceptâ fallat, arbitraria erit actio, cùm sit omninò eadem ratio, justitia & æquitas. Cur autem ob id actio stricti juris in jure dicatur arbitraria, non autem actio bonæ fidei, in qua multò magis eadem æquitas observatur, rationem glos. & Doctores non malè referunt ad naturam & vim actionis, quæ plenior est in judiciis bonæ fidei, in quibus quicquid ex bono & æquo præstari debet, etiamsi in formula contractus pernissum sit, nihilominùs venit *§. conductor. Institutionib. de locato*, non æquè in strictis juris judiciis, *l. quidquid adstringendæ de ver. oblig.* Sed cùm non minùs in istis æquitatis & justitiæ ratio habenda sit, *l. quod si Ephesi in fin. de eo quod cer. loco*, *l. in omnib. de reg. jur.* ea ratio non concludit. Melius

præsenti pecunia, sed propter dilationem bimestrem vel trimestrem, aut ad summum semestrem, vendebat pro sex libris: & si non expressè, saltem tacitè, inter partes agebatur, quod sexta libra addebatur justo toti pretio, causâ dictæ dilationis redimendæ vel compensandæ duntaxat. Et sic illuc additamentum erat pretium usus temporarii pecuniæ debitæ venditori, qui merces tradiderat, consequenter verum fœnus, quod jam vulgo solebant frequentare: super quo consultus Pontifex prudenter & verè respondit; Venditores peccatum incurrere, nec excusari posse formula exquisita contractus, etiamsi digna facti veritas probari nequeat, quia nihil, nec cogitatio quidem, Deo occultari potest. Hic est verus & *primus* intellectus *dict. cap.* quod fundatur expressè in enormi excessu usuræ, seu mercedis dilationis, quod idem est, & in negotio usurario expressè vel tacitè gesto inter easdem partes: tametsi sub formula principalis contractus confuso & occultato, sed frustrà. Quoniam ex quo constat vel præsupponitur quod emptor sine dicta dilatione non erat empturus ultra quinque libras, nec venditor ultra venditurus, & quod omnino inter eos conveniebat, justum mercis pretium non excedere quinque libras, patet implicitum esse negotium usuratium, videlicet redimendæ dilationis dicti brevis temporis pretio unius libræ, quod à contractu principali, ubi de hoc constat, separandum est.

516. Non enim refert, nec in foro conscientiæ, si probari nequeat, nec in foro judiciali, si probari possit, aut vel tacitum negotium usurarum sit confusum & implicitum in eadem simplici formula contractus: an verò seorsum, sive in continenti, sive non; quemadmodum, ut sit locus *d. §. idem Papinianus.* si constat rem valere centum justo toto pretio, non refert an vendatur & tradatur pro centum sub pœna solvendi centum viginti, nisi centum soluta fuerint infra trimestre: an verò pro 120. ita tamen ut emptor solvendo centum infra trimestre liberetur: quoniam utroque casu eadem est ratio, & vera pœna in fraudem usurarum apposita, quamvis altero casu explicitè, altero implicitè, de quo non curatur, cùm de veritate constet. Et sic utroque casu illa viginti reduci debent ad legitimum modum usurarum, videlicet ad semisses communiter, & sic ad unum cum dimidio pro rata lucri trimestris, vel si venditor sit justus mercator ad besses, & sic ad duo duntaxat pro rata trimestris. Sed in dicto cap. *in civitate*, excessus data paritate quantitatis usuræ, est multò gravior. Patet, quia in ultimis exemplis secundum terminos *d. §. idem Papinianus*, debitor potest se liberare, etiam absque ulla usura, solo justo pretio oblato in termino, vel cum volet, infra terminum, & in sola conditione majoris quantitatis pœnæ vel usuræ gravatur: quæ tamen non compensantur in aliquo cum facultate data debitori, omnem usuram etiam legitimam evitandi solvendo in termino, quia nullo ingenio permitteretur excessus modi legitimi, sed ab initio penitus ipso jure non valet, quatenus modus excederetur vel excederetur, *l. solutum, §. si in sortem. in fin. de pign.* At in casu dicti cap. *in civitate*, debitor non potest liberari offerendo verum justum pretium ante terminum, etiam in continenti; imò etiam offerendo ultra justum pretium solvere usque ad legitimum modum usurarum infra terminum pro rata temporis, non audietur, stante forma contractus, sed præcisè totam illam excessivam usuram solvere cogetur, etiamsi dilatio sibi sit supervacua & inutilis: quod est aliud intolerandum gravamen, rem per se deducens ad fœnus improbum, etiamsi aliàs non excederet legitimum modum: quia jure civili semper necesse est debitorem liberam habere facultatem se liberandi quandocumque voluerit & potuerit, offerendo sortem cum usura, infra legitimum modum pro rata temporis; & ipso jure non valet pactum aut juramentum in contrarium, ut novè diximus supra *quæst* 55. Et sic in hoc cap. *in civitate*, duplex versatur improbum fœnus, cùm quantitatis plus triplo excedentis centesimam, tum sublatæ libertatis se liberandi ab usura, imò etiam ab excessu usuræ. Et hæc est duplex & vera ratio decidendi hujus cap. in claris & apertis textibus juris civilis fundata. Hæc autem sanctio juris civilis in conscientia ligat *per notata sup.* etiamsi aliàs illa sexta libra circiter æquipolleret interusurio dilationis concessæ inter mercatores & negotiantes, de quibus formatur quæstio in dicto capite, quia non ob id licet, saltem scienter, leges rectè positas transgredi, nec illis fraudem facere, etiam in conscientia *l. contra legem, cum l. seq. de legibus.* Unde meritò & sine alia distinctione & inquisitione commodi vel incommodi respondit Pontifex, venditores peccatum & noxam conscientiæ incurrere.

517. Et sic patet quòd omnes speciales decisiones juris canonici in hac materia juri civili omnino conformantur. Ex specialibus autem promptum est generales pariter intelligere, maximè per regulam dictor. capp. 1. & 2. *de oper. nov. nuncia.* Jus autem canonicum non approbat nimiam illam licentiam, quia jus civile tolerat passim & indiscriminatim, etiam in mutuo, pacisci de lucro usurario, sicut nec nos approbamus. Sed illud satis est nos evicisse, jus canonicum nullam usuram in specie reprobare, nisi quam jus quoque civile reprobat. Et reliquæ generales sententiæ juris canonici in hac materia, non possunt referri nisi ad tres casus, videlicet: Primò ad fœnus improbum ratione nimii excessus & lesionis, ut in dicto capite *quoniam multi. 47. dist.* Secundò, quando fœnus est aliàs temperatum & concessum, sed exigitur ab eo cui eleemosyna vel officiositas mutui debetur: quibus duobus casibus usura est de se mala, & jure divino, & decretis sanctorum Patrum damnata: unde eisdem casibus jus canonicum disertè reprobat & annullat omnia statuta vel consuetudines contrarias: Tertiò, quando statuto vel consuetudine loci minor est modus usuræ, & certis casibus in totum vetitus, & aliquis in casu, ubi aliàs licet de hoc pacisci, modum excedit, vel infrà eum modum stipulatur in casu vetito. Committit enim usuram improbam, & sic habent locum censuræ juris canonici, quæ recipiunt interpretationem passivè à statuto vel consuetudine de minori modo vel licentia fœnerandi: quemadmodum etiam omnes leges juris nostri civilis usurarum, punitoriæ vel coercitivæ, eandem passivam interpretationem recipiunt à similibus novis legibus. Cum ergo jus nostrum civile non permiserit excessivam fœnerationem, sed valde temperatam, quæ etiam intelligitur ubi negotiari licet, secluſis casibus, ubi eleemosyna vel officium debetur, ut plenè suprà *quæst.* 2. sequitur nullo modo esse correctum, nec immutatum per jus canonicum, nisi quatenus & ubi legalis modus fœnerandi prius abrogatus est leviore subrogato. Ex quibus habes obiter verum & expeditum intellectum dict. cap. *in civitate*, quod Canonistæ usurarum & terminos & elenchum ignorantes, multis ineptis difficultatibus velut spinis hirtum & distortum implicaverunt, cùm sufficerent brevia & expedita scholia ex jure civili sumpta, vel etiam sensus communis, & naturalis ratio, nempe omnem fraudationem & supergressionem vitandam: quam si Doctores hactenus secuti fuissent, non superstitiosè timuissent, ubi non erat timor, multos contractus justos damnando, in dicto cap. *in civitate*, & alibi passim: nec è diverso nimia licentia & securitate peccassent, injustos contractus approbando, ut suprà *num.* 500. Paradoxon.

518. Ex his patet quod in casu dicti cap. vera est sententia, licet minus communis, eorum (ut suprà

num. 493. qui tenent illud habere locum etiam in venditione fundi, non per ineptas eorum rationes; sed quia pariter in pretio, ex venditione fundi debito, legitimum usurarum modum excedere non licet. Et hoc, nisi constaret verisimiliter fructus interim percipiendos non esse minores incremento convento: tunc enim non est usura, nec propriè, nec etiam largè sumpta: quia non est compensatio promiscui interusurii, sed alterius certi & specifici commodi non debiti emptori, quia non solvit, ut dixi in *consuet. Paris.* §. 1. *gloss.* 9. *num.* 19. Sed quatenùs illud incrementum fructus excedit, est vera usura largè sumpta; & si excedat legitimum modum cadit in justam censuram & reprehensionem, *dicti cap. in civitate*, & etiam in foro contentioso reduci debet, ne excedat saltem rationem quincuncis usuræ, per notata infrà *num.* 537. licet toto contractu inspecto non sit læsio emptoris ultra, sed multum infra dimidiam: dummodo constet quòd venditor erat aliàs justo & minori pretio venditurus præsenti pecunia, & quòd illud incrementum non fuit additum pretio justo, nisi ob dilationem pretii. Et sic in hoc articulo differt venditio fundi vel domus à venditione mercium seu mobilium promercalium in duobus, vel tribus: primò in hoc, quòd non continuò est usura etiam largè sumpta, si fundus pluris venditur ob dilationem: qui quatenùs illud plus concurrit cum fructibus, nullo modo est usura, sed in mercibus quæ fructum non adferunt, nec locari solent, statim est usura largè sumpta. Secundò, quia venditione immobilium, præsertim sine facultate redimendi, non ita proclive est abuti ad fraudes usurarias, sicut venditionibus mobilium promercalium. Tertiò, in fundis non ita de facili præsumitur auctum pretium causâ dilationis, nec quòd venditor esset aliàs venditurus minori præsenti pretio, quia fortè (ut sæpe accidit) nolebat omnino minoris vendere, sed tanti æstimabat, licet gratiam dilationis pretii vel partis non negaret. Et etiam cum pretia fundorum non sint ita certa in communi, sicut pretia mobilium promercalium, in quibus eo ipso quod solitum & commune pretium augetur dilatione data emptori, apparet auctum pretium solius dilationis, ergò, quod non est in fundis. Ideo non est inepta limitatio Baldi in dicta *rub. C. de usur.* & communis, sed minus exacta minùsque adusque excussa.

519. Nunc videndum quid in praxi dicendum: & primùm circa interesse casuale, multiplices & inepti glossæ & Doctorum intellectus ad d. *l. unicam C. quod interest*, & alia jura id genus, ea usque adeo obscuraunt, ut ferè inutilia ad usum & praxim effecerint. Unde judices hactenus magis ex bono & æquo & ex naturali justitia, quàm certo jure scripto decidere soliti sunt, in quo multò propiùs ad legalem æquitatem, sensum & mentem legum accesserunt, quam adusque glossæ & Doctores ut scripsi super d. *l. unica* quò remitto. Quantum autem ad interusurium vel usuras, receptum est & usitatum hodie, nullam haberi rationem in mutuo, etiam ex mora simplici quidem, etiam ex pacto, imò multò minus quàm sine pacto: sed si constet, non de simplici mora; sed de dolo vel malitia debitoris, vel de longa & nimia frustratione, tunc quandoque, præsertim ex qualitate personarum, solet haberi ratio interusurii, hoc est aliquid judicis arbitrio, nomine ejus quod interest adjudicari, etiamsi aliter non probetur de specifico interesse: ideo hæc æstimatio magis spectat ad interusurium, quam ad interesse casuale: Si enim constaret de certo specifico damno post moram, culpâ debitoris tacitè vel expressè præmoniti, incurso, tunc facilius adjudicari solet, & spectat ad interesse casuale, de quo suprà dictum est. In cæteris autem obligationibus extra mutuum facilius solet haberi ratio interusurii, dummodo debitor ex sua liberalitate non conveniatur, & adhuc non nisi post moram, non simplicem, sed ex justis causis, quæ absolutè definiri non possunt, cum à variis negotiorum circunstantiis pendeant, & totum in bono & æquo, & judicis arbitrio consistat. Et certè hæc praxis melior est jure civili in hac parte, hoc est quod attinet ad casus, in quibus ratio usurarum habetur. Quamvis enim jus civile usuras summa æquabilitate moderaverit, ut suprà *num.* 43. tamen toleravit quod etiam in mutuo ab initio, & citra moram possent stipulari usuræ infra legitimum modum, in obligationibus autem bonæ fidei non solum toleravit, sed etiam induxit & disposuit, ut currerent ex mora ad certum mediocrem modum.

520. Hæc autem tolerantia nimis dissoluta in mutuo, & dispositio nimis vaga in cæteris, meritò moribus & desuetudine hominum emendata & correcta fuit. Longè enim decentius & honestius est non permittere sordida fœnoris negotiatione liberalem officiositatem mutui fœdari & obliterari: cætera quoque negotia & commercia non est in Republica necesse ita passim subjicere usuris, præsertim ipso jure, ob simplicem vel irregularem moram. Quare etsi jus civile non reprehendam, sed ob moderationem commendem, tamen mores nostros hac in parte antefero, & magis laudo, quibus legali fœnore abrogato, stat prohibitio omnis negotii fœneratorii in mutuo, saltem regulariter ab initio. In cæteris autem commerciis non inducitur ipso jure usura aliqua incidens: sed si justa causa ex circunstantiis casus subjecti exigat, permittitur judici ex bono & æquo vice intervenire moderatè æstimare, ut infrà *num.* 548. & 550. ita ut non possit trahi in consequentiam ordinariæ observantiæ, quasi jure certo. Quantum autem ad necessitatem fœnoris negotiativi pro temporario usu æris alieni, aliud promiscui fœnoris genus creditoribus non incommodius legali, sed debitoribus longè commodius, videlicet per alienationem sortis quamdiu debitori libuerit, olim inventum, tandem frequentatum & comprobatum esse quod dummodo simplicis duodecimæ ratio non excedatur, multis nominibus commodius, ut est notatum suprà *q.* 69. *ad fin.* Ideo autem dixi circa mutuum non fuisse nisi tolerantiam juris, quia intentio juris non fuit in aliquo favere usuris, easve ampliare, sed quamcommodiùs potuit restringere & temperare: licet ergò non prohibuerit eas stipulari in mutuo, tamen non sustulit, sed conservavit officium mutui. Patet in *l. si tibi decem. in princ. de pact. leg. rogasti*, §. *si tibi, si certum petatur*, ubi ipso jure non valet obligatio ultra summam mutuatam. Idem quod permisit seu toleravit non abruptè & inciviliter accipiendum, sed sub alia duplici moderatione illius temporis. Prima, quod non solebant usuras stipulari in mutuo, ut currerent ab initio, sed tantùm ex aliquo intervallo, ut aliquis esset liberalis usus mutui, etiam inter negotiantes, ut in *leg. lecta, si certum petat.* Secunda, quia non statim intempestivè poterat reperi mutuum, ut suprà *num.* 82. sed quia processu temporis utraque moderatio increbescente hominum malitia exolescebat, fœneratoribus debitorum fortunis insidiando legali fœnore passim abutentibus, justum fuit eam formam & tolerantiam juris civilis nimis dissolutam antiquari. Pariter in cæteris obligationibus dispositionem illam nimis vagam, qua homines ex simplici mora eorumque hæredes etiam ignorantes usuris implicabantur, justum fuit aboleri, sine præjudicio moræ & frustrationis, ex justis & cognitis causis arbitrio judicis repensandę. His discussis, facile est præfatas quinque quæstiones, suprà *num.* 496. decidere. [*Le lendy 14. Mars 1559. entre Marie de Chabannes, dite Dangelbault, veuve feu Jean de la Roche Advocat à Tholoze, appellante du* Arestum.

Senéchal de Tholoze, d'une part: & Iemme de Vidal, Dame de Miramont, veuve de Mansencal premier Président de Tholoze, mere du defunt, & Ieanne de la Roche sœur, femme d'Antoine du Soler Conseiller, d'autre part. Par provision & jusques à ce que delivrance réelle & actuelle soit faite a ladite de son dot & augment, a luy adjuge cinq cens livres par chacun an sur les biens de son feu mary.]

521. Et ad primam, clarum est Decium *consil.* 111. malè consuluisse secundum varietatem juris civilis, nondum tempore suo derectam. Dico tamen quòd non malè pro tempore suo consuluit, nec in foro conscientiæ, nec in foro contentioso & judiciali: quia ille excessus licet dupliciter & enormiter metas juris civilis excederet, ut dixi suprà *numer.* 494. tamen non usque adeo excedit, ut proximum contra jus naturale vel divinum mordeat vel lædat: præsertim inter negotiantes, ut illa specie ubi emptor dilationem rogabat, sui lucri & negotiationis gratiâ, non sine aliquo detrimento lucri & quæstus ipsius venditoris, qui negotiaturus erat de pretio repræsentato: ideò negotianti licuit etiam in conscientia dilationem pariter negotianti vendere, pretio non ascendente lucrum & commodum, quòd emptor inde, videlicet dilationis ergò, facturus erat, licet excederet æstimationem & metam sanctam jure civili æquissimo, quod tum communiter in hac parte ignorabatur. Non obstat *dictum cap. in civitate*, quòd erat notum, quia rejecta solutione Decij in dicto *cons.* & omnium post Hostiensem, quod in *dict. cap.* non constabat venditores tantùm pendente dilatione lucrari potuisse, quantum est additamentum pretij: quæ solutio licet sit vera in se secundum circumstantiam illius facti, tamen falsum implicat, & est falsa, iniqua & perniciosa, per prædicta suprà *num.* 502. *cum sequent.* Dicendum ergo, quod in dicto cap. erat nimia fraudatio proximi, ut suprà *num.* 516. & tanta, quod etiam cessante jure civili, excusari non potuisset à peccato: sed in casu Decij incrementum non excedebat in lesionem proximi; sed erat minus, tum lucro quod facturus erat debitor, tum lucro quod aliàs facturus erat creditor, licet excederet metam juris civilis. At hodie pleniori veritatis luce detecta, quanquam negotiantibus tolerandus sit aliquis etiam paulo quam alius laxior usus usuræ, non tamen debent judices (nisi non vereantur non solùm usuris authorari, sed etiam usuris à jure civili damnatis & pro improbis habitis) non debent inquam, pati, metas sanctissimas & æquabilissimas juris civilis excedi prætextu interusurii, etiam inter negotiatores: quia abundè sufficit bestis, habita ratione tam æstimationis promiscui interusurij, quàm virandarum fraudum & abusuum, & ne tantum quæstum adferat simplex usus pecuniæ, quantum pecunia cum industria.

522. Ad secundam *quæstionem* suprà *numer.* 495. ad ejus quidem decisionem, nihil est addendum, sed advertendum super vero intellectu dicti cap. salubriter, quid initio, miseria temporum, superstitione & insciitia grassantibus nimis obscuratum fuit: tempore verò procedente mihi videntur Doctores nostri experientiores facti, sensimque veritati propius accessisse. Quidam enim olim *dictum cap. salubriter* (ut Jo. Andr. ibi. restringebant ad casum, formulam seu contingentiam in eo expressam, videlicet quando ab initio convenit, non solùm de certa summa dotis; sed etiam de certo fundo fructifero in pignus tradendo & fruendo, donec dos pure promissa numerata sit, nec data dilatione dotis solvendæ, genero quoque onera matrimonii sustinente, & dummodò illi fructus subsint fortunæ: alioquin extra illum casum, vel uno prædictorum deficiente, censebant generum etiam ex pacto expresso non facere fructus suos, nec aliud emolumentum successivum propter dilationem dotis percipere posse, quin sit tanquam usurarium & illicitum sorti imputandum, & sequuntur Anton. Butrigor. Jo. de Ligna, *ibi.* Ambros. de Vigna. in *repet. numero* 14. Laurent. de Rodulp. *repet. c. consulnit, part.* 2. *quæst.* 53. *de usur.* Alexand. *consil.* 27. *lib.* 4. *cons.* 74. *consil.* 141. *lib.* 5. Soc. *consil.* 88. *lib.* 4. Anton. *part.* 2. *tit.* 1. §. 7. & §. 27. ubi anxiè & scrupulosè torquetur; sed longè ineptiùs & miseriùs anxiatur & sursum deorsum jactatur Jo. Imol. in *l. in insulam*, §. *usuras*, *ff. soluto matrim.* a sciendum an & qualiter, & qua actione hoc casu à genero usuræ peti possint, cum quo tamen transeunt Corn. *consil.* 164. *col.* 2. *lib.* 3. Jo. Campegius *tract. de dote, part.* 2. *quæst.* 6. *num.* 2. Sed in quantum Jo. Andr. & sequaces limitant dict. cap. in fundo & fructibus incertis: communis & vera opinio est in contrarium, ut idem sit, si certa annua pensio promittitur, donec dos solvatur, & ita tenent Pau. de Eleazar. Joan. Cal. Petr. Ancharan. Panorm. in *dict. cap. salubriter*, Bar. Roma. Imol. Alexand. *l. in insulam*, §. *usuras, soluto matrim.* Alexand. *consil.* 31. *consil.* 200. *lib.* 6. Corn. *consil.* 145. *consil. fin. col.* 3. *lib.* 2. *consil.* 164. *lib.* 3. Bald. *novell. tractat. dotium, part.* 7. *in* 3. *speciali.* Joan. Campegi. *cod. tract. part.* 2. *quæst.* 6. Joan. Imp. *repet. cap. per vestras verfic. ultimò infertur de donat. inter vir. & uxor,* Anton. Rub. *consil.* 108. idem Theologi, ut Alphons. Tostat. in 25. Matthæi *quæst.* 102. Conrad. *de contract. quæst.* 35. *conclus.* 7. Gabr. Biel. Jac. Almain. & alii in 4. *sentent. dist.* 15 Clavas. in *ver. usur.* §. 25.

Plena declaratio, c. salubriter de usuris.

523. Rursus in quantum Anton Butrigar. suprà 120. annos restringebat, dictum cap. procedere in casum & durationem moræ solvendi dotem, contrarium censens, si ab initio factum esset pactum de dote solvenda in certo termino, & simul datum prædium in pignus, nec valere pactum lucrandi interim fructus vel aliud percipiendi: licèt hanc opinionem aliqui imperitè secuti sint, ut Ambros. de Vigna. repet. *d. c. num.* 14 & novissimè Aymo. *consil.* 189. *col.* 4. *verfic.* quintus casus, & alii quos omitto: tamen communiter subsecuti Doctores hunc errorem partim emendaverunt, & invaluit crebrior sententia, ut gener dans socero dilationem dotis solvendæ, possit pacisci de lucrandis fructibus pignoris pendente termino, vel de aliquo interim sibi præstando, non excedente onera matrimonii, vel justum interesse, ut tenent Panorm. *d. c.* Imol. Ludo. Roma. in *d. l. in insulam*, §. *usuras.* Bald. *novell. tractat. dot. part.* 7. *in* 3. *privil.* Conrad. *de contract. quæst.* 35. *conclus.* 2. Joan. Lup. *in repet. cap. per vestras ad fin. ver. ultimo infertur col.* 2. *de donat. inter vir. & uxorem,* quemadmodum idem censent in venditore tradente fundum emptori cum dilatione solvendi pretii. Sed hæc communis emendatio, licet in se vera, non sufficit, quia in effectu restringit *dict. cap.* ut data dilatione non procedat, nisi ex pacto expresso tempore & contemplatione dilationis facto, quæ communis restrictio non est vera: quia eo ipso quòd gener non dat dilationem simpliciter; sed accipiendo, vel prius accepto & retento fundo in pignus, censetur consentire dilationi secundùm naturam & capacitatem materiæ subjectæ, quæ tacitè inest, ut sic faciat interim fructus pignoris suos, juxta decisionem dicti cap salubriter, de qua videtur tacitè confisus, etiamsi non expresserit. Et ita sentit ibi solus Panorm. & benè. Sed in his nimis ridiculè deliravit Jacob. Almain. in 6. *sentent. distinct. decimaquinta quæst. secunda*, ubi quasi exorum dux, & magister noster, nostros juris professores irridet, quasi nudæ textuali litteræ hærentes, neque valentes ad radicem rei pertingere. Verùm dum se putat altius & acutius philosophari, longè fœdius cæteris labitur, distinguens. Aut socer tenetur statim dare dotem, aut post tempus. Et in secundo casu censet generum non posse interim etiam ex pacto expresso lucrari fructus pignoris, sed teneri computare in sortem, nisi socer liberaliter illos dono daret. Et movetur, quia socer pendente dilatione, non tenetur solvere, nec incurrit peccatum, nec culpam, & est dominus

Error Jacobi Almain.

pignoris : ergo fructus sunt sui, neç generi interest stante dilatione. Ergo non potest capere fructus, nec ratione pœnæ conventionalis seu pacti, nec ratione interesse. Viden' argumentum sophisticum? Patet, quia si gener potest facere fructus suos, etiam sine pacto, nulla data dilatione, & non obstante quòd possit quotidie sortem exigere, ut ille in primo casu fatetur : igitur multò fortius potest paciscí de lucro eorundem fructuum ejusdem pignoris, vel alia congrua præstatione, dando dilationem & liberam facultatem fruendæ sortis debitori, abdicando ad tempus facultatem exigendi, ut ipsa ratio naturalis & sensus communis ostendit, & tradit Bald. in *l. hac edictali, §. his illud Cod. de secund. nupt.* Et sic nuperus ille Theologus non solum in jure, in quod falcem suam temerè injecit, sed etiam in judicio naturali & sensu communi lapsus est : unò nec legit quidem, aut si legit, non intellexit Doctores nostros, quos velut ex alto despicit : Non enim advertit se nihil novi adferre sua illa distinctione, sed eam olim fuisse sententiam expressam præfati Antonii Butrigar. eamque crebrius à nostris rectè re[illegible]batam, ut dixi. Non obstant rationes suæ de dominio retento & dilatione pendente, quia sunt superstitiosæ illæ & ineptæ tricæ Sophistarum quæ scopum bonæ fidei, naturalisque justitiæ, nec centrum, nec radicem rei attingunt, sed circa peripherias quasdam impertinentes versantur, quas quantò magis Sophistæ urgent, tantò longius, ut extra viam currentes, aberrant, & incautos tenebris offusis in errores inducunt, ut patet in silvis tot summarum, lectionum, & consiliorum.

524. Sed primum pauci ex nostris rerum experientia & communi sensu freti, cœperunt in quibusdam propius veritati accedere. Et primus omnium pulcherrime censuit Baldus in *l. fin. §. præterea, collat. 2. Cod. de jur. dot.* quòd decisio *d. c. salubriter* debet intelligi, & restringi ad modum probabilis interesse, quem sequuntur Jo. Andreas in *d. c. salubriter.* Alex. in *l. in insulam, §. usuras. ff. solut. matri.* & in *consil.* 178. *num.* 21. *l. b.* 7. Jo. Lup. in *loco prælegato Decii, consil.* 119. *num.* 12. & omnes communiter, nec melius in hoc articulo dicere potuissent, nondum detecto usurarum elencho. Rursus post Bald. seniorem, primus omnium latius progredi ausus alius Baldus novel. quem secutus est Jo. Lup. in *locis prælegatis*, tenuit nihil in *d. c. salubriter.* speciale esse favore dotis, sed ibi tradi jus commune ratione interesse. Quod nos simpliciter confirmamus : nullo enim favore excessiva & illicita usura admitti potest, nec super hoc à quoquam dispensari, ut dixi in *consuet. Paris. §. 1. gloss. 9. num.* 19. Et sic quod in *d. c. conceditur*, necesse est obtinere in cæteris casibus, data eadem ratione & æquabilitate compensationis. Aut enim est mera usura, & non potest dispensari : aut non est talis usura, sed compensatio, & non est opus dispensatione vel speciali concessione. Ita etiam debet intelligi *l. 1. de feud. &c.* conquestus *de usur.* non autem, ut vulgò malè putant, speciale esse in domino feudali, ut novè dixi in *d. §. 1. gloss. 9. num.* 25. Modus autem ille probabilis interesse, seu interusurii de jure bes est in creditore, mercatore, alias semis : hodie verò apud nos est quincunx, ut plenè infrà *num.* 557. & hæc in eo, ad quem spectat onus vel officium dotandi. Sed si extraneus, qui dotare non tenetur, liberaliter aliquid dotis nomine promiserit, nullum debebitur interusurium sive usura ultra quam concedatur per *l. fin. §. præterea. de jure dot.* videlicet ad tertiam partem centesimæ : quod intelligendum est, quando statum est in terminis promissionis sortis. Item si pignus simpliciter datum sit : cùm enim non teneatur dotare, non habet locum *dictum c. salubriter*, nec in dubio censetur ad illud dando pignus facta relatio, sed ad legem, quæ specialiter de hoc casu loquitur. Unde non propterea curret usura, nisi prout in *d. l. fi.* quia non est correcta; sed hodie

Probabile interesse.

stat in casu suo. Secùs si pactum sit quòd fructus totius fundi, vel alia certa pensio cedat : quia de jure non ultra *l. eos.* hodie non ultra quincuncem valere potest.

525. Ex prædictis liquet, quid dicendum de pluribus connexis, sed controversis quæstionibus, puta in vidua, cui dos restituenda, an interim possit suos facere pignoris fructus, vel quid annuum præter sortem percipere, quod negant Innoc. Hostiens. Anto. de Vigna. *num.* 16. in *d. c. salubriter.* Imol. in *l. in insulam. §. usuras. soluto matri.* Petr. Anch. *cons.* 150. *in quæstione.* Panor. *cons.* 39. *libr.* 2. Fulgos. *cons.* 201. *consi.* 125. *Alexand. cons.* 27. *cons.* 56. *lib.* 4. *cons.* 74. *cons.* 141. *lib.* 5. *Antoni. par.* 2. *c.* 7. §. 29. latè Ange. Aretl. §. *fuerat. de actio.* Anto. Rub. *cons.* 55. *consi.* 108. *in fi.* Jo. Lup. *in repetit. c. per vestras. ad fin. ver. octavo infertur, col.* 4. Sed contrarium tenent *Clavasi. verb. dos. ad. fi. verb. usura.* §. 26. Conrad. *de contract. quæst.* 35. *conclus.* 9. Jas. *consil.* 92. *lib.* 1. & est veritas, infra metas prædictas. Idem de cessionario mariti seu generi in quo Bald. *in rubr. Cod. de usur.* tenet quòd non potest uti beneficio. *d. c. salubriter*; idem Anton. *part.* 2. *tit.* 1. *c.* 7. §. 32. Clavasi. *verb. usura.* §. 26. quasi mutatione personæ, muterur privilegium. Philipp. Deci. *Cons.* 571. Contrarium vult Salycet. in *Authen. ad hæc, quæst.* 13. *Cod. eo.* sequitur Jo. Lup. *repet. dicti c. per vestras. verf. octavo infertur in fi.* Arnol. Ferron. in *consuetud. Burdegal. titulo de dote,* §. 1. Idem sentit Conrad. *de contract. quæst.* 35. *in fi.* dummodo cessionarii tantundem verè interfit, quod nihil est. Breviter dico quòd in hac specie opinio affirmativa est veritas, quocunque titulo valido cessio facta sit, salvo quòd si de jure vel statuto loci, cedenti, tanquam justo negotiatori, currebant besses, vel usura major communi, si cessionarius non sit ejus professionis, non curret ei deinceps nisi communis, vel usque ad metam communium, per notata suprà *num.* 60. Et est simile de privilegio prælationis, quod competit mulieri pro dote, quod non potest alii cedi, per textum in *Authen. ut exact. dot. Inst. in prin.* & in simili textus in *l. ex pluribus de administr. tutorum*, quod est verum, sive ex causa voluntaria, sive ex causa necessaria, ut tenet uterque Imol. in *l. post dotem. charta fi. soluto matrimonio*, & benè, rejecta distinctione Bart. ibi, licet eam sequatur Jas. in §. *fuerat. num.* 123. *Instit. de action.* rejectis etiam diversis cæterorum omnium sententiis, ut dixi in *consuetud. Paris.* in *rubr.* 12. Et hæc limito seu declaro, ut procedant in vera & absoluta cessione, scilicet quæ fit in rem & commodum cessionarii, ut toto titul. *ff. & Cod. de hæreditate vel action. vendit.* etiamsi cessionarius non agat nisi directis actionibus nomine cedentis, dummodo de vera cessione constet, & quòd cedenti non amplius interest. Secùs si esset simplex mandatum vel cessio ad commodum cedentis, cui ratio reddenda est, vel in quem redundabit periculum & commodum : quia tunc privilegium non censetur ad alium extendi, sed in commodum ejus cui datum est, exerceri. Item secùs si à statuto loci, ipsi dori daretur major quædam usura : transiret enim unà cum actione de dote ad cessionarium, sicut & de tacita hypotheca inhærente ipsi actioni notatæ in locis prædictis. Sed si quæratur, an cessionarius teneatur, non debitori dotis, sed suo cedenti computare in sortem, dicendum quòd sic, si est mutuum, & cessio ex causa mutui facta sit, ut expressim vult Salycet. *d. Auth. ad hæc. quæst.* 13. *in fi.* Et ita dicendum in praxi, secundùm rationabilem usum nostrum, quo non admittimus usuram, nec interusurium in mutuo, aliàs jure civili liceret secundum *l. eos.* Si verò non est mutuum, sed venditio nominis, vel absoluta cessio pro certo pretio : ita quòd cessionarius non possit repetere sortem à cedente, & tunc illos fructus sive usuras lucratur, sicut quilibet justus emptor nominis.

Cessionarius.

526. Item de statuto, quòd ob moram dotis non solutæ solvatur aliquid annuatim, puta ad rationem

Statutum.

decem pro centenario, quod statutum valet saltem inter mercatores, secundum Baldum, in *l. fi. §. præterea, col. 2. Ced. de jur. dot.* [Quod refert & sequitur Felin. *c. consultationib. col. fi. de off. deleg.* Idem Imol. loquens tamen ad rationem 6. in centum *l. Insulam*, §. *usuras fol matr.* Sequitur Carol. Ruin. *cons. 73. quæst. lib. 1.*] Idem Alexander loquens ad rationem septem pro centenario in *cons. 63. col. 2. lib. 3. cons. 31. num. 7. lib. 4.* Idem Capol. *causa civil. cons.* 15. Anton. etiam extra casum doris, *par. 2. tit. 1. cap. 7. §. 33.* Conrad. *de contract. quæst. 35 conclus. 11. & 12.* Jo. Lup *reperit. d. cap. per vestras vers. octavo infertur, col. 5* Contrarium simpliciter vult. Jas. §. *fucrat num. 19. instit. de action.* & alii quos omitto. Breviter affirmativa est vera in se: sed in hoc errant Doctores quòd non faciunt differentiam in quantitate usuræ, sive ad decem, sive ad quinque vel septem pro centenario. Dicendum puto tolerandum statutum infrà metas, *d. l. eos* [Haredes *du feu sieur d'Assier vendent un devoir de 1500. livres par an, avec toutes les circonstances, & en chacune*, puta *suivre vente, & jusques à ce qu'elle fust entierement payée, & satisfaite des arrerages de fondit debuire à elle deubs : luy à icelle Cour adjugé l'interest à raison du denier quinze pour le passé, le 24. May 1558. faut faire une masse de tous lesdits arrerages, qui estoient deubs lors de l'Arrest, de laquelle masse est deu le quinzième denier pour l'interest, lequel sembleroit n'estre deu qu'une fois, & non pour chacun an : car ledit Arrest ne dit pas par chacun an. Toutesfois attendu qu'il dit qu'elle soit entierement payée, il s'entend* secundum communem modum loquendi, *qui est à continuer l'interest du denier quinze par chacun an jusques à partage. Toutesfois si de ladite masse partie est payée ou acquittée, ledit interest ne courra plus que* pro tata relidui: *& outre se peut ladite masse payer* particulatim, *pourveu que l'on ne paye pas moins d'une année, ou de quinze cent livres pour un coup : Car l'Arrest ne porte pas novation desdits arrerages.*] Sed supra non videtur honestum, & etiam tanquam per errorem & ignorantiam juris inductum, derecta varietate, reducendum est. Pariter quòd inquit Bal. in *d. §* Præterea de decem in centum, debet reduci ad octo inter justos negotiatores, & ad sex inter alios. Ita enim omnino dixisset Baldus, si rationem usurarum legalium intellexisset: quæ justa & absoluta ignorantia facit omnino involuntarium, & magis impedit actum esse de sententia animi, quàm metus, ut per Aristot. & Commentatores in 3. *Ethicor.* Thom. 2. 2. *quæst.* 6. Anthon. *par. 1. ti. 4. c. 3.* Gab. Biel. *dist. 7. in 4. sent. distinct. 15. quæst. 3.* & sic propter errorem illius temporis non potest dici eam fuisse veram sententiam Baldi. Ex his si quæ aliæ quæstiones hic incidunt ex prædictis, satis decidi possunt.

Ignorantia magis excludit voluntarium, quam metus. Etymon usuræ.

527. Restant tres ultimæ quæstiones, suprà *num.* 496. Sed quia illis decisis, tota universa materia erit absoluta, prius expedit finaliter causas & rationes odii prohibitionis vel tolerationis usuræ radicitus excutere. Convenit autem inter omnes doctos, & bonos Authores, & etymon indicat quòd usura non exigitur pro re, sed pro usu rei: & ita Azon. in *summa Cod. de usuris*, hoc autem (videlicet pro usu rei seu sortis exigere) id mutuum de se malum esse injustum, & contra jus naturale probant Theologi Scholastici pluribus rationibus, sed tres ultimæ sunt, & cardinales. Prima, quæ est Thomæ Aquinatis 2. 2. 78. *quæst. art.* 1. quia usurarius vendit id quod non est bis idem, sive duplicem compensationem de eodem: quod sic probat. In mutuabilibus usus est rei consumptio: & si non potest separari nec seorsum computari a re: igitur accipiens ultra sortem, aut capit pro usu rei, & capit pro nihilo, sive pro eo quòd non est: aut capit pro sorte, & sic bis vendit, vel duplicem compensationem accipit pro eadem re. Secunda, quæ est Scoti, in *4. sentent. distinct. 15. quæst.* 2. quia non debeo tibi vendere quod non est meum, sed tuum: sed in mutuo transfertur dominium, ut importat vocabuli etymon, de meo tuum: igitur pro usu pecuniæ, quę jam tua est, non possum à te quicquam exigere. Tertia, quæ est etiam Scoti in *eadem loco*: quia pecunia mutuata non est de se germinativa, dato quòd maneret sua: ergo cùm sors maneat salva, non licet aliquid ultra sortem exigere: quia esset capere non de pecunia (quia non fructificat) sed de industria aliena. Hæ sunt tres rationes Theologorum cardinales, ad has enim referuntur & reliquæ omnes ubicunque ab eisdem traditæ, quantumvis varia verborum formula multiplicari & diversificari videantur: verbi gratiâ tres rationes adducit Petr. de Palud. in 3. *sent. distinct. 37. quæst. 2. art. 1.* Primam in justitia commutativa. Unus non debet plus accipere ab alio, quam ei dederit in valore: sed hęc ratio coincidit cum prima Thomæ prædicta. Secundam subjicit ibi Paludanus quia in mutuo transfero dominium, & sic non debeo tibi vendere quod est tuum, videlicet usum æris tui: sed hæc est eadem cum secunda prædicta, quæ est prima Scoti. Tertiam ponit ibi Palud. post Durandum ibi. Quòd vendere unum ut duo, & recipere duo propter unum est illicitum: sed hęc non differt à prima ratione Thomæ, nisi solo cortice sonoque verborum. Pariter illæ vigintiquinque rationes, quas novissime cumulavit Conradus *de contract. quæst. 22. concl. 2.* pro majori parte ad tres prædictas reducuntur: reliquæ verò ad rationem naturalem probandam impertinētes sunt. Illic etiam eandem rationem, paucis verbis mutatis, septies, ridicula curiositate tradit: videlicet primam, quintam, sextam, nonam, decimam, & undecimam. Videat cui vacuum fuerit, nolo quæque obvia morosiùs persequi, ne in reprehensam curiositatem incidam, & methodum nostram remorer. Et hęc de rationibus sophistarum. Omitto quòd illi pro expedito habent usuram omninò jure divino prohibitam per loca citata suprà *num. 9.* quæ intelligunt in mutuo strictè sumpto dumtaxat, idque more vulgi, quod non novit esse usuram, nisi in formali vel interpretativo mutuo: non advertentes quòd Scriptura sacra usuræ nomine omnem superabundantiam & supergressionem proximi in negotio intelligit, ut testatur Hieronymus super *Ezech.* & antiqui canones 14. *quæst. 3. c. parum. 14. quæst. 4. c. si quis obtulerit.* Omitto multa absurda, quæ homines terminorum & vocum ignari, civilium legum & negotiorum expertes de his ineptè commenti sunt.

Pet. Palude.

Durandus.

Conrad.

528. Aliam, & sic quartam rationem, quæ præcedentibus probabilior est, adducit Jo. Teutonicus, vetus Canonista, in *c. si fœneraveris, 14. quæst. 3. glos. 1.* dicens quòd quando pecunia statim est periculo recipientis, inconveniens est eum præterea gravari, & fructum spectare ad alium. Dantur aliæ aptiores rationes à Philosophis & expertis, quæ reducuntur ad duas, videlicet (facilioris notationis gratiâ, continuando numerum priorem) quinta interesse Reipublicæ concernens, ne homines agriculturam, mercaturam & alias bonas & necessarias artes omittant, aut remissiùs curent, pinguiori & facilion lucro fœnoris illecti: neve pauci fœneratores cæterorum omnium facultates exhauriant. Et hanc expressè tangit Innocentius in *rub. de usur.* & de mente Aristotelis *lib. 1. c. 6.* & 8. *Politicōn.* Neque enim simulis negotiatio fœneratoria commistionibus rerum, per quas civitas in suo statu conservatur: quia hinc inde datur & semper remanet æquivalens: sed in fœnore tametsi aliquo momento usus pecuniæ majorem adferat utilitatem utendi, quàm sit mercis usus pro illo tempore, tamen non est perpetuum: & nihilominus semper continuandum fœnus, donec sors integra reddatur: & sic successu temporis, si fœnora multiplicarentur & perseverarent, eò tandem res evaderet, ut omnium facultates in fœneratores transferrentur. Sexta ratio, originem reique progressum, & naturæ ordinem, finemque concernens: quia nummus non fuit inventus, ut esset terminus, sed medium acquisitionis: unde non debet esse merx, sed pretium: unde usura maximè præter naturam est, quæ est originalis & expressa ratio Aristotelis, ut suprà *num.* 440.

Io. Teuton.

Rationes Philosophorum.

Addo septimam, quod quantò usura insidiatur paupertati hominum seu indigentiæ, tantò magis excludi debet. Et quantò crebrior & communior est necessitas æris alieni, tantò minus licere debet hinc quæstum facere, & commercium rei necessariæ difficile reddere.

519. Modò præfatas rationes excutiendo, tres primæ eodem ferè modo refelluntur, prout pariter in uno potissimùm peccant, quòd non discernunt usum seu commoditatem usus & interusurii sortis ab ipsa sorte. Dilutio. Atqui nedum jura civilia, suprà *num.* 497. sed etiam ipsa rerum experientia & communis sensus ostendunt, usum seu fruitionem pecuniæ habere utilitatem, usibus hominum commodam & æstimabilem, præter ipsius sortis quantitatem vel restitutionem, ut suprà *num.* 510. Itaque non obstat prima ratio, quod vendat quod non est vel bis idem, quia manifestè falsum est, dummodò quod ultra sortem pro ejus usu capitur, non excedat æstimationem justi interusurii: hoc enim non est vendere sortem, quia non capitur pro sorte: nec est vendere nihilum, sed veram & realem commoditatem, alioquin ei, cui sors debetur, debitam, quæque interim præter sortem ipsam & pendente ejus restitutione creditori abest, & debitori adest. Et sic puerile est dicere quod usus pecuniæ non possit seorsum considerari à sorte, eò quod usus ejusdem consumptio est: quia imò usus & fruitio pecuniæ non solùm consistit in prima momentanea expensâ vel commistione, sed etiam in successivo usu mecum, vel rerum inde comparatarum, subrogatarum, vel in patrimonio conservatarum, quas alioquin distractum iri oportuisset, vel oporteret, nisi beneficio æris alieni subventum fuisset, vel si nunc prompte reddendum esset: facit *l. quæ qui pretio, de usuf. l. sed quod inde. comparatum. de legat.* 2. quanquam sine lege naturalis ratio & experientia rerum magistra sufficit. Quinetiam dictum 1 hom. & omnium Scholasticorum per semetipsum confunditur, nec sibi constat: fatetur enim & omnes asserunt, usum pecuniæ commodatæ, puta ad ostentationem, domino reservato, licitè vendi posse. Igitur si ejusdem pecuniæ dominium translatum sit, quo accipiens liberiùs & uberiùs frui possit usque ad tempus, post quod tantumdem reddere tenebitur, multò fortiùs hoc casu vendi poterit usus & commoditas pecuniæ, quàm priore casu, quantò major & pinguior commoditas hoc casu, quàm in priore transfertur. Nec obstat si quis causetur, quod priore casu pecunia stat periculo domini creditoris, hoc autem casu periculo debitoris, tum quia priore casu pacisci licet, quòd stet periculo commodatarii vel conductoris, & valebit pactum, simul cum pacto mercedis vel pretii usus, tum quia commodans vel locans potest fidejussoribus, vel aliàs sibi cavere de periculo. Verum est, quòd in quantũ periculum stat apud uteutem, tanto mercis usus, vel usura debet esse minor, prout rationabiliter major esse potest periculo spectante ad creditorem *de nautico fœnore, per totum*, suprà *quæst.* 3. Et sic translatio dominii de se non facit quominus usus præter sortem vendi possit. Et sic penitùs eversa jacet dicta prima ratio cum omnibus ab ea dependentibus. Ad secundam propositam est responsio, quod imò etiam quod non est meum, sed tuum, si tamen mihi à te purè debitum est, tibi vendere possum: imò etiamsi tantùm mihi sub conditione debetur, adhuc tibi vendere possum: textus in *l. existimo de contrab. empt. & vend.* sed usus pecuniæ mihi purè à te debitæ, est mihi purè à te debitus, ergo vel tibi vendere possum. Item nomen ipsum, vel ejus commoditas vendi potest debitori ipsi, sicut & cuilibet. Ad tertiam patet responsio ex prædictis, & quotidianus commerciorum usus ostendit, non esse levem utilitatem interusurii notabilis pecuniæ: & sæpè in jure dicitur fructus sup. *num.* 511. nec attinet quod per se sola non fructificet: quia etiam agri per se non fructificant, sine sumptu, labore & industria hominum: pariter pecunia etiam post tempus restituenda, mediante hominis industria notabilem interim fructum adfert. Quinetiam citra quæstuariam industriam non leve commodum adfert ipsa simplex dilatio, ut interim debitor ex fructibus prædiorum, vel alia occasione sortem conficere, & citra luctuosam & irreparabilem patrimonii distractionem reddere possit. Et nonnunquam quantum adfert debitori, tantumdem interim aufert creditori. Jam confutatis tribus illis Cardinalibus rationibus, corruunt reliquæ omnes Sophistarum argutiæ, quæ ab illis dependent. Ad quartam respondeo, primò quòd solùm concludit non debere totum fructum esse creditoris, qui vacat periculo: nec quantum sit periculũ retineret vel participaret, in quo etiam jus civile providit, ut sup. *q.* 3. Et sic non inconveniens est partem aliquam cõmoditatis cedere creditori, prout dando notabilem usum pecuniæ, aliquid dat, licet periculum non retineat. Secundò respondeo quòd periculum translire est de natura materiæ subjectæ quæ ita abit in creditum, ut non eadem corpora, sed tantumdem in genere debeatur, ut sup. *num.* 18. Cæterùm regulariter non accidit pecuniam perire & inutilem esse debitori, sed contrarium, videlicet in utilitates debitorum insumi, prout crebriùs fieri notum est: unde propter id quod rarò & ex inopinato accidit, non debet in universum quælibet usura prohiberi: quoniam jura non ad ea quæ rarò, sed quæ frequenter accidunt, adaptari debent. Et adhuc interim verum est, quòd ubi constat pecuniam casu fortuito omninò periisse debitori, non decet creditorem usuram exigere: quinetiam nec sortem quandoque, ut sup. *num.* 10. *num.* 71. Quinta verò ratio non concludit, nisi contra nimiam licentiam vel excessum usurarum: quia illa inconvenientia refrigerationis bonarum artium, & immutationis status civitatis, sequi non possunt ex parcis & temperatis usuris. Pariter sexta & septima ratio non concludunt, nisi odium & restrictionem usuræ præsertim licentioris & immodicæ: non autem omnem exclusionem etiam modici & temperati fœnoris, adeò (prout diximus sup. *quæst.* 66. *num.* 441.) ut omne justum odium, exsecratio & punitio fœnoris, de excessivo & incivili fœnore intelligi debeat, non autem de moderato & concesso.

520. Plus dico, quòd quemadmodum a l commutationes rerum faciendas necessaria fuit inventio & usus nummi, ut post. Arist. *lib.* 1. *cap.* 6. *Politicõ* testatur Jurisconsultus in *l.* 1. *de contrahend. empt.* ita (licèt non in tantum) ad cõparandum usum temporarium æris alieni, ad promiscuas necessitates componendas, vel negotiationes tractandas, necessaria fuit inventio & concessio alicujus moderatæ usuræ, ut satis probat textus in *leg.* 1. *de eo quod certo loco*, ubi usuræ sunt medium inveniendi & redimendi usus pecuniæ alienæ, & ipsa quotidiana negotiorum & commerciorum experientia semper ostendit. Et clarum est in jure, quod usuræ nihil aliud sunt, quàm congrua & æquabilis compensatio temporarii usus æris alieni, ut probant textus in *l. nec enim in fin. de pignor. actione, in l. in insulam, §. usuras soluto matrimo.* in *leg. Pater in prin. de dolis except.* facit *l. illud de ædil. edict. l. socium qui in prin. pro soc.* & alibi passim in jure. Ut autem plenùs liqueat hæc nostra non æqualis, sed analogica & subordinata comparatio inventionis & usus, tum nummi, tum fœnoris, expende paulisper quomodo necessaria fuit invehtio & fabricatio nummi. Semper enim ab initio juris gentium necessaria fuit, & publicè & privatim, hoc est singulis & universis rerum commutatio, quæ, dum ante repertum nummum sola rerum permutatione fieret, impeditissima erat: tum quòd (ut inquit Jurisconsultus in *d. l.* 1. *de contrahend. empt.*) non semper nec facilè concurreret, ut cùm tu haberes quod ego desiderarem, invicem haberem quod tu accipere velles. Tum quod & si hæc maximè concurreret, adhuc nec semper, nec facile convenisset de quantitate, valore & æstimatione rerum permutandarum, quæ non solùm diversis locis & temporibus, sed etiam eodem loco & tempore à diversis diversimodè æstimantur: ut

Necessitas usus nummi.

hinc nimis crebris hominum, præsertim meliorum, captionibus frequenter veniret Diomedram illam permutationem ultra undecuplum inæqualem usurpari, de qua in *proœmio ff. in fine*, & in *dicta l.* 2. Tum quod etiamsi concurreret & conveniret de quantitate, non erat facile singulis efferre & deferre, quibus indigerent. Ad hæc tam multa incommoda aliud luctuosius & miserius accedebat, videlicet quòd corrigi non poterant captiones & deceptiones quotidianæ, non solum quæ re ipsa nimis crebrò occurrebant, sed etiam quæ dolo, simulatione & fallacia perpetrabantur: Abundans enim vino nolebat vinum dare pro frumento, nisi quanti sibi valeret frumentum: & sic, si non indigebat frumento, aut alibunde sperabat, nolebat dare, nisi pro duplo vel triplo frumenti, quod erat injustum. Et sic egens vino, abundans frumento, qui non poterat alium egentem frumento commodè reperire, ut incidens in fraudulentum, cogebatur duplum vel quadruplum dare, & è diverso. Nec tam tetra lues & fraudatio quotidiana eluì, corrigi, aut reprehendi poterat: sed necesse erat etiam scienter tantam pestem dissimulare, donec reperto & fabricato nummo, cujus ubique, quantum liceret & apud omnes, eadem & perpetua esset æstimatio, non solùm prædictis difficultatibus commutationum obviatum fuit: sed etiam servandæ æqualitati & fraudibus amoliendis, & publicè, & privatim plenius consultum fuit.

531. Reperto autem nummo ἀπὸ τῆς ἀναγκαίας ἀλλαγῆς, ut inquit Aristoteles, id est ex necessitate commutationis instituto, species altera pecuniaria suborta est cauponatrix & quæstuaria, & ut verbo Aristotelis utar, ὁ καπηλικὸς. Similiter & ars fœneratoria, quam Aristoteles *cap.* 7. aptè vocat οἰκονομικὴν, peculiari & congruentissimo vocabulo, pro quo Leonardus Aretinus aptè transtulit nummulariam, quod passim ubique usurpat, confundendo cauponariam, nummulariam & fœnus, quasi idem essent, aut quasi Aristoteles ea nullo modo & nunquam distingueret: quod me curiosiùs singula vestigantem aliquandiu torsit: cumque hunc scrupulum mihi non eximeret recognitio & commentarius Jacobi Fabri Stapulensis summi Theologi, & Philosophi doctissimi, sed legum civilium & commerciorum experris, consului prototypum, videlicet codicem Græcum, & inveni quòd Aristoteles ibi non superstitiosè verba observat; sed ἐν πλάτει, circa tamen offentionem suæ methodi: nec immoratur in scrupulosiùs distinguendis singulis quæ incidenter occurrunt, sed explicare scopum summamque instituti sui contentus, reliquas appendices obiter tantùm & contemptim attingit: quo fit ut nonnulla prima facie subobscura & salebrosa parum attentis occurrant, quoniam in dicto *cap.* 6. *in princ.* & expressiùs circiter post septemdecim versus, ibi, ἐφ' ὧν ἐν ἕκαστον μεταβάλλεται, accipit χρηματιστικὴν, hoc est, artem quæstuariam, pro specie differente ἀπὸ τῆς οἰκονομικῆς, videlicet ab acquisitione œconomica, quæ est secundum naturam suprà *num.* 440. Et rursus *eod. cap.* ibi ἀπὸ ζῴων, & in *cap. sequente*, accipit idem vocabulum χρηματιστικὴν, pro genere complectente œconomicam, & cauponariam, & fœneratoriam, & generaliter omnem acquisitionis speciem. Et pariter in *d. c.* 6. in *dicto versic.* ἀπὸ ζῴων, verb. καπηλικὴν accipit etiam, & potissimum pro usura. Sed in capite sequenti satis apertè (quanquam obiter) distinguit usuram ἀπὸ τῆς καπηλικῆς, & loquitur particulariter & distinctè de fœnore, tanquam de diversa specie: aut saltem tanquam de potissimo membro τῆς καπηλικῆς. Et certè fœnus est quædam species cauponationis largè sumptæ, quam Græci καπηλείαν dicunt. Κάπηλον enim vocant, quicquid insincerum, & dolo fraudeque vitiatum: hinc καπηλεύειν, id est cauponarius, etiam pro deceptore & fraudulento Græcis usurpatur: propterea quòd hoc hominum genus plerumque insincerum est, utpote quæstu metiens omnia. Unde nunc malè Aristoteles *d. cap.* 6. sub cauponaria, quam dicit μισητὴν χρηματισμὸν, comprehendit obiter omnem negotiationem quæstuariam, quæ non fit secundùm naturam, ut suprà *num.* 440. vel per naturales modos acquirendi: sed inexhausta sitì habendi, & διὰ χρημάτων μεταβολῆς, id est, per commutationes rerum & nummorum, circa quos nummos potissimùm versatur, ut subdit Aristoteles. Est autem Græcis tam lata significatio τῶν χρημάτων, sicut pecuniæ apud Jurisconsultos. Sed quia οἰκονομικὴ, id est negotiatio fœneratoria, longiùs à natura degenerat, & odiosior est cæteris cauponariis quæstibus, meritò Aristoteles in *dict. cap.* 7. hanc ab aliis separat, & specialius traducit, tanquam nequiorem, maiorique odio dignam. Et sic Leonardus malè vertit nummulariam, Joachimus autem Perio, nuperus Interpres, illud verbum deterius omittit, quasi Aristoteles superfluò id expressisset, tanquam suo verbo καπηλικῆς satis contentum: aut quasi τῆς οἰκονομικῆς appellatione omnis quæstuaria, & negotiatio quæ permutandis rebus fit, contineretur, aut quasi negotiatio, quæ solis nummis fit, scilicet fœnus, non specialiter illic distingueretur à commutativa, quæ mercibus fit, vel nummis & mercibus. Rectius & dexteriùs Philip. Melanchton in *Politic.* distinctè vertit usuras, & in *Epitome Philosoph. moralis* vertit quæstus fœneratorum juxta Ciceronem ad verbum, in 1. *Offic.* Pariter Jacobus Lodoicus Strobæus nuperus Interpres, vertens negotiatio fœneratorum.

532. Graviter autem reprehendit Aristoteles vitia hominum, qui rectè & necessariò inventis ad comparationem & usum vitæ necessariorum & utilium, abuntur ad supervacuam & inexplebilem pleonexiam, quam scitè discernit à prudentia œconomica, & acquisitione secundum naturam. Malè enim affectis, ut suprà *num.* 391. studium infinitum acquirendi videtur œconomiæ opus, quemadmodum avaris tenacitas parsimonia videtur, & reliqua vitia propter vicinitatem ex communione materiæ, circa quam versantur, virtutes se esse mentiuntur, *cap. fœpe* 41. *distinct.* sed respectu finis longissimè absunt & differunt. Oeconomiæ enim finis est, benè vivendi: cupiditatis autem, malè vivendi. Pulchrè etiam irridet Aristoteles vanitatem & futilitatem eorum qui divitias existimant magnam vim copiamque nummorum: tum quod mutatione facta, nullius pretii futuri sint, tum quod his abundans fame perire possit. Adde quod superflua non sunt usui, sed oneri. Seriò autem insectatur & traducit cauponatrices artes, quarum finis non usus & subsidium temperatum vitæ, sed quæstus infinitus est, & omnium maximè ὑπ' ἐμπείρων, hoc est fœneratoriam, quæ (ut ipse ait) primum reperto nummo, simpliciter exercere cœperunt, deinde per usum & exercitationem artificiosiùs: Et satis indicat Aristoteles ad πολιτικὴν, & Legislatorem spectare hæc frænare & moderari, quod nondum suo tempore factum erat, sicut nec tunc μονοπώλια vetita, ut patet *d. lib.* 1. *c.* 7. *ad fin.* prout posteà jure nostro civili factum est *d. l. eos. & l. unica* infrà, *de monopol.* ubi non solùm monopolium inter negotiatores damnatur, sed etiam quælibet alia conspiratio inter quoscunque artifices & locatores operum. Accursius autem ibi verbum, ergolabi (ita enim legendum est) malè exponit pro stationariis: ἐργόλαβος enim Græce operarium, seu operarum locatorem significat. Cæterùm sordidum nimis & illiberale est, quod Aristoteles *d. cap.* 7. *in fin.* refert quasdam civitates sibi universitati rerum venalium monopolium arrogare, ad corradendam pecuniam in sumptus publicos: est enim pretextus ad subjiciendam plebem servituti, nec congruit veræ & liberæ Reipublicæ, in qua bona civium magis sunt civitatis in commune bonum, quàm singulorum, ut maximè opus sit ea servitute, sicut nec aliis eruscandæ pecuniæ sordidioribus exemplis, quæ refert Aristoteles *lib.* 2. Oeconomicôn (si tamen ejus sit) quæ

Καπηλικὴ.

Κάπηλοι.

Monopolium.

quæ non nisi tyrannos decent, & minimè usurpanda sunt in Republica Longè πλειστονεν, & Rebuspublicis imitandum honestissimum illud exemplum inclytæ civitatis Argentinæ Politicarum artium gloria præcellentis, quæ non solùm absque monopolio, & omni sordido quæstu prosperatur; sed etiam pecuniis propriis necessitatibus civium & vicinorum subvenit, grandem annonam in ubertate comparando, & imminente caristia, mediocri pretio vendendo, eadem verè paterna providentia, & fraudibus privatorum, & necessitati hominum occurrendum: istud est verè πολιτικον.

Necessitas fœnoris.

533. E semita in viam redeundo, ut inventio nummi necessaria fuit ουχ ἧς τὸ ἀναγκαῖον, & necessitatem hominum: ita propter similem, licèt non tantàm necessitatem, inventa fuit & tolerata aliqua usura. Sive enim inter eos qui negotiantur, clarum est quòd plures crebro multoque usu æris alieni indigent, nec omnibus, nec semper expedit societatem contrahere, sola opera industriave collata: nec inveniuntur qui gratis mutuent, nec his, qui de negotiando & lucrando certant, mutuum gratuitum debetur, ut sup. *num.* 86. sive inter non negotiantes (licèt non æquè frequenter) tamen sæpe usuvenit ut sint qui seriò ex justissimis, inopinatis & urgentibus causis indigeant temporario usu æris alieni, nec sint de his, quibus gratis mutuandum sit, aut si sint, exteri ignorant; nec fortè sciri expedit eos esse indigentes: nec si sciatur, occurrit qui gratis mutuare possit & velit. Jam vides quòd quemadmodum sublato usu nummi, impeditissima & damnosissima esset commutatio: ita sublato omni usu fœnoris, impeditissimum erit commercium æris alieni apprimè in Republica necessarium. Fiet enim necessariò ut vel indigentes ad importunam, vilem & irreparabilem bonorum distractionem adigantur, vel ut publicè & passim recipiatur & concedatur creditoribus pacisci de omni prætenso interesse, etiam lucri cessantis, quantumcunque sit, prout accidit & de facto receptum fuit, postquam invaluit stulta illa, & non minus perniciosa, quam superstitiosa opinio de usura, de se absolutè mala, deque impietate & iniquitate juris civilis in re usuraria.

534. Igitur similis est necessitas alicujus fœnoris admittendi, quæ & usus nummi, sed non tanta: usus enim nummi in omnibus ferè commutationibus & semper necessarius est, sed usus fœnoris nonnisi ad redimendum usum æris alieni, & his quod & quandu indigent. Usus autem nummi ut generaliter & magis necessarius, ita justior & favorabilior, utpote omnibus semper & utilis & necessarius: nemini verò captiosus aut damnosus, cùm semper de se acquirat æquale & magis commodum: quod si quandoque non fiat, id non propter ipsum nummum, vel ejus usum in se, sed aliunde accidit. Contrà usus fœnoris, ut minùs utilis & necessarius, ita minus habet justitiæ & favoris, cùm etiam sæpè captiosus & damnosus sit alteri parti, videlicet debitori, & maximè omnium contractuum à natura degeneret & recedat: & sic odiosus est per prædicta. Sequuntur duo, scilicet primum & tertium, ut sophistis σχολαστικοῖς, ita verissima jamque exploratissima. Primum, & necesse & utile esse usum aliquem fœnoris retineri & tolerari. Secundum, quòd valdè & quantum commodè fieri potest, debet moderari & restringi, quocunque titulo vel nomine vocetur vel adumbretur, ut suprà *quæst.* 69. Tertium, quòd hoc facto nedum jure humano, sed omni jure & divino & naturali licitus est. Quartum, quòd moderationem statutam nullo modo licet, directò, vel per indirectum, quocunque colore vel machinamento, nec in foro contentioso, nec in conscientia excedere, nec prætextu quidem cujuscunque interusurii vel lucri cessantis, etiam de quo constet: sed nec etiam damni incursi vel incurrendi extrà casus, in quibus interesse casuale deberi & exigi potest, ne qua fraus fiat.

Thesis.

535. Postquam satis profligatum est, supereſt paucis de congruo modo differere: Hîc priùs sciendum, duplicem esse usum fœnoris largè sumpti. Primus negotiativus, & semper conventionalis principaliter intentus. Secundus, propter moram vel dilationem incidens, punitivus moræ, si adsit, dilationis autem & interusurii compensativus. Et taxatio quidem juris civilis super primo diformis est, *d. l. eos.* §. 1. *in princ.* super secundo verò uniformis, scilicet ad semisses, nisi in justo mercatore, cui possunt de jure deberi besses ex pacto expresso, vel etiam tacito, in argentario duntaxat, ut suprà *num.* 59. & ea taxatio nunquam in se fuit iniqua, ut suprà *quæst.* 2. sed ut tempore suo summa & absoluta, ita processu temporis propter abusum hominum nimis in quibusdam dissoluta & vaga inventa est, ut suprà *num.* 521. & omninò super fœnore negotiativo, forma juris civilis nimis incommoda & perniciosa debitoribus apparuit. Unde meritò abrogata fuit, & alia tutior & commodior forma inventa, videlicet per abalienationem sortis, servata debitori libera facultate luendi, ut suprà *quæst.* 69. *ad fin.* Et hæc forma nova, ut mitior & civilior, ita minus habet de ratione fœnoris propter alienationem sortis, quam forma juris civilis, ut supra *num.* 449. Est tamen fœnus largè sumptum, & vera species negotiationis fœneratoriæ, ut probavimus suprà *quæst.* 69. Similiter taxatio juris civilis in fœnore incidenti, simplicis moræ vel dilationis pensativo, nimis vaga & duriuscula inventa est: unde etiam meritò exolevit. Non tamen continuò, ut imperiti putant, colligendum omnem rationem interusurij, vel usuræ, propter moram vel dilationem abrogatam esse: sed duntaxat (exolera nimis vaga & dura juris civilis forma) in arbitrio boni prudentisque judicis relictam, ex omnibus totius subjecti cujusque negotii circunstantiis, suprà *num.* 514. unde quamvis non possit absolutè definiri, est tamen ἀκριβὲς, seu metam certam probabilem constituere, quam excedere non deceat.

Duplex usus fœnoris.

536. Nihil autem temperatius, & naturali ratione hac in re congruentius, quàm restringere ad lucrum seu proventum, qui redit collocata sorte in emptionem prædiorum, secundùm communem & justam æstimationem: in quo, quia multos gradus habet, ut suprà *quæst.* 5. advertendum ad tria. Primò, quod non est restringendum ad minimum reditum prædiorum, quia sic expediret frustratorem esse, nec puniretur, sed foveretur mora: quippe moratore summum interim lucrum faciente, & minimum dante creditori, cujus jacturâ locupletaretur. Non est igitur restringendum ad istud minimum, & hoc nisi ubi taxanda esset usura citra moram & culpam: nec in pœnam, sed vice commoditatis fructuum tantùm, ut *l. fin. vers. quod si non obtinuerit. C. de petit. hæredit.* ubi hac summa & optima ratione statuuntur usuræ quadrantes, quæ circiter recidunt ad minimum reditum prædiorum, ut novè declaravi infra *num.* 576. Secundò advertendum quòd adhuc non expedit fieri restrictionem ad mediam utilitatem reditus prædiorum: quia non censeretur mora puniri, nec satis consuleretur indemnitati moram passi: & hoc nisi æquitas suaderet, ut in eo, qui ex liberalitate sua convenitur, cujus non debet præstare pœnam, *l. ad res donatas. de ædilit. edict.* & sic nec summam vel regularem usuram, quæ pœna quædam est. *l. Seia. de usur.* unde *in l. fin. C. de jure dot.* summa & optima ratione, ut dixi supra *num.* 525. taxantur trientes, quæ recidunt ad mediocrem reditum prædiorum, ut supra *quæst.* 5. *num.* 120. Tertiò, quod nihilominùs expedit certam regularem metam constituere, non quantum ad quantitatem usuræ, etiam communiter præscriptam (hoc enim tanta, tam incerta negotiorum varietas, commodè non patitur) sed quantum ad ἀκρίβειαν, seu summitatem, quam excedere non liceat, idque non absolutè, sed utplurimum, videlicet excipiendo casus, ubi specialis ratio majorem solito usuram requirit.

Æquilibrium.

requirit. Et sic ex prædictis relinquitur, congruentissimum naturæque convenientissimum esse, hanc restrictionem communiter fieri ad summum prædiorum reditum: hoc enim modo regulariter tum simplex mora satis punitur, tum promiscuum interusurium sortis exigibilis satis benignè pensatur. Igitur justitiæ naturali, & summæ æquabilitati congruit saltem summum lucrum, quod ex prædiis fieri potest, communiter non excedi. Cùm autem minima & vilissima prædiorum indicatura sit, quantum viginti annorum fructus ascendunt, quod est extremum minus, ut notatur suprà *quæst.* 5. *num.* 113 apparet supremum prædiorum reditum nunquam communiter excedere rationem unius in viginti. Igitur, nec hæc usuraria accessio eandem rationem excedere debet, nec aptius & æquius quicquam omnibus numeris decerni potest: ut enim liquet ex prædictis, & suprà in *abaco* graphicè depinxi, bes est summa vera usura juris: semis autem media, communis & mediocris. Quincunx igitur levis, triens enim jure rectè vocatur levior, *l. si legatum, de operis public.* & sic quadrans relinquitur levissima usura: est enim minima, de qua nominatim in jure mentio fiat & disponatur, ut in *l. fin. Cod. de petit. hered. Auth. hoc jus, Cod. de sacrosc. Eccl.* Quincunx igitur inter mediocrem & leviorem medius est; & ab omni extremo & levissimi & summi fœnoris multum & quammaximè fieri potest, abest; nec rursus parum lucrosus est, nec ullatenus excedit, sed paulo infra mediocrem etiam subsidit: & in summa, usque adeò undequaque, sive analogiam reliquarum partium centelimæ, sive rationem naturalem, communem sensum, & utilitatem hominum reddituumque prædialium proportionem attendas, temperatus & congruentissimè exæquatus, ut nihil ad absolutissimum æquitatis æquilibrium addi & demi queat, adeò ut Momus quidem carpserit, qui præcipuè regnat in Satyricis, qui tamen hanc quincuncem modestiæ laude commendant, ut Persius *Satyra quinta.*

Quincuncis temperatura.

Quid petis, ut nummi, quas hic quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos fudare deunces?

Ubi deuncialis excellum meritò vituperat, & quincuncialis modestiam laudat. Itaque concludo, quincuncem esse justam & æquabilem meram æstimationis promiscui interusurii sortis exigibilis: non quòd in omni obligatione & mora semper & tanti debeat æstimari, sed quòd ubi justa demum causa præcedit, & æquitas suadet, ut in venditione re tradita, in dote promissa ab eo ad quem spectat, & similibus: & tunc ea meta regulariter excedi non debeat, licet minui possit. Et ita sæpè vidi summa & optima ratione observari in amplissimo hoc Senatu. Et nunquam vidi hanc metam in taxatione simplicis interusurii, seu promiscui interesse excedi (nisi ex certis specificis causis, de quibus constabat, quæque in pensationem casualis interesse recidebant) sed benè minui: libet quædam ejusdem Senatus Arestia proferre.

Arestum.

537. Anno sesquimillesimo tricesimo octavo, die Veneris, septima Februarii in publicis causarum actionibus, me præsente, cùm in tractatu matrimonii promisisset maritus partem receptæ dotis, pura duo millia in emptionem prædiorum pro uxore impendere, hocque non facto decessisset, tunc Katharina *de Bery* ejus vidua petiit dimidiam, videlicet mille, ab ejus hæredibus: quoniam aliam dimidiam, videlicet mille, ratione communionis sibi confundebat. Cumque hæredes aliquandiu frustrati essent, tandem negotio devoluto ad Senatum, condemnati sunt ad restitutionem dictorum mille, & ulterà, pro damnis & interesse moræ petitis, fructibusque, qui percepti fuissent, si dicta emptio facta fuisset, ad solvendum reditum sive ad hanc rationem unius in viginti: videlicet quinquaginta libras singulis annis, non solùm à die litis motæ vel interpellationis, sed à die mortis mariti usque ad tempus Aresti, & deinceps donec sors restitueretur. Et justè, quia mora inceperat à marito, saltem eo mortuo commissa. Suberat etiam causa justissima, qua pactum fuerat quod maritus impenderet in rem fructiferam: quod si factum fuisset, ut debuit, vidua ex die mortis viri fructus immediatè percepisset. Nec obstat quantum ad quantitatem usuræ, quòd non debeat adjudicari in summo gradu unius in viginti, sed potius in minimo, videlicet unius in triginta, vel saltem in medio, scilicet unius in viginti quinque: quasi non sit verisimile quòd vir invenisset commodum prædium tam vilissimo pretio viginti pro uno, nisi rarissimè; sed potius ad rationem triginta pro uno, vel inter duo extrema, quia hoc fateor, & quòd in obscuris minimum sequendum, præsertim in materia usuræ, per notata suprà super *l. eos. num. 499.* Sed dico, quod alia ratio hoc reformat: quia sicut non frequenter contingit obvias esse emptiones prædiorum vilioti pretio, ita sæpè & communiter accidit, prædia empta meliorari, multisque rationibus eorum & pretium (quod proprietatem concernit) & reditus cura patrisfamilias & successu temporis augeri. Maritus autem non solùm fuit in mora non emendo, sed etiam non emendo tempore debito: quod si fecisset, valor verisimiliter auctus fuisset, ita quòd fundus tunc emptus pro mille ad rationem vigintiquinque vel triginta pro uno, afferret nunc ultra quinquaginta annua, & multò pluris quàm emptus fuisset, venire posset, quod est considerabile. Sed quid si in Aresto non esset facta condemnatio pro tempore futuro? An si adhuc hæredes differant solvere, possit eadem usura peti pro tempore lapso post sententiam? Respondeo non in vim sententiæ, quia stricti juris est, & in dubio non intelligitur damnare, nisi pro tempore præterito: quia regulariter judex non debet esse sollicitus de futuri temporis tractu, *l. 1. §. 1. de usur.* potest tamen si velit, condemnare etiam ad futuri temporis usuras, quandiu perseverabit mora, ut patet in *dicto Aresto*, & est textus in *leg. 1. C de sent. quæ sine cert. quantitate.* Sed non tenetur, & multò minus debet jubere interponi cautiones de præstandis usuris futuræ moræ: quoniam in potestate auctoris est sortem exigere, præsertim post rem judicatam, sibique potius imputare debet si non exigat. Si tamen rursus de frustratione injusta condemnari constiterit, poterit victor petere sibi usuras adjudicari frustrationis factæ post rem judicatam etiam ab illius datâ: quoniam inducîæ illæ quadrimestres, *l. 1. C. de usur. rei jud.* nunquam fuerunt apud nos in usu. [Rursus ad majorem declarationem, quantum ad quantitatem usuræ, oppono quòd nimis excedat, quia de jure si pecunia dotalis infra annum soluti matrimonii non restituatur, non currit, nisi trientalis usura, & adhuc non incipit statim à soluto matrimonio, sed post annum tantùm, *l. unica §. exactio. C. de rei uxor. act.* Nos igitur Galli qui videri volumus jure civili modestiores in usuris, non deberemus ullo casu majorem admittere usuram jure civili, ut suprà. Et sic videtur inconveniens quòd in *d. Aresto* duabus unciis major admittatur, & adhuc à die soluti matrimonii. Responsum speciale est in casu *d. §. exactio*, non ob favorem conjunctionis personarum tantum, quia licet loquatur in marito debitore, tamen idem in quovis extraneo ejus hærede, si more viri sine liberis solutum est matrimonium: sed speciale est propter tria, quæ simul ibi concurrunt. Primum, quod usura currit ex sola mora legali & irregulari sine alia interpellatione. Secundum, quod non solùm, pro nummis, & aliis fungibilibus, sed etiam pro speciebus mobilibus, vel se moventibus ad earum æstimationem, quod aliàs insolens est, & reprobatum in jure, *l. 3. in fin. de usuris.* Tertium, quod in hiis hominum eorumdem mobilium, quorum usura exigitur, fructus etiam, & reditus

exiguntur : puta, vecturæ navium, & jumentorum, & operæ servorum : non tamen eorum fructuum usuræ : & sic ibi solvitur usura, sine usu, quod est inauditum, & nullibi aliàs habetur in jure : & sic ibi non tam est specialitas levioris usuræ quàm specialitas gravioris pœnæ, in non restituentem dotem infra tempus legitimum : unde dico quòd ille textus procedit, si vidua, vel ejus hæres, eam pœnam eligere velit, omissâ propriâ & regulari usurâ. Cùm enim verus rei uxoriæ actio esset bonæ fidei, & sic saltem ex mora regulari in nummis venirent usuræ legitimæ, videlicet ante *d. l. eos.* consuetæ in regione, non excedentes bessem : & post *l. eos.* semisses, cujus actionis omnis prærogativa transfusa est & cumulata, in actionem ex stipulatu in favorem dotium, *d. l. unica.* Non est intelligendum, correctam veterem naturam rei uxoriæ actionis, super usuris communibus, nec denegari quod omnibus bonæ fidei contractibus conceditur. Unde si vidua, vel ejus hæres, omissâ provisione usuræ, vel *d. §. exactio*, velit petere usuras communes, videlicet semisses post annum, debet admitti de jure. Quod potest esse utile, si tota dos, vel major pars constat in nummis, sed tunc reliquorum corporum, vel specierum nullas usuras exigere poterit, sed fructus seu reditus dumtaxat, prout jure antiquo, *l. videamus §. de usur.* nec poterit dividere provisionem, seu pœnam, *d. §. exactio*, qui hodie quantum ad illam pœnam, non est in usu : & sic sub nostro quincunce multò parciùs admittimus usuras quàm de jure civili, ut in *d. Arresto.*]

538. Aliud Arestum à paucioribus annis latum. Duabus puellis dotis causâ legata erant viginti millia à potenti domino extraneo, hæredes autem per viginti annos litigando frustraverant : unde petebantur usuræ pro interesse interusurii, aliquot classibus Senatus congregatis adjudicata fuerunt ultra sortem duo millia dumtaxat pro mora & interesse viginti annorum : quæ recidunt ad rationem semuncialis usuræ, quæ in ducentis tantum annis æquat sortem, nec est nisi octava pars trientalis usuræ, de qua in *l. ult. in fin. Cod. de jur. dot.* Sed ex multis gravibus causis motus fuit Senatus ad ita temperandum. Tum quia ab eo, qui ex liberalitate sua convenitur, vel ejus hærede non debent exigi usuræ, nec si Reipublicæ quidem debeatur *l. liberalitatis, de usur.* igitur multo minus in privato. Et licet in Republica specialiter statutum sit, ut post jussum judicis, & tempus ab eo præfixum, infra quòd sine alio incremento solvi possit, postea currant usuræ, sed leviores & trientales dumtaxat, *l. cum quidam, in fin. de usur. l. 1. de pollicit. l. legatum de oper. publ.* tamen non est statutum in privato, & sic in eo stat regula non exigendam usuram. Legatum autem est quædam donatio & liberalitas per locum à definitione : & quamvis in legatis statutum sit à die moræ currere usuras juris communes, scilicet semisses, *Cod. de usur. & fruct. legat.* per *totum*, & extra testamentum in liberalitate inter vivos facta per extraneum causâ dotis, ut currant trientes post biennium contracti matrimonii, & ejus onerum susceptorum, sine alia interpellatione, *l. fin. §. præterea Cod. de jure dot.* tamen quia propter desuetudinem dictarum legum, quæ etiam apud nos, quantum ad usuras, nunquam fuerunt in usu in sui forma, parum fuerunt in consideratione in dicto Arresto. Cùm igitur staret ea magna ratio temperandi, quòd ex liberalitate conveniuntur, item quòd ab initio litis nunquam facta [illegible]: mentio de usuris, & durum est non præmonitos, alioquin moratores, ex inopinato multum usuris implicari : tum quia fortè actrices non nupserant ab initio litis, sed diu post, vel non satis diligenter litem sunt prosecutæ.

539. Difficilius enim & parcius adjudicandæ sunt usuræ ei, qui dum interpellare cessavit, ne fortè calliditati eorum indulgeatur, qui exigere differunt, ut usuræ augeantur non enim propter lucrum percentium, sed propter moram non solventium infliguntur, *l. cum quidem, §. si pupillo. in fin. de usur.* Et adverte circa *d. §. præterea*, quòd Bald. ibi in princi. malè intelligit illum textum de reditu temporali, quandiu durabit matrimonium, quia si esset talis reditus promissus, reliqua non essent accessio nec usura, sed ipsum principale, & sic omnino integrè deberentur, non post biennium, nec ad trientem centesimæ, sed ex initio contracti matrimonii & impletæ conditionis, *leg. tali de jure dot.* & sic Bald. multum erravit. Debet ergo intelligi de reditu perpetuo dato seu remisso, non ad tempus matrimonii, sed in perpetuum & absolutè, prout ibi dicitur de fundo. Idem de aliis reditibus ibi expressis. Pariter verbum (*quæstum*) in eodem textu malè exponit ibi Accurs. pro eo quod donator lucrari posset, licet hoc sequatur Roman. *consil.* 512. *col.* 3. sed debet exponi & intelligi de fructibus, vel reliquis fundi, vel reditus perpetui in dotem dati. Et sic est speciale favore dotis, quòd contra liberaliter donantem veniant fructus & obventiones rei donatæ post biennium matrimonii & onerum susceptorum, sine alia interpellatione vel mora : similiter speciale in dictis usuris levioribus. Sed hodie *dict. §.* exolevit, quantum ad usuras, tametsi leviores, per prædicta, sed non quantum ad fructus & causam rei : quia desitetudo non respicit nisi formam usurarum juris civilis, nec hujus levis est, sed magna ratio, quia fructus & causa rei sunt accessio favorabilis, *l. 2. de usur.* quæ etiam respectu debitoris non dicitur pœna, sed rei persecutio, *l. præterea de rei vendicat. l. restituere de verb. signif.* Contrà usura, quantumcunque modica, semper est accessio odiosa, & respectu debitoris pœna dicitur, *l. Cæius l. Seia de usur. l. penult. & final. de nautico fœnore.* Et sic permaximè refert inter accessionem fructuum rei debitæ & accessionem usurarum, vel interusurii pecuniæ debitæ.

540. Ex prædictis habes duo exempla, in quibus justa causa & æquitas subest rationem interusurii haberi, videlicet venditionem re tradita, & dotis promissionem ab eo qui dotare tenetur, vel aliquid accipit, puta cessionem hereditatis ut dotet : & è diverso duo exempla, in quibus non habetur ratio, videlicet mutuum & donatio. Quanquam non sit opus exempla negativa colligere, nisi methodi gratiâ, quum non sit locus affirmativæ, nisi & quatenus constet justam causam & æquitatem subesse, ut in duobus primis exemplis & similibus. Et sufficit primum exemplum venditionis excutere, ut reliqua plana sint. Cùm igitur in venditione occurrant quatuor, ex quibus æquum est usuram pretii venditori, qui implevit, deberi, videlicet res, pretium, fructus rei, & fructus seu commoditas pretii, quæ absunt venditori, & adsunt emptori, quæritur primò, an horum quatuor concursus requiratur : Respondeo non, quoniam quatenus venditor repetit vel consequitur ab emptore æstimationem fructuum pro tempore moræ, non censetur petere usuram, nec æstimationem interusurii, sed rei persecutionem : quia fructus illi pro tempore moræ non erant debiti emptori ; sed spectabant ad venditorem, qui non tenetur interim fundum tradere, & gratiam traditionis faciendo, poterit justè stipulari rationem tibi reddi fructuum, donec solutum sit, quemadmodum justè potest emptori fundum eousque locare, *l. sicut emptio.* cum *leg. seq. ff. locati.* Et sic usque ad concurrentiam horum fructuum nullo modo est usura, sed rei persecutio. Amplio primò, quantumcunque fructus excedant, etiamsi rationem centesimæ ad pretium excedant : ut si venditori placuerit, vel fortè testamento gravatus fuerat, certo vilissimo pretio vendere. Ut enim non teneatur vendere, nec tradere nisi præsenti pecunia, ita si gratiosè traditionem anticipet, potest tibi cavere de integris fructibus, quantucunque sint, nec potest dici usura :

imò quantò magis excedunt, tantò majorem gratiam factam esse emptori apparet vendendo. Idem si vendidit justo pretio, sed illis annis casu fortuito accidit fructus supra modum valere & exuberare. Secus si excessus fructuum accideret ex singulari industria emptoris; quia licet sit in mora, non tamen debet venditor lucrari commodum industriæ emptoris, prout suprà *num.* 492. sed satis est quòd conserventur indemnis per retentionem fructuum, quos verisimiliter venditor percepisset, vel per legitimam usuram, hoc est congruam compensationem interusurii pretii dilati, quatenus fructus fundi traditi ad hoc non sufficerent.

Declaratio 1. sicut emptio, locati.

541. Amplio secundò, etiamsi tradens dominium absolutè transtulerit, quamvis tunc quidem contrarium velint, & nominatim Alexand. *consil.* 119. *consil.* 120. *consil.* 121. *lib.* 4. *consil.* 121. *lib.* 5. Cæpol. *cautel.* 173. Socin. *consil.* 176. *lib.* 2. quod reperitur *consil.* 103. *lib.* 4. sed ineptissimè: quia transferens dominium & proprietatem, plus juris & commoditatis dat, & majorem gratiam facit, quàm simpliciter tradens vel locans, dominio retento. Patet, quia vel proprietatem pignori dare licere fructus est, *l. fin. de usuris.* Ergo hæc transferens tantò justius sibi de fructibus cavere vel usuras stipulari potest, & sic hæc ampliatio præposterè scripta est. Debet enim scribi, etiamsi tradens dominium non transtulerit, sed simplicem detentionem, ut sic implicet casum minus dubitabilem, & explicet dubitabiliorem. Cæterùm ut jacet, clarè probatur in *dicta leg. sicut emptio, locati*, quamvis Alexander in consiliis præfatis ridiculè nitatur illum textum in oppositum (videlicet quando retinetur dominium) retorquere: & pessimè. Patet, quia si locator non obligatur ut ibi, ergo præsupponitur quòd venditor idemque locator dominium & possessionem transtulerat, & sic ab omni traditione & patientia fruendi liberatus erat: alioquin si dominium & possessionem sibi retinuisset (ut vulgò glossæ. & Doctores putant) tametsi ob perfectam conventionem venditionis periculum sit emptoris, *l. necessariò, de periculo commodo, rei vendit.* tamen semper remanet obligatus ad præstandum patientiam fruendi & usum domus suæ quam possidet, imò etiam ad faciendum uti frui, quæ est tota obligatio locatoris, ut suprà *num.* 442. & si non esset verum, locatorem non obligari, prout ibi absolutè negat textus. Benè verum est, quòd ob periculum translatum strictius & firmius hîc obligatur conductor: quia etiam re casu fortuito perempta, tenebitur eamdem mercedem continuare, donec pretium solverit, ut ibi etiam sentiunt glossæ. & Doctores & in hoc benè (salvo eo quod dicam in *fi. num. sequentis*) sed non sequitur locatorem minus obligari, quandiu dominium & possessionem habet.

542. At interim non advertunt Doctores sese non solùm contra textum legis, sed etiam contra seipsos incautè pugnare, dum negant venditorem posse percipere fructus vel pensionem de re non amplius sua: atque ideo restringunt, *d. l. sicut emptio*, ut loquatur quando locator dominium & possessionem retinuit, idque contra textum *d. l.* ut dixi. Et tamen fatentur mercedem, donec pecunia solvatur, continuandam, si domus vel fundus perierit, quod est deterius, quàm si staret & remaneret in dominio locatoris: tum quia re perempta, non solùm percipiet venditor pensionem de re non sua, sed de re quæ non est in rerum natura, & debitori periit: tum quia re stante, sive sit in dominio venditoris, sive emptoris, pensio illa non solvitur damno emptoris, sed de fructibus rei, sive penes venditorem, sive penes emptorem existentis: sed ea perempta, oportet emptorem eam pensionem solvere de suo, & cum suo damno & detrimento. Et sic tunc clarum est quòd ea pensio jam non solùm præstatur ob solam & simplicem dilationem pretii (cùm non habeat amplius aliud objectum) sed etiam præstatur cum mero damno debitoris: & tamen fatentur licitè absque usura percipi hoc casu, ubi longè major & intensior & extentior est ratio usuræ, quam re in dominio emptoris stante, de cujus fructibus solvatur, & ubi usuram esse ridiculè & præposterè contendunt; & hæc obiter de intellectu, *d. l. sicut emptio*, satis. Adverte tamen ad id quod dixi, re peremptâ, eandem mercedem deberi donec pretium solvatur: debet enim limitari primò, ut procedat in venditione non simulata, & pignoratitia, aut fraudulenta, ut suprà *quæst.* 56. Secundò, ut deinceps pensio non possit excedere rationem quincuncis pretii, etiamsi re vili vendita fructus multum excedebant, quos æquabat pensio, quod toleratur ad concursum fructuum: sed quocunque modo, etiam re stante, fructus sint minores, non poterit tunc pensio quincunces pro eo tempore excedere.

543. Amplio tertiò, etiamsi venditor dilationem pretii solvendi dederit, quamvis tunc aliqui contrarium teneant, ut Socin. *consil.* 179. *lib.* 2. *cons.* 88. *lib.* 4. Jacob. Almain. & alii in 4. *sent. di.* 15. *quæst.* 2. sed stultè, quia data dilatione, justior est ratio sortem non esse sterilem, quàm cum exigi potest, ut suprà *num.* 530. Melius hanc ampliationem tenent Paul. in *l. Julianus*, §. *offerre de act. emp.* Alex *consil.* 121. *lib.* 5. Sed adhuc melius dicendum quòd hæc ampliatio est ut præcedens præposterè scripta, debebat autem scribi (etiamsi non sit dilatio data) quoniam ea data, minus est dubii & major ratio admittendæ usuræ. Amplio quartò, etiamsi venditor numquam dominium, nec possessionem habuerit; sed habere poterat, & debebat, si nomen, vel actionem, non alienasset: quamvis aliter velit Phil. Dec. *cons.* 183. *ad fin.* & malè ut ibi retigi. Conclusio sic ampliata limitatur, si venditor carius vendiderit ob dilationem pretii: quia tunc ea pendente, non potest fructus nec eorum partem retinere, & multo minus etiam usuram exigere: quia tenetur purè tradere, & sic duplicem usuram capiendo, compensationem ejusdem dilationis acciperet, quod non est ferendum. Sed dilatione lapsa procedet conclusio in futurum, dummodo augmentum illud pretii non excedat commodum lapsæ dilationis, seu fructuum temporis lapsi.

Error Gabri. Biel.

544. Ex prædictis autem duabus novissimis ampliationibus patet quam stultè & imperitè post Antonin. & Bapti. & alios, scripserit Gabriel Biel. in *quart. sentent. distin.* 15. *quæstio.* 11. *col.* 17. illicitum & usurarium esse, quòd venditor fundi traditi dilatione data solutionis pretii, habeat interim fundum venditum in pignus, & faciat suos fructus. Et ridiculæ & sophisticæ sunt rationes quas adducit: prima, quòd accipiat pro dilatione solutionis, imò hoc justius, quam si non esset data dilatio. Secunda, quòd fundus traditus non est venditoris, sed emptoris; sed certè fructus sunt venditoris, aut ei debiti donec solvatur. Tertia, quòd periculum est emptoris: sed certè id est etiam ante traditionem, *d. l. necessariò*, nec venditor hos fructus accipit ob translationem periculi, quæ est de natura contractus: sed quia non tenebatur perceptionem fructuum dare. Quarta, quòd hoc pactum resolvitur in mutuum, quia idem est, ac si emptor recipiens fundum, eodem instanti solvisset pretium, quod rursus venditor eidem mutuasset: quo casu nihil posset percipere, ergo nec isto casu. Addunt Canonistæ ubique de suo capite, tam in lectionibus, quam in consiliis, quòd jus ita fingit: Theologi verò Scholastici non dicunt jus hoc fingere, sed in 4. *sentent. distinct.* 15. *quæst.* 2. & ubique dicunt, quòd est mutuatio & usura virtualis & æquivalens, licet non formalis. Et idem censent quod in formali mutuo & usura, ita ut nesciam utrum à Canonistis, an à Theologis primùm hoc quartum sophisma inventum sit;

utcumque sit, adeo futile est, ut nec mereatur in eo genere poni, quòd meritò suggillat Jurisconsultus, & cavillationem interpretatur, in *leg. ea est natura, de regulis juris*, longè enim alia est ratio hujus pacti, alia mutui. Mutuum enim non est negotiatio, sed officium, nec nisi re fungibili contrahitur: at hìc non agitur de officio, sed de negotiatione, nullaque fit numeratio rei fungibilis. Venditor non certat de officio mutui, nec de aliquo mutuo quovis modo dando, cùm ipse potius egeat accipere mutuum: quod si commodè inveniret, verisimiliter, & utplurimum fundum non venderet, sed ea gratia uteretur: certat autem de justa & æquabili negotiatione. Ut autem licitè vendit fundum justo pretio, ita quandiu solutio differtur, justè retinet, & fructus suos facit, vel si gratiosè traditionem & dominii translationem anticipet, justè de retentione vel æquipollenti compensatione fructuum paciscitur. Omitto quòd Sophistæ isti verbis legem imponunt, dum admittunt illud pactum, si venditor interim re tradita dominium reservet, imò casum justiorem pro dubitabiliori præposterè more suo damnant.

Error Panorm.

545. Pariter ex his apparet malè consuluisse Panorm. *consil.* 5. *lib.* 1. in hac specie, Sempronius domum suam locavit Titio in octo annos pro sex florenis annuis, & statim per alium contractum vendidit eidem Titio dictam domum pro centum florenis, quos fallus est recepisse. Tamen Titius alio separato instrumento fassus est pretium debere, quod promisit solvere infra octo annos, & interim solvere dictos sex florenos annuos juxta locationem, ita ut posset dictum pretium solvere per particulares solutiones, & pro rata pretii soluti diminuere dictam pensionem, quam Titius solvit, & non aliud per octo annos. Quibus lapsis, & sic finita locatione, Sempronius petit pretium: Titius autem vult in sortem imputare quadraginta octo florenos, quos solvit pro dictis octo annis, & offert quinquaginta duos florenos pro residuo pretii, quia dicit pensionem illam fuisse usurariam pro usura seu dilatione centum florenorum. Sempronius replicat quòd pretio non soluto dominium non fuit translatum, ideo potest exigere pensionem pro usu domus suæ, nec tenetur imputare in pretium. Consultus Panorm. decidit pro emptore, quia dominium erat translatum, ex quo fides habita de pretio, & sic recessum à contractu locationis, *l. fin. quis de acquiren. possessio.* Sed hoc non valet, quia quemadmodum dominus commutabilis, vel ratione alicujus juris deficientis, vel etiam defuturi potest emere rem suam; textus in *l. existimo de contraben. empt.* ita dominus rem suam conducere, vel ratione nudæ possessionis, textus in *l. si aliquam rem de acquirend. possessio.* Igitur multò magis propter usum vel commoditatem fructuum, quæ alioquin ad alium spectat. Unde quemadmodum proprietarius potest conducere rem suam ab usufructuario, vel dominus & possessor ab habente nudam servitutem habitationis, §. *penult. Instit. de usu & habitat.* ita cùm venditor tradens rem, nondum soluto pretio, possit quam vult legem quousque apponere, & fructus vel æquipollens donec solutum sit, reservare *l. legem Cod. de patiis*, potest hoc respectu locare emptori domino facto. Non obstat *dicta l. si quis ante*, quia intelligitur data repugnantia, ut ibi glos. & omnes Doctores tenent, aliàs non impeditur locatio: ergo nec hìc, cùm nihil hìc repugnet *per prædicta*. Et sic non est verum quòd Titius solverit indebitam pensionem, & multò minus quòd sit in fraudem usurarum. Verum est quòd hæc locatio facta est, propter dilationem pretii; quia dilatio est ejus occasio, & causa sine qua non: sed tamen hoc casu solutio pensionis non fit immediatè propter dilationem, nec propter interusurium pretii, sed propter concessam perceptionem fructuum & fruitionem domus.

Quando dominus potest conducere rem suam.

546. Et sic hæc pensio nullo modo est usura, nec accessio pretii, sed æquè principalis compensatio fructuum, quæ sunt alia vera sors, spectans ad venditorem, & non ad emptorem, quandiu non solvitur. Igitur si pensio non excedat fructus, nullum prorsus est vitium, & est casus de indubitabili. Et sic Panorm. pessimè consuluit: nec opus est reliquas ejus rationes prosequi, quæ ex prædictis satis confutantur. Dico tamen, quòd si pensio conventa excederet communem æstimationem mercedum dictæ domus, tunc esset reducenda, ut non excederet vicesimam partem pretii conventi & debiti in anno, puta si domus non valet ultra centum, & merces domus communiter non valeat ultra tria vel quatuor annua, tunc hæc pensio conventa sex florenorum debebit reduci ad quinque florenos, & hoc ne qua fraus fiat legitimæ huic usuræ, seu congruæ nostræ taxationi interusurii, ut mox dicetur. Habes ergo, quòd quatenus id, quod ob dilationem pretii penditur, concurrit cum fructibus rei traditæ, nullo modo est usura, nec spectat ad negotiationem fœneratoriam, nec principalem, nec incidentem, sed est vera rei persecutio & compensatio sortis cum sorte. Sed quid si res vendita & tradita non est fructifera, vel nullos interim (puta ob calamitatem illius temporis) affert reditus? Respondeo: tunc si quid venditor ob dilationem recipiat, est vera usura, non compensatio sortis cum aliqua sorte reali, ut in præcedentibus, sed simplicis interusurii compensatio: unde non poterit præfatam rationem quincuncis usuræ excedere.

Fructus sunt sorte.

547. Concludendo ergo in hac materia distinguo: Aut venditor pactus est de certo interusurio successivo, aut non. Primo casu valet indistinctè, usque ad concursum fructuum pro rata pretii restantis: deficientibus verò fructibus, vel si non ascendant rationem quincuncis pretii, valet usque ad quincuncem, non ultra, ut suprà *quæst.* 27. *in fin.* Amplio primò, ut non sit audiendus emptor, etiamsi probare velit, venditoris vel ejus hæredis aut cessionarii non interfuisse: quia semper sua interest nomen ipsum, hoc est obligationem pacti valere, ut illud vendere vel cedere possit. Et omnino satis est, quòd si pecuniam tempestivè habuisset, potuisset quocunque modo utilius disponere, *l. cum res in fi. de leg.* 1. quæ facultas per moram & frustrationem injustam emptoris sublata est: cessionarius autem eodem jure quo cedens uti potest, etiam circa usuras, *l. Herennius de usur.* Amplio secundò, sive res vendita sit mobilis vel immobilis vel incorporalis. Amplio tertiò, etiamsi res vendita facile perire possit, ut equus qui locari solet: quæstionem tamen facit quòd non solum pretium, sed etiam equus stat periculo emptoris, & periculum equi est considerabile, utpote in proclivi, per notata suprà *quæst.* 3. *num.* 100. Verùm sicut venditor interim potest equum retinere, & mercedes lucrari, periculo nihilominus stante penes emptorem ex natura contractus, ita potest tradere sub hac lege, vel si simpliciter tradiderit, deinde mora fiat, atque ad concursum earundem mercedum usuras petere, etiam citra pactum, vel eas stipulari usque ad concursum mercedis vel quincuncis usuræ. Fallit in mercatore vendente merces non in cumulo ad negociandum, sed minutatim ad usus hominum, etiamsi constet quòd justum pretium non excessit. Ratio est propter nimis frequentem & promiscuam necessitatem mercium: & sic de facili contingeret mercatores abuti, & omnes ferè reliquos homines infinitis usuris passim implicari. quæ est justa causa contractus principalis aliàs justi inhibendi, ut suprà *quæst.* 22. quantò magis fœnoris accessorii? Et hæc hactenus, ut non incipiat currere statim ab initio, sed post aliquod notabile tempus, puta post semestre vel annum, puto valere, etiamsi sors exigi possit.

Summa.

Mercator.

Mora irregularis.

548. Secundo casu principali, sit duplex conclusio, prout duplex mora. Prima, quòd ex simplici mora irregulari licet admittamus accessionem fructuum, prout de jure, ut usque ad earum concurrentiam, non tamen accessionem usurarum, sine ratione solius interusurii, & merito, tum ne ignorans, vel qui forte putat ibi (ut plerumque solet) indulgeri, & de facultate creditoris confidit, usuris implicetur: tum quia creditori imputatur, quod saltem non interpellavit nec ursit. Præsumitur enim quod si interpellasset, recepisset, & nullo modo interpellando vel post interpellationem moram remittendo, præsumitur nondum indigere, ideoque malle pecuniam interim stare servarique periculo debitoris. Ampliatur etiam, si creditor sit minor vel pupillus, etiam habens cui solvi possit, ut in *l. cum quidam §. si pupillo, de usur.* non enim apud nos, quantum ad usuras, servantur illa jura de mora irregulari privilegiata, de quibus suprà *num.* 305. Secunda conclusio, quòd ex vera seu regulari mora, per congruam vel extrajudicialem interpellationem, *de sup. num.* 32. contra emptorem venit accessio non solum fructuum, sed etiam usurarum & simplicis interusurii, prout de jure, absque alia modificatione, quoad fructus, sed sub triplici modificatione circa usuras.

Mora regularis.

549. Prima, quòd non habent certam uniformem taxatam quantitatem, prout de jure semis: sed prout à judice ex bono & æquo pro circumstantiis totius casus subjecti arbitrabuntur, & nunquam ultra, sed regulariter citra quincuncem. Secunda, quòd ex brevi tempore, puta trimestris vel semestris, non de facili æstimantur, ita quòd ad vitandam usuram licebit purgare moram, etiam regularem, infra modicum tempus judicis arbitrio: quia in mora modici temporis non censetur damnum considerabile, *l. si debitori de judiciis*; sed casu quo mora infra breve tempus non purgetur, non fiet detractio temporis infra quod purgari potuit argumento *l. sancimus Cod. de fidejussoribus*: facit suprà *quæst.* 13. *num.* 165. Tertia, quòd raro solent judices adjudicare per dinumerationem temporis, & rarius pro tempore futuro, licet ex causa possint, ut suprà *num.* 532. Sed crebrius solent pro præterito tempore tantum certam semel taxatam summam adjudicare, magis per modum interesse, quàm per modum usuræ, & benè faciunt: tamen si non appareat aliud quàm promiscuum interusurium, non debet ea taxatio pro eo tempore excedere rationem quincuncis, saltem si circumstantiæ negotii urgeant augendum quincuncem, non debet modus legalium usurarum excedi. Et sic reprehendendi sunt imperiti quidam judices, qui tametsi videri velint usuras abominari, nec de eis judicium dare, nomine tamen ejus quod interest, ratione simplicis moræ & interusurii, extra casus & probationes interesse casualis, longè majores summas adjudicant, quàm de jure liceat, & quàm sit legalium usurarum modus. Cæterùm licet mercator res quandoque ob vitandam occasionem frequentis abusus sint cæteris deterioris conditionis, quantum ad usuram conventam, ut nuper dictum est, tamen quantum ad usuram ex vera mora æstimandam judicis officio, non sunt deterioris, sed melioris conditionis: facilius enim & plenius eis arbitratur, quàm non negotiantibus, per notata suprà *num* 30. & cessant inconvenientia nimiæ frequentiæ & abusus usurarum, cùm totum pendeat ab officio judicis. Et sic concluſa est hæc materia circa actionem ex vendito, ex qua facilè colligi potest quid in reliquis. Quædam tamen occurrunt circa declarationem & moderationem præcedentium, quæ discussione indigent, ideo melius per quæstiones seorsum tradentur.

Judices.

Emptor in mora, & tradita.

550. Primò itaque occurrit quæstio, pone fundum ferentem centum annua valuisse tribus millibus, & traditum esse non soluto pretio, utrum venditor possit repetere fructus eorumve æstimationem communem, & simul usuras quincunces pretii, saltem pro tempore veræ & regularis moræ? Et primò videtur quòd non possit petere aliquam accessionem ultra valorem dictorum fructuum: quia pro tempore quo integros fructus eorumve æstimationem percipit, non censetur tradidisse, nec impleviſſe, & sic nullas omnino usuras pretii petere potest. Jura etiam, quæ dicunt usuras deberi ab emptore, loquuntur in eo demum, qui re fruitur & fructus percipit, textus in *l. Julianus*, §. *ex vendito*, ibi *nam cum re emptor fruitur, æquissimum est de act. empt. l. curabit*, ibi *emptorem qui nactus possessionem fructus percipit Cod. eo.* sed si re ldat fructus, non videtur frui, nec eos percipere: ergo nullas pretii usuras debere potest. Imò tunc non solùm jura non astringunt eum ad usuras, sed negant deberi, & iniquum esse ab eo exigere disertè exprimunt, in *leg. liberalitatis*, *in fi. de usur.* In contrarium videtur quòd possit ultra æstimationem fructuum petere usuram quincuncem totius pretii. Patet, quia venditor, qui vendidit rem fertilem, non debet esse deterioris, sed melioris conditionis, quàm si vendidisset rem infrugiferam: sed vendens & tradens rem infrugiferam, potest pro tempore veræ moræ petere totius pretii usuram quincuncem, vel aliam à judice arbitrandam, quæ est mera usura. Ergo si eadem res fructus afferat, non minorem usuram exigere poterit, & nihilominus fructuum æstimationem: quia non sunt usura, sed rei persecutio, ut suprà *num.* 540. Breviter dicendum quòd fructus debent imputari in usuras, si petantur, & usuræ in fructus, quatenus concurrunt, nec possunt utraque peti, nisi quatenus alterum excedit: quia ratione ejusdem non debet exigi duplex accessio, ut suprà *num.* 224.

Interlectus l. usuræ vicem de usuris.

551. Fructus autem sunt vera accessio, sicut & usura, *in rub.* de *usur.* & in *leg. usuræ* vicem *fructuum ce tit.* ubi clarius probatur quòd usuræ succedant in locum fructuum, nec debent à fructibus separari, id est tanquam separatum debitum per se exigi, sine deductione in fructus: & ita debet *d. lex* sanè intelligi. Non enim intendit æquè favere usuris, sicut fructibus, nec quòd debeantur ubicunque jura dicunt fructus deberi: id enim esset per se iniquum & correctorium, *leg.* 3. §. *cæterum eo tit.* & infinitarum aliarum legum. Sed vult dicere quod usuræ fructuum loco subrogantur, ideo non debent ab his separari, nec seorsum exigi, sed in fructus, si qui sunt, compensari, facit *lex emptor prædium*, *in princip. de rei vendic.* Et sic *d. l. usuræ vicem*, non venit ad ampliationem, sed ad restrictionem usurarum. Fructus ergo quantuncunque sint (nisi ex singulari industria emptoris vel novo augmento suo sumptu facto, per ea quæ dixi suprà *num.* 492. & in *consuet. Paris.* §. 1. *gloss.* 5. *num.* 84.) & summa quam venditor communiter percepisset, vel eorum æstimatio peti possunt; & si exigatur usque ad taxam quincuncis, cessabit usura: si verò minus quincunce, poterit in residuo locus esse usuræ, prout judex arbitrabitur, ita ut totum non excedat quincuncem, quia metæ usurarum non sunt impositæ vetis fructibus, sed benè usuris, etiam in fructibus compensatis vel compensandis quatenus eas excedunt. Non obstat primum, quia dicta jura loquuntur, quando stat per venditorem, qui non implevit, quominus emptor fruatur, & fructus, si qui sint, percipiat. Secus postquam venditor plenè implevit, tradendo vacuam possessionem, & liberam disponendi facultatem emptori: quia tunc sive res sit fertilis, sive non, debentur usuræ pretii, *leg.* 2. *Cod. de usur.* & suprà *num.* 543. Non obstat secundum, quia aut vendidit vili pretio: & tunc si res est fructifera, tantò melior est ejus conditio, quia habebit usuras ad valorem fructuum, licet excedant quincunces pretii: aut verò vendidit justo pretio, & tunc quantò

res est magis fructifera, tantò pluris vendidit. Et sic satis compensata est fertilitas, nec debet amplius haberi respectus nisi ad pretium: aliàs acciperet duplicem compensationem de eodem, quod est iniquum, *l. bona fides de reg. jur. l. quia dicitur §. id agendum, de evictionibus.*

Emptor in mora ante traditionem.

552. Quæritur secundò, quid si venditor non tradidit, sed obtulit, emptor autem in mora fuit solvendi, an teneatur ad usuras pretii? Videtur quod sic, quia per eum stat quominus impletum sit per venditorem paratum: ergo sibi impletum videtur, *leg. jure civili de reg. jur. cum vulg.* In contrarium, quia re non fruitur, sed venditor: omnia autem jura, quæ dicunt emptorem moratorem teneri ad usuras, loquuntur post rem traditam, & nominatim post diem traditionis, *leg. Julianus §. offerri de action. empt. l. liberalitatis, §. 1. de usur. l. evictis, §. post traditam, de evictionib. l. 2. Cod. de usur. l. curabit Cod. de act. empt.* igitur quandiu venditor de facto non tradidit, sed fruitur, non habet intentionem fundatam ad usuras pretii, sed fruitionem ipsam vel fructus, quos interim lucratur, debet sibi pro usuris accepto ferre. Nec obstat quòd solus emptor est in mora, tum quia hujus moræ commodum redundat in solum venditorem fruentem, & fructus suos sine diminutione pretii facientem: tum quia satis esse videtur, quod nolente venditore gratiam traditionis vel precarie facere, sed jure suo ob moram quandiu non solvitur utente, non habet emptor interim facultatem fruendi, & fructus percipiendi: quod solum spectandum esse in quæstione, an emptor teneatur ad usuras, disertè ait textus in *d. §. venditor, in fin.* Breviter dicendum, quòd hæc jura loquuntur de usuris, quæ veniunt re ipsa vel ex mora irregulari, etiamsi non constat de specifica & congrua interpellatione solvendi pretii. Respiciunt etiam dicta jura ipsam æquabilitatem & frequentiorem contingentiam, sed non negant quin ante diem traditionis veniant usuræ à die veræ & regularis moræ, postquam venditor expressè implere obtulit, & de solutione interpellavit congruo loco & tempore, emptoremque in mora constituit, idque ex regula generali, *l. mora de usur.* quòd etiam æquum est, ne venditor, qui pecunia indiget, & alios fortè emptores omisit, impunè frustretur. Tum quia è diverso licet emptor non solvetur, nec consignaverit pretium, si tamen re vera congruè obtulit, & venditorem interpellavit, & in mora constituit, debet ex tunc habere fructus, ex eadem communi regula, licet verè non implevit, ex quo non per eum, sed per venditorem stetit. Ergo idem dicendum ex parte venditoris, si non per eum, sed per emptorem debitè interpellatum steterit, per locum à correlativis, & ne judicentur ad imparia. Venient ergo ex tunc usuræ de jure quidem scripto semisses, sed secundum æquiorem moderationem nostram quincunces: sed in has tenebitur venditor imputare fructus, quos interim percepit vel culpa lata aut levi percipere omisit, & superfluum si quod sit usurarum, petet.

553. Quòd si dicti fructus æquent vel excedant has usuras, sibi accepto feret, juxta notata in *quæstione præcedenti*, nec superfluum reddet, etiam usuris oblatis, sed lucratur: quemadmodum è diverso, emptor in casu sequenti non reddet, sed lucrabitur superfluum emolumenti pretii. Falsa est autem opinio Pauli in *d. §. ex vendito*, quòd emptor postea solvendo pretium, possit fructus medii temporis (si majores sint) petere, oblatis usuris pretii, nec probatur in *l. fructus, Cod. de act. empt.* quam allegat: quia *d. l. fructus in prin.* intelligitur vel post traditionem (ut innuit mentio functionum, quæ non spectant ad emptorem nisi post traditionem) vel post moram venditoris: non etiam loquitur de fructibus pendentibus tempore venditionis puræ vel purificatæ, quia illi

Contra Paul.

semper veniunt tanquam pars rei venditæ *l. fructus de rei vendic. l. fin. in fin. quæ in fraud. cred.* Cæterùm sequentes fructus & commoda, quæ postea percepit venditor ante moram regularem vel irregularem, sua fecit jure dominii. Bald. in *d. l. fructus* & in *l. 1. Cod. de bonis mater. Fabia. tract. de empt. & vendit part. 6. membro.* 5. Redeundo ad conclusionem nostram, non obstat quod casu converso, quando emptor nondum solvit, sed obtulit, & venditorem in mora constituit, petit integros fructus ex die veræ moræ, & tamen nihil in eos imputat, nec deducit de interusurio pecuniæ, quam interim retinuit, quia hoc est eò quòd pecunia fuit interim sibi sterilis, quippe quam semper paratam & in numerato habere oportuit: secus in venditore, si res vendita sui naturâ interim fructificet.

554. Unde hæc differentia non respicit jus, sed contingentiam facti & sic non facit ullam inæqualitatem juris inter emptorem & venditorem. Patet, quia si constet emptorem nihilominus fœneratsse eandem pecuniam, puta si erat in manu debitoris reditualis, qui paratus erat redimere & sortem inferre, vel reditus continuare ad nutum dicti emptoris creditoris sui (falsa est enim opinio Pauli & vulgaris in *d. §. offerri de consignatione & depositione*, nisi prout dixi suprà *quæst. 39.* vel si emptor maius aliud emolumentum ex retentione & usu pecuniæ perceperit, & hoc constet, tenebitur in dictos fructus fundi imputare, & superfluum tantum fructuum petere à venditore moratore, vel nihil, si commodum pecuniæ dictos fructus æquet vel excedat, & hoc constet: Non enim debet ex mora alterius lucrum facere, sed satis est quod indemnis servetur, ut suprà *numer. 497.* Pariter è diverso si res vendita non sit fructifera, vel si de facto contigerit, quòd eo tempore nullos fructus sine levi culpa venditoris attulit, petet venditor integras usuras pretii ex die veræ moræ, in qua nullos fructus (quia nulli sunt) imputabit: & sic nulla est juris diversitas nec inæqualitas inter emptorem & venditorem. Quòd si alterius mora maius alteri damnum intulerit, quam sint fructus vel dictæ usuræ, tunc non est materia nostra, sed materia interesse casualis, in quo non sufficit quælibet mora, sed præmonitio & pervicacia, ut inquit textus in *l. si traditio, Cod. de act. empt.* & adhuc quod & quantum justè intersit, probandum, ut dicemus in *tract. de eo quod interest.* Hæc quæstio diligentius excussa videtur quam mereatur, sed intra hos fines dilucidæ explicationis nihil nimis diligens aut excussum dici potest, quin hæc diligentia pars est & necessarium ἀναγκαῖον analyticæ decisionis quæstionis sequentis magis arduæ, & aliarum complurium, quas prætereo.

555. Quæritur tertio, quid si venditor initio tradiderit pro parte, an possit ex tunc usuras pretii, saltem pro rata partis traditæ vel fructuum ejus, petere? Videtur quod non. Primò, quia licet partem tradiderit, non tamen continuò dominium partis transtulit: quia non habet fidem de pretio, *§. vendita Instit. de rer. divis.* cum ergo retineat dominium totius, non implevit etiam in parte: ergo non debet usuras partis habere. Probatur secundò, quia interim emptor non tenetur solvere pretium pro parte, nec est in mora, nec potest in mora constitui, sed justè totum retinet, donec tota res tradatur vel offeratur, *l. fistulas §. qui fundum, de contrab. empt.* ergo non tenetur ad usuras etiam pro parte, cum non sit in mora regulari nec irregulari. Probatur tertiò, quia non solum emptor non est in aliqua mora, & sic non debet teneri ad illas usuras: sed etiam tenet interim totam pecuniam paratam, sibique sterilem & otiosam, idque propter moram seu dilationem venditoris, qui tardat plenè implere. Quod ut sit dilucidius, fac quòd emptor venditorem toto pretio oblato, interpellaverit & in

Res tradita pro parte.

morâ constituerit, certum est quod venditor ex tunc teneatur ad omnes fructus, per notata in *incident. quæst. præsent.* & tamen emptor non tenetur ad aliquas usuras pretii, quod interim inutile est emptori, facto venditoris: imò non solùm inutile, sed periculo emptoris custodientis pretium suo sumptu & periculo, idque ob culpam vel moram venditoris. Ergo saltem hoc casu debentur omnes fructus emptori libero ab omni usura. Igitur si partem fundi acceperit eodem themate retento, non tenetur ad aliquas usuras pretii pro rata partis sibi traditæ, etiam ratione fructuum indidem perceptorum: quia etiam sine traditione fructus totius fundi sibi debebantur, sine aliquibus usuris pretii ex parte sua. Nec obstat quod casu converso, venditor qui totum obtulit, & emptorem in mora constituit, non lucratur interim fructus, sed eos deducit super usuris debitis ab emptore, ut suprà *num.* 545. quia, ut ibi diximus, hoc tunc demum verum est, quando fructus percepit, vel culpa levi non percepit, aliàs secùs. Sed hîc ex hypothesi emptor nullos fructus, nullum commodum percepit, nec percipere potuit de pecunia, quam interim paratam & in numerato tenere oportuit: ergo omnes fructus etiam partis sibi traditæ lucrari debet, sine deductione prætextu usurarum partis pretii, quæ nullæ sunt.

556. Non obstat textus singularis in *l. fin. in fin. de fundo dotali*, per quem omnes tenent, quòd emptor, etiam morator, qui solvit partem pretii, debet postea persolvendo consequi totum fundum cum dimidia parte fructuum, à tempore dimidiæ partis pretii solutæ, vel eam fructuum partem deducere super reliquo pretio, & ita Barthol. in *d. §. offerri*, & in *leg. fistulas, §. qui fundum.* & ibi Salyc. *de contrahend. empt* Bald. *in leg. si traditio, quæst.* 11. *Cod. de act. emp.* Panorm. *consil. 66. lib. 7.* Alex. *consil.* 121. *in prine. lib. 4.* Corn. *consil. fin. col. 4. lib. 2. consil.* 150. *lib. 4.* Ias. *consil.* 117. *in fin. lib. 1.* Deci. *consil.* 110. *num. 2. in fin. consil.* 543. *num.* 21. Hieron. Cagno. *repet. l. curabit. col. 5. C. de act. empt.* Ruger. de Mota, in *repet. l. traditionibus, gloss. prim. ad fin. C. de pact.* & omnes ubique: quia illud non videtur ita expeditum, ut vulgo putant. Et primo in *dict. leg. fin. §. fin.* non ponitur certa species & circunstantia pacti: & ibi Accurs. tres varias ponit, & quædam subaudit, ut ille textus ob incertum sensum & intellectum inutilis sit ad decisionem certorum casuum, & multò magis ad extensionem, juxta notata in *prima constit. Cod.* Secundò dici potest, quòd in *d. l. fin. §. fin.* verbum (*mora*) non debet intelligi de vera mora culpabili: quia non probatur ibi quòd mulier teneretur præcisè partem æstimationis solvere, sed demum si vellet fundum recipere. Et sic verbum (*mora*) debet intelligi de simplici cessatione, quo casu communis opinio absque dubio vera est, ut statim dicam. Tertiò plenius dico, quòd *dict. §. fin.* non continet casum incertum, sed certum & nitidum, intelligendo secundum titulum, sub quo situs est, simpliciter & sincerè, facti speciem ibi narratam considerando, nihil extrinsecùs subaudiendo vel addendo ad literam, prout fieri non debet, ut dixi in *Consuet. Paris. §. 1. gloss. 4. num. 9.*

Novum intellect. l. fi. de jur. dot. §. fin.

557. Hic est ergo verus καὶ γνήσιος intellectus *dict. §. fin.* quòd ibi agebatur de certo fundo dotali & proprio ipsius mulieris, utpote soluto matrimonio per divortium. Probo per rubric. & contextum *d. l. fin.* & quia forte tempore contractus matrimonii plura alia bona fuerant simul in dotem data, quæ omninò forent restituenda, quare vel ob quamlibet aliam causam tempore contracti matrimonii specialiter super hoc fundo pactum fuerat, quod ita demum redderetur mulieri, vel ejus hæredi, si ejus æstimationem solveret: postea soluto matrimonio per divortium, mulier statim solvit partem æstimationis, quæ intelligitur dimidia. *l. nomin. § portion. de verb. sign.* dum reliquam partem solvere differret, dubitatũ est de fructibus, quos interim vir percipiebat, an cederent in totum lucro viri, an verò pro rata, an verò forent in totũ mulieri restituendi. Et Labeo quidẽ opinabatur totum ad virũ spectare, quod erat valde insulsum, cum fundus jam non esset viri, sed mulieris, quæ insuper mediam æstimationis partem jam solverat. Ideo Iacobus hoc corrigit, & mediam viam eligendo rectè censet, virum retinere & lucrari posse fructus pro rata æstimationis non refusæ, residuum autem mulieri restituendum. Et sic vir non facit partem fructuum suam mero jure, cum nec esset dominus, nec onera matrimonii soluti sustineret, sed solum ex æquitate: quia refusio reliquæ partis pretii differebatur. Tum quia non videtur actum quod vir possit retinere fundum, tanquam nullus custos vel procurator, sed cum effectu faciendo interim fructus suos saltem pro rata. Et sic ille textus non potest commodè extendi ad hunc emptorem, nec concludit contra venditorem, qui dominus est, & jure suo proprio & antiquo fructus suos facit, quamdiu non est in mora, & multò minus cùm mora ei fit. Et consequenter non potest trahi in argumentum casus conversi pro venditore, qui partem tradidit contra emptorem qui nihil solvit.

558. Sed his non obstantibus, communis sententia de emptore, qui partem solvit, vera est in se, ut statim clariùs explicabo: & sic in casu converso, videlicet in hac tertia incidenti quæstione de venditore, qui partem tradidit, videtur concludendum pro parte affirmativa. Confirmatur, quia istæ usuræ usque ad concutrentiam fructuum, non sunt propriè usuræ, sed magis rei persecutio, ut sæpè dictum est, nec fundantur in mora, nec in punitione moræ: igitur eam non requirunt, sed solùm fundantur in æquitate justitiæ commutativæ, in qua etiam fundatur *d. §. fin.* quæ est, quòd quatenus unus contrahentium implet, debet alter ei vicissim implere, aut lucrum implementi recepti reddere, vel compensare, ne sequatur inæqualitas, quæ est contraria justitiæ commutativæ, quæ in æqualitate consistit, ut per Aristotelem *lib. 5. Ethic. cap. 5.* supra *num.* 170. & etiam in illa generali æquitate, ne quis cum alterius jacturâ locupletetur, ut tradit Baldus in *leg. si traditio, quæst. 11. C. de act. empt.* quæ ratio in idem recidit cum priore, quæ magis specifica est: & sic non obstat secundum. Minus etiam obstat primum: quia ad hoc, ut venditori currant usuræ pretii, non requiritur quod perfectè tradiderit, possessionem & dominium (si quod habeat) transferendo: sed sufficit quòd vel precaria possessione facultatem fruendi faciat, textus in *dict. §. ex venditione.* Ad tertium, in quo jacet tota epitasis & nodus ἀνατόμως, paulò subsistendum. Et certè impossibile est diluere tertium illud argumentum partis negatiuæ, sed necesse est ei in sua hypothesi stare. Loquitur enim in specie, videlicet quando constat venditorem semper interim stare in vera mora; sed hæc quæstio formatur in genere, ideò solvendo distinguendum.

Iustitia commutativa.

559. Aut venditor non fuit aliter in mora, quià non fuit integro pretio oblato interpellatus de toto fundo tradendo: & sic nec emptor in mora fuit, quia non fuit ei integrè impletum vel oblatum: consequenter neuter in vera mora fuit, & procedit pars affirmativa, quod venditor debet habere usuras pretii pro rata partis traditæ, non tamen in totum nec absolutè, sed usque ad concurrentiam fructuum partis traditæ dumtaxat, per rationem adductam in confirmatione, quæ etiam non concludit, nisi usque ad concurrentiam fructuum tantùm. Veris autem & solidis usuris non est locus, quia emptor non est in vera mora. Aut verò venditor fuit in vera mora, quia interpellatus de toto juxta fidem datam tradendo,

Solutio.

solutione totius pretii facta vel oblata: & tunc procedit pars negativa. Sive enim venditor nihil tradiderit, constat eum omnes fructus debere emptori: sive partem tradiderit, sequitur eadem ratione eum pariter debere emptori fructus reliquæ partis non traditæ. Non obstat quòd desiit esse in mora respectu partis traditæ, quia satis est quòd emptor per hoc non constituitur in aliqua mora etiam partis pretii, nec irregulari quidem vel re ipsa, cum non possit interpellari, nisi tota traditione facta. Et sic non debentur usuræ pretii, nec pro parte quidem, nec traditionis, ergo tenetur emptor rationem reddere fructuum qui sui erant, hoc est, sibi debiti à tempore veræ moræ, etiam citra ullam traditionem. Et sic hoc casu venditor tradendo partem non relevatur, nisi in hoc, quòd deinceps non tenebitur rationem reddere fructuum partis traditæ. Non obstat quod emptor interim habet & rem & pretium dictæ partis, quia verum est: sed pretium sibi inutile est, & onerosum ob custodiam, & tenet illud quasi jure pignoris *dict.* §. *offerri*. Et sic non obstat quòd casu converso si venditor nihil tradiderit, sed totum retinuerit, jure suo utendo ob moram emptoris, quem congruè interpellavit, si emptor solvat mediam pretii, debet ex tunc ei cedere fructus fundi pro media, licet venditor quasi vice pignoris totum retineat, donec persolvatur. Quia venditor qui recipit partem pretii, habet eam perpetuò, & potest ejus fructum vel emolumentum percipere, & tamen adhuc percipit fructus fundi pro eadem parte, ut prius, & sic non debet lucrari dimidium interusurii pecuniæ, & commodum fundi pro eadem parte, quod esset iniquum. Emptor autem, qui constituit venditorem in vera mora, à quo partem tantùm fundi accepit, non potest capere commodum de pecunia, cum necesse sit eam tenere in numerato: & sic apparet de manifesta & reali diversitatis ratione. Nec tamen ob id emptor & venditor judicantur ad imparia, nec inter eos est diversitas juris: quia hæc differentia non procedit nisi ex contingenti diversitate circumstantiarum, qua cessante, idem est jus in utroque. Unde si fundus esset illo tempore sterilis, nec traditus, non teneretur venditor emptori, qui partem pretii solvit, & de reliquo in vera mora fuit, compensare vel deducere fructus partis fundi, quos sine culpa sua non percepit super usuris reliquæ partis pretii. Quemadmodum è contra emptor, qui partem tantùm fundi recepit, non tenetur pro ea parte venditori moratori ad reliquas usuras pretii retenti cujus (cùm in numerato habendum esset) nulla potuit esse utilitas.

Praxis. Hypotyposis.

560. Reducendo hæc ad praxim, & exemplis subjiciendo, si fundus ferens centum annua, vænierit tribus millibus, & venditor non tradiderit, sed hoc offerendo interpellaverit, & in mora constituerit emptorem, qui post annum solvit mediam pretii, videlicet sesquimille, & post duos alios annos persolvit, vel offert persolvere, si quæratur an & quantum debeat pro usuris ratione moræ, tam de jure quam secundùm nos: Respondeo, debet emptor à tempore moræ usque ad primam solutionem usuras semisses secundùm jus scriptum. At hodie secundùm nos, prout bonus vir arbitrabitur, non excedendo ad summum quincunces, & super utrisque etiam de jure tenetur venditor imputare fructus, quos percepit primo illo anno, vel culpa levi non percepit. Quodsi nullos perceperit, exiget ab emptore prædictam usuram integram. Unde (verbi gratiâ) si solutum fructum percepit, videlicet centum, non exiget ab emptore nisi octoginta de jure ad complendum semissem legalem illius anni: secundùm nos autem non exiget ad summum nisi quinquaginta, ad complendum quincuncem: sequenti autem biennio, si venditor solitos fructus percepit, vel culpa levi omisit, nihil nec in terminis juris, nec secundùm nos exigere poterit ab emptore, nomine usuræ: sed tenetur ei reddere rationem jure quidem de decima, secundùm nos autem de quarta parte fructuum, videlicet pro illo biennio de jure viginti, secundùm nos autem quinquaginta deducere super reliqua parte pretii. Probo, quia (computatione juris tanquam notiori causa brevitatis omissa) secundùm nos, contra emptorem ab initio dictæ moræ currebant (capiendo ad summum) usuræ quincunces, compensandæ pro rata cum fructibus percipiendis à venditore: igitur dum postea solvit medium pretii, licet venditor non teneretur pro parte recipere, tamen ex quo recepit, emergunt tres effectus,

Supputatio.

561. Primò novus effectus, videlicet quod sicut ipso jure extincta est obligatio pretii pro parte soluta, ita ipso jure desiit currere usura pro eadem parte: & iste effectus generalis est & perpetuus. Secundò, alter novus effectus, qui non est generalis, sed ex accidenti, videlicet quando fundus est fertilis, & contigit venditorem pro eo tempore fructus percipere, vel culpabiliter omittere; non enim æquum est, eum habere simul & fructus fundi & fructus pretii. Cùm igitur notabilem partem pretii perpetuò quæsitam habeat qua fruitur, & ejus commodum percipit, vel percipere potest, & simul percipit fructus integros fundi, debet emptori, licet moratori, rationem reddere de fructibus fundi pro eadem parte pretii quod recepit, ex prefata æquitate justitiæ commutativæ. Satis est enim interusurium moræ competenter sarciri, nec præterea debet venditor prætextu moræ consortis de lucro certare. Tertiò, remanet antiquus effectus pro rata, videlicet quòd dimidia restans & currens quincuncis usuræ, videlicet septuaginta quinque, debent sicut & ab initio compensari pro rata, cum reliqua dimidia parte fructuum, quam venditor percepit, & quam alioquin propter moram lucratur, cum onere deducendi in usuras, si quas exigere velit. Hæc autem dimidia, hoc casu quo venditor fructus solitos percepit, ascendit ad quinquaginta: & sic emptor de septuaginta quinque non debet amplius nisi viginti quinque pro usura annua, & tamen venditor debet ei reddere rationem de altera dimidia parte fructuum, quæ ascendit annuatim ad quinquaginta: & sic facto calculo & contributione fructuum & usuræ, ut in simili vult fieri Jurisconsultus in *l. Paulus de fidejussor.* invenitur venditor debere vigintiquinque annua, & sic quinquaginta pro illo biennio, quæ tenetur deducere emptori: & sic compensantur cum simili quantitate usuræ primi anni debitæ ad summum venditori. Et sic dictus emptor in fine triennii à die contractus, nihil debet pro usuris: nihil etiam ei debetur pro fructibus à venditore; sed tantùm reliquum pretii prompte persolvi debet, & fundo tradito, uterque liberatus erit ab altero, & suum habebit. De jure verò in fine dicti triennii deberet emptor sexaginta pro residuo usurarum legalium primi anni, quæ graviores sunt, ut patet computando ex hoc, nisi quatenùs fructus fundi interim sine culpa levi venditoris defecissent: quia tunc non possent deduci de usuris, ut dixi. Cæterùm debet sibi ipsi venditor imputare partim fruitionem fundi, quam retinet, partim quòd non compellit emptorem ad solvendum, prout potest, juxta *l. g* 1. §. 1. *de usuris*. Si verò venditor initio totum tradiderit, emptoremque interpellatum in vera mora constituerit (quod dico secundùm nos) & emptor in fine anni solvit dimidium, & post duos alios annos offert reliquum pretii: tunc pro primo anno solidam, duorum verò sequentium annorum pro rata pretii usuram debet, quæ non potest diminui per fructus quos intus habet. Idem si venditor interim non tradidit;

Tres effectus.

sed

sed sine culpa nullos fructus percepit. Idem in similibus.

562. Et sic hæc nostra moderatio non differt à jure scripto, ex parte venditoris, sive sit in mora regulari. vel irregulari: sed solùm ex parte emptoris, & circa usuras duntaxat in duobus. Primò, quia jure scripto ex mora irregulari emptoris, ut posit plenam traditionem totius fundi sine alia interpellatione, veniunt usuræ legitimæ etiam suprà quantitatem fructuum *dicti* §. *ex vendito*. Nos autem non admittimus usuram ex sola mora irregulari, nisi impropriam, usque ad quantitatem fructuum ex illa æquitate, ne quis habeat rem & ejus fructus, pretium quoque cum fructibus pretii. Secundò differt in quantitate usuræ: quia licet admittamus ex vera mora emptoris usuras pretii currere, etiamsi excedant fructus, tamen non admittimus ultra quincunces: quæ moderatio æquior est jure scripto, naturæque conformior. Et hæc de usura incidenti propter moram abundè sufficiant. Quod autem ad negotiativam, quia in præcedentibus plura exempla difficilia sunt, quando agitur de usura negotiatoria ex parte venditoris, sive quando venditor arguitur fecisse contractum usuratium, ut suprà *numero* 493.

De fœnore ex parte emptoris.

563. Nunc ad plenam doctrinam sufficiet unum exemplum insigne discutere, quando quæritur de usura negotiativa, sive de contractu usurario & fœnore activo ex parte emptoris. Sit hoc thema. Joannes promisit Petro vendere domum suam hinc ad decem annos pretio octingentarum quinquaginta librarum, super quo recepit octingentas libras, & residuum promisit Petrus solvere hinc ad decem annos vel ante, quando fieret instrumentum venditionis: & actum est, quòd Petrus & ejus hæres percipiet interim à conductoribus domus, & suas faciet pensiones pro rata dicti pretii soluti: tandem spatio temporis Petrus dum vixit, deinde ejus hæres percepit ex pensionibus usque ad octingentas libras. Joannes vendicat domum, nec vult vendere, nec summam receptam restituere, sed in eam dictas pensiones tanquam usuratias imputare. Quid juris? Certè non est hic arguendum à correlativis, quia hîc longè diversissima est ratio inter venditorem, de quo in præcedentibus, & emptorem, de quo hîc. Quippe ibi nulla numeratio pretii, nulla materia mutui subest, prout hîc futurus emptor ferè totum pretium numeravit. Præcedentia exempla non possunt resolvi in mutuum, nec in fraudem mutui & formalis usuræ fieri: quare ibi hæc fraus præsumi non potest; quicquid Theologastri & Canonistæ stultè dixerint, suprà *num.* 539. cum sequent. Sed hîc omnino resolvitur in mutuum, & hac via nihil facilius, utpote paucis verbis mutatis eadem re & eodem effectu manente, ad verum mutuum, formalem usuram adumbrandam, imò est apertum mutuum. Patet, quia nulla subest venditio, nec ejus executio, non enim tradita est domus ex causa venditionis, quæ non est, nec translatum dominium, ergo quòd Petrus interim numeravit pecuniam, est merum & voluntarium mutuum. Licet enim possit postea in pretium converti secuta traditione, tamen interim est mutuum, præsertim cùm non esset spes emptionis propinquæ, attenta dilatione vendendi decem annorum: ergo interim domus pignoratur pro mutuo, & pensiones cedunt pro usu pecuniæ mutuatæ, & pro officio mutuationis intermediæ. Patet, quia omnino idem est effectus, qui & domo pignorata seu data in antichresin pro mutuo: tunc enim nec dominium, nec periculum domus transit, & tamen creditor facit fructus suos vice usurarum. Sed omnino idem est hîc; quia non est venditio, & domus stat periculo Joannis, similiter & pecunia prærogata, & tamen Petrus facit fructus suos: & licet non dicat se mutuare, sed pro pretio venditionis dare, tamen quia nondum est venditum, nondum est pretium. Et sic est verum mutuum ad tempus decem annorum: non enim est donatio pecuniæ, quum speretur reperi, vel in emptionem converti. Tum si Petri nihil interim caperet, tolleret donatio usus pecuniæ, & sic verum & officiosum mutuum. Cùm ergo ob id capiat fructus certæ rei, vendit illud officium, & meram usuram committit.

564. Saltem quocunque colore possit hic contractus excusari, & in diversum trahi, non potest negari, sed necesse est fateri, quod per hanc excogitatam formulam contractus, si admittatur, via facilis & prompta aperitur ad fœnus exercendum in mutuo, etiam ab initio mutui. Igitur admitti non debet, juxta notata suprà *num.* 35. Præsertim attento, quòd Petrus post quinque hebdomadas à dicto contractu, sub syngrapha ἀπογραφῆς, imo tecte subscripta, potestatem fecerit Joanni luendi domum, seque liberandi, quandocunque dictas 800. libras restituere vellet: & sic ubi prius ex nuda forma contractus potuisset dici non esse idem quod in contractu mere pignoratitio, hoc respectu, quòd Joannes poterat cogi vendere domum suam saltem post decem annos (quod non est in simplici pignoratitio) tamen nunc attenta dicta syngrapha, cessat omnis evasio, nec ulla prorsus differentia notari potest inter hunc contractum, & simplicem pignoratitium. Ita quòd si hæc forma contractus admittatur, necesse erit simplices pignoratitios contractus cum pacto lucri fructuum pro usu pecuniæ etiam expresse mutuatæ admittere: quia omnino & per omnia idem effectus, sive una, sive altera verborum formula contrahentes utantur. Justitia verò vel injustitia contractus à solo verborum cortice dependere variarive non potest, saltem in materia suspecta vel prohibita.

565. In contrarium, quòd contractus in sui forma non sit reprobandus, probatur primò, quia non est mutuum, utpote forte in perpetuum alienata. Patet, quia Joannes nunquam tenebitur reddere nisi velit; nec potest ad hoc cogi: sed potest, quando voluerit, cogere Petrum ad emendum. Et tamen non solùm non potest cogi sortem reddere, sed nec vendere domum, nisi post decem annos, secundùm primam contractus formam. Ex pacto autem secuto nunquam poterit cogi venditor, etiam post decem annos, nisi forte causativè, si nolit pretium reddere: & adhuc eo casu non poterit cogi absolutè vendere, sed duntaxat sub libera & perpetua facultate redimendi. Cùm ergo sors sit alienata, nec repetibilis, sequitur primò, quod non est mutuum: secundò, quòd sors non debet esse sterilis, per notata suprà *num.* 530. Probatur secundò quia si Joannes purè vendidisset domum eodem pretio, sub pacto revendendi, nemo dubitaret de justitia contractus, & quin emptor faceret fructus suos, nisi pretium tam modicum esset, ut contractus recideret in fraudem antichreseos usurarum, secundum notata suprà *quæst.* 35. Sed ille Petrus accipiendo simplex pactum de vendendo, & adhuc ad voluntatem debitoris, majorem ei gratiam facit, & uberius subvenit egenti, minusque eum gravat, quàm si sub dicta facultate emeret, ut res ipsa & sensus communis ostendit. Igitur si emptio sub dicta facultate congruo pretio justa sit, æquè justus, imò justior erit eodem pretio hic contractus. Et hæc demonstratio adeò clara est: ut quæcunque argumenta in contrarium torqueantur, necesse sit esse absurda vel præpostera. Probo tertiò, quia sicut emptor fundo recepto, debet usuras pretii non soluti (quod expeditum est ad rationem fructuum per prædicta) igitur pariter venditor pretio recepto, nec fundo tradito, debet usuras pretii textus in *l. Lucius de actione empti*, quod usque ad æstimationem fructuum expeditum est.

Demonstratio.

Licet autem hic Joannes nondum vendiderit, tamen ex quo pretium recepit, eadem est ratio & æquitas pro rata pretii: imò major videtur, in quantum Petrus majorem gratiam fecit, quàm si prius venditorem extorqueret. Quid dicendum?

Contra Alexandrum.

566. In hac ipsa specie duo Doctores olim consuluerunt, contractum illicitum & usurarium, omnia forti imputanda, & quatenus excederent repetenda, ut habetur inter consilia Alexand. *lib. quart. consil. 119. consil. 120.* quibus in *consiliis* subscripsit Alexand. plenius exagitans, & latè & splendidè more suo contendens, nullos fructus, nullum interusurium deberi, nec propter usum pecuniæ, quia transit in dominium Joannis & usu consumitur: nec ratione dominii domus, quia non fuit translatum in Petrum: nec ratione possessionis, etiamsi translata esset, quia hæc non sufficit ad lucrum fructuum: nec ratione moræ pretii; quia Joannes non fuit in mora: nec ratione periculi, tum quia nullum nec rei nec pretii periculum spectat ad Petrum, sed utrumque ad Joannem. Tum quia si quòd periculum spectaret ad Petrum, non sufficit, ut quicquam capiat ultra sortem, *cap. navigantibus in principio de usuris.* Nec ratione tituli, quia non fuit titulus emptionis, sed tantùm promissio de vendendo, quæ multum differt. Fructus autem percepti ante perfectum contractum venditionis, ad venditorem spectare debent, non ad emptorem, textus *l. 2. in fin. Cod. de actionibus empti.* Nec ratione pacti, quia usurarium, *l. 1. Cod. de distract. pignor.* nec ratione præscriptionis etiam longissimæ, propter defectum bonæ fidei quæ non causatur hoc casu ex errore juris, propter prohibitionem & resistentiam juris. Quo aureo apparatu non obstante, præfata consilia ibi annotata breviter reprehendi renuentes ad hunc tractatum: peccant enim in tribus. Primò in hoc, quòd ex ignoratione elenchi non persequuntur usuram tanquam damnificativam proximi, nec inquirunt, an & quantum debitor supergrediatur in negotio (licet hoc esset potissimum) sed solùm, an vel tantillum accedat forti in mutuo, sive vero, sive interpretativo, vel ficto. Unde scopo omisso in ineptis quibusdam peripheriis immorantur, an dominium translatum vel non, dilatio data vel non. Secundò, quia præposterè sæpius arguitantur, admittentes duriorem, & damnantes benigniorem debitoris conditionem. Et hæc duo in genere & passim. Hinc in dicta specie censent dictum contractum magis vitiari quàm emendari, ex dicto pacto luendi ab intervallo secuto, quodque factum in continenti adhuc magis vitiaret. Tertio, in quantum in dicta specie non inquirunt nec curant, an dicta domus esset locata vel vendita, vel vendi promissa justo pretio, vel secus: sed idem censent etiamsi fuisset vili locata, sive modicorum redituum, & carè vendita, deteriusque præsumi propter dictum pactum luitionis. Et sic multum (ut ibi tetigi) hallucinati sunt.

567. Nos autem dictum contractum cum omnibus suis circunstantiis ex legali æquitate (juxta *leg. bona fides, ff. depositi*) metientes dicimus non fuisse in aliquo usurarium nec excessivum, & dictum Joannem de jure tantùm potuisse vendicare, dictis octingentis restitutis: non enim erat locata, nec vendi promissa injusto pretio, prout non est præsumendum. Et etiam nunquam fuisset omissum in themate, quia patiebatur consilium in favorem venditoris. Et sic verisimile est dictam domum non minus æstimatam, quàm ad rationem triginta pro uno, habito respectu ad fructus, quæ est communior indicatura, etiam in antiquis, ut ostendimus suprà *quæstion. 5.* præsertim cùm esset sita Bononiæ urbe opulenta & quieta. Et secundùm hoc communes pensiones vel reditus non excessissent viginti sex cum besse unius in anno. Saltem non est verisimile minus æstimatam quàm ad rationem unius in viginti quinque: quo casu reditus non excessisset triginta duo in anno: & sic usuram trientalem. Ad minimum non est verisimile, dictam domum fuisse æstimatam infra rationem viginti pro uno: & sic ad summum reditus non excedebat quincuncialem usuram. Quo casu si Petrus de facto emisset sub dicta facultate redimendi, non posset dici contractus usurarius, imò nec in aliquo excessivus, per notata suprà *quæst. 5. quæst. 35.* Igitur multò minus hoc casu quo non emit, sed reliquit dominium Joanni, & sic majorem gratiam ei fecit.

568. Hîc rursus sese obtrudit nodus sophisticus abscindendus: censet enim communis schola tam Theologorum quàm Canonistarum & Legistarum, non spectare ad materiam usurariam, sed ad *legem secundam Cod. de rescindend. vendi.* quantumcunque quis etiam scienter ab indigente vili emat: sed usurarium & illicitum esse, quantulumcunque quis de re non sua, sed debitoris, tantisper dum solutio certæ sibi debitæ pecuniæ differtur, recipiat. Respondeo quòd hîc non est, nec potest dici usura: quia (ut dixi) sors est perpetuò alienata, quum Petrus nunquam possit eam repetere, licet Joannes habeat pretium & liberam facultatem luendi: igitur per notata suprà *numero 17.* si dicas, quòd imò ex forma contractus potest Petrus saltem post decem annos compellere Joannem ad restitutionem totius sortis sine deductione fructuum, vel ad æquipollens; imò majus, videlicet ad vendendam domum, quanquam sub facultate redimendi propter dictam syngraphum: & sic in effectu tenetur debitor redimere reditum sortem reddendo, vel quod majus est, domum suam vendendo & alienando ipsi creditori. Respondeo ut prius, quòd hoc casu Petrus nihil exiget ex intervallo, nisi id quod ab initio licitè habere poterat, & cujus interim fecit gratiam, quæ in ejus odium retorqueri non debet. Erat enim Joannes ab initio venditurus, & poterat Petrus justè emere antequam obolum numeraret, & tamen totum ferè pretium numeravit, contentus antichresi, & pacto de vendendo, dilatione decem annorum data venditori, cum libera facultate luendi. Et quanquam alioquin posset istud pactum de vendendo fieri ad adumbrandum pactum pignoratitium in fraudem usurarum; tamen ex quo non est modicitas pretii, nec aliud vitium ad supergressionem debitoris; nec creditor facit fructus suos, nisi pro rata pretii numerati: qui quidem fructus ex tunc propter moram sibi deberentur, si non dedisset dilationem vendendi: quam dando, potuit idem jus fructuum conservare, ut suprà *num. 544.* non potest censeri usura, nec in fraudem usuræ, nisi fortè diceres hoc præsumi ex eo, quòd creditor meliorem debitoris conditionem fecit non emendo, ut justè poterat, sed dilationem dando, & facultatem luendi, quod dicere ridiculum est, ut suprà *num. 22.*

569. Si dicas, quòd hîc est aliud gravamen debitoris, quia domus & pretium receptum stant interim ejus periculo, cùm non sit perfecta venditio, quod non esset ea perfecta, *l. necessariò d. peric. & commod. rei vend.* Respondeo, quantum ad pretium, *ut suprà num. 553.* & quantum ad domum dupliciter. Primò, quòd non solet perire: & sic periculum illud non est considerabile, casus est *in cap. fina. in princip. de usuris*, ubi periculi rari & non verisimilis nulla est consideratio, & præsumptio legis adaptatur ad ea quæ frequenter, non quæ rarò accidunt, *l. nam ad ea, de legibus.* Ita enim necessariò intelligitur ille textus, alioquin contineret absurditatem & inæqualitatem, ut dixi suprà *quæst. 3.* Secundò quòd periculum illud vanum alio duplici certo & serio commodo transcenditur. Primò, quia potest Joannes cum libuerit, cogere Petrum ad emendum, & periculum suscipiendum, & persol-

vendum : & sic non remanet Joannes in periculo domus (si quod sit) nisi volens, & quandiu sibi commodum est. Secundo, quia potest libere luere non solùm antequam vendat, sed etiam postquam vendiderit, & periculum in Petrum transtulerit. Et sic omnia objecta, quæ ex prædictis resultant, diluta sunt: nisi fortè illud, quòd hoc contractu admisso facilis & prompta via videtur ad adumbrandum mutuum & contractum pignoratitium in fraudem usuræ in mutuo vetitæ, utque non solùm post notabile intervallum & moram, sed etiam statim ab initio de certo quæstu pacificatur, quod rationabiliter vetitum est, ut suprà *num.* 521. nec debet esse verborum figuræ eluforium.

570. Respondeo, non erit eluforium, quia tunc demum est mutuum & contractus pignoratitius pecuniæ mutuatitiæ, quando ea repeti potest à debitore per creditorem: sed hic creditor non potest repetere, sed est sors prorsus alienata, & sic non est, nec esse potest mutuum, nec contractus pignoratitius mutui. Et sic contractus iste non verborum artificio, sed re & effectu differt à mutuo, ut & suprà *num.* 17. Nec alia ratione empno sub pacto revendendi realiter differt à contractu pignoratitio: nisi quòd sors est alienata, nec potest empror eam repetere à venditore, nec eum cogere ad reemendum: licet cogi possit ad revendendum, quod est in vendentis favorem, & contractus justificationem: Et hoc nisi esset emptum nimis vili pretio, & facultas redimendi limitata ad tempus: quia tunc venditor, nisi redimat, cogetur ex forma contractus rem multo supervalentem amittere: quæ est sufficiens vel æquipollens coactio redimendi ex parte venditoris, & sufficiens exactio redemptionis, vel majoris superluceri, velut cujusdam commissi ex parte emptoris, ut diximus suprà *quæst.* 51. *quæst.* 60. & adhuc etiamsi perpetua & libera sit facultas redimendi, sed pretium tam modicum, & fructus tanti, ut recidat, in fraudem duodecimæ vel antichreseos subvenietur, ut dixi suprà *quæst.* 35. *quæst.* 40. Cæterùm ut emptio sub libera facultate redimendi justo pretio non est contractus pignoratitius, nec ullo modo vitiosus, *lib.* 2. *Cod. de pact. inter empt. & vend.* ita nec simplex pactum de vendendo, etiam cum antichresi & lucro fructuum pro rata numerati pretii: imò tantò justior quanto levior. Eodem modo non obstant quæ latè diximus suprà *quæst.* 52. non valere pactum legis commissoriæ, nec illi simile non solùm in mutuo, sed nec in alio debito, & nominatim contra Stepha. Bertrandi non valere simplex pactum de vendendo pro debito, & contra omnes, non valere etiam de re non hypothecata, nec ex intervallo, nec ad excipiendum quidem. Sed hic est pactum de vendendo etiam certo determinato pretio ab initio. Quia respondeo quod hic sors illa non est debita, nec exigibilis per creditorem: & sic non potest dici pactum de vendendo pro debito, nec aliud pactum commissoriè vel simile. Item ut suprà *num.* 369. cessat objectio, quando pactum est appositum in favorem & optionem debitoris, ut hic. Et sic plenè discussa & soluta est hæc incidens quæstio: & advertendum quòd non spectat propriè ad materiam hujus principalis quæstionis.

Differentia inter numeratum & alium creditorem.

571. Est enim diligenter mente tenendum, latissimam & quasi diametralem esse differentiam, an creditor non numeraverit pecuniam, sed ei ex alia justa causa debeatur: an verò numeraverit pecuniam de qua agitur. Quoniam priore casu constat quòd originaliter nullum est, nec esse potest fœnus, & sic nec in processu subesse potest, nec verè nec interpretativè prout nec sors dicitur pecunia fœnebris, sed dos vel pretium, aut aliud est nomine causæ, ex qua debetur. Quod autem ibi ratione moræ vel dilationis exigitur, non est fœnus, sed accessio principalis obligationis diversi generis: fœnus enim negotiativum non est accessio, sed principale negotium per se. Ea tamen accessio est vera ulura, etiam propriè de jure, non tamen strictè: sed largè, ut suprà *num.* 4. & potest aptè dici usura incidens, & est materia hujus principalis quæstionis de interusurio, quod tamen moderari debet, ne modum excedat, & in fraudem legitimæ usuræ cedere possit. Posteriore verò casu est materia fœnoris & usuræ negotiativæ: unde quocunque modo tunc fiat pactum de interusurio pecuniæ sive directè, sive per indirectum, hoc spectat ad negotiationem fœneratitiam, nec est materia hujus quæstionis, sed suprà *quæst.* 10. *quæst.* 35. *quæst.* 56. & similibus, unde regulariter ægrius & difficilius est justificari accessionem sortis ei qui numeravit quam ei cui alioquin sors debetur: hoc est, ægrius admittitur negotiativa quàm incidens usura. Patet quia negotiativam non admittimus, nisi forte saltem ad notabile tempus alienata: incidentis autem ratio habetur, etiamsi sors prompte exigi possit. Utriusque vero usuræ justitia versatur circa duo: primò, circa personas, ut non exigatur ab his quibus mutuum vel eleemosyna debetur, ut suprà *quæst.* 2. secundò, circa quantitatem, ut non excedat modum debitum. Summum verò lucrum negotiativæ est vulgata duodecima, incidentis autem quincunx legalis. Quod autem dixi non esse fœnus, sed usuram incidentem in creditore, qui ad hoc non numeravit pecuniam, non absolutè, sed sanè accipiendum est, videlicet quando principaliter non initur novum negotium fœneratorium, sed incidenter & accessoriè petitur interusurium ratione moræ, etiam per pactum accessorium loco moræ subrogatum. Secus si quis principaliter negotietur de usu pecuniæ: hoc enim heri potest non solùm de sorte, quæ nunc numeratur, sed etiam de olim numerata, vel ex quacunque justa causa debita: & erit fœnus & vera negotiatio fœneratitia, sive sors perpetuò alienetur, ut cùm inde reditus duodecimæ constituitur, sive non alienetur perpetuò, sed ad longum tempus, ut *suprà quæstione* 66. sive mixtum, *ut supra quæst.* 67.

572. Quid ergo dicimus de eo quod promiscuè fit: Egens pecunia rogat vicinum, ut à se emat reditum à Decurionibus urbis constitutum, ut suprà *num.* 116. ille non vult emere, veritus ob hanc despotiam majorem cladem Reipublicæ, hic autem spondet se redempturum, & sic ille cessionem accipit, & numerat sortem. Respondeo: Aut illa sponsio redemptionis est dictum non promissum, ut in *l. secundum* §. *dictum de ædilit. edict.* ita quòd totum periculum est emptoris, qui non potest cogere venditorem ad redimendum, licet hoc speret futurum quando venditori rebus compositis facultas erit & contractus est justus, quia sors verè alienata est. Aut verò actum est, quòd omnino teneretur & posset cogi vendens redimere, & tunc siquidem ad meram voluntatem emptoris, & contractus non valet: quia recidit in mutuum fœneratitium, imò in formam deteriorem, per notata suprà *num.* 82. & sic omnia in sortem imputari debent. Aut verò provisum est venditori de termino notabili, infra quem non tenebitur venditor redimere, & tunc si fuisset reditus ad hoc de novo constitutus, adhuc omnia essent sorti imputanda propter nimium excessum, juxta notata suprà *quæst.* 10. *quæst.* 60. Sed cùm sit venditio reditus veteris per alium debiti, puto judicem arbitrari posse aliquod interusurium relinquendum emptori, puta ad rationem trientalis, vel ad summum quincuncis usuræ argumento eorum quæ suprà diximus, de reditibus temporalibus: residuum reliquorum reditus empti in sortem imputando vel restituendo: non enim æquè judicari debet fraus usuræ in venditione

reditus antiqui, quæ de se spectat ad contractus commutativos rerum, sicut in constitutione reditus novi, ut suprà *quæst.* 68. Et sic sufficit politico judici districtè cavere, ne congruus modus interusurii excedatur. Non obstant notata suprà *quæst.* 56. *& in c. ad nostra de empt. & vend. c. illo vos de pign.* quia ibi tot vitia simul concurrebant, ut justum esset creditorem omni commodo privari, & omnia sorti imputari: sed hîc erat venditio facta justo pretio, nec erat excessus, nisi in uno, videlicet in solis fructibus rei venditæ.

573. Vidi his diebus similem quæstionem Blesis. Quidam Advocatus rogaverat mercatorem, ut domum suburbanam emeret quingentis libris: ille detrectabat emere rem sibi forsan minus commodam, emit tamen ea conditione, ut infrà 4. annos posset cogere venditorem ad redimendum, & pretium restituendum. Respondeo contractum non esse usurarium (licet intelligeretur quòd emptor interim faceret fructus seu mercedes locationis suas) cùm sit bona fide factus nec excessivus, puta justo pretio, ita quòd fructus domus non excedebant rationem trientalis usuræ, intelligendo etiam quòd non possit venditor abruptè cogi pretium reddere, sed cum congruo spatio, prout commodè fieri bona fides exigit: ob quam bonam fidem, non vitiat hoc casu, quòd ea facultas est in potestate solius emptoris. Non obstat, quòd istud recidit in mutuum fœneratitium, vel quod loco mutui fieri potest: quia quòd omnino non toleramus usuram, in formali mutuo non est quòd semper sit malum de se, nec quòd proximus nimis lædatur (cum possit cessare læsio, ut suprà *num.* 10.) sed ad conservandam puritatem & frequentem implicationem usurarum, ut suprà *num.* 521. unde his cessantibus non debent legitimi & æquabiles contractus impediri, ut suprà *num.* 16. Prosequendo quæstionem nostram principalem, restant duæ ultimæ quæstiones ex illis quinque, suprà *num.* 496.

Usuræ legatorum.

574. Penultima de usuris legatorum, quæ propter moram citra aliam testatoris taxationem petuntur: & cùm meritò exoleverit semis legalis, adhuc dico quod nec quincunci locus est hoc casu, quoniam, ut suprà *num.* 525. non debetur usura ex liberalitate: legatum autem *quædam donatio est*, patet ex definitione, *Instit. de legat.* §. 1. Sed quoniam hæc liberalitas solum consistit in persona testatoris, hæres autem non ex donatione, sed ex quasi contractu adeundo hæreditatem, obligatur, quæ obligatio nec merè commutativa est, nec merè liberalis, meritò media quædam via eligenda est. Unde puto quòd hoc casu non debet usura excedere rationem trientalis, nisi constaret legatum factum causâ remunerationis verorum meritorum, quæ tale legatum mereantur, quia tum cùm sit magis compensativum quàm lucrativum, admitti poterit, si ex totius negotii circumstantiis æquum judici videatur ad rationem quincuncis, non ultra. Et adhuc si ut currant usuræ ex causa justæ commutationis, non sufficit hodie irregularis, sed requiritur vera mora, multò fortius in legatis & fideicommissis: unde non sufficit simplex interpellatio, nisi appareat de quadam pervicacia hæredis magno lucro hæreditario fruentis, nec ullam justam causam dilationis habentis. Et adhuc interpellatio segnius prosecuta parum considerabilis est & generaliter quoties creditori imputari potest, quod non exigit. Et quò magis legatarius lucrativam causam prætendit, eò magis ad exigitam summam hæc æstimatio deducitur, ut in illo exemplo & Arresto suprà *num.* 539. Et sic quanquam legatum factum sit pupillo, tamen non currunt aliquæ usuræ ex mora irregulari, nisi arguatur perfidia hæredis, puta si corrupit tutorem ne interpellaret: vel si onus & cura dicti pupilli spectabat ad hæredem, vel si specialiter testator jussit hoc spectare ad curam & diligentiam hæredis, qui non solùm gravatus sit de dando, sed etiam de faciendo. Quid ergo si non stet per hæredes, sed per executores testamenti, qui moribus nostris, ipso facto possessiones sunt omnium mobilium defuncti? Respondeo nec hæres, nec hæreditas tenentur de aliquibus usuris, nisi testator de illis disposuisset: sed si de dolo vel nimia contumacia executorum constet, proprio nomine, in quantum judici æquum videbitur, nomine interusurii vel ejus quod interest, damnabuntur.

Declaratio, l. fi. C. de petit. hæreditatis.

575. Nec interim omittendum quòd invenitur in jure quadrantalis usura: in legatis & fideicommissis certo casu singulari, *l. fin. versi, quod si non obtinuerit, Cod. de petitione hæredit.* cujus (licet nemo explicuerit) optima ratio est, & ad multa utilis, videlicet quòd ibi non venit ratione alicujus moræ vel culpæ. Legatarius enim exigendo, data cautione, & (quandiu hæres scriptus non evincitur) possidendo legatam sibi pecuniam, jure suo bona hâc utitur tanquam de re sua: quare non est justum eum usuras debere pecuniæ suæ nec alii debitæ. Rursus quia pecunia non est omnino sua, sed sub conditione debita, & restitutioni subjecta ei, à quo summo jure utendo exegit, non est æquum omnem usuram cessare. Quare Justinianus ibi mediam quandoque congruam viam more suo eligendo, non taxavit interusurium illius temporis ad summam communem æstimationem, quæ est semis, sed ad dimidium, videlicet ad quadrantem: quod summa ratione factum apparet, tum quia media via, ut dixi, tum quia usuræ partim habent vicem fructuum, & illis conferuntur, *l. usuræ vicem, de usur.* partim ob moram & in pœnam non solventium infliguntur, *l. cùm quidam*, §. *si pupillo, in fin. de usur.* Cùm igitur hîc esset mora & culpa, & sic omnis ratio pœnæ, nec superest nisi analogia fructuum prædiorum, meritò usura non taxatur nisi ad rationem fructuum prædialium, prout etiam ibi cum fructibus agrorum & pensionibus domorum reponitur: qui fructus utplurimum solent esse multò minores trientali usura, nec solent excedere circiter rationem quadrantis usuræ, habito respectu ad valorem fundi semel vendendi. Minimum autem eorum extremum invenitur in jure ad rationem unius annui in triginta quique, ut dictum est suprà *quæst.* 5. *num.* 115. cui rationi multum accedit quadrans usura, cùm tantùm in triginta tribus annis & triente sortem impleat, ut meritò hanc suprà *in Abate*, dixerim levissimam usurarum, non solùm quòd hac levioris nulla fiat nominatim mentio in jure, sed etiam quòd tam longè recedit à ratione interusurii pecuniarii, ut ferè non excedat minimum extremum lucri redituum prædialium, inter quos in *d. l. fi.* computatur. Ex quibus etiam infero, quòd ea taxatio quadrantis debet intelligi in terminis, *d. l. fi.* videlicet pendente evictione, vel etiam postea quandiu legatarius non est in mora: sed evictione secuta, & legatario in mora restituendi constituto, ex tunc contra eum currunt usuræ communes, videlicet semisses in terminis juris, *d. l. eos versi, & eam quantitatem.* Non enim hæres condictione indebiti repetet, cùm nihil solverit per errorem, nec alia actione merè stricti juris, in qua non veniunt usuræ, nisi judice ex causa arbitrante, ut suprà *num.* 514. sed cùm actione ex testamento non absolutè, sed (ut ita loquar) per provisionem solverit, seu potius conditionaliter solverit, occasione testamenti, ea conditione deficiente, locus est contrariæ actioni ex testamento, quæ habet vim actionis bonæ fidei, quantum ad hoc. Ex quibus habes novum & plenum intellectum, *d. l. fin. in d. versi.* reliquum dixi *in consuetudin. Paris.* §. 150.

Quadrans.

576. Supereſt ultima quæstio, *de qua* suprà *num.* Actio testa-

menti contraria.

496. *in fin.* & urgendo thema, cùm Titius deberet centum reditus annui redimibilis pro millè ducentis, creditor legavit liberationem solvendo mille infra biennium : vel fortè diffidens hypothecis & facultatibus debitoris, convenit cum eo, ut si infra biennium daret mille, remitteret reditum. Titius ut hoc commodo frueretur, festinus vendidit domunculam, vel agellum, & corrasit mille, dumque maturè vellet redimere, nec reditus interim curreret, & partem sortis absorberet, Seius obnixè rogat ea mille sibi mutuari in biennium, vel residuum tempus redimendi, promittens tunc reddere, & interim reliqua reditus solvere, vel omnino infrà illud tempus redimere, & indemnem servare Titium. At Seius non solvit in termino, contra quem Titius ea facultate privatus agit, ut se liberet & exoneret à dicto reditu, an rectè agat ? Exclamabis forsan nullam esse quæstionem, cum nullus Doctorum dubitet, sed omnes & Theologi & Canonistæ, & Legistæ pro indubitato habeant rectè agi : & videtur casus in *l. 3. in fin. de eo. quod cert. loco.* Ita etiam in simili decidunt Doctores in *l. nummis de in litem juran.* de eo qui mutuavit pecuniam solvendam certo die quo indigebat : ne emphyteusis caderet in commissum, neve facultas redimendi fundi expiraret : ubi nimis imperitè centent aliud esse in frumento, vel alia quantitate fungibili debita, ut tetigi suprà *num.* 31. & plenè in *tract. de eo quod interest.* Atqui multa de jure obstant. Primò legitimus modus interusurii & usuratum enormiter excreditur, quod non licet, etiam precedente justa commutatione, ut in *l. Julianus §. idem Papinianus de action. empt.* Sed hac via admissa, etiam rectà passim fraudari potest, quòd non sit difficile quotidie infinitas hujusmodi causas comminisci & pratexere, ut suprà *num.* 499. Periculum autem nimis frequentis abusus justa causa est, etiam justum alioquin contractum in commune prohibendi. Secundò, etiam exclusa omni fictione, & ut maximè constet rem ita se habere, tamen etiam in justo mercatore, de cujus vero & certo lucro amittendo constat, non permittitur legitimum modum bessium excedere, suprà *numero* 497. igitur nec huic permittendum videtur. Tertiò, quia hæ causationes singulàris interesse Titii sunt casus in ejus personam cadentes, qui non debent extendi ad alium onerandum, *l. si unico §. fin. locati.* Et videtur Titius sese decepere, qui scienter tali periculo sese subjecit, & negotia sua alicuis in tantà periissi postponit, & de se queri debet, *leg. nam si actor. de rei vendicat.* Quartò, quin etiam Seium decepisse videtur, cui nisi mutuasset, is ab alio sub solitis & legitimis usuris invenisset, ut inquit textus in *l. non existimo de administrat. tuto.* Verùm totius negotii circumstantiis expensis, *juxta l. bona fides depositi :* videlicet primò, quòd constat de veritate causarum interesse Titii : secundò, quòd sunt justæ & impendentes, quæ duo excludunt fictionem, fraudem & colorem quæsitum : tertiò, quòd Seius premonitus fuit : quartò, quòd Seius conditionem acceptavit : quintò, quòd Seius non est immor annus nec prodigus, nec alias cum curatore opus sit : sexto, de precibus vel provocatione Sei : septimò, de bonâ fide & simplicitate Titii, qui nolebat inde negotiari, nec quæstum ullum facere, sed sine damno tuo proximo, quantum poterat, commodare cujus etiam fidei se commisit, puto pactum hoc casu sustinendum. Non enim est compensativum interusurii, sed justi interesse casualis : & sic non spectat ad materiam, nec ad limites, usuræ, nec incidentis, nec negotiativæ ; sed ad materiam & tractatum de eo quod interest, ut in simili, suprà *quæst.* 28. Nonulla enim hujusmodi exempla quandoque occurrunt in communi vita, quibus opportunum sit & expediat vel alteri tantùm parti, ut hic vel utrique, ut suprà *quæst.* 28. sic promptè præsenti via vel occasione commodè occurrente uti, non expectando peregrinum incommodius, & adhuc dubium subsidium. Occasio enim calva est, ut est in proverbio, & factus præsenti vel minus commodo remedio uti, quàm dubium commodius præstolari : præsertim ubi periculum est in mora. Eam igitur ab similem *παραίνεσιν*, modò candidè & absque fraude latæ, non est bonum prohiberi. Monendi tamen sunt judices, ne temerè hujusmodi rara exempla admittant, nec in consequentiam alicujus frequentiæ trahi sinant, ne qua via fraudibus & prætextibus aperiatur, prout prædictis aut similibus circumstantiis observatis non erit periculum abutendi, legesque usurarias eludendi.

577. Ex his universa materia usuræ negotiativæ & incidentis, nec non interusurii & moræ : novè & plenè tam theoricè quam practicè explicata est, nisi quòd supersunt particulares quædam quæstiones, quas fervente calamo, ne cogitationis cursum aut methodi nostræ ferem abrumperem, præterii, puta de usuris pupillaribus, mandati, depositi. Item si certum interusurium deducatur in pactum specificum, vel in pœnam, quas prætrat specialiter & sigillat in discutere, postquam ad dilucidiorem præcedentium & sequentium intellectum & memoriam, novam hanc accessionum & usurarum divisionem, partesque singulas in subjecta figura digestas omnium oculis exposuerimus, ut sequitur.

- Accessio
  - Naturalis, sive causa rei
    - Partus
    - Fructus
    - Pensio, ut cùm res locari solet.
  - Accidentalis
    - Circa rem, ut æstimatio quanti-plurimi suprà *num.* 512.
    - Extra rem
      - Usura
        - Strictè, videlicet merè lucratoria
        - Largè videlicet interusurii successivi compensatoria.
      - Æstimatio interesse casualis.
        - Damni incursi,
        - Lucri cessantis.

- Usura est, quando ob usum pecuniæ aliquid successivè percipitur. Et
  - Primò penes materiam, quædam
    - Merè lucratoria, jure civili non inducta nec approbata, sed aliqualiter tolerata.
    - Interusurii (hoc est interesse promiscui successivi) compensatoria, jure civili sub certis metis approbata suprà *num.* 43. 513.
  - Secundò penes formam quædam
    - Mutuatitia, quando tenetur debitor sortè simul reddere. Et quædam
      - Vera seu formalis, ut dum fœnerator in mutuo paciscitur de usura, sive
        - *ab initio* infrà *numer.* 584.
        - ex post facto sup. *quæst.* 80.
      - Intemperativa, sive creditor mutuare volens ad quæstum
        - Numeret pecuniam alio titulo, quam mutui, & de certo quæstu vel commodo paciscatur ultra sortis vel rei supervalentis restitutionem, ut in *cap. ad nostram de empt. & vend.* In *cap. illo vos de pignoribus* suprà *quæst.* 66. In reditu temporali sorte alienata ad longum tempus postea simul restituenda.
    - Negotiativa, quâ principaliter intenditur & disponitur pecunia ad hoc numerata. Et quædam
      - Succedanea, in qua tota sors perpetuo alienatur, ut nunquam teneatur debitor redimere: licet perpetuo luere possit in novell. 160. & reditibus vulgatis.
        - Non numeret rectam pecuniam, sed merces aut res promercales certove pretio æstimatas, ut ob dilationem lucretur, suprà *numero* 517. infrà *num.* 580.
      - Mista, quando sors non in totum nec perpetuo alienatur, sed particulatim cum quodam auctuario reddi debet, ut in reditibus temporalibus, suprà *quæst.* 67. *quæst.* 71.
    - Incidens, quando creditor ad hoc principaliter non mutuavit, vel numeravit: sed ne propter moram damnificetur, aliquid successivum stipulatur. Et quædam
      - Ex conventione
        - Permista seu confusa obligationi principali, ut in *c. in civitate, de usuris.*
        - Separata, seu discreta
          - In continenti.
          - Ex intervallo.
      - Ex mora
        - Regulari.
        - Irregulari.

Tertiam penes justitiam & injustitiam divisionem prudens omisi, tum brevitatis causa, tum decoris: decet enim cùm materiæ, tum formæ velut corpus partes corporalibus oculis subjici: reliqua verò mentis oculis plenè in præcedentibus exposita, decentius memoriæ relinquuntur. Habes itaque ex præcedenti figura junctis aliis, suprà *num.* 450. & 460. omnem proportionem & doctrinam interusurii successivi, & interesse casualis, omniumque & veterum & recentium usurarum præ oculis. Et vides quam fuerit necessaria radicalis nova & analytica nostra explicatio legum omnium usurariarum, etiam exoletarum non solùm ad sincerum & plenum intellectum ejus partis juris civilis, sed etiam fœnoris in usu recepti, & omnium id genus quæstionum rectam decisionem & judicium absolutissimum in praxi.

578. Et ne fortè scrupulus ullus in hac figura supersit, in quantum prima facie casus, *c. in civitate de usur.* videtur bis inferi, videlicet primò, sub fœnore negotiativo, in secundo membro interpretari, & rursus sub fœnore incidenti, in prima sectione primi membri, notandum duplicem esse casum: quandoque enim mercatores principaliter intendunt negotiari de venditionibus ad terminum, ut quando malunt pluris vendere ad terminum, quam justo pretio præsenti pecunia: & hi sunt valdè odibiles, utpote duplices usurarii. Non solum enim principaliter fœnerantur, sed etiam fœnori capere, etiam non indigentes, aut pluris emere cogunt, quare tantò gravius coërcendi & mulctandi sunt. Et meritò hæc species spectat ad fœnus negotiativum, & ita in dicto primo & superiore loco, nec tunc spectat ad casum *dicti cap. in civitate*: quia non est dubitabilis, nec esset implicita aut dubia usura de qua *in dicto capit.* sed expressa, utpote principaliter intenta certa, & improba, de qua non quæritur nec respondetur in *dicto capit.* Quandoque mercatores non intendunt principaliter negotiari de venditione ad terminum, ut quia malunt justo præsenti pretio vendere, sed in gratiam emptorum eorumque rogatu vendunt ad terminum, quadamtenus ob id aucto pretio. Et hic erat casus, de quo cùm Archiepiscopus Januensis non insulsè (utpote ex his quæ postea scripserunt Scot. in 4. *sententiar. distinct.* 15. *quæst.* 2. & Bal. in *rubric. col.* 2. *versic. quærenda, Cod. de usuris*) dubitaret, Innoc. 3. *consuluit*, qui rectè in *dicto cap. in civitate.* Respondit, ut dixi

supra *numero* 516. unde hic casus non spectat ad fœnus, vel ad usuram negotiativam, sed incidentem, Et hic notandum, quòd non omnis usura incipiens à numeratione pecuniæ, vel rei promercalis æstimatæ, vel etiam à vero & formali mutuo, spectat ad fœnus, vel negotiationem fœneratitiam: sed solùm quando fit mutuum verum vel interpretativum ad hunc finem pricipaliter negotiandi de usu pecuniæ: vel ad principalem finem aliud genus fœnoris, sive succedanei & impropriu, sive mixti exercendi. Quoties autem creditor non negotiatur de quæstu pecuniæ principaliter & propter, sed se propter moram, puta si & quandiu debitor erit in mora, tunc non dicitur fœnus nec usura negotiativa, sed incidens duntaxat, sive in mutuo, sive in alio contractu, ut de mutuo est casus in *l. lecta si cert. pet.* ubi creditor initio & principaliter gratis mutuat usque ad certum tempus, quo lapso, nisi solutum fuerit, & quandiu differetur, certam usuram stipulatur. Hanc voco incidentem usuram, ad differentiam negotiativæ, seu principaliter & præcisè intentæ.

Mutuum interpretativum.

579. Cæterùm mutui interpretativi non erat necessaria mentio, nec consideratio in terminis juris civilis, quod regulariter non magis vetat, aut admittit usuram in mutuo, quàm in aliis contractibus: sed quantum ad hoc indifferenter se habuit, in quo diminutum fuit, ut diximus supra *num.* 521. sed moribus nostris, cùm non liceat uti fœnore negotiativo, nisi improprio & succedaneo, vel debitoribus commodiori, puta misto, nobis limitato, supra *quæst.* 71. & cùm adhuc ad conservandam puritatem & officiositatem mutui, nec incidentem quidem usuram de facili admittamus in mutuo, sed ægrè & rarò, puta post longum intervallum, & ex justa & particulari causa, quæ in consequentiam frequentiæ trahi nequeat, propter hanc, in quam, novam differentiam inter mutuum & alias causas justè usu recepram, ut supra *num.* 521. & ne passim fraudetur, necessarium fuit constituere vocabulum & speciem mutui interpretativi, quòd fit dupliciter. Primò, quando pecunia numeratur alio vero titulo quàm mutui, sed cum pacto de quæstu usus pecuniæ, præter ipsius vel rei æquipollentis restitutionem. Secundò, quando ad eundem quæstum datur res æstimata vice pecuniæ. Vocabulum autem ficti mutui, quod ex errore Canonistarum processit, non solum supervacaneum est, sed ineptum & contra jus, cùm non sit hominis privati fictionem inducere: & meritò etiam à Theologis in 4. *sent. distinct.* 15. *quæst.* 2. exibilatum, quare nullam hujus in figura mentionem feci.

Mons pietatis.

580. Hìc appositissimè occurrit aliquid conclusivè dicendum de ea re apud Theologos & Juristas hactenus controversissima, quam Itali vocant Montem pietatis, de quo per Ancha. Lauren. de Roduph. *post reperit. c. consulnit, de usur.* Anto. *part.* 2. *tit.* 1. *c.* 11. *per tot.* & alios varie & scrupulosissimè: & novissimè per Tho. de Vio in *tract. de Monte pietatis*: Sic enim vocant in multis Italiæ locis pecuniam ex privatorum eleemosynis coacervatam in unum cumulum perpetuo ad usum pauperum deputatum, ut eis mutuaretur sub levi usura, ad evitandum graves & præfocantes usuras Judæorum, quibus cum Principes Infideles & socii furum (*Esaiæ* 1.) colludunt & mediante parte prædæ vel gravi tributo permittunt improbissimum & barbaricum fœnus in subditos, Romano etiam Pontifice non sine pretio approbante, multis etiam Doctoribus pretio pariter redemptis subscribentibus, in queis Alexander *cons.* 1. *cons.* 2. & rursus *cons.* 108. *lib.* 2. verbosissimè contendens Papam posse facere de peccato non peccatum: & malè, ut ibi dixi, & in *consuet. Paris.* §. 1. *glos. fin. numero* 19. in specie autem disputata per Tho. de Vio. Ex constituto, certi probi viri custodiebant eam pecuniam & tenebantur stare parati ad mutuandum pauperibus pro eorum qualitate & indigentia, tres aureos ad summum (quòd fortè modicus erat ille cumulus) nec ultra annuum & sub pignore, quòd custodirent suo periculo in domo conducta, ut post annum in defectum luitionis pignus venderetur, & superfluum debitori restitueretur, deducta sorte & usura, seu pensione unius denarii pro libra in singulos menses, idque pro sumptibus custodum & ministrorum, & ne fors deperiret, sed conservaretur in usum futurorum pauperum. Scrupulosissimè verò & ægerrimè Thom. de Vio tam disputat, quàm torquetur per sexdecim magnas columnas, an ea ordinatio licita sit tolerabilis: excludit autem ab hujus rei discussione & decisione Legistam, Canonistam & purum Theologum, & ad solum Philosophum moralem trahit & limitat: sed adeò infœliciter, ut quamvis fribolarium, vel aniculam nuces venditantem de his consulere præstet, quàm tam meptum & jejunum Philosophastrum. Quid enim stultius & ineptius, quàm legum, commerciorum & negotiorum humanorum expertem, non solùm de hypothesibus eorundem negotiorum disputationem attentare, sed etiam sibi soli judicium arrogare? Post multam autem ... tandem concludit, eam ordinationem, non obstante etiam approbatione Romani Pontificis, esse injustam, usurariam & illicitam, quatenus scilicet aliquid vel tantillum ultra sortem mutuatitiam percipitur,

Error Th m. de Vio.

Errores extremi.

581. Videsne ut in oppositos extremorum errores præcipites ruant homines ... alii fœnus improbum securè probantes, alii quantumvis leviſſimam vel beneficam usuram penitus improbantes? Sed vide quàm vel ad insaniam usque prodigiosa sit ea extremitas: Alexander enim in præfatis tergeminatis consiliis plus quàm improbum fœnus, etiam mutuatitium, & negotiativum probat. Loquitur enim (ut videre est in epitome dictorum consiliorum, quæ habetur inter ejus consilia, *consil.* 8. *lib.* 6.) in mero & formali mutuo, & in usura sex denariorum menstruorum in singulas libras, idoneis pignoribus acceptis, quod est horribile fœnus, etiam Ethnicis inauditum, utpote duplicem centesimam excedens: continet enim duas solidas centesimas & semissem. Sed adhuc horribilius approbat, videlicet octo denariorum menstruorum in singulas libras, sub hypotheca bonorum debitoris, pignoribus non traditis, quod ad triplicem solidam centesimam & tertiam partem centesimæ ascendit: & adhuc sub eo gravissimo & assiduè impendenti periculo, ut quoties debitor per tres menses in solutione & continuatione hujus triplicis & sesquitertiæ centesimæ cessaverit, toties de trimestri in trimestre creditori liceat bona etiam immobilia debitoris pro libito distrahere. Quid quòd non solum tam crudele fœnus de facto semel probant, sed etiam serpere & in leges deduci, & statutis firmari, tamque efferos fœneratores non solum tolerari, sed etiam publicè authorari; nec solùm sic allici, sed etiam conduci à regulis Italiæ, de tam miseris civium prædiis tam turpiter & sceleratè negotiantibus? Quin etiam sic conduci à potentibus Prælatis Ecclesiasticis, ut per Conrad. *de contract. quæst.* 27. legatis à Papa, & Episcopis Vicariis, ut per Corn. *consil.* 159. *lib.* 3. Sed adhuc turpius & sceleratius, permittendo etiam earundem improbissimarum usurarum improbiores usuras sub eisdem acerbitatibus, nec solum permittendo, sed etiam authorando, ut supra, ita ut in consuetudinem abiret non solum publicam & notoriam, sed etiam approbatam, ita ut censeat Alexand. *dict. consilio octavo*, concessionem fœnerandi Judæis simpliciter factam, intelligi factam secundùm prædictam consuetudinem, ut possent earundem usurarum similes eisdem coactionibus usuras stipulari, etiamsi expressum non sit in articulis conventionis inter Principem & Hebræos. Videsne captivitatem pauperum barbarica incursione teteriorem? Quidnam putas edictu-

rum Justinianum si revivisceret ? num palàm est mundum luisse pœnas excitatis & irrisionis sacrarum legum & complacitæ *antiquariæ* ? Contrà, qualem medicinam attulerint homines malè feriati, sola tetrica stupiditate Philosophorum similis? Quòd solamen dederunt candidis, & *timoratæ* conscientiis, dum omnem penitus usuram non solum civilem & mediocrem, sed etiam leviorem & levissimam, imò alioquin etiam & privatim & publicè utilem, mortalis noxæ damnaverunt ? Quod alii extendunt non solum in mutuo, sed etiam in omni obligatione quantitatis ex quacunque causa, ut Alexan. post alios in *dicto* §. *jna. l. stipulatio ista* §. *alteri*, *col.* 4. *de verb. obligat. cons.* 49. *lib.* 4. Alii extendunt etiam ad piam ordinationem pauperum sublevandorum dumtaxat factam, ut hic. Hujusmodi errorum præcipitia peperit ignorantia legum & elenchi usurarum, præcipuè vulgaris ille error de usura de se mala, etiamsi nec populum nec leges lædat, quæ omnia satis suprà profligata sunt.

Decisio æqua.

582. Dicimus ergo, in prædicta ordinatione veram quidem & formalem esse usuram, utpote in vero & formali mutuo, & ab initio mutui contractam: & tamen omni jure non solùm esse tolerabilem eo casu & licitam, sed etiam laudabilem & piam. De jure divino liquet: quia non fit ad mordendum, sed efficaciter ad benefaciendum, non solùm solvendi pro ea vice, sed etiam eidem, cum aliàs indiguerit vel aliis pariter egentibus. Jure verò naturali, civili & sensu communi luce clarius ut desipuerint novi Philosophastri, tam ex seipsis nova figmenta comminiscentes, quàm ex Aristotele suo argutantes: Non enim Aristoteles quamlibet accessionem sortis etiam pro usu nummi reprobat, sed solùm negotiativam illam pleonexiam, nec modum, nec finem habentem, ut diximus suprà *num.* 532. Nec etiam obstat quòd sæpe diximus non esse admittendam usuram in vero mutuo, saltem ab initio, suprà *num.* 35. quia illud non est ex eo, quòd semper de se mala sit, & contra jus divinum & naturale in mutuo, sed ne officiositas mutui deformetur, & desinat liberale mutuum frequentari: ideo tunc demum procedit, quando creditor certat de proprio quæstu, saltem, quando ad proprium commodum stipulatur: secus quando quis non sibiipsi, sed ad commodum pauperum stipulatur, ad conservandum sortem & continuationem similium officiorum, ut in hac ordinatione, in qua licet mutuando fiat quoddam negotium, tamen illud negotium non fit ad commodum alicujus danistæ, sed in rem pauperum. Et inspecto effectu & rerum exitu (qui potissimum attendi debet) non est hæc negotiatio usuraria, per quam quid auferatur à pauperibus: sed negotiatio conservatoria beneficentiæ erga pauperes exercendæ. Non ergo spectat ad negotiativum nec ad lucratorium fœnus, sed ad illud genus fœnoris, de quo Paræmiographus ait, *cap.* 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Tota enim ea administratio, sive in mutuando, sive levem illam usuram stipulando, nihil aliud est quam dispensatio misericordiæ in pauperes presentes & futuros, non inertes, nec luxuriosos, sed frugi: qui licet non sint ex eis, quibus dandum sit, ut suprà *num.* 86. justam tamen temporariæ indigentiæ causam habent, & duriore fœnore prorsus obruerentur. Et licet aliqui ex eis non certant de negotiando, sed de aliquo incommodo vitando: & sint tales ut eis debereretur liberale mutuum ab eo, cui facultas esset, non minus justa est dicta ordinatio, in qua non suppetit melius consulere.

Usuræ Ecclesiasticorum.

583. Quid ergo dicemus de eo quod in finibus Burgundiæ, & aliis plerisque locis hujus regni, à Capitulis Ecclesiarum ab antiquo & adhuc hodie practicatur? Canonici enim & similia Collegia Ecclesiastica pecuniam suam, ne sit otiosa & sterilis, mutuant ad rationem hujus quincuncis, & hoc publicè toleratur, & vulgò licitum putatur, non jure communi, sed speciali favore Religionis, ut augeatur thesaurus Ecclesiæ quem vocant. Ego dico istud esse verum & formale fœnus negotiativum, sed modestum & licitum. Quòd autem vulgò putent communiter non licere, sed solis Ecclesiasticis favore Ecclesiæ, superstitio est & præpostera religio: nihil enim habet commune religio cum commodo vel quæstu pecuniario, ut dixi in *consuetud. Paris.* §. 22. *num.* 130. Et ex eo quod creditores sint Ecclesiastici, non debet eis esse major, sed potius minor licentia fœnerandi, nisi fortè reliquam plebem, quos laïcos vocant, pro hostibus habere vellent, quibus nocere liceat & fœnerari, *c. fin.* 14. *quæst.* 4. vel pro Barbaris, à quibus liceat subtili ingenio eruscare, *l.* 2. *de Commer. & mercat.* vel fortè cæteris hanc negotiationem invident, eosque libenter patiuntur superstitione arceri, quò sibi solis hic quæstus reservetur. Est igitur de se & communiter licitum, propter magnam temperaturam fœnoris, supposito etiam quod non exigatur scienter in casu debitæ eleemosynæ. Nec potest istud trahi in ordinariam consequentiam officiositatis mutui excludendæ, vel infidiandi debitoribus: quia dicti Canonici & similia Collegia, licet retineant jus & actionem sortis cum usuris exigendæ, cùm volent, tamen non solent. Et hoc tacitè intelligitur, ut acerbè & importunè non urgeant debitorem ad restitutionem sortis, sed sinant eum commodè negotiis suis consulere, quod non faciunt communiter privati. Et si aliqui faciant, non est debitor in tuto, quia frequenter usuvenit, privatos aliis acerbioribus cedere, vel hæredibus avidis relinquere, vel mores & affectus mutare: quæ est justa causa promiscuè non tolerandi hanc formalem usuram in privatis. Si tamen de bona fide & benigna tractatione debitorum constet, saltem dilatione notabili data, & in necessitatem taciti vel expressi pacti deducta, tolerandum & probandum erit. Non tamen fœnus illud Canonicorum, & similium Collegiorum est actus pius, ut nuper de statuto subventionis pauperum diximus, sed est actus civilis, licitus & honestus; quemadmodum venditio rerum vel fructuum justo & æquabili pretio, ut in simili suprà *num.* 86. & 440. paulo minus tamen, in quantum hæc negotiatio magis recedit à naturali acquisitione. Sed longè honestius, civilius, & laudabilius faciunt, quàm quædam Capitula Cathedralium Ecclesiarum, quæ pecuniis abundant, nec volunt fœnerari, nisi ad summam rationem duodecimæ sub prædiis prædibusque; quin etiam ægrè redemptionem admittunt, nisi pluribus officialibus aditis, rogatis, adunatis gravando in hoc redimentem non paruo sumptu, quod ultimum corrigendum esset. Illud etiam semper pro exploratissimo jure habendum, quod in omnibus prædictis veris usuris, etiam Montis pietatis, nunquam licebit excedere duplum: sed habent locum omnes moderationes usuratum legalium, de quibus suprà *num.* 43. *cum seq.* & de hac uberrima materia satis est. Quod si quis fortè prolixitatem quæstionis incuset, Respondeo. Tantò mihi quidem visus sum prolixior, quantò brevius defungi cupiebam, quare infinitas propè quæstiones in unam concluси. At si brevitas est, non pauca dixisse, sed magnam vim rerum paucis & perspicuè comprehendisse, admodum brevis fui. Antequam reliquam materiam expediam, superscripta figura admonet prius.

QUÆSTIO

QUÆSTIO LXXV.

SYNOPSIS.

1. *Quâ ratione à legalibus usuris ad vulgatos reditus possimus argumentari.*

2. *Probatum à tempore Justiniani vulgatos reditus invaluisse.*

584. SEptuagesimo-quintò quærendum, An & quatenus à veteribus usuris, & legibus usurariis liceat hodie ad fœnus usitatum arguere, & an fœnus duodecimæ sit novum inventum, an verò etiam tempore juris civilis cognitum? Quantum ad primum, breviter dicendum quod à veteribus usuris & legibus juris civilis valet argumentum ad nostras usuras, etiam largè & impropriè sumptas, quatenus est eadem ratio, & de restringenda usura agitur. Unde quemadmodum legales usuræ non possunt currere ultra duplum, sive ultra sortis summam, ita nec nostræ usuræ incidentes, sive in pactum deductæ, sive non, in quibus sors non est perpetuò alienata: quia tunc licet nostræ moderatiores sint in quantitate currente, ut non excedant vicesimam, tamen quantum ad quantitatem periodicam sive cumulum eadem est ratio, ut non debeant excedere duplum cùm possit vel speret creditor sortem præter usuram etiam ab invito debitore exigere. Et sic ad summum non debet exigere ultra duplum: quia de jure, etiamsi usura sit quincuncialis, trientalis, vel levior, non tamen poterit excedere duplum. Secus in fœnore nostro negotiativo, sed improprio, in quo tota sors perpetuò abalienatur, quia potest in infinitum excurrere. Cùm enim sors sit perpetuò alienata, ut nunquam creditor eam petere vel exigere possit, nunquam verè dicitur ipse petere vel exigere duplum, videlicet & sortem & usuram, sed simplicem usuram vel reditum: & hic cessante ratione legis, cessat limitatio dupli, quæ etiam non potest quadrare nec adaptari, quia non dicitur duplum deberi, nisi respectu sortis debitæ: sed hic nulla debetur sors. Sed quemadmodum jure civili nulla potest currere usura, nisi pro rata temporis & sortis, ita & in nostris usuris quibuscunque: quia quantum ad hoc est eadem in omnibus ratio. Patet, quia omne genus fœnoris, etiam impropriissimum, est compensativum usus aris alieni pro rata usus. Non obstat quod diximus suprà de usuris temporalibus, in ultimis annis, quia ibi non soli ultimi anni debent attendi, sed etiam priores, & sic nullus est ibi excessus pro rata temporis & sortis. Pariter quemadmodum de jure in usuris fit compensatio ipso jure, in consequentiam sortis exigibilis & compensabilis: ita & hodie in usuris nostris, si sit eadem ratio, videlicet ubi sors exigi potest, & sic compensabilis est, ut suprà *quæst.* 43. Secus si sors non sit debita nec exigibilis, & sic non sit susceptibilis compensationis: quia tunc materia non est habilis, & cessat ratio legis, ut in reditu temporali vel duodecimæ. Rursus quemadmodum secundùm leges civiles usurarias necesse est in omni fœnore liberam esse facultatem debitori, quandocunque voluerit, sese liberandi, sorte cum reliquis oblata, ut novè diximus suprà *quæst.* 55. ita & in omni fœnore nostro, etiam successaneo & improprio: quia semper est eadem ratio, cùm nullum fœnus sit, nisi ob temporarium usum aris alieni & sic semper inest quòd lui possit, imò est de substantia, ut sæpe diximus. Fallit in quibusdam reditibus temporalibus, ut sup. *quæst.* 71. ubi præter dimidio leviorem usuram alia justa ratio hoc temperat, quia licet sortem principalem per plures particulares solutiones restituere: secus hac ratione cessante, ut in alia specie reditus temporalis, de qua suprà *quæst.* 66.

Hi reditus à tempore Justiniani.

585. Quantum ad secundum, vulgò adusque durant usum reditum vulgarium pecunia constitutorum dupost jus civile inventum esse, nec absque probabilibus conjecturis, cùm ejus nulla sit mentio in toto corpore Juris civilis, ut videatur moribus irrepsisse, post veterum legalium usurarum formam exoletam & abrogatam. Sed clarè ostendam horum reditum usum etiam temporibus Justiniani non solùm inventum, non solùm practicatum (licet rarius) sed etiam lege principali confirmatum fuisse. Patet in novell. const. 160. ubi Aphrodisiensis Reipublicæ pater, id est defensor & patronus, ut in *leg. in defensor. C. de defensoribus civitat.* & in *Authen. ea tit. const.* 15 & pr mores ejusdem civitatis, quæ secundùm Ptolemæum sita est in Thracia, non longè à Chersoneso Thraciæ, & littore Ægei maris, magnam vim pecuniæ ex legatis eidem civitati factis collectæ, ne deperiret & sterilis esset, sed publicis operibus & necessitatibus civitatis salva sorte subserviret, tali forma collocaverunt ut qui sortem recepisset, donec eamdem civitati restitueret, certum æquabilem reditum annuum civitati penderet, quæ est ipsissima forma nostrorum reditruum vulgarium, ubi sors respectu creditoris perpetuò alienatur, periculo autem debitoris, qui quandocunque sibi visum fuerit redimere potest, & interim certum reditum annuum solvere debet. Quòd autem hæc omnia concurrant & expressè delineata sint in hypothesi *d. constit.* 160. patet attente legenti. Primò ibi (*ne quando ea deperiret*) & sic sors salva esse debebat, non quòd posset repeti à civitate, sed in eo quòd pensiones reditus in eam nunquam imputarentur. Secundò ibi (*ut quamdiu id aurei subsideret apud ipsum*) ex quo duo colliguntur, unum tacitum, & unum expressum. Primum expressum, quòd debitor liberam & perpetuam facultatem luendi habebat, sortem cum reliquis offerendo. Secundum tacitum, quod recipiens sive debitor nunquam poterat cogi sortem reddere sive redimere, quod idem est, saltem quandiu reditum conventum continuaret. Hoc autem ita fuisse actum probatur, quia ibi totâ substantia conventionis narratur, nec exprimitur actum quòd recipiens remaneret debitor sortis, nec quòd posset ab eo sors exigi, sed quòd data fuit simpliciter pro reditu annuo randiu solvendo & continuando, quandiu recipiens sortem retineret, seu donec luere mallet, cui formæ conventionis & literæ textuali nihil extrinsecus addendum, ut dixi in *consuetud. Paris.* §. 1. *glos.* 4. *num.* 9. Ex ea autem hypothesi non divinando nec addendo extrinsecus (ut decet) sequitur quòd non erat debitor sortis restituendæ: sed poterat ea frui, quandiu reditum conventum mallet solvere.

Probabilis æstimatio.

586. Consequenter quòd sors respectu civitatis erat perpetuò alienata, nec ob id deperisse creditori sors dicitur, sed benè & utiliter collocata, ex eo quòd reditus continuatur, nec unquam in sortem imputatur, text. *in l. si bene, de usur.* ubi pecunia publica non periisse, sed benè collocata dicitur, licet debitor usuras solvens in sortem inquierari non debeat. Porrò licet *d. l. si bene*, loquatur in favorem publicum, ne debitores idonei cum damno publico temerè mutuentur, & sic non neget debitorem etiam usuras continuare offerentem cogi posse sortem reddere, si Reipublicæ interest, prout etiam non negat quin necessariò exigenda sit, cùm ventum est ad duplum, ne deinceps pecunia otiosa maneat, tamen illud, debitorem cogi posse sortem reddere, necessariò intelligendum est, quando pecunia fuit mutuata subusuris, vel quando aliàs actum esset ut sors aliquando peteri posset: secùs quando pecunia simpliciter pro certo annuo & perpetuo reditu

datur. Tunc enim licet expressè actum sit quòd debitor quandocunque redimere possit, non tamen potest cogi sortem reddere, sed censetur emptio perpetui redimibilis reditus, ut in *d. constit.* Tertiò probatur, quia debitores ibi prætextu constitutionum de duplo in usuris non excedendo, suprà *num.* 46. detrectabant continuationem reditus tanquam liberati, vel liberandi, mox ut pensiones reditus cumulatæ duplum sortis effecissent: & tamen non mandatur debitores compellendos ad sortis restitutionem, prout mandatum fuisset, si hoc fieri potuisset. Consequenter non fuisset periculum peremptionis, nec sterilitatis sortis, quippe quæ cum reliquis exacta aliis idoneis tunc fœnerari potuisset. Et sic apparet quòd debitores non poterant cogi sortem reddere, alioquin non fuisset opus ea querela ad Principem. Quartò ibi (*illam enim de creditoribus conscripsimus*) ubi te refert ad *constit.* 121. ubi loquitur de creditore mutuatitio, vel alio cui sors debetur, quique potest eam exigere, quem Græci δανειστὴν vocant, sic etiam habet textus Græcus, ἀναίνεται μὲν γὰρ ὅτι δανειστῶν ἐστὶν ἐμφανῶς. Ex quibus verbis & antitheris necessariò apparet, quòd in hypothesi *d. constit.* 160. civitas non erat creditrix sortis, nec ei τὸ δανειστοῦ appellatio competebat: ergo ei sors non erat debita, nec eam exigere poterat: alioquin verbum δανειστὴς, etiam usurii de ea verificatum fuisset, quod ibi negat textus. Quintò, quia negant hanc facti speciem attingere illam, de qua in *constit.* 121. ergo necesse est ut in hoc differat, quòd sors hic alienata sit, nec reperi possit, alioquin in nullo differret quantum ad speciem facti. Sextò, quia dicunt hanc speciem magis annuo reditui quàm usurarum prestationi similem: in quo textus non omnino negat hunc contractum nihil habere commune cum fœnore, nimirum ob id, quòd accipiens pecuniam sub hac forma utitur ea commodius vice fœnoris, secundum notata suprà *quæst.* 69. negat tamen esse contractum vere usurarium, sed aliam speciem contractus, videlicet emptionis reditus annui redimibilis. Et sic necesse est sortem fuisse perpetuò alienatam, alioquin esset verus contractus usurarius strictè, & nihil differret ab usurarum prestatione propriè & strictè sumpta. Et sic patet quòd etiam tempore Justiniani vulgati nostri reditus erant in usu, licet rarius, præsertim à privatis hominibus, eò quod privati homines rarò volebant sortem perpetuò alienare, & malebant formali fœnore tunc permisso sub omnibus juris modificationibus uti. Et sic emptiones istæ redituum jam olim *dicta constitut.* 160. confirmatæ sunt, & legali præjudicio decisum, non esse propriè contractus usurarios, nec subesse legibus usurariis de duplo non excedendo, ità tamen ut emptor non accipiat majorem æquo reditum. Quis autem esset æquus reditus, textus nec ibi, nec in alia parte juris aperit. Nec dicas quod ille textus propter illa verba intelligendus sit de non excedente semisses, quæ civitati & fisco permittebantur: quia ille textus separat hunc contractum ab usurario, & à legibus usurariis, meritò non debet ad eas fieri relatio, nec ab illis argui præcisè quantum ad quantitatem reditus, quia in hoc non est similis, sed dispar ratio: quoniam in hoc contractu in quo sors perpetuò alienatur, justum est paulo majorem esse reditum, quam in merè fœneratitio, ubi sors reperi potest. Puto tamen quòd ad summam non excedebat ibi bessalem usuram, quæ de jure summa est, ut suprà *quæst.* 69. *in fin.* junctis notatis suprà *quæst.* 5.

QUÆSTIO LXXVI.

SYNOPSIS.

1. *Tutor convertens in proprios usus pecuniam pupillarem, in centesimam tenetur.*
2. *An pupillus post pubertatem possit postulare pretium cum reliquis intermedis temporis à dicta redemptione.*
3. *Tutor si deteriora fiant pupillaria nomina, tenetur tantum de lata culpa.*
4. *Incertum semper est, quod interest.*

587. SEptuagesimo-sextò quæro de usuris pupillaribus. Et ut dictum est supra *num.* 57. tres sunt speciales casus, in quibus jura statuerunt centesimas deberi, licet sors stet periculo debitoris, à quo etiam exigi possit. Et quia duo posteriores exolverunt, sufficiet primum excutere, videlicet quando tutor vel negotiorum gestor pecuniam pupilli in proprios usus sua authoritate convertit, & ut dixi, non servantur dicta jura absolutè quantum ad quotam centesimæ, sed prout bonus & prudens judex æstimaverit, in quo summo æquilibrio opus est. Primum tamen excipiendi sunt casus, qui certam & apertam decisionis rationem habent, puta si constet quantum damni pupillus hac fraudatione & interceptatione pecuniæ passus sit: hoc enim totum refundendum est, quantumcunque centesimam excedat, imò etiamsi duplum excedat: spectat enim hic casus ad interesse casuale. Et tum quòd obligatio principalis sit incerta, tum propter dolum, cessat limitatio dupli, & istud etiam in praxi servandum est. Aut verò non constat de specifico vel tanto damno pupilli, & tunc aut tutor dolosè versatus est, aut non. Primo casu puta quando habens contutores, pecuniam pupilli clam intercepit, vel si solus erat, destinatam ad emptionem prædiorum vel alium certum usum pupillo utilem, eo prætermisso, in usus proprios convertit, tunc debet centesimas, nec debet judex munus adjudicare, *l. qui sine, de nego. gest. l. tutor qui repertorium, §. quidam solent l. non existimo de admin. tut.* quæ nominatim loquuntur de maximis vel gravissimis usuris, & sic de centesima, cum non sit major nec gravior in jure. Et hoc etiam in praxi observandum, nisi quatenus ex justa causa (quæ multæ in magna gestione esse possunt) moderandum aut remittendum judex arbitraretur, puta si tutor hanc fraudem aliis officiis compensavit, alioquin etiam mulctari vel extraordinariè & criminaliter puniri dolosus tutor poterat.

Tutor quãdo debet centesimas.

588. Secundò casu, quando tutor non fuit in dolo, puta si contutorum consensu sibi fœneravit, vel cum solus tutor esset, sibi creditam adscripsit, cum non appareret pupillum indigere. Hoc enim facere potest, *l. quæstes §. non tantum, de administr. tut.* & tunc debet quidem omnino usuras, non autem centesimas, sed legitimas. Intelliguntur autem hic legitimæ, quæ communiter conceduntur de jure, puta bessis jure digest. semissesve pòst, *d. l. eos §. 1. vers. & eam*, nisi majores in regione frequentarentur, quia tunc de illis intelligitur *d. l. tutor qui §. cæteris, de administ. tut.* & sic Accursius ibi, & in *l. si curator. Cod. arbi. tutel.* malè confundit gravissimas, sive centesimam cum legitimis: quia quando lex loquitur de maximis vel gravissimis, specialis est dispositio in pœnam dolosi, cùm autem de legitimis, intelligitur de communibus. Quid ergo si pupillus per institores negotiabatur, vel ergasterio præerat, an hoc secundo casu debeantur bessis? Videretur quòd sic, quia illæ sunt legitimæ jure digestor. & adhuc etiam jure Cod. in creditoribus dictæ professionis, *d. l. eos.* Contrà puto, & quòd tantùm semisses. Ratio, quia

Quando legitimas.

jure C. etiam justo mercatori besses non sunt legitimæ, nisi ex stipulatione vel pacto, ubi pactum sufficit, secundum notata supra *num.* 507. alias in fœnore incidenti, etiam ob moram regularem, non sunt nisi semisses. Quid si pupillus sit illustris? Videretur quod tunc tutor non deberet hoc secundo casu nisi trientes, *d. l. eos, facit d. l. si tutor qui, §. ex cæteris.* ubi in dubio de minoribus. Contrà puto quod debeantur semisses, quia taxatio quadrifaria pro conditione personarum in *d. l. eos*, non concernit, nisi usuras quæ veniunt ex sola dispositione hominis: in his autem quæ à lege, puta ob moram, nihil mutatur de jure antiquo, nisi in hoc quod regulariter non excedant semisses. Tum hoc casu inest quædam mora irregularis, quo casu non debet illustris esse deterioris conditionis, ut suprà dixi *num.* 56.

589. Quid si Tutor in usum suum bona fide convertendo plus habuit commodi, quàm sit legitima seu communis usura? Respondeo. Adhuc non tenetur ultra legitimam sive semissem, quod satis indicant dicta jura: ideo enim hic taxant legitimam, ut vice transactionis sit, sive plus, sive minus tutor lucretur, & alioquin elusoria esset ea taxatio. Sed ad istud ultimum adverte, quia in contrarium facere videtur, quod si tutor de pecunia pupilli fundum nomine proprio emit, electionem habet pupillus major factus, vel ratificando, seu potius in se transferendo negotium, vendicare fundum, & consequenter sibi rationem exigere de fructibus, & sic totum commodum auferre, sicut si nomine suo emptus esset, vel hoc omisso & fundo cum fructibus tutori relicto, petere pretium cum usuris legitimis *l. si curator C. arbit. tut.* Solutio facilis est, quod illud contrarium procedit quando superest certa res acquisita, vel jus formatum immediatè pecunia pupilli vel minoris per administratorem suum nomine proprio administratoris acquisitum, sive fundus emptus sive nomen, ut si pecunia fœnerata sit: tunc enim est quod eligi possit, & sic pupilli vel majoris facti electio est Casus in *d. l. si curator*, & in *l. si tutor, quando ex facto tutor. facit. l. si ut proponis. C. de rei vendit.* Et tunc si quidem eligat rem acquisitam, non potest petere pretium, nec ejus legitimas usuras, sed rem qualis est, cum fructibus, si qui sint: vel nomen acquisitum quale est cum usuris conventis, perinde ac si acquisitum esset nomine suo, & si plures res sint acquisitæ per eundem tutorem, non potest bonas acquisitiones sive rerum sive nominum acceptare, malis repudiatis, vel in aliquibus rem acquisitam cum fructibus, vel nomen cum usuris conventis eligere, in aliis verò pretium cum usuris legitimis petere: sed tenetur omnia (bona tamen fide, ut dixi) acquisita in totum acceptare, cum omni commodo & incommodo, vel in totum tutori relinquere, textus in *d. l. tutor qui, §. si tutor pecuniam, & in leg. cum quæritur, de administ. tutor.* Secus si constat quod tutor certam acquisitionem dolosè fecerit, vel in fraudem pupilli: quia tunc licebit hanc repudiare, & pretium cum usuris non solum legitimis, sed etiam centesimis petere, si tutor damno pupillum afficere voluit, manente nihilominus in reliquis acquisitis præfata electione. Quod enim pupillus omnia acquisita eligere vel omnia omittere compellitur, ex æquitate inductum est, ne tutor damno afficiatur: qua æquitate indignus est & privatur, quatenus ex dolo suo conveniri potest, argumento *l. si plures, in fin. de administrat. tutor.* Sed casu quo pupillus nolit rem acquisitam extantem, habet tamen eam pro pretio & usuris legitimis hypothecatorum, *l. 3. in princ. de reb. eor.* Si verò non subest certa res acquisita de pecunia pupilli, sed eam tutor aliter, bona fide, ut supra in usus suos convertit, puta creditoribus suis solvendo, vel negotia sua expediendo, vel etiam mercaturam exercendo, tunc cùm non sit quod eligatur, non adaptatur, sed cessat dispositio *d. l. si curator, d. l. si tutor*, & solùm supereat actio ad pecuniam & usuras legitimas, & procedit quod dixi tutorem bonæ fidei, si fortè superlucratus sit, non teneri de toto lucro calculum inire, sed solùm de usuris legitimis. Hæc est summa usurarum pupillarium de jure, quæ etiam in praxi obtinet, salvo ut quod de legitimis & communibus usuris dictum est, non sit hodie apud nos de semissibus, sed de quincuncibus intelligendum.

590. Et ut hæc quæ sunt quotidiana, sint exemplis illustriora, quæro: tutor debebat centum reditus redimibilis pro mille ducentis, redemit de pecunia pupilli bona fide, videlicet in rationibus pretium inter accepta referendo, cum esset pecunia pupilli otiosa, hoc est, cum nec pupillus egeret, nec ei necesse foret acquirere, prout regulariter non tenetur tutor acquirere. *Ant. l. C. de administrat. tutor.* An pupillus tutela finita petere possit pretium seu sortem, una cum reliquis medii temporis à dicta redemptione? Videtur quod sic absque dubio. Primo, quia potest petere pretium cum usuris, ergo cum illis quas prius solvebat tutor, & à quibus liberatus est de pecunia pupilli, de qua videretur alioqui locupletari cum jactura pupilli. Secundò, quia de bonis pupilli liberatus fuit à centum annuis, ergo videtur ea à pupillo accepisse, text. in *l. si quis obligatione, de reg. jur. l. quin etiam, de calumniatorib. l. si minister. de condict. caus. dat.* & accipere, vel liberari, paria sunt, etiamsi de implemento conditionis agatur, *l. si fundum. §.* Titio fundum, *l. de legat. 2. leg. Julianus. 1. de condit. & demonstrat.* ergo centum annua cum sorte debet restituere. Tertiò, quia hujusmodi redemptio ejusdem juris & rationis est, sicut emptio novi reditus: quia contractus & distractus ejusdem sunt naturæ, *leg. de tutela. C. de in integ. restitut. minore* Bart. *l. & quidam de condict. furt.* Sed si reditum de novo acquisivisset nomine suo de pecunia pupilli, posset pupillus petere non solum jus reditus sibi cedi, sed etiam reliqua omnia præteriti temporis etiam per tutorem exacta. Igitur si tutor redemit simpliciter nomine suo, id est simplici redemptione, non constituendo se debitorem similis reditus erga pupillum, tunc cum non subsit reditus, utpote resolutus & extinctus, debet reddere pretium quod loco reditus redempti subrogatur, & etiam reliqua præteriti temporis, qualia solvisset, & à quibus beneficio pecuniæ pupillaris liberatus fuit. In contrarium videtur, quia sequeretur quod major factus posset exigere reditum ad rationem duodecimæ, non solùm pro præterito, sed etiam pro futuro tempore, donec sors redderetur, & nihilominus quando vellet sortem cum reliquis exigere, quod est absurdum, imò impossibile, per prædicta supra, *quæst.* 27.

591. Adverte: hæc quæstio potest dupliciter proponi. Primò, utrum possit exigere præfata reliqua, & nihilominus sortem cùm volet cum reliquis usque ad tempus sortis redditæ? Et non videtur utrumque posse. An verò possit exigere reliqua præterita, & etiam continuationem in futurum, donec sors restituatur vel redimatur, abdicando potestatem compellendi ad restitutionem sortis? Et videtur hoc posse. Sed adhuc non est quæstio evacuata, remanet enim tertium membrum, an possit habere reliqua præterita præcisè pro tempore præterito quo duravit tutela tantum, & sortem exigere, absque eo quod deinceps currat reditus pro futuro tempore, inter finem tutelæ, & restitutionem sortis? Ad pleniorem solutionis plurium quæstionum elucidationem, formo duas quæstiones sequentes.

592. Prima est de emptione fundi, facta à tutore nomine proprio de pecunia pupilli, qui major factus elegit pretium cum usuris (ut potest) quantæ sint apud nos illæ usuræ? Videtur quod semisses secun-

Electio.

dum jus commune, quod non est correctum in centesimis pupillaribus, ut nuper dictum est : & sic non videtur correctum in reliquis legitimis pupillaribus usuris. Sed non sequitur, quia centesimæ illæ non habent locum nisi contra dolosum, qui dignus est ut egestate laboret, *l. bona fides depositi.* & adhuc judex debet arbitrari, ut diximus. Sed legitimæ veniunt etiam citra dolum, quinetiam citra culpam : ideò cum non sint nisi compensatio interusurii, non debent excedere communem æstimationem & metam interusurii, quæ est ad rationem quincuncis, ut suprà probavimus *num.* 557. Et sic concludo quòd hæ usuræ non debent hanc metam excedere, possunt autem & regulariter his casibus debent tanti æstimari. Ideo si tutor vili pretio emerit, ita quòd fructus excedant has usuras, hoc cedet lucro tutoris, sibique imputabit major factus, si maluerit modicam pecuniam cum his usuris, quàm uberiorem fundum cum amplioribus fructibus. Si vero tutor caro pretio emerit, ita quod usura excedat, nihilominus tenebitur præcisè pretium cum his usuris restituere, si pupillus vel adultus eligat, nec liberabitur tutor offerendo fundum cum fructibus à tempore contractus, quia non acquisivit nomine tutorio, sed proprio. Ideò sibi imputare debet, quod nullo modo potest cogere pupillum ad recipiendum fundum cum fructibus : & sic regulariter tutori vel curatori de pecunia minoris acquirenti utilius est nomine minoris acquirere quàm nomine proprio : quia si nomine proprio, nihil potius agit, quoniam nihilominus minoris erit electio *d. l. curator.* Sed si nomine minoris, tunc regulariter minor non habet electionem, sed tenetur acceptare acquisitionem & liberatur tutor vel curator reddendo rem acquisitam cum fructibus, etiamsi valor rei decreverit, dummodo acquisitio tempore suo rectè prudenterque facta fuerit pro minore, cui taliter expediebat emi. Tenebitur enim minor acceptare, non inspecto quod postea casu contigit, *l. vero §. secundum, de minor. l. sed an idem §. 1. de negot. gest.* quin etiam circa subsecutam nominis deteriorationem non tenetur tutor, nisi de lata culpa, *l. 2. C. arbit. tut.* Et prædicta nostra distinctio clarè probatur in textu rotundo, *l. si quis putans §. sive autem communi dividundo*, ubi si quis socius communi nomine fecit, non debet neque damnum neque lucrum sentire, scilicet solus, sed tantum pro parte societatis participare. Si verò non communi nomine, sed ut lucretur solus, tunc damnum ad eum solum spectat.

593. Secunda quæstio de emptione reditus ad rationem duodecimæ. Breviter idem quod in præcedenti : Si enim tutor nomine proprio emerit, habet pupillus præfatam electionem, & casu quo eligat, reditum habebit qualis est, benè vel malè collocatum, cum reliquis quæ tutor exegit, aut exigere debuit : cui sufficiet cedere actiones, ut nihil hoc casu lucretur nec amittat, nisi quatenus culpa sua, sive non exigendo, sive non intercedendo subhastationibus bonorum debitoris, aut aliàs nomen deterioratum esset, quæ culpa demum lata (*d. l. 2. C. arbit. tut.* venit in actione tutelæ. Quo vero casu quando pupillus eliget pretium, habebit illud cum usuris quincuncibus à tempore emptionis, non autem reliqua reditus, quoniam esset injustum, ex quo non approbat contractum, tum esset iniquum & usurarium, ex quo repetit & exigit sortem, per notata suprà *quæst.* 28. Et hoc casu siquidem tutor rectè collocavit pecuniam, lucrabitur superfluum reditus, etiam pro tempore præterito. Et sic si reditus sit centum annua, consequenter ad minus sors mille ducenta, & à tempore emptionis duret tutela decem annis, invenietur tutor tempore medio lucratus quadringenta, videlicet quadraginta singulis annis, quia sortis annuæ duodecima est centum, quincunx verò sexaginta, & sic in fine decennii tutor recepit aut habet in bono nomine mille pro reliquis, pro quibus non debet nisi sexcenta pupillo pro usura quincunce illius decennii, & sic dando pupillo mille octingenta, liberabitur à sorte & usuris pupillaribus; reditus verò cum suis reliquis ei cedet, & hoc est justum, nec potest justius decerni, nihil etiam habet pupillus quo conqueri possit, cùm eandem conditionem eligere potuerit. Si autem velit sortem habere, non potest majorem quincunce usuram exigere, etiam dumtaxat à tempore, quo tutor negotiatus est, & in usus convertit. Quòd si tutor malè collocaverit reditum, aut postea quocunque casu deterioratus sit, suum est periculum, nec potest eum reditum obtrudere pupillo, ex quo proprio nomine emit. Si verò nomine pupilli, tunc siquidem tempore contractus expediebat pupillo talem reditum emere, & tutor diligenter in acquisitione versatus est, nec ejus culpa, saltem lata, nomen deterioratum est, tenebitur major factus acceptare reditum qualis est, etiam deterioratum.

594. Ex his prior illa quæstio clarissimè dissoluta est, videlicet quando tutor de pecunia pupilli redemit reditum à se debitum (vide tria illa membra suprà *num.* 591.) Est enim clarum, quòd major factus non potest eligere primum, videlicet exigere sortem cum reliquis duodecimæ præteritis : hoc enim cederet in improbum fœnus, & hoc nisi fraus & dolus tutoris convinceretur, qui negotia pupilli urgentia reliquisset, ut sibi de pecunia pupilli negotiaretur, aut occultè subtrahere voluisset, quo casu centesimæ non tanquam usuræ, sed tanquam interesse vel reparationi damni à judice arbitrandi locus esse posset, ut dictum est. Æquè etiam clarum est quòd non potest eligere secundum, videlicet continuationem antiqui reditus, donec redimatur, quia extinctus est, nec fuit acquisitio reditus, sed luitio & suppressio : & sic non est locus *d. l. si curator. C. arbit. tutel. nec l. si ut proponis C. de rei vendi.* & similibus, quia nulla res acquisita fuit, sed mera luitio facta est. Faciunt quæ dicam infrà *quæst.* 87. de uno ex sociis reditum à se solo debitum de communi redimente. Solutio.

Nec etiam potest exigere tertium, quia saltem pro illo tempore præterito esset improbum fœnus, quod nullo tempore licitum est. Dicendum quòd tantùm potest sortem repetere cum usuris quincuncibus à tempore dictæ redemptionis, & superfluum lucratur tutor, qui malo more versatus non est, & satis lucratur pupillus, cui periculo tutoris omninò servatur congruum interusurium : nec debet totum lucrum auferre, cum ad eum non spectet periculum, ut etiam probat textus in *d. l. tutor qui, §. si tutor.* Et sic tota hæc quæstio evacuata est. Inter hæc scribendum occurrebat quæstio. An tutor in fundo de pecunia pupilli à consanguineo tutoris proprio nomine empto, sive jure proximitatis ab extraneo emptore retracto, possit pupillum eligentem fundum eodem jure proximitatis evincere vel excludere ? Et similis quæstio, si tutor fundum avitum sub facultate redimendi venditum, ea expirante, de pecunia pupilli sui redemerit ? Breviter veritas est quod sic, cum res esset ei oneri subjecta erga tutorem, & sic idem ac si tertius vel alius tutor eidem pupillo emisset, ad quem nonnisi cum onere suo transivisset : sunt enim apud nos hujusmodi actiones in rem scriptæ, ut dixi ad Alexand. *consil.* 10. *lib.* 1. Dixi etiam de his duabus novissimis quæstionibus in Consuetudine Parisiensi, §. 184. ubi latius. Et sic in his cessat æquitas & ratio dictæ electionis.

595. Utile tamen est quæstionem sequentem, utpote quotidianam, specialiter explicare. Decessit mercator relicto pupillo sub tutela fratris vel patrui mercatoris ejusdem professionis, qui tutela finita, reddit rationem de pecunia in hæreditate

inventa, ſuper qua ſumptus & alimenta pupilli deducit: dicit major factus quòd debet reddi ratio etiam de lucro mercaturæ pro rata dictæ pecuniæ, qua tutor interim uſus eſt, ſaltem ventimile eſt, quòd non tenuit eam multis annis otioſam. Quæritur an & quanta veniet uſura? Reſpondeo. Iſte caſus non ſpectat propriè ad uſuram, ſed rei perſecutionem, aut ad id quod caſualiter intereſt. Ratio, quia tutor iſte poterat de pecunia pupilli ad hoc deſtinata eandem paternam negotiationem continuare, & ad hoc tum ex qualitate pupilli, patris ejus & familiæ, tum ex qualitate tutoris, tum ex deſtinatione pecuniæ, rerumque hæreditariarum tenebatur exercitium illud mercatile non abrumpere, ſed continuare, aut per inſtitores ſecundum conſuetudinem talium mercatorum continuari curare: quod omittendo, ipſo facto moram commiſit, & in uſus ſuos convertendo dolum & fraudem perpetravit, unde tenetur in id quod intereſt, quæ eſt obligatio principalis & non acceſſoria: quia principaliter tenebatur hoc caſu nomine pupilli, ſeu ad ejus commodum negotiari. Meritò caſus iſte non ſpectat ad taxationem legitimæ uſuræ vel interuſurii, ſed ad æſtimationem ejus quod caſualiter intereſt, & principaliter debetur: quod cum in facto conſiſtat, id eſt, in circumſtantiis perſonarum, locorum, rerum & temporis cujuſque caſus ſubjecti, *l. quatenus, de reg. jur.* nulla certa taxatione vel regula definiri poteſt, ſed quantum in ſubjecta quaque hypotheſi vere intereſſit, ſubtiliter omnibus conſideratis, bonus judex perpendere & æſtimare debet, *l. unica C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt.*

596. Circa hoc laudat Baldus ſtatuta quorundam locorum, quòd detur decem in centum in anno, quia ſecundum uſum bonæ mercantiæ tale lucrum affertur, ſic ait in *l. fin. §. præterea, col. 2. C. de in. dot.* quod recidit ad rationem dextantis uſuræ, quæ nunquam fuit in jure permiſſa, etiam juſtis mercatoribus, niſi in trajectitia, quæ non eſt propriè uſura, ut ſuprà *quæſt.* 3. & ſic illa ſtatuta quæ laudat Baldus, erant iniqua & valdè exorbitantia: & tamen tempore Baldi antè & pòſt ita vulgò & ſecurè obſervabantur, non ſolum inter mercatores, ſed etiam promiſcuè. Hinc Ang. Peruſ. in *l. ſi ventri, §. in bonis, de privig. credit.* teſtatur, quòd tempore ſuo deponentes pecuniam apud Campſores, recipiebant decem pro centenario, quolibet anno, & quod erat deterius, non ſolùm ex pacto ſpeciali hoc tolerabatur, ſed etiam citra pactum ex ſimplici mora generali ſtatuto inducebatur in omni debitore, tantique intereſſe fingebatur, ut refert & comprobat Alber. *1. par. ſtat. quæſt.* 115. & latius in *l. 1. col. pen. C. de ſum. Trin.* ubi loquitur de ſtatutis Bergomenſibus, quæ quò generaliora, eò abſurdiora, ut dixi ſuprà *num.* 501. & nunc ex prædictis conſtat prorſus iniqua eſſe & non toleranda. Cæterum quanquam ex circumſtantiis caſus particularis poſſit quandoque nedum uſque ad dextantem, ſed etiam uſque ad centeſimam æſtimari, ut ſuprà *num* 581. tamen hoc rarius eſt, quàm ut rationabiliter poſſit ad formam ordinariæ taxationis produci: & ſi produceretur, non deberet excedere beſſes legales inter mercatores & negotiatores, nec ſemiſes inter alios. Quod enim in conſequentiam trahitur, & in taxationem ordinariam, magis habet vicem interuſurii & legitimæ uſuræ, quàm intereſſe caſualis, in quo probatio & æſtimatio particularis requiritur: unde probabilius & æquius eſt quod Corn. conſ. allegatis ſupra *num.* 495. refert Peruſi. & Tuderti, ex communi ſtatuto æſtimari inter mercatores ad rationem octo vel ſeptem in centum in anno.

597. Et ſic vides quod duritiei illa barbaricæ promiſcui dextantis, quæ jure civili in tumulo ignorantiæ à cladibus Gothicis ſepulto, uſque adeo vigebat, ut probabilis & æqua videretur etiam Doctoribus, ſed juris ignoti profeſſoribus eo ſæculo, in quo floruerunt Albert. Bal. Ange. & Synchroni. ſenſim tandem evanuerit & miteſcere cœpit, ipſiſque rerum experimentis juriſque notitia creſcente, iniqua & toleranda apparuit, ut poſteriori ſæculo (nunc centum anni ſunt) non toleraretur, niſi inter mercatores, & infra rationem beſſium. Et memini ante multos annos in hoc Senatu in quadam particulari cauſa taxatum & æſtimatum mercatori hujuſmodi intereſſe ad rationem ſeptem in centum in anno, quod circiter ad rationem unius in quindecim recidit. Sed hoc non poteſt eſſe perpetuum, cùm ſemper alia negotiatio ſit alia fructuoſior, imò eadem ſæpè pro tempore varietur, in una præponderat induſtria pecuniæ, in alia è converſo, alio tempore major eſt pecunia fidelium inſtitorum, major alea, cui res pupilli non debent temerè committi, quæ omnia in hoc intereſſe & adjudicando & taxando conſiderari debent, deducto ſemper ſalario inſtitorum. Quare in iſtis bonis judex non poteſt conſultius verſari, quàm omnibus totius negotii circumſtantiis exactè perpenſis, bonos inſuper, fidos & expertos ejuſdem profeſſionis negotiatores ſuper veritate, conſuetudine & quantitate hujuſmodi intereſſe conſulere. Quoties ergo tutor poterat & tenebatur pupillo negotiari, & non fecit, & tantò magis ſi etiam per fraudem in uſus ſuos convertit, tenetur in totum quod intereſt, ut etiamſi ſolvendo non ſit, extra ordinem coërceri poſſit, *l. ob fœnus de admin. tut.* & ſic hoc non ſpectat ad materiam uſurariam, in qua de ſimplici promiſcuo interuſurio agitur.

QUÆSTIO LXXVII.

SYNOPSIS.

1. *Differentia inter fœnus negotiativum, & incidens.*
2. *Vſurarum uſuræ toto jure vetitæ.*
3. *Sublatus omnino anatociſmus.*
4. *Vſuras debet tutor ad diem reſtitutæ tutelæ.*

598. SEptuageſimo quæro, Quid ſi tutela & cura ultra 20. annos duraverit, cùm initio tutor partem pecuniæ pupillaris in uſus ſuos citra fraudem convertiſſet, & forſan adhuc diu differt reſtituere tutelam? An præfatæ uſuræ pupillares ſemper currere pergant ultra duplum? Videtur quòd ſic, donec tutela reſtituta ſit, *l. tutor qui in fin l. Lucius §. quæſitum, de adminiſt. tut.* vel donec ſeriò obtulerit, & per eum non ſteterit, *l. fin. Cod. de uſur. pupil.* ſuprà *quæſt.* 39. *num.* 298. Non obſtat *l. ſi non ſortem §.* ſuprà *duplum, ff. de condic. indeb. conſtit.* 121. *in novel.* ut ſuprà *num.* 46. quia diſputando dici poteſt, primò, quòd loquuntur in fœnore negotiativo, & principaliter intento, ut clarè, *d. novell.* ſecus in fœnore incidenti, quòd videtur magis ſimplex punitio moræ, quàm negotiatio fœneratoria: quantò verò mora plus durat, tantò punitior eſt: Præterea maius eſt odium, & major ratio cohibendæ avaritiæ in fœnore negotiativo, quam in incidenti, ut ſuprà *num.* 56. & ſic limitatio illa dupli introducta in negotiativo, non debet extendi ad incidens ob moram. Nec obſtat ſi fortè dicatur, quod tutor non clam nec fraudulenter accepit pecuniam, ſed in libro rationum ſibi mutuum adſcripſit ſub uſuris legitimis: & ſic quod videtur pupillus ipſe mu-

tuasse, & fœnorasse, *l. quoties §. non tantum de administ. tutor.* quia responderur quòd tutor non censetur adscripsisse, nisi prout de jure tacitè inest. Hinc etiam si pluries hoc fecerit, non dicetur pupillus fœnerator, nec solitus fœnerari : cum etiam omisso contractu, sufficiat ei judicium tutelæ ex quasi contractu & mora irregulari. Secundò ad dicta jura de duplo respondetur quòd loquuntur in eo, qui potest agere & debitum exigere, & sic non habent locum in pupillo vel agente sub tutela vel curatela. Sed advertendum quòd prima solutio de differentia inter fœnus negotiativum & incidens non procedit hic : quia licet *d. novella.* 121. loquatur in mutuante ad usuram, tamen erat contingentia facti, super quo supplicabatur : decisio verò generalis est, & fundatur in ratione generali & universali, quod leges nihil ultra duplum solvi velint : & loquitur de legibus usurariis, quæ non sunt differenter, sed uniformiter latæ : sive usura debeatur ex pacto ad hoc intento, sive præter pactum propter moram. Nec jura solent facere hanc distetentiam inter fœnus negotiativum & incidens, sed verbum (*usura*) in jure æquè propriè utroque casu intelligitur : & sic de utroque intelliguntur & prædicantur leges usurariæ : tum *d. l. si non sortem*, generaliter & absolutè negat usuras deberi supra duplum : ergo generaliter intelligitur. Quod autem ibi subdit de stipulatione non est restrictio, sed ampliatio etiam stipulatione interposita, quæ non solum in negotiativo fœnore, sed etiam in incidenti, puta super usuris ex futura mora debendis interponi potest : & tamen textus absolutè negat valere ultra duplum, & hæc est veritas. Secunda etiam solutio peccat, quia diligentia hic non prodest : non solùm enim debitæ, sed etiam exactæ usuræ duplo imputantur. Et ideo licet pupillus per se agere & exigere non possit, non prodest : quia sufficit quòd non sit deterioris, sed æquè bonæ conditionis, ac si exegisset. Hæc autem limitatio dupli non est sancita in personam, nec contra negligentem, nec in pœnam negligentiæ, sed in rem, & in ipsum cursum usurarum, ut non possint ultrà currere, quamprimum sortem æquaverint, sed ex tunc sint deinceps penitus indebitæ. Nullus autem favor, nullum privilegium est, pupillis ad indebitum præsertim lucrum, & contra leges consequendum.

599. Quibus non obstantibus, dico quòd currunt absque dicta limitatione dupli, quandiu tutela, cura vel similis administratio durat, & contra ipsum administratorem dumtaxat. Ratio, quia debuit à semetipso exigere, *l. atqui natura §. 1. l. qui sine, de negot. gestis, l. quoties §. item si temporali, de administrat. tut.* Quamprimum igitur usura sortem æquavit, quod fuit in hac sexdecim annorum & octo mensium, secundùm jus scriptum, & in fine vicesimi anni, à tempore quo currere cœpit, secundùm præfatam moderationem nostram, debuit & obligatus fuit tutor vel gestor à seipso sortem cum usuris exigere, & in æs & patrimonium pupilli vel minoris referre, relatumque alii, si res & occasio ferebat, fœnerare. Quod cum non solùm non fecerit, sed adhuc usus fuerit, non censetur intervertisse, sed rursus de novo sibi creditam pecuniam adscripsisse, sibique potius quam alii fœnerare voluisse, argumento *d. l. quoties, §. non tantùm.* Itaque pergit eadem usura, non tanquam ex veteri, sed tanquam ex novo mutuo. Est enim juris intellectu novum mutuum, cùm non teneretur tutor ea pecunia uti volens, sibi in mutuum sub usuris legitimis imputare : qui quidem intellectus pro novo vero mutuo habetur contra tutorem, qui ad hunc juris intellectum videlicet ad exigendum à seipso, vel si potiò uti malit, ad fœnori sub legitimis usuris accipiendum tenetur. Sed hic emergit duplex quæstio.

600. Prima, an hæc nova usura currat non solùm pro sorte veteri, sed etiam pro illius usuris, & sic deinceps duplex major tanquam pro sorte duplata ? Videtur quod sic, quia priores usuras exigere debuit : quod cum non solùm non fecerit, sed etiam usibus suis retinuerit, usuras eum agnoscere oportet, inquit textus in *l. tutor qui, §. si quis ac administ. tut.* Quoniam priores illæ usuræ, quæ debuerunt exigi, eo ipso quod non sunt exactæ, nec in usus pupilli conversæ, sed usibus tutoris retentæ, efficiuntur illi sors, textus in *l. qui negotiationem, §. ex duobus. in fin. eod. tit. l. uxori usufructu, de usufruct. legat.* Item si eo tempore, quo usura sortem primùm æquavit, alius tutor subrogatus fuisset, qui pecuniam & usuras exegisset, & in usus suos convertisset, totius summæ tanquam unicæ sortis usuras deberet. text. in *d. §. ex duobus.* Igitur idem si ille tutor in curatorem ex ipso quòd administrationem continuavit, & semper tam sortem, quam usuras in usus suos, & non in usus pupilli convertit. Item videtur *text.* in terminis in *d. l. qui negotiationem §. finali de admin. tutor.* cùm ad curatores transferuntur. Non enim exprimit, quòd aliæ personæ in curatores subrogentur, sed simpliciter loquitur : & sic intelligi potest etiam si iidem tutores post puberratem curatores efficiantur, & tanquam tales in administratione remaneant. Et sic est ibi casus rotundus pro hac parte, non solùm si prior usura tunc cùm curatores fiunt, sortem æquaverit, sed etiam si nondum æquaret, quia text. non distinguit. Quibus non obstantibus, contrarium puto quòd tantùm currat eadem prior usura pro rata sortis primum in usus tutoris conversæ, non autem pro rata usurarum ejus.

601. Et moveor primò, quia longè per se odiosius est usurarum usuras propagari, quam unam & eandem usuram continuari ultra duplum. Et primum nunquam fuit in jure ullo casu permissum, sed benè secundum certis casibus, ut in *l. usuræ & in l. pen. in fin. Cod. de usur.* Unde licet aliquando (ut in hac hypothesi) subsit causa, ut currere pergant ultra duplum, non tamen ut usurarum usuræ nova subinde superfœtatione multiplicentur & multiplicent. Secundò, quòd aliàs duplo specialia simul contra regulas juris concurrerent, videlicet quòd simul & usura usuræ, & etiam ultra duplum curreret, quod esse non debet, *l. 1. Cod. de dot. prom ffione* not. in *l. singularia si cert. petat.* Non obstat, si dicas quòd ratio decisiva hujus principalis quæstionis utrumque speciale excludit : quia benè sequitur, forte æquata censetur idem tutor usibus suis retinens, rursus sibi in mutuum sub usuris legitimis adscribere tam sortem quam usuras, quas à se exigere tenebatur : ergo totum est sors, & nova sors, & sic neque usura usuræ, neque duplum excedi videtur. Quoniam licet hoc argumentum tempore digest. colorem forsan habere potuisset, tamen jure Codicis, nullum prorsus colorem habere potest : quoniam Justinianus *l. fin. Cod. de usur.* omnem prorsus anatocismum sustulit, ut suprà *num.* 43, ut nullo modo (pondero universalia negativa) induci possit. Quod ergo tutor & pupillus communi expresso consensu, etiam contutorum authoritate facere non possent, multò minus tacitè induci potest. Quinimo nec jure quidem digest. cavetur, quòd eidem tutori vel gestori usura pupillaris pecuniæ in suos usus conversæ efficiatur sors : & sic etiam odiosissimum sit, induci non debet. Non obstat, d. §. *item si temporali.* ibi. *Et generaliter quod adversus alium præstare debuit pupillo suo, id adversus se quoque præstare debet, sortassis & plus* quoniam ille textus non loquitur, nisi de conservatione juris vel affectionis principalis, meritò jurisconsultus ibi *versi. & plus* : animosius loquitur, quod non debet produci ad usuras, & ubi pupillus certat de non conservando jure acquisito, sed de lucro usurario, eoque multiplicando. Non obstat *d. l. qui negotiationem, §. ex duobus, & §. fin.* quia ibi expressim loquitur, quando fit mutatio personæ, in quam realiter de novo transfertur tota summa cum usuris, & sic realiter totum est sors. Et sic concludo quòd quamvis ex eo,

quòd tutor retinere pergit in usus suos, sit justa causa, ut semper currere pergat usura, etiam supra duplum, ne contingat quod idem tutor deinceps sibi soli, & non pupillo de ejus pecunia negotietur, quod esset absurdum & iniquum, nec aliter legislator, dum vetuit duplum excedi, verisimiliter respondisset in hoc casu, si interrogatus fuisset, ut ipsa rei æquitas ostendit. Et sic pro expresso vel excepto habetur, *l. tale pactum, §. fin. de pact. quottes, de reb. dub.* tamen non est sufficiens ratio ut usurarum usuræ currant, nec ut usura augeatur intensivè, sed bene extensivè dumtaxat.

602. Secunda emergens quæstio, an istud quòd simplex prior usura currere pergat etiam ultra duplum, locum habeat non solùm durante administratione, sed etiam eâ finita, donec rationes reddantur, vel seriò offerantur? Videretur quod sic per text. in *d. l. tutor qui, in fin.* ubi dicitur etiam post officium finitum usuras deberi in diem, qua tutelam restituit. text. in *l. 1. in fin. de usur. l. Lucius. §. quæsitum. de administ. tutor. l. fin. C. de usur. pupill.* Breviter dico quòd habet locum solùm durante administratione, non autem post eam finitam: ita tamen ut in duplo futuri temporis nullo modo computentur usuræ præteritæ administrationis, sed stent seorsum, tanquam quædam sors separata, quæ non potest converti in sortem usurariam & fructiferam, respectu ipsius ejusdem tutoris & debitoris, sed benè respectu alterius novi debitoris, si ea summa realiter ad eum transeat. Et sic responsum nostrum habet duo capita, primum probo, quia cessante causa limitationis cessare debet limitatio: sed tota & punctualis ratio excludendi constitutionem dupli in tutore vel curatore est, quia non solùm est debitor, sed etiam concurrunt duo alia: primum, quòd tenetur à se exigere, secundò, quòd tenetur exactum in usus pupilli impendere, aut saltem non solùm sibi, sed etiam illi de pecunia ejus negotiari, quoniam etiam ubi permittitur de bona fide sibi negotiari vel in usus suos convertere, non est permissum, nisi cum onere & pensatione legitimarum usurarum. Quamdiu igitur

Quæst. 2.

talis administrator in usus suos retinet, necesse est currere legitimâ usurâ sine aliqua limitatione dupli. Quę duo & tota hęc ratio cessant in extraneo debitore: qui nec tenetur à se exigere, & multò minus creditori negotiari de pecunia ei debita, & in isto loquitur constitutio dupli. Et sic non extenditur ad tutorem administrantem, quamprimum autem desiit administrare, incipit esse sicut tertius debitor, & cessant illa duo: & sic locum habere incipit ratio & dispositio constitutionis dupli. Eadem ratione probatur secundum caput, quia ex quo nunc primum locum habere incipit constitutio, non respicit nisi futurum tempus: & sic in duplo futuro non computabuntur usuræ temporis præteritæ administrationis, licet pro illis usuris nullum incrementum, nullam usuram ab eodem debitore vel ejus hęrede, aut causam habente stipulari liceat, etiam novatione interposita, aut quocunque alio propter omnimodam prohibitionem τῶ ἀνατοκισμοῦ, in *dict. l. fin.* Probatur etiam secundum caput, videlicet quod etiamsi tutela & cura duravit viginti quinque annis, & sic interim etiam supra duplum cucurrit usura pro mille, quæ initio tutor in usus suos convertit & retinuit, ita quòd nunc secundum moderationem nostram, quæ sequenda est, ultra mille sortis debentur mille ducenta quinquaginta pro usuris seu interusurio 25. annorum: deinceps quandiu nuper tutor differt tutelam restituere, saltem dictam summam reddere, etiam non interpellatus, nisi seriâ & continuatâ oblatione moram purgaverit, secundùm notata suprà *quæst. 39. num. 298.* perseverabit cursus antiquæ usuræ videlicet 50. annuorum pro dictis mille, veteri sorte, donec restituta sit, vel rursus æquetur, non ultra: sed nulla usura accedet pro dictis 250. usurarum. Quod si administratio non duraverit nisi 15. annis, aut aliàs, idem dicendum, ut usuræ præteritæ stent tanquam sors separata, cui usura accedere non potest: nec computantur in duplum, sed quantum ad duplum inspiciatur futurum tempus dumtaxat. Et idem in terminis juris, si quis juxta semisses legales computationem inire velit.

QUÆSTIO LXXVIII.

SYNOPSIS.

1. *Venditori nullatenus permissum modum usurarum legitimum excedere, quamvis fructiferum fundum tradiderit.*

2. *Venditor potest rei venditæ simplicem possessionem, & fruitionem emptori locare ad diem solutæ pecuniæ.*

603. SEptuagesimo-octavò quæro, quid in venditore, qui fide habita de pretio fundum tradidit, cui currunt usuræ, ut suprà *num. 436.* an subsint præfatæ limitationi dupli? Videtur quod sic. Primò, quia habet locum etiam in fœnore incidenti, ut in *quæst. præced. in princip.* Secundò, quia cessat prædicta causa exceptionis, *de qua in quæst. præced.* & sic fit matur hæc regula. Tertiò, etiam in usuris debitis venditori, qui fundum fructiferum tradidit, non licet legitimum modum & metam excedere. *l. Iulianus. §. idem Papinianus de action. empti.* sed limitatio dupli est de legitimo modo & meta civili: ut suprà *quæst. 4.* Quartò, quia imputandum est venditori, vel ejus hæredi, quòd tamdiu neglexit exigere: unde non debent ei currere usuræ, saltem postquàm semel sortem æquaverint, ut post viginti annos secundùm moderationem nostram. Et hoc indubitatum videtur, præsertim odio usurarum & favore liberationis. Quintò, quia secundum usus nostros non admittimus etiam venditori usuram currere ex sola mora irregulari, sine interpellatione, ut suprà *num. 549.* & sic apud nos odiosior est negligentia non exigentis. Breviter dicendum separandam esse rationem fructuum à mera seu lucratoria usura. Fructus enim qui ex re gratiosè tradita realiter ad emptorem (nisi per eum stet) perveniunt, non cadunt propriè sub usura, sed sub causa rei, & rei persecutione. Unde horum respectu non habet locum limitatio dupli, sed quatenus usura fructus excedit, vel in totum, si res non sit fructilis, nec locari soleat, habet locum limitatio dupli. Et moveor, quia hæc limitatio nunquam fuit introducta, nisi in vero fœneratore, ut patet in *d. Novel. 121.* & licet produci possit & debeat etiam ad fœnus incidens, tamen hoc intelligitur, quando non subest alia justa causa cui compensetur vel adæquetur usura, quam simplex interusurium pecuniæ, vel rei fungibilis debitæ, ita quod non potest exigi, nisi ob usum & dilationem pecuniæ largè sumptæ dumtaxat: & tunc in jure dicitur propriè usura, licet non orta obligatio à mutuo, sed quacunque causa. Secus, ubi apparet de alia justa causa, ut in emptore qui recepit fundum fructilem, & non solvit pretium: hic enim retinet pretium & ejus usum, & ultra habet fundum & ejus

fructus. Certum est autem, quod interim venditor sicut fundum vel ejus etiàm simplicem possessionem & fruitionem locare potest emptori donec solvat, *l. sicut emptio, ff. locati.* ita potest stipulari fructus impensis deductis, eorumve æstimationem quanticunque sint pro rata pretii, & donec solvatur, nec ea stipulatio subest moderationi cursus usurarum, de qua in *l. eos. C. de usuris.* & sic nec limitationi dupli: quia etiam post viginti annos eadem & tam justa causa subest locandi, vel locationem fruitionis fundi continuandi, donec solvatur, sicut ab initio. Præterea ut diximus suprà, *num.* 543. etiam citra interpellationem & veram moram currunt etiam hodie usuræ venditori, usque ad concurrentiam fructuum fundi traditi, quanquam cessante omni mora, vel dilatione data aliud sit, nisi venditor sibi caverit, quod potest, usque ad concurrentiam fructuum, absque eo quod ea provisio legibus usurariis subsit: & sic non obstant allegata in contrarium. Quod si fundus nullos fructus ferat, non præstabitur usura, nisi ob solam dilationem & interusurium pretii debiti, & sic erit vera & mera usura: & sicut non potest excedere legitimum interusurium in sui cursu, ita non potest excedere duplum, cui simplum inest in cumulo totius. Idem si fundus erat fertilissimus, sed chasmate perierit, vel sine culpa emptoris, ut puta inundatione, aut vicinia ferarum, sylvæ, tyranni, desiit reditum adferre, tunc cessabit ratio compensationis fructuum, nec remanebit nisi vera & mera usura pretii, legibus usurariis subjecta.

605. Quid ergo, si fundus ferat fructus, quos usura nostra quincunx (ut assolet) excedit, an in computatione dupli solùm quod excedit computetur? Breviter respondeo quod etiam fructus in duplo computabuntur, non ad extinguendam vel minuendam rationem compensationis verorum fructuum, sed ad extinguendam vel minuendam reliquam usuram simplicis interusurii pecuniæ dumtaxat. Unde si fundus ferens centum, vænit tribus millibus, & sic tota usura est 150. si fortè contigerit emptorem frui, nec solvisse per viginti annos, illis lapsis, nulla amplius curret usura pro solo interusurio pretii: poterunt tamen exigi centum, si fundus semper tantundem ferat, vel usque ad rationem fructuum, donec solvatur. Quid si idem fundus vænierit pro bis mille, & sic vera usura non excedat fructus? Tunc quandiu eos non excedit, non subjacebit legibus usurariis: & multò magis si fundus gratiosè vænierit viliori pretio. Idem in permutatione & similibus. Et quod dixi de fructibus fundi, limitandum, nisi quatenus singulari industria emptoris multum aucti sint: quia earenus non imputantur in fructus fundi ipsi emptori & sui respectu venditoris, argumento *leg. fin.* & ibi Bald. Salyc. *C. de alluvio*, Ioan. de Pla. in *l. fin. de omni agro deserto, l. 11. C.* sed solùm tempore contractus inspecto, & communiter, & sic quod in residuo pendetur venditori ob dilationem pretii, cedet meræ usuræ, etiamsi non excedat fructus fundi auctos singulari industria, vel sumptu emptoris.

QUÆSTIO LXXIX.

SYNOPSIS.

1. *Quid interusurium.*
2. *Improbata negotiatio fœneratoria.*
3. *Quid sit quintadecima.*
4. *Legitima societas.*

605. SEptuagesimo-nonò quæro, si fundi venditor sit justus mercator, an re tradita pretio non recepto, stipulari possit interusurium ultra rationem vicesimæ, non data magna dilatione pretii, vel ultra semissem legalem usque ad besses, data dilatione decennali? Videtur quòd sic: quia istud interusurium est vera usura, nec differt à legali, nisi in leviori quantitate, in aliis autem se habet sicut usura legalis: unde non currit nisi pro rata temporis & sortis, nec ultra duplum, ut in præcedentibus. Vnde sicut in jure interusurium justi mercatoris excedit interusurium commune tertia parte seu proportione sesquitertia, ut patet in *Abaco*, ita eadem proportione hic dicendum videtur. Et sic si licet non negotianti communiter stipulari ad rationem vicesimæ, licebit justo negotiatori stipulari ad rationẽ quintædecimæ, detracta scilicet quarta parte temporis: quemadmodum semis fit bes detracta, seu accelerata quarta parte temporis. Secundò, in eo qui mercaturam profitetur, quam in homine diversæ professionis, argumento *leg. nobiliores. C. de commerc. & mercat. l. b.* 12 *& negotiatores ne militent.* Tertiò, quia istud interusurium nihil aliud est quàm æquabilis compensatio ejus quod promiscuè & successivè interest ob carentiam usus pecuniæ, ut suprà *num.* 497. Sed mercatorum & negotiatorum longè magis & intensivè & extensivè promiscuè interest, quàm aliorum hominum communiter, ut notum est. Igitur major debet esse interusurii ratio in mercatore quàm in aliis: aliàs non videretur æquabiliter æstimari, sed uniformis æqualitas valdè inæqualis esset. Quibus non obstantibus, puto nec justo quidem mercatori concedendum, in ratione simplicis interusurii congruum modum nostrum excedere. Et moveor primò, quia promiscuum interusurium de quo agitur, non debet æstimari ex singulari utilitate certi hominis, vel hominum certæ professionis, sed communiter, unde suprà *num.* 537. æstimandum censuimus secundùm utilitatem quæ communiter haberi posset ex reditibus prædiorum, si in ea collocata esset pecunia, de cujus interusurio agitur: qua æstimatione nulla potest esse naturalior, nulla justior. Sed ea pariter respicit mercatores, & omnes sive negotiantes, sive non: igitur ob qualitatem personarum non decet variare æstimationem simplicis communis & promiscui interusurii. Secundò, quia quod communiter utile est, præferendum est ei quod quibusdam: sed unam communem & uniformem esse rationem interusurii utilius est in communi, & ad amputandas occasiones & prætextus fraudum aptius, quàm difformiter ex utilitate quorumdam variari. Tertiò, quia præcipuus finis inventionis & tolerantiæ hujus usuræ, sive compensationis successivi interusurii est, ut sit parabilis, & quamcommodissimus haberi possit usus æris alieni, ut sup. *num.* 526. cujus necessitas omnes communiter respicit: igitur communiter metiri & æstimari debet. Et licet hic usus æris alieni non sit omnibus æqualiter sive æquè frequenter necessarius, non proinde sequitur variandam æstimationem, ex quo communiter omnibus, vel æquè frequenter esse potest necessarius. Quemadmodum rerum prometcalium promiscuè necessariarum utilius est & rationabilius commune esse pretium, quàm ex qualitate personarum variari: licet alii plus, alii minus indigeant, & alii carius aliis emere possint.

606. Quartò, quia taxatio usuræ vel interusurii magis debitorum quàm creditorum gratiâ fit: & sic

ad

ad hoc, id quod communiter debitoribus seu indigentibus utilius est, magis attendi & eligi debet, quàm quod creditoribus: sed respectu debitorum ratio suadet æqualem & uniformem esse rationem interusurii. Quid enim ad debitorem, sive creditor mercator, sit sive non, an negotietur vel non? Nihil enim hoc confert debitori, nec usus pecuniæ interim illi ob id utilior aut levior esse poterit, prout nec ob quamlibet aliam qualitatem creditoris, videlicet an dives sit, vel non, dignitate fulgens vel privatus, doctus an indoctus. Si igitur quod ex parte & è re debitorum est, magis hîc attendi debet, sequitur uniformem esse debere hanc rationem, nec augendam ex eo quod contingit creditorem negotiari, & plus interim lucri amittere. Quartò, quia aut mercator paciscitur de interusurio tanquam quilibet, puta extra causam negotiationis suæ, ut ob venditionem vel compensationem fundi, dotis aut aliàs, & non debet excedere communem rationem interusurii, eò quòd mercator, cum extra causam mercaturæ & tanquam quilibet contrahat, & sic debet uti jure communi. Faciunt notata per Bald. & Salyc. *l. fin. C. ad Maced.* & quæ dixi in *Consuet. Paris.* §. 114. aut vero tanquam mercator & in re mercatili, puta cum merces vendit, & dilationem dat pretii: & tunc adhuc secundum nos minus debet excedere communem taxationem: imò mercatori non tantum in his apud nos, sed minus tribuitur licentiæ, tum propter promiscuam necessitatem mercium, tum ad amputandam materiam fraudum increbrescentium, & alias rationes de quibus, ut supra *quæst.* 23. & *num.* 542. tum quia negotiatio & industria mercatoris, opificis, vel negotiatoris, non versatur in pecunia exercenda, nec in fœneratione, sive principali, sive incidenti, sed in industria & in mercibus. Igitur non debet negotiari de simplici pecunia, vel usu pecuniæ: quinimò negotiatio fœneratoria, si sola sit, reprobatur non solum à Philosophis, ut suprà *num.* 2. & 441. sed etiam à Legislatore & à jure civili, ut in Novell. constitut. 110. de *nautic. usur.* ubi quædam præcedens constitutio etiam in articulo bestium reprobatur, eò quòd concessa erat solam fœneratoriam exercentibus, ut plenius diximus supra *num.* 58. quia fœneratio non est de jure justa negotiatio, cum sit potius quædam tolerantia, quæ non debet in tantam consequentiam trahi. Liceat igitur mercatori ex justa sua negotiatione secundum eius qualitatem negotiari, sed in sola pecunia (cum non amplius hoc faciat tanquam justus mercator, sed tanquam quilibet) non est iustum nec decens, nec Reipublicæ utile, plus ei licere quàm alii cuilibet. Sextò, quia aliàs aliqui negotiationem vel mercaturam solo nomine fingere possent, qui tantum meram fœneratitiam, aut pro majori parte exercerent: alii verò de facili fraudem facerent de persona ad personam, interposito quolibet vel vilissimo mercatore, qui nomen suum quibusliber accommodaret: & sic promptum esset legitimum modum usuræ sive interusurii fraudare & excedere. Igitur vel fraudum omnium vitandarum gratiâ justum & æquum est, taxationem communem interusurii ad omnes extendi, faciunt notata in *Consuetudine Parisiensi*, §. 13. *gloss.* 3. *num.* 9.

608. Non obstat primum, quia proportio & modus *dictæ leg. Eos.* quanquam tempore Justiniani (ut solebant creditores faciles esse, non acerbi) ut suprà *numero octogesimo secundo* cum sequentibus, summam tunc rationem habuerit: tamen sensim exolevit, & meritò propter nimiam incommoditatem debitorum, ex eo quod increbrescente barbarie & malitia, cœperunt creditores bonis legibus passim abuti, insidiando fortunis debitorum, ut sæpè diximus, & tandem invaluit mitior & commodior usus fœnoris. Unde quamvis quandoque liceat à veteribus usuris ad nostras arguere, ut suprà *quæst.* 73. hoc est verum, ubi datur eadem ratio & æquitas, nec agitur de fœnore ampliando, sed restringendo: secùs si agatur de usura augenda, ut hic: tunc enim non licet arguere à dictis legibus, quoniam correctæ sunt, & exoleverunt. Porrò, licet Justiniano non malè tempore suo visum fuerit majores communibus usuras justis mercatoribus concedere, tamen hodie multò majoribus & gravioribus prædictis rationibus apparet, & nobis videtur non concedendum. Non obstat quod visum est Baldo suprà *num.* 527. tempore suo justum ad rationem dextantis, quia ex ignorantia juris fuit, ut suprà *num.* 527. Testatur autem Columella *de re rustica*, quod agricultura erat quæstuosior mercaturâ: unde non est mirum, si tunc moderatio legalis erat mercatoribus commoda, & sic toti Reipublicæ, quia merces viliùs emebantur: postquam autem per abusum irrepsit improbum fœnus, ut supra *num.* 506. necesse est merces carius vendi, aut vitiari, ut mercatores superlucrentur: ut autem abusus abusum trahit, ita moderatio aliam moderationem inducet. Non obstat secundum, quia fœnus & quæcunque usura non debet inter justas negotiationes vel artes numerari, ut dictum est. Ad tertium respondetur primò, quod interusurio taxando magis attendi debet utilitas & sublevatio debitorum, quàm creditorum: sed debitoribus non est utilior pecunia mercatoris, quam cujuslibet: & sic æqualitas interusurii promiscui debet metiri magis ex parte debitorum quam creditorum, consequenter uniformis esse debet, quantù ad summam metâ, quam excedere non liceat. Respondetur secundò, quod aut interesse mercatorũ consideratur, dum negotiantur, & in his quæ sunt justæ negotiationis suæ, & justè eorum pluris quàm cæterorum interest: sed hoc nihil habet commune cum negotio usurario etiam incidenti. Aut verò consideratur, dum & quatenus sola pecunia sine industria & alio sumptu & labore negotiantur: & tunc non est considerabile, quod pluris eorum quam aliorum intersit, nec debet eis sola pecunia tantum parere & valere, quantum juncta cum industria & periculo, & exercitio negotiationis suæ: imò hoc esset injustum & Reipublicæ pernicioſum, ut latè suprà docuimus *num.* 504. *cum sequent.* Et sic nulla bona ratio patitur, sed plurimæ obstant quominùs mercatori liceat communem congrui interusurii rationem in usuris pecuniarum excedere, alioquin vide quorsum res evaderet? sequeretur enim quòd si communiter interusurium æstimaretur ad rationem vicesimæ: quòd mercatoribus debet communiter adjudicari ad rationem quintædecimæ, licet sortem, quando vellent, exigere possent, quod esset absurdissimum & injustissimum: quoniam quintadecima non est nisi medium & æquabile justum pretium interusurii pecuniæ perpetuò sub libera & perpetua facultate luendi alienatæ, etiam à mercatore ostendimus, suprà *quæstione quinta, numero centesimo vigesimo sexto, & quæstione trigesima quinta, numero ducentesimo sexagesimo nono.*

609. Sed inter sortem perpetuò alienatam, & nullo modo alienatam, nulla est proportio, sed plusquam diametralis distantia. Et sic si quintadecima non est nisi justum commune pretium interusurii sortis perpetuò alienatæ, non potest non esse nimis excessivum sortis non alienatæ. Et alioquin sequeretur quòd ut in mercatore quintadecima esset justum interusurium sortis nullo modo alienatæ, sed ad libitum exigibilis, ita in eodem, sorte ad longum tempus, puta ad decem annos alienata, justum interusurium esset duodecima, imò gravior undecima, & fere dextans usura, & ad minimum non minor dextante, nisi dodrante unius inte-

gri vel minimi, ut patet rectè calculanti, ut supra in *Abaco*. Et rursus quod forte perpetuò sub libera luendi facultate alienata, sicut quilibet potest stipulari ad rationem duodecimæ, ita posset mercator stipulari ad rationem octavæ: ut enim se habent octo ad sex, videlicet proportione sesquitertia, ita se habet bessis usura ad semissem: & pariter ut se habet bessis ad semissem, ita se habet octava sortis annua ad duodecimam sortis annuam, ut patet in *Abaco*. Et sic si illa legalis augmentatio usuræ, quæ est de jure in mercatore, videlicet bessis ad semissem, & si proportione sesquitertia, hic admitteretur, sequeretur, quòd sicut licitum est communiter emere reditus redimibiles ad rationem duodecimæ, ita liceret mercatori emere ad rationem octavæ sortis partis annuæ, quod esset improbum & inauditum fœnus, utpote centesimam excedens, & omni etiam veteri jure damnatum, etiam in mercatoribus, etiam in trajectitiis pecuniis periculum marinum suscipientibus. Et sic concludimus, argumentum usuræ vel interusurii communis, non esse in justo mercatore fe-rendum nec tolerandum. Fateor tamen, quod quandoque sorte non alienata, sed propter moram vel frustrationem justè in hoc Senatu adjudicatum fuit mercatori ad rationem septem in centum in anno, quod circiter ad rationem quintædecimæ recidit, ut suprà dixi *quæst. 76. ad fin.* Sed illud erat non propter simplex interusurium, sed propter interesse casuale ipsius mercatoris, de quo puta impedito vel deteriorato exercitio mercaturæ, fraude vel nimia frustratione debitoris, qui certo die vel loco, ubi sciebat mercatoris interesse, solvendum susceperat & fefellerat. Ut autem illud exemplum eisdem justis causis concurrentibus & probatis, justè usurpari vel etiam pro qualitate negotii subjecti augeri vel moderari potest, ita ad rationem simplicis interusurii, ubi de alio non constat, quàm de simplici dilatione, conventione, vel mora, minimè extendi potest. Sed hîc quæro, an saltem inter ipsos mercatores liceat prædictum congruum modum interusurii excedere, saltem infra besses legales, vel infrà quintamdecimam? Videretur quod sic, cum uterque certet de negotiando, argumento notatorum suprà *num.* 10. Sed contrarium puto, quia sicut non licet non negotianti excedere præfatum modum interusurii, sive debitor aliàs sit negotiatus, sive non, ita non licet mercatori præfatum modum propter simplex interusurium excedere, sive debitor negotiaturus sit, sive non. Secus alia justa causa concurrente, de qua constaret, ut sup. *num.* 571. vel quatenus pactum in speciem legitimæ societatis recideret, participante creditore partem periculi, juxta notata in *l. 1. C. pro socio, & in cap. per vestras, de donat. inter vir. & uxor.* Illud etiam in confesso est quod inter mercatores frequentiùs quàm inter alios, occurrit justas esse causas interesse casualis debendi & pleniùs æstimandi, tam ex officio judicis, quàm pacto. Et pariter præter id, faciliùs inter mercatores occurrit justas subesse causas fœnoris tam negotiativi in pactum deducendi, quàm incidentis pactiscendi, vel officio judicis æstimandi, etiam in mutuo, ut infrà *quæst.* 89. quàm inter non negotiantes. Sed non sequitur quòd periodus & suprema quantitas usuræ debeat excedi in mercatoribus, vel laxior in illis statui, quàm in aliis, ubi de simplici usura, sive de æstimatione simplicis & promiscui interusurii agitur.

QUÆSTIO LXXX.

SYNOPSIS.

1. *Naturæ pœnæ est vicem interesse casualis, & momentanei obtinere.*
2. *Mora debitoris impunita esse non debet.*
3. *Vicesimam egredi non licet, nisi ob notabilem dilationem.*

610. OCtogesimò. Iam satis vidimus de ratione & quantitate interusurii propter moram, superest videre, an quatenus in pactum deduci possit, & generaliter, an in debito quantitatis liceat paciscì de aliquo propter dilationem dando ultra sortem? Breviter, aut quæritur de pœna, aut de præstatione successiva. Si de pœna, non est hujus tractatus: quia non committitur pro rata temporis, nec pro rata sortis, sed semel & conditionaliter: & sic de se propriè non est usura, nec species usuræ, tametsi quandoque in fraudem usurarum apponatur, quod est præter ejus naturam. Natura enim pœnæ est loco interesse casualis & momentanei succedere, nec sit opus probare, quot, quantive interfit, ut inquit text. *§. fin. instit. de verb. obligat. leg. fin. ff. de præteritis stipulation. leg. procurator ad exhibendum, §. 2. rem rat. hab.* ideò magis spectat ad tractatum de eo quod interest ubi dicendum reservo. Sufficit in transitu dicere, quòd si pœna excessiva, reducenda est ad arbitrium boni viri, per textum in *l. unic.* ibi, *eas tantummodo pœnas. C. de eo quod interest.* Si verò sit in fraudem usurarum, tunc non valet ultra legitimum modum usuræ, sive interusurii, *l. Iuhannes, §. idem Papinianus, de actio. empt.* & in casibus in quibus interusurio locus est dumtaxat *secundum prædicta.* Si autem agatur de præstatione successiva, sive de vera usura largè sumpta, hæc est materia nostra. Et in hoc omnes Legistæ & Canonistæ ubique tenent ipso jure non valere tantam veram, meram & reprobam usuram, ex quo quantitati & per dinumerationem temporis apponitur, ut Baldus & omnes in *l. 1. C. de summa Trinit. in leg. cum allegas. C. de usur. in l. rogasti §. si tibi si cer. pet.* & omnes ubique (tædet enim nominatim citare) quæ sententia nunc manifestè irrationabilis est, & ex ignorantia terminorum juris & elenchi usurarum processit, ut satis suprà.

611. Dicendum, aut istud pactum de præstatione successiva, vel interusurio fit in mutuo, aut in obligatione oriente ex justa commutatione, putà ex venditione: si in mutuo, aut ab initio, & non valet, ut & suprà *num.* 35 quia necesse est mutuum esse gratuitum, & nullam usuram in eo admittimus. Idem si ex brevi intervallo, aut ex notabili intervallo: & adhuc non valet, nisi appareat de nimia mora, & pervicacia debitoris, vel quod verisimiliter creditoris pluris interfit. Quo casu non video reprobari posse pactum vel arbitramentum de interusurio, saltem non excedens præfatam rationem quincuncis: quoniam post notabile intervallum creditor satis perfunctus est officio & liberalitate mutui, & sic deinceps cessat favor & ratio mutui: nec est iniquum creditorem deinceps de moderato interusurio paciscì, dummodo justa causa subsit: nec enim temerè, nec de facili admitti debet. Sed quid si ab initio fiat pactum collatum post hoc tempus vel moram, putà, mutuatur usque ad certum congruum tempus, cum pacto, quòd nisi solvatur

in termino: ex tunc non retrò aliquid annuum præstetur? Respondeo, Aut agitur sortem forte alienatam, aut non. Primo casu, aut agitur de venditione seu constitutione reditus redimibilis, & omnino valet, dummodò non excedat metas duodecimæ: illud enim pactum magis est in favorem debitoris, qui semper luere poterit, quàm creditoris, cujus pecunia perpetuò alienatur, & tamen reditus legitimus ab initio numerationis usque ad illud tempus liberaliter remittitur. Aut verò agitur de venditione reditus non redimibilis: & tunc quantumcunque aliàs justo pretio constitutus esset, non valet, quia recideret pactum legis commissoriæ, quod in mutuo omninò reprobatur, etiamsi solùm caveretur, quod res aliqua debitoris, corporalis vel incorporalis, esset vendita justo pretio tunc æstimando, si solutum non esset in termino, ut plenè dixi suprà *quæst.* 52. *num.* 376. Sed an hactenus valeat, ut post diem cogi possit debitor solvere pensionem conventam, donec solvat vel redimat? Puto quòd sic, dummodò creditor expressè ostendat, & sub hoc onere petat, quòd debitor quandocunque luere poterit. Sed an creditor hoc casu videns debitorem nolle fiare pacto præciso perpetuo non redimibilis reditus, petere possit ut ex die lapsa, vel saltem deinceps solvatur reditus redimibilis ad rationem duodecimæ? Respondeo, non: quia non fuit ita pactum, licèt justè paciscì potuerit: sed ad hoc paciscendum non potest debitor cogi: & citra pactum, si sit interusurium arbitrandum, non decet regulariter ad summum modum arbitrari.

612. Secundo casu videlicet quando actum fuit sortem non fore alienatam, sed quòd nihilominùs exigi poterit: & tunc videtur posse sustineri pactum eodem modo & casu, quo in priore membro sustineri posse diximus, factum post tempus vel moram, quia pacta sunt fieri tempore licito, vel conferri in tempus licitum, *l. in tempus, de hered. inst.* Et solùm videtur exprimi, quod aliàs jure communi licet, & ita apertè sentit Aymo, *cons.* 189. *col.* 3. *versu, secundo casu.* At ego difficilùs admittendum puto factum præmaturè & ab initio, quàm tempestivè ex post facto, quoniam ab initio videtur extortum: tamen si verisimiliter appareat nullam fuisse extorsionem, sed bona fide factum & moderatè, justamque causam subesse, ut suprà, prout bonus vir arbitrabitur, sustineri potest. Sed quid si in mutuo, & à tempore mutui pactum est de certo interusurio successivo, an valeat, saltem post tempus notabile, & creditore remittente usuram prioris temporis? Videtur quòd sic argumento *l. placuit juncta, l. Sera de usuris.* Breviter contrarium puto, quod nullo tempore valeat: quia est unica præstatio, & unicum pactum usurarium & illicitum: & sic non fit divisio temporis, sed in totum non valet. Facit quæ dixi in *Consuetudinibus Parisiensib.* §. 41. *num.* 47. *versic.* 2. *conclusio.* Et sic nihil debebitur in vim talis pacti, tanquam ex causa antiqua, sed benè poterit arbitrari ex nova causa, si qua justa subsit mora & interusurii secundum prædicta.

613. Secundo principali membro, quando istud pactum sit in obligatione oriente ex justa commutatione, breviter dicendum quòd indubitanter valet eo modo, quo, cessante pacto, ex vera mora deberi posset hæc usura, & aliquanto plenùs, ex quatuor. Primò in hoc, quòd ex sola vera mora non currit, nec debetur ipso jure, seu jure actionis certa usura sive interusurium, sed de solo officio judicis, seu arbitrio boni viri, qui non semper debet æstimare vel adjudicare ad hanc summam rationem unius in viginti, sed paulò remissiùs: nisi constet quòd circumstantiæ subjecti casus ad hoc urgeant, ut suprà *num.* 537. Sed si pactum sit de certo interusurio, illi standum est, dummodò præfatam rationem vicesimæ non excedat, quæ nullo modo excedi potest, nisi quatenus res recideret ad interesse casuale, de quo, & de præmonitione de-

Usura jure actionis plenior.

bitoris constaret, ut tactum est suprà *num.* 577. & latiùs in *tractatu de eo quod interest.* Secundò in hoc, quòd si mora purgetur infra modicum tempus, nulla usura pro tempore præterito debebitur, quando curret ex sola mora: sed si ex pacto, debebitur pro rata temporis etiam modici, ut dictum est suprà *num.* 554. Tertiò, quia ex pacto currit etiam cessante mora, imò etiam pendente dicta dilatione, ut suprà *num.* 538. quod non posset esse ex simplici mora. Quartò in hoc, quod facilùs remittitur ea quæ ex sola mora, quam ex pacto & jure actionis currit, ut infra *quæst.* 82.

614. Sed hic emergunt quæstiones. Prima, quid si de facto venditor, aut similis creditor pecuniæ stipulatus sit interusurium supra rationem vicesimæ, an totum vitietur? Videtur quòd non, sed solùm quatenùs excedit. Primò per *l. eos in fi. de usur.* cum aliis allegatis suprà *quæst.* 10. *in principio.* Secundò, quia etiamsi in totum vitiaretur, hoc esset verum, quantum ad pactum, & ut deberetur in vim pacti, quod in totum annullaretur: non autem in quantum circumscripto pacto, ex vera mora deberi posset. Et licèt pactum ob nimium excessum sit in totum nullum, non tamen debet mora debitoris impunita esse *l. 3. in fin. de usur. l. si hominem mandati l. D. vi ad leg. Falc.* Breviter puto quòd si pactum non excedit rationem duodecimæ, non annullatur in totum, sed solùm quatenus excedit rationem vicesimæ, in residuo valebit etiam in vim pacti, quod dico propter dictos quatuor effectus. Aut vero ad tantillum excedit rationem duodecimæ, & in totum non valet. Et moveor, quia propter nimium excessum ex certa scientia admissum meretur omni commodo & usura privari, argumento notabili, ut suprà *quæst.* 10. *num.* 141. Non obstat quòd ibi, nisi excedat rationem decimæ, non annullatur, sed reducitur ad modum: quia ibi fors erat alienata, sed hic nihilominùs exigi potest: & sic hic est longè major excessus supra duodecimam, quàm ibi supra decimam. Et hoc casu summa usura juris, videlicet bestialis, quæ est summa, ut suprà *num.* 446. excedituri: & sic est planè improbum fœnus, etiam de jure infamans, *l. improbum, Cod. de his qui not. infa.* Et excessus tam enormis non debet esse impunitus: si autem reduceretur ad modum concessum, non puniretur in aliquo, ut suprà *num.* 145. Ideò ut in eo, in quo enormiter peccavit, puniatur, puto nullam adjudicandam usuram etiam ex capite moræ: tum odio harum usurarum, quæ sunt veræ usuræ, cùm fors repeti possit: secùs suprà *quæst.* 10. ubi fors est alienata. Tum quia creditor sibi in futurum consulere potest, renuntiando pacto vel excessum purgando & se restringendo ad rationem vicesimæ, donec solvatur, & ex tunc pro tempore futuro, non autem pro præterito, puto quòd currere possit usura, sed tanquam in vim veræ moræ dumtaxat, non autem in vim pacti, ut pote improbi, & pœna, non præmio digni, argumento *l. si negotia de negot. gest.*

615. Prædicta conclusio de nullitate vel reductione pacti limitatur dupliciter. Primò, quatenus res recideret in interesse casuale, ut si constaret de certo specifico damno creditoris post moram debitoris, prius de tanto damno præmoniti: quia tunc sustineri posset, non tanquam simplex interusurium, sed tanquam verum damnum: quod si excederet, ad arbitrium boni viri reduci deberet, ut in *prin. quæst. de pœna*, diximus. Limitatur secundò, si dilatio valdè notabilis data esset, & sic fors ad notabile tempus, puta quatuor vel quinque annorum alienata: quia tunc quamvis ex solo prætextu non possit congruus noster modus interusurii excedi, ut mox dicam, tamen potest esse justa causa, ut pactum, alioquin ob excessum in totum annullandum, non prorsus annulletur, sed moderetur & reducatur ad rationem vicesimæ. Et hoc nisi

pactum excederet rationem decimæ, vel aliàs de nimia illaqueatione & supergressione constaret, ut esset justa causa in totum annullandi, & omni commodo usurario creditorem privandi. Et sic in his multum exuberat boni prudentisque judicis arbitrium, nec singula singulatim præcidi queunt, nec video particulariorem in his per viam doctrinæ determinationem fieri posse.

616. Secunda emergens quæstio: Quid si venditor, aut similis creditor re tradita longam dilationem solvendi dederit, an hac contemplatione possit majus vicesimâ interusurium stipulari? Videtur quòd sic, quia quantò magis sors est alienata, tantò minùs sterilis esse debet, ut suprà *num.* 524. Cùm igitur ea nullo modo alienata currere possit vicesima ex vera mora vel pacto, videtur quòd ea ad plures annos alienata, possit aliquid moderatum addi vicesimæ, saltem ex pacto, putà ad rationem 16. vel 18. Breviter dicendum puto, quòd ob notabilem tantùm dilationem, putà quatuor vel quinque annorum, non liceat rationem vicesimæ excedere: quia etiam de jure ob quamcunque dilationem non licet legitimum modum usurarum excedere, *l. item quia in fin. de pact.* Tamen si non esset simpliciter longa, sed valde longa, puta usque ad decem annos vel ultra, tunc utilitatis communis gratiâ, non puto reprobandum pactum de majori interusurio, dummodò non excedat communes juris usuras videlicet semisses; & si excedat, ad easdem reduci debet. Cùm enim jam multis seculis nec abs re receptum sit, legales usuras castigare, absurdissimum esset eas ullo modo excedere. Atqui leges etiam respectu cujuscumque dilationis (nisi forte perpetuò alienata, ut jam non sit materia usuræ, sed reditus, ut in *Novell. constit.* 160.) non permittunt modum suum excedi, ergo nec nos permittere debemus. Et quod ultimò dixi, usque ad semisses permuti, intellige quandiu durat illa dilatio tantùm: sed ea finita, nisi prorogata fuerit, quamprimùm cœpit sors exigi posse, non puto majores quincunce usuras currere. Prorogationem autem expressam vel tacitam sufficere puto ad continuandas semisses, etiamsi non fiat ad tantumdem, sed quantulumcumque temporis, idque in consequentiam beneficii prioris dilationis: tum quod etsi ad brevissimum tempus prorogetur, tamen eadem dilatio censetur, *l. sed si manente, ff. de prec.* Quid ergo si venditor est justus negotiator, an dicta decennali dilatione data, possit stipulari usque ad besses? Sed hoc melius est principaliter in quæstione sequenti tractare. Ex his patet malè consuluisse Philip. Dec. *cons.* 119. *in quæst.* 2. quoniam ibi erat dilatio data emptoribus usque ad undecim annos, & adhuc cum facultate se liberandi per duas solutiones: & sic malè reprobavit pactum interusurii successivi, quia debebat & debet sustineri usque ad semisses legales, videlicet usque ad rationem sex annuatim in centum, pro rata rei traditæ & pretii debiti, etiamsi venditores non essent mercatores, nec aliter de specifico interesse constaret per prædicta. Quod de Decii exemplo dixi, idem de omnibus aliis in simili dictum intelligatur.

QUÆSTIO LXXXI.

SYNOPSIS.

1. *Diminutio usuræ civilis alio pacto non excessivo potest compensari.*
2. *Elegantissima quæstio de instrumento dotali.*

617. OCtogesimo-primò quæro, fac alicui ex venditione vel supplemento permutationis aut divisionis deberi mille, & nomine interusurii stipulari annua quadraginta, donec persolutum sit, an media parte sortis soluta, compensata vel aliter remissa, possit semper quadraginta annua exigere, donec persolutum sit? Videtur quod sic, quia initio partem notabilem, videlicet quintam interusurii congrui certò remisit: & sic videtur hoc compensandum cum incerto excessu interusurii futuri temporis, nec hoc casu videtur minor ratio augendi in futurum interusurii sub incerto eventu, quam certò & præcisè augendi, data valdè longa dilatione, ut ad *fin. quæst. præcedent.* Facit *l. nihil interest. in fin. de nautico fœn.* ubi diminutionem legitimæ usuræ licet alio pacto non excessivo compensare. Breviter contrarium dico, quia sicut de jure civili nullo casu licebat, etiam per viam pœnæ, vel prætextu minoris, prioris usuræ legitimum usuræ modum posteà excedere, *l. 1. §. pen. de pig. l. placuit. §. 1. de usur.* in quibus juribus pondero verbum [*legitimæ*] & sic tacite de majoribus negatur etiam prætextu, ita hodie sive in fœnore negotiativo & improprio reditus duodecimæ, ut dixi suprà *quæst.* 26. sive in fœnore incidenti ut hic, non licet hoc prætextu modum excedere: valet enim argumentum à veteribus usuris ad nostras, ubi est eadem ratio, & de restringenda usura agitur, non aliàs, ut suprà *quæst.* 75. Non obstant quæ dixi, *in fin. quæst. præcedentis*, quia ibi longè alia ratio in tam longa decennali dilatione, quæ certa est, & ex nunc certum & majus & incommutabile commodum affert debitori: quod non facit remissio partis usuræ, qua volente creditore sortem exigere, statim erit inutilis & frustratoria: potest enim creditor cùm volet, cogere debitorem ad solvendum, vel subinde dilationem redimendum, aut ad quam volet conditionem adigere, sic concludo quòd ad summum non curret usura nisi pro rata residuæ sortis debitæ, alioquin tandem in improbum fœnus recideret. Fallit in uno casu, videlicet si creditor partem sortis sufficientem cum residua ad tantam usuram liberaliter remiserit, idque salvo jure solidi interusurii, donec persolvatur, & dummodo ita constet expressè vel tacitè actum vel reservatum: quæ pactio hoc casu valet, quia quamvis nullo pacto fieri possit ut interusurium currat ultra ratam sortis, tamen hoc casu pactum facit ut sors censeatur debita, & non remissa quantum ad cursum interusurii. Cùm enim fuerit liberatis remissio, potuit illi legem & modificationem quam voluit apponere, sed in dubio non censetur hoc reservatum, sed pro rata remissum.

618. An ergo nihil operabitur dicta clausula, donec persolutum sit? Respondeo multum operatur, sed quatenus subjecta materia & potestas contrahentium extenditur, & non plus. Unde si de mille soluta essent ducenta tantùm, operatur quòd maneat eadem usura, ubi aliàs minueretur pro rata sortis: pariter si soluta sunt quingenta, operatur quòd currit usura pro viginti quinque annuis, quantum reliquum debitum sortis ferre potest, ubi aliàs non curreret nisi pro dimidia, videlicet pro viginti. Unde cùm quædam vidua fundum trecenta annua ferentem vendidisset, & tradidisset sub multis dilationibus pretii, non excedentibus triennium, cum pacto quòd emptor reneretur ei reddere fructus vel eorum æstimationem, donec persolvisset. Respondeo quòd valebat pactum pro trecentis seu integris fructibus, quandiu emptor deberet sex mille, vel plus: quamprimum

autem minùs de pretio deberet, minuendam pensionem fructuum, ut non excedat rationem quincuncis pro rata debiti: nec licet augere usuram ultra modum concessum prætextu prioris minoris usuræ. Rursus hæc scribens consultus fui de pulchra quæstione in dotali instrumento. Socer promittit futuro genero & filiæ quinta solvenda die nuptiarum & quoddam jugerum terræ, deinde post alia in fine instrumenti est clausula hujusmodi (placuit etiam quòd pro promissione quingentarum librarum, & pro solutione dictæ summæ, confessus est socer debere, & promisit solvere 25. libras annu reditus usque ad persolutionem seu plenam solutionem dictæ summæ quingentarum librarum:) contigit quòd socer solvit centum die nuptiarum, & in fine anni decessit uxor sine liberis, suppositis moribus nostris, quòd ea pecunia & reditus esset communis viro & uxori, quæsitum fuit primò, an illa ultima clausula promissionis reditus induceret novationem: secundo, an maritus posset petere à socero integrum reditum viginti quinque annuorum donec ducenta sibi persolverentur, an verò dimidiam reditus tantùm, videlicet duodecim cum dimidia: an verò pro rata summæ sibi debitæ tantùm, videlicet decem, quæ socer offerebat solvere & continuare? Omissa disputatione, respondeo quantum ad primum non esse novationem, quia verba dictæ clausulæ necessariò non inferunt, & in dubio non præsumitur, *l. ult. C. de novat.* & sic potest gener, si malis, omisso reditu futuro petere ducenta cum reliquis præteritis. Secundo, quòd dictus reditus non debet intelligi computandus in sortem: cùm enim non sit novatio, & sic principalis summa possit exigi, promissio dicti reditus debet intelligi pro interusurio, non autem in deductionem sortis: alioquin esset nugatoria, nisi esset facta novatio, & consequenter socer liberatus à promissione quingentorum, quod non est dicendum: tum quia non fuit expressum, tum quia non erat ferè alia dos, quàm dicta quinquaginta, nec præsumitur promissio dotis ipsius novata, & multo minùs in viginti annorum solutiones distributa, tum quia reditus promissus non excedit rationem quincuncis usuræ, & sic justi interusurii: tum quia socer mitio solvit centum, quod non fecisset stante novatione. Et sic dicta verba (pro promissione & pro solutione) debent hic intelligi, id est pro interusurio summæ promissæ, purè debitæ & omninò solvendæ, cujus incerta quædam & voluntaria exactionis dilatio tacitè indulgetur. Ad secundum dico, primò quòd gener non potest petere integrum reditum distinctè, etiamsi fuisset facta novatio, cùm non esset promissus sibi soli, sed sibi & uxori simpliciter pro interusurio dictæ summæ. Et casu quo fuisset facta promissio cuilibet eorum in solidum, adhuc idem esset: quia cùm socer succesisset filiæ, loco illius concurrit cum genero, cui saltem per concursum partem facit. Dico ultimò, quòd genero quantum ad reditum & reliqua, tenetur stare oblationi soceri: quia dicta clausula (donec persolvatur) non valet quatenus quincunx excederetur, etiam in contractu matrimonii, per notata supra *num.* 489.

Novatio non fit.

QUÆSTIO LXXXII.

SYNOPSIS.

1. *Fructus veniunt ex mora irregulari.*
2. *Usura propter moram non solventium.*
3. *Quâ deficiente non committitur usurarum stipulatio.*
4. *Si ab invito intempestivè exigatur, fit interusurii deductio.*

619. OCtogesimo-secundò juxta notata suprà *quæst.* 80 quaro. An remissâ simpliciter morâ, censeatur usura etiam præteriti temporis remissa? Respondeo non, sed pro pleniori decisione, aut mora remittitur facto debitoris vel creditoris, & siquidem facto solius debitoris, puta congrua oblatione, certum est quod purgatur mora quantum ad omnes effectus futuri temporis, non autem præteriti; imò oportuit præteriti temporis usuras vel accessiones etiam judicis officio tantum debitas offerri, alioquin non valuerit oblatio, tanquam imperfecta. Si tamen illæ accessiones non erant certæ vel liquidæ, sufficeret aliquid modicum realiter offerre, & pro residuo, si quod sit, verbaliter offerre rationem seu calculum inire, & reliquum, si quod invenitur, solvere, per text. in *l. si residuum C. de distract. pignor.* nec requiritur fiat dilatio, secundùm Alexand. in *l. si mora soluto mat.* & benè, ubi tantum de vitanda vel purganda mora agitur, ut tradit Fran. Rip. in *l. si insulam col.* 14. *num.* 67. *de verb. oblig.* Si verò facto creditoris, tunc quatuor casus occurrunt, quandoque simplices inducix compulsionis dantur, quandoque datur facultas purgandi moram, quandoque vera & formalis dilatio datur, quandoque obligatio principalis in totum vel in parte tollitur. Primo casu, ut si creditor facit pactum de non incarcerando debitore, vel bonis ejus non pignorandis usque ad certum tempus: & tunc mora præcedens non purgatur, nec ejus effectus impeditur futuro & medio tempore, etiam respectu usurarum, quæ solo judicis officio procedunt, vel æstimationis quantiplurimi, vel pœnæ, vel periculi. Quanquam si hoc pactum ante moram incursam fieret, omnes hos effectus interim excluderet: quia tantisper impediret principium & commissionem veræ & regularis moræ: quod ultimum dico, quia non impediret effectum accessionis naturalis, puta fructuum, qui reipsa veniunt ex sola mora irregulari. Secundo casu inspiciendum quid agatur, quia si illa facultas daretur contemplatione usurarum, impediret interim earum cursum: sed si detur respectu principalis debiti tantùm, non impedit interim cursum usurarum, etiam quæ ex sola mora currunt, prout moram non tollit, sed differt commissionem pœnæ vel ejus quod casualiter intererit propter defectum solutionis: quoniam istud interesse vel pœna respicit solutionem totius debiti principalis, & sic ejus exactione dilata, necessariò differtur commissio pœnæ, vel hujusmodi totius interesse: sed si deberetur species, non desineret esse periculo debitoris, per text. singularem in *l. sancimus ad fi.* & ibi Bart. *C. de fide instr.* Bart. in *l. qui ob rem de condict. indeb. l. si insulam, quæst.* 7. *de verb. oblig.* Bald. *c. ex litteris, col.* 2. *de const. c. capitulum, col. fi. de rescript.* Alexand. *l. si ex legatis,* & ibi Jas. *col.* 2. *de verb. oblig.* Matth. de afflict. *Decis. Neap.* 150. *num.* 7. Tertio casu omnino interim mora extinguitur, & sic omnis ejus effectus interim tollitur: & in hoc differt iste tertius casus à primo, in quo non desinit debitor esse in mora; sed hîc desinit interim esse in mora & culpa: & sic non est dubium cessare omnem accessionem vel pœnam, quæ veniret ratione solius moræ.

Nova dilatio.

620. Sed quid de usura currente ex conventione? Placet hanc punctum ab aliis neglectum, sed ad multa utilem, paucis ἀκριβῶς excutere. Et non videtur interim usura conventionalis impediri. Primò, quia non debetur ex mora, sed ex stipulatione. Secundò, quia dilatio data est simpliciter de sorte, & sic non re-

fert nisi ad sortem principalem : unde non debet in dubio extendi ad usuras, *l. ult. §. ult. de condict. indebiti*, facit Ludovic. Roma, *sing.* 543. *restitutio.* Panorm. *cons.* 35. *lib.* 2. Nec obstat quòd impedit interim pœnam & interesse casuale, quia hæc respiciunt totam ipsam sortem principalem quæ differtur : sed usura non respicit totam sortem principalem, sed ejus interusurium successivum, & sic inter hæc diversa est ratio. Tertiò, quia remissa sorte, non remittitur usura, quæ jure actionis debetur, ut mox dicetur : igitur multò minus ea dilata. Quartò, quia justius est currere usuram data & pendente, quàm nulla dilatione, per notata suprà *num.* 524. si igitur dilatio justificat cursum usuræ, igitur non tollit nec impedit. Quintò, quia dilatio multum operatur, differendo exactionem sortis & usurarum, absque eo quòd interim impediat cursum usurarum conventarum : ergo in dubio non debet eas impedire, saltem quando vi propria ex stipulatione currunt, ut hic : & facienda interpretatio contra eum, qui se fundat in verbis, præsertim liberaliter prolatis : quia sufficit quòd vel in paucis operentur, *l. tutori, C. de negot. gest.* & alioqui sequeretur quòd simplex datio dilationis tantum operaretur, quantum datio ususfructus sortis principalis, quod videtur absurdum, & contra mentem concedentis. Assumptum liquet, quia datio ususfructus non posset plus operari, quàm quòd interim usuræ etiam per stipulationem debitæ remitterentur, *l. postquam in fin. de usufruct. ea. res. quæ usu. consumuntur.*

Arg. de re ad tempus.

621. In contrarium argumentor. Primò de re ad tempus, *l. miles ita in principio de milit. testam.* ut arguit Jas. *l. in diem de condict. indebiti.* Deci. *repet. cap.* 2. *col.* 2. *de judiciis.* Igitur sicut remissa sorte in totum necessariò desinit usura, igitur ea remissa ad tempus (quod fit per dilationem) remittitur usura ad tempus. Sed hoc argumentum non valet, cùm sit diversa ratio, ut per Jas. in *l. si fundus, soluto matrimon. in l. quæsitum in prioribus in princip. C. de inofficios. testam.* Diversitatis autem ratio notoria est, quia remissa seu alienata sorte ad tempus, tantò justior est causa usuræ. Secundo argumentor per textum in *l. cum quidam §. si pupillo in fin. de usur.* ubi dicitur quòd usuræ non propter lucrum petentium, sed propter moram non solventium infliguntur : igitur cessante mora non currunt. Sed certè ille textus loquitur in usuris, quæ solo judicis officio ob moram irregularem veniunt, ut suprà *quæst.* 40. & sic nihil facit ad quæstionem nostram. Ideo probatur melius tertiò, *in l. lecta, si cert. pet.* ubi pactum etiam nudum dilationis subsequens impedit etiam ipso jure cursum & effectum stipulationis usurarum præcedentis. Quartò, quia etiam fructuum accessionem, quæ naturalis est & rei persecutoria, impedit : igitur multò magis usuras impediet. Si enim emptor soluto pretio dederit venditori dilationem tradendi, non tenetur interim venditor ad fructus : igitur multò minus ad usuras pretii. Igitur pariter si venditor impleverit, & nihilominus emptori dilationem solvendi pretii simpliciter dederit, sive tempore traditionis, sive postea, non tenebitur emptor pendente dilatione, ad aliquas usuras, etiam pro rata fructuum : igitur multò minus ad alias quascunque usuras. Quintò, quia data dilatio solvendi pecuniam æquipollet dationi ususfructus ejusdem pecuniæ ad idem tempus : imò fortior & potentior est. Patet, quia data dilatione, interim non tenetur debitor ad aliam cautionem, etiamsi in testamento dilatio legata sit, ut in *l. non solum, §. potest, l. Aurelio. in princ. §.* 10. *de liber. legat.* ad cautionem tamen teneretur, si ei summæ debitæ ususfructus datus vel legatus esset, *l. ergo, de usufruct. ea. res. quæ usu consumuntur.* Et tamen is cui simplex dilatio ad tempus simpliciter legata est, non minus interim ab omnibus usuris & pœnis eximitur, quàm si nomine ususfructus (ut in *l. postquam, de usufruct. ea. res. quæ usu consum.*) eidem legatus vel datus esset, ut est casus rotundus in *d. l. non solum, §. illud*, ubi etiam Accurs. ita decidit, quocunque modo etiam ex stipulatione debeantur usuræ : igitur idem, quomodocunque, etiam ex contractu, dilatio simpliciter detur, arg. *l. quæ de legato, de legat.* 1. Vides hæc potentius urgere & præponderare adductis pro parte prima. Quid dicendum?

622. Videretur distinguendum inter fœnus negotiativum & incidens, ut in primo procedant adducta pro parte prima, in secundo vero, adducta pro parte secunda. Verbi gratia in terminis juris civilis : mutuavit aliquis sub usuris sive simpliciter, quo casu tacita quædam commoda dilatio sortis inest ut suprà *num.* 82. vel expressa certa dilatione sortis data (non refert) clarum est quod ex die mutui juxta stipulationem currunt usuræ, pendente dilatione tacita vel expressa, & idem ea finita. Fac ergo quod creditor postea dilationem simpliciter proroget, certum est quod cum eisdem qualitatibus intelligitur, & sub eodem onere usurarum, quia prorogata dilatio una & eadem est. *l. sed & si manente, de precar.* diyi in *Consuet. Pariſ.* §. 23. *quæst.* 14. *num.* 48. Et latius tradit Dom. And. Tiraq. in *tract. retract. convent.* §. 1. *gloss.* 7. *num.* 24. *cum seq.* Si vero priori tacita vel expressa dilatione finita, detur simpliciter alia sortis dilatio, quanquam non sit ita clarum (quoniam nova dilatio est) tamen idem videtur quantum ad usuras, ut pergant ut prius : tum quia videtur in dubio secunda dilatio dari ad instar primæ, & eadem continuata intentione, videlicet quantum ad sortem tantum, non autem quantum ad usuras : quia non videtur creditor post moram debitoris velle liberaliorem esse, quam fuit initio ante moram, nec præsumitur mutata voluntas, *l. Statius Florus, in princ. de jure fisci, l. cùm tacitum, l. cum, qui de probat.* Alexand. *cons.* 81. *n.* 4. (ut in annotat. dixi) *lib.* 5. Tum quia illud est fœnus negotiativum, etiam principaliter intentum, & stipulatum non propter moram, sed propter ipsum interusurium, ejusque compensationem : & sic non cessat, cessante mora ex postfacto, sicut & ab initio currebat sine mora, *l. item qui, §. fin. de pact.* Secus si creditor initio non mutuet sub usuris, hoc est ut statim currant, nec pacisceatur purè & absolutè de hoc quæstu, donec sors reddatur : sed in casum & eventum moræ, vel quandiu debitor erat in mora. Hic enim casus non spectat propriè ad speciem fœneris negotiativi principaliter intenti, sed magis ad speciem fœneris incipientis, veluti cum venditor stipulatur usuras ab emptore cui implevit. Hæc enim stipulatio intelligitur secundum materiam subjectam, & sic ratione moræ, & quandiu emptor erit in mora, & spectat ad fœnus incidens, ut suprà *num.* 573. His enim & similibus casibus, dilatio sive in testamento, sive inter vivos simpliciter data, debet omnem usurarum cursum interim impedire. Et hæc distinctio multùm plausibilis est : & habet magnam rationem, quia priore membro, videlicet in fœnore negotiativo, stipulatio usurarum non est initio conditionalis, sed pura, & absoluta, nec expressè vel tacitè concepta est in casum moræ, nec debetur usura propter moram, sed præcisè propter interusurium conventum. Secundo verò membro (quod spectat ad fœnus incidens) stipulatio usurarum non est pura, sed ab initio conditionalis : inest enim expressa vel tacita conditio, si & quandiu debitor erit in mora. Hinc est quòd deficiente morâ ipso jure non committitur stipulatio usurarum, quia ejus conditio deficit : casus est, in *l. lecta si cert. pet. facit, l. Seia. ad fin. ibi, conditio expectaretur, de usur.* & suprà *num.* 301.

623. Verum mihi non satisfacit hæc distinctio, quia etiam in usura incidenti fieri potest ut detur vera dilatio : sed suspensiva moræ & exactionis tantùm, non autem usurarum quæ jure actionis currunt : ideo decisivè inspiciendum quid agatur. Aliquando enim dilatio datur, ut debitor interim non solùm inducias exactionis, nec solùm remissionem moræ habeat, sed

etiam commodum interusurii, sive ipsius pecuniæ debitæ, & est idem ac si ejusdem pecuniæ ad id temporis daretur ususfructus: & sic interim non curriit usura, quantumvis jure actionis debita, sed eam lucraretur debitor, & generaliter omnem accessionem, etiam naturalem fructuum, quæ ratione cessationis vel moræ veniret. Aliquando verò dilatio datur, non ut debitor lucretur interim commodum plenæ interusurii, vel usurarum, sed ad simplices inducias tantum: & tunc est idem ac si simplex prorogatio fiat prioris dilationis, vel nova dilatio detur, cum ejusdem tamen oneribus & qualitatibus. Utrum autem agatur, non est difficile ex circunstantiis casus subjecti dignoscere: in legatis enim, in quibus etiam plenior fit interpretatio, & quæ semper donationem implicant, clarum est fieri ad lucrum debitoris: & sic quantum ad hoc non refert an ususfructus nominis, an dilatio legetur, ut dictum est, *l. non solum, §. illud, §. potest, leg. Aurelius, de libera. legat.* & sic casu, *l. Aurelio in princ. eo. tit.* etiamsi nihil expressum esset de usuris, adhuc interim nullæ currerent. In contractibus autem qui stricliores sunt, aut datur ususfructus, & res clara est, aut verò simplicis dilationis fit mentio, & ad circunstantias & conjecturas recurrendum. Nec tamen erit inutilis prior distinctio, quia in usura negotiativa difficilius erit præsumere dilationem in hoc datam, ut debitor lucretur usuram: in incidenti autem hoc proclivius erit, & tamen in dubio dilatio non præsumitur nisi inducias operari, & sic in dubio non impedit usuram, quæ jure actionis simpliciter currit, nisi stipulatio non simpliciter; sed in casum moræ & durationis moræ concepta & suspensa sit, ut in *l. lecta, §. cer. pet.* tunc enim cessabit, sicut etiam accessio fructuum, & quicquid in sola mora fundatur, vel ab ea pendet. Sed ad rem. Quarto casu principalis nostræ distinctionis dicendum, remissam esse omnem accessionem, etiam præteriti temporis, sive fructuum, sive usuratum, quæ tamen judicis officio, & non jure actionis debetur, *leg. 4. C. depositi, l. centum Capuæ, leg. fin. de eo quod cer. loco.* Secus si jure actionis, quia supereset actio, nisi aliter soluta vel remissa sit, *l. 1. C. de judic.* & sic facilius aboletur usura, quæ propter moram tantùm, quàm quæ vi pacti debetur, ut suprà *num. 613.* Alberic. Salyc. in *l. intelligere, in fin. C. de luitione pig.* Tamen ex verbis generalibus, & verisimili mente facile est colligere etiam actionem accessoriam remitti, ut in *l. Aurelius, §. legatum l. ultima, §. Caio. de liberat. legata.* Quæ debent intelligi, etiamsi illæ usuræ actionis debebantur.

Solutio.

Rescripta moratoria.

624. Ex his deciditur quæstio quotidiana de rescriptis moratoriis, quibus anni, quinquennii, aut alia debitoribus dilatio datur, an interim impediatur commissio pœnæ vel cursus usurarum & accessionum? Breviter idem fere dicendum quod in simplici dilatione simpliciter data nuper diximus, in secundo membro solutionis tertii casus, imò paulo minus: quia hæc dilatio miserationis causâ, invito creditore datur, unde strictior est, nec extenditur ad remissionem accessionis fructuum, qui etiam ex sola irregulari mora veniebant, quia in rei persecutione consistunt, & locupletaretur debitor cum jactura aliena, quod esset iniquum: nec enim indulgetur hujusmodi rescriptum, ut debitor lucretur, sed ne tantisper damno afficiatur. Imò nec puto de jure impediri usuram conventionalem, etiam in casum moræ & dilationis constitutam, ut in *d. l. lecta*, & multò minus conventionem reditus temporalis, ut suprà *quæst. 71. per totum.* Tantum ergo impediet exactionem fortis, & cursum usuræ extrinsecæ, quæ aliàs ex mora regulari veniret, & pariter commissionem pœnæ vel interesse casualis. Quod ut sit dilucidius, formo quæstionem in casu dubitabiliori, de quo in *l. 3. §. fin. de eo quod cer. lo.* Creditor mutuavit pecuniam usque ad certum tempus & locum, quo indigebat, obligatus sub pœna vel alia peristasi, cujus debitorem præmonuit, qui solvturum se recepit in termino & loco: sed interim eadem aut damna fortuita passus, impetrat hujusmodi rescriptum, & denuntiat creditori, qui labente termino, cum non supperet tempus aut facultas obviandi, damnum patitur, an debeatur, & saltem post tempus rescripti damni æstimatio cum forte exigi possit? Videretur quòd sic; primò, quia cum hujusmodi rescriptum sit in præjudicium alterius, strictissimè debet interpretari: & sic satis est quod simplices inducias compulsionis seu exactionis operetur, ad quas solum tendere videtur: non enim tendit ad diminuendum jus obligationis, sed ad differendum actum executionis. Secundò, quia quando ab invito exigitur ante tempus, interusurium medij temporis deducitur, *l. si constante, §. quoties, fol. mat.* notatur in *l. 1. Cod. de condict. ex leg.* igitur si creditore invito differtur solutio, debet refundi medij temporis interusurium, & sic multò fortius aliæ accessiones favorabiliores. Tertiò, quia si jam esset damnum commissum, & acquisita obligatio tempore rescripti præsentati, certum est quòd non tolleretur, sed tantùm differretur: sed ex hypothesi tempore præsentationis imminebat & jam gliscebat damnum in potentia propinqua exiliens, mox in actum (cùm res remedio non esset integra) exiens, unde habetur pro facto argumento, *l. per. de testam. milit.* ubi notat Bald. quòd potentia propinqua actui habetur pro actu. Panorm. *consil. 91. col. 2. lib. 1.* Quibus non obstantibus dico quòd istud interesse non differtur, sed committi impeditur quoniam hujusmodi rescriptum non continet simplices inducias compulsionis, ut in primo casu, sed veram & formalem dilationem debiti, & sic impedit moram committi, quia (quod fortius est) etiam commissam extunc purgaret: consequenter non committitur istud interesse etiam damni incursi, prout non committitur, pendente dilatione & cessante mora, per notata suprà *num. 32.* quemadmodum si creditor ipse dilationem dedisset vel prorogasset: factum enim judicis habetur pro facto partis, *l. 1. C. si in caus. judic. leg. si ob causam, C. de evict.* Sed si finita dilatione rescripti non solvatur, & interfit, debebitur illud interesse extunc si quod justum sit: non autem interesse præteritum pendente dilatione commissum, cujus non habebitur ratio, nisi in hoc, quòd si rursus mora cõmittatur, & interfit, poterit illud novum interesse pinguiùs æstimari judicis arbitrio, nec tam arctè restringi, ut aliàs fieri posset argumento *l. & in contraria, de usur.*

Potentia propinqua.

Difficultas.

625. Ex quibus sequitur quòd æquè impeditur commissio pœnæ conventionalis, ita quòd si solvatur in termino per rescriptum, prorogatio nulla debebitur: alioquin committetur cum effectu, quemadmodum cessante pœna, novum interesse committi posset, ut diximus. Facit quòd istud rescriptum, licet sit datum causâ morationis, tamen non est datum absque causa, sed ex justis causis, quæ veræ supponuntur: & sic facit pulchrè doctrina Bart. in *Authent. ei qui C. de temp. & reparation. appellat.* Facit etiam quòd secundum opinionem Salyc. Fulgo. Areti. Decij & Purpur. in *l. quod te. ad fin. si cert. pet.* difficultas impedit moram committi, etiam in obligatione quantitatis: sed istud ultimum periculosum est; & de jure verior & receptior est opinio Bartoli, ut ibi dixi. Fateor quòd justa difficultas ex inopinato superveniens diminuit de ratione moræ, etiam in debito quantitatis: non tamen tollit omnem ejus effectum, licet sit justa causa temperandi vel restituendi boni judicis arbitrio, prout totum hoc negotium præcipuè in æquitate consistit, *l. sequitur, §. si servum, de verb. oblig. l. quod si Ephesi, in fin. de eo quod cer. loco, l. mora. de usur.* Prædicta limito, ut procedant in rescripto bona fide obtento, secus si vel postea de fraude & subreptione appareat: quia non obstante sententia homologationis intermediæ, à qua non fuit appellatum, quæ magis est provisio quàm definitio, tenebitur

debitor ad omnia damna, interesse, usuras vel pœnas conventas retrò: quia ex quo constat de frustratione, non debet esse impunita prætextu rescripti per fraudem obtenti: imò tantò punibilior est, quantò authoritate & Principis & publicæ potestatis abusus est debitor ad frustrandum & damnificandum creditorem. Idem si creditor initio præsentati rescripti ad litem vicandam consenserit homologationi, sub onere vel protestatione damnorum & interesse, casu quo causæ rescripti falsæ postea inveniretur, vel appareat de malitia & frustratione. Cæterùm de reliqua materia hujusmodi rescripti moratorij remitto ad ea quæ plenius scripsi in *Consuet. Parisiens.* §. 195.

QUÆSTIO LXXXIII.

SYNOPSIS.

1. *Si depositi permittitur usus, sapit naturam crediti.*
2. *Intellectus l. 3. C. depositi.*
3. *De deposito quod fit ad numerum.*
4. *Depositum est merum officium, & beneficium custodiæ causâ.*
5. *Quando depositum suam naturam excedit, in eo privilegia cessant.*
6. *Depositor cui solvuntur usuræ, à creditoribus non separatur.*
7. *Differentia inter pactum in continenti appositum, & ex intervallo.*
8. *Intellectus l. Quintus. Depositi.*

626. OCtogesimo-tertiò videndum quid de usuris in actione depositi, mandati & similibus. Et sufficit unum casum discutere: puta hypothesim, de qua in *l. Lucius, cum l. seq. in fin. l. Publia, depositi.* Et primo more nostro explicabimus sententiam juris civilis, deinde quid hodie observandum sit in praxi, in consulendo & judicando. Quantum ad primum, depositarius tenetur ad usuras triplici casu: primo ex mora officio judicis, *d. l. die in fin. depositi*, secundo, ex pacto jure actionis, *d. l. Lucius*, & *l. Publia Mævia ff. depositi*, §. 1. & his duobus modis directò: tertiò per accidens, propter delictum, si illicitè convertit in usus suos: tunc enim potest conveniri depositi ad sortem & usuras, etiam citra moram & pactum, quorum defectum ideò non potest causari depositarius, quia potius gratias agere debet, quòd furti non convenitur, *l. 3. C. depositi.* Extra hos casus depositarius non tenetur de usuris. Hæc est brevis & clara juris sententia, quæ, quia gloss. & Doctores circa hæc in multis erraverunt, paulò latius verum & *χρεῖον* quamdam id genus legum, quæ vulgò ut contrariæ & obscuræ distorquentur, sensum & genuinam consonantiam obiter aperiendo, explicanda est. Aut ergo pecuniæ depositum est merum & purum depositum, quod est, quando pecunia depositi est signata vel occlusa, vel tanquam species, ita quod eadem corpora nummorum reddi debent, nec depositarius uti potest: aut verum non est merum & purum depositum, puta quia expressè vel tacitè actum est, quòd tantundem reddatur: & sic abit in creditum, sive transit in dominium depositarii, qui potest uti, ut *d. l. Lucius.* Primo casu clarum est quòd depositarius non debet usuras, nec ad eas obligari potest, cùm hæ subsistere nequeant sine sorte, & hic nullius sortis usum nec dominium habeat. Fallit dupliciter tantùm, primò post veram moram: extunc enim judicis officio current legitimæ, videlicet semisses, nili minores in regione frequententur, secundum notata suprà *leg. eos.* Quod ultimum sublimitatur, nisi in casum moræ pactum esset de certis usuris, quia illæ venirent, dummodo non excederent besses, si deponens esset justus negotiator, aliàs semisses, non obstante quòd minores in regione magis frequentarentur, ut diximus suprà *num.* 513. Fallit secundò, si depositarius convertat in usus suos, & sic furtum committat, *l. 3. C. depositi*, quo casu duo genera actionum competunt domino, ut est textus rotundus in *l. si sacculum, in princ. depositi.* Primum genus est vetus actio depositi, ex priore contractu: secundum genus sunt duæ actiones ex delicto, videlicet condictio furtiva rei persecutoria ad sortem, *l. qui furtum, de condictione furt.* & actio furti merè pœnalis ad duplum. Et est electio domini utro genere agat, qui cùm nequeat utrumque cumulare, eligere tenetur, *l. 1. §. Cod. de furt.* facit *l. quod in hærede*, §. *eligere de tribut. actio. l. cum filius*, §. *varius de leg. 2.* Et si eligat viam civilem depositi, poterit petere usuras, non à die depositi, sed à die contrectationis & furti commissi, hoc probato: non autem probandum est, nec requiritur quòd depositarius negotiatus fuerit, aut in usus proprios converterit, ut statim dicam. Et dico quòd hoc casu veniunt usuræ non jure actionis, sed officio judicis tantùm, tanquam conniventia quadam domini contrectatione furtiva conversa in simplicem moram: & intelligo quòd de jure veniunt semisses simpliciter, hoc est etiamsi minores in regione magis frequentarentur. Et moveor, tum quia fur non est dignus hac benigna interpretatione, ut intelligatur de minimis usuris, argumento *leg. bona fides, depositi*, *l. si libertus de bon. libertor.* tum quia si velit repellere agentem ad semisses, contra proprium commodum laboraret: quid enim aliud agit, quàm irritare dominum, ut agat furti ad pœnam dupli, & condictione furtiva ad simplum? *l. qui furtum, de condictione furt.* Sed agendo depositi ad sortem & usuras non potetit actor majores semissibus usuras exigere, per text. in *d. l. eos versic. & eam quantitatem.*

Depositarius.

627. Antequam ad secundum casum veniam, non minus utile quàm jucundum erit, scrupulum unum, qui nunc menti occurrit, & in quo omnes glos. & Doctores adusque hærent, eximere, circa *d. l. 3.* & *l. qui furtum*, quam omnes faciunt contrariam *l. 1. §. si rem, depositi*, nec aliter hanc *ἀντινομίαν* eluere valent, quam more imperitorum dicendo, secus hîc, utendo: secus ibi, vendendo: qui error processit ex ignorantia spiritus, seu rationis decidendi dictorum jurium. Ego dico quod ratio decidendi, *d. §. si rem*, est per *l. 3. C. depositi*, ubi dicitur quod depositarius, qui pecuniam in usus suos scienter convertit, ideo potest conveniri depositi, etiam ad usuras, licet nec alia mora, nec pactum intercesserit: quia aliàs furti conveniri posset ad duplum, & condictione furtiva ad sortem. Et sic ille textus ex ratione decisiva in eo expressa satis apertè indicat quod ibi usuræ non veniunt directò, sive ex ipsa vi, vel natura actionis depositi, sed veniunt accidentaliter, præter naturam actionis intentatæ, propter illud extrinsecum accidens, quod actor longè graviorem actionem amittit ad commodum depositarii, qui non debet usuras detrectare, sed magis gratulari quòd mitius cum eo agitur. Unde dico esse contingentiam facti, quod in *d. l. 3.* narratur, quòd in proprios usus converterit, & sic non restringit, ut est textus singularis, qui non solet citari, in *l. item veniunt*, §. *ait senatus, ibi (hoc evenerat.) de peti. hæred.* Idem ergo si in usus aliorum, dando vel mutuando, convertisset, vel aliter contrectasset furtum committendo, ut sic furti teneretur, quia tunc eadem est ratio in textu expressa. Et ita omnino debet intelligi,

ἀντινομία dissoluta.

intelligi *d. §. si rem*, ubi ratio decidendi, quæ ibi tangitur, & subobscurè exprimitur, *ibi (quia semel dolum fecisti)* debet suppleri ex *d. l.* 3. quæ sufficit pro vera glossa & interpretatione *d. l. qui furtum*, & *d. §. si rem*, inter quæ nulla prorsus est antinomia, sed consonantia omnimodo: quia *d. l. qui furtum*, loquitur de vi directa ipsius actionis: sed, *d. §. si rem*, loquitur de eo quod actioni tribuitur per accidens: Si enim depositarius in re deposita, sive utendo, sive vendendo, aut aliàs semel furtum commiserit, deinde res sine ejus culpa casu fortuito pereat, non tenetur depositi directò, sive ex vi & natura ipsius actionis, quia in ea non venit casus sine dolo malo & lata culpa contingens, *ita loquitur d. l. qui furtum*. Sed tamen quia semel actione furti alligatus fuit, quæ non desinit, quocunque modo res pereat, potest dominus si velit omisso crimine, & pœnali actione furti ad duplum, depositi agere ad simplum: nec potest depositarius agentem excludere, sed magis gratias agere, ut dic. *l.* 3. & sic in effectu competit hoc casu actio depositi, re casu perempta, non vi propria & natura sua, sed per accidens: quia dominus posset agere furti ad duplum, & sic facit gratiam agendo veteri actione depositi ad simplum, cujus reliquiæ non sunt penitùs sublatæ. Et ita loquitur *d. §. si rem*, qui ex his ampliatur procedere, etiamsi constaret, quòd res eodem modo fuisset peritura penès dominum, ut plenius dixi in novis nostris intellectibus, unde hæc summatim necesse fuit transcribere, ut intelligeres ad quid in principio hujus quæstionis novè distinxi venire directò, vel per accidens.

Fur non reddit superlucrum.

628. Antequàm ad alia transeam, occurrit una quæstio necessaria ad plenum intellectum, *d. l.* 3. *Cod. depositi* & plurium idgeo legum usurariarum, retento themate *d. l.* 3. Is penes quem deposita erat pecunia in specie, illicitè usus & negotiatus multa superlucratus est, utrum omne lucrum inde proveniens teneatur restituere? Bai. *in leg.* 2. *quæst.* 10. *Cod. pro socio*, tenet quòd sic, quia locupletior ex re mea factus est, allegat *l. qui sine de negot. gest.* refert & sequitur Philip. Dec. in *l. certi conditio, §. fin. num.* 3. *si cer. pet.* Sed nimis supinè labuntur, non solùm contra communes juris regulas, sed etiam contra textus apertos in individuo. Est enim vulgata regula, quòd res ex pecunia mea etiam immediatè etiam mala fide acquisita, non est mea, nec mihi restituenda, *l.* 1. *ff. si quis alteri vel sibi l. quamvis ex ea Cod. de pig.* quod procedit etiam, si acquisita sit per eum, cum quo erat nobis contractus societatis, etiam quæstuariæ, sex extra causam societatis acquisitio facta est, *l. cum duobus. §. cum erant, pro socio*, notant omnes in *l. si patruus Cod. communia utriusque judic.* Petr. de Perus. *tract. societ. part.* 5. *quæst.* 1. dixi ad Alex. *cons.* 46. *num.* 11. *lib.* 1. & in individuo contra Bal. est textus in *l. si ex ea, Cod. de rei vend.* ubi pondero quid ipsemet depositarius (& sic mala fide) acquisivit: & tamen deponens non potest petere res inde emptas, nec earum partem. Hunc etiam tenent Theologi Scholastici, quòd etiam usurarius, qui ex pecunia usuraria multa acquisivit, non tenetur ea restituere, sed tantùm pecuniam, & id in quo alios damnificavit. Ita Tho. 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 3. Scot. Gabr. Biel. & alii in 4. *sent. dist.* 15. *quæst.* 2. sequitur Petr. Anch. in *Repetit. c. peccat. col.* 2. *de reg. jur. lib.* 6. Joan. And. Lapus, Gemin. Phi. Franc. *c. quanquam in prin. col.* 2. *de usur. in* 5. Laurent. de Rodulph. *tract. usurarum, quæst.* 44. Panor. *cap. fin. in fin. de usuris.* Clava. in ver. *usur.* 1. §. 55. ubi dictum Baldi nominatim reprobat. Dicimus ergo, quòd si talis depositarius convenitur depositi, non tenetur ultra sortem, nisi ad usuras legitimas *d. l.* 3. sunt enim legitima indicatura fructus, seu commodi pecuniæ contra moratorem: si quid autem superlucratus fuerit, id non est fructus pecuniæ, sed negotiationis & industriæ, & sic non debet deponenti restitui, quia satis est quòd non faciat dam-

Nec usuras.

num, nec debet de alieno dolo negotiari. Quòd si deponens præterea damnificatus fuerit dolo & frustratione depositarii, locus erit æstimationi interesse casualis præter usuras *l.* 3. *in fin. de eo quod cer. loco.* Non obstat *d. l. fine*, allegata per Bal. quia loquitur in eo qui gestionem suscepit negotiorum meorum, & sic mihi negotiari tenetur, sicut & procurator ad negotia: unde quicquid suo nomine de pecunia mea acquisierint, tenentur restituere, *l. idemque §. si procurator, mandati*, quemadmodum & socius intra causam societatis, *l. si quis societatem pro socio* secùs in eo qui non tenetur nobis negotiari. Itaque hodie secundum præfatam nostram moderationem, suprà *num.* 537. non tenebitur dictus depositarius, si depositi conveniatur, nisi ad quincunces à tempore quo cœpit uti, & non ad aliud, nisi quatenus locus esset interesse casuali, de quo aliàs loco suo.

Depositum ad numerum.

629. Redeundo ad rem, capio secundum casum, quando non est merum purum depositum, sed potest depositarius uti, & in usus suos convertere: quod accidit dupliciter, primò ex pacto vel permissione expressa, *ut l.* 1. *§. si pecunia, l. fin. secundum §.* 1. *depositi* secundò tacitè, & istud adhuc duobus modis. Primo, quando pecunia deponitur non signata, sed ad numerum, ut in *l. die. §.* 1. *depositi.* Et sanè intellige quando simpliciter ad numerum deponitur, & tunc eo ipso actum videtur, quòd abeat in creditum, ut uti possit, & ad tantumdem teneatur *d. §.* 1. Secùs si apparet numerationem esse factam, non ut tantumdem reddi possit, sed ut sciatur quantum sit, & nihilominùs tanquam species deposita fuit, ut idem reddatur, quia tunc essemus in primo principali casu, & probatur in *d. l. Lucius.* Secundo modo etiam tacitè videtur actum ut uti liceat, & abeat in creditum, quando fit pactum de usuris: quia impossibile est usuras currere, nisi translato usu & dominio sortis, *d. l. eos in fin.* Et sic consequens tacitè implicat necessarium suum antecedens, *l. illud de acq. vel amitt. hæredit.* & hoc quando pactum fit purè: aliàs si sub conditione, vel in diem, nondum necessariò per se illud implicaret, nisi alia accederent. Hoc ergo secundo casu dico, quòd depositarius non tenetur ad usuras, eo ipso quod in usus proprios convertit, etiamsi multum superlucratus fuerit, cùm id licitè fecerit, textus in *d. l. die, §. pecuniam, depositi* quemadmodum si expressè mutuatus fuisset, non teneretur, *ut suprà num.* 53. sed post veram moram, tenetur, sive in usus suos converterit, ut in *d. §. qui pecuniam*: sive non, ut primo casu ex regula communi dictum est. Item si pactum sit, etiam pacto nudo, dummodo in continenti appositio: & tunc etiam citra moram, sive usus fuerit, sive non, textus in *l. quintus depositi*, in *l. Lucius* in *fin.* in *l. Publia. §.* 5. *eod. ti.* Et ita debet intelligi & limitari *d. l. si sacculum. §. si ex permissu* scilicet vel ratione moræ, vel ratione pacti: secùs utroque deficiente, ut Accursius ibi in *fin.* rectè intelligit.

630. Et ad pleniorem horum declarationem, pluriumque connexarum legum novum & sincerum intellectum, advertendum quantum ad hoc, ut remaneat actio depositi facta depositario permissione utendi, non refert sive permissio fiat initio tempore depositi, an ex intervallo, quia eo ipso quòd pecunia numeratur nomine depositi, etiamsi in continenti permittatur depositario uti, tamen non censetur deponens velle recedere à depositio & natura depositi, nisi in quantum ea permissio necessariò infert: sed non infert necessariò, quòd derogetur naturæ depositi, nisi in hoc, quod recipiens precariò uti possit, & consequenter abeat pecunia in creditum ejus periculo. Igitur in cæteris remanet natura & prærogativa depositi, argumento *l. tutori Cod. de negot. gest.* Quòd si ea permissio fiat ex intervallo, adhuc minor est dubitatio, propter actionem depositi jam acquisitam & radicatam, quæ facilius conservatur,

quàm inducitur, & contrà difficiliùs amittitur jus jam quæsitum, quàm dum quæritur, & est in fieri. Item ex quo semel præcedit contractus perfectus, non censetur in dubio ex conventione adjecta circa idem negotium novus contractus fieri, sed prior informari, sive in continenti, ut in *l. 1. §. quod si rem, depositi sive ex intervallo*, ut in *l. qui negotia mandati*, idque indistinctè, non solùm ob subtilitatem juris, quia primus contractus attenditur, ut in *dict. §. quod si rem*, sed etiam utilitatis gratiâ receptum est triplici ratione. Prima, ut remaneat antiquitas prioris hypothecæ. Secunda, ut remaneant commoda, quæ jure communi & regulari insunt actioni bonæ fidei. Tertia, ut remaneat privilegium personale, exclusio compensationis, & reliquæ prærogativæ, quæ jure speciali insunt actioni depositi. *l. si hominem, §. quoties depositi, l. pen. Cod. eo. & ultra prædictas rationes sunt casus legum, & tex. rotundi, in d. l. Lucius, l. die. §. 1. l. Publia. §. 1. l. quintus, l. si sacculum in fin. depositi*, ob quæ commoda permittens simpliciter depositario uti, non censetur prædicta omnia jura sibi acquisita velle remittere, sed solùm diminuere de jure suo, quatenus ex ea permissione necessariò infertur *d. l. tutori Cod. de nego. gest.* videlicet ut merum depositum vertatur in improprium, utque dominium transeat, nec possit intempestivè & ita promptè repeti, ut priùs poterat. Hæc enim permissio beneficium est, quo juvari debet accipiens, non decipi, *l. in commodato, §. cum autem, commodati.* Et sic aliquod spatium utendi & reddendi inest, non tamen tantùm quantum in mero mutuo, sed circiter velut in precario, ut novè diximus in annot. ad Phil. Decium, *l. 2. in prin. num. 25. si cert. pet.* ubi Decius, & in *l. contractus num. 11. de reg. jur.* nimis præfractè reprehendit opinionem Pathor. in *c. 1. ult. col. 3. de preca.*

Contra Decium.

631. Ex prædictis liquet quòd nimis erravit Decius in *l. certi condictio. §. ult. num. 4. si cer. pet.* ubi nixè tenuit quòd non remaneret depositum, quia est (inquit) repugnans & contra substantiam depositi, quòd dominium transeat, ideò censet conventione partium fieri non posse, *l. cum precario, de precar.* tum quia dominio semel translato, agitur ex mutuo, *d. §. ult. & l. 1. §. si pecunia depositi.* Ad quæ facilis est responsio, primò ad id quod adducit de substantia, respondeo quòd illud procederet in mero & puro deposito, secùs in deposito excedente naturam & terminos depositi, etiamsi ab initio id agatur tex. in *d. l. Lucius*, & alioquin sequeretur quod in pecunia non esset depositum, nec haberent locum jura depositi, nisi deponeretur ut species: non autem si ad numerum, quod est contra textum in *d. l. die, §. 1. cum similibus*, & contra libertatem tacitæ vel expressæ voluntatis contrahentium, quæ impediri non debet *l. pe. Cod. pro socio*, saltem quando legibus comprobatur, ut hic. Nec plus requirendum est ad substantiam actus, quàm lex requirit, *l. Gallus. §. videndum, de liber. & posthumis.* Aliæ etiam responsiones colligi possunt ex his quæ statim dicam. Minùs obstat *d. lex, certi condictio, §. ult. cum l. seq.* quia dico quòd gloss. & Doctores adusque malè intellexerunt: putant enim quod ibi Jurisconsultus principaliter laboret ad sciendum & docendum, an & quando pecunia debita ex depositio possit converti in mutuum sola voluntate, ut excludatur vel impediatur actio depositi, & sola certi condictio specialis (ut loquuntur) ex mutuo nascatur vel subrogetur: sed non est ita, nec is est finis & scopus dicti textus, ut latiùs docui in novis intellectibus, sed scopus est scire & docere, quando pecunia deposita abeat in creditum, & sit periculo recipientis, vel quandiu maneat merum depositum. Et sic totus ille text. nullo modo contrariatur in seipso, & multò minùs reliquis legibus, ut etiam veteres Doctores, deinde qui eos secuti sunt jejunè & sophisticè intelligentes hinxerunt, & suis ineptis textum clarissimum & facillimum infinitos intellectus fabricando, & rursus eosdem subvertendo, obscurarunt.

Novus intellectus l. certi condictio §. ult. cum l. seq. si cer. pet.

632. Dico ego nativum sensum paucis retegendo, omissis his quæ ab hoc tractatu nimium recedunt, quod depositæ pecuniæ quadruplices ad summum modi seu gradus inveniuntur in jure. Primus, quando pecunia deponitur ut species, etiamsi numeretur ad sciendum quanta sit, sed simplicis custodiæ causâ, non data facultate utendi, *l. 1. depositi* & istud est merum purumque depositum, in quo stant omnia substantialia & naturalia depositi: quia nec dominium transit *l. licet, §. rei depositæ, depositi*, nec periculum in recipientem, qui de solo dolo & lata culpa tenetur, nec ad ullas usuras, etiam pacto expresso, vel stipulatione obligari potest, nisi post moram, tex. in *l. Lucius depositi*, ubi dicitur hoc esse nedum contra naturam depositi, sed etiam absolutè contra bonam fidem (& si prorsus intolerandum) usuras desiderari temporis ante moram, quo purum beneficium in suscipienda pecunia dedit, absque ulla mercede & facultate utendi. Et ita debet pulcher ille text. in suo nativo sensu accipi, tametsi Roman. *cons. 500. col. 1.* Phil. Dec. Franc. Ripa. & alii in *l. 2. in princ. si cer. pet.* præposteris suis erroribus acti, audeant & literæ & menti legis, & sensui communi contradicere, dicentes hoc non esse illicitum, nec usurarium, utcumque sit contra naturam depositi & æquitatem: sed his cum suis monstruosis erroribus omissis pergamus. Secundus gradus est, quando depositum fit ad numerum, vel etiam (ut quandoque quibus pecuniæ redundant numerandi computandique tædio) ad mensuram, hoc expressè vel tacitè acto, ut tantundem reddere sufficiat, & tunc adhuc est verum & formale depositum. Non obstat *l. Lucius, depositi*, ubi dicitur quod hoc casu egreditur notissimos terminos depositi, quia verum est in quantum depositum strictè capitur in primo & stricto gradu, ubi nec dominium nec periculum transit: tamen quia nihilominùs hic invenitur vera definitio & substantia depositi, quia recipiens merum officium gratuitæ custodiæ præstat, potest ad restitutionem quandocunque etiam ante diem præstitutum indilatè cogi, sequitur quod est verum & merum depositum, *l. 1. prin. & §. si rem, ff. depos.* unde licet ille tranlitus dominii & periculi excedat terminos depositi strictè sumpti; tamen ille excessus est valdè modicus, nec considerabilis. Primò, quia non respicit substantiam depositi, sed accidens. Secundò, propter naturam rei depositæ, videlicet pecuniæ, in qua ob innatam fungibilitatem non solent considerari corpora, sed sola quantitas, ut *infrà quæst. 92. num. 694.* & sic tanta quantitas velut in abstracto, magis dicitur deposita, fideique recipientis commissa, quàm ipsa vel certa corpora in concreto: & sic non est contra naturam hujus depositi, quod tanta quantitas reddi possit. Tertiò, quia tantùm abest ut officium & ratio depositi minuatur, ex eo quòd pecunia ad numerum deponitur, & abit in creditum, ut indidem magis augeatur; patet, quia si depositarius ob id non minùs, sed magis officiosus est, nec minùs extensivè vel intensivè obligatur, sed magis extensivè, quia periculum præstat, *l. certi condictio in fin. si cert. pet.*

Quatuor depositi gradus.

Secundus gradus.

633. Unde malè & inadvertenter dicunt Doctores in *l. 2. in princ.* & in *l. certi condictio §. ult. si cert. pet.* quòd hoc casu sit improprium seu irregulare depositum, quia imò est verum & proprium. Patet, quia si depositarius sese obtulerit depositio, vel promiserit periculum rei depositæ, etiamsi omne periculum etiam fortuitum nominatim susceperit, nihilominùs dicitur verum & proprium depositum, tex. in *l. 1. §. sæpe, depositi in l. juris gentium, §. si quis de pact.* quia recipiens tantùm plenius officium exhibet, & promittit, quod magis est secundùm, quàm præter naturam depositi, quod de se merum officium & beneficium est, custodiæ causâ deponendi impensum, *d. l. Lucius.* Igitur &

in hoc secundo gradu est verum & proprium depositum, nec est dubium quin omnes prærogativæ & privilegia depositi, de quibus in *l. pe. Cod. depositi in l. hominem*, §. *quoties depositi* hic locum habeant: imò privilegium in personalibus cum prærogativa prælationis ante omnia privilegia, non fuit principaliter introductum nisi pro deposito secundi gradus, ubi pecunia abit in creditum: non autem pro primo gradu, ubi deponitur ut species, & vendicari potest, & sic superflua essent privilegia: quia vendicatio vi sua præfertur non solùm omnibus privilegiis, sed etiam hypothecis, etiam expressis & anterioribus, *d. l. si venditori*, §. *si tamen*, *l. procuratoris*, §. *pe. ff. de tributoria act.* & sic hæc privilegia non possunt habere locum in primo gradu, nisi ex inopinato & accidente, putà si depositarius pecuniam depositam ut speciem de dolo vel lata culpa amisisset, vel consumpsisset, vel citra dolum & latam culpam cum nummis suis miscuisset, vel in res suas impendisset, ad quod inopinatum non possunt, nec debent leges dictorum privilegiorum restringi, sed ad ea, quæ in frequenti usu sunt, adaptari. *l. ara constitui cum l. seq. de reg.*

634. Tertius gradus, quando non solùm datur ad numerum, sed etiam ut depositario uti liceat, dato seu translatogratis jure utendi: & ita propriè loquitur *dict. l. certi condictio* §. *fin. cum l. seq.* & hoc casu depositum magis exorbitat: quia minuitur ejus substantia: scilicet ratio officiosæ custodiæ, magisque mutuo quàm depositi accedit. Et sic ille casus multifariàm differt à priori, quia in dicto secundo casu remanet obligatus ad meram & officiosam custodiam, quia quamprimùm repetitur, indilate reddere tenetur, *d. l.* 1. § *pen.* & sic non habet jus utendi. Quod enim interim utendo licitè facit, hoc non est ex eo, quòd habeat jus utendi, sed quia dominus est, & ad tantumdem jure tenetur: seu propriùs & apertiùs loquendo, quia non est custos nec depositarius corporum, sed quantitatis, ut dixi. Et sic quamvis hoc commodi habeat, quòd contrectando vel utendo non facit furtum, nec contra fidem, non tamen proinde dicitur capere commodum ex depositi, nec minùs officii impendere, imò minùs non modi, & plus officii. Patet, quia illud commodum multò graviori superatur incommodo, quoniam periculum est depositarii: multum etiam augetur officium, quia custodiam gratuitam non deponentis, sed sui ipsius periculo præstat, nec censetur habere usum, nec vere habet, cùm totum suspensum sit in meram voluntatem deponentis, qui quandocumque indilate repetere potest. Aliud est enim habere nudum dominium, ut in eo qui purè debet: aliud habere usum, ut in eo cui solvendi dilatio data est, ut suprà *num.* 629. Sed in hoc tertio casu non præstat merum officium, sed potiùs recipit, quia rogavit & accepit jus utendi: unde non potest cogi reddere ante tempus expressum vel congruum, prout dictum est in mutuo, suprà *num.* 82. Priore casu augetur, isto verò minuitur ratio custodiæ & officii: non tamen prorsus evacuatur, quia ex quo deponens incipit à depositi, datur intelligi quod sibi expediebat deponere, & alterius fidei custodiæque committere, & sic jam sui gratiâ deponit: quia verò etiam jus utendi dat, quod non fuit, sed accipientis gratiâ facit, apparet quòd istud depositum in gratiam utriusque fit. Et sic in dicto secundo gradu nullo modo est mutuum, non enim quoties de meo quavis ratione fit tuum, ut in donatione, vel debiti solutione, sed tunc demum mutuum est, quando officii gratiâ ad usum temporarium gratuitum datur, ut suprà *num.* 73. Itaque priore casu non competit certi condictio ex mutuo, nec potest agi ex mutuo, licèt pecunia in creditum largè sumptum abierit, sed tantùm depositi agi potest, vel certi condictione ex depositi: quia tantum depositum est non irregulare, sed verum & proprium. Tertio verò hoc casu non merum depositum, sed irregulare, quia contractus mistus est: participat enim de mutuo & depositi, quod non est inconveniens, cùm hæ quantitates sint compatibiles, etiam in eodem contractu, divertis respectibus, ut hic notatur, & Doctores in *l. 2. in prin. si cer. pet. in l. singularia, et tit.* Et sic deponens potest post tempus utendi lapsum, agere certi condictione ex mutuo, si velit, cùm verum (licèt non merum) mutuum inlit, *d. l. certi condictio, in fin.* quæ non negat agi posse certi condictione ex depositi seu depositi, quum verum quoque (licèt non merum) depositum sit, ut est casus in *d. l. Lucius in fin. l. Publia*, §. 1. *l. Quintus*, *l. si faculum*, *in fin. depositi.* Et hunc tertium gradum limito, ut procedat dummodo usus concessus non repugnet custodiæ, putà si est ad breve vel mediocre tempus: secùs si esset ad multum tempus, putà quinque annorum, tunc clarum esset deponentem non egere tali tantaque custodia, & multò fortius, si restituendum est ad nutum depositarii. His enim casibus & similibus, etiamsi ab initio agatur ut sit depositum, non posset esse depositum, cùm deficiat omnis ejus substantia & formalis causa, videlicet ratio custodiæ: & sic necessariò erit merum mutuum, ut in hoc ultimo casu de depositi ad nutum recipientis decidit Rom. *cons.* 238. *col.* 1. *cons.* 520. *col.* 1.

Tertius gradus.

635. Antequam capiam quartum gradum, ad ampliorem declarationem trium præcedentium graduum & plurium legum, advertendum quod istud jus utendi in depositi quatuor continet casus, ad hunc tertium gradum spectantes: quia quandoque jus utendi datur purè, quandoque sub conditione, quandoque alter utroque modo ab initio, quandoque ex postfacto, qui omnes casus conveniunt themati dicti §. *ulti. cum l. seq.* excepto quando jus utendi datur purè & ab initio, ut statim liquebit. Et si quidem purè & ab initio, qui est primus casus, tunc statim pecunia non solùm abiit in creditum largè, sed etiam strictè sumptum, quia statim mutua est, & nihilominùs depositi, quia contractus mistus est. Oritur ergo certi condictio ex mutuo, licèt non statim intentari possit, ut probatur in *d. l. certi condictio.* §. *fin.* qui licèt loquatur quando ex intervallo, hoc ad majorem frequentiam refertur: quia frequentiùs usuvenit deponentes dare jus utendi ex postfacto, quam ab initio: quia quando ab initio, frequentius est merum mutuum, si tamen deponens ab initio det jus utendi, non minùs, imò magis inesse debet mutuum, quàm si ex postfacto, ut sensus communis docet. Si autem purè ex postfacto, qui est secundus casus, tunc est casus rotundus in *d.* §. *ult.* qui tamen non negat manere veterem actionem depositi, & sic contractum ex tunc incipere esse mutuum, ut reprobatum est. Et his casibus, quando purè datur jus utendi, non est opus nova motione pecuniæ, ut hat mutua: quia sive ab initio, sufficit prima unica numeratio, sive ex postfacto, sufficit pecuniam existere penes rogantem, quod pro numeratione est, §. *interdum. Inst. de rer. divis.* Si autem sub conditione ab initio, qui est tertius casus, textus est rotundus, in *l. quod fin. ab emitte, si cer. pet.* ubi non fit mutua antequam mora sit, & cœperit uti: quia conditio illa expressa (si voles) vel (si volueris) non priùs extat, quoniam intelligitur cum effectu, non autem de simplici & nuda voluntate, quæ re integra mutari potest, & sic pendet, & nondum cum effectu extat. Unde non inest mutuum, nec abit in creditum, nec transit periculum, donec uti cœperit, & antequam de facto cœperit uti, vel movere ad utendum non oritur condictio ex mutuo: quia nondum verum mutuum inest, sed tantum manet sola vetus actio depositi. Nec obstat hoc casu, *d.* §. *interdum*, quia loquitur de voluntate puraevel purificata, non autem de conditionali vel pendente.

Quartus casus.

Primus.

Secundus.

Tertius.

636. Non obstat *l. si quis nec causam, in prin. si cer. petatur* (ut hanc obiter expediamus, spectat enim ad tertium casum hujus tertii gradus) quia non debet ita

Tertius in duos.

ruditer intelligi, ut hactenus gloss. & Doctores, ut secuta emptione eo ipso sit mutuum, sed demum ea secuta motione vel usu, ut statim dicam. Advertendum enim, quòd iste tertius casus dividitur in duos. Primus, quando ab initio est merum depositum, posteà transiens in mistum ex deposito & mutuo, ut nuper exemplificatum est: secundus è converso, quando initio est contractus mistus ex depositi & mutuo, vel depositum improprium, sed posteà desinens in merum mutuum, vel in mutuum qualecunque, nihil amplius commune habens cum depositi, ut exemplum est in *d. l. si quis nec causam in princ.* ubi antequam accipiens convertat in pretium futuræ emptionis, est quidem depositum non merum, sed improprium: tum quia non est factum gratiâ deponentis, nec eò quòd custodia indigeret, sed gratiâ depositarii: tum quia deponens non potest liberè revocare, postquam autem depositarius in pretium converterit, vel ad hoc contrectaverit, desinit esse depositum, & incipit esse merum mutuum: quia hoc actum est, ut ex tunc esset tantum mutuum, non autem ut maneret actio depositi: & sic nulla privilegia depositi manent, etiamsi non sit pactum de aliquibus usuris, sed gratis mutuatum: quo casu erit merum & proprium mutuum. Sed si pactum esset de usuris, erit merum quidem mutuum, non simpliciter, sed respectivè, videlicet respectu prioris contractus depositi, cum quo nil habet, nec retinet commune, sed in se erit mutuum improprium, videlicet quarti gradus, ut posteà dicemus, *quæst. seq. num. 656.* Antequam autem utatur, quandoque est depositum actu mistum cum mutuo, ut quando pecunia est deposita ad numerum, ut tantumdem reddatur. Si verò non sit deposita ad numerum, sed ut species, tunc non est contractus actu mistus ex mutuo, cùm nondum abierit in creditum: & sic à quo removetur genus & species, consequenter nihil habet actu commune cum mutuo, sed solùm destinatum est ad futurum mutuum, *l. si nondum, Cod. de furtis.* Est tamen, ut dixi, depositum improprium propter illa duo, quæ dixi, & habebit tantùm interim (non posteà) privilegia depositi, & posteà quoque cessantibus usuris habere potuisset, si simplex facultas utendi concessa fuisset, non autem de formali mutuo conventum. Utroque tamen casu sive ad numerum, sive ut species depositæ sit, periculum etiam casus fortuiti spectat ad depositarium, cujus solius gratiâ depositum factum est, *ut contra communem usum sentit Decius*, in *d. l. si quis nec causam*, & *benè, ut ibi dixi.* Et intelligendum quod ut convertatur in mutuum non sufficit quod depositarius emerit, sed requiritur quod inde solverit, vel ad hunc finem contrectaverit: alioquin poterat aliunde solvere, vel aliter satisfacere, & sic pecunia depositæ semper maneret in priori causa & qualitate depositi. Si autem (redeundo ad rem) pecuniæ jus utendi detur sub conditione ex postfacto, qui quartus casus est, pariter habet locum dispositio *d. l. quod si ab initio*, quia eadem est ratio. Et hoc est quod vult dicere textus in *l. 1. §. si pecunia apud te deposita*, quod hoc casu antequam utaris, depositi teneberis, id est sola actione depositi: quia non inest mutuum, nec oritur condictio ex mutuo, antequam incipias uti. Ex his habes novum, nativum & limpidissimum intellectum *d. §. depositi, cum l. seq.* loquuntur enim quando contractus incipit à mero depositi primi gradus, & quando jus utendi non datur purè, sed ex postfacto, ut in *d. §. depositi*, vel sub conditione ab initio *d. l. quod si ab initio*, & idem si sub conditione ex postfacto. Si autem purè & ab initio, quamvis eadem lex satis indicet quid juris sit, tamen non est casus *d. l. quæ loquitur*, quando ab initio est merum depositum primi gradus, qui posteà recidit in mixtum; sed hic esset ab initio contractus mistus. Nec etiam est ibi casus, quando depositum inciperet à depositi secundi gradus, quia dicta lex non tam disputat de genere & supervenientia actionis mutui, quàm de translatione dominii & periculi, quæ ab initio sit in depositi secundi gradus, sed *dicta l. 1. §. si pecunia apud te*, potest intelligi sive initio sit depositum primi vel secundi gradus. Habes obiter verum & genuinum horum jurium intellectum, rejectis ineptis commentis & labyrinthis glossæ & Doctorum in *dicto §. depositi cum l. seq.*

637. Quartus gradus, quando deponeretur sub usura, & sic non solùm ad numerum, non solùm concesso usu, sed etiam sub mercede usus vel quæstu fœneratorio: & hic casus longissimè omnium à depositi degenerat, in tantum ut lex neget esse depositum *l. qui hominem, §. quoties*, ibi (*quasi renunciaverint depositi*) *depositi.* Nec immeritò, hic enim casus magis accedit mutuo, quàm depositi, imò ab utroque degenerat, & est verus contractus fœneratorius, & nihil minus quàm depositum, nisi solo nomine: siquidem omninò & substantiam & naturam depositi exuit. De substantia patet, quia non fit causâ custodiæ officiosæ & gratuitæ, sed causâ quæstus: de naturalibus res ipsa loquitur. Unde in hoc impropriissimo depositi non habent locum prærogativæ & privilegia depositi, præsertim in præjudicium tertii, ut est textus in *d. §. quoties*, & *l. si v. utri, §. in bonis de privileg. cred.* Sed hic concurrunt quinque pulchræ & quotidianæ quæstiones, prima, an privilegia depositi habeant locum in tertio & præcedenti gradu? Videretur quod non: Primo, quia ille gradus in veritate magis accedit mutuo, & magis participat de substantia & natura mutui, quàm depositi. Secundò, quia saltem est contractus mistus prout utriusque contractus actio concurrit, ut dictum est. Unde dicta privilegia odiosa, & contra regulam communem introducta in simplici, non videntur extendenda ad mistum, per notata in *l. 2. in prin. de verb. obligat.* Contrarium dicendum est, quia idem favor est in misto: patet, quia certum est quòd in secundo gradu habent locum, videlicet in depositi pecuniæ ad numerum. Sed si deponens etiam uti depositario permittat, nulla ratio suadet eum debere esse deterioris conditionis, nisi respectu dilationis expressè vel tacitè concessæ: igitur in cæteris debet privilegia depositi habere, ne liberalitatis suæ poenam patiatur, contra *l. ad res donatas de adil. edict.* Secunda quæstio, si deponens det mercedem custodiæ depositario, an habeant locum privilegia depositi. Breviter dicendum, quòd hic, sive species, sive pecunia, etiam ad numerum, etiam dato usu depositæ sit: quoniam licet in dubio sit locatio, *l. 1. §. si vestimenta depositi*, tamen si actum sit esse depositum, ut quia causa custodiæ titulo depositi traditur vel numeratur, est depositum, licèt irregulare, ut tenent Alex. Jas. Fran. Ripa & alii in *l. 2. in prin. si cer. pet. & recte*: quia licèt propter mercedem minuatur ratio substantiæ depositi, quæ in officio gratuitæ custodiæ consistit; tamen ex eo quòd deponens dat mercedem, non debet esse deterioris conditionis, nec carere reliquis commodis & privilegiis depositi, ex quo noluit contrahere, nisi sub titulo depositi, nec recipiens potest danti imputare concursum mercedis, ex qua lucrum sentit, argumento *l. cum in fundo. §. quòd si mulier de jure dot.*

Quartus gradus.

De privilegiis depositi.

Quinque quæstiones. Prima.

Secunda.

638. Tertia, an sit generaliter verum quod dictum est, deponentem, qui capit usuras, non habere reliqua privilegia depositi? Videtur quod sic, quia textus in *d. l. si venisti, §. in bonis de privileg. creditor*, non distinguit, sed indistinctè vult deponentes, qui usuras acceperunt, à creditoribus non separari. Confirmatur per textum in *d. §. quoties*, ubi postquam absolutè negavit, adhuc hoc expressim extendit, etiam si ex intervallo usuras acceperint, & dicit quòd eo ipso videntur renunciasse depositi. In contrarium, quia sequeretur quòd deponens propter moram usuras vel judicis officio peteret, quòd perderet privilegium in sorte, quod est absurdum, quare distinguendum.

Tertia.

Sed omisso distinctionis ambitu, brevitatis causâ, stet regula, quòd deponens accipiens usuras non habet privilegium etiam in sorte. Fallit ut procedat in fœnore negotiativo, & tunc procedit regula sive ab initio, sive ex intervallo paciscatur de usuris pro concessione usus pecuniæ. Amplio etiam, si posteà, etiam ante ullas usuras receptas renunciarent usuris: quia satis est quòd semel paciscendo de usuris pro usu pecuniæ renunciavit deposito, saltem factum est depositum prorsus irregulare, in quo non habent locum dicta privilegia. Amplio etiam, sive agatur de usu ad modicum, sive ad longum tempus, per not. infrà *num.* 642. secus si in continenti id est, in ipsa pactione renunciaret usuris: quia tunc non videretur de illis convenisse, *l.* 3. *de divor.* cum similibus. Fallit ergo regula in sola usura incidenti, puta si ob moram petierat usuras, vel etiam ei adjudicatæ sint. Idem si ab initio convenit de usuris, vel de certa pœna, non absolutè, sed in casum moræ, vel doli dumtaxat, taliter quod non appareat verisimiliter factum in fraudem vel locum fœnoris negotiativi: quia tunc puto quòd retinet privilegium, sed pro sorte dumtaxat, non autem pro usuris vel pœna, in quibus æquabitur cæteris creditoribus. Non obstat *lex Lucius, qui potior. in pig.* quia loquitur in hypotheca conventa vel data sorte & usuris vel pro pœna: sed hujusmodi privilegium non est datum nisi sorti ipsi, ex vero proprio & non improprio depositi debitæ.

639. Quarta quæstio. Certum est, quod in deposito de jure veniunt usuræ ex nudo pacto circa omnem moram, & sic etiamsi sit fœnus negotiativum, *l. Lucius in fin. l. Publia* §. 1. *l. Quintus depositi.* quæ non possunt intelligi de usura incidenti in casum moræ, & alioquin superflueret pactum, quæritur: An procedat etiamsi pactum fiat ex intervallo? Et omnes glos. & Doctores tenent quod non, sed ita demum si pactum fiat in continenti, id est tempore quo deponitur pecunia: secus in intervallo, postquam depositum fuit semel contractum, *glos. fin. d. l. Lucius*, & in *d. l. si sacculum depositi.* Ego verò si quoties occurrit, communes sententias improbare vellem, facilè probare queam hoc procedere etiam ex intervallo, idque triplici modo. Primo, quia depositum est actus pendens à voluntate deponentis, qui potest quandocumque libuerit revocare, *l.* 1. §. *pe. depositi.* sequitur ergo quòd sicut ex intervallo potest liberè revocare depositum, ita rursus deponere potest sub pacto usurarum, nec opus erit numerationem repeti. Tum quia satis pro rei interventu est, rem esse penès depositarium, §. *interdum Instit. de rer. divi.* Tum quia dum postea depositarius domini voluntate pecuniam movet, apprehendit, & uti incipit, satis realiter res intervenit & tradi dicitur, *l.* 2. *Cod. de acqu. & retin. possess.* & sic illud pactum semper censebitur factum in continenti, vel in ipso novo reali depositi: quia sicut potest deponens in totum revocare, ita & in parte mutare vel alterare: & dicitur factum in continenti, ita ut nova pacta inesse dicantur, & reformari: textus in *l. jurisgentium* §. *adeo de pact.* Secundo ex hypothesi, *d. l. Publia* §. 2. *& l. Quintus depositi.* ubi Epistola continens pactum usurarum secuta est depositum. Patet ibi (*accepi*) & ibi (*pervenisse*) quæ sunt præteriti temporis, & tamen ita dicitur nudum pactum valere ad actionem: tum sufficere videtur quòd illi textus generaliter loquuntur, nec distinguunt an Epistola sit emissa in continenti, an ex intervallo. Tertio per locum à simili, *leg. qui negotia mandati.* ubi pactum usurarum, etiam ex intervallo post mandatum factum, informat actionem mandati, & sic valet ad agendum: & sic idem videtur in depositi, quia utrumque æquè pendet à voluntate domini.

640. Tamen placet communis sententia triplici ratione: prima odio usurarum: secunda, favore communis regulæ, & odio specialitatum, quæ hîc plures essent. Prima, quòd contractus, qui potius est verum mutuum, ut suprà *num.* 331. reputaretur depositum ex sola denominatione partium. Secunda, quòd ex hujusmodi depositi improprio & irregulari contra naturam veri depositi, *d. leg. Lucius versic. sed contra.* venirent usuræ etiam actione depositi; & ex nudo pacto dudum post contractum & natam actionem depositi factum. Tertia ratione per locum ab absurdo, quia etiam ut pecunia debita ex causa venditionis fiat venit usuræ ex pacto nudo, nisi in mutuo venditionis apposito: secus si ex intervallo, *l. in initio Cod. de p. & inter emptor. & venditor.* igitur multò minus venire debent ex pacto nudo ex intervallo in depositi irregulari, vel quod ad irregularitatem deducitur. Patet, quia illud pactum non est contra naturam venditionis, ubi etiam obligatio semper remanet meræ bonæ fidei, sed est contra naturam veri depositi, quòd etiam per istud pactum non remanet meræ bonæ fidei, sicut non remanet merum depositum, quia fit mutuum & participans cum vero mutuo, quod est stricti juris: & sic tenenda est communis sententia, & *d. l. Publia* §. 1. *& lex Quintus* debent intelligi secundum *d. l. Lucius* ibi (*ex hac die*) videlicet quando pactum usurarum & depositum simul eadem Epistola contrahuntur, nec debent extendi contra communes juris regulas & in materia odiosa, si post depositum semel contractum ita convenerit.

641. Non obstat *d. l. quia negotia*, quia respondeo dupliciter, primò, quòd loquitur in mandato generali negotiorum successivorum: & sic illud mandatum est actus successivus, sub cujus generalitate pactum posteà secutum aptum est comprehendi, & comprehenditur, & sic semper dicitur factum in continenti & inesse mandato generali & successivo, quod solo consensu & fit & continuatur & modificatur arbitrio domini à quo dependet. Quare idem dico in contractu societatis, quæ cum sit actus successivus, & solo vel communi consensu vel unius solius sociorum dissensu indistinctè solvi possit, omne pactum circa eam inter socios factum semper dicitur in continenti: sed depositum est contractus momentaneus, qui re contrahitur, & pactum illud de quo agitur, non est de natura, sed contra naturam depositi: unde si fiat ex intervallo, non dicitur fieri in continenti, nec esse pars depositi. Secundò respondeo, quòd in *d. leg. qui negotia.* illud pactum fit contemplatione mandati generalis, & sic est novum mandatum, quod solo consensu fieri potest. Sed in depositio ex intervallo non potest illud pactum dici novum depositum, cùm sit contra ejus naturam, nec pars primi depositi, & sic remanet omnino nudum pactum & invalidum. Amplio singulariter, ut non solum non debeantur usuræ conventæ in vim pacti, sed ut nec officio quidem judicis incidentes etiam minores earum quæ in regione solitæ sunt, tanquam propter moram vel usum pecuniæ vel conversionem in usus depositarii occasione dicti pacti, ut voluerunt glos. Pau. & alii in *leg. Quintus eod. tit.* etiam, in fortioribus terminis. Ratio, quia non possunt venire propter moram, cùm depositarius non fuerit in mora, sed obtinuerit facultatem utendi: nec propter usum, quia hoc non sufficit, ut teneatur ad aliquas usuras, nisi intervenerit pactum factum in continenti ut in *d. leg. Quintus.* vel stipulatio, vel nisi depositarius mala fide & malo more usus fuerit, ita ut possit furti conveniri: quo casu per accidens potest conveniri ad usuras, quæ aliàs deberentur ex mora, *d. l.* 3. Sed iste attento pacto, licet quoad usuras inefficaci, non potest dici furtum commisisse, & sic nec ex vi pacti (quod non valet ad agendum) nec ex vi moræ (quæ non est) nec occasione furti (quod non est) potest teneri ad aliquas usuras, nisi postea debitè interpellatus moram faciat. Et omnino illud pactum factum ex intervallo non plus operatur, quàm si pactum fuerit in mutuo.

Quinta quæstio.

642. Quinta, quæstio: An istud, quòd valeat pactum nudum usurarium initio depositi appositum, procedat, sive deponens det usum pecuniæ ad tempus breve vel mediocre, sive ad longum tempus: Videretur quòd sic, quia dicta jura non distinguunt, sed simpliciter pacto stari volunt, *d. l. Lucius in fin.* imò hoc eò magis admittendum videtur, quòd conceditur usus ad longius tempus, vel ad nutum recipientis: tunc enim tantò justior causa subest usurarum, ut suprà *num.* 550. Sed hoc non obstante puto quòd si constet datum usum ad longum tempus, vel ad nutum recipientis, non valeat in terminis juris pactum nudum, quantumvis in continenti appositum. Et moveor, quia cùm hoc casu constet pecuniam non esse datam causâ custodiæ, sed duntaxat causa quæstus, non potest esse nec censeri ullo modo depositum, nec proprium nec improprium, cùm nulla subsit vera ratio custodiæ: & sic contractus nihil participat de depósito, sed tantùm de mutuo, & remanet merum mutuum: & sic locum habent leges mutui, ut *l. quamvis C. de usur.* dictæ autem *l. Lucius*, *l. Publia.* & similes loquuntur quando subest aliqua ratio custodiæ, & est in arbitrio deponentis revocare, tempestivè tamen & lapso aliquo congruo spatio usus, ut tunc possit usura procedere. Et quòd ita debeat intelligi, ultra prædictam nostram rationem hoc arguit tum phrasis & hypothesis dictarum legum, tum natura tituli, sub quo sitæ sunt, *l. Imperator. de in diem addictio.* & notatur in *l. 1. si cer. pets.* ita etiam debet intelligi, *d. l. Quintus*, aliàs non quadraret titulo.

Intellectus l. Quintus depositi.

643. Advertendum etiam circa *d. leg. Quintus* quod glos. & Paul. ibi intelligunt pactum fuisse factum ex intervallo, & sic invalidum duplici ratione, prima, quia nudum nec vestitum ex contractu, secunda quia non expressa usurarum quantitas: & sic volunt ibi usuras nullo modo deberi ex pacto, nec ratione pacti, sed aliunde, videlicet propter moram, vel quia præter domini voluntatem in usus suos convertit. Idem sentit Alberic. non ibi, quia dictum textum non legit; sed in prima parte statutor. *quæst.* 115. ubi per *d. l. Quintus*, dicit, quòd si in contractu bonæ fidei intercedat stipulatio usurarum sine certa quantitate, non valet, nec ex ea agi potest, sed agitur ex ipso contractu bonæ fidei *d. leg. Quintus.* Sed certè horum intellectus est contra text. *d. leg.* eamque subvertit; tum primò quia sequeretur quòd nec alio modo deberentur usuræ in hypothesi, *d. leg.* in qua depositarius non erat in mora, nec illicitè & furtivè utebatur: tum secundò, quia in ea lege nullum verbum de mora vel alio accidenti: sic exponere verbum (*bonæ fidei*,) id est, actione depositi propter moram, non solum divinatorium, sed etiam ineptum & impertinens est, quia totum thema, quæstio & res subjecta est de vi & effectu Epistolæ, seu pacti. Tum tertiò quia est contra omnia alia jura & contra rationem: illud enim pactum (*prospiciam & cætera*) est factum in favorem creditoris, ergo non debet in ejus odium retorqueri ad commodum debitoris præsertim moratoris, *l. nulla juris de legib. l. legata inutiliter de legat.* 1. sed potius eum aggravare debet: sed datâ morâ, teneretur indistinctè de usuris, ergo non debet minus teneri propter dictum pactum, etiam ex intervallo factum. Dicendum ergo quòd *d. leg. Quintus*, debet intelligi de pacto usurarum facto in continenti, utque jure actionis bonæ fidei debeantur ex pacto informato, prout nuper diximus *quæst.* 4. Sed quia illud pactum non erat de certis usuris, nec absolutè, sed sub quodam incerto temperamento, ibi (*prospiciam ne vacui sint tibi*) Jurisconsultus ibi singulariter interpretatur, quòd ita demum habebit effectum, si depositarius eam pecuniam fœneraverit, & usuras perceperit, vel in re sua usus fuerit: quod intelligitur utiliter, ut declarat exemplum præcedens argumento *l. 1. de re dub.* secus si casu infœliciter, cùm per eum non steterit, quia tunc sortem tantùm debebit, ita novè test. illum intelligo. Quo verò casu usuræ veniant, Jurisconsultus non aperuit quantum: ego puto ex aliis juribus supplendum, videlicet ut veniant quantæ aliàs ex mora, scilicet minores usitatarum in regione, ut suprà *num.* 513. reliquum autem lucrum sit depositarii & hoc æquitati mentique legum & partium convenit.

644. Non obstat quòd non debet valere pactum, etiam stipulatio usuratum, earum quantitate non expressâ, *l. quod in stipulatione leg. tutor. in fin. de usur.* quia verum est dutobus concurrentibus, primo, quando aliàs de jure non deberentur ex mora: secundo, quando nec quantitas, nec modus exprimitur, quia tunc posset debitor causari intellexisse de quadrantibus usuris, vel aliàs tam modicis, ut non essent considerabiles. Secus quando modus aliquis exprimitur, ut si quis promittat moderatas vel mediocres usuras: vel promittat futurum, ut nummi non sint vacui, *ut d. l. Quintus*, vel ne sint sterile, quod in idem recidit: quia tum intelligitur de aliquibus utilibus, & commodis, & de minimis inter consuetas & utiles: subsistente verò justa causa, ex qua de jure ex mora venirent usuræ, valet omnino pactum, quia ad jus refertur. Et quantum mora in hoc operatur, sive dilatio data sit, sive non, puta si emptor re tradita, vel socer qui dotare tenetur, promittat indefinitè usuras: intelligitur enim de legitimis, ut tetigi suprà *quæst.* 72. *in fin.* quod est utile etiam hodie in praxi. Licet enim non veniant ad formulam *leg. eos*, tamen æstimantur ad congruum interusurium, ut suprà *num.* 537. idem si formaliter non promisit usuras, sed quod nummi non erunt vacui nec steriles in casum dilatæ solutionis, *per d. l. Quintus.* Si verò extraneus promitteret dotem, qui aliàs non tenebatur, valebit ea generalis clausula usque ad trientes, non ultra, *l. ult. in fin. C. de jure dot.* sed operabitur quòd statim currant, non expectato biennio. Ex his decidituir pulchra quæstio de qua inter hæc scribendum consultus fui. Certa summa in tractatu matrimonii promissa, & nisi solveret, promisit pendere reditum indefinitè his verbis (*la loy en feray rente*) quæsitum est de validitate & effectu clausulæ. Breviter respondi: Primò, non intelligi factam novationem, videlicet quin creditor reditu omisso posset sortem exigere: tum quia in dubio novatio nunquam præsumitur, *l. ult. Cod. de novatio* suprà *num.* 618. tum quia censetur in dubio in solius creditoris favorem hoc dictum, per notata in *l. quamvis de pignorat. actio.* suprà *num.* 367. & consequenter non censetur actum de fœnore negotiativo, saltem in quo alienatur sors. Et sic relinquitur, quòd censetur cogitatum de fœnore incidenti, & consequenter de vera usura ob moram. Et licet promissor interim non sit in mora, tamen quia dilatio certa vel incerta tacitè vel expressè indulgetur contemplatione dictæ promissionis, censetur effectus moræ, quantum ad usuram legitimam, non solùm conservatus, sed etiam deductus in dispositionem, ex die tamen nuptiarum & onerum matrimonii *l. tali de jure dot.* Et sic in terminis juris intelligitur de legali, hodie verò apud nos de quincunciali, salvo quod si promittens non tenebatur dotare, satis erit intelligi de trientibus, *d. l. ult. C. de jure dot.* idem in similibus. Ex his plenè & novè liquet, quæ sit sententia juris civilis & æquitas in usuris depositi, & multæ leges obiter nativo suo sensui restitutæ. Nunc novus non minor nec minus necessarius labor obiter in dispungendis & luci suæ restituendis legibus usurariis mandati, quod si cui forsan ex prædictis satis expeditum & jam supervacaneum videatur, legendo sequentia, necessarium judicabit. Cæterùm lubentissimè hoc prolixo & molesto intricata extricandi labore caruissem, si glos. & Doctores hæc rectè explicuissent, aut si quis alius antevertisset, meque tantis laboribus relevasset: sed

quia nullus adusque inventus est, necesse mihi fuit quod semel introivi, excedere & concoquere, nec alioquin mihi viderer susceptro instituto legitimè & bona fide perfunctus. Plures autem quæstiones circa materiam mandati occurrunt, sed necessarias tantùm expediam, & methodi gratiâ ab ea quam tradit Jurisconsultus Aphricanus in *l. qui negotia ff. mandati*, incipiam.

QUÆSTIO LXXXIV.

SYNOPSIS.

1. *Usuræ non debentur ex pacto & num.* 2.
2. *Error Doctorum.*
3. *Differentia depositi, & mandati.*
4. *Notatus Bartolus.*
5. *Quid mutuum?*
6. *Plurimæ leges in concordiam adducuntur.*

645. OCtogesimo-quartò. Cùm procurator Titii pecuniam exegisset à debitoribus, per Epistolam rogavit dominum, ut ea pecunia sibi credita, vel data esset sub usuris semissibus, vel ut propius sequamur ϛ *fin.*, cupiens procurator de pecunia domini sibi ipsi ad tempus negotiari, vel aliter ad commodum suum uti, nolens tamen hoc facere domino inscio, omnique interim commodo fraudato, paucis agens erga dominum, de cujus propensa voluntate confidebat, significavit eam se tanquam sibi creditam ex die fortè Epistolæ emissæ debiturum sub dictis usuris, dominus acceptavit Epistolam: quæritur an ea pecunia sit mutua, & an dictæ usuræ peti possint? Forsan dices me actum agere, nullamque superesse quæstionem, cùm ibi sit casus legis rotundus, disertè decidentis tam sortem quàm conventas dictas usuras actione mandati deberi: tamen quia per glos. & Doctorum omnium adusque commenta *dicta l. de illis est*, quæ ob opiniones & controversias eorum non intelligitur, aut longè secus quàm deceat, intelligitur, non est inutilis, sed perquam necessaria nova hæc nostra analytica enarratio: duo enim mala principaliter, ex quibus multa oriuntur, fecerunt & ex seipsis invexerunt glos. & Doctores. Primum, quia dictam legem multipliciter fecerunt reliquis juribus contrariam, & repugnantem ex diametro: deinde ad varias frigidas & commentitias solutiones, seu potius pervertiones confugerunt. Secundum (quod capitalius est) conclusionem seu decisionem apertam dictæ legis penitus inverterunt. Cùm enim disertissimè decidat usuras conventas actione mandati deberi, contrarium directò censent, videlicet non deberi conventas, sed usitatas in loco, nec debere jure actionis, sed nudo officio judicis. Ita Jacob. Buttrig. & Bar. ibi *qui cum transire solent.* Quidam etiam, ut Guid de Suza, cum quo transire videtur Alberic. ibi, intelligunt usuras non deberi ex pacto, sed ob moram, quod in idem recidit, & est pariter contra totam illam legem ubi procurator non erat in mora, cùm bona fide rogasset, & obtinuisset jus utendi: nec ibi fit ulla mentio moræ, nec quæritur de usuris post tempus moræ, sed de usuris ex tempore emissæ Epistolæ, pro tempore, quo procurator citra ullam moram legitimè usus fuit.

Error glos. & Doctorum.

646. Ut ergo prius quam quæ glos. & Doctores intricaverint singulatim extricemus, verum & *principium* dictæ legis sensum paucis restituamus, qui est: Duæ ibi ab Aphricano secantur quæstiones, sed secunda *ἐυσία*, prima sortis, secunda usurarum scilicet conventarum. Porrò de sorte nullum erat dubium, de substantia & efficacia obligationis, quin omnino deberetur, solùm autem ambigi poterat de formula actionis, videlicet an deberetur & peti posset tanquam mutuatitia certi condictione ex mutuo tantùm. Circa usuras autem longè maius erat dubium, quia non solùm de formula actionis, qua peti possent; ambigebatur, sed multò magis de substantia & efficacia obligationis, videlicet an usuræ conventæ, efficaciter, sive naturaliter & civiliter deberentur. Et hæc erat principalis, imò in effectu tota quæstio: nec enim verisimile est aditum & consultum fuisse Jurisconsultum specialiter super sorte, an jure peti posset, cùm nullum esset dubium. Fuit igitur (ut res ipsa ostendit) consultus super effectu dictæ conventionis & Epistolæ, & an dictæ semisses usuræ peti possent, & qua actione. Cum autem hæc quæstio penderet à causa obligationis & formula actionis ipsius sortis, prudenter & acutè Aphricanus eam consultationem secuit in duas partes seu quæstiones, primam præambulam sortis, secundam principalem usurarum: ideoque primam licet incidentem solam excutit, quoniam ex ea immediatè sequitur decisio secundæ & principalis quæstionis. Hîc mihi vide, quàm dextrè Jurisconsultus statim scopum petat, remque ipsam acu tangat. Ibi quæsitum est, an ex ea causa credita pecunia peti possit: pungit enim initio, & tacitè urget rationem ipsam dubitandi, quæ erat quod in mutuo, & generaliter in omnibus contractibus stricti juris non debentur usuræ ex nudo pacto. Constabat autem hîc esse nudum pactum nec stipulationem interveniisse, nec intervenire potuisse, utpote inter absentes: & sic tota difficultas versabatur in hoc, an conventio contenta in dicta Epistola esset contractus meri mutui & stricti juris, & sic an sors tanquam credita sive mutuata tantùm peti posset, an verò ea conventio esset contractus bonæ fidei, vel comprehensa in contractu bonæ fidei, in quo pactum nudum valet ad agendum, & consequenter sors & usura conventa ex contractu & actione bonæ fidei peti posset: ideo signatè dixit Aphricanus: *quæsitum est an ex ea causa pecunia credita.* Hæc enim arbitror esse verba Jurisconsulti, ad decisionem sese accingentis, sive ita ab eo in commentariis suarum quæstionum compendiosè & appositè scriptis mandata: neque enim verisimile est, ut dixi, consultorem ita subtiliter & argutè interrogasse, sed solum de usuris, de quibus tantùm dubitabat, vel simpliciter quid juris, in textu ibi (*Respon. non esse creditam*) statim totam quæstionem implicitè solvit, quam mox plenius exagitat, diluendo quæ in diversum urgere videbantur, & tandem apertius concludendo.

Novus & verus intellect. l. qui negotia mandati.

647. Ratio decidendi est, quia ea conventio & Epistola non spectat ad merum contractum mutui stricti juris, prout hîc decidit, ibi (non esse creditam) sed ad contractum mandati bonæ fidei, ut decidit in fine & conclusione legis, ibi (*dicendum actione mandati, &c.*) Et sic benè dicit Jurisconsultus, quod sors non est credita, id est, ex mero & formali mutuo tantùm debita: verbum enim (*credita*) in tota hac lege stat propriè & strictè pro debita ex mero & formali mutuo strictè sumpto tantùm, ut totius legis phrasis ostendit. Et hæc ratio decidendi in utroque capite non est commentitia, nec à me conficta, sed ex verbis expressis, & aperta mente hujusce legis & aliarum legum ejusdem materiæ cum legali nostra æquitate noviter eruta. Primum enim caput quod rationem dubitandi amputat, est in hac lege expressum, ibi (*Respon. non esse creditam.*) Secundum

verò caput, quod rationem decidendi continet, exprimitur in conclusione & decisione legis, ibi (*dicendum actione mandati obligatum.* Quod autem eadem ratio decidendi in utroque capite reliquis legibus & toti legali æquitati conveniat, probatur clarè suprà eo, in *l. si remunerandi*, §. *apud Iulianum* junctis *l. Idemque* §. *si quis Titio eod. tit.* per quæ hæc, *l. qui negotia*, poterat & debebat glossari (licet nullus glossulatiorum & Doctorum adusque animadvertit) & nulla fuisset ἀντιφώνια, nec discrepantia à cæteris legibus. Patet

Apud Iul. actum in . si remunerandi, mandati.

648. Vide pulchrum casum *d.* §. *apud Iulianum* cujus nova discussio ad hunc tractatum pertinet, ubi species est hujusmodi: Caïus jussit Titio, tanquam procuratori suo, certam pecuniam ipsius Caii, puta mille, sumere, & fœnerare periculo suo, scilicet Titii, ita ut certas usuras, puta quincunces, Caïo penderet dumtaxat; quod autem pluris fœneraret, lucraretur: quæritur est de specie & formula contractus & actionis, & respondet Ulpianus non esse contractum mandati, sed mutui dumtaxat, ibi (*in creditum pecuniam videtur accepisse*) & sic non habet Caïus nisi certi condictionem ex mutuò stricti juris. Consequenter pactum usurarum non valet tanquam nudum, ut pote deficiente stipulatione, & alio legitimo auxilio, ut est textus rotundus ejusdem Ulpiani in *leg. idem quæ* §. *si quis Titio eod. tit.* qui clarè loquitur, quando dominus mandavit Titio, ut ab actoribus suis, scilicet mandantis, mutuam pecuniam acciperet, puta mille, non simpliciter, sed sub certis usuris, ut patet in eo textu, qui decidit usuras peti non posse nec ex mandato, quia non est mandatum, nec aliàs, quia non sunt deductæ in stipulationem: & sic præsupponit ibi actum & quæsitum de usuris pactis: & sic in effectu est idem casus in *dict.* §. *si quis Titio* qui in *d.* §. *apud Iulianum in princip.* Ratio decidendi, quia iste contractus non est mandatum, sed merum mutuum fœneratitium. Non obstat quòd dominus usus est verbo mandati, vocando etiam Titium procuratorem suum, quia istud negotium de per se non est mandatum: quoniam materia subjecta non congruit mandato, cùm id agatur, ut pecunia abeat in creditum, ut arbitrio mandatarii sit nomen, ut cui voluerit credat, sibique negotietur, & sic principaliter favore mandatarii: unde non est mandatum, *l. 2. in fin. l. si remunerandi*, §. *si tibi l. Quintus in fin. mandati*, nec etiam iste contractus dependet ab alio generali mandato, in quo includatur, cum iste Titius non esset aliunde procurator Caii, vel si erat in alia re particulari, illud mandatum nihil habebat commune cum isto contractu: & sic remanet merè contractus mutui fœneratorii, & valet quidem mutuum, quia re contractum, sed non valet pactum usurarum, quia nudum: sed si Titius erat procurator generalis omnium negotiorum, vel certæ negotiationis, à qua iste contractus dependeret, & sub ea includeretur, ut mensæ argentariæ, vel fœneratoriæ, tunc non esset nudum mutuum, sed mandatum, & actio mandati bonæ fidei ad hunc contractum tanquam appendicem extenderetur: & sic eadem actione mandati peti possint usuræ, de quibus convenit, etiam citra stipulationem, ut directò probat textus in *d.* §. *apud Iulianum verfic. plane.* & text. *d.* §. *si quis Titio*, à contrario sensu. Et hic est brevis, clarus & germanus intellectus horum textuum, quos Doctores ibi non advertentes ad veram rationem dubitandi & decidendi obscurarunt.

649. Quæ enim Alberic. Bar. Bal. ibi comminiscuntur de mandato speciali, & de mandato, quod contrahendo consumitur & extinguitur, commentitia sunt & rejicienda, quia nec methodum, nec judicium promovent, sed utrumque evertunt. Unde etiam errat Bar. in *d.* §. *si quis Titio* dicens quòd ibi esset mandatum, si non esset expressum verbum mutuum: quia cùm esset in favorem mandatarii, nullâ verborum formulâ fieri potest ut sit mandatum, *d. l. Quintus in fin.* cum aliis nuper allegatis. Eadem ergo ipsissima ratio decidendi habet locum in hac *leg. qui negotia*, ubi erat Procurator generalis ad negotia, saltem ad illa negotia, unde procedebat pecunia, quam procurator rogabat sibi mutuam, & perseverabat actu mandatum: & dominus ibi mutuum vel usum pecuniæ ratione ejusdem mandati suæ vel sibi debitæ concessit juxta formam Epistolæ, quam in totum simpliciter approbavit, contemplatione mandati, vel in in consequentiam procurationis, aliàs non facturus: quare nil mirum si ille contractus incidens sub generali mandato comprehendatur, & illud informet, ut detur actio mandati. Imò videtur esse pars mandati generalis, cujus occasione fit & quoddam particulare incidens mandatum, & sic etiam pactum usurarum, tanquam inexistens generali, & specialiter huic incidenti mandato, quòd etiam bonæ fidei est, valet ad agendum. In textu ibi (*alioquin*) confirmat decisionem & rationem decidendi per locum ab absurdo, & locum à majori destructivè: si enim in hac specie dicendum esset esse merum mutuum stricti juris, & tantùm certi condictione ex mutuo agi posse, sequeretur necessariò quòd ex quocunque contractu vel dispositione pecunia sit nostra, vel nobis purè debita, & debitori conceditur jus utendi, quòd eo ipso, alio non inspecto, & indistinctè, vel nuda pactione erit credita, hoc est ad merum mutuum redacta, quod est absurdum, & contra multa jura, de quibus in quæstione præcedenti, ut in *l. si facculum in fin. depositi*, ubi si post depositum concedam tibi uti, manet tamen vetus actio depositi, & in *l.* 1. §. *quòd si rem, depositi*, ubi si super eadem re incipiat negotium à contractu mandati, licet mox vel postea desinat in contractum depositi, vel in illud recidat, manet tamen prior actio mandati. Et in propria specie legis nostræ, quandò negotium incepit à vero contractu mandati bonæ fidei, si posteà incidat mutuum, quod illud quoque recidat in actionem mandati, casus est in *dicto* §. *apud Iulianum*, *verfic. plane qui hanc legem g'essit*, ut dixi.

650. Valdè autem erraverunt omnes gloss. & Doctores circa hunc textum ibi (*nuda pactione*) putantes ea verba fuisse per Aphricanum apposita ad differentiam stipulationis, per quam debitum ex qualibet causa censent converti posse in causam mutui per *leg. si ex pretio Cod. si cert. pet.* idque ineptissimè: tum quia dicta lex, *si ex pretio*, non probat debitum ex alia causa converti per stipulationem in mutuum: sed potius oppositum, nec etiam ultra alia lex, ut in novis intellectibus dixi. Tum quia *d. l. si ex pretio*, quæ est Diocl. & Maximiani non fuit condita nisi diu post tempus Aphricani, qui teste Capitolino & aliis Chronographis, floruit sub Aurelio Alexandro filio Mammeæ, qui apud Moguntiam fraude Maximini occisus est, plus quinquaginta annis antequam Diocl. & Maximianus imperium capesserent: & sic dici non potest Aphricanum allusisse ad *d. l. si ex pretio*. Dum ergo (nuda pactione) vult dicere, sine alio juris vel facti ministerio, promiscuè & indifferenter, ut diximus in textu ibi (*nec huic simile*) respondet tacitæ objectioni quæ fieri posset à simili mutui, & dicit non esse simile quæstioni *hujus legis*. Et benè: sunt enim duæ magnæ dissimilitudines, nec utramque tangit Aphricanus, sed alteram & minorem tantùm, & adhuc breviter & concisè more suo: præsertim circa hæc incidentia & levia objecta, quæ non nisi eminus, obiter & contemptim attingit.

Differentia major.

651. Prima autem & major dissimilitudo est, quod mandatum ad negotia, de quo in textu, est quid universale & successivum, & sic eo durante, omne pactum connexum vel dependens, vel ejus occasione factum inter dominum & mandatarium, cadit in illud mandatum,

mandatum, & illud informat, & semper dicitur in continenti factum. Depositum verò est actus particularis & momentaneus, qui resemel contrahitur, & sic pactum postea factum non potest dici in continenti juxta illum contractum, qui est actus momentaneus & transiens: sed dicitur factum ex intervallo, quæ est ratio quòd in mandato pactum nudum etiam ex intervallo, respectu principii mandati valet ad agendum etecàs in depositio, ut diximus in *quæstione præced. num.* 640. Secunda & minor dissimilitudo est quòd in casu *hujus l.* non potest absolutè seu omni casu dici pecuniam fieri merè & strictè creditam; etiamsi hoc maximè agerent partes: potest enim accidere procuratorem recepisse nomine suo, & sic eam non esse domini, sed illi debitam; vel procuratorem eam miscuisse, consumpsisse vel amisisse, & sic cùm non possit fieri de meo tuum, non potest fieri merum & strictum mutuum, prout in vero depositio, ubi pecunia est domini, ut hìc in hoc (*nec hujus simile, &c.*) potest fieri merum mutuum, etiam strictè sumptum nudo pacto, cùm de meo tuum fiat. Hanc autem ideò dixi minorem dissimilitudinem, quia solùm ex hoc exemplo vel objecto depositi ostendit non posse colligi pecuniam esse merè creditam in themate hujus *legis* in quo potest esse pecuniam tunc domini non fuisse: sed hoc non concludit in nostro themate usuras deberi ex nudo pacto. Duplici autem ratione Aphricanus in transcursu hujus objecti non tetigit primam & majorem differentiam, tum quia satis habuit incidens illud objectum data instantia elidere, & ostendere quòd non concludit contra responsum suum: tum quia potior illa differentia, quæ est ratio decidendi, satis ex conclusione hujus *legis* & aliis legibus colligi potest.

652. Eodem modo elidit sequens objectum in textu ibi (*item si à debitore*) quòd enim elidendo dicit id benignè receptum esse, non aliò spectat quàm non esse producendum ad consequentiam, nec concludere contra responsum suum *argumento l. 1. ad municipalem cum vulga.* quamvis enim si me rogas mutuum, & tibi delego debitorem meum, à quo recipis, contrahatur inter me & te verum mutuum, licet verè non sit factum de meo tuum, ita quòd pactum usurarum, etiam simul appositum, non valeat sine stipulatione, tamen non sequitur idem esse in quæstione nostra, prout nec sequitur aliud esse. Aliud autem esse in dicto objecto ostenditur ex eo, quòd ibi nullus præcedit inter me & te contractus, in quem recidere, & à quo informari pactum usuratium possit; prout in quæstione nostra non solùm procedit, sed etiam permanet successivum mandatum, & contractus bonæ fidei, à quo pactum informatur. In textu ibi (*his argumentis*) tertium quoddam objectum simile secundo pari forma diluit, dicens nihilo magis (scilicet quàm priore immediatè præcedenti versiculo) esse mutuum: ut enim in priore versiculo est verum quidem mutuum: sed benignè, & ὁ πάντα, non autem secundum strictas & formales regulas mutui, quia non fit de meo tuum: ita in hoc versic. (*his argumentis*) quando roganti mutuum, do rem vendendam, ut pretio utatur, quamprimum vendidit & pretium recepit, statim est verum quidem mutuum, sed benignè, quia non est factum de meo tuum: & hoc est quòd textus dicit (nihilo magis) scilicet quàm in priore immediatè præcedenti versiculo. Et hic eadem nova hac interpretatione, ut longè diversa ab illis, quas variè & distortè adusque tradiderunt glos. & Doctores, ita longè dexterioti & concinniori, simul ostendo & hanc communem veram esse & genuinam literam, & nullo modo adversari *l. rogasti in princ. si cert. pet.* Ex eodem verbo multò magis tacitè innuit Aphricanus quòd ultimum istud objectum non magis obest responso suo, quàm objectum immediatè præcedens, ut res ipsa ostendit, nec repetere opus est. Ideò tamen dicit pecuniam ex argento redactam periculo ejus fore qui accepisset, quia licet non sit mutuum secundùm strictam formulam mutui, cùm ea pecunia non sit de meo tua facta, est tamen in effectu verum mutuum, ut in versic. immediatè præcedenti, & in *d. l. rogasti.* In text. ibi (*& in proposito*) conclusio est, ubi posit rationem dubitandi in præcedentibus remotam, & objectorum dilutionem, vera ratio decidendi clarè & disertè explicatur, ut dictum est. Vides quàm hæc nostra enarratio clara sit, perspicua & expedita, quam literæ mentique hujus & omnium hujus materiæ legum, naturalique & communi sensui consonet: usque adeò promptum est jura juribus concordare, sed ex legali dumtaxat æquitate, quam qui assequi nequiverunt, in densissimas tenebras & fœdissimos errores prolapsi sunt.

653. Vide quid etiam ipsi Bar. acciderit, qui dum non capit rationem decidendi, putat cum cæteris in hac *l. qui negotia*, usuras non deberi ex pacto, nec in vim pacti, sed solo judicis officio, quod est alienum à tota hac *lege*, in qua non fuit quæsitum nec disputatum de usuris, quæ veniunt officio judicis, sed de usuris conventis dumtaxat. Sed ut error errorem trahit, adhuc fœdius contra textum labitur, dicendo quòd non debentur usuræ conventæ, quantumvis legitimæ, sed solum prout aliàs ex nuda mora solo judicis officio æstimabuntur, videlicet minores earum quæ in regione frequentantur. Nec erubescit Bart. textum clarissimum in dispositivis hujus legis, in fine sophistico commento distorquere, dicendo quòd illa verba, de quibus faciunt relationem simplicem, alludendo ad ea quæ notantur in *leg. Iulianus de hæred. instit.* id est in genere, non autem personalem seu specificam: quod est hunc textum penitus destruere, tam in hypothesi quàm in decisione. Patet, quia initio formatur quæstio de sorte & usuris conventis, & quia de sorte supervacuum erat disputare, tota epitasis versatur super usuris conventis, quas tandem respondet Aphricanus deberi, ibi, *de quibus convenerit.* Rogo quid perversius? quid menti verbisque repugnantius, quàm exponere, non de quibus in specie convenerit, sed solùm de usuris in genere, sub quibus contineantur usuræ, de quibus conventum fuit? Si hoc non sit apertè pervertere, nescio quid sit perversio. Quanto autem omnes ignoraverint & subjectum & scopum *d. l. liquet ex eo*, quod putant ibi quæri, disputari, & decidi, an debitum, ex una causa possit in causam mutui nudo pacto converti: in quo Bart. & alii ibi, *& quidem Saguinus inter commentaria Bal.* per 16. *collationes.* Bart. & omnes in *l. singularia*, miserè sese & auditores & lectores discruciant, idque non solùm frustra, sed maximo & temporis & ingeniorum detrimento. Error Bar. & aliorum.

654. Hìc multæ aliæ leges noviter explicandæ occurrunt, sed brevitatis causà, & ne præsentis Tractatus materiam nimis excedam, dico primò, quòd debitum ex una causa non magis potest converti in mutuum per stipulationem, quàm nudo pacto: hæc enim differentia nullo jure probatur. Non obstat *l. si ex pretio Cod. si cert. petat.* quia longè alium scopum habet, quàm vulgò putant, ut dixi in novis intellectibus. Secundò dico, quòd nec stipulatione, nec pacto potest converti in verũ mutuum strictè sumptum: quia in hac conversione semper est quædam fictio *l. singularia, in fi.* ibi *videtur si cert. pet.* sed fictio nunquam est illud idem quod veritas, licet quandoque æquiparetur, *l. quod Nerva. depositi.* Tertiò dico (rejecta phantastica & inutili, ut alibi plenius dixi, divisione mutui naturalis & civilis meri, & cui natura cooperatur, Accursij in *l. 2. in fin.* & omnium Doctorum ibi, & in *d. l. singularia si cert. pet.* & omnibus ambagibus super ea ab eisdem cumulatis) quòd duplex tantum est mutuum, scilicet merum & non merum. Sed hæc nostra distinctio duplici respectu considerari potest: primò, quantum ad

intrinseca sive substantialia & naturalia mutui: secundò, quantum ad extrinseca, ut quandò jungitur cum alio contractu. Primo respectu merum mutuum est, quod propriè & strictè capitur, videlicet quando realiter fit de meo tuum, ut liberaliter utaris, & tantumdem dumtaxat reddas. Mutuum verò non merum, sive minus proprium est, quando verè non fit de meo tuum, sed tua fit pecunia aliena, & agitur ut cedat in mutuum à te mihi debendum, sive hoc agatur inter me & te tantùm, ut quando mutuaturus tibi delego debitorem meum, ut quod recipies, cedat in mutuum. Idem si quemlibet, non debitorem nomine meo de suo numeraturum interpono, sive inter me & te tantum, sive inter me & te & numerantem agatur, ut hoc debeas mihi mutuum: textus in *d. l. singularia in princ.* Idem si tantum inter te, tibique nomine meo numerantem hoc agatur, me ignorante, sed postea acceptante, *l. certi condictio* §. *si nummos, si cert. petat.*

Merum mutuum.

655. His enim casibus est verum mutuum, quia verè proficiscitur pecunia, & fit tua titulo mutui, sed paulo minus proprium, quia pecunia non erat mea. Idem è converso, si verè proficiscatur pecunia, quæ erat mea, sed non fit verè tua, sed ejus cui mutuo nomine solvere voluisti, sive ei donaram volebas, sive erat creditor tuus: contrahitur enim verum mutuum inter me & te, si hoc actum fuit, licet paulo minus proprium, quam si tibi numerassem: alias nisi actum esset de mutuo, esset mandatum, & sic soluta est prolixa dubitatio Dom. Saguram, in *d. l. qui negotia, col.* 13. inter commentaria Bald. Item adhuc minus merum & minus proprium mutuum est, si pecuniam purè mihi debes, & convenit ut crediti nomine eam retineas: est enim verum quidem mutuum, *d. l. singularia in fin.* sed largè & minus propriè: magis enim degenerat, quàm in prioribus exemplis, ubi verè proficiscitur pecunia, verè fit tua, licet vel verè non esset mea: vel si verè erat mea, non verè fit tua, sed ejus cui nomine tuo solvi voluisti. Et sic unum tantùm deest de formula & natura veri mutui, videlicet quòd pecunia non erat mea, de quo nihil ad te, cùm æquè sit facta tua: vel erat mea, sed non est verè facta tua, sed ejus, cui nomine tuo solvi voluisti, quod in effectu idem est ac si verè tua esset facta: & sic iste unicus & modicus defectus parum est in consideratione. Unde statuta de tacita hypotheca vel privilegio, vel de nexu, aut carceratione personæ debitoris in mutuo, habebunt æquè locum in prædictis exemplis, sed non in illo ultimo exemplo; in quo non proficiscitur pecunia, sed retineretur: quod ideò longius degenerat à natura & integritate meri mutui, quia duo ejus substantialia deficiunt, vel tria. Primum quòd verè non proficiscitur pecunia, sed tantùm retinetur. Secundum, quia non erat mea. Tertium, quia non fit tua reali & strictâ veritate inspecta. Unde etiam in terminis juris exceptio non numeratæ pecuniæ locum habebit etiam in dictis prioribus exemplis, sed non in hoc ultimo, casus est in *l. adversus Cod. de non num. pecunia.* quæ ita debet intelligi.

Quatuor gradus mutui.

656. Ex prædictis possunt dari tres gradus mutui. Primus meri, in quo proficiscitur pecunia mea, & fit tua titulo mutui, & sic omnia concurrunt. Secundus paulò minus meri, in quo verè proficiscitur pecunia & verè fit tua, licet non esset mea: vel si erat mea, non verè fit tua, sed ejus cui tuo nomine solvi voluisti. Tertius, impropri mutui, ut in dicto ultimo exemplo, ubi non proficiscitur, sed retinetur: unde potius est fictum, quàm verum mutuum, quia magis accedit dilationi veteris debiti, quàm vero mutuo. Tamen si constet partes non agere de simplici dilatione, sed etiam velle novare prius debitum, & transformare in causam mutui, benignè receptum est hoc fieri posse, etiam nudo pacto, *dicta leg. singularia in fine.* Et meritò, tum quia est ad commodum debitoris, tum quia adest præcipuum & substantiale & finis mutui, quod nihil aliud est quàm officium & liberalitas usus, sive officiosa concessio usus rei fungibilis, ut tantumdem postea reddatur, & istud verè intervenit in hoc ultimo gradu. Et sic si concurrat quòd partes intendant novare ut mutuum sit, & ex mutuo deinceps debitum admittendum est, ex benignitate tamen & impropriè, ut probat textus à fortiori in *dicta lege, qui negotia, versic. Item si à debitore*, quia reliqua substantialia deficiunt. Et ita debet intelligi *dicta lex, singularia in fine*: ubi non refert ex quacunque causa prius debitum sit, nec an pecunia sit præsens, vel consumpta, vel solutioni parata, vel non: quia eadem ratio & æquitas est, nullo casu ad hoc requiritur stipulatio, quia nullo jure probatur. Nec obstat, sed mirum in modum consonat *dicta leg. qui negotia.* ut statim clariùs. Potes addere quartum & remotissimum gradum mutui, ut & suprà in *disposito numero* 637. quando fit sub usuris: nunc enim omnium maximè degenerat à simplicitate & substantia veri mutui, quæ principaliter in officio & liberalitate consistit: imò mutuum propriè nihil aliud est quàm officium & donatio usus pecuniæ. Sed si fiat sub usuris, jam venditur officium, & sic desinit esse officium, & transit in negotium fœneratorium, quæ est species opposita: quia donatio seu beneficium & negotium contrariè opponuntur: textus in *l. interdictum de precar.* Ne cavilleris quod non erit usura si desinat esse mutuum; quia non desinit esse mutuum materialiter, & impurè: usura enim non est forma & puritas, sed labes & inquinatio mutui.

Mutuum usurarium.

657. Secundo verò respectu, de quo suprà *num.* 654. merum mutuum est, quando non est aliud quàm mutuum, non concurrente vel admista alia obligatione & actione, ut in *l. si remunerandi* §. *apud Iulianum in princ. mandati, in l. cum quid si cert. peta.* & passim in jure. Tripliciter autem contingit admixtam esse vel concurrere aliam obligationem, & actionem. Primò, quando numerationi pecuniæ ex causa & titulo mutui additur in continenti stipulatio, sive procedat, sive sequatur; quia tunc una est obligatio, & unus contractus, non solùm propter concursum subitaneum, sed multò magis propter intentionem & formam: quia creditor non erat facturus unum sine alio, & sic non fit novatio (quia ea requirit diversa extrema) sed unus contractus & unica obligatio efficitur, *l. si ita fuero* §. 1. *cum l. seq. de novation. l. si ita stipulatus*, §. *Chrysogonus versic. superest, de verb. oblig.* quæ ita debet intelligi, ut dixi in novis intellectibus, vires tamen ille cō tractus habet & privilegia utriusque causæ, ut ibi probavi, & tetigi in annot. ad Philip. Deci. in *l.* 2. *§. fin. num.* 13. & in *l. singularia num.* 16. *si cert. pet.* sic non est merum mutuum, sed mistum ex stipulatione, cujus etiam vires habet: nec minus habebit vires & prærogativas mutui, si quæ fortè ex statuto loci sint. Secundo modo, quando mutuum incidit & dependet à mandato generali permanente, & ejus occasione vel contemplatione: quia tunc ex utraque causa obligatio & actio oritur; textus in *d.* §. *apud Iulianum, versic. planè.* In illa implicativa quoque quæ probat non solum mandati actionem competere, ut in *d. l. qui negotia per. tot.* sed etiam certi condictionem ex mutuo. Et sic non est merum seu solum mutuum, sed mandatum quoque: nec solum mandatum, sed etiam mutuum ad hæc jura allegata suprà *num.* 647. Secus si jam mandatum erat finitum, & mandatarius erat reliquator, unde rogavit mutuum: quia tunc hoc secundo respectu est merum, hoc est nudum & solum mutuum: sed primo respectu, siquidem pecunia erat domini, est verum & merum mutuum, etiam primi gradus strictissimè sumptum, sicut & si habens depositum ut speciem, rogaret mutuum. Aut vero pecunia erat tantum in genere debita, & tunc est mutuum impropriissimum tertii gradus. Tertio

Mutuum ionum tripliciter.

modo, quando mutuum accedit contractui nominato reciproco, ejusque contemplatione fit, ut si dominus locet fundum colono justa mercede, ita ut ei teneatur mutuare centum vel aliam summam semel vel pluries durante locatione: valet enim pactum, & informat contractum principalem, & sic mutuo secuto, non solùm competit certi condictio ex mutuo, sed etiam actio ex locato, quæ omnia pacta & dependentia includit, quinetiam actio præscriptis verbis, argumento *l. 1 Cod. de pactis inter empt. & vend. l. Labeo 2. de contrab. empt.*

Concordia legum.

658. Et sic vides quam nulla sit *antinomia* inter *d. l. singularia in fin.* & *d. l. rogasti*, quam nulla indigeant ariolatrice subauditione, & distorsione, sed omnia plana sint & perspicua. Quia quòd *d. l. singularia in fin.* ait esse mutuum, loquitur per quandam fictionem in textu ibi (*videtur*) & intelligitur ex quadam singulari benignitate, non stricto jure, nec secundum regulas mutui, ut omnes fatentur. Sed *d. l. qui negotia*, negans esse mutuum, loquitur de mero & proprio mutuo, strictè sumpto in primo gradu, & sic omnia plana. Fortius dicimus quod etiamsi *d. l. singularia in fi.* specialiter loqueretur, quando pecunia esset mandantis, non tantùm debita, & sic in vero, stricto & proprio mutuo primi gradus (quod non) adhuc nulla esset contrarietas: quia *d. l. qui negotia*, negans esse mutuum, loquitur de mero mutuo, non primo, sed secundo respectu, hoc est negat esse mutuum tantùm, sive per se solùm: & meritò, quia etiam mandatum est, & actio mandati bonæ fidei competit, non autem sola condictio ex mutuo stricti juris, ut patet in toto contextu *d. l.* quæ de hoc solùm disputat, ad sciendum an valeat pactum nudum usurarum: non autem disputat, an etiam mutuum insit, prout inesse quoque probat textus *d. §. apud Iulianum eod. tit.* & *d. l. singularia in fi.* ubi adhuc propriè loquitur, quando pecunia erat tantùm debita ex qualicunque veteri mandato, jam finito tempore pacti: sed *d. l. qui negotia.* loquitur quandò mandatum erat generale & permanens tempore pacti. Pariter tantum abest ut *d. l. rogasti.* in princ. *si cert. pet.* discrepet, ut omnino conveniat cum *d. l. qui negotia, vers. his argumentis.* Quod enim *d. l. rogasti.* ait esse mutuum, debet intelligi de mero & stricto mutuo; sed paulò minus proprio, sive secundi gradus, quod est verum quidem mutuum, sed ex quadam benignitate, quia pecunia non erat mea: licet reliqua omnia substantialia interveniant, sicut quando jubeo te accipere à debitore meo. Idem autem differrè ait *d. l. qui negotia, versic. his argumentis.* tantum enim abest ut neget prorsus esse mutuum, ut expressè velit æquè esse mutuum, sicut cum jussi te à debitore meo accipere, quo casu ait esse mutuum, non merè, vel stricto jure, sed benignè. Facessant igitur omnes subauditiones, ariolationes, perversiones & ingeniorum carnificinæ omnium glossi. & Doctorum quæ non solum inutiles sunt in consulendo & judicando; sed etiam perniciosæ, contra legalem æquitatem, & sensum communem, contra literam & mentem dictarum legum. Quòd si cui interim prolixior videar, respiciat ad rerum summam; & si sibi cæcus sit, brevem judicabit, quia simul eodem stilo plurimæ leges noviter ab inveteratis & desperatis erroribus extricandæ fuerunt ad refellenda contraria, nostra verò & probanda & confirmanda. Rursus ad multarum id genus legum novam & analyticam explicationem operæ pretium est sequentem addere quæstionem.

QUÆSTIO LXXXV.

SYNOPSIS.

1. *Vapulant acerbè Doctores.*
2. *Mutuum nihil aliud est quàm officiosa concessio usus rei fungibilis.*
3. *Vtile per inutile non vitiatur.*
4. *Actio ex mutuo est stricti juris.*
5. L. si pro mutua C. si cert. pet. *sapit ferociorem auctorum suorum indolem.*

Summa communis errorum.

659. OCtogesimo quintò, quia in transcursu quæstionis præcedentis *num.* 648. obiter perstrinximus receptam adusque sententiam, de conversione debiti ex alia causa in causam mutui ex intervallo, ne lectores discendi cupidos diutius in suspenso teneam, donec otium mihi detur centurias nostras novorum intellectuum adornandi, & in lucem emittendi, quæritur, an de jure vera sit ea communis traditio, cujus (eorum multiloquio omisso) summa est, quod si quidem in contenti ita convenerit, possit indistinctè vel nudo pacto converti in mutuum, *l. si pro mutua, Cod. si cert. pet.* quam ità intelligunt, & *l. pro auro, Cod. de usur.* Si verò ex intervallo, tunc si pecunia erat præsens, & solutioni parata, siquidem creditor eam videat, possit nudo pacto converti in mutuum, quod erit verum & naturale, per *leg. pecuniam de solution. l. 1. §. si jusserim, de acq. vel amitt. possessione.* Sed si non videat, sit tamen solutioni parata, præsens vel non, sit mutuum naturale non merè, sed cui jus civile cooperatur, ut in *leg. singularia secundo responso, si cert. pet.* quam ita intelligunt & restringunt. Si verò nec solutioni quidem parata erat pecunia, tunc nullo modo possit credita heri, nec in mutuum converti nudo pacto, *l. qui negotia, mandati*, quam ita intelligunt & restringunt, sed benè per stipulationem indistinctè, & tunc erit mutuum civile, per *l. si ex pretio C. si. cert. petat.* quam ita intelligunt & coarctant: sed interim, *l. adversus C. de non nu. pec.* relinquitur in medio, variis intellectibus discerpta: ita tamen tenent, distinguntque expediunt omnes in *d. l. singularia in d. l. qui negotia*, & in *d. l. si ex pretio*, & ubicumque de hoc tractant, nec melius dicere potuit communis schola humi serpens, & ad legalis æquitatis lucem ascendere nondum valens. Quam autem sit frigida & à genuino sensu legum aliena ea traditio, nolo nunc singulatim discutere, id etiam satis ostendit ipsa qua passim laborant, *στομφία*; & hinc necessitas hæc figmenta commiscendi ad sophisticam quamdam legum prima specie dissidentium conciliationem, non minus nepram ad rectè consulendum & judicandum, quàm à communi sensu & mente legum alienam, litibus tantùm irritandis & intricandis idoneam.

Veritas juris.

660. Breviter dicimus quòd omne debitum rei fungibilis sive mutuabilis nudo pacto vel consensu, sive in contenti, sive ex quocunque intervallo, mutuum fieri, seu in mutuum converti potest: non tamen intelligas quòd semper sit merum mutuum, sed proprium vel improprium, prout rei subjectæ materia patietur. Probo, quia cùm mutuum nihil aliud sit de se, quàm liberale officium creditoris, vel domini usum pecuniæ suæ vel sibi debitæ ad tempus præfixum vel non præfixum concedentis, ut postea tantumdem reddatur, ut suprà *num.* 75. non est dubitandum quin hoc beneficium quandocunque dari vel concedi possit, *leg. inve mandata, Cod. mandati*, nisi nolenti *leg. invito de regul. jur.* Sive igitur quis ad hoc numeret pecuniam suam, vel debitam, vel solutioni paratam,

& oculis expositam mutuam concedat, erit verum & naturale mutuum, propriè & strictè sumptum, quod etiam omnes fatentur: quia omnia substantialia & naturalia mutui concurrunt. Sed si proficiscitur pecunia (& idem de quavis re fungibili) & fit tua, quamvis non esset mea, sed vel mihi debita, & jussu meo tibi soluta, vel etiam nec mihi debita, sed ab alio nomine meo, etiam me ignorante, tibi numerata. Item si proficiscitur mea, sed non fit tua, sed alterius, cui nomine tuo datum, vel solutum volebas, eo acto ut haberes mutuum, fit verum mutuum, non mero & stricto jure, sed ex benignitate, ut in *dicta l. singularia in 1. responso.* Idem si proficiscitur pecunia, & fit tua, sed non erat mea, nec propriè mihi debita, sed orta seu profecta ex re mea, quam ad hoc tibi tradideram, ut in *leg. rogasti in princip. si cert. petat.* In his omnibus & similibus est mutuum secundi gradus, quia non deficit à mera & stricta formula mutui, nisi in uno & modico, ut suprà *num.* 656. Ideò etiam propriè dicitur mutuum, largè & benignè accipiendo mutuum. Si verò non proficiscitur pecunia, sed quod mihi purè debes, placuerit, ut mutuum habeas, fiet mutuum indistinctè, *dicta leg. singularia in fin.* Et siquidem ex intervallo, nec pecunia solutioni parata ei ostensa, erit mutuum improprium, & tertii gradus: quia pecunia, licet olim fortè à me profecta fuerit, sed ex intervallo, tamen nunc non proficiscitur, nec est mea nec fit tua verè; sed solùm per æquipollentiam datur, idem beneficium seu eadem officiositas mutui exerceatur, & sic non est mutuum strictè & merè, ut in *dicta l. qui negotia in primo responso*: sed benè ex benignitate *dict. leg. singularia, secundo responso.*

Declaratio l. si pro mutua l. si ex pretio C. si cert. pet.

661. Idem dico, si etiam in continenti placeat esse mutuum, sed non proficiscitur pecunia mea, sed alia res mea in specie consistens & æstimata, ut in *leg. si pro mutua, Cod. si cert. peta. leg. pro auro Cod. de usur.* cùm enim agatur ut si mutuum, statim pro quantitate æstimata, antequam species vendantur, & quicquid de illis postea fiat, apparet non posse esse mutuum, etiam secundi gradus propriè & largè sumptum: quia illud non potest esse, nisi tempore mutui proficiscatur pecunia strictè sumpta, *l. 2. §. item mutuum, de reb. credit.* Et sic iste casus multum differt à *dict. l. rogasti in prima*, quia ibi agebatur ut non esset mutuum, nisi donec, & tunc cum pecunia ex re mea relicta proficisceretur, quod congruit naturæ mutui, ideò spectat ad secundum gradum. Sed hic, videlicet in *d. l. si pro mutua*, agitur, ut æstimatio specierum statim sit mutua, quod longius degenerat a natura mutui. nec minus quàm in exemplo immediatè præcedenti, de quo in *d. l. singularia in fin.* & sic utroque casu non est mutuum, nisi impropriè & in tertio gradu. Differunt tamen in alio hæc duo tertii gradus exempla, videlicet *dicta l. singularia in fin.* & *dicta l. si pro mutua*, quia in primo exemplo, videlicet quando ex intervallo ita placet, ut in *d. l. singularia in fin.* non novatur, sed remanet prior obligatio, nisi expressè facta fuerit novatio *leg. ult. C. de novation.* Casus est & exemplum notabile in *d. l. si ex pretio*, ubi dicitur quòd siquidem facta fuerit expressa novatio per stipulationem, valet & est efficax etiam pro usuris in stipulationem deductis pro rata quantitatis novatæ, licet nulla quantitas tunc numerata fuerit, ex quo præcesserat justa causa obligationis. Si verò non intervenerit stipulatio, nec novatio, sed dumtaxat pactum nudum pecuniam mutuam fore sub usuris, remanet pristina obligatio, sed non valet pactum usurarum, quia nudum: unde non poterunt peti usuræ conventæ, poterunt tamen peti ex priori actione secundùm ejus naturam, videlicet ob moram, si actio est bonæ fidei.

662. Adverte etiam quòd *dicta l. si ex pretio in fin.* videtur velle, quòd dictum pactum in totum sit nullum, & nihil esse mutatum de priori obligatione, in tantum quòd promptè posset exigi sors ut prius poterat, non expectata congrua dilatione quæ mutuo inest, juxtà notata suprà *num.* 82. Ad hoc facit quòd debitor, qui detrectat usuras, non potest se juvare pacto, quia & mutui & usurarum unum tantum pactum est, nec potest debitor in parte approbare, in parte reprobare, & sic eo ipso quòd contravenit detrectando usuras pacti, debet privari omni commodo pacti per jura vulgaria. Sed his non obstantibus, dicendum est quod illud pactum nudum valet quantum ad beneficium mutui, sed non quantum ad usuram, *l. si remunerandi, §. apud Iulianum in princ. l. idemque §. si quis Titio, mandati*: sunt enim duo distincta & separabilia, nihil de se commune habentia, scilicet pactum mutui, licet impropriè quod per se valet & parit actionem, *d. l. singularia in fin.* & pactum nudum usurarum, solùm mutuo adhærens, & sic invalidum. Consequenter utile per inutile non vitiatur. Non obstat quòd sunt conjuncta propter intentionem creditoris, qui non erat facturus unum sine alio argumento *l. Pedius §. 1. de arbitr.* quia respondeo quòd creditor scit vel scire debet non valere pactum nudum usurarum in mutuo, licet mutuum valeat, & tamen procedit ad contractum mutui sub usuris: consequenter censuræ juris se subjicit ut stetur contractui mutui, sed non usuræ. Limito, ut procedat si dilatio erat brevis, secus si longa: quia tunc æquitas suggerit ei non stari, nisi stetur usuræ congruæ, & hoc ne creditor damno nimio afficiatur, & debitor cum ejus jactura locupletetur. Non obstat verbum (simulatis pro infectis) quia ille ablativus absolutus implicat conditionem sine qua & quatenus sint simulata, ut notatur in *l. à testatore, de condition. & demonstration.* unde si pactum mutui non fuit simulatè factum, sed seriò, ut præsumendum est valet, licet usura non teneat: & tamen verum est, nihil mutari de priori obligatione, scilicet in se, quia non novatur nec minuitur, licet exactio temperetur ad tempus contractus mutui quod concurrit. Et etiam textus ille non negat competere certi condictionem ex pactis mutui, sed hoc suppletur per *d. l. singularia.* quæ pariter non negat manere veterem actionem & obligationem, ut probatur per *l. ult. C. de novation.* & suppletur per *d. l. si ex pretio in fin.* argumento *l. non est novum*, cum *l. seq. de legibus.*

L. singularis si cert. &c.

663. Sed si quæratur an in *d. l. singularia, in fin.* pactum illud nudum informet etiam actionem præcedentem, ut si fit factum sub usuris, peti possint usuræ jure actionis, recurrendum ad *d. l. si remunerandi §. apud Iulianum* & ad *l. qui negotia, mandati*, quia aut vetus mandatum tum erat finitum vel revocatum, & tunc illud pactum non habet quod informet, & remanet nudum, seu propriùs loquendo, solum: non enim omnino nudum est, cùm recidat in contractum nominatim mutui contracti re, hoc est per retentionem pecuniæ debitæ titulo mutui, & pariat certi condictionem ex mutuo, licet improprio & tertii gradus, *d. l. singularia in fin.* quæ generaliter loquitur, & generaliter debet intelligi. Sed illud pactum est solùm, id est dumtaxat mutuum improprium, & sic adjectum pactum nudum usurarum non valet, *leg. Titius de præscript. verbis leg. quamvis Cod. de usur.* Aut verò vetus mandatum adhuc erat in actu suo successivo, & tunc pactum mutui cum usuris non solùm, seu merum pactum mutui, sed etiam pars dicti mandati: & sic etiam usurarum pactum actionem mandati informat, *d. l. qui negotia.* In secundo verò exemplo hujus tertii gradus videlicet *d. l. si pro mutua.* quando ab initio convenit esse mutuum, non nascitur nisi una obligatio & actio mutui, quæ est stricti juris & sola: & sic etiamsi in continenti fiat pactum nudum de certis usuris, non valet, nec potest informari à principali contractu: quia cùm illud sit mutuum, hoc esset contra ejus naturam; & contra *l. 3. Cod. de usur.* Et sic ut hoc casu usuræ debeantur, non sufficit pactum, etiam

in continenti, sed necessaria est stipulatio, ut in *d. l. si pro mutua*, quæ ita debet intelligi: Non enim ibi agitur de convertenda una causa in causam mutui nudo pacto in continenti, ut malè putant Doctores, quia ab initio non oritur nisi causa mutui quæ manet.

Æstimatio facit venditionem.

664. Sed contra illud fortiter opponitur, quòd imò in hoc exemplo insit vera venditio, & sic quòd etiam citra stipulationem efficax est pactum nudum usurarum, cùm sit in continenti appositum, & informet actionem ex vendito, per tex. in *leg. initio de pact. inter emptor. & vendit.* Probatur major, quia hîc sunt datæ res æstimatæ, quæ æstimatio in dubio facit venditionem, *leg.* 1. §. *æstimatarum*, *Cod. de rei uxoriæ actio.* h. *quoties*, *Cod. de jure dot. leg.* 3. & ibi Bart. *locati*, *leg. plerumque*, §. *sciente*, *leg. quoties*, *de jure dot.* Alexan. *consilio* 39. *numero* 2. ubi dixi, libro quinto, & hoc est certum & indubitatum hoc casu, ubi agitur ut omnino & perpetuò dominium transferatur, ut norant Doctores in *locis præfatis*. Si igitur hîc insit vera rerum æstimatarum venditio, sequitur quòd pactum usurarum est factum in continenti, & sic efficax, *dicta leg. in initio*, & alioquin esset imponere legem verbis: quia si creditor dixisset se dictas res vendere, & in venditione pactus esset de certis usuris, donec summa conventa solveretur, non dubitaretur de validitate pacti, quia casus est *in dicta leg. in initio*. Ergo nisi idem dicatur in themate, quod æquipollet, veramque venditionem rerum implicat, lex verbis imponi videbitur, contra *leg. ult. Cod. de usur.* Faciunt quæ scripsi in *Consuetud. Pariſ.* §. 13. *glo.* 5. *quæſt.* 10. *num.* 47. & in §. 23. *quæſtio. decima nona*, *num.* 74. Respondeo multum refert an partes intendant vendere, an verò contractum mutui vel fœnoris facere: nec est hæc differentia verborum, sed rerum seu dispositionum & contractuum, specie & effectu differentium. Qui enim vendit, magis eget pecunia & usu pecuniæ, quam vult assequi, quàm re vel usu rei quam vendit: emptor autem non certat de acquirendo usu temporario æris alieni, sed de perpetua acquisitione rei pro ære suo. Et sic si vendens paciscatur de moderata usura in casum moræ pretii, licitè facit, nec fœnus exercet, sed naturam contractus sequitur, *dicta leg. in initio*, *l. Julianus*, §. *ex vendito*, *de action. empt. leg. curabit Cod. eo.* Quòd sic dilationem quoque pretii det, justius eam usuram accipit, per dicta suprà *num.* 524. licet etiam Bal. ineptè & præposterè contrarium sentiat in *dict. leg. si pro mutua*. Contrà qui mutuat, non negotium, sed officium & liberalitatem exercet argumento *l. interdictum de precar.* Unde si paciscitur de usuris, contra naturam actus facit, & quantò de gravioribus usuris, tantò liberalitatem & honestum officium in negotium illiberale, & odiosum fœnoris commercium convertit. Meritò jura nullo favore, nullo auxilio dignantur, nedum pactum usurarum in mutuo. Qui verò mutuaturus, sed quia non habet pecuniam ad manum, vel si habet, dare non vult, ideo dat species æstimatas, ut statim æstimatio cedat in mutuum, non dicitur venditionem, sed mutuum contrahere: quia principale propositum attenditur, *l. si quis nec causam in prin. si cert. pet.* Facit quòd datio, quæ ordinatur ad factum, censetur factum, & contrà: & qui taliter accepit, non dicitur emere, quia non certat principaliter de acquirendo, sed de habendo mediantibus dictis speciebus, & fruendo aliquo ære alieno quo indiget: hæc non sunt verborum, sed rerum differentiæ.

665. Sed si hoc ultimo modo mutuaturus, diceret in fraudem mutui se species vendere, & de usuris pretii pacisci, hæc demum esset verbalis, non realis differentia, & vera simulatio, de vero contractu mutui, seu potius fœnoris, de quibus *in dict. leg. si pro mutua*, ad fictum contractum venditionis, de quo in *dict. leg. in initio Cod. de pact. inter emptor. & vendit.* & detecta veritate, illi stabitur, *leg.* 1. *Cod. plus valere quod agitur*. Mutuum autem, *de quo in dict. leg. si pro mutua*, etiam cessantibus usuris, non solùm multum degenerat à simplicitate & officiositate mutui, quia mutuum est antequam, imò etiamsi nunquam ulla proficiscatur pecunia, ideo spectat ad tertium gradum: sed etiam valdè captiosum est propter facilitatem debitorum pecunia indigentium, qui res quaslibet, vel minus promptæ recuperationi pretii idoneas, creditorisque arbitrio æstimatas de facili accipiunt suo sumptu, labore & periculo distrahendas, ita ut proclive sit hoc exemplum recidere in piraticam illam, de qua suprà *num.* 14. Quod si usuræ accedant, adhuc major imminet captio & durities, ut *in dict. l. si pro mutua*, facilè Diocletiani & Maximiani authorum suorum ingenium agnoscere valeas, apud quos æquitas non æquè ut rigor valuit, ut diximus suprà *quæst.* 14. *num.* 172. Sed *d. l.* Codici Justinianæo inserta debet per alias leges intelligi & temperari, ut omnis captio & durities amoliatur. Igitur ita demum valebit usurarum stipulatio, si species nec plus justo æstimatæ sint, & æstimationem statim debitor habuit vel habere potuit integram, omni sumptu deducto: vel statim non minus utiles fuerunt usibus debitoris, quàm pecunia numerata: quia non potest incipere cursus usuræ, nisi à tempore quo debitor & dominium & usum sortis habuit vel habere potuit, & pro rata dictæ sortis, *leg. eos ad fin. de usur.* Cùm autem hodiè non toleremus promiscuè usuras in mutuo, *d. l. si pro mutua*, antiquata est, quantum ad stipulationem usurarum, ut etiam dixi suprà *quæst.* 23. *num.* 230. Et adhuc respectu tertii, cujus interest, sola æstimatio pro vera venditione habetur, per ea quæ dixi in *Consuetud. Pariſ.* §. 23. *glo.* 5. *quæſtion.* 10. §. 23. *quæſtione* 19. Modò ut plenius videamus de praxi circa prædicta.

QUÆSTIO LXXXVI.

SYNOPSIS.

1. *Repudiata Baldi opinio.*
2. *Bona fides exigit ut sine interpellatione & mora, usuræ debeantur.*

666. OCtogesimo-sextò occurrit pulchra quæstio Titii procuratoris de pecunia propria nomine Titii fundum emit, & diu domino absente vel dissimulante, possedit & fructus percepit, tandem Titius vendicat. An possit imputare fructus in sortem, & sic habere fundum sine solutione pretii, si fructus illud æquent? Bal. in *rub. quæſt.* 15. *Cod. de contrahen. emption.* decidit quòd sic, quia ex quo erat factus dominus & possessor, fructus erant sui: secus autem si procurator emit & accepit nomine proprio, vel si non expressit, vel non constet quo nomine, quo casu intelligitur proprio, *l. & magis de solut. l. si ita stipulatus*, §. *Chrysogonus in fin. de verb. oblig.* quia tunc procurator fructus percepit ex re sua, quam non tenebitur cedere, nisi pretio sibi restituto, & sic non tenetur tunc fructus compensare vel restituere. Et idem refert & tenet Bal. in *l. si procuratorem*, §. *si tutores*, *mandati* & simpliciter sequuntur Fran. Cremensis *singul.* 168. Titius, Jas. in *l.* 2. §. 1. *col. fin. si cert. pet. leg. divort.* 6, §. *ab donationes*: *soluto mat*, & in *l. non amplius*. §. *fin. col.* 3. *de leg.* 1. Tho. Ferra.

Alciatus. *cautel.* 54. Solus verò Alcia. æquitate motus, in *d. l.* 2. §. 1. *ad fin.* tenet procuratorem, qui de suo emit nomine domini, qui postea rem cum fructibus repetit, posse etiam hodie usuras legitimas ei reputare, si tamen re sibi tradita dominoque à se oblata, eum interpellaverit de pretio, ut in mora constitueret: textus in *l. si verò non remunerandi* §. *si mihi mandati*; & textus in fortiori, *l. atqui natura*, §. *non tantùm de neg. gest.* in *l. & in contraria de usur.* Plus sentit Alcia. hunc procuratorem posse à seipso fructus vice usurarum exigere, ne officium suum sibi sit damnosum, & quia videtur actum ne ex persona procuratoris dominium prius transeat quam sibi satisfactum: quod ultimum non quadrat, quia oporteret fingere non esse interim mandatum impletum, & quòd res interim staret periculo procuratoris. Mihi verò opinio Bal. in hoc primo membro semper falsa visa est, hac ratione, quia si dominus etiam fructus repetit, perinde est ac si ab initio sibi traditum fuisset, & procurator erga eum fidem suam liberasset: & sic procuratori absque dubio debentur usuræ, per rationem *l. curabit, Cod. de action. empt.* Nunc autem plenius patefacta veritate, dicimus etiam hodie dominii translationem nullo modo impedire, sed magis adjuvare usurarum reputationem, ut clarè evicimus suprà *num.* 545. & sic veritas est contra Bal. Dico tamen quòd hodie usuræ hujus procuratoris non debent excedere quincunces, juxta præfatam moderationem nostram, suprà *num.* 537. etiamsi forte fructus fundi sint majores: quia ex quo nomine domini emit (salvis usuris his congruis pro interusurio procuratoris) totum commodum sicut & periculum debet esse domini. Puto etiam quòd usuras reputabit jure retentionis, etiamsi dominum non interpellaverit, nec aliter in mora constituerit: quia hoc bona fides exigit, alioquin versaretur in damno pro officio susceptо. Et omnino puto quòd usuræ procuratoris non debent excedere fructus, nisi ea fuerit domini voluntas, ut procurator etiam caro pretio emeret, & pretium de suo prærogaret. Quòd si procurator nomine proprio vel simpliciter emisset, & accepisset tanquam dominus, fructus suos faceret, etiamsi rationem quincuncis excederent, quemadmodum & de venditore, antequam pretio oblato, sit in mora, dictum est suprà *num.* 540.

QUÆSTIO LXXXVII.

SYNOPSIS.

1. *Deliria Doctorum,*
2. *Tantum speratur officium judicis, quantum stipulatio.*
3. *Elegans quæstio adversus Panorm. decidituv.*

Contra Roma. 667. OCtogesimo-septimò occurrit casus practicabilis, quem tractat Roma. *cons.* 500. incip. *Summarius.* Quoddam Collegium mercatorum instituit ut pecuniæ communes Collegii distribuerentur singulis de Collegio duntaxat in commendam & licitam negotiationem, cum onere solvendi Collegio annuatim unum solidum pro libra, utrum hoc valeat: Distinguit Roma. aut agitur ut eadem pecunia in specie reddatur, & sic est depositum, & valet statutum quantumcunque contra naturam depositi & æquitatem. Et movetur primò, quia tunc non est mutuum verum vel fictum, & sic non est usura, consequenter nec illicitum. Secundò, quia dominium pecuniæ non transfertur. Tertiò, quia casus est *in l. Lucius*, depositi. Aut verò agitur ut idem reddatur in genere, & tunc quia hoc depositum assumit naturam mutui, judicandum ut de mutuo, & non valet pactum nec statutum. Ita etiam vulgò ad usque senserunt omnes ubique, & nominatim comprobant Phil. Deci. in *l.* 2. *in princ. num.* 22. & ibi Franc. Ripa *col.* 3. *num* 8. *si certum petat.* sic Franc. Purpura in *de leg.* 2. §. 1. *col.* 9. Post Scot. in 4. *senten. distinct.* 15. admittit usuram in commodato vel locatione pecuniæ, sed non ejusdem in mutuo. Breviter hæc sunt mera deliria, & quàm sint ridicula & præpostera patet ex dictis suprà eo, *quæst.* 74. *num.* 545. Oppositum enim è converso dicendum est, videtur illud statutum esse licitum secundo casu, quo translatum est dominium & jus utendi, sed penitus illicitum priore casu. Et licet priore casu non sit usura, ut pote usu non translato, est tamen injustius & iniquius quam usura, nec *d. l. Lucius in fin.* loquitur hoc casu, sed quando pecuniæ dominium cum jure congruè & commodè utendi translatum est, ut diximus suprà *num.* 628. Plus dico, quòd ea distinctio inepta est, quia ex hypothesi distribuitur pecunia ad negotiationem, id est in usum negotiationis, & sic nullo modo est depositum, quia non fit causâ custodiæ, sed ut accipiens pro arbitrio negotietur: & sic est materialiter verum mutuum, non purum, sed fœneratorium. Cùm autem fœnus sit moderatissimum, utpote non excedens quincunces, & inter mercatores & negotiantes, & ex justa causa, videlicet ut collegium participet de lucris singulorum, ad onera collegii exequenda, & consequenter in commodum singulorum, non est dubitandum quin justum, licitum & honestum fuerit illud fœnus. Pariter dicendum quòd hodie in praxi veniunt usuræ in actione mandati, non solùm directa, *l. idemque*, §. 1. *mandati*, sed etiam in contraria, *l. si verò non remunerandi*, §. *si mihi eodem titu.* & eodem modo in actione negotiorum gestorum, *l. & in contraria de usur.* cùm subsit justa causa, etiam citra moram vel pactum, ut in dictis juribus. Et si non agatur nisi de simplici interusurio pecuniæ, non debebunt excedere præfatam moderationem quincuncis, ut in dicta quæst. Romani, per notata suprà *quæstione* 79. Si verò etiam de alio lucro vel damno, amisso vel incurso, ut *dict.* §. *si mihi dict. l. & in contraria*, poterunt pluris æstimari: quod necesse est judicis arbitrio committere, ut etiam legibus cautum est totum hoc ex bono & æquo judicem arbitrari debere, inquit textus in *dict.* § *si mihi, versic. sed etsi.* Nec dubium quin valeat pactum bona fide factum, easdem metas vel fines justi arbitrii non excedens: quia si in his tantumdem valet officium judicis, quantum stipulatio, *l. quia tantumdem de nego. gest. d. l. Lucius*, igitur valet stipulatio non excedens id quod judex arbitrari posset. Idem in similibus negotiis vel justis commutationibus. At in depositо ad numerum & sub facultate utendi, idem omninò dicendum est, quod in mutuo *diximus sup. quæstio* 80. & sic *d. l. Lucius*, *l. Publica*, §. 1. & omnes similes hodie non sunt in usu, nec debent observari quoad usuras, non solùm negotiativas, sed etiam incidentes in casum moræ ex pacto collatas, nisi prout diximus in mutuo: alioquin esset legem verbis imponere, & uno verbulo mutato, liceret fraudem facere legibus & Politicis ordinationibus, quod non est tolerandum. Si verò depositum fiat in specie, vel etiam ad numerum, ut tantumdem reddatur sine usuris, tunc maner verum depositum, & contractus bonæ fidei, & pro mora poterunt usuræ deberi, ita ut non excedant prædictam moderationem quincuncis, nisi dolus arguatur, vel jam de æstimatione ejus quo I casualiter interest, vel jurando in litem agatur. [1561. judicatum quo] Dom. *Bedeau* non teneretur conferre

fructus vivente socru perceptos, sed, quia, *luy ont esté donnez les loüages d'une maison, lesdits loüages*, debent conferri: quemadmodum si pater cessit commoda sui ususfructus, debent illi fructus conferri, quia sunt principales, nec est à quo reliqua illa dependeant, sed nonne si uni filiæ dat domum quæ locatur, 100. alii verò promittit 100. annua, nonne illa plus honoratur? Respondeo sic, si hoc factum fuit loco domus datæ alteri. Respondeo: sunt data prædia, & omnia sunt censualia, vel indifferentia tunc non est necesse, *rapporter* in specie, sufficit minus capere: *par l'Arrest de Picard*, habito respectu ad valorem, qui est tempore divisionis.]

Contra Panor.

668. Dum hîc finem impono, occurrit pulchra quæst. quam tractat. Panor. *conf.* 114. *in quæst. mercenda lib.* 2. Cùm duo vel plures mercatores contraxissent societatem certæ negotiationis suæ, pacti sunt quòd si quis eorum ultra quantitatem, quam ex lege societatis in societatem conferre debebat, aliquas pecunias adderet, quòd ei provideretur super dicta societate ad rationem & consuetudinem mercantiæ, quæ supponitur ut aliquid annuatim salva sorte detur. Unus ex illis, qui supererogavit 500. florenos, percepit pro lucro quinque vel sex in centum: decidit Panor. esse illicitum & restituendum, non obstante duplici generali apocha vel liberatione postea facta, quasi hoc debitum usurarium non fuerit contractum occasione societatis, sed contra jus societatis. Et sic in verbis generalibus liberationis ab omni debito occasione societatis non comprehensum refert (sed correptè) Soci. *l.* 1. *in princip. num.* 25 *fi cert. petat.* & contra Panor. arguit non esse usuram, ex eo quòd non sit mutuum, sed contractus innominatus societati mistus, sed ineptè, ex quo socii non tenebantur supererogare, sed erat voluntarium, & sic est verum mutuum societati factum, & Alciatus ibi rectè discedit à Socino: sed in quantum Panormitano simpliciter accedit, hoc ex vulgari errore facit. Dicendum quòd ex quo mutuum fiebat inter mercatores, & occasione communis societatis & negotiationis, fuberat justa causa fœnoris, etiam negotiativi ab initio paciscendi: sed non debet esse tantum, quantum lucrum ipsius negotiationis seu societatis, in qua communicatur periculum, per notata suprà *num.* 504. Ideò non deberet regulariter excedere communem nostram metam quincuncis usuræ: tamen in dicto casu vel simili specie dico valuisse & valere pactum duplici ratione. Prima, quia sors erat ad tempus societatis alienata, nec poterat prius revocari: igitur per notata suprà *quæst.* 80. *in fin.* Secunda, quia erat pactio reciproca, & insuper in communem utilitatem: quare dico quòd valuit & valere potest usque ad terminos juris, scilicet besSium, & sic etiam ad octo annua in centum. Multum ergo adusque desipuerunt Doctores in utroque extremo nimiæ vel laxitatis vel superstitionis: sed deinceps tota hac materia labore nostro radicitùs discussa, aperta, & theoricè practicéque complanata, facile est ipsam veritatis & æquitatis viam tenere & sequi, tam in Schola, quàm in foro; tam in consulendo, quàm judicando.

QUÆSTIO LXXXVIII.

SYNOPSIS.

1. *De quibus usuris exaudienda famosissima* l. eos. Cod. de usuris.

2. *Usuræ vice fructuum: ex æquitate veniunt etiam in actionem stricti juris.*

Usura collationis.

669. OCtogesimo-octavò quæro, de usuris collationis bonorum in erciscunda hæreditate inter plures hæredes. Soror quæ dotem conferre cogitur, petit à fratribus ut conferant fructus prædiorum, augent enim hæreditatem ex die mortis: illi vicissim ab ea petunt ut dotis usuras conferat ab eadem die mortis, nec dubium quin justè petant textus in *l. filius in fin. de collatio dot.* non solum si fuit in mora, sed etiam omni mora cessante, ut quia non provocetur ad divisionem, nisi post multos, puta 10. vel 15. annos à die mortis, quæstio est quantæ sint illæ usuræ in terminis juris & praxis? Et de jure vulgò putant esse semisses per *d. l. eos verfic. & eam quantitatem*, sed non est ita, quia *d. l.* & quæcunque regularis taxatio usurarum in jure intelligitur de illis, quæ veniunt ex pacto ad redimendum vel compensandum usum æris alieni, vel puniendam moram regularem vel quindecim annorum à die obitus usque ad divisionis provocationem, non sunt hujusmodi, ideo signatè & consultò ait Papinian. in *d. l. filius*, boni demum viri arbitratu filiam ad has usuras cogendam. Si enim statim post obitum patris provocatum sit ad divisionem, & filia fuerit in vera mora conferendi dotem, poterit de jure arbitrari ut veniant communes legitimæ, scilicet semisses, & sic veræ usuræ, utpote post veram moram, licet excedant rationem fructuum, ut notum est dummodo eadem in mora perseveraverit: secus si intermissa fuerit instantia divisionis, quia tunc nec videtur in mora fuisse, *l. mora, verfic. caterum, de usur.* Et hoc nisi fortè fuisset illi impletum, & pars sua prædiorum & fructuum ei data, habita vel non habita fide de conferendo per eam quod conferre debet: quia tunc irregularis mora sufficeret, ut teneretur ad usuras pecuniæ conferendæ, prout de emptore, cui res est tradita, dictum est suprà *num.* 555. cum sequen. Sed hoc cessante si non fuerit in mora, sed multis annis (ut plerumque fit) non fuit actum de divisione, tum bonus vir etiam de jure, non debet arbitrari semisses, vel alias usuras excedentes rationem fructuum prædiorum tempore illo medio: quia hoc casu non sunt usuræ nisi largissimè, nec veniunt nisi ex æquitate, vice fructuum, & ad æqualitatem servandam dumtaxat: unde veniunt etiamsi actione stricti juris agatur, ut per Bart. in *d. l. filius in fin.* Et sic ad summam non debent ratibnem fructuum prædiorum regionis, ubi bona sunt, excedere, puta trientes vel quadrantes, per notata suprà *num.* 120. *num.* 576. Alioquin sequeretur magna iniquitas, videlicet si sexdecim annis & octo mensibus quieverint hæredes, quòd nunc filia, quæ habuit in dotem decem millia, teneretur conferre viginti millia; alioquin excluderetur portione hæreditaria, & tamen hæredes, qui possiderunt prædia, non tenebuntur conferre nisi pro modo communi reditus prædiorum. Unde dico quòd in dubio filia non tenetur pro illo tempore medio conferre pro his usuris ultra rationem trientalis usuræ, quia hæc est legitima & communis indicatura prædiorum, & redituum ex eis percipiendorum, ut novè probavimus, ut suprà *quæst.* 5. nec debent fratres melioris conditionis esse, nec durius agere contra sororem, quàm si totam pecuniam dotalem in emptionem prædiorum contulisset, ex pacto forsan dotali per patrem appositio, vel quam si pater dotasset in prædiis, vel si solo dotis promissæ respectu, prædia in solutum dedisset. Non ergo ferendi sunt fratres graviores usuras petere, quàm essent fructus prædiorum regionis tanta pecunia emptorum. Unde si constet quod communis prædiorum æstimatio ibi sit ad rationem unius in triginta, puta quòd non

tenebitur conferre majorem usuram, quàm ad rationem unius in triginta, ut dixi in *Consuet. Parisien.* §. 123. postquam autem conferre vel minus capere obtulerit, ad nullas usuras tenetur, postquam etiam verè fuit in mora, tenetur de jure ad usuras communes, videlicet semisses, secundùm nos ad quincunces tantùm. Ex prædictis omnis ratio commerciorum & usurarum explanata est, & omnes leges usurariæ quoad sensum & decisionem & usum novè & plenissimè declaratæ: restant quædam in materia reditnum vulgarium quotidiana & necessaria, quæ succinctè decisivè tradam in quæstione sequenti.

QUÆSTIO LXXXIX.

SYNOPSIS.

1. *Fidejussor omnia debitoris bona sibi hypothecæ jure habet obstricta, ut se damno servet indemnem.*
2. *Inter heredes ipso jure dividitur obligatio hereditaria.*
3. *Pœnæ suos debent tenere auctores.*
4. *Per divisionem heredes habentur extranei.*
5. *Intellectus* idemq; §. generaliter, ff. mandati.
6. *Exceptio peremptoria reo principali competens, porrigitur ad fidejussores.*
7. *Actor efficacem actionem non debet præstare, sed tantum actionem.*
8. *Genuinus intellectus* l. *Paulus* quib. mod. pig. vel hyp. solvitur.

670. OCtogesimo-nonò citra ea quæ dixi suprà *quæst.* 49. jam typis excussa, occurrit pulchra quæstio de qua hodie consultus fui. Creditor emit 100. reditus ad rationem duodecimæ, fidejussore acceptò principaliter obligato, ut suprà *quæst.* 30. post 3. vel 4. annos. Creditor ab eodem principali debitore similem reditum emit sine fidejussore, vel alio fidejussore accepto, & semper sub hypotheca generali & speciali, ut assolet: postea fidejussor primi reditus videns debitorem ad inopiam redigi, vel fastidiens subinde compelli, redimit reditum, & accipit cessionem actionum, modò creditor velit distrahere domum debitoris pro secundo reditu & reliquis. An dictus fidejussor intercedere possit, & præferri pro priore reditu & reliquis? Dubium facit, quòd non potest hoc facere nisi jure cesso & acquisito à creditore, qui non videtur cessisse contra se, *l. si speculum* §. *sient, de pec. leg.* Socin *cons.* 209. *lib.* 2. Contrarium dicendum est, duplici ratione: prima, quia supponitur quòd fidejussor ab initio primi contractus (ut assolet, & suprà *quæst.* 29.) habet hypothecata omnia bona debitoris ad exonerationem & indemnitatem, & sic ex capite suo præfertur creditori respectu secundi posterioris reditus, & omnibus aliis creditoribus, & hypothecis posteà creatis, pro quibus tamen fidejussor ille non intercessit: alioquin non prodesset ei priorem esse in hypotheca & cautione indemnitatis prioris fidejussionis, vel in quacunque priori hypotheca, quia posteà fidejubendo se & omnia jura sua, & sic illam etiam cautionem & hypothecam suam priorem subjecit hypothecæ novi creditoris. Et hoc nisi esset fidejussor indemnitatis, vel nisi inquantum haberet beneficium discussionis: quia respectu fidejussoris indemnitatis, (cujus obligatio sua conditionalis est) si aliàs prius erat hypothecarius creditor ejusdem debitoris, & novus creditor fuerit negligens discutere debitorem qui tempore dictæ fidejussionis erat solvendo, dictus fidejussor excludet creditorem, ergà quem sic fidejussit: idque perpetuò, si appareat post negligentiam creditoris debitorem factum non solvendo, alioquin tantisper excludet, donec appareat à debitore servari non posse. Respectu verò habentis simplex beneficium discussionis, si ob antiquius suum debitum non habebat nisi generalem hypothecam, nihil est contra eum, ergà quem posteà fidejussit. Sed si habebat quasdam speciales hypothecas, potest eas servare contra dictum creditorem, quatenus reliqua bona debitoris in eodem municipio sufficiunt ad debitum, pro quo fidejussit: & hoc quia in effectu non est debitor, nec jura sua hypothecavit, quatenus principalis habet alia bona, in quibus facilè discuti potest: facit *l.* 2. *Cod. de pignoribus.* Redeundo ad quæstionis solutionem, illud remedium, quod fidejussor habet ex capite suo contra posterius debitum pro quo non fidejussit non concernit nisi sortem & reliqua, quæ tempore redemptionis creditori solvit dum taxat videlicet indemnitatis æstimationem, eique competit etiam stante priore reditu, quem si velit sibi currere & præferri etiam pro reliquis, necesse habet redimere, & cessionem accipere: & à tempore redemptionis & cessionis deinceps sibi current cum effectu, ut suprà *quæst.* 49. etiam contra cedentem, quia cessio habet eumdem effectum, ac si creditor nomen cessum cuivis vendidisset, imò in vera venditione, *l. mandati Cod. de fidejuss. l. fidejussoribus, ff. eo* in *l. cum possessor, de cens.* & plenè dixi suprà *quæst.* 49. Et sic hæc quæstio est indubitata, nec eam expressè tetigissem, nisi quòd quotidiana, juxta *l. legavi in prin. de liberat. lega.* & insuper ut pleraque alias quotidianas summatim adderem, quas ad commentaria Consuetudinum rejeceram. Primò igitur considero, quod hic potest fieri magna fraus: quid enim si fidejussor cum debitore colludens de illius pecunia redemit, & nomen suum illi accommodat? vel si debitor non habet fidejussorem, vel alium qui possit exigere cessionem, nonne potest vel unum cespitem terræ vendere sine onere reditus, & mox accommodato nomine emptoris, reditum redimere & cessionem exigere, per notata suprà *quæst.* 46. & sic eodem jure cesso nomine alieno, elidere omnes posteriores hypothecas & contractus creditorum? Respondeo hæ fraudes similes sunt illis quæ fiunt in fraudem futurorum, vel præsentium creditorum hypothecariorum, ut quando debitor pridie obligationis vendit bona vel donat in fraudem, vel quando post obligationem fingit non esse sua, vel occultat, quæ quàprimùm de fraude claruerit, evanescent. Non solùm enim dicta cessio tanquam indebita condici poterit, sed etiam contra cedentem penitus inutilis erit, sicut si ipsimet debitori esset facta, ut suprà *num.* 336. vel aliter nomen cessum recidisset in bona debitoris, & sic posterioribus hypothecis creditoris teneretur: Sed si de fraude non constet (quæ etiam in dubio non præsumitur) non debent legitima remedia & ordinaria juris dispositio impediri. Et ad ea quæ dixi suprà *quæst.* 34. *de fidejussore exemptionem redimente*, facit pulcher textus in *l. si stipulatus esset*, §. 1. *de fidejuss.* qui etiam limitandus est per notata in *d. q. in casum justi periculi.*

Solutio.

Fidejussor indemnitatis.

671. Secundo, his accedit alia quotidiana & necessaria quæstio. Debitor domum huic reditui specialiter hypothecatam vendidit bonæ fidei emptori sine onere, eò quòd fortè sperabat mox de prætio redimere, quod non fecit. Creditor non inquietavit emptorem, sive quòd ignoraret, sive quòd diligenter exolveretur reditus, emptor post sex annos decessit, relictis quatuòr heredibus. Tum expergiscitur creditor, & urget detentorem domus, qui vita authoritate reditus titulum (quem) vocant) novum, ut suprà *num.* 135. subit pro parte hereditaria,

Quæst. 89

...rum, quia eis hæredes habebat. Et sic creditor quæsiit alii quartum annum, quæ recognitio non interrumpit ... [illegible] ... qui possessores prædiorum specialiter ad reditus hypothecatorum possint personaliter ad solutionem in solidum compelli, pro tempore quo possident, etiamsi minimam partem possideant. Ait post dictos quatuor annos, divisione foret domus interim facta per ... [illegible] ... ctos hæredes, creditor ad recognitionem vel reditum novum urget eos, qui nondum recognoverunt, qui præexposuimus longi temporis cum eo quem defuncti ... [illegible] ... tem urgetur in solidum ad solutionem, petit actiones sibi cedi contra cohæredes, alias solvere recusat, quid juris? Hæc quæstio duplex erit: prima utrum illi pariter teneant: secunda, an ille competat exceptio cedendarum. Quantum ad primam de prærogatione, dubium facit *l. uti. Cod. de dub. rec.* quæ recipiat interpretationem à prædicta consuetudine, per quam dicti quatuor hæredes ipso jure per eam leni consuetudinem pro parte hæreditaria, puncto mortis possessores domus sunt: in hoc correi debendi sunt enim singuli in solidum æqualiter ad eundem reditum ex eodem fonte & causa obligati: & ita videtur verificari verba *rationis dispositivæ*. Sed ut mora recognitionis vel interruptio omnibus nocet, sic è converso in contrarium est verissima regula communis *de natura prioris civilis vel recognitionis* ... [illegible] ... *Cod. præscript. longi temp.* Non obstat *d. l. uti.* qui loquitur in veris correis ex uno & eodem contractu, sed procederet inter plures æque principaliter in solidum obligatos, & ... [illegible] ... ejusdem reditus, ut supra *quæst. 7.* Sed non ita res, in hujus quæstionis, quia plures in solidum obligati aliter quàm ex uno contractu simul ad hoc facto, pars ex natura rei indivisus, vel ratione possessionis ... [illegible] ... ex dispositione consuetudinis, non sunt veri correi, ut dixi in *tractatu de duabus indivisis*, & in *cons. 61. n. 71.* itaque ibi dicit, obligatio illi rem possessionum, propter quam exorbitans, datur ex consuetudine, & non ratione, & manet ibi realis quàm personalis, ... [illegible] ... desinente possessione vel, ut incepit desinit. Singuli etiam possessores non tenentur nisi ratione possessionis & detentionis suæ propriæ: non autem ex una communi possessione vel detentione, nec refert sive pro indiviso ... [illegible] ... possideant & sic cessante & terminata dispositio, *d. l. in.* An autem unus dictorum hæredum absens à provincia nihilominus longi temporis præscriptionem impleverit propter similitudinem rationis cujus obligatur in rem ipso creditoris fixæ. Quia hæc quæstio nimis excedit materiam hujus Tractatus, remittimus eos qui tractant in *tract. Part. q. 67.* Et pariter, An creditor possit cogere plures detentores ejusdem rei vel diversarum rerum, ad unam & eandem re... [illegible] ... Quæstiones ad te communes quæstionem de cessione creditor repellendus pro partibus illorum ... [illegible] ... *l. si filiusfamilias de fidejuss. ... l. si pupillus de fidejuss. ... de minor.* Cum enim præceptio sit pœna negligentiæ, palam est culpa & negligentia creditoris, petere quem erant, actiones eas interesse, & sic illi imputari debet, non autem ... [illegible] ... qui bonam fidem adhibuit, nec fuit in illicita mora vel culpa. Igitur si ultra rationem portionis suæ etiam pro portionibus aliorum in solidum exigatur, cedendæ sunt ei actiones efficaces. Confirmatur primo, quia dicta regula procedit de jure etiam in ... [illegible] ... ex pacto & contractibus communi dividundo, *d. l. si non possessori.* Igitur multo fortius in eo qui contra jus commune rigore consuetudinis exorbitanti in solidum pro detentione portiunculæ, etiam personaliter exigitur. Confirmatur secundò, quia patiens præscribi, alienare vel remittere censetur ... *alienationem, Regul. fugit.* sed non est dubium imputari tali remittenti: igitur & patienti præscribi. Et ita punctualiter tenet Albericus *in l. habemus. col. 2. Cod. ad Velleian.* ubi *n. 9. creditor*, in *d. l. creditum*, explicat in eo qui sunt præscripti. Quibus non obstantibus, dicendum creditorem hoc casu non teneri cedere actiones nisi quales habet. Et moveor primò, quia non invenitur jure expressum creditorem teneri cedere actiones cum hoc onere, ut sint contra alios efficaces, sed simpliciter: quod intelligitur quales sunt, dummodo facto suo eas non remiserit aut amiserit. Secundò, quia jure cavetur, quòd pluribus in solidum obligatis non teneatur creditor ad denunciationem unius convenire alium, qui incipit facultatibus labi, priusquam in eorum necessitatem sed non obstante illa denunciatione interpositam libere contra denunciantem jura sua exequi, textus in *l. si fidejussori creditori, de fidejuss.* qui loquitur eram in fidejussore, qui accessorie mere pro alio reperitur in quo erat major ratio subveniendi, cum alterius morbo laboraret: & sic ostenditur multò fortiùs idem esse in his, qui æquè principaliter prosè tenentur: & sic multo fortiùs in quæstione præsenti, ubi etiam nulla fuit denunciatio facta creditori, qui tanto minùs in culpa dici potest, quàm in *d. l. si fidejussori creditori*, ubi fuerat denunciatum. Tertiò, quia illud jus & exceptio cedendarum non fundatur, nec debetur illicito jure, sed ex æquitate, & specialiter ex illa æquitate, ut id saltem ... [illegible] ... qui pœnæ cessionem subsequatur, quod sine dispendio cedentis futurum est, ut inquit textus in *l. in creditore in fin. de rec.* Igitur si hoc futurum esset cum damno & dispendio creditoris (ut hic) non procedit exceptio, nec teneatur cedere quales sunt.

673. Non obstat *d. §. si creditor*, & quòd præceptio sit pœna negligentiæ: tum primò, quia creditor non fuit negligens nisi contra possessorem, & ... [illegible] ... fallicet, quod sentiat pœnam amissæ actionis contra eos qui pœna non debet extendi ad alios, nec extra meras negligentias *l. reficiuntur de his qui in indig.* Secundò & fortiùs respondeo, quòd in hac materia negligentia alterum ex correis convenendi non est considerabilis, quominus efficaciter alter conveniri possit, etiamsi ab eo nominatim creditor monitus & denunciatus fuerit: secus in *d. l. si fidejussor. creditori.* Igitur multò minùs, si creditor nec monitus, nec denunciatus fuerit, & sic clarè probatur, quòd hujusmodi negligentia, quæ pendente ... [illegible] ... habentur, vel etiam præsentibus non est vitiosa nec culpa sufficiens, ut actiones efficaces contra alium, ... [illegible] ... *præjudicium d. §. sed.* Confirmatur primo ex regula generali, qui nemo tenetur cogere ... [illegible] ... *d. l. si quis cum plures*, & hic creditor habens non tenetur ... [illegible] ... cedendo, non videtur ejus respectu in culpa, si non aliter contra alios agere, sed potiùs à jure commenditur, quòd voluit tam diligentius alios, sed à plurimis ... [illegible] ... *l. si pro parte de duobus reis constituendi*, ... [illegible] ... textum *l. pro ... ne eum de fide cui prop. fid.* ubi notant omnes creditori, etiam pollicitationem non venire, cum de pollicitatione discesserit. Non obstat d. quòd nec Albericus in *d. l. habemus*, quia falsò per ... [illegible] ... 685. Confirmatur secundò, quia ipsemet petens cessionem fuit in culpa & negligentia, absque eo quòd in solidum appellatus fuit, & recusavit in solidum recognitionem facere & eximere eum, quem poterat jam hic & nunc excutere vel totaliter dispendio ejus ... [illegible] ... cessione compellere cohæredes, & idem in quibuscumque similibus, ut contributionem & exonerationem pro parte, vel solvendo ... [illegible] ... petere cessionem

l. ultim. de dub. rec.

Solutio.

actionum, & ab eisdem ex capite creditoris exigere: & sic multiplici via sibi consulere, & prædicto januam immunenti periculo obviare: quòd cum non fecerit, negligentiæ suæ imputare debet, non autem creditori, qui scilicet jus suum semper durare contra istum, quem in solidum habens obligatum, non tenebatur contra alios agere, nisi ut plures plurimumque portiones in obligatione conservaret.

674. Sed hic eruuntur duæ quæstiunculæ necessariò prius explicandæ, quàm ad alias transeam. Prima, an reliqui coluærèdes vocati ab eo qui recognovit, possint venire ad ejus defensionem, & ex persona sua, vel principalis reus ex speciali eorum mandato nunc objicere exceptionem præscriptionis pro partibus eorum, & sic impedire quominus creditor reum exigat ultra portionem ejus hereditariam, & sic quartam tantum partem reditus consequatur. Secunda, an saltem reus principalis, qui cogitur eorum solvere, & continuare super parte sua, possit ex capite suo agere de evictione contra coluærèdes pro partibus eorum post tempus completæ ab eis contra creditorem præscriptionis, si divisio interim vel prius facta sit, vel judicio familiæ herciscundæ, vel communi dividundo sibi pro partibus eorum contulere, saltem pro reliquis futuri temporis post actionem à se contra eos intentatam. Hæc secunda prius expedienda est, & omissa disputatione, bri eviter dico quòd aut hic recognovit post completam ab aliis præscriptionem, & nullum contra eos habet recursum indistinctè, sive res erat adhuc communis, vel jam divisa, nec ex capite suo, nec jure cessо, ut dictum est idem si post quàm alii quicunque legitima exceptione jam tuti erant. Aut vero tempore recognitionis nondum erat ab aliis completa præscriptio, nec eis quæsita exceptio: & tunc subdistinguendum, aut res erat indivisa, aut jam divisa. Primo casu res est clara quod habet contra consortes ex capite suo actionem familiæ herciscundæ vel communi dividundo. Potest etiam habere jura cessa a creditore, quæ erunt efficacia, antequam illi perfecerint præscriptionem contra creditorem cedentem, sed non post, quantum ad jura cessa, sed semper pendente communione, tenentur familiæ herciscundæ vel communi dividundo. Non obstat quod sicut præscripserunt contra creditorem, ita & contra consortem: quia illi non potuerunt incipere præscribere contra consortem, quandiu res manet communis: post divisionem vero huic eo onere subsequutam potuerunt inchoare præscriptionem contra consortem, sed in ea opus est triginta annis à tempore divisionis. Patet, qui a ex quo pro communi debito vel negotio compulsus est ad recognitionem, orta fuit vel extensa communi dividundo actio ad articulum, ut communiter servatur hoc omnis, præsertim divisionis tempore: quia non debet esse inæqualis, nec posset culpæ imputari ei, qui ante illam præscriptionem completam recognovit, etiam aliis, qui tum jure impedire nequivissent, unrequisitis: quia fecit quod facere debuit, etiam ad quod singuli, si interpellati fuissent, tenebantur. Quòd si etiam post præscriptionem ab aliis peractam contra creditorem completam hoc in divisione omissum sit per errorem juris vel facti, tunc ex tempore divisionis acquisita est condictio indebiti vel sine causa, quæ æque triginta annis durat, nisi per sententiam, in qua hoc disputatum & cognitum fuit, & a qua non appellavit, excludus sit *l. cum putarem, familiæ herc. f.*

675. Secundo casu, quando post divisionem ille recognovit nondum ab aliis completa præscriptione, videtur prima facie aliud quam in præcedenti conclusione, videlicet quòd post completam ab aliis præscriptionem omnium amplius regressum habeat contra eos, nec ex capite suo, nec ex capite creditoris cedentis. Ratio, quia divisio jam facit diversas res, & diversos fundos censeri, & haberi tanquam extraneos: & sic sicut singuli aliorum præscriptum contra creditorem, ita videntur simul & semel præscribere contra hunc recognoscentem, qui est extraneus, ut creditor. Cumque tempore dictæ recognitionis nulla esset communio inter eos, sequitur quòd nullum censetur negotium gestum, nec quasi gestum, prout inter socios in conclusione præcedenti. In contrarium videtur, quia cùm tempore recognitionis posset contra eos efficaciter agere ad contributionem, ergo ea actio acquisita non est sublata. Sed hæc tamen non concludit, & omnis ferè materia præscriptionis hypothecariæ longi temporis evacuaretur, ut dixi in *consuet. Paris. §. 67.* quo remitto. Breviter idem hic esse dico, quod in præcedenti conclusione, nisi quòd ibi tum a recognitione vel evictione non suspenditur, ut ibi durante communione, sed statim currere incipit contra recognoscentem longissimi temporis præscriptio. Et ratio est, quia dividendo ex tunc obligati sunt invicem de evictione sive expressè, sive ex facto inexistenti negotio, *l. si cum venditor. in fin. de evictio. l. si familiæ C. familiæ herciscund. l. si fratres, C. communi dividundo.* cujus obligationis conditio purificatur & extat tempore dictæ recognitionis, & ex tunc nata vera obligatio, & actio evictionis perpetuò durat, sive in qui de evictione tenebatur, perficiant postea præscriptionem contra creditorem, sive non. Verum est tamen, quòd ex quo ille alius non vocatis aliis evinci, non habet expeditam actionem de evictione, hoc est executoriam, eo ipso quod recognovit vel reddemit, vel per sententiam condemnatus & evictus est: sed tenebitur probare fecisse debitum, & evictionem jure factam, ut per Rapha. Fulgo. in *L. ex empto, §. eum fratrem, de action. empt.* Dixi in *cons. Paris. n. 44. num. 25.* in annotat. ad Alex. *cons. 63. lib. 6.* ad quod soleo allegare textum in *l. si vendiderit. l. non tamen de evictio.* Si tamen alii portiones suas alias sine onere alienavissent, non est dubium, quin singulares bonæ fidei successores longo tempore præscribant adversus hypothecariam dictæ evictionis: secùs si prædicti consortes ante divisionem partes suas indivisas in alios transferant: quia quandiu communio durat, & jure communionis possidetur, impedit mutuam præscriptionem, ut dixi, & notatur in *§. quidam Inst. de exter.*

676. Venio ergo ad decisionem primæ quæstiunculæ supra *num.* 674. quando alii jam præscripserant contra creditorem, unus autem, qui non jam præscripsit, dum urgetur in solidum ad recognitionem, vel etiam ex intervallo post recognitionem, vocat in partem ad impediendas vel resarciendos pro parte sua temporis solutiones, vocat consortes qui præscripserunt: An possit defendi ab eis intercedentibus pro portionibus suis, pro quibus contra creditorem cedentem præscripserunt, ut ei pro parte tam in præcepto [illegible] Videretur quod sic, per *l. cum pater 3. principalis mandati.* saltem distinguendum, an aliquem interest, eo quòd ille contra eos pro tota habiturus esset regressum, ut tunc intercedere possint: an vero eorum nullum interest, nec ille habiturus sit contra eos regressum, & tunc intercedere nequeant. Ita enim post Dy. in *l. Mævius de fidejussor.* docuerit ibi Bart. & in *leg. sextino §. quidvulgo in fin. de solut.* Bal. in *l. quemadmodum* & ibi Alex. in *addit. Cyn. de pactis Imper. Asserendis.* Alex. in *l. quia tale in fin. soluto matr.* in *l. cum filius §. 1. de verb. oblig.* & apud Bart. in *d. §. generaliter*, & in *l. generaliter ad exhibend. 3. si procurator ff. rem ratam habet.* Ang. Aret. *in rub. de except. col. 7.* & *de reple. in pen. instit.* Lancelot. Galiul. *l. 2. §. si tamen de verbor. obl.* & secundum hoc dicendum esset, quod hic casu ille intercedere posset; & repellere creditorem pro portionibus suis in casibus, in quibus diximus eos judicio familiæ herciscundæ, vel communi dividundo, vel evictionis cessisse. Sed hoc non obstante, dicendum indistinctè, quòd non possit intercedere nec impedire quominus creditor in solidum & efficaciter actionibus suis utatur contra utrum qui non præscripsit. Non obstat *dict. 3.*

generaliter, quia non est ad propositum hujus quæstionis : loquitur enim in mero fidejussore, qui non tenetur nisi ob debitum alterius habentis personalem exceptionem contra creditorem. Nos autem loquimur in eo, qui ratione possessionis propriæ tenetur nomine proprio in solidum, & sic non est fidejussor, sed principalis respectu creditoris, & etiam respectu eorum qui præscripserunt nullo modo est fidejussor, & consequenter exceptio etiam realis illis acquisita non extenditur ad justum : & sic indistinctè potest à creditore in solidum exigi, sive habiturus sit regressum contra alios qui præscripserunt, sive non. Ex his infinitæ aliæ quæstiones facile decidunturæ.

L. idemque, §. generaliter mandati.

677. Unde tertiò his accedit quæstio, in qua viginti sunt anni, quòd consului. Cùm creditor haberet reditum super tribus prædiis à diversis possessis constitutum, & contra unum ex his hypothecaria & personali more nostro egisset, & obtinuisset per sententiam, & tandem per Arestum : reus autem in executione solvere offerret cessis actionibus efficacibus, non aliàs, cùm interim reliqui possessores non appellari præscripsissent : actor verò rem judicatam simpliciter urgebat, & ad summum se non teneri cedere nisi quales habet ? Respondi rem quidem judicatam non impedire exceptionem cedendarum, *l. si fidejussores, in fin. de fidejussor.* Bal. *cons. incip. Dn. Lantfrancus quod est cons.* 389. *lib.* 1. *in antiquis & cons.* 89. *lib.* 3. in noviter impressis : ubi pulchrè ait, quod beneficium cedendarum est potiùs quoddam onus annexum petitori, cui solvi debet, quàm privilegium conventi : sed non teneri cedere, nisi quales habeat etiam ob præscriptionem inutiles. Nec obstat quòd reus non potuit hîc interim, sicut poterat in casu præcedenti, hanc cessionem petere, nisi cedendo liti, quam cùm esset tertius bonæ fidei emptor, non tenebatur temerè relinquere indiscussam, *l. illud de petition. hereditat.* præsertim si actor initio non docebat de titulo authentico, sed testibus vel aliis prolixis probationibus nitebatur : quia saltem poterat reus citare reliquos possessores, ut liti adessent, & judicatum pro rata facerent : quod si non fecerit, sibi imputet. Idem si facere non potuit, eò quòd forte ignorabat eos teneri : & hoc nisi creditor fuisset in dolo vel culpa, non exhibendo interim authoritatem hypothecæ, cùm posset, & peteretur : vel non declarando tenorem prætensæ hypothecæ, cæterave bona hypothecata, & personas obligatas, cùm posset & peterentur. Tunc enim teneretur ad damna & interesse, in quibus veniet æstimatio deteriorationis, vel peremptionis actionum cedendarum. Alioquin licet creditor penitus teneatur solventi cedere, vel non solventi edere vel declarare : tamen non tenetur de periculo cedendarum, nec ante cessionem, nec post. Aliàs periculosius minúsque tutum esset plures obligatos vel plures hypothecas habere quam unam, si oporteret creditorem assiduè super singulis suis sumptibus vigilare vel teneri de periculo præscriptionum, & reliquas omnes cautiones, vel pignora diminui ob unius præscriptionem, quod est absurdum, quia debet utilius & tutius esse, plures cautiones vel hypothecas habere, quàm pauciores.

Quæst. 3.

678. Circa hæc & quartò recordor alterius pulchræ quæstionis in qua dudum consului. Quidam ante sexaginta annos vendidit Titio hujusmodi reditum sub generali hypotheca bonorum, & tunc habebat duo castra, deinde sine onere reditus alienavit minus castrum, quod ob debita singularis successoris subhastatur. Titius anno 1510. se opposuit pro suo reditu & reliquis, & authoritatem exhibuit, & putans jus suum satis per hoc conservatum iri, non est prosecutus principalem, nec ejus heredes, quos ultra 40. annos non interpellavit. Et tandem post longas protelationes anno 1530. proceditur ad judicium discussionis & ordinis hypothecarum : Titius vult poni in ordine ad finem restitutionis reliquorum, & continuationis reditus : dominus hujus castri, vel ejus heres (quem proprietarium vocant) similiter & alii creditores ejus impediunt, offerentes castrum declarari hypothecatum dumtaxat à die contractus ad finem solutionis, discussione priùs facta super principali debitore, & cessis actionibus validis. Consultus à Titio, respondi tardè eum venisse : quia licèt adversarii non intelligerent aut ludificarentur, jam non sumus hîc in terminis discussionis, nec cedendarum, neutrique exceptioni locus est, sed peremptioni hujus accessoriæ hypothecæ principali sublatæ, quod non erit inutile paucis excutere. Videretur enim obstare primò, quod oppositio judicialis ante viginti annos consultationis facta & prosecuta procul dubio impedivit præscriptionem erga reum & illud castrum. Nec obstat quòd principalis obligatio sublata est, vel elisa præscriptione : quia hîc non agitur nisi de hypothecaria, quæ subsistit & efficax est etiam principali obligatione triginta annorum præscriptione sublata : textus in *l. cum notissimi in princ. C. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* Et sic nec discussio, nec cessio actionum requiritur. Secundò, quia reus videtur in culpa, qui per triginta annos potuit authorem laudare, vel de discussione aut cessione actionum excipere, quod non fecit : igitur ei imputandum, ut suprà *num.* 673. Tertiò, quia dicta castra sita sunt sub *consuetudine Parisiensi per quam* §. 70. domini & possessores prædiorum vectigalium tenentur personaliter solvere in solidum reliqua, & continuare reditus, & ante viginti tres annos præsens in publicis causarum actionibus Prætorii Parisiensis audivi quosdam veteres Advocatos à judice de hoc interrogatos pro rostris respondisse, dictam Consuetudinem intelligi etiam de prædiis generaliter tantùm hypothecatis, & sic videtur reus etiam personaliter ex capite suo teneri, & idem ut in præcedenti quæstione.

Quæst. 4.

679. Quibus non obstantibus, persisto in sententia : quia exceptio realis & peremptoria reo principali acquisita statim extenditur ad omnes accessoriè obligatos, sive fidejussores, sive mandatores, vel etiam ad tertios possessores, *l. exceptiones de except. l. tam mandatori l. pet. Cod. de non num. pec.* [Quod ampliatur, & sic culpâ, vel dolo hujus accessorii obligata, liberatur principalis textus in *l. si fidejussor. de dolo malo.*] Sed quanquam pendente lite, supervenit reo principali exceptio præscriptionis, igitur etiam reo convento competit præsertim cùm non fuerit in mora, nec in mala fide aut culpa : quia nunquam controvertit declarationem hypothecæ, nec tenebatur authorem laudare, cùm satis exceptione discussionis tutus esset, quæ etiam semper durat, cùm non fuerit contestatum in principali. Et sic hæc quæstio multùm differt à præcedentibus, in quibus reus conventus non accessoriè respectu creditoris, sed principaliter & personaliter in solidum & sine alia discussione tenebatur : ideò exceptio odiosa sine facto creditoris non superveniens non extenditur ibi ad alium. Non obstat primum : tum quia quod dicitur de jure subsistere hypothecariam usque ad quadragesimum annum exactum, & post personalem 30. annis sublatam, non est verum, nisi contra ipsum personaliter obligatum, & ejus hæredem, *d. l. cum notissimi* : tum quia ex hypothesi quadraginta annis tutus erat reus principalis à personali hypothecaria. Ad secundum dico, quòd non quadrat nisi contra eum, qui mero jure tenetur, & quando solum agitur de cedendis actionibus : at hîc mero jure non tenetur reus, ut pote principali liberato. Præterea etiamsi de sola cessione actionum ageretur, non tenetur creditor, nisi quales habet, ut *num.* 677. Ad tertium respondetur, opinionem dictorum quorumdam veterum Pragmaticorum falsam esse & pleonecticam. Ipse quoq; noveram illos multis hujusmodi

duodecimæ reditibus locupletes esse, & sic tanquam in sua causa vel simili habentes judicium affectibus distortum, non erant idonei nec testes, nec judices, *quæst. 96. in prin.* Et veritas est quòd nostra consuetudo intelligitur in hoc de prædiis specialiter & nominatim hypothecatis vel oneratis vectigali, ut plenè dixi in *dict.* §. & ita in hoc regno observatur.

680. Quintò his accedit necessaria quæstio. Creditor reditualis emit vel aliter acquisivit à debitore, vel uno ex ejus heredibus, unum ex fundis specialiter suo reditui hypothecatis, postea egit contra tertium possessorem alterius fundi pariter hypothecati, qui vult cogere creditorem ad contributionem & cessionem actionum contra seipsum, quæritur quid juris? Et primò non videtur teneri cedere contra se, nec contribuere, quia tertius ille possessor non contraxit contemplatione rerum simul tempore contractus, ex quo conventur, hypothecatarum: igitur non competit hoc beneficium cedendarum, ut per Cy. Alberi. Bar. Salyc. in *l. jubemus Cod. ad Velleia.* Bar. in *l. fin. stipulatus*, §. 1. *de fidejuss.* Soci. *consi.* 200. *consi.* 206. *lib.* 2. Et per hanc rationem tenent omnes communiter, quòd tertio possessori non tenetur creditor cedere contra se, etiam evincendo, ob debitum postea contractum, vel si reliquas hypothecas facto suo liberavent, licet aliud sit in fidejusso.e, *l.* 2. *Cod. de fide, ussor.* Et ita latè tenet Anto. Negusan. *tractat. de pigno. part.* 5. *membro* 3. *num.* 29. ubi dicit id non esse speciale in dote quod dicitur in *d. l. jubemus.* Sed certè (ut compendiosè expediam) hæc communis sententia non est simpliciter vera, & licet ea ratio ostendat minorem esse causam dandi hoc beneficium, minusque deberi tertio huic possessori, quàm uni ex considejussoribus simultaneè obligato, non tamen concludit prorsus denegari: Et veritas est, etiam tertio possessori jure deberi *l. mulier, qui potest. in pign. habeantur, l. cum possessor, de consi.* igitur facto creditoris auferri non posse. Secundò arguitur, quia communis sententia est, quòd non tenetur actor cedere, nisi quales habet, nisi vitio suo, hoc est fraude fecerit, quominus efficaciter cedere possit; ita communiter intelligitur *dict.* §. *si creditor*, in *l. Stichum. de solution.* ut ibi latè Alberic. qui ita in propriis terminis tenet: sed certè non est æquum, nec juri consentaneum, *d.* §. *creditor*, ad consilium fraudis restringi. Tertiò fortius arguitur, quia supponitur, quòd reus habeat causam non à fidejussore (quo casu non esset dubium quin posset uti, sicut author suus, quem in hoc laudare posset) sed hic habet causam ab ipso solo principaliter obligato, cui non potuisset hoc beneficium, sed benè alius contra eum competere. Igitur non competit successori suo, sed potius pariter contra eum, quippe qui plus juris habere non possit per jura vulgaria; secus si emisset à correo vel fidejussore, ut dixi, quam rationem nullus scribentium adusque retigit, licet fortior & efficacior videatur. Quartò, quia videretur impediri commercium creditorum cum debitoribus hypothecariis, & damnosius esset multas quàm paucas habere hypothecas: quia creditor nullam rem posset acquirere à debitore, quin sibi præjudicium faceret erga omnes, qui jam ab eodem acquisivissent, si contra eos agere vellet; quod videtur absurdum, ut suprà *num.* 677. *in fin.*

Definitio. 681. Solvendo breviter distinguo, aut reus seu tertius iste possessor emit post actorem, vel ante. Primo casu dicendum indistinctè, quòd non potest petere cessionem super fundo prius quæsito actori, vel ejus facto hypotheca exempto: quia tempore acquisitionis factæ per reum nullæ competebant actiones super eo fundo, nec erant aliquæ cessibiles: & sic eo respectu; nullum jus cedendarum acquisitum aut raducatum fuit reo. Secundo casu, quando reus prior acquisivit, deinde actor: & tenetur actor contribuere, sive ab agendo desistere pro rata fundi, quem postea emit: & ad hoc debent prædia æstimari, quod in idem recidit cum cessione actionum, idque duplici ratione. Prima quia hoc jus fuit acquisitum reo ab instanti suæ acquisitionis, cùm tunc uterque fundus idem hypothecæ pariter subesset: & sic acquirens unum hoc reditu sub hac modificatione oneratum, ut statim istud onus etiam ignorans subiit, ita statim jus cedendarum super altero fundo acquisivit, quod non potuit postea facto creditoris auferri per jura vulgaria. Secunda, quia non debet creditor acquirens à debitore suo esse melioris conditionis, eò quia creditor, quàm si quivis extraneus emisset, contra quem omnino cedendæ essent actiones: igitur & creditor contra seipsum pro rata acquisitionis cedere debet, vel sibi compensare. Et alioquin sequeretur, quòd facto suo ex post facto posset deteriorem facere conditionem possessorum, & omnium sibi obligatorum, morbo alieno laborantium: imò quòd in eorum necem posset cum principali debitore colludere, inanemque reddere cessionem actionum contra principalem, quod esset iniquissimum. Tertia, quia supponitur (ut assolet) reum ex instrumento emptionis habere omnia, quæ tunc erant venditoris sui, hypothecata pro acquisitione sua, & cõsequenter fundum postea emptum per actorem: & sic ipsemet actor tenetur reo de evictione juris petiti, ratione fundi ad eam evictionem hypothecati. Igitur repellendus est, saltem pro rata ejusdem fundi, ex vulgari, *l. vendicantem de evictio.* Sed certè hæc ratio nunc non concludit, quia licet teneatur actor hypothecariè de evictione ipsi reo, non tamen tenetur purè, nec vi ipsa, prout moribus nostris tenetur reus ad reditum petitum personaliter ex sola possessione, sed quoad evictionem prius discutiendus est venditor: & sic interim liberas ædes habet actor, & liberè puris suis actionibus experitur, prout dominus libere vendicare potest fundum suum à possessore, licet possideat prædia ad evictionem reo hypothecata, dummodò personaliter ad eam non teneatur.

682. Sed sufficiunt & concludunt duæ priores rationes, & ea fuit distinctio & sententia Jo. Fab. in *l. jubemus C. ad Velleian. num.* quæ etiam in casu *dict. l. procedit, ut etiam in terminis distinguit*, & decidit Specul. de *renunciat. num.* 22. *versi. sed pone emi.* & benè per prædicta, & quæ dixi in *Cons. Parisi.* §. 137. quicquid Cy. Jac. de Areti. Alberic. & omnes Doctores ibi & ubique dixerint tam *legendo quàm consulendo, ut* Rom. *consi.* 472. & latius Anto. Negusan. *tract. pig. part.* 5. *membro* 3. *num.* 31 ubi simpliciter tenent quòd non tenetur tertio possessori cedere jura, nisi qualia sunt, etiam facto creditoris post jus tertio possessori quæsitum, remissa, & male. Non obstant tria allegata in contrarium: quia duobus primis eodem contextu responsum est. Ad tertium autem dico quòd sicut si principalis debitor reliquerit quatuor hæredes, & unus in solidum exigatur, debent ei cedi jura contra hæredes pro partibus eorum, ut suprà *num.* 672. ita si habet singulares successores, qui exigantur, eis cedenda sunt jura, nisi quatenus hoc luere tenerentur, quia emissent ad hoc oneris, & sic datis eisdem terminis, idem juris est in successoribus. Ad quartum dico quòd creditor non impeditur contrahere, prout alius potest, sed solùm prout quilibet alius non potest: & sic nulla fit ei injuria, sed æquale commercium ei relinquitur.

683. Conclusionem sic formatam amplio primò etiamsi creditor non immediatè, sed mediatè quocumque modo, puta ex retractu proximitatis, eum fundum quocunq; pretio etiam excessivo comparaverit: quamquam enim hypotheca, dum res sua sit, extinguatur; tamen quia facto suo id fit, non debet aliis esse captiosum: & omnino non debet esse melioris conditionis, quàm si tertius emisset, vel quàm fuisset author suus.

Amplio secundò, etiamsi creditor mox alienaverit, & in alium transtulerit: quod enim non potest cedere actiones suas contra dominum & possessorem, facto suo accidit, & sic reputare debet eisdem rationibus per prædicta. Amplio tertiò, etiamsi creditor nihil attigerit, sed liberaliter vel aliter remiserit unam ex hypothecis, vel unum ex obligatis liberaverit in præjudicium eorum (sive obligatorum, sive possessorum) quibus jus cedendarum competebat. Eadem enim est ratio per *dict. §. si creditor.* in *l. Stichum de solut.* qui non debet restringi ad vitium fraudis, *per prædicta*, ut etiam sentit Deci. *consil.* 104. licet aliis commentitiis & à remotis ascitis rationibus utatur. Amplio quartò, non solùm si fundus emptus à creditore specialiter hypothecatus erat dicto reditui, sed etiam si generaliter tantùm, ut dicam in 4. *fallentia*. Fallit primò, si creditor passus sit præscribi: hoc enim illi non imputatur per notata suprà *num.* 677. nisi in hoc, quòd principali debitore tempore liberato, liberantur etiam omnes qui accessorie tenentur, ut suprà *num.* 679. Fallit secundò, si acquisivit in solutum partis debiti sui, vel etiam alterius prioris sui debiti hypothecarii: quia tunc priore quidem casu tantò debitum diminutum est, ut cæteri tantò liberati, & eorum tantò melior conditio facta: & sic non opus est cessione actionum pro rata, cùm jam pro rata sublatæ sint: ad hoc pulchrè Paulus *consil.* 56. *in solutum lib.* 1. Secùndo verò casu non censetur idem creditor hujus reditus evicisse, sed alius antiquior creditor ex priore hypotheca: & sic non censetur factum creditoris hujus reditus, sed alieni: potest enim creditor personas diversorum ex diversis juribus sustinere. Consequenter si creditor jure pignoris unam ex rebus hypothecatis distraxerit, vel subhastari fecerit, non procedit conclusio, nec ei imputatur, quasi facto suo res illa hypothecam exuerit, & desierint in hac re cedi posse actiones: Aut enim de pretio satisfactum fuit huic creditori, & sublata vel diminuta est obligatio: aut verò exhaustum fuit per alium priorem creditorem, & non censetur sublata hypotheca facto hujus, sed alterius creditoris. Fallit tertiò, si reus acquisivit ad hoc onus non simplicis hypothecæ, videlicet expresso quòd res erat hypothecata, sed ad onus hypothecam luendi, seu reditum solvendi: quia tunc est loco principalis debitoris, & sic frustrà cederetur ei, cùm tepeatur satisfacere & de evictione.

684. Fallit quartò in terminis dictæ quartæ ampliationis, ut clarè procedat, si principalis debitor non sit solvendo, & hoc notum sit, ut non sit opus discutere: quia tunc saltem pro rata contribuere debet creditor, ut plenè dixi in *Consuet. Parisiensi*, §. 166. secus si debitor sit solvendo, vel dubium sit: quia tunc non tenetur creditor statim contribuere, nec purè cedere contra se super fundo suo, sed bene tenetur cedere conditionaliter, seu potius verbaliter cavere de contribuendo vel diminuendo pro rata, quatenus discussio debitore, restabit. Et hoc est quod vult dicere Salyc. in *l.* 2. *col.* 2. *C. de fidejussoribus*, quòd licet teneatur creditor fidejussori solventi cedere jura, ob quæ solvit, etiam contra se, vel contra pignora quæ tenet, non tamen tenetur eadem pignora, quæ etiam ex alio posteriore debito tenet, pro quo solvens non fidejussit, ei tradere. Et benè dicit: quia non tenetur se privare beneficio discussionis sibi tanquam cuilibet tertio juribus cessis convento competenti, ut dixi. Ad quod non advertens Anton. Negusan. *tract. pign. part.* 5. *membro* 3. *num.* 34. malè & incautè reprehendit Salycetum, ut etiam tetigi in Annot. ad Deci. *consil.* 140. *num.* 6. Cæterùm nec refert an creditor adhuc eum fundum possideat, an verò liberum alii sine onere vendiderit, prout potuit: quia ut non debet esse melioris, ita nec deterioris conditionis, quàm tertius emptor, contra quem cederet jura: qui tamen non posset molestari, nisi principali discusso: cui moratoria exceptioni, ut non est locus secundùm Consuetudines nostras in tertio possessore fundi specialiter hypothecati ad reditum, ita non erit locus in creditore ipso, si talem fundum semel acquisierit, vel hypotheca exemerit: quia tenebitur saltem contribuere seu diminuere de reditu, respectu alterius possessoris, qui prius à debitore acquisiverat, salvo communi recursu contra principalem debitorem. Non obstat quòd beneficium cedendarum non est introductum, nisi ex æquitate, ut id saltem reus consequatur, quod sine dispendio creditoris futurum erit, *l. in creditore de eviction.* quia non censetur creditor sentire hoc incommodum, quod ex facto suo provenit, acquirendo rem specialiter hypothecatam, fortè ab eo qui post reum emerat à debitore: & sic non debet esse melioris conditionis, imò hîc non tam competit beneficium cedendarum, quam contributionis seu communicationis oneris, ob concursum obligationis, seu rerum æquè principaliter obligatarum. Quòd autem facto creditoris semel res altera desiit esse hypothecata, eidem imputandum est, etiamsi possidere desierit, ut dixi.

685. Sextò, hîc accedit alia necessaria quæstio. Quid si non agatur de pluribus rebus, nec de pluribus debitoribus, sed de eodem fundo & debitore, pluribus autem successivè creditoribus: puta, debitor constituit primò quinquagenta libras hujusmodi reditus super domo sua: secundò verò & tertio similem reditum super eadem domo, sed tertius creditor noluit numerare pecuniam, nisi primus consentiret speciali hypothecæ dictæ domus, quod simpliciter fecit? Hinc oriuntur duæ quæstiones, prima an ex hoc primus amiserit hypothecam domus; secunda, si non amiserit, an erit secundus, an verò ultimus in hypotheca. [Non obstantibus Arestis, respondent Advocati secundum eam distinctionem inter mutuum (in quo redibant aurei) & contractus reciprocos in quibus sufficit reddere quantitatem, quia emptor perpetuò alienat aureos: & sic pro eo quod tunc valent tantum: secus in mutuante qui sperat sibi reddi simile.] Quantum ad primam, videretur in dubio totum remissile, per *l. Pactus, quibus mod. pign. vel hypoth. sol.* ut ibi tenet Bart. *gloss.* & Bart. in *l. creditori* ☞ *fin. qui potior. in pign. hab.* Joan. Andr. in *addition.* ad Specu. in *Rubr. de action. & obligation.* Alberi in *l. nubemus num* 1. *Cod. ad Velleian.* Paul. in *l. vir & uxori*, §. 1. *digest. eo.* Breviter veritas est, in dubio non esse remissum pignus, sed tantùm jus, hoc est prælationem pignoris respectu actus, in quo consensit dumtaxat, textus in *l. creditor.* 2. §. *fin. qui potior. in pignor. hab.* secundùm quem *d. l. Paulus debet intelligi, quod etiam sensus communis & naturalis ratio dictat.* ut decidit Salyce. *in l.* 3. ubi etiam gloss. *ita firmat C. de remissione pignor.* & ita tenendum, licet Antonius Negusan. *tract. pign. part.* 6. *membro tert.* sequatur ineptam distinctionem Bartoli inter masculum & fœminam. Quantum ad secundam rectè decidit Salyc. in *d. l.* 3. quod ille consentiens erit in hypotheca postremus omnibus, qui hypothecam habebant tempore consensus, & illo cui consentit, & probat textus in *dict. l. Paulus.* Quod limito, nisi ille consentiens deceptus fuerit ab illo ultimo creditore affirmante non esse aliam hypothecam intermediam: quia tunc non proderit ei consensus replicatione doli. Reliquum materiæ practicæ hypothecarum remitto ad ea quæ trado in *Consuet. Parisiens. tit.* 5. ut tandem liceat tollere manum de tabula hac, & pro coronide totius hujus operis, accipe novum nostrum Tractatum Monetarum, quem methodi & facilioris doctrinæ gratiâ in sequentes undecim quæstiones digessi.

QUÆSTIO XC.

SYNOPSIS.

1. *Augmentum, & diminutio posteà superveniens non attenditur.*
2. *Contrariorum eadem ratio.*
3. *Accidentalia monetæ.*

686. NOnagesimò quæro. Anno sesquimillesimo quinto cùm aureus solaris exponeretur pro triginta sex solidis Turonensibus tantùm quidam pro bis mille quingentis Francicis, sibi numeratis in mille trecentis octoginta & octo solatis, & triginta duobus solidis Turonensibus, vendidit & constituit ducentos Francicos Turonenses reditus annui redimibilis pro eadem summa 2500. Francicorum in eisdem speciebus solvenda: tandem post triginta annos, videlicet anno 1535. cùm solaris aureus quadraginta quinque solidis Turonensibus indicaretur, debitor redimere volens offert nongentos quinquaginta quatuor solatos cum viginti solidis Turonensibus pro sorte: creditor recusat, nisi trecenti septuaginta octo solares aurei cum sexdecim solidis Turonensibus addantur: quoniam ex lege contractus sors in eisdem, & sic totidem speciebus reddi debet. Replicat debitor de eisdem quidem speciebus, non autem de totidem corporibus convenisse; quandoquidem non de certa specie monetæ, & multò minus de certis corporibus vel certo nummorum numero actum sit, sed de certa pecuniæ quantitate dumtaxat, quam quantitatem reddi sufficiat. Unde licet eadem quantitas in eisdem speciebus ex pacto reddi debeat, ita tamen accipiendum & deducendum, ne ea quantitas excedatur, alioquin non eadem, sed major sors reddi diceretur, quod cùm absurdum, tùnc impossibile est in obligationem deduci. Ad hanc bicipitem replicationem dupliciter duplicat creditor: primò, ad primum caput, quòd non sit actum de totidem corporibus, respondet, quòd ex hypothesi non solùm quantitas conventa, sed species numeratæ sunt in obligatione, saltem in dispositione, si debitor redimere velit. Patet, quia dictæ species non sunt hic in simplici solutione seu facultate solvendi, sed in necessitate præcisa & de forma redemptionis, quæ variari nequit, cùm certos suos & specificos limites semel ex ipsa reali numeratione, tempore contractus acceperit. Et sic non inspicitur quid postea sive augmenti, sive decrementi accidat, *leg. Rutilia Polla. de contrab. empt. & vend.* Ad secundum verò caput, fieri non posse, ut major sors deberi possit: respondet, nec hodie etiam totidem speciebus aureorum redditis, majorem sortem vel summam reddi: quia à tempore contractus minuta & usitata moneta majori aris perfusione tanti vel pluris deteriorata fuit, quanti solatorum indicatura crevit, & verum est, ut ex multis monetalium Præfectorum relationibus cognovi: & sic in effectu non dicitur crevisse, sed potius imminuta esse indicatura solatorum aureorum: quia licet tempore contractus non valeret nisi triginta sex, nunc autem quadraginta quinque solidis, tamen quadraginta quinque solidi ex his qui currunt tempore redemptionis, non valent ultra triginta sex ex eis qui currebant tempore contractus, imò adhuc minus valent. Aurei autem ipsi non sunt exinde facti de meliori, sed nec de eodem vel æquali, imò de deteriori aureo, in tantùm quòd aurei dicti temporis valerent hodie non solùm quadraginta quinque; sed plures solidos hujus temporis. Et sic cùm augmentum extrinsecum pretiosioris pecuniæ, in qua debet fieri solutio, processerit ob deteriorationem minutionis monetæ, non est illud augmentum deducendum, etiamsi aurei non sint principaliter in obligatione, nec ad certum numerum, sed accessoriè ad quantitatem librarum principaliter debitam vel refundendam, ut latè decidit Albericus Bruens. *tract. de aug. conclu. ult. declarat. 6. & Fallen.* 8. Confirmatur, quia alioquin non servaretur æqualitas, sed creditor haberet omne & multiplex damnum, debitor vero nullum damnum, sed omne lucrum & commodum secutæ deteriorationis intrinsecæ, & augmenti extrinseci. Patet, quia ex hypothesi referendo ad solidos, & statum, qui erat tempore contractus, mille aurei hodierni non plus valent quàm mille ex illis, qui tempore contractus numerati sunt, imò minus valent intrinsecus, ut in confesso est: nec etiam plus valent extrinsecus, sed potius minus, quia non valent majorem numerum solidorum, referendo ad antiquos, sed minorem: quadraginta enim solidi hodierni non valent triginta sex de antiquis. Si igitur creditor cogatur hodie non solùm recipere aureos novos, sed etiam sub minori numero, habebit duplex incommodum: quia primò cogeretur recipere aureos minoris probitatis quàm dederit: secundò non tot, sed minori numero, & deducetur creditori augmentum extrinsecum superventum, nec tamen satisfiet de decremento extrinseco: & sic utrumque extremum mutationis & intrinsecæ & extrinsecæ cederet lucro & commodo debitoris, utrumque verò damno creditoris; quod non solùm videtur iniquum ob inæqualitatem, sed exorbitans contra regulam juris communis, qua periculum spectat ad debitorem, *leg. interdum C. si cert. petat.* Quid dicendum? Breviter longiore disputatione omissa (multa enim hinc inde occurrunt in hac argumentosissima quæstione) cum super ea lite consultus fuissem.

687. Respondi pro debitore, licet non ignorarem non diu contrarium à quibusdam *arrestographis* pro creditore judicatum fuisse in impari causa, contra quam consulueram; sed tam firmis & solidis legalis æquitatis (quæ mihi peculiaris est) rationibus sententiam meam niti sentiebam, ut non cederem: tandem re in supremo hoc Senatu maturiùs discussa, vicit æquitas & veritas, & pro debitore pronunciatum est. Et rursus in simili causa cùm Franciscus *de Ferrieres* vellet redimere reditum hujusmodi ducentarum librarum constitutum pro mille ducentis solatis, tempore quo solatus valebat 40. solidos tantùm, & tempore quo agebat ad redemptionem, valebat quadraginta quinque solidos, per sententiam Præfectorum libellorum supplicum Palatii, insequendo oblationem Dom. Joannis *Hennequin*, & Annæ *Molé* ejus uxoris reorum & creditorum, juxta clausulam contractus, quo ita pactum fuerat, dictum est quòd actrix posset redimere, solvendo mille ducentos solatos præcisè, sine deductione augmenti: reliqua verò reditus in moneta usuali, & actrix in expensis litis condemnata: quæ appellavit, & per Arestum latum die 14. Februarii, anno 1539. dictum fuit malè judicatum, & quòd posset redimi reddendo mille quadringentas libras Turonenses in eisdem speciebus solatorum, usque ad concurrentiam dumtaxat dictæ summæ 1400. librarum Turonensium, & inspecto valore solatorum, nunc currenti (id est deducto augmento extrinseco) creditores verò damnati in expensas tam causæ principalis, quàm causæ appellationis, & bene. Idem in simili causa fuit judicatum per aliud Arestum die prima Martii, anno 1538. inter Jacobum *Raoul* Doctorem Medicinæ, & Dom. Joan. *de la Haye* Consiliarium ejusdem Senatus, non obstante forma & clausula

contractus contracta, & bene. Sed inquantum in præcedenti Arestio visita actrix condemnata fuit ad reliqua reditus usque ad diem redemptionis vel consignationis realis dictarum 1400. librarum Turonensium sortis, in dictis speciebus cum reliquis tempore consignationis realis debitis, error fuit ex communi Doctorum sententia, quæ falsa est & erronea, quod nondum detectum fuerat, prout nuvè & plenè deteximus, superiori quæst. sed deinceps etiam in futurum cedere debet communis error veritati per nos detectæ. Redeundo ad decisionem quæstionis nostræ, ratio & probatio decisionis est duplex. Prima per locum ab eadem contrariorum disciplina, *l. tempus commutationis, ff. reg. jur.* quoniam casu converso, si tempore redemptionis diminuti essent aurei, nec valerent nisi viginti vel triginta soludis Turonensibus; tamen tenerentur debitor tupplere tot aureos, aut consiterent summam sortis, videlicet his mille quingentos Francicos, nec sufficeret dare tot aureos quot recepit, aliquin non redderet sortem integram. Ut igitur superveniens decrementum aureorum non debet cedere damno creditoris, ne minorem, quam tempore numerationis inspecto, te vera dedit, sortem recipere cogatur: ita superventum tempore redemptionis augmentum aureorum non debet cedere lucro creditoris, ut majorem quam dedit sortem exigere possit; sed ut justè peteret supplere decrementum, ita debet parti deductionem augmenti, ut nec diminutum, nec excedatur, sed eadem servetur sors: & pariter debitor non debet hoc casu in damno, nec priore casu in lucro versari, sed utrobique servanda æqualitas. Secunda ratio, quia creditor non debet ex eadem negotiatione duplex commodum vel lucrum habere: sed hic creditor habuit quotannis summum fere lucrum duodecimæ, cum hic reditus sit toties duodecimam & decimam tertiam: igitur non debet habere lucrum augmenti aureorum vel ejusdem sortis, ex qua fructum percipit. Ita docuit Claudius de Salcello *in lege, si ex legatis causa vel. c. de verb. oblig.* sequitur Franc. Purpura, in *l. cum quid, numer.* 158. *de rebus creditis.*

688. Altiùs & radicitùs declaro, quia ex quo certi aurei, seu quilibet certa species monetæ datur ad negotiandum & lucrum vel commodum afferendum salva sorte, necesse est quòd ea species aureorum vel monetæ deducatur in dispositionem principaliter non tanquam certa species monetæ, nec sub ratione certorum corporum, sed tanquam quantitatis, & sub ratione unius certæ summæ pecuniæ, quæ ex corporibus vel speciebus numeratis resultat, tempore numerationis inspecto. Et sic ea sors semel limitata & determinata non potest amplius augeri vel minui in se, prætextu augmenti vel decrementi specierum numeratarum ex intervallo supervenientis. Cùm enim id ageretur ab utraque parte, ut species numeratæ darentur ad statim negotiandum, utque mox in negotiationem expenderentur (quod fieri non posset, nisi sub ratione & mensura valoris tempore numerationis currentis) sequitur quòd augmentum vel decrementum eorundem specierum ex intervallo superveniens protsus impertinens est: quia non facit plus vel minus retro numeratum fuisse, nec negotiationem ipsam pinguiorem vel minus crem retro fuisse: & sic semper inspicitur & retinetur eadem ipsa sors, quæ fuit ab initio. Unde si plures mercatores contraxerint societatem certæ negotiationis, & certas quisque summas sub variis speciebus contulerint, alter in solerjbus, alter in coronatis, alius in alia specie monetæ, tempore divisionis societatis, quo quisque sortem suam seu capitale ante superluri distributionem percipere debet, inspiciendus est valor dumtaxat, qui erat tempore collationis: quia ille demum valor, illa tantum quantitas quæ tunc erat collata, est posita & conversa in communem cum statim tanti, quanti tunc erat, in negotiationem communem expensa fuerit: & sic sive postea tempore divisionis crevent, vel decreverit valor seu cursus collatæ monetæ, non debet quod superveniet attendi, sed solus cursus, qui erat tempore collationis, idem in similibus. Et quod dixi de societate, amplio primo, etiamsi expressum sit quod lucra sequatur, quisque percipiet capitale suum, vel quantitatem a se datam in eisdem speciebus. Amplio secundo, etiamsi collatio non incæperit à nominibus quantitatis, puta tot librarum, sed à nominibus corporum, vel specierum: puta si actum sit quod conferrent tot aureos, & eosdem peroperent, vel si unus simpliciter contulit centum aureos, ita ut intra annum, vel limita tempore, perciperet centum aureos, & interim multum excreverit æstimatio seu cursus aurei, non momentaneus (qui non attenderetur) sed habilis, etiamsi non publica expressa auctoritate, sed inter mercatores & in commerciis similis societatis, ut per Ang. in *l. cum C. de collat. arc. lib.* 10. debet illud incrementum de capitali deduci, & inter socios dividi, quamvis in hoc nominatim contrarium consuluerit Philip. Corn. *cons.* 289. *solet lib.* 1. & pessimè, ubi totum fundatur in vulgata illa opinione de qua per Doctores, *in leg. cum quid, in leg. vinum, si vero, ff.* quæ etiamsi esset vera, non posset habere locum in hoc casu & similibus, & eam discutiemus infrà *quæst.* 592. Et contrà, si non ad momentum, sed longam durationem decreverit cursus aurei, debebit de communi supplere, & reddi in ea æstimatione & cursu, in quo erat tempore collationis & conversionis in rem communem. Non enim hic tanquam species, sed tanquam quantitas conferuntur: nec cedunt in societatem, nec prosunt societati, & communi negotio, in quantum illa vel altera species, sed in quantum tanta quantitas, meritò hæc, quæ hîc est formalis, & propter se, seu finalis, debet attendi, non autem materiæ species, vel forma particularis ipsius monetæ, quæ hoc casu accidentalis est, remota & impertinens.

989. Non obstant dictæ clausulæ (in eisdem vel eosdem speciebus) quia debent intelligi rebus sic stantibus, & secundum materiam subjectam: prout etiam secundum jus intelliguntur, salvâ diminutione pro rata in causa damni. Et in prædictis intelligo de variatione, quæ accidit non immediatè post nudam collationem, sed post collationem actu effectam, videlicet post usum & exercitationem societatis. Alioquin si Calendis Januarij convenerint de societate inchoanda & exercenda à Calendis Aprilis usque ad annum vel aliud tempus, non debet attendi valor qui erat ante Calendas Aprilis, si quis ab initio pacti vel interim contulerit: sed cursus qui erat Calendis Aprilis, tempore quo cœpit exercere communis negotiatio, & in communem usum pecunia converti. Redeundo ad principalem quæstionem nostram, non obstat quod ex hypothesi non solùm quantitas summæ resultantis, sed etiam species ipsæ numeratæ, seu earum qualitas sunt in dispositione: quia verum est quòd sunt in dispositione, quantum ad hoc, ut sors non debeat reddi in qualibet cujusvis alia monetæ materia, vel etiam in aqua forti materia, sed specie formave exotica, vel quæ non ita de facili expendi possit, in præjudicium creditoris: sed ut sors debeat reddi in similibus, & æquè commodis, & pereuntibilibus speciebus, non autem certis earum numeris in dispositione est, nec ullo modo hîc esse potest in præjudicium debitoris, ut plenius in *quæst. sequenti.* Ultimò, non obstat quod dictum est augmentum extrinsecum provenire ob deteriorem rationem hujus monetæ, & quod injuria fieret creditori, si ei imputaretur augmentum extrinsecum detrahendo de numero antiquo aureorum, non supplendo numerum eorum valorem in lucrum. Quia posset procedere, si aurei deberentur per se absolutè, non autem quando sub ratione certæ quantitatis & summæ, quam tempore contractus contrahebant, & quæ postea excedi non potest, ut hîc, & in sortiariis terminis

inf. *quæst.* 92. Ex his decidetur quæstio, quam nuperrimè vidi in facto. Debens hujusmodi reditum quæ quinquaginta aureorum solatorum redimibilem & constitutum olim pro sexcentis aureis solatis, aureo tunc valente [illegible] sex solidos, cùm passus est fundum suum subhastari & vendi per decretum: executor imperitus distribuens pretium creditoribus anno 1540. solvit creditori hujus reditus reliqua in aureis solatis: quinetiam sexcentos solatos pro sorte principali, sine aliqua diminutione extrinseca augmenti aureorum, idque in præsentia & de consensu Procuratoris debitoris, qui post quatuor annos habet rescriptum restitutionis adrepetendum augmentum aureorum, tam de reliquis, quàm de sorte. Respondi clarissimum per prædicta recte agi: plus dico, non opus esse rescripto, nec aliqua restitutione, per ea quæ dixi de conditione indebiti, supra *quæst.* 18. *ad fin.*

QUÆSTIO XCI.

SYNOPSIS.

1. *Minimum damni non habetur respectu.*
2. *Improbè creditor pactus utitur ad efficiendum.*
3. *Exactior aurum purgandi modus per Lydium lapidem, non per ignem.*

QUINQUAGESIMO primo, quæro an in hujusmodi reditu valeat ea vulgata clausula ad redimendum in eisdem speciebus dumtaxat? Videtur quòd non, quia primum necesse est certam quantitatem sortis à talem debitoris pervenire, ut in rem ejus conversam: dein se reditum annuum non excedere duodecimam dictæ sortis à summum; argumento *d. l.* 20. Tertio necesse est debitorem perpetuam & liberam facultatem habere luendi, seque liberandi, eadem quantitate totius cum reliquis, si quæ debeantur, oblata. Sex hujusmodi necesse est pertimiam, quæ pro sorte nitrerantur deducibilia, & numerari sub ratione simplicis [illegible]: non autem sub ratione certorum corporum vel speciem monetæ. Ergo necessarium videtur debitorem semper liberari posse, eamdem quantitatem sub quolibet approbata monetæ restituendo, nec posse adstringi ad certas etiam numeratas, dumtaxat species restituendum: quia hoc modo facultas redimendi non est libera, sed coarctata, quod est contra substantiam horum reddituum, ut supra *quæst.* [illegible]. Igitur sicut creditores habent facultatem de quolibet genere monetæ & probata monetæ sic fruendi, ita debitores dicentur habere liberam facultatem luendi de quolibet congruo & probata moneta. Creditor vero volens hoc reditu gaudere, certare videtur aut de commodo ultra rationem implens duodecimæ, aut de auctandi libertate luitionis, quorum utrumque illicitum est. Quibus non obstantibus, puto dictam clausulam non [illegible] excessivam esse: validam sub temperamento boni & æqui: potest enim esse, & sæpe usu venit, quod creditor non erat sortem numeraturus in pretiosa aurea, [illegible] urgentia vel minuta moneta. Debitor autem [illegible] ve proficuum, sive prædium avitum redempturus, ego [illegible] oportet redimi nisi in aureis solatis, specialiter illis ad petat: ideo nolunt vendere reditum, nisi habeat sortem in aureis. Et eo ipso autem cautius potest creditorum interesse potest, solare potius aureos recipere vel recuperare quam alias species monetæ, [illegible] species monetæ. Cùm ergo non solùm creditorum interesse, alioquin hoc solum non sufficeret per notata supra *quæst.* [illegible], sed etiam debitorum, qui tenetur in pluribus [illegible] preferendis in magnis summis, unius [illegible] cum admittere tempore acceptionis, veluti pri[illegible] quæ [illegible] solatos aureos tantum, si

debitor suppleat in probas moneta equivalenti, non debet reprobari oblatio. Idem de tribus aut quatuor aureis in magna summa, quia propter tam modicum defectum non dicitur probabiliter interesse creditoris, nec de tam levi defectu curandum est, *l. quamvis. de condit. & demonst.* Bald. *l. pro hæredibus. vol.* 2. *C. de hæred. actio.* Ancha. Cobet in *tract. de minutis.* Idque eò magis quo reditus est gravior, & quò diutius perseverabit, & maximè si creditor nihil de reliquis remittat, sed vel cum pulviscello certat exigere. Frumentator enim, præsertim qui summum hunc & lucrosum duodecimæ reditum recipit, non est audiendus, si nimis onerosus esse pergat, vel nimis acerbus exactor. *l. si servus, C. de pign. actio. l. si bene de usur.* quod esset, si propter unum vel alterum aureum deficientem, vel paulo leviorem vellet totam oblationem cavillatione admittere debitorem, qui forte prædia redemptionis causâ vendit, vel ejus procuratorem ad supplendum quod deest in probis monetis, sed ut semper totus reditus curtat. Hujusmodi nimis sordidus & infectatus [illegible] quo [illegible] contra [illegible] horum reddituum. Item si tempore contractus species numeratæ frequentes erant, sed postea successu temporis raræ: tunc enim sufficeret in alia frequenti specie similis materiæ sortem reddere, quemadmodum jam si interim reprobatus esset cursus specierum aurearum numeratarum: tunc enim sufficeret in alia tempore redemptionis usitatis speciebus aureis sortem redderet: & hactenus valebit illud pactum, prout etiam ipsa rei æquitas suggerit, qua[illegible] his attendi debet, *l. is [illegible] de rebus cor.* Tertiò, si sors fuit numerata in multifariis speciebus, puta mille in centum solatis, centum coronatis, centum ducatis, centum rosatis &c. Sufficiet enim totum reddere in una specie, nec admittendum pactum contrarium, tanquam nimis captiosum & onerosum. Quarto, si constet quod creditori nullo modo interest: ut enim ob id aliàs admittatur solutio in alia proba specie gravis, sic si constet quod tunc creditor valebat cum [illegible] quotiescumque valebat [illegible] debet [illegible] monetæ confidentem, non debet, non [illegible] ratio, vel etiam alio tunc tempore competenti invenire [illegible] cendum, & non ad ferendum quod sua interest, [illegible]

Digitized by Google

textus in *leg. in fundo. §. constituimus, de rer. vendicat.*

Duplex probatio monetæ.

692. Circa hæc occurrit quæstio quotidiana, si ambigitur de pondere & probitate monetæ, ut ab aurifice probanda sit cujus expensis id fieri debeant. Et Barth. quem omnes in hoc sequuntur in *l. Paulus. col. 1. num. 4.* respondet communibus impensis, per *leg. 4. §. 1. fin. regundorum*: Et placet, nisi jam constaret pecuniam esse probam, & creditorem non-nisi causa vexationis hoc petere. Sed quandoque audisse recordor reclamantes monetales, quasi ad se solos spectet probare & reprobare monetam, sicut & cudere. Atqui duplex est probatio & reprobatio, altera judicialis & definitiva, quæ ad dominos Præfectos monetarum spectat, altera extrajudicialis & probabilis, quæ ad quemlibet eius rei peritum spectat, ut ad quosvis campsores & nummulatios, quos Græci τραπεζιτικοὺς vocant: & est mos antiquus, ut ostendit Aristoteles *Rhetoricæ libro primo, cap. 37.* dicens ἄνδρ' τραπεζιτικὸν ἀκοῦσαι ἢ ὅτου ἕμπειρόν ἐστι ἢ ἰδιώτου. Confert enim judicem argentario, ut sicut ille nummum adulterinum à probo, ita hic justum & verum à fucato & injusto discernat. Cæterùm si non agitur de simplici probitate usuali monetæ, sed de conflatura, non ad ornamenta vel vasa per artificem conficienda, sed ad penitissimè expurgandam vel probandam puritatem materiæ, monetales id sibi apud nos vendicant, & ab eis fieri vidi, tam per aquam chrysulcam per ignem, quibus fit aurum obryzum & excoctissimum, nisi quod Plinius *lib. 33. cap. 4.* refert exactiorem purgandi modum, per auripigmentum qui non est in usu ob nimium damnum & intertrimentum auri. Sed quod ad simplicem probationem attinet, citra conflaturam non est certius experimentum, quam Heraclio sive Lydio lapide, quoniam semper uniformiter se habet, & æquale præstat experimentum, quod non est in igne, qui quandoque intensioris, quandoque remissioris est caliditatis: pariter nec in aqua chrysulca quæ etiam quandoque acrioris aut levioris est temperaturæ: sed lapis semper idem. Hinc ait Plinius *lib. 33. cap. 8.* his coticulis peritos, cùm è vena, ut lima rapuerint experimentum, protinus dicere quantum auri sit in ea, quantum argenti, vel çris scrupulari differentia, mirabili ratione non fallente.

Aqua Chrysulca.

Modi purgandi auri. Lapis Lydius.

QUÆSTIO XCII.

SYNOPSIS.

1. *Valor extrinsecus non spectatur, nisi morâ commissâ.*
2. *Pecunia usum præbet non tam ex substantia, quam ex quantitate, ex Iurisconsultis.*
3. *Deficiente approbatione publica, amplius pecunia non est.*
4. *Pecunia numerata semper est certa.*
5. *Diversitas interrogationis & responsionis stipulationem vitiat.*
6. *Vniformis æstimatio monetæ.*
7. *Qui actionem habet, rem habere videtur.*
8. *Arbitrio principum pecunia æstimatio mutatur.*
9. *Inspicitur pecuniæ æstimatio quæ fuit tempore contractus.*

In mutuo.

693. NOnagesimo-secundò, ad majorem præcedentium & sequentium declarationem, expedit hanc non minus controversam, quam tritam quæstionem ἀναλυτικῶς excutere de mutuo, puta mille aureorum solatorum, facto anno sesquimillesimo vicesimo sexto, quo solatus valebat: quadraginta solidos tantum; sed dum repetitur, puta anno sesquimillesimo tricesimo secundo, valet quadraginta quinque solidos: An debitor deducere possit incrementum valoris, & sic solvere 889. aureos tantùm cum quinque solidis Turonensibus? Econtrà si decreverit, an teneatur supplere valorem tempore mutui currentem? Videtur quod non, quia mutuum debet reddi in eadem substantia & quantitate, numero vel mensura, & in eadem bonitate intrinseca, hoc est bonitate substantiæ, quæ mutuata fuit. Cæterùm extrinsecus valor non attenditur, nisi post moram, *l. 3. in fin. de act. empt.* & notatur in *l. vinum. si cert. pet.* Igitur sive valor extrinsecus citra moram auctus fuerit, non potest debitor hoc augmentum deducere, nec minorem nummorum aureorum offerre: quia non redderet tantumdem in substantia & numero, prout accepit & tenetur, sive valor ille decreverit, non tenetur plus reddere in substantia & numero quàm accepit, nec tenetur de deterioratione extrinseca, quæ citra culpam suam & moram contigit. Et ita tenet Barth. ubique in *l. 2.* in *l. cùm autem. de auro & argent. legat. l. cùm quid, si cert. pet. Paulus de solution.* Alber. Bald. Alber. Fulg. Paul. Alex. Jas. & omnes ferè in *d. l. cum quid.* Martin. Laudanus in *tract. monetar. col. 5.* Jacob. de Puteo. in *disputat. de mutat. moneta. col. 3.* Calca. consil. 14. Alber. Bruneus in *tract. de aug. col. 83.* Hieronym. Butigel. in *repetit. d. l. cum quid. col. 10. num. 13.* & est crebrior sententia. Sed contrarium quòd indistinctè debeat inspici tempus contractus, quantùm ad hunc valorem extrinsecùm, de quo agitur, & expressim quod debitor possit istud augmentum valoris deducere: decidit Franc. Curt. senior, in *tract. moneta. super d. l. cum quid. col. 3.* Idem sentit de decremento, ut teneatur debitor supplere usque ad valorem currentem tempore contractus. Sed advertendum quòd Curtius ibi falsò citat Alber. & plures alios in suam sententiam, qui tamen stant à communi: cumque ibi de solo valore extrinseco differat, citat pro se Oldrad. *consil. 31.* & alios, qui loquuntur de valore intrinseco. Facit etiam injuriam Bald. in *l. acceptam, quæst. 17. C. de usur.* quem citat in casum augmenti, & tamen loquitur in casu converso decrementi: nec frivola (ut inquit Curt.) sed optima ratione movetur, ut mox dicetur. Multùm etiam confusè & perplexè loquuntur Doctores in hac materia, dum sæpè in involutis distinctionibus suis non semper aperiunt, de quo valore intrinseco vel extrinseco singula membra distinctionum suarum intelligant, ut Hentic. Bohic. & alii in *c. quanto. de jurejurando, & alibi.* Nos ergo omissa opinionum turbâ, per puncta rationis singulatim procedemus tam exacta perspicuitate & methodo, ut nihil ambiguitatis, nihil obscuri supersit.

694. Et primò pro secunda parte contra communem adduco decem vel undecim fortes & vivas rationes. Prima, quia forma ipsa & substantia monetæ, in quantum moneta, non est materia vel forma naturalis ipsius corporis monetæ, sed valor ipse impositivus: unde quælibet moneta, in quantum talis, non deducitur in contractum, vel quamcunque dispositionem, nisi sub ratione valoris vel quantitatis impositiviæ tunc currentis. Et hoc quidem indubitatum est, quando dispositio incipit & consistit in nomine quantitatis in genere, nulla certa specie monetæ expressa vel deducta, ut quando quis,

Prima ratio.

fortè emptor promittit decem vel centum libras. Sed idem videtur, si incipiat & consistat in nomine certæ speciei monetæ, ut si promittam decem ducentos vel aureos solares, vel si certa species monetæ etiam pretiosæ deducatur, ut in mutuo, de quo in themate. Patet, quia illi aurei non numerantur tanquam massa, nec tanquam species, sed tanquam moneta & quantitas, & sic sub ratione valoris & quantitatis. Fatentur etiam communiter Doctores quòd moneta, etiam pretiosa, magis consideratur respectu cursus, quàm respectu materiæ, ut tradit Oldr. *quæst.* 168. *ad primam col.* 2. Ioan. Fab. *Autb. hoc nisi, C. de solut. & Inst. quibus mod. tol. oblig.* §. 1. *in fin.* Anton. But. Panorm. & alij in dicto *cap. quanto col.* 22. Hinc de jure pecunia, in quantum pecunia, non est merx, nec venit appellatione mercium vel similium rerum, nec per eas æstimatur, sed omnes res æstimat, πάντα γὰρ μετρεῖ, inquit Aristot. *Ethic.* 5. *cap.* 5. & est textus *leg. fidejussorem de fidejuss.* & in pecunia non corpora excogitantur, sed quantitas, *leg. si is cui in princ. de solution.* Probatur etiam ab origine & institutione ipsius monetæ, dicente Aristotele *in loco supra allegato*, ἔστι δὲ τὸ ἐπικαλούμενον τῆς χρείας τὸ νόμισμα γίγνεται κατὰ συνθήκην, καὶ δι' αὐτὸ τοῦτο ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐσμέν, καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβάλλειν, καὶ χρῆσθαι ἄχρηστον, id est, κατὰ τὸ μέσον, tanquam subsidiarium quoddam & succedaneum rerum necessariarum numisma factum est ex compacto, sive ex communi quodam fœdere, & propter hoc nomen istud numisma habet: quia non est à natura, sed à νόμῳ, id est lege, & in nobis est mutare vel inutilem facere. Hæc Aristoteles qui similia ferè tradit *Politicôn lib.* 1. *cap.* 6. Idem testatur Iurisconsultus, *l.* 1. *de contrab. empt.* dicens commerciorum expediendorum gratiâ electam esse materiam, cujus publica & perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret, eáq; materia formâ publicâ percussa usum, dominiumque non tam ex substantia præbet, quàm ex quantitate, id est jam non substantia ipsa materialis consideratur in nummis, sed quantitas, id est valor imposititius publicè & perpetuò compactus, quam nuper publicam & perpetuam æstimationem vocavit. Quod ergo initio dixit certam ad hoc materiam delectam, non eò dixit, quòd ipsa materia consideranda sit, vel per se æstimando post fabricationem nummi, in usu ipsius nummi, sed quòd ad fabricandu numinum idonea ad hoc materia deligenda fuit; quemadmodum Aristot. *d. c.* 6. scribit initio, ad compositionem nummi electum ferrum, argentũ & simile metallum, quod sui soliditate in parva quantitate publicâ formam semel impressam conservaret, nec de facili usu intertereretur, qua ratione aurum propter peculiarẽ soliditatem transmutationi minùs cæteris obnoxiam (ut ait Leonardus Portius, *de sesterc. lib.* 1. *in princip.*) præstantius ad hoc inventum est.

Pecunia non est merx.

Institutio cursus monetæ est de jure gentium.

695. Ex quibus duo corollaria colliguntur: primum, quod intentio & institutio monetæ, pulchraque illa & perpetua, velut ex communi fœdere, & ut Aristoteles ait κατὰ συνθήκην, æstimatio est de jure gentium, ut probat Aristoteles *Polit. lib.* 1. *cap.* 6. & Iurisconsultus in *d. l.* 1. *contrab. empt.* & omnia jura quę dicunt de jure gentium esse contractum emptionis & venditionis. ergo & pecunia signata, æstimatio & fides. Et ita rectè decidit Bart. in *l.* 1. *de contrab. empt.* dicens nummum non esse introductum de jure civili, sed de jure gentium. Ut enim gentes primùm invenerunt & approbaverunt usum rudis pecuniæ non signatæ, pro quantitate & pondere pecuniæ, ita mox invenerunt, & introduxerunt usum pecuniæ signatæ. Quinetiam circumscripta inventione benè sequitur: omnes gentes utuntur pecunia publicè signata, ergo compactum illud & fides pecuniæ, semel publico suo charactere signatæ, est de jure gentium, per locum à definitione, *l.* 1. *in fin. l. omnes populi, in fin. de justit. & jure.* Ita etiam tenet Anton. Burgos. *extra de empt. & vend. in tub. num.* 13. & 14. & est veritas, licet Barbosa ibi frivolis rationibus controvertat. Non obstat quòd objicit pecuniam sine principis authoritate cudi non posse, quia idipsum jure gentium introductum est ne cuivis privato liceat pecuniam cudere, sed solùm in communi & de publico per communitatem ipsam vel Rempublicam, vel ejus publicum & legitimum administratorem, sive sit Princeps, sive alius legitimus Magistratus, qui in hoc non est nisi minister juris gentium, quique si in hoc malè versetur, non solùm subditos, & cõmissam sibi Rempublicam prodit, sed etiam jura gentium violat; adde infrà *num.* 100. Minùs obstat si alius diceret jura gentium esse immutabilia, sed nummos mutabiles esse, dicente etiam Aristotele *Ethic.* 5. in nobis esse mutare, vel inutiles facere: hoc enim non magis concludit, quàm si quis colligeret contractuum fidem, authoritatem, & virtutem ideò non esse de jure gentiũ, quòd contrario pacisc entium consensu mutari vel resolvi possunt. Sic si aliqui tantùm populi certo numismate utantur, non est in dubium quin eorumdem consensu possit idem numisma mutari vel aboleri, & ita loquitur Aristoteles. Non autem sufficeret consensus illius solius populi, apud quem nummus ille fabricatus est, postquam in alias quoque gentes dimanavit, & compactum illud & fœdus publicum ad eos extensum est: sicut nec publicam conventionem aut juris gentium uni partium rescindere licet, *l. conventionum, de pact.* quantominùs sufficeret libido unius vel alterius, qui quæstui habeat Remp. Ex quibus liquet quanta sit vecordia, imò perfidia, & in patriam, & in Remp. impietas perditissimorum quorumdam, qui sui quæstus & ambitionis gratiâ Principibus suadent, & nummos & leges ab eis, prout libitum fuerit figi & refigi posse, neque enim minùs nocent, quàm qui publicum civitatis fontem veneno inficiunt. Præterea quòd institutio, probitas & authoratio monetę, & fœdus illud publicũ compacti valoris, æstimationis, & cursus monetæ sit de jure gentium ostendit vetus sacra pagina Gen. 23. ubi Abraham emit ab Hephron agrum spelunce duplicis, & solvit ei pecuniam quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ, & habet Hebręum שעברסל ואחר id est, ut etiam Santes vertit, transeuntes per mercatores. Erat igitur, publicus & probatus ille cursus de jure gentium, tum quia generalis, tum quia nondum tunc erat certum statutum jus civile: nec etiam ad usum certæ civitatis refertur ea probitas & æstimatio, sed ad usum mercatorum, qui per diversas Provincias negotiari tunc quoque solebant, ut etiam patet *Genes.* 17. Sed ad rem.

Abraham.

696. Secundum corollarium, quod propriè loquendo, publica illa æstimatio seu valor impositititius & publicus pecuniæ strictè sumptæ monetæ, non est ipsius bonitas extrinseca, ut vulgò putant, sed bonitas intrinseca; patet, quia est ipsius propria, specifica, substantialis & formalis bonitas & essentia, quæ dat ei esse: quâ sublatâ, publica videlicet approbatione remota, necessario desinit esse pecunia vel moneta, *l. eleganter. qui reprobe. de pignorat. action.* & tanquam sublata forma interit, substantia, *l. Iulianus.* §. *quis ad exhibendum.* & ita senserunt Antiqui, ut Azo. in *Brocar.* Iacob. Belvisi. & Odofred. ut refert Cy. *l. in minorum, collat.* 4. *C. in quibus caus. in integ. restitut. non est necess.* Verùm quia jam tribus ferè sæculis invaluit & receptus fuit communis ille modus loquendi, quo substantiam ipsam metallorum tam in puritate, quàm in quantitate seu pondere vocant bonitatem intrinsecam pecuniæ, valorem autem impositititium vocant bonitatem extrinsecam, non mutabo, ne quam obscuritatem aut confusionem inducam in doctrina-, quam dumtaxat elucidare, & quam parabilem & expeditam reddere totis viribus adnitor. Libenter igitur receptis vocibus,

Bonitas intrinseca monetæ est valor currens.

Opinio antiq.

& modo loquendi utar, ſervata tamen ſemper veritatis ſententia: cui etiam modus ille loquendi non ineptè ſubſervire poteſt, rectè intelligendo. Bonitas enim ipſius materiæ, tam interior qualitatis & ipſius puritatis (quam monetarii Gallicè vocant *aloy*) quàm exterior quantitatis ſeu ponderis, rectè dicitur intrinſeca, quia eſt ab initio & vi ipſa naturæ. Bonitas autem valoris ſeu curſus impoſiti, rectè vocatur extrinſeca, quia extrinſecùs accedit.

Secunda ratio.

697. Secunda ratio, quia de jure pecunia & quælibet ſpecies monetæ debet ſemper ejuſdem eſſe poteſtatis, & eamdem uniformem indicaturam, ſeu valorem uſualem ſemper & ubique habere, text. in *l. idèo de eo quod cert. lo.* in l. 1. ibi, *perpetua æſtimatio de contrahend. empt.* in *l. fin. C. de vet. numiſmatis poteſtat. lib.* 11. ubi hoc ſub pœna capitali ſancitur. Ex quo ſequitur quamcunque pecuniam non deduci in contractum, niſi ſub ratione publicæ & perpetuæ indicaturæ, ſeu valoris impoſititii. Ad quid enim attenderetur bonitas materiæ, vel pondus, ſi deducitur non ut maſſa, ſed ut pecunia, cùm tunc (pœna etiam capitali imminente) non liceat ullo modo à publica æſtimatione recedere, nec quicquam addere nec detrahere? Et hoc innuere videtur Ariſt. *lib.* 1. *politicôn*, dicens quod initio pecunia ſimpliciter & ruditer definiebatur certa magnitudine & pondere metalli, poſtmodùm verò propter nimiam incommoditatem probandæ & expendendæ materiæ, pecunia ſignata eſt, publico charactere impreſſo, quo à dicto onere, ϑ *μετρήσεως*, id eſt menſurationis & probationis defungeremur. Hinc noviſſimè ſcripſit Hier. Butigel. *in repetit. d. l. cum quid, col.* 8. *num.* 22. quòd in pecunia ſignata, ex quo forma trahit ad ſe materiam, materia non eſt ampliùs conſideranda.

Tertia ratio.

Tertia ratio, quia jure obligatio ad pecuniam ſemper dicitur certa, imò certiſſima, textus *in l. nummis de in lit. jurand.* ubi ideò negatur juramentum in litem habere locum in pecunia, quia ſemper certum eſt, quæ & quanta ſit ejus æſtimatio, & in incertis, non certis, locus eſt dicto juramento, vel alii cuicunque probationi ordinariæ, vel ſubſidiariæ: ſed non dicitur certa, niſi per æſtimationem extrinſecam, quæ eſt vera propria ejus indicatura. Igitur præcipuè hæc æſtimatio attenditur, & conſequenter neceſſariò procedit ad tempus contractus vel depoſitionis, & certitudinem quæ tunc erat: aliàs nunquam eſſet hæc obligatio certa, ſed modò major, modò minor eſſe poſſet, prout extrinſecus valor variaretur. Secundò, probat textus in *l. ſtipulationum quædam, de verbor. obligatio.* ubi ſtipulatio vel obligatio pecuniæ, putà decem aureorum, dicitur omnino certa: quia ex ipſa pronunciatione apparet, quid, quale, quantumque ſtipuletur, vel in obligationem deducatur, quod non poteſt eſſe niſi per æſtimationem extrinſecam: ipſius enim materiæ alia eſt alio tempore æſtimatio, ut probat textus in *leg. cùm certum, de auro & argento legato.* Igitur in pecunia ipſa æſtimatio extrinſeca principaliter conſideratur, & de ea principaliter actum cenſetur: alioquin obligatio pecuniæ non eſſet ſemper certa.

698. Tertiò, probat text. in *l.* 1. *de cond. triticaria*, ubi dicitur quòd pecunia numerata (non intelligas mutuata, qui verbum *numerata*, refertur ad aptitudinem & ſolùm apponitur ad deſignandum, quòd verbum (pecunia) ſtat ſtrictiſſimè, videlicet pro nummis, ſemper petitur illa actione, *ſi certum petatur.* Et hoc ideò, quia ſemper certa eſt dicta *leg. ſi ſtipulationum quædam d. l. nummis.* Unde licet omnes res ſive conſtet in re ſolida (putà ſpecies vel corpora, ſive ϑωτὰ, ſive ῥυτὰ; de quibus in *l. rerum muſtuar, ff. de uſucap.* quæ Voluſius vocat ſolida (ſive in menſura) vel ponderе (ut quantitates & res fungibiles, ſive aridæ, ſive liquidæ) per condictionem triticariam peti poſſint, tamen ſola pecunia excipitur, & omninò negatur actione triticaria peti poſſe, quia ſemper & perpetuò certa eſt. Et advertendum, quia gloſſ. & Doctores communiter malè intelligunt, & aberrantes à ſcopo ad ſua ſomnia & quædam ridicula divertunt, ut dum cum Accurſio fingunt eam condictionem inventam eſſe à Tritico authore, eumque nugantur ruſticum fuiſſe, vel ſectæ Minoritarum, quibus non licet tangere pecuniam, ut Alberic. Bart. ibi: quinetiam ſenſum legis pervertunt, dum cenſent res omnes ſingulas, pecunia excepta, hac actione peti poſſe, quum dicta lex prima, ibi *omnes res*, non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum loquatur, ſcilicet quòd omnes res, id eſt, ex omni genere rerum, excepta pecunia, poſſint peti & cadere in hanc actionem: non autem quòd ſingula aliæ res præter pecuniam. Patet, quia certus fundus, puta Tuſculanus vel Stichus, non petitur condictione triticaria, ſed certi condictione, ſicut pecunia: textus in *d. l. ſtipulationum quædam.* Imò etiam frumentum vel triticum, ſi ipſa pronunciatione apparet certum, ut tritici Aphrici optimi modios centum, non peteretur condictione triticaria, ſed certi condictione: textus *d. l. ſtipulationum l. ubi autem non apparet in princ. de verb. oblig.* facit *l. certum ſi certum petat.* tota enim hæc differentia meram formulam actionis reſpicit. Unde cùm dicta lex prima exemplificat in fundo, non debet univerſaliter & præfractè intelligi, ut ibi malè Accurſius in verb. *quare*, ſed quod fundi quoque petitio in hac actione cadere poteſt, videlicet quoties ipſa prolatione vel libelli editione non apparet quid, quale, quantumque debeatur vel petatur, ut quando debetur vel petitur fundus ſine propria appellatione, ut inquit idem Ulpianus, in *d. l. ubi autem non apparet.* Ubi Accurſius ignorans mentem & ſcopum, non explanat, ſed more ſuo depravat & obſcurat textum ſatis alioquin planum, dicendo ibi ſtipulationem nullam: quod eſt falſum, quia totus ille textus non tractat de nullis, ſed de validis tantùm ſtipulationibus, quarum quædam certæ, quædam incertæ ſunt, ubi fundi ſive propria appellatione, idem eſt, quando non certum corpus, ſed certa quantitas, putà centum jugera terræ debentur, quæ non eſt obligatio penitùs certa: quia poſſunt menſurari & tradi in varus locis & confinibus, quæ variant æſtimationem, & ſic quandam incertitudinem futuræ æſtimationis inducunt. Non obſtat *l.* 2. *de condict. tritic.* ubi etiam certum corpus fundi, putà à quo quis vi dejectus eſt, ac actione triticaria petitur, quia facilis eſt reſponſio. Primò, quòd ibi condictio degenerat contra violentum, ſicut & contra furem, *l.* 1. *in fin. eod. tit.* Secundò, quòd propter æſtimationem quanti plurimi, vel deteriorationis, & aliorum damnorum expulſionis, quæ accedunt, petitio non eſt penitus certa, & ſic cadere poteſt in triticariam, quæ ſic dicta eſt, non ab authore (ut ineptè fabulantur) ſed ab eventu.

Cur condictio triticaria.

Contra Accurſium.

699. Fuerunt enim veteres Romani moroſiſſimi & ſuperſtitioſiſſimi in actionibus judicialibus, ut non agerent, niſi ex præſcripto formulæ, à quâ qui vel caderet ſyllabâ, caderet à cauſa. Cùm autem frequentiſſimæ eſſent actiones ob triticum, quod eſt verbum generale, ut notatur in *l. triticum. de verb. oblig.* & per Columellam de re ruſtica, *lib.* 2. *c.* 6. frequens erat reorum cavillatio, quod actor ſine actione ageret, aut certi condictionem malè intentaret eò quòd triticum petitum non eſſet penitùs certum, niſi (quod rarum eſt) contingeret deberi & peti certæ regionis optimum. Quare Prætores hanc ineptam moroſitatem ſuæ æquitate emendantes (cum nondum latæ eſſent leges generales Conſtantii & Theodoſii *Cod. de formul. & impetr. actionum ſublat.*) concederent actoribus condictionem triticariam. Cùm autem in cæteris rebus actores paſſim eadem ratione idem remedium flagitarent, quod datum erat in tritico, & Prætores concederent ad ſimilitudinem triticariæ, hoc juſta occaſione factum eſt, ut ea condictio paſſim uſurparetur, & retento

Veterum Romanorum ſcrupuloſitas.

nomine originis & primitivæ institutionis extenderetur, ubicunque quod peteretur, non esset penitus certum, ut sub ea formula si cert. petat. tutò includi & peti posset stricto veteri jure civili: quod prætorium subsidium non fuit necessarium, sed impertinens in pecunia numerata, cùm semper & perpetuò certa sit, omniumque rerum certissima.

Quarta ratio. 700. Quarta ratio, quia pecunia recipit functionem etiam formalem & identificam cum alia pecunia, etiam diversæ speciei vel materiæ: text. in *l. qui extrinsecus de verbor. obligat.* ubi licet non solùm diversitas rei vel substantiæ, sed etiam qualitatis inter interrogationem & responsionem, stipulationem variet, *l.* 1. §. *si quis simpliciter, de verb. oblig.* §. *præterea* §. *si de alia Instit. de inutil. stipul.* tamen stipulanti denarios alter ejusdem quantitatis aureos spondendo obligatur, & contrà: quia idem promissum videtur & censetur, omnimoda conformitas; & ita intelligit & decidit Bald. in *leg. singularia, collat.* 4. *in* 10. *specialis si certum petatur*, & benè licet Alexand. ibi *collat.* 6. diversum sentiat. Quæ functio & æquipollentia non potest consistere in materia, quæ non solet esse eadem, sed diversa in denariis (qui solent esse ærei vel argentei) & aureis, sed in sola bonitate extrinseca, seu valore imposititio consistit. Cùm igitur in pecunia ea quantitas, quæ ex valore imposititio resultat, solum vel principaliter consideretur in contractibus, non solum respectivis, in quibus fit appreciatio alterius rei ad pecuniam, non solùm ubi præcedit numeratio pecuniæ; ut mutuo, sed ubicunque simpliciter pecunia stipulatur, ut probat, *decis. leg. quæ extrinsecus.* sequitur præcisè attendi bonitatem illam extrinsecam, quæ erat tempore contractus, tanquam solùm saltem principaliter intentam & in obligationem deductam. Verum est quòd Accurs. Bart. Angel. Rapha. Cur. Alex. & cæteri communiter ibi restringunt & intelligunt: quando denarii erant aurei, & sic de eadem materia, sed ut inquit Jas. *collat.* 1. *hæc est divinatio.* Adde quòd non sufficeret, quia supplendum esset etiam de materia æquè pura, quod vulgò dicunt de eadem liga, quod est meprum, quia textus loquitur de denarus in genere, & sic de quibuscunque: nec requirit quòd sint ejusdem qualitatis vel materiæ, sed solum quod eandem quantitatem conficiant: quod non potest referri nisi ad valorem impositivum & extrinsecum. Quare divinatio & restrictio glossæ & Doctorum rejicienda est, juxta *l. fin. Cod. de contr. empt. l. si putator. ad legem Aquiliam.*

Quinta ratio. 701. Quinta ratio, quia in contractibus, præsertim in venditione & mutuo, pecunia deducitur, non tanquam massa, nec tanquam species, nec tanquam quantitas metalli; sed tanquam moneta, etiamsi de certa specie monetæ agatur, puta de tot aureis solatis, ex quo tanquam moneta deducitur: ergo sequitur quod deducitur sub ratione valoris impositivi, & sic respectu valoris tunc currentis, & quantitatis tunc confectæ, *l. Rutilia Pulla. de contrahend. emptor.* (Et quod pecuniæ non censeatur deduci in commercium, ut corpus, vel species, sed tantum quantitas, sive fit ratione quantitatis, quam tunc conficit. textus est in *l. si is cui nummos in princip. ubi*, si in pecunia, non corpora cogitet, sed quantitatem, scilicet, quæ tunc est, vel quæ tunc valet, *ff. de solut.* fac. text. in *leg. cum Stychus & Pamphilus in fine eod. tit. & l. deducta*, §. *minus*, & ibi Alexand. *ad Trebell.* & dixi suprà *eod. numer.* 688. & in *Epist. Gallica hujus tractatus quæstione* 24. Et sic semper requiritur & sufficit ad eundem extrinsecum valorem reddere qui erat tempore contractus, & præsertim in mutuo, quod petitur ab indigentibus temporario usu æris alieni, tunc expendendi. Et tam mutuans quàm accipiens videntur respexisse ad ipsum valorem usualem & quantitatem tunc resultantem dumtaxat, prout tanta quantitas, quæ tunc petebatur, vere mutuata est, & conversa in rem debitoris, & non alia major nec minor: mutuum autem re contrahitur. Cùm autem res, de qua tempore mutui agitur, esset ea quantitas tunc currentis valoris, qua debitor indigebat, verè (in quibuscunque speciebus non refert) mutuata, perventa & conversa in manus & rem debitoris, sequitur quòd ad eam quantitatem principaliter contracta intelligitur obligatio, & quòd omnino tanta quantitas postea reddi debet sive interim valor impositivus monetæ creverit vel decreverit: quia tota ratio, vis & finis mutui ad eam quantitatem seu valorem, qui erat tempore contractus, refertur, ergo ad illam obligatio metitur. Et hanc rationem aliqualiter attigit solus Baldus in *l. acceptam quæst.* 17. *Cod. de usur.* ubi melius quam alibi loquitur, licet alii soleant eum ineptè reprehendere: Dicit enim, si creditor mutuavit florenos, quorum postea valor decrevit, distinguendum: Aut illud accidit repentè, antequam verisimiliter debitor impendisset & consulendum est debitori, ut sufficiat solvere tot florenos, nec teneatur supplere ad valorem, qui erat tempore mutui, cum non habuerit commodum antiqui valoris. Aut accidit ex intervallo, & sic postquam debitor jam impenderat & usus fuerat in majori valore antiquo: & debet ad illum valorem supplere, cujus commodum habuit, nec debet cum aliena jactura locupletari. Hæc distinctio verissima est, & in ipsa legali æquitate fundata, in ratione præcedenti. Hinc emergunt reliquæ probationes, & efficaces demonstrationes videlicet.

Sexta. 702. Sexta, quia si creditor non mutuasset tanti, tunc in rebus suis impendisset, quanti valebat, debitor etiam tanti in rebus suis impendit: ergo debet reddere in eodem valore in casum secuti decrementi, aliàs non redderet æquale, nec mutuum integrum, sed diminutum, quod esset iniquum & contra justitiam commutativam.

Septima. Septima, quia si quis vinum mutuo accepit, deinde fortè illud idem, sed mala custodia, vel casu fortuito, vel etiam vini natura deterioratum reddere velit, non auditur, sed debet reddere æquè bonum ut erat tempore mutui, *l. cum quid si cert. petat.* Quòd si hoc habet locum vino eodem, sine ulla debitoris utilitate, servato, igitur multò fortius eo in bonitate sua utiliter consumpto. Ergo si pecunia mutuo accepta minus valere cœperit, omnino suppleri debet, usque ad valorem, qui erat tempore contractus. Valet enim argumentum de bonitate intrinseca vini mutuati, ad valorem impositivum pecuniæ mutuatitiæ: quia valor impositivus est verè bonitas intrinseca pecuniæ signatæ, in quantum talis, licet hoc ipsi rudi metallo non natura, sed extrinsecus ex compactu publico accedat. Igitur multò magis suppleri debet, saltem quando debitor pecuniam juxta priorem bonitatem suam in usus suos convertit, deinde valor minutus fuit ut hîc; aliàs non redditur æquale recepto & in rem converso.

Octava. Octava, quia si pecunia mutuo recepta post consumptionem in totum reprobaretur, deberet solvi alia ad æstimationem mutuatæ tempore mutui inspecto secundum omnes: ergo si reprobetur in parte, vel quatenus reprobatur, puta per diminutionem valoris, debet reddi & suppleri in valore, qui erat tempore mutui, per locum de toto ad partem, *l. qua de tota, de res vendic.* Et ita arguunt & tenent Anto. But. Panor. *d. c. quanto col.* 5. quod sequitur ibi Joann. de Vicomercato, *col. fin.* Non per

Nona. locum ab absurdo, quia aliàs debitor haberet primò lucrum majoris valoris, in quo pecuniam impendit: secundò lucrum negotiationis & interusurii temporis medii, ad rationem ejusdem valoris, semel in rem suam versi: & sic dupliciter locupletaretur, idque cum jactura & injuria creditoris, qui minus recuperet, quàm dederit, nempe in minori valore, & sic minorem quantitatem.

Decima. Decima, quia si suppleri debet à debitore valor imminutus post consumptionem, ergo deduci debet creditori valor secutus post consum-

prionem, per locum ab eadem contrariorum disciplina: & quia quod operatur propositum, in proposito operatur, oppositum in opposito, *l. ex duobus*, *l. & si contra tabulas de vulg. & pupil. l. si ex toto in prin. de leg.* 1. *l. fin. de leg.* 3. & per locum à vicissitudine commodi & incommodi, *l. secundum naturam de reg. jur.* Et sic clarissimis demonstrationibus evincitur pars affirmativa in utroque membro. Undecima. Ulterius probatur undecimò, quia supponitur consuetudo, quod licet obligatio concepta sit sub certa specie monetæ, puta ad tot ducatos vel aureos, tamen liceat solvere in qualibet alia proba etiam minuta moneta ad æstimationem ducatorum vel aureorum. Et sic tempore mutui & paulo post debitor habebit jus & facultatem se liberandi, solvendo bis mille libras in qualibet proba moneta: igitur eandem facultatem habet hodie, nec auferri potuit per superventum augmentum valoris ducatorum, ut in simili arguit Socin. *consil. 6. c. collat.* 2. *l.* 1. quem sequitur Curt. junior. in *consil.* 24. Et de prædicta consuetudine attestantur Bart. in *l. Paulus collat.* 1. & ibi Imol. & alii *de solut.* Bart. in *l.* 1. *in fin. de auro & arg. leg.* Bal. in *l. si quis argentum in princ. Cod. de donat. in l. libera Cod. de sentent. & interloc. omnium judi.* Bart. Alex. Socin. Areti. Purpura. in *l.* 2. §. 1. *si cert. pet.* Ant. But. Panor. Jo. de Vicomercato in *cap. quanto, in pr. de jurejur. Clavas. in vers. pecunia in fin.* Nicol. Boërius, Dec. Burdeg. 327. *col.* 3. & hanc partem affirmativam nonnulli sequuntur, & videtur indubitata per prædicta.

Primum. 703. Sed nunc fortius in contrarium argumentor pro parte negativa, primò, quia utcunque pecunia signata tantum utamur, tamen non solus character, sed etiam bonitas materiæ & pondus attenditur, saltem in monetis pretiosis, videlicet aureis & argenteis. Imò videmus in illis magis bonitatem & quantitatem materiæ attendi, quàm formam seu characterem: & ita de facto in tota Europa, quæ ditionis Christianorum est, observatur: & à tempore immemoriali constat semper observatum fuisse, etiam florente Romano Imperio, sub quo sancitum erat uniformem esse æstimationem monetæ, ut sup. *num.* 697. text in *l.* 1. *C. de veteris numism. potest. lib.* 11. ubi non tenetur quis recipere solidos aureos, etiam Imperatorum figurâ signatos, nisi sint debiti ponderis & speciei, hoc est materiæ, & in *l. de ponderatoribus lib.* 10. ubi non tenetur etiam quæstor Imperatoris qui cudi fecit, recipere pecuniam auream, nisi legitimo pondere expensam: imò non solùm quantitatem, sed etiam qualitatem, id est bonitatem & puritatem materiæ probare licet, *l.* 2. *eo.tit.* ubi Justinianus ad hunc finem jussit per singulas civitates stare publicum zygostatem. Zygostates. Scio quòd hæc vox Græca significat libripendem publicè ponderibus & stateris negotiatorum præfectum: sed puto quòd per *d. l.* 2. in verb. *qualitate*, deputatus fuit etiam ad puritatem materiæ aureorum probandam. Igitur non sola forma, & quivis valor impositivus, sed potissimum ipsa materia legitima & pondus sunt de ratione, substantia & essentia Secundum. veræ & legitimæ monetæ. Ex quo consequitur secundum, quòd in commerciis & omni contractu licet pecunia aurea & argentea non deducatur in dispositionem tanquam massa, nec tanquam rudis quantitas metalli, sed tanquam pecunia signata: tamen non deducitur sub ratione simplicis valoris imposititii, sive extrinseci & casualis tantùm, nec tamquam simplex quantitas generica & abstracta, puta tot librarum tantùm, sed etiam, imò principaliter tanquam species sub ratione valoris intrinseci, videlicet bonitatis materiæ & ponderis speciei monetæ, quæ in dispositionem deducitur. Et hinc est quòd si actum sit de certa specie monetæ, non tenetur creditor recipere in alia specie vel forma, nisi constet quod sua non interfit, text. in *l. Paulus de solution.* quod non esset, si in pecuniis non haberetur respectus ad speciem, sed ad solam quantitatem abstractam valoris currentis.

704. Tertio, quia in themate non videtur verè & in effectu actus valor extrinsecus aureorum: quoniam quantò fuerunt aucti aurei in valore seu numero solidorum, tantò iidem solidi diminuti sunt intrinsecus, & deteriores effecti in materia & pondere, licet in veteri manserint æstimatione. Et sic necesse fuit proportionaliter augeri indicaturam aurei de hujusmodi solidis, alioquin censerentur diminui: sed deteriorati solidis, non valerent majorem hujusmodi solidorum numerum. Et hoc est quod dicit Imol. in *d. l. Paulus*, 1 hi. Cor. *consil.* 279. *in fin. consil.* 287. *in fin. lib.* 11. quòd æstimatio aurei crescit propter deteriorationem minutæ monetæ. Et sic hoc modo proportionaliter augendo, non dicitur augeri cursus aurei, seu valor impositivus sed stare & conservari: quia quadraginta solidi ex his qui cudebantur & currebant tempore dicti contractus, valent quadraginta quinque ex his, qui postea cœperunt fabricari: faciunt notata suprà *quæstione nonagesima, numero* 686. Multas autem interim artes callent monetales & despoticarum rerum administri, ad veterem & fortiorem omnem monetam expiscandam, & ad cavendum ne privatis veterem & fortiorem monetam habentibus liceat exportare, commutare, vel aliter expendere majori valore vel meliori conditione, quàm sit nova & deteriorata moneta. Quarta, quia etiamsi in veritate censerentur aucti valor extrinsecus aurei, tamen justum & æquum videtur in dicto themate creditorem habere commodum vel excessum, si quod sit, hujus augmenti. Patet, quia istud augmentum hodie superveniens non supervenit facto nec impensa, nec damno debitoris, sed generali providentia seu lege Superioris: ergo non debet illud commodum invidere creditori, præsertim benefico, qui gratis & sine usuris mutuavit. Et sic cùm illud commodum non provenat de re debitoris, sed facto Superioris, & lege communi, non debet à debitore deduci: quia non deduceret quod est suum, sed quod est alienum, cùm sit obligatus ad speciem monetæ. Quintum. Quintò, quia cùm istud augmentum procedat à lege communi, ad utilitatem omnium communiter & æqualiter facta, debet æqualiter prodesse. Et sic sicut prodest debitori, ut possit de suis aureis solvere aureum ad rationem quadraginta quinque solidorum, illis quibus obligatus est ad solidos, vel sub nomine quantitatis in genere, ita debet prodesse creditori, cui debentur aurei in specie, scilicet in illa moneta aurea: alioquin lex communiter & æqualiter in omnes lata non respiceret omnes æqualiter, sed debitoribus tantùm prodesset, solis autem creditoribus noceret, quod Sextum. est absurdum. Sextò, quia nova lex hujus augmenti cadit directò & immediatè super certa specie monetæ, idque absolutè: ergo sicut prodest habentibus de hujusmodi specie in dominio, ita debet prodesse his, quibus hujusmodi species debetur. Facit quòd qui habet actionem ad tot aureos, ut hic mille debentur, censetur tot aureos habere, *leg. qui actionem de regul. juris*, ergo non debet minus aureorum recipere pet dictam deductionem.

705. Septimò, quia aliàs damnificaretur creditor ex improvisio, & hoc propter deteriorationem minutioris monetæ, sine facto & culpa sua superventam, quod est absurdum, in debitore verò duo specialia concurrerent, primum, quòd posset deducere de augmentato numero solidorum, & restringere creditorem ad numerum solidorum, qui erat tempore contractus. Secundum, quòd hæc deductio & restitutio fieret, non habita ratione, quòd veteres solidi supervalebant novis in materia & pondere: & sic esset restrictio ad numerum antiquum solidorum, non tamen ad rationem antiquorum meliorum, sed novorum deteriorum: & sic haberetur ratio solidorum veterum, quantum ad commodum debitoris dumtaxat, non autem quantum ad commodum creditorum; quæ inæqualitas Septimum.

Octavum. absurda & iniqua est. Octavò, quia sequeretur quòd durius ageretur cum creditore obsequioso & benigniori, quàm cum creditore tenaciori, quod est absurdum, §. *fin. versi. sed cùm pessimum, Instit. de donation.* Patet: quia si creditor maturasset exigere mutuum ante legem augmenti latam, recepisset omnino mille aureos, & commodum augmenti habuisset: non autem æquum videtur ut sit deterioris conditionis, ex eo quòd diutius mutuavit, & in gratiam debitoris exigere distulit: nec debet inopinatum incommodum referre ex liberalitate sua: nec ferendus esset debitor imputans creditori dilationem, ex qua lucrum sentit, *l. cùm in fundo, §. quòd si mulier, de jur. dot.* Nonum. Nono, quia aliàs non esset differentia inter obligatum ad certam speciem monetæ, & obligatum ad meram quantitatem in genere de quavis moneta: quod est absurdum, quia est contra jus in dicta *leg. Paulus*, & contra rationem & usum consuetum. Non obstat, si dicatur quòd imò remanebit: quia licet obligatus ad speciem monetæ deducat superventum augmentum valoris extrinseci, tamen tenetur solvere in eadem specie monetæ: quoniam hoc modo esset destruere obligationem creatam in specie & certo numero monetæ, de qua agitur, & reducere ad obligationem certæ quantitatis genericæ & abstractæ, solvendam in certa specie monetæ, non autem ad certum numerum ejusdem speciei: veluti cum quis promitteret centum libras in florenis, quæ obligatio differt ab ea, in qua debetur certus numerus florenorum, ut tradit Bar. & omnes in *d. l. Paulus*, & ubique. Sed in themate obligatio non est contracta ad summam vel quantitatem in genere solvendam in aureis, sed ad certum numerum aureorum: & sic multum refert, quia certus numerus æquè principaliter in obligatione censetur, atque certa specie monetæ.

Decimum. 706. Decimò, quia obligatus ad decem dolia vini ex mutuo, nihil potest deducere quantumcunque prætextu majoris indicaturæ seu valoris extrinseci superventi, puta si tempore mutui dolium talis vini valebat decem libris, nunc autem dolium æquè boni vini valet quindecim vel viginti libris: nec attenditur illa casualis & fortuita indicatura extrinsecùs accidens, prout nec superventa pretii vilitas citra moram. Igitur nec debet attendi in nummis citra moram, quia utrobique eadem est species contractus ejusdem naturæ, videlicet mutui, eadem ratio & habitudo indicaturæ seu valoris extrinseci: quia cum de facto sola libidine Principis augeri vel minui possit, debet ea variatio casui fortuito ascribi, per notata in *leg. si per imprudentiam, de eviction.* Et sic idem judicandum quod de indicatura vini mutuati, cùm utrobique indicatura sit valor extrinsecus & fortuitus, qui potest quoad contrahentes in alterutrumque æquè se habere vel contingere: & sic neuter ledi videbitur, si neutra ex parte ejus ratio habeatur argumento *l. de fideicommisso, Cod. de transaction. l. si. pater puellæ Cod. de inoffic. donation.* Ex his elisa videntur primùm tria prima & potissima fundamenta partis affirmativæ, à quibus reliqua dependent, & ad leges citatas in secunda ratione, & authoritatem Aristotelis de ubique uniformi, & perpetua semper æstimatione signo designata, responderi posset, hoc est verum de jure, sed non de facto: ita enim & decebat & expediebat in toto orbe omnium, quibus vel jura gentium communia sunt, ut esset eadem saltem uniformis æstimatio & proportio, quæ etiam est de jure gentium, & inventione & authoritate, ut suprà *num.* 695. quod licet nunquam universaliter factum legatur, tamen jure Romano constat districtè sancitum. Unde verisimile est sub Imperio Romano, & florente, hoc executum fuisse, & diligenter observatum: quanquam jus cudendæ monetæ non esset soli Imperatori, nec Senatui, nec Populo quidem Romano reservatum, sed etiam particulares Respublicæ per loca monetam cudebant, & veritaliter suam certam quæque speciem, hoc est proprio charactere, materia & pondere, ut patet in *l. creditor in princip. de solution.* ita tamen ut tam in bonitate & quantitate seu pondere materiæ, quàm in indicatura deberent ad eandem proportionem & æstimationem reduci in toto Imperio definitam.

707. Non obstat etiam distinctio Baldi & æquitas, de qua suprà in *quinta ratione numero* 610. quia dictum Baldi in secundo membro, in quo jacet tota difficultas, potest procedere (prout etiam tanquam aliis circumstantiis justificativis circumscriptis intelligendum est) quando esset mera, propria & effectualis diminutio, facta sine causa justæ proportionis ad alias monetas. Dupliciter autem contingit certam speciem monetæ solam, aliis in statu suo manentibus, diminui, primò minus propriè, puta si aureus à tempore contractus fuerit intrinsecùs & extrinsecùs æqualiter & apertè diminutus. Secundò propriè si non fuit diminutus intrinsecùs, sed extrinsecùs tantum sive ex justa causa, puta quia (quod nunquam audivi nec legi) prius currebat & tolerabatur in majori valore extrinseco, quam deceret, respectu minorum monetarum, quæ non mutantur in materia & indicatura, sive ex alia causa justa vel injusta, ut sæpè fit: vel etiamsi non solùm extrinsecùs apertè diminutus fuit, sed etiam intrinsecùs, non apertè nec justa proportione, sed occultè, ut fit, ita quod populus putat eundem esse aureum. Hæc enim est vera & effectualis diminutio materiæ & indicaturæ, vel solius indicaturæ, quæ non debet nocere creditori, nec ansam dare debitori, qui bona moneta & in majori valore usus fuit, ut cum jactura creditoris locupletetur, & sic debet supplere ad valorem antiquum, hoc est ad pristinum numerum solidorum: secus si non esset vera & effectualis diminutio, ut si contingeret aureum valere minorem solito numerum solidorum, quia minuitur moneta cœpit melior & fortior cudi, quia tunc non potest habere locum dictum Baldi; sed sufficiet debitori totidem aureos restituere, nec tenebitur supplere numerum solidorum nunc deficientem: quia solidi præsentes sunt meliores, & aureus etiam hodie valeret eundem antiquum numerum solidorum, si cum antiquis illis solidis permutandus esset, & sic non offenditur hoc casu, sed stat communis & negativa sententia. Minus etiam offenditur in primo minus proprio casu in quo procedit dictum Baldi, quia ibi aureus præsens ex quo apertè tam intrinsecè quàm extrinsecè minutus est, non est integer aureus, sed pars aliquota veteris aurei: quemadmodum si post contractum desiissent cudi & haberi integri aurei, sed semiaurei vel besses aut dextantes veteris aurei cuderentur. Non enim liceret supplere in nummis, sed oporteret in semiaureis, vel aliis speciebus auri supplere numerum receptorum aureorum: quia tunc non dicitur facta vera diminutio monetæ aureæ, nec in materia, nec in indicatura, sed solùm sectio corporum ipsius monetæ, manente eadem proportione & cursu in utroque valore, tam intrinseco quàm extrinseco. In secundo autem casu, in quo solo propriè dicitur facta vera & effectualis diminutio indicaturæ, seu valoris extrinseci, & in quo solo propriè loquitur, & procedit dictum Baldi, speciàlis ratio concurrit, ex qua communis sententia limitanda est: quia ex qualitate actus & contrahentium constat quod mutuabatur non solùm contemplatione speciei, sed principaliter, saltem æquè principaliter contemplatione valoris tunc currentis. Et sic cùm valor ille in rem debitoris versus sit, & postea de facto verè & effectualiter contigit diminutio, debet debitor supplere, etiam stante dicta communi sententia: non tamen tenetur in auro, sed sufficit in minuta moneta supplere, quia satis est creditorem indemnem reddere. Duplex diminutio aurei.

708. Eodem modo respondetur ad tertium, quar- Solutio.

tum, quintum, sextum & septimum adducta pro parte affirmativa: quia in effectu fundantur super illa æquitate, ne creditor inopinatè damnificetur, debitor autem indebitè cum illius jactura lucretur: quæ ratio non habet locum, nisi in dicto secundo casu, in quo ex intervallo supervenit vera effectualis indicaturæ diminutio, qui est casus specialis limitationis sententiæ communis & negativæ, quæ etiamsi aliàs esset regulariter vera & firma, tamen non obesset conclusioni nostræ & sententiæ Baldi in *d. l. acceptam.* Non obstat nonum, quia frivolum est, quod comminiscuntur præfati Doctores de Consuetudine: quia non dicunt solitum fieri solutionem in qualibet moneta invito creditori, sed quòd communiter solet recipi in qualibet proba moneta, quod consuetudinem non arguit, sed meram contingentiam facti, quæ vel ex mera civilitate creditorum accidere potest, vel affectu & compendio præsentis qualiscunque solutionis, metuque ne debitor alioquin postea frustretur, vel etiam mero jure ex quo nunc fortè non intererat creditoris in priori moneta solvi, *d. l. Paulus*, ex quibus quantocunque tempore nulla potest inferri consuetudo vel necessitas generalis, per ea quæ scripsi in *Consuetu. Parisi.* §. 1. *gl.* 4. *num.* 11. dicendum enim fuisset solitum invitos creditores cogi ad recipiendam solutionem in quavis moneta, etiamsi eorum interesset, quod numquam legitur factum, nedum probatum. Et in veritate nihil est de dicta consuetudine, sed oppositum notoriè observatur, quòd quando obligatio contracta est ad certam speciem monetæ, non tenetur creditor recipere in alia diversa deterioris materiæ, nisi forsan constet quòd sua non interfit. Verum est quòd dicta promiscua & solita contingentia inducit ut creditor severius & præfractè in eadem specie exigens, dicatur acerbus & onerosus, tanquam summo jure utens, nullo benignitatis temperamento admisto, contra *l. si servus in fin. de pign. action. l. si benè de usur.* quod non semper & ubique toleratur, ut suprà *num.* 266.

Solutio. 709. Modò applicando hæc ad hypothesin quæstionis nostræ constat quòd nos sumus in hoc secundo casu, saltem in suo casu conversо, qui est ejusdem contractus rationis & disciplinæ per jura vulgata. Notum est enim aureos non esse auctos intrinsecùs, sed extrinsecùs, tantum de quinque solidis, & sic de octava parte, idque per se & absolutè: non autem propter monetam minorem intrinsecùs vel extrinsecùs diminutam tempore dicti augmenti: quia licet ab eo tempore cœperint, seu potius sensim à plus centum abhinc annis continuatum sit (more solito) minutam moneram impuriorem cudi, (ut Budæus *in Asse*, & Leonard. Portius *tract. de festertio* conqueruntur, & olim Plin. *lib.* 33. *cap.* 3) tamen hoc non obstat duplici ratione. Prima, quia etiam aurei semper sensim fuerunt aucti in valore extrinseco, usque ad quadraginta solidos tempore dicti augmenti. Secunda, quia etiam aurei semper impuriores mandrabuli more excussi sunt, ita quòd tempore dicti augmenti non erat necesse novum augmentum indicaturæ aureorum addere, propter deteriorationem monetæ excussæ vel excudendæ. Unde quamvis ex tunc deterior parva moneta excussa sit, tamen non fuit auctus valor extrinsecus prioris & fortioris parvæ monetæ, sed in eodem veteri cursu remansit: & sic novum illud augmentum aureorum de quinque solidis fuit verum & effectuale augmentum indicaturæ. Et sic in quæstione præsenti concludendum pro parte affirmativa etiam absque eo quòd abrogetur communis sententia, sed limitatur hoc casu propter prædictam æquitatem, quæ est de facto evidens, in hoc quòd aureus non intrinsecùs auctus, sed potius diminutus, valet hodie 45. solidos, de illis etiam solidis, qui tempore mutui currebant & currunt, licet tunc aureus non valeret nisi 40. Ex quibus quantum ad hanc quæstionem patet solutio ad primum, secundum, tertium & septimum, adducta pro parte negativa: brevitatis enim causà nolo super singulis (quæ studiosus indidem supplere potest) immorari. Ad quartum autem, quintum, sextum, & octavum respondetur, quòd ex quo debitor tenetur solvere in aureis, & sic de pecunia sua minuta, vel de labore suo acquirere aureos, & aurei pluris sibi hodie constant, quia oportet eum pro singulis acquirendis vel reservandis dare vel expendere 45. solidos, vel lucrum & salarium, 45. solidorum, ubi sufficiebant, 40. solùm, idque etiam de solidis qui currebant tempore mutui, quia non sunt ullo modo aucti, appareat quòd istud novum & merum augmentum aureorum extrinsecum directò cadit in incommodum & damnum eorum qui erant obligati in aureis, & in commodum & lucrum eorum qui erant obligati in genere quantitatis. Et sic in proposito cum debitor non custodierit, sed expenderit singulos aureos mutuatos pro 40. solidis, valde damnificaretur, si oporteret eum pro singulo aureo comparando dare 45. solidos vel æquipollens. Et sic debitor non certat de lucro augmenti retinendo (cùm eosdem aureos ante augmentum pro veteri pretio expenderit) sed de damno vitando: creditor autem nihil volens deducere, non certat de damno vitando: quia verisimiliter eosdem aureos aliàs expensurus erat pretio tunc currente: nec etiam certat de fortuito vel legali commodo, sive damno debitoris; sed de lucro, & de majori summa quam dederit recipienda damno debitoris, & contra naturam mutui.

710. Ad nonum, fateor quòd hîc debitor obligatus est præcisè ad certam speciem monetæ, videlicet ad solares aureos, & etiam ad certum numerum, videlicet mille: sed dico quòd inquantum est obligatus ad utrumque simul, videlicet ad certam speciem & certum numerum, ea obligatio intelligitur rebus sic stantibus. Imò dico, quod non solùm quando tacitè (ut in themate) sed etiamsi expressè conventum sit de reddendo simpliciter in eisdem speciebus & eodem numero, adhuc in dubio, alio non concurrente, non censetur conventum de non supplendo nec deducendo vero extrinseco augmento vel decremento, nisi specialiter expressum sit, vel nisi jam tempore contractus, periculum mutationis immineret, ut in *exemplo infrà, num.* 719. Tunc enim censetur ea pactio speciei & numeri causà tacitæ transactionis periculi imminentis facta: aliàs non censetur facta, nisi ad majorem expressionem, quod non licebit eandem summam in diversa specie monetæ etiam æquipollenti reddere: non autem referenda est ad mutationem vel deteriorationem monetæ, quæ non imminebat, nec præsumenda est. Et sic ea pactio debet in dubio intelligi rebus sic stantibus, prout etiam est de natura omnium contractuum. Et sic censetur actum de aureis ejusdem bonitatis & valoris extrinseci vel indicaturæ, cujus erant tempore mutui, non autem majoris, nec majorem summam conficientibus, quàm debitor receperit & in usus suos converterit, *l. cum quid si cert. pet. l. Rutilia Polla, de contrab. empt.* Sed nunc verè & effectualiter plus valent, etiam habito respectu ad monetam parvam currentem tempore mutui, quia tunc mille hujusmodi aurei valebant quadraginta millia solidorum tunc currentium: sed nunc valent quadraginta quinque millia solidorum, etiam de solidis currentibus tempore mutui, quia solidi illius temporis manserunt & manent de facto in eadem indicatura & eodem cursu cum novis, licet noviter excussi deteriores sint intrinsecùs. Et sic nisi debitor deduceret superventum bonitatis augmentum, damnificaretur cum effectu quinquies mille solidis, in quibus creditor locupletaretur, ergo deductio facienda. Patet, quia si verè & effectualiter diminuti essent aurei, supplendum esset, ut nuper conclusum est, ergo verum & effectuale augmentum deducendum.

711. Non obstat decimum, quia respondeo quòd bonitas extrinseca vini vel similis speciei, & bonitas extrinseca pecuniæ, non sunt similis nec ejusdem habitudinis & rationis: quia in vino & similibus est merè extrinseca, nihil commune habens cùm substantia rei mutuatæ: imò etiam est impertinens, nec est in consideratione in mutuo: aliàs non diceretur vinum mutuari, sed vendi: sed in nummis bonitas extrinseca est consubstantialis, & de essentia pecuniæ, ut suprà *num.* 693. Et dato quod hodie etiam bonitas interusurii considerabilis est de substantia, saltem in moneta pretiosa, tamen etiam bonitas extrinseca æquè consubstantialis est, & æquè principalis, & etiam tempore dispositionis (præsertim in mutuo, quod temporarii usus pecuniæ gratiâ fit) principaliter intenta & considerata, & sic in eadem bonitate extrinseca reddi debet: ergo casu converso verum & effectuale augmentum bonitatis extrinsecæ deducendum. Ulterius non valere argumentum *d. l. cùm quid.* ex bonitate extrinseca vini ad pecuniam, probatur primò, quia bonitas extrinseca vini vel similis speciei non est certa, sed de se variabilis, prout est merè accidentalis, & sic variatio non est inopinata, nec contra naturam rei: sed in pecunia, prout de ratione & substantia pecuniæ est certa perpetua æstimatio, ita ejus variatio est contra naturam pecuniæ, & contra jus per jura, ut suprà *num.* 697. Secundò, quia in vino bonitas extrinseca non venit jure obligationis, nec jure actionis, sed mero judicis officio, ut notant omnes Doctores in dict. *l. vinum*, sed in pecunia, cum bonitas extrinseca veniat æquè principaliter, ut suprà *num.* 696. venit ab initio jure obligationis & actionis: igitur in pecunia inspicitur tantum æstimatio, quæ erat tempore contractus, per tex. in *l. fundum Cornelianum de novatio*, ubi Bar. & omnes, & in dict. *l. vinum*, & ubique. Tertiò, quia in vino venum tantùm peti potest non autem æstimatio, ut notant Bar. & omnes in *d. l. cum quid.* sed in pecunia, si decem aurei mutuati sunt, possunt peti denarii vel libræ ejusdem quantitatis imposititicæ: quia de jure tantam functionem & æquipollentiam recipiunt, ut nec stipulationis quidem forma offendatur, si quis interroget de denariis, & alter respondeat de aureis, vel contra ad eandem æstimationem, text. in *l. quæ extrinsecus de verb. oblig.* Si igitur ab initio inest æstimatio jure actionis, & ab initio peti potest, igitur eadem æstimatio quæ erat tempore contractus postea peti potest, sive interim creverit, sive decreverit, salvo æquitatis temperamento, de quo suprà *num.* 701. Item cùm mutuum re contrahatur, & valor imposititicus tunc currens sit res principalis, saltem æquè principalis, quæ deducitur in contractum mutui pecuniæ, sequitur quòd mutuum ad eundem valorem limitatum & contractum intelligitur, prædicta æquitate salva. Et sic jam nec communis opinio subsistere potest, nec eo quidem prætextu, quasi neuter lædatur: quia imò stante communi, alteruter lædi potest, & utrique periculum imminet: sed secundum nos tempus contractus inspiciendo, neuter lædi potest, sed utrique servatur quantum dedit, vel habere speravit & debuit. Habes quæstionem ab imis ipsis rerum fundamentis radicitus erutis noviter excussam & decisam, nec tamen tot argumenta tanto molimine digesti ad hanc solam quæstionem decidendam, in qua sufficiebat æquitatis distinctio, de qua suprà *num.* 701. sed ad universam materiam aperiendam, utque brevius defungi liceret in quæstionibus sequentibus, præsertim in conclusione totius materiæ, quæsti.

QUÆSTIO XCIII.

SYNOPSIS.

1. *Perpetuus est numorum valor.*
2. *Cum pecuniæ æstimatione crescunt, vel minuuntur rerum pretia.*
3. *Non valet ratio, quæ eadem cum quæstione est.*
4. *Tyrannicum subinde pecuniæ æstimationem mutare.*
5. *Edictum Caroli VI. de imminutione pecuniæ.*

712. NOnagesimo-tertiò, æquè necesse est excutere quid in aliis contractibus & obligationibus, puta in venditione, retractu, redemptione, dote, depositо, legato, & aliis infinitis. Ut autem infinitas disputationis vitetur, & hæc quantum fieri potest certa nova & methodica ratione decidantur, exactè discutiemus casum unum deductis utrinque quam brevius licebit & invicem collatis radicalibus argumentis, ut sic reliqui quoque casus plani fiant. Capio ergo casum venditionis, utpote frequentiorem & latius patentem. Venditio. Fac domum venditam pro mille aureis solatis, traditam & nihilominus locatam emptori pro triginta vel quadraginta aureis solatis, donec pretium solverit, juxta notata notata in *l. sicut emptio locati*, & suprà *num.* 542. tempore verò contractus aureus solaris valebat tantum, 40. solidis: cum autem post aliquot annos cœpisset valere 45. solidis, emptor obtulit, 889. aureos tantum, cum quinque solidis Turonensibus, & sic deducendo augmentum. An potuerit? Et communis est sententia quod non, sed quòd præcisè teneatur mille aureos solvere absque deductione augmenti & suppletione decrementi, & quòd citra moram non attenditur variatio valoris, sive creverit, sive decreverit. Sed hæc communis sententia facile refellitur. Primò, quia est absque lege, quippe jura nunquam præviderunt, nec decidunt hanc quæstionem cùm de jure non possit esse locus huic variationi, sed sancitum sit ut perpetua & uniformis sit numorum æstimatio, *l. idro de eo quod cer. loco l.* 1. *de contr. empt. l. fin. Cod. de veter. numismat. potest lib.* 11. Secundò, dicta communis opinio fundatur *in l. cùm quid si cert. pet.* & in eo quòd valor imposititicus nummi sit bonitas extrinseca, sicut æstimatio casualis vini mutuati, venditi, vel aliter debiti. Sed istud fundamentum est falsum per notata *in fi. quæst. præcedentis*: quia in vino & similib. æstimatio est merum accidens, nihil habens commune cum substantia rei: in nummis verò hujusmodi valor impositicius est proprium substantiale ipsius nummi, & sic non propriè bonitas extrinseca, sed intrinseca. Duo enim sunt substantialia nummi, videlicet legitima materia in qualitate & pondere & publica & compacta æstimatio, suprà *num.* 703. Altius ergo inquirenda veritas. Duo de substantia.

713. Imprimis pro venditore & communi sententia arguitur, primo quia venditio facta est sub certa specie monetæ, videlicet aureorum solatorum, & sub certo numero, videlicet mille, itaque obligatio pretii restricta est, & determinata (prout fieri potuit) ad certam speciem nummorum, ita quòd emptor præcisè obligatus est & ad speciem & ad numerum nummorum conventum. Igitur non potest deducere augmentum superventum, quia esset detrahere numero convento,

convento, qui non minus est in obligatione, quàm species conventa, ut patet ex tenore verborum contractus, cui standum est. Neque enim dubium est quin vendi potuerit, ut pro summa librarum cujusvis monetæ, ita pro qualibet certa moneta & certo numero, & quin præcisè (si constet) standum sit, nec melius constare quàm ex verbis expressis, *l. non aliter*, §. 1. *de legat.* 1. nec aptius mentis nostræ testimonium Bald. *leg. ad recognoscendos*, *Cod. de ingen. manum.* Et alioquin non referret dicere, vendo pro mille aureis, vel pro tanta summa, quantum valent mille aurei, solvenda in aureis, & sic detracta obligatione certi numeri aureorum, quod est absurdum, ut suprà *num.* 705. & etiam astringerentur contrahentes ad exprimendum tot aureos præcisè debitum in, sive plus, sive minus tempore solutionis valeant, quod est absurdum: quia tantum valet unum verbum efficax quantum mille, nec est superflua verborum expressio exigenda. *l. fin. Cod. de donation.* licet non officiat *l. testamentum*, *C. de testam.* Igitur ea brevi pactione videntur partes de futuro incerto augmento vel decremento transegisse, ex quo & ad certam speciem & ad certum numerum se limitaverunt. Et præsertim ubi non est insueta hujusmodi monetarum mutatio & variatio, ut sub hac despotia: & sic videntur contrahentes satis prævidisse, & nihilominus, imò eo magis ita convenisse: & hæc est potissima ratio. Secunda hinc dependens, quòd neuter videtur lædi, ex quo illa species monetæ æquè se habet ad diminutionem, sicut ad augmentum, notatur in *l. si pater*, *C. de inoffic. donation.* Tertiò, quia aucta vel minuta æstimatione aurei, rerum quoque pretia proportionaliter augentur vel minuuntur, *l.* 2. *Cod. de vet. numism. potestate, lib.* 11. ad hoc Ang. in d. *leg. Paulus. Purpura*, in *l. cum quid num.* 171. *si cert. pet.* Quartò, quia si emptor solvisset, & postea ex pacto redimere vellet, deberet reddere similes & totidem species, nec posset deducere incrementum valoris extrinseci, ex quo non est concessa facultas redimendi, nisi totidem species restituendo. Et ita de consuetudine observatur, ut testatur Nicola. Boëri. *decision. Burdegal.* 327. *num.* 4. Et in fortioribus terminis decidit Aymo. *consil.* 47. Igitur ab initio etiam citra moram solvere tenetur, non deducto dicto augmento: quia contractus & distractus eodem jure regulantur, notatur in *l. de tutela*, *C. de in integr. restitutione.*

714 In contrarium arguitur, primò, quia hi mille aurei sunt promissi pro pretio domus, & pro ejus appretiatione, ad quam finaliter post multas nonnunquam contentiones deventum est, ut inquit textus in *l. si voluntate*, *C. de rescind. vend.* Et sic constat, ut ad valorem & æstimationem domus, quæ erat tempore contractus, ita ad valorem & æstimationem aureorum, quæ erat tempore contractus, respectum habitum: igitur debet in dubio ille tantùm valor attendi, nisi aliud expressè cautum sit. Igitur si citrà moram augeatur, detrahendum erit: si verò minuatur, supplendum. Secundò, quia mille aurei non sunt deducti in dispositione, inspecta sola bonitate intrinseca; imò multò magis saltem æquè principaliter inspecta & expensa bonitate extrinseca. Igitur si bonitas intrinseca debet attendi secundùm tempus contractus duntaxat, ut omnes tenent in *d. l. Paulus*, & in *d. c. quanto*, & ubique, igitur multò magis saltem æquè attendi debet tempus contractus, quantum ad bonitatem extrinsecam. Tertiò, quia mille aurei non sunt æquales domui per solam materiam, sed præcipuè per eorum valorem currentem: ergo præcipuè debet attendi valor currens, & sic temporis contractus, *l. Rutilia Polla de contrahend. emption.* Alioquin non servaretur æqualitas conventa subsecuta variatione; sed vel venditor exigeret plus, aucto aureo, videlicet majorem summam librarum, quàm quæ ex pretio, convento tempore contractus resultaret, vel minus, diminuto aureo: quod esset absurdum & contra æqualitatem naturalem & intentam contractus. Quartò, emptor est debitor generis, & sic ad eum spectat periculum, & in totum & in parte: igitur sicut si in totum tempore solutionis, inhibitus esset cursus dictorum aureorum, deberet in alia proba moneta solvere usque ad æstimationem quæ tempore contractus currebat, etiam secundùm communem. Igitur si valor diminutus sit, debet esse periculo emptoris, ut suppleat usque ad dictum valorem: ergo si auctus sit, cedet suo, non venditoris commodo, *l. secundum naturam*, *de reg. jur.* & suprà *num.* 702. Et alioquin si communis opinio esset vera, sequeretur maximum inconveniens, scilicet quod emptor, dum continuat mercedem conductionis, captaret tempus, quo valor aureorum imminutus esset, ut de facili potest contingere, & tunc pretium offerret longè dimmutum, quod cogeretur venditor recipere; quod est iniquum: & sic communis sententia neutro casu augmenti vel diminutionis stare potest.

715. Quintò, quia ad sciendum an emptor vel venditor sit deceptus ultra dimidiam justi pretii in dicto contractu, non inspiceretur quantum valebant aurei tempore solutionis vel rescissionis, sed duntaxat quanti valebant tempore contractus, *l. si voluntate*, *C. de rescind. vend.* unde si tempore contractus domus valebat quatuor mille & centum libras, & sic bis mille quinquaginta solatos, secundùm æstimationem solatorum ejusdem temporis, & sic læsus fuerit venditor ultra dimidiam, si antequam agat, augeatur valor ad 45. solidos, non desinit esse læsus ultra dimidiam, & agere potest ex *l.* 2. quanquam si tempore contractus valuissent aurei quadraginta quinque solidos, non fuisset læsio ultra, sed infra dimidiam: & econtra in emptore læso. Igitur sicut ad rescindendum contractum attenditur valor extrinsecus monetæ, qui erat tempore contractus: ita ad observandum & exequendum contractum in solutione pretii. Sextò, quia eodem themate retento de venditore decepto, si emptor eligat supplere justum pretium, debet illud supplementum facere & solvere, habito respectu ad æstimationem, quæ erat tempore contractus, non ad augmentum aureorum superventum: unde non tenebitur hodie supplere usque ad bis mille quinquaginta solatos (licet illud esset justum pretium tempore contractus) sed sufficiet ultra mille, tempore contractus solutos, solvere alios mille solatos, & sic computato & deducto augmento valoris, qui est tempore solutionis vel supplementi, quod supplementum est vera pars pretii, & ejusdem naturæ, ut scripsi in *Consuet. Parisien.* §. 22. *quæst.* 9. *in princ.* Igitur etsi nil fuisset solutum ab initio, sed totum pretium restaret hodie solvendum, posset solvere pretium & supplementum secundùm valorem contractus, & sic facta de toto pretio deductione augmenti superventi, quia unum & idem pretium non debet diverso jure censeri, *l. cum quæ, in fin. de usucapion.* Quid dicemus?

716. Expendamus & conferamus utriusque partis rationes, vim & energiam. Et certè pro venditore sola prima ratio urget & subsistit, videlicet quòd pretium limitatum fuit & compactum non solum ad certam monetæ speciem, sed ad certum numerum nummorum dictæ speciei: & consequenter non spectandum augmentum vel decrementum extrinsecum dictæ speciei monetæ, sed de incerto eventu augmenti vel decrementi transactum per expressionem & taxationem certi certorum nummorum numeri. Secunda enim ratio est pars primæ, nec alioquin per se subsisteret: quia regulariter non est præsumendum quòd contrahentes velint se subjicere alicui alex: faciunt notata suprà *numero* 93. Imò hoc ipsum principaliter in quæstione versatur: An contrahentes intenderint præcidere ad summam, quam tunc

mille ſolati conficiebant: an verò intenderint tranſigere de alea. Et non valet ratio, quæ eſt eadem cum quæſtione vel dicto *leg. qui interrogatus*, ubi Bartolus, *de petition. hæredit.* notatur in *leg. final. de offic. procurat. Cæſar.* Minus valet tertia ratio, quia *dicta lex ſecund. de veter. numiſm. poteſtat.* non loquitur de imminutione valoris nummi, quæ ſit ex tyrannide per avaritiam vel abuſum Principis; hoc enim jura ignorant: ſed de ea quæ ſit ex juſta cauſa & proportione ad reliquas monetas. Aut enim omnes monetæ pari proportione minuuntur vel augentur, & tunc procedit *dicta l.* generaliter reſpectu omnium monetarum: quia pretium diminutum vel auctum, cùm ſit uniformiter variatum, æquipollet generaliter veteri pretio. Aut verò una tantùm ſpecies aurei minuitur, reliquis monetis manentibus in ſtatu ſuo, & non poteſt *dicta lex* procedere: quia imò tunc pretia rerum remanent in ſtatu ſuo, reſpectu aliarum monetarum ſtantium: reſpectu autem aurei minuti non minuuntur, ſed augentur rerum pretia, ut ſenſus communis, & rerum experientia oſtendit. Itaque in themate, cùm reliquis monetis manentibus in curſu ſuo, ſolaris aureus de quadraginta ſolidis auctus ſit ad 45. non poteſt habere locum *dicta lex* 2. quia propter hoc ſolum res quæ valebat 20. libras, non incipit valere 22. cum dimidia, ſed ubi valebat decem ſolares, non valet niſi octo ſolares & quadraginta ſolidos, ita quòd pretium rerum reſpectu dicti aurei taliter aucti decrevit, quia valent minorem numerum aureorum, & ſic *dicta lex* 2. rectè intellecta militat pro ſecunda parte, videlicet pro emptore contra venditorem. Minus etiam obſtat quarta ratio, quia eadem eſt dubitatio cum quæſtione principali: igitur ut de ſecunda ratione dictum eſt. Rationes autem adductæ pro ſecunda parte, quanquam numero ſex, non ſunt in effectu niſi una, videlicet quòd mille aurei ſunt promiſſi tanquam pretium appretiatum domus, & tanquam certa conventa æqualitas domus, & conſequenter reſpectu valoris dictorum aureorum tunc currentis, & ſummæ ſeu æſtimationis librarum ex eis tunc reſultantis, prout ſecundùm omnes poſt Bartol. in d. *l. Paulus*, major moneta per minutam æſtimatur.

L. 2. de veter. num. poteſtat. lib. 11. C.

717. Supereſt videre utra ratio potior ſit, & vincat in hac quæſtione. Certum eſt autem ex prædictis, ſecundam regulariter obtinere, cùm valor impoſititius ſit etiam intrinſeca bonitas in ratione pecuniæ, & ſaltem æquè principaliter conſideretur, nonobſtante communi ſententia, quam ſatis convincimus ex notatis ſuprà *numero* 664. Modò punctus eſt, an huic regulæ ſufficienter appareat derogatum eſſe, eo ipſo quòd ſimpliciter convenit de mille aureis, & ſic de certa ſpecie & certo numero nummorum. Et ſic hæc quæſtio & ſimiles magis ſunt facti & voluntatis, quàm juris: quo minus mirum eſt, ſi Doctores hactenus in his quæſt. multum dubitaverunt, tantóque longius erraverunt & intricaverunt, quantò partim falſis fundamentis inhærendo, partim dicta aliorum perperam & præpoſterè accipiendo, partim rerum & factorum circumſtantias negligentius expendendo, univerſam hanc facti magis quàm juris materiam ad certas commentitias regulas altringere conati ſunt, ut Mart. Laudan. Jacob. Put. Cur. ſenior, & alii in *tract. monetar.* Alber. Brun. in *tract. de augmento.* Hanc ergo quæſtionem, quam ſemel, ut ſit methodus omnium ſimilium, *ἀναλυτικῶς* excuſſimus breviter, realiter & naturaliter hoc ſenſibili paradigmate oculis objecto ſolvimus. Fac liberam eſſe Rempublicam & rectè conſtitutam, puta ſub optima Ariſtocratia, & ibi communi decreto & ex juſtis cauſis ſtatutum fuiſſe, ut aureus qui valebat 40. ſolidos, deinceps perpetuò valeret 45. manentibus tamen ſolidis in valore & curſu ſolito. Nemo certè candidi ingenii, cuique non pleonexia, nec ſophiſtica, ſed bonum & æquum præſtat, dubitabit quin ſi pridie decreti facta erat venditio pro mille aureis, liberetur emptor ſolvendo 889. aureos cum quinque ſolidis, & ſic deducto augmento. Cùm enim ſimus in terminis veri & effectualis augmenti, ſuprà *numero* 707. & iſtud augmentum in juſta Republica perpetuò duraturum ſit, nec unquam ſperetur vel timeatur mutatio: quia ſi fortè fieret mutatio, non ſolùm ex juſta cauſa fieret, ſed etiam juſta proportione ad reliquas omnes monetas, ut nec cives, nec exteri læderentur: quia locus eſſet *d. l.* 2. *Cod. de veter. numiſmatis poteſtate.* Sequitur attento efficaci & perpetuo augmento, quod ſumma oblata æquipollet perpetuò ſummæ conventæ, & ſic quod non tenetur emptor plus ſolvere. Idem ſi decretum factum fuit eadem die, vel etiam pridie venditionis, ſed nondum publicatum, vel conſtet quod contrahentes, ſaltem emptor, juſtam habeat cauſam ignorantiæ. Cum enim intenderet ſe obligari in effectu ad bis mille libras tantùm, non eſt veriſimile quòd ſe obligaſſet ad mille aureos, ſi ſciviſſet tot aureos jam valere bis mille ducentas quinquaginta libras, nec expreſſio certæ ſpeciei & numeri aureorum, ſufficiens eſt argumentum aliam fuiſſe intentionem: quia veriſimiliter ideò expreſſit & promiſit emptor mille aureos, quia brevior erat ſermo, quàm dicere bis mille libras.

Solutio. Fel. Reſp.

718. Fateor, quòd ſimplex expreſſio aureorum ſufficit ad obligandum præcisè in ſpeciebus aureorum, utque non poſſit invito venditore, ſolvi in minus pretioſa moneta; ſed non ſufficit ad obligandum ad majorem ſummam notabiliter, quam putabat emptor, & communiter putaretur aureos valere. Nec hoc caſu dici poteſt numerum aureorum expreſſum fuiſſe ad tranſigendum de incerto futuro vel impendenti augmento vel decremento valoris, cùm tunc nullum periculum mutationis hujuſmodi ſubeſſet, nec ſolitum eſſet, nec ſperaretur. Et conſequenter numerus non fuit expreſſus, niſi ad taxandam certam ſummam, non autem ad tranſigendum de inopinata & non veriſimili mutatione: & ſic prorſus ceſſat ratio primæ partis. Quòd ſi ita eſt, etiamſi jam tempore contractus augmentum ſupervenerat, igitur multò fortius ſi ex intervallo ſuperveniat, argum. *l. Rutilia Polla, de contrahend. emption.* Idem ſi à vero & politico Rege ſimile decretum fiat, quod non ſperetur mutari. Contrà fac miſeram civitatem unius vel plurium tyrannorum libidini expoſitam, & ibi inter cæteras calamitates & direptiones crebrò monetas variari & reprobari, tunc quandiu ea labes durat, locum habet ratio primæ partis: Verum eſt enim dicere imminere periculum mutationis monetæ, & ſubeſſe cauſam tranſigendi de numero earumdem ſpecierum, adverſus incertitudinem augmenti vel decrementi. Item ſupervento augmento, ſi emptor vellet illud deducere, non offerret ſummam æquipollentem ſummæ conventæ & debitæ: quia periculum eſt non ſolùm ne mox augmentum illud cadat, ſed etiam ne moneta vilior fiat. Et pari ratione venditor, qui non patitur deductionem augmenti, non poteſt petere ſupplementum decrementi: quia ſpes eſt pecuniam mox auctum iri. Facit quòd variatio modico tempore duratura non debet attendi, *l. pretia rerum ad fin. ad legem Falcidiam.* Tum cùm eventus augmenti & decrementi ſit in dubio, non poteſt juſtior, æquior, & medio propinquior via eligi, quàm in eiſdem ſpeciebus & numero reſtituendo. Igitur hoc caſu hæc via, non ſolùm tanquam media, ſed etiam tanquam æquabilior, & utrique partium minus onerosa, ſed utrique utilior, eligenda eſt, *l.* 1. & ibi Paulus, *ſi quis caution.* Probatur etiam, quia ſi ſublata & abrogata eſſet æſtimatio publica & impoſititia omnis pecuniæ, nihilominus reddendum eſſet debitum, ſaltem ad quantitatem & qualitatem prioris materiæ, ſicut initio ante pecuniam ſignatam definiebatur, & in uſu verſabatur pecunia, *μαχόμενα & πάμφ-*

ut inquit *Aristoteles* 1. *Politicôn capit. sexto*, id est, magnitudine & pondere ipsius materiæ dumtaxat. Ita per hujusmodi crebras & incertas mutationes sublato saltem incerto & mutili reddito signo seu valore imposititio pecuniæ, reddi & solvi debet in eadem materia, magnitudine, & pondere: & sic sub eodem numero & bonitate intrinseca, de quibus convenit, non inspecta bonitate extrinseca, quæ jam nulla est, sicut ab initio, aut dubia, captiosa, & incerta.

Anglica lues.

719. Nunquam autem prodigiosiores monetarum mutationes legi nec audivi præ illis, quæ post hanc urbem anno millesimo quadringentesimo decimo octavo à Burgundis & Anglis captam, quadriennio proximo factæ sunt, ita ut marca seu libra argenti, quæ novem tantùm libras tempore urbis captæ valebat, sensim ob crebras hujusmodi depravationes & mutationes, cœperit infrà quadriennium anno millesimo quadringentesimo vigesimo secundo, mense Julio, usque ad diem decimum Novembris ejusdem anni, valere octoginta libras Turonenses, ut ex regestis Præfectorum monetalium comperi. Interim autem inter cætera hujusmodi facinora Angli regiam hanc urbem occupantes, Carolum quoque V I. dudum mente captum detinentes ejusque nomine & authoritate ad fœdera, populúmque conciliandum, Francorúmque regnum in Henricum V I. Regem suum transferendum abutentes, pretium monetæ auxerunt anno millesimo quadringentesimo vicesimo, mense Julio, publicato prædicti Caroli V I. edicto, quo aureus valeret sexaginta solidos Turonenses: certa verò moneta aurea, cui aries exaratus erat, quadraginta solidos, & alia moneta aurea Anglica (Nobiles vocant) septem libras Turonenses valeret. Anno verò sequenti millesimo quadringentesimo vicesimo primo imminuerunt, publicato ejusdem Caroli V I. edicto, quo grossus pecuniæ, qui valebat sexdecim denarios Turonenses, justius est quatuor tantùm denarios Turonenses valere, aureus autem triginta tantùm solidos Turonenses, & nummus aureus, cui aries exaratus, viginti tantùm solidos Turonenses. Et extant adhuc hæc duo edicta transcripta in libro nigro Chartophylaciæ Procuratoris regii in Castelleto Parisienti, quorum palam est authores fuisse Anglos: tunc enim dictus Carolus V I. mente quidem jamdudum captus, corporaliter ab Anglis ope Philippi Burgundi cum conjuge & filia captus detinebatur. Et ex contractu seu potius præstigio, utpote cum mente & corpore capto celebrato, filiam ejus regi suo Henrico sponsam dederunt, eundemque Henricum Regni Franciæ Viceregem (Regentem vocant) quandiu Carolus V I. viveret, constituerunt, post ejus obitum (veris filiis præteritis) regnaturum, proutque de facto mortuo Carolo mox Parisiis coronaverunt. Sed illæ Reipublicæ direptiones in eorum tandem caput redundarunt. Cùm enim perniciosis his actibus diu populum elussissent, omniquè spe bonæ politiæ frustrassent, & hinc tandem populi contemptum & odium meruissent, facile brevi tempore, leviori præsidio (tametsi superiores) totius regni finibus expulsi sunt: quod eis non accidisset, si σοφοσυνη, si politicas artes (quæ non sunt aliud quàm Reipublicæ charitas & ὁσιότης) scivissent & exercuissent. Prædictorum autem abusuum & Reipublicæ expilationum nominatim meminit Jo de Vicomercato, qui eo tempore Ticini legebat, & scribebat in jure Pontificio dict. cap. *quanto, collat.* 4. dum loquitur de principibus cauponatoribus monetarum, qui pecuniam subinde reprobant, & expendi vetant, sine causa, nisi ut vili redemptam conflent, & novam debiliorem cudant. Ut vitium fiat (inquit) nostris temporibus de illis Billonis reprobaris ultra montes: quia non poterant expendi, emebantur ad pondus, & hinc multi ditati, sed quamplurimis expilatis.

720. Sed ad rem, quacunque causa contingat & immineat dicta crebra monetæ mutatio, etiamsi non ex mera libidine & tyrannide principis, sed fortè propter alias clades & necessitates Reipublicæ ineluctabiles (non refert) idem est dicendum, ut tunc bonitas extrinseca, quæ nulla est, vel inutilis, utpote incerta & nugatoria, quippe quotidie à possessore auferibilis, non possit nec debeat in ratione commerciorum, quæ super certa & efficaci compensatione fundari debent, attendi; sed eadem species & idem conventus numerus numorum reddi, sicut in debita magnitudine & pondere, antequam pecunia signata esset: secus cessante periculo hujusmodi crebræ & sordidæ variationis. Unde cum in terminis quæstionis nostræ cessaverit illud periculum, & augmentum istud justis de causis (ut auguror) factum, non fuerit momentaneum, nec nugatorium, sed efficax & durabile, prout adusque in effectu durat, cessant omnes rationes adductæ pro creditore & communi sententia, & habent locum omnes rationes adductæ pro debitore & sententia nostra: & sic concludo, oblationem emptoris validam & sufficientem. Ex his noviter per nos excussis apparet clara, æquabilis & solida decisio omnium infinitarum id genus quæstionum: sed ad majorem elucidationem, tum quia quotidiana & utilia sunt, tum ut clarius appareat, quàm in singulis casibus peculiaris sua ratio & æquitas diligenter expendenda sit, non autem generaliter omnes & indiscriminatim ad unius instar statim decidendi, more imperitorum medicorum, qui uno collyrio morbos omnes sanari volunt, insigniores aliquot quæstiones singulatim disputatione remota discutiemus. Et primo occurrit

QUÆSTIO XCIV.

SYNOPSIS.

1. *Favorabilior, qui ex necessitate, quàm qui ex voluntate gravatur.*
2. *Decrementum pecuniæ moratori imputatur.*

Retractus. 721. NOnagesima-quarta quæstio de retractu proximitatis. Et siquidem emptor nondum solverit pretium (ut in præcedentis quæstionis themate) non superest quæstio, quia emptoris, à quo retrahitur, non interest, quomodo pretium solvatur, dummodò liberetur erga venditorem: & sic retrahens eodem modo debet solvere venditori, sicut ab emptore solvendum est. Consequenter idem omnino dicendum quod in quæstione præcedenti, sive de augmento, sive de diminutione agatur. Si verò emptor initio solvit dictos mille solatos, deinde infra annum, forsan investituræ venit proximus venditoris, & vult deducere augmentum illud post venditionem & solutionem pretii supervenium, tunc quæstio est, an possit, sicut in quæstione præcedenti, eodem in cæteris themate retento, videlicet quod sit augmentum efficax & stabile? Hanc quæstionem expressim format dom. Andreæ Tiraq. in *tractat. proxim.* §. 1. *glos.* 18 *num.* 26. ubi non decidit, sed fideliter citat omnes ordine & nuncupatim, qui de mutatione monetæ tractant, in quo multum commodat & occurrit laboribus studiosorum. Ut ergo partes nostras circà decisionem exequamur, simul & disputationis

prolixitatem vitemus, dicimus quod basis & punctualis ratio decisionis in hac quæstione est, quòd emptor, à quo retrahitur, debet indemnis servari per retrahentem, ut diximus in *consuetudin. Parisiens.* §. 13. *glos.* 8. *quæstion.* 2. *quæstion.* 5. Aut ergo retrahens venit infrà annum contractus, cùm interim supervenisset illud augmentum, & non potest illud deducere, sed præcisè teneatur mille aureos refundere. Ratio decisiva, quia emptor nuper totidem solares numeravit hujus emptionis occasione: ergo totidem debet retrahens refundere, quia debet indemnem reddere emptorem, & redintegrare eum in statu suo, in quo erat ante emptionem. Sed nisi reddantur similes mille aurei, emptor non redintegratur: eos enim verisimiliter adhuc haberet, si non emisset, vel si solvere distulisset. Nec potest juste dici quòd in aliam domum, vel in alias merces impendisset, propter brevitatem temporis, ob quam non dicitur emptor fructus fundo, nec aliquam considerabilem utilitatem percepisse. Tum istud augmentum nimis calens & recens nondum est satis tutum, sed dubitari potest de imminutione: & sic sive nunc certò & absolutè deducatur, emptor relinquitur in præsenti periculo damni, quod non est tolerandum: sive offeratur deduci data cautione restituendi, si infrà non multum tempus, puta trium annorum, contingat valorem hujusmodi aureorum diminui, adhuc non redditur emptor indemnis: quia cogeretur stare in suspenso, & venire per actionem & litem in futurum, cùm jus retentionis & dominii habeat. Tunc si propter istud inopinatum augmentum oporteat alterutrum lucrari vel damnificari in aliquo, justius & æquius est in hoc damnificari retrahentem, quàm emptorem: tum quia retrahens voluntariè venit ad retractum, qui ab emptore invito exigitur. Regulariter autem magis subveniendum ei qui ex necessitate inopina, quàm qui ex voluntate impeditur vel gravatur, *l.* 2. §. *fin. si quis cautionibus in judic. sist.* Tum quia retrahens venit contra jus commune, contra emptorem aliàs tutum jure communi, *leg. dudum Cod. de contrahenda emptione.*

722. Et sic in dubio facienda interpretatio contra retrahentem: tum quia actor, seu emptor, utpote reus, favorabilior, *l. favorabiliores, de reg. jur.* tum quia retrahens certat de quodam lucro, videlicet de auferendo ab emptore, & transferendo in se omni lucro, effectu & commodo contractus, industriâ emptoris acquisito. Igitur in dubio potius favendum est emptori quam retrahenti, etiamsi emptor contra eum ageret, *l. non debet actori,* § 1. *de regul. jur.* Sive igitur oporteat alterutrum lucrari vel damnificari, etiam in casu claro, sive non oporteat in casu claro, sed dubium sit alterum lucrari, alterum damnificari, melius est omni casu emptorem esse tutum, ut indemnis omninò recedat, damnum vero sive certum sive incertum remanere retrahenti. Aut verò retrahens venit post multos, puta quinque vel decem annos post contractum, quia forte emptor nondum investitus erat, & apparet efficax & durabile esse illud augmentum, quod non est recenter factum, & tunc poterit illud deducere: quia propter intervallum temporis, ex quo apparet illud augmentum esse efficax, & quia emptor interim fructus est, & multorum annorum fructus suos fecit, sumus in casu claro, quòd emptor non dicitur damnum pati, quia non solvit nisi bis mille libras, & tantumdem illi offertur in eisdem speciebus auri, summaque oblata omnino & tuto hodie æquipollet summæ conventæ & solutæ, tempore contractus & solutionis inspecto.

723. Sed quid casu converso, si tempore venditionis & solutionis aureus erat majoris æstimationis, quæ dum venitur in retractum, jam interim decreverat? Et videretur distinguendum ut in priore membro, per locum ab eadem contrariorum disciplina. Sed illud argumentum non habet locum in hoc casu, quia non est contraria & opposita respectivè ratio contrariorum, imò semper manet eadem punctualis ratio decisiva emptoris indemnis servandi. Ideo indistinctè suppliendum est decrementum, cùm sit vera & effectualis imminutio, secundum notata suprà *num.* 707. alioquin emptor reciperet minus quàm solverit, quod esset iniquissimum. Nec audiendus retrahens, si cauſetur imminutionem esse recentem, & quòd verisimiliter augeri poterit: quia non debet emptor certo pretio soluto, dimittere acquisitionem certam & remanere in dubio de parte pretii: quia non servaretur indemnis. Nec etiam audiendus esset retrahens, si vellet dicere, quòd ob brevitatem temporis satis est emptor indemnis, ex quo redduntur ei sui mille aurei solares, licet postridie forte emptionis & solutionis in valore & cursu diminuti, ex eo quòd verisimile sit quod si emptor non emisset, vel non solvisset, adhuc eamdem pecuniam haberet, nec in tam brevi tempore pro veteri valore impendisset, & quòd cùm in contimenti veniatur ad retractum, & restituantur similes mille solati, satis videtur emptor omnino in pristinum statum restitui. Cæterum quod omne commodum contractus spectat ad retrahentem, ita quòd non potest emptor causari suâ interesse non posse amplius retrahi pro mille solatis tantùm, quasi suum debeat esse commodum fortunæ & diligentiæ suæ, quæ provenit ex solutione pretii antequam aurei diminuerentur. Et quòd istud commodum est pars commodi contractus, & spectat ad retrahentem, sicut commodum vilitatis pretii & omnium bonarum conditionum emptoris, debet ad eum spectare.

724. Quia ad hæc omnia respondetur quòd non est verum reddi similes aureos, nisi etiam in eadem extrinseca bonitate, quæ æquè principalis est, reddantur: quia si tempore contractus & solutionis aurei valebant 45. solidos, & mox cùm retrahitur, non valent nisi 40. semper verum est dicere quòd emptor in effectu solvit bis mille ducentas quinquaginta libras; & tamen non redderetur ei nisi bis mille, quod esset iniquum. Et quanquam sit magna temporis vicinitas, tamen satis est quòd est aliquod intervallum, puta trium vel octo dierum; & quòd emptor aliàs potuisset eadem die qua solvit, vel postridie utiliter aliud emendo, vel reditum super se currentem redimendo, impendere dictos mille aureos pro bis mille ducentis quinquaginta: & sic omnino tenetur retrahens supplere, aliàs justè causatur emptor se damnificari, nec tenetur causas exprimere, quia variæ & infinitæ esse possunt: & sufficit quòd interim per fortuitam occasionem pro mille ducentis quinquaginta impendendi, amisit. Et quæ dixi de retractu proximitatis, idem de retractu dominicali, puta feudali, vel censuali. Et quomodocunque tertius pro eodem pretio retrahere possit, puta ex legato sub hac conditione facto, vel pacto, re ad hoc hypothecata, ut dixi in *Consuet. Paris. tit.* 16. *in Rubr.* Quod autem dixi de suppliendo decremento, limitandum, nisi illud decrementum supervenerit post moram emptoris: quia tunc illi debet imputari, non aureis offerenti. Et hoc est generale in omni moratore, per *l.* 3. *in fin. de action. empt.* Sed quid si in venditione pactum fuit, quòd præcisè mille aurei solverentur, & expressum quòd nec plus, nec minus, non obstante quacumque mutatione monetæ, sive in augmento, sive in decremento? Respondeo tunc cessare disputationem & distinctionem quæstionis præcedentis, & omnino standum pacto, non solùm inter emptorem & venditorem, sed etiam inter emptorem & tertium retrahentem, sive jure proximitatis, sive jure dominicali, vel simili. Fallit inter emptorem & venditorem, si locus esset, *l.* 2. *Cod. de rescind. vend.* quia tunc necessariò inspicienda esset æstimatio, non ad certam speciem monetæ, aut ejus mutationem subsecutam, sed ad solidum & libram, hoc est, secundùm cursum qui erat tempore contractus, ut suprà *num.* 715. Secundo loco occurrit sequens quæstio.

QUÆSTIO XCV.

SYNOPSIS.

1. *Bona fides non patitur ut bis idem exigatur.*

2. *Nemo ex jactura aliena compendium facere debet.*

In redemptione.

725. NOnagesimo-quintò, Quid in redemptione? Puta si vendens domum pro mille solatis statim eos recipit, & sibi cavit de facultate redimendi. Utique quæstio sit dubitabilis, supponitur venditio facta, non vili pretio, ita ut recideret in fraudem reditus duodecimæ, & esset dicendum, ut in dicto reditu, ut notatur suprà *quæstion.* 56. sed pretio justo, puta ad rationem octodecim vel viginti pro uno, vel etiam integro pretio, ut ea facultas sit merè gratiosa. Et videretur omnino idem dicendum quod nuper diximus in retractu: quia redemptio nihil aliud est quàm retractus conventionalis in quo æquè justum est emptorem reddi indemnem, sicut in retractu legali: & sic videtur eadem basis & punctualis ratio decidendi. In diversum videtur quòd indistinctè possit, & debeat fieri redemptio in eadem specie & numero moneta, de quibus convenit, & sic reddendo precisè mille solares aureos. Patet, quia venditor sibi cavit de facultate redimendi, restituendo mille solares: igitur etiamsi imminuta sit postea eorum æstimatio, jure suo tamen utitur redimendo pro mille aureis: & sic non tenetur supplere decrementum. Et pariter si interim auctus sit valor aureorum, quod non possit augmentum deducere, prædicta & sequenti ratione: quia emptor non consentit pacto vel gratiæ redimendi nisi sub eo onere, conditione vel modo, reddendo mille aureos. Igitur præcisè debent reddi, quia venditor non potest ea gratia vel pacto uti, nisi cum suis modis & conditionibus, quod probat, & de consuetudine esse testatur Nicol. Boëri *decis. Burdegal.* 327. *numero* 4. verùm eam consuetudinem non probat, nec verum est ita observari ex necessitate specialis super hoc juris consuetudinarii. Videmus enim & fatemur ita frequentius observari in redimendo, non tamen ex certo positivo jure consuetudinario: sed quia vel ita suggerit æquitas casus subjecti, vel partes ita consentiunt liberaliter, scrupulosiorem subductionem fastidiosis avaris aut infestis relinquentes: & sic ea non est consuetudo juris, sed assuetudo seu frequentia facti, ut in simili suprà *num.* 708.

Solutio.

726. Solvendo dicimus hanc quæstionem (quæ tam à jure communi exorbitat, quàm eodem jure hujusmodi barbarica monetarum mutatio incognita est, imò reprobata & damnata) ex bono & æquo absque alterutrius captione decidendam. Aut ergo interim crevit æstimatio, & tunc ferè dicendum, prout suprà, in retractu in casu augmenti, *numero* 721. quia eadem propemodum est ratio: tamen quia paululum diversitatis est in circumstantiis, non gravabor pressiùs distinguere. Aut augmentum supervenit in continenti, vel paulo post solutionem pretii ante illius usum, ita quòd venditor sensit commodum augmenti: & tunc non debet illud deducere, quandocumque postea redimendo, tum quia bis idem perciperet, contra æquitatem & bonam fidem, *l. bona fides de regul. juris*, tum quia debet paria in effectu reddere, qualia recepit, sed in effectu recepit pretium cum augmento. Et licet non acceperit illud augmentum immediatè de manu emptoris, quia nondum supervenerat augmentum, tamen supervenit re integra, & percepit illud de pecunia immediatè recepta ab emptore: ergo illud idem augmentum non debet deducere. Aut vero augmentum supervenit, postquam venditor jam consumpserat pretium in valore antiquo: & tunc aut statim & infra modicum tempus, puta infra annum vel sesquiannum à venditione, vult redimere & non debet deducere: quia æquitas non suggerit, ne tum propter brevitatem temporis & festinationem redemptionis, & dubium mutationis, cùm augmentum nondum appareat firmum, emptor damnificetur, cùm venditor interim locupletior factus sit, & negotia sua tam fœliciter confecerit de usu pecuniæ, ut mox redimere valeat. Aut verò venditor post plures annos venit ad redemptionem: & tunc cùm cesset damnum emptoris, tum quia plurium annorum fructus interim percepit, & suos fecit: tum quia augmentum apparet stabile & efficax, poterit deduci, cùm hoc casu fieri possit sine damno emptoris, & etiam ex parte venditoris æquitas suggerat: quia non habuit commodum illius augmenti. Aut verò æstimatio decrevit, & non est idem dicendum, quod in retrahente retractu legali, vel etiam ex alia separata & antiquiori dispositione hominis ad hoc efficaci, ut diximus in *Consuet. Paris. tit.* 16. *in Rubr.*

727. Quia licet dictus retrahens indistinctè sive in continenti, sive ex intervallo debeat decrementum supplere, nisi post moram ejus, à quo retrahit superventum, tamen in eo, qui ex provisione suæ in venditione suæ reservata redimit, distinguendum. Aut in continenti sive intra breve tempus post pretium receptum redimit, & sic antequam usus sit, & uti probabiliter potuerit in valore antiquo, & non tenetur supplere: aut verò ex intervallo, postquam pretio usus est, vel potuit & debuit uti, & tenetur supplere. Ratio primi membri est, quia ex quo venditor reservavit sibi puram & liberam redimendi facultatem, sive postea ad tempus limitatam, sive non, & emptor consensit, clarum est, quamvis partes non habuerint præcisè respectum ad speciem & numerum aureorum, sed potius verisimiliter ad summam ex eis tunc resultantem, tamen id actum esse, ut venditor, quamprimum venditio sibi displiceret, vel aliter sibi commodum videretur, posset eodem die vel postridie receptos aureos restituendo, rem suam recuperare: & sic si fortè eadem vel postera die, vel infra paucos dies, antequam potuerit uti pretio, & illud in res suas convertere, supervenerit inopinata diminutio cursus seu valoris aureorum, restituendo eosdem quos recepit, jure suo utitur, cumque in continenti seu post illud breve tempus redimat, non dicitur abuti pacto, nec injuriam facere emptori, nec captasse occasionem, ut cum ejus damno locupletaretur, sed tantùm sibi cavet ne damnificetur: quia pretium receptum statim incipit esse minus quàm sperabat, suisque necessitatibus minus sufficiens & idoneum, ad quod incommodum evitandum justè utitur dicta facultate, quæ ad hunc finem reservata censetur. Secus in tertio retrahente, qui nullum negotium gessit cum emptore, cui emptor non consentit, sed inutus evincitur. Ideò ille retrahens qui venit ad lucrum adventitium ex negotio alieno, debet omnino servare emptorem indemnem, vel cum suo retrahentis incommodo, ut diximus. Et sic clarè vides rationem differentiæ. Ratio secundi membri manifesta est, quia si postquam usus est, & in res suas convertit pro valore antiquo, & supervenerit diminutio efficax & durabilis, mox redimeret, non supplendo diminutionem, locupletaretur cum jactura aliena: quia recuperaret inte-

grum fundum, & tamen minus redderet in effectu, quàm effectualiter receperit, & in rem ſuam converterit. Igitur tunc ſuppleri debet per eamdem æquitatem, de qua ſuprà *quæſtione* 92. *numero* 701. etiamſi in continenti ſupervenerit mutatio & redemptio: dummodò conſtaret, quod jam venditor in rem ſuam, efficaciter converterat ad valorem antiquum, puta ad reditum ſuper ſe currentem, mox à receptione pretii inde redimendo. Tertio loco videndum, quando obligatio concipitur in ſumma in certis ſpeciebus ſolvenda. Ideo ſervando numerum quæſtionum,

QUÆSTIO XCVI.

SYNOPSIS.

1. *Reprehenſus Cravetta.*

2. *Principale ad ſe trahit acceſſorium.*

728. NOnageſimo-ſextò, occurrit pulcher caſus, in quo conſuluit Aymo Cravetta. Quidam anno ſeſquimilleſimo viceſimo ſexto vendidit caſtrum pretio duodecim mille librarum Turonenſium, ſolutarum in ſex mille aureis ſolaribus, ſub pacto redimendi ſolvendo dictam ſummam duodecim mille librarum in ſimilibus ſex mille aureis: & tunc aureus ſolaris valebat 40. ſolidos Turonenſes: poſt annos verò quatuordecim, videlicet anno ſeſquimilleſimo quadrageſimo, quo aureus valebat quadraginta quinque ſolidos Turonenſes, venditor volens redimere in ſimilibus ſpeciebus, prout tenetur, vult deducere illud augmentum, & ſic pro ſex mille aureis dudum receptis refundere quinquies mille trecentos triginta ſex ſolatos, cum quindecim ſolidis Turonenſibus, quæ tempore redemptionis inſpecto, conficiunt ſummam duodecim mille librarum Turonenſium. Emptor autem contendit præcisè ſex mille ſolatos ſine ulla deductione reſtituendos eſſe, alioquin non poſſe redimi. Aymo *conſil.* 47. *incip. Carolus Allamandi*, conſuluit latè pro emptore, & movetur principaliter quadruplici ratione. Prima, quia ſex mille ſcuti ſunt in obligationem. Secunda, quia verbum (ſimilibus) non refertur ad pretium ſeu ad ſummam integram, quæ reſtabat ex dictis ſex mille aureis tempore contractus, nec ad ſignum ſeu characterem aureorum, ſed ad æſtimationem intrinſecam, bonitatem, qualitatem, & numerum, ut ſit per omnia ſimilitudo inter pretium venditionis & redemptionis. Quinetiam ceſſante dicto pacto de pretio reddendo in ſimilibus ſex mille aureis, cenſet venditorem teneri ad ſuperventum valorem extrinſecum, nec poſſe illum deducere. Et movetur (& hæc tertia ſua ratio) quia quòd aureus poſtmodum crevit in valore extrinſeco de quinque ſolidis pro ſingulo aureo, factum eſt propter deteriorationem bonitatis intrinſecæ monetarum: quia (inquit) hodie teſtoni, ſolidi, & aliæ monetæ non fiunt, nec cuduntur de argento ita bono & pretioſo, ut erant tempore præterito. Unde eſſet abſurdum, quòd duæ libræ teſtonorum vel ſolidorum deterioris argenti ita valerent hodie ſcutum boni auri, ſicut olim valebant duæ libræ melioris argenti. Addit, quòd quando variatur valor extrinſecus ſcutorum reſpectu deteriorationis monetarum, communem eſſe ſententiam, quod debeat ſolvi vel de pecunia antiqua æquè bona, vel de nova ad æſtimationem antiquæ. Citat Doctores in *l. cùm quid ſi cert. petat.* Oldrad. *quæſt.* 249. Areti. *conſil.* 11. Cor. *conſil.* 181. *col.* 25. *lib.* 2. *conſil.* 321. *col. per. lib.* 3. Idem dicit ſi ſcuti, qui hodie cuduntur, non eſſent de liga ita bona, cujus erant tempore contractus: quia ſecundum eum poſſet emptor dicere, reſtitue mihi ſcutos de auro ita bono, ut illi quos ſolvi, ut per Curtium *junior. conſil.* 24. *col.* 3. & 4. quia (& hæc quarta ſua ratio) ſi valor aurei fuiſſet diminutus, noluiſſet redimens ſupplere, nec reddere ultra ſex mille aureos.

Contra Aymonem.

729. Hæc eſt ſumma ſententiæ & rationum Aymonis: Sed ex prædictis clarum eſt quòd malè conſuluit, quia ex hypotheſi liquet quòd ſumpus in rerminis veri, efficacis & ſtabilis augmenti, & conſtat quòd illud augmentum non ſupervenit ſtatim poſt venditionem & ſolutionem prætii, ſed ex longo intervallo, videlicet circiter poſt ſex annos, ſi quidem anno ſeſquimilleſimo tricesimo-ſecundo, regio edicto aucti ſunt dicti aurei ad 45. ſolidos Turonenſes. Verum eſt quod interim cœperunt ſenſim augeri; ſed modicè & longo intervallo poſt venditionem, ita quod anno ſeſquimilleſimo viceſimonono, & ſic tribus annis poſt venditionem, non exponebatur hujuſmodi aureus niſi pro quadraginta uno ſolidis. Conſequenter liquet quòd illi ſex mille aurei per ſe non valuerunt venditori ultra duodecim mille libras Turonenſes, nec majorem ei ſummam attulerunt. Cum igitur augmentum poſtea ſupervenerit, & ſtabile ſit, & empto caſtro fructus ſit, & quatuordecim annorum fructus ſuos fecerit, non debet illud augmentum lucrari, nec recipere aureos majoris valoris quàm dederit: ſed ſatis eſt in eodem valore, & ſic deducto augmento etiamſi venditio non fuiſſet facta ad libras, nec inciperet à certa librarum ſumma in genere, ſed concepta fuiſſet ſub certa ſpecie & numero aureorum dumtaxat: quia nihilominus in hoc contractu, ubi aurei veniunt tanquam appretiatio & æqualis penſatio in pecunia, cenſentur principaliter, ſaltem æquè principaliter deduci, ſub ratione valoris currentis extrinſeci, & ſummæ quam tunc conficiunt, ut latè probatum eſt ſuprà *quæſt.* 92. & *quæſt.* 93. faciunt ſingula adducta in *retractu* ſuprà *quæſt.* 94. Igitur idem multò magis, ſi eſſet facta mentio ſummæ reſultantis, vel valoris currentis tempore contractus, puta venditum pro ſex mille aureis tot libras conficientibus, vel ad valorem 40. ſolidorum Turonenſium pro quolibet aureo: & adhuc multò fortius, ſi non ſolum facta ſit mentio de valore currente, vel ſumma librarum reſultante; ſed etiamſi inciptat venditio à certa quantitate librarum principaliter in diſpoſitionem deducta, & in tot aureis ſolvenda vel ſoluta, ut in themate. Et ſic Aymo nimis aberravit. Non obſtat prima ſua ratio, quòd ſex mille ſcuti ſunt in obligatione, & ſic non ſolùm certa ſpecies aureorum, ſed etiam certus numerus: quia reſpondeo primo, quod non ſunt in obligatione niſi acceſſoriè, & ad qualificandam ſolutionem debiti principalis.

730. Principaliter autem duodecim mille libræ ſunt in obligatione, & ſunt ipſum pretium conventum & adæquatum principaliter intentum. Igitur acceſſoria obligatio, ſeu potius qualificatio ſex mille aureorum, debet intelligi & regulari ſecundùm principalem & ipſius principalis taxationem & limites, quos non debet ultrà nec citrà tranſgredi. Item cùm duodecim mille libræ ſint verum, principale & exæquatum pretium, non cenſetur ab illo receſſum adjectione horum verborum (in ſex mille aureis) niſi in quantum neceſſariò ex illis verbis infertur. Sed ex his verbis nullo modo inferri poteſt nec debet receſſum à dicta principali taxatione duodecim mille librarum, ſed tantùm infertur quòd ea ſumma debet ſolvi emendo & redimendo in dictis aureis, & ſic in

tot aureis, qui dictam exæquatam ſummam conficiant: Non enim acceſſorium debet corrigere, nec ad ſe trahere principale, ſed principale acceſſorium, etiam alioquin pretioſius, *l. etiamſi non ſunt, §. perveniamus de auro & argen. leg. l. ex pupillari, de vulgat. & pupilla.* cùm vulgat. Secundò reſpondeo quod etiamſi ſoli ſex mille aurei eſſent in obligatione & diſpoſitione, adhuc in hoc contractu non cenſentur deduci, niſi (ſaltem æquè principaliter) ſub ratione valoris & ſummæ, quam tempore contractus conficiebant, ut latè ſuprà *quæſt.* 93. niſi aliud expreſſum ſit, puta quod non haberetur ratio mutationis, nec augmenti, nec decrementi. Non obſtat ſecunda & tertia ratio, & dicta communis opinio de bonitate intrinſeca: quia non eſt vera, ut latè probabimus infrà *quæſt.* 100. & dato quòd eſſet vera, non quadrat; ſed caret minori in caſu præſenti: quia augmentum iſtud extrinſecum de 40. ſolidis ad 45. non eſt factum propter deteriorationem bonitatis intrinſecæ reliquarum monetarum. Patet primò, quia tempore augmenti, valor currens aurei ſatis vel nimis aſcendebat in proportione ad deteriorationem monetæ. Secundò, quia etiam aurei pariter erant deteriorati in materia, & extunc adhuc debiliores excuſſi ſunt, non obſtante augmento quod aliis de cauſis factum fuit. Præterea idem aureus tempore contractus vel antè fabricatus & currens qui tempore contractus valebat 40. ſolidos tantùm, valet hodie cum effectu quadragintaquinque ſolidos, etiam ex illis qui currebant tempore venditionis, & diu ante illud tempus. Et ſic conſtat quòd eſt magnum efficax & permanens augmentum, quod per deteriorationem monetæ tempore contractus currentis nullo modo compenſatur, prout nec eam verè reſpicit. Et ſic non obſtat quarta ratio, quia ſi valor aureorum fuiſſet pariter, ſcilicet verè & effectualiter diminutus, ut ſuprà *num.* 701. æquè ex intervallo poſt ſolutionem & conſumptionem pretii in rem venditionis ſecundùm valorem antiquum, non teneretur emptor poſteà diminutionem illam ferre, ſed teneretur redimens eam ſupplere uſque ad valorem efficaciter receptum & in rem ſuam converſum. Igitur pari ratione augmentum poſteà ſecutum, quod non recepit, nec ſenſit, non tenebitur addere, ſed deducere poterit per prædicta, idem in ſimilibus. Quarto loco ſuccedit aliquid dicendum de dote qui caſus eſt frequens, & utilis.

QUÆSTIO XCVII.

SYNOPSIS.

1. *Valor pecuniæ eſt de jure gentium.*
2. *In dubio verba potiùs demonſtrativè, quàm diſpoſitivè adjecta videntur.*
3. *Dictâ æſtimatione augmentum deducendum, ut diminutio ſupplenda.*
4. *Incivile eſt expendere partem verborum tantum.*
5. *Augmentum naturam induit ejus cui accedit.*

731. NOnageſimo-ſeptimò quæritur de pecunia dotali. Hanc quæſtionem dividam in duas, prima de dote debita exigenda, ſecunda de dote recepta ſoluto matrimonio reſtituenda. Quantum ad primam, ſit hæc ſpecies in contractu matrimonii. Pater vel frater Mævio ſponſo promiſit bis mille ſolatos aureos in dotem certis longis terminis ſolvendos, quibus pendentibus, augetur valor impoſititius aurei, utrum augmentum illud in ſolutione deduci poſſit? Hæc quæſtio multùm differt ab omnibus præcedentibus, quæ loquuntur vel quando pecunia numerata eſt, ſive ex cauſa oneroſa, ut *quæſt.* 90. ſive ex cauſa mutui, ut *quæſt.* 92. vel quando eſt promiſſa vel reſtituenda tanquam pretium ſeu appretiatio certæ rei, ut *quæſt.* 93. cum ſequentibus, ſed hîc eſt ſimplex promiſſio & obligatio ad certam ſpeciem & numerum monetæ per ſe, & abſolutè. Unde videtur quod ſaltem hoc caſu procedat communis ſententia, quod non attendatur variatio bonitatis extrinſecæ: quoniam videtur præcisè & abſolutè habitus reſpectus ad ſpeciem & numerum, de quibus convenit, non autem ad valorem extrinſecum currentem, de quo nulla facta eſt mentio expreſſa, nec etiam tacitè cogitatum videtur, cùm non promittatur hæc tanquam pretium vel appretiatio certæ rei, ſed ſimpliciter & abſolutè. Et ita ſentit Nicol. Boër. in fortioribus terminis, in *deci. Burdegal.* 327. Sed certè utcumque ſimpliciter & per ſe certa ſpecies monetæ ſub certo numero promittatur, tamen ex quo non tanquam maſſa, nec tanquam ſpecies certorum corporum, putà quæ ſunt in tali arca, ſed tanquam quantitas pecuniæ in diſpoſitionem deducitur, neceſſe eſt ut ſub ratione quoque valoris impoſititii & currentis tacitè deduci intelligatur, cùm ille valor impoſititius ſit de propria ratione & eſſentia ipſius pecuniæ, & de ejus bonitate intrinſeca, ut ſuprà *num.* 696. Et hoc ſuppoſito: quòd ſi certus valor impoſititius uniformis & perpetuus, ut de natura pecuniæ, & de jure etiam gentium eſſe debet *l. 1. de contrab. empt.* cum aliis ſuprà *num.* 695. ſecùs ſi tunc propter tyrannidem aut calamitatem temporis non eſſet certus & ſtabilis valor impoſititius, & periculum variationis immineret, quo ſolo caſu communis ſententia ſuſtineri poteſt & habet rationem, alioquin falſa & irrationabilis, ut diximus ſuprà *quæſt.* 93. *in princ.* Et ſic neceſſè eſt ſolvere per diſtinctionem, quam ibi fecimus *num.* 716. videlicet quòd aut tempore contractus erat certus, uniformis & perpetuus valor impoſititius, nec ſperabatur variatio, & tunc etiam valor ille tacitè ineſt, & limitat contractum, *l. Rutilia Polla de contrahend. emption. l. vicinus in fin. de aq. pluſ. arcen.* Et conſequenter ſi augmentum ſupervenerit verum & proprium dictæ ſpeciei, reliquis videlicet monetis manentibus in veteri ſtatu & curſu, ita quòd augmentum ſit efficax & etiam durabile appareat. His concurrentibus & non aliis, juſtum erit augmentum iſtud citra moram ſuperventam deduci, etiam in ſolutione dotis, & pariter ſi ſupervenerit decrementum curſus & valoris, ſupplendum erit. Facit quòd etiam in promiſſione & conſtitutione dotis cenſetur habita ratio, æſtimatio & quædam appretiatio bonorum, junctis aliis circunſtantiis familiæ & dignitatis perſonarum, juxta *l. quæro de jure dotium.*

732. Limito primò, ut procedat in vera & juſta dilatione, ſecùs ſi dilatio fuit indebitè quibuſdam fraudibus extorta, ab hærede forte, vel alio ad tantam dotem tradendam purè obligato, vel ſi quibuſdam fallacus aut illuſionibus extorta fuerit dilationis prorogatio: quoniam hujuſmodi non purgant nec impediunt effectum moræ, ut de verbis eluſoriis cujuſdam Capitanei exempla ponit Odofr. in *l. in minorum Cod. in quib. caus. reſtitutio non eſt neceſſaria.* Limito ſecundò, ſi conſtet mediante hac dote ſponſam, multò majora bona portionis ad ſe ſpectantis reliquiſſe, & læſam fuiſſe, licèt læſio non ſufficiat ad reſciſſionem, tamen ſi ſit notabilis, ſufficit ad æquitatis interpretationem, ut non poſſit debitor dotis deducere illud

Dilatio extorta.

Læſio.

augmentum. Alioquin haberet triplex commodum, videlicet acquisitionem multò majoris portionis vel honorum, dotem (etiamsi putè soluta esset) excedentium : secundò, commodum dilationis & interusurii : tertiò, commodum augmenti, quod esset iniquum, ideò tunc non deducetur, tota enim hujusmodi quæstionum decisio in bono & æquo consistit. Aut verò tempore contractus, licèt eo momento certus esset valor impositivus, & tamen non erat tutus & stabilis, quia fiebant vel imminebant monetarum mutationes. Et tunc debent solvi aurei ad numerum, non deducto augmento, prout hoc casu, si contigisset decrementum, non suppleretur : quia ad has incertas mutationes utcunque evitandas videtur actum & transactum de certo certæ speciei monetæ numero, & hoc casu locum habebit communis opinio. Et puto quòd partim ad periculum harum mutationum respexerint Doctores, quia ita tenuerunt, licèt falsis & sophisticis rationibus detenti veram deducendi rationem non viderint, nec plenam & solidam doctrinam assequi & tradere potuerint. Ex his patet clara & brevis solutio quæstionis, in qua etiam post Arestum, in quo non solùm interfuit, sed etiam præsedit Dom. Nicol. Boërius, multùm tamen fluctuavit in *decision. Burdegal.* 327.

733. Quidam Baro in contractu matrimonii filiæ suæ promisit mille quingentos aureos boni auri & recti ponderis, cunei & legis (ut ejus verbis utar) Regis Franciæ, cum tribus floribus lilii, quobbet aureo computato & existente in valore 27 solidorum sex denariorum monetæ currentis, idque sub pluribus terminis : quibus pendentibus aurei valor extrinsecus auctus est, quæritur cujus temporis valor attendi debet, an contractus, an verò termini solutionis? Et certè semota nostra analytica consideratione, hæc quæstio valdè difficilis & ambigua est, ut patet ex sinuosis & perplexis opinationibus etiam Senatorum super hac re disputantium, à Dom. Boërio ibi collectis, ubi tandem Boërius satis aperte indicat se sententiam tenuisse, & tenere contrariam Arestto, quod refert in Senatu Burdegalensi, ubi non solùm interfuit, sed etiam præsedit, pro debitore latum anno 1522. Et ultra communem sententiam, & quæ in eam rem adducit ibi Boërius pro creditore, ut non possit debitor deducere augmentum, fortiter prima facie urgent verba & tenor obligationis, quæ non solùm incipit à certa specie & numero monetæ aureæ, videlicet à 1500. coronatis, sed etiam illi aurei signatè determinantur certis suis omnibus qualitatibus & qualitatibus bonitatis intrinsecæ speciei suæ, ibi (*boni aurei recti ponderis, cunei*, &c. Et sic, si unquam, maximè hic videntur contrahentes respexisse & se determinasse ad certam ipsam speciem & numerum talium coronatorum, eorumque valorem intrinsecum : præsertim cùm contraheretur non à mercatoribus & plebeiis, sed à nobilibus & potentibus, qui magis ad quantitatem & bonitatem auri, quàm ad cursum vel ad solidum & libram respexisse videntur. Et maximè cum non ageretur de appretiando vino, vel frumento vendito, aut aliis fructibus vel reditibus, sed de dote filiæ & sponsæ metienda in contractu matrimonii : ubi propter splendorem & magnificentiam inter nobiles & potentes solitam, magis ad marcam seu pondus & bonitatem auri (quod magnificentius & liberalius est) quàm ad cursum impositivum vel ad solidum & libram (quod sordidius & illiberalius vulgò habetur) respexisse videntur. Non obstat quòd mox facta est expressio & designatio valoris tunc currentis quia in promptu sunt duæ solutiones. Prima, quam tangit ibi Boërius *num.* 5. *& num.* 10. quòd hoc videtur factum non causâ taxationis, sed demonstrationis, & quòd in dubio æstimatio non facit emptionem. Facit quòd in dubio verba potiùs demonstrativè quàm dispositivè adjecta videntur, *l. quidam testamento in princip. de legat.* 2. Alexand. in *l. centurio*, ubi Jas. *col.* 20. *de vulg. & pupil. & consil.* 20. *col.* 2. (ubi dixi) *lib.* 2. Secunda, quam omisit Boërius, ea est omnium fortissima, quod ibi ex hypotheli aurei non erant variati in pondere vel materia, sed manebant in eadem bonitate intrinseca, in qua erant tempore contractus : augmentum verò erat merè extrinsecum, & sensim supervenerat propter reliquam minutiorem monetam intrinsecùs deterioratam. Unde sequuntur duo, primum, quòd valor coronatorum non dicitur auctus, etiam extrinsecùs : quia notabilis deterioratio intrinseca minutioris monetæ necessariò inducit augmentum æstimationis pretiosioris monetæ manentis in eadem materia & pondere, nec dicitur augmentum valoris, sed æqualis commensuratio & proportio ad monetam deterioratam, ut per Corn. *consil.* 279. *in fin. consil.* 287. *in fin. lib.* 1. Secundum, quòd etiamsi illa expressio valoris tunc currentis fiet taxativè & non demonstrativè, illa taxatio facit pro creditore contra debitorem, quia expressim non refertur ad monetam tunc currentem : sed 27. solidi cum dimidio illius temporis valebant tempore litis motæ 39. solidos vel plus monetæ tempore litis motæ currentis, ad quam coronatus ascenderat. Et sic in effectu coronatus non plus valet hodie (referendo ad tempus litis vel Arestti) quàm valeret tempore contractus, sive veterem, sive novam monetam inspicias : imò diceretur diminutum in valore extrinseco, nisi in eodem valore fuisset auctus pro rata deterioratione minutioris monetæ. Igitur nullum est augmentum deducibile, & sic nihil deducendum, sed integer conventus aureorum numerus persolvendus.

734. Sed his non obstantibus, puto justè & sanctè judicatum a præfato venerando Senatu Burdegalensi. Probatur primò, supponendo quòd tempore contractus, qui videtur fuisse circa annum sesquimillesimum, dictus valor impositivus coronati tunc esset, prout erat, certus & stabilis, quo casu etsi non esset facta mentio, videtur tamen fuisse saltem æquè principaliter, in consideratione, & sic argumentum efficax deducendum, per prædicta in præcedenti quæstione. Secundo, per locum à fortiori, quia si habetur ratio augmenti vel decrementi valoris extrinseci, quando nulla de eo facta est mentio : igitur multò magis quando certi aurei deducuntur in dispositionem expressè sub ratione valoris tunc currentis, ut hic. Tertiò, quia si hoc casu pendentibus terminis & tempore solutionis contigisset valorem extrinsecum coronati minui, non ad breve momentum, sed perpetuò, vel ad durationem considerabilem, nonne gener justè petere posset illud decrementum suppleri? Certe tenor contractus & rei æquitas evidens est, quòd sic : quia non fuerunt simpliciter promissi tales aurei certi ponderis & caracteris & materiæ, sed etiam sub ratione certi valoris currentis. Ergo in illo valore dari debent, vel suppleri : alioquin deciperetur gener, qui minorem summam quàm per relationem expressam ad valorem tunc currentem stipulatus fuerat, cogeretur recipere. Igitur pari ratione debet pati deductionem augmenti. Et fortiùs etiamsi tempore contractus suberat periculum mutationis monetæ, adhuc idem hoc casu dicendum, propter relationem expressè factam ad certum valorem currentem, junctis longis dilationibus. Videntur enim partes prævidisse, quod interim multipliciter augeri vel minui posset cursus monetæ : ad quod præcavendum & futuram captionem vitandam, mutuò sibi caverent de computando sub certo valore tunc currenti. Et sic hic casus longè minùs dubitabilis est quàm præcedens, quia hic indistinctè sive tempore contractus, monetæ cursus erat stabilis, sive mutatio imminebat, standum est valori, qui erat tempore contractus : ex quo non sunt aurei deducti in dispositionem, nisi sub eo

Senatus Burdegal.

valore

valore expresso, qui est pars obligationis : & quòm sit minùs dubitabilis clariùs liquebit in solutione contrariorum.

735. Et primò non obstat quod adducitur de vulgata sententia, in qua se fundat Boërius, quia falsa & malè fundata, ut suprà *quæstione* 93. *in princ.* Et si vera esset, adhuc non haberet locum hoc casu, ubi actum est de certo valore extrinseco, videlicet 27. solidorum cum dimidio pro quolibet coronato, cui standum est secundum Bal. in terminis dotis in *consil. incipiente : punctum quæstionis* quod est *consil.* 399. *lib.* 2. secundum veterem, & *consil.* 213. *lib.* 5. secundum novam impressionem, & sequitur Socin. *consil.* 298. *lib.* 2. ubi inquit, quòd licet obligatio incipiat à florenis, vel certa specie monetæ, tamen illa verba (ad computandum tot librarum vel solidorum) significant quòd illa æstimatio reddi debet, & non major, & sic augmentum deducendum, prout etiam diminutio, si qua esset, supplenda. Facit Bart. in *l. Paulus in fin. de solution.* quem communiter in hoc sequuntur Doctores, licet ipse Bart. contrarium velle videatur in *l. pen.* §. *si mancipia*, *soluto matrim.* quem ibi reprobant uterque Imol. Et quamvis Bartol. ibi loquatur quando obligatio incipit à summa generali quantitatis, putà centum libris reddendis in florenis sub eadem æstimatione : nos verò hic loquamur quando incipit à certa specie monetæ, putà à 150. aureis sub tali æstimatione seu valore extrinseco : tamen sub tali differentia non meretur novam distinctionem fieri, nec inducit differentiam juris, prout nec ullam implicat diversitatem facti, sed consistit in sola transpositione verborum, quæ idem utrumque significant, videlicet ut debeat attendi valor extrinsecus, qui erat tempore contractus, & in eo expressus fuit. Et ita rotundè, simpliciter & breviter dicendum, quamvis super hoc Marti. Laudan. *tract. moneta, col. fina.* & Curt. senior. *eod. tract. quæst.* 11. & Albert. Brun. *tract. de augmento concl. ultima, fallentia* 8. adeò se se involvant, ut vix certus sensus colligi possit. Non obstat quòd dicebam, urgendo principium verborum obligationis, & qualitatem personarum & contractus matrimonii, quod partes videntur habuisse respectum ad certam speciem & numerum monetæ tantùm, quia respondetur primò, quòd illa verba non excludunt considerationem valoris extrinseci, cùm sit de natura & substantia omnis monetæ, & æquè principalis, & etiam inter magnates, & in contractibus matrimonorum solet expendi, teste experientia. Secundò, quòd non oportet urgere vel expendere partem verborum tantùm, sed omnia simul, *l. in civile, de legib.* & consequenter ea in quibus in eadem ratione sit determinatio ad certum valorem extrinsecum. Non obstat quòd mentio valoris extrinseci & currentis sit causa demonstrationis, quia imò stat dispositivè & taxativè, cùm sit in verbis dispositivis, & etiam facilè censetur inesse dispositioni per prædicta : igitur multò magis valor expressus.

636. Non obstat quòd valor coronatorum non creverit nisi propter deteriorationem solidorum, quia dico quòd licèt solidi postea excussi sint deterioris materiæ, tamen sunt ejusdem valoris & æstimationis, ut veteres in foro & in omni contractu : nec veteres solidi plus valent quàm novi in usu commun. Et sic argentum coronati verum & efficax est : valet enim triginta novem solidos, sive de veteribus, sive de novis indifferenter : & sic multum plus valet in effectu, tempore solutionis, quàm valeret tempore contractus. Et multùm, non solùm ex inopinato, sed etiam contra tenorem contractus læderetur debitor, qui non fuit in mora solvendi in termino convento, si teneretur solvere ad numerum secundum æstimationem præsentem, & non secundum æstimationem contractus. Pater ad sensum, & per ipsam rei evidentiam, quia nobiles non solent habere pecunias diu otiosas in arca, & si dictus Baro habuisset, verisimiliter non cavisset sibi de tot dilationibus solvendi quas habere voluit, ut de fructibus & reditibus suis posset cum tempore summam conficere. Cùm autem fructus & reditus communiter conficiantur, & in pecuniam redigantur per solidum & libram, quanto plus valebit aureus, tanto minus aureorum ex reditibus suis conficere poterit : & contrà, quantò minoris valebit aureus, tanto plures aureos recipere & solvere poterit, sine exhaustione domus. Hinc satis apparet expressionem certi valoris dispositivè & taxativè factam in gratiam utriusque, ne si forte crescerent aurei, debitor nimium damnum pateretur, & reditibus non sufficientibus, cogeretur partem patrimonii vendere, vel usuris succumbere, & pariter ne damnificaretur creditor, si interim decrescerent. Nec est somniandum, taxationem illam referri ad bonitatem intrinsecam monetæ tunc currentis, quia hoc esset contra mentem & directam significationem verborum, quæ respiciunt numerum & cursum solidorum, & bonitatem extrinsecam, non autem intrinsecam eorum bonitatem, quæ etiam impertinens & inutilis esset, ad id de quo agebatur, videlicet ad dotis debitæ solutionem, cùm in solvendis debitis, & rebus acquirendis non plus valeant veteres quàm novi solidi.

737. Ex his promptum est nullo negotio secundam quæstionis partem decidere, de dote restituenda : pariter enim dicendum est efficax augmentum deducendum, vel decrementum supplendum : salvo quòd cùm hic eadem sit æquitas : quæ in mutui restitutione, eadem limitatio adhibenda est, quæ suprà *numer.* 701. videlicet ut si augmentum supervenerit mox post dotem datam, ita quòd recipiens habuerit commodum augmenti, non possit illud deducere, & pariter si decrementum statim supervenerit, non teneatur illud supplere. Et ita debet intelligi decisio prudentiss morum virorum Collegii Neapolitani, quam refert (licet non sic declaret) eorum Collega Matth. de Affli. *Decisione Neap.* 194. dotem mille centum florenorum, quorum valor extrinsecus interim decrevit, debere restitui secundum valorem currentem tempore dotis traditæ, & sic supplendo supervenutum decrementum : quæ est optima decisio, non in communibus Doctorum lacunis, sed in mera æquitate & juris medulla fundata : quia gener habuerat commodum antiqui valoris diu antè supervenutum decrementum. Eodem modo dicendum est in collatione. Unde si filia nubens accepit à patre myriadem aureorum, cum aureus valeret 40. solidos, tempore verò obitus patris valet 45. solidos, non tenebitur conferre præcisè myriadem aureorum, sed solum in æstimatione, qua erat tempore dotis datæ, & sic deducto augmento : alioquin sequeretur quod pro viginti mille libris receptis, teneretur conferre duo & viginti mille quingentas libras. Et pariter si sit in mora conferendi, casu quod debeat usura currere, secundum notata suprà *quæst.* 88. non current usuræ nisi pro rata viginti mille librarum : & hoc nisi augmentum supervenisset statim post dictam dotem, ita quòd filia vel maritus ejus percepissent commodum augmenti : & pariter decrementum superventum post convertionem in rem eorum secundùm veterem valorem supplebunt, ut modò diximus. Idem in similibus.

Senatus Neapol.

Collatio.

738. His scriptis dum regesta mea volvo, reperi ante tredecim annos à me discussam quæstionem quæ tunc erat in facto. Anno 1480. dum aurei non valerent nisi 35. solidos, mulier dedit in dotem mille quadringentos aureos solares, cum pacto, quòd in casum quo non haberet communionem bonorum cum

futuro ſponſo, redderentur ei vel ſuis, ſoluto matrimonio, Gallicè (*Au prix du denier Pariſis*) hoc eſt ad verbum, ad rationem denarii Pariſienſis, vel ad rationem ſeſquiquartam augmenti, videlicet quòd tanta ſumma, quanta viro data & per eum recepta erat, redderetur cum augmento quartæ partis: poſtquam autem matrimonium diu ſterilliet, tandem eo ſoluto cùm omiſſa communione dos repeteretur ſecundum formam pacti, tuncque, videlicet anno 1532. aureus ſolaris auctus eſſet decem ſolidis, valebat enim ex edicto regio & communi uſu 45. ſolidos, dubitabatur an totidem 1400. aurei cum augmento quartæ partis, non deducto ſecuto augmento reddi deberent? Vidi ab antiquioribus & conſultiſſimis hujus ſupremi fori patronis reſponſum & concluſum, quòd totidem aurei in ſpecie reddi debebant, non deducto augmento extrinſeco, ſed quantum ad augmentum conventionale ad rationem denarii Pariſienſis, videlicet proportionis ſeſquiquartæ, quòd debebat attendi non valor præſentis temporis, ſed valor, qui erat tempore contractus, ut ſic hæredes viri ultra prædictos totidem aureos, ſolverent hæredibus mulieris quartam partem ſummæ, quam prædicti aurei conficiebant ſecundum valorem tempore contractus currentem ad ſolidum & libram, & ſic in effectu pro bis mille quadringentis quinquaginta libris tempore contractus receptis, redderent ter mille ſeptingenta ſexaginta duas libras cum dimidia, videlicet 3150. libras in dictis aureis pro ſorte, & 612. libras cum dimidia pro dicto augmento conventionali. Et ſic quantum ad primum caput, videlicet ſortis principalis aureorum, ſecuti ſunt communem errorem adhuc receptum, & opinabantur eam meram juris veritatem. Quantum autem ad ſecundum caput, videlicet augmenti conventi, ex magna & urgente æquitate cenſuerunt limitandum ad valorem tempore contractus currentem: quia tunc non erat veriſimile futurum tam magnum aureorum augmentum, & vir promittens augmentum ſeſquiquartum, veriſimiliter inſpexit ad valorem currentem tempore contractus, etſi cogitaſſet fore ut aurei ſic augerentur, nullum promiſiſſet augmentum, ſaltem non tantum. Atqui ſi vera erat & ſequenda communis opinio in primo capite, ſequenda etiam erat in ſecundo capite, non ſolùm ex vi verborum, ſed etiam de jure, & ex mente & paritatis ratione. De vi verborum patet, quia ut verbum (principale & diſpoſitivum redderentur) refertur ad eoſdem aureos numeratos, ita illa verba Gallica, *au prix du denier*, & in eadem oratione poſita, & eodem verbo principali determinata, referuntur ad eoſdem aureos: igitur eodem modo & pariter determinari debent, non autem diſformiter, *l. jam hoc jure de vulg. & pup.* cum vulgaribus. Tum communis modus loquendi [denarii Pariſienſis] cum adjuncto [ad rationem ſive proportionem] ut hîc, talis eſt, quod non refertur ad aliquot denarios in ſpecie, ſed indiſtinctè & promiſcuè ad augmentum quintæ partis totius aucti, ſive ad proportionem ſeſquiquartam ſummæ vel quantitatis de qua agitur, ſive de quantitate librarum in genere, ſive de aureis vel alia certa ſpecie monetæ agatur. Cùm igitur fiat mentio denarii Pariſienſis per modum proportionis ibi (*Au prix*) id eſt ad ratam ſeu rationem, non ſignificat niſi augmentum ſeſquiquartum ſummæ, de qua agebatur, & tantò magis cùm non referatur ad ſolidos, nec ad libras vel aliam ſummam, ſed ad prædictos aureos in eadem oratione & determinatione ejuſdem verbi reddendi dictos aureos ad dictam ratam vel proportionem. Et ſic ipſa vis verborum ſonat, quòd eo caſu redderentur 1400. aurei cum augmento quartæ eorum partis, & ſic in totum mille ſeptingenti quinquaginta aurei, qui tempore ſolutionis valebant & valent ter mille nongentas triginta ſeptem libras cum dimidia.

Augmentum ſequitur naturam aucti.

739. De jure patet, quia de jure augmentum ſive additamentum ſequitur naturam aucti ſeu principalis & uniformiter eodem jure tanquam ejus pars regulatur, *l. etiam* & ibi Bal. *Cod. de jure dot. l. quod in rerum §. ſi quis poſt de leg.* 1. latè Curt. ſenior *conſ.* 56. Latiùs Albert. Brun. in *tract. de augment. col.* 27. Andr. Tiraq. in *repert. l. ſi unquam ver. donatione largitus, num.* 181. in *tract. retract. proxim.* §. 1. *gloſſ.* 18. *num.* 51. tetigi in *Conſuetudine Pariſienſi* §. 22. *num.* 44. textus in *l. inter ſocerum. §. cum inter.* ibi, *nec ſeparabitur portio, quæ data eſt additamenti causâ, de pact. dot.* Igitur ſicut ſtante communi ſententia, debebant totidem aurei reddi in ſpecie, non attenta variatione extrinſeca, ita neceſſariò ſequitur de jure, quòd augmentum illud conventionale intelligitur de quarta parte totidem aureorum in eadem pariter ſpecie, & ſic in caſum augmenti extrinſeci, non deducto eo augmento, nec de principali nec de additamento. Similiter de mente partium & rationis paritate liquet: quia ſi juxta communem ſententiam contrahentes intelligebant habere reſpectum ad numerum & ſpeciem aureorum, & quod redderetur dos in totidem aureis, non inſpecta variatione extrinſeca, ſequitur quòd idem intellexerunt de augmento conventionali, ex quo pacti ſunt de augmento in ſimilibus aureis, non autem in alia moneta: quia clauſula augmenti, refertur ad proportionem ſeſquiquartam ſimilium aureorum: & conſequenter ſive eorum valor extrinſecus minueretur, ſive augeretur, ſemper reddi deberent 1750. aurei, tam pro ſorte quàm pro augmento: & ſic dicta conſultatio, ſtante communi ſententia in qua partim fundatur, non poteſt ſtare. Cùm autem dicta communis opinio ſimpliciter falſa ſit, ut probavimus, & contrahentes ad valorem extrinſecum aureorum ſtabiliter currentem tempore contractus, etiam alio non expreſſo, reſpexiſſe cenſeantur, per prædicta, nunc clarum eſt augmentum tam de ſorte quàm de additamento deducendum eſſe. Plus dico, quòd etiamſi prima communis ſententia vera eſſet, adhuc idem dicendum eſſet in hac hypotheſi, ex quo facta eſt relatio ad denarios, & ſic partes cogitaverunt de valore extrinſeco, ſeu de quantitate denariorum reſultante ex aureis, quo caſu clarum eſt quòd debet attendi valor qui erat tempore contractus. Et ſic hoc caſu non tenebantur hæredes viri in effectu reddere uſque ad ſummam 3937. librarum cum dimidia, ſequendo communem Doctorum errorem, nec uſque ad 3762. libras cum dimidia, ſecundum dictam conſultationem: ſed ſolùm uſque ad 3062. libras cum dimidia, videlicet 2450. libras pro ſorte, & 612. libras cum dimidia pro additamento conventionali, ut pro toto ſuffecerit reddere mille trecentos ſexaginta unum ſolatos, cum quinque ſolidis Turonenſibus: quia in aureis utrumque, tam ſors recepta, quàm additamentum, reddi debet, ex tenore pacti & diſpoſitione juris, *d. l. inter ſocerum, §. cum inter.* deducto ſupervento & inopinato augmento *per prædicta*, idem in ſimilibus. Ad ea quæ dixi, ſuprà *num.* 392. quòd duo ſufficiant, adde Petrum Paulum Pariſinum *conſil.* 54. *conſil.* 55. *lib.* 1. Quinto loco occurrit quæſtio ſequens.

QUÆSTIO XCVIII.

SYNOPSIS.

1. *Dispositum ad numerum in crediti naturam abit.*
2. *Consignatio pro solutione est.*

depositum. 740. NOnagesimo-octavò, Quid in deposito, puta agens ad retractum vel redemptionem fundi consignavit penes actuarium vel mercatorem mille aureos, dum autem his protrahitur, eorum æstimatio de quadraginta ad quadraginta quinque solidos augetur? Respondeo si est depositum primi gradus, de quo suprà *quæst.* 83. *num.* 631. nulla est quæstio cùm steterit in dominio & periculo deponentis, vel ejus qui est in mora. Si verò est depositum secundi gradus scilicet ad numerum, quod abit in creditum periculo recipientis, ut *l. certi condictio, in fin. cum l. seq. si cert. pet.* tunc si esset verum depositum, scilicet in meram custodiam, ut teneatur depositarius indilatè mox cùm peterur reddere, & sic non habet jus utendi summa deposita & debita, prout manet deposita, videlicet in genere quantitatis purè sic debitæ in abstracto, & non in concreto speciei seu corporum, per notata suprà *num.* 18. Et adhuc idem, quia licet interim depositarius fuerit dominus corporum, quibus potuit uti, tamen astrictus fuit eadem corpora vel similia semper tenere parata: & sic non potuit uti; sed, ut verisimile est, semper totidem similes species otiosas & paratas tenuit, & sic non debet teneri, nec supplere quidem decrementum, si quod interim acciderit, etiamsi salarium custodiæ recipiat: nec poterit deducere augmentum quod supervenerit, sed precisè totidem numero similes species reddere tenetur, sicut obligatus ad tot aureos præcisè, cum pacto, ut nec augmenti nec decrementi ratio habeatur. Si verò est depositum tertii gradus, videlicet impropriùm ita ut concessa sit facultas utendi, ut non possit mox, nisi post tempus congruum tacitum vel expressum cogi reddere, & cùm sit simile mutuo, ut suprà *num.* 634. Idem dicetur quod in mutuo suprà *quæst.* 92. Prædicta sunt clara ex parte actoris, qui succubuit & sic consignationem repetentis. Quòd si vicerit, in casum quidem decrementi nulla etiam est quæstio.

741. Sed in casum augmenti, quæritur an spectet ad reum qui fuit in mora? Videtur quòd sic: tum quia hujusmodi solutio vel restitutio sortis trahitur retrò ad diem consignationis & judicii cœpti, idque cum effectu, quia tenetur reus ad fructus fundi vel rei retractæ ex eo tempore, tum quia ad eum spectavit periculum pecuniæ: ergo videtur quòd ad eumdem spectet augmentum, præsertim fortuitum, & sine facto & sumptum deponentis superventum. Tum quia dicta consignatio videtur quædam solutio; habet enim ipso jure effectum realis solutionis: quia ipso jure ex tunc liberatus est deponens ab omni alia restitutione sortis, *l. acceptam, Cod. de usur. leg. obsignatione, Cod. de solution.* Sed si debitor solvere volens consignaverit, non dubium quin augmentum spectet ex tunc ad creditorem, sicut & decrementum & periculum. Tum postremò, ut consignans consequitur etiam retrò omnia commoda consignationis, ita videtur quòd non debeat interim capere aliquod commodum de pecunia consignata, alioquin censeretur consignationem revocare: ergo non debet habere dictum augmentum, & sic spectabit ad reum acquiescentem. Breviter, his non obstantibus, dico quòd illud augmentum superventum antequàm reus acquiesceret & desineret esse in mora, spectat ad consignantem, qui licet vicerit, & omnia commoda consignationis & victoriæ habeat, potest illud deducere, nisi in casum, quo spectaret ad depositarium, ut diximus. Et moveor, tum per ea quæ dicunt Doctores contra creditorem moratorem, in *l. vinum, si cert. pet.* per *l. 3. in fin. de action. empti.* Tum quia ad commodum moratoris non debet diligens deterioris esse conditionis quàm negligens: sed si non consignasset, vel consignationem ut poterat recuperasset, posset deducere augmentum (loquor enim in themate hujus quæstionis.) Secus si debebantur præcisè certi aurei ad certum numerum, obstante quocunque augmento vel decremento ex pacto expresso, quia tunc cessaret hæc quæstio, ergo & nunc poterit, & morator suæ moræ imputare debet, quòd non prius eam purgavit. Non obstat quod dictum est de solutione vel consignatione, causâ solvendi, quia illa fit purè & absolutè, & de eo quod purè debetur: & sic non est simile cum casu nostro, ubi pecunia consignata non debetur purè & absolutè, sed implendo respectivè, & faciendo per reum id ad quod vicissim tenetur, quod cum recusèt facere, pecunia antè consignata, non debetur ei cum effectu, nec debet ei tradi, sed stat velut sequestrata: & sic non debet habere commodum pecuniæ, sibi (ob suam moram, & non implerionem ejus quod debet) nondum debitæ cum effectu. Consequenter non debet habere illud augmentum, licet propter injustam suam moram debuisset ferre, moræque adscribere periculum, & omne incommodum, si quod accidisset. Et sic soluta sunt omnia objecta. Sexto loco occurrit quæstio.

QUÆSTIO XCIX.

SYNOPSIS.

1. *Favor legitimæ.*
2. *Omnes species monetæ sunt fungibiles.*
3. *Legata quantitate, valor inspicitur qui fuit tempore testamenti.*
4. *Qui quantitatem in genere debet, potest ex viliori moneta solutionem facere.*

742. NOnagesimo-nonò quid in legato, puta mille solatorum qui tempore testamenti vel legati valebant singuli 32. solidos. sed tempore mortis 40. tempore verò petitionis vel solutionis 45. Breviter idem quod suprà diximus in contractibus, vel scilicet inspiciatur valor impositivus currens tempore dispositionis, sive contractus, sive testamenti: quia obligatio accepit suam certitudinem & limitationem secundum quod, quale & quantum tempore dispositionis, nec ex post-facto mutatur, *leg. Rutilia Polla, de contrahend. emption.* & in testamentis sunt text. in *l. uxorem §. testamento, de legat. 3. l. si ita*

de auro & argent. legat. l. Aurelius, §. *testamento de libra legata.* Hinc ut pulchrè ait Bald. *consil. per. coram vobis lib.* 1. ubicunque agitur ex dispositione hominis, attenditur tempus dispositionis, ut sciatur quid, quale & quantum debeatur, non autem tempus solutionis. Ergo cùm valor impositivus pecuniæ, quem extrinsecum vocant, sit de quantitate & parte integrali substantiali & æquè principali legati pecuniæ, sive in genere quantitatis relictæ, sive in certa quavis specie monetæ, debet ea quantitas & valor legati secundum tempus testamenti, non mortis nec solutionis attendi. Limito, si legatum vel institutio facta esset pro legitima filiæ, quæ fortè hoc mediante, per statutum vel consuetudinem loci excluditur: quia tunc si summa relicta est modica præ portione, quam filia jure communi habitura fuisset ab intestato, dico quòd decrementum benè debet suppleri ut in aliis: sed tamen decrementum non deberet deduci, tum per ea quæ in simili dixi suprà *num.* 374. tum propter favorem legitimæ, quæ debuisset haberi in corporibus hæreditariis cum augmento, *l. scimus*, §. *repletionem, Cod. de inoffic. testam.* tum ut tanto minus recedatur à jure communi. Et inquantum dixi debere attendi tempus testamenti, dices forsan nihil esse novi, sed actum agi? quasi omnes Doctores & veteres & recentiores communiter teneant, in æstimatione monetæ, si variata sit, debere attendi tempus testamenti, non mortis, vel solutionis. Ita enim Oldrad. *quæst.* 51. *ibcima tale est.* Alberic. post Guiliel. de Cun. in *l. cùm quid, col. fin. in l. vinum, col. fin. si cert. pet.* Paul. *l.* 3. *in fin. princi. Cod. communia de legat.* Marti. Laudan. in *tract. monet. col. pet.* Curtius senior. *eodem tract. quæst.* 4. Albert. Brun. *tract. de augment. in ultima conclu. amplia.* 9. At ego dico, quòd si rectè inspicias & expendas, longè aliud loquuntur, longè diversa est mens eorum: non enim de cursu & valore impositivo seu bonitate extrinseca loquuntur & sentiunt, sed de bonitate materiali & intrinseca, quam attendi & exigi volunt tempore testamenti, vel dispositionis, sive legata, vel aliter debita sit pecunia, sive nomine quantitatis generice, puta centum librarum, sive certa species monetæ, puta centum aurei solares, & pessimè, per ea quæ dicam in *quæst. seq.*

Obscuritas Doctorum.

743. Cæterùm de bonitate extrinseca sentiunt, tempus non dispositionis, sed solutionis attendi, non curando de augmento vel decremento, nisi à tempore moræ, prout adusque invaluit communis Doctorum error. Et ita disertè explicat, & se declarat Paul. in *d. l. g. in fin. princip.* Alciatus post alios in *d. l. cùm quid*, & malè per ea quæ novè dixi in præcedentibus. Verum est quòd Socin. *consil. 6. lib.* 1. loquens de bonitate extrinseca, tenet debere attendi tempus testamenti: sed loquitur in longè diversis terminis, videlicet quando legatum est factum de quantitate in genere, vel de florenis, qui secundum communem modum loquendi loci, tempore testamenti intelligebantur de certa quantitate in genere cujuscumque monetæ, non autem de certa specie monetæ, prout loquimur. Oldrad. tamen, qui nondum saniorem quorumdam Veterum sententiam, de qua suprà *num.* 696. penitus exuerat, non ubique eodem modo sentit in hac materia, sed modò varius, modò obscurus: quia *in consil.* 178. *ad primum. quæst.* 3. rectè tenuit in æstimatione & solutione pecuniæ, puta certæ summæ Turonensium, quòd non debet haberi respectus ad valorem intrinsecum, sed solùm ad valorem extrinsecum, & cursum communem & usualem: sed in *d. cons.* 31. in legato ducentarum librarum cùm testator supervixisset decem annis, & quærat de qua moneta debeant solvi ducentæ libræ, an de moneta quæ currebat tempore testamenti, an quæ currebat tempore mortis, apparet quòd non quærit de bonitate extrinseca: esset enim fatua quæstio, cùm non sit legata in certa specie monetæ, sed in quantitate generica ab omni certa specie abstracta: & sic necessariò omnes species monetæ recipiunt functionem secundum omnes. Quærit ergo tantùm de bonitate intrinseca, quia interim facta est pecunia deterioris materiæ: & sic ibi censet solvendum etiam ad rationem bonitatis materialis & intrinsecæ, quæ erat tempore dispositionis, sive testamenti, sive contractûs. Sed in *cons.* 14. *incip. cum quæstio*, obscurus est in facto, prout etiam cæteri assolent in hac materia: format enim quæstionem de arbitris, qui uni adjudicaverunt totam hæreditatem, & eumdem condemnaverunt alteri ad solvendum duodecim libras Turonensium parvorum, deinde intervallo citra moram debitor vult solvere Turonenses grossos, computando quemlibet grossum pro quindecim vel sexdecim Turonensibus parvis, prout valebat & currebat tempore arbitrarii lati. Creditor autem vult attendi Turonenses parvos hodie currentes, ex quibus Turonensis grossus non valet nisi quatuordecim. Decidit Oldrad. inspiciendum tempus lati arbitrii, & satis aperit quòd non quærebatur de mutatione grossi, & meritò: quia grossus non erat deductus in dispositionem, nec erat in obligatione, sed in facultate, sive de illo grosso, sive de alia specie monetæ conficeretur & præstaretur summa debita.

Perplexitas Oldradi.

744. Et nemo dubitat quin inspiciendum sit tempus solutionis vel consignationis tantùm in specie monetæ, quæ non est in obligatione, sed in facultate. Et sic ibi tota quæstio erat super mutatione Turonensium parvorum: nec tamen aperit Oldrad. an esset extrinseca, an intrinseca, quo fit ut ea decisio Oldradi sit incerta & inutilis. Nos ergo diximus non curandum de variatione bonitatis extrinsecæ, præstanda, & sufficit bonitas extrinseca, quæ erat tempore sententiæ: hoc est solvendas omnino duodecim libras de illis Turonensium parvorum libris, quæ currebant tempore sententiæ. Hæc autem vulgaris & numeralis libra non est semper & ubique eadem, sed quandoque etiam in eodem loco diversa, ut Papiæ, ubi teste Curtio seniore in *dict. tract. quæst.* 12. est libra Papiensis decem solidorum, & libra Imperialium, quæ est dupla, scilicet viginti solidorum. Et etiam in hoc regno & ferè ubique licet libra sit 20. solidorum, ut etiam testatur Jo. Fab. in *Authentic. hoc nisi in fin. Cod. de solution.* Corn. *consil.* 135. *littera d. lib.* 3. tamen quædam libra Turonensis dicitur, quæ est 20. solidorum Turonensium, quædam in hoc regno libra Parisiensis, quæ est 20. solidorum Parisiensium; solidus autem Parisiensis est sesquiquartus ad solidum vulgarem. Quemadmodum autem si variari contingat mensuras agrorum, solum debet attendi illa quæ erat tempore contractus, ut in *l. semper in stipulationibus, de reg. jur.* ita variatis his libris sive earum quantitate, quæ non sunt aliud quàm mensura quantitatis pecuniæ, necessariò debet attendi illa libra, sive quantitas librarum, quæ erat tempore dispositionis, cui inesse dicitur, & eam limitalis, sive quantitas librarum mutetur in te, ut si statuatur quòd major vel minor numerus solidorum libram conficiat, sive solidi vel Turoni, ex quibus libra conficitur, augeantur in valore, sive intrinseco & extrinseco simul, sive extrinseco tantùm, retento pristino solidorum numero ad conficiendam libram, quæ sic in affectu majoris quantitatis & mensuræ usualis efficiatur, debet attendi valor & quantitas existens tempore dispositionis.

Libra.

Mensura temporis contractus.

745. Ludo. autem Roma *consil.* 223. confundit, & eadem fiducia denigrat & carpit omnia prædicta, consilia Oldradi, contendens simpliciter debere attendi non tempus testamenti, sed tempus solutionis, per textum, in *l. cùm certum, de auro & argent. legatis*, sed valdè errat, quia ille textus non est ad propositum in hac materia, quia non loquitur de certo pretio

L. cùm certum, de auro & argent. legat.

debito, nec certa quantitate pecuniæ debitæ etiam in genere, sed de pretio alterius rei legatæ & debitæ, cujus potest æstimatio crescere vel minui: & sic attenditur quæ est tempore solutionis tantùm, nisi in quantum à tempore moræ inspici deberet quanti extunc plurimi valuerit, secundum regulas communes. Bruneus autem in loco præallegato solvit, quòd *in dicta leg. cùm certum*, pretium est in solutione quod est verum in casu *dict. l.* sed non sufficit, quia potest esse quòd sit æquè principaliter alternativè in obligatione: ut si testator legavit domum suam, vel ejus æstimationem, quia noluit hæredem præcisè cogi tradere, debet attendi æstimatio, quæ est tempore solutionis fiendæ. Secus si testator legaret domum, vel centum aureos, vel centum libras, & sic non se referendo ad æstimationem alterius rei variabilem, sed ad certam pecuniæ summam: quia tunc tempus testamenti attenditur, ad sciendum quanta sit ea quantitas.

In dubio de nummis.

746. Quoties autem sunt plures aurei, solidi, vel libræ in usu, intelligitur in dubio de nummis, *leg. nummis, de leg. tert.* Unde etiam in urbe Parisienti non solùm in actibus privatorum, sed etiam in sententiis, intelligitur de solidis vel libris Turonensibus, non autem de Parisiensibus, nisi expressim fiat. Ad hoc vide, si vacat, Socin. *cons.* 247. *col.* 3. *lib.* 2. ubi tamen malè limitat in debito piæ causæ per notata Decii in *leg. semper in obsignatis, de reg. jur.* & supra *num.* 212. Addit etiam Con. *cons.* 244. *col. sexta consequent. lib. secund.* ubi ex multis conjecturis pulchrè consulunt pro majoribus nummis: & tradit Andr. Tiraq. in *tract. retract. proxim. §. prim. glo.* 18. *quæst.* 10.

Aretinus.

747. Rursus quia sæpè Doctores impertinenter citant consilium 11. Aret. & eo rem magis intricant, quia illud consilium alienum est ab hac materia, ut hunc obiter scrupulum studiosis eximam, sciendum est talem ibi fuisse hypothesin. Sal vaniebat ad mensuram certo pretio, puta viginti solidis pro quolibet medimno: quidam emit sal pro mille, puta florenis, id est quantas mensuras pretium mille florenorum æquaret. In loco erat statutum bis anno immediatè præcedenti confirmatum quòd florenus non posset solvi nec expendi, nisi ad rationem solidorum quadraginta duorum: tamen nihilominus omnes communiter etiam subditi observabant, ut florenus permutaretur & curreret pro majori summa, puta quadraginta quinque solidis: præterea emptor, qui erat exterus, ignorabat tale statutum, petit autem sibi mensurari bis mille ducentos quinquaginta medimnos salis (totidem enim libras valebant mille floreni secundum communem observantiam, videlicet accipiendo quemlibet florenum pro 45. solidis) Contrà venditor non vult accipere nisi juxta præscriptum statuti, videlicet pro 42. solidis, & sic tradere bis mille centumque medimnos salis dumtaxat. Quæritur fuit, quid juris? Consulit Fran. Areti. pro emptore: tum quia ex quo tale statutum à subditis non recipitur, non ligat: ideo tanti valere censetur florenus, quanti publicè & communiter æstimatur ab omnibus. Tum quia si statutum ligaret, tamen ex quo emptor exterus justam illius ignorantiam habuit, ne enormiter lædatur, videlicet ne perderet centum quinquaginta libras, vel totidem medimnos, deberet adversus tale statutum restitui, per notata Imo. in *rub. de censu.* de quo plura dixi in *cons. Paris. in proœmio.* Et rectè consulit, & hæc duo verba sufficiebant: sed is initio brevitatem professus, multa impertinentia prolixè cumulat. Quæ enim infarcit de bonitate intrinseca & extrinseca monetæ, prorsus *ἀνωφελῆ* sunt, sed solum erat quæstio: Utra æstimatio præstet, an quæ communiter observatur, an quæ statuto in usum recepto taxatur: & habes communem usum prævalere, quòd etiam Budæus luculento exemplo probat *lib.* 3. *assis.* ut infrà *num.* 797. Ecce quàm multa quàm brevius & clarius potui transvectus sum, nec ulterius immorabor in hujusmodi particularibus quæstionibus, quum prædicta abunde sufficiant pro omnibus id genus rectè & expeditè decidendis.

Franciscus Beneventius.

748. Occurrit tamen jucunda nec omittenda quæstio. Victus & condemnatus in impensis litis ad 30. libras taxatis, & minutissimam & rarissimam conquisivit monetam, & solutionem obtulit in parvulis denariis Parisiensibus & Turonensibus. Creditor recusavit, offerens recipere in aureis vel solidis duodenariis aut simili non adeò contemptibili moneta. Per sententiam Præsidis Parisiensis dictum, quòd creditor teneretur recipere: appellavit ad senatum, ubi (ut in talibus rectè & laudabiliter fieri solet) consulti & adhibiti Præfecti monetales censebant malè judicatum. Dicebant enim primò, hanc minutissimam monetam nigram denariorum parvorum sive Parisiensium, sive Turonensium, non esse factam ad commercia exercenda, & solvenda debita, sed solùm ad commutandum majores nummos, vel supplendum quod excurrit, ut in *leg. Publia*, §. *Titius depositi*, quando minutum aliquid addendum vel detrahendum est summæ vel pretio. Secundò dicebant monetam hanc nigram ferè omnino esse æream, nimisque ponderosam & onerosam in magnis summis. Sed certe primum juris est, excedere artem monetalem, & fallum est: cum enim hæc minutissima moneta quantumcumque vilissima sit, publicè ad formam & definitionem publicam facta & approbata est vera & proba moneta, igitur in ea solutio fieri potest, sive in parva, sive in magna summa, cum debitor non sit obligatus ad aliam certam speciem monetæ, sed ad quantitatem in genere. Secundum vero in facto est, & spectat ad artem monetalem, sed sufficit præcedens solutio. Præterea (ut didici à doctissimo viro Dom. Francisco Beneventio, causarum in hoc senatu Patrono consultissimo, regioque in præfectura monetarum Advocato) etiam in nigra & minutissima moneta tantum pro rata inest & datur materiæ argenti, quantum in majori alba moneta argentea, modò proba sit moneta, ut supponitur. Pater, quia in duodecim denariis Turonensibus, qui valent solidum duodenarium, tantum est argenti quantum in uno solido duodenario, & tantundem invenietur, si seorsum denarii, seorsum duodenarius conflentur. Quòd autem duodecim denarii majoris sunt ponderis illud est quia plus habent æris, ut possint in plures nummos multiplicari: quantum ergo (si appendantur) pluris ponderat quam duodenarius solidus, tantum plus habent æris simul, quàm unus solidus per se. Et consequenter solvens triginta vel centum libras in hac minutissima moneta, tantum dat argenti, quantum si solveret in majori argentea, licet majorem molem dat ob majorem æris quantitatem. Quanquam de jure sive plus, sive minus argenti insit, non refert, modò publica, proba & legitima moneta sit, ut dicam in *quæst. seq.* Quòd autem hoc casu justè creditoris (utpote profecturi) interfit non recipere in hac minutissima & ponderosissima moneta, non est in consideratione: quia illud solùm consideratur, quando debitor tenetur in certa specie, & offert in alia, licet aliàs communiter fungibili, ut in *l. Paulus de solutio.* Sed hic non debetur nisi quantitas in genere, qua semel oblata in quacumque proba non reprobata moneta, licet rara & minus frequenti (ut sunt denarii Parisienses) debitor obtulit quod debet, nec ad rem pertinet, quòd debitor ex indignatione hanc minutissimam monetam conquisierit: ex quo enim eam habet, & de ea solvi potest, quid ad rem de origine? Imò si peccavit debitor dicta indignatione, magis peccat creditor, qui est in ultima mora & culpa, dedignando & aversando probam & legitimam monetam: & ita tandem rectè prudenterque pronunciavit supremus noster senatus, bene judicatum.

QUÆSTIO C.

SYNOPSIS.

1. *Bonitas pecuniæ, non character principis attenditur.*
2. *Imminutio valoris assis in Republica Romana.*
3. *Iura debent aptari ad frequentiora.*
4. *Vna pecunia pro alia solvi potest.*
5. *Aurum ab argento rectè separari.*
6. *Pecunia legitima quibus constare debeat.*
7. *Libera quid in jure.*
8. *Argentum vi aquæ Chrysulca ab auro rectè separari.*
9. *Damnatus Aristoteles.*
10. *Character pecuniæ, est ex jure gentium.*
11. *Falsa moneta ferè inevitabile damnum.*
12. *Creditor recusans probæ æstimationis monetam, puniri debet.*
13. *Correctus ex Consiliis Romani locus mendosus.*
14. *Non judicandum exemplis.*
15. *Privatis interdicitur conflatio pecuniæ.*
16. *Debitor solvere potest pecuniam ejusdem bonitatis.*
17. *Conclusio Operis.*

749. CEnteſimò diſcutienda neceſſaria occurrit ardua illa quæſtio. An intrinſecæ bonitatis ratio exigi poſſit? Hæc de ſe ad præcedentium quarumdam differentiam magis juris eſt, quàm voluntatis vel facti, & nullam prima facie videtur habere dubitationem. Omnes enim & veteres & medii & recentiores (uno ſolo ſcilicet Jo. Fab. excepto, infrà *num* 765.) una voce ubique live legendo ſive repetendo, ſive in tractatibus, ſive in conſiliis, tenuerunt & tenent ſemper & indiſtinctè, ſive debeatur pecunia in genere abſtracto quantitatis, puta tot libræ, ut per Oldradum *quæſt.* 31. ſive certa ſpecies monetæ, puta mille aurei, debere attendi & exigi bonitatem intrinſecam, quæ erat tempore contractus, ſive cujuſcumque diſpoſitionis: & cùm ſit pluſquam communis, velut præjudicata opinio, ſuperfluum eſt Authores citare. Vide, ſi vacat, quos citat dom. Andr. Tiraq. (qui cum eis tranſit) in *tractat. retractat. proxi.* §. 1. *gl f.* 18. *num.* 27. & latiſſimè omnium Alber. Brun. *tract. de augmen. concluſ. ultr. lunitat.* 1. noviſſimè etiam, ſed animoſiùs Jacob. Regnandi in tract. moneta cenſet quòd ſi nulla eſſet lex, ita tenendum eſſet, quia hoc (inquit ille) dictat naturalis juſtitia. Sed certè hæc quæſtio omnium hujus materiæ difficilior & argumentoſior eſt, ut non ſolùm ſit dubium, quandò de hoc non fuit actum, ut omnes loquuntur, ſed etiam (quod magis mirum eſt) ſi expreſsè conventum ſit de certa bonitate intrinſeca, ut ex ſequentibus apparebit. Cùm autem plures diverſos caſus hæc quæſtio reſpiciat, qui ad tria genera reducuntur: primum, quando de ſumma ſemel ſolvenda agitur, putà ex empto, vel legato: ſecundum, quando de ſumma recepta reſtituenda, putà ex mutuo, vel in redemptione reditus vel fundi: tertium, quando agitur de reliquiis reditus continuandis, in quibus omnibus quandoque de quantitate in genere, quandoque de certa ſpecie monetæ agitur, quandoque ſpecialiter pactum eſt de certa bonitate intrinſeca, quandoque non. Cauſas quidem ex quibus debetur, ſive ex contractu, ſive ex teſtamento, ſententia, vel ſtatuto, nil moror, quia in his non eſt vis: licet multi, dum ſeſe aliter extricare nequeunt, vim in his temerè faciant. Verùm ut breviùs & clariùs defungamur, nec ſit opus prolixè ſingula ſingulatim diſcutere, utriuſque partis in genere potiores tantum locos ſummatim collatos expendemus, deinde totam materiam deciſivè concludemus. Ut ergo hæc res non minus aduſque confuſa, quàm diffuſa, & Euripo mari volubilior, certis velut alveis congrua methodo concluſa & aſtricta jam velut teneri, palpari & diſcerni queat, brevi hoc ordine procedemus: Ab utraque parte juris civilis locos pertinentes dumtaxat & ad rem, in duos contrahemus, & primo ſecundoque ordine locabimus: juris verò Canonici locos in tertio ordine, circumſtantiarum autem facti locos in quarto & ultimo loco, ubi citabuntur obiter aliquot ejus partis aſſertores. Idemque argumentationis, & literariæ aciei ordo, in utraque concertationis parte ſervabitur, & reciprocabitur.

750. Et primò pro communi ſententia urget, quòd bonitas intrinſeca eſt de ſubſtantia omnis monetæ, & ſaltem non minus principaliter quàm intrinſeca conſideratur & exigitur, per notata ſuprà *num.* 303. Cum autem conſiſtat in pondere ſeu quantitate, & in bonitate ſeu qualitate materiæ, neceſſariò ſequitur quod ea quantitas, & qualitas, quæ erat tempore contractus, attenditur: ubicumque enim contractus expreſsè vel tacitè reſpicit materiam, neceſſariò recidit ad eam quæ erat tempore contractus, *l. cum quid ſi cer. peta. l. Rutilia Polla, de contrab. empt.* ad hoc omnia jura quæ volunt tempus contractus attendi, & ab initio obligationem fieri certam, ſecundùm quid, quale & quantum, tempore contractus inſpecto *l. certum, ſi certum pet.* & ſecundum limites tunc inſitos, qui poſteà tractu temporis non mutantur. Badl. *c. quanto, col. fin.* & paſſim, ſuprà *num.* 742. Secundò, quia jura volunt pecuniam eſſe debiti ponderis & ſpeciei, quòd ſolam bonitatem materiæ reſpicit, quodque aliter non teneatur quis recipere, quantumcumque Principis character impreſſus ſit: textus in *l.* 1. *Cod. de veter. numiſmat. poteſtat. lib.* 11. & in *l.* 1. & 2. *de ponderatoribus lib.* 10. ubi non tenetur quis recipere etiam pecuniam Principis auream niſi appenſam & probatam in pondere & qualitate: quod procedit etiamſi recipiens ſit ipſe Princeps vel ejus quæſtor. textus in *d. l.* 1. & text. in *l. creditor in principio de ſolutio.* ubi fortius probatur quòd non tenetur quis recipere pecuniam æroſam, hoc eſt pecuniam plus æris habentem, & minus auri vel argenti quàm ex publico & generali decreto ineſſe debeat. Quod ampliatur per *d. l.* 1. dupliciter vel tripliciter. Primò, non ſolum ſi de certa pretioſa monetæ ſpecie agatur, ut in *l.* 1. *de veter. numiſmat. poteſtat.* ſed etiamſi de quacumque moneta, vel de ſimplici quantitate in genere, ut proprie loquitur *d. l. creditor.* Secundò, etiam in civitate, in qua contrahentes pecunia illa æroſa promiſcuè utebantur, in tantum & tertiò, quòd etiamſi creditor alias fuerit in mora, & interim juſſu Præſidis ea pecunia tanquam minus proba ſublata ſit, non eſt creditoris, ſed debitoris periculum. Igitur bonitas intrinſeca præcisè requiritur & exigitur, & conſequenter ea quæ ex publico & generali

L. Creditor de ſolutionibus,

compacto requirebatur tempore dispositionis: Cum enim dispositio quæ fit de pecunia, debeat referri ad certam bonitatem intrinsecam: necesse est (niti aliud expressè cautum sit) ut determinetur ad eam, quæ erat tempore dispositionis, cum aliter determinari & certificari non possit. Et hęc tantò fortiùs procedunt in creditore, qui bonam pecuniam numeravit, ut suprà *quæstione* 90. 92. 95. cum sequentibus. Idem tamen in quocumque creditore concludunt dictæ rationes, & jura, & hæc de rationibus juris civilis.

751. Tertiò, hoc etiam secundum omnes volunt jura Canonica in cap. *olim causam.* in *cap. cum Canonic. de censib.* quæ omnes Canonistæ ibi & ubique intelligunt, ut non solum in summa semel solvenda, sed etiam in pensionibus & obligationibus successivis debeat solvi pecunia secundum æstimationem intrinsecam, quæ erat tempore dispositionis, ita quod etiamsi defecerit vetus moneta, non sufficiat solvere de nova deterioris materiæ, etiam in eodem valore extrinseco, nisi suppleatur ad bonitatem intrinsecam, quæ erat tempore dispositionis, quod etiam innuit *d. cap. quanto, de jurejur.* ubi dicitur propter defraudationem legitimi ponderis (& sic bonitatis intrinsecæ) pecuniam ipsam diminutam & minoris valoris effectam, cum magno populi scandalo & damno. Si igitur diminutio intrinseca facit damnum populo, ergo non tenetur creditor recipere pecuniam novam intrinsecùs tantum diminutam ne damnum incurrat, per *d. l. Paulus* ita etiam tenent & dicta capitula intelligunt Legistæ ubique, ut in locis citatis suprà in *princ. hujus quæst.* Corn. *consil.* 279. *consil.* 287. *lib.* 2. *consil.* 321. *col. final. lib.* 5. Guid. Pap. *dec. Delphi.* 493. Bertrand. *consil.* 289. *si moneta, lib.* 3. Ant. Rub. *consil.* 248. ita etiam scio aliquoties fuisse judicatum etiam in supremo hoc Senatu, & memini me scripsisse in quadam causa, cum in contractu matrimonii facto 1487. vir constituisset sponsæ octoginta libras annui reditus in *arrisalia* (vulgò doarium vocant) quod per consuetudinem est hæredium filiorum illius matrimonii, qui postea non fuerunt hæredes, sed dictum reditum præstari, toroque assignari petierunt, idque secundùm valorem & bonitatem monetæ, quæ tempore contractus currebat. Facta verò æstimatione per Præfectos Monetarum anno sesquimillesimo vicesimo quinto inventum est, quod moneta currens deteriorata erat intrinsecus de quinta parte, à tempore contractus, ita quod octoginta libræ monetæ currentis tempore contractus, habito respectu ad bonitatem intrinsecam, valerent centum libras ex moneta currente tempore æstimationis, & Arresto lato die vicesima septima Martii anno sesquimillesimo vicesimo quinto, damnati fuerunt hæredes constituentis ad solvendum & assignandum dictum reditum secundum valorem & æstimationem monetæ, quæ tempore contractus currebat. Et postea simile Arestum in alia causa, ubi petebantur antiqua aurea numismata pecudis villosæ, Gallicè (*Moutons à la grand' laine*) quæ non erant amplius in usu, nec ad æstimationem extrinsecam olim currentem, sed ad intrinsecam auri puritatem, nulli numismati secundam (ut fertur) respectum fuit. Et quibus hæc sententia non solùm probata, sed præjudicata videtur.

752. Quartò, urgent etiam circumstantiæ facti, quia rerum experientia semper docuit & docet bonitatem intrinsecam considerari, & hoc rei utilitas, & ea rei subjectæ justitia & legalitas exposcit, quum pecunia deteriorata in materia reipsa vilior sit, & ex nunc quoad multa minoris utilitatis, præter id quod periculum imminet, ut mox in totum tollatur, ut in *d. l. creditor*, vel ut mox publico (ut fit) edicto saltem sensim in valore quoque extrinseco minuatur. Ut igitur in cæteris omnibus non licet rem vitiosam vel deteriorem effectam solvere, ita nec pecuniam saltem notabiliter intrinsecùs deterioratam, utcumque valor extrinsecus nondum minutus sit, præsertim cùm debitum pecuniæ stet periculo debitoris. Et hęc generalis experientia & circumstantia facti quandoque speciali circumstantia magis urgetur, ut quando creditor est alterius civitatis, in qua pecunia vitiosa vel intrinsecùs deteriorata non recipitur nec toleratur, & sic etiam extrinsecùs in totum vel in parte reprobatur, licet in civitate in qua est debitor, remaneat adhuc & de facto toleretur in veteri cursu extrinseco. Idem si creditor, qui bonam pecuniam numeravit, erat tunc ejusdem civitatis, secù alibi migraturus, vel negotiaturus ubi pecunia deterior non recipitur, vel minoris permutatur. Nunc contrariæ partis acies eodem ordine educenda est, interjectis obiter brevitatis causà responsionibus quibusdam ad prioris partis argumenta.

753. Et primò pro secunda parte urgent omnia ferè argumenta, quæ suprà *quæst.* 92. *num.* 694 *cum sequent.* contra communem adduximus, & præcipuè quinque priores rationes, videlicet prima, quòd non materia vel forma naturalis ipsius corporis monetæ, sed valor impositivus est forma & substantia monetæ, in quantum moneta, quæ etiam non est corpus physicum, sed artificiale, ὅτι ὑ ἐστι, ἀλλὰ τόμῳ καὶ, inquit Aristoteles *Ethic. lib.* 5. Secunda, tertia & quarta, quòd semper est certa & ejusdem potestatis & æquipollentiæ cum alia moneta: quæ omnia non possent stare, si dato eodem valore & cursu exigeretur etiam bonitas materiæ, qualis erat tempore dispositionis. Et quinta ratio, quod non videtur deduci nisi sub ratione valoris impositivi: reliqua pariter adaptari possunt, non repeto. Et ita quod bonitas essentialis monetæ sit in æstimatione scilicet extrinseca, non autem in materia, sentit Ant. Butigel. in *cap. quanto, de jurejur.* & novissimè Hieron. Butigel. in *repetit. l. quod te, col.* 10. *num.* 29. *si certum petatur.* idem sentit Bald. in *l. singularia. col.* 4. in 9. *specialis. si certum petatur*, dicens quod in pecunia potius attenditur usus quàm materia. Secundò urget, quid de jure licet appellatione auri vel argenti veniat omne aurum & argentum, etiam factum, ut vasa argentea, *l. quæsitum. §. illud. de leg.* 3. *l. cum annum. in princ. de auro & argent. leg.* non tamen veniunt nummi aurei vel argentei, etiam ex pura materia, *d. l. cum aurum, l. Quintus.* 2. §. 1. *de auro & argent. legat.* Et sic patet speciale esse in pecunia signata, ut jam non materia attendatur, sed tantum forma & indicatura imposita; itaut non habeat locum regula *dict. § illud*, quod appellatione materiæ veniat materiatum, quid ad sui materiam reverti potest. Igitur si in pecunia signata non amplius attenditur materia, sequitur quod si offertur solutio in pecunia proba & currenti, & quæ tantum valet in valore impositivo & currenti, quantum in pecunia quæ currebat tempore contractus vel dispositionis, quod sufficit, & tenetur creditor recipere, licet pecunia nunc currens sit in materia & bonitate intrinseca, deterior ea quæ tempore dispositionis currebat.

754. Et hìc non controvertitur quin debitor solvere debeat in eadem specie monetæ (si ad certam speciem tenetur) non in alia ejusdem valoris, si creditoris interest, & species debita sit in usu, juxta *leg. Paulus, de solution.* Nec enim quæritur an debeat solvi secundum valorem impositivum temporis contractus, vel temporis solutionis, de quo satis in præcedentibus decem quæstionibus: sed solum quando offertur solutio in eadem specie, si certa species monetæ debeatur, vel si tantum quantitas in genere debetur, offertur solutio in qualibet proba moneta, sed non in materia tam proba, sicut erat pecunia currens tempore dispositionis: quod non videtur de jure in consideratione per nuper dicta, cum in mone-

tis, non materia, sed forma, & indicatura publicè imposita & approbata attendi debeat. Et sic non obstant de jure civili adducta pro communi sententia, quæ sunt vera & procedunt in terminis suis, videlicet ad hoc ut moneta sit proba & legitima: debet enim habere bonitatem intrinsecam, tam in qualitate quam in pondere, ad hoc publicè institutam, præfixam & requisitam, quæ etiam est de substantia: aliàs non est legitima, sed improba moneta, nec tenetur quis eum recipere, sed justè potest probare, & appendere an talis sit. Et sic illa duo & omnia similia, & inde dependentia argumenta, quantumcumque urgere videantur, non probant aliud, nisi quod moneta debet habere non solùm formam, sed etiam bonitatem materiæ publicæ præstitutam, definitam & compactam, antequam sit proba moneta, & antequam habeat bonitatem extrinsecam, & valorem de publico institutum, quod non est in controversia. Probant etiam consequenter, quod si adulterina moneta à falsariis fabricetur, vel vera moneta radatur, aut alio machinamento à privatis vel casu legitimo pondere defraudetur, quod non habetur pro legitima moneta, quod etiam non est dubium: quia tunc non habet requisita ad legitimam monetam.

Proba moneta.

755. Nec de hoc quæritur, sed longe diverso casu, videlicet quando publicè, vel per eum, penes quem est potestas & administratio Reipublicæ, statuitur minor modus materiæ (pedem monetarii vocant) in pecunia, quam esset olim, servata eadem indicatura, seu valore imposititio. Hęc propriè est nostra quæstio, in qua moneta nova est vera & legitima moneta, cùm habeat ea quæ publicè ad hoc requiruntur, nec est inconveniens in se, quod tantum valeat quantum valebat antiqua, quæ erat melioris vel majoris materiæ, & quo publicè & generaliter instituitur & approbatur: quemadmodum ab initio non fuisset inconveniens, si pecunia fuisset eadem publica authoritate leviori materia excusa. Verum est quòd si istud publicum decrementum materiæ sit notabile. quòd quantò nova moneta in bonitate materiæ minuitur, tantò vetus moneta necessariò augetur in pretio & bonitate extrinseca: quod non videtur inconveniens, nec ex parte veterem monetam possidentium, cùm potiùs eis commodetur, nec ex parte creditorū, nec ex parte debitorum, quia nec illorum melior, nec horum deterior conditio efficietur. Probo, quia cæteris paribus paria sunt, & in idem recidunt, certam novam monetam publicè minore materia eadem indicatura cudi, & consequenter veterem expressè vel tacitè extrinsecùs augeri, vel certam monetam in materia non mutari, sed extrinsecùs tantùm augeri, quod non est inconveniens, si publicè & permanenter fiat. Patet, quia primò non est inconveniens ex parte eorum, qui pecuniam possident, cùm non fiat eis injuria, sed potiùs beneficium: eorum enim augetur patrimonium. Secundò, nec ex parte eorum, quibus hujusmodi sic auctæ pecuniæ debentur: quia non accedit eis lucrum, nec decedit, cùm sit verum augmentum: sed servantur jura eorum in statu valoris antiqui, nec cogent debitores ad solvendum nisi deducto augmento. Tertiò, nec consequenter ex parte debitorum, quia solvendo deducent augmentum, nec majori labore, sumptu vel commutatione opus erit, ad quærendum tantum dictæ monetæ, quantum ad solvendum sufficit, ut suprà *numero* 709. ut clarissimè probavimus decem quæstionibus præcedentibus.

756. Nec nova sunt exempla pecuniæ extrinsecùs tantùm augendæ, vel eadem indicatura manente, minori seu viliori materia publico decreto excudendæ: quo ultimo tanquàm necessario in rebus adversis Reipublicæ subsidio Romani usi sunt secundo bello Punico ab Annibale illato, quo tantùm non ad internecionem usque deleti sunt, sub cujus initium, ut populus ære alieno liberaretur, & Respublica maximis & crebris impensis utcunque sufficere posset: publico Senatu ac populi decreto As libralis (quæ erat communis & usualis moneta ærea libram, hoc est duodecim uncias æris pendens) sextantarius factus est, id est, ad sextam partem seu binas uncias redactus, manente veteri indicatura seu valore extrinseco. As enim noviter fabricatus, licèt in materia dextante minor & levior priore, tamen tanti locabatur quanti vetus & integer as, & sic dissolutum æs alienum, & Respublica interim sive civium injuria dextantem, sive quinque partes de sex, hoc est decem novos asses super quoliber novo asse lucrata est, ut hinc publicis impendiis occurreret. Et rursus Annibale acriùs urgente, cùm Italia bello flagraret, ærariumque jam exhaustum esset, ille novus as dimidiatus est, & è sextantario uncialis factus, duodecimam tantùm veteris assis partem pendens, eodem tamen valore: & sic Respublica rerum super singulis novissimis assibus dimidium, respectu sextantarii & immediati assis, deuncem autem respectu veteris, lucrata est, ut ex Plinio *lib.* 33. *cap.* 3. Festo, & novissimè Budæo, *lib.* 5. *Assis colligitur*, refert & Volaterran. *lib.* 30. *cap. de nummis.* Nunc ergo quis dicere audeat pecuniam illam visualem primùm dextante, deinde diminutam intrinsecùs & deterioratam non fuisse in Romana Republica id temporis legitimam, cùm haberet bonitatem & quantitatem materiæ tunc publico Senatus & populi decreto definitam? Quis dubitat creditorem, cui centum asses debebantur ex legitimo contractu, fortè etiam ex mutuo facto ante illam imminutionem monetæ, coactum fuisse recipere centum novos sextantarios asses, post primam imminutionem: vel centum novissimos unciarios asses, post secundam imminutionem, pro veteribus integris, & syngraphan tanquàm exolutam reddere, vel re cautam dare, nec tamen ullo magno aut considerabili incommodo creditores affici, ut testatur Festus, cùm novi & diminuti asses tantùm valerent, quantum veteres? Quis etiam negare audeat eosdem debitores jure optimo semel & perpetuò liberatos fuisse, solvendo vel consignando novos vel novissimos asses? Consequenter liquet tunc nullam rationem bonitatis intrinsecæ tam luculenter imminutæ habitam fuisse, idque generaliter & jure optimo, non solùm in stipendiis militum & in commerciis, sed nec in veteribus debitis exolvendis, etiam de fortiori moneta in veteribus assibus mutuata contractis, easque solutiones & liberationes ratas fuisse, etiam post bellum finitum, licèt (quod fortius est) interim, præsertim ab initio, speraretur imminutionem illam monetarum non diu duraturam, prout finito statim bello, in pristinum statum rediit, ut ex Festo refert Bud. *libro* 5. *Assis.* Bellum autem in septemdecim annis confectum est, ut Livius & omnes Chronographi. Paulus Orosi. *lib.* 4. Sabellic. Ennead. 5. *libro* 5. *ad finem* testantur.

As libralis.

Exemplum hujus rei.

757. Ex his jam non tam argumentis aut dilemmatis, tanquam in clara luce supervacuis, sed ipsa rei evidentia & experientia probatum est solam publicam indicaturam, quem valorem extrinsecum vocant, utramque paginam, seu totum facere in re nummaria, hoc est materiam non ampliùs attendi, quàm ex publico compacto pro tempore usus requiratur. Et sic soluta est quæstio: non enim quærimus de vitiis, ii quæ falsariorum dolo vel casu quodam emerserint contra formam & substantiam monetæ publicæ definitam. Tertio loco probatur etiam de jure Canonico idem esse, cùm diversum non reperiatur in eo statutum per regulam, *cap.* 2. *de oper. novi nunciat.* Nonobstat *d. c. quanto*, quia responsio in promptu est, quod ibi non fuerat publico decreto

constitutum

constitutum aliud legitimum pondus monetæ: imò manebat antiquum decretum, & definitio legitimi ponderis à Rege & populo publicè facta. Sed clanculum sine legitima & pragmatica forma, & irrequisito populi consensu, defraudata fuerat moneta legitimo pondere: & sic in effectu illegitima & fraudulenta moneta excusa erat per avaritiam & veranimidem Principis, proditorumve suorum, qui nil aliud agunt, quam ut sacrosanctum Regis Majestatem, quam intemeratæ fidei, veritatis, fulturæ, & tot Sacramentis depingit, populi charitatis radiis perpetuò fulgere, & à cunctis suspici & amari decebat, omni genere libidinum, scelerum, sceleratissimum, fraudum & explorationum populi detur patàm, infamem & odibilem reddant. Unde, ut ibi dicit Innocentius III, magnum scandalum & detrimentum populi oriebatur: quoniam manebat vetus norma & definitio monetæ, à qua populus discedere nolebat, & sic quæ de novo contra id cudebatur, erat illegitima, & tamen per officiales seu magis proximiores Regis de facto largebatur in vulgus incautum, & spatia non poterat, nec debebat habere cursum, ut pote illegitima: habentes autem veterem bonam monetam, nolebant expendere, interim ne sibi periret, majorique merò detrectabant novam recipere. Simpliciores autem & incauti circumveniebantur. Quare Rex Arragoniæ, ad quem Referiptum Innocentii III. dirigebatur, illum abusum non solùm correxit, sed tandem (ut scribit Petrus Bellogar. in Spec. *princip. verb. 36. de mutatione monetæ.*) lege latâ una cum Proceribus Regni & Civitatum in Pragmatica forma, & per modum contractus à Proceribus & civibus acceptata Valentiæ 18. Calendis Maii anno 1345. diffinivit certam, perpetuam & immutabilem formam, pondus & puritatem materiæ monetæ Regalium Valentiæ, ita quod de libra seu marcâ argenti definitæ puritatis non possent cudi nisi 68. Regalia argenti. Subdit tamen postea arcanos modulos, seu ut in singulas massas fierent 2. Regalia, bonitate materiæ diminuta contra formam dictæ sanctionis.

Adulatores Regum.

Monetæ Valentiæ.

758. Non obstat dictum capitis *olim causam*, quia ibi non agitur de bonitate intrinsecâ, sed de quantitate ipsius summæ debitæ, pro qua minùs summa in alia specie certis annis citra præscriptionem soluta erat. Patet ex hypothesi d. c. ubi debebantur & adhuc quo soluti fuerant tres denarii Papienses, pro quibus à 36. annis cœperant solvi sex denarii Lucenses, videlicet tres Lucenses pro quolibet Papiensi: tunc autem cum cœptum est hoc fieri, novem Lucenses circiter æquipollebant summæ debitæ. Sed lapsu temporis, declinatione monetæ Lucensis, quæ ferè dimidio deteriorata fuit in 36. annis, accidit quod 5. vel 6. denarii Lucenses non valebant nisi 3. Lucenses, ex eis qui ante 36. annos currebant, & tamen debitor, quia extunc solitus erat tantum novem Lucenses solvere, videlicet tres Lucenses pro quolibet Papiensi, nolebat deinceps plus solvere: quo non obstante, quia creditor erat Ecclesiastica persona, contra quam non sufficit præscriptio minor quadraginaria, damnatus fuit debitor ad solvendum denarios Papienses, vel eorum æstimationem. Hæc est tota hypothesis *d. c.* & sic nulla erat mutatio nec alteratio speciei monetæ debitæ, videlicet denariorum Papiensium in intrinseca, nec extrinseca bonitate; sed solum acciderat mutatio & deterioratio tam intrinseca quàm extrinseca, ubicumque est: vel saltem extrinseca monetæ Lucensis, quæ non erat debita: licet in ea fuisset summa soluta, primum atque ad quantitatem & æquipollentiam Papiensium debitorum, deindè per errorem, non advertendo ad diminutionem monetæ Lucensis, in multo, puta in dimidio minore summâ, dum non solveretur in pecuniis Lucensium, quàm initio, & tamen sensim ita deteriorati fuerant, ut tamen intimo dimidio valerent. Cum autem nihil esset præteriptum, nec mutatum in summa & specie monetæ debita, certum erat & indubitatum, quod in denariis Lucensibus debebat attendi valor & æstimatio, quæ erat tempore singularum solutionum: ita quod licet olim, quando tres Lucenses valebant unum Papiensem, potuit solvi tres Lucenses pro uno Papiensi, & tandiu solutum fuerit; tamen nunc quando ita deteriorati & alliciati sunt, ut sex non valeant communi usu nisi unum Papiensem, non sufficit solvere tres modo taliter, præscriptione nondum firmato, sed solvendi sunt sex Lucenses pro quolibet Papiensi, & in summa Papienses ipsi, vel eorum æstimatio. Quoties enim quædam species monetæ est in solutione, vel pretiata solvitur, tunc necessario attenditur ipsius, quæ solvitur, monetæ æstimatio tempore solutionis existens dumtaxat, quo fit adæquatio ad summam debitam, & hoc apud omnes indubitatum est, ut supra *num.* 744. Hic est clarus & nitidus casus d. c. quod Canonistæ suis commentis obscurarunt, quas tenebras cæteri turmatim auxerunt Andabatarum more, citantes illum textum, ad probandum quod bonitas extrinseca non debeat attendi, sed tantùm intrinseca quæ est tempore contractus: quorum nihil ibi probatur, sed potius oppositum. Patet quòd textus solùm expendit æstimationem monetæ debitæ, & sic valorem extrinsecum. Quod autem non expendat valorem intrinsecum denariorum monetæ, scilicet denariorum Papiensium, patet dupliciter: primò, quia de valore eorum intrinseco nulla mentio in toto textu: secundò, quia non vult præcisè solvi denarios Papienses, sed solùm eorum æstimationem ad debitoris electionem. Ergo non exigitur materia, seu bonitas intrinseca, sed solum antiquus valor: & sic ille textus magis facit pro hac parte.

759. Quantum ad *dict. cap. cum Canonici*, cerrè multum prima facie urget pro communi sententia: quia ibi non certabat creditor de exigendo numero summæ, sed solùm de exigendo eamdem summam in nova meliori moneta: & sic nova moneta erat solum melior intrinsecus, & tamen dicitur quòd debitor potest deducere valorem intrinsecum superadditum veteri monetæ, vel quod non tenetur solvere de nova meliori, sed tantum veterem vel æstimationem veteris; quod in idem recidit, ac si solveret de nova, deducendo augmentum novæ. Ergo casu converso sicut debitor potest deducere superventum valorem intrinsecum, sequitur quod si valor intrinsecus decreverit, teneatur supplere ad rationem valoris intrinseci, qui erat tempore contractûs vel dispositionis: & sic videtur ibi casus in effectu pro communi sententia, quæ non est ita: imò longè alius est intellectus, quàm vulgò Canonistæ & alii putant: quia ille textus non loquitur quando nova moneta est aucta intrinsecis dumtaxat, ut falsò supponunt, sed quando ejus extrinsecus proportionabiliter ad augmentum intrinsecum (ut semper fieri solet) auctus est. Probatur primò, quia verò nova moneta non erat abrogata nec diminuta, sed stabat in veteri & solito cursu suo, & sic erat probæ & legitimæ, ut prius: aliàs quæ non diceretur in textu, quòd debitor posset deinceps solvere de veteri moneta, ut prius, & tamen pecunia nova erat majoris æstimationis, & sic majoris cursus quàm prima. Patet in fine textus, ubi dicitur, *quod possit solvere de meliori moneta, non tenetur reddere ultra in eadem specie, sed potest deducere quantum ad valorem novæ excedat valorem antiquæ monetæ vel pecuniæ in qua debetur*: ergo moneta nova erat aucta etiam extrinsecus. Probatur secundò, quia in communiter accidentibus non solet exigi aliquantenus fortior moneta: quæ etiam in curia curemus, vel illuc exigetur, quam cum

Novæ monetæ declaratio, quæ intrinsecus auctæ.

de meliori sit materia. Imò non solum hoc non est institutum, sed nunquam à mille annis fuit visum, & esset velut prodigium, cum omnia ferè regimina à mille annis, videlicet à tempore Justiniani Magni, declinaverunt ad avaritiam & tyrannidem, & sic de c. non debet adaptari ad id, quod nunquam vel raro accidit, sed ad id quod frequenter, *leg. ex his, l. frequent. de legib.* Probatur tertiò, quia si de facto fuisset expensis Regis vel Reipublicæ, nova meliori excussa, non aucto valore extrinseco, tunc necessariò vel fuisset reprobata vetus tanquam illegitima, vel ipso facto cœpisset esse minoris æstimationis & indicaturæ, quorum neutrum est in *dict. cap. fin.* imò oppositum: quia vetus moneta nec reprobata erat, nec in cursu diminuta. Ergo omninò dicendum quod nova fuerat in tantum extrinsecùs, quantum intrinsecùs aucta; & sic ibi non agitur de deducendo per debitorem simplici augmento intrinseco, si vellet solvere de nova meliori moneta, sed de deducendo augmento extrinseco & majori æstimatione. Consequenter ille textus nil prorsus facit pro communi sententia, quicquid adulque omnes glossæ & Doctores putaverint, sed superficialiter (more suo) non autem analyticè & ad vivum textus expendentes.

760. Non obstat quod ibi creditor non certabat de majori, sed de eadem summa, ibi (*summam illam*) quia dico quòd illa verba referuntur ad numerum nummorum, qui erat idem, non autem ad quantitatem inde resultantem, quæ erat major, ut probant verba finalia ibi (æstimatione pensionis antiquæ) & totius capitis phrasis, & ipsa rerum hujusmodi experientia. Et sic ut omnia congruant in mente & verbis & sensu communi, necesse est intelligere quod in *d. c.* illa pensio debebatur in certa specie monetæ, puta in centum grossis, qui tempore pensionis constitutæ habebant, puta semissem argenti puri, & valebant singuli puta 13. denarios Turonenses: postea illis in suo statu & cursu manentibus, novi grossi ejusdem nominis & characteris facti sunt, sed de majori materia, & proportionabiliter majoris pretii & valoris, puta habentes hepruncem argenti puri, & singuli valentes 16. denarios Turonenses cum semiobolo, id est quarta parte denarii, vel habentes bessem argenti puri, & singuli valentes 14. denarios Turonenses cum dimidio, vel habentes dextantem argenti puri, & singuli valentes viginti denarios Turonenses, manente videlicet libra argenti infecti in eodem circiter pretio, alioquin de facili Præfecti monetales augerent valorem extrinsecum, non aucta vel etiam quandoque diminuta bonitate materiæ. Hujusmodi grossi Turoni hodie non sunt in usu, nec vulgò visuntur nisi puncti & suspensi in intersignis apothecarum quorumdam mercatorum, sed ante ducentos annos, temporibus filiorum Philippi Pulchri, & sub Philippo Valesio fuerunt frequentes in hoc Regno, variis temperaturis & indicaturis, ut ex monumentis monetarium didici. Hujusmodi exempla ex fide historiæ malui adducere, quam nova fingere: quanquam non referat si pensio debeatur in tot testonis, vel cujusvis speciei nummis aureis vel argenteis, qui postea sub eodem nomine & charactere melioris materiæ (prioribus in statu suo relictis) cuduntur. Si igitur creditor petat dictam pensionem centum grossorum, vel aliorum nummorum speciei debitæ, & velit eumdem solidum numerum nummorum sibi solvi de novis, qui meliores sunt, non autem de veteribus, decidit ille textus quòd non tenetur debitor solvere de novis, nisi ad æstimationem veterum, hoc est deducto augmento novorum: sed potest solvere de veteri moneta non reprobata ut prius, vel de nova ad æstimationem pensionis antiquæ.

Grossi Turoni.

761. Et valde ponderanda sunt ea verba, *æstimatione pensionis*, ob duo, quia primò clarè ostendunt veram speciem facti, videlicet quod moneta nova eadem summa, vel numero nummorum seu corporum dictæ seu prioris ejusdem speciei, erat majoris æstimationis, etiam extrinsecæ, & majorem pecuniæ quantitatem valebat quam moneta vetus in pari numero nummorum ejusdem speciei. Secundò clarè probat sententiam nostram contra communem in hac quæstione & præcedentibus, videlicet quod debet attendi valor extrinsecus, qui erat tempore dispositionis, & quod si postea stabiliter auctus sit, deduci debet, etiamsi certa monetæ species debeatur; & pariter probat idem textus, quod etiamsi certa species monetæ debeatur, & eius usus, vel valor extrinsecus (quod idem est) decreverit, non potest debitor de illa pecunia solvere, nisi decrementum seu veterem æstimationem suppleat. Patet ibi *vel si non sit in usu*, quæ conditio non apponitur in favorem debitoris, sed creditoris: declarat enim & clarificat priorem partem alternativæ, juxta *l. 1. de reb. dup.* & ostendit id quod dictum ibi fuit, debitorem posse solvere in priori pecunia, intelligendum esse dummodò pecunia manserit in veteri suo usu; secùs si reprobata sit, vel ejus usus seu æstimatio diminuta. Habes novum, verum & *pulcrum* intellectum *d. c.* & vides quàm ad legum & Canonum intelligentiam necessaria sit historia, scientia & experientia earum de quibus tractant, artium.

762. Quarto & ultimo loco probatur à circumstantiis & æquitate facti, in quo sufficerent luculentissima illa exempla obiter adducta suprà *num. 756.* in dilutione locorum juris civilis primæ partis, sed ut domesticis & quotidianis exemplis res clarior sit, aspice vectigalia ex concessionibus fundorum, vel similibus cautis, ante octoginta vel centum annos constituta: non est opus aliâ hypothesi, res ipsa sese ostendit, quam sit durum & incivile, imò quàm perniciosum in universa Republicâ & turbulentum, eos qui unam vel duas, decem vel centum hujusmodi libras debent, non solùm cogi ad solvendum & continuandum tantam summam reditus, sed etiam ad solvendum in moneta intrinsecùs æquè bona, sicut ea quæ debebatur & currebat tempore contractus, vel ad æstimationem intrinsecam veteris promiscuæ monetæ, quæ fortè tunc erat ad rationem semissis vel dodrantis argenti puri vel regii, nunc autem vix cuditur ad rationem quadrantis vel sextantis argenti regii: quo fit ut si conferatur, vel penès materiam æstimetur, minus dimidio valeat. Hoc autem perquam iniquum esse in fortioribus terminis arguit exemplum illud Romanæ Reipublicæ suprà *num. 756.* ubi tam repentina, tum maxima, tum verisimiliter non diu duratura erat intrinsecæ bonitatis diminutio, sive ut prælatiùs loquar, approbatio nummi diminuti: tum longè major diminutio, utpote de asse ad sextantem & uncjam, hic autem tantum de asse ad semissem, & adhuc non subitò, sed sensim obrepsit, nec spes est quod nova hæc emendetur vel reprobetur, tanquam minoris materiæ, sed potiùs quod tanquam justior deinceps minuatur. Si igitur ibi non licebat petere supplementum veteris bonitatis intrinsecæ, quantò minus hîc, si non licet in reditibus tam justis & favorabilibus ex perpetua datione fundorum constitutis, quantò minus in locationibus pecuniæ constituris, aut alio quovis debito, sive momentaneo, sive successivo.

763. Forsan dices multum referre inter nos & illos, quia in illo Romano exemplo intervenerunt primò justissimæ & ineluctabiles causæ utilitatis & necessitatis Reipublicæ plusquàm extremæ, utpotè post Trasimenensem, deinde Cannensem cladem. Secundo, non solùm Senatus authoritas, sed etiam

totius populi, consensus. Tertiò, raritas exempli, quod mox cessante causa dictæ calamitatis veteri formæ monetæ restituta desiit, nec unquam in ea Republica repetitum fuit. Contraria verò hic omnia, ubi non solùm ignorante & invito populo, sed etiam spreto bonorum consilio, non ob utilitates Reipublicæ; sed quorundam libidine, avaritia, & tyrannide fieri solet identidem intrinsecæ monetarum bonitatis imminutio, & quod deterius est, plerumque post occultam & fraudulentam imminutionem imminet periculum repentinæ abrogationis, tanquam illegitimæ monetæ. Et sic tam ob non publicam & authoratam, sed fraudulentam imminutionem, tum ob periculum reprobationis in totum vel in parte, non videtur minus illegitima moneta, quàm esse pronunciatur in *c. quando, de jurejurand.* quantumvis ex argyrocopio regio (ut ibi) exierit: Quare non esse mirandum, si hic magis ad materiam, quàm ad speciem fallacem vel curtum instabilem attendatur. Consequenter non esse iniquum, sed justum; exigi rationem vel supplementum bonitatis intrinsecæ.

764 Sed ad hanc objectionem respondeo, quòd etiam quantumcumque mutatio vel deterioratio monetæ malum & injustum habeat initium, si tamen nihilominus pecunia deteriorata usu publico comprobetur, eo ipso satis authorata & legitima facta censetur: & sic eit eadem ratio, licet non tam justa, sicut in exemplo Romanorum, & verè politico: Salvo quòd si probabile periculum immineat reprobationis certæ monetæ in totum vel in parte, tum justè recusari potest, tanquam res mox peritura. Non tamen proinde sequitur, quòd æstimatio bonitatis intrinsecæ pecuniæ veteris peti possit, sed solùm quòd potest peti solutio in bona, tuta, & proba moneta, quæ longè differunt. Et sic eodem medio apparet responsio ad circunstantias facti adductas pro parte prima: non enim concludunt nisi specialis adsit circunstantia propter imminens periculum reprobationis, vel aliud justum interesse creditoris de præsenti, quibus casibus non loquimur; sed quando creditor tenax & avidus, cui debitum offertur in pecunia communiter approbata & expendibili, & de qua non imminet periculum, quin commodè tanti locare possit, si velit, causatur diminutionem bonitatis intrinsecæ quæ sensim facto vel conniventia Principum sive justè, sive injustè emersit, hoc demum non solùm inhumanum, sed iniquum nobis videtur, sive ex justis causis ea diminutio emerserit (quo casu nemo sanæ mentis dubitat) sive injustis, quia tunc saltem casus est fortuitus respectu debitorum: imò plusquam casus fortuitus, utpotè communis quædam clades Reipublicæ ab omnibus tanquam in eadem navi existentibus ex æquo participanda & ferenda, non autem mutuò ab altero in alterum regerenda, quod non esset aliud quàm frustrà mutuo lantiari confici: eadem enim damnatio creditori à creditoribus suis, & è contrario imminet. Præterea quum ipsa communis & stabilis approbatio monetæ currentis, licet intrinsecùs deterioratæ, faciat eam in commerciis & omni usu: ad quem pecunia inventa est, veteri monetæ æquipollere, hoc sufficere debet, præsertim cùm non sit inventa ut servetur vel confletur, sed ut expendatur. Nec audiendus est desiderans & exigere volens à debitore pecuniæ utilitatem à natura & æstimatione pecuniæ diversam.

765. Nulla hoc loco jura cito, quorum etiam vim non singulatim deducere, sed quam paucissimis complecti volui in prioribus locis, eo consilio, ne nimia copia legentium ingenia & judicium obruerem, sed ut ea naturalem, & velut apertis Musarum januis omnia quæ ad rem faciunt præcipuè circunstantias historiæ & facti, ex quibus jus & legalis æquitas oriuntur, *l. si ex plagis, §. in clivo. ad l. Aquil. l. bona fides, depositi*, oculis exponerem, & velut in rem præsentem adducerem. Circa easdem circunstantias facti pro hac secunda parte facit, quòd secundum veteres & recentes Constitutiones hujus regni nulli privato licet pecuniam regiam non solùm radere, vel quavis arte levioris bonitatis aut ponderis reddere (quod & jure communi prohibitum est, *l. quicumque, ad leg. Corn. de fal.*) sed nec conflare aut in massam redigere. Et sic non videretur esse in commercio privatorum tanquam massa, sive respectu materiæ simpliciter, sed solùm respectu publicæ indicaturæ, & ad usum commutandi destinatam. Igitur non cadit in obligatione respectu materiæ, sed respectu indicaturæ, quæ consequenter sola attendi debet. Sed certè etiamsi in aliis locis extra regnum sint similes constitutiones (ut puto) non tamen concludunt dominum pecuniæ non esse dominum materiæ, nec posse esse in commercio respectu materiæ, prout nec sunt promulgatæ, ad auferendum, vel limitandum privatis dominium pecuniæ, sed ad coërcendas fraudes, quas quidam faciunt omnes ponderosiores & puriores nummos diligenter conquirendo & segregando, deinde conflando, & colludendo de parte lucri cum inde deteriorem monetam cudentibus, ut quidam à non multis annis deprehensi sunt Lugduni, & convicti bonis malè partis exuti. Unde cessante fraude, nullum est crimen, si quis fortè med cuæ causâ, vel vasculorum conficiendorum, vel inauraturæ, paucos nummos conflaverit, & his quomodocumque conflatis vel fractis, remanet dominus materiæ. Et sic hæ constitutiones non concludunt, sed ipsa publica destinatio pecuniæ & finis principalis & rationes præcedentes concludent. Et hanc secundam partem disertè tenet Joan. Fab. *Authent. hoc nisi, Cod. de solution.* ubi dicit quod si Princeps statuit monetam debiliorem currere pro alia, quòd subjecti servare debent, & quòd satis hoc statuit eo ipso, quòd ordinavit novam monetam cursum habere pro solido & libra, sicut alia fortior currebat: & ita tenendum firmat, sive Princeps peccet, sive non, in quo de conscientia (inquit) viderit ipse. Subdit etiam, quòd Curia Franciæ consuevit statuere & tenere, quòd quando Rex monetam debilitat, recipitur pro sorte, sed quando fortificat, habetur respectus ad tempus contractus: quod ultimum intellige, id est, ad cursum seu valorem impositicium, qui erat tempore contractus: non autem quòd possit deduci æstimatio augmenti intrinseci, si fortè dumtaxat intrinsecùs aucta sit: Hoc enim non vult Joan. Fab. nec loquitur de pecunia dumtaxat intrinsecùs fortificata, quod etiam non solet fieri in Francia, nec alibi: sed loquitur de intrinsecùs & extrinsecùs aucta, & dicit quòd non tenetur debitor solvere, nisi ad valorem scilicet extrinsecum, quod erat tempore contractus. Et quòd ita intelligat, patet ex his quæ idem Joan. Fab. tradit, *Instit. quibus mod. fol. obligat. insi. princ.* ubi ita clarè tenet, & sic in hac secunda parte simpliciter residet. Io. Faber.

766. Ludov. autem Rom. cons. 123. & Geminian. cons. 137. in speciali casu cujusdam reditus annui constituti inter duos Abbates ex homologatione Papæ tenuerunt quod potest solvi in moneta usuali & currenti tempore solutionis, etiam intrinsecùs diminuta, & quòd non tenetur debitor supplere bonitatem intrinsecam, quæ erat tempore dispositionis. Et moventur particularibus quibusdam rationibus, videlicet eo quòd ille reditus debeatur ex statuto Papæ, quod ultimæ voluntati æquipollet, in qua Ludov. Rom. putat speciale esse tempus solutionis attendi: cæterum communem sententiam sequuntur. Sed nihilominus communiter cæteri Doctores etiam nominatim in casu dicti reditus, eos reprobant, ut per Alber. Brun. *tractat. de augmento conclus. ultim. in* 11. & 12. *ampl.* Novissimè verò Hieron. Butigel. in *repetit. d. l. cum quid, & l. quod te, si cer. pet.* tenet solam formam & æstimationem extrinsecam in monetis attendi, & quòd una potest solvi pro alia, nisi aliud actum sit: modò creditor non sit

passurus damnum aliter quàm quòd materia sit diversa. Et in *dict. l. cùm quid, col. 9. num. 28.* animosius dicit, quod etiam plumbea vel de corio (modò publicè approbata) solvi potest pro quacumque pecunia, etiam in auro vel argento numerata. Verùm isdem Butigel. sibi parum constat, quia in eadem repetitione, *d. l. cum quid, col. 10. num. 30.* tenet communem sententiam, videlicet quòd non sit curandum de variatione valoris extrinseci, & quòd mutuum pecuniæ non potest reddi in minori numero & minori materia, nec repeti in majori numero & materia: Et licet ibi loquatur quando certa species monetæ, puta decem aurei debentur, tamen non potest rectè compari cum his quæ prius dixi. Et pariter in repetitione *d. l. cum quid, col. 10. num. 18.* multa comminiscitur, quæ non sunt vera: quid dicendum.

767. Quanquam ex prædictis satis colligi possit secundæ parti contra communem standum, tamen ut semel ab imis rerum fundamentis excutiamus, & penitissimè discussam veritatem eruamus, velut obryzum septies purgatum & exploratum, placet expendere quæ sit ratio intrinsecæ bonitatis pecuniæ, & quænam sit & esse debeat extrinsecæ bonitatis ad intrinsecam habitudo & proportio. Hîc necessariò præmittendi sunt & declarandi aliquot termini, seu voces artis monetalis: & sunt præcipuè quatuor, scilicet primò, materia, quæ consistit in auro, argento & ære. Secundò, probitas quæ consistit in publicè definita qualitate & quantitate dictæ materiæ. Tertiò, character. Quartò, indicatura sive æstimatio. Duo priora ad intrinsecam, duo posteriora ad extrinsecam bonitatem spectant: quoniam ut jucundior & clarior sit explicatio, obiter historiam & circunstantias facti attingamus. Primum tantum tres species complectitur, aurum, argentum, æs, quoniam hæc tria tantùm metalla subintrant. Quanquam enim argento copii in miscendis & secernendis metallis, in liquefiendis & probandis monetis plumbum adhibeant, non tamen incorporatur, sed partim exhalatur, partim separatur. Omnis ergo proba moneta ex ære, argento, vel auro constat, etiam jure civili, ut clarè innuit Ulpianus in *l. lege Cornelia, versi. ead. lege de fal.* ubi vetat usum & commercium nummorum stanneorum & plumbeorum. Innuit etiam Pomponius in *l. 2. §. deinde cùm esset, de orig. jur.* ubi meminit de triumviris monetalibus Romæ, quos vocat æris, argenti, auri flatores, sic dictos, quòd his tribus metallis flando seu flatu calefaciendo, cudunt monetam: quemaddum ad eorum instar in hoc regno Præfecti monetarum, sed plures numero, & in multis locis hujus regni. Sunt enim viginti quinque argentocopia, seu officinæ cudendis monetis destinatæ, in viginti quinque civitatibus hujus regni, literis & notulis Alphabeticis distincta. Quanquam ex Constitutione anni sesquimillesimi quadragesimi in septemdecim tantùm locis (quæ abundè sufficiunt) cudatur. Omnibus tamen & fide & authoritate præcellit argentocopium hujus urbis Parisiensis, cujus etiam Præfecti reliquis præsunt. Habent enim Præfecti monetales Parisiorum cognitionem & judicium pyxidum, hoc est explorandæ probitatis monetarum, quæ in toto regno fabricantur: quod justum & necessarium est ut in toto regno sit idem cuneus, eadem symmetria, forma & probitas monetæ, & adulteratores arctiùs compescantur, & minus fallere queant. Itaque ars facta denarios probare, quæ ut ait Plin. *lib. 33. cap. 9.* tam jucunda fuit olim Romanæ plebi, ut Mario Gratidiano (qui legem rogaverat de ea schola Romæ instituenda) totas statuas vicatim dicaverit.

Termini artis monetalis.

Præfecti monetales.

Ars monetaria.

768. Non tamen intelligas, quòd ex singulis his metallis per se singulæ monetarum species cudantur: nulla enim cuditur ex puro putoque auro: nisi fortè essent aurei librales, velut massa, quales Imperatorem Tiberium Secundum munificentissimum excudisse, & quinquaginta inter alia munera dono misisse ad Chilpericum Francorum Regem scribit Sabellic. Ennead. 8. *lib. 5.* Cæterùm nec argentum, nec plumbum, nec æs Cyprium, nec ullum aliud metallum latiùs diducitur malleo, & numerosiùs dividitur quàm aurum: utpote (ut inquit Plin. *lib. 3. cap. 3.*) cujus uncia in septuagenas & quinquagenas pluresque bracteas in quaternum utroque digitorum spargantur, & super omnia uetur ac texitur lanæ modo, & sine lana, ut ibi subdit Plin. dicens, tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum, seque vidisse Agrippinam Claudii Principis edente eo navalis prælii spectaculum, assidentem ei, induram paludamento, auro textili sine alia materia. Quorum ratio est densitas & soliditas, quæ in auro major est, quam in cæteris metallis, cujus peculiaris soliditatis & densitatis plures sunt insignes effectus. Primus quòd aurum cæteris minus obnoxium est transmutationi, adeò, ut ibi inquit Plin. ut huic uni nihil igne depereat, tutò etiam in incendiis rogisque durante materia, quæ difficillimè accenditur & funditur ab igne: tamen adhibita palea citissimè ardescit, & quo plus uritur, eo plus purgatur. Præterea secundum eumdem Plin. non rubigo ulla, non æruginis, non aliud ex ipso quod consumat bonitatem, minuatve pondus, nec salis, nec aceti succo atteritur. Secundus similis effectus, quòd quamminimùm usu deteritur aurum, cùm argento, ære plumbo lineæ nigræ producantur, manusque sordescant decidua materia. Tertius, quòd cæteris, etiam plumbo gravius est, in quo malè scripsit Plinius in loco prælegato, quòd aurum pondere & mollitie materiæ cedat plumbo: quia experientia docet contrarium, videlicet aurum præponderare, licet plumbum mollius, sed rarius, atque ideo friabilius, & operi minus idoneum.

Aurum textile.

Auri soliditas.

769. Itaque aurum quò purius, eò dilatabilius & mollius: ita ut ex purissimo auro non possint artifices commodè operari subtilia vasa, quia non ferrent attrectationem & usuram propter mollitiem. Et eadem causâ nequeunt commodè cudi numismata ex mero auro: quanquam non sit dabile prorsus merum putum aurum vel argentum: inquit enim Plin. lib. 33. cap. 4. *Omni auro inest argentum vario pondere, alibi decima, alibi nona, alibi octava parte.* In uno tantùm Galliæ metallo, quò vocant *Albiceratense*, trigesima sexta portio invenitur, ideo cæteris præstat. Hactenus Plinius. Cæterùm de antiquis aurifodinis Galliæ & Hispaniæ quæ jam dudum defecerunt, plura ex Strabone refert Budæus, *lib. 4. Assis, lib. verò 3.* ait culmen bonitatis auri esse in quarto & vicesimo cerario ad quadrantem absoluto, id est, ut quadrans tantùm ceratij in tota massa æreus aut argenteus sit, id est, ut nonagesima sexta dumtaxat pars totius massæ sit alterius metalli: & hoc nisi summa & rara industria, ita ut ad bonitatem numeris omnibus absolutam nihil præter dicti quadrantis quadrantem, sive sextamdecimam partem vicesimi quarti ceratii desit, id est trecentesima octogesima quarta pars totius massæ, nulla arte excoqui aut expurgari possit. Et mox subdit, argentum ita decoqui posse, ut nihil præter merum argentum supersit: quod ex diametro contrarium est ei, quod eodem loco suprà viginti lineas melius scripserat Budæus id esse auro & argento commune, ut quantumcunque purum & excoctissimum, semper tamen aliquid habeat alieni metalli quod decoqui non possit, quod verum est. Aurum tamen plenius excoquitur, & ad majorem puritatem reduci potest, quàm argentum. Sed usqueadeo excoquitur auripigmento, ut nullus propter nimium damnum tentare audeat. Est enim auripigmentum, vulgò Arsenicum, summè causticum, & secundùm Dioscoridem, omnia metalla aduritet devastat, demptoauro. Refert etiam Plin. *lib. 33. cap. 4.* Caïum Caligulam avidissimum auri periculum suo damno fecisse, cùm auri cupidine

Merum aurum non est.

Nec argentum.

Auripigmentum.

Aurei librales.

juſſiſſet excoqui magnum pondus cum auripigmento, & planè feciſſe aurum excellens, ſed tam parvi ponderis, ut detrimentum ſentiret, nec poſteà tentatum à quoquam fuerit. Solent autem monetales (ut inquit Brun. *tract. de augmen. conclu. ultim. col.* 3.) in auro æs vel argentum, & ſæpius utrumque ſimul admiſcere certa proportione, ne argentum tantùm immiſcendo aurum nimis albeſcat, vel æs tantùm admiſcendo nimis rubeat. Ideo de eo quod miſcetur aliqui faciunt duas partes argenti, & unam æris, ut color auri minus alteretur. Illud monetales Gallicè vocant (*Alloyer*) ut infrà *num.* 782.

770. Quod ſpectat ad ſecundam vocem, videlicet ad probitatem, ad quam priuſquàm deſcendam, non minus utile quàm jucundum erit paululum digredi ſuper intellectu §. *ſed ſi plumbum*, *l. idem Pomponius de rei vendicat.* Quamvis enim ille textus ſit in ſe facilis & clarus, ſi ſanè ſimul cum ſuperioribus ejuſdem authoris reſponſis conferendo expendatur: veterum tamen gloſſulæ, & Doctorum non tam hiſtoriæ reique metallicæ, quàm legalis æquitatis imperitiâ ſalebroſus & obſcurus effectus eſt, tantumque abeſt ut aduſque ſecuti lucem attulerint, ut magis impegerint. Ex eo autem omnes potiſſimum offenduntur, quòd ille textus experientia repugnante, negare videtur, æs & aurum miſta ſeparari poſſe. Gloſ. autem Accurſ. Jacob. Butrig. Alberi. & veteres ſeſe brevi ſubauditione expediunt, videlicet ſubaudito verbo (facile) tam in primo reſponſo, ubi textus ait deduci poſſe, quàm in ſecundo, ubi textus negat deduci poſſe. Intelligunt enim de facili, quæ ſubauditio ut commentitia, ita perquam frigida eſt: non ſolùm enim non congruit menti & ſcopo legis, ut mox oſtendam, ſed nec experientiæ, nec rei metallicæ, ut notum eſt: & multò minus aliis textibus juris, ut *l. adeò §. cum quis de acquir. rerum do.* & *Inſti. de rerum diviſ. §. cum ex alluvione*, ubi pro explorato habetur vaſa conflata auro, vel argento, vel ære ad rudem maſſam auri vel argenti, vel æris reverti poſſe, & ſic æquè diduci. Bar. autem cum ſequentibus differentiam juris & deciſionis ſtatuit in ſecundo reſponſo, & intelligit miſtum communicari, & pro parte quota indiviſa ſicut res communis vendicari poſſe: conſequenter locum eſſe communi dividundo actioni, quòd non ſolùm eſt textum obſcurare (quod fecerant veteres) ſed prorſus contrarium & oppoſitum ſenſum invehere. Nuper autem Petrus Avellanus cenſuit expungendam negativam, & ſic omnia fore planiſſima: ſed certè expuncta negativa, major quàm antea inſurgit textus ſalebroſitas. tum primò ob naturam adverſativæ, ſed, quæ hic inverteretur: non enim adverſaretur verſiculo immediatè præcedenti, ſed eumdem caſum continuaret. Tum ſecundò, ob reſponſum textus decidentis pro parte eſſe vendicandum, quod prima facie non quadrat: niſi quando facta eſt communio, *l. Marcellus*, §. *fin. eo tit.* quam communionem idem textus ſatis apertè negabit, ſublata negativa. Avellanus autem utrumque præſentis incommodum ut primum diluat, dicit Ulpianum in eo verſiculo referre verba Pomponii cujus authoritate ſententiam ſuam confirmat, & ſic tacitè innuit, quod dictio (ſed) meritò non adverſetur hîc, cùm ſit continuativa & recitativa. Sed certè ſi eumdem caſum recitet, puta, ſublata negativa: non erit aliud quàm ἀφασυλλεξία & ſupervacaneus ſermo. Secundùm verò apertè diſſimulans, ſed occultè præveniendo invertit, dum initio textum ipſum ita ſibi format, & novis ex compoſito punctis interſecat, ut commento ſuo (quod mox aſſuit) congruat: ſed inde major veteris tum lectionis tum ſenſus legis mutatio inſurgit.

Intellectus novus § ſed § plũbum.

Errorum diſpunctio.

771. Noviſſimè verò Alciatus in *l.* 2. §. *mutui datio*, *ff. ſi cert. petatur*, & *parergõn. lib.* 7. *cap.* 4. obiter hunc textus attingens putat (ſubdubius tamen) veteribus facile ſeparari potuiſſe argentum ab auro, ſicut æs ab argento, aurum verò ab ære non item: Si tamen (inquit) vera eſt Pomponii ſententia in hoc textu. Sed hodiæ eſſe artifices, qui vi chryſulcæ aquæ id faciant, ut Mediolani, Venetiis, & in hac Lutetia. Verùm Alciatus hîc non imperitiâ juris, ſed facti, ſive artis monetalis, & metallicæ labitur: non enim per aquam chryſulcam ſeparari ſolet, nec poteſt merum æs ab auro, vel contra, ſed per ignem, ut infrà *num.* 775. Nec eſt novum, ſed antiquiſſimum, tam aurum ab ære, quàm à quovis alio metallo vel materia per ignem ſeparare. Quoties enim Moſes vetuſtiſſimus author meminit puriſſimi tum auri, tum argenti, & conflaturæ vaſorum & ornamentorum Tabernaculi opera artificis, ut *Exodi cap.* 38. & per totum: Ut manifeſta ſit vanitas Plinii qui inventionem auri & conflaturæ refert ad Cadmum Phœnicem, & alios obſcuriores & fabuloſos Authores; quum duobus millibus annorum ante Plin. id vulgare fuiſſe conſtet ex Moſe. Quineriam multis antè ſæculis tempore Abrahæ, ut *Geneſ.* 24. ubi fit mentio copiæ auri & argenti, vaſorumque id genus. Et pulchrè oſtendit Jeremias, dum obſtinationem impiam Principum & populi adverſus verbum Dei carpens alludit ad conflaturam, dicens *Ierem. 6. in fin.* Omnes iſti Principes declinantium, ambulantes fraudulenter, ut æs & ferrum univerſi corrupti ſunt: defecit conflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum: fruſtra conflavit conflator, &c. Et ante eum regius Pſaltes, *Pſal.* 12. *verſ.* 6. *Eloquia* (inquit) *Domini puriſſima, velut argentum incendio à terra repurgatum, & ſepties liquatum.* Et Malachias *cap.* 3. vaticinans de officio Chriſti, quod ſit purgator & expiator. *Ipſe* (inquit) *quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum.* Et Ezechiel *cap.* 24. alludit ad liquefactionem & detractionem æris & rubiginis per ignem. Et aliàs in ſacra pagina paſſim, ut *Proverb. cap.* 17. Idque omnium temporum Hiſtoriæ Scriptaque tam clarè oſtendunt, ut ſupervacuum ſit alios authores citare.

Chriſtus verus purgator.

771. Ego verò priuſquam de his judicium facerem & ſcriberem, peritiſſimos Præfectorum monetalium hujus urbis, & antiquiores aurifices, qui in cauſis ſuis opera mea & conſilio utuntur, conſului, & didici, & partim experiri vidi, non ſolum argentum à plumbo vel ære, vel aurum ab argento, ſed etiam ab ære, quinetiam quatuor hæc metalla, vel alia ſimul miſta ſeparari poſſe, & quotidie ſeparari, non tamen æquali lance; quoniam fortiora metalla minus, debiliora verò magis in hoc conſumuntur: unde maximè omnium plumbum utpotè molliſſimum abſumitur, deinde æs, auri verò minimum deteritur, ut ſuprà *num.* 768. Unde ſi ſint multæ maſſæ ex his quatuor metallis conflatæ (non enim ob modicum pondus accendi ſolet conflatorium ob nimias impenſas) primò ſeparabuntur, & liquefacta per canales colabuntur æs & plumbum ſimul miſta, manente & reſidente adhuc in igne auro & argento ſimul miſto, & interim major pars æris & plumbi, multo verò maxima pars plumbi exhalatur & abſumitur: reſiduo verò æris & plumbi (quod reſervari & colari potuit) igni rurſus injecto, ſeparatur quod colari poteſt plumbi, quod citius liquefit & fluere poteſt: æs autem expurgato, partim colato, partim abſumpto plumbo, ſtatim ab igne extrahitur, non ſine magno intertrimento, plumbi verò longè plus abſumitur. Aurum verò & argentum miſta, & reliquis metallis, ut ſuprà purgata, rurſus alio ingenio ab invicem ſeparantur, deindè ſi opus ſit, ad ſummam puritatem ſeparatim exuffiant (ut eorum terminis utar) ſive reducuntur, quod nolo ſpecialius proſequi nec immorari, niſi quatenus ad plenum & abſolutum hujus §. intellectum opus eſt, quem ut habeas, ante omnia (quod ſemper peculiariter obſervare ſoleo) tota ipſa lex, ſive omnes ejus partes

Metalla ſeparantur.

ejusdem materiæ simul exactè inspiciendæ & expendendæ sunt, juxta *leg. incivile de legibus.* Hic autem quatuor occurrunt continui, §. ejusdem authoris, scilicet Ulpiani incipiendo à §. *Pomponius scribit*, usque ad finem hujus §. *Enimvero l. quo quidem casu* est veluti idonea quædam parenthesis à compilatoribus digestorum interjecta, quæ continuitatem dictorum Ulpiani nullo modo solvit, nec interrumpit. Totus autem & perpetuus sermo hic est de rebus diversorum dominorum confusis vel commixtis, quæ voces licet aliàs differant, tamen in toto hoc textu promiscuè pro eodem accipiuntur. In duobus autem primis §§. videlicet usque ad §. *idem scribit.* loquitur Ulpianus de commistione rerum ejusdem naturæ. In duobus autem ultimis paragraphis loquitur de commistione rerum, quæ sunt diversæ naturæ vel speciei.

Summa. 773. Utque summarium hæc προοίμια expediam, summa est, quòd hæc mista ex ipsa mistione non fiunt communia, nisi uno solo casu, videlicet quando utrinsque misti substantia manet, tamen separatio prorsus & naturaliter impossibilis est: tunc enim vel sola mistio, etiam citra voluntatem dominorum communionem absolutam inducit, ut in §. *Pomponius scribit.* Si enim argentum Titii & argentum Caii mista sint: quia sunt homogenea, & substantia unius substantiam alterius subintrat & penetrat, cùm utrumque sit eadem substantia, impossibilis est separatio etiam naturaliter: sive enim scindendo, sive liquefaciendo, fieri non potest quin in qualibet particula vel gutta sit de argento tam quod fuit unius quàm alterius domini, & hic necessariò massa communis est. Secus si ambo mista sint quidem homogenea (ut duorum frumenta, de prædicamento ejusdem substantiæ) tamen priora corpora naturaliter integra & in priori forma & numero maneant, nec unum penetret substantiam alterius ut naturaliter quidem separari possint, non autem facile vel commodè, quatenus spectat ad commoditatem & usum hominum, ut in frumentis mistis liquet. Hæc enim separandi difficultas vel incommoditas necessariò non infert veram communicationem, cum singula corpora per se naturaliter maneant, ideò non fit communio sola confusione dicti §. *idem Pomponius*, quem nunc voco §. quia non est lex separata, nisi propter dictam accidentalem parenthesim ex Paulo. Idem multò magis, si mista quæ integra manent, & in priori forma & numero naturaliterque separabilia, sint heterogenea, ut frumentum & siligo, vel hordeum. Quando igitur miscentur heterogenea, sive res diversæ naturæ vel speciei, aut non manet prior substantia, sed corrumpitur & transit in generationem tertiæ speciei, & loquitur paragraph. *idem scribit*, ut cedat bona fide specificanti, non autem mala fide, *leg. de eo. §. si quis ad exhibend.* Aut verò manet prior substantia, & loquitur §. *sed si plumbum*, ut non obstante etiam confusione, quisque remaneat dominus suæ materiæ, non solùm si separabilis sit, ut in primo responso, sed etiamsi non sit separabilis, ut in secundo responso; nec erit idem, quod de nullo superiori paragrapho dictum est, quia ibi neutra materia manet, sed utraque in novam substantiam & speciem transit: sed hic utraque licet confusa manet, & tam naturaliter quàm substantialiter, licet non tangibiliter aut visibiliter distincta est: ideo non mutatur dominium. Hic est vetus & literalis sensus.

Conciliatio. 774. Sed triplicis ordinis contraria mirabiliter obstare videntur, Primi ordinis extra hunc textum, Secundi & tertii ex hac eadem litera. Contraria primi ordinis sunt, *l. adeò §. sed etsi sine voluntate d. acquir. rerum dom. §. si duorum in fin. Institut. de rerum divisione, l. arbor. in principio, communi dividundo. l. pro regione de acquiren. rerum domin.* Sed quanquam frigida sint, nec quadrare possint quæcunque glossæ & Doctores omnes hactenus pro conciliatione horum jurium comminiscuntur: nolo tamen nunc tantam ἐκβασιν super hac ἐκβάσει ingredi: multorum enim jurium novam explicationem complectitur, & satis est hic in his quæ rem monetalem aut metallicam concernunt, digredi. Quare conciliationem nostram, in regestis meis tam minutis literulis & notulis scriptam, ut nullius quantumvis lyncei amanuensis (quod jam in quibusdam passus sum) furtum timeam, in novis intellectibus reservo, libenterque experiar, si quisquam alius interim inventum nostrum præripere & prævenire queat, priusquam mihi sit otium primas centurias edendi. Nunc igitur dissolvere sufficiat, quæ ex eadem litera emergunt, incipiendo à facilibori, ibi (pro parte esse vendicandum) hoc enim multis omnino præsupponere videtur rem communem effectam, ut suprà paragrapho 1. *Pomponius scribit*, sed non est ità, quia intelligendum est pro parte, id est, pro rata ponderis seu materiæ, prout textus in simili, *Institut. de rerum divisione, §. quòd si frumentum in fine.* dicit frumentum unius cum frumento alterius mistum non ob id esse communicatum, sed pro modo vendicandum, id est pro parte seu rata quantitatis, habita etiam ratione bonitatis, ut in *d. §. Pomponius scribit, in fin.* cum *l. sequenti.* Non ergo refertur ad partem quotam massæ seu materiæ, cùm non sit communis, sed ad partem contingentem seu spectantem ad actorem, videlicet ad totam materiam suam quæ ante confusionem erat corpus separatum. Restat ultimum & adusque indissolubile contrarium, quòd textus contra experientiam negat æs & aurum mista separari posse. Ego dico facillimum, si quis ad materiam subjectam, scopum & praxim legum respiciat, quæ non sunt factæ, ut sint mathematicæ speculationes, sed ut sint æquabiles causarum decisiones usibus & commodis hominum accommodæ. Dico ergo quod Ulpianus hic non loquitur de divisione vel separatione physicaliter aut merè naturaliter, sed civiliter & utiliter, prout usibus & commodis hominum in praxi congruit. Unde quamvis quælibet domuncula, imò omne corpus & omne punctum sit naturaliter divisibile in semper indivisibilia, ut in libris Physicorum: tamen civiliter quoad judicium communi dividundo, de quo in *hac lege* nulla res dicitur divisibilis vel separabilis, nisi hoc commodè fieri possit, paragrapho *si familiæ*, paragr. *eodem*, *Institutio de offic. judic. leg. 2. fin. regum. leg. ad officium*, *Cod. communi dividundo.* Licet autem ex notatis suprà *num.* 771. constet vel ante quater mille annos in usu fuisse artem conflandi vel separandi quælibet metalla; non tamen id semper commodè fieri potest. Ad quod respiciens Ulpianus, dum in primo responso *hujus §.* loquitur de metallis separabilibus, ponit exemplum in plumbo & argento mistis: Argentum enim originaliter cum plumbo generatur, & eruitur ab argentifodinis, nec ibi invenitur argentum nisi cum plumbo mistum: eruitum autem & pluries ad terram excutiendam lotum & contritum, tandem igne supposito commodè separatur plumbum ab argento. Unde si rursus sive casu, sive consilio mista sint, æquè commodè separantur: quod tamen non est generaliter accipiendum, ut statim dicam.

Solutio. 775. Aurum autem licet originaliter semper habeat aliquid argenti admistum, ut per Plinium *lib. 33. cap. 4.* tamen nihil habet commune cum ære, & admistum æri non minus, imò facilius ab eo separatur quàm ab argento. Sed argentum conservatur, ita æs perit, & vi ignis absumitur, & sic non potest separari ad finem divisionis de qua in judicio communi dividundo. Faciunt tamen aurifices & monetales genus quoddam cementi ex lateribus contusis & medicatis cum argilla, ibi aurum inclusum & viginti quatuor horis igni immissum ab omni ære penitissimè purgatur, nec non ab argento & alio metallo, quæ non

pereunt, sed invenuntur immersa cemento, unde extrahuntur & separantur, modico quidem materiæ detrimento, sed tanto sumptu, ut magis expedrat aurum aliter, puta per aquam chrysulcam, vel per ignem & plumbum, amisso ære, purgari, quam æs conservare tanto sumptu in triplo vel quadruplo excedente æstimationem æris. Rectè igitur negat hîc Ulpianus dividi posse massam ex auro & ære constitentem, cùm sive æs absumatur, non sit divisio, sed peremptio: sive æs reservetur, non commoda, sed damnosa sit divisio. Sic in fortioribus terminis agrum, qui commodè dividi nequit, planè negavit idem Ulpianus dividi posse, in *l. ad efficium, C. communia dividundo.* Non magis enim ea *l.* Alexandro Severo ut authori attribuenda est, quàm Ulpiano ut dictanti vel consulenti, quum Alexandro semper fuerit a consiliis, & scriniorum magister, quem nunc Cancellarium vocant. & præsertim in legibus condendis præfuerit. Quòd autem dixit argentum & plumbum separari posse, id non pro regula accipiendum est, quasi semper commodè fieri possit, sed pro exemplo, quod subinde certo casu verum esse: ut quando plumbum est in magna quantitate, modicum vero argenti, vel argentum stanno, vel alia viliore materia diutum est, nec tam patiens ignis, ut hic parvo sumptu possit fieri separatio, modicoque detrimento materiæ. Secus si multum inesset argenti, vel si alias esset purum, ut majori incendio opus esset, quo plumbum pro majori parte abfumeretur. Et hic nulla est difficultas in hoc textu: non enim ignorabat Ulpianus æs ab auro naturaliter dividi posse, sicut & ab argento, *l. locus in fin. de acquir. rer. dom.* sed hic non ad naturalem, sed ad utilem & usibus hominum accommodam separationem respexit. Erat enim præ cæteris πολυίστωρ καὶ πολυτρόπος, omnumque & politicarum & œconomicarum etiam minutissimarum rerum & scientia & usu callentissimus: ut passim in toto jure leges ejus ostendunt, ut in *l. si equus vinum, de instr. vino, vel alco legatis*, ubi omnia prope infinita genera vini, etiam peregrini & exotici ita novitie ostendit. Ita in *l. scilicet, in l. argentum, de auro & argento legat.* omnium vestium & ornamentorum etiam muliebrium, etiam peregrinorum, & *in leg. quæsitum, de instrel. & instrumint. legat.* omnium rusticorum & domesticorum instrumentorum. Et in *leg. qui pecun. de pecu. legs.* totius rei pecuariæ & in *l. cum aurum, de auro & argento legatis*, omnium specierum auri vel argenti facti vel infecti, & in *leg. sed addes locati*, omnium instrumentorum coloni. Et in *l. 1. de censibus provinciarum, & in omnibus fere rubricis*, magistratuum ubi & potiores & uberiores leges sunt. Ulpianus ait absurdissimum esse dubitare quin scierit æs ab auro artificum operâ duci posse: sed Juriconsulti more ad id quod commodè fieri potest, respexit: prout & *d. l. officium, C. communia dividunde.*

Ulpianus.

Defectio literæ commatis.

776. Et sic concludo verissimam esse, & inconcussè retinendam veterem & literam & punctuationem hujus §. ab omnibus glos. & Doctoribus receptam, quam etiam plurimis vetustissimis exemplaribus olim exactissimè manuscriptis diligenter a me tam in privatorum amicorum scrinis, quam in publicis bibliothecis conquisitis & excussis conformem inveni. Quare colon quod ex suo sensu indidit Haloander post verbum (nequaquam erit dicendum) rejiciendam censeo, similiter & parenthesin, quæ sequentia verba, videlicet (quod in multo dictum esset) inepte & sine ratione includit, rejiciendam, & uno spiritu sine aliqua interpunctione legendum (nequaquam erit dicendum quod de multo dictum est) prout habent omnes libri & veteres & novi. Et multo magis explodendum, quod Avellanus censuit, dictam negativam expungendam, corrumpendo communem, veram & ab omnibus receptam literam. Frustrà verò unius vetuli, & ignoti exemplaris fidem citat, cùm unius etiam vivæ, vel notæ voci credendum non sit, *l. jusjurandi. Cod. de rib. credit.* quanto minus mortuæ & ignotæ? Et multò minus contra omnium & veterum & recentium fidem uniformem & notoriam, quinetiam totius textus series dictæ expunctioni reclamat. Antonius quoque Augustinus, qui Pandectas Florentinas excussit, & diligenter in libris emendatis notavit loca, in quibus in vulgatis nostris libris deest vel abundat negativa, tamen super hoc textu nihil movit. Et pariter rejicienda est nova interpunctio, quam commentus est Avellanus qui hæc verba (pro parte esse vendicandum nequaquam erit dicendum:) eodem spiritu & sensu legenda censet, subjecto commate, sive hypolitginate post verbum dicendum: hinc enim sequeretur multò major eversio textus veteris & communis, quàm per dispunctionem dictæ negativæ. Patet, quia illa negativa respicit factum, & narrativa duntaxat; sed hæc punctuatio respicit jus & decisionem juris, & reddit sensum prorsus oppositum: quia secundùm communem punctuationem, secundùm quam post verbum (vendicandum) punctus est perfectus, sensus est, vendicandum esse pro parte: sed prout Avellanus invertit, sensus est diametraliter oppositus. Omitto, quòd tunc clausula sequens, videlicet (quod de multo dictum est) si per se absolutè staret (ut vult Avellanus) oratio hiulca esset & imperfecta: & sic textus non esset planus, prout secundùm communem literam & punctuationem est planissimus, & in optima & usibus hominum accommoda ratione fundatus, quam noviter ex ipsis rerum experimentis eruimus. Unde magis ac magis palàm fit, quam sit necessaria Jurisconsulto externarum artium & rerum notitia, de quibus leges interpretandæ loquuntur.

777. Succedit secunda lex moneralis, scilicet probitas, in qua versatur tota πραγματεία, & oratio seu definitio bonitatis & legalitatis monetæ: Cùm enim aurum & argentum non possit essentialiter haberi prorsus purum & putum, ut diximus, hæc adhuc ponatur in moneta ita purum, ut communiter fieri & haberi potest, sed aliquid ex industria partim ad tutiorem fabricationem monetæ, partim ad lucrum cuidam admisceatur: & tamen omnis moneta legitima debeat habere certam, publicè definitam & permanentem bonitatem intrinsecam, certumque pondus seu quantitatem materiæ, ad dictæ bonitatis definitionem temperatæ (utrumque enim exigitur, ad hoc ut indicatura sive valor currens certus sit & perpetuus, prout esse debet) necesse est tum certum gradum puritatis materiæ cujusque monetæ, tum dictæ materiæ certum pondus vel quantitatè publicè definiri, quem minuere & excedere non liceat: alioquin non sit proba & legitima moneta. Igitur bonitas intrinseca monetæ, & ejus temperatura, seu proportionis definitio circa duo versatur, & duas partes habet, videlicet qualitatem & quantitatem: quibus terminis præcipue & aptissime utuntur monetales. Prima pars, scilicet qualitas, spectat ad bonitatem essentialem & intentam materiæ, quam monetales aptè interiorem vocant, & ex textu in *l. 2. Cod. de ponderatoribus lib. 10.* ubi nomine qualitatis intelligit hanc essentialem & interiorem bonitatem, quam monetales peculiari ἰδιωτισμῷ vocant (*Alloy*) verbo Gallico aptissimo, ut infrà *num.* 782. Secunda pars, scilicet quantitas spectat ad bonitatem quantitativam seu extensam ponderis, quam monetales exteriorem, id est apertam & parentem bonitatem vocant. Utraque tamen est bonitas ipsius materiæ naturalis & intrinseca, & utramque certis, justis, perpetuis & præjudicatis limbis publicè definitam esse oportet, ut sit justa & legitima moneta, certam perpetuam, & uniformem habens æstimationem, habilemque & commodam functionis usum. Hujus secundæ bonitatis proportionem, quæ per se patet, & sua mole se prodit, monetales nonnullo quam ponderis nomine vocant.

Duæ substantiæ monetæ.

Qualitas.

Quantitas.

778. Et circa hæc sciendum est quòd ut bonitas intrinseca exterior, scilicet quantitatis, dividitur exterius naturaliter in diversos numeros ponderum, ut mox obiter dicetur: ita bonitas intrinseca interior, scilicet qualitatis, dividitur non minus naturaliter, sed interius & intangibiliter in diversos gradus, qui tactu immediatè non percipiuntur, sed magis intellectu, sive judicio sensus communis. Horum autem graduum diversa est habitudo & summitas inter aurum & argentum. Summitas enim hujus bonitatis in auro est ad 24. gradus, quæ ceratio, vulgò caractæ, peculiari & apta χαρακτῆρι vocant. Et sic gradus bonitatis auri habitudo dupla est ad argentum, in quo duo decim tantùm gradus numerantur, quos monetales peculiari sermone Denarios vocant: cujus differentiæ ratio est, non solùm major pretiositas auri, quod tanto minutius dividitur, & parcius trafficatur, sed etiam natura & proprietas auri, tum quòd latius ductitur, & in numerosiores partes spargitur: tum quòd purius excoquitur, & purius ab omni extranea macula repurgatur quam argentum. Et sic ea differentia & labor is, quem non levi, sed gravi solidaque ratione metum sint veteres ἀργυροκόποι, diligenter animadversa est, non solùm ratione, non solùm veritatis & consuetudinis authoritate, sed etiam ne rerum, quæ singulæ artes peculiares habere debent, confundatur. Summa igitur & absolutissima bonitas, & ut specialius & pressius dicam, puritas & probitas auri, seu culmen, & τέλειον est in 24. caractis. Magis enim in hoc placet vulgatum vocabulum caracti, quum sit ad hoc natum & inventum, quam Græcum χαρακτῆρ, translatum ἀπὸ τῶν χαρακτήρων granis siliquarum, quas Itali *carobas* vocant, quanquam vulgatæ nostrum à Græco & Italico non abludat; Græco tamen magis accedit, & ab eo derivatum videtur. Absolutissima vero probitas & culmen argenti, est in duodecim denariis. Rursus singula caracta auri puri, & pariter singulos argenti puri denarios in 4. & 20. grana partiuntur. Et rursus singula grana sub dividuntur in 24. partes quas vulgò vocant *chirobas*, & has rursus per 24. minutissima sectiones, non curo referre: quia ut nimis prolixum, ita minime necessarium. Monetales etiam vulgò non solent nisi his minutiis partium in caractis auri, sed simplicibus nominibus quotæ, puta quarta vel octava, aut alia quota parte caracti.

Caracton.

779. Extrinsecæ verò æstimationis auri ad argentum proportio olim varia fuisse legitur. Hodie tamen fere ubique circiter duodecupla habetur, paulo tamen minor, ut tradit Budæus *lib. 3. Asses*. Idem ferè refert *Glossa in præmium. tit. de aurea.* in verbo, *auream*. Alciatus in *Parad. cap. 4. in fin.* Valet ergo libra auri paulo minus 12. libras argenti, & jam multis annis hæc proportio perseverat in hoc regno: sed ut nulla vel minuta æstimatione auri, eadem circiter proportione augeatur vel minuatur æstimatio argenti. Ut enim anno 1508. uncia auri 16. francis & quadrante, uncia verò argenti 27. solidis & semiss. Turonensibus edicto regio taxabatur. & consequenter marca auri centum triginta, marca argenti undecim libris Turonensibus: ita hodie cum moneta intrinsecè immutata extet, aurum vel argentum factum vel infectum, licet signato ultimo novo super hoc edicto Constitutionis anno 1540. mense Martio taxato est marca auri 165. libris, septem solidis, & 6. denariis Turonensibus; marca verò argenti regii 14. libris Turonensibus & sic manet eadem circiter proportio paulo minor duodecupla, enim ad argentum regium 24 sui parte diluitur. Sed ad merum purumque argentum adhuc paulo minor esset auri proportio: quia si argentum regium valet 14. libras, argentum purum valet ad minus 14. cum dimidia. Sed ut ignarum in authoribus legi minor undecupla proportionem auri ad argentum: quæ proportio olim fuit multis, ut ex comœdia Menandri, quæ Sponsio dicitur, refertur Pol-

Aurum Argento parilatum.

Duodecupla.

lux *lib. 9. de vocabulis*, ad Commodum. Quidam in hoc parum caute erant quod Livi. *lib. 8. 4.* Decad. scribit, in conditionibus pacis Ætolis concessum fuisse, ut si pro argento, quod certis pensionibus solvere Romanis debebant, aurum dare mallent, id eis liceret, dum pro argenteis decem aureus unus valeret. Atqui non loquitur ibi de certa auri vel argenti massa, sed de numinis argenteis & aureis illius temporis, quorum proportio nobis incerta est, cùm eorum nulla essent genera, ut Budæus, Portius & Alciatus restanter, & latius Rober. Senal. *de mensu. & pander. tract. 7.* ut non solum crebrò labantur, sed nonnunquam sibipsis contra liceat, qui incerta & absoluta hæc certò definire tentant, ut usuvenit Alciato. *qui disputat libro 3. cap. 9.* ubi sestertium duas olim libras argenti & semissem valens definit nostra moneta libris 100. plus minus valere: sed postea in annotationibus ad *Pompon. Lætum* scripsit valere circiter 25. coronatos: & sic plus dimidio minus. Herodotus autem scripsit aurum τρισδεκαπλάσιον ad argentum, id est, tredecuplum, sive ter & decies supervaluisse argento. Ex eo, aurem quòd Plinius *libro 33. cap. 3.* scripsit quòd sestertium auri valeret sestertiis vicenis, tempore quo primùm Romæ nummus aureus post ann. 72. quam argenteus, percussus sit. Scitè colligit Budæus *lib. 1. Asses* eam tum fuisse auri ad argentum proportionem quæ est quindecim ad unum. Quæ analogia auri ad argentum non invenitur in Authoribus major, nec multum recedit ab ea quæ fuit tempore Alexandri Severi & successorum, tribus ad minus sæculis, usque ad Justinianum Magnum, & quæ habetur & comprobatur in nostro jure civili, videlicet in *l. quatriennii* quæ est prafati Aurel. Alex. *Cæterùm sit sumptu & præsidio C. Arcarius lib. 10. jubemus. l. jubemus. C. de argen. pretio. lib. 11.* quæ est Const. & *Summa*, quæ est Arcad. & Honor. *C. de vetta. auro. lib. 11.* Ex quibus evidenter colligitur argentum ad æs centuplum fuisse, hoc est, libram unam argenti 100. libras æris valuisse, dextantem autem unciæ aurei valuisse libram argenti: & sic libra auri valebat 14. argenti libras, & ferè dimidium, videlicet illas partes ex quinque partibus facientibus totam libram argenti; & sic diminutè colligit Ant. August. emendationum *lib. 2. cap. 8.* libram auri tunc æstimatam argenti libris 14. sescuncia siliceo, quæ mox valebat 14. libras, & 4. uncias, cùm quarta quæque pars unciæ. Patet, quia libra auri 12. solidis aureis æstimabatur: & sic erant sextulares solidi, pars scilicet quorum sex conficerent unciam, & 12. unciæ, sive 72 solidi libram Romanam. Igitur 72. solidi aurei jam valebant adæquatè 14. libras argenti, cùm 72. solidi valerent libram argenti, *Hotomanno*, duo vero reliquos solidi valebant selibram argenti, dempta scilicet libra tantùm. Sed ex regestis monetalibus apparet olim quandoque in hoc regno adeò rarum argenti evituisse aurum, ut non valeret nisi 8. marcas argenti: quandoque adeò rarum factum, ut valeret 19. libras argenti: quæ extrema mutatio non solet accidere nisi simili quando Principes cauponationem rei monetalis aburuntur ad quæstum: olim legibus sacratam constat.

780. Ex quibus de libra ponderali, quæ multiplex est, incidit sermo, simul ut de ratione ponderum, quatenus ad rem facit, videlicet ad 12 partem bonitatis nummariæ (quæ est quadrantas) breviter disseramus, notandum triplicem esse libram. Prima Romana & Græca, quæ 12. unciarum est, sicuti & in jure nostro. Uncia vero habet 8. drachmas seu grossos. Drachma vel grossus habet tria scrupula, quæ vocant tritos. Scrupulum autem vel denarius duos habet obolos: & sic libra sive as vel pondo habet 12 uncias, seu 96 drachmas vel grossos, seu 288 scrupula vel denarios, seu 576 obolos. Hanc libram priore loco dixi Romanam, quia vox Romana est, sed postea & libram & unciam simul cum influxu aliis vocibus Romani Græci una cum imperio Romano à tempore Constantini magni acceperunt: τὸ γὰρ enim τ. libra,

Tredecupla.

Quindecupla.

Octupla. Sexdecupla.

Libra Romani & Græca.

Legalis.

&

acceperunt, λίτρα enim i. libra, & ὐγκία i. uncia, verba Romana sunt: quemadmodum infinita alia juris nostri civilis vocabula, quæ commemorare non libet, unà cum jure nostro civili receperunt Græci, maluerunt que ea facilioris & doctrinæ & commercii causâ in linguam suam paucis literis corruptis, eodem ferè sono quadam ἐπιεικείᾳ utcunque deflectere, quam nova vocabula fingere, vel è ditissima sua lingua ἰσοσυνόμοις accipere, ut patet in Novellis Justiniani & in Institutionibus Theophili, & ὁ κεφάλαιος, hoc est manuali seu enchyridio juris Constantini, & aliorum Græcorum Jurisconsultorum scriptis. Cæterum ab antiquo etiam Græci hac libra & partibus suis utebantur: quin etiam Medici, non solùm posteriores Latini, sed etiam priores, eorumque didascali Græci, hac libra & partibus suis utebantur, non solùm in ponderibus, sed etiam in mensuris compositionum suarum, ut Galenus *lib. 4. de sanitat. tuend. in compositione diacalaminthes & abietis.* Dioscorides in *lib. de mensur. & ponderib.* & ex recentioribus Georgius Agricola Medicus doctissimus *lib. 5. de mensuris & ponderib.* Jacobus Syvius Medicus peritissimus, & publicus hujus artis Professor in hac urbe *de medicamentis simplicium natural. lib. 3.* Secunda libra est Gallica, quam regiam vulgò vocant, quâ negotiatores, & omnes qui merces appensas venditant, utuntur, quam Budæus lib. 3. Assis, zygostaticam rectè vocat, quæ 19. uncias habet, & hic sesquitertia est ad libram Romanam & Græcam: hujus zygostaticæ centupodium Galli vocant *Quintal*, quod centum libras Regias pendet sive ducentas marcas, Tertia libra est Monetariorum, Campsorum & Aurificum, quam Marcam vocant, quæ est octo unciarum, & sic est semis regiæ nostratis libræ, & bessis Romanæ. Hac ultima libra seu marca in re monetaria vel campsoria, & ubi de ornamentis aut vasculis aureis vel argenteis tantum agitur, non solum in hoc Regno utuntur, sed etiam Mediolani, ut refert Brunus *tract. de augment. conclus. ult. col. 3.* & etiam ubique. Sed interim non omittendum, quod vulgò apud nos verbum (libra) ubi de nummis & nummorum quantitate agitur, non accipitur pro aliqua libra ù ponderalium ex tribus prædictis, nec pro libra aliqua mensurali, sed pro libra numerali, videlicet pro certo nummorum numero: & hæc nummularia & numeralis libra est 20. solidorum duo denariorum.

Libra Gallica, seu Regia.

Libra monetalis seu marca.

Libra vulgaris numeraria.

781. Itaque variè libra accipitur, & cavendum ab æquivocatione, non solùm in recentiorum, sed maximè, si fieri queat, in antiquorum scriptis. Et placeat quod censet Budæus noster *lib 4. Assis*, non ubique in voluminibus juris, auri argentique libram eodem modo exaudiendam, nec semper pro justa ponderali libra duodecim unciarum accipiendam, sed pro paucorum nummismatum numero, longè minoris æstimationis. In quam sententiam ultra ea quæ adducit, impellor per *l. fin. C. de cupress. lib. 11.* ubi in singulas novellas cupressi, luco Daphnensi (ubi erat asylum, unde Onias dolo extractus & occisus est ab Andronico 2. *Machab. 4.*) vel littori Antiocheno implantatas, decernuntur ei qui plantavit singulæ libræ auri 25. vero librarum auri mulctæ in eum, qui vel unam cupressum è sylva tulerit. Nulla autem esset neque pretii neque pœnæ proportio, sed plus quam centuplus excessus, si intelligeretur de justa illa ponderali libra, quæ 72. solidorum aureorum, quorum sex uncias auri faciunt, esse definitur in *l. quotiescunque, de suscepior. præpos. & area lib. 10.* C. Pleraque hujusmodi passim in jure occurrunt, quæ brevitatis causâ, omitto. Definitionem igitur *d. l. quotiescunque*, in materia demum, in qua loquitur, videlicet ubi agitur de massa auri, vel ubi aliàs de hoc clarè constat, observandam puto: non autem aliàs, ubi non de massa, sed de nummis, seu de quadam pecuniæ sive aureæ vel argenteæ summa agitur, cum id temporis secundum omnes varia, & variæ æstimationis aureorum & argenteorum genera fuerint. Consequenter verisimile est vulgò tum in usu fuisse libram quandam nummularem numeralem certorum nummorum, quemadmodum hodie in usu est ubique, & à quingentis annis in usu fuisse legitur vulgaris nostra libra nummularia, quæ est 20. solidorum duodenariorum. Quanti autem sint veterum illa numeratis libra, & cujus proportionis cum moneta nunc currente, nondum inveni à quoquam inventum & detectum fuisse: nec probat Budæus quod definit circa tempora Justiniani libram auri staterem aureum fuisse non magni ponderis. Satis autem probatur libram illam vulgatam numeralem longè minorem fuisse justa & ponderali, de qua in *d. l. quotiescunque*, sed quantò minor fuerit non liquet, nec in quantitate, nec in qualitate, nec in indicatura seu extrinseca æstimatione. Quamobrem doctæ illæ & elaboratissimæ veterum auri & argenti librarum ad horum temporum monetam æstimationes Robert. Senalis Abricensis Præsulis *de mensur. & ponder. tom. 5. & 7* ubi libram auri, ducentas libras & 30. solidos Turonenses, libram vero argenti, 16. libras & totidem solidos Turonenses, & 20. libras auri, quater 1032. libras valere censet, non sunt temerè ad pœnas, mulctas vel appretiationes, quæ passim in jure nostro civili certis auri argentive libris definiuntur, extendendæ.

Roberti Senalis.

782. Redeundo ad rem de ponderibus materiæ, seu quantitatis extensæ prædicta abunde sufficiunt: plures alios ponderales terminos sciens omitto, utpote magis onerosos quàm necessarios ad plenam hujus materiæ intelligentiam. Sed valdè operæ-pretium est diligenter discernere hos terminos & numeros ponderum bonitatis exterioris seu quantitatis extensæ, à terminis & numeris graduum bonitatis interioris seu qualitatis de quibus suprà *num. 778.* quæ non ineptè dici potest quantitas intensa, alioquin his confusis sequeretur inextricabilis error. Ponuus enim & mensura bonitatis extensæ nihil de se commune habet cum gradibus vel mensura bonitatis intensæ: quia simile est, si quis meracissimum vinum dicat esse 12. graduum, & sic absolutissimæ puritatis, vinum autem ad æquilibrium aquâ mistum esse ad sex gradus, id est dimidio purum: vinum autem cujus tertia pars est aqua, esse purum ad octo gradus, vel ad decem gradus, in quo sexta tantum pars est aqua. Hi gradus nihil habent commune cum mensura ipsius liquoris, sive sit dolium, sive sextarius, sicut nec cum pondere, si quis fortè liquorem appendere vellet: quia eadem est symmetria in qualibet minima gutta. Verbi gratiâ, argentum usque ad 12. denarios purum dicitur, quod est omninò purum, nihil aeris vel alterius metalli habens admistum, quantum tamen per industriam fieri potest: argentum aurem usque ad sex denarios purum dicitur, in quo dimidia tantùm confusa pars est argentum, reliquum ex ære vel alia materiâ. Argentum verò ad decem denarios purum, hoc est ad dextantem, videlicet quando sexta tantùm pars est de alio metallo, & sic de aliis. Item attendendum, quod à Monetariis & Aurificibus multiplex dicitur argentum.

Gradus quantitatis.

783. Crebriùs autem tres faciunt species, quoddam argentum Regium, quod semisse denarii dilutum est, 11. denarios, & 12. grana puritatis habens, & 12. tantum granis distat à culmine, & istud vocant etiam argentum Parisiense: cum enim de Parisiensi loquuntur vel pacisuntur, de isto intelligunt. Quoddam vero cineraceum, quod purius est: & inter cineraceum Parisinum solet esse præstantius, & sex granis seu quadrante denarii duntaxat distat à culmine: non quin quandoque sit purius aut dilutius, sed quia quando de cineraceo Parisino convenit, de isto

Argentum regium.

Cineraceum.

Merum. intelligitur, quod est 11. denariorum, 18. granorum, quæ est definita cineracei Parisini probitas. Quoddam purum, scilicet merum putum, Gallicè vocant, *Argent fin*, & istud semper est 12. denariorum, id est, ad summum gradum puritatis. Argentum autem quod est dilutius Regio, videlicet infra duos denarios & semissem, dummodò tamen ad minus sit decem denariorum, vocant argentum simpliciter, quasi minimum & infimum, prout appellatione simplicis in dubio intelligitur de minimo, *l. nummos. de leg.* 5. Si igitur convenerit de argento simpliciter, debet ad minus esse decem denariorum probitatis, ut sextans dumtaxat massæ sit æreus, vel alterius materiæ: quod si dilutius sit, non vocatur argentum, sed vulgari Gallica voce *Billon*. Et est communis modus loquendi aurificum & monetariorum, cui standum est. Budæus autem lib. 5. Assis, dum dicit argentum ad summam bonitatem excoctum, quo purius inveniri non possit, esse & vocari cineraceum Parisinum, fallitur, sive intelligat illud esse merum argentum, ut dictum est, sive intelligat nullum cineraceum esse purius Parisino, quod est 11. denarios & 18. gradus: ea enim probitas (ut dixi) non definitur, nisi ut de certa probitate intelligatur, quando simpliciter de cineraceo Parisino convenit. Alioquin quandoque invenitur cineraceum, non solùm Parisinum, sed etiam exoticum purius, quod quatuor, vel etiam quandoque duobus tantum granis distat à culmine, quandoque verò distat plus sex, vel circa.

Infimum.

Billon.

Parisinum.

784. Budæus autem non malè sentit argentum vi aquæ chrysulcæ ab auro erutum esse & vocari cineraceum: sic enim meritò vocatur, & cineracei appellatione venit, quia non solet probitatem cineracei quæ est 11. denariorum, 18. granorum, excedere, nec minoris probitatis esse. Tamen non est regularis modus conficiendi cineracei: fit enim regulariter, quando argentum è terra erutum, crebriùs contusum & lotum, igni tandem injicitur, & à plumbo, stanno vel alia materia separatur & purgatur, ut supra *num.* 772. inde argentum à fornace erutum & purgatum vocatur cineraceum. Rursus autem (cum purum putum habere volunt) purgatur, & ad summam puritatem excoquitur, quod Galli vocant, *affiner*, non per aquam chrysulcam, sed per ignem ferventissimum, in vasculis conflatoriis ad hoc compositis, quibus ferventibus immittitur argentum in parvulis vasculis: cumque fervet modico plumbo illito, purgatissimum, & 12. denariorum efficitur, & id vocant argentum copellatum, quod fieri vidi. Sed invenerunt etiam alium modum meri puti argenti conficiendi per aquam chrysulcam, injecto & priùs in ea ferventi aqua dissoluto pulvere, quod Salmoniacum vocant, & citius fit quam per copellam, & æque purum. Aurum autem ad summam puritatem excoquitur per dictam aquam chrysulcam, cujus proprium est officium, & ad hoc peculiariter inventa est: nec non per quoddam cementum medicatum de quo suprà *num* 775. ita ut, quod mirum est, numismata aurea illi cemento immissa, postquam deferbuit, extrahantur in eadem forma & figura, charactere nullatenùs mutato vel minuto, sed solo pondere diminuto, utpote omni ære & argento & extraneo ab auro metallo, veluti per resudationem separato, & à cemento, in quo mistum invenitur, exsorpto. Quod autem Bud. eodem loco putant chrysulcam aquam novum esse inventum nostratis Cointii, non est ita; sed antiquum inventum, & in libris antiquissimis manuscriptis ejus compositionem legi: sed cùm superiori ætate negligentiùs versarentur nùmularii in argento & auro purgando, ut etiã monera argentea nonnihil auri haberet, Cointius primus animadvertit, & penitissimè aurum ab argẽto separãdi author fuit, unde ditissimus evasit.

Copellatum.

Aqua chrysulca.

785. In quantum autem Budæus eodem loco putat cineraceum Germanicum (quod idem cum Parisino regulariter est) esse & ab antiquis vocatum argentum pustulatum, prorsus dissentio: Argentum enim pustulatum dicitur, quod est purum & excoctissimum, quasi purum putumque, ut apud Martialem.

Argentum pustulatum.

Nulla venit a me argenti tibi libra pustulati.

Alibi apud eundem Pustula dicitur ipsa argenti puri massa: & Suetonius in Nerone, Nummum (inquit) asperum, argentum pustulatum, aurum obryzum exegit. Nummo verò aspero nihil aliud, quam tyrannicam & crudelem acerbitatem exactionis intelligit, contra *l. si benè, de usuris*, videlicet inhumaniter & contumeliosè, minis additis carceris vel torturæ, aut alterius asperitatis. Quid autem argento pustulato intelligat, aurum obryzum simul additum exponit, nempe argentum purissimum & meracissimum, velut aurum obryzum purissimum est. Appellatio autem argenti pustulati non convenit cineraceo, etiam Parisino, & multò minus Germanico, sed defecatissimo & pretiosissimo dumtaxat argento. Sed Budæus ansam erroris accepit ex eo quod in annotationib. in *ff. in l. in nave locat.* existimans verbum, *pusillatum*, parum Latinum vel congruum, eo quod usum & praxin aurificum ignoraret, quam Jurisconsultus probè callebat, primò divinavit legendum paltillatum, tandem censuit legendum pustulatum, quod etiam voluit Nebrissensis in Lexico, quos Haloander secutus est. Verum isti quam ariolatricem divinationem tam crebrò carpunt & execrantur in Accurs. in sensu & interpretatione vacillante, longè superant dum sæpè non minori ariolatione, sed audaciori præsumptione tentant, quod Accursius nunquam ausus est, videlicet manum injicere literæ textuali, non solum veterem & communem, sed etiam multis sæculis conformiter receptam literam temerè nimis immutando. Ego diligentissimè excussi quotquot inventre potui in publicis & privatis bibliothecis libros antiquissimos manu scriptos, & in omnibus distinctè & conformiter scriptum inveni, argentum pusillatum, quam lectionem ut antiquissimam & adusque Nebrissensem & Budæum inconcussam, ego & verissimam & omninò retinendam censeo. Porrò licet verbum (*pusillatum*) forsan non reperiatur in eo sensu apud Ciceronem, non minus tamen Latinum est, nec incongruum, sed aptissimum & significantissimum. Merum enim argentum non congruit aurificibus nec vasculariis, præsertim in artificiis subtilibus, sed argentum aliquantulum dilutum aptius est operi. Nec etiam magna moles vel massa ita congruit, sicut argentum in pusillas partes divisum. Istud enim est aptissimum, primò, ad ponderandum: secundò, ad dividendum cuilibet vasculo, vel particulæ vasculi: tertiò ad conflandum vel liquefaciendum quantum & quando oportet, minorique sumptu: ad quæ omnia massa vel moles minus est idonea, ut sensus communis & ipsa experientia docet. Argentum ergo pusillatum (quod est adjectivum à diminutivo pusillo) id est, in pusillas partes divisum, erat tempore veterum Jurisconsultorum, prout hodie quoque est in usu, frequentissimum & congruentissimum, ut inexperientiam suam & hujusmodi rerum insciti am prodant, qui literam hanc textualem corrigere moliuntur.

Nummus asper.

Defensio literæ communis.

786. Tripliciter autem contingere potest argentum pusillatũ dari aurifici: primò, quando argentum nondum est purgatum per ignem, sed è fodina erutũ, & pluries (ut vel mortariis & pistillis, vel molendinis fieri solet) contusum & lotum, præparatum ad fornacem. Secundò, quando jam fornace purgatum fuit, & est verum cineraceum, & in aquam ab igne dejectum est, & in plures particulas & temerarias figuras formatum. Tertiò, quando rursus summè excoctũ est purum putumque factum, & pariter è copella

Argumentum pusillatum triplex.

in aquam jactum & extinctum. Primus modus non congruit aurificibus, præsertim in arte excellentibus: quia bonus artifex non minus posset tale rude argentum purgare, quàm alius: sed non vult operam pretiosiori aurificio deditam in hoc consumere, nec argentum ipse præparare, sed præparato uti; quale non est istud quod primis purgandum est, & à crassiori materia plumbi stannique separandum. Tertius verò modus, etsi congruat, imò necessarius sit, quod aurifex argento mero & purissimo operatur: tamen quia rarior est, minus frequenter congruit. Et sic secundus ille modus est congruentissimus, aptissimus & frequentissimus, & est verum exemplum *d. l. in nunc Saufeii.* Ita enim juxta vetustissimam & communem literam, quam diligenter excussi, legere placet, quamvis Haloander nulla solida ratione legendum velit *Sophei.* Argentum autem pusillatum secundùm primum modum non vocatur à Monetariis & aurificibus argentum, sed Gallicè, *Billon*, ut suprà *num.* 783. cùm sit impurum, & multum infra decimum denarium. Secundo autem & tertio modo vocatur Granallium. Et sic patet quòd granallium non est species argenti, sed nudum accidens, quia per accidens est (ut dixi) quòd sit in illas minutissimas & inæquales partes divisum, & est verum argentum, sive purum, sive cineraceum, ad varia pondera & opera artificum idoneum.

787. Cùm igitur argentum paululum dilutum magis sit operi & frequentius idoneum, meritò emersit species illa prima argenti vicesima quarta parte diluti vel miti, quod ideo Regium, Gallicè (*Argent de Roy*) vocatur, quòd regio statuto ab antiquissimo tempore ea sit & monetali & fabrili argento præfinita puritatis meta & nota, ut duodecim denariorum culmine, non nisi semisse, hoc est, duodecim granis, sive vicesima quarta parte solidæ & absolutæ puritatis absit. Quo fit ut hæc species, videlicet argentum Regium, tanquam os argenti monetalis & fabrilis, in duodecim denarios, velut uncias, dividatur, & denarii rursus dividantur & subdividantur, ut supra *num.* 778. Itaque ex veteribus institutis adhuc hodie non licet apud nos aurificibus & vascularus in artificiis suis (demptis celaturæ junctoris) deteriori argento, quam Regio uti, nec subtilissimi quidem artificii prætextu, etiamsi materiam opus superet; sed ad communem fraudem & imposituram vitandam, jubentur seorsùm materiam, seorsum operam & industriam vendere & æstimare. Verum quia difficile est præfinitam puritatis metam tam exactè observare, quin modicum quiddam excedat, vel desit, intervallum quoddam, seu latitudo eis indulgetur (remedium vulgò vocant) infra quod defectus dictæ definitæ bontatis non imputatur, sed toleratur. Quod si defectus major latitudine concessa inveniatur, mulctantur, vel vasa & opera à visitantibus frangûtur, ut cavetur Constitutionibus de aurificibus editis, quæ sunt in veteri libro viridi archivi Castelleti Parisiensis. Sunt autem duæ antiquæ insigniores, quarum exemplar habeo: prior edita à Philippo Valesio hujus nominis Sexto, cognominis Primo, anno 1343. mense Augusto, qua cavetur, nulli aurifici licere minore argento uti, demptis dictis junctoris, quam Regio, quod definitur esse undecim denariorum & semis puritatis in libra seu marca argenti, & non plus, idque in vasis & supellectili argentea, & potioribus ornamentis: sed in folliculis, lenunculis, claviculis, & similibus accessoriis artificiorum, ut illa accessoria sint duriora & firmiora, indulgetur defectus quinque granorum puritatis in marca argenti, & non plus. Posterior Constitutio edita à Carolo V. ejus nepote, anno 1378. mense Martio, idem omnino statuit & definit, nisi quòd non meminit prædictæ particularis indulgentiæ quinque granorum in accessoriis, sed tantùm generaliter indulget trium granorum puritatis defectum in marca argenti.

Argent de Roy.

Remedium.

788. Verùm aurifices, quod principali indulgentia ultra spem venit relictum erat, pro jure usurpaverunt, nec operabantur argento ad rationem 11. denariorum & semis puro; sed ad rationem undecim denariorum & novem granorum dumtaxat, quod à culmine puri puti argenti quindecim granis, & sic ferè bene unus denarii abest. Sed Constitutionibus editis circa annum sesquimillesimum decimum quintum, intervallum illud seu remedium grano uno restrictum est in opere solido, & reductum ad duos denarios: in appendiciis autem, quas Gallicè vocant (*Menus ners*) ad 4. denarios. Et sic hodie tenentur apud nos reddere vasa argentea ad rationem 11. denariorum decem granorum puritatis, salvis dictis accessoriis, quæ debent esse undecim denariorum & octo granorum ad minus. Aurifices autem servata necessaria puritate argenti, pro reliquo admiscent unum vel duo ex tribus diversis metallis, videlicet æs, sive cyprium, sive caldarium, sive coronarium, & stannum, & plumbum, prout artis & operis ratio exposcit. Argentum enim temperatum ære solidius quidem & ductilius est, sed minus lucidum & speciosum propter æris ruborem, vel citrinitatem: pulchrius verò ex stanno vel plumbo dilutum, sed operosius, quia minus cohærens & solidum est. Plumbum autem Monetarii & aurifices non immeritò vocant cæterorum metallorum Regem: sese enim (quòd quàm verò regium est) impendit & consumit pro utilitate & decoratione omnium aliorum metallorum, quæ purgat, dulcificat & perficit, ut se bonus Rex gerit populo suo. Contrà stannum vocant cæterorum omnium inimicum, quæ amara & acria reddit & inficit. Monetarii vero æs dumtaxat admiscent, sed hi licentiosius à puritate materiæ defecerunt, non Monetalium virorum culpa, qui nihil nisi ad nutum Regis audent, sed Principum facto, qui sive necessitate temporum, sive suis, sive alienis cupiditatibus acti, artem monetalem & reliqua publica, plerumque etiam Rempublicam quasi sui juris habent.

Æs.

Stannum.

Plumbum Rex metallorum.

789. Cùm enim veteribus Constitutionibus eadem puritatis argenti lex esset in re monetaria publicè definita, ad Regium argentum 12. denariorum præcisè, ita ut Rex singularum librarum argenti puri puti 24. partem tantùm lucraretur, super qua impensæ aris prorata dictæ partis argenti detractæ supplendi, & totius monetalis fabricæ forent, prout antiquitus observabatur: eumque tempore Philippi Pulchri, circa medium regni sui, anno 1300. (propter duas incursiones Anglorum & Flandrensium, & ingentes clades regno illatas, & tyrannidem Bonifacii VIII. qui fuit acerrimus hostis Regis, & non solum ut omnes chronographi, sed etiam ut Baldus quoque in *c. 1. col. 1. de natu. feudi.* intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis) deteriorata fuisset intrinsecùs moneta, tandem post multas populi querelas, & indignem illum plebis Parisiensis motum anno 1306. in Stephanum Barberum, cujus delitiosos hortos & domum furens diripuit, quòd is prædives exteris divitibus scelerato invento & exemplo suo author fuisset, ut à pauperibus, quibus domos, officinas, ergasteria locaverant, pensionem exigerent in veteri fortiori moneta, vel ad ejus æstimationem intrinsecam: idem Philippus circa annum 1308. veterem probitatem monetæ restituit, & in usum reduxit ad prædictam antiquitus definitam notam & bontatem argenti regii 12. denariorum, ut ex antiquis monumentis compert. Et est illa mutatio & restitutio, de qua in individuo loquitur Oldradus *quæst.* 249. factum tale est, ubi librariorum errore, temporis data vitiatur. Quod enim ibi scribitur eam restitutionem factam anno 1302. impossibile est, cùm adhuc ea deterioratio fœtveret anno 1306. quo prædictus plebis motus exarsit. Et ex dictis Oldradi apparet deteriorationem illam monetæ enormissimam fuisse, videlicet de duabus partibus, ita ut tres denarii novæ & debilis monetæ non valerent nisi unum prioris monetæ. Et sic verificatur quod Antoninus historiæ, *tit.* 20. *cap.* 8. §. 19. *cum seq.* scribit, dictum Philippum malo quorundam consilio ita alterasse &

Phil. Pulcher.

Monetæ deterioratio.

Restitutio.

falsificasse monetam, ut reduceret ad valorem tertiæ partis prioris monetæ. Addit Antoninus, Philippum bis hanc adulterationem monetæ fecisse, ad ingentes impensas belli, bis magno, sed evanido apparatu coacti, ad Flandrenses opprimendos, & quod ex ea mutatione qualitatis monetarum Rex quolibet die superlucrabatur sex millia Parisiensium, & hac de causa multos mercatores & trapezitas, præsertim Italos in Francia commorantes, ad extremam paupertatem redactos.

790. Testatur autem Oldradus monetam priori bonitati restituram, quod etiam monetalium regesta ostendunt, factum prædicto anno 1308. & aliquot annis perseveravit, sed postea sensim diminuta, ut redacta fuerit ad semissem, videlicet à bisse seu 12. denarii argenti regii, ad sex denarios, deinde ad quinque, postea ad quatuor, & sic ad trientem seu tertiam partem, ut bes æreus sit: novissimè verò pede (ut vocant) subinde mutato, ad tres denarios & sexdecim grana. Portò longè majorem & crebriorem mutationem & deteriorationem fieri comperi in moneta argentea alba & nigra, quàm in aurea: non enim ita de facili percipitur & attenditur in argentea, sicut in aurea: & cum extraneis magis in pecunia aurea, quàm in argentea exercentur commercia, quæ impedirentur, aut maximo regni damno tandem exercerentur, si nimium vitiaretur aurea: consequenter argentea cupiditatibus expilatorum magis idonea est, ad exhauriendum subditum populum, manente exterorum commercio. Sed non est novum monetam sic à Principibus adulterari: inquit enim Plin. *lib.* 33. *cap.* 9. Miscuit denario Triumvir Antonius ferrum, miscuit æri falsæ monetæ. Sic eum infamat, multis alioquin criminibus infamem quippe patricidam, nec ebrium modò, sed ebrietatis professorem & assertorem, qui paulò ante prælium Actiacum jam civium sanguine ebrius, librum de sua ebrietate evomuit, ut refert Plin. *lib.* 14. *cap.* 22. Multis autem antè sæculis Aristoteles, *lib.* 2. Oeconomicôn multa, hujusmodi sordida & tyrannica exempla refert, Philosopho indigna, ut putem librum illum 2. suppositituum esse: nimis degenerat à præceptis & documentis quæ Aristot. tradit in *libris Politicôn*. Plin. autem *lib.* 3. *c.* 3. queritur Principes paulatim imminuisse pondus auri, & Leonard. Pore. *de ponder. & mensur. lib.* 2. queritur quotidie detrahi & de pondere & de qualitate. Multum autem refert id fieri fraudulenter, ut ille Antonius Triumvir, & in *d. c. quanto*, an verò palam & ex publico compacto, ut refert Plin. in *d. loco*. Livium Drusum in tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuisse: erat enim penès Tribunos plebis ex l. 2. 12. Tabularum, signandi nummi potestas, ut testatur Cicer. *de legibus l.* 3. & in exemplo suprà *num.* 756.

Adulteratores monetæ. Ebrietas.

791. Sed non multum referret de pondere & qualitate, modò staret eadem uniformis proportio ubique, & eadem ubique potestas, ut de jure esse debet, *l. ideo de ea quod cert. lo. l. fin. C. de veter. numism. potestat.* Probitas igitur monetæ requirit certam stabilem publicè definitam & qualitatem materiæ, & quantitatem ponderis. Qualitas autem nihil aliud est, quam quantitas intensa, seu gradus bonitatis: monetales nostrate lingua vocant (*aloy*) aptissimo rei subjectæ vocabulo, quod potest accipi ut derivatum, vel ut primitivum: derivatum quidem à Gallico infinitivo (*allouer*) quod in discussionibus rationum frequens est, & significat non temerè, sed seriò consultóque debita subductione facta dati & accepti, sive excessus & defectus ratione habita, probare. Ita hoc Gallicum verbum (*aloy*) non significat simpliciter qualitatem metalli, sed *præstantiorem* qualitatem debitam & lege præfinitam, quasi publicè laudatam & probatam. Aptius autem & rectius accipitur ut primitivum, & significat commistionem sive commensurationem metalli: quæ acceptio frequentior est, & sic ab hoc derivatur infinitivum Gallicum (*alloyer*) quod certa ratione commiscere, temperare, & commensurare metalla significat. Itali & Doctores nostri vulgò vocant (ligam) apta, licet barbara voce, quasi ligamen. Ut enim vult Joan. de Vico mercato in *d. c. quanto, col.* 4. dicitur liga, quando componitur una materia cum alia. Quidam, ut Petr. Bellig. in *spec. principum. rub.* 36. vocant legem, Latino & extenso vocabulo, quasi definitionem sive præfinitionem qualitatis materiæ legitimam. Novissimè Budæus *lib.* 3. *Assis*, vocat indicaturam, sed eleganti verbo abutitur. Indicatura enim est solida & vera æstimatio totius rei, vel quælibet æstimatio voluntaria: & sic propriè bonitatem extrinsecam, seu impositiriam significat, non autem solam bonitatem intrinsecam, videlicet qualitatis: quamquam hæc qualitas non nudum abstractum significat, sed substantiam qualem, certa quantitate definitam. Unde monetales verbo (*aloy*) non intelligunt nudum qualitatis abstractum, vel ideam, sed vel definitionem substantiæ qualis & quantæ, vel ipsam substantiam qualem & quantam: & sic non solum recipit gradus intellectuales, sed etiam verum pondus. Ut dum dicunt unum denarium (*d'aloy*) pendere sexdecim denarios ponderales, vel unum grossum (*d'aloy*) pendere 32. grana ponderalia: & sic de aliis, non volunt aliud dicere, quàm tantam partem marcæ, vel substantiam materiæ puræ, tantum pendere. Vocant autem denarium (*d'aloy*) unicam duodenariam marcæ puræ argenti materiæ, ut suprà *num.* 778. denarium verò ponderis 192. partem marcæ ponderalis, seu meri ponderis, ut suprà *num.* 782.

Aloy.

Liga.

Lex.

Contra Budæum.

792. Et hîc postquam incidit, non gravabor obiter dicere, quòd verbum (denarius) à monetariis quadrupliciter accipitur. Primò, pro vocabulo certi ponderis vel quantitatis extensæ, & sic est 24. pars unciæ octonariæ, sive 192. pars marcæ, & continet 24. grana ponderalia. Secundò, pro vocabulo qualitatis seu gradus bonitatis, vel quantitatis intensæ, & sic est 12. pars integræ, seu totius puritatis materiæ, hoc est marcæ monetalis, materiæ puræ, quæ marca in 12. denarios, velut uncias duodenarias dividitur. Tertiò, pro certa quantitate valoris imposititi seu cursus pecuniæ. Quartò, pro corpore cujuslibet numismatis in genere: Petiam vulgò vocant. Adde quartò & vulgo pro minutula specie monetæ nigræ, denarium vocant, qui in obolum & semiobolum dividitur. Verbi gratia, si Gallicè dicatur fieri monetam *à dix deniers de cours, un denier de poids, à cinq deniers d'aloy, & à six sols huit deniers de taille*, sensus est quod singula numismata valent 10. denarios monetæ currentis, & singula sunt ponderis unius denarii, sive 24. partis unciæ, & singula sunt ad rationem quinque denariorum puritatis, sive habent quincuncem materiæ seu argenti regii, residuum verò materiæ ex ære, & quòd ex libra nummularia seu marca ad prædictam rationem conficiuntur & resultant octo nummi.

Denarius.

793. Nunc adest vox tertia (character) quod est signum publicum, sive publica authoritate impressum & authoratum, ad certificandum publicè & universaliter de probitate qualitatis & quantitatis publicè definitæ, & requisitæ in numismate taliter signato, & consequenter de valore publicè impositi tali numismati. Et sic forma monetæ nihil aliud est quam quædam testificatio veritatis & justitiæ ipsius monetæ, scilicet quòd sit verè substantiæ & justi ponderis, & Princeps vel Respublica imprimens characterem, æquè censetur hoc testificari, sicut ex publico ad hoc deputato sigillo chartæ seu diplomati appositi, ut tradunt omnes etiam Theologi in 4. *sentent. distinct.* 15. & ibi Gabriel, *quæst.* 9. Gravissimè igitur peccant Principes & qualescunque, qui de qualitate vel pondere debitis subtrahunt, & enormissimam omnium falsitatem committunt, nisi prius publicè consensu populi, alia probitatis in qualitate & quantitate nota definiatur. Cùm enim nummus omnia metiatur, ut suprà *num.* 441. & sic generalis omnium mensura

Character.

jure gentium introducta, omnia jura divina & humana, quæ damnant & execrantur falsificantes & mutantes mensuras, damnant & execrantur falsificantes & defraudantes monetas, sive Principes sint, sive privati, ut etiam Thomas Aquin. disertè ait, *lib. 2. de regimin. princip. cap.* 15. Nec ad rem pertmet, si quidam adulatores nugentur pecuniam esse Principis: non enim est postquam expensa est, & adhuc priusquam de argyrocopio exeat, ipsa probitas definita non magis est illius, quàm quælibet regia mensura. Igitur nec hanc, nec illam pro libito deteriorare aut mutare potest, nec est minor perfidia quàm proprium sigillum vel syngraphum falsificare vel negare. Omnium autem fraudationum & cauponationum monetæ nulla terrior & execrabilior est, quàm cùm pecunia semel probata & expensa in totum vel in parte, reprobatur in cursu seu indicatura: tunc enim non solum publica fides & mensura abrumpitur, sed etiam furtum manifestum, non in unum aut alterum, sed in omnes committitur: quod tamen sæpè perpetratum est in hoc regno non solùm ab hostibus, ut supra *num.* 719. sed etiam à nostratibus. Quod improbum καπήλευμα, & sceleratissimum inventum Budæus noster lib. 5. Assis, meritò execratur: nondum tamen septem anni in Armoricis & vicinis regionibus, circiter decem millia pauperum reprobatis quibusdam monetis, quibus vacca inscripta erat anno 1538. hac scelerata arte fame necata sunt.

794. Non nego quin quandoque causa incidat certam moneram mutandi vel reprobandi in totum vel in parte: sed qualiscumque ea causa sit, si Princeps eam moneram fecit vel probavit, nullo modo reprobare nec mutare potest, nec cursum publicè semel datum minuere, nisi aliam bonam & æquivalentem monetam det & realiter commutari faciat illis qui monetam, quæ reprobatur, habent: nec sufficeret mensem vel aliud tempus (ut quidam nimis diluto colore facilitare veriti non sunt) ad expendendum indulgere. Quis enim acciperet pecuniam jam post modicum tempus reprobandam? Sed in singulis municipiis præstituendi essent argentarii, qui de publico & sine ullo commutantium sumptu, bonam & puram monetam pro reprobanda dare tenerentur, non ad modicum, sed ad tam congruum tempus, ut omnes indemnes redderentur. Idem si Princeps non cuderit, nec dederit eam monetam, sed recipi & expendi pro bona, publicè & scienter permiserit, & sic ipso facto semel approbaverit, & approbari à populo permiserit. Non enim debet fidem publicam irritam facere, nec fortunis subditorum insidiari: sed eos non solum tutorio, sed etiam paterno affectu, ab omni damno vindicare. Plus dico, quòd etiam si cura ullam approbationem, sed per errorem fraude quorundam falsariorum reproba moneta irrepserit, & sparsa sit, quam inhiberi & reprobari oporteat, debet Princeps subvenire deceptis, qui falsam vel adulterinam monetam ignoranter receperint, aliam bonam & probam de publico reddendo. Cum enim commoda confiscationum hujusmodi falsariorum habeat, præter commoda publicæ monetæ justum est eum ferre incommoda, *l. secundum naturam de reg. jur.* Saltem hoc indubitatum est, quòd pro rata bonorum, quæ inde sibi confiscantur, tenetur læsis satisfacere, text. in *l. 2. de cap. diminutione*, in *l. 2. C. ad leg. Jul. de vi publ. l. si ut proponis, C. de bonis proscriptor. l. si ademptis, C. de sententiam passis.* Quanquam autem Romani, qui initio erant manipulus paltorum & fugitivorum, & hominum novissimi, non fuerint statim usi proprio ære signato, sed tantùm ære gravi, id est rudi & ponderali; fere ut olim Lacedæmonii ferro rudi molis ineptæ, post accensionem aceto extinctæ, ut Plutarch. in vita Lycurgi) nisi sub Servio Tullio sexto & penultimo Rege, sub quo æs signatum, deinde argentum signatum, quinque annis ante bellum Punicum, & post sexaginta duos annos aurum signatum, ut testatur Plinius *lib. 33. cap. 3.*

Æs grave.

795. Tamen cæteræ gentes etiam duobus annorum millibus ante Romanos vel argento signato usæ sunt. Theseus enim, qui regnavit Athenis temporibus Iudicum Israël, plus mille ducentis annis ante Christum natum, nummum bovis signo percussit. Porrò inventio nummi non ad Æginetas vel Lydos (ut Cœlius antiq. lection. *lib. 5. cap. 43. & lib. 11. cap. 4.* Alex. ab Alexandro Geniali. dier. *lib. 4. cap. 5.*) referenda est, sed ad primas gentes, quæ communibus commerciis uti cœperunt: hinc in sacris Bibliis Siclorum & argenteorum tam crebra mentio. Est autem Siclus, Hebraïcè שקל, antiquum verbum & numisma Hebraïcum, ut testatur Josephus *lib. 3. Antiquitat. cap. 7.* & Suidas, quo nec Græci, nec Latini usi sunt, ut per Budæum *lib. 4. Assis.* Et secundùm Josephum in loco prælegato quatuor drachmas Atticas habet, & sic est idem quod stater, ut inquit Hieron. Ezech. sive semiuncia & tetradrachmum, quæ idem sunt, ut patet *Matth. 17. ad finem*, ubi Dominus jussit Petro expiscatum staterem dare pro se & illo petentibus didrachma à singulis. Cùm autem Gen. 23. fiat mentio siclorum vel argenteorum transeuntium per mercatores, ut ex Hebræo ad verbum vertit Santes Pagninus: Chaldæus autem Paraphrastes vertit, Argenti quod recipiebatur pro mercimoniis in unaquaque provincia, verisimile est Abrahæ quoque tempore in usu fuisse pecuniam, non solùm argenteam appensam, sed etiam signatam, alioquin commodè currere non potuisset per negotiatores & provincias. Et sæpè sacra vetus scriptura mentionem facit simplicis argenteorum seu nummorum numeri, sine pondere, ut *Genes. 20.* Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, & Gen. 37. Vendiderunt eum (scilicet Joseph) Ismaëlitis viginti argenteis, & alibi passim. Nec solet facere mentionem ponderis propter se, sed ob aliam gravem causam, ut *Gen. 23.* Appendit Abraham ipsi Hephron argentum. Ibi non fit mentio de appensione, eò quòd non pareretur pecunia nisi appensa, sed ad ostendendum majorem legalitatem Abrahæ. Et Esaïæ 46. Qui confertis aurum de loculo, argentum staterà ponderatis: facit Prophera mentionem stateræ, non quando pecunia signata esset, sed ad convincendam furiam idolomaniæ, dum dementati Idololatræ non putant devotioni suæ satisfactum extrahendo aurum & argentum de bursa, nisi illud appendant, ut quò pretiolius, eò sacrius simulachrum conficiant & colant. Ex prædictis verum esse convincitur quod innuit Aristot. *lib. 1. Politicôn cap. 6.* characterem pecuniæ, sive pecuniam signatam & ejus fidem & stabilitatem esse de jure gentium, formula seu figura characteris varia esse possit. Et ad prædicta facit quod *Exod. 30. Levit. ultim. Num. 3. Ezech. 45.* dicitur Siclum sanctuarii viginti obolos habere, ad differentiam videlicet Sicli vulgaris subdupli. Erat enim duplex siclus, scilicet Ecclesiasticus, qui dicebatur siclus Templi seu Sanctuarii secundùm Hebræos, nec erat uncialis, sed semuncialis, ut dixi. Alter siclus vulgaris dimidio minor, qui duas tantum drachmas, & sic quadrantem unciæ pendebat, & decem obolos Hebraïcos valebat. Pariter talentum Templi capiebat centum & viginti libras: prophanum verò, quo vulgò utebantur, sexaginta tantum, id est dimidium. Sic Pollux lib. 9. Siclum talentum duplex fuisse refert, vetus quatuor & viginti nummorum: novum verò duodecim. Plura de siclo, si vacat, legere potes apud Robertum Senalem de vera mensura, ponderumque ratione, tomo quinto.

Thesæus.

Siclus.

Siclus Templi.

796. Sed interim omittendum non est sacrum illud mysterium, quod Exod. 30. figuratur, ubi Dominus jubet omnes Israelitas a 20. annis & supra offerre dimidium sicli, juxta mensuram Templi, sicut ad pondus Sanctuarii, ita ut dives non addat, nec pauper diminuat de dimidio siclo. Quòd enim omnes & divites & pauperes æqua lance cententur, quid aliud

Sicli ἀναλύσις.

significat quàm omnes peccatores esse, & æquè indigere gratiâ Dei, æquè eodem pretio Sanguinis Domini JESU-CHRISTI redemptos, eadem fide salvandos (de electis enim & fidelibus est sermo) nec esse acceptionem personarum apud Deum. Quòd autem jubentur omnes Fideles, non integrum siclum, sed dimidium offerre Deo in sancto, quid aliud repræsentat, quàm omnium fidem & charitatem imperfectam, & quandiu peregrinantur in hoc sæculo: perficiendam autem in cœlo, & interim servos se inutiles semper agnoscere debere? Quòd autem jubentur offerre ad mensuram Sanctuarii, quæ etiam ibi certo obolorum numero specialiter definitur, quid aliud est quàm omnino offerendum, nec vacuos nos & infructuosos esse debere coram Domino (tollitur enim qui non fert fructum, *Joan.* 15.) nec tamen offerenda esse figmenta capitis nostri, etiam quantumcunque speciosa videantur sapientiæ humanæ, quæ stultitia est apud Deum, cui abominatio est quod hominibus excelsum, sed tantùm offerenda esse quæ Deus præcepit, sibique placere definivit, juxta præscriptum verbi sui, quod est verum pondus & mensura Sanctuarii? Quæ ergo præcepit tibi Deus, illa cogita semper, *Eccles. cap.* 3. *nec abeas post adinventiones tuas, quoniam melior est obedientia quam victimæ.* 1. *Reg.* 15. Et rursus quod jubentur offerre in sancta, non de siclo vulgari, sed tantum de siclo Sanctuarii juxta mensuram ejusdem, quod Sanctes vertit secundùm siclum sanctitatis, nonne clarè designat, nos non nostra, seu à nobis profecta offerre posse summo illi omnium conditori Deo: sed tantum ab eo gratis accepta, prout unicuique juxta mensuram fidei dividit & donat? De bonis enim operibus agitur, de vera obedientia mandatorum Dei, & veris fructibus fidei, qui non sunt palmitum, sed vitis, quæ est Christus, *Joannis* 15. ut nemo glorietur coram Domino, sed ab eo recognoscat, juxta illud 1. *Corinth.* 4. *Quid habes quod non accepisti; quòd si accepisti, quid gloriaris?* & *Esaiæ* c. 26. *Omnia enim* (ait) *opera nostra operatus es nobis. Qui ergo sua vel suam justitiam offerre se putant, jam non de siclo Sanctuarii offerunt, sed de sua immunditia pannum menstruatæ, Esaïæ.* 64. Hæc obiter juxta regulam fidei dixisse sufficiat.

Indicatura curtius.

797. Succedit quarta vox, æstimatio sive indicatura, quæ quidnam sit per se liquet. Pendet autem valor iste impositivus non à privata cujusdam, sed à publica dumtaxat æstimatione & impositione. Publica autem æstimatio & valor currens, non à solo Principis in monarchia, vel Optimatum in Republica edicto pendet; sed etiam à consensu & usu populi, & consuetudine commerciorum. Quòd si leges & statuta nisi communi utentium usu comprobata non ligant, ut omnes utriusque juris Doctores probant in *l. de quib. de legib.* in *c.* 2. *de treug. & pace.* hoc maximè verum est in commerciis nummorum, eorumque cursu & indicatura, quæ non est juris, sed facti, & necessariò in usu & commercio universorum etiam exterorum, & omnium, quibuscum communia sunt commercia & jura gentium, consistit. Et quòd sensus populi in his dominetur & jus faciat, multis exemplis probat Budæus *lib.* 3. *& 5 Assis*, ubi refert multa edicta præconalia dirè minantia de usu abrogando probi & recepti numismatis, etiam ab homine minaci & iræ impotentissimæ manantia, cujus tunc ferociæ recta & utilia cedebant consilia, publicum tamen consensum pervincere non potuisse, & jure optimo neglecta esse. Probat etiam sacra pagina *Genes.* 23. eam probatam monetam, quæ transiit ad negotiationem, & in usu publico exstitit: habet enim Hebræum, שקל כסף עובר לסחר ארבע מאות. Id est adverbum, *quadringentos siclos argenti transeuntis ad mercatorem*, ut etiam tetigi *num.* 695. Et sic ibi moneta probatur esse proba & justa, ex eo quòd mercatoribus in usu exitit: est enim pecunia & ejus usus & publica comprobatio juris gentium, ut sæpè probatum est.

Quæ sit proba moneta.

798. Superest videre an & quæ esse debeat extrinsecæ bonitatis ad intrinsecam habitudo & proportio. Et in summa tres sunt sententiæ. Primi præcisè tenent æqualem omnino esse oportere, ita ut tantumdem valeat in massa, quantum in pecunia signata, & expensæ cudendi fiant de publico. Ita tenent gloss. & Baldus in *l.* 1. per illum textum, *de contrahend. empt.* Bart. in *l. qui falsam ad l.* Corn. *de fal. in l.* 1. *de vet. numism. potestat. lib.* 11. *Cod.* & ubique Bal. Lancelo. Deci. *l. non amplius, §. fin. col.* 4. *de leg.* 1. *l. Titia §. fin. de annuis leg.* Curt. *junior. l.* 2. *§.* 1. *col.* 3. *num.* 13. *si cert. pet.* per text. in *l.* 1. *Cod. de ponderat. lib.* 10. Et in hanc sententiam, licet subobscurè inclinare videtur Budæus *lib.* 5. *Assis*, dicens, quòd nisi argentum infectum & numisma pariliratione congruerent, commercia hominum expediri non possent. Secundi post Innocen. in *c. quanto de jurejur.* & omnes Canonistæ ibi censent detrahi posse impensam, quinetiam aliquid ultra, ut cudi faciens modicum non multum lucretur. Et sequitur Imol. in *l. Paulus in fi. de solution.* Petr. Belliga. discipulus ejus in *Speculo Principum* Rub. 36. Phil. Deci. *leg.* 2. *§.* 1. *si cert. petat.* Brun. *tract. de augmen. conclus. ult. in princ.* & est crebrior sententia, in quam etiam inclinant Theologi in 4. *sentent. distinct.* 15. ubi Gabriel Biel. *quæst.* 9. *col.* 2. Tertiò novissimis quibusdam videtur prorsus non referre, ita ut in pecunia nullo modo attendatur materia, nec bonitas intrinseca, sive qualitatis, sive ponderis: sed sola æstimatio publicè imposita, ita, ut possit fieri moneta plumbea, vel de corio, modò sit publicè approbata, & tunc possit solvi pro quacunque pecunia aurea vel argentea, etiam ex mutuo debita: & ita tenet Hieron. Butigel. *repetit. leg. cum quid, col.* 9. *numer.* 28. *si cert. pet.* Sed hæc sententia prorsus irrationabilis est, & ridicula: eadem enim ratione posset fieri pecunia de papyro aut impressoria, quod non minus esset ludicrum & ridiculum, quàm ludus puerilis: & est non solùm contra originem & definitionem monetæ, sed etiam contra experientiam & sensum communem. De origine patet, cùm sit de jure gentium, & sic requirit subjectum delectæ & idoneæ materiæ, quæ in brevi quantitate sit solida & congrui valoris: alioquin non posset deservire usibus commerciorum, nec eumdem usum & valorem & functionem diutius retinere ubique locorum. De definitione patet per *leg.* 1. *de contrahend. emptione* ubi licet gratiâ commodioris & brevioris usus supervenerit signum, ut onere probandæ qualitatis, & ponderandæ quantitatis materiæ defungeremur, ut suprà *num.* 694. tamen non est sublata vetus substantia & materia, nec ejus definitio requisita: quanquam propter fidem publici characteris magis deinceps præbeat usum & functionem ex quantitate imposititia, quam ex substantia.

Moneta plumbea.

799. Sensus etiam communis ostendit necessariam esse aliquam materiæ bonitatem intrinsecam correspondentem: alioquin non posset esse usui ubique locorum, contra *leg. ideo de re, quod cert. loco.* Imò nullibi nulloque modo fungi posset munere pecuniæ publicæ, licet posset esse nomula seu tessera privata, cujus non posset esse usus, nisi inter paucos privatos, ut in certo collegio, quò tesseram afferendo daretur diurnum vel menstruum demensum collegii, vel certa quantitas pecuniæ publicæ. Et qui aliter imaginantur, nihil aliud quàm inane somnium, & ludicram ideam fingunt, quo nil ineptius in Republica politica, ubi non de somniis, nec de umbris quidem rerum, sed de rebus ipsis agitur. Et sic delirat Guido Papa decision. Delphina. 453. dicens tempore captivitatis Regis Joannis factam fuisse & cucurrisse in hoc regno monetam cortaceam: quę est puerilis fabella, anilibus deliramentis similis, imò verum deliramentum: videre enim & discutere volui plura

Refellitur fabula nonnullæ cortaceæ.

regesta Præfectorum monetalium illius temporis, & inveni quòd tunc fiebat & cudebatur in regno multò melior moneta, quam nunc fiat : cudebantur enim aurei pecude villosa signati, Galli vocant, *Moutons à la grand'laine*, quos Budæus, *lib. 3. assis.* dicit nulli aureo bonitate secundos esse, sed primam auri notam obtinere, quorum inventum videtur Budæus, *lib. 5.* eidem Regi Joanni attribuere : sed ex regestis monetalibus comperi, etiam tempore Philippi Pulchri & successorum fabricatos fuisse. Cæterùm moneta argentea & promiscua, quæ tempore dicti Regis Joannis cudebatur, erat duplò melior in bonitate intrinseca, pecunia nunc currente. Sunt qui coriaceam illam pecuniam etiamnum aiolentur in usu fuisse tempore expeditionis & captivitatis Ludovici Noni in Aphrica, sed simile delirium est, & nihil in monumentis publicis aut alio fideli testimonio inde reperitur. Non ignoro quid nullo authore dicat Alexan. ab Alexandro Genial. dier. *lib. 4. cap. 15.* de nummis ex coriis boum, & Scorteis assibus Numæ, quod tam fabulosum est, quàm *adiecta*.

800. Prima verò sententia esset optima, si servaretur : sequerentur enim duo magna commoda in universum : primum, quòd commercia ubique & apud omnes sine collybistarum interventu, & intertrimento collybi (quod cambium vocant) exercerentur : esset enim ubique ejusdem potestatis, prout jure communi cavetur, & esse deberet, *l. ideo de eo quod cert. lo. l. fin. de veter. numismat. potest. lib. 11. C. Secundum*, quoniam omnibus sublata esset materia falsam & adulterinam monetam fabricandi, utpote cùm nulla inde speraretur utilitas, sed merum damnum, cum pecunia formata non plus valeret quàm in materia, & genus humanum defungeretur teterrimo illo nimisque frequenti & prope incurabili morbo fabricandæ fallæ monetæ. Addo tertiam particularem utilitatem provinciarum, in quibus nullæ sunt aut defecerunt auri & argenti fodinæ, ut in toto hoc regno, ubi necesse est argentum & aurum aliunde advehi & mercibus & fructibus, qui in regno crescunt, comparari. Si enim servaretur prima sententia, regnum istud æquè abundaret auro & argento, ut provinciæ in quibus nascitur : imò superabundaret, & tandem tantò majorem vim auri & argenti haberet, & quanto provinciæ exteræ magis indigent mercibus & fructibus nostris, eisque longè minus, quàm suo auro & argento carere possunt : & tamen istud regnum ditissimum factum, non minus mercibus & divitiis naturalibus deinceps abundaret & superfluaret, quàm cùm auro & argento vacuum & debilitatum est. Contrà verò minuendo bonitatem intrinsecam pecuniæ, & quantò indicatura excedit materiam, sive quanto plus valet in forma quàm in massa, fit ut tantò viliori pecunia regnum istud abundet, & sic ut tantò depauperetur minusque potens fiat in auro & argento, quæ tamen jactant esse nervos belli & Reipublicæ. Quantò enim indicatura supervalet materiæ, tanto minus auri & argenti exteri afferunt, & tantò plus mercium & rerum nostrarum minore pretio sumptuve evehunt : & in summa tantò deterius & damnosius pro regno, tantò melius & utilius pro exteris agitur.

801. Viderint ergo quid agant Principes nostri, dum subinde pecuniam dilutiorem & leviorem cudunt : sic enim contra semetipsos & vires regni sui, quas atterunt, moliuntur. Viderint consultores seu potius deceptores, quos meritò sic notat textus in *d. c. quanto.* nec juvat causari lucrum, quod interim hac arte seu præpostera calliditate facit Princeps super singulis auri & argenti libris : ut suprà *num.* 789. dictum est de Rege Philippo Pulchro. Ut enim nil dicam de sordibus & nequitia, & quam malè damno & dedecore dicti Regis & suorum cesserit, & de cladibus hinc regno & populo illatis) simile est ac si imperitus aut infidus vinitor vineam aliquot annis immodico vini proventu exhauriat, & mox effetæ & sterilem reddat. Populo enim divite & florente, fortis & potens est Rex, quod maximè omnium de Rege Galliæ verum & notissimum est. Contrà populi viribus accisis, necesse est quemcumque verum Regem tantò debiliorem fieri : idque omnino in hoc regno ubi notum est veras divitias, verum subsidium Regis, esse divitias & marsupium populi. Quorsum enim abierunt, quid profuerunt quæ Philippus Pulcher corrasit & eruticavit à populo, dum Flandrenses servituti subjicere molitur, & quæ Carolus V. congesta reliquit, quæ mox & eo mortuo, Dux Andegavensis depeculatus est? Ad nihil enim profuerunt, nisi ut novis expilationibus populi magno & regum regni periculo opus fuerit.

802. Ex his patet quàm cæcutiant & fallantur qui nihil referre putant debilem aut fortem intrinsecùs esse pecuniam, modò valor impositivus publicè currat. Ut enim pulchrè inquit Bald. in *d. c. quantum fin.* auctoritas characteris & impositi valoris non est omnibus communis, sed illis tantùm, qui sunt sub eo imperio, & parere tenentur : non autem ligat exteros qui non tenentur recipere monetam, nisi secundum qualitatem materiæ, quæ sola communis est omnibus. Eisdem rationibus patet longè falli eos, qui putant nemini nocere, sed omnibus etiam Regibus hujus regni prodesse valorem extrinsecum augere pecuniæ aureæ vel argenteæ, eadem stante probitate materiæ. Sed adhuc gravius falluntur, qui idem putent, etiamsi non omnes pecuniæ proportionabiliter augeantur, sed altera tantum species, puta aurea, vel hujus speciei specialissima, pura solares aurei, etiam sequendo vulgarem illam adusque communem sententiam, quòd obligatus ad certam speciem monetæ non possit augmentum citra creditoris moram superventum deducere : tum enim fit aperta injuria pauperibus debitoribus, qui tunc non habent de illa specie particulariter aucta, & sic majori sumptu vel pretio redimenda est, ut dixi suprà *num.* 709. Sed tenendo veram & nostram sententiam, quòd illud augmentum deduci possit, ut suprà *quæst. 92. num seq.* tunc sive certa species monetæ, sive omnes augeantur, clarum est quod nulla sit injuria debitoribus vel non habentibus, & multò minus singulis habentibus, sed magis abundare incipiunt. Verum ego dico, quod istud non est nisi ad id quod adest & præsens est brutorum more aspicere, & adhuc non in totum, sed in parte, ubi multiplex fallacia & captio latet. Diluitur ratio nonum impetitorum

803. Ad quam detegendam aspiciamus propius, quidnam sit illud augmentum, & cujus effectus : & omisso quòd augmentum indicaturæ suprà valorem materiæ quædam fictio est. Aut illud augmentum fit de omnibus monetis proportionabiliter, & nemini singulorum quidem ejusdem loci municipum de se prodest, nec nocet : quia eadem vià omnium rerum pretia illicepariter pro ratâ necessariò augentur, *l. 2. de veter. numismat. potest. lib. 11. C. ut diximus sup. num. 716.* cæterùm universis seu Reipublicæ hujus vel similis regni nocet, ut mox dicetur. Aut verò istud augmentum fit de certa specie monetæ tantùm : & tunc quia non propterea rerum pretia illic augentur, prodest quidem non singulis, sed quibusdam, videlicet habentibus illam speciem monetæ tantùm. Atqui commodum istud injustum est, & respectu ejus cui commodat, & ejus contra quem commodatur in singulari, & ultrà toti huic Reipublicæ noxium est. Quòd sit injustum respectu ejus cui & contra quem commodat inter singulos, liquet, quia alter novum & adventitium lucrum sine causa sentit, idque contra concivem, qui æquè merebatur commodo affici à Republica & sine causa damnificatur : & sic ita est quædam inæqualis, temeraria & fortuita distributio commodorum communium. Quòd autem sit noxium universis totique Reipublicæ hujus regni, patet ex

prædictis: quia in effectu nihil aliud est quam aurum & argentum, quo Exteri abundant, & ab eis advehitur, & hi merces alienas caras facere & augere, nostras verò vilificare & diminuere: & sic exterorum commoditatibus, hujus regni incommodis consulere, idque quantò magis non una tantùm, sed plures vel omnes species monetarum extrinsecùs augeantur. Quod autem nonnulli causantur, quandoque è Republica esse, certam speciem puta solatorum augeri, propter magnam circumstantiam facti illius temporis, puta ob ingentem quantitatem à regno exportatam, utque citius & cumulatius reducantur in regnum, tam stupidum est, ut satis demirari non possim vel excitatem, vel sophisticam nimis audacem. Non enim Exteri propter augmentum istud aureorum citius aut plus aureorum afferent, sed minus: & contrà plus mercium nostrarum exportabunt, quantò major erit aureorum indicatura: neque enim aurum gratis afferunt, sed prout mercibus nostratibus egent, nec aliter habent nobiscum commercium. Ex eo autem quòd aurum carius est, non magis indigent mercibus nostris, sed illis tantò minoris æstimant, & tantò plures vilùs evehunt, & tantò minùs auri afferunt & relinquunt.

804. Restat vulgarium nostrorum mercatorum confutanda causatio: ex eo enim vulgus imperitum mercatorum censet è Republica esse, aureorum indicaturam augeri: sic enim fiet (inquiunt) ut mercatura currat, floreat, amplificetur. Nec aliud adferunt aut adferre possunt, quippe qui oculos mentis versos habeant, quæstu proprio omnia metientes: volunt enim dicere, & ita singuli cogitant futurum, ut mox aureis extrinsecùs auctis profundantur à possessoribus: & dum in magno valore sunt, multas pluresque solito merces emant: ipsi quoque mercatores ex aureis, quos & cumulatiùs seu frequentiùs numero, majorique valore consequentur, rursus hinc plures dividendas merces licitari possint, & sic dupliciter lucrentur. Sed primò istud lucrum non respicit totam Rempublicam, sed particulare tantùm quorumdam mercatorum commodum, & sic non est ad rhombum, nec facit ad quæstionem. Secundò, adhuc istud lucrum temporarium est, & cùm mox defecturi, diutiùs flaccessit & jacebit, quàm semel effecturi. Et accepi prapotentem quendam fuisse in hoc regno, qui ut in centum millibus solatorum, quæ in area habebat, superlucraretur viginti quinque millia librarum, suasit, & effecit solatorum cursum de quadraginta ad quinque & quadraginta solidos augeri. Hoc malo sapè laborat Francia, ut sint qui privati commodi gratiâ, tenebras Regibus offundant, veleos falsis & Reipublicæ noxiis opinionibus & effectibus dementent.

Et mercatorum.

805. Et utinam verum non esset quod inter alia id genus scribit Budæus in Asse, initium & fervorem deterioricationis monetarum à Francis (hoc est à paucis in meritò Ordines ducentibus) procedere. Si enim melioris monetæ lex inconcussa in Francia (cujus permaximè interest) servaretur, necesse esset finitimos magno Franciæ commodo eundem melioris monetæ tenorem observare: quam imminuere non audent, nisi priùs in Francia immutetur, alioquin illis commercio rerum Franciæ carendum esset, quibus carere non possunt. Et graviter scripsit Budæus *lib. 3. Assis*, quòd si tam animosè Principes imminutæ monetæ crimina exercerent, melùs cum rebus humanis ageretur, & minùs fallerent adulteratores. Hinc liquet quàm sanctè prudenterque ab antiquo sancitum sit apud nos, ut Dom. præfecti monetales ûm inaugurantur, & rursus annuatim solemni sacramento jurent, nunquam consultare Regi monetam imminuere, hoc est Rempublicam non prodere, Regemque decipere, ut in *d. c. quamvis*, quod etiam multis antiquis Constitutionibus per sanctè cautum legi, ut à Rege Joanne die 28. Decemb. anno 1355. qua inter cætera cavetur ut moneta alba argentea tam proba cudatur, ut è marca argenti non possit confici ultra sex libras Turonenses vel minùs: Et nominatim additur ratio, ne qua sit occasio monetæ auræ pretium seu cursum augendi. Non tamen hæc scribo, quod Exteris invideam commoda & parabilia rerum nostratum, quas natura communis parens non nobis solùm, sed omnibus profert commercia: verùm omnibus etiam exteris ex æquo prodesse laboro, his præsertim qui Reipublicæ bene consultum cupiunt, utque plenìs detecta veritate illis consuli queat, fallaciaque & pleonectica consilia faciliùs devitari: imò nullum exterum puto, qui sit Reipublicæ seu rectæ politiæ amans, id negare. Cùm autem ea sit hominum miseria, ut prima illa melior sententia obtinere non possit, necesse est consistere in secunda, eamque æqui boni facere.

Juramentũ Præfectorum monetalium.

806. Dicimus ergo quòd postquàm non potest haberi æqualis, saltem debet esse congrua extrinsecæ bonitatis ad intrinsecam proportio, quæ non consistit in individuo, sed in quadam latitudine, fines tamen æquitatis & justitiæ non excedente: quia fines sunt commoda, & æqualis, & quantùm licèt perpetua, & stabilis omnium legitimorum commerciorum conservatio & expeditio, & intus & extrà, domi forisque. Super quo duo consideranda sunt, primum, ipsius proportionis certa & justa determinatio: secundum ejus usus & observantia. Primum spectat ad rempublicam, ejusve moderatorem, cui relinquo. Secundum ad nos & quæstionem nostram spectat, in qua concludo pro secunda parte: Cùm enim ex hypothesi pecunia, in quo offertur solutio, sit probata in materia quàm in forma, & indicatura publicitùs definita & approbata, & sic communiter & efficaciter valeat summam & quantitatem debitam, tenetur venditor recipere, peccat & punibilis est recusando, textus in *l. 1. Cod. de vet. numismat. potest. lib. 11.* ubi Bar. idem in *l. qui falsam Cod. de fal.* & omnes ubique. Quod autem Doctores commenti sunt de exigenda bonitate intrinseca, quæ erat tempore contractûs, error est ex subjectæ materiæ circumstantiis ab eis malè expensis & intellectis. Patet, quia fundantur vel in falsis suppositionibus facti, vel in legibus impertinentibus, & præcipuè in *d. l. cùm quid*, quæ nihil penitùs facit per notata suprà *num. 711.* Et ultrà ea dico quòd Doctores omnes adusque malè intelligunt dictam *l. cum quid*, dum nimis præfractè præcidunt ad eamdem bonitatem essentialem, in eodem graduali numero naturalis qualitatis, quod non est de mente juris, & nulla lege probatur: sed debet ex temperamento legalis nostræ æquitatis intelligi de eadem bonitate proportionali, ut novè probavi & declaravi super *d. l. cùm quid in novis intellectib.* quò remitto, quia nolo sententiam nostram in hac quæstione contra communem fundare in novis intellectibus legum, sed in vivis, receptis & probatis rationibus suprà pro parte adductis, & quæ suprà *num. 694.* & præsertim exemplum illud politicum suprà *num. 756.* est demonstratio est cax. Cæterùm si qui particulares nummi per errorem monetalium, vel opere falsario vel casu inveniantur minores in pondere vel qualitate, quam ex publica & observata definitione monetæ requiratur, isti sunt nummi adulterini & reprobi, qui non sunt admittendi, & de his non loquitur quæstio nostra: sed *l. & eleganter. §. qui reprobos de pign. act.* Nos autem loquimur quando habent pondus & qualitatem materiæ, ex publico compacto & communi usu nunc definitam & requisitam, & sic sunt veri & legitimi nummi, etiamsi tempore antiquo ante publicam diminutionem monetæ non fuissent legitimi: sunt tamen hodie, ergo æquè possunt nunc solvi, sicut tempore antiquo poterant solvi antiqui legitimi nummi.

807. Tota

807. Tota autem epitasis versatur in hoc, quòd fatetur creditor debitum novum de nova pecunia solvi posse, non antiquum; sed causatur antiquum debitum, de moneta, quæ tempore contractus erat legitima, solvendum dumtaxat: non autem de moneta intrinsecùs viliori, quæ tunc non fuisset legitima, nisi supplendo defectum vel æstimationem deficientis materiæ: idque non paucis prima facie non parum urgentibus rationibus. Primò, quia bonitas materiæ est pars substantialis, & saltem æquè principalis monetæ, & sic æquè debita & considerabilis in obligatione monetæ. Ergo sicut creditor potest petere suppleri valorem extrinsecum, etiam publico decreto diminutum, ut *suprà quæst. 92.* contra communem probavimus: ita potest petere suppleri valorem intrinsecum, etiam publico decreto diminutum: quia solo lapsu temporis, vel facto alieno, non debet fieri conditio obligationis deterior. Secundò, quia si moneta post contractum melior facta sit, puta aucto valore, potest debitor augmentum deducere, ut suprà *num.* 759. clarè probatum est contra communem. Ergo si deterior facta sit, putà deterioris materiæ, tenebitur debitor decrementum supplere, & sic eisdem argumentis & rationibus, quibus communem sententiam circa bonitatem extrinsecam stabiliunt. Tertiò, quoniam ex nova pecunia non posset tantum habere auri vel argenti, quantum potuisset ex pecunia currente tempore contractus: ergo sua justè & efficaciter interest, non solvi in nova diversa moneta, sed in antiqua, vel suppleri bonitatem ejus intrinsecam. Igitur *leg. Paulus de solutionib.* Nova enim, tametsi nomine, charactere, & authoritate eadem sit, tamen in materia diversa est, saltem dilutior, minor & vilior: ergo eatenus non potest solvi loco veteris, creditore invito, nisi defectum materiæ supplendo. Sed his non obstantibus, sto in sententia. Non obstat primum, quia fateor materiam publicè requisitam esse de substantia legitimæ monetæ, sed nego æquè principaliter esse: quoniam licèt forma non possit subsistere sine materia eaque idonea, tamen principalior est forma, materia verò minùs principalis. Unde licèt moneta, ut sit fungibilis, & apud omnes transeat, prææquirat materiam ad hoc idoneam, ita ut nec Princeps vel Senatus possit definire materiam ad hoc ineptam: quoniam naturalis ratio vel juris gentium nec Senatus quidem authoritate commutari potest, *l. 2. in fin. de usufruct. ea. re. quæ usu cons.* ut ridiculi sint, qui putant ex corio cudi posse: tamen in moneta facta ex idonea & publicè definita materia, forma ipsa, quæ est indicatura, & valor publicè impositus, præstat, & est potior & principalior essentia monetæ, materiamque trahit & sibi subjicit. Et sic primum objectum non concludit, quia non potest de extrinseco & formali valore argui ad intrinsecam: sicut de principali ad minus principale. Nec ob id variatur obligatio tempore, quia ex quo eadem forma, seu valore æquipollenti formæ solvitur, idem vel tantumdem dicitur solvi, licèt minor vel diversa sit materia: adde notata suprà *num.* 757. Ad secundum eodem modo respondetur, continet enim fallaciam accidentis, & sic argui à diversis, videlicet ab extrinseca ad intrinsecam, quæ sunt diversa, nec sese inferunt. Debet autem sic argui, si moneta esset aucta intrinsecùs, posset debitor augmentum deducere, vel ad æstimationem veteris tantùm solvere, ut decidit Oldrad. *quæstione* 249. ergo ea diminuta intrinsecùs, potest creditor petere hoc suppleri: sed assumptum est falsum, ut mox clarè probavimus, & converti debet argumentum pro sententia nostra. Ad tertium respondetur, quòd illud interesse non est admissibile: est enim idem ac si vino & commeatu interim cariori facto, diceret, non possum de pecunia tantùm vini & commeatus emere, sicut poteram tempore contractus, quod est ridiculum. Ita hîc, licèt non possit tantam massam auri vel argenti comparare ex pecunia nunc currenti, quantam poterat tempore contractus, hoc non est considerabile, etiamsi dicat, quòd pecunia nunc currens non continet tantum auri vel argenti, urgendo intrinsecam qualitatem: quia simile est ac si diceret, quòd conflando, & materiatum ad materiam reducendo, non recolligeret tantum auri vel argenti, quod etiam non est considerabile: tum quia pecunia non ad hoc destinata ut confletur, vel ut per materiam æstimetur: unde de jure non venit appellatione argenti vel auri, ut sup. *num.* 753. sed tantùm destinata est ad expendendum & commutandum, non pro quantitate massæ, sed pro quantitate æstimationis de publico impositæ, quæ est vera forma & potissima ejus essentia: & sic eodem fere modo omnia objecta solvuntur. Demonstratio.

Indicatura potior materia.

808. Sed rursus clarissima demonstratione conclusio probatur, quia diminutio materiæ in nova publica moneta, retentò veteri cursu & valore extrinseco, est verum & effectuale augmentum extrinsecum ipsius materiæ. Quantò enim minuitur materia, servato valore, tantò necessariò augetur valor materiæ. Igitur si creditor velit sibi suppleri defectum materiæ, ut habeat tantùm materiæ, quantum inerat tempore contractus, debet vicissim deducere valoris augmentum, ut non habeat majorem summam, quàm habuisset tempore contractus. Et sic res eodem relabitur, idque vel sensus communis, ipsaque & naturalis & civilis justitia dictat. Et alioquin sequeretur evidens iniquitas, quia creditor respectu ejusdem pecuniæ haberet augmentum, & tamen non pateretur decrementum, contra naturam *leg. secundum naturam de reg. jur.* imò bis eandem summam exigeret, contra *l. bonafides de reg. jur.* Patet, quia si reditus decem librarum Turonensium constitutus ante ducentos annos, à quo tempore pecunia promiscua plus dimidio intrinsecùs diminuta est, ita quòd decem libræ monetæ dicti temporis valerent 20. libras vel plus monetæ hujus temporis. Si igitur hodie posset petere sibi solvi in antiqua moneta, vel ad æstimationem antiquæ, quantum valeret nunc, non deducto superventu valore, haberet in effectu 20. libras, & sic bis summam debitam, quod esset iniquissimum: esset enim idem ac si debitor offerret solvere in aureis solatis, secundùm cursum & valorem hujus temporis, quo publico decreto valerent 45. solidos, & tamen non valet eos recipere, nisi pro valore eorumdem aureorum, qui currebat tempore contractus, quo non valebat fere nisi dimidium. Item si etiam ubi certa species monetæ deberetur, dicendum est superventum augmentum extrinsecum, ut clarè suprà *quæstione* 92. contra communem evicimus: ergo si moneta non sit extrinsecùs aucta, sed publico decreto intrinsecùs tantùm diminuta, si velit creditor sibi suppleri decrementum intrinsecum materiæ, debet necessariò deducere augmentum extrinsecum ejusdem materiæ. Item fac reperiri in arca forte debitoris de solidis, qui currebant ante ducentos annos, certum est per ea quæ diximus suprà *quæstione* 92. *cum sequent.* quod non tenetur debitor hodie de illis solvere, nisi deducto superventò valore extrinsecò, & sic deducto dimidio: quia ex publico compacto valent duplum solidorum hodie currentium, imò jam non sunt simplices, sed superponderales & dupli solidi. Quemadmodum hodie veteres aurei jam sunt plusquàm sesquiquarti aureorum legitimorum hodie currentium, & sic etiamsi pro debito veteri solvantur, tenetur creditor deducere superventum valorem, sive recipere pro aureo & quinta aurei parte, ut suprà probavimus, & ita observatur. Igitur oblata solutione in proba & legitima moneta hodie currenti, sive solidorum, sive aureorum, non potest creditor petere sibi suppleri defectum materiæ, quæ erat tempore contractus: & si hoc posset, saltem non posset nisi deducendo extrinsecum

augmentum, quod etiam probat exemplum illud suprà *num.* 759. Nec audiendus esset creditor, causans mutationem monetæ non esse factam ex tam justa causa, sicut in eo exemplo: quoniam ex quo ita publicè constitutum est, & tanti tutò pecunia expendi potest, sufficit, & parendum est, sicut legi, & communi reipublicæ sorti.

809. Conclusio sic plenissimè firmata ad majorem declarationem septem modis ampliabitur, deinde limitabitur. Amplio primò, etiam in antiquo reditu fundiario: de reliquis enim reditus pecunia constituti non dubitatur per notata suprà *quæstione* 90. sed idem etiam in fundiario per prædicta, & multò magis in cæteris pensionibus vel salariis. Nec est facienda differentia inter dispositionem legis & hominis, quicquid (& malè) dicant Doctores *d. c. quanto*, & in *Clem. fin. de decim.* & ubique post Speculatorem *de oblig. & solut. §. nunc aliqua, in fin.* Quod autem dicit Bald. *cons. pen. & fin. l. 1. in novis de salario*, si pecunia erat diminuta non solùm intrinsecùs, sed etiam extrinsecùs, benè consuluit, quia non esset integra, sed defectiva summa, nisi suppleretur: si autem erat intrinsecùs tantùm diminuta (ut sentire videtur) malè consuluit. Ex his patet optimè consuluisse Lud. Roma, *cons.* 123. & Cenim. in eodem individuo casu, *cons.* 137. & quia pulcher est, & obscurè ab eis tangitur, non gravabor explicare. Ex contractu à Papa homologato monasterium S. Antonii debet dare monasterio Montis Majoris tot possessiones, ex quibus summa mille trecentarum librarum Turonensium annuus reditus percipiatur; & interim, donec tradiderit, debet solvere totidem libras, videlicet mille trecentas annuatim. Tunc autem tempore contractus moneta erat melior, & exinde sensim diminuta fuit intrinsecùs de quarta parte, in tantum quòd 15. solidi veteris monetæ valerent 20. novos, & 100. libræ nummorum antiquorum valerent 133. libras cum triente unius libræ: & contrà, centum libræ in novis nummis non valerent nisi 75. libras de nummis antiquis. Decidunt Roma. & Gemin. quod sufficit solvere dictum reditum de moneta nova currente tempore solutionis, ita quod debitor non tenetur ad æstimationem antiquæ, hoc est ad æstimationem, quam antiqua successu temporis sortita est supra novam: & rectè & juridicè consuluerunt, licèt omnes alii ferè Doctores reprobent, & malè. Et advertendum quòd liber consiliorum Romani passim mendosus habetur, & præsertim in *d. cons.* 123. *in princ.* ibi (licèt in bonitate extrinseca deteriorata) quod est mendosum, quia loco verbi [extrinseca] legendum est [intrinseca] ut patet ex sequentibus in eodem consilio, ubi disputatio est, deteriorata bonitate intrinseca, quam suppleri contendebat creditor, & clarius ex consilio Geminia. Romanus autem non nisi frivolis & falsis rationibus movetur, excepta ratione consuetudinis, quæ est facti, nec necessaria, Geminianus autem ex multis unam tantùm bonam, naturalem & concludentem rationem adducit, videlicet quòd illa pensio erat constituta, habito respectu ad fructus, & in locum fructuum, qui debent percipi ex possessionibus. Sed licèt moneta fuerit interim intrinsecùs diminuta, tamen obligatio fructuum, sive possessionum afferentium fructus tot librarum, non fuit interim aucta, præsertim cùm debitor non fuerit in mora, propter dictam conventionem. Et si ab initio fuissent traditæ possessiones tanti reditus, & posteà fuisset intrinsecùs diminuta moneta, tamen non propterea fuisset auctum pretium fructuum, nec reditus major factus: & consequenter non tenetur debitor majorem summam solvere, nec supplere defectum bonitatis intrinsecæ pecuniæ: sed vera & generalis ratio decisiva est, quam suprà dixi. Quòd si quandoque secùs fuerit judicatum, idem dicendum est quod de communi hactenus recepto errore, qui veritati à nobis detectæ deinceps cedere debet, *c. veritate 5. distinct.* Nec enim exemplis judicandum, *l. nemo, C. de sentent.* nec tam quod Romæ factum est, quàm quod fieri debeat spectandum est, *l. sed licet de offic. Præfid.*

810. Amplio secundò (quicquid dixerit Brun. *tract. de augment. conclus. ult. in* 12. *ampliation.*) etiam in dispositione legis, statuti, vel consuetudinis, ut passim in hoc regno jura dominicalia dominorum directorum, sive chirothecæ, sive equi, vel fructus pro tempore vel mutatione vassalli, vel censuarii debiti, certa summa æstimantur. Non enim potest dominus directus petere sibi dictas summas hodie solvi in æstimatione intrinsecæ bonitatis monetæ, quæ currebat tempore consuetudinis introductæ, vel primò institutæ, & concessionis seu primæ investituræ: sed tenetur accipere monetam pro tempore, quo solvitur, probam & currentem, non obstante diminutione veteris intrinsecæ bonitatis, quæ non est in consideratione, ex quo pecunia publicè probata est, & tanquam proba communi decreto & consensu indicatur & elocatur. Ex quibus patet quàm sit supinus error eorum, qui putaverunt in antiquis concessionibus ad reditum deberi æstimationem dictæ bonitatis intrinsecæ: cùm non debeatur, etiam in concessionibus antiquis in feudum vel censum, in quibus retinetur directum dominium, ut nec in censu quidem solvendo possit exigi. Amplio tertiò, etiam in summa semel solvenda, quanquam semel ab initio tota debita: tamen idem est per prædicta, quia eadem summa est tanta quanta debetur, & quanta ab initio debita fuit: licèt materia monetæ intrinsecùs minuta fuerit, ex quo communi decreto & usu summam seu quantitatem debitam implet. Amplio quartò, etiamsi sit debitum contractum datione pecuniæ, quicquid Doctores in tractatu augmenti & monetarum, & in *d. l. cum quid.* & alibi. Amplio quintò, etiamsi debeatur ex mutuo: quod limito, ut procedat si pecunia fuit expensa pro valore antiquo: secùs si debitor tamdiu servaverit in arca, non utendo, quòd secuta deterioratione intrinseca novarum monetarum, nummi mutuò recepti majoris valoris proportionabiliter facti sunt, ita quòd debitor posteà usus fuit, vel uti potuit in majori valore extrinseco: quia tunc ex quo non ex industria, sed immediatè ex ipsis nummis mutuo acceptis, tamen utilitatem consecutus est, æquum est ut reddat in eodem valore, in quo recepit, per ea quæ simili æquitate diximus supra *quæst.* 92. *num.* 701.

811. Amplio sextò, non solùm quando debetur quantitas in genere, sed etiamsi certa species monetæ debeatur, putà centum grossi, vel centum aurei. Quanquam enim diminuta fuerit materia, tamen ex quo publico decreto, vel communi approbatione factum est, nihilominùs novi grossi & aurei sunt proba & legitima moneta, nec ob diminutionem materiæ censentur diminuti, sed in eodem statu conservati: quia tanti materia ipsa extrinsecùs publicè aucta est, tantidem veteres aurei extrinsecus communiter aucti: quod augmentum extrinsecum deducendum esset, si de antiquis solveretur, per notata suprà *quæst.* 93. Igitur solvendo de novis & probis ejusdem valoris, nihil est deducendum nec supplendum. Amplio septimò, etiamsi non deberur nisi causativè, vel etiam in facultate, ut quando prædium venit sub facultate redimendi, & post multos annos redimitur, cùm interim pecuniæ intrinsecùs deterioratæ sint: quia redimens non tenetur supplere bonitatem intrinsecam, quæ erat tempore contractus, aliquin deducendum esset augmentum extrinsecum ejusdem materiæ eodem modo superventum. Et sic (quamvis Ant. Rub. *cons.* 140. contrarium consuluerit, & malè) sufficit eamdem summam ejusdem valoris seu quantitatis in proba & legitima moneta, tempore redemptionis

inspecto, restituere, sive redemptio facienda sit de quantitate librarum, putà mille vel bis mille in genere, sive de certa specie monetæ, putà mille solatorum: ita tamen, ut in eadem vel simili specie fiat redemptio, juxta notata suprà *quæst.* 91. Amplio octavò, ut idem sit in casu converso, videlicet si posteà facta fuerit moneta melioris & purioris materiæ, eodem tamen valore extrinseco retento, nec aucto: quia debitor solvens de nova & fortiori moneta, non poterit deducere æstimationem intrinsecæ bonitatis additæ, quicquid scripserit Oldrad. consilio 249. & Brun. de augmento, ampliatione 18. Et ratio manifesta est, quia licèt pecunia sit intrinsecùs melior & justior, tamen non pluris constitit debitori, nec accepit pro majori, sed pro eodem imposititio & currenti valore: & augmentum illud intrinsecum, seu melioratio materiæ, non processit de bonis debitoris, sed Reipublicæ quæ communis parens est, & omnibus vult prospicere. Præterea ad quid debitor deduceret, cùm æstimatio materiæ tantò vilior facta sit, & sic augmentatio materiæ decremento valoris ejusdem materiæ compensatur?

812. Advertendum tamen, quòd aut melioratio materiæ fit paulatim & sensim, manente veteri moneta in eodem cursu & valore: & tunc non opus est interim alia provisione, nec licet privatis monetam publicam, hoc est publicè approbatam separare, & meliorem radere, aut conflare, sub pœna falsi, *l. quicunque ad leg. Cornel. de falsf.* Et plenius cautum est Constitutionibus regiis tam antiquis quam novis ut suprà *num.* 763. Aut verò ista melioratio fit in notabili quantitate, ita quòd priores nummi necessariò statum cadunt à bonitate extrinseca, & vilioris pretii efficiuntur: tunc debet Princeps aut Respublica bonam monetam aut decrementum reddere habentibus nummos, facto Principis vel Reipublicæ deterioratos, & eos indemnes reddere, ut suprà *num.* 794. utque in simili justè factum est Romæ in dicto exemplo, suprà *num.* 759. Et ita credendum est fecisse Philippum Pulchrum anno 1308. quando monetam argenteam, quam ante aliquot annos intrinsecùs bessè diminuerat, ad veteris probitatis modum restitui & recudi jussit: alioquin non potuisset illam Constitutionem edere, quàm in dicto *cons.* 249. Oldrad. ut etiam hi qui tempore debilis monetæ contraxerant, tenerentur solvere bonam monetam: præsertim cùm ea mutatio, & deterioratæ reprobatio magna fuerit, ut pote de triente ad bessem, & derepente facta. Et sic multum delirat Brun. ut suprà, dicendo quòd debet haberi quantiplurimi novi supervalent antiquis: hoc enim esset eludere meliorationem monetæ, & publicam ordinationem, & retinere moneram in veteri vilitate. Amplio nonò, non obstante pacto, prout statim dicetur, quia hoc discussione propria indiget. Conclusio sic ampliata limitatur. Primò, ut procedat dummodò offeratur solutio in pecunia, quæ sit proba & legitima in loco ubi debetur, & fieri debet solutio: secùs si solutio debetur extra regnum, vel diminutio intrinseca posteà hic secuta non approbatur nec toleratur: tunc enim pecunia non esset proba & legitima in loco in quo deberetur, prout esse debet. Non tamen debetur tunc præcisè supplementum materiæ: sed debetur moneta proba & legitima currens in loco solutionis, quemadmodum in dubio fieri debet solutio ad mensuram loci ubi debetur, etiamsi diversa esset mensura in loco contractus, dummodò contrahentes mensuram loci scirent, & res non esset de loco contractus ad locum solutionis deferenda, sed in loco solutionis accipienda, ut alibi plenius dixi. Secundò limitatur, ut non procedat, si tempore solutionis immineret de præsenti probabiliter periculum reprobationis cursus monetæ intrinsecùs diminutæ, & dubium esset incertum de satisfactione facienda à Principe, quod non potest esse sine misera labe vel suspicione tyrannidis. Sed hoc casu jam ea pecunia, utpote fide publica & communi destituta, non retinet ampliùs plenam authoritatem, nec vim, nec nomen pecuniæ publicæ & probæ.

Mensura.

813. Nunc unum tantùm *διαπορῶν* discutiendum restat, videlicet si pactum sit, solutionem fieri ad rationem certæ bonitatis intrinsecæ pecuniæ mutuatæ, vel debitæ vel debendæ: & videretur nullam esse quæstionem, sed conclusionem omninò hoc casu limitandam. Primò ex regula generali pactorum servandorum *l. 2. de pact. l. 1. de const. pecunia.* Secundò, quia sive in mutuo, sicut potest mutuari pecunia ad numerum tanquam moneta, respectu valoris extrinseci, ut in dubio fieri censetur, ut suprà *quæst.* 92. ita non videtur dubium quin possit mutuari ad pondus, tanquam massa, respectu solius bonitatis intrinsecæ: quum etiam, in quantum massa, sit res fungibilis & cadens in contractum mutui. Igitur valebit pactum de reddendo pecuniam mutuatitiam in eadem bonitate intrinseca, in tantum quòd tempore solutionis non poterit deduci augmentum extrinsecum monetæ, si quod supervenerit. Nec erit usura, quia illud pactum operatur, quòd censetur mutuata non ut moneta, sed ut massa, & etiam debitor non supplebit decrementum extrinsecum, sed solùm reddet in eadem bonitate naturali, ut in *leg. cum quid, si cert. pet.* Rursus sive in venditione, quis dubitat quin possit domus vendi pro mille aureis certæ conventæ probitatis, quemadmodum pro certa massa auri vel argenti permutari? Igitur in omni contractu & dispositione. Tertiò, valet omnino pactum de certa bonitate extrinseca, putà si quis vendat pro mille aureis ad rationem quadragintæ vel quinquagita solidorum, pro quolibet aureo: igitur æquè valet de certa bonitate intrinseca, quia non est magis de substantia monetæ, quàm extrinseca, ut latè probatum est. Quartò, quia sic omnes Doctores ubique sentiunt, & nominatim Purpura in *d. l. cùm quid num.* 16. pro indubitato habet. Quintò, quia hæc est communis sententia non solùm scholæ, sed etiam fori: ita enim judicatum in pulchro casu, in quo scripsi & obtinui. Placet paucis explicare speciem facti. Anno 1453. inter coheredes convenit, quòd alter cederet portionem suam multorum immobilium alteri, mediante reditu annuo perpetuo, nec redimibili, triginta librarum decem solidorum Turonensium, ad valorem monetæ tum currentis, quæ erat Gallicè *de cinq deniers d'aloy, & six sols huit deniers de taille*, id est, habebat quinque denarios, seu quincuncem puritatis argenti regii, & octoginta nummos, vulgò duodenos, ex marca seu libra argenti, quæ tunc septem libris & decem solidis Turonensibus tantùm væniebat. Actum enim erat de solvendo certo die & loco, sub pœna decem solidorum Turonensium, ad rationem prædicti valoris, pro qualibet hebdomada, qua differretur solutio, sine diminutione reditus, bonis omnibus totius hereditatis nominatim & generaliter hypothecatis: & de his transactiones factæ in hoc Senatu simpliciter homologatæ ad mitantiam partium. Posteà creditor vel ejus legatarius agit contra heredem debitoris & possessorem bonorum hypothecatorum personali & hypothecaria ad reliqua, & continuationem reditus cum pœnis, & obtinuit coram Præfectis libellorum supplicum Palatii, reus appellavit, & licèt nec causas gravaminum dedisset, nec aliquid produxisset, tamen Arresto supremi hujus Senatus, die 24. Martii, anno sesquimillesimo tricesimo tertio, sententia fuit annullata & per idem judicium idem omninò, ut priùs judicatum, exceptis pœnis, de quibus nihil dictum. Et valdè notandum est & memorabile illud Arestum contra hujusmodi pœnas, sed etiam illa pœna non erat momentanea, sed successiva, quæ longè turpior est & odiosior, ut diximus suprà *quæst.* 25. *num.* 237.

Theniæ.

814. Nunc in contrarium non valere prædictum pactum arguitur primò, quia ſicut uſus monetæ, ita definitio probitatis illius, eſt juris publici : igitur pactionibus privatorum mutari non poteſt, *l. jus publicum de pact.* Igitur ſufficit debitam pecuniam ſolvere ſecundùm uſum & probitatem publicè definitam tempore ſolutionis. Secundò in ſpecie, quòd non liceat pecuniam publicam majori vel minori pretio dare vel accipere, quàm ſit publica indicatura : textus eſt in *leg.* 1. *Cod. de veter. numiſmat. poteſt. lib.* 11. Igitur non poteſt fieri pactum in contrarium, ſed non obſtante pacto, debet recipi ſecundùm æſtimationem publicam. Tertiò, non poteſt pecunia publicè ſignata promitti, vel in diſpoſitionem deduci, tanquam maſſa, ſed ſolùm tanquam pecunia : nec poteſt à privatis quantumcumque dominis conflari, vel in alium uſum converti, corrumpendo ſubſtantiam & deſtinationem monetæ publicæ, ut regiis Conſtitutionibus ab antiquo cautum eſt, ut ſuprà dixi *num.* 765. Igitur nullo modo poſſet ſuſtineri pactum de diverſa probitate monetæ à publica nunc currente, ſive pecunia conſideretur ut moneta, ut in præcedentibus augmentis, ſive ut maſſa, ut hîc. Quartò, propter captionem : habet enim pactum illud ſpeciem quamdam alex, quæ ad nihil eſt opportuna, niſi ad inopinatas ſupergreſſiones aluterutrarum partium ; & hic magis expedirè à Republica explodi, quàm admitti, ut ſuprà *num.* 470. Quintò, quia quantumcunque in legato vel promiſſione certa auri vel argenti maſſa deducta ſit, tamen de jure nemo præcisè obligatur ad maſſam ipſam, quinetiam nec ad pecuniam ejuſdem materiæ & bonitatis conventæ : ſed liberatur dando æſtimationem in qualibet proba moneta uſuali & area, per textum in *l.* 1. in *fine leg. cùm certum, l. cùm aurum, §. proinde de auro, & argent. l. ſi quis argentum in princ. Cod. de donat.* Si igitur certa auri vel argenti maſſa non poteſt deduci in obligationem præciſam, multò minùs certa qualitas, ſeu potiùs intenſa quantitas : præſertim in moneta publica, quæ non videtur in commercio privatorum, niſi quantum ad indicaturam ſeu valorem extrinſecum publicè definitum.

815. Sed hîc advertendum ad duo : primò, quòd ea jura non ſunt præfractè in univerſum accipienda, quaſi non poſſit quis obligari præcisè ad certam maſſam : nec etiam dubium eſt quin non ſolùm in ſpecie de certo corpore putà commodato vel depoſito, vel quando certum corpus venditum vel legatum eſt, obligari quis poſſit, ut in *l. qui tamen, de contrab. empt. l. ſi cum aurum de verb. oblig.* ſed etiam in genere, putà ex mutuo auri vel argenti in maſſa ad pondus facto. Sed ea jura intelliguntur, quando certæ quantitatis maſſa in genere ſimpliciter debetur : quo caſu in auro & argento non tenetur in dubio præcisè actum, tum ob majorem raritatem & difficultatem commerciorum pretioſi metalli, tum odio luxus ; ſed ut ſufficiat ſolvere æſtimationem. Sic & hodie quando legatur, vel vice mulctæ imponitur libra vel marca auri vel argenti, non de ipſa ſubſtantia, ſed de æſtimatione intelligitur. Secundò, advertendum quòd iſtud quintum & ultimum argumentum facit pro prima parte : quia in hac quæſtione non agitur, quòd debitor præcisè comparet, & numeret monetam conventæ probitatis, ſed quòd ſolvat de pecunia proba currenti ad æſtimationem conventæ probitatis, hoc eſt tantam ſummam quantam ſolutionis tempore valeret pecunia certæ probitatis conventæ, ad quam facta relatio ad deſignandam quantitatem ſummæ ſolvendæ : & ſic non minùs videtur dubitandum, quàm de quacunque obligatione relata ad aliud *l. hac venditio §. hujuſmodi de contrab. empt. l. ubi autem, §. illud de verb. oblig.* Eodem modo reſpondetur ad tria prima ſecundæ partis, quia propriè illa certa conventa probitas monetæ non deducitur hîc in diſpoſitionem, nec obligationem, ſed ad ſimplicem liquidationem & demonſtrationem diſpoſitionis. Non enim agitur, ut teneatur debitor fabricare vel ſolvere monetam, ad quam fit relatio : nec quòd teneatur quamcunque monetam ſolvere majori vel minori, quàm ſuo, publicè pro tempore definito pretio : ſed quod tantam omninò ſummam teneatur ſolvere, quantam moneta, ad quam fit relatio tempore ſolutionis, conficeret.

816. Et ſic omnia argumenta ſecundæ partis dilutа ſunt : excepto argumento 4. de captione, ad quam facile reſponderi videtur, quòd neuter lædatur, ex quo pactio æquè ſe habet ad incertum lucri & damni, reſpectu utriuſque partis *l. ſi ea pactione, l. ſi ea lege, Cod. de uſur.* Sed certè hæc eſt potiùs evaſio, quàm ſolutio, ut ſuprà *num.* 470. quæ adhuc non quadrat hîc, ubi notum eſt periculum non eſſe utrimque æquale : quia longè proclivius & manus periculum eſt deteriorationis intrinſecæ monetæ, & augmenti extrinſeci, quàm melioris intrinſecæ & decrementi extrinſeci. Et per illud pactum non æquè cavetur vel nocetur utrique, ſed utplurimùm melior fit creditoris conditio, debitoris verò deterior, ut docet communis experientia, ut inſigniter apparuit in dicto exemplo : quia in executione dicti Areſti, Conſulti à Senatu Præfecti monetales reſponderunt dictum reditum triginta librarum, decem ſolidorum Turonenſium, ad rationem probitatis intrinſecæ monetæ currentis tempore contractus, valuiſſe quinquaginta libras, 16. ſolidos, 8. denarios Turonenſes, quolibet anno, de moneta, quæ excuſſa fuit & in uſu, à decima quarta die Martii, anno ſeſquimilleſimo viceſimo ſecundo, uſque ad tempus eorum relationis factæ die 26. Februarii, anno 1337. cujus exemplar habeo : & ſic jam augmentum extrinſecum notabiliter excedebat proportionem ſeſquialteram, & non multùm aberat à duplo, cui nunc magis accedit, & tandem duplum excedere poterit. Præterea etiamſi periculum eſſet æquale, non ſunt promiſcuè contractus aleatorii tolerandi prætextu dictæ vulgatæ & parum digeſtæ ſententiæ de paritate dubii lucri vel damni. Unde quandoque in hoc Senatu, cùm gemma, annulus, vel equus carò væniſſet ad ſolvendum in nuptiis, morte, vel ſacerdotio emptoris, die extante facta eſt condemnatio non ad conventum, ſed ad commune & juſtum pretium tantùm. Similiter & cùm alius emiſſet ad ſolvendum quando maſculum filium haberet, & defecta conditione, deceſſiſſet, nihilominùs hæres ad juſtam æſtimationem condemnatus, idque ſumma æquitate, reſciſſa aleatoria captione. Et conſequenter etiamſi nato emptori filio conditio extitiſſet, non potuiſſet ultra juſtum pretium condemnari, quinetiam non expectata conditione, ſed ea rejecta poſt congruam dilationem peti potuiſſet : quia ex quo ea captatio ſpernitur ab una parte, debet etiam ab altera & in totum ſperni, per *legem fin. de acceptilat. leg. cum emptor. de reſcind. vend.* Cæterùm ad allegata pro parte prima facilis eſt reſponſio. Non obſtat primum, quia non intelligitur de pactis injuſtis & captioſis, *l. illicitas, in princ. de offic. præſid. leg. juris gentium, §. pacta ſervabo, de pact.* Eodem modo ſecundum non debet intelligi, ut recidat in captionem vel ſupergreſſionem alterius. Tertium autem continet fallaciam accidentis, quia pactum de certa bonitate extrinſeca ab initio certam & invariabilem ſummam continet : pactum verò de certa bonitate intrinſeca facit obligationem ſummæ reſultantis incertam & captioſam : & propter hanc accidentis differentiam, non poteſt in propoſito de uno ad aliud inferri. Ad reliqua reſpondet veritas detecta, nec ullo modo obſtat dictum Areſtum, quod nihil de hoc articulo decidit, ut potè cùm reus numquàm objecerit, nec fuerit de hoc cognitum, nec conſequenter judicatum. Tum non quæritur, quid ſemel certo caſu judicatum ſit, ſed quæ ſit veritas & æquitas.

Aleatorii contractus.

Solutio. 817. Concludendo dico quòd si ea pactio non sit fundata, nisi in mera voluntate captatoria & aleatoria, meritò sperni poterit: sed si in ista ratione compensationis, vel probabili causa, servanda est: unde si in mutuo apposita sit, spernendam puto. Aut enim (ut fit) sensim deteriorata fuit moneta intrinsecùs tantùm, & tunc aut de recenti, ita quòd prioris melioris & solitæ monetæ valor extrinsecus nondum auctus fuit: & tunc valet pactum, imò etiam sine pacto tenetur debitor aque bonos aureos reddere, si creditor aliter haberet damnum. Aut verò jam prioris fortioris monetæ pretium extrinsecum auctum est, ita quòd non potest debitor reddere eumdem numerum in priori moneta, sine damno & sumptu suo, & majorem summam reddendo, quàm receperit, & in usus suos converterit, & non valet pactum: sed hoc casu esset etiam usuratium, quia veteres aurei non potuerunt mutuari ut massa, sed ut moneta: & sic respectu summæ tunc resultantis, ut suprà *quæst.* 92. dummodo tamen augmentum esset efficax & stabile: secùs si incertum & lubricum, ut ibi dixi, & *quæst.* 93. Contra si fuisset moneta intrinsecùs tantùm aucta, tunc quanquam possit solvere de priori moneta, si forte non sit extrinsecùs diminuta, nec (quod vix unquam accidere potest) immineat periculum promptæ diminutionis: tamen solvendo de nova & meliori, non poterit deducere æstimationem augmenti intrinseci, sive vetus moneta fuerit extrinsecùs diminuta, sive non. Et ratio est duplex, prima, quia non redderet tantam summam, quantam recepit & in usus suos convertit, vel convertere potuit. Secunda, quia sicut non tenetur supplere verum & efficax decrementum intrinsecum, ut diximus: ita non potest deducere augmentum intrinsecum, per locum ab eadem contrariorum disciplina. Nec obstat, si dicatur non esse hîc eamdem rationem contrariorum: quia hujusmodi pactum ex parte creditoris cadit in usuram, sed non ex parte debitoris, inquantum illi prodest. Et quòd licèt sit nullum ex parte creditoris, non tamen annullaretur, inquantum commodat debitori: quia hoc procederet in diversis pactis separatim factis. Sed cùm non sit nisi unum pactum reciprocum, & sic individuum, si non ligat debitorem casu, quo inde gravaretur ultra sortem, non poterit etiam ligare creditorem, casu quo damnificaretur in sorte: sed si ex una parte solvitur, igitur & ex alia, *leg. fin. de acceptilat. cum vulgat.* In venditione verò, permutatione & similibus facilius potest hæc pactio admitti.

818. Circa præfatum verò exemplum, suprà *num.* 813. plenioris doctrinæ causâ in similibus tria consideranda sunt. Primò, quòd pactum illud de dicta probitate monetæ potuit addi justo metu mutationis & nundinationis monetarum, adhuc tempore contractus, ob recentem Anglorum expulsionem perseverante, præsertim in loco contractus & domicilio contrahentium, videlicet in Aquitania, ubi aliquot sæculis Angli dominati sunt, & paulò antequam ejicerentur inter cæteras Reipublicæ & politiæ perturbationes, solebat etiam quolibet mense, imò etiam quandoque bis in mense monetam mutare, ut suprà *num.* 719. ita ut nulla esset fides, nulla stabilitas, nec intrinsecæ, nec extrinsecæ bonitatis: & sæpè fiebat ut qui hodie reciperet centum libras in moneta currente, postridie ob inopinatam reprobationem non haberet quinquaginta. Et sic qui volebant citrò contrahere, sibi cavebant de certa intrinseca probitate monetæ in qualitate & pondere, sicut olim antequam pecunia signaretur, ut sup. *num.* 720. Si igitur in dicto casu vel simili sic pepigerunt ob eam causam, quæ nunc cessat, cùm certa sit & permanens definitio, æstimatio & cursus monetæ cessare deberet illud pactum tanquam causa finali cessante. Secundò considerandum, quòd si tempore contractus non amplius imminebat ea nusera cauponatio & abrogatio monetarum, potuit ea pactio fieri ex alia justiore & honestiore causa, videlicet in aliquam compensationem majoris inæqualitatis ex parte stipulantium, putà si tempore contractus portio illa hæreditaria, & prædia ab eis cessa supervalebant triplo vel quadruplo reditus conventi. Ideò in quamdam compensationem adjectum fuit, quòd reditus perpetuò solveretur ad valorem æstimationis etiam intrinsecæ, & in contractu definitæ monetæ tunc currentis, & standum erit pacto, etiam hodie & deinceps, etiamsi extrinsecus valor monetæ magis ac deinceps augeatur, prout etiam observatum & judicatum fuit in executione dicti Arresti: licèt hæc non discuterentur, sed simpliciter reo nil excipiente juxta formam contractus, exceptis dictis pœnis, judicaretur. Tertiò considerandum quod prædictis tempore contractus cessantibus, etsi nunc non erat notabilis inæqualitas ex parte stipulantis talem reditum perpetuum non redimibilem, qui erat circiter æqualis non reditibus integris prædiorum: sed tali perpetuæ concessioni ad tantum oneris factæ, putà si reditus non erat levior quàm ad rationem unius in triginta, vel 35. per notata suprà *quæst.* 5. *num.* 116. & tamen superaddita fuit pacto de certa probitate monetæ, tunc ea pactio recipere debet interpretationem juris communis & æquitatis, videlicet ut non de immenso, sed de modico excessu vel defectu intelligatur, argumento *l. hæc adjection. de verb. signif.* Nec enim verisimile est actum vel cogitatum de magno excessu vel defectu in supergressionem nimiam alterius partium: & si verisimile esset, meritò spernendum esset, per *d. l. illicitas, in pr.* & ea quæ diximus de captatoriis & aleatoriis conventionibus.

819. Quid autem si modicum & tolerabile in utroque extremo judex arbitrabitur? Et puto quòd non debet saltem dimidiam excedere. Unde in casum deteriorationis monetæ & augmenti extrinseci efficacis, prout accidit, non deberet ea æstimatio augmenti inde accedentis, & lucrum istud adventitium, excedere proportionem sesquialteram: & sic non deberet debitor ad summum solvere ultra quadraginta quinque libras & 15. solidos monetæ probæ currentis tempore solutionis, loco 30. librarum cum dimidia veteris monetæ: Et contra, si (quod miraculum esset) moneta intrinsecùs excessivè augeretur, non aucto valore extrinseco, putà si cuderetur nova moneta ad puritatis assem, videlicet ad duodecim denarios argenti regii, & sic plus duplo melior esset ea, quæ tempore contractus currebat, licèt non esset majoris æstimationis in usu & cursu: non tamen deberet diminui reditus pro tempore tam fortis monetæ ultra dimidium pensionis: & sic ad minimum deberent solvi quindecim libræ Turonenses cum dimidia, solvendò de nova moneta, licèt unus solidus valeret tunc (sed intrinsecùs tantùm) ultra duos solidos ex his qui currebant tempore contractus. Alioquin creditor nimiùm fraudaretur: quia sola intrinseca augmentatio vel diminutio monetæ, stabili stante valore extrinseco, non auget nec minuit pretium rerum, nec fructus prædiorum, nec ipsius quidem materiæ commoditatem & usum, ut patet in exemplo in quo Romanus & Geminianus consuluerunt, suprà *num.* 809. nec exactiùs aut æquiùs discuti temperari-ve potest. Ex prædictis promptum est veritatis & æquitatis studiosis, quid in similibus dicendum sit colligere. Et hîc quod ad hunc tractatum attinet, finis sit analyticæ nostræ Dispunctionis, non minùs mihi damnosæ, quàm laboriosæ hoc ingratissimo sæculo.

820. Quanquam ad laborem (ad quem me natum scio) nil moror, nec damna reputo, nisi quæ tempora mea morantur, & studiis Reipublicæ dicatis detrahunt, ut abunde satis exposui in Epistola Præliminari Annotationum in cons. Alex. Pergam tamen ad reliquas legalis nostræ & politicæ Philosophiæ partes

repurgandas, quàndiu quantumque Deo Optimo Maximo à quo solo pendere sanctissimum & tutissimum est dante, licebit. Cumque τῇ ἀκριβείᾳ, rectæque politiæ totus noster desudet labor, non ἀκαιρολόγους, nec bonis injucundum erit audire, quibus epithetis Julius Pollux Commodo Cæsari χρηματίζοντι Regem signarit ac tyrannum. Regem, inquit, (Erasmo Roterodamo Interprete) laudato his titulis: *Pater, mitis, placidus, lenis, providus, æquus, humanus, magnanimus, liber, pecuniæ contemptor, haud obnoxius affectibus, sibiipsi imperans, dominans voluptatibus, rationi utens, acri judicio, perspicax, circunspectus, valens consilio, justus, sobrius, numinum curam agens, hominum negotia curans, stabilis firmus, infallibilis, magna cogitans, authoritate præditus, industrius, confector negotiorum, sollicitus pro his quibus imperat, servator, promptus ad beneficentiam, lentus ad vindictam, certus, constans, inflexibilis, propensior ad justitiam, semperque attentus ad id, quod de Principe dictum est, libra in morem, facilis aditu, comis in congressu, commodus alloqui volentibus, blandus, expositus, curam agens suo parentium imperio, amans militum suorum, qui strenue quidem bellum gerat, sed qui bellum non affectet, pacis amans, pacis conciliator, pacis tenax, appositus ad emendandos populi mores, qui ducem agere norit ac Principem, qui leges salutares sciat condere, natus ad bene merendum, divina specie.* Sunt autem multa quæ Oratione dici possint, singulis vocabulis explicari non possint. Hactenus de vero & politico rege. Nunc quibus coloribus idem author eodem Interprete tyrannum expretserit, attende. *Malum, inquit, Principem vituperabis ad hunc modum: Tyrannicus, crudelis, efferus, violentus, occupator alieni, avidus pecuniarum:* & quod verbum est apud Platonem, *pecuniarum cupiens, rapax*, & quod dixit Homerus, *populi devorator, superbus, elatus, difficilis aditu, incommodus ad conveniendum, durus ad congressum, incomis ad colloquendum, malè iracundus, irritabilis, terribilis, turbulentus, voluptatum servus, intemperans, immoderatus, inconsideratus, inhumanus, injustus, inconsultus, iniquus, impius, mente carens, levis, inconstans, & qui facilè decipiatur, malefacilis, immitis, affectibus deditus, incorrigilis, contumeliosus, bellorum author, gravis, molestus, incoercibilis, intolerabilis.* Quòd si Ethnico tam apertam & sinceram veritatem apud Imperatorem etiam vitiosissimum palàm profiteri licuit, cur non & Christianis? Minimè sanè dubitandum, nisi forsan Principes Christiani deterrimis Imperatoribus deteriores esse vellent, quod avertat Deus, *qui in ira sua vel misericordia dat Reges, quorum corda in manu sua habet.* Proverb. 21. Ille ergo summè & assiduè orandus 1. Timoth. 1. cui gloria & gratiarum actio in æternum.

SOMMAIRE
DV LIVRE ANALYTIQVE
DES CONTRACTS, VSURES,
RENTES CONSTITVE'ES, INTERESTS, ET MONNOYES.

Composé par MAISTRE CHARLES DU MOLIN, *dit Censeur, Advocat en la Cour de Parlement.*

Ledit Sommaire nouvellement extraict & dicté par le mesme Autheur en Langue Françoise, pour le bien, honneur, & utilité de la Republique de France, & de tous bons François.

La Sapience divine Proverb. 8. vers. 14. dit:

A moy est le conseil & équité, mienne est la prudence, mienne est la force, par moy les Roys regnent, & les Legislateurs decernent choses justes, par moy les Princes dominent, & tous les Seigneurs jugent la terre: l'aime ceux qui m'aiment; & ceux qui me cherchent diligemment, me trouveront. Richesses & honneur sont avec moy, chevance perdurable & justice.

S. Paul aux Galatiens 5. vers. 14.

Toute la Loy est accomplie en une parole, à sçavoir en cette: Tu aimeras ton prochain comme toy-mesme. Que si vous vous mordez & rongez l'un l'autre, gardez que ne soyez consommez l'un de l'autre.

S. Paul. 1. aux Thessaloniciens 4. vers. 6.

Qu'aucun ne surprenne ou deçoive son frere en aucune affaire, pourtant que le Seigneur prend vengeance de toutes ces choses.

Aussi l'Ecclesiastique 10. vers. 8. dit:

Le Royaume est transporté de Nation en Nation, à cause des injustices, & des injures, & des extorsions, & des tromperies diverses.

SOMMAIRE
DU LIVRE ANALYTIQUE
DES CONTRACTS, USURES, RENTES CONSTITUE'ES, INTERESTS ET MONNOYES.

Composé par Maistre CHARLES DU MOULIN, *Jureconsulte de Paris, Avocat en la Cour de Parlement; Ledit* SOMMAIRE *nouvellement extraict & dicté par le mesme Autheur en langue Françoise, pour le bien, honneur & utilité de la Republique de France, & de tous bons François, dedié & presenté à Tres-Chrestien, Tres-Haut, Tres-Vertueux, & Puissant Prince* HENRY *par la Grace de Dieu Roy de France, second de ce Nom.*

A chose (des actes humains) la plus necessaire & utile à la Republique & societé humaine, tant en commun qu'en particulier, sont les contracts, justice, loyauté, égalité, ou proportion d'iceux.

Division des contracts.

1. Dont la principale division est, que les aucuns tendent à faire bailler ou obliger d'un costé seulement, les autres tendent à faire bailler ou obliger des deux costez reciproquement: & ceux-cy sont proprement & peculierement dits contracts; car l'etymologie de ce mot contract, designe mutuelle attraction ou reciprocation, & aussi par mesme consideration & semblable etymologie les Grecs l'appellent συναλλαγμα; Neantmoins les premiers sont aussi dits contracts proprement, en prenant la diction largement, & se subdivisent en aucuns liberaux ou lucratifs: & en aucuns non liberaux, ains compensatoires; c'est à sçavoir de chose preterite par intervalle, comme s'aucune chose est donnée ou promise pour remuneration d'un service passé deû, ou pour satisfaction d'autre obligation precedente: j'ay dit par intervalle, car si c'estoit pour recompense de chose faite ou livrée incontinent, tel contract appartiendroit non au premier, ains au second principal membre de la division, qui est des contracts propres & reciproques, combien que ne demeure que l'un obligé, parce qu'il advient que l'autre satisfait sur le champ, laquelle chose comme advenant par accident, ne change ny altere la nature & espece du contract. Derechef lesdits contracts liberaux se subdivisent en donation ou liberalité de la chose en soy, ce qui est appellé don: ou en donation, ou liberalité du simple usage à aucun temps, & s'appelle prest, qui se fait aucunes-fois de choses qui se doivent rendre elles-mesmes, ou en leur propre corps soit immeuble ou meuble, comme d'une maison, ou d'une bague, ce que les Latins subdivisent en commodation & precaire: Aucune fois de choses qui se doivent rendre en pareille quantité de nombre, poids ou mesure, & en pareille bonté, qui consiste en semblable substance, & c'est proprement & etroittement prest, que l'on dit pur & loyal.

2. Subdivision.

1. Subdivision.

2. Pareillement ledit second principal membre des contracts respectifs ou reciproques, a plusieurs diverses subdivisions selon diverses considerations; car les uns sont momentanées comme vente, échange. Les autres successifs, comme loüage, usure, societé questuaire. Plus les uns consistent en commutation, ou recompense mutuelle, soit momentanée, ou successive, dont avons principalement à traicter; les autres consistent en communication, & sont les contracts de communauté & societé. Et parce qu'il suffit de discuter ceux dont principalement en ce Traité avons affaire, qui sont les commutations, & negociations, ou contracts commutatifs. Ceux-cy se subdivisent en deux especes; car les uns sont commutations de la chose simplement, ou de la substance d'icelle, comme vente, ou échange. Les autres sont commutation & compensation du seul usage temporel de la chose. Et cette espece se subdivise, car ou la chose se doit rendre en son propre corps qui n'est point aliené, & cela s'appelle loüage ou location. Ou la chose quant à present, s'aliene, & se doit rendre en semblable substance & quantité de nombre, poids, ou mesure, & cela s'appelle prester à usure: on l'appelle aucunes fois prendre ou bailler à interest, & d'autres divers noms qu'il n'est besoin de reciter, mais quelque couleur, ou nom qu'on luy baille, c'est vraye & formelle usure, que les Grecs appellent τοκος, parce qu'une somme engendre l'autre, les Latins *fœnus* par semblable etymologie; les Latins aussi l'appellent usure, pour l'estimation & recompense de l'usage. Je rais icy aucuns membres ou especes mistes, & aussi plusieurs autres divisions de contracts qui ne sont en ce Traité necessaires, afin qu'ils n'empeschent l'ordre, briefve & clarté des choses necessaires.

Loüage.

Usure.

3. Or pour entendre clairement la justice ou injustice des Rentes constituées, tant des perpetuelles communement usitées, que des temporelles moins usitées, il est prealablement requis de bien & radicalement discuter & entendre ladite derniere espece, qui est d'usure, où y a eu par cy-devant de grands & fameux erreurs, tant en la doctrine, qu'en la pratique, non seulement pour l'ignorance de l'Histoire & des termes, dont les Loix qui en ont parlé, ont usé: mais principalement pour l'ignorance de la vraye raison decisive, & de l'experience des choses politi-

Causes d'erreurs.

ques, mesmement des commerces & negociations. Nul n'ignore que c'est qu'usure en sa propre & vulgaire signification, mais la raison de l'iniquité & prohibition d'icelle en general, & de la tolerance d'icelle en aucuns cas, esquels elle a esté tolerée. Et consequemment la justice ou injustice des contracts qui aucunement en participent, ont este cy-devant par plusieurs siecles autant vulgairement ignorez, que les Droicts & Loix usuraires, termes & dictions dont lesdites Loix usent. Car par les miserables & longues inondations des Barbares Goths, Huns, Vandales, & Lombards successivement avenues auparavant neuf cens septante ans, la Barbarie & ignorance des bonnes Lettres, a depuis eu cours plus de huit cent ans, & mesmement estans sous lesdits deluges en plusieurs lieux plusieurs Loix, mœurs & Coûtumes Barbariques multipliées, nosdites bonnes Loix ont esté long-temps avec les bonnes Lettres negligées & delaissées.

Regne de Barbarie.

4. Tellement que quand environ l'an de grace mil cent trente, aucuns bons personnages en Italie commencerent à tirer des vieilles Librairies les Livres tous empoulidrez, & quasi corrompus de nosdites Loix, pour les faire reserire au net, publier, lire & interpreter à l'usage du bien public universel, ja plus de cinq cent soixante ans aprés qu'elles avoient esté (comme dit est) negligées, & comme ensevelies au sepulchre d'ignorance, ne fut lors promptement possible entendre à interpreter au vray grande partie de nosdites Loix, dont plusieurs des plus notables lieux demeurerent long-temps inconnus, tant pour l'ignorance des langues, que pour l'inexperience des choses. Et aussi regnoit encores ladite barbarie au lieu des bonnes Lettres, sous laquelle la sophisterie entra en toutes bonnes sciences, qui en furent grandement vexées & obtenebrées d'intrications, superstitions, & prepostetes jugemens, comme il est apparu aussi bien en la Medecine & Theologie, qu'en nos Loix.

Sophisterie.

5. Où les usuraires ne peurent jamais estre entenduës par tous nos Glossateurs, ou Commentateurs (combien qu'ils les cuidoient bien entendre) plus de trois cent soixante ans, jusques à ce qu'un personnage d'autre profession, Hermolaus Barbarus Italien, studieux des bonnes Lettres, qui commençoient à reflorir en Italie, homme tres-sçavant & eloquent, fut le premier qui par le moyen desdites bonnes Lettres, environ l'an mil quatre cens nonante, du temps de Jean Picus, Comte de Mirandole, & Ange Politrian, gens tres-doctes & tres-eloquens, trouva, découvrit, & nous restitua le vray sens & intelligence des termes ou dictions, dont nosdites Loix usent en matiere usuraire. Laquelle invention a esté suivie, & grandement loüée par tous les gens doctes, mesmement par Maistre Barthelemy Socin de Senes, Docteur és Droicts: & par Alciat Jurisconsulte de Milan; & amplement corroborée par Maistre Guillaume Budé Parisien, en son Livre de *Asse*. La signification desdites dictions trouvée & declarée, restoit le sens de la sentence, effet & vigueur desdites Loix; ce que par le don de Dieu aprés longue estude & experience des causes & negoces, avons nouvellement & clairement expliqué audit Traité par discussion & resolution analytique, à nous peculiere. Cette briefve digression n'est pour taxer ne blasmer ceux qui par cy-devant ont erré en la matiere usuraire, ains plûtost pour en rejetter la faute sur l'ignorance des bonnes Lettres, & sur la sophisterie, qui ont regné en leurs temps, & aussi pour montrer la necessité & utilité dudit Traité, dont afin que le fruit en soit commun à tous par cette epitome en la poursuivant,

Les Lettres ont cõmencé à reflorir en Italie.

6. Combien que sur ce mot usure, les droits ne facent aucune expresse division, ne subdivision, comme estant chose assez claire & facile en termes de Droict, selon lequel proprement elle n'est que d'une espece; neantmoins tant pour plus clairement démeler les intrications depuis survenuës, que pour plus facile methode & intelligence des choses sequentes, je bailleray deux ou trois briefves divisions. La premiere concernant la diction, les autres la chose signifiée. Quant à la premiere, ce mot usure se prend largement, & étroittement. Largement pour toute accession successivement faite au sort principal, soit qu'il soit deû pour cause de prest, ou de dot, où de vente, ou d'autre cause quelconque, mais étroittement, quand le sort est deû à cause de prest. Cette division est superfluë en termes de Droict Ecrit, & à proprement parler: car de Droict Ecrit n'y a aucune difference, & n'est en consideration si le sort est deû à cause de prest, ou autrement, ne si on fait paction d'usure en contract de prest, ou en autre contract quelconque. Et aussi bien proprement est dite usure en vendition, dot, ou autre obligation, comme en prest.

Vraye etymologie & definition d'usure.

7. Car tant sa vraye etymologie, que sa vraye & propre diffinition, est quand pour l'usage ou dilation de pecune deuë, se perçoit & exige quelque profit successivement, à la raison & pour portion du sort & du temps. En cette diffinition, ce mot pecune se prend largement, selon que prennent les Jureconsultes; sçavoir est non-seulement pour monnoye: mais aussi pour tout sort consistant en nombre, poids ou mesure de chose fungible. Ce mot usage ou delay, est le vray objet auquel se refere reciproquement & correspond l'usure. Ce mot successivement concerne la forme d'icelle, fait aussi la difference de la peine qui est monentanée, comme cy-aprés numero 84. Cette diffinition montre que ladite premiere division est inepte, comme aussi est en termes de Droict la diffinition des vulgaires & sophistes, qui restraignent l'usure en cas de prest seulement, prenant le seul fondement de leur erreur, jusques à present fort fameux & insigne, de leur mauvaise intelligence de ces mots de nostre Seigneur JESUS-CHRIST en S. Luc chapitre 6. *Mutuum date nihil inde sperantes*; c'est à dire prêtez, sans esperer rien: lesquels mots ils entendent comme si le Seigneur eust voulu statüer ou conferer certaine Loy pecuniaire au cas special de prest, & prohiber toute usure absolûment audit cas seulement, & non hors le cas de prest, mais delaisser les autres cas és autres Loix humaines ou Divines: & non pas comme si l'intention du Seigneur n'eust esté que d'enseigner, & commander charité & beneficence vers les indigens, comme sera dit cy-aprés. Parquoy ladite division n'est mise que pour presupposition, & plus claire intelligence des termes, dont est question, & pour un commencement d'extrication.

8. Bien est vray que les Canonistes (lesquels les Legistes jusques à present ont suivy) dient tous & tiennent fermement, qu'il y a aussi bien usure, quand le sort est originellement deû à cause de vente, legs testamentaire, ou autre juste cause, comme quand il est deû à cause de reelle numeration dudit sort, ou de prest formel, mais ils disent, que c'est parce que pour le moins y a toûjours prest fict. Et ont inventé cette nouvelle espece de fiction; c'est à sçavoir que toutes & quantes fois que le vendeur ou legataire ou autre creancier, auquel est deuë quelque somme à autre titre que de prest, fait paction que le debteur pour chacun mois ou an qu'il differera de payer, luy payera tant, sans diminution du sort: que dés lors de ladite paction, il faut feindre que le debteur paye, & que le creancier reçoit le sort, & le rend au debteur à titre de prest sous ladite paction usuraire; & consequemment que c'est usure. Mais les Theologiens Scholastiques à bon droit rejettent ladite fiction: Car ce n'est pas vraye ne bonne forme de doctrine de controuver & induire fictions, &

Theologiens.

n'appartient qu'au Legiſlateur. Parquoy leſdits Theologiens uſent de termes plus propres & plus apte tradition, diſans que lors c'eſt preſt virtuel, ou interpretatif; mais encores cette tradition eſt inepte quant à ce propos: car ou c'eſt pour faire que ladite paction ſoit uſure, qui autrement ne le ſeroit, ſi ce n'eſtoit preſt, au moins interpretatif: & cela eſt ſuperflu, & un erreur procedant de l'ignorance de noſdites Loix, & de la propre ſignification des termes, ſelon leſquels n'eſt pas requis qu'il y ait preſt, avant qu'il y ait uſure. Car preſt ou autre contract de ſoy, n'eſt pas le ſujet ny objet d'uſure.

Sujet & objet d'uſure.

9. Et qui plus eſt, à proprement & ſubtilement parler, le ſort meſme principal ou numeration d'iceluy, voire faite ſous titre & cauſe expreſſe de preſt, n'eſt pas la vraye matiere, ſujet ou objet immediat d'uſure, ſi paction uſuraire y a. Mais c'eſt la dilation de rendre ou payer le ſort principal, ou la conceſſion de l'uſage de la pecune deuë, qui eſt le vray objet & matiere ſujette de l'uſure, qui s'apprecie, & correſpond ſucceſſivement audit delay ou uſage du ſort ſeulement, & non pas à la proprieté ou alienation du ſort, comme demontre ladite etymologie & definition. Parquoy eſt auſſi peu de beſoin en ce regard d'interpretation, que de fiction: car ſoit que le ſort ſoit deû pour cauſe de preſt, ou de vente, ou d'autre juſte cauſe quelconque, cela n'adjoutte, n'oſte, & ne fait rien à la verité, ſubſtance, & definition de l'uſure, à parler proprement, comme dit eſt; Ou ladite tradition eſt faite pour induire pareille odioſité, prohibition & reprobation de l'uſure en termes de vendition, ſupplément de partage, échange ou en dot, lais teſtamentaire, ou autre quelconque juſte obligation, autre que de preſt: comme en un vray preſt, & cela eſt deſraiſonnable. Car combien que nos Loix civiles n'y ayent en ce regard fait difference, toutesfois depuis pour pluſieurs bonnes & juſtes cauſes y a eſté faite & receuë difference, comme nous dirons cy-aprés.

Premiere diviſion d'uſure.

10. Or je laiſſe leſdites deux precedentes diviſions comme ineptes pour les cauſes ſuſdites, & en baille deux propres doctrinales & neceſſaires. La premiere, uſure aucune directe ou formelle: l'autre indirecte ou interpretative ou taiſible. La directe & formelle eſt, quand expreſſément & ſans aucun circuit, eſt promis de bailler quelque profit ſucceſſif, pour l'uſage & delay du ſort principal deû, quelconque ſoit la cauſe de la debte principale, & ainſi ſe prend proprement & indifferemment en droict. L'interpretative & taiſible ſe ſubdiviſe en deux eſpeces: la premiere, quand l'acceſſion n'eſt pas ſucceſſive, ny pour portion de temps, ains momentanée, & à une fois, toutesfois eſt miſe au lieu de l'uſure, comme il ſe fait aucunefois de certaines peines promiſes au cas que l'on ne payera au terme, leſquelles peines quand elles ſont en fraude de l'uſure, ſont uſure interpretative. La ſeconde eſpece quand l'acceſſion eſt ſucceſſive & pour portion de temps, mais ne ſe refere pas directement & expreſſément à l'uſage ou delay du ſort principal deû, comme ſe peut faire fraude & déguiſer en pluſieurs manieres, tant en commençant par numeration de pecune, qui ſe termine à l'achapt à vil prix de quelque choſe qui apporte fruit, ou ſe peut loüer pour en avoir la commodité ſucceſſive pendant le rachapt expreſſément ou taiſiblement accordé, qu'en commençant à tradition & delivrance de certaines eſpeces vendables ou permutables, mais eſtimées à plus haut prix, en contemplation du delay, & generalement en tous autres cas ſemblables ou diſſemblables contenans excez obliquement fait en fraude de l'uſure expreſſe, c'eſt uſure interpretative.

Seconde diviſion.

Quest. XVI. Des ventes des terres au denier dix, ou en fraude, 188
La faculté de rachat ne doit diminuer outre le tiers de juste prix, de la lesion d'outre moitié de juste prix, 192
Difference des contracts commutatifs & usuraires, 206
Quest. XVII. Des contracts & loüages en fraude, 213
Quest. XVIII. Des rentes temporelles, 217

Le vray ſujet d'uſure. 221
Queſt. XIX. Des bleds en verd, de la Loy annonaire, 241
Des contracts aleatoires, 242
Des rentes à vie, 244
Queſt. XX. De l'uſure incidente, 245
Difference de l'uſure & intereſt caſuel, 246. 273. 274
Grande moderation du denier vingt, ( ) 251
Le long delay pour augmenter l'uſure, 254. 269
Vſure des gens d'Egliſe, 254. 255
De ceux qui mettent és banques à uſure, 256
Des uſures pupillaires, 259
Des uſures teſtamentaires, 265
Fruits ne ſont ſujets aux limites de l'uſure, mais ſe compenſent auec icelle, 266. 268
Queſt. XXI. Conſignation n'eſt requiſe pour faire ceſſer le cours de la rente, 276
Rachat ſe doit faire de ceux qui ont pouuoir de quitter, 281
Queſt. XXII. Compenſation ne peut auoir lieu en ces rentes que du iour que le debiteur l'a deuëment declaré, 283
Queſt. XXIII. Vn eſtranger peut racheter ces rentes, mais le creancier n'eſt tenu luy ceder ſes actions, 284. 285.
Queſt. XXIV. Le debteur peut rabatre la plus-value du cours de la monnoye, & n'eſt tenu de l'empirance intrinſeque, 280. 291. 320. 322
Diuerſes mutations de monnoyes, 292. 298.
C'eſt fable ce que l'on dit de la monnoye de cuir, 295
De la paction de racheter en meſmes eſpeces, 299
Inuention des monnoyes plus de deux mil ans deuant Rome, 297
Trois choſes ſubſtantielles de la monnoye, 300
De l'or, argent, aloy, poids, & proportion d'iceux, 301. 302
Eſcus peſans un marc piece, enuoyez par l'Empereur Tibere à Chilperic Roy de France, 306
Monnoye depraué & reſtituée, 308. 309. 310
L'or vaut communément douze fois autant que l'argent, 311. 312
L'eaue forte, cupelle, ciment, 313
Difference des deniers d'aloy & de poids, 314
Ordonnance des Orfeures, & de l'eſmail, 315. 316. 317
Regle infaillible d'alloyer, tant en emendant qu'en empirant, 318. 319
C'eſt le profit de France de tenir la monnoye forte, & le grand dommage de l'affoiblir, 323
Les calamitez de la Republique viennent des pechez du peuple, 324
Les moyens de la reduction des Coûtumes en une, & d'obvier à la multitude des procez, 325

STILVS ANTIQVVS

SVPREMÆ CVRIÆ AMPLISSIMI

Ordinis Parlamenti Parisiensis, nuper è suo prototypo, & antiquis Regestis ejusdem Curiæ de verbo ad verbum transsumptus : Cum novis Annotationibus Dom. Caroli Molinæi Iuris. Paris. in eadem Curia Advocati solertissimi, margini adjectis, & antiquis additionibus Dom. Stephani Aufrerii, Iuris utriusque Doctoris, & in Parlamento Tholosano Inquisitionum Præsidis, tractatibus & appendicibus suis.

Omnia novè recognita, repurgata, redintegrata, & locupletata, & in septem partes distincta, studio subcisivo præfati Caroli Molinæi.

Denuò ab eodem authore recognita & aucta.

SEPTEM PARTES OPERIS PAGINA SEQUENS INDICAT.

Prima pars: Stilus antiquus curiæ Parlamenti Parisiensis, nativæ suæ integritati restitutus. Et additiones D. Stephani Aufrerii seorsim subjunctæ.

Secunda pars: Instructiones stili Parlamenti.

Stilus requestarum Palatii, & de modo conficiendi processus Commissariorum.

Tertia pars: Constitutiones Regiæ antiquæ, quæ in libris Gallicè impressis non habentur.

Quarta pars: Quædam privilegia regni Franciæ.

Quinta pars: Quæstiones Jo. Galli, antiqui, regiique Advocati, per Arresta Senatus Parisiensis decisæ.

Sexta pars, Formulæ Arrestorum. Et 74. Arresta venerandi Senatus Tholosani.

Septima pars, Plurima vetera & recentia Arresta supremi Senatus Parisiensis.

Cuncta recognita & annotata per præfatum Dom. Carolum Molinæum Franciæ & Germaniæ Iureconsultum.

ILLUSTRISSIMO

ILLVSTRISSIMO
ET AMPLISSIMO VIRO DOM.
IOANNI BERTRANDO,
SVPREMI PARISIORVM SENATVS
PRÆSIDI PRIMO,
ÆQVISSIMO ET DIGNISSIMO, CAROLVS MOLINÆVS,
Iureconsultus Parisiensis ἐυσεβῶς.

QVum sacra vetustas etiam in legibus condendis magno semper honori fuerit (Senatorii ordinis Præses Illustrissime) eamque tam studiosè indagaverit, & ab oblivione vendicatam iri curaverit magnus ille Romani juris epitomatistes Iustinianus, ut vel in suo iuris breviario (quam Instituta vulgò vocant) etiam exoletas veteris iuris ambages prolixius & passim referre festivum, & utile duxerit: non indignum nec supervacuum ratus sum, si veterem illum summi & primarii Francorum Senatus (cui fæliciter præes) de re forensi stilum (tametsi in multis prout temporum negotiorumque volubilis & fluxa varietas exigit, immutatum) à diuturno situ & oblivione vendicarem. Quinimo cùm vulgò corruptissimus circumferretur, & in dies per corruptorum exemplarium traduces corruptior efficeretur; necessarium existimavi tantæ publicæque impostura occurrere, & è regestis eiusdem Senatus, & nativo archetypo fideliter ad verbum desumptum edere. Eadem autem opera brevi auctuario adjecto, tractatus quoque hactenus à calcographis eidem stilo annexos emendavi, rescidi, locupletavi, ut deinceps absque imposturis, & brevior & uberior, pragmaticisque utilior liber exeat. Cumque fulgentissimi nominis tui radiis eam Opellam illustrari, cunctisque gratiosiorem reddi cuperem, nec tibi, quæ est humanitas tua, generosique animi tui τὸ ἄτοπον displicere animadvertissem, interim dum partim forensibus negotiis distrahor, partim severiora studia mea urgeo, annum præteriisse sensi. Itaque non amplius cunctandum ratus, Typographis dedi, quo mature sub fælicibus splendidissimi nominis tui auspiciis publicum acciperet. Vtque sciant omnes quicumque utilitatis aliquid ex hoc labore nostro percepturi sunt, totum id tibi uni eos acceptum ferre debere. Tibi, inquam, studiosorum hominum amantissimo, deque summo Principe nostro & Republica Francica optime merito, rerum omnium politicarum scientissimo & experientissimo, cuius solertiam, summamque fidem, & in consulendo, &

agendo dexteritatem ſupremus Rex noſter expertus, te in interioris & arcani conſilii ſui βυλᾶιον accitum, totiuſque Senatorii ordinis caput, & ἀρχιδικαστὴν conſtituit. Suſcipe igitur ἄνερ ἐυφρονέστατε tam grato, tamque benigno quàm tibi à nobis propenſo & amanti animo dicatur & offertur, meque & mea ſtudia quæ iam dudum noſti & probaſti, in clientelam tuam recipias, & perpetuò conſerves. laborum meorum Reipublicæ deſudantium memor, ἔρρωσο ἄνερ ἐυδαιμόνιστε καὶ ἐυτυχῶν διατέλει, Deuſque optimus maximus ſemper tibi dexter adſit, proſperet, & bene fortunet. Rurſus vale, Pariſiis è Bibliotheca noſtra Calend. Auguſti, Anno ſalutis ſeſquimilleſimo quinquageſimo.

EIDEM ILLVSTRISSIMO ET SVMME VENERANDO Domino, D. Ioanni miſeratione divina ſanctorum Neræi & Achillei Cardinali, Senonenſi Archiepiſcopo, Galliarum & Germaniæ Primati, Franciæ Procancellario digniſſimo Carolus Molinæus Franciæ & Germaniæ I. C. & in ſupremo Pariſiorum Senatu antiquus Advocatus fœlicitatem.

MOx à priori huius libri tuæ Celſitudini dicata editione auctis Procancellariatu Franciæ honoribus tuis, domine & Antiſtes præcellentiſſime! alterum ſtatim à me elaboratum librum in regulas Cancellariæ Romanæ illuſtriſſimæ Amplitudini tuæ dedicavi & edidi. Rurſus auguſtiſſimo ſucceſſu mage nuper adauctis dignitatibus tuis, eiſdem tertiò velut redivivo fœtu, ſtudiorum meorum genimina renaſcuntur & dedicantur hac noviſſima editione. Quod ſi ita laborioſis ſtudiis meis aſpirares, ut illa dignitatum tuarum fœlices progreſſus ſubſequuntur, maximum & memorabile tuaque Celſitudine dignum, operæpretium nullo negotio efficeres, maximoque ſtudioſorum omnium reciprocante in te favore & gratia, nempe laborum meorum antiquorum perceptos fructus tibi & à te acceptos ferentes: obiit enim urbica ſtudiorum meorum Mæcenas fideliſſima uxor Ludovica Beldona hac memoria digniſſima virago, quæ quandiu vixit, ſtudiis meis otia ſuppetebat, mœrore diutinæ abſentiæ meæ immaturæ morte abſorpta. Hic acerbiſſimi caſus dolor calamum ſiſtit. Pariſiis Calend. Iunii anno ſeſquimilleſimo quinquageſimo octavo.

CAROLUS MOLINÆUS JURECONSULTUS

Parisiensis, & in supremo Parisiorum Senatu causarum Patronus, cunctis Lectoribus, etiam subdiscivi hujus Operis rationem reddit.

Quanta repurgatio.

LIbrum hunc (quem stilum curiæ Parlamenti vocant) cum suis deinde annexis, usque adeò undique corruptum, depravatum & lancinatum reperi, non solùm per crebras, & subinde mandrabuli more deteriores typographorum quæstui proprio dumtaxat inservientium traduces, quam per imperitorum quorumdam præposteras, & malè feriatas emendationes, imò perversiones, qui quibusdam in locis barbariem latinitate commutare satagentes, sensum (quem ipsi non capiebant) errori, veritatemque falsitati passim commutaverunt, ut novissimorum quoque impressorum flagris digno flagitio, in præfati stili textum, glossulæ & additiones extraneæ desultaverint, & contra, textus ipse in glossulas. Quid, quod ut novos emptores, novæ subinde, sed corruptiores fœturæ alliceret, meras tum impostoras, tum inepcias impudenter addiderunt, quæstionesque Jo. Galli, tanquam crambem bis cocta rursus sub Arrestorum nomine, eisdem penè verbis, nisi quod paucis mutatis, pluribus mutilatis, sed frivolis, καὶ ἀνεπιθέτοις additionibus adjectis impressere, ut liber tanquam adjecto auctuario (sed falso & depravato) turgidior, magis alliceret, & propter majorem crassitudinem carius væniret. Multas antiquas & admodum utiles Constitutiones Regias, quæ in libris primum impressis latinitate forensi adhuc extant, deleverunt, in quo non solùm Reipublicæ nocuisse, sed potentum quorumdam tyrannicis affectibus inservisse deprehenduntur. Cur enim inter alias eraserunt sanctam illam Constitutionem adversus maleficos: Et alteram de venatoribus? In locum autem nefariè detractarum multo plures inseruerunt ex novis & vulgo notis constitutionibus, cumque gallico suo nativo sermone probè impressæ extent, tamen tam barbara & putida latinitate, tamque indoctè transtulerunt, ut non solum puteant, sed falsitate quoque sensus imponant. Nec ipsa quoque supremi Senatus judicia inviolata reliquerunt, non pauca Tholosani Senatus Arresta, nullo delectu cum Parisiensibus & mendis infinitis miscentes & confundentes. Itaque tam miseram & indignam sortem juris praxisque Candidatorum miseratus, qui mox è scholis ad forum & praxim sese conferentes, librum hunc cupidè comparant, & utraque manu versant, sperantes inde discere quæ tumidus & prolixè turgens titulus pollicetur, & tandem pro thesauro carbones: partium mearum esse duxi commune huic morbo, præcipueque tironibus (quos juvare pium est) infesto, mederi. Quanquam autem longè gravioribus studiis præcipuè juris civilis ἀναπαισμάτων, nostrarumque Consuetudinum premar, curisque domesticis, ingratique illius calumniis exstimuler & remorer, ferre tamen non potui tantum malum, velut commune incendium, in damnum candidæ juventutis diutius grassari. Videte quid feci, actus enim laborisque mei rationem in hac repurgatione vobis omnibus fideliter reddam, quæ ipsa facti evidentia librorum collatione probabitur. Primum multis exemplaribus cum libro meo manu propria dudum notato, ipsisque supremi nostri Senatus regestis accitis stilum illum antiquum præfatæ nostræ Parlamentalis curiæ, ad antiqua ipsius regesta manu scripta è verbo ad verbum correxi, & restitui fidelissimè. His tantum detractis quæ perperam in textum desultaverant. His verò restitutis quæ maxima capitis diminutione, inter glossulas falsò relegata, velut in insulas deportata erant, redintegratis ad contextum Parlamenti regesti, quæ vel præterita vel mutata erant. Non tamen abolevi glossulas, seu additiones Dom. Stephani Aufrerii, viri docti, deque his studiis benemeriti: sed ne historiam texturamque continuam præfati stili abrumperem: neve posthac rursus in textum ipsum, vel contra, futurorum librariorum flagitio, vel oscitantia irrumperent, ut antehac contigit, recollegi eas superfluis quibusdam & inutilibus dumtaxat omissis, & in proprio suo decentique ordine collocavi, nempe post textum ipsum, ejusque seriem absolutam, rubricis seu titulis additis, literisque alphabeticis, Indicis vice, singulis cujusque tituli glossis præfixis, in ipsoque textu ejusque margine sub iisdem caractere appositis, ut stat in nullo negotio liqueat quotes, & sub quo vocabulo, glossa Aufrerii cadat, & confestim inveniri possit. Porrò si quis præfati stili barbariem nimiam aversetur, historiam & antiquitatem ipsam satis per se venerandam revereatur, avertat animum à stilo dictionis, & oculos conferat ad veritatem ipsam, & historiam antiquitatis, quam ad amussim ex illius regesto exactè restituimus. Quod si quis insolentior hodiernum non antiquum stilum sese dumtaxat querere contendat, viderit prudentior ne sit aut morosior Justiniano illo magno, veteribusque Jureconsultis, qui in legibus & oraculis suis, nec superfluum, nec inutile censuerunt, nec longum vel obsoletæ antiquitatis seriem referre. Quod si adeò procax sit, ut nec Legislatorum, nec Jurisconsultorum exempla vereatur, relinquat hæc studiosioribus, antiquitatis rerumque ordinis cognitione cupidis. Quanquam titulus iste tantum abest, ut vel hodie inutilis sit, ut bona pars adusque fuerit, & sit, futuraque sit in usu quotidiano. Ipse quoque non sum gravatus pleraque non intra textualem telam (ut pridem malè) sed extra eam, in margine addere, notularum vice, quibus quod utiliter secusve mutatum sit, & alia notatu digna indico, & numeris distinguo, non literis, quæ glossæ Aufrerii serviunt, & in singulis titulis seu capitulis renovantur. Stilus tamen iste ante ducentos annos circa annum millesimum trecentesimum tricesimum descriptus est, non publica ulla authoritate, sed privata qualicumque opera Guillelmi de Brolio temporis illius in suprema hac curia (tunc recenter Parisiis per Ludovicum Huttenum fixa) Advocato, procuratoribus sui temporis satis infesto, ut in c. 13. §. 3. omnis latinitatis, bonarumque literarum (quæ tunc etiam ubique jacebant) experti, qui turpem hanc dicam lutulentæ barbariei facilè vitasset, si gallicè scripsisset, longeque melius posteritati consuluisset. Sed perversa & præposteræ electione & imitatione stylographos iste non stilum imitatus est supremæ curiæ, cujus stilum scribere attentabat, quæ acta sua gallicè conficit & edicit: Sed tetrum, lutulentum & inauspicatum stilum imitatus est actuariorum, qui usque ad Constitutionem nuper anno sesquimillesimo tricesimo nono editam, omnia acta, gesta, decreta, statuta, judicia, Arresta, & mandata, quas Commissiones vocant, præfati supremi Senatus, gallicè probè edita, in forensem suam, tetram, & impuriss'mam latinitatem convertebant, sensu sæpè flagitiosè mutato, nedum semper obscurato, è bonis gallicis, mala facientes latina: imò prorsus barbara, putida & inepta, non alio quàm harpiarum zelo,

Dictionis excusatio.

Justinian de testam. in prin. de hæreditat. quæ ab intest. defer. deaguat. succed. de Senatusc. Tertull. l. unica C. de cadu. tollendi.

Compilator illius stili.

Pravus mos actuariorum.

Malè detracta restituta.

Scopus evertendorum.

Antiqua cum instauratis.

nempe quo decreta & acta omnia Senatus plebeios, imò universum populum præterquam symmistas suos crebrius indidem negotiaturos celarent, ut olim impii & idololatrici Pontifices Romani, formulas forensium actionum quibus præerant, populum authoritatis, quæstusque sui augendi, undique causa colebant, quas Cneus Flavius furtò subreptas magno totius populi plausu evulgavit. Quòd si quis hanc dicam in me retorqueat cur non ipse stilum hunc emaculandum susceptum è tam contaminata barbarie in Gallicum sermonem transtulerim, præsertim cum pleraque antiquas constitutiones nativo suo sermone gallico huc restituero? Sed certè justius expostularent, cur non severiora studia me a λιτοβιοφαγίαις his omissis prosequar: facile tamen pauciique respondeo, minimè post ducentos annos opus esse hac mea opera post stilum jam in plurimis antiquatum, præsertim cum extent institutiones forenses doctissimi & experientissimi viri Joan. Imberti Rupellani gallico sermone ab eodem authore donatæ. Potius igitur erat eundem stilum ad antiqua regesta curiæ exactissimè emendatum promere, ut facies ipsa & historia antiquitatis in re propè antiquata appareat: ididem enim præcipuè quærenda est ipsa antiquitatis majestas, senatusque in constitutionibus, decretis, & statutis suis condendis antiqua, olimque longè præcellentior authoritas, quarum rerum historia in antiquo suo qualicumque prototypo quo primum scripta est, certius & fidelius elucet, quàm in quovis translato sermone. Quanquam autem privata authoritate stilus hic scriptus sit, publicam tamen authoritatem habuit, non in singulis & perpetuò incommutabilem: sed juxta naturam stili ex varius negotiorum & temporum circumstantiis variabilis. Unde ut authenticus allegatur à Jo. Gallo, celeberrimo Advocato, in quæstione 233. qui paulò post Brolium successit, & in magna existimatione in eodem Senatu floruit ab anno 1384. usque ad annum 1414. Allegatur etiam & comprobatur hic stilus à Constitutionibus Regiis quæ ad eum remittunt, ut Constitutio Carol. VII. anni millesimi quadringentesimi quadragesimi quarti. Post stilum & glossam Auffrerii sequuntur breves quædam instructiones eumdem stilum concernentes, quas in decem §§. divisi. Et ex illis tribus primam partem totius libri conficio. Deinde in libris ultimò impressis sequebatur impostura titulo stili Parlamenti Tholosani superba, cùm esset manca quædam praxis Parlamenti Parisiensis, cui stilus Senescalli Tholosani, & aliorum præsidialium tribunalium conformari dicitur, dudum ante Tholosani Parlamenti erectionem. Quare imposturam illam (quam prorsus inutilem & supervacuam inveni) delevi. Subsequitur stilus requestatum Palatii, quem in viginti duo capita divisi, cancellaris superfluis, & restitutis his quæ male truncata fuerant; primique capitis perperam mutati veterem, nativumque textum restitui. Deinde sequitur alia stili formula, de modo conficiendi processus inquisitionum, quas inquestas testium vocant. Ex his duobus secundam libri partem concludo. Hîc poteram addere veterem quamdam praxim de modo procedendi super novis dessaisinis, hoc est, super interdictis possessoriis, sicut & tractatum legum regiarum Jo. Berberii de eadem re, sed quia hodie bona pars antiquata, cætera superflua & inutilia sunt, omisi. Tertia pars habet veteres Constitutiones Regias, quæ non minus authenticæ sunt, licet inter vulgò gallicè impressas non habeantur. Hîc omisi, & ad suos fontes relegavi plurimas Constitutiones, quæ vulgò gallicè habentur, & forensi corrupta latinitate huc inutiliter erant insertæ, cum utilius & fideliùs gallicè legantur. Sed pluribus Constitutionibus Philippi Pulchri, & Philippi Valesii novè additis, insignia quædam adjeci capita ex Constitutionibus Caroli magni, & Ludovici Pii, quarum exemplar habeo. Et hanc partem divisi in quinquaginta titulos. Quarta pars habet tractatum non minus indoctum quàm barbarum, diceres quarta Luna natum, de privilegiis Regni Franciæ, quem tamen non excusi propter quædam ad historiam utilia; sed prorsus rejeci & delevi putida quædam, & prorsus inutilia quæ mox sequebantur fragmenta, ex sordido tractatu de Prælatione magni Consilii, & Parlamentorum. Quinta pars habet decisiones Joan. Galli, antiqui hujus curiæ Advocati, quas ex Arrestis sui temporis collegit: has perpetam lancinatas, multis exemplaribus collatis integrè restitui, novoque numero usque ad 393. quæstiones locupletavi, & multa in marginibus decisive addidi. Sexta pars habet formulam Arrestorum, quæ ad stilum spectat, deinde septuaginta quatuor Arresta, seu placita venerandi Senatus Tholosani, quæ ab Arrestis nostri Senatus, quo cum permista confusaque erant, diligenter selegi, multis supervacuis cancellatis, cum aliquot annotationibus meis ad marginem. Septima & ultima pars habet multa nostri Senatus Arresta, ab anno millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, & sic triginta octo annis antequam sedes ejus affixa foret Parisiis, usque ad hæc tempora, non repetitis illis quæ Joan. Gallus refert, cum annotationibus meis ad marginem, quæ licet multæ sint, crassiorem tamen librum non reddunt. Et sic totum opus septem partibus subcisivis horis conclusi, caviique ne deinceps tironibus sit pœnitendum, vel infrugiferum; sed ad maturanda studia eorum idoneum. Hactenus fidum & diligentem ἀφελῆ subcisivarum horarum præstiti: vestrum est æstimare an reliquator sim. Tametsi interim, non tam cum ingrato sæculo, quàm cum ingratis & factiosis quibusdam mihi res sit, qui omnia nummis & hypocrisi, non virtute metiuntur. Vos autem candidissima pectora, quos verè virtutis amor & zelus afficit, si mihi laboribusque meis qui vobis jamdudum semper desudant, gratiam habueritis, monstra hæc non fovebitis, sed ab eorum commercio, fuco, & contagio abstinebitis. Parisiis calendis Novembris 1549.

Pars 3.

Pars 4.

Pars 5.

Pars 6.

Pars 7.

ἀφελῆ.

Jo. Imbertus.

Qualis stili authoritas.

Jo. Gallus.

Pars prima.

Impostura expuncta.

Pars 2.

STILVS ANTIQVVS CVRIÆ SVPREMÆ ET AMPLISSIMÆ PARLAMENTI PARISIENSIS,

NATIVÆ SVÆ INTEGRITATI AD CONTEXTVM Regesti veteris ejusdem Curiæ nunc demum restitutus, per triginta quatuor capita & paragraphos aptè distinctus, & à mendis infinitis perversionibusque tum veteris & nativæ suæ literæ, tum sensus, quibus priores impressiones scatebant, repurgatus; detractis, quæ falsò è glossa in textum desultaverant, & fideliter redintegratis quæ perperam à textu truncata erant, opera studioque Caroli Molinæi, I. C. & in eadem Curia Advocati solertissimi, cum brevibus & decisivis annotationibus ejusdem Molinæi margini adpositis, opus denuo ab eodem C. M. recognitum & auctum.

STILVS CVRIÆ PARLAMENTI.

PROOEMIVM.

QVoniam hominum memoria labilis [a] est, & quia de stilo curiæ Franciæ [1] pauca reperiuntur, & dictus stilus quandoque diversificatur [2] ideo pauca de ipso in hoc libro in scriptis compilavi. Et cum maxima diversificatione expertorum in curia, & diversificatorum, maximo labore ad me cum subtili cautela applicavi. Et ipsa in exempla tradam, ut sic non oporteat (si aliquid in dubium revocetur) nisi recurrere ad regestum curiæ.

1 *Franciæ.*) Parlamentum Parisiense dicebatur antiquitùs curia Franciæ.

Ioan. Fab l. 1. C. de sum. Tri. maximæ ab antiquo & authoritatis & integritatis: adeo ut Imperatores & Reges judicio ejus sese subjicerent, ut anno Domini 1244. Fridericus II. Imperator nepos in directa Friderici primi Ænobarbi Imperatoris utriusque Siciliæ Rex & Imperator in Germania & Italia sese ejusdem curiæ judicio super omnibus gravissimis controversiis regnorum & imperii, quas habebat contra Innocentium Papam IV. qui tametsi Regem Franciæ faventem haberet, voluit sive dedignatione, sive (quod verisimilius est) causæ suæ sub tam acri & incorrupto judicio timens; volebat enim omnino præfatum Imperatorem propria authoritate imperio, & regnis sententiando privare, ut in v. *ad Apostolica de rej jud. in 6.* ubi Innocent. Papa in sua glossa ait sese infinitis terræ marisque vix inenarrabilibus periculis subjecisse ut illam ferret sententiam. Tanta erat in augenda sua potentia. Et anno 1312. causa Comitatus Namurcensis in eadem curia agitata fuit inter Ioannem comitem Namurcensem & Carolum Valesium fratrem regis, qui postea rex fuit. Et fuit Arrestum latum ab eadem curia contra Carolum Valesium. Anno 1320. Philippus Princeps Tarentinus & Burgundiæ Dux, sese submiserunt eidem curiæ in causa sumptuum pro recuperatione Imperii Constantinopolitani, & Arrestum in eadem, rege præsente, latum pro Principe Tarentino, qui postea judicio ejusdem Curiæ propter quædam alia mulctatus. Dux Lotharingiæ & Vidus Castellionæus sororius ejus in erisendis dotionibus in Lotharingia & alibi sitis, curiæ se submiserunt & Arresto ejusdem curiæ decisum anno 1342. Deinde anno 1390. Delphinus Viennensis & Comes Allobrogum vulgo Sabaudiæ sese eidem curiæ submiserunt super hommagio Matthionæus Salutiarum, & ejusdem curiæ judicio adjudicatum Delphino. Deinde per aliud Arrestum dictus comes pro restitutione fructuum, damnis, & interesse condemnatus in ducentis millibus librarum auri, & tempore Caroli sexti Cameracenses vocati in jus in eadem curia super contemptu Arrestorum comparuerunt, steterunt juri, & satisfecerunt. Anno 1403. quidam nobiles equites Hispani in eadem curiam attulerunt tractatum fœderis inter Regem Castellæ, & Regem Lusitaniæ seu Portugalliæ, ut in eodem Senatu publicaretur ostiis apertis, quod factum fuit, & monumentum publicationis habuerunt, secumque tulerunt. Tanta fuit ejusdem curiæ authoritas & dignitas. Plura brevitatis causâ prætereo. C. M.

2 *Diversificatur*) Iuxta illud Rota rotat. Bonifac. de vitali *de si appellationem de appellat.* & stilus curiæ volubilis est. *Alberic. in dictionē. ver. curia. Io. And. in novella lib. 6. c. 1. gloss. 4. de cle. Feli. 6. Rodulphus. col. 16. de rescript. Inst. l. 1. loct. 1. vol. 10. C. de sum. Trin. dixi in prælim. Consuet. Paris. gloss. 1. C. M.*

CAPUT I.

De modo & gestu, quem habere debet Advocatus curiæ Parlamenti.

HAbeat Advocatus modum & gestum [b] maturum [c] cum vultu læto, moderatè sit humilis [d] & curialis secundum statum suum, retenta authoritate status sui refrenet motum animi sui ab ira [e].

Cum partes tædiabunt eum præ nimio eloquio, vel aliàs, instruat partes: ne ipsum onerent supervacuis, & quod inspiciant locum & tempus loquendi cum est. O advocate! præferas in expediendo solventes [f] non solventibus & maximè auctorisabiles.

Non aperias [g] intentionem tuam clientibus, nec libenter videas arramenta; quousque sis securus [4] de salario [h] tuo. Diligentius solito videas puncta arramentorum, ne loquendo nimis, vel aliàs fallaris.

Materiam causarum tuarum divide per membra, ut melius commendes memoriæ, & artificiosè prosequere.

Quæ per partem adversam dici debebunt, verisimiliter provideas, [i] ut minus ferociter feriaris.

In omnibus causis tuis magis acutè, & veraciter solito loquaris, & in toto [k] decenti.

Appunctationem curiæ de causis tuis commendes memoriæ, & instrue partem ut recordetur.

Cùm eris pro actore, caveas ne Advocatus partis adversæ te ponat in novo litigio, nec sibi respondeas, donec responderit tibi.

Cùm eris pro reo, respice adjornamentum diligenter, & impugna illud totis viribus tuis. Et si non valebis impugnare, caveas [5] (ad benè arguendum) quod non tenearis respondere, vel ponas adversarium extra propositum, si possis.

Si contra adjornamentum nihil possit opponi, & oporteat te respondere: & facta sit aliàs petitio per actorem, quæ propter exceptiones vel dilationes fuerit dilatata: fac repetere petitionem, & caveas si Advocatus partis adversæ aliquid in ea immutabit in substantialibus, addendo vel diminuendo: quod si faciet, poteris dicere quod ad hoc non es adjornatus.

Opprobriis contra curiales Regis nullo modo utaris, nec contra partem, nisi quatenus necessario faciat ad querelam.

Advocatum vel partem subdolè dicentem, subdolè diverte, & truffando repelle, ut curialiter & sine indignatione curiæ, ac sine reprehensione assistentium vindiceris. [l] Si vero apertè & clarè vituperium diceret, apertè & alto modo (rationabiliter tamen) te defendas, [6] nec movearis ad iram, [m] ne perdas propositum tuum, vel modum excedas.

g Gestu) Hæc pulchrè & uberius docent Cicer. & Quintil. de Orat. ad quos relego. C. M.

4. Securus) Hujus stili compilator sui hujus sæculi non æternũ Deum præ oculis habebat. C. M.

5 Caveas) Malum scire expedit, ut provisum cavcatur, juxta illud de simplicitate columbæ, & astu serpentis 6. q. 1. c. ex merito 1. 16. q. 1. c. si cupis: facit c. in mãdatis 43. dist. C. M.

6 Defendas) Crudelis est qui famam suam negligit. c. nolo. 22. quæst. 5. C. M.

CAPUT II.

De adjornamentis & per quem modum fieri habeant, & infra quod tempus fieri vel impetrari oporteat.

7 Ante) Hoc olim fuit usui tempore veteris politiæ, quãdo omnes causæ cujusque anni non solùm deferebantur: sed etiam quatenus instructæ erant, decidebantur in anni immediatè sequentis Parlamento, quod ad hãc finem singulis annis velut novum ex delectis judicibus & Advocatis instaurabatur, quo finito in privatorum ordinem (nisi alio magistratu præditi essent) redibant. Nunc autem mutata politia, stilus mutatus est, nisi quod Cancellaria quemadmodum verbis temũ veterem servat formam citandi judicis à quo, & intimandi duntaxat appellatis: ita adhuc hodie in dispensatione Parlamenti sedentis. Porro ante viginti annos vidi curiosè servari duplicem dispensationem, videlicet nonobstante quod litigantes non sint de diebus quibus tempore diei dictæ litigabitur: & quod Parlamentum sedeat (ut habent formularia vulgò protocola literarum Cancellariæ) sed jam ante decem annos prior clausula prorsus desiit, quia omissa spernitur & sæpè omittitur, solum autem retinetur adhuc clausula de qua in §. sequenti, & adhuc si fit omissa, puto citationem ad præsens Parlamentum simpliciter factam valere, quia re vera ea formula hodie inanis est, cumque absque difficultate ea dispensatio concedatur, videtur hodie jus commune, omissio vero facta scriptoris errore, qui non nocet. C. M.

§. 1. ADjornamentum habet impetrari ante.[7] Parlamentum in quacumque causa, aliàs non tenet: nec Pars rea tenetur procedere in dicta causa. Imo haberet congedium, si impetratum esset durantè Parlamento, ad aliquam diem dicti Parlamenti. Et idem esset ubi ob aliquam causam, aliqua causa pendens coram aliquo judice vel Commissario per Regem dato remitteretur Parlamento durante ad aliquam certam diem illius Parlamenti, ad quam partes adjornatæ essent, quia nec remissio, nec adjornamentum valerent, imo partes remitterentur per curiam ad priorem judicem vel Commissarium. Et ita dictum fuit per Arrestum curiæ Parlamenti anni 1327. pro Armando de Goutando contra Petrum de Goutando. Et hæc vera sunt, etiamsi partes essent de patria quæ regitur jure scripto: Et est ratio, quia iste stilus respicit ordinem litis, non decisionem: & ideo in iis stilus curiæ servari debet: pro hoc digest. de instito. act. *l. sed & si pupillus §. de quo palam & nota C. de summa Trinit. & fide cathe. l. 1. in quadam glossa additionali.* [a]

§. 2. Item præmissa vera, fallunt tamen ubi in litera adjornamenti contineatur, quod volumus fieri, non obstante quod nostrum sedeat Parlamentum, de gratia speciali, vel ex causa, idem si per verba æquipollentia diceretur. [b]

§. 3. Item licet adjornamentum habeat ante Parlamentum impetrari: sufficit tamen ipsum exequi postquam inceperit Parlamentum: dum tamen competenti tempore ante diem præfixum in adjornamento exequatur.

§. 4. Est autem tempus competens quo reus poterit parare sarcinulas suas ad veniendum ad curiam ad diem sibi præfixam: ut scripturas, pecuniam & alia sibi necessaria ad defensionem causæ suæ, & specialiter ubi reo non est danda dilatio prætextu consilii: ut in casibus notatis infra *in tit. de dilat.* §. 1. Aliàs Pars adversa potest dicere adjornamentum arctum: & ideo se non teneri procedere cum actore: & petere congedium, [8] & sibi partem in expensis condemnari, & hoc verbum ubi reus se præsentasset ad diem sibi assignatam tempore & loco congruis. Et si se non præsentasset, & ideo actor contra ipsum obtinuisset adjornamentum ad sequens Parlamentum, ad videndum judicari utilitatem defectus, reus præmissa posset opponere, & actor nullam utilitatem deberet habere ex primo defectu propter jam dictam rationem. Item ubi esset dilatio [c] prædicta danda: ubi Pars se præsentasset, posset compelli ad procedendum. [9]

§. 5. Item si adjornamentum contra aliquem [10] impetretur sub proprio nomine, vel etiam sub nomine

8 Congedium.) Hoc non servatur nisi ubi quis citatur ad actum semel tunc conficiendum: aliàs tantum prorogaretur dilatio. Unde hodie non admitteretur appellatio à nimis arcta citatione ad causam, nec à defectu quidem contra se datò; sed non judicato, quia ante sententiam contumaciæ, res est sibi semper integra, & sibi nisi subterfugia quæ potest brevius & utilius consulere coram judice à quo, quàm per remedium appellationis quod ante diffinitivam est extraordinarium & odiosum. C. M.

9 Procedendum) Scilicet accipiendo dilationem & ulteriùs procedendo. Et sic hoc casu (etiam de veteri stilo) non poterat peti congedium, & multo minùs appellari, quia citatio non præcedit. C. M.

10 Aliquem) Et sic commissio personalis est seu particularis, secus si generalis, vel si non requireretur commissio. C. M.

dignitatis, ut verbi gratia si mandetur per Regem alicui sic: Mandamus tibi ut ad instantiam talis a Ljothes talem abbatem, &c. Et reus citandus moriatur antequam adjornetur, & postea adjornamentum executioni demanderur contra ejus successorem, successor non tenebitur procedere in dicta causa: nam ita fuit dictum per Arrestum curiæ in Parlamento, anni 27. contra Matthæum Pergumeum de Monte-pessulano: & hæredes Petri Benedicti dicti loci in primo casu. In secundo autem pro abbate [d] Caliniaci.

§. 6. Item adjornamentum impetratum alii quàm ordinario non valet, per verbum mandamus, licet ille cui per curiam dirigitur, inveniat adjornandum in Baillivia sua, vel Senescalia sua personaliter: & eum adjornet in jurisdictione sua, cum adjornandus habeat domicilium extra Bailliviam suam. Et est ratio, quia hoc verbum mandamus, [e] est solum excitativum jurisdictionis, & illic non est de jurisdictione sua. Et ità dictum fuit per Arrestum curiæ contra dominum de Mailli, pro Comitissa Atrebatensi. Secus esset, si per verbum Committimus, quia tunc virtute commissionis valet, etiamsi ipsum non in loco domicilii sui; sed etiam extra jurisdictionem suam personaliter inventum adjornasset. Ita dictum fuit per curiam in Parlamento anno 1525 contra dominum Petrum de Galardo: pro domino Roberto de Montemauri quem prædictus, [21] Parisiensis adjornaverat.

§. 6. Item si scribatur alicui non ordinario, [13] ut adjornet non sibi subditum: & ille cui scribitur, requirat in jurisdictum illum [14] cui subest, & roget ut illum adjornet, qui rogatus & requisitus facit adjornamentum: numquid valebit? videtur quòd non, quia hæc requisitio solum ordinario jure habet fieri, & ideo nec per ordinarium factum videtur adjornamentum. Quod tamen falsum est, & ipse ut commissarius propria, [14] auctoritate sine aliqua requisitione hoc potuerat facisse, per verbum committimus, [15] cum esset major omni ordinaria. *extra de offic. deleg. c. sane 2. & c. pastoralis ff. de officio ejus cui manda. est jurisdict. l. & si prætor*: ut sic possit dici, quod potui nolui: [f] & quod volui, adimplere nequivi *juxta l. vulgatam: multum interest. C. si quis alteri vel sibi l. si genero, ff. de jure dot.* Dictum fuit contrarium per curiam contra dominum Montisfortis pro comite Convenarum, & domino Guidone ejus fratre, ex ut illa æquitate, si non valet ut ago, valeat [g] si potest.

§ 8. Nullus [16] Senescallus, Baillivus, Commissarius, vel serviens, potest aliquas partes adjornare ad Parlamentum super aliqua causa nisi de mandato vel commissione [h] Regis [17] hoc faciat: & si secus fecerit, non tenet adjornamentum. Nec Pars ut adjornata tenetur procedere cum actore: & hoc super quacumque causa principali servatur per curiam, & etiam in causa appellationis.

§. 9. Fallit tamen in causa principali, ubi ordinarius per modum consultationis remittit [18] partes ad curiam, & hoc consonat cum ratione, *l. 1. & 2. C. de relat.* [i]

§. 10. Item ubi partes consentiunt, [19] & tunc [k] curia non debet remittere ad primum judicem partes ipsas, potissimè ubi apparet ratio evidens quòd judex hoc non fecit ad se exonerandum de causa: ubi verò constaret quòd judex sine causa, & ad se exonerandum fecisset, curia partes & negotium eidem remittere consuevit.

§. 11. Item fallit in Senescallis & Baillivis, qui sua propria auctoritate pares [l] Franciæ in casu novitatis, & partes conquerentes de dictis paribus audire possunt [20] in eorum requestis, & in casu in quo opponere volunt partes eisdem, ipsos possunt adjornare coram dominis futuri tunc temporis proximi Parlamenti, ad dies Bailliviarum suarum vel Senescalliarum Parlamenti: & ita dictum fuit per curiam in Parlamento, anno 1527. contra Episcopum Laudunen. pro quodam suo adversario.

§. 12. Item fallit in gardiatoribus [m] Ecclesiarum qui in causa novitatis, propter oppositionem adversariorum illorum quos habent in gardia speciali, adjornant partes modo præmisso, [21] & propria auctoritate possunt adjornare, & partes tenentur procedere in dictis causis, ac si factum esset adjornamentum auctoritate regia. [22] Et ita vidi fieri contra Comitem de sacro Cæsare, alias de Sanserre, pro abbate & conventu sancti Saturnini: in Parlamento, anni 1527. & in pluribus aliis causis.

§. 13. Item sciendum est quòd in personalibus & realibus actionibus est faciendum adjornamentum in loco domicilii, vel in præsentia personæ secundùm stilum [n] curiæ præsentis.

§. 14. Hoc fallit in casibus qui sequuntur. Primò in actionibus realibus, ubi res quæ petitur, esset talis naturæ quod requireret ibi dominum præsentem, vel alium qui ejus personam repræsentaret ut Baillivum vel Senescallum, ut puta si peteretur a aliquo castrum cum omnimoda jurisdictione, tunc sufficeret ire ad locum contentiosum. [o]

§. 15. Secundò fallit in illo qui reali actione conveniretur & moraretur extra regnum, vel si esset vagabundus, [p] ita quòd nesciretur ubi haberet domicilium. *Ita* vidi pronunciari per Arrestum curiæ Parlamenti contra Magistrum Joannem de Bello Monte, in causa novitatis pro quibusdam domibus suis Parisius sitis, qui dicebatur habere domicilium ad Carnotum in carronia sua. Et pars adversa dicebat ipsum vagabundum, & hoc consonat rationi.

§. 16. In aliis autem secus, quia iniquum esset si adjornamentum teneret, nisi constaret ipsum ad citati notitiam pervenisse. Unde circa hoc quando citatur quis absens ad domicilium, respice diligenter executionem adjornamenti: quia si contineat, cito talem, vel talis citavit talem ad ejus domicilium, licet absentem, valet [q] adjornamentum.

§. 17. Si autem contineat, citavi talem procuratorem talis in præsentia dicti talis, non valet citatio: quia citatus excedit fines mandati [r] sui, cum dominus mandaretur citari vel adjornari, ita dictum fuit pro Vicecomite Casserardi, contra abbatem & conventum de sancto Floro. pro hoc facit *l. diligenter ff. mandati.*

§. 18. Item si dominus citatus fuerit, & ipsius procurator se præsentaverit in Parlamento ad omnia quæ incumbunt agenda in dicta causa, eodem Parlamento durante, sufficiet procuratorem citari, si præsens sit procurator, aliàs non. [s] Sed Parlamento transacto seu finito [23] super agendis in dicta causa non sufficeret citari procuratorem, licet præsens sit: sed requiritur dominum citari: ut circa productionem testium, & similia: quæ coram commissariis in dicta causa datis habent explicari. Ita dictum fuit per curiam pro domina Narbonæ & ejus sororibus contra dominum Montis fortis.

§ 19. Hoc tamen fallit in casu, ubi procurator qui se pro aliquo præsentavit, clauso Parlamento præsens inventus Parisius citatur pro articulis concordandis, & ita notoriè curia hoc observat, & credo quòd ratio sit, quia illud celeritatem desiderat, nec patitur temporis brevitas [t] ire ad partes illius qui citatur,

in *Præfiss.*) Tunc temporis rex citationes ad se vel Parlamentum fieri mandabat per præsides Provinciarum in magnis personis, quod meritò exolevit. C. M.

21 *Ordinario.*) Scilicet citandi, sed in alio tuo loco ordinariam habenti. C. M.

23 *Illum.*) Scilicet ordinarium citandi.

24 *Propria.*) Quam habeat ille sufficientem ut delegatus.

25 *Committimus.*) Adhuc tempore meo vidi cancellariam & pragmaticos multùm superstitiosos in horum verborum differentia; quæ hodie sæpius mentio ipsorum. C. M.

16. *Nullus.*) Hoc adhuc hodie regulariter servatur, fallit tamen fallentias sequentes, in omnibus commissariis curiæ sive consiliariis sive aliis delegatis, etiam meris servientibus quando partibus diem assignant in curia sub sygraphis sub. C. M.

17 *Regis.*) Id est sub sigillo cancellariæ.

18 *Remittit.*) Quod non laudabile. Sed hodie (& malè) non servatur, sed judicate coguntur, aliàs appellatur à deregatione juris. C. M.

19 *Consentiunt.*) Nec hoc amplius servatur, nisi ex officio curiæ. C. M.

20 *Possunt.*) Non ut de causa cognoscant invitis partibus qui ab eis exempti sunt: sed ut sine lite, si fieri queat, negotium dirimant, vel ut vim facti impediant, & partibus in curia diem dent. C. M.

21 *Præmisso.*) Scilicet post oppositionem & de rebus contentis in gardia dumtaxat, id est in pregrammate regio de speciali protectione & conservatore dato, quod decet in eadem curia homologari: ut per Arrestum pro capitulo Belvacensi latum die 2. Junii hoc an. 1558.

22 *Regia.*) Id est per litteras cancellariæ, alioquin quilibet vi illimus officialis regius, regia auctoritate fungitur & exequitur. Et sic hi gardiatores ut tales nō habebant olim jurisdictionem contentiosam in aliter non subditos, sed tantum inhibere poterant vias facti & notorias injurias. Et super lite dicē dicere partibus in Parlamento proximo, ferè simile in c. 1. de offic. deleg. in 6. Sed hodie de causa cognoscunt & judicant in prima instantia, quia Parlamenta satis sunt occupata. C. M.

23 *Finito.*) Vetus motissas quòd procuratoria ad lites in curia expirarēt cum Parlamento, duravit usque ad tempora mea nisi quòd curia ad obviandum sumptibus partium solebat (ut dicunt) authorizare dicta mandata singulis annis. Tandem generali Constitutione 1528. cautum ut perpetua & valida essent dicta mandata à parte non revocata citra aliud curiæ decretum. Non tamen solum procuratorem vocari ubi periculum aut captio subesset, ut in testibus producendis vel instrumentis in partibus, & non in curia exemplandis C. M.

maximè quia illud est de dependentiis actorum in præterito proximè Parlamento.

§. 20. Item in causa appellationis adjornamentum habet fieri ad locum ubi Pars [a] vel judex habet domicilium : & sunt cubantes & levantes.

[24] *Dictum*) Supra §. 13.

§. 21. In personalibus actionibus debet fieri indistinctè, ut dictum [24] est.

§. 22. Et idem est super prosecutione defectus obtenti in curia, in causa appellationis : Et est ratio, quia prosecutio causæ appellationis vel ejus defectus est personalis, ut dictum est per curiam in Parlamento anni 1318. aliàs 24. pro domino de Calvomonte, contra Gilbertum de Gasiaco.

§. 23. Item si per factum illius qui debebat facere adjornamentum, factum fuerit alibi quàm in loco domicilii, & citandus personaliter non fuerit repertus ibi ubi factum extitit, & potest dari per exemplum in causa appellationis, vel simili, adjornatus pro non adjornato debet reputari : & actor debet à causa [25] sua cecidisse : cum satis habuerit de tempore ante diem Parlamenti, ad quam citatio debuit fieri, ut faceret fieri competens adjornamentum. Aliquando restituitur [26] ad tempus Pars, ut de novo adversarium suum possit adjornare ad sequens Parlamentum, ita dictum fuit per curiam inter partes prædictas de Parlamento, licet forte gratiosè.

[25] *Causa.*) Id est abinstantia & effectu dictæ citationis. C. M.

[26] *Restituitur.*) Quod est utile quando propter nullitatem prioris citationis ius esset præscriptum vel deterius factū, aliàs mero jure potest fieri nova citatio. C. M.

CAPUT III.

De adjornamentis Parium Franciæ.

[1] *Regem.*) Id est per literas cancellariæ, ut sæpè dixi. Sed hæc onerosa formula meritò exolevit ; fiebat enim ut pauperibus subditis difficilior esset justitiæ aditus, qui tamen æqualis esse debet, imò tenuiorum magis quam potentiorum gratiâ institutus est C. M.

§. 1. ITem Pares Franciæ adjornantur solum per Regem, [1] & non per alium judicem : scribit Rex eis. Adjornamus vos, &c. & postea fit alicui baillivo commissio ad partem [2] in quibusdam aliis litteris, quod ipse literas adjornamenti quæ Pari diriguntur, eidem præsentet, per se vel alium : & intimet illi, quòd ad diem certum interfit in Parlamento : & quod de his rescribat curiæ. Et est ratio quare Pares non possunt per alios judices adjornari : quia non sunt subjecti Baillivis, nec Senescallis, nec de ipsorum ressorto.

§. 2. Sed hoc fallit in casibus qui sequuntur. Primo in causa novitatis, ut supra dictum est *cap. præcedenti* §. 11. Secundo quod ad inhibitiones ipsis faciendas, ne aliquid contra appellantem ab ipsis attentent, & ut intiment eis dictos appellantes fore in salvagardia speciali Regis quos ipsi possunt recipere in eadem, & eisdem dare specialem gardiatorem : quod est contra *l. fin. C. de erog. milit. anno lib.* 12. Sed curia punit [3] facientes contra tales gardiatores vel ipsorum inhibitiones.

§. 3. Et quod ad præmissa dicti Pares sunt de ressorto Baillivi vel Senescalli : Et est ratio, quia præmissa celeritate indigent, & ita celeriter [b] per Regem provideri non posset. Item fallit in causis jam inceptis. Item ubi adjornatur tanquàm tutor, vel administrator alterius.

[2] *Partem.*) Id est aliæ & secundæ literæ Cancellariæ, quod erat inæquale & pudendum in administratione justitiæ. C. M.

CAPUT IV.

De adjornamentis in causis appellationum & quo tempore impetrari debeant & exequi.

[1] *Judex*) Additio marginis regisiti habet quòd si sint plures, omnes debent adjornari, non solum major pars, quia omnes tenentur ad emendam, si succumbat. Idem si præbent assensum, secus si consilium. Alia additio dicti regisiti ostendit quòd idem servabatur in literis anticipationis : quod ultimum prorsus exolevit : & verum esset quod ad judices regios, qui non mulctantur si male judicaverint, sed appellante, relevante, servante adhuc vetus formula verbaliter dumtaxat : quia manus est mutata veteri politiâ secundum quam judex ipse qui male judicaverat, litem suam faciebat, nec tantum mulctabatur, sed etiam in omnes impensas damnabatur. Quod autè ad judices non regios, licet hodie

§. 1. VBi appellatur ab aliquo judice terræ consuetudinariæ adjornatur judex [1] qui tulit sententiam principaliter, & non pars, & fit intimatio illi pro quo lata est sententia, ut ad dies ad quos citatus est judex [2] interfit, si sua crediderit interesse.

§. 2. Item econtra fit in patria quæ regitur jure scripto, quia adjornatur principaliter ille pro quo fuit lata Sententia, & fit intimatio judici. Si autem contrarium haberet, ut quia judex patriæ juris scripti principaliter adjornaretur, & fieret intimatio illi pro quo lata est sententia, adjornamentum non valeret : imò appellans caderet [3] ab appellatione sua, ita vidi pronunciari in Parlamento anni 1327.

§. 3. Item quod dixi, verum est quòd appellans qui sic impetrasset adjornamentum, caderet ab appellatione sua, nisi in casu in quo esset minor : quo casu restitueretur per Parlamentum ut adjornamentum posset impetrare contra partem adversam ad aliud Parlamentum, & causam suam tunc proponere. Ita vidi pronunciari per Arrestum curiæ anno 1327. pro Retinuo Cacivelli appellanti.

§. 4. Item ubi aliquis appellavit ab aliqua sententia, sive sit de patria consuetudinaria, sive juris scripti ad præsentem curiam : vel sit talis causa quæ alibi non posset agitari, olim opotebat quod impetraret adjornamentum, ante principium Parlamenti proximè futuri, hodie autem infra tres menses à tempore sententiæ numerandos, debet impetrare & exequi adjornamentum : si satis habeat de tempore, aliàs reputaretur non appellans, & tempus esset arbitrarium in curia. Ita vidi pronunciari in Parlamento anni 1323. contra Gulielmum de Bergohaco : pro capitulo de Negotelio, Diœcesis Auxitanæ, in qua causa curia in ducatu Aquitaniæ tempus sufficiens reputavit 10. septimanas, nunc mutatum est per ordinationes factas anno 1340. per Philippum sextum de Valesio vulgariter nuncupatum, per quas corrigitur ordinatio Philippi quarti cognomento Pulchri.

§. 5. Item si satis supersit de tempore ad impetrandum adjornamendum infra proximum Parlamentum, & non curaverit impetrare, sed proximo futuro Parlamento sedente, illud impetraverit ad aliud proximum Parlamentum, licet nondum fuerit lapsus annus à tempore sententiæ per curiam, reputabitur non appellans. [4] Ita vidi pronunciari per curiam in Parlamento anni 1323. pro Stephano de Podio, contra Bertrandum de Martilano : & in Parlamento ann. 1343. contra Jacobum de insula, pro quodam adversario suo.

§. 6. An autem ille qui non est adjornatus ad domicilium literatoriè vel aliàs sufficienter si repertus Parisius vel in Parlamento, seu alibi de mandato curiæ adjornetur,

non faciant, ut olim, litem suam : ramen cujus hodie in mulctam consuetam caduot, si dicatur malè judicatum, ideo puto quòd non solùm ex parte appellantis, sed etiam ex parte appellati anticipantes, debent modo consueto citari. C. M.

[2] *Caderet.*) Hodie non cadit, sed solum solvit expensas inepræ citationis, & adhuc prorogatur tempus relevandi, etiamsi fatalia erant interim lapsa, ut per plura Arresta vidi, & novissimè in concessu Riomensi 1546. C. M.

[3] *Appellans.*) Hic vigor meritò exolevit præsertim si appellans nondum citatus est super defectione. C. M.

[4] *Judex.*) Hodie non cadit, sed solum solvit expensas inepræ citationis, & adhuc prorogatur tempus relevandi, etiamsi fatalia erant interim lapsa, ut per plura Arresta vidi, & novissimè in concessu Riomensi 1546. C. M.

adjornetur, habeat jus revocandi domum? [b] & viderentur quòd non, quia ad curiam superiorem, & in loco communi omnibus regnicolis venit juxta *l. Roma, ff. ad municipal. extra qui fil. sint legitim. c. per venerabilem.* Contrarium tamen [a] dicas de stilo curiæ præsentis.

[a] *Tamen*) Et sic opus erat nova citatione ad aliud sequens Parlamentum, nisi tempora sufficerent, ut sup. c. 2. §. 3. sed hæc hodie non curantur. C. M.

§. 7. Fallit tamen in casibus qui sequuntur. Primo ubi aliquis prætenderet causam specialem contra sic inventum, puta contractum Parisius initum, vel aliam de contentis *ff. de judic. l. 2. legatis, & l. hæres in glos. eo. titul.*

§. 8. Item fallit ubi quis petit assecuramentum ab aliquo sibi dari in præsentia curiæ: & est ratio, quia ad hoc præstandum compellitur omnibus exclusis [5] exceptionibus. Ita vidi pronunciari per curiam contra Comitem Armigniaci, pro Archiepiscopo Auxitano in Parlamento, anno 1527.

[5] *Exclusis*) ut infra tit. de assecuram. nisi.

§. 9. Item fallit in omnibus causis criminalibus [c] sive ex officio, sive ad denunciationem alicujus, mixtum aliquis esset insecutus, sive ex officio tantum. Ita vidi pronunciari contra Consules [6] Burgi Narbonæ, pro Procuratore Regio, & Abbate Fontis frigidi, in Parlamento anni 1323.

[6] *Consules*) Fa. inf. c. 10. §. 3.

§. 10. Et circa hoc notata unum notabile, quòd dicti Consules [d] Burgi Narbonæ reperti Parisius, non de facto proprio, sed universitatis: & non de tempore suo, sed de facto quorumdam singularium dictæ villæ insequebantur. Attamen curia voluit quòd super impositis dictæ universitati & singularibus hic litigarent, sed tamen curia præfixit eis terminum infra dictum Parlamentum, infra quem se potuissent super prædictis advisasse, etiam quod certa die de præmissis in Parlamento responderent. Ita vidi pronunciari contra dominum de Belloforti, pro quodam homine D. Henrici de Lanclastre in Parlamento anni 1525.

§. 11. Item fallit ubi quis ad solam denuntiationem alicujus super aliquo crimine in curia insequitur: ita vidi pronunciari contra Dom. Robertum de Castrovilain.

§. 12. Item fallit ubi quis aliquem inventum Parisius vult provocare ad duellum, [e] quia velit aut nolit, compellitur respondere. Ita vidi in pluribus casibus in Parlamento, videlicet de Arnaldo de Duroforti, provocato ad duellum per Armandum de Monte-Acuto in Parlamento anni 1327. & in pluribus casibus in Parlamento ejusdem anni, licet in his daretur dilatio prætextu absentiæ amicorum: quod puto notabile.

§. 13. Item fallit in officiario Regis puta Seneschallo vel Baillivo, qui super commissis in officio suo poterit ab aliquo prosequi in præsenti curia, in eadem repertus. Ita vidi pronunciari in Parlamento anni 1525. pro domino de Crano, contra dominum Petrum de Ferrariis, Seneschallum Xantonensem.

§. 14. Item si quis causam proprietatis contra Regem movere velit, oportet quòd faciat adjornari Procuratorem regium ad procedendum in causa, in Parlamento, videlicet Procuratorem regium generalem per regem constitutum in Parlamento, quia si Procuratorem Regium patriæ [7] in qua res est sita, faceret adjornari, non sufficeret, imò esset insufficiens adjornamentum: ita dictum fuit per Arrestum curiæ in Parlamento anni 1525. pro Procuratore Regis, & Guidone de Cubrabranc, contra majorem & Juratos S. Quintini in Viromandia.

[7] *Patriæ*) quæ & habetur pro substituto generalis procuratoris fisci qui unicus est in Senatu Parisiensi residens. C. M.

§. 15. Sed in causis appellationum à sententiis latis pro Rege, vel in causa novitatis, vel saisinæ, vel aliis similibus, puta amotionis manus Regiæ, sufficeret Procuratorem patriæ adjornari, ita dictum fuit ibi.

§. 16. Item si quis vult agere in Parlamento contra minorem [f] viginti quinque annis, oportet dictum minorem cum tutoris vel curatoris auctoritate, vel ipsum tutorem aut curatorem adjornare: aliàs si minor simpliciter adjornare.tur, esset insufficiens adjornamentum de stilo curiæ, ita visi fieri in Parlamento anni 1327. contra dominam Margaritam de Relangiis & ejus liberos pro Joan. Quarcinelli.

§. 17. Item ubi aliqui litigant in Parlamento super saisina alicujus rei, & saisina sibi adjudicatur, hoc tenento per curiam, quòd alteri qui devictus est super saisina, fiet jus super proprietate per curiam, & hoc dicatur per Arrestum curiæ: quia tunc ille qui obtinuit super saisina in eodem Parlamento per dictum Arrestum, videtur, & est adjornatus super proprietate, & hoc si duret Parlamentum: & si non duret, ad sequens Parlamentum est adjornatus per dictum Arrestum, & comparere tenetur, aliàs dabit defectum, vel reo congedium. Si autem dictum non fuerit quod fieret jus super proprietate, sed simpliciter fuit reservatum [g] jus super ipsa proprietate, tunc oportet quòd judicium super proprietate intentetur, aliàs cadet infra annum à jure suo, ita dictum fuit per Arrestum curiæ in Parlamento anno 1327. pro Bertrando de Mota contra Arnaldum Guillelmi de Barra.

[a] *Legantur*) Hodie non servatur hic rigor, sed pars auditur ad purgandam contumaciam, donec tunc per Arrestum judicata sit. Etiam amplius non auditur, nisi fuerit minor indefensus, vel nisi de dolo aut subreptione doceatur *l. si pater. §. Marcellus de judic.* & adhuc in Cancellaria obtinendæ sunt periculosæ & duplices literæ quas vulgo requestam civilem vocant. C. M.

[b] *Audietur*) ita dictum fuit in Parlamento anno 27. contra Guillelmum de Mesila, pro hæredibus cujusdam mulieris vocatæ la Baude. Item esset si vellet proponere contra appellantem quòd appellationi renunciasset. Item si dicat super eisdem causis, pro quibus appellavit, processum pendere coram certis Commissarus à Rege datis, non audiretur eadem ratione. Ita fuit pronunciatum contra dictum Guillelmum pro dictis hæredibus.

§. 2. Item fallit si in eodem Parlamento dies fuerit assignata. [i] Item fallit si dies fuerit feriata: quo casu propter absentiam recipientis sufficit se præsentare coram statua. [j] Item fallit si partes sint in Arresto. Item fallit propter impedimentum illius qui debet se præsentare. Item fallit propter relevationem Regis per literas suas, quæ licet prosint quoad hoc, ut non præsentans non teneatur ad expensas, vel ad aliam pœnam: non tamen potest petere expensas ab alia parte quæ se præsentavit. Item fallit ubi pars adversa se

[i] *Assignata*) Quia debet assignari in Parlamento sequenti, supra, c. 2 in princ. ideo non valet contumacia ipso jure, si non fuit dispensatum de Parlamento sedenti, & si fuit dispensatum, facilius indulgetur contumaci, sicut facilius indulgetur anticipato. C. M.

[j] *Statua.*) Puto Compilatorem erasse, quia absurdum, debet autem se sistere die sequenti, non feriato, l. celsus de arbit. c. cum dilecti, de dol. & contum. Innoc. 6, bene 2. in princip. dicit. C. M.

CAPUT V.

De præsentationibus faciendis in Parlamento, & persona vocata ad ostium cameræ, nec eius Procuratore.

§. 1. DE stilo istius curiæ est quòd partes quæ habent facere in Parlamento, ad dies Baillivarum seu Senescalliarum suarum se præsentent coram deputato super recipiendis præsentationibus, vel in crastinum antequam domini tenentes Parlamentum recedant. [a] Aliàs parti quæ se præsentasset, si sit actor, concederetur defectus: & si sit reus, congedium: & pars quæ se non præsentasset, non audiretur [b] in aliquo, ut patet per plura exempla quæ sequuntur. Nam si judex faciens contra aliquem injuriosam executionem, à quo ideo appellatum est, & adjornatus in Parlamento parti intimatione facta ad diem ad quam adjornatus est, non se præsentaverit, nec pars etiam, licet postea dum leguntur [1] præsentationes in camera, velit dicere partem non potuisse appellare, & velit etiam redarguere de perjurio, quia venit contra executionem, non audiretur, nec requestam partis adversæ potest impugnare, quia potuisset se præsentasse, & tunc ea proponere, & quia se non præsentavit, ideo non audietur, ita dictum fuit in Parlamento anno 27. contra Guillelmum de Mesila, pro hæredibus cujusdam mulieris vocatæ la Baude. Item esset si vellet proponere contra appellantem quòd appellationi renunciasset. Item si dicat super eisdem causis, pro quibus appellavit, processum pendere coram certis Commissarus à Rege datis, non audiretur eadem ratione. Ita fuit pronunciatum contra dictum Guillelmum pro dictis hæredibus.

[1] *Leguntur*) Hodie non servatur hic rigor, sed pars auditur ad purgandam contumaciam, donec tunc per Arrestum judicata sit. Etiam amplius non auditur, nisi fuerit minor indefensus, vel nisi de dolo aut subreptione doceatur *l. si pater. §. Marcellus de judic.* & adhuc in Cancellaria obtinendæ sunt periculosæ & duplices literæ quas vulgo requestam civilem vocant. C. M.

non præsentaverit. Ita si petitor mortuus fuerit lite pendente, defensor non tenetur se præsentare, [4] quia non habet partem quousque hæres resumpserit arramenta; nihilominus tamen potest impedire defectum hæredis, si resumat & petat defectum.

§. 3. Item quod dixi, qui se non præsentavit, non audietur, fallit ubi vellet dicere adjornamentum non valere, vel non tenere. Et ideo non oportebat se præsentare, quia tunc audiri debet: Et est ratio quia interest curiæ scire an valeat vel non, quia nisi valeret, non deberet concedere defectum: cum ubi non teneret adjornamentum, haberetur pro non facto. Alia ratio potest esse, quia non teneretur quis se præsentare, nisi quia adjornatus: & ideo cum inutile [c] adjornamentum pro non adjornamento habeatur, non potuit imponere necessitatem adversæ parti se præsentandi, *argum. ff. qui satisda. cogan. l. quotiens. Et de jure patron. l. adigere §. quamvis C. de Episcop. & cleric. l. generaliter.*

§. 4. Sed si curia diceret adjornamentum tenere, propter hoc non videtur causam amisisse ad hoc ut ulteriùs non audiatur, sed habebit Pars defectum contra eum qui se non præsentavit, & utilitatem defectus in sequenti Parlamento per novum adjornamentum quod habet super hoc impetrare.

§. 5. Item oportet quòd partes se præsentent ad diem Seneschalliæ suæ contra omnes contra quos habeant facere, & specialiter & nominatim: [5] nam si quis habeat facere contra plures, non sufficeret si contra unum se præsentaverit, licet ejus causa esset connexa: nec sufficeret si diceret: talis se præsentat contra omnes adversarios suos. Imo diceret per reum si esset actor qui se generaliter præsentasset contra reum, Non præsentasti te specialiter, & nominatim contra me, ideo peto congedium; & si esset reus qui ita generaliter [d] se præsentasset contra actorem, peteretur contra ipsum defectus.

§. 6. Item secundum ordinationes regias [e] & stilum curiæ, si Pars præsentata & vocata ad portam cameræ Parlamenti secundùm ordinem Registri non inventa fuerit, nec postea dum litigatur contra actorem, concederetur congedium, & contra reum defectus: & posset esse magnum periculum, ut infra in tit. de contum. defect. latius apparebit. Nec talis in causa in qua præsentatus est, in toto illo Parlamento audietur; idem si actor & reus non inveniantur, quia de illo Parlamento non audientur. Sed si veniant ad aliud Parlamentum, ambo audientur, quod si defecerint, in perpetuum non audientur: nisi curia videret quod hoc fecissent in fraudem alicujus rei, quæ Regem tangeret, & hoc verum ubi Pars se præsentaverit in propria persona.

§. 7. Item hoc quod proximè dictum est, fallit ubi procurator se præsentavit, quia tunc licet procurator vocatus inventus non fuerit ad portam, nec in camera, ut supra dictum est, dum tamen veniret in crastinum, nihilominus audiretur, quia malum esset si propter negligentiam, seu culpam procuratoris unius dominus tantum incommodum reportaret. [e] Ita vidi pronunciari in curia pro quodam homine Balliviæ Ambianensis in Parlamento, anno 1327. pro Dom. Nicolao de Seps in contrarium debattante.

§. 8. Item fallunt præmissa in non præsentato & non invento ad portam, si possit probare casum [f] fortuitum, propter quem fuit circa præmissa impeditus, nam hoc probato, auditur ut præsentatus & inventus, & hoc servat notoriè curia, *& concord. ff. si quis caut. l. 2.*

§. 9 Item si quis se præsentaverit in Parlamento in propria persona, & sine licentia [g] curiæ recedat dimisso procuratore, perinde est ac si se non præsentasset: & ideo cautela [7] est ut recedat cum licentia curiæ, & quòd hoc faciat registrari, & procuratorem ibidem faciat.

§. 10. Item si aliquis subjectus alicui domino temporali habenti altam & ballam jurisdictionem, & sub eo cubans & levans citatus fuerit coram aliquo judice regio super aliqua actione personali ad alicujus instantiam, & citatus unà cum domino petierit causam ad prædictum dominum remitti, & ideo quia dictus judex pronunciavit dictam remissionem non esse faciendam, prædicti dominus & subjectus appellaverunt ad Parlamentum, & adjornamentum in dicta causa impetraverunt legitimè, si ad diem præsentationis dominus in dicta causa se non præsentaverit, sed subjectus se præsentavit, subjectus [8] reputabitur non appellans per curiam sine emenda, adeo quòd causa principalis remanebit in curia, defectu domini hoc operante. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ in Parlamento anni 1325. pro matricularijs Ecclesiæ sanctæ Crucis Aurelianensis contra quemdam militem & dominum de Valesio. Et est ratio, quia nunquam remissio est fienda ad postulationem subjecti, nisi dominus illam fieri petat unà cum subjecto. Et ratio posset esse, quia remissio fit principaliter ad utilitatem domini, [h] scilicet pro conservatione jurisdictionis suæ: ideo nisi eam petat, sibi nuperet: non autem ad utilitatem subjecti principaliter, quia præsumitur quòd ubique justitiam inveniet, quia ex diversitate locorum, &c. *argum. l. fin. Cod. de temp. in integ. restit.* ideo non fit ad requestam subjecti solum. Quia ergo dominus si in ea causa se non præsentasset, audiri non debebat, ut supra dictum est, ergo nec per consequens subjectus.

§. 11. Item si præsentatio rei prius veniat quàm actoris, & legatur in camera, actor non potest compelli ad litigandum, donec [9] præsentatio sua venerit, nec ob hoc potest concedi defectus contra ipsum, ita fuit dictum in Parlam. anni 1327.

§. 12 Item si quis de patria consuetudinaria à sententia contra ipsum lata ad hanc curiam appellaverit, & judicem fecerit adjornari ad proximum Parlamentum suum judicatum defensurum, & intimari parti juxta stilum curiæ, & ad dies præsentationis Balliviæ vel Seneschalliæ suæ præsentaverit se contra judicem solum, & non contra illum pro quo fuit lata sententia, numquid sufficiens sit prosecutio? videtur quòd non quoad partem, imo sententia debeat executioni demandari, cum ipsa pars principaliter debeat habere commodum ex sententia. Videtur quòd imo pars adversa nullam utilitatem habeat vel habere debeat ex tali præsentatione quem impugnat, sed quod nihilominus causa debeat agitari, cùm se præsentaverit contra judicem qui est adversarius suus principaliter, & etiam, quia licet nihil fuisset parti intimatum, pars se posset adjungere cum judice de stilo curiæ, si timeat collusionem.

§. 13. Ita fuit dictum per Arrestum curiæ pro Dom. Reginaldo Leram milite contra Nicolaum Millette, quod cum dictus miles in hac causa se præsentasset contra judicem qui contra ipsum & pro dicto Nicolao tulerat sententiam, licet contra dictum Nicolaum se non præsentasset, quòd dicta præsentatio erat sufficiens, & quod dictus Nicolaus non haberet congedium contra dictum militem, nec utilitatem prædictam, sed nihilominus dicta causa agitaretur, & processus habitus in causa principali ad instantiam dicti militis receptus fuit ad fines judicandi, vel videndi utrum esset bene judicatum, vel non, & per dictum Arrestum curiæ dictum fuit ut deinceps in similibus casibus per curiam dicta ordinario observaretur. Ita fuit per curiam registratum. Et hoc actum fuit in Parlam. anni 1329. ante festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis.

4 *Præsentave.*) Sed potest petere actum præsentationis quod vocant an comparuit. C. M.

5 *Nominatim*) Const. Carol. VII. art. 338.

6 *Regias.*) Philip. Valesii ann. 1344.

7 *Cautela*) quæ nunquã fuit necessaria illis de patria juris scripti, qui non subdebantur huic servituti, sed utebantur facultate juris communis; deinde hæc cautela desiit esse usui, quia partes brevius & facilius hãc vexationem redimebant, impetrando à Rege gratiam litigandi per procuratorem in Cancellaria, cujus formulæ sunt impressæ in initio protocolli Cãcellariæ; frequens enim & grande lucrum afferebant dominis Cancellariæ, quos tandem puduit tam sordidi lucri & vexationis populi, quia tandem decreto hoc stilo, permissum est uti facultate juris communis in hac re sine gratia Regis & literis cancellariæ, adde infra c. 13. §. 4. Ioan. Gall 89. C. M.

8 *Subjectus*) Contrarium hodie servatur, & benè, quòd sufficit dominum semel requisivisse, etiamsi non appellet, nec prosequatur, vide Joan. Imbert. instit. forens. lib. 1. c. 22. tetigi in Consuetudine Parisiensi. §. 2. glos. 3 num. 11. C. M.

9 *Donec.*) Imò statim tenetur causam dicere Constitut. Philip. Valesii anno 1344. art. 2. ubi hic stilus in hoc corrigitur. C. M.

CAPUT VI.

De contumacia & defectu, & utilitate ipsorum.

§. 1. ET primò vide copiam registri regii super quatuor casibus facti valde dubii. Primus est in causa novitatis. Secundus super renovanda commissione in contumacia unius partis. Tertius de contumacia contra appellatum & utilitate ejus concedenda. Quartus contra appellantem. Sequitur tenor registri.

Decretum seu constitutio curiæ Parlamenti.

§. 2. Anno Domini 1329. die Sabbathi in crastinum Cathedræ sancti Petri, de consensu omnium Magistrorum existentium in Parlamento, ac vocatis ad hoc advocatis omnibus Parlamenti antiquis & provectis, & deliberatione prius habita super hoc inter ipsos, & postea cum ipsis per dictos dominos super quatuor articulis infra-scriptis curia [a] declaravit in Parlamento Parisius longis temporibus observatum fuisse prout sequitur, & ordinata decrevit sic deinceps observari debere. Primò in casu novitatis concessa littera justitiæ, & per ejus executorem propter oppositionem partis adversæ, debato hujusmodi posito ad manum regiam aut superiorem, assignata certa die in Parlamento partibus ad procedendum ulterius super dicto debato, si ad dictam diem parte conquerente comparente, pars quæ se opposuit, non compareat, nec excusatorem mittat, dictus non comparens ponitur in defectu, & statim absque dilatione res prædicta quæ posita erat in manu regia, ponetur in manu conquerentis prædicti, & in ejus saisina defenderur, [1] Salva quæstione proprietatis parti adversæ. Item super articulis partium facta commissione si ad sequens Parlamentum, pro renovanda dicta commissione una pars compareat, alia verò non, nec excusatorem mittat, ad requisitionem partis quæ comparuit, illa quæ non comparuit, ponetur in defectu, vel statim dicta commissio renovabitur ad utilitatem partis comparentis tantum si hoc maluerit, & si pars non comparens miserit ad proximum Parlamentum excusatorem, & suum adversarium fecerit adjornari ad videndum purgari defectum suum, ipse super dicta purgatione audietur: quod si non fecerit, super ipsa purgatione amplius non audietur, & deinceps renovabitur dicta commissio ad utilitatem illius qui (ut dictum est) ipsam obtinuit renovari. Si verò super defectus prædicti purgatione auditus fuerit, & eum lem sufficienter purgaverit, dicta commissio absque omni dilatione renovabitur ex tunc pro utraque parte. Item si à judicato contra se lato pars appellavit ad Parlamentum, & adversarium suum ad certam diem, ad procedendum in eodem ad dictum Parlamentum fecerit adjornari, & adveniente dicta die pars quæ pro se judicatum obtinuit, comparuerit, parte appellante non comparente, nec excusatorem mittente: ipsa pars appellans (si pars appellata, quæ comparuit, hoc requirat) ponetur in defectu, [b] & statim dabitur parti appellatæ littera, quod pro se latum mandetur executioni. [b] Præsumendum est enim pro ipso judicato ex quo ipse appellans non comparuit, nec excusatorem misit, quod judicatum per ejus appellationem non videtur impugnare. Si verò pars appellans ad diem assignatam comparet, parte quæ pro se obtinuit judicatum, minimè comparente, nec excusatorem mittente: ipsa pars appellata non comparens ponetur in defectu, [c] & readjornabitur ad requestam partis comparentis ad tunc futurum Parlamentum proximum veluti am judicari utilitatem dicti defectus. Non enim ita de facili procedendum est ad annullandum aliquod judicatum sicut ad exequendum, cum appellatio à dicto judicato interposita non fuerit diligenter prosecuta, datum ut supra.

[1] Salva: & sic etiam in prima instantia per unionem defectûs etiam pr: Arrestûm non solùm secundentia, sed etiam plenum possessorium ad judicabatur quod merito prorsus exoleverit, ut & dixi ad q. Galli. 524. C. M.

[a] Defectum.] Quem quidem datur reo congedium vocare & adhuc hodie servatur contra appellatorem non sufficere, nisi antè citatus fuerit. C. M.

§. 3. Item extra registrum sciendum est, quod in casu proximè dicto erit utilitas dicti defectus: quod veniat pars vel non, pronunciabitur male judicatum, & benè appellatum, quod verum intelligo nisi justas [d] causas possit prætendere ad excusandum contumaciam prædictam, & in eis audiri debebit, ut patet per tenorem dicti registri, cum adjornari debeat, visurus &c. Et in vanum adjornaretur nisi causas quare utilitas prædicta concedi nec judicari, proponere posset, & aliquas meliores excusationes ad impediendum præmissa non possit proponere.

§. 4. Item credo quod in tertio dictorum casuum si non comparens excusatorem misisset, & aliàs ad sequens Parlamentum adversarium suum ad videndum purgari [e] defectum suum adjornari fecisset, quod super purgatione sua audiretur.

§. 5. Item circa hunc excusatorem nota, quod non admitteretur nisi procuratorium [f] deferret, in quo haberet potestatem ipsum excusandi seu exonerandi. Et bonum est quod deferat literas si potest, super essoignia [g] ab aliquo. Et quæ dicta sunt, habent locum in contumace ante litem contestatam super causa appellationis.

§. 6. Sed quid si pars appellans & appellatus lite contestata fuerint in factis contrariis & in commissionibus & in sequenti Parlamento unus vel alter non comparet adversario comparente? non est dubium quod præsentato dabitur defectus contra non præsentatum & commissio ad utilitatem ejus renovabitur: verum nulla alia utilitas judicabitur eidem prò dicto defectu, nisi illa, quod concederur ei pro dicto defectu adjornamentum contra adversarium suum ad sequens Parlamentum, ad videndum judicari quod commissio ad utilitatem suam renovetur.

§. 7. Ponas ergo quod factum est adjornamentum, quam utilitatem petet commodi & judicati, & debet habere? Dico quod si appellans sit ille qui defecerit, talem utilitatem potest appellatus obtinere, quod appellans amiserit causam suam, nisi possit justas causas essoignix sux prætendere & probare. Et est ratio, nam de stilo hujus curiæ tenetur actor continuare arramenta causæ sux de Parlamento in Parlamentum: & nisi faciat, propter interruptionem processus, cadit [h] ab instantia causæ, & perinde habetur ac si non fecisset processum in ea. Sed si nullo modo processisset in ea, in primo Parlamento, perdidisset causam, ut dictum fuit suprà de adjornam. tit. proximo, ergo & nunc.

§. 8. Sed quid erit in appellato qui defecit juxtà casum proximè dictum? Dico quòd appellatus qui non comparuit, perdit tantum quòd commissio non renovabitur ad utilitatem ipsius, & appellans hoc lucratur, quòd statim renovetur ad ejus utilitatem: & in continenti debito defectu adjornabitur super defectus utilitate, quam obtinere debet juxta secundum capitulum dicti registri.

§. 9. Item dico idem esse ubi appellans post litem contestatam, & postquam essent in factis contrariis in sequenti Parlamento vel 2. vel 3. se non præsentaverit ad diem sux præsentationis sed ad sequentem, vel procuratorem minus idoneum [i] miserit, vel nullo modo se præsentaverit. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ pro Domino Reginaldo de Chousel contrà dominam Richardam de Saines anno 1325.

§. 10. Sed quid erit juxta prædicta si partes fuerint in causa appellationis in factis contrariis, & dati fuerint Commissarii super eis, & etiam testes auditi, & pars appellans in sequenti Parlamento se non præsentaverit ad diem Senescallix, vel Baillivix sux, vel

minus idoneè, puta alia die, vel per procuratorem minus idoneè fundatum, vel nullo modo se præsentaverit; appellatus autem credit nullo modo intentionem suam probasse sufficienter, & credit alium suam probasse, & dubitat an appellans possit suam purgare contumaciam, quid faciet? Dico quòd potest petere defectum contra appellantem, & adjornamentum ad habendam in sequenti Parlamento utilitatem de qua dictum est supra, & habebit ubi appellans dictum defectum non posset purgare; sed utilius est quòd petat ad utilitatem suam commissionem renovari, & statim fiet sibi. Et hæc est opinio multorum; sed credo quòd tutius est quòd capiat defectum & readjornamentum: & quod in sequenti Parlamento petat talem utilitatem sibi adjudicari, quod alter amiserit causam, sub protestatione, quod si eam habere non deberet, quod talis eidem utilitas adjudicaretur, qualis curiæ videretur. Et duplex est ratio. Prima, quia ubi pro prædicto defectu dictam utilitatem petisset,[k] videlicet ut commissio renovaretur ad suam utilitatem, nunquam ad petendum aliam utilitatem admitteretur amodo. Secunda, quia si dictos defectus & adjornamentum accepit, & in sequenti Parlamento utilitatem illam, scilicet quod judicetur adversarium suum causam ejus amisisse, petat, si adversarius non possit purgare defectum suum, lucraretur causam sine labore & expensis quod non esset in alio casu, quia, oporteret quod inquestam faceret perfici, & partem adjornari ad videndum ipsam recipi & judicari.

§. 11. Item quid si juxta casum proximè dictum dictus appellatus pro utilitate defectus petierit & obtinuerit dictam commissionem renovari, & inquestam perfici, & adversarium ad sequens Parlamentum adjornari, dictam inquestam recipi & judicari visurum, & in dicto Parlamento dictis partibus præsentatis, appellatus petit dictam inquestam recipi & judicari, & appellans petit dictam commissionem revocari purgare paratus contumaciam præcedentis Parlamenti, & justas prætendens quæ sufficerent si veræ essent, ad purgationem prædictam numquid super dicta purgatione audietur? Videtur quod non, quia ad illud diem habere non videtur, & potissimè quia adversarium suum super hoc non fecerat adjornari, & videtur fundatum per secundum punctum dicti registri. Videtur contra quia hæc videtur causa quare dicta inquesta admitti non debeat nec judicari, & ita quod per modum cujusdam exceptionis admitti debeat, saltem ut [l] testes per alium productos reprobare possit, non super principali.

§. 12. Item si plurium causa appellationis esset connexa, [m] & quidam se præsentarent, & quidam non, non præsentati per præsentatos non relevabuntur ab eorum contumacia.

§. 13. Sed quid si appellaretur à sententia lata per homines judicantes in alicujus domini curia, sicut fit in locis pluribus in Picardia, [1] & homines adjornati fuerint in Parlamento defensuri suum judicatum, facta intimatione parti pro qua lata fuit sententia, & homines judicantes se præsentaverint ad diem præsentationis suæ contra appellantem, parte appellata se non præsentante, sed appellante sic, dico quod appellans habebit defectum contra appellatum, & pro utilitate habebit quod supra dictum est in registro, sive defecerit ante litem contestatam, sive post. Sed nihilominus dictus appellans tenebitur in dicta causa procedere cum dictis hominibus judicantibus propter emendam Regi debitam, & dictis judicibus ubi apparuerit male appellasse, & licet postea [4] per curiam pronunciaretur in dicta causa benè judicatum, in casu in quo appellatus non purgavit suam contumaciam, & sic ad emendam Regi & judicibus dictis fuerit condemnatus appellans nihilominus contra eum pro quo dicta sententia lata fuit, utilitatem defectus habebit, quia sententia quæ pro eo lata fuit, non mandabitur executioni, imo pronunciabitur contra eum non venientem benè appellatum, hoc ipsum contumacia operante.

§. 14. Item si pars pro qua lata fuerit sententia, comparuerit, & etiam appellans, homines autem qui suum judicatum bonum facere debebant, non: & non obstante eorum contumacia processum fuerit in dicta causa, & per curiam pronuncietur male appellatum, & benè judicatum: relevabitur [5] appellans ab emenda prædictis hominibus debita, [n] & idem est si aliquis de dictis hominibus comparuerit, aliquis non, quia relevabitur ab emenda non comparentibus debita.

[1] *Picardia*.) ubi ambitio officialium novorum Regum ferè obliteravit, sed adhuc servatur in Flandria & Artheſio: & sic fiunt ibi judicia sanctiora: nec tot corruptelis, ut hîc obnoxia: adde infra in decisi. Galli. q 59. C. M.

[4] *Postea*.) inter appellantem & judices, & sic judicium difforme ob nimium rigorem stili, qui merito exolevit. O quam hodie florentior esset justitia Frãciæ, si officia non venderentur imperitis, aut iniquis, aut utroque morbo captis, sed meliores gratis deligerentur, ut nuper etiam dixi in Consuetud. Paris. §. 52. gloss. 1. num. 184. C. M.

[5] *Relevabitur*.) Atqui melius erat præsumptionem & odium retulans à contumacia cedere veritati causæ cognitæ; itaque veteres nimis tribuebant rigori formularum. C. M.

CAPUT VII.

De defectu in actione reali, & ipsius utilitate.

§. 1. SUper [1] judicio proprietatis vel processu alio quam novitatis, si causa in Parlamento agitetur, & reus non comparet, non sufficit una contumacia, imò requiruntur tres in tribus Parlamentis obtentæ per tria adjornamenta, & oportet quòd in secundo & tertio adjornamento adjornetur ad videndum adjudicari utilitatem defectus prædicti, & ad procedendum, in causa, prout erit rationis. Unde ex prima & secunda, vel ambabus contumaciis nullam utilitatem [a] habet actor contra reum, nisi solum juxta *l. sanctimus* [2] *C. de judic.* condemnetur reus in expensis ratione contumaciarum prædictarum, & hoc per ordinationem super expensis per Regem factam. Sed si tres contumaciæ fuerint, auferetur possessio reo, & datur seu traditur actori, juxta [3] *l. 2. C. ubi in rem action. C. de præscript. 30. vel 40. annor. l. si quis emptionis §. pet. in Spe in tit. de 1. & 2. decret. §. nunc de effectu.*

§. 2. Quid autem dictum est quòd tres contumaciæ requiruntur ad hoc quod possessio rei petitæ auferatur reo, fallit in casu qui sequitur, quia si commissarius fuit datus in partibus pro venta faciendà, & ipsa facta fuerit, & in Parlamento immediatè sequenti post ventam, actor sufficienter se præsentaverit, reus verò non, tunc datur actori defectus contra reum, & ex ipso solo defectu auferetur possessio reo, & hoc observat stilus hujus curiæ, & etiam consuetudo [c] generalis [4] Franciæ in locis quæ consuetudine reguntur, licet sit contra leges superius allegatas. Et ita fuit obtentum in utroque dictorum casuum ante ventam & post per Arrestum curiæ inter Abbatem & conventum sancti Dionysii, & Galterum & Philippum de Aurave in causa possessionis de capiendo grossum animal in quo dam nemore.

§. 3. Item si actor esset contumax, quæ utilitas daretur contra ipsum? Dic quòd pro una contumacia vel duabus condemnaretur in expensis & interesse, pro tertia vero amitteret causam [d] suam.

§. 4. Item præmissa vera sunt si ante litem contestatam vel post ventam immediatè reus deficeret. Secus si post litem contestatam, & traditis articulis, & commissariis super eis datis, reus deficiat in curia; nam tunc prætextu illius contumaciæ amittit solum illum

[1] *Super*.) *Jo. Fab. l. 1. col. pe. C. de sum. Trin.* de hac consuetudine loquens dicit quòd spectat ad litis ordinationem, licet etiam causam perimat, quod non esset verum, nisi inter subditos. C. M.

[2] *L. Sanctimus*.) *Auth. qui semel C. quomodo & quando jud. c. quoniam frequenter, §. in alio ut lit. non contes. c. quærelam, de procura c. cum dilecti de fo. & contu. c reprehensibilis de appellat.* C. M.

[3] *Juxta*.) d. c. quoniam frequenter.

[4] *Generalis*.) Quæ merito ubique exolevit. C. M.

articulum ſuper quo diem habebat, ſi autem ſit contumax coram aliquo judice ordinario, & coram ipſo habebat diem ad producendum teſtes, illam productionem amittet. Sed hoc locum non haberet in commiſſariis curiæ, ſi pars haberet diem ad producendum teſtes coram ipſis, quia coram talibus commiſſariis non eſt niſi una productio, & de uno Parlamento ad aliud Parlamentum, & totiens quotiens volunt partes poſſunt, producere teſtes coram commiſſariis prædictis inter duo Parlamenta.

§. 5. Sed ubi altera partium ſuper dicto caſu haberet diem coram dictis commiſſariis, & eſſet poſita in defectu, teneret quod factum eſſet ad inſtantiam partis præſentis per dictos commiſſarios in prædicta cauſa, & pars contumax non admitteretur ad reprobandum [3] teſtes in dicta cauſa contra ipſum in ſua abſentia productos. Et in nullo alio punietur, imò poſtea coram dictis commiſſariis in dicta cauſa veniens poſſet procedere, & producere teſtes: & ſi qui ex tunc per adverſarium producerentur in ejus præſentia, recipiendi eſſent, ex quo ad procedendum ſe obtuliſſet, & illos quos adverſarius ejus poſtea producere vellet, reprobare poſſet. Et eſt ratio quare non poteſt reprobare teſtes [4] productos in ſui abſentia, & ob ejus contumaciam receptos: quia nullus poteſt reprobare teſtes contrà ipſum productos, niſi hoc faciat in ipſo actu [6] dum producuntur, niſi in caſu in quo judex hoc ſibi reſervaſſet. Et iſte fuit abſens dum fuerunt producti, & contumax, ergo amodo ſuper hoc audiri non debet.

§. 6. Item ſi teſtes modo prædicto producti fuerint coram dictis commiſſariis in ejus contumacia, & poſtea coram dictis commiſſariis non comparuerit, ſed veniat in ſequenti Parlamento, & ſufficienter ſe præſentaverit petens commiſſionem renovari, & pars adverſa ſuper hoc repugnat prætextu contumaciæ in qua fuit poſitus coram prædictis commiſſariis, nihilominus prædicta commiſſio renovabitur ad utilitatem utriuſque. Sic fuit pronunciatum per curiam pro Joanne de Silvaneto, & Math. de Machis, contra Abbatem & Conventum ſancti Cornelii de Compendio. Et hoc verum niſi in caſu ubi inqueſta pro parte præſente facta eſſet & completa, quia illa quæ fuit contumax, ex tunc non audiretur [7] ſuper prædictis.

§. 7. Item ſi poſt ventam die aſſignata ad garendum [8] reus non veniat, ſolùm garendiam amittit. Et idem eſſet ſi ad alium articulum cauſæ diem haberet: quia illum ſolum amitteret. Ita pronunciatum fuit per curiam in cauſa quam habebant Capitularii Tholoſæ contra Geraldum Balena ſuper juriſdictione de Blaigniaco.

§. 8. Item qui adjornatur coram aliquo judice terræ conſuetudinariæ ſuper aliqua cauſa ad jurandum de veritate, & non veniat, amittit cauſam: ſed ſecus eſt in illo qui feciſſet eum adjornari ſuper hoc, quia ſi dicta die deficeret, non ideò cauſam ſuam amitteret. Et ita fuit pronunciatum in cauſa quadam per curiam, licet contrarium Præpoſitus Pariſienſis pronunciaſſet. [h]

§. 9. Item de conſuetudine in quacumque cauſa, & in quacumque parte litis actor recedit [i] à judicio, & diem ſuper aliquo non acceptat, videtur litem deſeruiſſe, & ideo cadit ab inſtantia cauſæ, non tamen à cauſa.

§. 10. Item de conſuetudine quæcumque Pars deficiat ad diem aſſignatam ad tradendum facta ſua in ſcriptis alicui curiæ coram aliquo judice in patria conſuetudinaria, cadit à propoſitis per ipſum, & ſuper factis traditis per aliam partem adverſam, ad dictam diem inquiretur veritas, & fiet jus. [k]

§. 11. Item de conſuetudine Caſtelleti Pariſienſis ſi aliqua partium eſt abſens, dum ipſe Præpoſitus vult proferre ſententiam pro vel contra ipſum, cauſam amittit.

[3] *Reprobandum*) iniquum & exoletum eſt, adhuc puto quòd tunc etiam de facili reſtituetur argu. ſupra c. proximo, § 3. & in c. ſeq. §. 2. C. M.

[4] *Actu*) Durum & iniquum hodie nomina teſtium mox ut jurarunt edunt etiam abſenti & contumaci fiat qui poteſt de eorum qualitate ſe informare, & adhuc à die inqueſtæ incepæ habet 8 dies ad tradendum articulos reprobationum; & bene, ut cõſtit. Carol. VII. art. 99. & ante publicationẽ, ut conſtit Ludov. XII anni 1512. art 38. vide Io. Gall. infra q. 189. C. M.

[6] *Non audiretur.*] Nedum puto quòd ex cauſa audiebatur, ut nuper *dixi num 1. Bar. in l. ſtatione, de fer. fit gloſſ. & Inn. in ca. in cauſis, de teſtibus, hodie tamen ſic aliter & æquior C. M.*

[7] *Ultra*) Scilicet civilibus vel criminalibus civiliter intentatis. Ordinario curiæ Parlamenti.

[8] *Garendiam*) Fianis decreti cuſtur.

[h] *Præliatam*) Fianis decreti cuſtur.

[i] *Confeſſata.*) Quod ut omnis dilatum olim correctum eſt, & uſu receptum ut reus aliis exceptionibus remotis, tantùm negare poſſet, hodie per conſtit. anni 1519 § 26. ſtatim permittitur actori ſuam intentionem verificare, non data reo dilatione ad negandum, C. M.

CAPUT VIII.

De defectu ſuper actione perſonali & ejus utilitate.

§. 1. Si aliquis fecerit adverſarium ſuum adjornari ſuper actione merè perſonali in Parlamento, cauſa expreſſa in dicto adjornamento, ex qua contra ipſum concludere intendebat, & ad diem in adjornamento contentam non compareat adjornatus, conceditur actori defectus contra ipſum adjornatum, & adjornabitur ad videndam utilitatem dicti defectus judicari ad ſequens Parlamentum. Et ſi adjornatus ad diem ſtatutam in ſequenti Parlamento ſe non præſentaverit, & non poſſit dictum defectum excuſare, talem utilitatem actor habebit ex defectu jam dicto, quòd reus cadet à defenſionibus ſuis, & quòd curia ſuper his quæ actor pro jure ſuo proponere voluerit (dum tamen dependeant ex eadem cauſa, vel pertineant ad dictam cauſam) & ſuper media in adjornamento expreſſa faciet inquirere veritatem; quo facto faciet jus dictis partibus. Et iſta prædicta fuerunt ordinata in Parlamento per curiam in omnibus cauſis, ſive civilibus, ſive criminalibus, dum tamen civiliter intentatis, & decretum denceps in futurum per modum edicti obſervatum. [a]

§. 2. Actum in Parlamento anno Domini 1327. die Sabbathi ante Feſtum beati Andreæ Apoſtoli, & in curia regiſtratum. Item ſi reo ſuper aliqua de dictis actionibus [1] cauſa expreſſa, ut ſupra citato in Parlamento, & bis in contumacia poſito per curiam, & in duplici Parlamento: prima die ſibi ſtatuta ad reſpondendum: ſecunda die ſtatuta ad videndum adjudicari utilitatem dicti defectus, iteratò citabitur ad certam & brevem diem infra ſecundum Parlamentum ad videndum judicari utilitatem dictorum defectuum, ad quem veniat reus vel non in Parlamento, & die ſuperius expreſſa per curiam, habebit actor utilitatem prædictam. [b]

[1] *Actionibus*) Scilicet civilibus vel criminalibus civiliter intentatis. Ordinario curiæ Parlamenti.

[a] *Præliatam*) Fianis decreti cuſtur.

§. 3. Et ita dictum fuit per Arreſtum curiæ in dicto Parlamento die ſuperius expreſſa pro Procuratore S. Quintini juxta Belvacum contra quemdam vocatum Joannem Mire. [b]

§. 4. Item ſi poſt petitionem in dicto Parlamento per actorem contra reum ſuper actione merè perſonali factam in præſentia dicti rei vel ejus procuratoris, reus ſe patiatur poni in defectu, puta ad diem per ipſum petitam pro conſilio, & eidem procuratori conceſſum datur defectus contra ipſum, & pro defectus utilitate habebitur petitio actoris pro confeſſata. [c] Ita dictum fuit & pronunciatum per dominum Joannem de Cherchemonte tunc Cancellarium Franciæ in dicto Parlamento, anno & die ſupra expreſſis.

[c] *Confeſſata.*) Quod ut omnis dilatum olim correctum eſt, & uſu receptum ut reus aliis exceptionibus remotis, tantùm negare poſſet, hodie per conſtit. anni 1519 § 26. ſtatim permittitur actori ſuam intentionem verificare, non data reo dilatione ad negandum, C. M.

§. 5. Item de ſtilo curiæ, actor qui non proſequitur attramentum ſuum de Parlamento in Parlamentum, cadit ab inſtantia cauſæ, & multoties per quamdam conſequentiam à cauſa; ut in cauſa appellationis & novitatis, ut apparet per jam dicta.

§. 6. Item quandocumque & in quacumque cauſa una Pars contra aliam defectum habuerit in Parlamento, Pars quæ eum obtinuerit, infrà primum tunc ſequens Parlamentum, poſtquam eum obtinuerit, debet impetraſſe adjornamentum ad videndum ſibi adjudicari utilitatem dicti defectus in primo dicto

Parlamento, & proximo etiam petere, & diligentiam ſuam ſuper hoc feciſſe, aliàs cadit ab utilitate dicti defectus. Et ita dictum fuit in Parlamento anni 1325. pro Epiſcopo Noviomenſi contra Abbatem & Conventum ſancti Eligii in cauſa novitatis mota per dictos Religioſos in Parlamento contra dictum Epiſcopum ſuper juriſdictione villæ de Bolles. [c]

§. 7. Item in quacumque cauſa una Pars obtineat defectum contra aliam, ſi poſtea antequam utilitatem ſibi pro dicto defectu competentem petierit, judicari, ſimpliciter, & abſque omni proteſtatione in dicta cauſa procedat cum Parte contra quam ipſum defectum obtinuerat, renunciare, [4] cenſetur defectui per ipſum impetrato. [d]

§. 8. Item ubi Pars quæ defectum contra aliam obtinuit, ad diem ad quam fecerat adverſarium adjornari viſurum utilitatem dicti defectus; ſibi adjudicari, aliam utilitatem petit per curiam judicari, & non illam quam debet habere de ſtilo curiæ vel conſuetudine, & hoc ſi facit ſimpliciter abſque ulla proteſtatione, perdit eam quam habere debebat, & petitam non habebit: & eſt ratio, quia illam quam petit, non habebit, cum ſtilus repugnet: nec aliam, quia ipſam non petiit. Et ideo cauti Advocati dicunt, Peto talem utilitatem mihi adjudicari, vel illam quæ de jure, uſu, conſuetudine, & ſtilo præſentis curiæ mihi debet adjudicari.

[4] *Renunciare.*) Niſi quoad expenſas quas nihilominus petere poteſt. C. M.

CAPUT IX.

De dilationibus, & quo ordine petantur.

§. 1. CIrca hanc materiam eſt diligenter inſiſtendum, nam in Parlamento dilationes annales [1] conſueverunt concedi, ſcilicet dilatio conſilii quæ aliquando appenſamentum appellatur. Item dilatio pro ventre. Item dilatio pro garendo. Eſt & quædam extraordinaria, de qua videbitur infra. Et ideo de unaquaque illarum, & in quo caſu competit vel non, ſingulariter diſcutiamus; & ſigillatim, & ad partem.

§. 2. Item ſciendum eſt quòd primò petitur dilatio conſilii. Secundò ventre. Tertiò garendi: & ſi quis alio ordine petat, ſibi præjudicat: nam petendo dilationem ventre ſeu garendi, aliis renuntiat, & etiam plus approbat, ſpecialiter ubi petit dilationem pro garendo: ſed ubi petit dilationem pro ventre, non propter hoc renuntiat declinatoriis [2] ſuis, quia ventre oſtendit ſibi quem judicem habere debeat.

§. 3. Item hæ dilationes competunt in omni reali actione, fallit tamen in petitione hæreditatis, ubi competunt dilationes conſilii & garendi: ſed dilatio ventre non. Et eſt ratio, quia cùm ſit judicium univerſale, in ea venient nedum poſſeſſa per reum tempore litis conteſtatæ: ſed etiam ea quæ poſt incepit poſſidere. *ff. de petit hæredit. l. 4. & l. ſi quo tempore*, & ideo non conceditur dilatio ventre. Et ita vidi pronunciari in Parlamento anni 1327. pro Beatrice de Sabrano filia domini Reginaldi Gancellini, & alios ſuos adverſarios: & ibi fuit alia ratio, quia adverſarii confeſſi fuerunt certas res de hæreditate dicti domini Reginaldi poſſidere.

§. 4. Item dantur in omni cauſa ordinaria competenti pro poſſeſſione recuperanda vel retinenda, & ita dictum fuit in cauſa Epiſcopi Lingonenſis & ducis Burgundiæ, & hoc ubi eſſet generale adjornamentum & incertum, aliàs [3] dilationem conſilii non haberet, aliàs ſic.

§. 5. Item iſtud fallit in cauſa novitatis, [4] & quæ ſit ratio, latius infra patebit, nunc autem de ſingulis per ordinem eſt videndum.

[1] *Annales.*) Et ſic uſque in futurum Parlamentum, ſed paulo, poſt correctum fuit per conſtit. Ioan. Regis, qui ſtatuit dilationes dari ultra Parlamentum, ut habetur in margine regiſtri antiqui manuſcripti. C. M.

[2] *Declinatoriis*) Scilicet ſi oppoſitio facta ſit ſuper loco, aliàs ſecus. Item in cauſa executionis, niſi fuerint extranei non comprehenſi in ſententia, hæc habet additio marginalis regiſtri curiæ. C. M. 3. q. 3. c. offeratur.

[3] *Dilationem.*) Hodie ceſſante hac ratione, ceſſat falſitas. C. M.

[4] *Novitatis*) *l. ſi quis, C. de rei vind. Paul. c. præterea. de dilat. g'oſ. 3. quæſt. 2. in ſum.*

CAPUT X.

De dilatione Conſilii.

§. 1. HÆc dilatio in omnibus actionibus realibus & perſonalibus petitur poſt petitionem vel in ſcriptis traditam, vel in judicio verbo tenus apertam, ſecundum quo l fieri debet juxta naturam actionis quæ intentatur de ſtilo curiæ.

§. 2. Item datur & habet locum in omnibus actionibus, & eſt ratio, ut reus deliberet an ſibi expediat cedere vel contendere, juxta *Auth. offeratur, C. de lit. conteſtat.* Et ſpecialiter ubi reus eſt adjornatus generaliter & incertè, cujus ratio eſt, quia tunc non poterat jus ſuum prævidere, cùm non poſſet divinare [1] quid actor ab ipſo petere intendebat. Et ſpecialiter daretur ubi pro facto alieno quis inſequeretur. Et eſt ratio, quia in facto alieno ignorantia eſt juſta.

§. 3. Item quòd ſupra dictum eſt quod in omnibus actionibus datur, fallit in caſibus qui ſequuntur. Primo fallit in cauſa novitatis, & interdicto unde vi. Et eſt ratio, quia in talibus, ſcilicet novitatis, unde vi, eſſet lapſus annus, [2] nam hæ dilationes dantur de Parlamento in Parlamentum, & ſic actor amiſiſſet cauſam ſuam.

§. 4. Item quia tunc in talibus deſinis ſummarium & celeriter procedimus: quod fundatur *in l. ſi cautum, C. de agric. & cenſit. lib. 11. & C. de naufrag. l. de ſubmerſis lib. 10.*

§. 5. Item vidi ſemel in cauſa novitatis, cujuſdam maladriæ de Bailliaco, mota in curia per Syndicum dicti loci, contra Magiſtrum Rodulphum de Prælis, quod curia conceſſit dilationem conſilii, eo quod adjornamentum erat generale & incertum, & fortè gratioſè, & hoc fuit in Parlam. anni 1326.

§. 6. Item fallit ubicumque in adjornamento continetur actio quam actor movere intendit, vel modus, ſeu cauſa propter quam concludit contra partem: ita fuit pronunciatum per Arreſtum curiæ in Parlamento anni 1327. *& concord. extra de dilation. cap. præterea.*

§. 7. Item fallit in caſibus ubicumque ſuper crimine, veneficiis, vel exceſſibus quis ad curiam vocatur: quia non daretur ſibi hic dilatio: & eſt ratio, quia de proprio facto [3] eſt infectus, in quo quilibet debet eſſe adviſatus. Et intelligas quòd non daretur talis dilatio de Parlamento in Parlamentum, ſed alia brevis, puta unius diei, juxta factorum contra ipſum propoſitorum qualitatem.

§. 8. Item in cauſa duelli benè daretur dilatio infra Parlamentum, quæ talis eſſet quòd poſſet habere amicos ſuos.

§. 9. Item ubi alios ut conſul vel adminiſtrator alicujus loci, ſuper criminibus per ipſum & alios coadminiſtratores ſuos, & aliquos de univerſitate commiſſis inſequeretur in curia, daretur dilatio infra Parlamentum, infra quam poterit cum aliis ſuis ſociis

[1] *Divinare*) *l. ſi putator. ea lege Aqui. l. ſi ſervitutor, inardati 21 quæſt. 2. beatus.*

[2] *Non.*) Hodie ceſſante hac ratione, ceſſat falſitas. C. M.

[3] *Facto.*) *l. quiſquis, C. de reſcin. vend. Paul. c. præterea. de dilat. g'oſ. 3. quæſt. 2. in ſum.*

deliberasse super eorum defensionibus. Et specialiter si super facto prædecessorum suorum in officio esset insecutus. Ita vidi pronunciari in curia pro procuratore Regis, & Abbate Fontis frigidi, contra Consules [4] Burgi Narbonæ. Item ubicumque officialis Regis super commissis in officio, vel prætextu officii est insecutus in curia.

[4] *Consules*) facit supra c. 4. §. 10.

§. 10. Item cum quis facta executione alicujus Arresti lati super quibusdam rebus immobilibus conqueritur in curia, dicens executionem fore factam in pluri quàm debuit, refert an fecerit adjornari executorem principaliter & partem accessoriè, scilicet cum illis verbis si sua crediderit interesse. Et contra executorem dirigat petitionem suam, vel è contra. Primo casu celeriter proceditur, & non datur dilatio pro die consilii, nec pro venta: si autem contra partem principaliter; & contra ipsam dirigat petitionem suam, executionem autem accessoriè, via ordinaria agendum erit, & dabuntur omnes dilationes. Et est ratio in secundo casu, quia ex quo concludit contra partem, causa sapit naturam proprietatis, cùm Pars sit saisita, & petitio juris in proprietate importet. Ita judicatum fuit in curia contra Episcopum Carbalaunensem.

CAPUT XI.

De dilatione Ventæ.

[1] *Ventam.*) Quam Practici dicunt esse verum libellum, quia illum ampliat vel restringit aut declarat. C. M.

§. 1. Circa hanc ventam [1] est valde insistendum, & cavendum circa modum faciendi eam, & quomodo fieri debet, ut infra videbitur, unde cum curia dat parti hanc dilationem, partes in curia debent concordare de loco ubi congregare se habeant pro ipsa facienda, & de Commissario [2] coram quo fieri debeat, qui super hoc habeat rescribere curiæ, & si concordent, curia concedit locum prædictum & Commissarium. Item de die & hora qua convenire debent in prædicto loco, aliàs curia ordinabit ad votum, & super hoc fiet litera justitiæ duplicata [3] in forma consueta, sicut infra videbitur.

[2] *Commissario.*) Hodie primus servitus arbitrio actoris adducitur, nec est locus recusationi in his quæ sunt modi ministerii. Secus fide limitibus elevandis, & figura loci designanda agitur. C. M.

§. 2. Item cùm venerint ad locum prædictum, tunc debebunt ire ad singula loca ubi sitæ sunt prædictæ res quas petunt, & ibi actor debebit ostendere res quas petit, vel intendit petere, singulariter, & ad oculum.

[3] *Duplicata*) Hodie una tantum & bene, nisi in Castelleto Parisiensi ubi adhuc traduntur duæ litteræ sigillatæ, alteram sententiæ, alteram executionis, & male. C. M.

§. 3. Et designare metas [4] nomen & cognomen rei, videlicet pedo hoc pratum ab ista meta lapidea usque ad talem arborem, & debet illam ostendere, & ab illa usque ad talem locum, &c. & sic de omnibus facere debet, & omnia ista in rescriptione Commissarii quam super hoc faciet, debent contineri, videlicet quòd tali die ad hoc statuta partes convenerunt coram tali, & tali hora, & exinde, &c.

[4] *Metas*) Saltem duas proximas l. *forma.* de censib. secùndum Stephan. Auffr. Sed in ò omnes confines debent clarè ostendi jure particulari. C. M.

§. 4. Item si quædam designaverit & ostenderit modo prædicto, & quædam non, ut puta quia dicit actor post primam designationem & ostensionem, secundum quod antea designatione facta in libello, si reus nihil dixerit vel super hoc expresse non consenserit, venta non est facta sufficienter. Et ideò reus habebit aliam dilationem pro venta facienda, & aliam donec sit sufficienter facta.

§. 5. Si autem reus his quæ dicta sunt proximè consentiat, & dixerit: Super aliis non ostensis mihi sufficit designatio facta in libello, dum tamen hæc in rescriptione Commissarii contineantur, venta reputabitur sufficienter facta.

§. 6. Item si actor & Commissarius, vel alter illorum, ad diem assignatam vel conventam, & locum non compareant, sed reus; sic faciat reus diligentiam suam ponere in scriptis sub instrumento publico vel sigillo duorum testium fide dignorum, & eam deferat ad Parlamentum sequens, & habebit dilationem. [5]

[5] *Dilationem*) scilicet novam cum impensis prioris comparitionis.

§. 7. Item si actor & Commissarius die statuta, ac loco convento, & hora conveniant, & reus sufficienter expectatus non venerit, debebunt exinde accedere ad loca ubi sunt res quas petit, & dictam ventam dictus actor commissario præfato in contumaciam dicti rei facere debet, ut supra dictum est. Et præmissa, videlicet contumacia rei, & expectatio, & modus expectationis, & tempus, & omnia supradicta debebunt contineri in rescriptione Commissarii, alias nisi eam modo prædicto, & omnia supradicta in prædicta rescriptione non continerentur, venta non reputabitur sufficienter facta, & reus haberet dilationem aliam.

§. 8. Item ista dilatio in universalibus judiciis, ut est petitio hæreditatis, & similes, non habet locum per rationes jam dictas.

CAPUT XII.

De dilatione garendi.

[1] *Mixtis.*) Idem in beneficialibus, etiamsi rem quo petebatur, mortuus est contra eum qui tenet beneficium affectum; additio regiæ curiæ. C. M.

§. 1. Circa hanc dilationem sciendum est quòd garendus seu garendisator, est ille qui tenetur de evictione. Et ideo hæc dilatio non potest peti nisi in realibus actionibus, vel in rem scriptis, sive mixtis, [1] fallit [2] in casu novitatis.

[2] *Fallit.*) Scilicet post annum nisi cessante culpa rei scilicet infra annum & diem semper competit evictio. C. M.

§. 2. Item reus habere potest tres dilationes pro garendo, si garendisator semper deficiat: sed caveat reus quòd dum primam dilationem pro garendo petit, protestationem faciat de defendendo causam, vel garendisator nollet comparere, vel si compareret, nollet tamen in se causam suscipere vel defendere, aliàs si habeat dilationem, & non fecerit protestationem, & garendisator in aliqua de tribus dilationibus non comparuerit, vel comparens recusaverit garendiam accipere, reus ipse causam amittit: [3] quia ex quo petendo garendiam, non facit retenutam de defendendo, ut supra dictum est, in nullo videtur

[3] *Amittit*) Hoc inquâ civ. & exoleta. C. M.

confidere de jure suo, nisi in eo quod garendisator sibi diceret, & sic confiteretur intentionem agentis, si garendus nollet defendere causam suam.

§. 3. Item si plures sint garendisatores citati, & quidam compareant, quidam non, prætextu non comparentis habebit secundam aut tertiam dilationem pro garendo, vel ambas, nec ante respondere tenetur, nisi velit: quod est contra [4] *l. si rem quæ apud te. §. si ei qui ff. de evictionibus.*

[4] *Contra.*) Imo quia d. l. nihil dicit de dilatione, sed quod pars debet defendere in solidum.

§. 4. Item sciendum est quòd nemini conceditur dilatio pro garendo, nisi certum nominet [5] quem sibi pro dicta re dicat teneri ad portandum garendiam, vel quia ipsa ab ipso emit, vel alio titulo acquisivit sub hoc pacto, ut teneretur sibi evictione, & hoc de stilo curiæ Parlamenti: sed de stilo Castelleti non tenetur aliquem nominare.

[5] *Neminet.*) Non servatur: & ab antiquo in Parlamento una tantum dilatio datur, ut infrà in ordin. tit. 21. §. 4. & Carol. VII. §. 65. quod hodie per constit. anni 1539. §. 18. generale est etiam in inferioribus, vide Imbert. instit. forensibus lib. 1. c. 10. C. M.

§. 5. Item ad garendisandum vocatus, diem consilii

& ventæ petere poteſt, ſi velit, & habebit has dilationes, ſi petat antequam garendiam ſuſcipiat. Et reus qui ipſum vocavit, faciet ſibi ventam infra diem conſilii, ut quidam dicunt: Sed ſi poſt garendiam ſuſceptam dictas dilationes peteret, non audiretur. Et ita dictum fuit pro Magiſtro Guillelmo de Brolio, in cauſa Epiſcopi Appanarum, qui garendiam ſuſceperat Poncii Fabri in cauſa contra ipſum mota in curia per Abbatem de Bolbone. Et eſt ratio, quia ſuſcipiendo defenſionem ultro non petitis dictis dilationibus, præſumitur omnino certus & ſcire merita cauſæ, alioquin fatuus reputaretur qui ſic ex abrupto mentorum cauſæ penitus inſcius defenſionem illius ſuſciperet: & ideo cum præſumatur certus, dictas dilationes non habebit.

§. 6. Item ſciendum quod licet in caſu proximè dicto garendo dictæ dilationes denegentur, nihilominus cauſas ineptitudinis proponere poterit contra petitionem, & hoc idem concederetur, reo ſcilicet proponere cauſas ineptitudinis, licet petiiſſet hanc dilationem, non facta retenuta, ſi deficiat in habendo garendum.

§. 7. Item vocatus ad garendiſandum, poteſt proponere quicquid vult contra adjornamentum factum contra ipſum ab eo qui ipſum ad garendiſandum vocavit. Ita dictum fuit per curiam pro Archiepiſcopo Rhemenſi. Qui garendiam ſuſceperat cauſæ motæ contra quoſdam officiales regios per decanum & capitulum Rhemenſe & homines banni ſui, & beati Remigii, in cauſa novitatis ſuper compulſione ſolutionis expenſarum coronationum Regum Franciæ Ludovici & Philippi, contra libertates quas dicebant ſe habere de non ſolvendo ipſas.

§. 8. Item ubi vocatus pro garendo dicit ſe velle accipere garendiam, habet cauſam defendere ſuis periculis & expenſis.

§. 9. Item ſi ſuſcepta garendia, condemnetur garendus, fiet executio ſententiæ contra illum qui ipſum petiit in garendum, [e] & ad hoc concordat *l.* 1. *C. ubi in rem. actio.* [d]

§. 10. Item ubi garendus eſt condemnatus ad rem reſtituendam actori, eo ipſo videtur condemnatus ipſe garendus ad intereſſe illius qui rem poſſidebat, & ipſum vocaverat in garendum, & eſt condemnatus eadem ſententia, & virtute illius mandabitur inquiri ſummatim de intereſſe poſſidentis, ſi dubitetur ad hoc ut ſciatur in quantum contra ipſum garendum fiat executio pro prædictis, & facta inquiſitione fiet executio in eo quod reperietur pro eadem, *concordat ff. de fidejuſſor. l. græce* §. 1. [c]

§. 11. Item ſi garendus citatus a l ſuſpiciendam garendiam compareat, & dicat ſe nolle ſuſpicere garendiam, vel etiam ter citatus non comparet, non habet reus cauſam defendere niſi voluerit, ſed ex his ſolum competit ſibi actio contra garendum pro evictione. [f]

§. 12. Item reus non poteſt compelli a l litem conteſtandam antequam tres dilationes pro dicto garendo habuerit, & tres citationes fieri fecerit contra ipſum, & tres defectus habuerit. Et eſt optima ratio, quia ipſe per hoc efficitur firmus pro recuperando ſuum intereſſe contra illum qui ſibi de evictione teneatur de re illa, & ex tunc non imputabitur ſibi ſi cauſam deſerat, cum ille quem principaliter tangebat, videatur diffidere de jure ſuo ex quo cauſam noluit ſuſcipere, vel etiam ter citatus comparere. Et ideo ſibi in tali caſu licitum eſt agnoſcere bonam fidem.

§. 13. Item ſi garendus compareat, & petat diem appenſamenti, ſiquidem pro facto ſuo ſit inſecurus, non habebit eam, ſi pro facto alieno, ſic, & hoc ſi poſt garendiam ſuſceptam petat.

§. 14. Item ſi garendus petat alium in garendum, & ob hoc dilationem pro garendo petat, non debet audiri. Et ita fuit pronunciatum in cauſa domini de Conſico: quod intellige niſi prius [7] garendiam ſuſcepiſſet.

§. 15. Item ubi facta venta reo, & garendus adjornatus ſuper garendia petat eam ſibi fieri, non fiet ſibi: ſed ubi facta non fuiſſet, ei fiet, & hoc ſuſceptâ jam garendia. Et eſt ratio de primo, quia ex quo ſuſcepit garendiam in ſe, videtur ſuper re quæ petitur, adviſatus. Et hæc habent locum ubi petit eam fieri poſt garendiam ſuſceptam: ſed ubi ante, ſecus: ut dictum fuit ſupra.

§. 16. Item garendus petendo diem conſilii vel appenſamenti vel pro venta dilationem, non propter hoc videtur garendiam ſuſcipere. [g]

§. 17. Item ſi garendus non compareat, ſed ad hoc procuratorem mittat, ad hoc ut per procuratorem recipiatur, requiritur quòd habeat expreſſam poteſtatem garendiſandi, vel refutandi garendiam. Et ſunt verba ad hoc apta in gallico, *Donnant & octroyant audit Procureur plein & ſpecial pouvoir & authorité de faire advenir ou deſadvenir ſon garentie*: Aliàs mandatum non teneret. Et ideò curia in Parlamento anno Domini 1323. hoc ordinavit, & injunxit omnibus in Parlamento exiſtentibus, ut certificarent ſuper hoc adjornandos, quòd talem poteſtatem ſuis procuratoribus concederent, & ſicut præmiſſum eſt, procuratoria ſua ordinarent, & quòd amodo nullus haberetur excuſatus, ſed pro contumace reputaretur. [h]

§. 18. Item in delictis vel exceſſibus non habet locum dilatio pro garendo. Et eſt ratio, quia licet ille quem pro garendo nominaret, eſſet dominus vel pater ſuus, & præſens eſſet, vellerque ſuſcipere garendiam, cum non excuſaret, cum in talibus [8] non teneatur obedire. [i]

§. 19. Sed hoc quod dixi, fallit: nam ſi Baillivus vel ſerviens adjornatus in curia ſuper delicto vel exceſſu qui poſſet cadere in ſpeciem delicti, dicat hæc de mandato ſuperioris & juſtitiando feciſſe, & ſuper hoc illum de cujus mandato ſe aſſerit feciſſe (qui ſuperior ſit ipſius) petat in garendum, & ſit ejus ſuperior indubitanter, & ejus prætextu ſibi dilationem concedi & adjornamentum petat, hæc ſibi concedi debent. Et ſi talis ſuperior citatus ſeu vocatus ad garendiſandum advoet illum ſibi ſubditum, ille primò citatus (licet præmiſſa cadant prima facie in ſpeciem delicti vel quaſi) ex tunc pro ſibi impoſitis non erit moleſtandus, imò potius dimittendus. Ita vidi pronunciari pro quodam ſerviente de Viromandia Præpoſituræ Peronæ, contra Locumtenentem præpoſiti Peronæ, & Joannem de Marronis & quemdam valetum ſuum, cui dictus ſerviens dicebatur pedes in quæſtionibus combuſſiſſe. [k]

§. 20. Item alio caſu ubi quis conqueritur de Baillivo alicujus domini vel ſerviente, dicens quòd ei eſt injuriatus, dicit Baillivus vel ſerviens hoc partim pro jure ſuo, & partim pro jure domini, & de ejus mandato juſtitiando feciſſe, & ob hoc petit dominum in garendum, ut puta quia dicit illum inveniſſe furripientem ſibi aliquam rem, & cùm eum capere vellet, & ipſe reſiſteret, ei de mandato domini vel propter poteſtatem ſibi attributam ipſum cepiſſe, vel vulneraſſe dicat, ſi petat dictum dominum garendum inquantum tangit ipſum, & ob hoc dilationem concedi, & adjornamentum, ſibi concedetur. [l]

§. 21. Quod verum intelligas, dum tamen prius ſuper hoc non fuerit litem conteſtatus, & idem eſſet in caſibus ſimilibus, quod reputo notatu dignum. [m]

§. 22. Item ubi pro garendo citatus refutat expreſſe ſuſcipere garendiam, & reus qui fecit proteſtationem ſuam defendendo cauſam ipſam quam ſuſcepit, debet proteſtari contra garendum de damnis, expenſis, & intereſſe.

§. 23. Item ſi homines judicantes, in aliqua curia dicunt ſe non peritos pro aliqua cauſa judicanda, & medio juramento; habent cauſam pro judicando remittere

[e] *Garendi*] niſi quoad expenſas & damna, ut conſtitut. anni 1539 §. 20. Imbert. inſtit. forenſibus lib. 1. c. 20. C. M.

[7] *Prius.*] Quia ante eam ſuſceptam nondum eſt Pars, hæc additio marginalis regiſtri curiæ. C. M.

[8] *Talibus.*] l. ad ea. ff. de reg. jur. ea Iuliano XI. q. 3. C. M.

remittere superiori suo, qui ipsis exclusis, habebit judicare, & ut volet, & ipsi necessariò habebunt illud pronunciare: & si à dicto judicato, appellatur, & ipsi propter hoc trahantur in causam, possunt superiorem suum in garendum vocare, nisi opponatur eis de falso rapporto facto superiori, quia tunc ipsum in garendum vocare non possent, sed ipsi tanquam pro facto proprio tenerentur.

CAPUT XIII.

De exceptionibus & quo ordine petantur.

§. 1. AD evidentiam hujus materiæ sciendum est quòd si actor se non præsentaverit, tunc hæc dilatoria quę non habet vim peremptoriæ, ut supra [1] dictum est, primitus proponi consuevit in curia: quæ si proposita non fuerit per reum, antequam se posuerit in defensione, vel aliquas etiam dilatorias proposuerit, videtur ipsum ut præsentatum admisisse. ideo ipsam amodò proponere non potest. [a] Ita fuit dictum pro dom. Joanne de sancto Germano in Parlamento, anno 1329. Quod verum est nisi in casu ubi curia injungeret ei quòd procederet ultra, cum protestatione quod dicet si sit præsentatus, aliàs non. [b]

§. 2. Item secundò objicitur exceptio procuratorii vel fundationis, & in hac frequenter dicitur ut pars procedat sub protestatione si sit fundata, & postea facit sibi ostendi procuratorium, quo viso, proponit illa quæ vult; vel non procedit, nisi velit, donec viderit. Et etiam si constaret quòd procurator non est fundatus, istam exceptionem reus poterit proponere vel post litem contestatam, cum nemo sine actione experiatur, *ff. de negot. gest. l. si pupilli. §. fin.* Et quia etiam interest Curiæ ne judicium sit delusorium. [c]

§. 3. Item opponitur tertia exceptio gratiæ ubi actor non est præsens in judicio, sed ejus procurator. Dicitur enim ei, non habetis gratiam: scilicet quòd litigare possitis per procuratorem, quare recipi non debetis, & super hoc tunc est insistendum: quia actor qui est de patria consuetudinaria, non potest per procuratorem agere, nisi super hoc gratiam Regis habuerit: Et est ratio, [a] quia si principalis sit bonus homo, erubescet pravam causam sustinere: sed procurator non, cum non constituatur de melioribus hominibus, ut in pluribus, qui magis de facili laxant conscientias suas. [d] Audivi quòd ista non est ratio, imò quod quando personæ principales sunt præsentes, magis honorantur sedes judicantium, maximè ex præsentia Comitum, Baronum & aliorum magnatum, & hæc ratio maximè concludit in sede Parlamenti, quæ est sedes Regni capitalis, & omni honore digna. [e]

§. 4. Et ideo ut sciamus eos qui indigent gratia, videndum est de his qui non egent gratia. Et primo actor se potest præsentare sine gratia per procuratorem, dum tamen ipsam habeat in judicio, sufficit. Item gratia generalis in Parlamento & extra, semper bona est & sufficiens pro Parlamento. Idem si sit in Parlamento, vel extra, &c. Secus si extra tantum. Item procurator rei numquam indiget gratia, nec procurator actoris, si sit de patria quæ jure scripto regitur. [a] Item procurator Prioratus conventualis recipitur sine gratia: si autem esset prioratus non conventualis, indigeret gratia. Et ita dictum fuit in Parlamento anno 1325. pro domino Guillelmo Roberti de Gugulio contra quemdam Priorem. [f]

§. 5. Item procurator actoris dimittitur sine gratia ad petendum utilitatem defectus, cum reus primo defecerit, & fuit adjornatus ad sequens Parlamentum visurus dicti defectus utilitatem adjudicari secundum quosdam. Sed credo contrarium etiam de stilo curiæ, cum actor ex hoc possit causam lucrari.

§. 6. Item procurator actoris etiam sine gratia admittitur in Parlamento ubi petit renovari commissionem. Et ita dictum fuit in Parlamento anno 1325. pro Comitissa de Guines contra dom. de Coussy.

§. 7. Item procurator Episcopi vel alterius Prælati, vel Capituli, aut Collegii, admittitur in Parlamento sine gratia.

§. 8. Item procurator villæ alicujus vel alterius universitatis, sine gratia admittitur, sive agat, sive defendat: ita dictum fuit per curiam pro procuratore Majoris & juratorum Montismariani in Bearnio, & pro illis de Longo campo in Parlamento anno 1323.

§. 9. Item procurator actoris indifferenter admittitur in judicio post litem contestatam. [g]

§. 10. Item quarto exceptiones quæ proponuntur contra adjornamentum, omnes alias præcedunt, præter superius dictas, excepta declinatoria fori, quæ præcedit. Et ideo si reus ambas proponere velit simul propter abbreviationem, non debet audiri. Ita dictum fuit contra Ducem Aquitaniæ pro Dom. Gaillardo de Mota, & hoc verum nisi prius adjornamentum approbaret, sed secus in aliis exceptionibus: quia ipsas opponendo, tacitè approbat adjornamentum. Sed si Curia te velit admittere super pluribus exceptionibus ad proponendum ipsas simul, debes proponere illas cum protestatione quòd per secundam non intendis discedere à prima, & sic de aliis, & petas tibi jus dici seriatim in quacunque illarum; juxta sui naturam & ordinem. Sed quidam dicunt hoc quod dictum est, declinatoriam fori & exceptiones contra adjornamentum simul proponi non posse, locum habere in his qui sunt extra regnum istud: sed in regnicolis dicunt hoc peti posse, quia hoc non est declinare, sed potius petere remissionem fieri. Nam cum Curia sit superior, non videtur velle occupare vel usurpare jurisdictionem subjectorum pro causa modica, sed cautela est quòd si prius declinatoriam proponat, ut protestetur de dicendo contra adjornamentum.

§. 11. Item si quis conveniat reum actione personali ad debitum, & reus proponat exceptionem pacti de non petendo, vel solutionis, aut similes, videtur tacitè debitum confiteri. [a]

§. 12. Et de stilo curiæ licet sit paratus ipsas probare, & ad hoc se offerat, tenebitur tamen implere [a] manum curiæ de tanto quantum petit actor: aliàs ad ipsas proponendas non admitteretur. Et est modus loquendi. *Qui l nantisse & emplisse la main de la Cour.* [b] Et est ratio, quia debitores malitiosè, & causâ diffugii hoc proponunt, ut res vel bona de quibus posset incontinenti fieri satisfactio, interim pendente dicta probatione, possint elongare vel consumere.

§. 13. Item quædam sunt exceptiones quæ sunt valde anomalæ, ut si bona alicujus sint saisita propter crimen sibi impositum, vel propter ejus contumaciam: quia vocatus ad jura regia, noluit venire in continenti, dum venit, offert se paratum juri stare super sibi impositis, & curia velit quòd respondeat petitioni, seu denuntiationi, potest dicere: Bona mea posuistis in manum vestrum: peto ea mihi recredi [a] prius, cum ob istam causam detineatis occupata, & est bona recredentia, & aliàs non tenetur respondere nisi in casu ubi sententia contra ipsum contumacem lata fuisset, à qua ipse appellasset ad præsentem curiam, quia tunc ipse prius causas justas pro se absolvendo, vel purgando crimen sibi intentatum, deberet proponere ad finem quòd contumax non valeat reputari, quo facto, bona ipsi ad recredentiam traduntur. Ita dictum

[1] *Supra.*) *l. 5. §. 4.*

[a] *Ratio.*) Imò ratio erat ad erudiendas partes, & eadem de causa est, ut dixi supra *l. 1. §. 9. C. M.*

[a] *Contestatam.*) Ut pote tunc dominus litis, *leg. ab executore in fin. ff. de appellat. l. 5 C. de procurat. c. 1. in.* C. M.

[b] *Implere*) Hic manetur est Compilator: debebat enim addere quòdo de debito constat aliàs, quàm per confessionem rei: nec hoc solum, sed etiam quando constat per instrumentum habens vim incipiendi ab executione reali: aliàs nunquam verò, nec observatum fuit. C. M.

[a] *Cour.*) Et sic temporibus antiquis fiebat potius sequestrum quàm vera executio, usque ad rem judicatam, quod adhuc vigebat, dùm essem novus Advocatus, postea hodie inductum est, ut data idonea cautione, muniatur manus creditoris ob litium prolixitatem nimis sumptuosam & benè C. M.

[a] *Recredi*) Hoc verbùm Gallicum usurpavit latinitas Canonistarum *c. dilectis, de appellat.* habet tamen emphasim, ut dixi in consuetud. Parisiens. tit. 3. C. M.

fuit in Parlamento anni 1325. pro procuratore Regis contra Vicecomitem de Mons.

§. 14. Item est alia exceptio similis proximæ, quia cum agitur contra aliquem super saisina per modum novitatis, & res posita sit ad manum judicis coram quo agitatur quæstio, reus ita potest excipere, quòd non tenetur respondere, nec procedere coram ipso, donec manum [7] suam appositam in ipsa re amoverit: ut patet per sequens exemplum. Abbas sancti Benedicti super Ligerim agebat super novo impedimento contra dominum de Ligneriis, qui dicebat se habere explectam scindendi ligna in quodam nemore illius Abbatis, pro quodam furno cujusdam villæ suæ, coram Baillivo Aurelianensi dominus de Ligneriis dicebat se non teneri respondere in dicta causa, donec dictus Baillivus manum regiam in dicta explecta posita amovisset; & exinde, quod petiit fieri, & super hoc jus dici sibi. Ex adverso dicebatur hoc fieri non debere, quia ipse dominus cum dicto Abbate per duorum vel trium dierum assignationes processerat, & quòd prædicta non petierat, unde Baillivus prædictus pronunciavit quòd jam dictus dominus eidem Abbati responderet, & dicta manus non amoveretur: à qua sententia fuit ad præsentem curiam appellatum: per quam dictum fuit bene appellatum, & malè judicatum.

7 *Manum.*) Quia olim incipiebatur à reali sequestro, quod parte comparente seque defensioni opponente, amovebatur, donec causa cognita decerneretur, nisi in promptu constaret sequestrandum esse, tandem ob frequentes abusus veritum est incipere à reali sequestro, solo verbali relicto, ut in Constitut. Regis & stilo Cancellariæ. C. M.

§. 15. Item exceptio præscriptionis impedit litis contestationem, ut patet per sequens exemplum. Major & jurati S. Quintini in Viromandia faciebant quæstionem super proprietate procuratori Regis, & Quintino le Chambellan, super homagio & pedagio burgensium dictæ villæ. Qui procurator & Quintinus proposuerant dictos majores & juratos non habere aliquam actionem contra ipsos, pro eo quòd saisina super præmissis, eis, scilicet Majori & juratis fuisset adjudicata, reservato sibi, scilicet procuratori & dicto Quintino, jure super proprietate, unde contra ipsos debuissent infra annum adjornamentum impetrasse, quod non fecerant: quare secundum stilum curiæ cecidерant à jure si quod habebant. Item quod lapsi erant triginta anni ab eo tempore quo ipsi Major & jurati habuerant dictum Arrestum, & ex tunc præmissa continuè levaverant, scilicet procurator Regius & dictus le Chambellan, & sic jus proprietatis acquisiverant in præmissis. Cum tamen decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes sufficiant, & exceptio præscriptionis impediat litis contestationem, propositum fuit in contrarium, scilicet per Majorem & juratos, quod imò super saisina habuerant Arrestum, & in anno proximè præterito, reservato eis jure super proprietate, & quod considerato dicto Arresto, & quod in anno præterito non fuerat Parlamentum, & quod ex tunc nihil poterat eis imputari: consideratoque reservatione prædicta, & quod exceptio præscriptionis non est de illis quæ impediunt litis contestationem, ut patet *in l. 1. §. fin. ad Tertull. ff. & ad exhibend. l. 3. §. Ibidem*, ipsi admitti debebant ad agendum. Curia considerata negligentia partis actricis, scilicet Majoris & juratorum triginta annorum à primo Arresto citra, consideratoque quòd dictum Arrestum de quo prædicta pars fecerat mentionem, fuit declarativum primi dumtaxat, & quòd sic per ipsum nihil alicui partium prædictarum de novo datum vel diminutum dici debebat, dictum fuit per Arrestum curiæ in Parlamento anni 1325. quòd dicti Major & jurati non admitterentur ad dictam actionem proponendam. [h] Et sic ex causa ista potest notari quod dictum est prius.

§. 16. Item per Arrestum curiæ alterius Arresti declarativum, licet aliquam reservationem actionis contineat, non litigato super ea, nihil novi [i] tribuitur.

§. 17. Item in Parlamento, vel alibi in curia laicali, exceptiones eædem vel variæ non proponuntur nisi semel ad eundem finem, sed ad diversos fines benè proponi possunt. [k]

§. 18. Item ubi pars rea incipit proponere peremptorias ante dilatorias, sibi præjudicium facit in dilatoriis, quia ex tunc ad aliquam dilatoriam proponendam non admitteretur: & hoc propter præposterationem: Et est ratio, quia lis ita inchoata est & contestata per propositionem exceptionis peremptoriæ. [l] Et hoc verum, nisi peremptoria in modum dilatoriæ proponatur, quod potest cum protestatione quòd eam proponit in modum dilatoriæ. [8]

8 *Dilatoria.*) Sat est constare ex forma proponendi. Specular eo. tit. §. dictis ver. rursus in fi. C. M.

§. 19. Item caveat reus quod omnes exceptiones ad unum finem tendentes hoc ordine simul & semel proponat, & non debet ultra procedere, nisi in casu ubi curia hoc ordinaret, quod dic. ut suprà eo. tit.

§. 20. Item exceptiones quæ proponuntur, nam si heri unam proposuit declinatoriam, & alia die aliam vellet proponere, non audiretur. [m]

CAPUT XIV.

De adjornandis heredibus mortuorum, & de resumptione arramentorum.

§. 1. ITem est & alia exceptio quæ est valde anomala, sed frequentatur in curia Parlamenti. Nam [1] si reus sit mortuus in quacumque parte litis, & actor non fecerit ejus successorem, ad proximum sequens Parlamentum adjornari ad reassumendum arramenta, licet successor ejus se præsentaverit in dicto Parlamento, si actor petat ulterius in causa procedi, reus poterit excipere. Non me adjornasti ad hoc Parlamentum, licet satis haberes de tempore, quare peto congedium, [a] & non est dubium quin habiturus sit ipsum. Ita dictum fuit in causa proprietatis contra Enguerrandum de Magula, pro Hospitali sancti Joannis, in causa possessionis pro eodem Hospitali contra Comitem de Pontieu, in Parlamento annni 1527.

1 *Nam.*) Forma huius, §. & 2. exolevit.

§. 2. Item si adjornaretur successor simpliciter processurus in negotio incepto in curia cum prædecessore suo, non contento in adjornamento expressè per talia verba resumpturus arramenta, non tenetur virtute alias adjornamenti procedere in causa, sed potest excipere. Adjornasti me simpliciter, ubi debebas me adjornare resumpturum arramenta: quare non teneor procedere, quia minus sufficienter adjornatus sum, sed peto congedium, & habebit ipsum. [b]

§. 3. Item illud quod dictum est quòd adjornandi sunt successores rei mortui, non tantum dictum est de heredibus: Nam verbum illud, *successor*, non tantum comprehendit heredes, sed etiam quoscumque successores [c] in aliqua re. Et ideo sive litigetur cum privato & singulari, sive cum Prælato, vel de proprio patrimonio, vel patrimonio Ecclesiæ, vel de actione personali, habet locum quod dictum est. [d]

§. 4. Item si actor sit mortuus, numquid reus habet readjornare heredes vel successores actoris? Dico quòd non, sed ipsi sine adjornamento debent & possunt sua arramenta resumere, & posset esse quod causam [2] amitterent, si adjornamentum de novo impetrarent, ut in causa novitatis, & in causa appellationis.

2 *Causam.*) Supra c. 6. §. 1. 8.

§. 5. Item caveat reus quòd non faciat adjornari heredes vel successores actoris ad reassumendum; quia si hoc fecisset, licet illi essent negligentes in readjornari faciendo, tamen relevarentur per diligentiam rei super hoc factam. [e]

§. 6. Et idem esset si successores rei actorem fecissent adjornari resumpturum, &c. Et ideo si successor rei diceret actori vel ejus successori : Non fecisti me adjornari, replicaret actor vel ejus successor : non feci, quia fecisti me super hoc adjornari, quare in vanum me super hoc vexassem. Ita vidi consilium [1] Prioris Montignati concordare contra dictum Priorem, qui fecerat adjornari dominum Belli Joci ad reassumendum, &c.

[1] *Consilium*) Id est Advocatos.

§. 7. Quod autem dixi posse heredem actoris & debere resumere arramenta in sequenti Parlamento post mortem prædecessoris sui, etiam sine adjornamento, hoc verum est si reus sit præsens, & se præsentaverit in dicto Parlamento, aliàs si sit absens, & dicat in absentia rei se velle assumere arramenta, & petat defectum contra reum qui se non præsentavit, non habebit eum, quia non fecit eum de novo adjornari processurum in causa. Ita dictum fuit contra Abbatem sancti Dionysii in Francia, pro Guillelmo de Castrovillain in Parlamento [a] anni 1327.

§. 8. Item heredes rei adjornati ad reassumendum arramenta, debent petere arramenta sibi ostendi, & eis visis, possunt in continenti reassumere, si velint, vel petere diem appensamenti ad aliud Parlamentum: istud ultimum est utilius.

§. 9. Item licet semel eis fuerint arramenta ostensa illo tunc die quo petierunt sibi dari diem appensamenti, nihilominus poterunt petere ea sibi ostendi cum venerit dies appensamenti, & debebunt eis item ostendi, antequam ad ulteriora procedere teneantur. Ita vidi pronunciari per curiam in Parlamento anni 1327. nescio si fuerit registratum vel non.

§. 10. Item ubi sunt plures rei, & unus moritur, nihilominus heredes mortui sunt readjornandi per modum jam dictum, aliàs posset actor cadere in periculo jam dicto. Ita vidi pronunciari per Arrestum curiæ in Parlamento anni 1325. contra Ducem Burgundiæ pro Priore Martigniaci, & Procuratore Regio, quia dictus Prior non fuerat post mortem sui prædecessoris readjornatus.

§. 11. Item si adjornati sint heredes mortui, & petant diem appensamenti ad aliud Parlamentum, conceditur eis, licet alii contravenirent, & tota causa dormiet ad aliud Parlamentum, propter illos qui petierunt diem appensamenti : quia causa est connexa, licet ab initio causa posset separari. Ita dictum fuit in istis duobus casibus in Parlamento anni 1327. contra Comitissam Atrebatensem pro heredibus Nicolai de Pacyaco, civis Parisiensis & pro ipsorum heredum correis.

§. 12. Item exhis quæ dicta sunt, patet quòd sive reus sit mortuus, sive vivat, & actor mortuus sit, oportet semper actorem vel heredem ejus facere diligentiam, ut faciant adjornari reum vel ejus heredes. Est ne aliqua differentia ? dico quod sic, & duplex. Prima est quòd ubi reus mortuus est, debent ipsius heredes adjornari per verba expressa ad reassumendum, &c. Aliàs heredes possunt petere *comparuit*, & adjornamentum ad judicandum utilitatem *comparuit*, secus in actore vel ejus herede. Sed ubi reus vivit, actor autem mortuus est, sufficit si simpliciter adjornetur processurus in causa, licet non per dicta verba; sed tamen bonum est quòd semper exprimantur in adjornamentis. Secunda est, quòd reo mortuo, ejus heredes readjornati semper habent diem appensamenti. Sed ubi ipse vivit actore mortuo, si heredes actoris fecerint eum citari, reus non habet diem appensamenti, sed tenetur ultra procedere, & est summa ratio, quia cùm ipse vivat, melius scit merita causæ quàm ejus heredes.

§. 13. Item quod dixi successores mortui esse readjornandos, verum intelligo licet sint minores in Baillia alicujus, & tunc ipsi Baillium habentes sunt readjornandi : quia personalem actionem deducunt Baillium habentes, non realem, & supple hic de materia resumptionis arramentorum, quæ videbis infra in titul. de minori, & quam causam minores, vel eorum Baillium habentes, &c.

§. 14. Item si aliqui sint in commissione in curia, & defensore mortuo, heredibus suis readjornatis ad reassumenda arramenta, ostensa sunt reis arramenta, quibus tunc nihil objecerint, sed petierint diem appensamenti ad sequens Parlamentum, & illud habuerint, & ad dictam diem dicant se velle reassumere, & pars agens commissionem petat renovari; pars verò rea dicat eum ad hoc non debere admitti, nisi ostendat diligentiam suam, alia autem scilicet agens dicat ad hoc se non teneri, quia cum prædicta commissio sit de arramentis, & cùm illa fuerint illi ostensa, ipse videret si fuerat diligens aut non, & tunc ad hoc nihil opposuit, econtra objiciebatur quod imo, quia post diem appensamenti ipse repræsentabat personam mortui qui hoc petere potuisset : dictum fuit per Arrestum curiæ, quod debet docere de diligentia, [b] & quod aliàs commissio non renovabitur. Ita fuit dictum contra dominam Comitissam Atrebatensem pro Domino Simone de Nigella, filio Domini Guidonis in Parlamento anni millesimi trecentesimi vigesimi octavi.

CAPUT XVI.

An pars Agens habeat facere fidem de iis quæ proponuntur, antequam reus respondeat.

§. 1. UBi aliquis placitando facit mentionem de aliquibus actis curiæ, vel Literis regiis, eas tenetur exhibere parti adversæ antequam teneatur respondere : sed secus est in Literis vel instrumentis quibus dicit se velle uti in modum probationis. Nam eas non tenetur edere, nisi tunc cum eas producit. Et ita dictum fuit mihi pro appellantibus de ducatu Aquitaniæ contra ducem in Parlamento anni 1323. videlicet quod non tenerentur exhibere [a] appellationes, quia in modum probationis venirent, sed solum arramenta & rescriptiones.

§. 2. Item ubicumque aliquis se dicit saisitum de re quæ de jure communi in persona sua cadere non potest,, & allegat super hoc privilegium, in continenti debet docere [b] de privilegio antequam pars sibi respondeat, ita dictum fuit per curiam in Parlamento anni 1322. contra Procuratorem villæ de Tornaco, pro Procuratore decani Tornacensi.

§. 3. Item plus cum aliquis ad fundandum aliquam saisinam talem de qua proximè dictum est, allegat titulum qui est contra jus commune, & cum habet privilegium, ipse tenetur in continenti docere de privilegio & titulo antequam pars sibi respondeat : Et est ratio, quia licet aliquis non teneatur docere titulum suæ possessionis, nisi velit, juxta, *l. cogi. C. de petit. hereditat.* tamen ubi actor allegat titulum, docere debet, præsertim cùm esset contra jus commune. Ita dictum fuit per dominum de Cherchemonte, tunc Cancellarium Franciæ, contra Majorem & juratos sancti Quintini de Viromandia, in causa novitatis dictæ villæ. Et ideo peccavit Advocatus qui talem titulum allegavit. [c]

CAPUT XVI.

De Duello.

§. 1. PRo evidentia hujus materiæ sequitur tenor Literæ Regiæ super facto duelli [a] per modum ordinationis emanatæ.

[Philippes [1] par la grace de Dieu Roy de France : A tous ceux qui ces Lettres verront, salut : Sçavoir vous faisons que comme ça en arriere, pour nos guerres, & pour autres justes causes, pour le commun profit de nostre Royaume, eussions defendu à tous nos Subjets toutes manieres de guerres, & tous gages de batailles. Et plusieurs mal-faisans se soient avancez de faire homicides & autres malefices, pource que quand ils les ont faits couvertement & à recoy, ils ne peuvent par témoins estre prouvez. Pource que ce que nous en avons fait pour le commun profit, ne donne aux mauvais cause de mal faire, Nous avons pourveu, que la où il apperra evidemment homicide, ou autre malefice grief (larrecin excepté) dequoy peine de mort se doit ensuivre, avoir este fait en trahison ou en recoy, si que celuy qui a le mal fait, ne peut estre convaincu par témoins, & en autres manieres suffisamment, Nous voulons que on en puisse, en defaut d'autre preuve, celuy ou ceux qui par indices ou presomptions semblables à voir, soient de tel faict soupçonné, appeller de gage de bataille, & soustrons que en tel cas gages de bataille ayent lieu. Et en tel cas tant seulement Nous attrempons nostre defence dessusdite, és lieux & és terres esquelles gages de bataille avoient lieu, & ont esté accoustumez avant cette defence. Et n'est point nostre intention, que elle soit appellée ne attrempée en nul cas devant la datte de ces Lettres, desquelles absolutions ou condemnations sont faites, ou enquestes faites, afin que l'on les puisse juger à absoudre ou à condamner. Et n'est point nôstre entente, que cette defence soit r'appellée ne attrempée en nul cas, où il ne apparoist evidemment que le faict fust advenu. En témoin de ce nous avons fait seeller ces Lettres de nostre seel. Donné à Paris le Mercredy aprés la Trinité, l'an de grace mil trois cent six.]

§. 2. Ex tenore hujus Literæ nota quòd quatuor requiruntur ad hoc quòd contra aliquem vadium pro duello judicetur, ad finem ut ostendat quòd in proposito duellum sequatur. Primò quòd casus propositus contra aliquem ad finem duelli requirat pœnam mortis. [a] Secundò quòd proditionaliter, & in occulto [b] factum esse proponatur, & taliter quòd per testes [3] vel aliàs sufficienter probari non possit aliter quàm per duellum. Tertiò quòd ille qui super dicto casu provocatur, de dicto casu per indicia, vel præsumptiones verisimiles habeatur suspectus. [c] Quartò quòd evidenter appareat factum de quo proponitur, contigisse. [d]

§. 3 Item ex textu literæ, nota quòd licet ex latrocinio [4] pœna mortis inferri posset, tamen ob ipsum aliquis ad duellum non posset provocari. [e]

§. 4. Item nota quòd ubi aliquis casus, excepto latrocinio, de quo pœna mortis inferri possit, proponitur contra aliquem ad finem duelli, sufficit si provocans dicat provocatum dictum maleficium per se vel per alium [f] (licet non nominet certum) commisisse, ad hoc ut alijs supradictis concurrentibus, ibi cadat duellum. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ contra Carolum Artus, pro Rogerio de Audusia.

§. 5 Item si casus prædictus generaliter proponatur, dicendo: talis interfecit, vel fecit interficere unum hominem proditionaliter : talis propositio esset insufficiens, & indigna responsione de stilo hujus curiæ : sed oportet declarare locum [g] ubi maleficium hujusmodi fuit perpetratum, & tempus, & personam interfectam, non enim oportet declarare horam. Ita dictum fuit inter partes prædictas, & etiam in causa duelli, pro Armando de Monte-Acuto, contra Aymericum de Duroforti in præsenti curia mota.

§. 6. Item si contra hanc constitutionem judicetur duellum, vel fiat, nullum est judicium, vel saltem annullabitur quicquid in contrarium gestum fuerit, seu revocari poterit. Ita dictum fuit in causa Episcopi Ebroicen. qui fuit compulsus restituere equos & arma Guillelmo de Bosco, & Joanni Ignoto qui duellum inter se fecerant ex sententia Seneschalli temporalitatis dicti Episcopi, & contra prædictæ constitutionis tenorem. [h]

a *Duelli.*) Adverte quòd totus hic titulus non est de stilo propriè (sed excepta constitutione Philippi pulchri) apocryphus est, unde Ioan. Gallus antiquus hujus curiæ advocatus qui successit paulo post Compilatorem hujus stili, satis testatur in quæstionib. suis quæst. 90. formulâ quæ subjicitur hic à §. 7. usque ad finem tituli non haberi in stilo curiæ : habeo etiam antiquum hujus stili librum impressum in quo totus hic titul. deficit. Tamen tũ quia totum hunc tit. reperi in veteri regesto curiæ sic ut hic videtur intra stilum locatum, tum ob notitiam antiquitatis, nolui omittere. C. M

1 *Philippe*) Scilicet pulcher, qui tribus annis ante hanc constit. duella prorsus prohibuerat, ut infra de constitut. tit. 42 constit 1. Sed paulo post ad majora mala vitanda, regno nondum satis pacato, coactus fuit per hanc constitut. tolerare, sed simpliciter (ut Japonaria) permissione : non est enim lex approbativa, sed (quantum tunc potuit) coërcuit jura duellorũ, quæ temporibus nostris ex levioribus causis admitti pluries in hoc regno vidimus. Reliquæ sunt ethnicæ barbarici. Hæc constitutio in omnibus stilis impressis habebatur in latino non solùm in dictione *barbaro*, sed in sensu corrupto, ut facile sit conjicere nunquam fuisse latinè editam, sed Gallicè, Gallicámque invenimus in regesto curiæ, & apud Guido. Papæ q. *Delphin.* 617. Vnde nos eam nativo suo & patrio temporis sui Gallico sermoni, in qua nata & edita est, exactè, nec apice quidem addito, vel omisso, restituimus, ut sequitur. C. M.

3 *Testes.*) Vnde ad exclusionem duelli non sufficit per testes constare de ipso occisore, si mandans vel author de quo per indicia verisimilis, sed non plenè constat, ad duellum vocatur. C. M.

4 *Latrocinio.*) Compilator Brolius errat, quia constitutio non excipit latrocinium : sed simplex furtum tantum, quam vis eumdem errorem sequatur Guido Papæ q. Delphin. 617. ubi hujus dicta transcripsit. C. M.

De his quæ respiciunt actorem in causa duelli.

§. 7. Sciendum [5] est quòd Advocatus qui intendit proponere causam vadii pro duello, non debet properare ad istam propositionem faciendam, sed maturè & cum reverentia debet se de his quæ dicturus est, excusare penes curiam & partem, & super his proponendis licentiam curiæ petere.

§. 8. Item debet præcavere quod dum concludet, non dicat, & si prædicta negaverit, cum non possit ea probare per testes vel aliàs sufficienter, offert probare de suo corpore in campo clauso, & ipsum reddere mortuum aut devictum, facta retenuta de equo & armis & aliis decentibus nobili homini, & tali qualis est ipse : si enim concludat per copulativam, ad utrumque se obligaret, & ad vincendum & ad interficiendum, unde ex multis posset periclitari, ut videbitur in tangendo pro reo.

§. 9. Item debet præcavere ut faciat mentionem de Advocato, [6] quia si non faceret, per seipsum oporteret quòd duellaret, ita fuit objectum Magistro Hugoni Fabri fortis in causa duelli quam proposuit pro Armando de Monte-Acuto contra Aymericum de Duroforti. [i]

§. 10. Item caveat ut faciat retenutam de equo & armis, ut dictum est, quia aliàs pedester, & cum armis unius pugilli oporteret eum duellare, & sunt qui dicunt hæc esse de consuetudine Gallicana ; sed talis consuetudo est nimis aspera, quia licet in talibus nihil exprimeretur, tamen videtur se tacitè obligare ad talia peragenda cum armis quæ ipsum decent secundùm statum suum, sed tamen tutius est quòd nihil omittat. [k]

5 *Sciendum*) Hæc transcribit *Guid. Papæ quæst. Delph* 618. & ante hoc Per Iacob. tit. de duello. C. M.

6 *Advocato*) Id est quod loquitur tanquam advocatus nomine alieno, hæc scrupulosa non fuerunt de vero stilo, sed erant opiniones imperitorũ formalistarum, ut indicavi, supra eodem, §. 1. in prin. C. M.

De modo excusationis Advocati, & propositione in Gallico.

§. 11. [Messeigneurs, j'ay à proposer pardevant vous, contre Monseigneur tel que je void là (si la partie

eſt Chevàlier) pour Monſeigneur tel, lequel voyez icy, aucunes choſes, eſquelles il chet villenie, & ſi Dieu m'aift, il m'en poiſe: car tant que j'ay veſcu, je ne veiz onc audit tel que bien & honneur; mais ce que j'entends dire & propoſer contre luy, je le diray comme Advocat de ceans, & pourtant que ma partie le me fait entendre, & veut que je dife & propoſe, & m'en avoüera s'il luy plaiſt, & promis le m'a en preſence de vous. & le m'a baillé par écrit en ſubſtance, & le tiens en ma main: car jamais par moy je ne le feiſſe, car ledit tel ne me feiſt oncques mal, ne je à luy que je ſcache, fors que bien & honneur, & pource l'entends à dire; car ce fait à ma querelle, & autrement elle ne ſe pourroit ſoûtenir à la fin à laquelle il veut tendre, & ainſi que vous ſçavez mieux que moy, que chacun Advocat doit dire ce que fait à la querelle de ſon client, ſpecialement nous de ceans y ſommes tenus par ſerment, & auſſi eſt-il raiſon que chacun le faſſe. Pourquoy Meſſeigneurs vous ſupplie qu'il ne vous déplaiſe, & que vous me vueillez octroyer que je die & propoſe de voſtre licence: & avec ce prie à Monſeigneur tel qu'il le me pardõne, car ſi m'aiſt Dieu, en tout autre je le ſerviroye, mais en ceſtuy cas cy convient que je faſſe mon devoir, car j'y ſuis tenu.

Item, la Cour luy dira: Or propoſez voſtre faict ou querelle, & vous prenez garde que vous ne dites choſe à laquelle choſe ait en quoy il chee villenie, ſinon qu'il feſt à voſtre querelle, car la Cour le vous défend.

Item, l'Advocat dira, Meſſeigneurs, je ne diray choſe de quoy je ne ſoye bien avoüé, & que ne faſſe à mon eſcient & ma cauſe, & ſi Dieu plaiſt, je me garderay de meſprendre. Et ce fait, il doit propoſer ſon faict au mieux qu'il pourra, au profit de ſa querelle, par les plus belles paroles, & mieux ordonnées qu'il pourra, & au plus entendiblement, & ce fait il devra conclure ainſi comme il s'enſuit.]

Sequitur concluſio actoris.

§. 12. [Mon faict ainſi propoſé, comme vous Meſſeigneurs avez oüy, je concluds ainſi que ſi ledit tel confeſſe les choſes que j'ay propoſées eſtre vrayes, je requiers que vous le condamnez avoir forfaict corps & biens au Roy noſtre Sire pour les cauſes deſſuſdites, ou que vous le puniſſez de telle peine que droict, Uſs & Coûtume, ou la nature du cas propoſé le deſire. Et s'il le nie, je dis que Monſeigneur tel ne le pourroit prouver par témoins, ne autrement ſuffiſamment: mais il le prouvera par luy, ou ſon avoüé, en champ clos, comme Gentilhomme, retenuë faite de cheval, d'armes & d'autres choſes neceſſaires profitables ou convenables à gage de bataille; & en tel cas ſelon ſa nobleſſe, & luy en rends ſon gage.]

§. 13. Item Advocatus pro parte rei debet declinatorias proponere ſi quas habet, [7] deinde dilatorias exceptiones, & petere ſuper quibuſlibet ſibi fieri jus, & proteſtari de audiendo jus ſuper ſingulis exceptionibus, ſecundo loco, vel tertio loco: & ſi poſtea nihil poſſit objici de præmiſſis, debet proponere quæcumque poterit ad finem quòd duellum non cadat ſuper poſitis, quo facto debet concludere ut ſequitur.

7 *Habet.*) Item quòd dit Clericus Pet. Iacob. eo. tit. col. 6.

Concluſio rei.

§. 14. [Et au cas que la Cour regarderoit que au faict de l'adverſe partie propoſé cherroit gage de bataille, il nie les choſes propoſées au contraire, & dit que celuy qui les a fait propoſer, ment, & qu'il s'en defendra comme bon & loyal Gentilhomme qu'il eſt, par luy ou par ſon avoüé, faite retenuë (*ut ſupra dictum eſt in actore*) & baille ſon gage. Et lors le defendeur doit dire à la Cour avant que rendre ſon gage, Meſſeigneurs, je dis que tout ce que tel a fait propoſer contre moy par tel Advocat, & l'en avoüé, & baille ſon gage contre moy, il ment [8] comme mauvais qu'il eſt, du dire, ſauf l'honneur de la Cour: & tout ce qu'il a fait dire & propoſer contre moy, je le nie tout, & avoüe mon Advocat de ce qu'il a propoſé pour moy, & dit que au cas que vous regarderez que gage de bataille chenſt, je m'en defendray, nonobſtant que ſon Advocat a dit allencontre, comme bon & loyal Gentilhomme que je ſuis, & comme celuy qui n'a tort à la cauſe contre moy propoſée, & voicy mon gage, & le doit jetter.]

8 *Ment.*) Hinc dicit Pet Iacob. ubi ſupra, quod reus debet dicere quod actor mentitur per gulam, ſed falſum eſt; & minimè requiſitũ ut etiam Ioan. Gallus, infra quæſt. 90, C. M.

§. 15. Item nota ex his quòd antequam prædictam oblationem faciat, debet prius negare adverſo propoſita, nam ſi prius prædictam faceſſet oblationem quàm dictam negationem, videretur confiteri contra ipſum propoſita, de conſuetudine, quod eſſet valde periculoſum. Nam ſi ipſe confeſſus eſſet omnia ſibi objecta, non eſſet locus duello.

§. 16. Item caveat [9] reus concludendo, ut non dicat ultra ſupradicta, reum reddam mortuum, vel devictum: quia tunc ut actor ſe obligaret ad unum de his: quod non faciet ſi ſolum dicat ut ſupra dixi, quia ſi dicat, & ego defendam me, &c. ut ſuprà & non ultra procedat ad dicendum dicta verba, & reddam eum & cæter. ſufficeret ſi ibi nihil faceret in campo ad lucrandum cauſam, niſi adverſarius eum incitaret. Et idem eſſet ſi adverſarius ſe non præſentaſſet quia in iſtis caſibus lucraretur cauſam ſuam: quod non eſſet in caſu in quo prædicta verba proculdubio eſſet in primo caſu, licet in aliis ſecus.

9 *Caveat.*) Idem Pet. Iacob. eo. tit. col. 5. ſed ineptiæ ſunt, ut ſæpè dixi. C. M.

De præſentatione quæ fit in campo.

§. 17. De conſuetudine debet ſe præſentare actor ad campum antequam labatur meridies, & reus ante nonam, vel ipſius principio: aliàs quicumque deficeret, caderet à ſua cauſa. Item fit præſentatio coram Conneſtabulario Franciæ in campo, qui in hoc caſu repræſentat perſonam Regis, & ſit die & hora ſtatutis, fiet præſentatio per verba quæ ſequuntur. [Monſeigneur le Conneſtable, voicy tel homme lequel pardevant vous, comme celuy qui en tel cas repreſentez la perſonne du Roy noſtre Sire, ſe preſente à tout ſon ſon cheval & ſes armes, & en l'habit de Gentilhomme, & d'homme qui doit entrer en camp pour combattre contre tel homme au nom de Dieu & Madame ſainte Marie ſa Mere, & de ſaint George le bon Chevalier, au jour, lieu, & heure par le Roy noſtre Sire, ou par ſa Cour aſſignée: & s'offre à l'aide de Dieu apparellé de faire ſon devoir par luy ou par ſon avoüé, des choſes qu'il a fait propoſer contre ledit tel, pour leſquelles gages de bataille a eſté jugé entre eux en Parlement, par la maniere par laquelle la Cour a ordonné, & vous requiert que vous luy faſſiez partie & bataillée de camp: [1] & s'offre par luy, ou par ſon avoüé de faire ſon devoir à l'aide de Dieu, &c.]

Sequuntur verba proteſtationis.

[Et fait proteſtation & retenuë tant pour luy comme pour ſon avoüé, & de müer ſon Advocat, de müer & de changer cheval, & ſes armes, tant pour luy comme pour ſon avoüé, deſcendre & remonter, & de reſtraindre ſon cheval, d'eſlargir ou eſlaſcher, de combattre à pied ou à cheval, & ſoy aider de toutes ſes armes, & de chacunes d'icelles, de reprendre celles qu'il avoit laiſſées premierement ou autres, & de toutes les choſes deſſuſdites, ou de chacune d'icelles faire luy, ou ſon avoüé, toutes fois qu'il luy plaira, & que Dieu luy en donnera l'aiſement de le faire.

§. 18. Item, fait proteſtation que ſi ledit tel portoit autres armes au champ qu'il ne pourroit ne devroit porter par la coûtume de France, qu'icelles luy ſoient oſtées, & qu'en lieu d'icelles, nulles autres armes

il n'ait, ny ne puiſſe avoir. Item, s'il avoit armes forgées par mauvais art [m] ou invocation d'ennemis, que choſe qu'il en faille, ne luy profite, ne nuiſe à tel. Et vous que ſur ce le faites jurer par ſpecial.

§. 19. Item, au cas que ledit tel ne viendra dans l'heure donnée par la coûtume, qu'il ne ſoit plus receu en camp, ains ſoit tenu pour vaincu. [n]

§. 20. Item, encores proteſte que s'il plaiſoit à Dieu qu'il ne puſt vaincre ou déconfire ſon adverſaire en ce jour (laquelle choſe il fera ſi Dieu plaiſt) qu'il puiſſe continüer ſa bataille du jour à lendemain, ou à tel jour que le Roy noſtre Sire ou ſa Cour ordonnera.

§. 21. Et encore fait proteſtation & retenuë expreſſe de dire & de faire, & d'avoir tous les autres garnimens qui ſont neceſſaires, profitables ou convenables à Gentilhomme en tel cas, ou pourroient eſtre à tel beſoin. Item encore fait expreſſément proteſtation & ſpecialement, que la generale proteſtation & retenuë des choſes deſſuſdites, comme dit eſt, luy vaille autant, comme ſi de chacune choſe à luy ou à ſon avoüé neceſſaire, profitable ou convenable en tel cas & beſoin en euſt fait ſpeciale proteſtation ou retenuë expreſſément & diviſément par le nom & ſur-nom de chacun: & vous requiers que vous l'ayez pour ſuffiſamment preſenté, & receuës ſes proteſtations & les choſes deſſuſdites luy octroyez.]

§. 22. Item reus faciet ſimiles proteſtationes ſuperioribus. Item dicunt quidam eſſe de conſuetudine, quòd provocatus antequam Advocatus ſuus aliqua proponat, debet dicere quæ ſequuntur. Salvis & retentis meis defenſionibus & rationibus per me & Advocatum meum proponendis contra propoſita contra me, ad finem quòd ibi non cadat duellum: dico ego talis quòd in caſu quo curia judicaret ſuper propoſitis contra me cadere duellum, quòd talis mentitur de omnibus quæ contra me proponi fecit, & quòd ego me defendam. Nam dicunt quòd ſi dementiatur eum, antequam proponat aliquid ſeu proponi faciat, habebitur pro convicto, licet retenuerat feciſſet de ſe defendendo. Sed illud in curia nunquam vidi obſervari, & credo quòd ſupernùs dicta ſufficiunt.

§. 23. Item dicunt quidam in utroque quòd ſi poſt dicti vadii propoſitionem recedant de curia ſine licentia [o] curiæ, quòd recedens habetur pro convicto, ſed hoc non credo verum, quia non videtur mihi quòd curia pro tam modica cauſa tantum periculum pateretur. Sed hoc poſſet habere locum & ſuſtineri ſi partes eſſent arreſtatæ per curiam poſt dicti libelli propoſitionem, vel ſi recederet à villa Pariſius ad locum remotum vel ad patriam ſuam.

§. 24. Item provocans ad duellum, per ſe ipſum portare debet omnes armaturas ſuas, dum vellet intrare campum quibus ſe juvare vellet in campo, & tenere capellum ſuum laſſatum in capite, & viſeriam baiſſatam, & ſe gerere, ſicut faciet cùm certabit cum adverſario ſuo. Si autem faceret in introitu campi, vel lanceam, vel ſcutum, vel galeam, vel arma per alium deferri dum intrabit, & ea non acciperet antequam intraret campum, vel viſeriam galeæ levatam deferret, armis ſic per alium delatis uti non poterit: & etiam oportebit eum ſic duellare ſicut intrabit campum, de conſuetudine Gallicana.

§. 25. Item è contrario poteſt reus intrare campum, viſeria galeæ levata. Et ita conſuetum eſt fieri, & poteſt per alium deferri facere ſcutum & lanceam, & pòſt illis ſe juvare poteſt, & ita conſuetum eſt. Sed ſi fieret per actorem, non vidi, nec audivi dici quid fieri debet, ſed propter periculum evitandum bonum eſt facere ſicut prædictum eſt.

§. 26. Item poſtquam ingreſſi ſunt campum, coram eis appoſitis Sacro-ſanctis Dei Evangeliis provocans accipiet provocatum ſuum cum manu ſiniſtra, & dexteram tenebit ſuper ſancta Evangelia, & dicet verba quæ ſequuntur. [Homme que je tiens par la main: par Dieu & par ſes Saints, je t'appelle à bonne cauſe, ou j'ay bonne querelle contre toy, & que tu occis tel homme en trahiſon, dont je t'appelle: & que ce fais juſtement, & que je n'ay pierre, bref, ne herbe [p] ſur moy, parquoy te cuide vaincre: mais par l'aide de Dieu & de mes armes, & pour le bon droict que j'ay.

§. 27. Item, le defendeur fera ainſi comme dit eſt, & jurera comme l'autre, & dira [Homme que je tiens par la main, par Dieu & par ſes Saints j'ay bonne cauſe de defenſe contre toy, & tu ne as appellé mauvaiſement & fauſſement, & as mauvaiſe querelle contre moy, & que je n'ay pierre, herbe ne bref, ne autre choſe par laquelle je te cuide vaincre: mais par l'aide de Dieu & de mes armes, & pour cauſe du bon droict que j'ay.]

§. 28. Item ſciendum quòd licet actor proteſtatus fuerit de præmiſſis & juxta ſuperius expreſſa, & licet velit deſcendere vel mutare equum, vel aliqua alia facere de præmiſſis, licet hoc licitè poſſit facere ſecundùm Conſuetudinem Gallicanam, tamen adverſarius ſi velit, poterit ipſum deſcendendo interficere, vel eum gravare prout volet & Deus ſibi adminiſtrabit, non obſtantibus ſuis proteſtationibus, quibus non tenetur deferre niſi velit, nec oportet eum in contrarium proteſtari.

§. 29 Dominus Regnaldus de Ponte, in curia Francix Bernardum Comitem Convenarum adjornari fecit ad ea quæ civiliter vel criminaliter proponere vellet contra eum in præſentia curiæ ad certam diem, ad quam proponi fecit quòd dum quædam controverſia fuiſſet inter dominum Gaufredum ejus patrem, & dominam Margaritam ejuſdem Vicecomitis uxorem ſuper Vicecomitatu Turonæ, demum mortuo dicto Gaufredo, & dicto Regnaldo ejus filio & herede ſolo & in ſolidum relicto: dictus Comes ad dictam ejus uxorem in mortis quaſi periculo conſtitutam, quod evadere non poterat, uxori ſuæ quæ nunquam prægnans fuerat, falſum partum ſuppoſuit vel ſupponi fecit ad hoc ut dictum Regnaldum ſucceſſione & bonis prædictis privaret, & quod natus dictus partus ferret publicavit, & poſt tres-dies mortua dicta Margarita, dictus falſus partus ſicut venerat, receſſit. Et quia eſt hic ut actus qui per unam perſonam fieri poterat, & qui ſecretò fieri conſueverat, quod per teſtes probare non poſſet. Sed ſi dictus Comes prædicta contreretur vera, petebat ipſum condemnari fore feciſſe corpus & bona domino noſtro Regi; & ſi negaret dictus Regnaldus, paratus erat probare per ſe vel Advocatum ſuum dictum Comitem, facta retenuta. Item proponi fecit poſt mortem Regis Ludovici, cogitans quod Regina Clementia remanſerat ex eo prægnans, & quod bonum eſt piſcari in aqua turbida, & quod diſſenſio inter ejus fratres eſſet, ſi dicta Regina pareret filiam, ſuper regimine regni: ſi filium, ſuper regno, volens dimmuere jura Regni & coronæ, quæ ſemper ſunt, & quibus vaſſalli Rege mortuo, debent fidelitatem, contra Sacramentum & fidelitatem veniens, proditionaliter & falsò venit ad dictum Regnaldum: & ſibi dixit vel ſibi dici fecit quo! ligaret ſe per juramentum cum eo, & quod ſi faceret, haberet à futuro Principe privilegia, & ea quæ vellent, & quod eſſent domini ipſius, & quod finaliter cum pluribus de partibus illis præmiſſa attentavit, & quod dictus Regnaldus, ut bonus, noluit conſentire. Et quod hoc erat crimen læſæ Majeſtatis: concludens ut prius: & quod dictus Regnaldus advocavit ipſum, & projecit vadium, & poſtea Advocatus dicti Regnaldi dixit quod præmiſſa faciebat ad hoc, ut haberet Regem adſtrictum, quod aliqua quæ ſibi pereret, non auderet refutare.

§. 30. Dictus verò Comes ad fines quòd ad dictam accuſationem proponendam admitti non deberet, & ſi admitteretur, quod petitioni ſuæ non teneretur reſpondere tanquam ineptæ & obſcuræ. Et ſi teneretur,

[o] *Licentia*) Joan. Gallus, infra quæſt. 356. C. M.

quòd in propositis non caderet duellum : & si non caderet, pars adversa dictum Comitem per viam accusationis insequi vellet ad fines absolutionis, & hoc civiliter, petens jus per ordinem super proponendis sibi reddi, sub protestatione, &c. proponi fecit quòd à tempore mortis Regis usque nunc, erant elapti quatuordecim anni vel ultra : & quòd ex tunc fuerunt quatuor Reges in Francia : & quòd tanto tempore celasset præmissa, & ipse in sua propositione confiteretur se hominem ligium Regis ac vassallum, & quòd talia, dum prius ad ejus notitiam devenerant, tenebatur revelare domino suo, cujus honorem & statum tangebant, & non fecerat, confitebatur se proditorem domino nostro Regi esse & fuisse, & sic non restabat nisi executio in corpore & bonis, & sic ad æqualem accusationem, ut erat ultimo posita, vel minoris, & erat prima, admitti non debebat, juxta, *l. neganda Cod. qui accusari non poss.* Item quia ipse pro pacificando super his quæ proponere intendebat contra ipsum Comitem, licentiam obtinuerat contra ipsum, absque eo quòd dixisset Regi quòd ipsum tangebat, &c. petiit jus sibi dici super præmissis sub protestatione, &c. Item secundò proposuit quod ipse Regnaldus petitionem suam in utroque de dictis casibus fecerat alternativè : & non designaverat tempus vel locum ubi præmissa devenerant : quod tamen facere tenebatur, juxta *l. libellorum ff. de accusationib.* Quare non tenebatur eisdem respondere, tum quia in tantis criminibus non est licitum vagari, tum quia præmissa declaratione facta suas defensiones proponere posset magis clarè, & quòd sic factum fuit in vadiis propositis in præsenti curia per Rogerium de Audusia contra Carolum Artus, & Armandum de Monte-Acuto contra Aymericum de Duroforti, & petiit jus super præmissis. Item ad tertium contra primam accusationem quod licet dictum crimen fuisset commissum per dictum Comitem, quod ipse non fatebatur, proposuit in casu dictæ accusationis, quod crimen partus suppositi erat crimen, *legis Corneliæ de fal. ut C. ad l. Cornel. de fal. l. 1. & cum supposita, & ff. eod. l. quid si falsum.* & pro eo pœna mortis non imponitur. text. ad literam *in l. 1. §. fin. ff. eod. titul. & l. 1. C. eod. titul. alleg.* & ubique notatur. Et sic quod ibi non cadebat vadium duelli juxta dictas ordinationes. Item quod si partus erat verus vel falsus, poterat probari per testes, *ff. de Carbon. edict. l. 3. §. duæ. de successor. edict. l. cum extraneis. §. 1.* Et sic secundum prædictas ordinationes ibi non cadebat duellum. Item quod non proposuerat dictum Comitem per judicia, vel præsumptiones verisimiles de præmissis suspectum, & sic non cadebat ibi duellum secundum prædictas ordinationes. Item dicta domina Margarita fuerat prægnans, & pro tali se gerebat : & prægnans existens fecerat testamentum in quo partum ex ea nasciturum instituerat, & sibi virum suum prædictum substituerat, & pepererat sana existens : excepta illa infirmitate in qua pro illo tunc habuerat unam filiam vivam & veram, signa partus de novo editi ex dicta domina habentem in præsentia quamplurimarum bonarum personarum ; & fuerat baptisata per Episcopum Carcasson. & quod post dictum puerperium dicta domina Margarita vixit per sex septimanas, & posteà decesserat, dicta filia superstite, quæ post mortem dictæ matris suæ vixit per septem septimanas, & hoc offerebat se probaturum. Item ad secundum casum, videlicet crimen de Regina, &c. dicebat casum prædictum non evenisse : nec ipsum pro his suspectum, & dato absque veritatis præjudicio, quod ita accidisset, ut proposuerat, non commisisset aliquod crimen, quia ligare se pro habendis libertatibus non erat res illicita, imò sic se ligaverant & ligati venerant ad Regem Campani & Normani. [11] Item quod non erat crimen læsæ Majestatis, cum nec contra Principem vel ei assistentem, vel Rempublicam quia dictus Comes post mortem dicti Regis Ludovici factus fuit de consilio Philippi primi post eum tunc Regis : ubi benè & fideliter se gesserat, & majora, quæ erant in Regno, sibi commissa fuerant, offerens prout sunt in facto se probaturum, negans, &c. Et dictus Comes ultra procedens salvis protestationibus per ipsum propositis, reddito jure super utroque per ordinem, ut petitum fuerat per Advocatum suum, dicit : quod ubi curia videret, quod ultra procedere haberent, & quòd ibi vadium caderet facta retentione de equo & armis pro se, & Advocato suo, dicit quòd dictus Regnaldus mentiebatur super præmissis, & tanquam falsus & malus proditor erat dicendo præmissa, & quòd ipse super præmissis se defenderet per se vel Advocatum suum, ut bonus & legalis, & projecit vadium suum : duplicatum & triplicatum fuit hinc inde, &c. ad omnes fines ad quos proponere debebat.

§. 31. Item dictum fuit per Arrestum curiæ, quòd non obstantibus propositis, dictus Regnaldus admitteretur ad accusandum quòd dicta petitio erat responsalis. Item quòd de primo casu ad quædam per eumdem Comitem proposita probatio erat admittenda, licet causa de se esset criminalis ; sed in secundo casu, non obstantibus quibuscumque propositis ex adverso, inspecta natura ipsius, & quòd in dictis ordinationibus de eo expressa mentio fiebat, & aliàs fuerat Arrestum datum, super hoc vadium cadebat, & illud ibi curia pronunciavit.

§. 32. Nota ergo de stilo personam condemnandam pro tali crimine ad accusationem admitti : sed forte hoc ideo factum, quia dictus Regnaldus hoc revelaverat Regi Philippo & curiæ tempore dictæ licentiæ impetrato inde, & hæc dixit Advocatus dicti Regnaldi : & hoc fortè constabat curiæ. Item quòd alternatio admittitur, nec erat declaratio fienda. Item quòd solus conatus sufficit. Item quòd non oporter aliquem dicere suspectum. Item fuit in præmissis erratum pro parte dicti Comitis : primò quia Advocatus suus eum non excusavit pro honore personæ : secundò, quia ad finem absolutionis non proposuit præmissa, ut supra insertum : Tertiò, quia dictus Comes vocavit eum denunciando proditorem falsum, & hic quasi actorem se dedit.

[11] *Normani.*] sic erat Burdegalæ, Tholosæ & tota patria juris scripti, vide si vacat, tract. Io. Lupi de Confœderatione Principum. C. M.

CAPUT XVII.

De causa proprietatis.

§. 1. SCiendum est quod in causa proprietatis de stilo curiæ Franciæ debet dari petitio in scriptis, [a] & curiæ traditur, debentque dari tres petitiones ejusdem tenoris : & curia retinebit unam penes se, & duæ signatæ per curiam mittuntur Cancellario Franciæ, & sigillatur quælibet cum contrasigillo : & una restituitur actori, & altera reo.

§. 2. Item in causa proprietatis minor in subagio constitutus, litigare non tenetur, nec cautam cœptam cum prædecessore continuare ; sed ista dormiet [b] absque præjudicio partis, & quousque minor ad ætatem [c] legitimam pervenerit : & si procedant cum eo, non valet processus habitus in dicta causa, ita dictum fuit pro domino Carolo Ebroicensi contra Abbatem sancti Dionysii in Parlamento anni 1327.

§. 3. Item si minor vel in subagio constitutus vellet movere cautam super proprietate, & litigare super ea cum aliqua : vel cautam motam per prædecessorem

[a] *Scriptis.*] Facit *l. sicut in medio, cum gl. C. de præscript. trigint. ann.* hodie non servatur, olim non erant sic prompti ad usurpadum aliena, ut nunc : sed diligentiores ad servanda sua patrimonia. C. M.

[b] *Dormiet.*] Ætatem. Facit *l. sicut in medio, cum gl. C. de præscript. trigint. ann.* hodie non servatur, olim non erant sic prompti ad usurpadum aliena, ut nunc : sed diligentiores ad servanda sua patrimonia. C. M.

suum contra aliquem super proprietate alicujus rei, vellet continuare, non potest; sed absque ipsius præjudicio dormiet, donec ad legitimam ætatem pervenerit. Ratio est, quia de consuetudine quasi notoria circa talia ipsi nihil possunt amittere, neque lucrari: quod est contra *leg. non ideo minus, Cod. de procurato. & ff. de jurejurando, l. Nam & postea, §. si minor.* Et reputatur pervenisse ad ætatem legitimam quoad prædicta, si sit nobilis, & habeat annos completos 20. & inceperit attingere 21. Si autem sit ignobilis, sufficit quòd compleverit decimum quartum annum, & attigerit decimum quintum secundum Sco.

§. 4. Item in causa hæreditagii Regis vel proprietatis super patrimonio Regis nullus potest esse judex, neque se intromittere, nec cognoscere, nisi curia Parlamenti: nec alibi potest agitari præterquam in eadem, nisi vel ex commissione Regis vel curiæ & de mandato principali hoc fieret. Et si aliter fiat quàm supra dictum est, per quemcumque fiat, annullabitur per curiam, & pronuntiabitur nullum totum quicquid super præmissis factum fuerit. [c] Et ita dictum fuit per Arrestum curiæ in negotio Abbatis Montisolivi contra Regem inchoato coram Ordinario loci; sed super possessorio benè possunt Senescalli vel Baillivi cognoscere, & ex tunc facta fuit ordinatio per Præsidentes super præmissis.

§. 5. Item quod dixi, ut in causa proprietatis detur petitio in scriptis, fallit [2] si partagium sit factum cum Rege per aliquem super aliquibus certis rebus, & alius conqueritur dicens partagium super rebus suis factum fuisse, quia licet sit causa proprietatis, non dabitur petitio in scriptis: ita dictum fuit mihi in facto rerum insulæ in Lemovilinio.

2 *Fallit.*) Alios casus Spec. de lib. concept. §. nunc videndum. C. M.

§. 6. Item ubi pars aliqua agit petitorio in curia, patiatur partem adversam saisitam juxta stilum hujus curiæ, *& concord. l. 7. C. de alien. jud. mut. causa fam. & instit. de action. §. omnium. in fin.* Et sic patru rex seu defensori saisina debet adjudicari.

§. 7. Item si pars quæ incepit agere in curia petitorio, lite contestata, & traditis hinc inde articulis, steterit per decem annos, & non processerit in dicta causa, & pòst impetraverit adjornamentum contra partem ream, & in Parlamento dicat se habere saisinam rei de qua actionem super proprietate moverat, & in ea de novo & indebitè turbatur per partem adversam, & pars rei dicat actorem non posse dicere se saisitum, cùm alias egerit in curia præsenti rei vendicatione. Et si actor replicet processum fuisse interruptum propter lapsum temporis prædicti, & ideo non posse sibi nocere, & se dictam saisinam interim acquirere potuisse, cum saisina per annum & diem acquiratur: non audietur actor super dicta saisina. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ pro Episcopo Noviomensi in Parlamento anni 1325. contra Procuratem Regium, & Majorē & juratos vel consules Noviomenses. [d]

§. 8. Item in realibus habet reus tres dilationes, scilicet consilii, ventæ, & garendi. Sed post dilationem ventæ compellitur reus respondere, nisi proponat se habere garendum. Et hoc idem esset post garendi dilationem, quia compellitur respondere: sed pollet exceptiones dilatorias proponere, non autem declinatoriam, quia per processum habitum videtur curiæ judicium approbasse.

§. 9. Fallit in declinatoria per quam petit se remitti ad judicem sub quo res [e] est: quia illam proponere potest. Ratio est, quia venta ostendit quem judicem debet habere pro re illa. Quod verum est ubi post ventam immediatè ipsam peteret, sed secus si post garendum vel processum habitum super garendo: quia per dictum processum videtur curiæ approbasse judicium.

§. 10. Item in causis hæreditagiorum vel aliis realibus fit publicatio [3] inquestarum, licet causæ motæ sint in curia, & inquestæ factæ per Commissarios curiæ datos ad inquirendum & referendum, hoc fallit, ubi esset conclusum & renunciatum simpliciter in causa, quia tunc potens fieri publicationem non audiretur. Et ita dictum fuit mihi pro Episcopo Laudunensi contra Procuratorem Regium, & contra me in casu in quo esset renunciatio, in causa Galteri, pro Procuratore Regio. [f]

§. 11. Item ubi actum est inter aliquos rei vendicatione, & actor vel reus alienavit rem litigiosam, vel jus quod habebat in eadem, pendente litigio, licet pars alia vitium litigioli contra partem adversam proponere potuisset, ad finem quod universum jus quod in ea habebat, perderet, & pars consensit [g] quod inquesta perficiatur, & quod ea perfecta per curiam recipi & adjudicari debeat, si post dum dicta inquesta perfecta curiæ pro judicando erit per Commissarium remissa ad finem quod non recipiatur, vitium litigiosi proponere velit, non audietur, sed nihilominus inquesta videbitur & judicabitur. Ita dictum fuit in Parlamento anni 1325. pro hæredibus mag. Petri Cartularii contra quamdam dictam la Heraude.

3 *Publicatio.*) In hoc stilus degeneravit in deterius: justū enim erat semper fieri prohibitionē, verum generalis regula quam potentes & astuti facile fugiunt, solos pauperes aut simplices ligat, sic tem post judicium deberent publicari, ut apud Rotam Romanam, *Bal. c. 1. col. 2. si de inoffi. inter de. & vasal. oriatur. in usib. feud. dixi ad Alex. consil. 110. num. 7.* C. M.

CAPUT XVIII.

De causa novitatis. [1]

1 *Novitatis.*) Hoc c. deficit in quodam veteri regesto curiæ sed habetur in aliis etiam manuscriptis additū in margine, unde suæ integritati restitui, quia codices impressi erant valde manci & corrupti. C. M.

§. 1. QUi se contendit impediri indebitè & de novo in saisina alicujus rei impetrat literas justitiæ à curia sub forma quæ sequitur. Carolus, &c. Tales habitatores insulæ in Flandria [2] Nobis conquerendo exponi fecerunt quod licet ipsi, eorumque prædecessores sint & fuerint ab antiquo, à tanto tempore, cujus memoria non existit in contrarium, in possessione & saisina seu quasi libertatis & immunitatis non solvendi vectigal seu pedagium, dum ipsos contingit facere transitum cum suis mercantiis per totam terram charissimæ consanguineæ nostræ Comitissæ Atrebatensis extra locum de Bapaumes, & ejus districtum: nihilominus gentes dictæ Comitissæ, seu ejus pedagiarii de Bapaumes, talem burgensem dictæ villæ extra districtum dicti loci cum ejus mercantiis transeuntem per terram dictæ Comitissæ occasione pedagii pignoraverunt ipsos in dicta possessione, seu quasi, impediendo & perturbando indebitè, & de novo, sicut dicunt. Quare vobis præcipimus & mandamus quatenus si vocatis vocandis summariè & de plano vobis constiterit de præmissis (impedimento & novitate hujusmodi exinde amota) dicta pignora dicto Burgensi reddi & restitui faciatis, & omnia in contrarium acta ad statum pristinum & debitum reduci, nobis & dictis conquerentibus pro præmissis emendam condignam præstari faciatis indilate, & si dicta Comitissa & ejus pedagiarii in contrarium se opponant, & debatum super hoc oriatur, debato &c.

2 *Flandria.*) Despotia, Borboniique, ducis spectio & ablegatio, hæc Regum tempore nostro recidit. C. M.

§. 2. Item contra illum qui possedit per annum & diem, [3] non potest casus novitatis intentari: sed jure ordinario & communi habebit super saisina conveniri, & habebit dilationem pro consilio, venta & garendo, cujus contrarium est in causa novitatis, ut dictum fuit supra in titul. de dilationibus.

§. 3. Item conquerens in tali casu novitatis cavere debet ne dicat se spoliatum vel dessaisitum, quia in tali casu non posset agere hoc interdicto: quia hoc interdictum nunquam competit nisi illi qui se dicit possidere, ut *ff. uti possidet l. 1. §. hujus autem interdicti.*

3 *Dicunt.*) Hic folium integrum abest. §. 5. usque ad §. 12. fuerat omissum per Typographos simul cum gloss. Auffrerii qui eum citat infrà §. 12. ubi citat quæ scripsi, sit super § 5. Itaque textum restitui hic & glossam Auffrerii infra suo loco. C. M.

§. 4. Item dicunt [3] quidam stilum esse quod Commissarius

missarius datus super dicta Literæ justitiæ, partibus in casu oppositionis non debet alibi assignare diem quàm super loco debati: & quod si alibi assignet, non tenet assignatio, nec quicquid ibi agetur. Et ideò dicitur quod in causa novitatis non habet locum venta, quia quicquid fit in causa novitatis, fit in præsentia loci & partis. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ in causa novitatis mota in præsenti curia per Religiosos, Abbatem & Conventum sancti Eligii Noviomensis & etiam contra ipsos pro Episcopo Noviomensi super jurisdictione villæ de Valles, in Parlamento ann. 1325. Quod verum intelligo si ponat locū contentiosum ad manum [4] Regis, vel fiat recredentiam illius, non quoad alia.

§. 5. Item ubi Commissarius est datus in hac causa, processum suum facere debet in modum qui sequitur, quia debet vocare partes coram se. Et tunc pars agens, si pars rea coram Commissario se præsentaverit, debet facere requestam suam Commissario, talem qualis est substantia Literæ commissionis, & tunc aut reus non prætendit se habere jus super re in cujus saisina se dicit actor impeditum esse indebitè, & de novo, reusque negat ipsum in dicta saisina impedivisse. Tunc impedimentum factum exinde debet Commissarius amovere, vel poterit [4] restituere actori, vel locum restaisine juxta impedimentum factum. [8]

§. 6. Item idem esset ubi constiteretur dictum impedimentum prætitisse, & se nullum jus habere in prædicta re; sed ulterius deberet ipsum compellere ad emendam regi & parti; quod non esset in casu proximo, nisi aliàs constaret Commissario de impedimento.

§. 7. Si autem reus se non præsentaverit coram executore vel Commissario, actor debet facere requestam ut re saisina sibi prius fiat, vel impedimentum amoveatur: quod facere debet dictus executor ex una sola [6] contumacia: quod potest fundari per *l. si coloni C. de agricol. & censit. lib. 11. & C. de naufra. l. de submersis eod. lib.* licet aliàs trina contumacia requireretur ad hoc quod contra ipsum procederetur: ut *ff. de judiciis l. ad exercitorem*, & hoc verum si Commissarius vel executor super hoc habeat potestatem: aliàs habet remittere partes curiæ super hoc juxta commissionis tenorem: quod hodie servat curia.

§. 8. Item sciendum est quod Commissarii ad hoc dati non libenter amovent impedimentum, nec faciunt præmissa, licet super hoc potestatem habuerint, sed ponunt rem contentiosam ad manum regiam, & adjornant partes ad Parlamentum, quod tutius est, quia nescitur an pars quæ fuit contumax, possit purgare contumaciam suam: nam si posset purgare eam in Parlamento, admitteretur ad proponendum de interesse suo: & super hinc inde propositis fient articuli, & inquiretur de saisina utriusque, nec in alio punietur propter contumaciam suam, nisi quod res contentiosa, pendente dicta inquesta, remaneret ad manum regiam, & inquesta facta curiæ reportata, & per eam ad judicandum recepta, amoveretur impedimentum, & adjudicaretur saisina justiori & meliori [4] titulo possidenti, juxta *l. ob carmen. §. fin. ff. de testib. c. licet, extra de probation. & ff. de liberali causa l. liberis §. fin. decem. vialz. p. tit. c. si tres.*

§. 9. Si autem reus non possit purgare contumaciam suam, tunc removebitur impedimentum & manus regia, & adjudicabitur actori saisina. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ, pro capitulo Rhemen. & Abbatissa Karemti, contra Comitem de Roussi.

§. 10. Fallit tamen in jurisdictione [7] in qua non fit recredentia parti: sed est in manu regia, donec de possessione partis constet, & hoc propter periculum quod posset in jurisdictione esse, & quia proprie est in natura suæ; quando est in manu Regis fallit etiam ubi possit esse periculū irreparabile [5] parti alteri si obtineret.

§. 11. Item in curia fit recredentia rei positæ ad manum regiam, illi qui habet jus commune, vel prompriores probationes, vel ostendit titulum, vel summariè de statu, vel aliàs fundat in prompru interesum suum, & post fit inquesta [5] super possessione, scilicet ut prædictum est in jurisdictione non fit recredentia, sed remanet ad manum Regis.

§. 12. Item quandoque fit provisio habenti jus naturale pro se, ut in liberis [10] agentibus casu novitatis pro successione parentum, quando non habent bona parentum ex quibus valeant sustentari, fit in qualibet alia actione, etiamsi recredentia sit fienda alteri parti.

§. 13. Item sciendum quod ubi Commissarii habent potestatem super præmissis, & reus non comparet coram Commissario, actor debet ipsum petere poni in defectu, & impedimentum amoveri. & si hoc secundum non comperat, & interim labatur annus à tempore novitatis, cadit a novitate. Ita dictum fuit per Arrestum pro Episcopo Noviomensi contra Abbatem & Conventum sancti Eligii in causa novitatis, de qua supra est facta mentio, mota in præsenti curia.

§. 14. Item quid si actor ad diem assignatam per Commissarium coram ipso non compareat, numquid per unam solam [6] contumaciam cadit a commodo Literarum? Dico quod sic, nec si amodò prætextu illarum Literarum dictam causam vellet prosequi, posset. Sed si alias imperraverit Literas in meliori modo seu forma, potent per secundas prosequi, dum tamen non sit elapsus annus.

§. 15. Item si aliquis in causa novitatis prætextu [11] Literæ justitiæ super dicta novitate impetratæ, inceperit procedere contra adversarium suum, & dimittit eam, & virtute aliarum Literarum impetratarum super dicta causa incipit facere alium processum, cadit a primo inchoato, si lapsus fuerit annus a tempore dictarum secundarum Literarum.

§. 16. Item si Commissarius virtute commissionis sue posuerit rem contentiosam ad manum regiam, & adjornaverit partes super oppositione in Parlamento processuras, functus est officio suo, ita quod aliquo modo de causa non potest se ulterius intromittere, & si aliquid ultra faciat, nihil valebit, imo annullabitur. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ pro Episcopo Laudunensi contra quendam de Laon.

§. 17. Item ubi fuit impetratum adjornamentum super novo impedimento, & res contentiosa est posita ad manum Regis, si cum fiet petitio in curia, non fiat mentio istius verbi de novo, [1] sed solum se dicat impeditum in saisina, reus non tenetur ei respondere, quia actor mutat formam actionis, & quia reus non est adjornatus: & si petat congedium, habebit illud, & ultra si petat impedimentum & manum regiam amoveri, audietur, & fiet sibi, & saisitus remanebit. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ pro Episcopo Rhemensi & Procuratore Regis, contra Decanum & Capitulum Rhemense & homines banni sui & sancti Remigii, in causa novitatis mota per dictum Decanum & alios contra Archiepiscopum, super eo quod dicebant se impeditos in saisina libertatis non contribuendo in expensas pro coronationibus Regum Franciæ, ratione cujusdam summæ pecuniæ quam debebant ab ipsis, per compositionem pro coronationibus Regum [12] Ludovici & Philippi [13].

§. 18. Item si executores adjornamenti in causa novitatis impetrati non possint rem contentiosam ad manum Regis ponere, si reus, dum causa litigabitur, petat ventam fieri, obtinebit eam, nec propter hoc cadit actor a novitate, licet non contestetur infra annum a tempore appositi impedimenti.

§. 19. Item si juxta casum proximum actor antequam reus litem contestatur, petat ipsum poni ad manum regiam, audietur: quod non fieret si hoc diceret post litem cōtestatam, sed lis suo marte [14] curreret, & reus remaneret in statu in quo erat super saisina rei cōtentiosæ.

§. 20. Item in hac causa non datur dies consilii, nec venta fit, nisi casu supra proxime posito, nec dilatio pro gariendo. Et ita dictum fuit contra Comestabu-

consil. cur. Rom. cancellar. 16. lib. 4. C. M.

4 Manum.) Hodie etiā in causa novitatis recredentia admittuntur si facta sit a conclusione causæ, vel ante litis contestationem, ut in causis Ecclesiasticis ubi recredentia debet adjudicari super rituris, & in casibus in quibus per Regem vel laicum pleno jure conferuntur. C. M.

10 Liberis.) Lit. remiss. 32. §. 2.

11 Hujus.)

12 Longi.)

13 Martel.) Hinc Io. Imbert. Inslit. Foren. lib. 1. c. 16. summario Gallico fol. 33 ubi dicit cum petat requestrum peti posse post litem contestatam, & male, quia hic §. refertur ad recredentiam, & non ad illum tēporis, quo judex ipse in rem præsentem venit, & eligebatur, & an ne vim sedabat, tunc quē literæ breves: hodie secus, unde si post litem contestatam longior intercesserit discussio, poterit repetitio petitionis fieri. Tur. Inter alia ob id ne adversarius detur occasio litem protrahendi & eludendi, ut dicit in Contract. Paris. tit. 3. t

larium Franciæ, qui petebat impugnari Regem Navarræ. Quod intelligo ubi reus se dicit possidere rem contentiosam ut suam, & jure suo, & hæc quæ sibi imponuntur, fecisse: secus si jure alieno, ut Baillivi & similes, & quæ sit ratio dicti supra in *cap. de Gaudendo.*

§. 21. Item si impetratum sit adjornamentum in causa novitatis, & coram Commissario litigatum, & tali tempore quod potuisset Commissarius partes adjornasse, & remisisse ad proximum Parlamentum, & non fecit, sed ad aliud, non valet assignatio prædicta, licet partes acceptent eam: & si constet curiæ animum & diem elapsum esse à tempore novitatis, ex tunc non audietur conquerens super dictâ causâ per viam novitatis. Ita dictum fuit per curiæ Arrestum inter Procuratorem sancti Vedasti de Atrebato, & Comitissam: Et est ratio, quia hoc interdictum non datur nisi illi qui se dicit impeditum ab anno & die citra.

§. 22. Item si adjornatus in causa novitatis proponat lapsum annum & diem à tempore impedimenti, quod actor baptisat in petitione sua, & offert se probaturum, numquid talis exceptio impediret litis contestationem in tali casu? Videtur quod sic, & quod reus debet admitti, aliàs sibi fieret præjudicium, quia res haberet poni ad manum regiam. Item quia celerius & sine processu ordinario hæc causa expediretur. Dic contra. [14] Et est ratio, quia probata dicta exceptione vel non probata, iterato oporteret litigare super dicta saisina per viam ordinariam, nunc verò non agetur nisi semel: & si actor probet novitatem, obtinebit: aliàs non licet probare saisinam.

[14] *Contra.*) Dicta exceptione, & hæc sit quod dicunt constituit. *Quæ enim de novo dicuntur sunt pleniùs à recentibus fact. C. M.*

§. 23. Item exceptio alterius dessaisinæ admittitur de stilo curiæ, ut reus dicat, non potes dicere te saisitum: quia me de possessione per violentiam dejecisti, & juxta, *l. 1. §. fina. & l. sequestrum ff. uti possidetis.*

§. 24. Item si actor dicat, non potes dicere te dessaisitum, quia numquam fuisti saisitus, quæritur de jure usque saisina, ille autem qui se dicit impeditum de novo, probans impedimentum & saisinam, non tamen novitatem, & sic succumbit, an iterato potest agere dicendo se dessaisitum, vel turbatum, non faciendo mentionem novitatis? Vidi per curiam pronunciari quod non, sed non recordor de casu.

§. 25. Item in casu novitatis inter privatos cognitio pertinet ad Regem, & præsentem curiam specialiter, & ideò si partes petant se remitti ad judicem à quo sunt subditus & levantes, non fiet, & est ratio, quia emenda ob hoc debetur Regi.

§. 26. Item si subjectus conqueratur de domino suo super novo impedimento, fiet tunc causæ remissio domino; & est ratio, quia sic esset in potestate subjecti auferre jurisdictionem domino suo, proponendo novum impedimentum, & ideò dicitur in Gallico: *Entre le Seigneur & le Subjet n'a point de nouvelleté*, ad hoc *C. de servis fugit. l. 1. ff. de public. l. Marcellus ff. de acquirend. poss. l. Pomponius in princip.*

§. 27. Item opponens se in causa novitatis vel alia simili, siquidem ob certam causam, & ipsam exprimat, ab omnibus aliis exceptionibus, etiam dilatoriis quibuslibet est exclusus. Ita dictum fuit contra Archiepiscopum Rhemensem pro Stabulis banni sui, & sancti Remigii, in causa expensarum coronationis Regum. Si verò generaliter se opponat, admitteretur ad proponendum declinatorias & dilatorias, & alias quascumque exceptiones de stilo curiæ. Ita dictum fuit pro Abbate sancti Adem. in bosco, contra dominum de Cellis in Parlamento anni 1328.

CAPUT XIX.

De actione personali.

§. 1. SCiendum est quòd ubi aliquis movet aliquam quæstionem contra aliquem in hac curia per actionem personalem, vel aliam in qua concludit per modum actionis personalis: ut in actione ex vendito, vel ex testamento, vel similibus, non datur petitum in scripturis curiæ, sed solum proponitur verbo: quandoque tamen quando negotium est magnum, vel potest habere longum tractum, curia præcipit tradatur in scriptis per modum memoriæ, & tunc sic debet intitulari. Petitio tradita in scriptis per modum memoriæ, &c. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ in facto domini de Autemonte contra dominum de Nivella.

[illegible]

§. 2. Item sciendum quòd prædicto aliquis potest insequi aliquem per viam actionis personalis, quandoque per viam executionis: & quando habeat hanc, advertendum. Quandoque enim aliquis aliquem se obligat pro aliqua re per literas aliquo sigillo regio sigillatas, & ad executionem dictæ obligationis per literas proprio sigillo sigillatas. Primo casu potest ille insequi quandoque per modum executionis: & si aliquam juris exceptionem opponat, non audietur, donec manuverit manum curiæ, ut supra dictum fuit, & quæ sit ratio, dictum fuit supra titulo de exceptionibus.

§. 3. Item hæc manus non fit de bonis mobilibus de confectu ne-is habeat. Nam si ab aliis haberet, non esset manus curiæ sufficienter munita, sed aliquando in detectum mobilium mittitur de immobilibus.

§. 4. Item in exceptiones possunt juste contra talem executionem opponi, videlicet solutionis, fallitatis literarum, & petendo in peiendo, alienam [illegible]

§. 5. Item si mutuatus fuerit à tutore literas sigillo regio sigillatas obligatus, creditor non potest insequi hæredes [illegible] per viam executionis, sed per viam actionis personalis, & ita videtur dictum fuisse [illegible] Et est finis materiæ, quia rem [illegible] debet esse certus de facto suo proprio, videlicet de facto dictæ obligationis, quem ejus hæredes: cum ipse pro facto suo proprio infectus, hæredes autem ejus pro alieno sint, eo ipso magis præcipitetur de incerto, quam sui hæredes, non est mirum.

§. 6. Item si tutor literis propriis sigillo sigillatis sit alicui obligatus, caveat actor quod primo faciat eum adjornari ad recognoscendum sigillum suum, quo facto sive recognoscat sigillum suum esse, sive neget, & pronuncietur sibi esse audiendum actor per viam executionis aliàs non, ut fieret, oporteret eum insequi per viam actionis.

§. 7. Item nota quòd cujus literæ obligatoriæ sunt suo sigillo sigillatæ, creditor numquam ejus hæredem per viam executionis potest insequi: sed oportebit quòd per viam actionis insequatur, ut supra in casu proximo dictum fuit.

§. 8. Item tractatum fuit per totam factam generaliter, ut puta dicendo pro talem & talem ubi condemnati ad decem libras: & ex postea causa fuit propter dilationes vel exceptiones propositas ex adverso per aliqua tempora lites, & reus petuit pronunciari verbo tenus super petitionem petitæ contra quemlibet in causa summa contestatam in solidum, vel in quantum condemnatus fuerat: & reus dicit se inhabilitatum [illegible] ut petitor [illegible] Et ita dictum fuit pro domina Nivellensi contra Comitem Convenarum, & [illegible] in ejus favorem [illegible] quòd [illegible] hæredes [illegible] per viam executionis [illegible] quia [illegible] fuit [illegible]

Digitized by Google

juxta *l. edita C. de edendo*, & *l. in delictis*, §. *detracta*, *ff. de noxabil. action.* vel hoc ideo: quia ea quæ priùs dixerat in genere, nunc in ultima petitione declarat; & sic nihil novi proponere, vel aliquid in prima petitione videtur immutare: juxta *l. si servus plurium*, §. *fina. ff. de legat.* 1. & *l. hæredes palam ff. de testamen.* & *hæc ratio melior est.*

§. 9. Item cum aliquis propter injuriam per ipsum commissam est condemnatus in aliqua pecunix summa Regi & parti: & dicitur quòd tenebit prisionem, donec parti satisfecerit de parte ipsum contingente, & postea ipso à prisione liberato, pars conqueritur de ipso, quia executio facta non extitit, & quia plures expensas fecit pro petenda executione ex quo fuit imprisonatus, pars non potest ipsum super principali insequi, sed cum [c] vel eos qui eum liberaverunt à prisione, donec satisfecisset super expensis. Ita dictum fuit per curiam pro domino Spailla qui super hoc casu prosequebatur, contra dominum Jo. de Crisiaco.

§. 10. Item curia non consuevit alicui literas [1] concedere, nec alicui aliquid adjudicare pro decepcione ultra dimidiam justi pretii, in rebus mobilibus [d] factà. Et est talis consuetudo generalis in tota lingua Gallicana. Item pro adjornamento temporali [2] reditnum vel fructuum, sed pro perpetuo sic. Sed stilus iste videtur contra, *l. Rem. majoris C. de rescindent. venditio.* Sed potest sustineri per *l. si ea C. de usur. & ff. de minoribus 25. ann. l. & si fine in fine.* [e]

1 *Literas.*) Dixi in consuetud. Parisiens. tit. 1. §. 22. num. 47. facienti quæ dixi in tract. utur. quæst. 14. C. M.

2 *Temporali*) id est ad modicum tempus, intellige quod de facili non dätur; adde *Imber. institut. forens. lib. 1. c. 54. C. M.*

CAPUT XX.

De appellationibus & emenda, & executione ipsarum.

§. 1. CIrca hanc materiam, infra quod tempus habeat adjornamentum impetrari, & in qua forma, habuistis *supra tit. de adjor.* Et de defectu & contumacia, recurre ad ea quæ dixi *in tit. de defect. & contum.* Et ubi appellatur ab aliqua sententia lata per aliquem judicem in terra quæ jure scripto regitur, oportet quòd appellet tanquam à nulla; & si aliqua esset, tanquam ab injusta & iniqua: in patria verò consuetudinaria tanquam à nulla: & si aliqua esset, tanquam à prava & falsa. [a]

§. 2. Item si appellatio emittatur in patria consuetudinaria, à sententia lata à judice, statim [b] appellandum est antequam judex surgat à sede pro recedendo, vel recedat: aliàs reputabitur non appellans.

§. 3. Item si appelletur à sententia lata in patria juris scripti, si quidem in continenti, & inter acta, sufficit dicere, appello, etiamsi sine alia verborum expressione, & sine aliqua scriptura fiat, dum tamen de hoc constare possit per acta: sed secus si post quod potest facere: dum tamen appellet infra decem dies, quia tunc oportet quòd appellet in scriptis, [c] & quòd causas legitimas in eadem inserat, quæ si probatæ essent, deberent legitimæ reputari.

§. 4. Item si aliquis non appellavit à sententia lata in patria juris scripti, nihilominus pars quæ potuit appellare, & non fecit, poterit eam dicere nullam, & libellum dare in causa nullitatis coram judice [d] qui eam protulit, & literæ per præsentem curiam consueverunt concedi judicibus qui tales sententias protulerunt.

§. 5. Item si appellatum non fuerit à sententia lata in patria consuetudinaria, licet nulla esset sententia; attamen pars contra quam lata est, non poterit agere super nullitate, postquam non appellavit. Sed fallit in casibus qui sequuntur. Primò quandò tractatur de nullitate sententiæ, quia ab incompetenti [e] judice lata dicitur, licet illicò ab ea non fuerit appellatum.

§. 6. Secundò quando dicitur quòd repente [f] lata fuerit sententia, & non servato more dilationum. Tertiò ubi errore in eadem expresso, [g] lata fuit sententia.

§. 7. Et supradicti casus possunt apparere per exempla quæ sequuntur. Hæredes Roberti de Coronis quondam civis Parisiensis dicebant in Parlamento contra Petrum de Fenis, quamdam sententiam nullam contra ipsos pro dicto Petro latam per Præpositum Parisiensem in causa quadam pecuniaria, ratione quatuor defectuum in curia dicti Præpositi, fuisse & esse nullam seu falsam. Primò citationes factæ fuerant ad quamdam domum extra Parisius per sex leucas ubi non habitabant, sed Parisius; quæ citationes ad eorum notitiam non venerant, tam de consuetudine generali Franciæ, quàm stilo curiæ in loco domicilii citari debebant, cum actio contra ipsos proposita esset personalis. Item quia unus de dictis reis tunc, sicut adhuc, erat clericus, & sic tanquam à non suo judice lata non tenebat, c. *at si clerici, de judic.* Item quia in citatione quarta contra ipsos impetrata, ipsi coram eodem Præposito comparuerant, & actor non, quod per quoddam memoriale castelleti ostendebant: & ideo dicebant de stilo curiæ ipsius castelleti processum dictorum defectuum fuisse interruptum, & ideo super ipsis non potuisse ferri sententiam: & sic etiam propter rationes supradictas dicebant tunc à dicta sententia se non appellasse, cum lata fuit. Sed priusquam fieret executio contra ipsos, ipsi dictum Præpositum requisiverant ut dictam sententiam annullaret: qui eisdem respondit, quòd sententia teneret, & fieret executio contra ipsos, ob quod ipsi ab eodem appellaverant. Dictus verò Petrus proposuit ex adverso, ad fines ut hæredes antedicti non reciperentur ut appellantes, imò diceretur benè judicatum per Præpositum, & malè appellatum, ex causis quæ sequuntur. Prima, quia citationes eis ore tenus factæ fuerant, prout constabat per relationem servientis curiæ factam. Secunda, quia dicta sententia post quatuor defectus lata fuit, ut constabat ex actis curiæ. Tertia, quia non fuerat ab eisdem statim postquam lata fuerat, sed post annum appellatum. Et ideo licet nulla foret sententia, ex quo tamen ab eadem non appellaverant, tenebat de consuetudine generali & illorum alium clericum esse negando. Ex adverso proponebatur quod proximè allegata consuetudo, scilicet quòd sententiæ nullitas tractari non posset, nisi esset ab eadem appellatum, locum habere poterat quando sententia quæ nulla dicitur, lata foret à judice competente, non autem ubi esset incompetens, sicut in casu præsenti. Item cum lata esset, nullo in ea errore expresso; dicta verò sententia Præpositi expresso errore probato, dicebatur lata, suggerendo in ea quatuor defectus continuos rite processisse, quod juxta superius proposita falsum existebat. Tandem dictum fuit per Arrestum curiæ quòd dicti hæredes ut appellantes reciperentur, & viso dicto memoriali de quo est supra facta mentio, constabat curiæ dictum processum fuisse interruptum: & quia viso dicto processu, constabat dictas citationes fuisse factas nimis repente, quia prima die Martis, secunda die Mercurii sequenti, tertia die Jovis, & quarta die Sabbathi proximè sequentibus, idcirco dictum fuit benè appellatum, & malè judicatum, actum in Parlamento anni 1325.

§. 8. Item judex à quo appellatur, non potest adjornare ad Parlamentum propria authoritate, sine mandato curiæ vel commissione: quod si fecerit, quamvis pars appellata se præsentaverit, non tenebitur procedere tanquam adjornata.

CAPUT XXI.

Quando quis sit exemptus à jurisdictione illius à quo appellavit.

§. 1. SI appellatur à judicibus in patria juris scripti, sive regiis, sive aliis, appellans non est exemptus [a] à jurisdictione eorum, nisi pro causa pro qua appellavit, & ita observat curia, juxta, *l. 1. ff. apud eum à quo appellat. aliam caus. &c.*

§. 2. Fallit tamen ubi quis appellaret à Parisius Franciæ, vel eorum judicibus: quia sive sint in patria juris scripti, sive consuetudinaria, appellans est exemptus à jurisdictione Paris, & omnium suorum judicum, in omnibus causis, sive agendo, sive defendendo. Item si appelletur à judicibus patriæ consuetudinariæ aliis quàm regiis, à jurisdictione eorum exemptus est appellans in omnibus [b] causis, tam agendo quàm defendendo, pendente appellatione.

§. 3. Item si ab hominibus alicujus Paris, vel eorum sententia appelletur ad curiam Franciæ, dum ipsi homines alios homines super se non habent in curia Paris, exemptus est appellans etiam in aliis causis, licet non pro causa Paris, sed inter privatos mota inveniatur, & ab ipsis fuerit appellatum: ita dictum fuit per Arrestum curiæ contra Comitissam Attrebatensem pro domino Ludovico de Lonchi in Parlamento anni 1325. Sed ubi hi à quibus esset appellatum, haberent alios homines in curia Paris, super se non esset exemptus, nisi solum à jurisdictione eorum à quibus appellavit.

§. 4. Item ubi aliquis est exemptus à jurisdictione Paris Franciæ propter appellationem emissam in una causa, & super alia procedat coram ipso, renunciat exceptioni præterquam pro causa pro qua appellavit. Ita dictum fuit pro Comitissa Attrebatensi contra præfatum Ludovicum.

§. 5. Item exempto qui appellavit conceditur per curiam gardiator & judex quandiu causæ suæ agitantur, pendente exemptione, ita dictum fuit per curiam in Parlamento anni 1327. contra Comitissam Flandren. pro Abbate de Gandavo.

CAPUT XXII.

Quorum appellationes non recipiuntur.

§. 1. SI appelletur à defectu juris à judicibus regiis, sive patriæ consuetudinariæ, sive juris scripti, non admittetur appellatio quoad hoc ut adjornamentum concedi debeat. [a]

§. 2. Item à gravamine reparabili in diffinitiva, si appelletur in patria juris scripti, non admittitur appellatio, nec recipitur per hanc curiam. Sed in dictis casibus consuevit curia, omisso appellationis articulo, concedere Literas illis judicibus a quibus se dicit gravatum, per quas mandatur eisdem, vel quòd gravamen revocent, vel quòd partibus justitiam faciant. Sed si sit à diffinitiva appellatum, vel à gravamine irreparabili, [b] in diffinitiva admittitur appellatio. [b]

§. 3. Item in patria consuetudinaria ab omni [c] gravamine illato, per modum interlocutoriæ vel diffinitivæ potest appellari.

§. 4. Item ex defectu juris tam ab aliis judicibus quàm regiis subjectis à curia domini sui pro judicio aliàs quam per unam viam de prædictis non potest quivis recedere de consuetudine generali regni Franciæ, & de stilo curiæ hujus. Et ideo in patria consuetudinaria, quando quis gravatur in aliquo, communiter dicitur. *Le me dites vous par droict?* Et judex dicit, ita: tunc potest appellari, aliàs non. [d]

§. 5. Item in patria juris scripti à nullo possessorio, [a] id est sententia lata super eo non recipitur appellatio: Et est ratio, quia illius possessionis momentanea est utilitas, *C. si de momentan. possess. l. unica.* quod verum intelligo, si ritè & justè processum fuerit in causa, deventum ad sententiam, aliàs non, imò recipietur appellatio. Et est ratio, quia aliàs semper esset in potestate judicis dare saisinam cui vellet, etiam injustè. [c]

§. 6. Item quia ante sententiam à gravamine irreparabili in diffinitiva potest appellari: ergo multò fortiùs post. Ita dictum fuit in Parlamento anni 1329. pro domino Joanne de Marolià, contra Richardum de Calciata. Idem esset in quocumque casu in quo prohibitum esset appellare vel à jure, vel à principe: sed in Patria consuetudinaria, à quacumque sententia etiamsi super possessorio sit lata, recipitur appellatio in curia.

1 *Irreparabili.*) Puta quæstionis ubi est damnum corporale: vel si partes proponant suas rationes, ponentes se in jure, & nihilominus procedunt. Est enim processus in fraudem sententiæ, hæc additio marginalis registri curiæ. C. M.

a *Possessorio*) Sed hodie recipitur & melius. C. M.

CAPUT XXIII.

An qui appellavit ad curiam, omisso medio, remitti debeat.

§. 1. UBi quis appellavit ab hominibus alicujus Paris, qui super se habent homines judicantes, in curia dicti Paris, qui dicuntur Franci, si pars appellata, & Par Franciæ se remitti petat super dicta causa ad homines immediatè judicantes, [a] audientur: ita dictum fuit per curiam in Parlamento anni 1326. pro comitissa Attrebatensi: & scabinis de Bethunia, contra quosdam homines dictæ comitissæ. Et hoc idem observari vidi in regimis viduis, cum ab earum Baillivo vel Commissario appellatur ad curiam. Nam fit remissio ad dies magnos ipsarum: ita vidi pronunciari in Parlamento anni 1325. pro Regina Joanna uxore Regis Philippi, contra Joannem & Hugonem de Annetiis. Sed forte hoc fuit propter earum privilegium. Idem vidi pronunciari pro duce Britanniæ contra dominum de Saint Yon, in Parlamento anni 1327.

§. 2. Item in patria juris scripti idem esset, sed non vidi casum accidere, sed benè consonat, *l. Imperatores, ff. de appellatio.* [a]

§. 3. Item omnes [b] causæ appellationum super condemnationibus factis Regi quæ excedunt quinquaginta libras monetæ currentis in patria, habent in hac curia terminari, & alibi committi non debent.

§. 4. Item in patria juris scripti de causis primarum appellationum per curiam non debet, vel non consuevit concedi a Jornamentum ad Parlamentum, sed committuntur alicui in partibus: sed in causis secundarum appellationum sic.

1 *Judicantes,*) Quia certo tanti tempore sedent, vocant magnos dies, ut adhuc hodie in Vindocino, & oppido S. Dionysii, quia habent privilegia Patium. Olim non cognoscebat utraque parte invita, hodie secus. Sed e Republica esset prorsus aboleri, prout tempore hostro suppressi sunt magni dies Andensium, magno reipublicæ cómodo: tantum enim vexant subditos ut inde lucrum aliquod forsidum contadatur domino C. M.

a *Omnes.*) Hic §. cum sequenti dudum exolevit. C. M.

CAPUT XXIV.

Quæ in causa appellationis de novo proponi possint.

§. 1. SI pars appellans à sententia lata in patria juris scripti velit in ea aliquid de novo proponere, vel aliàs dicat se in causa principali aliqua proposuisse, & non probasse, & ea nunc probare velle, audietur, [1] dum tamen dependentia [1] sint à primo propositis, & conatus suos non fecerit de probando in causa principali, ita dictum fuit per curiam in Parlamento anni 1327. contra Procuratorem Regis.

§. 2. Item si appellans de terra consuetudinaria velit aliqua proponere extra processum super principali negotio habitum, per quæ dicit sententiam nullam vel falsam, audietur, si contenta sint in eodem processu.

§. 3. Item si coram primo judice appellationum ad quem appellatum fuerit causæ, quare primum judicium pravum, aliàs nullum vel falsum dici poterat, per appellantem propositæ non fuerint, & ideo per dictum primum judicem prædictum judicium fuerit confirmatum, & ab ipso fuerint ad præsentem curiam appellatum, & dictas causas nunc in Parlamento proponere velit, non audietur in causa ubi appellans coram primo judice appellationum fuerit, vel ejus Procurator instructus. Et hoc ubi partes sunt de patria consuetudinaria: secus si sint de patria juris scripti, sicut supra dictum est.

§. 4. Item ubi appellans sigillavit vel sigillari fecit processum habitum coram judice à quo appellavit, si aliqua proponere vellet, non audietur, sed processus recipietur per curiam ad sciendum an bene vel malè fuerit appellatum, & processus sic consueverunt sigillari in Baillivia Viromandiæ, & Baillivia Ambianensi. Aliàs si non sic sigillavit, vel si invitus aut coactus dicat sigillasse, audietur. Et hoc observatur in judicibus qui emendas non solvunt.

§. 5. Item sciendum est quòd processu per judicem facto, à quo appellatum est, & qui solvit emendam, si sit de patria consuetudinaria, non adhibetur fides, [b] si appellans contradicat: sed habetur totus suspectus, etiamsi sit factus ante appellationem, quod videtur mirabile. Et est ratio, quia dictus judex debet facere bonum suum judicatum, & ideo adjornatur defensurus suum judicatum. Sed contrarium est in processu facto in patria juris scripti: & est ratio quia in primo casu haberet solvere emendam, & ideo ejus facta suspecta reputantur, quod non est in secundo.

§. 6. Item ubi appellans est de patria juris scripti, & in sua appellatione ad fortificandam eam aliqua gravamina proposuit in scriptis, non solum ex illis poterit justificare suam appellationem, sed etiam ex aliis quibuscumque. Et idem esset in patria consuetudinaria.

[1] *Dependentia*] Hodie indistincte secundùm jus civile in curia seculari licet de novo allegare, sive processus verbalis, sive scriptus St. C. M.

CAPUT XXV.

An appellans vel judex teneatur solvere emendam, vel non.

§. 1. DUm appellatur à sententia lata in patria juris scripti, & per curiam pronunciatur bene judicatum, & malè appellatum, appellans nullam debet emendam. [1] Sed secus si sic pronunciaretur, & sententia esset lata in patria consuetudinaria, quia appellans compelleretur ad solvendum Regi 60. libras Parisienses pro emenda. [2]

§. 2. Item ubi pronunciaretur bene appellatum, & malè judicatum, si judices sint patriæ juris scripti à quibus est appellatum, nullam [a] debent emendam, sive sint judices regii, sive alterius. Secus si sint patriæ consuetudinariæ, quia tunc judices regii, Baillivi, vel Præpositi nullam debent emendam: sed secus in aliis judicibus quam regiis, sicut sunt homines judicantes in aliqua curia qui solvunt emendam: & si pronunciaretur contra, scilicet bene judicatum, ipsi appellantes, si sint Baillivia alterius quàm Regis, debent domino 60. libras; si sint homines judicantes, debetur eis emenda, juxta locorum consuetudinem unde appellatur: sed de stilo in hoc casu, vel aliàs per consuetudinem Regni Franciæ generalem non est certa determinatio emendæ.

§. 3. Item judicibus regiis nulla solvitur emenda in casu prædicto illis qui in casu converso nullam solverent emendam, sed Regi solvitur emenda. Item ubi appellatio est emissa à patria consuetudinaria ad hanc curiam, & pronuntiatur in parte bene judicatum & in parte [b] malè appellatum, appellans non debet emendam.

§. 4. Item ubi appellans non impetravit adjornamentum; vel si impetravit, non tamen est executus, non tenetur emendare [3] curiæ, licet judici à quo appellaverit, sic, si sit alterius quàm Regis. Ita dictum fuit in Parlamento anni millesimi trecentesimi vigesimi sexti, contra Joannem Letasonantem in causa Scabinorum Catalaunensium.

[1] *Tenuit.*] Quod Pyctus anno 1339 malè curavit antiquari, præsertim judicem arbitrari C. M.

[2] *Nullam.*] Nisi in casibus exceptis Constit. Carol. VII. anni 1447. C. M.

[3] *Emendare*] Alium casum in quo cessat mulcta, vide supra tit. 15. §. 10. C. M.

CAPUT XXVI.

De modo proponendi causam appellationis in curia.

§. 1. SCiendum quòd ubi aliquis Advocatus habet aliquam causam appellationis proponere in curia, quam videt juvari posse prætextu consuetudinis, utpote quia processum est in causa principali contra consuetudines, si sententia lata sit in patria consuetudinaria, sic dicere debet ad illum finem quod talis sententia per talem lata dicatur & pronuncietur nulla [1] & si aliqua sit prava & falsa, & quòd talis per judicium curiæ pronuncietur. Ecce quid ego volò proponere: & pro evidentia causæ meæ suppono quasdam consuetudines quas pars mea mihi dedit intelligere esse in patria ubi processus dictæ causæ factus extitit, & dicta sententia lata, & eo facto, debet eas seriatim proponere, prout ipsis se juvare intendit: & cum eas proposuerit, debet sic dicere: his præsuppositis, venio ad meam causam appellationis, & ad

[1] *Nulla.*] Casus nullitatis sententiæ propositæ, *vide infra tit. de appellat.* C. M.

factum meum, quod est tale, & debet processum seriatim recitare, ut evenit. Et ipso recitato, debet dicere rationes per quas dicit processum, & sententias fore nullas, & post rationes, quòd si aliqua esset prava & iniqua sententia sit vel injusta: quibus peractis sic debet concludere: si pars talis confiteatur factum meum, & ea quæ proposui, fore vera, ego dico quòd per vos dominos meos debet pronunciari sententiam fore nullam, & si aliqua sit, ipsam esse pravam, ut supra. Idcirco bene appellatum, & malè judicatum, & (si sit talis judex qui de emenda teneatur) dictum judicem in emenda parti & Regi, nec non in expensis condemnari, & ita requiro fieri per vos dominos meos. Si verò negaverit, offero me probaturum ea quæ mihi sufficient de præmissis ad fines supradictos.

§. 2. Item si appellatum sit à defectu juris tantum, vel ob defectum juris, & propter aliqua gravamina, sic dicat, ad illum finem, quòd vobis appareat talem dominum tali ejus vassallo, vel subjecto sufficienti licet defecisse in jure, & ipsum gravasse indebitè & injustè, & gravamen & injuriam eidem intulisse, & quòd ob hoc pronuntietur dictum dominum dictum feudum, vel subjectionis jus quod in eo habebat, amisisse, vel amittere debere, & ipsum applicari domino nostro Regi, & quòd per vos & judicium vestræ curiæ ad hoc condemnetur, & quòd talis, occasione præmissorum, pro dicto feudo debeat ire ad fidem & homagium Regis vel ad subjectionem, & ipsum fore exemptum à Jurisdictione domini ipsius, quòd dictus talis condemnetur eidem ad revocandum gravamina, nec non & in tali summa pro dictis injuriis & gravaminibus, & in expensis factis & fiendis in prosecutione præsentis causæ, &c. Postea debet proponere factum suum, quo facto, debet dicere quas injurias dictus talis statim revocavit ad animum suum: & adhuc revocat, & nollet, &c. Ut in conclusione injuriarum, & ex hoc concludere juxta petitionem per ipsum factam & superius insertam, ut nuper dictum est.

2 *Quarta.*) Imò numquam ultra tres *Jo Imber, instit. foren. lib. 1. c. 49.* nec semper etiã requiruntur tres: ut dixi ad Alexand. *cons. 82. lib 4.* habet tamen judex sparium usũ etiam, aut ad summum sex mensium ex Constitut. anni 1490. § 58. C.M. (§ Fina) & ibi Ioan. Fab. *Bald. de prohibit. feudi alien. per feud. col. 4. 5. pen. ff. de offic. om. judic. §. 2. ver. Item moderatur. & de testib. §. 2. ver. sape. sed desitum est cum § seq. C.M.*

§. 3. Item sciendum quòd talis appellatio per curiam non recideretur, nisi petitæ requisitiones præcessissent: requiruntur enim tres, & quarta [2] ex abundanti per diversos dies & horas, & quòd de his posset docere.

§. 4. Item ubi in causa appellationis à defectu, id est à denegatione juris, & justitiæ juris emissæ, pronunciaretur dictum dominum defecisse in jure, & idcirco dictum talem bene appellasse, dominus privari debet per Arrestum curiæ, & de titulo ipsius, homagio quo tenebatur appellans, vel subjectione: & hoc Regi debet applicari, & pro hoc facit *in lib. feudo. quid sit investitura. & quæ sit causa c. 1. cum glos. sua & instit. de his qui sunt sui, vel alien. juris §. fina.* [3] Ita dictum fuit per Arrestum curiæ contra Comitissam Atrebatensem pro domina Catherina de Pinquigniaco, domina Dauxi.

§. 5. Item quando contra appellantem pronunciatur, dominus lucratur feudum, vel ea quæ sub sua Jurisdictione possidet. Sed quare vassallus non lucratur feudum vel alia, ut dominus fecit, in primo casu? dico quòd, ideo quia inferior non habet jus confiscandi, sed dominus sic.

§. 6. Item in modo proponendi & concludendi pro appellato, potes sumere advisamentum ex his quæ dixi pro appellante, quia non oportet nisi recipere contrarias conclusiones earum quas dixi pro appellante.

4 *Finis.*) Hodie utrique cogitur ad omnes fines semel totam causam dicere. Constitut. Car. I. VII §. 73. C.M.

§. 7. Item sciendum est quod oportet (secundum quòd volunt quidam) de stilo hujus curiæ appellantes omnes rationes & defensiones sibi competentes simul & semel, & consecutivè proponere, licet tendant ad diversos fines, [4] sub protestatione de petendo jus super primo proposito, & quòd non intendit recedere à dicto jure requisito propter dicenda: alias simul & una vice non proponat, quia si postea aliquid vellet proponere, non audiretur: nam si vellet dicere quòd appellans non debet reputari appellans, nec ejus appellatio recipi, proponat rationes quæ possunt servire ad illum finem, & postea ad finem nullitatis vel falsitatis, sub protestatione si pronunciaretur, eum ut appellantem recipi debere, sed iste titulus proponitur nimis crudè: quia si appellatus vellet dicere quòd causa appellationis non debet in præsenti curia ventilari, & ad hos fines proponat rationes suas, licet nullas alias proponat defensiones, dum tamen faciat retenutam super aliis, licet super propositis jus reddatur contra ipsum, nihilominus admitteretur ipse postmodùm ad proponendum alias defensiones suas.

§. 8. Item idem esset ubi quis proponeret rationes juris ad finem quòd non debeat per curiam appellans reputari, & sunt bonæ & efficaces: quia licet ad finem alium nihil proponat, dum tamen faciat retenutam, ut dictum est, licet postea reddatur jus contra ipsum super propositis, nihilominus tamen admitteretur postea ad proponendum ad finem quòd pronuncietur malè appellatum, & benè judicatum. Sed tunc dictus stilus esset verus, si appellans proponeret aliquod factum quod in patria probari oporteret, & ad finem quòd ut appellans recipi non deberet: quia tunc oportet ipsum omnes alias causas proponere tendentes ad fines nullitatis, & falsitatis vel iniquitatis: & nisi ita faceret, ad ipsas proponendum ulterius non admitteretur. Et est ratio, quia tunc præsumitur quòd præmissa malitiosè, & causâ diffugii proposuerit.

§. 9. Item ubi appellatum est ad curiam, ideo quia judex coràm quo aliqua actio personalis erat mota, reum noluit remittere domino tuo super quo se dicebat habere domicilium: & partes cadunt in factis contrariis super causa appellationis in curia, & curia interim cognoscet de causa principali tanquam superior, ne interim dormire habeat. Et si quis dicat, ad quid prosequetur causam appellationis? dico quòd propter emendam. Ita dictum fuit in Parlamento anni 1325. contra dominum Brunum de Claveris pro domino Jo. de Via, in causa appellationis in qua ipse petebat remitti ad curiam domini de Turre.

5 *Contra.*) Scilicet in casu novissimè dicto.

§. 10. Item si pronuncietur contra [5] appellantem, pronunciabitur quòd domino non noceat in similibus.

§. 11. Item sciendum est quòd si dominus temporalis manum posuerit in bonis alicujus propter aliquos excellus qui sibi imponuntur, & postea ratione eorumdem ipsum condemnavit, & ideo ab ipso ad Parlamentum fuerit appellatum, & inibi causam appellationis proponi fecerit: eademque propolita, petat sibi bona sua recredi per curiam præsentem tanquam per superiorem, licet antedictam appellationem dicta manus posita fuisset in præmissis, & ideo dici posset nihil innovandum in præmissis contra appellantem prædictum pendente appellatione: tamen dicta recredentia fiet per dictam curiam modo præmisso, non plena [6] deliberatio. Ita dictum fuit in Parlamento anni 1327. pro Abbate & Conventu Sancti Petri de Gandavo, contra Comitissam Flandrensem, & Abbatissam & Conventum de Villera. [a]

6 *Plena.*) Id est non plena manus levatio, & hoc odio prehentionis anticipatæ contra jus. *tit. de requis. reis. C. M.*

§. 12. Item in causa appellationis ubi partes sunt de patria consuetudinaria, non possunt [b] inter se concordare, nisi consentiente Procuratore regio, [7] vel de licentia curiæ: & si faciunt, cadunt in emendam. Ita dictum fuit contra Radulphum de Claromonte & quemdam militem vocatum B. Cui Radulpho curia remisit emendam de gratia speciali ratione paupertatis & minoris ætatis, & eidem diem quamdam brevem assignavit ad litigandum suam causam.

7 *Regio.*) Et sic non zelò justitiæ: sed ob spem fordidam lucri mulctæ, ideo hoc hodie negligi solet, & benè. C. M.

§. 13. Item actum fuit & ordinatum in curia, & per Arrestum curiæ pronunciatum quòd appellans de terra consuetudinaria qui sumum adjornamentum impetravit

ut debita forma, quæ facere debet diligentiam suam contra eum pro quo lata fuit sententia, ut intimatio sibi fiat, sicut contra judicem ut à Joanne fit talis Pars ex hoc haberet utilitatem, quod sententia non faceret executionem: & habitatores Villæ Dotebiæ de jacent causam edicto, qui appellantes à Baillivo insulæ Fianariæ pro quadam sententia lata per eum contra ipsos, pro Ægidio le Camus, & quodam alio socio, licet per relationem Baillivi non appareret quòd intimatum fuerit adjornamentum dicto appellato: attamen quia dictus Ægidius nunciavit socio suo, dicti habitatores a negligentia sua fuere relevati. Actum fuit in Parlamento anno 1327. die Sabbati, post festum B. Catharinæ virg. & pro futuris talibus debitè registratum.

CAPUT XXVII.

De Commissariis, & eorum potestate.

§. 1. COmmissarii dati per curiam ad inquirendum & referendum curiæ, per omnia inquirendo, & in officio inquisitionis sequentur & sequi debent stilum curiæ Parlamenti à cujus missi sunt, & non loci ultimi in quo inquirunt. Qui stilus Parlamenti talis est, ut sequitur.

§. 2. Primo quod tales Commissarii non habeant potestatem interloquendi, cognoscendi, pronunciandi, vel judicandi in aliquo: sed rationes partium & omnia proposita coram ipsis debent ordinari, & in scriptis recipi, & eum facco ponere & reservare partibus super his jus tribuendi per curiæ nationem curiæ. Et ideo cautus Advocatus debet semper ab eis petere, ut super talibus rationibus dicant jus sibi, si possint & velint, alias quod sibi & Parti suæ reservetur super his judicium curiæ.

§. 3. Item si una vel alia de prædictis partibus appellet à Commissariis, nihilominus debent procedere ultra ad inquestam faciendam, & appellationem suam vel recusationem ponant in facto: & aperire debent articulos, & injungere actori ut eos alleget per juramentum, & dum eos allegaverit, debent injungere reo quod dictis articulis respondeat juramento medio, & si respondeat, bene est: sin autem noluerit respondere, non possunt ad hoc eum compellere, sed possunt habere pro confesso. Sed si reus proponat aliquas rationes propter quas dicat eis respondere non teneri, debent eidem injungere quòd eas tradat in scriptis, & eas ponat in facco, & hoc non obstante procedere ultra ad inquestam suam faciendam, & ipsa facta curiæ remittere debent. Et si forte rationes propositæ ex parte rei sint efficaces, curia providebit, vel annullando quicquid factum est per Commissarios, vel aliàs prout ipsi stilum sibi videbitur: & forte ordinabit quòd commissio pro utroque renovabitur.

§. 4. Item si aliquæ rationes per reum super præmissis propositæ constituant in facto, curia tam super his quàm super principali renovabit commissionem, nisi ut casu ubi rationes et contrarium propositæ per reum, essent penitus inhibiles principali causæ: quia tunc solum renovaretur super ipsis commissio, & postea facta inquesta, & curiæ reportata, & ad judicandum recepta, super principali causa curia ordinabit prout sibi videbitur.

§. 5. Item cautela est quod Pars rea habeat copiam de rationibus quas tradit Commissariis, semper sub sigillo Commissariorum, vel instrumento publico: ut si forte Commissarii voluissent ob odium vel aliàs in facco ponere, ipse possit eas tradere curiæ. Et si executavint dictas rationes recipere, de præsentatione & requisitione faciat recipi instrumentum, vel testes adhibeat. [a]

§. 6. Item ubi datur Commissarius à curia ad delinquentem sive sit in terra juris scripti, sive consuetudinaria, possit causam alteri delegare, vel unum ar-

[a] & suspecti qui dant Commissarii, qui nolunt partes admittere, ut hic patet, & infra, proximo. C. M.

[b] Tallium & contra illum legatur, ut Const. Carol. VIII. Ludov. XII. anno 1499. § 14. C. M.

ticulum, vel totam causam, juxta c. super quæstionem de offic. deleg.

§. 7. Item Commissarius datus à curia ad inquirendum & reportandum curiæ, non potest alteri committere. Et ratio, quia ejus industria electa videtur: & si committeret, nullum esset quicquid fieret per dictum Commissarium. Et hoc verum nisi Commissio contineret: inquiras per te vel alium, quia tunc posset sibi Commissa committere & valeret quicquid faceret subdelegatus. [b]

§. 8. Item Commissarii reprobationes testium, vel contra testes à partibus productos hinc inde recipiunt, & in facco ponere debent, si partes eis tradant ipsas, sed ultra procedere non debent.

§. 9. Item quæro numquid curia super rationibus propositis coram Commissariis ad inquirendum & reportandum interloquendo debeat sequi stilum curiæ, vel jus scriptum, supposito quòd partes sint de patria juris scripti, vel consuetudinaria? Dico quòd si partes sint de patria consuetudinaria, & causa sumpsit exordium in curia, tunc stilum curiæ debent sequi: si autem in patria unde partes sunt, causa moveatur, sed hæc causa fuit advocata ad curiam, tunc jus scriptum debent sequi. Sed & si partes sint de patria juris scripti, & ibi inceptæ fuerit, sed si de terra consuetudinaria, tunc debent curiæ sequi consuetudinem illius

[c] Judicari] Vitò prius toto processu vel regni Constitut. anni 1499. § 39. C. M.

§. 10. Item numquid tales Commissarii, si receperint reprobationes testium à partibus pro lucrarum, super ipsis possint recipere testes: & intelligas quæstionem de Commissariis curiæ, quibus præsens curia scribit, ut super articulis à talibus partibus traditis, quos curia ipsis mittit sub contrasigillo interclusos inquirant, & inquestam perficiant, & eam perfectam curiæ præsenti remittant. Et videtur quòd sic, cùm alias inquesta perfecta non dicatur, nisi super testium reprobationibus inquisitum fuerit. Dic contra. Primò quia super certis articulis eis mandatur inquiri, scilicet super principalibus partibus quæ erant in curia concordati, & hines mandati sunt diligenter observandi. *ff. mandati l. diligenter.*

§. 11. Item quia diversæ sunt inquestæ, & super diversis articulis fiendæ: & sic de inquirendo solum super principalibus articulis videtur inquiri debere: & quòd diversæ debeant fieri inquestæ, patet quia secundum quod articuli super principali habent per partes vel per curiam concordari, ita & articulos super reprobationibus oportet prius per curiam judicari, quamvis principales sint concordati, igitur super articulis missis tantum inquiri debebunt, non super aliis reprobatoriis, qui nec per curiam visi, nec per eam judicati fuerint. Nec obstat contrarium, quia perfecta est quoad perfectionem de qua curia intelligit & scribit, non quoad totalem causæ perfectionem, & inquisitionem negotii, & de tali tu loqueris, quare non obstat.

§. 12. Item quia partes ad reprobandum testes non sunt recipiendæ, nisi tunc demum cum inquesta perfecta erit super principalibus articulis, nam aliàs si post aliquorum testium reprobationes facta inquesta, reciperentur testes super principali, iterùm haberet

fieri alia inquesta super reprobationibus testium ultimò productorum.

§. 13. Item si pars producit testes suos, & alia pars contra quam producti sunt, velit aliquos ex ipsis reprobare, alios non: si pars producens dicat curiæ: Ego renuncio testibus quos pars adversa vult reprobare, audietur. Ita dictum fuit pro Procuratore Regis, & Abbate Montisfrigidi, contra Consules Burgi Narbon. in Parlamento anni 1325. Et ita obtinui pro duce Aquitaniæ, & dom. Thoma de Toulangia, contra Comitem Anse. & quemdam alium.

§. 14. Item posito quòd Commissarii haberent potestatem judicandi reprobationes, expedit quòd non judicent, ne fortè appelletur, & ob hoc negotium magis proteletur quàm in sequenti Parlamento reprobationes curiæ reportarentur pro judicando. Nam ubi una pars appellaret à judicio dato super reprobationibus, oporteret litigare super causa appellationis. Et si partes essent in factis contrariis, duraret causa incidens per duos vel plures annos, & interim causa appellationis dormiret. Sed pone quòd Commissarii sint dati ad inquirendum & referendum tam super principali, quàm super reprobationibus, coram quibus hinc inde traduntur reprobationes, numquid sit utilius, & magis bonum partibus, ut Commissarii super omnibus reprobationibus receptis inquirant, quam si reprobationes curiæ remittantur pro judicando? Dico quòd non, imò esset periculum parti cujus testes reprobarentur. Nam posset esse quòd inquesta traderetur ad videndum alicui novitio & ignoranti stilum curiæ, & crederet reprobationes per curiam judicatas & approbatas, & sic forte aliqui testes sufficientes per reprobationes illegitimas rejicerentur, & reportaret illos sufficienter reprobatos, cum fortè illa sufficiens reprobatio esset per partem sufficienter probata.

§. 15. Item numquid hoc idem esset in aliis Judicibus, ut prius debeant reprobationes judicare? Dic quòd si voluerint hoc, optimè facere possunt: sed utilius est quòd super omnibus inquirant, ne fortè aliqua partium ex hoc appellet, & causa principalis habeat ex hoc protelari. Sed secus in præsenti curia, quia ab ipsa non potest appellari, cum ipsa Superiorem non habeat.

§. 16. Item si Commissarii dati ad inquirendum & referendum de consensu partium, mortui fuerint, vel vacare noluerint, & una pars, alia absente, procuret alium loco mortui, vel vacare nolentis surrogari, quod ipse faciet, nullum erit, *de offic. deleg. c. insinuante*, quod verum est, nisi alia pars in eum consentiat tacitè vel expressè, vel nisi curia diceret in sua commissione: non obstante quòd tales de partium consensu dati fuissent, quod vix faceret. Item in casu prædicto, si partes sunt præsentes in Parlamento, vel una contumaciter absit, curia ordinat prout vult, dando alios, vel compellendo primos ut vadant super commissione. Sed de facili tales Commissarii per curiam renovantur, nisi causa recusationis supervenerit de novo, vel antiqua de novo pervenerit ad notitiam alicujus partium prædictarum.

§. 17. Item ubi Commissio facta est per curiam, & sub certa forma, non est mutanda forma nisi cum causa.

§. 18. Item datis Commissariis per aliquem Baillivum, ad inquirendum & referendum sibi de consensu partium, si pòst reperiantur aliqui defectus in inquesta, propter quos non possit judicari ad supplendum defectus hujusmodi, Commissarios alios quam primos dare non potest, nisi de partium consensu hoc faceret. Et si alteri committat, ut a partium remittente, totum quicquid fecerit, annullabitur per curiam. Ita dictum fuit in Parlamento anni millesimi trecentesimi vigesimi septimi, per Arrestum curiæ in tali casu, pro majore & juratis de Corbane, contra Archidiaconum de Aurelac.

§. 19. Item hoc idem esset, ubi inquesta fienda commissa esset per curiam aliquibus de consensu partium, & in ea reperietur defectus: quia ad supplendum, &c.

De diligentiis faciendis erga Commissarios.

§. 20. Primò quæro, quo tempore habeat diligentia fieri coram Commissario, ad finem quòd in sequenti Parlamento renovetur commissio? Dic quòd aut Commissarii sunt dati de dominis cameræ majoris, vel inquestarum, vel requestarum, vel aliis. Primo casu requirendi sunt ante ingressum Parlamenti, & tempore tali, quod ante dictum principium Parlamenti potuerit perfici inquesta: aliàs si post ingressum requisiti fuerint Commissarii, licet à tempore requisitionis usque ad dies Baillivæ, ad quos inquesta habet reportari, tantum temporis supereresset, quod posset perfici, si potuisset ipse, scilicet inquestæ Commissarius, attendere, non sufficit, nec renovabitur commissio. Et est ratio: quia domini habent esse in principio Parlamenti, & eo incepto, residere in eodem: Si autem non fuerint dati de dictis dominis, tunc sufficit eos requiri post ingressum Parlamenti: dum tamen tantum supersit de tempore pro perficienda inquesta à tempore requisitionis, usque ad diem Baillivæ, ad quam reportari debet, quod perfici possit: & partes ea perfecta, paratæ sint emulas suas ad veniendum ad Parlamentum: quod verum intelligo, nisi in casu ubi tales Commissarii haberent eam reportare ad principium Parlamenti. Quo casu dic sicut dixi in primo casu.

§. 21. Item quæro, ad quam de dictis partibus spectat facere diligentiam de Commissariis adducendis ad locum ubi fieri debet inquesta? dic quòd ad actorem. Et est ratio: quia ipsius interest causam accelerare, rei autem est fugere.

§. 22. Item si actor sit verè negligens, quid potest reus petere in sequenti proximo Parlamento? Dico quòd petere potest se absolvi à petitione actoris. Et hoc verum, ubi actor est præsens, & constans de negligentia sua. Si autem est absens, quia se non præsentaret, tunc ei conceditur defectus: & adjornamentum in sequenti Parlamento, ad videndum adjudicari utilitatem dicti defectus, & adjudicabitur sibi talis, de quo dictum est: aliàs si petat commissionem renovari, fatuè ageret: quia tunc renovabitur pro utraque parte dicta commissio: quia rei negligentia compensaretur cum negligentia actoris, unde reus numquam in casu præmisso petere debet præmissa, nisi conditionaliter: dicendo, cùm actor fuerit negligens, peto me ab ejus petitione absolvi: & in casu ubi ex dicta negligentia hanc utilitatem habere non possem, peto commissionem renovari.

§. 23. Item quid si actor adducit Commissarios ad dictum locum, & non supersit de tempore nisi tantum quòd inquesta pro parte sua fieri possit, & ejus testes audiri: & reus petat à Commissariis, ut audiant testes suos, vel tantum de suis, quantum de testibus actoris audiverunt, numquid reus debet audiri? & videtur quòd non, quia non fuit diligens in ipsos adducendo. Contrarium videtur, quia auditores & Commissarii sunt communes: & quia reus nihil habebat probare, nisi probaret actor. Tamen in isto casu medietatem salarii Commissariorum, tam pro eundo, quam pro redeundo debet solvere, & sumptuum factorum pro ipsis Commissariis, quærendis.

§. 24. Item quid si Commissarii ambo, vel unus mortuus sit: & tantum supersit de tempore quòd inquestæ perfici possint: numquid actor habet facere diligentiam suam petendi alium, seu alios loco mortui, vel mortuorum surrogari? dic quod fuit dati erant

erant de partium consensu, & tunc non, nisi in casu ubi pars esset præsens, & vellet ad hoc consentire: & sic subrogaretur alius: aliàs non valeret quod agerent, ut titulo proximo dictum fuit. Si vero non erant dati de consensu partium, sed à curia, vel aliàs, prout communiter fit, tunc potest petere alios subrogari, si velit: sed hoc non habet facere de necessitate; & si non faciat, non imputabitur ei ad negligentiam. Quod verum intelligo, nisi in casu ubi esset perfecta inquesta ex parte rei: quia contra ipsum actorem præsumeretur quòd de causa diffidat: ideo super præmissis deberet facere diligentiam suam.

§. 25. Item & hoc multò fortius dicere possem in reo, si inquesta ex parte actoris sit completa & perfecta: tunc enim, sive Commissarii essent dati de consensu partium, sive non, reus tenetur facere diligentiam suam: aliàs poneret se in periculo amittendi causam suam.

§. 26. Item diligentia actoris proficit reo: ut in casu superiùs expresso, quando adduxit Commissarios ad locum. Item quando ipse actor requisivit Commissarios ut procederent in inquesta, & ipsi responderant quòd non poterant attendere ad hoc de toto tempore medio usque ad diem ad quem habent inquestam reportare, & tunc reum aliquam diligentiam facere non oportet.

§. 27. Item ubi Commissarii respondent quòd non possunt in continenti attendere ad dictam inquestam faciendam propter aliquod impedimentum, tunc una requisitio vel diligentia non sufficeret, nisi satis de tempore superesset pro ipsa perficienda, secundùm quod supra dictum est. Sed tunc secundò, vel tertiò, vel etiam pluries requireretur, secundum temporis distantiam.

[7] *Renovandæ.*) Adhuc tempore meo, necdum 20. anni vidi propter hoc magnas difficultates, quæ expirabant hujusmodi commissiones initio novi Parlamenti. Sed hæc frequentissima & renovando-rum procuratorum, hodie meritò volevit. C. M.

§. 28. Item commissiones sunt renovandæ [7] de Parlamento in Parlamentum, & ubi partes sunt in commissione, & altera partium venit cum diligentia, in casu in quo requireretur, scilicet ex parte actoris: & alias pars, scilicet reus, deficit, sic quod se non præsentaverit, vel etiam præsentatus recessit, vel non invenitur ad ostium cameræ, pars contumax ponitur in defectu: & datur adjornamentum parti compatenti ad sequens Parlamentum, & adjornatur pars deficiens visura adjudicari utilitatem defectus: & quis sit modus procedendi, dic ut suprà *de contum. & defect.*

§. 29. Item sciendum est quod ubi Commissarii sunt dati super causa hîc pendente, non est nisi una productio de uno Parlamento ad aliud: & interim partes, totiens quotiens eis placuerit, possunt producere testes coram dictis Commissariis. Et commissio nedum semel, sed pluries renovabitur: dum tamen partes super his non fuerint negligentes, nec per eas steterit quominùs audirio sit perfecta.

Sequitur advisamentum eorum, quæ pars juxta processum habeat facere coram dictis Commissariis.

§. 30. Primò, dum Commissarii volunt ire ad patrium pro inquesta facienda, actor sumat adjornamentum contra partem ream sub sigillo Commissariorum ad certos diem & locum, & in effectu contineat quod sequitur. Tales Commissarii, &c. in tali causa infrà scripta, tali Baillivo [8] salutem. Literas regias nos recepisse noveritis sub his verbis, &c. Philippus, &c. quorum authoritate, vobis mandamus, quatenus dictas partes adjorneris in tali loco, in domo talis, ut tali die, & aliis sequentibus compareant coram nobis ad procedendum in dicta causa, juxta tenorem nostræ commissionis, nec non omnes testes quos utraque partium prædictarum vobis nominaverit, ad perhibendum testimonium veritatis super contentis in articulis dictarum partium.

[8] *Baillivo.*) Hodie nudo fiyentis scripto, omissis tamen. C. M.

§. 31. Item ad diem & locum prædictum comparentibus dictis partibus, actor debet præsentare Literas commissionis, unà cum articulis, & petere ab ipsis Commissariis, ut dictos articulos aperiant, & in dicta causa procedant juxta commissionem eisdem factam. Quo facto, & apertis dictis articulis, & medio juramento, affirmatis, [9] & ad ipsos respondis, de responsione petat sibi fieri copiam, ad fines ut scire possit quid fuerit sibi de dictis articulis confessum: & super negatis testes producere possit, cùm super confessatis probando relevatus fuerit per confessionem partis adversæ.

[9] *Affirmatis.*) Vide infra part. 2. Olim partes ipsæ per se in partibus affirmabant & respondebant per credit. vel non coram Commissario inquestæ. Postquam autem cœptum est hoc priùs fieri, vel loco positionum partes ipsas interrogatis, hæc solemnitas aperiendi & affirmandi cœpit supervacua esse, quamvis adhuc hodie quidam rerum cadias ignorantes circa hoc mussent. C. M.

§. 32. Item super unoquoque articulo potest decem [10] testes producere, & non plures, & si super omnibus solum decem testes produxerit, plures producere non poterit super eis. Unde præcavere debet quod super unoquoque articulo decem testes producat si potest. Et hoc proficit quoad duo. Primò ad id quod dictum est. Secundò, quia licet dicti testes producti super primo articulo nihil deponant super illo, potest esse quod alii decem testes super sequenti articulo producti deponent super primo & secundo: & valebit eorum testimonium, licet non interrogati respondeant super primo vel deponant non producti, quia vel articuli erant connexi, vel dependentes unus ab alio, ex eodem facto.

10 *Decem.*) Hunc stilum refert & approbat Carol. VII. in Constit stili. §. 32. Ludov. XII. anno 1409. §. 13. Limitat *Io. Gall. infrà quæst.* 83. Item fallit in materia criminali. C. M.

§. 33. Item præcaveat actor, ne pars adversa ex aliquo actu suo possit aliquod advisamentum accipere. Item cum producit testes suos, dicat: ecce testes quos citari feci ad hanc diem ad probandum contenta in articulis meis, & ipsos ad probandum ea produco, & peto eorum recipi juramenta, & ipsos per vos audiri, & examinari: sed cum eos volueritis examinare, ego discernam super quo, vel quibus sci-

[11] *Scire.*) Sic monet *Speculator tit. de Advocat.* §. *utriusque verb. Item fit contra Bal. l. 1 C. qui accu. non poss.* licet etiam testes instituere, ut verum dicant. *Bal. l item & fin. de condict. ob inst. cau. c. licet causam; & ibi Feli. col. 19. de probat. C. M.*

§. 34. Item præcaveat, si pars adversa decem testes producat uniformiter super omnibus suis articulis, aut super uno tantum: & si super omnibus, & pòst velit aliquos producere, debet dicere [12] Commissariis, quòd alios testes non debent recipere super illis de stilo curiæ præsentis, & super hoc petere jus dici à Commissariis, si velint & possint hoc facere: & si non velint jus dicere, petat super hoc sibi reservari jus per dominos Parlamenti. Et si ultra vellent procedere ad ipsos recipiendos, protestetur, dicendo quòd est contra consensum suum, & quòd per ea quæ dicet vel facient in dicta causa, non intendit præmissis consentire, nec ipsa approbare, nec renunciare juri petito sibi dici super præmissis. Et hanc requestam & protestationem, & ea quæ super ipsis reservabuntur, ponat in scriptis, & in sacco poni faciat, & etiam sibi copiam fieri sub sigillis Commissariorum, vel aliàs faciat ut dictum est suprà titulo proximo.

12 *Dicere.*) Hoc amplius non necessarium, quia Const. anni 1499. §. 13. annullat ipso jure salvo, tamen arbitrio judicis ex causa. C. M.

§. 35. Item præcaveat actor, ne pars adversa ex aliquo actu suo possit aliquod advisamentum accipere. Item cum producit testes suos, dicat: ecce testes quos citari feci ad hanc diem ad probandum contenta in articulis meis, & ipsos ad probandum ea produco, & peto eorum recipi juramenta, & ipsos per vos audiri, & examinari: sed cum eos volueritis examinare, ego discernam super quo, vel quibus sci-

dicet factis seu articulis, volo ipsos producere & examinare.

§. 36. Item præcaveat, cum pars producet testes, in ipsa productione, & ante juramenti receptionem, si cognoscat ipsos velle reprobare, debet verbo saltem proponere quod ad ipsorum reprobationem probare vult, & offerre ea, & tradere in scriptis: & ea in continenti tradere si potest, vel cum primum poterit, se offerendo probaturum. Si autem essent omnes, vel aliqui ignoti, petere debet nomina & cognomina ipsorum sibi tradi, & loca unde se dicunt esse, vel domicilium habere: & inter juramenti receptionem & examinationem, dari vel concedi dilationem super hoc ad reprobandum ipsos, vel reservari sibi super præmissis jus per Commissarium, ut æquè benè post receptionem & examinationem ipsorum possit ipsos reprobare sicut ante: & super hoc petere sibi jus dici, si Commissarii possint, & velint: vel reservari sibi dici per dominos Parlamenti, ut suprà dictum est.

§. 37. Item si pars adversa testes vestros non reprobet, ut dictum, est, & post velit ipsos reprobare, dicunt [13] quod de stilo præsentis curiæ ad hoc admitti non debet, cum ipsos ante non reprobavit, vel saltem antequam examinarentur. Et super hoc petatis vobis dici jus, ut suprà. Item præcaveat, ut reprobationes suas faciat & tradat, ut suprà dictum est, nisi per Commissarios fuisset eidem facta reservatio, ut ipsos posset æquè reprobare post examinationes, sicut ante; & hoc scripserit in processu. Item cautela est, ut reprobationes in sacco poni faciat ad hoc. Nam cum curia videbit eas in sacco, non judicabit inquestam, sed judicabit reprobationes, & super eis dabit Commissarios: aliàs procederet ad inquestam judicandam, si forte hoc omissum esset in curia proponi, vel per Notarium in curia registrari.

§. 38. Item caveat quòd si aliquem testem velit reprobare ratione alicujus criminis, vel alicujus actus infamati per eum commissi: ad hoc quod reprobatio de curiæ stilo sit recipienda, oportet ipsum super hoc convictum [14] esse, & condemnatum [f] vel confessum: aliàs non esset recipienda.

§. 39. Item de stilo curiæ hujus, si velit aliquem testem reprobare, ut quia est de membris seu familiaribus partis adversæ: non est recipiendus, nisi dicat ultra quod est commensalis, & ipsius familiaris ad potum & ollam. Ita dictum fuit pro domino Antonio Pillam, contra Sovoantes, aliàs contra Savoances.

§. 41. Item si partes, vel causa sint de terra juris scripti, debet mitti inquesta clausa sub ipsorum sigillis, maximè quia sic regulariter fieri mandatur: cum ibi fiat in omni casu inquestarum publicatio, sicut in lingua Occitana, quæ jure scripto regitur, sicut in Senescballia Tholosæ, & aliis Senescballiis quæ jure scripto reguntur: & quia fit per manum publicam cum signi appositione, visum est inquestas missas curiæ non sigillatas, sed apertas & tabellionatas, & signatas recipi, ubi alia pars tantundem habet penes se tabellionatum & signatum. Et ita obtinui pro Consulibus Narbonæ contra Comitem Narbonensem, & hoc ideo fortè quia dicta inquesta facta fuerat per Senescballum Carcassonæ jure ordinario: & mandatum ei fuerat ob causam ut ipsam curiæ præsenti remitteret. Et ideo publicata fuerat: sed publicatio non est facienda nisi in casu hereditatis, & reali, ut suprà dictum est.

§. 42. Item in patria consuetudinaria extra [16] villam Parisius non fit publicatio inquestæ alicujus: sed in castelleto Parisius fit civilium, & non criminalium.

§. 43. Item in patria juris scripti fit publicatio inquestarum tam in causis civilibus, quàm criminalibus, exceptis certis locis Senescballiæ Petragoricensis & Cadurcensis, qui non fuerint ab antiquo de comitatu Tholosano.

§. 44. Item de stilo curiæ, expensæ quæ Commissariis debentur pro eundo & redeundo, & aliæ communiter faciendæ & solvendæ sunt, ubi utraque partium affirmativa facta indigeret probare.

§. 45. Item ubi partes sunt in commissione vel auditione, & una ipsarum citiùs compleverit inquestam suam pro parte sua, quàm alia, & renunciaverit, & concluserit in causa: alia tamen non fuit in negligentia, quin æquè bene compleverit pro parte sua, & fecerit citari suos testes, qui non venerunt: & ipsos poni fecerit in defectu, & semper expensæ in auditione fuerint communes: complebitur inquesta etiam pro alia, expensis communibus, non obstante quod alia nullos testes producere velit. Sed secus esset si per negligentiam alterius partis hoc evenisset: quia tunc expensis suis solùm esset complenda.

§. 46. Item si petat quis inquestam aliquam recipi, vel videri recipi, & judicari tanquam perfectam, & pars adversa contradicat, dicens ipsam non esse completam, habebitur quoad eum qui eam dicit perfectam, pro completa, ita quod alios testes ulterius producere non poterit, nec instrumenta, nec alia, nec testes qui extunc producerentur, per partem aliam reprobarentur: Et est ratio, quia ipsam quoad se tenuit perfectam, sed pro parte alia complebitur, si reperiatur per curiam ipsam pro parte ipsius non esse completam. Et hoc est verum, scilicet quod ille qui tenuit illam pro perfecta, nihil ultrà producere possit, nisi retenutam ita fecerit, ut sequitur: pero, ut suprà facta retenuta, quod ubi dicta inquesta facta per curiam non reperietur esse perfecta; quod æquè bene renovetur commissio ad meam utilitatem, sicut ad utilitatem partis adversæ: quia tunc non est intentionis mex renuntiare productioni testium, vel aliorum in causa.

Qualiter Commissarii habeant inquestam curiæ remittere, & dicta testium debeant publicari.

§. 40. Si inquesta facta fuerit inter partes terræ consuetudinariæ, vel de rebus aut actibus terræ prædictæ: Commissarii debent remittere inquestam clausam sub sigillo eorum: aliàs si apertam & non sigillatam mitterent, annullaretur dicta inquesta, & est ratio: quia inquesta in patria consuetudinaria non tabellionatur. Item quia non fit publicatio testium, nec pars ipsa videre debet dicta ipsorum, nisi in causis hereditatis: & etiam quando actum fuit actione reali [15] ad petendum aliquam rem: quia tunc fit copia & publicatio.

13 *Dicunt.*) Et malè, imò nec est necesse protestari de reprobando: sed salvum manet jus etiam post inquestam receptam adjudicandam in curia & ex tunc olim insta tres dies ut Carol. VII. in Constit. Filii. §. 34. hodie infrà octo dies, ut idem Carol. VII. postea statuit. §. 99. C. M.

14 *Convictum.*) Regulare: & fallit primò, si sint alia facta reprobationis concludentia & admittenda, quia tunc etiam adminiculantia simul admitti debent: in quo quidam juvenes in curia erant. Fallit 2. in materia criminali ubi accusatus est honesta persona, quod no. C. M.

15 *Reali.*) Infra fo. Gall quæst. 8. supra part. 1. c. 17 §. 19. C. M.

16 *Extra* §. Imò ubique fere publicari cœpta est, & tandem generaliter sanctum 1539 est §. 6. exceptis curia, requestisque palatii. Sed melius erat nihil excipere: hæc enim occultatio simplicibus & tenuioribus insidiatur; cupidis autem & potentibus omnia patent, tum soli mali lucem odiunt. C. M.

CAPUT XXVIII.

De Feudis.

§. 1. IN casu ubi aliquis subjectus Regis recusat aliquem recipere nisi in fidem suam seu homagium pro aliquo feudo quod ab ipso movetur, consuevit Littera justitiæ concedi in requestis sub hac forma, Philippus, &c. Tali Baillivo salutem. Talis nobis conquerendo monstravit, quòd cum tale feudum à tali moveri dicatur, quòd dictus conquerens ad ipsum pertinere dicat: Attamen dictus talis dictum conquerentem in fidem suam & homagium recipere recusat, indebitè & injustè, sicut ipse dicit. Quocirca per præsentes tibi præcipimus & mandamus, quatenus ad requisitionem dicti conquerentis ad domicilium dicti talis, vel ubi expedire videbis, accedas, ut ejus præsentiam habere possis, ad videndum requestam quam dictus talis dicto tali intendit facere super præmissis: dictoque tali ex parte nostra præcipias, ut eumdem conquerentem pro dicto feudo in fidem suam & homagium recipiat. Si verò dictus talis ad præmissa se opponat dicens se habere justas causas & rationes propter quas præmissa facere non teneatur, adjornes eum ad diem Baillivix tux nostri proximi futuri Parlamenti, coram dilectis & fidelibus gentibus nostris, nostrum tenentibus præsens Parlamentum, dictas causas propositurum, & aliàs cum dicto tali super præmissis processurum, ut fuerit rationis: cum intimatione, quod si dicta die non comparuerit, prædictum conquerentem pro dicto feudo ad fidem nostram & homagium recipiemus, dictasque gentes nostras ita facere volumus. Datum, &c.

§. 2. Item est notandum quod si partes ad diem sibi assignatam in Parlamento venerint, & dominus feudi causam petat remitti, non fiet sibi remissio. Et est ratio quia conquerens non tenetur coram eo de prædictis feudis litigare, donec per ipsum receptus fuerit pro ipso ad fidem & homagium, & si petat se remitti coram Baillivo, [1] sub quo dictum feudum est, non fiet remissio: sed oportebit eum in Parlamento dictas causas proponere, vel allegare, & ibi terminabitur causa. Et est ratio, quia Baillivus non posset ipsum recipere in fidem & homagium Regis.

[1] *Baillivo.*) Cõtrarium hodie servant & bene, ut dixi in Consuet. Paris. §. 45. C. M.

§. 3. Item cognitio per curiam, quod causæ propositæ per ipsum fuerunt insufficientes, & quod his non obstantibus eumdem recipere debet in fidem suam & homagium pro dicto feudo. Et post hanc cognitionem dictus conquerens petat se recipi; & dominus petat quod vassallus vadat ad locum unde dictum feudum movetur: ibique paratum se esse offerat recipere eum ad præmissa, non fiet remissio. Sed ipsum in Parlamento tenetur recipere ad dictas fidem & homagium. Ita vidi pronuntiari per Arrestum curiæ in Parlamento anni 1325. pro Comite Blesensi contra Comitem Flandrensem.

§. 4. Item, quod dixi, verum esset, nisi in casu ubi eo tunc cùm dictus dominus primò fuit requisitus per dictum conquerentem super præmissis, alius contra ejus requestam se opposuisset, dicens illum non debere recipi, sed potius jus in dicto feudo habentem. Si enim dominus se obtulit jus facturum partibus, licet postea requiratur in præsentia Commissarii Regis, & sibi assignata fuerit dies in Parlamento, nihilominus fiet remissio.

§. 5. Item quod dixi statim, verum est, nisi in casu ubi post primam requisitionem domino factam in præsentia Commissarii domini Regis, & dum secunda requesta fieret, alius se opposuisset. Nam licet dominus obtulerit se dictis partibus jus facturum, & nihilominus adjornatus fuerit in Parlamento, & tunc ibi causam petat sibi remitti, non fiet remissio, sed utraque in Parlamento decidetur propter suspicionem, ne dominus dictum opponentem falsò supposuerit.

§. 6. Item de consuetudine generali Franciæ, successor extraneus qui non potest quoad saisinam allegare consuetudinem, per quam mortuus saisit vivum, non potest ingredi possessionem feudi, nisi per manum domini, per receptionem ipsius ad fidem & homagium, nec aliàs contra dominum posset se dicere saisitum [2] licet contra alios sic.

[2] *Saisitum.*) Dic ut scripsi in Consuet. Paris. §. 1. glos. 4. q. 2. & 5. C. M.

§. 7. Item successor talis qui potest gaudere tali consuetudine, ut proximior, ab intestato potest ingredi possessionem, etiam antequam intret in fidem & homagium domini: & habet quadraginta dies ad deliberandum an intret in fidem & homagium pro dicto feudo: intra quos si non veniat, nulla est pœna. Sed post dictum tempus, dominus potest assignare manum suam ad dictum feudum, propter defectum hominis: & ex tunc faciet fructus suos: sed cum vassallus veniet ad offerendum debitum, dominus eum quandocumque venerit, etiam post decem annos, tenetur recipere, & restituere dictum feudum.

§. 8. Item si vassallus teneat feudum sine domino, id est antequam sit receptus ad fidem & homagium suum, nec se illi obtulit pro præmissis: dominus, si velit, dictum feudum tenebit sine homine, per tantum tempus, [3] per quantum tempus vassallus illud tenuit sine domino. Et interim faciet fructus suos, nec interim tenetur eum recipere ad suam fidem & homagium pro dicto feudo: nec ad hoc compelli potest per superiorem.

[3] *Tempus.*) Imò omnes ferè Consuetudines contrarium nominatim dicunt. Idem ubi nil dicunt. Scio tempore meo Stampis, quæ alioquin Parisiorum jure reguntur, vigorem illum obtinuisse, sed per impressionem præpotentis & rapacis ideo pro jure habendũ non est.

§. 9. Item de consuetudine prædicta aliquis non est sufficiens ad terram tenendam in feudum, [4] nisi habeat viginti annos completos, & vigesimum primum attigerit: & in censivis, nisi habeat 14. annos completos, & 15. attigerit. Et sic quodam primo casu non intret in fidem, nec homagium alicujus. Sed ille intret qui habet baillivium, jus, & gubernationem, qui interim faciet fructus suos in terra consuetudinaria: sed non in patria juris scripti, nisi esset pater, vel avus, qui eum haberet in potestate sua.

§. 10. Item consuetudo per quam mortuus saisit vivum, non habet locum in successione ex testamento, sed ab intestato. [5] Et hoc verum, nisi in casu ubi duo concurrerent simul in ejusdem persona.

[4] *Feudum.*) Id est ad faciendum homagium, reliquum exolevit. C. M.

[5] *Intestato.*) Verum est quòd legislatorum præcipuè favore inducta est, tamen porrigitur ad institutum universaliter ubi sic licet instituere, & testamentum liquidum est, ut dixi in Consuet. Paris. § 132. C. M.

§. 11. Item si plures contendunt successionem alicujus mortui, & hac ratione innixi, quilibet contendit se admitti ad fidem & homagium dominorum à quibus feuda movent, quæ ipse mortuus tenebat, si mortuus plura feuda à diversis dominis moventia habebat, inter quos Rex est unus, tota causa pro aliis feudis ventilabitur in Parlamento: licet modicum sit feudum, quod à Rege teneri debet: & idem si aliàs de ipsius hereditate contenderent. Ita dictum fuit pro domino Dalebreto in Parlamento anno 132[illegible]. contra dominum Loci de Villandria, qui de feudo suo, de quo

quæstio movebatur (quia locus illinc dependebat) cognitionem illius sibi remitti petebat : cum in curia inter Comitem Armigniaci, & adversarios suos de hereditate Vicecomitatus Leomagine contenderetur, ad finem recipiendi in fidem & homagium pro feudis quæ dictus Vicecomes tenebat.

§. 12. Item cum aliquis se offert Regi pro intrando fidem & homagium pro aliquo feudo, & alius ejus requestæ se opposuerit, offerendo, &c. Et partes ipsæ per Regem remissæ fuerint ad Parlamentum, ad certam diem super præmissis, & unus ipsorum se præsentaverit per Procuratorem generaliter fundatum ad litigandum, absque eo quòd esset sibi specialiter commissum : ut possit petere per dictam curiam declarari dominum suum recipi debere pro dicto feudo in fidem & homagium Regis : sufficit dicta fundatio, dum tamen dictus dominus sit præsens dum dicta causa litigabitur : aliàs non sufficeret. Ita dictum fuit pro Comite Armigniaci contra adversarios suos.

§. 13. Item ubi plures contendunt ratione alicujus successionis, quis recipi debeat ad fidem & homagium, pro feudo quod dominus defunctus tenebat : & per diversa testamenta veniunt, ut puta quidam ex testamento patris, quidam ex testamento filii ultimò defuncti : & qui per testamentum ultimò defuncti contendit, dicat se saisitum in dictis feudis, & ipsa tenuisse per aliquod tempus : & dicat se per gentes Regis impediri per manum Regis ibi appositam, & petat eam ab inde amoveri, & se reduci in statu in quo prius erat, quo facto petat se admitti ad fidem & homagium : Et pars alia dicat illum nullum statum saisinæ habuisse per mortem defuncti, tum quia nondum annus erat elapsus, tum quia non fuit pro præmissis receptus ad fidem & homagium, manus prædicta exinde non removebitur, nec ipse remittetur in dicto statu : Sed partibus injungetur per curiam, quòd utraque proponat quæ voluerit, ad finem quòd ad homagium recipi debeat, ita dictum fuit in dicto Parlamento contra dictum Comitem, pro adversariis suis in dicto Parlamento.

§. 14. Item ubi vassallus alicujus intrat in fidem & homagium Regis [6] pro feudo quod ab ipso ut à domino se tenere dicebat : licet postea pronuncietur in Parlamento ipsum redire ad fidem & homagium domini sui immediati, non propter hoc poterit eum dominus insequi ad finem quòd dicto feudo privari debeat : nec aliquod jus est eidem domino acquisitum, nec vassallo præjudicium generatum. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ per os domini Joannis de Sercomonte, primi Præsiden. anno 1326. pro Calordo de Chambona, contra Comitissam de Rotello.

§. 15. Item advocatio facta Regi de aliquo feudo, dat saisinam Regi quoad duo : primò ut capta de illo loco per aliquem qui dictum locum ab eo teneri dicebat, debeant tessaisiri ad locum. Et quòd cognitio litis motæ inter prædictas partes, scilicet inter illum qui se dicit dominum, & alium scilicet vassallum, ad Regem pertinere debeat. Ita dictum fuit in Parlamento anni 1326. pro Comitissa de Soissons, contra dominum de Mailly.

§. 16. Item ubi manus Regis fuit apposita in feudo alicujus aliqua de causa, dominus immediatus non debet impediri assignare feudo suo propter defectum hominis, vel alia justa de causa justitiare feudum suum prætextu dictæ manus : ut *in usi. feu. vir. de investi. de re. alien. facta & quæ sit causa prima bene amit. cessat.* 10. tamen propter honorem superioris non debet hoc facere sine licentia [7] Regis, quæ de facili obtinetur. Et ideo cum Baillivus Viromandiæ apposuisset manum Regis propter quasdam emendas Regi debitas in quodam feudo quod ab Episcopo Noviomensi tenebatur : & dictus Episcopus assignasset ad id manum suam propter defectum hominis : per Arrestum curiæ dictum fuit quòd priusquam feudum Episcopo prædicto restitueretur, Regi satisfaceret de dicta emenda, & emendaret Regi : quia suprà manum Regis, & non petita licentia, ipsum justitiaverat : sed quittata fuit eidem emenda, quia ad bonam causam fecerat hoc, quo facto, data fuit sibi potestas justitiandi dictum feudum, &c.

[6] *Regis.*) Idem si conjux alterius, ut dixi in Consuet. Parisien. §. 30. C. M.

[7] *Licentia.*) Imò non requiritur, & per exemplum secundus error est non producendus in consequentiam. C. M.

CAPUT XXIX.

Quorum cognitio specialiter pertinet ad Regem & qualiter contra personas Ecclesiasticas procedatur.

§. 1. POrtationis armorum cognitio, contra quemcumque justitiabilem, pertinet ad Regem privativè : licet dominus cujus talis subjectus est, omnimodam Jurisdictionem habeat in terra sua. Et ubicumque facta fuerit armorum portatio maximè si publicè, & cum multitudine gentium, puta decem, vel in itineribus publicis facta fuerit : ad nullum alium cognitio illorum pertinet, nisi ex Privilegio regio, vel concessione Regis hoc habeat. Et est ratio quia solus Rex potest prohibere portare arma in toto Regno suo, & solus concedere usum armorum : ut in *Authentic. de ar. in princip. in rubro & nigro. coll. 6.* Et ideo ex quo Rex solus prohibet portationem armorum, [a] solus offenditur : quare non est mirum si ipse solus habeat cognitionem.

§. 2. Item & illorum maleficiorum quæ fiunt in tali portatione armorum, si non possent maleficia separari : sed si possent separari, Rex habet solùm cognitionem portationis armorum : & dominus in cujus terra talia fierent, si omnimodam habeat jurisdictionem, aliorum, scilicet maleficiorum, cognitionem habere debet. Et hoc patet per exemplum sequens : dominus de Pugione presbyter delicta commiserat in terra Comitis Roncyaci, & cum armis incendia appo-

Quæ in contemptum supremæ manus regiæ vel securiæ gardiæ committuntur, per judicem regium puniuntur.

fuerat : Rex dicebat quòd tam portationis armorum, quàm aliorum, debebat habere cognitionem : dicebat comes, quòd omnium cognitio ad ipsum pertinebat, cùm ipse haberet omnimodam jurisdictionem in tota terra sua : & si non portationis armorum, tamen aliorum cognitionem haberet, cùm separabilia essent. Dictum fuit per Arrestum curiæ, quòd solus Rex in portatione armorum fuit offensus : ratione cujus cognitio ad ipsum pertinebat : aliorum autem ad Comitem, cùm essent diversa delicta. [b]

§. 3. Item de factis contra vel supra manum Regis, vel contra salvagardiam violatam, & cum armis, Rex solus habet cognitionē. Et si quis ad præsentem curiam vocatus super hoc, petierit se remitti ad judicem ubi hæc commissa dicuntur, vel Baillivum regium, non audietur, sed compelletur ad respondendum. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ, pro domino de Longoponte, contra dominum Radulphum de Claromonte. Item pro Abbate de Jardo. contra Vicecomitem Tonacn.

§. 4. Item si Episcopo, vel alicui personæ Ecclesiasticæ imponeretur proximè dictum in curia, non remittetur super hoc ad judicem suum Ecclesiasticum : sed compelletur per captionem suæ tempora-

sitatis ad respondendum in præsenti curia. Ita dictum fuit contra Episcopos Baiocensem & Abrincensem in Parlamento anni 1323.

[a] *Novitatis*] Hodie quicumque secularis judex ordinarius cognoscit. Judex tamen regius loci præveniens excludit subalternum, nec tenetur ei remittere, C. M. Rex nunquam litigat in curia subjecti.

§. 5. Item novitatis [a] causæ cognitio solum ad Regem pertinet, & solùm in curia ventilabitur. Et est ratio quia emenda ascendit ad 60. libras & Baillivi de tanta & tali summa se non possunt intromittere, neque cognoscere. Ideo in præsenti curia habet ventilari, & non alibi.

§. 6. Item si personæ Ecclesiasticæ aliqua contra salvagardiam Regis commiserint, vel aliquos excessus contra vel supra manum Regis: si per inquestam factam contra illos appareat de dictis excessibus, curia sic consuevit eos condemnare, quòd ipsorum temporalitas ad manum Regis derivetur, donec ipsi talia reintegraverint, & donec Rex pro emenda levaverit centum libras, vel quantum sibi videbitur. Ita dictum fuit in Parlamento anni 1327. contra Magistrum Stephanum Albi, Canonicum Lugdunensem. Et in Parlamen. anno 1328. pro Abbate & Conventu de Vastel. pro excessibus commissis contra Robertum Porceleti, & gentes Regis facientes executionem contra ipsos, pro dicto Roberto.

§. 7. Item Rex non litigat in aliquo casu in curia subjecti, pro re sibi in totum vel in parte pertinente. Et hoc patet in casibus suprà expressis, *in titul. de feu. §. item si plures, & §. ubi plures*, & in exemplis quæ sequuntur. Procurator Regis, & Procurator sancti Cornelii de Compendio, in præsenti curia dicebant se esse in possessione & saisina ex tanti temporis præscriptione, de cujus initio memoria non exstit apud Rhemos, hominum dicti Monasterii sancti Cornelii, sine herede decedentium bona propria authoritate capiendi: & dicebant se impeditos in dictis saisinis per Archiepiscopum Rhemensem, vel ejus gentes, procuratore dicti Archiepiscopi petente remissionem fieri præmissorum: quia dicebat dictum dominum suum omnimodam habere jurisdictionem in dicta villa de Rhemis. Dictum fuit, quod ideo quia tertia pars bonorum hominum dicti Monasterii in dicto loco sine herede decedentium ad Regem pertinebat, dicta cognitio ob causam prædictam in præsenti curia remaneret, nec dicta remissio fieret.

§. 8. Item cùm Episcopus Appamiarum debitum ei per Episcopum Tholosanum recognitum cessisset in parte, & ob hoc dictus Episcopus Tholosanus ad hanc curiam vocatus fuisset, & ipse peteret se remitti ad judicem suum Ecclesiasticum, per dictam rationem remissionem facere curia refutavit.

§. 9. Item Episcopus vel Prælatus contra laïcum qui alicui intra jurisdictionem suam spiritualem, & intra locum ubi eam exerceret, aliquas injurias quantumcumque graves commiserit, non potest procedere ad ejus personæ captionem, nec arrestationem: nisi [a] mortem vel aliud crimen detestabile commisisset, & si aliàs contra ipsum procedat, compellitur per temporalitatis suæ captionem ad revocandum ea quæ in præmissis fecerit. Ita dictum fuit in Parlamento anni 1327. contra Archiepiscopum Rhemensem & ejus officiarios pro majore & juratis dictæ villæ: sed monendo vel excommunicando potest contra ipsos procedere.

[a] *Nisi.*) adhuc idem quia nullam habet captionem, nisi intra prætorium suum, vel nisi ut quilibet privatus potest in flagranti delicto fugientem capere, ut judici reddat, *leg. capere quinto ad leg. Iul. de adul. adde Stephan. Aufr. rep. ile. 1. de effr. crim. regul. 2. fall. 4. C. M.*

§. 10. Item jurisdictio temporalis per spiritualem non debet impediri: & si contra fiat, curia præsens consuevit compellere spiritualem ad removendum impedimenta talia per captionem suæ temporalitatis. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ in Parlamento anni 1327. contra Episcopum Rhemensem pro Capitulo dictæ Ecclesiæ.

CAPUT XXX.

De causis Parium Franciæ.

[a] *Pares*] Nec quod Pares Franciæ dicuntur, pares inter se sunt omnes communi jure Archiepiscopus Rhemen Episcopus Bellovacen. Noviomen. Comes Flandren. Campaniæ alii per privilegium regium: ut Comes Ebroten. Regina Navarræ Joanna Comitissa Flandren. in omnibus tamen suis hæc Flandriæ marginalis regi suæ curiæ. C. M.

§. 1. Per quem modum, vel quomodo Pares [a] Franciæ debeant adjornari? Dic ut suprà *titul. de adjor. in §. nullus ver. item fallit. in §. item Pares Franciæ.*

§. 2. Item appellans à Pari Franciæ, vel ab hominibus in terra sua judicantibus, qui alios homines supra se in eadem curia, vel alia judicantes non habent, sunt exempti à jurisdictione Paris, tam agendo, quàm defendendo: quod dic ut suprà in *titul. quando appellans sit exemptus.*

§. 3. Item an appellans à Pari Franciæ, vel ab ejus hominibus, sit per præsentem curiam remendus ad curiam Paris? Dic quòd sic, in casu quem habes suprà in materia appellationum, *titul. an qui appel. ad cur. omiss. int. rem.* §. 2.

§. 4. Item si subjectus Paris vocari fecerit Parem Franciæ ad curiam in aliqua causa alia quam appellationis, in causa non tangat Paritatem suam, & requirat causam sibi remitti, audietur.

§. 5. Item Par Franciæ alibi quàm in curia præsenti litigare non tenetur: & hoc verum, si hoc petat coram Baillivo vel Seneschallo, coram quibus in causam trahitur: quia ipsis non est subjectus, neque de eorum ressorto, nisi casibus quos habes notatos suprà *titul. de adjornam. §. item Pares Franciæ, in fin. & §. sequen. & frequen.* Sed si Pares Franciæ voluntariè procedant coram ipsis Baillivis, valebit processus: ut patet in exemplo sequenti. Simon Bye. in causa novi. traxit in causam Comitissam Atrebatensem coram Baillivo Viromandiæ, & quemdam processum inchoate fecit, & inquestam fieri. Et nihilominus Literam justitiæ à Rege imperravit, dicto Baillivo directam, virtute cujus dicta Comitissa coram dicto Baillivo vocata, ejus Baillivus seu Procurator se dictis Literis opposuit: cujus oppositionis prætextu, dictus Baillivus remisit dictas Partes ad Parlamentum, ubi partibus comparentibus, dictus Simon petit dictam inquestam recipi & judicari. Ex adverso dicebatur per Procuratorem Comitissæ, quòd dicta inquesta recipi non debebat, qui etiam proposuit illam esse nullam cum alibi quàm in Parlamento esset facta: & cum sit Par Franciæ, non poterat alibi litigare quam in ipsa curia, ideireo apparebat illam esse factam à judice incompetenti, & sic nullam. Ex adverso replicatum fuit, quòd hoc erat verum, ubi ipsa declinasset forum Baillivi: sed cum ipsa voluntariè processisset, processus erat bonus, & tenebat. Dictum fuit per

Arrestum curiæ, quod quia fuit repertum ipsam voluntariè coram dicto Baillivo processisse, dicta inquesta recipererur, & fuit recepta: verum quia compertum fuit per processum litem non fuisse contestatam, dicta inquesta fuit annullata: & licet tunc à tempore Arresti lapsus foret annus, reservata fuit per dictum Arrestum causa novitatis dicto Simoni: & dictum fuit dictam oppositionem tenere, & quod dicta Commissa procederet in dicta causa in Parlamento anni 1325.

Item licet Pares Franciæ, Baillivis vel Senescballis non sint subjecti, nec sint de ipsorum ressorto: attamen in causa novitatis, vel aliàs ubi oppositio potest cadere: si Par ad requestam quæ fit coram Baillivo, non se opposuit, vel confiretur factum cujus prætextu requesta fiebat: Baillivus, vel ejus Commissarius poterit amovere impedimenta, & aliàs facere ad requestam conquerentis contra Parem. [a] Ita dictum fuit in Parlamento contra Episcopum Laudunen. pro quodam homine suo.

[a] *Parem.* Supra c. [illegible] §. 11. & duodecim. Pares, vide infr. part. 2, c. 2.

CAPUT XXXI.

De alta, [1] media & bassa Iurisdictione.

[1] *De alta.* Illud c. non est in registro curiæ, & fallunturqui putant per exempla frequentia, vel alia dijudi. species jurisdictionis, nec tam est divisio standum quàm certorum tantum casuum ad quos inferiorum potestas limitatur, ut dixi in Consuet. Paris. §. 129. C. M.

§. 1. Addite quod in terra consuetudinaria, in terra Gallicana, & in aliis partibus regni quæ reguntur per consuetudines Vicecomitatus Parisiensis, aliqui casus non reputantur de alta Justitia, nisi tres, videlicet, Incendium, Raptus, & Meurtrum. Et faciunt differentiam inter meurtrum, & occisionem: quia meurtrum dicunt esse quando factum est scienter, & pensatis insidiis: occisionem, quando factum est sine proposito, sed in rixa, quæ Gallicè dicitur Chaudecolle. Unde talia occidia dicuntur esse de Justitia media, & alia quæcumque crimina quamvis pœnam sanguinis ingerant. Jus tamen scriptum hoc dictum non approbat: quia ita est de altiori Justitia medius casus, ex quo pœna sanguinis vel fustigationis infertur: sicut meurtrum, vel raptus, *ff. de Iurisdictione om. jud. l. Imperium, & ff. de furtis, l. vulgaris.*

§. 2. Item nota, quod quandoque aliquis fecerit posse suum interficiendi adversarium: si tamen non interficit, non reputatur de casu altæ Justitiæ, videlicet meurtri. Sic audivi judicari contra Baillivum Viroman. & Præpositum de Peronna, pro majore & juratis ejusdem villæ, de quodam qui insidiosè quandoque in habitu Monachali, quandoque in habitu muliebri fecerat posse suum interficiendi quemdam: jus tamen scriptum præstat argumentum contra [2] *C. ad leg. Cornel. de sic. l. is qui cum telo.*

§. 3. Item cùm dicti Præpositus & Baillivus assecuramentum dari fecissent per quemdam qui detinebatur in carcere majorum & juratorum de Peronna, pro quibusdam sibi impositis, quæ essent de bassa justitia, conquesti fuerunt dicti majores & jurati, quod in eorum prisione dictum assecuramentum præstari fecerant: & quia ad ipsos competebat facere præstari illud assecuramentum, saltem quoad illa quæ non sunt de alta justitia. Dictum fuit per Arrestum, quod quamvis compulsio assecuramenti præstandi, quando petitur ab aliquo, spectet ad Regem in dicto loco quantum ad casus altæ justitiæ, maximè tamen in dicta prisione dictus præpositus non debuit eum compellere ad dictum assecuramentum præstandum: ex quo enim habent distinctas curias, & distinctas jurisdictiones, quilibet debet uti sua jurisdictione, & in sua curia. [2]

[2] *Curia.* *L. pen. in fin. de suffi. & jur. l. si locus de judici l. consulta divalia. C. de testam.*

Ipsi tamen major & jurati si fuissent advisati, benè potuissent compellere ad assecurandum; Assecuramentum tamen eorum non se extenderet ad alia quàm ad illa quæ sunt bassæ justitiæ, si aliquid factum esset contra assecuramentum. Pone, assecuramentum datum est per gentes Regis in loco ubi Rex tantùm altam justitiam habet & tessortum, & alius bassam: ille qui se assecuravit, facit aliqua contra assecuramentum quæ de natura sua non sunt de alta justitia, numquid Rex habet cognitionem, vel alter dominus? Videtur quod Rex, nam qui facit contra assecuramentum, est ad voluntatem domini, tam de corpore, quàm de bonis, puniendus. Et sic videtur quod fractio assecuramenti esset de alta justitia. Ex quo ventum est contra assecuramentum Regis, videtur quòd ad ipsum pertineat punitio & correctio. In contrarium facit illa quæ commissa sunt, de se non sunt de alta justitia, & Rex non habet nisi altam.

§. 4. Item si quis insidiosè conetur facere meurtrum, & non perficiat, propter hoc non videtur commisisse contra causas altæ justitiæ: sicut dictum fuit suprà §. 2 nec æquum videtur quòd præstatio assecuramenti facta ad compulsationem Regis, auferat illi cognitionem criminum, quæ ad ipsum de sui natura spectant: quia sequeretur quòd per quamdam viam obliquam posset Rex sibi auferre suam jurisdictionem pro majori, quod juris ratio non sinet. Et sic videtur quòd assecuramentum comprehenderet casus altæ justitiæ, & non alios, etiamsi periculum sit de bonis & corpore: quia multi sunt casus qui secundum consuetudinem de media justitia reputantur, sicut occisio, & furtorum multiplicatio: & tamen in illis amittit quis corpus & bona, sicut in meurtro & raptu.

CAPUT XXXII.

De minoribus, & quam causam tutores, vel Bailliam minorum habentes, ipsorum nomine possint in judicium deducere.

[1] *Bailliam.* Quod tamen in omni præfectura Parisiensi reducendo consuetudines, abolitum est & bene. C. M.

§. 1. Minor viginti annis, donec vigesimum primum attigerit, non potest causam proprietatis in judicio deducere agendo vel defendendo: *ut suprà titul. de causa possess. & proprietatis.*

§. 2. Item neque Bailliam [1] minorum habentes, neque tutores, ipsorum nomine causam proprietatis deducere possunt in judicio, sive agendo, sive defendendo, nec causam à causa proprietatis descendentem: puta super fructibus, qui peterentur ratione alicujus rei adjudicatæ vel petitæ, sed solùm causam merè personalem à causâ proprietatis separatam: ut patet per exemplum quod sequitur. Dominus de Autemonte fecit adjornare heredes domini de Nigella, ad resumendum arramenta in causa mota inter ipsum

& dictum dominum, in Parlamento, tenentes Bailliam dictorum heredum petierunt diem appensamenti ad sequens Parlamentum, quod fuit eis concessum: ad quem dixerunt se resumere non teneri, eò quòd dicta arramenta essent in & super causa reali, quam ipsi non poterant in judicio deducere: ideo quòd dicta causa & arramenta debent dormire donec dicti minores essent xtatis perfectæ. Ex adverso verò proponebatur dictam actionem fore personalem: scilicet ex testamento, cùm Joannes de Flandria ordinasset in suo testamento, in quo dictum dominum de Nigella fecerat executorem, quòd solveret legata & debita infra certum tempus: residuum verò conquestuum & mobilium bonorum suorum, dictus dominus filiæ suæ uxori domini de Ausemonte restitueret: & quod dictus dominus infra prædictum tempus poterat præmissa solvisse de fructibus dictarum rerum, & emolumentis aliis: & si non fecerat, sibi imputare debebat. Quare ipsum condemnari debere dicebat ad dictos conquæstus, una cum fructibus exinde post dictum tempus perceptis, & etiam ad certa mobilia restituenda, si confiteretur præmissa, vel negaret, &c. Et cum dictam bailliam habentes arramenta resumere recusassent, dicti heredes à defensionibus suis, quas pater eorum proposuerat super præmissis, cecidissent, & conclusiones sive petitiones sibi adjudicarentur. Ex adverso proponebatur quod dicta actio erat realis, & sic eam in judicio deducere non poterant, &c. Ex adverso propositum fuit, Baillium habentes non petuisse illam poni in suspenso: quod cum non fecissent, ad petendum ipsam suspendi, omnino admitti non debebant: nec ipsius domini de Ausemonte impediri requestam. Ex adverso dicebatur quod immo antè & post ad hoc debebant admitti. Dictum fuit per Arrestum curiæ quod dicta causa quoad hos dictos conquæstus & fructus, cùm essent sequela dictæ causæ realis, quod dicta arramenta dormirent, non obstantibus propositis ex adverso: & quod ponerentur in suspenso donec heredes essent legitimæ xtatis. Sed quoad mobilia, personalis erat: & ideo poterant ipsam in judicio deducere, & quod petitio dicti domini de Ausemonte fieret quoad dicta mobilia. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ inter partes prædictas, in Parlamento anni 1327.

§. 3. Item ex præmissis nota tria de stilo curiæ. Primò quod causa realis non potest agitari contra Baillium minoris, nec per ipsos, neque sequela dictæ causæ. Ita quod causa personalis [2] potest agitari per ipsos, vel contra: quia dictæ causæ periculum ad ipsos pertinet.

§. 4. Item quod licet Bailliam habentes refutent nomine minorum resumere arramenta, nihilominus post dictam refutationem possunt petere dicta arramenta poni in suspenso: quod etiam possent petere, licet ipsa resumpsissent. Sequitur aliud exemplum in præsenti materia: Guillelmus de Mastla petierat quamdam rem ab heredibus Petri Cartella, seu ab ipsorum tutoribus, & duas contra se sententias reportavit, & latæ fuerunt pro dictis heredibus: demum ab ultima fuit per ipsum appellatum ad præsentem curiam, ubi dixit dictas sententias fore nullas, eo quod tutor dictorum heredum non fuisset fundatus qui dictas causas duxerat, & quia dicebat causam prædictam esse realem: unde per tutorem deduci non poterat, neque per minorem. Ex adverso dicebatur, quòd ad primum proponendum tardè venerat: & ideò admitti non debebat. [3] Nam hoc coram primo, nec coram secundo judicibus proposuerat: & secundum, quia sententia lata pro minoribus tenet, licet per personam illegitimam, causa fuerit agitata, *l. non eo minus C. de procurat.* licet foret nulla, si contra ipsos lata fuisset. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ, quòd non obstantibus propositis ex adverso, dicta sententia teneret. Et hoc fuit dictum in Parlamento anni 1325.

§. 5. Item causæ minorum & similium personarum miserabilium, vel viduarum, in Parlamento iplis volentibus agitantur, nec fit aliqua remissio iplis invitis: *juxta l. 1. C. quando imperator. inter pupil. & viduam.* Et ita vidi judicari per Arrestum de Beatrice de Sabureo, contra Pet. de Fredon. & Berengarium de Laudimo, & eorum consortes: licet dicta Beatrix de hereditate paterna quæ sita erat in Senescal. Bellecadri, litigaret.

§. 6. Item pro domina Margarita de Remigiis super doario suo, contra Joannem Cavanelli, licet dicta actio esset personalis. [4] Item etiam pro dote, ut in domina de Marchio, contra Ludovicum de Bellomonte.

[2] *Personalis*) Scilicèt pro mobilibus fructibus vel possessione immobilium, ut dixi in Consuet. Parisiens. §. 103. C. M.

[3] *Debebat.*) Imò quandocumque *l. licet C. de procur.*

[4] *Personalis*) Id est non inducens alienationem immobilium. C. M.

CAPUT XXXIII.

De provisione, modoque petendi & faciendi ipsam.

§. 1. SCiendum est quòd si mulier agat pro dote in Parlamento, vel pro doario suo, de consuetudine, & petat sibi fieri provisionem lite pendente, illam habebit pro alimentis & pro prosecutione causæ. Idem esset in aliis casibus favorabilibus: ut si executores contendant ratione executionis alicujus testamenti contra ipsius bona detinentes, fiet eis provisio pro prosecutione causæ. Et dictum fuit pro filiabus de Seneraco, contra Deodatum de Seneraco, & pro Beatrice de Sabrano, contra suo adversarios: & pro Jacobo de Monte-Acuto, contra R. ejus fratrem. Et idem est quando filius contendit de hereditate paterna.

[1] *Quarta.*) Vide inf. in hac request. 2. *l. antepenult. ff. de part. bonor. poss.* Sed de tertia parte vide L. Gall. §. ita adde sup. 12. §. 11. C. M.

§. 2. Sed quæ & quanta quantitas taxabitur? Dico quòd ubi tales agentes contendunt de hereditate, & asserunt ipsam in totum ad se pertinere, consuevit fieri quæstæ [1] partis reditium ipsius, super quo possidens per juramentum interrogabitur. Ita dictum fuit pro dictis Beatrice & Jacobo.

§. 3. Item dicunt quidam quòd tales provisiones habent peti in continenti aperta petitione per actorem, vel saltem habet super hoc protestari, ubi causa dilationem caperet: aliòquin ipsam non peteret: & si peteret, non fieret illi. Et ita communiter faciunt advocati. Sed vidi contrarium obtinere etiam post litem contestatam, & post principalem causam appellationis introductam in curia. Ita de facto Richardi de Favons contra R. de Anselio in Parlamento anni 1327.

§. 4. Item si collateralis petat hereditatem collateralium, puta fratris vel sororis, & petat in curia provisionem sibi fieri super hereditate prædicta, causa pendente, non fiet sibi. Ita dictum fuit per Arrestum curiæ in Parlamento anni millesimi trecentesimi vigesimi septimi, pro Joanne de Castellario contra dominum Mathiam de Holte: Et est ratio quare secus in descendentibus per rectam lineam, quia magis eis debetur hereditas quàm collateralibus, cum ipsi in vita quasi domini reputentur, *juxta l. in suis ff. de lib. & posth.*

CAPUT XXXIV.

De Assecuramentis. [1]

§. 1. SCiendum est quòd quicumque inventus in curia compellitur præstare assecuramentum cuicumque petenti, si sit laicus: si autem esset clericus, [2] ducetur captus per unum de ostiariis Parlamenti coram Officiali Parisiensi, & compelletur coram ipso sibi dare.

§. 2. Item dominus [3] compellitur præstare vassallo suo assecuramentum, licet juramentum fidelitatis ipsum ab hujusmodi assecuramento videatur excusare, ita dictum fuit per Arrestum curiæ contra dominum de Ham pro quodam vassallo suo anno 1325.

§. 3. Item dominus tenetur præstare assecuramentum homini de suo corpore, ita dictum fuit in Parlamento contra Magistrum Radulphum de Prællis pro quodam homine suo de Nalliaco.

§. 4. Item super præstatione corporalis assecuramenti, omnibus exceptionibus rejectis, non potest quis declinare forum, nisi in casu qui sequitur, ubi aliquis fecit aliquem adjornari super assecuramento sibi præstando ad Parlamentum, & ipse petat super hoc ad curiam domini sui se remitti: & dominus super hoc etiam remissionem sibi fieri, fiet; sed tamen curia interim providebit: quia faciet eum præstare usquequò alter venerit ad curiam domini sui: & super hoc præfiget diem. Ita dictum fuit in Parlamento anni 1327. pro domino de Sollis contra Abbatem sancti Audomari in Bosco.

1 *Assecuramentis.*) Ioan. Fab. Bal. Sal. l. denunciamus C de his quis ad Eccles. confu. decis. Tholosa. 489. Guid. Pap. decis. Delphin. 418.

2 *Clericus*) Nisi conjugatus, qui pro laico habetur c. 1. de Cleric. conjuga in 6. adde Ioan. Gallum. q. 27.

3 *Dominus.*) Et benè, quicquid dicat *Guid. Pap. decis. Delph. 55. ad fin.* Quod ergo formularii Cancellariæ dominos excipiunt, error est imperitorum. C. M.

Explicit stilus Curiæ Parlamenti.

SEQVVNTVR ADDITIONES SEV GLOSSÆ MAGNIFICI VIRI DOM. STEPHANI AVFFRERII, IVRIS VTRIVSQVE Profeſſoris Eminentiſſimi, & in Parlamenti Tholoſani curia Inquæſtarum Præſidis, ſuper præcedenti veteris Parlamenti ſtilo, per literas Alphabeti ſuis quibuſque capitulis, paragraphis & verſiculis diligenter & bona fide noviter adaptatæ, ſuperfluis & inutilibus detractis, opera præfati Do. Caroli Molinæi Franciæ & Germaniæ Iureconſulti, & in Pariſino Senatu antiqui Advocati.

IN PROOEMIO.

Sumptus è dictionario Albert, ver. memoria.

LABELIS.) *L. peregre. ff. de acquir. poſſeſſ. l. ſed etſi me patrem. ff. de condict. indeb. l. 2. §. ſi quid autem, C. de veter. jur. enucleand. l. jubemus, C. de teſtament. c. præterea, 23. diſtinct. c. 1. de renunciat. lib. 6.*

IN CAP. I. DE MODO ET GESTV.

GESTUM.) Quia incompoſitio corporis qualitatem indicat mentis: *ut 41. diſt. §. fin.* actus quoque tuus, ſeu geſtus ſit tardus & gravis: non præceps & celer. ut in eo, §. nam lenta virtus & cunctatrix antè judicat quàm incipiat, quid decorum, quid honeſtum ſit; velox autem iniquitas, quæ ad nocendum occaſionem ingerit, omnia præcipitat: *ut de pœnit. diſt. 3. c. inter hæc hireum. le. 1. in verſ. velox. 11. quæſt. 3. illa, ut ſic veterem & benè fundatam videaris habere peritiam, ff. de jure patronatus, l. duo fratres*, momentaneus namque Advocatus neſcit habere humilitatem, & modos perſonarum, vel ſeſe continere, 48. di. in prin. unde Apoſtolus ad Corinth. 14. omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in vobis, & Statius in Thebaïdos lib. 10. Da ſpatium, teneque moram: malè cuncta miniſtrat Impetus.

c *Maturum.*) Præcipuè verò circa tria ſe maturum debet exhibere Advocatus, ut ſic ingenio ſuo ſapientiam ejus augeat: ut *l. obſervandum, in fin. ff. de offi. præſid. & 41. diſt. Epiſcopus*, videlicet in vultu, geſtu, & voce: in vultu, ut vultum affabilem, jucundum & benignum oſtendat, abſque tamen riſu indiſcreto; ex viſu enim cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei agnoſcitur ſenſatus, amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo. Eccleſ. 19. c. & per quaſi riſum ſtultus operatur ſcelus, Proverb. 10. c. In geſtu, ut caput, vel pedes non ducat indebitè: ſed cuncta membra debitâ maturitate regat. juxta illud: officium teneant lingua, pedeſque, manus. ac etiam oculus 32. di. c. ſi quis verò in fi. 12. quæſt. 1. c. quæ tua, 41. di. §. fi. 6. quæ c. ex merito, & gravitatem quoad omnia, & mentis maturitatem oſtendat, ut in præalle. l. obſervandum, in fi. d. c. Epiſcopus. In voce, ut eam non plus debito deprimat vel exaltet: ſed in cunctis medium ſervet: major enim mediis gratia rebus ineſt: ut c. 1. de offi. cuſto. de offi. deleg. c quærente.

Et breviter non ſit vagus oculus, non effrena lingua, aut petulantia fœdoque geſtu incedat, ſed pudorem & verecundiam mentis ſimplici habitu inceſſuque oſtendat: obſcœnitatem enam membrorum & verborum, ſicut & operum penitus execretur, hæc leguntur, 25. d c. his igitur, & per Spec ti. de Advo. §. hîc dicendum, verſi. cum autem.

d *Humilis.*) Job. 22. qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Et Proverb. 11. c ubi humilitas eſt, ibi ſapientia eſt. Et Jud 19. c. humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.

e *Iræ.*) Nam propter iram omnes animi vires ac virtutes alterantur: ait enim Cato, impedit ira animum, &c. & Eccl. 7. Ira in ſinu ſtulti requieſcit, & Ennodius, ira juſtè ſuum plus quàm alios laceſſit auctorem, & Ovid. 4. de arte amandi. Ora tument ira: nigreſcunt ſanguine venæ; Quælibet extinctos injuria ſuſcitat ignes. Unde Apoſtolus: Fratres, non vos vindicantes, date locum iræ, 11. quæſt. 3. c. iræ. Adde Specul. tit. de Advocat. §. 4. ver. verum.

f Solventes.) Niſi tales non ſolventes eſſent pauperes imponentes ad ſolvendum; quia tunc tenetur gratis patrocinari, lege divina hoc præcipiente Matth. 22. Diliges proximum tuum, &c. & ſi noluerit obedire, poteſt & debet eidem intercidi patrocinium, *l. providendum, C. de poſtulat. & in c. 1. de offi. judi.* & ibi per Hoſti. Abba. Sicul. & Angelum de Clavaſio in ſua Summa angelica, in ver. Advocatus, ver. 11. ubi tenet quòd Advocatus recuſans patrocinari pro paupere, peccat mortaliter, quando ſcit talem pauperem impotentem ad ſolvendum, & incurrere notabile damnum ex defectu Advocati, ſi requiſitus eum non adjuvat gratis: ſecus ſi leve damnum, quia tunc eſt veniale.

g *Aperias.*) Nec illis victorias repromittas, sicut faciunt sæpènumero medici salutem ægris superbè pollicitantes, ut 88. di. c. ejiciens, in fine, quia dubius est litis eventus: l. quod debetur, ff. de pecul. nec victoria in eo est, sed in Judice. 2. q. 3. §. notandum, ver. nam facti, ff. de abolitio. l. 1. nec semper laborem sequitur effectus, nec est in medio semper; relevetur ut æger, juxta illud psalm 87. numquid medici suscitabunt, de pœnit. di. 1. §. hunc etiam, nec debet se dicere certum ubi certus esse non potest. c. cum contingat, de rescriptis.

Addit Celsus, si promittat palmam causæ, cogitur ire extra provinciam, si causa devolvatur, ibi Bal. in l. 1. col fi. ver. ulteriùs quæritur, C. de suffra. Bar. post glossam in l sed & hi, §. non solùm versi. ult. not. ff. de procurat Dy in lege Mævia, §. fi. & ibi notavi in apostil. ad ipsum, in vers. si remotus fuerit, ff. de annuis legationibus: & Iaco. Rebuffinus in l. 1. nu. 2. ubi etiam posui in apostil. ad ipsum, in vers. devolvatur, C de annona & tribut.

h *Salario.*) Specu. in tit. de Salar. §. sequitur, vers. & not. dicit quòd si Advocatus clientulum jure debere obtinere contendat, tunc ut pinguius extorqueat salarium, dicat ei, Amice jus est pro te, sollicita, eges tamen defensione; sæpe enim quis mortem obiret, nisi medicaretur, ut de pœni. di. c. fi. non tamen inhumaniter evacuet, ut impiè Advocati faciunt plurimi; sed cum eo conveniat de salario congruente, 3. q. 8. §. tria.

Adde) Arch. 14. q. 5. non sane. meliùs 1. q. 1. c. non est & Card. in cle 3. q. 8. de magist. & utrum teneatur ad restitutionem in foro conscientiæ, si exigit nimis magnum salarium, videtur quòd non, si accedat partis consensus, in c. plerique vers. sed quid dices de immunitate Ecclesiæ: Archiras tamen in alleg. c non est, tenet oppositum: & Card. in cle. sæpè in fi. prin. de verb. sig.

i *Provideat.*) Per hoc quod not. in procem. insti. verb. providentia, & in c. 1. de re judi. lib. 6. in verb. prudenter attendant. Et Tul. offi. lib 1. magni ingenii est cogitatione præcipere, & antè considerare quid evenire possit: & quid agendum sit cùm evenerit: Et Seneca epist. 2. adversus omnia quæ accidere possunt, te adhortare & indura. Et Cato: Nam levius lædit quicquid præviditur antè; nam lædere minùs solent jacula quæ præveniuntur.

k *Tene.*) Unde Specul. in tit. de Advoc. §. hunc de exordiis, vers. modus igitur, dicit quòd in pronuntiatione exerceri debet vocis & spiritus moderamen, corporis & linguæ motus: ut verba non sint inflata vel elevata, vel in faucibus frendentia: nec vocis immanitate resonantia: nec aspera frendentibus vel hiantibus labiis prolata: sed presse & æqualiter, leniter & clarè pronuntiata: nec ostentationis causa frangatur oratio: verum pro locis, rebus & causis aut temporibus oratio dispensanda est. Nam alia simplicitate narranda sunt, alia auctoritate suadenda, alia indignatione deprimenda, alia verò miseratione flectenda, ut sic & vox & oratio suæ causæ semper conveniant. Recta quoque sit facies, nec labia detorqueantur: nec immoderatus hiatus, nec supinus vultus: nec demissi in terram oculi, nec inclinata cervix, nec elevata, aut deprella supercilia. Labia quoque lambere, vel mordere, turpe est: porrò proferenda sunt submissa leviter, incitata graviter, inflexa verò moderatè Item grandia granditer proferenda sunt, parva subtiliter, mediocria temperatè: in parvis demum causis nihil grande, nihilque sublime dicendum est, sed levi ac pedestri sermone loquendum: in majoribus verò, ubi de Deo vel hominum salute referimus, plus magnificentiæ & fulgoris est exhibendum: sed nec semper de magnis rebus granditer est dicendum. Et Tul. offi. 1. lib Difficile dictu est quantopere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis: & magna est admiratio copiosè sapienterque dicentis; quem qui audiunt, intelligere etiam & sapere plusquàm cæteros arbitrantur. Si verò mens in oratione mixta modestiæ gravitas, admirabilius nihil fieri potest. Ex Quintil. in l. 1. instit. oratoriarum, dicit totam orationis partem in pronuntiatione & apto corporis motu consistere.

l *Vindicetis.*) Sic enim ars deludetur arte, & lex æquior nulla quàm necis artifices arte perire sua: juxtà illud Terent. Si pergis dicere quæ non debes, audies quæ non vis, 13. q. 1 c. Ecclesias. §. quibus autem, & 32. q. 6. c. iniquum, & Martialis, derides alios haud inderisus abibis. Et Seneca in epist. ab alio expecta quod ipse feceris

m *Iram.*) Nam impedit animum ne possit cernere verum, & commotionis tempore justum putat omne quod dixerit, 11. quæst. 1. c. de ira, & c. illa. & Tul. offi. lib. 1. Ira procul absit, cum qua nihil rectè fieri, nihil considerate potest: magna autem parte clementi castigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta, ut severitas adhibeatur, & contumelia repellatur.

IN CAP. II. DE *Adjornamentis.*

Additionali.) Et ibi Bart. & Iohannes Faber in glossa super vers. quos: vide notas super rubrica de consuet. & C. de Episcopis & Clericis, l. cum Clericis, & ibi Anto. & per Cy. in l. 2. C. quæ sit longa consuetudo. Iohannes And. in c fine eo. tit. & in c. litteris de constitut. Et ista est communis omnium sententia ut serventur consuetudines & leges fori, cum quæritur de ordinanda lite. Et voluit Inno. in c. fin. de foro compet. de quo per Sicul. in c. quod Clericis, de for. competenti. Et ibi, an stylus seu consuetudo fori sit attendenda quoad litis decisionem. Quid si in foro actoris est una, & in foro rei alia, & in foro Judicis alia, conclude quòd servabitur consuetudo fori in quo agitur, ut per Bar. in l. 3. §. fi. ff. de testa. & in l. si fundus ff. de evict. Bal. in l. 1. col. fine versicu. item di. glo. C. quæ sit longa consue. & Specul. in tit. de compe. judi. in princ. versic. quid si Biterren. & in tit. de senten. §. qualiter ver. debet, & in tit. de consuet ver. si sit diversitas.

b *Diceretur.*) At quod facit l. si quis in princ. testamenti de legat 3. C. de testam. Authent hoc inter liberos, & nota per Accur. ff. quod quisque juris. l. 3. §. si is, & in Authen. quibus mo. natu, esth. legi. §. fit igitur col. 6 & ff. de re judi. l. acta §. cap 1. & ibi glo. de consti. lib. 6. Et idem quando adjornamentum contra stylum prædictum emanat ex certa scientia Regis, licet non esset clausula, non obstante, secundum Sic. in c. nonnulli de rescript. post Iohan. Andr. in c. 1. de excessi. prælat. lib. 6. Ita etiam no glo. in alle. c, 1 in verb. noscatur, de consti. eo. li. & Paul. de Cast. consil 223. in fi. alle. glo in c. ad hæc, de rescript. & text in l. idem Ulpianus, ff. de excusation. tuto. & idem no. Nico. Mil. in repet. in versi. privilegium contra jus commune. Et idem Mil. versi. scientia certa, pro quo glos. in l. ratas, in glos. mag. in fi. C. de rescin. vendi & glossa in l universis, C. de preci. Imperatori offe. Bar. Bal. & Nico. de Nea. in præalle. l. idem Ulpianus. §. sunt, & Angelus Aret. in l. si constat, nullo actu ff. de appella. & Specul. in tit de instru. edi. §. nunc autem, ver item oppone. in fi. Ioan. Fab. in l. nec damnosa, in fi. C. de preci. impe. offe.

Adde) An requiratur quòd exprimatur ex scientia certa hoc fieri in litteris? & conclude cum Panor. in c. cum inter priorem. & ibi notavi in apostil ad ipsum sub nomin. Zacharix, in versi. ex certa scien. de excep. quòd suæ narrat. apparet de certa scien. quod sufficit. Idem tenet Feli in alle. c. cum inter col. 1 ver. adde quod contrarium, & Card in cle. 2 de rescript. in fi & Paul. de Cast. proalleg. consil. 223. incipiente videndum est.

c *Dilatio.*) Et in omnibus actionibus realibus,

in quibus habet regulariter locum dilatio consilii de hoc per Joan. And. in addi ad Spec. in tit. de appel. §. in quib. ver. sed quam dices sub ver. 37. & per Doctores *in alle. c. 1. de dila. ubi Ant.* dicit quòd si term nus citationis simul est deliberatorius, ut quia citantur ad respondendum libello infrà talem diem seu terminum, transmissa copia libelli: quòd si causa est verisimiliter deliberata, aut sit levis, quòd momento possit deliberari propter rationem termini: dum tamen possit comparere, non poterit appellari, quia satis subest causa data levitate vel facilitate deliberandi. Cessat enim causa quare dantur longæ, & longiores inducix *arg. l. filio ff. ad l. fal. & cap. præterea de dila.* Et quod no. Sic. post Bar. in alleg. c. 1. Si verò causa est ardua, & verisimiliter indeliberata, nec commodè infrà terminum potest deliberare: tunc data brevitate, cum est peremptorium, posset appellari pro quo no. per Cy. in l. 15. C. de dilato. ubi dicit quod si fuerit in citatione copia libelli transmissa, non debet habere deliberatoriam, si fuit in citatione competens terminus assignatus: aliàs secus: pro quo *not. in alleg. c. præterea*, quæ dicta videntur contra stilum superiùs annotatum.

d *Abbate.*) Pro hoc ext. de rescript. c. significavit, ff. de regu. ju. l. Neratius no. extra de judic. c. quia gu. de offi. deleg. c. quoniam abbas in Auth. ut nulli judicum, §. ex hoc ver. jube col. 9. ff. de leg. c. quod prim. no. Jo. And. in c. l. in beato Pet. ext. de accu. & distingue post Cal. & Sicul. in alle. c. significavit, & Jo. An. in reg. jur. is qui in jus de reg. jur. in mercu. Quod aut materia super qua impetratur rescriptum, non est extendibilis ad successorem, & expirat rescriptum per mortem, exemplum in actore, impetratum est rescriptum super benef. Eccles. Nam si moritur, non potest ejus hæres uti illo rescripto: quia non succedit in beneficium, cum in beneficus non habeat locum successio in c. ex transmissa de filiis Presb. Exemplum in reo, fuit impetratum rescriptum, ut reus deponeretur ab officio: certum est, quod mortuo reo, non potest conveniri ejus successor: quia crimina morte extinguuntur, 23. dist. c. quorundam, & in l. 1. C. si reus vel accusat. mor. fu. Aut materia concernit successorem, & tunc aut res non est integra: puta quia defunctus fuit citatus, & tunc rescriptum exenditur ad successorem a gumento à contrario sensu in alleg. c. significavit. Aut res est integra: & tunc aut prædecessor erat conveniendus sub clausula, & tunc non extenditur ad successorem, ut in præalleg. c. significavit ex quo non fuit expressus dum viveret, quod est verum, nisi rescriptum fuisset impetratum contra dignitatem, aut conveniendus erat expressus in rescripto: & tunc si rescriptum fuit impetratum in materia concernente dignitatem, licet nomen prælati fuit expressum, extenditur ad successorem, & in hoc casu propriè loquitur, c. *dilecti, de fo. compet.* Aut non concernebat dignitatem, sed personam: & tunc non extenditur ad singularem successorem, nisi in tribus casibus. Primus, si successor in vitium successerit. Et in hoc casu loquitur præalle. c. quia gu. de judi secundum alium intellectum. Secundus casus in c. 1. de alie. judi. mu. cau. Tertius quando emanavit secunda jussio, ut in d. c. quia vel secundum alium intellectum, aut quæritur numquid debet extendi ad successorem universalem: & fuerunt multæ opiniones Sed opinio magis communis habet quòd sic: quia censetur eadem persona cum defuncto. Item quia agitur de modico præjudicio, & intellige, si defunctus erat in rerum natura tempore dati rescripti: aliàs rescriptum non valet. Hæc sunt verba Sicul. *in alleg. c. significavit*, ex quibus satis potes perpendere in quibus casibus de jure salvari possit stilus prænotatus.

e *Mandamus.*) Quando delegatus ex ordinario fiat. Bar. in l. more, & ibi Alex. col. v. ff. de jurisd. om. jud. Card. in clem. 1. de supplen. negli. præla. & dixi in apostil. ad Lanfran. de Orat. in c. quoniam contra falsam, §. interlocutorix & appellationes, num. 28. versi circa prin. de probat.

Ubi apponitur in mandato aliquid quod non spectat ad ordinariam potestatem, videtur per ipsum mandatum illum facere delegatum, ut puta si in mandato apponitur clausula, appellatione remota Et sit talis causa in qua de jure non erat appellatio remota, idem si dixisset: facias nostra authoritate. Ad hoc textus in c. cum aliquibus, & textus cum glos. in c. 1. de cle. ægro. lib. 6. tenet Sicul. in alle. c. licet, quod intelligunt verum Inno. & Host. in c. significavit de corp. viri, quando talis causa non poterat cessante mandato hujusmodi fieri, nam tunc censebitur delegatus, voluit etiam Domi. in alleg. c. licet, ubi Sicul. dicit idem quando dixisset: mandamus, delegamus, vel committimus. Et idem dum dicit ubi suprà, quòd verbum, concedimus, importat signum delegatæ jurisdictionis per c. hi qui de præbend. lib. 6. verbum etiam, præcepimus, importat delegationem: ut videntur voluisse glos. in ver. facultatem in alleg. cum aliquibus. Anto. Imo & Domi. in alleg. c. licet & Dom. in eodem cap. cum aliquibus, licet Butriga. contra in l. sæpè ff. de offic. præsid. ubi glos. quòd commissio facta per verbum, præcipio, operatur quòd actus non potest per alium expediri. Secus si per verbum, mando, per l. à judice, C. de jud. Et dicit glos. prædicta quòd ita servant curiales Domini Papæ & Imperatoris: sequitur Bald. & And. Sicul. in alle. ea licet. Et ista est opinio communis, & sequitur Bald. in alleg. l. sæpè dicens prædictam glos. alibi non esse: & cum ea transit ibidem Ang. & Bar. & Bal. in l. 14. l. ver. modò quæro, C. cum. & quando jud. & Bartol. in l. 2. 1. no. C. commu. delegat. Lud. in l. 1. §. 2. ff. si quis jus dicenti non ob. ex qua glos. limitatur præalleg. l. à judice, ut videlicet delegatus à principe non possit subdelegare, quando est sibi facta delegatio per verbum, præcipio.

Verbum jussi marie procedat in causa non summaria seu naturæ

Adde.) Quod notat Archidia. in c. Episcopus 12. quæst. 2. plenius, & singulariter per Alexand. in rubr. c. ff. de offic. ejus cui manda. est jurisdict. & in l. 1. in addit. ad Bartro eod. titu. & in l. 2. ff. de jurisdict. omnium judic. & Cardi. in clemen. 1. de offic. deleg.

Adde.) Quod verbum summariè, appositum in commissione facta judici aliàs competenti, facit eum delegatum, quando causa de sui natura non est summaria. Lanfran. in repet. c. quoniam 2. cara. versi. & est notandum de probation. alleg. Innocen. in alle. c. licet. Et dicit quòd legistæ tranportaverunt hoc d c. cum in l. & quia ff. de jurisdict. omnium judi. idem tenet Bald. in addition. ad Specul. de offic. deleg ultima col. Angel. consil. 137. incip. visis omnibus statutis. ad finem dicit etiam Angel. consil 214. in causa accusationis: quòd si scribitur ordinario, ut cognoscat, & ante executionem referat: iste actus jurisdictionis circa relationem ad quam non tenebatur, facit eum delegatum. Et in summa ista est regula, quod ubicumque in commissione iteratur potestas ordinarii, efficitur delegatus: secundum omnes Doctores ita limitantes in præalleg. c. licet, & dicit Domi. hoc esse benè notandum propter commissiones quæ quotidie fiunt officialibus per dominos prælatos, & dicit Imola istud esse magni effectus propter appellationem interponendam.

f *Potuit, noluit.*) In c. cum super de officiu deleg. c. inter Corporalia versic. fi. de transl. Episc. Eccles. & alta ff. de militar. testam. l. si miles ff. de re dub. l. in ambiguo ff. de hære. instit. l. quotiens.

Si non valet quod ago, ut ago, valeat ut valere potest Hæc dixi in lectione de lana in l. 1. §. fi.

g *Ut valere potest.*) Textus est notabilis in c. unico de desp. impu. l. 6 & bonus tex. in l. si tam angusti, ff. de servit. de intellectu prædictæ regulæ, si non valet quod ego ut ago. vide per Car. in l. 1. ff. de verborum obligation. Antoni. de Butrigar. & latiùs per Sicul. in alle. ea cum

quis ita de verb. obl. C. M.

ſuper & Domi. in dicto cap. unico.

h *Cessamissione.*) Pro hoc quia citatio debet fieri de præcepto Judicis coram quo, & ſine illius authoritate de jure non valet: ut l. neminem C. de exhiben. reis. ibi gloſ. Cy. Jo. Faber. Bart. Bal. Saly. Angel & in Authen. de hæred. & fal. §. ſi quis verò non implens. col. 3. & in Authen de quæſtio. §. ſi verò aliqui in hac. col. 7. Jo. Faber & Ange. Aret. inſtit. de pœn. teme. litiga. §. omnium Anto. & Si. in c. 1. de judi.

i *C. de rela.* Ad idem c. intimaſti. de appell. quòd fieri debet, ut quando Judex dubitat in jure, non antemad finem evitandi onus judicandi. Alioquin à tali relatione poſſet appellare. imò in hoc caſu quando faceret oneris judicandi vitandi causâ, efficeretur infamis, & puniretur in 30 libris auri, ſecund. Bal. in l. ſi C. de rélat. §. hn. per, l. C. de legat. tenet Holt. in ſumma tit. de rela. §. ſi. & Spec. eo tit. §. de quibus verſi. porro. dicit tamen Innoc. Joan And. & poſt eum alii in alleg. c. intimaſti quòd hæc pœna non habet locum de jure canonico. ſed punietur pœna c. cum æterni, de re jud. lib. 6. Siculus tamen tenet quòd utraque pœna punietur. & ad id quod dictum eſt quòd Judex remittens cauſam conſulendam, citare poteſt, adde idem quando Judex totam cauſam remittit ad Superiorem: nam tunc poteſt partibus terminum peremptorium aſſignare infra quem coram Superiore compareant, pro quo textus juncta, gl. & ibi Sicul. in c. cum Bertholdus de re jud. idem Sicul. in. c. dudum, lect. 2. de elect. Inno. Anto. & Franc. Areti. in c. fin. de accuſ. Imo. & Præpoſi. in alleg. c. intimaſti & Speculator in titul. de remiſſio. §. videndum circa prin. & vide in §. ſeq.

k *Tunc.*) Hæc etiam dicto caſu de jure debet admitti talis remiſſio *in Authen. de judicibus. §. ulterius. vul. 6. ff. de judi. l. eum quem temere. §. 1. gloſ. in c. intimaſti de appel. in Authen. de mandati. prin. §. patrocini. col. 3. & in Authen. in medio li. non expiet, facras poſſi. §. 1. col. 9. Bart. in l. 2. C. de legi. & ſuper rubri. C. de rela. & in l. eo. titu. & ibi Saly. & Ioan. Fab. ſuper eadem rubri.* quod Bald. poſt Petrum, in alleg. l. 2. dicit eſſe verum, niſi immineret promptum periculum, puta ſi ſecus faceret, quòd ſubiret mortem; nam tali periculo non tenetur ſe Judex exponere, & hic videtur innui quòd tali caſu facta remiſſio cauſa evitandi tale periculum, non eſt refutanda.

l *Pares.*) De jure non eſt dubium, quòd ſi quæſtio ſit feudalis, ſive proprietaria, ſive poſſeſſoria inter vaſſallum & alium vaſſallum, cognitio pertinet ad dominum feudi, ubi contendentes prætendunt unum & eumdem dominum, ut in cap. imperialem §. *præterea ſi inter. de prohibit. feudi alie. per Federic. cap. cæterum de jud.* Sed ubi quæſtio eſſet inter vaſſallum & tertium, de quo conſtat quòd non eſt vaſſallus, ſed fortè dicit quòd debet inſtitui, vel aliter litigat ſuper feudo cum vaſſallo: tunc cognitio pertineret ad ordinarium, puta Baillivum vel Seneſchallum: ut tenet gloſ in allega. cap. cæterum, & ibi latè per Sicul. & Bal l. & Præpoſitum in alleg. §. præterea. & idem dicendum ubi ambo eſſent vaſſalli, & prætenderent diverſos inveſtitores. *in §. ſivero de pac. te, cum. §. ſiquem.* Sed ſi fuerit quæſtio inter dominum & vaſſallum ſuper natura feudi: tunc cognitio non pertinet ad ordinarium, ſed ad Parès Curiæ: ut alle. §. præterea & dicuntur Pares ſecundùm Innocen. & Sicu. in allega. cap. cæterum. quia debent habere ſimilia feuda dicta à paritate feudorum: unde ab antiquo fuere Pares deputati in Francia Archiepiſcopus & Dux Remenſis Epiſcopus & Dux Lingonenſis, Epiſcopus & Dux Laudunenſis, Epiſcopus & Comes Belvacenſis, & Epiſcopus & comes Cabilonenſis, & Epiſcopus & Comes Noviomẽſis, Duces Burgundiæ, Neuſtriæ, & Aquitaniæ, Comites Campaniæ, Flandriæ, & Tholoſæ. quorum omnium cauſæ terras per eos in pari aut in appanagio tentas, aut illarum jura tangentes ex ordinationibus Iohannis & Caroli 7. ſunt in Parlamento tractandæ) Ideirco Baillivus vel Seneſchallus eorum cauſas ad Parlamentum remittere debent, ut ſuprà dictum eſt. Et dicit Joan. Fab. inſti. de actio. in §. quadruplici circa principium: & illic Jaſon latè, quem videas, vide Bal. in l. cum clericis. C. de l. piſc. & cle. & inſti. de pœna temerè litig. in §. omnium, quòd in hujuſmodi facultate ordinandi attendenda eſt conſuetudo. Nam in quibuſdam locis do conſuetudine ſervientes propria authoritate ad ſolam partium requeſtam faciunt adjornamenta: & ita obſervatur Pariſiis, & in pluribus aliis locis regni Franciæ; non mirum ergo ſi prædicti Baillivi & Seneſchalli id poſſint facere.

Pares Franciæ.

m *Gardiatoribus.*) Simile quaſi videmus in conſervatoribus qui dantur ut defendant à vi, violentia & manifeſtis offenſis: quia ſi conventus coram eis probabiliter ſe opponat id facille, jure ſuo proponens: & præſertim ubi negatur qualitas notoria, tenebuntur ſuperſedere: ut in c. 1. de offi. deleg. li. 6. & ibi glo. Joan. And. & Domi. de hujuſmodi gardiatoribus. vide per Joan. Feb. inſti. mandati. §. item hadhuc. & ibi. an eorum officium ſit perpetuum. & ibidem æquiparare videtur gardiatores & conſervatores, alleg. c. fi. de offi. de le. lib. 7. vide etiam per Joan. Fab. de gardia & ſalva gardia in. l. denuntiamus. C. de his qui ad eccleſ. confu. aliquid in c. generali. de elect. lib. 6. per Pet. Iac. in tit. de condictione ex lege, & inſti. de actio. §. quadrupli. & per me latiùs in additione ad Capellam Tholoſ. dec. 489.

n *Secundum ſtylum.*) Quem recitat Ioan. Fab. inſti. de pœna teme. litt. §. fin. & collat. ſi. dum dicit quòd curia laïcalis regni Franciæ indiſtinctè admittit citationem factam domi, dum tamen inveniatur alicui de familiaribus: pro quo facit quod dicit Dy. in l. 1. ff. de libe. agn. in prin. ubi tenuit ſufficere citationem ad domum. per l. ſcire debemus. §. oportet ff. de excuſ. tut. qui alternativè loquitur, dicens quem debere citari ad faciem vel domum. Sed hoc dictum communiter non tenetur, quia jura communiter requirunt ut quis citetur primò perſonaliter, ſi reperiri poteſt, & in ſubſidium permittunt citationem ad domum: ut in cap. cauſam de dolo. & contu. & ibi glo. & in alle. l. 1. de lib. agn. facit. l 4. §. prætor ff. de damno infe. & ibi hoc tenet expreſsè Panor. & Sicu. in alleg. c. cauſam. Ioan. Fab. ubi ſuprà, penul. collat. Rota dec. 51. & hoc verum eſt quando pars citanda numquam fuit in judicio, ut quia eſt prima citatio: quia tunc ſi non poſſit apprehendi, puta quia non eſt in civitate, ſufficiet citatio ad domum. l. ut perfectius. C. de anna. excep. ſi verò aliàs pars citanda fuerit in judicio, ſufficit citatio ad domum. Bar. ubi ſuprà. & per eum in alle. l. 1. §. 1. ff. de libe. agn. Bald. in addi. ad Specul. titul. de citationibus verſi. quicquid in alle. l. ut perfectius. Ange. in Authen. ut ſpon. lar. §. ad hæc. col. 9. Ioan. Fab. ubi ſuprà.

Adde.) In quantum dicit citationem debere fieri primò perſonaliter, ſi apprehendi poſſit: aliàs ad domum, l anſi an. de oria plenè diſtinguentem. in c. quoniam contra falſum. §. citationes. nu 22. ver. 3 quæro. & quod ibi notavi in apoſtil. ad ipſum in ver. præter, extra de probat. Non omitto tamen unum notabile dictum quod ſi ſtatuto cavetur, quòd ſi quis citari debeat perſonaliter vel ad domum, & poſſet incipere à citatione, ut fieret ad domum; tunc daretur electio citandi, vel perſonaliter, vel ad domum, & poſſet incipere à citatione ut fieret ad domum: quamvis poſſet perſonaliter reperiri. Illud fuit notabile dictum Dyn. in l. 4. § prætor, & ibi notavi in apoſtil. ad ipſum in ver. ad domum. ff. de dam. infecto. quem ibi ſequitur Bar. Maria Soci. in tit. de dolo & contu. Doctores in cle. cauſam de elec. Feli. c. in nomine domini. col. 6. nu. 22. ver. uno caſu ſalvo. extra de teſti. Io. de Imo conſi. 115. col. 1. Bal. conſi. 16. incip. citato ad domum, & conſi. 412 in fi. vol. 2. Alex. conſi. 2. col. 2 ver. alia ratione. volu. 3. &

Roma consil. 454. in prin. licet Mathe. mathe. sing. suo 85. incip. nota, mirabile dictum improbare videatur, dicens hoc dictum Bart. sibi nunquam placuisse & casu quo valet citatio ad domum facta, in qua licet si habeat duas, & in una habitet in æstate, in alia in hyeme. Vide Bar in d. l. 4. alleg. §. prætor. 4. sed quid si majori Car. in cle. 1. q 25. de foro comper. & in c. dilectus leg. 2. extra de rescrip. & utrum hoc casu valet relatio nuncii, si non dicat ad quam domum citavit not. Bar. ubi suprà in fi. & in l. cum de lanionis §. Sabinus ff de fun. instruct. & in l. 1. verti permittitur. col 2. vers. sed quæro quid si habeat. ff. de lib. agn. Bal. in l. 2. ff. de jurisdi. om. jud. & Alex. omnino in sæpe alleg. §. prætor, col. 5. ver. item in quantum tangit Bart. cum concor. ibi per eum signa. & utrum valeat si ad apothecam habeat. Vide omnino eundem Alex. in l. lex Corne. §. si tamen. & ibi Bart. in fi. ff de jurejur.

Adjornamentum in personam, vel ad domum.

■ *Contentiosum.*) Istud etiam videtur innuere Io. Faber. in alleg. §. 1. n. instit. de pœna. temer. litig. col. per. dum dicit quòd si talis sit citandus, quòd tenetur facere residentiam, vel in certo loco morari ut beneficiatus in beneficio, vel uxor cum marito: tunc etiam si nusquam fuerit personaliter apprehensus, citatio ad domum vel locum beneficii sufficiet, ut possit per eam in causa procedi: quia si ibi non reperitur, præsumitur latitare. Ita Inn. Anto. & Sicu. in c. fi. de eo qui mit. in possess. cau. rer. iter. dicens illud esse verum, si de illa Ecclesia vel de illo matrimonio agatur: secus si de causa prorsus extranea: nam illa obligatio ad tractandum moram in certo loco, ad alias causas diversas naturæ non debet extendi: & sequitur Sicul. in alle. c. fin. ubi vide de effectu citationis ad domum, ubi ponit duas regulas. Prima, quòd contra absentem malitiosè seu culposè potest procedi, nedum ad primum & secundum decretum, sed etiam ad sententiam diffinitivam, si status & qualitas causæ patiuntur: ut quia est lis contestata, vel procedi potest lite non contestata, absentia non obstante ad hoc. c. quoniam frequenter. §. 1. & seq. ut lite non contestata. c. fin. de dolo & contu. &c. perlatum. qui simil. sunt legi. & secundum Inn. præsumitur malitiosa absentia ubicumque quis tenetur facere aliquid, & abest, sicut dictum est de clerico & uxore. Secunda regula, quòd contra absentem non malitiosè non potest procedi per citationem domi factam, etiam ad diffinitivam sententiam, etiam ubi status vel qualitas causæ patitur, vel ad ea quæ sunt gravis præjudicii, puta ad venditionem fiendam ex secundo decreto, vel excommunicationem: quia in illis requiritur vera contumacia. facit c. consultationibus. de offi. de leg. & l. Fulcinius. ff. ex qui. cau. in possessorio. & in præmissis concordat Rota ubi sup. & Joan. Fab. in alle. §. omnium, & Speculator in tit. de citationibus. §. sequitur. verb. illud autem cum duobus ver. sequentibus.

Duæ regulæ in materia procedendi contra absentem, vel non.

Quomodo præsumitur malitiosa absentia.

In gravibus & arduis non proceditur contra absentem non vere contumacem.

Adde.) Postremò Bart. Tolo. Socin. in suo tract. fallen. regula 53. inci. citandus personaliter, & ibi habes regulam negativam citationem ad domum non valere, de quo per Hulu. Corneum consil. 51. in littera d. volumine 4.

p *Regal nudus.*) Et hoc consonat rationi: nam Bar. in l. 4. §. ait prætor. ff. de dam. infect. dicit, quòd si citandus non habet propriam habitationem, si agatur super aliqua re immobili, fieri debet citatio ad locum ipsius rei, legendo ibidem citationem, vel affigendo super hujusmodi re immobili: & tunc procedet textus & gl. in alle. §. prætor. Si verò esset contentio de pecunia, vel alio debito, tunc debet citari in loco vel hospitio ubi sæpius conversari consuevit. l. 2. & ibi no. C. ubi de crimi. agi oport. & hoc ultimum no. Inno. in cap quia propter de elect. Idem innuit Bol in l. ut perfectius. C. de anna. except. & dici vagabundum citandum ad domum quam reliquit: vel si nescitur ubi sit, citari potest per edictum, in loco in quo conversari consuevit. Joan. Pap. Pisellana, in summa, in libel. rei: verb. interamino. Speculator in ti. de compe. jud. addi §. 1. in 8. col. ver. sed quid si debitor vagatur. Ang. in l. hæres absens 4. col. ff. de judi. dicit quòd ubique citari potest, ne creditores fraudentur, secundum Speculat. ubi suprà de quo per Inno. in cà. si adversarius. de eo qui mit. in possess. cau. rei servan. & Specu. in ti. de accusa. §. 1. ver. sed numquid sufficit. & quamvis Innoc. ubi suprà dicat quòd si vagabundus nusquam habet domicilium ubi habiret, debent moneri agnati vel amici ejus, ut eum defendant. ff. ex qui. cau. in possess. ea. l. hoc autem. Cy. tamen in l. cum proponas. de bo. autho. judi. possi. C. Ant. & Sicu. in alle. c. causam. tenent non esse necessarium requirere amicos, maximè per textum ibidem & in alle. c. si adversarius. & §. prætor ait. Et hæc de citatione vagabundi.

Adde.) In quantum ille dicit esse necessarium requirere amicos absentis citati: ru dic quòd tam de jure civili, quàm canonico, non requiritur: ut l. cum proponas. & ibi Doctores C. de bo. autho. judi. poss. glo. & Doctores in c. causam quæ. extra de proba. Nisi contra minorem: ut l. hoc autem ff. ex qui. cau. in possess. eat. Et contra majorem qui juvari potest jure speciali: ut puta beneficio restitutionis in integrum; ut si procedatur contra absentem causa rei publicæ, ut voluit Nico. post Do. Anto. in d. c. causam quæ.

Relatio nuncii citantis absentem quid committere debeat.

q *Valet.*) Contrarium tenere videtur Bart. in l. si tamen. de leg. 2. & in l. 1. §. 1. ff. de libe. agno. & in alle. §. prætor ait, & Sicu. ubi sup. quia nuncius referre debet se diligenter perquisivisse citandum, & eum non invenisse: & ideo ipsum citasse ad domum suæ habitationis. Quæ verba secundum Bart. in §. prætor ait alle. intelliguntur de præsentia: ut l fi. ita ff. de aur. & arg. leg. secus si simpliciter se diceret citasse ad domum: quia citatio tunc non teneret. de quo per Bald. in l. consentaneum. C. quomo. & quan. judex.

Nuntius debet observare fines & formam mandati.

r *Mandati.*) Et idem tenere videtur Speculator tit. de cita. §. sequitur ver. quo facto dum dicit, quod nuntius debet citare juxta formam commissionis, & illam non transgredi: allegat prædictum l diligenter, & c. cum dilecta de rescrip. faciunt no. per Baldum in ea novit. de appellatio. dum innuit quòd nuncio nihil est imponendum, dum tamen non transgrediatur formam mandati. faciunt notata per Ioan And. in c. fi. de restitu. spo. & c. venerabili. de offic. deleg. & per Barto. in alleg. §. prætor ait 2. col ver. erit ergo forma.

Procurator absentis, vel legitimus administrator de quo notoriè constat, prius est citandus, quàm citetur absens dominus ad domum, secus

s *Alias non.*) Et istud videtur magnam æquitatem continere, maximè quando inquesta vel talis actus esset fiendus extra civitatem. melius enim potest cognoscere personas testium dominus, quàm ipse procurator, qui etiam pro appellatione per eum interposita prosequendâ, civitatem exire non cogitur, secundum Inno. col. Anto. & Sicu. in c. non injustè. de procura. Cy. Bar. Bal. Joan. Fab. & Salycet. in l. invitus. C. eo ritu. & in quæst. capellæ Tholosanæ 155. & in addition. Unde idem Joan. Fab. institu. de pœn. temer. lit. §. omnium, dicit quòd in curiâ Franciæ non sufficeret citari procuratorem, nisi in causâ quam ducit, & in assignatione in quâ litigavit: nam elapsâ ipsâ assignatione, non sufficeret: finito autem Parlamento, videtur esse elapsa assignatio.

Adde.) De hac materiâ plenè per Bal. in l. si quoniam col. pe. ver si. septimo quæro. C. de testi. eumdem in. l. fi. de senten. ex brevi. reci. eumdem in. l. 1. col. 2. versic. & scias quòd dominus. & ibi Bar. col. 3. versi. item quæ. C. de senten.

Aufrerii.) Illud autem notandum, quòd si constat & notorium est quòd dominus dimisit procuratorem, vel alium administratorem legitimum, ille priùs debet de jure requiri, quàm ad domum citari: ut l. 1. ff. de libe. agn. Et sic intelligit Bar præal. c. causam & dictum §. prætor ait. aut non erat notorium, & tunc poterit fieri citatio ad domum, ex quo dominus perquisitus non invenitur, ut dicta l. 1. & l. aut quæ

si non liqueat dominum procuratorem reliquisse: ad stationem, vel apothecam, citatio facta non valet.

aliter, §. & si fortè, ff. quod vi aut clàm tenet Specul. ubi suprà versi. illud autem Joan. Fab. ubi suprà: & in l. meminerint, C. unde vi Bar. in alleg. §. prætor ait. Cy. Bar. Bal. & Saly. in l. 3. C. de procuratoribus, Barto. in l. quamvis, ff. de dam. infect. Sicu. & Doctores in c. causam de dolo & contum. alleg. idem Sicu. c. dilecti, de procura. Ange. in Authent. de exhib. reis, § illud collat. 6. sed ad stationem vel apothecam citandi domum privatam habentis, quam inhabitat, citatio fieri non debet, Bar. in alle. l. 1. §. 1. ff. de libe. agno. Flo. in l. 1. §. habitare, ff. de his qui ejec. vel effuderunt.

Adde.) Bart. in l. lex Cornelia, §. si tantum, & ibi omnino Alexand. ff. de fur. & in l. item apud Labeonem, §. convicium, eo tit. & dixi in apostil. ad Lanfran. de Ora. in cap. quoniam contra falsam, § citationes num. 3. versi. 4. quarto extra de prob. & super eodem ti. versi. item sciendum est quòd in personalibus in magna apostil. in fin.

Postquam autem citatus dominus comparuit per procuratorem qui fuit lite contestata, de jure non potest procedi ad testium receptionem, nisi citetur ipse procurator: quia si dominus ad hoc fuerit citatus, & non procurator, nec ipse dominus comparet, non valebit testium receptio: quia in his quæ pertinent ad litis ordinationem, regulariter respicimus personam procuratoris. Ita tenet Joan. And. post Lamber. de paranit. Anto. & Sicu. in cop. 2. de testim. Bal. in l. ii quando 6. collat. de testibus, & ibi Saly. Idem Bal. in l. fin. C. de sentent. ex brevi reci. Bar. in l. 2. C. eo & ibi per Bal. Idem Bart. in l. procuratoribus, C. de procur. præmissa procedere dicens, nisi dominus citatus comparuerit, & procurator non contradicat: quia tunc valeret actus. Idem dicit Saly. in præal. l. si quando: de stilo tamen curiæ Parlamenti, sicut prædictum est, finito sive clauso Parlamento, adjornari debet dominus non procurator.

(*Brevitas*) Unde dicit Bart. in l. solent. ad finem ff. de alimen. & cibar. lega. & inf. meminerint, C. unde vi & Sicul. in alleg. ca. causam, quòd citatio procuratoris sufficit quoad effectum primi decreti, non tamen quoad effectum secundi: nec, ut dicit Jo. Faber in alleg. l. meminerint, ut dominus valeat excommunicari, de quo in c. 1. ut lite non contest. Soci. tract. fallen reg. 53. fal. 2.

v. *Pars.*) Quid si fuerit tantùm citatus procurator rei, & non dominus, processurus in causa appellationis, an sufficiet? Johan. Faber in l. invitus, C. de procur. dicit quòd non, ubi appellatum foret à diffinitiva cùm non teneatur prosequi. Sed intimari posset procuratori ad causam specialiter constituto: ut in effectu notat Spec. in tit. de procur. §. qualiter, quid si procurator.

Procurator causas appellationis à diffinitiva prosequi non tenetur: secus in interlocutoria.

Adde,) Inquantum dicit procuratorem à diffinitiva non tenere prosequi appellationem: dic secus esse in interlocutoria. Ita notat Bart. in l. invitus col. 2. versi. & prædicta intelligo, C. de procur. per. l. si quis ad rem. & l. ad legata, ff. eo not. Bart. in l. cum procurator & ibi omnino Alex. ff. de ope. no. nuntiat. & Paulus de Castro, consi. 26. incipiente super primo dubio.

IN CAP. III. DE ADIORN.

Parium Francia.

PUnit.) Qualiter autem sint puniendi, vide per Jo. Fabrum in l. denuncianuis C. de his qui ad Eccles. confu. & in additione ad quæst. capellæ, 489. Adverte tamen quia pro fractione gardiæ nemo venit molestandus, nisi fuerit notoria: sicut de Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis aliquibus quæ sunt in gardia regia notoria ab antiquo vel nisi in assisiis, aut aliàs debitè fuerit publicata vel parti fuerit specialiter intimata. Ita cavetur in ordinatione Philippi de Valesio anno Domini 1357. & Caroli VI. anno 1408. quæ incipit, item edicto perpetuo, &c. & per eumdem Philippum fuit pariter ordinatum, quòd subditus Baronis pro violatione salvæ gardiæ non posset mulctari ultra tertiam partem bonorum ipsius, & incipit: statuimus etiam.

b *Celeriter.*) Ad quod facit argumentum *l. 1. ff. de dam. infe.* & jura alia quæ desiderant celeritatem: de quibus per glos. in c. fin. de elect. lib. 6. & per Archi. 14. distinct. c. 1. Unde circa hunc titulum est notandum quòd Pares Franciæ per duas literas adjornantur, ut patet in princ. hujus ti. Tamen si Successor Paris Franciæ adjornati per duas literas, &c. ad requestam alicujus actoris iterum fuerit adjornatus ad capiendum vel dimittendum framenta sufficit una litera, sicut in privata persona. Ita vidi per Arestum curiæ in quadam causa Domini Archiepiscopi Remensis qui nunc est. Et potest esse ratio, quia postquam in principio illius causæ fuerat illa solemnitas de duabus literis observata in persona prædecessoris, cum illa causa adhuc duret, non requiritur in illo adjornamento secundo tanta solemnitas: Censetur enim eadem esse persona successor cum prædecessore c. significavit de rescript. c. quoniam abbas de offi. ordi. cap. 1. & fin. de alie. judi. & c. 1. de sol. c. si adversus de immu. Eccles. & l. fin. C. de impu. & aliis substi. tenet Speculator tit. de sentent. §. 7. & succedit in jure litis & causæ: ut notant Inn. in alle. cap. significavit, & cap. quia verò, & ibi Anto. Bal. Sicul. & Rota. decis. 380. l. si constante, §. fin. ff. solu. matri. l. si intra, C. de in integ. resti. & ibi Bal. & in l. si is qui ff. de judi.

IN CAP. IV. DE ADIORN.

in causis appellation.

JUdex.) De jure vero, ille à quo appellatur, terminum præfigit appellanti, extra de app. c. cum sit, & c. oblatæ & hic citatur pars & non judex, & tenentur appellatus & appellans ire ad terminum: ut c. sape eo tit. &c. Cord. eod. lib. 6. cap. cum causam de re judi. c. personas, c. ad hoc & c. pervenit de appellat. & l. prates C. eod. titu. & ibi Doctores & Bar.

Adde.) Quod elapso illo termino per judicem à quo statuto, infrà quem appellans se habeat præsentare coram judice appellationum, appellatio ipso jure est deserta, & sic judex à quo statim suam sententiam executioni potest demandare, etiam pendente appellatione, illud fuit notabile & singulare dictum Ant. de Butr. in c. ex insinuatione, extra de appellat. quod refert & sequitur Ludo. Ro. sing. 152. inci. hoc nescunt legistæ. Adverte tamen quod licet hoc sit verum, si tamen appellans post præfixum terminum etiam post executionem, appellationem prosequatur, poterit sententia & executio facta revocari, ita noranter dixit Alex. post Bart. in l. prates, C. de appel.

Judex in causa appellationis adjornatur, quando processit ex officio, quando arguitur eius dolus, quando fuit commissarius de iure: de consuetudine autem in patria

Illud quoque notandum est, quod ubi judex procedit ex officio, tunc in causa appellationis citari debet, tenent Sicul. & Doctores in cap. dilectus le. 1. de rescript. glos. in ver. coram superiore in fin. in cap. speciali de app. & ibi Sicul. pro quo videtur tex. melior qui sit in jure, in cap. venerabilis de sentent. excommun. lib. 6. secundum Pe. de Ancha. ibidem, ubi etiam docet idem Innocent. in cap. nostra de procu. & in cap de cætero de transact. Bal. in marg. in ver. judex ver. 9. Hal. in cap. qua fronte de appel. quod si processerit ad partis unitantiam: & tunc aut appellans instat ut judex puniatur, & tunc citan-

consuetudinaria iudex semper adiornatur, & Part intimatur.

dis est. Innoc. in alle. c. cum speciali & Anto. Sicu & Præpo. ibidem. Bart. in l. 1. ff. ad Turpil. verbi gratia, quia arguitur dolus judicis: tunc benè potest & debet citari. Nam eo casu censetur in officio suo deliquisse. c. jubemus. & c. sancimus. 1. quæst. 7. glos. Joan. Fab. & Doctor. in c. prohibentur. 3. quæst. 1. l. jubemus. C. ad legem Juliam repetund. Bal. in l. manc pia. C. de servis fugit. Aut appellans solùm instat super appellatione, & tunc judex à quo non est necessario vocandus, & ubi adjornatur, sicut fit communiter, adjicitur: si sua putaverit interesse: & propterea non efficitur propriè contradictor, per not. Bal. in rubrica. C. de succe. edic. vide tamen quod de stilo curiæ in patria consuetudinaria: vel cum appellatur à commissariis curiæ judex, vel commissarii sunt semper adjornandi.

b *Domum.*) Nam habet jus revocandi domum: & dicere potest se ad hoc non esse paratum, & petere se remitti ad domum: unde concludit Siculus post Inno. in c. fi. de foro compet. quod veniens Romam ex causa necessaria vel, quasi vel ex causa probabili habet jus revocandi domum: exemplum primi quando venit ex causa necessaria, si venit ut legatus: ut probatur in l. 2. §. legatis. ff. de judi. quod procedit, secundum Inno. non solùm quando est legatus pro publica utilitate, sed etiam pro particulari utilitate: pro publica, si prælatus venit propter negotia Ecclesiæ suæ, vel civitatis, ut in Authen. de sanctis. Epis. §. si verò Episcopi. Idem secundum eum in procuratore ad causam, constituto ab eo qui habet potestatem imperandi, ut tunc de causis suis non conveniatur ibi ut in prælallegata Authen. in §. reverendissimi; procuratores autem, & alii ministri voluntarii non gaudent hoc privilegio revocandi domum argumento ff. ex quib. causis in jure restit. l. penul. Item poni potest exemplum in eunte, & vocato causa testimonii, vel causa judicandi, vel simili. differentia tamen est secundum Inno. inter legatos, & alios qui vadunt ex alia causa necessaria vel probabili: quia alii tenentur respondere de omnibus contractibus initis extra locum seu provinciam contrahentis, etiam antequam irent ad curiam: sed legati gaudent privilegio super omnibus, dummodo non contraxerint tempore legationis, de quo tamen vide quod legitur & notatur in prælleg. §. legatis cum sequ. Exemplum secundi, videlicet quando ex causa quasi necessaria: puta quando accessit pro appellatione prosequenda: quam de necessitate tenetur prosequi: quia eo non prosequente, rata manet sententia: ideo reputatur causa quasi necessaria. Exemplum tertii quando venit ex causa probabili, in eo qui venit ut videret filium in studio.

Adde.) Bar. in l. 2. §. legatis per istum alleg. ff. de judi. quod est verum, si studet filius in studio approbato: aliàs secus, secundum Bald. in Authen. habit. col. v. vers. sequitur. C. ne filius pro patre Joan. de lig. in suo tract. repe. patre 4. 7. quæst. in prin. & Bar. in eod tract. 7. quæst. princ. vel venit causa voti, vel devotionis, aut peregrinationis: & ponit glossa exemplum in prælallegat. l. 2. in vers. ob aliam, quæ apertè videtur sentire causam probabilem sufficere, & tenuit Bart. in prælleg. l. 2. idem de peregrinantibus, dicens etiam eos capi non posse pro represaliis in locis per quæ transeunt, arg. in Authen. omnes peregrini. C. communia de succes. dum dicit, liberè hospitentur.

Idem dicit de patre qui venit causa videndi filium in studio. Si autem quis venit ex causa omnino voluntaria, non gaudet privilegio revocandi domum: aut quando vagatur, vel solatii causa venit: sed secundum Inno. quando venit ut nuntius sive procurator alicujus, cum non tenebatur parere. Idem secundum eum si venit pro speciali negotio suo, quando negotium secundum, sicut erat omnino voluntarium, secus si probabile, ut suprà dictum est.

Sed quid de eo qui venit causa petendæ restitutionis in integrum adversus sententiam contra ipsum latam? Joan. And. & Hostien. in prælle. c. fi. dicunt quod si fuerit sententia lata per eum qui non potest in integrum restituere: & non potest aliter condemnato provideri, nisi adeat sedem Apostolicam, habebit jus revocandi domum, aliàs secus.

Sed an petens jus revocandi domum teneatur satisdare de redeundo ad curiam certo die ad se defendendum? Innocentius ubi suprà tenet quod non, sed benè quod coram judice suo certa die respondebit. idem tenet Bart. in alle. l. 2. §. sed si dubitetur. Idem Sicul. in alleg. c. fin. dicens quod erit sola promissio. Unde secundum Innocent. & Sicul. in c. fin. de foro comp. in causis electionis, vel aliis quæ celeritatem desiderant, & quæ sunt tempore perituræ, non habet locum jus revocandi domum arg. optimo in l. sed & fin. §. edictum ff. de judi. ubi legatus cavit de damno infecto, ad idem prælall. l. 2. §. pe. facit de appell. c. oblatæ, & c. fin. & c. licet, de foro compe. & ff. eo tit. l. 2. & quod scripsi suprà de adjornamentis Parium Franciæ. Quod potest intelligi secundum prædictum Inno. & Sicul. in electionibus prælatorum. Sed secus in electione Canonicorum, ubi non est periculum in mora: igitur non est mirum si in assecuramento propter periculum quod est in mora, non sit locus juri revocandi domum.

c *Criminalibus.*) Pro hac tex. in l. 1. C. ubi de crimi. agi opor. & glos. in c. fin. de for. compe. quæ dicit quod delinquens potest conveniri ubi habet domicilium, vel ubi invenitur. Et licet dicta l. 1. quæ ita loquitur, aliter intelligatur, idem tamen quod prælall. glos. tenet Pla. in cad. l. & Specul. tit. de compe. judi. adi. §. 1. vers. 6. & dicunt quidam quod d. l. 1. potest intelligi de vagabundo, qui potest ubilibet conveniri, Authen. ut nulli judici, §. si quis verò, & de eo potest intelligi authoritas illa, ubi te invenero, ibi te judicabo. Vel secundum Sicul. in prælle. c. fin. potest intelligi in Papa, & in Imperatore, qui per universum orbem habent Jurisdictionem, 9. quæst. 3. c. cuncta per mundum, 96. dist. c. si Imperatore.

Et ita in simili dici potest in curia Parlamenti, quæ regis personam repræsentat. Secus in aliis judicibus, quorum jurisdictio limitatur territorio. Isti enim non possunt punire delicta alibi commissa, ex quo in eorum territorio non habet delinquens domicilium, nec alibi ubi fortitur forum.

Adde.) Inquantum iste dixit vagabundum posse ubilibet de crimine alibi commisso puniri, bona glos. in l. hæres absens ff. de jud. & in l. ejus. §. fin. ff ad municip. Jo. Calde. in c. 1. de rep. & Bart. Cepo. consi. 59. quod est verum in vagabundo qui non habet certam & firmam habitationem: & quid in bannito, an habeatur pro vagabundo? Vide eumdem Cepo. ubi suprà, & quibus casibus delicta extra territorium commissa, possint per inferiorem à Papa vel Imperatore puniri. Vide Bart. Soci. in suo tract. fallen. reg. 87. incip. delicta extra territorium.

d *Consules.*) De quo dic. quod si consules prætextu officii, & ad commodum universitatis deliquerunt, successores in officio satisfacere tenentur. Secus verò si ad commodum proprium vel libidinem suam satiandam deliquerint. Nam tunc non tenentur successores in officio, sed ipsorum delinquentium hæredes debent conveniri, juxta id quod legitur, & notatur in l. 1. & 2. ff. ad leg. Jul. repe. & in l. jubemus. C. eo tit. Et ita per Sicu. c. adversus de immu. Eccles. Credo tamen quod hodie prædictus stilus non servatur: quia cavetur ordinationibus regiis, quod causæ etiam criminales in prima instantia non tractentur in Parlamento: sed in curia ordinaria, quod est æquitati & scriptæ rationi consonum: ut in prælle, l. 1. & Authen quia in provincia. C. ubi de crimin. agi. oport. & ibi per Doctores & in prælla. c. fin. de foro compet.

Ex facto antecessorum, prætextu officii & ad commodum universitatis successores in officio tenentur.

e *Duellum.*) Et ratio hujus stili potest esse, quia cognitio vadii duelli solum pertinet ad curiam: quare per Philippum pulchrum anno Domini 1307. fuit inhibitum Seneschallo Tholosæ ne super his aliquem processum faceret: sed partes ad examen curiæ Parisius remitteret.

Add.) Alex. post Bar. in l. ex hoc jure. ff. de justi. & jur. Spec. in tit. de accu. §. 6. ver. quid si, & seq. Jaco. Rebuffi. in lib. 1. num. 2. & ibi notavi in apostil. ad eum, in ver. ad duellum. C. de gladia. lib. 11. Panor. in c. 1. num. 1. & ibi etiam posui in apostil. ad ipsum, in ver. duella extra de purgat. can. & Gemi. in c. 1. §. sacri, num. 7. & ibi iterum addidi ad eum, in ver. pugnare de homicid. lib. 6.

f *Regio.*) De hujusmodi stilo vel consuetudine facit mentionem Jo. Fab. instit. de pœna tem. liti. §. fin. 3. col. in fin. Simile videmus in Episcopo cujus causa criminalis non potest tractari nisi coram Metropolitano, junctis secum comprovincialibus Episcopis. Nam & ipse Metropolitanus est judex ordinarius suorum suffraganeorum: ut in c. per singulas, & c. salvo, 9. quæst. 3. & c. Pastoralis, de officio ordinarii, cum ergo Baillivi & Seneschalli non habeant alium Superiorem immediatum, nisi curiam Parlamenti, meritò ibidem inventi possunt conveniri: hinc dicit Angel. in l. omnem ff. de judi. quòd præses Provinciæ delinquens non punitur per potestates terrarum, sed per Superiorem.

Et ratio est, quia est Ordinarius, ut Specul. notat in tit. de Jurisd. om. judi. ver. judicum, igitur habet merum imperium, ut ibidem, versi. dic. quod quædam.

g *Minores.*) Sed quid si minor tutorem non habet, neque curatorem? dic quòd aut quis vult agere contra infantem, qui citari non potest. *ff. de in jus voc. l. neque.* & tunc volens agere, habet duo remedia, vel quòd adeat judicem, ut provideat ei de tutore. C. qui pe. tu. l. unica, vel quod citet amicos: & si nullus compareat qui eum defendat, fiet missio in possessionem bonorum. ff. ex quib. cau. in poss. eat. l. hæc autem, & l. apud Julianum. Si verò sit major infante, vel adolescens, tunc ille c[illegible]bitur, ut veniat recepturus curatorem, ff. de a[illegible]ni. tut. l. 1. §. sufficit, & tunc cogeretur recipere [illegible]non hunc vel illum, sed quem voluerit eligere, ita dicit Jo. Fab. inst. de cura. §. idem in effectu, Jo. And. in addit. ad Spec. tit. de reo. verti. item non potest cogi, & si nolit venire, dicit Joan Faber. ubi suprà, fiet missio contra eum, sicut dictum est suprà de infante, vel judex faciet eum venire realiter, si pars hoc petierit. C. quomo. & quando, jud. in l. consentaneum, vel captis pignoribus, coget.

Adde.) Quid in minore citato contumace, an audiatur non refusis expensis? Bald. in l. 3. in fin. C. in quib. cau. resti. in int[illegible]. non est necessar. Bar. in l. si finita. §. si forte, ff. de dam. in[illegible]rà, ubi tenet quòd sic. & omnino ibi Alex. & in l. de die, §. tutor. post Baldum, ff. qui satisd. cog. & an possit contumax minor excommunicari: & an patiatur missionem in bonis notat Spec. in tit. de contu. §. 4. versi. fin. & in tit. de primo & secundo decre. §. 3. versi. sed pone quod pupilli.

Item cave, cùm aliquis vult agere actione reali, quam non potest minor in judicio deducere, etiam cum tutoris authoritate: ut patet infrà de minori, §. 2. & seq. ubi dicitur quòd minores 25. annis, donec habeant 21. annum, non possunt causam proprietatis in judicio deducere, sive agendo, sive se defendendo, volens nec invitus, ut infrà de cau. poss. & proprie, §. 2. & seq. sed dormiet etiam causa cum prædecessore inchoata, quousque idem minor 21. annum attigerit, & si processum fuerit antea contra eum, ipso jure non valet processus: ut in §. 4. eo titu.

Hodie minor tenetur

Dicetur autem pervenisse ad ætatem legitimam, si sit nobilis, quando attigerit 21. annum: & ignobilis quando attigerit 30. Sed hodie per ordinationes Philippi prædicto stilo non obstante, tam in actione reali quàm personali tenentur tales comparere & procedere per tutorem vel curatorem.

se defendere per tutorem vel curatorem tam in reali quam personali actione.

h *Reservatum.*) De illa reservatione, de qua hîc in ultimo membro, nunquam audivi sermonem in judicio fieri, nec credo quòd servetur: quia sæpenumero contrarium fieri videtur: quo autem ad primum membrum quando curia reservat sibi facultatem dicendi jus super proprietate, videtur convenire de procedendo ad ulteriora: & sic non requiritur alia citatio: & talis reservatio videtur habere vim peremptorii, ut notatur C. quomo. & quan. judex. l. 2. & not. per gl. c. consuluit de offic. deleg. facit l. consentaneum, secundum unam lecturam. C. quomo. & quan. judex similem reservationem agendi super proprietate, vide in c. querelam. de elect. & in c. cum olim, de causa possess. & proprie.

IN CAP. V. De Præsentationibus.

REcedant.) Pro quo facit c. consuluit, de offi. dele. ubi judex citatum non comparentem expectat in diem sequentem. Et huic æquitati innititur ordinatio Philippi de Valesio, facta anno 1345. per quam ordinavit præsentationes fieri sicut supradictum est, antequam sedes Parlamenti levata foret: vel ad minus infrà solis occasum: quod similiter fuit confirmatum per Carolum VII. anno 1345. & anno 1353.

Facit pro regia ordinatione, de qua hîc, & quod hîc dicitur, quod notat Bar. in l. ab hostibus. §. sed quod simpliciter collat. 2. ver. hoc etiam debet dici in repet. illius l. ff. ex qui. cau. ma. ubi dicit quòd in omni citatione semper intelligitur parum post, vel in continenti: unde veniens ex intervallo, non dicitur legitimè comparere, notat Bal. in sua marg. in ver. solvere versi. 1. Inn. in c. cum dilecti, & glos. sua in versi. præsentare extra de dolo, & contu. & Speculat. in titu. de cit. §. 1. in fin.

i *Non audiretur.*) Quia ex quo se non præsentavit, sicut dictum est, habetur pro contumace & deficiente, idcirco non potest aliquid de supra dictis proponere, pro quo faciunt notata per Doctores in c. cùm dilecti de dolo, & contu. &c. veniens, de accusation.

c *Inutile.*) Quia quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi, c. quæ contra jus de reg. jur. lib. 6. c. Imperialis 25. quæst. 2. c. non solum de reg. ju. eo lib. de rest. c. 2. & tale adjornamentum nullum nihil operatur, notatur in c. ut debitus, de appellat. c. proposuisti de foro compet. & ibi Joan. And. in l. 1. C. de requi. reis. Siculus in cl. Pastoralis, de re judi.

d *Generaliter.*) Talis enim generalitas parit obscuritatem: ut in l. ita fidei ff. de jure fis. ff. de edendo l. 1. §. edenda, ff. de interr. actio. l. de ætate §. nihil, c. ad hoc de rescrip. c. cum multis, eod. tit. lib. 6. de appel. c. 2. sic generalis libellus vel petitio non admittitur, cum quis petit omnes res quas alius possidet in civitate, Bal. in l. edita, 24. col. C. de eden. de quo vide Bar. in l. rei appellatione, ff. de verb. & rer. sign. & in l. Titia §. Lucius, de leg. 2. Pau. de Cast. in l. 1. ff. de eden. in c. certificari, & ibi Inno. de sepul. Et similiter dicimus de positione generali: ut dicit glos. & Doctores in c. 2. de Confes. lib. 6. & Specu. ti. de positio. §. 7. versi. 3. & 9. facit ad prædicta, c. 2. &c. ut quis duas de elect. lib. 6.

e *Reportaret.*) Pro hoc quia contumacia procuratoris in his quæ sunt magni præjudicii: ut circa mulctæ impositionem, non præjudicat domino: ut in §. si procurator. l. 1 ff. si quis jus dicenti non obtemperaverit.

f *Casum.*) Facit 2. quæst. 6. c anteriorum de elect. c. committa, §. 1. in 6. & l. commissoria, in fin. ff. de

lege

lege commiss. ad idem, 43. dist. c. exosus, facit de conditionib. inser. l. fin. c. significata de pig. secundum Ludo. Roman. in singula in verb. casu. versi. quæro numquid. dicit quòd actor non veniens ad judicium prætextu casus fortuiti, non excusatur: per l. item illa, §. proinde, ff. de constitu. pecu. Sed reus benè accusatur, & per d. l. 2. per eum alleg. mirabiliter limitatur.

Adde.) Alex. in l. sed & si quis, §. quæsitum ff. si quis cau. & in l. fistulas §. fin. ff. de contrah. emp. & omnino in l. quod Nerva in prin. ff. depositi.

Contumax dicitur non solùm qui non comparuit, sed etiam qui comparuit, & illicentiatus recessit.

■ *Licentia.*) Istud non servatur in his qui sunt in patria juris scripti: nisi in adjornamentis ad in curia comparendum personaliter, vel in illis qui tenentur in persona venire: pro hoc facit, quia contumax dicitur non solum qui non venit, sed qui comparuit, & absque judicis licentia recessit, 11. quæst. 3. c. certum c. 1. de jud. Bar. in l. consentaneum C. quom. & quan. judex. Nicomilus in verb. contumax §. 1.

Adde.) Inno. in c. consuluit, in 1. col. in fin. in glos. sua, in verb. expectare extra de offi. deleg. Bar. in l. consentaneum in fin. C. quomo. & quan. jud. oportet quòd de data licentia per judicem constet in actis: ut not. idem Bar. in l. si finita §. Julianus col. 4. ver. sed quid si actor. ff. de dam. infect. An. in l. post edictum, de jud. & Alex. omnino in l. qui ante calendas, col. 1. versi. quæro, de quæstione, ff. de verb. oblig. Et adde unum menti tenendum, quòd sicut citatus comparens non debet illicentiatus recedere, ut suprà, ita est in actore citanti: quia non sufficit illum comparuisse, & rei contumaciam accusasse, nisi licentiatus recedat: ut per Car. ubi proxi.

h *Domini.*) Sicut Episcopus petit sui clerici remissionem, ut præalleg. c. si judex, no. Inno. Hosti. in c. ut famæ, eo. ti. sic & civitas repetit suum civem, ff. de rei vendi. l. 1. §. 1. l. de jure, ff. ad municipa. sic miles armatæ militiæ per magistrum militiæ in civilibus & criminalibus judicatur C. de jurisd. om. jud. l. magistetix, pro quo gl. 1. c. ad hæc de privil. Inno. Anto. Imo. Sicu. & Præpo. in c. dilectis de appellat.

IN CAP. VI. De Contumacia & defectu.

CUria) Credo quòd domini sicut præmittitur ordinando, secuti fuerunt opinionem Azo. in sum. C. de interdi. & quorumdam aliorum recitatorum per Jo. Fab. insti. de interdi, §. retinendæ, in pe. col. & l. unica, C. uti possi. ulti. col. & in l. properandum, C. de judi. ubi dicit Jo. Fab. quòd si reus conventus super interdicto uti possidetis, sit contumax, & nolit comparere, quidam dixerunt quòd debebat sibi præfigi terminus infrà quem compareret, alioquin imponitur ei silentium. Alii, ut Azo in summa, dicunt quòd pronunciatur pro actore, & sic servat curia Franciæ. Sed dicit idem Jo. Fab. ubi suprà, esse periculosum de jure: quia lite non contestata, non fertur diffinitiva: ideo credit quòd actor debet tueri in possessione, quousque reus veniat, ut ff. de no. ope. nun. l. si priusquam, de hoc Speculator tit. de primo decre. §. restat. ver. quid si agatur, ubi recitat opinionem Inno. positam in c. 1 de eo qui mit. in possess. cau. rei ser. ubi dicit quòd debet mitti in possessionem rei petitæ: non ut sit tantum custos, sed ut sit etiam verus possessor: & prohibeatur ne ullo modo turbet ipsum actorem, quousque de jure suo probaverit, & permittat ipsum actorem pacificè gaudere possessione, argumento d. l. si priusquam, ff. si serv. vendi. l. is cujus, ff. de itinere actuque priv. l. 1. 2. 3. & idem tenet Hosti. in alle. c. 1 & ibi Siculus hodie tamen curia mitius agendo consuevit in casu prædicto concedere defectum, & literas ad faciendum adjornari deficientem visurum eidem actori adjudicari utilitatem dicti primi defectus, & si tunc reus secundo loco per hujusmodi literas adjornatus legitimè non comparuerit, conceditur defectus, & virtute illius, talis utilitas eidem actori adjudicatur, quòd manutenebitur difinitivè in possessione & saisina rei contentiosæ, manuque regia & omne aliud impedimentum in eadem positum propter partium ipsarum debatum ad actoris utilitatem levabitur, cum expensis. Et ita observatur etiam in materia beneficiali, facta tamen prius fide de titulo colorato, propter nota ta in c. eum qui de eo, qui mit. in pos. causa rei ser. & ibi per Archi. & per Doctores, & in c. in literis de resti. spo. & in c. ad decimas, eo. ti. h. 6. est enim communis opinio, quòd beneficialibus oporter possessionem ex titulo justificare, ita Imol. in cle. uni. de cau. pos. & proprie. Rota decis. 14. Siculus in sua disput. quæ incipit, Titius clericus, & in quæst. 15. capellæ in addi. 3.

Vide Panor. in c. literis, de resti. spo. ex glo. pragmaticæ, in verb. inquirente circa medium in vic. de pactis. pollet.

b *Executionis.*) Similiter si appellans præfigit sibi terminum ad prosequendum appellationem, vel ei præfigitur à judice, talis terminus præfixus habet vim peremptorii, ut in absentia procedatur, ac si peremptoriè fuerit citatus: & ideo si appellans prædicto termino non comparuerit, rata remanet sententia, ut in c. sæpè, &c. cum, sit de appel. qui enim non prosequitur appellationem, fingitur non appellasse, C. de temp. appel. l. fin. §. si c. cordi de appel. ubi in prædicto casu reputatur non appellans, & venit condemnandus in expensis.

■ *Defectu.*) Pro hoc facit: quia altera parte absente per contumaciam, lite non contestata procedi potest in causa appellationis: ut in c. per quas, & in c. interposita §. fin. de appel. & c. cordi eo. tit. lib. 6. & si appellans produceret solum sententiam, appellato non comparente, neque producente processum: obtinebit idem appellans in causa appellationis: per notata compost. in c. bonæ, l. 1. de elect. super verb. præsumitur: & per glos. in l. hi qui & ibi Jo. l ab. C. de appel. Cy. in l. per hanc eod. titu. Siculus in c. quoniam contra falsam de proba. Præpositus in c. ut debitus, ulti. col. de appel. & ita cavetur in quæst. capel. 34. & ibi vide, & in add. de utilitate verò defectus hoc 2. casu vide §. seq.

d *Nisi justas.*) Facit quod dictum est suprà tit. primò §. item fallunt præmissa: & c. venerabilibus §. idem est etiam, de sentent. excom. lib. 6. & nedum contumacia per terminum hominis incursa purgari potest ex causa, immo etiam incursa per terminum juris, ut in appellationis causa ita notant Sicul. Bald. & Præpos. in c. sæpè de appellat. & in verb. quicquid.

e *Purgari.*) Sicut absens peremptorie vocatus qui non potuit venire justa de causa detentus, auditur allegans impedimentum suum: ut suprà §. proximo, & revocabitur quod contra eum factum est c. cum Bertholdus de re judi. ff. eo. tit. l. quæritur l. si prætor. in fin. ff. de jud. & 4. quæst. 5. c. quisquis sic appellans qui non potuit prosequi appellationem infrà constitutum terminum, audietur volens probare impedimentum, c. cum sit Romana, & c. ex ratione de appel. l. fin. §. illud, C. de tempo. appel.

Adde.) Qualiter probabit illud impedimentum, & an per juramentum suum, si non habet testes: vide Speculator. quòd sic in tit. de appel. §. nunc breviter col. 2. versi. quid ergo si appellans Doctores in l. fin. §. illud, C. de temp. appel. & Panor. in c. ex ratione ext. de appel. & Fede. de Senis consil. 109. inci. super puncto. Quod est verum, si curia sit procul ab eo: quòd si est vicina, tenetur probare per testes: ut per Jo. And. in addi. ad Spec. ubi suprà in verb. adverte secus si ad locum propinquum secundum Imol. & Philip. Fran in alleg. c. ex ratione, de quo omnino per Cardi. in cle. sicut in 4. quæst. ext. de appel.

Impedimentum qualiter probetur.

f *Procuratorium.*) Pro quo glos. in c. cupientes, §. quod si per 20. in verb. proposita de elect. in 6. ubi dicitur qui proponit causas absentiæ, debet habere mandatum: & ibi tenet Archid. quod debet esse procurator: & alibi dicit glos. in c. bonæ, l. 1. de elect. quia nuncius destinatus ad allegandum causas absentiæ, debet esse literatoriè destinatus per textum in c. prudentiam, 1. resp. & ibi glos. de offi. deleg. & idem Specul. in tit. de execu. versi. 1.

Adde.) Specul. in tit. de cita. §. 1. versi. item quod erat infirmus, & §. 6. versi. quid si altera, & in tit. de execu. in princ. ibi, an teneat processus, si non mittatur, quando mitti debet, Bart. & Doctores in l. quæsitum, ff. de re judic. in l. pe. de public. judi. ff. & Bald. in l. reos C. de accusat. an teneatur cavere de rato, si mandatum non habet. Bart. tenet quòd non, in allega. l. penul. §. ad crimen, & Bal. in sua marga, in verb. officium versi. 1.

g *Essoignia.*) Adde quòd talis procurator debet instare super probationibus impedimentorum per ipsum propositorum, secundum Inno. in c. veniens, de accusat. Siculus in c. querelam de procu. & Bart. in l. quæsitum, ff. de re judi. & si pars adversa velit probare contrarium, benè audietur, ne quis per testes falsos obtineat de testi. c. præsentium, & quia probare volenti mos gerendus est, ff. de prob. l. circa. ita glos. in præal. §. quod si per viginti. Car. Guil. Jo. mona. Archi. & Domi.

h *Cadit.*) Et præsertim in hoc casu: quia contra appellantem ipsam appellationem non prosequentem, oritur suspicio non levis de injustitia causæ, quia facit contra naturam suam: nam appellantis est summa ope prosequi, & appellanti fugere facit quod notatur in c. causam, de dolo & contu. 4. quæst. 3. c. cum dilecti c. cum sit Romana, & c. personas de appel. c. 1. de dolo & contu. lib. 6. c. cordi de appel. eo. lib.

i *Minus idoneum.*) Paria enim sunt non venire, vel procuratorem minus legitimum destinare glos. in c. pe. de elect. lib. 6. in verb. admitti tex. in c. fin. & in c. constitutis, & glos. in c. accedens de procu. & tex. in c. veniens de accusat. & mittens procuratorem minus idoneum, vel cum minus legitimo mandato, dicitur contumax: & potest condemnari in expensis, ut not. in c. Nicolao de appel. facit, l. 2. §. defendi, & ibi Bar. ff. ex qui cau. in pos. eatur nō. Bart. in l. si finita, §. Julianus in fin. col. ff. de dam. infecto. Siculus in c. in pertractandis, & in c. exterum de juram. calum. Domi. in c. 1. de elect. lib. 6. bonus textus, & ibi Bald. in l. fin. C. de Edil. actionibus.

k *Petiisset.*) Per electionem enim dictæ utilitatis videtur alteri renunciare, & illam tibi non competere profiteri: facit c. ut quis duas de elect. lib. 6. facit l. 1. C. de fur. & C. si ser. extero emi se man. l. unica, & C. de codicil. l. ult. ff. de lega. 2. l. cum filius §. variis, & C. de pactis inter emptor. & vendi. l. commissoriæ.

l *Saltem.*) Pro hoc facit, quia contumax quando purgat suam contumaciam, admitteretur ad prosequendum suum processum in eo statu in quo ipsum invenit. Inno. & Sicul. in c. præterea de dila. & in c. si duobus de appel. & ibi Præposit. Bar. in l. multa: & l. nihil C. de procu. glos. in c. 1. de elect. lib. 6.

Cum igitur casu prædicto quando appellans contumax est adjornatus ad videndum inquestam appellati recipi, non superfint nisi reprobationes testium, & productiones literarum: juxta c. præsentium de testi. lib. 6. igitur ad aliud admitti non debet in pœnam suæ contumaciæ, ne melioris sit conditionis quàm obediens: in c. 1. de postulat. præla. & c. contingit, de dolo & contu.

Victoria causæ appellationis per præsentatos obtenta non prodest consortibus non præsentatis, licet causa sit connexa, si fuerint appellantes, sin autem non fuerint appellantes, nec tamen sententiæ expresse acquisierint, bene tunc proderit.

m *Connexa.*) Istud totum usque ad finem tituli est contra illum titulum C. si unus ex plurib. cum suis contor. ff. de app. l. scio cum similibus, & verum crederem, si præsens §. intelligeretur de victoria causæ appellationis obtentæ per præsentatos: quia illa pro-desse non debet aliis appellantibus non præsentatis: pro quo videtur casus in c. cum super controversia de re judicata, quod probatur per rationem: quia cum omnes suam appellationem interposuerint, & sic omnes sibi providerint, renunciare videntur provisioni, quæ est, ut sententia lata pro uno prosit alteri, quæ provisio legis est contra communem regulam, re inter alios acta: si autem aliquis de condemnatis non appellaverit, aliis appellantibus & prosequentibus, & tunc aut ille victus acquievit sententiæ, & eam ratam habuit, & tunc idem: quia sententia confirmabitur solùm quoad præjudicium appellantium, non quoad præjudicium alterius, per locum à speciali *in l. non tantum ff. de app.* si verò iste non appellans condemnatus non acquievit sententiæ, nec appellaverit, sed fuit contentus appellatione interpolita per alios condemnatos: tunc proderit victoria istorum appellantium isti condemnato non appellanti. Ita debent secundùm Bartolum intelligi l. à sententia ff. de app. & l. si quis separatim, ff. eo tit. & d. l. 1. C. si unus ex pluribus, & c. una sententia eo tit. Ita voluit Bar. in præal. l. à sententia. Saly. in d. l. 1. Sicul. in alle. c cum super per Sicul. Imo. & Præpos. in alle. c. una, ubi octo requiruntur ad hoc ut victoria unius prosit alteri.

Adde.) Qui in appellatione nulla, an prosit alteri, si appellans obtineat, notant Bald. in l. 1. C. si unus ex pluribus. Alex. plenius in l. si separatim ff. de appel. & Innocentius in c. cum super, & ibi Anto. de Butrigar. & Doctores extra. de judi. Cessante verò prædicta contumacia, sententia obtenta per dictos homines prodesset parti appellatæ, & ad hoc faciunt notata per Bar. in l. si separatim in fin. Imo. & Præpo. in præal. c. una & Saly. in alle. l. unica.

n *Debita.*) Peccata enim suos actores tenere debent c. quæ sunt, de his quæ fm. à ma. parte capituli & C. de pœnis l. sancimus, C. ne uxor pro marit. l. ob maritorum 11. quæst. 3. c. illud c. Romana 9. fin. de sen. excommunicat. lib. 6. & quia pro contemptu seu contumacia veniunt puniendi, præmium habere non debent 24. quæst. 1. c. didicimus, nec ex delicto proprio commodum reportare, argumento ff. de don. inter vi. & uxo. l. 3. §. 1. ff. de reg. jur. l. non fundantur, §. nemo ff. de fur. l. itaque furio. §. sed & si res.

IN CAP. VII, DE DEFECTV in actione reali.

VTilitatem.) Ad alium verò utilitatē, puta missionis in possessionem ex primo decreto, non sufficerent duæ contumaciæ: quia tres citationes vel una peremptoria requiruntur glos. in c. quoniam contra in ver. dilationes de proba. fa. 24. q. 2. c. de illicita, & c. sacro de sent. excom. idem tenet glos. in l. fin. §. Julianus ff. de dam. infec. & ibi Bar & eumdem in l. consentaneum C. quomo. & quando judex. ad istud benè facit c. fin. de eo qui mit. in pos. cau. rei ser. & ibi sentit Imo. & Sicul. in alle. § in alis, & ubi judex comminatur se processurum ad ulteriora, illud habet vim peremptorii ut notant Bar. in alle. § Julianus, & Sicul. ubi supra col. 19. & idem ubi verbum, *peremptorie*, esset appositum in prima citatione: nam tunc una sufficit Bar. in alle. §. Julianus alleg. l. tres. C. quomodo & quando judex.

Adde.) Anto. de Butrig. & Inno. in c. causam, ex de rescrip. Lanfran. de Oria. in c. quoniam contra falsam, num. 8. versi. unum est singulariter, & ibi notavi in apostillis ad eum in ver. comminatur se processurum, extra de proba. & Feli. in c. consuluit col. 6. ver. 3. nota de officio deleg. quod est verum, nisi subiderit quantum potent: ut ibi suprà Ant. de Butrig. in c. ex literis de immu. testi. Bar. in l. mancipiorum ff. d. optione legat. & Mathe. mathes. singulari 8. inci. nota quòd est differentia, & ibi no. in apost. ad ipsum.

b *Tres.*) In allega. c. quoniam frequenter, §. in alijs, ubi textus quòd si reus lite non contestata ei. contumax, & agitur reali, mitterur actor in possessionem rei petitæ causa custodiæ, quam recuperat reus veniens infrà annum si offert cautionem de stando juri, & restituat expensas, post annum verò prætermissis non servatis, non auditur nisi super proprietate: & hoc si non veniat; si autem veniat, & offerat se paratum procedere, amittet pro qualibet contumacia dilationem quam habere potuisset ad proponendum exceptiones declinatorias vel dilatorias.

In interdictis in rem script. habet locum missio in possessionē prout habet in rebus realibus quarum in hoc naturam sortiuntur.

c *Consuetudo.*) Pro dicta consuetudine generali in prædicto casu venitæ, quod videlicet absque nova citatione, si reus se non præsentaverit, possessio rei petitæ est tradenda actori, facit, quia (ut legitur infra de dilationibus quæ dantur pro venta) partes debent convenire de loco ubi se debent congregare pro dicta venta facienda: & solet præfigi terminus ad ipsam raportandum curiæ, quæ prænixio habet vim peremptorii: ut l. 1. C. quomodo & quando judex nov. per glos. & Inno. in c. consuluit, de officio delegati. Sicul. in c. 1. de judic. dicens sic posse intelligi c. querelam, & c. constituras de procurat. ut videlicet non sit opus nova citatione: & cum in principio præsentis §. loquatur de actione reali, & possessionis illa æquiparando, excepto possessorio casu novitatis: pro hac comparatione facit quod dicit Inno. & Siculus post eum in c. 2. de eo qui mittit in possess. causa rei ser. videlicet quod etiam in interdictis in rem scriptis habeat locum missio in possessionem causa rei servandæ: & idem probatur in c. consultationibus de officio dele. Et quod plus est, non solum hæc missio, sed etiam procedituri in illis sicut in realibus, unde post lapsum annum efficitur missus verus possessor. Et si regulariter hæc missio sit à natura realium & non personalium, ut probatur in c. quoniam, §. in alijs, ut lite non contestata; quanquam interdicta sint personalia: tamen sunt in rem scripta: *ut l. 1. ff. de interdict.* ideo in multis sortiuntur naturam realium: ad idem c. ex parte, & quod ibi notat Inno. de foro compe. Sed in interdicto uti possideris, non potest habere locum missio in possessionem; quia ille qui illud intentat, dicit se possidere, & turbatum esse: idcirco est isto casu procedendum sicut cavetur, & dicimus in tit. de contumacia & defect. & utilitate seu commodo ipsius §. 1. & ibi vide.

d *Cautum.*) De jure autem quatuor remedia habet. Primum, ut petat se relaxari à citatione illa. Et hoc de facili potest obtinere sine nova citatione: ut l. & post edictum ff. de judi & notant Inno. in c. consuluit de offic. dele. Bart. in Authen. qui semel C. quomodo & quan. judex. Et non audietur actor nisi refusis expensis, & præstita cautione de prosequendo: ut in c. 1. de dolo & contu. lib. 6. & in l. sancimus C. de judi. Secundum remedium aliquantulùm pinguius: ut reus petat se absolvi ab instantia judicii, sic ut tollantur omnia prius gesta. Sed hoc casu requiritur nova citatio argumento l aut qui aliter ff. quod vi aut clam: Inno. & Bart. ubi suprà. Tertium remedium & Pinguius, ut diffinitivè petat se reus absolui ab instantia ipsius actoris super facto petito: ut sic deinceps non audiatur ipse actor super eodem negotio. Et hunc effectum potest reus consequi duobus modis. Primo si ex probationibus jam factis constet ipsum actorem nullum jus habere, vel si datis omnibus dilationibus juridicis, nihil actor probavit: vel quando lite nondum contestata nullis factis probationibus, vult reus in se assumere onus probandi de injustitia actoris, nam secuta probatione obtinebit diffinitivam: ut dicta Authen. qui semel. Quartum remedium ut petat se absolui diffinitivè ab impetitione actoris, & per probationes jam factas vel per ipsum reum faciendas rem petitam sibi declarari pertinere: ut notatur in c. ex quæstione de testi. spoliat. de quo vide latius, per Siculum in c. causam de dolo & contu. & Bartho. ubi suprà.

e *Producti.*) Coram verò judicibus inferioribus alijs habent locum plures productiones testium, sicut ad hoc plures conceduntur dilationes. Nam dari solent tres in plerisque locis, & deinde quarta cum solemnitate: de qua in c. in causis, & ibi per glos. in c. ultra tertiam de testi. & in Authen. eo tit. §. quia verò col. 7. versic. verè.

De iure tres fiunt productiones, & quarta cum solemnitate.

f *Testes*) De jure potest objectiones testium sive reprobationes tradere ante sententiam: ut in c. præsentium, de testi. lib. 6. & c. series eo tit. de exceptionib. c. 1. de prob. c. licet. Et hoc dummodo ante publicationem fuerit protestatus, alias audiri non debet, nisi juret quòd ad hoc ex malitia non procedat, vel quòd post publicationem didicit ea quæ opponere intendit: ut in c. præsentium de testi. in antiquis, & Specul. tit. de testi. §. sæpè.

g *Garendum.*) Adde quod suprà dictum est de garendo: ut amittatur, intellige quòd ipse reus non habebit aliam dilationem ad illum summandum: licet olim secundùm stilum tres habere deberet, infrà de dilatione quæ datur pro garendo. Quod tamen est hodie correctum, quia unica conceditur: ut patet in ordinatione regis Philippi de Valesio, quæ incipit, Cum in magnis de anno Domini 1344. non ergo propter dictum defectum tollitur eidem reo in die prædicta deficienti actio de evictione, dummodò litem moram ipsi venditori tali tempore denuntiaverit. Quòd causa ipsius venditoris de jure vel consuetudine læsa non sit: videlicet quòd ipse possit tradere defensiones suas: ut l. si rem §. fin. & ibi glos. & Bar. ff. de evictio. Joan. Fab. in l. emptor. C. eo tit. & Hostiensis in c. fin. de empt. & vendi. fateor tamen quòd ubi reus fuisset absens contumaciter tempore sententiæ, vel propter ejus contumaciam lata foret contra eum, quòd non posset agere de evictione: ut est textus in prælleg. c. fin. de empt. & vend. & in prælleg. l. emptor fundi, & ibi Doctores.

Ad summandum garendum. unica datur hodie dilatio juxta ordinationem Philippi de Valesio

h *Pronunciasset.*) Nam quidam olim tenuerunt quòd si judex citat partem ut veniat respondere positionibus, & citatus venire non vult, positiones habeantur pro confessatis istorum opinio, facit pro dicta consuetudine. Sed hodie requiritur quòd fuerit justus à judice respondere, & si absque causa rationabili respondere recusset, aut nolit, seu contumaciter se absentet, haberi debebit super illis de quibus in eisdem interrogatus exiterit, pro confesso: ut in c. 2. de confess. lib. 6. facit c. fin. de juramento calum. juncta, l. 2. §. quod fin. actor. C. eo tit.

Adde.) Inquantum dicit quòd iste non respondens positionibus haberi debet pro confesso, hoc etiam esse verum, si tunc sibi damnosæ, qui alias haberetur pro negante: ut notat plenè Lafran. de Oria. in c. quoniam contra falsam §. responsiones num. 12. ver. finaliter est concludendum, & ibi dixi in apostil. ad ipsum, in versi. pro negante extra de proba. exemplum, quando scilicet positio non damnosa, ut tunc reus non habeatur pro confesso, ad hoc ut actor non probans de tempore, causam suam lucretur; debet enim probare mutuum factum esse certo tempore: verùm in odium contumaciæ, reus contumax nihil potest adversus hanc probationem objicere, & hanc puto esse mentem Auffreri: puta, tu ponis quòd mutuasti mihi decem, & non ponis quando, aut quo tempore, istud est singulare dictum Bal. in l. 2. ad fin. C. si plures una sententia, quod pro singulari refert & sequitur Fran. decre. sing. suprà 119. incipiente statuto cavetur, & ibi ponit rationem, nam si probares sine tempore, non tamen vinceres, ut ibi per eum plenè: & dixi in apostillis ad Lanfran. ubi suprà versi. pro confesso.

Hodie constit. 1539. exoleverunt positiones permissa libera interrogandi facultate. C. M.

i *Recedit.*) Pro hoc facit, quia recedens à judicio sine judicis licentia censetur esse contumax 11. quæst. 3. c. certum c. 1. de jud. & c. si postquàm de elect. lib. 6. ff. de exc. tut. l. scire §. observabunt, & quod dixi suprà eo tit. §. item si actor contumax.

IN CAP. VIII. DE DEFECTV *super actiones personales.*

In causa criminali civiliter intentata potest procedi contra absentem contumacem, lite non contestata.

In causa criminaliter intentata reus contumax auditur quandocumque, etiam post dies defectus, ante sententiam, volens innocentiam purgare, tamen bona post contumaciam annotata, post annum non recuperabit, l. 1. C. de requir. reis.

In criminalibus virtute quatuor defectuum reus etiam absens condemnari potest de generali consuetudine Franciæ, de jure communi si pœna sit infra relegationem, condemnari potest. Si sit à relegatione supra, non condemnabitur absens, sed bona eius annotabuntur. Fallit in apparitore criminoso in L. Cornelia de sicariis, item in casu extrav. ad reprimendum s. in crimine lesæ Majestatis.

Observatum) Ego vidi communiter servari, quòd ubi reus deficit in primo adjornamento, conceduntur eidem litteræ in quibus incorporatur actoris petitio, virtute quarum adjornatur iterum. Et si deficiat, virtute prædictorum defectuum cadit à suis defensionibus, & dicitur quod non habebit nisi unum ny. virtute cujus Sententiæ sive Arresti vel Ordinationis rursus ipse reus adjornabitur ad videndum recipi demandam actoris articulatam, & suum ny. tradendum. Et si die assignata deficiat, dicetur quòd actoris demanda habetur pro recepta, & reus cecidit à tradendo suum ny. Et si actor vult facere probationes per testes, traditur ei commissio ad faciendum ejus inquestam super ejus articulis. Si autem facere noluerit, quia vult probare per instrumenta vel litteras, sicut sæpenumerò contingit, quando est quæstio de aliqua pecuniæ summa, ordinatur quòd defensor rursus adjornetur ad videndum tradi & produci litteras & titulos sui ex parte tradendos, si bonum eidem fuerit visum, cum contradictis & salvationibus. Et ubi inquesta fieret, adjici solet ad videndum inquestam, recipi & tradi litteras, & testium reprobationes: quibus peractis procederetur ad Arresti prolationem.

De jure qualiter sit procedendum in actionibus personalibus contra reum contumacem, vide in ca. quoniam frequenter, §. fi. ut lite non contestata, & c. de bo. auth. judic. pos. Authent. & qui jurat, & utrobique per Doctores.

b *Mire.*) Pro eo quod supra dictum est, cum agitur de crimine civiliter, facit quod dicit de prælato, contra quem si agatur civiliter de crimine juxta c. per tuas de simo. & c. ex parte, de testi. potest procedi lite non contestata ad diffinitivam Sententiam contra absentem per contumaciam: ad quod textus in c. per tuas, & c. ex parte, & c. veritatis, de dolo & contumacia: & ibi Joannes And. & Antonius Zaba, & Siculus.

Tunc autem dicitur agi civiliter de crimine, quando agitur ut imponatur alia pœna quàm corporalis, vel debita pro delicto: criminaliter verò, cum agitur ad vindictam publicam: ut pœna corporalis, & debita pro delicto debito imponatur, secundum lecta & notata per Siculum & Doctores, in cap. super his de accusat. & in allegat. cap. per tuas. Et est advertendum quòd cùm agitur de crimine criminaliter, per duos defectus criminosus contumax non consuevit declarari à suis defensionibus cecidisse. Et ideò si compareat quandocumque ante Arrestum, audietur: ad quod textus & glossa in l. 1. C. de requir. reis, & ibi Joannes Faber, Bartolus, Baldus, & Salice. Sed bona sua quæ fuerunt annotata, non recuperabit, nisi compareat infra annum à die annotationis & notificationis, ut in prælleg. l. 1. Requiruntur ergo quatuor defectus, sicut jamdudum, die videlicet prima Martii anno Domini 1480. prolatum fuit Arrestum in Regis magno Consilio, inter Procuratorem Regium, requirentem utilitatem quatuor defectuum, contra Raymundum Blanchi, scutiferum, dominum de Monte Acuto, Senescalliæ Ruthensis, ratione homicidij in personam Johannis Jourdani, domini de Montelauro, ipsius Raymundi avunculi, per eumdem Raymundum & suos complices perpetrati: per quod visis informationibus, & pluribus processibus super his per Iudices diversos factis, dictum fuit quòd dictus Raymundus erat verus contumax declaratus: & virtute dictorum quatuor defectuum, fuit exclusus ab omnibus exceptionibus & defensionibus: & declaratus convictus de casibus & criminibus de quibus erat accusatus Et hoc faciendo dictum fuit, quòd ratione criminum prædictorum quæ commiserat, confiscaverat corpus & bona, & bannitus perpetuò à præsenti Regno, & condemnatus ad pœnam decapitationis & demembrationis, si apprehendi posset, omniaque bona sua Regi confiscata.

Item adverte quòd licet de jure communi bannum fieri possit contra absentem lite non contestata, usque ad relegationem, *ff. de pœnis per l. absentem, cum tbi no.* ubi tamen bannum excedit relegationem, de jure communi procedere non potest: verum ex consuetudine Franciæ in quolibet gravi crimine dantur & procedunt talia banna, pro quo benè facit *glossa in l. amissio, §. qui deficiunt, ff. de capit. diminut.*

Præterea licet in criminibus à relegatione, & suprà non possit absens condemnari, etiam post litem contestatam, bona tamen annotantur: ut l. 1. ff. de requirendis reis, l. 1. C. eodem titulo fallit in casu, l. ne diu. C. de pœn. & si apparitor. C. de coartalibus, lib. 12. & in casu. l. leg. Cornel. §. qui ho. ff. ad legem Corneliam de sicariis, & in casu extravagant. ad reprimendum, sicut ait Bartolus in alleg. l. 1. de requirendis reis, in quibus casibus procedituur ad diffinitivam contra absentem contumacem, etiam lite non contestata. Si autem sit pœna à relegatione infrà, tunc quia annotatio bonorum non habet locum, sive sit lis contestata, sive non, potest procedi ad diffinitivam: dummodo de materia principali cum Judice cognoscatur, ut notat gl. l. quotiens, C. de dignit. lib. 12. de quo latè per Bartolum in prælallegat. l. absentem, ff. de pœnis. Ioan. Fab. & Bald. & Saly. in l. absentem, C. de accusat. per Antonium & Siculum, in allegat. c. veritatis. Verumtamen de consuetudine Franciæ absens in quibuscumque majoribus, sive minoribus criminibus, potest post quatuor defectus criminaliter condemnari: pro qua consuetudine facit tex. & glos. in prælal. l. si apparitor. & quod dicit Bal. in all. l. ne diu. videlicet quòd absens non possit de crimine condemnari, est de jure positivo. Idcircò quod statuta quæ fiunt hodie in Italia, ut quis possit absens de crimine condemnari, sunt valida secundùm eum, per dictam legem.

Adde.) In quantum dicit absentem posse in criminalibus condemnari vigore statutorum Italiæ, tu dic esse secus de jure communi, secundum Baldum in titulo de act. ver. statut, in addit. ad Speculat. & in l. 2. col. 1. ver. hic quæritur, C. quomodo & quando Iudex. Bar. in l. absentem, col 2. ver. 3. extra glos. quæro, ff. de pœn. Panor. in cap veritatis, col. 8. extrav. de dolo & contum. & Oldra. cons. 64.

Illud tamen non est omittendum, quòd antequam absens condemnetur, semper præcedere debet declaratio quòd fuit contumax: quia licet secundùm prædictam consuetudinem Franciæ contumax per quatuor defectus habeatur pro convicto & confesso, (quæ consuetudo valet secundum Speculat. & Ioan. Ant. in tit. de accusat. §. sequitur, & Ioan. And. in alleg. c. veritatis, & Bald. in tit. de pace jur. fir. §. injuria, facit quod not. in l. Gallus, §. & quid si tantum, ff. de lib. & posth. & pro hoc alleg. & glos. ord. in l. locorum, C. de omni agro deserto, lib. 11. ubi dicit quod talis contumacia est facta pro bono: facit quod notat Bar. in l. omnes populi, ff. de just & jur. & l. 1. C. de assertione tol. videtur gl. in l. 2. §. Senatus, ff. de jure fisci, & bonus text. in l. Arrian. ff. eo. tit. & bonus text. alleg. à Bar. & Ioan. de pla. in al. l. locorum) Verumtamen opus est declaratione, ut est text. & ibi Bar. in l. ejus qui delatorem, ff. de jure fi. text. & ibi Ant. in c. cum dilect. de dolo & cont. ibi reputavimus contumacem, &c. & text. cum glos. in ca. cum secundum leges de hær. lib. 6. & hoc tenuit Bald. in l. transigere in fi. de transf. & in l. jubemus, §. œconomus, C. de sacros. Eccles.

Adde.) Bar. in l. 1. in ver. adverte tamen in prin. ff. de jure fis. Sed adverte in quantum dicit quòd opus est sententia declaratoria, quòd non est opus pronunciari quòd habeatur pro confesso: sed sufficit quòd pronuncietur contumacem esse, secundum Bar. ubi suprà Bal. in. l. ver. quærit Io. mona. C. de pœna judi. qui ma. ju. per. de ancha. consil. 13. incip. in Christi nomine, unum dicendum est dictam appellationem, & Pau. de Cast. cons. 31.

Unde, sicut factum fuit in Arresto subscripto, cautela est, quòd contumax, antequam condemnetur, semper declaretur quod fuit contumax, & quòd virtute dictæ contumaciæ habetur pro confesso de delicto, vel convicto de quo accusaretur. Et quamvis hoc sit tutius, tamen si Judex condemnet, videtur tacitè facere declarationem dictæ contumaciæ: Nam procedendo ad condemnationem, videtur tacitè pronunciare ipsum haberi pro confesso, sicut diximus de Judice qui non obstante declinatoria fori, ad ulteriora procedendo, videtur super declinatoria pronuntiare, ut l. 2. §. si dubitetur. ff. de judi. & facit c. 1. de ordi. cogni. cum ibi notatis.

c *Velet.*) Nam per lapsum Parlamentum videtur tacitè renuntiare. pro quo facit c. plerumque. de rescrip. ubi per annum omittens exequi rescriptum, caret ejus utilitate. & facit argumentum à simili. c. quoniam frequenter. 1. respon. ut lite non contestata. & de offi. jud. deleg. c. quærenti de off. ord. c. pastoralis. 11. q. 3. rursus, & c. quicumque 10. q. 2. puella. & quod dicit Bal. in l. 1. q. 7. C. qui admit. ad bo. possession.

d *Impetrato.*) Facit in argumentum l. commissoriæ. C. de pacto inter emptorem & venditorem, ubi petendo usuras, renuntiat quis legi commissoriæ. facit etiam l. cum furiosus. §. qui legationis. ff. de judi. & l. nihil ff. de inofficioso testamento. & in l. 1. C. de fur. & si servus extero se emi mand. l. uni. C. de col. l. ul. ff. de leg. 2. l. cum filius, f. §. varius. Vide Bal. in l. certi, §. si nummos. ff. si cert. pet. Odof. Cy. Sal. Bald. & post eos dominum meum Jasonem l. Falsò. C. de diversis rescriptis.

IN CAP. IX. DE *dilationibus.*

DEclinatoriis.) Nam exceptiones declinatoriæ ab initio proponi debent, scilicet antequam aliud coram Judice proponat, per quod videtur eum approbare Judicem, seu judicium suscipere: pro quo bonus textus in l. fi. C. de exceptionibus, & l. sed & si susceperit. in prin. ff. de judi. aliter videtur exceptioni declinatoriæ renuntiare, & litigando curiam approbare, maximè si non fuerit protestatus in principio, quòd non intendebat declinatoriæ renunciare: pro quo facit optimè argumentum 4. q. 3. §. si quis tellibus. & 3. q. 8. c. cujus in agendo & c. insinuante. de fi. dele. & hæc fuit opinio Tancre. quam Inno. sequitur. in c. inter Monasterium. de re judi. & Bart. in l. quidam consulebat. ff. eo. tit. de quo per Joannem Fabrum in l. fi. alle. & latius infti. de excep. §. appellantur. Quoties agit actione reali, potest reus petere ventam, hoc est rem petitam sibi ad oculum ostendi & demonstrari argumento l. cùm exhibuissent. ff. de pub. & quòd no. in l. 2. ff. si ex noxali causa agatur. & de hoc est textus in c. significantibus de libellis oblat. in ca. significantibus. de appellatione: & ita tenet Bar. in l. 1. 2. col. ff. de edendo

b *Alias.*) Ubi videlicet in litteris adjornamenti contineretur quid actor petere vellet, causa petendi. & qualiter agere velit Et res apertè specificantur prout facere debet qui aliquid petit. ut ca. 2. & 3. de libellis oblat. & l. si in rem. ff. de rei vendicat. Nam cùm ex hoc plenè possit instrui, dictam dilationem consilij, sive inducias deliberatorias non habebit: juxtà c. præterea. de dilationibus.

IN CAP. XII. DE *dilatione garendi.*

NOvitatis.) Add. l. fi. C. de actio. empt. ubi venditor non tenetur defendere emptorem à violentia illata de facto. Sed quid si est expulsus, & egit interdicto unde vi. & per sententiam succubuit, an teneatur venditor ad interesse? Bald. in præalle. l. fi. dicit quòd non: quia in isto interdicto non habuit causam ab ipso venditore. Ideo quantum ad hoc venditor non est actor ejus; secus si actori auferatur possessio viâ juris: ut l. 3. & ibi Bart ff. de actio. empt. Ioannes Faber. Bal. & Salycet. in præal. l. fi. Barba. in c. fi. de emptione & venditione, & isto casu licet non posset agere de evictione nisi venditor in instrumento promisisset duplum nomine evictionis: sive evinceretur jure possessionis, sive jure proprietatis: ut tenet Bar. in præalleg. l. 3 Bal. in l. 1. C. de peri. & commo. rei venditæ. Ange. Are. de instit. de actio. §. actionum autem 20. col. in fine. potest tamen agere actione ex empto. ad interesse quasi re non tradita, ex quo sicut prædictum est, viâ juris ablata est possessio ipsi emptori. Et licet in instrumento caveretur quod promisit de jure & de facto defendere, non tenebitur nisi sicut suprà tenent antedicti Doctores ubi suprà: de quo per Bar. & Doctores in l. stipulatio ista. in prin. ff. de verbor. oblig.

Adde) An teneatur de evictione, vel garendo si est evicta nuda possessio no. Bal. quòd non l. 1. in fine C. de commo. & peri. rei venditæ, & in l. si cùm venditor, in princip. §. de evictionibus. Bart. omnino in l. actio. ff. de actio. empt.

b *Ad hoc.*) Ut de jure possit agere de evictione, oportet quòd fiat denuntiatio venditoris litis motæ & tali tempore quòd salvæ sint sibi suæ defensiones, vide ibidem: non ergo de jure requiritur nominatio in judicio. Secundò requiritur quòd empor quando fuit citatus ad Sententiam audiendam, quòd non sit contumax, ut dictum est ubi suprà: alioquin actionem de evictione non haberet, quia tunc magis propter contumaciam victus diceretur, quàm quòd malam causam haberet l. si ideò ff. de eviction.

Item quòd venditore absente, appellet. l. Herennius. ff. de evictio. item quòd Sententia lata non fuerit per injuriam contra emptorem: quia injuria quæ fit emptori, non contingit ipsum venditorem: ut l. emptor fundi, C. de evictio. & l. si per imprudentiam. in principio ff. eo. tit.

Item non agit de evictione si per violentiam, & non juridicè sibi res auferatur: ut d. l. si per imprudentiam, & dixi suprà eo. tit. §. 1.

Item si emptor voluntariè compromisit: ut l si dictum fuerit. §. si compromisero. ff. de evict. secus si coactus vigore statuti, si hoc denuntiavit venditori. secundum Bart. ibid. §. si compromisero. & Bald. in l. 1. C. de peri. & commo. rei venditæ.

Item si potuit usucapere, & non usucepit. d. l. si dictum §. si. cum posset. item si rem alienam scienter emit. nisi de evictione sibi specialiter caverit. l. si fundum, C. de evicti. & licet fecerit pactum, quòd venditor non teneretur de evictione: nihilominus tenebitur ad pretium re evicta. l. emptorem. §. 1 ff de act emp. Et hoc quando factum est pactum in genere, scilicet à quocumque evincatur: secus si specificatur persona, quia tunc non tenebitur ad pretium secundum Ludo. Ro. in notatis per textum in l. qui libertatis in principio. ff. de evictio. & ibi glo. & Barto.

Illud præterea non est omittendum, quòd vendi-

Quæ requiruntur ad hoc ut emptor possit de evictione agere, & in quibus non agit. Casus in quo re evicta venditor non tenetur etiam ad restitutionem pretij Lu-

do. Ro. in singu. 382.

tol sciens litem moram, summari & requiri debet, ut liti assistat. ita Bart. in l. emptor C. de evict. & in l. 2. §. voluntate. ff. solu. matri. & in l. denuntiasse. §. 1. ff. de adult. & in l. nomen. C. quæ res pig. obli. pro cujus opinione est casus in l. res quam, ff. de evicti. etiam est casus in l. qui absentem, & ibi hoc no. Bar. Bal. Ang. Ang. & Doctores ff. de procu. & firmat Bald. in tit si de feu. vas. ab aliquo fuit interpel. c. 1. Ang. Are. in §. actionum col. 18. insti. de act. Bar. Bal. & Saly. in alle. l. emptor. C. de evicti. Bart. in l. 1. §. 1. ff. de act. empt. immò dicit Bar. in prælle. l. qui absentem, non sufficere quòd denuntiet, nisi requirat etiam quòd assistat liti, & defendat: quod etiam firmat idem Bar. in l. 1. C. de peri. & commo. rei venditæ. Et ita dicit Bal. de consuetudine servari, à qua dicit non esse recedendum: præal. l. emptor. C. de evict. & idem tenet ibi Saly.

Idem glo. in cle. causam de elect. & Ioan. And. in additionibus ad Specu. titu. de dil. §. ver. denuntiatoria idem Ioan. And. in additionibus ad Specu. titu. de emptione & venditione. §. fi. circa finem.

Periculis.) Doctores tamen in l. venditor. ff. de judi. tenent quòd emptor in expensis condemnari debet, non venditor qui defendit: de quo in l. 2. C. ubi in rem. act. Tenetur tamen venditor ad omnes sumptus & expensas in hac lite & judicio factas, & eas emptor ab eo recuperabit, sive obtinuerit, sive non: ut l. 1. C. de eviction. & l. venditor. de verb. obl. & ibi Bart. & Ang. & Siculus & Doctores in c. si ven. de emptione & venditione: & Ang. Are. in §. acti insti. de act. col. 19. & intellige de sumptibus, quos fecisse legitimè demonstrabit, & hoc verum si nuntiaverit debito modo litem moram, aliàs secùs, & re empta evicta in casibus in quibus tenetur de evict. tenebitur venditor emptori in simplum: & si fuit culpa venditoris, tenebitur etiam ad interesse: ut ff. de evict. l. 2. & l. emptor.

Adde.) Bal. in l. cum venditorem. C. de act. empt. & ibi ad quod & quale interesse teneatur, & utrum solvendo interesse liberetur à traditione rei no. in l. si traditio in 1. q. eodem titulo: quòd sic, salvis tamen limitationibus quas ponit idem Bal. in repe. l. emi. col. 9. ver. ego cogitabam defendere. glo. de mi. & ibi ponit quibus casibus cogatur venditor præcisè ad traditionem rei: de quo etiam per Panor. & Feli. in c. cùm Joannes in prin. extra de fi. instrumenti.

d *Actio.*) Nisi venditor actore consentiente animo novandi, & sic reum liberandi causa suscepisset defensionem: ut l. si mandato. §. 1. ver. aut si nolit. ff. manda. quo casu fiet executio in ipsum venditorem. Ita Jac. de ra.pe. & Cy. Bald. & Salycet. in alleg. l. 1. C. ubi in rem. & Jaco. But. in l. liberto. §. 1. ff. de negot. gest. quando autem suscepit causæ defensionem, non tamen animo novandi, tunc fiet executio contra emptorem, sicut prædictum est. Executio verò Sententiæ latæ contra emptorem in causa evictionis fieri debet in bonis venditoris, non contra emptorem, secundùm glo. Bar. & Doctores, in l. venditor. in prin. ff. de judi. & per Bart. Bald. & Saly. in Authen. qua in Provincia, ubi de crimi. agi opor. & Bart. in l. si procurator. §. si ignorantes. ff. mandati, nisi in fructibus & expensis secundum Doctores in alle. l. venditor. & dixi super eodem §. proximo.

Hoc intelligendum est ubi ille qui vocatus est pro garendo, non est solvendo. ita Ioannes Faber insti. de satisda. §. fi. pro quo facit Authentica qua in provincia. C. ubi de crimine agi oportet.

Ubi condemnato procuratore fit executio in bonis domini, si procurator non est solvendo, vide ibidem Bart. Ioan. Fab. Bal. & Saly.

Item nota quòd in donatione non est locus garendiæ nisi fuerit in donatione promissum, & tunc agi potest de evictione, evicta re donata, ut in præal. l. 2.

Adde.) Bona glossa in l. Attilo. §. Labeo in ver. dolo, & ibi notavi in apostil. super d. glo. in ver. quòd tic ff. de Dona Bal. notabiliter in l. 2. C. de evict. Bar. in l. Iubanus, §. 1. de ver. obli. & in l. si pro re, §. 1. ff. de evict. & dixi in apostill. ad Panor. post eum in c. inter cætera. num. 8. in ver. in rebus prophanis. extra de præbend.

Aut per pactum tantum: & tunc aut donatio incipit à præcedenti stipulatione: & idem, quia pactum censetur vestitum cohæren. contractuum, aut incepit à præcedenti conventione tantum, & tunc quia hodie ex ea agi potest: ut l. si quis argentum, C. de dona. adhuc ex pacto evictionis potest agi secundum opinionem gloss. quam sequuntur Saly. in præal. l 2. & alle. Bart. in leg. & Aristo pro his accedat. ff. de verb. oblig. l. ubi autem, §. fi ff. de rerum permutatione, aut incepit à præcedenti traditione; tamen & tunc non agitur de evictione: ut in prælle. l. 1. nisi dolus interveperit: ut l. Aristo. alle. §. fi Idem si de evictione nihil dictum sit, ut propter dolum agatur: ut d. l. Aristo. quod intellige secundum Saly. ad sumptus, & ibi no. ad totale interesse, secundum hoc.

e *L. Græcè.* §. 1.) In d. l. est quæstio de fidejussore an Sententia lata contra principalem, possit executioni mandari contra fidejussorem sine novo processu: de qua latè per Bart. in l. 1. ff. judi. sol. & communis resolutio est quòd in fidejussore contractus non potest fieri sine novo processu. Probatur in l græcè. §. fi à debitore. ff. de pig. & l. à sententia, in princ. ff. de appel. & C. de his qui ad Eccles. confu. l. præsenti. §. adjicientes: quod tenet Sic. in titulum de executione Sententiæ. §. sequitur, ver. sed quid Sententia & gar. Ioannes And. & Dominicus in c. unico de immunitat. libro 6. Bart. Bald. Fab. & Saly. in l. fin. C. de executione rei judic. sed in fidejussore de judicato solvendo glos. in prælleg. l. fin. dicit quod fiet executio sine novo processu; & videtur textus in præal. l. 1. quando, secundum Bart. ibidem fidejussio facta fuit in judicio, nam tunc ex clausula quod verbum sonat, fiet executio sine novo processu: quod probatur per textum in prælleg. l. ult. C. de executione rei judic. ubi dicit quòd verbum *statim* significat summariam cognitionem absque ordine judiciario: ut C. unde vi. l. momentanea; ergo patet quòd non debet fieri novus processus ordinariè propter verbum *statim* seu *confestim*, quod importat ut non requiratur nova Sententia, ut in Authent. de incest. nupt. §. collat. 2 & ibi no. Quid autem de fidejus. de judic. sisti, vide per Bald. in l. 2. §. fi. ff. qui. satisd. cogantur.

f *De evictione.*) De jurè verò si lite mota, & denuntiatione venditori facta ut defendat, facere nolit: habet emptor in judicio stare & defendere, alioquin de evictione non aget, C. de peri. & commo. rei venditæ, l. 1. in fine, C. de evictione; ex quo enim non defendit, videtur magis propter absentiam quàm propter malam causam condemnari: ff. de evictione, l. si idem & c. fi. de emptione & venditione, in glosa quæ incipit contumaciter: & sentit Bald. in alleg. l. 1. C. de peri. & commo. rei venditæ: quòd intellige, nisi esset notorium quòd ipse emptor foveret injustam causam, quia tunc posset cedere liti, nec teneretur expectare sententiam contra se: non autem quando lis esset dubia: l. cum quæstio, C. de evictione, & ibi Ioannes Faber & Salyce. facit l. emptorem, ff. de act. emptoris: idem Ioannes Faber in l. utique: C. de rei vendicat de quo per ipsos in l. at qui natura, §. cum me absente, ff. de nego. gest. & Bart. in prælleg. l. emptorem, ubi dicitur quod emptor non defendens in causa evictionis, quando est notorium quod res est evincentis, nihilominus agit contra venditorem.

g *Suscipere.*) Nam dilationes prædictæ conceduntur eidem ad deliberandum an ipse debeat cedere vel contendere, ut in Authent. offeratur, C. de litis contestatione; ergo alium effectum non debent operari, ad hoc facit l. legata inutiliter, ff. de legat 2. 26. distinct. c. deinde 40 dist. c. licet, 16. q. 2 c. legi. & 12. q. 2.

c. charitatem, & actus agentium non operatur contra intentionem ipsorum: ut l. non omnis, ff. si cert. per. facit Paul. l. non videtur, 2. de judic.

h *Reputaretur.*) Iste casus non invenitur expressus inter alios speciale mandatum requirentes positos per Speculator. tit. de procur. §. 1. ver. item opponitur quod licet habeat generale mandatum, qui etiam continentur in gl. in c. qui ad agendum eod. tit. lib. 6. & per Joan. Fab. instit. per quas person. cuique acq. ubi dicit idem esse in quibuscumque magnis & arduis causis in quibus major aut saltem similis ratio militat, sicut in dictis casibus expressis; unde dicit Bald. in l. mandatum, 2. col. C. mandati, quòd procurator generalis non potest prorumpere ad actus obligatorios, sine libera, alleg. l. quàm Tuberonis, §. ff. de pecu.

i *Obedire.*) Dicit tamen glossa quam approbare videntur Joan. Fab. Bar. & Saly. in Authent. qua in provincia, C. ubi de crimine agi oporter; quòd si conveniatur mandatarius de delicto, habebit dilationem ad denunciandum domino, non tamen secundum Bart. & Saly. ut ex hoc liberetur conventus; sed datur ut ipse conventus possit instrui à domino de suis defensionibus, argumento c. constitutus, de procur. quod est notandum secundum eosdem Bart. & Saly. intelligenda tamen prædicta Authentica quando conveniebatur de crimine civiliter, & eo casu quo satisfactio unius liberat alium: potest etiam, ut ibidem dixit Bar. esse casus in quo iste mandatarius excusabitur propter mandatum, secundum ea quæ notantur in l. liber homo ff. ad legem Aquil. & per eumdem Bar. in l. non solum, §. si mandato ff. de injuriis, & primò ratione personæ cui mandatur: id quod potest esse simpliciter licitum, ut laboraret in tali vinea, domo vel fundo, quem si tu meum esse putabas, certè excusareris: ut in l. in rem. §. tignum, ff. de rei vindicat. quandoque tamen illud quod mandatur, non est licitum nisi certæ personæ, & ex privilegio: ut puta maritus potest occidere adulterum vilem inventum cum uxore. Certè cùm hoc sit ex privilegio concesso personæ, non potest hoc mandare alteri, nisi forte hîis, ut l. Gracchus, C. ad leg. Julian. de adulter. Quando verò mandatarius prætendit excusationem, ut quia habebat parere necesse, tunc in levibus excusatur, secus in gravibus, ut in prælleg. l. liber homo habetur, & quod ibi not. per Bart. in alleg. §. si mandato, & ibi per eum quæ dicantur levia, & quæ gravia, & in regula juris, quod quis mandato, de reg. jur. lib. 6.

Tu adde.) Dum quæritur an mandans delictum puniatur si mandatarius fuerit punitus. Part. & Alexand. in l. si qui separatim §. quod est rescriptum, ff. de appel. Fely. in c. cum super. col. 2 versic. victoria tertii, extra de re jud. & dum dicit maritum non posse mandare occisionem suæ uxoris; vide quæ posui in apostil. ad Bald. post eum in l. ad officium, in fin. in vers. per alium, C. communi divi, & in apostil. ad Panor. in c. si quisquam, in versic. potest impunè occidere, num. 3. extra de cohab. cle. & mulier. ubi limito dictum hoc, nisi statutum impunè permittat illius occisionem: quia isto casu poterit illam mandare, ut per Bald. in allegat. l. Gracchus.

k *Curabuss. ff.*) Et hoc verum ubi Judex mandat aliquid officium suum exercendo, ff. ad Treb. l. servor. §. cum prætor. nam tunc obediens excusatur propter judicialem authoritatem, ut ibi: & ne contra publicam utilitatem maleficii impediatur punitio, l. ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil. Si verò extra officium aliquid præcipit vel mandat, in atrocioribus non est parendum; sed potiùs Deo quàm hominibus obediendum, 11. q. 3. c. si dominus, & alleg. c. Julian. & de sentent. excommun. c. inquisitioni & prælleg. l. ad ea. In levibus autem, ut in his quæ sine dolo committuntur, etiam extra officium parens seu obediens excusatur: ut in prælleg. l. liber homo: ita glos. in alleg. regula juris: cum quis de reg. jur. lib. 6. Bart. in prælleg. §. si mandato, & isto casu ultimo etiam procedere posset quod dictum est suprà, post Bart. & Saly. videlicet esse locum garendo.

Adde.) Flo. in l. liber homo, ff. ad leg. Aquil. Bald. in l. non ideo, C. de accus. Angel. in l. liberorum, §. accusantur, ff. de insa. Doctores, in l. injuriarum, §. si quis quod, ff. de injur. Alexand. in l. non solùm, §. mandato, eod. tit. & Bart. Cepo. caute. 39.

l *Concedetur.*) Ad quod facit quod dictum est in §. præcedenti, & cum suprædictum est deprehenso in furto & capto, concor. tex. in l. interdum, §. qui furem, ff. de furtis, & idem in quolibet alio deprehenso in crimine flagranti, ut in l. 1. C. de rap. & gl. & Doctores in c. cum non ab homine de judic. ut scriptum plenè in repe. clemen. 1. de offi. ordi. idem in debitore fugiente, in l. ait prætor, §. si debitorem, ff. quæ in fraud. credito. quod Bartol. ibidem verum esse dicit quandò creditor sibi consulere aliter non potest: idem in aliis casibus notatis per Ioan. Fab. in l. fin. C. de exhiben. reis, & in l. 2. C. de his qui latrones occultaver. aliàs autem regulariter non videtur permittum capere propria auctoritate: & ad hoc quod suprà dictum est quando in capiendo vulneratur captus, facit text. in l. 3. & ibi Ioan. Fab & Bart. C. de his quiad Eccles. confug. ubi not. per Bart. quod quando aliquis licitè capi potest, si ille se defendat, & in certamine fuerit occisus, occidens non venit puniendus, & idem Ioan. Fab. in prælleg. l. 3. ubi tenet quod deputati per Iudicem ad aliquem capiendum non delinquunt si percutiant resistentem, argumento dictæ l. 2. Iacob. de Aret. & Saly. in prælleg. l. 2. in fi. idem Ioan. Fab. in l. fi. C. de malefi.

m *Dignum.*) Facit l. fin. ff. de inoffi. testamento, ubi exhæredatus agnoscendo legatum, videtur judicium testatoris approbare: de quo in l. post legatum ff. de his quibus ut indig. idem videmus in fidejussore, qui post litis contestationem, non potest opponere exceptionem discussionis, ut tenet Bart. in l. 3. ff. de excep. Lac. de ra. Cyn. Bald. & Saly. in l. exceptionem, C. de probat. Bald. & Saly. in Authen. præsente, C. de fidejuss.

IN CAP. XIII. DE *Exceptionibus.*

Exceptio, tu non es procurator, opponi qui. in post litem contestatam potest.

Non potest.) Pro hoc glos. singul. in c. 1. in verb. absentia, de elect. lib. 6. ubi dicitur quod si opponatur post litem contestatam procuratori, quòd procurator non est, * cogendus probare mandatum ad instantiam partis, ff. de procur. l. Pomponius, §. rati. verumtamen Bart. Bald. & Saly. in l. licet, C. eod. tit. & Sicul. in c. in nostra. de procurat. tenent quod ista exceptio, tu non es procurator, cum reddat judicium retro nullum: oppoui potest etiam quod litem contestatam, ut §. sequen. & idem Bart. in alleg. l. §. rati. & Ioan. Fab. instit. de exceptionibus, §. præterea, Baldus tamen in allegat. l. licet approbat prælleg. glos.

* Non est hoc est verè ad finem ex nunc impediendo ulteriùs procedi, sed si fiat præjudicium instantiæ, & interim procedendo petitur edi data congrua dilatione, tenetur procurator intra tempus præfixum, non solum probare, sed etiam apud acta deponere instrumentum sui mandati. Ad hoc constitutiones regiæ, ut Ludo. 12. anno 1499 §. 134. qui & non vult restitui nisi prius registratum sit apud eadem acta. Fac. quod Cy. Alber. in l. instrumenta, c. de fide comm. sint, tenent quòd procurator teneatur tradere instrumentum originale procurationis, vel cavere de exhibendo quoties fuerit petitum. Idem tenet in effectu Sp. cul. titulo de instrument. edition. § nunc dicamus in fine & in titulo de procuratore. § ratione autem in fine. C. M.

b *Non.* (Bartol. in alleg. l. licet, dicit prædictam probationem non sibi placere, cum sit contraria facto, c. sollicitudinem de appel.

c *Illa forsan.*) Vide quæ scripsi sup. eod. §. proxim. quæ melius cadunt hîc; nam prælleg. §. loquitur in exceptione illa, tu non es præsentatus: id est ad acta Curiæ non fecisti fidem de mandato tuo, quæ est dilatò-

ria, & ante litem contestatam venit opponenda. Sed ista, tu non es neque fuisti procurator, post litem contestatam potest opponi ad impediendum in futurum acta: quæ reddit judicium retrò nullum, juribus superiùs alleg. vide Salycet. in alleg. l. licet.

d *suas.*) Pro hac ratione facit text. juncta glos. in l. fi. C. de procur. & in c. pastoralis, de judi. ff. de interrog. actio. l qui servum, §. ult. C. de juramento calum. Auth. principales; crederem tamen quod per dictum stylum usus Procuratorum & Advocatorum excludatur, ut not. Doctores in alleg. c. pastoralis, & quia stylus mentionem non facit de muliere, crederem quòd non sit cogenda per se litigare, vel gratiam super hoc habere, sed servandum sit, c. mulieris, de judi. lib. 6. ita voluit Bald. in alleg. l. final. & idem videretur in Episcopis, ut non per se, sed per alium debeant respondere: ut 5. quæst. 3. c. quia Episcopus, idem in illustribus, ut in l. pen. C. de procurat. Idem in personis indiscretis, ut in alleg. c. pastoralis: idem in minoribus, ut in c. ex. ratione de ætat. & qualit. & C. de auctor. præstanda l. clarum: idem in prodigis & furiosis, secundum gl. in alleg. c. pastoralis: idem in muliere religiosa, ut in alleg. c. 2.

e *Digna.*) Quæ fuit Parisius instituta de centum consiliariis, scilicet duodecim Paribus Franciæ, octo Magistris Requestarum domus Regis, & octoginta aliis Consiliariis, quadraginta Clericis, inter quos sunt quatuor Præsidentes Laici, & hoc est ad instar Senatus Romani à Romulo instituti, in quo erant centum Senatores, C. de petitio. hæred. l. fi. no. ff. de senat. in rub. C. de cadu. tollen. l. 1. & vocabantur venerabilis cœtus, C. de legib. l. leges & Patres Conscripti, C. de emenda. justi. col. 2. in prin. ad leg. Iul. majestatis, l. quisquis in prin. no. Archi insc. fundamenta de elect. lib. 6. & ad latus principis sedere debent: ut voluit Bar. in l. Jurisperitos, ff. de excusat. tut. & in necem eorum machinantes, tenentur lege Julia Majestatis; censentur enim pars corporis principis, d. l. quisquis quæ est canonisata, 6. q. 1. c. si quis. Adde & injustè eis resistentes in his quæ ad eorum officium spectant, ut rebellantes Principi puniuntur in extravag. Henric. quoniam & sicut etiam ab Imperatore, vel Rege Franciæ superiorem in temporalibus non recognoscente non appellatur, ff. à qui. appel. non licet, neque etiam à sententia Senatus, ff. de minoribus, l. præfect. 2. §. 6. anteriorum, nec ab Arresto Curiæ Parlamenti. not. Spec. in tit. de appell. §. videndum, circa finem: ad hæc quòd Bald. in procem. ff. Sicul. & Præpo. in rub. de appel. contra illud tamen supplicari potest sive propter error usque ad triginta annos olim, hodiè usque ad biennium, ut in ordinatione Ludov. XI. publicata in dicta Curia, anno Domini 1479. ad instar supplicationis correctæ superiori, l. 1 c. de sen. præfe. præto. & dicit Ioan. Fab. in l. fi. C. & legi quòd Magistri Parlamenti possunt facere legem sicut Senatus poterat, l. non ambigitur, ff. de legib. fatendum est tamen quòd à sententia singulorum de Senatu benè potest appellari, ut d. l. 1. ff. à quibus appellare non licet.

f *Priorem.*) Pro hoc glos. in c. pastoralis de judic. dum dicit quòd universitas per alium comparet 12. quæst. 1. c. qui manumittitur, & ff. de eo quod cujusque universit. not. l. 1. §. quibus, & l item eorum, §. actor: quod etiam facit ad id quod ponitur infra eo. §. item procurator villæ.

g *Confiteri.*) Quod videtur de jure procedere, quando simpliciter excipit; quia dicit: tu mihi fecisti pactum de non petendo, secundum Accursium in l. non utique ff. de except. & in l. si quidam, ff. eo Idem videtur tenere in l. siquidem, C. de proba. item Specul. tit. de except. §. viso, circa principium, & Dyn. in reg. jur. exceptionem. Ioan. Fab. in præall. l. siquidem verumtamen communis est opinio in contrarium, videlicet quòd ubi quis simpliciter excipit, & ita se habet exceptio, quòd non negat specificè intentionem agentis, sed ponit intentionem excipientis, ut est exceptio pacti de non petendo, interruptiones, præscriptiones & similes, regula sit, quod exceptionem objiciens actoris intentionem confiteri non videatur, ut in allegat. regula exceptionem, ubi tenet hoc glos. idem glos. Innoc. Anton. & Sicul. in c. cùm venerabilis, de exceptionibus, Cy. in præallegat. l. exceptionem, C. de probat. & l. si quidam, C. de except. Speculator eodem titulo, §. viso versicul. quid si reus. Et illud maximè procedit ubi etiam exceptio est exclusiva intentionis & facti; quia illa est præcisè negativa intentionis agentis: ut eo glos. in l. 2. circa principium, & eo & in l. qui se debere, ff. de condict. ob cau. ergo non potest dici quòd inducat confessionem, ne in eodem subjecto duo contraria insint, ff. pro suo. l. si ancillam, & eadem ratione dici potest idem in quacumque exceptione negativa intentionis agentis, ut est exceptio non numeratæ pecuniæ, & similes. Procedunt etiam supradicta maximè quando per prius negatur hoc modo: nego tibi debere, vel non confiteor; & si debeam, oppono exceptionem pacti de non petendo: & hoc est quod notat glossa in allegat. l. non utique, & in dicta. l. exceptionem, & l. si quidam. Secundo, quando opponitur conditionaliter, videlicet si debeo, oppono tibi, & c. tunc enim nec fateri intelligitur, ut dicto, c. cùm venerabilis, & ibi glossa in verb. confessus. Tertiò procedit regula prædicta quando actor negaret exceptionem rei quoad jus & factum; quia tunc non posset se fundare ex negata exceptione, ut in regulis juris, ex eo. de regulis juris in 6. Et hoc totat Bartolus in l. non utique, allegat. ad quod facit, quod notat Speculator de positione negata, ut ex ea se fundare non possit, in tit. de posi. §. octavo, in principio, & Arch. in c. 1. de confes. lib. 6. & Bartolus in l. post legatum, in principio, ff. de his quibus ut indig. & Baldus in l. aliam, eodem titulo: & quod notat Bartolus, Angel. & Imo. in l. decem, ff. de verbis obligatoriis, & in l. cum de indebito, ff. de probat. & quod notat Bartolus in l. naturaliter, §. nihil commune, ff. de acquirendis possessionibus, in vers. tertia lectura, & facit quod notat Anton. in simili, in c. gratum, in fin. de offic. deleg. Et post Bartolum idem dicit Siculus in præallegatis, c. cum venerabilis: Sed fallit dicta regula si dicatur hoc modo: verum est quod debeo tibi decem, vel quod numerasti mihi: sed dico quòd fecisti mihi pactum de non petendo, quia tunc videtur intentionem actoris confiteri: facit quod notat gl. in d. l. non utique: & in allegat. regula juris exceptionem, ubi bona glossa. Secundò fallit quando actor confitetur factum; sed negat jus, ut puta, quia fatetur pactum de non petendo, sed dicit istud invalidum ratione ætatis vel alia ratione: & tunc actor potest se fundare super exceptione rei: ita dicit Bartol. allegat. l. non utique. Hoc tamen non placet Sicul. in allegat. c. cum venerabilis. Et quoad exceptionem solutionis, quando conventus actione personali dicit se solvisse, vel præscripsisse, non videtur confiteri intentionem actoris secundùm communem sententiam Canonistarum, in allegat. c. cum venerabilis, & etiam legistarum. Jacob. de Aretin. Cyn. Nicol. de Nea, & Salycet. in dicta l. siquidem.

Adde.) In prædictis in quantum dicitur hic quòd excipiens intentionem adversarii, non videatur fateri salvis limitationibus per istum hic positis, hoc esse ita verum, ut si aliter actor non probaret intentionem suam, tunc veniret ipse absolvendus: ita multum singulare notat Lud. Roman. dicens hanc esse communem opinionem, in l. cum mulier. co. 5. & 6. ff. sol. ma. & in l. alia, C. de his quibus, ut indig. Alexand. de Imo. in l. decem, col. 7. de verb. obligat. & Dy. in reg. exceptionem, & inibi Dom. Nicol. Boërii, in addit. ad ipsum, & Feli. in cap. cùm venerabilis, col. 4. & sequent. ubi ampliat, ut non declaret dubiam ejus probationem:

probationem : & dicit (quod prædixi) esse communem : ut ibi etiam posui in apostillis ad Panor num. 1. in verb. non videtur, extra de except. & posui plenè in apostill. ad Philippum Fran. in prælleg. regul. exceptionem, num. 3. in ver. actoris intentionem : & in addit. ad Lanfran. de Oria. in 6. quoniam contra falsam, §. except. num. 4. ver. istud quoque in versic. de intentione adversarii, extra de probat.

h *Proponendum.*) Quod suprà dictum est, scilicet quod exceptio præscriptionis impedit litis contestationem, dic verum esse quando opponeretur processui, quia dicit : Tu non potes agere, vel non es audiendus, quia non habes actionem : secùs autem quando opponeretur ad merita causæ, ut si dicas : Non foves justam causam, quia præscripsi ; ita Bartolus in l. cùm quærebatur, §. 1. ff. judicat. sol. & Angel. Aret. instit. de except. §. æquè, 8. col. versic. 8. ubi in summa ponit quòd illud quod dicitur quòd exceptio præscriptionis & similes, impediunt litis contestationem : ceterùm esse verum, si possunt in continenti probari : & excipiens affert se in continenti probaturum, juxta notat. per Bartolum in l. fin. C. de edict. divi. Adri. tol. aliàs autem si requiram altiorem indaginem, reservantur post litem contestatam. Ita notat Bartolus & Doctores in l. nam & postea, in principio ff. de jurejurando, & voluit Bartolus in d. l. cùm quærebatur. Cy. in l. emptor, C. de præscriptione decem vel viginti annorum. Ioannes And & Domin. in c. exceptione, de litis contestatione lib. 6. Idem Iaco. Butri. in l. omnes, & in l. sicut C. de præscriptione triginta annorum. Idem Ioannes Pet. de Ferra. in forma responsionis reconventi, in glossa super ver. præscriptiones. Idem Bartolus in prælleg. l. 1. §. fin. ff. ad Tertul. & in l. fratres, C. de transactionf. Speculator tamen in titul. de exception. §. dicto, ver. pone. dicit quòd de consuetudine Curiæ Romanæ, quæ est optima legum interpres, exceptio præscriptionis non impedit litis contestationem. vide in dec. capellæ quæstione 67. & latiùs quàm per quemcumque alium. vide per Ang. Aret. ubi suprà.

i *Novi.*) Nam & qui declarat, nihil novi facit, sed quod factum est, detegit, ut ff. de testa. l. hæredes palam, §. si quid post, & l. adeo, §. cum quis, ff. de ac. re. dominio, unde concludit singulariter Io. And. in additionibus ad Speculatorem titulo de testibus, §. nunc videndum, versic. & hoc notat. in additione quæ incipit plus dico, declarationem uno eodemque tempore fingi emanasse cum declarato, de quo per Ludo. Ro. consi. 482. ult. col.

k *Possunt.*) Ut quia exceptio quæ fuit opposita in vim dilatoriæ, non fuit probata ; nam poterit in principali in vim peremptoriæ proponi ut absolvatur, quia variatur finis opponendi : ita tenent Archi. Ioannes Andr. Domin. in cap. 1. de litis contestatione, libro 6.

l *Peremptoriæ.*) Quod verum est si excipiens non stat in finibus suis, ut quia ultra progreditur dicendo : illud nego fieri debere, quia habeo pactum de non petendo. Nam lis esset tunc contestata, ita glos. in c. 2. de litis contestatione lib. 6. & idem ibi Domin. & videtur tenere Siculus in c. 1 eodem titulo, per Cy. & Bart. & Doctores in l. unica, C. eodem titulo ubi glossa tenet indistinctè quod per objectum exceptionis peremptoriæ inducitur litis contestatio, quod est contra textum in prælleg. c. 2. ubi est textus quod per exceptionem peremptoriam non fit litis contestatio : quod intelligunt glossa & Doctores ; verum quando stant in finibus suis, ultrà non progrediendo.

m *Audiretur.*) Ad hoc quod dicit Speculator eodem titulo, §. nunc dicendum, versic. exterùm ; videlicet quòd ideò id fit quia malitiosi Advocati hodie proponunt unam, & cras proponunt aliam : Et sic lites protrahunt & agentes repellunt, argumento c. pia eodem titulo, l. respon. lib. 6. & de resti. spo. c. frequens, eodem libro ; licet litis contestatio sit terminus exclusivus dilatoriarum. Verumtamen Judices ad obviandum huic malitiæ, solent unum terminum assignare ad omnes dilatorias proponendum, ut in c. pastoralis, de except. ff. de judic. l. nonnunquam, quo termino elapso nullatenus debet audiri volens proponere dilatorias.

Fallit tamen primò si pars fuerit protestata in termino, & specialis sit protestatio ; id est si nominentur exceptiones & exprimantur quas intendit sibi salvas esse, ut voluit glossa in allegat. cap. pastoralis. idem Hostien. & Siculus, idem Speculator ubi suprà versic. potest, & versic. sed illud quæritur, & eodem titulo, §. viso, versic. sed qualiter.

Secundò fallit, si de novo exceptio orta sit.

Tertiò si priùs erat orta, sed de novo venit ad notitiam rei. Sed dicit Uber. & refert Speculator in allegat. versic. exterùm, quod istud in foro seculari non servaretur.

Quartò fallit si de novo supervenit facultas probandi ea quæ orta erant tempore termini seu dilationis, in c. ut circà, de electione lib. 6. Et ita sentit Pau. in cle. constitutionem, eod. tit.

Quintò vult proponere exceptionem illi contrariam quam primò proposuit, quia simul non potuit ab initio contrarias exceptiones opponere. Ita dicit glossa in c. cum dilectus, de religi. domi. Ad secundam fallentiam suprædictam fait, c. insinuante, de offic. de leg. & qui. ma. accusa. poss. c. fi. de quo per Siculum post glossam in allegat. c. pastoralis, & Specular. ubi suprà in vers. exterùm, & versiculis duobus sequentibus.

IN CAP. XIV. DE *adjornandis Hæredibus.*

C*ongedium.*) Crederem quòd si virtute prædicti congedii dictus successor rei diceret actorem interruptionem fecisse processibus, & ipsum à causa seu instantia cecidisse, cùm sicut prædictum est, ipse actor sufficiens intervallum habuerit à dicta mortis tempore usque ad tunc proximum Parlamentum ad faciendum hæredes adjornari, actor verò asserat se mortem defensoris ignorasse, offerendo præstare super hoc juramentum, attenta qualitate personæ actoris, vulgata fama mortis defensoris, Curia potest admittere vel non admittere dictum juramentum, prout sibi videbitur. Et ita cavetur in ordinatione Ioannis, 1. ver. nos insuper. Nam & ignorantia probatur per proprium juramentum, ut in c ut circa, versic. super hoc & in c nulli, in fine de electione lib. 6.

Adde.) Hoc intelligendum de juramento principalis, non autem procuratoris, secundùm textum in c. si verò aliquis versic. propria manu dumtaxat juramentum præstiterit de sententia excommun. nisi esset procurator specialis ad hoc, ut in d. c. ut circa de elect. lib. 6. in glossa quæ incipit per proprium, in versic. ignorantia, Ludo. Ro & Alexand. in l. qui boria, §. si aligno, ff. de damno infecto.

b *Ipsum.*) Pro hoc facere videtur quod dicit Speculator titulo de citat. §. 2 versic. item qui in ea nulla, ubi dicit quòd adversus citationem opponi potest, quòd causa quare fiat, non est in ea expressa §. q. 2. c. 1. & c. fin. ff. de fer. l. 1. idem tenet Ioan. 4. q. 2. c. si Episcopus, facit l. ex quacumque causa, ff. si quis in jus vo. non ierit ad idem in c. fin. de dilatione in principio, & c. cum dilecti. de dolo & contumacia, & c. licet, de accusat. in quibus Papa citando expressit causam. Idem tenet Ioannes Andr. in additionibus ad Speculatorem ubi suprà : & benè facit cle. 2. ut lite pendente, dum minuit litis pendentiam non induci

per citationem, nisi in ea talia fuerint expressa per quæ plenè possit instrui super quibus in judicio convenitur.

c *Successores.*) Quod verum intelligerem de universali quolibet successore in quem transit instantia, ut voluit Inno. Anton. Bald & Sicul. in c. quia 5. de judic. ad quod ibidem allegat Baldus, l. tam ex contractibus, ff. de judic. ff. de prætor. stipul. 2. & l. servus, ff. de his qui notant. infa. & appellatio successoris in dubio intelligitur de successore universali, non de singulari. Bartolus in l. priorem, §. majorem, ff. de le. 3. no. in l. quædam, §. is autem, & ibi Doctores & Pau de Cast. ff. de eden. & Bald. in l. emptor. pen. col. C locati per dictum, §. is autem. In successorem autem singularem non transit instantia secundum Inno. Anton. Sicul. & Bald. in allegat. c. quia, & nisi, secundùm Anto. quando ad ipsum singularem successorem transit jus agendi vel res de necessitate, ut quia duo dividant hæreditatem inter se, & unus eorum erat primò conventus.

Instantia non erat sit in successorem singularem.

d *Dictum est.*) Verum est quòd in instantia per prædecessorem in dignitate nomine Ecclesiæ inchoata, successor in dignitate succedit: quod Anton. in allegat. c. quia, dicit esse verum quando quæstio est realis, & tangens dignitatem, secùs si personalis. Et si agitur petitorio vel possessorio super Ecclesia, ratione tituli, non transit instantia ad successorem in titulo, quia tunc non agitur nomine Ecclesiæ, sed personæ. Item successor in beneficio non consequitur jus à prædecessore, sed à superiore à quo habet institutionem: crederem tamen quod instantia incepta contra Prælatum ratione debiti contracti pro utilitate Ecclesiæ, transeat ad successorem qui tenetur talia debita persolvere, ut in c. 1. de sol. & ibi Dominic. & Sicul. in c. ex præsentium, de pig. c. per tuas, de donat. & in c. cùm essem de testa. in repet.

e *Fallum.*) Quia rescriptum seu adjornamentum videtur esse commune, argumento eorum quæ leguntur & notantur in C. l. 1 & 2 de non numerata pec. per Inno in c. ex quæstione de restitutione spoliatorum. Simile videmus quòd diligentia appellati prodest appellanti, & excusat ipsum appellantem à desertione, ut notatur per Ro. deci. 68. & in cle. si appellationem, de appellation. per Siculum in c. ex parte, de rescript.

f *Anni 27.*) Et licet reus in sequenti Parlamento post mortem actoris comparendo potuisset petere congedium contra hæredes actoris non comparentes, ut satis dicitur suprà eodem §. proximo, ubi tamen successores actoris comparerent, reo non comparente, secùs, ut ex his vides: major enim est actoris contumacia quàm rei, 4. q. 2. c. 1. & in c. actor, de dolo & contumac. lib. 6.

g *Vel non.*) Hodie per ordinationem Ioannis cavetur, quòd pendente die appensamenti status causæ in quo erat tempore mortis prædecessoris ipsius defensoris, actor ostendere tantummodò tenetur, cùm hæres aut successor defensoris possit appensamento pendente, si velit, de causa, sive de causis sui prædecessoris sufficienter instrui, adveniente die appensamenti tenebitur hæres aut successor defensoris causæ ipsius in quo appensamentum habuit, arramenta assumere vel deferre: assumitque in ea tacitè procedendo aut verbo tenus assumendo.

h *Diligentia.*) Ex quo enim prima dilatio concessa fuit: ad idem alia concedi non debet, nisi causa cognita, videlicet Doctor. de diligentiis vel impedimento, ut 3 q. 3. c. Spatium, l 1. c. de dilat. c. 2. de dilat. & ibi Doctores, c. in causis, & c. ultra tertiam, de restit. spol. Specul. in tit. de dilation §. fin. ver. in summa. Bar. in l à procedente, C. eod. titulo.

Adde.) Quod plenissimè posui in apostill. ad Lanfran. de Oria. in c. quoniam contra faltam, §. dilatio. num. 2. versic. advertendum, extra de probat.

IN CAP. XV. AN PARS agens.

E*Xhibere.*) Inno. in c. 1. de prob. dicit quòd si actor facit mentionem de instrumento, in libello debet edi ante litis contestationem: exemplum; si peto à te centum quæ mihi debes ex tali instrumento: si enim hoc casu non fieret editio ante litis contestationem, non posset reus deliberare an debeat cedere vel contendere: argumentum in Authent. si quis in aliquo, C. de eden. & in c. 2. de fide instrument. istud dictum, Inn. limitat. Bar. in l. si legatum, ff. de eden. per illum text. & latiùs in l. edita, C. eodem titulo. quando in libello fit mentio instrumenti non per modum limitationis, sed per modum cujusdam assertionis probationis: ut quando dicit actor quòd Titius vendidit talem rem sub tali pretio, & quòd de hoc rogatus est talis Notarius, vel de hoc apparet publicum instrumentum manu talis Notarii: & tunc cùm reus possit deliberare ex illo libello, absque eo quod videat instrumentum, cum non fiat mentio de instrumento ad limitandum contenta in libello, sed solùm ut ostendat quòd contenta in libello probare potest, non est necesse quòd in principio fiat editio, & hoc casu non procedit dictum Inn. Sicul. tamen in allegat. c. 1. tenet quòd etiam ubi simpliciter in libello fit mentio de instrumento, debet fieri editio ante litem contestatam si est tale instrumentum de quo reus verisimiliter non est informatus, ut quia dicit contractum fuisse cum defuncto, cujus reus est hæres. argumentum optimum in d. l. si legatum, & sic credit Inn. intellexisse, quandoque fit mentio in libello de instrumento limitativè, ut qui declarat & limitat libellum. Exemplum: dico quòd Titius vendidit mihi fundum pro tali pretio, prout apparet in instrumento manu talis Notarii confecto. Et tunc aut reus verisimiliter non est reformatus de hujusmodi instrumento, quia ad eum non pertinet, & debet ei fieri copia ante litis contestationem, aliàs deliberare non posset. Et sic procedit dictum Inno. secundùm Bartolum, ubi suprà. Si verò est tale instrumentum de quo reus est verisimiliter instructus. Exemplum: petit legatarius legatum ab hærede prout continetur in tali testamento: & tunc non debet fieri copia, quia apud hæredem præsumitur esse testamentum, & præsumitur instructus de petitis: sic probatur in l. 2 ff. eo. ita Sicul. in alleg. c. 1. adde quod cessionarius tenetur facere fidem de cessione antequàm possit in judicio experiri si agat directa actione & nomine cedentis, secùs si util. Specul. tit. de actore. §. 1. versi. item contra Prælatum & de instru. edi. §. nunc dicamus, ver. sed qui ecce. Bar. in l. si duo, ff. de sol. & in deci. capel. 395. q.

Adde.) Quando iste dicit actorem cogi ad edendum instrumentum reo ante litem contestatam, ipse fecisset in libello de illo mentionem, ut notatur in c. 1. extra de proba. Tu dic hoc pati tres limitationes quas ponit Bar. Soci. in suo tract. fallen. reg. 113. & Fed. de senis consi. 111.

b *Decere.*) Ad hoc facit cap. cum personæ, de privil. lib. 6. juncta glosa ad hoc. facit, not. per Innoc. & Sicul. in c. ex insinuat. de procur. ubi tenet quod is ad quem pertinet collatio beneficii, illud beneficium habentem compellere potest ostendere titulum: pro quo est text. in c. ordinarii, de offi. ordi. lib. 6. Ad petitionem tamen adversarii numquam quis cogitur dicere titulum sui beneficii. Idem not. Ioan. And. in c. 2. de regul. jur. lib. 6.

c *Allegavit.*) Ad quæ faciunt quæ dixi suprà proximo §. quibus adde quòd d. l. cogi, intelligitur in his quæ de jure communi possideri possunt. Sed in aliis secus, in c. de multa. de præben. propter quod ostendendus est titulus, ut in alleg. c. ordinarii: similiter de decimis, ut in c. dudum, de decimis: ad hoc text. juncta

glos. in c. ex insinuatione, de procur. c. di. contra morem. Siculus in c. quanto. de censib. facit c. causam quæ, de præscript. & not. per Joan. And. in c. 1. de regul. juris, lib. 6. glos. Baldus & Doctores in l. sive possidetis, C. de probat. glos. in allegat. c. ordinarii, in verb. exhiberi, & in allegat. c. cum persona: in ver. tradere. Vide glos. in verb. obtineri in allegat. c. 1. de regul. jur. lib. 6.

IN CAP. XVI. DE Duello.

Mortis.) Bald. & Præpos. de pace tenendâ, & ejus viola. ponunt plures casus non exigentes mortem, in quibus dicunt esse locum duello jure Lombard. hoc autem quod toleretur duellum in Regno Franciæ in omni casu mortis, excepto furto, dicit Joannes Faber instit. de hæred. quæ ab intestat. defer. de quo per Pet. Lac. in titulo de duello sive pugna, 2. & 3 col.

b *In occulto.*) Et idem voluit Ioannes Faber ubi suprà, quod sequi videtur Speculator in titulo de accusat. §. sequitur 9. col. ver. sed quid, dum Inno. quod ad hoc quod habeat locum duellum, requiritur quod mors sit fortuita. * in Lombard. tit. de homin. lib. 6. l. fi. idem Pet. Lac. ubi suprà: unde notat Bald. & Præpos. in allegat. tit de pac. tenen. 2. col quod ubi delictum est manifestum, non habet locum pugna, nam ubi est clara probatio, non habet locum declaratio, l. 2. ff. de dot. prælegat. ea benè quidem, 96. distinct. secundum Iac de bel. quod enim patet expressè, non est probare necesse, l. ea C. de accusat. not. in l. cujus C. de appel.

* *Fortuita*) sed hoc est magis iniquè & barbarum, & ratione vicinior est constitutio Philippi. Lucas autem à pœna pœnam vocat l. Langobardorum non f. sed legum vocem. C. M.

c *Suspectus.*) Et propterea dicit Ioannes Faber ubi suprà, quòd debet esse talis præsumptio contra reum, quòd supponi possit quæstio, & Bal. & Præp. ubi suprà dicunt, quòd provocans ad duellum debet per indicia probare crimina quæ impingit, & qualia sufficiant, est arbitrarium superiori: per quæ indicia si non probaverit, non erit cogendus ad duellum suscipiendum, argumento l. milites, §. oportet, ff. de quæstio.

d *Contigisse.*) Dicit enim Baldus ubi suprà 6. col. quòd pugna æquiparatur torturæ, quæ non debet fieri, nisi indiciis præcedentibus, ut not. C. de servis fugit. l. quicumque ff. de quæst. l. maritus, & C. ad legem Iuliam, Majest. l. si quis. Sed sic est quòd tortura non debet induci nisi constet de casu: ut not. Bart. in l. 1. §. illud, ff. ad Syllanian. ergo, &c.

e *Provocari.*) Sed secus est ex constitutione Lombard. in tit. qualiter quis se defen. l. si de furto: Bal. ubi sup. 6. col. dicit quòd ipse fecit quasdam constitutiones locales in Regno Siciliæ: per quas solùm permittit; videlicet in casu veneficii & fortunæ mortis, vel subditoriæ. Et subdit in quibus etiam à pugna judicium non permittitur inchoari, sed per probationes ordinarias, si supersint aliquæ, procedi primo jure debemus, deinde officio Curiæ subtili inquisitione permissa: si per probationes aliquas, vel per inquisitionem plenè non poterit faciliùs probari, tunc demum ad pugnæ judicium indiciis præcedentibus descendatur, quod secundùm eumdem Bal. cósonat juri communi.

f *Vel alium.*) Cùm is verè committat delictum, cujus authoritate vel mandato committi probatur: ut c. mulieris, in fi. de Senten. excom. c. cum ad sedem dè testi. spo. c. ut famæ, §. final. de sentent. excom. C. de excus. l. non ideo, ff. ad l. Aquil. liber homo, in princ. & ff. de jurisd. om. jud. l. si is qui, §. ult. & an mandans teneatur pari vel majori pœna quàm mandatarius, & includatur sub dispositione juris vel statuti punientis eum qui fecerit tale delictum, vide singulariter per Sicul. in alleg. e mulieris.

g *Locum.*) Pro hoc ff. de accusat. l. libellorum, quæ est canonisata, 2. q. 8. c. libellorum, facit c. cum, de procurat. &c. procurator, de elect. lib. 6. c. præsentium, de testib. eod. lib.

h *Tenerem.*) Unde anno Domini 1307. per Philippum Pulchrum * mandatum fuit Seneschallo Tholosano, ut quandocumque causæ vadiorum duelli moverentur, seu moveri inciperent coram eo, in eis nullatenus procederet, nec aliquem processum in causis hujusmodi etiam ab initio fieri permitteret, sed in hujusmodi & similibus casibus nullo coram eo habito processu, partes ad examen Curiæ Parisius remitteret. De vero jure alii Iudices possent cognoscere, ut satis probatur in l. Lombard. qualitèr quis se defend. l. quibuscumque, & per Bald. & Præpos. in allegat. titulo de pace tenen. & Pet. Iac. in titulo de duello: & nisi duellum sit; executio pugnæ secundum eum fieri non debet, arg. C. de execut. rei judic. l. 1. & ff. de regulis juris, l. non est singularis.

* *Pulchrum*) habetur infrà de constitu. tit 42. §. 2. Sed hodie nec Parlamenta quidem de his se intromittunt, sed Regi ejusmodi privato consilio omnino reservantur, & merito, ut hæc nefanda nimis approbentur. C. M.

i *Forti.*) Nisi esset numerò decem & octò annorum: quia secundùm Pet. Iac. eod. tit. 11. col. non pugnat per se, arg. de pace tenen. in fin. circà prin. Item neque mulier pugnat per se, ut in Lombard. qualiter quis se defend. ut l. quis uxorem, & l. fin. arg. ff. de muneribus & honor. l. 3. §. corporalia; mulieres tamen inter se pugnantes refert etiam Paul. in tit. de pace tenen. 6. col. sed dicunt in Sicilia statuisse, quod minor 25 annis, nec ille qui attigit sexagesimum annum, teneatur per se pugnare; sed potest ponere campionem. Voluit etiam idem: sed quòd ubi pugnatur per campiones, quod ipsi corporaliter jurent se credere dominos, pro quibus pugnam inierunt, veritatem fovere, & se cum omni studio pugnaturos pro dominis suis: nec possunt paciscì de forma dimicandi. Deinde idem Baldus subjungit de pœn. fal. campionis, & qualiter debet esse optio defensoris qualiter se melius defendere valeat ab alio impetitore, quod consonat rationi, C. de tempor. in inte. restit. pe. & re. juris, non debet actori, de regulis juris lib. 6. Et ibidem dicit quòd si habens duos oculos, provocat unicum habentem, debet et unus oculus claudi.

k *Omittat.*) Pro quo facit, l. Lombard. qualiter quis se defend. l. mention. & argum. C. de postlium. l. providendum.

l *Le Champ.*) Præpos. in titul. de pace tenend. & r. respon. 6. collat. circa finem refert Rofre. in summa dixisse quòd campus debet assignari in civitate vel extra circumcirca: & chordis claudatur, & nullus alius misso bannio personarum & rerum, audeat ingredi illum locum: & si forte in illo die non finiatur pugna, Judex debet servare tunicas utriusque partis, & sequenti die iterum ad pugnam debet utrique parti reddere tunicam, ut not. in l. Lombard qualiter quis se defen. debet. Quæ autem arma concedantur in pugna respondet quòd scutum fusteum, debent tamen æqualia æqualiter præstari, ut in Lombar. de testi. l. si quis eam & in tit. qualiter quis se defen. l. evictio, & l. quibuscumque. Idem in tit. de duello, 11. col. adjiciens id verum esse nisi pro infidelitate pugna fieret. Nam tunc fiet armis militaribus, ut not. in Specul. de alien. feu. pater c. non est consuetudo. Sic & hodie regulariter generosi & milites utuntur in duello armis militaribus. Sed quid si uni arma deciderint aut frangantur, an debeant alia dari? vide quod sic. ut in Lombar. qualiter quis se defendere debe. in hoc, secundùm Præpos. ubique est observanda consuetudo.

Adde) quod si rusticus accusat militem de pacè violata, ex sanguinis effusione potest movere pugnam militi, ut videtur esse text. in titul. de pace tenen. cap. si rusticus, & ibi gl. Præpos. & Bald. miles tamen per se pugnare non tenebitur; sed dabit pro se campionem ad pugnandum cum rustico æquè idoneum ipsi rustico. Si tamen miles interpellaret rusticum a pugnam tunc haberet necesse miles personaliter pugnare, nec posset dare campionem, ut in §. [illegible]es rusticum, eod. tit.

m *Art.*) ad hoc facit quod est in Lombar. titul. quomodo quis se defen. debe. l. nullus campio. & C. de malefi. & math. quasi per to. & dicit Pe. Jac. ubi s. §. col.

n *Vaincu.*) Nam deficiens in purgatione, ut convictus venit puniendus, c. de hoc & cap. insinuatum, de simo. &c. cum pe. de purgatione cano.

o *Herbes.*) Recte dicitur non habeo herbas, &c. ut in Lombard. qualiter quis se defen. debe. l. nullus campio & fa. C. de malefi per to. Ita Petr. Jacob. in tract. de duell. 6. col. in princ.

p *Vagari.*) Ut ff. de jure fisci, l. Ita fidei ff. de edend. l. 1. §. nihil c. ad hæc de rescript. c. cum multis, eo in 6. c. in electionib. c. ut quis duas de elect. in 6. de appel. c. 2.

q *Dedit.*) Hucusque satis supradictum est de duello, quod, ut refert Pet. Jac. eo titu. col 14. non est nisi quædam crudelitas & inhumanitas non habentium Deum præ oculis, duellum enim non habet probationem veram propter timorem armorum: ut C. de act. & obl. l. negantis, & quod metu quis confessus est prætor ratum habere non debet: ut ff. quod metus causa l. 1. Item confessiones reorum pro explectatis criminibus haberi non oportet: ut ff. de quæst. l. 2. §. divus. Quomodo ergo confessio in pugna, facta sub manu armata adversarii poterit valere, non video: probationes enim in criminibus debent esse luce clariores: ut C. de proba. l. fi. Item duellum est contra jus civile Romanorum, ut de hoc habetur & no. ff. ad le. Aquil. l. qua actione, §. si quis in colluctatione, & de lega. 2. l. cum filius, §. fin. & ad leg. jul. majest. l. fin. & C. de gladiat. penitus tollendo, l. unica lib. 11. licet contrarium notetur, & male, inst. de hære. quæ ab intest. defe. §. per contrarium glos. tamen non firmat ibi. unde Joan. Fab. ibidem dicit provocans sponte suscipiens, & judex judicans peccant: nec excusantur prætextu abusus consuetudinis. Item duellum est contra jus Canonicum, ut est 2. quæst. 5. c. Monomachiam. Et licet aliqui dicant duellum esse licitum, quod particulari lege vel consuetudine permittitur, prout in cap. 1. de torneamentis Ang. consilio suo 325. quod incipit in nomine: glos. & ibi Bal. in prælleg. §. si quis in colluctatione, tamen ex quo posset homicidium evenire ex illo duello, tenet Præpo. in lib. de feu. in titu. de pace tenen. 6. col. meliorem esse opinionem quod non sint duella permissa, per jura superius allegata & in Authent. de armis, in princ. ita Florianus in alleg. §. si quis in colluctatione Joan. de Mayno. in tit. de torneament. Ita And. de Iser. in prælleg. tit. de pace tenen. 4. col. dicens quod Catholici debent ista prohibere, c. 2. de cle. pug. in duello, cum tractetur de periculo peccati: quia est tentare Deum. Item cum possint homicidia sequi, non valebit consuetudo illa permittens: & in hoc erit standum juri Canonico etiam in foro civili. Ita Anto. in cap. 1. de torneament. & Joan. de anania, idem Specul. & Joan. And. in addit. ibidem in tit. de accusat. §. sequitur 11. col. versic. sed quid si. ubi expresse dicit consuetudinem Franciæ in hoc fuisse reprobatam: idem videtur tenere Nicolaus de Lyra super 16. cap. primi Regum, ubi agitur de duello David cum Goliath, idem Ray. Gofre. & Hosti. in summa. Item beatus Tho. secunda secundæ quæst. 95. art. fin. in fine. Tum quia duellum inducit ad judicandum occulta quæ divino judicio reservantur. Tum etiam quia hoc judicium non est divina auctoritate sancitum & allegat. c. consuluisti, 2. quæst. 5 David autem in illo facto tanquam motus est instinctu Spiritus sancti, ut dicitur in prælleg. cap. Monomachiam, ubi dicitur quod duellare est Deum tentare, ita tenet Anto. Flo. in 3. parte, summæ mirabilis titu. 4. in fine. Et idem tenet Joan. de Clavassio in titu. de duello, adjiciens illud esse prohibitum sub pœna peccati mortalis, quia contra legem Dei ibi: non tentabis Dominum Deum tuum, Matthæi 4. Et ideo non solum offerens, sed acceptans, cum dantibus auxilium, consilium, vel favorem & potentibus prohibere, & non prohibentes, peccant mortaliter ad Roma. cap. 1. digni sunt morte qui consentiunt. Non excusantur ex consuetudine vel motu: quia potius debet quis mala tolerare, quàm malo consentire, 32. quæst. 5. ita-ne? Si tamen cogeretur per alium, tali modo quòd suspenderetur, quia haberetur pro convicto, nisi duellum suscipiat, poterit illud suscipere, cum sit innocens, & etiam in causa civili, quando imminet periculum probabile mortis, ita Clavas. ubi suprà. Et licet Karolus magnus qui fuit Rex Franciæ & Lombardiæ, & etiam Imperator ut nota. de pace jura firmanda §. injuria quandoque permiserit & judicaverit duellum & etiam Federicus Imperator: in hoc tamen sequendi non sunt: nec aliqua lex principalis posset facere licitum esse duellum: quia est contra legem Dei. Idcirco Beatus Ludovicus Rex Francorum illud omnino prohibuit: & post eum Philippus Pulcher, qui tamen illud in certis casibus postea permisit, sicut suprà visum est, idcirco Petr. Jaco. ubi suprà dicit valde mirandum quid agitent Reges, & eorum confessores dum ipsi deliberato Consilio taliter qualiter, admittunt & adjudicari faciunt duella, & dunt fiunt, realiter ipsi volunt videre & interesse in re tam damnata & prohibita. Item Consiliarii regii & judices sciunt, vel scire debent, quòd si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat in duello non committi peccatum mortale, cum aliquis in pugna realiter interficiat adversarium: quod est contra doctrinam Ecclesiæ, ut in prælleg. cap. 2. de pugna duelli, vel non interficit eum realiter: sed venit ad aliquem actum propinquum, idem reputatur ac si ipsum interfecisset realiter: quia per ipsum non stetit, C. ad legem Corneliam de sicar. l. 12 qui cum telo. & C. de Episc. & Cleric. l. si quis non dicam rapere, vel etiamsi nec interfecit adversarium realiter: nec etiam pervenit ad aliquem actum, sed solum cogitans eum interficere, persistendo tamen in illa cogitatione & voluntate sua ultra primum motum, & ultra sequens oblectamentum, de quo habetur, ff. de justi. & jure. l. 1. §. jus naturale, quia & tunc idem peccatum mortale committitur quantum ad pœnam infernalem, ut ff. de verb. sign. l. fugitivus, licet tunc nullum committatur crimen quantum ad pœnam juris civilis, ut ff. de pœnis, l. cogitationis, certè talis pertinax affirmator est velut hæreticus puniendus, juxta ea quæ habentur in clemen. ex gravi. de usuris, vide consilium dicti Petr. Jaco. ubi sup. Et jam satis dixisse sufficiat de duelli reprobatione.

* Duello adde quod licitum, Bald. con. 210. lib. 1. And. Iser. de pace tenen. & eius violato col. 3 late Laurent. calca. consi. 2. Pgideci. c. Ecclesia S Mariæ num. 20 de constit. cons. 487. ubi dixi Jas. l. ex hoc iure col. 4. de justit. & jure, & cons. 144. lib. 2. consil. 213. lib. 4. Jo. Fab. §. per contrarium inst de hæred. quæ ab intesta. Vide And. Alciat. in tract. de duello C. M.

IN CAP. XVII. De causa proprietatis.

a *Scriptis.*) Dicta petitio in scriptis est in modum libelli, qui non potest tacito vel expresso partium consensu remitti: glos. Innoc. Bald Sicul. & Doctor. in c. de causis, de offic. del. idem tenet Hostien. & Joan. And. in c. fin. de re judi. lib. 6. sequitur Bart. in Authen. offeratur, C. de litis contesta. pro quo ibi Salyc. in versic. quæro an libellus partium consensu, Bal. in l. generaliter, circa finem, C. de Episc. & Cleri. in Authen. contra rogatus, in fine ad Trebel. Bartol. in l. 1. C. quando provoc. non est necesse nota Ange. Are. tit. institu. de actio. in §. tripli. 6. collat. verli. quato an libellus partium consensu, &c. scripti in addi. ad quæst. capellæ 188. Idem tenet Sicul. in c. 1. de libelli oblation. de quo vide Speculatorem singulariter in tit. de libelli oblatron. §. nunc dicendum, ubi ponit casus in quibus non est necessarius libellus.

7a *adde.*) Omnino Lanfran. de Oria. in c. quoniam contra falsam. 5. petitiones num. 11. versic. quæritur

ulterius, & quid ibi positi in apostil. ad ipsum in versic. tacitè vel expressè: & ibidem num. 16. & 17. ver. quæro juxta & num. 18. versi. finaliter extra de proba. & Feli. post Panor. in alleg. c. 1. col. 3. versi. ad illam fallentiam extra de libel. obla.

b *Dormiet.*) Quod intelligerem quando minor non habet curatorem, sicut scripsi suprà tit. de adjorna. in cau. appella. §. item si quis vult agere, &c. & §. seq. & hic titulus est hodie correctus per ordinationes Philippi Valesii, quibus cavetur quod titulo prædicto non obstante tam in actione reali quàm personali minores tenentur comparere & procedere per tutor. vel curatorem.

Interdictum recuperandæ non potest cumulari cum beneficio & remedio l. 2. C. de rescind. ven. propter repugnantiam glo.

c *Fuerit.*) Istud fuit limitatum per ordinationem Philippi de Valesio anno Domini 1335. continentem quòd si de patrimonio vel domanio regio agatur: & procurator regius actor fuerit in causa: ordinarius loci de illa valet cognoscere, & etiam judicare: dum tamen causa illa valorem annuum quadraginta librarum Turonensium non excedat.

d *Novimus.*) Et istud videtur esse contra c. pastoralis de causa pos. & proprietatis, ubi tex. dicit quòd agens rei vendicatione ante conclusionem in causa potest agere possessorio recuperandæ & adipiscendæ. Sed quid si agens ad rescisionem contractus condictione ex l. 2. C. de rescin. ven. &c. cum dilecti de emp. & vend. vult etiam agere possessorio recuperandæ: an sit audiendus? & dic quòd non: quia istæ actiones videntur simul repugnantes: cum enim quis petit contractum rescindi, qua deceptus ultra dimidiam justi pretii, præsupponit contractum ab initio fuisse validum, vel saltem tam efficacem, ut det colorem possidendi, ergo bona fide possidet: pro quo faciunt notata in c. olim & c. gravis & c. sapè de restit. spol. &c. cum ad sedem eo tit. tenet Rota decis. 109. & Nicomilus in ver. libellus ver. pe. & vide quod scripsi in decisi. capellæ quæst. 479.

e *Sub quo vos est.*) Si tamen reus conventus haberet domicilium infra resortum curiæ: licet res quæ petitur, sit extra situata, nihilominus poterit in curia conveniri, nec admitteretur exceptio declinatoria, per quam se petat remitti ad judicem sub cujus territorio res sita sit: quia est in optione actoris, an velit reum convenire coram judice rei sitæ, vel coram judice domicilii, ut not. glos. & Doctores in l. fin. C. ubi in rem. act. & in c. sanè, de foro compe.

f *Regio.*) Nam publicatio attestationum non est de substantia judicii, idcirco potest omitti, tenet Sicul. in c. cum l. & A. de re judi. & Bar. in l. prolatam. C. de sen. Ego nunquam vidi fieri publicationem in curia: & credo quòd fit propter periculum scandali: ad quod bene facit tex. in c. fin. de hære. lib. 6 & no. in c. quoniam frequenter ut lit. non contestata Jo. And. in c. 1. de homicidio lib. 6. & Sicul. in alleg. c. cum l. & A.

Adde.) Bald. in c. 1. in tit. si de invest. inter do. & vasall. lis oriatur. Alexan. in addi. ad Bart. in l. prolatam, ubi tenet contra eum per glos. ibi C. de senten. tex. singularis in alleg. c. cum l. & A. & Math. mathe. sing. suo. 39.

g *Confessit.*) Nam consentiendo quòd inquesta fiat super principali, videtur eligere, viam ordinariam: & rei vendicationem per ipsum intentatam persequi, & per consequens regressum non potest habere ad pœnam legis. Nam videtur profiteri jus ex ea sibi non competere, ad quod bene facit c. ut quis dias de elect. lib. 6. & l. 1. C. de furt. & l. unica si servus exte. se emi mand. C. de codi. & ulti. ff. de le. 2. l. cum filius, §. varius C. de pact. inter empt. & vendit. l. commissoria alias autem pendente vendicatione, potest actor transire ad vitium litigiosi, & hoc in odium alienantis contra præceptum legis. Sicut enim pendente petitorio, potest actor eo suspenso transire ad possessorium: ut in c. pastoralis de causa pos. & proprie. & in clemen. 1. eo tit. ita pendente petitorio, potest transire ad vitium litigiosi. Ita no. Siculus in c. Ecclesia le. 1. ut lite pendente, ubi vide latissimè quando committitur vitium litigiosi, & quæ sit pœna litigiosi contractus, per Anto. id c. fin. eo titu. per Bacto. & Doctores in l. 3. C. de litigio.

IN CAP. XVIII. De causa novitatis.

a *Et dum.*) Facit ff. uti possid. l. fi. §. 1. & ibi Bar. unde Jo. Fab. insti. de interdict. §. retinendæ col. 13. dicit quòd curia Franciæ tenet, quòd ille est potior in causa novitatis qui de facto possedit ultimo anno ad quod faciunt notata per Joan. Fab. in quod autem de usucapio.

b *Factum.*) Dicerem quod ad hoc ut quis obtineat in hoc interdicto, debeat probare turbam, ut videtur velle Jo. Fab. d. §. retinendæ col. 13. & per Bar. l. 1. ff. uti possid. ubi tenet quod tenetur probare quod ipse possidebat tempore turbationis, dicit tamen Jo. Fab. in l. unica col. fin. C. uti possid. non esse necessarium probare turbam de præsentia: quia eo ipso quòd se opponitur, turbare censetur. Specul. tit. de actio. seu petit. §. super versi. 15.

c *Meliori.*) Juxta l. ob carmen. §. fi. ff. de restib. c. licet de probat. & ff. de libera. cau. l. liberis §. fin. & de pace tenen. & ejus violato. §. ti tres hoc etiam facere videtur l. fin. C. de edict. divi Adria. tollen. Quid autem si actor & reus æqualiter probent & titulum & possessionem? vide in d. c. licet, & ibi plenè per Panor. col. 18. & seq. & per Jo. Fab. in l. unica, C. uti possid. & in l. 1. C. de prohib. sequestrat. & ubique concluditur quòd ubi omnia sunt paria, nec apparet quis primò provocavit, judex ponet rem in manu sua quousque agere de proprietate elegerit. vide Bart. l. si duo ff. uti possid.

d *Provisio.*) Pro qua facit l. si instituta, §. pen. ff. d. inoffi. testa. Ibi Bart. & C. de Carbo. edict. l. ulti. §. 1. versic. nam si tales, &c. ex parte cum glos. & ibi Doctores de accusation.

e *Silan.*) Ratio primi dicti: videmus quòd reus per unam solam contumaciam cadit à causa novitatis, non mirum igitur si idem sit in actore, cum actoris & rei æqua debeat esse conditio reg. jur. non licet actori de regu. jur. lib. 64. quæst. 4. c. 2. ibi, accusatores & accusati æqua audiantur ratione ff. de reg. jur. non debet ca. prudentiam de mut. pet. & maximè quia major est actoris contumacia quàm rei, 4. quæst. 4. c. 1. & c. actor de dolo & contuma. lib. 6.

f *De novo.*) De jure veteri illud verum, de novò non videtur esse necessarium, ut satis probatur per notata in §. retinendæ instit. de interdict. & l. 1. ff. uti posside. Et Pet. Rav. in libellis suis tit. de interdict. uti per servitu. & titu. sequen.

g *Dejecisti.*) Et vide Bar. in alle. l. 1. §. fin. Inno. & Hosti. videntur tenere quòd talis exceptio spoliationis non sit admittenda: in c. veniens, de præscript. Sed ibidem Sicul. contra quòd imò admittatur. Idem Jo. Fab. Instit. de interdi. §. retinendæ, 5. col. ubi dicit oppositionem contrariam Inno. & Hosti. nec non spec. in tit. de peti. & po. §. 1. ver. sed nunquid intentati procedere: si de alia re opponatur exceptio spoliationis: sed exceptio abjurationis non potest opponi, ut c. cum venissent in glos. de instit.

Utrum autem possit reus excipere de spoliatione, & concludere quòd actor sibi faciat restitutionem Joan. Fab. ubi suprà dicit quòd Doctores juris Canonici communiter tenent quòd non: in præallegat. c. veniens, quòd videtur verius, ut in ca. cum dilectus de ordi. cog. maximè ubi turbans nullam retinuerat possessionem: aliàs sequeretur non possessorem teneri,

quod non est verum. Sed si retinuisset civilem, posset satis sustineri opinio Dy. in l. 1. ff. uti possidetis, videlicet quòd talis rei conclusio sit admittenda. Vide Siculum in dicto cap. veniens, ubi concludit exceptionem spoliationis admittendam esse tam in vim dilatoriæ quàm peremptoriæ: nam possidens vi, clam, vel precariò, nomine alieno non debet obtinere in hujusmodi interdicto, uti possidetis, ut in præalle. l. 1. §. fin. & ibi Bar. ff. uti pos.

li *Regem.*) Hodie cognitio casus novitatis committi solet justitiariis regiis, non autem aliis: * & sunt plures Seneschalli, sicut Cathurcensis, qui consueverunt cognoscere jure suo, & literas in casu saisinæ & novitatis concedere.

* *Alii*, quia Cancellaria licet possit, non tamen solet committere non regiis, qui tamen inter subditos per præventionem cognoscunt. C. M

IN CAP. XIX. De actione personali.

a *Alia non.*) Tamen Pau. de Cast. in l. 1 C. de re judicata, tenet quòd etiam admittatur exceptio rei judi. Bal. in l. fin. non verum, C. de don. inter vir. & uxo. tenet quòd exceptio simulationis opponi potest, etiamsi statutum permittat opponi exceptionem solutionis, fallitatis & compensationis; volunt tamen quidam quòd etiam opponi possit exceptio ordinis argumento C. si contra jus vel uti pub. l. & si non cognitio, & ff. de re judi. l. à divo Pio. §. si super rebus.

6 *Hærede.*) Exceptio parentigiæ potest etiam fieri contra heredem debitoris, licet statutum loquatur de principali debitore secundum Barto. & Doctores in l. postulante, ff. ad Trebel. notatur in l. sicut §. debitor. ff. quibus mo. pig. vel hypo. sol. & l. promittendo: de jure dot. quòd intellige cognitione summaria præcedente, quòd talis sit hæres debitoris.

c *Sed cum.*) Facit in argumentum text. in l. quotiens, C. de exacto. tri. lib. 10. ubi text. quòd ille qui debitorem eximit, ad id quod fisco & privato debebat, tenetur; not. Joan. Fab. & Angel. post glos. in §. pœnales versi. item si adversus instit. de actio.

Adde.) Bald. in l. fin. C. de ope. libert. quod est verum, nisi captus fuisset injustè: ut not. in l. hoc edictum & ibi Barto. ff. ne quis eum qui in jus vo. vi. exi. idem in l. sed eximendi, §. item si quis eod. tit. & ibi omnino per Alexan.

d *Nobilibus.*) Istud est contra l. rem majoris pretii & glos. ibi & Doctores C. de rescin. vend. & quod dicitur in text. fallit in rebus mobilibus pretiosis: quia in talibus datur judicium rescindens & rescissorium argum. notato in glos. in c. tua, de his quæ fiunt à prælat. sine consen. capituli super verbo tractata.

e *Fine.*) Tenere videtur idem Jo. And. in addit. ad Spec. super rub. de usu. & seq. Pau. de castro consi. 19.

IN CAP. XX. De Appellationibus.

a *Falsa.*) Respectu primæ formæ dicit Sicul. in c. dilecto de appel. 4. collat. quòd est utile sic appellare, saltem ut evitentur opiniones quæ versantur circa quæstionem, utrum à sententia nulla possit appellari, de quo ibi per eum, & multo latius per Bart. glos. & Doctores in l. si expressi, ff. eo tit. Specul. in titu. de app. 4. parte §. 1. per Bald. in l. 1 C. de sententiis ex peri. reci. per Bart. in l. 11 quando provocare non est necess. Jo. Fab. in l. 2. C. eo tit. Spec. in tit. de sentent. §. juxta versi. sed quid si à sententia, & ver. sed numquid per Archi. in c. cordi de appel. lib. 6.

b *Statim.*) Pro hoc glos. in c. si justus metus de appel. in ver. coram judice ex quo colligitur coram quo sit interponenda appellatio: quia prius incipiendum est à judice à quo, si ejus copia haberi possit: aliàs non valet appellatio in ejus absentia interposita; concordat glos. in c. suggestum eo tit. & pro ea est bonus text. in præalleg. c. si justus arguendo ex ordine literæ, ut dicit glos. in c. ut debitus ibi, coram illo, & in c. biduum 2. quæst. 6. & in l. 1. §. dies ff. quando appel. sit: & ita tenet Sicul. in c. suggestum de appel. Imol. in l. alle. & c. si justus. Rota deci. 62. quæ incipit, item si appellatur à diffinitiva tenet Geminianus in dc. appellation. per Bald. in l. apertissimi, C. de judi. sed si propter metum judicis aut aliàs quis contra coràm judice non potest appellare, remedium habet, ut infrà decem dies appellet coram honestis personis, ut dicit And. Sicul. & Præpo. in allega. c. si justus, vel infrà decem dies protestetur coram honestis personis quod propter timorem judicis non potest appellare, exprimendo causam timoris, ut tenet glos. ista protestatio succedit loco appellationis.

c *A scriptis.*) Lanfran. de Oria. in c. quoniam contra falsam §. interlocutoriæ & appell. versi. sequitur aliqua videre, & quod ibi posui in apostil. ad eum in verb. *vero*, extra de proba. Alex. post Bar. in l. ejus qui quorum appel. reci. Bal. & Ang. in l. patris de vul. & popul. Ro. in rubr. de arbi. car. pe. & Pau. de Cast. consi. 25. & 205.

Cum iste §. loquitur simpliciter de sententia, intelligendum est de diffinitiva c. l. in c. cum olim de testi. l. 2. §. biduum ff. quando appellandum sit. Sit ergo conclusio quòd si appelletur à diffinitiva ex intervallo usque ad decem dies: tunc appellandum est in scriptis ff. de appel. l. 2. & quæst. 6. ad finem: si autem illico appelletur, sufficit viva voce dicere, appello, sed ab interlocutoria incontinenti & ex intervallo appellandum est in scriptis in c. 1. de appel. lib. 6. & ibi glos. & debet isto casu causa rationabilis in appellatione describi, ut in c. ut debitus eo tit. & ibi glos. Anto. Bal. Sicul. Imo. & Præpo. quod procedit etiamsi causa propter quam appellat, esset notoria secundum Sicul. ita glos. in cle. appellanti eo tit. Joan. An. & Doctores in c. accedentes ut lite non contestata Barto. in l. si adulterium cum incestu ff. de adulte.

Adde.) Lanfran de Oria in loco per me suprà in proxima mea apostil. alleg. & in apostil. & infrà parte 3. tit. de causis appel. & modo prosequendi eadem, versi. 1.

d *Judice.*) Quod intelligitur quando tales judices sunt ordinarii, nisi allegaretur nullitas sententiæ ex dolo judicis, vel propter sordes ejus: quo vero ad judicem delegatum, non procederet, §. nisi nosset, quando sententia delegati esset nulla, quia contra formam rescripti lata ita Saly. in l. si ut proponit Ja. 1. C. quomodo & quando Judex & Canonistæ in c. literis de offi. deleg. Sicul. in c. qualiter & quando de accusat. & melius quàm per alium, vide quis possit esse judex nullitatis, per Præpo. in c. dilecto de appel. coll. 14. & sequent.

e *Incompetens.*) Pro quo bene fa. notabilis glos. in c. unico de sequest. possess. & fruct. in glos. fin ad idem glos. in l. non erit, §. dato & ibi Ang. ff. de jurejur. bonus text. in l. scire oportet la. l. 1. §. fin. ff. de excusat. tuto. & ibi Bal. vide singulariter Præpo. in ca. dilecto. de appel. 32. collat.

f *Repente.*) Maximè ubi substantialia judicii non sunt observata de quibus 2. quæst. 1. in summa 2. quæst. 6. §. diffinitiva & per glos. aliquid in c. de causis de offi. delegati, & in l. prolatam, C. de sen. & inter om. judi. per Sicul. in c. cum inter, de re judi.

g *Expresso.*) Pro quo textus in c. venerabilibus, §. fin de sent. excom. lib. 6 & in c. 1. de re judi. per Sicul. ibidem & per Præpo. in alleg. c. dilecto, 6. col. ver. 14.

Adde.) Panor. c. inter cæteras num. 9. & quod ibi posui in apostil. ad ipsum in versi. falsam causam:

extra de sent. & re. judi. Alexan. consi. 74. col. 4. & omninò eumdem Panor. in c ex parte ostensis num. 19. ubi etiam posui in addi. ad ipsum: in versi. non concludentem extra de concess. præben.

IN CAP. XXI. Quando quis sit exemptus.

a *Exemptus.*) Quod crederem intelligendum, nisi propolita causa recusationis, ut in c. ad hæc de appellat. & secundum communem opinionem Joan. An. Ant. & Sic. ibid. & Bar. in l. unica, ff. apud eum à quo ap. non sufficeret igitur dicere appellatum, nisi & probetur gravamen in ipsa recusatione, ne detur materia calumniandi: licet Imo. teneat contrarium in præal. c. ad hæc videlicet quòd non sit necesse probare gravamen, sed benè dicit considerandam esse qualitatem judicis, an sit talis qui soleat perturbari vel moveri contra appellantes, an vero non, juxta notata per Bart. in l. de pupillo, §. si quis ipsi, ff. de nov. ope. nun. & l. 1. C. si quis impe male per Cy.

Addc.) Lanfran. de Oria. in c. quoniam contra falsam, §. interlocutoriæ & appellationes versi. hæc appellatio.

b *Omnibus.*) Nam per appellationem fit injuria judici, ut l. fin. C. quando provo. non est necesse c. ut debitus de appel. ideo pars sciens se offendisse judicem, potest verisimiliter dubitare ut in dicto eum lædat. Et ideo verisimiliter habet eum suspectum, ita Imo. in c. ad hæc suprà alleg. quod est verum si comparet in una. Si tamen appellans in alia causa compareat coram judice à quo, & procedit, ipse non potent ulterius eum recusare propter dictam appellationem præcedentem, ut in præalleg. ca. ad hæc & infrà eo tit. §. plures: cum autem in hujusmodi judicibus fieri videatur prima differentia inter judicem regium, & alium, impræsentiarum non occurrit mihi ratio diversitatis, nisi assumatur ex officii regii prærogativa.

IN CAP. XXII. Quorum appellationes non recipiantur.

a *Debeat.*) Pro hoc facere videtur quòd non possit à negligentia judicis appellari: sed ad superiorem debeat recurri. text. in §. super hoc in Auth. de quæst. colla. 6. & ibi Bar. quem ad hoc ponderat Bal. in l. 2. C. ut lite pendente in fin. & text. in Authen. de manda. prin. circa princi. §. sit tibi jura. ad hoc Bal. ponderat in l. fin. in 1. col. C. de sen. & interlocut. omn. judi. est text. quem etiam ad hoc ponderat Bal. in l. fin. §. illud C. de tempo. appel. & facit text. in ca. nullus de jure patro. glos. in c. si religiosus de elect. lib. 6. unde Imo. in c. ex conquestione de rest. spo. notat quòd si judex negligit vel denegat facere justitiam, debet adiri superior. Quod est verum per viam simplicis querelæ, ut in præal. c. fin. §. illud & ibi Bal.

b *Appellatio.*) Quibus casibus à gravamine appelletur. Guil. de cun. in l. si clericus num. 1. & quod ibi posui in addi. ad ipsum in ver. possit appellari de Episc. audient. Philip. Fran. in c. dilecti, de appel. & Pau. de castro consi. 22. & consi. 25. & ab interlocutoria: quando possit appellari vide quod posui in apost. ad Lanfr. de Oria in c. quoniam contra falsam, §. interloc. & appel. versi. prædicti omnes & ver. ex his omnibus num. 60. & utrobique posui in apostil. ex. de proba. & dixi etiam in apostil. ad Panor. in c. pen. num. 3. in versi. tenetur causam de no. ope. nun.

Illa sunt verba glos. in clem 1. de hære. in versic. ipso jure: pro quo facit cap. super eo 1. respon. de appel. c. ante sententiam 2. quæst. 6. l. ante sententiam, C. quorum appel. non recipiantur. Vide latius in prag. sanct. in titul. de causis, in verb. nequiret. in glos. fol. 117. 4. collat. vide Bal. in l. 2. C. de Episcop. audien. ubi amplè hanc materiam tractat. & ff. de appel. reci. l. 2. idem dic. ubi post interlocutor iam non iperatur alia diffinitiva. Nam licitum erit à tali interlocutoria appellare, ita glos. singularis in Auth. habita, C. ne filius pro patre, dum dicit quòd a sententia qua quis pronuntiavit se non esse judicem, vel esse judicem, appellatur: quia ubi pronuntiat se non esse judicem, non expectatur alia diffinitiva. facit text. in ca. significantibus de offic. deleg. & ita sentit Barto. in l. 2. C. de epi. audi. & Bal. in d. l. ante sententiam. Ex quo infertur quòd ab interlocutoria detorquendo, benè appellatur, licet sit interlocutoria, & expectet diffinitivam: quia infert damnum irreparabile per diffinitivam, d. l. 2. ff. de ap. reci. & aliis legibus allegatis. Et generaliter ab omni præcepto de aliquo faciendo potest appellari, quia facta pro infectis non possunt haberi, l. in bello, §. factæ, ff. de capti. & c. ferrum lege distinct. etiam procedit hoc de jure civili, ita Paul. de castro consi. 23. incipi. in Christo, & c. viso puncto. Infertur etiam quòd à sententia & præcepto de incarcerando potest appellari de jure civili: quia infert damnum irreparabile in diffinitiva, & facit. Nam carcer dicitur mala mansio glos. est in præalleg. clemen. 1. in versi. tormentis. de hære. l. si hominem, ff. depositi: immo dicitur in tormento stare, qui est in carcere, glos. in dicto verb. *tormentis*, & ibi text. duro carcere, & c. immo est majus tormentum quàm fodere, glos. est in l. servorum, ff. de pœnis, & faciunt not. per Bart. in l. 1. §. divus ff. de quæst. Sed de jure Canonico auditur appellans ab omni gravamine, tam ante sententiam quàm post. ut in prædicto cap. supereo: & vide rationem diversitatis inter jus Canonicum & jus civile, per Præpositum in cap. 1. respond. col. 2. 2. quæst. 6.

c *Omni.*) Et sic ibi servabitur jus Canonicum quòd sic permittit appellare: ut in c. super eo leg. 2. & cap. ut debitus de appel.

d *Aliàs non.*) Ad hoc facit not per Specul. in tit. de appel. §. qualiter versi. item quod faciat, & per glos. in clem. fin. eo tit. in verb. repulsione. Sed si judex taceat, nec aliquid faciat, tunc dicit Imo. in c. dilect. eò tit. quod saltem per trinam interpellationem debet judex in negligentia constitui, petendo singula interpellatione ut jus dictat, notat Sicul. in simili in c. 1. de supplen. negli. præla. in c. cum in veteri, de elect. & si dicere jus noluerit, ejus negligentia convincetur: & poterit appellari tanquam gravet partem eam in locum distrahendo. Et sic vult Imo. non solum à facto judicis posse appellari, sed etiam à negligentia ejus: dummodo de ipsa convincatur, & pro eo est glos. in cle quamvis in fine eo tit. & facit glos. relata ad text. in c. ad aures de simo. faciunt notata per Cy. in l. in criminali, C. de jurisd. om. judi. & per Bal. in c. per tuas de rest. ubi tenuit appellari posse à judicis negligentia, idem Joan. & Sicul. in c. dilecto de appellat. & Hostiens. in c. interposita eo tit. & Nicol. Mil. in §. appellatio, versi. appellari potest à judice rejiciente, & c. idem Anto. in alleg. c. dilecto, 2. col.

e *Injuste.*) Regulariter de jure civili à sententia lata in possessorio sive sit retinendæ, aut adipiscendæ, non potest appellari, ut in præal. l. unica ubi Cy. Bart. Bal. Saly. Joan. Fab. & Doctores idem Bart. in l. 2. ff. de appel. recipiend. ad idem 2. quæst. 6. sunt quorum verii. de possessione, & ibi glos. & Archi. & in Specul. de appel. §. 2. ver. 6. & de libel. concep. §. 1. versi. 26. per Bar. in l. 2. C. de Episc. audien. quod intellige nisi constaret de evidenti in justitia secundùm Bart. in præal. l. unica, glos. & Doctores in c. ex conquest. de resti. spo. de hoc vide latius quę scripsi in addit. capellæ q. 500. ubi invenies plures alios casus fallentiæ

Adde.) Guil. de Cug. in l. si ex causa §. videndum & quod ibi posui in apostil. ad ipsum in prin. ff. de mino. dixi etiam in apost. ad Lanf. de Oria. in c. quoniam contra falsam, §. interlocutoriæ, & appel. in 20. fallen extra. de probationib.

f *Principe.*) De primo vide latissimè per Spec. tit. de appellationibus, §. in quibus, per totum. Et quid operetur remotio appellationis facta in rescripto per principem. vide per Anto. Sicul. & Præpo. in c. pastoralis, & c. ut debitus eo tit. & præsertim in dicto c. pastoralis, & inter alios effectus est unus quòd judex à quo non tenetur appellationi deferre: unde talis appellatio non suspendit jurisdictionem judicis à quo. Potest ergo antequam appellatio recipiatur à superiore, suam sententiam executioni mandare, ut colligitur in c. pastoralis, §. præterea de offi. deleg. & adeo prædicta procedunt ut dicit abbas & post eum Sicul. in alleg. c. pastoralis de appel. quem communiter sequuntur Doctores, quòd judex datus cum clausula, (appellatione remota) potest excommunicare verbaliter appellantem ab eo, ex quo illa appellatio à jure non approbatur, quia non habuit suspendere jurisdictionem judicis. Alius est effectus respectu revocationis attentatorum post appellationem.

Nam taliter attentata non revocabuntur per viam attentati, id est nullitatis: quoniam ex quo non erat suspensa jurisdictio judicis per talem appellationem, tenuerunt gesta, licet per superiorem possint revocari potius per viam querelæ quam per viam nullitatis. Et idem est de Jure Canonico: sive diffinitiva sit, sive interlocutoria, ut voluit glos. 2. quæst. 6. sunt quorum versi. de possessione pro quo glos. juncto textu in c. cum ad sedem de restitu. spol. secundùm intellectum Hostien. Joan. And. & Doctorum & in cle. unica de sequestra. poss. & fruct.

IN CAP. XXIII. An qui appellavit ad curiam omisso medio, remitti debeat.

ff *De appel.*) Ubi textus quod appellatio omisso medio scienter facta ad imperatorem, valet, sed habetur ac si ad debitum judicem fuisset appellatum. Nam ad eum remittitur appellatio: secus est in Papa, quia ad eum appellari potest omisso medio, 2 quæst. 6. c. ad Romanam glos. & Doctores in ca. dilecti de appel. & in c. Romana ver. curiam eo tit. lib. 6. Quod tamen hodie correctum est per Concilium Basiliense in decreto de causis: ubi etiam statutum est quòd ante diffinitivam non possit appellari, nisi esset gravamen irreparabile quod facit ad ea quæ dicta fuere in tit. præcedenti: si autem appelletur omisso medio ad superiorem: si scienter, de jure civili nulla est appellatio, secus si per errorem, l. 1. §. si quis in appellando, ff. eo tit. Sed de Jure Canonico valet, si non opponatur, ut in prælleg. c. dilecti cum glos. Jo. de Imo. in dicto, §. planè qui subdit verum esse, si modò appelletur ad parem, vel majorem. Sed si ad minorem, licet per errorem appellatio est nulla, etiamsi non opponatur.

IN CAP. XXIV. An appellans aliqua de novo.

a *Videtur.*) Quod intellige quando appellatum est à sententia diffinitiva: ut in l. per hanc C. de tempo. appel. & notatur in c. cum Joannes de fide instru. in c. fraternitatis de testi. & in cle. 2. eo tit. Secus autem in interlocutoria, quia processus judicis à quo, regulariter non poterit impugnari ex novis aut de novo proponendis causis: nec etiam justificari, ut in cle. appellanti de appel. l. ait prætor. & ibi Bart. ff. de minor. ff. de appel. reci. l. 3. & l. arbitrio ff. qui satisf. cog. Bald. in addi. ad Specul. titu. de appel. versi. judex si pronuntiat, quod verum est nisi interlocutoria esset lata contra absentem, d. l. ait prætor. vel nisi judex noluerit audire probationes & allegationes appellantium ab interlocutoria, d. l. ait prætor. §. qui tamen, & not. in ca. interposita de appel. aut nisi talis foret interlocutoria, quòd non posset in diffinitiva reparari, ut norant Doctores in allegat. l. per hanc, vel nisi interlocutoria vim haberet diffinitivæ: quia tunc appellatio justificari potest etiam ex aliis causis quàm ex primis. Rota. dec. 493. Cy. in alleg. l. per hanc 3. quæst. & Ludo. Ro. in singulari versi. appel.

b *Fides.*) Pro primo facit quod dicit Anto. in c. cum ad sedem, de rest. spoli. penul. col. & in ca. in præsentia de probat. ubi dicit esse communem opinionem Legistarum, quòd non credatur judici in forma testis producto coram alio judice: quia præsumitur velle tueri gesta à se, sed ei tunc creditur cum sunt plures, & attestantur de gestis coram se ab illis in quibus non sequitur laus vel vituperium eorum, undè Bald. in margarita in verb. judex versic. dicitur 8. quod statur processui Judicis & Notarii ad quod Inno. in c. quoniam contra, de probat. vide glos. Cy. Bald. Saly. & doct. in l. ne in arbitris, C. de arbi.

IN CAP. XXV. An appellans vel judex teneatur.

a *Emenda.*) De jure civili temerariè appellans punitur variis pœnis: quia aut appellatio sua non fuit recepta, & tunc temerè appellans & prosequens amittit causam: & efficitur infamis, l. à proconsulibus, C. de appel. aut appellat. tempore non debito, puta quia à certa executione vult appellare: & tunc punitur pœna l. ab executore, C. quorum appel. non recipi. scilicet pœna quinquaginta librarum auri: quandoque tamen sunt solum viginti, ut l. quisquis, C. eò tit. quæ est canonisata 2. quæst. 9. §. si quis ausus. Aut alio modo temerè appellat; & tunc punitur in expensis l. eos §. ne temere, C. eo titu. de appel. ita Bart. in d. l. à proconsulibus, sed de Jure Canonico dic. quòd aut temerè appellatur, scilicet quia indebito tempore: puta ab executione, & tunc punitur in expensis, ut tenet Speculator in tit. de appel. §. nunc dicendum circa principium: pro quo facit cap. reprehensibilis eod. titu. quandoque tamen judex posset addere aliam pœnam, si sibi videretur, c. frequens in arg. de resti. spo. lib. 6. c. quoniam frequenter in fin. ut lite non contesta. aut appellat temerè, id est per calumniam, & nunc si est calumnia præsumpta, non punitur nisi respectu expensarum c. finem litibus, de dolo & contu. c. 1. §. penul. per locum à speciali, de elect. lib. 6. Si verò convincitur evidens calumniâ, non autem est præsumpta, & tunc cum calumniari sit delictum toto titu. de calum. & delicta non debeant remanere impunita, cap. ut famæ de sentent. excom. ideò talis appellans ultra expensas punietur alia pœna, arbitrio judicis, ita Sicul. & Præpo. in c. 2. de appel. per textum in c. cum parati eo titu secundùm unum intellectum, & ita fuit ordinatum per Karolum VII. ut suprà dictum est.

In patriâ consuetudinaria male appellans condemnatur, in 60. libras Parisi. secus in patria juris scripti.

Adde.) Bald. in l. 2. in prin. versi. quæro utrum, de Epis. & cle. eumdem & Doctores in ca. reprehensibilis, titu. de appellat.

b *Parte.*) Hoc enim casu appellans non condemnatur in expensis; sed fit hinc inde compensatio expensarum c. cum Joannes de fide instru. c. Raynutius, & c. Raynaldus de testament. ubi judex qui in uno confirmat sententiam, & in alio infirmat, non condemnat in expensis. vide Bart. in Authen. post jusjurandum, C. de

C. de judi. Specul. in tit. de expen. §. nunc videndum circa finem Inno. & Doctores in c. fin. de dol. & contum. Siculus in c. 1. de plus petition.

IN CAP. XXVI. *De modo proponendi causas appellationis.*

a *Villeta.*) Vide Petr. Jacob. in c. de statu. citat. col. 4. ubi dicit quod regales & barones, ac eorum judices, nimis citò ponunt ad manus curiæ suæ, res super quibus vertitur controversia non benè considerata, ff. de usufruct. l. æquissimum & instit. de interdi. §. commodum, & C. de rei ven. l. fin. etiam nimis, cito properant & sine justa causa ad conficiendum inventarium de bonis alicujus, non inspecta l. 1. C. quando & quibus quar. pars l. 2. §. mobiles nec inspecta seu attenta. l. fin. ff. de requir. reis vide notata per Bar. in l. 1. ff. eo titu.

b *Non possunt.*) Facit in arg. c. quamvis & c. provida de elect. lib. 6. ubi text. quòd ex quo appellatio est præsentata Papæ, etiamsi utraque pars consenserit, non possunt ab appellatione recedere. faciunt ad hoc, de postula. prælat. c. bonæ le. 2. versi. nec nocebat, & de offic. lega. c licet in fin.

IN CAP. XXVII. *De Commissariis.*

a *Delegati.*) Censetur enim esse delegatus à principe, cujus est privilegium ut possit subdelegare, ut in c. pastoralis, in c. quoniam eo titu. & in c. cum causam, de appel. & in l. à judice C. de judiciis.

b *Subdelegatus.*) Pro hoc ultimo facit quod dicitur de delegato Ordinarii, cum clausula & potestate subdelegandi, quod potest subdelegare, glos. in c. is cui de offi. deleg. lib. 6. Bart. in l. more majorum. ff. de jurisdic. omni judic. Sicul. in c. super quæstionum, §. porro, eo tit. & in c. cum Bertholdus 8. col. de re judic. Bald. & Salycet. in l. judice C. de judic. Rota deci. 371. licet contrarium teneat Archi. in c. quamvis, de offic. deleg. lib. 6. Jo. Faber in alleg. l. à judice, & plures alii relati per Franciscum in cle. unica de offic. deleg. quorum opinio secundum Pau. in all. c. is cui, potest intelligi in subdelegato à delegato principis cum illa clausula; secus autem in delegato ordinarii de quo loquitur Jo. And. ità dicit Siculus in præall. §. porro. Pro hoc autem quod dictum est suprà, ut commissarius ad inquirendum & reportandum non possit subdelegare, eo quòd ejus industria videtur electa, facit text. in c. fin. ex. de offic. deleg. & in c. is cui eo tit. lib. 6. & hoc crederem procedere etiam de partium consensu, ut in alleg. l. fin. §. is autem cui, vers. præterquam. Verumtamen in d. c. cum Bertholdus tenet Sicul. quod deputatus ad receptionem & examinationem testium per Papam, potest alteri subdelegare: quia ut judex, ut de hoc est textus apertus in d. cle. unica de offic. delegat. item Rota. decis. 262. Si autem esset deputatus ab inferiore, poterit articulum nudum, non jurisdictionalem subdelegare, ut tenet glos. in præall. cle. unica, & sentit Anto. in præall. c. cum Bertholdus, utputa postquam testes fuerint recepti, quod nuda examinatio committatur: quia iste articulus non est jurisdictionalis. Nam die feriato fieri potest: ut tenet Specul. tit. de feriis, §. 2. ver. sed quid si tunc: receptio autem testium est articulus jurisdictionalis, ut patet per glos. præall. Præmissa crederem procedere, ubi ex commissione non eligeretur industria personæ electæ: aliàs secùs, ut quia dicatur: confidentes de industria seu circumspectione tua, &c. Nam tunc non poterit subrogare, &c. per text. in præall. c. fin. §. is autem & ibi Sicul. Unum tamen mente teneas, quòd in casu in quo potest subrogare, requiritur quòd prius sibi fuerit præsentata commissio: quia ante præsentationem literarum, judex nullam habet jurisdictionem, ut voluit glos. in simili de executorum gratia c. tibi qui, in verb. ante de reseri. lib. 6. Jo. And. in c. cum plures de offic. deleg. eod. lib. Archi. in c. is qui de procu. eo lib. voluit Bart. in l. multum, ff. de condit. & demón. Bal. in l. nec quicquam, §. ubi decretum, ff. de offic. Proconsulis. Præpó. in c. super eo de appel. 4. col. in princ. & Rota deci. 246.

Antè præsentationem literarum judex per eas delegatus non habet jurisdictionem.

c *Habeat.*) Adde aliam rationem, quia nisi prius judicarentur per curiam reprobationes, sæpenumerò quis ad probandum admitteretur quod probatum non prodesset: ut quia testes reprobati nihil deponunt, vel quia ex literis potest processus judicari. Et ita sæpenumerò fieri vidi, ut finis litibus citius imponatur, & partes à laboribus & expensis superfluis releventur: ad præmissa faciunt c. cum contingat de offic. delega. c. finem de dolo & contu. & c. ut litigantes de offic. ordi. lib. 6.

d *Causa.*) Intelligo per curiam: quia non est dubium quòd si commissarii transgrediantur formam, actus ipso jure nullus est: ut suprà dixi ad quod glos. in clem. 2. de jure Patronatus, & l. prolatam, C. de sent.

e *Casu.*) Nam secunda dilatio ad probandum non datur, nisi ex causa impedimenti. Inno. in c. in causis de testi. Bald. in marg. ver. dilatio versi. 3. & Bald. in addi. ad Specul. tit. de proba. in prin.

f *Condemnatum.*) Secundum leges non repelletur quis à testimonio objectu criminis, nisi condémnatus sit: sed aliter secundum Canones: quia sufficit si probetur criminosus, ut in c. testimonium de testib. c. super eo.

IN CAP. XXIX. *Quorum cognitio specialiter pertinet ad Regem.*

a *Armorum.*) Per Jo. Fab. in l. addict. C. de epi. audient. & in lib. feudo tit. de pace tenen. §. si clericus. Et ad id quod suprà dictum est, quòd armorum usus sit interdictus: adde. l. 1. C. ut armorum usus, inscio Principe, interdictus sit lib. 11. & quod notatur in c. clerici de vit. & hone. cle.

b *Dicunt.*) Dicunt Per. Jac. in tit. de condition. ex lege, & Jo. Fab. inst. de actio. §. quadrupli. 4. col. quòd præsides & alii regales de jure non debent cognoscere de portatione armorum facta infrà jurisdictionem Comitum & Baronum, quia portatio armorum habet in se pœnam capitalem, ut C. ad leg. Jul. de vi pu. l. quoniam.

Et sic est de mero imperio, ut ff. de jurisd. om. jud. l. imperium, nec debet princeps juri cujusquam detrahere, ut ff. de his qui sunt sui vel alie. jur. l. si dominus. Quæ arma sint prohibita deferri, vide singulariter per Præposit. de pace tenen. §. si quis rusticus, & §. ad palatium per Angel. Are. in tract. eri. in ver. uno stoco ferreo.

c *Carta.*) Vide quæ scripsi in repe. clè. 1. de offic. ordi. in cle.

In reg. 1. fallen. 12. pro quo alleg. text. in l. 2. C. ut nemo pri. titulos præ. ibi, miles vel clericus de quò vide quod posui ibi scilicet in repetition. præall. reg. in apostil. in versi. in casu violationis salvæ-gardiæ.

IN CAP. XXX. *De alta, media & bassa jurisdict.*

a *Contra.*) Adde quòd Doctores in d. l. is qui cum tèlo, dicunt illam l. non habere locum de consuetudine regni, nec etiam de generali consuetudine mundi. * Vide omnino Feli. in tract. quando punitur conatus, qui nunc impressus est post tit. de sent. excom.

* *Mundi.*] Deci. c. ex literis num. 14 de const. Alex. con. 15. num. 2. ubi *Imitavi*, l. 1. adde Jo. Cal. infrà q. 134. ver. 6. C M.

INCIPIT SECVNDA PARS TOTIVS HUJUS LIBRI.

Instructiones abbreviatæ ad habendum notitiam stili curiæ Parlamenti, & de modo procedendi in eadem.

CAPVT I.

PRimò igitur sciendum est quòd curia Parlamenti est superior, & prima capitalis Regni Franciæ, & in eadem resortiuntur per appellationem omnes terræ & dominationes Regni Franciæ.

Item quod prædicta curia fuit antiquitus institura de centum personis instar centum Senatorum Romæ scilicet ex xii. Paribus Franciæ, octo Magistris Requestarum hospitii domini nostri Regis, octoginta aliis Conliariis scilicet quadraginta clericis & quadraginta laïcis, inter quos sunt quatuor præsidentes, qui præsidentes in Parlamento nominantur.

Item quòd in corpore dictæ curiæ sunt tres * cameræ, scilicet camera magna, camera inquestarum, in qua sunt duo præsidentes: & camera requestarum Palatii.

Item quòd omnia judicata quæ fiunt in prædictis magna & parva inquestarum cameris, fiunt per Arestum dictæ curiæ: & ab illis non potest appellari, nisi contra prædicta judicata error proponatur: sed illi qui tenent cameram requestarum palatii, sunt judices commissarii delegati à principe, & non habent aliquam ordinariam cognitionem, nisi de causis sibi commissis: & ab eis appellatur ad Parlamentum.

Item contra Aresta vel judicata prædictæ curiæ Parlamenti potest quis errores proponere.

Modus talis est, quòd volens proponere errores, debet illos in scriptis tradere penes Cancellarium, quos sub contrasigillo clausos mittit ad Magistros requestarum hospitii Regis, pro videndo, visitando, & sciendo si sint admissibiles: & si illos declaraverint admissibiles, Cancellario remittunt. Et tunc proponens obtinet literas à Cancellaria ad faciendum partem suam adversam adjornari in Parlamento, visuram pronuntiari Arestum erroneè latum: & traduntur prædicti errores, aut illorum copia, parti adversæ, quæ respondebit in scriptis, & postea tradunt partes (si eis bonum videatur) replicas & duplicas, totum in scriptis, nihil verbo tenus proponendo & ad judicium faciendum vocantur omnes * cameræ, & Magistri Requestarum hospitii Regis, & aliqui de ipsius magno Consilio, & pronunciatur judicatum per unum ex quatuor Præsidentibus, sicut alia Aresta.

Item & antequam aliquis ad proponendum errorem admittatur, oportet eum consignare realiter penes curiam Parlamenti summam sex viginti librarum Parisiensium pro emenda casu quo caderet à dictis erroribus: quæ summa sibi restituitur in fine causæ, si dicatur Arestum fuisse & esse erroneum. Estque sciendum quòd non recipiuntur errores. *

Item & habet curia prædicta privilegium, & istam authoritatem judicandi errores propositos contra ipsius Aresta: & si aliqui sint reformatores, vel alii judices commissarii, quibus Rex facultatem concessit, & authoritatem judicandi tanquam per Arestum, & quòd à prædicto judicato non possit appellari, sicut ab Arestis curiæ Parlamenti, si quis voluerit errorem adversus alia judicata proponere, oportet quòd tales errores in Parlamento judicentur modo & forma superius declaratis.

CAP. II. DE PARIBVS FRANCIÆ, *& eorum prærogativis.*

PRimò sciendum est duodecim esse Pares Franciæ sex clericos, & sex laïcos: ex quibus sex sunt Duces, & sex Comites. Clerici * sunt, Archiepiscopus & Dux Rhemensis Episcopus, & Dux Lingonensis Episcopus, & Dux Laudunensis Episcopus & Comes Belvacensis Episcopus, & Comes Noviomensis, & Episcopus & Comes Cathalaunensis.

Laïci autem sunt Duces Burgundiæ, Normaniæ, & Aquitaniæ: & Comites Campaniæ, Flandriæ, & Tholosæ.

Item sciendum, quòd domini de sanguine Regio, quamvis non teneant aliqua ex terris antiquæ Pariæ, nihilominus Rex eis dare consuevit & concedere certa privilegia eorum dominationes in paria tenendi, maximè terras quas tenent per partagium, illas videlicet quæ per partagium dependent à domo Franciæ: sed respectu illarum quas acquirerent, illas non tenent in paria, nisi ad hoc habuerint speciale privilegium.

Item Pares Franciæ laïci consueverunt habere magnos dies, ad quos appellatur ab eorum Baillivis & Seneschallis, & à prædictis diebus magnis ad eamdem curiam appellatur: & si aliquis Pariũ Franciæ accusaretur in curia Franciæ de causa læsæ Majestatis, vel alio scelere magno, oportet eum judicari per Regem suum Parlamentum tenentem, ad quod vocari debent Pares Franciæ, sicut factum fuit de domino de Alencono.

CAP. III. DE QVIBVS CAVSIS *Curia Parlamenti cognoscere consuevit.*

ITem curia Parlamenti cognoscere consuevit de causis appelli & ressortis, ac superioritatis: de causis tangentibus Pares Franciæ, de causis beneficialibus, quando aliquod beneficium vacat in regalia, & quæstio fuerit sive debatum de aliquo beneficio ad collationem vel præsentationem Regis pertinente, suntque plures casus in quibus Prælati & capitula alibi quàm in curia (nisi voluerint) litigare non tenentur.

Item & dicitur beneficium vacare in regalia, quando vacat sede Episcopi vel Archiepiscopi vacante & posito quòd Archiepiscopus vel Episcopus Ecclesiæ sit electus, aut provisus, vel etiam confirmatus, & missus in possessionem Ecclesiæ suæ; omnia beneficia * ad ipsius collationem pertinentia quæ vacaverunt à tempore vacationis ipsius Ecclesiæ, donec ipsius Prælati persona ad fidem & homagium Regis recepta fuerit, in regalia vacare censentur & reputantur, illorumque Regi collatio pertinebit.

Item & quamvis (ut fertur communiter) sufferentia * tantum valeat sicut fides & homagium: fallit tamen regula respectu beneficiorum, nam si aliquod beneficium pertinens ad collationem alicujus Episcopi vel Archiepiscopi, vacet per fidem & homagium

---

2. *Olim procedebat, hodie non, propter Parlamentorum pluralitatẽ.* *Tres.*] Imò initio duæ tantũ, quia camera requestarũ est tribunal inferius, postea addita est tertia, quæ parva camera inquestarum vocatur: sed an 1522. Rex Franciscus ut corraderet lx. millia aurorum, quatuor è xx. novis quam novã vocãt, creavit, à singulis capiens, ter mille aureos: unde curia valde deturpata fuit. Primus enim dictorum emptorum Petrus Ledet multis corruptionibus dãnatus degradatus, electus est, postea præsidentiũ quoque numerus pretio auctus. Rursus idẽ Rex. an. 1543. alios xx. quæstus causã creavit. Tandẽ Olivario Cancellario sanctum salubre edictũ suppressionis omnium novorum officiorum, prout morte vacarẽt, quod ad finẽ Augusti 1547. publicari vidi C M.

* *Omnes.*] Hoc ob difficultatem correctum est consil. 3139. §. 137.

* *Errores.*] Imò propriè non sunt alii, quia ex eisdem actis, sedetur vel oblivio facti præexituro ob honorẽ curiæ, ne iuriis inscripti, aut periculã impingatur. C M.

* *Clerici.*] Qui soli actu remanent, reliqui vel suppressi sunt, vel à Rege tenentur, unde Vendocinensis, & Nivernensis Duces dicuntur Pares ex privilegio.

* *Beneficia.*] Curis Parochialibus exceptis. C. M.

* *Sufferentia.*] Dixi in consuet. Paris. §. 27. C. 31.

non factum, licet habeat sufferentiam à Rege, & hoc modo gaudeat temporalitate sua : nihilominus prædictum beneficium in regalia vacare censetur & reputatur, & Regi pertinet ipsius collatio. Et de hoc facta fuit expressa constitutio per Regem * Philippum IV. Ita fuit judicatum in curia Parlamenti in casibus occurrentibus.

* Regem.] Vide Ruzeū in tractat. Regalior.

Item notandum est, quòd si durante tempore vacationis alicujus Ecclesiæ, vacat aliquod beneficium pertinens ad collationem Episcopi & Prælati : ad hoc ut in regalia vacare censeatur, & Regi collatio permeat, sufficit quòd vacet de jure, non de facto, & quamvis beneficium quod vacavit in regalia, postea per Episcopum vel Prælatum collatum fuerit, quovismodo, quocumque lapsu temporis non obstante, Rex non perdit collationem, neque jus ipsius : sed illud conferre potest, licet regalia sit clausa, * dummodo ostendi possit hujusmodi beneficium semel in regalia vacasse, & illud per Regem alicui collatum non extitisse à tempore vacationis prædictæ : neque præscriptio minor xxx. an. poterit contra Regem, vel pro illo cui beneficium vacans in regalia fuerit collatum, allegari. Est autem sciendum quòd sede vacante non omnes Ecclesiæ dicuntur in regalia illæ quarum Prælati fidem & homagium præstare debent.

* Clausa. Nisi post 30. annos ab ea clausa, consti. Lud. 14.

Item sæpenumero contingit quòd Rex mandat per suas literas curiæ Parlamenti, ut cognoscat de aliquibus magnis causis ultra supradicta : quod tamen fit de gratia speciali.

Item sciendum, * quòd si aliquis velit aliquam causam in curia inferiori introducere ex præcepto Regis, coram aliquo judice cui cognitio non pertinebat, nec pertineat jure ordinario : oportet quòd litera prædicta portet *Committimus* * : alioquin cognoscere non posset, neque deberet, & obtineret defensor congedium contra actorem. Sed in litera curiæ Parlamenti pro quacumque causa directa non est opus apponere verbum *Committimus* : sed sufficit verbum *Mandamus*, absque verb. *Committimus*.

* Committimus.] Supra par. 2. c. 2. §. 7.

CAP. IV. QVÆ SVNT *jura regalia.*

PRimò Rex habet jus cognoscendi de causa novitatis per preventionem : nam possunt judices ordinarii seu Baillivi Regii concedere literas commissionis, licet partes non sint in eorum jurisdictionibus demorantes.

Item Rex est garendiator Ecclesiarum quæ sunt de fundatione regali, & sunt Ecclesiæ prædictæ exemptæ ab omnibus jurisdictionibus & subjectionibus aliis quàm Regis.

Item Rex habet authoritatem remittendi, & veniam concedendi in casibus criminalibus : & de internatione literarum remissionis nullus alius judex præterquàm Regius cognoscere potest.

Item concedit salvasgardias, & de infractoribus salvagardiæ, ubi judices Regii habent cognitionem.

Item sciendum, quòd salvagardia non consuevit omnibus indifferenter illam petentibus concedi : sed dari solùm consuevit gentibus Ecclesiasticis, & subjectis sine medio, & prægnantibus viduis, & orphanis. Et generaliter omnibus justitiariis Regi subjectis, Suppositis universitatis, pauperibus, & miserabilibus personis, & mercatoribus publicis.

Item omnes officiarii Regii habent cognitionem portus armorum : scilicet quando aliquis est accusatus coram aliquo judice Regio pro aliquo casu criminali, vel excessu, si sit portus armorum, vel infractio salvagardiæ : licet sit alterius jurisdictionis, delicti cognitionem Rex habebit, & hoc in laico. Sed si clericus pro aliquo delicto, ubi in infracta salvagardia, vel portus armorum, est tractus coram aliquo judice Regio, ipse solùm de prædicto portu vel infractione cognoscet : & delicti cognitio ad Ordinarium pertinebit.

Item & propter prærogativam curiæ Parlamenti & ipsius authoritatem, quando clericus est imprisonatus pro aliquo casu enormi, ubi infractio salvagardiæ est, vel portus armorum, licet reddatur ordinatio, curia consuevit prohibere ne respectu criminis communis procedatur ad absolutionem vel condemnationem, donec cognoverit de casu privilegiato, & determinaverit : sed respectu Baillivorum vel prapositorum regiorum, judices ordinarii Ecclesiastici propter dictas inhibitiones non differunt de crimine communi cognoscere.

CAP. V. DE CASIBVS SPECIALIBVS, *de quibus curia temporalis cognoscit contra gentes Ecclesiasticas.*

ITem si vir Ecclesiasticus, etiam Episcopus, vel Archiepiscopus obligatus sit per literam signatam manu sua, vel sigillo suo sigillatam, & adjornatur ad curiam laicam, tenebitur cognoscere, vel negare : & ad ulteriora * in causa procedere, quamvis sit actio merè personalis. Et si condemnetur, expletio fit super ejus temporalitate : nihilominus tamen si esset personaliter obligatus sub sigillo Regio, respondere non teneretur in curia temporali, nisi foret hypotheca. Estque sciendum, quòd si clericus in curia temporali cognoscat ejus signum manuale, vel scripturam, aut sigillum, tenetur garnire manum justitiæ de summa contenta in obligatione.

* Ulteriora. Sed hoc postea correctum est, ut fateantur, vel negent. C. M.

Item si clericus se immisceat alicui administrationi, præsertim rei prophanæ, & vocatus fuerit ad curiam temporalem ad reddendum computa, tenebitur procedere, & ibi computa reddere & respondere.

CAP. VI. DE CAVSIS APPELLI, *& modo prosequendi easdem.*

ITem & primò sciendum est, quòd in regno Franciæ est patria in duplici differentia. Nam quædam consuetudine, alia jure scripto regitur : suntque modi procedendi in utraque patria.

* Quia quando appellatur ab aliquo judice in patria consuetudinaria, adjornamentum in casu appelli debet continere, quòd judex * adjornetur, & parti intimetur.

* Judex.] Dixi supra in titul. c. 2. §. 1. C. M.

Estque sciendum quòd si intimetur parti adversæ, oportet judicem adjornare, & per stilum notorium adjornamentum æquipollet intimationi : sed periculum est adjornari facere eum loco intimandi. Nam quando alicui intimatur, dicere potest, quòd causa ipsum in aliquo non tangit, & quòd non vult sustinere judicatum, nec tenebitur in assignatione comparere. Etsi non dixerit, tenebitur comparere : alioquin poneretur in defectu, & solvet expensas.

Et in dicta patria consuetudinaria oportet appellare illico à tempore notitiæ sententiæ datæ, vel illati gravaminis. Sed in patria juris scripti sufficit appellare infrà decem dies. Et in patria consuetudinaria sufficit dicere viva voce, appello. In patria verò juris scripti, quando ab interlocutoria provocatur, appellandum est in scriptis : sed à definitiva, illico potest appellari viva voce.

Item & in patria consuetudinaria si appelletur à

sententia diffinitiva, vel interlocutoria, aut alio quocumque gravamine: oportet quòd ille à quo appellatur, deferat appellationi interpositæ, & non potest ulterius procedere sub pœna emendæ arbitrariæ. Sed in patria juris scripti, si appelletur ab interlocutoria, vel alio gravamine extrajudiciali, ille à quo appellatur, potest concedere apostolos refutatorios: nec tenetur supersedere, donec fuerit ei inhibitum virtute literarum in casu appelli. Veruntamen quando appellatur à diffinitiva, judex à quo tenetur supersedere.

Item si appellans in patria consuetudinaria appellat ad Parlamentum, & cadat à sua causa appelli per congedium, interruptionem vel desertionem, aut aliàs, solventur sexaginta libræ de emenda pro sua falsa sive temeraria appellatione. Et si judex subjectus, vel regius, dederit sententiam à qua fuerit appellatum ad Parlamentum, & dicatur malè judicatum, solvit sexaginta libras pro emenda pro suo falso judicio. Et si appellatum fuit coram Baillivo, vel Senescallo, si appellans sit ignobilis, non solvit nisi sexaginta solidos pro emenda. Sed in patria juris scripti non est emenda quando dicitur malè judicatum, nisi causa judicatur vel determinatur in Parlamento.

Item in patria consuetudinaria non potest infirmari sententia per viam nullitatis, nisi fuerit interposita appellatio per quam possit quis deducere nullitatem sententiæ. Sed in patria juris scripti secus est. Nam absque appellatione deduci potest via nullitatis.

Item in patria consuetudinaria ad obtinendum adjornamentum in causa appelli, sufficit dicere se appellasse. Sed in patria juris scripti * oportet ostendere instrumentum appellatorium, quando appellatur ab interlocutoria, & tradere in Cancellaria, ad videndum si appellatio sit admissibilis, & nemo recipitur ut appellans in curia Parlamenti, nisi ostendat dictum instrumentum appellatorium.

* *Scripti.* Hodie sic, & cessat hoc scrupulo.

Item si appelletur à diffinitiva in patria consuetudinaria, appellans non admittitur ad proponendum facta nova, sed solum illa quæ in causa principali proposuit. Sed in patria juris scripti recipietur ad proponendum facta nova. Et propterea causæ appelli patriæ consuetudinariæ vivæ voce litigantur. Sed respectu causarum à patria juris scripti provenientium, quando appellatur ab interlocutoria, appellans tradit suum libellum appellatorium per modum nullitatis rationum juris. Et quando à diffinitiva per modum factorum novorum, nisi quis velit, vel capiat jus per processum.

CAP. VII. DE DEFECTIBVS *& congediis in casu appelli, & quam utilitatem importent.*

Vide utilitates defectus, qui dicitur congedium.

ITem & primò, si appellans suum adjornamentum in casu appelli relevaverit, per unum defectum, qui congedium appellatur, perdit causam: & virtute dicti defectus vel congedii dicta pars intimata vel appellata talem utilitatem habebit, quòd appellans cadet ab ejus causa appelli: & condemnabitur in expensis, & id à quo fuerit appellatum, executioni demandabitur. Sed si appellans non relevaverit, sed anticipatur per appellatum, tunc requiruntur duo defectus, antequam appellatus obtineat congedium & lucrum causæ.

Item respectu partis intimatæ vel appellatæ oportet obtinere duos defectus antequam perdat causam suam, & appellans obtineat lucrum causæ: & virtute dictorum defectuum dicetur quòd benè fuit appellatum, & malè judicatum, cum expensis.

Item sciendum est quòd licet consueverit, & sit necesse ut appellans qui relevavit, faciat adjornari judicem à quo in patria consuetudinaria, vel intimari in patria juris scripti: alioquin appellatio esset deserta, & perderet causam suam tamen si judex est regius, non teneretur comparere die sibi assignata, neque sustinere sententiam ab eo latam, nec cadere potest in emendam, si malè judicaverit: quia se remittit Procuratori regio, ut sustineat causam si bonum ei videatur. Estque benè notandum, quòd judex regius ob iniquam sententiam vel falsam justitiam non potest conveniri, neque potest in processu teneri, nisi contra eum allegetur fraus, malitia, dolus, aut corruptela. Sed si appellatur ab aliquo alio judice non regio in patria consuetudinaria, dominus cujus nomine fuit judicatum debet adjornari, & comparere in die assignata cum judice suo pro sustinendo judicatum: quia si diceretur malè judicatum, solveret emendam, sicut prædictum est.

Item si quis appellat durante Parlamento, debet relevare ad dies ordinarios alterius Parlamenti sequentis: tamen hodie de gratia ponitur clausula, ut partes adjornentur ad certum diem ordinarium, vel extraordinarium præsentis Parlamenti, non obstante quòd sedeat, & quòd partes non sint de diebus ordinariis, &c. Et si ante relevaretur, de rigore stili appellatio esset deserta. *

* *Deserta.* Qui rigor non servatur, nec tempus conferit utcumque diligenti: sed appellans non potest obtinere defectum super citatione minus solemni, nec impensas illius citationis. C. M.

CAP. VIII. DE RENVNTIATIONE *appellationis.*

ITem si appelletur ad curiam Parlamenti, debet renuntiari infra octo dies, & solvet sexaginta solidos de emenda * & debet fieri renuntiatio coram judice à quo, & parti infra octo dies intimari, aliàs non valeret renuntiatio, nec audiretur si illam secretè faceret.

* *Emenda.* Hodie sine mulcta & expensis liberum infra dies octo renuntiare constit. Car. 7. art. 16. & dixi in consuet. paris. §. 52. glos 1. num 123. C. M.

CAP. IX. DE MATERIA *casus novitatis.*

ITem) sicut dictum est suprà, ad regem per prærentionem pertinet cognitio casus novitatis: & debet quis conqueri de omni turba vel impedimenta facti anno & die cita. Et ideo vocatur casus novitatis, ad causam turbæ novæ: & si turba vel impedimentum esset subannatum, non posset quis conqueri in casu novitatis, & non potest quis conqueri in eodem casu novitatis, nisi dicat se possessorem, & medium debitum deducat, conservando possessionem ejus.

Item in materia beneficiali non potest quis obtinere possessorium, nisi habeat titulum & institutionem canonicam. Sed in materia prophana non est opus docere de titulo, sed sufficit ostendere possessionem & gaudentiam per tempus sufficiens ad possessionem acquirendam. Et ex privilegio novitatis, quando aliquis conqueritur in casu novitatis per executorem * debet removeri, & restabilimentum fieri rerum attentarum & levatarum, & res contentiosa capi, & ad manum regiam poni tanquam superiorem.

* *Executorem.* Hodie correctum est, & tantum verbaliter sequestrare potest, nec ullam causæ cognitionem sumere, sed tantum in jus vocare, & corriguntur sequentia. C. M.

Item quando aliquis conqueritur in casu saisinæ & novitatis, debet partem suam adjornari facere, ad videndam ejus querimoniam, ad effectum reduci suprà locum contentiosum: & si una partium deficiat, potest serviens dare defectum contra partem contumacem. Et si pars impetrans deficiat, virtute dicti defectus cadit à querimonia sua. Si autem pars adversa deficiat serviens debet virtute dicti defectus manutenere & conservare conquerentem in suis possessionibus & saisinis. Et nihilominus pro majori securitate, serviens executor prædictarum literarum querimoniæ, debet adjornare partem deficientem coram judice cui cognitione commissa fuerit, visuram amplius conquerentem manuteneri & conservari in suis possessionibus antedictis.

Item & de materia casus novitatis est, quòd per executorem debet amoveri novitas antequam fiat

restabilimentum, & quòd res contentiosa ponatur ad manum regiam, & hæc fieri debent antequam pars admittatur ad opponendum: & in omni casu in quo cadere potest possessio, casus novitatis potest impetrari, dum tamen infra annum & diem à tempore turbæ: Sed oportet quòd turba sit tortionaria, & de facto; quia juris executio non habet injuriam, & contra expletum vel executionem justitiæ non habet locum casus novitatis, nec fiet reparatio alicujus actus auctoritate justitiæ facti, nisi per appellationem, vel oppositionem.

Item vassallus qui contra dominum feudalem impetrat causam novitatis, non potest impedire remissionem coram dicto domino & Curia sua: & est speciale in hoc casu, in aliis autem casibus quando subjectus conqueritur, excepto casu novitatis, coram aliquo Judice regio, dominus jurisdictionalis ipsius subjecti non poterit petere renvodium ad ejus Curiam fieri, quamvis res contentiosæ sint de jurisdictione sua, & debet rei contentiosæ recredentia illi adjudicari, qui habet jus apparentiæ in re de qua agitur.

Item sciendum est, quòd licet alteri partium recredentia fuerit adjudicata, & ideò gaudeat pendente processu, rebus contentiosis, nihilominus si cadat à causa, debet reddere parti obtinenti omnes fructus, profectus, & emolumenta quæ percepit pendente processu: quia nihil aliud est recredentia, quàm gaudere rebus contentiosis pendente processu.

Item est advertendum, quòd in materia novitatis, si defensor acquisivit hæreditatem titulo emptionis vel permutationis, aut aliàs, non potest petere garendum nisi sit infra annum à tempore acquisitionis * per eum factæ: quod est speciale in casu novitatis, in aliis autem casibus, sive sit materia simplicis saisinæ, sive petitoria, stilus hic locum non habet.

* *Acquisitionis.*] & traditæ sui possessionis. Ita quòd auctor non sit in culpa, ut dixi in Constit. Paris. §. 64. C. M.

CAP. X. DE PROTESTATIONE
*quam debet facere defensor, antequam respondeat articulis, per verbum credit *, &c.*

* *Credit.*] hoc prorsus caret.

ITem & primò qui vult respondere articulis suæ partis adversæ, debet protestari quòd per ejus responsionem non intendit aliquo modo recedere à factis contentis & baptisatis in suis articulis. Et si respondeat articulis partis adversæ qui sunt juris negativi, suspensivi, dubii, obscuri, aut impertinentes, non intendit quòd talis responsio possit parti adversæ prodesse, neque sibi respondenti nocere quovismodo.

Item & factis hujusmodi responsionibus, responsoque cuilibet ex articulis per verbum credit, vel non credit, procedetur ad inquestam, & caveat quis ne super quolibet articulo examinari faciat ultra decem testes: quia non esset sibi nisi onus, & ampliùs non computarentur quam decem super quolibet articulo. Sed si fuerit una turba, potest producere quantum sibi videbitur: & non concedere solent Commissarii defectum, nisi usque ad solis occasum. Et si pars deficiat, procedetur in ejus absentia, sicut in præsentia.

SEQUITUR STILUS REQUESTARUM.
Cap. I.

PRimò sciendum est, quòd in Requestis Palatii commissæ sunt causæ personales & possessoriæ Officiariorum, quæ per litteras de *Committimus* appellatas cõmittuntur, & sæpè per literas particulares officiarii præfati habent eorum causas commissas in materia simplicis hypothecæ. Et his sæpè committuntur causæ possessoriæ, ac etiam proprietariæ, & reales aliorum quam officiariorum, puta dominorum vel aliorum, quando est quæstio de re magna, vel rebus situatis in diversis partibus, sicut de successione magnatum vel aliorũ, quæ aliquotiens sitę sunt in diversis dominationibus & baillivia.

CAP. II. DE VNICO DEFECTV
causa lucrum importante.

SI in prima die non compareat procurator pro actore vel defensore, consuevit dari defectus, vel congedium purum & simplex, nisi quando unus defectus causæ lucrum importaret, sicut materia saisinæ & novitatis, criadarum, vel alterius executionis. Nam tunc duobus diversis diebus vocari solet, & super schedula scribitur, per grapharium, Vocatus fuit tali die.

CAP. III. DE PRIMA DILATIONE
ad procedendum, quæ est octo dierum.

In jus vocatis prima assignatione comparentibus, datur dilatio octo dierum, nisi causa, &c.

PArtibus in prima assignatione comparentibus, prima dilatio, seu appunctamentum est ad procedendum in causa ad octavam, nec defensori potest illud denegari, nisi causa fuerit remissa per Curiam Parlamenti ad ipsius requestam, vel in ejus præsentia. Quo casu prædictam dilationem, parte non consentiente, reus non habebit; alioquin defensor in omnibus causis semper hujusmodi octo dierum dilationem habebit, & hoc ut actor eidem ostendat expleta sua, & videat qualiter est adjornatus, an scilicet cedere velit, vel contendere. Authen. offeratur, C. de lite contest. Et si viderit quòd non sit benè in jus vocatus, possit proponere declinatoriam. Respectu verò actoris, si defensor velit causam accelerare, dictam dilationem actor non habebit, si defensor voluerit illam impedire: immò compellet eum suam actionem aut libellum proponere prima die: vel petet congedium, qua actione proposita reus petat suam dilationem veiitæ, garendi, ad defendendum, vel aliam, juxta materiam subjectam: & si actor proponere suam actionem aut libellum distulerit, consuevit dari absentia, vel congedium, salvo, &c.

CAP. IV. DE LIBELLO IN
petitorio.

Libellus debet dari in scriptis, in petitorio, & debent fieri tres.

IN dictis requestis non consueverunt actorem compellere ad eorum libellum in scriptis dandum, nisi in petitorio, ubi consueverunt actores offerre tres libellos pares per grapharium collationatos, quorum unus penes Curiam, alter per actorem retinetur, & tertius defensori tradi consuevit.

CAP. V. DE DILATIONE
Veitæ.

POstquàm dilatio prædicta ad procedendum advenerit, & actor suam proposuit petitionem, si materia veiitæ subjecta fuerit, dicitur, & actor suam veiitam faciet, & assignatur aliqua dies festiva ad hoc faciendum & conveniendum in aliquâ Ecclesia, vel alio loco notabili, & regressu litigii ad quindenam vel octavam sequentem, aut alium terminum, secundùm locorum distantiam: quòd si oporteat garendum habere, assignatur dilatio garendi, si materia subjecta sit, & unica garendi solùm conceditur dilatio.

CAP. VI. DE DILATIONE consilii.

COntingit aliquotiens post dictam dilationem ad procedendum, quòd actore suam petitionem prosequente, reus seu defensor moritur, & vidua & filii tamquam hæredes ad resumendum processum adjornantur ad certum diem: post dictam dilationem ad procedendum, vidua habet semper diem consilii ad octavam: & respectu prædictorum filiorum vel hæredum, si actor velit eos hæredes manutenere, habebunt similem diem consilii; sed si eos nolit manutenere, hæredes habebunt quadraginta dies ad deliberandum. Elapsa prædicta dilatione, solent cogi filii aut similes ad declarandum si sint hæredes: & si declaraverint quòd non sunt hæredes, oportet quòd ultrà transeant, & quòd renuntient successioni, & ita sæpenumerò dictum fuit: & si declaraverint se esse hæredes, adhuc dies consilii ad octavam sibi datur: & postea dilatio veniæ & garendi, quando materia est subjecta, vel ad hoc disposita.

CAP. VII. DE DILATIONE ad defendendum.

QUando materia non est subjecta veniæ, vel garendo, interrogatur plerumque per dominos cum juramento procurator defensoris, si habeat mandatum ad defendendum: & si dicat se habere, sibi datur dilatio ad defendendum ad octavam, si materia fuerit disposita ad defendendum, & summandum suum garendum ad octavam. Si verò procurator rei affirmat se non habere mandatum, reo datur brevis vel longa dilatio ad defendendum, secundùm distantiam locorum: & consueverunt concedi duæ dilationes ad defendendum, nisi in prima dilatione procurator rei habeat memorias; quo casu sibi conceditur octava tantùm ad defendendum.

Facilius reo quàm actori dilatio seu absentia conceditur, l. si quando. C. de dilat.

CAP. VIII. DE ABSENTIA concedenda.

SI post duas dilationes ad defendendum reus non defendat, consuevit concedi absentia, nisi habita fuerit, vel per eum rescisa fuerit: & si post prædictam dilationem absentur non defendit, datur contumacia in præsentia sui procuratoris: & aliquando apponitur, salvo quod si infra octavam suas defensiones proposuerit, &c. & aliquando non apponitur, salvo. Reus seu defensor habet absentiam quoties illam petierit; excepto quando processus est in jure, dum tamen fuerint præcedentes: & actor seu petitor non habet nisi unam absentiam, quam non potest purgare.

CAP. IX. AD COGNOSCENDVM vel negandum, duæ dilationes.

CUm actio aut materia proponitur personalis per schedulam signatam manu defensoris, vel virtute obligationis pactæ sub sigillo regio. Quando est per schedulam, primò petitur quòd defensor cognoscat vel neget. Et si non habet instructiones, dantur sibi duæ dilationes ad hoc faciendum: & consueverunt dari in prima assignatione. Post dilationem ad procedendum, ei datur dilatio ad defendendum, & agnoscendum vel negandum, si actor petierit: & si infra duas dilationes non defendit, cognoscit aut negat, sicut consuevit in aliis causis concedi absentia, salvo, &c. & postea defectus seu contumacia in præsentia procuratoris, qui virtute dicti defectus petit, dici per dominos quòd dicta schedula habeatur pro confessata, & condemnatur reus in dicta summa, cum expensis. Sed in dicta materia personali per schedulam manu defensoris signatam solet actor petere, ut reus muniat seu garniat manum regiam de summa contenta in dicta schedula. Et si procurator rei non habuerit instructiones, dantur sibi duæ dilationes ad garniendum, & non ultrà: & si infra illas non garniverit, in ejus præsentia ponitur in defectu; virtute cujus, postquam actor posuerit penes Curiam suas petitionem & schedulam, defensor condematur ad contenta * in schedula, ob defectum munitionis aut garnitionis: aliquando visa schedula, condemnatur reus tam in principali, quàm in expensis, super campo.

* *Contenta*) Vt infrà part. 6. Arrest. 2. ubi dixi. C. M.

CAP. X. QVANDO SVB SIGILLO regio passata est obligatio.

VErùm si reus est obligatus sub sigillo regio, actor post dilationem ad procedendum, petit quòd pars garniat aut muniat manum regiam de contentis in dicta obligatione: & si materia fuerit disposita ad garniendum, conceduntur ad hoc duæ dilationes, ut suprà. Et si pars adversa requirat dilationem ad defendendum & garniendum, & infra prædictas dilationes non defendat, vel non garniat, datur absentia, si non habita fuerit, vel contumacia, aut defectus, virtute cujus condemnatur in summa, * propter defectum garnitionis requisitæ per actorem.

* *In summa* Scilicet petita & ad solvendum diffinitivè. Ita vidi hîc & in præfectura Parisiensi practicari, sed iniquum est quamvis reus appellando, & impensas solvendo, rescindere hoc judicatum valeat, cum litteris Cancellariæ; sufficere enim debet actori quod potest dictam sententiam provisionalem exequi, etiam non obstante appellatione, & nihilominus persequi principale, ut diffinitiva obtenta, cautiones haberet, dictus tamen rigor etiam Tholosæ servabatur, ut mihi Arrest. Thol. 62. cujus emendandi primus auctor fui. C. M.

CAP. XI. DE MODO APPVNCTVANDI partes ad scribendum.

PRæfatis dilationibus elapsis, reo in judicio suas defensiones proponente, partibus hinc inde auditis, solent appunctuari ad scribendum per memorias, aut per advertissamenta accordata, seu simpliciter per facta contraria & per *intendit*, secundùm causæ exigentiam & factorum probationem, & dilatio ad scribendum per memorias vel advertissamenta accordata ad tres septimanas. Quòd si instantia non possit decidi sine probatione testium, in arduis causis solent partes appunctuari ad scribendum per facta contraria ad quindecim dies.

In minoribus autem causis appunctuantur ad scribendum per *intendit*, vel per advertissamenta ad octo dies.

Et elapsis præfatis dilationibus, altera pars quæ finem causæ appetit, cogit alteram ad recipiendum similem dilationem, ut suprà.

Secunda prætereunte dilatione, si noluerit altera Pars suas scripturas producere, datur defectus, salvo quòd si certo die suas scripturas produxerit aut dederit, purgabitur defectus. Postquam partes hinc inde suas scripturas tradiderunt, ad concordandum vel discordandum ad octavam dilatio conceditur, ut illa pendente utraque pars altera alteri suas scripturas tradat. Et si aliquid sit rejiciendum, quod rejiciatur, vel ut videatur si satis responsum fuerit: qua dilatione elapsa, si petere voluerint aliquid rejici, facere poterunt; alioquin non ulteriùs recipientur, & si aliquid rejiciendum non fuerit, appunctuari solet quòd scripturæ vel *intendit* habeantur pro concordatis Salvo quòd infra octavam poterunt adhuc respondere hinc inde, & tradere additiones.

CAP. XII. SCRIPTVRIS concordatis, dies ad producendum.

ELapsa prædicta dilatione, consuevit talis dilatio concedi; videlicet quòd scripturæ habentur pro concordatis simpliciter, & assignatur dies ad tradendum litteras & titulos de octava ad aliam octavam, & contradicta, & salvationes, & jus audiendi: & hoc quando scripserunt per memorias. Si verò per facta contraria, ad octavam ad respondendum per verbum *credit*, vel *non credit*. Et post dictam octavam habebit primam dilationem ad reportandum inquestam, brevem vel longam, secundùm locorum & partium distantiam. Quando partes sunt appunctuatæ ad tradendum per memorias, ille qui primo vult prosequi & accelerare, debet tradere saccum ejus & titulos ad Grapharium; & præfata elapsa dilatione, debet porrigere requestam, ut compellatur pars adversa ad tradendum & producendum saccum suum & titulos: & in prima requesta consuevit dari octava. Et si interea pars adversa saccum ejus non tradat penes Grapharium, adhuc alia traditur requesta, & consueverint concedi tres dies: quibus elapsis secluditur per Curiam, (& pro remedio, ne secludantur, sæpenumerò post primam requestam vel secundam, tradunt aliam requestam, ad finem obtinendi dilationem) aliquando illius medio, vel litterarum regiarum super his obtentarum adhuc conceditur eis alia dilatio, & aliquoties pars quæ prosequitur illam, concedit ad evitandum materiam vel occasionem appellandi.

CAP. XIII. DE EXTRACTV petiarum contradicendi causâ.

ET similiter quando partes produxerunt hinc inde, ille qui vult accelerare, Grapharium adire debet causa videndi articulos seu instrumenta partis adversæ, vel saccos in alicujus ostiarii manibus reponi facere, causa faciendi extractum productionum partis adversæ, & contradicendi. Et duæ requestæ requiruntur ante quam quis secludatur à contradictis. Et si partes sua contradicta fecerunt, altera alteri sua contradicta tradunt: & deinde ille qui prosequitur, suas fieri facit salvationes, & illas Curiæ tradit; & postea tradit requestam secludendi partem ad tradendum suas salvationes. Quibus requestis respondetur sicut in articulo præcedenti: & si post dictas duas requestas, eas non tradiderit, secluditur, & pars altera tantùm salvationes alterius non videt, & etiam copiam * titulorum alterius alia non habet; sed solùm extractum titulorum eorumdem.

* *Copiam.*) Scilicet expensis producentis, ut fit in Castelleto; sed si velit suis expensis habere copiam ab actuario signatam habebit, nec producens impedire poterit, quicquid indocti formularii dicant. C. M.

Postquàm partes utrasque titulos, contradicta & salvationes tradiderunt, vel de hoc faciendo seclusæ fuerint, Curia visitat instrumenta seu petras: & si in jure possit decidi, judicatur diffinitivè; alioquin partes appunctuantur contrariè, ubi priùs non fuerunt appunctuatæ per facta contraria: & aliquando adjudicantur provisiones, sicut in materia possessoria, alteri partium recredentia plerumque adjudicatur: quo facto partes proceduntur saccos suos recuperant.

Si partes fuerunt appunctuatæ contrariè, primum appunctuamentum concedi solitum est, quòd ille qui vult accelerare, debet à suis scripturis removere fines non recipiendi: quo facto venit ad judicium, & appunctuatur quòd pars adversa infra octavam corrigat scripturas suas, & removebit fines non recipiendi, & octava subsequenti respondebunt partes per verbum *credit*, vel *non credit*, hinc inde: & dies ad reportandum inquestam dabitur brevis aut longa secundùm locorum distantiam, & consueverunt concedi quatuor dilationes ad referendum inquestam, & non ultrà; aliquando tamen post quartam dari solet talis dilatio, scilicet quòd inquesta est recepta, salvo quòd infra tale tempus partes poterunt procedere ad eorum inquestam, & facta reprobatoria, & testes tradere ad producendum de octava in octavam contradicta & salvationes, & ad jus audiendum. Et aliquando in alio appunctuamento dicitur quòd inquesta est recepta simpliciter: & assignatur dies, ut suprà, ad reprobandum testes, & producendum, & dandum contradicta, salvationes, & ad jus audiendum.

Insuper pars quæ vult prosequi, si produxerit, adversarium suum compellet ad producendum, & tradendum contradicta & salvationes, modo quo suprà. Sed quando partes sunt appunctuatæ per memorias, hoc facto quando processus est in statu judicandi, judicatur in diffinitivâ: aliquando tamen inquestis factis & receptis dicitur quod inquiretur super factis reprobatoriis testium. Aliquando quòd testes recolabuntur; super quo quidem recolamento unica concedi solet dilatio. Est autem advertendum, quòd in dictis requestis non fit publicatio attestationum, sed bene in Castelleto Parisiensi. Similis ordo servatur quando partes sunt appunctuatæ, quantum ad principale per advertissamenta, quæ æquipollent memoriis, vel quandò per *intendit*, & advertissamenta sunt concordata. Et isto casu observatur solemnitas tradendo dilationes, & tradendo litteras, vel reportando inquestam, aut alias; sicut quando partes fuit appunctuatæ per facta contraria.

CAP. XIV. DE CAVSÂ novitatis.

CPLerumque in materia novitatis quando partes fuerunt appunctuatæ contrariè super principali, dicitur quòd quatenus concernit credentiam * partes utraque scribent per unum advertissamentum, tradendum infra octavam, super factis in illo contentis: & poterunt partes utrinque facere examinari certum numerum testium, vel unam turbam pro unò teste infra octavam, vel dilationem secundùm distantiam locorum, & diversitatem causarum: quod examen valebit partibus ipsis tam in causa principali, quàm in instantia recredentiæ.

* *Recredentiam.*) Hoc hodie justè correctum est, ut non separetur à principali constit. 1539. §. 39. C. M.

Quando quis vult prosequi, produxerit super principali: & postquam prosequens suum tradiderit *intendit* judicialiter, post lapsum primæ octavæ petit quòd pars adversa suum tradat. Et si non tradiderit, conceditur adhuc octava: aliàs est exclusus, & postquam tradiderunt hinc inde, accipiunt octavam ad concordandum vel discordandum, & aliquando apponitur, salvo quòd infra octavam, &c. & in causis parvis non datur salvo, &c. quia partes non consueverunt respondere rationibus suis hinc inde, sed solum eorum peremptoria facta solitæ sunt articulare.

Sed in instantia recredentiæ datur octava ad tradendum litteras & producendum. Et de octava in octavam, ad tradendum contradicta & salvationes, & ad audiendum jus, & compellendum partem ad producendum & tradendum litteras, contradicta & salvationes: Ille qui prosequitur, consuevit tradere requestam, sicut suprà dictum est in aliis materiis, & hoc facto judicat prædicta Curia dictam recredentiam.

Aliquando contingit quòd postquam partes fuerunt appunctuatæ ad scribendum, & tradiderunt scripturas suas, altera partium obtinet litteras regias ut recipiatur ad articulandum nova facta infra octavam:

quibus pars adversa respondere poterit in contrarium articulare, expensis impetrantis. Et si contingat quòd impetrentur, postquam partes fuerint appunctuatæ contrariè, & quòd pars adversa suam fecit inquestam, consuevit recipi ad articulandum facta nova, & probandum, proviso quòd pars adversa poterit in contrarium articulare, & inquestam facere, si opus sit, super dictis responsionibus, expensis impetrantis. Et si infra octavam concessam impetranti ad articulandum sua facta nova, hoc non fecerit, conceditur sibi adhuc octava, aliàs secluſus. Et quando inquesta principalis est facta solùm regulariter & simpliciter, conceditur ei adhuc una dilatio ad prædicta facta nova probandum. Sed quando est magna causa, conceduntur duæ dilationes, & non ultrà.

CAP. XV. DE IMPEDIMENTO processûs & processûum.

SEd in omnibus materiis quando altera partium se jactat de accordo, vel litteris regiis instantiæ impedientibus processûram, vel dicit alium esse processûm cujus medio vult impedire cursum processûs prædicti: allegans debet promptam facere fidem de dictis accordo, necnon litteris, & aliis petiis per eum allegatis, quamvis ex causa & de gratia aliquando concedatur eisdem dilatio ad hoc probandum. Sed quando non ostendit accordum, cogitur procedere ad ulteriora absque præjudicio accordi. Etiam quando se jactat de litteris regiis, & illas in manu non habet, dicitur quòd illas tunc monstrabit; aliàs dicitur eum cecidisse ab illarum effectu. Et quando allegat processûm, & illum non ostendit, consuevit compelli ad procedendum: quia communiter dicitur quòd qui vult impedire processûm per processûm, debet de illo in promptu facere fidem.

Nec omittendum est, quòd quando reus pro sua defensione proponit unum ny, quo casu dicitur quòd actor articulabit petitionem suam, & probabit: sibi conceditur dilatio quam requirit ad hoc faciendum, eò quòd pars sæpe non contradicit, cùm non habeat interesse: & hoc facto assignatur dies ad tradendum & producendum litteras & reprobationes, contradicta, & salvationes, sicut in aliis causis deductum est.

Sæpenumerò judicando processûm, quando non potest judicari sine probatione factorum in advertissamento contentorum, non appunctuantur partes contrariè simpliciter: sed dicitur quòd partes, seu una ipsarum probabit aliqua facta in advertissamentis contenta, & postea in judicio pars quæ vult prosequi, petit dilationem ad hoc faciendum. Vel aliquando in eadem sententia assignatur prædicta dilatio, & non consueverunt assignari ultrà duas dilationes ad hoc faciendum. Et hoc casu remanebunt productiones penès Curiam, & traduntur solùm scripturæ ad faciendam probationem, & non tradunt partes postea contradicta vel salvationes, eo quod satis penes Curiam remanserunt, & trader solùm pars quæ probationem vel inquestam non fecit, reprobationes contra testes examinatos in prædicta inquesta.

CAP. XVI. DE FVRNIMENTO querimoniæ, quæ est vera sequestratio.

QUia sæpenumerò pendente aliquo processû, superveniunt plura incidentia in furnimentis quèrimoniarum, in materiis possessoriis Litteræ regiæ impetrari solent pendente processû, ad obtinendum dilationem ad inquestam, vel aliam rem, vel relevamentum alicujus defectus, vel omissionis in aliquibus processibus, vel super integratione alicujus requestæ, ad obtinendum provisionem consueverunt audiri partes, & hoc facto, appunctuari in jure super dictis provisionibus: & ad tradendum ad fines prædictos utrimque unam schedulam sui litigati, & totum quod sibi videtur, infra triduum, nisi aliquando ex magna causa longior dilatio concedatur: & postquam Pars prosequens produxerit, tradit requestam ad compellendum Partem ad producendum: & primæ consuevit responderi, producat pars adversa infra triduum. Et si non fecerit, datur secunda requesta ad fines quos supra, & consuevit responderi, quòd producat intra crastinum, alioquin secluſus est, nisi infra prædictum tempus produxerit. Et hoc casu pars una non videt alterius schedulas nec advertissamenta, nisi aliter fuit appunctuatum: neque contradicta, neque salvationes traduntur.

CAP. XVII. DE PROVISIONIBVS.

COntingit in materia doralitii & alimentorum, quando partes litigant ad fines principales, & etiam actor ad fines provisionis, & partes appunctuantur ad scribendum per facta contraria vel memorias secundùm quod casus requirit, quandoque quoad principale, quandoque quoad provisionem appunctuantur partes in jure, ad tradendum per utrasque partes unam schedulam suo litigatori, & totum quod sibi videbitur infra triduum. Et postquam produxerint, si appareat de jure actoris, adjudicabitur sibi provisio quartæ * partis pro gaudendo per modum provisionis processû pendente. Sic dictum fuit per Sententiam Requestarum Arresto confirmatam in materia dotarii, pro *Angoulant de Moucheaux*, & ejus uxore derelicta prioris viri. Et in materia alimentorum pro Philippo *de Croy*, & Ioanna ejus uxore, filia Comitis Sancti Pauli, contra dictum Comitem, per Sententiam Requestarum Arresto confirmatam.

* *Quærtà. Supràin stil. c. 32. ubi tetigi. C. M.*

CAP XVIII. DE CRIDIS ET Subhastationibus.

ITem & quia in Auditorio prædictarum Requestarum plures causæ cridarum & subhastationum tractantur: Primò sciendum est quòd materiæ prædictarum cridarum & subhastationum veniunt ad prædictum Auditorium Requestarum pluribus mediis, ab omnibusque Regni partibus. Aliquando veniunt, quando factæ sunt virtute vel medio Sententiæ in eodem auditorio latæ, quo casu dictis cridis factis, Partes quæ illas fieri fecerunt, aliquando veniunt ad Curiam, & aliquando ad Cancellariam; & sibi conceduntur litteræ ad faciendum adjornari in dictis Requestis partes opponentes, eò quòd agitur de executione earum, ut causas suæ oppositionis dicant, & illi contra quos fiunt cridæ prædictæ, ut videant adjudicari decretum.

Et alio modo veniunt cridæ prædictæ, quando unus ex opponentibus, vel ille contra quem fiunt cridæ suprádictæ, vel ille qui causam hujusmodi prosequitur, habet suũ *committimus* apud Requestas prædictas, posito quòd executio fiat virtute Sententiæ alterius Judicis, vel unius obligationis sigillatæ sigillo regio, aliusque pluribus modis, sicut aliquando fit per remissionem Parlamenti, aliquando per litteras regias. Item alio modo, posito quòd Partes non habeant suum *committimus*, vel quòd non fit executio facta virtute Sententiæ latæ in dictis Requestis, sicut quando est quæstio de magna re inter magnates, & de rebus sitis in diversis jurisdictionibus.

In

In instantia cridarum, comparentibus partibus, prima [1] dilatio est ad procedendum ad octavam, ut supra, & interea debet actor prosequens cridas hujusmodi, opponentibus, expleta qualiter sunt adjornati, monstrare: & illi contra quos facta sunt cridæ: nec cogitur actor opponentibus cridas hujusmodi monstrare, sed solum tenetur [2] cridas monstrare reo principali.

Post dictam dilationem, alia conceditur [3] dilatio brevis aut longa, secundum distantiam locorum & personarum, dictis opponentibus, ad tradendum eorum causas oppositionis & titulos: sed actor qui hujusmodi cridas prosequitur, in suis scripturis quas tradit adversus causas opponentium, contradicit, & opponens in suis replicis eas salvat, & respectu illius contra quem hujusmodi cridæ fiunt, datur sibi dilatio ad dicendum, vel scripto tenùs tradendum, si quid dicere velit ad impediendum prædictum decretum, & excipiendum peremptoriè. Sed in causis aliorum opponentium, qui verè actores sunt, habent dicti opponentes duas dilationes solùm, ad tradendum eorum causas oppositionis & titulos: & adjornatus pro decreto interponendo, habet solum duas dilationes ad dicendum quicquid voluerit ad impediendum decretum.

Traditis causis oppositionum, [4] & titulis per opponentes scripto tenùs, ad quicquid dicere volunt, actor prosequens cridas, tradit suas defensiones. Et quamvis sit actor, vocantur defensiones: quia opponentes in materia cridarum sunt actores: deinde dicti opponentes tradunt eorum replicas. Et ad hoc habent duas dilationes, & non ultra subsecutivè tradit actor suas duplicas in scriptis: quo facto dictus actor in judicio partes facit vocari, quibus dies ad jus audiendum assignatur. Nec est omittendum quod aliquando actor habet plures partes, quas simul in judicio non potest habere, & illa ratione porrigit requestam, ut compellat opponentes ad tradendum eorum causas oppositionis, titulos & replicas: & traduntur duæ dilationes per duas requestas ad tradendum eorum causas oppositionis: & aliæ duæ ad tradendum replicas: sed frequentius hæc in judicio.

Partibus in jure appunctuatis, & visis per eas productis, judicatur processus diffinitivè aliquando contrariè, & aliquando appunctuatur, quòd aliqui opponentes aliqua facta probabunt: & quando sunt partes contrariæ, dantur duæ dilationes ad faciendum inquestam, sicut in aliis causis supra dictum est.

Contingit plerumque post perfectionem cridarum, quinimo etiam aliquando post traditionem causarum oppositionis, & appunctamentum in jure, quòd reus contra quem hujusmodi cridæ fiunt, offert argentum in pecunia numerata, pro qua cridæ factæ fuerant, & actor adjudicationem decreti requirebat: quare requirit manum regiam levari, & cridas cessare, quod actor & opponentes impediebant: scilicet actor pro suis expensis cridarum, & processibus quam fecerat: & opponentes pro causis oppositionum, & aliis expensis quas fecerant in processu: & tandem dictum fuit semper quòd defensor contra quem fiebant cridæ, solveret summas pro quibus cridæ factæ fuerant in quocumque statu essent. Et ita dictum * fuit pro domino Guidone Dempingny, contra Magistrum Joannem de Formentieres qui prosequebatur suas cridas ususfructus terræ de Tienes, contra dictum Dempingny, non obstante quòd Robertus Percault, & alii opponentes impedirent, & non solvit idem Dempingny expensas aliquas opponentibus, nec etiam prædicto de Formentieres pro processu, sed solum expensas cridarum usque ad tempus in quo summam consignaverat, &c. Et adhuc oportuit quòd idem de Formentieres illas obtineret per actionem. Item & similiter pro Magistro Simone Benedicti, contra Magistrum Simonem Compaing, qui prosequebatur cridas certi hæreditagii siti à Chailliau, non solvit. Similiter idem Benedicti aliquas expensas opponenti, neque prædicto Compaing, de processu facto contra opponentes, sed solùm expensas cridarum, & etiam quas idem Compaing contra ipsum fecerat usque ad diem oblationis in judicio, per eum factæ de summa pro qua dictæ cridæ factæ fuerant.

Item si sententia lata inter opponentes & prosequentes ad defensorem fuerit diffinitiva, à qua non fuerit appellatum, actor ponit penès curiam ejus sententiam, cridas & titulos, & videt curia processus ad videndum si omnes opponentes sunt vacuati: & plus offerenti decretum adjudicat.

Sciendum est, quòd quia ut supra dictum est, à pluribus partibus regni deveniunt cridæ in dictis requestis, usus quoque nec non stili in materia cridarum sunt diversi: est necesse quòd cridæ hujusmodi sint certificatæ per judices ordinarios, secundum mòres & stilum patriæ, aliàs numquam adjudicatur decretum: quia domini stilum omnium aliarum jurisdictionum scire non possunt. Et hoc in omnibus cridis, exceptis his quæ veniunt ex Castelleto Parisiensi: eo quòd domini requestarum de ipsis sunt satis informati.

Similiter est advertendum, quòd decretum adjudicatum pro aliqua pecuniæ summa, nunquam traditur nec liberatur illi cui adjudicandum est, nisi solvat in promptu, in pecunia numerata, vel consignet in curia, vel afferat quittantiam illius vel illorum ad quos pertinet.

[1] Prima dilatio in instantia cridarum est ad procedendū ad octavam.

[2] Tenetur.) Intellige tamen id est soli proprietario tenetur fidē facere, & copiam gestorum suis impensis dare ad quod non tenetur opponentibus: tenetur tamen eis facere copiam videndi & describendi expensis eorum quod mere formularii non intelligunt. C. M.

[3] Secunda dilatio in causa cridarum & subhastationū conceditur opponentibus ad tradendum suas causas oppositionis & titulos.

[4] Not. hic quod actoris responsiones dicuntur defensiones, quia opponentes in materia cridarum dicuntur actores.

* Dictum.) Et male, quia unius missio omnium processit, & quomodocumq; actor cridas dimittat, potest quivis opponentium se subrogari facere, etiā suis literis regis infrà annum, vel tm dimittibus regis literis post annum. Et sic contribus mitigandum est docentibus de jure pro quo res fuit subhastata potest, & ita observatur, vide Joannem Imbert. l. 3. institut. forens. c. 9. C. M.

CAP. XIX. DE RESVMPTIONE *cridarum.*

PEndente processu cridarum, contingit plerumque alteram partium decedere. Sciendum est igitur, quod ille qui vult accelerare, obtinet commissionem ad adjornari faciendum hæredem: & aliquando viduam ejus, si erat uxoratus, vel filios ad resumendum vel deserendum processum. Et quando partes comparent, prima dilatio conceditur eis ad procedendum ad octavam, ut suprà: & postea si actor vel ille qui prosequitur, velit ipsum manutenere, & de facto manuteneat, hæredes habent diem consilii ad octavam: alioquin ad deliberandum habent quadraginta dies, sicut suprà dictum est. Et postea datur eis una dilatio ad resumendum vel deserendum, & aliquando duæ, & in ultima solet apponi, aliàs tenetur pro dimisso: & si non resumant, datur absentia consilii ad octavam, aliquando defectus, salvo, &c. Et finaliter quando nolunt resumere, in eorum præsentia ponuntur in defectu. Quam autem utilitatem importet hujusmodi defectus, infra dicetur. Et si resumant, oportet quod resumant in statu in quo erant tempore decessus. Respectu autem viduæ similiter habet diem consilii, & non habet diem ad deliberandum, cum non sit hæres. Sed pars non libenter tales viduas prosequitur, pendente deliberatione hæreditaria: sed permittit ut supersedeat processus, donec uno marte similiter procedatur.

CAP. XX. DE CAVSIS EXCESSVVM, *quas criminales appellant.*

PLerumque contingit in dictis requestis tractari causas excessuum quæ veniunt per literas regias in prima instantia: sed hoc rarissimè, & cum magna difficultate: quia non sunt ordinarii, sed delegati, ut primo capite dictum est, aliquando ex remissione Parlamenti, quando causa possessoria fuit in

Parlamento litigata, & sunt attentata, cum curia remittit ad curiam requestarum, & mutat attentata in excessus. Aliquando veniunt materiæ excessuum incidenter in aliquo processu : ut patet in crimine falsi, quando literæ productæ per alteram partium, manutenentur falsæ, aliquando propter infractionem manus regiæ, quando aliqua querimonia fuerat furnita, & nihilominus una pars levat & percipit fructus, vel facit aliquod attentatum in præjudicium processus, vel aliàs.

Quando materiæ excessuum veniant per literas regias aut commissionem curiæ, quomodo sit procedendum.

Quando materia venit per literas regias, vel etiam ex commissione curiæ polt factas informationes, aliquando est adjornamentum personale, quandoque captio corporis. Si adjornamentum personale, & pars adjornata comparet, vel ejus procurator : Prima dilatio est ad procedendum, sicut in aliis materiis, ut suprà. Aliquando contingit quod defensor habet garendum, quando res jacet in ratihabitione, seu mandato : sicut quando ratione alicujus expleti in domanio facti in aliqua petia terræ, vel nemoris, vel aliàs, & nihil aliud est præterquam expletum : tunc datur dilatio ad summandum suum garendum, qui recipitur cùm materia se offert : & aliquando datur dilatio veritæ, ut supra dictum est.

Adjornatus personaliter, non in portu armorum, aut excessu simili comparens, quid facere debeat, quidve fieri debeat, adversa ejus parte non comparente.

Sed quando est portus armorum, vel alius excessus, non simplex expletum domanii, & datur adjornamentum personale : adjornatus comparens in die sibi assignata suam requestam porrigit, ut interrogetur : quo facto, graphiarius videt, si penes curiam sint informationes vel chargiæ : & si non fuerint inventæ, petuntur à parte vel à procuratore partis adversæ : quibus injungitur, ut chargias & informationes penès curiam ponant : & si non fecerint, datur congedium adjornato cum expensis, damnis & interesse : & hoc quando est pars, alioquin, adjornatus in judicio petet congedium : quod si fuerit eidem concessum, importat absolutionem ab instantia & condemnationem expensarum, damnorum & interesse : in quibus sua pars adversa non comparens condemnabitur.

Sed traditis per actorem informationibus & expletis penès curiam : curia deputat commissarios ad interrogandum adjornatum. Et hoc facto traduntur gentibus Regis chargiæ & illius confessio : qui eidem actori prædicto communicant confessionem, & aliquando per eam capiunt jus, & tradunt gentes regiæ, & pars eorum conclusiones in scriptis, & adjornatus suas defensiones vel diminutiones : quo facto, ipsis fit jus.

Sed quando procurator regius & pars nolunt capere jus ex partis confessione, consueverunt partes in judicio litigare, & suas conclusiones facere : Et quia frequentius adjornati negant excessus, appunctuantur contrariè, vel per memorias : quo casu respectu dilationum ad tradendum scripturas, reportandum inquestas, & alia hujusmodi, servabitur, sicut in aliis materiis suprà dictum est.

Quando incarceratur reus, proceditur sicut in aliis curiis, scilicet quod interrogatur reus secundùm chargias, & juxta materiam : aliquando confrontantur testes, aliquando proceditur ad quæstionem : & si incarceratus confitetur, ita quod procurator regius & pars recipiant jus per suam confessionem, proceditur sicut suprà proximè dictum est. Si autem incarceratus neget, recipiuntur ad processum ordinarium : & partes adjunguntur in judicio, & appunctuantur contrariæ, vel per memorias, & incarcerato respectu personæ fit provisio elargissamenti, data cautione. Et tunc procederur ad ulteriora per suas dilationes, tradendo scripturas vel alia sicut in aliis materiis : Salvo quod quando partes appunctuantur contrariæ dicitur quòd reus comparebit personaliter in receptione inquestæ.

CAP. XXI. DE MATERIA computorum.

SCiendum est quòd in dictis requestis veniunt & tractantur materiæ redditionis computorum, maximè quando in materia novitatis Commissarii fuerunt dati ad regendum res contentiosas, vel quòd executor alicujus sententiæ requestarum prædictarum, in defectu mobilium ponit ad manum Regis hæreditagia : Estque prima dilatio partibus comparentibus ad procedendum ut suprà. Et postea si adjornatus confitetur se esse sequestrum, seu Commissarium, datur sibi dilatio ad asserendum suum computum, & dantur duæ dilationes & non ultrà ad dictum computum asserendum : & si non attulerit, in ejus præsentia conceditur defectus, & postea ponit pars ejus appunctuamenta coram curia : & virtute dicti defectus cadit defensor à trandendis dictis computis, & condemnatur suo proprio & privato nomine in summa pro qua res sasitæ fuêre. Et quando est sequester aut administrator bonorum sub manu Regis existentium, sicut in materia novitatis, illi qui gubernant res, condemnantur ad reddendum, & tradendum actori fructus per ipsos receptos & levatos, & ad tenendum prisionem seu carcerem, si opus sit.

Si adjornatus negat se fuisse Commissarium, neque levatus fructus, aliquando appunctuantur partes ad scribendum per memorias, sicut quando actor vult ostendere per literas illum fuisse Commissarium, & se ipsum onerasse : aliquando contrariè, & proceditur in hoc casu respectu dilationis, tradendo scripturas, vel aliàs sicut in aliis materiis prædictum est.

CAP. XXII. DE VTILITATE defectuum.

QUia aliquando partes se permittunt poni in defectu, vel contumacia, vel congedio, restat de prædictis defectibus & congediis aliquid explanare : & quando utilitatem important.

Primò sciendum est, quòd in materia novitatis, quando habens committimus in requestis, parte vocata supra locum, fecit exequi suam querimoniam : & pars se non opposuerit, vel fuerit contumax, & adjornatur coram prædictis dominis ad videndum amplius manuteneri & conservari : & dictus actor obtinet defectum super eadem assignatione : virtute dicti defectus actor importat utilitatem, quòd manutenetur * & conservatur : & levatur manus, cum expensis, si reus fuit debitè in jus vocatus vel adjornatus. Sed quando querimonia est malè executa, sicut quando defensor non fuit debitè adjornatus ad personam suam, vel domicilium, ad videndum amplius manuteneri & conservari, & quantumcumque modicus sit defectus in relatione, conceditur adhuc unum adjornamentum : & postea in secundo defectu datur lucrum causæ, cum expensis. Estque sciendum, quando aliquis est adjornatus ad requestam alicujus conquerentis ad videndum reduci ad effectum unam querimoniam, comparétque & est præsens coram executore, & non se opponit : sed tacet, manuteneri patiens, & adjornatus ad amplius videndum manuteneri & conservari, sed deficere permittit, in dictis requestis, quòd virtute dicti defectus conquerens manutenetur & conservatur : & hoc casu non sunt expensæ. Sed si est adjornatus, & non comparet, & post executionem ipse est adjornatus apud dictas requestas ad videndum amplius manuteneri & conservari, & se permittit in defectu poni, in hoc casu conquerens manutenetur

* *Manuteneatur.*] Idem supra in stil. Parlam. c. 8. §. 1. sed jam dudum exolevit, & cœperunt requiri quatuor defectus donec per constit. 1539. §. 24. fuerunt redacti ad duos, ubi videndo. Egidium Bourdinum celeberrimũ in hoc Senatu causarum patronum, deinde fisci Advocatum, nunc autem 1557. generalem Procuratorem Regis qui dictam constitutionem nuper eleganti glossemate illustravit. C. M.

& conservatur virtute dicti defectus, & deficiens condemnatur in expensis.

Item & quando virtute alicujus *Committimus* aliquis adjornatur in dictis Requestis ad refundendum in materia novitatis: & die assignata se poni permittit in defectu: talis defectus non importat lucrum causæ; sed tradit actor suam demandam in scriptis, vel ibidem baptisat suas positiones, & super hoc datur sibi commissio, in quâ incorporatur ejus demanda, & deficiens adjornatur super dicto defectu, & si die assignata deficiat virtute dictorum duorum defectuum, actor manutenetur & conservatur, & regia manus amovetur, & deficiens in expensis condemnatur.

Finis Stili Requestarum Palatii.

DE MODO CONFICIENDI *Processus Commissariorum.*

L'An de grace 1497. le lendemain du jour de Nostre Dame d'Aoust, Nous Guillaume Boisson, & François de saint Louys Cleres & Conseillers du Roy nostre Sire, en sa Cour de Parlement, recensimes les Lettres dudit Seigneur, contenans la forme qui s'ensuit. Charles par la grace de Dieu, &c. par vertu desquelles nous fismes adjourner lesdites parties en la maniere qui s'ensuit. E. & A. Cleres & Conseillers du Roy Nostre Sire, au premier Huissier ou Sergent Royal, salut & dilection. Nous avons les Lettres du Roy nostre Sire, contenans la forme qui s'ensuit: Charles, &c.*

Ut debitus honor novis Commissariis per Curiam datis conservetur, & ne propter eorum ne dicamus ignorantiam, seu culpam, processus per eosdem factos, per Curiam annullari contingat in magnum dammum partium, & ipsorum Commissariorum dedecus, & jacturam, videtur (prout primò occurrere potest) sic procedi posse per eos, potissimè in partibus quæ jure consuetudinario reguntur, in processibus in gallico faciendis, prout communiter fieri consueverunt. Eodemque modo possunt procedere Commissarii in terra quæ jure scripto regitur, salvo quòd semper habent facere processum verbis Latinis.

L'an de grace, &c.) Illud totum ponitur gratia exempli, & licèt dies receptionis litterarum inferere non erat necesse antiquitus ante annum 1336. attamen ex post fuit & est necessarium, cùm ex ordinatione Curiæ partes debeant facere diligentiam impetrandi adjornamentum infra quinque septimanas à tempore finiti Parlamenti, ex quo habuerunt & habere potuerunt commissiones suas sigillatas; alioquin negligentes reputantur. Quid autem amittat pars negligens, non facit ad propositum. Quandoque & sæpe contingit quòd unus Commissarius est laïcus, & semper tunc consuetum est in citatione & commissione, Clerici nomen præponi.

Item quandoque est solus Commissarius probo viro secum adjuncto, & tunc ille Commissarius citat sic.

Estienne, &c. Au premier Huissier, &c. par vertu desquelles Lettres, adjournez pardevant Nous & nostre Adjoint que nous entendons prendre audit jour.)

Prout est de citatione, qui & die prædicta debebit eligere adjunctum de partium consensu, si possit: alioquin capiat: & sufficit quòd aliqua partium consentiat, vel etiam si contradicat, causas frivolas allegando: & ipso nominato, licet cum eodem adjuncto procedere; alias si unus solus procederet, vel etiam unus Commissariorum datorum, annullari debet per Curiam citatio vel assignatio per unum solum facta, & ita observatur in Curia.

Par vertu desquelles nous vous mandons, & à chacun de vous commettons, que vous adjourniez lesdites parties pardevant Nous en la Ville de Thoulouse, à tel jour, & aux jours ensuivans, pour aller avant en ladite cause, selon ce que raison doit. Et avec ce, adjournez tous les témoins, que les parties vous nommeront pour porter témoignage de verité: intimant aux parties que comparans ou non, nous irons avant en ladite besogne, nonobstant l'absence de partie. Mandons & commandons à tous les sujets; prions & requerons à tous autres, qu'en ce faisant vous obeïssent diligemment: De ce que vous aurez fait, nous certifiez à ladite journée, de bouche, de ce que par vos lettres n'aperra. Donné à Thoulouse, l'an & jour dessusdits.

Est etiam sciendum quòd Commissarii in processu suo verba superflua summopere debent evitare: Sufficit enim necessariis verbis ut in processu: ut l. fin. C. de precibus imper. off. & l. amplioremn, C. de appell. & ideò non est necesse quòd dicat: *Cleres & Conseillers donnez Commissaires.*

Auquel jour & lieu comparurent lesdites parties en leurs propres personnes, & nous presenterent lesdites commissions, adjournemens, relations, de deux paires d'articles scellez du contrescel du Roy: lesquels seront trouvez au sac, aux jours suivans.

Et istud consuevit apponi aliquotiens, ut arctetur citatus comparere non solùm die citationis, sed etiam diebus sequentibus. Et licet de rigore, si pars, non compareat, posset procedi ad diem præfixam, attamen tutum est quòd iterum secundò citetur pars antequam Commissarii procedere incipiant, & ita dici consuevit & teneri, & in Camera pluries vidi observari. Si verò Commissarii vel alter eorum non esset præsens prima die citationis, neque sequenti, cùm illa clausula supraposita, & ad dies sequentes referatur, non teneretur tamen amplius diebus ulterioribus expectare.

Les témoins.) Quandoque tamen pars quæ impetrat citationem, non vult quòd citentur testes partis adversæ: & tunc ponitur in citatione.

Tous les témoins que telle partie vous dira, &c.) Et maximè habet locum hodie, cùm quilibet teneatur facere diligentiam suam, & cùm reus alias omitteret probationes suas super defensionibus suis. Et hoc ex ordinatione Curiæ, ut suprà dictum est.

Et en leurs propres personnes.) Quandoque tamen comparent ambæ partes per Procuratorem, quandoque una pars per Procuratorem, alia in propria persona, & tunc dicitur in processu: *Et comparut tel, comme procureur de tel, si comme il nous apparut par procuration scellée du scel, laquelle est au sac.*) Vel si partes requirant quòd inserantur, poterunt inseri in processu; quod sæpe contingit, quia partes actuæ sunt de procurationibus suis in aliis Curiis. Et illud tutius est, ut appareat quid factum extitit per dictos procuratores, & etiam per alios, si compareant alii procuratores durante auditione, & quæ personæ facient partem in lite, vel qui fuerunt præventi.

Item multùm debent cavere Commissarii, si aliquis sit defectus in commissione, & aliquid opponatur à partibus: quia etsi tradunt rationes dubias, seu eriam quæ manifestè videntur bonæ; tamen cessare debent procedere, ne processum eorum propter hoc contingat annullari. Si verò frivolæ essent rationes oppositæ, tunc non omittant procedere, & ponant rationes in sacco, & de hoc faciant mentionem in suo processu. Quandoque contingit quòd procurator dicit, quòd procuratorium est in Parlamento: & tutum est in casibus istis, quòd comparens personaliter petat partem suam contumacem reputari: cùm non compareat sufficienter, ad fines quòd saltem processus pro parte faciendus valeat in contumaciam adversarii sui sufficienter non comparentis. Contingit aliquotiens quòd partes faciunt procuratorium apud acta vel agenda, vel aliquem articulum expediendum. Quandoque pars protestatur quòd per sui comparutionem, &c.

Item quandoque Procurator regius facit partem

* *Cleres.* Olim non dicebantur aliqui Consiliarii eterni ad differentiam laïcorum; omnesenim, exceptis sex Paribus Ecclesiasticis, erant laïci, quorum pars erant proceres & milites, reliqui jurisperiti & hi ad illorum differentiã vocabantur Clerici, more loquendi Gallico, quod doctos Clericus vocant, ut ex veteribus Requestis Curiæ constat. C. M.

Si dubium sit de mandato commissionis, & rationes ei efficaces opponãtur, debent Cõmissarii cessare procedere, ne annulletur processus, secus si secus.

Quid fieri debeat in casu facti quod est privatus est Rege divisibiliter, vel indivisibiliter.

Vnus solus Commissarius non potest procedere.

solus, & tunc Commissarius numquam in ipsius contumacia procedere debet, sed debent ipsum expectare, nec ultrà procedere, nisi aliud per Curiam fuerit ordinatum. Quandoque facit partem cum alio: & tunc si in facto divisibili, puta quia excessus dicitur esse factus, vel injuria existenti sub salvaguardia Regis, & tunc cum injuriato solo proceditur, & potest poni in contumacia. Quandoque pars venit sine Procuratore regio: si pars venit in contumacia Procuratoris Regis, & præjudicium ipsius quoad injurias Regis, non proceditur; sed expectabitur. Et cùm venerit, poterit testes jam per partes productos pro se producere, vel alios testes. Si verò factum super quo litigabitur, est de se indivisibile, ita quòd pars regis lucrari non potest quin altera pars lucretur, & econtra, tunc fieri debet processus, & similiter expectatur Procurator regius. Idem Commissarii bene debent cavere quòd antequam iter arripiant, sint certi quòd Procurator regius in Parlamento fecerit Substitutum, vel quòd mandet per suas litteras Procuratori, Baillivis vel Senescallis, quòd agat vel defendat causam pro jure competenti. Et hoc ne oporteat eosdem Commissarios redire & gravare expensas, de stylo Curiæ si pars una sit absens, & alia præsens, cùm agatur inter privatos, tunc procedi potest ad perficiendum inquestam per præsentem, sed contumax citandus est ad quemlibet actum judiciarium, aliàs valet processus contra ipsum, & annullaretur per Curiam, licèt etiam positum fuisset in prima citatione ad talem, & ad dies sequentes: quia illa adjectio, & ad sequentes, non includit nisi diem primò sequentem, nam si comparet prima die, certum est quòd quandiu durat auditio, semper debet esse præsens per se vel per Procuratorem: & tamen si se absentaret, deberet citari: ergo eadem & fortiori ratione quando non comparuit. Idem dici posset ubi comparuit, & appellavit ex aliquâ causâ: quia à Commissariis referendariis non appellatur [a], & perinde est de stylo Curiæ irrefragabili, ac si non appellasset: debet igitur & tenetur cum protestatione de habendo jus super rationibus propositis per Curiam, procedere: aliàs si non procederet, & rationes per ipsum propositæ coram Commissariis per Curiam rejicerentur, caderet à suis defentionibus probandis. Si verò ex aliqua causa per Curiam admitterentur, tunc non caderet [b], & fatuus est si ponit se in tali periculo. Et Commissarii etiam fatui essent si procederent, si manifestè viderent rationes procedere, ac impedire debent processum eorum, si causæ veræ essent. Si verò Commissarii fuerint per Curiam deputati, & ab ea procedunt vel emanarunt, statim cessare debent etiamsi frustratoriæ notoriè appellarentur, quia statim Curia annullaret processum, & quicquid factum esset post appellationem, esset frivolum. Et hoc de stylo Curiæ. Et idem esset si quid post recusationem legitimè factam fuerit factum; quia recusatio quandoque ab aliquibus partibus fit, operatur appellationis, adjornamenti & relevationis effectum: si apparet de adjornamento, non sufficit, nisi de relatione seu executione citationis constet. Et idem est de omnibus mandatis, sive inhibitionibus litteratoriè factis, etiam de salvaguardiis quæ tota die conceduntur; quia de intimatione debet fieri mentio, si agatur de infractione.

[a] Appellatur. Imo appellatur, & appellatio devolvit, sed non suspendit, nisi ex recusatione admissibili, ut dixi suprà, part. 1. cap. 17. §. 3. C. M.

Contresçel.) Et si non essent sigillatæ, licèt signum illius qui tenet, sigillum esset, attamen Commissarii non debent procedere, si opponeretur ab aliquo Procuratore, sive ab ipsa parte adversa.

An fac.) Quandoque inferuntur in processu ordinamenta designando solùm sic.

La teneur duquel s'ensuit.) Et istud sufficit. Tenor verò relationis in totum debet poni, si pars petat, articuli non maximè in processibus, si fuerint in terra quæ regitur jure non scripto. Sed de jure scripto secùs fit communiter.

Lesquelles nous fismes lire du consentement des parties dessusdites. Aliquotiens altera partium opponit contra citationem, quòd non sit de octo diebus, & infra quindenam. Nam à data citatione usque ad diem assignatam in citatione, debent esse quindecim [b] dies à data executione usque ad diem prædictam, octo dies ad minus, de stylo Curiæ: aliàs Commissarii non possent procedere si opponeretur à partibus, sed necessaria esset alia citatio probans prædicta intervalla. Et si pars tradat aliquas rationes, debent mentionem facere de iis in processu, & ponere in sacco; quia in secunda citatione sufficiènter facta tenetur pars comparere & procedere cum protestationibus. Attamen posset esse jus quæsitum ipsi parti citatæ ratione primæ citationis ineptè factæ: quia minus sic arctant, quamvis ratione protestationis jus sibi salvum esset: & haberet sibi jus cùm judicaretur inquesta, per plures etiam vias, aliàs potest opponi contra citationem de jure: quæ quotidie occurrunt.

[b] Quindecim. Non servatur, sed arbitratur pro qualitate locorum & personarum. C. M.

Item quandoque contra commissionem opponitur ab altera partium, quòd (quia facit mentionem de aliis commissionibus, puta quia dicitur ibidem, juxta tenorem prioris) non possunt procedere, nisi appareat de primâ sententiâ, vel de Arresto, vel si mandetur quòd resumptis aliquibus processibus, perficiant inquestam, vel quia commissio est revocata, puta quia dati sunt Commissarii alii, vel inceptum est parlamentum: si non continetur in commissione quòd procedere possint, non obstante quòd sedeat Parlamentum, & Commissarii sint de Parlamento; quia tunc ipso jure revocatur potestas ipsorum, cùm inceptum est Parlamentum, vel forte dies Baillivæ vel Senescalliæ, ad quos secundùm formam commissionis habent remittere, advenit; quia tunc nullus Commissarius potest procedere ultrà, & in talibus casibus & similibus si procederent Commissarii, non valeret processus, maximè si opponeretur à partibus. Quandoque tamen ponitur in commissione: *Committimus*, & inquestam inde nobis remittatis quantò citiùs commodè poteritis: & tunc sufficit quòd remittant ante finem Parlamenti per aliquos dies. Si autem diceretur in commissione: remittatis cùm perfecta fuerit, tunc etiam post Parlamentum pollet procedere, donec perfecta fuerit inquesta.

Oppositiones contra commissionem.

Item licèt sit suprà dictum quòd citatio habere debet intervallum quindecim dierum, illud locum habet in prima citatione, non in aliis citationibus, quas concedunt Commissarii ad alios actus judiciarios in procedendo; quia in illis tantum intervallum non requiritur, sed arbitrio ipsorum Commissariorum relinquitur. Item quandoque opponitur contra commissionem, quod est surrepticiè impetrata, puta quia lis pendebat coram alio Judice, de iis super quibus est concessa, nec est facta mentio in prædicta commissione de hoc, vel de alio quod concernit processum litis, vel super tali negotio, vel excessu impetrata, cujus cognitio & punitio immediatè pertinet ad alium inferiorem dominum ordinarium loci, & de hoc non fit mentio. Et tunc Commissarii habent supersedere, & remittere, si eis de prædictis appareat evidenter. Si vero opponeretur talis subreptio tacita vel obreptitia expressa, quæ concerneret negotium principale, illud non impediret quominus deberent procedere, reservato Curiæ judicio super subreptionibus propositis faciendo. Et quia frequenter contingit opponi: ideo circa hoc aliquantulum est insistendum.

De formâ litterarum commissionis.

Sciendum est igitur quod in litteris & commissionibus quæ emanant de Curia Franciæ, inveniuntur ista verba quæ sequuntur: ex certa scientia, de gratia speciali: & duo ultima vocabula, videlicet ex certa scientia, de gratia speciali habent procedere ab ore Regis, nec Parlamentum vel alius potest, nequo consuevit apponere, nisi Rex ipse: & debet in littera

ſignata dici per Regem, ad relationem talis: ut puta ad relationem unius Magiſtri requeſtarum hoſpitii, vel alterius collateralis Regis, cum Rex hoc conceſſit. Quandoque tamen vidi literas in quibus erant iſta verba: ex certa ſcientia, ſignatas per conſilium. Et hoc fit quando Rex eſt in ſuo magno conſilio præſens, ſed rarò vidi. In literis verò quæ emanant à Parlamento, frequenter apponi conſuevit ex cauſa, in Arreſtis. Frequenter etiam hoc fit quando ex æquitate moti, vel ex aliqua certa cauſa domini Parlamenti deviant à via juris communis: quod facere poſſunt prout qualitas negotiorum requirit. Magiſtri verò requeſtarum hoc non poſſunt, nec apponere conſueverunt. Dicimus igitur, aut commiſſio eſt impetrata ſuper ſalvæ-guardiæ ſpecialis fractione, & commiſſio valet ſi facta fuerit, in quocumque loco regni, etiam in jurisdictione alterius domini temporalis: nec eſt tunc neceſſarium quod apponatur, ex certa ſcientia, & ex cauſa, niſi de hoc lis penderet coram aliquo judice ordinario regio, puta coram Seneſchallo vel Balliivo, vel aliis judicibus ordinariis regiis: qui etiam de fractione aliarum gardiarum cognoſcere conſueverunt, & punire delinquentes in ſuis Seneſchalliis & Balliviis & jurisdictionibus eorum ubicumque frangantur in dictis Seneſchalliis vel Balliviis: quia ſi penderet lis, & non fieret mentio in commiſſione, vel non diceretur, reſumptis proceſſibus coram talibus factis dicta commiſſio, de hoc appareret ſubreptitia: ſed ſi fieret mentio in commiſſione, vel diceretur in ipſa: reſumptis proceſſibus coram tali Seneſchallo factis inquiratis, tunc non diceretur ſubreptitia: & ita ſit communiter in Parlamento. Si verò commiſſiones emanarent ab ore Regis, & ibidem eſſet: ex certa ſcientia vobis committimus: tunc quamvis lis penderet ſuper prædictis, attamen non eſſet nec diceretur ſubreptitia hæc commiſſio: quia non eſt quærendum à Principe de cauſa quare faciat. Nam Princeps legibus non ligatur: & jure ſuo Regio, & de plenitudine poteſtatis, ratione jurisdictionis generalis quam habet in toto regno ſuo, in quo ſuperiorem non recognoſcit, poteſt ponere prout placet ſibi & vult, & contra jus, cum ſit ſuprà jus: ex quo certioratus eſt, ſive ex ſua certa ſcientia procedet: Parlamentum verò non poſſet hoc, nec etiam Cancellarius, vel alius, quia non poſſunt contra jus, vel ſuprà: licet Parlamentum ſive domini Parlamenti tacitè habeant ordinariam jurisdictionem de omnibus exceſſibus & negotiis emergentibus in jurisdictione Regis ubique, cum placet eis ex aliqua cauſa. Et hoc aliquotiens faciunt, ſed ponunt in cauſis pendentibus, reſumptis proceſſibus, &c. ut dictum eſt: & ſi non ponerent, commiſſio erit ſubreptitia. Aut agitur de commiſſione facta ſuper exceſſibus aliis vel negotiis: & tunc aut commiſſio vel negotia ſunt in jurisdictione alterius, non in jurisdictione Regis immediatè, & tunc talis commiſſio per curiam facta non valet, etiamſi dicatur: ex cauſa, vel etiam reſumptis proceſſibus, coram tali factis: & hoc niſi in ipſa commiſſione eſſet: ex certa ſcientia, & emanaſſet ab ore Regis. Et ratio eſt, quia iſtud nec curia nec ipſe Rex conſuevit de cauſis ſeu exceſſibus commiſſis & emergentibus in jurisdictione inferiorum dominorum jurisdictionem habentium cognoſcere, nec ab ipſis avocare cognitionem ſive jurisdictionem, niſi ab ipſis fuerit appellatum, vel propter defectum juris fuerit receſſum ab ipſis dominis inferioribus ſive judicibus ipſorum. Aut commiſſio facta eſt ſuper exceſſibus ſeu negotiis emergentibus in jurisdictionibus regiis immediatè, & tunc curia frequenter conſuevit commiſſionem concedere ſuper ipſis, ex quo non eſt inceptus proceſſus coram judicibus ordinariis regiis, neque tunc conſuevit apponere ex cauſa: & ſi apponatur, non propter hoc vitiatur. Et iſtæ commiſſiones quandoque diriguntur judicibus ordinariis locorum immediatè: & tunc credo quod ſi articuli fuerint traditi in curia: licet non fuerit litigatum adhuc, ſed curia mandat ipſis ordinariis quatenus ſuper articulis tradendis inquirant, & referant, quod prædicti judices habent obſervare ſtilum curiæ, & fortiori ratione ſi jam traditi ſint articuli, & litigatum in curia: & hoc verum eſt, niſi in commiſſione diceretur, quod ſuper inquiſitis facerent juſtitiæ complementum, vel facerent quod eſſet rationis: quia tunc licet diceretur in commiſſione, *Committimus, & Mandamus*: nihilominus talis commiſſio videtur magis excitativa jurisdictionis eis de novo tributæ: & ideo tenentur ſervare jus, ſi ſit in terra juris ſcripti, vel ſi ſit in terra conſuetudinaria, debent & tenentur ſequi conſuetudines loci in ordinatione & deciſione litis. Si verò dirigantur commiſſiones clericis regiis, vel aliis non ordinariis locorum: tunc credo quod tales commiſſarii habent obſervare ſtilum curiæ Franciæ, ſive ſint referendarii judices, ſive judices commiſſarii: quia non eſt dubium quod talis commiſſio non poteſt dici excitativa jurisdictionis, cùm aliàs nullam habeant, niſi illam quæ fuit eiſdem delegata. Et ſi coram talibus commiſſariis delegatis opponatur ſubreptio talis quæ videatur eiſdem ſufficiens, & ſint ſolum referendarii, debent ſuperſedere & remittere ordinationi curiæ judicium ſuper ipſa ſubreptione: quia non poteſt facere, nec reddere jus, etiamſi petatur. Si verò non videtur ſubreptio ſufficiens, vel non appareat eis per aliqua producta quod pars informaverit ſummariè, ſufficienter requiſita, ad hoc dato brevi termino, debent ultra procedere, ut dictum eſt, non obſtante tali ſubreptione per partem allegata, niſi notoriè, & manifeſtè ex forma commiſſionis ipſius aliàs appareret quod de ſtilo curiæ non valeret commiſſio, puta ex cauſis ſuprà dictis, & aliis etiam, de quibus impræſentiarum non occurrit: quia non omnia quæ emergunt dubia contra commiſſarios ex diverſis cauſis, deſcribi poſſunt. Si verò tales commiſſarii eſſent judices, tunc de ſubreptione allegata coram ipſis haberent judicare, & ſuper ea pronuntiare: & ſi appellaretur à ſua pronuntiatione, etiamſi fruſtratoriè, de ſtilo curiæ haberent & debent ſuperſedere, aliàs non valeret & revocaretur per curiam quicquid poſt talem appellationem per ipſos fieret.

Rex habet plenariam poteſtatem in ſuo Regno, nec aliquem cognoſcit in ſuperiorem.

Item quandocumque opponitur contra perſonas commiſſariorum, vel contra unum ipſorum qui tamen ſimul dati ſunt, ſuſpicio ex veriſimilibus cauſis & manifeſtis, ſi ſe abſtineant à procedendo, & remittant ad dominos Parlamenti, faciendo mentionem quare omiſerint procedere, benè faciunt. Si verò frivolè opponerentur contra ipſos, nihilominus poſſent procedere, & recipere rationes partis opponentis, & ponere in ſacco. Et ſi pars opponens non procedat cum proteſtatione, ſe ponit in periculo procedendi, & amittendi probationes ſuas ſuper defenſionibus ſuis, & ſolum poterit reprobare teſtes partis adverſæ. Si verò curia recipiat dictas rationes, tunc verum eſt quod eſt in tuto, & hoc habet locum in commiſſariis referendariis. Si autem eſſent judices commiſſarii, pars opponens poteſt petere ſuper rationibus ſuis ſibi jus dici & fieri: & niſi fiat, ſive jus dicatur, poterit appellari. Et ſi commiſſarii procedant non obſtante appellatione, tunc revocabitur quicquid fecerint poſt appellationem, licet frivolè manifeſtè appareat appellatio prædicta: & hoc de ſtilo curiæ. Idem de jure ſcripto, ut patet in l. ubi. ff. nil novari appel. interpoſ.

Quid debeant facere cõmiſſarii, ſi contra eorum perſonas oriatur ſuſpicio.

Item quandoque una pars non conſentit quod aperiantur articuli, nec vult procedere: ſed nihilominus commiſſarii ad ſupplicationem alterius partis debent aperire articulos, niſi manifeſtè quid obſtaret, puta quia ſigilla ſunt fracta vel non ſunt ſigillati, licet articuli ſint clauſi & ligati, & ſimilia: & ſi pars tradat rationes, ponantur in ſacco quod intellige ut dictum eſt ſuprà.

*Et le lendemain affernerent, & répondirent * par ferment auſdits articles: & ainſi comme il eſt contenu à la fin de chacun article.*

Ad interrogationem ſive juſſum judicis ſic, vos juratis quod omnia propoſita in veſtris articulis creditis eſſe vera: & ſi quid eſt quod non credatis verum, amovebitis, & reſpondebitis ad articulos partis veſtræ veritatem, & ſic faciet etiam alteri parti, videlicet rei: quia actor debet prius jurare & affirmare articulos, quàm reus: & debent reſpondere in fine cujuſlibet articuli, credit vel non credit. Quandoque dicunt non credit, ut ponitur & toleratur maximè ubi pars non opponit: & non ſunt plura facta in articulo: quia ſi plura, melius facit ſi dicat credit, quandoque non credit, niſi prout continetur in ſuis articulis. Et iſti modi reſpondendi tolerantur: verum eſt quod quandoque reſpondens facit reſponſionem modificando ipſam, & additionando; & fruſtra laborat, cum ſuper illis modificationibus, licet factum contineant, non producuntur teſtes. Sed ſuper articulis reſpondentis quandoque reſpondetur: dubito, & non ſufficit, ſed debet tunc dari dilatio ad reſpondendum dubitatis. Quandoque dicit quod eſt impertinens, vel eſt juris, & quod non tenetur reſpondere, & ſi pertinens eſt, vel aliquid facti ſit in prædicto articulo, tunc credit. Quandoque non vult reſpondere, & tunc commiſſarii debent ei præcipere debitè, bis aut ter, quod reſpondeat: & ſi facere noluerit ponant in proceſſu qualiter ſic mandaverunt. Similiter ſi pars adverſa proteſtatur quod habeantur pro confeſſatis articuli quibus adverſarius recuſat reſpondere, ſimul ponant in proceſſu, & faciant mentionem de iſta proteſtatione, & nihilominus ultra procedant. Quandoque pars tradit reſponſionem ad dicta partis in ſcriptis, licet rarò fiat. Et iſtud non eſt bene tolerabile: quia actor & reus, vel procuratores ipſorum informati de facto, debent verbo tenùs reſpondere, & ſoli coram commiſſario ſine conſilio ſuo: ſi verò partes tacerent, non peteretur reſponderi, ſi teſtes examinentur: dum tamen in fine articulorum eſſent hinc inde facta negata, valent atteſtationes, & in pluribus proceſſibus ita reperitur.

Item antequam partes reſponderent articulis, proteſtari conſueverunt, quod ſi reſpondeant articulis impertinentibus, non negativis: ut habeantur pro reſponſo: & iſtæ proteſtationes ponendæ ſunt in proceſſu, ſi partes requirant, aliàs non.

Item ledit jour, & les jours enſuivans, produirent les parties pluſieurs témoins; leſquels fimes jurer en preſence de partie de dire verité ſur ce que les parties les amenoient en témoignage: & les examinaſmes, ainſi qu'il eſt contenu en leurs depoſitions, ledit jour, & aux jours enſuivans produirent.

Sciendum eſt, quod partes quando producunt teſtes, debent facere in proceſſu ſcribi nomina productorum in illa die, & ſic de ſingulis diebus quibus producentur teſtes ſic.

Item à tel jour produirent tels témoins.

Similiter & à qua die juraverunt, & utrum in præſentia partium, vel in abſentia per contumaciam, quia videlicet citatus eſt adverſarius ad videndum jurare teſtes, & non comparet dicta die, quod debet poni in proceſſu. Verum eſt tamen quod partes multotiens conſentiunt communiter, quod teſtes poſſint jurare in abſentia illarum, ſicut in præſentia, dum tamen poſtea habeant nomina & cognomina teſtium, & poſſint tradere probationes contra ipſos teſtes uſque ad finem auditionis. Et hoc commiſſarii conſueverunt ipſis, & de conſenſu ipſorum reſervare. Quandoque partes volunt videre jurare teſtes: nec volunt conſentire quod jurent in abſentia, ſicut ſuprà, & Commiſſarii tunc debent eis dicere: Nos aſſignamus vobis de die in diem, de hora in horam, coram nobis, uſque in finem auditionis noſtræ, ad videndum jurare teſtes, quos hinc inde volueritis producere, & tunc ſemper recipiuntur teſtes, & faciunt jurare etiam in abſentia partium, cum per talem aſſignationem ſatis ſint adviſati. Quandoque Commiſſarii qui vellent quod commiſſio duraret diu, non curant facere tales aſſignationes: & tunc neceſſarium eſt citare partes in qualibet productione teſtium ad videndum ipſos jurare. Quandoque etiam partes non conſentiunt quòd poſt teſtium productiones poſſint tradi reprobationes, & tunc ante juramentum per teſtes præſtitum non ſufficeret proteſtari de objiciciendo in teſtes poſt depoſitionem teſtium de ſtilo curiæ: ſed neceſſarium eſt quod ſtatim proponant reprobationes contra teſtes productos: ſi verò non cognoſcerent teſtes, daretur partibus, ſi peterent, dilatio ad inquirendum & conſulendum quod haberent proponere contra prædictos teſtes: ſed circa hoc non eſt multum inſiſtendum: quia rarò viſum eſt, nec unquam audivi, quod partes perſiſterent in hac, ſed ſemper conſentire conſueverunt, quod poſſint ante & poſt depoſitiones teſtium reprobare. Et de omnibus prædictis ſi ita ſint acta, debet fieri mentio in proceſſu Commiſſariorum, & etiam debet inſeri forma citationis ad adjornandum teſtes & partes viſuras jurare. Forma autem citationis, talis eſt.

S. Conſeiller. N. *au premier Huiſſier ou Sergent.* N. *nous avons reçeu.* N. *Ph. &c. Par vertu deſquelles nous vous mandons, & commettons que vous adjournez tous les témoins que tel vous nommera, pour porter témoignage de verité en ladite cauſe: & de ce qu'aurez fait.* N.

Ut ſuprà in citatione continetur, debet etiam inſeri relatio ſervientis, vel ſaltem totum poni in ſacco, & fieri mentio in proceſſu: ſi verò teſtes non venerint, poteſt mandari quod captis pignoribus compellantur. Teſtes etiam violenter adduci poſſunt, niſi eſſent clerici, quia tunc etiam per captionem temporalium compellantur. Quandoque contingit quod teſtes vel partes habent agere in aliis curiis ordinariis, & tunc mandare poſſunt Commiſſarii ad requeſtam teſtium & partium à judicibus prædictis per literas apertas, ſuſpendere cauſas ipſis teſtibus & partibus, donec ſint expediti coram ipſis commiſſariis: & alii judices tenentur obedire & obediunt.

Item partes non poſſunt producere ſuper uno articulo niſi decem teſtes: & ſi commiſſarii plures quam decem examinent, debent rejici illi qui ſunt ultrà, de ſtilo curiæ, etiamſi à partibus non opponatur, & hoc paucis temporibus citra fuit obſervatum: quia plures & infinitos proceſſus vidi judicari in camera inqueſtarum, in quibus erant plures quàm decem teſtes examinati, nec reportator etiam faciebat mentionem, nec à præſidente ſuper hoc interrogabatur ſi eſſent plures quàm decem. Et accipiat reportator meliorem de omnibus, ſine diſcrimine aliquorum. Et propter illum ſtilum introductum, commiſſarii conſueverunt facere Calendarium, per quod apparere poteſt quot teſtes producti fuerunt ſuper quolibet articulo. Aliquando tamen commiſſarii, quando partes tacent, examinant tot quot partes volunt producere, & malè. Partes etiam conſueverunt tradere ſchedulas cuilibet teſti, in quibus continetur ſuper quibus articulis volunt teſtem examinari: quandoque partes producunt teſtem ſuper articulo generali ad præcedentia, qui talis eſſe conſuevit. *Item les choſes deſſuſdites ſont vrayes, & les a la partie confeſſées.*)

Et aliquotiens cauti * Advocati plures ponunt iſtum articulum inter alios articulos, ubi poſſimè ſunt plura media & facta in articulis, ex quibus concluditur ad intendit: unde in fine cujuſlibet articuli, cujuſlibet medii, aliquotiens ponere conſueverunt, & hoc ad finem quod pars poſſit plures producere teſtes, quia quando teſtis producitur ſuper illo relativo articulo ad omnia præcedentia, poteſt ipſe teſtis interrogari ſuper omnibus articulis præcedentibus: & iſtud eſt aliquando neceſſarium partibus, quia ali-

* *Cauti.*] Hæc cautela ceſſat per conſtitut. anni 1499. §. 13. in fin. ubi jubentur ſimiles articulos adunare, tamen ſi judices videant

prepositos esse deteriores testes melioribus non omnino servant rigorem constitutionis, & bene; quia veritas potior forma est: & penes judices est arbitriū, quanta fides testibus adhibenda sit. l. 3 §. 1. de testib. addo supra part. 1. c. 26. §. 19. C. M.

quando contingit quod ab initio producunt testes bonos, & etiam non bonos & tractu temporis, durante auditione, venit ad notitiam ipsorum, quod alii sunt qui melius sciunt veritatem articulorum, ita quod impletis suis positis, & aliis necessariis, defraudantur à sua probatione: nec illos bonos possunt producere testes, nisi pro illo articulo generali in subsidium, & quandoque Commissarii advisant partes ipsas, dicendo: caveatis, habetis plures articulos super quibus poteritis producere testes, & etiam super illo generali utrum benè faciant, vel non, & quo zelo ducti sunt? novit dominus. Et utrum etiam debent examinare testes super illo generali? & videtur quod non, quia ex quo præcedentes articuli sunt pleni, & iste articulus est generalis ad omnes illos articulos: testes qui deponunt super illo generali, videntur deponere, & esse producti super præcedentibus articulis inclusis sub illo. Et sic videntur esse producti super præcedentibus articulis ultra numerum decennarium, & sic repellendi. Contrarium ego feci, & raro aliter vidi. Et ideo si bene vel malè factum sit, judicio dominorum relinquo, quia dubito. Quandoque partes etiam producunt testes super articulis confessatis omnino, & malè faciunt, nec Commissarii deberent examinare: sed plures faciunt contrarium, & pessimè; nec super omnibus aliis articulis continentibus factum, consueverunt partes producere testes suos, nisi fuerit facta confessio in articulis potius confortativis, dependens à responsivis expressis sive generalibus & propositis. Sed non sufficeret producere testes super positivis, quia ex illis non consuevit concludi ad intendit, nisi super positivis producerent. Si verò mandaretur & committeretur Commissariis quod super articulis hinc inde tradendis inquirant veritatem & referant, tunc partes, videlicet actor habet & potest tradere articulos suos, & reus defensiones suas, & actor secundò replicare ad defensiones rei, & contra reus duplicare; sed non ultra tradere possunt. Et licet super illis replicationibus, & duplicationibus sint facta, attamen partes non possunt producere testes nisi super principali articulo, non super dictis replicationibus, licet sit secus & fiat in curia Castelleti frequenter: in curia verò Parlamenti non est consuetum, sed tradentur solùm articuli, & defensiones sub uno intendit, contento in articulis, & alio in defensionibus. Si verò tradantur reprobationes, testes & salvationes, testes super illis producuntur, si partes volunt, coram Commissariis: & Commissarii eosdem habent examinare, si forma commissionis eis dirigat hoc permittat in reo.

In curia Parlamenti non procedituri ultra duplicationem no. Io. Faber instit. de excep. in princ.

Forma juramenti à testibus prestandi.

Item forma juramenti est, quod dicent veritatem in causa, & super quibus producentur in testimonium per partem producentem: nec omittent favore, odio, &c. & ista est forma consueta. Et propter hoc, si producatur quis in testem super uno articulo non dependente, & totaliter separato, non valet ejus testimonium: quia super quo non juravit, ipse deponit. Item & Commissarii non debent scribi facere talem depositionem in attestationibus.

Quando Commissarii jurare faciunt, quod dicent veritatem in tota causa secundùm istam formam, si deponerent de materia unius articuli super alio articulo separato, benè valeret eorum depositio: & recipi debet à Commissariis.

Item licet testes jurent secundùm primam formam: attamen si deponant super accessorio, testimonium valet: & est admittendum per Commissarios: puta si deponant de ætate sua interrogata, vel utrum sint de universitate vel collegio, vel contribuentes in causa, vel similia, de factis suam personam tangentibus, quia viderentur super talibus jurati deponere: quia de se magis scire debent veritatem, quàm quicumque alius. Item sciendum est quod si per intervalla diversa iidem testes producantur super diversis articulis, licet etiam dependentibus vel generalibus, totiens quotiens debet ab ipsis juramentum recipi de dicendo veritatem. Si verò super uno articulo semel productus velit aliquam brevem dilationem: daretur eidem, prout facere consueverunt Commissarii: & cùm revertetur, iterum jurare non debet. Multum tamen habent cavere Commissarii, quod quando idem testis pluries producitur, ut ponant in principio depositionis, secundò nomen testis, quod iterum sit productus: & adverteant utrum varietur nomen ipsius, ne cum videbitur inquesta, idem testis computetur pro duobus testibus, quod posset esse maximum periculum judicibus inquestarum, & reportatori, & etiam parti jus habenti.

Circa quam examinationem faciendam sciendum est quod Commissarii omnibus modis debent studere ad hoc quod dicatur & eliciatur veritas pura per testem productum coram ipsis: unde debent dicere testi: amice, dicas puram veritatem super his quibus es productus, non damnes animam tuam, scias quod illud quod dices, in perpetuum non revelabitur parti nec alii: quia non fit publicatio testium in curia Francix.

Item non debent testes ipsos cùm ad eorum præsentiam venerint, terrere, sed benignos se eisdem ostendere: quia multotiens tales rurales homines producuntur in testimoniis, qui timent multùm, & tremunt secum, cum sint in præsentia Commissariorum, qui magni reputantur quocumque incedunt, etiam à majoribus, videlicet Seneschallis, Baillivis, judicibus regiis, & ab aliis qui magnam eisdem exhibent reverentiam, & honorem ob reverentiam Regis, & ipsius curiæ Francix: unde non est mirum, si propter famam ipsorum rurales homines timent esse, & comparere in præsentia ipsorum, & terreantur, & multo magis si per ipsos verbo terreantur vel derideantur: ex quo contingit quod ab ipsis non potest postea de facili, imò nullo modo elici veritas, in damnum & periculum animarum ipsorum Commissariorum.

Commissarii ambo debent esse præsentes, quando testes examinantur.

Item debent ipsi Commissarii ambo esse præsentes cum testis examinatur, quia melius vident, & eliciunt veritatem ab aliquo teste ambo, quam unus ipsorum. Et propterea pluribus, videlicet duobus diriguntur commissiones: & hoc est contra plures, qui non examinant in simul, sed unus solus: & postea legitur depositio in præsentia alterius Commissarii, & malè: quia melius videret in præsentia testis, & socii sui, si testis veritatem loqueretur. Item diriget ipsum testem, & socium interrogationes facientem exquirendo occasiones, tempora & loca, ubi & quando res facta sit.

Item legere debent articulum ipsi testi, de puncto in punctum, si sint ibi plura facta, donec ipsum intelligat: nec etiam aliàs aliquid dicere debent, per quod valeat ipse testis informari: & cum ipse testis dixerit quicquid scit, tunc debet unus Commissarius repetere quicquid dixerit: & repetitione facta, debet interrogare testem, si ita dicat: & si concordat sibi ipsi, bene est, & si socio sufficiat, adhuc melius, & debet ipse qui repetit dictum testis, multum advertere, si testis motu proprio dicat articulum verum, seu contenta in articulo esse vera, quia inter istos modos loquendi est magna differentia. Et licet de modo examinandi testes, qualiter & de quibus debeant interrogari, tractetur ad plenum per Doctores potissimè per Imo. & Hostien. in summa, & Spec. in tit. de testi. quod longum esset recitare: attamen prout est observari consuetum, & expertum fieri per Commissarios expertos in talibus clericis & laicis missos per curiam pro inquestis faciendis: & prout est approbatum in curia, nunc dicendum est prout poterit occurrere.

Modus examinandi testes.

Sciendùm est quod officium testis est dicere veritatem de his quæ percipit quinque sensibus corporis, videlicet visu, auditu, odoratu, gustu, & tactu, & sic juxta materiam de hoc implicitè interrogatur, quod de facto potest sciri vel percipi, per visum, vel auditum, & sic de aliis. Si respondeat & dicat verum esse, sufficit quantum est ex parte sui officii & per talem responsionem probat factum suum: unde de jure præsumitur quod verum dicat. Si autem non interrogatur reddere causam dicti sui, & ultrò se offerat, dicendo verbo tenùs, præsumeretur aliqualiter contra ipsum. Si autem Commissarii interrogarent qualiter scit, debet reddere causam quam percipit, seu rationem ex aliquo de quinque sensibus prædictis, puta quia vidi, vel audivi, vel odoravi: & sic de aliis secundùm materiam de qua quæritur: & ita reddere causam sui dicti est necesse ex quo est interrogatus per Commissarios. Si verò nescius, vel minus sufficientem reddat rationem, non valet ejus testimonium: si autem testis respondet se credere articulum esse verum, tum dictum istud non valet, nisi interrogatus causam suæ credulitatis reddat sufficientem, & ejus sufficientia judicantium arbitrio relinquitur; unde affirmare articulum simpliciter, & credere esse verum ex causa credulitatis sufficienti, æquipollent. Ratio potest esse quare non valet testimonium de credulitate, nisi causam assignet: quia dicendo quod credit articulos, assumit deponens officium judicis, magis quam testis, cui plures rationes possunt esse credulitatis, & ipse non producitur in judicem, sed in testem: ideo non valet ejus dictum; sed cum causam reddit, tunc ejus dictum valet, non ex eo quia credendo simpliciter judicat, sed ex eo quia causam sui judicii reddit. Sed cum testis dicit articulum verum, una est sola causa necessaria, quam apprehendit ex sensu corporeo immediato, non ex oculo mentis, videlicet ratione: puta si quæratur utrum aliqua res sit alba, vel nigra, una est sola causa, quia vidit; sic de aliis.

Si verò testis narrat factum contentum in articulis, absque eo quod dicat quod credit verum, vel dicat simpliciter verum, puta dicitur in articulo quod aliqui debentur reditus, vel habet jurisdictionem in aliqua villa, vel similia: tunc si testis narret factum prout jacet, dictum testis magis inclinat ad veritatem, quàm ad credulitatem: ideo Commissarii debent interrogare qualiter scit quod habeat jurisdictionem, vel quot debeatur reditus: & tunc si reddat bonam causam, valebit dictum ipsius, aliàs non: sed de hoc non debet curare Commissarius, sed quod solum in scriptis fideliter redigat dictum ipsius testis. Item non solum debet interrogare testem de causis dicti sui, sed etiam de circumstantiis, puta loco, & tempore, & quibus præsentibus, & ubi erat quando vidit, post illa verba sive contineatur unum factum in uno articulo, sive plura facta contineantur in eodem, quia de omnibus factis distinctè & explicitè debet interrogari, & deponere illud quod scit, vel saltem dicere quod nihil scit vel non recordatur: Commissarius multum debet solicitare quod habeat ab ipso veritatem. Et cavere quod scribi non faciat quod dicat articulum verum, nisi eidem appareat manifestè quod per ea quæ dicit, totus articulus, & omnia quæ in eodem continentur, sint vera: puta de omnibus contentis in articulo reddat causam sui dicti, puta quia vidit, & sic de aliis sensibus corporis: sed hoc non benè addiscunt inexperti, qui semper scribi faciunt, dicit verum: & postmodum quando interrogantur de causis, nihil vel modicum deponunt, nec sufficientes causas reddunt: & tales commissarii in magno periculo animas suas ponunt: quia judices videntes inquestas & judicantes, multum ponderant dicere articulum verum. Sed commissarii qui non consueverunt facere inquestas, non faciunt vim, neque sciunt facere in scribendo, nec etiam interrogando, nisi verum dicit & credit: nec etiam de circumstantiis sciunt interrogare. Igitur commissarii in principio depositionis testis, debent facere scribi nomen, & cognomen testis, & ubi moratur, & hoc ad finem quod ille contra quem producitur, possit illum cognoscere, & inquirere, seu se informare ad reprobationem quam velit seu possit proponere: similiter ad sciendum, ut scire possit an inter testes plures essent qui eodem nomine vocarentur, seu nuncuparentur. Item debet scribi cujus status, clericus, vel laicus, nobilis, vel ignobilis, mercator, aut cujus artificii, & hoc etiam ad finem quod aliqua fieri possit collatio de testibus in testes: quia magis creditur experto in materia de qua quæritur, quàm non experto: & dignitas & conditio testis, & plura consideranda sunt, quia magis credendum est uni quam alii, prout discretio judicantium in his habet considerare. Ætas etiam testis debet poni in depositione, ad finem quod si deponeret de tempore quo tunc non esset natus, vel etiam quod non poterat scire vel intelligere de quo quæritur, vel alio casu, tunc non debet fides ejus dicto adhiberi; sed multi de ætate sua non recordantur, & ideo solet apponi, talis ætatis vel circa. Item debet scribi dies suæ depositionis, ad finem quod sciri possit quando agitur super casu novitatis de ultimis expletis, vel aliàs de tempore contractus, vel conventionis partium, maximè si sit talis casus in quo locus, & tempus sint de substantia rei de qua quæritur. Quandoque Commissarii omittunt ponere tempus depositionis, & malè: sed tunc quærendum est prout est possibile invenire, quia videndum est tempus productionis testium si sit in processu: vel si non sit tempus, videnda est commissio, & mandatum commissionis, vel plurium commissionum, si sint plures, & tempus quo recesserunt Commissarii, & concluserunt in causa, vel etiam quando reprobationes testium additæ fuerunt contra testes productos. Et sic considerato tempore commissionis, & fine processus, satis poterit apparere quo tempore fuerunt testes examinati, vel circa quod tempus. Circa etiam alia potest conjecturari tempus depositionis, prout discretus reportator poterit conjecturare.

Item debet ponere & scribere, quod testis præstiterit juramentum dicere veritatem, & pro qua parte sit productus, & ponere super quibus articulis sit productus, secundùm quòd commissio continetur in schedulis quæ à partibus traduntur: si verò dicatur schedulâ partis simpliciter, quod producitur super omnibus articulis, singulariter interrogetur testis.

Item super pluribus articulis dependentibus potest facere Commissarius omnia interrogare super uno, & ponere omnia expleta super articulo eodem, si quæratur in materia quæ requirit sciri, vel quæri de expletis.

Item licet commissarius non debeat informare testem, sed dimittere ipsum dicere donec, testimonium suum dixerit totum, & quod voluerit: attamen si perspiciat in teste quod sit rudis & simplex, & nesciat reddere causam sui dicti, magis ex ignorantia & simplicitate, quam ex malitia excogitata, vel fabricata, tunc non malè faceret si diceret sibi: amice non potest veritas alicujus rei sciri, nisi per testem, puta quia videris, vel præsens fueris. Caveas tamen, ne tu dicas quod videris, nisi sit verum: quia tu damnares animam tuam: & tunc si testis se inclinaret ad hoc quod dicit, debet quærere de circumstantiis ad finem, ut possit percipere si verum sequatur, sed majus periculum est ipsi commissario quærere ab ipso teste, vel quandoque instruere testem de causis credulitatis. Aliqui tamen, ut fertur, faciunt sæpe contrarium, quia instruunt ipsos testes, & ponunt in os ipsorum quid ipsi dicere debeant, interrogativè petendo, ita est,

Nota abusum aliquorum Commissariorũ in examinandis testibus.

de tali facto viduìt hoc & magis testes unius partis quàm alterius. Quandoque etiam magis favendo uni parti, non interrogant testem de causis dicti sui, quæ percipi habent ex quinque sensibus corporis, ut ita valeat ejus testimonium: in teste verò alterius partis quærunt non solum de causis dicti, sed etiam de circumstantiis circumstantiarum: ut ipsum testem capere possint, & facere sibi contrarium in verbis, & annihilare dictum suum: quod non debent facere, nisi testis videatur se reddere ex modo loquendi seu gestu suspectum: de causis etiam credulitatis non curant quærere ex causa suprà dicta, & malè faciunt. Debent igitur se habere æqualiter pro utraque parte in examinatione testium, nec facere interrogatoria superflua ad finem occupandi tempus frustratoriè, nec etiam interrogatoria necessaria omittere. Depositionem etiam testis prout deposuit, in scriptis redigant, nihil addendo vel diminuendo, nec aliqua verba altum sensum importantia, sive in Gallico, sive in Latino in dicta depositione scribant vel scribi faciant. Et ponant suo loco de credo, vel e contrario, quod multi non advertunt, imò quandoque per verba sua ornata quæ ponunt dictando, seu scribi faciendo, alia verba addunt, seu apponunt, per quæ jus quæsitum parti aufertur, animas suas obligando ad restitutionem juris parti ablati. Debent etiam scribi facere extensivè depositionem, non dicendo, dicit sicut prius: sed omnem rem articularim explicando, aliàs non valet de stilo curiæ.

Item scripta depositione, debet facere legi depositionem ipsi testi, ita quòd possit se corrigere, si erraverit, vel etiam scriptor qui scripsit. Igitur tota cura & diligentia debet ab ipsis Commissariis adhiberi circa processum, & examinationem testium faciendam, si volunt honorem servare & periculum animarum evitare. Quidam sunt tamen Commissarii, qui (ut fertur) circa alia insolita curam suam ponunt: audiunt enim qualibet die missam, & tamen si in loco suo essent, fortè essent contenti una vel duabus missis in septimana.

Indargolet morem aliquorum Commissariorum, qui agunt ea quæ impertinentia negotio sunt, omittentes necessaria.

Item Horas suas cum magna devotione dicunt, & non solùm Horas, sed & septem Psalmos, vigilias mortuorum, cum novem lectionibus, Litaniam, & multas orationes de beata Virgine, & omnibus Sanctis: & si essent in loco suo, fortè, &c. Sic expensis partium conservant longas mensas, seu cometiones: & quinta dum linea tangitur umbra, dormitationes facientes: infirmarentur etiam, nisi irent qualibet die bis ad campos, & satis longè: magnam autem conscientiam facerent si audirent seu examinarent testes diebus dominicis seu festis Apostolorum, & quorumdam aliorum Sanctorum: & tamen non faciunt conscientiam de recipiendo vadia sua, videlicet xl. solidos Paris. non attento loco quo veniunt, ut pro leucis quinque aut decem, & sunt contempti Turonenses, alii plus, alii minus, secundum conscientias largas, varias & diversas.

Item in veniendo modicas dietas faciunt, videlicet decem leucas, quandoque minus pro eundo per diem: & quando revertuntur de commissionibus, solutis vadiis, longas dietas faciunt licet pro diebus pluribus vadia sua recipiant: & circa multa alia tempus occupant, & occupare consueverunt, qui volunt & studeant pecunias congregare, & qui circa talia sunt experti, quorum experientia non est toleranda, sed damnanda.

Hic ponit formam ferendi testimonii, ac testem examinandi.

Potest igitur ex præcedentibus colligi & dici sic, aut articulus est simplex, & continens unum factum solum, & tunc si testis dicat articulum verum, vel credit, & causam veritatis vel credulitatis reddat, sufficit quantum ad essentiam dicti ipsius, aut articulus, qui plura facta continet: & tunc similiter necesse est, quod distinctè dicat verum articulum, vel credat: & si credat unum factum, & aliud dicat verum, reddere potest causam de quolibet facto, secundùm quod credidit, & ipsum verum dicit: & in prædictis debet interrogari de loco, tempore ætatis, & aliis circumstantiis. Si verò testis de articulo multum sciat, debet Commissarius incipere ab eo quod optimè scit, puta dicit quòd tali die & hora, & hoc si recorderetur. Si vero non recorderur, dicat tali tempore, vel certo, si die & hora, vel de tempore certo non recordatur, quia ipse fuit præsens & vidit, &c. Item cùm venit ad factum contentum in articulo quod credat verum, dicit sic, &c. Item dicit quod credit tale quid, &c. Interrogatus quare credit, dicit pro eo, &c. & sequitur, quod Commissarius debet subjungere, si de residuo dicti articuli nihil scit diligenter interrogatus, si actio causæ sit ardua, tutum est quod singulariter interrogetur de singulis factis contentis in articulo, & quod dicatur in depositione, quia quandoque judicantes dicunt in judicando, non fuit interrogatus de hoc, &c. Si verò modicum de articulo sciat testis: tunc potest Commissarius dicere, dixit interrogatus quod nihil scit, hoc salvo quod fuit præsens, &c. Si de eo quod plus scit, ponat Commissarius per modum regulæ, & de eo quod minus, per modum exceptionis, debet etiam facere scribi depositionem de auditu & fama. Item debet Commissarius in fine articulorum, & depositionis testis ponere ista verba, de omnibus articulis prædictis, & factis in eisdem contentis sibi prædictis, & singulariter expositis nihil scit, diligenter examinatus & interrogatus, & hoc verum est, si ita fecerit Commissarius, quia si contrarium fecisset, vel omisisset per negligentiam vel ignorantiam, non deberet ipse Commissarius hæc verba apponere, quia quandoque judicantes in curia, videntes illam clausulam, non faciunt iterum interrogari testes, qui omnes essent interrogandi. Quando videnr quod Commissarii dicunt, quod omnia sibi fuerunt singulariter exposita, & nihil aliud quiverit dicere, nec deponere diligenter interrogatus: debent tamen multum considerare judicantes experientiam Commissariorum, & si consueverunt, vel experti fuerint facere inquestam, vel non, secundùm hoc non credere, vel minus, & si opus sit facere examinare testes, si viderint quod aliqua interrogatoria necessaria sint omissa

Quæ sint singulariter considerãda per judices in judicãdo, erga Commissarios.

Reservé à icelles parties qu'avant qu'ils parassent, & du consentement d'icelles, qu'elles puissent bailler leurs contredits aprés la deposition, jusques en la fin de l'audition, & aussi bailler lettres & instrumens memoriales en maniere de preuve. Lesquelles choses dessusdites sont au fac, jusques en la fin de l'audition. Quandoquè datur & reservatur partibus de ipsarum consensu, quod possint tradere, quousque inquesta recepta fuerit per curiam, & tunc de ea in curia possint tradere reprobationes, instrumenta, literas, & de omnibus istis instrumentis memorialibus, & aliis deductis in modum probationis facienda est copia partibus integraliter, quicquid dicant aliqui contra: de attestationibus verò non est facienda copia. Item quando proponit pars adversa contra literas & instrumenta, Commissarii debent easdem recipere, & ponere in sacco.

Au fac.) Quæcunque inseruntur in processu ad requestam partis contradicentis, quandoque partes tradunt salvationes contra reprobationes traditas. Et debent Commissarii etiam ipsas salvationes unà cum reprobationibus ponere in sacco, & de hoc facere mentionem in suo processu. Si verò Commissarii haberent in commissione, quod possent recipere testes productos coram eis super reprobationibus, quas de jure & stilo curiæ viderent recipiendas, tunc non solum super reprobationibus, sed etiam super salvationibus pos-

sent recipere teſtes: & tutè faciunt ſi ponant in proceſſu, quod quicquid ſuper iſtis faciunt, ſub correctione curiæ faciunt, quia iſtud dicere non nocerer; nec partes ita cito proclinarent ad appellationes faciendas, dummodo caveant prædicti Commiſſarii, quod ſuper dictis reprobationibus, de quibus manifeſtè conſtat eis quod recipiendi non ſint, teſtes ullos non examinent, vel etiam ſuper ſalvationibus talibus: aliàs ſi ex propoſito, vel per culpam gravarent partes expenſis ſuperfluis, & gravando ipſas partes ſcienter, periculum animæ non evadunt, nec etiam concedendo tales commiſſiones quandoque, prout infrà poteſt apparere.

Témoins & conclurent en ladite cauſe, & eurent pour conclus, & nous Commiſſaires deſſuſdits du conſentement des parties aſſignaſmes jour à icelles en Parlement à Paris aux premiers jours de tel Bailliage, ou de telle Seneſchauſſée, pour voir recevoir le procés, & juger, & aller avant ſelon ce que de raiſon ſera, ſelon ce qu'il nous eſt mandé en noſtredite commiſſion.

Forma remiſſionis ad curiam Parlamenti.

De forma autem remiſſionis, quæ, ut dixi, debet eſſe ſuta & ligata cum ſacco, talis eſt.

A nos tres-chers Seigneurs tenans le Parlement pour le Roy noſtre Sire à Paris, I. & P. Clercs & Conſeillers dudit Seigneur, Commiſſaires donnez par la Cour entre tels & tels, en la cauſe qui pend & appartient entre leſdites parties, pour cauſe de la Juriſdiction de telle Ville, honneur & reverence. Sçavoir vous faiſons, que nous avons procedé & allé avant pour enquerir la verité en ladite cauſe ſelon la forme de noſtre commiſſion, en la maniere qu'il peut apparoir par noſtre procés verbal fait ſur ce, donné ſous nos Seaux, l'an de grace 1337. *conclurent.*

Quandoque contingit quod una pars non vult concludere ex aliqua cauſa, & Commiſſarii debent facere mentionem in proceſſu, & ratione penes ſe habere debent, & ſi dies Seneſchalliæ vel Baillivæ ad quam habent remittere ſecundùm tenorem commiſſionis, inſtat, debent nihilominus remittere. Si verò dies Baillivæ adhuc non inſtant: tunc Commiſſarii debent ſe offerre paratos vacare examinationibus teſtium, ſi quos velit pars fugiens producere, & procedere quouſque inqueſta ſit perfecta, ſi tempus certum in commiſſione ponatur, & de hoc facere mentionem in proceſſu, & cum dies inſtabunt, remittere in ſtatu quo erat dicta inqueſta.

Mandé en noſtre Commiſſion.) De forma diverſarum commiſſionum dictum eſt ſuprà.

Du conſentement.) De forma antedicta quidam faciunt ampliores & magis longas remiſſiones, ſed videtur ſuperfluum, quia de ſtatu cauſæ & qualiter Commiſſarii proceſſerunt, totum debet eſſe in proceſſu. Commiſſarii verò in quantum poſſunt, advertere debent, quod faciant breves proceſſus, dum tamen nihil de ſubſtantialibus omittant: ſi verò partes proponant rationes verbo tenus, & illis rejectis, & in ſcriptis non redactis & traditis, ultra procedant Commiſſarii, non debent de illis proponere, neque mentionem facere in proceſſu, niſi ſub quodam generali, videlicet. Tali die poſt plures altercationes partium ſic proceſſum. Si verò ad diverſa loca & domos ſe transferant durante dilatione pro teſtibus audiendis, non eſt neceſſarium quòd de hoc faciant mentionem. Quidam tamen longum proceſſum facientes, omnia ponunt neceſſaria, & non neceſſaria, & quare tot dilationes conceſſerunt, & plura alia ſuperflua ad finem quòd videantur pecuniam benè lucrati fuiſſe, & tantum moram traxiſſe ad requeſtam partium, & ſine culpa ipſorum: ſed omnia ponere in proceſſu non eſt honor expertis, ſed inexpertis eſt rutum: & illis qui neſciunt discernere inter ſuperfluum & neceſſarium, bonum & malum in modo procedendi.

Notatur abuſus quorumdam Commiſſariorum.

Donné ſous nos ſeels, &c.) Quando Commiſſarii volunt claudere ſaccum, debent multum advertere, quod omnia acta ponant in ſacco: & ſi ponant in præſentia partium, eiſdem oſtendendo, benè faciunt: & ſi ſaccum ſigillent ſigillis ſuis in præſentia earumdem, tenentur facere copiam partibus de toto proceſſu, & de remiſſione ſub ſigillis ſuis, ſi hoc petant. Et præmiſſa locum etiam habere poſſunt in proceſſibus, qui fiunt in parte Occitana, quæ jure ſcripto regitur, ubi proceſſus fiunt verbis Latinis *: hoc ſalvo, quòd advocati, & procuratores, & dictant comparitiones partium & productiones, proteſtationes & requiſitiones, & Commiſſarii faciunt ſcribi reſponſiones quas faciunt ad prædicta ſcriptis requiſita, & proteſtata per dictas partes, vel ſuos Advocatos: quia Commiſſarii miſſi per curiam habent ſervare ſtilum curiæ quantum ad ordinationem proceſſus prædicti ſine prolixitatibus, quæ à lingua verboſa prolixaque procedunt. Attamen in effectu breves ſunt, quia conſueverunt ibidem ponere pluries unam procurationem, & inſerere articulos, & intendit, & rationes juris pluries reſerare, & inſerere multa quæ non multùm ſunt neceſſaria, ſicut poteſt cuilibet intuenti liquidè apparere.

* *Latinis.*] Hoc poſtea correctū eſt cōſtitu. 1512. §. 47. quæ licet non loquatur expreſſe de iudicibus Eccleſiaſticis, tamen à tēpore dictæ conſtitutionis idē obſervare, ut ſcribantur depoſitiones in vulgari lingua locis & bene. C. M.

Explicit textus cum gloſſis proceſſuum faciendorum per Commiſſarios miſſos à curia Parlamenti ſuper inqueſtis faciendis: Et ſit finis ſecundæ partis hujus libri.

SEQUITUR PARS TERTIA.

Ordinationes Regiæ antiquæ & authenticæ à Ludovico IX. Philip. IV. Ludov. X. Hutteno, Philip. VI. Valesio, Ioanne I. Carolo V. Carol. VI. Carol. VII. Ludov. XI. & Carol. VIII. statutæ, quæ inter Gallicè impressas non habentur, cum aliquot insignibus Capitulis è Constitutionibus illustrissimorum Caroli Magni, & Ludovici Pij patris & filij Francorum Regum & Imperatorum, nouissimè adjectis per Carolum Molinæum Iureconsult. Parisiens. in supremo Senatu causarum patronum vigilantissimum, qui has Constitutiones mendis purgauit & in quinquaginta titulos diuisit, & nouis annotationibus locupletauit.

TITULUS I.

De institutione Parlamentorum Philippi IV. cognomento Pulchri. Anno Domini M. CCCIJ.

PRÆTERÈA propter subjectorum nostrorum commodum, & causarum expeditionem proponimus ordinare, quòd duo Parlamenta Parisius *, & duo Scharia Rothomagi, dieſque Trecenses bis tenebuntur in anno quòd Parlamentum apud Tholosam tenebitur, sicut teneri solebat temporibus retroactis: si gentes terræ consentiant quòd à præsidentibus in Parlamento prædicto non appelletur.

§. 2. Item & quia multæ causæ magnæ in nostro Parlamento, inter magnas & notabiles personas aguntur, ordinamus & volumus, quòd duo Prælati, & duæ aliæ personæ sufficientes laïcæ de nostro consilio, vel saltem unus Prælatus, & una persona laïca, causas prædictas audiendi deliberandique gratiâ continuè in nostris Parlamentis existant *.

§. 3. *Idem anno* 1444.

Regni sollicitudinem, & infra, finem litibus, quantum est possibile nobis, imponere volentes, ad requisitionem instantissimam & humilem supplicationem gentium trium statuum patriæ Occitanæ, animadvertentes inter cætera villam & civitatem nostram Tholosæ, quæ inter cæteras patriæ Occitanæ prædictæ notabilior existere dignoscitur. Quibus civitati & patriæ Ducatûs nostri Aquitaniæ contiguus habetur, desiderantes prædictam nostram civitatem Tholosam in honoribus sublimari, aliis etiam justis & rationabilibus causis moti, habitaque super his matura consilij deliberatione, ex nostra certa scientia, potestate & authoritate regia, instituimus stabilimus, & ordinamus Curiam nostram Parlamenti in ipsa villa nostra & civitate Tholosana * in & pro tota nostrâ patria Occitana atque Ducatu Aquitaniæ, & aliis regionibus & partibus ultra flumen Dordoniæ, quandiu * tamen nostræ placuerit voluntati, in qua quidem nostra Curia Parlamenti, omnes & universæ Curiæ Seneschalliarum, Balliviarum, Rectoriarum, Vicariarum, Judicaturarum, cæterarum Jurisdictionum quarumcumqiante dictarum patriarum Occitaniæ & Aquitaniæ, & aliarum partium ultra flumen Dordonæ, ut premittitur, suum habebunt ressortum & ultimum refugium. Quod quidem Parlamentum sive Curiam volumus inchoari, sedere & tenere in crastinum Festi Beati Martini hyemalis proximè futuri, in prædicta villa nostra Tholosana, aut alio vel aliis diebus super hoc à nobis statuendis & ordinandis per quatuordecim personas: videlicet per duos Præsidentes laïcos, & duodecim Consiliarios, quorum sex erunt clerici & sex laïci, patriarum Linguarum Doil & Occitanæ, & duos Grapharios, cum octo Ostiariis. Quibus quatuordecim Præsidentibus, & Consiliariis duodecim, decem & novem aut septem ex his, quorum alter Præsidentium erit in civilibus causis, & in criminalibus unus: quinque videlicet uni Præsidentium, & quatuor Consiliariis laïcis, qui si sit opus, vocari poterunt de Consiliariis nostris laïcis in dicta camera residentibus talibus, & in tali numero quantum eis videbitur expedire: dedimus atque damus plenam potestatem, & mandatum speciale audiendi, cognoscendi, decidendi, & determinandi omnes & singulas causas appellationum, ressortorum, & alias quascumque civiles & criminales ab eisdem patriis in eadem Curia introductas & introducendas, tam in casu ressorti quàm aliàs quovis modo, dandi insuper & pronunciandi super his Sententias, tam interlocutorias quàm diffinitivas in vim Arresti. A quibus quidem Sententiis seu Arrestis, nullis licebit quovis modo appellare, seu reclamare, vel aliam Sedem adire. Et generaliter faciendi & observandi ea universa & singula quæ fieri & observari solita sunt in nostra suprema Parlamenti Curia Parisiensi in quantum concernit nostram patriam linguæ Occitanæ & Ducatum Aquitaniæ ultra flumen Dordonæ.

§. 4. *Idem anno* 1454.

Quotiens aliqui nostrorum Præsidentium vel Consiliariorum nostri Parlamenti Tholosani pro suis affariis, aut aliàs, Parisius se contulerint, & Curiæ nostræ Parlamenti, ut in eadem in suis officiis recipiantur, se præsentaverint, gentes Parlamenti nostri jam dicti ipsos recipere, & secundum suæ tempus institutionis Tholosæ factæ, de quo eisdem prædicti Parlamenti Tholosani certificatoriam monstrabit (absque tamen aliquorum à nobis propterea perceptione vadiorum) locum jure reos assignare teneantur, per nostrosque Præsidentes & Consiliarios nostri Parlamenti Tholosani Præsidentibus & Consiliariis dictæ nostræ Curiæ Parlamenti Parisiensis qui etiam pro suis affariis, vel aliàs in nostris villa & Parlamento Tholosano se receperint, similiter fieri volumus & ordinamus.

§. 5. *Carolus VIII. gentibus Parlamenti Tholosani anno* 1490.

In judicio criminalium causarum tam diffinitivo quàm interlocutorio, quod in diffinitivam bono modo reparari non potest: sicut in quæstionum extraordinariarum & captionis corporum appunctamentis, in nostri Parlamenti Curia septem ex ipsis Consiliariis deinceps intersint: quantum autem ad adjornamenta personalia visis informationibus, quinque sufficiant.

§. 6. *Idem eodem anno.*

Statuimus quòd ordinationes de tempore bonæ

* *Parisius.*) In natali Domini, & Festo Purificationis, nondũ enim erat perenne, Budæus in l. fin. de Senat. Lud. autẽ Hutteni Phil. IV. filius & successor an. 1315. statuit Parisiis perpetuo stare debere, unde nunquam translatum est, nisi Pictavis, dum Angli hanc urbem tenerent, ut infra tit. 46. §. 3. quandoquidem in gravi causa à Carolo VII in accusatione contra Ic. Alenconien. an. 1456. evocatum Montargici, & iode Vindocini ubi hũ arrestũ 10. Octob. ann. 1458.

* *Existant*) Hic subjiciebãtur 4. am in Latinitate Fortescum è Gallico translatio ex Constit. Carol. VII. ann. 1451. quos in suo originali Gallico melius videbis, §. 1. 23 24 25 C. M.

* *Tholosa-na*) Etsi erectio Parlamenti perpetuo facta ibi per Carol. VII. ann. 1434. idem Guill. Benedict. ejusdẽ Curiæ Senatorem rep. c. Rayoutius ver. & uxor meine Adela. n 483. detestam de Dulphinali, vide Guido-Pap. decis. Delph. qu. 41 qu. 554. Atque ita se autumper Ludov. XII. ann. 1501. ade infra fin. 9. Artic. 2. C. M.

* *Quãdiu.*) Nec minus perpetua sedes: sit constat relatio ad beneplacitũ Regiæ Majestatis, quæ nunquam moritur. facit l. jurisperitos & ibi Bar. de excusat. mel. t. C. de recur. lib. 10. C. tit.

memoriæ Caroli VIII. quondam Francorum Regis. Super forma expeditionis processuum in jam dicta Curia, anno quolibet in Parlamenti principio legantur & publicentur *, & per Præsident. & Consiliar. in eadem deinceps observentur. Et super hoc solemne juramentum in talibus consuetum præstare teneantur: in Senescalliis, Bailliviis, & aliis Curiis nostris similiter fieri decernentes.

* *Publicentur.*) Hoc nō statuitur favore Pragmaticorū, sed totius populi, cujus præcipuè favore etiā per viam contractus icto fœdere erecta sunt, & certis sedibus fixa Parlamēta, ut subditi sub certa ordinaria Jurisdictione securius vivant, sub cōfidentia sincerioris justitiæ, tueanturq; ab injuriis & periculis ignotorum judicū & extraordinariorū quas vocant commissionum seu delegationū, quæ periculosissimæ sunt, unde in illis solet poni clausula, *nonobstant l'establissement de nos Parlemens*, alioquin processus & judicia non solū suspecta, sed etiam nulla forent propter clausulas derogatorias, & decreta irritantia in dictis contractibus & fœderibus. C. M.

TITULUS II.

De Rescriptis & Impetrationibus Philippus IV. cognomento Pulcher anno 1302.

SI contingat nos mandare bona aliquarum Ecclesiarum seu personarum Ecclesiasticarum aliquibus causis vel rationibus saisiri vel etiam confiscari sub ista conditione, videlicet si quæ nobis significata sunt, veritate nitantur, volumus quod Senescallus vel Baillivus, cui tale mandatum ex parte nostra dirigetur, ad saisiendum vel confiscandum prædicta bona non procedat, nisi quæ nobis significata fuerint, sint notoria: vel super his vocatis vocandis plenè fuerit informatus. Quam ordinationem, quantum ad Duces, Comites & Barones, & alios quosvis subditos nostros, volumus observari.

§. 2. *Idem eodem anno.*

Si mandaverimus aut præceperimus alicujus Prælati * aut Ecclesiasticæ personæ, seu Clerici, Clericaliter tamen viventis, bona capi, vel ad manum nostram poni: volumus quòd prædicti mandati seu præcepti nostri virtute, bona eorum mobilia non capiantur, saisiantur, vel ad manum nostram ponantur, neque domus ipsorum discooperiantur, vel destruantur. Sed neque gentes nostræ de bonis ipsorum capiant, saisiant, vel arrestent ultra quantitatem emendæ pro qua bona prædicta capi, saisiri, vel aliàs arrestari mandabuntur.

§. 3. *Idem eodem anno.*

Præcipimus omnibus Senescallis, Baillivis, Præpositis, & aliis quibuscumque justitiariis nostris in nostro Regno constitutis, quatenus mandata nostra Regia cum reverentia suscipiant, & diligenter executioni debitæ demandent: nisi aliqua vera & legitima causa subsistat quominus juxta suum juramentum ea facere vel exequi minimè teneantur: quam nobis, suis apertis literis eorum sigillis sigillatis referibant: & per eos qui mandata impetrabunt, remittant: reddantque litteras impetratoribus earumdem, aut rescripta sub sigillis propriis nobis clausa, transmittant: quod si negligentes circa præmissa fuerint, vel remissi, vel fraudem aut malitiam aliquam vel defectum commiserint, damna & expensas earumdem impetratoribus reddere compellerentur, si quæ vel quos dictos impetratores fecisse contigerit, ob defectum, negligentiam, fraudem vel malitiam, prædam, & alias, prout justum fuerit, puniantur.

* *Prælati.*) Hic §. habetur inter constit. Regias Gallicè impressas §. 1. cōstitutio vero Philip. Pulchri habetur ad verbum in quadā constitutione Joan. edita mēse Octobri 1351. publicata in Curia 1355. verbis Latinis quam habeo. C. M.

§. 4. *Idem eodem anno* 1303.

Litteris Vicarij Tholos. continentibus mandatum extra Vicariam (nisi requisitionem debitam contineant) non pareatur, nec servientibus earumdem latoribus, nec servientes authoritate dicti mandati facere possint executionem, nisi in casu ad sigillum nostrum pertinente: vel nisi hoc facerent de mandato Senescalli. Et hoc idem servetur de quocumque officiali.

§. 5. *Philippus VI. cognomento Valesius, anno* 1338. *Carolus VI. anno* 1408.

Edicto perpetuo prohibemus, ne amodo gardiatores Ecclesiarum aut Commissarij à nobis vel Senescallis nostris deputati, panicellos vel gardias ponant, nisi in rebus de quibus Ecclesiæ fuerint in possessione pacifica vel quasi; & si inter partes sit oppositio super re vel Jurisdictione quam utraque possidere prætendit, Gardiator vel Commissarius eo casu coram suis ordinariis Regis ad diem competentem partes adjornet, eisdem interea ne in alterutrius præjudicium, adjornamento pendente, aliquid attentent, inhibendo: nec aliquis pro fractione salveguardiæ (nisi notoria fuerit) molestetur, sicut de Ecclesia Cathedrali, & Monasteriis aliquibus, quæ sunt in gardia Regia notoriè ab antiquo, vel nisi in assisiis, vel aliàs publicè, & debitè publicata fuerit, vel parti specialiter intimata. Gardia quibus concedatur.

§. 6. *Idem Philippus.*

Concedimus statuentes, quòd amodo per nos aut successores nostros in terris aut subditis Baronum, Comitum, & aliorum nobilium altam justitiam seu merum imperium habentium, guardiæ non concedantur, nisi causæ cognitione legitima (vocatis nobilibus) præcedente, exceptis Ecclesiis & Monasteriis, quæ sunt ab antiquo in gardia Regia, ac viduis, pupillis & clericis, & clericaliter viventibus, viduitate, pupillari ætate, aut clericatu hujusmodi durantibus, dumtaxat.

§. 7. *Idem Carolus VI.*

Concedimus statuentes quod amodo per nos & successores nostros in terris aut subditis dictorum nobilium, non concedantur guardiæ, nisi causâ rationabili præcedente.

§. 8. *Idem Philippus & Carolus.*

Statuto perpetuo prohibemus ne aliquis Senescallus, aut alius Officiarius noster, subditos aliorum Justitiariorum, seu merum imperium habentium, prætextu literarum nostrarum ab eis contra dictos subditos obtentarum vel obtinendarum, coram se tradat civiliter, vel criminaliter, nisi in dictis literis nostris mentio fieret quod essent subditi dictorum aliorum Justitiariorum, cum clausula non obstante, & continerent causam commissionis rationabiliter nos moventem: aliàs autem eas ex nunc subreptitias reputamus, nec eas volumus executioni demandari; nihilominus inhibentes amodo qualitercumque Jurisdictionem in subditos antedictos prætextu literarum (quæ debita * legalia nuncupantur) à nobis seu Justitiariis nostris quibuscumque obtentarum seu obtinendarum exerceri.

* *Debita*) vulgo *Lettres de debitis*, quæ sūt commissiones generales Cancellariæ ad exigendum legaliter debita. Ideo tali casu potest appellari ab executione, adde cod. §. 21. C. M. Qui conveniantur coram Magistris Requestarum hospitij.

§. 9. *Philippus VI.* 1343.

Nullus dominorum prædictorum in Parlamento sedentium, ad commissiones (si conferre posset) impetrari faciat, cum antiquis ordinationibus ipsius Parlamenti sit prohibitum, ad ipsorum cedere non posset honorem.

§. 10. *Idem anno* 1344.

Quia sæpius & infra statuimus, ut de cætero nulli liceat coram Magistris Requestarum hospitii nostri aliquas personas adjornari facere, seu etiam evocari, nisi de nostra expressa procedat scientia, vel in causis

officiorum noſtrorum per nos conceſſorum, aut inter Officiarios ſeu familiares & domeſticos dicti noſtri hoſpitij in cauſis merè perſonalibus, quas unus Officiariorum, ſeu domeſticorum aut familiarium, contra alium Officiarium & domeſticum, ſeu familiarem habere continget, vel cum aliquis ex aliis familiaribus & domeſticis hoſpitij noſtri aliquid petere voluerit ſuper actione merè perſonali, ejus officium tangente: quæ quidem cauſæ coram prædictis Requeſtarum Magiſtris tunc poterunt agitari, ne domeſtici & familiares hoſpitii noſtri à ſuis diſtrahantur vel impediantur officiis: alias verò perſonas hoſpitij noſtri tam agendo quam defendendo in cauſis quibuſcumque, coram ſuis ordinariis Judicibus remitti volumus.

§. 11. *Idem eodem anno.*

Litteræ in partium læſionem.

Quia ſæpè contingit, &c. volumus, ac etiam præcipimus, prout etiam in propria perſona, nos pluribus gentibus ſeu Magiſtris Parlamenti noſtri dixiſſe ac etiam injunxiſſe recolimus, ut literis noſtris in partium læſionem conceſſis non obediant nec obtemperent quoquo modo: imò nullas etiam & iniquas ſeu ſubreptitias pronuntient & annullent, vel ſi expediens videatur, ſecundum naturam cauſæ, vel formam literarum, nobis ſuper hoc reſcribant, & noſtram adviſent conſcientiam, ſuper hoc quod eis videbitur rationabiliter faciendum.

§. 12. *Idem anno* 1348.

Litteræ ſtatus.

Per literas ſtatus, & ita volumus & ordinamus, ut literæ ſtatus non niſi per nos & locum tenentes noſtros aliquibus de cætero concedantur: quas nihilominùs eo caſu cuiquam ſuffragari nolumus, niſi in guerris noſtris perſonaliter interſit, aut infirmitate vel impotentia corporali præpeditus, pro ſtatu ſuo ad guerras noſtras ſufficienter tranſmiſerit: alioquin talibus literis nullus parere teneatur.

§. 13. *Joannes Primus anno* 1363.

Si Commiſſariis ad inquirendam veritatem datis, alteram partium literis ſtatus uti contigerit, alteri parti tempus currat producendi: ſed eis non obſtantibus per Commiſſarios in caſu procedi, teſtes recipi, & examinari ad inſtantiam partis contra quam literæ ſtatus producentur, ipſius producentis abſentia non obſtante volumus: ſalvis tamen eiſdem nominibus & teſtium reprobabilibus, utentibus autem literis ſtatus in aliqua cauſarum ſuarum, interdicimus in aliis cauſis invitis ſuis adverſariis placitare: de cæteroque in literis ſtatus illam clauſulam adimi volumus, quæ ſolita erat concedi: quod ſi impetrans in aliqua cauſarum ſuarum placitare vellet, ad id etiam abſque gratia admittatur.

§. 14. *Carolus Septimus anno* 1453.

Et quia ſæpenumerò, & infrà, in materia fornimenti, querimoniæ, applegiamentorum, & aliis in quibus cadit proviſio, ſicut dotis, alimentorum & productionis teſtium, literas ſtatus locum habere nolumus.

§. 15. *Idem eodem anno.*

Litteræ inciviles.

Et quia pluries infrà decernimus intentionis noſtræ nequaquàm exiſtere, ut literis noſtris, niſi rationabiles fuerint ac civiles, à noſtri Regni Judicibus obtemperetur: quas nihilominùs de ſubreptione & incivilitate per partes impugnari poſſe: & ad hoc per Judices, tam Curiæ Parlamenti noſtri quàm alios, partes ipſas admitti volumus, prædictaſque literas inciviles vel civiles antedicti Judices, prout in bona juſtitia repererint, declarare & pronuntiare tenebuntur: quod per dolum, fraudem, vel partium cautelam aut causâ ſubterfugii obtentas fuiſſe conſtiterit, earum impetrantes corrigant, prout caſui viderint pertinere.

§. 16. *Idem eodem anno.*

Intelleximus ſæpenumerò criminoſos & delinquentes in priſione detentos, cùm ſuorum remiſſionem criminum obtinere non valeant, à Cancellaria noſtra literas ſtatûs, ne procedatur in cauſa, vel ut delinquentium eorumdem executio differatur ad tempus, impetrare: & interea remiſſionem aut veniam delictorum ſuorum erga nos proſequuntur, & aliquando per importunitatem obtinent, unde crimina remanent impunita: Nos talibus fraudibus & malitiis obviare volentes, tales literas per Cancellarias noſtras de cætero concedi prohibemus: quodſi per importunitatem obtentæ fuerint à Balliviis, Seneſchallis, & aliis Regni noſtri Juſtitiariis antedictis, nihilominus injungentes, ut dictis literis non obſtantibus, juſtitiam adminiſtrent, & ad criminum punitionem & correctionem, ſicut caſui pertinebit, procedere non omittant.

§. 17. *Idem eodem anno.*

Litteræ in materia novitatis.

Et quia plures magnæ fraudes committuntur, & infrà, cum literæ (per quas conquerens in materia ſaiſinæ & novitatis, eò quod infra annum & diem à tempore turbationis querimoniam non accepit, relevatur) Curiæ aut alteri Judici fuerint præſentatæ, opponens in ſtatu in quo ante ſequeſtrationem exiſtebat, per Judicem reponi volumus, intereàque permitti gaudere, donec partibus auditis per recredentiam vel diffinitivum aliter fuerit ordinatum: quod ſi per dolum vel fraudem querimoniam conſtiterit impetratam, aut prædictum relevamentum obtentum, delinquentem puniri, ſicut eſt rationis, ordinamus.

§. 18. *Idem eodem anno.*

Litteras ut petitorium ſimul cum poſſeſſorio novitatis deducantur, per Cancellarias noſtras concedi prohibemus: quod ſi inadvertenter concedantur, illis obtemperari nolumus, ſed impetrantes emendâ arbitrariâ puniri.

§. 19. *Idem eodem anno.*

Et quia plures in dictis materiis beneficialibus, & infrà, nos indemnitati ſubditorum noſtrorum, & cauſarum multitudini providere, & abuſus in hac parte reprimere volentes; ordinamus, quod impetrantes literas à Cancellaria, vel Ballivis aut Seneſchallis noſtris ſuper noſtræ Pragmaticæ Sanctionis infractione, Beneficiorum & cauſarum qualitates, necnon media ex quibus & per quæ dictam Pragmaticam infractam eſſe prætendunt, in ſuis impetrationibus declarare teneantur, & niſi materia ad intelligendum data prædictam tangat Pragmaticam, mandata vel commiſſiones non concedantur. Præterea ſecundùm materiæ gravitatem, aut difficultates quæ verisimiliter illis accedere poſſunt, ad grandia Beneficia, difficultates & materias habito reſpectu in Curia noſtra committantur. Quantum autem ad alias coram Seneſchallis & Balliviis noſtris in eorum principalibus Sedibus, in quibus nobilis eſt affluentia conſilij, executiones inſuper Mandatorum & Commiſſionum noſtrarum in hac materia cum omni honeſtate, debitaque moderatione & informa-

tione præcedente, per Iudices noſtros fieri volumus, niſi materia propter dubium, abſentiam aut fugam alicujus perſonæ, tranſportum litterarum, vel ſcandaloſam in præjudicium dictæ pragmaticæ ſanctionis publicationem, celeritatem exigeret, quibus in caſibus informationes per ſervientes regios fieri poterunt: qui ceſſante dilatione penes Curiam noſtram antedictam, vel Iudices noſtros, illas tradere vel mittere tenebuntur, propter eos puniendos promptiùs impetrantes, ſi per falſi ſuggeſtionem, aut aliàs, vexatio partibus ſine cauſa data fuerit, nec non ſervientes, ſi dolus, aut alius defectus in eorum informationibus vel expletis inventus ſit, principaleque, dictarum materiarum ſummariè & breviter terminari volumus, & decidi ſuper dictæ pragmaticæ ſanctionis tranſgreſſione ſimul indicando. Et ſi per proceſsûs diſcuſſionem, prædictam materiam non tangere pragmaticam ſæpe dictam appareat, licèt in eadem cadant aliæ difficultates: partes extra proceſſum poni, & ubi pertinebit remitti, ac impetrantes puniri, & partibus ad intereſſe, & in emenda ſecundùm cauſæ exigentiam, pro perſonarum qualitate, condemnari volumus, proviſo tamen quòd non ſit materia regaliæ, vel alia cujus nobis ſolùm, vel Curiæ noſtræ cognitio pertineret.

§. 20. *Idem eodem anno.*

Inquietatio ante vacationem.

Et quia ſæpenumerò ſumus inquietati, & infrà, ut beneficium vel officium, vel alia quæcumque res ante vacationem vel creationem, nec non emenda ſeu confiſcatio ante declarationem, per nos alicui conferatur, inquietari nolumus. Quòd ſi per importunitatem, vel inadvertentiam, alicui fecerimus collationes & donationes hujuſmodi, nullas, nulliuſque valoris exiſtere decernimus.

§. 21. *Carolus VIII. anno* 1439. *Curiæ Parlamenti Tholoſæ.*

Litteræ in forma debitis.

Inhibitum eſt, & infrà, prohibemus ne generales litteræ in forma de debitis, per Seneſchallos & Iudices noſtros de cætero concedantur, niſi Iudicibus quibus cauſæ cognitio pertinet, oppoſitio dirigatur.

§. 22. *Idem qui ſupra, eodem anno.*

Et præterea, & infrà: litteras & proviſiones de hiſi, viis ſi quas ſuper aſportandi à comminatione, cùm ſit bonus homo, vulgariter nuncupatas, & his quocumque nomine cenſeantur ſimiles, per Seneſcallos & Iudices noſtros de cætero concedi prohibemus: ſed delinquentes vel inquiſitos per ordinarios ſine cauſa rationabili gravari formidantes, appellationis remedio poterunt ſibi providere.

§. 23. *Idem qui ſuprà, eodem anno.*

Ordinatum eſt, & infrà, litteras de ſuſpenſa gardenna, nullitate expletorum, & his ſimiles, cauſa ſuſpendendi, vel impediendi reſſaiſimenta per Cancellariam noſtram Tholoſæ de cætero concedendi prohibemus, ac illis à Judicibus & Commiſſariis obtemperari vel obediri nolumus.

§. 24. *Idem.*

Si dictum ſtatutum querelæ, & infrà, omnibus Iudicibus & Officiariis, ne litteras ſtatuti, querelæ, vel aliàs in albo, decætero concedant, ſub pœna ſuſpenſionis ſuorum officiorum prohibemus.

§. 25. *Idem.*

Et quia in dicta patria, & infrà, ordinamus ut litteræ ſuper Notariorum regiorum creatione, per Cancellarium concedendæ, Seneſcallis, vel eorum locatenentibus, ut ad prædictum Notariorum officium, ſi ſint idonei recipiantur, de cætero dirigantur.

§. 26. *Idem.*

Ut provideatur, & infra, litteras ſuper indebita facti injurioſi ſimplicis querela, cùm in nihilo teneatur ſuper abuſu & nullitate, & his ſimiles, ad debitorum & condemnatorum inſtantiam hactenus concedi ſolitas, cauſa impediendi Sententiarum executionem, vel obligationem Curiarum rigoroſarum & ordinariarum, tam decimariorum regiorum quàm aliorum, per Seneſcallos & Iudices decætero concedi prohibemus, & illas prorſus abolemus. Et infra: Iudices autem hujuſmodi litteras concedentes, officiis eorum privari, & in emendam centum librarum puniri, partes etiam impetrantes perditione cauſæ affici; & nihilominus in emendam 25. condemnari volumus.

§. 27. *Idem qui ſuprà.*

Ut querelis, & infrà: debitor in litteris quas ſuper inſtrumenti cancellatione contra creditorem voluerit obtinere, cauſam propter quam inſtrumentum eſſe cancellandum prætendit, ſicut ſolutionis, pacti de non petendo, ſimulationis, vis, doli, metus, aut alterius exprimere teneatur, & infrà: contra ſententias aut condemnationes, appunctuamenta Iudicum, vel teſtamenta, prædictas litteras decætero concedi prohibemus, aliis juris remediis, partibus ſemper ſalvis.

§. 28. *Idem qui ſuprà.*

Et quatenùs tangit litteras vel proviſiones, ne pro re prophana, & ne laïcus laïcum, nuncupatas formam Arreſti, dictas tangendo materias in Parlamenti Curia pronuntiati, per Seneſchallos, Iudices, & Officiarios regios volumus obſervari. *

* *Obſervari.*] Sequebatur hîc exconſt. Carol. 8 an. 1493. §. 57. 59. 60. 70. quos in ſuo fonte gallico vide. C. M.

TIT. III. DE ELECTIONE.

Ludovicus IX. canoniſatus Sanctus, anno 1228.

PRo ſalubri, & infrà: ſtatuimus & ordinamus ut Prælati Regni noſtri, patronique * beneficiorum ſuorum collatores jus ſuum plenarium habeant, & unicuique ſua juriſdictio ſervetur. Inſuper Eccleſiæ Cathedrales, & aliæ Regni noſtri liberas electiones habeant, & earum effectum integraliter proſequantur: promotioneſque, collationes, proviſiones & diſpoſitiones prælaturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum eccleſiaſticorum Regni noſtri, ſecundùm ordinationem & diſpoſitionem juris communis, ſacrorum Eccleſiæ Dei Conciliorum, atque Inſtitutorum ſanctorum Patrum, fieri volumus & ordinamus.

* *Patronique*] Intelligit etiam de Eccleſiaſticis, quorum curam poſteriores Reges malè abiecerunt, ſed ſtat in patronis laïcis unde ſi Papa eorum juri expreſſè derogaret, poſſet ab executione Bullæ appellari tamquam ab abuſu, & vidi admitti appellationem in hoc Senatu. Sic Carol. 6. infrà tit. 37. patronos inferiores ſua conſtitutione mutat. C. M.

§. 2. *Philippus IV. cognomento Pulcher. anno* 1302.

Quoad informationem, & infra volumus & ordinamus, quòd noſtri Seneſcalli, Baillivi, Iudices & cuſtodes nundinarum Campaniæ, Magiſtri & cuſtodes foreſtarum & aquarum, decætero eligantur & inſtituantur ex noſtri Magni Conſilii deliberatione, & ſi aliquis ante hoc ſalubre ſtatutum, ad aliquam præfecturam vel adminiſtrationem noſtram minus peritus aut inſufficiens electus fuerit, Regiæ Majeſtati ſignificetur à parte, ut circa hoc ſalubre valeamus remedium adhibere.

§. 3. *Idem eodem anno.*

Volumus quòd si contingat, & infrà, uni personæ non tradatur nisi unica Baillivia, Seneschallia, Præpositura, Vicaria, seu Judicatura.

§. 4. *Idem in eodem anno. & Carolus V. Regis Locumtenens anno* 1351.

Nolumus quòd aliquis præficiatur in Seneschallum, Præpositum, Judicem, Vicarium, vel Baillivum, in loco unde dicitur oriundus. *

* *Oriundus.* l. 6 C de off. rect. provin. Sed hodie prorsus exolevit, ut non sit opus dispensatione. C. M.

§. 5. *Idem Philippus anno quo suprà.*

Præcipimus quòd qui in servientes eliguntur, præstent idoneas cautiones in manibus Seneschallorum & Baillivorum nostrorum, ut bene & fideliter faciant & exequantur officia sibi commissa: & quòd debeant respondere aut juri stare super his omnibus quæ ab eisdem peti poterunt ratione dicti officii exercti: & si contingat aliquem dictorum servientium mori, vel officium sponte, vel pro suis excessibus dimittere, Seneschalli aut Baillivi loco eorum poterunt alios sufficientes suo tamen periculo subrogare & * habebunt respondere de his quæ gesserunt suum officium exercendo, nec potetunt dictorum servientium numerum augmentare.

* *Subrogare.* Vidas quòd veteres Reges non facerat quæstum de his officiis, unde honeste & sine ere exercebantur, sed postea Cancellarii primi quisque sus sui, quam recte postea cupidiores cœperunt, consuetudinibus Regiis, horum officiorum donationes sibi usurpare. Tendè cùm ex eorum venditionibus magnus quæstus affulgeret, ægre prædam à Cancellariis ereptam feo fisco vendicarit, unde cuivis nebuloni plus offerenti profluat, magno publicæ fidei & puritatis damno. C. M.

§. 6. *Idem in eodem anno.*

Inhibemus & interdicimus omnibus Seneschallis, & Baillivis, Justitiariis fidelibus, & subditis nostris quibuscumque potestatem faciendi seu instituendi Notarium vel Notarios, publicum vel publicos, authorizante nostra regia: quam si quidem potestatem nobis & successoribus nostris Franciæ Regibus specialiter & perpetuò reservamus. Nolumus tamen quòd prælatis Baronibus, aut aliis subditis nostris, qui de antiqua & approbata consuetudine in terris suis possunt Notarios facere, per hoc præjudicium generetur.

§. 7. *Idem anno* 1404.

Ordinamus quòd Seneschallus noster Tholosæ, & Albiensis sub periculo suo eligant bonos servientes & Officiales alios, qui in personis propriis regant & exerceant officia eisdem commissa; certus insuper servientium numerus instituatur in quolibet loco, quodque instituti insufficientes amoveantur, & remanentes idonei caveant, prout in ordinatione nostra super hoc facta continetur.

§. 8. *Idem Philippus VI cognomento Valesius* 1344.

Nullus loco Præsidentium, Consiliariorum, & Magistrorum Requestarum vacantium, nisi prùs Cancellarius & Parlamentum illum ad prædictum officium exercendum idoneum esse, Regi testificati fuerint, subroget.

§. 9. *Caroli anno* 1388.

Et primò, & infrà: Volumus & ordinamus quòd nostri Seneschalli, Baillivi, Præpositi, & alii Judices per Magni Consilii deliberationem de cætero instituantur & eligantur.

§. 10. *Carolus VI.* 1406.

Primò quia aliquæ, & infrà: Ordinamus quòd aliquo Officiariorum nostrorum loco in nostra Parlamenti Curia vacante, Cameris congregatis in eadem Curia, præsente nostro Cancellario, si Parisius tunc præsens extiterit, & velit & possit interesse ad electionem unius, duarum, aut trium personarum, quæ sufficientiores & idoneiores fuerint ad prædictum Officium exercendum Curiæ nostræ videbuntur per formam scrutinii, quantò celeriùs fieri poterit, procedatur, exindeque electio hujusmodi, & quis electorum ad idem officium proprior eisdem videbitur, certiores nos faciant, ut eidem officio, sicut videbimus, fieriquè debebit, melius providere valeamus.

§. 11. *Idem anno* 1340.

Ordinamus insuper, quòd vacantibus Seneschalliis, Baillivis, vel aliis officiis judicaturæ, ad illa vel sapientes, prudentes, sufficientesque assumantur.

§. 12. *Idem eodem anno.*

Et quia expenumerò, & infrà: Ordinamus & decernimus quòd judicaturæ Advocati vel Procuratorum, aut quovis alio officio vacanti, gentes Consilii, & Officiarii regii in eisdem Baillivis, Seneschalliis, secundùm eorum consuetudinem advisent quos pro dictis officiis obtinendis magis proprios & idoneos esse cognoverint, & nobis usque ad numerum duorum aut trium, nominando magis idoneos, & sufficientiores ac prudentiores homines declarent, ut ex nostri deliberatione Consilii eidem officio melius providere valeamus. Et nihilominus antequam prædicti Consiliarii & Officiarii in prædictis Baillivis & Seneschalliis eorum circa præmissa declarent advisamentum, ad sacrosancta Dei Evangelia eorum manibus tacta, quòd bene & fideliter nobis consulant, eos quos in suis conscientiis magis proprios, idoneos & sufficientiores & prudentiores de dictis officiis obtinendis esse cognoverunt, jurare teneantur.

§. 13. *Ludovicus XI. anno* 1465.

Quia sicut, & infrà, Officiorum Præsidentium, Consiliariorum, Advocati & Procuratoris nostri, in Curia nostri Parlamenti Tholosæ, vacatione occurrente, per Præsidentes & Consiliarios ejusdem Curiæ trium notabilium personarum, Clericorum, proborum hominum & bene famatorum electionem de cætero fieri volumus & ordinamus, necnon (sicut præmittitur) electorum nomina cum eorundem eligentium advisamento, illius videlicet aut illorum qui in eorum conscientiis utiliores pro bono nostro & justitiæ ad prædictum officium obtinendum videbuntur, per jamdictam nostram Curiam nobis transmitti, ut per nos inde fiat sicut videremus faciendum.

TITULUS IV.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA *inferiorum.*

Carolus VIII. anno 1490.

INhibitum est, & infra intentionis nostræ nequaquam existit, quominùs Seneschalli & alii superiores Judices in casu notabilis negligentiæ * vel delicti notorii judicis inferioris, casuum & criminum commissorum in jurisdictione ordinariorum inferiorum, possint recipere cognitionem.

* *Negligentia.*] Dixi in Consuet. Paris. §. 1 glos. 3 num. 3 C. M.

TITULUS V.

DE OFFICIO ET POTESTATE Commissariorum.

Petrus Ludovicus, hujus nominis IX. anno 1254.

UBi fidelli vel servientes ad remota loca mittuntur, eis absque Superioris litteris non credatur: & si aliter inventi fuerint facientes vel mandantes, nuntietur Seneschallis, qui eos puniant competenter.

§. 2. *Philippus IV.* 1303.

Judices qui à nobis vadia recipiunt, de commissionibus sibi per Curiam nostram directis nihil omnino recipiant nisi extra villam, seu castrum in quo suum habent domicilium, ratione prædictæ commissionis eos oporteat proficisci.

§. 3. *Idem Philippus* 1304.

Præterea Judices ordinarii, prætextu commissionum infra judicaturas suas per Superiores sibi directarum, nullum à partibus salarium recipiant, vel etiam levare præsumant; sed salario quod à nobis percipiunt, sint contenti.

§. 4. *Philippus VI. Valesius, anno* 1338. *& Carolus VI. anno* 1408.

Præsenti constitutione sancimus, ut amodo non ponantur commestores, * nec duo vel plures simul; sed unicus duntaxat serviens sive Commissarius eadem vice pro executione solius debiti deputet, nisi plures mittendi fuerint ex causa, per Judicem nostrum ordinarium arbitranda: & fiant executiones consuetudine locorum observata: qui autem contrarium fecerit, debitè puniatur, adjicientes constitutioni hujusmodi ut pro nostris debitis exequendis, vel exigendis, non nisi unus solus eadem die, absque Commissario vel Commissariis, vel aliis quibuscumque adjunctis serviens deputetur, & de recognitione solutionis cùm facta fuerit, volumus & statuimus dari, concedique petentibus publicum instrumentum.

* *Commestores.*] Quandoque servitus patrimoniales pervagata usque ad Galliam togatam, ut in c. ad audientiã ubi gloss. non intelligit de de præscripto. C. M.

§. 5. *Idem Philippus VI. eodem anno.*

Statuimus, præterea, ut proclamationes & infrà, ut si aliquis officiarius noster dixerit se ad executionem aliquam faciendam vel aliud deputatum, volumus quòd de potestate seu commissione sibi tradita, doceat requisitus, alioquin ad damna & expensas illius teneatur, & aliàs debitè puniatur.

§. 6. *Idem Philippus anno* 1344.

Quia nos, & infrà: Ut nullus Commissarius per nos aut Parlamentum nostrum deputatus, ultra salarium infrà scriptum, & per nos ordinatum recipere valeat, ordinamus, contrariumque facientes, tamquam perjuri, & aliàs sicuti nobis visum fuerit, punientur. Primò nos, & infrà, Commissarius nullus pro qualibet equitatura die qualibet ultra decem solidos Parisienses, in patria Parisiensi, & in patria Turonensi ultra decem solidos Turonenses accipiat.

Salarium Commissariorum.

§. 7. *Idem eodem anno.*

Volumus & ordinamus quòd gentes Parlamenti nostri ad commissiones destinati, non nisi pro sex equitaturis, gentes Inquestarum & Requestarum nostri Palatii pro quatuor Clericorum suorum in auditione laborantium equitaturis inclusis, recipere valeant; Commissarius tamen secundùm ejus condictionem, majorem vel minorem equorum numerum ducere potest, sicut in propriis faceret negotiis.

§. 8. *Idem eodem anno.*

Injungimus Commissariis, & infrà: quoniam intelleximus plures Commissarios tardè suarum commissionum intrare negotia, & valde lentè laborare, quod nobis multùm displicet: districtè Commissariis injungimus, & sub eorum juramento, ut circa commissiones ad quas missi fuerint bene fideliterque laborent; alioquin pecunias à partibus inquè recipient, & per nos graviter punientur.

§. 9. *Idem.*

Commissarii super expensarum taxatione, vel testium examinatione per Parlamentum deputati pro qualibet die, Parisius ipsorum quilibet ultra decem solidos Parisienses, una cum vadiis regiis Parlamento sedente recipere non poterunt.

§. 10. *Idem anno* 1358.

Ut nullus Commissarius per nostrum Parlamentum deputatus, ultra quadraginta solidos Parisienses pro die in patria Parisiensi, vel Turonenses in patria Turonensi, recipere possit, ordinamus.

§. 11. *Joannes I. anno* 1363.

Concordatis articulis, dantur Commissarii pro veritate super factis partium inquirenda, & si ambæ partes vel earum altera Commissarios, vel Commissarium cum adjuncto, de partibus petierint, eisdem concedantur: qui Parlamento sedente vel non sedente, poterunt ad inquestam supra factis partium faciendam procedere. *

* *Procedere.*] Hic locabatur §. 6. constit. Carol. VII. anni 1436. quem melùs vide in Gallicia. C. M.

§. 12. *Carolus V. anno* 1364. *& super fede Requestarum.*

Cùm pro processibus & inquestis faciendis Commissario Præsidens daturus fuerit, semper clericum unum cum laico jungat, si bono modo fieri possit, nisi forte causa adeo modica fuerit, quòd per unum Commissarium solum valeat expediri.

§. 13. *Idem eodem anno, & quibus supra.*

Volumus & districtè præcipimus, & infra, pauperum & miserabilium personarum processus & inquestas, gentes nostræ, quando casus evenerit, amore Dei faciant, easque diligenter audiant, & breviter expediant.

§. 14. *Carol. VII. ann. Dom.* 1463.

Statuimus ut Seneschalli & alii Occitanæ linguæ Judices, aliquem servientem, aut alium simplicem executorem, ad reparationem attentatorum, vel aliud causæ cognitionem requirens, faciendum, de cætero committere vel subdelegare non præsumant: sed illa vel per eorum locatenentes ordinarios, aut aliàs notabiles personas in præmissis expertas, sub pœna privationis suorum officiorum fieri facere teneantur. *

* *Teneantur.*] Hic ex constit. Carol. VII. anni 1446. ponebantur §. 11. 20 33. & anno 1453. §. 35. 36. 79. 95. 142.

§. 15. *Carolus anno* 1490.

Ordinationes sequendo, & infra: prohibemus insuper, ne Præsidentes & Consiliarii ad aliquorum processuum inquestas, Arrestorum provisionem, vel executionem

executionem faciendam, Parlamento sedente se conferant: quin immo prædictas executiones & inquestas per Seneschallos & Judices partium & rerum contentiosarum, etiamsi partes ipsæ Consiliarium vel Commissarium de prædicta Curia requirant, de cætero fieri volumus: nisi forte Curia propter materiæ grauditatem vel difficultatem, aut evidentem necessitatem ex grandi deliberatione commissiones antedictas per aliquem ex antedictis Præsidentibus aut Consiliariis fieri decreverit, quod eorumdem conscientiis relinquimus. Porrò durante Parlamenti vacatione ab Augusti medio usque ad sanctum Martinum antedictos Consiliarios ad inquestas & Arrestorum grossarum materiarum, cognitionem tamen exigentium, inter partes tales anfractus sustinere volentes, ipsisque requirentibus, & non aliter, se conferre permittimus: si tamen partes vacationum hujusmodi tempore pro sepedictis inquestis & executionibus Commissarios ad partes requirant, Judices inferiores & subalternos sibi concedi volumus. Quantùm autem ad alias materias simplicem dumtaxat executionem requirentes, sicut possessionis restitutio, vel similia causæ cognitionem non exigentia, illarum executionem ostiariis & servientibus dirigi præcipimus. Quod si durantibus eisdem vacationibus partium altera Consiliarium petierit, pro his quæ per inferiores poterant executioni demandari, contra partem in expensis condemnatam, non taxabitur ultrà quàm si per Judicem inferiorem executio facta fuisset.

§. 16. *Idem eodem anno.*

Ut provideatur, & inf. Judices majores, locumtenentes Seneschalli, clericos, aut laicos ad inquestas Arrestorum executiones, vel alias commissiones faciendas deputatos, 55. solidos Turonenses die qualibet percipere volumus & ordinamus, necnon eorum expensas moderatas cum tribus equis, & non ultrà: & hoc sub pœna emendæ & suspensionis suorum officiorum. Judicem verò criminalem cùm ibit in commissionem, 40. solidos Turonenses pro die qualibet, & ejus expensas, Doctorem subrogatum, vel commissum totidem; Licentiatum autem 27 solidos & sex denarios Turon. & Baccalarium 25. Turon. & ejus expensas, Notarium 16. solidos Turon. & ejus expensas, servientem equestrem decem solidos, pedestrem 5. pro die: eis autem injungitur ut in prædictis commissionibus diligenter & fideliter procedant, minoribus quibus fieri poterit partium gravaminibus & anfractibus, sub pœna reprehensionis & emendæ.

§. 17. *Idem, eodem anno.*

Ordinatum est quòd Seneschalli & Judices qui commissiones in materia statuti querelæ secundùm Edicti regii formam super hoc olim facti concedere soliti sunt, probos & bonos viros, non suspectos de cætero deputare teneantur: præterea Commissarios ad exequendum prædictum statutum querelæ deputatos, si in materia prophana fuerit in primo capite: necnon super contraria possessione, partes supra locum audient, absque hoc quod opus sit alias habere Litteras, vel expectare: qui si fuerit ut suspectus recusatus, adjungitur alius non suspectus, expensis recusatis: prædictique Commissarii, partibus auditis, & super possessionibus allegatis utrimque factis apprisis: si conveniant & partes consentiant ad executionem prædicti statuti querelæ, in sui primo capite procedant: alioquin ad sedem negotium reportabunt, ut inibi decidatur: & illi qui jus apparentius habuerit, in possessorio restaisimentum concedatur.

§. 18. *Idem, eodem anno.*

*Querela.] Si statutum querelæ * in materia beneficiali fuerit inperratum, ad illud exequendum supra locum, Commissarii de cætero non mittentur; sed partes contendentes ad principalem sedem in eadem de suis titulis & instrumentis doctura vocabuntur, quibus per consilium visis, dictum statutum querelæ in suo primo capite decidetur, nisi tamen factum aliquod de quo sit inquirendum, inveniatur, propter quod materia cum titulis vacuari non possit.

Quod in materia beneficiali sublatum est, constit. 1318.

* *Possit.*] Hic ex constit. Carolus VIII. anni 1493. addebantur, §. 11. 18. 19. 38. 40. 56. 100. quos puriùs habes in Gallica, C. M.

TITULUS VI.

DE OFFICIO BAILLIVORUM, Seneschallorum, Judicum, Præpositorum, bajulorum, & aliorum Officiariorum.

Beatus Ludovicus, anno 1254.

QUæstus quidem illicitos, quantum possibile fuerit, in Baillivis, & aliis Curialibus reprimere cupientes, Seneschallos & alios Officiarios nostros in Bellicardi & Carcassonæ Baillivis juramento subscripto duximus astringendos, cujus si Seneschalli fuerint transgressores, pœnas debitas in ipsorum personas nostræ voluntati, vel deputatorum à nobis arbitrio reservamus: si verò minores aut Baillivos, vel Officiales nostros dejerare contigerit, in hac parte à Seneschallis sub bonarum testimonio personarum, & cum eorumdem consilio puniantur.

§. 2. *Idem Ludovicus anno quo suprà, & Philip. IV.* 1302.

Jurabunt igitur utriusque Balliviæ Seneschalli, quod quandiu commissam sibi tenebunt Balliviam, cum Judicum suorum consilio juratorum secundùm usus & consuetudines in singulis locis approbatas, tam majoribus, quàm mediocribus & minoribus, tam adventis quàm indigenis & subjectis, sine personarum acceptione jus reddent.

§. 3. *Idem.*

Insuper jurabunt jura nostra bona fide requirere & salvare, & aliorum jura scienter nec auferre, neque diminuere, vel impedire.

§. 4. *Idem Ludovicus. Idem Philippus.*

Jurabunt donum seu munus aliquod à quacumque persona per se vel alium non recipere, in pecunia, argento, auro, seu rebus aliis quibuscumque mobilibus vel immobilibus, aut se moventibus, vel beneficiis temporalibus, aut perpetuis, præter esculenta vel poculenta, quorum valor in una hebdomada decem solidos Parisienses non excedat. Quodque prædicta dona seu beneficia suis uxoribus, liberis, fratribus vel sororibus, nepotibus, vel consanguineis, aut commensalibus, vel suis domesticis heri minimè procurabunt: immo bona fide diligentiam adhibebunt, ne uxores eorum, vel aliæ personæ proximè nominatæ dona vel munera recipiant: quod si fecerint, ex quo hoc sciverint Seneschalli, eas ad restitutionem bona fide compellent, sub debito juramenti.

§. 5. *Idem.*

Jurabunt ulteriùs quod ab illis de sua Seneschallia nec ab aliis qui causam habeant coram ipsis, vel sciant in proximo habituros, mutuum non recipiant per se vel alium ultra summam 20. lib. quam reddant infra duos menses à die contracti mutui computandos, licèt etiam creditores solutionis terminum voluerint prorogare.

Adderur juramento eorum, quòd nihil dabunt vel mittent alicui de consilio nostro, vel uxoribus eorumdem, liberis aut domesticis: vel illis quos ad visitandum terram, vel facta eorum exquirenda mittemus.

§. 6. *Idem.*

Præterea quod in venditionibus Bailliviarum vel redituum nostrorum partem non habebunt, nec etiam in moneta, vel manibus quæ à peregrinis vel mercatoribus conducuntur.

§. 7. *Idem.*

Insuper quod Baillivos infideles, seu injuriosos & improbos exactores vel de usuris suspectos, aut turpem vitam apertè ducentes, in suo non sustinebunt errore: immo eorum excessus corrigent bona fide.

§. 8. *Idem.*

Jurabunt etiam Judices & locorum Vicarii singulorum, quod nec ipsis Senescallis vel eorum uxoribus, liberis aut proximis, seu domesticis quicquam dabunt, & in fine juramenti concludent se universa & singula supradicta bona fide servare, nec quicquam per se vel alium in fraudem facere prædictorum. Vicarios autem, quos Senescalli quandoque per se substituent, nolumus instituí, nisi prius sub forma prædicta præstiterint juramentum.

§. 9. *Idem.*

Et ut hæc Officialium juramenta firmiùs observentur, volumus quòd in publica assisia hant coram clericis & laïcis, ab omnibus & singulis supradictis, etiam si antea coram nobis facta fuerint: ut non solùm metu divinæ indignationis & nostræ; sed etiam confusionis & erubescentiæ apud omnes perjurium manifestum incurrere videantur.

§. 10. *Idem.*

Volumus autem & præcipimus quòd Senescalli prædicti, & alii quicumque tenentes officia, necnon omnes qui in prædictis Baillivis vadia recipiunt, abstineant ab omni verbo quod vergat in contumeliam vel in contemptum Dei, vel Matris suæ, vel Sanctorum ipsius: à ludo etiam cum taxillis vel sine talis, à fornicatione, & à tali crimis.

§. 11. *Idem.*

Inhibemus verò districtè Baillivis nostris prædictis possessiones aliquas per se vel alium emere, administratione sua durante in Baillivia sua, vel alia fraudulenter, sine nostra licentia præcedente: quod si fecerint, emptionem irritam esse, & possessiones sic emptas fisco nostro, si nobis placuerit, volumus applicari.

§. 12. *Idem.*

L. unica, c. si quacumque prædi. potestat.

Prohibentes insuper Senescallis, ne quamdiu Baillivi aut Senescalli fuerint sibi vel suis liberis, aut fratribus vel sororibus, neporibus, nepotibus, consanguineis, vel cuicumque de sua familia matrimonia copulent cum personis suæ Balliviæ, sine nostro speciali consensu, nec prædictos in Religionibus ponant, nec eis beneficia Ecclesiastica vel possessiones acquirant.

§. 13. *Idem.*

Quæstas etiam vel procurationes in domibus Religioforum vel circa, cum expensis eorum, non recipiant sine nostra licentia speciali.

§. 14. *Idem.*

Senescalli autem nostri & inferiores Baillivi caveant sibi à multitudine bidellorum: & quanto paucioribus poterunt, sint contenti ad Curiarum exequenda præcepta, & illos nominent in assisia publica, alteri verò minimè pro bidellis habeantur.

§. 15. *Idem.*

Ne verò Senescalli nostri, vel inferiores Baillivi contra justitiam subditos nostros gravent, inhibemus eisdem ne pro quocumque debito (præter nostrum) capiant * vel captum detineant aliquem subjectorum.

* *Capiant.* infra eod. §. 40.

§. 16. *Idem.*

Eos sanè qui Baillivias nostras tenuerint, aliis eas revendere prohibemus. Et si plures emptores fuerint, unus tantùm jurisdictionem exerceat, & immunitate gaudeat calvagatæ, tailliis, seu collectis, & aliis oneribus publicis, quibus Vicarii gaudere consueverunt: emptores autem Bailliviarum debita propria, scilicet quæ non debentur ex Baillivia vel eorum sociis, auctoritate propria non coërceant, sed per manum Senescalli aut Judicis eadem repetant, sicut facerent si Baillivias non tenerent: vendi autem eas filiis, fratribus, neporibus, nepotibus aut domesticis, nostris nolumus Senescallis.

§. 17. *Idem.*

Porrò viam malitiis quantùm possumus, præcludere volentes, firmiter inhibemus ne Senescalli ac inferiores Baillivi in causis criminalibus aut civilibus subditos nostros locorum mutatione fatigent absque causa rationabili; sed singulos audient in illis locis in quibus consueverunt audiri, ne gravati laboribus & expensis jure suo cedere cogantur.

§. 18. *Idem.*

Quia nemo sine culpa vel causa jure suo privandus est, Baillivis nostris minoribus & majoribus inhibemus ne dessaisient aliquem sine causæ cognitione, vel nostro speciali mandato: subjectos etiam nostros novis exactionibus vel oneribus non affligant, calvagatas extorquendæ pecuniæ causa non mandent; sed ex causa tantummodò necessaria: & tunc volentes personaliter facere calvagatam, ad eam redimendam data pecunia non compellant.

§. 19. *Idem eodem anno.*

Defensam autem bladi vel vini, aut mercium aliarum extrahendarum sine causa urgente non faciant: & tunc cum bono & maturo consilio non suspecto, & factum cum consilio sine consilio non dissolvant, nec eo durante cuiquam faciant gratiam specialem. Arma tamen deferri Sarracenis omni tempore prohibemus: & tam victualia quàm res alias tempore quo cum Christianis guerram habebunt, sine nostra licentia nihil deferri volumus: nisi tempore quo treugam habemus cum eisdem.

§. 20. *Idem eodem anno.*

Demum perversam consuetudinem abolentes; quæ in Curiis aliquibus nostris circa judiciales expensas & pœnas succumbentium in judiciis diu fuerat observata, volumus & mandamus, quòd in litis initio contestatæ reddant pignora litigantes usque ad valorem decimæ partis litis, vel æstimationis ejusdem: quæ pignora partibus recredantur: nec in pro-

cessu negotii levetur aliquid prò expensis, sed eo finito per compositionem vel sententiam negotio, solvat qui victus fuerit, partem decimam ejus in quò succumbet, vel æstimationem ejusdem: & si ambo pro parte victi fuerint, solvat quilibet pro parte in qua succumbet: qui verò in litis principio pignora reddere non potuerunt, dent fidejussores idoneos: & si illos dare noluerint, propriis committantur.

§. 21 *Idem eodem anno.*

Omnes autem Baillivos nostros majores & minòres finito officio remanere volumus, vel saltem Procuratorem sufficientem dimittere in ipsa Baillivia per quinquaginta dies, ut de se conquerentibus coram illis respondeant, quibus hoc committemus.

* *Dict.* 1. Consiliarios C. de assessoribus, & sic quem syndicatum vulgò vocant, servabatur in Gallia, & erant officia temporalia, quinetiam in Parlamento annalia, & justitia potior. Idem tempore Phil. IV. infra eo. §. 53. & Phil. VI. Carol. VI. infra eo. §. 63. §. 75. C. M.

§. 22. *eodem anno.*

De Christianis, sicut in statuto olim à nobis de consilio Baronum apud Meldunum edito, districtè prohibemus quatenus Barones, Seneschalli nostri, vel alii quicumque personæ eisdem usuras hujusmodi faciant haberi. Usuras autem intelligimus quicquid est ultra sortem: prædictumque statutum volumus quòd Seneschalli nostri observari faciant etiam in terra Baronum vel aliorum, si deficiant, postquàm sufficienter fuerint requisiti.

§. 23. *Ex Arresto Parisiis pronunciato anno* 1277.

Injunctum est omnibus Seneschallis, ut si Clerici arma portantes inveniantur in jurisdictione Regis, quòd eisdem auferantur, nec restituantur eisdem, & requirantur eorum Prælati ut Regi faciant emendari: quod si facere neglexerint, Clerici ad emendam per captionem temporalium compellantur.

§. 24. *Philippus IV. Pulcher, anno* 1302.

Nolumus quòd Seneschallus aliquis vel Baillivus de nostro sit consilio quandiu præfuerit suæ præfecturæ. Et si ameà effectus fuerit de consilio nostro, nolumus quòd suo durante officio se de eo aliquatenus intromittat.

§. 25. *Idem eodem anno.*

Volumus insuper & ordinamus quòd nullus Seneschallus, Baillivus, aut Index quicumque sub se habeat Præpositum, Vicarium seu Judicem, qui eidem consanguinitatis, affinitatis, vel nutrituræ vinculo teneatur, ne personæ prædictæ in causis quæ ad ipsos per appellationes pervenire possent, minus fideliter judicent.

§. 26. *Idem eodem anno.*

Si contingat aliquem de præposituris nostris ad firmam tradi, volumus quòd talibus commendetur personis, quæ fideles & idoneæ reputentur, bonæque famæ, & quòd sint bene solvendo, non clerici, non usurarii, non infames, nec circa subjectorum oppressiones suspecti: nec volumus quòd præfatæ personæ ad prædictas præposituras nostras seu administrationes institutæ, quantumcumque plus aliis offerant, in eis admittantur: Inhibentes de cætero, ne præposituras ad firmam tenentes, emendas taxare vel judicare præsumant: sed Seneschalli & Baillivi homines, seu Scabini dumtaxat, secundùm quòd locorum consuetudines suadebunt: injungentes insuper quòd in una præpositura ponatur unus præpositus, aut duo tantummodò, & non plures, & quòd uni personæ non tradatur nisi unica Baillivia, Seneschallia, Præpositura, Vigueria, seu Judicatura, qui sicut Baillivi & Seneschalli jurabunt.

§. 27. *Idem.*

Hac irrefragabili constitutione sanctimus quòd omnes Seneschalli, Baillivi, Vicecomites, Viguerii, Judices, & alii justitiarii nostri, quibuscumque nominibus censeantur, & ubicumque in Regno nostro fuerint constituti, officia sibi commissa per se ipsos personaliter exerceant: nec sibi substitutos, aut locumtenentes facere præsumant, nisi in casu necessitatis: utpote infirmitatis, vel consimili: quo etiam casu cessante, ad officia sibi commissa redeant exequenda, sine fraude, & sub debito juramenti: cùm autem in prædicto casu contigerit eos absentari, sibi substituant aliquem virum idoneum & honestum de patria seu Provincia cui præesse noscuntur, usque ad eorum reditum, quem accelerent. Qui quidem substitutus non sit Advocatus, nec aliis arduis negotiis, vel multitudine amicorum oneratus, caventes sibi sic substituentes: quoniam pro administratione substitutorum suorum (si quos in eis commiserint) tenebuntur, prout de jure fuerit, respondere.

Jurabuntque præfati substituti, quòd quandiu præerunt officio prælibato, illud bene & fideliter exequentur, districtiùs inhibentes ne prædicti Seneschalli, Baillivi, Officiarii & Commissarii nostri quicumque sint, sub pœna privationis officii sibi commissi, pro sigillis * suis aliquid accipiant, nec faciant, aut patiantur ut pecuniam, argentum, servitium, vel utilitatem aliquam, quæcumque sit illa, vel illud, pro eis exigatur.

* *Sigillis.* De his Reges olim nõ faciebant quæstum infra eo § 41. §. 49. C. M.

§. 28. *Idem eodem anno.*

Insuper præfati præpositi nostri nihil penitus exigant à subjectis suis, nec Ecclesiam gravare præsumant, aut si offeratur, recipiant ratione subventionis aut auxilii eisdem impendentibus: nec ad easdem accedere debeant pro comedendo, aut ibidem jacendo, sine causa: nec cum personis dictarum Ecclesiarum aut aliis quibuscumque subjectis, conventiones, pacta, seu mercata faciant de danda certa summa pecuniæ pro omnibus emendis quas incurrent, seu incurrere possent toto tempore quo eorum officium perduraret, quia per hunc modum daretur subditis prædictis & aliis personis occasio delinquendi: contra hoc autem salubre statutum venientes, volumus animadversione debita puniri.

Non valet pactum de mulcta furti delicti.

§. 29. *Idem eodem anno.*

Hoc perpetuò prohibemus edicto, ne subditi seu justiciabiles Prælatorum, Baronum, aut aliorum subditorum nostrorum, trahantur in causam coram officiariis nostris, nec eorum causæ, nisi in casu ressorti, in nostris Curiis audiantur, vel nisi in casu alio ad nostrum jus regium pertinente: nec volumus quòd eis litteræ concedantur præterquàm in casibus memoratis.

§. 30. *Idem eodem anno.*

Præcipimus insuper quòd Seneschalli & Baillivi nostri teneant suas assisias in circuitu Seneschalliarum & Bailliviarum suarum de duobus mensibus in duobus, ad minus: & quòd in fine cujuslibet assisiæ suæ significari faciant diem alterius assisiæ: inhibentes ne prædictas assisias teneant in terris, villis, locis Prælatorum, Baronum, vassallorum, & aliorum quorumcumque subjectorum, aut in quibus nos justitiam, dominium aut guardiam non habemus, nisi sit in locis in quibus dictæ assisiæ à 30. annis citrà teneri consueverint: nec teneant eas in locis in quibus non est illa, aut gentium habitatio populosa: & si à quoquam in contrarium aliquid contigerit attentari, nolumus quòd redundet quantum ad possessionem vel proprietatem, in eorum præjudicium, ad quos præ-

dicta poſſeſſio vel proprietas pertinere noſcatur.

§. 31. *Idem eodem anno.*

Inhibemus ne ſervientes faciant adjornamenta ſeu citationes ſine præcepto Seneſchalli, Præpoſiti, Baillivi, Viguerii, Vicecomitis, aut alterius Judicis: & ſi forte præpoſitus faceret, ſeu fieri præciperet falſum aut injurioſum, adjornamenta, damna & gravamina parti quam ſic gravavit, reſarciet: & cum hoc pœna decente cognoſcent quàm graviter deliquerint.

§. 32. *Idem eodem anno.*

Intetdicimus inſuper ſervientibus noſtris, ne juſtitient, aut officium ſuum exerceant in terris Prælatorum, Baronum, aut aliorum vaſſallorum ſubjectorum noſtrorum, in quibus habent altam juſtitiam & baſſam, ſeu merum & mixtum imperium; niſi in caſu reſſorti, aut alio ad nos de jure ſpectante: neque tunc, niſi de præcepto Seneſchalli, Baillivi, aut Præpoſiti, Vicecomitis, Viguerii ſeu Judicis. Et tunc mandatum ſeu præceptum ipſorum, caſum ad nos, ut præmittitur, pertinentem continebit: inhibentes inſuper ne moretur, ſeu larem faciant in dictis terris aut locis vicinis, in fraudem, abſque voluntate dominorum, niſi ſint oriundi de loco, aut ibi matrimonium contraxerint. Et in his duobus caſibus non poterunt ſervientes officium in illis locis exercere: & ſi caſus reſſorti, aut alius ad nos ſpectans in eiſdem terris evenerit, nolumus quòd ullatenus ſe intromittant: imò caſus ille per alios ſervientes executioni mandabitur. Prælibati verò Barones & alii noſtri fideles poterunt prædictos ſervientes noſtros juſtitiare, & contra eos uti juriſdictione ſua ſpirituali & temporali, prout juſtum fuerit, ſine fraude, ſicut contra alias perſonas privatas, in his quæ ad eorum officium non ſpectabunt, poteruntque eos punire de eorum exceſſibus commiſſis, non tamen noſtrum regium officium exercendo.

Reſecat ſuperfluitatem ſervientiũ.

§. 33. *Idem eodem anno.*

Volumus etiam quòd ordinatio olim facta ſuper reſecanda ſuperfluitate ſervientium, & de eos reducendo ad certum numerum, compleatur, & executioni debitæ demandetur, videlicet quòd ubi conſuetum erat habere viginti ſervientes, remotis omnibus, quatuor tantùm remaneant: & ſic per conſequens de majori numero major, & de minori minor ſubtrahatur: volentes inſuper quòd ſervientes illi qui noſtras antè litteras habuerint, & qui aliàs ſufficientes extiterint, inter remanentes deputentur, ſervato tamen numero ſupradicto: & illi qui taliter remanebunt, obediant Seneſchallis & Baillivis noſtris: qui poterunt prædictos ſervientes corrigere & punire pro ſuis exceſſibus. Et ſi eorum exceſſus exegerint, ab eorum officio, quamvis litteras noſtras ſuper hoc haberent, toraliter amovere.

§. 34. *Idem eodem anno.*

Volumus nihilominus quòd prædicti ſervientes moderatum ſalarium accipiant: videlicet ſerviens equeiter tres ſolidos in die, pedeſter decem & octo den. monetæ currentis, quando villam exibit, nec ultrà pro die accipiant pro ſalario ſuo, quæcumque adjornamenta aut proceſſus alios ad eorum officium pertinentes faciant, pro pluribus negotiis, pluribuſve perſonis. Et ſi ſit in aliquibus locis conſuetum quòd minus habere debeant, illa conſuetudo ſerveturi.

§. 35. *Idem Philippus in eodem anno. Carolus VI.* 1388.

Forma juramenti Seneſchallorum & Baillivorum.

Sequitur forma juramenti ſecundùm quam debent jurare Seneſchalli, Baillivi, Judices, Viguerii, Vicecomites, Præpoſiti, & alii juriſdictionem habentes. In primis enim jurabunt quòd quamdiu fuerint in adminiſtratione vel officio ſibi commiſſo, facient juſtum judicium omnibus perſonis magnis & parvis, extraneis & privatis cujuſcumque conditionis exiſtant, & ſubditis quibuſcumque, ſine perſonarum acceptione, vel nationum, ſervando & cuſtodiendo diligenter uſagia locorum, & conſuetudines approbatas.

§. 36. *Idem eodem anno.*

Jurabunt etiam bona fide cuſtodire & ſervare jus noſtrum ſine diminutione & impedimento, ac ſine præjudicio juris alieni. Quodque per ſe vel per alios non recipient ſeu recipi facient aurum, argentum, vel aliud immobile, nomine ſervitii, obſequii, ſive doni, aut beneficium aliquod perpetuum, ſeu etiam perſonale: excepto eſculento & poculento, & aliis ad comedendum & bibendum ordinatis: & de talibus cum moderamine ſecundùm conditionem cujuſlibet, & cum tali quantitate ea recipiant, quòd infrà unam diem poſſint abſque illicita devaſtatione conſumi.

§. 37. *Idem.*

Jurabunt præterea quòd ipſis non procurabunt quòd dona, munera, ſervitia, aut beneficia eccleſiaſtica dentur ſeu conferantur eorum uxoribus, matri, fratribus, ſororibus, nepotibus, neptibus, conſanguineis, commenſalibus, aut privatis: immo diligentiam quam poterunt, adhibebunt quòd uxores eorum, aut perſonæ prædictæ non recipiant talia dona vel munera ſuperiùs nominata: quod ſi contrarium fecerint, cogent & compellent perſonas prædictas ad reddendum ſic per ſordem accepta, quàm citò ad ipſorum notitiam devenerit. Non poterunt inſuper accipere vinum niſi in barillis, botheliis, ſeu potis, ſine fraude & ſorde qualibet: & quod ſupererit, vendere non debebunt; munera enim ſumpta ligant, & excæcant oculos judicum. Notabile dictum.

Idem Philippus anno quo ſuprà.

Non ement in Baillivia ſeu adminiſtratione ſua quacumque & quantumcumque duret, nec in alia poſſeſſiones aliquas doloſa nec fraudulenta impreſſione: quod ſi fecerint, contractus eo ipſo reputabitur nullus, & poſſeſſiones nobis & dominio noſtro, vel Prælatis, Baronibus, & aliis ſubditis noſtris applicabuntur. Si Prælati, Baillivi, Seneſchalli, aut alii prædicti contrarium fecerint in terris ipſorum contra noſtram prohibitionem ante dictam: niſi de noſtra proceſſerit voluntate, idem obſervari volumus.

§. 39. *Idem eodem.*

Jurabunt nihilominus, quod adminiſtratione ſuâ durante, non contrahent in perſonis, nec contrahi (quantùm in eis fuerit) permittent à filiis aut filiabus ſuis, fratribus, ſororibus, nepotibus aut neptibus vel conſanguineis matrimonium cum aliquo vel aliqua ſub adminiſtratione ſua prælibata, nec poterunt in Monaſteriis Religioſorum vel Religioſarum ponere aliquas de perſonis prædictis, nec acquirere beneficia Eccleſiaſtica, ſeu poſſeſſiones, niſi de noſtra proceſſerit gratia & licentia ſpeciali: exceptis dumtaxat perſonis habentibus officia ſeu adminiſtrationes in locis unde traxerint originem, vel in quibus manſionem habent, vel fovent larem, quibus liceat matrimonium contrahere, parentes ſeu amicos in Religione ponere, poſſeſſiones emere, dum tamen id ſine fraude & cupiditate aliqua faciant, jure regio in omnibus & per omnia ſervato penitus & illæſo.

§. 40. *Idem.*

Quodque non ponent, nec tenebunt aliquem in prisione, seu carcere, nisi per literas regias ad hoc fuerit specialiter obligatus, jurabuntque secundùm quod consuetum est, concedere ad firmam vel committere præposituram, & alia officia reditus & proventus personis sufficientibus, non aliis. Idem de sigillis, sergentariis, vicariis, aliisque sub eis officiis censemus: & quòd ipse vel alius dolo, vel fraude contra præmissa, vel aliquod de præmissis non veniet, seu venire faciet, vel permittet.

§. 41. *Idem.*

Volumus, & præsentium tenore sancimus, quòd sigilla * Seneschalliarum, Baillivarum, præposiurarum, vicariarum, & judicaturarum regni nostri de cætero non tradantur ad firmam, vel in custodia tradantur, nisi personis legalibus, & bonæ famæ: hoc idem de officiis recognitionum recipiendarum volumus observari.

Volentes insuper, & etiam ordinantes quòd nullus Seneschallus, Baillivus, præpositus, vicarius, vicecomes, vel judex hominum unius Castellaniæ, Baillivi, præposituræ, vicariæ, vel judicaturæ, ad aliam trahere valeat, vel etiam adjornare.

§. 42. *Idem Philippus IV. anno* 1033.

Pro impositione banni, descriptione bonorum præventorum * seu denuntiatorum, neque pro banno, vel manu Regia amovenda, cùm denuntiatur, vel bona recredantur, nihil recipiatur per Notarios, neque per servientes, seu quoscumque alios officiales, nisi denuntiatus culpabilis reperiatur, vel nisi aliqua causa, vel suspicio probabilis ad cognitionem judicis, quare captus, vel bannitus, aut bona ejus saisita fuerunt, præcesserit.

§. 43. *Idem eodem.*

Propterea Notarii curiarum Tholosæ scribant acta benè & fideliter, & quòd non detur eis pro brachiata actorum, nisi secundum formam per statuta Regia nuper edita ordinatam, vel minus si de minori fuerit hactenus observatum: & quòd non solvantur Notarus curiarum prædictarum pro sententia & pronuntiatione in causis pecuniariis & injuriarum, nisi tres solidi Turonenses

§. 44. *Idem eodem.*

Porrò nuntii & servientes curiarum prædictarum non recipiant pro die qualibet, qua steterint in salvagardia vel garnisione, vel pro vendendis aut distribuendis bonis alicujus debitoris extra villam Tholosæ, nisi secundùm modum antiquum, si modus ille minor sit quàm contineatur in statutis antedictis: si verò esset major, non recipiant nisi quantum in statutis prædictis exprimitur.

§. 45. *Idem eodem.*

Seneschallus Tholosæ cognoscat, & diffiniat summariè & de plano ac sine strepitu judiciario, de controversiis & quæstionibus quas evenire contigerit inter Viguerium & Consules Tholosæ, nisi magnitudo eorum ad cognitionem Seneschalli exigat aliter esse procedendum.

§. 46. *Idem eodem.*

In primis ordinamus, quòd Seneschallus nostet Tholosæ & Albiensis assisias suas teneant in locis insignibus, & melioribus ipsius Seneschalliæ, cum sibi visum fuerit expedire, illasque tenere faciat per judicaturas in persona sua propria, prout utilitati patriæ viderit expedire: præterea Seneschallus aut judex causas judicaturarum suarum de foro in quo audire debent de jure, vel consuetudine approbata, non trahant alibi in subjectorum præjudicium, nisi justa causa subsistat.

§. 47. *Idem eodem anno.*

Judxi Seneschalliæ Tholosæ & Albiensis coram judicibus suis, sub quibus moram trahunt, per Christianos convenantur.

Officiarii nostri, Notarii, servientes, & alii quicumque possidentes bona pro quibus est contribui consuetum, compellentur contribuere pro dictis bonis, sicut veteres possessores consueverunt, & contribuent in locis ubi sunt bona prædicta; & ad hoc per captionem bonorum compellantur, Seneschallo, Judicibus, Vigueriis, & procuratoribus nostris stipendia nostra recipientibus dumtaxat exceptis.

§. 48. *Idem eodem anno.*

Judices, Notarii, & alii officiarii nostri super exactionibus, vel sua mala administratione condemnati ex dolo vel malitia, ad officia publica ex tunc non admittantur: insuper Commissarii, Judices, sive Notarii, nullum pro audientia salarium leventur seu exigant à partibus, nisi scripturam suam, seu pro scriptura tantum; sed sicut levaret judex si præsens esset, scilicet scripturæ suæ salario sint contenti. Porrò Judices seu Notarii nihil ad bursam suam levent à gentibus, vel exigant pro interpositione decreti: Notarii tamen pro scriptura moderatè recipient.

Pro hoc vide l'Iudicem C. de d. g. li. xij.

§. 49. *Idem.*

Ordinamus quòd Seneschalli, Judices, Baillivi, & Notarii Baillivi, & Notarii Bailliviarum nihil de sigillo suo recipiant, nec fraudem faciant aliquam super hoc, prout in ordinatione nostra continetur: neque permittant jam dicti Seneschalli, vel judices fieri per Baillivos, Notarios, servientes aut alios officiarios aliquas indebitas exactiones; sed expressè eisdem inhibeant. Et si contra ipsorum inhibitionem fecerint, in certa pecuniæ summa solvenda Seneschalli arbitrio puniantur, & nihilominus indebitè exacta restituant: & ab officiis repellantur, & aliàs juxta quantitatem excessuum puniantur.

§. 50. *Idem.*

Officiales nostri nihil recipiant pro cautionibus recipiendis ab eis qui culpabiles reperti non fuerint, nec à culpabilibus, nisi pro labore, prout in ordinatione nostra continetur. Nullus insuper arrestetur per Baillivos, vel officiales nostros, aut aliorum dominorum, si possint idoneè fidejubere: nisi hoc esset in casu homicidii, furti, criminis læsæ Majestatis, hæresis, raptus mulierum, & aliorum in jure expressorum.

§. 51. *Idem eodem.*

Seneschallus ad requisitionem consulum locorum quorumcumque defendat ipsos consules, & universitates à nova impositione faciendâ per Prælatos, &

* *Sigilla.*] Suprà eod. § 27. C. M.

* *Præventorum*] Lege passivè, id est quæ occulta inquisitione præveniuntur seu denuntiantur, quæ bona eripiuntur prætextu inquirendi, sumptibus denunciati, & ratò permittitur scire vel prosequi denuntiatorem, præsertim in materia hæresis cujus prætextu infinitæ calumniæ fiunt & tolerantur in hoc regno. C. M.

alias Eccleſiaſticas perſonas, à nova exactione decimarum & primitiarum, ac præſtationis paſſatæ, prout de jure fuerit, & hactenus eſt fieri conſuetum.

§. 52. *Idem eidem.*

Si ſervientes mittantur contra plures pro executionibus faciendis, non recipiant pro ſalario ſuo, niſi quantum reciperent, ſi contra unum tantummodò mitterentur, prout in ordinatione noſtra continetur.

§. 53. *Idem.*

Baillivi finito tempore eorum regiminis morentur, & remaneant in locis Bailliviarum ſuarum per quinquaginta dies * continuos, omnibus de ſe conquerentibus parati reſpondere. Præterea Notarii pro confi-

* *Dies.*] Idem Ludo. IX. ſup. eo. §. at. adde l. 1. C. ut omnes Judic. tam civil. quàm milit. & in novel. ut Præfi. abſque ulla. dat. pec. ad fin. poſt quos dies non poteſt conveniri, ſed in domicilio perpetuo conveniri poteſt gl. Bart. l. 2. ad leg. Incepet. l. 2. obſervare. §. proficiſci. q 3. de offi. procon. & lega. Pacor. cap. 1. de imm. Eccle. C. M.

ciendis inſtrumentis vel actis ſuper tutelis, curis, aſſignationibus dotium mulierum, ſententiis & aliis in quibus cauſæ cognitio requiritur ac decretum, plus debito non exigant, ſed ordinationem noſtram ſuper hoc editam legitimè teneant & obſervent.

§. 54. *Idem.*

Non recipiant pro litera citationis vel executionis, aut ſimilium Seneſchalli, Judices vel Baillivi, aut alii officiarii, niſi duos denarios Turonenſes tantùm, vel ſicut reciperent de alia ſimplici ſcriptura juxta ordinationem noſtram ſuper hoc factam. Ordinamus etiam quòd ſi Judex cognoverit aliqua pignora capta per Baillivos, vel eorum locatenentes aut ſervientes fore reſtituenda, niſi infrà proximam ſequentem aſſiſiam dicti Baillivi, ſeu eorum locatenentes, aut ſervientes dicta pignora reſtituerint, in decem ſolidos Turonenſes nobis ſolvendos condemnentur.

§. 55. *Philip. VI. Paſch.* 1338. *Caro. V I. ann.* 1048.

Hoc edicto in perpetuum valituro ſtatuimus ut cum limitationes fieri petantur, etiam inter nos & Comites, Barones, & alios Nobiles Seneſchalliarum Tholoſæ, Bellicardi, Carcaſſonæ, Petragorienſ. & Carturcenſ. & Bigorræ, vel eorum ſubditos, per Seneſchallos locorum ſine difficultate fient: vocato tamen Procuratore noſtro, ſi dominium noſtrum contingat, exceptis finibus & limitibus regni noſtri contiguis, terris & juriſdictionibus conſiſtentibus extra regnum, in quibus limitationes non concedimus fieri per præſentes: & ſi de jure noſtro, & alieno in caſu limitationis ſit dubium, inquiratur ſuper hoc cum probis viris locorum vicinorum, vocato Procuratore noſtro ſummariè & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, & ulterius fiat eodem modo, ponendo limites, prout ratio ſuadebit. Nec ob hoc Procuratoribus aut officiariis noſtris ſalarium, vel expenſæ ſolventur, niſi ad requeſtam prædictorum nobilium, & pro ipſorum intereſſe mitterentur, vel de eorum voluntate procedat, exceptis ſalariis ſervientium.

§. 56. *Idem Philippus VI. & Carolus anno quo ſuprà.*

Præſenti conſtitutione quam irrefragabiliter præcipimus obſervari, duximus ordinandum, quòd quandocumque agetur de patrimonio ſeu dominio noſtro in poſſeſſorio dumtaxat, Seneſchallus, vel ordinarius loci regius in cujus ſede Procurator noſter reſidet, ſeu reſidere conſuevit, de hoc valeat cognoſcere vel etiam judicare: ſi verò in petitorio agatur, & Procurator regius actor fuerit in cauſa, ordinarius loci de illa etiam valeat cognoſcere & judicare, dum tamen ultra viginti librarum Turonenſium valorem cauſa non excedat: & ſi Procurator regius ſit defenſor, de ipſa poterit ſimiliter cognoſcere ordinarius, & illam terminare.

§. 57. *Idem Philippus & Carolus.*

Inhibendo ſtatuimus ne Seneſchalli, aut quicumque alii judices noſtri altos juſtitiarios ſeu merum imperium habentes, aut eorum aliquem impedire præſumant quominùs in ſuos officiarios in eorum officiis delinquentes, aut aliàs, infra juriſdictionem valeant exercere, & eos pro ſuis culpis & exceſſibus debitè corrigere & punire, niſi ad nos hujuſmodi juriſdictio de conſuetudine jam præſcripta pertineret.

§. 58. *Idem.*

Statuimus etiam, ut ſi quis officiarius noſter cujuſcumque authoritatis exiſtat, infrà juriſdictionem cujuſcumque alti juſtitiarii, ſeu merum imperium habentis, de cætero reperiatur delinquens ut privatus, non exercendo officium ſuum, non impediatur prædictus altus juſtitiarius per quemcumque juſtitiarium noſtrum quominùs in delinquentem hujuſmodi ſuam juriſdictionem exerceat, ipſumque puniat, juſtitia mediante.

§. 59. *Idem.*

Præterea ſtatuimus, declarantes executiones obligationum factarum ad vires cujuſcumque ſigilli noſtri per officiarios altarum juſtitiarum, vel merum imperium habentium in terris, & juriſdictionibus ſuis fieri debere, ſi & quatenus uſi ſunt & utuntur. Si autem in contrarium utantur, poſtquam legitimè requiſiti facere neglexerint, vel recuſaverint, per gentes & officiarios noſtros, prædicta debitè fieri volumus & jubemus.

§. 60. *Idem.*

Statuimus præterea ut proclamationes armorum, dum faciendæ fuerint pro caſu nos tangente, in terris & juriſdictionibus altorum juſtitiariorum, ſeu merum imperium habentium, per eos fiant ad mandatum Seneſchallorum noſtrorum, niſi in caſu in quo juſtitiarii prædicti legitimè requiſiti facere neglexerint, vel etiam recuſarint: nec in aliis caſibus aliquis Seneſchallus, Judex, aut officiarius noſter, infrà juriſdictionem alicujus alti juſtitiarii, ſeu merum imperium habentis juriſdictionem aut cognitionem aliam in caſibus ad ipſum altum juſtitiarium ſpectantibus exerceat: reſſorti tamen caſibus, & aliis ad nos jure regio ſpectantibus nobis ſalvis.

§. 61. *Idem.*

Super eo, quòd cum quæſtio vertitur contra ſubditos prædictorum nobilium, aut eorum aliquem ſuper dominio rei hereditariæ in eorum alta juſtitia, vel ubi merum habent imperium, ſituatæ, juſtitiarii noſtri alia occaſione, quòd poſſeſſor rei illam obligavit ſub aliquo ſigillorum noſtrorum, ſæpedictos altos juſtitiarios, vel merum habentes imperium in cognitione dominii dictæ rei nituntur impedire, ordinamus prohibentes ne aliquis juſtitiarius noſter id amodò faciat vel attentet, niſi primò clamor fuerit expoſitus curiæ illius ſigilli, ſub qua obligatio prius facta fuit.

§. 62. *Idem.*

Præcipientes etiam ſtatimus quòd ſi in juriſdictione alti juſtitiarii, ſeu merum imperium habentis, aliquis ſubditus ſuus, aut alius deliquerit, aut exceſſe-

fit, noſtram gardiam violando: Seneſchallus noſter, qui de gardiæ violatione cognoſcet, mulctare non poſſit delinquentem ſeu violatorem gardiæ, quantumcumque delictum grave ſit, ultra valorem tertiæ partis bonorum delinquentis: ſed infrà, prout excellus, & commiſſi qualitas exiget aut requiret. Quodque jam dictus ordinarius non impediatur quominùs contra delinquentem impunè procedat, prout ad eum pertinebit; ſalvo quòd in capitali crimine retardabitur ſententia ferenda per ordinarium, quouſque ſententia ratione dictæ gardiæ per Seneſchallos, vel Judices noſtros contra prædictum accuſatum prolata fuerit.

§. 63. *Idem.*

Cum autem Seneſchalli, Judices, procuratores, & alii quicumque juſtitiarii, & Officiarii noſtri officium ſuum quacumque cauſa, vel occaſione dimiſerint, ordinamus & ſtatuimus, quòd poſt dimiſſionem officii prædicti in illo loco debeant quinquaginta dies immediatè ſequentes continuè reſidere, ut de ipſis querelantes contra eoſdem jus ſuum facilius conſequi valeant.

§. 64. *Idem.*

Ordinantes & pari gratia concedentes, quòd ſi aliquis prædictorum Baronum nobilium ſubditus ſine cauſa legitima de cætero à nobis ſalvamgardiam impetrare præſumpſerit, Seneſchallus, vicarius, ſeu judex noſter ordinarius illius loci in quo præfatus impetrans ſuum facit domicilium, vel in quo prædicta ſalvagardia poſita exiterit, partibus auditis ſummariè & de plano, abſque alio mandato noſtro, ſalvamgardiam nullam habeat declarare: quam nos in caſu præmiſſo nullam, & nullius efficaciæ decernimus exiſtere, non obſtante verbo, *ſuſcipimus*, ſi in prædictis Literis fuerit appoſitum. Et nihilominus ipſum tanquam malè impetrantem nobis emendare faciet, & in expenſis nobilibus antedictis ipſum condemnabit, prout ſibi videbitur de jure vel ratione faciendum.

§. 65. *Idem.*

Hac in perpetuum valitura conſtitutione duximus ordinandum, quòd reparationes murorum, itinerum, pontium, locorum Baronum & nobilium prædictorum de cætero fiant de præcepto eorumdem Baronum & nobilium quorum fuerint, vel ſuorum officiariorum: & ſi in defectu vel negligentia eorumdem, aut in caſu eminentis periculi aliquem Commiſſarium, vel Officiarium noſtrum ad loca eorumdem deinceps venire contigerit pro dictis reparationibus faciendis: nolumus quòd dictus Officiarius noſter, vel Commiſſarius quicquam pro ſportulis, ſalario & dietis petere poſſit à prædictis nobilibus, vel eorum ſubditis, nec populares illius loci ſic viſitati aliquid pro dicta viſitatione ſolvere teneantur, niſi dumtaxat expenſas in eodem loco moderatè factas.

§. 66. *Idem Philipp. VI. Paleſius* 1344.

Cum Baillivi noſtri in Parlamento noſtro diebus Balliviarum ſuarum comparere, & remanere continuè teneantur, & rationabiliter debeant, ut eorum ſententias à quibus appellatum fuerit, habeant ſuſtinere: necnon ſi quis de ipſis in Parlamento noſtro querimoniam facere voluerit, ipſis ſuper his auditis, per Parlamentum ordinetur, ut apparere poſſit, & cognoſci de ipſorum geſtu, vita, moribus, & quomodo per ipſos dignè regantur provinciæ eis traditæ ſub eorum regimine: & ut etiam curia poſſit eis injungere quæ duxerit ordinanda. Et infrà: Volumus, ac etiam ordinamus, ut Baillivi noſtri ad dies Balliviarum ſuarum in Parlamento noſtro perſonaliter omni excuſatione ceſſante, comparere, & in cauſis ſuæ Balliviæ diebus ipſis durantibus remanere teneantur, nulli de ipſius Parlamenti licentia (ſi fortè cauſa ſufficiens interveniat) ipſos abſentari contingat. Si verò abſque cauſis prædictis ſine gravi infirmitate non venirent, ſuſpendi, & aliàs graviter puniri volumus per ipſum Parlamentum noſtrum, prout videbitur faciendum.

§. 67. *Carolus VI. ann.* 1388.

Nullus Seneſchalliæ, Balliviæ, aut alterius Judicaturæ regimen habens, gubernatoris, vel alio nomine præterquam Seneſchalli, Baillivi, vel præpoſiti, & ſicut antiquitus eſt conſuetum, nominetur. Inſuper ordinamus, ut omnes Seneſchalli, Baillivi, & alii Judices noſtri in ſuarum Seneſchalliarum, & Judicaturarum principalioci & notabilioci loco domicilium eorum teneant & demorentur: habebunt inſuper bonos, & ſufficientes locatenentes minori quo poterit fieri numero: qui neque major aut ſcabinus erunt, vel conſul ſeu conſiliarius villarum, ad quas eorum officium, & locatenentia ſe extendit: nec etiam advocati, vel groſſis & arduis negotiis onerati, ſeu etiam amicorum multitudine magna colligati. Caveant igitur Baillivi & locatenentes; nam ſi quis eorum in adminiſtratione ſibi commiſſa deliquerit, ſicut pertinebit, reſpondere tenebuntur: jurabunt nihilominus locatenentes hujuſmodi officia ſibi commiſſa bene, & legaliter exercere.

§. 68. *Idem eodem anno.*

Ne Seneſchalli, Baillivi, & alii noſtri Judices, eorum adminiſtratione durante, de conſilio noſtro ſint, prohibemus: quòd ſi antea fuerint in eo retenti, intentionis noſtræ nequaquam exiſtit, quòd prædictis durantibus officiis, ſe poſſint intromittere quoquo modo. Volumus inſuper & ordinamus, quòd præfati Seneſchalli, Baillivi, & Judices noſtri de cætero non ſint de conſilio, nec aliis dominis Eccleſiarum, villis aut Communitatibus ſerviant, ſed nobis tantummodò: nec ſint etiam penſionarii prædictorum, niſi de noſtra licentia ſive cogedro procedat. Et ſi fortè à noſtris Præpoſitis, vicariis, vel aliis Judicibus ad aliquem ex Seneſchallis, Baillivis, vel aliis Judicibus noſtris, ſub ſe præpoſitos, vicarios, vel alios Judices ſubjectos habentibus appelletur, idem ut Seneſchalli, Baillivi, & alii noſtri Judices ad prædictarum cauſarum appellationum coram eis introductarum, & ventilatarum expeditionem legalius procedant, Volumus & ordinamus quòd noſtri Seneſchalli, Baillivi, & alii Judices, ſub ſe præpoſitos vicarios, vel alios Judices de ſua conſanguinitate, vel affinitate de cætero non habeant: & ſi aliquem habuerint, à ſuis officiis amoveri volumus.

§. 69. *Idem.*

Volumus inſuper & ordinamus quòd omnes Seneſchalli & Baillivi, & alii Judices noſtri officia quæcumque ſibi commiſſa perſonaliter exerceant: nec illa per eorum locatenentes, niſi in caſu neceſſitatis, ſicut infirmitatis, aut alterius legitimi impedimenti, & impedimento durante dumtaxat, faciant exerceri, & infrà. Præterea diſtrictè prohibemus eiſdem Seneſchallis, Baillivis, & aliis noſtris Judicibus, ſub pœna privationis officiorum ſibi commiſſorum, & alterius gravioris punitionis: ne pro eorum ſigillis aliquam finantiam, ſervitium, vel alium profectum quemcumque levari, recipi vel exigi procurent quoquo modo, vel patiantur: & ſi quid propterea fuerit oblatum, illud omnino refutare teneantur. Prohibemus inſuper,

ne Abbatias, Prioratus, & alias Ecclesias partium, & provinciarum sibi commissarum gravent: nec in eisdem Ecclesiis eorum equos, canes, aves, falconerios, vel brachonerios hospitentur: nec etiam bibendi, vel comedendi causa ad eas se conferant. Et quia fuimus certiores effecti, quòd plures ex jam dictis Seneschallis, Baillivis, & aliis Judicibus, durantibus guerris nostris sub umbra custodiendi ne gentes armorum in Abbatiis, Prioratibus, & aliis Ecclesiis, ac etiam in eorum villis & maneriis suarum Seneschalliarum & Bailliviarum, & alibi hospitarentur, grandes hactenus finantias, & alia dona à gentibus Ecclesiasticis prædictis, & eorum subditis exegerunt: nos qui sumus protectores & defensores Ecclesiæ sanctæ Dei, ac esse volumus, eisdem Seneschallis, & Baillivis, & aliis Judicibus sub prædicta pœna districtius prohibemus ne à prædictis Ecclesiis, & earum subjectis, & aliis, aliquas finantias, dona vel quoscumque profectus exigant de cætero, vel exigi faciant: sed easdem Ecclesias, subditos earum, & alios à gentium armatorum oppressione seu molestatione custodiant & defendant, eisdem nihilominus districtius injungentes, ut si gentes armorum, balistarii, vel sagittarii retenutam à nobis non habentes, in eorum Seneschalliis vel judicaturis hospitari voluerint ultra unam diem, vel noctem unam juxta posse, demorari non patiantur; quòd si retenutam à nobis habuerint, eos prædari quicquam vel derobare nullatenus patiantur: taliterque facient, si fuerit opus, ut vis nostra sit in hac parte. Si tamen remedium adhibere non possent, mox dilatione cessante, certiores nos faciant, ut sicut pertinebit, procedere valeamus.

§. 70. *Idem eodem anno.*

Jurabunt insuper supradicti Seneschalli, Baillivi, & alii nostri Judices quòd de juribus nostris in eorum Seneschalliis Baillivis, & Judicaturis ac ressortis earumdem, tam in superioritate, seu aliàs diligenter inquirent, illaque sine diminutione, & impedimento quibuscumque (sine tamen juris alieni præjudicio) custodient. Ut autem jurium nostrorum pleniorem cognitionem habere valeamus, Volumus & ordinamus, quòd dicti Seneschalli, Baillivi, & alii Judices, suarum Seneschalliarum, Bailliviarum, & Judicaturarum, & ressortorum ipsarum, nostros vassallos omnes ad feudorum suorum advocationes sibi tradendas compellant: de quibus per receptorem quarumlibet Seneschalliarum, Bailliviarum, & Judicaturarum prædictarum, librum unum sive regutrum nobis transmittendum fieri volumus.

§. 71. *Idem.*

Non patiantur insuper Baillivi, Seneschalli, & alii nostri Judices antedicti, aliquas super nos fieri interpritias, tam in juribus superioritatis, quàm aliàs: sed circa præmissa celeriter provideant; quòd si facere non potuerint, illud Nobis & Consilio nostro significare teneantur: ut competens remedium adhibere valeamus. Jurabunt insuper, quod nec per se, nec alios recipient, vel recipi facient aurum, argentum, vel aliam rem mobilem, aut heréditagium pro servitio vel dono, vel aliud beneficium perpetuum, vel temporale, exceptis dumtaxat victualibus necessariis, ad bibendum vel comedendum ordinatis: & id rationabiliter secundum cujuslibet conditionem: & in tali quantitate, quod infrà biduum vel triduum absque devastatione possint honestè consumi vel expendi: præmissaque non recipiant, nisi à divitibus & sufficientibus, instantissimeque prius requisiti, videlicet à gentibus Ecclesiasticis, militibus, scutiferis, burgensibus divitibus, & aliis notabilibus personis: neque procurabunt ut donum, servitium, aut beneficium Ecclesiasticum perpetuum, vel temporale eorum uxoribus, filiis, fratribus, sororibus, nepotibus, neptibus consanguineis, affinibus & domesticis per Seneschalliarum & Bailliviarum suarum subditos donari vel conferri: quinimo ne prædictæ eorum uxores, & aliæ prædictæ personæ dona, & alia supràscripta recipiant, posse tenus obviabunt: & si contrarium factum fuisse ad eorum cognitionem pervenerit, suprà dictas personas ad ea quæ receperint, reddendum & solvendum compellent. Non poterunt insuper memorati Seneschalli, Baillivi, & Judices recipere vinum nisi in parvis barrillis, potis, sive botellis absque fraude, sine corruptione: & si quid eis residuum fuerit, vendere nullatenus permitti volumus.

§. 72. *Idem eodem.*

Præterea * in eorum Seneschallia, vel administratione & subditis eorum in quacumque parte fuerit, non facient aliquos hæreditagiorum, vel bonorum immobilium acquestus: alioquin contractus nullus reputabitur, & possessiones taliter acquisitæ nobis domanioque nostro pertinebunt & applicabuntur, quarum pretium per emptores, & acquirentes venditoribus restituetur: aut si venditores possessiones maluerint, eis reddentur & liberabuntur: pretium tamen per eos propter hoc receptum restituendo nobis applicandum: insuper administratione sua durante, eorum filios vel filias cum aliquo, vel aliqua suarum Seneschalliarum Bailliviarum, vel administrationum matrimonium contrahere non patientur: nec aliquem de personis supradictis in aliquo Monasteriorum, Abbatiarum, vel Prioratuum sibi subjectorum religionem ingredi facient, vel ejusdem aliqua beneficia Ecclesiastica in dictis Monasteriis, vel Ecclesiis possessiones requirent, nisi obtenta super hoc à nobis gratia, & licentia speciali.

* *Præterea.*] Idem supra eo. §. 11. 12. 38. 39. C. M.

§. 73. *Idem eodem anno.*

Primaque die suarum Seneschalliarum, Bailliviarum, & Judicaturarum in nostra curia Parlamenti, anno quolibet personaliter * comparebunt, ibidem residentiam facturi: nec ab inde recedent sine curiæ prædictæ congedio seu licentia, modo & forma quibus expressius in antiquis ordinationibus continetur.

* *Comparebunt.*] Reliquiæ stili veteris. Reges quos Judices ipsi malè judicantes, non partes mulctabuntur, hodie verò rebus conversis, stilus quoque sensim, ut inutilis, desitus est. C. M.

§. 74. *Idem.*

Ulteriùs jurabunt quòd contra statuta, vel ordinationes supradictas, aut ipsarum aliquam non venient, nec venire quemquam patientur: sed easdem secundum formam, & tenorem ipsarum tenebunt, & observabunt, tenerique facient, & posse tenus observari.

§. 75. *Idem.*

Volumus nihilominus, & ordinamus quòd omnes Seneschalli, Baillivi, & alii nostri Judices postquam destituti fuerint ab eorum officiis, sive deschargiati & in eisdem Seneschalli, & Baillivi non fuerint instituti in eorum Seneschalliis, Bailliviis & Judicaturis, absque transportu bonorum suorum extra domicilium eorumdem, per spatium dierum * remaneant pro stando juri, & ut omnibus qui de ipsis conqueri, & contra ipsos requestas, aut demandas aliquas proponere voluerint, respondeant: requestæ autem hujusmodi tradentur Seneschallis, Baillivis, & aliis Judicibus successoribus suis, quibus præcipimus, & districtius injungimus, ut prædictos Seneschallos, Baillivos, & alios antiquos Judices, ore proprio cum juramento respondere faciant, & partibus ipsis auditis, per viam reformationis summariè, & de plano sine figura judicii jus faciant, Procuratoribus jam dictarum Seneschalliarum

* *Dierum.*] Supra eo. §. 22. C. M.

chalciarum, Baillivíarum, & aliarum judicaturarum, præcipientes, ut circa Seneschallos, Baillivos, & alios Judices super his diligenter insistant, & ubi casus requirat, se partibus adjungant. Præmissa autem omnia expeditis Seneschallis, Baillivis, & aliis judicibus ac Procuratoribus nostris ante dictis sub perditionis officiorum suorum, & alterius gravioris punitionis pœna præcipimus, & eisdem injungimus.

Præcedentes ordinationes & instructiones in cujuslibet Seneschalliæ, Baillivíæ, & alterius judicaturæ sede, in die assisiæ coram clericis & laicis publice legi, & in qualibet Seneschalliarum, Baillivíarum, & aliarum judicaturarum prædictarum notabili ex sede regiarum, tabula locoque ubi assisiæ tenere consueverunt, ad perpetuam rei memoriam: & ut illarum ignorantiam nemo prætendere valeat, poni & affigi volumus.

§. 76. *Caroli VI. anno* 1345.

Nullus Seneschallorum, Baillivorum, Judicum, vel aliorum Officiationum aliquem ex Advocatis, vel Procuratoribus nostris infra suæ Seneschalliæ, sive Baillivíæ, vel Judicaturæ limites, Locumtenentem suum faciat de cætero, vel ordinet: prædictique nostri Procuratores, & Advocati officia Locumtenentium sub privationis officiorum, & emendæ arbitrariæ pœna, de cætero non recipiant vel exerceant.

§. 77. *Idem eodem.*

Ut obvietur, & infra, nulli Seneschallorum nostrorum ultra duos Locumtenentes ordinarios de cætero non faciant, salvo quòd in casibus particularibus, ibi hoc fieri debere viderint, Commissarios idoneos & sufficientes, ubi casus exegerit, dare possint.

§. 78. *Idem.*

Ordinamus insuper ut in omnibus curiis, sedibus, & auditoriis Seneschallorum nostrum, judicum, & aliorum judicaturarum, causa domanii nostri, & aliæ in quibus Procurator noster pars fuerit principalis, primatis & ante omnes alias expediantur, omnibusque Seneschallis, Judicibus, & aliis justiciariis injungimus, ut ita faciant, quodque in causarum tenendis, & auditoriorum suorum expeditionibus prædictas causas nostras ante omnes alias faciant appellari, & Procuratoribus & Advocatis nostris in prædictis curiis, sedibus, & auditoriis, ut ita requirant instanter, & diligentius prosequantur, sub pœna privationis, & emendæ arbitrariæ præcipimus. *

* *Præcipimus.*]

§. 79. *Philippi VIII. anno* 1320.

Ut detur, & infra judicibus majoribus, & aliis officiariis principalibus, ne sint consiliarii, officiarii, vel pensionarii alicujus Prælati, vel domini temporalis, sub pœna suspensionis ab eorundem officii prohibemus: præterea dicti Seneschalli duos dumtaxat Locatenentes habebunt, unum clericum, & alium laicum: viguerit verò & judices unum, qui locatenentes suarum locatenentiarum, & commissionum sui sede libè committa, publicationem facient fieri, & eas registrari; prohibemus tamen ne sub colore commissionum ad universitatem causarum, ordinationem hujusmodi calumniando, aliqui ad universitatem causarum locatenentes particulares committantur, nisi in locatenentium principalium absentia: & tunc unicus fortibus, & bene famatus committetur. Nullus insuper locumtenens laicus se de sententiis, vel appunctamentis, vel distributione processuum intromittat, sed prædicta per judices majores, vel ipsis absentibus, locatenentes clericos expectantur: distributio verò processuum, & commissionum in curiis Seneschalliarum per judices majores, si præsentes extiterint, de cætero fiant: alioquin per locatenentes clericos cum dictorum licentiatorum, consiliariorum, & practicantium curiarum prædictarum consilio: qualitate causarum, & meritorum, necnon personarum habita ratione: nec recipient argentum, vel in profectu prædictæ distributionis occasione participabunt, sub pœna privationis suorum officiorum.

* *Præcipimus.*]

§. 80. *Idem eodem anno.*

Inhibemus Seneschallis, Judicibus majoribus, & aliis Judicibus regiis, ne super jurisdictione temporali gentium Ecclesiasticarum, & aliorum judicum ordinariorum intercipiant, vel ipsos impediant in cognitione causarum ad ipsos pertinentium, nisi quatenus de jure & ordinatione eisdem permitteretur. *

* *Permittitur.*] in consil.

Hic (missè Latinos articulos omisi, quia melius habentur Carol. VIII. gallicè editos, & impressa. C. M. *

TITULUS VII.

DE OFFICIO PRÆSIDENTIUM, & Consiliariorum, aliorumque Officiariorum curiæ Parlamenti Philippus IV. Pulcher, anno 1202.

NOlumus quòd aliquis consiliarius noster de cætero percipiat, vel habeat pensionem ab aliqua persona Ecclesiastica, Villa aut Communitate: & si aliquam habeant, volumus quòd eamdem dimittant, eidemque deferere teneantur.

§. 2. *Philippus VI. Valesius anno* 1344.

Præsidentibus & Magistris sub eorum juramentis districtè prohibemus, ne propter sua vel alia, negotia Parlamenti ordinaria deinceps impediant, neque consilium eorum in Parlamenti camera teneant, & præsertim sedeant nisi pro curiæ negotiis loquendi, vel alicujus arcani consilium in causa à sedibus suis non discedant, vel aliquem ad eos propterea venire faciant, nisi de congedio præsidentium.

§. 3. *Idem eodem anno.*

Cum sit inhonestum, ut domini de Parlamento, Curia sedente, per aulam palatii discurrant: si quid igitur acturi fuerint, id post prandium agere debent: & cum opus eis fuerit loqui cum aliquibus, id mane in palatii secretioribus locis facere poterunt: debent insuper bono mane venire, & quandiu curia sedet, continuare.

§. 4. *Idem eodem anno.*

Præsidentes ad sedem litigandi, vel consulendi causa venientes, requestis aut aliis occupari non debent, sed horam capiare debent opportunam, præsertim in diebus consiliorum, quibus gratiarii * placitationes per eos conceptas curiæ debent reportare.

* *Gratiarii*]

Qui à Regibus nonnisi cum Ipso Parlamento creati sunt, ut fidem publicam, & judiciariam faciant actorum, & processuum Arestorum curiæ. Sed vide horrendum abusum, qui postquam plures mali per pecuniam in Senatum irrepserunt, inolevit. Quamvis enim non sit decens ut actuarius interfit relationi, & disputationi causarum: tamen necesse est ut interfit conclusioni, ut saltem tunc videat, & audiat ipsos judices in numero requisito liberè judicantes, alioquin non posset scribere curia, sic judicavit, sine crimine falsi, & sic infinitæ falsitates emerserunt per audaciam malorum qui viam adid invenerunt. Arestum à duobus consiliariis signatum tenentur actuarius contra jus divinum & humanum registrare & edere tanquam Arestum totius curiæ, etiam si sciat an, & quid curia ipsa judicaverit: ut sæpè accidit multa falsa Arresta confingendo quæ nunquam Curia intellexit. Et hoc an 1549. mirabili decreto, admissa est à Rege appellatio à simili Aresto à duobus tantummodo, non obstante, quod falso scriptum esset curiam sic judicasse, & causa ad consilium Regis evocata sed solis potentibus datur talem falsitatem evadere, alii verò omnia auxilio destituti miseriæ huic execrandæ, & furori dignæ succumbant. Sum etiam aliquos qui ut nullam causam prodant, mentiri non gravantur, facium ferunt in Curia donec occasionem habeant, ut cum uno ex corruptis judicibus foci pacta fedduni falsitati & nequissimorum Arestum etiam aliis Consiliariis conscientes. Plures etiam vultu in hoc palatio uti & exercitati sunt, vidi unum in facie reprehensum, arcuigare, nec erubescere, adeo his malis assuetus frontem perdiderat. C. M.

§. 5. *Idem eodem.*

Cum autem Præsidens causam aliquam in consilio ponit, donec suæ mentis conceptum expresserit, tacere debent omnes, omissâ tamen si quæ fuerint per eum, ad ejus memoriam reduci poterunt, & dum rem quæ per Advocatos ad sufficientiam non extitit, impugnata, præsidens requisitus rursus facit impugnari, nullus præter impugnantem loquatur, nisi per præsidentem fuerit interrogatus.

§. 6. *Idem eodem.*

Opinantes in consilio tangere, vel repetere motivum in eorum præsentia pertractum, neque legem, Canonem, aut Decretum, nisi petitum fuerit à præsidente, vel pura juris materia fuerit, allegare debent. Post Arestorum prolationem, nullus, cujus opinionis fuerint domini, debet alis revelare. Contrarium verò faciens perjurii pœnam se noverit incurrisse, & ut curiæ prædictæ secreta deinceps non revelentur, nullus in consilio præter dominos, & registratores remanere debet. Præterea cuilibet ex dominis semel pro mane se levare sufficere debet, Prælatis tamen & Baronibus exceptis.

§. 7. *Idem.*

Inquestarum domini obedientiam, reverentiam, & audientiam (consedentes) præsidenti suo facere debent: atque dum eorum officio relatorem audiendo domini debent intendere, tunc nec conferre invicem, vel contendere, nec frequenter in judicio surgere debent: tenenturque sub eorum juramentis post Arresti conclusionem illud infra sex dies in camera causâ corrigendi reportare: quod si fieri non possit, super hoc congedium à præsidente recipiet, sedentibusque dominis Arestum corrigendum legi, & correctione facta retrahi, & rursus legi debet.

§. 8. *Idem.*

Aresta penes curiam pronuntianda non ponantur, donec alterius præsidentium sigillo fuerint sigillata, ea tamen, sicut pronuntiata correctis, & sigillatis, ad registrum pronuntiandi causâ deferantur. Præterea sæpè dicti domini sub eorum juramentis per seipsos, vel aliquem suorum ipsius cameræ sociorum cum debita inter lineas distantia eorum Aresta scribere, vel scribi facere tenentur, non autem per alios etiam eorum clericos, concordatis Arestis eorum, alios juvare tenentur, Arestaque sua non in camera inquestarum, nisi finitos eorum alloqui opus esset: sed in eorum domibus post prandium, vel de nocte facere, omnesque reportare debent, nisi per eorum præsidentem fuerint excusati.

§. 9. *Idem eodem anno.*

Injungit Rex omnibus tam magnæ cameræ quàm inquestarum domus, juvam sui juramenti, ne de causis in eadem curia existentibus informationem per verba privata, in eorum domibus, nec alibi recipiant à quocumque per literas, vel nuntios, nec aliàs quovis modo, sed solum in Parlamento, partibus in curia litigantibus, & eorum juramentum tantibus; præterea Magistri Parlamenti, clerici vel laici durante Parlamento, pro inquestis tiendis ad commissiones se non conferant, sed continuò vacent expedition negotiorum ejusdem, Parlamento durante.

§. 10. *Idem eodem anno.*

Parlamentum negotiis extraordinariis non impediatur, sed pro talibus consulendis ex Magistris aliqui ad partem recipiantur. Tenentes Parlamentum pati non debent ab Advocatis, Procuratoribus, vel partibus, verbis injuriosis aut opprobriis vituperari propter honorem Regis, cujus personam tenendo Parlamento repræsentant. Non bibant insuper, neque comedant cum partibus quæ coram eis acturæ sunt, neque partes cum ipsis: quoniam nimia familiaritas grande malum sæpenumerò parit. Parlamento sedente hora qua de mane fiunt litigata, Rex non intendit tenentes Parlamentum impedire.

§. 11. *Carolus V. anno 1364.*

Absente à villa Paris. requestarum præsidente, vel in infirmitate constituto, antiquiori dictarum requestarum clerico requestæ tradantur. *

* *Tradantur.*] Sequebantur hic primo 13. articuli barbarè corrupti, quos in suo forte lege in constitutionibus Caroli VII. super Ordinationibus Parlamenti edita anno 1446. ab articulo 3. usque ad articulum 13. Decembris ex constitutionibus Caroli VII. edita anno 1453. articulis 3. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 107. 108. 109. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. quos vide in hoc tomo. C. M.

TITULUS VIII.

DE OFFICIO GRAPHIARIORUM civilis & criminalis curiæ Parlamenti.

Hæc erant sex corrupti articuli, quos vide in constit. Caro. VII. anni 1453. §. 102. 103. 105. & ann. 1446. rursus in libris ante 40. annos impressis addebantur multi articuli eadem latinitate, quos vide in constit. Caro. VII. art. 39 42. & in constit. Caro. VIII. art. 106. 107. 108. Sed quia duo articuli addebantur, qui non sunt inter constitutiones impressas, eos hic addendos censui, ut sequuntur. C. M.

§. 1. *Carol. VIII. anno 1490.*

Et super facto graphariorum Parlamenti dictum fuit quod sequitur. Ordinamus ut videlicet graphiarius civilis & criminalis pro personarum adjornamentis 7. solidos 6. denarios Turonenses pro constitutione solum recipiat, pro prisonerii, vel personaliter adjornati elargimento appunctuamentum super hoc signatum: si ab eisdem petatur, tradendo 5. solidos Turonenses. Et quia Constituarii relatores Arestia processuum in scriptis ordinationes insequendo, facere tenentur graphariis antedictis, de quolibet Aresto vel judicato ultra pellem unam pergamenti, vel infrà continente 10. Parisienses medium auri scutum valentes dumtaxat recipiet: respectu autem Arestorum super litigatis in curia factis per graphiarium ordinatorum pro una pelle pergamenti, & infrà unum scutum auri; & si literæ [illegible] pro quolibet congedio per eundem graphiarium expediendo & signato, tam pro se quam pro clericis ejus 20. solid. parisis. De literis autem de hire pendente, vel compulsoriis, aut aliis communibus 7. solid. 6. denarios Turonenses pro Arestis verò vel appunctuamentis manum levatam, aut recredentiam continentibus, tam pro se quam clericis ejus unum scutum auri: de copiis insuper aut vidimus extraordinariæ curiæ factis parte vocata pro pelle qualibet pergamenti medium aut scutum dumtaxat.

Digitized by G

§. 2. *Idem eodem anno.*

Porrò litigatorum curiæ regiſtra in prædicti graphariі, aut alicujus ſuorum clericorum præſentia Procuratoris & Advocati partium cum eadem videlicet voluerint in grapho liberè ac ſine rei alicujus exactione deinceps adhibeantur. Prohibemus tamen ne regiſtra prædicta extra graphi locum de cætero portentur, ſive clerici graphi prædicti à partibus ante traditionem ſuorum appunctamentorum aliquid non petent neque recipient, & pro quolibet appunctamento ſimplici 20. denа. &c. dumtaxat levabuntur, inſuper pro ſaccorum oſtenſione clerici memorati nihil exigent vel recipient, niſi productionem oſtendendo illarum extracti fiendi cauſa vacarent, pro caſu pro una poſtprandiana. 5. ſolidos Turonenſes, ſicut oſtiarius unus recipere poterunt. Præterea cum per curiam, quod partes eorum ſaccos per manum graphariі videant, fuerit ordinatum, oſtiariis propterea non tradentur, ſed per aliquem ex clericis prælibatis exhibitio fiet antedicta, arreſtoque pronunciato ſacci procuratori, qui produxerit eoſdem, non ſolicitatori reddentur.

§. 3. *Idem eodem anno.*

Poſtquam ad ſedem prædictam venerint, cauſas jam dictas audire & deliberare mox incipiant, actoribus contra defenſores non comparentes defectus concedendo, defenſoribus verò congedium contra petitores, & aliàs ſecundùm ſtilum & conditionem cauſarum, ſicut in Parlamento noſtro fieri conſuevit. Præterea cauſæ quæ non poterunt ante prandium expediri, quantum melius poterunt poſt prandium audiantur & expediantur, cauſæque litigabiles inceptæ litigari, quæ non poterunt illa die perfici, in ſtatu eodem remaneant, uſque ad primam diem litigabilem, vel aliam per eaſdem gentes ordinandam.

Inſuper partes in dicta ſede litigantes, & partes actoris ſuſtinentes, die qualibet litigabili prompta manu venire debent cum eorum memoriali diei & ſtatus cauſæ, ſcripto ſigilloque per nos in dicta ſede ſtabilito ſigillato quò promptam fidem facere poſſint, & de ſtatu diei, & cauſæ clarius poſſit apparere.

§. 4. *Idem eodem anno.*

Omnes inſuper Advocati in dicta ſede litigantes ſummariè ac de plano cauſas eorum litigent, & quantum clarius ac brevius poterunt atque ſcient finem non recipiendi, & non habendi cauſam neque actionem omnino dimittendo, niſi in cauſis ubi clarè & notoriè fuerit faciendum, idque nos injungimus, & expreſſè præcipimus Advocatis ſub juramentis, & legalitatibus quas erga nos, & prædicti noſtri Parlamenti curiam dictamque ſedem requeſtarum habere noſcuntur.

§. 5. *Idem infrà.*

Volumus & diſtrictè præcipimus, ut omnes Advocati requeſtarum ſedem frequentantes, amore Dei ſint in conſilio pauperum, & miſerabilium perſonarum mihi litigantium, & ad id per antedictas gentes noſtras Procuratores & Advocati compellantur: pauperum inſuper & miſerabilium perſonarum proceſſus, & inqueſtas gentes noſtræ, quando caſus evenerit, amore Dei facient, eaque diligenter audiant, & breviter expediant.

Cum Advocati coram dictis gentibus in ſede litigabunt, Advocatum loquentem diligenter audiant, nulluſque præter ipſum, loquatur, excepto jam dictæ ſedis Præſidente, qui prout ſibi videbitur & pertinebit, & ſi opus ſit, conſilio ſuorum ſocrorum appunctamenta pronuntiabit: quælibet gentium antedictarum requeſtarum pro proceſſibus, & inqueſtis quas Pariſius pro aliis fecerint perſonis, x. ſolidos Pariſienſes pro die dumtaxat recipiant: facient inſuper diligenter eaſdem inqueſtas ac proceſſus diebus quibus non litigabitur.

Servientes omnes requeſtarum ſæpedictarum diebus quibus litigabitur, ad ſedem prædictam bono mane, hora qua Magiſtri, ſicut antè dictum eſt, venient, ſilentium & pacem faciant, ac diligenter officium prædictum exercebunt. Volumus etiam & ordinamus, quod prædictæ gentes noſtræ curiæ Parlamenti, quatenus poterunt, ſequantur, teneant, & obſervent.

Ordinamus inſuper, quod partes omnes appellantes à prædictis gentibus noſtris infrà octo dies renuntiantes, pro qualibet appellatione per eaſdem emiſſa & renuntiata, ſicut dictum eſt, in emendam xl. ſolidorum Pariſienſium erga nos incidant ipſo facto. *

* *Facto*] Sequebatur §. 6. ex conſt. Philip VI. & §. 1. ex conſt. Ioan. 1 vide in gallicis dudum ipſe dictis. C. M.

TITULUS IX.

DE OFFICIO OSTIARIORUM curiæ Parlamenti.

Hic erant quædam barbara latinitate tranſlata, tum ex conſtitutionibus curiæ ſuper oſtiariis, quas gallicè & integrè habes impreſſas in fine conſtitutionum regiarum in libris gallicis, tum quædam ex conſti. Carol. VII. anno 1446. §. 21 Et Carol. VIII. anno 1493. §. 43. 44. ubi videas. C. M.

TITULUS X.

DE OFFICIO MAGISTRORUM requeſtarum hoſpitii Regis.

§. 1. *Philippus VI. Valeſius anno Domini m. ccc xlv.*

SEquitur, & infrà expertæ bonæque tam linguæ Franciæ quàm Occitanæ perſonæ pro requeſtis expediendis ordinentur: qui tres aut quatuor notarios ſecum habeant, qui ſub eorum juramento requeſtis prædictis, quandiu in eiſdem magiſtri fuerint, ſine defectu tenebuntur adeſſe, ab eorum præſentia non diſcedendo, nec aliàs poterunt conficere literas, quandiu requeſtarum literæ ſibi ſuperfuerint.

§. 2. *Carolus V. anno m. ccc lxiv.*

Primò volumus & ordinamus, ut gentes prædictas requeſtas tenentes die qualibet ad earumdem requeſtarum ſedem diligenter & continuè veniant hora qua noſtri Parlamenti curiæ præſidentes venient ad prædictum Parlamentum, cauſas litigabiles quæ coram eis pendentes fuerint, diligenter audiant & expediant, in diebus quibus gentes noſtri prædicti Parlamenti in camera erunt, cauſa conſulendi & expediendi, aliaque quæ acturi fuerint eorum officius, & prædictæ ſedis occaſione peragendi.

TITULUS XI.

DE OFFICIO MAGISTRORUM *aquarum & foreſtarum.*

§. 1. *Philippus VI. anno m. cccxlviii.*

ITem pour ce que nous avons eu * &c.

* Eu.] Vide in conſt. Philipp. VI. §. 10. gallicè impreſſa quæ perperã Philippo Pulchro attribuitur. C. M.

§. 2. *Carolus VIII.* 1499.

Aquarum & foreſtarum Magiſtris ſub pœna ſuſpenſionis ab officio eorum, inhibemus ne eorum aſſiſias teneant, vel compoſitiones, vel condemnationes extra loca inſigna & conſueta ſecundum ordinationes, præſentibus procuratore theſaurario ordinario, vel ejus Commiſſario, ſeu locum-tenente faciant, nec aliquam indebitè denariorum ſummam ſub colore confirmationis, vel aſtachiæ privilegiorum, univerſitatum, villarum, aut aliorum locorum exigant, licet hactenus ſecus factum fuerit, aburendo.

TITULUS XII.

DE OFFICIO VISITATORUM *gabellarum ſalis.* *

* *Salis.*] Quod hæ gabellæ non debeant eſſe perpetuæ, ſed ad tempus tantum, & quod non ſint, nec incorporari debeant domanio declaravit Philip. VI. conſtit. edita an. 1328. quæ omnia gallicarum Philippo pulchro male attribuitur. C. M.

§. 1. *Carolus VIII. anno Domini* 1490.

ORdinamus ut gabellarum ſalis viſitatores, vel eorum locatenentes de cauſis, querelis & proceſſibus inter partes non cognoſcant, exceptis illis quorum ex inſtitutione & jure ſui officii, ac ſecundum ordinationes ſuper gabellis factas, cognitio pertinebit, neque juriſdictionem ordinariorum judicum in cauſis ad eorum cognitionem pertinentibus, ſub prætextu ſubmiſſionis, vel prorogationis eorum juriſdictionis, aut aliàs impediant.

TITULUS XIII.

DE OFFICIO RECEPTORUM *Domanii, & Tailliarum.*

§. 1. *Carolus VIII.* 1490.

ORdinatum eſt quod receptores particulares diœceſum patriæ Occitanæ pro executionibus ad cauſam denariorum regiorum per diœceſes fiendis, ſervientes, penſionarios vel domeſticos deinceps non habebunt: quod ſi jam dicti receptores, vel eorum commiſſi ſeu factores ſervientes aliquos habuerint, ſuper eorumdem ſervientium ſalario proficuum aliquod non recipient, ſub pœna 50. lib. Regi applicandarum, ſi contrarium inventum fuerit: ordinationes etiam ſuper hoc, nec non conditiones, & pacta vel appunctamenta per receptores cum gentibus ſtatuum diœceſis in aſſignatione qualibet recipienda cuſtodientur. *

* *Cuſtodientur.*] Duos ar. hic perperam impreſſos, vide melius in conſtit. Caro. VIII §. 66. 67. C. M.

TITULUS XIV.

DE GRAPHARIIS ET NOTARIIS *Curiarum inferiorum, & juriſdictionum regiarum, & eorum officio.*

Philippus IV. cognomento Pulcher, anno 1303.

STatuimus quod de minori ſumma viginti ſol. Thol. vel de re cujus valor non excedat ſummam prædictam, nullus fiat proceſſus ſeu ſcriptura in curiis noſtræ civitatis, ſuburbii, & vicariæ Tholoſæ hoc excepto, quod clamor ſcribatur, & res quæ petitur, & depoſitiones teſtium productorum tam per partem agentem, quàm per partem ream: & cognitio ſeu præceptum dictæ cauſæ non in forma fiat ſententiæ.

§. 2. *Idem anno* 1304.

Præterea Notarii non faciant inquiſitionem contra aliquem ſine mandato Seneſchalli, vel judicis loci, præterquam in quibus expectandi mora foret damnoſa.

§. 3. *Philippus VI. Valeſius n.* 338. *Carolus VI. anno Domini* 1408.

Præſentium tenore ſtatuimus, quod ſcripturæ curiarum noſtrarum in partibus illis, licet vendi conſueverint, vel ad firmam tradi, per Seneſchallos amodò tradantur perſonis idoneis gubernandæ, adjicientes, quod nullus pro ſcriptura groſſata, vel extracta de cætero ſolvere compellatur, niſi ad ejus requeſtam groſſata, vel extracta fuerit.

§. 4. *Ex Arreſtis curiæ Parlamenti Tholoſæ pronuntiatis 24. Decembris, anno Domini* 1473.

In primis ordinavit & ordinat curia, quod Notarii, clerici, & alii ſcriptores curiarum ſubalternarum patriæ Occitanæ, & aliarum in curia prædicta reſſortientium, pro ſuis ſcripturis, & actis curiarum prædictarum ſalarium moderatum percipient: ſcilicet de tribus lineis, qualibet earumdem lxx. literas continente, unum denarium: quando verò prædictæ plures literas, aut minus continebunt, fiet eiſdem taxatio ſecundum literarum numerum antedictum, aliter non.

§. 5. *Ex eiſdem Arreſtis.*

Scripturæ & acta prædicta per Seneſchallos, judices, & alios Magiſtratus eorum, vel locatenentes vel Commiſſarios parte vocata, & non aliter de cætero taxabuntur: neque ponentur in literis executorialibus pro dictis ſcripturis concedendis garniſio ſervientium, vel aliorum executorum. Sed executoria ſimplex erit, ſicut pro re merè judicata: Notarii autem aliquas in eorum proceſſibus locum tenentias de cætero non incorporabunt, ſed dumtaxat deſcribent: comparuit talis coram tali judice, vel locumtenente ſeu commiſſario, de cujus locumtenentia, vel commiſſione conſtat in regiſtris curiæ niſi tamen partium aliqua locumtenentis, vel Commiſſarii prædicti poteſtatem impugnaret: quo caſu locumtenens ſemel in proceſſu dumtaxat interetur, ſimiliterque fiet de literis dum Procuratores Regii, & ſubſtituti eorum, partes in proceſſu fuerint.

Sequentes ordinationes fuerunt innovatæ per Carolū VIII. anno D. M. cccc. xc. & hoc uſque ad §. ſuper requeſta.

§. 6. *Ex eisdem Arrestis.*

Potrò provocationes partium semel dumtaxat in processibus inserantur : & in substitutionibus virtute procurationum prædictarum fiendarum, procuratores jam dicti non reiterabuntur vel incorporabuntur; sed solùm exponent de qua procuratione constat in præsenti processu : similiter procurationes vel substitutiones antedictæ in processibus verbalibus inquestarum per Notarios processuum prædictorum vel eorum substitutos fiendis non reincorporabuntur.

§. 7. *Ex eisdem.*

Notarii ordinando processus, non debent uti superfluitate verborum: facit l. instrumentorum. C. de præ impers. offer. & l. verba C. de donationib.

Insuper Notarii processus ordinando, nomina Magistratuum, partium, & Advocatorum ac Procuratorum eorumdem qui in eadem causa comparuerint, in prima data nominabunt; sed in aliarum dictarum continuationibus, illa deinceps non reiterabuntur, nisi partium, Advocatorum, vel Procuratorum mutatio supervenisset; sed solum exponent comparentibus coram dicto tali Judice, vel Locumtenente et verba superflua (quibus absque fructu Notarii pro accumulatione processuum suorum hactenus uti consueverunt) omittendo; videlicet coram dicto domino Locumtenente, pro tribunali more majorum suorum sedente, & suam audientiam palam & publicè in dicta Curia tenente, &c.

§. 8. *Ex eisdem Arrestis.*

Sanè generalia interrogatoria inquestarum in primo teste dumtaxat describentur : sed cùm ad alios testes ventum fuerit, solùm apponetur super generalibus interrogatoriis deposuit ut primus testis, nisi tamen eadem generalia interrogatoriis tangendo aliud diceret quàm per primum testem depositum extitisset.

§. 9. *Ex eisdem.*

Notarii processum, nisi partium altera requirente, non grossabunt : alioquin pars quæ grossationem hujusmodi non requisiverit, pro grossa prædicta nihil solvere tenebitur : sententiæ verò per modum instrumenti, non actorum narratione, per Notarium in processibus de cætero non inserentur, sed solùm dicet cunctis ritè peractis, sacrosanctis Dei Evangeliis coram eo positis : si tamen partium aliqua sententiam per modum instrumenti ad partem habere voluerit, illam cum actorum narratione facere poterint. Salaria verò processuum prædictorum ipso quinquennio pro sententiis eorumdem per Notarios exigi non poterunt, nisi interea ad consequendam solutionem, diligentiam fecerint, vel in hoc legitimè fuerint impediti.

§. 10. *Ex eisdem.*

Præterea demandæ, necnon defensiones tam verbales quam in scriptis, litteræ, expleta, & aliæ partium productiones in processibus eisdem de cætero non repetentur : reservat insuper sibi Curia facultatem inquirendi super alios defectus & abusus : qui (ut fertur) per antedictos Notarios, Advocatos, & Procuratores committuntur, ut inde secundùm culpæ exigentiam punitio reformatioque fieri valeat.

§. 11. *Ex eisdem Arrestis.*

Postremò injungit Curia Senescallis, Baillivis, Vigueriis, Judicibus, & aliis Advocatis, Procuratoribus & Notariis, ut præsentes ordinationes teneant, & firmiter observent, sub pœna quoad prædictos Advocatos & Procuratores, privationis vel suspensionis illorum patrociniorum : & quoad Notarios, privationis totius emolumenti & salarii processus in quo defectus commissus extiterit, necnon quoad illos & alios omnes supradictos, sub pœna 25. librarum Turonensium pro qualibet vice qua ipsos fecisse contrarium invenietur : necnon emendæ arbitrariæ secundùm casuum exigentiam. Ut autem nemo præmissorum ignorantiam prætendere possit, ordinat Curia præsens Arrestum in prædictis Curiis subalternis publicari & registrari, ac in uno tabello in Auditoriis tam Curiæ Parlamenti quàm prædictarum Curiarum subalternarum appoin : reservavitque Curia expedicta rerum prædictarum, quoties emerserit quæstio, interpretationem.

§. 12. *Ex Arresto Parlamenti ejusdem An.* 1475.

Super Requesta, & infrà : Curia declaravit, & declarat quòd pro denario ordinato Notariis Curiarum subalternarum patriæ Occitanæ, & aliarum in eadem ressortientium pro tribus lineis, qualibet continente 70. litteras actorum, Processuum & scripturarum, quas fecerint in Curiis antedictis, eisdem unus denarius, & duo tertia unius denarii nunc currentis solventur.

Ordinavit insuper memorata Curia quòd minuta vel originale processus æqualiter per partes litigantes secundùm declarationem antedictam solvetur: proviso tamen quòd productiones in eisdem processibus insertæ pro mediis scripturis solùm taxabuntur. Cùm autem ambæ partes vel ipsarum altera copiam processus & actorum petierit, solventur similiter secundùm ordinationem antedictam : incluso tamen ac primitus deducto eo quod solverit, vel debebatur pro minuta, seu processu originali. Atque similis tenebitur ordo tangendo solutionem salariorum Notarius prædictis debitorum ad causam instrumentorum communium, & non perpetuorum, sicut emptionis & similium, in quibus Notarii jamdicti verbis superfluis non utentur : habebunt, & eis taxabitur pro 140. litteris prædictorum instrumentorum perpetuorum in formam authenticam redactorum, unus denarius : hentque prædictæ taxationes parte vocata per Senescallos, Baillivos, Viguerios, Præpositos, Rectores, Gubernatores, & Judices tam regios quàm alios, & Auditores in jurisdictionibus, in quibus acta, processus & instrumenta facta fuerint, vel per eorum Locatenentes, vel Commissarios, alios tamen quàm Notarios : & hoc sub pœna centum librarum Regi applicandarum, dimidia parte per Notarium, qui taxari procuraverit, alia verò medietate per committentem solvenda : Et insuper inhibuit Curia præfatis Magistratibus & Notariis, sub prædictarum centum librarum Turonensium pœna, per quemlibet ipsorum pro medietate solvenda : ne pro dictis scripturis, nisi sicut præmittitur, taxatæ fuerint, executiones aliquas faciant, vel fieri facere præsumant : reservavitque sibi Curia prælibata declarationem & interpretationem rerum prædictarum, quoties quæstio super his emerserit. Ut autem præsentium Declarationum & Ordinationum ignorantiam nemo prætendere valeat, eodem Arresto injungitur dictis Justitiariis, ut eas publicari faciant in eorum Auditoriis, & registrari : & illas in uno tabello in eisdem Auditoriis infra duos menses apponi, easque de puncto ad punctum faciant diligenter observari, & hoc sub pœnâ suspensionis officiorum suorum, & aliarum pœnarum in prædictis Ordinationibus & Arresto contentarum. Pronuntiatum 21. Julii, anno quo suprà.

§. 13. *Carolus VIII.* 1490.

Limitationem & numerum ordinatum Tholosæ per Curiam Parlamenti quantum ad Notarios & Cra-

farios Curiarum Iurisdictionum nostrarum: qui Grafiatus seu Notariatus earumdem Curiarum ad firmam recipiunt, firmiter observari præcipimus, nullis qui Notariis ad Graiffos antedictos, ac pretium ponendum nec illos tamquam ultimus incariator exercendum de extero non recipiatur, nisi sufficiens idoneus ac bene famatus & expertus in tabulis inveniatur. Si autem incariator ultimus idoneus & sufficiens, ut præmittitur, inventus non fuerit, stultam incariationem solvere compelletur, aut aliquis sufficiens & idoneus ad prædictum officium exercendum periculo & fortuna suis per Officiarios Curiæ prædictæ committetur, qui prædictum officium absque surrogatione personaliter tenebitur exercere; nisi tamen urgente necessitate, quo casu personam sufficientem & idoneam auctoritate Curiæ, in qua talem Notariatum exercet, potent loco suo deputare. Prohibemus etiam Curiis Advocatorum, ut officium Grapharii non suscipiant, nec informationem antedicto emolumento percipiant, sub pœna privationis postulationis & emendæ.

§. 14. *Idem eodem anno.*

Ordinationem salarium Notariorum actorum scripturarum, & aliarum causarum, & processuum tangendo Tolosæ in Parlamento factam & publicatam observari statuimus, quæ sequuntur, continentem, quòd Notarii clerici, vel alii scriptores Curiarum subalternarum pro scripturis eorum, & actionem prædictam salarium moderatum accipient, videlicet pro tribus lineis qualibet earum 70 litteras continente unum denarium. Cum autem linex plus vel minus continebunt, secundùm numerum litterarum antedictarum, & non aliter taxatio fiet. Præterea Notarii prædicti pro scripturis eorum nisi taxatione procuratoria, facta præcedente executione, aliquam non facient, sub pœna perditionis illius quod eisdem debebitur.

§. 15. *Idem eodem anno.*

Quia repertum est, & infrà, ordinamus ut de extero nullus Notarius ad officium Advocati recipiatur nisi in universitate famosa per annorum quinque spatium studuerit, & per eamdem universitatem sufficiens & idoneus extiterit inventus.

TITULUS XV.

DE POSTVLANDO, NECNON Advocatis & Procuratoribus Curiæ Parlamenti. Et primò de formâ juramenti per dictam Curiam instituta.

§. 1.

ADvocati præsentis Curiæ jurabunt articulos sequentes: In primis, quòd istud officium diligenter exercebunt. Quod injustarum patrocinium causarum scienter non recipient. Quòd si non ab initio, sed ex pòst facto causam esse viderint injustam, statim eam dimittent. Quod in causis quas fovebunt, si videant tangi jus regium, ipsi de hoc Curiam advisabunt. Quòd placitata causa & factis negatis ipsi de recenti infra biduum vel triduum facient, & Curiæ tradent articulos suos, nisi ex causa de licentia Curiæ ulteriùs differant. Quòd impertinentes articulos scienter non facient. Quòd consuetudines quas veras esse non crediderint, non proponent neque sustinebunt. Quòd causas quas susceperint citiùs, & posse tenus expedient. Quòd in eis dilationes & subterfugia malitiosè non quarent. Quòd pro salario suo, quantumcumque magna sit causa, ultra decem librarum Turonensium summam non recipient, nec etiam aliquid ultrà in salarii majoris fraudem: minus tamen recipere poterunt. Quòd pro mediocri minus, & pro minori causa multominùs recipient, secundùm causarum qualitatem, quantitatem, ac personarum conditionem, quodque de quota parte litis non pacisccntur.

§. 2. *Eadem Curia.*

Hoc idem juramentum præstabunt illi qui Advocatis proponentibus Consiliarii existent. Injungitur eis propter juramentum quòd bene mane veniant cum partibus suis. Quòd illum cui fuerit audientia data, non impediant. Quòd stando & retrò primum scamnum patrocinentur. Quòd licèt plures sint Advocati in una causa, unus tantùm loquatur. Quòd primum scamnum non occupent. Quòd ipsi de Curia non recedant, quandiu Magistri in Camera erunt. Et est sciendum quòd nullus Advocatus ad patrocinandum recipietur, nisi sit juratus, & in Advocatorum rotulo descriptus: & prohibet eis Curia ne se ingerant, nisi sint jurati.

§. 3. *Eadem Curia.*

Quia ex Advocatorum discretione & industria causarum dependet abbreviatio, quæ eis cedit ad honorem & utilitatem partis suæ, Curia eisdem injungit in vim sacramenti sui, ut ea facta seu rationes quæ solùm ad illum finem faciunt, in quo verisimiliter prævident debere poni in Arresto, proponant facta, rationes, replicationes, seu duplicationes inutiles & supervacuas omittendo, licèt hi pro quibus suum impendunt patrocinium, sapiùs eos molestent, & velint hoc fieri, quibus obtemperare non debent, propter eorum honorem, ut potiùs Curiæ pareant in hac parte.

§. 4. *Eadem Curia.*

Item Advocatis juxta antiquas ordinationes, in vim sui juramenti Curia injungit, ut articulos causarum quas litigaverint, infra triduum Curiæ tradant, nisi per ipsam Curiam super hoc, cum eisdem fuerit dispensatum, & postea quàm citiùs fieri poterit, eos recordentur; cum intentio Curiæ sit amodo super articulis & factis partium, in fine cujuslibet Baillivix,* præpositurx Parisiensis seu Senescallix, de Commissariis & commissionibus ordinare, & partibus providere, ut citiùs quàm consueverint partes ipsæ cum earum Commissariis loqui, ac de pecunia aliisque necessariis ad suæ causæ prosecutionem maturiùs & commodiùs valeant providere: tamen propter hoc non est intentionis Curiæ, quòd Parlamento sedente, contra Ordinationes antiquas Commissarii, de Curia habeant procedere in causa, sed confestim finito Parlamento citiùs quàm potuerint, procedent in eadem.

* *Baillivia.*] Præponitur à Curia, quia in materia subjecta, videlicet in diebus Curiæ, Baillivus Viromanduensis antecedit Præpositum Parisiense, qui alios omnes Baillivos & Senescallos antecedit. C. M.

§. 5. *Eadem Curia.*

Quia circa officium Advocationis facti experientia & stili observantia multùm prodest, Advocati qui de novo ad hujusmodi officium per Curiam recepti fuerint, abstinere debent propter eorum honorem, damnumque quod partibus forsitan propter eorum negligentiam provenire posset, ne ex abrupto & imprudenter Advocationis officium exerceant; sed per tempus sufficiens Advocatos antiquos & expertos diligenter audiant, ut sic de stylo Curiæ & Advocandi modo primitùs informati, suum patrocinium præstare, & Advocationis officium laudabiliter & utiliter possint & valeant exercere.

§ 6. *Eadem Curia.*

Quia præfati Advocati majoribus honorem præ-

stare debent, & antiquis Advocatis tam in scabinis quàm aliis deferre: sedere non præsumant in primo scamno, in quo Advocati, Procurator Regius, Ballivi, Seneschalli, & alii potentiores & nobiliores esse debent, ac sedere consueverunt.

§. 7. *Philippus VII.* 1343.

Si pars defectu Advocati sui, audita non fuerit & expedita, auillètur postea. Sed Advocatus antequam in alia causa audiatur, 10. Ibranum Turonensium emendam solvere tenebitur: quod de Advocatis in Parlamento residentibus intelligimus. Nam prætextu expectationis Advocati extranei vel patriæ illius non excusaretur, suprædictamque pœnam absque dépectu levari præcipimus.

§. 8. *Ioannes I. anno* 1363.

Ut imputetur dilatio quæ communiter ex parte rei provisendo adjornamenta peti consuevit, præcipimus, & per Curiam nostram præcipi volumus, & injungi omnibus actoribus, aut eorum Procuratoribus, quatenus ex quo publicatum fuerit expeditionem causarum alicujus Ballivix, Præpositurx, Comitatus, Ducatus, aut Senescalliæ fieri debere infra triduum, aut quàm citiùs fieri poterit absque fraude, ostendant adjornamenta sua partibus suis adversis, & eorum copiam tradant, si petita fuerint, aut collationem cum copia partis adversæ si habeat, fieri patiantur. Injungiturque omnibus & singulis ostiariis Parlamenti nostri, quoad instantiam actoris seu Procuratoris, vocet adostium Camerx defensores, aut eorum Procuratores actoris adjornamenta velturos: quòd si ipse actor præsens, vel ejus Procurator in ejus absentia, in præmissis negligens exiterit, condemnabitur in emenda 40. solidorum, & in expensis defensorum: si præsens fuerit per triduo antedicto. Tenebitur tamen actor aut ejus Procurator ostensionem adjornamenti facere. Sed si defensor, aut ejus Procurator taxat juxta antiquum stylum: Et Advocatis Curix nostræ firmiter injungitur, duplicando vel replicando, à repetitionibus & priùs propositis vel dictis abstineant: nec quod dixerint priùs, recitare præsumant, nisi necesse sit. Et quòd in factis proponendis breviores prout poterunt, exillant eisdem intimando quòd si contrarium fecerint, graviter puniantur. Id est non licet replicare C. M.

Nota quòd hæc in Libris priùs impressis subjiciebantur latinitate corrupta primus articulus constit. Caroli V. edita primo anno regni sui. 1364. *publicata ad ostium Parlamenti*, 17. *Septembris eodem anno, quamvis interimpressus attribuatur Carolo VI. malè. Deinde subjiciebantur pari latinitate decem articuli ex constit. Caroli VII. edita super stylo, anno* 1446. *videlicet artic.* 24. *usque ad artic.* 39. *inclusivè, & artic.* 37. 38. 39. *Deinde ex constit. Carol. VII. edita anno* 1452. *articulus* 43. 50. 58. 59. 105. *Et plures alii ordine præpostero stylum concernentes: Ultimo ex constit. Carol. VIII. edito* 1493. *articulus* 26. 34. *& quidam alii ejusdem farraginis, quos in suis fontibus Gallicè editos & impressis videas, C. M.*

Statuimus, quòd Advocati in fine juramenti sui in scriptis tantummodò redigant, & Curiæ tradant facta positiva & defensiva, & ea quæ replicando vel duplicando ex intentione partium fienda noscantur, faciendo allegationes & conclusiones necessarias, reservato partibus de tradendo rationes juris coram Commissariis in causæ cognitione, si eis expedire videatur, & quod sæpenumerò bene & substantialiter scribant: volumus quod Advocati cum scriptura fecerint, propriis nomine & cognomine subscribant. Quotiens insuper partes debent exspirare pro Curiæ rationes suas & facta in scriptis per modum memoriæ tradere, nihil superfluum tradant, nec in scribendo bis idem repetant.

§. 10. *Idem eodem anno.*

Appunctuamenta verò per partes concordanda, aut aliàs per schedulas tradenda à partibus, vel coram Procuratoribus infra biduum vel triduum tradantur in scriptis Notario, cui fuerint injuncta litteralia faciendæ: & hoc injungitur Procuratoribus sub pœna præstiti juramenti. Nullus insuper Advocatus admitteretur, sive ex parte actoris, sive defensoris ad placitandum, seu aliquid proponendum, nisi bis * dum-

* Bis.]

TITULUS XVI.

DE OFFICIO ADVOCATORUM, ET Procuratorum Regiorum.

Philippus IV. cognomento Pulcher, anno 1302.

SI contingat, & infrà. Cæterùm volumus quòd Procuratores nostri in causis quas nomine nostro duxerint, contra quascumque personas jurent de calumnia, sicut prædictæ personæ: & si contingat eos facere substituros, illis satisfaciant, & non partes adversæ: volentes, immo prohibentes expresè ne Procuratores nostri de causis alicujus se intromittant, aut litteras impetrare præsumant, nisi pro personis conjunctis illud fieri contingat.

§. 2. *Philippus VI. Valesius, anno* 1344.

Quia sæpe, & infrà. Ordinationem antiquam præsentibus renovantes, statuimus, ac etiam ordinamus quòd Procuratores nostri occasione criminum, delictorum seu excessuum contra aliquos subditos nostros, placitationem seu delationem non faciant, nisi præcedente informatione debita, & præcepto Judicis competentis.

§. 3. *Idem eodem anno.*

Hæc in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut si quis Procurator noster amodò movere voluerit vel movear litem super re vel jurisdictione quacumque contra possidentem, non dessaisiatur seu turbetur possidens nisi priùs causa cognita, nec ad manum nostram res litigiosa ponatur, nisi in casu, in quo si lis esset inter privatos, * res ipsa contentiosa ad ipsam manum tamquam superiorem poni deberet: & si possidens vel saisitus lite pendente utatur in casu præmisso jurisdictione vel re contentiosa: declaramus ipsum non posse vel debere super attentatis impeti propter hoc, vel molestari. Hic finis statuti, nisi privati, facit, l. 2 C. de petit. hæred.

* Privatus] l. defensiones de jure fisci, l. fin. de bo. vacant. libro 6. sed has sanctas leges sæpe fiscales male violant. Adde Guid. Papæ dec. 188. delphi. 166. C. M.

§. 4. *Idem Carolus VI.* 1408.

Præterea statuimus prohibentes ne quis Procurator noster partialiter se adjungat in causa quacumque, nisi priùs à Judice coram quo lis pendebit, expressum habeat mandatum, aut super hoc habeat Procurator legitimam informationem, vel agatur de domanio seu patrimonio nostro.

§. 5. *Philip. VI. & Carolus V. annis quibus suprà.*

Prohibemus insuper statuentes ne Seneschalli, aut alii Judices consulant Patronos & Advocatos nostros aut alios, vel cum eis deliberent qualiter pronuntiare habuerint vel judicare in causis nostris, vel aliis in quibus ipsi Procuratores fuerint vel Patroni; sed eos à consilio & deliberatione hujusmodi omninò repellant, nec ibidem intersint.

§. 6. *Idem eisdem annis.*

Statuimus etiam prohibendo, ut cùm inter aliquem Procuratorem Regium pro jure regio ex una parte, & quemcumque privatum ex altera, super jurisdictione vel re aliqua litem amodò moveri contingeret, privatus non compellatur solvere Procuratori regio vel pro ipso salarium pro dictis vel actis, seu Notariis aut testibus, vel alias sumptibus litis: & si contrarium factum fuerit, decernimus recipientem compelli ad restituendum solventi una cum damnis & expensis, quas sustinuerit in hac parte.

§. 7. *Idem eisdem annis.*

Diximus insuper statuendum, ut cùm in causis appellationum prosequendis contra Procuratores Regios, Comites, Nobiles, Barones, & eorum subditi fuerint diligentes, adeò quòd per eos non steterit quominùs fuerint terminatæ: sed propter dilationes petitas ex parte Procuratorum nostrorum, vel quia assisiæ non fuerint, totiens quòd causæ prædictæ commodè potuerint terminari, non curraut, nec cucurrisse fatalia dicantur contra ipsos.

§. 8. *Joannes I. 1355.*

Insuper nostrorum progenitorum, & infrà. Prohibemus ne aliquis Procurator nolter causam seu causas officiarii nostri vel servientis, qui dicatur per fraudem seu damnabilem culpam cuiquam molestiam intulisse, in se suscipiat: nisi prædictus officiarius, vel serviens cum jamdicto Procuratore prosequatur seu defendat causam propter quam conventus. *

* *Conveniatur.* Hic addebantur plures articuli perperàm translati ex eumvir. Carol. VII. edita 1446. & ex consil. Caroli VIII. Videantur calidè constituti. C. M.

TITULUS XVII.

DE ALIENATIONE MVTANDI *Judicii causâ factâ.*

Carolus V. Regis primogenitus, Locumtenens.

* *Cessiones.* Extat in Constitut. Gallicanis, §. 4. Idem jussus fuit, tribus Ordinibus Regni congregatis die 22. Decembris anno 1355. extat in Libro rubro in scrinio Procuratoris Regii in Cassetto Parisiensi, tex. I. 2. etc. hic, potentiores. C. M.

UT transportus aliqui vel cessiones * in personam potentiorem, donationis, venditionis, vel alio titulo de cætero non fiant, ordinamus: ne in aliquem ex Officiatus nostri carissimi domini & progenitoris, vel nostris, aut aliis personis causâ scholaritatis, aut aliàs privilegiatis: quminùs omnes tales transportus & cessiones fieri prohibemus, illasque nullas & nullius valoris esse decernimus: volumus etiam, ut cedentes & transferentes hujusmodi suis priventur actionibus, ipsique donationes & cessiones tales recipientes emenda arbitraria puniantur, ad omnesque sumptus, anfractus, & expensas per partem adversam propterea passas & incursas reddendum compellantur. Et siqui transportus aut cessiones jam factæ fuerint quarum quæstio nondum finita sit vel terminata, in quocumque statu processus extiterit, cassamus omninò & annullamus, nulliusque valoris esse decernimus.

TITULUS XVIII.

DE JUDICIBUS, & Præsentationibus.

Philippus IV. 1302.

AD hoc ut Prælati, aliæque personæ Ecclesiasticæ melius & liberius possint vacare divinis officiis quibus sunt specialiter deputati; Volumus quòd quandocumque contigerit eos venire ad Curiam nostram Parlamenti, celeriter audiantur, & eorum negotia ordinate tractentur secundùm dies Ballivatum & Seneschalliarum suarum, sine prorogatione, nisi aliquâ justa de causâ, nostroque speciali mandato circa id negotium faceremus prorogationem concedentes. Et Volumus quòd in Parlamento & extrà, per Curiales nostros condecenter & honestè tractentur, & ut celeriùs fieri poterit, juxta qualitatem negotiorum, & condit.onem personarum eas volumus expediri.

Hoc idem Volumus & statuimus fieri & teneri de nostris Baronibus & subjectis. Si verò contingat quòd aliquis præfatus vel Baro propter magna negotiorum onera non possit celeriter expediri, certa tunc dies assignetur eisdem qua audientur & expedientur; ac de die in diem quamceleriùs facere poterit.

§. 2. *Carolus VI. anno Domini* 1408.

Pari Ordinatione prohibemus, ne deinceps prædicti Nobiles, vel eorum subditi aut familiares trahantur pro quacumque causâ criminali vel civili extra eorum ordinarium tellorum: nec alibi respondere teneantur occasione cujuscumque conservatoriæ, privilegii vel potestatis, aut alterius nostræ commissionis vel mandati, nisi in causâ appellationis à tellorti vel superioritatis nostræ, vel ubi de jure nostro, aut pro executionibus sigillorum nostrorum ageretur: exceptisque personis, de quibus nos vel Locatenentes nostri etim causâ tantùm hujusmodi cognitionem alteri Judicum nostrorum committemus.

§. 3. *Philippus V.* 1344.

Omnes qui in Parlamento fuerint adjuri, infra primam diem aut secundam ad longius Ballivarum vel Seneschalliarum suarum ante quem Parlamenti sedes levata fuit, aut saltem infra tolis occasum se præsentare teneantur; aliojum sine ipe grata, nulloque pertito defectu ulterius non recipientur, sed pro meré deficientibus habebuntur & exinde defectus quotiens pars illum requisiverit, expedietur.

* *Expedietur.* Idem tenet Carol. VII. 1413. §. 39. quod in Constitutionibus, ubi in folio quarto vide C. M. Corrector hujus loci.

§. 4. *Philippus V. anno eodem.*

Quoniam facti experientia, & infrà. Ordinamus quod si partes præfentata fuerint diebus præsentationum, licèt in earum præsentatione defectus reperiatur, Curia nostra stylo & defectibus non obstante prædicta in causâ dictas partes procedere faciat.

§. 5. *Idem.*

Ex eo quòd in Parlamento nostro quandoque consuetum fuerat observari, ut si partes præsentatæ vocarentur per rotulum sive schedulam aut aliàs per illum ad quem ex officio vel aliàs fieri incumbebat, actor qui ad causam erat, & per suam malitiam (ut tardiùs vocaretur) in fine præsentationum se fortasse præsentabat, & in præjudicium partis suæ præten-

debat

debat ex stylo Curiæ, aut aliàs se non debere compelli litigare, cùm vocaretur secundùm præsentationem partis adversæ; sed tunc cùm secundùm ordinem suæ præsentationis vocaretur: & ex hujusmodi observantia Curia impediebatur, & causarum expeditio retardabatur, partique volenti procedere inferebatur damnum seu præjudicium: Volumus igitur & ordinamus, ut talis stylus seu ordo præsentationum litigando de cætero non servetur, sed secundùm quòd partes vocabuntur per præsentationes, litigare compellantur.

§. 6. *Idem.*

Cùm sæpe contigerit atque contingat adjornamenta nonnulla contra Abbates & Conventus, Capitula, Scabinatus, Consulatus & Consules, aut homines judicantes in nostris & subditorum nostrorum Curiis facta impugnari, & plerumque nulla seu insufficientia per Curiam nostram declarari, & ex eo quòd in Conventu & Capitulo, campanâ pulsatâ, Conventu & Capitulo congregato: & in Scabinatu & Consulatu, Scabinis & Consulibus, aut eorum majori parte congregatis, facta non extiterint: Et quòd Iudex conjuratus * hominum judicantium, aut etiam domini Iudicis conjuratores non extiterint adjornati, seu propter alios ritus seu solemnitates, consuetudinum scilicet, usuum aut observantiarum locorum & patriæ Curiarum minimè servatas, unde quamplures perdiderunt & in futurum perdere possent causas suas, licèt adjornati seu Procuratores pro ipsis in Curia nostra comparuerint & compareant, seque præsentaverint: nos tales anfractus litium amputare volentes, litesque dirimere, ac causarum expeditiones accelerare cupientes, Volumus, ac etiam ordinamus quòd Curia nostra, prædictis non obstantibus, quascumque personas antedictas aut alias in Curiâ nostrâ adjornatas, & quæ comparuerint una pars contra aliam, summariè & de plano, relictis quibuscumque talibus allegationibus, & ipsis non auditis, ac penitùs non admissis, in causâ procedere faciat partes memoratas.

* *Conjuratores*] quia Præses seu Prætor non judicat, sed tantùm instituit causam & exequitur judicatum à dictis hominibus, quos dicta adiurat & urget, ut sineret è judicent, quod adusque servatur in Flandria. C. M.

§. 7. *Iuannes I.* 1366.

In causis beneficialibus in Curiâ nostrâ intentatis ratione collationum ex causa Regaliarum, aut aliàs jure nostro per nos factarum seu etiam fiendarum, procedatur velo levato, summariè & de plano, proponendo verum factum sine palliamentis aut rationibus frivolis & non necessariis, quod etiam in scribentibus servetur, si partes ad scribendum fuerint appunctuatæ.

De plano & velo levato, & summariè procedendum est in causa Regaliarum.

§. 8. *Ex Ordinationibus Curiæ, quæ in fine Parlamenti leguntur.*

In primis partes quæ in nostro Parlamento fuerint acturæ, modo & forma contentis in antiquis Ordinationibus se præsentare tenebuntur: videlicet infra duos primos dies Bailliviarum, Præpositurarum & Senescalliarum suarum, absque spe prorogationem aliam habendi: fientque rotuli præsentationum per Grapharium earumdem, sicut in prædictis Ordinationibus cavetur. Sed ut Ordinationes rotulum antedictum tangentes meliùs observentur, Præsidentes expresè jurabunt ipsarum ordinem custodire & observare absque quavis infractione, nec aliquo modo contravenire. Iurabit similiter Grapharius præsentationum prædictarum dictum rotulum secundùm ordinem præsentationum per eum receptarum, & tenorem præcedentium ordinationem facere & ordinare ad partem actricem vel defensatricem quæ primò se præsentaverit, habito respectu: quodque unam alteri non præponet vel postponet aliter quàm secundùm præsentationis ordinem.

Præterea Curiæ nostræ primus ostiarius (ad quem pertinent partes ut expediantur appellare) promit juravit expresè ipsas secundùm ordinem rotuli prædicti vocare, unam partem alteri non præponendo, vel postponendo, favore, odio, precariò vel requesta, nec cujusvis præcepto à quocumque sibi facta pro aliquo profectu quem exinde possit vel speret habere. Grapharius insuper qui reportabit prædicti rotuli copiam, similiter habebit, ac etiam jurabit quòd quàm citò perceperit ordinem ejusdem rotuli rumpi vel perverti, scribere nitetur & portare, donec ipsius ordo sit resumptus. Procuratores etiam & Advocati nostri (quibus rotuli prædicti copia similiter traditur, jurabunt quòd quum primùm sciverint vel perceperint ordinem rotuli sæpedicti per aliquem perverti, contra talem conclusiones pertinentes protinùs recipient & requirent; aliàs enim per Curiam nostram, secundùm casus exigentiam nemini parcendo puniri volumus, nisi tamen ex ipsius Curiæ deliberatione, propter aliquam causam vel casum particularem aliter priùs fuisset ordinatum.

§. 9. *Ex Ordinationibus Curiæ, quæ in fine Parlamenti leguntur.*

Curia insuper ordinat, præcipit, & injungit Procuratoribus, ut omnes & quascumque causas extraordinarias, quas accelerare voluerint, & quarum assignationes evenerint vel evenient, penès Grapharium præsentationum de cætero tradant pro rotulo conficiendo, ad cujus turnum (secundùm quod aliàs fuit ordinatum) litigabitur: & de ipsis se præparare habeant. Prohibet etiam Curia Procuratoribus antedictis ne in aliqua causa tam extraordinaria quàm ordinaria audientiam petant, nisi fuerit in rotulo descripta; sed ejusdem roguli tam ordinarii quàm extraordinarii turnum expectent, sub pœna emendæ per Curiam ordinandæ. Quorum rotulorum ordo sine quavis infractione custodietur, & hujusmodi ordinatio per ostiarium primum in principio Parlamenti ad rotulum votandum, ut nullus ignorantiam prætendere valeat, publicè legetur.

TITULUS XIX.

DE FORO COMPETENTI.

Philippus IV. cognomento Pulcher. 1302.

VOlumus * quòd ordinatio per nos & consilium nostrum olim facta super burgensiis custodiatur, & firmiter observetur, si contingat emergi quæstionem, eò quòd gentes nostræ requirerent aliquem tamquam burgensem nostrum, quem aliquis Prælatus, aut Baro, vel quivis alius nobis subjectus dicerent hominem aut justiciabilem suum, ipsum esse burgensem nostrum negantes, ut recredentia fiat super eum qui illum tenuerit, si ita sit quòd in casu recredentiæ teneatur, & inquisita veritate super negotio, vocatis qui fuerint evocandi, negotium executioni demandetur, secundùm quod jus, & bona patriæ consuetudo postulabunt, servata tamen ordinatione burgensiarum per consilium nostrum edita, de qua copiam habebit qui habere voluerit.

* *Volumus.*) Confirmata ad verbum per Io. 1. 1351. & publicat. in Parlamento 1355 C.M.

§. 2. *Idem eodem anno.*

Ordinatum est insuper & statutum quòd ille dominus à cujus jurisdictione burgensis hujusmodi se subtrahet, habebit omninò cognitionem & executionem omnium causarum, quæstionum, & querelarum motarum contra ipsum, & occasione ipsius

omniumque excessuum per eum commissorum à tribus mensibus, antequam receptus esset & Advocatus burgensis. Quod intelligendum est de querela & excessibus de quibus notorium, aut ordine judiciario cognitum extitit: vel quæ dominus prædictus per testes sufficientes probare poterit coram justitiariis dictæ burgensiæ infra tres menses, postquam, sicut prædictum est, receptus vel advocatus fuerit burgensis.

§. 3. *Idem eodem anno.*

Petitio hæreditatis debet intentari ubi sita est hæreditas l. unica. C ubi de hæred. agatur.

Statutum est etiam quòd nullus prædictus burgensium sustinebitur aut defendetur quominùs in causa hæreditatis contra eos vel ab eis mota seu movenda juri parere debeant coram domino vel dominis sub quo vel quibus est hæreditas memorata. Idem etiam est censendum circa debita quæ subditi prædictorum dominorum debent burgensibus expeditis, vel debebunt.

§. 4. *Idem.*

Ordinamus quòd si aliquis expressè & ex certa scientia renuntiaverit privilegio exercitus Crucis novæ hastidæ, seu induciarum quinquennalium, in instrumento debiti vel alterius contractus expressarum, non possit ex tunc se juvare dicto privilegio, vel excipere de eodem. Præterea in causa criminali vel civili nulla fiat personæ remissio per gentes nostras extra loca & castra bandiarum nostrarum, ubi causa fuerit vel dictum commissum, præterquam in casibus quibus de jure vel consuetudine patriæ remissio fuerit facienda.

§. 5. *Ludovicus X. cognomento Hutinus anno* 1315.

Ad instantiam fidelium nobilium & subditorum nostrorum Senescalliæ Tholosæ, & infra; Duximus ordinandum, quòd de cætero omnes & singulæ causæ proprietatem nostram tangentes, cujuscumque conditionis existant, per Procuratores nostros, seu alios quoscumque nostros seu nostro nomine motæ vel movendæ, coram eodem Senescallo & Curia sua ventilentur & diffiniantur. Verumtamen si ab aliquo contra nos seu Procuratores nostros aliquæ quæstiones proprietatem nostram, sicut præmittitur, tangentes, usque ad summam centum librarum annui reditus in eadem Senescallia moveantur, Volumus per eumdem Senescallum audiri, ac etiam terminari. Si verò prædicta quæstio centum librarum summam excesserit, illam Volumus ad nostrum Parlamentum remitti, juxta ordinationem aliàs super hoc factam. Cæteras verò quascumque causas inter privatos ejusdem Senescalliæ motas & movendas, ibi Volumus audiri ac etiam terminari, & infrà; non obstantibus ordinationibus contrariis quibuscumque hactenus editis.

§. 6. *Joannes I. anno* 1363.

Ad perpetuam, & infrà. In primis ordinamus, & statuimus quòd nulla causa de cætero in prædicta Curia nostra introducatur, nisi sit talis quæ jure suo debet ibidem agitari: sicut sunt causæ Parium Franciæ, nonnullorumque Prælatorum, Capitulorum, ut Parisien. Religiosorum, ut sancti Dionysii, Religiosarumque, Baronum, Consulum, Scabinorum, Communitatum, seu aliquarum personarum, quibus hoc per privilegia, vel antiqua consuetudine pertinere dignoscitur. Similiter causæ proprietatis nostri patrimonii, causæ etiam appellationum emissarum à Præposito Parisiensi, Senescallis, Baillivis, aut aliis Judicibus à quibus sine medio consuevit ad nostram Curiam appellari: inhibentes adjornamentum pro causis aliis in nostra Curia introducendis, præterquàm in præmissis, de cætero concedi, nisi justa causa in litteris super hoc impetrandis inserta, nos ad introducendum in eadem Curia nostra causam moveant.

§. 7. *Carolus V. anno* 1366.

Ordinamus insuper quòd nulla causa introducatur in Curia nostra, exceptis causis Parium Franciæ & appellationum quæ de jure ad nostram Curiam devolvuntur, Ecclesiarum, & personarum privilegiatarum, nostrorum Officiariorum, Advocatorum & Procuratorum, in eadem Curia existentium. At illæ quarum petitiones jam apertæ fuerunt in Parlamento, & in quibus partes debent respondere, vel replicare, vel duplicare: aut aliæ causæ quæ per Arrestum vel ordinationem in prædicto Parlamento judicialiter factam debent ibidem remanere, vel ex dependentiis earumdem, sicut attentatorum, & quæ sui natura propria & conditione secundùm usum & stylum, & per advisamentum Curiæ nostræ inibi ventilari debent: Volumus autem quòd omnes aliæ causæ coram suis Ordinariis remittantur: & si aliquæ forsan litteræ à nobis in contrarium fuerint impetratæ, talibus tamquam tortionariis & iniquis non obtemperetur. Et si quis Advocatus aut Procurator ad prædictarum litterarum fortificationem audientiam petere nitantur in contrarium, præcipimus ut emendare compellatur de centum solidis Parisiensibus, quam emendam super bonis eorumdem (nemine parcendo) levari volumus. *

*Volumus.] Post hæc addebantur 8. articuli ex const. Caroli VII. anni 1453. videlicet art. 5. 6. 7. 8. 9. 10 11. 18. quos vide in suo fonte, C. M.

§. 8. *Ludovicus XI. 1464.*

Jura nostra necnon prærogativas, præeminentias & privilegia nostra servare volentes, & ne subjecti nostri vexationibus, oppressionibus, & molestationibus indebitis opprimantur, sed in pace & tranquillitate teneantur, decernimus & declaramus cognitionem, decisionem, & determinationem, collationem beneficiorum vacantium & vacaturorum, & quæ hactenùs in regalia vacaverint, per Nos, & Prædecessores nostros factarum Nobis & Curiæ nostræ Parlamenti * & non alteri pertinere, & collationem nobis & nostris Judicibus, & non alteri cognitionem & decisionem pertinere: absque eo quòd alius Judex Ecclesiasticus vel temporalis se debeat de ipsis intromittere, nec in petitorio vel in possessorio cognoscere. Decernimus insuper, & declaramus causarum possessionarum, præsertim in materia novitatis occasione beneficiorum & materiarum Ecclesiasticarum intentarum, nobis & Judicibus nostris antedictis pertinere cognitionem, absque eo quòd alius de prædictis processibus, possessorio pendente, possit vel debeat intercipere cognitionem, commissionesque decernere, vel citationes aut processus facere, nec uti fulminationibus, vel aliquibus excommunicationibus, aut censuris Ecclesiasticis, mandatis, &c.

*Parlamenti.] Scilicet Parisiensis: & ita semper observatum fuit, & adhuc hodie mense Februario & Mart. 1548. de præbenda Baiocensi. Quidam Mediolanensis provisus per Ordinarios fuit receptus appellans ab omni processu & cognitione causæ factis ad instantiam provisi per Regem jure regaliæ, tam Cadomi, quàm in Parlamento Rothomagensi, quàm in magnis diebus dicti Parlamenti Baiocensis habitis, & dictum malè processum, omnia cassata & revocata, & impetrans per regaliam condemnatus in expensis appellationum, damnis & interesse. Et dictus Mediolanensis redimetegratus pendente lite in hoc Parlamento Parisiensi retenta. C. M.

TITULUS XX.

DE LIBELLI OBLATIONE.

§. 1. *Philippus IV. anno* 1303.

STatuimus quòd de debito intercartato * non tradatur libellus, nec detur dies ad respondendum, si de facto proprio partium contendatur: in aliis autem debitis & exactionibus personalibus infra 20. dies ad longiùs litis contestatio fiat, nisi reus conventus super exceptione ab eo proposita in prædicto casu cognitionem Curiæ pro se reportaverit.

*Intercartato.] id est de quo constat per publicum instrumentum. C. M.

§. 2. *Idem eodem anno.*

Propter ineptitudinem libelli, dummodo ex causâ debendi ad causam petendi recta conclusio sequi possit, Judex sententiam ferre non omittat: similiter propter ineptitudinem processus, vel propter juris solemnitatem omissam, dummodò ex propositis & prolatis in processu certa ferri possit sententia, Judex non omittat sententiare: & valeat sententia perinde ac si juris solemnitas esset observata, & executioni demandetur.

§. 3. *Idem.*

Si bona alicujus veniant in commissum, debita sua & dos uxoris, si quam habeat, reddantur creditoribus & uxori sine libello & alio strepitu judiciario, cum constiterit de prædictis per testes, vel alia legitima documenta.

Si quis conqueratur de aliquo cum publico instrumento in personali actione, debitor teneatur respondere libello rejecto, audiaturque causa de plano, & absque strepitu judiciario, dum tamen sit modica, adeò quòd summam 40. solidorum Tutonensium non excedat.

§. 4. *Idem anno* 1303.

Si contingat bona alicujus venire in commissum ratione alicujus maleficii, statim satisfiat uxori de dote, & aliis creditoribus, si quos habet, quæ sibi debentur, prout fuerint priores tempore, & Senescallo videbitur citius, & celeriùs sine offensione justitiæ.

TITULUS XXI.

DE DILATIONIBUS.

Philippus IV. 1303.

Si reus conventus tàm in actione reali quàm personali, aliquas exceptiones proponere voluerit ante litis contestationem, detur eidem unica dilatio decem dierum tantùm ad exceptiones dilatorias & peremptorias quæ litis contestationem impediunt, proponendum: ultra quam dilationem volens aliquas exceptiones de prædictis proponere, minimè audiatur: testibus nominatis per aliquam partium in aliqua causa, unica decem dierum dilatio ad publicandum, dictis partibus assignetur, ultra quam nisi testes examinari fecerit, ad idem petendum minimè audiatur, nisi notorie & verè ostendere & docere possit, non per ipsum, sed per Curiam vel alia impedimenta legitima stetisse quominùs prædictos testes examinari fecerit. Insuper unicus taxandus ad arbitrium Judicis terminus duntaxat partibus assignetur in qualibet causâ, ad proponendum quicquid de jure & de facto proponere voluerint, & ulteriùs prædictæ partes minimè audiantur; sed renuntient vel concludant in causâ: & si renuntiare malitiosè distulerint, habeat Curia in dicta causâ pro renuntiato & concluso, & ad sententiam procedatur.

§. 2. *Idem anno* 1304.

Quando clamores fient debitæ, & debita erunt confessata, eis detur quintadecima (ut moris est) in majori parte Senescalliæ, qua transacta, clamor non levetur per bajulum priusquàm satisfiat de debito creditori.

§. 3. *Ex Ordinationibus Parlamenti.* 1344.

Nulla causa contra quamcumque personam, Pa-

rem, vel Baronem, dilationem in se extero recipiet quominus secundùm præsentationum ordinem liveretur gratia quam Rex super hoc fecerit, non obstante nisi alicui absenti pro communi utilitate causæ dilatio de gratia concedatur ad aliud Parlamentum, vel in casu domanii Parium vel Baronum, quem Rex ad ejus reservasset adventum: provisò quòd grata casu præmisso causam hujusmodi reservationis contineret, aliàs adventu Regis non expectato, liberabuntur: nec intentio Regis existit, ut aliqua in contrarium per eum gratia concedatur: alioquin vult eam tamquam præter ejus conscientiam esse concessam, reputari, nisi clarè constaret illam ex ejus certâ scientia fuisse obtentam. Injungit insuper Advocatis Curiæ prædicta sub eorum juramentis, ne contra prædictam Ordinationem Curiæ Requestam faciant.

§. 4. *Philippus V.* 1344.

Cùm in magnis, & infrà. Ordinamus & ex certâ scientia statuimus, ut de cætero in causis proprietatis, ad habendum suum garendum reus unicam habeat dilationem ad proximum sequens Parlamentum: quod quæ reo jus suum, seu actio contra illum quem vocavit in garendum, & semel solùm fecit adjornari, salva remaneat, ac si per tria Parlamenta ipsum, ut fieri solebat, fecisset adjornari.

Progrando unica tantùm datur dilatio. supràm stil. c. 12. §. 4.

§. 5. *Joannes I.* 1363.

Actore siquidem ac defensore judicialiter in nostra Curia, aut eorum Procuratoribus constituris, facta ex parte actoris petitione seu demanda, si defensor diem consilii sive appensamenti petierit, si talis causa subjecta fuerit dilationi ad ventam habendam, & garendum adducendum, cùm dies consilii dari debuerit, non dentur dilationes annuales (ut præteritis temporibus fieri solebat) sed cùm die consilii petita in eodem Parlamento, si fieri possit, certa dies concedatur ad ventam faciendam, & ventæ factæ ad garendum adducendum: quem si habere voluerit, per executorem ad ventam faciendam deputatum adjornari facere tenebitur: alioquin pro ipso adducendo nulla dilatio detur: & si quis garendum petierit, non faciendo retenutam de causa defendenda, si garendus in se causæ defensionem non sumpserit, volumus quòd defensor in defectu garendi ad ipsius causæ defensionem nihilominus, si velit, admittatur.

§. 6. *Idem eodem.*

Nos insuper non verbis, sed rebus imponere legem volentes, decernimus quòd si actoris persona, judicio pendente, mutetur, heres vel successor ipsius possit in causa cum parte non mutata procedere, & ad procedendum admittatur etiam absque eo quòd verbaliter dicere teneatur arramenta reassumi. Si verò ex parte defensoris evenerit personæ mutatio, heresque vel successor defensoris ad reassumendum arramenta diem appensamenti petierit, & propter hoc dilationem requiret, non sibi tempus annuale ad habendum appensamentum tribuatur: sed infra illud Parlamentum ad quod adjornatus extitit (si fieri possit) appensamenti dies assignetur, quo pendente, statum causæ in quo erat tempore mortis prædecessoris ipsius defensoris, actor ostendere tenebitur: & quem statum defensori, si viveret, actor tantummodò monstrare teneretur, cùm heres aut successor defensoris possit pendente appensamento si velit de causa sive de causis prædecessoris sui sufficienter inservi: adveniente verò die appensamenti, tenebitur heres vel successor defensoris causæ ipsius in quâ appensamentum habuerit, arramenta reassumere vel deserere: assumerque tacitè procedendo, seu verbo tenùs assumendo,

Nota quòd non verbis, sed rebus debent imponi leges, l. fi. communia de legat.

ſicut de actore ſuperiùs eſt expreſſum: & ſi actor defenſore mortuo, heredes aut ſucceſſores ipſius ad tunc proximum Parlamentum petierit & obtinuerit adjornari, & in proximo Parlamento poſt obitum defenſoris comparuerint heredes, petentes ſibi dari congedium, cujus virtute dicebant actorem interruptionem feciſſe proceſſûs, & ipſum à causâ ſeu inſtantiâ cecidiſſe, cùm ipſe actor ſufficiens intervallum habuerit à dicto mortis tempore uſque ad tunc proximum Parlamentum ad faciendum heredes adjornari, actor verò aſſerat ſe mortem defenſoris ignoraſſe, ſuper hoc juramentum præſtare offerendo: volumus quòd attenta qualitate actoris perſonæ, vulgataque fama mortis defenſoris, Curia prædictum admittat vel non admittat juramentum, prout ſibi videbitur: quo admiſſo, heredes aut ſucceſſores defenſoris, ſi fuerint adjornati ad aſſumendum arramenta, prout ſuperiùs dictum eſt, Curia noſtra procedere faciat.

§. 7. *Idem eodem.*

Volumus inſuper quòd dilatio de tradendis articulis, infra tres dies ab antiquo conceſſa, firmiter obſervetur, niſi ex causâ Curia dilationem conceſſerit longiorem: articulis autem traditis, dentur per Curiam Commiſſarii ad concordandum articulos ſine ſumptu: teneantur inſuper ipſæ partes infra quindecim dies articulos accordare, neque poterunt hujuſmodi terminum auctoritate ſuâ ſine Curiæ licentiâ ulteriùs prorogare. *

* *Prorogare.*] Sequebatur art. ex Conſtit. Carol. VI. anno 1464. Et ex Conſtit. Carol. VII. art. 63. 65. 78. & ex Conſtit. Carol. VIII. artic. 58. quos melius in fontibus ſuis videas. C. M.

TITULUS XXII.

DE RESTITVTIONE SPOLIATORVM, ex Arreſto pronuntiato Pariſiis in Parlamento. 1178.

* *Veniant.*] Antiquiùs Curia in prima inſtantia de his cognoſcebat, deinde ad Ordinarios remiſſum, ut hic poſteà per Ludov. XII. anno 1512. §. 51. in beneficiis Eccleſiaſticis ſublatum. C. M.

QUerelæ de novis deſſaiſinis ad Parlamentum non veniant, * ſed quilibet Baillivus in ſuâ Baillivîâ, vocatis partibus, adjunctis ſecum probis viris, locum debatti adeat, & ſe de dictis turbâ & novâ deſſaiſinâ, & impedimento informet. Et ſi ſibi conſtiterit de eiſdem, deſſaiſitum reſſaiſiat, & debitum interim ad manum regiam recipiat. Et ſi partes velint ſuper principali experiri, coram ſe aſſignet, & jus faciat partibus coram ſe vocatis.

§. 2. *Ludovicus IX.* 1254.

Quia nemo ſine cauſa vel culpa privandus eſt jure ſuo, Baillivis noſtris majoribus & minoribus inhibemus ne deſſaiſiant aliquem ſine cauſæ cognitione, vel noſtro ſpeciali mandato.

§. 3. *Philippus VI.* 1333. *& Carolus VII.* 1408.

Statuimus & concedimus ut Comites, Barones, aut alii Nobiles, qui Judices appellationum habuerint, & habent de conſuetudine antiqua vel privilegio competentes, & de appellationibus ſuorum Juſtitiariorum inferiorum cognoverint, & in ſuiſina cognoſcendi remanſerint, eos deinceps habeant, & de prædictis appellationibus cognoſcant, nec ſuper hoc à quoquam impediantur.

§. 4. *Carolus VIII.* 1490.

Litteræ querimoniarum in caſu novitatis & ſaiſinæ, juſtiariis & ſervientibus regis, qui tamen ad ſequeſtrationem realem procedere non poterunt, niſi partium accedente conſenſu, quarum quidem litterarum oppoſitio Seneſchallis & Judicibus aliis quibus cognitio pertinet, dirigatur. Si verò præfati executores hujuſmodi querimoniarum, contrarium facere præſumpſerint, per Judicem oppoſitionis in emendam nobis volumus condemnari. * * *Condemnari.*]

Hic in prioribus libr. ſubjiciebatur tit. de eorum & defectu. ſit repetebatur textus qui habetur ſuprà in Stilo. c. 9. 2. deinde plures articuli ex Ordinationibus Curiæ in fine Parlamenti, quæ habentur Gallicè in fine Conſtitutionum Regiarum Gallicarum. C. M.

TITULUS XXIII.

DE SEQVESTRATIONE poſſeſſionis & fructuum.

§. 1. *Philippus IV. anno* 1302.

STatuimus quòd ſi aliquis de Officiariis noſtris ſaiſiverit aliquas terras vel poſſeſſiones propter debatum partium, dictis poſſeſſionibus vel terris alteri parti, cognitione judiciaria præmiſſa, adjudicatis, fructus etiam medio tempore percepti, eidem parti plenariè & fideliter reddantur, deductis miſſionibus & expenſis.

§. 2. *Philippus VI.* 1438. *Carolus VI.* 1308.

Cùm bona vel res aliquas ad manum noſtram ad inſtantiam Procuratoris noſtri, vel alterius cujuſcumque, aut propter partium debatum poni contigerit: ordinamus & præcipimus ea non Officiariis, miniſtris, aut ſervientibus noſtris, vel eorum alteri, ſed alicui probo viro privato tradi cuſtodienda & regenda, competenti ſalario mediante: qui de eiſdem debeat loco & tempore reddere rationem, deductis rationabilibus expenſis: & ſi quis Officiarius, miniſter, ſeu ſerviens noſter ea recipere præſumpſerit contra præſentem Ordinationem noſtram, etiam partium accedente conſenſu, recipientem compelli jubemus ad reſtituendum levata, abſque ſalario & expenſis.

TITULUS XXIV.

DE TESTIBVS, ATTESTATIONIBVS & Reprobationibus.

§. 1. *Philippus VI. anno* 1348.

QUoniam ſicut intelleximus quòd Seneſchalli, Baillivi, Præpoſiti, vel eorum Locatenentes de cauſis coram eis pendentibus auditionem teſtium aliquando ſibi retinent, & eorum affinibus examinationem eorumdem aliquando committunt, unde plura damna ſubſequuntur: Volumus & ordinamus quòd nullus Seneſchallorum, Baillivorum, & Præpoſitorum noſtrorum vel Locatenentium, de cætero fieri faciant inqueſtas, niſi per bonos & ſufficientes Commiſſarios: & ſi per nos in contrarium Litteræ concedantur, eas nullius valoris eſſe volumus: & quia à pauco tempore citra Officiarii novi pro examinandis teſtibus creati extiterunt, Volumus tales Officiarios removeri: & quòd, ut præmittitur, examinatio teſtium bonis & ſufficientibus perſonis, vel illis qui de partium conſenſu fuerint electi, de cætero committatur.

§. 2. *Ioannes I. anno* 1364.

Poſtquam dati fuerint Commiſſarii ad inquirendam veritatem ſuper factis partium, diligentiam faciant

partes coram Commissarius suis infrà tempus debitum, nec decretero facta negligentia recipiantur, neque commissiones ultra duo Parlamenta, vel ex causa ultra tertium Parlamentum removeantur, nisi per Curiam steterit quominus in inquesta procedatur: veluti si post primam diligentiam altera partium petierit inquestam ad finem debitum recipi, & super fine debito partes fuerint in Aresto, quo pendente partibus tempus non currit: voluntis tamen quòd Curia Arestum prædictum levando partibus tempus prefigat ad inquestam perficiendam casu quo fuerit commissio renovanda.*

* Renovanda] 1453. artic. 98. 99. vide in suo Originali. C. M.

Sequebatur ex constit. Caro. VII. anno 1446. art. 31. & ann.

TITULUS XXV.

DE FIDE INSTRVMENTORVM, & concernentibus Cancellariam.

§. 1. *Carolus VIII.* 1490.

ET quia in dicta patria, & infrà, Ordinamus literas super Notariorum * creatione per Cancellariam concedendas, Senescallis vel eorum Locatenentibus, ut ad prædictum notariatus officium, si sint idonei, recipiantur, eisse dirigendas, neque recipiantur, nisi prius examinati in moribus, scientia & legalitate per Senescallos, Judices ordinarios, & alios officiarios Sedis, vocatis secum quatuor ex notabilibus dictæ curiæ consiliariis, sufficientes reperti fuerint, Quantum autem ad Notarios hactenus receptos officium impræsentiarum exercentes de ipsorum scientia, vita, probitate inquiretur, & si tales idonei reperti fuerint, penès curiam registrabuntur, & in eorum officiis remanebunt. Et si non invenantur qualitatis antedictæ, ne se amplius intromittant interdicetur. Peracta autem inquisitione, & examen fiat in cubiculis prædictis abique sumptibus aliquibus & expensis, sub pœna emendæ quantum ad judicem, vel officiarium qui donum aliquod recepisset, & privationis officii Notariatus, quantum ad Notarium, qui donum prædictum, vel aliam gratuitatem fecisset, vel fieri procurasset. Caveantque prædicti judices, necnon Senescalli, ne in magno numero, & effrenata multitudine Notarios prædictos recipiant.

* Notariorum] Modie certe terminatus est solum quo vitia sunt quod. C. M.

§. 2. *Idem.*

Ut à magnis anfractibus, & infrà, ordinatum est, quod de processibus, qui de cetero fient in curiis prædictis, ubi non erit quæstio nisi de tribus libris Turon. solvendis semel & infrà, qui summarie sunt vacuandi, non recipiatur nisi prima * appellatio ad judicem regium proximiorem cui pertinebit, qui processum in prima instantia abique grossatione faciet apportari.

* Prima] Ita correxit. C. M

§. 3. *Idem.*

Prohibitum est omnibus subjectis nostris laïcis, ne habeant pallari, vel recipi facere contractus eorum per Notarios Apostolicos imperiales, vel Episcopales in materiis temporalibus & prophanis, alioquin nulla fides * adhibebitur, reputabuntque nulli, & nullius efficaciæ, seu virtutis. Prohibitum est etiam ne gentes * Ecclesiæ, Notarii regii, vel curiæ secularis efficiantur, sub pœna dicta.

* Fides. Hic abrogant veras Arestum in Supplem. 7. f. 77. C. M.

§. 4. *Idem.*

Et quia sub umbra, & infrà ordinatum est, quod literæ Regiæ per Cancellariam Tholosæ concessæ, juxta dictum ordinatis, quibus alias absque literis prædictis cognitio causæ tibi per easdem literas commissa pertinebat, non regrossabuntur in curiis præsidialibus vel aliis, sed per dictum ordinarium, qui duplum earum in sua curia poterit retinere, demandabuntur executioni, respectu vero literarum semel regrossatarum in eadem curia præsidiali, non fiet aliud registrum, saltem taxatio vel argentum non exigentur in aliis curiis antedictis, neque similiter pro literis Senescallorum Judicibus ordinariis directis, sed minutabuntur absque hoc quod opus sit facere registrum, vel aliquam solvere taxationem. De prædictis autem registrationibus salarium moderatum Ordinationes super hoc factas insequendo recipietur.

quæ pœne sus. C. M. Citra autem citrà actus rerum.

§. 5. *Idem.*

Ut super facto Cancellariæ Tholosæ detur, ordinata sunt sequentia, videlicet quòd duo Consiliarii Parlamenti Tholosæ, vel alii duæ personæ notabiles, si de Parlamento non valeant haberi, Cancellariæ & custodi sigilli semper assistent, quorum consilio literæ partibus expediantur: quodque duæ sint claves in casia sigilli prædicti, quarum unam memorati Consiliarii custodient, sigillumque prædictum non aperietur, nisi in eorum præsentia, memoratique Consiliarii per Cancellarium nostrum ad præmissa committentur.

§. 6. *Idem.*

Ut querelis taxationis excessivæ sigillorum provideatur, statutum extitit quòd Ordinationes antiquæ præfati taxationem sigilli tangentes publicabuntur, & ex integro custodientur. Et si Secretarii Cancellariæ insequentes sigilla arbitraria injustè fuerint arbitrati, ad memoratos custodem, & assistentes dictæ taxationis moderandæ causa recursus habebitur, quibus per eam Cancellariam nostram, sic fieri mandabitur.

§. 7. *Idem.*

Ordinatum est insuper, quòd Secretarii Cancellariam Tholosæ insequentes, aliquas literas quas signabunt, non rapportent: nec aliquas literas rapportus, nisi per eum, qui rapportaverit easdem, in cauda signatæ fuerint; non subsignabunt: mihi tamen fuerint literæ communis justitiæ, vel ex præcepto illius vel illorum, qui Cancellariæ præsidebunt. Inhibitum est etiam eisdem Secretariis, ne pro signatura literarum quas procuratores, vel alii quam Secretarii prædicti fecerunt, quicquam recipere præsumant.

§. 8. *Idem.*

Ut multiplicationi relatorum in Cancellaria, ex quibus plures reperiuntur illiterati, & ad faciendum rapportus, inexperti, congruè provideatur, ordinatum est quòd in prædicta Cancellaria octo * relatores ultra Consiliarios curiæ prædictæ, qui poterunt ibidem adesse, dumtaxat habeantur, qui relatores erunt licentiati, literati, in talibus experti, per custodem ipsius sigilli, & ipsius assistentibus eligendi, & facient idem rapportatores anno quolibet juramentum tale sicut pertinebit, & inter alia jurabunt non rapportare literas, & signare in materiis in quibus Consiliarii fuerint vel Advocati.

* Octo.] Non tute executi, sed tot admittuntur.

§. 9. *Idem.*

Præterea in prædicta Cancellaria Tholosæ, literæ relevamentum casu appellii omissis * medius ut obvietur prolixitati processuum, qui fiunt medio omisso. de cetero non concedentur, cum patria prædicta jure scripto regatur, & si per inadvertentiam aut

* Omissis] Cœperant omittere ut se mos canonicus magis quam civilis superstitiosè conformarent. C. M.

quot so-soli. pro ingressu solvebant : et tarquerudimentum juvenum advocatorii, ut vidi, donec anno 1550. ut officiis venditis pecunia emungeretur, ad certum numerum redacti sunt. C. M.

aliàs aliqua relevamenta concedantur, causarum prædictarum remissio fiet judicibus mediatis, quibus cognitio debet pertinere.

§. 10. *Idem.*

In relevamentis à diffinitiva, & in literis quibus denariis regis mentio fit, apponetur clausula provisо quòd denarii regii per debentes, & solvere consuetos quovis modo non retardentur, exceptis emendis & condemnationibus à quibus fuerit appellatum, respectu verò denariorum domanii nostri, in talibus literis semper apponetur, provisо quòd denarii nostri non retardentur. In omnibus etiam literis inhibitionum (nisi officiariorum regiorum expressa mentio facta fuerit) prædictis literis, & provisionibus officiariorum prætati parere non tenebuntur.

TITULUS XXVI.

DE IVREIVRANDO.

Philippus IV. anno 1302.

VOlumus insuper, quòd procuratores nostri jurent secundum formam, quia Baillivi & Senescalli jurare tenentur, & ut prædictum juramentum validius & firmius teneatur; volumus quòd in quibuslibet assisiis prædictorum Baillivorum & Senescallorum prano tenenda, post publicationem hujusmodi statuti semel in anno statuti aperte coram clericis & laicis in communi prædictum faciant juramentum, quamvis alias in præsentia nostra fecerint illud: ut in Dei timore à malo ipsos revocare non possit, saltem amore gratiæ nostræ formidine, & temporalis roboris confusione, malis agendis in suis administrationibus arceantur.

Arceantur.

Adde consili Cato. V 111. ad finem. C. M.

TITULUS XXVII.

DE SENTENTIIS, ARRESTIS & executione eorumdem.

Philippus IV. anno 1302.

SAncimus & ordinamus, quòd judicata, Arresta, necnon sententia quæ de nostra curia, seu de nostro communi consilio processerunt, teneantur, & sine appellatione aliqua executioni demandentur. Et si aliquid ambiguitatis, vel erroris contineri viderentur, de quibus merito suspicio inuccreretur, correctio, interpretatio, revocatio, vel declaratio eorumdem ad nos vel ad nostrum commune consilium spectare noscantur, vel ad majorem partem consilii nostri per providam deliberationem mandatis nostris specialis, & de nostra speciali licentia super omnia requisita, servetur. Præterea si aliqua persona provinciarum, quæ jure communi regimur, in Parlamento nostro causam habeat, quæ jure scripto debeat terminari, diffinitiva sententia in eadem secundùm jus scriptum proferatur.

§. 2. *Philip. IV. 1338. & Car. IV. 1408.*

Præterea statuimus relationes processuum, & cassarum tam civilium, quàm criminalium, amodò fieri coram Senescallis & Judicibus aliis in partibus suprædictis in præsentia * partium litigantium (si voluerint interesse) addimus etiam quòd judices per seipsos inquestas, & processus amodo videant & referant: & si per alios videri faciant, vel referri, partes proinde nihil solvere tenebuntur: nec ad id compellentur, nisi de ipsarum processerit voluntate.

* Præsentia.] Salubertina constitutio: ideo adhuc viget si partes petant: quamvis non audeant petere, ne iniquos Judices offendant. C. M.

§. 3. *Philip. IV. 1303.*

Sententiæ latæ seu ferendæ per consules Senescalli Tholosæ de causis de quibus constiterit Senescallo, quòd ad ipsos cognitio pertineret, per bajulos & officiales nostros executioni debitæ demandentur: nisi per appellationem partium suspendantur, vel alia legitima causa subsistat.

§. 4. *Philip. IV. anno 1344.*

Cum jamdudum in nostro magno Consilio fuerit ordinatum, ut nulli liceat contra Arresta Curiæ nostræ aliquid proponere vel dicere, nisi à nobis impetraverit gratiam erroris contra hujusmodi Arresta proponendi: quo etiam casu, antequam recipiatur ad aliquid proponendum, cautionem dare debet, & teneatur de nobis duplicem emendam solvendo: necnon damna, & expensas illi, qui pro se reportaverit Arrestum, prædicta nihilominus ordinatione, non obstante: plures nituntur etiam de facto per eorum importunitatem, à nobis impetrare literas absque eo, quòd alterant errorem in Arresto intervenisse, ut contra Arrestum & intellectum ejus, & Arresto non obstante (quod etiam per ipsos literas annullamus) audiantur: quod gravius est, partu quæ pro se Arrestum habuit, & reportavit, ut Arresti executio etiam usque ad certum tempus suspendatur: vel quòd partes super his super quibus latum fuit Arrestum, coram aliis quàm coram gentibus nostri Parlamenti, & non in ipso Parlamento, adjornatæ audiantur. Cùm tamen per Prædecessores nostros Francix Reges semper fuerit propter authoritatem Parlamenti inviolabiliter observatum ne Arresta Curiæ nostræ, nisi pergentes Parlamenti nostri in nostra præsentia, cum hoc per eosdem vel nobis absentibus per illos qui personam nostram immediatè repræsentant) vel per alios, & aliquos alios nostros Consiliarios, quos ad hoc aliquando committimus, aliquatenus corrigantur, vel immutentur. Nos igitur modos antiquos & laudabiles facta nostrorum prædecessorum (in quantum possimus & teneamur) observare cupientes: voluimus & etiam statuimus, ut decetero nulli liceat contra Arresta Parlamenti nostri directè, vel per obliquum, tacitè vel expressè, aut aliàs quovis modo contraire, vel literas impetrare per quas Arrestorum executio impedatur, vel retardetur, vel contra ea dicant, seu veniant impetrantes: quod si fecerint, in emendam 20. librarum Parisiensium nobis applicandarum incidant, & illico teneantur, nisi à nobis literas habuerint de gratia speciali, & ex certa scientia nostra, ut ad proponendum errorem contra Arresta juxta nostras Ordinationes antedictas audiantur. Quæ quidem literæ per hunc modum impetrabuntur, ut ille videlicet qui allegare intendit intervenisse errores in Arresto, ipsos errores gentibus requestarum hospitii nostri, vel alias nostris gentibus, per quas talia impetrare intendunt, tradant: ut ipsæ gentes nostræ deliberare habeant & possint, sint prima facie apparere poterit, gratiam errores proponendi concedere debeamus: qui quidem errores in scriptis tradi, ne pars quæ forsitan ad cautelam errores tradiderit, ipsius immutare valeat post gratiam impetratam, sub sigillis illorum, quibus mediantibus gratia sibi fiet, sub contrasigillo nostro gentibus Parlamenti nostri, cum literis super gratia concessis transmittantur. Quibus missis sic traditis, & parte vocata, præstitaque solita cautione jam dicta de refundendis sumptibus, & expensis secundùm aliàs ordinationes nostras, errores per Parlamentum nostrum, non alibi, neque per alios

(ut dictum est,) nisi solum in præsentia nostra, si hoc ordinaverimus fieri, ipsis etiam præsentibus corrigantur, volumus etiam quòd nulli decætero concedatur gratia, ut Arresti executio suspendatur propter errorem per ipsum proponendum: quia pro Arresto quod debitè, & sine interventu erroris latum & factum fuerit, ab omnibus est verisimiliter præsumendum, & si forsan contingat verisimiliter dubitari, quòd pars quæ pro se reportaverit Arrestum, sit vel efficiatur non solvendo, sic quòd fructus percipiendos virtute Arresti casu quo in eodem fuisset erratum, reddendi seu restituendi facultatem non haberet, ipsa Curia nostra ordinare valeat, prout fuerit rationis. Statuimus insuper quòd decætero nulli concedatur gratia proponendi errores contra Arrestum interlocutorium: quòd si secus actum fuerit, nullum esse decernimus, ac etiam non valere.

Nemo potest esse judex in causa in qua fuit Advocatus.

§. 5. *Idem eodem.*

Ordinamus insuper omnibus Senescallis, Baillivis, & aliis Judicibus nostris sub eorum Juramento districtius injungendo, ne Advocatis, seu Consiliariis super causis in quibus consilium seu patrocinium suum partibus præstiterint, quoquo modo permittant in prædicta causa judicare: nec in aliis, nisi primitùs ipsos jurare faciant, quòd in causis prædictis consilium seu patrocinium nunquam præstiterunt: si autem contrarium fecisse reperiantur, tam Judices quam ipsos Advocatos graviter, & tanquam perjuros puniemus. *

* Puniemus.] Deinde corrupte addebatur ex Const. Car. VII. edictan. 1446. §. 19. anno verò 1453. §. 11. 17. 122. 123. 124. quos in suis locis vide. C. M.

§. 6. *Ludovicus XI.* 1366.

Ex deliberatione gentium nostri magni consilii volumus & ordinamus, quòd appunctamenta, Arresta, & judicata nostræ curiæ Parlamenti Tholosæ per vim & manum armatam, quoties opus erit, & per eamdem Curiam ordinabitur, de puncto ad punctum secundùm eorum formam & tenorem executioni decætero demandentur: non obstantibus quibuscumque literis & mandatis contrariis, quas in prædicto casu nullius valoris & effectus esse volumus, mandantes insuper gubernatori patriæ nostræ linguæ Occitanæ, vel ejus locumtenenti, omnibusque nostris Baillivis, Senescallis, gentium armorum capitaneis, majoribus, castellanis, custodibus, vigueriis, & gubernatoribus villarum, civitatum, castrorum, fortalitiorum, & aliis justitiariis, officiariis, & subjectis nostris, & eorum cuilibet, quatenus insequendo præmissa ad expeditæ curiæ nostræ appunctamenta, Arresta, judicata per vim & manum armatam, ut prædictum est, executioni demandanda, quoties opus fuerit, & per eamdem curiam nostram, vel aliquos officiarios, aut alios prædictos Arrestorum executores ex ipsius ordinatione requirentur, vel ut id faciant, injungetur: tantumque faciant, quòd erga nos de negligentia, vel inobedientia redargui non valeant: quo casu volumus per eamdem curiam nostram Parlamenti delinquentes rebelles, & inobedientes puniri, sicut rationis fuerit, ut cæteris transeant in exemplum. Et ne quis nostræ præsentis voluntatis, & ordinationis aliquam ignorantiam prætendere possit, volumus illam publicari, & in curia nostra registrari, necnon in auditoriis Senescallorum, Baillivorum, & alibi ubi fuerit opus, quodque præsentium exemplo, sive vidimus sub sigillo regio facto, sicut originali fides adhibeatur.

TITULUS XXVIII.

DE APPELLATIONIBVS, Relationibus, consultationibus, recusationibus, temporibus appellationum, & quorum appellationes non recipiuntur.

§. 1. *Beatus Ludovicus IX. anno* 1254.

SI quis ab alio facto proprio, vel dicto conventus, factum suum proprium sive dictum, post juramentum præstitum in judicio, negare præsumpserit, & per legitimam probationem convictus fuerit condemnatus beneficium appellationis amittat.

* Diffinitivam.] Quod adhuc hodie fere servatur in Flandria: sed hic cum §. præcedenti dudum exolevit, nec esset tutum renovare, quia officia quotidianis venduntur. C. M.

§. 2. *Philippus IV.*

Non appellatur in prædictis curiis citra sententiam diffinitivam, * nisi in casibus à jure civili permissis. Et quòd de hoc constet primo judici appellationum, vocatis partibus, antequam inhibitionem aliquam virtute dictæ appellationis faciat. In causis autem appellationum interpositarum à sententiis latis pro nobis contra privatas personas fatalia non currant, si pro certo constiterit stetisse per Procuratores nostros, vel judices appellationum, quominus infrà fatalia terminentur.

§. 3. *Philippus VI. anno* 1332.

Cum regno nostro, & infrà, Statuimus, ut quicumque à judicibus nostris, seu aliis subditis regni nostri ad curiam nostram duxerit appellandum, infrà tres menses continuos à tempore appellationis emissæ adjornamentum impetrare, & judices à quibus appellatum extitit, adjornari seu citari, ac parti appellatæ intimari fàcere, vel econverso secundùm diversitatem regionum tenetur: quòd si in præmissis negligens extiterit, elapsis tribus mensibus antedictis, judices à quibus appellatum fuerit, sententias per eos latas poterunt, & tenebuntur executioni debitæ facere demandari, absque cujuscumque alterius expectatione mandati. Si verò hujusmodi appellantes infrà tres menses prædictos adjornamentum impetraverint, & eo usi fuerint modo superius declarato, suamque appellationem non fuerint postmodùm debitè prosecuti, vel in causa succubuerint, ad emendam nobis præstandam propter hoc tenebuntur, nostri fisci juribus applicandam: in patria tamen quæ jure consuetudinario regitur, hanc ordinationem nostram volumus ad perpetuam rei memoriam observari: & ne quis super ea valeat ignorantiæ prætextu excusari, in omnibus partibus regni nostri solemniter publicari.

Appellans ad curiam, debet intra trimestre spatium à tempore appellationis emissæ, impetrare adjornamentū ac judicem à quo facere adjornari, & parti appellatæ intimari.

§. 4. *Idem.*

Cum per nos, & infrà, indemnitati subditorum nostrorum providere, & fraudibus ac malitiis obviare cupientes: volumus ac etiam ex nostra scientia certa ordinamus, ut à cætero in patria quæ jure consuetudinario regitur, quicumque ad nos seu curiam nostram appellaverit à nostris judicibus, vel aliis à quibus ad nos seu curiam nostram immediatè fuerit appellandum, appellantes ipsi præfata distinctione super impetrando adjornamento vel non, infrà tres menses quantum ad hoc per præsentem ordinationem penitus abolita, ad emendam 60. librarum Parisiensium solvendarum omnino compellantur, nisi in causa appellationis obtinuerint, vel nisi infrà octo dies à die appellationis continuè numerandos appella-

tioni renunciaverint : & ut super appellatione prædicta nullum debatum fieri valeat, nec etiam partes ex his ponantur in factis, judex qui sententiam protulerit, adhuc ipso pro tribunali sedente, personam certam deputare tenebitur in loco in quo sententias pronuntiabit : coram qua si judicem absentari contingat, appellantes renuntiare poterunt, & debebunt intra tempus antedictum : scilicet octo dierum, appellationibus per eos interjectis, & ab ipso judice seu persona per ipsum judicem ad hoc ordinata seu deputata, ut præmittitur, Literas sigillo alterius ipsorum, tam appellans quàm appellatus habebunt, renunciationem, & diem qua lata fuerit sententia, necnon diem qua renuntiaverint appellationi, continentes : præcedentibus ordinationibus tam super dilatione adjornamenti impetrandi, & ipsum infrà trimestre executioni demandandi, quàm in aliis, & prout, ac secundum quòd inferiùs mox declarabimus seu interpretabimur, in suis robore & virtute remanentibus.

§. 5. *Idem.*

Cum secundùm prædictam ordinationem nostram, & infrà, nos prædictam ordinationem seu constitutionem declarantes, interpretantes, seu corrigentes in hac parte, volumus, ac etiam ordinamus ut si per aliquos appelletur ante tunc futurum Parlamentum proximum, si habeant hujusmodi appellantes tempus sufficiens, quod declarationi & arbitrio curiæ nostræ relinquimus, infrà quod tempus si appellantes sint de Baillivia Viromanduæ, adjornamentum possint impetrare, & exequi facere ante prædicti Parlamenti initium, & per competentem terminum hoc facere teneantur : alii autem de aliis Baillivis, & Senescallis nostris, adjornamentum impetrare dumtaxat, cum illud possint etiam durante Parlamento, infrà tamen prædictos tres menses exequi facere per dilationem competentem : tamen ante dies præsentationum Senescallix seu Baillivix, hoc facere teneantur : nec in his casibus dilationem trium mensium habebunt virtute constitutionis seu ordinationis antedictæ, quam volumus seu intelleximus sibi locum vendicare.

§. 6. *Idem eodem.*

Præterea non transactis, & infrà ordinamus, ac etiam statuimus : ut si quis à sententia Paris alicujus Franciæ, Ducis, Comitis, Baronis, seu alterius domini temporalis : aut à defectu, seu denegatione juris ab ipsis seu officiariis, & judicibus suis, ad nos seu curiam nostram appellaverit : sufficiat & proficiat, ac sufficere & proficere debeat ipsis appellantibus, si ipsi judices qui sententias protulerunt, aut denegationem juris fecerunt, & à quibus extiterit appellatum, adjornari faciant in loco, ubi lata fuerit sententia, vel facta juris denegatio seu defectus, ad personas, seu habitatores dicti loci, si qui reperientur, aut coram eorum vicinis, si nemo reperiatur ibidem : vel quod ad personas judicis vel ejus locumtenentis, vel ad eorum domicilium fiat ipsum adjornamentum, si ibidem, vel alibi infrà castellaniam dicti loci casualiter vel aliàs inveniatur, si appellans hoc maluerit ; adjornamentumque prædictum simili modò fiet ad domum judicis in locis prædictis ipsis absentibus, vel præsentibus, absque eo quòd oporteat dommos in eorum personis seu domiciliis adjornari facere, prout fieri solebat ante constitutionem seu ordinationem præsentem. Et quia ex observatione antiqua consuevit, ut nos literas nostras Paribus Franciæ debeamus mittere, per quas ipsos adjornamus, & alias literas, quibus Baillivis, vel Judicibus mandabatur, ut literas nostras Paribus deberent præsentare : volumus ut literæ prædictæ solum ad eorum judicem, vel locum in quo lata fuerit sententia, vel facta juris denegatio, seu defectus similiter præsententur absque alia solemnitate observanda in casibus antedictis.

Quando appellatur à sententia alicujus Paris Franciæ, vel Ducis, &c. sufficit ipsis appellantibus si ipsos judices à quibus extitit appellatum faciant in loco ubi lata est sententia, adjornari.

§. 7. *Joannes primus anno* 1364.

In primis, & infrà causæ appellationum emissarum à Præposito Parisiensi, Senescallis, Baillivis nostris, aut aliis Judicibus à quibus sine medio consuevit ad curiam nostram appellari, in eadem tractantur, & infrà : si verò ad curiam nostram omisso medio contigerit appellari, & ex parte appellantium adjornamentum ad in præfata curia causam introducendam petitum fuerit, non concedatur ; sed causa coram judice ad quem appellandum erat, remittatur sine debato terminanda : & hoc præcipimus etiam per gentes requestarum diligenter observari. Si quis autem à dicto seu pronuntiatione arbitrorum seu amicabilium compositorum ad arbitrium boni viri duxerit appellandum, non licet appellanti præfatam curiam nostram pro viro bono eligere, nisi partes aut ipsarum altera de jure suo debeat inibi litigare. Et si propter importunitatem aut aliàs subreptitiè adjornamentum obtineat, sive sit in causa appellationis, sive reclamationis ad curiam nostram, & omisso medio interjectæ, sive alia causa quæ jure in curia nostra ventilari non debeat, cognitio de subreptione, aut impetrantis importunitate summariè, & de plano partem audiendo quamlibet semel vel bis, si hoc curiæ videatur, per curiam nostram ipsæ partes ad Ordinarium, vel omissum judicem, coram eo sicut rationis est, processuræ remittantur, & pars impetrans in expensis adversarii condemnetur, nisi curia ipsa videat eam ex justis causis retinendam. *

* *Retinendam.*] Hîc addebatur § 11. & ultima consti. Car. V. regentis 1356. vide in gallicis, C. M.

§. 8. *Carolus V.* 1365.

Ordinamus quòd omnes partes, quæ deinceps à præposito nostro Parisius, vel aliquibus aliis præpositis, & judicibus sæcularibus, quorum appellationes sine medio venirent ad curiam nostram Parlamenti, appellaverint, & eorum appellationibus infrà dies octo post appellationem interpositam renuntiaverint, sive sint nobiles, vel alii cujuscumque status, vel conditionis existant, pro qualibet vice qua appellaverint & renuntiaverint, in emendam 60. solidorum Parisiensium levandam & exigendam ab eis, qui sic ut præmittitur, appellaverint & renuntiaverint, per quos pertinebit, incidant ipso facto : aliis ordinationibus nostris super causis appellationum factis quantum ad alia in sua virtute remanentibus.

Appellans & intra octo dies renuntians appellationi condemnatur in emenda 60. sol. Parisi.

§. 9. *Carolus VII. anno* 1443.

Quicumque in patria linguæ Occitanæ à sententiis vel expletis diffinitivis, vel interlocutoriis, aut aliàs quovis modo ad nos, & nostram Parlamenti curiam appellaverint, & infrà tempus debitum non relevaverint, nisi infrà decem dies post apostolorum concessionem, vel tempus ipsorum debitè requisitorum, & petitorum elapsum, renunciaverint, unam emendam 30. librarum Paris. solvere tenebuntur, & omnes qui ab interlocutoria appellant, & tanquam à gravamine diffinitivo relevaverint, prædictam vel majorem solvant emendam ad prædictæ curiæ nostræ discretionem : prælibatique appellantes à sententiis, vel expletis interlocutoris relevantes, si dictum fuerit malè appellatum, vel quòd appellationes prædictæ fuerint interruptæ vel desertæ, prædictam emendam 30. librarum Parisiensium solvere tenebuntur. Respectu verò appellationum à diffinitivis sententiis infrà tempus debitum relevatarum, si malè appellatum dictum

dictum extiterit, vel si appellationes interruptæ fuerint aut desertæ, nulla propterea debebitur emenda ordinaria, nisi appellatio vel casus talis fuerit, in quo caderet aliqua réparatio, punitio vel emenda: quod ordinationi & advisamento curiæ nostræ (ut per eam secundùm casuum exigentiam ordinetur) reservavimus, & remittimus.

§. 10. *Idem eodem anno.*

Similiter ordinamus quòd appellantes à sententiis, judicatis, & expletis, datis vel factis per aliquem ex subjectis patriæ nostræ prædictæ jurisdictionem habentem, aut aliquem eorum judicem vel officiarium: si prædictæ sententiæ, judicata & expleta per curiam nostram fuerint infirmata tanquam tortionaria, & irrationabilia, & appellationes bonæ & validæ judicatæ; prædictus justitiarius subjectus noster per cujus justitiam id factum fuerit, 30. libratum Paris. emendam solvere tenebitur. Quo verò ad alios appellantes ab aliquibus judicibus nostris, seu officiariis, aut aliis subjectis nostris, seu eorum Judicibus, aut officiariis ad curiam aliquam ressortorum nostrorum, vel sedium (præterquam ad præfatam curiam nostram Parlamenti in casibus supradictis) ordinamus emendam lx. solidor. Parisiensi thesaurario nostro loci, vel sedis ad quam fuerit appellatum, exolvendam. Et similiter respectu appellationum ab aliquo justitiario subjecto nostro, vel ejus judicibus, aut officiariis, ad alias curias nostras (præterquam ad prædicti Parlamenti curiam) interpolitarum, casu quo id à quo fuerit appellatum, per viam appellationis infirmetur vel revocetur: præfatus justitiarius vel subjectus noster lx. solid. Parisien. emendam thesaurario nostro, vel receptori loci in quo fuerit appellatum, solvere compelletur.

Index à quo appellatur, & ejus sententia infirmetur tanquam tortionaria, & irrationabilis, tenetur solvere emendam 60. lib. Paris.

§. 11. *Idem.*

Insuper ordinamus quod in causis criminalibus excessuum & maleficiorum, prætextu appellationis, vel oppositionis factæ, vel fiendæ contra culpabiles, delinquentes, procedi & informationum perfectio super casibus eisdem impositis, captioque personarum ipsorum delinquentium, seu detentio, vel imprisionamentum personæ; similiter captio vel arrestatio bonorum eorumdem, si casus requirat, decretero non differatur. Similiter executio casus novitatis, & nobis quocumque modo debitorum vel aliis, mediantibus obligationibus, vel literis sub sigillis regiis, contra obligatos prætextu oppositionis, vel appellationis non differatur quominus saisina justitiæ manus remaneat usque ad prædicti debiti valorem: nisi debitores de solutione debiti hujusmodi promptam fidem fecerint. *

§. 12. *Idem anno* 1447.

* *Fecerint.*] Ille subjicebatur. §. 11 constit. Car. VII. edit. 1446. ubi eius videbis. C. M.

Quicumque ab aliquo judice, vel officiario causa diffugii, à sententia diffinitiva, vel interlocutoria seu appunctamento judiciali, vel extrajudiciali ad nostram curiam Parlamenti Tholosæ duxerit appellandum, & infrà tempus debitum tam respectu judicis à quo, quam partis, non relevaverit, nisi justa causa præpeditus fuerit per nos relevatus. Similiter si vltandæ, vel differendæ justitiæ causa per subterfugia, vel aliam malitiam, de quibus per processum possit apparere, ab aliquibus sententiis, vel appunctamentis interlocutoriis ad nostram Parlamenti curiam antedictam appellaverit, dictumque fuerit malè appellatum, & sententia vel appunctamentum confirmata, emenda exolvetur: præterea si à sententia, vel appunctamento interlocutorio ad eamdem curiam nostram appellaverit, & tanquam à diffinitiva relevaverit, solvet emendam per curiam nostram secundùm casuum exigentiam taxandam & arbitrandam, cum in casibus præmissis prædicta faciendi potestatem, & authoritatem concessimus.

§. 13. *Idem eodem anno.*

Cum insuper à sententiis, judicatis, vel expletis per aliquem nostrorum patriæ Occitanæ subjectorum jurisdictionem habentem, vel per aliquos eorum Judices, vel officiarios latis, vel factis ad nos, & curiam nostram antedictam, vel aliquem ex Judicibus nostris ressortum habentem appellatum fuerit, si sententia, judicata, vel expleta tanquam tortionaria & irrationabilia per dictam curiam nostram infirmentur, & appellationes bonæ, & validæ judicentur, prælibatus justitiarius subjectus noster à quo fuerit appellatum, si per processum ejus appareat, sententiam per corruptionem, odium, malitiam, vel ignorantiam talem dedisse sententiam, emendam certam, aut limitatam non adjicimus: sed curiæ nostræ, vel Judici ressortiali ad quem fuerit appellatum, emendandis, aut aliàs appellantes & justitiarios, vel eorum Judices à quibus sic fuerit appellatum, secundùm juris formam, & casuum exigentiam, puniendi facultatem remittimus. *

* *Remittimus.*] Hic indebbantur 9. §. ex const. VII. anni 1453 videlicet §§ 9 12. 13. 14 15. 16. 18. 29. 64. quos in Gallicis habes. C. M.

§. 14. *Carolus VIII. anno* 1490.

Ut capi sine causa rationabili dubitantes ab anfractibus, & prolixitate processuum releventur, ordinatum est quòd appellantes verbaliter decretero recipientur absque eo quod schedulam appellatoriam inscriptis tradere teneantur, captio tamen vel apprehensio personarum per talem appellationem non impedietur; sed ea non obstante, Judices ordinarii capere, vel capi facere, & imprisionare poterunt prælibatos appellantes, si de talibus personarum detentionem requirentibus per informationem fuerint chargiati, vel in crimine flagranti capti fuerint vel deprehensi; sed propter appellationis hujusmodi reverentiam ad ulteriora processûra correctione, vel punitione prædictæ appellationis prælibati Judices cessabunt, nihilominus sæpè dicti Judices ordinarii, infrà post & triduum sequens chargias, & informationes quas contra delinquentes hujusmodi captos seu prisonerios, ante vel post appellationem hujusmodi penès Seneschallum, vel Judicem ad quem appellatio prædicta deber ressortiri, mittere tenebuntur. Is autem Judex cum omni diligentia visis per eum, & consilium prædictis chargiis, & informationibus si materiam captioni appellantis subjectam invenerit, bene factum beneque processum per dictum Judicem ordinarium declarabit, præfatasque chargias, & informationes pro ad ulteriora processus secundum rationem, & justitiam procedendo, infrà quindecim dies ad tardius remittet, alioquin lapso termino jam dicto, Judex ordinarius ad perfectionem processus delinquentium poterit procedere. Et si præfati Seneschallus, vel Judex de causa appellationis cognoscens reperiant non subsistere materiam captionis, dictum prisonerium appellantem relaxari liberarique mandabit, cognitionem materiæ retinendo.

§. 15. *Idem.*

Præterea cum delinquens, vel prisonerii fecerint diligentiam eorum appellationibus relevandis, vel fieri fecerint per antedictos Seneschallos, & superiores Judices in forma per Cancellariam conservari consueta, provisio concedatur eisdem per quam si fuerint in via elargitionis, & detenti pro materia civili, vel alia, personæ detentionem saltem præstitâ cautione non requirente, liberari mandabuntur: si verò materia personæ detentionem requirat, prisonerii appellantes unà cum chargiis, & informationi-

bus ad curiam superiorem, ut procedatur ad ulteriora sicut rationis, adduci mandabuntur. Insuper ordinatum est injungi Baronibus & Judicibus, si appellatio prædicta fuerit interjecta, ut prisonerios hujusmodi in custodia, vel prisionibus eorum existentes interèà secundùm eorum stilum, & qualitatem competenter, & honestè tractent, seu tractari faciant. Cum autem appellationes prædictæ ab extraordinaria quæstione, vel diffinitiva sententia fuerint interjectæ, servetur his juris communis dispositio, secundùm quam Occitanæ linguæ patria gubernatur.

TITULUS XXIX.

DE VITA HONESTA officiariorum & subditorum.

Beatus Ludovicus hujus nominis IX. anno 1254.

Ordinatio contra meretrices ludentes ad aleas, schachos, & taxillos facientes, & tabernas frequentantes.

EXpellantur autem publicæ meretrices tam de campis quàm de villis, & factis monitionibus & prohibitionibus, earum bona per locorum Judices capiantur, vel eorum authoritate à quolibet occupentur etiam usque ad tunicam vel pelliceum. Qui verò domum publicæ meretrici scienter locaverit, volumus quòd ipsa domus incidat in commissum: præterèà inhibemus districtè, ut nullus omnino ad taxillos ludat, sive ad aleas, & schacos: scholas deciorum etiam prohibemus, prohiberi volumus omnino, & tenentes eas districtius puniantur: fabrica etiam deciorum prohibeatur. Nullus præterèà recipiatur ad moram in tabernis faciendam, nisi sit transiens vel viator, vel in ipsa villa non habeat aliquam mansionem.

§. 2. *Philippus IV. anno 1300.*

* *Tribus.*] Scilicet per rem judicatã, vel confessionẽ judiciale, vel rei evidentiam c. si. de cohabit. mulier. sed hodie bona talis clerici per judicem sæcularem cõfiscantur, nisi veniam à rege impetraverit de qua Index Regius cognoscit, & bene. C. M.

* *Compellantur.*] Hic subdebatur prohibitio negotiandi officialibus quã melius habes in constit. Jo. 1. §. 6 & ultimo gallicè edita & excusse. C. M.

De homicidis & malefactoribus notoriis, qui per Officiales Episcopales liberantur, & postmodum monent gentes nostras, ut bona nobis deventa propter delicta clericorum manifesta, & de quibus ad plenum constat curiæ sæculari talibus clericis restituant, & eos in terra nostra faciant securè manere, unde laici scandalizantur, videntes famosos interfectores clericos contra Deum, & justitiam liberari, & laicos ipsos rigidè puniri: cùm eos similibus delinquere contigerit, si facta sint notoria aliquo de tribus * modis à jure statutis. Licet manus Episcopi quoquo modo evaserint, bona immobilia talium clericorum saisiantur & teneantur, nec talibus in terra nostra commorandi securitas aliqua præstetur. Et si propter hoc processum fecerint contra gentes nostras, per bonorum temporalium captiones desistere compellantur. *

§. 3. *Carolus VI. anno 1319.*

Deciorum, tabularum, paleri, quilharum, boularum, billarumque ludos, & his similes, quibus subditi nostri ad usum armorum, pro nostri defensione regni nullatenus exercentur, vel habilitantur, sub pœna xl. solid. Paris. nobis applicandorum, & per quemlibet contrarium facere præsumentem pro vice qualibet incurrenda, prohibemus tenore præsentium: volentes & insuper ordinantes quòd præfati subditi nostri in eorum ludis intendant & discant se exercere, & habilitare in facto tractus balistæ, vel arcus in locis publicis, & ad hoc in villis, & territoriis ordinarius, & preti donum melius trahentibus in eorum festis, & diebus, sicut videbitur, eis decætero faciant.

TITULUS XXX.

DE RESIDENTIA OFFICIARIORUM regiorum.

Philippus IV. Valesius anno 1554. apud Vallem nostræ Domine, 11. Martii.

PRæsidentes & consiliarii curiæ nostræ Parlamenti, nec non requestarum palatii nostri in eodem Parlamento, & curia suorum officiorum exequendorum gratia continuò demorabuntur, ab inde Parlamento, durante, nisi de licentia Parlamenti curiæ nostræ, non cessuri. Vult insuper Rex, & ordinat sicut de notariis & servientibus armorum fecit, quòd præsens Ordinatio absque infractione pro quacumque causa fuerit, teneatur & observetur, & omne id quod decætero in contrarium factum fuerit, nullum nulliusque valoris declarat & decernit. Et quoniam Rex vult præsentem Ordinationem firmam & stabilem, permanere, tenerique & semper observari, illam suo sigillo cera viridi cum laqueis sericis sigillari fecit.

§. 2. *Carolus VII. 1443.*

In primis ordinamus quòd nostri Senescalli Judices, majores criminum appellationum tam civilium quàm criminalium, & aliorum, necnon Judices ordinarii, Viguerii, custodesque sigillorum, Baillivi, gubernatores, bajuli, rectores, Advocati, Procuratores, Inquisitores fidei, Magistri portuum nostrorum & aquarum, forestarum, castellani, capitanei, servientes, & custodes platearum nostrarum: visitatores, gabellarii, granaterii, contrarotulatores, custodes, & contracustodes monetarum nostrarum, electi super facto aidarum nostrarum: necnon grapharii, cæterique omnes alii justitiarii, & officiarii nostri patriæ Occitanæ in villis, locis, & terminis quibus ipsi ad causam officiorum suorum residere tenentur, decætero personaliter residere teneantur, sub pœna perditionis vadiorum suorum, eorum absentia durante, quibus solvi prædictæ absentiæ tempore deinceps prohibemus, nisi ex aliquibus rationabilibus causis per nostras patentes Literas fuerint excusati. *

* *Excusati*] § 2. 16. C. M.

Hic subdebatur §. 2. constit. Carol. VII anni. 1446. deinde 104. & similes ex constit. ejusdem. Carolo VII. anno 1453.

TITULUS XXXI.

DE REGALIIS.

§. 1. *Philippus IV. anno 1302.*

ITem quantum ad Regalias * quas nos & nostri prædecessores percipere consuevimus, & habere in aliquibus Ecclesiis regni nostri, quando eas vacare contingit: de quibus plures ad nos querimoniæ devenerunt, & infrà nos circa ea cautius præcavere volentes debito temperamento necnon opportuno remedio interjecto, volumus, præcipimus, ac etiam ordinamus quod res, bona maneria, & jura regaliarum prædictarum manutenentur, custodiantur, & expletentur absque aliquo detrimento ac devastatione, ac si nostra propria forent: inhibeytes ne decætero nemora prædictarum regaliarum ante tempus debitæ sectionis amputentur, neque arbores quæ ab antiquo servatæ, & factæ fuerunt propter decorem & amœnitatem, & forestæ antiquæ (quæ minquam causa

* *Regalias*] Confirmata ad verbum per Jo. I. an. 1315. publicata in curia S. Ianua. 1355. vide constit. Phil. Valesii de jure regaliorũ inter novissimè gallicè impressas fol. 4. verso, ubi male attribuitur

Philip. Pulchro fa. infrà par. 7. arresto. 56. 66. C. M.

vendendi fuerint amputatæ) aliquo tempore scindantur, aut quoquo modo vendantur: nemora etiam quæ exponuntur sectioni, non devastentur aut vendantur, nisi modo & tempore consuetis: vivaria insuper, stagna & piscariæ, nisi piscium nutritura, aut fomimentationibus servatis pro captura piscium non graventur: præcipientes insuper quòd in omnibus iiis casibus, & circa prædicta, & singula præmissorum præcaveatur ab omni devastatione, abusu, distractione, & excessu: quódque circa præmissa talis exhibeatur moderatio, talis æquitas, & tale temperamentum, qualia consueverint à quolibet legitimo administratore, & provido dispensatore circa talia, ratione prævia, exhiberi: & infrà, hoc idem volumus quantum ad Barones, & alios subditos nostros observari cum terras suas propter defectus hominum aut Baillium * ad nos devenire continget.

*Baillium.] Id est quando deficientibus petentibus, Rex habet custodiam, & facit suos fructus orphanorum nobilium 20. annis minorum, ut in custria tanquam, dux, & hæc ante omnes ferè pupillos & adolescentes, ut captivos tenet. C. M.

* Fait.] Hæc constitutio refertur infrà part. 5. q. 168.

*Philippes par la grace de Dieu Roy de France: Sçavoir faisons à tous presens & advenir, que comme il ait esté mis en doute par aucuns, si nous avions droit, & à nous appartenoit donner les Prebandes, Dignitez, Benefices, quand ils avoient esté, ou estoient trouvez non occupez, vacans de fait * tant seulement au temps de nostre Regale, ès Eglises de nostre Royaume, esquelles nous avons droit de Regale, & si ceux à qui nos Predecesseurs, ou nous les ont donnez, & qui en jouyssent, en doivent jouyr. Nous nous tenons & sommes suffisamment & deuement informez, que nos devanciers Roy de France pour cause de Regale de la Noblesse de la Couronne de France, ont accoustumé, & ont esté en possession & saisine de donner lesdites Prebandes, Dignitez & Benefices, quand ils ont esté trouvez en temps de Regale vacans de droict & de fait, ou de droict tant seulement, & que de ce nous avons usé, usons & entendons user, comme de nostre droit Royal, ou au cas semblable, & quelsconques des cas dessusdits eschera. Et avons donné toute audiance de relay à ceux qui à nosdits usages accoustumez par nos devanciers Rays de France, & par nos Coustumes, & aux droits Royaux, qui en tel cas nous appartiennent pour cause de nostre Couronne, & aux Collations par nos devanciers ou successeurs faites ou à faire en cas dessusdits, ou en aucun d'iceux se voudroient opposer, & si plaid ou procés sur aucuns des cas dessusdits quelsconques, ils soient pendans en Parlement, ou devant quelques nos Commissaires, nous les rappellons & mettons du tout au neant, & défendons à nos amez & feaux les Gens qui tiendront doresnavant nostre Parlement à Paris, & aux dessusdits Commissaires qu'ils de ce cas & de semblable, ne tiennent cour ne connoissance ores, ni autresfois. Et voulons & ordonnons, que doresnavant nul pourveu en quelconque des cas dessusdits, si ce n'est par vertu de provision & collation Royaux qu'ils ayent de nos devanciers, ou de nous, ou de nos successeurs Roys de France, ne soit receu à plaids, ni ouys en opposition contre ceux qui ès cas dessusdits ou en aucun d'iceux sont pourveus par nos devanciers ou par nous, ou seront pourveus au temps advenir par nous ou nos successeurs Roys de France, par quelsconques lettres ou octroy qu'ils ayent ou ont impetré de nous, si expresse mention n'y est faite de mot à mot de ces presentes. Et voulons que doresnavant tous ceux qui en semblable cas ou cas dessusdits, & chacun d'iceux ont collation de nos devanciers ou de nous, ont ou auront au temps advenir de nous ou de nes successeurs Roys de France, soient tenus & gardez en possession, & saisine paisible des Benefices ainsi à eux donnez, nonobstant opposition d'autre que par vertu d'autre authorité collation se soit opposé ou oppose à present, ou veille opposer au temps advenir. Et ce avons nous ordonné & ordonnons de certaine science asseurez à plein de nos droits & usage dessudits, & mandons par la teneur de ces presentes à nos amez & feaux les gens qui tiendront nostre prochain Parlement, & les gens de nos comptes, qu'à perpetuelle memoire fassent ces presentes enregistrer en nos Chambres de Parlement, & des Comptes, & mettre en garde pour original, au thresor de nos Chartres & de nos Lettres. Et afin que ce soit ferme à tousjours-mais; nous avons fait mettre nostre seel aux presentes Lettres. Donné à Vincennes au mois d'Octobre, l'an de grace mil trois cens trente-quatre.*

TITULUS XXXII.

NE ALIENIGENÆ, VEL MENDICANTES beneficia teneant, & ne insons privetur officio.

§. 1. *Carolus VII.* 1431.

CUm jamdudum & infrà, nos * antedictis inconvenientibus obviare volentes, ordinamus prædecessorum nostrorum vestigia insequendo, ex grandi maturáque nostri magni Consilii deliberatione, certáque scientia & auctoritate regia, ut nullus cujuscumque status, dignitatis, prærogativæ, præeminentiæ, vel meriti existat ad alicujus Episcopalis Abbatiæ, dignitatis Prioratus, aut Ecclesiastici Beneficii cujuscumque regimen, vel administrationem in regno, & dominus nostris decaterò tenendum & habendum recipiatur, nisi de regno, dominationeque nostra fuerit oriundus, nobisque benevolus existat, dilectis & fidelibus Consiliariis nostris tenentibus tenturisque nostrum Parlamentum, ac omnibus Seneschallis, Baillivis, præpositis, & aliis justiciariis nostris quibuscumque, & eorum cuilibet prout ad eos pertinuerit, damus in mandatis quatenus hujusmodi nostram ordinationem deinceps teneant & observent, tenerique & observari faciant de puncto ad punctum, in contrarium aliquid fieri non permittendo & infrà: ex parteque nostra subjectis nostris omnibus cujuscumque status existant, necnon gentibus Ecclesiasticis, aut aliis sub pœna inobedientiæ, ac quatenus erga nos delinqui possit, expresse prohibeant, ne tam audaces existant, ut contra nostram ordinationem hujusmodi venire, vel aliquid facere præsumant maximéque gentibus Ecclesiasticis regni nostri, ne in suis Ecclesiis aliquibus dignitatibus quascumque Literas, vel bullas habuerint (nisi certroces existant ipsos existere conditionis supradictæ) decætero recipiant, ubi autem aliqui conditionis hujusmodi non existentes, vel alii pro ipsis contra præsentem ordinationem quovis modo venire, aut aliquæ gentes Ecclesiasticæ ipsæ reciperent, vel recipere niterentur, contra ipsos per bullarum, & aliarum Literarum eorumdem (quibus eo casu uti vellent) arrestationem, prisiam detentionem rigorosè procedant, capiant insuper & penant, seu capi & poni realiter, & de facto in nostra manu faciant eorum temporale, necnon Beneficiorum quæ contra nostram præsentem ordinationem vellent occupare, sub eademque manu illud regi gubernarique faciant, ad platearum & fortaliciorum custodiam personas fideles, & securas committendo, nullam inde facturi deliberationem, vel recredentiam, donec per nos aliter fuerit ordinatum, de quo per nostras patentes literas nostro sigillo magno sigillatas eisdem appareat, aliasque contra ipsos, & omnes alios qui nostram præsentem ordinationem infringere præsumpserint, sicut viderint faciendum, ac tanquam contra transgressores ordinationem regiam procedat, ut cæteris transeat in exemplum.

* Nos.] Facta est die 10. Martii Pictavis, ubi sedebat Parlamentum, Anglii. hanc urbem occupantibus, adde gl. pragmatic. in procem ver. exteriorum Guill. Benedictin. rep. ca. Raynutius verò & uxo. no. Adella nu. 1044. de testa. consti. Ludo. XII. anni 1499. modifi. §. pe. & practicatur. C. M.

§. 2. *Carol. VI. anno* 1443.

Relationibus procuratoris noſtri, & infrà conſiderantes quòd fundatores Ordinum mendicantium ſtatuerunt ſalubriter, & decreverunt eoſdem mendicantes in paupertate, & mendicitate victuros, præſertim minores, qui nec in communi, nec in particulari proprium habere poſſint, juxta tenorem regularum ſuarum. Quinimo obſervatio paupertatis ſicut cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere, & aliis circa præmiſſa conſiderandis Seneſchallo, Vicario, & Judici majori Seneſchalliæ Tholoſæ, & veſtrum cuilibet præcipimus & mandamus, quatenus de & ſuper præmiſſis vos diligenter, & ſecretè informent: & ſi de præmiſſis vobis conſtiterit ita eſſe, præcipiatis & mandetis procuratori noſtro dictæ Seneſchalliæ, ut in præmiſſis, & circa præmiſſas bullas, reſervationes, collationes ſeu quaſcumque proviſiones factas ſeu faciendas ſupradictis & aliis quibuſcumque mendicantibus, vel alteri eorumdem, ſe opponat: & quam oppoſitionem fecerit, eam proſequatur coram vobis, & hanc novam pernicieſ, ſeu potius ſuperſtitionem, in clero, populo, & regno noſtro fieri, nec attentari permittat: & ſi quæ ſint attentata, & innovata per prædictos mendicantes, aut eorum aliquem, recipiendo poſſeſſionem beneficiorum * curatorum, vel non curatorum, dignitatum quarumcumque (Epiſcopali & aliis majoribus dignitatibus exceptis) in quibus eos curia Romana hucuſque toleravit: vos id ad ſtatum priſtinum, & debitum reducatis, & à poſſeſſione prædictorum beneficiorum abſque moroſa dilatione expellatis, ſeu expelli faciatis: prædictos mendicantes, clericoſque ſæculares, & univerſitates regni noſtri juribus eiſdem pertinentibus, ad cauſam beneficiorum prædictorum ex collatione Summi Pontificis aut aliàs, uti & gaudere liberè faciatis & permittatis, dictis mendicantibus amotis & rejectis, à Beneficiis antedictis abſque difficultate quacumque, inhibenteſque ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus, & Ordinariis, collatoribus, nec non executoribus gratiarum præfatorum mendicantium, magiſtris prædictis Ordinum, generalibus, provincialibus, miniſtris, gardianis & aliis quorum intereſſe poterit, ſub certis & magnis pœnis nobis applicandis: ne contra tenorem præſentium literarum aliquid faciant nec attentent, directè vel indirectè, aut aliàs quovis modo: & ſi aliquid fecerint, vel proceſſerint contra tenorem earumdem, illud revocent, & ad ſtatum priſtinum, & debitum reducant, ſeu reduci faciant, & reparari cum effectu. Et ſi quos rebelles, vel contradictores reperiatis: eoſdem taliter puniatis, quòd exteris tranſeat in exemplum: quoniam ſic fieri volumus, & concedimus per præſentes, appellationibus, oppoſitionibus, ordinationibus, Literiſque noſtris ſubreptitiis in contrarium impetratis vel impetrandis, non obſtantibus quibuſcumque. *

* *Beneficiorum*] Per Rebuf. tract. de pacifi. num. 238 Et hoc niſi median. te permiſſione, vel diſpenſatione Regis.

* *Quibuſcumque*] Sequebatur. §. 85. in conſti. Carol. VII anni 1453. ubi habes. C. M.

§. 3. *Ludovicus XI. anno* 1467.

Statuimus & ordinamus quòd decætero aliquod ex officiis noſtris non conferemus, niſi vacet * per mortem aut reſignationem ſponte factam de conſenſu reſignantis: de qua priùs conſtabit, vel per forefacturam primitus judicatam & declaratam ſecundum juſtitiæ terminos per judicem comperentem, de qua ſimiliter apparebit, quòd ſi per inadvertentiam, vel requirentis importunitate contrarium fecerimus, id exnunc, prout tunc revocamus & annullamus, quódque literæ conficiantur, vel expediantur: & ſi factæ fuerint, illis vel aliis quibuſcumque ſuper hoc à nobis obtinendis fides non adhibeatur, nec proptereà aliquis ab ejus officio deſtituatur, nec in eodem inquietetur.

* *Vacet.*] Servatur & eſt in ore omnium. Idem priùs ſanxerat Philipp. 1141. cujus edictum eſt in libro vitæ, in ſcrinio Procuratoris Regis in Caſtello Pariſienſi, C. M.

TITULUS XXXIII.

DE NON CARCERANDO debitores.

§. 1. *Philippus IV. anno* 1304.

SI aliquis fecerit aliquem in carcere retineri injuſtè, puniatur in expenſis reddendis carcerato ſic detento, & pro ipſo ſolvere priſonagium teneatur. Præterea garniſiones in bonis alicujus debitoris non ponantur, nec obligatæ perſonæ arreſtentur pro debito privatorum, ſed eorum bona venalia exponantur, de quibus ſatisfiat creditori: niſi hoc procederet ex conventione debitorum. Nullus inſuper teneatur arreſtatus, nec arreſtetur per bajulos officiales noſtros, vel alios officiales aliorum dominorum, ſi poſſint idoneè fidejubere, aut niſi hoc eſſet in caſu homicidii, furti, criminis læſæ majeſtatis, hæreſis, raptus mulierum, & aliorum de jure expreſſorum.

TITULUS XXXIV.

DE FEUDIS.

§. 1. *Idem Philippus IV. anno eod.*

DE feudis alienatis, & ad novum cenſum reductis per illos qui ad plenum feudum tenent à nobis, vel ex dono noſtro, & utilitatem ac emolumentum inde percipiunt nobis ignorantibus, garentiſant, & etiam taliter feudum diminuunt, vel ad retrofeudum reducunt & transferunt in perſonas inhabiles, & alias quæ poſtmodum aliis liberè vendunt, prout volunt: ordinamus quòd illa quæ alienata ſunt in præjudicium noſtrum ſive damnum, nobis inſcio, & ignorante, ad ſtatum priſtinum reducantur.

§. 2. *Idem.*

De viris religioſis, templariis, & aliis qui poſt Eccleſiarum conſtructionem utilitati eorum * in feudis, retrofeudis, & allodiis acquirere non ceſſerunt, tam exemptionibus quàm legatis, & diverſis donationibus ſibi factis, præterea in his quæ tenent occaſione hujuſmodi, vel aliàs juſtitiare vel dominari nituntur in præjudicium juris noſtri, & feudatariorum noſtrorum: & quandoque per aliquos reprimuntur, citans eos coram diverſis judicibus Eccleſiaſticis prætextu immunitatis, ut ſic citati, & afflicti cum ipſis componere cogantur, vel omnino cedere juri ſuo. Statuimus & ordinamus, quòd tales extra manum * ſuam ponere cogantur, & interim ab ipſis acquiſita, in manu regia teneantur, nec in præjudicium noſtri, vel feudatariorum noſtrorum noſtri dominari vel juſtitiare permittantur.

* *Templariis.*] Quos idem Ph. IV. paulo poſt abolevit, refert tamen Alberi. in dictionario injuriosè dictis etiâ ſupplicüs afflictos ne viderentur injuſtè bonis ſpoliari. C. M.

* *Manum*] Dixit latè in Conſuet. Pariſ. §. 41. q. 12. C. M.

§. 3. *Idem.*

Præterea in eorum feudis & retrofeudis decætero nihil acquiremus, niſi de ipſorum procedat aſſenſu, vel in caſu ad jus noſtrum pertinente, neque recipiemus novas advocationes vaſſallorum, ſeu hominum

Ecclesiasticorum, necnon Baronibus nostris subjectorum, & eas quas receperimus, revocamus: nisi tanto tempore tenuerimus pacificè, quòd de consuetudine patriæ nobis fuerint acquisitæ. Si verò contingat quòd in terris ipsorum aut aliorum subjectorum nostrorum aliquæ forefacturæ nobis eveniant jure nostro regio, infra annum & diem extra manum nostram ponemus: & hoc in manibus sufficientis hominis ad deserviendum feudo, vel dominis feudorum, vel recompensationes sufficientes & rationabiles faciemus.

TITULUS XXXV.

DE DECIMIS.

§. 1. *Philippus IV. anno* 1305.

SEneschallus ad requisitionem Consulum locorum quorumcumque defendat ipsos Consules, & universitates, & singulos à novâ impositione servitutis faciendæ per Prælatos & alias personas Ecclesiasticas, à novâ exactione decimarum & primitiarum, & præstationis passatæ, prout de jure fuerit, & hactenus est consuetum fieri.

§. 2. *Idem eodem anno* 1303.

De cognitione decimarum non feudalium in petitorio vel possessorio, præsertim inter Ecclesiasticas partes, gentes nostræ se nullatenus intromittant, & si cùm duæ partes personæ Ecclesiasticæ contendunt se quamlibet earum possidere, posuerint vel ponant ad manum nostram (ne partes ad arma venire contingat) possessionem hujusmodi in manu Ordinarii loci reddere teneantur.

TITULUS XXXVI.

DE TAILLIIS, EXACTIONIBVS, & Excubiis.

§. 1. *Beatus Ludovicus hujus nominis IX. anno* 1254.

Nemo potest capere equum contra voluntatem domini, nisi sit pro negotio Regis.

PRohibemus ne aliquis in terra nostra capiat aliquem equum contra voluntatem illius cujus fuerit, nisi sit pro negotio nostro proprio, & tunc per Seneschallos nostros, aut alios inferiores Officiales, vel eorum Locatenentes, & de equis conductitiis: & si equi conductitii sufficere nequeant pro nostro servitio peragendo, Seneschalli nostri, vel alii inferiores Officiales non capient equos mercatorum transeuntium, vel pauperum, sed divitum tantùm, si satisfacere possunt ad nostrum servitium faciendum. Insuper inhibemus ne pro servitio nostro vel alio capiantur equi personarum Ecclesiasticarum, nisi de nostro speciali mandato: nec capiant Seneschalli aut alii prædicti plures equos quàm fuerit nobis opus: & quos ceperint, cum pecunia non relaxent: hoc autem quod de capiendis equis diximus, volumus observari, quandiu nobis placuerit, salvis servitiis debitis nobis, & juribus nostris, & alienis.

§. 2. *Philippus IV. anno* 1304.

Officiarii nostri, Notarii, servientes, & alii quicumque possidentes bona pro quibus est contribui consuetum, compellantur contribuere pro dictis bonis, sicut veteres possessores consueverunt & contribuant in locis ubi sunt bona prædicta: & ad id per captionem bonorum compellantur, Seneschallis, Judicibus, Vicariis, & Procuratoribus nostris stipendia recipientibus, dumtaxat exceptis.

§. 3. *Idem.*

Pro feudis insuper quæ teneri consueverunt à Nobilibus vel Religiosis personis, burgensibus vel aliis, licet aliquo modo de jure devoluta sint ad dominos à quibus tenebantur in emphyteosim pro quibus feudis possessores contribuere consueverunt, domini possidentes ea, aut alii quicumque in realibus contribuere compellantur, prout extitit contribui consuetum per veteres eorum possessores.

§. 4. *Idem eodem anno.*

Ordinamus insuper quòd pedagiarii, seu leudarum pedagia nova, & baugagias, seu leudas de cætero non exigant, seu levent in locis ubi non est fieri consuetum, sed solùm juxta locorum consuetudines approbatas.

§. *Beatus Ludovicus anno* 1228.

Exactiones & onera gravissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ Regni nostri imposita, quibus Regnum nostrum miserabiliter depauperatum extitit, seu etiam imponenda, levari & colligi nullatenus volumus, nisi dumtaxat pro rationabili, piâ, & urgentissima vel inevitabili necessitate, ac de expresso & spontaneo consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ Regni nostri. * Nisi] Sequebantur ex constit. Phi 6. edita anno 1328. § 1. 2. 4. 5 quos vide in d. Constit. quæ in libris Gallicis falsò attribuitur Phil. V. C. M.

Philippus VI. 1338. *& Carolus VI.* 1408.

Concedimus quòd Nobiles habentes ab antiquo pedagia in terris & finibus suis, non impediantur per aliquem seu aliquos de Officiariis nostris quominùs illa levare possint à mercatoribus, per leudarium seu districtum eorum transeuntibus, prout hactenus consueverunt: licèt iidem mercatores à nobis seu gentibus nostris nomine nostro eis vendentibus, emerint res prædictas, non obstantibus Litteris in contrarium impetratis vel impetrandis: nisi in contrarium jus nobis quæsitum fuerit de consuetudine jam præscriptâ.

§. 7. *Carolus VI. Joannis Regis Locumtenens Dux Normaniæ, & Delphinus Viennensis anno* 1356.

Ordinamus & expressè prohibemus, ne Receptores, Granatarii, aut Vicecomites, de cætero servientes aliquos vel Commissarios facere vel stabilire præsumant: eisdem injungentes quatenus eorum executiones & explèta fieri faciant per servientes ordinarios Bailliagii vel Præposituræ; si autem contrarium facere præsumpserint, eisdem pareri nolumus.

§. 8. *Carolus VI. anno* 1408.

Statuimus quòd aliqua subsidia, tailliæ, focagia, impositiones, aïdæ, seu exactiones à prædictis Nobilibus, seu eorum successoribus per nos vel successores nostros de cætero non exigantur ratione guerrarum nostrarum, aut aliàs quovis modo pro personis vel bonis eorum quæsitis vel quærendis quoquo modo, titulo, jure, vel causâ, neque pro fructibus, & reditibus ex eorum patrimonio provenientibus: nisi tales essent Nobiles qui factum exercerent mercantiæ, quo casu pro eorum mercibus tribuere tenebuntur prout cæteri ignobiles, privilegio non obstante. Per hoc autem derogare non intendimus Ordinationibus Regiis, quatenus hæc præjudicare possent exactioni gabellæ, & quartæ vini dumtaxat. Nobiles negotiantes perdunt privilegium nobilitatis. facit l. unic. C. negotiare non licit. lib. 1.

§. 9. *Idem eodem anno.*

Statuentes & expresè decernentes, quòd si aliquis ex prædictis Nobilibus acquisiverit, & deinceps acquirat, aut sibi obveniant aliqua bona mobilia, aut immobilia, seu hæreditagia ab ignobilibus patriarum prædictarum, quovismodo bona illa sic acquisita sint, censeantur ejusdem conditionis, privilegii, & libertatis, cujus sunt alia bona nobilia ipsorum Nobilium, quandiu tamen in eorum dominio permanserint, aliàs non.

§. 10. *Ex Ordinatione Curiæ Parlamenti Parisiensis.* 1463.

Visis Supplicationibus & Requestis Procuratoris nostri generalis, necnon Edictis & Ordinationibus beati Ludovici Francorum Regis, & aliorum prædecessorum nostrorum super hoc factis, habita super his matura deliberatione cum pluribus gentibus Consilii nostri, consideratis insuper circa hæc attendendis & considerandis; præfata Curia nostra supradictas Ordinationes & Edicta insequendo, quòd subsidia & onera pramissa, & alia similia quæ Collectores, Subcollectores, & alii nonnulli Officiarii Commissarii Romanorum Pontificum, sub colore vel prætextu Constitutionum supradictarum, & aliarum similium, supradicta onera in futurum levare & exigere concernentium, non levabuntur, colligentur aut exigentur: & insuper quòd omnibus & singulis Officiariis nostris, prout ad eos pertinuerit, injungetur & mandabitur, prout etiam injungimus & mandamus, ne de præmissis oneribus & subsidiis per dictos Collectores, seu Subcollectores, vel eorum Commissarios quicquam exigi, colligi, vel levari: neque per dictos viros Ecclesiasticos, & alios quoscumque subditos nostros propterea citari, vel molestari permittant, ordinavit & ordinat.

§. 11. *Ludovicus XI. anno* 1479.

* *Nostram*] Lata Turonis 20. Aprilis post Pascha. Adde Constit. Ludovici XII. anno 1504. quæ est Gallicè impressa. De excubiis autem hujus Vitis, Edictum Regis Joannis latum 4 Martii anno 1363. Servatur in scriniis Procuratoris regis, in Castello Parisiensi, cujus copiam habeo. C. M.

Cùm ad nostram * pervenerit cognitionem, & infrà. Nos, quantùm est nobis possibile, subjectos nostros in amore, pace, unione, tranquillitate & justitia vivere volentes, ex nostri Magni Consilii deliberatione per modum provisionis, donec aliud per Nos fuerit ordinatum, dicimus, declaramus, constituamus, & ordinamus, quòd per Villas, Plateas, & Castellanias Regni ac domanii nostri, ac nobis vel subditis nostris pertinentes, in quibus excubias faciendi jus habetur, & consuetudo ultra quinque solidos pro quolibet foco levandi per villas easdem, aut dominos Castellanos, vel eorum Capitaneos pro toto jure jam dictarum excubiarum ultra dictam summam quinque solidorum Turonens. annuatim pro foco quolibet, seu quinque denarios Turonenses pro mense deinceps (donec per nos aliud fuerit ordinatum) non levabitur, nec exigetur, neque pro dictis excubiis aliquid ulteriùs de cætero peti poterit vel exigi; abolentes omninò consuetudinem qua res omnes illorum pro jure prædicto excubiarum capi levarique solebant: omnibusque villis & dominis Castellanis expressiùs inhibentes, ne sub eis, nec in eorum Castellaniis & possessionibus res antedictas levent de cætero, vel levari patiantur sub pœna arbitraria per Baillivos, Seneschallos, & alios Judices nostros ordinarios eisdem imponenda. Præterea qui jam dictas excubias facere potiùs quàm prædictam quinque denariorum Turonensium summam pro mense solvere maluerint, ad hoc recipientur. Excubias autem facere volentibus antedictas, locus & platea condecentes in cooperto de cætero tradentur, neque pro jam dictis excubiis faciendis ad plateam prædictam ante Solis occasum venire tenebuntur; sed & in Solis ortu pro suis jornalibus largandis, permittentur abire: nec retinebuntur, vel ad corvatas aut servitium aliud peragendum compellentur: si quis verò facere præsumpserit contrarium, per Judicem & Officiarium ordinarium Provinciarum & Ressorrorum, secundùm casuum exigentiam arbitrariè punietur. In plateis autem vicinis inimicis, ubi dubitari posset aperire, aut ad claudendum plateas prædictas expectare, vel dubium foret aut suspicio recipere gentes aliquas minùs securas ad excubias hujusmodi faciendas, aperiendas, vel claudendas portas, hora per Capitaneos avisanda: necnon prædictos quinque solidos Turonenses annuatim, vel personas ad easdem faciendas excubias, recipiendi Capitaneorum jam dictorum discretioni relinquitur, sicut melius pro dictarum platearum securitate viderint faciendum. Insuper illi qui non consueverunt excubias facere, vel pridem minus duodecim vicibus illas annuatim faciebant, aut qui minus quinque solidis Turonensibus anno quolibet solvere consueverunt, tractatu, in eorum possessione remanebunt. Si verò plus solverint ultra prædictos quinque solidos Turonenses, annuatim capi, peti vel exigi non poterit conventione vel possessione, vel aliàs secundùm formam suprascriptam. Habitatores insuper Castellaniarum, quarum plateæ demolitæ, prostratæ, vel in ruinam collapsæ sunt, in quibus Castellaniæ vel excubiarum jus haberi prætenditur, sub colore quocumque seu prætextu privilegii cujuscumque in eisdem plateis (quandiu steterint in demolitione vel ruina) nec alibi excubias aliquas dè cætero facere non tenebuntur: omnibus insuper dominis Castellanis, Capitaneis, eorumve Locatenentibus ac Clericis excubiarum, & aliis Officiariis Villarum & Castrorum seu Castellaniarum prædictarum, inhibemus ne contra deficientes per viam cursarum ob defectum excubiarum hujusmodi, vel prisiam aut arrestationem, seu detentionem personarum habitantium Villarum & Castrorum jam dictorum, aut prisiam instrumentorum laboris sui, nec per alias duras executiones & rigorosas de cætero procedere præsumant, neque teneantur jam dictarum excubiarum occasione unus pro alio, sed pro semetipso dumtaxat, sub pœna corporali, quantùm ad eas qui facient vel fieri patientur cursas antedictas. Quantùm autem ad alios sub pœna emendæ ad Baillivorum, Seneschallorum, & aliorum Judicum nostrorum: necnon Officiariorum ordinariorum Justitiæ, territorii vel jurisdictionis, ressorti, seu exemptionis, in quibus præmissa contigerit, Ordinationem arbitrando, insuper ut debata, rancores, odia, necnon divisiones ad causam excubiarum prædictarum hactenus proventæ & quæ adhuc accidere possent, tollantur atque amoveantur, ac ut bonus amor & unio inter dictos Castellanos, Capitaneos, & alios excubias hujusmodi levantes & habitatores prædictarum Castellaniarum interteneatur, omnisque causa discordiæ & divisionis inter eos eviteur, nos processus omnes ad causam expedictarum excubiarum tam in nostro Magno Consilio, quàm nostris Curiis, & aliis Auditoriis quibuscumque saltem in nostris Regno & Delphinatu constitutis intentatos hactenùs & introductos ac pendentes annullavimus & annullamus: qui autem occasione prædictarum excubiarum, tam agendo quàm defendendo fuerint in processu de arreragiis & defectibus antedictarum excubiarum, ac damnis omnibus & expensis, & interesse totius temporis præteriti usque ad diem præsentem, quieti & liberi remanebunt. Et nihilominus ipsos ex nunc extra processum omnem præfatas excubias, tangendo posumus, absque hoc quod ad causam temporis hactenus præteriti pro facto jam dictarum excubiarum quatro vel demanda per unum adversus alium fieri possit. Præterea volumus & ordinamus, quòd in nostro Magno Consilio, necnon in omnibus Curiis nostris Parlamenti, Scbacario Normaniæ, ac omnibus Curiis, Jurisdictionibus, & Auditoriis Re-

gni nostri & Delphinatus, quotiens in materiâ excubiarũ accesserit quæstio, de cætero & donec per Nos aliud fuerit ordinatum, judicetur, sententietur, & determinetur secundùm nostram præsentem Cõstitutionem & Ordinationem suprascriptam : quodque Judices omnes contrarium facere præsumentes, ut nostræ regiæ Ordinationis & Constitutionis transgressores puniantur. Porrò ut certus ordo finalisque conclusio detur materiæ excubiarum tam pro jure illorum quos negotium tangit, quàm securitate platearum custodiendarum, necnon nostri pauperis populi sublevamento : Volumus & ordinamus ut omnes Baillivi, Senescalli, Gubernatores, & alii Præsidentes provinciarum Regni nostri & Delphinatus, nostrique Procuratores in eisdem Provinciis, penès Nos, & gentes nostri Magni Consilii infra primam diem Septembris proximè futuri ponent declarationem omnium villarum & platearum tam nostrarum quàm subditorũm nostrorum, in eorum provinciis, jurisdictionibus, ressortis constitutarum, in quibus villis & plateis castrum habent, & jus Castellaniæ & excubiarum prætenditur : specificent insuper & declarent specialiter plateas consistentes in locis periculosis & frontariis immorum nostrorum, ubi custodia major requiritur, necnon illarum quæ sunt in ruina, ut inde sicut pertinebit, ordinetur.

Sequebatur hic pulcher Titulus de financiâ Francorum, feudorum, & novorum acquæstuum, quem meritò præterii, quia neque est Constitutio Regia, nec decretum Senatus, nec aliquid authenticum : sed est apocrypha & merè privata scriptura, ad instruendum harpyas illas aulicas, quæ præsertim in adventu novitiorum Regum quærunt hoc prætextu occasionem expilandi populum, præsertim plebeios & Ecclesiasticos, & quantùm possunt, exigunt ab his quibus fucum faciunt, aut qui se defendere nequeunt. Hæc autem turpis instructio primùm Gallicè à privato scripta est, deinde in feculentam latinitatem conversa non solùm corruptè, sed etiam falsitate addita, videlicet tria ultima Capitula Decisiones nuncupando, idque falsò, quia in Originali Gallico quod in multis libris impressum est, Dubitationes sunt & nuncupantur. Itaque instructiones illæ nullius prorsus auctoritatis sunt, sed prorsus cum pravis & tyrannicis adinventionibus exhibilandæ.

TITULUS XXXVII.

DE IMMVNITATE, & reparatione Ecclesiarum.

§. 1. *Carolus VI. anno Domini* 1389.

CUm ad nostram Regiam Majestatem deceat omnes dies & noctes cum omni lucubratione & cogitatione jugiter perducere, ut semper aliquid utile & Deo placens à nobis subditis nostris præbeatur, & in hoc expendere consilia dieque noctuque, Volumus ut nostri subjecti, præsertim viri Ecclesiastici sub omni quiete existant, illicitâ molestiâ & vexatione liberati. Et inter cætera ad quæ causam nostræ Regiæ Celsitudinis dum insulas Regias in nostra coronatione suscepimus, ex debito tenemur astricti, præcipuè debeamus illud studio pervigili, ne Ecclesiæ Regni nostri, quarum patronus * esse dicimur, debitis & solitis fraudentur obsequiis, nec in ipsis divina servitia, ac reditus quibus sustentantur, in Ecclesia, Jesu Christo famulantes minuantur : quinimò insudare labore sollicito, ut eadem obsequia propter quæ ipsa Beneficia conferuntur, ac ipsorum Beneficiorum & Ecclesiarum reditus nostris præsertim temporibus augmentum recipiant ; quoniam prædecessores nostri ac cæteri singuli qui sanctissimas Ecclesias fundaverunt, non pro ædificiis solùm cogitaverunt, sed etiam ut expensas sufficientes dictarum Ecclesiarum Ministris concederent & determinarent : novissimè verò his diebus, ex relatibus fide dignis, non absque grandiori rubore & cordis amaritudine, Procuratori nostro Generali, & per eumdem Procuratorem nostrum, nobis in præsentia nonnullorum de genere nostro ac nostri Magni Consilii, insinuatum extitit : quòd licet Beneficia Ecclesiastica pro imbi servitio divino & officio celebrando constituta, per eos qui Ecclesias ædificari fecerunt, multis reditibus & proventibus opulentis & sufficientibus pro Christo Ministris educandis, pro dictisque Ecclesiis, ipsarum etiam Ecclesiarum ædificiis sustinendis, reparandis, ac cæteris hereditagiis excolendis, pauperibusque Christi & indigentibus in doctorum Beneficiatorum domibus & habitationibus recipiendis, ac eisdem necessariis ministrandis, ac calicibus, ornamentis, Reliquiis & cæteris jocalibus pretiosis Ecclesiæ dotatæ & munitæ fuerunt, intentionisque prædecessorum nostrorum & cæterorum qui Ecclesias fundaverunt, extiterit, pauperibus clericis Regni nostri in sacra pagina, & aliis scientiis studentibus, ut in studiis educari & eruditi, ac inde magnis scientiæ donis decorari valeant, aliisque viris litteratis & idoneis de Beneficiis per ipsos fundatores sic dotatis provideri : nihilominus Cardinales * moderni in numero tricenario sexto, aut eo circà, quibus, prout fertur, omnia Regni nostri Beneficia pro ipsis eorumque statu non sufficerent, præsertim cùm in alienis partibus dicta nulla Beneficia vel saltem pauca obtineat, & plures alii extra Regnum nostrum commorantes nonnullas Abbatias, Prioratus conventuales, & alios, Orphanotrophia seu Hospitalia domus Dei in Abbatiis etiam & Prioratibus, officia claustralia & alia, ac dignitates majores in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis acceptant, & obtinent quicquid inde habere & exigere possunt dicti Cardinales, & alii extra dictum Regnum nostrum commorantes recipiunt, Ecclesiis sive Monachis, Religiosis, & Christi Ministris saltem in numero sufficienti pro divino servitio faciendo derelictis, omnesque reditus, proventus, & emolumenta dictorum Beneficiorum ad suos usus proprios convertunt, & extra Regnum nostrum deferri faciunt : nihil aut saltem minus quàm deceat, in refectiones & reparationes dictarum Ecclesiarum ac ædificiorum dictorum Beneficiorum, ac cæterorum hereditagiorum culturam convertendo. Quinimò dictas Ecclesias prædictarumque Ecclesiarum ædificia ad terram prosterni, & ipsarum Ecclesiarum hereditagia inculta dimittunt, ut jam nonnulla Ecclesiarum ædificia in tantam ruinam sint deducta, quòd ibi non est locus, quin runcis & spinis repleatur, hospitalitatem, & cætera opera charitatis * totaliter omittentes ; dicti etiam Cardinales credentes ostendere quòd Beneficia in minori numero obtineant, cùm aliquem Prioratum vel Beneficium aliud acceperunt, illud ad pensionem annuam (quæ frequentiùs ad valorem redituum dicti beneficii ascendit) alicui conferri seu dimitti procurant : ex quo sequitur quòd ille qui tale Beneficium cum pensione receperit, non habens unde vivere, divinum deserit Officium : & si iste modus Beneficia cum annua pensione commutandi permitteretur, statim uno Cardinali mortuo, alius Cardinalis pensionem prædictam peteret sibi conferri, quod juri contrarium reputatur : per quæ mens & intentio Prædecessorum nostrorum, & cæterorum qui Ecclesias Regni nostri fundaverunt & dotaverunt, frustrantur ; intentio etiam & devotio fidelium minuitur, Regnumque nostrum ruinis & aliàs multipliciter deformatur ; jura etiam nostra depereunt & annullantur, ac studia & Universitates in Regno nostro studentium, qui fructus & palmites pretiosos præ cæteris studiis ubique

* *Patronus.*] rapiens, de accusat. C. M.

* *Cardinales.*] Creaturæ novi illius idoli Clementis VII. in schismate electi sedentis. Aut hujus edicti Academia Parisiensis auctrix fuit, ut Chronographi testantur. C. M.

* *Charitatis.*] En zelum & charitatem antequàm Cardinalé.

diffundunt, & in quibus maximè Regnum noſtrum exteris Regnis præcellit, deſeruntur & deſtruuntur omninò: & quod importabile & irrationabile exiſtit, licet de jure, uſu, & conſuetudine, & communi obſervantiâ notoriè obſervatis, Epiſcopis Regni noſtri teſtari liceat, & in ſuis teſtamentis executores ordinare: qui prædicti executores aut ſaltem ipſorum Epiſcoporum heredes * ad faciendum reparationes ædificiorum dictorum Epiſcopalium, dum caſus eveniunt, per Judices & Officiarios * noſtros compellantur, & compelli conſueverunt: & cùm ità hat, ædificia & poſſeſſiones dictorum ædificiorum Epiſcopalium in ſtatu non deformi permanebunt omni ruina carentes: attamen nunc cùm Epiſcopum in Regno noſtro ab hac luce migrare contingit, Collectores aut Subcollectores ſummi Pontificis, in Provinciis quibus ſubſunt * hujuſmodi Epiſcopi, ipſius ſummi Pontificis auctoritate bona mobilia & immobilia ex deceſſu talium Epiſcoporum relicta, etiam illa quæ per ſuam induſtriam quæſierunt, quæ ampliùs ipſorum Epiſcoporum non ſunt, neque cenſentur: ſed ad ſuos hæredes aut eorum executores ſpectant, capiunt: & nihil de his reparatione ſeu refectione ædificiorum & aliorum hereditagiorum dictorum locorum Epiſcolium eo caſu convertentes: nulla etiam ſolutione aut ſatisfactione dictorum Epiſcoporum creditoribus facta per Collectores aut Subcollectores: prædicta bona heredibus Epiſcoporum ſic decedentium (qui ditiores inde, nobis honeſtius in guerris noſtris & alibi, juxta ſtatus eorum ſervire poſſent & deberent) totaliter amovendo: ac ipſos contra jus & conſuetudinem exheredando, in juris noſtri regaliaque poſt obitum dictorum Epiſcoporum nobis in eiſdem Eccleſiis competentes, ad totius Reipublicæ præjudicium non modicum & gravamen: & non ſolùm bona prædicta Epiſcoporum capiunt, ſed etiam Monaſteriorum, poſtquàm Abbates viam univerſæ carnis ſunt ingreſſi; licèt dicti Abbates non habeant, nec habere poſſint proprium: ex quo ſequitur quòd Abbates ſucceſſores ſic bonis denudati ſervitium quod dicto ſummo Pontifici ſolvere neceſſe eſt, exhibere nequeant, nec valeant ſibi & ſuis Monachis victualia & cetera neceſſaria miniſtrare, unde divinum Officium deſeritur, ædificiaque ruinoſa, & cetera hereditagia remadeant inculta: & (quod dolentes referimus) dicti ſucceſſores Abbates ornamenta Sanctorum, Reliquias, jocalia dictorum Monaſteriorum, quibus in honorem Salvatoris ejuſque Beatiſſimæ Genitricis, ac exterorum Dei Sanctorum Eccleſiæ decorantur, & interdum prædictorum Monaſteriorum reditus & hereditagia, ne mendicent nec eſuriant, viliter diſtrahere in ipſorum Monaſteriorum & Eccleſiarum exheredationem compelluntur: & (quod deterius exiſtit) Abbate alicujus Monaſterii dicti Regni noſtri de medio ſublato, quandiu prædictum Monaſterium vacare contingit, & ipſius Monaſterii Prælatus poſſeſſionem adminiſtrationis ejuſdem adeptus fuerit, Collectores aut Subcollectores dicti ſummi Pontificis, fructus temporalitatis ipſius Abbatiæ prædicto ſummo Pontifici vendicare, dictamque temporalitatem ad manum ipſius, & in poteſtatem ſummi Pontificis apponere, per eamdem fructus & emolumenta dictæ temporalitatis recipere niruntur, in noſtræ juriſdictionis temporalis jurium noſtræ ſuperioritatis uſurpationem. Dicti inſuper Collectores aut Subcollectores fructus reditus, proventus primi anni omnium & ſingulorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum in noſtro Regno per reſignationem vel per mutationem, aut aliàs quovis modo vacantium, de facto capiant, dato quòd ſint Beneficia quorum collatio in regalia vel aliàs Nobis, aut alicui domino temporali nobis ſubjecto pleno jure, vel quorum præſentatio ad nos vel alium patronum laicum pertinet: & tamen nihil in reparationes ædificiorum, aut locorum & hereditagiorum agriculturæ dictorum Beneficiorum dicti Collectores aut Subcollectores impendere volunt. Et interim contingit, ut in Eccleſiis in quibus Prælatus fructus, reditus & proventus unius anni, & fabrica alterius anni percipere conſueverunt, dicti Collectores primi, Prælatus ſecundi, fabrica tertii annorum fructus percipiunt. Et his tribus annis curſum ſuum habentibus Beneficiariis, qui onera Eccleſiæ bajulant inceſſanter, ac diei & æſtus pondera ſuſtinent & labores cùm inde nihil percipiunt, paupertate depreſſi fere mendicando vivere coguntur. Plures alias indictiones, aut ſubventiones, aut novitates ſuper Eccleſiis, aut viris Eccleſiaſticis dicti Regni noſtri indicere, ac tot & tantas pecunias & financias exigere, & extra Regnum noſtrum tranſmittere ſatagunt dicti Collectores, aut Subcollectores: & noviſſimè nonnulli ſe dicentes dicti ſummi Pontificis nuntios, vel delegatos, vel commiſſos, cum tanto ſcandalo tam exceſſivas pecunias & financias ab Eccleſiis & viris Eccleſiaſticis Regni noſtri exegerunt, majores & importabiles pro ſuis conatibus indicere ſatagentes: quòd niſi ſuper hoc noſtra Regalis Majeſtas proviſet, viri Eccleſiaſtici Regni noſtri quaſi vagabundi in penuriâ maxima conſtituti, circa divinum Officium vacare nequirent, Eccleſiarum ædificia ruinoſa, & cætera hereditagia inculta remanerent: dictum etiam Regnum noſtrum (quod viris ſcientificis retroactis temporibus copioſè floruit) per quos Regni noſtri juſtitia hucuſque regi & gubernari conſuevit, vacuum financiis exhauſtum redderent, ac tot & tanta alia ſcandala inſurgerent, quod vix narrari vel concipi poſſent.

Notum igitur facimus quòd nos præmiſſa conniventibus oculis pertranſire nequeuntes, ſed tot & tantis periculis & ſcandalis ſubvenire, & totis conatibus, ut tenemur, providere cupientes, attento quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus Eccleſiam tanta voluit libertate * gaudere, ut nullius utilitatis obtentu ſubjici debat ſervituti, affectantes Eccleſias per viros Eccleſiaſticos Regni noſtri, quorum promptus defenſor & pugil * exiſtere gloriamur, in pace & tranquillitate ſedere, ac in libertate & franchiſia propagari: volentes etiam Eccleſias & viros Eccleſiaſticos Regni noſtri à talibus indictionibus & novitatibus indebitis præſervari, matura ſuper his & vicibus reiteratis Magni Conſilii noſtri deliberatione prahabita, ex certa ſcientia & auctoritate noſtra regia, ordinavimus, & per Præſentes ordinamus quòd Præpoſitus Pariſienſis, necnon Seneſchalli & Baillivi noſtri, vel eorum Locatenentes, videlicet eorum quilibet in Provincia ſibi commiſſa fructus, reditus & proventus temporalitatis Beneficiorum Eccleſiaſticorum in quibus defectus ſupra factos aut aliquos eorumdem repererint quæ dicti Cardinales, & alii viri Eccleſiaſtici, quicumque maximè extra Regnum noſtrum ſuam moram trahentes, obtinent, ac etiam annuas penſiones quas dicti Cardinales aut alii ſuper Beneficiis Regni noſtri percipiunt, ad manum noſtram realiter ponant, ac ponere tenebuntur: ipſas verò Eccleſias, ac ipſorum Beneficiorum ædificia in ruinam lapſa, & cætera hereditagia ex fructibus, reditibus, & proventibus eorum Beneficiorum reparari, & prædicta hereditagia excoli: minoribus tamen ſumptibus, quibus rationabiliter & utiliùs fieri poterit, faciant; Religioſis etiam, ac cæteris Deo famulantibus in dictis Beneficiis juxta numerum antiquum, vel alium majorem, ſecundùm ipſorum Beneficiorum facultates, per Abbates vel alios ad quos ſpectabit, Ordinatis ſeu Ordinandis, de victualibus & aliis, ut circa divinum Officium intendere poſſint provideri, ac hoſpitalitatem, & cætera charitatis opera in locis ubi conſueverunt fieri: necnon creditoribus quibus dicta Beneficia obnoxia ſeu obligata repererint, ſatisfieri procurabunt certos Commiſſarios Eccleſiæ nullatenus onerolos

* *Heredes.*] ut ſuprà dixi in conſuet. Pariſ. §. 152. C. M.

* *Officiarios.*] ut inf. q. Gal. 187. 225.

* *Subſunt.*] id eſt obedientiæ ſuæ.

Pulcherrima Ordinatio contra ſummi Pontificis avaritiam, exactiones, & extorſiones.

* *Libertate.*] Quæ relicta eſt in ſpiritu, ad quem lepram illa capita beatæ cum decem cotylis, quæ corpus Eccleſiæ tenterunt, pertingere nequeunt. C. M.

* *Fugil.*] Qua tantenus Pontificios arcendo, ut ſucceſſoribus ſuis duplo deglubendâ relinqueret. C. M.

oneroſos, idoneos & ſufficientes locorum ubi dicta Beneficia ruinoſa ſituantur, aut ſaltem aliorum ipſius loci dictorum Beneficiorum magis propinquorum, abſque ſtipendiis atque moderatis expenſis, ad hoc committendo: qui quidem Commiſſarii de geſtis, receptis, & adminiſtratis per ipſos, rationem, computum, & reliqua ſolvere tenebuntur, & reſiduum fructuum & proventuum Beneficiorum prædictorum dictus Præpoſitus noſter Pariſienſis, Seneſchalli & Baillivi noſtri, aut eorum Locatenentes, illi vel illis ad quos ſpectabunt, dimittent: quos quidem Commiſſarios ordinari volumus conſilio Religioſorum, aut Fratrum dictorum Monaſteriorum & Hoſpitalium, ſi qui ſint in locis prædictis: alioquin cum conſilio Abbatum, & aliorum de Conventu quibus dictus Prioratus aut alia Beneficia prædicta ſubſunt, vel ſaltem cum conſilio Abbatum, & eorum Conventuum, Priorum, ſeu Decanorum ejuſdem Ordinis ſua Beneficia magis propriè dicta Beneficia ruinoſa habentium. Volumus ac etiam ordinamus quòd ſtatim quòd aliquem Epiſcopum noſtri Regni, vel Abbatem, ſeu Priorem, aut Orphanotrophum, ſeu domus Dei, vel hoſpitalis adminiſtrationem obtinentem ab hac luce migrare continget, dictus Præpoſitus Pariſienſis, aut Seneſchallus vel Baillivus, ſeu ejus Locumtenens in ejus Præpoſitura, Seneſchallia, vel Baillivia, bona quæ ex deceſſu talis decedentis relicta reperta fuerint, illa realiter & de facto ad manum noſtram apponat, ſi per heredes aut executores ipſius Epiſcopi mortui, vel per Religioſos Conventuum & Monaſteriorum, aut Fratres Hoſpitalium, vel domorum Dei, requiſitus fuerit: aut ſi dicti Collectores aut Subcollectores bona prædicta capere, & ad manum dicti ſummi Pontificis jam appoſuerint, aut apponere vellent: dicta bona heredibus aut executoribus decedentis, cui licitum eſt teſtari, juxta ipſum teſtamentum vel ultimam voluntatem, & ſi ſit Abbas vel Religioſus, non præter Eccleſiæ cui præſidebat, dimittat.

Et inſuper ordinamus quòd dictus Præpoſitus, Seneſchalli & Baillivi, vel eorum Locatenentes, fructus, reditus, & proventus Beneficiorum quorum collatio vel præſentatio ad Nos, vel alium laïcum Patronum, vel ad quos, vel ad quem Nos vel alius Patronus laïcus aliquem vel aliquos præſentaverimus, illi aut illis ad quem vel ad quos de antiqua conſuetudine ſpectabunt, dimittant: abſque eo quòd prædicti Collectores aut Subcollectores ex dictis Beneficiis inde quicquam, ſub quorumcumque prætextu Litteras habere permittant: quocirca Præpoſito noſtro Pariſienſi, Seneſchallis & Baillivis prædictis, aut eorum Locatenentibus, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, committimus & mandamus, quatenùs præſentes Litteras in locis publicis ad hoc conſuetis publicari & manifeſtari faciant & procurent, taliter quòd nullus, ſub ignorantiæ prætextu, de prædictis ſe valeat excuſare, ipſaſque operi & effectui tradere feſtinent, & eàs viriliter & debitè exequantur modo & forma ſupradictis: omnes & ſingulos impeditores & contradictores, inobedientes & rebelles, per captionem, detentionem, & expletationem ſuæ temporalitatis, & omnibus aliis viis & remediis opportunis ad parendum præmiſſis, compellendo. In cujus rei teſtimonium præſentibus Litteris noſtrum fecimus apponi ſigillum. Datum Pariſiis, in Hoſpitio noſtro ſancti Pauli, ſexta die menſis Octobris, anno Domini milleſimo trecenteſimo octogeſimo quinto, Regni noſtri ſexto.

TITULUS XXXVIII.

DE ACCUSATIONIBUS, *Inquiſitionibus, & denuntiationibus.*

§. 1. *Ludovicus IX. anno* 1254.

SEd ne occaſione criminis vel delicti detineatur aliquis perſonaliter, qui velit & valeat idoneè ſatisdare, niſi criminis hoc requirat enormitas, de quo confeſſione propria vel probatione legitima ſit convictus, vel niſi tam violentis præſumptionibus vincatur, ut Judex cognoſcat reum eſſe perſonaliter detinendum: & quia in Seneſchalliis Bellicardi & Carcaſſonæ ſecundùm jura terræ & conſuetudinem ſit inquiſitio in criminibus, mandamus quòd reo petenti acta, inquiſitiones ex integro tradantur.

§. 2. *Radulphus Franciæ Conneſtabularius, Regius Legatus in partibus Tholoſanis, anno Domini* 1293.

Epiſcopus Tholoſanus cavebit ne teneat homines armatos, clericos vel laïcos, qui armati vadant publicè per vicos civitatis vel loca diœceſis, pro inveſtigandis clericis malefactoribus: ne hoc prætextu damnoſum aliquid dommo Regi, & Reipublicæ contingat: ſed inveſtigabit idem Epiſcopus, ſeu inveſtigari aut perquiri faciet malefactorem in villa, civitate, & hinc armis:* & cùm denuntiatum fuerit ei vel ejus mandato, in quo loco ſunt, poterit mittere de ſuis ſufficienter ſi vellet munitis de armis, ſi opus eſt, ad capiendos eoſdem; & ſufficienter munitos dicimus, ſecundùm rebellionem quam in prædictis malefactoribus veriſimiliter crediderint invenire: & ſi magna fuerit violentia, ſubſidium regale requiratur. Præterea videtur honeſtum quòd propter ſcandalum evitandum violentam captionem non faciat idem Epiſcopus, ſeu gentes ejus, in domibus honeſtorum virorum, aut honeſtarum matronarum, cùm aliunde ſufficiat ipſi Epiſcopo quòd eos capere poſſit aut in viis vel plateis, tabernis, & aliis locis inhoneſtis. Inſuper ſi pro crimine coram gentibus domini Regis citetur aliquis ſub nomine proprio, nihil adjecto de clericatu: ſi tempore citationis erat in ſtatu laïci, nihil de habitu clericali oſtendens, & poſt citationem aſſumpſerit vel reſumat habitum clericalem, ſummariè cognito quòd eſſet in ſtatu laïci, cùm ipſum citatio apprehendit, aut facta fuit, transferatur perſona hujus in poſſeſſionem Curiæ ſæcularis, tenenda ibidem quouſque per judicium Curiæ Epiſcopi de clericatu & poſſeſſione Curiæ ſæcularis petitorio fuerit judicatum cuilibet, atque ſi gentes etiam Epiſcopi fuerint requiſitæ ut mittant aliquos clericos ad faciendum teſtimonium in cauſis civilibus, conſultum eſt ut eis mittat ad deponendum in dictis cauſis, ne ob defectum teſtium cauſæ valeant deperire.

§. 3. *Philippi IV. anno Domini* 1303.

Denuntiator vel inſtructor reſarciat denuntiato damna & expenſas quas idem denuntiatus ſuſtinuerit, niſi de dicto delicto denuntiatus fuerit diffamatus, vel ad minus per unum teſtem idoneum convictus, vel aliàs apparet probabilis ſuſpicio contra eum ad cognitionem Curiæ ad judicium, ita tamen quòd ſuper prædictis denuntiator vel inſtructor in teſtem minimè admittatur. Pro crimine autem ſeu delicto nullus capiatur in civitate Tholoſæ, nec infra terminos, nec bannum aliquod ponetur in bonis alicujus, niſi de mandato Seneſchalli, Vicarii, aut Conſulum

* *Sive armis.*] Sed nec hoc receptum eſt ut per Steph. Aufrer. rep. ad. 1. de Offic. ord. num. 83. Guil. Benedict. rep. c. Raynutius, ver. & uxorem nomine Adelaſ. nu. 424. de teſtam. Addelo. gal. q. 276. & inf. par 7. Arreſt. 1. Panor. & quod ibi dicit contra Decium, c. ſignificaſti, cap. fin. de Off. deleg. & in cap. cùm non ab homine num. 9. de judiciis. C. M. Nemo idoneè ſatisdare volens, debet occaſione delicti vel criminis detineri perſonaliter, niſi criminis hoc requirat enormitas.

Tholosæ, vel eorum Judicum : & si contrarium factum fuerit, pro nullo habeatur, nisi in casibus in quibus mora ad vindictam publicæ justitiæ, vel nobis aut parti posset esse damnosa.

§. 4. *Idem anno* 1304.

Accusator in criminalibus tenetur se inscribere ad pœnam talionis.

Ordinamus quòd si aliquis accusator vel denuntiator appareat, & voluerit prosequi contrà aliquem, nomen ejus in inscriptione ponatur : & si reperiatur calumniator, ad cognitionem Senescalli vel Judicis puniatur. Præterea Notarii non faciant inquisitionem contra aliquem sine mandato Senescalli vel Judicis loci, præterquàm in casibus in quibus mora esset damnosa.

§. 5. *Philippus VI. anno Domini* 1438. *Carolus V. anno Domini* 1458.

Irrefragabili prohibemus Edicto, ne Senescalli, aut alii quicumque Justitiarii nostri, quemcumque Nobilem aut alium capiant pro quocumque delicto, nisi in facto præsenti vel priùs de commisso delicto informati contra eum fuerint legitimè & maturè, aut de hoc esset fama publica, vel præsumptio vehemens contra eum, seu verisimiliter de fuga timeretur illius : nec in aliquo casu prædicto procedatur ad inquestam, nisi informatione præmissa de & super innocentia sicut de culpa : & cum informationes secretè fient contra delatos de crimine & excessu, Notarii seu Commissarii scribere & examinare teneantur depositiones testium, quantùm faciant pro innocentia seu excusatione delati. Adjicimus etiam huic Edicto quòd alius denuntiator, instructor, instigator, seu alius quocumque nomine censeatur, ad prosequendam denuntiationem suam non admittatur, nisi priùs de damnis refundendis dederit idoneam cautionem.

§. 6. *Idem annis eisdem.*

Concedimus insuper prædictis altis Justitiarüs, seu merum imperium habentibus, & eorum cuilibet, quòd si contingat aliquem per ipsos aut eorum alterum banniri, & postmodùm ille bannitus per gentes nostras pro eodem casu vel alio banniatur, ac deinde venerit dictum bannitum in sua alta jurisdictione, & ibidem eum acceperit, non impediatur per gentes nostras occasione dicti secundi banni per gentes nostras facti, quominùs dictum bannitum justitiare valeat, prout ad ipsum pertinuerit, quandiu fuerit diligens in hac parte.

§. *Philippus VI. anno Domini* 1344.

* *Suspectis.*] Vides quàm fiat suspectæ & perniciosæ Commissiones extraordinariæ, C.M.

Quia sæpe per malevolos & de malitia plurimorum à nobis impetrantur Litteræ sub nomine Procuratoris nostri, & eo penitus ignorante, per quas committitur etiam personis suspectis, * ut informationes faciant contra personas bonæ famæ : ex quibus quamplures notabiles personæ enormiter læduntur, non solùm in bonis eorum, sed etiam in personis denigratione famæ suæ : nam & ipsi in vilibus carceribus detinentur, & eorum bona in manu nostra ponita distrahuntur, & indebitè dissipantur : & quandoque contra Officiales nostros, qui propter justitiam & observationem juris nostri malevolentiam & odium quamplurium incurrunt. Cùm igitur intentionis nostræ non existat quòd subditi & Officiales nostri talibus informationibus opprimantur, ordinamus ac etiam decernimus, ut de cætero virtute talium Litterarum tales non fiant informationes, nec Litteræ sub Procuratoris nostri nomine concedantur* nisi de nostra * expressa scientia procedente, aut ipso Procuratore nostro Generali hoc in sui persona petente, vel de ipsius certo mandato : aliàs autem Volumus ut impetrantes hujusmodi damna & expensas illis refarciant & reddant, ac injurias emendare teneantur : & qui talia impetrare præsumpserint, erga Nos emendam 60. librarum Turonensium ex tali impetratione incurrant, & incidant ipso facto, ad quam nobis solvendam celeriter compellantur ; nec ulla fides prædictis informationibus adhibeatur. * Si verò aliqui subditi & Officiales nostri virtute informationis debitè factæ per Litteras nostras de voluntate & consensu nostro concessas, aut ad petitionem Procuratoris nostri Generalis, seu ejus certi mandati (ut prædictum est, capti fuerint, ipsi antequam in carcerem intrudantur, ad Judicem cujus auctoritate capti fuerint, adducantur, forefactis per informationem repertis contra eos propositis in suis defensionibus audiantur : & sic confestim Judex de corporis elargitione, seu detentione bonorum, suorum recredentia facienda vel non, prout sibi justum & æquum visum fuerit, valeat ordinare. Quòd si ita prompte Judicis copiam habere non possint, dicti capti honestè & securè teneantur, donec ad Judicem adduci valeant, & in suis defensionibus audiri : cùmque nostræ intentionis non existat, quòd præsentis Ordinationis occasione delicta remanere debeant impunita, declaramus ordinariam jurisdictionem seu potestatem Senescallorum, Baillivorum, Præpositorum, Bajulorum, aut aliorum ordinariorum, seu Procuratorum nostrorum Baillivarum & Senescalliarum non diminui, nec ei aliquatenus derogari : Ordinationem tamen nostram antequam renovantes, statuimus & ordinamus quòd Procuratores nostri occasione criminis, delictorum excessuum contra aliquos subditos nostros prosecutionem, placitationem seu delationem non faciant, nisi præcedente informatione debita, & præcepto Judicis competentis. *

* *Nostra.*] Hæc exceptio totum eludit, quemadmodum omnia Decreta Tridentina evanescunt per cautam illam, salva gratia Papæ, ut sic ejus census augeatur, addito pretio novæ derogationis C. M.

* *Adhibeatur.*] Ergo nec talibus judicis. C. M.

* *Competentis.*] Hic addebatur art. 3. Constit. Carol. V. anno 1556. Vide in Gallicis. C. M.

§. 8. *Carolus VI. anno* 1413.

Pro parte Procuratoris nostri in Senescallia Tholosæ nobis existit significatum, quòd cùm nonnunquam per Servientes, Notarios, & alios Officiarios nostros, Commissarios & executores per Senescallum nostrum Tholosæ, aliosque Judices vel Officiarios nostros deputatos, aliquæ executiones vel expleta Justitiæ contra aliquos Clericos vel gentes Ecclesiasticas super portu armorum, fractione salvagardiæ, aut aliis casibus de quibus ad nos & Officiarios nostros cognitio pertinet, contingit fieri & exerceri : Iidem Clerici & gentes Ecclesiasticæ, tales executiones & expleta molestè ferentes, eosdem Officiarios ob hoc in causis injuriarum trahunt coram nonnullis Conservatoribus aut aliis Judicibus Ecclesiasticis, tam infra dictam Senescalliam quàm extrà residentibus, eosque multis vexationibus & inquietationibus, & processuum & expensarum involutionibus intricant & involvunt, omisso recursu ad ipsum Senescallum vel alios Judices, qui de talibus expletis jurisdictionem nostram temporalem concernentibus, & ab ea dependentibus cognoscere debent, & sunt parati : quapropter accidit sæpiùs quòd contra tales Clericos aut personas Ecclesiasticas vix reperitur qui talia expleta velit Justitiæ exercere, & ob hoc contingit cultum Justitiæ diminui, ac jus nostrum lædi, & debitum remedium justitiæ à nobis implorando contemni. Quocirca Nos volentes talibus providere, vobis mandamus, committendo si sit opus, quatenus hujusmodi Clericos & personas Ecclesiasticas, eorumque Judices & Conservatores Ecclesiasticos, memoratos Procuratores, ac Litterarum portitores, ad desistendum à præfatis vexationibus, inquietationibus, per captionem eorum temporalitatis, ipsarumque Litterarum & aliis viis & modis melius quibus fieri potent, viriliter & rigidè compellatis. Et eisdem inhibeatis, & inhiberi

faciatis sub certis magnis pœnis nobis applicandis, ne de cætero talia facere præsumant: sed vos super hujusmodi injuriis & aliis talia expleta concernentibus, si quæ sint, cognoscatis & ministretis, partibus ipsis auditis, bonum & breve justitiæ complementum, quia sic fieri volumus & concedimus per præsentes. *

* Præsentes.] Hic addebatur ex Constit. Caroli VII. art 30. 31. 34. & ex Constit. Caroli VIII. art. 2. 3 8. 9. & deinceps usque ad artic. 302. quos melius habes in Gallicis. C. M.

TITULUS XXXIX.

DE SIMONIA, ET NE QVID PRO regiis officiis exigatur vel solvatur.

§. 1. *Beatus Ludovicus* 1228.

* Crimen.] Quod in hoc Regno frequens erat etiam tempore Gregorii Magni, qui 1. q 1. effertur graviter hac de re increpavit Theodoricum, & Theodebertum Reges Francorum, diras calamitates insinuans quæ etiam eis contigerunt: quid ergo his Regibus fiet?

SImoniæ crimen * pestiferum Ecclesiam labificans, à Regno nostro penitùs eliminandum esse Volumus & Jubemus. *

* Jubemus.] Adde Carol. VII. §. 84 88. Carol. VIII. §. 68 in Gallicis. C.M.

TITULUS XL.

DE IVDÆIS ET VSVRIS.

§. 1. *Beatus Ludovicus* 1254.

CÆterum ordinationem de Judæis in perpetuum observari districtè præcipimus, quæ talis est. Judæi cessent ab usuris & blasphemiis, sortilegiis & characteribus: & tam thalamus quàm alii libri in quibus inveniuntur blasphemiæ, comburantur: & Judæi qui hoc servare noluerint, compellantur, & transgressores legitimè puniantur, ut vivant omnes Judæi de laboribus manuum suarum, vel de negotiationibus, sine terminis vel usuris.

§. 2. *Idem eodem.*

Præterea Statutum à nobis de consilio Baronum nostrorum apud Meldunum editum observari præcipimus firmiter & teneri: videlicet quòd nullum debitum haberi faciant Barones & Senescalli, aut aliæ quæcumque personæ Judæis, nec aliqui in toto Regno nostro Judæum recipiant alterius domini, nec impediant quominùs aliquis Judæum suum possit capere tamquam proprium servum, quantamcumque sub alterius dominio fecerit ipse moram. De Christianis verò, sicut in eodem Statuto continetur, prohibemus districtè quòd nullas usuras haberi faciant Barones, Senescalli nostri, vel aliæ personæ quæcumque eisdem. Usuram intelligimus, quicquid est ultra sortem. Istud autem statutum factum Meldum Volumus quòd Senescalli nostri observent, & faciant observari tam in terra Baronum, quàm aliorum, si defecerint, postquàm fuerint sufficienter requisiti.

§. 3. *Philippus IV. cognomento Pulcher*, 1311.

* Usuram] rem 1. vitat omnem usuram, quod temperandũ est, ut dixi in tract. usur. q. 2. C. M.

Philippus Dei gratia Francorum Rex, universis Senescallis, Baillivis nostris, & Justitiariis Regni nostri salutem, pro reformatione publica Regni nostri usuras * à Deo prohibitas, & à sanctis Patribus, necnon progenitoribus nostris damnatas prohibemus omnibus & singulis tam regnicolis nostris, quàm aliis in Regno nostro quomodolibet contrahere genus vel speciem quamlibet usurarum. Sed * graviores usuras substantias populi graviùs devorantes profequimur attentiùs, atque punimus: Pœnam enim corporis & bonorum ipso facto incurret regnicola vel forensis qui contra prohibitionem hujus præsumpserit usuras graves hujusmodi frequentare, seu per se, vel per alium se usuris hujusmodi exercendis conferre recipiendo, vel exigendo ultra unum denarium in septimana, quatuor denarios in mense, vel quatuor solidos in anno pro libra. 3 In nundinis * verò Campaniæ, ubi pro expeditione nundinarum mutuatur pecunia, vel creditur de nundinis ad nundinas, quæ sexies sunt in anno, propter graves summas mutuorum, vel alias creditas quæ contrahuntur ibidem, & in nundinarum favorem infligimus pœnam prædictam creditori qui aliter sub interesse nomine, vel alio præsumpserit excedere pro singulis nundinis supradictis lucrum quinquaginta solidorum pro singulis centum libris creditis, vel pro minori crediti quantitate pro rata: quod intelligimus de lucro quod de mutuo recipitur, vel cambio de nundinis ad nundinas, vel alio modo simili contractus cujusliber colore quæsito, ut si creditor supra dictam quantitatem lucrum receperit vel exegerit, pœnam committat prædictam. Quia verò sunt plures qui mutuant pecunias alterius licti contractus colore quæsito, vel contractus alios, usurariis mutuis graviores frequentant evidenter in fraudem gravium usurarum hujusmodi, pœna prædicta eos prosequimur atque ferimus, tales contractus usurarios esse censentes.

* Sed] tum 2. addit pœnam confiscationis corporis & bonorum gravibus, quæ excedunt 20. in 100 in anno, & sic duplicem ferè centesimũ, & sic eo tempore usuræ valde graves erãt in hoc Regno. C M.

* Nundinis.] num. 3 mirum quòd minores usuras tolerat in nundinis, n. 85. in 100. in anno excedant: & sic moderatio usurarũ juvat commercia, & verum est quicquid Lugdunenses & Romanæ trapezitæ dicant. Dixi in tract. usurar. n. 109. C. M.

Verùm per hoc non tollimus quominùs impunè creditor quilibet interesse legitimum præter sortem sibi debitam possit exigere ex mutui vel alio contractu quocumque licito, ex quo interesse rationabiliter & licitè peti possit, vel recipi.

Sed ne in fraudem usurarum maximè gravium in contractu mutui ab initio interesse promittatur, vel etiam postfacto petatur: Si quis ex contractu mutui vel alio credito ratione lucri faciendi, seu non facti, propter solutionem non factam debiti: pro interesse ultra dictas quantitates exigere vel recipere præsumpserit, pœnam incurret prædictam: propter excessum enim præsumimus id fieri in fraudem hujusmodi usurarum.

Præterea prohibemus ne quis creditor Litteras obligatorias mutui, vel alterius crediti, ut lucrum ex tempore convertatur in sortem, faciat renovari *, vel alias usuras, vel interesse quomodòlibet in sortem convertat: quòd si quis contra fecerit, dictam pœnam ipso facto incurret.

* Renovari.] prohibet anatocismum sub pœna corporis & bonorum.

Cæterùm quia mutuantes, pluries in frandem usurarum pecunias vendunt, vel cambiunt, & in contractu conventionem adjiciunt, ut solutio debiti eis fiat in alio valore, vel alia pecunia quàm sit illa quam tradunt, Volumus quòd nullus teneatur solvere, nec quis creditor præsumat exigere, vel recipere in eo modo pecuniæ traditæ per eum vel alios debitum, in majori valore quàm in valore pecuniæ traditæ, quantum videlicet valebat & currebat communiter, juxta Ordinationes nostras tempore * contractus, & quo pecunia tradita fuit; & si forsan contrarium sit conventum, conventio talis ipso facto sit nulla, creditorque contrarium faciens, tenebitur pœna prædicta. Et rursus plerique propter privilegia nundinarum * Campaniæ concessa pro debitis exigendis contractis in corpore nundinarum, debita extra nundinas verè contracta inscribi faciunt, vel bona nundinarum ipsarum, vel aliàs tamquam in nundinis contracta, ut gaudeant privilegiis supradictis. Prohibemus hoc igitur in futurum, pœna amissionis debiti, fisci viribus applicandi, coërcentes eosdem Notarios sigillantes, & Ministros quoslibet talia inscribentes falsò ac scienter, pœna falsi punimus. Sanè licet propter damna & onera quæ ex præmissis causis, & aliis Regnum nostrum ex Italicorum mora seu residentia sustinuimus tempore præcedenti, nuper inhibuissemus Itali-

* Tempore] & sic approbata fuit opinio mea in tract. usur. q. 90. cum 9. sequent.

* Nundinarum.] Prohibetur extendi etiã per destinationem solutionis. C M.

ne deinceps residentiam facerent in Regno nostro, sed exirent inde : quantùm ad residentiam supradictam propter affectionem quam ad patrias habemus Italiæ, prout & nostri progenitores habuisse noscuntur : Italicis prædictis relaxamus inhabitationem hujusmodi, volentes quòd Italici mecatores quicumque nobis, Regno nostro, Ecclesiæ Dei devoti, & pro defensione fidei nobis fideliter sunt adhærentes, nedum ingredi pro mercaturis & causis honestis Regnum nostrum, & egredi sub nostra protectione valeant, sed etiam residere & morari more solito, dum suprascriptam & alias Ordinationes nostras, tam pro factis monetarum quàm aliis editas & edendas fideliter servaverint, & pacificè conservent, hoc salvo quòd Italici qui præterito tempore in Regno nostro moràm fecerunt, pro commissis per eos nuper sibi per gentes nostras expositis, nobis satisfaciant competenter si gaudere velint gratia supradicta. Prædictam igitur Ordinationem nostram per vos, Seneschallos, Baillivos, & Iustitiarios nostros, tam in assisiis vestris quàm in aliis locis quibuslibet vestræ jurisdictioni subjectis publicari jubemus, & Prælatis & Baronibus Seneschalliarum & Baillviarum vestrarum intimari, ut ipsi Prælati, Barones, & alii domini terrarum altam habentes justitiam, Ordinationem eamdem in suis Iustitiis faciant publicari, & legitimè observari; intimantes eisdem quòd in eorum defectum nos præmissa omnia faciemus in eorum Iustitiis legitimè custodiri. In cujus rei testimonium sigillum nostrum fecimus Præsentibus hîs apponi. Actum apud Montem-Argi die Sabbati ante Purificationem Beatæ Mariæ Virginis, anno Domini millesimo trecentesimo undecimo. Similis Ordinatio reperietur in Camera Computorum Parisiensium lib. 17. Item eadem Ordinatio in Gallico dicto libro, A folio 19. facta *en l'Abbaye de Maubuisson, l'an* 1312. *en Juillet.* Item similiter in alio libro dictæ Cameræ, in quo continentur Ordinationes sancti Ludovici, pro tranquillo statu Regni, fol. 66.

TITULUS XLI.

DE BLASPHEMIIS, & Maleficiis.

§. *Philippus VI. Valesius* 1347.

VOlumus & ordinamus ut ille vel illa quæ Deo vel Beatæ Mariæ Virgini maledicere præsumpserit, aut turpe seu vile juramentum fecerit, pro prima vice ponatur in Pilorio, inibi ab hora prima usque ad nonam permansurus, ad cujus oculos projici valeant lutum & aliæ immunditiæ, absque tamen lapidibus vel aliis rebus eum lædentibus : deinde verò ad panem & aquam absque quavis alia re per mensem demorabitur : si autem ipsum secundò recidere contigerit, Volumus quòd in die mercati solemnis rursus in Pilorio constituatur, ipsiusque labium superius cum ferro calido taliter scindatur, quòd dentes ejus appareant, tertia verò vice labium inferius, & quarta vice totum bilabium. Quòd si per miseriam ejus quintò id sibi contigerit, Volumus quòd in totum lingua ipsi præscindatur, ut Deo vel alteri deinceps maledicere non valeat. Ordinantes insuper quòd si aliquis prædicta mala verba audiverit, & in continenti Iustitiæ revelare noluerit, super eum possit emenda usque ad summam 60. librarum levari. Si tamen talis adeò pauper fuerit, quòd pecuniam antedictam non possit exolvere, in carceribus donec sufficere debeat ad satisfaciendum emendæ prædictæ, detineatur.

§. 2. *Carolus VIII.* 1490.

Statuimus & ordinamus quòd omnes carminatores, divinatores, malignorum spirituum invocatores, nygromantiæ, * & omnes aliis malis artibus & scientiis atque sectis à sancta matre Ecclesia reprobatis & prohibitis utentes, per Iudices ordinarios ad quos directa cognitio pertinet, cum diligentia capiantur, ac illi quorum cognitio ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinet, prisionerii * suis tradantur diœcesanis, ut inde, sicut juris fuerit & rationis, puniantur. Interea verò bona illorum tam mobilia quàm immobilia sub manu nostra ponantur, & per Commissarium ad hoc deputandum regantur, Iudicibus nostris & aliis vassallorum hominum & subjectorum nostrorum districtiùs injungentes, quatenùs præsentem Ordinationem diligenter observent, & observari faciant sub debito sui juramenti, necnon privationis Officiorum suorum pœna exnunc prout extunc incurrenda per adimpleri faciendo contenta in hujusmodi Ordinatione negligentes, quo casu extunc eorum Officia vacantia, & in nostra totali dispositione consistere decernimus, absque hoc quòd per aliquas Litteras vel Provisionem quamcumque subsequentem ad eorum officia rehabilitari valeant in futurum, & nihilominùs in grossas emendas arbitrarias puniantur, ex quibus accusator sine fraude quartam partem habebit, quoniam detestabilia crimina jamdicta honorem Dei & fidei Catholicæ directè tangant atque respiciant. Quantùm autem ad alios delinquentes & malefactores modis supradictis, quorum per præventionem cognitio Iudicibus Regiis & ordinariis pertinet, statuimus & ordinamus quòd prædicti Iudices ordinarii, informatione priùs debitè facta, vel habitis indicio & præsumptionibus vehementibus illis æquipollentibus, unà cum bonis, sicut prædictum est, capiant, & insuper diligenter omnibus operibus postpositis, processum eorum faciant, & quod supradictum est, custodiri & observari sub pœnis antedictis faciant. Statuimus insuper quòd omnes cujuscumque status & conditionis existant, nemine excepto vel reservato, qui se juvabunt, vel petent consilium aut juvamen à prædictis carminatoribus, divinatoribus, invocatoribus, malignorumque spirituum nigromanticis, & aliis pessimis atque perniciosissimis personis malis artibus, scientiis & sectis ab Ecclesia prohibitis utentibus, & qui scienter cum prædictis detestationibus participaverint, communicaverint, quamprimùm eos tales esse cognoverint, Iustitiæ non revelaverint, simili pœna qua principales auctores & malefactores, puniantur.

* *Nigromantiæ.*] Nescio cur tam sancta constitutio in ultimo impressis omissa fuerit, cùm extet in libris, ante 40 annos in præsentia præsentis, nisi quòd rumor erat quosdam primores aulæ magicis uti, novissimè enim Typographi multa emiserant in gratiam Petentium, quæ fideliter restituui. C. M.

* *Prisionerii.*] Ordinatio pulchra contra jurantes, & nomen Domini blasphemantes, quæ utinam servaretur. Quia etiam Clericorũ captura spectat ad singulatem. C. M.

TITULUS XLII.

DE GUERRIS, BELLIS, DUELLIS, & incendiis prohibitis.

§. 1. *Philippus IV. Tholosæ, anno Domini* 1303.

AD statutum prosperum, & infrà; ad instar sancti Ludovici eximii Confessoris, quondam Francorum Regis, avi nostri aliorumque progenitorum nostrorum, cum nonnullis Prælatis & Baronibus nostris plenioris habitâ deliberatione consilii, generali hoc statuto expressè interdicimus ac districtiùs inhibemus guerras, bella, homicidia, villarum vel domorum incendia, aggressiones, vel invasiones agricolarum vel aratorum fieri vel committi de cætero, quoad fideles & subjectos nostros cujuscumque status vel conditionis existant, in quibuscumq; locis vel partibus Regni : provocationes etiam

ad duellum* & gagia duellorum recipi vel admitti, ipsaque duella fieri, vel indici durantibus guerris nostris expressius inhibemus: quæstiones autem & dissensiones, ac causas propter quas seu quarum occasione hujusmodi guerræ & duella fieri solebant, hactenus inhibendo per semitas æquitatis, rationis, & juris sortiri volumus debitum justitiæ complementum. Statutorum verò & inhibitionum hujusmodi quoad guerras prædictas temerarios transgressores, tanquam turbatores pacis, decernimus puniendos, non obstante contraria consuetudine, quæ potius corruptela censetur, quæ in aliquibus regni partibus haberi dicitur, tanquam contra bonos mores, & utilitatem, & bonum statum, & salubre regimen reipublicæ, & animarum ad injuriam, impedimentum & turbationem justitiæ notorie introducta: quam quidem consuetudinem de Baronum & Prælatorum, prahabito consilio, ex certa scientia, authoritate & plenitudine regiæ potestatis, omnino tollimus, annullamus, cassamus, irritamus, & penitus abolemus, nullamque & cassam, irritamque pronunciamus, & nullius decernimus existere firmitatis: illicitamque vel prohibitam armorum delationem non intelligimus in hoc casu, si qui pro executione justitiæ, vel defensione licita cum moderamine debito in locis, & casibus ad eos spectantibus arma portaverint.

*Duellum] Sed idem Rex post tres annos coactus est tempori, & consuetudini cedere aliam constitutionem edendo, quam naturæ suæ integritati restitui supra in titulo Parla. ca. 16. §. 1. C. M.

§. 2. *Idem* 1307. *Senescallo Tholosæ.*

Cum non sit, & infrà. Nos subditorum nostrorum quietem, & pacem totis desiderus affectantes, & in eorum tranquillitate lætantes, mandamus vobis, & ex causa, quatenus quandocumque causæ vadiorum duelli movebuntur, seu moveri incipient coram vobis, in eis nullatenus procedatis: nec aliquem processum in causis hujusmodi etiam ab initio hori permittatis: sed in hujusmodi casibus, & similibus nullo coram vobis superveris habito processu, partes ad examen curiæ* nostræ Parisiensis remittatis.

*Curiæ.] Hodie nec Parlamentum, nec magnum consilium, sed solus Rex cognoscit, ut dixi supra in titul. super gl. Artic. c 16. §. 6. C. M.

§. 3. *Carolus VIII.* 1485.

Statuimus ut nobiles denceps ad banna, vel retrobanna nisi necesse fuerit pro tutatione & defensione regni, & ex matura consilii deliberatione non mandentur, & quòd tunc secundùm statum suum (ne super populo vivant) rationabiliter per nos stipendiabuntur. Præterea gentes communis status qui taillias, financias & indemnitates feudorum per eos acquisitorum solvunt, ad prædicta banna, vel retrobanna mittere, vel ire aut componere non repellentur, neque viduæ, vel orphanæ nisi prout in ordinatione Caroli VII. continetur, & ad id secundùm consuetudinem patriæ, & naturam feudi sui teneantur.

TITULUS XLIII.

DE VENATORIBUS.

Carolus VIII. 1435.

DE cætero magni venatores* regni in nemoribus, & dominationibus altorum justitiariorum nobilium non venabuntur, neque compellent homines prædictorum dominorum ad eos circa venationem hujusmodi juvandum, nisi nos in propria persona interfuerimus.

*Venatores.] Hodie nedum non abstinent, sed etiam domini à venatione cervorum, & moretin. de Phil. decio. aprorum prohibent, omnibus etiam rusticis concessa § nemo tenen. in usib. feud. contra ius gentium Sal. con. 119. lib. 4. con. 197. C. M.

TITULUS XLIV.

DE PRIVILEGIIS APOSTOLICIS *Regi concessis.*

Gregorius Papa, Regi Francorum.

ILla filialis devotio, * & infrà. Prohibemus ut nulli liceat capellas tuas supponere interdicto, nisi de licentia sedis Apostolicæ speciali: nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Datum apud Urbem veterem xii. Calend. Mali Pontificatus nostri anno secundo.

*Devotio.] Soli enim Francorum reges terrenum imperium, potentiam, & divitias Pontifici Romano dederũt; unde ut ferè inquit Bald. in usib. feud. Papa pro se non allegat fatuam & ementitam paleam. c. Constantinus 96. distin. sed c. ego Ludovicus 63. distinct. quod c. Raphu. Volaterran Geograph. lib. 1. longè latius quàm in magno decreto habeatur, refert, ut etiã Ferrariã, & Vibiũ nominatim cõtineat, & dicit se excerpsisse è vetusto libro Bibliothecæ Vaticanæ, quem apocryphũ puto, & majori fides adhibenda est decreto magno. C. M.

§. 2. *Gregorius eidem.*

Apostolicæ sedis benignitas, & infrà. Ad instar siquidem recordationis Innocentii Papæ prædecessoris nostri authoritate Apostolica tibi tenore præsentium indulgemus, ut nullus in terram tuam excommunicationis, vel interdicti sententiam proferat absque mandato sedis Apostolicæ speciali: Nos enim decernimus irritum & inane, siquid contra præmissæ indulgentiæ tenorem contigerit attentari: nulli ergo omnino hominum, &c. datum ubi suprà, nono Calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno decimo.

§ 3. *Gregorius eidem.*

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli Literati terræ tuæ habitu, & tonsura clericali relictis, publicè ducunt uxores, & ut consuetis justitiis & debitis te fraudent, tonsuram resumunt abjectam: quidam etiam acceptâ prima tonsura, similiter contrahunt, & eandem tonsuram deferunt, ut eximere se valeant à prædictis. Cum igitur reddenda sint quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, æquanimiter duximus tolerandum, si à talibus dum secularibus negotiis, & turpibus quæstibus se immiscent, justitias debitas velut ab uxoratis exigas, & servitia consueta: datum ubi suprà 2. Calend. April. Pontificatus nostri anno secundo.

§. 4 *Idem Archiepiscopis, & Episcopis per regnum Franciæ constitutis.*

Ex parte charissimi in Christo filii Regis Francorũm illustris, fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli clerici terræ suæ vestrarum civitatum, & diœcesi. potiùs secularibus negotiationibus* quam officiis divinis intendunt: & gaudere volentes privilegio clericali, nolunt statutis patriæ (quibus quotiens expedit, sicut laici se tuentur) in negotiationum suarum quæstionibus subjacere. Et licet Apostolica sedes pluries per suas vobis Literas dederit in mandatis, quòd si tales tertiò à vobis moniti (divinis officiis prætermissis) negotiationibus prædictis insisterent, cum de facto privilegium abjiciant clericale, quominus, dum his se implicant, de suis facultatibus, statutis, & consuetudinibus Patriæ suæ subjacerent non defenderetis: vobis tamen talia super hoc non curantibus amovere, sed eos defendentibus in prædictis ipsi Regi ex prædictis Literis nullus fructus provenit. Quocirca universitatem rogamus, monemus, & hortamur authoritate nostra, & Apostolica scripta, vobis districtè præcipiendo, mandamus, quatenus præmissa adimplere curetis taliter, quòd non oporteat nos super hoc contra vos aliter providere: datum ut proximè contra.

*Negotiationibus] Idem fere Honor. III. Ambian. Episcop. c. fi. de vit. & ho. cleri. & Anglorum reginæ c. expert. § de privil.

§. 5. *Gregorius, * sancti Dionysii in Francia Parisiensis diœcesis, & sancti Germani de pratis juxta Parisius Monasteriorum Abbatibus.*

* *Gregorius.*] Scilicet VIII. qui tantum 57. dies sedit, Philippo Augusto. C. M.

Cùm sicut ex parte charissimi in Christo filii nostri Philippi illustris Regis Franciæ fuerit propositum coram nobis, quòd nonnullæ indulgentiæ & nonnulla privilegia tibi, & clericis suis à sede Apostolica sunt concessa: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum per vos vel alium, seu alios non permittatis eumdem regem ac prædictos clericos suos contra indulta privilegia, & indulgentias hujusmodi ab aliquibus indebitè molestari, molestatorem hujusmodi per censuram Ecclesiasticam (appellatione postposita) compescendo, non obstante quòd personis aliquibus sit à prædicta sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas plenam, & expressam facientes de indulto hujusmodi mentionem. Datum apud Urbem veterem x. Calend. April. Pontificatus nostri anno 1.

§. 6. *Clemens * Papa, Ludov. Regi Franciæ.*

* *Clemens.*] Scilicet IV. Ludovico IX. C. M.

A felicis recordationis Alexandro & Urbano Prædecessoribus nostris Serenitati tuæ fuit olim indultum, ne à quoquam judice delegato, & ordinario terra tua posset Ecclesiastico subjici interdicto: & cum à nobis postmodum ad Apostolatus apicem assumptis, indultorum hujusmodi innovatio per tuos nuntios peteretur, non annuisse meminimus votis tuis, & eamdem gratiam innovasse, verbis aliquibus additis, quæ ad terras tui domanii arctare videbantur eamdem: licet autem te postea de adjectione hujusmodi conquerente, Nos tandem eorumdem prædecessorum nostrorum Alexandri & Urbani vestigia imitati, ipsorum innovaverimus indulgentias, adjectione prædicta sublata: adhuc tamen calumniantur aliqui, prout fertur, & quasi sufficere debeat, semel saltem de nostro, ut asserunt intellectu per adjectionem hujusmodi constitisse, sic apostolicam attenuant gratiam & restringunt, ut si in loco aliquo (cujus dominus publicè nuntiaris) quisque alius jurisdictionis cujuslibet aut dominii, vel modicam partem habeat, quam etiam à te teneat, & se tenere cognoscat, locum illum tui domanii negent esse, & concludant per consequens ad talia prædictam indulgentiam non extendi. Nos igitur nil penitus intendentes putæ detrahere, vel adjicere veritati, interpretationem illam, si tamen interpretatio dici debeat, quam per verba prædicta de tuo domanio prædecessorum prædictorum indulgentiis superaddita fecisse dicimur, penitus revocantes haberi volumus pro infecta. Igitur dictis indulgentiis sicut primò ab eisdem prædecessoribus, & à nobis novissima emanarunt, dicta nostra interpretatio seu adjectio nihil detrahat, vel hæc revocans superaddat, sed in sensu verba remaneant eorumdem. Datum in Urbe tertio Calend. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo. *

* *secundo.*] His anno 7. Avenione relicta repetit Romã: ubi post ejus obitum schisma magnum ortũ est, quod 39. annis duravit. C. M.

§. 7. *Gregorius XI.*

Ita tamen quòd quæcumque exactiones, impositiones, & gabellæ quoad quascumque personas Ecclesiasticas, de quibuscumque rebus ipsarum quas (excepta negotiationis causa) qualiber fraude cessante deferri faciant, in prædictis terris cessent, nec ab ipsis directè vel indirectè, aut ab emptoribus rerum ipsarum, vel aliis qui eisdem personis Ecclesiasticis res aliquas, ut præmittitur, vendiderit, aliquid exigatur. Datum in Avenione II. Calen. Maii Pontificatus nostri anno secundo. *

§. 8. *Clemens VI. Ioanni & Ioannæ Francorum Regi & Reginæ.*

Ut vestri successorumque vestrorum omnes capellani, & clerici præsentes & posteri vestris, & illorum obsequiis insistentes, fructus, reditus & proventus omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiamsi dignitates, personatus, vel officia fuerint, & curam habeant animarum, etiamsi dignitates hujusmodi in Cathedralibus post Pontificales majores, & in Collegiatis Ecclesiis principales existant, quæ in quibusvis Ecclesiis sive locis obtinent, & in posterum obtinebunt, cum ea integritate, quandiu hujusmodi obsequiis institerint, liberè percipere valeant (quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis) cum quas illas perciperent, si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter residerent, ac interim ad residendum in eis minimè teneantur: neque ad id inviti valeant coarctari, non obstante quod iidem capellani, & clerici primam in eisdem Ecclesiis non fecerint personalem residentiam, quam facere tenebantur, ab hujusmodi obsequiis recedentes, & quibuscumque Apostolicis ac provincialibus constitutionibus, & Synodalibus, ac statutis, & consuetudinibus ipsarum Ecclesiarum contrariis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate vallatis: etiamsi de illis observandis, & non impetrandis Literis Apostolicis contra ea, & ipsis Literis non utendo, etiam à dictis capellanis & clericis, aut alio, vel aliis impetratis, seu quovis modo concessis, idem si capellani, vel clerici per se vel per procuratores suos præstiterint hactenus, vel eos in posterum præstare contigerit forsan juramentum, seu si locorum ordinariis à sede Apostolica sit concessum, quòd canonicos & personas Ecclesiarum suarum, civitatum vel diœcesum, etiam in dignitatibus, vel personatibus aut officiis constitutas, per subtractionem suorum proventuum Ecclesiasticorum, vel aliàs compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem: aut si in eisdem ordinariis & capitulis, Ecclesiarum earumdem, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit sede indultum, aut medio tempore indulgeri contigerit, quòd canonicis & personis earumdem Ecclesiarum, etiam in dignitatibus, personatibus, aut officiis consuetis non residentibus in eisdem, vel qui primam in illis hujusmodi residentiam non fecissent, fructus, reditus, & proventus Beneficiorum suorum Ecclesiasticorum ministrare minimè teneantur; aut ad id compelli minimè possint per Literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuscumque privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, & specialibus cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, vel de quibuscumque tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem literis mentio specialis: proviso quod Beneficia hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis animarum cura, si qua illis forsitan immineat, nullatenus negligatur. Datum Avenione II. Calend. Maii Pontificatus nostri anno nono.

§. 9. *Urbanus V.*

Ad futurum rei memoriam ad audientiam nostram fide digna nonnullorum relatione pervenit, quod nonnulli Prælati aliæque personæ Ecclesiasticæ sæculares, & regulares in regno Franciæ consistentes, privilegiis & indultis (quibus se munitos ab Apostolica sede prætendunt) illicitis ausibus abutentes, alios Prælatos, & personas Ecclesiasticas ac laicales de regno prædicto coram conservatoribus eis ab eadem sede concessis extra dictum regnum trahere, multisque laboribus & expensis, ac redemptionibus & vexationibus,

Nemo potest personas Ecclesiasticas regni Franciæ extra ipsum regnum in jus vocare, aut aliquatenus litem pullare.

& utplurimum, etiam sine causa rationabili gravare, nonnulli etiam Prælati & personæ Ecclesiasticæ hujusmodi de regno prædicto, alios Prælatos, & personas tam Ecclesiasticas quàm laicales pro juribus sibi cessis ab aliis, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus personis coram Conservatoribus hujusmodi etiam extra dictum regnum trahere in causam, & indebitè molestare malitiosè præsumant: propter quæ nos hujusmodi obviare malitiis cupientes, charissimique in Christo nobis nostri Caroli * Regis Francorum illustris in hac parte, supplicationibus inclinare: tenore præsentium statuimus, ac etiam ordinamus quòd quandiu Romana curia erit ultra * montes, nullus Prælatus, vel alia persona Ecclesiastica sæcularis, vel regularis infrà dictum regnum consistens aliquem, vel aliquos clericos, vel laicos coram aliquo conservatore per sedem Apostolicam authoritate Literarum sedis ejusdem in forma consilii Viennensis deputato, vel deputando, seu ejus Commissario, quacumque occasione, vel causa ad judicium extra regnum prædictum, nec etiam super hujusmodi juribus cessis sibi etiam infrà ipsum regnum trahere, aut aliquatenus molestare seu inquietare, dictique Conservatores contra constitutionem, & ordinationem nostram hujusmodi contra aliquos procedere, aut in aliquos, vel aliquem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias promulgare valeant, vel præsumant: nos enim extunc prout extunc omnes processus, & sententias hujusmodi quos contra ordinationem nostram prædictam fieri contigerit, irritos decernimus & inanes, constitutionibus, privilegiis, & Literis Apostolicis cujuscumque tenoris existant, non obstantibus quibuscunque.

Datum Massiliæ, sexto Idus Maii, Pontificatus nostri anno quinto.

* *Caroli.*] Scilicet quinti. C. M.

* *Vltra.*] Scilicet Avenione, vel citra: deinceps perpetuo observatur etiã dum est Romæ. C. M.

§. 10. *Carolus V. Rex Francorum, anno* 1367. *Senescallis Tholosæ, Carcassonæ, Bellicardi, & aliis justitiariis.*

Certas Bullas Papales de nostris thesauris extrahi fecimus & copiari, quarum tenores sequuntur, & sunt tales: Gregorius &c. Apostolicæ sedis, &c. Clemens, &c. A fœlicis, &c. Urbanus, &c. Ad futuram, &c. Quæ suprà sunt insertæ: intelleximusque quòd Archiepiscopi, Episcopi, & cæteri Prælati Senescalliarum & Jurisdictionum vestrarum Jurisdictionem habentes spiritualem, contra tenores Bullarum prædictarum in nostri, & subditorum nostrorum præjudicium abutentes, attentare non formidant: quòd nobis displicuit, & displicet in immensum. Quocirca vobis, & vestrûm cuilibet, prout ad ipsum pertinet districtè præcipiendo mandamus quatenus omnibus, & singulis Jurisdictionum & Senescalliarum vestrarum Prælatis, & eorum vicariis, & officiariis cæterisque Jurisdictionem habentibus, præmissa specialiter intimetis, & notanter inhibentes eisdem & eorum singulis ex parte nostra, sub magnis pœnis nobis applicandis, ne contra tenorem Bullarum prædictarum subjectos, vel officiarios nostros quoquo modo molestare præsumant, nec ab inde in nostri præjudicium attentent quòd si aliquos contra præmissa reperietis attentare, ipsos compescatis per bonorum suorum temporalium captionem & contentionem, & à præmissis compellatis abstinere, & per pœnarum declarationem, & earumdem exactionem: taliter in præmissis vos habentes, quòd per negligentiam vestram nostram indignationem non incurratis. Datum Parisius 14. die Martis, anno Domini 1367. regni autem nostri quarto. Per consilium existens Parisi. in camera computorum.

TITULUS XLV.

DE PRIVILEGIIS REGIIS ac Burgensibus.

§. 1. *Philip. IV. anno Domini* 1302. *Carol. V. & VII.*

HÆc est ordinatio facta * per nos & consilium nostrum, & de nostro mandato super modum faciendi & tenendi Burgensias regni nostri, ad removendum & tollendum fraudes, & malitias quæ olim solebant fieri occasione, & causa dictarum Burgensiarum: ratione quarum aliquotiens subditi nostri graviter opprimebantur & gravabantur, ad nos suas querimonias sæpe deferentes. Primò igitur statutum est, & ordinatum quòd si aliquis voluerit intrare noviter aliquam de Burgensiis nostris, debet venire ad locum ubi proponitur, seu unde requirit se esse Burgensem, & adire, sicut olim fiebat, Præpositum, vel majorem illius loci, vel ejus locumtenentem; vel majorem ejusdem loci, qui recipit ac recipere consuevit absque Præposito, Burgenses, & debet dicere tali modo: Domine, equito à vobis mihi concedi Burgensiam illius villæ, paratusque sum facere quod incumbit faciendum. Et tunc Præpositus, vel major in loco prædicto, vel eorum locatenentes (ut suprà dictum est) in præsentia duorum, vel trium Burgensium ejusdem villæ recipiet securitatem, seu cautionem de introitu Burgensiæ prædictæ: & quod ipse facies, vel emet ratione dictæ Burgensiæ infrà annum & diem, domum * de valore 60. sol. Parisi. ad minus, & de hoc fiet instrumentum, & registrabitur. Et tunc Præpositus, aut major in loco concedet sibi unum servientem cum quo debet adire dominum sub quo antea fuerat, & à cujus districtu, seu jurisdictione se voluerit amovere, vel ejus Locatenentes, & eis vel eorum alteri testificari, quod ipse factus est Burgensis noster in talli villa, deliguando eis diem & annum, sicut in licera Burgesiæ sibi datæ continetur: in qua contineantur nomina Burgensium, qui in præmissis affuerint, quando intravit Burgensiam suprædictam: ordinatumque fuit, quòd ipse non habebitur, aut defenderur, ut Burgensis noster antequam præmissa, & eorum quodlibet per eum facta fuerint, & data securitas de compellendo, sicut superius est expressum, & donec fuerit advocatus, ut Burgensis coram domino, à cujus jurisdictione se subtraxit.

* *Facta.*] Mente Martio, & per Io. 1. confirmata anno 1351. & tursùs ann. 1355. hi §. seqq. vid. licet §. 2. §. 4. §. 6. §. 8. §. 9. & 11. qui ibi primus est cum aliis. C. M.

* *Domodo.*] Nicol. Boer. decis. Burdegal. 260. Modus & forma recipiendi aliquem in aliqua Burgensia.

§. 2. *Idem eodem anno.*

Præterea statutum est, quod quilibet Burgensis noster sic receptus, & advoatus, sicut prædictum est, in quocumque tempore, sive sit ante Festum B. Joannis, sive post, sive ante Festum omnium Sanctorum sive post, debet continuare Burgesiam per modum qui sequitur, videlicet quod ipse, vel uxor sua, vel sponsa, si quam habet, debet personaliter residere in Burgensia prædicta à Vigilia omnium Sanctorum usque ad Vigiliam beati Joannis Baptistæ, nisi aliàs infirmitate fuerit impeditus proprii sui corporis vel uxoris, vel propinquorum suorum, vel nisi in casu matrimonii, vel peregrinationis, vel casuum similium, sine fraude eos contigerit absentari: præterea propter recessum eorum à loco Burgesiæ impedimento cessante, non morentur ultra tres vel quatuor dies ad plus.

§. 3. *Idem eadem anno.*

Concedimus insuper & volumus quòd prædictus Burgensis una cum uxore sua insimul vel divisim, si expediès videatur, possint se absentare à dicta Burgensia à

Festo sancti Joannis Baptistæ, usque ad Festum omnium Sanctorum, pro fœnis suis, messibus, & vindemiis faciendis, aut aliis negotiis peragendis: volumusque quòd prafatus Burgensis, & uxor sua, vel alter eorum sint in loco dictæ Burgensiæ, si commodè fieri poterit, & fuerint in patria in quolibet Festo annuali.

§. 4. *Idem.*

Insuper scire volumus universos, quòd si vir qui non est uxoratus, aut mulier quæ non habet virum, voluerint intrare aliquâ de Burgensiis nostris sub modo, & forma prædicta, oportet eum vel eam habere proprium varletum, vel famulam aut ancillam, quæ deserviat personis prædictis in dicta Burgensia à Vigiliâ omnium Sanctorum usque ad Vigiliam beati Joannis Baptistæ: & isto modo deserviendo dictis Burgensibus per se vel per substitutas personas, poterunt suis negotiis intendere, quandocumque voluerint, ita tamen quòd in quolibet Festo annuali, si in patria fuerint, in dictis Burgensiis suarum facere habeant præsentiam personarum.

§. 5. *Idem eodem anno.*

Statutum est etiam & ordinatum quòd si aliquis, vel aliqua receptus fuerit, vel recepta in Burgensem per modum antedictum, vel recipiendus sub forma prædicta, se subtraxerit, vel decæterò subtrahat, vel subtrahere voluerit ab aliquo loco, vel Communitate, solvet taillias, & onera sibi impolita in villa in qua sic fuerit tailliatus, vel oneratus, antequam receptus esset in Burgensem, vel advoatus tanquam Burgensis in illa villa in qua requisivit esse Burgensis, vel partem debitorum pro exitu villæ; ab alia verò parte solvet taillias omnes, jura & onera illius villæ in qua receptus est Burgensis, ab illa die qua receptus fuerit usque ad diem qua se subtrahere voluerit publicè à loco dictæ Burgensiæ. Est etiam ordinatum, quòd nullus vel nulla Burgensis recipiatur, aut defendatur in aliqua Burgensia, quandiu tenebit primam in qua receptus fuit, & advoatus.

§. 6. *Idem eodem anno.*

Ordinatum est etiam & statutum, quòd ille dominus à cujus jurisdictione Burgensis hujusmodi se subtrahet, omnino habebit cognitionem, seu executionem quæstionum, & querelarum motarum contra ipsum & occasione ipsius, omniumque excessuum per eum commissorum à tribus mensibus antequam receptus esset, & advoatus Burgensis, ut superius est expressum, quod intelligendum est de querelis, & excessibus de quibus notorium, aut ordine judiciario cognitum extat vel extitit, vel quæ dominus prædictus per sufficientes testes probare poterit coram justitiariis dictæ Burgensiæ, infrà tres menses postquam (ut prædictum est) receptus, vel advoatus fuerit in Burgensia.

§. 7. *Idem eodem.*

Aſtripticius aut glebæ affixus in aliqua Burgensia, potest per eum ab abstrahi, facit in argum. l. jubemus C. de epi. & cle.

Porrò statutum est, quòd nullus prædictorum Burgensium sustinebitur, aut defendetur, quominus in causa hereditatis contra eos, vel ab eis mota, seu movenda; debeant parere juri coram domino, vel dominis sub quo vel quibus est hereditas memorata. Idem etiam est censendum circa debita, quæ subditi prædictorum dominorum debent prædictis Burgensibus, aut debebunt.

§. 8. *Idem eodem.*

Sciendum est autem quòd per hujusmodi statuta seu ordinationes, nos aut nostrum consilium non intendimus in aliquo variare, vel mutare privilegia, seu puncta Literarum, quæ nos aut nostri prædecessores concessimus, quibus justè, & sine malitia usum fuerit, & etiam sine fraude. Nec est intentionis nostræ, quin subjecti nostri possint requirere, aut de prafatis Burgensiis abstrahere homines suos de corpore, ascriptitios seu glebæ affixos, aut alterius similis conditionis modo debito, seu etiam consueto.

§. 9. *Idem.*

Publicabitur autem hæc ordinatio per quamlibet Bailliviam, aut Senescballiam in prima assisia quam tenebunt, & dicetur sub hoc modo, quòd omnes qui voluerint gaudere prædictis Burgensiis, veniant infrà mensem à tempore publicationis hujusmodi, pro renovandis dictis Burgensiis, sub modo, & forma superiùs expressis. Et nisi infrà terminum præfixum venerint, vel si se non excusaverint, non defendentur ab illa hora antea, nec habebuntur, ut Burgenses: Intentioniscque curiæ nostræ seu consilii nostri existit, quòd hujusmodi statuta, & ordinationes firmiter teneantur, contraria consuetudine qualibet non obstante, nisi specialiter aliquæ personæ puncto Literæ regiæ, aut privilegio sibi concesso bene, & legitimè fuerint præmunitæ.

§. 10. *Ludovicus hujus nominis IX.* 1218.

Libertates, franchisias, immunitates, prærogativas, jura, privilegia, quæ per inclytæ recordationis Francorum Reges prædecessores nostros, & successivè per nos Ecclesiis, & Monasteriis atque locis piis, religiosis, necnon personis Ecclesiasticis regni nostri concessa sunt, renovamus, approbamus, & confirmamus.

§. 11. *Philip. IV. anno Domini* 1302. *Joan. I. Carol. V. & VII.*

Intentionis * nostræ est sacro-sanctas Ecclesias, Monasteria, Prælatos, & quascumque personas Ecclesiasticas cujuscumque status, aut conditionis existant, & qualiscumque nominibus censeantur, ob Dei reverentiam teneri, custodiri, & servari in favore, gratia, & auxilio concedentium, quibus prædecessores nostri retroactis temporibus tenuerunt, foverunt, ac etiam servaverunt. Volumus autem quòd privilegia, libertates, franchisiæ, consuetudines, seu immunitates dictarum Ecclesiarum, Monasteriorum & Ecclesiasticarum personarum integræ, & illæsæ serventur, & teneantur eisdem, sicut temporibus bonæ fœlicisque recordationis B. Ludovici avi nostri inviolabiliter observatæ fuerint districtius inhibentes omnibus justitiariis, officiariis, & fidelibus subjectis nostris, & aliis quibuscumque personis, ne prædictas immunitates, privilegia, aut libertates eisdem Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis concessas infringere aut violare quoquo modo præsumant, nec impediant seu molestent eos in eorum jurisdictionibus spiritualibus & temporalibus quas de jure, vel antiqua & approbata consuetudine obtinere noscuntur, nec in aliis juribus eorum quæcumque sint, impedimenta præstent, nec jura, seu jurisdictiones dictarum Ecclesiarum, seu personarum Ecclesiasticarum fraude vel dolo usurpent, vel occupent: & si aliqua de prædictis occupata, vel usurpata per eos fuerint indebitè & injustè, volumus quòd sine aliqua dilatione secundùm justitiam, ad statum debitum reducantur: & qui hoc fecerint, graviter puniantur, damnaque restaurabuntur, si quæ fieri contigerit, ad effardum Consilii nostri. Et ista mandabuntur executioni bene & debitè, summariè & de plano, & sine strepitu

* *Intentionis.*] Hic est §. 1. dictæ const. anni 1302.

ſtrepitu judicii : & per iſtum modum faciant hoc fieri, & executioni mandari Seneſchalli & Baillivi per præpoſitos, ſervientes & alios juſtitiarios ſibi ſubjectos.

§. 12. *Idem* Philipp. 1303. *Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, capitulis, & rectoribus Eccleſiarum, ac cæteris perſonis Eccleſiaſticis, Provinciæ Narbonenſis.*

Ut bona mobilia Eccleſiaſticarum perſonarum & clericorum clericaliter viventium, * capi vel juſtitiari non poſſint in aliquo caſu per judicem ſæcularem, concedimus, ubi autem bona ipſa immobilia capi continget, ea conſumi vel deſtrui non liceat, aut expendi : quod ſi fiat, id faciemus ante omnia emendari.

*Viventiū.] Not. clericaliter viventium, ut per Iord. Bricii Rep. c. 1 §. contrahētes de for.comp.in 6. & dixi in anno. ad conſ. Alex. conſeſſ lib.1. C. M.

§. 13. *Idem eodem.*

Præterea in caſu ubi perſonarum Eccleſiaſticarum bona ſaiſirentur vel caperentur, unus tamen ſervi ens in caſtro vel manerio, ſive loco ponatur, qui de ſtipendiis ſuis vivet. Stipendia autem iſta ſolventur prout in noſtris continetur ſtatutis, videlicet equeſtri 3. ſ. & pediti 18. dena. monetæ currentis, ita quod ſi monetam * ad ſtatum priſtinum reduci contingat, ſtipendia hujuſmodi faciemus, prout expedire videbimus, moderari : & ſi in aliquibus locis minus accipere conſueverit, illam volumus conſuetudinem obſervari. Inſuper Prælati ſupradictos clericos clericaliter viventes à tailliis ad quas de jure non tenentur, defendere non impedientur.

* *Monetā.] Quam d. Rex eo tēpore ad corradendā pecuniam ad Flandrenſes opprimēdos valdè deprauauerat, ſed poſtea eam reſtituit, ut dixi in trac. contrac. & monet. nu. 789. in Latino, & num. 308. in Gallico. C. M.*

§. 14. *Idem eodem anno.*

Concedimus inſuper de gratia ſpeciali ipſis Prælatis & Eccleſiis, Collegiis, & perſonis Eccleſiaſticis ſupradictis, quod de acqueſtibus factis nomine Eccleſiarum, temporibus retroactis præſtare financias, vel extra manum ſuam acquiſita prædicta ponere nullatenus compellantur, ſed ea poſſint licitè retinere : Advocationes & recognitiones novæ, quæ nobis ab Eccleſiarum ſubjectis fiunt, nullatenus admittentur, & jam de novo factæ revocentur : præterea ſervientes bajuli non maneant in juriſdictionibus Prælatorum, exercendo officium; nec in terris Eccleſiaſticis aſſiſiæ teneantur, niſi ab antiquo fuerit conſuetum, inſuper prætextu alicujus gardiæ noſtræ antiquæ in perſonis Eccleſiaſticis non impediatur Eccleſiaſtica juriſdictio.

§. 15. *Idem eodem anno.*

De cognitione decimarum non feudalium in petitorio, vel poſſeſſorio, * præſertim inter Eccleſiaſticas perſonas gentes noſtræ nullatenus ſe intromittant. Et ſi cum duæ partes Eccleſiaſticæ contendunt ſe quemlibet earum poſſidere fructus, ponant ad manum noſtram ne partes ad arma venire contingat, poſſeſſionem hujuſmodi in manu ordinarii loci reddere teneantur : perſonæ inſuper Eccleſiaſticæ non compellantur in foro ſæculari ſuper actionibus merè perſonalibus litigare, quanquam per Literas noſtras, aut miniſtrorum noſtrorum ad hoc fuerint obligatæ.

Poſſeſſorio.] Contrariū quantum ad omne poſſeſſorū, ſive recuperādæ, ſive retinendæ notoriè ſeruatur, ut dixi in conſuet. Pariſ. ut ſ. C. M.

§. 16. *Idem eodem anno.*

Inſuper Seneſchalli, & alii officiales noſtri jurare teneantur, quod mandata facta eis per Literas noſtras pro Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis facient, & fideliter exequentur, niſi obſtet aliqua rationabilis cauſa quam in continenti reſcribere curiæ noſtræ teneantur, & de reſcriptione illa perſonis illis Eccleſiaſticis quarum intereſt, copiam faciant : ut appareat an veritatem reſcribant.

§. 17. *Idem eodem.*

Eximus etiam concedimus quod poſſeſſiones quas pro Eccleſiis, aut domibus Eccleſiarum Parochialium de novo fundandis, aut ampliandis infrà villas, non ad ſuperfluitatem, ſed ad convenientem neceſſitatem acquiri contiget, decætero apud Eccleſias remaneant abſque coactione vendendi, vel extra manum ipſarum ponendi, quodque poſſeſſores illarum poſſeſſionum ad eas dimittendum pro juſto pretio * compellantur : pro Eccleſiis etiam Parochialibus, cœmeteriis, & domibus Parochialibus rectorum extra villam fundandis, vel applicandis, illud idem concedimus.

* *Pretio.] Dixi in conſuetu. Pariſien. §. 41. nu. 98. C. M.*

§. 18. *Idem eodem.*

Permittimus & volumus quod Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ poſſint acquirere in ſuis feudalibus & cenſivis, * etiam in quibus non habent merum imperium, quatenus Eccleſiis competit de jure ac conſuetudine Eccleſiarum provinciæ Narbonenſis. Nolumus inſuper quod Prælati, ſeu rectores Eccleſiarum pro delictis officialium, ſeu familiarum ſuarum puniantur, niſi quatenus propter hoc ſint puniendi de jure, vel conſuetudine provinciæ Narbonenſis.

* *Cenſivis.] Contrariū ſeruatur, & quòd cogatur ponere extra manū ſuam ſecundùm ea quæ ſcripſi in conſuetu. Pariſ. §. 13. gl. 1. nu. 2. cum ſeq. C. M.*

§. 19. *Idem eodem.*

Abbatibus, Prioribus Conventualibus, capitulis, & hoſpitalariis concedimus, ut non puniantur pro delictis Monachorum ſuorum, ſeu converſorum aliorum familiarium, & domeſticorum ſuorum, niſi quatenus propter hoc ſint puniendi de jure, vel conſuetudine provinciæ Narbonenſis. Volumus inſuper, & præcipimus de gratia ſpeciali concedentes, quod cum contiget aliquem ad curiam appellare à curiis ſæcularibus Prælatorum, qui de antiqua conſuetudine patriæ Judices habet appellationem, fiat ſine difficultate dictorum appellantium remiſſio. Volumus etiam quòd gentes noſtræ occupent regalia Eccleſiarum vacantium provinciæ Narbonenſis, neque impediantur Prælati capere * perſonas Eccleſiaſticas, & eorum bona, cum armis moderatè, & ſine armis, ac delinquentes in civitatibus, & diœceſibus earum, quatenus facere conſueverunt : actum Nemauſi menſe Februario.

* *Caſu.] Non ſeruatur, ut dixi ſuprà tit 32. §. 2. C M.*

§. 20. *Joan.* 1. *anno Domini* 1355.

Inſuper nos progenitorum noſtrorum, qui Eccleſiarum Eccleſiaſticarumque perſonarum, & aliorum ſubjectorum ſuorum paci, quieti, & tranquillitati ſuis temporibus ſtuduerunt, laudabilibus, & meritoriis exemplis, & veſtigiis inhærentes, cupienteſque omnes, & ſingulos ſubditos noſtros ab injuſtis vexationibus, & moleſtiis præſervari, eis eorumque ſingulis ampliori dono gratiæ duximus concedendum : ut ſi quemquam ipſorum contra prædictas ordinationes, aut aliquem articulum earum per aliquem officiarium, vel ſervientem noſtrum contigerit indebitè, & per fraudem ſeu culpam damnabilem, & notabilem moleſtari, officiarius vel ſerviens ſic moleſtans, damna & expenſas moleſtato reddere, & reſtituere teneatur.

§. 21. *Carol. V I I. anno* 1426.

Ex parte dilectorum, & fidelium Conſiliariorum ac

aliorum officiariorum noſtræ curiæ Parlamenti Occi-
*Occitani.] Id eſt Tholoſani, ut in ſeq. C. M.
tani * nobis fuit expoſitum, cum tam ad cauſam ipſorum, quàm uxorum ſuarum, ipſi, aut plures ex eis habeant aliqua hereditagia in pluribus, & diverſis locis patriæ Occitanæ, quorum occaſione quamvis quieti, franchi, exemptique eſſe debeant ab omnibus taillus, juvaminibus, & ſubſidiis nobis conceſſis, & concedendis, per gentes trium ſtatuum patriæ prædictæ, vel aliàs, attento ſtatu in quo nobis continuò deſerviunt: nihilominus capitularii conſules, & alii patriæ prædictæ aſſituare, imponere, ac dictis exponentibus partem, & portionem dictorum juvaminum, ſubſidiorum, & impoſitorum ad cauſam prædictam hereditagiorum ſolvi facere nitebantur, quamvis ad id non teneantur, tam ratione præteriti, quàm futuri temporis: ſuper hoc ſibi de remedio provideri requirentes. Quapropter præmiſſa conſiderantes: quodque continuò, & ſine intermiſſione pro nobis laborant, atque pro republica deſudant: præſertim quia ſunt de noſtra curia ſuprema, quare inter ceteros privilegiari, & aliàs prærogativas habere debent, vobis & veſtrùm cuilibet, prout ad vos pertinuerit, mandamus quatenus omnes Præſidentes, Conſiliarios, grapharios, Procuratorem, Advocatum, & oſtiarios nunc & in poſterum in eadem curia futuros teneatis, & teneri faciatis quittos, & exemptos, à prædictis juvaminibus & ſubſidiis, tam pro præterito tempore quàm futuro: nec imponatis, vel aſſituetis, vel aſſituari, vel imponi permittatis ad aliquam partem, vel portionem dictorum juvaminum, aidarum, vel taillarum nunc & in futurum ad cauſam hereditagiorum: quinimò ſi aliquod impedimentum, vel diſturbium fiat eiſdem in corpore, vel bonis ad cauſam prædictam, removeri faciatis, & ad plenam poni deliberationem, non patiendo, quòd propterea ab eiſdem peratur aliquid vel exigatur.

§. 22. *Ludovicus XI. anno* 1471.

Dilectis & fidelibus & infrà, conſiderantes occupationem continuam quam habuerunt, & habent in noſtra curia Parlamenti Tholoſani dilecti noſtri, & fideles Præſidentes, Conſiliarii, Graphari, Procurator, Advocatus, receptor vadiorum & emendarum, & oſtiarii prædictæ curiæ noſtræ Parlamenti Occitani principalem, & ſupremam juſtitiam dictæ patriæ tangentes, his aliiſque conſiderationibus ad hoc nos moventibus, inſequendoque conceſſionem eis hac de cauſa per chariſſimum patrem noſtrum, cujus animæ propitietur Altiſſimus, factam conceſſimus & concedimus, & nobis placet, ut ipſi & ipſorum quilibet præſentes & futuri, in eadem curia ſint franchi, quitti, & exempti ab omnibus juvaminibus, taillis, & ſubſidiis quæ hactenus curſum habuerint, & in poſterum habebunt, necnon veniendi ad nobis in eadem patria ſerviendum: ponendique ſe in armis pro quocumque banno, vel retrobanno, quod fieri faciemus in eadem patria ad cauſam hereditagiorum, & poſſeſſionum, quas habent & habebunt, tam prò tempore præterito, quàm futuro à quibus nos ipſos eximimus, affranchiſavimus, eximimus, affranchizamus de gratia ſpeciali, per præſentes, totum ſicut per antedictum quondam patrem noſtrum per ſuas patentes Literas conceſſum extitit, & ut ſunt Præſidentes, & Conſiliarii Curiæ Parlamenti Pariſius. *

* *Pariſius.*] Simile privilegium dedit Caro. VIII. anno 1485. C. M.

TITULUS XLVI.

DE EXCESSIBVS OFFICIALIVM, & ſubditorum.

§. 8. *Carol. VII. anno* * 1408.

* *Anno.*] Error eſt in data de numero annorum pluſquam triginta ad minus. C. M.

STatuimus & ordinamus, quòd illi qui in taxationibus de diœceſibus Occitanæ patriæ faciendis vocabuntur, expenſis illorum, qui in prædictis ſtatibus fuerunt, juxta qualitatem & ſtatum eorum, habito reſpectu ad tempus ſuæ vacationis, & laboris per eos expoſitis, taxare valeant & ordinare. Proviſo tamen quòd prædictæ taxationes adeò rationabiliter fiant, quòd non detur in poſterum occaſio faciendi reciſionem illarum.

§. 2. *Idem eodem anno.*

Executiones aidarum, & juvaminum prætextu fiendæ per ſervientes locorum in quibus fiendæ ſunt executiones hujuſmodi decætero fiant: ſi autem per alios factæ fuerint, non poterunt ulterius pro ſalario petere quam facerent ſervientes locorum eorumdem, vadiaque capta per executionem vendendi cauſa extra juriſdictionem in qua fuerunt capta, deinceps non transferantur: dum tamen durante tempore conſuetudo ad prædictas venditiones faciendas, necnon incantus, & deliberationes bonorum prædictorum emptores invenientur, & ſi aliquod debatum ſupervenerit inter habitatores & receptores, denariis regiis priùs ſolutis, Judices ordinarii locorum illius cognitionem habebunt: inhibetur autem ne fiat executio in bobus, mulabus, vel aliis animalibus, aut inſtrumentis ad laborandum neceſſariis, ac aliis oſtiliis mechanicorum, quandiu res alia poſſit inveniri in qua poſſit executio fieri pro ſumma debita. Inf. eo. §. 19.

§. 3. *Idem eodem.*

Inhibetur etiam Seneſchallis, Baillivis, & aliis officiariis regiis Occitanæ patriæ ne decætero concedant Litteras aliquas de debitis, per quas ordinaria cognitio impediatur: niſi in caſibus privilegiatis, de quibus officiarii debent habere cognitionem. Inhibetur inſuper Procuratoribus regiis in lingua Occitana ne virtute certarum Literarum, quæ fuerunt per nos Pictavis conceſſæ cum ibi ſederet * Parlamentum, & exinde per curiam Parlamenti Pariſius renovatæ, vocatarum, quoniam frequenter, &c. cum clamor, &c. aliquas appellationes decætero relevent: niſi ſit à diffinitiva ſententia, vel alia quæ non poſſit in diffinitiva reparari: & hoc ſub pœna emendæ arbitrariæ ſuper ipſis eorum propriis nominibus luendæ. Inhibemus inſuper, ne Litteræ de ſi quas, & niſi viſis, per alios quam Seneſchallos, Baillivos, Viguerios, & alios Judices regios decætero concedantur: quodque Notarii illas tradere non poſſint: quibus etiam inhibetur ne aliquas in albis * habeant concedere, ſub pœna emendæ arbitrariæ. Et ulterius ordinamus quod Literarum prædictarum conceſſione non obſtante, necnon præceptis, & inhibitionibus illorum virtute factis Judices ordinarii contra quos fuerunt impetratæ priſionarios nullo modo tradere, nec extra priſiones malefactores eoſdem ponere teneantur, donec fuerit diſcuſſum per judicem, qui prædictas Literas conceſſerit, an bene vel malè fuerint impetratæ: & ubi malefactor captus non exiſteret, non obſtantibus quibus ſuprà Judices ordinarii ad perſonæ, bonorumque prædictorum malefactorum captionem, & arreſtationem,

* *Sederet*] Dum hæc urbs totos 18. annos ab Anglis occuparetur, ſed nihilominus Pariſiis continuabatur Parlamentum, & omnis adminiſtratio politicæ, & regia ſub nomine Regis Angliæ, & Franciæ. Et vidi multa Arreſta hujus ſenatus eo tempore ſub Anglis lata, & ſigillata. C. M.

* *Albis.*] In nominibus partiũ non expreſſis: ſed relicto ſpatio vacuo.

si ad id materia dispolita fuerit, procedere poterunt, si casus id requirat.

§. 4. *Ludovicus XI. anno* 1464.

*Canonibus.] Quorum Rex est protector & executor. c. quoniã 23. q. 4. c. principes sæculi 23. quæst. 5. C. M.

Quamvis sacris Canonibus, * & infrà omnibus gentibus cujuscumque status seu conditionis existant, prohibemus ne decæterò vadant vel mittant, sive per bilheras, literas cambii, vel aliàs quovis modo ad curiam Romanam quæsitum, prosequutum, vel obtentum gratias expectativas, vel aliàs Bullas, aut Literas Apostolicas illis æquipollentes, sive sit sub colore generalium, vel specialium réservationum, vel aliàs quovis modo, super beneficiis Regni nostri, & Delphinatus, prohibentes similiter ne aliquis vadat, vel mittat ad eamdem curiam Romanam, pro habendo vel obtinendo quemcunque Episcopatum, Abbatiam, dignitatem, vel aliud beneficium electivum, nisi prius voluntate, & consensu nostro desuper obtentis: & hoc sub pœna incursus nostræ indignationis, & perditionis suorum denariorum, quorum ipsi, vel eorum procuratores, aut nuntii sasiti fuerint reperti, per bilheras, literas cambii, vel aliàs pro portando, vel mittendo Romam ad causam præmiorum ac emendæ arbitrariæ, donec per nos aliud fuerit ordinatum. Curiæ Parlamenti Præposito Parisius, & aliis Baillivis, & Senescallis mandantes, ut prædictam ordinationem teneant, & servari faciant secundùm sui formam & tenorem. Et si qui contrarium faciendo hactenus se contulerint, vel miserint Romam, & Bullas, gratias expectativas, vel aliàs provisiones tangendo res supradictas obtinuerint, & illis se juvare vellent, compellantur ad desistendum, necnon ad revocandum, & revocari faciendum, cassandum & annullandum, eorum expensis, quidquid fecisse in contrarium reperientur, per prisiam, & arrestationem prædictarum gratiarum expectativarum, Bullarum, provisionum, & processuum Apostolicorum ac citationum, monitionum quas fecerint, & facere possent contraria jam dictæ ordinationi, & illius effectui, per detentionem, & imprisionamentum personarum impetrantium ac portitorum, & aliorum qui supradictis gratiis, Bullis, & processibus ac provisionibus juvare se vellent: prisiam etiam & exploictationem temporalis dictarum gentium Ecclesiasticarum in nostram manum, donec paruerint, ipsosque condemnent in emendam pecuniarum, sicut viderint, tanquam nostrarum Ordinationum transgressores, & per declarationem pœnarum contra ipsos, & quemlibet ipsorum procedant.

§. 5. *Idem anno* 1417.

Præterea volumus & ordinamus, quòd deinceps in nostra curia Parlamenti ponentur notabiles personæ, bonæ probationis & legalitatis, eorum honorem & conscientiam diligentes, idoneæ & sufficientes ad exercendum officia præfata: & si qui fuerint corrupti * vel culpabiles, aut rei criminis defectuum vel abusuum, secundùm casuum exigentiam puniantur, quodque curia nostra cum diligentia nos adviset de illis, qui sic criminosi fuerint, inhabiles ad tenendum officia prædicta, ut per nos inde provideatur, sicut viderimus faciendum.

*Corrupti.] Quales multi sub Francisco per pecuniã intrusi sunt, & omnem justitiæ fidem, & honorem fœdaverunt, & vulgo quoque contẽptibilem fecerunt: de corruptis loquor quos si Henric. III. gradu motos di-

§. 6. *Idem eodem anno.*

Prohibemus insuper, ne Baillivi, Senescalli, Vicecomites, vel alii officiarii justitiæ regni nostri sub pœna punitionis arbitrariæ: & privationis officiorum suorum, exercitium officiorum suorum ad firmam deinceps tradere præsumant, neque pro committendo suos Locatenentes aliquam utilitatem recipiant, sed notabiles personas, & sufficientes juxta officiorum qualitatem, qui subditis bonam justitiam faciant & administrent.

gnis pœnis afficiat, gloriã immortalẽ totiusque populi veras, & festias laudes assequetur. C. M.

§. 7. *Ludovicus XI. anno* 1475.

Sicut, & infrà volumus & ordinamus, quòd omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Prælati & alii tenentes dignitates, residentes extra regnum, & terras nobis obedientes, infrà quinque menses post publicationem præsentium, redeant ad Beneficia in regno nostro consistentia, ut in altero illorum, si plura tenuerint, continuam faciant residentiam: ut & inibi divinum continuetur officium, ac servitium, sicut pertinet & tenentur, utque nos illis in consiliis nostris juvari possimus ad bonum Regni nostri, & reipublicæ: & hoc sub pœna privationis temporalitatis suorum beneficiorum.

§. 8. *Carol. VIII. anno Domini* 1485.

Prohibemus ne panni aurei, vel argentei, aut sericei infrà regnum nostrum, nisi in eo facti fuerint, decæterò portentur per terram vel mare, aut aliàs quovis modo, sub pœna confiscationis illorum, & animalium illos deferentium, aliarumque mercium cum illis inventarum, necnon emendæ arbitrariæ.

§. 9. *Idem eodem.*

Volumus quod insequendo ordinationes Caroli VII. ad officia regia nostri regni, & Delphinatus per electionem assumantur, & eligantur tres personæ, sicut in eisdem Ordinationibus continetur, sive sint officia Procuratoris, Advocati, Locatenentium generalium Bailliviarum, Senescallorum, Castellanorum, electorum, Vicecomitum officiariorum, & viguieriorum cameræ computorum generalium Consiliariorum super facto justitiæ Thesaurariorum, Consiliariorum, & examinatorum * in castelleto, & curiis supremi Parlamenti, & idem de aliis officiis judicaturæ. Præterea nullus officiarius destituetur ab ejus officio & statu, neque alteri conferetur, nisi per mortem vacet, vel resignationem, vel forefacturam per judicem competentem officiario audito, vel debitè vocato declaratam, nullaque deinceps erunt officia extraordinaria, neque sine magna causa super officiorum regiorum pluralitate per nos dispensabitur. Porrò nullæ literæ adjornamenti in casu appelli decæterò per Cancellariam refutabuntur, nisi ex bona grandique consilii deliberatione processerit. Volumus insuper quod Ordinationes Caroli VII. curias Parlamentorum tangentes decæterò firmiter observentur, quodque magni dies sicut antiquitus tenebantur per illos de Parlamento, & curiis supremis, videlicet anno quolibet ac una annata in contrata patriæ, & deinde in alia, quibus prædictos dies tenentibus injungitur, ut certis diebus septimanæ vacent reformationi prædictæ taxationis salariorum grapharium, & reformationi abusuum, omnia per ordinem ponentes, oppositionibus vel appellationibus non obstantibus quibuscumque. Præterea quolibet anno volumus teneri, scaquarium Rothomagi, & pro illo tenendo deputari præsidentes, & consiliarios Consuetudinum, & usagiorum patriæ prædictæ notitiam habentes, & inibi causæ pendentes per eos decidantur.

*Examinatorum.] Et meritò, quia in his magna fides, & industria requiritur, & ultra hoc magnam habent administrationem rei judicialis, & politicæ, sed tamen hodie inter venalia officia reputantur, & malè, C. M.

§. 10. *Idem.*

Declaramus insuper quod nulli officiarii habebunt suum committimus in requestis, nisi fuerint verè ordinarii, & commensales nostri, neque virtute ejusdem adjornari facere poterunt aliquas personas pro realibus actionibus, vel ab eis dependentibus

neque pro actione personali, nisi summam viginti librarum Turonensium excedat, nec in illis clausula * adjunctionis, vel renvodii deinceps apponetur. Præterea judices ordinarii de causis eorum, qui se falsò prætendunt scholares universitatis, cognoscere, illasque decidere poterunt, non obstantibus renvodiis citationibus mandamentis, & protectionibus per ipsos impetratis, quibus non parebitur in hac parte, quinimò tales tanquam abusores secundùm earum exigentiam puniantur. Similiter nullus scholarium per transportum sibi factum, vel adhæsionem proceßus recipietur ad faciendum fieri aliquod renvodium causæ, nisi frater, avunculus, aut nepos, quodque causa ipsum principaliter tangat, alioquin præmissis non obstantibus, judex ordinarius cognoscere poterit, conservatores autem, & judices Ecclesiastici, & alii citationes, vel mandata in albo decæterò non concedent.

* *Clausula.*] Idem 1493. art. 76. in Gallicè impressis. Ludov. XII. de privil. scholari. 3.

§. 11. *Idem.*

Officia judicaturæ decæterò non concedantur ad firmam, sed provideantur, sicut fieri consuevit. Porrò Magistri Aquarum & Forestarum, causarum ad justitiam temporalem Ecclesiasticam, Nobilium, & aliorum justitiariorum pertinentium, decætero cognitionem non intercipiant, neque præpositi Marescallorum aliam justitiam exercebunt, nec eorum Locatenentes, quàm eam quam debent exercere, scilicet factum guerræ concernentem.

§. 12. *Idem.*

Officiariis regiis inhibetur, ut in locis in quibus spaviæ, bastardi, & aubenæ fuerint, ubi talia levare consuevimus, non faciant saisias vel explecta, nisi præcedentibus informationibus, nec manum apponant super bonis alicujus, qui heredem habeat apparentem: sed regant se secundùm Ordinationes regias in hac parte. Insuper volumus quòd in causis civilibus quælibet partium tam actorum, quàm defensorum in primis instantiis, & causis appelli, absque gratia deinceps ad litigandum recipiantur, neque fundentur in causa, nisi semel, * nec pro visione procurationis ultra duodecim denariorum Turonens. decæterò recipiatur.

* *Semel.*] Sufficit mandatū semel exhibere apud acta. vide Ludo. XII. 1499. §. 134.

§. 13. *Idem eodem anno.*

Omnia animalia ad laborandum, & cultivandum seu colendum terram ordinata & deputata, nec non instrumenta, & ostilia * necessaria ad laboragium, deinceps obligari non poterunt, neque pro pignore capi, vel pro executione qualicumque, etiam pro denariis regis, vel dominorum directorum, aut mercatorum, aut aliàs quomodocumque, supposito etiam quòd laboratores id vellent & consentirent. Præterea si in loco ubi bona per executionem capientur, bona villa vel locus mercati non fuerit, bona prædicta portabuntur ad villam mercati, quæ loco in quo facta fuerit executio præfibata, proximior est.

* *Ostilia.*] Verbū gallicum *ostie*, comprehendit omne instrumentum sive sese movēs, sive mobile; sic text. in l. executores cum. l. sequ. C. quæ res pig. oblig. pol. sed nullo modo servantur in hoc regno. C. M. Syndicatur, sed non servatur, & pessimè.

§. 14. *Idem eodem anno.*

Omnes officiarii financiarum receptorum ad numerum, & vadia tempore Regis Ludovici quondam genitoris nostri, & Principum quorum postea terræ pervenerunt ad coronam, reducantur. Volumus insuper quòd Ordinationes Philippi pulchri, Joannis, Carol. V. Carol. VI. & prædecessorum suorum per curias Parlamentorum in qualibet contracta, prout ipsis privilegia, & consuetudines contractarum pertinent, decæterò custodiantur, in curiis Baillivorum, Senescallorum, & aliorum Judicum publicentur. Insuper portulationes missæ decætero cessabunt, atque Commissarii extraordinarii deinceps tollentur. Si quis autem de crimine, vel aliquo casu accusetur, per ordinarios Judices sufficientes, & bonæ prius fient informationes, servataque juris forma, per ipsos procedetur, innocentes absolvendos, & delinquentes puniendo, prædictique Commissarii, & alii Judices tam ordinarii, quàm extraordinarii, & officiarii justitiæ, qui circa præmissa malè versati fuerint in eorum chargiis & officiis, secundùm casuum exigentiam puniantur, atque hujus prætextu tortionarios, & indebitè damnificare teneantur, quodque supremæ curiæ sub quarum ressortibus tales delinquentes, & abutentes demorabuntur, correctiones, punitiones, & reparationes hujusmodi fieri faciant taliter, quòd omnibus transeat in exemplum, pro quibus correctionibus faciendis in patria Ducatuque Normaniæ, magnus erit Senescallus qui in eadem patria generalis reformator existit * Commissarius; in aliis autem partibus Baillivi, & Senescalli, cum officiariis regis, & aliis notabilibus viris patriæ ubi casus acciderit: volentes insuper quod Ordinationes olim factæ contra blasphematores per beatum Ludovicum, & alios prædecessores nostros, decætero firmiter observentur.

* *Existit.*] Fuit antequam ibi erectū esset perenne Parlamentum. C. M.

§. 15. *Idem eodem anno.*

Cursus mercantiarum in regno Franciæ liberè decæterò manuteneantur, omnibusque mercatoribus tam infrà, quàm extrà regnum in patria nobis non contraria, tam per mare quàm per terram proficisci permittatur, neque marchæ * decætero laxabuntur, nisi per magnum nostrum consilium, vel curias Parlamentorum. Præterea finæ impositionum forancarum * & passagiorum viris notabilibus decætero concedantur, quorum abusus per Judices regios locorum ubi tales abusus commissi fuerint, corrigantur. Portus reparati in bono, & sufficienti statu teneantur taliter quod inde valeat securè pertransiri. Reparationes autem illorum fiant expensis eorum, qui ad hoc electi fuerint, & subjecti. Domini verò pedagia levantes in terris pro quibus hujusmodi pedagia mercatores solverint, eos in securitate * teneri faciant. Interdicimus insuper omnibus officiariis justitiæ & receptæ, ac aliis quibuscumque quibus per Ordinationes Caroli VI. & aliorum prædecessorum fuit interdictum, ne mercantiæ factum exercere præsumant, sub pœnis in eisdem Ordinationibus contentis.

* *Marchæ.*] Inf. tit. seq.

* *Forancarum.*] Id est, quæ imponuntur mercibus exeuntibus, vel egredientibus regnum.

* *Securitate.*] Scilicet pontium & itinerum refectorū, & tutorum à latronibus. Andr. Iser. de statut. contrahiber. Eccles. col. 12. Archidia. 33. 7. 3. si quis dominus Bal. c. 1. de his qui feud. dare poss. Floria. 1. §. summa de his qui dece. vel eff. C. M.

§. 16. *Idem Carolus VIII. anno Domini 1495.*

Statuimus & ordinamus, quòd decætero in qualibet curiarum supremarum, & jurisdictionum ordinariarum, atque nostrarum aidarum certus limitetur numerus comperens tam notariorum, quàm ostiariorum, & servientium secundùm cujuslibet jurisdictionis necessitatem, & extensionem; quodque illi qui juxta numerum prædictum remanserunt, sint officiarii formati, quorum officia nisi altero de tribus casibus in Ordinationibus, officia nostra tangendo factis, & declaratis decætero non vacabunt. Qui autem de officio Notarii, vel servientis per nos provisus extiterit, antequam uti permittatur officio, literam doni, officiarii manu registrare, & scribere tenebitur atque subsignare: videlicet Notarii in papyro * commissi ad custodiam sigilli contractuum sua, servientes autem in grapho * principalis sedis Bailliagii, vel Senescalliæ in qua fuerit deputatus: ut si forte in eorum signeto falsitas committeretur, valeat exinde comprobari. Prohibentes insuper eisdem Notariis servientibus ne habeant postulare in causis, vel patrocinari pro partibus: & Notariis, ne mechanicis artibus se immisceant: atque ostiariis & servientibus ne officium Notariatus aliquatenùs exerceant.

* *Papyro.*] Id est in libro.

* *Grapha.*] Id est apud actuarium.

TITULUS XLVII.

DE REPRESALIIS.

Carolus VII. anno Domini 1485.

PRohibemus ne matchæ seu represaliæ de cætero per alios quàm nostrum Magnum Consilium & Curias * Parlamentorum, ac partibus auditis, secundùm Ordinationes alias super hoc factas concedantur: alioquin illas nullas existere decernimus.

* *Curias.*] Vtinfrà, Arrest. Tholos. 57.

TITULUS XLVIII.

DE QVÆSTIONIBVS.

Beatus Ludovicus anno 1254.

PErsonas autem honestas vel bonæ famæ, etiamsi sint pauperes, ad dictum testis unici * subjici tormentis seu quæstionibus inhibemus, ne ob metum, falsum confiteri, vel suam vexationem redimere compellantur.

* *Vnici.*] Vel de laudanda Constit. Guillel. Benedic. Rep. c. Raynutius. no. in l. 3. verfic. adjectæ impuberi num 34. de testam. & limitantur C. ad leg. Iul. Majest. C. M.

TITULUS * XLIX.

DE EMENDIS.

Beatus Ludovicus hujus nominis IX. 1254.

EMendas autem pro maleficiis seu delictis à Baillivis nostris levari nolumus, nisi in foro judiciario de bonorum consilio virorum, publicè judicatæ fuerint vel æstimatæ, quanquam anteà fuerint gagiatæ. Si tamen ille cui crimen imponitur, Curia sibi judicium offerente, illud expectare noluerit, sed pecuniâ certam offerat pro emenda: & sit tale crimen de quo emenda pecuniaria recipi consuevit, liceat * Curiæ eam recipere', si competens sibi videatur: alioquin faciat judicari vel æstimari. Caveant tamen Judices & Baillivi ne minis & terroribus vel callidis machinationibus clam vel palam aliquem ad aliquam emendam offerendam inducant, vel sine causa rationabili accusent.

* *Licèat.*] Quod hodie melius ob abusum cortesiæ est, & nullo modo licet Judici, vel Procuratori fisci componere, art. 2. quæ nec Officialibus subalternorum, ex Constitution. Carol. V. servatur. C. M.

TITULUS L.

DE CONSTITVTIONIBVS * *Caroli Magni, & Ludovici Pii patris & filii, Franciæ Regum & Imperatorum.*

* *Constitutionibus.*] Quarum exemplar habeo, ex quo pauca quædam hic adjeci, ut sequitur. C. M.

EX CAPITVLIS CAROLI MAGNI, *apud Angesilum Abbatem lib.* 1. *cap.* 85. *De Mansis unius cujusque Ecclesiæ.*

* *Mansus.*] Idest mansi, Itali vocant, unde mas. Bal. l. fi plures. col. 2. de condi. incert. Hæc Constitutio facta est in dicta Imperiali apud Vormatiam, ubi Carolus Magnus primum Regni diadema susceperit, & habetur ad verbum in c. 1. extra de censi. infigni ingratitudine Pontificum Rom. & Canonistarum, qui authoris videlicet Caroli Magni nomen & memoriam deleverunt. C. M.

SAncitum est ut unicuique Ecclesiæ unus mansus * integer absque alio servitio attribuatur. Et Presbyteri in eis constituti non de decimis, non de obligationibus Fidelium, non de domibus, neque de aratis vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter Ecclesiasticum, & si aliquid amplius habuerint, inde senioribus * suis debitum servitium impendant.

* *Senioribus.*] Id est dominis feudalibus qui sub se vassallos & subditos habent feudales, sic enim vocantur in Capitularibus Caroli Magni, & intelligitur de omni servitio etiam militiæ, ne Resp. fraudetur. C. M.

Cap. 103. *De pabulo verbi divini nuntiando.*

Episcopi verò, ut sive per se, sive per vicarios, pabulum verbi divini * sedulò populis annuntient, quia (ut ait beatus Gregorius) iram contra se occulti Judicis excitat Sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit, & ut ipsi Clerum sibi commissum in sobrietate & castitate nutriant; Superstitiones quas quibusdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent.

* *Divini.*] Vt fiat, tenetur Princeps sedulò curare. Deut. cap. 17. C. M.

Cap. 185. *De Scriptoribus.*

Iubemus ut Scriptores quique non vitiosè scribant.

Cap. 118. *De Mendicis discurrentibus.*

De Mendicis qui patrias discurrunt, Volumus ut quisque Fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio, aut de propria familia nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando, * & ubi tales inventi fuerint qui sibi manibus laborant, nullus eis quicquam tribuere præsumat.

* *Mendicando.*] Idem Deut. c. 15. contrà hanc Constitutionem, postea facti sunt Ordines Mendicantium. C. M.

Cap. 125. *De emptione tempore messis, causâ cupiditatis & turpis lucri.*

Quicumque enim tempore messis vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam, ut pluris revendat, turpe lucrum dicimus; si propter necessitatem comparat, ut sibi habeat, & aliis tribuat, negotium dicimus.

Cap. 138.

Ut nemini liceat aliquem cogere ad bibendum. *

* *Bibendi.*] Sic in magnificentissimo convivio Darii Hydaspis seu Assueri pro re magnifica notatum est, quòd nemo cogebat bibere, Hester. 1. Dixi super textum in c. Crapula, devit. & l. honest. Cleric. extra. Et hoc ego in Germania cum essem trans Albim, inter milites Ducis Brunsvicensis in persona mea practicavi, hanc Constitutionem allegans, eaque me defendens. C. M.

Cap. 139.

Ut mercatus die dominico in nullo loco habeatur.

Cap. 153.

Ut nullus deinceps in Ecclesia mortuum * sepeliat.

* *Mortuũ.*] L. 2. C. de sacra Eccl. ubi Doctores avaritiam Sacerdotum meritò insectantur. C. M.

*Ex Capitulis Ludovici Pii * Regis & Imperatoris, lib.* 2. *cap.* 2. *Ad Status Regni & Imperii.*

* *Pii*] Et Clothezii, ut Angesisus l. 1. c. 1. C. M.

Sed quanquam summa hujus ministerii in nostra persona consistere videatur: tamen & divina auctoritate, & humana ordinatione, ita per partes divisum * esse cognoscitur, ut unusquisque vestrûm in suo loco & ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur. Unde apparet quòd ego omnium vestrûm admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adjutores esse debetis: nec enim ignoramus quid unicuique vestrûm pro sibi commissa portione con-

* *Divisum.*] Ergo solùm caput non omnia potest, imò persona Principis non est caput nisi organicum.

sed verum caput est Principatus ipse cum membris integrantibus eum. C. M.

veniat, & ideo prætermittere non pollumus quin unumquemque juxta suum ordinem admoneamus.

Cap. V. Scholæ sanè ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis injunximus, in locis congruis ubi necdum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur.

De rebus pauperum vel minùs potentum mala occasione non emendis.

* Emendetur.] Sed hujus sæculi Cancellaria hâc leg. ignorat, imo de oppressione Potentis nõ audet pauper queri, nec est qui eruat. C. M.

Propter provisiones pauperum pro quibus curam habere debemus placuit nobis ut nec Episcopi, nec Comites, nec Abbates, nec Vicarii, nec Judices, nullusque omnino sub mala occasione vel malo ingenio res pauperum vel minùs potentum emere nec tollere audeant. Sed quisquis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis testibus, & cum ratione hoc faciat. Ubicumque autem aliter inventum fuerit factum, [illegible]emendetur. *

Ex libro 3. cap. 7. De juramento.

Ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur nisi Nobis, aut unicuique seniorum ad nostram utilitatem, & senioris sui, exceptis juramentis quæ per legem alii aliis debent.

Cap. 72. De non cogendo bibere.

Ut in hoste nemo parem suum vel quemlibet hominum bibere cogat, & quicumque in exercitu ebrius inventus fuerit, ita excommunicetur, ut in bibendo sola aqua utatur, quousque se male fecisse agnoscat.

Cap. ult.

Ut æquales mensuras & rectas, & pondera justa & æqualia omnes habeant, sive in Civitatibus, sive in Monasteriis, sive ad dandum invicem, sive ad capiendum.

FINIS TERTIÆ PARTIS TOTIUS HUJUS OPERIS.

INCIPIT QVARTA PARS,

DE IVRIBVS ET PRIVILEGIIS REGNI FRANCIÆ.

TRACTATVS PRIVILEGIA ALIQVA REGNI FRANCIÆ continens, per Joannem Ferrault, utriusque Juris Licentiatum editus.*

*Ferrault] Andegavensem regiúque apud Cenomanos Procuratorem tempore Ludovici XII. cui dicavit, ut notes imperitiam & barbariem temporis. C. M.

Primum jus sive Privilegium sequitur.

Rex Franciæ neminem recognoscit in temporalibus Superiorem.

PRIMUM Iidiorum jus altum & præcipuum Serenissimæ Coronæ Franciæ est, quòd Rex nullum in temporalibus recognoscit, nec recognoscere tenetur: Et ideò scriptum est quòd non est feudum, & si feudum debet dici, quòd nullum est ita francum sicut Regnum Franciæ, quia nullam fidelitatem debet: quod est signum libertatis maximæ. Nam omnis fidelitas est libertati contraria. *extra de privileg. c. cùm olim.* Et est illa servitus quædam. *Bal. in l. quotiens, C. de suis & legitim. faciunt not. in l. sicut in princip. ff. de usufruct.* & quòd non subest Imperatori expressè decidunt *Ioan. Fab. Cy. & Ias. in l. 1. c. de sum. Trinit. Præpos. & Alexand. in c. jus Quiritum, 1. dist. Spec. de appellat. §. Nunc tractemus.* quibus locis resolvunt Regem & Regnum Franciæ legibus Imperialibus non ligari. Nam dictio *quos* posita in d. l. 1. restringit, ut ibi latè per Doctores facit *l. ea tamen de leg. gl. 5.* Et ultra rationes prædictas, ea ratione potissimum, quia in Regno Franciæ Imperator non habet territorium seu districtum, quod idem est, §. porro juncta glos. Et ibi de sanctogemi. c. ubi periculum, de elect. in 6. Et nos Francos Imperator nunquam potuit, neque potest tenere: & sic extra territorium impunè ei non paretur l. fi. ff. de juri. om. jud. & c. 2. de Constitut. facit ad prædicta quod dicit Bal. Consil. 418. dum dicit Regnum Franciæ regi naturali instinctu, nec subjici Imperio, sed haberi erga Imperium sicut erga nos est polus antarcticus facit dictum Ia. de alva. in tit. de pace jur. firm. in prin. collat. 10. dicentis in terminis pro Regno Franciæ, quod nunquam fuit subjectum Imperiali, nec est spes quòd obediat. Et si legibus Imperialibus utimur, ille usus permissus est eatenus quatenus Lex Regni non disponit. Nam dispositio Legis Salicæ seu Regni prævalet & obtinet. Ita dicit Alexand. c. d. jus Quiritum: quod singulare est in Rege Franciæ, secùs de aliis Regibus, qui fuerunt à Romanis devicti & tributarii redditi: de quibus aliqui denominantur in l. in nomine Domini C. de off. Præfect. Prætor. Afric. Nec glorientur Hispani; nam text. 93. dist. c. Adrianus, solùm loquitur de Carolo Magno qui erat Rex Francorum, & ex Francis, quia Carolus eos devicerat, in tali privilegio participare meruerunt. Ultra prædicta, jus Franciæ satis declaratum extitit. in c. per venerabilem. extra, qui filii sint legitimi; licet Glossa dicat quòd de facto, & non de jure, Rex ipse Superiorem recognoscat; tamen illi non est credendum; nam, ut inquit Alexander cap. jus Quiritum, distinct. 1. illa glossa est Ioannis, qui fuit Theutonicus, & Imperatori subjectus; & sic tanquam suspectus spernendus est: erubescere enim debuit contra prædicta asserere, cùm sine lege loquatur, §. consideremus. in Authentic. de trien. & semis. col. 3. Nec debent gloriari Theutonici de c. nolumus, 11. q. 1. ubi Imperator vult Francos suis legibus astringi; nam illius, conditor hoc facere potuit, quia erat Rex Franciæ Carolus dictus Magnus. Et ex eo capite quia Rex facere potuit & ordinare, diversitatem tamen notavit; nam Francos expressit per dictionem, *tam*, quæ est copulativa diversorum: text. cum gl. in l. mercatores, C. nova vectig. l. quicumque, C. de hered. l. cùm scimus, C. de agric. & censi. lib. 11. Nec tales Theutonici hoc declarare possunt: cùm antequam in eos fuisset translatum Imperium, fuerat apud Francos, ut patet ex historiis: & in c. venerabilem, de elect. glos. 13. disc. c. quando. Ex quibus elici solent tres Imperii translationes. Prima à Græcis Constantinopolitanis in Germanos seu Francos, tempore Leonis Papæ. Secunda * à Francis in Italos: Et primus illorum fuit Berengarius, tempore Sergii Papæ, & imperaverunt annis circiter quinquaginta. Tertia fuit ab Italicis in Theutonicos, qui dicere voluerunt omnes libros libelle nationes, quod non est verum, etiam de jure: quia tantùm habent Imperium Occidentale, & sic non Orientale. Et si illa penna eis de jure defecit, meritò & illa cælestis Regni Franciæ, argumento l. quæ de tota, ff. de rei vendit. Et hoc satis declaravit Papa Clemens V. in Extravagan. quæ incipit, meruit; declarando diffinitionem Bonifacii octavi non præjudicare Regno Franciæ in temporalibus. facit dictum Fran. de Zaba in cle. unica de immunit. Eccl. Et jus prædictum versum est in consuetudinem: & est approbata talis consuetudo, & hactenus ab omnibus pacificè observata à tanto tempore, quòd non extat memoria in contrarium. Quæ consuetudo gratiæ est inductiva, c. non est de consuet. l. 6. jurisdictionis attributiva, l. 1. C. de emenda, ser. l. viros, C. de divers. offic. l. 11. c. dilecti. extra. de arbit. c. si laïcus, extra de foro compet. & privilegii attributiva. l. fi. c. nova vectigal. de aqua quoti. & æsti. ff. l. 1. §. fin. c. super quibusdam, extra de verbor. significa. 9. q. 3. c. conquæstus. Potuitque talis superioritas præscribi, quia Francigenæ Romani Imperii non sunt, sed separati judicantur, per glos. §. jus autem instit. de patria potest. & sic cum nunquam fuerint subditi, potuerunt præscribere: faciunt not. in dicto cap. si laïcus, in l. venditor, §. constat, ff. communia prædic. de statu & consuetudine, contra libertatem Ecclesiæ, si verò dominus temporalis, col. 10. & not. in d. l. viros. Vide pro amplissima hujus privilegii discussione, quæ tradit Do. Igneus Rothomagensis Parlamenti Præsidens in suo tractatu. An Rex Franciæ recognosc. Imperatorem.

Imperator in Regno Franciæ nõ habet territorium.

* Secund.] Turpiter errat. Si enim Berengarii tyranni fuerunt, vacavit Imperiũ Occidentis 50. annis, ut dixi in Consuet. Paris. tit. 3. in Rubr. nũs 29. C. M.

SECUNDUM PRIVILEGIUM.

Rex Francia Nomen habet pulcherrimum.

SEcundùm jus altum, seu præcipuum, omnes divitias excedens, est quòd nullus Rex habet ita pulchrum & excellens nomen; nam vulgò dici solet, quod meliùs est bonum nomen, quàm divitiæ multæ, inquit Sapiens, & ratione excellentiæ nominis major reverentia adhibenda est. Pulchrum est igitur & singulare bonum nomen habere. text. in l. facta, §. si in danda: & ibi glos. ff. ad Trebel. Et licet de Regibus fiat mentio in jure, scilicet de Rege Angliæ, * c. novit. de judic. & c. non est de despons. De Rege Hungariæ, c. non est, & c. licet de voto & voti redemp. c. intellecto: de jurejur. De Rege Gothorum, 17. di. c. consilia, §. hinc etiam. de Rege Scotiæ, de convet. conjuga. c. charissimus, de immun. Eccles. c. inter alia, in subscriptione De Rege Navarræ, c. ad nostram, de jurejurando. De Rege Apuliæ & Siciliæ, veritatis, de jurejur. & cl. Pastoralis de senten. & de re judi. de Rege Castellæ & Arragoniæ sive Hispaniæ, de jurejuran. c. quanto. Hi tamen tum excellentissimis nominibus seu epithetis non decorantur sicut Rex Franciæ; nam vocatur glorioissimus, c. hoc quippe 3. q. 6. excellentissimus, 11. q. 8. c. excellentissimus, illustris. d. c. novit. de judic. in subscriptione, c. novit. de appellationi. Et meritò illustris, secundum Bal. 1. ff. de offic. Præfec. Prætor. quia plures Provincias sive plures Civitates habet sub se, num. 12. scilicet Rhemensem, Senonensem, Rothomagensem, Turonensem, Bituricensem, Lugdunensem, Narbonensem, Tholosanam, Auxitanam, Burdegalensem, Viennensem, Bisuntinensem. Et comprehensis dictis Provinciis, in quibus sunt sedes Archiepiscoporum, in dicto Regno sunt Episcopi numero * 104. Et vocatur Christianissimus filius, vide Extravag. Ioannis XXII. quæ incipit, Prodiens: & hoc ex gratia Dei operante propter famæ claritatem, favorem devotionis, & sinceritatem fidei Catholicæ, quæ semper in Regibus Franciæ viguit, ut patet in Historiis Regum Francorum; nam Clodovæus de hæretico Gotho sumpsit ultionem. Clotarius secundus bello optimus atque strenuus pietatem colebat, Religionem quoque venerabatur. Dagobertus ob Martyris Dionysii venerationem aureum feretrum, additisque ad decorem multis variisque gemmis, annuis insuper proventibus ad Sacerdotum & Ministrorum templi alimoniam destinatis: tapetes quoque unionibus variis intextos, quibus interior paries tegeretur, attribuit.

* *Rege Angliæ.*] Qui ab anno 1531. omnem Papæ obedientiã subtraxit, seque ex generali conventu (Parlamentum Angliæ vocant) fidei defensionẽ & in terra, suprenum Ecclesiæ Anglicanæ & Hyberniæ sub Christo, caput se dicit etiam in omnibus programmatis, & literis regiis, scilicet Henricus VIII. & post eum nunc filius ejus Edoardus. Dudum etiam omnes Monachos ejecit, eorumque reditus partim sibi pro sumptibus Regni, partim Nobilibus ad onera militiæ assignavit.

* *Numero.*] Scilicet comprehensis Archiepiscopis, aliàs tantum 92. Episcopi addendo verò tres Archiepiscoparus, & illis comprehensis, 125. Episcopi, velut Satrapæ; pauci enim verbum Dei prædicant. C. M.

Pipinus Stephano summo Pontifici contra Adulphum Romanum Regem gravi tributo Romanos prementem, suppetias tulit: & Bononiam & Romandiolam dedit. Spec. tit. de rescriptis, §. 9. versi. Item quia obtentum. Cui Pipino & posteritati ejus ille Stephanus benedixit, & eum qui temeritate aliqua adversus Francos bella moveret, communione Christiana interdixit. Carolus Rex, qui & Imperator factus, & propter ejus magnitudinem, prudentiam, & virtutem, Magnus dictus est, Christianorum, in numerum Sanctorum relatus, Ecclesiam auxit, Adrianum & Leonem quartum summos Pontifices ab omni tributo & molestia liberavit. c. Adrianus, & c. in synodo 63. dis. & juxtà Alexandri Magni dictum maluit se disciplinis antecellere, quàm opulentiis. Considerans quòd optimo Principi gloriosum est habere rationem studiorum, obtinuit Universitatem Parisiensem quæ inter omnes constat florens & famigerata, nec florentissimam, illustrissimamque Francorum nationem ulla fermè alia res peraquè facit. Is Carolus triennio priusquàm moreretur testamentum condidit, duabus partibus totius pretiosæ suæ suppellectilis Civitatum majorum Prælatibus relictis. Tertiam liberis & nepotibus, & familiæ pro unusquisque ratione attribuit.

Ludovicus qui pius dictus est, Imperator & Francorum Rex, Lotharium filium Ecclesiæ libertates & proventuum jura violantem, ad restitutionem monet, & Romani Pontificis se ditionem conservare juramento astringit. Mirandumque de eo fertur, quòd per dies quadraginta nullum neque cibum, neque potum præter spirituale Corporis & sanguinis viaticum ad alimentum acceperit. Ex ejus Chronicis habetur, quòd fuerunt ejus Imperatoris extrema omnia religionis atque fidei plena. Hugo dictus *Capet*, divino ministerio est Rex factus, & per sanctum Gabrum, alàs Valerium, Deo revelante ei dictum est, se usque in sempiternam, alij septimam, generationem regnaturum. Robertus ejus filius Ecclesiam venetatur, Ecclesiarum extructione, hymnisque & canticis ut suffragium, O constantia martyrum! Cunctipotens: immò suffragia docent.

Ludovicus propter corporis molem Grossus cognominatus, permaximus servorum Christi amator fuit. Plerique suo tempore Ordines, * aut originem, aut magnum sanctitatis incrementum acceperunt, Cluniacentium, Hospitalium, prætereà Præmonstratensium sanctissimæ institutiones vitæ & morum luminaria effulserunt, & divi Victoris cœnobium in Parisiano suburbio situm, à fundamentis extruxit.

* *Ordines.*] In hos profusus cæterum mirè frugalis etiam in filiis quos plures habebat, duos Ecclesiasticos, singula tantùm habentes Beneficia, quorum unus Philippus unicum habens Archidiaconatum Paris. cùm electus esset in Episcopum Paris. rejecit, dicens. Cur non potius elegistis præceptorem meum meliorem & doctiorem me, scilicet Petrum Lombardum? Alter filius Petrus, dominus loci de Courtenay tantùm: O quàm nunc efferbuit tyrannis & ambitio! Is etiam Ludovicus VI. primogenitum Robertum Ebroicensem tantùm Comitem facit, prælato (etiam vivens) secundo-genito Ludovico VII. qui ideo junior duplici nomine dictus. C. M.

Ludovicus junior dictus, Crucis signo assumpto, Turcas bello superavit.

Philippus qui cùm ab initio ætatis Deodatus appellaretur, Augustus quoque dictus est: tum propter egregiam sanctamque virtutem, tum quia adeptum regnum auxit. Sacro coronandi absoluto ministerio adhuc adolescens, memor fuit quàm impiè plerique per Franciam dejeraret, & execrabili Deum blasphemia provocarent, animosiorem quam Imperatoriam, de qua in Authentico, ut non lux. ho. cont. na. col. 6. descripsit legem tulit. Si quis ejus impietatis reus compertus esset, in fluvium aut paludem dimitteretur. In ludæos severitatem apud castrum Brayum exercuit. Ob Hierosolymitanam prosecutionem & sustentationem tercentum mille libras Parisienses millia insuper centena domui Hospitali, pauperibus millia viginti testamento reliquit, dedit & legavit.

Ludovicus Sanctorum catalogo inscriptus est, vita sanctissima & miraculorum evidentia proclamantibus.

Philippus ejus divi Ludovici filius, synodum sacram à Gregorio Pontifice Lugduni celebratam tutavit, diu de Christiano statu præcedente confabularus.

Philippus huius nominis quartus, dictus pulcher, Ecclesias & capellas dotavit, & inter alias Cenoman. capellam regiam de vado malidivi appellatam nunc, proh dolor! desolatam: in qua voluit Thesaurarium, Capellanos & Clericos continuam facere residentiam, quod in desuetudinem abiit; quia per substitutos seu vicarios nunc sine rescripto regali sunt deservientes, contra l. nullus qui nexu generis, C. de decuri. l. 10. ordinavit: is paululum antè quàm moreretur, filios servare charitatem exhortatur, & cum voto Hierosolymitano absolvere.

Philippus

Philippus septimus dictus Valesius, Ecclesiæ jurium, libertatumque, & privilegiorum protector & conservator fuit permaximus. Malevolis Ecclesiæ perturbatorum fallaciis & cavillationibus obvians inquit: Non modò non auferre Ecclesiis sua jura, sed ea ampliare in animo est. Et propterea aliis quoque suffragantibus meritis, bene fortunatus primùm, deinde felix, postremò optimus Christicola vocatus est.

Joannes, tametsi variam perpessus fortunam, se Urbano Papæ filiali reverentia obtulit, & Cruce signavit.* [*signavit.] Hic malè tacitur Carolus V. cordatissimus, sapiens vocatus, præque his omnibus de Litteris bene meritus, quia bonos libros conquisivit, & in Gallicum transferri jussit: in quocis totam Bibliam Sacram, omnem naturalem Historiam, libros Aristotelis politicos, ethicos, & de Cœlo & Mundo, summumque Viridarii componi: fœlix nisi quòd, damno posteritatis tuæ nimis liberalis fuit in fratrem Philippum Audacem, & ab impio Rege Navarræ intoxicatus ægrè, lethali fistula in brachio relicta, ad tempus sanatus, filium nimis juvenem reliquit, quæ causa fuit infinitarum cladium Regni, thesauris etiam regiis per avarum & infidum fratrem Ducem Andensem expilatis.

Carolus sextus pro Ecclesiæ bono Ecclesiarum proventus in tres partes distribui jubet: unam in Ecclesiarum instaurationem, alteram in dissolvendis obligationibus & debitis, tertiam quotidianis Ministrorum usibus assignavit. Schisma longævum dissolvit, Ecclesiastica jura ampliando. Carolus septimus sacro-sancti Concilii Basiliensis auctor, susceptor, & approbator fuit, Ecclesiæ Gallicanæ præservator.

Ludovicus undecimus ejus filius, etsi aliqua sæva exercuit, magnam tamen devotionem ad divam Mariam habuit: Ecclesias consecratas auxit, & oblationibus dotavit.

Carolus octavus ejus filius Rex mitissimus, Alexandrum Pontificem visitavit, & ei personaliter in Missarum solemnis servire voluit.

Ludovicus duodecimus magnis laudibus attollendus esset, nisi adulationibus me crederet aliquis usurum. Unum tamen efferre volo, quòd propriis sumptibus Bononiam a Bentivolo, Romandiolam a Venetis prædonibus occupatas, Sedi Apostolicæ & Iulio * secundo restituit: universo orbi & aperta sunt miracula; unde Rex cui de suo justo titulo potestas hujusmodi miracula faciendi accedit, potest dicere illud Evangelicum quod respondit Dominus contra calumnias Iudæorum, Ioannis 10. cap. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, cap. studiis de præsumpt. cap. quod Dei timorem, extra. de stat. Monach. Quæ omnia gesta, sine gratia operante & fidei sinceritate, peracta esse, nullus est qui dicere velit, & regni excellentiam à summo Deo esse negare possit. Meritoque aliis dotibus, profundissimisque juribus Regem & regnum Franciæ debere tutari.

* Iulio.] A quo mox Italia, Mediolano, Liguria pulsus & deturbatus fuit. Idem quoque Iulius Concilium Pisanum auctoritate Constantiensis & Basiliensis Conciliorum congregavit, in quo, ob nocorta, & scelera sua depositus fuit. Iste C. M.

TERTIUM PRIVILEGIUM.

QUICUMQUE ORAT PRO REGE Franciæ, habet decem dies Indulgentiarum.

TErtium altum jus & præcipuum sequitur, quòd quicumque orat pro Rege Franciæ, habet decem dies indulgentiarum ab Innocentio quarto, ut recitat defunctus præceptor meus Magister Cosmas Guymier, in prooemio Prag. Sanction. super verb. *turretur*. Et sanctus Thom. in 4. Senten. dist. 19. art. 3. in solutione ultimi argumenti. Clemens centum dies indulgentiarum concessit orantibus pro pace & salute Regis & Reipublicæ regni Franciæ: ut vidi, & Bullam legi in lib. Et est Bulla num. 33. hoc laudandum sanxit Baruch Propheta, c. 1. sui libri.

QUARTUM PRIVILEGIUM.

REX FRANCIÆ POTEST, INCONSVLTO Papa, sub nomine mutui doni, aut charitativi subsidia imponere viris Ecclesiasticis, seu Ecclesiis, pro defensione Regni.

QUartum altum jus atque singulare nulli alii concessum est, quia licet jure communi Principes laici non possint subsidia imponere, nec sub nomine mutui, doni, aut charitativi subsidii; ab Ecclesia virisque Ecclesiasticis petere aut exigere, inconsulto summo Pontifice, c. non minùs, c. adversus cum sua materia, de immunit. Eccles. Regi tamen Franciæ licet, & viri Ecclesiastici hoc præstare possunt, exactione cessante, etiam inconsulto Romano Pontifice, pro universali vel particulari regni Franciæ defensione, & si periculosa necessitas imminet, cujus necessitatis ad Regem majorem annis viginti, & si minor ætate, ad Prælatos, Clericos, & laïcos qui de ejus sunt strictò Consilio, seu majorem partem illorum honoratorum arbitrium seu interpretatio spectat, & ita declaravit Bonifacius Papa, & hoc aliàs accepi ex scriptis domini de Banza, tunc Consiliarii Regis. Sed pro vero didici, & vidi scriptum in Bulla, in libro Illorum redactâ; cujus tenor sequitur, & est talis.

*Tenor Bullæ * Apostolicæ insertæ libro Liliorum.*

* Bullæ.] Sed fictæ & suppositiciæ: tum quia nulli Bonifacio ante Bonifacium VIII. & multo minùs post eum adaptari potest. Bonifacius autem erat acerrimus hostis Regis Philippi & Regni. Tum quia hic fit mentio de Anno 1. Pontificatus Bonifacii. Sed dictus Philippus sedulò prohibuit eum implere nonum annum Pontificatus, captus enim Papa Romamque ductus, miserabiliter ibi periit, ingressus ut vulpes, regnavit ut leo, abiit ut lupus, mortuus ut canis. C. M.

Ejus est legem interpretari qui eam condidit: facit l. leges sacratissimæ, C. de legibus.

BOnifacius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis electis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Capitulis, & aliis personis Ecclesiasticis, necnon & nobilibus viris, Ducibus, Comitibus, Baronibus, militibus, & cæteris per regnum Franciæ constituris; ad perpetuam rei memoriam. Etsi de statu Regis cujuslibet in quo Catholicæ fidei viget signaculum, paternæ sollicitudinis studio cogitemus: ad statum tamen Christianissimi Regis Franciæ, in quo semper anteactis temporibus erga Romanam matrem Ecclesiam viguit devotionis integritas, reverentiæ plenitudo splenduit & ferventis obedientiæ promptitudo, tantò solertiùs arcem confidentiæ extendimus, & circa illud cogitationis nostræ versatur instantia: quanto ipsum ulteriori favore prosequimur, & sinceriùs gerimus in visceribus charitatis.

Dudum siquidem Pastoralis officii debitum exequentes, in favorem Ecclesiarum, & Ecclesiasticæ libertatis auctoritate Apostolica duximus statuendum, ne Prælati & personæ Ecclesiasticæ cujuscumque dignitatis, status aut conditionis existant, sub adjutorii mutui vel doni nomine, Imperator, Reges seu Principes, aut aliter præsidentes, ea imponere & exigere vel recipere ab eisdem Prælatis & personis Ecclesiasticis audeant, certis pœnis adjectis nihilominus in hac parte. Verùm nonnulli nostræ intentionis ignari, suæque prudentiæ imitentes hujusmodi Constitutionem nostram, non rationabili aut æquitati consonæ, sed voluntariæ interpretationi subjicere moliuntur; non attendentes quòd ad eum qui condidit, interpretatio noscitur pertinere. Nos igitur huic morbo congruam intendentes adhibere medelam: & ut cujuslibet ambiguitatis

scrupulus in hac parte tollatur, & veritatis puritas eluceſcat, authoritate præſentium declaramus, quòd Conſtitutio ipſa, vel ejus prohibitio ad donaria, vel mutua ſeu quævis alia voluntaria Prælatorum & perſonarum Eccleſiaſticarum ejuſdem regni, cujuſcumq; ſtatus, ordinis vel conditionis exiſtant, omnr proſus coactione aut exactione ceſſante, ſe aliquatenùs non extendat. Licet ad id forſitan chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris, vel ſucceſſorum ſuorum, qui pro tempore fuerint, aut Officialium eorumdem, ſeu Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium, vel aliorum dominorum temporalium de regno prædicto, requiſitio civilis & amica præcedat: omniaque feudalia, cenſualia ſive jura quælibet in rerum Eccleſiaſticarum ditione retenta, vel alia ſervitia conſueta Regi ejuſque ſucceſſoribus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & aliis temporalibus dominis ſupradictis, tam de jure quàm de conſuetudine, à perſonis Eccleſiaſticis debita, prædicta Conſtitutio non includat, vel aliquatenùs comprehendat. Et quòd perſonæ Eccleſiaſticæ pro Eccleſiarum ſuarum utilitatibus compoſitionis aut tranſactionis vigorem in his contingat aliquatenùs impediri: conſtitutioque eadem Clericos clericaliter non viventes, ſed ſe mercationibus & mercimoniis, præſertim inhoneſtis & vilibus vel obſcœnis immiſcentes actibus non defendat. Adjicimus inſuper hujuſmodi Declarationi noſtræ, quòd ſi prædicto Regi ac ſucceſſoribus ſuis pro univerſali vel particulari ejuſdem regni defenſione, periculoſa neceſſitas immineret, ad hujuſmodi neceſſitatis caſum ſe nequaquam extendat Conſtitutio memorata: quin potiùs idem Rex ac ſucceſſores ipſius poſſint à Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis dicti regni petere & recipere pro hujuſmodi defenſione ſubſidium vel contributionem: illudque vel illam Prælati & perſonæ prædictæ præfato Regi ſuiſque ſucceſſoribus, inconſulto etiam Romano Pontifice, teneantur & valeant ſub quorumcumque nomine, aut aliàs etiam impartiri, non obſtante Conſtitutione prædicta, ſeu quovis exemptionis vel alio quolibet privilegio, ſub quacumque verborum forma confecto, ſede Apoſtolica impetrato: Ejuſque neceſſitatis declaratione ſupradictæ ipſius Regis, & ſucceſſorum ſuorum conſcientias onerari, eiſque innotescere. Volumus quòd quicquid recipi ultra ipſius defenſionis caſum contigerit, in ſuarum recipiant periculum animarum. Super quo niſi ſalubriter ibi provideant, attendere poterunt in quo periculo remanerent. Si verò defenſionis prædictæ tempore, hujuſmodi & aliis annum viginti præfati non exceſſerint ſucceſſores, declaratio neceſſitatis ejuſdem Prælatorum, Clericorum & laicorum, qui de ipſorum ſucceſſorum ſtricto conſilio ſeu majoris partis ipſorum fuerint, conſcientiis relinquatur. Quorum ſimiliter conſcientias onerari Volumus, eiſque plenius aperiri quòd ſi ultra caſum defenſionis recipietur, ejuſdem in diſpendium ſalutis conſiliorum reciperetur ipſorum, illudque reſtituere teneantur. Præterea intentionis noſtræ non extat, nec exiſtit per Conſtitutionem prædictam, ſeu Declarationem præſentem, jura, libertates, franchiſias, ſeu conſuetudines, quæ præfatis Regi & regno, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, quibuſvis aliis poteſtatibus, dominis, editionis præfatæ Conſtitutionis tempore, ac etiam ante illud competere noſcebantur, tollere, diminuere, vel quovis modo mutare, aut eis in aliquo derogare, ſeu novas ſervitutes vel ſubmiſſiones imponere; ſed jura, libertates, franchiſias & conſuetudines ſupradictas & prætactas Regi & aliis illæſa integra conſervare. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ Declarationis infringere, vel in eam temerario auſu attentare. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Urbem veterem 2. Calend. Auguſt. Pontificatus noſtri anno 3. Idem Bonifacius jus Pontificatus ſui anno 15. illud jus extendit pro redemptione pertonarum Regis, Reginæ & Liorum. Et licet quidam Doctores, ut narrat Panorm. dicto cap. non minus, voluerint dicere hoc poſſe fieri jure communi, favore Reipubbicæ patriæ (quia quilibet tenetur patriam ſuam defendere, l. 2 ſi. de juſti. & ju. c. pen. de homi.) præſertim cum ipſius defenſione protegantur orphani & miſerabiles perſonæ; alii tamen Doctores multis rationibus fulciri contrarium ſanxerunt: ideò bonum fuit ſuper hoc Declarationem Sedis Apoſtolicæ habere; nec culpandi ſunt qui tale negotium proſecuti fuerint, quia bonarum mentium eſt timere ubi culpa non eſt.

QUINTUM PRIVILEGIUM.

REX IN ECCLESIIS HIC ET INFRA enumeratis capit regalia, & Beneficia confert in regaliis vacantia.

QUintum jus liliorum eſt quòd Rex in Eccleſiis capit regalia, & eſt hoc approbatum in Decreto Baſilienſi, tit. de anna. ver. item quòd dicta quinta pars, & in his tuentur qui antiqua Conſuetudine uſi ſunt, c. generali, extr. de elect. lib. 6. Specialis eſt allegatio. Speculat. tit. de legat. §. nunc tractemus, verſi. ſed nunquid legatus, dum ſpecialiter loquitur de Rege Franciæ, & ejus jure vendicandi in quibuſdam Eccleſiis vacantibus collationem Beneficiorum ad illas ſpectantium: & quòd illo tempore ſtuam temporalia illarum Eccleſiarum recipit. Et bene dicit Speculator quibuſdam Eccleſiis, & ſunt illæ Eccleſiæ, (ut ex Regiſtris Parlamenti & Computorum accepi) ſcilicet in Archiepiſcopatu Rhemenſi regalia accipit, in Epiſcopatibus Laudunenſi, Sueſſionenſi, Cathalaunenſi, Tornacenſi, Morinenſi, Atrebatenſi, Ambianenſi, Noviomenſi, Silvanectenſi, Belvacenſi. Et ſic in toto Archiepiſcopatu, excepto Epiſcopatu Cameracenſi. Item in Archiepiſcopatu Senonenſi & diœceſanis, qui ſunt Pariſienſis, Carnotenſis, Aurelianenſis, Nivernenſis, Antiſſiodorenſis, Trecenſis, & Meldenſis. Et in Epiſcopatibus Cenomanenſi, & Andegavenſi, provinciæ Turonenſis, in Archiepiſcopatu ſeu provincia Bituricenſi, tam pro ipſo Archiepiſcopatu, quàm Epiſcopatibus Claromontenſi, Sancti Flori, Tullenſi, Caſtrenſi, Carurcenſi; & Arvernenſi: Archiepiſcopatus autem Lugdunenſis, prætendit Epiſcopus Eduenſis. Capit Rex regalia in Epiſcopatu Cabilonenſi, & in toto Ducatu Normaniæ, tam pro Archiepiſcopatu Rothomagenſi quàm Epiſcopatibus Baiocenſi, Abricenſi, Ebroïcenſi, Sagienſi, Lexovienſi, Conſtantienſi, & in aliis Epiſcopatibus regni poteſt habere jura regalia: & in his tuendus eſt, quia de novo non uſurpat, argumenti dicti c. generali. Sed hic non enumeravi niſi ea quæ declarata invenī; & vidi Bullam de Epiſcopatu Abrincenſi, quæ eſt Innocentii, datam Aſſiſii, anno 11. aliam Bullam Clementis, anno 3. ubi de prabendis & dignitatibus Rhemenſis Eccleſiæ, alteram Gregorii de Eccleſia Senonenſi, de quibus & aliquibus ſupradictis ſunt Bullæ in libro liliorum, ſub quota 71. 72. 73. 74. 75. 76. & 79. & de Epiſcopatu Cenomanenſi pro Rege executus ſum vacante dicto Epiſcopatu, per denuſſionem Reverendiſſimi in Chriſto Patris Philippi de Luxemburgo Cardinalis, in favorem defuncti domini Franciſci de Luxemburgo: & per proviſionem quam idem Reverendiſſimus habuit per obitum dicti Franciſci de Luxemburgo.

SEXTUM PRIVILEGIUM.

REX FRANCIÆ A NVLLO SVI Regni Antistite potest excommunicari, nec excommunicatus declarari.

SExtum sanctum ex gratia Dei jus altum procedens est, quòd licet Principes sæculares possint excommunicari, & excommunicati declarari, c. quoniam quidem, 16. dist. c. non est, de spon. ubi de Rege Angliæ fit mentio: Rex tamen Franciæ à quocumque (maximè sui Regni) Antistite non potest excommunicari, nec excommunicatus declarari. Et illud jus antiquum declaraverunt Clemens V. in Extravagant. Meruit. Martinus Papa, qui de hoc Bullam ad rei perpetuam memoriam declarando concessit, facit declarario Johannis XXII. in Extravagant. frequens, sub tit. de judi. ubi declarat per privilegium posse concedi ne quis possit excommunicari, nec ei interdici. Quod privilegium etiam extenditur ad ejus Officiarios, & hoc pro actu exercitu jurisdictionis temporalis facit quod notatur 89. dist. c judicatum: Nam idem privilegium habet familia quod dominus, 11. q. 1. c. Ecclesia, glo. c. clericum ff, 11. q. 1. Et quod notatur, ff. ad municipales, l. assumptio, & de hoc sunt Arresta in Curia Parlamenti registrata de anno Domini 1285. contra Archiepiscopum Rothomagensem, qui erat de domo Alenconii, de anno Domini 1299. contra Officialem Rhemensem, de anno Domini 1300. contra Archiepiscopum Turonensem, qui Baillivos & servientes excommunicaverunt. Dictumque extitit ulterius contra dictum Archiepiscopum Turonensem, quòd in monitionibus generalibus non comprehenderentur Officiales Regni, & ita declaratum. Et anno 1507. die Lunæ 17. Aprilis declaratum fuit in Parlamento, me præsente, quòd in monitione generali non comprehenderetur Grapharius & Commentarien. Castelleti, de his quæ sciebant tamquam Officiales regii: & ita declaravit Episcopi Parisiensis procurator. Quæ omnia pro lege sunt servanda, l. unica, C. de Senatusconsulte.

SEPTIMUM PRIVILEGIUM.

NON OBSTANTE QVOD LAICI Ecclesiis non debent præfici; tamen Rex Franciæ obtinet ut obtinere possit Prebendas in Ecclesiis sui Regni.

SEptimum ratione unctionis, & suæ Christianitatis jus est, quòd licet laici in Ecclesiis præfici non debeant, ut patet ex textu, c. dilectus. de concessione prebendæ, c. si. 28. dist. c. benè quidem, & ut ad hoc jura satis sunt nota; tamen Rex Franciæ obtinet, ut possit obtinere prebendas in Ecclesiis sui Regni: de hoc Panorm. c. extirpandæ, §. quoniam vero ext. de prab. ubi fit mentio quòd Rex Franciæ est Canonicus Ecclesiæ sancti Hilarii Pictaviæ Civitatis, & hoc experientia docet; nam in Ecclesia Cenomanensi habet præbendam, cujus reditus remittit servientibus seu bajulis, in Ecclesia Beatissimi Martini Turonensis, & in Ecclesia Andegavensi, & quando præsens est, distributiones capit, ut expertus sum.

OCTAVUM PRIVILEGIUM.

LICET IVS CONFERENDI Prebendas adeò sit spirituale, ut laico non conveniat: nihilominus Rex Franciæ pleno jure confert Beneficia & dignitates Ecclesiasticas.

OCtavum jus liliorum ex gratia Dei operante, & meritis præcedentibus esse dignoscitur, quòd licet dicat Joannes And. in c. 2. de prabendis lib. 6. quòd jus conferendi prabendas sit adeò spirituale, quod non cadit in laicum 17. q. 7. c. si quis deinceps, & c. si extra, de jure patro. nec laicus illud potest possidere, de præscript. c. causam quæ, & sic nec præscribere, c. si de possessione, de regul. jur. lib. 6. tamen Rex Franciæ pleno jure Beneficia * confert Ecclesiastica, Canonicatus & Dignitates, c. dilectus, leg. 3. de præben. in quo fit mentio de Decanatu Andegavensi, de consuet. c. cùm inter. in parte decisa, ubi loquitur de collatione prabendarum Ecclesiæ sancti Petri de Curia nostræ Civitatis. Et in hoc multùm favendum est Regi Christianissimo, gloss. super verb. *Regalia*, tit. de annat. in Decreto Basilensi: facit glossa c. imperium, 10. dist. & talia Beneficia non subjacent reservationi Papæ: & sic nec Decreto Basilensi seu nominationibus Universitatum per nomen Domini de sancto Geminiano, in d. c. 2. de prabendis in 6. Quòd jus Imperator non habet, nec aliquis Dux Alemaniæ, salva pace, Bal. in c. quanto, de jud. & Speculatoris in tit. de præben. versi. item not. Nam Imperator non habet potestatem conferendi, sed facultatem faciendi recipi: & vocantur Primariæ preces imperiales: & magna differentia est conferre, vel facere recipi, ut per Io. And. in addit ad Spec. d. tit. faciunt no. Panorm. in cap. fi. de concessis prabendis, ubi loquitur textus de Comitissa Flandriæ, quod c. debet intelligi de præsentatione, non de collatione: & contra dictum Speculatoris & dictum Imperatorem facit c. imperium, 10. dist.

* *Beneficia*] Non habetur in administrationem Ordinis Ecclesiastici. C. M.

Rex Franciæ plus est privilegiatus quàm Imperator.

NONUM PRIVILEGIUM.

IN ELECTIONE PRÆLATI requiritur Regis consensus: qui si non adsentiat, non confirmatur electio.

NOnum liliorum jus profundum ab Adriano Papa cum universa synodo concessum, multis jam retroactis temporibus, consuetudine introductum esse dignoscitur, quòd in electionibus Prælatorum debet ejus requiri assensus: & si non præstat assensum, non confirmatur electio. textus singularis de Rege Franciæ, in c. Adrianus, & c. in synodo 63. dist. Mirandumque est in eo videre quod legitur in cap. hinc est 16. q. 1. ubi dicitur quòd est xenodochium seu cœnobium in Regno Francorum constitutum, ubi sine regali provisione, & Monachorum electione, nullus Abbas introducitur, nescio si intelligitur de Abbatia sancti Petri de cultura Cenomanensi, ubi in tractatu electionis interest regius procurator, non ut eligat, sed ut pacem & concordiam servare procuret. Majorique admiratione dignum, quòd Adrianus cum universo Clero ac populo, Carolo Magno ejusque successoribus concessit & decrevit, quòd in Archiepiscopatibus & provinciis nisi à Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecretur: & quicumque contra tale decretum ageret, cum anathematis vinculo innodavit: & nisi resipisceret, bona ejus publicari præcepit, & etiam irrevocabili exilio

In Regno Franciæ Episcopus nisi à Rege laudatus, vel investitus, à nemine consecratur.

puniri, textus in fi. d. c. in synodo, & c. Adrianus 63. distinct. quæ jura faciunt pro sententia lata contra aliquos inobedientes. Nec obstat, ut quibusdam videtur, c. Sciant cuncti, de ele. in 6. quia est jus proprium Regis Francorum, & illi non est specialiter derogatum, & est Bulla per quam est concessum jura Francorum Regum non avelli sine causa & expressa mentione; quæ est consonans cap. novit. in prin. de judic. Et ultra prædicta facit glossa super verb. *Principes*, c. de hoc, de simon. c. nobis, de jure patronatus, glossa c. sacrosanctæ, c. cum terra, c. quod sicut, de elect. Panorm. in c. 1. de consuetudine, Ioannes And. Innoc. & Bald. in d. c. quòd sicut quòd potest induci consuetudine, ut Ecclesia vacante, Canonici non procedant ad electionem, nisi priùs morte Prælati Regi nuntiata, & postulato assensu regio de procedendo ad novam electionem, & si fieret confirmatio, est cassanda, 18. q. 2. c. Abbatem, leg. 11. & ibi gloss. Ita quòd si Canonici eligunt Regi suspectum, potest Rex appellare, Baldus d. c. quod sicut: Et ante confirmationem se potest opponere, si dubitat de proditione patriæ, vel revelatione secretorum, ut dicunt prædicti Doctores, & Innoc. c. super his de accus. facit textus in verb. verumtamen in Decreto Basilien. tit. de elect. Ad prædicta faciunt c. cum longè, c. ecclesia. c. nobis, c. lectis, 63. distinctione. Et si quis velit dicere Regem Hispaniæ habere tale jus, ut d. c. cum longè. Dico illum non habere, nisi ex participatione juris Caroli Magni: qui (ut supra relatum est) eos Hispanos vicit & rexit, & matrimonii favore Barsolonam & alias ei civitates dedit. Et si quod jus habuit Imperator per jura supra allegata, hoc revocatum est, §. verum eadem 64. distinctione qui. §. solùm loquuntur de revocatione juris imperialis: & Carolus Magnus hoc jus habuit nedum ut Imperator, sed ut Francorum Rex, ut patet d. c. Adrianus. Et tale jus ei concessum est à Papa cum universa synodo: ideò Papa Stephanus dicit §. verum, & revocationis auctor, sine universa synodo revocare non potuit: neque ejus sententia prævalet argumento eorum quæ notantur cap. in Canonicis, 99. distinct. Nam fortius est quod per universæ Ecclesiæ statuta firmatum est, c. puto. 2. q. 7. Et est regula juris, quòd omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvi necesse est. Nec obstat prædictis, c. ego Ludovicus, 63. distinctione: Nam ibi solùm renuntiatio facta fuit de electione summi Pontificis. An autem tali juri possit Rex renuntiare, præsentis non est speculationis, sed aliquid notatur per Baldum, c. si generali, in ver. quæro utrùm Rex Franciæ, 10 col. in tit. si de feu. fuerit contro. inter do. & agna. Unum tamen non est omittendum, quòd regalia insignia de facili remitti non possunt, nec alteri concedi. Neque enim est facile Regis locum tenere, c. non est, c. ante omnia, c. multi. 40. dist. facit pro hoc jure, quia extraneus & alienigena * in suo regno non potest beneficiari sine ejus permissione: ita dicit glossa in ver. exterorum, in proœmio pragmatic. sanction. facit quod notat Gesselinus in Extravagant. Joan. 22. quæ incipit, Execrabilis, super verb. *diversitum*, dum dicit dominum temporalem objicere posse contra promotionem seu provisionem factam de incola alterius regni, quia alterius regni arcana servari non convenit, l. penult. C. de commercio & mercat. & indigenæ exteris sunt præponendi. Nam oriundus non oriundo, & diœcesanus non diœcesano præfertur, ut in regula Cancellariæ, 15. faciunt quod not. in cap. fi. extra de peregrinis, c. bonæ leg. 2 de postlium. Prælat. & c. hortamur, 71. distinctione, & debent præfici quos multò ante nota probabilique vita commendat, & qui recta ratione probati fuerint, c. Episcopum, 63. distinctione.

* *Alienigena*] Sup. par 3. tit. 25. §. 2.

Alienigena non potest in Regno Franciæ beneficiari sine Regis permissione.

DECIMUM PRIVILEGIUM.

EPISCOPI REGNI FRANCIÆ tenentur Regi jurare fidelitatem, seu reverentiam.

DEcimum jus liliorum mirandum & antiquum est contra jura etiam scripta, c. nimis de jurejur. & c. fi. de re judic. quod Episcopi regni debent ei jurare fidelitatem seu reverentiam, quam reverentiam Rex Theodoricus in consilio reservasse sibi declarat, §. hinc etiam 17. distinctione.

In hoc tamen notandum existimavi, quòd si fidelitatem pro homagio accipimus, Episcopi non debent d. c. nimis de jurejurand. nisi ratione rerum temporalium & feudorum, ut per Panorm. d. c. nimis; hoc enim certissimum est in jure, quòd Episcopi, Abbates, & alii Clerici tenentes bona feudalia, & in feudum concessa, tenentur jurare fidelitatem, & facere homagium. Henricus Bohic. c. fi. de re jud. Bal. in præludio feudor. faciunt not. in cap. solitæ, c. dilecti filii de majo. & obedi. c. verum de foro compet. c. cum ad verum, ibi cum pro curiis temporalium, 86. dist. & ca. Conrad. c. fi. col. 10. ita quòd propter feloniam bona feudalia fisco applicantur, vita Prælati aut Clerici durante, quia venit contra legem & pactum, cui obedire tenetur Ecclesia, quia in se & in alium est mater & cultrix justitiæ, tit. Episcopium vel Abbatem, in prin. & de aliena. feudi, c. 11. 10. col. & in tali causa feudali Rex est Judex competens per no. glo. 9. debet & ibi domi. c Romana, de appellat. lib. 6. & in tali causa feudali efficitur regni subjectus: in aliis autem non; sed reverentiæ debitor, ut Bald. d. c. nimis, propterea credo quòd isti Episcopi & Prælati aliter se habent jurando quàm seculares Principes & laici. Nam ipsi solent jurare stola ad collum posita, & manus ad pectus. Non autem habent manus inter manus Regis aut dignissimi Cancellarii, seu quæstoris, & ita laici jungunt manus inter manus Regis: & ideò dicitur fidelitas manualis, c. cùm inter vos, de re jud. Et ista manuum junctio aliquali ratione posset fulciri, quia manus significat potestatem, l. manumissiones, ff. de justis. & ju. & significat arbitrium, l. penult. ff. de arbi. Et porrectio manus dextræ significat soliditatem: & ideo debent esse firmi ad auctoritatem regiam conservandam, voluntariéque ei obedire, quæ obedientia consistit in mandatorum susceptione: & si ei non obtemperatur, digna ultio succedit: Est enim generale pactum societatis humanæ, obtemperare Regibus, c. quæ contra mores 8. dist. 92. dist. in summa qu. 3. c. qui culpatur f. cit divi Hieronymi sententiam dum inquit: Principibus & potestatibus fidem & reverentiam servari oportet, quam qui non exhibuerit, apud Deum præmia habere non poterit, 23. q. 5. c. Regum, cap. sicut apud Camales. facit quod notatur in l. h. C. de exactor. tribut. lib. 10.

Generale

De pœna autem inobedientium diversa jura statuuntur: nam aliquando morte puniuntur, c. 2. de majo. & inobedi. omne delictum, 9. Contumaciam, ff. de re milit. facit quod scribitur Esdræ c. 8 quotquot transgressi fuerint legem, diligenter plectentur, sive cruciatu, sive pecuniæ mulctatione. Aliquando carceribus pignoribus captis, mancipantur, l. cum eo, ff. ad leg. Jul. peculat. ibi pignus capiendo & corpus retinendo. Aliquando domo propria privantur, ff. de interdictione & relegatione, libro unali: & aliquando domus eorum inobedientium diripiuntur, l. si 10 cum quo ff. de communi dividun. Aliquando damnantur, l. curatores, ff. de offi. procur. Cæsa. Aliquando illis invitis servire compelluntur, l. si ad Magistratum, C. de decur. lib. 10. donec consentiant 90. dist. c. si quis 91 dist. c. si quis Episcopus, & suscipiendi voluntas adhi 23 q. 4. c. dupli

cet. Et tales inobedientes non differant se offerre, c. dis. c. 1. & usque dum fecerint, & adimpleverint, 11. q. 3. c. Apostolicos. Aliter tamen nobiles quam ignobiles cogendi sunt. Dicit enim Canon. Inobediens rusticus tanto pensionis onere gravandus est, est donec ipsa exactionis iux pœna compellatur ad rectitudinem festinare, 23. q. 6. c. jam verò. Aliquando jurisdictione privantur, eisque denegatur audientia, l. fe! & si per prætorem, §. hæc autem actio ff. ex qui cau. majo. faciunt ad prædicta quæ notantur in tit. qui sunt rebelles in usi. feudo. Et tales prosequendi sunt inceſſanter, juxta illud Psal. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, donec deficiant*: quæ dictio, *donec*, infinite accipitur, l. legatum ff. de an. lega. de judi. c. cum sit 17. q. 7. si plures. Obedientia vera novem debet habere conditiones, ut videri potest ex nota Archi. 8. q. 1. c. sciendum, quas prosequitur Lic. de pen. d. l. si ad Magistratum, pro qua adipiscenda, tenenda est Benardi sententia, dicentis: Verus obediens nesait moras, nec mandata procrastinat, sed aures parat auditui, oculos visui, manus operi, pedes itineri, & sic se totum interius colligit, ut imperantis exterius expleat voluntatem.

Vera obedientia novem debet habere conditiones.

UNDECIMUM PRIVILEGIUM.

REX HABET COGNITIONEM causarum civilium inter personas Ecclesiasticas in possessorio de causis spiritualibus, vel causam eis annexam habentibus.

VNdecimum liliorum jus alium, & præcipuum esse dignoscitur ex cognitione causarum civilium inter personas Ecclesiasticas in possessorio de causis spiritualibus, vel annexam causam spiritualibus habentibus, & hoc ex antiquissima consuetudine procedit. Quæ consuetudo jurisdictionem tribuit c. ti laicus laicum, extra de foro compe. Etiam non capaci propter periculi excellentiam, c. cum clericos, de arbi. Quam jurisdictionem Regi Franciæ competentem non est intentionis summi Pontificis tollere, vel diminuere, cavit, extra de judi. Ex judices sui de pleno possessorio retinendæ possessionis in Beneficialibus, & aliis causis spiritualibus cognoscunt. Licet jure communi clericus coram judice sæculari non sit trahendus, & causa spiritualis, vel spirituali annexa deberet coram Judice Ecclesiastico tractari, c. 2. extra de foro compet. & ita declaravit Martinus Papa multis ex causis in sua Bulla contentis: cujus Bullæ tenor sequitur, & est talis.

Sequitur tenor Bullæ Martini Papæ.

MArtinus Episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Apostolicæ sedis æquа, & circumspecta provisio quorumlibet, & jura & tranquillitatem confovere satagens: cum verisimiliter timetur, ne cupiditas improba se à veritatis abstinere nesciens, statuens Ordinationibus a se hujusmodi procedentibus laxato fræno rationis aburatur, per provisionis debitum remedium: nunc verò per oportunum declarationis effectum nitur obviare. Dudum siquidem provide considerantes, quod licet clerici, Ecclesiasticæque personæ, qui suas causas, & querelas in his præcipue quæ de jure, vel consuetudine ad forum Ecclesiasticum pertinere noscuntur, eo tamen derelicto, sæcularibus Judicibus se submittere, seu partes sibi adversas ad forum de jure veritum convenire, vel contrahere præsumebant: gravibus proin se pœnis tam spiritualibus quàm temporalibus, etiam jure disponente alligarentur: pœnas tamen ipsas non sine ptupru salutis periculo tæpius addebantur habere in contemptum. Nos qui ex debito Pastoralis officii salutem quærimus singulorum: super his opportune providere volentes per alias nostras Literas statuimus, & etiam ordinamus, quòd quicumque ex clericis, & personis eisdem de cætero reus talis præscriptionis existens, nisi à præmissis desisteret, omni commodo concessionum, & gratiarum sibi à sede prædicta concessarum careret: ipsaque in gravet tunc expressas, & alias juris pœnas incurreret, prout in dictis Literis plenius continetur. Cùm autem pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum illustris nuper nobis fuit expositum, quòd à nonnullis vertitur in dubium: an per hujusmodi nostram concessionem derogare voluerimus juri, & jurisdictioni regiæ: præsertim in casu possessori retinendæ possessionis super suis Ecclesiis, & Beneficiis Ecclesiasticis suorum regni Franciæ, & Delphinatus Viennensis per quam jurisdictionem præfatus Rex sibi asserit licere in omni casu etiam juridicè tueri possessores. Nos ad omne ambiguitatis tollendum dubium super his opportune providere volentes, ejusdem Regis in hac parte supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus nostram intentionem non fuisse, neque esse per dictam, aut per aliam quamcumque constitutionem eidem Regi & regiæ jurisdictioni, per quam (ut asseritur) tam Rex, quam sui progenitores super omni possessorio a tanto tempore citra, quòd de ejus contrario memoria hominum non existit, consueverunt cognoscere, in aliquo derogari voluisse, aut velle quoquo modo, ipsosque Regem, & Judices detinentes partes molestatas super earum conservatione ad suorum Beneficiorum possessionem ipsius Regis auxilium implorantes (dummodo in contemptum jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ, ut partes sibi adversas in rebus Ecclesiasticis, diutius perturbarent, hoc non fecerint) pœnas in dicta nostra Constitutione contentas, nullatenus incurrisse, aut debere incurrere quovis modo. Per hoc autem nullum jus, seu jurisdictionem in præmissis cognoscendi eidem Regi de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habebat, tanquam [illegible] paginam nostræ declarationis, constitutionis, & voluntatis infringere, & ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctos Apostolos Calend. Maii Pontificatus nostri anno 12. Eam Item Bullam inserit Guido Papa in sua prima quæstione, ubi de hoc etiam tractat, prout & in q. 552. quæ moniti, in materia possessorii.

Quæ prædicta credo intelligenda, quando est quæstio meri facti, seu violentiæ, vel injuriæ illatæ, & de impedimento tollendo, ne partes deveniant ad arma, argumento §. si inter duos, La quissimum ff. de usufru. & ita intelligunt Inno. c. cum dilecti, de elec. Jo. And. c. fi. extra de foro compet. Panorm. c. Literas, de jura. calum. in anti. & Pe. de Ancha. c. ea quæ de re. in lib. 6. pro his vide quæ tradidit novissimè Philipp. Probum in tract. pensio. q. 3. partis 3.

Et si quis velit dicere hoc non esse præcipuum jus, cum & Duces Britanniæ, & Alenconii tali jure utantur: facilis est responsio, quia a fonte regio procedunt: & eis jus concessum, & eorum jurisdictio à Rege dependet, propter homagia & fidelitates: & quòd jurisdictio a Rege Franciæ eis sit infusa. De Duce Alenconii satis notum est. Sed quia Britones de hoc dubitant, hic notare volui quòd Clotarius Rex Francorum sextus filium proprium multa mala in Regno Franciæ facientem in Britannia prosecutus est, & Britanniæ Ducem filium adjuvantem bello devicit, gladio peremit, & Britanniam sibi subjecit. Indicat id quod Britonum princeps offensum purgare volens ad Dagobertum venit, quem, Cypriaci agentem magnis muneribus placavit, se cum omni gente sua Regi Dagoberto &

regno dedens non alio animo, quam quod illa omnia sub Dagoberto Francorumque perpetua ditione tenere confessus est, & in verba Regis juravit.

* Drosco.] Fils du Cte de Dreux & de Brenne: car il n'estoit Duc de Bretagne, c'estoit Alix sa femme: voyez les indulliers, & verité de l'Histoire, par Maistre Alain Bouchard en ses Annales de Bretagne, à la fin du troisiesme Livre.

Petrus de Drosco, * aliàs *Brenne* Regi Ludovico nunc Catalogo Sanctorum ascripto in villa Andegavensi anno Domini 1231. homagium, seu submissionem fecit. Et quia propter longavam xtatem, hostium incursionem, & inimicorum invasionem jura clarificata non erant, ad concordatum devenerunt, quod (ne oblivio novum bellum inducat) hîc interferere desunavi.

Tenor accordii Regis Francia, & Ducis Britannia.

LUdovicus Dei gratia Francorum Rex: Universis præsentes Literas inspecturis, & audituris: Salutem in eo qui est omnium vera salus. Notum posteris nostris fieri volumus, quod cum aliàs dilectus consanguineus noster Petrus de Drosco, aliàs *de Brenne*, Dux Britanniæ (instigante Henrico Anglorum Rege, & eum fovente) guerram contra nos incœpisset, & quamplures partes regni nostri devastasset, Castrumque nostrum *de Bellesme* manu armata cepisset, & diu in sua malina retinuisset, asserens in ipsum jus habere ratione quarumdam petitionum nobis aliàs ex parte ipsius exhibitarum, & per nos sibi pro aliqua parte denegatarum, tam ratione successionis bonæ memoriæ Roberti patris sui, atque fratris nostri germani, quondam Comitis Drocensis, & *Brenne* quam prætendebat in regno nostro habere, quàm aliàs. Nos ob hoc suis malitiis obviare desiderantes, & populum nobis subjectum ab ipsius oppressionibus defendere cupientes, urgente & impellente necessitate vim armatam duximus contra eum, Andegavum venientes pro reformandis illatis, & propulsandis inferendis nobis per eum injuriis, & juribus nostris hereditariis defendendis. Volentes potius ad succursum nobis adhærentium tibi parentet occurrere, quam communata, & incepta nobis pericula in laribus expectare. Cum enim ibidem in expeditione guerræ nostræ diu ageremus, Altissimo gratia cooperante, ac nonnullorum comitum, & procerum supplicatione mediante: nos & ipsum ducem consanguineum nostrum ad infrascripta moventibus atque irreparabilia damna, & inconvenientia quæ ob hujusmodi guerram, ne dum regno nostro & subditis, verumetiam multis aliis sunt secura, & in posterum gravius verisimiliter proventura dubitantes, nisi per pacis, & concordiæ providentiam extinguantur. Nolentesque propterea tantum bonum in nostri redemptoris displicentiam impedire, sed potius ad illud nos reddere hinc inde paratos, ut Deus dirigat gressus nostros, & per pacis beatitudinem nostri, & ipsius ducis subditi in securitate permaneant & vivant, nobisque & eidem duci per quem in terra pax hominibus bonæ voluntatis optatur, liberius serviant. Et cessante bellorum rabie, in tranquillitate queriscque pulchritudine delectentur. Et ut nonnullorum dementium more serpentis inficientis venenosè terras cornibus elatis, & effrenato capite devorantium hinc inde sanie, & furore nimis divino totaliter extirpatis, populus fidelis in prosperitate vivat. Et ut nos & idem Dux Britanniæ vinculo corporis, & substantiam & subditos, nullo obviante contrario, contra infideles, & blasphemos Christi nomini, in passagio transmarino exponere valeamus, sicut cupimus intendere, Christo, quæ negligitur, prob dolor! in ignominiam non modicam militiæ Christianæ. Quibus præmissis, & aliis subsequentibus ex utraque parte diligenter consideratis & attentis, ad pacis concordiam, & perpetuam confœderationis, & amicitiæ inter nos, & ipsum Ducem mirarum memoriam devenimus in hunc modum.

* Primò.] Videtur enim in aliis hujus facti Alain Bouchard. fol. 96.

Primò * videlicet, idem Dux ab eisdem suis petitionibus tam ratione successionis prædictæ, quàm aliàs penitus nos quittabit, prout de facto quittavit, sequeque & suum Ducatum nobis, & nostris successoribus Francorum Regibus, decæterò sub certis punctis inferiùs declarandis subjunxit, atque homagium seu submissionem nobis ob hoc præstitit, & præstare voluit.

Ulterius verò bona fide promisit pro se, & suis successoribus Britanniæ Ducibus nos, & successores nostros contra quascumque personas, cujuscumque dignitatis, status, seu præeminentiæ existant, juvare & consulere fideliter juxta suum posse: salvis & exceptis summo Pontifice, & Ecclesia Dei sancta, quos idem Dux excipit, seu excipi voluit. Nos autem submissionem, & homagium prædictorum considerantes & attendentes, habita prius super hoc matura deliberatione, eumdem Ducem, & successores Britanniæ Duces promisimus, & tenore præsentium promittimus, & tenemur bona fide pro nobis, & successoribus nostris, Franciæ Regibus futuris temporibus in perpetuum fideliter juvare, consulere & confortare, ac suam partem tenere contra suos adversarios quoscumque, exceptis Romana Ecclesia, & ejus vicario. Omniaque sua regalia jura & syndicatus, ac superioritates, prærogativas, nobilitates, & franchisias quæcumque, seu quascumque inferius latiùs declaratas, illæsa seu illæsas servare, & sine aliqua diminutione custodire in futurum bona fide promittimus juxta posse, videlicet suum Parlamentum, jus regale quod in Ecclesiis Cathedralibus sui ducatus sibi ab antiquis temporibus spectat, & pertinet, ut communiter dicebatur. Ac ipsarum Ecclesiarum Cathedralium, & aliarum Ecclesiasticorum virorum Ecclesiasticorum, viduarumque, orphanorum gardum, seu salvamgardiam, ac publicorum itinerum sui Ducatus mutuum, cum omnimoda justitia per se, & suos Senescallos, Ballivos, & alios justiciarios suos, prout tibi eos continuere, & deputare placuerit, salvagardias dandi, portus marinos habendi: marina naufragia cum eorum fracturis, emendis & evolumentis ex fractura * navium. Et ratione prædictorum peccorum & naufragiorum, ac ob defectum brevetorum, seu sigillorum marinorum capiendi in villis, hayris, & portubus sui Ducatus, & in mari circumadjacenti obvementium quoquo modo percipendi, habendi, & levandi totiens quotiens hoc in eisdem locis, seu eorum altero contigerit: confiscationes bonorum morti damnatorum ad causam hæresis, seu hæreticæ privitatis, bonaque vacantia per exhæredationem: thesauros absconditos & repertos. Piscaturas in mari, & fluviis dulcibus sui ducatus, & desiccationes in terra ac pisces regales in mari Britannico, captos brevetos, etiam sigilla brevetorum, videlicet salv-conductus ac victualium a navigantibus, seu mercantibus per mare Britannicum in eorum mercantium salvatione, & favore ab antiquis temporibus, per certam compositionem ob hoc aliis ordinatos tam in portubus, hayris, & villis sui ducatus, quàm etiam Burdegal. & in Rupella: criminosos deponendi, & forbannisandi ac remittendi, & absolvendi ab omnibus crimibus, ipsos quoque depositos, seu forbannisatos revocandi, prout eidem Duci, & suis successoribus Britanniæ Ducibus videbitur

* Fractura.] Vis a irritigatur bona naufragorum sua facias, hoc enim esset contra jus divinum, naturale & civile, Authent. de rerum divis. § & detur. sed etiam Regem oportet cupere ut dominus terræ, & tali dat. sub & pœnis. Sed hodie in Armorica, & sæpè alibi fidelibus

subditis (eos crudeliter trucidando) impias prædas agunt, ut Chabotius de Dieppensibus bonis civibus Fa.no. Arre. & Claud. de Seyssello in l. interdum, 5. quod ex naufragio de acquir. vel amit. poss. C. M.

faciendum. Quæ quidem jura regalia, prærogativas, superioritates, nobilitates, & franchisias, omnia & singula supradicta ad dictum Ducem solum, & in solidum ab antiquis temporibus pertinentia, & per ipsum Ducem sibi, & successoribus suis specialiter in nostri præsentia reservata, ut superius dictum est, specificata, & eorum quodlibet promittimus eidem Duci, & etiam tenore præsentium bona fide promittimus, & tenemur pro bonis, & nostris successoribus Francorum Regibus, sine aliqua læsione, vel diminutione facienda servare, & fideliter custodire, ut dictum est. Quibus sic actis, reservatis, specificatis, & hinc inde promissis, idem Dux in signum illius submissionis ipsam declarando voluit, tunc quòd à suo Britannix Parlamento deceterò appellaretur, seu ressortum devolveretur ad nostrum Franciæ Parlamentum in duobus casibus subsequentibus dumtaxat: quamvis antea idem Dux nec sui prædecessores non consueverunt unquam usque tunc tale homagium, seu submissionem nobis, nec nostris prædecessoribus fecisse, ut notoriè & publicè dicebatur. Primùm videlicet quòd à falso, & pravo judicio, seu sententia iniqua in suis Parlamento Britanniæ futuris temporibus latis appellabitur deceterò ad nostrum Parlamentum. Secundò quod ab eodem Duce, ob defectum, seu denegationem juris, ipso tamen Duce super hoc primitus in propria persona, si bono modo, & in loco tuto poterit inveniri, tribus vicibus, & per intervalla temporis sufficienter summato & requisito, ipso Duce hoc renuente, & (quod absit) denegante, & ob causam relationis ipsorum quorum punctorum, seu casuum, & non aliis, idem Dux fecit nobis tunc primùm homagium, seu submissionem, & obedientiam sui Ducatus Britanniæ, sive fidelitatis juramentum, pro se & suis successoribus, salvis & exceptis suis prædictis juribus regalibus, superioritatibus, ac prærogativis quibuscumque, & eorum singulis per ipsum Ducem (ut superiùs est dictum) reservatis, & integraliter retentis

In duobus tantum casibus hic expressis appellatur à Parlamento Britanniæ ad Parlamentum Franciæ.

ipsa habere solebant, antiquis temporibus ante hujusmodi submissionem, quæ etiam nos authoritate nostra regia, & ex certa scientia eidem Duci, & suis successoribus Britanniæ Ducibus tenore præsentium in quantum sit opus, reservavimus, & reservamus. Et insuper fuit declaratum, & specificatum tunc inter nos, & dictum Ducem ad finem evitandi omnes dissensiones, quæ ob hoc in futurum oriri possent, quod absit, quod appellantes à dicto Duce agendo, & defendendo non debeant exemptione aliqua liter gaudere sub protectione regia, nisi in casibus in quibus extiterint appellantes dumtaxat, imo in omnibus aliis suis cautis, tam agendo quam defendendo remanebunt justiciabiles dicti Ducis, prout erant, & esse consueverant ante hujusmodi homagium, seu submissionem nobis (ut dictum est) factis; non obstantibus ipsorum appellationibus. Ulterius verò fuit appunctatum, & declaratum inter nos, & dictum Ducem, quod nec dicti appellantes, nec aliæ personæ non appellantes, cujuscumque conditionis extiterint, possint aut valeant, dictum Ducem, nec suos subditos per simplicia adjornamenta, nec alias coram nobis, seu gentibus nostri Parlamenti adjornare, seu convenire, nisi in casu appellationis ob defectum juris ad curiam nostram rite interpositæ, vel à pravo, vel falso judicio, seu sententia iniqua in Parlamento dicti Ducis, latis, ut superiùs plenius est declaratum dumtaxat, & non alias. Et si contigerit (quod absit) contrarium evenire, nec idem Dux nec sui subditi tenebuntur ob hoc nobis, aut gentibus prædicti nostri Parlamenti aliqualiter obedire, nec nos seu successores nostri ob hoc in futurum ipsos, seu eorum alterum increpare, aut punire. Omniaque & singula prædicta, in nostris præsentibus Literis contenta, hinc inde rata habentes, & grata. Eaque de unanimi consensu voluimus atque volumus, laudamus, approbamus, & etiam confirmamus. Et contra ea in futurum aliqualiter non venire juravimus, & ex utraque parte juramus: quod ut perpetuæ robur obtineat firmitatis, præsentes Literas sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum in villa nostra Andegavensi, anno Domini 1231. Demum Caroli VII. tempore, idem Carolus Pertum Britonum Ducem suorum antecessorum more admisit. Magnumque facundiæ donum Britonibus contulit Gallia, quod opinor satyricum sensisse, dum scripsit, *Gallia causidicos docuit facunda Britannos.*

Gallia Britones facit facundos.

DUODECIMUM PRIVILEGIUM.

SOLUS REX FACIT CONSTITUTIONES, seu leges in Regno Franciæ.

DUodecimum, jus aliqualiter respiciens, est quòd Rex ipse solus facit Constitutiones, seu leges in regno Franciæ. And. Barba. c. nemini, de offi. deleg. Bald. c. 1. de const. Est enim jure certissimum, quòd si populus regitur solo Rege, ille solus poterit statuere, concedere, & constituere. Constitutio vel edictum est, quod tantum Rex, vel Imperator constituit. 2. di. c. constitutio. Nam salutem reipublicæ tueri, nulli magis credidit D. Augustinus convenire, nec aliquem magis sufficere ei rei, quàm Cæsarem arg. l. 1 in fi. l. 2. & l. 3. in princ. ff. de off. præf. vigi. facit quia antiqua lege regia, quæ Salica nuncupatur, omne jus, omnisque potestas in Regem translata est Et sicut Imperatori soli hoc convenit in subditos, ut l. fin. C. de legi. ira & Regi, cùm Rex Franciæ omnia jura Imperatoris habeat, quia (ut dictum est) non recognoscit in temporalibus superiorem, ut lata & ampla est decisio Angeli de Peru. l. imperium ff. de juri om. jud. intelligendo prædicta complexivè, secus distributivè: quia per ejus distributionem, sive feudorum concessionem, possunt Duces, Barones, & alii domini castellani non exceden so metas jurisdictionis concessæ, facere edicta: ut per Bal. nota. in l. nulli C. de sentent. & interlocu. om. judi.

Rex Franciæ in subditos suos omnia jura Imperatoris habet.

DECIMUM TERTIUM Privilegium.

REX FRANCIÆ POTEST eligi in Imperatorem.

DEcimum tertium jus præcipuum est, quòd licet (ut suprà fuit exaratum, imperium sit à Francis translatum in Theutonicos, & per c. venerabil. in extra de elect. in antiq. non possit eligi Imperator de aliis nationibus, quàm de Alemania: tamen Rex Franciæ potest eligi in Imperatorem, & est capax, nec pollet Papa impedire. Ita dicit Bal. in terminis d. c. venerabilem, dicens quòd Carolus fuit de Alemania, & de genere, & sic ejus posteri tales censendi sunt. Et licet Bal. nihil alleget, potest induci juris determinatio, quæ est ad hoc quòd quis sit capax legati, sufficit quòd sit de familia l. pete. de leg. j. Nec prohibitio comprehendit illum, qui est de genere seu familia l. fideicommissium §. pete. de leg. iij. juncta Doctorum decisione in l. ea lege, C. de condition ob causam.

Carolus magnus erat ex Alemania, & de genere Alemannorum, imo Francorum qui Romanis pulsis, posteà sedes suas repetierunt, ut autumat do. Franci. Corra. in Inslit. juris ci. C. bl.

DECIMUM QUARTUM
Privilegium.

REX FRANCIÆ RESTITVIT famam.

DEcimum quartum est, quòd Rex Franciæ restituit famam, & de hoc est expressa declaratio Hentici *Bohic*, qui de Rege Franciæ loquitur in c. cum de te judi. illa motus ratione, quia non recognoscit superiorem, quæ ratio confirmatur ex dictis Inn. Jo. And. Pano. & Feli. d. c. cum te. & decisi. Bal. c. injuria de pace jur. firman. colla. 10. quia non recognoscens superiorem, talem & tantam potestatem habet qualem Imperator: ut sunt verba Bar. l. infamem, ff. de public. judi. per l. hostes ff. de capti. & postliminiò rever. Et nullus alius potest, §. de qua l. 1. ff. de postu. quod verum censetur de gratiosa restitutione, & in temporalibus. Nam licet Papa possit famam restituere, d. c. cum te, hoc solùm habet locum in terris Ecclesiæ, quoad temporalia. Ita expressè dicit Inno. d. c. cum te. in fi. suæ lecturæ. Alia enim est restitutio famæ juridica: & de hac non in proposito, sed potest haberi recursus ad jura suprà allegata: & C. ubi & apud quos in integrum rest. postu. l. fi.

DECIMUM QUINTUM
Privilegium.

PAPA NON LEGITIMAT, aut restituit in regno Franciæ, sed solus Rex.

DEcimum quintum superiori juri proximum est, quòd licet Papa legitimet, & restituat etiam in temporalibus, c. authoritatem, xv. q. vj. talis legitimatio non extenditur in regno Franciæ, quia ille solus legitimat in regno suo quoad temporalia: ut ca. per venerabilem, qui fil. sint legitimi; aliàs esset usurpare alienam jurisdictionem, quod esse non debet, d. c. novit. de judi. Divisum imperium cum Jove Cæsar habet: talis est communis Doctorum decisio in d. c. per venerabilem, & c. naturales, si de feu. fue. contro. 10. col. Bal. in l. 1. C. de jur. aureo annullo, & potest rex non successibiles facere succedere, Bald. in proœmio, C. nec statuto hoc posset induci à populo vel civitate: & sic tale jus non possunt vendicare civitates Italiæ, & Venetiarum: ut probabiliter potest sustineri ex notatis in l. omnes ff. de just. & jur. c. 1. & ibi Pe. de Anchar. de consti. facit quia clausula derogatoria principis potentior est derogatoria statuti Auth. navigia, C. de furtis.

DECIMUM SEXTUM
Privilegium.

REX FRANCIÆ POTEST NON successibiles facere succedere.

DEcimum sextum Regium jus nulli alii in regno competens est, quòd solus Rex potest dare custodiam, sive ut Francorum verbis utar salvamgardiam. Ita scriptum est in libro registrationum sive antiquarum ordinationum existente in Castelleto Parisiensi Jo. de pla. de Rege Franciæ loquens, specialiter concordat in l. cum sæpè, C. de eroga. mili. anno lib. 12. & existimo ratione sustineri posse: quia in Literis salvægardiæ non est necessaria expressio inimicorum, sed sufficit generalis: & in regno nulli licet generaliter loqui, nisi Regi, facit dictum Bal. in suo commentario pacis Constan. c. 1. versi. dispensationem. Item tales salvægardiæ fundantur pro æquitate generali servanda, & sic soli Regi reservanda arg. l. 1. C. de legib. & cognitio seu coërcitio suis judicibus specialiter reservatur, arg. l. 2. ibi, etiamsi clericus. C. ut nemo privat. rit. prædiis, &c. Et si domini temporales, & ejus officiales dant securitatem, seu, ut vulgus loquitur, treugas, non est simile. Nam tales treugæ, seu securitates non possunt dari, nisi sacramento præcedente, ut per Joan. Fab. instit. de fideicommiss. here. §. post hoc, narratione periculi facta. Item non possunt dari nisi de speciali, certa & determinata, ut de persona ad personam, §. ne potentiores, & ibi Alberi. de rosa. l. illicitas, ff. de offi. præsi. faciunt notata C. de præpos. sacri cubili. l. jubemus ibi, læsis implorandi præsidii facultatem denegari non convenit, lib. 12. Et in Auth. de man. prin. §. sed neque, & tales treugæ altero de tribus modis dantur. Uno modo per personæ publicæ adhibitionem, arg. l. 2. C. de eroga. mili. anno & l. fi. quod facere potest judex aliqualiter se informando, arg. l. fi. C. de offic. milita. judi. & l. fin. ff. de judi. sicut quando mittit in possessionem, l. is cui, §. missus, ff. ut in poss. legat, alias incideret judex in pœnam mittendum officii, sed etiam patrimonii, per l. quis C. de offic. rec. provin. Secundò per tituli appositionem, id est per signa: ut d. tit. C. ut nemo priva. tit. prædiis, &c. faciunt nota. Bart. in l. sanctum, ff. de re. divi. & similiter requiritur summaria causæ cognitio, per Bart. d. l. fin. C. de eroga. milita. anno. Tertiò per promissionem, & juramentum quod nihil mali faciet, l. præsenti, ibi de sua conscientia, C. de suis qui ad Eccle. confug. in Auth. de mona. §. si verò intra triennium ibi, debere jurare quod nihil mali faciet. Prædictæ autem solemnitates in Regis salvagardia non sunt necessariò observandæ, ut practicanti faciliter ostenditur.

Solus Rex potest in regno dare custodiam, sive salvægardiam.

DECIMUM SEPTIMUM
Privilegium.

SOLVS REX, ET NVLLVS ALIVS potest imponere novum vectigal etiam in suis terris, & proprio domanio seu patrimonio.

DEcimum septimum jus regium est, quod ipse solus, & nullus alius potest imponere novum vectigal, etiam in sua terra, seu proprio domanio, & patrimonio: in terminis de Rege Franciæ loquitur Salycet. in l. 1. C. nova vectigal. impo. non posse. Ita in terminis dicit Pet. Jaco. in sua practica aurea, sub titu. mu. quod imponi posse pro re. Alii autem Reges, & domini temporales possunt exigere, in titu. quæ sint rega. 10. colla. Sed non imponere, nec quocumque colore aliam exactionem facere etiam pro utilitate patriæ, Joan. Fab. in l. non quidem, C. nova vectiga. etiam subditis consentientibus: & de hoc est ordinatio regia propter timorem conspirationis, timorem metus & compulsionis dominorum: & quia interest Regi subditos habere locupletes, & illos reddere francos: item quia talis vectigalis impositio posset inducere perturbationem, vel diminutionem tributorum, vel collectarum Regis, quo casu potest inhibere, quia scriptum est: ut sicus ante omnia sua jura percipiat: juxta Satyrici Juvenalis dictum, quarta Satyra. *Quicquid conspectum pulchrumque est æquore toto Res fisci est.* facit, §. coges. in Authen. de manda. princ. coll. 3. l. de jure ff. ad municip. faciunt notata in §. insuper, c. sæpè allegato, per venerabilem, qui fil. sint legi. Et quod in simili dicitur de vassallo, qui

non

non poteſt ſe ſubjicere, nec conſentire in alium judicem, quàm in judicem feudi, inſcio domino, & in diminutionem jurium, §. & poſt operis, & ibi Paul. de Caſtro, Alexander de Imo. l. 1. ti. de no. ope. nuntiatione.

DECIMUM OCTAVUM Privilegium.

QVAMVIS VSVS PROCVRATORIS ſit neceſſarius, ut qui ſuæ cauſæ adeſſe nolunt, vel non poſſunt, eum in judicio ſiſtant: tamen nulla civitas etiam communem burſam habens, poteſt ſe congregare, & pro ejus utilitate diſponere ſine expreſſa licentia Regis.

DEcimum octavum profundum jus regium eſt, quòd licet uſus Procuratoris ſit neceſſarius, ut qui adeſſe nolunt, vel non poſſunt, in judicio ſiſtant, l. 1. §. fi. ff. de procura. & maximè nomine univerſitatis, l. fi. ff. quod cujuſque univerſitat. Tamen nulla civitas * etiam burſam communem habens poteſt ſe congregare: & pro ſuæ civitatis utilitate diſponere, ſine expreſſa licentia à Rege obtenta. Ita dicit Joan. Fab. obſervari in regno Franciæ inſti. de re. diviſ. §. univerſitatis: facit ad prædicta Barro. in l. fi. ff. de colle. illici. in l. 1. C. de metrop. Beri. lib. 11. dicens quod communia civitatis, vel comitatus non poſſunt ſeipſas dividere in plura, ſine licentia ejus cui ſubſunt. Facit tex. & quæ ibi not. cum tempore de arbi. notat. Fely. ĉ. dilecti: aliàs cum dilecti filii, de major. & obe. & Jaſo. in l. debitorum, C. de pact. quia de facili poſſent fieri illicitæ conventiones, Barro. in l. actor. ff. rem. ra. habe. Ex quibus monopolia ſequuntur, & ſeditiones ex qua ſeditione ſequitur regni ſectio ſeu diviſio, & ex ſectione deſolatio, quia ſcriptum eſt: *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.*

* *Civitas*] Falſum eſt, nec hoc dicit Joan. Fab. ſed loquitur de privatis ſubditis alicujus domini quæ ſunt tantum particulares perſonæ, nec habent jus Collegii videlicet ingenium fiſcalium, ut ſemper omnem Reipublicæ ſcintillam extinguere nitatur. C.M.

DECIMUMNONUM PRIVILEGIUM.

NEMO IN REGNO FRANCIÆ de portu armorum cognoſcit, niſi Rex.

DEcimumnonum jus regium eſt, quia nullus in regno de portu armorum cognoſcit, niſi Rex, ut habetur in prædallegato regiſtro Caſtelleti, & in terminis de Rege Franciæ, Pe. Jac. tit. de mu. quòd impo. re. vel locis, & eſt additio ſub tit. de ſucceſſione regni Franciæ, dicens quod benè fecit Rex Franciæ in eo quòd retinet ſibi juriſdictionem, & punitionem in toto regno ſuo. Si villa contra villam, vel dominus caſtri contra alium inſurgat cum armis, vel ſi in villa fiat ſeditio: ſcilicet quod minores inſurgant contra majores cum armis: vel aliàs delinquunt cum coadunatione gentis, vel aliàs, ſicut tempore Ludovici XI. fuiſſe narratur in villa Andegavenſi, & antecedentibus temporibus in civitate Pariſienſi. Et prædictum jus regium locum vendicat, licet delinquentes ſint ſub juriſdictione alicujus Comitis vel Baronis: ut dicit præfatus Petrus Jacobi, quod Rex Franciæ habet hoc ex vetuſtate, quæ vicem legis obtinet, l. 1. §. fi. ff. de aqua plu. arcen. Nullus enim aliter poſſet ſufficere illi rei, niſi ipſe Rex ad refrenandum, vel compeſcendum talem illicitam armorum congregationem, quæ ratio in ſimili conſideratur, ff. de offi. Præfec. vigil. l. 1. in fi. l. 2 & l. 3. in prin. & C. de Epiſcopa. audi. l addictos ſupplicio. Item æquum eſt ſolum Regem cognoſcere debere: nam ſolus prohibet portationem armorum: ut in titulo, ut uſus armo. inſci. princ. C. lib. 11. & in Authent. de armis. Ideo ex quo ſolus prohibet portationem armorum, ſolus in hoc offenditur, ita declaratur in inſtructione Curiæ Parlamenti, quæ aliter ſtilus vocatur in articulo primo ſub tit. de cau. Eccle. perſon. ſub quo titulo multæ deciſiones de portu armorum demonſtrantur.

Scitio in urbe Andegaven. tempore Ludo. XI.

VIGESIMUM PRIVILEGIUM.

Ad coronam regni Franciæ non poteſt ſuccedere fœmina, nec maſculus ex ea deſcendens.

VIgeſimum ſanctum & laudandum jus ſereniſſimæ coronæ eſt, quòd in eo non ſuccedit fœmina, nec maſculus ex ea deſcendens, quod eſt ſingulare: nec dico ſingulare reſpectu legum imperialium: quia hoc eſt de jure communi, §. hoc notandum, cum ſua materia, de his qui feud. dare poſ. 10. colla. Et per no. Bald. in l. ſi defunctus, C. de ſuis & legitimis. Et iſtud ex tribus probatur. Primò ex conformitate legis datæ filiis Iſraël. Numeror. 27. c. ubi ſcribitur lex ſucceſſionis. *Si homo mortuus fuerit, filius ei ſuccedat*, &c. Secundò lege Salica, quæ eſt vera lex Francorum, condita tempore Pharamundi primi Regis Francorum ſedente in cathedra Petri Bonifacio primo, & imperante Honorio primo, anno Nativitatis Dominicæ 420. Nam cum Franci ad Rhenum uſque pervenilſent, ferifque moribus viverent: quatuor ex Sicambris ſpectatos proceres ſelegit, qui populo legem ferrent, Vſucaſtum, Lozocaſtum, Sologaſtum, Viſogaſtum: qui communi gentis & procerum authoritate freti legem conſcripſere: quam Pharamundus promulgavit: & eſt nominata Salica, ut quidam aſſerere voluerunt à loco Saletham, ubi condita eſt. Nec deſunt qui à ſale derivatam eſſe tradunt: nam ſicut cibi condimentum cuſtoſque ſal eſt, ita ſalica lex Francorum moribus condimentum extitit vitæ melioris: cum ante editam legem incompoſitè viverent, nihil ſatis temperanter operantes, fortiori obtinebat. Textus autem legis eſt in tit. de allod. 62. c. prim. lib. in fi. ſub hac verborum ſerie. *Nulla portio hereditatis de terra ſalica mulieri veniat: ſed ad virilem ſexum tota hereditas perveniat.* Terra autem ſalica dicitur quæ adhæret coronæ. Sapientes ſic interpretati ſunt: quia authores dum loquebantur de allode, ſemper intelligebant de terra, ſive hereditate ſubditorum, quæ datur & recipitur in allodium, juxta tit. de allo. 10. colla Et ideo ad differentiam terræ allodialis, terram regiam ſalicam appellant, quia lex ſalica à principalibus conſtituta primò formam ſuccedendi, & modum regendi in terra regia docuit. Tertiò iſtud ſpeciale ſumptum exiſtimavi ex conſuetudine & obſervatione, quæ eſt optima legum interpres, l. ſi, de interpretatione ff. de leg. quia in regno nunquam ſuccedit fœmina, nec ex ea deſcendens. Nam ſucceſſio non eſt per ſaltum: ideo expedit quod gradus ante ſe ſit ſucceſſibilis. Et deſtructo ordine, deſtruitur ordinabile, ff. de ſervi. ruſti. prædi. l. tria prædia. & ad deſtructionem antecedentis ſequitur deſtructio conſequentis, ff. de offi. ejus cui mandat. eſt juri, l. 1. §. hujus rei. Et ut facilior ſit cognitio illius obſervationis antiquæ, & judiciorum ſubſecutorum (ex quibus poteſt induci conſuetudo) quæ ex regiſtris Curiæ Parlamenti trium ſtatuum regni ex Chronicis extraxi, declarare hoc loco deſtinavi. Philippus divi Ludovici filius, duos filios habuit: Philippum qui cognominatus eſt Pulcher, & Carolum Comitem Valeſii Bellimontis, Carnotenſis Alenconii & Pertici: qui poſtea Andegaviæ, & Cenomaniæ Comes, & factus & dictus eſt. Philipp. Pulcher Francorum & Navarræ Rex, tres filios, & tres filias genuit.

Lex Salica quando, & à quibus lata ſit.

Lex Salica unde nuncupata.

Verba. l. Salicæ, & quæ dicatur terra Salica.

Ludovicum dictum *Hutin* primogenitum, qui uno anno: Philippum dictum longum, qui per lustrum: & Carolum pulchrum, qui per septennium regnavere: Margaretam, quam matrimonio copulavit cum Ferrando primogenito Regis Castellæ: Isabellam, maritatam Edüardo Anglorum Regi hujus nominis secundo, cognominato *de Kuernan*, ex quo matrimonio natus est Edüardus V. dictus *Vindesoze*, qui regnum querelavit. Tertiam filiam Catharinam habuit, quæ ante nuntias in virginitate moritur. Præfatus Ludovicus *Hutin* filium habuit Joannem, qui ante coronationem mortuus est: & ideo non ponitur inter Reges. Similiter unam filiam habuit, quam matrimonio dedit Carolo Comiti Ebroïcensi, unde ille Carolus pessimus Rex Navarræ dicto Ludovico *Hutin* successit. Et Francorum regnum adeptus est dictus Philipp. Longus, non autem ille Carolus pessimus Rex Navarræ, ex muliere descendens, licet in regno Navarræ successerit, itáque judicatum extitit. Philippus Longus filiam unicam habuit, in matrimonio datam Comiti Attrebatensi, cui Philippo dictus Carolus Pulcher successit: non autem prædicta filia: & si in proximiori gradu esset. Dictus Carolus pulcher sine liberis uxore prægnante, decessit. Unde disceptatio insurrexerat, quis interim, dum Reginæ partus expectaretur, pro Regente acciperetur. Duo erant qui sibi jure prætendebant, & sibi deberi asserebant: Philippus Valesius, & dictus Edüardus III. ex Isabella Philippi Pulchri filia natus Philippo maximè suffragabatur, quòd ipse masculino gradu Carolo pulchro maximus habebatur. Edüardo autem quòdà fœmina esset proximior gradu. Et quia nullo tempore visum est per fœminam Francorum imperium moderari: his rationibus Philippus Valesius regno præfectus, & postea Rex conoratus est, ab Ecclesia tutatus, & ab illo Edüardo approbatus est: qui Edüardus fidelitatem cum consensu Anglorum pro Ducatu Guiennæ in verba Regis juravit, anno 1329. Idem judicatum est contra Henricum Regem Anglorum. Et sic tria judicia reddita sunt inconcussè servata contra Carolum Regem Navarræ pessimum, Edüardum, & Henricum: quæ judicia reddunt consuetudinem veram, approbatam & indubitatam: & sufficeret hujus actus per notat. Doctorum in l. de quibus, ff. de legib. Sicque observatum cognoscitur ex tempore. Nam invictissimus, & Christianissimus Rex Ludovicus duodecimus successit Carolo VIII. Regi mitissimo: & non Anna sapiens Caroli soror, Borbonii Ducis relicta. Ex quibus gloriari debent Franci: sicut & ille Thales Milesius, qui maximas gratias agere dicebat, quod vir esset, non fœmina.

Quanquam in prædictis fuerant enarrata jura præcipua: de aliis tamen non detrahitur. Nam concurrit cum omnibus principibus in privilegiis, prærogativis, & dignitatibus de quibus per Bald. in l. requisita, C. de diver. rescrip. Et multa sunt alia privilegia, quæ regiæ Majestati competunt: nec hoc in libro, nec alibi exprimenda. Quapropter finem Operi numero vigesimo dedi vigesimum numerum existimans sufficere, ut illo expleto anno, juxta l. 2. C. de his qui veniam ætat. impetra. videant Reges, & sciant cætera sua jura ampliare, tutare, & defendere.

Opusculum de Privilegiis & Prærogativis regni Francorum pertractans, fœliciter finis.

Addita hîc erant in ultima impressione quædam inepta, & sordida fragmenta indocti Tractatus de præcellentia Parlamentorum, & magni consilii, quæ omisi ut putida, & indigna quæ chartæ occupent: extat etiam integer ille liber Io. de Montaigne, *legant, quos juvat in tricis tempus terere, & sic hîc facio finem quartæ partis. C. M.*

SEQVITVR QVINTA PARS.

*QVÆSTIONES VARIÆ IN SVPREMA PARLAMENTI Parisiensis Curia ventilatæ, & per judicium, & Arrestum præfatæ Curiæ * auditis partium allegationibus in judicio contendentibus decisæ, & per D. Joannem Galli utriusque juris peritissimum, ac in eadem Curia Advocatum Regium, recollectæ: Et à Carolo Molinæo ejusdem Curiæ Advocato solertissimo redintegratæ, breviterque & utiliter annotatæ fœliciter incipiunt.*

* *Curiæ.*] Quæ solet æquitatem sequi, ut testatur dom. Andr. Tiraq. in tract. de retractu conventionali in fin. num. 60. C. M.

QUÆSTIO I.

AN PRETIVM REI HEREDITARIÆ reputari debeat hereditagium.

QUIDAM maritus de consensu suæ uxoris * vendidit hereditagia uxoris suæ: & in recompensationem pretii prædictorum hereditagiorum consensit, & voluit maritus, & ad hoc se obligavit, & promisit quod uxor recompensaretur: & ipsam recompensavit de certa pecuniæ summa ab heredibus suis de suo latere * ac linea capienda super bonis communibus post decessum ipsius mariti, in casu quo moreretur ante uxorem absque liberis ab ipsis procreandis, & non aliàs: qui casus evenit, quia maritus absque liberis defunctus est, uxore sua relicta. Quæ absque exactione pecuniæ prædictæ defuncta est, per decem dies post mortem mariti relictis duobus suis heredibus, uno proximiore altero: & illo altero remotiore ex latere unde descenderunt hereditagia prædicta: modò proximior vult habere illam pecuniæ summam, eo quod proximior debet habere mobilia, nomina, & conquæstus; Alter autem de cujus latere descenderunt hereditagia prædicta, vult habere pretium tanquam loco hereditagiorum prædictorum subrogatum: quæritur quid juris? Et videtur quod proximior * debet habere pretium. Primò quia pretium, seu nomen pretii censetur mobile: juxta §. Accedit, aliàs taceat in l. uni. C. de rei uxo. act. & no. pe. Accur. in Auth. de rebus Eccles. non alien. § à Leone colla. 2. & l. moventium, ff. de verb. sig. Et consuetudo dictat quod proximior habeat mobilia, nomina, & conquæstus. Quare, &c. Secundò quia dicta uxor alienare poterat & donare: & si pretium habuisset, & conservasset, proximior ejus habuisset tanquam heres post mortem, ut mobile: ergo, &c. Tertiò non dixi quod ille de latere hereditagiorum illud pretium loco hereditagiorum haberet: nec hoc fuit conventum quod dixisset, si hoc voluisset. Quartò non fuit conventum quod illud pretium in hereditagium converteretur. Quintò dixit, quòd pro pretio dictorum hereditagiorum haberet tantam pecuniam: ergo solùm recompensare voluit ratione pretii hereditagiorum, non ratione hereditagiorum. Sextò, quia pretium loco rei non succedit, juxta l. qui vas. §. fi. cum allegatis, & ibi gl. fin. fur. & l. venditis ex hereditate, ff. de hered. [illegible]t. vendita. Septimò, quia est subrogatio ab homine, non à lege: nec testatore. Videtur contrarium. Primò, quia res est subrogata ab homine, &c. juxta l. si eum, §. qui injuriarum, ff. si quis cau. & ff. ut in pos. lega. l. 1. §. si quis sub conditione, & in l. 2. ff. de privil. credi. & in §. fuerat. inst. de actio. Secundò, quia pretium loco rei succedit in universalibus, l. si rem & pretium, ff. de petit. hered. & l. Imperator. de leg. 2. & idem in singularibus * l. si eum, ff. si cer. pe & in l. si servus, §. bove subrepto. ff. de condict. fur. Tertiò, quia origo obligationis non titulus actionis inspici debet, l. si filius, C. ad Macedon. Quartò, quia videntur hæc verba ab ipsis heredibus suis de suo latere referri ad heredes de latere hereditagiorum, quæ aliàs frustra fuissent posita, cum heredes mariti non poterant succedere uxori, maximè quia erat recompensatio hereditagiorum uxoris, ergo de illis de latere de quo sunt. Quintò non diu vixit uxor post mortem mariti: nec recepit illam pecuniam, sed remansit in nomine, & sic non est præsumendum quod voluerit illam admobiliari: sed potius converti voluisse in hereditagium pro illis de linea sua unde descendebant res venditæ. Sextò, si emisset aliquid ex sua pecunia, fuisset conquæsta pro proximiore herede suo: vel si conquæsta convertisset in mobile, spectasset illud mobile proximiori heredi suo: ergo & pecunia, seu nomen descendens ex suo hereditagio spectare debet ad illos de linea unde descendebat illud hereditagium, ne ad imparia judicentur. Septimò pretium provenit ex re illorum in spe saltem, qui sunt de illo latere, juxta l. filio, ff. de lib. & posthum. & l. si quid eo tit. ergo ad eos debet spectare, juxta l. nisi ff. de pet. hered. cum pluribus aliis similibus quid dicendum. Quidam distinguunt inter subrogationem factam à testatore, & lege, & inter illam quæ fit ab homine: ut primo casu succedat pretium loco rei, secundò non. Quod non procedit per dictum §. qui injuriarum, & l. si quis sub conditione per dictam, l. secundam de privileg. credi. ubi est subrogatio ab homine, & tamen loco alterius in loco cujus subrogatur, succedit.

Alii autem distinguunt, aut voluit converti pretium in hereditagium, & convenit in contractu, aut non; & primo casu pretium reputetur hereditagium, secundo non, sed mobile. Quod procedere non videtur: quia conventio non videtur mutare essentiam rei, nec naturam: quia propter affirmare vel negare, &c. l. assumptio, ff. ad municip. juxta l. si forte, ff. de cast. pecu. & quia contra consuetudinem sic fieri non potuit.

Tertii dicunt quod de rigore proximior habebit per prædicta: de æquitate autem quæ est præferenda rigori: ubi non est rigor scriptus in hoc casu, illi de quorum latere procedit hereditagium, habere debebunt illud pretium per argumenta suprà dicta ad hanc partem.

Cui æquitati consentio ego Joannes Galli, quoniam etsi juris ratione deficiamus, hoc tamen æquitas suggerit: juxta, §. Item Varus, l. 2 ff. de aqua plu. ar. & pro hac parte facit l. placuit, C. de jud. & l. si pecuniam, ff. si cer. pe. l. quotiens, ff. de donat. quæ sub mod. fiunt, l. si res, ff. ad exhib. quamvis dictus Magister

* *Uxoris.*] Quæ hic præsupponitur communis, aliàs non decerta summa, sed de toto pretio recompensanda. Et not. quod in tota hac parte qu. Galli. in materia Cõsuetudinaria subaudiuntur termini Cõsuetudinis Parisiensis, nisi de alia Cõsuetudine mentio fiat. C. M.

* *Latere.*] Non refert ad quos vel activè scilicet ex parte uxoris, vel passivè scilicet ex parte viri referatur, quia non est dictum ad heredes proximiorum, vel lateris proximiorum C. M.

* *Proximior.*] Hæc veritas, ut etiã judicavit Curia, & benè secus, si fuisset cautum nedum uxori, sed etiam heredibus ejus, non simpliciter, sed heredibus lateris dictorum hereditagiorum: ut dixi in consuet. Parisien §. 147. C. M.

* *Singularibus.*] Sed hoc denum in subsidiũ, & ex æquitate, ne quis locupletetur cum jactura aliena, quæ hîc cessat. C. M.

Joannes Covardi in præfata Parlamenti Curia summus Advocatus tenuerit contrarium, cui non consentio de æquitate per prædicta. Sed finaliter fuit contrarium opinioni mex determinatum, cui consensi finaliter, tum quia mobile erat, tum quia consuetudo dictat, quod proximior debet habere mobile, tum quia si maritus supervixisset, nil uxor habuisset: * ergo non erat reputandum hereditagium cum omni casu heredes uxoris de latere uxoris habere illud debuissent: quòd non erat sic in hoc casu de dicta pecunia per conventionem.

* *Habuisset.*] Scilicet ex forma contractus, sed ex quo non simpliciter consensit, sed ab initio recompensationem stipulata est, videtur quod ad heredes suos transmisisset saltem pro media dicti pretii recuperanda aliàs esset in hunc eventum expressa donatio facta viro de quo remitto ad ea quæ dixi in consuet. Paris. C. M.

QUÆSTIO II.

Vsque ad quod tempus possit res incariorari.

QUolibet tempore recipitur, quis ad incariorandum rem per subhastationem venditam, donec decretum fuerit traditum emptori, secundùm aliquos sigillatum: secundùm alios tamen secus est in re ad licitationem vendita: quia non admittitur quis ad incariorandum, nisi in præsentia: * sic fuit dictum pro uxore Theobaldi Rebili contra quosdam alios.

* *Præsentia.*] Id est usque dum decretum pronunciatur: plene dixi in consuetu. Parisien. §. 189. quò remitto. C. M.

QUÆSTIO III.

An clericus non conjugatus teneatur respondere articulis personaliter in infractione salvagardiæ.

ITem anno Domini 1393. patre & filiis *de Molancourt* prosecutis per Regium Procuratorem ratione infractionis salvagardiæ, & delationis armorum, fuit appunctuatum per dominum Guillermum de Senonis, quod omnes responderent articulis personaliter; Et quia aliqui de ipsius filiis erant clerici non conjugati, noluerunt respondere coram Commissariis, quapropter fuit petitum, & requisitum per Magistrum Joannem Covardi, quod personaliter responderent viso appunctuamento, cujus contrarium sustinui, quia erat in eorum personam attentare, quod erat contra omne jus, &c. Et allegavi Arrestum do. Roberti de Peugniaco, & do. Robineti *de Braquemont*, dicebam ulteriùs dictum appunctuamentum intelligendum civiliter: finaliter in die consilii dictum fuit quod clerici non conjugati non responderent personaliter, * & fuit prædictum appunctuamentum ruptum. Idem fuit dictum pro Magistro Guidone *de Evaumont*, clerico non conjugato pro quo fui Advocatus contra Joan. *de Frenelles* in Parlamento anno Dom. 1384. & quod non tenerentur personaliter comparere in fine inquestæ. Et per idem Arrestum dictum fuit posse concludi contra clericum non conjugatum ipsum tenendum in prisionem Episcopi ratione salvægardiæ infractæ donec satisfecerit.

* *Personaliter*]. Quod potest procedere ad finem definitive super delicto cõmuni remisso ad judicem Ecclesiasticũ aliàs, & super provisione, & super definitione delicti privilegiati, & supra communi institutione tenentur personaliter respondere dicitur in omni crimine, nec audiuntur super declaratoria fori, & ita hodie practicatur, & semper à 36. annis practicati vidi, & bene. C. M.

QUÆSTIO IV.

An latori instrumenti fienda sit munitio manus.

DIc * si procedat via actionis, non est manus munienda: quod facere potest, si obligatio sibi sit facta, & non aliàs, etiam mortuo principali: quia jus est sibi quæsitum cum obligationi est adjectus: si autem procedat via executionis, quod potest etiam, si solum sit adjectus solutioni: ut quia requisivit executionem ab initio, vel post sigillum privatum cognitum per obligatum sub suo sigillo: tunc aut est mortuus principalis, aut non si sit mortuus: quia mortuo mandante expirat mandatum, juxta, l. fi. ff. de sol. videtur in hoc casu manum non esse muniendam, nam nullus est portitor Literarum, aliàs videtur munienda, videlicet vivente principali, qui petitori solvi voluit.

* *Dic.*] Hæc est phantasia, ego dico quod sequestratio, sive depositum justum fieri debet stante latore instrumenti vi clausulæ: *& an pertent:* Sed non parti etiam provisionaliter, nisi creditori ipsi, vel docenti de sufficienti mandato, & adhuc prius dictum fallit, si debitor minime suspectus offert solvere dando sufficientem apocham pro qua non sufficeret instrumentum reddere etiam cum actis executionis: ut dixi in consuet. Paris. §. 166. C. M.

QUÆSTIO V.

An petens reditum cum reliquis teneatur rem suppositam ostendere.

VIdi pronuntiari per Arrestum, quod petens * arreragia reditus, & sibi reditum solvi in futurum, tenetur ventam facere rei super qua petit prædicta, & fuit latum contra religiosas de Poisiaco.

* *Petens.*] Intellige quando petit ab eo qui neque contraxit, neque super ea recognovit. C. M.

QUÆSTIO VI.

An petens super re aliqua reditum, teneatur dare demandam in scriptis.

ITem vidi pronuntiari quòd petens reditum super re aliqua, & declarari ipsum sibi deberi, & ad ipsum spectare, non tenetur dare demandam in scriptis: * quia non petit rem nec dominium rei supra quam petit reditum.

* *Scriptis.*] Limitando stilum supra c. 17. in prin. C. M.

QUÆSTIO VII.

An omittens offerre probare facta sua in demanda, in defectu contenta aliquid amittat.

VIdi pronuntiari quòd non in requestis Palatii.

QUÆSTIO VIII.

*An salvationes * contra reprobationes testium sint admittendæ in Parlamento.*

* *Salvationes.*] Quæst. fatua & ridicula. C. M.

VIdi pronuntiari quod sic in Parlamento anno Domini 1393. in causa proprietaria inter habitantes de Monte aluno, & Procuratorem Regium

ex unâ parte; & Religiosos ejusdem villæ ex altera: & in illo processu facta fuit publicatio * testium. Contrarium fuit prounciatum per Arrestum latum anno Domini 1458. inter Abbatem & Conventum sancti Pharonis Meldensis diœcesis ex una parte, & Ægidium *Boquet* ex altera; videlicet quòd salvationes contra reprobationes testium non erant admittendæ, * & in hoc processu non fit publicatio testium facta, quia erat novitatis & possessoria.

* *Publicatio.*] Et sic olim in Curia testes publicabantur ubi erat præjudicium irreparabile, & bene idē supra in Stil. c. 2. §. 39 C. M.

* *Admittenda.* Iure hodie indistinctè admittunt, nisi ubi reprobatio non admittit, ut super sequestri possessorio. C. M.

QUÆSTIO IX.

An Canonici Capellæ regiæ Parisius sic habeant cognitionem executionis & testamenti suorum Concanonicorum, quòd subjici non possint per executores Curiæ Parlamenti.

VIdi pronuntiari quòd non in eodem Parlamento inter dictos Canonicos & Magistrum Ioannem Clerici, ratione executionis testamenti factæ ejusdem Magistri Ioannis Canonici ejusdem Capellæ.

QUÆSTIO X.

An emenda regia sit solvenda ante creditores?

VIdi pronuntiari quòd sic * in eodem Parlamento, ad utilitatem Procuratoris regis, contra Ioannem Gallilææ juniorem; tamen fuit priùs solutus de expensis per eum factis ad recolligenda vina quæ fuerunt executata.

* *Quod sic*] Ita etiam vidi ante quatuordecim annos, post magnam concertationem judicari, *par les Commissaires de la Tour quarrée, contre la Chesnaye, gendre du feu General Bohier*, pro quo scripseram; sed malè & iniquè judicatum, utpote contra Tit. pœnis fiscal. cred. antep. lib. 10. C. & alia quæ allegabam, diluendo ratiunculas fiscalium, quorum bonus Princeps erubesceret, & contrarium in forticri fuit judicatum. infr. q. 231. versic. 4. §. C M.

QUÆSTIO XI.

An aliquid amittat qui non tradit suas rationes per modum memoriæ?

VIdi pronuntiari per Connestabulum Franciæ, cōtra quemdam pro quo eram, quòd pars sua adversa petitorum nihil amiserat: eò quòd rationes suas per modum memoriæ non tradiderat, sed remanebant in Cuia memorialia. Contrarium dominus *de Nanterre* primus Præsidens pronuntiauit per judicium Curiæ in quodam processu in scriptis, veniente ab Auditorio Locumtenentis Mareschallorum Franciæ; inter Antonium *Roux* & Nicolaum *Alvequin*: & ita observatur notoriè in Curia Requestarum: & illud Arrestum pronuntiavit die sexta Februarii, anno Domini 1361. quamvis forsan posset concordari, quòd licet exclusus sit à Canone memoratorum, non tamen propter hoc perdit causam; sed recipiuntur suæ productiones, & poterit etiam tradere rationes juris.

* *Traditas.*] Intelligit etiam productas. Vide Roman. sing. 262. Phil. decim. l. 2. col. 3. ubi dixi C. de eden. & inc. 1. col. 29. de pr. C. M.

QUÆSTIO XII.

An pars habeat videre rationes per modum memoriæ traditas? * •

ITem per idem judicium dictum fuit quòd pars adversa non videret, nec copiam haberet de rationibus pro parte mea traditis Curiæ per modum memoriæ: eò quòd non tradiderat aliquas, ut æqualitas servaretur, cùm suas videre non poterat: quia non tradidisset.

QUÆSTIO XIII.

An non tradens rationes per modum memoriæ, rationes juris tradere possit.

VIdi pro eodem pronuntiari, quòd non tradens rationes per modum memoriæ, potest tradere rationes juris, & fuerunt receptæ.

QUÆSTIO XIV.

An petens garendum super ventis petitis sit admittendus?

VIdi pronunciari quòd petens garendum contra illum qui perit ventas in censiva, non est admittendus. Dominus Præsidens *de Nanterre* tenebat contrarium, ubi talis reus allegaret solutionem ventarum factam alteri domino, & prædictam rem venditam esse in sua censiva. *

* *Censiva.*] Scilicet alterius domini & Benedicti, quia tunc debet habere formalem garendum, ut Practici aprè vocant: imò etiam debet habere manum levatam pro pendente lite, ut in feudis, ut novè dixi in Consuet. Paris. §. 52. glos. 1. num. 165. aliàs nec provisionem habet nisi consignando, ut dixi in d. glos. 1. num. 160. nec garendum formalem, sed tantùm adjunctum. C. M.

QUÆSTIO XV.

Quando omisso medio, appellatur.

PEr Arrestum non fuit facta remissio causæ appellationis factæ à Præposito dominæ Aurelianensis per homines corporis * thesaurarii de campo, & Capitulo de Turonis ad dies * dictæ dominæ, eò quòd coram dicto Præposito erat contentio an ipsi homines essent subditi dictæ dominæ, necne; nam negabant * dictæ dominæ & suo Præposito esse subditos, sed subditos se confitebantur dicto Thesaurario & Capitulo.

* *Corporis*] Id est servos adscriptitios, seu eidem servituti corporis & bonorum obnoxios. C. M.

* *Dies.*] Scilicet magnos, ut Galli vocant, id est ad Iudices appellationum nomine seu authoritate d. dominæ judicantium.

* *Negabant.*] Et sic appellabant tamquam à Iudice incompetenti; unde eadem ratio incompetentiæ erat in Iudicibus magnorum dierum d. dominæ, & sic omisso medio, bene relevarunt in Curia, c. si à subdelegato, de of. deleg. in 6.

QUÆSTIO XVI.

An Episcopus possit acquirere privato nomine?

DOminus Nicolaus de Arteyo Episcopus Antissiodorensis tunc exstens Episcopus, emit quamdam terram suo proprio nomine pro se & heredibus suis, quæ in feudum movebatur à quodam feudo dicti Episcopatus, & tenuit ipsam per aliquod tempus, post decessit: sed ob hominis defectum * dominus Ferticus Cassent. Episcopus Antissiodorensis, post dictum Nicolaum factus tenuit illam terram: heredes dicti defuncti Nicolai petunt illam terram parati facere dicto Fertico quod oportet. Dicit dictus Ferricus quòd non tenetur rationibus quæ sequuntur. Primò quia illa empta fuit de nummis Ecclesiæ Antissiodorē-sis: & sic Ecclesiæ facta juxta viam brocardicam res empta, &c. Secundò facta fuit confusio * dominii

* *Defectu.*] Id est jure feudi aperti, sed tunc fatererur rē alienam, ut dixi in Consuet. Paris. §. 1. gl. 5. & §. 7. Nec potest ex

alia causa retinere sic occupatum, arg.] si quis conductionis. C de loca. nisi in contineati docendo. Bar. Paul. in l. qui tem. C. depo. Alciat. in l. bona fides in fi. eo tit. C M

utilis dictæ terræ emptæ cum dominio directo: quia dictus Nicolaus tempore emptionis prædictæ erat dominus feudalis illius terræ quam acquisivit, & tenuit illam per annum & diem & plus, & sic fuit confusio facta, & per illud medium quæsita illa terra Ecclesiæ prædictæ, & maximè quia ille qui vendidit illam terram, ut vassallus non habebat nisi usumfructum, juxta c. Obertus, §. in primis, & quibus causis feudum amittitur, col. 10. & dictus Nicolaus ut Episcopus tenuit dominium directum ipsius terræ, & sic fuit confusio facta; quia res sua nemini servit, juxta l. uti frui ff. si usufrm. pet. & l. si tibi fundi, ff. qui mo. usufr. amit. qui optimè facit. Tertò quia si Ecclesia aliquam rem acquirat & teneat per annum & diem, alienare non potest quasi Ecclesiæ factam, secundùm usum & consuetudinem. Heredes dicunt contrarium per sequentia. Primò quia suo nomine acquisivit, per l. si patruus, & l. quicumque, C. communia utri. Iudic. Secundò sic se habet Consuetudo quòd quærere potest Prælatus suo nomine. Non obstant contraria. Primò quia non est verum quòd fuerit empta de nummis Ecclesiæ, & esto quòd sic; tamen sua fuit & suorum heredum post mortem suam, secundùm quod Consuetudo * se habet: item nec fuit confusio; quia re vera vassallus habet dominium utile, non directum, nec usumfructum. Nam dominium suum transit ad suos heredes, & tenetur dominus ei & suis heredibus tradere, cùm facere voluerit fidem & homagium. Nec posset dominus tenens feudum per defectum hominis ipsum alienare, nec per præscriptionem contra vassallum & ejus heredes acquirere, ut in c. 1 in 5. rei autem per beneficium, de investit. de re alien. fac. col. 10. & cap. de controver. inter vass. & de Benefic. col. 10. Item quia ex diversis causis & rationibus separatis habet Episcopus qui duas personas repræsentat, juxta l. sub conditione, & l. si cum patrono. Item posito quòd fuisset confusio mortuo Episcopo, veniret ad heredes, eò quòd emit nomine privato, juxta l. dominus testamento, & l. tutorem, ff. de his quibus ut indig. Et sic fuit decisum pro parte heredum. *

* Confusio.] Falsum, quia alius est ut ipse, alius ut Episc. quoniam Abbas, de of. deleg. c. à collatione, de appel. in 6. C. M.

* Consuetudo.] Quia Prælati ut usufructuarii faciunt fructus suos, & ad heredes transmittit, ut not. in c. præsenti, de officio legat. lib. 6. C. M.

* Heredum.] Hoc est indubitatum, quia de Consuetudine generali, etiam extra Galliam, ubique Prælati sunt usufructuarii, Cardin. de gratia, de rescript. Gabri. Biel. in 4. Sent. dist. 15. q. 8. Phil. Melanch. in Epitom. Phil. moral. ad fi. Dixi in Consuet. Paris. §. 151. & in annot. ad Alexandrum consil. 101. num. 1. lib. 7. C. M.

QUÆSTIO XVII.

An appellans ad Curiam Parlamenti, post agens coram Iudice à quo, renuntiet appellationi suæ.

VIdetur quòd sic, quia approbat eum in Iudicem: dic contrarium, nisi quoad causam in quo litigat coram Iudice à quo. Item quia exemptus est propter auctoritatem Curiæ, cui per tale litigium fieri non potest præjudicium. Item sic videmus si quis appellat ad Parlamentum: & est causa appellationis deserta, quia Iudex à quo, non potest cognoscere, sed requiritur Littera justitiæ à Curia * Parlamenti, ut Sententia Iudicis appellati executioni mandetur. Sic fuit pronuntiatum pro Religiosis, Priore & Conventu sancti Joannis Hierosolymitani, & contra Ducem Bituricensem.

* Curia.] Scilicet expediendo à Graphario Curiæ, sub sigillo Cancellariæ; sed hoc fuit correctum an. 1493. Const. Carol. VIII. art 59. & bene, quod etiam est de jure Alex. Const. 72. ad fi. lib. 7. Unde puto quòd etiam ante dictam Constit. stilus ille non habebat locum in patria juris scripti. C. M.

QUÆSTIO XVIII.

An Littera directa universis Justitiariis videatur directa Curiæ Parlamenti.

VIdi pronuntiari in Parlamento, anno 1384. pro domino Guillelmo Fœlix, contra dominum Joannē *le Franc*, & Galterium *Anquetin*, quòd Litteræ status impetratæ pro parte dicti Guillelmi tenerentur per Curiam Parlamenti, & obtemperavit Curia * non obstante quòd dictæ Curiæ de directo non dirigerentur, sed universis justitiariis nostris, &c. quia in his verbis Curia Parlamenti continebatur: quia erant domini Iustitiarii regii quamvis altercabatur in contrarium, quia Curia Parlamenti repræsentat Regem, & loquitur Rex in factis Curiæ: & cave, quia communiter non reciperentur in Curia tales Litteræ, nisi esset aliqua causa specialis. Sic mihi fuit dictum contra Petrum *Blemur*, in Parlamento initiato, anno Domini 1386.

* Curia.] Vt bene hoc casu, ubi justa causa, & eadem ratio & mens beneficii Principis, de his rescriptis quæ fiunt ad tenendum casus in suspenso, quā-

do ipsemuntur. Vide Constitutiones Caroli VII. art. 55. 57. 76. & infra. Et decisum dubium de quo infra, q. 215. licet quandoque per errorem vel aliam causam contra factum sit, ut infra q. 379. C. M.

QUÆSTIO XIX.

*Arrestum latum super remissione facta in Parlamento ad assisias Villæ d'Andeli, pro Regina Blancha, de causa doleantiæ * in scacario pendente.*

* Doleantiæ.] Vulgare Normannorum, to appellatione.

IN eodem Parlamento fuit pronuntiatum pro Regina Blancha & Ioanne *Goule*, contra Petrum *Chevalier*, eò quòd dictus *Chevalier* cœperat unam doleantiam ad scacarium Rothe. Et ibidem fecerat adjornari dictum *Goule*, propter quamdam Sententiam pro dicto *Goule*, contra ipsum Petrum pronunciatam, per Iudicem de Longocampo & *d'Escouis*, in Iustitia Comitis de Tancarvilla, à qua Iustitia ressortiri debebatur immediatè coram Baillivo *d'Andeli* in assisiis *d'Andeli*, pro dicta domina Regina, & abhinc ad suos dies magnos de *Vernone*, & abhinc ad Curiam Parlamenti, quare petebant dicta domina Regina, & dictus *Goule*, quòd dicta doleantia remitteretur ad assisias *d'Andeli* coram Baillivo *d'Andeli*, pro dicta domina Regina; erat enim interesse suum pro habendo emendam, & Sententia subjectorum corrigenda, dicto Petro *Chevalier* dicente contrarium, eò quòd dicebat quòd dominus Ioannes *Goule* attentaverat contra dictam doleantiam, & super hoc erat adjornatus coram Vicecomite Rothomagensi, & erat ibidem Procurator Regis cum ipso adjunctus, & obtinuerat defectum in illa causa coram dicto Vicecomite contra dictum Ioannem, & fuerat attentatum in præjudicium doleantiæ pendentis in dicto scacario, & sic causa remanere debebat in dicto scacario, non ubi petebant dicti Regina & Ioannes *Goule*, & sic videbatur in simili quotidie fieri in Parlamento, dictis Regina & Ioanne dicentibus contrarium. Primò, quia Regina non erat subdita scacario antedicto, ut patet per Arresta aliàs prolata: ideò attentata, si quæ forent, non poterant facere quòd causa doleantiæ remaneret in scacario cui non erat subdita; sed debebat remitti ut petebat: secus autem esset si causa foret in Curia Parlamenti, quæ est omnium * Iudex & cujus est Regina subdita. Item quia causa attentatorum non erat in scacario, sed coram Vicecomite, qui potestatem non habebat cognoscendi, nec super hoc commissionem habebat: & sic coram diversis Iudicibus ubi non poterat. Item si non fieret remissio, fieret præjudicium Regi, qui est proprietarius. Item non obtinuerat defectum in scacario in causa doleantiæ. Item nec de defectu apparebat. Item quia Littera erat generalis directa Vicecomiti, videlicet de adjornando super doleantia ad scacarium, & attentatis revocandis quæ nondum erant commissa. Item pars dicti Petri non habebat causam interesse petendi, quòd dicta causa remaneret in scacario; nam Procurator regius hoc non petebat. Item impetraverat doleantiam ad scacarium causa diffugii, quia non tenebatur scacarium quolibet anno, & igno-

* Omnium.] Not. pro antiquitate Curiæ cellē Parlamenti Paris.

subatur quando teneretur : propterea causa dolentiæ antedictæ remissa fuit ad primas assisias *d'Andely*, post festum sancti Ioannis Baptistæ proximè venturas. Et ulteriùs dixit Curia, quòd ubi vellet Procurator regius Rothomagensis, prosequeretur attentata, vel in scacario, vel coram Baillivo, vel coram Vicecomite Rothomagensi, & causam prædictam placitavi pro Regina : & credo quòd ratio decidendi fuit, quia Regina non erat subdita scacario antedicto, ut dictum est ; aliàs obstaret Arrestum latum in Parlamento initiato anno Domini 1389. per quod dictum fuit quòd non remitteretur causa appellationis emissæ à Iudice Comitis de Thomarcio ad magnos dies Ducis Bituricensis, propter attentatum factum per partem appellati post dictam appellationem ad Parlamentum factam, licet nil factum fuisset per dictum Ducem vel ejus Iudices * in præjudicium dictæ appellationis. Ratio quia de contemptu facto in præjudicium appellationis Curiæ emissæ, debet Curia cognoscere, & de appellatione, &c. ne continentia causæ dividatur, &c. L. nulli, C. de Iudic.

* *Iudices.*] Qui hoc casu privantur uno gradu jurisdictionis culpâ subditi, sed non sine causa, quia debebant curare ne attentaret, vel attentandum revocare integra ut poterant, præveniendo Curiam, c. cùm teneamur, de appel. & sic fuisset causa ad eos remiss. sic infra, eo q. 70. C. M.

QUÆSTIO XX.

An Regalia locum habeat durante commenda, & in Episcopatu commendato.

EPiscopus Laudunensis factus est Cardinalis 10. Calend. Ianuarii, anno Domini 1384. & ab Episcopatu absolutus : & fuit in commenda sibi traditus Episcopatus : & scivit hæc, & his consensum præbuit simul & semel. Prima die Ianuarii Guillelmus de Cruce Scriptor Litterarum Pœnitentiariæ Curiæ Romanæ, apud Curiam defunctus fuit circa Magdalenes festum tunc sequens : qui quidem Guillelmus erat tunc Canonicus prabendatus Laudunensis, & sic dicti Canonicatus, & præbenda apud Curiam vacaverunt, & Papa omnia Beneficia apud Curiam vacantia, & vacatura reservaverat. Quapropter contulit Papa dictos Canonicatum & Præbendam Petro de Monteturto, nepoti Cardinalis de Pelincâ, quarto Calendas Augusti. Rex autem Franciæ dicens dictos Canonicatum & Præbendam vacavisse in regalia, ac vacare, contulit ipsos Magistro Clementi Parvi, ut vacantes in regalia, nona die dicti mensis Augusti : eò quòd dictus Cardinalis non habebat dictum Episcopatum nisi in commendam, & sic fructus suos non faciebat : & esto quod faceret ; tamen quia semel fuit regalia aperta, cùm semel vacaverit Episcopatus, quia ante tenebat ipsum intitulatum, nunc autem in commendam : & nondum fecerat fidem & homagium, ut habens in commendam. Quapropter tenebat Rex temporalitatem dicti Episcopatus in sua manu & possessione dictorum Canonicatus & Præbendæ : habuit dictus Petrus vigesima - quinta die dicti mensis, & antedictus Clemens die ultima ipsius mensis. Super quo fuit litigium in Parlamento : Sustinebam autem causam dicti Petri rationibus subsequentibus.

Primò, quia dicto Episcopatu existente in commenda, vacaverunt dicti Canonicatus & Præbenda, & sic spectabat collatio ad Cardinalem qui habebat in commenda jure communi, & per consequens ad Papam, obstante vacatione in Curia, ac reservationibus supradictis ; maximè quia habens Beneficia in commendam, facit fructus Beneficii commendati suos, nec dicitur vacare pro hoc, per Io. de Imo, in capit. Nemo de election. per Ioannem And. Archid. Innocent. in capite Dudum eodem titulo, & in capit. Si contiterit, de accu. cum commenda sit titulus * canonicus : & ibi allegatur pro hoc, quòd Patriarcha qui fuit Delphinatus Viennensis, habuit in commendam Archiepiscopatum Rhemensem, & fecit fructus suos, & conferebat Præbendas Rhemenses : ad hoc, capit. Ecclesiæ, extra de elect. ubi visitator à Papa commissus confert Beneficia Sic tenetur, & sit de facto & usu, ut dicit Ioan. And. in capit. Nemo, de election. 16. in 6.

* *Titulus.*] Verum est secundum quod dixi in Annotationibus ad Alexan. Cons. 90. tom. 2. lib. 4. tamen non est titulus canonicus mero jure, sed dispensativè : ideò dici potest quòd non habetur pro titulo canonico respectu juris regaliæ, quod est antiquius jure canonico, nec illi per dispensationes, fictiones, aut alias novas adinventiones Romanorum Pontificum derogari potest, ut novè dixi in Consuet. Paris. §. 27. ad fin. & super reg. Cancellar. 18. de infir signant ad fi. C.M.

Item non vacabat Episcopatus tempore vacationis dictorum Canonicatus & Præbendæ, quia erat in commenda, & sic non fuit regalia aperta.

Item dictus Episcopus tenebat temporalitatem, & utebatur fructibus.

Item non vacavit Episcopatus ante commendam, id est per promotionem ad Cardinalatum ; quia Episcopatus & Cardinalatus se compati * possunt. Probatur, quia esse Cardinalem est esse Consiliarium Papæ, & Patricium ejus, & ejus lateri assistere.

* *Compati.*] Pan. c. Ecclesia 2. de elect.

Item Episcopatus major * est officio & dignitate quàm Cardinalatus ; nam reperitur Cardinalem fuisse promotum in Episcopum & Archiepiscopum : ut in capit. bonæ, 1. Extravagant. de post. prael. & in cap. dilectus, 1. Extravagant. de præbendis. Item Papa se vocare Episcopum servum servorum Dei per excellentiam dignitatis, ut in proœ. Decretalium, Sexti, & Clementinarum. Item arguitur d. capit. cùm in cunctis, Extravagant. de election. quia sicut per acceptationem Episcopatus non vacant Beneficia statim, ita non vacant per absolutionem Episcopatus statim ; quia absolutio non est pura, sed conditionalis, ut patet per Io. de Imo, in capit. generali, de election. libro sexto. Sed sic est quòd ita citò consentit Cardinalis absolutioni, sicut & commendæ, & econtra, quia fuit commendatus ei Episcopatus antequàm consentiret absolutioni, & ita citò scivit commendam factam fuisse, quia per absolutionem Papæ, quæ non erat pura, nec absoluta, donec consensisset : & sic concurrunt consensus commendæ & absolutionis, sic nec momento videtur vacasse Episcopatus, juxta l. ex parte de heredibus instituit. & in leg. sed & si, §. finali, ff. de liberis & posthum. & ad hoc in leg. idemque, §. si tibi, ff. qui po. in pig. hab. Item ad hoc, quia Cardinalis Scotiæ noluit consentire absolutioni Episcopatus Scotiæ, quamvis fuisset factus Cardinalis, & Cardinalatui consensisset ; quare sibi dimisit Papa Episcopatum Scotiæ in commenda. Item ad hoc, c. si qui Episcopi, nonagesima - secunda distinctione, ibi de hac materia tractatur. Item per hoc dico quòd Papa possit absolvere Episcopum invitum ab Episcopatu, si sciat ipsum non utilem Ecclesiæ, dum tamen hoc expressè caveatur in Bulla, aliàs non.

* *Major.*] Vide Lud. Gomes, in proœ reg. Cancellar. Nota quòd Episcopatus major est officio & dignitate, quàm Cardinalatus.

Item nec obstant in contrarium argumenta prædicta, videlicet quòd aliàs non haberet locum regalia, quia imo in vera vacatione, videlicet per mortem, vel cùm Papa transferret Episcopatum de uno ad alium : quo casu vacatio est vera, non autem hoc casu ubi non censetur vacasse Episcopatum prædictum ; sed semper retinuit : qualitas autem mutata fuit, & facit §. quod si frumentum, instit. de rerum divi. Item etiam si alteri tertio traderet in commendam ex intervallo, & haberet in commendam qui priùs tenebat intitulatam, secus esset : sed in casu nostro non censetur habuisse ex intervallo,

nec vacasse Episcopatum per prædicta. Item non obstat quòd Rex facit fructus suos, quia non fecit durante commenda ; sed fecit Cardinalis commendam habens, qui Canonicatum & Prabendam conferre potuisset de jure, si apud Curiam non vacassent. Item non obstat quòd non fecit homagium habens dictum Episcopatum in commendam, quod facere debebat ut dicebat ; quia non tenebat, cum semper retinuit Episcopatum, & ante erat in fide : nec est tertius, sed ille idem qui ante erat Episcopus, juxta dictum §. quod si frumentum, & §. interdum, instit. de re di. Item nec obstat quòd in vera vacatione habet locum regalia, donec habuerit fidem & homagium Rex, maximè à Pari Franciæ, ut hoc casu ; quia Episcopus Laudunensis est Par Franciæ : ergo in vacatione provenienti ex commenda, quia verum esset si commenda & absolutio non concurrissent : quod fecerunt habito respectu ad consensum dicti Cardinalis, & simul & semel ambobus consensum præstanti, ut suprà, per l. placet, ff. de acquirenda hereditate.

Item nec vacavit prabenda durante vacatione Episcopatus, sed ipso existente in commenda.

Item nec obstat quod dicitur quòd semper fieret in fraudem commenda ; quia non est ita tenendum, sed contrarium ; videlicet ex causa contenta in d. cap. Nemo, aliàs dicere contrarium esset sacrilegium. Item de hoc erat quæstio inter Cardinalem & Regem ; durante igitur debato, debebat gaudere Papa de jure suo : & maximè quia est de jure communi fundatus, * juxta, cap. Licet, Extravagant. de prabendis. Nititur autem Rex contra jus commune. Item non stetit per Cardinalem, quin fecerit fidem & homagium, quia plures petiit, quare dictis Cardinali & Papæ nocere non debuit.

* *Fundatus.*] Imo cum quòd illa jura canonica sunt posteriora, cum sunt facta ad eximanitionem jurisdictionis Ordinariorum. Rex tamquam antiquior magis est fundatus in jure communi, & potior, quia respectu juris sui antiqui jura illa nova nulla sunt. C. M.

His non obstantibus, dictum fuit per Arrestum, prædictis auditis, absque alia deliberatione, quòd collatio facta dicto Clementi erat valida, & quòd tueretur in possessione & saisina, &c. Et fuit in expensis condemnatus Petrus pars mea. Ratio autem decidendi fuit, quia absolutione facta, posito quòd consenserit dictus Cardinalis simul & semel absolutioni & commendæ, fuit tamen dare momentum quo vacavit Episcopatus, quia Episcopatum quem anteà habebat Cardinalis intitulatum, habuit in commendam, & sic fuit vacatio, juxta leg. Servo in parte, ff. de legat. prima. Ad hoc facit dictus §. quod si frumentum. Item censetur novus & persona nova quoad hoc. Item & supposito quòd tempore vacationis dictorum Canonicatus & Prabendæ dictus Episcopatus esset in commenda, & sic non vacaret ; tamen nondum fecerat Regi homagium Cardinalis de temporalitate dicti Episcopatus ; sed ob defectum hominis, tenebat Rex ipsum in sua manu : & verum est quòd data semel vacatione, ut hoc casu fuit, durat regalia, donec fuerit facta fides Regi de temporalitate ; quia tenet eam in manu sua.

Item & supposito quòd Cardinalis teneret tunc temporalitatem, hoc erat sub manu regia. Item & aliqui tenent quòd Beneficium datum in commenda vacat, * quia monstrum est in jure & natura habere partem temporalem, & sic habere patrem commendatum, cùm commenda fiat ad voluntatem commendantis, & de jure communi usque ad sex menses, juxta dictum c. nemo, & l. si tamen, ff. de ædili. edicto. Item & quod dicitur quòd durante commenda non vacat Episcopatus : attamen hoc pro vero supposito adhuc durat regalia, nisi fecerit homagium de temporalitate Regi.

* *Vacat.*) Verum est temporali, sed non de perpetua. Rom. Const. 31 c. de Bisguet in rota de prabend. C. M.

Item Papa mandat Regi in casu pari, & sic fecit in hoc casu Regi Franciæ per suas Bullas quòd traderet temporalitatem dicti Episcopatus dicto Cardinali ; ergo non habebat. Item nec facit reservatio facta per Papam in præjudicium Regi, sive antè vacaverit prabenda, sive in regalia, & sic utimur.

Aliud Arrestum declarativum jurium regiorum in materia commendarum fuit datum in Parlamento, anno Domini 1479. pro Magistro Petro *de Cerisay*, * in dicto Parlamento Regis Consiliario, contra dominum Cardinalem Deltoravilla, ratione Archidiaconatus de Constantino, in Ecclesia Constantiensi.

* *Cerisay.*] Dic ai Iulii non obstante quòd dictus Cardinalis ex collatione & dispensatione Papæ possedisset pacificè 15. vel 16. annis. Adde aliud infrà q. 150. q 168. q. 881. Multò plura habeo Arresta in regestis meis, sed nolo librum hunc nimis dilatare. C. M.

QUÆSTIO XXI.

Alia Quæstio de Beneficio in regalia collato, decisa per Arrestum anno 1384.

GUillelmus *de Vlie*, virtute gratiæ sibi factæ de Canonicatu in Ecclesia Noviomensi, aliàs sub expectatione prabendæ acceptavit Canonicatum & prabendam vacantes per mortem Petri *Fougard*, & sibi fecit provideri de ea, & se recipi per Procuratorem in eisdem : postmodum impetravit à Rege si vacaverint, vel vacassent in regalia, asserens se easdem tenere & possidere virtute prædictæ gratiæ Apostolicæ, ut securiùs teneret : mandavit Rex Decano & Capitulo Noviomensibus, ut dictum Guillelmum manutenerent in possessione & saisina prædictorum, non obstante quòd virtute collationis regiæ non haberet possessionem dictorum Canonicatus & Prabendæ, sed virtute prædictæ suæ gratiæ Apostolicæ, non faciendo mentionem de regia collatione. Demum significavit Decano & Capitulo suam gratiam Petrus *Mareschal*, qui impetravit à Rege, ut vacantes in regalia dictos Canonicatum & Prabendam, post collationem à Rege factam dicto Guillelmo, & antequam se faceret recipi personaliter virtute suæ gratiæ antedictæ Apostolicæ, opposuit se quibusdam præceptis sibi factis virtute Litterarum regiarum à dicto Guillelmo impetratarum, videlicet ne ipsum Guillelmum impediret in possessione & saisina dictorum Canonicatus & Prabendæ : & fuit in Parlamento adjornatus ad certam diem, & dixit causam oppositionis suæ modo qui sequitur. Et primò, quia collatio Guillelmi est conditionalis, ergo nulla : per notata per Joannem And. Archi. & de Imo. in cap. in electionibus, de election. libro sexto, & per compostel. ibidem. Secundò per leg. Servus cum lege sequenti, ff. de condi. & demonst. Tertiò, quia non dixit in impetratione sua quòd esset Clericus, sed tacuit quòd esse debet quilibet promovendus, aliàs indignus, juxta cap. cùm adeò de rescript. & cap. 2. de restit. extra. Quartò, quia non expressit cujus diœcesis, cùm quilibet sit in sua diœcesi beneficiandus, juxta legem in Ecclesiis, C. de Episcop. & Cleric. Quintò, dixit se tenere & possidere dictos Canonicatum & prabendam virtute gratiæ Apostolicæ, quæ se non extendebat per sinum propositum ad dictos Canonicatum & Prabendam, quia reservati in Curia : ergo falsum subjecerat. Sextò, capiendo corporaliter possessionem dictorum Canonicatus & prabendæ virtute suæ gratiæ Apostolicæ, sciens se habere collationem regiam, videtur renuntiare gratiæ regiæ, acceptando Apostolicam, cùm sint incompatibiles, ut notatur in cap. Ut qui duas, Extravagant. de elect. & in cap. Exore, Extravagant de his quæ fi. ama. parte ca. & cap. Bonæ de postul. præ. extr. Septimò, quia

Nota quòd non valet collatio cõditionalis, nec Beneficii non vacantis etiam incerti, nisi fuerit facta à Papa. Paulus & Jaf in l. fin. C. de pactis.

Conditio solum refertur ad futurum, non autem ad præteritum c. cum ad præsens, & l. itaque ff. si cert. pet. l. conditio, ff. de verbor. oblig.

quia in gratia regia dicti Guillelmi dicebatur, ut teneret securius dictos Canonicatum & Præbendam, & sic non adhærebat suæ gratiæ Apostolicæ. Econtrario Guillelmus dicebat collationem suam bonam: opinionem autem Petri malam, &c. Primò, quia licet accepta sset, & sibi provisum fuisset virtute gratiæ Apostolicæ, & tamen sibi non debebatur: quapropter impetravit à Rege cùm vacaverit in regalia, & habuit collationem ipsius ante collationem Petri: nec obstat quod dicit, si vacaverint, &c. quia refertur ad tempus præteritum vel præsens, quæ non morantur conditionem. Item quia conditio tacitè inerat, videlicet si vacat. Item quia jam habebat possessionem ante interpretationem regiæ gratiæ, & non voluit Rex quòd teneretur accipere novam possessionem, cum accepit possessionem corporalem virtute gratiæ Apostolicæ, & habebat Literas regias, & ostendit. Item dicebat dicta Petri habere locum si haberet duos titulos, unum à Papa, & alium à Rege: & elegisset Papalem. Item dicebat Petrus, quod debebat reputari habere

Nota quòd valet collatio conditionalis facta per Regem contra cap. sup. alleg.

duas gratias Guillelmus, quia allerebat in gratia regia se tenere dictos Canonicatum & Præbendam virtute gratiæ Apostolicæ, sic in sui præjudicium habebat gratiam Apostolicam & habebat regiam, & cœpit postea corporalem possessionem dictorum Canonicatus & Præbendæ virtute gratiæ Apostolicæ sciens se habere regiam: ergo renuntiavit regiæ. Nec obstat quod conditio tacitè intelligitur per allegata in d. c. in electionibus, de elect. lib. 6. Item videtur male fecisse Guillelmus, cum post corporaliter acceptam possessionem, ut præfertur, significavit gratiam regiam. Finaliter partibus auditis, fuit dictum pro dicto Guillelmo. Ratio decidendi fuit, quia ante gratiam regiam habebat possessionem Guillelmus dictorum Canonicatus & Præbendæ, & clausulam in Litera Regia quod manuteneretur in possessione & saisina: etiam non obstante quod non haberet possessionem virtute regiæ gratiæ. Item quia collatio regia facta, si vacet, valet, & tenet, & sic confert, ut in pluribus textibus. Item non habent locum in regia gratia quæ dicuntur de Diœcesi & de non expressione Clericatus: nec quod dicitur de sex mensibus current. bus à tempore notitiæ, * &c. Item quia appareret quod noluit renuntiare gratiæ regiæ, cum post notificavit Decano & Capitulo gratiam sibi factam per Regem Literas suas regias eisdem præsentando. Sic nota quod collatio facta per Regem, per conditionem si vacet, valet & tenet. Item quod in impetratione regiæ collationis non oportet exprimere Diœcesim, nec se Clericum dicere.

* *Notitiæ.*) In loco juxta Clem. 1. in fin. de Concess. præb. quia regula non subest devolutioni de qua in jure Canonico nec Concilio generali de quo in cap. nulla, extra de concess. præb. quia est antiquior & potior. C. M.

QUÆSTIO XXII.

An titulus Papalis & Regalis possint concurrere.

ITem nota per prædicta quod si aliquis habeat gratiam Papalem & Regalem ab initio & ante possessionem per unam acceptam utatur una, renuntiat alteri. Sed si habeat primo Papalem, & faciat se virtute ipsius recipi & poni in possessione, & post obtineat Regalem cum clausula: quòd non teneatur se facere poni in possessione nova, ut possit illo titulo secundo. Nec obstat quòd in casu superius dicto, fecit mentionem Guillelmus de receptione corporali: quia per hoc non renuntiavit illi quod factum fuit, cùm haberet antea possessionem virtute Apostolicæ gratiæ, quam de novo non fuit opus capere virtute gratiæ regiæ per clausulam, quod non teneatur, &c. maximè quia postea fecit significari Literas regias.

QUÆSTIO XXIII.

An Advocati possint placitare contra illos quorum sunt vassalli.

VIdi pronuntiari per Arrestum anno Domini 1384. prolatum, Parlamentum tenente domino Arnoldo *de Corbie*, Parlamenti Præsidente, pro Scabinis Rhemensibus, contra Archiepiscopum Rhemensem, de cujus pensione tunc eram, quod Magister Joannes Coüardi, Advocatus in Parlamento Vicedominus Rhemensis Ecclesiæ remaneret de consilio dictorum Scabinorum, de quorum pensione erat, antequam mota fuisset causa contra dominum Archiepiscopum. Ratio autem dubitandi quam proponebat Archiepiscopus, erat quòd dictus Vicedominus tenebat in feudum à dicto Archiepiscopo, temporalitatem dicti Vicedominatus, & sic erat ejus vassallus.

Item quia dictus Archiepiscopus placitabat contra Scabinos prædictos de juribus Archiepiscopatus per media quorum tenebatur temporalitas dicti vicedominatus. Item quòd prohibetur ne Clerici contrà Ecclesiam postulent in c. fin. ext. de postul. Prælator. Archiepiscopus autem Ecclesiam repræsentat. Ratio decidendi * fuit, quia licet teneret in feudum dictus vicedominus temporalitatem antedictam à dicto Archiepiscopo, tamen non erat quæstio de jure feudi antedicti quod tenebatur à dicto Archiepiscopo. Item nec de causa tangente honorem personæ dicti Archiepiscopi juxta c. de forma, fide, & de not. for. fide. Item quia aliter dicere, esset dicere feuda similia officio advocationis, sic quòd Advocatus eo quod alicujus domini vassallus esset, non posset contra ipsum postulare, quod esset absurdum: sic aliàs fuit pronunciatum in simili casu anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto, Parlamentum tenente domino Philipp. Paillardi.

* *Dicti fuit.*) Et benè quicquid dicat gloss. magna vert. perdit, §. Item si delator, quæ fuit pri. caus. beneficii amitt. in usib. feud. licet feudistæ eam communiter sequantur; & male. C. M.

QUÆSTIO XXIV.

An coram requestarum dominis adjornatus ad sigillum sui prædecessoris cognoscendum respondere teneatur.

ANno Domini 1384. fuit in requestis Palatii pronuntiatum, quòd adjornatus ad recognoscendum, vel denegandum sigillum sui prædecessoris in quibusdam Literis appositum, non tenebatur respondere super hoc, eo quòd non erat in eisdem Literis obligatio personalis, licet esset ibidem obligatio hypothecaria. Ratio dubitandi fuit, quia adjornatus ad recognoscendum vel denegandum: quare, &c. Item quia prodesse poterat ad prosequendum in hypothecaria sigilli recognitio, sed domini * requestarum & Commissarii cognoscere non poterant, nisi de actione personali: ergo frustrà fieret recognitio: quia supposito quòd cognovissent, non tamen poterat hujus prætextu procedi coram eis, nec ratione personalitatis, quia non continebant Literæ personalem obligationem, nec ratione hypothecariæ, quia judices non erant.

* *Sed domini.*) Hic est ratio decidendi quæ non valet, quia satis est quod scriptura adminiculetur. Ideo dico quod hic actor non habebat causas commissos coram dom. requestar. quare debebat sibi consulere coram Ordinario loci, aliàs fuisset malè judicatum per dom. requestar. C. M.

QUÆSTIO XXV.

Domini locorum habentes jurisdictionem possunt petere causas etiam contra se motas ad se remitti.

ANno quo sup. in Parlamento pronuntiatum fuit, quòd licet aliquis sit alicujus dominus quoad ressortum, tamen habet cognitionem & remissionem querimoniæ novitatis contra ipsum in suo ressorto. Sic fuit pronuntiatum pro domino duce * de Borbonio.

* *Dux.*) Petente causam à subdito contra se motam ad se remitti. Sed hoc non servatur ad unguem. C.M.

QUÆSTIO XXVI.

De submissione executionis testamenti.

ITem audivi dici à domino Arnoldo primo Præsidente in Parlamento quòd licet Episcopus Parisiensis faceret coram Curia sua spirituali adjornare executores alicujus defuncti, per hoc non acquireret prævention contra Regem, quia executores possent, hoc non obstante, subjicere executionem Curiæ regiæ temporali intra annum à tempore mortis testantis, licet secus si voluntariè * submitterent executionem curiæ spirituali.

* *Voluntarie.* Sed hodie nec voluntariè quidem possunt si executores testamenti etiam sacerdotes sint laïci. C. M.

QUÆSTIO XXVII.

Quando in garendiam vocatus possit garendos docere.

IN requestis Palatii vocatus in garendiam non habebit dilationem ad garendum habendum, nisi * prius garendiam susceperit. Ratio, quia ante non est pars, sed petit in fraudem ut post respondeat quòd se custodiat *de méprendre*, si sic sibi respondeatur: & tamen quando vendidit, scire debebat causas garendiæ illius quod vendidit. Sic vidi judicari pro dom. Guil. *Melay*.

* *Nisi.*) Etsi quando cõstitit quòd tenetur defendere ut hic. C. M.

Cui fit præjudicium in causa novitatis.

Item sufficit quòd in causa novitatis vel saisinæ vocentur qui dederint impedimenta: quoniam si causam amittant, vel si patiantur petitorem tueri in possessionem rerum, non nocet eorum expletum: licet nomine alterius fecerint, quia garendum vocare potuerunt: nec ille cujus nomine factum fuit expletum, se poterit illo juvare de cætero, quia opponere se debuit, aliàs sibi imputetur: nec etiam fit præjudicium quoad possessionem quam ante habebat, eo quod non vocatus. Sic ergo nec amittit, nec lucratur, ratione illius expleti.

QUÆSTIO XXVIII.

An appelletur à manus munitione.

ITem nota quòd anno quo suprà allegavit contra me dictus Præsidens, coram quo quamdam causam placitabam, quòd per ordinationem regionum non est audiendus appellans à munitione * manus, ille contra quem fit executio, & se opponit nolens manum munire.

* *Munitione.*) Quia non obstante appellatione, fieri debet in manu justitiæ si est obligatio garantigia vel similia. C. M.

Item eodem anno fuit pronuntiatum in Parlamento contra Religiosos Augustinos Ambianenses pro domino Guillelmo *de Credomo*, in casu novitatis contra ipsos conquerente, eo quòd quamdam domum eis donatam absque consensu dicti domini Guillel. intraverant, & ibidem faciebant oratoria, quæ tamen ab ipso in censiva * tenebatur, quòd fieret restabilimentum per dictos Religiosos: & quod exirent domum prædictam, & in manu regia teneretur, lite pendente.

* *Censiva.*) Vnde fit per consuetudinem loci prærequiritur consensus domini directi: faciunt quæ dixi in Consuetudine Paris. §. 44. num. 51. C. M.

QUÆSTIO XXIX.

An manus sit munienda de arreragiis ultra annum.

ITem nota quòd eodem anno, qui fuit 1384. pronuntiatum fuit pro executoribus Magistri Ferrici *Debires*, contra quemdam dominum de enquestis, Regis Consiliarium in Parlamento quòd muniret manum de petitis per executores ratione arreragiorum debitorum ob quemdam reditum quem habebat dictus defunctus Magister Ferricus contra supra dictum Consiliarium quamvis arreragia excederent reditum unius anni, & reditu factum fuisset transportum in dictum Ferricum per Miletum *Baillet*: quamvis esset dictus Ferricus mortuus, & per executionem diceret se petitorem.

QUÆSTIO XXX.

An clericus assecuramentum dare teneatur in Parlamento, &c.

ITem nota quòd dominus Joannes *de Vaulx, & Gautier du Chastel*, milites, quamvis se dicerent Clericos * non conjugatos, tamen quia non habebant tonsuram, dederunt assecuramentum Oudardo *de Crenel*. Ratio fuit, quia non apparebant Clerici, cum quilibet nascatur laïcus. Sic fuit factum in persona domini *Dissay*, domini Gauvani *de Bailleul*, domini Guidonis *de Laval*: attamen si ostenderetur de tonsura, revocaretur assecuramentum, sic fuit factum in persona *Gauvain*. Sic fuit dictum de domino *des Laignes* in Parlamento anno Domini 1384. incipiente.

* *Clerici.*) Vide supra in stil. c. 6.

QUÆSTIO XXXI.

De Capellanis Papæ qui dicuntur commensales, & qui honoris.

NOta quòd in Curia Romana est quoddam registrum, ubi inregistrantur Capellani Papales, & Literæ officii eorum, & hoc pluribus de causis. Primò, ut sciatur quorum sunt beneficia reservata, ut Capellanorum Papalium. Secundò, an Capellani sint commensales vel honoris. Tertiò, an sint ad valida vel non. Item scias quòd Capellani Commensales morientes extra, non censentur ut Capellani morientes, si ibi habeant domum originis vel domicilium. Pro quo videas c. præsenti, de præbend. lib. 6. & sic ut reservata non vacarent in Curia ipsa beneficia ipsorum. Item scias quòd nemo invitus sit Capellanus honoris de stylo Curiæ Romanæ, ita quòd si refutet esse & moriatur, ut Capellani Papæ non vacabunt in Curia sua Beneficia. Item nota quòd si allegetur aliquis esse Capellanus Papæ, & non reperiatur registratus in dicto registro, non censetur fuisse Capellanus: quoniam omnes Literæ Capellanorum Papalium ibidem registrantur, antequam tradantur Capellanis. Item nota quòd commensales debent in curia residere, juxta c. unicum de verb. sign. lib. 6. horis non sunt astricti, sed ubicumque sint & moriantur, eorum beneficia,

ut reservata in curia conferri possunt. Item an narratio Papæ narrantis aliquem esse Capellanum, faciat fidem. vide illam Clementinam, Literis cum gl. de probat. & & c. si Papa de privile. lib. 6.

QUÆSTIO XXXII.

An sit audiendus petens transsumptum fundationis alicujus rei? dic quod sic.

PRo Archiepiscopo Rhemensi in Parlamento incipiente in festo beati Martini, anno Domini 1384. fuit pronuntiatum contra Scabinos Rhemenses, quòd dictus Archiepiscopus haberet * transsumptum per curiam de fundatione ipsorum per Archiepiscopum Rhemensem quondam facta; quamvis semel habuisset originale, quod amiserat, & valeret illud transsumptum tanquam originale: sic fuit dictum aliàs pro habitantibus *de Creci*, contra Abbatem *de S. Jean de Laon.*

* *Haberet.*) Et bene ex quo habent causam ab auctore, vel ejus decessore, ut novè dixi in annotat. ad Philip. Decium c. 1. in princ. de prob. facit Arrestum 152. 7. par. f. ult. C.M.

QUÆSTIO XXXIII.

An clericus curiæ secularis prisionarius debeat spirituali reddi.

ITem eodem anno fuit dictum pro Mondo clerico non conjugato contra Episcopum Parisiensem, quòd quamvis ille Mondus fuisset pro pluribus criminibus Parisius captus prisionarius positus in Castelleto, & elargitus, quòd non redderetur dicto Episcopo: sed ipso in factis contrariis appunctato, contra Procuratorem Regium & dominum Reginaldum *de Verneul*, fuit receptus in causa per Procuratorem: & ordinatum quòd responderet articulis personaliter & compareret in fine inquestæ personaliter in curia: & fuit fidejussor & cautio pro ipso tunc sistendo in curia personaliter dominus Helias, dominus *de Grineux* sub pœna 500. florenorum, & fui pro ipso Mondo contra Episcopum Parisiensem per distributionem. * Rationes Episcopi quare petebat ipsum, erant. Primò quia Mondus se confitebatur Clericum non conjugatum. Secundò, quia erat curiæ prisionarius, licet elargitus. Tertiò, quia captus fuerat Parisius. Quartò, quia de facto non privilegiato debebat Episcopus habere cognitionem. Quintò, quia si reciperetur per Procuratorem, per curiam, non veniret: & sic puniri pro non posset per Episcopum delicto communi. Sextò, quia curia super delicto communi non poterat aliquid, ergo nec tollere per obliquum cognitionem Episcopo. Septimò, quia sic factum fuerat Episcopo Carhalonensi de Magistro Guidone *de Evaumont* Clerico non conjugato, qui redditus fuerat dicto Episcopo pro delicto communi, licet per curiam fuisset receptus per Procuratorem. Et idem de Hamerico *Trousset*, Clerico non conjugato. Rationes in contrarium per me allegatæ pro Mondo cum quo eram. Primò, quia Rex non confitebatur eum esse Clericum, nec habebat habitum nec tonsuram: sic pendente lite, debebat manere prisionarius curiæ secularis, non autem tradi Episcopo, juxta c. si Clericos de sentent. excommun. lib. 6. quæ curia debebat ipsum recipere per Procuratorem. Secundò, quia si redderetur Episcopo, esset semper inquesta durante, prisionarius quod esset durum. Tertiò, quia non posset tunc prosequi causam suam, nec facere inquestam. Sic per viam obliquam causam amitteret. Quartò, pendente quæstione in Parlamento de delicto privilegiato, non posset cognoscere Episcopatus de delicto communi. Quintò, erat elargitus Parlamenti, non autem prisionarius realiter. Sic non debebat Episcopo tradi in causam duriorem, quàm esset penès curiam: quod esset si traderetur Episcopo prisionarius, qua includeret ipsum qui non erat. Sextò si traderetur, numquam aliquis se advoaret Clericum propter correctionem Episcopalem vitandam: & si condemnaretur per curiam secularem, in executione se advoaret Clericum, sic non fieret executio. Septimò erant judices domini de Parlamento de causa pro qua ipsum tenebant prisionarium elargitum: igitur poterant in illa causa appunctare, & ipsum per Procuratorem recipere, & non tradere Episcopo. Finaliter fuit pronuntiatum ut suprà dixi pro hac parte. Non obstant argumenta per Episcopum proposita, maximè quando allegatur de Magistro Guidone & aliis, quia dictus Magister Guido captus fuerat in carceribus dicti Episcopi Cathalonensis, & de ipsis ad curiam Parlamenti directus, non sic in proposito. Item pro obviando adhuc quòd non privaretur Episcopus cognitione facti non privilegiati, domini de Parlamento ceperunt cautionem de eo sistendo personaliter in fine inquestæ.

* *Distributionem.*) Id est jussu curiæ quæ dat advocatum non habenti. l. 1. §. ait prætor. de postul.

QUÆSTIO XXXIV.

An Episcopo traditus Clericus possit elargiri per curiam habentem cognitionem de delicto privilegiato.

ITem vidi eodem anno quòd decanus Christianitatis de Bar. receptor & præpositus Regii de Bar. in Barro, qui fuerant adjornati ad comparendum personaliter in curia Parlamenti, super pluribus excessibus, fuerunt positi in Castelleto prisionarii, quamvis præpositus & decanus essent Clerici non conjugati, videlicet decanus Presbyter, & præpositus Clericus simplex, & quia Episcopus Parisiensis requisivit prædictos Clericos sibi reddi, dictum fuit quòd sic, & fuerunt sibi redditi ut haberet detentionem, non autem cognosceret. Tandem ipsis *de Bar* auditis contra Procuratorem regium contra quem habebant diem, fuerunt partes appunctatæ in factis contrariis, & prædictos prisionarios elargire voluit curia: Episcopus Parisiensis dicebat quòd non debebant elargiri, quia erant ipsius prisionarii, & ut Clerici eidem redditi pro delicto communi: sed sibi debebant reddi per rationes tactas in quæstione proxima superius. Episcopus Lingonensis petebat eos sibi reddi, eo quod fuerant in sua Diœcesi, videlicet in Barro. adjornati *de main-mise*, & sic capti in defectu. Episcopus Parisiensis dicebat quòd capti fuerant Parisius per curiæ ordinationem, & missi in Castelletum, & sibi redditi. Item nec obstabat quod dicebatur quòd adjornati fuerât *de main-mise*, &c. quia hoc non portabat adjornamentum quicquid fecisset executor. Item hoc fuerat verbaliter, non realiter: quia executor ipsos non reperit. Regius procurator dicebat quòd traditi fuerant solùm Episcopo Parisiens. in gardiam, non ut cognosceret de delicto commmuni, nec posset: sic curia de suis prisionariis ordinare poterat, & allegabat argumenta superius tacta in quantum pro ipso faciebant. Tandem fuerunt elargiti per curiam, non obstantibus per dictos Episcopos propositis. Sed in crastinum Episcopus Parisiensis dicens nolle venire contra appunctamenta curiæ, requisivit ipsos sibi reddi, cum adhuc essent prisionarii curiæ elargiti, allegando rationes superius allegatas in quæstione proxima superius & hic. Supplicans dominis Parlamenti ut super hoc vellent habere bonum consilium cum omnibus dominis Camerarum, tenente sedem domino Philippo Paillardi, qui prædictum appunctamentum fecit contra dictos Episcopos.

QUÆSTIO XXXV.

An Ecclesia sit in salvagardia Regis, eo quod de fundatione regiâ.

NOn, sed oportet quòd spectaliter recipiatur, ut quidam dicunt, * alii contra.

* *Dicunt.*) Et bene quia constare oportet per Literas regias de gardia sua, quam non solet concedere nisi illis de sua fundatione tanquam patronus.

* *Licet.*) Cõtrarium hodie servatur, & bene fa. 1. de actu. fat. C.M.

QUÆSTIO XXXVI.

Procurator Regis non potest capere conclusiones de non contentis in citatione.

REginaldus *de Moncel* non fuit super homicidio in in processu contra Regium Procuratorem positus; sed fuit dictum quòd non responderet super illo, licet * per informationem culpabilis de ipso reperiretur, eo quod super aliis criminibus adjornatus: licet fuisset super aliis criminibus adjornatus. Sed fuit fortè, quia clericus erat. Tamen non fuit hæc ratio, sed quia revera non habebat diem super illo, quia in illo homicidio dicebatur quid privilegiatum.

QUÆSTIO XXXVII.

De transportu prisionariorum de una jurisdictione in aliam.

ITem nota quòd quamvis Episcopus Belvacensis impetrasset Literas regias, per quas sibi concedebatur quòd posset transferre quosdam prisionarios suos de prisionibus suis *de Gerberoy* ad Belvacum, eo quod prisiones *de Gerberoy* non erat securæ, & quod eo casu sibi concederetur, quod fecit: tamen, quia in fine Literarum mandabatur Baillivo Ambianensi quod faceret dictum Episcopum gaudere dicta gratia & permitteret: non bene fecit dictus Episcopus de transportando, licet causa esset vera absque hoc quod ostendisset dictas Literas coram dicto Baillivo, qui Baillivus ob hoc fecit adjornare Officialem Episcopi antedicti *de Gerberoy*, qui fecerat transportum: & potuit temporalitatem Episcopi in manu regia. Sed partibus auditis in Parlamento, fuit levata manus de dicta temporalitate: & dictum quod dicti prisionarii reducerentur iterum ad *Gerberoy*, & ad periculum Episcopi ibidem custodirentur, quare patet dictum Episcopum malè fecisse.

QUÆSTIO XXXVIII.

Defectus clausulæ: non obstante quod Parlamentum sedeat, &c. vitiat adjornamentum in causa Beneficiali.

ITem nota quòd in Parlamento incipiente anno 1548. mihi placitanti pro Magistro Joanne Reneri ratione Præbendæ suæ Antissiodorensis quam Magister Joannes Rogerii prætendebat suam esse virtute regaliæ; * dictum fuit quòd non obstante quod dictus Rogerius fecisset adjornari dictum Renerium in dicto Parlamento & per Literas impetratas in eodem Parlamento sufficiebat adjornamentum: quamvis in Literis adjornamenti non contineretur, non obstante quod sederet Parlamentum, &c. maximè quia Procurator regius erat adjunctus cum adversario ratione regaliæ.

* *Regalia.*) No. quòd in materia regal. æ cognitio & judicium spectat ad Parlamentum Parisiense licet; partes & beneficia sint extra, ut etiam nuper vidi judicari de præbenda Rothomagensi, & mense Martio 1548. de præbenda Baiocensi ia. in part. 7. num. 86. C. M.

Item nota quod ipsi Rogerio status * fuit adjudicatus: quia tenuerat prædictam prebendam virtute gratiæ Apostolicæ ante controversiam per biennium. *

* *Status.*) Sic vocant vindicias in materia regaliæ & officiorum, sed in aliis vocant recredentiam. C. M.

* *Biennium.*) Hoc per se bene sufficit ad excludendum sequestrum, sed non recredentiam. C. M.

QUÆSTIO XXXIX.

Donatarius omnium bonorum non potest personaliter conveniri, sed potest longo tempore contra hypotheras præscribere.

PRimo videtur quod sic, quia habet omnia quæ habebat donans: ergo ipsum repræsentat: quare, &c. Secundo quia idem videmus in arrogante, ut instit. de acqui. per arrog. in fin. & in eo cui bona adjiciuntur causâ libertatum conservandarum: ut instit. de eo cui lib. ca. bo. adjici, &c. Tertio quia bona dicuntur, deducto ære alieno. l. subsignatum §. bona. ff. de ver. sign. Quod quia aliàs defraudarentur creditores: quod esset iniquum, & contra totum titulum de his quæ in fraudem creditor. Quinto, quia sic conveniri non posset maritus cui omnia bona dat uxor in dotem, ea ratione, quia remanet revera uxor domina, juxta l. in rebus C. de jure dotium. Sequitur, à contrario quod conveniri potest ille in quem dominium omnium bonorum transfertur, juxta l. mulier. ff. de ju. dotium. Sextò ille cui datur hereditas tenetur, solvere debita, juxta, l. hereditatem ff. de dona. & l. ratio C. de he. vel action. vendita. Septimò videtur casus in l. a. C. ad leg. Juliam. de vi. publi. vel priva. In contrarium arguitur. Primò, quia vivit donans, & remanet obligatus, quia actiones personales adhærent ossibus nostris. l. quis ergo, ff. de peculio. Secundò, quia introductus est titulus ad remediandum, qui aliàs esset superfluus: scilicèt de his quæ in frau. credi. l. omnes §. Lucius eo. tit. ff. Tertiò, actiones personales non sequuntur fundos: juxta l. 1. §. si heres ff. ad Trebel. & l. si fideicommissum, §. tractatum, ff. de judiciis. Quartò donans non est mortuus: ergo non habet successorem universalem quod esset necesse dicere in casu primæ partis. Quintò, potest quærere & alia habere per quæ satisfacere potest, ut cedens bonis qui per hoc non desinit esse obligatus: juxtà l. qui cedit bonis, ff. de his qui bo. ce. pos. Sextò, habet titulum particularem: ergo non tenetur. l. creditores, C. de acti. & obli. Septimò, quia bona dicuntur deducto ære alieno, nec sequitur dictum contrarium, ut d. §. bona. & d. l. mulier. Quid dicendum? Per Arrestum Parlamenti dictum fuit, quod non * sequuntur ipsum actiones personales, & quòd præscribere potest, cum non repræsentet personam ipsius ut heres, & hanc partem tenui in placitando pro domino Jacobo *Cluterin*, contra Andream *Gilibert* & ejus uxorem, pro quo Jacobo fuit Arrestum prolatum anno Domini 1385. die, &c.

Intellige hoc quod uxor maneat domina dotis, secundum jus naturale primævum: secus est de jure gentili vel civili: nam secundum illa maritus verè dominus est: text. est expressus in instit. quibus alien. licet. in prin. & C. de rei ven. l. doce. cum infinitis aliis juri. vide gl. in d. l. in rebus. Illa l. magis probat contrarium.

* *Quod non.*) Hæc communis idem Socin. tracta. de oblation. lib. 13. quæst. 2. Philip. deci. consil. 237. Et est regulariter verum, ut hic vivo non discusso donante, sed non est perpetuum ut mortuo tali donatore sine hærede, Gu. d. Pap. deci. Delphin. 105. dixi in annot. ad d. cons. 217. C. M.

Nec obstant contraria quibus potest sic responderi. Ad primum, quia non ut heres habet omnia bona, ergo non repræsentat ipsum donatorem, cum non habeat per modum tituli universalis, juxta §. si instituat. per quas person. nob. acquiritur. Et per hoc ad secundum contrarium, quia sunt tituli universales prodiri à jure

juxta d. §. si quis per quas person. not. acq. Ad tertium respondeo quod facit pro me, quia licet dicantur bona deducto ære alieno: non tamen per hoc sequitur quod ratione ipsius æris alieni, non possit convenirì actionibus personalibus, sed posset ab initio deduci: vel dicuntur deducto ære alieno sic, quod æs alienum non sequitur illum cui data sunt omnia bona. Ad quartum non defraudantur creditores: quia eis est succursum per d. §. Lucius, ut si veniat ad pinguiorem fortunam. Item & per hypothecariam, si non fuerit negligens, quod tunc eli sibi imputandum. Ad quintum non procedit argumentum à contrario sensu, sed pro me facit per prædicta. Ad sextum facit pro me: quia de directo onera personalia sequuntur heredem, non illum cui vendidit hereditatem, sed haberet contra ipsum recursum. Item aliud est in hereditate quæ est nomen juris comprehendens nomina: juxta, l. hereditas ff. de pe. hered. & l. si quis servum. §. fi. de leg. 2. Ad septimum, ibi erat fiscus, ut succedens & successor quantitatis condelinquens amittat bona, iste autem donator non amittat: ergo tenetur pro rata, juxta, l. Marcellus in fi. ad Trebell. & l. quidam testamento, §. quotiens de leg. 2. Item nec obstat. l. cum heres. de diversis & tempora. præscript. nec §. heres in l. sequitur. ff. de usuca. nec l. fin. ff. pro hered. & §. si defunctus in l. 2. pro emptore: quia loquuntur in successore juris, ut in herede, juxta l. quemdam §. nihil, ff. de eden. & l. quotiens de hered. instit. non in singulari. ut hoc casu, me placitante pro domino Joanne *Chirum* milite, contra Magistrum Andream *Gillebert*, ad causam ejus uxoris: dictum fuit per Arrestum in Parlam. anno dom. 1384. quod non obstantibus ex adverso propositis, dictus Joannes erat recipiendus ad proponendum præscriptionem 10. vel 20. annorum.

QUÆSTIO XL.

An possit quis se exemptare à refectione murorum.

ITem eodem Parlamento fuit dictum per Arrestum, quòd notarii & servientes Aurelianenses non erant admittendi ad proponendum, quòd exempti essent à reparationibus & refectionibus murorum villæ Aurelian. quamvis proposuissent præscriptionem à tanto tempore cujus initii non extaret memoria.

QUÆSTIO XLI.

An conclusio ad cessandum ab impedimento sit realis.

PRo universitate Parisiensi contra dominum de *Garentieres*, fuit per Arrestum dictum in eodem Parlamento, quod dictus dominus teneretur respondere universitati, & scholaribus fundatis per dominum Gervalium *Chrestien*, * quamvis peterent & concluderent quòd cessaret ab impedimento per eum apposito in quadam decima quam dicebat ab eo in feudum teneri, in qua manum suam apposuerat ob defectum hominis, quæ spectabat ad dictos scholares exemptione per eosdem facta, & quod condemnaretur ad cessandum in perpetuum: licet diceret quòd non tenebatur procedere, eo quòd ad ipsum spectabat causa suæ uxoris, quæ non erat adjornata: & quia videbantur verba sonare realitatem in hoc quòd concludebant ad cessandum in perpetuum, dictis scholaribus contrarium dicentibus, quia solum erat personalitas: & si opus esset, sufficiebat eis quòd solum removeretur impedimentum per eum appositum, & desisterent à conclusione ad cessandum in perpetuum.

* *Chrestien.*) Iuxta templum sancti Severini, & intelligo coram conservatore regio præsidé Parisiensi, quia Ecclesiasticum non posset, sed potuisset appellari tanquam ab abusu, ut inf. eod. q. 42. 52. C. M.

QUÆSTIO XLII.

Dominus potest prosequi injuriam factam subditis.

FUit in eodem Parlamento dictum pro Archiepiscopo Rhemensi, quòd reciperetur ad faciendum conclusionem excessuum contra Joannem dictum *le grand Fagnet*, ratione excessuum per ipsum factorum habitantibus in villa *de Mons sur Corvilie*, publicè currendo contra ipsos, & eos viriliter verberando: quia villa spectat ad dominum Archiepiscopum in alta, media & bassa justitia. Item fuit dictum pro Episcopo Laudunensi in Parlamento 483. instante contra quemdam qui fuerat Capitaneus suus *de Danisy*, vocatum Joannem *Caplet*, qui vexaverat suos subditos prætextu sui officii, & alias, &c.

QUÆSTIO XLIII.

Curia secularis cognoscit an vestis sit Clericalis.

ITem nota quod licet de proprietate tonsuræ curia Parlamenti non debeat cognoscere, tamen an vestis * sit vestis Clericalis, necne cognoscere potest, quia hoc cognoscere non est cognoscere de re spirituali, sed temporali. Sic cognovit de pileo partito, an esset vestis Clericalis. Sic de gipono & fibulis scissis, sic de caligis una viridi & alia rubea cognovit.

* *Vestis.*) Idem Guid. Papæ dec. Delphin. 138. Steph. Auffrer. Rep. cle. 2. de offi. ord. col. 35. & bene. C. M.

QUÆSTIO XLIV.

Valet procuratio, omissa clausula, judicatum solvi.

IN requestis Palatii me pro hac parte placitante, fuit judicatum pro Priore *de Sonfrage*, contra scholares *de Clugny*, quòd Procuratio erat valida in qua erat obligatio, & hypotheca bonorum, licet non esset promissio & obligatio *judicatum solvi.* *

* *Solvi.*) Et bene quia apud nos judicium concipitur in personam domini, ut suo loco declaravi, facit inf. eod. q. 49. C. M.

QUÆSTIO XLV.

Cour spirituelle ne peut connoistre d'action reelle.

LE *Samedy neufiéme jour de Septembre* 1385. *auquel jour fut mise fin de tous points au Parlement qui avoit esté commencé l'an* 1384. *fut prononcé par Messire Arnaut de Corbie premier Président en Parlement, & par Arrest fut dit que l'Evesque de Châlon ne faisoit avoir, ne recevoit à maintenir qu'en sa Cour spirituelle, il peut connoistre d'une action reelle:* * *& fut condamné à cesser d'oresnavant des empeschemens qu'il avoit fait sur ce: & fut relevé de l'amende que requerut contre luy le Procureur du Roy & le Procureur de Monsieur de Bourgogne, pour cause de ce que connu en avoit: & aussi des dépens envers ledit Monsieur de Bourgogne, & pour cause. Et est un grand & notable Arrest pour la jurisdiction temporelle contre la spirituelle, dont moult se sont plusieurs émerveillez: mais* non est mirandum: *Car se le contraire eust esté dit, il eust fallu le Roy & les autres Seigneurs temporels aller plaider en Cour de Rome des rentes, fiefs & seigneuries temporelles, qui eust esté un tres-grand inconvenient: & pource que la plaidoirie fut notable, je prins copie des écritures dudit Evesque, que j'ay.*

* *Reelle.*) Etiam de vili mobili, etiam inter clericos; idé in personali & reali dependente, in qua concluditur per medium reale, vide Auffre. Rep. cle. 1. q. 11. prin. c. num. 17. de offic. ordin. idem Guri. de cug. Bald. Authen. clericus. C. de Episcopis & cleric. Ioan. Fab. instit. de satisdat. §. si vero idem inf. q. 51. C. M.

QUÆSTIO XLVI.

Alia plura sequuntur notabilia, quæ vidi pronunciari, &c. in Parlam. sequen. incipiente annò domini 1385. in capite hyemali.

An in delictis omnes possint quæstionari.

PRimò fuit facta prohibitio Magistro Clementi de *Ruillac*, Advocato Parlamenti per dominum Stephanum *de la Grange*, tunc Præsidentem in Parlamento alleganti quòd dominus d'*Argenton* poni non debebat in quæstionibus, eo quod Baro juxta, l. milites, & l. divo Marco. C. de quæstionibus, quòd nunquam allegaret quòd miles vel Baro poni non debebat in quæstionibus: quia Comes poneretur casu exigente, nec curia hoc jure utebatur, cum omnes ponerentur in quæstionibus indistinctè, casu exigente.*

* *Exigente.*) Sed nō tam de facili ut viles, & sic limitandum quod d. l. divo. Marco. tradunt Roman. sing 488. milites, ubi malè reprobat consuetudinem Mathesila. singul. 59. not. 12. quod legum doctor. C. M.

Nota super remissione non facienda domino.

In eodem Parlamento fuit pronuntiatum pro Rege & Petro *Dardempré*, contra villam Tornacensem videlicet quod fuerat benè judicatum per Gubernatorem Tornacensem, pro Rege, quod dictus Petrus qui se ligaverat per appunctamentum de defendendo & respondendo coram dicto Gubernatore, non remitteretur coram illis *de Tournay*, cum esset eorum subjectus* ipsis hoc petentibus & requirentibus, quia jurisdictionem regiam jam prorogasset.

* *Subjectus*) Oportet hic alia fuisse, quia more Franciæ subjectus non potest, invito domino prorogare. Vide Imb. instit. foren. lib 1. c. 22. C. M.

QUÆSTIO XLVII.

Quando in casu novitatis actor succumbens condemnatur reo in damna & interesse.

NOta quòd in Parlamento cœpto in festo sancti Martini anno domini 1384. dominus de Chauminiaco, qui erat petitor contra dominum Ludovicum *de Malleval* in casu novitatis & excessuum, fuit condemnatus in damnis & interesse dicti Ludovici defensoris. Et sic nota quòd defensor* obtinuit damna & interesse. Sed fuit ratio: quia petitor fecerat ipsum teneri in prisione, ratione excessuum sibi impositorum per dominum *de Chaunigy* petitorem, à quibus fuit absolutus.

* *Defensor.*) Hodie generale est per Constitut. Carol. VIII art. 49. & Ludov. XII anno 1512. articul. 50. quod tamen intelligitur nisi ex causa etiam in judice inferiore, quod etiam interpretatur in his quæ sunt justiciæ. C. M.

QUÆSTIO LXVIII.

An contra obtinentem defectum vel congedium in casu novitatis, possit iterum intentari casus novitatis.

ITem nota quòd fuit pronuntiatum in Parlamento 1383. quòd major, pares & habitantes *de Crecy* conquerentes in casu novitatis, contra Abbatem & Conventum sancti Joannis de Lauduno, contra quos obtinuerant defectum & congedium, dicti Abbas & Conventus coram Baillivo Laudunensi non obtinerent aliquod commodum ratione illius defectus, nisi illud expletum. Quod sic probatur: quia non obstante illo defectu & congedio, fuerunt recepti dicti conquerentes ad se de novo conquerendum ratione alterius impedimenti paris. Sed ratio fuit, quia illo defectu dato & illo non obstante, semper usi* fuerunt dicti major, pares & habitantes possessionibus suis, nec fecerunt contentiosam jurisdictionem suam, sed partium suarum.

* *Usi.*) Unde semper sunt admissibiles ad repetendum casum novitatis, ut dixi in Consuet. Paris. tit. 3. C. M.

QUÆSTIO XLIX.

An forenses teneantur dare cautionem judicatum solvi.

ITem nota quòd Theobaldus *Desloy* non potuit obtinere contra suum adversarium qui erat de Lombardia, quòd daret sibi cautionem de judicato solvendo. Nec hoc potuerunt obtinere heredes dicti Antonii contra ipsam franchisiam Lombard. in Parlamento 1385.

QUÆSTIO L.

An in questa facta de testibus affuturis, si sint Viventes iterum sint examinandi.

NOta quòd in quadam causa fuit dictum in Parlamento 1385. quòd testes puta affuturi & valetudinarii examinati authoritate curiæ Parlamenti in causa Joannis *le Mercier*, & Joannæ *Gondet* uxoris cujusdam de Abbatisvilla, non examinarentur, quamvis essent viventes* propter curiæ authoritatem, immo videretur inquesta illa tunc principalis.

* *Viventes*) Et benè quia sunt recepti authoritate judiciaria, & parte vocata, quamvis novi pragmatici aliter opinentur; quos sequitur Io. Imbert. inst. foren. lib. 1. c. 44. Sed error est, nō obstat l. ult. C. de testib. quia loquitur in arbitris qui privati sunt. C. M.

QUÆSTIO LI.

Quando coram Admirali sit remissio facienda.

ITem eodem Parlamento non fuit facta remissio cujusdam causæ coram Admirali Franciæ pendentis inter Joannem *Fesque* & quemdam alium: eo quòd contra Procuratorem regium fiebat conclusio ex parte petentis, qui* non iret litigatum coram Admirali. Et quia erat dubium an factum, seu captio Anglicorum in causa deducta fuerit facta terra vel mari ima parte dicente unum, altera aliud, ideo remissio non fuit facta.

* *Qui.*) Scilicet procurator Regis. C. M.

QUÆSTIO LII.

An Ecclesia possit cognoscere de stipulatione in quam conversa est actio arreragiorum, census vel reditus realis.

ARguitur primò quòd non. Et hanc partem tenuit Procurator regius contra Decanum & Capitulum *de saint Frambourg a Senlis*: Qui Girardum hunc fecerat adjornari virtute promissionis quam fecerat Procuratori dictæ Ecclesiæ de solvendo dicto Procuratori octo solidos cum dimidio ab eo prius debitos ratione census coram Abbate sancti Vincentii conservatore Privilegiorum suorum. Primò, quia licet dictus Girardus dicto Procuratori computasset, non tamen per computum fuit extincta prosecutio arreragiorum de qua non poterat fieri prosecutio coram judice Ecclesiastico, cùm medium esset reale. Secundò posito quod Girardus promisisset solvere dictos octo solidos cum dimidio, de hoc non poterat Ecclesia cognoscere, quia descendebat promissio ratione arreragiorum. Et ortgo debebat inspici argumento l. si sponsus ff. de donat. inter vir. & uxo & in l. si eum §. qui injuriarum ff. si quis cautionibus & instit. de action. §. fuerat & l. si filius C. ad Macedon. Tertiò hoc fiebat in fraudem, & sequeretur

quod omnis prosecutio realis caderet in promissionem : si cognosceret Ecclesia per obliquum de realibus, quod facere non posset de directo, & sic esset destruere & attenuare jurisdictionem secularem, quod non est permittendum, juxta. c. unicum de cleri. conjuga. lib. 6. & l. scire oportet. ff. de excu. tuto. & cura. Quartò non posset cognoscere de promissione per quam ab initio reditus promitterentur : sed convertere arreragia in promissionem, & de illa promissione cognoscere, in idem recideret : quia per hoc tolli posset & usurpari ab Ecclesia jurisdictio & cognitio rerum temporalium. Quintò stipulatio & promissio non potest haberi absque causa : ergo non posset valere illa promissio, nec prosequi, nec deduci, nisi deduceretur principale : *& que l'on montrast la cause de la promesse ; c'est a sçavoir des arrerages*, de his tamen *mention n'en fust faite au libelle reel.* Sextò si non probaretur promissio cùm judex Ecclesiasticus videret arreragia probata, faceret condemnationem ipsorum, & sic cognosceret de realibus, quod non potest facere : *tesmoin l'Evesque de Châlon.* Septimò obligatio arreragiorum non fuit novata per promissionem : quia non animo novandi fuit facta, nec scribebat Girardus quid importat stipulatio Aquiliana. Octavò secundum quod duo Clerici non possunt transportare jurisdictionem Ecclesiasticam in judicem laicum. c. si diligenti, de foro. compe. si non potest per stipulationem tolli jurisdictio temporalis Regi, & transportari in judicem Ecclesiasticum. Nonò tales promissiones sunt viæ exquisitæ, & plus puniendæ quam si directò cognosceret judex Ecclesiasticus de arreragiis, census seu reditus : quia non fiunt nisi pro transportando jurisdictionem temporalem in judicem Ecclesiasticum. Decimò quia dicti Religioli poterant prosequi arreragia sua per Arrestationem rei, vel ponendo ostium de transverso : * *c'est à dire hors des gonds, par la Coûtume generale* : vel faciendo prosecutionem per viam realem, vel via personali, eo quod recipit fructus rei illius anni cujus deberentur arreragia. Per quas rationes concludebat Procurator Regis contra dictos Decanum & Capitulum ut emendarent, &c. In contrarium ad finem quòd in processibus non tenerentur, & si sic, quod Procurator regius non reciperetur : & sic quòd non haberet causam, nec actionem, & quod in nullo tenerentur emendare, supposito quod non bene fecissent, quod tamen sic & quod reciperentur, proponebam quæ sequuntur pro dictis Religiosis. Primò quia stipulatio Aquiliana in quam deduci possunt omnes obligationes, actiones, prosecutiones tam personales quàm reales, tam præsentes quàm futuræ, & tam consistentes in dando quàm in faciendo, perimit & novat omnes actiones præcedentes, juxta. l. Aquilianam, ff. de transact. ergo deducendo prædicta arreragia in dictam stipulationem, non fuit forefactum. Secundò hoc beneficium à lege conceditur, quare jure communi usi fuerunt, & sic nullam injuriam fecerunt hoc utendo : quia quis suo jure utitur, &c. & non videtur circumscriptus qui jure communi usus est, &c. & beneficium à jure concessum nemini est auferendum. Nec obstant argumenta in contrarium. Ad primum respondeo, quod licet per computum non non fuerit facta extinctio primæ actionis : tamen fuit facta novatio in stipulationem Aquilianam, sic quod fuit novata omnis prosecutio, quæ antea competebat pro arreragiis prædictis : & sic remansit sola personalis quæ potuit deduci in foro Ecclesiastico. Ad secundum respondeo, quod in contrariis habebatur respectus ad originem, illa ratione : quia actio pro socio ex donato & pro dote non sunt ratione sui ipsius privilegiatæ : sed ratione personarum videlicet pro socio, quia societas est genus fraternitatis : sic erat iniquum quod ratione societatis in plusquam facere posset, conveniretur socius : in patrono patrona & liberis ipsorum ob reverentiam quam debet ipsis libertus in donante, nec ex liberalitate sua periclitentur, juxta l. ne ex liberalitate, & l. sunt qui in id. ff. de fœnerat. & re judi. instit. de ac. §. fi. l. verum, ff. pro socio l. alia, ff. solu. matri l. maritus, eodem titu. ad §. qui injuriarum ratio est odium actionis injuriarum ad l. si filius C. ad Macedo. Ratio est, quia revera non erat mutuum, nec fuerat. Sic veritas inspicitur non quòd simulatè concipitur : ut C. plus valet quod agi. quam quod simulat. com. per totum, & l. si fortè, ff. de cast. pecul. In nostro autem proposito non remanebat actio prima, nec cognoscebat Ecclesia de actione reali, sed de personali tam in conclusione quam in mediis, videlicet de actione ex stipulatu. Item videatur quid est deductum in stipulationem, videlicet arreragia quæ sunt personalia : quia contra personam concluditur, & persona conventur non res : ut § omnium instit. de act. l. imperatores ff. de publica vecti. & com. hoc etiam probatur. Nam pro arreragiis potest conveniri qui non est rei possessor, nec dominus, dum tamen fuerit pro terminis pro quibus petuntur arreragia : sic est personalitas, nec posset conveniri rei possessor actione personali : qui possessor non fuit, nec dominus illo tempore, ratione cujus petuntur arreragia secundùm usum * & consuetudinem, licet posset hypothecaria vel actione reali conveniri, juxta l. prædis de jure fisci. l. inter debitorem de pactis. l. fi. C. sine censu vel reli.

Item probatur hæc esse personalitas : quia heres, tenetur, non legatarius, l. apud Julianum §. heres de leg. 1. & l. cum possessor. §. fi. ff. de censi. cum notatis in d. l. imperatores hoc etiam probatur : quia virtute Literarum quæ vocantur debuis * concessæ advocatis & dominis Parlamenti, quæ conceduntur actiones personales tantum, possunt conveniri ad arreragia tanquam personalia, licet procedant ratione census vel reditus, licet Rex non patiatur quòd Ecclesia cognoscat quia haberet unum pro se, aliud pro vicinis : quamvis concesserit, conservatori, * privilegiorum Universitatis Parisiensis : ad hoc optimè §. idem scribit in l. 3. ff. de pecul. Ad tertium respondeo, quòd non est fraus : quia utor jure communi & beneficio à jure mihi concesso : nec enervatur temporalis jurisdictio : quia conclusio est personalis, medium personale, actio personalis, quia ex promissione de directo Ecclesiæ competit cognitio. Item de hoc etiam posset cognoscere judex temporalis, puta inter laïcos. Item hoc videlicet convertere in stipulationem, non dependet solum in facultate creditoris, sed una cum hoc ex voluntate debitoris. Item hoc facere possunt debitor & creditor absque sententia judicis Ecclesiastici : sic nulla fraus ex parte ipsius reperitur.

Item hoc non est præsumendum fieri in fraudem, quia quilibet bonus præsumitur de bonitate intrinseca, juxta c. quoniam : de præsumpt. Ad quartum potest responderi per prædicta. Ad quintum respondetur quod valet promissio absque causa : nam cujus per errorem, &c. l. donare enim possent, ut in regula, cujus per errorem, &c. l. Campanus ff. de ope. lib. Nec obstat §. * circa. in l. 2. ff. de except. de quo loquitur, quando quis credebat esse causam, & non erat : sic enim errabat : & nihil est tam contrarium consensui, &c. l. si per errorem ff. de jurisdict. om judi. & potest concludi per medium personale, videlicet *de la promesse, sans mention faite des arrerages*, quia causa propinqua & immediata est inferenda : nec necessarium in personali remotam vel mediatam exprimere. Et posito quod exprimatur, non viciatur, nec impeditur eo facto jurisdictio Ecclesiæ : quia attenditur propinqua & immediata, ut per notat. in l. edita. C. de eden. Nec obstat quod dicitur, quòd si non probaretur immediata & propinqua videlicet promissio, & probaretur remota & re mediata videlicet arreragiorum : attamen judex Ecclesiasticus ferret sententiam pro petitore, & si cognosceret de reali actione : quia hoc non est attendendum : nec enim adversa fortuna, &c.

* *Transverse.* Etiamsi non haberet jurisdictionem, quia est executio domanialis. Sed illud de ostio propter periculum meritò excolevit, ut dixi in confer. Paris. § 52 gloss. 1 num. 49. & §. 63. C. M.

Facit l. non videtur C. de in integ. restit. mino. & l. nihil consensui, §. non capitur.

* *Usum*) Vt dixit in Cons. Paris. §. 70. quòd tunc requiritur discussio in reditibus impositis : sed non in natiuis & dominicalibus.

* *Debuis.*) quæ hodie vocantur *Lettres de Committimus*, quæ non possunt dari procuratoribus nisi antiquis & probis qui saltem ultra decem annos se exercuerunt in Parlamento. C. M.

* *Conservatori.*) Scilicet Ecclesiastico qui & privileg. speciali Regis cognoscit de personali contra laïcos. C. M.

* *Non obstat*) Alex. cons. 4. col. 10. ubi dixi lib. 1. Hyppoli. Marsil sing. 482. C. M.

& quilibet præsumitur bonus, &c. & bona fides, &c. Item nec per hanc præsumptionem contra jus commune est ab Ecclesia jus suum auferendum, de quo usa est à tempore, &c. Item propriè loquendo cognoscere de his arreragiis non est cognoscere de realitate: quamvis nolim dicere, nec tenere quòd cognoscere possit Ecclesia, nec non, quia non est quæstio de hoc. Et per prædicta est responsum ad sextum, & ultrà: quia Arrestum contra Episcopum Cabilon. * latum, loquitur in reali: hic autem loquimur in personali actione. Ad septimum fuit verum quòd novatio fuit facta, ut prædictum est, quæ jure antiquo fiebat adjectione personæ, rei, conditionis, fidejussoris: sic fit hodie * absque expressione de consuetudine, quicquid dicatur in l. 2. ff. de nova & l. fin. C. eo. titul. & l. 4. §. si ex conventione, ff. de sent. & re. judi. Item non est necessaria declaratio animi volentis novationem facere in stipulatione Aquiliana: quia tacitè fit, ut legibus supradictis, & de natura sua est convertere unam actionem in aliam, quod fit per hanc: nec oportuit Gerardum aliud scire, nisi quòd vellet teneri ex promissione, & quod promitteret: non enim ei oportuit dicere quòd promitteret Aquiliana stipulatione: quid enim opus est verbis, &c. l. verba. de dona. Ad octavum dico quòd non est transportus: quia converti possunt arreragia in stipulationem Aquilianam; & est prosecutio realis extincta, & competit loco ejus personalis ex stipulatu, beneficio juris, de quo jure communi, & ex beneficio juris potest Ecclesia cognoscere jure suo, sic non est transportus. Ad nonum dico quòd hæc stipulatio non fit in fraudem jurisdictionis temporalis: sed ex juris beneficio, ut est dictum, nec injuriam facit, &c. Nec circumscriptus videtur, &c. nec per obliquum cognoscit de arreragiis, sed de personalitate; nec aufert jurisdictionem temporalem: sic enim usa fuit Ecclesia à toto tempore cujus initii non extat memoria. Ad decimum dico, quod extincta erant arreragia, & ipsorum prosecutio per stipulationem Aquilianam: & posito quòd mansisset, habebant plures vias à jure mihi permissas, & uti poteram qua volebam, & utendo stipulatione, & ea agendo coram judice Ecclesiastico, posito quòd non fuisset facta novatio, non erat verum dicere quòd Ecclesia cognosceret de actione reali, sed personali: quia medium & conclusio personales sunt: licet prima origo & actio arreragiorum remaneret juxta dictum §. idem scribit. Et credo istam partem pro qua placitavi, ut Evangelium verum, * quicquid dicatur & fiat. Placitatione facta, fuimus appunctati quòd considerarentur rationes hinc inde, & fieret jus. Quid autem pòst factum fuit, ignoro. Tamen ex post pronuntiatum fuit contra Abbatem sancti Vincentii pro quo fovebam partem, & fuit condemnatus in emenda 60. lib. Parisiens. ob hoc quod de hoc cognoverat: eo quia realitas vel qualis, seu in fraudem realitatis.

* *Cabilon.* Supra q. 45.

* *Hodie.*) Imo servatur jus commune. C. M.

* *Verum.*) Et bene sic jus ipsum census non erat controversum, sed solum an rectè computatum esset, vel nō, solutum vel non aliàs

Ecclesiastici cognoscere non possunt, late Stephan Auffre. rep. cle 1. regula. 2. fallen. 4. de offic. ordin. Nicol. Boëti. decis. Burdeg. quæst. 69 Andr. Tiraq. de retr. proximitatis §. 32. num. 80 cum seq. Ita intelligendum infr. quæst. 82. adde dixi in Consuet. Paris. §. 32. glos. 1. num. 144. C. M.

QUÆSTIO LIII.

An Ultramontanus teneatur docere de titulo tonsuræ suæ.

* *Tonsura.*) Tum agebatur de facto negotiationis sæcularis, fa. c. fi. de vit. & ho. clerici. C. M.

ANno quo suprà, fuit dictum per Curiæ Parlamenti Arrestum contra *Feye fondeur d'er*, quod quamvis ipse deferret coronam & habitum Clericales, quod ipse responderet in Curia, seu coram ejus Commissarius ut laicus, eo quod erat Ultramontanus, & non docebat de titulo tonsuræ * suæ: secus ergo est dicendum in citramontanis & regnicolis, quia sufficit sola possessio habitus & Clericalis tonsuræ quoad fori * privilegium, non autem ad beneficium obtinendum, nisi literatoriè doceatur: ut dicit Bal. in c. dudum, *le premier* de electio. in anti. Nota de prosecutione rei furtivæ. Item ipse *Feye* fuit per Arrestum ejusdem curiæ condemnatus ad reddendum Priori & Conventui sancti Martini de Campis. 44. *marcs d'argent d'un costé, & 16. marcs 6. onces 15. estellins, d'autre, en la valeur, qu'il avoit acheté de Damp Jean Tamlence, Religieux dudit lieu, qui emblez les avoit de la Chasse dudit saint Martin, & vendus audit Feye, duquel il avoit receu l'argent à juste prix: & lequel Feye en avoit ja vendu les 44. marcs: mais il avoit les seize marcs quinze estellins en masse qu'il avoit fondus; combien qu'il dist qu'il ne sçavoit dont ils estoient venus, & bien le croit: mais il estoit in culpa lata: tum quia de une partie il en avoit achepté, qui luy avoit esté portée en sa maison: combien qu'il dist qu'il connoissoit ledit Religieux, & qu'il estoit en habit de seculier: & que par plusieurs fois réiterées il en avoit de luy achepté, & si n'estoit pas personne qui fust taillée d'avoir tel, ne tant d'argent: & si apparoissoient les plis des testes des Images, & outre, car il n'avoit point revelé: mais ten l'avoir, contre les Ordonnances Royaux en telle matiere: pourquoy condamné fut envers le Roy en quarante livres parisis d'amende*: me contra ipsum placitante.

* *Fori.*) Imo hodie non sufficit. C. M.

QUÆSTIO LIV.

A quo tempore veniat quantiplurimi.

ITem nota quod fuit dictum malè judicatum per Præpositum Parisiens. ad utilitatem Prioris *de Conflans* contra Priorem & Conventum sancti Martini antedicti, eo quod à tempore ante petitionem fuit Prior sancti Martini condemnatus sub quanti plurimi bladi, & non à tempore petitionis * tantum, quod fieri debuisset: & fuit relevatus ab emenda & expensis appellationis.

* *Petitionis*) Et sic simplex mora diei lapsi ad hoc non sufficit, etiam de jure, ut dixi in novis intellect. contra communem Doctorum errorem, & in Consuetudine Parisiensi. § 195. & secundum opinionem meam latum est notabile Arrestum, in consessu Rhomensi die 10. Novembr. 1546. dum illic essem, & aliud Arrestum me etiam præsente in hoc senatu die Martis 22. Ianua. 1548. dixi in tract. usur. Gallico. num. 16. cum seq. C. M.

QUÆSTIO LV.

An appellatus solvat expensas.

NOta quod Robertus, Petrus & Joannes dicti *les Cades*, fuerunt recepti ad desadvoandum quemdam servientem, qui nomine ipsorum pòst oppositionē posuerat in manu regia temporale Religiosorum Abbatis & Conventus sancti Medardi, nec solverunt expensas appellationis, quamvis bene fuerat appellatum: ea ratione, quia desavoaverant ipsum: & quia expletum per servientem fuerat factum, & appellatus non solvit expensas quamvis succumbat in causa appellationis: quia habet causam * sustinendi cùm habuerit judicatum pro se: quod est verum, nisi fuerit inquesta facta.

* *Causam.*) Auffrer. in addit. decis. Tolos. q. 223. dixi ad Alex. cons. 179. in fin. lib. 7. C. M.

QUÆSTIO LVI.

De Priore Sancti Martini de Campis compulso ad respondendum in curia Parlamenti super falsitate.

ITem nota quod Prior sancti Martini de Campis condemnatus fuit ad respondendum in Curia Parlamenti

menti ſuper quadam falſitate * cujuſdam literæ factæ à Priore de Volta, de qua ſe juvit in curia : quamvis ſe pœnituit, & dixerit nolle ſe amplius ea uti : cùm fuit ſuper falſitate proſecutus, pro ipſo placitavi.

* *Falſitate.*] De qua condemnatus fuit inf. q. 186. ad finem addo Arreſtum Curiæ contra Guillel. *Couronné*, laqueo damnatum, menſe Junio 1523.

QUÆSTIO LVII.

Nota quòd ille cui ſunt adjudicata hereditagia cum onere oppoſitionis debiti alicujus, non tenetur perſonaliter, nec habet locum contra ipſum quantiplurimi petitio.

ITem nota pro Archiepiſ. Rhemenſi contra Joannem *de San*; & *Thierry Penuel*: licet Archiepiſcopus contra ipſos concluderet per actionem perſonalem ſuper certa ſumma, ſive quantitate grani, & pecuniæ hypothecariæ, eo quod acceperant certa hereditagia per adjudicationem decreti, cum onere debiti dicti Archiepiſcopi: adjudicata fuit Archiepiſcopo hypotheca tantum, non perſonalis : cum recipere hereditagia ad onus debiti non ſit ſe obligare perſonaliter * : ſed ut contra tenentes rem fuit adjudicata hypotheca, nec fuit adjudicata pro tempore futuro, licet fuiſſet petitum : quia debitum pro parte erat purum, pro parte in diem : & erat actio nata, & dies ceſſerat : licet ipſe non veniſſet, nec fuit adjudicatio quantiplurimi : quia non erant perſonaliter obligati, licet fuiſſet petitum.

* *Perſonaliter.*] Scilicet erga tertium abſentem, ſed bene erga eum quo cum contrahitur, ideo ſi fuiſſet Archiepiſcopus opponens, vel aliàs pars in inſtantia ſubhaſtationis, tunc emptores omnino fuiſſent ei perſonaliter obligati. C. M.

QUÆSTIO LVIII.

Quam habent reformatores poteſtatem.

ITem in eodem Parlamento fuit dictum per Præſidentem in Parlamento, quod in reformationibus, hoc eſt tenendum, quòd reformatores non poſſunt cauſas audiendas, & terminandas committere : quia fides eorum, & induſtria eſt electa, cum propter bonum commune ſint commiſſi, ad hoc, c. quoniam Apoſtolica, §. is autem de offic. delega. & ibi per Henricum, niſi fuerat ſuper hoc à Principe data poteſtas, c. is cui de offic. delega. lib. vj. Item quòd eorum ſententia debet habere longam cauſam ſigillatam. Tertiò, quòd debet habere ſignum Notarii, nam debet eſſe ſignata Notarii, vel perſonæ publicæ ſigno. Sic fuit dictum in cauſa Gerardi Coquactoris, & Joannis Obertcham defenſoris, pro quo defenſore eram, pro quibus allegavi, c. quoniam, contra falſam, de probationibus.

QUÆSTIO LIX.

Nota multa privilegia novitatis, & in quibus ſubditus abſque domino admittitur.

ITem nota quod in cauſa placitata inter Procuratorem regium, & Gerardum actores ex una parte, & Epiſcopum Sueſſionenſem, & ejus Officialem actores & defenſores ex altera, fuit dictum quòd dictus Gerardus * erat recipiendus ad proponendum ſaiſinam, & quòd erat in poſſeſſione & ſaiſina, quòd dictus Epiſcopus non poterat eum capere in terra domini de Conſtrato exiſtente in villa Sueſſionenſi, ut in Calceya, nec ejus officiarii virtute jurisdictionis ſpiritualis ejuſdem Epiſcopi : quamvis dictus dominus de Conſtrato ſi ſe faceret partem, & conſiteretur dictum Epiſcopum ibidem habere jurisdictionem ſpiritualem. Item fuit dictum quòd dictus Epiſcopus erat recipiendus ad proponendum ſe eſſe in poſſeſſione, & ſaiſina capiendi clericos non conjugatos, & conjugatos in habitu & tonſura : ut dictum Gerardum virtute * jurisdictionis ſpiritualis in terra ejuſdem domini de Conſtraro, in jurisdictione ſpirituali dicti Epiſcopi, ut videlicet in dicta Calceya. Item fuit dictum, quòd non proponeretur decætero, quòd officiarii regii non poſſent capere clericos conjugatos, & non conjugatos, niſi in recenti, & præſenti forefacto : quia hoc non eſt verum, imo poſſunt capere * abſque metu excommunicationis : reddere tamen debent ſuis Ordinariis cùm requiruntur, vel eos repetunt. Item fuit dictum ad contrarium, videlicet quod executores in caſu novitatis poſt oppoſitionem non debent ſuperſedere, ſed debent adimplere ac fournire * querimoniam, videlicet partem opponentem aſtringere ad reſtabilimentum faciendum, & ponere rem contentioſam in manu regia, & novitatem amovere : Et quod de cætero hoc fieret. Item fuit dictus Epiſcopus condemnatus ad reſtabilimentum faciendum de pecunia quam habebat dictus Gerardus, cùm captus fuit, licet non eſſet contentio niſi de priſia. Fuit ratio, quia non fieret aliàs plenè reſtabilimentum, niſi reſtabiliretur in ſtatu in quo captus fuit, & una cum rebus cum quibus captus fuit.

* *Gerardus.*] Qua quamvis privatus tamen per ſeipſum jure liberet à tali jurisdictione temporali. C. M.

* *Virtute.*] Hodie nullo modo admitteretur, etiamſi allegaret tempus immemoriale, multominus quam ad cognoſcendũ de actione reali, quia hæc minus territorium afficit, quàm prehentio pertonæ. C. M.

* *Capere.*] Late Steph. Auffre, rep. cle. 1. de offi. ordi.

* *Fournire.*] Hoc hodie judici causâ cognitâ reſervatur, & bene. C. M.

QUÆSTIO LX.

De Regis Franciæ poteſtate ſuper imponendis ſubſidiis.

ITem nota quòd Rex Franciæ quomodocumque ſibi licet imponere ſuper ſubditis ſuis immediatè, vel mediatè in toto regno ſuo ſubſidia abſque * conſenſu, permiſſione, vel tolerantia ſuorum ſubditorum quorumcunque. Secundò, quod licet concedat alteri quod imponat hoc, ſemper ſibi conceditur, & habetur in uſu, dum tamen altus juſtitiarius illorum ſuper quibus concedit, conſentiat : & ſubditi ſuper quibus conditur, vel major par ipſorum. Tertiò, nullus poteſt in regno Franciæ ſubſidia imponere ſuper ſuis ſubditis, quacumque prærogativa, vel dignitate, vel potentia fulciatur, vel utatur, abſque conſenſu Regis Franciæ, qui omnium eſt ſuperior in ſuo regno, & hoc teneas, nec unquam contrarium dicas, ne crimine ſacrilegii accuſeris, & reus Majeſtatis ſias.

* *Abſque.*] Sed eo jure, quo dicitur 1. Reg. 8. hoc erit jus Regis ubi ſumitur jus pro injuria, & violentia quæ ibi cõminatur ſecundũ theologos, ut dixi in conſue. Pariſ. §. 1. gloſ. 5. nu. 65. Verum autem jus Regis, & obſervatio legis Dei. *Deuter.* c. 17. C. M.

QUÆSTIO LXI.

Quando quis dicatur reperiri in forefacto præſenti.

VIgilia noſtræ Dominæ in Martio Parlamento incœpto in Feſto beati Martini, cccIxxx7. pro procuratore regio, contra Epiſcopum Pariſienſem fuit pronunciatum quod reperire hominem ſuſpenſum, qui ſe ſuſpenderat, quamvis eſſet frigidus : & quatuor dies lapſi à tempore quo ſe ſuſpenderat, ut proponebat Epiſcopus, erat reperire ipſum in forefacto præſenti ; & bona ipſius tanquam reperti in forefacto, ad Regem ſpectabant, per quamdam contentionem diu inter Regem, & Epiſcopum Pariſienſem factam : licet diceret contrarium Epiſcopus, tum quia forefactum erat jam præteritum, non præſens, cùm eſſet jam mortuus, & quia reperiebatur homo mortuus.

QUÆSTIO LXII.

Non sunt recipiendi mendicantes ad petendum reditum sibi datum per eos perpetuò tenendum.

EOdem die fuit pronuntiatum contra quatuor Ordines Mendicantium Parisius, quod fuerat malè judicatum per Præpositum Parisiensem, qui condemnaverat heredes Isabellæ *de Boleyo* teneri ad reddendum cuilibet dictorum Ordinum viginti libras Parisienses redituales anno quolibet per ipsos mendicantes percipiendas super quibusdam domibus Parisius existentibus: quas cuilibet Ordini prædicto donaverat dicta Isabella, per eos perpetuò possidendas, & successores suos, & quod dicti Mendicantes non erant admittendi ad petitionem ipsorum, & fuerunt in expensis condemnati. Et credo fuisse rationem eo quod fuerat expressum per donantem per ipsos, & successores suos perpetuò tenendas: quia hoc erat, & est contra substantiam Ordinis sui: juxta §. ad hæc, in extravaganti, exiit qui seminat, & §. fratres, & §. licet, in extravaganti, exi de Paradiso: quia refert an exprimatur, ut teneatur perpetuò quid immobile vel quasi, vel ut reditus: quia non valet. Si autem exprimatur, ut vendant * pro necessariis quærendis, tunc valet, si nihil dicatur: tunc etiam valet, ut magis actus valeat quàm pereat: ut d. §. ad hæc.

* *Ut vendant*] Adhuc Bar. in Minorita, lib. 2. distinct. 4. hoc non admisit in Minoribus, nisi exprimatur modus ad usum licitum, & quod omnes Mendicantes prorsus incapaces Fulgo. cons. 104. titius condidit testamentum. Gemnia. cons. 40. vide quæ dixi in annota. ad Alex. cons. 88. lib. 2. & ad Phil. dec. 6. in præsentia. nu. 69. d prob. C. M.

QUÆSTIO LXIII.

Non revocatur substitutio procuratoris per mortem procuratoris substituentis.

IN Parlamento 1386. finiente, fuit judicatum me pro habitantibus *d'Anjou*, *du Maine*, & pro Regina *de Hierusalem* & Siciliæ, nomine suo, & liberorum suorum, placitante, quod Magister Petrus solacii Procurator in Parlamento, generalis substitutus ab Alano procuratore dictorum habitantium, non erat revocatus per mortem dicti Alani substituentis: quamvis esset mortuus ante dies ordinarios, ad quos dies dictus Petrus, ut substitutus se præsentaverat pro dictis habitantibus. Et vide rationes hinc inde facientes in c. hi qui de procura. lib. 6. per Archid. Cardi. & Joan. And. inter alia allegabam quod lis fuerat cum dicto Petro contestata, sed ignoro: tamen semper durabat voluntas constituentium dictum Alanum procuratorem suum, qui non revocaverat substitutum, & tota potestas Alani dependebat ex eis.

QUÆSTIO LXIV.

Non est divisibilis hypothecaria.

ITem fuit dictum per dominum Arnaldum primum Præsidentem, contra Magistrum Joannem *de Nully*, placitantem, quod non est recipienda, nec fuit consuetudo recepta * quòd hypothecaria divideretur in persona heredum pro portionibus hereditariis.

* *Recepta.*] Scilicet ad probandum per testes, quia tam notum erat non dividi, ut articulus contrarius tanquam calumniosus rejiceretur, non quia aliàs valeret consuetudo. C. M.

QUÆSTIO LXV.

An valeat dispositio mariti in dispositione suæ uxoris posita, quam facit solam executricem.

ITem nota quod in eodem Parlamento fuit dictum quod dispositio Theobaldi *Dezereau*, qui in dispositione uxoris suæ quam dicebat scire suam voluntatem, posuerat residuum bonorum suorum: & quam quoad hoc executorem, seu executricem solam fecerat, erat valida: sed tamen fuit sibi datus coadjutor quoad hoc, videlicet Magister Simon *Frison*, & hoc authoritate Curiæ requisierat propter suspicionem tollendam. *

* *Tollendam.*] Si vidua hunc nominavit, augetur suspicio. Sed intellige in locis, ubi maritus non prohibetur legare uxori, ut Aurelius, & Carnoti, aliàs secus, ut dixi in consu. Paris. §. 133. C. M.

QUÆSTIO LXVI.

Quando sunt capiendi defectus vel congedia.

ITem nota quod fuit dictum eodem anno per antedictum primum Præsidentem, quod ex defectibus, vel ex congediis obtentis in fine Parlamenti non obtinebunt partes utilitatem, nec levabuntur nisi ante inceptum Parlamentum sequens levaverint ipsos defectus, & ceperint à grapharia.

QUÆSTIO LXVII.

Quando litera sunt primitus ostendendæ.

ITem nota quod per eumdem Præsidentem dictum fuit quod cessio, seu transportus factus de reditu non arreragiorum solùm, non est prohibitus, nec in hoc casu sunt literæ ostendendi.

QUÆSTIO LXVIII.

An agendo negatoria quis confiteatur adversarium possessorem.

ITem dictum fuit eodem anno per Arrestum, & per eumdem Præsidentem pro Episcopo Nivernensi, contra quosdam habitantes ibidem, quod non erant admittendi ad querimoniam novitatis, nec ad saisinam, quam prætendebant habere super franchisia taillarum, eo quod antè egerant negatoria contra dictum Episcopum, confitendo quod eosdem per viginti annos vi, & violentia taillaverat, & taillam super ipsis ceperat: quia tunc videntur ipsum possessorem confiteri. Secus autem si non confessi fuissent ipsum ab eisdem exegisse taillam, sed solum negassent ipsum jus habere, solùm negatoria agendo, quia solum agendo negatoria, non confitetur partem adversam possessorem, juxta §. æque, instit. de act. & l. si fortè, §. sciendum; ff. si servi. vendi. & fuit quædam pars in hoc casu ultimo recepta ad agendum confessoria, licet ante egisset negatoria: quia non fuit confessa partem adversam ab ipsa aliquid exegisse.

QUÆSTIO LXIX.

De quibus reparationibus teneantur Episcopi, & eorum executores.

ITem in Parlamento fuit dictum per Arrestum pro executoribus domini Gonterii Archiepiscopi Senonensis contra dominum Guidonem *de Roye*, nunc Archiepiscopum Senonensem, quod nec dictus defunctus Archiepiscopus, nec ejus executores tenebantur pro reparationibus castrorum, & aliorum locorum, quæ erant per hostes destructa: & idem fuit in Parlamento immediatè præcedenti dictum pro executoribus domini Joannis Nicoti Episcopi Aurelianensis pro tunc cum vivebat, contra Episcopum Aurelianensem præsentem.

QUÆSTIO LXX.

An impetratio adjornamenti super attentatis impediat remissionem appellationis ad dies domini alicujus.

ITem in eodem præsenti Parlamento fuit dictum pro domino de Sulyaco contra Ducem de Borbonio, quod appellatio facta per gentes dicti domini de Sulyaco ab officiariis dicti Ducis non remitteretur ad dies dicti Ducis, * eo quia super attentatis fuerat adjornamentum signatum per manum notarii curiæ, puta Magistri Petri Ferreli, qui hoc curiæ testificavit: & fuit ad partes missum sigillatum pro exequendo, quod affirmavit procurator dicti domini de Sulyaco, quamvis non esset adhuc executatum, saltem non fiebat de hoc fides curiæ.

* *Ducis.*] Idem sup. eo. qu. 19.

QUÆSTIO LXXI.

An renuncians appellationi infrà octo dies solvat emendam.

ITem nota quod est ordinatio regia facta * anno M. cccLxv. xviij. die mensis Novembris, per quam fuit ordinatum quod appellantes à Judicibus Regiis ad Parlam. solverent emendam lx sol. Parisi. supposito quod renuntient appellationi infrà octo dies à tempore appellationis emissæ, & fuit observata contra habitantes *de la Rochelle*, *& la Vicomté de Thoüars*: Et dictum fuit per Arrestum, quod non erant recipiendi ad dicendum contrarium: quia hæc ordinatio erat generalis, & omnes ligabat de regno Franciæ in patria tamen consuetudinaria.

* *Facta.*] Per Carolū. 6. sive appellantes essent nobiles, sive ignobiles, quam Car. VII. nepos ejus, arr. 16. abrogavit, & meritò, ut dixi in Cõsuet. Parisi. §. 32. glo. 1. nu. 125.

QUÆSTIO LXXII.

An per eosdem Literas deficiens suprà locum adjornatus in casu novitatis possit super defectu adjornari.

ITem nota quod si aliquis fuit adjornatus ad comparandum suprà locum in casu novitatis virtute Literarum regiarum continentium casum expressum, & fuerit positus in defectu suprà locum pro cujus defectu plenius videre dari, & utilitatem adjudicari per Curiam Parlamenti, potest adjornari ipse deficiens per easdem Literas: quia hoc est de sequelis, & consementibus negotium executionis querelæ, licet Literæ sint continentes casum specialem & expressum, & non sint generales. Sic fuit judicatum pro domino Comite de Stampis, contra Petrum, &c.

QUÆSTIO LXXIII.

Quomodo dicatur appellatio facta à serviente deserta, vel non.

ITem vidi pronunciari in eo Parlamento per dominum Arnoldum *de Corbie*, tunc Præsidentem primum, quòd licet serviens à quo fuerat appellatum, & non à commissione quam habebat à quodam Baillivo: licet revera non fuerat adjornatus, quamvis ab ipso ut ab exequente suam commissionem, fuisset appellatum, tamen appellatio non erat deserta. Eo quia mandatur Baillivus adjornari per Literas regias, & quod secum adduceret suum Commissarium servientem prædictum, quod tunc factum fuit: quia Baillivus adjornatus fuit, injungendo sibi, & ideo, &c. Cujus tamen contrarium videbatur faciendum, eo quod solùm fuerat à serviente appellatum, & non à Baillivi commissione: & quia non fuit adjornatus ille judex, seu Commissarius à quo fuerat appellatum, sed à quo non fuerat appellatum: licet non fuisset dubium, si appellatum fuisset à commissione.

QUÆSTIO LXXIV.

De clericali privilegio quoad mobilia.

ITem dictum fuit pro Joanne *Aubigoys*, per Arrestum, contra fratrem Magistri Draconis *Porchier*: quod dictus Joannes *Aubigoys*, gaudêret privilegio clericali, quamvis non esset nisi mensis quòd clericus fuerat factus per Episcopum Carnelitam per Literas dimissorias: & taliter quod Arrestum factum ad requestam dicti fratris super pecuniæ summa in curia posita proveniente à quadam executione facta ad utilitatem dicti *Aubigoys*, contra fratrem suum, fuit annullatum: & dicta oppositio dicti *Aubigoys*, contra facta bona, licet pendente * dicta executione, factus fuisset clericus.

* *pendente*] Hoc est iniquum, quia non solum in fraudem factus est clericus, sed etiam pignus prætorium ritè præveuerat: ideo non credo hujus dicto tanquam non verisimili, & contrarium practicatur. C. M.

QUÆSTIO LXXV.

An altus justitiarius in confiscatione præferri debeat debito regio.

ITem per Arrestum ejusdem curiæ dictum fuit quod oppositio Prioris sancti Eligii erat mala, nec recipienda: quam opponebat contra subhastationes, quas Rex fecerat fieri de quadam domo existente de quadam alta justitia dicti Prioris ob pecuniæ summam, quam dicebat sibi deberi à quodam, qui fuerat & erat receptor suus cujus erat domus, & fuerat condemnatus ad panem tristitiæ, & aquam doloris, & quod Regi solveretur. Rationes oppositionis prioris contra subhastationes fuerunt istæ. Primò, quia condemnatus erat ad panem, & aquam per Episcopum Parisiensem suum ordinarium, & propter furtum: ergo dicta domus erat confiscata dicto Priori, in cujus alta justitia ipse erat. Sic etiam habere debebat absque eo quod solveret debita illius cujus fuerat. Sic utebatur

Rex.] Falsum aut iniquum.

Rex * in casu pari contra creditores. Sic alii justiciarii uti debebant contra ipsum : juxta, l. de contractu, C. de rescinden. vend. Dicebat regius procurator contrarium, & quod non erat recipiendus dictus Prior per sequentia. Primò non sequebatur, quia propter furtum erat condemnatus ad panem & aquam, ergo bona sua : & sic domus non erat confiscata * cum furtum non sit crimen capitale, quia nemo pro furto, &c. Secundò dicta domus fuerat empta ex pecunia regia : ergo reputari debebat domus regia, jux. l. si, ut proponis, C. de rei vendi. Tertiò, erat & fuerat receptor regius, & sic erat pecunia reipublicæ quam receperat, quæ erat multum privilegiata. Quartò, quia dicta domus fuerat propter dictum debitum in manu regia posita, & subhastata, antequam dictus receptor fuisset condemnatus, si condemnatus fuerat.

* Confiscata.] Imo non possunt judices Ecclesiastici confiscationem indicere, ut dixi fuet. Paris. §. pen. C. M.

QUÆSTIO LXXVI.

In crimine adulterii cadit duellum.

ITem nota quod fuit dictum per Arrestum Curiæ, quod benè cadebat duellum, in & super crimine adulterii, & fuit adjudicatum. Quod propositum fuit per dominum Joan. *de Carrouge* militem, contra Jacobum *le Gris*, quod prætendebant vim, & violentiam fuisse factam per dictum *le Gris*, in personam uxoris dicti *Carrouge*.

Item fuit dictum per aliud Arrestum dictæ curiæ, quod *Thomas* non erat recipiendus ad dictum duellum contra *Adam Lovel*, quem proponebat fuisse conscium, & juvamen dedisse per vim & violentiam dicto Jacobo in dicto adulterio committendo : nec fuit in expensis condemnatus. Ratio hujus, quia non fecerat *Thomas* venire Parisius dictum *Adam*, sed eum ibi repererat. Et ratio quare dictus *Thomas* non fuit receptus : fortè fuit, eo quod dictus *Thomas* fuit repertus clericus super hoc interrogatus, quæ clericatura fuerat contra ipsum proposita ad finem non recipiendi : de qua noluit dictus Jacobus se juvare, quamquam esset clericus non conjugatus, & super hoc à suo consilio acriter consultus, ut de hoc se juvaret, ut scio, quia interfui, sed fortè peccatum sibi nocuit. * Item fuit dictum quod duellum non cadebat pro domino Ademaro Roberi milite appellato, contra Leonardum *Vinchart*, quia interrogatus per Curiam, confessus fuit se esse clericum, sed in expensis * fuit condemnatus, eo quia vexaverat dictum militem in hac causa procedendo tam coram Mareschallis Franciæ, quam in Curia Parlamenti, sciens se clericum, & sic non debere duellum inter eos procedere.

* Notuit] Quia victus fuit, ut infrà post. q. 85.

* Expensis] Quas voluntarias vocant

QUÆSTIO LXXVII.

An in causa duelli fit dies dicenda, & alibi recipiendum.

ITem nota quod dictus *Carrouge* noluit dicere diem qua prætendebat fuisse commissum dictum adulterium : & tamen fuit receptus ad dictum duellum, & ipsum adjudicatum.

Item nota quod dictus Jacobus proposuit alibi se fuisse continuè de xv. diebus ante diem, & post diem quia confessus erat, aliàs dictus *Carrouge* dictum adulterium fuisse commissum, & de septimana tota qua pars adversa confitebatur ipsum adulterium fuisse commissum, & tamen non fuit receptus ad hoc, quod fuit mirabile : sed fortè hoc fuit propter aliqua quæ fuerunt per informationes reperta. Item nota quòd proponi fecit errores contra dictum Arrestum dictus Jacobus, sed non fuerunt recepti.

QUÆSTIO LXXVIII.

Qualiter fundare se habeant Procuratores Parlamenti in Requestis Palatii.

ITem nota quòd Procuratores Parlamenti ratione procurationum in Curia Parlamenti existentium non possunt se fundare in Requestis Palatii : * etiam in causis de eodem Parlamento eisdem commissis : supposito quod ipsi procuratores hoc velint, & consentiant, nisi hoc concesserit Curia Parlamenti, quod concedere non possent dictæ gentes requestarum : vel nisi ostendant coram dictis dominis requestarum dictas procurationes, vel tantumdem per modum originalis collationatum cum originalibus dictarum procurationum per graphatium Curiæ Parlamenti partibus præsentibus, sic fuit dictum contra Petrum Branelli pro Petro Haste, quorum procuratores tenuerant se fundatos per procurationes in Curia Parlamenti existentes, de quâ fuerat remissa & commissa causa inter dictas partes ad dictas gentes requestarum, & contra Margaritam de Rei, pro heredibus de *Malum*.

* Palatii.] Quia est aliud tribunal, secus de commissariis curiæ, quos vocant ad barram Parlamenti. C. M. Difficile est sub inimico judice litigare, l. non distinguemus, §. cum quidam, ff. de arbit. l. si. pariter ff. de lib. can.

QUÆSTIO LXXIX.

De causa remissa ad Episcopalem audientiam de Parlamento.

ITem nota quod Joannes *Belocian*, qui captus fuerat per Baillivum Episcopi Parisiensis ob suspicionem cujusdam raptus, & qui à dicto Baillivo appellaverat ad Curiam Parlamenti, renunciavit appellationi suæ, & curiæ supplicavit, ut retineret causam penès se, attento, quod Baillivus erat de consilio dicti *Carrouge* in dicta causa duelli, & quòd dictus *Belocian* prosequebatur causam dicti Jacobi, quòd & ipse erat de hospitio Comitis Alenconii, qui de suis gentibus habebat cognitionem : & qui non placitabat nisi in Parlamento. Sed hoc non obstante, fuit causa remissa ad curiam dicti Episcopi, qui de dicta causa cognovit : tamen dictus Baillivus se noluit amplius intromittere de ipso propter suspicionem tollendam.

De anno Domini 1389. *Parlamento initiante.*

QUÆSTIO LXXX.

An serviens authoritate propria possit Parem Franciæ adjornare.

DIctum fuit per Arrestum pro Archiepiscopo Rhemensi, contra Girardum *le Cordier*, quòd malè fuerat adjornatus dictus Archiepiscopus in causa novitatis, & saisinæ per executorem, eo quod mandabatur adjornari opponentem coram Baillivo Viromandensi, & adjornavit Archiepiscopum Rhemensem opponentem ad Parlamentum, non consentiente ipso, vel ejus procuratore, quare obtinuit Archiepiscopus congedium.

QUÆSTIO LXXXI.

An pœnæ sint solvendæ.

ITem per Arrestum fuit condemnatus dominus *Dierre* ad pœnas * petitas contra ipsum, eò quòd die statuto reditum quemdam non solverat Religiosis de magna Carthusiensi, videlicet decem solidos pro die quolibet.

* *Pœnæ.*] Sed nuper per aliud Arrestum die 14. Martii 1513. spernatæ fuerunt similes pœnæ, ut dixi in tractatu usurarum num. 181. in fi. Vide in d. tract. q. 25. q. 80. Et nuper pro Lanis Meldensibus contra Capp. respondi spernendas esse. C. M.

QUÆSTIO LXXXII.

Quæstio ponderosa quam sustinui pro Episcopo Aurelianensi, contra Giletam de Guigneto, & est talis.

EPiscopus Aurelianensis dicebat quòd virtute jurisdictionis suæ spiritualis banniverat Joannem *Guigney* Clericum suum non conjugatum, ratione meurtri per eum perpetrati in personam Stephani *Germain*, quare petebat contra Giletam bona sua mobilia per eam sibi restitui, quæ tenebat: necnon hereditagia dicti Clerici in sua jurisdictione temporali situata, * tanquàm sibi per hoc confiscata, & quòd per hoc condemnaretur & compelleretur, &c. Pars adversa dicebat contrarium, & quòd Ecclesia bannire non infra poterat virtute jurisdictionis spiritualis. Primò hoc ad temporalem jurisdictionem spectabat, quia hoc est aliquem de temporali jurisdictione privare, quod non potest Judex spiritualis per suam jurisdictionem spiritualem. Secundò, quia esset per jurisdictionem spiritualem temporalem confundere, quod non est recipiendum. Tertiò temporale non est subjectum spirituali quoad hoc: ergo, &c. facit l. relegatorum, §. sicut autem, & §. dubitatum, ff. de interdiction. & relegation. Quartò Ecclesia nil potest ultra anathematisationem, post depositionem & excommunicationem. Nam dicit textus, cum non habeat ultrà quid faciat, &c. c. cùm non ab homine de judi. extra. Quintò dicebat ulteriùs quòd consuetudo erat in Archiepiscopatu Senonensi, quòd per bannum factum per jurisdictionem spiritualem non confiscabantur bona: quare concludebat ut suprà. In contrarium proposui pro dicto Episcopo. Primò, quòd reperitur quòd Archiepiscopus compulit suum Clericum abjurare suam provinciam: & post permisit exulare, quod non est aliud quàm bannire * in effectu & substantia, c. ad audientiam de criminibus fallis. Secundò ad idem reperitur quemdam Subdiaconum Hilarium nuncupatum, fuisse depositum ab officio & beneficio, & post verberibus publicè castigatum, & in exilium per Ecclesiam deportatum, c. 1. de calumnis. Tertiò nec. accedens, 62. distinc. c. in synodo 2. quæst. 1. §. in prin. 3. quæst. 4. c. hi qui, & quæst. 6. c. accusatoribus, & 17. quæst. 4. c. advertendum reperitur Clericum fuisse in exilium perpetuò deportatum, quæ deportatio bannio æquiparatur, juxta nov. instit. quibus mo. jus pa. potest solvi, §. relegati. Quartò reperitur Papam dixisse de insequente Cardinalem diffidatus: bannitus, &c. ut c. Felicis de pœnis lib. 6. Quintò hoc tenet Ber. in d. c. 2. de calum. Jo. in d. c. in synodo: & ideth Hostt. Ia. And. in Novella in d. c. cùm non ab homine. Sextò hoc est dicere contra clavem Ecclesiæ, quæ est potestas spiritualis, quia Judex Ecclesiasticus dignos recipere & indignos expellere debet à regno, scilicet cœlesti, vel spirituali. Septimò hoc est imperdire jurisdictionem Ecclesiasticam. Et caveant ne sententiam excommunicationis tales incurrant, juxta c. administratores, 14. quæst. 5. & c. quoniam ut intelleximus, d. immunit. Eccl. lib. 6. Octavò hoc est diminuere compulsionem coactivam quam habet Ecclesia, quod periculosum est, c. nouit. ille qui nihil ignorat, juxta processum factum in Extravag. licet juxta doctrinam Joannis XXII. quam pauci habent. Nonò dicebam quòd posito quòd non esset Canon, nec Decretalis, nec Doctorum opinio, nec Extravagans, quæ hoc doceret, tamen hoc dictat ratio. Primò, quia Episcopus in sua diœcesi, & Archiepiscopus in sua provincia habent jurisdictionem ordinariam & spiritualem; quia jus terrendi & monendi, juxta l. pupillus, §. territorium, ff. de ver. sig. nota. per Inno. c. cum contingat, de foro compet. c. de offi ord. & c. cùm Episcopus, & c. ut litigantes, eo tit. lib. 6. *le dy donc que tout ainsi comme le Juge temporel peut bannir de sa jurisdiction temporelle son subjet Lay, tout ainsi peut le Diocesain ou Archevesque, bannir son Clerc de sa jurisdiction spirituelle.* * *Outre il ne prononce rien sur le temporel, ne du temporel; mais sa chose spirituelle comme son Clerc subjet, il met hors par ban de sa jurisdiction spirituelle.*

* *Spirituelle.*] Quasi spretæ sit jurisdictionis civilis, & differat à temporali ut municipalis à regia, vel jurisdictio Baronis à jurisdictione Ducis vel Comitis. Iste, ut plerique Canonistæ & Judæi de potestate Messiæ, non intelligebat quid esset Jurisdictio spiritualis, quæ in solo ministerio verbi Dei, & in disciplina Ecclesiastica, quam Canonicam Veteres rectè vocant, consistit. C. M.

Item, *& par ce il s'ensuit confiscation de biens; car* bannitus, *comme j'ay dit*, æquiparatur deportato, *qui pert ses biens*: per consequens juxta l. 3. C. si pen. ap. mors inter. & l. fi. C. si reus vel accusator mortuus fuerit.

Item, *& ce appert par raison civile*: per totum Titulum *de requirendis reis*, tibi absentantium se propter delicta post evocationem per edicta facta, bona notantur, & post annum fisco applicantur, leg 2. & leg. final. & leg. anni, & leg. annus, ff. de requirendis reis.

Item hoc habet Consuetudo * generalis & notoria in provincia Senonensi & Episcopatu Aurelianensi. Secundò probatur, quia si diœcesanus non possit bannire Clericum suum absentem propter delicta post evocationes debitas, melioris esset conditionis fugiens si bona ejus non confiscarentur, quàm ille præsens cujus bona essent confiscata post condemnationem ad panem & aquam perpetuò, quod esset iniquum, juxta l. Servius, ff. quod vi aut clam. & l. non solùm de noxa l. acc. imò esset reprehendendus Diœcesanus si hoc non faceret. Tertiò hoc esset damnum dominorum temporalium in quorum alta justitia Clericus haberet bona, cùm bona ejus non confiscarentur ipsis per bannum Ordinarii: quia per propositum partis adversæ bannum non potest: per bannum jurisdictionis temporalis non, quia hoc non posset, cùm non sit ejus subditus, quia Clericus. Quartò potest plus Ecclesia quàm bannire, quia non solùm à participatione Sacramentorum ipsum privare potest, sed à communione hominum: & durum est cum hominibus conversari, & hominum suffragiis carere, juxta l. qui C. de apostatis; & quod plus est, potest anathematisare, quod est æterna mortis damnatio, juxta c. nemo, & c. omnis Christianus, 2. q. 3. potest etiam ad panem & aquam in perpetuum, vel ad tempus condemnare, juxta c. novimus, de verb. sig. & c. quamvis, de pœn. lib. 6. Ad contraria omnia patet solutio per prædicta, excepto solùm ad c. cùm non ab homine. Ad quod respondeo multipliciter. Primò, videatur de quo ibidem quærebatur. Certè quærebatur an Rex vel secularis Judex judicare posset Clericum. Et respondetur quòd Clericus in adulterio, homicidio, * vel perjurio, vel alio crimine cujuscumque sit ordinis, Clericus in tali crimine deprehensus & convictus, ab Ecclesia est deponendus: & sic patet quòd id quod in

* *Consuetudo.*] Quæ post constitutiones dom. Petri Cognetti meritò exolescere cœpit. C. M. Illa l. 3. parùm facit ad hoc bum, melùs facit l. 1. de bon. dam. ff. Non debet esse melioris conditionis potens quàm innocens. Sermones enim sunt intelligendi secundùm materiam subjectam l. si uno ff. locati.

* *Homicidio.*]

* *Pœnæ.*] Sed nuper per aliud Arrestum die 14. Martii 1513. spernatæ fuerunt similes pœnæ, ut dixi in tractatu usurarum num. 181. in fi. Vide in d. tract. q. 25. q. 80. Et nuper pro Lanis Meldensibus contra Capp. respondi spernendas esse. C. M.

* *Situata.*] Oldra. q. 17. decis. Tholos. 150. Roman. sing. 372. q. 85. C. M.

* *Bannire.*] Sed quòd non possit, text. in c. 2. de Cleric excom. minist. in Authen. de sanct. Episc. §. nisi si quis contra Clericum col. 9. Jordan. Brixi. rep. §. si contrahentes in c. Romana. col. 29. de for. compet. in 6. & ita observatur quicquid istæ dicat C. M.

facti contingentia evenit Parisius an 1530. nonis Maii, de sacerdote vicario dom. Ant. *de Combes*, sacerdotis Curati *de Meru*, domini sui, quem clam nocte cum famulo occiderat qui degradatus, postea vivus fuit combustus, & bene, quamvis anno 1343. convictum læsæ Majestatis simplicem Clericum regium noluerit Episcopus Paris. degradare, Rege cum jussis & mandatis Papæ instante, sed in scala irridendũ produxerit; tantæ morositatis erant Episcopi, ut ib. Annalibus Ægidii, l. 2. C. M.

non est per Iudicem sæcularem judicandus: & ad hoc ibidem respondet tacitè & ultra procedit, scilicet quòd si sit incorrigibilis, est excommunicandus, & crescente ejus contumacia, est anathematisandus: & si in profundum malorum veniens contempserit, & ultrà ne sit perditio malorum, scilicet si admitteretur abire, cùm Ecclesia non habeat ultrà quid faciat, est per potestatem sæcularem condemnandus, & tunc imponitur eidem auxilium, vel alia legitima pœna per potestatem sæcularem. Sed quæro pro Deo quando est quòd Ecclesia non habet quid ultra facere possit: dico quòd est quando est degradatus, juxta c. degradatio, de pœnis lib. 6. quia tunc est factus de foro sæculari, & judici sæculari per Ecclesiam tradendus. Sic intelligitur illud cap. hoc patet per dictum cap. novimus, de verb. signific. Sic ibi per Pe. Bet. Hosti. & Henri. quia aliter dicere scilicet quòd non habeat Ecclesia, quid ultrà faciat post anathematisationem, est falsum per prædicta. Secundò potest sic responderi quando dicitur quòd Ecclesia non habeat, &c. videlicet ad proficiendum ipsi malefactori, quia non vult se corrigere, & hoc innuit text. quia ibi medicamenta omnia sibi fuerant inflicta & remedia medicinalia, ut excommunicatio quæ medicinalis est: juxta c. cùm medicinalis, de Senten. excom. lib. 6. & dicitur c. si in profundum, & c. & post ne sit ultrà perditio malorum, & c. quia Ecclesia cùm non potest proficere, invocat brachium sæculare, juxta c. 2. de off. ordin. & c. 2 de Clericorum excom. minim. Tertiò potest sic intelligi cùm non habeat, &c. quia est potens & nobilis homo, de quo Ecclesia non potest habere superioritatem, quia tunc potest invocare potestatem sæcularem. Quartò, sic potest intelligi quòd loquatur solùm in depositio non degradato: sed quando Ecclesia sic processit, ut in dicto c. degradatio, loquitur: talis Clericus incorrigibilis amittit privilegium clericale; nec mirum, quia facit immiscendo se sævis post trinam monitionem, si se nolit corrigere, juxta c. in audientia, & c contingit. de Sentent. excom. ergo & ille, & tunc Ecclesia non tradet Iudici sæculari, quia non degradatus, sed potestas sæcularis capiet si voluerit, & faciet quod dicitur in d. l. c. non quia Ecclesia non posset imponere exilium, quia posset per prædicta. Non obstante §. sicut autem, & § dubitatum superiùs, allegatum; quia verum est quòd qui potest interdicere provinciam. Sed Episcopus habet jurisdictionem spiritualem: sequitur ergo quòd qui non habet insulam, non potest in insulam relegare: & qui non præst provinciæ, non potest de ipsa suum Clericum bannire propter delicta enormia fugientem post debitas evocationes. Sic faciunt pro me dicti §§. Hac causa placitata, fuit appunctuatum per dominum Stephanum de Grangia tunc Præsidentem, quòd Curia consideraret allegata, & faceret tam ad hunc finem quàm ad alios ad quos partes tendebant, jus: quid faciet ignoro, sed credo de jure Ecclesiam bannire posse suum Clericum.

QUÆSTIO LXXXIII.

An conventione facta pro muliere maritanda, quòd certa pecunia uxoranda ponatur in depositum, ut convertatur in hereditagium pro ipsa & heredibus ipsius matrimonii, & ut sit ipsorum hereditagium: & post moriatur maritus post matrimonium factum absque eo quòd pecunia fuerit conversa, nullis ex illo matrimonio procreatis liberis, capienda erit pecunia ante omnia super bonis mariti ad utilitatem uxoris: vel si pecunia fuerit vivente marito deposita, sit convertenda in hereditagio pro ipsa uxore.

VIdetur quòd non per sequentia. Primò quia illa conventio est personalis, & personalia sunt communia inter virum & uxorem. Item videtur unum debitum, cùm nil fuerit conversum, quod est personale, & sic commune inter virum & uxorem. Item hujus contrarium dicere esset contra consuetudinem quæ dicat conquæstus, mobilia & debita communia inter virum & vxorem dividenda æqualiter inter superviventem & heredes mortui. Item si mulier ante matrimonium debebat, seu debuerat viro fuisse: vel contra, vir, mulieri matrimonio contracto, confunderetur debitum pro parte, eò quòd communicaretur: sicut proposito videtur dicendum. Contrarium credo * per sequentia. Primò quia conventiones in contractu matrimonii factæ sunt tenendæ, quia aliàs fortè non fuisset matrimonium factum quod aliàs factum teneret: & non adimplerentur conventiones: quod esset iniquum. Secundò, dicere contrarium esset contra voluntatem contrahentium qui sic voluerunt. Tertiò, melioris esset conditionis qui non convertisset quàm qui convertisset, sed sua negligentia vel dolus proficeret suis heredibus, quod esset iniquum. Quartò esset repugnantia in jure & æquitate, quia quæ deberet esse creditrix solùm, esset creatur creditrix & debitrix, respectu ejusdem, quod esset absurdum & iniquum. Non obstant contraria, quia hoc faciunt conventiones in contractu positæ, secùs si nullæ tales positæ fuissent ut in contrariis.

* *Credo.*] & bene tac. supra eo q. 8. & inf. q. 8. C. M.

Nemini sua fraus prodesse debet lsive hereditaria, ff. de negot. gest. l. non solùm ff. de noxa l. act.

QUÆSTIO LXXXIV.

An si maritus redimat de pecunia communi suum hereditagium ante matrimonium per ipsum venditum, sic quòd quando sibi placeret redimere, posset infra certum tempus: an ipso redempto, habeat mulier seu uxor, partem tanquam in conquestu.

VIdetur quòd non, quia ex quo habuit facultatem redimendi, non videtur venditum: & per consequens nec redemptum. Item quia si maritus retrahat hereditagium de latere suo, mulier non habet medietatem, aliàs nec partem tanquam de conquæstu: ideò nec sic in proposito; videtur tamen in contrarium. Primò, quia de communi pecunia redimitur, & sic partem habere debet, aliàs maritus defraudaret uxorem. Secundò, quia si nil in re habeat, saltem heredes sui debebunt in medietate pecuniæ recompensari per maritum, quid dicendum? Credo sic dicendum, quòd si solùm vendidisset absque * eo quòd devestisset, & quòd emptor non fuisset in possessione positus, & per consequens nec dominus factus: & pòst redimat maritus, quòd uxor in illo nil habebit. Ratio est, quia in hoc casu non est rem emere vel redimere, quia nullum jus habuit emptor, quia non habebat nisi personalem prosequtionem, quia soluta est per pecuniæ traditionem sibi per maritum factam; nec per hoc habet maritus in re per ipsum vendita quam priùs habebat. Sed secùs si fuisset emptori res vendita & tradita realiter & de facto, & quòd dominus fuisset factus; quia tunc esset vera venditio, secundus contractus & conquæstus de pecunia communi factus, in quo mulier deberet habere medietatem, in hoc casu sufficeret ejus heredes recompensari in medietate pecuniæ, ut in retractu, eò quòd retractus sit solùm gratia & beneficium illius qui & cujus nomine retrahitur, & tanquam ejus hereditagium: sic totum debet habere, & heredes alterius in medietate pretii recompensari. Secùs in casu præsenti.

* *Absque*] Sed nonne venditione perfecta, fundus erat hypothecatus reali & immobili hypotheca, eadem ratio ac perpetua servitus super fundo redempta, quare hæc brevis distinctio non sufficit dicendum, ut dixi in Consuet. Paris. §. 110. C. M.

QUÆSTIO LXXXV.

Nota de duello Iacobi le Gris.

ITem nota quòd die Sabbathi post natalem Domini 1386. qui dies fuit festum B. Thomæ post natalem, fuit factum duellum inter Jacobum *le Gris*, & dominum Joannem *Carronge*, retrò muros sancti Martini de Campis, & devictus fuit dictus Jacobus & mortuus; & habeo scrupulum quòd fuerit Dei vindicta, & sic pluribus visum fuit qui duellum viderunt, eo quod dictus Jacobus contra consilium consiliatiorum suorum voluit se juvare privilegio clerici, quamvis esset clericus non conjugatus & defensor: & hæc scio, quia de ejus consilio fui. Aliis autem visum fuit quòd fuit Dei vindicta, eo quod omnes ferebant communiter quòd conscius erat criminis * propter quod fuit duellum adjudicatum. Cujus contrarium tamen plures affirmavit per juramentum dictus Jacobus, scilicet nunquam factum fecisse, nec conscium fuisse, quod ejus conscientiæ relinquo. Item nota quod per magnum consilium fuerunt litiæ factæ ad similitudinem illarum de Gisortio, quæ factæ fuerunt ante ducentos annos; sed dicebatur quod non debebat haberi respectus ad ipsas, eo quod factæ fuerunt propter duos, qui bellarunt pedes non eques: litiæ autem sancti Martini fuerunt restrictæ ad modum dictarum litiarum de Gisortio, quia erant antè factæ propter bellum voluntarium, quod credebatur fieri inter dominum Guidonem *de la Trimolle*, dominum de Sulyaco, & quemdam Anglicanum nuncupatum dominum Petrum *de Courtenay*. Sequuntur præsumptiones contram dictum Jacobum *le Gris*, quas habebam, & plures alii. Primò, quia cùm venit Parisius, interrogavit me, an ipso per duellum accusato, & per ipsum obtento postea per viam ordinariam, vel per quæstiones contra ipsum procedi. Secundò, an alibi in tali materia recipi deberet. Tertiò, de die qua dicebatur adversarium suum *maintenir* factum fuisse, an posset ipsum mutare adversarius suus, vel in ipsa varietate. Quartò, quia post vadium adjudicatus infirmatus fuit. Quintò, quia modicum ante ingressum campi se militem fieri fecit. Sexto, quia quamvis esset defensor militum, crudeliter invasit adversarium suum & pedester, licèt habuisset avantagium, si equester fecisset. Septimò, quia licèt *Carronge* esset debilis propter febres quas longo tempore habuerat, & apparebat seu appareret dictus jacobus robustus, tamen devictus fuit ipse Jacobus, quasi miraculosè, quia non poterat se dictus *Carronge* juvare. Octavo, quia uxor *Carronge* constans fuit semper dicendo factum evenisse, tam in puerperio quàm die duelli: ad quod duellum ducta fuit super curru: sed cito per Regis præceptum remissa. Nono, quia debiliter fuit locutus Præsidentibus cum ipso de concordia loquentibus. Decimo, quia semel me interrogavit an de jure & facto suis dubitarem, quia me cogitare videbat. Undecimo, quia mihi dixit quod cùm audivit rumorem quod *Carronge* volebat eum prosequi super hac causa, fuit cito confessus Presbytero. Sequuntur præsumptiones pro ipso. Primò, quia semper affirmabat & per juramentum nunquam fecisse, & Deum deprecabatur, ut ipsum juvaret in ipso negotio, secundùm quod bonum jus habebat, & non aliàs, & hoc fieri vidi per ipsum vicesies, & die duelli fecit. Secundò, quia fecit deprecari in omnibus Religionibus Parisius, ut deprecarentur pro ipso Deum, ut ipsum juvare vellet secundùm bonum jus quod habebat, & secundum quod erat innocens de illo facto, & quod nunquam fecerat, & non aliàs: & sic fecit die duelli. Tertiò, quia erat homo boni status & honesti. Quartò, quia nemo immemor suæ salutis, &c. Quintò, quia dominus de Alenconio scripserat Regi, & dominis avunculis suis dictum Jacobum non esse culpabilem. Sextò, plures milites affirmabant ipsum fuisse cum domino de Alenconio tota die continua qua adversarius suus dicebat factum eum fecisse, & pluribus diebus continuis antè proximis. Septimò, quia *Adam Loüel*, qui dicebatur conscius ejusdem delicti, fuerat quæstionatus: & domicella illa, quæ dicebatur fuisse illa die in domo *de Carronge*, & nil confessi fuerant, sed dicebant aliqui quod nolebat aliquid confiteri: tum quia confessus fuerat super illo facto, & ulteriùs confiteri non tenebatur: tum quia fuisset ejus filiis, & amicis vituperio, & quodammodo faterentur contra actionem domini de Alenconio, qui asseveraverat dictum Jacobum non esse culpabilem de ipso facto: attamen nunquam fuit scita veritas super illo facto.

* *Criminis.*] Scilicet adulterii, ut sup. eo. q. 76. & 78. inf. q. 86. in fi. C. M.

Præsumptiones quæ habebantur contra dictum Iacobi *le Gris* occisum in duello.

Præsumptiones contrariæ quæ faciunt pro eo.

Nemo præsumitur immemor suæ salutis: epist. inter claras, § petimus ergo, C de sum. Trin. & fid. Cath.

QUÆSTIO LXXXVI.

De gratia litigandi per procuratorem.

QUarta die Februarii nuensis anno Domini 1386. fuit ordinatum in Curia Parlamenti, Parlamentum tenente dom. Guillermo de Sononis quod de cætero non reciperentur gratiæ ad placitandum in Parlamento, nisi essent sigillatæ, quamvis essent signatæ, & offerentur sex solidi * pro qualibet litera, &c. Sed hodie non hujusmodi gratia.

* *solidi.*] Scilicet Parisienses.

quanti hodie solvatur pro sigillo regio, præter aliàs impensas, & moram temporis in præstolando omnium regentium Cancellariam, qui etiam quandoque in favorem adversarii negant, vel subtrahunt litteras. adde sup. in stil. c. 5. 8. 9. C. M.

De adjudicatione facta damnorum, injuriarum, & expensarum in duello.

NOna die Januarii 1386. fuerunt adjudicata dom. Joanni *Carronge* pro damnis, injuriis & expensis per ipsum substentis, in dicto duello * sex millia Francorum.

* *Duelli.*] Sup. q. 85.

QUÆSTIO LXXXVII.

Quando conquæstus fiant hereditagia.

QUæstio fuit hæc. Frater Joannis *de Montmirail*, quosdam conquæstus fecerat immobiles durante matrimonio, post decesserunt ipse, & ejus uxor, relictâ quadam filiâ, ad quam per successionem spectaverunt omnia bona ipsorum: post decessit ipsa filia, relicto domino Joanne ejus patruo, nec non domina *de Sarny*, & Symone *Bourdon*, relictisque ejusdem filiæ parentibus, ex patre matris suæ in gradu remotiore, quàm esset dictus Joannes ipsius filiæ patruus: modò quærebatur ad quam spectarent dicti conquæstus immobiles facti per fratrem dicti Joannis & ejus uxorem, an pars dimidia ad dictum Joannem tanquam hereditagium veniens à fratre suo mortuo, & alia pars ad dictos dominam & Symonem, ut hereditas veniens à matre dictæ filiæ: vel omnes spectarent ad dictum fratrem proximiorem ejusdem filiæ heredem. Videtur primò quod spectarent ad dictum Joannem, per sequentia: nam non fuit hereditagium parentum dictæ filiæ: sed cœpit esse hereditagium in personam, ubi fecit stipitem, sed fuit con-

quæstus à parentibus ipsius filiæ: ergo proximior habere debet, ut Joannes antè dictus proximior dictæ filiæ ejus neptis. Secundò, verum est dicere quod non veniret ad dictos dominum *de Sarny*, & Symonem *Bourdon*, ut hereditagium matris dictæ filiæ, sed ut conquæstus quem acquisiverat, & ut hereditagium dictæ filiæ in cujus personam cœpit esse hereditagium, ergo in ipsius heredes proximiores venire debet, ut in dictum Joannem.

* *Videtur.*] Hæc in terminis Consuetudinis Parisiensis, & similis ubi sufficit esse convictum à latere, nec requiritur descensus. à stipite. ut dixi in Cons. Paris. §. 112. C. M.

* *Fiscus*] Ergo semper tenui contrarium, scilicet fiscum excludi, & tandem opinio mea confirmata fuit Arresto, & observatur, dico in Cons. Paris. § 149. C. M.

Videtur * contrarium per sequentia. Primò, quia verum est quòd dicti conquæstus veniunt à patre & matre dictæ filiæ in ipsam, & fix ex duobus lateribus: ergo parentes ipsius filiæ ex parte matris deberent habere mediam, & parentes patris aliam mediam, ut sunt dictus Joannes & dicti domina & Symon. Secundò, quia si sine liberis dicti frater, & ejus uxor decessissent, dicti domina & Symon succedissent dictæ matri, & habuissent partem dictorum conquæstuum, & non dictus Joannes, cùm sit extraneus dictæ matri, & dictus Joannes in partem aliam ipsorum dicto Joanni fratri, & non dicti domina & Symon, cùm essent dicto fratri Joanni extranei, nec deberent esse deterioris conditionis eo quod filia successit. Tertiò, verum est dicere quod dicti conquæstus facti per dictos fratrem, & ejus uxorem fuerunt ab ambobus facti, & venerunt ex duobus lateribus dictæ filiæ, videlicet patris & matris: ergo venientes ex latere matris habere debent partem venientem ex latere matris: & venientes ex latere patris, partem venientem ex latere patris. Quartò, non habet locum quòd dicitur, quod venientes ex uno latere habere debent immobilia ex illo latere provenientia. Quintò, non fuerunt conquæstus dictæ filiæ, sed hereditagium: ergo proximiores habere non debent, sed venire debent ex utroque latere: scilicet parentes ejus matris medietatem, & parentes patris aliam medietatem, cùm proveniant ex illis lateribus. Sextò fiscus * habet antequam illi de latere matris patrem venientem ex latere patris, & econtrà. Et sic fuit dictum in Castelleto, nemine contradicente, de quo fuit appellatum per dictum Joan. & finaliter renuntiatum. Sic res tranvit in rem jud catam; per prædicta solve contraria.

QUÆSTIO LXXXVIII.

Supernumerarii non habent causas in requestis Palatii, nec sunt immunes à sex solidis pro sigillo, traversis & passagiis.

Duodecimâ die mensis Februarii anno Domini 1386. fuit quædam ordinatio facta per Regem 16. mensis Januarii eodem anno, & in præsentia dominorum Ducum Bituricens. & Burgundiæ in Parlamento publicata, continens in substantia quòd illi qui sunt in consilio regio extra * numerum & vadia, non gaudebunt immunitate habendi causas in requestis Palatii: & non solvendi sigillum regium, cùm impetrant, nec franchisiæ non solvendi pedagia per Regnum Franciæ.

* *Extra.*] Tex. in l. 2. §. quod autem. C. de collig. lit. 11. si ne plures C. de sacrosc. Eccles. l. administrantes, §. de ea causa, aut Alberi 2. flatu. q. 190. Aug. l. cellante C. de commer. & merc. C. M.

QUÆSTIO LXXXIX.

An plures projicientes vadia in causa duelli, à parte sint recipiendi.

Decima-quarta die mensis Februarii anno Domini 1386. in causa duelli, tunc pendente & placitata in Parlamento inter dom. Petrum dictum *le Bandonyn*, militem appellatum ex una parte, & dominum Leonem de arcatiis, aliàs de arenariis militem appellantem ex altera, dominus *de Hangest*, unà cum dicto Leone projecit vadium suum: & dom. *Regné*, frater dicti Petri projecit unà cum fratre suo defendendo. Sed pro parte dicti Pet. fuit requisitum quòd dictus *de Hangest*, emendaret dictam projectionem per rationes sequentes. Primò, quia diem non habebat dictus dominus Petrus contra dictum *de Hangest*: sed solùm contra dictum Leonem. Secundò, quia accusatus erat dictus Petrus per dictum Leonem in causa vadii: sic simul, & semel per alium accusari non poterat. Tertiò, quia interesse * quod habebat dictus *de Hangest*, erat nullum, quia extraneus defuncti, qui dicebatur per præceptum dicti Petri occisus. Quarto, ut Advocatus non poterat prætendere projecisse: tum quia non fuerat requisitus super hoc per dictum Leonem: tum quia Leo erat sanus & hilaris, & quia ad Advocatum non spectabat projicere vadium; nec in ipsum devictum fieret executio, sed in advoantem: sic apparebat totum injuriosum, & sic debebat emendare: nam ut pars facere videbatur per hoc advoando facta quæ propositerat advoatus contra dictum Pet. Quintò, sic fuerunt plura vadia projecta in causa duelli inter dominum Comitem Sabaudiæ appellantem ex una parte, & Marquisium *de Saluces*, appellatum ex altera: hoc fuit contra jus & rationem: Et quamvis non fuerint apprehensi projicientes, nec condemnati, hoc fuit, quia non fuit contra ipsos conclusum. Finaliter pro hoc mihi placitanti fuit dictum per curiam, eo quòd in præteritum fuerat toleratum vadiorum projectio facta ab aliis quàm à parte appellante absque punitione seu emenda dictus *de Hangest* non emendaret: sed fuit prohibitum ne de cætero aliquis projiceret, nisi partes principales, * & quod Advocati non consulerent de cætero contrarium.

* *Interesse*] Requiritur ergo interesse propinquum, & grave. C. M.

* *Principales.*] Et benè, ut tanto minus peccetur. C. M.

QUÆSTIO XC.

*An sit periculum ex parte appellati * non dementiri appellantem. **

* *Appellatus.*] Scilicet ad duellum.

* *Appellantem*] Id est, provocantem ad duellum.

Videtur quòd sic. Primò, quia videtur caveri in stylo quod sic fiat. Secundò, quia appellatus non dicens, vel dicere non faciens, videtur omittere propter diffidentiam causæ. Tertiò, quia dicitur in stylo quod sufficit quòd dementiatur appellans per appellatum post proposita per suum Advocatum: & si antè non fiat, non habetur pro convicto, ut habetur in titulo pro duello, rubrica de propositione, &c. Sic innuere videtur quòd dementiri debeat post proposita. Credo contrarium per sequentia. Primò, quia quod dementiatur, est permissum appellato in ejus favorem contra appellantem, qui contra omnia jura & consuetudinem generalem Regni Franciæ cœpit viam vadii, & imponit ipsi appellato tanta crimina sicut sunt illa quæ sunt apta ad vadia, ergo si omittat, non nocet sibi, quia quod est in ejus favorem, &c. Secundò, reverà non permittitur in accusatione ordinaria, sive fiat à parte, sive ab officio, quod pars dementiatur: & si fieret, emendaret pars dementiens, ergo est in causa duelli

duelli in favorem appellati introductum, cui favori renuntiari potest absque prajudicio: nec videtur non dementiens in causa duelli plus puniri debere, quam in accusatione ordinaria. Tertio pars appellans non potest de hoc conqueri, eo quòd non dementiatur: quia sit ei honor, & fieret dedecus de contrario. Quartò non cavetur in stylo * quòd sit necesse quòd dementiatur aliquis, aliàs quòd ex hoc pars lucretur. Quinto, quod commodum ex hoc posset reportare appellans, quòd ex hoc adjudicaretur duellum, non quia hoc esset novum inducere casum adjudicandi duellum, quod esset contra omnia jura mundi, Consuetudinem & Ordinationem Regis Philippi Pulchri, quod pro confesso haberet pars appellata, non quia negavit proposita per partem suam adversam fore vera, & se defendere, &c. ergo patet quòd non confitens factum non habetur pro convicto, quia non est habendus pro convicto, nisi in campo convincatur, vel nisi confiteatur factum; sed constat quòd in campo non fuit convictus, nec confessus per prædicta, ergo, &c. Sextò, si aliquod commodum posset reportare, hoc esset in casu quòd duellum adjudicaretur per Curiam, quia in hoc casu concludit pars appellata in effectu vadium suum projiciendo: ergo ante pramature pateretur commodum, eò quòd non fuit dementita. Per prædicta responderetur ad contraria: & licet quòd in dicta causa duelli dicti domini Petri non fuit dementitus dictus Leo, & ex eo nihil dixit, nec aliquod commodum petit ejus Advocatus: attamen fuerat dementitus in eadem causa coram Commissariis qui prius de ea cognoverant, licet eorum processus fuerit frustratorius: & de novo fuit dicta causa in Curia Parlamenti placitata, & finaliter per Arrestum fuit dictum quòd non cadebat duellum.

* stylo.] Et placet quicquid dicatur topic. Tit. 1659. ubi vide. C. 31.

QUÆSTIO XCI.

An hæredes testantis teneantur facere admortisare quod ipse reliquit Ecclesiæ in suo testamento.

Decimaoctava die mensis Februarii, anno Domini 1353. fuit demanda facta per Canonicos Ecclesiæ Parisiensis, contra hæredes quondam defuncti Episcopi Parisiensis Emerici *de Stagnat*, quondam Cardinalis, super eo quod sequitur, & in Parlamento. Dicebant enim dicti Canonici quòd dictus defunctus Emericus, quondam Episcopus Parisiensis, tunc temporis ordinavit inter vivos, & ipso vivente, quòd Ecclesia Parisiensis & Canonici haberent 12. lib. Parisienses inter ipsos dividendas, pro missa celebranda de qua fuit factus Episcopus, & 10. lib. Paris. die Assumptionis Sanctæ, & vocabatur distributio ipsa inter dictos Canonicos facienda *le double*. Et ultrà ordinavit quòd inter vivos Missa quædam celebraretur quodam alto tempore, & quòd Presbyter celebrans haberet 4 solidos, Diaconus 2 & Subdiaconus 2 sic essent 8 quæ pro anno ascendunt ad 15. lib. pro ipsis omnibus. Et ultrà volunt quòd haberent 40. solidos Parisienses, sicut dicebant erant 10. lb Parisienses. Et ordinavit quòd sic fieret, & quam diu vixit a tempore dictæ ordinationis, fecit celebrari, & solvit, deinde mortuus est dictus Emericus quondam Episcopus Cardinalis: & in testamento reliquit dictæ Ecclesiæ Paris. 40. lib. Parisienses assidendas & levandas super portu *le Castaing* super quem totidem & ultrà acquisiverat pro dicto servitio faciendo, & dictis 40. lib. solvendis, ut fecerat tempore vitæ suæ. Quare dicebant dicti Canonici, & petebant contra ipsos hæredes ut assiderent ipsas 40. libras super dicto portu, & facerent admortisari. * Et dicebant sic fieri debere per sequentia. Primò supponebant dicti Canonici quòd in testamento est plenior interpretatio facienda, pro quo l. in testamentis de reg. jur. & c. cum dilecti de donat. Secundò quia voluntas testantis est tenenda & spectanda: pro quo l. non in his, & l. voluntatis, & l. Quintus Mutius. & l. si ita scriptum, quæ optimè facit de lib. & posth. Tertiò, quia consuetudo regni Franciæ est quòd Ecclesia tenere non potest aliquem reditum vel immobile, nisi fuerit admortisatum. Quartò, quia dictus, defunctus Emericus, qui fuerat de Camera Inquestarum in Parlam. Dom. Requestarum, Decanus Parisiensis, Episcopus Parisiensis, & tandem Cardinalis dictam consuetudinem ignorare non poterat, sed bene sciebat. Quintò, quia consuetudo patrisfamilias est attendenda, juxta l. quæsitum, l. nummis, & l. si servus servum, § si. & l. vel universum, ff. de leg. primo. Ex quibus concludebant dicti Canonici quòd attento, quòd dictus quondam Episcopus sic solverat in sua vita, & sic etiam volebat fieri post mortem, quod aliàs fieri non poterat, nisi admortisatione facta, & quòd sciebat ipsa non facta dictos Canonicos non posse tenere dictum reditum: & quòd aliàs fieri non posset servitium, nec pecunia solvi, ut ordinavit, quæ fuit eius voluntas; & sic debet conjecturari quòd voluit admortisationem fieri per suos hæredes. Item & maximè, quia si Canonici hoc facerent suis sumptibus, non haberent aliquid à defuncto, quia tantùm eis constaret quantùm reditus valet & ascendit. Item si darent medietatem illarum 12. librarum, & illarum 25. librarum & 60. solidorum Parisiensium pro admortisatione quæ tantumdem ascendit, non posset fieri servitium, nec solutio ut defunctus voluit. Item nos non sumus in legato simpliciter facto de una domo 70 lib. Paris. pro servitio faciendo, sed in legato facto per dictum Episcopum: voluntate cujus per prædicta conjecturata necesse haberent hæredes facere dictam admortisationem. Item allegabant prædicti Canonici Arrestum prolatum in diebus Trecensibus pro Religiosis *de Clervaux*, contra defunctum *Eduic*. Nec obstant per hæredes seu executores dicti defuncti in contrarium opposita. Primò, quia testator simpliciter legavit dictas 40. libras, non dicendo admortisandas vel non admortisandas; sed simpliciter, nec per hoc videtur hæredes suos onerasse: nec fecit in veritate de admortisatione, quia voluntas conjecturata per prædicta adstringit executores & hæredes ad hoc. Secundò, non obstat quòd legatum affert commodum dictis Canonicis, & quòd acceptaverunt quia nullum commodum afferret, nisi esset admortisatum: & quia acceptaverunt cum suo jure, modò sic est quòd jure tenentur hæredes & executores ad admortisationem, per prædicta. Tertiò, non obstat quòd forte domini temporales nollent admortisare; quia posito quòd nollent, solvant hæredes & executores æstimationem admortisationis, juxta l. sed & si res cum suis non de leg. 1. l. fideicommissa, § si servo, & l. non dubium, § si. de le. 3. ad hoc l. in testamen. de condi & demon. Quartò, non obstat quod dicunt, quòd in Capitulo antequàm Canonici acceptarent dictum legatum, dictum fuit eis quòd non admortisarentur ejusdem dicta quatuor libræ: & tamen acceptarunt legatum, quia posito quòd ita sit, non per hoc renuntiaverunt juri quod eis competit & competebat ex conjecturata voluntate defuncti super admortisatione petenda. Quintò non obstat quod dicunt, quod in Camera Computorum fuit per Sententiam dictum cum maturo consilio, quòd hæredes defunctorum qui reliquerant Ecclesiis reditus & res immobiles pro servitio faciendo pro eorum animabus, ponebantur in manu regis ob defectum admortisationis, non tenebantur admortisari facere ipsis Ecclesiis, quæ eos in garendum vocaverunt, quia quod tenerentur, non apparebat ex voluntate conjecturata testantium, quòd vellent eorum hæredes vel executores ad hoc teneri; sed forte apparebat in aliquibus contrarium expressè relinquendo non admortisata vel simpliciter.

non teneri, nisi specialiter expressum sit, & ita non dici communiter consului. C. 31.

Respondet objectis.

QUÆSTIO XCII.

An sufficiat destinatio ad comparendum supra locum in casu novitatis.

FUit pronuntiatum in Parlamento nona die mensis Martii, anno Domini 1386. pro Archiepiscopo Turonensi contra Decanum & Capitulum Turonense, quòd dictus Archiepiscopus sufficienter comparuerat super locum in executione cujusdam querimoniæ factæ ex parte dictorum Decani & Capituli per Litteras destinationis, per quas destinabat ad hoc quòd quidam ibidem compareret in rollis dicti Archiepiscopi: licet illa destinatio non contineret hypothecam bonorum dicti Archiepiscopi.

QUÆSTIO XCIII.

An Procuratio continere debeat diem.

ITem fuit dictum eodem anno & die, quòd sufficienter erant dicti Decanus & Capitulum comparentes supra dictum locum per Procuratorem, licet eorum procuratio non contineret diem. Ratio in utroque, quia ambæ partes advouaverunt quòd factum fuit supra locum, & satis constabat, quòd tam destinatio quàm procuratio de eorum voluntate processerat.

QUÆSTIO XCIV.

An non comparens personaliter in causa appellationis causam amittat.

ITem fuit dictum in eodem Parlamento pro Episcopo Parisiensi contra quemdam, quòd ipse quidem ceciderat à causa suæ appellationis, eo quòd personaliter non compareverat in ipsa: licet fuit dictum quòd compareret personaliter ad hoc, ut caperetur in principali coram dicto Episcopo, in quo principali comparere nolebat timore scalæ & prisionis.

collationem spectabat. Sed Thesaurarius S. Capellæ dicebat quòd postea illam dederat cuidam Capellano dictæ Capellæ Hugom nuncupato, & dicebat collationem ejus prævalere rationibus sequentibus. Primò quia Rex Franciæ commiserat dictum Thesaurarium ad dandam Capellanis dictæ Capellæ Beneficia vacantia in villa & diœcesi Parisienti, ad dicti Regis collationem spectantia: volueratque * supposito quòd ipse Rex daret postea quòd ipsius collatio esset nulla: & super hoc suum Decretum apposuerat, nili faceret mentionem * de commissione per ipsum dicto Thesaurario facta super hoc. Secundò dicebat, quòd ratio hujus concessionis fuit, quia dicti Capellani ad ejus Regis titulum promovebantur ad sacros Ordines, posito quòd nullum tenerent Beneficium. Sic tenebatur eisdem providere, juxta c. Episcopus de Præb. alias omnes Capellani recederent de dicta Capella, ne morarent ibi. Item allegabant Arrestum latum an. D. 1355. pro quodam nominato Nicolao, cui per Thesaurarium in casu simili fuerat collatum quoddam Beneficium post collationem factam per Regem: de eodem tamen per unum diem cuidam nominato Hulippo qui possessionem ejus adeptus fuerat: quòd per Arrestum fuerat dictum collationem factam [illegible]lao fore validam, &c. In cujus contrarium allegabat dictus Herveyus dicendo sequentia. Primò, quia quamvis Rex dedisset dicto Thesaurario talem commissionem; tamen non ligaverat manus suas quin major potestas remaneret penès ipsum, juxta c. duduum, de Præbendis lib. 6. Sic per collationem factam dicto Herveyo jus fuerat sibi quæsitum. Secundò, quia tale Decretum non poterat efficere collationem quæ erat quid spirituale, quod decretum fuerat à Rege qui est persona laica, impotens: nec tantam habebat potestatem super ejus collatione, ut Papa super collationibus suis in reservationibus suis & decretis apponendis. Tertiò, quia Herveyus habebat priorem datam & possessionem, quæ possessio confert in collationibus factis à laicis. Dicebat Thesaurarium in contrarium replicando, quòd Rex non erat simpliciter persona laica, sed spiritualis, quia nunctius. Item quòd possessio nil conferebat in jure quærendo in Beneficiis, sed solùm collatio, licet spectaret laico. Partibus autem litis, fuerunt partes in Arresto appunctuatæ: & dictum fuit 16. Martii anno quo supra, collationem factam per dictum Thesaurarium fuisse & esse bonam. Et fuit dictus Hugo manutenutus in possessione & saisina ipsius, &c.

* *voluerat.*
* *Sed hoc non, [illegible] Rex confert.*
* *Mentionem.*

QUÆSTIO XCV.

An Advocatus vel Procurator à taillis se possit exemptare prætextu scholaritatis.

ITem dicta die nona mensis Martii fuere lectæ Litteræ in dicto Parlamento, continentes quòd Rex mandabat omnibus suis Judicibus, quòd Advocatos & Procuratores non permitterent practicare in suis Curiis, qui se volebant eximere à suis taillis prætextu scholaritatis.

QUÆSTIO XCVI.

An Rex Franciæ in collationibus Beneficiorum per eum factis possit decretum apponere.

ITem dicta die 9. fuit placitata quædam causa pro quodam Brunone vocato Magistro Herveyo, cui quidem Herveyo dederat Rex Franciæ quamdam Capellam in villa seu diœcesi Parisiensi, quæ ad suam

QUÆSTIO XCVII.

An appellans non se repræsentans coram intimato amittat causam.

ITem placitavi in Parlamento, anno Domini 1386. quòd si appellans non se præsentaverit contra intimatum: sed coram Judice si in patria consuetudinaria, quòd nullam ex hoc habere debet utilitatem intimatus. Prima ratio, quia non est pars principalis, sed Judex. Secunda, quia supposito quòd intimatus non fuisset, se posset cum Judice adjungere. Tertia, quia si me non præsentarem in patria consuetudinaria coram Judice, amitterem causam meam, etiam erga intimatum, supposito quòd me contra ipsum præsentassem, secundùm quod fecerunt Magister Joannes *Drisy*, & Magister Vincentius *Lespaysy* qui se non præsentarunt contra Judicem. Sic ergo à contrario non amitter se præsentans coram Judice, supposito quòd se non præsentet contra intimatum. Item licet intimatio si fuit credident interesse. Sic servabatur antiquitus per Arrestum, ut in fine Tituli de Præsentationibus in isto Parlamento. Tamen mihi hoc

placitanti mihi fuit dictum quòd hoc dicere erat seminare errorem, & quod amplius non dicerem, sed non fuit per Arrestum dictum.

QUÆSTIO XCVIII.

An Advocatus sit cogendus ut testis, & idem in Procuratore, ad requestam partis adversæ.

ITem in eodem Parlamento fuit dictum, sed non per Arrestum, quòd Advocatus & Procurator causæ produci non possunt per adversarium in testem, nec cogentur de hoc. Notat. in cap. Romana, de testibus, lib 6. l. mandatis, eodem titulo ff.

QUÆSTIO XCIX.

An appellantes à Baillivo subalterni Iudicis, ad Baillivum vel Iudicem regium, teneantur facere adjornare Baillivum à quo appellant, vel sufficiat facere adjornare dominum Baillivi.

VIdetur quòd sufficiat facere adjornare Baillivum, quia cum non potest dominus desavoare, sed ipsum repræsentat. Secundò, quia sic usum fuit. Tertio fuit Arrestum latum quòd sufficit adjornare præpositum *de Rochefort* à quo fuit appellatum, supposito quòd non fuerat adjornatus dominus *de Rochefort*, videlicet dominus *de Reparia*, dominus *de Rochefort*. Sed * videtur contrarium. Primò, quia Ordinationes Parlamenti dicunt contrarium, scilicet quòd necesse est dominum adjornare cum intimatione ut habeat Baillivum repræsentare, quæ Ordinationes ligant omnes, & sunt exemplum pro aliis. Secundò, dominus solveret emendam, non Baillivus: ergo dominus habet interesse, ut sciat fuisse appellatum ad finem quòd sustineat. Tertiò non curaret Baillivus qui emendam non solvit, vel mutari potest. Nec obstat quod suprà dicitur de præposito, eò quòd dominus potest eum desavoare, & quia non repræsentat dominum immediatè, sed haberet solvere emendam, quia firmarius * hanc causam placitavi, & est in Arresto.

* *Sed.*] Hæc servatur: Si tamen adjornaretur Iudex, dominus dò non intimaretur, non teneretur ejus appellans ad expensas. C. M.

* *Firmarius*] Et multatus lucratur, & etiam dominum exonerare tenetur sic, inf. & q. 138. sed per Const. Caroli VIII. prohibitum fuit facere præpositos firmarios, statutum ut facerent in gardia, id est meri & puri Officiales jurisdicendi, alio fine receptore, fine redemptore multarum constituto: & bene quamvis ea executio non esset executa in multis locis tempore jurisdictionis contensis Trecensis, anno 1536. ubi justa est realiter exequi: Quare hodie oportet dominum ipsum, non autem Præpositum citare. C. M.

QUÆSTIO C.

Alia.

FUit quæstio ventilata in Parlamento, anno quò suprà, videlicet an aliquis dominus Ecclesiasticus, ut Abbas *de Corbie*, se dicens exemptum ab Episcopo Ambianensi, & habere jurisdictionem exemptam ab ipso Episcopo spiritualem in dicta villa *de Corbie*, sed possit conqueri in casu novitatis, eò quòd dictus Episcopus non reddidit sibi quemdam Clericum ad sui requestam, commorantem in dicta villa, qui captus fuerat per Baillivum Ambianensem in villa Ambianensi, & reddiderat dicto Episcopo ut Ordinario, qui ab eo ipsum requisierit: & quem dictus Episcopus dimiserat abire, eò quòd nil scivit contra eum dicere dictus Baillivus. Videtur quod non * per sequentia. Primò quia dictus Episcopus est de jure communi fundatus, nec apparebat de exemptione antedicta. Secundò oportebat antequam Episcopus haberet facere redditionem ipsius, supposito quòd fieri deberet redditio quòd quæreretur an deliquisset necne, aliàs diffamaretur, si aliàs redderetur per notata per Ioannem And. in cap. pastoralis, super verb. de more. de re jud. in clc. Tertiò, quicquid dicant jura civilia & canonica, remissio in criminibus non habet fieri, nec adstringitur ad faciendum requisitus; sed si non faciat, recurratur ad suum Superiorem, non ad querimoniam, juxta not. super illo verb. de more. in d. cap. pastoralis, per Ioannem And. Quartò non dicebat Abbas quòd dictus Clericus deliquisset, maximè in jurisdictione sua. Quintò cognitio spectabat ad Episcopum, cujus esset jurisdictionis ipse Clericus, an sua, vel Abbatis, juxta leg. si quis ex aliena jurisdictione, ff. de judic. & leg. ex quacumque, ff. si quis in jus vocatus non ierit. Ex adverso fuit debiliter replicatum: & fuerunt partes appunctuatæ in Arresto.

* *Secundò.*] Ecclesia justè requisivit & fecit, igitur non potest dici turbator. Et Ordinarius regius non agnoscit exemptos vel extraordinarios Ecclesiasticos, sed ordinarios tantùm ad quos solos remittit tam quam jure communi fundatos, & à quibus exemptus remissionem petere debet. C. M.

QUÆSTIO CI.

An Mareschalli solvant emendam.

ITem nota quòd anno quo suprà, fuit dictum in Parlamento per domin. Stephanum de Grangia, quòd Mareschalli solverent emendam cùm ab eis appellabatur, vel ab eorum Præposito, & quòd non habebant ressortum, & quòd emenda semel in tali casu fuerat donata Magistro Guillelmo de Plantis. Ad idem *le Concierge du Palais* fuit condemnatus ad emendam, eò quòd malè judicaverat Baillivus suus, à quo fuerat appellatum in Parlamento: & fuit Arrestum prolatum super hoc in Parlamento, initiante anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo octavo.

Facit quod dici solet, neminē debere duci in carcerem, nisi prius appareat eum deliquisse, l. 2. C. de exact. lib. 10.

QUÆSTIO CII.

An defuncto fieri possit testamentum, seu ordinatio.

ITem nota quòd eodem anno in Parlamento vidi quamdam Commissionem Officialis Senonensis, tunc Archiepiscopo Senonensi existente domino Guidone *de Roya*: per quam mandabat fieri testamentum & Ordinationem cuidam de subditis suis qui intestatus decesserat: * per quam quidam Curatus subditus suus, & defunctus Curatus fecerat, ut narrabat amicis defuncti convocatis, quamdam Ordinationem seu testamentum dicti defuncti, narrando quòd talis defunctus legaverat tali, &c. Quod stare non potest: quia erat loqui facere defunctos, maximè quia ibidem dicebatur, legavi tali & tali &c. sed illud est damnatum.

* *Decessisset.*] Aliàs enim solent etiam cadavera defunctorū ab intestato angariare, vel tributū exigere, quod etiam

Dominus Petrus Lysetus patronatu fisci fungens, jus sanè aliter esse declarabat, ut vidi & audivi. C. M.

QUÆSTIO CIII.

ITem eodem anno fuit pro concluso dictum per Arrestum, quòd dictus Archiepiscopus non habet prisiam * in suo Archiepiscopatu ratione jurisdictionis spiritualis.

* *Prisiam.*] inf. q. 246.

QUÆSTIO CIV.

An causæ novitatis sit remissio facienda domino.

ITem 14. die mensis Martii ejusdem anni fuit dictum per Arrestum, pro Procuratore Regis, &

Symone *Pichart* contra Religiosos sancti Germani de Pratis, quòd malè appellaverant à Præposito Parisiensi qui tulit Sententiam contra eos, & pro dicto Symone; videlicet quòd ad dictos Religiosos non fieret remissio cujusdam causæ querimoniæ novitatis, in qua conquerebatur dictus Symon de ipsis quorum erat subditus. Et fuit ratio, quia etiam conquestus fuerat de quodam nomine Andræas, unà cum ipsis Religiosis, cujus causæ cognitio debebat remanere penès dictum Præpositum: & sic trahebat cognitionem causæ inter dictum Symonem & Religiosos; quia causa non poterat nec debebat dividi, nec ejus continentia. Item & per hoc non obstat quòd inter subditum * & dominum non cadit novitas nec querimonia novitatis, &c. quia hoc verum est in casu in quo non est querimonia, nisi inter dominum & subditum solum: sed si esset inter subditum ex una parte, & dominum & alium ex altera, cujus alterius debet habere Rex cognitionem per præventionem, cùm per præventionè habeat cognitionem casus novitatis, illa cognitio attrahit ad se cognitionem querimoniæ domini & subditi, ne fiat divisio continentiæ causæ, ut erat hîc. Item nec refert an petierit remissionem ille alius unà cum Religiosis dictis, & quòd sit subditus Religiosorum cum ipsis: nec causæ, in quantum ipsum tangeret, fieri debet remissio.

* *Subditum.*] Nisi possit & velit professus negare se subditum, Dixi in Consuet. Paris. tit. 3. adde inf. q. 125. C. M.

QUÆSTIO CV.

An Litteræ Status extendantur ad Regem.

VIdi in eodem Parlamento, quòd quando Rex concedit alicui aliquas Status Litteras, non comprehendit causas quas habet cum illo cui concedit, nisi de hoc expressè fiat mentio. Ratio, quia in Sententia generali non comprehenditur persona loquentis, l. inquisitio, C. de solution.

QUÆSTIO CVI.

An possit fieri arreragiorum prosecutio coràm Judice Ecclesiastico.

FUit dictum per Arrestum Curiæ pro Episcopo Parisiensi, & quodam de Camera Inquestarum filio Magistri de garnitionibus, Regis Consiliario, quòd causa non erat realis * sed personalis: & ideò cognoscere poterat Officialis Parisiensis, in qua petebat dictus filius coram dicto Officiali, contra Ioannem *Ambigeois* juniorem, quòd condemnaretur ad arreragia certi reditus virtute Promissionis & Contractus personalis, cùm non concludebat per medium reale, cùm non fuerat in possessione reditus positus dictus filius.

* *Realis.*] q. 51. inf. q. 191. C. M.

QUÆSTIO CVII.

An plures produci possint quàm decem testes super singulis articulis.

ITem dictum fuit pro domino Vicecomite *de Thoüars*, & domino *de Choüars*, quòd licet scripsissent in suis Scripturis in casu novitatis, contra habitantes Rupellæ, quòd posset * quilibet producere decem testes super articulis generalibus & particularibus. Ratio, quia si quilibet separatim scripsisset, sic facilè & facere potuissent: nec debuerunt esse deterioris conditionis si simul in suis scripturis scripserunt, quàm si separatim; quia coacti per Ordinationem Curiæ fecerunt. Sed certè imò non fuit hoc per Arrestum dictum; sed partes fuerunt appunctuatæ, quòd partes traderent Curiæ aliquam schedulam super hoc, & Curia adviseret super hoc. Tamen absque aliqua pronuntiatione super hoc obtinuerunt, habitantes in casu possessionis, nec sciri potest quid egit Curia super hoc incidenti.

* *Posset.*] Imò Const. Caroli VII. super stilo art. & Ludov. XII. an. 1499.

art. 13. loquitur in rem. Et si sit idem facti eadem conclusio libelli, etiam si sint plures simul agentes vel simul juncti habentur pro uno; aliàs semper fiet fraus, quia volens producere 20. testes super uno articulo, sufficiant aliquem qui se adjungebat ut quilibet super eodem 20. testes produceret. Secùs si diversæ fines & libellos haberent, vel diversa media, quia tum essent diversè facta. C. M.

QUÆSTIO CVIII.

An quis recepi debeat ad allegandum se habere privilegium piscium.

PEr Arrestum fuit receptus Episcopus Belvacensis ad saisinam per me pro eo propositam, contra Procuratorem mercaturæ & regium Procuratorem, quod poterat capere seu capi facere pisces per Bellovacum, vel ejus diœcesin transeuntes, qui de mari Parisius adducebantur per mercatores pro vendendo pro hospitio suo, quandiu erat in Bellovaco, vel sua diœceti, justo pretio tamen: Pro ipso allegabam, l. si quis sepulchrum, in prin. ff. de reli. & sumpt. fun. l. venditor, §. si constat, communia prædi. c. super quibusdam, de verb sig. c. in aliquibus in fine de decimis, Extravag. vas electionis in fi. c. 1. de præsc. lib. 6. l. hoc jure, §. ductus aquæ, ff. de aqua quot. & æsti. cum similibus, & plura exempla quæ poteris videre circa finem hujus papyri. Item quia est Par Franciæ dictus Episcopus, & ejus fuit à tempore cujus initii non extat memoria.

QUÆSTIO CIX.

An bona Clerici conjugati in habitu & tonsura condemnati per jurisdictionem spiritualem pro suis demeritis, in jurisdictione spirituali Diœcesani existentia, & temporali Regis spectent ad Regem, vel Episcopum diœcesanum.

FUit dictum per Arrestum, sed per consilium * regium ac peritorum, pro Episcopo Parisiensi, contra dominum Guidonem *de la Trimoille*, dominum de Sulyaco, quòd bona mobilia Magistri Oudardi *Destainville* Clerici conjugati in habitu & tonsura existentis Parisiis in domo dicti Oudardi, in jurisdictione regia temporali, spectabant ad dictum Episcopum in cujus jurisdictione spirituali erant: qui dictus Oudardus fuerat pro suis demeritis condemnatus per jurisdictionem spiritualem *de Montpellier* ad carcerem perpetuum.

* *Consilii.*] Quod hodie vocant magnum consilium, & sic eorum judicia non erat Arrêsta, nec tantæ auctoritatis ut Curia Parlamenti. C. M.

* *Erant.*] Imò non erant, quia jurisdictio spiritualis etiamsi habeat fines & limites, c. quia judicante de præscription. non tamen territorium, sicut Theologi rectè dicunt de Angelis pro bene sunt in loco, sed non de loco nec locati, quia non conscribuntur loco, nec dimensionibus, quum sint res merè spirituales. Per mobilia, quia non sequebantur personam, spectabant ad dominum temporalis Jurisdictionis loci. C. M.

QUÆSTIO CX.

An Decanus & Capitulum Parisiense sint exempti à Præposito Parisiensi.

FUit dictum per Arrestum contra Decanum & Capitulum Parisiense, pro regio Procuratore, quòd tenentur placitare coram Præposito Parisiensi, & Baillivo de Corbellio in sua sede de Corbellio, licet nõ tenerentur placitare coram ipso in sua sede Parisiensi.

QUÆSTIO CXI.

Quando processus sunt apportandi ad Curiam expensis communibus.

Dictum fuit per Arrestum pro procuratore Ducis Burgundiæ ac hospitalarii Hierosolymitani, contra quemdam nominatum Symonem, quondam receptorem prioris Campaniæ Hierosolymitani, quod quidam processus qui fuerat factus coram certis commissariis à dicto domino Duce datis, à quorum sententia fuerat appellatum in Parlamento per partem dicti Symonis, afferretur ad Parlamentum, communibus expensis. *

* *Expensis*] Hodie servatur quod expensis appellantis. Sententia verò per appellatum, vel latitantem. C. M.

QUÆSTIO CXII.

An clericus non conjugatus teneatur respondere in Curia Parlamenti.

Dictum fuit per Arrestum contra quemdam mercatorem Paris. nominatum Guillelmum. Quippe, quòd responderet in Curia Parlamenti super quodam contractu per ipsum inito, qui dicebatur fraudulosus, quamvis esset clericus non conjugatus in tonsura, & habitu tam etiam parti quæ requirebat annullationem cujusdam executionis factæ ad requestam dicti Guillelmi virtute Literarum obligatoriarum sub sigillo Castelleti passatarum super dicto contractu, quam Procuratori regio, qui emendam requirebat, &c. Ratio potuit esse: quia fraus * dicebatur commissa in contentis in Literis obligatoriis sub dicto regio sigillo passatis: ut fuit aliàs dictum contra quemdam de Rhemis in casu simili per gentes requestarum.

* *Fraus.*] Imo quandiu mercaturam exercet, non utitur privilegio. Et vidi decidi quod etiam ratione ludi palmæ non uteretur. C. M.

QUÆSTIO CXIII.

An sufficiat in garendum aliquem adjornare ad procuratoris personam.

Fuit dictum per Arrestum, dominum Ducem Burgundiæ malè fuisse adjornatum in garendum ad personam procuratoris, & obtinuit congedium & expensas, me placitante. Secundò dictum fuit quod non tenebatur procurator ejus generalis in Parlamento respondere ad summationem super garendia, cùm malè fuisset adjornatus, & congedium, & expensas obtinuisset.

QUÆSTIO CXIV.

Nota confessionem parti eidem nocere aliquotiens.

Item quod Ægidius *Foretz*, fuit condemnatus * per Arrestum Curiæ in 60. libras Parisienses eo quòd Magister Joannes *Fideil* ipsius Advocatus confessus fuit placitando, quod unà cum parte sua adversa, videlicet Religiosis de sancto Pharone de Meldis concordiam fecerat, lite super hoc in Parlamento pendente, & absque Curiæ licentia. Et tamen quia dicti Religiosi non fuerunt hoc confessi: nec fuit contra eos probatum, non fuerunt in emenda condemnata.

* *Condemnatus*]; Quod est iniquum, & hodie meritò spernitur. C. M.

QUÆSTIO CXV.

An Episcopus Parisiensis possit suas Litteras citatorias in causa appellationis in domo Archidiaconi Parisiensis facere exequi.

Fuit dictum per Arrestum contra Archidiaconum magnum Parisiensem pro Episcopo Parisiensi, quod dictus Archidiaconus non erat admittendus ad possessionem & saisinas suas in quibus se dicebat esse, videlicet quod Episcopus Parisiensis non poterat citare, seu suas literas citatorias exequi facere in causa appellationis à Curia spirituali dicti Archidiaconi ad dictum Episcopum emissæ, in domo dicti Archidiaconi in qua suam tenebat. Rationes ad hoc primo quia dictus Archidiaconus confitebatur quod à Curia sua spirituali quam in dicta domo sua tenebat, appellabatur ad dictum Episcopum vel ejus curiam spiritualem, sic seipsum confitebatur subditum dicti Episcopi quoad hoc; nec obstat quod dicta domus sua erat in jurisdictione Decani & Capituli: * quia eo ipso quod patiebatur dictum Archidiaconum suam jurisdictionem ibidem tenere, quam sciebant, vel scire debebant esse subjectam dicto Episcopo, & à qua ad ipsum Episcopum appellabatur, tacitè consentire videbatur dictum Episcopum ibidem posse suas Literas citatorias in causa appellationis exequi. Nec obstat quod essent exempti, quia Episcopus erat fundatus de jure communi ante eorum exemptionem, & etiam tacitè, quoad hanc exemptionem eorum renunciare videbantur eo quòd patiebantur ipsum Archidiaconum tenere jurisdictionem suam in dicta domo à qua ad dictum Episcopum appellabatur. Item dicebatur quod non posset dictus Episcopus dictas suas Literas exequi facere in loco ubi tenetur jurisdictio eidem subjecta, & à qua ad ipsum appellatur, esset juri non consonum. Item nec est recepribile quod Episcopus utatur Literis rogatoriis in hoc casu, cum quia fundatus de jure communi in tota sua diœcesi, & quia ridiculum esset quod superior suum inferiorem requirat.

* *Capituli.*] Sic in hoc. exempt.

QUÆSTIO CXVI.

Alia plura notabilia quæ vidi pronuntiari in Parlamento initiante anno 1587. Non est consuetudo recipienda, quod renuntians appellationi infrà octo diès solvat emendam 60. librarum Parisiensium.

Primò per Arrestum fuit dictum per dominum Arnoldum *de Corbeya*, primum Præsidentem, quòd consuetudo, usus, & communis observantia per me propositæ pro majore, & scabinis *de Lens*, contra Nicolaum *le Boudre*, quòd in villa & Bailliva Attrebatensi ad cujus consuetudines se regulabat villa *de Lens*, tenebatur ad emendam 60. librarum Paris. appellans renuntians appellationi infrà 8. dies: * supposito quòd non appellasset ad Parlamentum non erant recipiendæ nisi emendæ 60. solidorum cùm appellabatur à Judice regio, & renuntiabatur infrà octo dies. Contrarium dicebam, quia non erant contra jus divinum, naturale, nec bonos mores: nec docebant peccatum mortale, sed refrenabant temerè appellantes ab appellationibus temerariis: & erant solùm contra jus partium, & contra commodum bursale ipsarum, & etiam quia de jure temere appellantes in emenda condemnantur 60. librar. Sed dicebat

* *Octo diès*] Quæ scripsit in Consuet. Paris. §. 51. glos. 1. num. 223. C. M.

Præsidens antedictus quòd hoc verum quando declarabatur malè appellatum. Et dicebam quòd satis apparebat malè appellasse, cùm renuntiabat, propter metum malæ appellationis, nec aliàs sciri poterat an bene vel malè appellasset, nisi cognosceretur de appellatione.

QUÆSTIO CXVII.

Non est quis recipiendus ad volendum legere in facultate Decretorum de mane, & hora prima Decretum, quamvis sit Doctor.

EOdem Parlamento fuit dictum per Arrestum pro facultate Decretorum contram quemdam Doctorem ejusdem facultatis nuncupatum dominum Amedæum de Brollio, quod non erat recipiendus ad volendum legere lectionem matutinalem ejusdem Facultatis, quam volebat legere unà cum decreto hora prima, & super lectura decreti quam volebat legere, cujus lecturæ faciendæ dicebat se obtinuisse licentiam, sed fraudulosè, ut dicebat Decreti facultas antedicta, & super aliis excessibus fuerunt appunctati in factis contrariis.

QUÆSTIO CXVIII.

An in causa appellationis sufficiat judicem domini adjornari.

VIdi dici, quòd sufficiebat adjornasse *le Prevoſt*, * *de Saiſenne, qui eſtoit Fermier pour la Ducheſſe d'Orleans, au cas d'appel : combien que ladite Ducheſſe ne fuſt pas adjornée.* Ratio quia non repræsentat dominam, * & potest desavoari, & solveret emendam.

* *Prevoſt*.) Hodie secùs, ut dixi supr. eo. q. 92. C. M.

* *Dominã*.) Quia eo tempore non dominæ, sed proprium (ut pote firmarius) negotium gerebat. ergo Ecclesiastici firmarii, & quæstuarii suam tantùm burtam repræsentant. C. M.

QUÆSTIO CXIX.

An liceat judicem adjornare, non locum tenentem in causa appellationis.

VIdi etiam dici quòd non sufficit * adjornare aliquem judicem in causa appellationis cujus locum tenens, ut Comissarius regius virtute Literarum regiarum directarum dicto judici, & ejus locum tenenti, gravat partem, non autem dictus judex. Ratio, quia facit ut Commissarius regius, non ut locum tenens, & gravavit partem, non autem dictus judex.

* *Non sufficit*.) Hodie hæ formulæ non ita scrupulosè exiguntur, quia non solent judices ita severè, ut olim, mulctari : sed si mulcta opus sit, tunc dictus Commissarius adjornari debet fa. inf. eo q. 169. C. M.

QUÆSTIO CXX.

An procuratorium valeat in quo Baillivus obligat bona Baillivatus, non sua.

VIdi dici quòd sufficit quòd Baillivus alicujus domini adjornatus in causa appellationis faciendo procuratorium, in hac causa obliget bona sui Baillivatus : nec sua obligare tenetur, cùm in hoc repræsentet dominum : & quæ fecit ut Baillivus fecit.

QUÆSTIO CXXI.

An dominus subjecto suo dare teneatur assecuramentum.

QUæstio fuit in eodem Parlamento an dominus præstaret assecuramentum subjecto suo. Aliqui dicebant quòd non tenebatur, quia non auderet si daret facere de eo justitiam, ne sibi imponeretur quod infringeret assecuramentum. Et allegabant, *que le Vicomte de Paillignac*, non dedit in causa simili. Alii dicebant contrarium : * quia præstare illud non impediebat facere justitiam de subjecto suo, & allegabant quòd dominus *de la Bove*, dedit subjecto suo, & dominus Flammingus *de Crevecueur*. Finaliter partibus auditis positum fuit in consilio.

* *Contrarium*.) Et benè quicquid dicant imperiti formularii. C. M.

QUÆSTIO CXXII.

Monachi non succedunt.

DIctum fuit per Arrestum quòd quidam Religiosus Cluniacensis non erat admittendus ad dicendum se saisitum, nec ad conquerendum in casu novitatis de successione cognati sui. Ratio, quia Religiosi non succedunt in patria * consuetudinaria.

* *Patria*.) Nec Monasterium pro eis idem generaliter etiam in patria juris scripti Guil. Benedict. in Rep. c. Raynutius ver. & uxo. no. Adelas. num. 220. de testa. Idem de Rhodiensibus, seu Maltiensibus, ut dixi in cons. Paris. §. 252. C. M.

QUÆSTIO CXXIII.

*An dominus teneatur ratione combustionis * per suum familiarem facta.*

PRo domino *de Folleville*, Consiliario regio, scholares de Sorbona fuerunt condemnati ad reficiendum quamdam domum quam ab ipsis tenebat ad vitam, sic quòd in ea habitare posset, licèt quidam ejus cognatus secum morans per suam culpam combussisset eam, & fuit dictus dominus *de Folleville*, absolutus super prosecutione quam contra eumdem faciebant dicti scholares pro dicta combustione, & fuerunt hinc inde expensæ compensatæ. Contra dictum dominum optimè faciebat l. videamus in prin. ff. locati. *

* *Combustionis*.) Roma. cons. 401. Alex. cons. 30. lib. 1. ubi dixi. C. M.

* *Locati*.) Ideò valdè suspectum est illud Arrestum. C. M.

QUÆSTIO CXXIV.

Quid operentur verba, nonobstant que les parties ne soient des jours dont l'on plaidera lors.

DIctum fuit pro domino *de Nevery*, contra dominam *du Mes*, quòd anticipatio sua in causa appellationis quam fecerat dicta domina, erat bona, non obstante quod diceretur in ea quod adjornaretur domina ad certam, & competentem diem præsentis Parlamenti, non obstante quòd sederet, & non dicebatur extraordinaria, & tamen ordinarii erant venturi, & assignata fuerat dies extraordinaria. Et ratio fuit, quia dicebatur, *que nonobſtant que les parties ne ſoient pas des jours dont l'on plaidera lors*, quod sufficiebat,

QUÆSTIO CXXV.

Quid si anticipatio in causa appellationis non sit bona: an per hoc relevetur appellans.

ITem dicta domina non relevaverat suam causam appellationis. Ex quo dicebant aliqui quòd Magister Jouines de Nulliaco Advocatus, pro ipsa imprudenter impugnabat anticipationem domini *de Nevers*, per quem relevata erat dicta domina a relevatione sux causæ appellationis: Ratio, quia si dictum fuisset quòd anticipatio non esset sufficiens, adhuc fuisset quòd dicta domina quæ non relevaverat suam appellationem, solvisset emendam, & quod esset sua appellatio deserta, tum quia non relevaverat, tum quia non fuisset per anticipationem relevata, cùm non esset sufficiens per Prepositum dictæ dominæ: & sic oporteret dicere, quia alius quid fieret de appellatione, & si imputaret domina quare impugnaret anticipationem, quamvis dictus de Nulliaco diceret contrarium: quia sive bona, sive mala esset anticipatio, erat domina relevata ab impetratione adjornamenti in sua causa appellationis, quia mera tres menses a tempore interpositæ appellationis sux fuerat ipsa anticipatio impetrata, [illegible] tamen non fuit decisum, eo quòd anticipatio fuit dicta bona, & adjornamentum virtute ipsius factum bonum.

QUÆSTIO CXXVI.

De beneficio Procuratoris regii.

DIctum fuit in eodem Parlamento quod beneficio Procuratoris regii pars procederet adjornata, licèt esset adjornamentum minùs sufficienter factum tam ad requestam Procuratoris quàm partis secum adjunctæ: eo forte quia non continebat ad diem extraordinariam, sed ad certam, & competentem diem, & fuerat factum ante dies ordinarios ad diem extraordinariam: nec haberet contra partem contrarium pars ordinaria. Sic alias vidi in materia regalix, ut suprà.

QUÆSTIO CXXVII.

Ex æquitate Curiæ adjornamentum esse bonum.

DIctum fuit adjornamentum bonum quod fuerat factum ad requestam domini Guillelmi *de [illegible]*, contra dominum *d'Ambois*, licèt ante Parlamentum finiret impetratum exequendum ad dies ordinarios Parlamenti proxime tunc futuri a data adjornamenti: quod fuerat executatum 17. die mensis Decembris, Parlamento tunc proximè futuri a data dicti adjornamenti ad dies ordinarios Parlamenti futuri dicti mensis Decembris. Et fuit ratio æquitas Curiæ: quia non communiter servientes, & non partes vocant dies suos ordinarios Parlamentum, & fuit error servientis, non partis: & tunc fuit facta inhibitio per Parlamentum ne de cætero uterentur his verbis ad Parlamentum futurum pro suis diebus; & si fecerint seu facerent, esset ut decretum adjornamentum nullum de cætero, & fuerat factum in Pictavia dictum adjornamentum.

QUÆSTIO CXXVIII.

Quando accordatum obstet.

ITem dictum fuit pro domino Joanne *de Hanes*, contra Joannem *Cossart*, quod dictus *Cossart*, non erat recipiendus ad propponendum accordum factum inter ipsum, & dictum dominum *de Hanes*, ut dicebat, eo quod dicebat mediante dicto accordo, ipsum *Cossart*, pecuniam solvere debere infra certum terminum, quam non solverat: & etiam quia licet retinuissent partes licentiam Curiæ, nondum erat accordum per Curiam passatum.

QUÆSTIO CXXIX.

An faciat interruptionem non petens defectum contra non præsentatum, nec adjornatum in eodem Parlamento.

EOdem anno dictum fuit pro Procuratore regio, & *Baudouyn de Ster*, actoribus, contra Joannem *Becquet*, quòd licèt idem *Becquet*, adjornatus ad arramenta cujusdam causæ resumenda, vel deferenda, ad diem Dominicam de Quasimodo, non se præsentasset nec dicti actores, ad quorum requestam adjornatus erat, cepissent defectum contra eumdem in eodem Parlamento: sed in Parlamento sequenti post dies Ambianenses ordinario dictarum partium, requisissent habere defectum contra eumdem, qui non fuit eisdem concessus: sed solùm adjornatus in eodem Parlamento ad videndum eisdem defectum concedi, si concedi deberet, & ad videndum utrum esset adjudicatum. Et pro ipso obtinendo dicebant actores. Primò quòd obtinuerant defectum in fine Parlamenti per concessionem defectuum generalem contra non præsentatos. Secundò, quia in eadem anno fecerant adjornari dictum *Baudouyn*, super utilitate defectus habenda: & sic non fecerat interruptionem. Tertiò, quia Procurator regius non poterat facere interruptionem, qui erat adjunctus cum dicto *Baudouyn*. Quartò, allegari poterat Arrestum latum pro Comite *de Hampmartin*, contra Religiosos *de Chalis*. Quintò, Arrestum latum anno 1384. pro Magistro Joan. *de Dicy*, contra Magistrum Joannem *de Hanilly*. Sextò, quia alias profecisset negligentia defensoris sibimetipsi: & diligentia petentis noceret ipsi, saltem non prodesset. In contrarium allegabat: Primo, quia actores non continuaverant sua arramenta, vel processus de Parlamento in Parlamentum sic fecerunt interruptionem, nec debebant obtinere defectum, si interruptionem fecerant, & in Curia laïcali continuari debet de die in diem. Secundò allegabatur Arrestum latum pro Episcopo Noviomensi contra Abbatem & Conventum S. Eligii, quod est in stylo nostro sub titulo de contumacia & defectu, & utilitate ipsorum super actione personali. Tertiò, quia actores debent facere diligentiam; nam rei est fugere, non actoris. Quarto, quia nullam diligentiam fecerant: quia non ceperant defectum in Parlamento contra dictum Joannem non præsentatum, nec ante dies Ambianenses Parlamenti sequentis. Quintò, non ceperant adjornamentum, nec in Parlamento sequenti ante dies ordinarios dicti Parlamenti sequentis pro videndo utilitatem dicti defectus adjudicari: sed post dictos dies ordinarios, & sic non continuaverant debitè de Parlamento in Parlamentum sua arramenta: quia impetraverant adjornamentum 14. die Februar. dicti Parlamenti te-

Negligens non debet esse melioris conditionis quam diligens. ar. l. servus ff. quod vi aut clam.

quentis, ad nonam diem Junii ejusdem Parlamenti: & sic post dies ordinarios dicti Parlamenti sequentis: & tamen tempus sufficiens habebant ad impetrandum ante Parlamentum sequens. Finaliter dictum fuit quod concederetur defectus, & fuit concessus: & credo quòd ratio fuit, quia in fine cujuslibet Parlamenti dantur defectus contra non præsentatos generaliter, & intra annum cœpit adjornamentum: licèt non petierit in Parlamento incœpto, nec ante dies ordinarios Parlamenti sequentis.

Item quia in favorem Procuratoris regii adjuncti, qui non facit * interruprionem.

* *Non facit.*] Id est non potest ei objici, nec exigitur ab eo, ut redimat à Cancellaria, sive à seipsa. C. M.

Item nota Arrestum latum pro Magistro Joanne *de Dicy*, anno 1384. contra Magistrum Joannem *de Rumilly*. Et pro Comite *de Dampmartin*, contra Religiosos *de Chalis*. Ita nota quòd licèt quis contra non præsentatum non petat defectum expressè: nec adjornamentum in Parlamento, quo se non præsentavit: tamen si ante dies ordinarios Parlamenti sequentis hoc petat, sibi conceditur, post autem non: sed bene adjornamentum pro videndo defectum dare, si dari debent, & utilitatem adjudicari. Ita nota quòd licèt defectus in dicta causa fuisset datus, & dictum quod traderetur Curiæ utilitas quam petebat pars: tamen defensor obtulit Curiæ quod reneret se pro adjornato, & acciperet diem appensamenti quod eidem fuit concessum, nec solvit defectus, nec expensas: eo quod pars petitoris relevabitur ab interruptione ratione adjunctionis Procuratoris regii. Sic non est arguendum de Arresto. Item nota quòd non obstante dicta concessione, fuit utilitas dicti defectus talis adjudicata, scilicet expensarum per quod innuitur nullam fuisse factam interruptionem.

QUÆSTIO CXXX.

An contribuere debeant ad fortalitium reparandum habitantes extra.

* *Extra*] Sed contra Inst. q. 137. q. 118. ad idem inf. q. 234.

Dictum fuit per Arrestum contra habitantes *de Legny sur Marne*, & pro habitantibus extra * villam *de Legny* circumcirca, quod hi non contribuerent ad fortificandum dictam villam.

QUÆSTIO CXXXI.

Vidua celans bona, perdit Beneficium renunciandi societati, sed non societatem etiam in celatis.

Et Arrestum dictum fuit pro domino de Flammingo *de Crevecuer*, contra dominam Joannem *de Cauroy*, dominam quondam de *Crevecuer*, viduam domini Draconis *de Crevecuer*, fratris dicti domini Flammingi, quòd non interesset beneficio renunciationis per eamdem facta per mortem mariti sui supradicti de mobilibus, & debitis communibus inter eam, & quondam maritum ejus suprà dictum tempore mortis ipsius mariti. Et fuit ratio, ut credo, quia ante ejus renuntiationem bona ceperat & celaverat: * Tamen fuit dictum quod partem suam haberet in bonis mobilibus communibus inter virum, & eam tempore mortis viri sui, & etiam celatorum per eam partem haberet.

* *Celaverat*] Nec solùm in celatis, sed in tota pars avere, ut dixit in Cons. Paris. §. 115. C. M.

QUÆSTIO CXXXII.

Caveant placitantes, ne quid contra Arrestum petant, vel veniant.

Per Arrestum dictum fuit contra quosdam particulares Aurelian. quod emendarent de 60. lib. Parisiensibus, eo quòd *Magister Joannes de Nailly*, eorumdem Advocatus instantissimè contra Arrestum per dominum Arnoldum *de Corbie* prolatum, petebat Universitatem Aurelianensem admitti ad capiendum advoamentum dictorum particularium, & eos poni extra processum in causa quæ erat ratione contributionis taillarum, & impositionum Aurelis currentium, petitæ per villacentes Aurelianenses fiendæ per dictos particulares, qui se studentes dicebant: & per consequens exemptos, quamvis fraudulosè, ut dicebant villacenses antedicti, & revera fuit dictus Advocatus super emenda bene callidè, & de prope captus. Sed fuit, ut audivi, causa, ut exteris cederet in exemplum, & quia satis animosus: fuit etiam in Curia multùm altercatum an unam omnes, vel quilibet dictorum particularium emendam solveret, sed decisum fuit quod unica solum.

QUÆSTIO CXXXIII.

Ordinationis regiæ effectus super impetrandis adjornamentis in causis appellationum ab interlocutoriis factarum.

Facta fuit Ordinatio 22. die Julii anno Dom. 1388. continens sequentia. Primò, quod instrumenta appellatoria ostendantur in Cancellaria ab illis qui voluerint obtinere adjornamenta in causis appellationum ab interlocutoria, vel gravamine factarum, alias non obtinebuntur adjornamenta. Secundò, quod gravamina ponantur * in adjornamentis, & quod in ipsis adjornamentis exprimatur an fuerit appellatum ab interlocutoria, vel diffinitiva. Tertiò, quod non dabitur adjornamentum in causis arrentorum, nisi fuerint commoda * antedicta adjornamenta: & dicatur in adjornamentis facta fuisse ipsa post inhibitionem. Quarto, quod tunc dabitur cum informatione præcedente. Quintò, quod tunc fiat adjornamentum ad dies ordinarios, ad quos appellatio devolvitur jure ordinario. Et credo prædictæ ordinationis rationem, ne absque causa fungarentur Jud cesregii, & ad dies diversos. Secundùm quod fuit Magister portuum, & passagiorum regiorum, qui ad instantiam villæ Massiconensis fuerat super arrentatis adjornatus ad comparendum personaliter, quamvis non essent arrentata, quia ante inhibitionem. Sic fuit dictum per Arrestum pro ipso Magistro, & contra dictam villam, quæ ob hanc causam fuit condemnata in expensis dicti Magistri, me pro ipso placitante, nam judex non est adjornandus super arrentatis, sed pars ad cujus utilitatem, & requæstam est processum, maxime ante inhibitionem.

* *Parisiis*] Renovatum per Lud. XII. anno 1512. art. 137. Coutume de Paris.

QUÆSTIO CXXXIV.

An decima vini solvi possit de pressoragio.

Anno Domini 1356. & anno 1388. die 7. Septembris fuit pronuntiatum pro Episcopo Belvacensis,

contra

contra Religiosos *de Bores*, quod possessiones eorum non erant recipiendæ, in quibus esse se dicebant, scilicet quod erant quitti de decima vini solvendo de pressoragio suam decimam absque solutione pro mera gutta, de mera gutta, & pro pressoragio de pressoragio.

QUÆSTIO CXXXV.

An quis sit recipiendus ad proponendum possessionem quod sit in possessione Curæ vel beneficii.

ITem nota quod non sunt possessiones receptibiles, quòd quis sit in possessione Curæ, * seu beneficii alicujus.

* *Curæ.*] Optimè dicit si reputarent se procuratores, ut in c. 1. de donat. vel simplices dispensatores juxta Paul. 1. Cor. 4. Si eam administrationem converterunt in dominationem, & prophanam ditionem admiserunt; jamdudum contrarius usus invaluit, ut nolli sint litigiosiores, quamvis Paul. 1. Cor. 6. l. civilis. C. de testam l. consulta dicant hoc eis esse dedecori. C. M.

Item non refert an quis dicat se esse in possessione, & saisina alicujus Curæ, & percipiendi fructus ipsius Curæ, & quod in perceptione fructuum fuit turbatus, vel solùm dicere se esse in possessione, & saisina Curæ vel Beneficii talis ad causam percipiendi fructus ejus, &c. nam licet quælibet querimonia sit benè formata in judicio, & placitando dicat se esse in possessione, & saisina Beneficii, & percipiendi fructus, non videtur tamen benè dicere, quia contendit de re merè spirituali, in eo quod dicit in possessione, & saisina Curæ vel Beneficii: ut credo non minùs reciperetur per hoc cùm dicat percipiendi fructus ipsius, nam (ut quidam dicunt) Curia noluit passare querimoniam super debato * corporis Christi, quia merè spirituale.

* *Debato.*] Oppositum communium est, & Ipse vidi multas hujusmodi possessorias admitti præcipuè inter Cordigeros, & curatos vicinos: ut insignis illa inter dom. *du Bellay* Curatum S. Severini actorem in casu novitatis, contra Cordigeros opponentes, & contrarias super hoc possessiones sustinentes anno 1531. in requestis Palatii: deinde per appellationem in Curia, ubi rursus Arresto decisum. C. M.

Item aliud est dicere se esse in possessione, & saisina Præbendæ, & dicere in possessione, & saisina Curæ vel Beneficii, quia primum receptibile cum Præbenda contineat temporale: ideo fuit recepta querimonia Episcopi Pictavensis contra quemdam pro quo eram, sed in alio casu non reciperetur cùm esset merè spirituale: vide quod not. c. fi. de Præbend. in cle.

QUÆSTIO CXXXVI.

An quis se & sua bona possit dare aux 300. de Paris.

ITem, *entre les Quinze-vingts*, aliàs *les 300. de Paris*, actores ex una parte, & Episcopum Parisiensem ex altera, dictum fuit quod dicti actores sunt admittendi ad proponendum quod erant in possessione, & saisina quod quando aliquis donat se, & sua ipsis, quod bona eis quæruntur. Cujus contrarium dicebat dictus Episcopus. Et ultrà dictum fuit per Arrestum quod impedimentum quod in dictis bonis apposuerat dictus Episcopus tanquam in bonis vacantibus in alta * sua justitia existentibus, amovit Curia, ipsum in expensis condemnando.

* *Justitia.*] Quærere debebat via Avenionis, ut intelligatur tenerentur immobilia ponere extra manus suas, scripsi in Consuet. Paris. § 41. C. M.

QUÆSTIO CXXXVII.

An habitantes extra villam sint cogendi ad murorum villæ reparationem.

INter habitantes & communitatem villæ *de Vernone* actores ex una parte, & habitantes villarum sancti Sulpitii *de la Chapelle de S. Ouyn*, & aliarum circumvicinarum ex altera: dictum fuit quòd defensores in quantum tangit muros, non sunt admittendi; in quantum tangit fossata, sunt admittendi: & sunt partes contrariæ, & erat contentio super reparationibus murorum & fossatorum: contrarium videtur superiùs * dictum.

* *Superius.*] Scilicet, q. 130. C. M.

QUÆSTIO CXXXVIII.

Nota quod Abbas plusquam bis in anno potest visitare in Prioratu suo.

INter Religiosos, Priorem & Conventum sancti Martini de Campis juxta Parisios, ex una parte, & Abbatem Cluniaci ex altera, dictum fuit quòd dicti de sancto Martino non sunt admittendi ad proponendum quod dictus Abbas non possit visitare in dicto Prioratu suo plusquàm bis in anno: & manutenebitur in possessione, & saisina per illum allegatis, dictos Religiosos in expensis condemnando.

QUÆSTIO CXXXIX.

Nota quod exemptus reddendus est suo judici exempto, non ordinario, cum concurrunt.

INter Religiosos sancti Germani de Pratis ex una parte, & Episcopum Parisiensem ex altera, dictum fuit quod prisionarius contentiosus redderetur dictis Religiosis.

Ita fuit aliàs dictum pro ipsis contra dominum Jacobum *de Leleu*, die Mercurii ante Pascha, anno Domini 1387.

QUÆSTIO CXL.

Intimatus non debet obtinere congedium.

DIctum fuit per Arrestum pro Guioto *l'Admiral*, contra dominam Aurelianensem, quod ipsa intimata ad requestam dicti Guioti, non haberet congedium contra dictum Guiotum, licèt * ipsius dominæ non interesset vocari, quia sit intimatio, si sua crediderit interesse.

* *Licet.*] Contrarium servatur, quia intimatio pro vera & formata licitatione habetur. Et quotidie appellantes condemnantur in expensis male intimatorum. C. M.

QUÆSTIO CXLI.

De provisione facienda super reparationibus fortaliții, & vadiis capitanei.

INter habitantes villæ & civitatis Noviomensis ex una parte, & Episcopum, Decanum & Capitulum dicti loci, & alios ex altera, dictum fuit quod provisio super contributione facienda pro reparationibus fortaliții villæ, & vadiis * capitanei per Decanum & Capitulum, necnon & per Curatos dictæ villæ de reparationibus pro sexta parte, donec aliud ordinetur. Quod ad computum Commissarii, dabuntur per Curiam pro ipso audiendo. Sic nota quod nihil fuit dictum contra Episcopum, quia dominus villæ, & castrum habet reparare.

Item fuit aliàs dictum similiter contra Cæsarum Belvacensem, & plus quia fuit facta provisio pro vadiis capitanei.

* *Vadiis.*] Id est, salariis. C. M.

QUÆSTIO CXLII.

Cassata instrumenta repugnantia, & producens meliùs status.

INter Archiepiscopum Rothomagensem ex una parte, & Magistrum Oliverium ex altera, dictum fuit quod talis utilitas virtute quatuor defectuum Archiepiscopo, & Procuratori Regio adjudicaretur, quòd duo instrumenta per Magistrum Oliverium exhibita essent invalida, quæ erant incompatibilia, quia unum continebat ipsum fuisse Avenioni unâ die, & aliud continebat eadem die & anno, ipsum fuisse Rothomagi, & ibidem fuisse receptum in Canonicum. Item in præsentia dominorum assistentium in Cancellaria, Curia cancellavit ea propter hunc errorem & defectum, & causa emendæ Regi adjudicatæ fuerunt 300. lib. & Archiepiscopo pro damnis, & interesse totidem, & solveretur Archiepiscopo antequam Regi.

QUÆSTIO CXLIII.

Condamnation faite par Arrest aux Religieux des Carmes, & au Procureur du Roy, contre Richard de Mes, & autres Sergens du Chastellet.

ENtre le Procureur du Roy, & les Religieux, Prieur & Convent des Carmes de Paris, d'une part, & Richard de Mes, Geoffroy de Mes, & Iean Savary, Sergens Royaux, defendeurs d'autre, furent par Arrest de la Cour condamnez lesdits Sergens en amende honorable: c'est à sçavoir ledit Richard nud en pure chemise, & les autres deux nuds pieds, les chapperons ostez, & en pures cottes: & qu'en celuy estat seroient amenez du Chastellet jusques à la Croix Hemon, devant le Portail de l'Eglise des Carmes, tenans, c'est à sçavoir ledit Richard une torche de cire de 4. livres, & chacun des autres un cierge de deux livres, & demanderoient pardon ausdits Religieux. Et pour faire un tableau auquel seront peints lesdits personnages, ils bailleront ausdits Religieux trente francs. Et pour amende profitable ledit Richard a esté condamné envers le Roy en cinquante livres, & autant envers lesdits Religieux: & chacun des autres envers le Roy en amende de vingt-cinq livres, & autant envers lesdits Religieux, & chacun pour le tout, & à tenir prison. Et furent privez perpetuellement de tous offices Royaux, & en dommages, interests, & dépens desdits Religieux, & sera à eux premierement satisfait.

QUÆSTIO CXLIV.

An quis sit recipiendus ad cedendum bonis.

PAr Arrest de Parlement fut receu * l'usage proposé de la ville de Tours, & par icelle que aucun n'est pas, & ne doit estre receu ad cedendum bonis suis, pour la délivrance de son corps, quand pour debte detenu est prisonnier, à laquelle payer a obligé son corps, qui est contre disposition de Droict.

* Reçu.] Scilicet ad probandum, quod erat dubium. Sed non fuit probatum, nec quicquã habetur in d. consuetudine postèà redacta. & sic non est amplius admissibile, quia etiam de jure, beneficio cessionis bonorum non potest renuntiari, ut per Doctores §. ult. instit. de act. l. ult. C. qui bo. ced. poss. dixi in annot. ad Alex. cons. 37. nu. 6. lib. 2. C. M.

QUÆSTIO CXLV.

La donation faite au mary nulle.

ITem nota, *que certaine donation qui fut faite au profit de Messire Bidant Chevalier, par sa femme, fut dite par Arrest de la Cour, nul.*

QUÆSTIO CXLVI.

An habens procuratorem non appellantem, possit infrà octo dies appellare.

ITem nota, *que par la Cour fut dit que Iacques Bernier n'estoit* * *pas recevable à proposer qu'il pouvoit appeller de la Cour du Baillif d'Amiens dedans 8. jours, puis qu'il avoit son Procureur present au jour de la prononciation de la Sentence du Baillif. Et fut trouvé sur pieds par enqueste que l'usage n'estoit pas tel qu'il fut receu à appeller dudit Baillage dedans 8. jours, puisque son Procureur avoit esté present au prononcer au profit de Iean Quesnet.*

* N'estoit.] Hodie hic rigor exolevit & bene, quia à die notitiæ, & consilii habiti appellant. adde inf q. 156. 158. 160. C. M.

QUÆSTIO CXLVII.

De provisione denegata.

PEr Arrestum fuit dictum malè judicatum per gentes requestarum, quæ fecerant provisionem illi qui hereditatem matris suæ vendiderat, & per literas authenticas confessus fuerat certam summam inde recepisse ab emptore, quia sic apparebat sibi satis provisum, & quicquid proponebat contra contractum ad eum annullandum, in causæ cognitione.

QUÆSTIO CXLVIII.

Quis manens extra regnum non tenetur in Parlamento respondere super personali actione, quamvis super hypothecaria, sic pro rebus in regno existentibus.

PRo Marquisio *de Salusses*, fuit dictum per Arrestum contra dominum de Vergario, quòd licèt ipse Marquisius, qui domicilium habebat extra regnum, responderet in hypothecaria pro rebus in regno existentibus, tamen non responderet super actione personali.

QUÆSTIO CXLIX.

Condemnatio ratione injectionis manuum in servientem regium.

ITem nota, quòd famulus Magistri Guidonis *Boyleaue*, Thesaurarii Capellæ sanctæ fuit condemnatus in emenda honorabili & proficua, ratione injectionis manuum in quemdam servientem, & ad tenendum prisionem, &c.

QUÆSTIO CL.

An habeat locum regalia in Beneficio in Curia Romana vacante.

PEr Arrestum dictum fuit pro domino Joanne *de Coulemiers*, contra Joannem *Varlet*, qui se opposuerat collationi dicto Joanni factæ per Thesaurarium sanctæ Capellæ Regiæ, de quadam Capella in Ecclesia S. Eustachii existente, prætendens sibi deberi virtute gratiæ Apostolicæ, & quod dicta Capella non vacaverat in regalia, & sic dictus Thesaurarius, ut habens causam, à Rege conferre eam non poterat, Joanne dicente contrarium, quamvis in Curia vacaverat, eo quòd ille qui antèà immediatè obtinebat dictam Capellam, erat tempore mortis suæ Capellanus Papæ, & abbreviator Cancellariæ: sic in gratia sua Apostolica cadere non poterat. Finaliter dictum fuit quòd malè se opposuerat dictus Joannes *Varlet*, &c.

QUÆSTIO CLI.

An sit recipiendus ab executore appellans.

L. ab executore, ff. de appel. & l. ab executione. C. quor. appel. non recip.

Dictum fuit per Arrestum contra Roletum *le Tendu*, pro gubernatoribus fortificationis villæ Tornacensis, quod non erat dictus Roletus, ut appellans recipiendus, eo quòd appellaverat ejus uxor, ipso absente ab executore Arresti Parlamenti executionem faciente, virtute executorii oppositionem non continentis, quia venire debuisset ad remedium: & etiam quia nesciebat diem suæ appellationis baptisare.

QUÆSTIO CLII.

An adjornamentum in causa appellationis sit exequendum ad dies loci in quo sit expletum à quo appellabatur, vel ad dies alios.

Fuit dictum per Arrestum, quòd in causa appellationis bene erat adjornamentum factum, & executatum per dominum *de Villars*, contra Guillelmum *Morée*, ad dies Masticonenses. Qui dictus *de Villars*, appellaverat à dom. Guillelmo *de Beaion*, Commissario Requestarum Parlamenti, expletum faciente in Masticonio. Item fuit dictum pro domino *de Tauvay*, contra dominum *Perceval de Cologne*. Qui dominus *de Tauvay*, appellaverat à quodam serviente Commissario Requestarum, expletum faciente in Pictavis: Eo quod impetraverat, & exequi fecerat adjornamentum ad dies Pictavenses: idem in pari casu de quodam qui appellaverat à commissione Præpositi Parisiensis ab executore ejusdem executionem faciente in Tholosa, qui exequi fecerat suum adjornamentum ad dies Senescallix Tholosæ.

QUÆSTIO CLIII.

Non est querimonia recipienda contra aliam querimoniam.

[a] Ratio] Vera est ut confusio litium vitetur, quia una sufficit, ut plenè tenpsi in Consuet. Paris. tit. in rub & §. 64. C. M.

Per Arrestum non fuit receptus dominus *de Mery*, ad se conquerendum in causa novitatis, contra aliam querimoniam factam, & executam per Guillelmum *de Prenelle*, & ad ejus utilitatem. Ratio, [a] quia Guillelmus fuerat conquestus ratione justitiæ per se elevatæ in sua justitia, & per dominum *de Mery*, de facto ad terram concussæ: & sic per suam querimoniam fuerat erecta, & dictus dominus *de Mery* ceperat querimoniam, ut destrueretur.

QUÆSTIO CLIV.

An oppositio facta contra executionem Arresti, eo quod semel ante Arrestum fuerat facta solutio, procedat.

[a] Oppositione.] Et bene, l. Si fullo, & ibi Paul. de condict. sine causa Alex. l. Imperatores in fi. de re jud. cusi. 69. lib. 5. C. M.

Omni *Thibert* fuit facta solutio de quodam debito suo, post ejus mortem executores ejus idem debitum petierunt, & in Parlamento Arrestum obtinuerunt, sed quia in executione Arresti facienda apparuit facta fuisse solutio dicto *Thibert*: obtinuit condemnatus in oppositione [a] quam fecit contra dictam executionem. Ratio, quia eadem erat persona executoris, & *Thiberti*.

QUÆSTIO CLV.

Comment le Prevost de Paris fut condamné en amende par Arrest.

Item nota, *que sur la fin du Parlement, qui commença le lendemain du premier de l'an 1387. fut donné un Arrest contre Messire Ardonyn Chauderon, Chevalier, Prevost de Paris, au profit d'un pauvre homme & de sa femme, par lequel il fut envers eux condamné en amende profitable de dix livres parisis, pource qu'en plein Parlement, après ce qu'on eut contre luy plaidé une cause d'appel pour ledit pauvre homme, & pour un écolier avec ledit pauvre homme, ledit Prevost vint tout émeu audit Parlement: & en disant la cause pourquoy il avoit fait prendre ledit écolier, il dit publiquement & par plusieurs fois, qu'iceluy écolier gisoit en un lict avec ladite femme dudit pauvre homme, & bien le prouveroit: & lors de la partie dudit pauvre homme & de sa femme, fut requis que le Prevost leur amendast sur pieds* [a] *d'amende honorable & profitable: & pareillement fut requis de la partie du Procureur du Roy, qu'il amendast au Roy sur pieds desdites paroles injurieuses qu'il avoit dit en ladite Cour, d'amende profitable & honorable, & furent allegnées raisons, & Arrests d'un costé & d'autre, & mesmement qu'il estoit notoire à nos sieurs, ut judicibus. Plaidoyé fut longuement, & grandement d'un costé & d'autre: finalement fut la chose mise au Conseil se le Prevost l'amenderoit ou non, dont plusieurs de la Cour, & la plus grande partie qui estoient d'accord que le Prevost l'amendast sur pieds au Roy & à partie, & furent mal contens de Messire Arnoul, qui lors tenoit le siege, & estoit premier President, de ce qu'il ne luy fit amender. Car pendant le delay ledit Prevost eut une grace du Roy: lequel luy quitta toute l'amende honorable, & profitable qu'il pouvoit à cause de ce avoir encouru envers luy: & aussi luy quitta & remit l'amende honorable qu'il avoit peu encourir envers partie. Et icelle presenta à part, à la Cour, & y fut obtemperé par la Cour, & par le Procureur du Roy à part. Et depuis par Arrest fut ledit Prevost condamné envers lesdits pauvres conjoints en dix livres parisis pour amende profitable, & és dépens; & n'en eurent point d'amende honorable, obstante ladite grace.*

[a] *Sur pieds.*] Id est, *sur le champ*, ut patet inf. eo. q. seq. Sed hic potest intelligi standō non genibus flexis ob dignitatem, nec ea privaretur. C. M.

Nihil habet infælix paupertas durius in se, quàm quod ridiculos homines facit.

QUÆSTIO CLVI.

Alia plura notabilia quæ vidi pronunciari in Parlamento, incipiente in crastinum beati Martini 1388.

Quando intelligitur quis esse præsens in sententiæ pronuntiatione.

Item *le premier jour plaideyable du Parlement, commençant l'an mil trois cens octante huit, lendemain de la saint Martin d'Hyver, fut dit par Arrest de Parlement, que Iean de Compoing ne faisoit à recevoir comme appellant de certaine Sentence donnée contre luy, au profit de Alips Vandraque, par le Bailly de Vermandois, pource que illicò il n'avoit pas appellé, & estoit Gauchier de Garcelles son Procureur present à la prononciation de la Sentence, ou qui le valoit, & fut le cas tel. Car quand ledit Bailly voulut prononcer ladite Sentence, après ce qu'au rolle parties furent appellées en jugement, ledit Gauchier Procureur dudit Iean, se leva & s'en alla hors de l'Auditoire, afin qu'on ne peust dire qu'il fust present au prononcer: & toutesfois l'oyoit-il bien, & sçavoit*

*bien que ledit Bailli voulsit ladite Sentence prononcer, & ladite Sentence prononcée, retourna en jugement: & puis s'en alla conseiller à Lyon pour son maistre, s'il appelleroit de ladite Sentence, & depuis luy retourné, appella sondit maistre, bien huit jours après ladite Sentence donnée. Et pource qu'il apparut bien à la Cour, veu ce cas qui assez fut par partie adverse confessé, que ce n'avoit esté qu'une fraude, fut dit sur pieds * qu'il ne faisoit à recevoir, pource que illicò n'avoit pas appellé.* Idem in eodem Parlamento fuit dictum pro Joanne *de Decy*, contra Joannem *de Grivole*, quòd non erat ut appellans recipiendus, eo quòd licèt ipse *de Grivole*, appellasset, hoc non fuerat illicò, licèt procuratorem præsentem haberet, sed fuit in crastinum sententiæ latæ: ad hoc facit, l. 1. in fi. ff. quan. appel. sit.

* *Sur pieds.*] Id est, *sur le champ*, sed vide quod dixi sup. eo. q. 146. & inf. q. 158. C. M.

QUÆSTIO CLVII.

Quod quis pro hominibus de corpore non est recipiendus ad prosecutionem querimoniæ novitatis.

ITem dictum fuit pro Decano & Capitulo Rhemensibus, contra Comitem * Flandriæ, *& de Rhetel*, quòd Comes non erat recipiendus ad faciendam prosecutionem per querimoniam in casu novitatis pro hominibus suis de corpore:* & habeo Arrestum alibi plenariè. Quare hic non plus. Et fuit latum 5. die Decembris 1388.

* *Corpore.*] Id est adscriptitios, & intellige quando dominus non habebat propinquum interesse, aliàs ex quo quasi possidet dictos hominis arg. c. authoritate, in fi. de privileg. in 6. fa. consti. Carol. VI. ar. 20. C. M.

QUÆSTIO CLVIII.

An illicò sit appellandum.

ITem habitantes *de Merenval*, appellantes à sententia contra ipsos lata, per gentes requestarum pro domina Aurelian. & quibusdam Religiosis, super causa status non fuerunt recepti * ut appellantes per Curiam Parlamenti, quia non illicò appellaverant, licèt dicerent quod de sententia non poterant esse certi, quia continebat plura membra, & testium reprobationes, admissiones, & repulsiones, & sententiam ceperant, ut super hoc deliberarent, nec ad appellandum tardarunt à tempore sententiæ, nisi per tres, vel per quatuor dies, maximè quia eorum consilium erat absens.

* *Recepti.*] Quod perquam iniquum fuit, nunquam vidi rigorem illum secuari, nisi tempore Guill. Poieti, quo dejecto cessavit, interim multæ bonæ causæ afflictæ sunt: rigor autem ille introductus fuerat ad multiplicandas appellationes ob lucrum multarum, quæ habent locum in patria consuetudinaria quas Poietus ille in Cancellariam evectus maiè, & iniquè extendit ad patriam juris scripti contra veteres fœdera, & libertates Aquitaniæ, & totius patriæ juris scripti. C. M.

QUÆSTIO CLIX.

De salvoconductu Curiæ.

ITem domini *de Poillinac*, *& de la Poulte*, usi fuerunt salvoconductu Curiæ, contra dominum de Riparia, per Arrestum, in mense Decembri 1388. prolatum.

QUÆSTIO CLX.

Cum quo quis debeat esse Advocatus.

IN Parlamento initiante an. 1388. per Arrestum fuit dictum quod Magister Odardus Advocatus regius * esset cum executoribus Cardinalis Laudunensis, Prioris S Martini, & de eodem consilio, in quantum executio dicti Cardinalis duraret, licèt antequam executores dicti Cardinalis locuti fuissent dicto Odardo, super hoc prior novus retinuisset eum de consilio suo tanquam Prior: ratio decidendi fuit, quia hereditas jacens repræsentat defunctum, & attento quod de consilio dicti Cardinalis semper fuerat dictus Magister Odardus, erat quasi continuatio cum ejus executoribus. Et idem dictum fuit quòd fieret de executoribus Episcopi Noviomensis de cujus consilio fuerat dictus Magister Odardus retentus, videlicet quod esset cum executoribus Episcopi defuncti, de cujus vivi consilio fuerat. Secùs tamen esset respectu aliorum de quorum consilio antè erat dictus Magister Odardus ad novum Priorem, & novum Episcopum, & idem in heredibus defuncti retinentis dictum Odardum, quia esset cum illis de quorum erat priùs consilio, quia esset nova retentio per heredes, vel novos Episcopos, non continuatio ut in casu præsenti: ita dictum fuit in Parlamento initiante 1390. videlicet quòd licet fuisset Magister Odardus de consilio patris Comitis Bononiensis, & post ejus mortem fuisset retentus de consilio domini Petri *de Craon*, quod esset cum domino dicto Petro, non cum Comite Bononiensi, qui post mortem patris sui, eum retinuerat, sed post retentionem dicti domini Petri, nisi in caulis cœptis tempore patris Comitis, nec est idem de heredibus, & executoribus.

* *Regius.*] Nunquam vidi regios Advocatos supremæ Curiæ pro privatis postulare, sed nec consulere donec Poietus ille anno 1431. Regius Advocatus factus frequentiam lucrosam consultationum continuavit: & reliqui deinde sic fecerunt. Quin etiam idem facitabant quidam libellorum supplicum in via Magistri, donec anno 1546. abstinere jussi sunt. C. M.

QUÆSTIO CLXI.

De statu adjudicando in regalia.

PEr Arrestum Magistro Clemente primo Regis Capellano, fuit adjudicatus status Canoniæ, & Præbendæ Tornacensis, qui habebat titulum regaliæ contra Magistrum Joannem Donatum, qui regaliam habebat, & subrogatus fuerat in jure *de Bandonyn*, & Joannem *de Travers*: & fuit ratio, quia ille per cujus mortem habebat in regalia dictus Clemens Capellanus, habuerat statum per 40. annos contra illos per cujus mortem habebat dictus Donatus.

Item Donatus qui habebat duos titulos, unum habebat post titulum Clementis antedicti, licet haberet *comme vacant* per mortem illius, per cujus mortem habebat Capellanus, videlicet *d'Enguerant*, si per illius mortem vacaret. Item fuit adjudicatus Magistro Joanni *Regnier*, de præbenda Aurelianensi contra Magistrum Ægidium *d'Etouteville*, per Arrestum latum die Sabbati 26. mensis Martii 1388. & sic fuit ut opponens receptus, quamvis se opposuisset per mensem post receptionem dicti Ægidii, quia nullum procuratorem suprà locum habebat. Sic etiam fuit cum Nicolao *de Paicy*, de Præbenda Belvacensi, contrà Magistrum Joannem *de Ruelles*, qui Nicolaus ut opponens fuit receptus.

QUÆSTIO CLXII.

An in fide non intrans & homagio per annum & diem, post mortem sui prædecessoris amittat feudum.

PEr Arrestum fuit dictum pro Symone *Spifame*, contra dominum *de Beaujeu*, quòd feudum de Symone non erat confiscatum dicto domino, quamvis contra dictum Symonem ad hoc tenderet inter alia ex hoc quòd post mortem patris Symonis, Symon non intraverat in ejus fidem & homagium intra annum & diem, cùm esset in patria juris scripti. * Sed feudum jacebat * in reditu per ipsum dominum reddendo * Parisius à quo tenebat, & dicebat se fecisse divortium. Et fuit absque factis contrariis * datum Arrestum, quamvis dictus dominus proponeret patriæ consuetudinem super hoc.

* *Scripti.*] Nihil est, quia Consuetudines feudales Infobriæ locales sunt, & pro majori parte. Non servatur etiam in patria juris scripti, ut dixi in Consuetudine Parisiensi, Tit. 1. in Rub. C. M.

* *Jacebat.*] Id est consistebat.

* *Reddendo.*] Quasi dominus dedisset solvendum Parisiis, quem creditor à debitore teneret in feudum, quod est tam novum quàm rarum, vel quasi dominus directus redditus feudalis acquisivisset feudum super quo debetur. C. M.

* *Contrariis.*) Id est pretensa consuetudo non fuit admissa. C. M.

QUÆSTIO CLXIII.

Nota de nimia taxatione emendæ.

FUit per Arrestum pronuntiatum pro Joanne *de Vertus* de villa *de Bannoillet*, quòd malè fuit pronuntiatum per Præpositum Parisiensem, qui ipsum in emenda 500. francorum aurei condemnaverat, & ejus sententiam corrigendo fuit solùm in 20. Francorum emenda condemnatus.

QUÆSTIO CLXIV.

De Clerico reddendo ut servo.

PEr Arrestum fuit condemnatus Petrus *Courtois Parvis*, ad reddendum * tonsuram clericalem quam receperat absque licentia & consensu Decani & Capituli *du Parvis Nostre-Dame* Suessionensis diœcesis, quorum erat homo corporis & servilis conditionis, &c.

* *Reddendum.*) Id est patiëntiam degradationem. C. M.

QUÆSTIO CLXV.

Super recredentia facti.

PRo Decano *du Puy* fuit pronuntiatum contra *Marmot Tonfet* dominum de Allegrio, quòd fuerat bene appellatum per dictum Decanum à Seneschallo *Alvernie*, qui non fecerat recredentiam dicto Decano de quodam castro nuncupato castro inferiori, quod in manu sua posuerat dictus dominus Allegrio, ac poni fecerat in manu Regia ob defectum homagii quod dicebat ab ipso teneri in fide & homagio, cùm non constaret, sed in facto jacebat.

QUÆSTIO CLXVI.

An per defectum tradendarum scripturarum sit gratia verificanda.

FUit pronuntiatum contra *Huslin de Grelonnal*, pro Ysabella *de Villers*, contra quam proposuerat dictus *Huslin* ipsum Baudoynum maritum suum, fratrem ipsius *Huslin* occidi fecisse per quemdam servientem, & sic eam debere puniri criminaliter, ac gratiam dictæ Ysabellæ, pro qua videnda interinari fuerat dictus *Huslin* adjornatus ad requestam dictæ Ysabellæ coram Baillivo Ambianensi fore subreptitiâ, ac partes auditæ super principali & in factis contrariis appunctuatæ ad tradendum scripturas ad certam diem, qua die non tradiderat dictus *Huslin* scripturas suas, nec comparuerat, sed fuerat in defectum positus, quamvis se repræsentasset dicta Ysabella, ac obtulisset suas scripturas: & talem dicti defectus reportavit utilitatem dicta Ysabella, quòd ceciderat dictus *Huslin* de factis suis; sed haberet litis contestationem, & dicta Ysabella faceret facta sua, ac probaret: & sic reputata fuit actrix in causa, licet dictus *Huslin* concluisset ut actor. Sed ratio fuit quia ab initio fecerat adjornari dictum *Huslin* dicta Ysabella ad videndum suam prædictam gratiam interinari, licet stultè concluisset dictus *Huslin* contra dictam Ysabellam, ut puniretur criminaliter ratione dicti facti tanquam actor, licet debuisset dixisse facta contenta in ejus gratia non esse vera, ac ejus gratiam subreptitiam facta contraria eidem gratiæ opponendo. Et etiam fuit ratio, quia gratia non debet reputari verificata per talem viam, videlicet per defectum ut delicta puniantur.

QUÆSTIO CLXVII.

Quando comparuit *dicitur rectè captum.*

ITem per Arrestum prolatum anno 1388. mense Januario pro domino Ioanne *d'Annais* contra Ioannem & Hugonem *de Tournant*, fuit dictum quòd interruptionem fecerant, eò quòd mortuo domino Hugone *de Tournant*, cujus heredes se dicebant, qui fuerat mortuus circa festum Pentecostes 1387. quòd fuerat 27. die mensis Maii, eodem anno non resumpserant arramenta causæ appellationis, in qua erat appellans dictus defunctus: contra quos Ioannem & Hugonem ceperat, *comparuit* dictus dominus Ioannes 27. mensis Iulii, anno Domini 1388. ad cujus utilitatem judicari videndam ipsos fecerat adjornari ad 5. diem mensis Ianuarii sequentis. Sed proponebatur contra ipsum dominum Ioannem, quòd non cœperat intra annum à tempore mortis, quia defunctus fuerat dictus dominus Hugo 26. die mensis Maii 1387. quo fuit Pentecostes, 27. die Maii, sed anno 1388. fuerat festum Pentecostes, & dies sancti Petri de Monasterio, octava die Iulii, & 1388. & 18. die dicti mensis Iulii cœperat *comparuit*, sed non valuit hoc quod diceretur ipsos interruptionem fecisse, tunc quia cœperat *comparuit* * ad dies proximos ordinarios, videlicet de sancto Petro de Monasterio, & intra annũ quod adhuc non erat necesse, cùm jus esset parti quæsitum: & quia post *comparuit* intra annum, fecit adjornare supradictos ad videndum utilitatem judicari.

* *Comparuit.*) Id est actũ & instrumentum cõparutionis quod est commune etiam nulla conclusione, nulla utilitate petita, C. M.

QUÆSTIO CLXVIII.

De regalia facti.

ITem nota quòd anno Domini 1334. per Regem Philippum * & ejus Consilium fuit ordinatum & compertum Reges Franciæ usos fuisse regalia juris & facti simul, ac juris tantùm, & facti tantùm: ac dictum quòd audientia denegaretur ne reciperetur ille qui prætenderet regaliam facti non habere locum.

* *Philippum.*) Scilicet sextum vulgò Valesium: habetur sup. part. 1 tit. 32. §. 2. Adde infrà, q. 188. sed hodie quidam incipiunt negligere, vacatione facta tantùm contra eum cujus constat primò de veto tirulo, secundò de diligentia, quòd per eum non stetit; sed ante regaliam aperta petiit recipi & investiri de facto, quod Capitulum denegavit, & quædam Arresta feruntur, & hoc æquum. C. M.

QUÆSTIO CLXIX.

An in causa appellationis homines judicantes sint adiornandi.

ITem judicatum contra *Enguerrant*, *Hubert*, & Damyam ejus uxorem, pro Carolo *de Camptemi* ac domino Duce de Borbonio, quòd appellatio facta per dictos conjuges à Baillivo ac hominibus judicantibus de Claromonte * erat deserta, eò quòd ipsi conjuges appellantes non fecerant adjornare dictos homines, licet fecissent adjornare dictum Ducem, cum injunctione quòd secum haberet Baillivum suum antedictum ac homines suos supradictos, quod non sufficiebat, cùm dicti homines essent pars principalis, cùm solvissent emendam, si malè judicassent.

* *Claromonte.*) Not. vererem politiâ nunc cum multis abrogatam, ut suprà in stylo, c. 6. §. 15. & infrà part. 7. Arrest. 46 C. M.

QUÆSTIO CLXX.

An in permutatione quæ fit coram Papa, fit mentio fienda aliorum Beneficiorum.

ITem inter Procuratorem regium & Magistrum Petrum petitores ex una parte, & Magistrum Odardum Canonicum Præbendatum in Ecclesia Noviomensi ex altera, in causa regaliæ in Parlamento, 28. die mensis Januarii anno Domini 1378. fuit hæc quæstio ventilata. Dictus Magister Petrus dicebat quòd Magister Odardus habuerat per permutationem in Curia Romana factam dictos Canonicatum & Præbendam; & tamen tenebat tunc alia Beneficia, de quibus in dicta permutatione non fecerat Papæ mentionem. Sic collatio sibi facta ex causa permutationis de dictis Canonicatu & Præbenda fuerat per subreptionem nulla, & ex pòst fuerat aperta regalia in dicta Noviomensi Ecclesia per obitum domini Ægidii *de Lorris*: & sic de jure in regalia vacaverunt dicti Canonicatus & Præbenda. Et pro ipsis allegabant dicti Procurator & Magister Petrus. Primò quia resignatione facta ex causa permutationis in manibus Papæ de dictis Canonicatu & Præbenda, fuit verum dicere quòd vacaverunt: ergo ipsos vacantes Papa contulit Magistro Odardo non proprio motu, sed ad dicti Odardi requestam, qui sua tacuerat, nec expresserat Papæ Beneficia. Sic fuit subreptitia, juxta c. si motu proprio, de præbendis, lib. 6. cum ibi notatis per Archi. & Ioan. And. in c. in nostra, de rescrip. c. si proponente, & c. postulatis, eod. tit. præterea hoc habet stylus Curiæ Romanæ, quo I in permutatione in Curia Romana facta sit facienda mentio de aliis Beneficiis, aliàs est permutatio subreptitia * & sic nulla, jux. c. ad audientiam, de rescript. c. si is de fil Presbyte. Tertiò permutatio dependet ex gratia & dispensatione Superioris, juxta notat in ca. quæsitum, de re permu. in antiquis, & c. unic. eod. titul. lib. 6. & in cle. ergo nulla per subreptionem, Beneficiorum maximè; quia non est præsumendum quòd Superior, ut Papa ita transiret ipsam cum aliàs beneficiato, sicut cum non beneficiato. Quartò de jure Decretalium Beneficium resignatum ex causa permutationis in manibus Superioris, poterat Superior alteri conferre, jux. no. in c. inter cætera de præbendis. Sic ergo conferre ipsum alteri permutantium erat gratiosum, & dependebat solùm ex voluntate Superioris, & sic erat collatio in ipsius voluntate: ergo erat ut in gratiosis aliorum Beneficiorum mentio facienda, aliàs permutatio subreptitia quæ à Papa fiebat: nec hoc colligitur, videlicet quòd esset mentio facienda per jura Sexti & Clementinarum, videlicet de re. permut. in 6. & cle. Quintò, ante fuit regalia quàm jura Sexti * Clementinarum, ergo illa jura præjudicare non poterunt juri regio & regaliæ: & sic attento jure Decretalium, vacasset in regalia, sic hodie cùm per jura Sexti & Clementinarum derogari non potuit quoad Beneficia in regalia vacantia, & quorum collatio ad Regem spectabat, licet ad alia, etiam ad collationem aliorum spectantia, dici posset quòd sic. Sextò, quia non pòst dicit quòd sit propriè permutatio, quia non fit de meo tuum: Probatur, quia resignatione facta ab ambobus permutantibus, amplius non sunt ipsorum beneficia, nec unus habet ab alio, sed à Superiore conferente, & ex nova collatione ad requestam partis facta: ergo est aliorum Beneficiorum mentio facienda, argumento l. quæ usumfructum, §. fi. cum l. seq. quæ incipit, quæsitum ff. de usufr. & l. si quis usumfruct. ff. de usufru. lega. In oppositum videtur quòd in permutatione facienda penès Papam non sit * aliorum Beneficiorum mentio facienda. Primò, quia nullo jure cavetur, quòd mentio sit facienda de aliis Beneficiis in permutatione. Secundò coram Ordinariis locorum non est opus, jux. c. fi. de offi. ordin. in cle. Sic igitur nec in Curia, quia ex diversitate locorum, & c. l. fi. C. de tempor. in inte. re. Tertiò, non est impetratio, nec voluntaria collatio, nec simplex, sed necessitatis, juxta c unicum, & cle. unicam, de rei permutat. in 6. & cle. Quartò, quia fit permutatio propter necessitatem & utilitatem Ecclesiarum, non personarum, juxta C. quæsitum de re. permu. Et sic favorabilis, ergo amplianda. Quintò in casu præsenti recipit simplex Beneficium Magister Odardus pro dignitate. Sextò, recipit unum propter duo. Septimò, si esset mentio facienda de aliis Beneficiis non permutatis, hoc tantùm de Beneficiis quæ spectabant ad Ecclesiam, non autem ad laïcos: quæ autem tenebat tunc Magister Odardus, de quibus non fecit mentionem, spectabant ad Regis collationem. Octavò, cessat ratio, c. si motu proprio, scilicet ambitionis, scilicet quòd non esset verisimile Papam velle beneficiare habentem Beneficium, quia non quæritur de Beneficio addendo ad Beneficium, sed de subrogando alterius loco unum vel plura, & sic cessat ambitio, nec est impetratio; sed beneficiorum in manibus Papæ renuntiatio, qui ipse confert sine alia impetratione. Unde impetrando gratiam permutandi fuit impetratio, scilicet ut posset permutare; sed in collatione quæ fuit postea, non fuit impetratio. Non obstant allegata in contrarium; quoniam jura quæ volunt mentionem fieri de Beneficiis quæ quis habet, loquuntur in impetratione, non qualibet collatione, juxta c. quamvis de Præbend. lib. 6 hinc est quòd in collatione quam fecit Papa motu proprio, non est necesse facere mentionem nec de uno Beneficio, c. fi. motu proprio allegato: nec de pluribus extra. de Præben. c. si Romanus in cle. quia ibi propriè non est impetratio. Et per prædicta tenent Federicus *de Senis* in 70. quæstione sua, & Alexander post eum in repetitione sua quam fecit super ea, licet, dere. permuta. lib. 6. & Petrus Bertrandi in c. unico de re. permuta. in cle. indistinctè permutationem valere, non facta mentione de aliis Beneficiis, cùm hoc non sit impetratio, nec collatio simpliciter facta, salvo stylo Curiæ Romanæ, quia si stylus sit in Curia quòd aliàs non valeat permutatio, nisi fiat de aliis Beneficiis mentio, tunc stylus est tenendus, nec aliàs valeret permutatio. Item & videtur per propositum partis adversæ quòd valeat de jure permutatio, absque mentione facienda de aliis Beneficiis, quia allegabat stylum Curiæ Romanæ talem quem allegare non esset necesse si de jure non valeret. Sed quia de jure videtur stylus contrarius: si enim de jure non valeret, tunc non esset stylus, sed potissimè in Curia Romana, ubi de jure utitur. Item adverte quia hæc quæstio procedit in permutatione facienda in Curia Romana penès Papam vel ejus Legatum: cùm ab ipsis impetratur, est de aliis Beneficiis mentio

* *Subreptitia*) Nota in antiq. sub Tit. de rescrip.

* *Sexti*) Imò etiam ante Decretales, ut dixi in Consuet. Paris. §. 27. num. 10. C. M.

* *Non fit.*) Idem Federicus *de Senis*, de permuta. q. 18. & in consiliis q. 7. Domin. in c. unic. col. pe. & ibi Phil. Fran. cons. 5. de re. permuta. in 6. C. M.

Valet permutatio indistinctè, nō facta mentione de aliis beneficiis.

faciendâ juxta c. si motu proprio, de Præben. lib. 6. c. fi. de præben. & c. fi. de off. ordi. in cle. non autem in permutatione faciendâ coram aliis ordinariis, cùm non fit mentio facienda de aliis Beneficiis, cùm ab ipsis impetratur, juxta d. c. fi. de offi. ordi. in cle. Ratio quia Ordinarius cognoscere potest, & debet suorum subditorum Clericorum conditionem & statum, & an habeant Beneficium necne: quod non ita facere potest Papa vel ejus Legatus, qui est omnium Ordinarius & pluribus intentus. Item pro hac parte videntur facere notata. Inno. in c. inter cætera superiùs allegato, videtur dicere, quòd absque collatione per consensum Superioris completur permutatio, licet per jura Sexti & Clementis videatur contrarium: & hoc tenetur quòd opus est collatione à Prælato facienda. Item non obstat si dicatur quòd quis habens duo Beneficia simplicia, permutat ex his unum cum Beneficio Curato; quia faciliùs permittitur quòd quis habeat duo Beneficia simplicia, quàm unum simplex, & unum Curatum, cùm major idoneitas personæ requiratur in Curato quàm in simplici, c. cùm in illis de Præben. lib. 6.

Item quia forte erat idoneus ad simplex non ad Curatum, quia licet loco sui simplicis recipiat Curatum; non tamen cum eo intelligitur dispensatum, ut teneat utrumque, si teneri non possint, c. non potest, de Præben. lib. 6 & si forte non sit idoneus, tunc Superior non assentiat permutationi. Super hoc aliqui distinguunt, dicentes quòd recipiens pingue Beneficium loco tenuis, debeat facere mentionem de ambitione, non è contra. Alii distinguunt inter permutationem factam ob utilitatem Ecclesiarum vel personarum: ut in prima non debeat facere mentionem, in secunda sic, ut distinguitur 2. q. 5. in fi. Tamen quicquid dicatur, tene indistinctè ut sup.

Item non obstat stylus Curiæ Romanæ, quia dictus Magister Odardus habuit & habet reformationem & reparationem suæ gratiæ, si sit opus, & ante regaliam apertam. Finaliter partibus auditis, habuit statum Magister Odardus contra partem suam adversam.

QUÆSTIO CLXXI.

Contra Aurelianenses, pro Aurelianensi Universitate.

ITem nota quòd Arrestum latum pro Universitate Aurelianensi, contra quosdam particulares Aurelianenses, qui in magna emenda fuerunt condemnati propter suos excessus, & maximè quia clamaverant *à mort aux Escoliers*: quòd latum fuit die penultima mensis Februarii eodem anno.

QUÆSTIO CLXXII.

Arrestum latum pro Magistro Ioanne Mesnier, *contra executores Cardinalis Laudunensis.*

ITem Arrestum latum contra dictos executores & heredes, pro Magistro Ioanne *Mesnier*, per quod licet ad eorum requestam fuisset per Præpositum Parisiensem in villa Parisiensi captus, & in gardiam per Curiam traditus Episcopo Parisiensi, quia Clericus erat, à qua captione appellaverat. Dictum fuit bene appellatum per dictum *Mesnier*, & fuit ad plenum liberatus per Curiam, non de factis contra eum propositis, sed à prisione. Et est advertendum quòd per Curiam Parlamenti fuit ordinatum quòd esset præsens dictus *Mesnier* in pronuntiatione Arresti, quod fuit factum, & fuit ideò quia Episcopus Parisiensis appellatione pendente, fecerat informationem contra dictum *Mesnier* super eisdem factis, & dicebat illum esse suum prisionarium earum occasione. Et ideò ne Arrestum esset illusorium, si manisset in prisionibus Episcopi, quod fecisset si non venisset in person, Curia ordinavit quòd veniret, ut post Arrestum haberet facultatem eundi ubi vellet. Fuit tamen in potestate Episcopi ipsum postea capere, & capi facere ubi capere poterat, ut puta extra clausturum Palatii * quia exemptum ab ipso Episcopo,

* *Palatii.*] Imò nō potest capere est dominus oisi intra suum prætorium, & adhuc ex concessione Regis qui territorii jam in ipso templo, ut dixi in Consuetudine Paris. § 41. num. 65. Et quod hic dicitur, intelligitur permissio Curiæ per invocationem brachii sæcularis, & tunc exemptio Sacelli Palatii est impertinens; iste tamen magis affectibus Prælatorum favebat, ut suprà eo. qu. 82. & sæpe. C. M.

QUÆSTIO CLXXIII.

Quæstio notabilis an Officialis possit esse perpetuus.

NIcolaus Blondelli conquestus fuit in casu novitatis, dicens se esse in possessione & saisina, ut custos & major majoris Prioratus sancti Martini de Campis, exercendi jurisdictionem dictæ majoriæ, ac etiam se esse in possessione & saisina dictæ majoriæ, necnon citandi & habendi fructus & emolumenta ipsius, & sibi applicandi, &c. Primò dicebat quòd titulum habebat ad vitam suam de ipsa majoria tenenda à Priore antecessore Cardinalis Laudunensis, confirmatum à conventu. Secundò quòd dictus Cardinalis permiserat ipsum in ipso officio, quamvis esset multùm sapiens ac diligens, quod non fecisset si ipsum jus habere non putasset, nec alii sui prædecessores. Tertiò quòd aliis ante ipsum concessa fuerat simili modo, ut cuidam vocato *Auquetin*, qui usus fuerat vita sua comite. Quartò usus fuerat pacificè per 10. annos, & amplius per ultima expleta: & habebat titulum à Priore & Conventu coloratum, & tacitè à successoribus confirmatur. Concludebat ad recredentiam & ad principale, proponendo & concludendo pertinentiam in casu novitatis pro Priore sancti Martini de Campis, quondam Priore Camotensi cognominato *Corrart*, fuit ex adverso per me Advocatum suum propositum ad finem non recipiendi, & aliàs. Primo supposito quòd haberet litteras nomine Prioris & conventus, &c. de quo tunc non apparebat, illæ litteræ erant sigillatæ sigillo ad causas, quo superior solus sigillare consuevit, etiam sine scientia Conventus; unde Superior quando videt sigillum Prioris appensum litteris, in continenti solet apponere dictum sigillum ad caput, per quod sequitur quòd in contractibus vel concessionibus non facit fidem, ut legitur & notatur de appellation. in c. significavit.

Item concessio ad vitam dicitur esse perpetua, ff. pro socio, l. 1. nota 10. q. 2. c. perpetua. Sed in contractibus perpetuis requiruntur solemnitates servandæ in alienationibus, ut notat de reb. Eccles. non ali. c. 1. lib. 6. & non apparet quòd istæ solemnitates intervenerint in hujusmodi concessione, ergo non valet ad hoc, 12. q. 1. c. Episcopus.

Item videtur de hoc casu, ut de rebus Eccles. non ali. c. 1. in cle. & hoc idem probatur ibi in fine, dum dicit dictam Clementinam non habere locum in locationibus & concessionibus quæ fiunt ad modicum tempus, & sic secùs in illis quæ fiunt ad longum tempus.

Item nec sufficit si exprimatur in Litteris, quòd hoc est propter utilitatem vel necessitatem Monasterii, ut ibi not. per Guillel. imò ad contractum validandum, dum requiritur consensus Superioris, & omnis solemnitas servanda in alienationibus, ut not. ibi in glo. innuit quòd sī, &c. Item jura loquentia de judicatura,

vel aliis officiis, nolunt illa esse perpetua, sed temporalia, C. de decurio. l. 1. lib. 10. & de domesti. & protect. l. lege pragmat. lib. 12. pro hoc faciunt multa jura allegata per Hosti. & Joan. An. de judic. c. fi. super verb. celebratur, ubi istud tenent, ponendo tres rationes quas ibi vide: & finaliter concludunt quòd hodie solùm per biennium in officio esse potest, ad hoc in Authen. de defen. civi. §. fi. col. 3. & vide ibi plenissimè.

Item confirmatur per Ordinationes regias, per quas etiam Baillivus, qui est majoris authoritatis, manet in officio per biennium, duntaxat approbatur per Consuetudines, per quas Prælati faciunt novos Officiales, Baillivos, & alios Officiarios de majo. & obed. c. his quæ, & c. cùm olim, & eo tit. c. unico, lib. 6. ubi per mortem Prælati cessat potestas Officialis, & transit ad Capitulum: sic videmus in Officiariis ordinariis per Præpositum Parisiensem, ut in Locumtenentibus & aliis quorum potestas cessat * mutato Præposito: sic servat dominus noster Rex mutans & revocans Baillivos & Officiarios suos, quando placet sibi: * sic ergo & alii facere debent, c. in causis, de re judic. fortificatur, quia Baillivus sancti Dionysii conquestus fuit in causa novitatis contra Abbatem, qui ipsum revocabat: & fuit dictum per Arrestum, quòd non erat * admittendus. In simili Magister Iacobus *Dobleges* Baillivus sancti Dionysii, fuit per dictum Abbatem depositus, unde appellavit; sed postea renuntiavit appellationi suæ ut frivolæ.

* *Cessat.*] Sed hodie non committuntur per Præsidē, sed per Regem. Ideò mortuo Præside, non cessat eorum potestas, l. 1. § hi quibus, & ibi Bal. de legat. 1. C. M.

* *Sibi.*] Sed Constitutione Philippi Valesii, anno 1341. & Rescripto Ludovici XI. quæ extant in libro viridi regii Procuratoris, in Prætorio Parisiensi, statutum ne revocarent aut vacatent nisi morte, resignatione, vel delicto judicialiter declarato, & ita observatur, ut etiam tango in eo qu. 181. C. M.

* *Non erat.*] Et bene Ioan. Fab. Instit. mandat. §. Item si adhuc, dixi in Consuet. Paris. §. 1. gl. 2. num. 59. C. M.

Item Prior & Conventus dictum Majorem removerunt, & fuit alteri bono & sufficienti de Majoria provisum; ergo sublata est dicti Majoris potestas, l. judicium solvitur, ff. de judic. cum similibus. Item dictus Major est de judicatura sancti Martini, & ibi habet hospitium proprium, & ibi traxit moram per 20. annos. & adhuc trahit & habet domicilium suum, & sic ibi non potest esse Iudex, cùm non prætendat se habere authoritatem Principis, C. de offic. Prætor. l. 2. & de elect. c. fundamenta in fi. lib. 6.

Item dictus Major emit officium prædictum dando pecuniam pro illo habendo, & sic non debet in illo remanere, C. ad l. Iul. repet. l. sancimus, canonisata 1. q. ult. c. sancimus.

Item dictus Major se ingerit in officio, & sic est suspectus, præsertim in quantum dicit quòd constabit sibi mille francis antequàm dictum officium dimittat: maximè quia dum assumpsit hujusmodi officium, reputabatur pauper homo. Non obstat quod dicitur quod habet sigillum Conventus in sua Littera, &c. quia illa forma est de jure communi secundùm quod omnia debent expediri per Prælatum & Capitulum seu Conventum, de his quæ fi. à Prælat. sine consen. ca. c. novit. cum similibus, & sic illa forma non reddit actum perpetuum, quia aliàs omnes actus gesti per ipsos essent perpetui, quod non est dicendum.

Item conferre Majoriam spectat ad collationem & administrationem Prioris: & sic adjunctio Conventus non extendit provisionem ultra tempus concedentis, juxta illa quæ notantur & leguntur in c. Procuratorem, de procurat.

Item constat quòd solemnitates servandæ in alienationibus faciunt actum perpetuum, & illis cessantibus, fit ad tempus, vel saltem non extenditur ad successorem, de reb. Eccl. non ali. per totum 12. q. 2. per totum.

Item fortificatur per illud quod notatur per omnes Doctores, de Prælat. vices suas, c. fi. ubi etiam locatio non extenditur ad successorem: pro hoc facit quod notat. de præsump. c. mandata.

Item confitebatur se habere Majoriam, & hujus esse custodem, & esse in possessione nomine Prioratus & Conventus; sic non possidet.

Item habens precariò vel in depositum, revocari potest ad voluntatem, l. cùm precariò, ff. de precar. 1. §. si depositum, ff. depositi. His non obstantibus, fuit recredentia per Arrestum * adjudicata dicto Nicolao, & partes appunctuatæ super principali in factis contrariis. Et demum mortuus fuit dictus Prior, sic remansit Major dictus Nicolaus. Et habebat ipse Nicolaus rationes, quia ad non modicum tempus habebat titulum de Majoria, ut ad vitam, quamvis à Papa non confirmatum: & fuerat usus magno tempore pacificè, nec ipsum insufficientem dicebamus, nec aliquo vitio seu crimine irretitum; sed solùm quia mediante pecunia, habuerat.

* *Arrestum.*] Et malè narratus.

Item quia tractatur de possessorio de quo usus fuerat longo tempore cum titulo ad longum tempus, juxta l. 1. §. quòd autem Prætor, ff. de superficiebus.

QUÆSTIO CLXXIV.

An unus dominorum domus pro periculo removendo, in solidum conveniri possit, & condemnari.

ANtepenultima die Augusti 1389. dictum fuit per Arrestum Curiæ bene judicatum per Præpositum Parisiensem pro Michaële Clerico, & malè appellatum per Ioannem *Hervi*, in eo quod dictus Præpositus judicaverat dictum Ioannem removere * debere periculum cujusdam domus ruinosæ communis pro indiviso sibi cum uxore sua & quibusdam aliis, licet solùm concluderetur contra dictum Ioannem, & esset soldm adjornatus, non alii. Et hanc causam pro Ioanne placitavi, & pro hoc allegabam in effectu, l. eadem, §. Cato in fi. ff. de verb. obli. l. Prætoriæ, ff. de præto. sti. l. stipulatio, § quæritum, ff. de no oper. nun. Ratio verò in contrarium colligitur per illas ll. quia restitutio operis pro parte fieri non potest, & ne urbs ruinis difformetur, quia res celeritatem desiderat, juxta l. 2. §. si quis à Principe, & l. fi. ff. ne quid in lo. pu. fi. & l. 1. C. de edi. priva. & habere recursum multiplicem contra socios, est laboriosum, juxta l. si ut proponis, C. de edi. priva. & l. cum duobus, §. idem respondet socius, ff. pro socio, cum ibi nota. & l. ad curatoris, ff. de dam. infect. nec obstat allegatio in contrarium, per l. plures, eodem titulo; quia licet quilibet teneatur pro rata, tamen executio in totum fiet per l. superius allegatam.

* *Removere.*] Non solùm curator Reipub. ut l. ad curatorem, de dam. infect. sed etiā ex communi & generali observantia privati, quorum interest ad hoc agere possunt, l. singularum, in fi. C. de edi. si privat. unde cùm hoc sit individuū, quisque compellitur in solidum; quia etiam repetere potest à socio, ut inquit tex. in l. fundū item §. officium, de aq. plu. arce. dixi in Consuet. Paris. Tit. 6. & in Tractat. divid. & individ.

QUÆSTIO CLXXV.

Sententia mortis ferri non debet per processum ordinarium.

ITem per Arrestum fuit dictum Franquetum *Sourde* bene appellasse à Præposito *de Castellane*, qui ipsum ad suspendium condemnaverat per inquestam & processum ordinarium. *

* *Ordinarium.*] Quod hodie correctum est, & bene. C. M.

QUÆSTIO CLXXVI.

Nota mulctandum qui entreprend *contra jurisdictionem temporalem.*

ITem Archipresbyter Turonensis fuit condemnatus in emenda 20. librarum erga Regem: eò quòd rescripserat

reſcripſerat in quibuſdam ſcripturis ſe eſſe in poſſeſſione virtute ſuæ juriſdictionis ſpiritualis, puniendi laïcos, & ſuſtinebat hoc pertinaciter in ſcripturis concordandis.

QUÆSTIO CLXXVII.

Non eſt conſuetudo recipienda quòd quis de facto gagiat ſuum debitorem.

ITem non fuit per Arreſtum recepta conſuetudo in cauſa domini *de Partenay*, imò dicta non recepibilis conſuetudo, quòd quis habens juriſdictionem poſſit de facto, ratione ſui debiti vel reditus gagiare ſuper bonis debitoris, ubi nullam habet juriſdictionem.

QUÆSTIO CLXXVIII.

Non eſt à Commiſſariis Parlamenti appellatio recipienda.

ITem per Arreſtum fuit dictum quòd non erant recipiendi Decanus & Canonici Turonenſes appellantes à quibuſdam Commiſſariis Parlamenti ſuper taxatione * quarumdam expenſarum, licet aliàs fuerit in caſu ſimili recepta appellatio.

* *Taxatione.*) Facta in præſentia partis, vel Procuratoris ſui qui tunc non appellat, & videtur velle Conſtit. Carol. VIII. art. 61. & quandoque vidi poſtea appellantem rejici. Sed Conſt. hoc non dicit, & iniquum eſt, ſatis eſt quod appellatio non ſuſpendat, ſed fiat proviſionalis executio, & ita obſervatur. C. M.

QUÆSTIO CLXXIX.

Qui non approbat aliquos facere Capitulum, non habet ſe contra ipſos præſentare, ut contra Capitulum, ſed ut contra ſingulares ſe dicentes Capitulum facere.

REcepti fuerunt quidam Canonici de ſancto Honorato ut bene fundati & præſentati, quamvis ſe fundaſſent & præſentaſſent contra tales & tales ſingulariter ſe dicentes Decanum & Capitulum, quamvis Decanus & Capitulum ſe in illa cauſa, ut Decanus & Capitulum conqueſti fuiſſent in caſu novitatis contra ipſos Canonicos, & ſe præſentaſſent. Ratio fuit, quia dicti Canonici dicebant alios non facere Capitulum, nec ut Capitulum approbabant.

QUÆSTIO CLXXX.

In expenſis condemnatur cedens liti poſt adjornamentum, prius eidem collatione facta.

DOminus Joannes *Nicolæ* obtinuit expenſas contra Magiſtrum Joannem *Girard* in caſu regalix, quamvis dictus Magiſter Joannes *Girard* poſt adjornamentum ceſſiſſet cauſæ, viſis per eum Literis dicti domini Joannis: eo quod ante litem in Curia introductam fuerat oblatum per dictum dominum Joannem dicto Magiſtro Joanni *Girard*, quòd vellet videre Literas ſuas, & cederet liti, ſi videret quòd non jus haberet, quod noluit ante adjornamentum.

QUÆSTIO CLXXXI.

An quis officium regium obtinens ſit ad oppoſitionem recipiendus contra executionem Literarum regiarum impetratarum ſuper eodem.

MAgiſter Joannes *Nully* antea Procurator Regius Maſticonenſis non fuit * ad oppoſitionem receptus contra executionem Literarum regiarum impetratarum per quemdam ſuper dicto officio procurationis, licet penderet lis in Curia ſuper privatione dicti officii inter dictum Magiſtrum Joannem, & regium Procuratorem: nec feciſſet de ea mentionem dictus impetrans. Ratio hujus fuit, quia Rex proprio motu, ut per Literas impetratas videbatur, dederat dictum officium adverſario dicti Magiſtri Joannis, ut aliàs fuit dictum contra Procuratorem *de Chaumont*, pro Receptore & pro Magiſtro Joanne *du Pal*, quondam Præpoſito foraneo Laudunen.

* *Non fuit*) Non trahitur in conſequentiam, ſed contra ſervatur, ut dixi ſup. eo. quæſt. 173. C. M.

QUÆSTIO CLXXXII.

Arreſt prononcé pour l'Vniverſité de Paris, & autres, contre Meſſire Robert du Meſnil Chevalier, dit Taupin.

ENtre *le Procureur du Roi de l'Vniverſité de Paris, Hebert du Chaſtel, Roger du Chaſtel, & George du Chaſtel freres, & deux Damoiſelles ſœurs deſdits Roger & George, enfans dudit Hebert d'une part, & Meſſire Robert du Meſnil' dit Taupin, & autres ſes complices d'autre part. La Cour condamna Meſſire Taupin à faire amende honorable; c'eſt à ſçavoir en la Cour de Parlement, ſans chapperon, à genoux, en diſant par ledit Meſſire Taupin les paroles qui s'enſuivent:* A tort & ſans cauſe j'ay battu & mutilé Hebert du Chaſtel, pere deſdits Roger & George, injurié l'Univerſité, entant que j'ay mutilé ledit George, en enfraignant la ſauvegarde du Roy noſtre Sire, & en requiers mercy & pardon. *Semblablement le condemna à faire amendes-honorable auſdits freres, & en l'Vniverſité de Paris en la Congregation d'icelle, en diſant les paroles deſſuſdites, & en criant mercy, &c. & ce fait, à ſey tranſporter devant l'Hoſtel où les offenſes furent faites, & à crier merci à iceux freres & Damoiſelles, qui pour celle cauſe y ſeroient. Et s'en aller de là, une torche de cire en ſa main, peſante quatre livres devant l'Egliſe de la Ville où icelles offenſes furent faites, & à offrir aprés ladite torche à l'Egliſe, en diſant les paroles deſſuſdites, en criant mercy. Avec ce le condamna la Cour à amende de deux mille livres tournois envers le Roi, envers chacun deſdits freres en mille livres tournois, envers chacune deſdites Damoiſelles en cinq cens livres tournois, envers l'Vniverſité de Paris en deux cens livres tournois. Et quant à Hebert & Bedet Hanequin & Girard, complices dudit Meſſire Taupin, la Cour les condamna & chacun d'iceux à faire amendes-honorables aux perſonnes & lieux que ledit Meſſire Taupin avoit faict, en cotte ſimple, ſans ceinture ne chapperon, & chacun d'eux envers chacun deſdits freres en deux cens livres, & envers chacune des Damoiſelles en cinquante livres, envers l'Vniverſité en cent livres, envers le Roi en deux cens livres, & les condamna en deux cens livres tous enſemble: & chacun d'eux pour ſoy & pour le tout: & és dépens, dommages & intereſts deſdits freres, & tenir priſon juſques à ce qu'ils ayent tout accompli. Prononcé le Samedy ſeptiéme d'Aouſt, l'an mil trois cens quatre-vingts-ſix.*

QUÆSTIO CLXXXIII.

Contra usurpantes in præjudicium temporalis jurisdictionis.

FUit quædam Commissio officialis Cenomanensis damnata, quia erat contra Baillivum seu judicem ordinarium sécularem Cenomanensem & in præjudicium temporalis: & est in magna Papyro ad longum registrata. Quare hìc non plus.

Non est ab executore appellandum.

Vide l. ab executore, ff. de appel. & l. ab executione C. quo ap. non toci.

ITem fuit dictum per Arrestum non esse appellationem recipiendam factam à Magistro Joanne de Savigniaco, qui erat executor quarumdam Literarum regiarum, qui non excesserat in aliquo metas Literarum.

QUÆSTIO CLXXXIV.

Rex ius partis non potest remittere, sed suum sic.

ITem fuit dictum per Arrestum quòd Collardus *Nensure* obtineret & obtinuit defectum contra Joannem *Karemel* & alios complices, qui fuerant adjornati ad personaliter comparendum ad requestam dicti Collardi & Procuratoris regii, super eo quòd eisdem imponebatur quòd abscideranr pedem dicto Collardo, eo etiam quod recesserant absque Curiæ licentia: nec profuit eis gratia à Rege pro eisdem obtenta, & per eorum Procuratorem curiæ oblata, continens quòd Rex adnullabat defectum: dum tamen infra duos menses à data gratiæ Curiæ, comparerent personaliter inquantum tangebat dictum Collardum, sed profuit in quantum tangebat regium Procuratorem: quia quoad regium Procuratorem fuit per Curiam eidem obtemperatum: sed tamen non venerunt intra illos duos menses, &. sic non habuit effectum.

QUÆSTIO CLXXXV.

Quædam ordinationis publicatio super impetrationibus non faciendis.

ITem fuit publicata in Parlamento isto quædam ordinatio regia data 15. die mensis Augusti, per quam Rex prohibebat Advocatis, partibus, & Procuratoribus, ne impetrarent Literas regias in præjudicium ordinationum regiarum: & quòd Curia non obtemperaret Literis regiis impetratis à partibus saltem clausis, &c. & vide eam, & fuit causa dominus *de la Trimoille* in causa quam habebat domina *de Craon* contra dominum *de Suze*: quia dictus *de la Trimoille* impetravit Literas ut cameræ * Parlamenti se congregarent ad consulendum & processum videndum præ timore quem habebat ne condemnaretur domina *de Craon*, mater uxoris suæ. Et finaliter partes concordaverunt. Plura alia notabilia quæ vidi dici & pronuntiari per Arresta in Parlamento, quod incipit in crastinum sancti Martini 1389.

* *Camera.*) Quid posita vetuit Carol. VII. art. 116.

QUÆSTIO CLXXXVI.

Condemnatio facta contra Abbatem de Bourdedieux, *ratione delicti per ipsum commissi, cum esset Prior sancti Martini.*

PRimò fuit condemnatus Prior quondam S. Martini, tunc Abbas *de Bourdedieux* in 30. libris Turonibus capiendis super temporali suo, ac privatus omnibus officiis regiis obtentis & obtinendis. Et insuper dictum fuit quòd curia obtemperaret Literis regiis ab ipso impetratis, quæ continebant in effectu quòd dimitteretur in pace, & quod fileret regius Procurator: & fuit ratio propter falsitatem quam commisit in quibusdam Literis quittantiæ: de quibus se juvit in curia, ut supra * fit mentio. Et hanc causam pro ipso placitavi. Et fuit pronuntiatum Arrestum die Sabbati quarta die mensis Novembris ante finem.

* *Supra.*) quæst. 56.

QUÆSTIO CLXXXVII.

Curia temporalis cognoscit de appretiatione reparationum contra Clericum.

IN eodem Parlamento fuit dictum Baillivum Viromandensem habentem commissionem regiam, super hoc benè judicasse in hoc quod dixit quòd cognosceret de appretiatione reparationum * faciendarum in quibusdam domibus cujusdam dignitatis Ecclesiæ Laudunensis. Quod dixit pro Petro *de Launoy* quondam Decano Aurelianensi, & nunc Thesaurario Laudunensi contra Stephanum *de Noyon*: qui ex causa permutationis habuerat à dicto Petro decanatum Aurelianensem, mediante dicta dignitate Thesaurariensi. in Ecclesia Laudunensi in cujus domibus oportebat fieri reparationes: & pro ipsis videndis appretiari, & procedendo ulteriùs etiam fuerat coram Baillivio, Viromandensi adjornatus dictus Stephanus, & declinaverat dicendo quòd erat personalitas, nec tenebatur in Curia laïcali respondere super appretiatione reparationum.

* *Reparationum.*) Late Steph. Aufre. rep. Clem. I. reg. 2. fallen. tè. & infr. q. supra part. 3. tit. 37. inf. eo q. 1. & C. M.

QUÆSTIO CLXXXVIII.

An regalia dicitur vacatio facti, si jus habens in Beneficio, non possideat ipsum, sed tertius.

ARrestum promintiatum fuit pro Magistro Mahiero Auquetin, contra Magistrum Robertum *la Ferté* super Canonicatu & Præbenda Ecclesiæ Rothomagensis in regalia collatis dicto Magistro Mahieto: Nec fuit accepta ratio dicti Roberti dicentis non vacare in regalia Beneficium. Eo quod dicebat dictos Canonicatum & Præbendam de facto teneri per unum, & alterum habere jus in ipsis: quos de facto * dicebat vacare dictus Magister Mahietus, eo quod qui jus habuerat à Papa, non habebat possessionem tempore regaliæ: nam licèt à non habente jus detineretur, dicebatur de facto vacare, quia pro hoc vitando oportet habentem jus in ipsis ipsos possidere.

* *De facto.*) Sup. q. 168. ubi jure dixi. C. M.

QUÆSTIO CLXXXIX.

Oportet coram Commissariis testes reprobare, vel quod per eos reservetur.

* *Coram.*) Patet sup. in stil. c. 7. §. 5. quod est iniquum & obsoletum, ut ibi dixi. C. M.

COram * Commissariis oportet tradere reprobationes testium, vel per ipsos reservetur Commissarios, quod in fine inquestæ tradi possint. Sic fuit dictum pro domino Petro Boucheti, contra quemdam equorum mercatorem. Et ideò *Meslie* non fuit receptus in Curia Parlamenti ad testes reprobandos, eo quòd coram Commissariis fuerat positus in defectu, adjornatus ad videndum testes jurare, & ad inquestam procedere, nec testes reprobaverat, nec eidem reservatum fuerat.

Dantur quadraginta dies ad deliberandum.

Domini Joanni *de Clermont* adjornato ad se garendum pro hereditate fratris sui materni filii domini Joannis *la Personne*, vel renuntiandum, fuerunt dati quadraginta dies ad deliberandum, adjornato, tanquàm * ad dicti domini Joannis *la Personne* instantiam.

* *Tanquàm*) Id est, etiam non petenti dantur & præfiguntur de generali consuetudine. C. M.

QUÆSTIO CXC.

Facta recepta contra Thesaurarium ac Capellanos Capellæ sanctæ.

FUit receptus in factis Joannes *David* contra quemdam Capellanum Capellæ sanctæ ad proponendum in causa beneficiali quod Rex Franciæ sciens, & certificatus ex concessione & gratia per eum facta * super provisione Capellanorum dictæ Capellæ sanctæ facienda de potestate per eum data Thesaurario ejusdem Capellæ super collatione Beneficiorum per eum facienda dictis Capellanis: eidem *David* concesserat quoddam Beneficium seu Capellaniam, non obstante dicta Concessione ac potestate, licèt in Literis * suæ collationis hoc exprimeretur. Item etiam ad proponendum quod tempore collationis dicto Capellano factæ per dictum Thesaurarium vivebat ille per cujus mortem dicebatur vacare: fuit tamen facta recredentia dicto Capellano.

* *Vocat.*) Vt sup. q. 96.

* *Literis*) Quia certa scientia potest probari per testes. Rota de scribi. novis. Bellamera decis. 748. Rom. Cons. 327. dixi contra Alex. ad eius Cons. 11. numero 2. lib. 7. ad Dec. c. cum inter. num. 8. de excepr. C. M.

QUÆSTIO CXCI.

Non habet locum advoario in maleficiis, nec valet in hoc consuetudo.

FUit damnata quædam consuetudo proposita per Magistrum Joannem de Nulliaco, pro illis de Tornaco, per quam dicebat quòd si plures intererant ex certo proposito ad quoddam maleficium faciendum, cujus quidem maleficii quidam erat principalis, & illud fecerat aliis præsentibus, & quod præsentes antedicti erant exonerati per advoationem maleficii factam per dictum principalem.

QUÆSTIO CXCII.

Salviconductus sunt tenendi.

* *Manifestum.*) Id est clarissimum, hæc & alia Rex agit hodie inconsulta Curia.

QUidam mercatores *de Monte* Pessulano, & Carcassonæ obtinuerant quamdam marcam * per Arrestum Parlamenti latum contra Januenses anno domini 1388 & quamdam executoriam anno 1389. mense Julii à Curia Parlamenti, virtute cujus Arresti & executoriæ fecerant heri quàmdam executionem & Arrestum super bonis quorumdam Januensium, quorum quidam morabantur Parisiis, & alii in monte Pessulano, & vocabantur aliqui dictorum Januensium. *Leon & Ayton.* Januenses se juvabant aliquibus salviscon ductibus: unum per dominum Ducem Bituricensem dato, tunc locum tenentem regium anno 1385. usque ad quatuor annos: alio à Rege dato usque ad tres annos: alio etiam dato à Rege anno 1389. mense Maii usque ad annum; secundo & ultimo omnes alios continentibus & potissimè ultimo de grata speciali certa scientia & authoritate dato: nonobstantibus dictis Arresto & executoria, & quod Rex aliàs salvumconductum eisdem dederat; & erant duo ultimi passati per Regem & Magnum Consilium * ubi interfuerant Cancellarius, Dux Burgundiæ, Dux Turoniæ, Conestabularius, & alii de magno Consilio. Et fuit in hoc Parlamento causa pro Januensibus placitata, & ipsa placitata, appunctatum fuit quòd bonorum dictorum Januensium fieret inventarium, & ponerentur ipsa bona in custodia per manum regiam extra manum ipsorum, nisi vellent dare cautionem usque ad ipsorum valorem, videreturque ipsorum Papyrus ad hoc ut sciretur an in Regno Franciæ haberent alia bona. Finaliter dicti Januenses tantùm prosecuti fuerunt penes Cancellarium & magnum Consilium, quòd licèt diceretur à tergo quòd per Curiam Parlamenti haberent Arrestum contra ipsos, fuit dictum salviscon ductibus non per Curiam Parlamenti, nec per Arrestum ipsius obtemperatum; sed per magnum Consilium & impedimentum in eorum bonis appositum, amotum. Ratio fuit propter inconveniens quod fuisset secutum, si Rex Franciæ suos salvosconductus non tenuisset, saltem dictis Januensibus, cum quorum Duce & patria habebat confœderationem. Item dicti duo salviconductus dabant salvumconductum hospitalibus ipsorum Januensium Parisiis commorantium, ac ipsis Januensibus & bonis suis, ac hospitio seu ipsorum mercaturis.

* *Consilii.*) Et sic olim magnum consilium non erat aliud quàm privatum Regis Consilium, hodie fit juritdictio contentiosa ordinaria. adde quæ dixi sup. eod. q. 109. C. M.

Rex debet tenere suos salvosconductus.

QUÆSTIO CXCIII.

De Thesauris inventis.

ITem nota quòd per compositionem à Curia Parlamenti approbatum fuit actum & concordatum inter Huguelinum *de Renelle* de Ambianis quòd ipse haberet medietatem 120. florenorum in domo sua Ambianensi quam reparari faciebat, per ipsum inventorum: & Rex aliam medietatem. Qui quidem Huguelinus appellaverat à Baillivo Ambianensi, eò quod dicebat & proposuerat coram ipso quòd de jure & consuetudine Ambianensi ad ipsum tota summa ut thesaurus spectabat. Quem in suo repererat, & Baillivus pronuntiaverat ad Regem totum spectare, non recipiendo suam consuetudinem, & contra jus quod bene fecerat, ut dicebat regius Procurator: eo quod ad Regem talia spectant in sua alta jurisdictione, maximè ut *espaves étrangers, & biens vacans*, & quod talis erat consuetudo notoria Ambianis, quam reperit Baillivus per assistentes notoriam (de hac materia vide alia duo Arresta alibi citata, & de jure in §. thesauros inst. de re. di. & l. unica. de thesau. lib. 10. & l. non intelligitur, §. si in locis, ff. de ju fisci.) Etiam similis compositio facta fuit inter Religiosos sancti Germani de pratis, habentes omnem jurisdictionem in hospitio Scholarium *de Boissi*, & Magistrum dictorum Scholarium, qui in dicta domo & propretio invenerat nongentos agnos aureos, & 110. angelotos, & hoc mediante Magistro Guiberto *de Celsianx* Physico. vide quod scripsi infernus.

QUÆSTIO CXCIV.

An testes sint recolendi.

ITem nota quòd coram Guillelmo de Bellocastro Baillivo pro Rege in villa *de Dreux*, Procurator regius dicti loci prosecutus fuerat Abbatem & Conventum de Columbes, super transportu prisionariorum de una jurisdictione ad aliam, de infractione salvæ gardiæ, & de rebellione servienti regio facta: & tantum fuerat processum quòd partibus in factis contrariis appunctatis, dictus Baillivus fecerat inquestam & ejus Clericus scripserat ipsam coram eo, & fuerat partibus antedictis dicti processus publicatio facta: quia sic usus dictæ Baillivix se habet absque recusatione dicti Baillivi: & demum ceperant partes diem ad jus audiendum super ipso processu, quæ dies ad jus audiendum fuerat quater continuata demum ferè post annum lapsum vel circiter à tempore dictæ publicationis: & quòd dicti Abbas & Conventus viderant suum processum & publicationem testium, impetraverunt Abbas & Conventus Literas regias Baillivo Carnotensi directas, per quas eidem mandabatur, & committebatur, ut testes dictæ inquestæ recoleret propter hoc, quod dicebant dictum Baillivum *de Dreux* in favorem Regis plura posuisse, vel scribi fecisse in inquesta quam deposuerant testes Regis, & minus in ipsa posuisse vel scribi fecisse quàm deposuerant testes Religiosorum prædictorum, in odium quod habebat in ipsos. Et quod dictus Baillivus Carnotensis non fecerat aliquam diligentiam, nec ipsi Religiosi de dictis testibus recolendis, dictus Procurator regius impetraverat Literas regias ut intra certum tempus heret dicta recollatio: aliàs exclusi essent de hoc dicti Religiosi, & remitteretur dictus processus dicto Baillivo *de Dreux* judicandus. Finaliter dicti Religiosi impetrarunt Literas regias, in quibus Baillivo *de Dreux* supra dicto imponebant prædicta, & ultra plures alias falsitates & delicta quæ fecerat in præjudicium dictorum Religiosorum: virtute quarum Literarum causa fuit advocata in Parlamento, in quo Parlamento requisierunt dicti Religiosi, ut dicti testes recollarentur per Curiam, vel Commissarios ab ea committendos, &c. Allegantes inter alia ad hunc finem ea quæ sequuntur. Primò prædicta. Secundò quòd Baillivus solus examinaverat testes: & tamen in Castellerto dantur duo examinatores. In Parlamento duo Commissarii, vel unus cum adjuncto. Tertiò Clericus suus scripserat depositiones testium, nec erat ibi signum alicujus personæ publicæ. Quartò non est credendum actis Baillivi, nisi in quantum per acta tabellionica constat. c. quoniam contra falsam. de proba. Quintò quia recoli debent testes cum subest causa, ut hic, sic aliàs factum fuit in curia, ad hoc cap. cum clamor. de testibus. Sextò testes qui viderant depositiones, jurabant se numquam sic deposuisse. Septimò quia usque ad diffinitivam etiam post, possunt & debent falsitates inquiri & perquiri, & quod per medium iptius factum est, debet retractari juxta l. Divus ff. de re judic. & l. qui agnitis, ff. de excep. & C. si ex fal. instru. per totum, & cap super eod. & cap. accedens, de crimi. fal. Contrarium propositum fuit per Procuratorem regium & dictum Baillivum ad finem quòd dicti Religiosi emendarent Regi & Baillivo injuriam quam prætendunt contra ipsum, quòd non fiat recollatio: sed processus Baillivo ante dicto *de Dreux* remittatur judicandus: nec in contrarium recipiantur per rationes sequentes. Primò, quia Baillivus honesta persona erat, benè famata, licentiatus in jure civili, nunquam de aliquo crimine aliàs reprehensus, nec increpatus, juratus Regi de bene judicando & justitiam faciendo. Secundò, quia pars adversa non dicebat contrarium præterquàm in prædicto casu superius allegato, &c. & plures cognovit de aliis causis & judicavit ad intentionem dictorum Religiosorum etiam contra Regem & alios. Tertiò non allegabat pars adversa prædictum Baillivum fuisse in hac parte corruptum, nec aliàs, nec allegabat aliquid sufficiens, sed solum dictum Baillivum in favorem Regis & odium Religiosorum prædicta fecisse, quæ non sufficiunt: nec sunt recipienda in terminis tam generalibus, nec tenendum dictum Baillivum in favorem Regis, vel odium alterius (cujus odii vel favoris inordinati causa non allegatur) fuisse suæ salutis immemorem juxta l. fin. C. ad l. Juliam repetun. canonizatam. Quartò Baillivus examinavit testes, qui est persona publica, & suus Clericus scripsit depositiones ipsorum, sic ut duo fuerunt, nec est necesse, nec assuetum ibidem duos esse: sic fit plerumque in examinatoribus Castelleti ubi unus solus examinat: sic in dominis Parlamenti & alibi. Quintò creditur examinationi testium factæ per duos, vel unum ad hoc commissum, ut uni examinatori vel uni de dominis Parlamenti. Sextò officium est judicis facere inquestas & testes examinare, licèt plerumque non faciant hæc, quia plerumque sunt ignari: sed non sic de hoc Baillivo, ut supra dictum est, sufficienti & persona publica & jurata. Septimò non est credendum testibus etiam dicentibus se aliter deposuisse: quia sunt in hoc singulares, & duo deponunt, contrarium ut Baillivus & ejus Clericus, juxta, c. cum dilectus filius Abbas Cisterciensis de accu. ubi videtur casus. Octavò, quia testi se corrigenti, nisi in continenti, non est credendum: juxta c. præterea de testi. cogen. Nonò non sunt ad hoc recipiendi propter timorem subornationis, quia post annum, vel ferè quando habuerunt publicationem testium, & viderunt quòd testes deposuerunt contra ipsos, petierunt testes recoli. Quòd non est recipiendum juxta, cap. fraternitatis de test. & cap. fin. eod. tit. in Cle. & in Auth. de test. §. quia verò sæpe, cap ultra tertiam, de testi. Decimò, quia scientes testium depositionem, ceperunt appunctamentum ad jus audiendum super processu. Quod appunctamentum fuit ter, aut quater continuatum de consensu dictorum Religiosorum. Undecimò non intervenit hic aliqua falsitas, nec est de ea aliqua præsumptio. Sed solum verbo allegat pars, causa diffugii: quia scit testes deponere contra eam. Duodecimò non facit contra hoc c. cum clamor de test. quia loquitur quando minus sufficienter sunt testes examinati: non in hoc casu. sic pars adversa non est admittenda, sed debet fieri conclusio supra requisita quoad processum. Similiter & quoad emendam per sequentes rationes. Primò, quia imposita per Religiosos dicto Baillivo sunt injuriosa, & maximè alia verba de quibus nullam fecerunt mentionem, nec conclusionem: nec exposuerunt in placitando, videlicet & plures alias falsitates & delicta, &c.

Ad hoc nota l. nonnumquam, § barbaris, ff. de re. mil.

Replicat pars Religiosorum, ac defendit. Primò quòd non habet diem quoad conclusiones Procuratoris regii & Baillivi super injuriis. Secundò, quia prætaxatè agunt super injuriis: sed debent expectare recollationem per quam apparebit an habeant causam Religiosi requirendo eam: quo casu non posset contra ipsos concludi ad emendam, vel non, quo casu non haberent Procurator regius & Baillivus antedicti causam concludendi ad emendam. Duplicavit Procurator & Baillivus. Primò, quia non est opus adjornamento: quia injuriæ contentæ sunt in Litera regia qua usi sunt Religiosi in curia. Secundò, quia verbo protulerunt dicta verba injuriosa. Tertiò, respectu emendæ possunt prosequi, quia dicta verba injuriosa fuerunt, & maximè in Litera continetur illa generalis clausula, & aliàs plures, &c. quæ per partem adversam non fuit specificata, nec in curia exposita, nec per eam in curia proposita. Nec est actum prætaxatè, quia non est expectandus finis processus quoad

agendum : sed quoad condemnandum & executandum. Finaliter partibus antedictis ad plenum auditis 25 die mensis Januarii anno Domini 1389. per Arrestum fuit dictum quòd Religiosi responderent super dictis injuriis : & quod admitteretur Procurator regius & Baillivus ad emendam super ipsis faciendam, & quòd dicti Religiosi non erant admittendi ad suam requestam, nec ad aliqua per eos proposita, nec fieret recollectio : & fuit processus remissus dicto Baillivo *de Dreux*, per suum locum-tenentem judicandus. Et insuper dicti Religiosi fuerunt condemnati ad emendam Procuratori regio & dicto Baillivo faciendam, taxatione curiæ reservata, & condemnati in expensis dicti Baillivi.

QUÆSTIO CXCV.

De renuntiatione facienda alicui rei propter grande onus.

DOminus Ludovicus *de Châlons*, receptus fuit per Arrestum ad renuntiandum emendæ ad utilitatem Decani & Capituli Turonensis à quibus eam prædecessores suis receperant, ad onus quoddam reale unà cum personali obligatione, & hoc me placitante, &c.

QUÆSTIO CXCVI.

Possessiones receptæ super immunitate ac libertate visitationis Procurationis.

PRior sancti Eligii Parisiensis unà cum Abbate sancti Mauri propè Parisius de qua Abbatia membrum est dictus Prioratus dependens, fuerunt recepti in factis contrariis contra Episcopum Parisiensem, super eo quòd prætendebat dictus Prior prioratum suum esse francum & immunem de visitatione & procuratione erga dictum Episcopum, & immediatè esse subjectum quoad visitationem & procurationem dicto Abbati suo, absque hoc quòd Episcopus aliquid quoad hæc haberet. Et me placitante, hæc erat quæstio, non in proprietate, sed in possessorio, quorum Abbatis & Prioris fuerunt possessiones receptæ ; & fuit magna & prolixa placitatio : Episcopus tamen habuit recredentiam : Et ratio fuit quia de jure * communi fundatus erat Episcopus Parisiensis.

* *Jure.*) cum sint personæ. de privileg. de C. M.

QUÆSTIO CXCVII.

Servientes debent obedire eorum Superioribus.

TAssardus de Bosco serviens Ambianensis appellavit à locum tenente Baillivi Ambianensis, eo quia dictus locumtenens præceperat cuidam servienti regio, quòd dictum Tassardum poneret in prisionem. Ea ratione quia dictus Tassardus non posuerat in prisionem quemdam, quem dominus locumtenens jussserat in prisionem poni per dictum Tassardum, sed in domum ipsius in prisionem duxerat : licet dictus Tassardus ipsum posuisset in prisionem postquam venit ad notitiam ejus, quòd dictus locumtenens præceperat dictum Tassardum in prisionem poni ratione prædicta. Et fuit dictum me hoc placitante quòd dictus Tassardus malè appellaverat, & emendaret etiam, &c. quia obedire debebat dicto locumtenenti quia ejus præceptum non erat atrox.

QUÆSTIO CXCVIII.

Prohibitæ & interdictæ sunt guerræ inter subditos Regios nobiles & alios, sive de Picardia, vel Campania tempore guerrarum ac treugarum.

HÆc interdictio & prohibitio facta fuit per dominum Guillelmum de Senonis tenentem Parlamentum regium : & tunc primum Præsidentem, anno quo suprà, in causa pendente inter dominum Joannem *de Inmont* militem, actorem & defensorem ex una parte : & dominum Robertum *Danys* militem, actorem & defensorem ex altera parte, &c.

QUÆSTIO CXCIX.

Nota adjornamentum generale bonum & astringere.

ITem fuit dictum tunc adjornamentum bonum & validum, ac virtute ipsius dictum Robertum respondere debere, licet non esset speciale, sed solum generale : videlicet *& pour répondre à tous ceux qui s'en voudront faire partie* : quamvis etiam relatio fuit ita generalis, quoniam sic continebatur in adjornamento & Literis regis.

Adjornamentum generale etiâ bonum est, & astringit adjornatum.

QUÆSTIO CC.

Literæ status non impediunt inquestam fieri, nec repristinum arramentorum.

PArtibus appunctatis in factis contrariis, & una defuncta, Literæ statûs ab ejus heredibus impetratæ non impediunt repristinam arramentorum : quia esset impedire inquestam * fieri, quæ fieri non posset, nisi repristia facta, cùm non esset aliàs pars contra quam fieret : sed repristia facta, pars non mutata faciet suam inquestam fieri, & altera etiam, si voluerit : sed credo quòd si non faceret, nil sibi imputaretur propter Literas statûs. Sic dictum fuit per Arrestum pro domino d'*Amboise* contra Comitem *d'Eu*, & ejus sororem, heredes patris eorum quondam Comitis *d'Eu* tempore vitæ suæ. Sic fuit dictum in Parlamento incepto anno Domini 1390. pro Capitulo nostræ Dominæ Parisiensis, contra Abbatem & Conventum *de Fescam*.

* *Inquestam.*) Constitut. Carol. VII. art. 55. Sed hoc non est perpetuum, ut inf. parte 7. Arrest. 105. C. M.

Item in eodem Parlamento fuit dictum pro quodam armigero, contra Marceletum *du Mesnil*, quod dictus armiger faceret si vellet suos testes examinari affuturos senes, & cætera, in quadam causa integra, licet haberet Literas statûs dictus Marceletus : nec resumpsisset, nec adjornatus esset ad resumendum, &c. arramenta hujus causæ integræ quæ incœpta fuerat contra dominum Nicolaum *Braque* mortuum dicti Marceleti Baillivum * habentem. Quod mirum videtur, tum quia dictus armiger non habebat partem adhuc, tum quia causa nondum introducta, non datur talis provisio quæ non videtur introducta, cùm non resumpserit arramenta. Et ulterius fuit eidem dictum quòd faceret adjornare dictum Marceletum ad videndum testes jurare : fuisset eidem armigero securius quòd fecisset dictum Marceletum adjornare ad resumendum vel deferendum, &c. processisset ut supra, &c.

* *Baillivi.*) Id est custodiam seu regimen concedi solitum olim collateralibus, ut dixi in Consuet. Paris. tit. 8. C. M.

Item in Parlamento incœpto 1390. pro domina Joanna *de Noyers*, & domino Joanne de Rimancuria, appunctatis in factis contrariis cum duce Lotharingiæ,

fuit dictum contra heredes ducis Lotharingiæ adjornatos *à reprendre ou delaisser* arramenta : qui obtinuerunt Literas ſtatus uſque ad annum, quòd dicti dominus & domina facerent inqueſtam ſi vellent, & facerent adjornare dictos heredes ad videndum teſtes jurare : tunc tamen aſtricti ad reſumendum vel deſerendum.

QUÆSTIO CCI.

Arreſt pour le Marquis de Saluces, contre le Duc de Savoye.

LE Mercredy onziéme iour de May 1390. fut Arreſt prononcé par Maiſtre Simon Fuſon Preſident en Parlement, par lequel le Marquis fut abſous de l'impetition & demande du Duc de Savoye. Et en outre fut le Roy noſtre Sire, comme Dauphin de Vienne tenu & gardé en poſſeſſion & ſaiſine d'avoir ſeul & pour le tout la foy & homage dudit Marquis, à cauſe de ſondit Dauphiné, & ledit Marquis tenu & gardé en poſſeſſion & ſaiſine de foy & hommage au Roy noſtre Sire ſeul & pour le tout de ſondit Marquiſat, & de le tenir ſeul de luy, & pour le tout en foy & homage à cauſe de ſondit Dauphiné : & fut condamné ledit Duc à rendre audit Marquis quarante-ſix que Citez, que Villes, que Chaſteaux, dont il y en a quatorze du Domaine dudit Marquis, & les autres dudit Marquiſat mouvans du Roy, comme Dauphin de Vienne, & à oſter l'empêſchement par luy mis en iceux, & les dépens de la cauſe : & ne fut en la prononciation dit rien des fruits, ne des dommages & intereſts.

Item, ſçachez que leſdits Marquis & Comte s'eſtoient ſubmis au Roy Charles dernier trépaſſé, pere du Roy qui à preſent eſt, de tous ſes debats, & furent les cauſes plaidoyées en la preſence du Roy & deſdites parties eſtans en Parlement, lequel avant la prononciation de cet Arreſt trépaſſa : voire avant que l'enqueſte fuſt faite, qui a eſté grande : & vouloit le Comte dire que le Roy qui eſt à preſent, ne s'en pouvoit entremettre, & le fit plaider : mais nonobſtant le Roy s'en eſt entremis, ainſi que voir pourez.

Item, *En prononçant cet Arreſt diſoit toûjours ledit Maiſtre Simon, le Roy dit. Et outre dit, que le Roy ne pouvoit eſtre en perſonne au prononcer, & qu'il avoit commandé qu'en ſon nom le Parlement le prononçaſt, & en ſon abſence.*

QUÆSTIO CCII.

Non eſt concedendum adjornamentum ſuper defectu contra illum qui ſe offert procedere velle.

DIctum fuit contra Procuratorem regium pro quodam armigero dicto *Treſſat*, quòd Procurator regius non haberet defectum contra dictum armigerum & adjornamentum ad videndum adjudicari ipſum defectum, licet ſe non præſentaſſet dictus armiger : eo quod dictus armiger ſe tenebat pro adjornato, licet Procurator regius prætenderet tale intereſſe : ſcilicet quòd faceret adjornare dictum armigerum, & contra ipſum poſſet obtinere ſecundum defectum, & ſic tertium & quartum, &c. & ſic cauſam, cùm eſſet in cauſa criminali. Sed dictum fuit quòd non habebat intereſſe, cum dictus armiger eſſet præſens, & ſe defendere offerebat, nec expenſas habere poterat dictus Procurator. Idem dictum fuit pro quibuſdam heredibus, qui ſe offerebant procedere in cauſa.

QUÆSTIO CCIII.

*A quelle monnoye * ſe dois vente payer.*

* *Monnoye.*) Plura & nova dixi in tractat. uſur. Latino & Gallico ad fin. adde infra q. 305. C. M.

LA veille de la Pentecoſte l'an 1390. fut prononcé par Arreſt de Parlement contre Meſſire Raul Pourcelet, Preſtre, Chapelain en l'Egliſe de Doüay, pour aucunes perſonnes de Doüay poſſedans heritages, ſur leſquels avoit eſté aſſiſe vente pour la fondation de ladite Chapelle, que combien que par Arreſt de la Cour de Parlement (dont j'ai autre part parlé) ladite Chapelle deuſt eſtre & fuſt fondée & doüée de cinquante livres tournois. Auquel temps courroit franc pour vingt ſols tournois en ladite ville, qui lors eſtoit au Domaine du Roi : toutesfois ne ſeroient tenus leſdits detenteurs de paier autre monnoie que courir faiſoit le Comte de Flandres en ladite ville, à qui par le Roi elle avoit eſté baillée, dont le franc valoit trois * de ladite monnoie ; c'eſt à ſçavoir quarante-huit ſols d'icelle monnoie, car dix n'avoit pas eſté le franc pour vingt ſols tournois, ou pour ſeize ſols pariſis.

* *Trois.*) Car le franc de Flandres ne valoit que ſeize ſols tournois, comme encore aujourd'huy.

QUÆSTIO CCIV.

Portes abbatuës pour cauſes des rebellions.

ITem, *Celui jour fut la Comteſſe de Valentinois condamnée envers le Roi & partie en grande ſomme de deniers, & fut Maiſtre Pierre le Guy ſon gouverneur lors trépaſſé, pour cauſe de certains excez & rebellions faits aux Gens du Roi. Et les portes de ſon Chaſtel ou Ville ont eſté abbatuës juſques à la volonté du Roi, pour cauſe deſdites rebellions.*

QUÆSTIO CCV.

Quid per oppoſitionem in caſu novitatis factam ſit contentioſum non ſolum deductum in minori, ſed in majori.

ITem, *Celui jour fut prononcé contre les Marguilliers de S. Gervais, & pour le Curé d'icelle Egliſe, qui fait porter l'eau-beniſte par leſdits Marguilliers : jaçoit ce qu'iceux Marguilliers euſſent pris leur complainte negative en cas de nouvelleté contre ledit Curé : c'eſt à ſçavoir qu'icelui Curé ne pouvoit faire porter l'eau-beniſte par ladite Cure. Cuidant par ce moien que faire porter l'eau-beniſte de par ledit Curé, fuſt tant ſeulement contentieux, jaçoit que le Curé ſe fuſt oppoſé ſimplement : & pource de par eux la faiſoient porter, & malè comme dit fut par ledit Arreſt.* Et nota hîc *l'Arreſt de Blois.*

QUÆSTIO CCVI.

Quando adjornamentum factum ſuper re valeat ; licet in perſona vel domicilio factum non fuerit.

ITem per Arreſtum dictum fuit bonum adjornamentum ad comparendum ſupra locum, & bene factum expletum in caſu novitatis in loco *d'Eſpagni*, pro Epiſcopo Lingonenſi contra dominum Joannem *de Breſus*, dominum *d'Eſpagni* ratione impedimenti in dicto loco per gentes dicti domini facti dicto Epiſcopo. Item fuit dictum contra Cardinalem Pariſienſem quòd valuit factum in loco cujuſdam Prioratus * membri dependentis ab Abbatia majoris Monaſterii,

* *Prioratus*) Intellige ſi agatur de juribus beneficii ; ſecus ſi poſſeſſorium retineatur, vide Ioan. Imb. Inſt. Forenſ. lib. 1. c. 3. C. M.

pro Abbate & Conventu dicti loci contra dictum Cardinalem Parisiensem Parisius existentem dictum Prioratum occupante, licet non contineretur in Litera quòd valeret ibidem factum, ac si factum esset in persona vel domicilio dicti Cardinalis.

QUÆSTIO CCVII.

De receptione facienda in factis contrariis ad finem habendi expensas, ac causam esse desertam.

ITem die mensis Junii 1390. fuerunt Procurator regius, & Regina *de Hierusalem*, nomine quo procedebant, recepti per Arrestum in factis * contrariis, contra quamdam partem, ad finem desertionis, & habendi expensas, & ad proponendum quòd à quodam nomine Bartholomæo Locumtenente Seneschalli sui, & conservatore Regio privilegiorum Scholarium Andegavensium pars appellans appellaverat, ut à conservatore non à Locumtenente Seneschalli fuit: & sic non debebat adjornari, sed debuit dictus Bartholomæus adjornari ut judex regius; quod non fuit. Sic erat causa deserta, & debebat solvere emendam appellationis Regi & Reginæ, & expensas ipsi Reginæ.

* *In factis.*) Hodie non debet admitti, tum quia acta scriptis probanda sunt tum per rationem, l. mediterranea C. de an. & trib. lib. 10. C. M.

QUÆSTIO CCVIII.

Quando renuntiatio facta appellationi infra octo dies non prodest.

LE septiéme jour de May 1590. fut prononcé Arrest pour le Procureur du Roi, & contre Pierre Brisefort, que la renonciation faite par ledit Brisefort à son appellation, estoit non vallable, jaçoit ce qu'il l'eust faite dedans huit jours, à tempore appellationis. Et fut la raison, car ledit Brisefort avoit appellé d'une execution que l'on avoit fait contre luy de cent livres d'amende, esquelles il avoit esté condamné par les Gens du Tresor envers le Roi, & par vertu de leur commission, & dedans huit jours avoit renoncé devant deux Notaires de Chastelet, & non devant ceux du Tresor qui estoient aussi bien à Paris comme les Notaires, & ausquels on au Clerc de leur Cour il eust pû aussi bien aller à son aise comme aux deux Notaires. Et point n'avoit signé ladite renonciation à ceux du Thresor dedans les trois mois, n'après: & pource lesdits trois mois passez, obtint le Procureur du Roi une Lettre de Justice contre luy, cum oppositione, & s'opposa à l'execution de l'amende: & luy fut assigné tour en Parlement. Où je proposay pour ledit Procureur du Roi, que ladite renonciation ne lui pouvoit profiter, pource qu'il ne l'avoit pas fait au Tresor, où il pouvoit aussi-tost avoir accez comme en Chastelet, & qu'il devoit renoncer devant le Juge, ou en Cour duquel il avoit appellé, quand il y avoit faculté: & qu'il n'avoit point signifié ladite renonciation dedans trois mois, à fin qu'il ne payast quarante sols parisis, ce qu'il n'avoit pas encore payé, & qu'il avoit fait frayer le Procureur du Roi d'en avoir pris sa Lettre de Justice, & l'avoit fait executer, ce qu'il n'eust pas fait, s'il eust dedans le temps deû signifié ladite renonciation, & faite deuëment, vide hic *l'Arrest.*

QUÆSTIO CCIX.

De interruptione processus.

L'An dessusdit, fut par Arrest prononcé que le Seigneur de Thonny avoit fait interruption en une cause de patronage qu'il avoit comme demandeur commencé contre l'Archevesque de Roüen trépassé, pource qu'il n'avoit pas fait adjourner l'Archevesque de Roüen, qui à present est de ceux de Viennes, dedans l'an du trépas de son predecesseur Archevesque de Roüen trépassé dernierement, ne pris comparuit. *Combien que la mort dudit Archevesque il ne peust ignorer, car il trépassa à Gaillon, prés de l'Hostel dudit Thonny, & fut condamné és dépens.*

QUÆSTIO CCX.

Pars non potest venire contra accordum factum sub conditione, si placeat curiæ, ante curiæ placentiam.

VIdi pronuntiari in Parlamento pro domino Petro *Boucheri* Præsidente in Parlamento, contra dominum d'*Argenton*, quòd certum accordum factum inter ipsos super certis arbitris vel Commissariis per ipsos electis, super quadam discordia concordandis, seu testibus examinandis, quòd accordum erat conditionale, si placeret Curiæ Parlamenti teneretur & compleretur. Non obstante quòd renueret ipsum passare dictus d'*Argenton*, quod videtur mirabile, quia dictus d'*Argenton* poterat ante conditionis eventum * contradicere: juxta notata in c. si pro te de rescript. lib. 6. l. fin. C. de non nu. pec. & l. fin ff. qui satisd. cog. Item per alia Arresta in fine hujus Papiri scripta: aliqui dixerunt rationem fuisse, quia nullam rationem coloratam allegabat dictus d'*Argenton*, quare non passaret, sed solùm quia eidem placebat non passare. Item quia juraverat tenere accordum. Item quia postquam curiæ placebat, tenebatur passare, & erat in curiæ placentia per voluntatem Procuratoris. Sed alii dicebant quòd non, ex quo ante placentiam curiæ contradicebat: & ejus voluntas cum placentia curiæ concordabat, nec unquam visum fuerat. Et malè fuit initiatum in persona Præsidentis in Parlamento, quod numquam fuerat visum propter favorem & suspicionem tollendam.

* *Eventum*) Hæc ratio non valet, sed vide rationē, infra q. 139. versi. 4. quæ fetet hodie cessat. C. M.

QUÆSTIO CCXI.

Le defendeur n'est point à contraindre de prendre en cas petitoire autre delay à une fois, que pour avoir la demande par écrit.

LE vingt-huitiéme jour de Juillet mil trois cens nonante, fut ordonné qu'en demande petitoire, le demandeur bailleroit sa demande par écrit, sans contraindre le defendeur à prendre autre delay, comme jour de Conseil, de veuë, ou de garant, s'il ne vouloit: la raison, car le defendeur pouvoit avant le jour du Conseil de veuë, ou de garant, impugner la demande d'ineptitude, ou demander congé & dépens, faute d'adjournement, qu'il ne pourroit s'il avoit pris jour sur autre delay, comme jour de Conseil, de veuë, ou de garant, ce reservé ne luy estoit par aprés permis.

QUÆSTIO CCXII.

An virtute jurisdictionis spiritualis bona Curati, vel clerici mortui, capi possint in jurisdictione temporali alicujus domini.

AN Episcopus vel alia persona Ecclesiastica sit recipienda ad proponendum possessionem capiendi, & inventoriandi, ac conservandi bona mobilia

Nota quod bona Curati de jure communi debent

reservari futuro successori.

alicujus Curati, vel personæ Ecclesiasticæ mortuæ existentia in alta, media & bassa jurisdictione temporali alicujus, virtute jurisdictionis suæ spiritualis pro conservando illa heredibus, vel illis ad quos spectare debebunt. Quæ quæstio fuit placitata pro Episcopo Nivernensi ex una parte, contra Comitem Nivernensem ex altera, seu Ducem Burgundiæ habentem administrationem Comitis Nivernensis filii sui 28. die mensis Julii anno 1390. Et arguitur quòd sic. Primò, quia non proponit possessionem capiendi illa bona, ut sibi acquisita tanquam vacantia, sed causâ conservandi, &c. juxta Authen. omnes peregrini. C. communia, de successionibus, sumptam ex cor. de statu. & consue. &c. collat. 10. Secundò illa bona, videlicet bona Curati de jure communi debent reservari futuro successori. c. requisisti. c. relatum, & c. cum in officii de testa. cum ibidem notatis. Et sic censentur Ecclesiæ. Tertiò, sunt bona mobilia Curati, quæ sequuntur corpus, ut possimus videre, quia capto Clerico per judicem secularem cum aliquibus bonis mobilibus & reddito suo judici ordinario, redduntur etiam bona. Sic videmus quod condemnato Clerico * ad carcerem perpetuum, bona mobilia sunt suo Ordinario confiscata, & reddenda in sua jurisdictione spirituali existentia, quia corpus sequuntur. Quartò, quia illo Clerico, vel Curato mortuo, poterunt habere illa bona aliqui ejus consanguinei Clerici qui eidem succedent. Quintò, non est inconveniens, si nullus appareat ejus heres: nec testamentum fecerit, sed bona sunt vacantia, quòd reddentur per Episcopum domino temporali, ad quem spectant bona vacantia. Sextò habet de jure communi corporis, Curati & Clerici captionem, juxta, c. cum Episcopus de off. ordi. lib. 6. Nec mirum si bonorum mobilium, quæ corpus sequuntur, juxta l. 2. de Episc. & Cle. Septimò, sic dictum fuit pro Archiepiscopo Bituricensi, quia receptus contra Ducem Bituricensem ad possessionem proponendam de inventariis faciendis bonorum mobilium Clericorum suæ Diœcesis defunctorum in jurisdictione temporali Ducis Bituricensis. Octavò fundari potest in illis qui testamentum fecerunt, quia spectat ad Episcopum complementum & defensio executionis testamentorum, etiamsi testator prohibeat juxta c. tua c. Joannes, &c. si heredes de testi. Etiam de jure civili per notata in dictis capitibus & per Innoc. in c. nos eo. tit. & in Auth. de Ecclesiastic. tit. §. si quis in omnibus col. 9. l. nulli licere, C. de Epis. & Cle. & Auth. omnes peregrini C. communia de succes. arguitur in contrarium. * Primò quia de jure quo utimur virtute jurisdictionis spiritualis in jurisdictione temporalis alterius domini, non potest fieri captio, nec inventarium bonorum mobilium, licet fuerint Clerici, quia esset capere temporale virtute jurisdictionis spiritualis in jurisdictione temporali alterius, quia licet bona fuerint Clerici, nunc non sunt, quia mortui, quod esset absurdum quòd dominus temporalis in cujus jurisdictione temporali sunt illa bona, quæ fortè ad ipsum ut vacantia spectabant, quia Clericus vel Curatus mortuus non habebat heredem, nec facit testamentum, capiat hujusmodi bona ab Episcopo virtute jurisdictionis suæ temporalis per manum Episcopi, vel suorum officiariorum suæ jurisdictionis spiritualis. Tertiò fuit Arrestum prolatum in simili per dominos generales contra quemdam qui prætendebat capere posse & inventoriari in jurisdictione temporali alterius bona mobilia Clerici, vel Curati mortui, virtute jurisdictionis spiritualis. Sic etiam* fuit dictum pro majore & Scabinis villæ Ambianensis contra Episcopum Ambianensem: sic etiam fuit aliàs dictum contra Episcopum Lingonens. sic contra Archiepiscopum Rhemensem. Nec obstant contraria. Et primò primum, nec secundum, quia non spectant bona Curati undecumque quæsita ad Curatum successorem, sed ad ejus heredes quo jure utimur. Et supposito quòd sic adhuc capere non posset, &c. & non sibi ut vacantia appropriare, &c. Ad tertium responsum est, quia non sunt bona Clerici vel Curati, quia mortui, &c. Ad quartum & quintum respondetur, quod etiam aliis suppositis, capi non possunt per prædicta. Ad sextum non sequitur si haberet captionem corporis, quia non conceditur quòd ob hoc bona ipsius mortui capere possit, maximè quia non sunt bona Clerici vel Curati, quia mortui. Ad septimum patet responsio per negationem. Ad octavum non sequitur, maximè quia spectat ad Episcopum testamenti defensio: nisi in piis causis, nec facit l. nulli, nec Authen. omnes peregrini, quia dicit si potest fieri, nec dicit quòd capere possit sua authoritate. Et sic ibi tradantur: sed habebit per manum domini temporalis. Et non fuit nunc decisa, sed appunctata quòd considerarent curia rationes hinc inde propositas ad finem recipiendi, vel non, & faceret jus.

* *Clerico.*) Idem Albert. per. 1. statu. q. 17. Oldr. q. 17. decisi. Tholosa q. 150. dicam in Consuet. Paris § 198. adde supra eod. q. 136. C. M.

* *Contrarium.*) Hoc simpliciter & indistinctè servatur & Tholosæ ut refert Guil. Benedic. Rep. cap. Raynutius ver. uxo. nomine Adelaidem 420. & bene licet Guido Pap. q. Delph. 261. distinguat an heres si Clericus vel Laicus quem sequitur Step. Auff. Rep. cap. 1. Regul. 4. Fal. 2. de off. ubi alleg. concordata inter officiarios temporales & spirituales, sed non possunt regulariter domanis temporalibus præjudicare C. M.

De Literis status.

QUÆSTIO CCXIII.

VIdi dici quod dominus *de Turnon* non gauderet Literis status contra Magistrum Joannem *Mansgnet*: Ratio, quia Rex non affirmabat ipsum esse in Barbaria gratiâ cujus habuerat statum: nec scire poterat veraciter, sed dicebat ipsum iviſſe, nec aliquis capitaneus sub quo iviſſet, testificabatur hoc: sic Rex testificabatur de facto alieno non suo, fortè secus si asseruisset Rex ipsum iviſſe juxta not. in Cle. Literis de probation. Et ibidè vide de hac materia, domini requestarum de Palatio nolunt recipere Literas status, nec eisdem obedire, si generaliter dirigantur omnibus justiciariis, &c. dicentes quod sunt membrum Parlamenti. Et sic non obedierunt cuidam impetranti, & fuit appellatum in Parlamento ubi adhuc non est decisa * causa appellationis.

* *Decisa.*) Imò hodie satis decisum quod debent parere supra quæst. 18. C. M.

QUÆSTIO CCXIV.

An dominus de Montmorency *sit recipiendus ad prisiam faciendam in terra sua, ubi habet altam, mediam, & bassam justitiam, & ad possessiones proponendas super hoc contra regium Procuratorem ac Procuratorem mercatorum piscium, &c.*

ARguebam quod sic, ego qui pro ipso hanc causam placitavi rationibus sequentibus. Primò, quia ipse est Baro. Et est dominium suum & Baronia de *Montmorency* antiqui juris Francix, & in recto corpore Francix. Nec fuit antiquitus aliqua Baronia * in Francia quam sua, ante augmentationes, & acquisitiones, quæ de pòst factæ fuerunt à regibus Francix. Secundò usus & assuetus fuit, & habet & habuit jus per se & suos prædecessores dominos de *Montmorency* per tale & tantum tempus, de cujus contrario non extat memoria: & quod constituti jure habetur, fuit & est in possessione & saisina habendi prisiam piscium capiendi, vel facere capere pro se & nomine suo, in & super illos qui vehunt aut portant à mari ad urbem Parisiensem quando transeunt per villam *de S. Brice*, spectantem ad dictum dominum, & in qua habet altam, mediam & bassam justitiam, juxta necessitatem ipsius domini & hospitis sui, aliquando plus, aliquando minus, videlicet unum cacabum semel, aliàs minus: aliquoties *folles*, *rongets*, *plais*, *gourneaux*, juxta necessitatem, & secundum pisces quos adducunt. Tertiò hoc est receptibile, attenta & considerata persona talis Baronis, maximè quia prisia fit in suo dominio, alta, media & bassa justitia, ut puta apud sanctum Britium de quo est dominus, ut dictum

* *Baronia.*) Dixi in Cons. Paris. §. 10. n. 2. C. M.

Usus aliorum est necessarius, facit. l. cum hi. in prin. ff. de transac.

dictum est. Et debitè & moderatè, ut pro necessitate sui ipsius & hospitii sui, cùm ipse etiam solveret justum pretium ; *non tournois pour parisis*. Quartò usus est necessarius ; quia pro alimentis nec habent mercatores in hoc aliquod interesse ; quia habent justum pretium. Et est eorum piscis venalis, & pro vendendo adducunt Parisius, & multotiens vendunt de ipsis adducendo Parisius in villis intermediis, vel super itineribus per quæ transeunt : & replent suos cacabos herba, vel stramine pro eundo *le bochis*. Quintò sic utuntur domini *Daumont en chars*, Religiosi S. Genovefæ, Religiosi de S. Dionysio, Episcopus Parisiensis sex partes *de Chaumont*, dominus *de Clerefontaine*. Sextò de jure, usus & consuetudo sunt receptibiles sicut & possessiones, per §. si constat, l. venditor, ff. communia prædia. Nam usus & consuetudo non possunt esse absque possessione, & maximè sunt receptibiles de tanto tempore cujus initii non est memoria, ut hoc casu est. Septimò hoc potest Princeps concedere : ergo & tanto tempore acquiri & possideri, jux. c. super quibusdam, de ver. sig. & not. in c. 2. de Præb. lib. 6. Omne enim jus minori tempore tolli potest, utpote 30. vel 40. annis, puta publicum vel privatum, l. omnes, C. de præscrip. 30. vel 40. annorum, & c. Episcopum, de præscrip. lib. 6. ff. de aqua plu. arcen. l. 1. in fi. & de aqua quoti & æsti. l hoc jure, §. ductus aquæ. Octavò in materia difficiliori habet locum præscriptio : utpote in materia procurationum, ut in Extravag. vas electionis, §. nostræ tamen intentionis. Item in censu ponendo in Ecclesia : ut in cle. 1. §. in cessationibus, de Sent. excom. Item in decimis, c. in aliquibus, de decim. Item in spiritualibus ministrandis, ut in cle. quia contigit, in fi. de religio. do. fortiori ratione in hac materia. Nonò, quia ista consuetudo & possessiones non sunt contra bonos mores, nec contra jus divinum, nec naturale, nec sunt inductivæ peccati mortalis, juxta c. fi. de cons. Decimò pro hoc faciunt plura Arresta ; unum pronuntiatum pro Religiosis D. Dionysii 9. die mensis Augusti anno Domini 1353. quod alibi habeo conclusivè : aliud pronuntiatum pro Episcopo Belvicensi * qui per Arrestum receptus fuit ad similes possessiones, de quibus tractabat ad præsens contra Procuratorem regium, & Procuratorem mercatorum piscium prolatum octavo die mensis Junii anno Domini 1387. Etiam appunctuamentum datum pro Religiosis de S. Medardo de Suessione, contra Episcopum Catalonensem, per quod fuerunt recepti dicti Religiosi ad possessiones per ipsos propositas in casu novitatis. Prima die Decembris anno D. 1374. de fodiendo, cavando, hoiendo in vineis, nemoribus & terris plenis bladis, ubi dicti Religiosi habebant altam justitiam pro quærendis lapidibus molendini, replendo fossas, ac restituendo blada, nemora, & racemos, vel valorem partibus quarum intererat. Undecimò non sunt per hoc impediti advehentes pisces ; *car saint Bruce est de l'Eglise* advehentium pisces : & ubi oportet quòd solvant traversum seu pedagium. Non obstant contraria. Primò *les privileges allegnez par partie adverse, tant parce que la Coustume, usage & possession allegnez par ledit Seigneur de Montmorency sont plus anciens que lesdits privileges, & aucuns en ont parties adverses, & en a toûjours joüy paravant, & depuis iceux, & sont à entendre* civiliter, videlicet salvo jure alieno. Nec unquam se consensit dominus *de Montmorency*, nec ejus prædecessores, nec vocati fuerunt. Et semper contradixerunt per usum eisdem privilegiis contrarium, & sumus in materia possessoria bene receptibili, ubi non prodest titulus, nec quoad recredentiam. Item nec in hoc habet interesse villa Parisiensis ; quia ex quo sciunt mercatores dictum dominum habere prisiam, magis adducerent pisces. Item nec in hoc fit fractio salvægardiæ ; quia dictus dominus hoc facit utendo jure suo. Et quoad recredentiam fieri debet dicto domino, qui tractat de elementis, & aliis rationibus prædictis. Et quoad restabilimentum, non cadit restabilimentum ; quia ille ad quem pisces spectabant, non fuit conquestus. Et quia justum pretium fuit solutum partibus auditis, fuit ad consilium positum an ad hoc esset receptibile : & adhuc nondum fuit pronuntiatum, sed pòst fuit pronuntiatum anno Dom. 1391. mensè Martii, quòd erat recipiendus dictus dominus *de Montmorency* ad possessiones suas, & receptus fuit. Et fuit facta recredentia parti adversæ.

* Belvicensi.) sup. qu. 108.

Qui utitur jure suo non infringit salvamgardiam.

Alia Arresta lata in Parlamento cœpto in crastinum S. Martini anno Dom. 1391.

QUÆSTIO CCXV.

An provisio fit uxori facienda super bonis mariti venditis.

PRimò fuit dictum contra uxorem Joannis *Pisdre*, filiam Magistri Petri *à l'essée*, quòd provisionem non haberet, nec ad hoc erat recipienda pro victualibus, &c. super bonis ab ipso Joanne venditis, qui omnia bona sua vendiderat de consensu suæ uxoris fraudulenter capto. Ratio fuerat quia petebatur provisio non super bonis mariti, sed tertii, cui dictus *Pisdre* ea vendiderat de consensu uxoris. Et etiam ratione dotis * petere non poterat, quia ejus vir, puta dictus *Pisdre* vivebat : & sic non erat locus doti, etiam quia consenserat alienationi dicta uxor ; relevata tamen fuit ab expensis.

* Dotis.) Quam hic accipit pro doario seu pro antiphernis ; & intelligе quòd hic uxor major annis consenserat, & adhuc est iniquitas ob fraudem contra l. ubi adhuc, C. de jure dot. dixi in Cons. Paris. §. 135. C. M.

QUÆSTIO CCXVI.

An capti Parisius Clerici sint Episcopo Parisiensi reddendi ipsos requirenti, vel coram Ordinariis.

PEr Arrestum Parlamenti Petrus Bernardi de Rupella Clericus non conjugatus, Parisius fuit captus prisionarius authoritate Curiæ Parlamenti, & in Castelleto positus : fuitque Episcopo Parisiensi * eum requirenti traditus, quamvis peteret eum Episcopus Xantonensis, cujus erat civis, & de ejus diœcesi in dicta villa Rupella, in qua fuerat adjornatus ad comparendum personaliter in Parlamento. Sic fuit factum de Abbate de S. Cypriano *de Poitiers*, & de Religiosis de Savigniaco qui Parisius capti fuerunt, & redditi Episcopo Parisiensi.

* Parisiensi.) Et bene quia coram Episcopo Parisiensi, præsertim exempti debent petere ad se remitti subditum vel exemptum, nec de hoc discutiendum coram seculari, qui solùm agnoscit. Vnde cùm Præses remisisset Clericum exemptum ad suum exemptum, fuit per Arrestum hoc annullatum, & dictum quòd remitteretur coram Ordinario, coram quo exemptus requirere posset. Adde infr. q. 324. 371. & quæ dixi sup. eod. q. 100. C. M.

QUÆSTIO CCXVII.

An executoribus testamenti sit danda dilatio pro consilio.

EXecutoribus Episcopi Rhemensis priùs immediatè Episcopi Autissiodorensis, nomine domini Federici *Cassinet*, fuit data dilatio consilii, contra Episcopum Autissiodorensem petentem & requirentem ab ipsis executoribus reparationes fieri in domibus & hereditagiis Episcopatus Autissiodorensis, cujus fuerat Episcopus dictus Federicus, nam morbo alieno laborabat.

QUÆSTIO CCXVIII.

Quittantia post Sententiam reperta prodest. *

* *Prodeſt.*) Et bene Paul. l. ſi Fullo. de condict. ſine cau. Fulgoſ. conſ. 187. Titius Alexan. l. Imperatores in fi. de re judi. & conſi. 96. lib. 5, C. M.

PRo Comite de Theodoro repetente, & ſe juvante de quadam quittantia per eum poſt Sententiam diffinitivam reperta, per quam Sententiam Droco Porcherii, qui poſtquam dictum Comitem in garendum ſummaverat in Caſtelleto Pariſienſi fuerat condémnatus in 500. lib. Turonenſibus ad cauſam uxoris ſuæ heredis patris ſui Magiſtri Joannis *de Roupemont* nuncupati obligati, ut apparebat per quamdam obligationem in certa ſumma pecuniæ Iacobo *Flamingi* draperio, cujus bona confiſcata fuerant: quæ obligatio fuerat aſſignata cuidam nomine *Coquelet*, qui *Coquelet* prædictam obtinuerat Sententiam: fuit dictum contra prædictum *Coquelet*, quòd quittantia erat valida, & quòd traderet obligationem ut acquitatam, redderetque ſummam quam virtute dictæ Sententiæ receperat, & ab expenſis fuit relevatus. Comes tamen qui non fuerat condemnatus, licet in garendum vocatus fuit in Parlamento, per eum obtenta certa Littera regia, narrando factum.

QUÆSTIO CCXIX.

An proviſio trahatur retrò.

PRoviſio facta per Arreſtum non retrahitur etiam in dote conſuetudinaria. Sed habet effectum à tempore Arreſti ſuper proviſione facti, & ab illo tempore veniente fructus, quamvis videretur contrarium * cùm mulier à tempore mortis ſit ſaiſita de dote conſuetudinaria. Sic fuit dictum pro domino Petro *de Villiers* contra Magiſtrum Petrum *de Villiers* Archidiaconum de Bamanciaco fratrem ſuum.

* *Contrarium.*) Et bene, ut hodie etiam ſervatur. C. M.

QUÆSTIO CCXX.

De Viſitationis recredentia.

EPiſcopo *de Poitiers* fuit facta recredentia ſuper viſitatione contra Abbatem & Conventum *de Nieuguſte*, &c.

De Officiariis regiis abſolvendis.

ARchidiaconus *de Dreux* fuit condemnatus ad abſolvendum regios ſervientes, quos excommunicaverat.

QUÆSTIO CCXXI.

Peti poſſunt arreragia per reale medium, non obſtante Sententia reo lata in poſſeſſorio.

PRo domino Nicolao beneficiato in Eccleſia Pariſienſi fuit dictum contra dominum Petrum de Caſtello Magiſtrum Cameræ Computorum, quòd benè appellaverat à Sententia dominorum Requeſtarum, & ipſos malè judicaſſe: qui judicaverunt dictum dominum Nicolaum ad proſequendum arreragia quorumdam computorum per viam perſonalem, concludendo ad arreragia per medium reale & longam poſſeſſionem, ad quod non erat admittendus, eò quòd ſuccubuerat contra dictum dominum Petrum agentem in caſu novitatis, per defectum in quo fuerat dictus dominus Nicolaus poſitus, & in ſuis poſſeſſionibus, hoc medio, dictus dominus Petrus tentus fuerat. Et fuerat ratio dominorum Requeſtarum, quia petendo arreragia, veniebat contra Sententiam quam dominus Petrus obtinuerat in poſſeſſorio; in quantum petebat arreragia præcedentia dictam Sententiam, maximè anni proximi poſt executionem querimoniæ in caſu novitatis: Ratio decidendi, quia concludendo ad arreragia per medium reale ſatis erat petitorium. Et quia ſuccubuiſſet in illa inſtantia in effectu, petitorium amiſiſſet.

QUÆSTIO CCXXII.

SI quis omittat in declaratione tradita Curiæ fructuum vel expenſarum, offerre ad probandum facta ſua, vel expenſas requirere, non nocet, quia in principali requiſivit, & hoc non eſt niſi declaratio.

QUÆSTIO CCXXIII.

De minùs ſufficienti mandato.

REligioſi de ſancto Theodorico habuerunt congedium & expenſas contra habitantes de dicto loco poſt cauſam placitatam ſuper peremptoriis unà cùm petitione congedii, eò quòd ad dictorum Religioſorum requeſtam, fuerunt miſſi certi Commiſſarii per Curiam qui reperierunt, & Curiæ reportaverunt, quòd verum erat quod propoſuerant dicti Religioſi, videlicet quòd non erat de conſenſu majoris & ſanioris partis facta proſecutio, & procuratio virtute cujus ex parte dictorum habitantium fundati erant Procuratores, ſed eis diſplicebat. Sed ſolùm ad inſtantiam aliquorum æmulorum dictorum Religioſorum: Et fuit reſervatum Procuratori regio de faciendo ob hoc contra ipſos proſecutionem, necnon contra Religioſos ſuper propoſitis contra ipſos.

QUÆSTIO CCXXIV.

An ſit licitum priſionarium ſuum ducere ad ſuos carceres per juriſdictionem alterius.

PEr Arreſtum fuit dictum contra Villam Tornacenſem pro Epiſcopo Tornacenſi, quòd ſaiſina Villæ non erat recipienda, quòd Epiſcopus non poſſet ducere de domo ſua Epiſcopali in qua juriſdictionem habebat per Villam Tornacenſem, ad caſtrum ſuum extra Villam, ubi habebat priſiones ſuas, priſionarios, licet non haberet Epiſcopus juriſdictionem in dicta Villa nec ſuper viis. Sed ſi vellent proponere poſſeſſiones quod ducere non poſſet abſque requiſitione ſervientium vel juſtitiæ Villæ, necnon conducta dictæ juſtitiæ per Villam bene reperientur. Et credo fuiſſe rationem; quia ire, & ducere per Villam eſt facultatis, juxta l. vis, ff. de via public. & l. per agrum, C. de ſervit. & aqua, cum ibi notatis, & ca. omnes leges, in fi. 1. in diſt. nec hoc prætendit facere per modum juſtitiæ ire per viam, ſed per modum facultatis. * Sic tenet Collectarius per leg. ſi quis poſt hanc, C. de ædif. privat.

* *Facultatis.*) Ductio enim nihil novi addit, ſecus de prehenſione. C. M.

QUÆSTIO CCXXV.

Epiſcopus non declinat Parlamentum in reparationibus.

NOn fuit per Arreſtum receptus, ſed repulſus de declinatoria Epiſcopus Noviomenſis, quondam Epiſcopus Abricenſis, conventus in Parlamento ſuper refectionibus * & reparationibus hereditagiorũ quondam Epiſcopatus ſui Abricenſis, licet diceret hæc perſonalia non realia.

* *Refectionibus.*) Sup. cod. q. 87.

QUÆSTIO CCXXVI.

De interruptione per lapsum anni.

FVt dit par Arrest contre Iean de Pierrecourt, pour Messire Marcelet de Mesnil, que ledit de Pierrecourt avoit fait interruption de son procez, & fut condamné és dépens dudit Marcelet; pource qu'après la mort de Messire Nicolas Braque, qui mourut le 17. jour d'Aoust l'an 1388. au bail duquel est ledit Messire Marcelet, led. de Pierrecourt fit adjourner ledit Messire Marcelet le 29. jour d'Aoust 1389. l'an revolu & passé, à reprendre ou delaisser les arremens d'une cause pendante entre ledit Pierrecourt demandeur d'une part, & ledit Messire Nicolas, comme ayant le bail, gouvernement & administration dudit Marcelet defendeur, à cause de la terre de Pierrecourt.

QUÆSTIO CCXXVII.

Officiarii regii in judicatura non præstant assecuramentum suis subditis.

POur Iean Millet Prevost, Fermier Royal de Laon, fut dit que pource qu'il estoit Prevost Royal, qu'il ne bailleroit point d'asseurement à Iean Bisraudi, qui demouroit és termes de sa Prevosté, comme à Chalons.

* *Subditis.*] Ita ad hoc hodie vulgò tenent, sed est iniquum; quia securitas non datur *contre les exploits de Justice, mais seulement contre les voyes de fait. C. M.*

QUÆSTIO CCXXVIII.

Citati non debent appellare, sed suum privilegium allegare.

FUit dictum pro Duce Bituricensi contra quemdam nominatum Nicolaum *Bouton*, appellantem à Seneschallo dicti domini Ducis, quod ut appellans non erat recipiendus, eò quòd appellaverat ab adjornamento sibi facto, per quemdam servientem dicti Ducis, de comparendo coram dicto Seneschallo per mandatum ipsius Seneschalli, licet allegaret se exemptum à Seneschallo & Duce per appellationem anteà ab ipsis factam, ut dicebat. Ratio fuit, quia non erat notorium ipsum appellasse à dicto Duce & ejus Seneschallo. Sic illud allegare debuisset coram dicto Seneschallo, & coram eo fuisse ad hoc allegandum, non appellasse, juxta l. si quis ex alien. ff. de judiciis, & l. ex quacumque causa, ff. si quis in jus vocatus non ierit, & not. in cap. veniens de accusation.

QUÆSTIO CCXXIX.

Advocatus regius contra Regem placitare non potest, etiam pro Ecclesia in qua habet Beneficium.

DIctum fuit quòd Magister Odardus *Berthine* Advocatus regius, Canonicus Parisiensis non placitaret pro Ecclesia Parisiensi contra Regem; sed esset cum Rege, tamen pro Rege causam illam non placitaret.

QUÆSTIO CCXXX.

Abbas & Conventus de Veselay *ressortiuntur in villa Antissiodorensi, &c.**

DIctum fuit pro Rege quòd Abbas & Conventus *de Veselay* ressortirentur coram Baillivo Senonensi in sede Antissiodorensi, & non in sede antiqua Villæ novæ regiæ, eò quòd licet in Villa nova antedicta esset antiqua sedes & ressortum Regis, hoc erat antequam dicta villa Antissiodorensis spectaret ad Regem, sed tunc spectabat ad Comitem Antissiodorensem. Sed postquàm venit ad Regem, Rex ordinavit in dicta Villa Antissiodorensi ressortum & sedem regiam: & voluit sedem & ressortum quæ solebat esse in dicta Villanova, esse in Villa Antissiodorensi quæ ad præsens, ad Regem spectat.

QUÆSTIO CCXXXI.

De remissione facienda appellationis, non obstantibus attentatis.

DOminus Ioannes *Braquet* appellavit à Præposito *de Gien*, omisso medio Baillivi, & appellavit simpliciter: & postea relevavit appellationem in Parlamento; licet interim fuerunt per dictum Præpositum facta attentata, & adjornamentum factum in Parlamento super attentatis: fuit tamen remissus ad Baillivum, quia non fuerunt attentata facta in contemptum Curiæ Parlamenti, cùm non appellavit expressè ad Parlamentum, sed simpliciter: & sic ibat appellatio ad Baillivum jure suo, in cujus contemptum fuerunt facta attentata.

QUÆSTIO CCXXXII.

Quid sit faciendum de se occidente.

PRior Sanctæ Crucis Parisiensis se suspendit in camera sua, & fuit levatus per Præpositum Parisiensem vel suos servientes, redditus tamen Episcopo Parisiensi, & ab Episcopo amicis ipsius Prioris traditus, & inhumatus in terra sancta, quia fuit probatum quòd furore deductus se suspenderat; nam antè erat bonæ vitæ, famæ & conversationis. Ratio redditionis Episcopo, quia Presbyter; nam si Presbyter non fuisset, sed laïcus, inhumatus fuisset in sancta Catharina Parisiensi per Gentes regias, nisi amicis redditus fuisset. Secundum quòd fuit quidam qui in Ecclesia sancti Leuffredi Parisiensis, missam audiendo, cecidit mortuus in Ecclesia, qui fuit levatus per Gentes regias, ac amicis redditus, & in terra sancta inhumatus. Et adverte, quia licet etiam præ timore criminis dictus Prior se occidisset, vel voluntate mala, * tamen redditus fuisset, ut suprà. eò quòd non debuisset suspendi, quia Presbyter; nec similiter alius Clericus simplex, quia caracter imprimitur in anima, licet de Clerico simplici quidam contrarium dicant; quia ex quo mortuus, non est amplius Clericus, sed cadaver, quod idem posset de Presbytero dici; quod non est admittendum.

* *Mala.*] Imò quum esset homicidium ex proposito, etiam ab altari evelli debet. Exod. 21. Deuteron. 19. c. 1. extr. de homicid. C. M.

QUÆSTIO CCXXXIII.

An fieri possit & debeat provisio post litem contestatam.

ITem pro dominis Hugone & Ioanne *de Ternant*, militibus fratribus, contra dominum Guidonem de Rupeforti militem, quamdam placitavi causam, defendendo in casu novitatis recredentiam petendo, non provisionem, quamvis caderet; * quia erat pro parte majori res contentiosa de successione paterna ipsorum, in qua causa partes fuerunt appunctuatæ in factis contrariis, tam super recredentia, quàm super principali, non faciendo mentionem de provisione, quia non petita: tandem ego advisatus petii provisionem, sed pars adversa me dicit non esse recipiendum; quia non petieram in placitando causam; con-

* *Caderet.*] Id est provisioni locus esset, ut sup. in stil. c. 33.

tra quem replicavi quòd proviſio in qualibet parte litis poteſt peti etiam poſt litem conteſtatam, & etiam in cauſa appellationis. Finaliter fuit facta proviſio de certia parte rei contentioſæ, quam dicebant dicti *de Ternant* ad ipſos perveniſſe ex ſucceſſione paterna: & multa allegavi in hac parte, tam de ſtylo Parlamenti, qui habetur in titul. proviſione, necnon l. ſi inſtituta, §. de inofficioſo, ff. de inoffic. teſtam.

QUÆSTIO CCXXXIV.

An quis recognoſcere debeat ſigillum prædeceſſoris ſui.

ITem pro Comite Longavilla, fratre domini Bertrandi *de Cleſquin* * quondam Conneſtabularii Franciæ, dictum fuit contra dom. de Alba-petra, quòd dictus Comes non tenebatur cognoſcere ad præſens ſigillum dicti fratris ſui cujus erat heres, appoſitum in quibuſdam Litteris per quas apparebat dictum fratrem teneri in certa ſumma pecuniæ, fratri quondam dicti domini de Alba-petra. Et credo quòd ratio fuit, quia dictus Comes dicebat quòd in quodam conflictu amiſerat frater ſuus ſigillum * ſuum, & quòd non erat verisimile quòd deberet illam pecuniam, quæ ratione vadiorum petebatur per dominum de Alba-petra, qui dicebat quòd frater ſuus cujus erat heres, fuerat dicti Conneſtabularii ſtipendiarius, & hujus ratione debebatur pecunia.

* *Cleſquin.*] Valentiſſimi & fidelisſimi. C. M.

* *Sigillum.*] Hîc amiſſio & ſuſpicio erant juſta cauſa tuipëdendi recognitionem, nec præſumitur ſigillum de voluntate domini appoſitum, ut plenè dixi in Conſuet. Pariſ. §. 5. num. 14. Adde inf. q. 333. C. M.

QUÆSTIO CCXXXV.

Quòd Officiarius regius prætextu Clericaturæ, Forum declinare non poteſt.

ITem per Arreſtum dictum fuit pro Cadifero *Aſton*, ac regio Procuratore, contra dominum *de la Bonë*, Baillivum Ambianenſem, quòd declinatoria dicti Baillivi qui declinabat, non procedebat, eò quòd eſſet Clericus in habitu & tonſura: & ſic non tenebatur litigare in Parlamento, ratione exceſſuum ſibi impoſitorum per dictos Cadiferum & regium Procuratorem, maximè quia nec erat ſalvagardia infracta, nec delatio armorum interveniſſet. Ratio fuit, quia reverà prætendebantur delationes armorum interveniſſe.

* *Non poteſt.*] Guil. Bened. rep. ca. Raynutius vet. uxor. not. Adela. de teſtam. C. M.

QUÆSTIO CCXXXVI.

Epiſcopus Antiſſiodorenſis reſſortitur in Sede Antiſſiodorenſi.

ITem fuit dictum contra Epiſcopum Antiſſiodorenſem, quòd reſortiretur coram Baillivo Senonenſi in ſede Antiſſiodorenſi, non in ſede antiqua Villæ novæ; attamen ſtylus & emendæ, & alia quæ ſervabantur in ſede antiqua Villæ novæ, ſervarentur eadem in ſede Antiſſiodorenſi. Et in caſu quo Comitatus Antiſſiodorenſis veniret in manu alterius quàm regia, reſortiretur in ſede antiqua Villæ novæ.

QUÆSTIO CCXXXVII.

Quis appellans, licet non illicò audiatur.

ITem dictum fuit quòd habitantes S. Clementis recipiebantur ut appellantes à Sententia lata per dom. Requeſtarum contra ipſos, & pro domin. *de Angeſton*: licet non appellaſſent ab ipſis ſedentibus pro tribunali, ſed coram Graphario Parlamenti, quia dicebant quòd non habuerunt, vel eorum Procurator copiam conſilii prompte cum quo ſe conſuluiſſent. Attamen habuerunt ſuper hoc Requeſtam civilem, unà cum Litteris directis Parlamento, ut eiſdem provideretur, ut vellet Parlamentum regium conſulere quod eiſdem provideretur.

QUÆSTIO CCXXXVIII.

Quòd fieri debet remiſſio, non obſtante quòd primitus fuerit adjornamentum impugnatum.

ITem fuit dictum quòd non obſtante quòd Dux Burgundiæ ſeu ejus Procurator propoſuiſſet adjornamentum fuiſſe non validum contra ipſum factum ad requeſtam Guillelmi & Joannis dictorum *les Bonſ-feaux*, eò quòd non fuiſſet factum per duo paria Litterarum, licet eſſet Par Franciæ. Et fuiſſet dictum validum, quia non erat cauſa appellationis, vel reſpiciens jus Patriæ, fieret remiſſio cauſæ coram dicto Duce de cauſa principali. Ratio dubitandi, quia videbatur quòd remiſſio primitùs peti debuiſſet ante debatum adjornamenti: & quòd impugnando adjornamentum, approbaſſet Curiam in Judicem renuntiando ac præjudicando remiſſioni; tamen fuit dictum contrarium.

De hoc vide ſup. in titul. de adjornamento Franciæ, in princ.

QUÆSTIO CCXXXIX.

An Religioſus ſit recipiendus ad querimoniam contra ſuum Superiorem.

CAmerarius ſancti Martini de Campis fuit receptus ad ſuam querimoniam novitatis ſuper camerario antedicto, in quo fuerat per Priorem ſancti Martini perturbatus indebitè & de novo. Et per Arreſtum fuit tentus in poſſeſſione & ſaiſina ipſius ac perceptione fructuum ipſius.

QUÆSTIO CCXL.

Contra Advocatos excedentes in ſuis placitationibus.

IOannes *Baudoyn* Major de Belvaco, & Magiſter Draco *Feliſe* Conſiliarius dom. Ducis Burgundiæ, defenſores fuerunt condemnati erga laquetam *ſoliete* & ejus maritum petitores in 400. libris Pariſienſibus, ac in 200. erga regium Procuratorem nomine emendæ, eò quòd advoavérunt Magiſtrum Ioannem *Juvenel* eorum Advocatum, qui in placitando dixit injuriam prædictis *laquete* & ejus viro, licet eſſent defenſores; & in pronuntiando fuit per Præſidentem notatum, quòd hoc fuerat propter Advocati culpam. Sic aliàs fuit pronuntiatum in ſimili contra quemdam Preſbyterum qui advoaverat Magiſtrum Ægidium *Nigri*, pro eo placitantem: qui Preſbyter me præſente ob hoc fecit emendam honorabilem in Curia; quod tranſit ſub diſſimulatione: ſic fuit aliàs pronuntiatum contra dominum Guillelmum *Meſſeti*, tunc Baillivum ſancti Angeli, pro quo placitaverat Magiſter Ioannes *de Rumilly*, quem advoavit dictus dominus Guillelmus.

QUÆSTIO CCXLI.

Quis ſortilegorum & divinatorum habeat cognitionem.

PEr Arreſtum Curiæ Parlamenti fuit dictum, quòd Præpoſitus Pariſienſis haberet cognitionem ac punitionem quarumdam mulierum quæ cum invocatione diabolorum commiſerant ſortilegium, necnon

cum voto quodam, medio cujus fecerant quemdam hominem pati afflictionem, per judicium cujus Præpositi fuerant dictæ mulieres combustæ, licèt cognitio earumdem fuisset requisita per me pro Episcopo Parisiensi. Et circa hoc scias quòd quisquis credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius seu deterius immutari aut transformari in aliam speciem, vel in aliam similitudinem, quod non potest fieri, nisi ab ipso Creatore qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt: proculdubio infidelis est, & pagano deterior, 26. q. 5. c. Episcopi, circa fi. de hac materia nota in c. accusatus, §. sanè de hæreti. lib. 6. & ibi per Cardi. per Joan. And per Archid. & per Hen. in c. 1. de sortil. Et per Hostien. in summa de sortilegiis in fi.

QUÆSTIO CCXLII.

Contra falsas Literas fabricantes.

ITem per quosdam Commissarios loco Cancellarii Franciæ per Regem commissos, fuit dictum contra Joannem *de Gerun*, pro Rege & Episcopo, Decano & Capitulo Nivernensi, quod poneretur in pillorio per certos dies tam Parisius quàm Nivernis. Necnon plecteretur lilio ferreo in fronte: bannitúsque fuit extra Regnum Franciæ: fueruntque bona ejusdem confiscata dicto Cancellario. * Et similiter fuit contra quemdam alium sic dictum. Et fuit ratione factitæ per prædictos quarumdam Literarum fallarum de tempore Regis Caroli, necnon sigillatarum sigillo facto dicti Caroli, necnon Episcopi, Decani & Capituli suprà dictorum.

* *Cancellario*] Qui habet hoc privilegium contra omnem fisc um, ut dixi in Consuet. Paris. §. 169. C. M. Arrestum prolatum contrà falsificatores literarum.

QUÆSTIO CCXLIII.

Auditur veniens ante judicationem quatuor defectuum in criminali causa.

SI aliquis contra aliquem, sive privatus, sive regius procurator, sive ambo simul obtinuerint quatuor defectus in causa criminali, & ille veniat ante utilitatem adjudicatam, ratione illorum defectuum, paratus se defendere, auditur. Et ratione illorum defectuum nullum obtinebit regius Procurator defectum, nec pars nisi fortè expendas, & audietur veniens in suis defensionibus.

QUÆSTIO CCXLIV.

Quod Religiosus proprium tenere non potest.

FUit dictum contra quemdam Carmelitam nuncupatum *Goulam*, quòd non erat recipiendus ad faciendum demandam suo proprio nomine: eo quod Carmelita erat.

Item per aliud Arrestum dictum fuit quòd condemnatus fuit dictus *Goulam* ad dimittendum hospitium *de Passy*, licèt per Papam * fuisset cum eo dispensatum, ut teneret proprium.

* *Papam.*] Qui dicit enim in c. cum ad Monasterium in fi. de sta. Monach. & ad aliud facit l. nummis. Sed hodie Papa Paulus IV. adeò favet Monachatui, ut nec prece, nec precio gratiis ullas sæcularibus ad regularia concedere velit, nec à decessoribus concessas in ea rationi congruit & redire, & si te tertio curato incompassibili dispenset. C. M.

QUÆSTIO CCXLV.

Post appunctamentum ad jus audiendum, nihil fieri potest, vel produci, nisi parte vocata.

ITem dictum fuit pro Michaële *le Bossu*, quòd benè appellaverat à sententia lata per dominos Requestarum pro domicella Joaneta *de Nesle*: eo quod post appunctamentum ad jus audiendum miserant quosdam carpentatores ad appretiandum quædam pressoria dictæ domicellæ, & cujusdam alterius nominati Adam de Columbis, absque evocatione dicti Michaëlis: licèt ipsi visitassent prius ipsa pressoria, feciissentque rapportum suum super magnitudine, latitudine, ac longitudine, non tamen super valore argenti; nec fuerat appellatum: videbatur tamen contrarium, quia videbatur solùm quædam declaratio ex officio Judicis facta, jux. notata in l. heredes palam §. si quid, ff. de testa. & c. cum clamor. de testibus, &c.

QUÆSTIO CCXLVI.

An Episcopus virtute jurisdictionis spiritualis habeat capturam.

ITem contra Episcopum Parisiensem, qui virtute suæ commissionis per suum apparitorem fecerat capi Parisiis Margaretam *du Pré*, Religiosam *de Gif*, subjectam dicti Episcopi in spiritualibus, quæ erat in domo cujusdam chirurgi in vico citharæ, propter ejus incontinentiam & offensam, & virtute suæ jurisdictionis spiritualis, & duci in prisiones suas spirituales, dictum fuit, Procuratore regio, & ipso Episcopo auditis in Curia, quod dicta Religiosa, quæ fuerat per ordinationem Curiæ adducta in Parlamento, & retenta Curiæ prisionaria, restitueretur in loco in quo fuerat capta per commissionem Episcopi, quod factum fuit, & ivit quò voluit. Ratio fuit, quia prætendit Rex quod dictus Episcopus non habet * prisiam seu captionem in Villa Parisiensi, & petiit dictus procurator, quod Rex non manerer deappunctuatus, pro quo allegabat quòd notoriè Episcopus non habebat captionem Parisiensem virtute suæ jurisdictionis spiritualis; hoc tamen fuit dictum absque præjudicio causæ spiritualis quam habebat Episcopus contra dictam Religiosam.

* *Non habet.*] Sup. q. 103. tex in Auth. de sanctis. Reverendiss. Episc. si quis contra cleri. cum, coll. 9. compe. in 6.

latè Forda. ori. Rep. §. contrahentes coll. 19. in c. 1. de for. Steph. Auffre. Rep. Clement. 1. de offic. ord. C. M.

QUÆSTIO CCXLVII.

Curia Spiritualis non potest ponere ad nihilum citationem temporalem.

FUit per Curiam posita ad nihilum commissio Officialis Rhemensis per quam mandabat quòd fieret præceptum parti quod faceret poni ad nihilum citationem, & adjornamentum regium factum contra quosdam Clericos: quia non debet sic loqui.

QUÆSTIO CCXLVIII.

Quando accordum non est passatum.

FUit dictum per Arrestum pro Procuratore regio, contra Ducem Burgundiæ, & quamdam

dominam, quæ domina volebat facere, & passare quoddam accordum cum dicto Duce, contra quem unà cum domina erat Procurator regius adjunctus propter attentata per gentes Ducis: commissa post appellationem ad Parlamentum emissam, quod dictum accordum non passaret * licèt haberent Regiam Literam. Ratio, quia in ea continebatur accordum Curiæ referendo. Quod non faciebant, sed solùm partes super facto contentioso se compromittebant in quosdam arbitros: sic non referebant accordum decisorium principalis. Et est ratio, quia cùm minores se compromittebant habentes magnos adversarios, citiùs opprimuntur, quod non fieret si causa remaneret in Curia: quia magni & parvi regem & Curiam timent, & ibi habent justitiam, cessante personarum acceptione. Idem fuit dictum, & per Arrestum contra dictum Ducem: quia de controversia, partes Ducis se compromittebant in judicem Ducis à quo appellaverant: licèt haberent Literam regiam de pacificando.

* *Passaret*] Fa. suprà q. 118. C. M.

QUÆSTIO CCXLIX.

Si Prior Franciæ, vel Aquitaniæ intimatus in causa appellationis moriatur, novus Prior adjornandus est ad resumendum, vel deserendum.

DIctum fuit per Arrestum, quòd fecerat interruptionem Joannes *Lathovin*, in causa sua appellationis respectu Religiosorum sancti Joannis Hierosolymitani, in Prioratu Aquitaniæ intimatorum. Ratio, quia licèt in causa appellationis fecisset Priorem dicti Prioratus intimari, post ejus mortem non fecerat novum Priorem adjornari ad resumendum, vel deserendum, &c. Sed tres anni erant lapsi post ejus mortem. Nam licèt esset principale debatum ratione cujusdam Commendariæ in dicto Prioratu: tamen fecerat Priorem intimari. Nam licèt Prior quotiens vult, resumat processus cœptos per Commendatores sui Prioratus ratione suarum Gommendatiarum, non tamen econtra: quia non sunt * nisi procuratores, & ad nutum revocabiles.

* *Non sunt.*] Scilicet ipsi commendatarii, ideò hæ commendariæ non sunt beneficia, nec possunt conferri per Papam, vel legatum, nec cadunt in mandatis, & aliis regalibus beneficiorum. Et loquor de commendariis dictorum hospualium & militum, nec in eis habet locum clem. quia regulares de suppl. negl. Prælat. nec devolvitur. Et non diu obtinui in causa gravi. C. M.

QUÆSTIO CCL.

An appellans à judice Paris-Franciæ remittendus sit ad magnos dies dicti Parii.

DIctum fuit pro domino Duce Bituricensi quod quidam appellaverat à suo Seneschallo, & releverat ad Parlamentum, remitteretur * ad suos magnos dies, licèt dictus talis allegaret se non esse subjectum dicti Ducis, quod allegaverat coram dicto Seneschallo, qui Seneschallus in contrarium pronuntiaverat, à quo fuerat appellatum: sic aliàs fuit pronuntiatum pro dicto Duce contra habitantes *de saint Generoux*, & Reginam Siciliæ. Qui habitantes se allegabant subditos dictæ Reginæ: Ratio quia appellatum fuerat à dicto Seneschallo, cujus judicii correctio spectabat ad dictum Ducem, cùm esset suus judex, & ad quem spectabat cognoscere, an esset sua jurisdictio, cùm dubium esset, juxta, l. si quis ex aliena, ff. de juri. om. judi. & c. veniens de accusa.

* *Remitteretur*] Et natè per. c. si à subdelegato de officio delega. in 6. C. M.

QUÆSTIO CCLI.

Non tradens demandam in scriptis ad diem assignatam, nil amittit, dum tamen illa die non accipiatur expletum.

PRo domino Philippo *Henry* fuit dictum quod licèt ad diem assignatam per Curiam Parlamenti eidem non tradidisset suam demandam proprietariam, nec fecisset veutam ad diem eidem assignatam: per Curiam; tamen illud non præjudicabat in aliquo. Ratio, quia pars adversa, videlicet dominus Girardus ad dictam diem assignatam, ad demandam tradendam non institerat contra dictum Philippum, nec aliquid expletum illa die, nec aliàs cœperat, contra ipsum: sic fuit aliàs dictum pro Duce de Borbonio, contra Comitem Marchiæ. Sic dictum fuit inter Archiepiscopum Rhemensem, & Scabinos Rhemenses, licèt annus lapsus fuisset: tamen se præsentabunt debitè partes ad dies suos.

QUÆSTIO CCLII.

Conjuncti moventis guerram detinentur, donec fecerint eum venire.

PEr Arrestum Robertus de Sancto Fusciano avunculus cujusdam dicti *Beaupigne* fuit Parisiis detentus prisionarius donec faceret venire dictum *Beaupigne*, nepotem suum penès Curiam: eo quod quemdam de Villa Ambianensi diffidaverat, & post se absentaverat. Et tum dictus *Beaupigne* erat clericus * non conjugatus.

* *Clericus.*] Nec tamen est contra c. sciant cuncti. de elec. in 6. C. M.

QUÆSTIO CCLIII.

Non est nobili danda dilatio octo dierum pro adjornamento faciendo super garendia.

ITem fuit dictum per Arrestum pro *Morinet de Tonsey*, domino de Allegrio, quòd adjornamentum erat bonum quod fecerat contra dominum Comitem Bononiensem super garendia habenda, licèt non haberet dictus Comes octo dies francos: Ratio, quia non est nisi super summatione facienda, & in judicio posset summari in præsenti, si reperiretur.

QUÆSTIO CCLIV.

Habitantes Castellaniæ non tenentur ad reparandum, & fortificandum villam, vel fortalitium dictæ Castellaniæ.

PEr Arrestum fuit dictum contra dominam de Credonio, pro habitantibus Castellaniæ dicti loci, quod non * contribuerent ad fortificationem, & reparationem murorum, & fortalitii de Credonio.

* *Quod non.*] Idem sup. q. 230. sed contra inf. q. 338.

QUÆSTIO CCLV.

Non est venta facienda, cùm petitur universitas.

PEr Arrestum fuit dictum, quòd dominus Bernardus, dominus *de Terride*, & Vicecomes *de Guiounes*,

non haberet veutam per ipsum petitam contra dominam Isabellam uxorem cujusdam domini, & ipsum dominum qui petebant ad causam dictæ uxoris medietatem dicti Vicecomitatus, nec declarationem etiam. Ratio, quia petitur quædam universitas: sic aliàs fuit dictum pro domina Comitissa *de Barro*, contra dominum Ducem Burgundiæ, &c.

QUÆSTIO CCLVI.

Quod rex in solutione pœnæ non præfertur privato.

PEr Arrestum fuit dictum malè judicatum per generales Thesaurarios de domanio, qui judicaverunt pro Rege contra Stephanum de Clamgeria, quod Rex præferretur in solutione pœnarum, ipsi ac dicto Stephano adjudicatarum, contra Magistrum Radulphum *d'Orbille*, in quodam contractu appositarum per dictum Stephanum, vel ejus prædecessores super defectum cujusdam reditus dicto Stephano solvendi quærendarum illo casu, pro media Regi, & pro media dicto Stephano. Et corrigendo dictam sententiam fuit dictum quòd Rex, & ipse Stephanus solverentur æqualiter, quia quilibet habebit medietatem æqualem.

QUÆSTIO CCLVII.

Quando privatus in solutione pœnæ præfertur Regi.

PEr Arrestum dictum fuit quòd Andreas *de Tissy*, qui erat mercator, haberet pœnas non omnes quas petebat, contra dominum Bellijoci, loco interesse, quæ ascendebant ad octo millia, & quia loco interesse eidem adjudicabantur, solveretur ante * pœnas Regi adjudicatas contra dictum de Bellojoco, quæ ascendebant ad quinque, vel tria millia.

* *Ante.*] Et benè, quamvis q. 8. contrarium fuerit judicatum, & malè, ut ibi dixi. C. M.

QUÆSTIO CCLVIII.

Non est appellandum à judice Ecclesiastico ad temporalem Curiam.

PEr Arrestum non fuit receptus Decanus Carnotensis, ut appellans à Capitulo dicti loci, eo quia declaraverat ipsum incurrisse pœnam statuti Capitularis, videlicet privationem distributionum suarum per octo dies: quia in pleno Capitulo dixerat magnam injuriam cuidam Canonico Carnotensi: Et fuit ratio, quia ut judices Ecclesiastici declaraverant, sic ab ipsis non erat ad Curiam temporalem appellandum, ut ad Parlamentum, &c.

QUÆSTIO CCLIX.

Procuratorium factum in Curia Ecclesiastica, non valet in Curia temporali. *

PEr Arrestum dictum fuit quod Almauricus *le Fevre*, haberet congedium contra Joannem, & Petrum *de Frachomme*: eo quod se fundaverant in Parlamento per procuratorium factum in Curia Ecclesiastica, & sub sigillo cujusdam Capituli: sic fuit aliàs dictum contra Bertrandum de Porto appellantem, & pro Joanne *de Levant* appellato, videlicet quod instrumentum appellatorium dicti appellantis non erat receptibile, quia fuerat receptum per Notarium Apostolicum.

* *Temporali.*] Scilicet in materia téporali Ioan. Fab. l. secundùm divi, C. de donat probat. ordin. Philip. Pulchri an 1302. §. 10 Luc. de pen. l. præ- dia col. 28. de locat. præd. civil. dixi in commentario ad edictum Henrici II. contra parvas datas. §. 4. inter. conteroll. quamvis instrumenta notariorum secularium in negotiis Ecclesiasticis fidem faciant etiam in foro Ecclesiastico, & Curia Romana, & rationem ibi dixi nu. 3. C. M.

lib. 11. C. vide *Faly*, c. cum dilectus in fi. de fid. instr. Et plenè

QUÆSTIO CCLX.

Non sunt vexandi officiarii Regii, qui virtute commissionis faciunt expleta.

PEr Arrestum condemnati fuerunt Decanus, & Capitulum *de Brion*, de indemnit. interesse & expensis Guillelmi *Morant*, & quorumdam aliorum officiariorum regiorum, & Baillivia S. Petri de Monasterio. Eo quòd fecerant eos adjornari personaliter in Parlamento, & contra ipsos fecerant quamdam executionem virtute cujusdam commissionis dicti Baillivi.

QUÆSTIO CCLXI.

Petitorium attrahit ad se possessorium.

ITem per Arrestum fuit dictum contra Priorem *de Chaudefontaine*, qui succubuerat in Curia Romana. in petitorio cujusdam Beneficii, de qua Sententia apparebat quod suus adversarius haberet, & obineret Beneficium in petitorio, & possessorio, de cujus possessione pendebat lis in Parlamento. Ratio, quia petitorium attrahit ad se possessorium. Sic aliàs vidi in eadem Curia judicari. Et has duas causas placitavit Magister Radulphus *Dulmonée*.

QUÆSTIO CCLXII.

An quis ante Regem de suo solvatur debito.

ITem per Arrestum dictum fuit pro quadam domina quondam uxore domini Joannis *de Novillet*, contra regium Procuratorem, quod solveretur de suo debito ante debitum regium. Et dicunt quidam quod hoc ideò fuit: quia super hoc habebat literam regiam & gratiam.

QUÆSTIO CCLXIII.

Quis debeat decretum adjudicare.

ITem per Arrestum fuerunt recepti Religiosi sancti Dionysii contra regium Procuratorem, ad allegandum quòd haberent decreta adjudicare, seu eorum justitia rerum in eorum alta justitia sitarum: licèt fiat super ipsis executio virtute literarum sigillo castelleti * sigillatarum, & non Præpositus Parisiensis. * *Castelleti.*]

Contrarium hodie fit, quia privilegium sigilli concertit cum jure communi, & ordinaria jurisdictione, in qua dictus præpositus fundatus dicitur. Et sic in hac causa fit reditus ad jus commune ita ut etiam certificatio hujusmodi subhastationum quod probè factæ sint spectat ad Præpositum non ad Baillivum Dionysianum etiam aliàs exemptum, & nullo modo subditum Præposito Paris. C. M.

QUÆSTIO CCLXIV.

Debet de originali constare.

ITem per Sententiam fuit pronuntiatum in Castelleto, quod pars adversa Dionysii de malo respectu fuit absoluta, eo quod juvabat dictus Dionysius de quadam venditione quæ dicebatur fuisse facta per procuratorem: sed non apparebat de originali procuratorio, licèt esset incorporatum * in venditione. Quæ sententia fuit per Arrestum confirmata: quia ab ipsa fuerat ad Parlamentum appellatum. Tamen (ut dicunt quidam) hoc non fuerat in processu allegatum: tamen juris erat. Et fuit pronuntiatum dictum Arrestum 7. die mensis Septembris anno Domini 1392.

* *Incorporatum.*] Sub aliis notariis, vide in Const. Pariſ. §. 5. n. 44. C. M.

QUÆSTIO CCLV.

Quando Rex alteri præfertur.

ITem fuit dictum contra regium Procuratorem pro Episcopo Belvacensi quòd ad bonam causam se opposuerat contra executionem, quæ fiebat super quibusdam bonis immobilibus, ratione cujusdam emendæ regiæ: eo quod pro emenda quadam dicto Episcopo adjudicata, & ipsi solvenda, ipse contra quem fuerat adjudicata, in manus domini feudalis se dessaisierat, ad utilitatem dicti Episcopi de dictis rebus: & ut ipsi solveretur antequam fuerat adjudicata emenda Regi per Parlamentum: in aliis autem quæ sic non fuerant dessaisita malè, se opposuerat Episcopus, & super ipsis Rex solveretur.

QUÆSTIO CCLXVI.

Bona sunt ab indigno amovenda.

DIctum fuit quod bona domini Ytherii *Rable*, qui fecerat meurtrire fratrem suum, qui propter hoc fuit condemnatus *à estre traîné & pendu*: prout & fuit, bona quæ habebat in patria consuetudinaria, erant confiscata, & bona in patria Juris scripti fuerunt amicis dimissa: tamen fuerunt super prædictis captæ quingentæ libræ pro distribuendo pro anima defuncti. Sed b na quæ habuerat dictus Ytherius ex successione fratris sui cujus se heredem gesserat, retinuit Curia penès ipsam pro distribuendo pro anima defuncti cujus fuerant: nec ea habuit proximior heres dicti defuncti post dominum Ytherium, videlicet *Perceval Rable*, nepos defuncti. Sic ergo erat capax *, sed ut ab indigno, ab eo removebantur.

* *Capax.*] Ipse fratricida Nic. Boerius dec. 1. Burdeg. 2 c. Sed hoc iniquum, & mali exempli, quia reliqui agnati retrahuntur ab accusando, nec jure producuntur, ut dixi suo loco. C. M.

QUÆSTIO CCLXVII.

An unio insinuari debeat illis qui tenent beneficia.

DIcendum est quod non *: quia cùm talis unio fiat sine præjudicio illorum qui tenent beneficia, non est necesse quòd eis insinuetur: nam semper illa tenebunt quousque cesserint, vel decesserint, non obstante unione; ut in c. si una de rebus Eccles. non alie. in cle. & c. consultationibus de donationibus in antiquis: unio tamen est translatio, quæ ad sui essentiam formalem perfecta est: licet * possessionis apprehensio, per quam acquiritur fruendi facultas ext. de resti. spoliat. c. sæpe. in tempus mortis, vel cessionis differatur. Nec est mirum: quia rei puræ, vel contractus puri benè suspenditur effectus, l. cum hic status, §. sive autem res, ff. de dona. inter vi. & uxo. l. interdum, ff. de ver. obl. l. 1. in fi. ff. de condi. & demon. & l. Seius Saturninus, ff. ad Trebel. & hoc innuit d. c. consultationibus, & hoc etiam vult Papa per verbum cedentibus, vel decedentibus, in Literis suis Apostolicis unionis.

* *Quod non.*] Contrarium servatur, & bene quod etiam debent vocari præsertim in Ecclesiis Parochialibus. C. M.

* *Licet.*] Oldra. q. 262.

QUÆSTIO CCLXVIII.

An permutatio fieri possit Beneficiorum unitorum.

DIcendum est quod non: quia talia Beneficia, sic unita vacare non censentur: ut extra de excessi Præla. c. unico, §. quidam etiam Ecclesias in cle. secundùm distinctionem J. Andreæ ibidem super verb. ad mensam, & ibi videatur: & etiam super verb. non vacent. Et per eumdem de supplen. negli. præla. c. unico, §. præmissa super verb. de mensa in clem. videlicet cùm in permutatione sit necessaria vacatio, de re per c. unico lib. 6. & eo ti. c. unico in cle. & ibi notat Guillel. de monte Lauduno, super verb. resignata, concluditur quod Beneficia taliter unita non possunt permutari; verum est tamen quòd non oberit si hujusmodi unio in Beneficiis publicetur, nec aliquo casu supervenienti possint obtinentes hujusmodi Beneficia, ignorantiam prætendere extra. de postu. Præla. c. ad. &c.

QUÆSTIO CCLXIX.

Alia Arresta lata in Parlamento incœpto in crastino sancti Martini, anno Domini 1392.

Consuetudo non recepta.

FUit prima die placitabili dicti Parlamenti per Arrestum non recepta consuetudo propolita per Magistrum Dionysium Maliregis, quod in patria Pictavienſi erat consuetudo quod non valebat executio facta super bonis alicujus, nisi primò in persona sua personaliter summaretur de satisfaciendo debitori.

QUÆSTIO CCLXX.

Alia consuetudo non recepta.

AD idem fuit dictum per Arrestum, quod non erat receptibilis consuetudo proposita per Magistrum *de Cherquinmange*, in Villa & patria Torna, censi, videlicet quod in cœpto *Cherquinmage* aliàs non possit procedi quàm per viam *de Cherquinmange* ad veritatem sciendam super divisione faciendâ. Et dicitur *Cherquinmange*, & habet locum quando aliqui volunt dividere aliquem fundum, vel rem immobilem, & recipiunt testes qui Cherquinmant, id est quærunt & charquant terminos fundi pro dividendo. Et ista via capta per partes, scilicet via testium amplius non admittebatur ad probandum divisionem per literas: sed si pars provocata nil probare poterat per testes, causam suam amittebat: nec recipiebatur ad probandum per Literas, & instrumenta. Quod fuit dictum non receptibile, ne facultas probandi angusteretur: quia poterat esse quod non superessent testes per quos probari possent

possent termini, & fines rerum, pro divisione ipsarum facienda.

QUÆSTIO CCLXXI.

Non fit remissio coràm Magistris Hospitii Regis.

PEr Arrestum fuit dictum quod causa cœpta in Parlamento inter Regium Procuratorem, & quemdam carbonarium nominatum *Maci*, qui fuerat verberatus per quemdam officiarium regium, non remitteretur coram Magistris Hospitii Regis: licet esset causa excessuum, & sic personalis, & esset defensor dictus officiarius: quia licet esset remittenda, hoc esset coram Magistris Requestarum Regis, non coram Magistris Hospitii per regias ordinationes, tamen cautam retinuit Curia Parlamenti, & ex causa.

QUÆSTIO CCLXXII.

Episcopus Belvacensis habet prisiam virtute jurisdictionis temporalis.

PEr Arrestum fuit Episcopus Belvacensis tentus in possessione, & saisina capiendi clericos virtute suæ jurisdictionis temporalis in Comitatu de Bellomonte, contra regium Procuratorem, & Duchissam Aurelianensem.

QUÆSTIO CCLXXIII.

De possessione capiendi, & habendi lectum.

PEr Arrestum Sacrista *d'Agde*, fuit tentus in possessione, & saisina habendi lectum furnitum à quolibet parochiano suo defuncto in parochia sua sancti Stephani dictæ villæ *d'Agde*, dum tamen excesserit 14. annos, vel valorem lecti secundùm statum parochiani; idem de parochiana, & dic furnitum culcitta, coussino, linteaminibus, & coopertorio, &c.

QUÆSTIO CCLXXIV.

Quis debeat habere emendam civilem in quam conversum est crimen, an Rex vel ordinarius judex.

PEr Arrestum dictum fuit quod Comes de Barro, & Episcopus Autissiodorensis haberent medietatem cujusdam emendæ civilis in quam conversum fuerat crimen capitale per Regem, & ejus gratiam. Eo quod ille qui crimen commiserat, ut pote quia fregerat assecuramentum datum per eum coram Baillivo communi dictorum Comitis & Episcopi, erat subjectus ipsorum: & Rex haberet aliam medietatem. Sed quia Episcopus non appellaverat à sententia Baillivi qui Regi totam emendam adjudicaverat, sed solum Comes, dictum fuit quod non haberet partem in illa medietate, sed Rex ejus partem haberet. Sed miror, quia ea ratione qua Rex habet medietatem totius, debebat habere totum: sed fortè fuit ideo, quia fregerat assecuramentum in persona officiariorum dictorum Episcopi, & Comitis, & in eorum contemptum.

QUÆSTIO CCLXXV.

An condemnatio expensarum sine delectu habeat locum in Turonia.

MEnse Februario, anno prædicto fuit facta ordinatio regia in magno consilio, & in eodem mense publicata in Parlamento, per quam Rex ordinat quod habeant locum expensæ, & earum condemnatio in partibus Turoniæ, in casibus in quibus antea non habebant locum. Et fuit facta consequenter ad ordinationem Regis Philippi.

QUÆSTIO CCLXXVI.

*An Episcopus Parisiensis habeat prisiam clericorum suorum in villa Parisiensi virtute jurisdictionis suæ spiritualis, & placitavi pro Rege Franciæ, quod non, * ut ejus Advocatus ante 20. mensis Martii anno Domini prædicto currente, &c.*

* *Quod non.*] Hoc est indubitatum, & est text. in Auth. de sanctiss. Episcopis, §. si quis contra aliquè, col. 9. non obstant jura Canonica, quia non valent in præjudicium temporalis jurisdictionis, Imola. Bit. Rep. §. contrahen. 5 col. 10. c. 1 de for compet. in 6. permittitur tamen ei captura intra prætorium suum dumtaxat infrà q. 363, C. M.

ET primò quod Episcopus habeat prisiam dictorum suorum clericorum in villa Parisiensi arguitur primò jure civili, quia mandata jurisdictione videntur concessa illa, sine quibus exercere non potest, l. 2. ff. de jurisd. omnium judi. Sed sine captione suorum clericorum exercere non potest sua jurisdictio spiritualis, quam habet in suos clericos in personalibus: ergo, &c. Secundò, aliàs esset sibi inutilis sua spiritualis jurisdictio, si oporteret quod requireret Præpositum Parisiensem, ut caperet, & sibi traderet clericos suos delinquentes, quia aut Præpositus refutaret, aut interim clerici prædicti recederent. Sic remanerent delicta impunita in præjudicium reipublicæ juxta l. lictorio, §. quod illicite, ff. de public. vect. & con. l. ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil. l. si à reo, §. fi. ff. de in dejus. Tertiò hoc habetur jure Canonum, c. cum Episcopus, de offi. ordi. lib. 6. c. novimus de verb. signi. in antiquis, c. 2. de hæreti. in cle. ibi cum dicit capere seu arrellare, &c. Quartò habet carceres, & audire causas potest sedendo pro tribunali in qualibet parte suæ diœcesis: & incarcerare suos clericos, ut dict. cap. cum Episcopus. Ad hoc facit, c. universitatis de sen. excom. c. ut fame. §. fi. eod. titu. in antiquis, & c. si clericos, eod. titul. lib. 6. Quintò, quia Episcopus Belvacensis ad hoc fuit receptus, & per Arrestum tentus in possessione, & saisina habendi prisiam suorum clericorum in Comitatu de Bellomonte, ut suprà dictum est. Sextò, usus fuit prisia in villa Parisiensi per tantum tempus cujus memoria non extat de contrario, &c. habet & plura expleta, ut dicit. Septimò, dicit habere hoc declarativè per Literas regias: unam Regis Philippi de data anni 1300. aliam confirmatoriam Regis Ludovici, de data anni Domini 1315. mense Decembri: quarum copiam habeo in una alia papyro aurea & regali. In oppositum rationibus quæ sequuntur. Primò, quia submittere oves in locum demortuarum, & suggerere facti sunt, ut l. consilio in fin. ff. de cura. furio. l. quid ergo in fi. ff. de usuf. bovem, §. 1. ff. de ædili. edic. Sic patet quod capere de facto, & in carcerem ponere facti est actualis, & realis, & temporalis: ergo hæc facere non potest Episcopus virtute suæ jurisdictionis spiritualis. Nam licet temporalitatem non tangat capiendo clericum, nec de ipsa agat: tamen factum facit temporale, & reale super temporali jurisdictione, virtute jurisdictionis spiritualis. Probatur, quia licet inter suos clericos pronuntiare possit, actu-

men ſententia eſt exequenda per ſecularem poteſtatem, l. Epiſcopale, C. de Epi. audient. & ibi gloſſ. & in Authen. de ſanctiſſ. Epiſc. §. ſi quis autem litigantium, collat. 9. unde ſumitur: hoc etiam not. gloſſ. in Authentic. ut clerici apud proprios Epiſc. circa. princ. ſuper verb. Archiepiſcopum, col. 6. & ibi potes notare differentiam inter territorium, & diœceſim. Et hoc ideo, quia Epiſcopus non habet poteſtatem realiter exequendi: quoniam territorium non habet, ut Magiſtratus municipalis, l. ea quæ ff. ad municipal. Secundò, Epiſcopus non eſt judex ratione territorii, ſed ejus poteſtas territorio limitata eſt, patet: ut in Magiſtro militum, qui licet habeat juriſdictionem inter milites, non tamen territorium, l. magiſteria, C. de juriſ. omnium judi. ſic in Doctore inter clericos, ut in proœmio, ff. in fin. & Authenti. habita, C. ne filius pro pat. Tertiò, hoc ſatis apparet per diffinitionem territorii in l. pupillus, §. territorium, ff. de verb. ſignifi. juncto quod Epiſcopus non poteſt executioni reali ſuam ſententiam tradere. Quartò, hoc ſatis notare videtur Inno. in ſimili in c. cum contingat, de foro compet. ubi dicitur quod aliqui habent juriſdictionem non territorium: quoniam executioni ſuam ſententiam mandare non poſſunt, & de talibus loquitur d. c. cum contingat, & l. fi. C. de judi. om. judi. Quintò, Epiſcopus Pariſienſis non poteſt citare viva voce Pariſius. Ratio, quia citare viva voce eſt magis facti quàm juris: ut d. l. conſilio in fi. ff. de cura. furioſ. Sextò, per Arreſtum fuit dictum quod Epiſcopus Pariſienſis non poſſet citare, ſeu citari facere Pariſius viva voce. Et quia fecit, fuit condemnatus in emenda. 500. librarum per Arreſtum latum, anno do. 1340. Multominus citare poterit realiter, & capiendo. Septimò, hoc dicit, c. cum non ab homine, de judi. in antiquis, ubi dicitur quod quando Eccleſia non habet quid faciat ultra depoſitionem, excommunicationem, & anathematizationem, tunc locus eſt judici ſeculari. Octavò reali citatione quis citare, vel citari facere non poteſt extra ſuum territorium: ſic not. in c. Romana, §. contrahentes de foro compe. lib. 6. & ibi per Car. & per. Cy. in l. omnes, §. verum, C. de Epiſc. & clem. & Auth. qua in provincia. C. ubi de crimin. agi opor. hoc idem videtur notare Accur. gloſſator. in l. quid ſit fugitivus, §. idem puto in gloſ. ſuper verb. abduci. ff. de edi. edict. Citare tamen poteſt in ſcriptis, quia non eſt niſi denuntiatio: ut notatur in d. §. contrahentes. Quod etiam facere poſſet arbiter § l. ſed interpellatur, §. 1. de arbitris. Nonò, hoc dicere videtur Papa, cum dicit quod de poſſeſſionibus judicare non pertinet ad Eccleſiam: & ideò ne Regi juri valeat præjudicare, remittit, &c. c. lator, & c. cauſam, qui filii ſunt legit. Decimò pro hoc fuit Arreſtum latum pro Rege, & ejus Procuratore contra Epiſcopum Cabilonenſem in quo fuit dictum quod de reali actione cognoſcere non poterat in foro ſuo ſpirituali, nec erat recipiendus ad hoc. Undecimò eſſet valde magnum inconveniens, ſi Epiſcopus poſſet capere, vel capi facere Pariſius virtute ſuæ juriſdictionis ſpiritualis, quia contra bonum reipublicæ ac politiam: & eſſet Pariſius confuſio priſiarum, & qualibet die caperentur homines per iſtos apparitores, non ſolùm reprobi, & malefactores: ſed viri probi & honeſti, & his viis pecunias extorquerent: & ſi à priſia appellarent, devolverentur ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum: & de ipſo ad Papam: ſic eſſent vexati ac valde moleſtati, quemadmodum, & hodie ſunt: licet Epiſcopus non habeat priſiam. Duodecimò nec lædere poſſet, & cauſas audire in qualibet parte ſuæ diœceſis volens ibi ſuam juriſdictionem tenere, nec ibidem admitteretur, ſed ſolum in loco allueto, l. fin. ff. de juſti. & ju. Sic ſuper hoc eſt litigium inter regium Procuratorem, & Archidiaconum de Preſbyterio. Nec obſtant ſuperius argumentata in contrarium. Ad primum cùm dicitur quod mandata juriſdictione, &c. Reſpondetur primò, quod hoc negari poteſt: nam mandata per Papam juriſdictione, non poteſt ejus delegatus jubere partes comparere perſonaliter, niſi, &c. c. 1. de judi. lib. 6. multominus capere. Vel aliter, cum dicitur mandata juriſdictione, &c. ergo & capere poteſt; verum eſt mandata juriſdictione per illum, qui habet territorium: ſed Epiſcopus non habet virtute juriſdictionis ſpiritualis. Vel aliter, verum eſt capere in ſuo patrimonio temporali virtute ſuæ juriſdictionis temporalis non ſpiritualis. Vel aliter, verum eſt capere, id eſt capi facere ad ſui requiſitionem per judicem temporalem.

Epiſcopus poteſt capere in ſuo temporali, aliàs non poteſt realiter capere, ſed capi facere.

Ad ſecundum & tertium & quartum, videlicet ad c. cum Epiſcopus de offi. ordi. lib. 6. cum dicit, capere, id eſt capi facere: ſic ibi Jo. And. in novella exponit. Nam & alibi exponitur, ſi te condemnavero, id eſt condemnari fecero, l. furti accipe, §. mandato, ff. de his qui notantur infr. & dicam. per ſuum judicem temporalem in ſua juriſdictione temporali, in extranea ad ſui requiſitionem per judicem temporalem loci ad hoc c. fi. duobus in fi. de appel. Et ad c. novimus ad cle. prædictam, & ad alia cc. ſuprà dicta reſpondetur per eamdem viam. Nec propter hoc eſſet ſua juriſdictio inutilis, ſi oporteret ipſum requirere judicem temporalem: cùm nunquam refutaret præpoſitus Pariſienſis; & ſi refutaret, habet Curiam Parlamenti in ſuperiorem. Nec ſequitur; habet carceres, & poteſt cauſas audire: ergo & capere per prædicta, & quia unum non ſequitur ad aliud. Nec valet ſi dicatur quòd ſi eſſet ſuſpectus de hæreſi ille qui eſſet capiendus, quod ille qui hoc caſu impediret ipſum capere, incideret in magnam pœnam: per §. prohibemus, c. ut inquiſitionis negotium, de hæret. lib. 6. & c. quoniam ut intelleximus, de immu. eo. libro, quia dico quod in hoc caſu non eſt ille, §. prohibemus, tenendus, quia judex ſecularis non vult cognoſcere de crimine hæreſis, nec Epiſcopum, & inquiſitorem ſuper hoc impedire, nec liberare captum per juſtitiam ſecularem, & pro crimine hæreſis Epiſcopo traditum à captione, & carcere liberare. Nec refutare capere ſuſpectum de hæreſi, & Epiſcopo tradere, quia ſemper promptus eſt, maximè ſi fecerit Epiſcopus informationem: per quam ſuſpectus de hæreſi ſit capiendus, & ea per poteſtatem ſecularem viſa: ſed vult defendere jus regium quod eſt, quod ipſe haberet priſiam, non Epiſcopus in villa Pariſienſi virtute ſuæ juriſdictionis ſpiritualis etiam in caſu hæreſis: quod aliàs fuit dictum, & per defunctum Regem Carolum Præpoſito injunctum, ne caperet, niſi de informatione ſibi conſtaret. Item ad hoc facit caſus qui evenit de Thierico *Colezet*, qui ut ſuſpectus ad requiſitionem Epiſcopi fuit captus per Præpoſitum Pariſienſem; Non autem ipſe Epiſcopus cepit eum, vel capi fecit.

De poſſeſſionibus judicare non pertinet ad Eccleſiam.

Epiſcopus Pariſienſis non poteſt capere in urbe Pariſienſi etiam ſuſpectum de hæreſi.

Item ad hoc facit quædam Litera regia impetrata per Epiſcopum quemdam, directa Præpoſito, & Baillivis, &c. ut ad requeſtam dicti Epiſcopi facerent illos, qui pro debito fuerant excommunicati, in quâ excommunicatione ſteterant per annum & ultrà, &c. inregiſtrata in alia papyro mea regali & aurea. Item ad prædicta facit quod Rex habuit ſtatum contra Epiſcopum per Arreſtum latum * vigeſima die Julii, anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimò primo inregiſtratum in alia papyro mea ſemiaurea regali. Et fuit occaſione Margaretæ de Prato Religioſæ *de Gif.* Et pro tunc placitavi pro Epiſcopo contra Regem; quia tunc non eram Regis Advocatus. Item ad hoc facit caſus, qui evenit tertia die menſis Martii anno Domini milleſimo 390. de Girardo pulchri penarii, qui erat clericus non conjugatus tunc, & fuit captus per apparitores Epiſcopi inter caſtellerum & bocheriam: ſed reddidit eum dictus Epiſcopus Parlamento, & judici ſeculari: Et ſunt alia exempla in alia papyro mea regali & aurea.

* *Literam.*] Suprà q. 246.

Ad quintum videlicet ad Arrestum Episcopi Belvacensis respondet, quod fortè * in alia causa non fuit placitatum ad finem non recipiendi per regium Procuratorem: ad quem si fuisset placitatum, fortè non fuisset receptus Episcopus: quod probatur per rationes sequentes. Primò, quia dominus temporalis in rebus, & earum amissione potest clericum condemnare: nec pœna Episcopo applicabitur: immo domino temporali: ut l. 2. C. ut nemo priva. titulos prædii sui. & c. l. reperita, C. de Episcop. & cleric. &c. l. jubemus, nullam navem, C. de sacrosanct. Eccles. l. fina. C. de navib. non excusand. lib. 11. not. Inno. in cap. postulasti. & cap. ex parte, de foro competen. ergo patet quod Regi, non Episcopo dispositio realium actuum spectat, pura capere. Secundò, licet Papa conditor juris Canonici contrarium fortè statuere potuerit, hoc teneatur in suo temporali: nam ibi totum turbare potuit malè condendo, sed in regno Franciæ non illi in temporalibus subdito, secus: juxta cap. per venerabilem, qui filii sunt legiti. Et ita intellexit Bertrand. plures decretales in titu. de testamen. de delictis puerorum, de pœnis. Et Innocen. de purgat. cano. & nota. in cap. fina. de sepult. & cap. in Literis de rapto, ubi dicitur, serventur in foro Ecclesiastico, &c. ad hæc c. si duobus in fine de appella. superius alleg. Tertiò, nec consuetudo in contrarium est admittenda: quia contra terminos juris, ut patet per prædicta allegata de jure civili: & quia reputat bonæ politiæ, ut patet per superiora. Quartò, quia non est abdicabile à Rege, quia est superioritatis juxta l. competit, C. de præscript. trigin. vel quadrin. ann. & l digna vox, C. de legib. ibi majus imperio est, &c. Quintò, admittere non admissibile non valet: vel quia non fuit objectum, ut in glo. cap. cum contingat de offic. deleg. super verb. nihilominus; vel si objectum fuerit, & nihilominus receptum est, sed tamen contra dominum politiæ, qui non potest ligari, quare non valet: alias posset sequi omnium malorum exterminium in politia, scilicet destructio regni, & annihilatio, &c. Et in talibus licet esset expressum velle domini politici; tamen posset liberè revocare, quia hoc est jus suum revocare, & c. l. qui agros C. de omni agro deserto, libro undecimo, & argumento cap. si quis Presbyterorum de rebus Eccles. non alienan. Sextò, tollitur consuetudo per quam curiosi poterant aliquos incarcerare, l. 1. C. de curios. & stationar. libro duodecimo. Item l. omnes judices, C. de decurion. libro decimo, tollit consuetudinem contra privilegium Principis disponentem. Item lex tollit consuetudinem contra exemptos inductam, l. nihil C. de Palatinis, lib. 12. Item ab omni præscriptione jus Principis videtur exemptum c. dilectus de capellis mo. Item decretalis cum satis de offic. archid. tollit consuetudinem per quam verum usurpatur officium. Ad idem c. ut nom. eod. titu. dicit quod si quis exercuerit actus pertinentes ad officium, vel dignitatem alterius, quod ex hoc non acquirit sibi aliquod jus. Item lex dicit, quod nemo potest alterius perturbare officium, suum usurpando, l. 2. C. de except. & exacto. lib. 12. Item providentia superioris usurpatoria officia inhibentur: ut dicta l. reperita, C. de Episcopis, & Cleri. c. pervenit, 11 quæst. 1. l. consulta divalia, C. de testa. allegant quidam l. 1. C. de eroga. mili. anno. quæ parum facit. Septimò, probatur quod consuetudo non sit receptibilis: nam Petrus Bertrandi not. in c. non est, de consue. lib. 6. quod sicut prædecessor præscribere non potest propter malam fidem præsumptam; ut quia excessit metas privilegii, quod causam dat præscribendi: sic successor præscribere non potest in illo quod excedit metas: quapropter repellitur in quo eodem modo præsumitur mala fides in illo quod excedit metas privilegii. Sic in proposito facit contra metas dictus Episcopus qui in regno Franciæ se juvat præscriptione: quia turpe est, & c. ut not. in c. 1. de sepul. lib. 6. & d. l. reperita, C. de Episc. & clericis maximè, quia finis prædecessor Episcopus Parisiensis dictus *de Mignac*, confessus fuit Episcopum Parisiensem non habere prisiam in villa Parisiensi. Et quia cepit, fuerunt rupti ejus carceres, &c. Item in regno Franciæ omnes jurisdictiones sunt hereditagiæ, vel infeudatæ in quibus non habet locum extensio: ut notat Inno. in c. verum, de judic. Et maxime cavendum est quod tales jurisdictiones non laxentur in Ecclesia, quæ arma vetat; ut patet per Concilia, cum jurisdictio talis non sit à clavibus: & sic oportet temperare glo. primam c. 1. de transla. Episc. & videatur novella, c. solitæ in prin. de majo. & obed. Et certè jus civile non cognovit in se jurisdictionem nisi Principis, quæ à populo est, &c. ut no. in d. c. 1. de translat. Episc. in 1. glo. & in Authen. quomodo oportet Epi. & clericos ad sacros ordi. promo. in prin. colla. 1. de authenticis autem tractemus quoad hoc propter illam, de Sacramentis, quæ est à clavibus: ut ja. de bel. viso not. in d. Authen. quomodo oportet Episc. &c. & aliàs magis esset dicenda subtractio liberi arbitrii, quod non est tolerandum in prædictis executionibus, seu jurisdictionibus. Sed fortè in personis, & factis Ecclesiasticis pro quo c. olim 5. dist. & c. sicut olim de accusa. facit quod no. in primo quaterno circa fi. cœlestis hierarchiæ: & in alio quaterno parvi voluminis, in medio ibi solutiones, &c. Item & si esset consuetudo receptibilis, potest responderi quod obtinuit Episcopus Belvacensis in possessorio, quia plura explera probavit, & majora & ampliora quam Rex: quod sufficit, quia inter regium procuratorem, & Ducheslam Aurelianensem ex una parte, & dictum Episcopum ex altera, versabatur quæstio in casu novitatis super prisia clericorum in Comitatu de Bellomonte: & sic in possessorio, ubi obtinet qui possessiones suas probat. Item Episcopus Belvacensis est dominus temporalis, & spiritualis, & par Franciæ. Etiam obtinuit super prisia extra villam Belvacensem facta in Comitatu de Bellomonte, non in villa Belvacensi. Modò quæstio præsens est super prisia in villa Parisiensi, quæ est caput aliarum civitatum regni Franciæ, in qua prisiam haberet Episcopus Parisiensis sequererur inconveniens magnum, ut suprà tactum est. Ad sextum, cum dicit quod usus fuit per tantum tempus, &c. Et habet plura expleta, &c. Respondeo, quod licet fuerit usus, hoc est non receptibile per prædicta. Etiam fuit Procuratore regio ignorante, & usurpativè fuit usus, quod non potest eidem prodesse. Secundò remuntiavit expletis se juvare in causa mota occasione prisiæ Margaretæ de Prato, ut in Arresto superius allegato. Tertiò hoc fuit ex tolerantia eidem facta usque ad regiam voluntatem, & contra clericos clericaliter viventes, beneficiatos, & in præsenti delicto, & officiariis Regis non præsentibus. Sic hoc prodesse eidem non potuit: per l. qui jure familiaritatis ff. de acquir. poss. & l. Seio. §. medico, ff. de an. lega. cum ibid. notatis per no. per Innocen. in c. si diligenti de præscrip. Quartò, tolerantia diu ante hunc casum fuit revocata, ut tempore expleti Girardi *Beaupigne*, & ante, & inhibitum per curiam dicto Episcopo caperet, seu capi faceret in villa Parisiensi virtute suæ jurisdictionis spiritualis. Ad septimum non obstat, quia viso textu illarum literarum, nihil eidem Rex confert, quia non ad augendum prisiam, seu eidem conferendam*: sed ad executionem prisiæ faciendam per servientes regios factæ fuerunt illæ Literæ juxta c. 1. §. ad hoc, de præbend. in clemen. & l. cum tale, §. fi. ff. de condi. & demon. Prædicta ego placitavi die, & anno suprà dictis in causa quam placitavi pro Rege contra Episcopum Parisiensem. Et fuit placitationis factum tale. Episcopus Parisiensis fecerat capi quemdam suum clericum nuncupatum Stephanum* de Bosco, in vico de Templo, in jurisdictione temporali, & per suos apparitores, & virtute suæ jurisdictionis spiritualis;

* *Fortè*] Imò quia consuetiam prærogatæ dignitatis, ut pote Par Franciæ, & ratione jurisdictionis temporalis, suprà q. 872. C. M.

Nota etiam Papam posse iniquum jus condere.

Ius Principis ab omni præscriptione est exemptum.

Ecclesia vetat arma.

In possessorio obtinet, qui possessiones suas probat.

Parisius est caput aliarum civitatum regni Franciæ.

Qui jure familiaritatis amici fundū ingreditur, non videtur eum possidere fa. l. cum precario, ff. de precar.

* Stephanum] Hic nomen proprium.

Præpositus Parisiensis dedit suam commissionem duobus examinatoribus, continentem ut præciperent Episcopo, & Officiali Parisiensi ac suis officiariis, quatenus restituerent dictum clericum sic captum, & quem imprisionaverant, & redderent eum in loco ubi ipsum ceperant, vel saltem redderent eisdem examinatoribus, ut in Castelleto adducerentur. Et in casu oppositionis, habito prius clerico, per ipsos examinatores adjornarent opponentes in Castelleto dicturos causam oppositionis suæ, necnon omnes alios, qui in dicta prisia interfuerant, responsuros Procuratori regio, &c. dicti examinatores fecerunt præcepta: sed quia gentes Episcopi appellaverunt pro impediendo executionem dictæ commissionis, dicti examinatores nuncupati Magister Nicolaus *Bertin*, & Gofredus *Goyba*, cessaverunt, & non executaverunt dictam commissionem. Posteà à dicto Præposito secundam habuerunt commissionem de prima narrationem facientem, quæ secunda continebat, quod non obstante dicta appellatione, & aliis fiendis pro impediendo, & differendo executionem dictæ primæ commissionis, dictam primam commissionem executioni mandarent. Quod & fecerunt, & absque fractione reprehensibili dictum clericum ceperunt, & ad Castelletum adduxerunt. Non obstante quod gentes dicti Episcopi pluries appellarent; sed non obstantibus his, Rex fuit in statu suo positus, & resaisitus: Episcopus Parisiensis fuit conquestus super hoc de Præposito Parisiensi, & de dictis examinatoribus. Et in Parlamento die supradicta contra Præpositum, & examinatores fecit proponi factum suum, & prisiam quam pretendit habere in villa Parisiensi super suos clericos, virtute suæ jurisdictionis spiritualis, proponendo quod expletum factum virtute commissionis Præpositi, erat tortionarium, & factum ipsum dessaisiendo de suo prisionario, & prisia ac possessione prisiæ quam habebat in villa Parisiensi virtute jurisdictionis spiritualis, suos clericos attentando, & salvamgardiam infringendo: & requirebat prisionarium sibi restitui, ac commissionem Præpositi, ut tortionariam lacerari, & iniquam pronunciari, Præpositumque & examinatores condemnari in emenda, & Procuratorem regium secum adjungi. Et ad hos fines proponebat, & fundabat prisiam suam per superius allegata. Et ulterius dicebat commissionem Præpositi subreptitiam, & iniquam per sequentia. Primò, quia continebat ipsum Stephanum prisionarium esse laicum, & tamen clericus erat non conjugatus, & captus ut de hæresi suspectus, & fuerat contumax, excommunicatus: & per annum steterat excommunicatus: & sic non solum, ut de hæresi suspectus fuit captus, sed ut quasi hæreticus, juxta c. cum contumacia, de hæreti. lib. 6. Secundò, quia dirigebatur dictis examinatoribus secunda commissio, à quibus fuerat appellatum. Tertiò, quia continebat; non obstante dicta appellatione, &c. Et tamen Præpositus habebat manus ligatas post appellationem, sic non poterat in aliqua sede hoc intromittere. Quartò, imo nec cognoscere poterat an appellationi esset deferendum, necne: nec cognoscere de aliquo. Quintò, curia defenderat sibi ne in aliquo procederet. Sextò, idem Præpositus fecerat attentando, ac salvamgardiam infringendo, in qua est dictus Episcopus. Septimò, si se consuluerat, hoc fuerat cum parte adversa Episcopi; videlicet Procuratore regio, & regis consilio, qui secum adjungi non debet, quia in discussione est an adjungeretur cum Episcopo, vel Præposito, & sub judice lis est. Octavò, debebat curiam consulere, non attentare: sic per prædicta tenebatur Præpositus, & erat condemnandus in prædictis.

Item examinatores etiam primò, quia sciverant primam appellationem ab eis factam, si secundam commissionem non poterant executare, & quia fecerunt, & attentaverunt. Item erant judices, vel quasi in criminalibus in Castelleto: sic non poterant ignorantiam aliquam prætendere. Item excusserant frangendo prisiones Episcopales. Item illud quod fecerunt, fecerunt attentando, & salvamgardiam infringendo, in qua erat, & est Episcopus prædictus. Pro parte regia Præposito, & examinatoribus, Præpositus advoavit examinatores, & Procurator regius præpositum. Et per consequentiâ requirebat Procurator Præpositus regius præpositum, & examinatores poni extra processum retenutam faciendo, & statumlite pendente sibi de prisionario fieri, per rationes sequentes: prætendendo commissionem præpositi fore validam, ac virtute ipsius fuisse bene expletatum. Primò, quia fundabam quòd Episcopus non habet prisiam suorum clericorum in villa Parisiensi virtute jurisdictionis suæ spiritualis per superius allegata. Secundò, dicebam quod Rex habebat statum quod Episcopus non habebat prisiam in villa Parisiensi super clericos suos virtute jurisdictionis suæ spiritualis. Tertiò, dicebam quod Præpositus Parisiensis est major post principem in villa Parisiensi, & post dominos Parlamenti principem repræsentantes: & quod ad ipsum spectabat tueri, & defendere jura regia, & quod illud quod fecerat fieri Præpositus virtute suæ commissionis, fecerat fieri conservando jura regia, & statum suum eidem per Arrestum adjudicatum. Quartò dicebam quod cum est quæstio de jurisdictione aliqua inter Regem, & suum subditum, seu de expletis ipsius Regis, conservari debet in statu in quo erat ante dictam quæstionem, sic in proposito. Ulterius dicebam quod commissio præpositi erat valida, quia erat sibi notorium de statu quem Rex habebat. Et per Arrestum superius allegatum, & pro notorietate facti. Et etiam, quia debet semper habere statum in dubio, quia est fons omnis jurisdictionis temporalis, & alii sunt rivuli ab eo dependentes. Dicebam etiam, quod erat informatus de captione quam fecerat fieri dictus Episcopus de dicto Stephano, dessaisiendo Regem de suo statu, quem Episcopus ignorare non poterat: quia contra ipsum fuerat Arrestum prædictum latum, & erat intra annum dicti Arresti lati; & sic erat jus regium quoad statum saltem clarum, & etiam quoad prisiam per superius allegatam, & factum Episcopi tortionarium. Ulterius dicebam quod hæc considerans Præpositus suam dictam primam commissionem volebat prius exhiberi dicto Episcopo, & ejus gentibus ante ejus executionem, quod fecerunt examinatores antedicti, quæ commissio continebat oppositionem. Et quamvis diceretur in ea antea habito prisionario, &c. in hoc erat justa, quia Rex erat dessaisitus contra Arrestum, & jus commune, qui non debet placitare dessaisitus *: ulteriùs non erat injusta, imò justa secunda commissio quamvis in ea contineretur, non obstante dicta appellatione, &c. per prædicta. Et quia non erat in hoc casu appellationi deferendum probatur per *l. fin. de appel. recis. vel non, & l. quisquis, l. abstinendum, & l. fin. C. quorum ap. pel. non recip.* sic videmus in Arresti executione, sic in querimoniæ novitatis executione, sic in debito sub sigillo regio debito, sic in delinquentem, quem judex capere vult, sic in proclamationibus quæ per appellationem suspendi non debent. Item nec fecerat Præpositus in contemptum curiæ: sic non attentaverat, sed solum fecerat causa status, & juris regii conservandi.

Item & quamvis diceretur in dicta secunda commissione, non obstantibus etiam aliis appellationibus fiendis, &c. intelligebatur tamen, & exprimebatur in commissione antedicta de appellationibus fiendis pro impediendo, seu dilatando executionem dictæ primæ commissionis: verumtamen si dedisset talem commissionem in casu in quo esset appellationi deferendum, vel generalem, non obstantibus quibuscumque appellationibus fiendis, forte posset dici quod esset injusta: sed nunc non, ut patet per prædicta. Item nec peccaverunt examinatores per sequentia. Primò,

Parisiensis est major post principem in urbe Paris. & post dominos Parlam. repræsentantes Principem.

Apud Regē est fons omnis jurisdictionis temporalis: alii autem sunt rivuli ab eo defluentes.

Rex non debet placitare dessaisitus.

* *Dessaisitus*) Illud est vulgare Practicorū quod non facit jus nec regulam, sed quia in fisco plures sunt quam in privatis (speciales casus. C. M.).

Nota casus quibus appellationi non est deferendum.

Nota casus quibus appellationi non est deferendum.

quia non excesserunt commissionem, nec ejus terminos. Secundò, non fuit eis inhibitio facta per Curiam: nec relevando appellationem, & fuerunt meri executores. Tertiò, habebant obedire Præposito, ut eorum Magistro & Superiori, maximè quia non erat in se atrox illud quod fuerat præceptum. Quartò, in nullo excesserunt aliqua delicta committendo. Quintò, sciebant Arrestum pro Rege super statu prolatum: nec habebant corrigere, nec interpretari commissionem sui Magistri: nec obstant argumenta in contrarium quoad hoc. Ad primum non obstat; quia licet dictus Præpositus sciviſſet dictum Stephanum Clericum, attamen talem suam commissionem dediſſet, nec hoc eum moviſſet in contrarium; quia non refert an Clericus fuerit vel laïcus, quamvis deterius pro Episcopo, si laïcus: nec obstat si vocatus fuerat vel de hæresi suspectus, & quia stetit per annum sic excommunicatus, &c. quia posito quòd verum fuiſſet, attamen capere eum non potuiſſet Episcopus; nam sive ut suspectum de hæresi, sive aliàs, Clericum suum capere velit, non potest virtute jurisdictionis sux spiritualis, sed debet Præpositum requirere ut capiat; quod tamen facere

Non debet aliquis capi per Præpositum propter crimen hæresis, nisi per informationem factam per Officialem videat eum suspectum.

non debet Præpositus, nisi videat eum per informationem suspectum, vel si capiat aliàs, non debet reddere, nisi eum suspectum reperiat per informationem factam per Officialem; quia aliàs omnes capi possent ut suspecti de hæresi ad requestam Officialis: & sic possent diffamari odio, vel aliàs de hoc crimine, quòd esset iniquum; verumtamen dictus Stephanus non fuerat vocatus ab initio, nisi pro debito pecuniario: & quia non comparuit, fuit excommunicatus: & licet steterit per annum in excommunicatione, in hoc casu non habet locum, c. cum contumacia superiùs allegatum; nec enim pro debito civili est quis capiendus vel incarcerandus, *l. ob as. C. de ac. & obl. & c. lator. de pignor.* Et adhuc fuerat dictus Stephanus pro salario Advocatorum eisdem debito in Curia Officialis postulantium ratione patrocinii per eos dicto Stephano præstiti, evocatus. Et allegatur ad propositum casus Thyerici *Colezat* superiùs alleg. ad quamdam Litteram regiam superiùs allegatam. Ad secundum respondet, quòd licet dirigeretur Littera dictis examinatoribus à quibus antè fuerat appellatum, non nocet, quia quibuscumque vellet committere, Præpositus poterat: & hoc faciebat ut Commissarii dicti essent examinatores, nec erat casus in quo esset appellationi deferendum. Ad tertium respondet, quòd Præpositus non habebat manus ligatas, quia non erat appellationi deferendum per superiùs allegata. Ad quartum respondet, quòd nullo modo cognovit Præpositus, nec cognoscere poterat, obstante appellatione, sed eidem non erat deferendum, quoad prisiam non faciendam, ne Rex remaneret deappunctuatus, juxta *l. fin. ff. de appellat. recip. vel non.* Ad quintum respondet, quòd Curia nullam super hoc fecerat Præposito vel examinatoribus defensionem, nec ad eorum notitiam devenit, nec fuit appellatio relevata, nec facta inhibitio. Ad sextum, per prædicta patet responsio. Ad Septimum respondet, quòd si eisdem consuluerit, bene fecit; quia illi sunt cum quibus consilium habere debet, & qui ipsum consulere debent in negotiis regiis: sic fuit excusatus. Ad octavum respondet, quòd Episcopus reprahendit Præpositum de eo in quo incidit, & de quo reprehendendus est Episcopus; quia Præpositus nil fecit suo nomine, nec ad ejus utilitatem, nec etiam examinatores, sed solùm regium jus conservando. Et est adverrendum pro quo tractatur & contra quem. Nam tractatur pro jure regio conservando, qui est superior Episcopi immediatus in temporalibus, & qui est Iudex superior Episcopi in superioritate & in ressorto; ac dominus feudalis, & contra Episcopum, qui est dicti Regis subditus, & inferior per prædicta: ergo patet quòd Episcopus qui benè sciebat Arrestum contra ipsum pro Rege latum fuisse, non debebat procedere de facto ad prisiam, & intra annum Arresti, in præjudicium Regis domini sui: imò debebat adire dictum Præpositum, vel Curiam Parlamenti, & eos requirere, ut talis Stephanus caperetur per eos, & ad ejus requestam; sed hoc non debuit facere Præpositus, quia si sic feciſſet, dictus Episcopus saisitus remansisset, & Rex dessaisitus, & amisisset dicti Arresti utilitatem: & fuisset blasphemandus Præpositus, quia passus fuisset facere Regem de possessore petitorem, & per fraudem Episcopi, contra tenorem Litterarum superiùs per Episcopum allegatarum: nec obstat dicere quòd Præpositus dessaisivit Episcopum, quia contrarium est verum per prædicta: sed Episcopus Regem desappunctaverat contra dictum Arrestum, & intra annum; nam quicquid dicat Episcopus, dicta Margareta (de qua in dicto Arresto fit mentio) non appellaverat ab Episcopo, nec de hoc in dicto Arresto fit mentio. Item nec ibidem causatum est quòd absque præjudicio fuerit Arrestum latum. Item & per illud in effectu Rex habet statum quòd Episcopus non potest capere suos Clericos virtute jurisdictionis sux spiritualis; nam in ipso dicitur quòd prædicta Margareta restituetur & restabilietur in loco in quo capta fuit per dictum Episcopum vel ejus Officiarium: & quòd dictus Episcopus petet eam à dicto Præposito, vel alibi, si voluerit: sic ergo efficitur per illud Arrestum petitor, & Rex possessor. Non obstant etiam argumenta in contrarium quoad examinatores. Ad primum respondet quòd licet scivissent primam appellationem; tamen Præposito ut eorum Magistro obedire debebant, nec quærere an bene aut malè commisisset; nam non est discipulus suprà Magistrum. Ad secundum respondet quòd non est verum quòd sint Iudices, licet aliquotiens vocentur ad consulendum in causis criminalibus per Præpositum. Et licet essent, attamen subditi Præpositi. Ad tertium respondet, quòd in nullo excesserunt, & apparebat per relationem Commissariorum super hoc per Curiam datorum. Ad quartum, apparet solutio per prædicta; verumtamen per illa quæ superiùs dixi & scripsi negare nolo; sed concedo, quòd Ecclesia habet potestatem & compulsionem coactivam, ut quia habet & potest excommunicare, anathematisare, degradare, deponere, interdicere, suspendere, &c. ut d. c. cum non ab homine de judi. c. sanc. 2. de offic. deleg. c. quia pontificali eo titul. lib. 6. c. quærenti, eodem tit. in antiquis, c. quærenti, de verb. signific. c. ita quorumdam, de Iudæis, c. cùm pro causa, & c. offi. de sent. excom. habet tamen & importat suam executionem, juxta c. pastoralis, de appel. Absit enim quòd hoc negetur, ut fecit Marcilius, &c. ut patet in processu facto contra ipsum & suum consortem * per Joan. XXI. Papam, qui incipit. Licet juxta doctrinam: finaliter partibus hinc inde auditis appunctuatum fuit de suprædictis, quòd Curia considerabit rationes partium, & faciet jus; visis tamen priùs illis Litteris & Titulis quos partes tradere voluerint, scilicet Arresto & Commissione prædictis, ac aliis Litteris regiis quibus se juvit Episcopus.

Ecclesia habet potestatem & vim compulsivã, ut quia potest excommunicare, anathematizare, &c.

* *Consortē.*] Scilicet Guillelmum Olzean, qui in Compendio adversus Io. XXI. Papã, 70. errores, & 7. hæreses ex scriptis ejus colligit: quin & Platina in ejus vita multùm de erroribus ejus conqueritur, sed malè & imperitè eum reprehendit. C. M.

QUÆSTIO CCLXXVII.

Quòd ostiarii Parlamenti malè executantes commissiones suas puniuntur.

GAlterus Seneschalli Parlamenti ostiarius, fuit in Castellerum missus, & post suspensus ab executione commissionum, & aliorum omnium emolumentorum quæ habere poterat usque ad festum sancti Joannis Baptistæ, & condemnatus in expensis Præ-

Qui in officio delinquit, puniendus est, juxta not. Ioan. facit in l. quod pro-

mulgatis, C. de Offic. Præfecti urb. facit l. in Officiales. C. de Offic. rector. provin. Item l. fi. C. de spor. & supt.

positi *de Perenne*, quas Parisiùs fecerat, qui per dictum Galterum fuerat adjornatus ad comparendum personaliter. Ac dictum quòd ipse Galterus in Parlamento faciet suum officium, & habebit vadia regia, pendente dicta suspensione. Et fuit eò quòd quosdam prisionarios, Monachos, & alios sancti Martini de Campis, quos dictus Præpositus Parisiùs adducebat in Castellero, dictus Galterus in itinere ab ipso Præposito amovit: & posuit in prisione dicti Prioris, adversarii dictorum prisionariorum, quam dicebat accommodatam: & quia non habebat tunc informationem, sed expost fecerat: & fuit Arrestum latum die Iovis 27. mensis Martii, anno Domini 1392. &c.

QUÆSTIO CCLXXVIII.

Quòd Procurator qui appellavit, potest renuntiare appellationi.

PRo Religiosis de Columbis fuit dictum contra regium Procuratorem, quòd renuntiatio facta per Procuratorem per eos factum in causa, qui pro eis appellaverat à quadam Sententia interlocutoria pro dicto Procuratore regio contra eos lata, antedictæ appellationi valebat, licet in suo procuratorio Procurator antedictus non haberet potestatem expressam renuntiandi dictæ appellationi, quia eam gratam habebant. Sustinebam tamen pro Rege contrarium per rationes sequentes. Primò, quia dicebam quòd ex quo appellaverat, ampliùs non erat Procurator, cùm causa fuisset sopita, juxta *l. invitus, C. de procur. & cap. non injuste, eod. tit.* nam ejus officium erat finitum. Secundò non apparebat quòd novum habuisset mandatum renuntiandi: quod dicebam eum habere necesse, cùm ampliùs non erat Procurator. Tertiò, supposito quòd Religiosi ratam habebant renuntiationem, non constabat quòd habuissent ratam intra octo dies à tempore appellationis factæ, intra quos necesse fuerat appellationi renuntiare, juxta *l. bonorum, ff. rem. ra. h. & l. si quis or. in bo. pos. servetur.* Sic videmus in alhatere volentibus appellationibus in patria juris scripti, quo casu debet fieri adhasio intra 10. dies à tempore Sententiæ appellationis; quia & intra illud tempus appellare possent, non aliàs. Sic no. Io. And. *in c. concertationi antiquæ, de appel. lib. 6.* His tamen non obstantibus, fuit dictum dictam renuntiationem fuisse validam.

L. invitus, magis videtur facere in oppositum; dicit enim: nemo invitus tenetur defensionem suscipere, nec eamdem nisi provocationis causâ extendere, quod idem videtur velle gl. in l. Ita demum dicens videri causâ appel. eandē esse cum principali.

QUÆSTIO CCLXXIX.

An non tradens scripturas per annum, quamvis se præsentans, aliquid amittat.

DEcanus & Capitulum Senonense non tradiderant scripturas suas, quamvis essent petitores, contra Alveum *de Cersé* defensorem: imò bene steterant per annum, quòd non tradiderant, nec per defensorem impetiti fuerant; tamen utraque pars bene præsentaverat se semper. Accidit quòd una die defensor dicebat quòd fecerant interruptionem, eò quòd non tradiderant scripturas. In contrarium allegabant petitores, & allegabant quòd non fuerant impetiti aliàs per defensorem, & quòd semper se bene præsentaverant, sic nil amiserant; sed erant præsto tradere infra octo dies. Allegabant etiam Arrestum superiùs latum pro Philippo *Henry* * contra quemdam dominum Girardum superiùs inregistratum, & alia ibidem scripta. Finaliter dictum fuit quòd in nullo fecerant interruptionem, sed hoc ideò quia procuratores inter se hoc tolerantes ex quadam tolerantia, usum super hoc introduxerant temporibus retroactis. Sed de cætero caveant, quia nisi petitores scripturas suas tradant infra octo dies, cum partes erunt appunctatæ ad scribendum, reputabuntur negligentes; attamen scripturis traditis, non poterunt reputari negligentes super inquesta facienda, nisi articulis concordatis, in quo opus est vocatione partis, & adjornamento hinc inde faciendo. Et exinde dicitur quòd 5. septimanæ super inquesta non currunt, nisi concordatis articulis.

* *Henri.*] *supràq. 251.*

QUÆSTIO CCLXXX.

Supervacuè citari faciens, condemnatur in expensis.

PRo quodam nuncupato *Gombant* fuit dictum contra quamdam mulierem quòd solveret expensas, eò quòd sine causa fecerat adjornari dictum *Gombant* ad assecuramentum præstandum, licet obtinuisset Arrestum per quod dictum fuerat quòd eidem mulieri traderet assecuramentum. Et ratio, quia per antedictum Arrestum reperiebatur dictum *Gombant* præstitisse in Curia assecuramentum dictæ mulieri, & econtra: & dictum Arrestum retrahebatur ad tempus antè præstiti assecuramenti, juxta l. sub conditione, ff. de solut. tamen videbatur contrarium; quia in Arresto ferendo non cogitabatur de assecuramento anteà præstito; sed de præstando: attamen vexabat sine causa dictum *Gombant*; quia habuerat ab eodem assecuramentum. Sic fuit in expensis condemnata.

QUÆSTIO CCLXXXI.

An in negantem se appellasse, possit Judex exercere jurisdictionem, qui affirmat ipsum appellasse ab eodem, &c.

DIctum fuit pro Duce Aurelianensi contra regium Procuratorem, quòd dictus Dux, vel ejus Officiarii possent jurisdictionem exercere contra quemdam subditum ejusdem, quem appellasse ab eodem Duce, vel ejus Iudice ad Parlamentum affirmabat Ducis Procurator, eò quòd dictus subditus negabat se appellasse: & sic in ejus præjudicium non debebat dici exemptus, cùm in ejus favorem videbatur esse dicta exemptio. Procurator regius dicebat contrarium, quia ex quo Dux vel ejus Procurator affirmabat dictum subditum appellasse ad Parlamentum, per consequentiam ipsum exemptum ab eodem Duce, & sic in eum jurisdictionem exercere non poterat, per ipsius propositum in sui præjudicium captum: cum ista exemptio sit plus introducta propter authoritatem Curiæ superioris & honorem, quàm in partis appellantis favorem. Attamen fuit dictum contrarium, per dominum Guillelmum de Senonis absque aliquorum consilio, & malè, ut credo, per ultima argumenta, & probata appellatione, verum erat dicere ipsum fuisse exemptum, & dicere attentasse: Et quia dubium erat ipsum appellasse, necne, per propositum Ducis & negationem partis, sic in dubio non debet in eo jurisdictionem exercere; sed Rex per manum Superioris, ut in casu novitatis captæ contra illum qui negatur dominus, qui petit ejusdem casus coram ipso fieri remissionem: finaliter quia dictus dominus Guillelmus videbat quòd malè fecerat, per Curiam fuit appellatio annullata absque emenda, & remissio facta dicto Duci.

Quod in favorem alicujus introductum est, non debet in ejus præjudicium converti, l. quod favore, ff. de leg. l. non eò minùs, C. de procur.

QUÆSTIO CCLXXXII.

Arrestum latum contra Regem, pro Archiepisco Lugdunensi.

PEr Arrestum latum die Mercurii ante Pascha anno 1393. pro Archiepiscopo *de Lyon* contra regium Procuratorem, fuit dictum quòd Rex tenere faciet sedem suam *à Liste-Barbe*, quam tenere solebant pro ipso sui Officiarii in Villa *de Lyon*, cognoscendo de casibus ressorti, & de juribus regalibus: quæ quidem *Liste-Barbe* distat per leucam à dicta Villa *de Lyon* super Rhodanum; inferiùs * tamen videbis de statu Regi adjudicato in contrarium.

* *Inferiùs.*] q. 299.

QUÆSTIO CCLXXXIII.

Quòd Judæi baptizati retinent bona sua.

DIe Veneris quæ fuit festum sancti Marci Evangelistæ, mense Aprilis anno 1393. fuit publicata quædam Ordinatio, facta die Veneris præcedentis, anno 1392. per Regem cum Consilio suo, apud Abbatisvillam tunc existentem, per quam fuit ordinatum quòd Judæi se facientes baptisari non amittant sua bona * sed retinere poterunt, quæ est juris communis declaratio, ut patet *in c. Judæi. leg. 2. de Judæis in antiquis, & in Extravagant. dignum arbitrantes.*

* *Bona.*] Contrarium impiè servat Papa Romæ & Avenioni, quo fit ut plures non audeant Christiani fieri, sed remaneant in Judaïsmo. Idem quod Constitutio hæc regia volunt statuta Ducum Sabaudiæ, quæ vidi. C. M.

QUÆSTIO CCLXXXIV.

Quòd alius Justitiarius solus non est admittendus ad impediendum gratiam seu remissionem.

ITem *pour Jean & Jeannette Cardete fut dit par Arrest contre Messire Giles Malet, qu'il ne faisoit à recevoir, luy qui estoit Haut-Justicier, à impugner la grace Royale faite à un que l'on disoit qui s'estoit noyé ou tué, afin qu'il ne fust pendu, & que ses amis eussent ses biens.* Ratio, quia contradictio dicti militis non procedebat nisi occasione bonorum habendorum: & sic avaritiæ causa. Sic * fuit aliàs dictum contra domin. *de la Queuë.* Sic contra dominam Duchillam Aurelianensem.

* *Sic.*] Scilicet inf. q. 112. 381. C. M.

QUÆSTIO CCLXXXV.

Confiscatio non est nisi in casu expresso.

COntra Ducem Borbonii fuit dictum malè judicatum & bene appellatum per Girardum *de Aulle* Pelliparium, qui appellaverat, eò quòd per Majorē dicti Ducis fuerat dictum quasdam pannas suas esse confiscatas, eò quòd non erant veræ, sed falsæ: ratio, quia per punctum registri artificii pelliparix non cadebat confiscatio, sed solùm emenda: nec exprimebatur confiscatio facienda in aliquo casu, maximè in isto.

QUÆSTIO CCLXXXVI.

Baillivus regius non gaudet Litteris status.

PEr Arrestum fuit dictum contra dominum Collardum *de Calleville* Baillivum Antissiodorensem, quòd non gauderet Litteris status, * licet diceretur quòd erat absens pro inquesta facienda pro regio jure. Ratio, quia recipiebat vadia, & quia non debebat dimittere Bailliviatum suum, & quia causa erat attentatorum commissorum ab ipso, & appellationis factæ ab eo, propter quòd prosequebatur: & quia ad sui requestam causa fuerat ad quemdam diem continuata, &c.

* *Status.*] Id est suspensionis causarum quas habet nomine privato. C. M.

QUÆSTIO CCLXXXVII.

Punitio delinquentium contra dominos Parlamenti officium exercentes.

LE Vendredy devant la Pentecoste, 23. jour de May, l'an 1393. fut un appellé Lonvare par Arrest condamné à estre trainé de la porte de la Court du Palais jusques à un échaffaut qui fut fait vers la pierre de marbre, & à avoir le poing coupé dessus ledit échauffaut, & à avoir la teste coupée, à estre après pendu: ce qui fut, pource que de fait pensé il frappa d'un coustel Messire Robert Dinquegin, l'un des Messieurs de Parlement, & le navra à une heure après disner en la Chambre de Parlement. Il estoit Commissaire deputé par la Court en la cause dudit Lonvart, & le cuidoit tué, & n'eut point de repentance; mais luy poisa qu'il ne le tua, & fut fortement navré. Et à ce fut condamné comme criminel de leze Majesté: quia domini Parlamenti, maximè officium suum faciendo, sunt pars corporis Regis. *l. quisquis, C. ad l. Jul. majest.* & perinde fuit ac si eum occidisset. *l. qui cum telo, C. ad legem Cor. de sic.* Et ultra hoc fuit condemnatus in emenda 50. librarum Parisiensium capiendarum ante confiscationem: quod fuit valde durum, ut pluribus visum fuit; eò quòd non fuit mortuus dictus dominus Robertus de illo ictu seu vulneratione, qui vivebat tempore executionis dicti Arresti, maximè quia illa *l. is qui cum telo.* non viget in patria consuetudinaria, ut hîc. Attamen factum fuit, quia valde magnum crimen fuit, attentis circumstantiis supradictis, ut cæteris cederet in exemplum, & quia fecerat hoc dictus *Lonvart* in contemptum hujus, quòd non sibi complacebat id quod dictus Commissarius eidem faciebat, quamvis faciebat suum officium exercendo, &c.

QUÆSTIO CCLXXXVIII.

An post testium publicationem sint testes recolendi.

PEr Arrestum Curiæ dictum fuit quòd post publicationem testium factam, non est pars recipienda ad requirendam recollationem dictorum testium propter timorem subordinationis, licet Judex ex suo officio possit facere, si videat expedire. *

* *Expedire.*] Etiam non priùs interloquendo de hoc, nec partes admonendo, sed illis ignorantibus, & vocare testes ex utraque parte, ne videatur favor. C. M.

QUÆSTIO CCLXXXIX.

Quòd Clericus non coniugatus facit emendam in Curia prædictis consiliis irreverenter loquendo.

PEr Arrestum dictum fuit quòd Petrus *de Daymille* scutifer, Clericus non conjugatus faceret emendam, eò quòd irreverenter locutus fuit in Curia, dum interrogaretur super delictis per eumdem commissis.

QUÆSTIO CCXC.

*Quæstio notabilis, an Episcopus succedat in bonis mobilibus vacantibus Clerici, vel Presbyteri, qui non habet heredem, ut quia bastardus, vel aubanus.**

* *Aubanus.*] Id est exterus alibi natus, & dicendum quòd non in hoc regno, quicquid dicant domini de Rota, tit. de testam. in antiq. & Guillelmus Bened. Rep. c Raynutius ver. uxorem not. Adelas. num. 833. C. M.

ET primò videtur quòd sic *per Auth. Licentiam in fi. C. de Episc. & cle. Et per c. 1. de suc. ab intest. Et per C. requisisti de test. Et alibi per Hen. Et per c. relatum l. 2. cum sbi not. ea tit.* Secundò, quia si Clericus sit condemnatus ad panem & aquam, &c. Episcopus in cujus diœcesi sunt mobilia ejus, habebit ea; quia sequuntur corpus, sic in proposito. Tertiò, allegat ea quæ superiùs fuerunt allegata in quæstione, an virtute jurisdictionis spiritualis bona Curati vel Clerici mortui capi possint. Quartò, Ecclesia habet prisiam, *ut in cle. 2. re hæretic.* & ibi vide Guillelmum *de Montelan.* In contrarium arguitur, & hanc pro domino *de Laval*, contra Episcopum *d'Amiens* placitavi. Primò supponendo quòd de consuetudine notoria, & notoriè observata in regno Franciæ, in patria consuetudinaria Episcopi, Presbyteri, Curati, & alii Clerici beneficiati in acquisitis per ipsos antequam essent beneficiati, vel post, sint mobilia vel immobilia, habent heredem vel successorem propinquiorem; scilicet de eorum genere. Secundò, quòd de jure & consuetudine bona vacantia spectant ad altum Iustitiarium in cujus jurisdictione sunt reperta: ad hoc. *l. 1. ff. de jure fisci, l. nec ullam, §. item si quis à fisco ff. de petit. hered. l. quidam testam. §. quæsitum, ff. de leg. 1. &c.* Tertiò quòd in hoc casu venit altus Iustitiarius ut heres. Probatur, quia solvit debita, ut debita. *l. 1. §. an bona, & §. divus, ff. de jure fisci: ad hoc l. 1. C. unde vir & uxor.* His suppositis, arguo de civili jure, antequam imperium esset scissum, hæc ad Imperatorem spectabant, taliter quòd per privilegium contrarium vendicari à quoquam non poterant *l. 1. & l. vacantia, C. de bon. vac. l. 10.* sic ergo & hodie ad altum Iustitiarium, cùm sit imperium scissum, & hoc jus Imperatorem repræsentando, in quem residebat omnis jurisdictio, antequam scissum esset imperium. Item si Ecclesiæ competeret, hoc esset per medium successionis, quòd non esset receptibile; quia per hoc medium haberet Ecclesia infinita mobilia. Item aut jus vendicabat Episcopus virtute jurisdictionis temporalis, & non, quia non habet in loco. aut spiritualis, & non, quia non habet territorium in quo possit dicere quòd hæc bona sint, ut patet per allegata per me sup. in quæstione an Episcopus Parisiens. habeat prisiam Clericorum, &c. Item si Episcopus caperet hæc bona, & ab eo appellaretur, causa iret ad Archiepiscopum, & ab ipso ad Papam, & sic cognosceret de hereditate & causa ejus & successionis, contra *c. lator. qui filii sunt legitimi.* Item ad hoc facit exemplum, quòd Rex habuit bona cujusdam Episcopi *d'Evreux*, qui fuerat quondam eleemosynarius regius, eò quòd bastardus erat & sine herede mortuus, quæ erant in alta Regis jurisdictione. Nec obstant in contrarium allegata. Primò, non obstant jura prærallegata in contrarium; quia sunt abrogata per consuetudinem notoriam contrariam. Ad alia dico, quòd non sunt ampliùs bona Clerici, quia mortuus est: secùs si condemnatus esset, ut dictum est suprà, quia adhuc vivebat: & bona ejus mobilia sequebantur corpus, quia bona Clerici. Item altus Iustitiarius saisitus * est per consuetudinem, qua mortuus saisit vivum, heredem suum.

* *saisitus*] Falsum est, sed tantùm post prebendionem rei nondum occupatæ per annum & diem, ut dixi in Consuet. Parisien. §. 169. C. M.

QUÆSTIO CCXCI.

Curia Ecclesiastica non potest cognoscere de realitate.

FUit dictum per Arrestum contra Abbatem & Conventum *de Columbes*, quòd cessare facerent processum ad eorum requestam cœptum contra Guillelmum *Mauleme* Baillivum de Medunta, in Curia Ecclesiastica, ratione arreragiorum cujusdam reditus, quia cognoscere non poterat.

QUÆSTIO CCXCII.

An aliquis sit contra Arrestum recipiendus, eò quòd Baillivum habentem realitatem deducere non potest.

IN causa mota inter dominam *de Lasusse*, & dominum *de Passavant*, qui requisierat per modum supplicationis, quoddam Arrestum latum contra jus habêtem Baillivum * ratione reditus & arreragiorum, quod dicebat non potuisse fuisse per ejus Baillivum, cùm esset realitas, nec eidem nocere debere, nec esset contra ipsum executandum, quare se opposuerat, ac sic dici requirebat, ac contra ipsum Arrestum restitui per Curiam, attenta quadam Requesta civili per eum præsentata; dicta domina *de Lasusse* dicente contrarium per plures rationes quas ego allegavi, placitans pro ea ad finem non recipiendi: fuit dictum per Arrestum quòd nec admitteretur dictus dominus, nec repelleretur, sed de quibusdam factis per partes propositis inquireretur veritas: & tunc Curia faceret jus super fine recipiendi, vel non, & aliàs.

* *Baillivum.*] Vox Gallica, id est cõtra custodem nobilẽ, de quo plenè dixi in Consuet. Paris. tit. 8. §. 99. [genus est Curiæ anomalę] qui non potest actiones reales activè nec passivè exercere. C. M.

QUÆSTIO CCXCIII.

Quòd Episcopus respondet in Curia Parlamenti super reparationibus Ecclesiæ.

PRo *Cramant* Patriarcha de Alexandria habente administrationem Episcopatus Carcassonæ, fuit dictum contra Archiepiscopum quondam Episcopum Carcassonæ, quòd in Curia Parlamenti responderet super reparationibus Ecclesiæ quondam suæ, licet declinaret, eò quòd dicebat quòd erat personalitas. Sic fuit aliàs dictum, contra Episcopum Noviomensem, ut suprà * habetur.

* *Suprà.*] q. 187. in fi.

QUÆSTIO CCXCIV.

Quòd Clericus quæstionatur, & ad prisionem tenendam condemnatur.

PEr Arrestum fuit dictum contra Bernardum *Pane*, de Aurelia, Clericum non conjugatum, & Aureliani studentem, quòd condemnatus esset in mille libris, videlicet in 500. erga Regem, & in 500. erga partem: & fuit condemnatus ad tenendum prisionem in Curia Episcopi Parisiensis. Et fuit ob quamdam mutilationem quam fecerat cum portu armorum, & fuit in Curia Episcopi Parisiens. quæstionatus, præsentibus ibi quibusdam dominis de Curia.

QUÆSTIO

QUÆSTIÔ CCXCV.

Quando intrare debent laborantes in vineas ad laborandum, & quando recedere.

VIneas laborantes seu colentes in territorio *de Sens*, fuerunt condemnati ad veniendum ad suum laborem in ortu solis, & ad recedendum post prandium de labore tali hora quòd esset occasus Solis, cùm essent in suis domibus, & si facerent contrarium, fuit dictum quòd medietatem suæ mercedis haberent qui conduxerant, & habitantes Villæ antedictæ aliam medietatem, in pœnam eorum.

QUÆSTIO CCXCVI.

An à Camera Computorum sit appellandum ad Parlamentum.

CErtus processus fuit agitatus in Camera Computorum inter Ioannem *Anduyn*, & Ioannem *Donet*, quorum unus appellavit ad Parlamentum, à quodam appunctamento facto per ipsos dominos, unde fuerunt congregati super hoc Cancellarius domini de Parlamento, & domini Computorum, ut haberetur super hoc provisio; quia isti domini de Computis prætendunt non esse ab eis appellandum, nec habere in Superiores dominos Parlamenti, prætendentibus contrarium, & hac de causa dicta appellatione facta ad Parlamentum, poni fecerunt domini de Parlamento extra prisionem partem appellantem, seu Procuratorem partis appellantis, quæ justù dommorum Computorum in prisione posita fuerat, in odium appellationis per eum factæ. Finaliter fuit per medium dicti Cancellarii hæc via capta & executata, quòd appellatio annullaretur absque emenda, & quòd processus traderetur Cancellario judicandus, quod & factum fuit: qui remisit Curiæ Parlamenti quæ ipsum judicavit, & malè fuit appunctatum; quia Curia Parlamenti superior est omnium & capitalis. Sicut fuit aliàs dictum, & per Arrestum, contra dominos Requestarum hospitii regii, anno Domini 1384. Sic fuit aliàs receptus Magister Petrus Solatii Procurator in Parlamento pro Guillelmo *du Puys*, & habuit adjornamentum in causa appellationis. Sic quidam alius pro domino *de Montmorency*. Quidam tamen sic distinguunt, quòd in causa intercomputorum * appellatione facta à dominis Computorum, causa remittatur ad ipsos dominos Computorum: appellatione annullata, quia se cognoscunt melius in computis quàm alii quicumque, in alia causa, non. Tamen Curiæ semper est deferendum, quia superior & capitalis est Curia Parlamenti.

* *Intercomputorum.*] Vult dicere, id est Gallicè *en ligne de compte*, sive inde & super ipsa computatione, & ejus Fœdifici.

hæc opinio tandem invaluit; & confirmata est Edicto Regio. C. M.

QUÆSTIO CCXCVII.

Ad quem spectat collatio Officii Mensurarii salis, &c.

DIcit Rex quòd domini temporales justitiam aliam habentes, non possunt habere, post gabellam salis introductam, Officiarios suos mensurantes, quos ante * gabellam habebant, nec posteà conferre Officium Mensurarii salis, quamvis anteà possent rationibus quæ sequuntur. Primò, quia habet Rex mensuras ad suum signum signatas, quarum habere non potest, nec debet administrationem alterius Officiarius. Secundò sal est Regis, vel saltem appretiari facit. Tertiò, ibidem habet *Grenetier* & *Contreroleur*; ergo & mensurarios habere debet. Quartò, esset iniquum quòd Officiarius alterius scirget secreta grenerii regii. Quintò, esset iniquum quòd puniretur per alium quàm per Regem, quod fieret si esset alterius Officiarius. Sextò Rex cogit altos Justiciarios venire ad suum grenarium, qui aliàs non venirent: sic habent per medium hujus proficuum, quod non spectaret aliàs ad eos. Septimò solùm mensurat sal gabellarum in grenario regio, non extra. Sultioni contrarium pro Archiepiscopo Rhemensi rationibus sequentibus. Primò, quia dare officium Mensurarii salis spectat ad Archiepiscopum de fundatione sui Archiepiscopatus, ad causam sui Viceconitatus venditi; tamen in grosso, in banno, terra & Vicecomitatu dicti Archiepiscopatus. Secundò, usus fuit à quingentis annis citra & durante gabella: & etiam existente mensura mensurata ad lignum regium usque ad hoc impedimentum. Tertiò, habet interesse propter dationem Officii, & emolumentum quod sibi inde provenire potest; quia dat ad firmam quolibet anno pro viginti libris, quod emolumentum Rex haberet in Archiepiscopatu, regalia pendente. Quartò, stante Mensuratore à Rege dato, non erit locus illi quem instituit Archiepiscopus; quia non nisi unus, & nullum sal mensuratur in grosso præterquàm in gabella. Quintò, Rex non habet interesse; quia aliàs non habuit ibidem Officiarios, & æquè bene potest exercere institutus per Archiepiscopum, sicut qui per Regem, nec aliàs habuit Rex inde proficuum. Finaliter Archiepiscopus Rhemensis obtinuit contra Regem per inquestam Officia dicti Mensurarii salis in Villa Rhemensi conferendi, quod per Regem fuerat collatum Joannni *Haudry* tunc Clerico domini de Noviomago; tamen habuerat statum Rex antè per Arrestum.

* *Antè*] Et sic gabella salis est inventa, & nova statuimus novorum fiscalium, quam veteres Reges sinebant æquè libere ac pluviam, jure quoque civili talium privati juris sunt, l. magis puto, in pr. de bon. eor. qui sub tu. vel curat. sunt, l. generale, q. uxori de usu & usufruc. legat. & q. idem quæsit, dixi in annotat. ad Philip X. const. 292. nu. 1. C. M.

QUÆSTIO CCXCVIII.

Quod legitimatio prodest in successionibus.

DOminus Carolus *Despaigne*, filius quondam bastardus, immò spurius quondam domini Caroli *Despaigne*, qui fuerat legitimatus, & per Regem & per Papam, fuit gardiatus per Arrestum in possessione & saisina * bonorum quondam dicti patris sui, contra dominam de Narbona, quæ erat de jure communi heres legitima dicti quondam domini, & se conquesta fuerat in casu novitatis, ratione impedimenti eidem præstiti per dictum filium spurium in bonis dicti quondam domini Caroli *Despaigne*, & fuit post inquestam factam.

* *Saisina.*] Constabat etiam de voluntate patris, ut dixi in Const. Paris. §. 122. C. M.

QUÆSTIO CCXCIX.

De statu Regi adjudicato contra Archiepiscopum Lugdunensem.

STatus fuit adjudicatus pro parte majori, non plenariè, nec ut petebatur, Regi contra Archiepiscopum Lugdunensem in magna placitatione quam pro Rege fecit * contra dictum Archiepiscopum, super habendo Officiarios in calibus superioratus & privilegiatos, & cognoscendi de ipsis per Regem vel ejus officiarios in villa Lugdunensi, quia solùm quoad cognitionem habuit Rex statum apud *Lisiebarbe*, licet Archiepiscopus niteretur quòd extra villam Rex cognosceret, ut in villa Matisconensi, & habuit etiam Rex statum super domo *du Rone*, non ponenda extra manum regiam, & alias: & Archiepiscopus statum habuit super allocanda sua moneta in dicta villa, super cognitione

* *Fecit.*] Sup. q. 299. Sed cùm Rex sit proprietarius juridicè loquendo, id est supremus ditionis, cur non poterat habere fodè

suam in eodem loco, imò etiam custodiam, l. si ita, §. dominus proprietatis, de

sigillati regii inter suos subditos, nisi proponeretur falsitas, vel alius casus ad Regem pertinens & aliàs, ut in Arresto, donec plenariè esset discussum & determinatum per Curiam super principali: quod facere erat interitio Curiæ in diebus Viromaduensibus sequentibus.

usu & habitu, nisi quòd illi falsò jura terreni imperii sibi à Deo & Evangelio vendicabant, seque nihil accepisse à Rege, sed et ut suo vassallo & subministro concessisse jactabant. Non parum paucis doctisque constitit hunc factum delegere. C. M.

QUÆSTIO CCC.

An procedi possit contra aliquem ad quatuor defectum in causa delicti non criminaliter intentati, & per eos causam lucrari.

ITem nota bene quòd interfui in quodam magno consilio super quadam quæstione consulenda, de qua consulenda Rex Scotiæ Regi Franciæ scripserat Bezanchion, & super suo consilio mittendo eidem, in quo quidem consilio fuerunt Cancellarius Franciæ, Præsidentes Parlamenti, Milites & Consiliarii regii, & Episcopi, Procurator regius & Advocatus regius. Et ibidem fuit conclusum, ut sequitur, videlicet quòd licet dicatur, quòd in causa criminali, seu capitali per quatuor defectus, dum proceditur criminaliter, ut quia regius Procurator condemnetur ut convictus defensor contumax. Idem est etiam si non procedat regius Procurator; sed solùm pars in causa delicti non capitalis, nec criminaliter, sed pro suo interesse civili; nam licet dicatur quòd per duos defectus cadat reus à defensionibus suis, & faciat actor facta sua, & probet si velit; hoc tamen est verum si velit, quoniam si dubitet de probatione factorum, non peret commodum duorum defectuum, sed procedet ad tertium & quartum defectum: & per istos quatuor defectus obtinebit utilitatem, quia causam lucrabitur. * Argumentum ad hoc Consuetudo Castelleti Parisiensis ubi in causa civili per quatuor defectus quis lucratur causam, *argumento, c. decernimus in 9. quæstio. ad hoc. si apparitor, C. de cohortali. & princi. lib.* 12. Nam non improbatur hoc per Parlamenti stilum; sed si factum non fuerit, hoc ideò quia partes non petierunt. Et in casu simili lucratus est suam causam Archiepiscopus Rothomagensis, licet civiliter & per quatuor defectus in Parlamenti Curia: sed in contrarium videtur, & etiam *per l. absentem, §. adversus contumac. ff. de pœnis, & de requirendis reis per totum, C. & ff.*

* *Lucrabitur.*) Istud hodie correctum est & benè, per novam Constitutionem anni 1519. quia oportet actorem vel accusatorem verificare facta sua, quod 10 absentē vocatum permittitur, d. Constit. §. 19. C. M.

QUÆSTIO CCCI.

Utrum homagium per procuratorem præstari possit. *

HÆc quæstio duo implicat. Primum an de se homagium per Procuratorem possit præstari domino feudali & vasallo volentibus. Secundò an dominus cogi possit recipere vasallum in homagium per Procuratorem: quoad primum arguitur quòd per Procuratorem præstari non possit. Primò, quia nec per Procuratorem potest manumitti, l. nec mulierem, C. de vindi. liber. & apud eo. manumissio. Secundò, Procurator concipit verba nomine suo, non domini: sic jura directa in eum remanent, & per consequens efficeretur vassallus domini directi, & de directo reciperetur per dominum in vassallum, per hoc l. in causæ. §. fin. ff. de procurator. legem Iul. §. si procurator. ff. de ac. empt. l. penul. in prin. ff. de instito. l. is qui in fi. C. quod cū eo qui in aliena potestat. est, l. possessio quoque in fi. de acqui. pos. hinc est quòd sententia in Procuratorem est ferenda, C. de sen. & interlo. om. judi. l. 1. ff. de admi. tut. l. 2. ff. de procu. l. Plautus, ff. de his qui no. infa. l. furti. accipe. §. si quis alieno. hinc est quòd Procurator conveniri potest ex contractu cum eo inito, etiam finito officio suo procuratorio, l. servum Titii, ff. manda. l. Procurator qui pro evictione, ff. de procur. Et hoc esset absurdum. Tertiò pro hoc facit l. fi. C. de ju. emphy. ubi non per conductorem, non per Procuratorem, sed per ipsos dominos emphiteota in possessionem rei emphiteoticæ est ponendus. Quartò ad hoc facit c. cupientes, §. insuper, de elect. lib. 6. ubi oportet appellantem se personaliter præsentare ad Curiam Romanam justo impedimento cessante, nec sufficit tunc per Procuratorem. Quintò hoc videtur expressum de sta. regula c. unico, §. verum, lib. 6. Sextò, homagium propriè dicitur quando quis efficitur homo ligius * alicujus, & tunc solùm & ipsi soli astrictus, & sit illi qui non habet superiorem, ut si fieret Regi Franciæ, qui superiorem non habet, ut notatur per Henr. in c. fi. de reg. juris, in antiquis. Et per Guillelm. *de Montelan*, in c. pastoralis, de re judi. in cle. super verb. homoque ligius, & ibi per Io. And. nec in hoc casu excipitur aliquis, secus in vassallo vel fidelitate, ut ibi notatur. Sic non mirum si ille qui taliter habet astringi, teneatur hoc personaliter facere. Septimò, interest domini videre & cognoscere personam sui vassalli. In contrarium arguitur. Primò, quia matrimonium per procuratorem potest contrahi, c. fi. de procur. lib. 6. & l. generali mandato, ff. de rit nup. à contrario sensu. Secundò, per procuratorem potest agi in integrum restitutio, l. unica, C. etiam per procur. in integ. resti. agi pos. Tertiò, investiri quis potest de feudo per procuratorem, & alium investire, c. unico, in fi. per quos fiat, col. 10. c. accedens, de præben. de notis feudor. §. item investitura. Quartò, juramentum veritatis calumniæ & malitiæ potest per procuratorem speciale mandatum habentem præstari & deferri, & pars per hoc obligari, & per alium potest positionibus responderi, ca. fi. de jura. calum. l. jusjurandum, quod ex conventione, §. fi. ff. de jurejuran. ca. cum. & Judices, §. si autem affuerit, de juram. calum. lib. 6. c. qui ad agendum in fine de procurat. eod. lib. l. procurator, cui generaliter libera, ff. de procurat. Quintò non prohibetur nec repetitur jure prohibitum, ergo, &c. l. ab ea parte, ff. de probat. Sextò, regulariter quis per alium potest quod per se in regula juris: ibi de hac materia per Dy. & per Io. And. In Mercuriali quid dicendum est? credo fore dicendum quòd consentientibus ambobus domino & vassallo, recipi potest & dari homagium per procuratorem: ad hoc faciunt argumenta pro parte adducta de hoc casu in dicto cap. unico, §. verum, & hoc servat consuetudo. Ad contraria suprædicta pro parte utraque respondeo. Hæc quæstio fuit mihi facta in Bononia, eò quia Rex Angliæ nitebatur facere homagium per procuratorem in Tractatu pacis: intende de his quæ intendebat habere ob pacem iniendam.

* *Possit.*) Dixi in Cōs. Paris. §. 49.

* *Ligius.*) Dixi in Cōsuet. Paris. §. 1. glo. 3. nu. 3. C. M.

QUÆSTIO CCCII.

Ad quam monetam solvendi sunt reditus.

PEr Arrestum dictum fuit contra Abbatem Cluniacensem, pro quibusdam suis subjectis, quòd reditus Ecclesiæ Cluniacensis debitos solverent, non ad antiquam monetam, nec ad valorem intrinsecum ipsius; sed ad monetam Regis nunc currentem, & ipsius valorem, videlicet francum, 16. *sols Paris.* & 20. *sols tournois*, & blancum pro quatuor denariis Parisiensibus, non habito respectu ad valorem intrinsecum antiquæ fortis monetæ, quo consueverant Religiosi suos reditus capere à suis subditis, & sui subditi ipsis solvere: unde fuerunt bene damnificati de mille libris Parisiensibus quolibet anno. Et fuerunt quædam accordia facta inter dictum Abbatem & suos subditos, per quæ le

Reditus solvendi sunt ad monetā Regis nunc currentem.

obligaverunt ad solvendum monetam fortem annullatam: quòd fortè eo fuit, quia nullum antiquum titulum habebant Religiosi, sed solùm consuetudinem & usum, quos non approbavit Curia, fortè considerans eos esse abusos, & vi extortos.

QUÆSTIO CCCIII.

Ordinatio super impetrando, & executando adjornamento in causa appellationis.

ORdinatum fuit per Curiam in eodem Parlamento, quod si quis ante Parlamentum appellaverit, quorumcumque dierum sit, licèt impetraverit in Parlamento immediatè sequenti, & executus fuerit suum adjornamentum in dicta causa appellationis ad dies, & ejusdem Parlamenti, ad quos tenebatur, si impetrasset & exequi fecisset suum adjornamentum ante Parlamentum: dum tamen contineatur in sua impetratione nonobstante quod Parlamentum sedeat. Censebitur benè executasse, quia cessat ratio ordinationis antiquæ, scilicet diffugii.

QUÆSTIO CCCIV.

Quod quilibet idoneus admittitur, ut Procurator in Castelleto, nec erit certus Procuratorum numerus. *

* *Numerus.*] Et benè Parisiis, ne deterius contingat, scilicet quod officia vendantur à Rege, ideo in aliis denium locis exquiritur constit. Lud. XII. 1499. § 71. C.M.

IN eodem Parlamento fuit dictum contra quosdam Procuratores Castelleti, qui se opposuerant, & appellaverant ne Præpositus Parisiensis executaret quamdam ordinationem regiam continentem, quod quilibet idoneus admitteretur Procurator in Castelleto, absque hoc quod esset certus numerus determinatus Procuratorum in dicto Castelleto: quod fuerat anteà observatum per duodecim annos & plures, obtentu cujusdam ordinationis factæ per Hugonem *Aubriot*, quondam Præpositum Parisiensem, & confirmatæ per Regem, quod non erant recipiendi per modum quo venerant, & quod teneret ultima Regis ordinatio, revocans primam.

QUÆSTIO CCCV.

An Literæ secundæ, vel primæ tractatus matrimonii stare debeant.

Contra l. no. plures C. de fac. fact. Eccl. & l. parabola. C. de Epi. & cler.

PEr Arrestum fuit dictum quòd Literæ secundæ factæ super tractatu matrimonii Ludovici *de Chevreuse*, & uxoris suæ per ejus patrem & matrem ex una parte: & patrem & matrem dictæ uxoris, valebant non primæ, quamvis per primas in multis erat dicto Ludovico, & ejus uxori jus quæsitum, quòd tollebatur per secundas, & licèt in tractatu primarum, & secundarum non essent præsentes dicti Ludovicus, & ejus uxor, & quamvis post tractatum primarum Literarum transactum fuisset tempus novem annorum, & mansissent simul per duos annos in domo dictorum patris & matris dicti Ludovici: & sic ratificata videbantur fuisse sponsalia tacite, quamvis esset minor septennio Ludovicus tempore primarum Literarum per c. unic. de desponsat. impub. lib. 6. & cap. Literas eod. tit. in antiq. Et fortè ratio fuit, quia nondum fuerat matrimonium factum ante confectionem secundarum Literarum, & quod totum fiebat per parentes in absentia dictorum Ludovici, & uxoris ejus nunc; tunc verò sponsæ ipsius, & ab ipsis dependebat tractatus, sic poterant variare ante matrimonium confectum per verba de præsenti, &c.

QUÆSTIO CCCVI.

Quod ordinarius recipitur in casu novitatis, exemptione non obstante.

EPiscopus Ambianensis fuit receptus in casu novitatis contra Religiosos, Abbatem & Conventum Corbiensem super Ordinibus faciendis de Monachis, & subditus dictorum Religiosorum per dictum Episcopum, & super non præstando locum, Episcopo foraneo per dictos Religiosos in Ecclesia dictorum Religiosorum pro Monachis ordinandis ipsius Abbatiæ in dicta Ecclesia existentibus in Diœcesi Ambianensi, non obstante exemptione proposita, & allegata ac ostensa pro parte dictorum Religiosorum, de qua fit mentio in c. veniens de præscript. Et ad hoc allegavi, c. per exemptionem de privileg. lib. 6. & c. Abbates, eo. tit. lib. 6. & notata per Hen. in c. cum contingat, de ætate & qualitate ordin. &c.

QUÆSTIO CCCVII.

Hospitalarii sunt reddendi Prioribus suis, non locorum ordinariis.

PEr Arrestum fuerunt redditi custodiendi fratet Petrus *Salebrun*, & Petrus *Vade*, Priori Franciæ prisionarii, existentes in Castelleto, non Episcopo Parisiensi, nec Episcopo Podiensi, quamvis in suo Episcopatu fuissent capti, quia notoriè exempti, eo quod hospitalarii in Prioratu Aquitaniæ: sed non petebantur per Priorem Aquitaniæ, quia ipse persequebatur, ut particeps delictorum propter quod dicti fratres erant prisionarii.

QUÆSTIO CCCVIII.

Virtute procuratorii quis potest comparere, & se opponere coram executore: licèt procuratorium non faciat mentionem de servientibus seu executoribus.

NOn est recipiendum dicere quòd virtute procuratorii quis comparere non possit, ut Procurator alterius, coram serviente executore casus novitatis: eo quod in procuratorio datur potestas comparendi coram quibuscumque judicibus sæcularibus, & Ecclesiasticis, & non dicitur servientibus. Ratio dubitandi, quia servientes non sunt judices, sed executores. Ratio decidendi, quia procuratorium eos implicat, & comprehendit in effectu.

QUÆSTIO CCCIX.

Non est laicus capiendus virtute jurisdictionis Ecclesiasticæ in jurisdictione temporali alterius.

PAtriarcha Antiochiæ tunc Episcopus Turonensis renuntiavit oppositioni quam fecerat contra executionem novitatis captæ contra ipsum per dominum *d'Amboise*, eo quod in villa *d'Amboise*, in juris fictione alta, media & bassa dicti domini virtute jurisdictionis suæ Ecclesiasticæ fecerat quemdam laicum capi;

& duci Turonis in prisiones suas Ecclesiasticas; & fuit dominus *d'Amboise* manutentus in suis possessionibus & saisinis, & Archiepiscopus condemnatus in expensis. Et fecit Procurator Regius conclusionem ademendam per os meum contra dictum Patriarcham Archiepiscopum ratione dicti expleti.

QUÆSTIO CCCX.

Non est Arrestum executorium contra heredem.

NOn est Arrestum executorium contra heredem *, quamvis sit latum post mortem illius cujus est heres, qui mortuus concluserat in causa.

* *Heredi.*] Quia nescitur an sit heres, & si est heres, non est instructus, si tamen executio liquida est nova constit. §. 72. permittit velo levato exequi, sed quia durum est, non servatur, nisi incontinenti liqueat heredem esse, dixi in cons. Paris. §. 171. his scriptis emanavit edictum Regis Henr. II. publicatum die 4. Martii 1549. quo inter alios dictus §. 72. abrogatus fuit, C. M.

QUÆSTIO CCCXI.

Possessio recipienda super non admortisatione facienda de acquisitis per Ecclesiam.

PEr Arrestum fuerunt recepti Decanus, & Capitulum Lingonense contra Episcopum Lingonensem ad proponendum possessiones quòd poterant acquirere, & tenere res immobiles in alta justitia dicti Episcopi, absque admortisatione ipsius facienda, nec poterat ipsos adstringere ad ponendum eas extra manus suas propter admortisationem non factam, vel finantiam non solutam.

QUÆSTIO CCCXII.

*Quòd altus justitiarius non auditur super * impugnatione remissionis.*

* *Super.*] Sup. q. 284.

PEr Arrestum fuit Dux Aurelianensis receptus ad se faciendum partem contra dominam *de Lusarches*, ratione abusus commissi in sua jurisdictione, cujus Dux est Superior immediatus, non super impugnatione remissionis ad finem confiscationis: de qua se in Curia juvit dicta domina; attamen non fuit expressè dictum quòd non reciperetur super impugnatione remissionis, sed per consequentiam: quia concluserat super abusu, & sub receptione gratiæ: & tantum fuit dictum quòd partes erant contrariæ super abusu.

QUÆSTIO CCCXIII.

Alia Arresta pronuntiata in Parlamento cœpto in Festo sancti Martini hyemalis, anno Domini 1383.

Unde servientibus solvi debeat.

PRimò in causis criminalibus servientes non debent capere expensas super bonis diffamati de crimine, & ob hoc capti vel adjornati, sed ille debet eis solvere, qui in opere ponit eos: licèt secùs * si facerent executionem super alicujus debito de quo per Literas constaret.

* *Secùs.*] Imo idem. C. M.

QUÆSTIO CCCXIV.

Qualiter residere habeant Baillivi & Senescalli in suis officiis.

QUædam ordinatio regia de data decimæ diei mensis Novembris, anni 1394. fuit publicata in dicto Parlamento, continens quòd Baillivi & Senescalli regii majores Judices post Regem & ejus Parlamenti Curiam, & qui alios non habent superiores, tenerentur residere in suis Bailliviis & Senescalliis, post mensem lapsum à tempore publicationis dictæ ordinationis; aliàs non caperent vadia de tempore quo non residebunt, & habebunt contrarotulatores in hoc procuratorem & receptorem regios quilibet in sua Baillivia & Senescallia; & hoc servare jurabunt in principio suæ institutionis, & si contrarium faciant, privantur, seu privabuntur, &c.

QUÆSTIO CCCXV.

Executores gratia non indigent.

PEr Arrestum fuit dictum quod executores testamentorum non indigent gratia ad placitandum. *

* *Placitandum.*] Scilicet per procuratorem, de quo dixi sup. in stil. §. 9. C. M.

QUÆSTIO CCCXVI.

De usu damnato quod in criminalibus, non in civilibus, mulieres in testimonium admittantur.

DAmnatus fuit usus in Lauduno quod mulieres in testes admittebantur in criminalibus, non autem in civilibus: quod erat contra jus civile, quia eo jure in utroque admittuntur, *l. ex eo ff. de testi. l. quidam testamento*, §. *mulier. ff. de testa. instit. de test.* §. *possunt.* de jure Canonico * in criminalibus non admittuntur, in civilibus sic. *ut c. sorum in fi. de verb. sig.*

* *Canonico.*] Sed hoc etiã in foro eorũ non servatur, Alex. con. 24 nu. 11. lib. 2. C. M.

QUÆSTIO CCCXVII.

Cordigeri non possunt institui heredes.

DIctum fuit quòd Cordigeri Montispessulani non erant recipiendi ad petendum hereditatem contra Beatricem heredem ab intestato licèt se dicerent heredes institutos.

QUÆSTIO CCCXVIII.

Adjornatus ad garendum non admittitur ad garendum, nisi prius garendiam receperit.

DIctum fuit quòd *Montagu*, filius defuncti Magistri Girardi *de Montagu*, quondam Regis Secretarii, non erat admittendus ad garendum petendum, donec garendiam accepisset, ad quam recipiendam fuerat adjornatus, sic fuit pronunciatum 12. die mensis Januarii, anno quo suprà, &c.

QUÆSTIO CCCIX.

De clericis condemnatis, priùs tamen absolutis ab Ordinariis suis.

PEr Arrestum fuerunt condemnati quidam dictus Petrus, aliter dictus Joannes *Placecorne*, ratione cujusdam verberationis per eos commissæ in personam Magistri Joannis *Morin*, salvamgardiam Regiam infringendo, & portum armorum committendo (licèt essent clerici, & de delicto communi absoluti * à Prælatis suis) in emendam ducentorum francorum erga dictum Magistrum Joannem, & erga Regem in centum. Et dictum insuper quòd prisionem tenerent in prisionibus Ordinariorum suorum usque ad satisfactionem.

* *Absoluti.*] Etiamsi essent absoluti quasi innocentes, quia infractio Regiæ securitatis non est qualitas, sed delictum per se l. 1. ad le. Dubium majesta. fa. inf. q. 343. C. M.

QUÆSTIO CCCXX.

De solemnitate damnata super exoniis faciendis.

PEr Arrestum fuit quædam solemnitas observata in Bailliviatu Rhemensi super exoniis damnata, pro Thierrico *Consset* appellante, contra Episcopum appellatum. Et dictum fuit quod sufficiebant quatuor testes ad exoniam probandam, quamvis requirebantur anteà septem testes de credulitate, & juramentum partis affirmantis.

QUÆSTIO CCCXXI.

De contributione faciendâ in reparatione murorum, & pontium Aurelianensium.

PEr Arrestum fuit dictum pro villa Aurelianensi contra Magistrum Petrum *Moreau*, Henricum Librarium Magistrum Jacobum Alticordis, quod contribuerent ad reparationes murorum, portarum, & *pontlevis* dictæ villæ, in cæteris factis * fuerunt appunctati contrarii.

* *Factis.*] Quæ remanserunt in calamo scribentis, & sic hæc q. nil docet. C. M.

QUÆSTIO CCCXXII.

Quòd clericus Parisiis captus reddi debet Parisiensi Episcopo.

PEr Arrestum redditus fuit Episcopo Parisiensi * Prior sancti Albini diœcesis Cœnomanensis. Non obstante quod Episcopus Cenomanen. eum in Castelleto positum requirebat, dicens quod erat suæ diœcesis, & quod ad sui requestam fuerat in Castelleto positus, ut prisionarius, allegando quod in villa *du Mans*, coram suo Officiali aliàs fuerat dictus Prior adjornatus: eo quod quamdam mulierem maritatam tenebat secum, & cum ea habitabat: & quod ex eo condemnatus fuerat, & promiserat sub certis pœnis non ampliùs cum ea habitare, & eam abjuraverat, sub pœna excommunicationis. Cujus contrarium fecerat: quia secum eam adduxerat Parisios ex Cenomanis, & cum ea habitaverat: propter quam causam poni eum fecerat in Castelleto, & eum requirebat, ad quod Episcopus Parisiensis se opposuerat, eum requirendo, cui tradi non debebat per prædicta: & Episcopus Parisiensis allegabat in contrarium sequentia. Primò quod dictus Prior morabatur Parisiis, & per annum citrà, vel circà. Item commiserat illud delictum Parisiis, dictam mulierem secum tenendo. Item erat scholaris, qui trahi non poterat extra muros Parisienses pro personalitate. Item non volebat dictus Prior tradi Episcopo *du Mans*, propter favorem quem habebat vir dictæ uxoris in Curia dicti Episcopi. Item Paris. sicut Roma communis patria est. Item Arrestum aliàs latum pro dicto Episcopo contra Episcopum executatum in persona Petri Bernardi de Rupella super jus arrestatum. Item & aliud Arrestum in persona Matthæi *Rancan*, contra dictum Episcopum *du Mans*, qui quidem Matthæus fuerat purgatus in Curia Episcopi *du Mans*, cujus erat subjectus, & tamen captus in villa Parisiensi pro eodem facto, scilicet pro quodam meurtro, & in Castellero positus. Qui hoc non obstante, fuerat dicto Parisiensi Episcopo traditus: nec obstant allegata in contrarium per Episcopum Cenomanensem ante dictum: quia nec pro delicto præterito de quo fuerat punitus, quærendum est: sed de sequenti occasione cujus non erat in processu in Curia Cenomanen. Nec captus, sed solùm fuerat obligatio personalis conditionalis: videlicet super furto, occasione cujus non fuerat captus, nec citatus in dicta Curia Cenomanensi.

* *Parisiens.*] Idem suprà q. 216. infrà q. 571. Prior sancti Albini captus propter adulterium. Parisii sicut Roma communis patria est: de Roma patet ff. ad municipia Rom.

QUÆSTIO CCCXXIII.

Non est receptibile dicere quòd appellans à judice subjecto solùm sit exemptus in appellationis articulo.

PEr Arrestum dictum fuit non esse receptibile * dicere, quod appellans à judice subjecto ad Parlamentum, vel Curiam aliam regiam, sic solùm exemptus in causa appellationis, in aliis non, à judice appellato in patria consuetudinaria.

* *Receptibile.*] Tunc enim domini locorum formidabiliores erant: hodie tota tyrannis ad unum redigitur, nec est justum esse exemptum in aliis ex sola appellatione, & sic ritus mutatus est. C. M.

QUÆSTIO CCCXXIV.

Quod post litem contestatam per unum defectum, amittit actor causam suam.

PEr Arrestum dictum fuit malè appellatum, & benè judicatum per dominos Requestarum pro Joanne *Henry* appellato, contra *Hemon* appellantem, in hoc quod dixerunt contra dictum *Hemon*, qui habebat in casu novitatis, ut petitor traderet scripturas suas per modum memoriæ ad certam diem, & sub pœna cadendi, qui non tradidit: sed fuit in defectu positus quòd ipse *Hemon* ceciderat de tradendis articulis suis: & per hoc ceciderat à causa * sua, & fuit tentus dictus Joannes in possessionibus, & saisinis. Ratio fuit, quia causa erat in casu novitatis, & videbatur quod si in alia causa fuisset, nil amisisset, cùm essent in memoriis appunctati, ut aliàs fuit judicatum per Arrestum.

* *Causa.*] Vt sup. in stilo. c. 6. §. 2. qui meritò excolevit, ut ibi dixi. C. M.

QUÆSTIO CCCXXV.

Non possunt examinari nisi decem testes super quolibet articulo.

INter Procuratorem regium, & dominam feudi *de la Haye du Puis*, ex una parte, & dom. Guillermum *de Melun*, militem, ex altera, dictum fuit in

causa inter eos pendente ratione homagii dicti feudi, quod super quolibet articulo scripturarum partium quarumcumque non sunt examinandi nisi decem testes, & tam super articulis singularibus, quàm generalibus scilicet. * Item, *que les choses desusdites soient vrayes*, &c. Item, *& que d'icelles est voix*, &c. Et declaratum fuit hoc pro stylo, & ordinatione Parlamenti Curiæ, & quod de hoc non fieret dubium de cætero. Et hoc fuit, quia quidam dicebant quod super generalibus articulis prædictis possunt examinari tot testes quot pars vult, etiam centum, & ampliores: licèt non super singularibus articulis, sed tunc solùm decem, non ampliores. Attamen non videbatur ratio in uno plus quàm in alio, & quia per viam obliquam concederetur quod de directa prohibetur, videlicet quòd super singularibus non sunt ultra decem examinandi, ut effrenata potestas ad vexandos homines multitudine testium refrenetur, *l. 1. in fi. ff. de testi. c. causam, extra eo tit.* Nec angustatur per hoc probationum facultas, *juxta l. quoniam de hæret.* quia numerus decem sufficiens est super quolibet articulo etiam generali. Tamen contrarium ante hoc observabatur super generalibus, non autem particularibus articulis, cujus rationem non videbam. Attamen quia dictus dominus Guillermus in dicta causa fecerat examinari super quolibet articulo generali ultra decem, & quia causa erat magna & ardua: & inter magnas partes fuit per Curiam dictum partibus auditis pro ordinatione & stylo, ut suprà dictum est. Et ultrà, quod illi quos dictus dom. Guillelmus fecerat examinari super suis articulis generalibus ultra numerum decem, remanerent, & quod etiam Procurator Regius, & pars secum adjuncta facerent examinari, si vellent decem testes super quolibet articulo generali suarum scripturarum, si non fecerant, & tantumdem ultrà prout fecerat dictus dom. Guillermus, & non ampliores, & ex causa speciali in hac causa, &c.

* *scilicet*] Quod postea redactum in constitutiones regias Carol. VII. & VIII. quæ volunt omnes articulos ejusdem facti cõjungi. C. M.

contentiosum jus Patronatus, nec præsentatio, sicut fuit inter Magistrum Petrum *Conesin* actorem ex una parte, & Episcopum Ebroicensem, & dominum Joannem *Despingel* defensores ex altera; nam confitebantur defensores præsentationem Prioratus S. Nicolai Léprosarix *d'Evreux*, ad habitantes & Burgenses *d'Evreux* spectare: nec impugnabant præsentationem per eos factam ad dictum Prioratum, dicto dom. Episcopo, ob defectum solemnitatis, vel aliàs, &c. ut suprà, imò dicebant quod dictus *Despingel* tenebat dictum Prioratum ex collatione dicti Episcopi sibi facta ad præsentationem dictorum burgensium & habitantium, dicto Magistro Petro dicente quod vacabat dictus Prioratus, eo quod erat Beneficium curatum, & non fecerat se promoveri intra annum à tempore possessionis ejusdem pacificè adeptæ dictus dom. Joannes, & sic ipso jure vacaverat. Item & aliàs, quia Ecclesiam Parochialem nostræ Dominæ *de Hendreville* tenebat pacificè. Sic dictus Prioratus Beneficium curatum existens vacaverat, dictis defensoribus contrarium dicentibus, scilicet quod non erat Beneficium curatum; licèt forte esset Capella habens Curam annexam, nec habebat Parochianos, &c. Quare dicebant Curiam cognoscere non debere, quia ejus non erat cognoscere de jure Patronatus, & præsentatione quæ confitebantur, &c. ut suprà. Sed solùm de quodam jure spirituali, videlicet de collatione facienda de dicto Prioratu per dictum Episcopum vel non, & an vacaret, &c. Quapropter Curia dixit partibus auditis, quod ipsa non * cognosceret.

* *Ipsa non.*] Quod esset justum si Episcopi scientiam cum zelo haberent, sine ullo gratiæ, vel avaritiæ studio, saltem ut tempore veterum legum, quæ sunt C. de Episc. audiend. mutatis autem moribus, justum est ea jura mutari. C. M.

QUÆSTIO CCCXXVI.

Canonici du Mans *non fuerunt recepti ad possessionem non eundi ad processiones cum Episcopo eorum.*

* *Canonici*) Quamvis exempti, quia non suprà exempti à jure reverentiali Bal. l. libertti, libertæque, C. de operat. liber. Nec ab onere, & obligatione ministerii communis. Sed tantum à contentiosa jurisdictione C. M.

FUit dictum per Arrestum quod Canonici * *du Mans*, non erant recipiendi ad possessionem per eos allegatam, quod cum Episcopo *du Mans*, dioecesano non tenebantur ire ad processionem, & in emendam condemnati ratione excessuum commissorum in hoc impediendo: sed per se ire volebant, & revera iverant per se Episcopum dimittendo seorsum. Et fuit hoc dictum absque hoc quod scripturæ aliquæ Curiæ traderentur.

QUÆSTIO CCCXXVII.

Curia non vult * *cognoscere de jure spirituali, vel de collatione Beneficiali ad Episcopum spectante.*

* *Non vult.*) Sed hodie indistinctè de omnibus cognoscit ad finẽ possessorii. C. M.

CUria cognoscit de quæstione super jure Patronatus dum jus ipsius Patronatus est contentiosum, vel dum prætendit opponens non fuisse solemnitates partiæ servatas, vel non fuisse præsentationem debitè factam, vel modo debito intra tempus sex mensium, vel prætendens Prælatus collationem ab eo factam ante præsentationem. Sic loquitur Arrestum latum pro Procuratore regio, & Magistro Guillelmo *Perdriel*, actoribus ex una parte, contra Archiepiscopum Rothomag. & quemdam nominatum *Belletet* defensores, ultima die Augusti anno dom. 1370. Secùs si non esset

QUÆSTIO CCCXXVIII.

Adverte notanter contra Judæos latum Arrestum sententiam Præpositi Parisiensis corrigens, &c.

PRæpositus Parisiensis Judæos quorum nomina sequuntur, *Samuel le Ny*, *Belle-vigne*, *de l'Estoile*, *Abraham de Sannis*, *Moreau de Laon*, *Auguin du Bure*, *Raphael Abraham*, *Ioseph du Pont de Vaulx*, condemnavit per suam sententiam comburendos, &c. Consultus super hoc per multos clericos. Cujus ratio fuit, quia pecuniam dederant, & consulebant cuidam nominato *Denys de Machault*, quondam Judæo, & facto Christiano, ut recederet à villa Parisiensi, & reverteretur ad Judaismum: necnon dimitteret quemdam processum quem inchoaverat contra Judæos Parisienses coram reformatoribus, coram quibus tradiderat quosdam articulos contra ipsos Judæos, & allegabat quæ se sequuntur. Primò, l. eum qui servum, C. de apostat. ibi suasione, &c. Et in fine cum dicit dispendio fortunarum capite puniendum censemus. Secundò, videtur magis ad propositum, l. 2. C. de Judæis ubi videtur casus in terminis, & quod pro nullo alio facta fuit illa lex. Tertiò, facit de minori ad majus arguendo, ex l. sacrilegii, ff. ad leg. Juliam pecu. nam si manufacta templa frangentes, & dona Dei noctu tollentes sint damnandi, ut bestiis tradantur: fortiori ratione cor sulentes, ut Judæus factus Christianus ad Judaismum revertatur, & ob hoc pecuniam dantes sunt ad mortem condemnandi. Quartò gravius est offendere majestatem cœlestem quàm temporalem Auth. gazaros. Si igitur cogitantes, & consilium dantes contra temporalem majestatem, ut contra Principem sunt ad mortem condemnandi, *ut l. quisquis, C. ad legem Juliam maj. &c.* sic à fortiori ratione cogitantes contra cœlestem majestatem, scilicet Deum vel ejus fidem, ut in propolito opinionis con-

Gravius est offendere Majestatem cœlestem, quàm temporalem.

* *Galli*] Non acerbus, nec sanguinem fitiens, ut multi hodie. C. M.

tratiæ fuit, ego Joannes Galli * deprecatus per antedictum Præpositum, ut super hac quæstione cogitarem: qui Præpositus mihi tradidit in scriptis confessionem dictorum Judæorum. Et fuit opinio mea quòd verberarentur, & pecuniariter condemnarentur per c. posiulasti, de Judæis, & c. in Archiepiscopatu, de rapto. Quam opinionem meam dixi dicto Præposito, illa die qua multi clerici, tam conjugati, quam non, & etiam Magistri in Theologia debebant in Castelleto congregari ad consulendum quid super hoc cogitarent. Et illam meam opinionem dixi dicto Præposito in absentia aliorum nondum congregatorum, quia pro Rege ire me oportebat in Cameram Computorum cum regio Procuratore, sic tantùm morari non poteram, ut expectarem absentes. Et fuerunt mea motiva, & rationes. Primò, quia per rotulum Judæorum confessionum antedictorum per dictum Præpositum mihi traditum, & quem adhuc habeo inter meos, videbatur mihi quod ille Dionysius se obtulerat ad pecuniam habendam ut recederet, & ad Judaismum rediret. Secundò, quia principalis ratio pecuniam dandi, & consulendi dicto Judæo ut recederet, videtur fuisse ut ampliùs non prosequeretur processum per ipsum coram reformatoribus, contra dictos Judæos inchoatum. Tertiò, quia erat adhuc ignotum an reversus fuisset ad Judaismum dictus Dionysius, necne, *juxta l. 1. optimè, ff. de extraord. crim. cum notatis in l. 13 qui cum telo. ad leg. Corn. de sica. & l. si quis non dicam rapere. C. de Episc. & cleri.* Quartò, sic arguebam: Judæi reputant nos alienos: modò habetur in testamento antiquo, Non fœnerabis fratri tuo pecuniam ad usuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: & tenent pro deliberato in lege sua non debere puniri tale committendo. *Deut.* 24. c. Quintò, quia hoc crimen commissum erat contra Deum, cum quo minùs agitur, quàm cum ipsius ministro, ut Principe temporali, *l. Celsus in prin. ff. de arbit. & in Auth. de Judæ. §. oportet, col.* 6. Sextò, quia interpretatione legum pœnæ sunt molliendæ, & c. *l. interpretatione, & l. si præses, ff. de pœnis.* Non obstant contraria, primo dicta l. eum qui, quia loquitur quando per persuasionem persuadentis jam traductus est ad vitam nephandam, & sic crimen fuerat consummatum. Item intellige ibi capite, id est perpetuo exilio, l. 2. ff. de pub. judi. l. rei capitalis, & l. capitalium in princ. ff. de pœnis: simile nota in l. 1. C. ne Judæus manci. Christia. ha. Secundò, non obstat. l. 1. C. de Judæis, quia tempore illius legis erat commune delictum Judæorum, sic tractare Judæos ad Baptismum venientes: ideò tunc gravius puniebantur, juxta l. aut facta, §. fi. ff. de pœnis, & hoc denotat ibi textus, cùm dicit, quod nunc fieri recognovimus, &c. Scilicet tempore Constantini, qui legem illam condidit: hoc sic non fit hodie. Item fuit factum actuale violentum aut saxis, aut alio furoris genere attentatum, quod est inhibitum, l. si quis diutino. in fi. ff. de pœnis. Tertiò, non facit ad propositum dicta l. sacrilegii. Attamen attende quod mutuùs agitur, &c. ut dictum est suprà. Et eodem modo respondeo ad quartum argumentum. Et adverte quia ante prolationem dictæ sententiæ latæ per dictum Præpositum, ipse Præpositus consuluit Curiam Parlamenti an deferret appellationi, si Judæi appellarent à sententia sua, & hoc facit, quia non est consuetum quod deferatur appellationi factæ à sententia lata in processu extraordinario: ut erat ille quem fecerat dictus Præpositus contra dictos Judæos. Et per Curiam fuit sibi dictum quod deferret. Sic & fecit, quia appellaverunt dicti Judæi à dicta sententia, & detulit Præpositus appellationi. Et fuit apportatus processus in Curiam Parlamenti, & petierunt Judæi, ut haberent consilium, & auditentur per consilium ad dicendum causam suam appellationis, quod eisdem fuit concessum, & eorum consilium dixit causam appellationis eorundem in Parlamento in die consilii, absentibus Advocatis regiis, qui Parisiis non erant, de quorum numero eram unus, licè indignus, præsente tamen regio Procuratore, qui audita causa appellationis petit dilationem, ut loqueretur cum consilio regio, dum venisset: quod sibi fuit concessum. Rationes responsionis Curiæ factæ Præposito, fuit magnitudo, & arduitas causæ, & dubietas, quia videbatur consilio, & Procuratori regio sententia multum dura. Et insuper quod si Curiæ placeret, ipsa audiret motiva dominorum, qui interfuerunt ad consultationem Præposito dandam, & in casu quo Curia videret malè judicatum, quod sententiam & appellationem annullaret, & pronuntiaret, quod sibi foret dicendum. Et fuit ratio dicendi hoc pro regio Procuratore, ne daretur occasio appellandi à sententiis datis in processibus extraordinariis, si pronuntiaretur bene appellatum, & malè sententiatum, addito tamen quod aliqua facta nova quæ consilium Judæorum dixerat, in causa appellationis antedicta rejicerentur. Item Curia fecit congregari multos Magistros in Theologia, & alios clericos 6. die Aprilis, anno Domini 1314. & quid fecit, ignoro, quia non interfui: quia regius Advocatus erat opinionis, ut suprà tamen fuerunt propter hanc causam congregati. Item septima die hujus mensis & anni, Curia per Arrestum suum, & ex causis certis, quæ ipsam moverunt, ut fuit dictum Arrestum pronuntiando, dictas appellationem & sententiam posuit ad nihilum, & dictos Judæos condemnavit *à faire revenir ledit Denis de Machault par detention de leurs corps, & s'ils ne le font venir, la Cour aura advis qu'elle fera de leurs corps. Outre la Cour condamna lesdits Juifs à estre battus par trois Samedis, & en trois lieux, c'est à sçavoir en l'eschafant des Halles, & en un eschafant qui sera fait en Greve, & en un qui sera fait en la place Maubert.* Item, *les condamna en dix mil livres parisis, & chacun pour le tout, & à tenir prison jusqu'à plain payement, desquels dix mille livres parisis seront baillez & aumosnez cinq cens livres à l'Hostel-Dieu de Paris, & le residu qui monte à neuf mil cinq cens, sera employé & converty à faire un Pont de pierre, qui se commencera à une Tour qui est à petit-Pont, & s'addressera devant l'huys de derriere de l'Hostel-Dieu, & là sera une Croix de pierre où sera écrit, que ce Pont aura esté fait pour la punition d'iceux Juifs. Outre la Cour les bannit du Royaume, confisca leur bien. C'est à sçavoir icelle confiscation aprés que lesdites dix mil livres auroient esté payez pour employer audit Pont, non autre part.*

In quibus legibus affectus punitus, licèt effectus non sequatur.

Interpretatione legum pœnæ sunt molliendæ.

Quibus denatis factus sit pons parvus, vulgò dictus le petit-Pont. Facit pro hoc Arresto l. 1. C de Carbon. edicto.

QUÆSTIO CCCXXIX.

Causa status supersedit quousque reus habeat viginti annos.

PEr Arrestum fuit dictum benè appellatum per Joannem *de Champagne* minorem 20. annis à sententia lata per Magistros Requestarum Palatii contra ipsum pro Magistro Arbalistorum, per quam dixerant quod dictus Joannes procederet in causa, nec supersederet usque ad ætatem 20. annorum quia licèt diceretur homo conditionatus dicti Magistri & servus, & per hoc tonderetur, * eo quod coronam acceperat sine ejus licentia: tamen non erat causa proprietaria; sed solùm impedimentum tolli videbatur, videlicet ut radatur, non autem tenebatur ad declarationem servitutis, &c. Et malè judicatum per Magistros dictos. Et dicit Curia quod causa supersederet quousque haberet viginti annos dictus Joannes: & erat causa status, non autem possessoria possessione simplici, nec novitatis.

* *Tonderetur.*] Id est retonderetur, seu in totum raderetur, ut nullam Ecclesiasticam tonsuram haberet, itrequisito, domino malè acceptâ, ut. c. nulli c. quicunque, c. frequens c. quis autem, & per tot. §4. dist. C. M.

QUÆSTIO CCCXXX.

Quando tenetur quis de dimidia emenda propter malam ejus appellationem.

PEr Arrestum dictum fuit pro Religiosis, Abbate, & Conventu sancti Vedasti condemnatis in emenda cum Duce Burgundiæ consorte eorum, propter malam appellationem per ambos factam, & contra regium Procuratorem, quòd solùm executarentur de dimidia emenda, ac tenerentur de dimidia * tantùm, & non quilibet in solidum.

* *Dimidia.*] Et benè, quia ordinaria hæc mulcta non est pœna delicti, nec temeritatis, ut expensæ litis. Et dictum erat quod emendarent, & unica emenda absque verb. in solidum, & ille conventus est in urbe Attrebatensi, quæ est de regno, & de hoc Parlamento jure optimo indivisibili coronæ Franciæ, ut probavi in cons. Par. §. 1. glo. 3. q. 3. quæ fuit partim causa expulsionis meæ è Dola per Philippum Austricum mense Novemb. 1556. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXI.

Quando retrahentibus pecunia reponi debeat.

PEr Arrestum dictum fuit contra dominum Imbertum *de Boysi*, Præsidentem in Parlamento, & ejus uxorem, pro domino Joanne *la Personne*, in causa retractus, quod dicti conjuges actores in causa retractus deponerent, & consignarent realiter, & de facto pecuniam in literis venditionis dicti *la Personne* contentam, quamvis super principali essent in factis contrariis appunctati: vidi dici contrarium * pro domino Petro *d'Arquane*, contra dominum Joannem *de Cure*. Ratio primi fuit, quia causa retractus seu factum dictorum conjugum non erat benè coloratum, &c.

* *Contrarium*] Et benè, ut etiam observatur. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXII.

Quando opponens in casu novitatis habeat garendum, &c.

PEr Arrestum vidi dici pro domino Petro *de Harcourt*, contra quemdam dominum cum quo eram, conquerentem in casu novitatis, & relevamentum habentem de 6. annis, quòd dictus dominus Petrus haberet garendum: quia solùm inspiceretur tempus relevamenti, non tempus præcedens, quo dictus dominus Petrus, vel ejus prædecessores possederant ad eum à garendo excludendum: quia tempus præcedens videtur sublatum propter relevamentum, & sic censebatur dictus dominus Petrus esse intra annum, & habere debere garendum, * &c.

* *Garendum.*] Et benè ex quo actor restituitur contra lapsum medii temporis, & sic reo, puta emptori non potest imputari culpa per venditorem suum, quod emptor traditione habita non bene custodierit possessionem suam per annum & diem, vel intra tempus debitum non interpellaverit venditorem, sed hodie hujusmodi restitutiones prohibentur, nisi, ut dixi in cons. Paris. tit. 3. §. 64. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXIII.

Alia Arresta lata in Parlamento cœpto in crastinum Festi sancti Martini hyemalis, anno Domini 1395.

Quando quis tenetur negare, vel confiteri sigillum.

PEr Arrestum dictum fuit contra Reginam *de Hierusalem*, & ejus filios, videlicet Ludovicum, &c. quod non cognoscerent, vel negarent sigillum quondam patris * eorum, & mariti dictæ Reginæ appositum in quadam Littera ad utilitatem *Demesme*, & post ejus mortem filiorum suorum ejus heredum facta: per quam confitebatur quondam dominus Andegavensis, & Rex Hierusalem se recepisse à dicto *Demesme* in mutuum quamdam pecuniæ summam pro ea exponenda in guerris regiis, & per quam etiam obligabat se non ad summam solvendam, sed ad faciendum solvere super thesauro Delphini, & Locum-tenentis Regis in partibus, &c.

* *Patris*] Et benè ad finem veritatis, & probationis juvandæ, non autem ad finem hypothecæ, vel munitionis, nisi aliis concurrentibus, ut dixi in cons. Paris. §. 78. non obstat sup q. 254. quia ibi pro tunc, & erant aliæ circumstantiæ, & inf. par. 7. art. 89. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXIV.

An Arrestum super Marcha importet captionem corporum.

VIdetur quod non per Arrestum * latum contra Episcopum *d'Vreit*, & ejus bona, & ejus subditos, & eorum bona, virtute cujus Joannes *de Caule*, Petrus *Mule*, & dicti Mercatores *de Caule*, ut dicti Episcopi subditi fuerunt in Rothomago imprisionati, ad requestam Nicolai & Joannis *le Sevre* mercatorum Parisiensium adutilitatem quorum fuerat dictum Arrestum prolatum, & etiam eorum bona capta, contra quam executionem fuerunt recepti, ut opponentes dicti imprisionati. Et finaliter partibus auditis, dictum fuit per Arrestum, quod liberarentur dicti prisionarii, quoad eorum personas, sed eorum bona manerent in Arresto: cujus ratio videtur quia per Arrestum antedictum non fuerat marcha concessa quoad corpus expressè: & licèt dictum fuerat contra Episcopum; & ejus bona, contra ejus subditos, & eorum bona, non comprehenduntur corpora: probatur, quia persona Episcopi non posset comprehendi, & debet intelligi contra Episcopum, &c. id est quod virtute Arresti pollet contra Episcopum, & ejus subditos fieri prosecutio, actione in factum ab Arresto descendente, juxta *l. actori, C. de rebus credi.* videtur contrarium: quia frustrà diceretur contra Episcopum, & ejus subditos, nisi virtute Arresti possent capi, & præsenti Episcopo, & tradi Diœcesano, in cujus Diœcesi caperentur. Nec obstat quod liberati prisionarii: quia hoc fuit eo quod dicti capti negabant se esse subditos dicti Episcopi jurisdictione temporali: sed asserebant se esse subditos Imperatoris, licèt caperent crisma, & Baptismum à dicto Episcopo. Et ideò quia hoc videlicet an essent subditi in temporali jurisdictione dicti Episcopi, necne, cadebat in cognitione causæ, & super hoc fuerunt dictæ partes appunctatæ in factis contrariis, fuerunt prisionarii liberati: quia iniquum fuisset pendente processu, ipsos esse prisionarios, maximè quòd hoc in facto, & in cognitione causæ jacebat.

* *Arresti*] Inf. q. 259.

QUÆSTIO

QUÆSTIO CCCXXXV.

An sit licitum guerram facere.

PEr Arrestum fuit defensa facta dominis Comiti de Perdriaco Vicecomiti *de Caraman*, necnon domino de Berbesa de Gasconia, ne de cætero facerent guerram, nec proponeretur quod licitum esset eis, vel alijs de regno Franciæ guerram facere, guerris regiis durantibus.

Item, & per idem Arrestum dictum fuit non licere alicui etiam tempore treugarum habere secum Anglos regni inimicos ad guerram, contra aliquem de regno, & in regno faciendam, durantibus guerris regijs, vel treugis.

QUÆSTIO CCCXXXVI.

*An clericus non conjugatus chirurgicus *teneatur respondere coram Curia laicali, de tangentibus suum officium.*

* *Chirurgicus.*] Contra c. tua, nos de homicid. ubi Panor. & Fely. dissentiunt, August. de anch. de potest. Eccles. q. 109. art. 9. 10. C. M.

PEr Arrestum fuit pronunciatum pro Procuratore Regis appellante, & contra Joannem Laugeum se dicentem Chirurgum Parisiensem appellatum à Præposito Parisiensi super eo quod dictus Procurator regius coram Præposito proposuerat contra dictum Joannem, quòd se intermiserat de arte Chirurgica, quamvis esset insufficiens, & fecerat malas curas, & absque eo quod fuisset approbatus per juratos Chirurgos Parisienses, quod facere non poterat per Ordinationes regias, per quas inhibebatur omnibus ne antèa se intromitterent de dicta arte. Quare contra eum concludebat ad emendam. Et ut interdiceretur eidem ne amplius uteretur dicta arte: dicto Joanne dicente quod coram dicto Præposito respondere non tenebatur, quia erat clericus non conjugatus: replicante dicto procuratore, quòd imò tenebatur, quia exercuerat * officium politiam villæ Parisiensis respiciens, & generale, & necessarium, & publicum, contra ordinationes regias, mesprendendo, & eo abutendo, & in eo delinquendo. Item quia politia villæ spectabat quoad cognitionem, & determinationem dicto Præposito: sic de hoc casu pertinere debebat. Fmaliter per dictum Præpositum fuit dictum quòd dictus Joannes non tenebatur respondere coram dicto Præposito, à qua pronuntiatione fuit per dictum Procuratorem appellatum ad Parlamentum in quo partibus auditis, fuit dictum pro dicto Procuratore benè per ipsum appellatum, & per Præpositum malè judicatum, & quòd causa principalis remaneret in Parlamento, & partibus auditis, fieret jus. Et hanc causam pro Rege placitavi.

* *Exercuerat.*] Steph. Aufrepe. cle. 1. reg. 1. fallen. 16. de officio ordi. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXVII.

An pons factus pro utilitate reipublicæ super fundo alterius, sit ipsius & domus super ipso ædificatæ.

PEr Arrestum dictum fuit pro Procuratore Regio, & Joanne *le Pelle* defensoribus, contra Religiosos Abbatem, & Conventum S. Germani de Pratis petitores, in causa proprietaria, super eo quòd dicti petitores proponebant quod domus ædificatæ super pontem novum S. Michaëlis debebant declarari ad eos spectare, eo quod solum super quo pons antedictus erat factus, erat eorum, & in eorum justitia alta, media & bassa, & aqua etiam eorum in tota justitia, & piscaria, ac omnes aves & pisces, à parvo ponte, & magno, & ab utraque parte riparum etiam per spatium unius lanceæ ultra ripas usque ad villam *de Seine*. Nam quod inædificatur, seu superædificatur solo cedit *, si ergo pons ædificatus fuerit super eorum solum, & super pontem, domus illæ censentur esse eorum, *argumento l. maritus, ff. de acqui. re do. §. cum quis inst. de re. di. l. §. labeo. ff. uti. poss. l. 2. §. viam. ff. ne quid in loco pub. l. 1. §. si insula. ff. de flumi. l. ergo. §. alluvio, & §. si pilas, ff. de acqui. rerum do.* Nec domus in medio quæ non servit, impedit servitutem: juxta *l. in tradendis, §. interpositis, ff. communia prædi.* licèt habeatur contrarium in *l. qui sella, in fi. ff. de servi. rus. prædi.* Et ideò concludebant quod saltem solveret dictus *le Pelle* (cui per gentes regias plateæ pontis traditæ fuerunt ad ædificandum, in quibus ædificaverat) censum annuum: juxta, *l. 2. §. si quis nomine, ff. ne quid in loco publico, & l. si legatum in fi. ff. de ope. pub.* Et fuit paratus placitare causam pro eis, sed fui de consilio regio detentus: sic pro eis non placitavi, nec contra eos: sed socius meus Magister Petrus Aurifabri, nunc Cancellarius Aurelianensis. Rationes Regis in contrarium possunt sumi *ex l. si locus, in fi. quemad. servi. amit. l. item si uberatum, §. item si forte, ff. de rei ven. l. Lucius in prin. ff. de evict. l. lege Cornelia. ff. ad Syllanian.* cum similibus.

* *Cedit.*] Cepol. de servi. urban. prædi. c. 30.

QUÆSTIO CCCXXXVIII.

*An habitantes * in suburbio contribuere debeant ad reparandum villam, & ad solvenda vadia Capitanei. Et quid de Episcopo, & de Castello villæ.*

* *Habitantes.*] Sup. q. 130. 137. 254.

PRo domino Reginaldo *de Montoile*, Capitaneo *d'Evreux*, & habitantibus dictæ villæ, fuit Arrestum dictum contrà Episcopum, Decanum & Capitulum *d'Evreux*, & habitantes suburbiorum *d'Evreux*, quod habitantes suburbiorum ad reparationem, seu reparationes fortificationis villæ, & vadia Capitanei contribuerent, & contra Episcopum fuit facta provisio de duodecima parte, & contra Decanum & Capitulum de 8 parte, durante causa principali, &c.

QUÆSTIO CCCXXXIX.

*An in causa duelli quis possit recedere sine Curiæ licentia. * &c.*

* *Licentia.*] Sup. par. 1. c. 16. §. 25.

PEr Arrestum non valuit relevamentum *du Regne du Bail*, pro seipso impetratum in causa duelli, inter ipsum petitorem ex parte una pro quo eram, & dom. Guidonem *de Laval*, militem defensorem ex altera, attamen non fuit in defectu positus: Sed quia iverat in regnum Siciliæ pro rege Ludovico, Curia ex æquitate dedit, & assignavit sibi tempus quo compareret in Curia pro jure audiendo: super quo per modum memoriæ erant partes ante ejus recessum appunctatæ: Ratio æquitatis Curiæ fuit, quia Regina Siciliæ, & Hierusalem coram qua erat, causam continuaverat tribus vicibus, sub cujus obtentu recesserat: & quando pars dom. Guidonis scivit ultimam continuationem, appellavit ab ea: & fuit dictum per Curiam malè continuatum, & benè appellatum: & retinuit Curia causam principalem quæ erat appunctata ad jus audiendum. Et dedit terminum dicto *Regne* ex æquitate: sed non profecit ei relevamentum suum, quia non faciebat mentionem specialem de causa vadii.

QUÆSTIO CCCXL.

Arrestum contra Ducem Britanniæ pro domina de Rays.

* *Rays.*] Cujus pater ob nephanda maleficia damnatus fuit ante 40. annos multum de ejus successione disputarum in hoc senatu, quia in Armorica non est locus confiscationi etiam in crimine hæresis, vel læsæ Majestatis, vide Annales Alani *Bouchart.* lib. 4. fol. 178. C. M.

PEr Arrestum Dux Britanniæ fuit condemnatus ad restituendum dominæ *de Rays*, terram *de Rays*, unà cum locis & castris, necnon pro quolibet anno quo tenuit eam, *huit mil francs* : & quod tenebitur donec restituerit eidem, necnon præstito per eam juramento super bonis mobilibus tempore occupationis in eisdem existentibus, & eorum valore fuit condemnatus erga eamdem in 60000. francis, & expensis ejusdem. Et fuit per inquæstam per dominam factam, quia per duos defectus ceciderat Dux à defensionibus suis : & fuit quia non fuit dignatus in Curia comparere. Et etiam lucrata fuit causam, quia ab eo appellaverat, & fuit dictum bene appellatum, ut malè judicatum per decem, & quod emendaret : & fuit in emenda condemnatus, & expensis causæ appellationis, ultra hoc dictum fuit quod remaneret exempta à Duce, durante ejus vita & Ducis, & quòd esset Regi subdita in justitia & tessorto.

QUÆSTIO CCCXLI.

Arrestum contra dominum Petrum de Craon, *pro Regina Siciliæ.*

* *Craon.*] Proditor, edictes Annales fol. 143.

PEr Arrestum dom. Petrus *de Craon*, fuit condemnatus ad commissionem feudorum, quæ tenebat à Regina Siciliæ & Hierusalem, nomine suo, & filiorum suorum, ut ille qui feloniam commiserat contra dominum suum, & ut *déloyal & traistre*, erga dictum dominum suum Regem Siciliæ quondam maritū ejus, & patrem dictorum filiorum suorum, & erga eam nomine quo suprà, fuit condemnatus in centum mille ducatorum, ac de regno bannitus, & alia bona confiscata declarata, & condemnatus in expensis, damnis & interesse, & hoc per quatuor contumacias prosequente ipsa, & regio Procuratore, & ad prisionem tenendam, donec solvisset: sed noluerunt pati Arrestum exequi contra ipsum, & ejus bona tunc existentia in sancto Dionysio, rex ejus avunculus, & Dux Aurelianensis, &c.

QUÆSTIO CCCXLII.

Arrestum contra Comitem de Viesne, *pro domina Regina.*

PEr Arrestum dicta Regina fuit tenta in possessione, & saisina Comitatus *de Roussy*, nomine quo suprà : & fuit Comes *de Viesne*, condemnatus ad fructus eidem reddendos à tempore recredentiæ quondam eidem Comiti factæ in expensis, damnis, & interesse, &c.

QUÆSTIO CCCXLIII.

Nota contra Prælatos Ecclesiasticos, & eorum sententias.

VIdi in Parlamento quemdam nomine Amblardum Clericum non conjugatum, qui Procuratorem Ducis Burgundiæ meurtraverat existentem in salvagardia, & cum delatione armorum prosecutum nomine amicorum dicti, & Procuratoris regii, qui se juvit quadam sententia facta ab Officiali Claromontensi per quam dictus Amblardus, ut innocens de dicto crimine, fuerat absolutus : contra quam sententiam volens regius Advocatus pro regio Procuratore multa proponere, petit videre processum super quo fundabatur, juxta c. quoniam contra falsam de proba. propter quod fuit dicto Amblardo injunctum, ut processum faceret venire, & Procuratori regio ostenderet, quod non fecit ; sed finaliter contrarius sibi ipsi impetravit regiam gratiam, confitendo meurtrum fecisse. Et sic nota contra Prælatos processus, & purgationes facientes, qui hodie non sunt, ut prosint, sed ut præsint, & suis & sibimet ipsis cum ipsorum animarum æterna damnatione, & perditione, contra l. si quemquam, C. de Episc. & Cler. Sup. q. 339.

Illa ſ. l. quæ quã, quamvis salubertima procul à mundo nunc exulat.

QUÆSTIO CCCXLIV.

Attende ad regaliatores jurisdictionũ Ecclesiasticæ, impedire volentes, ac malitiam præsupponentes.

PEr Arrestum Curiæ fuit pronuntiatum contra Magistrum Guillelmum *de Cancers*, licentiatum in utroque jure, ac de consilio regio in Parlamento pro domino Petro *Adume* Capellano Reginæ, quòd Curia non obtemperaret quibusdam Literis regiis à dicto Magistro Guillelmo impetratis, &c. Et fuit casus talis, quia dictus Petrus *Adume* obtinuerat, ut Capellanus Reginæ, & nomine Reginæ nominati per regem ad Canonicatum & Præbendam *d'Andely* Rothomagensis diœcesis, ut vacantem per mortem Joannis *Guerin* : & etiam obtinuerat dictus Magister Guillelmus nominari per Regem ad eosdem Canonicatum & Præbendam : & quamvis dictus *de Cancers* fuisset citatus ad requestam dicti *Adume*, coram judice à Papa delegato super jure beneficii, quod beneficium possidebat, & fuisset tantum processum per dictum *Adume*, quod inquestam suam fecerat nondum publicatam, & fuisset dicto *de Cancers* dies assignata ad dicendum, & proponendum quicquid vellet : ipse *de Cancers* prætendens habuisse à Rege de novo collationem beneficii antedicti, ut in regalia vacantis, fecit inhiberi virtute quarumdam Literarum ab ipso impetratarum à Rege (quarum tenorem in alia papyro habeo) dicto judici & parti, ut desisterent à processu prædicto, quia in præjudicium juris regaliæ, cujus cognitio ad Regem, & ejus Parlamenti Curiam spectat, non ad alium : & in casu oppositionis, qui evenit, fuit parti (quia judex non se opposuit) dies in Parlamento assignata, in quo Parlamento requisivit dictus *de Cancers*, ut dictus *Adume* desisteret à dicto processu, secundùm tenorem Literarum, & quod obtemperaretur per Curiam Literis suis, & quod diceretur oppositio partis tortionaria, quod sibi sufficiebat dici, & pronuntiari : Pars adversa dicebat quod dictus *de Cancers* proponeret suam regaliam, in ea concludendo, & hoc ad finem, ut esset dictus *de Cancers* actor, & pars adversa rea in principali : dictus *de Cancers*, dicebat quòd non tenebatur concludere in principali ut actor, sed sufficiebat sibi quod inhibitio facta parti adversæ, ut desisteret à processu facto coram judice principali, diceretur valida, & ejus Literis obtemperaretur, & oppositio partis suæ tortionaria diceretur, & sic remaneret in suo statu quem habebat, in suo beneficio quod possidebat. Quæ fieri requirebat per sequentia. Primò, quia de regalia judex Ecclesiasticus cognoscere non potest principaliter, nec incidenter, quod & pars confitebatur : sic inhibitio erat valida. Secundò, nec debebat dictus *de Cancers* fieri actor, quia coram judice principali erat actor pars adversa : agat ergo nunc ut velit.

Judex Ecclesiasticus de regalia cognoscere, non potest, nec principaliter, nec incidenter.

Tertiò, si contrarium diceretur, sequeretur absurditas, quia esset in potestate impetrantis Ecclesiastici facere regaliatorem possidentem actorem, & sic ipsum deappunctare de statu suo, quia ipsum faceret citare coram judice suo principali: & cùm ipse judex non possit cognoscere de regalia incidenter, nec principaliter, regaliator faceret eidem inhiberi ne cognosceret, & in casu oppositionis dies assignaretur in Parlamento, &c. Quartò, non est prodita possidentis actio qua neget rem actoris esse. Pars adversa in contrarium dicebat, quod si agere non posset, Curia Parlamenti cognosceret: quia agendo deduxerat suum jus Ecclesiasticum super quo pronuntiare non posset ipsa Curia: nec aliud medium habebat, cùm non haberet possessionem Beneficii, nec per consequens possessorium. Replicabat dictus dominus *de Cancicrs*, & dicebat quod proponeret negatoriam. Finaliter Curia Parlamenti videns cautelam dicti *de Cancicrs*, qui tacuerat suam regaliam, donec audivisset & vidisset coram judice principali intentionem sui adversarii, & fuisset sibi dies assignata ad libellandum, & dicendum quicquid vellet, licèt ab initio potuisset impetrasse literas suas inhibitorias: advertens etiam quod si esset actor dictus *Aduine*, Curia non poterat cognoscere de causa, quia erat impetrans Apostolicus. Advertens etiam quia non poterat astringere via directa dictum *de Cancicrs*, ut esset actor, quia nolebat consentire, pronuntiavit quod non obtemperaret Litteris ab ipso impetratis: & sic coegit ipsum per viam obiquam, si vellet uti sua regalia, ut esset actor, quia nunquam uteretur via exceptionis coram judice Ecclesiastico, nec etiam ipse cognoscere posset.

QUÆSTIO CCCXLV.

Attende contra Advocatos & Procuratores veritatem non insequentes, & malè partes suas consulentes.

Faciunt ad ista l. 1. de advo. diver. judi. l. athletas § fin ff. de his qui no. infa.

MAgister Joannes *Andrignel*, & Magister Joannes *Pappignot*, fuerunt condemnati in emenda malæ appellationis, ac in expensis Commendatoris de Capitulo Ordinis Hierosolymitani, eo quod appellaverant à sententia lata per Magistros Requæstarum Palatii, qui dixerant quod non obstante defectu capto per ipsos Advocatum & Procuratorem, procederetur in causa inter Priorem *de Loye*, petitorem in casu novitatis eorum Magistrum, & dictum Commendatorem, eo quod promiserat dictus *Pappignot*, Procuratori dicti Commendatoris, quod non procederet contra ipsum, nec defectum caperet in dicta causa, nisi prùs sibi notificatet & videret, quod dixerat dicto Advocato cujus contrarium fecerat.

QUÆSTIO CCCXLVI.

Arrestum contra Guillelmum Marcelli campsorem Parisiensem pro domino de Riparia.

PEr Arrestum fuit Guillelmus Marcelli de Parisiis condemnatus in emenda mille francorum, eo quod petebat à domino Burello de Riparia summam mille francorum virtute cujusdam Literæ falsæ per ipsum fabricatæ sigillo dicti domini sigillatæ. Et hoc modo, quia post mortem Adæ *des Essars*, qui frater erat uxoris dicti Guillelmi, ipse Guillelmus reperierat quasdam antiquas Literas sigillatas sigillo dicti domini inter bona dicti Adæ, qui erat gubernator domini antedicti, & sciderat * ipsa sper marginem subtus: sic remanserat modicum de pergameno dictæ marginis unà cum cauda sigillata sigillo dicti domini, & in ipsa margine fecerat scribi quòd dictus confitebatur se debere ex mutuo dicto Guillelmo mille francos. Sed hæc falsitas proposita fuit per me pro parte dicti domini, de cujus eram consilio, & ad hoc proponebam sequentia. Primò quia apparebant tractus antiquæ literæ super illa margine descendentes facti de calamo cum incausto. Secundò, quia videbatur cum forcipibus quod illa margo fuisset scissa, non directò, sed *per bendes*. Quartò, quia Litera erat malè scripta, *& haut & bas*, & semper habuerat dictus dominus bonos notarios, & benè scribentes, qui cognoscebantur non fecisse illam Literam. Quintò, quia non nominabatur *Seignem de Riviere*, * nec primus Regis Camerlanus, nec miles; quod consueverat in Literis per eum factis. Sextò, erat solùm data *de l'an* 70. nec erat Incarnationis annus Domini mille centesimus, &c. Septimò, quia dictus Guillelmus nunquam fecerat mentionem de illo debito, nisi à quatuor annis citrà. Octavo, confessus fuerat aliàs dictum dominum sibi teneri, sed interrogatus an haberet super hoc Literas, dicebat quod non. Nono, quia si verè fuisset debitum, per medium dicti Adæ se benè fecisset solvi, quia erat omnino dicti domini gubernator, & administrator. Decimo, quia steterat per magnum tempus, attenta data Literis ad petendum; quod non fecisset, si debitum fuisset, & plura alia: & interrogatus per quem fecit deferri pecuniam dicto domino, & ubi, respondit per Joannem *Lamy*, in galeria domus domini *de Clichon*, & super hoc fuit dictus *Lamy*, per Curiam interrogatus ad mei petitionem, qui fuit confessus quod illam summam detulerat pro Rege illo in loco, & tradiderat domino Joanni *le Mercier* pro quadam emenda ad quamdam compositionem facta per dictum Guillelmum Regi, ratione cujusdam delicti per ipsum perpetrati, eo quod tacuerat mortem filii sui per tres dies, ut componeret cum ejus successoribus, & heredibus de ejus successione, fingens ipsum vivere, & ipsos sic decepit: non autem mutuaverat aliquid dicto domino de Riparia, nec ipsi, nec pro ipso fuerat pecunia tradita, nec soluta, & finaliter propter has præsumptiones fuit dictus Guillelmus per Curiam secretè interrogatus, & fuit falsitatem confessus, & sic condemnatus in emenda, & in expensis dicti domini, qui fuit ab ejus petitionibus absolutus, & sibi fuit reservatum ad faciendum prosecutionem, si vellet, contra dictum Guillelmum ratione hujusmodi facti.

* *Sciderat.*] Tempore nostro contingit similis falsitas per quemdam rusticum contr Io. de Vrsinis, nec fuit rusticus punitus, nisi pecuniariter, sed hujusmodi deberent laqueo vitam finire, ut quidam dives mercator Io. *Girard*, qui etiam Magistratuum signa falsificabat, furcis strangulatus 14. Maii ann. 1550. C. M.

* *Riviere*] Vnus è tribus selectis Consiliariis Regis Caroli VI à tutela, & cura patrimonii (magno regni damno) liberati in consessu Rhemensi anno 1389. ut in annalibus Egidii. C. M.

QUÆSTIO CCCXLVII.

Pro rege contra Ducem Bituricensem.

PEr dominum Cancellarium Franciæ nominatum Arnaldum *de Corbie*, dominum *de Gyac*, dominum Episcopum Noviomensem, dominum Episcopum Bajocensem, duos Præsidentes in Parlamento videlicet dominum Petrum *Boschet*, & Magistrum Henricum *de Marle*, Magistrum Odardum de Molinis, & plures alios Magistros Requestarum hospitii, & de consilio regio in Parlamento, post placitationem per me factam, coràm ipsis defendendo pro Rege contra plures querimonias pro parte domini Ducis factas, contra Baillivum exemptionum patriæ Pictavensis, & servientes regios ejus patriæ, fuit appunctatum quod sequitur. Primò quod in dicta patria essent tantùm 30. servientes regii manentes, secundum quod vellent tam in dominio dicti Ducis, vel subjectorum ipsius, vel in terra exempta per modum provisionis, & absque præjudicio alicujus partium. Secundò, quod absque gratia defensores comparerent in judicio tam coram Baillivo regio, quàm aliis judicibus subjectis pa-

trix illius, tam Ducis antedicti, quàm aliorum. Tertiò, quod serviens regius absque informatione præcedente, ratione infractionis salvægardiæ, posset subjectos Ducis, & alios adjornare coram dicto Baillivo, ad partis requestam solùm, dum tamen constaret servienti quod requirens esset in salvagardia Regis, publicata sufficienter in judicio. Super primo fuit magna altercatio. Sed ratio decidendi fuit, quia patria Pictavensis est magna, pervia & spatiosa: & si manerent in dominio regio, esset impossibile quod sciret forefacta: quia à 40. vel à 30. leucis longè oporteret eos manere, cum aliis rationibus quas allegavi in causa Tornacensi pro Rege contra villam Tornacensem. Super secundo ratio fuit, quia esset impossibile hominem ad crastinum diem adjornatum coram Baillivo, habere posse gratiam regiam ad defendendum per procuratorem. Super tertio fuit magna altercatio, sed ratio decidendi fuit, quia constabat requirentem esse in salvagardia publica, & quod casus erat talis de quo nullus alius quàm regius Officiarius cognoscere poterat. Item quia ad requestam Guillelmi ratione excessuum, coram judice Ducis absque informatione adjornabatur, alias. Sic igitur similiter coram judice regio super infractione salvægardiæ, qui est solùm judex ab hoc casu requirens, erit in salvagardia regis publica, & constat servienti. Nec est opus quod fiat informatio, nisi quoad adjunctionem Procuratoris regis, de quo non erat quæstio, quia non se partem faciebat.

QUÆSTIO CCCXLVIII.

Alienatio domanii Regis revocati.

PEr Arrestum Procurator Regis absolutus à petitione Comitis sancti Pauli, petentis super thesauro regio 400. libras redituales. Ratio, quia fuerat alienatio facta de domanio regio, & à tempore Regis Philippi, quæ revocata * fuerat per generalem ordinationem factam super revocatione talium alienationum à tempore dicti Regis Philippi *le Bel*.

* *Revocata.*] Frequentes sunt hujusmodi revocationes, ut dixi in tract. usur. q. 58. C.M.

QUÆSTIO CCCXLIX.

Qualiter intelligatur quòd inter dominum, & subjectum non cadat novitas. *

* *Novitas.*] Dixi in consu. Parisien. §. 1. glos. 4. q. 3. C. M.

PEr Arrestum fuit dictum pro Religiosis, Abbatissa & Conventu, contra dominum Comitem de Alemconio, & Vicecomitem *de Beaumont*, quod cujusdam causæ novitatis captæ per dictas Religiosas in Curia Parlamenti contra ipsum Comitem non fieret remissio coram ipso Comite, vel ejus Baillivo. Ratio dubitandi, quia terræ super quibus facta fuerat prisia ex parte dictarum Religiosarum erant ipsius Comitis: in quibus terris seu sylvis ipsæ dicebant se habere reditum, à solutione cujus fuerat per dictum Comitem cessatum. Econtra dicebatur illas esse in jurisdictione omnimoda dicti Comitis, & inter subjectum, & dominum, &c. Modo ratione illorum jurium quæ habebant, & dicebant dictæ Religiosæ se habere super rebus in jurisdictione omnimoda dicti Comitis existentibus, videbantur esse subjectæ: in contrarium allegabatur quod erant exemptæ omnino à dicto Comite per privilegium suorum prædecessorum in quæstis, & quarendis, quod curiæ fuit ostensum. Et ultrà dictum fuit quod erant partes recipiendæ: & in factis contrariis super principali appunctatæ fuerant.

QUÆSTIO CCCL.

Qualiter onerantur Episcopi in redditione eisdem facta suorum Clericorum.

PEr Arrestum Floridus fuit condemnatus in decentas libras erga Regem, & erga partem, in aliis quamplurimis, ratione portuum armorum, & aliàs ratione meurtri in persona domini *de Chivers* commissi: & fuit Episcopo Noviomensi redditus, quia clericus, & fuit eidem Episcopo per idem Arrestum inhibitum, ne liberaret ipsum à prisione, donec satisfecisset de præmissis, & sub pœna, & onere solvendi prædicta, si contrarium fecisset: quia ad prisionem tenendam pro præmissis per Parlamentum condemnatus fuerat.

QUÆSTIO CCCLI.

Quando Clerici non debeant immunitate, & privilegio Clericali gaudere.

PEr Arrestum fuit dictum Floridum Robertum *de Bellam, & le Baudoam*, non debere gaudere immunitate Ecclesiæ, in qua capti fuerant, ratione meurtri per eosdem commissi in persona domini *de Chivers*, quia sub spe immunitatis habendæ fecerunt illud, & quia insidias * fecerant. Et etiam per Arrestum illud, licet essent dicti Robertus, & *le Baudoam* Clerici non conjugati, & requirerent reddi suo diœcesano, ut tales fuerunt condemnati ad mortem, quia dictus *le Baudoam* fuit suspensus, & Robertus submersus: quia amiserant privilegium clericale propter sua demerita: quia meurtrarii perseverantes, & vitam inhonestam insequentes.

* *Insidias.*] Idem. Nicola Bohic. citans hanc decisionem, & plura Arresta in decis. Burdegal. 69. num. 19. cum seq. simile Arrestum Tholo. infrà Arrest. Tholo. 67 C.M.

QUÆSTIO CCCLII.

Alia Arresta lata in Parlamento cœpto in crastino Festi beati Martini hyemalis, anno Domini 1396.

Cogitur Episcopus absolvere, & dehumare de campis.

PEr Arrestum fuit condemnatus Episcopus Cenomanensis ad faciendum filium Ponceti dehumari, qui fuerat, ut excommunicatus per Officialem dicti Episcopi in campis humatus, necnon ad faciendum dictum Poncetum absolvi, quia pendente lite, & post inhibitionem Episcopo, & ejus Officiali factam, ne contra ipsum procederent, in contemptum processus pendentis inter Episcopum antedictum coram Baillivo Cenomanensi, & appellationis in Parlamento pendentis: & dictus Poncetus pater fuerat excommunicatus, & ejus filius, ut excommunicatus in campis inhumatus, &c.

QUÆSTIO CCCLIII.

*Non est supersedendum ab evocationibus ad bannum, nisi pars compareat personaliter * allegans suum privilegium.*

* *Personaliter.*] Et ea notorie observatur: si infra par. 7. ar. 9. C. M.

PEr Arrestum dictum fuit Ambrosium, qui per Præpositum Parisiensem fuerat ad bannum vocatus,

malè appellasse, & Præpositum bene processisse, qui non supersedit ab evocatione, quamvis dictus Ambrosius in D. Dionysio carceris esset in franchisia, & Episcopus notificari fecerat dicto Præposito quòd erat Clericus solutus, & ostendit Litteram suæ tonsuræ, à quo appellaverat dictus Ambrosius, eò quòd dictus Præpositus non supersederat ab evocationibus; nam debebat comparere coram ipso Præposito personaliter, & allegare suum privilegium propter fraudes: nec obstabat Litteræ coronæ offensia, quia ignorabatur an esset, vel etiam amisisset privilegium, nec de statu ejus apparebat, vel debuisset se reddidisse Ordinario suo, qui significasset Præposito.

QUÆSTIO CCCLIV.

Causa criminalis non impedit cognoscere de appellatione.

PEr Arrestum dictum fuit quòd si quis appellet à captione facta per Iudicem laicum ad Parlamentum, ratione cujusdam criminis, & petat Ordinarius suum ipsum ut Clericum sibi reddi: & re vera sit Clericus, quòd in Curia Parlamenti respondere debet super appellatione per eum facta. Nec præjudicat causa criminalis agitanda coram Iudice Ecclesiastico causæ civili, puta appellationi, quia captio à qua appellavit, est initium & introitus causæ: & an benè vel malè fuerit appellatum, est cognoscendum: aliàs Curia secularis nullam haberet cognitionem super talibus appellationibus, & Rex frustraretur hujus cognitione, & etiam emenda, quæ appellationem sequi potest, &c.

QUÆSTIO CCCLV.

Submisso executionis testamentaria excludit ordinarium Iudicem.

PEr Arrestum remansit Curiæ * executio testamenti Joannis Clerici, consanguinei Joannis *le Clerc*, Notarii regis: qui Joannes erat Capellanus sanctæ Capellæ, eò quòd in testamento suo, judicio Parlamenti submisit eam, quamvis eam habere vellet Thesaurarius dictæ Capellæ, eò quòd, ut Capellanus, erat eorum subditus.

* *Curia.*] Quæ hodie remitteret ad secularē Ordinariū. C. M.

QUÆSTIO CCCLVI.

Nota Clericum non condemnatum ad prisionem tenendam condemnari.

PEr Arrestum prima die mensis Martii anno suprad[ic]to latum, fuit condemnatus Ioannes *Pothelle* Clericus non conjugatus, ad tenendum prisionem in Curia Episcopi * Parisiensis, qui captus fuerat Parisiis, pro emenda in qua fuerat erga Regem condemnatus, videlicet 200. libris Turonensibus ratione delicti, & 60. libris Parisiensibus ratione malæ appellationis, & 100. libris Turonensibus ratione delicti per eum perpetrati in personam Radulphi *de Otine*, Notarii regis, tunc horribiliter per dictum Ioannem vulnerati cum delatione armorum, & infractione salvægardiæ; & tamen erant tres anni lapsi quòd in præmissis erat condemnatus. Sed prætextu quòd non habebat temporalitatem, & erat Clericus non conjugatus, erat illusorium Arrestum.

* *Episcopi.*] Io. Fab. Inst. de actionis §. fin. Steph. Aufrer. rep. cle. 1. reg. 2. fallen. 2. c. de off. ordi. Nicol. Boer. decis. Burdeg. 349. num. 11. C. M.

Alia Arresta lata in Parlamento cœpto in crastino Festi beati Martini hyemalis, anno Domini 1397.

QUÆSTIO CCCLVII.

Ecclesia non potest authoritate propria capere bona Clerici sui.

PEr Arrestum latum in vigilia beati Thomæ Apostoli ante Festum Natalis, anno Domini 1377. per dominum Guillelmum de Senonis, inter Ducem Burgundiæ conquerentem, contra Capitulum Lingonense, ex eo quod dicti de Capitulo dicebant, quòd vacante Sede Episcopali, ad ipsos spectabant omnia jura Episcopalia: & dicebant quòd ad Episcopum si esset, spectarent bona virorum Ecclesiasticorum decedentium sine herede & sine executoribus: & quòd talia bona capere poterat sine inventario, quia sua erant: & etiam propria authoritate, & quòd erant bona Ecclesiæ; dicto Duce dicente contrarium: quia si usus fuisset Episcopus, tamen usus non erat receptibilis: & quòd ad ipsum, qui est & erat altus Iustitiarius, spectabant talia bona ut vacantia: & si ad aliquos alios spectarent, saltem debebant habere per manus dicti Ducis, qui est & erat altus Iustitiarius: & super hoc erat Dux conquestus in casu novitatis. Finaliter dictū extitit die quā suprà, quòd illi de Capit. Lingonen. non erant receptibiles ad dicendum quòd possent talia bona capere propria authoritate, & sine inventario, &c.

QUÆSTIO CCCLVIII.

Vt durante possessorio in Curia temporali, non possit intentari petitorium in Curia Ecclesiastica, in causa beneficiali.

PEr Arrestum Curiæ dictum extitit tertia die Ianuarii, anno Domini 1397. per dominum Guillelmum de Senonis, inter dominum Cardinalem de Tuceyo defensorem in causa novitatis, & fratrem Ioannem Mercerii petitorem in eadem causa, super possessione cujusdam Prioratus, quia dicebat dictus petitor quòd in odium processus pendentis in Curia temporali dictus dominus Cardinalis fecerat ipsum & quosdam alios citari Avenione: ipso Cardinale dicente, quòd si hoc fecerat, hoc erat super jure beneficii & non super possessorio, de quo erat quæstio in Curia temporali: finaliter per Arrestum fuit facta inhibitio dicto Cardinali, quòd durante dicta causa possessionis, nullo modo intentaret, nec inciperet petitorium, vel permitteret possessorium finire, vel possessioni renuntiaret, si vellet, &c.

QUÆSTIO CCCLIX.

An marca habeat locum super corporibus, & malis.

CErtis mercatoribus Parisiensibus qui capti fuerant per subditos Episcopi *d'Vtrecht*, fuit per Arrestum * Curiæ Parlamenti adjudicata marca contra prædictū Episcopum & ejus subditos & bona, & dicti mercatores Parisienses receperant quosdam subditos dicti Episcopi in villa Morinensi, & eos incarcerari fecerant virtute Arresti prædicti. Episcopus Morinensis dictos incarceratos dimisit recedere, qui ob hanc causam adjornatus extitit in Curia Parlamenti ad reque-

* *Arrestum.*] Supra qu. 354.

causa inter eos pendente ratione homagii dicti feudi, quod super quolibet articulo scripturarum partium quarumcumque non sunt examinandi nisi decem testes, & tam super articulis singularibus, quàm generalibus scilicet. * Item, *que les choses desusdites soient vrayes*, &c. Item, *& que d'icelles est voix*, &c. Et declaratum fuit hoc pro stylo, & ordinatione Parlamenti Curiæ, & quod de hoc non fieret dubium de cætero. Et hoc fuit, quia quidam dicebant quod super generalibus articulis prædictis possunt examinari tot testes quot pars vult, etiam centum, & ampliores: licèt non super singularibus articulis, sed tunc solùm decem, non ampliores. Attamen non videbatur ratio in uno plus quàm in alio, & quia per viam obliquam concederetur quod de directa prohibetur, videlicet quòd super singularibus non sunt ultra decem examinandi, ut effrenata potestas ad vexandos homines multitudine testium refrenetur, *l. 1. in fi. ff. de testi. c. causam, extra eo tit.* Nec angustatur per hoc probationum facultas, *juxta l. quoniam de haret.* quia numerus decem sufficiens est super quolibet articulo etiam generali. Tamen contrarium ante hoc observabatur super generalibus, non autem particularibus articulis, cujus rationem non videbam. Attamen quia dictus dominus Guillermus in dicta causa fecerat examinari super quolibet articulo generali ultra decem, & quia causa erat magna & ardua: & inter magnas partes fuit per Curiam dictum partibus auditis pro ordinatione & stylo, ut supra dictum est. Et ultrà, quod illi quos dictus domi. Guillelmus fecerat examinari super suis articulis generalibus ultra numerum decem, remanerent, & quod etiam Procurator Regius, & pars secum adjuncta facerent examinari, si vellent decem testes super quolibet articulo generali suarum scripturarum, si non fecerant, & tantumdem ultrà prout fecerat dictus domi. Guillermus, & non ampliores, & ex causa speciali in hac causa, &c.

* *Scilicet*] Quod postea redactum in constitutiones regias Carol. VII. & VIII. quæ volunt omnes articulos ejusdem facti cõjungi. C. M.

QUÆSTIO CCCXXVI.

Canonici du Mans *non fuerunt recepti ad possessionem non eundi ad processiones cum Episcopo eorum.*

FUit dictum per Arrestum quod Canonici * *du Mans*, non erant recipiendi ad possessionem per eos allegatam, quod cum Episcopo *du Mans*, diœcesano non tenebantur ire ad processionem, & in emendam condemnati ratione excessuum commissorum in hoc impediendo: sed per se ire volebant, & revera iverant per se Episcopum dimittendo seorsum. Et fuit hoc dictum absque hoc quod scripturæ aliquæ Curiæ traderentur.

* *Canonici*) Quamvis exempti, quia non fuerit exempti à jure reverentiali Bal. l. liberti, liberæque, C. de operat. liber. Nec ab onere, & obligatione ministerii communis. Sed tantum à contentiosa jurisdictione C. M. * *Non vult.*) Sed hodie indistinctè de omnibus cognoscit ad finè possessorii. C. M.

QUÆSTIO CCCXXVII.

Curia non vult * *cognoscere de jure spirituali, vel de collatione Beneficiali ad Episcopum spectante.*

CUria cognoscit de quæstione super jure Patronatus dùm jus ipsius Patronatus est contentiosum, vel dum prætendit opponens non fuisse solemnitates patriæ servatas, vel non fuisse præsentationem debitè factam, vel modo debito intra tempus sex mensium, vel prætendens Prælatus collationem ab eo factam ante præsentationem. Sic loquitur Arrestum latum pro Procuratore regio, & Magistro Guillelmo *Perdriel*, actoribus ex una parte, contra Archiepiscopum Rothomag. & quemdam nominatum *Bellotet* defensores, ultima die Augusti anno dom. 1370. Secùs si non esset contentiosum jus Patronatus, nec præsentatio, sicut fuit inter Magistrum Petrum *Conesin* actorem ex una parte, & Episcopum Ebroicensem, & dominum Joannem *Despingel* defensores ex altera; nam confitebantur defensores præsentationem Prioratus S. Nicolai Leprosarix *d'Evreux*, ad habitantes & Burgenses *d'Evreux* spectare: nec impugnabant præsentationem per eos factam ad dictum Prioratum, dicto dom. Episcopo, ob defectum solemnitatis, vel aliàs, &c. ut suprà, imò dicebant quod dictus *Despingel* tenebat dictum Prioratum ex collatione dicti Episcopi sibi facta ad præsentationem dictorum burgensium & habitantium, dicto Magistro Petro dicente quod vacabat dictus Prioratus, eo quod erat Beneficium curatum, & non fecerat se promoveri intra annum à tempore possessionis ejusdem pacificè adeptæ dictus dom. Joannes, & sic ipso jure vacaverat. Item & aliàs, quia Ecclesiam Parochialem nostræ Dominæ *de Hendreville* tenebat pacificè. Sic dictus Prioratus Beneficium curatum existens vacaverat, dictis defensoribus contrarium dicentibus, scilicet quod non erat Beneficium curatum; licèt forte esset Capella habens Curam annexam, nec habebat Parochianos, &c. Quare dicebant Curiam cognoscere non debere, quia ejus non erat cognoscere de jure Patronatus, & præsentatione quæ confitebantur, &c. ut suprà. Sed solùm de quodam jure spirituali, videlicet de collatione facienda de dicto Prioratu per dictum Episcopum vel non, & an vacaret, &c. Quapropter Curia dixit partibus auditis, quod ipsa non * cognosceret.

* *Ipsa non.*] Quod esset justum si Episcopi scientiam cum zelo haberent, sine ullo gratiæ, vel avaritiæ studio, (saltem ut tempore veterum legum, quæ sunt C. de Episc. audiend. mutatis autem moribus, justum est ea jura mutari. C. M.

QUÆSTIO CCCXXVIII.

Adverte notanter contra Judæos latum Arrestum sententiam Præpositi Parisiensis corrigens, &c.

PRæpositus Parisiensis Judæos quorum nomina sequuntur, *Samuel le Ny*, *Belle-vigne*, *de l'Estoile*, *Abraham de Sannis*, *Moreau de Laon*, *Auguin du Bourc*, *Raphael Abraham*, *Joseph du Pont de Vaulx*, condemnavit per suam sententiam comburendos, &c. Consultus super hoc per multos clericos. Cujus ratio fuit, quia pecuniam dederant, & consulebant cuidam nominato *Denys de Machault*, quondam Judæo, & facto Christiano, ut recederet à villa Parisiensi, & reverteretur ad Judaismum: necnon dimitteret quemdam processum quem inchoaverat contra Judæos Parisienses coram reformatoribus, coram quibus tradiderat quosdam articulos contra ipsos Judæos, & allegabat quæ se sequuntur. Primò, l. eum qui servum, C. de apostat. ibi suasione, &c. Et in fine cum dicit dispendio fortunarum capite puniendum censemus. Secundò, videtur magis ad propositum, l. 2. C. de Judæis ubi videtur casus in terminis, & quod pro nullo alio facta fuit illa lex. Tertiò, facit de minori ad majus arguendo, ex l. sacrilegii, ff. ad leg. Juliam pecul. nam si manufacta templa frangentes, & dona Dei noctu tollentes sunt damnandi, ut bestiis tradantur: fortiori ratione cor sulentes, ut Judæus factus Christianus ad Judaismum revertatur, & ob hoc pecuniam dantes sunt ad mortem condemnandi. Quartò gravius est offendere majestatem cœlestem quàm temporalem Auth. gazaros. Si igitur cogitantes, & consilium dantes contra temporalem majestatem, ut contra Principem sunt ad mortem condemnandi, *ut l. quisquis, C. ad legem Juliam ma.* sic à fortiori ratione cogitantes contra cœlestem majestatem, scilicet Deum vel ejus fidem, ut in proposito opinionis con-

Gravius est offendere Majestatem cœlestem, quàm temporalem.

tratiæ fuit, ego Joannes Galli * deprecatus per antedictum Præpositum, ut super hac quæstione cogitarem: qui Præpositus mihi tradidit in scriptis confessionem dictorum Judæorum. Et fuit opinio mea quòd verberarentur, & pecuniariter condemnarentur per c. postulasti, de Judæis, & c. in Archiepiscopatu, de rapto. Quam opinionem meam dixi dicto Præposito, illa die qua multi clerici, tam conjugati, quam non, & etiam Magistri in Theologia debebant in Castelleto congregari ad consulendum quid super hoc cogitarent. Et illam meam opinionem dixi dicto Præposito in absentia aliorum nondum congregatorum, quia pro Rege ire me oportebat in Cameram Computorum cum regio Procuratore, sic tantùm morari non poteram, ut expectarem absentes. Et fuerunt mea motiva, & rationes. Primò, quia per rotulum Judæorum confessionum antedictorum per dictum Præpositum mihi traditum, & quem adhuc habeo inter meos, videbatur mihi quod ille Dionysius se obtuleratad pecuniam habendam ut recederet, & ad Judaismum rediret. Secundò, quia principalis ratio pecuniam dandi, & consulendi dicto Judæo ut recederet, videtur fuisse ut ampliùs non prosequeretur processum per ipsum coram reformatoribus, contra dictos Judæos inchoatum. Tertiò, quia erat adhuc ignotum an reversus fuisset ad Judaismum dictus Dionysius, necne, *juxta l. 1. optimè, ff. de extraord. crim. cum notatis in l. is qui cum telo. ad leg. Corn. de sica. & l. si quis non dicam rapere. C. de Episc. & clerc.* Quartò, sic arguebam: Judæi reputant nos alienos: modò habetur in testamento antiquo, Non fœnerabis fratri tuo pecuniam ad usuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: & tenent pro deliberato in lege sua non debere puniri talia committendo. *Deut.* 24. c. Quintò, quia hoc crimen commissum erat contra Deum, cum quo minùs agitur, quàm cum ipsius ministro, ut Principe temporali, *l. Celsus in prin. ff. de arbit. & in Auth. de Jud. §. oportet, col.* 6. Sextò, quia interpretatione legum pœnæ sunt molliendæ, & c. *l. interpretatione, & l. si præses, ff. de pœnis.* Non obstant contraria, primo dicta l. eum qui, quia loquitur quando per persuasionem persuadentis jam traductus est ad vitam nephandam, & sic crimen fuerat consummatum. Item intellige ibi capite, id est perpetuo exilio, l. 2. ff. de pub. judi. l. rei capitalis, & l. capitalium in princ. ff. de pœnis: simile nota in l. 1. C. ne Judæus manci. Christia. ha. Secundò, non obstat. l. 1. C. de Judæis, quia tempore illius legis erat commune delictum Judæorum, sic tractare Judæos ad Baptismum venientes: ideò tunc gravius puniebantur, juxta l. aut factâ, §. fi. ff. de pœnis, & hoc denotat ibi textus, cùm dicit, quod nunc fieri recognovimus, &c. Scilicet tempore Constantini, qui legem illam condidit: hoc sic non fit hodie. Item fuit factum actuale violentum aut saxis, aut alio furoris genere attentatum, quod est inhibitum, l. si quis diutino. in fi. ff. de pœnis. Tertiò, non facit ad propositum dicta l. sacrilegii. Attamen attende quod minùs agitur, &c. ut dictum est suprà. Et eodem modo respondeo ad quartum argumentum. Et adverte quia ante prolationem dictæ sententiæ latæ per dictum Præpositum, ipse Præpositus consuluit Curiam Parlamenti an deferret appellationi, si Judæi appellarent à sententia sua, & hoc facit, quia non est consuetum quod deferatur appellationi factæ à sententia lata in processu extraordinario: ut erat ille quem fecerat dictus Præpositus contra dictos Judæos. Et per Curiam fuit sibi dictum quod deferret. Sic & fecit, quia appellaverunt dicti Judæi à dicta sententia, & detulit Præpositus appellationi. Et fuit apportatus processus in Curiam Parlamenti, & petierunt Judæi, ut haberent consilium, & audirentur per consilium ad dicendum causam suam appellationis, quod eisdem fuit concessum, & eorum consilium dixit causam appellationis eorumdem in Parlamento in die consilii, absentibus Advocatis regiis, qui Parisiis non erant, de quorum numero eram unus, licet indignus, præsente tamen regio Procuratore, qui audita causa appellationis petit dilationem, ut loqueretur cum consilio regio, dum venisset: quod sibi fuit concessum. Ratione responsionis Curiæ factæ Præposito, fuit magnitudo, & arduitas causæ, & dubietas, quia videbatur consilio, & Procuratori regio sententia multùm dura. Et insuper quod si Curiæ placeret, ipsa audiret motiva dominorum, qui interfuerunt ad consultationem Præposito dandam, & in casu quo Curia videret malè judicatum, quod sententiam & appellationem annullaret, & pronuntiaret, quod sibi foret dicendum. Et fuit ratio dicendi hoc pro regio Procuratore, ne daretur occasio appellandi à sententiis datis in processibus extraordinariis, si pronuntiaretur bene appellatum, & malè sententiatum, addito tamen quod aliqua facta nova quæ consilium Judæorum dixerat, in causa appellationis antedicta rejicerentur. Item Curia fecit congregari multos Magistros in Theologia, & alios clericos 6. die Aprilis, anno Domini 1314. & quid fecit, ignoro, quia non interfui: quia regius Advocatus erat opinionis, ut suprà tamen fuerunt propter hanc causam congregati. Item septima die hujus mensis & anni, Curia per Arrestum suum, & ex causis certis, quæ ipsam moverunt, ut fuit dictum Arrestum pronuntiando, dictas appellationem & sententiam posuit ad nihilum, & dictos Judæos condemnavit *à faire revenir ledit Denis de Machault par detention de leurs corps, & s'ils ne le font venir, la Cour aura advis qu'elle fera de leurs corps. Outre la Cour condamna lesdits Juifs à estre battus par trois Samedis, & en trois lieux, c'est à sçavoir en l'eschafaut des Halles, & en un eschafaut qui sera fait en Greve, & en un qui sera fait en la place Maubert.* Item, *les condamna en dix mil livres parisis, & chacun pour le tout, & à tenir prison jusqu'à plain payement, desquels dix mille livres parisis seront baillez & aumosnez cinq cens livres à l'Hostel-Dieu de Paris, & le residu qui monte à neuf mil cinq cens, sera employé & converty à faire un Pont de pierre, qui se commencera à une Tour qui est à petit-Pont, & s'addressera devant l'huys de derriere de l'Hostel-Dieu, & là sera une Croix de pierre où sera écrit, que ce Pont aura esté fait pour la punition d'iceux Juifs. Outre la Cour les bannit du Royaume, confisca leur bien. C'est à sçavoir icelle confiscation après que lesdits dix mil livres auroient esté payez pour employer audit Pont, non autrement.*

QUÆSTIO CCCXXIX.

Causa status supersedit quousque reus habeat viginti annos.

PEr Arrestum fuit dictum benè appellatum per Joannem *de Champagne* minorem 20. annis à sententia lata per Magistros Requestatum Palatii contra ipsum pro Magistro Arbalistorum, per quam dixerant quod dictus Joannes procederet in causa, nec supersederet usque ad ætatem 20. annorum quia licèt diceretur homo conditionatus dicti Magistri & servus, & per hoc tonderetur, * eo quod coronam acceperat sine ejus licentia: tamen non erat causa proprietaria: sed solùm impedimentum tolli videbatur, videlicet ut radatur, non autem tenebatur ad declarationem servitutis, &c. Et malè judicatum per Magistros dictos. Et dicit Curia quod causa supersederet quousque haberet viginti annos dictus Joannes: & erat causa status, non autem possessoria possessione simplici, nec novitatis.

• *Galli.*] Non acerbus, nec sanguinem sitiens, ut multi hodie. C. M.

In quibus legibus affectus punitur, licèt effectus non sequatur.

Interpretatione legum pœnæ sunt molliendæ.

Quibus denariis factus sit pons parvus, vulgò dictus le petit-Pont. Facit pro hoc Arresto l. 1. C. de Carbon. & dicto.

* *Tonderetur.*] Id est teroncderetur, seu in totum raderetur, ut nullam Ecclesiasticam tonsuram haberet, irrequisito, domino malè acceptâ, ut c. nulli c. quicunque, c. frequens c. quia autem, & per tot. 54. dist. C. M.

QUÆSTIO CCCXXX.

Quando tenetur quis de dimidia emenda propter malam ejus appellationem.

PEr Arrestum dictum fuit pro Religiosis, Abbate, & Conventu sancti Vedasti condemnatis in emenda cum Duce Burgundiæ consorte eorum, propter malam appellationem per ambos factam, & contra regium Procuratorem, quòd solùm executarentur de dimidia emenda, ac tenerentur de dimidia * tantùm, & non quilibet in solidum.

* *Dimidia.*] Et benè, quia ordinaria hæc mulcta non est pœna delicti, sed temeritatis, ut expensæ litis. Et dictum erat quod emendarent, & unica emenda absque verb. in solidum, & ille conventus est in urbe Attrebatensi, quæ est de regno, & de hoc Parlamento jure optimo indivisibili coronæ Franciæ, ut probavi in cons. Par. §. 1. glo. 3. q. 3. quæ fuit partim causa expulsionis meæ è Dola per Philippum Austricum mense Novemb. 1556. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXI.

Quando retrahentibus pecunia reponi debeat.

PEr Arrestum dictum fuit contra dominum Imbertum *de Boysi*, Præsidentem, in Parlamento, & ejus uxorem, pro domino Joanne *la Personne*, in causa retractus, quod dicti conjuges actores in causa retractus deponerent, & consignarent realiter, & de facto pecuniam in literis venditionis dicti *la Personne* contentam, quamvis super principali essent in factis contrariis appunctati: vidi dici contrarium * pro domino Petro *d'Arquane*, contra dominum Joannem *de Cure*. Ratio primi fuit, quia causa retractus seu factum dictorum conjugum non erat benè coloratum, &c.

* *Contrarium* | Et benè, ut etiam observatur. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXII.

Quando opponens in casu novitatis habeat garendum, &c.

PEr Arrestum vidi dici pro domino Petro *de Harcourt*, contra quemdam dominum cum quo eram, conquerentem in casu novitatis, & relevamentum habentem de 6. annis, quòd dictus dominus Petrus haberet garendum: quia solùm inspiceretur tempus relevamenti, non tempus præcedens, quo dictus dominus Petrus, vel ejus prædecessores possederant ad eum à garendo excludendum: quia tempus præcedens videtur sublatum propter relevamentum, & sic censebatur dictus dominus Petrus esse intra annum, & habere debere garendum, * &c.

* *Garendum.*] Et benè ex quo actor restituitur contra lapsum medii temporis, & sic reo, pura emptori non potest imputari culpa per venditorem suum, quod emptor traditione habita non bene custodierit possessionem suam per annum & diem, vel intra tempus debitum non interpellaverit venditorem, sed hodie hujusmodi restitutiones prohibentur, nisi, ut dixi in cons. Paris. tit. 3. §. 64. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXIII.

Alia Arresta lata in Parlamento cœpto in crastinum Festi sancti Martini hyemalis, anno Domini 1395.

Quando quis tenetur negare, vel confiteri sigillum.

PEr Arrestum dictum fuit contra Reginam *de Hierusalem*, & ejus filios, videlicet Ludovicum, &c. quod non cognoscerent, vel negarent sigillum quondam patris * eorum, & mariti dictæ Reginæ appositum in quadam Littera ad utilitatem *Demesme*, & post ejus mortem filiorum suorum ejus heredum facta: per quam confitebatur quondam dominus Andegavensis, & Rex Hierusalem se recepisse à dicto *Demesme* in mutuum quamdam pecuniæ summam, pro ea exponenda in guerris regiis, & per quam etiam obligabat se non ad summam solvendam, sed ad faciendum solvere super thesauro Delphini, & Locum-tenentis Regis in partibus, &c.

* *Patris*] Et benè ad finem veritatis, & probationis juvandæ, non autem ad finem hypothecæ, vel munitionis, nisi aliis concurrentibus, ut dixi in cons. Paris. §. 78. non obstat sup q. 234. quia ibi pro tunc, & erant aliæ circumstantiæ, & inf. par. 7. art. 89. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXIV.

An Arrestum super Marcha importet captionem corporum.

VIdetur quod non per Arrestum * latum contra Episcopum *d'Vreël*, & ejus bona, & ejus subditos, & eorum bona, virtute cujus Joannes *de Caule*, Petrus *Mule*, & dicti Mercatores *de Caule*, ut dicti Episcopi subditi fuerunt in Rothomago imprisionati, ad requestam Nicolai & Joannis *le Sevre* mercatorum Parisiensium adutilitatem quorum fuerat dictum Arrestum prolatum, & etiam eorum bona capta, contra quam executionem fuerunt recepti, ut opponentes dicti imprisionati. Et finaliter partibus auditis, dictum fuit per Arrestum, quod liberarentur dicti prisionarii, quoad eorum personas, sed eorum bona manerent in Arresto: cujus ratio videtur quia per Arrestum antedictum non fuerat marcha concessa quoad corpus expressè: & licèt dictum fuerat contra Episcopum; & ejus bona, contra ejus subditos, & eorum bona, non comprehenduntur corpora: probatur, quia persona Episcopi non posset comprehendi, & debet intelligi contra Episcopum, &c. id est quod virtute Arresti posset contra Episcopum, & ejus subditos fieri prosecutio, actione in factum ab Arresto descendente, juxta *l. actors, C. de rebus credi.* videtur contrarium: quia frustrà diceretur contra Episcopum, & ejus subditos, nisi virtute Arresti possent capi, & præsenti Episcopo, & tradi Diœcesano, in cujus Diœcesi caperentur. Nec obstat quod liberati prisionarii: quia hoc fuit eo quod dicti capti negabant se esse subditos dicti Episcopi jurisdictione temporali: sed asserebant se esse subditos Imperatoris, licèt caperent crisma, & Baptismum à dicto Episcopo. Et ideò quia hoc videlicet an essent subditi in temporali jurisdictione dicti Episcopi, necne, cadebat in cognitione causæ, & super hoc fuerunt dictæ partes appunctatæ in factis contrariis, fuerunt prisionarii liberati: quia iniquum fuisset pendente processu, ipsos esse prisionarios, maximè quòd hoc in facto, & in cognitione causæ jacebat.

* *Arresti*] Inf. q. 259.

QUÆSTIO

QUÆSTIO CCCXXXV.

An sit licitum guerram facere.

PEr Arrestum fuit defensa facta dominis Comiti de Perdriaco Vicecomiti *de Caraman*, necnon domino de Berbesa de Gasconia, ne de extero facerent guerram, nec proponeretur quod licitum esset eis, vel aliis de regno Francix guerram facere, guerris regiis durantibus.

Item, & per idem Arrestum dictum fuit non licere alicui etiam tempore treugatum habere secum Anglos regni inimicos ad guerram, contra aliquem de regno, & in regno faciendam, durantibus guerris regis, vel treugis.

QUÆSTIO CCCXXXVI.

*An clericus non conjugatus chirurgicus *teneatur respondere coram Curia laicali, de tangentibus suum officium.*

* Chirurgicus.] Contra c. tua, nos de homicid. ubi Panor. & Fely. dissentiunt, August. de anch. de potest. Eccles. q. 109. art. 3. 10. C. M.

PEr Arrestum fuit pronunciatum pro Procuratore Regis appellante, & contra Joannem Laugeum se dicentem Chirurgum Parisiensem appellatum à Præposito Parisiensi super eo quod dictus Procurator regius coram Præposito proposuerat contra dictum Joannem, quòd se intermiserat de arte Chirurgica, quamvis esset insufficiens, & fecerat malas curas, & absque eo quod fuisset approbatus per juratos Chirurgos Parisienses, quod facere non poterat per Ordinationes regias, per quas inhibebatur omnibus ne anteà se intromitterent de dicta arte. Quare contra eum concludebat ad emendam. Et ut interdiceretur eidem ne amplius uteretur dicta arte: dicto Joanne dicente quod coram dicto Præposito respondere non tenebatur, quia erat clericus non conjugatus: replicante dicto procuratore, quòd imò tenebatur, quia exercuerat * officium politiam villæ Parisiensis respiciens, & generale, & necessarium, & publicum, contra ordinationes regias, mesprendendo, & eo abutendo, & in eo delinquendo. Item quia politia villæ spectabat quoad cognitionem, & determinationem dicto Præposito: sic de hoc casu pertinere debebat. Finaliter per dictum Præpositum fuit dictum quòd dictus Joannes non tenebatur respondere coram dicto Præposito, à qua pronuntiatione fuit per dictum Procuratorem appellatum ad Parlamentum in quo partibus auditis, fuit dictum pro dicto Procuratore benè per ipsum appellatum, & per Præpositum malè judicatum, & quòd causa principalis remaneret in Parlamento, & partibus auditis, fieret jus. Et hanc causam pro Rege placitavi.

* Exercuerat.] Steph. Aufrepe. cle. 1. reg. 1. fallen. 16. de officio ordi. C. M.

QUÆSTIO CCCXXXVII.

An pons factus pro utilitate reipublicæ super fundo alterius, sit ipsius & domus super ipso ædificatæ.

PEr Arrestum dictum fuit pro Procuratore Regio, & Joanne *le Pelle* defensoribus, contra Religiosos Abbatem, & Conventum S. Germani de Pratis petitores, in causa proprietaria, super eo quòd dicti petitores proponebant quod domus ædificatæ super pontem novum S. Michaëlis debebant declarari ad eos spectare, eo quod solum super quo pons antedictus erat factus, erat eorum, & in eorum justitia alta, media & bassa, & aqua etiam eorum in tota justitia, & piscaria, ac omnes aves & pisces, à parvo ponte, & magno, & ab utraque parte riparum etiam per spatium unius lanceæ ultra ripas usque ad villam *de Seine*. Nam quod inædificatur, seu superædificatur solo cedit *, si ergo pons ædificatus fuerit super eorum solum, & super pontem, domus illæ censentur esse eorum, *argumento l. maritus, ff. de acqui. re do. §. cum quis inst. de re. di. l. §. labeo. ff. uti. poss. l. 2. §. viam. ff. ne quid in loco pub. l. 1. §. si insula. ff. de flumi. l. ergo. §. alluvio, & §. si pilas, ff. de acqui. rerum do.* Nec domus in medio quæ non servit, impedit servitutem: juxta *l. in tradendis, §. interpositis, ff. communia prædi.* licèt habeatur contractum in *l. qui scilla, in fi. ff. de servi. ru. prædi.* Et ideò concludebant quod saltem solveret dictus *le Pelle* (cui per gentes regias plateæ pontis traditæ fuerunt ad ædificandum, in quibus ædificaverat) censum annuum: juxta, *l. 2. §. si quis nemine, ff. ne quid in loco publico, & l. si legatum in fi. ff. de ope. pub.* Et fuit paratus placitare causam pro eis, sed fui de consilio regio detentus: sic pro eis non placitavi, nec contra eos: sed socius meus Magister Petrus Aurifabri, nunc Cancellarius Aurelianensis. Rationes Regis in contrarium possunt sumi *ex l. si locus, in fi. quem ad. servi. amit. l. item si uberatum, §. item si forte, ff. de rei ven. l. Lucius in prin. ff. de evict. l. lege Cornelia. ff. ad Syllanian.* cum similibus.

* Cedit.] Cepol. de servi. urban. prædi. c. 30.

QUÆSTIO CCCXXXVIII.

*An habitantes * in suburbio contribuere debeant ad reparandum villam, & ad solvenda vadia Capitanei. Et quid de Episcopio, & de Castello villæ.*

* Habitantes.] Sup. q. 130. 237. 254.

PRo domino Reginaldo *de Monteile*, Capitaneo *d'Evreux*, & habitantibus dictæ villæ, fuit Arrestum dictum contrà Episcopum, Decanum & Capitulum *d'Evreux*, & habitantes suburbiorum *d'Evreux*, quod habitantes suburbiorum ad reparationem, seu reparationes fortificationis villæ, & vadia Capitanei contribuerent, & contra Episcopum fuit facta provisio de duodecima parte, & contra Decanum & Capitulum de 8 parte, durante causa principali, &c.

QUÆSTIO CCCXXXIX.

*An in causa duelli quis possit recedere sine Curiæ licentia. * &c.*

* Licentia.] Sup. par. 1. c. 16. §. 23.

PEr Arrestum non valuit relevamentum *du Regne du Bail*, pro seipso impetratum in causa duelli, inter ipsum petitorem ex parte una pro quo eram, & dom. Guidonem *de Laval*, militem defensorem ex altera, attamen non fuit in defectu positus: Sed quia iverat in regnum Siciliæ pro rege Ludovico, Curia ex æquitate dedit, & assignavit sibi tempus quo compareret in Curia pro jure audiendo: super quo per modum memoriæ erant partes ante ejus recessum appunctatæ: Ratio æquitatis Curiæ fuit, quia Regina Siciliæ, & Hierusalem coram qua erat, causam continuaverat tribus vicibus, sub cujus obtentu recesserat: & quando pars dom. Guidonis scivit ultimam continuationem, appellavit ab ea: & fuit dictum per Curiam malè continuatum, & benè appellatum: & retinuit Curia causam principalem quæ erat appunctata ad jus audiendum. Et dedit terminum dicto *Regne* ex æquitate: sed non profecit ei relevamentum suum, quia non faciebat mentionem specialem de causa vadii.

QUÆSTIO CCCXL.

Arrestum contra Ducem Britanniæ pro domina de Rays.

* *Rays.*] Cujus pater ob nephanda maleficia damnatus fuit ante 40. annos multum de ejus successione disputatum in hoc senatu, quia in Armorica non est locus confiscationi etiam in crimine hæresis, vel læsæ Majestatis, vide Annales Alani *Bouchart.* lib. 4. fol. 178. C. M.

PEr Arrestum Dux Britanniæ fuit condemnatus ad restituendum dominæ *de Rays*, terram *de Rays*, unà cum locis & castris, necnon pro quolibet anno quo tenuit eam, *huit mil francs* : & quod tenebitur donec restituerit eidem, necnon præstito per eam juramento super bonis mobilibus tempore occupationis in eisdem existentibus, & eorum valore fuit condemnatus erga eamdem in 60000. francis, & expensis ejusdem. Et fuit per inquæstam per dominam factam, quia per duos defectus ceciderat Dux à defensionibus suis : & fuit quia non fuit dignatus in Curia comparere. Et etiam lucrata fuit causam, quia ab eo appellaverat, & fuit dictum bene appellatum, ut malè judicatum per decem, & quod emendaret : & fuit in emenda condemnatus, & expensis causæ appellationis, ultra hoc dictum fuit quod remaneret exempta à Duce, durante ejus vita & Ducis, & quòd esset Regi subdita in justitia & ressorto.

QUÆSTIO CCCXLI.

Arrestum contra dominum Petrum de Craon, *pro Regina Siciliæ.*

* *Craon.*] Proditor, edictes Annales fol. 145.

PEr Arrestum dom. Petrus *de Craon*, fuit condemnatus ad commissionem feudorum, quæ tenebat à Regina Siciliæ & Hierusalem, nomine suo, & filiorum suorum, ut ille qui feloniam commiserat contra dominum suum, & ut *déloyal & traistre*, erga dictum dominum suum Regem Siciliæ quondam maritũ ejus, & patrem dictorum filiorum suorum, & erga eam nomine quo suprà, fuit condemnatus in centum mille ducatorum, ac de regno bannitus, & alia bona confiscata declarata, & condemnatus in expensis, damnis & interesse, & hoc per quatuor contumacias prosequente ipsa, & regio Procuratore, & ad prisionem tenendam, donec solvisset: sed noluerunt pati Arrestum exequi contra ipsum, & ejus bona tunc existentia in sancto Dionysio, rex ejus avunculus, & Dux Aurelianensis, &c.

QUÆSTIO CCCXLII.

Arrestum contra Comitem de Viesne, *pro domina Regina.*

PEr Arrestum dicta Regina fuit tenta in possessione, & saisina Comitatus *de Roussy*, nomine quo suprà : & fuit Comes *de Viesne*, condemnatus ad fructus eidem reddendos à tempore recredentiæ quondam eidem Comiti factæ in expensis, damnis, & interesse, &c.

QUÆSTIO CCCXLIII.

Nota contra Prælatos Ecclesiasticos, & eorum sententias.

VIdi in Parlamento quemdam nomine Amblardum Clericum non conjugatum, qui Procuratorem Ducis Burgundiæ meurtraverat existentem in salvagardia, & cum delatione armorum prosecutum nomine amicorum dicti, & Procuratoris regii, qui se juvit quadam sententia facta ab Officiali Claromontensi per quam dictus Amblardus, ut innocens de dicto crimine, fuerat absolutus : contra quam sententiam volens regius Advocatus pro regio Procuratore multa proponere, petit videre processum super quo fundabatur, juxta c. quoniam contra falsam de proba. propter quod fuit dicto Amblardo injunctum, ut processum faceret venire, & Procuratori regio ostenderet, quod non fecit : sed finaliter contrarius sibi ipsi impetravit regiam gratiam, confitendo meurtrum fecisse. Et sic nota contra Prælatos processus, & purgationes facientes, qui hodie non sunt, ut prosint, sed ut præsint, & suis & sibimet ipsis cum ipsorum animarum æterna damnatione, & perditione, contra l. si quemquam, C. de Episc. & Cler. Sup. q. 319.

Illa si l. quæ quã, quamvis salubertima procul à mundo nunc exulat.

QUÆSTIO CCCXLIV.

Attende ad regaliatores jurisdictionis Ecclesiasticæ, impedire volentes, ac malitiam præsupponentes.

PEr Arrestum Curiæ fuit pronuntiatum contra Magistrum Guillelmum *de Cancers*, licentiatum in utroque jure, ac de consilio regio in Parlamento pro domino Petro *Adume* Capellano Reginæ, quòd Curia non obtempetaret quibusdam Literis regiis à dicto Magistro Guillelmo impetratis, &c. Et fuit casus talis, quia dictus Petrus *Adume* obtinuerat, ut Capellanus Reginæ, & nomine Reginæ nominati per regem ad Canonicatum & Præbendam *d'Andely* Rothomagensis diœcesis, ut vacantem per mortem Joannis *Guerin* : & etiam obtinuerat dictus Magister Guillelmus nominari per Regem ad eosdem Canonicatum & Præbendam : & quamvis dictus *de Cancers* fuisset citatus ad requestam dicti *Adume*, coram judice à Papa delegato super jure beneficii, quod beneficium possidebat, & fuisset tantum processum per dictum *Adume*, quod inquestam suam fecerat nondum publicatam, & fuisset dicto *de Cancers* dies assignata ad dicendum, & proponendum quicquid vellet : ipse *de Cancers* prætendens habuisse à Rege de novo collationem beneficii antedicti, ut in regalia vacantis, fecit inhiberi virtute quarumdam Literarum ab ipso impetratarum à Rege (quarum tenorem in alia papyro habeo) dicto judici & parti, ut desisterent à processu prædicto, quia in præjudicium juris regaliæ, cujus cognitio ad Regem, & ejus Parlamenti Curiam spectat, non ad alium : & in casu oppositionis, qui evenit, fuit parti (quia judex non se opposuit) dies in Parlamento assignata, in quo Parlamento requisivit dictus *de Cancers*, ut dictus *Adume* desisteret à dicto processu, secundùm tenorem Literarum, & quod obtemperaretur per Curiam Literis suis, & quod diceretur oppositio partis tortionaria, quod sibi sufficiebat dici, & pronuntiari: Pars adversa dicebat quod dictus *de Cancers* proponeret suam regaliam, in ea concludendo, & hoc ad finem, ut esset dictus *de Cancers* actor, & pars adversa rea in principali : dictus *de Cancers*, dicebat quòd non tenebatur concludere in principali ut actor, sed sufficiebat sibi quod inhibitio facta parti adversæ, ut desisteret à processu facto coram judice principali, diceretur valida, & ejus Literis obtemperaretur, & oppositio partis suæ tortionaria diceretur, & sic remaneret in suo statu quem habebat, in suo beneficio quod possidebat. Quæ fieri requirebat per sequentia. Primò, quia de regalia judex Ecclesiasticus cognoscere non potest principaliter, nec incidenter, quod & pars confitebatur : sic inhibitio erat valida. Secundò, nec debebat dictus *de Cancers* fieri actor, quia coram judice principali erat actor pars adversa : agat ergo nunc si velit.

Judex Ecclesiasticus de regalia cognoscere, non potest, nec principaliter, nec incidenter.

Tertiò, si contrarium diceretur, sequeretur absurditas, quia esset in potestate impetrantis Ecclesiastici facere regaliatorem possidentem actorem, & sic ipsum deappunctare de statu suo, quia ipsum faceret citare coram judice suo principali: & cùm ipse judex non possit cognoscere de regalia incidenter, nec principaliter, regaliator faceret eidem inhiberi ne cognosceret, & in casu oppositionis dies assignaretur in Parlamento, &c. Quartò, non est prodita possidentis actio qua neget rem actoris esse. Pars adversa in contrarium dicebat, quod si agere non posset, Curia Parlamenti cognosceret: quia agendo deduxerat suum jus Ecclesiasticum super quo pronuntiare non posset ipsa Curia: nec aliud medium habebat, cùm non haberet possessionem Beneficii, nec per consequens possessorium. Replicabat dictus dominus *de Canciers*, & dicebat quod proponeret negatoriam. Finaliter Curia Parlamenti videns cautelam dicti *de Canciers*, qui tacuerat suam regaliam, donec audivisset & vidisset coram judice principali intentionem sui adversarii, & fuisset sibi dies assignata ad libellandum, & dicendum quicquid vellet, licèt ab initio potuisset impetrasse literas suas inhibitorias: advertens etiam quod si esset actor dictus *Adame*, Curia non poterat cognoscere de causa, quia erat impetrans Apostolicus. Advertens etiam quia non poterat astringere via directa dictum *de Canciers*, ut esset actor, quia nolebat consentire, pronuntiavit quod non obtemperaret Litteris ab ipso impetratis: & sic coegit ipsum per viam obiquam, si vellet uti sua regalia, ut esset actor, quia nunquam uteretur via exceptionis coram judice Ecclesiastico, nec etiam ipse cognoscere posset.

QUÆSTIO CCCXLV.

Attende contra Advocatos & Procuratores veritatem non insequentes, & malè partes suas consulentes.

MAgister Joannes *Andrignel*, & Magister Joannes *Pappignot*, fuerunt condemnati in emenda malæ appellationis, ac in expensis Commendatoris de Capitulo Ordinis Hierosolymitani, eo quod appellaverant à sententia lata per Magistros Requæstarum Palatii, qui dixerant quod non obstante defectu capto per ipsos Advocatum & Procuratorem, procederetur in causa inter Priorem *de Leye*, petitorem in casu novitatis eorum Magistrum, & dictum Commendatorem, eo quod promiserat dictus *Pappignot*, Procuratori dicti Commendatoris, quod non procederet contra ipsum, nec defectum caperet in dicta causa, nisi priùs sibi notificaret & videret, quod dixerat dicto Advocato cujus contrarium fecerat.

Faciunt ad ista l. 1. de advo. diver. judi. l. athletas § fin. ff. de his qui no. insa.

QUÆSTIO CCCXLVI.

Arrestum contra Guillelmum Marcelli campsorem Parisiensem pro domino de Riparia.

PEr Arrestum fuit Guillelmus Marcelli de Parisiis condemnatus in emenda mille francorum, eo quod petebat à domino Burello de Riparia summam mille francorum virtute cujusdam Literæ falsæ per ipsum fabricatæ sigillo dicti domini sigillatæ. Et hoc modo, quia post mortem Adæ *des Essars*, qui frater erat uxoris dicti Guillelmi, ipse Guillelmus reperierat quasdam antiquas Literas sigillatas sigillo dicti domini inter bona dicti Adæ, qui erat gubernator domini antedicti, & scinderat * ipsa sper marginem subtus: sic remanserat modicum de pergameno dictæ marginis unà cum cauda sigillata sigillo dicti domini, & in ipsa margine fecerat scribi quòd dictus confitebatur se debere ex mutuo dicto Guillelmo mille francos. Sed hæc falsitas proposita fuit per me pro parte dicti domini, de cujus eram consilio, & ad hoc proponebam sequentia. Primò quia apparebant tractus antiquæ literæ super illa margine descendentes facti de calamo cum incausto. Secundò, quia videbatur cum forcipibus quod illa margo fuisset scissa, non directò, sed *per bendes*. Quartò, quia Litera erat malè scripta, *& haut & bas*, & semper habuerat dictus dominus bonos notarios, & benè scribentes, qui cognoscebantur non fecisse illam Literam. Quintò, quia non nominabatur *Seigneur de Riviere*, * nec primus Regis Camerlanus, nec miles; quod consueverat in Literis per eum factis. Sextò, erat solùm data *de l'an 70.* nec erat Incarnationis annus Domini mille centesimus, &c. Septimò, quia dictus Guillelmus nunquam fecerat mentionem de illo debito, nisi à quatuor annis citrà. Octavo, confessus fuerat aliàs dictum dominum sibi teneri, sed interrogatus an haberet super hoc Literas, dicebat quod non. Nono, quia si verè fuisset debitum, per medium dicti Adæ se benè fecisset solvi, quia erat omnino dicti domini gubernator, & administrator. Decimo, quia steterat per magnum tempus, attenta data Literis ad petendum; quod non fecisset, si debitum fuisset, & plura alia: & interrogatus per quem fecit deferri pecuniam dicto domino, & ubi, respondit per Joannem *Lamy*, in galeria domus domini *de Clichon*, & super hoc fuit dictus *Lamy*, per Curiam interrogatus ad mei petitionem, qui fuit confessus quod illam summam detulerat pro Rege illo in loco, & tradiderat domino Joanni *le Mercier* pro quadam emenda ad quamdam compositionem facta per dictum Guillelmum Regi, ratione cujusdam delicti per ipsum perpetrati, eo quod tacuerat mortem filii sui per tres dies, ut componeret cum ejus successoribus, & heredibus de ejus successione, fingens ipsum vivere, & ipsos sic decepit: non autem mutuaverat aliquid dicto domino de Riparia, nec ipsi, nec pro ipso fuerat pecunia tradita, nec soluta, & finaliter propter has præsumptiones fuit dictus Guillelmus per Curiam secretè interrogatus, & fuit fallitatem confessus, & sic condemnatus in emenda, & in expensis dicti domini, qui fuit ab ejus petitionibus absolutus, & sibi fuit reservatum ad faciendum prosecutionem, si vellet, contra dictum Guillelmum ratione hujusmodi facti.

* *Scinderat.*] Tempore enim contigit similis falsitas per quemdam rusticum coram Io. de Vesinis, nec fuit rusticus punitus, nisi pecuniariter, sed hujusmodi deberent laqueo vitam finire, ut quidam dives mercator Io. *Girard*, qui etiam Magistratuum signa falsificabat, furcis strangulatus 14. Maii ann. 1350. C. M.

* *Riviere*] Unus è tribus secret. Consiliar. Regis Caroli VI à tutela, & cura patruorum (magno regni damno) liberati in conventu Rhemensi anno 1389. ut in annalibus Egidii. C. M.

QUÆSTIO CCCXLVII.

Pro rege contra Ducem Bituricensem.

PEr dominum Cancellarium Franciæ nominatum Arnaldum *de Corbie*, dominum *de Gyac*, dominum Episcopum Noviomensem, dominum Episcopum Bajocensem, duos Præsidentes in Parlamento videlicet dominum Petrum *Boschet*, & Magistrum Henricum *de Malle*, Magistrum Odardum de Molinis, & plures alios Magistros Requestarum hospitii, & de consilio regio in Parlamento, post placitationem per me factam, coram ipsis defendendo pro Rege contra plures querimonias pro parte domini Ducis factas, contra Baillivum exemptionum patriæ Pictavensis, & servientes regios ejus patriæ, fuit appunctatum quod sequitur. Primò quod in dicta patria essent tantùm 30. servientes regii manentes, secundum quod vellent tam in dominio dicti Ducis, vel subjectorum ipsius, vel in terra exempta per modum provisionis, & absque præjudicio alicujus partium. Secundò, quod absque gratia defensores comparerent in judicio tam coram Baillivo regio, quàm aliis judicibus subjectis pa-

triæ illius, tam Ducis antedicti, quàm aliorum. Tertiò, quod serviens regius absque informatione præcedente, ratione infractionis salvægardiæ, posset subjectos Ducis, & alios adjornare coram dicto Baillivo, ad partis requestam solùm, dum tamen constaret servienti quod requirens esset in salvagardia Regis, publicata sufficienter in judicio. Super primo fuit magna altercatio. Sed ratio decidendi fuit, quia patria Pictavensis est magna, pervia & spatiosa: & si manerent in dominio regio, esset impossibile quod sciret forefacta: quia à 40. vel à 30. leucis longè oporteret eos manere, cum aliis rationibus quas allegavi in causa Tornacensi pro Rege contra villam Tornacensem. Super secundo ratio fuit, quia esset impossibile hominem ad crastinum diem adjornatum coram Baillivo, habere posse gratiam regiam ad defendendum per procuratorem. Super tertio fuit magna altercatio, sed ratio decidendi fuit, quia constabat requirentem esse in salvagardia publica, & quod casus erat talis de quo nullus alius quàm regius Officiarius cognoscere poterat. Item quia ad requestam Guillelmi ratione excessuum, coram judice Ducis absque informatione adjornabatur, aliàs. Sic igitur similiter coram judice regio super infractione salvægardiæ, qui est solùm judex ab hoc casu requirens, erit in salvagardia regis publica, & constat servienti. Nec est opus quod fiat informatio, nisi quoad adjunctionem Procuratoris regis, de quo non erat quæstio, quia non se partem faciebat.

QUÆSTIO CCCXLVIII.

Alienatio domanii Regis revocati.

PEr Arrestum Procurator Regis absolutus à petitione Comitis sancti Pauli, petentis super thesauro regio 400. libras redituales. Ratio, quia fuerat alienatio facta de domanio regio, & à tempore Regis Philippi, quæ revocata * fuerat per generalem ordinationem factam super revocatione tahum alienationum à tempore dicti Regis Philippi *le Bel*.

* *Revocata.*] Frequentes sunt hujusmodi revocationes, ut dixi in tract. usur. q. 58. C.M.

QUÆSTIO CCCXLIX.

Qualiter intelligatur quòd inter dominum, & subjectum non cadat novitas. *

* *Novitas.*] Dixi in consil. Parisien. 9. 1. glos. 4. q. 5. C. M.

PEr Arrestum fuit dictum pro Religiosis, Abbatissa & Conventu, contra dominum Comitem de Alenconio, & Vicecomitem *de Beaumont*, quod cujusdam causæ novitatis captæ per dictas Religiosas in Curia Parlamenti contra ipsum Comitem non fieret remissio coram ipso Comite, vel ejus Baillivo. Ratio dubitandi, quia terræ super quibus facta fuerat prisia ex parte dictarum Religiosarum erant ipsius Comitis: in quibus terris seu sylvis ipsæ dicebant se habere reditum, à solutione cujus fuerat per dictum Comitem cessatum. Econtra dicebatur illas esse in jurisdictione omnimoda dicti Comitis, & inter subjectum, & dominum, &c. Modo ratione illorum jurium quæ habebant, & dicebant dictæ Religiosæ se habere super rebus in jurisdictione omnimoda dicti Comitis existentibus, videbantur esse subjectæ: in contrarium allegabatur quod erant exemptæ omnino à dicto Comite per privilegium suorum prædecessorum in quæstis, & quarendis, quod curiæ fuit ostensum. Et ultrà dictum fuit quod erant partes recipiendæ: & in factis contrariis super principali appunctatæ fuerunt.

QUÆSTIO CCCL.

Qualiter onerantur Episcopi in redditione eisdem facta suorum Clericorum.

PEr Arrestum Floridus fuit condemnatus in ducentas libras erga Regem, & erga partem, in aliis quamplurimis, ratione portuum armorum, & aliàs ratione meurtri in persona domini *de Chivers* commissi: & fuit Episcopo Noviomensi redditus, quia clericus, & fuit eidem Episcopo per idem Arrestum inhibitum, ne liberaret ipsum à prisione, donec satisfeciset de præmissis, & sub pœna, & onere solvendi prædicta, si contrarium feciset: quia ad prisionem tenendam pro præmissis per Parlamentum condemnatus fuerat.

QUÆSTIO CCCLI.

Quando Clerici non debeant immunitate, & privilegio Clericali gaudere.

PEr Arrestum fuit dictum Floridum Robertum *de Bettam, & le Bandoam*, non debere gaudere immunitate Ecclesiæ, in qua capti fuerant, ratione meurtri per eosdem commissi in persona domini *de Chivers*, quia sub spe immunitatis habendæ fecerunt illud, & quia insidias * fecerant. Et etiam per Arrestum illud, licet essent dicti Robertus, & *le Bandoam* Clerici non conjugati, & requirerent reddi suo diœcesano, ut tales fuerunt condemnati ad mortem, quia dictus *le Bandoam* fuit suspensus, & Robertus submersus: quia amiserant privilegium clericale propter sua demerita: quia meurtrarii perseverantes, & vitam inhoneatam insequentes.

* *Insidias.*] Idem. Nicola. Boer. citans hanc decisionem, & pluta Arresta in decis. Burdegal. 69. num. 19. cum seq. simile Arrestum Tholo. infrà Arrest. Tholo. 67 C.M.

QUÆSTIO CCCLII.

Alia Arresta lata in Parlamento cœpto in crastino Festi beati Martini hyemalis, anno Domini 1396.

Cogitur Episcopus absolvere, & dehumare de campis.

PEr Arrestum fuit condemnatus Episcopus Cenomanensis ad faciendum filium Ponceti dehumari, qui fuerat, ut excommunicatus per Officialem dicti Episcopi in campis humatus, necnon ad faciendum dictum Poncetum absolvi, quia pendente lite, & post inhibitionem Episcopo, & ejus Officiali factam, ne contra ipsum procederent, in contemptum processus pendentis inter Episcopum antedictum coram Baillivo Cenomanensi, & appellationis in Parlamento pendentis: & dictus Poncetus pater fuerat excommunicatus, & ejus filius, ut excommunicatus in campis inhumatus, &c.

QUÆSTIO CCCLIII.

*Non est supersedendum ab evocationibus ad bannum, nisi pars compareat personaliter * allegans suum privilegium.*

* *Personaliter.*] Et ea notorie observatur: si infr. par. 7. ac 9. C. M.

PEr Arrestum dictum fuit Ambrosium, qui per Præpositum Parisiensem fuerat ad bannum vocatus,

malè appellatsse, & Præpositum bene processisse, qui non supersedit ab evocatione, quamvis dictus Ambrosius in D. Dionysio carceris esset in franchisia, & Episcopus notificari fecerat dicto Præposito quòd erat Clericus solutus, & ostendit Litteram suæ tonsuræ, à quo appellaverat dictus Ambrosius, eò quòd dictus Præpositus non supersederat ab evocationibus; nam debebat comparere coram ipso Præposito personaliter, & allegare suum privilegium propter fraudes: nec obstabat Litteræ coronæ ostentio, quia ignorabatur an esset, vel etiam amisisset privilegium, nec de statu ejus apparebat, vel debuisset se reddidisse Ordinario suo, qui significasset Præposito.

QUÆSTIO CCCLIV.

Causa criminalis non impedit cognoscere de appellatione.

PEr Arrestum dictum fuit quòd si quis appellet à captione facta per Judicem laicum ad Parlamentum, ratione cujusdam criminis, & petat Ordinarius suum ipsum ut Clericum sibi reddi: & re vera sit Clericus, quòd in Curia Parlamenti respondere debet super appellatione per eum facta. Nec præjudicat causa criminalis agitanda coram Judice Ecclesiastico causæ civili, puta appellationi, quia captio à qua appellavit, est initium & introitus causæ: & an benè vel malè fuerit appellatum, est cognoscendum: aliàs Curia secularis nullam haberet cognitionem super talibus appellationibus, & Rex frustraretur hujus cognitione, & etiam emenda, quæ appellationem sequi potest, &c.

QUÆSTIO CCCLV.

Submissio executionis testamentaria excludit ordinarium Judicem.

PEr Arrestum remansit Curiæ * executio testamenti Joannis Clerici, consanguinei Joannis *le Clere*, Notarii regii: qui Joannes erat Capellanus sanctæ Capellæ, eò quòd in testamento suo, judicio Parlamenti submisit eam, quamvis eam habere vellet Thesaurarius dictæ Capellæ, eò quòd, ut Capellanus, erat eorum subditus.

* *Curia.*] Quæ hodie remitteret ad secularē Ordinariū. C. M.

QUÆSTIO CCCLVI.

Nota Clericum non condemnatum ad prisionem tenendam condemnari.

PEr Arrestum prima die mensis Martii anno suprà dicto latum, fuit condemnatus Joannes *Pocbelle* Clericus non conjugatus, ad tenendum prisionem in Curia Episcopi * Parisiensis, qui captus fuerat Parisiis, pro emenda in qua fuerat erga Regem condemnatus, videlicet 200. libris Turonensibus ratione delicti, & 60. libris Parisiensibus ratione malæ appellationis, & 100. libris Turonensibus ratione delicti per eum perpetrati in personam Radulphi *de Otines*, Notarii regii, tunc horribiliter per dictum Joannem vulnerati cum delatione armorum, & infractione salvagardiæ; & tamen erant tres anni lapsi quòd in præmissis erat condemnatus. Sed prætextu quòd non habebat temporalitatem, & erat Clericus non conjugatus, erat illusorium Arrestum.

* *Episcopi.*] Jo. Fab. Institt. de actionis §. fin. Stephē Aufrer. rep. cle. 1. reg. 2. faicr. 2. c. de off. ordi. Nicol. Boër. decis. Burdig. 349. num. 11. C. M.

Alia Arresta lata in Parlamento cœpto in crastino Festi beati Martini hyemalis, anno Domini 1397.

QUÆSTIO CCCLVII.

Ecclesia non potest authoritate propria capere bona Clerici sui.

PEr Arrestum latum in vigilia beati Thomæ Apostoli ante Festum Natalis, anno Domini 1377. per dominum Guillelmum de Senonis, inter Ducem Burgundiæ conquerentem, contra Capitulum Lingonense, ex eo quod dicti de Capitulo dicebant, quòd vacante Sede Episcopali, ad ipsos spectabant omnia jura Episcopalia: & dicebant quòd ad Episcopum si esset, spectarent bona virorum Ecclesiasticorum decedentium sine herede & sine executoribus: & quòd talia bona capere poterat sine inventario, quia sua erant: & etiam propria authoritate, & quòd erant bona Ecclesiæ; dicto Duce dicente contrarium: quia si usus fuisset Episcopus, tamen usus non erat receptibilis: & quòd ad ipsum, qui est & erat altus Justitiarius, spectabant talia bona ut vacantia: & si ad aliquos alios spectarent, saltem debebant habere per manus dicti Ducis, qui est & erat altus Justitiarius: & super hoc erat Dux conquestus in casu novitatis. Finaliter dictū extitit die qua suprà, quòd illi de Capit. Lingonen. non erant receptibiles ad dicendum quòd possent talia bona capere propria authoritate, & sine inventario, &c.

QUÆSTIO CCCLVIII.

Ut durante possessorio in Curia temporali, non possit intentari petitorium in Curia Ecclesiastica, in causa beneficiali.

PEr Arrestum Curiæ dictum extitit tertia die Januarii, anno Domini 1397. per dominum Guillelmum de Senonis, inter dominum Cardinalem de Tuceyo defensorem in causa novitatis, & fratrem Joannem Mercerii petitorem in eadem causa, super possessione cujusdam Prioratus, quia dicebat dictus petitor quòd in odium processus pendentis in Curia temporali dictus dominus Cardinalis fecerat ipsum & quosdam alios citari Avenione: ipso Cardinale dicente, quòd si hoc fecerat, hoc erat super jure beneficii & non super possessorio, de quo erat quæstio in Curia temporali: finaliter per Arrestum fuit facta inhibitio dicto Cardinali, quòd durante dicta causa possessionis, nullo modo intentaret, nec inciperet petitorium, vel permitteret possessorium finire, vel possessioni renuntiaret, si vellet, &c.

QUÆSTIO CCCLIX.

An marca habeat locum super corporibus, & malis.

CErtis mercatoribus Parisiensibus qui capti fuerant per subditos Episcopi *d'Utrecht*, fuit per Arrestum * Curiæ Parlamenti adjudicata marca contra prædictū Episcopum & ejus subditos & bona, & dicti mercatores Parisienses receperant quosdam subditos dicti Episcopi in villa Morinensi, & eos incarcerari fecerant virtute Arresti prædicti. Episcopus Morinensis dictos incarceratos dimisit recedere, qui ob hanc causam adjornatus extitit in Curia Parlamenti ad reque-

* *Arrestum.*] Supra qu. 354.

ſtam dictorum Mercatorum Pariſienſium, ut redderet incarceratos, vel ſummam contentam in Arreſto: dicto Epiſcopo dicente, quòd licet eſſet marca dictis Mercatoribus adjudicata contra dictum Epiſcopum *d'Vtrecht*, & ejus ſubditos & eorum bona; tamen non debebant corpora dictorum ſubditorum in carceribus detineri, viſo quòd non erant illi qui dederant cauſam dicto Epiſcopo, ſed alii, licet ſubditi *d'Vtrecht*. Item marca eſt odioſa & contra jus commune, dictis mercatoribus in contrarium dicentibus quòd marca erat eis adjudicata contra dictum Epiſcopum *d'Vtrecht* & ſuos ſubditos, & ipſorum bona: & quòd per hoc quòd dicit ſuos ſubditos, eſt intelligendum de corporibus. Finaliter per Arreſtum Curiæ dictum fuit ultima die Ianuarii, anno quò ſuprà 1367. quòd non poſſent corpora detineri prædicta marca, non obſtante dicto Arreſto, & fuit dictus Epiſcopus Morinenſis abſolutus abſque expenſis.

QUÆSTIO CCCLX.

*Privilegia fiſci * ad ipſum ſolum ſpectantia de jure civili.*

* *Fiſci*] De his Pan. l. fin. C. de privil. fiſci. Fran. Lucanus in tract de privil. fiſci.

PRimò, quia ſi hereditatem vendiderit, non teneretur creditoribus hereditariis. Sed emptor contra jus commune, *l. 1. & 2. C. de hered. vel act. vendit. & l. cum qui bona, ff. de jure fiſci.*

Secundò, quia ſi prædium ſolum alteri locatum vendiderit, tenetur emptor ſtare locationi, *l. fin. ff. de jure fiſci*, contra jus commune, quod eſt *in l. emptorem, C. de locat. & conduct.*

Tertiò, quia ſi vendat rem alienam ut ſuam, vel donet, ſtatim eſt emptor, vel donatarius ſecurus, nec poteſt proſequi per dominum rei ipſe emptor vel donatarius, *l. bene à Zenone, C. de quadri. præſcript. & Inſtit. de uſu. capi., §. final.* licet ſit contra jus commune, *l. exemplo in princip ff. de act. empt. & l. fundum, C. de evict.*

Quartò, quia ad fiſci utilitatem tenetur quis contra ſe exhibere inſtrumenta, l. ne quiſquam, ff. de eden. & l. 2. §. divi. ff. de jure fiſci, contra jus commune, l. qui accuſare, C. de eden. & l. nimis grave, C. de teſti.

Quintò, quia cum fiſco contrahentis bona ſunt tacitè hypothecata contra jus commune, l. 2. C. in quibus cauſis pign. tacitè contrahit. & l. aufertur, ff. fiſcus, de jure fiſci.

Sextò, in functionibus publicis quæ non præſcribuntur aliquo tempore, niſi mediante titulo à fiſco conceſſo, l. competit C. de præſcript. 30. vel 40. an. & l. fi. C. de fun. patrimonial. lib. 11.

Septimò, quia à debitoribus fiſci præſtantur fiſco uſuræ ſemiles, licet anterioribus creditoribus à quibus fiſcus cauſam habet, præſtarentur minores, l. cum quidam, §. ſi debitores, ff. de uſuris, & l. fiſcus, cùm in privati, ff. de jure fiſci, contra jus commune ſcriptum, l. 1. §. de his quib. ut indig. & ibi gloſ. quæ dat intelligere quæ ſunt uſuræ fiſcales.

Octavò, in crimine læſæ majeſtatis, ubi bona confiſcantur, Authen. bona, C. de bonis damnat. ſeu proſcript. contra jus commune ſcriptum.

Nonò, quòd nemini licet vectigalia nova imponere abſque Principis licentia, ſed ſoli Principi competit, l. non ſolent, C. nova vectig. inſtit. non poſſe, & l. vectigalia, ff. de publication. vectigal. & con. &c. ſuper quibuſdam, §. præterea, de verborum ſignificatione.

Decimò, condere legem ſoli Principi competit, l. final. C. de legibus, &c.

Undecimò, ad Principem ſpectant ea quæ ſequuntur, quæ ſunt 24. quorum unum ſolùm ſuperiùs enarratur: primùm * vix publicæ: flumina navigabilia, & ea ex quibus ſunt navigabilia: portus, ripatia, vectigalia quæ vulgò dicuntur thelonea, moneta, mulctarum & pœnarum compendia: bona vacantia quæ indignis auferuntur, niſi quæ ſpecialiter quibuſdam conceduntur: bona contrahentium incæſtas nuptias, condemnatorum, proſcriptorum, ſecundùm quod in novis conſtitutionibus cavetur, angariarum, complauſtrorum, & navium piſcationes: poteſtas conſtituendorum Magiſtratuum ad juſtitiam expediendam, argentariæ, palatia in civitatibus conſueta: piſcationum reditus & ſalinarum: dimidium theſauri in loco Cæſariano inventi, ac loco religioſo, ſi data opera totum ad eum pertineat: bona committentium crimen majeſtatis, ut ſuprà: & hæc habentur in c. unico, quæ ſunt regaliæ, 10. collatione. Et vide leg. 1. C. de bon. vacan. lib. 11.

* *Primum.*] Sed Extravagans eſt Federici Ænobardi, quę non habuit locum in Francia, niſi per adinvẽtiones curſũ quibus quæſtui eſt reſp. quæ tandem peſſimè cedunt. Carol. enim V. gabellam ſalis invexit, ſed mox ingentes pecuniæ inde corraig malè petierunt, nec Regi nec Reip. uſui fuerunt. Adde ſupr. eo. q. 297. C. M.

Duodecimò, quia ſub prætextu inſtrumentorum de novo repertorum ſubvenitur Principi contra jus commune, *l. Imperatores, ff. de ſen. & re judic. junct. a, l. poſt remetiam, l ſub prætextu, C. de tranſac. & l. ſub ſpecie, de re judic.*

Decimotertiò, quia contra jus commune Princeps poteſt ſententiam mutare ex privilegio, *l. 1. in fine, ff. de quæſtio. & l. divi fratres, ff. de pœnis, l. quod juſſit, & l. cum quærebatur, ff. de ſen. & re judic.*

Decimoquartò, quoad punitionem illius qui ſervum fiſcalem occultat, qui aliàs punitur quàm alter, ut *l. ſi quis ſervum fiſcalem, C. de ſervis fugit. de quo not. in l. quicunque, eod. titul.*

Decimoquintò, quia donatio facta ab Imperatore inter vivos Imperatrici, valet econtra *l. pen. C. de donat. inter vir. & uxor.* licet de jure communi; ſecus ut per totum illum titulum, C & ff.

Decimoſextò, quia donatio facta à Principe, & etiam facta Principi, excedens quingentos aureos, valet abſque inſinuat one, licet contra de jure communi, *l. ſi quis pro redemptione, & l. ſancimus, §. exceptis, C. de donat. & Authen. Item à privatis, ibidem collatum.*

Decimoſeptimò, quia in rebus donatis filiofamiliàs, vel filiafamiliàs, à Principe vel Auguſta, habens eos in poteſtate, non habet uſumfructum, ſecundùm quod nec in caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi peculio, licet de jure communi ſecus, ut l. cùm multa, C. de bonis quæ liber. juncta. l. cùm oportet eod. titul. & quia per totum illum titul. &c.

Decimooctavò, quia pœna quadruplici punitur, qui in fiſcalibus contractibus fraudem committit, l. qui in contractibus lib. 10. facit l. 4. §. ſed & qui, & l. ſacrilegii, §. fi. ff. ad leg. Iul. pecu. &c.

Decimononò, quia ſi fiſcus habeat minimam portionem alicujus rei, & alter majorem ſi fiſco placuerit vel ejus Procuratori, tota diſtrahetur, etiam invito altero majorem portionem habente, & habebit quilibet partis ſuæ partem vel pretium, l. unica, C. de ven. dit. rerum fiſcal. commu. cum privat. lib. 10. & l. multùm intereſt, C. de commu re. alien. &c.

Vigeſimò, quia ſi pecuniam fiſcalem receperit mutuò, abſque fiſci authoritate ab exactoribus tabularum, officiſve rationum ad quadrupli pœnam tenetur, & ſi ſit aurum, perpetuò deportabitur bonis confiſcatis fiſco, & ille qui tradit mutuò, capitali Sententia ſubjungetur, l. 1. & 2. C. de his qui ex public. ratio. mu. pecu. ac ce. lib. 10 vide l. ſi quis per unam mutationem, C. de curſu public. lib. 12.

Vigeſimoprimò, quia judicatum contra fiſcum infra triennium retractari poteſt, ut C. de Sent. adver. fiſc. latis retractari lib. 10.

Vigeſimoſecundò, quia in favorem fiſci receditur à venditione vel locatione facta prædiorum fiſci, ſi alius plus offerre voluerit, leg. Lucius, §. final. ff. ad munic. & leg. 2. & 2. cap. de vendendis rebus civitatis lib. 11.

Vigesimotertiò, quia filii primipilariorum tenentur ratione debiti hujus officii per parentes contracti, licet heredes non sint, ut leg. final. C. de primipilo, lib. 12.

Vigesimoquartò, quia dos mulieris obnoxia est: & tacitè obligata Principi propter debita in primipilari officio à viro contracta, l. satis notum, C. in quibus cau. pig. vel hypo. tacitè contrahitur.

Vigesimoquintò, quia debitor retineri potest pro debito fiscali, l. 2. C. de numerariis actuar. & adjutor. seu terminariis, &c. lib. 12. in textu ibi, ad solutionem esse retinendos, &c. l. 2. Cod. de exacto tributo, lib. 10. & ibi notata super verb. custodia, facit l. sacrilegii, §. fi. ff. ad leg. Iul. peculatus.

Vigesimosextò, quia immunitate non gaudent debitores fisci & publicorum tributorum, ut in Authen. de mandat Princip. §. publicorum verò, col. 3.

Debitores fisci & tributorum publicorum, non gaudent immunitate.

Vigesimoseptimò, quia nullus alicui potest concedere gardiatorem, nisi ipse, l. final. C. de erog. mil. annonæ, lib. 12.

Vigesimooctavò, quia nullus concedere potest publicos cursus, nisi ipse, leg. final. C. de cursu public. lib. 12.

Vigesimononò, quia solutus est legibus. licet secundùm leges vivere velit, *l. digna vox, C. de legibus, & l. Princeps, ff. eod. titul. &c.*

Tricesimò, quia soli Principi competit sociare in numero peditum vel equitum, vel in quolibet milite, & alteri non, sine probatoria Principis, l. neminem, C. de re militari, lib. 12. idem singulariter de quolibet alio officio, l. nullum, C. de cohorta eodem libro, & l. in his, & l. probatorias, C. de diversis officiis, eod. lib. 12.

Tricesimoprimò, quia Sententia contra fiscum lata, absente fisci patrono, nulla est, l. si fiscus alicui, & l. 3 §. divus, ff de jure fisci, secus regulariter, l. velamento, C. de postul.

* Sumptus.) Nec etiam ei solvuntus. C. M.

Tricesimosecundò, quia numquam fiscus solvit in suis processibus aliquos sumptus * & per consuetudinem, quamvis succumbat, &c.

Privilegia Regis & ejus filiorum, jure canonico & divino.

* Rex.] Sed Papa pro Regibus habet omnes de facto hæc principantes, ut vel Comité Burgundiæ. C. M.

PRimò, quia aliquis, nisi Rex * vel Regina, conservatorem habere non potest illum qui sub sua jurisdictione degit, cap. final. versic. nec aliquis, de offic. jud. delegat. lib. 6. Secundò, in baptisari faciendo filios & filias extra Ecclesiam, quod est contra jus commune, ut cap. unico de baptism. & ejus effect. in cle. Tertiò, in prærogativa quam habent filii Regum contra Extravagantem, execrabilis, Ioannis ibi carnalis, &c. circa principium ejus. Quartò, quia eorum filii tributum vel censum non debent. *Matthi 17. &c.*

QUÆSTIO CCCLXI.

Jura regia consuetudinaria.

PRimò, quia in crimine Majestatis in primo capite sunt bona Principi per confiscationem quæsita, licet sint in alterius alta justitia, & non alto justitiario.

Secundò, ut dicunt aliqui, idem cum primo, de bonis illius qui falsam monetam fabricat.

Tertiò, idem de bonis illius qui falsavit magnum sigillum regium, vel Litteras aliquas ut regias signavit, adulterino sigillo ut regio sigillavit, ut fuit dictum per Arrestum tempore domini Petri de Ordeomonte, Cancellarii Franciæ, ac tempore domini Petri de Gyaco, Cancellarii Franciæ: necnon tempore domini Arnaldi de Corbia, Cancellarii Franciæ: contra quos tam Nivernienses, ut contra Ioannem *de Germa.* Et in illis casibus confiscantur ad utilitatem Cancellarii Franciæ cautam, tam officii quæ numquam fuerunt visa ante tempus dicti quondam Cancellarii domini Petri de Ordeomonte; immò omnes contrarium tenerent, vel quasi, nisi fuissent illa Arresta, virtute & à tempore quorum ita fuit usum cùm casus emerserunt. Et rationes confiscationum factarum Regi & Cancellario per medium ejus, videntur hæ.

Primò, quia Cancellarius habet diligentiam, curam & sollicitudinem custodiendi sigillum: necnon in sigillandis Litteris, videlicet si rationabiles sint ad sigillandum necne, & posset sequi inconveniens maximum si tales malefactores contra sigillum ac Cancellariæ officium non bene punirentur. Et ob hoc vult Authent. ut divinæ jussiones, &c. collat. 8. quòd divinæ jussiones habeant subscriptionem gloriosissimi Quæstoris, id est Cancellarii: ut habetur in l. final. C. de diver. rescript. in glos. super ver. quæst.

Divinæ jussiones habent subscriptionem gloriosissimi Quæstoris.

Secundò, quia habet cognitionem, correctionem & punitionem solus, & in solidum de omnibus fraudibus & falsitatibus commissis, privilegiis & Litteris regiis, quæ transeunt & tractare debent per Cancellariam. & statim quod recipitur per suppressionem, vel aliàs remitti ad eum. Hoc innuit Littera in dicta Authent. ut divinæ jussion. &c in fine, collatione 8.

Tertiò, dictus Cancellarius est pars corporis domini Regis, imò ipsius personam repræsentat: ex quo sequitur quòd delinquentes contra Cancellarium, delinquunt seu delinquere censentur contra Regem, cùm Litteræ Cancellariæ loquantur nomine regio; imò, quod plus est, Rex loquitur, & quodam modo committunt crimen Majestatis: cujus cognitio competit Regi, ac confiscatio bonorum committentis illud crimen, etiam in alterius alta justitia situatorum, tam de Consuetudine regni Franciæ, quàm de jure, etiam in feudalibus, quæ ad dominum feudi non revertentur. Hoc not. in Sec. tit. de feudis, §. quoniam super, & hoc in c. in quibusdam, de pœnis, & ibi Hen. ad hoc facit, l. non contrahit, l. qui statuas, & l. famosi, in fi. ff. ad leg. Iul Majest. nam Rex superior est: à quo omnia processerunt, & per consequens ad eum omnia de facili revertuntur, prout notat plenè §. superiùs allegat. & Hen. c. vergentis, de hæret. & per hoc medium ad Cancellarium, ut suæ injuriæ habeat propriam vindictam; juxta Titulum, quæ sit pri. causa bene. amittend. §. denique, collatione 10. Nam hoc periclum, & hæc injuria redundat nedum in Regem, sed etiam in Cancellarium, qui habet solatium confiscationis bonorum, &c.

QUÆSTIO CCCLXII.

Quòd Curia Ecclesiastica per temporalem cogitur reddere malè exacta.

NOta quòd Archidiaconus Parisiensis per captionem suæ temporalitatis, fuit coactus ad reddendum Mathiero de Benno palpito, centum & quinquaginta francos quos exegerat tortionaliter, & per compositionem à dicto Mathiero, & fuit condemnatus ad hoc per Arrestum Curiæ Parlamenti; Nam ipsi imposuerat quòd jacuerat cum alia muliere quàm uxore sua: & ob hanc causam tenuerat ipsum in prisione; donec solvisset summam antedictam.

QUÆSTIO CCCLXIII.

An Prælatus possit laïcum capere virtute jurisdictionis suæ Ecclesiasticæ.

IN Parlamento cœpto in crastino festi sancti Martini hyemalis, anno Domini 1395. fuit ad requestam Ducis Burgundiæ, & cujusdam alterius, Archiepiscopus Rhemensis in Curia Parlamenti adjornatus in causa novitatis, ex parte Ducis & dicti alterius, ex causa extortionum in præjudicium jurisdictionis temporalis eidem alteri factarum. Et dicebant Dux & regius Procurator, quòd Archiepiscopus non erat admittendus ad proponendum possessionem quòd laïcum capere posset, per rationes sequentes.

Primò, quia duo sunt genera hominum Clericorum & laïcorum: laïci subditi jurisdictioni temporali, Clerici Ecclesiasticæ.

Secundò, nil habent facti Episcopi vel Iudices Ecclesiastici, sed solùm verba, per c. cùm non ab homine, de judi. & capere facti est, ergo, &c. ad hoc 23. q. 5. cap. Principes.

Tertiò, quia nec possent cognoscere de causa arreragiorum reditus, multominùs, nec capere quod est plus.

Quartò, hoc esset in præjudicium jurisdictionis Regiæ, quia si laïci à captione appellarent, vellent Prælati prætendere appellationem ire ad Curiam Romanam: sic Rex amitteret jurisdictionem subditi sui.

Quintò, quòd laïci sint subditi jurisdictioni temporali, nulla obstante Consuetudine, apparet, c. unico, de biga. li. 6. in textu ibi, coërtioni, &c. & ibi videtur glossa ordinaria super verb. non obstante.

Sextò, quia Clerici conjugati habitum & tonsuram deferentes sunt subditi, præterquàm in duobus casibus, jurisdictioni sæculari, & tollitur Consuetudo, ut ibi notat Ioannes And. & Archi. licet contra Io. Mo. Et requirebant Procurator regius & Dux restabilimentum fieri laïci capti per privilegium novitatis.

Item & videre volébat Procurator regius processum factum per Officialem Archiepiscopi contra laïcum, eò quòd prætendebat Archiepiscopus quòd habebat cognitionem cujusdam causæ contra dictum laïcum, & sic captionem ipsius: quare volebat videre Procurator regius, an processerat Archiepiscopus contra ipsum ex causa cujus cognitio ad eum spectaret, dum diceret Archiepiscopus se esse in possessione capiendi laïcos virtute jurisdictionis Ecclesiasticæ in casibus quorum cognitio contra laïcos ad ipsum spectabat. Archiepiscopus dicebat laïcum captum fuisse in sua jurisdictione temporali, virtute suæ jurisdictionis Ecclesiasticæ, & esse in possessione capiendi laïcos, ut suprà, & esse de jure fundatum, necnon de Consuetudine. Primò de jure civili; quia cùm committitur jurisdictio, & ea sine quibus, ut captio. Secundò de jure canonico, c. cùm Episcopus de offi. ordi. lib. 6. c. Novimus: de verbor. significat. c. si Clericos de Senten. excom. lib. 6. c. Universitatis, c. mulieres, & c. ut famæ, §. laïci, & ibi per Hen. de Senten. excomm. in antiquis.

Tertiò, quòd Ecclesia habeat in laïcos jurisdictionem: patet cap. innotuit, de arbitris, cap. novit. de judi. c. verum, c. ex transmissa, c. si Clericus, de foro compet. & vide de hoc, per Hen. in c. si diligenti, eo. titul. in 2. dist. & d. c. ex transmissa, & per hoc, c. licet, & c. ex tenore, eodem titulo.

Item capax est Ecclesia, quia nec contra jus divinum naturale, nec inductum peccati mortalis, nec contra bonos mores, ad hoc dictum, c. si Clericus in fine, de foro competenti, & notat. c. si duobus, de ap. & c. Romana, §. debet, eodem titulo, de appellation. lib. 6. nec obstant contraria; quia licet sint duo genera hominum, non obstat hoc in casibus quorum ad Ecclesiam spectat cognitio, quin Ecclesia habeat laïcorum captionem, nec est in jurisdictionis regiæ præjudicium, quia est in casibus quorum cognitio spectat ad Ecclesiam: nec obstat, c. cùm non ab homine, quia solv. ut suprà feci in causa quam contra Episcopum Parisiensem placitavi. Nec obstat de causa arreragiorum, quia illa est usurpatio, & censetur realis cognitio propter medium concludendi, l. non debet, in fi. ff. de dolo: nec debet fieri restabilimentum, quia laïcus non est requirendus, nec processus videri debet: quia declaratur causa quæ de sui natura spectat ad Ecclesiam, & esset valde durum sic Ecclesiam astringere ad ostendendum suum processum: & nimis grave est, &c. *l. nimis, C. de testi.* Finaliter dictum fuit per Arrestum, quòd super loco in relatione declarato fieret restabilimentum realiter & de facto, & quòd processus ostenderetur Procuratori regio.

QUÆSTIO CCCLXIV.

An homicida vitians uxorem occisi amittat privilegium clericale.

ACcidit casus mense Decembri, anno Domini 1395. quòd quidam nomine Iaquetus fuit captus, & requisitus ab Episcopo Parisiensi, & erat in habitu & tonsura clericalibus, & eò quòd meurtraverat quemdam bonum hominem nuncupatum Symonem, cujus uxorem cognoverat ante factum & post factum, non tamen ante factum dederat fidem de ea capienda, & econtra, & posteà cognovit, sic matrimonium præsumptum, juxta c. is qui fidem, de sponsalibus. Quærebatur an gaudere deberet privilegio clericali, & reddendus esset Officiali Parisiensis Ecclesiæ eum requirenti. Quidam dicebant quòd sic; quia machinaverat in mortem viri, & quia cognoverat ejus uxorem ante factum, sic matrimonium subsequens factum nullum; sic non bigamus, ergo &c. debet gaudere clericali privilegio. Alii contrarium, quia in matrimoniis illicitis contrahendis, non juris effectus, sed animi destinatio & affectus intentionis opere subsecuto inspicitur: ut c. nuper, de bigamis. Ego dicebam quòd non obstabat contra eum dictum c. nuper; quia ibi loquitur quoad Ordinum promotionem, non quoad privilegii clericalis privationem, quod est multum ponderandum & periculosum. Item ex adverso dicébam, quòd fuerat verum matrimonium, & sic bigamus, * sic Officiali non reddendus; quia licet fuerat machinatio, non tamen animo & spe contrahendi cum uxore meurtratis: sic partes confessæ fuerunt quòd ante meurtrum non habebant intentionem, nec habuerunt loquelam de capiendo, unus alium, & sic machinatio non impediebat matrimonium, juxta c. 2. de con. infidel. & nota per Hen. in c. fin. de eo qui duxit in matr. quam poll. per adult. Item dicebant quòd licet cognovissent se ad invicem; non tamen contraxerant de facto matrimonium, nec fidem dederant de contrahendo, & sic per hoc non erat impedimentum in dicto matrimonio post factum meurtrum contracto, c. 2. c. super hoc, c. significavit, & d. c. fi. de eo qui duxit in matr. quam poll. per adult. Finaliter suspensus fuit per collum, & se destitit Officialis à requisitione sua. De hac materia videatur in c. unico, de bigam. lib. 6. per Archi. & Ioan. And. per Hen. ubi suprà, in d. cap. nuper, & ibi bona notata videntur, suspendendus, licet nullum fuisset matrimonium, quæ per Hen. recitatur in d. cap. nuper, & vide de hoc c. 2. de Bigamis.

* *Bigamus.*] Cum vidua, & copula secuta: & sic bigamia interpretativa in primo casu, quæ omne privilegium clericale rollit, c quisquis 84. dist. decis. Tholos. q. 235. C. M.

QUÆSTIO

QUÆSTIO CCCLXV.

In Castellero Consuetudines notoriæ. *

* Notoriæ.] Sed obiolete.

NOn tradens suas scripturas, sive per modum factorum, sive per modum memoriæ sint tradendæ, sive sit defensor, sive petitor, ad diem sibi super hoc assignatam, amittit causam suam. Item faciens defectum ad diem ad quam habebat dilationem procurandi adducendi vel defendendo, sive sit petitor, sive defensor, amittit causam suam, &c.

QUÆSTIO CCCLXVI.

*Consuetudines in Picardia * super succedendo.*

* Picardia.] Quæ adhuc hodie servantur. C. M.

IN directa successione masculus antiquior, vel solus masculus respectu sororum est heres universalis: alii habent quintam partem hereditatis provisione: inter femellas non est antiquitas, potior in linea directa, in linea transversali, in gradu æquali, antiquior inter masculos, & antiquior femella inter femellas est heres principalis, ut suprà per hoc Arrestum *de Picquegny*, ubi quælibet duarum sororum dicebat se antiquiorem, ad finem habendi successionem.

QUÆSTIO CCCLXVII.

An venebit prisionem cedens bonis.

PRo emenda debita, eò quòd malè appellavit prisionarius, cedendo bonis erit extra prisionem: licet secus * si pro delicto mero esset debita, ad hoc Arrestum *de Herven le Coq*, contra quemdam scutiferum.

* Secùs.] Ad hoc quæ scripsi ad edictũ Henr. II. contra parvas datas, §. 19. q. ult. & in Consuet. Parisiensi §. 92. C. M.

QUÆSTIO CCCLXVIII.

Etiam Episcopus non litigat per procuratorem absque gratia.

EPiscopi *de Clermont* Procurator in Parlamento ob defectum gratiæ, fuit declaratus per Arrestum non bene fundatus.

QUÆSTIO CCCLXIX.

Sufficit Advocato affirmare Litteras tradidisse vel reddidisse, absque alia probatione.

PEr Arrestum fuit dictum pro Magistro Clemente Petro *de Reliac*, Advocato Parlamenti contra Priorem nostræ Dominæ de Campis, quòd aliàs non tenebatur docere de redditione cujusdam Litteræ, quam per affirmationem quam fecerat redditione factæ dictæ Litteræ ipli Procuratori, licet confiteretur habuisse dictam Litteram; nam omnes essent Advocati adstricti: aliàs, &c.

QUÆSTIO CCCXX.

Littera obligatoria Prioris & Conventus est executoria post mortem Prioris.

LIttera obligatoria Prioris & Conventus, facta eorum sigillis sigillata, post mortem Prioris, sigillis recognitis, est executoria super bonis Conventus & Prioris, post mortem Prioris. * Sic fuit dictum contra Priorem sancti Martini de Campis.

* Prioris.] Quia est nomen dignitatis quæ non moritur. Dixi in Consuetudine Parisiensi, §. 371. C. M.

QUÆSTIO CCCLXXI.

Quòd captus Parisiùs debet reddi Episcopo Parisiensi.

DIe 26. Februarii, anno Domini 1367. fuit per Arrestum dictum pro Episcopo Parisiensi contra Archiepiscopum Rothomagensem, quòd Episcopo Parisiensi redderetur Robertus *Fere* Rothomagensis diœcesis dicti Archiepiscopi subditus, & non dicto Archiep. requirenti, eò quòd Parisiùs fuerat captus, & non in diœcesi dicti Archiep. dictus Archiep. licet allegaret quòd fecerat ipsum citari ad comparendum personaliter coram ipso, & quòd non erat in processu antè.

QUÆSTIO CCCLXXII.

Pour le Roy, pour connoistre des subjets d'autruy.

PAr l'Vsage & Coustume du Bailliage d'Amiens, en cas de prevention, le Roy a la connoissance des subjets de Monseigneur d'Artois, & d'autres, en convenances faites pour causes du mariage, d'obligation ou contracts de Lettres, soit authentiques ou autres, ou en deniers en cas de lotiage, de mesurage, comme de grain déchen par les fermiers, voire en cas de teneure de fait, sans en faire renvoi.

QUÆSTIO CCCLXXIII.

Casus ubi Rex habet cognitionem in casu præventionis.

ITem, *par la Cour fut dit que pendant la question, si renvoy se devoit faire ou non par le Bailly d'Amiens, que le Bailly connoistroit du principal par main souveraine, sans prejudice de la cause d'appel, que fait avoit Monseigneur de Bourgogne, de ce que renvoy ne luy avoit esté fait de Jean de Bauly, le pere & le fils, qui adjournez avoient esté devant le Bailly d'Amiens, à la requeste de Colart Change, pour cause des promesses faites en mariage, sans prejudice de l'appel, &c.*

QUÆSTIO CCCLXXIV.

Quando minor à primogenito feudum tenere debet.

IN Campania minor tenebit in feudum, si velit: aliàs non, si nolit, feudum paternum vel maternum, quor.

sibi in partitionem traditur à primogenito suo: quod verum est, si portiunculam saltem illius feudi retineat primogenitus, ut quod tradit ab illa portiuncula tanquam à domanio moveatur: aliàs non, quia facere non possent quòd ab illo * feudo separato tenerentur.

* *Illo.*) Scilicet primogenito, tanquam ab alio feudo. C. M.

QUÆSTIO CCCLXXV.

Non est quis exaudiendus contra suum fundatorem ultra privilegia sibi concessa.

COmmunitas sancti Quintini non fuit recepta contra regium Procuratorem ad ponendum ultra sua privilegia regia, per quæ prætendebant jurisdictionem, &c. quia fundator eorum est. Sed aliqui dicunt quòd non juvabant possessionem & saisinam à tanto tempore, &c. nec consuetudine; sed solùm suis privilegiis. Alii contradicunt.

QUÆSTIO CCCLXXVI.

Appellans dicere tenetur & declarare diem suæ appellationis.

FUit lata Sententia contra *Audoyn Chanveron*; scilicet male appellasse, eò quòd non declaravit diem suæ appellationis. Item fuit dictum eadem ratione inter Comitem de Marchia, & Comitem de Alenconio.

QUÆSTIO CCCLXXVII.

De Beneficio quod per medium Procuratoris regii, aliquis non faciens se partem, consequitur emendas honorabiles & proficuas.

SIc fuit dictum contra armigerum Comitis de Magno Prato, qui quemdam existentem in salvagardia regia verberaverat, qui se partem contra ipsum non faciebat; sed ipsum prosequebatur Procurator regius.

QUÆSTIO CCCLXXVIII.

Sufficit manum munire de hereditagiis.

In Normania sufficit munire manum de hereditagiis: in Francia de mobilibus.

PEtrus *de Hostor* de Normania, fuit receptus ad munitionem faciendam de nuda proprietate hereditagiorum suorum in Normania situatorum, ut oppositiones de quibus alter habebat, usumfructum: & fuit propter Consuetudinem Normaniæ, quæ est quòd sufficit munire de hereditagiis, licet in Francia de mobilibus.

QUÆSTIO CCCLXXIX.

Magistri Requestarum Palatii non obediunt Litteris Status, nisi specialiter ipsis dirigantur.

NOn obediunt Magistri Requestarum Palatii Litteris Status, nisi * specialiter ipsis dirigantur: secundùm quod nec Parlamentum. Sic fuit hac ratione per eos dictum pro Ægydio *de Ducy*, contra quemdam heredem *du Prince d'Amours*.

* *Nisi.*) Et malè, ut dixi suprà q. 28 C. M.

QUÆSTIO CCCLXXX.

Dominus potest manumittere servum quem habet ratione temporalitatis à Rege moventis.

* *Coronam.*) In tonsuram clericalem, etiam sine licentia Regis mediati dominus, sed si Rex esset domini immediatus, ab eo manumitti deberet, ut suprà q. 164. C. M.

INCampania si aliquis servus, alicujus ratione feudi quod tenetur à Rege, manumittatur per dominum suum, capere coronam * potest, & ipso mortuo Rex, etiamsi fuisset servus Ecclesiæ cadentis in regalia, nullum jus habet, nec potest in eo prætendere, & si in servitutem retruderetur non factus Clericus, efficeretur Regis Burgensis, non servus antiquioris domini.

QUÆSTIO CCCLXXXI.

Quis potest dicere gratiam subrepticiam.

* *Non.*) Fuit idem supr. q. 284. 311. C. M.

ITem non fuit * receptus in Parlamento Magister Ludovicus *Blanchel*, aliàs *Valet*, dominus *de la Queuë en Brie*, ad proponendum gratiam regiam subrepticiam contra quemdam malefactorem prætendens interesse: quòd sua hereditagia habebat in alta justitia dicti Magistri Ludovici; cùm nulla esset alia pars prætendens dictam gratiam subrepticiam: cum non procedere videatur nisi ex radice cupiditatis, non justitiæ amore. Idem fuit dictum contra dominam Duchissam Aurelianensem.

QUÆSTIO CCCLXXXII.

Quando pecunia alicujus sit Regi quæsita.

FUit dictum per Arrestum pro domino Joanne *le Mercier*, contra dominum *Digne*, quòd quædam pecunia quam habebat * pro redemptione cujusdam Anglici in depósito, per idem *Digne* ad utilitatem cujusdam qui ceperat illum Anglicum, erat Regi applicata. Et quòd post dictam redemptionem, & pecuniæ depositionem, ille qui ceperat illum Anglicum, & ad cujus utilitatem erat illa pecunia depósita, devenerat Navarricus & regni Franciæ inimicus: & dicta pecunia, quæ sua, vel quasi erat, reperiebatur in regno Franciæ.

* *Habebat.*) Dictus *Mercier* depositarius. C. M.

QUÆSTIO CCCLXXXIII.

Nec Ecclesia de actione reali cognoscat.

CApitulum *de saint Maixent* fuit condemnatum in ducentis libris, eò quòd cognoverat virtute jurisdictionis spiritualis de actione reali, & per Arrestum.

QUÆSTIO CCCLXXXIV.

Qui habent prisias piscium de mari Parisiùs venientium.

PRimò dominus *de Mont en Chars*, secundò dominus *de Montmorency*, tertiò Religiosi sanctæ Genovefæ, quartò domini de Hospitio Dei, Parisiis: Quintò Episcopus Parisiensis, sextò sex Pares *de Chaumont*, septimò dominus *de Clairefontaine*.

QUÆSTIO CCCLXXXV.

Quando accordum sit passandum.

ITem pro parvis *de saint Flour* fuit dictum contra magnos, & etiam pro Abbate *de Tornus*, contra Conventum, quòd tenendum erat accordum pro quo faciendo ante ipsum factum, erat data licentia Curiæ partibus; licet non esset posteà in Curia passatum. Ratio quia licentia procedebat, nec erat reportandum Curiæ, &c.

QUÆSTIO CCCLXXXVI.

An ab Officiali sit appellandum ad Parlamentum.

FUit ante longum tempus dictum per Arrestum, dominum Joannem *la Postole* non esse ut appellantem recipiendum ab Officiali Curiæ Ecclesiasticæ Lingonensis ad Parlamentum, quia Curia Ecclesiastica non ressortitur ad temporalem. Item fuit idem pariter dictum contra dominum Guillelmum *Creüil*, qui ab Officiali Curiæ Ecclesiasticæ Capituli Lingonensis appellaverat ad Parlamentum. Item pariter fuit idem dictum in effectu contra Præpositum regalem *de Angi*, pro Episcopo Belvacensi, qui Præpositus appellaverat ab Officiali Belvacensi ad Parlamentum; tamen non fuit idem, quia per Parlamenti Curiam fuit dicta appellatio annullata * absque emenda. Et fuit dictus Præpositus remissus ad Curiam Ecclesiasticam Belvacensem. Sed fortè ratio fuit, quia Officiarius regius.

* *Annullata.*) Graviter ferebant novelli quidã Pragmatici, qui Curiæ Burdegalensi Arrestum irridebant, quo appellationem tamquam ab abuso àquedam Officiali Ecclesiastico annullaverat, quos reprehendi, quia Curia est Iudex & Justitiæ & merito omnis appellationis interpositæ, etiam in casu in quo non esset Iudex actus à quo appellatur. C. M.

QUÆSTIO CCCLXXXVII.

An habens rem cum Iudæa comburi debeat.

PEtrus, aliàs Joannes *Hardi* fuit combustus per Baillivum Episcopi Parisiensis, eò quòd rem habuerat cum quadam Iudæa; & tamen Gaufridus *Boussart* non fuit combustus, quamvis habuisset rem cum Iudæa. sed fuit propter furtum suum suspensus. Et fuit ratio in primo, ut dicunt quidam, quia in primo casu dictus *Hardi* habuit ex Iudæa liberos. qui Iudæi remanserunt: in secundo casu non; sed hoc procedere non credo; tum quia habere rem cum Iudæa à Christiano, est rem habere cum cane, juris interpretatione; sic comburi * debet. Tum etiam quia sic oportet esse regulam uniformem in hac materia. Nec est distinguendum an pueri nascantur ex coitu tali, necne, sed an Christianus habeat rem cum Iudæa, quæ canis reputatur, & propter commixtionem naturæ, & quia potest ex coitu tali concipi & generari qui Christianus non fiet, quamvis videatur quòd procedat, quia rem habere cum Judæa est rem habere cum muliere à Deo creata, non animali bruto. Secundò, quia de jure punitur qui cum Judæa contrahit matrimonium, juxta l. ne quis Christianam, C. de Judæis. Non autem dicitur ibi, puniatur, si non contrahat: quia in casu primo est abuti bono spirituali, pura patrimonio, non in secundo casu. Sed videtur contrarium per dictam l. ne quis, quia ibi non fuit ratio decidendi contractus matrimonii, sed coitus, &c.

* *Comburi*) Fatuum & præposterũ arguunt eũ, imò magis peccat abutens Christiana quàm Iudæa, & contra hunc tenet Odral. q. ult. phi. q. Decius c. constitutus, de appel. Nicol. Boeti, decis. Burdegal. 316. nũ. 11. Fa. l. quæ adulterium, C. ad leg. Iul. de adult. C. M.

Tom. II.

QUÆSTIO CCCLXXXVIII.

An in Curia laicali sit cognoscendum de re spirituali per viam simplicis saisinæ.

FUit aliàs per Arrestum receptus quidam Carmelita ad proponendum saisinam in Parlamento, in simplici ratione lecturæ seu magistratus in Theologia, quæ est res spiritualis. Et quidam alius fuit receptus ad proponendum simplicem saisinam ratione fructuum sui Beneficii in Ecclesia *de saint Quentin en Beauvoisis*, quamvis sint res spirituales: Ratio decidendi fuit, quia possessio spiritualis mere est quid facti, juxta notata per Innocen. in c. cùm dilectus de elect. & per Archid. in c. frequens, de restit. spol. lib. 6. & per alios Doctores, in c. fin. de foro compet. quare, &c.

QUÆSTIO CCCLXXXIX.

An Clericus possit convenire laicum coram Conservatore privilegiorum, pro debito civili.

ANno Domini 1414. datum fuit Arrestum pro Florentio *d'Avec*, contra quemdam Papietarium Universitatis Parisiensis, per quod fuit * dictum ipsum Papietarium, nec cæteros privilegiis prædictæ Universitatis gaudentes, minimè laïcum coram Conservatore antedictorum privilegiorum posse convenire, nec per viam monitionis procedere, nisi sit facta priùs super bonis mobilibus & immobilibus coram Præposito Parisiensi legitima discussio.

* *Fuit.*) Sed posteà ex privilegio regio data est potestas dicto Conservatori & Ecclesiastico, cognoscendi de actione mere personali contra laïcos. C. M.

Hic in prioribus impressionibus finiebant Quæstiones & Decisiones Curiæ Supremæ Parlamenti, scilicet Parisiensis, collectæ per Joannem Gallum. Sed quia inter Arresta & Decisiones ejusdem Curiæ, quæ perperam hactenus erant excussæ inter Arresta Parlamenti Tholosani, quatuor Arresta invenit, quæ sunt ejus temporis quo præfatus Joannes Gallus in eadem Curia Advocatus fuit, & scripsit, ideo quatuor illa huc eadem numero continuato subjunxi. C. M.

QUÆSTIO CCCLXXXX.

IN Parlamento incœpto in crastinum beati Martini anno 1393. fuit damnata littera Status per *Boucicault*, Mareschallum Franciæ concessa, quia non spectabat ad aliquem nisi ad Regem, * & inhibitum sibi ut de cætero non concederet.

* *Regem.*) Qui solus dat Litteras suspensivas instantiæ: sed Mareschalli seu Capitanei feedam certificatoriam, quod impetratus est in possessione. C. M.

QUÆSTIO CCCLXXXXI.

ITem nota quòd quando gravamen infertur in patria consuetudinaria per commissionem patriæ juris scripti, executor est adjornandus, & pars intimanda. Ita dictum fuit per Arrestum.

QUÆSTIO CCCLXXXXII.

ITem anno Domini 1397. dictum fuit pro quadam muliere * nomine Martha, quòd corpora non possent detineri pro debito civili.

* *Mulieré.*) Tex. Authē. hodie C. de custod. reor. fa. l. 1. C. de offic. diver. judic. Iaso. l. ad egregies, de jurejurando. Sed de cōsuetud. non servatur, ut ait Nicolas. Boëri. decis. Burdeg. 349. numer. 11. Tamen faciliùs mulier relaxabitur. C. M.

QUÆSTIO CCCLXXXXIII.

ITem anno Domini 1316. die undecima Septembris, quia Officialis Auxitanus propter violentam manus injectionem in personam Rectoris Ecclesiastici de bello Marthesio cessum * vim interdicti importantem apposuerat, & plures pecuniarum summas à Consulibus dicti loci, pro suspensione dicti excessus extorserat. Et quia Judicem Ripariæ moveri fecerat sine clausula, * nisi causam de restituendo sibi quemdam Dominicum de Fabro, prætensum Clericum solutum: & deinde excommunicaverat, & cessum similiter apposuerat in loco & pluribus aliis, dictus Officialis jurisdictionem regiam usurpare & impedire satagebat, Locumtenens Senèschalli Tholosani, Officiali & Procuratori Archiepiscopi Auxitani, quòd ad certum super præmissis defensuri venirent, & interea dictum cessum amoverent, & dictos excommunicatos absolvi facerent injunxisset. Qua die adveniente, cùm non apparuissem, & ob hoc virtute contumaciæ, & certarum informationum super hoc factarum, dictus Seneschallus temporalitatem dicti Archiepiscopi ad manum regiam capi & apponi mandasset, fuissetque per dictum Archiepiscopum & ejus Officialem à dicto mandato & ejus executione ad Curiam appellatum, unde tandem partibus auditis, per Arrestum Curiæ dictum fuit Seneschallum ad bonam & justam causam, temporalitatem dicti Archiepiscopi ad manum Regis capi & detineri mandasse, & executorem bene * executasse, & dictum Archiepiscopum & Officialem malè appellasse, remisitque, &c.

* *Cessum.*) Id est cessationem à divino servitio.

* *Clausula.*) Id est præcisè.

* *Bene.*) Nota majorum virtutē etiam ante Concilium Basilienſe, & pragmaticam, & ante harum Decretum de interd. levi. non ponendis ad coërcendos Ecclesiasticorum abusus, etiam per inferiores Præsides, non expectato mandato Senatus C. M.

Finiunt Quæstiones & Decisiones Curiæ Parlamenti Parisiensis, quas dominus Ioannes Gallus in eadem Curia insignis Advocatus, deinde fisci regii Patronus, qui illas agitavit, illisve interfuit, tempore suo collegit, videlicet in triginta annis, ab anno Domini 1384. usque ad annum 1414. quasque anno 1549. Carolus Molinæus, ejusdem Curiæ Advocatus solertissimus, non solum mutilas & laceras redintegravit; sed etiam utilibus annotationibus illustravit. Et hoc anno 1558. idem C. M. Franciæ & Germaniæ Iureconsultus, recognovit & auxit. Et sic finis quintæ partis totius hujus libri.

SEQVITVR SEXTA PARS,

TRACTATVS DE FORMA ARRESTORVM.

VALITER * Arreſtum formari & ordinari debet. Circa hoc (ut prima facie poteſt occurrere) dicendum eſt, quod quandoque per judicium curiæ annullatur proceſſus Commiſſarii qui fecit inqueſtam. Et tunc Arreſtum breviſſimè fieri debet, & ſufficit tangere factum in Arreſto ſuccinctè, ſic. Cauſa in noſtra Parlamenti Curia inter N. ex una parte, & M. ex alia, ſuper talibus, &c. vel occaſione poſſeſſionis reſſorti talis, &c. mota & vertente, &c. facta inqueſta per Commiſſarios, & auditis partibus in noſtra Curia & adjudicandum recept. & ipſa viſa diligenter, Curia noſtra præfata propter nonnullos defectus in proceſſu repertos dictum proceſſum annullavit & annullat. Si vero aliquid ultra dicatur per Curiam, ponatur in Arreſto: & debet Commiſſarius partibus datus ad expenſas condenati, ſi culpa ipſius proceſſus fuerit annullatus. Et debebit Commiſſio renovari ſive fuerit ſuper hoc litigatum, ſive non. Sed ſi invenitur proceſſus imperfectus, tunc ſimiliter Arreſtum breve ſic fieri debet.

Lite mota in noſtra Curia inter N. ex una parte, & M. ex alia, & inqueſta facta ſuper his per certos Commiſſarios, & ipſa in ſtatu in quo erat Curiæ remiſſa, & partibus auditis ad finem debitum, vel ad finem, utrum Commiſſio renovari deberet ad judicandum recepta. Ipſa viſa, per judicium noſtræ Curiæ dicitur, quod Commiſſio renovabitur, & dabuntur Commiſſarii, qui prædictam inqueſtam perficiant, & perfectam dictæ noſtræ Curiæ remittant judicandam. Quandoque ponitur in Arreſto ad utilitatem unius partis certum tempus, infra quod perfici debet inqueſta & alia multa ſecundum litigia diverſa, & negotia in proceſſibus ſcripta. Quandoque eſt fienda Commiſſio ſuper reprobationibus judicati, & tunc conſuevit Arreſtum breve ſic fieri.

Lite mota, &c. inter N. &c. & M. &c. occaſione poſſeſſionis juriſdictionis talis villæ, &c. facta inqueſta per certos Commiſſarios, & ipſa partibus in Curia noſtra ad finem debitum auditis ad judicandum recepta. Vel ſi ſine reprobationibus judicari poſſet admiſſa, quia repertum eſt, quod non debet judicari abſque hoc quod inquiratur veritas ſuper reprobationibus traditis per Curiam à partibus, &c. Vel ſic & latius, &c. Lita mota in noſtra Parlamenti Curia inter N. ex una, & M. ex alia partibus ratione, & in quantum tangebat & tangit principale loci N. & rerum aliarum eidem cum ejus uxore in matrimonii contractu per N. in dotem conſtitutarum, latius ſuper hoc paſſato inſtrumento dotalitio ſpecificatorum & deſignatorum, ſuper his & aliis hinc inde propoſitis, & auditis partibus, ac in factis contrariis & ad inqueſtam appunctatis. Et demum inqueſta facta reportata Curiæ, & ad judicandum recepta junctis eidem per partes utrimque Literis & munimentis, teſtiumque reprobationibus, una cum prædictis munimentis & reprobationibus viſis, & diligenter examinatis; reperto quod proceſſus abſque de dictis reprobationibus inquirendo judicari non poterat, præfata Curia noſtra partes prædictas ad in eorum reprobationibus hujuſmodi contenta facta probandum admiſit & admittit, vel ſic: Curia noſtra quod de dictis reprobationibus * primitus veritas inquireretur, & inqueſta facta ad judicandum recepta, ut Curia partibus faceret jus, ordinavit & ordinat, &c. Quando autem proceſſus eſt judicandus, diſtingue quod aut nihil propoſitum ſit in cauſa appellationis in Curia, ſed ſimpliciter eſt proceſſus traditus, receptus, & ſupra ſcribitur Evangelium tale. Videatur an bene vel malè fuerit appellatum. Et tunc ſententia à qua eſt appellatum, confirmetur ſimpliciter, vel infirmetur in Curia nihil addito, remoto vel declarato, & ſic Arreſtum breve ſic. Cum lata ſententia quadam per Seneſchallum noſtrum Tholoſæ ad N. actricis utilitatem, contra M. defenſorem ratione ſummæ centum mille florenorum auri de Francia, ad cauſam cujuſdam dotis ejuſdem actricis jam dictæ, qua prædictum defenſorem filium & heredem patris communis eorumdem condemnari petierat: per quam judex major dicti Seneſchalli locumtenens dictum defenſorem ad dandum & ſolvendum, &c. & in expen. dictæ actrici condemnaverat, fuiſſet pro parte dicti deffenſoris ad noſtram Parlamenti Curiam appellatum. Auditis igitur in dicta Curia noſtra partibus in cauſa appellationis prædictæ, proceſſuque ex eiſdem actis, an bene, vel malè fuiſſet appellatum ad judicandum recepto: eo viſo, & examinato per judicium dictæ Curiæ, dictum fuit Seneſchalli præfati locumtenentem bene judicaſſe, & dictum appellantem malè appellaſſe. Ipſum in expenſas dictæ cauſæ appellationis, earumdem expenſarum taxatione dictæ noſtræ Curiæ reſervata condemnando. Si autem partes eſſent de patria conſuetudinaria, oporteret adjicere poſt verbum appellaſſe, & emendabit appellans. Quandoque emenda applicatur alicui pro lucro, & tunc poſt verbum condemnando ſubjunge: Et inſuper præfata noſtra Curia quod dicta emenda utilitati Religioſorum hæremitarum * beati Auguſtini Tholoſæ pro & ex cauſa, ad hoc dictam Curiam noſtram movente applicabitur, & convertetur, ordinavit & ordinat. Quando etiam appellatus qui fuit proteſtatus de ſe juvando de appellatione partis adverſæ, etiam concluditur nullitatis deſertio, & traditur libellus appellatorius per modum factorum novorum, nullitatum & rationum juris, & præſentatur Curiæ requeſta civilis, ut appellans admittatur ad probandum contenta in articulis coram judice à quo traditis, & debet ſic Arreſtum continuari ad verbum, fuit ad nos & noſtram Parlamenti Curiam Tholoſæ ſedentem pro parte dictæ N. appellatum ac per præfatum actorem proteſtatum, quod ſe appellatione hujuſmodi inquantum ſibi minus quam petiiſſet, fuiſſet adjudicatum, juvare poſſet, fuitque in dicta Curia noſtra partibus auditis in dicta cauſa appellationis hujuſmodi concluſum, prædictam N. tanquam appellantem, quatenus in minori peritorio per eum condemnata extitit, proceſſuque ex eiſdem actis an bene vel malè extitiſſet appellatum, juncto cum libello appellatorio N. prædictæ per modum nullitatum, factorum novorum & rationum juris traditorum, ſalvoque jure tam ſuper nullitatibus, ſi quæ eſſent, quam ſuper requeſta quadam civili partis N. ipſum & ad ejus acta tam in libello eodem quam in eorum articulis coram judice prefato per appellantē traditis contenta ad probandum admitteretur impetrata, & Curiæ pro interinando præſentata: nec non ſuper eo quod non appellaſſet, neque relevaſſet non fore ut appellantem recipiendum, illinſque appellationem defertam * Curia dicebat eſſe, primitus faciendo recepto adjudi-

* *Qualiter.*) Hæ formulæ partim unles ſunt: tamen quia juvenes ſe exercere poſſint, confectendo & notando quid hodie, ſupplendū vel mutandum ſit, eas reliqui. Sunt autem notata ex ipſa Parlamenti Tholoſani, excepto uno inf. col. 4. ibi aliquando quod eſt de Curia Pariſ. C. M.

Conſtit. Lud XII. 1512. § 36. debent in ſententia vel Arreſto deſignari articuli ſuper quibus fiet probatione contingat partes gravari probare impertinēs vel reprobare teſtes ſupervacuum. C. M.

* *Hæremitarum.*) quod adhuc poteſt fieri de mulctis arbitrariis: ſed ordinarias vetat Conſtitutio alio applicari, quia Rex vult de illis ſolus * diſponere tanquam de jure ſuo fiſcali. C. M.

* *Retrobationibus.*) Hodie ex

candum : & ſi fuerint producta inſtrumenta, dicetur eo unà cum junctis eidem certis inſtrumentis productis per N. vel utrumque (quando ambo produxerunt) viſis & diligenter examinatis, reperto quod nullitas in proceſſu, neque deſertio, minuſque in libello prædictæ appellationis facta nova admiſſibilia aliqua non erant, minimèque obtemperato requeſtæ prædictæ civili : per præfatæ Curiæ noſtræ judicium dictum fuit, locumtenentem prælibatum judicis appellationum bene judicaſſe, & dictum appellantem malè appellaſſe, ſxpedictum N. appellantem in cauſa hujuſmodi appelli in expen. illarum, taxationem dictæ Curiæ noſtræ reſervata, condemnando.

Modus condemnandi in cauſa appelli diverſus.

Quandoque pars appellans vel ipſius Procurator condemnatur in emenda propter ſubterfugia. Et tunc poſt verbum reſervata, adjicietur. Et propter exquiſita per eum ſubterfugia, quibus illum in proceſſu uſum fuiſſe apparuit, in centum ſolidos de emenda applicanda Capellæ Palatii noſtri condemnando. Quando verò condemnatur Procurator, ſubjungitur poſt verbum, reſervata. Et N. ejus Procuratorem propter exquiſita, ut ſup. &c. Quando appellatur à ſecunda ſententia confirmatoria primæ, & dicitur bene judicatum & malè appellatum cum expenſis tunc Arreſtum breviter eſt ſic ordinandum. Cum à ſententia quadam judicis noſtri majoris Tholoſæ locumtenen. Seneſc. noſtri Tholoſani, cum expenſarum condemnatione certæ alterius ſententiæ per locumtenent. judicis noſtri ordinarii Tholoſæ à dicto N. opponente & defendente ratione bonorum medietatis quorumcumque, quæ vita functi N. avi paterni dicti actoris, detentorum per ipſum defenſorem ad ipſum actorem per ipſius actoris & defuncti pariter N. ejuſdem actoris patris medium deventorum & pertinentium, ut dicebat actor ipſe, qui ſibi medietatem hujuſmodi adjudicari unà cum illius à tempore indebitæ occupationis percepiſſe, & qui percipi potuerant fructibus, expenſisque

Forma Arreſtorum quando appellatur à ſententia Commiſſariorum ſuper retractatione cõgedii.

ceptis, & qui percipi potuerant fructibus, expenſisque in expen. Aliquando appel. præſentat Literas aut requeſtam civilem. Ut à deſertione & emenda relevetur : & tunc in clauſione quando fuerunt præſentatæ poſt clauſionem ſeu receptionem proceſſus dicetur ſic, poſt verbum adjudicandum recepto. Ac deinde præſentata Curiæ pro parte ſxpedicti appel. requeſta quadam civili, ut à deſertione prædicta & emenda relevetur, ſuperque illa dictis partibus auditis, & ad conſilium appunctatis. Quibus viſis & diligenter examinatis, præfata Curia noſtra per ſuum judicium requeſtam dictam civilem interinando, dictum appellantem à deſertione & emenda prædictis relevavit & relevat. Inſuper dictum extitit per idem judicium, &c. ſi autem in clauſione proceſſus requeſta civilis, vel Literæ fuerint præſentatæ, poteſt fieri, ſicut præmiſſum eſt, ſublato verbo, *deinde*. Quandoque poſt receptionem proceſſus ſubrogatur, quod virtute Literarum regiarum in loco & proceſſu alterius partium, tunc poſt verba, ad judicandum recepto ſubjungetur : Ac deinde in loco & proceſſu ejuſdem N. appel. ſubrogato, Curia certarum noſtrarum Literarum vigore magiſtro N. cui de dicto beneficio tanquam vacante per ipſius appellantis reſignationem ſummus Pontifex providit, junctiſque proceſſui pluribus tam per prædictum N. appellatum, quàm deinde per ipſum M. ſubrogatum titulis & munimentis aliis omnibus viſis & diligenter examinatis, &c. Aliquando pronuntiatur ſuper finibus non recipiendis, & tunc dicitur. eo viſo & diligenter examinato, per præfatæ Curiæ noſtræ judicium dictum fuit prælibatos I. & N. recipiendos ut appellantes non eſſe, judicemque prælibatum bene judicaſſe, &c.

Quandoque poſt receptionem proceſſus præſentantur ab aliquo Literæ, ut ſubrogetur in locum alterius partium, & relevatur à vitio litigioſi contractus, tunc poſt verba, ad judicandum recepto, dici poteſt ſic : ad deinde requiſita per L certarum noſtrarum Literarum, ut in proceſſu & loco prædicti T. appellati à quo ſe jus & ceſſionem habuiſſe prætendebat, ſubrogaretur relevaretur que à vitio litigioſi contractus, interinatione, dictiſque Literis de ſubreptione & obreptione, & incivilitate per dictum G. impugnatis. Et ſuper his ad conſilium quoque totus proceſſus jungeretur appunctaverat, junctoque proceſſu inſtrumento per ipſum I. producto, omnibus viſis & diligenter examinatis, præfata Curia noſtra dictis Literis obtemperando prænominatum I. in loco & proceſſu T. ſubrogavit & ſubrogat, eum à vitio prædicto litigioſi relevando.

Exemplar Arreſti quãdo appellans præſentat Literas aut requeſtam civilem, ut à deſertione & emenda relevetur.

Quando verò appellatur ab interlocutoria ad Seneſchallum qui pronuntiat bene appellatum & malè judicatum, & cauſam retinet principalem : in qua tantum eſt proceſſum, quod ſententia diffinitiva proferetur per Commiſſarium ad hoc ab eodem Seneſchallo deputatum, & à dicto Commiſſario appellatur ad Curiam, per quam dicta ſententia confirmatur, & tunc ſic poteſt dictari Arreſtum : Cum lis mota fuiſſet coram judice noſtro Albigeſii inter ſyndicum Eccleſiæ Cathedralis Albigenſis impetrantem & actorem ex una parte & G. opponentem & defendentem ex alia parte, ratione certæ quantitatis terrarum in juriſdictione loci de ſalis patriæ Albigeſii ſituatarum, & latius in proceſſu deſignatarum, quam quidem terrarum quantitatem tanquam exiſtentem de pertinentiis nec-non infra limitationes & confrontationes Manſi de N. ſitam in præfata juriſdictione de Salis, latius etiam in proceſſu prædicto declaratis, eidem Capitulo jure directi dominii pertinentium, & ab eodem in emphyteoſim perpetuam ſub certis annuo cenſu & aliis dominiis directis latius in proceſſu declaratis teneri, conſuetarum, memoratus actor jure dominii vel quaſi ſibi pertinuiſſe & pertinere, declarare, præfatumque defenſorem earumdem terrarum detentorem, ad eaſdem actori prælibato reddendum & reſtituendum

Arreſtorum forma ubi appel. ab interlocutoria ad Seneſchallum qui pronuntiat bene appel. & malè judicatum, &c.

condemnari petiisset : coram quo tantum processissent partes jam dictæ, quod ipsis auditis memoratus judex articulis per actorem prælibatum in causa traditis fore respondendum per defensorem antedictum ordinasset, ac deinde causam & partes in sede sua capris pontis Tarni ad ulteriora, sicut rationis esset processuras ad certam diem remisisset. A qua quidem ordinatione dictus defensor ad Senescballum nostrum Tholosanum appellasset, ac deinde judex major dicti Senescballi locumtenens præfatum judicem Albigesii malè ordinasse, & dictos appellantes bene appellasse per ipsius ordinationem, sive sententiam pronunciasset, dictam causam per modum principalitatis retinendo : in qua Curia partibus prædictis auditis, ad plenum prælibati Senescballi Locumtenentem magistrum N. ad prædictam sententiam interim proferendam commisisset : idemque Commissarius per ejus diffinitivam sententiam, memoratum G. defensorem, à petitis per supra nominatum actorem absolvisset, ipsum in expensis condemnando, à prædictique prælibati Commissarii sententia, supradictus sindicus ad præfatum Senescballum nostrum ejusve Locumtenentem seu delegatum appellasset, ac tandem partibus prædictis tradito per jam dictum sindicum libello appellatorio, facta nova continente, factaque super eo pro parte sindici prælibati inquesta, eaque publicata & in causa hujusce renuntiato & concluso, memorati Senescballi Locumtenens per ejus diffinitivam sententiam, prælibatum Commissarium malè judicasse, sæpedictum sindicum appellantem bene appellasse pronunciasset, ipsiusque Commissarii sententiam quoad infra scripta reformando, terras inter partes contentiosas sitas, &c. A parte solis ortus, &c. confrontatas tanquam de pertinentiis Mansi N. & infra ejus limites existentes prælibatæ Ecclesiæ Cathedralis Albigensis sindico jure dominii, seu quasi pertinuisse, & pertinere decrevisset, & declarasset, dictasque terras eidem sindico adjudicasset, dictum G. defensorem ipsarum terrarum detentatorem ad illarum prælibato sindico possessionem vacuam indilatè reddendam & restituendam condemnasset ipsum à plus petitis absolvendo, neutramque partium prædictarum in expensis in utraque instantia factis condemnasset, in cæteris prædicti Commissarii sententiam confirmando : fuit ab hujusmodi sententia per supradictum defendentem ad nostram Parlamenti Tholosæ sedentem Curiam appellatum, auditi, &c. processuque, &c. Et visis per judicium Curiæ nostræ, &c. Aliquando lite non contestata partes appunctantur ad scribendum per modum memoriæ, sicut fieri solet sæpenumerò in Curia requestarum, in materia beneficiali vel simili : & fertur sententia in possessorio, quæ postmodùm per Curiam confirmatur : & tunc poterit sic Arrestum dictari. Cum in certa causa coram dilectis & fidelibus consiliariis nostris gentibus requestas * Palatii tenentibus, Commissarius in hac parte per nos deputatis inter magistrum G. actorem & conquerentem in casu novitatis & saisinæ ex una parte, G. defendentem & opponentem ex altera, ratione possessionis & saisinæ Canonicatus & præbendæ Lingonensis Ecclesiæ, ac fructuum & revenutorum eorumdem, quòd in eadem Ecclesia magister P. ipsorum possessor novissimus obtinere solebat, & per ejus obitum vacantes in quibus possessione & saisina quælibet dictarum partium meditis & causis in processu declaratis, manuteneri & servari in casu dilationis, & recredentiam eorum sibi fieri & adjudicari, & in eorum expensis adversarium condemnari petebat & requirebat : tantum processum extitisset, quo dictis partibus auditis, & ad eorum facta & rationes per modum memoriæ in scriptis tradenda, producenda, & quicquid tradere & producere vellent, Literisque & munimentis partium prædictarum traditis & productis, & in jure appunctatis, præfati Consiliarii nostri per eorum sententiam dictum actorem & conquerentem in possessione & saisina dictorum Canonicatuum & Præbendæ, fructuumque & revenutorum, ac emolumentorum eorumdem manutenuissent & conservassent, prædictum defensorem in expensis ipsorum actorum condemnando : fuit à dicta sententia, &c. Auditis igitur, &c. processibusque, &c. jus primitus super desertionis appellatione prædictæ pro intimatis allegatis factis adjudicandum receptis, eoque unà cum certis Literis per dictum defensorem de novo productis contradictis & salvationibus, per judicium præfatæ Curiæ nostræ dictum fuit, dictam appellationem minime desertam esse. Et nihilominus prædictos Consiliarios nostros bene judicasse, & dictum appellantem malè appellasse : & emendabit idem appellans ipsum in expensis hujusmodi causæ appellationis condemnando, ipsarum expensarum taxatione dictæ nostræ Curiæ reservata. Quandoque per aliquem Commissarium apponitur in aliqua re manus regia ob quod oppositione subsequuta coram Senescballo, processum fuit ad diffinitivam, à qua appellatur ad Parlamentum & pronunciatur super desertione & meritis causæ : & tunc sic fieri potest Arrestum : Cum virtute certarum Literarum, dilectorum & fidelium consiliariorum nostrorum thesaurariorum Franciæ magister N. Consiliarius in ea parte deputatus jurisdictionem ac emolumenta ex juribus exinde descendentibus tanquam nobis pertinentibus, nos de eisdem ressaisiendo ad manum nostram posuisset, ac domino dicti loci N. quod de dictis jurisdictione & exercitio ejusdem se intromitteret : quin primò Nos & officiarios nostros illi uti & gaudere permitteret, inhibuisset & defendisset : adversus quod expletum prælibatus D. ut D. ejusdem loci N. se opposuisset, & ob hoc causas suæ oppositionis dicturus coram Senescballo Rhutunensi adjornatus fuisset coram dicto Senescballo vel ejus Locûtenente tantum inter Procuratorem nostrum in Curia dicti Senescballi actorem ex una parte : & præfatum, D. opponentem defensorem ejusdemve Procuratorem ex parte altera processum extitisset, & dictis partibus ad plenum hincinde auditis, & ad sententiam appunctatis, judex major dictæ Senescballiæ & Senescballi præfati Locumtenens per suam sententiam pronuntiasset, & declarasset prædictam manum nostram, ac quodcumque impedimentum in prædicta jurisdictione loci de N. usque ad novem terminos ad prædictum defendentem in suis propris feudis spectantem oppositam tollendam, & amovendam esse, ac illam sustulisset & amovisset : fuit à dicta sententia per præfatum Procuratorem nostrum ad nos & nostram Parlam. Tholosæ Curiam appellatum. Auditis in dicta Curia nostra partibus, videlicet Procuratore nostro generali appellante ex una & sup. nominato D. vel ejus Procuratore appellato ex alia, partibus in causa appellationis prædictæ, processibusque ex eisdem actis an bene vel malè fuerit appellatum salvo jure primitus faciendo super eo quod dictus appellatus præfatam appellationem infra tempus debitum non relevasset, nec exequi fecisset : & ob hoc appellationem prædictam desertam esse dicebat, ad judicandum recepto, eo viso, & diligenter examinato, per judicium præfatæ Curiæ nostræ dictum extitit, appellationem prædictam desertam esse, dictumque Senescballum bene judicasse, & prælibatum appellantem malè appellasse.

Exemplum Arresti quando per Cõmissarium super re aliqua apponitur manus regia, cui facta oppositione apud Senescballum atque processu ab eo ad diffinitivum à qua appellatur.

Quandoque in receptione processus pro parte tertii alicujus præsentantur Literæ in integrum restitutionis, tangentes materiam principalem, quæ fuit coram Senescballo inchoata super revocatione rei alienatæ contentiosæ : & tunc sic concipi poterit Arrestum : Cum nobis expositum ex parte M. fuisset Magistrum N. circa vitæ suæ extrema G. in tali fundo heredem instituisse, adjecisset tamen ut in familia, & in posteritate inalienabiliter remaneret, sed nihilominus post dicti testatoris decessum G. Mansum, prædicta necessitate cessante, S. alienasse extra familiam testatoris. Idcirco prælibatum M. in gradu generis & parentelæ proximiorem

Modus Arrestum faciendi, quando præsentantur Literæ restitutionis in integrum, tangentes materiam principalem pro parte aliqua tertii.

Forma Arrestorum quando lite non contest. partes appunctantur ad scribendum per modum memoriæ, ubi sententia lata super possessorio, per Curia postea confirmatur.

* Requestæ.

Et sic hoc exemplum est de Parlamento Parisiens.

requisiviſſe, & interpellaſſe ſæpenumero eumdem S. ut eidem redderet & reſtitueret res alienatas hujuſmodi, quòd G. ei facere renuerat atque renuebat indebitè & injustè: quare ſuper hoc ſibi idem M. de condecenti juſtitiæ remedio provideri depoſcebat, dictumque exinde per nos in ea parte ſibi conceſſæ proviſionis Literarum virtute, quarum coram Seneſchallo noſtro Tholoſ. aut eius Locumtenente cui dirigebantur Literæ hujuſmodi inter prędictos M. impetrantem, & actorem petentem & requirentem ex præmiſſis alienationem prędictam, tanquam de jure, contra teſtatoris prędicti voluntatem factam & extortam caſſari & revocari, & annullari, caſsam nullamque pronuntiari: & conſequenter ad eidem actori Manſum N. cum ſuis pertinentiis omnibus reddendum, & deferendum partem adverſam rerum ipſarum detentatricem talem condemnari, cum expenſis & ex alia, prænominato G. opponente & defendente, &c. quas deducebat cauſis mediis, & rationibus ab impetitis ex adverſo abſolvi, cum expenſarum condemnatione poſtulante ex alia partibus: proceſsum quod eis ad plenum hincinde auditis, certus ad univerſitatem cauſarum Curiæ Seneſchalli prædicti Commiſsarius per ſuam ſententiam (inſeratur ſententia) &c. A qua quidem ſententia ad nos & noſtram Curiam Parlam. Tholoſ. ſedentem appellaſset dictus actor, ac deinde inibi ex parte dicti appel. & è contrario G. prædicti ut appellatus in cauſa appellationis prædictæ coram dicto Seneſchallo, aut eius locumten. actis concluſiſſent, à nobis autem ſeu Cancellaria noſtra per T. ut ipſe adhuc 25. annis minor, &c. (inſerantur diſpoſitiva, & concluſio Literarum prædictarum cum concluſione petitionis, adjecto in fine petitionis verbo concluſiſſet) pro parte verò ipſius G. defenſoris propoſitum fuiſſet, &c. (inſerantur defenſiones, & ſubjungatur concluſio ipſius quæ poteſt eſſe talis.) Petebat idcirco ipſe idem defenſor, dictum talem actorem recipiendum non fore dici & pronunciari: nec habere ius in prædictis actorem, vel ſaltem non habere debere, & ab eius impetitione eumdem G. abſolvi, cum expenſis ſuper quibus omnibus & ſingulis aliis quæ partes omnes antedictæ deducere & allegare, concludereque voluerunt, hincinde auditis ad plenum partibus eiſdem, prælibari Seneſc. ejuſve Locumtenens ſeu Commiſsarius proceſsus antedictus ex quibus ſub actis an bene vel malè extitiſſet appellans receptus ad judicandum. In cauſis verò ſeu inſtantiis aliis prætactis partes ipſæ ſucceſſivè ad quicquid vellent, penes curiam ponendum, & ad conſilium appunctatæ fuerunt. Tandem proceſſu eodem, necnon Literis, expletis, proceſſibus, inſtrumentis, & munimentis aliis, unà cum ligatis, & appunctamentis cauſarum hujuſmodi in dicta Curia noſtra factis penes eam per partes ultro citroque poſitis & productis, matura cum deliberatione, conſideratiſque, & argumentis omnibus, quæ Curiam in hac parte movere poterant, & debebant per præfatum Curiæ noſtræ Arreſtum dictum fuit Seneſ. Tholoſ. prælibatum, ſeu eius Locumten. bene judicaſſe, & M. appellantem malè appellaſſe, eum in cauſæ appelli expenſis illarum taxatione dictæ noſtræ Curiæ reſervata condemnando.

Alia forma Arreſtorũ, quando ſcilicet appellatur ad Seneſ. à revocatione executionis impetratę apud judicẽ parvi ſigilli.

Tangendo verò materiam principalem nunc inſeratur Arreſtum, ſi quod fundetur ſuper litigatione prædicta. Sæpenumerò quando fit executio virtute Literarum judicis parvi ſigilli, & oppoſitione ſubſequuta coram eo tantum proceditur, quod per ipſius ſententiam executio prædicta revocatur: à quo ad Seneſ. appellatur, qui ſententiam prædictam infirmat, executionem confirmando, tunc poteſt ſic Arreſtum fieri. Cum expoſito no. parvi ſigilli Montiſ. viribus clamore contra bona P. de ſumma centum lib. Tur. per G. ſeu ex parte ejuſdem vigore contentorum in quodam publico inſtrumento, viribus dicti parvi ſigilli confecto per Magiſtrum N. Notarium regium Thol. ſub anno, &c. ſumpto & retento, obtentiſque per antedi. G. à Magiſtro Jo. dicti parvi ſigilli cuſtodis no. Locumten. ſup. d. clamor decimæque regiæ, & expen. ejuſdem, ac propter formatam adverſus executionem illarum, per P. Baracium mercatorem opponentem eidem P. coram judice noſtro parvi ſigilli prædicti ad ſuæ cauſas oppoſitionis dicendum die aſſignato. Et præfatus judex partibus ipſis auditis, per ſuam ſententiam dictam executionẽ malè fuiſſe incœptam, illamque fore revocandam pronuntiaſſet, & declaraſſet, ipſamque revocaſſet, prælibatum actorem in expenſis cauſæ hujuſmodi condemnando, à prædictaque ſententia per præfatum G. ad Seneſ. noſtrum Bellicardi fuiſſet appellatum, ac deinde coram eodem Seneſ. aut ejus Locumtenente tantum inter partes prædictas proceſſum extitiſſet, quod ipſum in eadem cauſa appellationis judex major. dictę Seneſchalliæ prędicti Seneſ. Locumten. ex coram eo noviter actis, deductis, & probatis per ſuam ſententiam memoratum judicem parvi ſigilli malè pronuntiaſſe, & ordinaſſe, & ſuprà nominatum G. appellantem bene appellaſſe, prælibatique judicis ſententiam reformando (inferatur ſententia ſubjectis verbis ſequentibus in fine, pronuntiaſſet, & declaraſſet) fuit ab hujuſmodi ſententia ad nos, &c. audito igitur, &c. proceſſuque an bene, vel malè foret appellatum ex eiſdem actis (ſalvo jure primitùs faciendo) ſuper alleg. per appellatum deſertione, necnon Literis noſtris à nobis ſeu Cancellaria noſtra per memoratum appellantem obtentis, ut à deſertione prædicta relevaretur, eidem Curiæ noſtræ pro interinando præſentatis ad judicandum recepto, & viſo, &c. Præfata Curia noſtra per ſuum judicium dictis Literis obtemperando appellantẽ à deſertione, & emenda relevavit, & relevat: dictum inſuper fuit præfatum judicem majorem Seneſchalli prælibati locumtenen. bene judicaſſe, &c.

Quomodo fiat arreſtum quando admittitur appellans ad probandum facta nova contenta in libello ſuo appellatorio, juxta l. per hãc. C. de temp. & rep. appel.

Quandoque appellans admittitur ad probandũ facta nova contenta in libello ſuo appellatorio, & interea datur proviſio appellato, & tunc ſic poterit concipi Arreſtum: Cum in certa cauſa in noſtra Parlamenti Curia Tholoſę ſedente, inter N. appellantem ex una parte, & P. *Regundi* appellatum ex alia, à Seneſchallo noſtro Tholoſ. aut ejus locumtenente ratione inquantum tangebat atque tangit principale matrimonii contracti per M. avum ſuum quondam conſtitutum, latius hoc patſato inſtrumento dotis ſpecificatæ, & deſignatæ mota, & vertente, tantum proceſſiſſent partes jam dictæ, quòd eis in cauſa hujuſmodi appellationis auditis, proceſſuque an bene vel malè extitiſſet appellatum, juncto libello appellatorio dicti appellantis per modum nullitatis factorum novorum, & rationum juris traditis, & receptis ad judicandum, fuerit tandem proceſſu vilo matura cum deliberatione dictoque appel. ad in ejus libello hujuſmodi contenta facta probandum, & prælibato appel. ad ſi vellet tradendum, & probandum facta in contrarium, ad hoc dictis partibus certum terminum præfigendo admiſit præfata Curia noſtra, quòd &c. (interea inſeratur dicta proviſio ſubjunctis in fine verbis ſeq.) ordinavit atque ordinat, expenſas omnes in diffinitiva reſervando. Quando appellatur à duabus ſententiis judicis ordinarii ad Seneſ. qui proceſſibus partium junctis, una ſententia confirmat judicium dicti judicis, & dicti Seneſchalli ſententia per Curiam Parlam. ad quam fuit appellatum confirmatur: poterit ſic Arreſtum fieri: Cum à ſententiis duabus judicis noſtri ordinarii Thol. una ad S. & alia ad C. actorum ſeorſum cujuſlibet pro ſe utilitatem contra R. defendentem latis per quarum unam dictus judex, &c. condemnaverat prædictum R. defen. per alteram verò ſententiarum hujuſmodi ſæpedict. R. defenſorem condemnaverat ſimiliter, &c (inſerantur prædictæ ſententiæ, & inſerantur verba ſequentia.) Ad Seneſchallum noſtrum Tholoſanum prænominatus R. defenſor appellaſſet: coram quo Seneſchallo, aut ejus Locumtenente, tantum inde extitiſſet nullitatis inter prædictas partes proceſſum, quod eis in cauſa appellationis, ſeu

appellationum

appellationum hujusmodi auditis, Senescballi prælibati Locumtenens per suam sententiam causarum ambarum expedict. simul junctis processibus malè per dictum R. appellatum, & bene judicatum, addendo ejus sententiæ, quod dictus R. (inseratur quod additur, subjunctis verbis sequentibus) in his sententiis à quibus appellatum extiterat, infirmando: in aliis verò confirmando, neutramque partem in expensis utriusque sententiæ, & ex causa condemnasset, fuit ad nos, &c. auditis, &c. processu, &c. juncto libello, &c. omnibus visis, & diligenter examinatis, repertaque in processu nullitatis, minusque in dicto libello appellatorio facta nova admissibilia non erant per præfatæ curiæ nostræ judicium, dictum fuit Locumtenentem prælibati Seneschalli Tholosani bene judicasse, &c. Quando inhibitiones factæ vigore Literarum super instrumenti cancellatione tolluntur, & obtemperando requestæ opponentis impetrans condemnatur in summa principali, unà cum expensis, & per Arrestum dicta sententia confirmatur dicto jure super nullitatibus, & factis novis in libello, &c. Cum virtute certarum Literarum à Senesch. nostro Thol. pro parte T. obtentarum, certus serviens noster l. instrumentum quoddam anno dom. &c. cassato, cujus tenore prafata litis contestatione (inserantur substantialia instrumenti subjunctis sequ.) illudque nullum, & ineffecax declarari petisset visuram, & facturam ulterius, sicut rationis est coram Senes. præfato, aut ejus Locumtenente ad certam diem dictam T. adjornasset d. adjornatæ, ne interim dilatione pendente eadem aliquid in dicti impetrantis præjudicium faceret, seu attentaret sub vigintiquinque marcharum argenti pœna inhibendo, & defendendo, coram quo Seneschallo, vel ejus Locumtenente tantum ibidem processissent partes jam dictæ, quod eis tam circa præmissa quàm super eo, quod dictus Jac. per quandam suam requestam, &c. (inseratur petitio quod adjornamentum) fecit de summa principali auditis judex major Tholosa. dicti Seneschalli Locumtenen. per sententiam suam antedictas sustulisset inhibitiones: requestam verò prædictam dicti Jacobi, interimando dictam T. impetrantem, &c. (inseratur conditio subjuncto verbo condemnasset, &c.) omnibus visis, &c. ut in præcedenti.

Forma Arresti quando tolluntur inhibitiones vigore Literarum factæ super instrumenti Cancellatione.

Quando appellatur ab executore Arresti, & postea in causa appellationis comparet, & tertius se opponens adversus executorem prædictum, & per hoc non recipiendi repellitur opponens, & processura Commissarii confirmatur. Cum virtute Arresti nostræ Curiæ Parlamenti Tholos. sedentis ad R. utilitatem contra L penul. die, &c. dati Arresti confirmatorii ejusdem sententiæ per quod Locumten. judicis nostri appellationum causarum civilium Tholos. in ea parte Commissarius jam dictus ad certum terminum (inseratur sententia Literarum, ac executio) Arresti prædicti dilectus, & fidelis consiliarius noster in curia prædicta Joan. commissarius ad hujusmodi Arrestum, seu judicatum executioni demandandum, ad præfati R. requestam deputatus, apud locum prædictum de N. se propterea conferens vocatis, & constitutis coram eo partibus, & auditis, ac facta prænominati L. requirentis de rebus, & locis contentiosis venit, sibique pluribus ad ejus habendum consilium dilationibus concessis, ac nihilominus illis præteritis, aliam sibi dari adhuc ad idem requirentem adjiciendo postremo se consenture dicti Arresti executioni faciendo in N. proviso quod sæpedictus R. de rebus ejusdem investitus ab eodem A. eique census cum eorum debitis arreragiis reparationibusque, & omnibus aliis passis, factis & solutis per A. ipsis, ut dicebat solvere dictoque R. se ad hoc nequaquam tenere sententiæ: & Arresti prædicti, inspectis tenoribus in contrarium allegatis eisque super iis, & aliis quæ deducere voluerunt partes ipsæ antedictæ hinc inde, memoratus Magister Jo. commissarius per ejus ordinationem (inseratur ordinatio, & executio commissarii) deinde fuit ad nos ad dictam Curiam Parlamenti à præfatis commissario ejusque processura, & expletis in ea parte factis pro parte dictæ A. appellatum, constitutis autem in dicta Curia nostra partibus eisdem scilicet A. appellante ex una, & dicto R. intimato, & relore in materia executionis Arresti prædicti ex altera, necnon G. opponente, & defendente ex alia partibus, seu dictarum partium procuratoribus: jam dictus appellans, & intimatus pertinenter utrumque ex apud commissarium præfatum actis, in causa hujusmodi appelli concluserunt. Quod faciendo prælibatum R. Arrestum supradictum opponentis prælibati, oppositione non obstante sortiri effectum, ac executioni plenariè demandari petitum extitit, & requisitum: dictus autem opponens suę oppositionis causas scripto tenus tradidisset (inserantur cum eorum conclusione adversaru: & si sint duplices dicatur, dicto opponente alia duplicando allegante, & sicut suprà concludendo) eadem dictis temporibus in omnibus quæ circa præmissa deducere, & requirere voluerunt, hinc inde in dicta Curia ad plenum auditis. Et quatenus continebant appellationem antedictam processu ex quo super actis an malè extitisset appellatum ad judicandum recepto, salvis quibusdam pro parte dicti appellantis allegationibus nullitatis. Quo autem ad alia, ad penes Curiam quicquid partes vellent ponendum, & ad consilium appunctandum. Arresto igitur prædicto unà cum præfati Jo. processu, necnon literis, processibus expletis, munimentis præactisque causis, oppositionibus, ac litigationibus, & appunctatis in causa seu causis hujusmodi factis, aliisque penès Curiam per partes ultrò citroque politis, & productis, & consideratis, & attentis omnibus quæ Curiam in hac parte movere poterant, & debebant. Repertoque quòd in processu aliqua non erat nullitas per præfatæ Curiæ nostræ judicium, dictum fuit sæpè dictum G. non esse, ut opponentem recipiendum: necnon prælibatum consiliarium nostrum Magistrum Jo. bene processisse, ordinasse, & expletasse, & quod emendabit appellans: ipsum in causa appellationis expensas illarum taxatione dictæ Curiæ nostræ reservata, condemnando.

Aliquando dicitur in Arresto quod non obstantibus oppositionibus, Arrestum executioni dabitur, & tunc præmitti potest decisio processus, & postea subjungi poterit.

Alius quidam modus faciendi Arresti quando dicitur, quod non obstantibus oppositionibus, Arresti executioni mandabitur.

Respectu verò causarum oppositionis antedictarum dictum fuit per suprà dictum judicium, quod illis non obstantibus, Arresti prædicti executio in bonis, & hæreditate super quibus prælibatus se opposuit, inchoata, continuabitur, & perficietur, salvis & reservatis eidem opponenti per eum præmissis, & allegatis reparationibus, & meliorationibus, talibus, sicut rationis erit, absque expensis, & ex causa.

Quando commissarius post remissionem per eum factam ad Curiam, & per Curiam ipsius remissione ac retentione facta non obstante, remittit rorum commissario: qui à dicto loco debatorum habet procedere, &c. in casu appellationis verbo tenùs litigato, supervenit aliquis opponens: & pronuntiavit opponentem non esse recipiendum, & bene processum per commissarium: sic poterit fieri Arrestum: Cum virtute certi Arresti Curiæ Parlam. Tholosæ sedentis inter S. conquerentem, & actorem in casu saisinæ, & novitatis ex una. Et D. defendentem, & opponentem ex altera, seu aliis partibus die xx. &c. Lati Arresti serie cujus Curia Parlamenti inter cætera præfatum S. in possessione, &c. manutenuerat, & conservaverat executionem processuum, ac certos actus per dilectum N. factos. Ac deinde sibi qui ejus processum M. cum partibus dictæ Curiæ renuodiaverat, processu eodem in statu remissione cum dictis partibus ad ulteriora prædictæ inchoatæ executionis processuro, sicut est rationis: per dictam Curiam nostram retentione facta

nonobstante, & ob hoc per eum coram ipso apud loca debati pronuntiato. Sic persequentis pro se executionem prædictam continuari, & perfici requestam in judicio D. defendente vocato: factaque per commissarium ipsum de bonis, & rebus infrà proximè descriptis, & specificatis æstimatione, & elevatione, præfatus noster Consiliarius per suam ordinationem, &c. assignasset, & appunctasset, &c. fuit ad nos, &c. & nostram Parlamenti Curiam Tholosæ sedentem ab ordinatione seu sententia expletis, & processuris hujusmodi dicti commissarii pro parte supradicti appellatum. In qua quidem Curia nostra constitutis partibus antedictis eodem S. D. appellante ex una parte, & præfato S. intimato actoreque in materia executionis Arresti prædicti ex alia, necnon T. opponente, & defendente ex altera partibus, seu dictarum partium procuratoribus pro ipsis. Et fuit dictum pro parte dicti appellantis quod, &c. assignaverat, requisiverat, &c. atque in pluribus gravaverat appellantem sæpedictum. Qui propterea ab eodem commissario, suisque processuris, & expletis se gesserat pro appellante. Ac alia quædam deducta fuere ex eis nulliter, seu saltem malè processum, & expletatum fuisse, ac bene per dictum appellantem appellatum, dici & pronuntiari, cum expensarum condemnatione postulando: ab eodem verò intimato, qui pro suis defensionibus in præfatis commissarii processu contento in effectu deducens, contrariam sumpsit, & recepit conclusionem. Et supradictus pranominatus T. opponens tangendo idem dictæ oppositionis scripto tenùs tradidit causas, per quas dicebat, &c. Et ideò concludendo petebat, & requirebat dictus opponens dici, & pronunciari, &c. eodem S. quod bona prædicta apparebat, &c. ac alia replicando deducente, quod pars adversa recipienda, ut opponens non veniebat, saltem quòd si ad malam, &c. Tandem partibus in omnibus, & singulis quæ tam oppositionem quàm appellationem antedictas tangendo deducere, & requirere voluerunt, hinc inde auditis in dicta Curia nostra, & ad penès eam quicquid vellent ponendum ad consilium appunctatis, & dictis causis oppositionum, ac litigatis exterisque partium, aliisque per eos penes Curiam ipsam traditis, & productis, consideratisque, & attentis omnibus quæ Curiam in hac parte movere poterant, & debebant: per præfatæ Curiæ nostræ judicium dictum fuit, sæpè dictum T. opponentem non esse, ut opponentem recipiendum, necnon præfatum consiliarium Magistrum M bene processisse, & dictum appellantem malè appellasse: eum tamen ab expensis, & emenda relevando, & ex causa. Aliquando appellatur à commissario executore duorum Arrestorum, cujus processura confirmatur cum emenda, & expensis, & tunc sic fieri poterit Arrestum: Cum latis duobus Arrestis per Curiam nostram Parlamenti Tholosæ sedentem uno inter L. ex una, & C. ex alia partibus, cujus serie, &c. (inseratur tenor Arresti, &c.) altero autem inter N. ex una, & præfatum B. ex alia, ac pranominatum L. ex altera partibus, per quod secundùm dicta Curia nostra Parlamenti, &c. (inseratur tenor dicti secundi Arresti) ipsisque pro parte præfati L. & ad inquantum quemlibet concernebat, & concernit pro exequendo dilecto, & fideli consiliario nostro in nostra Curia prædicta Magistro Petro de Monte, commissario in ea parte præsentatis, ac per eum qui se propterea ad loca N. præfata contulit, facta seu inchoata dictorum, locorum, & terrarum visitatione consiliarius noster præfatus commissarius, &c. (inseratur ejus ordinatio) & assignasset, &c. fuit ad nos, &c à præfato Petro de Monte commissario, ejusque ordinatione, & processura hujusmodi, pro parte sæpenominati B. appellatum. Auditis igitur, &c. processusque, &c. ac junctis eidem Literis, instrumentis, ac munimentis traditis utrimque per partes, omnibus visis, & diligenter examinatis: per nostræ Curiæ judicium dictum fuit prælibatum consiliarium nostrum Magistrum P. de Monte commissarium bene processisse, & expletasse, & ordinasse. Et dictum B. malè appellasse, & quod emendabit: eum in causæ appellationis hujus expensas illarum taxatione dictæ Curiæ nostræ reservata, condemnando. Quandoque commissarius remittit processum suum Curiæ, & processu suo recepto, & ejus audita relatione, fertur Arrestum, quod sic concipi potest: Cum virtute certi Arresti seu judicati nostræ Parlamenti Curiæ Tholosæ sedentis die, &c. lati confirmatorii cujusdam sententiæ Seneschalli Tholosæ, aut ejus Locumtenentis, ac dilecti nostri P. R. scutiferi domini de M. utilitatem, contra L. datæ, à quâ, &c. (inseratur tenor sententiæ, necnon ipsius Arresti seu judicati) executione literarum dilectus, & fidelis commissarius ad hujusmodi Arrestum executioni demandandum ad præfati P. R. requæstam, deputatus apud locum prædictum de M. propterea se conferens eodem R. vocato, auditoque secundo (inseratur executio facta per commissarium) &c de quo ad dictum Arrestum executatum realiter fuisset, respectu verò aliorum in eodem Arresto contentorum, ac aliis quibusdam per eumdem C. allegatis causis, & rationibus, donec dicta Curia nostra ipsius commissarii viso processu, aut illa per eum consulta ordinatum foret supersedere. Notum facimus, quod Curia præfata recepto per jamdictum commissarium processu, ipsiusque commissarii audita relatione, ac deductis allegatis, & productis tangendo materiam visis matura cum deliberatione, quod (inseratur tenor illius quod Curia factis, subjunctis in fine verbis) ordinavit, & ordinat, vel aliis similibus. Quando appellatur à sublatione inhibitionum ab executione Arresti, & manus levatæ, & postmodùm litigatur super beneficio seu possessorio illius in Curia simul cum dictis causis appellationis, & omnia Arresto eodem terminantur: tunc sic fieri potest Arrestum: Cum virtute certarum Literarum à Seneschallo nostro Tholosano à nobis in ea parte commissario deputato, per dilectum nostrum fratrem Abbatem Monasterii de N. Cister. Ordinis impetratarum, super eo quod cùm narretur causa impetrationis subjunctis verbis sequentibus obtentis, &c. dicebat, & asserebat certus serviens noster, &c. (inseratur explerum factum per servientem, &c.) inhibuisset, & defendisset, quibus inhibitionibus se opponendo dicto R. ac propterea super opponente hujusmodi coram Seneschallo prædicto, aut ejus Locumtenente assignato tantum processum extitisset inter partes jamdictas, scilicet impetrantem, & actorem petentem, & requirentem inhibitiones prædictas continuari ex una, & præfatum R. opponentem, & defensorem ex alia partibus. Quod cæs super hoc auditis (inseratur sententia, & ordinatio prafati Seneschalli) eas sustulisset, dictum Jo. in expensis condemnando, fuit ad nos, &c. appellatum fuit, & in causa quadam alia in dicta Curia Parlamenti inter syndicum præfati Monasterii super eo quod se in possessione, & saisina administrationis dictæ Abbatiæ illius sede Abbatiali Jo. facta resignatione vacante fuisse, & esse de facto per fratrem de C. dictæ resignationis prætextu, & medio jus in dicta Abbatia habere prætendentem, turbatum conquerentem, & actorem in casu saisinæ, & novitatis: & dictum Danesia defendentem ex altera, partibus introductis, & virtute Arresti lati per Curiam ipsam ad requestam dicti Danesia dicentem, & asserentem fratrem P. per Monasterii prædicti N. Monachos & Religiosos ad dictam Abbatiam, ut & tanquam vacantem dictæ relignationis medio cum ab hac luce migrasset, electum: quare partibus eisdem super hoc auditis, per quæ dicta nostra Curia de prædicti talhexiæ decessu debitè informata, manum nostram, &c. levaverat, dictique Arresti seu manus levatæ literis dilecto, &c. cui dirigebatur per sæpedictum fratrem Ja. pro exequendo præsentatis, memoratus L. commissarius se

Forma Arresti quando commissarius remittit processum suum Curiæ.

Arresti qua forma sit faciendum quando appellatur à sublatione inhibitionum, & executione Arresti, seu manus lavatæ, & postmodum litigatur, &c.

Quomodo fiat Arrestum in casu quo appellatur à commissario executore duorum Arrestorum, cujus confirmatur processus.

expresè apud Monasterium præfatum N. conferens, comparentibus illis coram ipso, ante videlicet ipsius Monasterii portas, sxpedicto, &c. ex una parte. Et ex adverso fratribus M. & R. Religiosis, & Senesch allis dicti Monasterii adjornatis, & defensatis ex alia: ac eis super hoc auditis, &c. (nunc inferatur ordinatio, & executio facta per Commissarium, &c.) Fuit ad nos, &c. Constitutisque postmodum in dicta nostra Curia partibus, prænotato, scilicet fratre Jo. de Cast. a Seneschallo nostro præfato Tholosæ, illiusque locumtenente appellante ex una, & prælibato Fr. P. R. appellato ex alia: necnon syndico prædicti Monasterii N. à prænotato L. commissario appellante conquerenteque, & actore in casu saisinæ, & novitatis ex una, & præfatis fratribus Jac. de C. appellato, & opponente ex aliis partibus, seu dictarum partium procuratoribus, pro ipsis ex eisdem actis dictorum Seneschalli, vel locumtenentis, & L. commissariorum processum fuerat, an bene aut malè appellatum foret, salvis quibusdam per prælibatos appellantes, negatis nullitatibus ad judicandum recipi: antedictus vero syndicus Monasterii N. sede vacante, ut conquerens, & actor de quo suprà in casu saisinæ, & novitatis proponi fecit, &c. præterea dicebat syndicus prædictus conquerens & actor, &c. subintendo conquerentem, & Religiosos ipsos fuisse, &c. in possessione & saisina, &c. Petebat igitur concludendo dictus syndicus actor dici, & declarari se ad bonam, &c. Ex adverso autem extitit ex parte præfati Fr. Jac. de C. opponentis, & defensoris ordinatum, quod, &c. Et a contrario, suprà nominatus frater P. de C. &c. subjungendo, &c. aut dicto syndico alia quædam replicando allegante, & deducente, sicut & suprà adversus, & contra ejus adversarios, qui prælibatos per eorum quemlibet concludente, dictoque de C. adjiciente, &c. sicut suprà contra ejus partes adversas, & earum quamlibet, prout causa respiciebat, & tangebat, concludendo, ac præfato R. alia quædam replicando, & duplicando, & allegante, & prout suprà contra omnes ejus adversarios præfatos, & eorum quemlibet concludente, procuratore quoque nostro generali provisionem requirente, &c. tandem dictis partibus in omnibus quæ circa præmissa dicere, proponere, requirere, & concludere voluerunt, ad plenum in dicta Curia nostra, & ad penès eam quicquid vellent ponendum auditis, & ad consilium appunctatis, visisque titulis, &c. repertoque in processibus antedicti Seneschalli Tholosani, aut ejus locumtenentis eum bene judicasse, appunctasse, & ordinasse, & præfatum fratrem Jo. de C. appellantem malè appellasse, eum in ipsius causæ appellationis expensis, taxatione dictæ Curiæ nostræ reservata, condemnando, alteram verò causam appellationis prætactam tangendo, dictum fuit eodem judicio bene per sxpedictum Consiliarium nostrum Magistrum L. commissarium processum, & expectatum fuisse, & malè per prælibatum syndicum Monasterii N. appellatum, absque tamen causæ ejusdem appellationis expensis: & insuper quatenus querimoniam antedictam tangebat, dictum per quod suprà fuit judicium antedictos syndicum Monasterii, & fratres Jo. de D. & Jo. R. non esse, ut conquerentes ad eosdem de C. & R. tanquam opponentes recipiendos, ad bonam verò, & justam causam supranominatum fratrem Jacobum de G. opposuisse. Et ob hoc eumdem fratrem Jacobum de D. in Abbatia Monasterii Q. fructumque, &c. manuum nostrarum, &c. manutenuit, &c. per idem judicium Curia nostra memorata, & absque expensis, &c. Quandoque processus existens in statu judicandi coram Seneschallo ex nonnullis suspicionum causis ad Curiam evocatur: quæ causa retenta, tertioque comparente, & illo citato per Curiam de audiendis in parte renuntiatur: tunc sic concipi poterit Arrestum. Cùm lis mota fuisset coram Seneschallo nostro Tholosa. inter B. impetrantem, & actorem ex una parte, & S. defendentem ex altera, super eo quod dicebat dictus actor, quòd jam olim cùm in humanis fuerat, &c. (Subinferitur narrativa demanda cum conclusione his verbis.) Quare, &c. ac in expensis omnibus partem eamdem adversam condemnari actor ipse concludendo petebat. Pro parte verò defensoris proponebatur in contrarium. Quod, &c. (inferantur defensiones subjecto, &c.) Cætera eidem defendenti præjudicabilia facta partis adversæ negando, ad fines non recipiendi, ad absolutionemque, & expensas concludendo. Super quibus dictis partibus auditis, lite contestata, facta inquesta utriusque, & publicata, ac partibus ad earum literas, & documenta producenda die assignato, dictus B. actor causam ipsam ex nonnullis quas allegabat suspicionum causis dicta Curia Parlamenti revocari, atque evocari obtinuisset: ubi constitutis partibus antedictis, vel earum procuratoribus; & per dictam Curiam Parlamenti ad se causa hujusmodi retenta. Superveniens N. facta, causas, & media plura deduci fecisset ad finem, seu fines, &c. (inferatur conclusio dicti tertii supervenientis, &c.) Econtrario B. & S. uterque ex quibus deducebat causis, & mediis ad fines non recipiendi, & absolutis concluisisset. Tantumque inde processissent partes, hoc eis hinc inde auditis, ipsæ ad quicquid vellent penès Curiam ponendum, & ad consilium appunctatæ extiterint. Tandem processibus, inquestis etiam visis, matura cum deliberatione, consideratisque, & attentis considerandis, & attendendis, & quæ Curiam in hac parte movere poterant, & debebant, per nostræ dicti Parlamenti Curiæ Arrestum, dictum fuit, &c. (inferatur Arresti dictum.) Causam verò, &c. tangendo, &c. remisit, &c. Si autem sententia à qua fuit appellatum, sit infirmanda, dicetur in Arresto, per judicium, &c. prædictum Seneschallum malè judicasse, & dictum appellantem bene appellasse: & istud olim sufficiebat. Attamen de novo additum est, quod quando infirmatur sententia, ille qui obtinuit sententiam in prima instantia, condemnatur in causa appellationis in expensis factis in causa principali; & hoc si petat, quia expensæ non dantur, nisi petantur: & tunc sic poterit Arrestum fieri.

Cùm super possessione talis domus, &c. lata sententia per Seneschallum nostrum Tholosanum ad utilitatem A. contra G. prædictus G. ad nostram Parlamenti Curiam Tholosæ sedentem appellasset: auditis, &c. per judicium, &c. dictum fuit prædictum Seneschallum malè judicasse, & dictum G. appellantem bene appellasse, condemnavitque, & condemnat eadem Curia dictum A. erga dictum G. in expensis per ipsum G. petitis in causa principali, illarum taxatione dictæ nostræ Curiæ reservata. Si verò tantummodo protestatus fuisset de expensis in causa principali dicetur sic, reservavitque prædicta Curia eidem G. petitionem expensarum causæ principalis, de quibus in eadem causa fuit protestatus.

Forma Arresti, quòd aliquid est addendum primæ sententiæ declarandum, vel diminuendum.

Ubi autem aliquid addendum est sententiæ primæ, declarandum, vel diminuendum, tunc poni debet in narratione Arresti de factis contentis in articulis: & totum illud quod est addendum, diminuendum, vel declarandum, ita quod clarè appareat, quare seu ex quibus causis fiat illa detractio, additio, diminutio, vel declaratio: tunc sic fieri poterit Arrestum.

Forma Arresti, quando processus in statu judicandi existens coram Seneschallo ex nonnullis suspicionum causis evocatur ad Curiam.

Cùm lis mota fuisset coram, &c. inter, &c. igitur concludendo, &c. petiisset, &c. defensore præfato in contrarium proponente, quod, &c. ad fines non recipiendi, & absolutionis concludendo. &c. Et adverte quia in hujusmodi defensione tangi debent omnia media quæ faciunt ad illud additum declararum, vel diminutum, & nihil ultra de hoc locum habet in appellante, quia pro appellato nullo modo corrigenda est sententia ex qua non appellavit: Aliquando tamen contingit quod utraque pars appellat à sententia,

inquantum contra se facit, & hoc frequenter invenitur in processibus juris scripti. Et tunc etiam erunt tangenda ea facta de articulis, quæ movent ad infirmandam sententiam: deinde concluditur sic: Super quibus, & aliis omnibus utrimque deductis, auditis ad plenum partibus, lite contestata, ac demum renuntiato, & concluso in causa, & ad sententiam audiendam, partibus eisdem termino assignato. Certus dicti Senescalli Locumtenens, seu commissarius ad unum statum causarum Curiæ suæ per sententiam ejus, &c. pronuntiasset, & ordinasset fuit, &c. auditis, &c. processu, &c. Eo viso, & diligenter examinato, per judicium præfatæ Curiæ nostræ dictum fuit prælibati Senescalli Locumtenentem, seu Commissarium malè judicasse, & dictum N. appellantem bene appellasse, dictique Locumtenentis, & commissarii judicium emendando, quod, &c. inseratur dictum Arrestum, &c.) condemnavit, & condemnat per illud judicium Curia nostra memorata, & absque tam primæ quàm secundæ instantiæ expensis.

Si verò in causa appellationis facta proponuntur, super quibus ex ordinatione Curiæ est inquisita veritas, ad finem quòd sententia pronuntietur nulla, vel injusta, aut iniqua, & inquesta ad judicandum recepta, fieri debebit Arrestum, cum sufficienti narratione factorum contentorum in actis, & *intendit* utriusque partis, & sic consuevit incipi: Cùm jamdudum lata fuisset quædam sententia per talem judicem ad T. utilitatem contra N. super eo quod, &c. (inseratur tenor petitionis actoris, qui sententiam obtinuit, &c.) per quam idem Senescallus, &c. fuit, &c. Auditis igitur in dicta Curia nostra partibus antedictis, &c. tam in causa appellationis hujusmodi processu ex eisdem actis an bene vel malè appellatum foret ad judicandum recepto: dictum extitit quod super eo quod dictus appellans dicebat se, &c. ad facta probandum hujusmodi admitti postulando: dicto appellante in contrarium proponente, quod, &c. processus ex eisdem, &c. ad judicandum fuit receptus, ac partes ipsæ ad earum facta articulandum, & proponendum receptæ, & admissæ fuere: tandem inquesta facta utriusque, appunctamenta hujusmodi insequendo Curiæ reportata, recepta, & juncta processui, productis per partes utriusque literis omnibus visis: per judicium dictæ Curiæ nostræ dictum fuit prælibatum Senescallum ejusve Locumtenentem malè judicasse, & T. bene appellasse, &c. (Vel econtrà secundum quod erit judicatum sive dictum in Curia vel posset sic dici breviùs) facta inquesta super propositis pro utraque parte eaque partibus ipsis auditis ad judicandum recepta per judicem, &c.
Et quod supradictum est ubi sententia prima simpliciter infirmatur, aut non infirmatur, ut Arrestum brevissimum sic fieri debeat: habet locum, nisi in prima sententia essent diversæ, & obscuræ adjudicationes, quia tunc melius, & securius esset quod Arrestum fieret cum sufficienti narratione factorum in articulis contentorum.

Item est unum aliud sciendum quod qui obtinuerit primam sententiam, & succumbit in causa appellationis, non debet condemnari ad expensis * factas in causa appellationis: quia prima sententia quam pro se habuit, dat sibi causam justam litigandi: & ita servatur, ergo à fortiori ratione, si duas habuisset pro se sententias. Licèt nunquam excusetur quin solvat emendam, qui malè appellavit in patria consuetudinaria: quæ datur ratione vexationis Curiæ: si autem P. habuisset primam sententiam pro se, contra B. qui appellavit, & in causa appellationis B. obtinuit contra P. & P. à B. secunda sententia appellavit, & B. obtinuit contra P. tertiam sententiam Dictus P. secundò succumbens in causa appellationis solvet expensas factas in causa secundæ appellationis, licèt obtinuisset primam sententiam pro se: quia secunda sententia contra ipsum lata, facit ipsum habere minùs justam causam litigandi. Et idem in similibus.

Quando autem appellatio ab interlocutoria per Curiæ judicium confirmatur, poterit sic Arrestum fieri: Cùm in certa causa circa, &c. inter A. conquerentem, & actorem in casu saisinæ, & novitatis ex una parte, & B. opponentem, & defendentem ratione possessionis, & saisinæ ex altera: in quibus se conquerens, & actor prædictus rectoriæ N. dictis N. fructuum, profectuum, revenutarum, & emolumentorum ejusdem manuteneri, & conservari, & per manum nostram omne impedimentum ab inde ad sui utilitatem levari, & amoveri, jam dictus verò B. quod processu pendente gauderet, & ex quibus hinc-inde deducebant, titulos petebant, & requirebant, &c. causa mora, & verrente tantum processum inter partes jam dictas, quod eis auditis, dicti Senescalli, Locumtenens, per sententiam, & ordinationem gaudentia, &c. prælibato B. concessisset, &c. (Inseratur tenor Ordinationis) fuit, &c. Auditis igitur, &c. processu quia, &c. eo viso, &c. per præfatæ Curiæ judicium dictum fuit judicem majorem prælibatum Locumtenentem, Senescalli nostri Tholosani bene appunctasse, & ordinasse, & dictum appellantem malè appellasse: ipsum in causæ appellationis expensas, &c. remisitque, & remittit easdem partes coram dicto Senescallo ejusve Locumtenente ad quindenam processuras ulterius, ut fuerit rationis.

Quandoque in materia beneficiali non fit remissio, sed vacuatur totum possessorium visis titulis, & tunc per verbum appellasse debet sic dici: Et insuper dictarum partium visis titulis, memorata curia nostra suprà notatum in possessione, & saisina, &c. manu tenuit, & conservavit, manutenet, & conservat diffinitivè per Arrestum in tali causa appellationis, cum dicitur primæ instantiæ exponendum, &c. Adverte quod etiamsi in prima instantia ante interlocutoriam facta fuerit inquæsta, vel inquisitio, super qua fundetur ordinatio, debet de hoc fieri mentio post verbum, *auditis*, factaque inquesta seu inquisitione. Aliquando appellatur ab executione Litterarum statuti querel. in primo capite, & processura confirmatur per cariam, & tunc sic concipi potest Arrestum: Cum virtute certarum Literarum à nobis seu Cancellaria nostra pro parte B. ratione possessionis, & saisinæ rectoriæ de N. impetratarum, quam dictus B. sibi canonico titulo pertinere: seque in illius possessione, & saisina fuisse, & esse. Sed quod nihilominus A. sine quovis titulo ipsum impetrantem de prædictis ejus possessionibus, & saisinis dissaisiverat, & expoliaverat, & in eadem rectoria intendendo dicebat super hoc obtentatis Magister C. Senescalli nostri Tholos. Locumtenentis, vocatis, & comparentibus coram eo partibus prædictis, eisque auditis per ejus ordinationem (etiam inseratur ordinatio, & executio) fuit dictum prædicta Ordinatione, &c. Auditis igitur, &c. processu, &c. eo viso, &c. per præfatæ curiæ nostræ judicium, &c. remisit, &c.

Quandoque processu recepto supervenit aliquis tertius per requestam civilem: * reddit se conquerentem in casu saisinæ & novitatis. Tunc post verbum, appellatum, potest sic dici: In qua quidem curia constitutis partibus antedictis, earumve procuratoribus pro ipsis processibus receptis ex ti. &c. Quo in statu existente processu hujusmodi S. posteaquam certam requæstam civilem: ut ad id dicto processui jungendum admitteretur, pro interinando præsentasset querimoniam in casu saisinæ, & novitatis ad causam dicti beneficii contra prænominatos A. & B. proponi fecit, affirmans quòd etiam fuerat, & erat (subjungatur conclusio per verbum, *concludebat*) deductum verò è contrario per prælibatos A. & B. opponentes, & defendentes, quòd &c. contrà verò dicit, & allegat dictus A. quòd &c. & alia quædam tam per A. quàm per B.

succibit in causa appellationis, non debet condemnari in expensis factis in causa appellationis.

Forma Arresti quando processu recepto tertius quispiã supervenit per requestam civilẽ movẽs querelam in casu saisinæ, & novitatis.

* *Civilem*] Hodie tertius qui non fuit vocatus non eget requesta civili, nec Literis regis, sed mero jure per viã oppositionis, vel actionis, si non erat poss. sor, auditur. C. M.

* *Expensas.*] Sed hodie istud non servatur ampliùs, & bene, ut dixi in annot. ad Alex. cons. 179. in fi. lib. 7. vide q. Tholo. 213. C M. Nota quod qui obtinuerit primam sententiam, &

quòd A. præfatus, sive pertinenter uterque unus contra alium ac ambo contra præfatum S. & conquerentes tanquam opponentes, & ad expensas concludendo dicto S. conquerenti tanquam opponentes, & ad expensas concludendo, quòd &c. dicto S. replicante, & ut suprà concludente: super quibus partibus auditis, dicta Curia nostra ad falsitatem per B. allegatam, & dictum defendentem ad in contrarium, si eis bonum videtur, admisit. Tandem inquæsta tangendo falsitatem prædictam ex parte dicti S. facta, recepta, & juncta processui, defendentibus præfatis, nullam fieri facere curantibus. Igitur & inquesta, necnon prædictis titulis, &c. In casu seu causis hujusmodi, penes dictam Curiam nostram positis & prænotatis, visis, ac matura cum deliberatione consideratis, ac attentis, &c. præfata Curia nostra per ipsum Arrestum superiùs expressum, judicavit dictum S. non esse ut conquerentem recipiendum, &c. ipsum in causæ dictæ querimoniæ expensis condemnando. Et insuper, respectu causæ appelli dictum fuit, præfatum Locumtenentem bene appunctasse, &c. remisit, &c. Aliquando etiam in materia prophana appellatur à resaisito facto virtute Litterarum Cancellariæ, & confirmatur per Curiam processura in expensis, condemnato appellante. Et partes assignantur in Curia super 2. cap. & tunc sic fieri poterit Arrestum.

Cùm à Nobis seu Cancellaria nostra, quidam R. super eo quòd se suis justis titulis & mediis in possessione & saisina fuisse, & esse; sed quòd nihilominùs S. sibi vim fecerat, &c. dictum R. in possessionibus & saisinis prætactis turbando & impediendo, & abanno & die tulerat Litteras, & in forma Statuti querelæ novi de saisinis obtinuisset, atque præsentasset exequendas & interinandas, dilecto & fideli Consiliario nostro in nostra Parlamenti Curia Tholosana Magistro C. qui se apud loca contentiosa contulerat. Et tantùm inde extitisset per dictum R. impetrantem, petentem & requirentem ad dictarum Litterarum, super primo dicti Statuti querelæ capite, executionem ex una, & dictum A. defendentem, ex alia partibus, processum, quòd eis auditis, & facta utrinque videlicet, tam & super possessione, seu possessionibus & saisinis, ac turbis præspecificatis dictorum impetrantium, quàm super ex adverso allegata contraria possessione, seu contrariis possessionibus, investigatione, præfatus noster Consiliarius, Commissarius per suam ordinationem, &c. (inseratur Ordinatio & executio) fuit ad nos & dictam Curiam Parlamenti, à dicto nostro Consiliario & Commissario appellatum, ejusque ordinatione processum & expletum ejusmodi, pro parte dicti defendentis appellantem: auditis igitur. &c. processuque, &c. eo viso, &c. per præfatæ Curiæ nostræ judicium, &c. Quódque venient in dicta Curia nostra partes ad quindenam, super prædicto 2. c. Statuti querelæ processuræ ut fuerit rationis, ut ipsis auditis, Curia super eodem secundo capite eis faciat jus.

Alia quædam forma Arresti, quando duo circa idem impetrant Litteras Statuti querelæ à Seneschallo.

Quandoque duo circa idem impetrant à Seneschallo Litteras Statuti querelæ, duobus Commissariis directis, & partibus vocatis, factis appresiis remittuntur eorum processus Curiæ Seneschalli. Ex cujus deliberatione, per alium Commissarium proceditur ad resaisimentum: à quo appellante ad Curiam per cujus judicium processura conficitur, & tunc sic concipi poterit Arrestum: Cùm super eo quod pro parte S. dicebatur ipsam ex sui viri testamentaria dispositione, possessione, saisina, &c. Sed quòd nihilominùs T. intra domum principalem se intruserit de facto indebitè & de novo, jamdictum S. turbando, dissaisiando & spoliando, & pariter super eo quod ex adverso Præfatus T. dicta bona sibi ex tunc pertinere, ac fuisse & esse in possessione verè asserebat; obtentis utrimque prædictæ partis Litteris super statuto querelæ, de novis desaisinis à Seneschallo nostro Thol. illarum virtute Magister I. & A. Commissarii in ea parte deputati ante domum, &c. se conferentes, vocatis illic & comparentibus coram eis partibus prælibatis, vel datis Procuratoribus appresiis, videlicet dictus I. pro parte dicti S. & dictus A. pro parte dicti T. Commissarius fecisset. Omnibus appresiis unà cum reliquis processibus eorumdem, à Commissariis penes Curiam Seneschalli præfati raportatis, ac mihi partibus plenius auditis, ex ipsius Curiæ consilii deliberatione, Magister P. dicti Seneschalli Locumtenens, vocatis iterum coram eo, ante domum prætactam, partibus antedictis, ac in prælibati S. contumaciam & defectum per suam ordinationem, adhibitis secum probis viris, &c. (inseratur Ordinatio & executio) fuit, &c. auditis, &c. processuque, &c. eo viso, &c. per judicium præfatæ Curiæ nostræ dictum extitit, &c. remisit, &c. Quando unus impetrat Litteras statuti querelæ, & alius Litteras contrariæ possessionis eidem Commissario directas, qui factis appresiis, hinc inde resaisiet ad utilitatem utriusque; in parte cujus processura per Curiam confirmatur, poterit Arrestum tunc sic ordinari. Cùm tam super eo quòd S. se suis bono jure & justo titulo jus habuisse & habere, ac fuisse in possessorio & saisina jurisdictionis, &c. Sed quòd nihilominùs S. prædictum in suis possessionibus eisdem turbaverat & impediverat jamdictus T. super hoc de statuto de novis desaisinis remedio per Seneschallum nostrum Tholosanum provideri postulando. Quo super contraria ex adversò pro parte ipsius T. dicentis & asserentis prædictam jurisdictionem sibi pertinuisse, ac fuisse & esse in possessione & saisina, &c. Allegata contraria procelliri facta per Magistrum R. Commissarium in ea parte, dicto Seneschallo vel ejus Locumtenenti dicebat, contulit appresia & inquisitione. Et coram ipso nonnullis prædictis per dictas partes instrumentis & documentis, ac omnibus ipsius Curiæ Seneschalli reportatis. Idem Magister R. Commissarius per ipsum ordinem apud locum debati, &c. (inseratur Ordinatio) fuit, &c. auditis, &c. processuque, &c. Ac juncto eidem certo in suo instrumento producto per præfatum S. appellatum, omnibus visis & diligenter examinatis per præfatum, &c. remisitque, &c.

Arrestum quando appellatur à Commissario Litterarum regiarum executore, quoniã præcepta certa fecit, &c.

Aliquando appellatur à Commissario executore Litterarum regiarum, quoniam præcepta certa fecit in casu oppositionis, & dedit provisionem parti impetranti, pronuntians tam super desertione quàm meritis: & tunc sic poterit Arrestum ordinari. Cùm absentes à charissimo tunc in humanis agente domino & progenitore nostro, cujus animæ propitiari dignetur Altissimus, ejusve à Cancellaria pro parte A. Litteris super eo quòd dicebant, &c. ac in adversum pro parte B. ut inquireretur requisitio, &c. Litterisque eisdem utroque defuncto, tunc viventi Magistro T. in nostra Parlam. Thol. Curia Consiliario præsentatis: tantùm exinde coram eodem Consiliario in ea parte Commissario (qui se propterea apud loca debati, seu illorum aliqua contulit) fuisset per interdictas partes, dictum I. A. actorem ex una, & præfatum B. scilicet defendentem ex altera, partibus, & processum quòd dictis partibus circa præmissa auditis, & inquisitione facta, Commissarius præfatus per suam Ordinationem Litteras interinando & exequendo, &c. (inseratur Ordinatio) fuit ad Curiam prædicti Parlamenti à dicto Consiliario, ejusque Ordinatione sive appunctamento hujusmodi, atque processuris omnibus inde secutis, pro parte defendente & libelli, appellatum. Auditis igitur, &c. processu, &c. salvo jure, &c. super eò quod dictus appellatus appellationem prædictam, eò quòd in forma patriæ consuetudinariæ relevata erat, fuisse desertam dicebat. Necnon super certis Litteris regiis per appellantem præfatum, ut ipse à dicta desertione relevaretur, impetratis: atque pro interinamento Curiæ præsentatis, primitùs faciendo receptò ad judicandum. Omnibus visis & diligenter examinatis, per nostræ dicti Parlamenti Curiæ judicium Litteris

eisdem præsentatis, Curiæ minimè obtemperando, dictum fuit appellationem prædictam desertam esse: & quod nobis emendabit dictus appellans emenda una triginta librarum Turonensium, necnon præfatum Magistrum C. Commissarium bene processisse, appunctasse, & ordinasse, &c.

Forma Arresti, quando in materia beneficiali, super 1. c. statuti querelæ alleg. contraria possessione, interea idem impetrans cedit juri suo alicui subrogato.

Quandoque in materia beneficiali super primo capite statuti querelæ allegata contraria possessione, interea idem impetrans cedit juri alicui qui subrogatur in ejus locum, ad cujus utilitatem profertur ressaisinamentum: ac deinde in causa appellationis in loco impetrantis alius subrogatur, & confirmatur ordinatio & executio sine expensis, tunc sic potest Arrestum ordinari. Cùm Magister Ioan. de suis L. bono jure & justo titulo, verum & indubitatum rectorem, &c. & possessorem, ac ut talem dictæ Ecclesiæ deservientem, &c. sed quòd nihilominus in possessione seu possessionibus hujusmodi turbando atque dessaisiendo isdem Magister R. se in rectoria prædicta intruserat, dicens & asserens super hoc sibi de remedio statuti querelæ, de novis dissaisinis per Senescballum nostrum Tholosanum provideri, postulando in vim concessæ eidem provisionis hujusmodi Litterarum factarum per certum in ea parte deputatum Commissarium, qui se propterea apud locum debat contulit, tam super præmissis, quàm super ex adverso, pro parte dicti Ray. proposita, ex quibus deducebat titulis & mediis contraria possessione appresia, & omnibus dictæ Curiæ Senescballi reportatis certis ejusdem Senescballi Locumtenens, seu Commissarius ad universitatem causarum dictæ Curiæ per suam Ordinationem Magistri L. cui pendente processu de beneficio prædicto contentioso tanquam de illo facere per præfatum R. permutationis causa resignationis medio vacante provisum certo modo extiterat in loco ipsius R. per dictam Curiam subrogatus, sui ad utilitatem præmium dicti statuti querelæ cap. exequendo, &c. ressaisiniset, & reintegraset, fuit, &c. Audito igitur, processuque, &c. ac deinde in loco & processu dicti P. appellantis subrogato per Curiam, certarum nostrarum Litterarum vigore, Magister M. cui de dicto Beneficio tamquam vacante, per ipsius appellantis resignationem summus Pontifex providit, junctis quoque processui pluribus tam per dictum P. quàm deinde per ipsius M. subrogatum, productis titulis & munimentis aliis, omnibus visis, &c. per præfatæ Curiæ, &c. remisitque &c.

Quandoque appellatur ab executore primi capitis statuti querelæ ad Senescballum, ubi rursus inquiritur de saisina & dissaisina, & contraria possessione, & pronuntiatur bene processum, à qua Sententia appellatur ad Curiam, & confirmatur cum expensis: & potest subterfugi à conditione, cùm à certi ressaisimenti, super 1. cap. statuti querelæ de novis dissaisinis: jamque olim ad 1a. utilitatem, super eo quòd se, &c. asseruerat, facti, cui dicti N. & N. acquieverant, facta postmodum per M. P. in ea parte à dicto Senescballo deputante Commissarium contra certos alios, &c. turbantes eumdem Iaco. & impedientes in perceptione, &c. executione inter prædictum Iacobum ex una, & S. ex alia partibus: primum prætactum caput statuti querelæ sic exequendo, ad ipsius Jacob. utilitatem, à Magistro R. ordinis & appellanti ab hujusmodi executore, ejusque processu, & expletis S. ad Senescballum præfatum appellasset: tantúmque coram ipso, aut ejus Locumtenente, extitisset respectivè inter eosdem S. appellatum ex una, & Magistrum D. qui prænotato Iacob. & deinde Magistro F. qui dicto D. in rectoria prædicta successerant appellantes, ex alia partibus processum: quod eis auditis, facta quoque rursus, tam de & super dicti rectoris possessione & saisina, turbaque seu dessaisina, quàm super ex adverso prætensa & allegata contraria possessione, inquisitione & appresia, Judex major Tholosæ Senescballi, Curiæ Tholosanæ Locumve tenens, per suam Ordinationem bene per Commissarios antedictos, & eorum quemlibet, processum fuisse, &c. & ordinasset & pronuntiasset, fuit, &c. Auditis, &c. processuque, &c. eo viso, &c. per &c. dictum fuit præfatos N. & N. recipiendos ut appellantes non esse, Judicem quoque præfatum majorem, Locumtenentem Senescballi nostri Tholos. bene processisse, &c ipsum in causæ appelli expensis, illarum taxatione dicta Curiæ nostræ reservata, necnon post exquisita per eum subterfugia, de quibus per processum apparuit & apparet, ipsum appellantem in centum solidos de emenda, applicanda Capellæ Palatii nostri Tholosæ, condemnando, remisitque, &c.

Modus formandi Arrestum, quãdo duo successivè deputantur Commissarii ad duorũ diversorum instantiam à quibus appellatur, cujus unius processus cõfirmatur, alterius infirmatur.

Quandoque duo successivè ad duorum diversorum instantiam deputantur Commissarii, à quibus appellatur, & unius processura confirmatur, & alterius infirmatur: & vitis titulis, uni datur recredentia, & partibus ad procedendum super secundo capite in Curia terminus assignatur, & tunc sic potest dici. Cùm obtentis à nobis seu Cancellaria nostra pro parte Magistri Joan. Ecclesiæ cathedralis N. Canonici, super eo quod, &c. dicebat Litteris ut &c. (debet narrare hnes Litteratum:) Litterisque hujusmodi Præposito nostro N. cui dirigebantur pro interinando & exequendo per dictum impetrantem præsentatis: ac Præpositus ipsis vocatis partibus, appresia super præmissis pro parte sup. dicti Io. impetrante facta, Præpositus præfatus Commissarius, &c. (inseratur Ordinatio, subjuncto verbo, *ordinasset* vel *concessisset.*) Aliàs verò à Cancellaria præfata Magister L. Litteras (quarum serie & intùs tactis causis mandabatur, in ejusdem nominati Commissarii, &c.) impetrasset & pro executando, Judici nostro N. cui dirigebantur, præsentasset. coram quo tantùm processissent partes prædictæ, quòd, eis auditis, dictus Judex N. Commissarius, per suam Ordinationem, Litteras nostras hujusmodi suæ commissionis interinando, quòd, &c. (inseratur Ordinatiõ) ordinasset, &c. fuit, &c. per præfatum L. à prælibato Præposito N. ejusque processu, & per sæpedictum à præfato Judice, ejusque processu, & expletis appel. processibusque, &c. eis visis, &c. per præfatæ Curiæ nostræ judicium dictum fuit Præpositum nostrum prælibatum, de commissione bene processisse & appunctasse, & supranominatum Magist. L. in ea parte appellantem malè appellasse, ipsum in causæ appellationis, seu illius expensis condemnando. Iudicem verò seu Commissarium malè processisse, appunctasse, & ordinasse, sæpedictum Io. appellantem in ea parte, bene appellasse: condemnando pariter ex causa, dictum *Dorcelli* in expensis causæ ejusdem appellat. expensarum omnium hujusmodi taxatione dictæ Curiæ nostræ reservata, & insuper, quibus suprà visis articulis: &c. gaudentiam adjudicavit: quodque partes in dicta Curia nostra venient ad primum, &c. super dicto secundo capitulo, idem faciet jus, expensis aliis omnibus in diffinitiva reservatis. Quando fertur interlocutoria in cõtumaciam partis à qua appellatur, & in causa appellat. deducuntur verbotenus gravamina, & tradito libello, confirmatur processura, & fit remissio: & sic fieri poterit Arrestum. Cùm virtute certæ Commissionis, à Curia Senescballi nostri Tholosæ & Albigensis emanatæ, ad requestam Procuratoris nostri in dicta Senescallia, Officialis & Procuratoris temporalitatis Archiepiscopi Auxitani, ad revocandum certa expleta H. in dicta Commissione contenta, & per eos contra & in præjudicium juris nostri attenta, ad certum diem adjornati fuissent: ad quam diem, seu aliam ex ea dependentem, præfatis partibus coram dicto Senescallo nostro comparentibus, fuisset pro parte Procuratoris nostri propositum, quod, &c. Quare petebat eum prædictus Procurator noster, &c. condemnari: dictis defensoribus in contrarium dicentibus, &c. concludendo: Locumtenens dicti Senescalli diem aliam sub-

Arresti forma, quando fertur interlocutoria in contumaciã partis à qua appellatur, &c. Et de hac materia quando à Sententiã in contumaciã partis lata possit appellari, aut per in integrum rest. in pristinum statum reponi. Vide per gl. & doct. in l. si ff. de integ. rest. gl. & tex. in l. prox. præce.

sequentem, in statu & de consensu dictarum partium continuaverat, prefatusque defendens injungendo, &c. ad quem diem, dicto Procuratore nostro comparente, & dictis defendentibus minimè comparentibus, legitiméque & sufficienter vocatis, & expectatis, dictus Locumtenens eos in defectu seu contumacia posuerat: virtute cujus contumaciæ & certarum informationum super prædictis delictis factis, dictus Senescallus nolter temporalitatem dicti Archiepiscopi ad manum nostram capi & apponi mandasset, fuit, &c. prædictisque tandem partibus in dicta Curia nostra comparentibus, fuisset pro parte dictorum appellantium propositum, quod, &c. ordinaverat. Constitutis igitur partibus antedictis in dicta Curia nostra super causa appellationis prædictæ, & ipsis auditis, processisque ex eisdem actis juncto, &c. eo viso, &c. repertoque quòd in libello nulla erant facta nova, &c. per Arrestum dictæ Curiæ nostræ, &c. remittique, &c.

Si verò appellatur ab interlocutoria, & id à quo annullatur, & dicitur non esse locum libello appellationis per modum factorum novorum, & Litteris relevamenti in causa appellationis, committentibus relevamentum à desertione, & evacuatur causa diffinitivè, potest sic ordinari Arrestum.

Arrestum quando appellatur ab interlocutoria, & id à quo annullatur, & dicitur non esse locum appellationis bello, &c.

Cùm in certa causa, coram Seneschallo nostro Tholosæ, aut ejus Locumtenente, inter S. impetrantem & actorem in materia statuti querelæ de novis dissaisinis, ex una parte, & N. opponentem, & contrariam possessionem allegantem, parte ex alia mota, pro parte dicti actoris propositum fuisset, quòd, &c. (inferatur petitio actoris, &c.) factis responsivis, &c. Nec obstaret si forte diceretur, &c. Et si forsan, &c. exciperetur, nequaquam obstabit, &c. & ideò actorem prædictum turbatum & spoliatum indebitè fuisse, ex adverso, ipsum verò ad bonam causam impetralle, dici & pronuntiari cum expensis petebat; prefatus verò defensor se, &c. fuisse & esse, dicens quòd in dictis possessionibus & saisinis, reintegraretur & manuteneretur, &c. & ad expensas concluisset, tantúmque exinde processissent partes prafatæ, quòd eis hinc inde ad plenum auditis, certa præmissa inquesta facta & publicata, ac partibus ipsis in jure appunctatis, Judex major Tholosanus, dicti Seneschalli Locumtenens per suam Ordinationem, &c. concessisset, &c. fuit, &c. auditis, &c. processisque, &c. salvo jure super defertione per appellantem allegata. Necnon super Litteris nostris in casu appellationis prælibati F. appellantis in quantùm relevamen à defertione continebant, primitias faciendo ad judicandum, recepto & cevito, &c. prefata Curia nostra per suum judicium antedictum, F. dictis Litteris nostris in casu appellationis, quoad hoc obtemperando, relevavit & relevat, ac appellationem supradictam, & id à qua appellatum fuit, annullavit & annullat, & per idem judicium dicta Curia nostra, dictum S. in possessione, &c. manutenuit, &c. & absque tam principalis, quàm appellationis causarum expensis, &c.

Arrestum forma, quando pluribus obtentis Litteris, ab illarum interinatione appellatur, &c.

Aliquando pluribus obtentis Litteris, ab illarum interinatione appellatur, & in receptione processus partes admittuntur ad articulandum, & probandum facta sua, & ordinatur fieri venta & figura, & postea præsentatur Requesta civilis; ut de principali cognoscatur per Curiam, cui non obtemperatur: quinimò partes remittuntur coram Seneschallo, data provisione: & tunc dictari poterit Arrestum. Cùm à Nobis, seu Cancellaria nostra, P. super eo quod dicebat, &c. Litteras obtinuisset à Seneschallo nostro Tholosano, aut ejus Locûtenente directas, easque pro interinando & exequendo, Magistro G. dicti Seneschalli Locumtenenti præsentasset, coram quo tantùm processissent partes jamdictæ, quòd eis auditis, & inquisitione super præmissis, pro parte dicti P. actoris facta, præfatus Magister G. Locumtenens Commissarius per suam Ordinationem dedisset, &c postmodumque aliis à Nobis, seu Curia nostra prædicta, per Præfatum P. obtentis Litteris, sine quarum, &c. mandabatur secundatum Litterarum hujusmodi vigore, Magister D. in ea parte, per supranominatum Magistrum G. loco ejus subrogatus, qui apud &c. contulit in expedicti T. adjornati & non comparentis contumacia & defectu, Litteras easdem secundas interinando, &c. dedisset: impetratæ quoque successivè à Cancellaria prafata, per suprenominatum P. Litteræ aliæ fuissent Seneschallo ipsi prædicto, aut ejus Locumtenenti directæ, ut ex intùs tactis causis Ordinatio prædicta, &c. sortiretur effectum: vigore quarum Magister A. à dicto Seneschallo ejusve Locumtenente subrogatus, dictis partibus vocatis, per suam Ordinationem Litteras easdem tertias interinando, &c. (inferatur Ordinatio facta, &c.) à præfatis Magistro G. Locumtenente Seneschalli prædicti Commissario, necnon à Præfatis Magistris B. & A. Commissariis subrogatis, & ab eodem G. Locumtenente Commissario, eorumque Ordinationibus & processibus successivè, per supernominatum T. extitit appellatum: auditis igitur in dicta Curia nostra partibus antedictis in causis appellationum prædicti processus ex eisdem actis an bene vel male appellatum foret, recepti ad judicandum fuere, ac partes ipsæ ad earum facta articulandum & probandum receptæ & admissæ, ventam & figuram de loco seu locis contentiosis fieri ordinandi. Tandem inquisitionem seu inquestæ Ordinationem & appunctamentum hujusmodi insequendo factis, reportatis Curiæ receptis & junctis processibus, unà cum articulis hinc inde traditis, & productis penes Curiam per dictas partes ultrò citróque Litteris, instrumentis, & munimentis aliis: ac deinde præsentata Curiæ pro parte prafati P. requesta quadam civili, ut etiam super principali jus per Curiam diceretur, superque illa dictis partibus auditis, & ad consilium appunctatis, omnibus visis & diligenter examinatis, prafata Curia nostra, per suum judicium, requestam prædictam civilem minimè interinando, appellationes antedictas, sed id à quo extitit appellatum, annullavit, & annullat, & absque causarum appellationis hujusmodi expensis, remisitque, &c. coram Seneschallo prælibato, alio tamen quàm uno antedictorum Magistrorum G. B. & A. audiendas, & latiùs in materia tangentibus processuro & facturo ulteriùs, sicut rationis est. Interea autem, &c. (inferatur provisio Ordinationis & ordinari) per quod judicium Curia nostra memorata expensas alias omnes in diffinitiva reservando.

Arrestum quando resaisitus appellat ad Seneschallum, & in secunda instantia processus, à quadam alia Ordinatione tandem appellatur.

Quandoque appellatur à resaisito ad Seneschallum, & in secunda instantia à quadam alia Ordinatione proceditur, & tandem appellatur, & id à quo extitit appellatum, unà cum prædicto resaisimento annullantur, & obtemperando litteris, Curia retinens cognitionem causæ principalis, appunctatis partibus in factis contrariis, & uni partium interea gaudentia adjudicatur, tunc sic fieri potest.

Cùm in certa causa, coram Judice ordinario Tholosæ in ea parte commisso: inter F. impetrantem & actorem in materia statuti querelæ de novis dissaisinis ex una parte, & dilectum nostrum Magistrum A. Sedis Apostolicæ Protonotarium opponentem & defendentem, ac contrariam possessionem allegantem, parte ex alia mota & vertente: pro parte dicti actoris propositum fuisset, quòd certis legitimis titulis, &c. petebat præfato defensore in adversum proponente: quod &c. erat igitur ejus intentio, &c. nec obstaret, &c. ideò, &c. concluisset, tantúmque exinde processissent partes jam dictæ, quòd eis hinc inde ad plenum auditis, factis quoque super saisina & dissaisina utriusque præmissis appresis & inquisitionibus, in jure appellatis partibus, Judex noster ordinarius, cùm suam Ordinationem, &c. reintegrasset, &c. faciendo, & ab hujusmodi Ordinatione Magister A. ad Seneschallum

noſtrum Tholoſæ appellaſſet, coram quo ejuſve Locumtenente, auditis in cauſa appellationis hujuſmodi partibus antedictis, præfatus Locumtenens, &c. ordinaſſet, fuit à prædicta Ordinatione, &c. auditis, &c. ſalvo jure ſuper nullitatibus, &c. ac certis Litteris noſtris ut in cauſa principali, &c. ad conſilium appunctato, quibus viſis, &c. præfata Curia noſtra per ſuum judicium appellationem prædictam, & ad id à quo extitit appellatum, unà cum reſaiſimento per ſupradictum Judicem ordinarium Tholoſæ, ad utilitatem ſupranominati F. facto, cum inde ſecutis omnibus, annullavit & annullat, atque eum in expenſis cauſæ appellationis condemnando, inſuperque Litteris prædictis obtemperando, Curia prædicta cauſæ principalis cognitionem retinuit: in qua dictum extitit per idem judicium, quòd præfatæ partes erant & ſunt contrariæ; facient igitur facta ſua, &c. interea verò gaudentia per ſupradictum judicium, &c. (inferatur proviſio gaudentiæ, &c.) adjudicavit & adjudicat curia noſtra memorata, expenſis aliis omnibus in diffinitiva reſervatis.

Arreſtum quando appellatur ab interinatione Litterarum per quas impetrans mandabatur certa gaudere ordinatione pro ſe lata, &c.

Aliquando appellatur ab interinatione Litterarum, per quas mandabatur ut impetrans gauderet certa Ordinatione pro ſe lata, & poſteà in receptione proceſſus, reus ſuper exceſſibus perſonaliter adjornatus præſentat Litteras, ut per Procuratorem recipiatur & per Curiam appellatio, & id à quo appellatum extitit, annullatur, dataque proviſione, remittuntur partes, tam ſuper principali, quàm ſuper interinatione dictarum Litterarum exceſſus continentium, & tunc ſic fieri poterit Arreſtum: Cùm in certa cauſa, coram Magiſtro M. per Seneſchallum noſtrum Tholoſanum Commiſſario in ea parte conſtituto, inter S. Actorem ex una, & A. defendentem ex altera partibus, ſuper certarum Litterarum à Nobis, & Cancellaria noſtra per dictum S. obtentarum, ut de jure aſſertis conſtituendus actor certæ Ordinationis, ad ipſius utilitatem ſuper, &c. per dictum Seneſchallum aut ejus Locumtenentem datæ ad ſuum commodum & utilitatem, uteretur & gauderet, &c. (inſerantur fines Litterarum obtentarum) interinatione introducta tantùm proceſſiſſent partes jam dictæ, quòd eis auditis, præfatus M. Commiſſarius ſubrogatus, per ſuam Ordinationem, noſtras prædictas Litteras interinando, &c. (inferatur Ordinatio) appunctaſſet, ordinaſſet, fuit à dicta Ordinatione, &c. in quadã Curia noſtra conſtitutis partibus, ſcilicet A. appellatione ex una, &c. S appellato ex alia, necnon eodem S. & ſecum adjuncto Procuratore noſtro generali, in caſu exceſſuum actoribus defendenteque ex una: & P. & N. adjornatos ad comparendum perſonaliter ſuper dictis exceſſibus, in dicta Curia noſtra, certarum noſtrarum Litterarum: ut per Procuratorem admitterentur, interinationem requirentibus ex altera partibus, ſeu dictarum partium Procuratorum, eiſque reſpectivè, tam in cauſa appellationis prædictæ, quàm ſuper eiſdem ultimò dictis noſtris Litteris auditis, ac proceſſu ex eiſdem actis, &c. & ſuper exteris appellato ad conſilium, omnibus viſis, &c. præfata Curia noſtra per judicium appellationem prædictam, & id à quo extitit appellatum, annullavit & annullat, & abſque cauſæ appellationis expenſis, quod in, &c. (inferatur proviſio, &c.) ordinavit & ordinat per idem judicium Curia noſtra memorata partes, coram dicto Seneſchallo Tholoſano, aut ejus Locumtenente, tam in materia principali ulteriùs proceſſuro, quàm pro jure dicendo ſuper eiſdem noſtris noviſſimis Litteris citandas fore, ulteriùs tangendo exceſſus, procedendo ſicut rationis eſt: remittendo ad menſem, expenſis aliis omnibus, &c. ubi ſuprà dictum eſt, &c. pollet etiam ſic dici proceſſu prædicto, necnon Litteris, expletis, & munimentis aliis per partes ultrò citróque penès Curiam poſitis & productis, viſis omnibus & diligenter examinatis, &c.

Forma Arreſti quando appel. à reſaiſimento, & in receptione proceſſus, per appellantem interdictantur Litteræ, ut ſuper querimonia procedatur, unà cum articulo appel. &c.

Quandoque appellatur à reſaiſimento, & in receptione proceſſus per reum præſentantur Litteræ ut ſuper querimonia procedatur, unà cum articulo appellationis, & facta lite formatur Arreſtum, per quod annullatur appellatio, & id à quo, & reſpectu querimoniæ manutenetur defenſor conquerens: & quia impetrans ſtatutum querelæ venit contra Arreſtum de ſubrogando conditionem in emendam, fieri ſic poterit Arreſtum. Cùm A. ſuper eo quod ipſe ex juſtis cauſis, Litteras in forma ſtatuti querelæ de novis diſſaiſinis, à Seneſchallo noſtro Thol. obtinuiſſet, directas Magiſtro D. qui quidem Commiſſarius, vocatis partibus coram ſe apud locum, & ante, &c. & facta deſuper impetrantis ſaiſina & diſſaiſina inquiſitione. Et ut ex parte dicti C. ab omni proceſſura ceſſaretur, attenta præventione querimoniæ, &c. coram Commiſſario allegato per ipſum Commiſſarii ordinem, &c. reintegraſſet, cum inhibitionibus & clauſulis aliis in talibus conſuetis apponi, fuit, &c. Conſtitutis igitur, &c. videlicet dicto C. appellante ex una, & prænotato A. appellato ex alia partibus ſeu Procuratoribus earumdem, pro parte ejuſdem C. præſentatis per eum Curiæ Litteris quibuſdam regiis, &c. ut ſuper querimonia prædicta, unà cum articulo appellationis procederetur, propoſitum fuit quòd, &c. (inferatur petitio in materia querelæ, &c.) Quare, &c. pronuntiari, &c. manuteneri, &c. concludendo petebat. Econtrario autem dictus A. defenſor deduci fecit quòd, &c. (inferatur defenſio.) Et concludebat quod, &c. manutenere, &c. antedicto, C. quod, &c. (inferantur replicæ) ſubjuncto &c. in fine verò replicante, dictóque A. duplicando, &c. negante, & ut ſuprà concludentibus. Tandem dictis partibus auditis, & quatenus appellationis cauſam tangebat proceſſu, an bene vel malè, &c. ad judicandum recepto: & reſpectu exterorum ad penes Curiam quicquid vellent, ponendum, & ad conſilium appunctato, viſóque præfati Commiſſarii proceſſu hujuſmodi: necnon titulis, Litteris, expletis, & minutis aliis, unà cum litigato in cauſa hujuſmodi facto, penes Curiam ultrò citróque productis, conſideratis & attentis omnibus quæ Curiam ipſam in hac parte movere poterant & debebant, per præfatæ Curiæ noſtræ Arreſtum dictum fuit, prælibatum Commiſſarium malè proceſſiſſe, &c. ceſſavit igitur & revocavit, &c. Et inſuper tangendo querimoniam, dictum extitit per idem Arreſtum prænoratum C. ad bonam & juſtam cauſam ſe doluiſſe & fuiſſe conqueſtum: & dictum A. ſe ad malam & injuſtam cauſam oppoſuiſſet. Manutenet igitur, &c. in expenſis tam appellationis quàm querimoniæ cauſarum, hujuſmodi dictarum expenſarum taxatione ipſi Curiæ reſervata, necnon erga nos pro reparatione hujus querelæ, poſt adjornamentum factum ad videndum exequi querimoniam, vel exequi faciendum in 10. lib. Tur. de emenda dictum A. condemnando. Si autem quæritur de Arreſtis faciendis, & aliis cauſis quæ non veniunt per appellationem ad Curiam, tunc illud quod eſt dictum per Arreſtum ibi: per judicium Curiæ dictum fuit, &c. uſque in finem, debet ſcribi in papyro vel pergameno: & debet reportari de factis contentis in articulis, & tantùm recipere in narratione Arreſti, ut illud eſt dictum, per judicium Curiæ ſic clarum, & appareat manifeſtè ex præmiſſis narratis in Arreſto, & reſiduum factorum contentorum in articulis tanquam ſuperfluum recipiat. Et licet iſtud ſufficiat pro expertis, tamen aliquantulùm latiùs dicendum eſt novis pro reportatoribus.

Modum decet ſecundũ quem debet formari Arreſta, quando cauſæ nõ veniunt ad Curiam per appellationem.

Sciendum eſt igitur, quòd quandoque articuli traditi ſunt in Curia à partibus & facta eſt inqueſta: & tunc ſic debet incipi Arreſtum. Lite mota in noſtra Curia Parl. Thol. ſedente inter S. impetrantem & actorem in materia ſtatuti querelæ, de novis diſſaiſinis, ex una, & C. opponentem defenſorem, ex alia partibus: ſuper eo quod dicebat actor prædictus, quòd &c. ſubjungebat dictus actor, quòd &c. Nec obſtaret ſi forſitan excipiendo, opponerem ex adverſo eumdem defenſorem concluſiſſe, &c. Cæterùm profectò ſi vera

Forma Arreſti quando articuli traditi ſunt in Curia à partibus, & facta eſt inqueſta.

forent,

forent, &c. Nec obstaret si fortassis diceretur dictum defensorem, &c. Si autem ulteriùs forte allegaretur, &c. Petebat igitur concludendo, &c. defensore præfato proponente in adversum, quod, &c. cat. rùm licet, &c. ulteriùs dicebat idem defensor, quòd, &c. ad allegata verò per actorem collatis, &c. dicebat dictus defensor, &c. & ejusdem defensoris præjudicialia & facta alia ipsius partis adversæ negabat, quod igitur dicere, &c. & ad expensas concludendum: super quibus & aliis hinc inde propositis, aliàs auditis partibus, ac in factis contrariis ad inquestam appunctatis: hac demum inquesta facta reportata Curiæ, & ad judicandum recepta, junctis eisdem per partes utrinque Litteris & munimentis, testiumque reprobationibus, ea unà cum prædictis munimentis, & reprobationibus, visis & diligenter examinatis, repertoque quòd processus, absque de dictis reprobationibus inquirendo, bene judicari poterat: per præfatæ Curiæ nostræ judicium dictum fuit, &c. (inseratur dictum Arresti.

Arresti forma, quando traditæ fuerunt nullitates adversus inquestam.

Si autem traditæ fuerint nullitates adversus inquestam, tunc post verba, testiumque reprobationibus subjungetur, salvo jure super nullitatibus per T. traditis, &c. Et postea debet dici jus super illis, videlicet sic: Et unà cum prædictis munimentis, nullitatibus, & reservationibus visis & diligenter examinatis, reperto quòd nullitas aliqua non esset in inquesta prædicta (vel sic) nulloque habito respectu ad prædictas nullitates, &c. repertoque processu, &c. Aliquando altera partium non fecit inquestam, vel non reportavit, & fuit exclusa. Et tunc post verba suprà posita. Ac demum inquesta per præfatos N. super notato C. inquestam nullam fieri facere, seu reportare curanti facta reportata Curiæ ad judicium, &c. Quandoque profertur Arrestum audita, relatione Commissariorum Curiæ, qui per Curiam fuerunt deputati, coram quibus facta fuit inquesta ex eorum ordine, tunc sic ordinari poterit Arrestum. Cùm super quadam schedula nostræ Parlam. Curiæ Tholosæ sedenti porrecta, ac inibi deinceps verborenùs facta pro parte Magistri M. contra P. supplicatione seu requesta per quam, &c. (inseratur narrativa & conclusio requestæ, &c.) partibus jam dictis, scilicet M. supposito actore, & præfato A. & B. unà & P. defensore ex alia, coram delectis Commissariis in ea parte per Curiam nostram deputatis auditis, & eas dicti Commissarii in factis contrariis, & ad inquestam appunctassent: tandem inquesta facta utrisque Commissariis prælibatis reportata, & recepta per eos ad judicandum, coramque ipsis factis ad causam dictæ inquestæ, junctis Litterarum & documentorum productionibus auditam: quorum per Curiam dictorum Commissariorum relatione ab inquesta, & productionibus antedictis visis: matura cum deliberatione præfata Curia nostra, quod, &c. ordinavit & ordinat per Arrestum, & absque hujus instantiæ expensis. Item quandoque judicium Curiæ est sive datum super rigore, sive de materia rigoris, sive juris communis. Et tunc debet illi fieri narratio de factis sive mediis contentis in articulis concludentibus necessariò ad *intendit* actoris ac rei, sive *intendit* habeat unum caput vel plura: putà si super possessione & mediis tangentibus possessiones: & per hoc de quibus mediis, vel de illis saltem per quæ moti fuerunt domini ad ita judicandum: & ita poterit Arrestum esse satis longum, sciendum quæ contra plures, plura vel pauciora, media, & in quibus vel super quibus fundatur judicium Curiæ. Si autem fiat Curiæ judicium super æquitate, magis longum poterit esse; quia de mediis contentis in articulis elicitur rigor, & etiam de mediis sive de materia contentorum in articulo (ex quibus consuevit colligi æquitas) habebit fieri mentio in narratione Arresti: videlicet si domini ex pluribus vel aliquibus acceperint motiva sua, sive pensaverint æquitatem. Idem dicendum, si fiat judicium mixtum: & hæc vera sunt, sive fiat judicium pro actore, sive pro reo, sive partim pro utroque, sive fiat judicium super contractibus vel casu, sive exceptionibus vel delictis in judicium deductis: hoc salvo quod faciliùs & magis succinctè debet transire reportata, in facientibus pro parte illius qui obtinet, quàm ex alia parte; quia pro illo qui succumbit, si non tangit, media quæ videntur necessaria ad conclusionem *intendit*, posset habere materiam conquerendi, quòd omnia proposita per ipsum visa non fuissent; sed ille qui obtinuit per judicium Curiæ, non conqueretur de ipso Arresto. Caveat autem reportator qui in conclusione ipsius Arresti non exprimat aliquam causam, sed simpliciter loquatur, sicut prædictum est, sic.

Modus faciendi Arrestum, quando ipsum profertur, audita relatione Commissariorum Curiæ.

Lite mota inter tales & tales, &c. Super eo quod inter cætera, &c. quare petebat, &c. Econtrario ex parte talis fuit ad sui defensionem propositum, &c. ad finem, &c. facta igitur inquesta, & ad judicandum auditis partibus, per Curiam admissa ipsa visa diligenter, per judicium dictæ Curiæ dictum fuit quòd talis remanebit in possessione sua, & amovebitur, &c. prout dictum fuit per judicium Curiæ. Nec similiter debet reportator, hoc vel hoc probatum est, exprimere. Idem dicendum est in materia excessuum: facta videlicet narratione excessuum vel delictorum omnium propositorum, sive omnia sint probata contra reum, sive pro parte solùm, sive nihil omninò probetur de defensionibus rei, sive aliqua sint probata ex parte ipsius, quæ tolluntur per probationem contra reum, & proposita in præventione, sive in articulis propositis contra ipsum reum: unde deberent poni in narratione Arresti excessus omnes, si sint plures propositi, & omnes defensiones, si sint plures & diversæ tangentes excessus contentos in articulis, quamvis sint omnes excessus probati, & nihil sufficiens est pro reo probatum, ad finem tamen quòd si aliàs conveniatur, ipse reus super prædictis excessibus, se juvare posset prædicta Sententia, sive Arresto opponendo, quod communiter de eodem delicto bis puniri non debet. Et potest incipere Arrestum diversimodè, secundùm quod præventiones & articuli traditi sunt ex officio, vel ad denuntiationem partis: & facta narratione, sequitur circa finem Arresti.

Nota quòd reportator non debet exprimere aliquam causam in conclusione ipsius Arresti, sed tantùm loqui simpliciter.

Forma Arresti cum materia excessuum sive delictorum.

Facta igitur inquesta super prædictis excessibus, & auditis partibus in Curia nostra ad judicandum admissa: ipsa visa diligenter, Curia condemnavit talem in tantum, &c. Nec est necesse, neque tutum ponere sic, quòd probatum est hoc vel hoc, &c.

Si autem excessus pro parte probati sint, vel etiam omnes; sed reus probat sufficienter, quoad dictos excessus suas defensiones. Quidam voluit dicere quòd solutiones excessus poni debent in narratione, ad fines quòd reus condemnetur pro probatis, & pro aliis non probatis absolvatur: Et tunc debent dicere in fine Arresti, sic visis diligenter hinc inde probationibus, &c.

Item quandoque est inquisitum contra plures, & omnes sunt in una condemnatione. Et tunc dicitur in fine Arresti visis probatis, hinc inde, Curia condemnavit talem in tantum, &c. & talem in tantum, &c. Si autem alii sunt absolvendi, tunc debet dici in fine: Curia verò tales ab eisdem impositis absolvit, &c. Item quandoque est inquisitum pro parte agente contra unum super pluribus excessibus: & tunc in fine debent nominatim probari excessus, ad finem quòd in certis absolvatur reus, & condemnetur actor in expensis, pro non probatis, compensatione facta pro expensis factis occasione probatorum.

Arrestum, quando inquisitum est contra plures, & omnes sunt in una condemnatione.

Quandoque traditi sunt articuli coram Commissariis per Curiam deputatis: & tunc sic debet incipi Arrestum: Cùm coram certis Commissariis per Curiam nostram ad infrascripta deputatis, talis proposuisset quòd, &c. quare petebat, &c. Fuit per talem ad sui defensionem propositum, &c. quare, &c. facta igitur

Forma Arresti, quando traditi sunt articuli Cómissariis per Curiam deputatis.

inquesta super hoc à Commissariis, & ipsa ad nostram Curiam remissa, & auditis partibus ad judicandum admissa, per judicium Curiæ, &c. Et talis commissio frequenter fit inter privatos, cùm inquiritur de contractu, & etiam quandoque, cùm inquiritur de excessibus. Quandoque Arrestum habet fieri super marchis, sive represaliis concedendis: & tunc incipi debet Arrestum, prout continetur in supplicatione partis petentis dictam marcham, seu in Littera regia, & requirendo relatores, & in qua continetur supplicatio requirentis, sic: Cùm per talem Nobis fuisset graviter conquerendo monstratum, quòd tales, &c. derobaverunt, &c. Et cùm ad requestam supplicantis mandassemus Seneschallo nostro N. quòd requireret, seu requiri faceret prædictos tales, &c. Et dicti tales respondere neglexerunt, dictoque toto processu ad Curiam nostram reportato. Eo viso, &c. prædicta Curia nostra prædictam marcham esse concedendam decreverit, & concessit eamdem.

Modus faciendi Arrestum, quando fit super marchis, sive represaliis cõcedendis.

Quandoque proponuntur errores contra Arrestum, & tunc sic poterit ordinari brevissimè: Cùm à quodam Arresto lato ad utilitatem talis contra talem, & prædictus talis, de gratia eidem per nos concessa, certos proposuisset errores, &c. teviso, &c. processu per Curiam nostram: dictum fuit in dicto processu, nullos intervenisse seu repertos fuisse errores, condemnavitque prædicta Curia nostra prædictum talem in 60. libris Parisiensibus, pro emenda nobis solvenda, in quæ se obligaverat, si in dicto Arresto nullæ replentur correctiones.

Item reportator, maximè non expertus, debet Arrestum facere. Primum Arrestum debet extrahere de articulis, & nihil omittere. Secundum Arrestum habet extrahere ex primo, & rejicere superflua ad conclusionem: & illud Arrestum habet studere, & videre si verba plura in narratione sint posita. Et etiam, in eo ut quod dicitur in conclusione Arresti possit ponere breviter, nihil omittendo de substantialibus, & pro posse sequatur verba articulorum & sententiarum à quibus est appellatum ad Curiam, prout jacent, transferendo, seu transmittendo in Gallicum, si est necesse Latinum servando, verba assueta poni in Arresto Curiæ, & planum Latinum & grossum pro laïcis amicum, & propinquum verbis Gallicis in articulis prædictis & sententiis positis, & ordinando verba Arresti quandoque sub ablativis absolutis, quandoque sub gerundivo, quandoque sub verbis tertiæ personæ, & cùm quàm poterit, transeat ad prædium, quia illa est via plana, & in qua non est constructio suspensiva. Quam suspensionem debet, quantùm potest, evitare, quia suspensivæ locutiones communiter obscuræ consueverunt esse. Et istud erit tertium Arrestum, quod legetur in præsentia dominorum in secundo sententiarum. Qualiter autem habeat citò exire de oratione suspensiva, posset poni exemplum tale. Cùm in nostra Curia lite mota inter tales, &c. Talis proposuisset, &c. & procedere debet reportator per viam planam, & debet continuare usque in finem Arresti, & ornatè loqui debet pro posse, prout materia requirit. Item in quantùm poterit, debet vitare concursum similium dictionum & syllabarum, & ne similia verba in idem sonantia ponat, ne renuare videatur verba, syllabas, & dictiones superfluas, posse tenùs rejiciat & evitet. Item quandoque contingit quòd per partem unam proponuntur rationes coram Commissariis, ad fines quòd non possint procedere in inquesta, & quòd non valeat, si procedant: & tamen nihilominùs procedunt in inquesta facienda, tunc recepto processu per Curiam ad judicandum ad finem debitum, vel etiam simpliciter, sic poterit Arrestum ordinari. Lite mota, &c inter tales, &c. super eo quod, &c. quare petebat, &c. Datis igitur certis Commissariis per nostram Curiam, coram ipsis fuerunt per talem, tales & tales rationes propositæ, ad finem, seu fines, quòd non posset procedere: & quicquid facesent, tanquam nullum revocari deberet. Quibus rationibus, & suis protestationibus reservatis dictæ parti per dictos Commissarios, iidem Commissarii ad inquestam faciendam processerunt, qua inquesta, unà cum dictis rationibus, auditis partibus, per eamdem Curiam ad finem debitum ad judicandum admissa, visis rationibus prædictis, per judicium dictæ Curiæ nostræ dictum fuit dictam inquestam rite factam, prædictis rationibus non obstantibus: visa igitur juncta inquesta diligenter, &c. per judicium, &c. (vel tacitè sic loqui potest;) visa igitur inquesta, & auditis partibus, &c.) sed primum tutius esse videtur. Quandoque traditæ sunt reprobationes testium, & tunc sic ordinari potest Arrestum. Lite mota in Curia nostra, &c. (sicut sup. latiùs exemplificatum est, & sequitur in fine.) Ipsa inquesta, auditis partibus, ad judicandum admissa, visis reprobationibus hinc inde traditis, attento quòd ipsa inquesta, absque hoc quòd alia fiat inquesta, visa diligenter: per judicium Curiæ nostræ dictum fuit, &c. vel ut latiùs sup. tactum est.

Nota quòd reportator, & maximè non expertus, debet Arrestum facere.

Relator debet procedere per viam planam & ornatè, prout subjecta materia requirit loqui, & pro posse. Item debet cavere uti verbis superfluis, & concursum vocalium ac syllabarum fugere.

Arresti forma, quando traditæ sunt reprobationes testium.

Item quandoque actor probat intentionem suam per confessionem, & tunc sic fieri potest Arrestum. Mota lite, &c. (sequitur in fine) auditis igitur partibus, &c. & dicto processu ad finem debitum admisso: vel sic, ad finem judicandi ipso viso, diligenter attentis inter cætera confessionibus talis partis: per judicium Curiæ nostræ dictum fuit, &c. (vel potest taceri causa, & dici) viso diligenter toto processu, per judicium Curiæ nostræ dictum fuit, dictum processum esse in statu judicandi (vel sic) attento quòd processus esset in statu judicandi, ipso viso diligenter, per Curiæ nostræ judicium dictum fuit, &c.

Arrestum, quando actor probat intentionem suam per confessionẽ.

Quandoque fit Arrestum super remissionibus, & hoc tripliciter, quia aut est litigatum in Curia, super remissione ad Curiam alicujus Judicis inferioris facienda, & tunc sic fit Arrestum. Cùm in certa causa pendente in Curia nostra inter talem & talem, &c. ratione talis, &c. remissionem fieri ad examen tali Judici, &c. Et ibidem causam terminari petiisset: contra verò talis petierit causam in eadem Curia nostra remanere vel retineri, &c. plures rationes ad hoc proponente. Tandem inquesta super hinc inde propositis facta, & ipsa, partibus diligenter auditis, ad judicandum admissa: per dictæ Curiæ nostræ judicium dictum fuit, remissionem dictæ causæ esse faciendam ad examen dicti Judicis, & eamdem remisit, vel remissionem non esse faciendam decrevit, & dictam causam penès se retinuit, & poni debet quod fieri debet per partes, secundùm statum causæ. Si autem non esset inquesta facta, tunc diceretur: visis & consideratis hinc inde propositis & productis, Curia nostra decrevit ut sup. &c.

Quandoque fit remissio ad Judicem à quo est malè appellatum: tunc sic fit breve Arrestum, sicut latiùs sup. monstratum est.

Cùm à quadam Sententia lata per talem Judicem pro tali, contra talem super tali re, per quam, &c. fuisset ad nostram Parlamenti Curiam appellatum: auditis dictis partibus, in causa appellationis prædictæ, processuque, &c. per judicium Curiæ nostræ dictum fuit prælibatum Judicem bene judicasse, & talem appellantem malè appellasse, & emendabit appellans, &c. remisitque Curia causam in statu in quo est, ad examen Judicis antedicti. Aliquando dicitur in fine Arresti: Dictum fuit talem Judicem malè judicasse, & talem bene appellasse: retinuitque prædicta Curia dictam causam, in qua partes facta sua facient, & fiet eis jus, vel dicetur secundùm quod causa requiret, procedi ulteriùs.

Aliquando fertur Arrestum inter non subditos Regis, super infractione salvagardiæ, vel portationis armorum, vel ratione alicujus juris specialis, quod dat Regi cognitionem & non aliàs, quæ non fuit probata: & fit remissio per Curiam coram suo Ordinario: & tunc sic fieri poterit Arrestum. Cùm in nostra Curia

Forma Arresti, quando illud fertur inter non subditos Regis super infractione

Salvægardiæ, vel portationis armorum, quę non fuit probata.

fuiſſet per Procuratorem noſtrum inter cætera propoſitum, quod, &c. ſuper quibus fuerunt dati certi commiſſarii, &c. prout in aliis Arreſtis. Et ſequitur in fine: viſo igitur toto proceſſu diligenter, quia non fuit repertum dictam ſalvamgardiam eſſe ſufficienter probatam, vel ſi fuit probata, ſed non inſtimatio facta parti, quia non invenitur dictam intimationem dictæ gardiæ eſſe ſufficienter factam dicto tali, præfata Curia noſtra decrevit talem eſſe remittendum ad examen talis ſui judicis ordinarii puniendum, vel abſolvendum, prout erit rationis, cognitionem dictæ cauſæ eidem remittendo. Similiter faciendum eſt quando Rex cognoſcit ratione alterius juris ſpecialis. Quando verò eſt ſufficienter probatum, tunc ſic fieri poterit Arreſtum. Cùm in Curia noſtra per Procuratorem noſtrum, & talem, &c. fuiſſet propoſitum inter cætera, quod dicto tali exiſtente in noſtra ſalvagardia, talis fecerit, hoc eſt, in noſtræ dictæ ſalvægardiæ præjudicium, vituperium, & contemptum: quare petebat, &c. (ponat quicquid eſt in *intendit*. Deinde ſequitur) econtra verò per dictum talem fuit adſui defenſionem propoſitum, &c. facta igitur inqueſta ſuper præmiſſis, & ipſis partibus auditis, ad judicandum admiſſa, ipſa viſa diligenter, condemnavit Curia noſtra dictum talem in centum lib. nobis ſolvendis pro emenda, necnon parti læſæ in centum lib. in expenſis, &c. Quarum taxationem ſuo judicio reſervavit. Et hoc eſt verum in patria juris ſcripti in qua expenſæ adjudicantur, etiamſi petitæ non fuerint: ſecùs in patria conſuetudinaria ubi neceſſarium eſt petere: aliàs ſi partes ſolùm fuerint proteſtatæ, fit eis reſervatio earum. Si verò infringens ſalvamgardiam, erat Clericus, vel Religioſus, vel Prælatus, tunc dicetur per judicium Curiæ noſtræ, &c. quod tenebitur temporalitas ejus ad manum noſtram, donec de centum libris ſatisfactum fuerit nobis pro emenda, & parti in tantum, &c.

Forma Arreſti quando proceſſu inchoato coram ordinario per viam provocationis, poſteà concluditur in rei vendicatione, & judex partibus auditis, &c.

Quandoque proceſſus coram Ordinario inchoatur per viam provocationis: & poſteà concluditur in rei vendicatione, & judex partibus auditis, litis conteſtatæ factis inqueſtis hinc inde, publicato, & renunciato in cauſa, per ſuam ſententiam, pronuntiavit malè provocatum, & rem contentioſam adjudicat defendenti, tollendo inhibitiones cum expenſa; à qua ſententia poſtmodum appellatur ad judicem appellationum: qui partibus auditis, & facta inqueſta, ſuper contentis in libello appellatorio appellantis, prædictam infirmat ſententiam, & rem contentioſam adjudicat appellanti originaliter agenti, à qua ſententia appellatur ad Curiam, quæ prædictam confirmat, & condemnato contra quarentem ſuam reſervat actionem, & tunc debet ſic incipere: Cum virtute certarum Literarum provocationis ad cauſam à judice noſtro latam pro parte N. ſuper eo quod cum ſuis bono jure, & juſto titulo, &c. (narretur tenor Literarum obtentarum, &c.) ad prælibatum judicem ſe provocaſſe dicebat, & aſſerebat certus ſerviens prænominatum N. de & ſuper præmiſſis debitè reſponſurum: ulteriuſque facturum quod juris, & rationis foret, coram memorato judice ad certam diem adjornàſſet eidem N. ſub 25. marcharum argenti pœna nobis applicanda, ne dilatione hujuſmodi, & cauſa ſic coram eo pendentibus aliquid indebitè in ipſius provocationis præjudicium, innovaret inhibendo: coram quo quidem judice, aut ejus locumtenente tantum proceſſiſſent partes jam dictæ quòd eis coram conſtitutis utraque ex titulis, cauſis & mediis in proceſſu declaratis, territorium præſpecificatum jure utilis dominii, ſeu quaſi pertinere, & ſpectare prætendebat: ad plenum igitur eis auditis præfatus judex, per ejus diffinitivam ſententiam, &c. (inſeratur tenor ſententiæ, &c.) à qua quidem ſententia prælibatus N. ad judicem noſtrum appellationis cauſarum civilium Seneſchalli Thol. appellaſſet, tantumque coram eo, aut ejus Locumtenen. proceſſum fuiſſet inter eoſdem M. appellantem ex una parte, & N. appellatum ex altera, quòd eis auditis prælibati noſtri judices appellationis Locumtenente per ſuam diffinitivam ſententiam, &c. (inſeratur tenor ſententiæ, & cum verbo *condemnaſſet*) fuit ab hujuſmodi ſententia per antedictum N. ad noſtram Parlamenti Curiam Tholoſæ ſedentem appellatum. Auditis, &c. proceſſuque ex eiſdem actis an bene vel malè fuerit appellatum, junctoque libello appellatorio dictæ appellationis per modum nullitatum, & factorum novorum, & rationum juris, tradito, recepto ad judicandum: eo viſo, &c. repertoque, &c. per judicium, &c. prælibatoque: (& inſeratur reſervatio ſubjunctis verbis) reſervavit, & reſervat per ejus judicium Curia noſtra memorata, &c.

SEQVVNTVR LXXIV. DECISIONES SEV INTERLOCVTIONES Venerandi Tholosani Parlamenti, ex ejusdem Curiæ gestis & Arrestis, jam olim non diu post ejus erectionem collectæ, quæ in prioribus impressionibus cum Arrestis Parlamenti Parisiensis permistæ erant. Nunc autem à Carolo Molinæo Iureconsulto, & Advocato Parisiensi decenti suo ordine, brevibus & utilibus annotationibus margini additis distinctæ, & seorsum locatæ.

ARRESTUM PRIMUM.

IN Parlamento anno * Domini 1444. mense Augusti. Primo. Blatereus, Joannes Hastico Clericus prisonerius Curiæ, eo quòd sibi imponebatur citasse in Curia Romana, veniendo contra pragmaticam sanctionem, & inhibitiones sibi factas, per dominum Petrum *Bessieres*, Presbyterum, ratione Parrochialis Ecclesiæ de sancta Segonnella Diœcesis Vaurensis traditus fuit Archiepiscopo Tholosæ, chargiatus de casu privilegiato, inhibendo sibi ne procederet ad absolutionem, condemnationem, vel deliberationem ejusdem prisonerii, donec per Curiam cognitum fuisset de casu privilegiato. Et aliquibus lapsis diebus, fuit ordinatum per Curiam, quòd relaxaretur, cum hoc quod in Curia promitteret revocare, vel revocari facere dictam citationem: & omnia quæ fecerat contra Pragmaticam sanctionem, & inhibitiones, sub pœna centum librarum Turonensium.

* *Anno.*] Scilicet primo insignis illius Curiæ, ut dixi suprà part. 3. tit. 1. §. 3. C. M.

II.

Item in eod. Parlamento die 18. Augusti, Præsidente Blaterensi inter Ottonem Castellam actorem ex una parte, & dominum Philippum *de Levis*, Archiepiscopum Auxitanensem defensorem ex altera: dictum fuit quod dictus defensor veniret cognoscitum, vel negaturus suam schedulam infrà finem ejusdem mensis: aliàs Curia ex tunc, prout ex nunc, tenuit dictam schedulam pro confessata. Et deinde die 7. Septembris, dictum fuit quòd Curia tenebat dictam schedulam prædicti defensoris (per quam, & ex causis in eadem contentis promiserat actori solvere summam duorum mille scutorum auri, in Festo Paschæ novissimè præterito) pro cognita, & confessata, & condemnavit Curia eumdem defensorem ad garniendum * manum in eadem Curia de prædicta summa duorum millium scutorum infrà Festum Omnium Sanctorum proximè veniens.

* *Garniendum.*] Talis erat stilus antiquus, etiam contra Clericos, contra quos desiit observari, quia recognitio sufficit, & hoc nisi Clericus possideret immobilia sibi propria, quia tunc ratione hypothecariæ remaneret in foro seculari, ut dixi in mea praxi, & de dicto veteri stilo testatur Steph. Auffret. in addit. q. Thol. 126. & in Rep. cle. 1. R. 2. fallen. ff. ubi istud Arrestum refert. adde inf. par. 7. Arrest. 130. C. M.

III.

Item in eodem Parlamento die 6. Septembris, inter Procuratorem regium, & dominum Bernardum *Ravelx* actores in casu excessuum ex una parte, & dominum Joannem de Lamanhago defensorem in dicto casu, Curia condemnavit eumdem defensorem ad revocandum, & annullandum, vel revocari, vel annullari faciendum sententias, & fulminationes ad sui requestam factas, contra dictum dominum Bern. *Ravelx*: & in præjudicium Pragmaticæ sanctionis, & inhibitionum sibi ex parte regia factarum: & hoc faciendo, ad absolvi faciendum suis expensis ipsum *Ravelx*: & quod ad hoc astringeretur per suæ personæ detentionem, captionem & expletationem suæ temporalitatis, & per omnes alias vias, & modos debitos, & rationabiles. Et declaravit Curia dictum defensorem incurrisse pœnas sibi indictas, de quibus mentio fiebat in expletis: quas certis ex causis Curia moderavit ad summam centum librarum Turon. ad quam summam dictum defensorem erga Regem condemnavit, & ad tenendam prisionem firmatam, ubi permanebit usque ad plenam satisfactionem, & in expensis dicti actoris, &c.

IV.

Item in Parlamento anni 1445. 15. Novembris dictum fuit quod de cætero in causis beneficialibus Curia, partibus auditis, appunctaret partes ad penes eam ponendum eorum titulos, super quibus, vel illis alterius partis, si alia pars producere differret, Curia suum daret Arrestum, absque ulteriore partis alterius expectatione.

V.

Item dictum fuit quod virtute duorum * defectuum Tassinus *de Bailleul* actor, contra Joannem de Lao manutentus fuit diffinitivè in possessione, & saisina Canonicatus, & Præbendæ Ecclesiæ Collegialis Sancti Nicolai *de Nogarolo*, & inhibuit Curia ne moveri, conveniri, aut inquietari faceret prædictum actorem ad causam dictorum Canonicatus, & præbendæ alibi quàm coram ejus Ordinario: nec aliàs quam secundùm Pragmaticam sanctionem, &c. Idem dictum fuit in Parlamento anni 1446. die 26. Maii, præsidente Magistro Jacobo *de Meaux*.

* *Duorum.*] Vt sup. in stil. c. 6. §. 2. sed exolevit, ut ibi dixi. Io. Gall. sup. q. 324. C. M.

VI.

Item in Parlamento anni 1446. die 14. Augusti, præsidente *Blausete* pro Magistro Stephano Durandi actore requirente utilitatem duorum defectuum sibi adjudicari, contra Magistrum Raymundum *Montel*, Curia adjudicavit talem utilitatem quod defensor ceciderat à suis defensionibus omnibus, & non haberet nisi unum *ny*: & probaret actor suum factum contentum in utilitate sui defectus, & inquesta facta, perfecta, & ad judicandum recepta, Curia faceret jus partibus, & condemnavit defendentem in expensis dictorum duorum defectuum, taxatione sibi reservata. Et idem dictum fuit die eodem pro Magistro Joanne *Dierim*: excepto quod nihil dictum fuit de expensis. Et idem dictum fuit die septima Septembris pro domino Joanne *de Labatut*, cum expensis, sicut in primo.

VII.

Item in eodem Parlamento inter Delphinam *de Recolletes* Religiosam Abbatissam *de Lampæmone*, & Procuratorem regium secum adjunctum actores in casu excessuum ex una parte, & Saturninam *de Seyos*, & Catharinam *de Mandagot* Religiosam Abbatiæ prædictæ defensatrices, dictum fuit quòd dictæ defensatrices, & omnes quos appareret recepisse de fructibus dictæ Abbatiæ à tempore executionis querimoniæ, & unius anni antè, tenerentur ad illos reddendos, & restituendos eidem actrici, & pariter compellerentur omnes qui ceperunt de bonis Abbatiæ ad illa reddendum, & restituendum dicto Monasterio: & condemnavit Curia dictas defensatrices ad obtemperandum, & obediendum. Et quia dicta Saturnina semper fuit,

Vide hic pertinaciam mulierum Monachatum.

& est contradicens, & recusans Arresto lato pro rectrice parere, Curia ipsam condemnavit ad tenendum prisionem in manibus Episcopi Ruthenensis ejus Ordinarii donec obedierit, pronuntiatum 14. Augusti, præsidente *Blatereus*, in cujus Arresti judicio fuerunt undecim tam Præsidentes quàm Consiliarii. Deinde in Parlamento anni 1447. die 24. Novembris, injunctum fuit Procuratori dicti Episcopi: ut dicti faceret prædictam Saturninam ad carceres suos juxta tenorem Arresti prædicti.

VIII.

Item an. 1447. 5. Januarii, præsidente *Blatereus* cum octo Consiliariis, dictum fuit quod Henricus Bernardi prisonerius in Conciergeria, qui se pro clerico advoabat, Archiepiscopo Tholosæ redderetur, non obstante requisitione uterinationis certæ remissionis per eum obtentæ à Rege quoad detentionem: proviso quod non procederet ad elargitionem dicti prisonerii donec de interinatione dictæ remissionis cognitum extiterit.

IX.

Item in eo Parlamento pro Magistro Joanne *Dacii*, contra Guidonem *Carret*, virtute duorum defectuum Curia declaravit præcepta ad bonam, & justam causam eidem defendendi fuisse facta: & quod ad malam, & injustam causam se opposuerat, & condemnavit Curia dictum defendentem ad eidem actori solvendum summam viginti scutorum auri, & declaravit omnia ipsius bona hypothecata, & obligata solutioni dictæ summæ. Et ulterius condemnavit ipsum in expensis ipsorum defectuum, taxatione sibi reservata. pronuntiatum 15. Septembris, præsidente Jacobo *de Meaux*, cum aliis, &c.

X.

Item in Parlamento anni 1448. die 5 Aprilis, dictum fuit quòd executio incœpta super bonis domini Girardi Episcopi sancti Pontii virtute obligationis in mille passatæ ad vires, & rigores parvi sigilli Montispessulani ad instantiam heredum Episcopi Laudunensis id continuaretur.

XI.

Item in Parlamento anni 1449. secunda Septembris, præsidente Jaco. *de Meaux*, cum octo Consiliariis dictum fuit per Magistrum P. Damiani regium consiliarium in eadem Curia malè processum G. *Romei* capiendo ad instantiam domini Pontii, domini de Claromonte, & declaravit ejus processum nullum: & eumdem Magistrum Petrum condemnavit ad reddendum, & restituendum eidem *Romei* 26. ducatos quos cepit pro ejus salario: * & in aliis captis per servientes, & notarium, pro injuria erga eumdem *Romei* condemnavit dictum Damiani in summa centum librarum Turonensium, & in expensis.

* *Salario.*] Ita etiam plures vidi judices errabundos condemnari reddere spottulas, & bene. C. M.

XII.

Item in Parlamento anno 1454. dictum fuit præsidentibus quibus suprà, quod Abbas *de Cressa* constitueret vicarios duos ex Consiliariis clericis ejusdem Curiæ, quibus frater Antonius *Chamberti* religiosus prisonerius in Conciergeria redderetur ad faciendum ejus processum Tholosæ, & aliqui Consiliarii per Curiam deputarentur, ad assistendum ad fines conducendi processum pendentem in Curia tangentem materiam istam: & dictus Abbas ejus vicariatum mitteret in Curiam infrà 8. Deinde 23. Januarii viso prædicto vicariatu, per quem fuerant deputati Gentiani de Trilha, fuit idem prisonerius ab eisdem per Curiam liberatus, & commissus *le Lasseur*, ad assistendum cum eis in processura, & Curia dictis vicariis id requirentibus, prisiones seu carceres Conciergeriæ commodavit.

XIII.

Item in eo Parlamento 23. Feb. præsidente Jac. *de Meaux*, cum 11. visis informationibus factis per primum ostiarium, Curia ordinavit quod Bertrandus *Varaubas* existens in immunitate Ecclesiæ castri de monte Belquo, non debebat gaudere immunitate: & ordinavit ipsum extrahendum per dictum ostiarium servatis solemnitatibus debitis * in casu consuetis, & adduceretur ad prisionem Conciergeriæ: & 12. August. & propter mortalitatem fuit datus finis Parlamento usque ad tertiam Januarii subseq. quo anno 1451. fuit inceptum Parlamentum, & fuit clausum 18. Septembris.

* *Debitis.*] Specu. de immu. Eccl.

XIV.

Item in Parlamento anno Dom. 1460. 27. Martii, Jac. *de Meaux*, Præsidente, dictum fuit quod dominus Bernardus Archiepiscopus Tholosæ revocaret, vel revocari faceret executionem quarumdam Literarum Apostolicarum monitionalium, ratione bonorum defuncti Archiepiscopi in Curia * contentiosorum.

Parlamentum suspensum propter pestem.

* *Curia.*] Quia præcedere debebat permissio Curiæ. C. M.

XV.

Item in Parlamento anno 1452. 20. Aprilis, Dacii Præsidente cum aliis novem, dictum fuit quod dominus Gumbertus Jordani de monte Lauro traderet cautiones sufficientes usque ad valorem bonorum mobilium, & jocalium præposituræ Bellimontis, sibi tradendarum per modum recredentiæ, scilicet de reddendo, & restituendo bona, & jocalia prædicta, si per finem causæ diceretur, non comprehensis in hoc * fructibus dictæ præposituræ.

* *In hoc*] Id est non daret cautionem de fructibus. C. M.

XVI.

Item ad requestam Procuratoris, & creditorum defuncti domini Petri de Molendino Archiepiscopi Tholosæ, visa quadam revocatione Procuratoris facta per Joan. *du Moulin*, se dicentem heredem, in hac parte dicti defuncti, suorum Procuratorum, aliàs in Curia constitutorum: Curia ordinavit, quòd ipse arrestaretur per villam Tholosæ sub pœna perditionis causarum, quas in eadem habebat Curia, ac ducentarum marcharum argenti: & inhiberetur sibi decessus absque consensu Curiæ, saisirenturque realiter sub manu regis bona, & equi ejusdem *du Moulin*, donec aliter per Curiam fuisset ordinatum. Actum in Parlamento 11. April. Deinde die quarta idem *du Moulin*, fuit relaxatus constituendo Procuratorem in Curia, & promittendo de judicio sistendo, & de judicatum solvendo, & jurando non revocare Procuratores suos sub obligatione bonorum suorum: & quòd bona sua sibi deliberarentur, tradita cautione infrà limites Parlamenti de duobus millibus librarum Turonensium.

XVII.

Item dictum fuit, pro domino Joanne *de la Font* Presbytero, quòd Magister Joannes *Aubert* appellans non admitteretur ad tradendum libellum appellatorium per modum factorum novorum, * eo quod sententia esset interlocutoria, & quia allegabat sententiam fore diffinitivam, fuit condemnatus in 20. solidos Turon. de emenda erga Capellam. pronuntiatum 8. Junii.

* *Novorum.*] Juxta cle. appellanti de appel. sed aliud est jure civili l. per hanc C. de appel. Lud. Gozadi. cons. 22. in fi. olim dicta cle. hodie non servatur in foro laicali. C. M.

XVIII.

Item in eodem Parlamento dictum fuit quòd dominus Anto. de Levi, Comes de Villaribus, defensor in casu excessuum, & requirens interinationem certarum Literarum regiarum, ad fines ut reciperetur ad petendum per Procuratorem interinationem Literarum certarum remissionis sibi per Regem concessarum non reciperetur ad hoc: * sed quod defectus obtentus contra eum per Procuratorem regium, & patrem, suum sortiretur effectum, actum in Parlamento quarta die Julii. Et deinde 25. Septembris fuit ex certis causis Curiam moventibus prorogatum Parlamentum usque ad sextam Octobris. Et deinde tenuerunt dictum Parlamentum Præsidentes in Camera usque 23. Octob.

* *Ad hoc.*] Quia omnes homines (remionarios vocant) debent personaliter flexis genibus homologationem petere: secus in simplici venia [vocant *pardon*] de re quæ detentionem personæ, & pœnam corporalem non meretur. C. M.

XIX.

In Parlamento an. 1453. die 25. Novemb. per Curiam fuit ordinatum, quod durante absentia sigilli regii, omnia quæ per Curiam passarentur, sigillo ipsius Curiæ sigillarentur, & quòd jus regis, scilicet emolumentum sigilli regii servaretur.

XX.

Item in eodem Parlamento die 21. Januarii dictum fuit, quod Reginaldus de *Tumeris* conquerens in casu saisinæ, & novitatis, Magister Guido *Treferchi* opponens, & defensor, non erant recipiendi ad possessorium Ecclesiæ *de Casses*, & sustulit Curia manum regiam, & omne impedimentum appositum in fructibus dicti beneficii: & ordinavit quod fructus qui levati fuerunt à tempore executionis querimoniæ usque ad tempus præsens, converterentur in utilitatem Ecclesiæ prædictæ per unum Commissarium ad hoc per Curiam deputandum; & irent partes, * si bonum eis videatur, prosequi suum jus ubi pertinet, & pendente processu, provideretur ad regimen dictæ Ecclesiæ, & de fructibus ejusdem per Episcopum ordinarium de alia persona quàm de altero dictorum contendentium, donec per judicem competentem aliter fuerit ordinatum, & sine expensis.

* *Partes.*] Et sic venit quod correctum fuerat per constit an. 1539. §. 58 quæ ipreta fuit, & conservatus fuit vetus hic stilus, & ab anno 1545. tempore regis Francisci, ut vidit. C. M.

XXI.

Item in eodem Parlamento die 29. April. dictum fuit quod pendente processu, prioratus beatæ Mariæ de Fragiis albis inter partes sequestr. existen. sub manu Regis a tempore executionis querimoniæ, & medietas fructuum decæterò percipiendorum converteretur in reparationem dicti beneficii.

XXII.

Item in eodem Parlamento die 22. mensis Augusti, ad requestam Procuratoris Regis injunctum fuit Officiali Tholosano, quatenus publicaret * adversus clericos, cle. 1. de vita, & honest. clerico. qui Officialis respondit illam aliàs publicasse, & illam rursum publicaret: & hoc fuit eidem injunctum sub pœna captionis temporalitatis Archiepiscopi.

* *Publicaret.*] Ut non sit opus alia monitione. C. M.

XXIII.

Item die septima Septembris, quia sæpenumero Curia se reperit sine ostiariis, maximè die prædicta, condemnavit Yvonem *de Noyrieux*, primum ostiarium, qui debet residentiam continuam, & recesserat extra villam sine congedio Curiæ, in summa centum solidorum Turon. & quemlibet ex aliis, qui dicto mense servire debebant, in quinquaginta solidis applicandis capellæ: & fuit tentum hujusmodi Parlamentum usque ad vigesimam Septembris.

XXIV.

Item in Parlamento anno 1454. die 12. Novemb. fuit conclusum per dominos quod non obstante absentia præsidentium, procederetur ad lecturam ordinationum, & postea ad judicandum processus, & faciendum alias res quæ non essent magni præjudicii: & quod primus Consiliarius laicus præsideret: sed placitationes supersederent usque ad diem Lunæ, expectando Præsidentes.

XXV.

Item in eodem Parlamento 18. Janua. *Varinier* Præsidente inter Archiepiscopum Tholos. appellantem ex una parte, & Procuratorem regium appellatum, viso partium litigato de Petro *Boisse* fusterio in prisionibus Senescalli Tholos. de cujus statu erat quæstio an esset in habitu, & tonsura clericalibus, & veniret Archiepiscopo remittendus: curia ordinavit per manum superiorem, quod dictus prisonerius elargiretur per villam Tholosæ usque in crastinum Quasimodo: ad quam diem se redderet prisonerium in statu.

XXVI.

Item in eodem Parlamento undecima Februarii, visis Literis regiis, per quas Rex mandabat Curiæ quod suæ intentionis existebat creare unum tertium præsidentem. Et quod curia diligenter, & secretè eligeret tres personas notabiles ad dictum officium, & scripto tenus fideliter eidem mitteret, clausa & sigillata nomina, & cognomina, cum ejus super hoc advisamento, & signaret illum de omnibus ad quem magis Rex se debebat arrestare, & conferre dictum officium Præsidentis. Curia procedendo ad electionem prædictam per viam scrutinii quilibet ex Præsidentibus, & Consiliariis tradidit unam schedulam, in qua habebantur tres personæ notabiles, per quas schedulas compertum fuit, quod Magister Nicolaus *Berthelot* Regis consiliarius in dicta Curia, dominus Ludovicus *de la Vernade*, Præsidens *de Fournez*, & Magister Jaco. *Gentiani* etiam consiliarius in eadem Curia, plures voces habebant: scilicet *Berthelot* 13. *la Vernade* novem, *Gentiani* octo: & fuit deliberatum quod nemo signaret, sed Curia id remitteret Regi de eligendo quem sibi placeret, eò quòd dicti electi essent nominati per ordinem, secundùm quod plures voces habuerunt: actum in Parlamento, Præsidente *Varinier*, & decem, & septem Consiliariis.

Vide electionem Curiæ de tertio Præsidente, & super hoc Literas regis.

XXVII.

Item decimaquarta Februarii dictum fuit quod Archiepiscopus Tholos. faceret duos ex Consiliariis Curiæ vicarios ad declarandum si Joannes *De labatur* prisonerius deberet privilegio clericali gaudere, & posset in præmissis esse præsens Officialis, si bonum eidem videretur.

XXVIII.

Item die 18. ejusdem mensis præsidente de *Dacii*, cum 11. Consiliariis conclusum fuit per Curiam quod quando aliquis appellaret, & relevaret in foro patriæ consuetudinariæ, si dictum fuerit malè appellatum, vel si appellatio procedat à judice, vel commissario patriæ consuetudinariæ: & dicatur deserta, appellans solveret 60. libras Turonenses de emenda.

XXIX.

Item die vigesima Martii fratres *Ermengaud*, *Guiraumod*, & Anto. *de Leuse*, Canonici Nemausenses pro casibus privilegiatis fuerunt quilibet condemnati erga Regem in quinquaginta lib. Turonens. & ad tenendum Arrestum infrà claustrum prædictæ Ecclesiæ Nemausensis, usque ad plenam satisfactionem: & ulterius Curia declaravit arnesia seu arma * quæ dicti Canonici deferebant, excessus committendo, esse Regi confiscata, & sibi pertinere, & ponerentur, & remanerent in pertica spatio octo dierum: & postea traderentur regio thesaurario Nemauli.

* *Arma.*] Steph. Auff. Rep. cle. 1. de offic. ordi. Reg. 1. fal. 13.

XXX.

Item undecima Aprilis, fuerunt in Curia lectæ, publicatæ, & registratæ Literæ regiæ, per quas Rex ordinavit, quod judices, & forestarii facerent residentiam in principalibus locis suarum judicaturarum: & hoc, non obstante allegatione ex adverso pro parte dictorum judicum, & forestariorum. Et deinde in eodem Parlamento tunc nona Junii, fuit conclusum quod Curia propter mortalitatem existentem Tholosæ, se conferret apud Varen. die tunc subsequenti, prout, & factum fuit. Et deinde nona Julii fuit conclusum, quod ulterius non daretur audientia publica ad litigandum in eodem Parlamento, nisi casus urgens superveniret: sed tenebit audientiam post prandium bis in septimana, scilicet die Martis & Veneris, & hoc respectu processuum in scriptis: & sexta Septembris fuit clausum Parlamentum.

XXXI.

Item nota, quod anno Domini 1455. Jovis die quarta Decembris cùm non essent præsidentes, sed solum sex consiliarii, fuit deliberatum quod die Martis sequente inciperetur Parlamentum casu quo essent in numero competenti, deinde Lunæ octava Septembris in absentia præsidentis per ante dictos consiliarios sex, fuit conclusum quod vocatis Archiepiscopo Tholosæ, & Episcopo Sarlatensi, procederetur ad receptionem juramenti Advocatorum & Procuratorum, lectis prius ordinationibus, sicut erat consuetum, & postea ad judicandum aliquos parvos processus, qui magni ponderis non existerent: & quòd primus consiliarius laicus præsideret, & quod mandaretur præsidenti, & aliis consiliariis, ut venirent ad exercendum eorum officium: alioquin visa ipsorum responsione, Regi scriberetur, deinde tricesima Decembris, præsidente Dacii propter mortalitatem Tholosæ existentem fuerunt prorogati dies adjornarii Senescallix Tholosæ usque ad ultimam Januarii.

XXXII.

Item die Veneris decimasexta Januarii, Curia injunxit Officiali Tholosano, ut decretero requireret illos, qui lenocinio usi fuissent à tempore monitionis factæ per eumdem Officialem, juxta *clemen. 1. de vita & honestate clericorum.*

Et die vigesimaprima hujus mensis ordinavit præcipiendum fore Archiepiscopo Tholosæ, quatenus traderet copiam certarum Bullarum sibi præsentatarum per dominum Joannem *de Labatut*, se dicentem Episcopum Montisalbani, ad videndum si erant contrariæ pragmaticæ * sanctioni, & authoritati Curiæ, faciendumque sibi inhibitionem, ne illas haberet idem *de Labatut*, reddere, donec per Curiam aliter fuisset ordinatum.

* *Pragmatica.*] Steph. Auff. repe. cle. 1. Reg. 2. fal. 31. de offi. ord.

XXXIII.

Item die 27. ejusdem mensis inter dominum Raymundum *de Tilly*, Episcopum Bazatensem impetrantem, & actorem, & dominum Bernardum *de Rivergue*, Archiepiscopum Tholosæ defendentem occasione reparationis domus Episcopalis Bazatensis, & utensiliorum: dictum fuit quod dictus defensor in Curia procederet.

XXXIV.

Item die 3. Martii, injunctum fuit per Curiam Archiepiscopo Narbonensi, aut ejus vicario, ut procederet ad confirmationem, vel infirmationem electionis factæ de persona domini Emanuelis electum se dicentis in Episcopum Nemausensem, secundùm formam pragmaticæ sanctionis sub pœna captionis suæ temporalitatis, non obstantibus ex adverso propositis per dominum Almanum Cardinalem Avenonensem. Et ordinavit Curia quod Præpositus, & Capitulum haberent provisionem super Ecclesiæ prædictæ fructibus usque ad summam quadringentarum librarum Turonens. pro expensis * prosecutionis eorum electionis: de qua expensa tenerentur reddere computum cui pertineret, pronuntiatum per Dacii præsentibus undecim consiliariis, & fuit tentum Parlamentum usque ad 27. Septembris.

* *Expensis.*] Oldra. q. 17. Calderi de solut cõsi. 2. Gemnia cons. 48. col. fi. cons. 55. Panor. c. pp præterita de elect. C. M.

Et die 25. ejusdem mensis inter *de Labatalo* se dicentem Episcopum Montisalbani ex una, & Sindicum Capituli conquerentem: dictum fuit quod *Berthelot* Regis consiliarius executor querimoniæ processerat post receptionem partis ad oppositionem, & assignationem in Curia, malè processum, & annullavit omnia facta utrimque post dictam oppositionem, & assignationem in Curia, & quod idem *de Labatalo* veniret defensurus ad dictam querimoniam: & interea res contentiosæ ad manum Regis ponerentur.

XXXV.

Item in eodem Parlamento die 3. Septemb. quidam Bonifans fuit per Curiam condemnatus in emenda 20. lib. Turonensium erga Regem, eo quod impetraverat statutum querelæ de novis dissaisinis post executionem querelæ novitatis suæ partis adversæ; & fuit remotum dictum statutum querelæ cum inde sequutis tanquam attentatæ.

XXXVI.

Item in Parlamento an. 1455. die 27. Novemb. Præsidente *Varinier*, cum 11. Curiæ visis summationibus factis, & requisitionibus Cardinali functo, ut Vicario Papæ in Avenione, & Comitatu Venaissini, & responsionibus per eum super hoc factis, ordinavit quod interim summaretur, ut permitteret fieri executionem pro emenda 4. millium lib. Turonens. in qua Ludovicus de Pictavia Episcopus Valentinensis fuerat erga Regem condemnatus super bonis temporalibus ejusdem Episcopi existentibus in Avenione, & Comitatu prædicto, non obstantibus in contrarium per antedictum Cardinalem allegatis: & casu quo idem Cardinalis esset recusans aut differens, mandaretur primo ex ostiariis aut servientibus regis super hoc requirendis, ut capiat, ponat realiter, & de facto totum temporale ejusdem Cardinalis, in regn. ad manum regiam, & sub illa faceret regi illud, & gubernari, donec aliud per Curiam fuisset ordinatum.

Condemnatio Cardinalis Vicarii Papæ in Avenione erga Regē, & captio temporalitatis ipsius.

XXXVII.

Item in eo Parlamento 19. Jan. Præsidente *Varinier*,

prohibitum fuit Magistro Joanni Rogerio graphario præsentationum ejusdem Curiæ, ne decætero deliberaret aliquod congedium, neque defectum causæ lucrum importans, nisi vilis prius per Curiam expletis. Et die x. Febr. Curia ex certis causis ad hoc eam moventibus, prohibuit domino Raymundo Sirene judici majori Tholosæ, ut non traderet aliquod *Pareatis* aliquibus Literis ad adjornandum subjectos commorantes infrà fines, & limites dictæ Curiæ ad comparendum extra limites, nisi prius locuto per eum cum Curia, quia judex major dixit se præsto ita facturum.

XXXVIII.

Item in eo Parlamento die 4. Martii, Præsidente *Varinier*, cum 14. dictum fuit per Arrestum quod Guillelmus *Pesselant*, & Jo. *Marbet*, prisionerii in prisionibus Archiepiscopi Tholos. adducerentur ad Conciergeriam pro respondendo super portu armorum, infractione salvægardiæ, & aliis casibus privilegiatis de quibus reperirentur chargiati: deinde ultima mensis Apr. Præsidente *Varinier* cum octo, dictum fuit quod Curia tenebat, & reputabat præfatum Guillelmum *Pesselant* prisonerium Curiæ pro laico, & ipsum condemnavit ad suspendium. Et respectu dicti *Marbet* Curia condemnavit eum pro casibus privilegiatis in centum lib. Turonens. pro emenda erga Regem, & ad tenendum prisionem, ubi pertineret, usque ad plenam satisfactionem. Et ulterius pro delictis communibus Curia remisit ipsum tanquam clericum præfato Archiepiscopo pro debita justitia ministranda secundùm casuum exigentiam; inhibendo eidem Archiepiscopo, quod ipse, nec ejus Officialis utantur in eorum sententiis retentione gratiæ in præjudicium jurisdictionis regiæ, & ne etiam utantur captione, seu prisia gentium: non conficiant inventaria, vel scrutinia bonorum in terra, & jurisdictione Regis: & revocavit Curia quicquid factum fuerat in contrarium, absque emenda, & ex causa. Et ulterius Curia ex certis causis ad hoc eam moventibus, injunxit eidem Archiepiscopo, ut moneret, seu moneri faceret debitè infrà tres menses infrà tunc proximè sequentes, omnes, & quoscumque ejus clericos lenocinium, & alios casus viles, & enormes clericis prohibitos exercentes, ut à præmissis desisterent, & ea de cætero non committerent: alioquin lapso prædicto termino, Curia provideret sicut videret esse rationis.

Arrestum contra clericos lenocinium, & alios casus illicitos, & enormes exercentes.

XXXIX.

Item die 27. Martii, quia Magister Bernardus *de Lavis*, Procurator Regius, Seneschallix Tholosæ tangendo politiam piscium, qui vendebantur in civitate, locutus fuit arroganter dirigendo verba sua Advocato regio, & juravit per sanguinem Dei in conspectu Curiæ, & aliorum officiariorum: fuit idem *de Lavis* in carceribus Conciergeriæ intrusus. Et die 29. ejusdem mensis dictum fuit quod in Curia, & in præsentia officiariorum peteret veniam Deo & Regi, & pro emenda solveret decem libras Turon. capellæ: & ita fecit. Et ibidem, & eodem anno tenuit Curia usque ad 23. mensis Septembris.

XL.

Item in Parlamento ann. 1457. & die 22. Decemb. Præsidente *Varinier*, inter Procuratorem Regium actorem in casu excessuum ex una parte, & Archiepiscopum Tholosæ defensorem: dictum fuit quod declinatoria per Archiepiscopum proposita non procedebat. Et ulterius quod idem defensor astringeretur per prisiam, & detentionem ad manum Regis sui temporalis ad revocandum, seu revocari faciendum monitiones, excommunicationes, & gravamina per ipsum, seu Officialem ejus concessa, contra judicem majorem, Procuratorem regium, & Notarium curiæ Seneschalli Tholosæ ad causam Raymundi *Brisé*, tunc prisionerii in prisionibus ejusdem Seneschalli, & etiam ad faciendum amoveri, si bono modo fieri possit: alioquin ad deleri faciendum de registris excommunicationem, taliter quod legi non possint nomina dictorum judicis majoris, Procuratoris Regii & Notarii: & relevavit ipsum Curia ab emenda, & ex causa.

XLI.

Item die 23. Martii, Curia sustulit inhibitiones factas ad requestam fratris Oliverii *de Morillon*, Episcopi S. Pauli, à Magistro Joanne Textoris Commissario in eadem parte per Abbatem Cluniacensem, & etiam fratre N. desmergis, & gratiæ de merleto, de non producendo in certa causa appellationis, & alio processu tangente confirmationem electionis Abbatissæ de Lezaro: & injunxit eisdem Curia, quatenus haberent procedere secundùm formam, & tenorem pragmaticæ sanctionis, eumdem *de Morillon* in expensis condemnando: & eidem inhibuit ne amplius haberet impedire dictum Abbatem, vel ejus commissos, quominus procedant ad confirmationem, vel infirmationem prædictæ electionis secundum formam, & tenorem dictæ pragmaticæ sanctionis.

XLII.

Item die 7. Julii, dictum fuit respectu querimoniæ, quod prædictæ partes erant in factis contrariæ, &c. Et Curia adjudicavit Conventui dictæ Abbatissæ de Lezaro recredentiam administrationis ejusdem, donec per Curiam aliter foret ordinatum. Et ordinavit quod duæ partes fructuum levatorum ex prædicta Abbatia, existentium sub manu Regis, convertantur in Ecclesiæ ejusdem Abbatiæ reparationes, salvo ad faciendum ampliorem provisionem respectu dictarum reparationum, dum casus accideret.

XLIII.

Item die 16. Septembris, in eodem Parlamento dictum fuit quod ad bonam, & justam causam Sindicus Capituli Nemausensis actor, & conquerens in casu saisinæ, & novitatis se doluerat, & fuerat conquestus quod ad malam causam dominus Alanus Cardinalis Avenionensis se opposuerat. Et manutenuit, & conservavit Curia dictum actorem in possessione, & saisina capiendi, & habendi administrationem, & regimen Ecclesiæ, & Episcopatus Nemausensis in spiritualibus, & temporalibus sede vacante, ac levandi fructus, & ipsos conservandi futuro successori, & instituendi vicarium, & officiarios spirituales, donec fuerit provisum de pastore, & sustulit manum regiam ad ipsius utilitatem, sine expensis, & ex causa. Et die prædicta fuit impositus finis Parlamento, salvo ad procedendum in causis criminalibus per septimanam sequentem.

XLIV.

In Parlamento incœpto anno 1460. & finiente 1461. die 7. Augusti, attento Regis * decessu, Curia ipsa deliberavit, & concluſit, quod procederetur ad judicationem, & expeditionem causarum, & processuum pendentium in eadem Curia sine placitationibus, & pronuntiatione Arrestorum: quodque nullus actus publicus fieret donec habita fuissent alia nova à Rege qui tunc erat: verumtamen si supervenirent aliquæ provisiones faciendæ, quæ necessariæ essent, & urgentes, celeritatemque requirerent dictas causas, & processus tangendo, Curia ipsa concederet per Literas

* *Regis*] Scilicet Caroli. VII. authoris hujus Parlamenti, aliàs ob mortem Regis non cessat. C.M.

Literas sigillatas sigillo secreto ejusdem, & loqueretur * per gentes Parlamentum regium Tholosæ tenentes.

* *Loqueretur.*] Id est, intitularetur, omisso nomine regis tanquam in interregno. C.M.

Item in Parlamento an. 1462. die 13. Novemb. deliberatum fuit per Curiam quod tunc proximè inciperetur litigari non obstante absentia præsidentium, & præsideret in causis civilibus Magister Ægidius *Requestarum* præsidens inquæstarum, & primus consiliarius clericus, & in causis criminalibus primus consiliarius laicus.

XLV.

Item in eodem Parlamento die Lunæ 12. mensis April. visis Literis regiis, per quas Rex supprellerat, & aboleverat officium judicis majoris Tholosæ, audito Procuratore regio, per curiam fuit ordinatum, quod super illis Literis poneretur lecta, & publicata Tholosæ in Parlamento.

XLVI.

Item in eodem Parlamento tit. Lunæ 12. mensis Aprilis * Curia visis Literis regiis, abrogationis pragmaticæ sanctionis, simul cum Literis patentibus, & clausis Regis, & Literis clausis Cancellarii Franciæ sibi præsentatis per Episcopum Bajonensem habita super hoc deliberatione, fuerunt in consilio lectæ prædictæ Literæ. Et ordinatum quod super illis apponeretur lecta, & publicata in Curia de expressissimo mandato domini nostri Regis, tam Literis patentibus, & clausis, quàm nuntiis solemnibus, facto Cosmo Præsidente 17. Consiliariis: & die 23. Aprilis per Literas regias, quibus mandabatur Magistro Guillelmo *Bec*, primus locus Consiliarii clerici post præsidentem: fuit eidem *Bec* assignatus locus de ejus consensu post præsidentem inquestarum.

* *Aprilis.*] Et hoc anno D tegni Ludo. XI. impulsore Papa Pio II. quia pri[illegible]leriba, & propugnator concilii Basiliensis Papa factus, hostis quoque factus est, cui Ludo. XI. annuit, sed Curia Parisiensis non obedivit exemplo præcipue ducta fiscalis procuratoris cognominati de sancto Romano, qui maluit officio quàm affectui Regis quantumvis acerbi cedere, & sic stetit pragmatica usque ad mercatum Leonis, & Franciscæ, quam Sixtus IV. e mendico Papa factus dicti Ludovici tempore frustra convellere nisus erat, ut in extravagant. [illegible]e treug. & pace in communibus. C.M.

XLVII.

Item in eodem Parlament. die 22. mensis Maii inter Procuratorem regium actorem ex una parte, & dominum Joannem Navar. militem Comitem Palatinum defendentem, dictum fuit quod quatenus idem defensor processerat ad creationem notariorum imperialium, & legitimationes in hoc regno temporalia tangendo, abusus fuerat, & interceperat contra jura Regis, & declaravit Curia omnia per eum in hac parte facta esse nulla, ac nullius effectus: & condemnavit ipsum defensorem ad ea revocandum, dicendo quod nulliter non habendo potestatem in hoc regno, & abutendo, creavit notarios imperiales: & fecit legitimationes authoritate Apostolica, & imperiali temporalitatem tangendo, & revocando, & petendo veniam Regi & justitiæ, & defendit ei Curia ne amplius uteretur in hoc regno. Et similiter omnibus illis quos legitimavit, & creavit notarios imperiales in hoc regno ne utantur, sed penes Curiam afferrent Literas super hoc per defensorem sibi concessas. Et ulterius condemnavit Curia prædictum defensorem ad penes Curiam ponendum totum illum quod ipse perceperat à creatis per eum in notarios imperiales, & legitimatos: & fuit hujusmodi Parlamentum protractum usque ad 20. Septembris propter prisonerium: & prolatum Arrestum 19. ejusdem mensis.

XLVIII.

Item in Parlam. anni 1463. die 20. Decembris per Arrestum dominus Guillelmus *de Brefoht*, qui in judicio per ejus Advocatum proponi fecerat, quod Magister Joannes *du Gard* Procurator in Curia fratris Antonii *Barton*, se jactaverat tantos amicos habere in Curia, quod nunquam querimonia impetrata per fratrem Archimbaldum Heraldi, tangendo possessorium Abbatiæ *de Conquis* furniretur, ad quod probandum habuerat plures dilationes, fuit condemnatus ad dicendum, & declarandum in Curia, quod stultè, & indiscretè, & malè dicti fecit, & proponi, & advoari verba prædicta, & quod petebat veniam Regi, & justitiæ, & in emenda utili erga Regem in 15. lib. Capellæ Palatii, & erga prædictum *le Gard* in summa 10. librarum Turon. ac in expensis.

XLIX.

Item in eodem Parlam. die 7. Maii, qua Magister Petrus Damiani consiliarius Curiæ recusavit obedire appunctamento Curiæ, per quod dictum fuerat quod exequeretur Arrestum ejusdem Curiæ inter Ducem Borbonii, & Comitem Armigniaci, ratione Comitatus insulæ Jordanis, & Vicecomitatus Gaurelli. Et quia loquendo de materia idem Damiani, dixit in Curia se non iturum, quodcumque proferretur appunctamentum per Curiam: quia ut dicebat Magister domus ejusdem ducis ipsum recusaverat: fuit per Curiam eidem Damiano interdictus recessus à villa, durante dicto Parlamento.

L.

Item die prædicta Sabbathi anno 1463. circa horam decimam noctis ignis accensus in vico sequestriarum villæ Tholosæ prope Conventum Carmelitarum, duravit usque ad diem Martis subsequentem, quo pendente tempore, incendit ad longum, & transversum civitatis usque ad Conventum Minorum basilicum, & Ecclesiam Thauri: quod totum erat ultra tres partes de meliori ejusdem villæ, & dictum fuit, quod in tam modico tempore ab hominis memoria non fuerat visa similis desolatio, propter quod die nona ejusdem mensis Curia vacavit: Deinde supervenit in eadem villa malum aliud, scilicet pestilentia, propter quod die 28. Junii Curia post Arrestorum pronuntiationem, declaravit quod se transferret apud Albiam, & ibidem inciperet die 15. Julii tunc proximè veniente: interea verò quandiu forent consiliarii in numero competenti in eadem villa Tholosæ expedire negotia ejusdem Curiæ necessaria: & postquam Curia mutata fuit apud Albiam, & idem tenuit usque ad diem quintam Septembris, quia pestis in eadem villa incœpit: & quia dubitatur de continuatione, dicta die Curia deliberavit quòd proximum Parlamentum in crastinum beati Martini hyemalis inciperet, & continuaretur ibidem, donec tempus esset Tholos. pacificatum.

Vacatio Curiæ Tholosanæ propter maximum ejus urbis incendium.

Transfertur Curia Tholosana propter pestem ad Albiam.

LI.

Item in Parlam. 1463. Bicterris die 23. Decembris fuit dictum per Arrestum ad requestam Magistri Guillelmi Morrebrum impetrantis, contra Episcopum Numatensem defensorem, quod ipse suique secretarii, & alii quos apparet habere registra collationum beneficiorum collatorum per defensorem, & suos prædecessores à tempore introductionis pragmaticæ sanctionis, traderent vel tradi facerent eidem impetranti in forma prædicta omnes collationes Ecclesiarum Parochialium per eos collatarum à tempore prædicto, & ad hoc compelleretur: videlicet defensor, & alii gentes Ecclesiasticæ habentes dicta registra, per suæ temporalitatis captionem, & gentes laicæ per suorum bonorum captionem, & alias vias, & modos debitos, & rationabiles, facta facto quibus deceret salario rationabili.

Deinde 2. Januarii dictum fuit, & publicatum in audientia quod Curia certificata de dispositione villæ Tholosæ, & quod pestis cessaverat rediret Tholosam ad diem 25. ejusdem mensis.

LII.

Item in eodem Parlamento 7. Aprilis, Curia ordinavit quod de copia, vel extractu sindicatuum, & actoriarum, & procurationum penes Curiam positarum, quæ fiet per grapharium præsentationum, ejusdem Curiæ non solvantur pro copia sindicatus, vel actoris nisi 7. solidi 6. denarii Turonen. & pro copia cujuslibet procurationis unius personæ particularis 5. solidi Turonenses.

LIII.

Suprà Arrest. 72. Item die 28. Julii, dictum fuit per Curiam, & ordinatum quod quando unus ex Præsidentibus, vel Commissariis Curiæ allegaretur suspectus, vel foret recusatus per aliquem partium, & causæ recusationis fuerint per Curiam admissæ: dictus Præsidens, vel consiliarius non esset decætero præsens quando in Curia de materia tractaretur in qua fuisset recusatus: & fuit dictum Parlamentum tentum usque ad diem Martis 10. Septembris.

LIV.

Item in Parlam. anno 1464. die 26. Novembris fuêre publicatæ Literæ regiæ datæ *Luxeu* propè Aurelianum 19. Junii anni proximè præteriti: quibus inhibebatur sub pœna banni, & confiscationis bonorum, & privationis gaudentiæ beneficiorum Ecclesiasticorum existentium in regno, ne occasione dictorum beneficiorum per Regem, vel ejus prædecessores collatorum in regalia, vel per aliam collationem sibi pertinentia pleno jure, & etiam occasione beneficiorum, & materiarum beneficialium, vel Ecclesiasticarum: de quibus fuisset, vel esset processus pendens in materia novitatis in Curia Parlamenti, vel coram aliis judicibus regiis, * non tractaretur neque tractari facerent neque in causa teneri coram aliquibus judicibus Ecclesiasticis, nec aliis quàm in prædicta Curia Parlamenti, vel coram aliis judicibus regiis coram quibus essent dicti processus pendentes. Et fuerunt etiam publicatæ aliæ Literæ datæ decima Septembris proximè præteriti, quibus erat ordinatum, & prohibitum omnibus cujuscumque status aut conditionis forent, ne de cætero irent, vel mitterent Romam quæsitum, aut prosecutum Episcopatum, Abbatiam aut dignitatem, neque aliud beneficium electivum, nisi prius habita voluntate, & beneplacito Regis.

* *Regis.*] Steph. Auffr. Rep. cle. 1. Reg. 2. fall. 25. de off. ordin. C. M.

LV.

Item die decima Decembris Curia ordinavit præceptum fieri Cardinali Fuxi Magistro Nicolao de Liscio de Vulteriis, vicegerenti Curiæ cameræ Apostolicæ in Avenione, fratri Dominico Abbati Fuxensi, Magistro Guillelmo *Amaynier* Procuratori fiscali Papæ in Avenione, Magistro Jo. Garelli notario Curiæ dicti vicegerenti, & Magistro Petro de Subvilla, & aliis quibus pertineret, quod ipsi, & ipsorum quilibet prout pertineret, cassent, revocent, & annullent omnes citationes, monitiones, excommunicationes, aggravationes, declarationes, & alios processus, & censuras factas occasione canonicatus & præbendæ. Convenatum contentiosarum in eadem Curia inter Magistrum Bertrandum *Guilhots*, & dictum de Subvilla, contra eumdem *Guilhots*, unà cum inde secutis, & sibi concedant, tradant, & deliberent suis expens. absque dilatione beneficium absolutionis à præ-

Suprà Arrest. 3.

dictis excommunicationibus, & censuris quibuscumque, contra ipsum occasione prædicta declaratis, & prolatis quovismodo, & cancellent ac radant, & lacerent de registris excommunicatorum in quibus fuit registratus: & publicent, & denuntient ipsum absolutum, vel præmissa fieri faciant cum effectu, dilatione cessante: compellendo videlicet gentes Ecclesiasticas per prisionem, & detentionem suæ temporalitatis, & bonorum temporalium ad manum regiam, & etiam per prisiam, & arrestationem dictarum Literarum citationum, monitionum, excommunicationum, aliarum censurarum Ecclesiasticarum, & portitorum earumdem, & per aprisionamentum dictorum portitorum, si opus sit: & per omnes alias vias, & cætera, ac inhibendo ne idem *Guilhots* super eorumdem Canonicatus, & præbendæ petitorio Romæ nec alibi citaretur, aut conveniretur, & quod prædictus de Subvilla caperetur ad corpus, & si apprehendi non posset ipse, & supradictus de Liscio * vicegerens Dominicus Abbas Fuxensis, & Naynerii Procurator fiscalis adjornarentur personaliter in Curia sub pœna banni à præsenti regno.

* *Liscio.*] Quamvis Cardinalis & Legatus de latere, & gubernator prat. favore regio nixus ausus fuerit simile Arrestum Senatus Parisiensis convellere, & sono tubæ Aurelius abusivum declarare, & malè.

Avenioni no. pro authoritate Senatus quamquam Antonius à

Et deinde die vigesimatertia Februarii, fuit quasi pronuntiatum simile Arrestum virtute quatuor defectuum contra Magistrum Christoforum *de Ridone*, ad causam operariæ Ruthinensis, & die prædicta 23. Februarii, in simili casu fuit condemnatus ad emendam * honorabilem quidam Magister Petrus *Mesnier* Notarius Apostolicus ad petendam veniam, &c. & in emenda utili ad decem libras Turon. Capellæ Palatii: & die prædicta fecit prædictam emendam: & revocavit omnia per ipsum facta.

* *Emendâ*] Vide in commentar. dictum Henri. II. contra parvas datas. §. 4. glo. 3. nu. 3. & in cod. Arrest. 60. 65. C. M.

LVI.

Item die quarta mensis Aprilis, Curia prohibuit Locumtenenti Seneschalli: & in personam ejusdem Locumtenentem eidem Seneschallix & interciperent aliquam Curiam, vel cognitionem de clericis familiaribus, & servitoribus * Præsidentium, & consiliariorum Curiæ. Sed si quas informationes haberent contra ipsos, illas penes Curiam ponerent. Et quando de cætero querelæ venirent apud eos, quod facerent, vel fieri facerent informationes, & afferrent penes Curiam pro debita justitia ministranda.

* *Servitoribus.*] Hoc iniquum est, nec Parisiis observatur. C. M.

LVII.

Item die 2. Maii, fuit ordinatum quod officiarii Papæ in Avenione, & alii non subjecti Regis requirerentur ad executioni demandari faciendum Literas regias per Curiam concessas ad requestam fratris *Imbert* Bernardi Canonici Nemausensis, & se dicentis præcentorem ejusdem Ecclesiæ, ad faciendum præceptum fratri Petro Alberti Officiali Avenionensi patti adversę dicti Bernardi tangendo dictam præcentoriam: super cujus possessorio processus in Curia pendebat: ut idem Bernardus absolveretur ad cautelam à sententia, seu sententiis excommunicationum: quibus ad requestam ejusdem Alberti detinebatur, & ipsum ad hoc compellendum per captionem, & detentionem sui temporalis: & ad ipsum Albertum personaliter adjornandũ in Curia, attentis requisitionibus aliis requireretur sub comminatione marchæ, & represaliarum: aut quod ut præmissa fiant, & compleantur, dent licentiam, consilium, & juvamentum offerendo officiarios Regis pro ipsis in tali, aut majori casu tantumdem in facturos: alioquin in eorum negligentia, vel defectu procederetur ad executionem dictæ marchæ.

LVIII.

Ordinatio Curiæ, quòd sigillũ Cancellariæ non transferatur à loco, ubi sedet Curia.

Item die decimaquinta Junii fuit per Curiam ordinatum quod sigillum Cancellariæ non transferretur à loco ubi Curia sederet : & pro significando præmissa Episcopo Vaurensi fuerunt per Curiam deputati Magister Petrus *Sarrat* , & Albertus *Malemfant*. Deinde 22. Junii propter querelas partium in Curia prosequentium ad causam absentiæ sigilli Cancellariæ, ordinavit Curia quod absentia prædicta , durante appunctamenta, Arresta , & aliæ provisiones quæ herent per Curiam , sigillarent sigillo secreto ejusdem Curiæ, & fierent Literæ sub nomine , Ludovicus.

LIX.

Item nota quod hujusmodi Parlamentum prorogatum fuit per Curiam , & tentum usque ad quintam Novembris ex certis causis Curiam ipsam moventibus, & die 12. Octobris præcedent. fuerunt Arresta prolata : die verò decimatertia ejusdem mensis Curia ordinavit , quòd de cætero quando per Arrestum , & relatio facta fuerit per aliquem ex consiliariis ejusdem Curiæ , partes in factis contrariis fuerint appunctatæ , si inquesta fiat sedente Parlamento , & ante distributionem inquestarum, fiet per relatorem , & respectu factorum novorum , & aliarum quarumcumque commissionum , quando fuerit habitus reportatus factus per aliquem ex consiliariis , tales commissiones erunt ipsius relatoris * sed respectu aliarum quæ venient per aliam viam quàm sicut prædictum est : & non cadent in distributione communi: tales distribuentur arbitrio præsidentium.

Relatoris] Id est ipse testes examinabit , & non alius etiam à Curia deputatus , nisi eo recusante, C. M.

LX.

Item in Parlamento incœpto anno 1465. septimo Decembris , Curia condemnavit Dominum Geraldum Martini Presbyterum ad faciendum in Curia emendam honorabilem januis clausis Magistro Antonio de Morthone Procuratori generali regio , suo proprio nomine actori in materia injuriarum , dicendo quod stultè , & indiscretè tanquam malè consultus , & advisatus scripsit, aut scribi fecit in quadam requesta per eum Curiæ tradita, verba sequentia : Videlicet , *Ledit Sardon par le moyen de Monseigneur le Procureur du Roy , duquel iceluy Sardon est serviteur & familier , & auquel icelluy Sardon a fait beaucoup de dons, tant en draps qu'autres choses , a donné en fait donner audit suppliant grandes vexations , en le menaçant toûjours de le faire mettre en la Conciergerie , s'il ne luy resignoit ledit Prieuré : au moyen desquelles vexations , & aussi à cause que mondit Seigneur le Procureur a sollicité maintesfois ledit suppliant qu'il resignast ledit Prieuré à un sien nepveu , en luy disant que si ainsi le faisoit , il feroit que ledit Sardon ne diroit mot. Et pource icelny suppliant pour éviter icelles vexations induës , a esté maintesfois en traité d'accorder avec ledit Sardon , qui en fit plusieurs scedules & articles , desquelles aucunes sont cy-attachées. Et pource que ledit suppliant* (prius habito consilio *de ses amys*) *n'a voulu condescendre à la volonté desordonnée de mondit Seigneur le Procureur , ne dudit Sardon , qui tendent à une fin , en est venu en cette ville pour avoir expedition de ledit procés. Ledit Procureur & Sardon en perseverant toûjours en leur damnée intention , afin que par crainte ou doute de prison ledit suppliant fasse ce que ledit Procureur & Sardon voudront : ledit Procureur puis deux jours en ça , & sans ledit Rosere (qui est la partie principale , laquelle chose est bien à noter) a fait certaine requeste en jugement. C'est à sçavoir que ledit suppliant fust remis en la Conciergerie selon certain appointement fait* , &c. Et etiam dicendo quòd stultè , & indiscretè tradidit dictam requestam , & in eadem contenta advoavit , quodque pœnitebat eum : & veniam Regi, Curiæ , & Procuratori prædicto requirebat absolvendo ipsum ab aliis petitionibus , & conclusionibus in judicio fuere præsentes *Consinier* , Præsidens *du Vergier* , & alii consiliarii usque ad n. 14.

LXI.

Arrestum pro executoribus testamenti cujusdam Cardinalis defuncti: adde Berrachi, tractat. de Epitc. part. 4. q. 3.

Item in eodem Parlamento die 23 Julii dictum fuit, quod executores testamenti defuncti Cardinalis de Alebreto gauderent fructibus , reditibus , & emolumentis Abbatiæ de Sercinio per tempus declaratum in Bullis super hoc eidem Cardinali concessis per Papam, non obstantibus ex adverso propositis per novum Abbatem , cujus tamen consensus super hoc interveniisse dicebatur : & prolatum fuit Arrestum die 13. Septembris , fuit protractum Parlamentum quoad Præsidentem in camera usque ad 24. Septembris.

LXII.

Item in Parlamento incœpto anno 1466. die octava Februarii , Curia ob defectum garnisionis , vel consignationis in manu ejusdem Curiæ , de summa cent. lib. de quo erat quæstio in eadem Curia condemnavit Joannem *Guitier* defensorem , erga Nicolaum Batraferii, ad eidem reddendum pagiandum , & solvendum * prædictam summam , unà cum expensis.

Tu vide ad propositum eorum quæ hîc dicuntur, quod no. infrà parte 2. in titu. de offic. Præsiden. & Consil. Curiæ Parlamenti in ordi. Philippi.

* *Solvendum*] Quod durũ est, & corrigendum : ut dixi supr. in tit. request. cap. 10. C. M.

LXIII.

Item die 6. Aprii. in eodem Parlamento Curia deliberavit quod cætero aliquis Præsidens , vel consiliarius Curiæ Parlament. Parisiùs non reciperetur in præsenti Curia, in consiliis , nec assistibus ipsius actibus , donec illi de jam dicto Parlamento Parisius ex parte sui obtemperarnet Literis regiis , per quas fuit ordinatum, quòd consiliarii alterius curiarum prædictarum in illa * reciperentur , si reperirentur ibidem.

* *Illa.*] Id est altera , vice mutua. Ita tamen , ut consiliarii Parlamenti Paris. [utpote non totum tempore : sed etiã dignitate, & auctoritate potiores] antecedant & potiores, sint. C. M.

LXIV.

Item in eo Parlamento 15. Maii postea quàm per dominum Ludovicum Marchionem Saluciarum , Magistrum Petrum *Pigranti* , Magistrum requestarum hospitii regis , dominum Remigium *de Marinont.* militem gubernatorem Montispessulani Joannem *de la Gardete* scutiferum Magistrum hospitii Regis, Magistrum *David* Chambellanum, Petrum *Penigaut*, Viguerium Bicterris , & Magistrum Petrum *Garnier*, Commissarios deputatos , & per Regem missos pro causis , & rationibus infrà scriptis , fuerint exhibitæ, & postea lectæ in eadem Curia certę Literę regię patentes per quas Rex cum pro certis rationibus & causis ad hoc eum moventibus , mandasset apud se venire Magistrum Henricum *de Marle*, primum Præsidentem in eadem Curia : & ordinasset quòd Magister Joannes de Viridario , & etiam Præsidens in eadem Curia iret in ambasiatam in regno Hispaniæ : & ex certis etiam causis ordinasset idem Rex venire versus eum in persona , vel in magno consilio tres , vel quatuor ex aliis consiliariis in eadem Curia pro eis dicendo , & remonstrando aliquas res quare forent in nimium pauco numero ad tenendam prædictam Curiam : quamobrem ut etiam aliis attentis remonstrationibus eidem factis pro bono patriæ linguæ Occitanæ ex deliberatione dominorum sui sanguinis , & gentium magni consilii , ordinavit quod dicta Curia cessaret , & vacaret usque ad sui beneplacitum : Curia habita super his deliberatione dictis mandatis obediendo , deliberavit cessare , & vacare secundum tenorem prædictarum Literarum,

deinde ex ipsius regia ordinatione in Festo beati Martini sequenti sedit apud Montempessulanum.

LXV.

Vide notabile Arrest. ubi damnatur quidam Presbyter facere emendã honorabilem.

Item in Parlamento apud Montempessulanum sedente die 13. Aprilis, inter Magistrum Antonium *de Marthone*, & Procuratorem regium generalem secum adjunctum actores in casu excessuum : & dominum Guillelmum Joannis Presbyterum defensorem in dicto casu, dictum fuit quòd pro casibus privilegiatis, excessibus, inobedientiis, & abusibus factis, commissis, & perpetratis per dictum defensorem, idem defensor emendaret honorabiliter, & utiliter, & condemnavit eum Curia pro emenda honorabili ad clamandum veniam publicè in parqueto Curiæ Regis in personam sui Procuratoris, & hoc duobus genibus flexis, capite discooperto, dicendo quòd falsè & malè detinuerat Literas regias, & juraverat, & blasphemaverat nomen Dei, ac se irruerat contra servientem regium executorem dictarum Literarum, & quòd ipsum pœnitebat, & requirebat veniam Deo, Regi & justitiæ, & pro emenda utili, attenta defensoris paupertate in x. libras Turonenses erga Regem, & beneficio procuratoris in quinque libras Turonenses pro emenda erga dictum servientem, & in expensis factis ad causam prosecutionis hujusmodi causæ talibus, sicut fuerit rationis erga dictum *de Marthone*.

LXVI.

Imponitur finis Parl. propter epidimiam.

Item deinde 13. mensis Augusti prolatis Arrestis ac lectis ordinationibus per quas concessi fuerant defectus, & congedia præsentatis contra non præsentatos: Curia ad causam dubii temporis dispositi valdè ad epidimiam, & alias infirmitates in prædicta villa Montispessulani imposuit finem Parlamento prædicto, salvo ad providendum prisionariis, & procedendum in levibus, prout est & fuit postea processum per Præsidentem in Camera.

Item in Parlamento incœpto apud Montempessulanum anno Domini 1468. die 23. Martii præsentatis per judicem majorem Tholosæ literis, per quas Rex ordinabat Curiam transferri Tholosæ, Curia ordinavit quod teneretur Tholosæ: ad quod faciendum assignavit ad 17. mensis Aprilis sequentis.

LXVII.

Item die 11. Septembris in eodem Parlamento Tholosæ Bertrandus de Atrigalupa, ad causam homicidii per eum insidiosè perpetrati in personam Magistri Raymundi Joannis Advocati in eadem Curia, licet allegaret se clericum solutum : dictum fuit tam per clericos quàm laicos Præsidentes, & consiliarios, quòd nullus ad clericaturam prædictam respectus haberetur, etiamsi de illo constaret, & quod non gauderet privilegio clericali * & deinde per laicos fuit condemnatus ad mortem : postea prolatis Arrestis die 16. Septebris. Deinde protractum fuit Parlamentum usque ad 20. ejusdem mensis quo tempore fuit processum per Præsidentes in Camera.

* *Clericali.*] Idem simili Arresto Parisi. Io. Gal. suprà q. 351. ubi dixi. C. M.

LXVIII.

* *Consiliarii.*] Scilicet in genere non in tit. officii, sed qui ut honorate in sedem admittuntur etiam Parisiis à Senatu. Secus de Episcopis, & Prælatis, qui non solum in genere, sed specialiter, & actu sunt Consiliarii, & de corpore Curiæ, ut Parisiis omnes Ecclesiastici pares Franciæ, & Episcopus Parisien. & Abbas S. Dionysii, qui vocem etiam judicativam habent in Senatu, & sunt consiliarii nati ratione dignitatis, quàvis actu non habeant vocem, nisi sint ætatis, doctrinæ, & experientiæ requisitæ, & prius examinati, & Sacramento astricti in eadem Curia ante 20. annos, vide Reverendi Michaëlem *Boudet* Episcopum, & Ducem Lingonensem egregiam, & sinceram in hoc Senatu navare operam. C. M.

Item in Parlamento incœpto anno Domini 1469. Januarii, Curia ex certis causis eam ad hoc moventibus ordinavit, quòd Episcopi, & alii Prælati quamvis essent consiliarii * regii in eadem Curia, vel Parisiùs, nec alii quicumque de cætero reciperentur, nec essent præsentes in consiliis, & deliberationibus in ea fiendis.

LXIX.

Item die 20. Martii in eod. Parlam. inter Petrum *Gentiam* scutiferum, & Magistrum Carolum *de Marsigni* judicem appellationum Tholos. supplicantes, & actores ex una parte : & dominum Joannem Episcopum Vaurensem defensorem : dictum fuit quod idem defensor revocaret, vel faceret revocari omnes monitiones generales, censuras Ecclesiasticas, & fulminationes ad sui requestam factas ratione bonorum successionis defuncti domini Joannis *Gentiam*, vita sibi Comite, Episcopi Vaurensis ultimo defuncti: de quibus erat in eadem Curia inter partes quæstio, & traderet, seu tradi faceret absolutionem à prædictis censuris, & fulminationibus dictis supplicantibus, & omnibus aliis tenentibus, vel habentibus pro & nomine dictorum actorum aliquid de bonis prædictis, & hoc totum expensis ejusdem defendentis, & ad hoc compelleretur idem defensor per prisiam, & detentionem sui temporalis in manu Regis, & per alias vias, & modos debitos, & rationabiles, de habendo Literas revocatorias, & absolutorias à prædictis monitionibus, censuris & fulminationibus, & penes Curiam afferendo Curia eidem defensori dedit terminum trium mensium, & condemnavit ipsum defendentem in expensis instantiæ prædictæ.

Item die 10. Julii vacavit Curia propter solemnitatem factam Tholosæ ad causam nativitatis domini Delphini domini Caroli filii primogeniti Regis: qui natus fuit die veneris 29. Junii novissimè præteriti anni Dom. 1470. qui fuit dies festus beatorum Petri & Pauli, & hoc circa mediam noctem inter diem veneris & sabbati.

LXX.

Item die 13. Augusti in eod. Parlamento in causa Magistri Antonii *de Marthone* impetrantis, contra dominum Antonium Alemandi Episcopum Cathurcensem : inter alia fuit idem Episcopus (quia contra inhibitiones factas per Curiam fecerat) declaratus incurrisse pœnam 7. millium librarum Turon. quæ fuit per Curiam moderata ad 2. mille lib. Turon. de quibus 500. fuerunt applicatæ reparationi pontis Tholosæ, & mille libræ reparationi Palatii ejusdem villæ.

LXXI.

Item 22. die Augusti Curia habita super hoc, deliberatione ordinavit per edictum, quod de cætero non reciperentur per eamdem Curiam in Præsidentes, Consiliarios, Grapharium, Advocatum, & Procuratorem regium extraordinariè in eadem Curia. Et die 30. Augusti declaravit onus levandi, &, colligendi requestas in eadem Curia non esse officium : & ordinavit quòd de cætero partes, vel eorum procuratores, vel alii quibus pertineret, levarent, aut levari, aut custodiri facerent per illum, vel illos quos sibi bonum viderent: & prolatum fuit Arrestum die 13. Septembris : Præsidentes in Camera tenuerunt usque ad 20. Octobris Parlamentum.

LXXII.

Item in Parlamento incœpto anno 1474. 11. Julii habita super hoc deliberatione, Curia ordinavit quòd quando aliquis Præsidens & consiliarius ejusdem Curiæ erit recusatus, & allegatus suspectus, & causa recusationis per Curiam admissa fuerit in aliqua causa, quando in audientia ejusdem Curiæ incipiet litigari causa prædicta, præfatus Præsidens, vel consiliarius, si sit in sedibus, descendere tenebitur, & exire cameram prædictæ Curiæ, nisi velit sese partem formatam

oſtendere: quo caſu tenebitur ſe tenere prope Advocatum partis quam ſuſtinebit.

* *Clericus.*] Contrariũ & meritò ſervatur in Senatu Pariſienſi, ubi ſoli laici ſunt Præſides, & in abſentia Præſidum Senatus, non antiquior, ſi eſt clericus, ſed laicus antiquior præſidet: & benè, quia ut ſuprà dixi parte 1. Milites primores erunt, quorum clerici, id eſt literati, qui ſic vulgo vocabantur (non Eccleſiaſtici, qui nulli in Senatu erant) aſſeclæ tanctũ erant. facit ſuprà eod. Arreſto 31. quod huic contrarium videtur. C. M.

LXXIII.

Item in Parlamento incœpto anno 1471. duodecima Novembris, fuit per Curiam concluſum quod in abſentia Præſidentium Magiſter Ægidius *le Lajeur* primus conſiliarius Clericus * & Præſidens inqueſtarum præſideret, & portaret vocem in eadem Curia, & die 26. ejuſdem menſis fuit ordinatum, quòd in abſentia dictorum Præſidentium Arreſta, & appunctamenta Curiæ pronuntiarentur per grapharium ejuſdem. Et die 8. Junii Curia conſiderans indiſpoſitionem temporis, epidimia currente in villa Tholoſæ, & aliis rationibus ad hoc eam moventibus, concluſit quòd iret apud montem Albanum 16. ejuſdem menſis, & ibi continuaret Parlamentum, durante periculo epidimiæ, donec per Regem, vel Curiam fuiſſet aliter ordinatum. Et quia ibidem ſupervenit epidimia, ſe contulit Albiam, & ibidem ſedit 27. Julii, ſed propter deceſſum aliquorum ex morbo epidimiæ, ſe contulit ad regale in montem. Et ibidem ſedit 1. Auguſti, & continuavit uſque ad 12. Septembris: & fuit deliberatum quod Præſidentes & conſiliarii, & alii officiarii congregarentur in eadem villa, & 15. Octobris cauſa deliberandi, ubi ſederet proximum Parlamentum.

LXXIV.

Item in Parlamento anno Dom. 1493. in vigilia Purificationis B. Mariæ Virginis, cum ſoror Joanna de Cardeliaco Abbatiſſa Monaſterii veteris muri in manibus Papæ dictam Abbatiam in favorem Catharinæ ſuæ ſororis renuntiaſſet, & eidem Catharinæ de prædicta Abbatia per antedictam renuntiationem vacante, Papa providiſſet, & per aliam Bullam eiſdem datam dictæ Catharinæ conſenſu, ipſa reſervaſſet eidem Joannæ renuntianti omnes fructus Abbatiæ ac omnem juriſdictionem, & correctionem, ac cæteras præeminentias exerceri ſolitas per Abbatiſſam cum regreſſu ad eamdem Abbatiam cedente, vel decedente prædicta Catharina, poſtmodum certæ ejuſdem Monaſterii moniales de præmiſſis certioratæ, & ob hoc adhuc eamdem Abbatiam prædictam per renuntiationem vacare prætendentes quamdam ſororem Irſandam de Lauritio eligunt, ortaque poſtea lite inter eamdem Joannam, & Irſandam electam ſe dicentem à duplo majori parte (& ſic adminiſtrare poſſe de jure *) actricem, & conquerentem in caſu ſaiſinæ, & novitatis ex una parte, & dictas Joannam, & Catharinam opponentes: Partibus tandem auditis, viſaque Bulla dictæ reſervationis omnium fructuum loco penſionis, & regreſſus per Arreſtum Curiæ ob hoc in totum * in proceſſus judicatione congregatæ ad dictam Bullam reſervationis, & regreſſus reſpectum non habendo, fuit dicta Catharina * manutenta diffinitivè: quia prædicta electio non valebat, &c. Quod Arreſtum omnino deſtruit ſimiles reſervationes omnium fructuum, & regreſſus quæ his temporibus contra ſacra Concilia, & ordinationes regias à multis obtinebantur.

* Jure indemnitatis, § de elect. in 6. C. M.

* Totum id eſt omnibus claſſibus congregatis. C. M.

* Catherina, videtur error librarii, & legendum Irſanda, & mox ibi electio non valebat, delenda negativa. Tam quia aliàs hoc Arreſtum eſſet contra Concilium Baſilienſe jam receptum. Tam quia eſſet contra plura Arreſta etiam Pariſiis lata ut 19. Aprilis anno 1496. poſt Paſcha; quod extat nu. 192. parte 4. in veteri compilatione hujus ſtili, & repoſui infrà parte ſequenti nu. 15. Tam quia aliàs ratio hic addita ibi quod Arreſtum eſſet repugnans. C. M.

Hîc finitur ſexta Pars.

INCIPIT SEPTIMA ET VLTIMA

PARS TOTIVS HVIVS TRACTATVS CONTINENS multa antiqua, deinde recentiora quædam, & summe notanda judicia, & Arresta supremæ hujus, & primariæ Francorum, Pariumque Franciæ Parisiensis Curiæ, seorsum suo ordine secundùm seriem temporis locata, mendisque purgata cum brevibus, & utilibus notulis Doctoris Caroli Molinæi in eadem Curia Advocati Franciæ, & Germaniæ Iureconsulti, juris praxisque consultissimi.

ARRESTVM PRIMVM HVJVS COLLECTIONIS.

I.

ANno Domini 1277. Parisius * fuit factum edictum * seu Arrestum hujus tenoris. Querelæ de novis dissaisinis, quòd non veniant in Parlamento, sed quilibet Baillivus in Baillivia sua, vel Seneschallus in Seneschallia sua, vocatis secum bonis viris, adeat locum debati, & sine strepitu sciat, si sit nova dissaisina, seu impedimentum, & turbatio: & si invenerit ita esse, statim faciat ressaisiri locum, & accipiat in manu Regis, & postea faciat jus partibus.

* *Parisius.* Locus olim exprimebatur antequam ea Curiam fixam, & perpetuam sedem haberet in ipso regni capite Parisiis, quod factum est anno 1315. sub. Lud. Hutteno. C. M.

II.

Item dictum fuit permittendum esse Episcopo Tholosano clericos * modo licito in viis, & in plateis capere: & in domibus, dummodò fiat ex permissione dominorum ipsarum domorum.

* *Edictum.*] Quod etiam habetur supra par. 3. tit. 22. §. 2. C. M.

III.

Item injunctum fuit omnibus Seneschallis, ut si clerici arma portantes inveniantur in jurisdictione Regis, quòd arma eis auferantur: nec restituantur eisdem, & requirantur eorum Prælati, ut Regi faciant emendari: quod si facere neglexerint clerici, ad emendam per bonorum temporalium captionem compellantur.

* *Clericos.*] Etiam ratione jurisdictionis spiritualis, ut supra par. 3. tit. 35 §. 2. sed exolevit, ut ibi dixi. C. M.

IV.

Item injunctum est omnibus Seneschallis, quòd si familiares, vel officiarii Prælatorum portant arma pro justitiandis suis subditis, seu capiendis in terris ejus, ratione armorum, vel aggressionis itineris, aut casus consimilis, qui non recipiat dilationem, quòd non impedientur officiales prædicti. Si autem pro factis aliis, in quibus dilatio non sit adeò periculosa, velint arma deferre, adeant Seneschallum, & exponant ei factum, & petita & obtenta licentia portandi arma, impunè poterunt arma deferre ob justitiandum subditos, si eorum rebellio hoc exposcat.

V.

Item injunctum est omnibus Seneschallis, ut si aliquæ literæ regiæ eis præsentarentur, quæ contra rationem eis viderentur, vel contra ordinationem Curiæ, vel Arresta Magistrorum, quòd non statim pareant eis. Sed per eos Rex consulatur: & inter ea conventa in Literis remaneant in suspenso.

VI.

Item dictum fuit quòd requireretur Episcopus Tholosanus, quòd ter moneat clericos artem mercantiam exercentes per competentia intervalla, ut sæcularibus negotiis, & turpibus quæstibus se non immisceant: alioquin eos ex tunc ulterius non defendat. Et si Episcopus hoc facere noluerit, faciat Vicarius * Tholosanus. Tales clericos coram se, ut consuevit respondere. Et si per dictum Episcopum moniti à dictis sæcularibus negotiis, & turpibus non quæstibus desiterint, non permittet, ut privilegio suo: alioquin faciet vicarius prædictus, uti facere consuevit.

* *Vicarius.*] Qui erat judex sæcularis ordinarius primæ instantiæ, ut patet infrà eo nu. 7. 7. usque nu. 14. nu. 19. 20. 24. Consules etiam urbis Tholosanæ certam jurisdictionem habebant, & magni authoritatem, ut patet infrà eo nu. 23. 24. 25. C. M.

VII.

Item per Petrum de Capella, & Magistrum Ægidium Cameli clericos * regios in Festo Beatorum Gervasii, & Prothasii anno Dom. 1290. prolatum fuit Arrestum Parisiis, per quod injunctum fuit Vicario Tholosæ quòd sententiæ Consulum Tholosæ latæ contra Arnaldum de Collaco, qui tunc se clericum asserebat, adhæreret quantum ad bona, donec vocato Procuratore regio, & plenè auditis, & intellectis ejus rationibus contra clericatum seu tonsuram dicti Arnaldi se clericum asserentem, pronuntiatum fuerit super clericatu. Et tunc si à pronuntiatione tanquam ab injusta Procurator regius crediderit appellandum, hoc sibi liceat, & appellatione pendente, nihil innovetur omnino: consilium est, quod si aliquis delinquens deprehendatur in præsenti forefacto extra habitum clericalem, quod licitum est potestati deprehendenti ipsam, sæcularem justitiam in eum exercere. Si verò fuerit deprehensus in habitu clericali, & referatur quæstio de clericatu, relinquatur Episcopo cognitio: nec in quæstione criminis habebit vocare Procuratorem regium, licet ejus interesse posset propter immobilia, quæ possunt cadere in commissum: verumtamen si de collusione timeatur, gentes regiæ poterunt adesse, si velint: non tamen ut pars, sed tanquam illi quorum interest, ne fiat collusio, & potest appellare Procurator regius ab illa sententia, quæ prima facie præsumitur ex præmissis per collusionem lata: & hoc nedum propter interesse bonorum, sed etiam propter interesse publicæ vindictæ. Et maximè si delictum est perpetratum in personam jurisdictioni Regis subjectam. Si verò de clericatu fit quæstio, & non sit persona de qua contenditur, in possessione clericatus, remanebit penes Curiam sæcularem, quousque de ipso clericatu fuerit plenè cognitum, & pronuntiatum. Si verò in possessione fuerit clericatus, penès Episcopum, & donec laicatus (quem poterit movere Procurator regius coram Episcopo, vel ejus officiali) quæstio fuerit terminata, & semper intelligimus quòd in cognitione clericaturæ in omni parte processus Procurator regius vocetur, alioquin sententia super clericatu lata, non valet.

* *Clericos.*] Id est, jurisperitos, qui erant Consiliarii regii in Curia. C. M.

VIII.

Item anno Domini 1290. in Parlamento, Purificatione beatæ Mariæ, fuit declaratum per Curiam, quòd Episcopo * Tholosano non fiebat injuria per Vicarium Tholosanum, qui inhibuerat Notariis regis ne ponerent * juramentum in instrumentis suis, dum tamen contractus seu negotia super quibus erant dicta instrumenta confecta, possent absque juramento subsistere.

* *Episcopo.*] Sed postea an. 1316. mense Augusto, ea civitas erecta est in Archiepiscopalem, à Ioan. XXII. ut in Extravag. communibus, de præben. & dignit. c. 5. C. M.

* *Ponerent.*] Timebant enim ne jurisdictio regia & sæcularis sic absorberetur, per cap. fin. de for. comp in 6. quòd tunc in regno, saltem in patria juris scripti servabatur; sed tandem ea superstitio à toto regno exulavit, quia nedum liber sextus, sed nec decretales vim ullam habent in hoc regno, in præjudicium jurisdictionis temporalis & juriun. C. M.

IX.

Item per Curiam extitit ordinatum, quòd Vicarius Tholosanus, contra illum qui dicitur aliquod crimen commisisse, quem Officialis Episcopi, vel gentes sux dicerent esse Clericum, non constito aliter eidem Vicario, quòd idem criminosus sit Clericus, procedere non desistat; scilicet idem Vicarius Tholosanus, nisi dictus criminosus personaliter * comparens coram ipso Vicario, inventus esset in possessione clericatus: si autem dubium vertatur an sit Clericus, de hoc cognoscet Episcopus.

* *Personaliter.*) Quia Clericus in causa criminali non potest per Procuratorem petere se remitti ad suum Iudicem, vel declinare, quod generaliter observatur. C. M.

Item fuit ordinatum, quòd idem Vicarius desistat procedere & exercere jurisdictionem in Clericos in actionibus criminalibus & personalibus: & fuit inhibitum per Curiam, ne idem Vicarius cognosceret de criminibus Clericorum conjugatorum, seu non conjugatorum, se implicantium negotiis sæcularibus, quæ requirunt pœnam corporalem.

XI.

Item fuit per Curiam declaratum, quòd dictus Vicarius non cognosceret de viribus matrimonii, utrum esset legitimum vel illegitimum; poterit tamen cognoscere utrum aliquis tenuerit vel tenet aliquam pro uxore, & poterit se informare utrùm matrimonium fuerit inter aliquos contractum de facto: & si agatur in judicio possessorio, seu aliquo in quo sufficit probare possessionem matrimonii juxta medium prædictum, dictus Vicarius procedat in dicto negotio, & illud definiat, quantumcumque opponatur exceptio matrimonii illegitimi. Si verò agatur judicio petitorio, & non opponatur dicta exceptio; similiter in dicto negotio procederur. Si verò opponatur dicta exceptio cùm agatur judicio petitorio, * vel aliqua alia civili quæstione, in qua non sufficeret probare possessorium matrimonii, extitit ordinatum, quòd Vicarius non procedat in dicto negotio, quódque de dicta exceptione fuerit cognitum per Curiam dicti Episcopi, ut juris erit.

* *Petitorio.*] Sed hodie servatur quod potest cognoscere, si est quæstio facti. Stephanus Auffrerius, Rep. Clem. . . Reg. 4. fall. 8. de officio ordin. C. M.

XII.

Item pro Procuratore Episcopi Tholosani dictum fuit, quòd Vicarius Tholosæ sententialiter * Clericos absolutos per Episcopum à sibi impositis, non caperet: neque parentibus aut amicis Clericorum prædictorum inhiberet, ne eosdem Clericos in suis hospitiis reciperent, nec alimenta, seu alia eisdem necessaria administrarent; ut sub hujusmodi prætextu, cum eodem Vicario componant, aut tranigant.. in fraudem procuratû quia tunc Iudex secularis cogeretur Ecclesiasticum processum suum edere, ut suprà, part. 5. q. 343. limitat. 2. si esset crimen per se spectans ad se sæcularem, ut suprà, part. 5. q. 319. C. M.

* *Sententialiter.*) Limita. 2. nisi sit judicium collusorium, vel

XIII.

Item dictum fuit quòd idem Vicarius non inhiberet parentibus & amicis Clericorum, ne ipsos recipiant, cùm ipsi Clerici pro criminibus non flagrantibus capti, nolunt fidejubere de parendo juri coram eo, super ipsis criminibus: quódque Vicarius prædictus non audiret confessionem Clericorum per ipsum captorum * ratione ipsorum criminum, sed eos remittere deberet gentibus Episcopi.

* *Captorû.* Hodie non solùm priùs interrogantur, sed etiam jus fit super provisione, si res exigat, & bene. C. M.

XIV.

Item dictum fuit quòd Clerici conjugati vel non conjugati se obligant ad sigillum * domini Regis, super contractibus initis cum mercatoribus, Vicarius non detinebit eós donec satisfecerint mercatoribus antedictis, quódque Clericos per eum captos Episcopo restituat, & non sibiipsi.

* *Sigillum.*] Vide Steph. Auffre. Rep. cle. 1. Reg. 1. fall. 10. de offic. ordin. & ad q. Th 126. C. M.

XV.

Item die 19. mensis Aprilis, anno Domini 1496. post Pascha per Arrestum Curiæ Parlamenti, Parisiùs fuit inhibitum omnibus personis cujuscumque status vel conditionis existerent: ne de cætero impetrarent provisiones & Bullas Apostolicas, continentes reservationem omnium fructuum, & regressum, tanquam contrariantes & derogantes sanctis Decretis, Ordinationibus regiis, & pragmaticæ sanctioni. Sub pœna cadendi ab effectu illarum, & emendæ arbitrariæ. Occasionem hujus Ordinationis præbuit defunctus Magister Jo. de Stagno, qui Camerariæ Lugdunensi renuntiaverat modo & forma prædicta, in favorem Magistri Francisci de Stagno nepotis sui.

XVI.

Item in causa mota in eadem Curia, inter dominum Andream *d'Espinay*, Cardinalem Burdigalensem se dicentem Archiepiscopum Lugduni, aliàs appellatum, ex una parte. Et dominum Hugonem *de Talaru*, se dicentem electum ad Archiepiscopatum prædictum, ac Decanum & Capitulum Ecclesiæ Lugdunensis, adjornatos, & aliàs appellantes ab executione dictæ querimoniæ, die 21. mensis Iulii, anno Domini 1490. dictum fuit quòd appellatione prædicta annullata, Curia permittebat ac permisit partibus antedictis, prosequi confirmationem vel infirmationem electionis prætensæ per dictos *de Talaru*, Decanum & Capitulum, in Archiepiscopum Lugdunensem, coram domino nostro Papa, ut per eum vel ejus commissos cognoscatur, decidatur, determinetur, & procedatur, sicut rationis fuerit, secundùm sacra Concilia, & dispositionem juris communis.

Et ideò * factum fuit, quia idem Archiepiscopus Lugdunensis non recognoscit superiorem nisi Papam.

* *Et ideo.*] Hæc additio nihil valet, quia Archiepiscopus Lugdunensis non minùs subest Regi & Curiæ Parlamenti, quàm Episcopus Aurelianensis. Sed vera ratio fuit, quia jure communi & ante concordata, in veré electivis electio non dat jus in re, sed ad rem tantùm: & nihilominùs jus possessionis adipiscendæ, aut administrandi, c. avaritiæ, de elect. in 6. Ideò simplex electus nullo modo potest intentare ullum possessorium, nec esset admissibilis. Ita rectè practicabatur ante concordata, & adhuc post illa, in causis quæ ex antiquo adhuc pendebant, practicari vidi. Et hoc nisi contra impetrantem Papisticum, etiam practextu resignationis in Curia, si possessorium intentaretur per Capitulum, dicem se turbari in possessione eligendi, vel Sede vacante administrandi, quia electus posset se adjungere, non tanquam possessor vel quasi, sed tanquam habens interesse, C. M.

XVII.

Item in causa domini Joannis *de saint Morice*, se dicentis authoritate Apostolica provisum de Episcopatu Cathurcensi, supplicantis ex una parte, & Magistrum Guilermum *de Lusech*, se dicentem electum in Episcopum, & syndicum Capituli Cathurcensis, ex altera, dictum fuit quòd Requesta dicti *de saint Morice* non interinaretur: quinimò esset ab ejus effectu seclusus: quódque nulla sibi fieret permissio de prosequendo dictum *de Lusech* & syndicum, coram Iudicibus per dominum nostrum Papam delegatis, ad cognoscendum de appellatione interjecta per dictum *de saint Morice*, à confirmatione facta per *de Bloix*, *Chevalier*, & *Thulier*, Vicarios in ea parte specialiter per Archiepiscopum Bituricensem deputatos, de persona dicti *de Lusech* electi in Episcopum, & quòd prafati delegati non cognoscerent: & ordinavit Curia quòd Arresta & Provisiones latæ per eam, ratione dicti Episcopatus Cathurcensis, contra dictum *de saint Morice*, realiter executioni demandarentur. Et de facto in eo quod executandum restabat, non obstantibus oppositionibus vel appellationibus factis vel fiendis. Et absque illarum prajudicio quibus executatis: & postquàm idem *de saint Morice* certificasset Curiam de præmissis, & in manibus Grapharii consignasset summam 300. lib. 16. sol. Parisien. ad quam taxatæ fuerunt expensæ factæ per dominũ *de Lusech*, & syndicum in prosecutione dictorum Arrestorum, & illorum executione, in quibus expensis condemnatus extitit die ultima mensis Aprilis, anno Domini 1496. idem *de saint Morice* posset, si bonum sibi videretur prosequi prædictam appellationem per eum interjectam à Vicariis prædictis, coram aliis Vicariis per dictum Archiepiscopum Bituricensem * specialiter deputandis & delegandis, super prædicta causa appellationis, non suspectis neque favorabilibus alicui partium. Qui quidem Archiepiscopus ad hoc compelleretur per prisiam suæ temporalitatis, aliasque vias debitas & rationabiles, non obstantibus oppositionibus vel appellationibus quibuscunque. Pronuntiatum 8. Iulii, anno Dom. 1472.

* *Bituricensem*] Iuxta Decretum de causis, & de appellation. in Concilio Basilien. & pragm. C. M.

XVIII.

Item per Arrestum prædictæ Curiæ, virtute unius defectus talis, fuit adjudicata utilitas domino Matthæo de Artigalupa, electum se dicenti in Episcopum Appennarum, à syndico Capituli, sede vacante, quòd dominus Paschalis de Furno, provisum se dicens de Episcopatu, deficiens omnes censuras & procelluras, tam Curiæ Romæ, quàm alterius jurisdictionis Ecclesiasticæ, in ipsius defensoris favorem, ad ejúsque prosecutionem & requestam, contra prædictum electum se dicentem: & alias gentes dictæ Ecclesiæ Appennarum factas, suis propriis constitibus & expensis revocari, cassari & annullari faceret. Et etiam absolutionem ab excommunicationibus & censuris, in quibus dictus Artigalupa, & alii dictæ Ecclesiæ Appennarum medio certorum Brevium seu Brevetorum, per summum Pontificem, in favorem prædicti Paschalis supradicti de Artigalupa, & aliis dictæ Ecclesiæ transmissorum incurrisse possent, suis etiam constibus & expensis haberi & obtineri faceret, secundùm tenorem appunctamentorum inter dictas partes, tam in Parlamento Tholosæ, quàm in dicta Curia Parisiùs datorum, ordinando quòd ad hoc patiendum & faciendum, dictus defensor per captionem sui corporis, si apprehendi possit (extra tamen loca sacra) suorumque bonorum & temporalitatis compelleretur. Et nihilominùs eò quod dictus defensor, supradictis appunctamentis, tam dicti nostri Parlamenti Tholosæ, quàm Curiæ Parlamenti Parisiùs, infra tempus sibi præfixum non fuerat, ipsum Paschalem de Furno videlicet, erga prædictum actorem, in emenda utili 500. libr. Parisiensium, & erga Regem in emenda alia 500. librarum Turonensium, & ad tenendam prisionem firmatam, usque ad præmissorum plenam satisfactionem condemnavit. Et ulteriùs, quòd fieret præceptum ex parte regia, & dictæ Curiæ, Archiepiscopo Tholosano, & aliis quibus deceret, quòd non obstantibus defensionibus & impedimentis ad requestam & prosecutionem dicti de Furno positis, ipsi ad confirmationem vel informationem dictæ electionis procederet, aut pro hoc faciendo vicariatum sufficientem propter hoc traderet. Et quòd ipsi ad hoc faciendum, per captionem suæ temporalitatis, ac omnibus aliis viis, modis, & rationabilibus debitis, quousque obediverint, compellerentur, ordinavit, dictúmque syndicum in possessione & saisina supradicta, Episcopatum, & jura ipsius, sede vacante, administrandi, ac fructus ipsius futuro victori reservandos capiendi & recipiendi, ipsúmque scilicet syndicum defensorem & deficientem in expensis, taxatione earumdem dictæ Curiæ reservata condemnando; defensorem scilicet de Furno manutenuit & reservavit. Pronuntiatum Parisiùs in Parlamento, die 14. mensis Augusti, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto.

XIX.

Dictum fuit quòd Notarius ad crimina deputatus: & sigillator Curiæ Vicarii Tholosæ, ad exercendum ibidem suum officium, cùm eos ratione officii sui abesse contigerit à dicta Curia, & Consulum eundo extra villam, vel aliàs possent a prædictis casibus uti idoneo subsituto. *

* *Substituto.*] Suo periculo. l. ad similitudinem, & ibi Bald. C. de Episc. & Cleric. l. nullus, in fin. l. neminem, & ibi Bart. de Decurion. lib. 10. C. Roman. cons. 197. cons. 338. Carol. Ruin. cons. 161. col. 1. lib. 4. C. M.

XX.

Item dictum fuit, quòd Vicarius & Consules, captos per ipsum Vicarium, & per Episcopum requisitos, si appareant Clerici, vel dubitetur, dum tamen in possessione fuerint clericatus, quòd statim restitueret Officiali Episcopi, vel ejus mandato. Si verò fuerint in possessione laïcatus, vel non apparuerint Clerici, quòd remaneant penes Vicarium & Consules.

XXI.

Item dictum fuit, quòd cognitio certorum hominum de Colomeriis remaneret penès Vicarium; quia dicebantur servientes domini Regis de Placentia vulnerasse: salvo jure domino Regi, & condominis de Colomeriis, super jurisdictione loci prædicti, in aliis casibus contingentibus, ibidem currente lite, marte suo, quæ pendere dicitur super illa.

XXII.

Item dictum fuit, quòd si quis se obligaret ad sigillum Consulum Tholosæ, & renuntiaret appellationi, postposita * obligatione & renuntiatione appellationis, fieret jus per Judicem appellationis. Dictum etiam fuit Vicario, quòd tertiam * appellationem non admitteret: quódque Senescallus refici faceret pontes magis refectione indigentes, prout utilitati publicæ videretur expedire, vocatis aliquibus probis viris villæ Tholosæ, pro communitate prædicta.

* *Postposita.*) C. venientes, ubi omnes Canon. de jurejur. Alberi 2. Italus, q. 194. Roman. l. 15 cujus tenor, num. 6. de aq. plur. arc. & Consuet. pr. C. M.

* *Tertiam*] Quod est juridicum, sed non servatur in foro seculari patriæ consuetudinariæ. C. M.

XXIII.

XXIII.

Item dictum fuit, quòd inhiberetur Baronibus terræ, ne haberent prohibere Notariis in terra sua, ne in instrumentis super contractibus factis, aliqua verba apponant, quibus contrahentes fortiri non possent fórum Tholosæ. Et injunctum fuit Seneschallo, ut si necesse foret, eos ad desistendum à præmissis compelleret.

XXIV.

Item in Parlamento, Pentecost. anno Domini 1279. super eo quòd Consules Tholosæ supplicabant, quòd Vicarius Tholosæ non admitteret indifferenter denuntiationes criminum: & occasione ejusmodi denuntiationis non caperet, nec detineret incarceratos, quandiu parati essent fidejubere, & stare juri, injunctum fuit Vicario, quòd faceret juxta Constitutionem domini Regis, quæ incipit: Sed ne occasione criminis & respectu compositionum quas idem Vicarius à prædictis denuntiatis, ut asserebatur, exigebat; injunctum fuit illi, quòd faceret juxta Constitutionem domini Regis, quæ incipit: Emendas autem.

XXV.

Item dictum fuit quòd crederetur servientibus & apparitoribus, super his quæ faciunt, ut servientes & utentes suo officio. * Super violentiis autem & injuriis quæ eis contingeret inferri, non credatur eis solis, nisi probetur saltem per unum testem. Dictum etiam fuit quòd Consules Tholosæ villam custodiant * prout consueverunt, & nihilominùs Vicarius & Subvicarius, & servientes ipsorum eam custodiant, cùm videbunt expedire.

* *Officio.*) Specul tit. de teste, §. testat. versic. 12. tit. de citat. §. 4. Guido Pap. decis. delphi. 628. Alex. consi. 114. num. 4. lib. 4. con. 75. num. 18. lib. 5. ubi dixi. Philip. decis. c. quoniam contra falsam, num. 21. de probation. ubi dixi latè. do. Andre. Tiraq. proximit. §. 8. glos. 9. num. 16. num. 28. C. M.

* *Custodiant.*) Nicol. Boër. in tract. de custod. cla. civitat.

XXVI.

Sequuntur Judicia, & Arresta expedita in Festo Candelonis, anno Domini 1274.

CUm Dominus Rex, utendo jure suo regio, in principio sui regiminis, post suam coronationem in Abbatia regni sui, de gardia sua existente posset ponere, videlicet in Monasteriis Monachorum unum Monachum, & in Monasteriis Monialium quamdam Monialem. Ac Moniales de Curiaco in Monasterio suo, Abbatissæ regimine destituto, recipere non vellent quamdam domicellam, quam dominus Rex ibi miserat, dicentes quòd Abbatissa carebant. Ordinatum fuit quòd dicta domicella, in dicta Abbatia poneretur, & de bonis ipsius viveret; sed non vestiretur, donec creata esset Abbatissa ibidem.

XXVII.

Recordata fuit Curia, quòd dominus Rex aliàs per judicium obtinuit saisinam * cognitionis novarum dessaisinarum, in terra Comitis Rociati, & domini Cociaci, propter quod Rex in saisina sua remanebit: verum de cognitione Litterarum nihil recordata fuit Curia; sed cùm dominus Rex sit in saisina hujusmodi cognitionis, in saisina sua remanet: hoc salvo quòd liceat eisdem Comiti & domino Cociaci, agere super hoc contra dominum Regem, si velint.

* *Saisinam.*) Id est declaratos fuit esse in quasi possessione cognoscendi per suos Judices. C. M.

XXVIII.

Arrest de monnoye, contre le Duc de Bretagne.

COmes * Britanniæ emendavit hoc, quòd ipse monetam suam (quæ erat de pondere novem solidor.) minoravit, & posuit ad pondus duodecim solidorum, ac injunctum fuit dicto Comiti ut expellat Lombardos de terra sua, juxta Ordinationem domini Regis.

* *Comes.*) Error est, quia hæc minor Britannia nunquam fuit sub Comitibus, sed olim ibi Reges, deinde post tempora Caroli Magni, & stirpis ejus, Duces, qui erant supremi, donec Petrus Drocensis subjecit Ludovico IX. ut sup. part. privil. 11. deinde hîc capitur pondus pro numero, & vox *solidus* non est Latina in hoc significatu, quia non significat hîc numerum 12. nummorum. Sensus est, quòd ubi dux ex lege monetali, non extrahebat de libra argenti, ultrà 108. nummos, cœpit majori pondere æris immisso extrahere 144. nummos, ut si vitiavit extrinsecam bonitatem materiæ de quarta parte: unde mulctatus est, & jussus reparare. Qui volet hæc intelligere, legat Tractatum meum monetarum, Latinum vel Gallicum. C. M.

XXIX.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita Parisiis, in Festo Pentecostes, anno Domini 1275.

COmite Rouciaci supplicante remedium adhiberi, super eo quòd Scabini Laudunenses judicare volebant eum, sicut alios inferiores dictæ terræ: ordinatum fuit per Curiam, & dictum, quòd de forciis & novis dissaisinis, & consimilibus, per dictos Scabinos judicabitur: de honore proprii corporis, & de hereditate sua non judicabitur per eosdem.

XXX.

Contentione mota inter Iniorranum dominum *de Fiefes* militem, ex una parte, & Priorem & Fratres Hospitalis, ex altera, super quadam limitatione olim facta de terra ipsius militis apud *Fiefes*: & de terra Hospitalariorum quam habent ibidem. Auditis hinc inde propositis, & quibusdam testibus receptis, pronuntiatum fuit dictam limitationem, prout olim facta fuerat, esse tenendam. Præterea cùm dictus miles habeat apud *Fiefes* quoddam molendinum, in quo fere omnes dictæ villæ sunt bannarii, exceptis Hospitalariis *de Fiefes*, qui ad usum domus suæ *de Fiefes* ibidem liberè molere consueverunt, injunctum fuit dictis Hospitalariis, ne farinam vel panem de blado, quod in dicto molendino moluerint, ad alia loca, seu ad alias domos suas mittant: de eo tamen poterunt eleemosynas facere in domo sua * *Fiefes*, cùm hujusmodi eleemosynæ inter ea quæ sunt necessaria ad usum dictæ domus, debeant computari.

* *Domo sua.*) Augendo usum domus qui intelligitur concessus secundùm conditionem personæ, l. plenum, §. equitii, de usu & habitat. Ber. Alex. l. 1. in prin. ad leg. falcid. feli. c. caulamque, col. 12. de rescript Roman. cons. C. M.

XXXI.

Non obstantibus propositis: ex parte Præpositi Albiensis, pro Ecclesia Albiensi, contra Sententias latas per Senescallum Carcassonensem, contra cives Albienses, super invasione cum armis facta ab ipsis civibus, in Archidiaconatu Albiensi, pronuntiatum fuit domino Regi super his Curiam * remanere debere, & ad ipsum dominum Regem super invasione prædicta, cognitionem pœnæ imponere, & executionem pertinere.

* *Curiam.*) Id est cognitionem

XXXII.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita in Festo omnium Sanctorum, anno Domini 1275.

De gistе du Roy, où la Reine sa mere a doüaire.

DOmina Regina in dubium revocare volente, quòd dominus Rex ejus filius, in villis doralitii sui, in quibus, dum non sunt in doralitio, consuevit habere gista sua, possit durante dicto doralitio, capere gistum, conquerente specialiter super eo quòd idem dominus Rex, in villa de Sarmesiis, castellaniæ Stampensis, in doralitio suo nuper ceperit gistum suum. Auditis hincinde propositis, pronuntiatum fuit per jus, quòd non obstante quòd dicta villa de Sarmesiis est in doralitio dominæ Reginæ, nihilominùs idem dominus Rex ibidem capere poterit gistum suum, cùm istud jus in ipsam non possit cadere; sed solummodò in Regem, nec in aliquo propter hoc deperit jus Reginæ. *

* *Regina.*) Vera ratio est quia res transit cum onere suo. C. M.

XXXIII.

Comite Donnimartini existente in homagio domini Regis, de terra Yolandæ uxoris suæ, sororis Comitis Drocensis, de terra quam idem Comes Donnimartini & ejus uxor habebant in Comitatu Drocensi, excambium factum fuit inter Comitem Drocensem, ex una parte, & Comitem Donnimartini & ejus uxoris, ex altera, de prædicta terra in Comitatu Drocensi sita, excepta quarta parte Forestæ *de Crotois*, ad tertam quam Comes Drocensis habebat in Caleto, videlicet ad terram sancti Albini, & de Dumo. Baillivo igitur Caleti pro domino Rege petente homagium à Comite Donnimartini de dictis terris, sibi, ut dictum est, in excambium traditis. Pro dictis Comitibus fuit ex adverso propositum, quòd Rex de dictis terris sancti Albini & de Dumo homagium habere non debebat; imò Comes Drocensis eas Comiti Donnimartini per paragium, juxta terræ Consuetudinem, garentire debebat usque ad septimum heredem. Et præterea, in tractatu matrimonii dictæ Yolandæ concessum fuerat, quòd quamcitò Comitissa Drocensis, mater dictæ Yolandæ, quæ dictas terras in dotalitio tenebat, obiisset, dicta Yolanda, pro terra quam habebat in Comitatu Drocensi, terram Caleti habere debebat: quam conditionem Baillivus non recognoscens, asserebat quòd Comes Drocensis dictas terras, per patriæ Consuetudinem, Comiti Donnimartini in paragium non poterat nec debebat garentire, quia suprà nihil retinuerat in Caleto. Auditis hincinde propositis, pronuntiatum fuit quòd Comes Drocensis, de terra sibi dimissa à sorore sua in Comitatu Drocensi, domino Regi homagium facere debebat, & similiter Comes Donnimartini de terris sancti Albini de Dumo, ad domini Regis homagium deveniret: & nihilominùs in homagio domini Regis remaneret, de quarta parte forestæ *de Crotois* prædicta.

XXXIV.

De hommage.

MAthæo Comite Donnimartini viam universæ carnis ingresso, Joannes ejus filius successit eidem, & dedit pro parte sua Magistro Simoni *de Tria* fratri suo, vivarium *de Gouvieux*, cum quibusdam aliis rebus tenendum ab ipso in feudum & homagium ligium: dicto verò Simone de medio sublato, dictum vivarium, cum aliis rebus, ad dictum Comitem devenit ex eschaeta Simonis antedicti; Baillivo igitur Silvanectensi habere volente pro domino Rege, racheturn de dicta eschaeta: & quòd ex ea Comes domino Regi homagium faciat ad intentionem suam, dictum vivarium teneri ad usus & consuetudines Franciæ, proponente, & quòd olim traditum fuerat domino G. de Vernone, in excambium de Vernone, unà cum aliis tenendum * ad usus & consuetudinem Francorum: dicto Comite in contrarium afferente quòd de eodem vivario racherum solvere non debebat, nec ad dominum Regem ex eo devenire, cùm Magister Simon de eo fuisset in homagio ipsius Comitis, & non in homagio domini Regis, & quòd dictum vivarium movebat de credulio. Auditis hincinde propositis, & intellectis quæ nos movere poterant & debebant: pronuntiatum fuit per jus, quòd idem Comes de dicto vivario domino Regi homagium facere, & racherum solvere tenebatur. Et cùm idem Comes proposuisset quòd à domino Rege receptum fuerat ad unum homagium pro omnibus homagiis, declaratum fuit quòd licet ad unum osculum receptus fuisset pro omnibus homagiis, non tamen fuit intentio domini Regis quòd quittaret vel remitteret aliquod homagium ipsi Comiti, & fuit expressè dictum, quòd istud homagium erat novum, de eis quæ dictus Comes domino Regi facere tenebatur.

* *Tenendi.*) Scilicet à Rege, & sic feudum separatum. Nec potuit in præjudicium Regis fieri subfeudum. Tum cùm daretur loco partis hereditariæ Sacerdoti, videtur retentio homagii facta in fraudem futuri relevii, aliàs devoluntaria subintendatione & recuperatione, sine fraude jus deberur, ut dixi in Consuetudinem Parisiensem, §. 35. q. 5. C. M.

Quamvis quis receptus sit ad unum homagium pro omnibus, & ad unum osculum, non tamen quittatur vel remittitur aliquod homagium.

XXXV.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita Parisiis, in Festo Pentecostes, anno Domini 1276.

ORdinatum fuit quòd in ista Curia non fierent publicationes testium * sed coram Baillivis & Præpositis, & coram aliis Justitiariis fiet, prout fuit hactenus consuetum.

* *Testium.*) Nisi in petitorio, ubi fit præjudicium irreparabile, ut suprà, parte 1. Sed tamen non fit, sed pollicitationes habent. C. M.

XXXVI.

Du droit de Bouteiller.

CUm proponeret Buticularius Franciæ contra Abbatem Bonævallis, quòd Abbates regales regni Franciæ, in nova creatione sua, generaliter solvere teneantur ministerialibus de hospitio domini Regis, viginti quinque libras Parisienses, videlicet dapifero decem libras, Buticulario centum solidos, Cambellano centum solidos, & minoribus Cambellanis centum solidos: & ideò quia dictus Abbas est de novo creatus, & est Abbas regalis, & de fundatione regali, peteret pro se & sociis suis, dictum Abbatem condemnari & compelli ad solvendum dictas viginti quinque libras, Procuratore dicti Abbatis dicente, ipsum Abbatem ad hoc non teneri, cùm domino Regi non faciat fidelitatem vel homagium: nec à prædecessoribus suis, quando creati fuerunt in Abbates, dicti denarii aliàs fuerunt soluti. Auditis hincinde propositis, condemnatus fuit dictus Abbas, ad solvendum dictis ministerialibus 25. libras prædictas.

Abbates regales regni Franciæ, in nova creatione sua, tenentur solvere 25. lib. Paris. ministrantibus de domo Regis.

XXXVII.

Templarii ceperant quemdam hominem in habitu sæculari, quem dicebant esse confratrem suum in Justitia domini Regis apud Exolidunum: dictum fuit quòd locum resaisire debebant, & emendare. Item dictum fuit quòd propter defectum * factum à burgensibus *Castrinade*, contra Abbatem & Conventum Dolensem, ipsi burgenses debebant perdere arramenta.

* *Defectum.*) Id est contumaciam.

XXXVIII.

Du renvoy en Bretagne.

CUm Garinus de Bellalanda armiger, fecisset adjornari coram nobis Dolensem Episcopum, super defectu * juris, Procuratore ipsius Episcopi petente remitti ad examen Curiæ Comitis Britanniæ, * dictóque Comite de dicto Episcopo suam Curiam repetente, remissa fuit Curia dicto Comiti de Episcopo prædicto. Majore & juratis Brueriarum, subtùs Laudunum, conquerentibus de Baillivo Viromandensi, quòd contra punctum chartæ suæ communis, idem Baillivus saisinam posuerat, ratione manus mortuæ, in bonis relictis Petri *Lequen*, apud Bruerias defunctæ: dicto Baillivo ex adverso dicente, quòd non tantùm dicta bona ratione manus mortuæ saisiverat; sed pro meurtro quod dicta mulier commisisse dicebatur, visa dicta charta, casu dictæ manus mortuæ ad præsens in suspenso remanente, dictum fuit, quòd Baillivus bona dictæ mulieris, pro forefacto quod sibi imponebatur, caperet, & super his jus faceret cuilibet conquerenti.

* *Defectu.*) Id est denegatione.

* *Britanniæ.*) Videtur esse Episcopatus Dolensis, & intellige de isto Senatu factam remissionem ad dictum Comitē. Loquitur enim hic nomine Regis, ut infrà num. 46. Subjectos bonorum regni potest Rex facere adjornari per Officiarios suos.

XXXIX.

Que le Roy peut faire adjourner par ses Officiers, les subjets des Barons.

SUper eo quòd quidam Baronēs domino Regi supplicabant, quòd homines & subditi sui non adjornarentur coram domino Rege, per gentes Regis, sed potiùs per ipsos: responsum fuit, quòd dominus Rex hoc non faceret, nec hoc tenebatur facere, nisi vellet.

XL.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita in Festo beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Domini 1277.

D'amende des faux monnoyeurs, que le fermier ne doit avoir.

REsponsum fuit per Arrestum, Præpositum Aurelian. firmario, quòd emendas debitas pro facto monetarum prohibitarum habere non debebat. *

* *Debebat.*) Quia est delictum ad cognitionē Regis.

XLI.

D'amende pour inobedience.

EPiscopus Belvacensis emendavit inobedientiam, quam domino Regi fecerat occasione Reginaldi *de Levignen*, quem in prisione tenuerat, postquàm se advoavit ad dominum Regem tanquam hominem de corpore, & postquàm à Baillivio Silvanectensi, tanquam homo de corpore domini Regis fuerat requisitus.

XLII.

De Vente de biens.

PRæceptum fuit per Consilium, Petro de villa Nigon. Baillivo in montanis Alvernix, & si illi quorum animalia ceperat pro conservatione juris domini Regis, eadem ad recredentiam capere noluerint, quòd eadem vendat, fide dignis ad hoc videndum vocatis.

XLIII.

Des draits appartenans au Roy que l'on ne doit recevoir.

CUm Baillivus Silvanectensis occasionaret majorem & juratos Silvanectenses, super eo quòd retinuerant tanquam sibi commissa, bona cujusdam jurati sui, qui per juramentum suum se malè tailliaverat, ipsis majore & juratis dicentibus, quòd hoc facere poterant, per chartam suam: & se super hoc usos esse: visa charta * sua, visis etiam probationibus super dicto usu productis, pronuntiatum fuit per judicium, quòd dicti major & jurati, nec in proprietate, nec in possessione jus habebant retinendi prædicta: & emendaverunt, quòd dicta bona ad jus domini Regis spectantia præsumpserant occupare.

* *Charta.*) Id est pactis fœderis inter plebem & Regem, quæ rune servabantur, hodie longa servitute abolita sunt. Adde super eo num. 381 in 1. tom. Ol. Ms.

XLIV.

D'amende levée pour avoir fiancé une fille de la garde du Roy.

MIles qui vocatur *Galebrun*, qui quamdam domicellam existentem in gardia domini Regis, in manu Baillivi tunc eam tenentis affidavit, cōdemnatus fuit pro facto hujusmodi, nomine emendæ domino Regi, in trecentis libris Turonensibus, & præceptum fuit Baillivo ut eas levaret.

XLV.

D'Amende qui ne se doit payer à Paris sur marchandise, à faute de hanse.

PRæceptum fuit Præpositō Mercatorum Parisiens. ut restitueret cuidam mercatori de Vasconia, qui Parisiōs adduxerat quamdam navem vinis oneratam, quæ crēverant in vineis suis, sexaginta solidos & quatuordecim denarios Parisienses, quos ab ipso levaverant, pro eo quòd non erat hansatus Paris.

Petrus de Tornella de Cahavaco, Bernardus Delcan de Gajaco pro se renuntiaverunt appellationi ab eis ad nos interpositæ, ab audientia Senescballi Vascani, de pravo & falso judicio super confirmatione pacis factæ inter Senescballum Vascanum & cives Burdegalenses, ex una parte, & Archiepiscopum Burdegalensem, Decanum & Capitulum sancti Severini Burdegalis, ex altera fuit dictum, quòd dominus Rex Litteras suas non daret, licet dictam pacem approbaverit, salvo jure suo.

XLVI.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita in Festo Epiphaniæ Domini, anno ejusdem 1277.

AUdita petitione Decani & Capituli Ambianensis, super eo quod ipsi contra dominum Regem proponebant, quòd ipse non habebat jus habendi cognitionem Litterarum hominum suorum in terra sua manentium, in qua habet omnimodam Iustitiam; responsum fuit eis, quòd contra generalem Consuetudinem patriæ super hoc non audirentur.

Ordinatum fuit per dominum Regem, & ejus Consilium, quòd si in judiciis in Turonia faciendis, unus miles * vel duo, cum aliis qui judicium facient, non concordent, non remanebit propter hoc quin transeat judicium, si videtur Baillivo bonum: & si plures sint discordes, judicium prorogabitur usque ad aliam assisiam in eodem statu, & tunc judicabitur ex propositis, sic fieri poterit bono modo, & fiet judicium super illis quæ fuerint proposita à partibus, quando primo se supponerent judicio: nec in verbis illis super quibus fuerit litigatum, & super quibus partes se supposuerunt judicio, poterit à partibus aliquid immutari. Mauritio domino Credonii, ratione suæ Senescalliæ Turonensis & Andegavensis, petente tertiam partem emendarum Nobis factarum à Lombardis, qui in illis partibus morati * fuerant pro eo quòd contra prohibitionem nostram, & patris nostri mutuaverant sub usuris, habito consilio, responsum fuit dicto Mauritio, quòd licet habeat per manum nostram tertiam partem emendarum quæ fiunt in Turonia in assisiis & placitis; tamen de istis emendis Lombardorum factis, pro transgressione banni domini Regis, nihil habere debebat, nec habebit.

* *Milet.*) Et sic erant homines judicantes de quibus, sup. in stil. c. 5. §. 13. & Io. Gall. q. 169. C. M.

* *Morati.*) sup. eo. tit. 28.

XLVII.

Des arrierefiefs que les Evesques Pairs de France peuvent amortir, & non les fiefs.

ORdinatum fuit per Consilium domini Regis, Rege præsente, quòd Archiep. Rhemens. & Episcopi Pares Franciæ admortire non poterunt domanium suum, nec feuda quæ ab ipsis tenentur immediatè, sed sua retrofeuda poterunt admortire. Alii verò Episcopi qui non sunt Pares, nec domanium suum, nec feuda sua, nec retrofeuda poterunt admortire.

XLVIII.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita in Festo omnium Sanctorum, anno Domini 1278.

ROberto de Turricula milite, petente sibi restitui emendas per gentes domini Regis, pro transgressione banni monetarum, levatas ab hominibus manentibus in terra sua Montis Desiderii, in qua habet omnimodam justitiam, altam, mediam, & bassam: Baillivo Viromadensi ex adverso dicente pro Rege, quòd hujusmodi emendas habere non debebat, cùm idem miles bannum ibidem non habebat, & judicia fiant per scabinos, & non per ipsum, licet per ipsum fiat executio judiciorum, & habeat spolia condemnatorum. Pronuntiatum fuit per judicium, quòd idem miles dictas emendas non haberet.

XLIX.

Amende d'avoir arresté le cheval d'un Sergent.

SErviens Castellaniæ arrestavit equum Ioannis *de Sarquux*, gentes Episcopi ceperunt dictum Servientem, dicentes quòd quidam civis primò arrestaverat dictum equum de licentia Præpositi: serviens noluit eis super hoc respondere, dicens, quòd de Arresto Castellaniæ, quòd advoabat à Rege ratione dotalitii sui, & quod sibi fuerat adjudicatum per Regem, non tenebatur respondere coram gentibus Episcopi. Et tunc serviens Regis liberavit dictum servientem: Et postea gentes Episcopi, non obstante liberatione prædicta, iterum ceperunt dictum servientem. Rex mandavit Baillivo quòd dictum servientem liberaret, & faceret Castellano emendari, & damna resarciri, nisi Episcopus aliam causam captionis ostenderet quare dictum servientem capere potuisset: & assignaret diem Partibus ad Parlamentum. Partibus in præsentia Magistrorum constitutis, Episcopus deadvoavit factum Præpositi sui, quod facere non potuit Episcopus, quia Præpositus ejus in præsentia servientis domini Regis traxit factum ad jus Episcopi. Et postea Episcopus processum, & factum sui Præpositi ratum habuit, & diem acceptavit ad rationes suas dicendas. Et ideò dictum fuit per Arrestum Curiæ, quod factum Præpositi sui in casu isto non poterat deadvoare. Et tunc dixit Episcopus, quòd equus arrestatus per servientem Castellaniæ, primò arrestatus fuit per gentes suas, & super arrestatione sua Castellania non potest arrestare. Castellania confessa fuit quòd super arrestatione Episcopi non potest arrestare, nec Episcopus supra suam, dicens quòd talis arrestatio non valebat, quia non erat facta per servientes Episcopi ad hoc deputatos, imò per quemdam civem malitiosè, qui de licentia præpositi Episcopi, pro debito suo dicebat se dictum equum arrestasse. Et si civis ille esset serviens, seu arrestator Episcopi, debuisset denuntiasse servienti Castellaniæ dictam arrestationem primò esse factam: Baillivus recordatus fuit dictam arrestationem esse factam per civem, sicut Castellania dicebat; quod Episcopus non negavit. His auditis Curia judicavit quod Episcopus emendaret factum Præpositi sui Regi, & non Castellaniæ, sed Castellaniæ redderet damna quæ sustinuit propter arrestationem prædictam: & præceptum fuit Baillivo quòd sciret damna, & faceret relarciri. Et emendavit Episcopus incontinenti, secundùm quod in Curia extitit judicatum, quia Procurator domini Regis, in causa quam dominus Rex habebat contra Decanum & Capitulum Montisfalconis, ad quartam diem ante Festum omnium Sanctorum, sibi assignavit ad producendum testes, sub secunda dilatione defecit, Procuratore dictorum Decani & Capituli comparente, pronuntiatum fuit, quòd Procurator de cætero non reciperetur ad probandum factum; sed si consuetudo fuerit scienda, dominus Rex ex officio suo poterit scire facere de ea, & testes præsentes, quos Procurator dictorum Decani & Capituli nominavit: & si vult producere, recipientur, & absentes expectabuntur.

Altercatio super arrestatione equi servientis, ubi multis ultrò citròque verbis habitis, Episcopus cõdemnatur in emendam.

L.

Des acquisitions des gens d'Eglise.

PRonuntiatum fuit, quòd Capitulum Cathalonense acquisita per ipsos in feudis Episcopi Cathalo-

nensis tenere non potest sine voluntate domini Regis. Similiter dictum fuit, quòd Episcopi Cathalonenses manumittere non possunt servientes suos, etiamsi Capitulum consentiat, sine voluntate domini Regis.

LI.

Des Clercs qui sont tenus de contribuer aux aides des Villes.

IUdicatum fuit, quòd Clerici tenentur solvere ratam * ipsos contingentem de debitis villarum, pro quibus hæreditates quas tenent ex successione parentum suorum, de tempore dictorum parentum suorum, fuerunt obligatæ, & hoc specialiter dictum fuit contra duos Clericos sancti Richarii.

* Ratam dixi in l. placet, l. de sacrosan. jure in lectu a Tubigensi, & latè tradit Luc. Penna in l. fi divinæ, C. de exactor. tribut in l. 2. de quibus muneribus nemini excus. lic. lib. 12. C. M.

LII.

De la garde du Roy, dont autre ne peut connoistre.

SEptem hominibus mansionariis Episcopi & Abbatis Attrebatensis, conquerentibus de scabinis Attrebatensibus, quòd sine causa rationabili, & etiam minùs justè eos banniverant, * Comite Attrebatensi de prædictis scabinis suis Curiam suam repetente: ex parte dictorum Episcopi & Abbatis fuit propositum, quòd dictus Comes de prædictis Curiam habere non debebat, cùm ipsi homines & bona sua sint de gardia domini Regis speciali. Auditis hinc inde propositis, pronuntiatum fuit per judicium, quòd dictus Comes in hoc casu Curiam suam de dictis scabinis non haberet.

* Banniverant] Conquerebantur autè in hoc Senatu, per viam appellationis tanquam à judicibus incompetentibus, omisso medio Comitis excluso, qui eadem ratione incomperens est, c. fi à subdelegato, de offic. deleg. in 6. Idem si per viam querelæ, dicti homines de custodia Regis, id est, exempti dicerent scabinos fecisse litem suam aliàs, ut in §. 68. C. M.

LIII.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita in Festo omnium Sanctorum, anno Domini 1279.

D'amende aux Pairs de France, pour fol appel.

CUm scabini vacui, & Consiliarii Gandensem dilectum & fidelem nostrum Comitem Flandrensem coram nobis super defectu * juris fecissent adjornari: audita eorum petitione, & rationibus prædicti Comitis intellectis, pronuntiatum fuit per Curiæ nostræ judicium, dictam petitionem non esse admittendam: postmodum ex parte dicti Comitis, petita declaratione dicti judicii. Partibus auditis, per nostram Curiam fuit declaratum, dictos Scabinos vacuos, & Consiliarios malè appellasse, & nullum ibi defectum juris fuisse, propter quod à petitione sua succumbere debebant omninò, & condemnati fuerunt ad emendandum hoc dicto Comiti, & emendaverunt.

* Defectu.] Il est denegatione.

LIV.

Des Teinturiers.

LEs Teinturiers de Paris se complaignoient des Tisserans, pource qu'ils ne leur vouloient tistre leurs draps, comme ils faisoient devant un jugement qui fut fait de l'Ordonnance de leurs mestiers; c'est à sçavoir, que nul ne pourroit faire les deux mestiers ensemble, ains se tiendroit chacun à son mestier. *Item* les Tisserans se plaignoient des Teinturiers, de ce qu'ils teignoient leurs draps propres en leurs maisons, & disoient que c'estoit contre la coustume des bonnes villes où l'on fait draperie. *Item*, ils disoient que les Teinturiers ne devoient avoir en leurs maisons outils que l'on appelle cornehers, crutes, lates, Canoguiole: car les ouvrages que l'on fait de ces outils, appartiennent au mestier des Tisserans, & non pas au mestier des Teinturiers. Et à ce respondoient les Teinturiers, qu'aussi bien appartenoient-ils à tous ceux qui faisoient faire draps, comme aux Tisserans. Oüyes les raisons de l'une partie & l'autre, & veuës les Lettres du jugement, il est répondu par Arrest que les Tisserans tistroient les draps aux Teinturiers, comme ils faisoient devant le jugement, & que les Teinturiers demeureroient en saisine de teindre leurs draps, & leurs propres laines en leurs maisons, jusques au Parlement, si comme ils faisoient devant le jugement: & le Roy doit faire enqueste dedans le Parlement; à sçavoir mon se es bonnes villes où l'on fait draperie, les Teinturiers teignent leurs propres draps & leurs propres laines en leurs maisons, & doivent estre les outils dessusdits en la main du Prevost de Paris, jusques à tant que l'on air sceu s'ils appartiennent à leur mestier, si comme il est dessusdit.]

LV.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita in Festo Pentecostes, anno Domini 1280.

DIctum fuit per Arrestum, quòd Comes Suessionensis de Fortis, & novis * dissaisinis, & debatis, & omnibus querelis, exceptis honore proprii corporis, & hereditate propria coram Baillivo respondebit, & mandatum de contrario factum Baillivo Viromandensi extitit revocatum.

* Novit. Simile sup. 21.29. C. M.

LVI.

Des droits pris sur l'Evesché qui se doivent payer pendant la regale.

PRæceptum fuit Magistro Henrico de Campo, repulso custode Regalium Aurelianensi, quòd Guimundo de Carnoto, Canonico Aurelianensi redderet robam suam cum arreragiis, ratione Capellaniæ * sux, sicut habebat tempore Episcopi.

* Capellaniæ.] Quia est beneficium per se, & non de patrimonio temporali Episcopi. Adde infrà, §. 66. C. M.

LVII.

Des Iuifs.

STatutum fuit & ordinatum, quòd aliqui Christiani, seu Christianæ, non morarentur in domibus Judæorum, ut eis serviant, & quòd Judæi * aliquos Christianos, seu Christianas in suis domibus, ut eis serviant, retinere non præsumant.

* Iudæi.] C. ne Iudæi Christian. mancip. pos sint. C. M.

LVIII.

Visa charta Presbyteri de Croissiaco, qui solebat capere ratione Capellaniæ suæ duos modios bladi in molendinis *de Charenton*, quæ fuerunt Comitis de Grandi prato, sed modò destructa sunt, præceptum fuit Præposito Parisiensi, ut dicto Presbytero reddat duos modios frumenti quolibet anno, vel decem libras annui reditus.

LIX.

Que Comte ne peut faire un Chevalier d'un vilain.

Inf. ar. 64. NOn obstante usu contrario ex parte Comitis Flandrensi proposito, dictum & pronuntiatum fuit contra dictum Comitem, quod non poterat nec debebat facere de vilano militem sine authoritate Regis. Et hoc dictum fuit pro filio Philippi de Borbonio.

LX.

Des droicts appartenans au Roy, &c.

HOmines de Villaribus sancti Pauli, scilicet hospites Abbatis Fistaven. & aliarum Ecclesiarum, & homines de Bervilia, Freneio, & de Nogento debent domino Regi quando vadit in exercitum, quilibet pro rata sua sexaginta servientes, & duas quadrigas.

LXI.

Que les Evesques sont tenus de aider au Roy en temps de guerre.

* *Teneri*] Dixi in cons. Par. In proœmio glos. 6. in ver. *gens d'Eglise*, & in l placet. c. de sacrosanct. Eccl. in leot. dubingens. C. M.

CUm pro domino Rege peteretur exercitus ab Episcopo Lemovicensi, dicto Episcopo dicente se ad hoc non teneri: auditis rationibus hinc inde, pronuntiatum fuit dictum Episcopum domino Regi ad exercitum teneri * sicut alii terrarii Diœcesis Lemovicen. tenentur.

LXII.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita in Festo Pentecostes anno Domini 1281.

SUper portu de Grestomo de quo Robertus *Bertran* miles conquerebatur, dicens illum portum factum esse in præjudicium juris sui, & detrimentum portus sui *de Harefleur*: pronuntiatum fuit quod dominus Rex in saisina dicti portus de Grestomo remaneret, salvo dicto Roberto quæstione proprietatis.

LXIII.

Que Religieux ne peuvent rien acquerir de nouvel sans congé du Roy.

CUm Abbas, & Conventus Compendii dicerent judicatum fuisse pro eis, quod in locis ab eis de novo acquisitis, sicut & in suis locis antiquis: in foresta Guysiæ uti * poterant, & debebant super isto judicio * domini literas ostendere, factum fuit recordum quod mota fuit Curia ad dictum judicium faciendum, quia ipsi Abbas, & Conventus quamdam domum acquisierant contiguam muris Abbatiæ, domum prædictam clauserant, ita quod non erat ibi ingressus nisi per Abbatiam. Et si ponerent in ea hospitem, non uteretur in foresta: propter quod dictum judicium non se extendit ad acquisita de novo, nisi in quantum potest, & debet secundum sua antiqua privilegia.

* *Vti.*] Id est servitute utus fruendi de qua per cepol in tract. de servit. rust. prædior. §. 12. de montib. ad §. C. M.

LXIV.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita in Octava S. Martini, anno Dom. 1281.

Que vilains ne se peuvent faire Chevaliers, sans congé du Roy.

Supra Arrest. 59. QUia duo filii Philippi de Borbonio non existentes adeò nobiles ex parte patris, quod milites fieri deberent, se fecerunt fieri milites, emendaverunt hoc domino Regi, & solvit eorum quilibet mil. lib. Turon. & milites remanserunt.

LXV.

De la garde que doit l'Evesque de Châlons en Champagne.

PRæceptum fuit Episcopo Cathalonensi, quod pro eo quòd Capitulum suum dicit, quod Episcopus ad sumptus suos eos tenetur custodire: Episcopo contrarium asserente se eos custodire non debere: ita quod propter ejus defectum Rex non apponat manum super hoc. Et quandiu Episcopus faciat circa hoc quod debebit, Rex se non intromittet de custodia antedicta.

LXVI.

Que pendant une regale l'on ne doit exploicter que ce qui est de raison.

CUm ex parte Capituli Aurelianensis nobis denuntiatum fuisset quod custodes regalium * Aurelianenses Sede Aurelianensi vacante, in grossis nemoribus Episcopi Aurelianensis, faciebant vendas inconsuetas, & indebitas: ordinatum fuit quod vendæ inceptæ tempore Episcopi perficientur, & expletabuntur: vendæ verò venditæ, & venditionibus liberatæ, licèt inceptæ non fuissent, ad scindendum ante mortem Episcopi expletabuntur: vendæ verò quæ in dictis grossis boicis erant mercatæ & signatæ, tamen non erant venditæ, nec venditionibus liberatæ, non explebuntur nec vendentur.

* *Regalium*] Fam. supra eod. Arrest. 56. supra part. 3 us. 31.

LXVII.

Que le Roy ne peut user de seel Royal en la terre d'un haut Justicier, sinon en defaut dudit Justicier.

CUm dominus Rex de novo sigillum posuisset apud S. Maxentium pro contractibus, & obligationibus sigillandis, Abbas S. Maxentii super hoc conquestus fuit, dicens quod dictum sigillum deferebatur ad nundinas & mercata: & justiciabiles ipsius Abbatiæ, qui per dictum sigillum se obligabant in

Necessitate aliquid permittitur quod alias esset illicitum l. 1. ff. de offic.

conſ. 1. ut gradati, & l. honor. §. fi. de mun. & hono.

terra, & juſtitia ipſius, compellebantur in ipſius Abbatis, & ſui Monaſterii præjudicium, & gravamen. Ordinatum fuit quod illud ſigillum non portabitur ad nundinas, vel mercata, niſi pro aliqua neceſſitate. Et de obligationibus per dictum ſigillum factis in terra, & juſtitia Abbatis, per gentes Regis executiones non fient, quando non erit in defectu * dictus Abbas.

* *Defectu*] Id eſt negligentia dixi in conſuet. Par. § 1. gl. 1. nu. 8. nu. 12. de gl. panor. Fely. in c. extertum, & ibi. Phil. Dec. no. 4. eod. de jud. C. M.

LXVIII.

Qu'à l'Abbé de Corbie appartient le reſſort des Eſchevins de Corbie.

CUm Templarii de quodam judicio per Scabinos Corbienſes, contra ipſos facto tanquam de pravo, & falſo ad nos appellaſſent, dictique Scabini propter hoc coram nobis vocati fuiſſent. Ex parte Abbatis Corbienſis, & ex parte Majoris Corbienſis petita fuit Curia de eiſdem, procuratore Templariorum proponente quod cognitio dictæ appellationis in noſtra Curia debebat remanere. Auditis hincinde propoſitis, & habita deliberatione, tradita fuit Curia dicto Abbati de Scabinis prædictis.

LXIX.

Que le pays des montaignes d'Auvergne eſt pays couſtumier.

AD ſupplicationem multorum de montanis Arverniæ, & audita relatione Baillivi noſtri, ordinatum fuit quod montana Arverniæ jure conſuetudinario regerentur: & ſecundum morem patriæ conſuetudinariæ.

LXX.

Judicia, conſilia, & Arreſta expedita in Feſto Pentecoſtes, an. Dom. 1282.

Un biſant d'or eſtimé vinge ſols tournois.

Biſantius quantum valeat.

BIſantius auri quem Comes Sueſſionenſis debet annuatim Eccleſiæ beatæ Mariæ Sueſſion. æſtimatus fuit 20. ſol. Turon. quam æſtimationem procurator Eccleſiæ acceptavit, & fuit præceptum Baillivo, ut faciat reddi arreragia à tempore mortis dicti Comitis.

LXXI.

Que les Eſchevins & Communautés des quatre bonnes villes de la Comté de Guines reſſortiſſent par devant le Comte d'Artoys.

SCabini, & communitates quatuor bonarum villarum Comitatus Guinenſis appellaverant, & fecerant adjornari homines Comitis Artheſienſis ſuper pravo, & falſo judicio per eos in Curia dicti Comitis lato, ut dicebant ex parte dicti Comitis: fuit ſuper hoc Curia repetita, quæ habito conſilio fuit ſibi reddita.

LXXII.

Judicia, conſilia & Arreſta expedita in Feſto B. Martini, anno Domini 1282.

Le crime de ſortilege appartient à l'Eueſque.

CUm tres mulieres ſortilegæ Silvanecti fuiſſent captæ, & per Majorem, & Juratos juſtitiatæ, ſuper hoc fuit conqueſtus Epiſcopus, dicens cognitionem, & punitionem hujus criminis ad ſe pertinere: Majore & juratis econtrario dicentibus ſe eſſe in poſſeſſione cognoſcendi de tali crimine, & de iſto ſpecialiter cognoſcere potuerant, & debuerant, quia ibi fuerant cutis inciſio, & ſanguinis effuſio: auditis hincinde partibus, pronuntiatum fuit cognitionem hujus criminis ad Eccleſiam pertinere: & fuit reddita cognitio dicto Epiſcopo * de duabus mulieribus ſortilegis: & quantum ad tertiam, dictum fuit quòd lis mota coram Archiepiſcopo Rhemenſi, ſuo marte finiatur.

* *Epiſcopo.*] Contrarium factum eſt poſt 90 an. correcta veteri ignorantia, ut ſup. q. 10. Gal 241. adde Old. q. 229. Gem. conſ. 5 & C. M.

LXXIII.

Pagani vetiti feuda quærere, poſſunt partem feudi in reditum accipere.

CUm dominus Rex olim quamdam ordinationem feciſſet ſuper alienatis in manum mortuam, vel villenagium moventibus de feudis, & retrofeudis ipſius, necnon de allaudiis regni ſui, in qua ordinatione pro Eccleſiarum, & ſubditorum utilitate communi conceſſit de gratia ſpeciali: quod villani, & Eccleſiæ ſupradictæ acquiſita hujuſmodi à triginta annis citrà computando à tempore ordinationis ipſius extra manum ſuam ponere minimè tenerentur, dum tamen vellent ſolvere deputatis ad hoc ab eodem domino Rege, duo, vel tres, vel quatuor fructus alienatorum hujuſmodi, ſecundum diſtinctionem rerum, legatorum, & contractuum, prout in Literis dictæ ordinationis continetur, plures de diverſis partibus regni ſui graviter conquererentur ſuper eo quòd deputati à domino Rege ad levandos fructus hujuſmodi, vel ſuper eis finantias faciendum ſecundum formam ordinationis exigere, vel levare volunt ab illis villanis, quibus nobiles aliqui terras, prata, vineas, vel poſſeſſiones alias arrentaverunt pro aliqua annua bladi, vel pecuniæ quantitate, quamvis de nullo, vel modico intragio * convenerit in contractibus antedictis, ſuper quibus deliberatione prahabita, dictum fuit per Arreſtum, quod præcipietur gentibus Regis, ne tales arrentationes fieri impediant in futurum, & ne occaſione eorum aliquid exigant à villanis: & ſi aliquid occaſione hujus exegerunt, illud reddant, & reſtituant illis villanis, vel eorum hæredibus à quibus talia exegerunt.

* *Intragio*] Id eſt pecunia pro ingreſſu data, quod intinens eſt, quia licet redditus feudalis ſit, tamen ſolvi non quandiu apud tales accipientes manet, pagaticum eſt, ut dixi in conſ. Par. §. 132. C. M.

LXXIV.

Que les Marchands outremontains ſont contribuables aux Aydes à Paris, & ne doivent jouir des privileges de la Ville, ſauf que s'aucun y eſt marié qui ait femme & enfans, & ne vueille retourner à ſon pays, & n'ait communauté ne ſocieté à étrangers, & ne ſoit contribuable en ſon pays, en ce cas il joüyra des privileges.

CUm mercatores transmontani Pariſiis commorantes nobis conqueſti fuiſſent, quod cives noſtri

Parisienses minùs eos justè tailliaverant, & compellere intendebant ad contribuendum in dono à villa Parisiensi nuper nobis facto, licèt non gaudeant franchisiis, & libertatibus villæ Parisiensis, sicut alii cives Parisienses, quare petebant à dicta taillia se absolvi, vel quod si taillarentur, gauderent sicut alii cives Parisienses, libertatibus antedictis: & Præposito Mercatorum Parisiensium ac civibus nostris Parisiensibus contrarium asserentibus. Auditis hinc inde propositis, pronuntiatum fuit quod dicti Mercatores transmontani pro rata eos contingente in prædicta taillia contribuent, & tailliabuntur ratione mercantiarum suarum. Et quia non morantur continuè Parisiis animo ibidem perpetuò remanendi, sed recedunt quando volunt, & habent plures extraneas societates, quæ ex hoc commodum reportarent, non gaudebunt libertatibus antedictis: hoc salvo, quod si aliquis Mercator transmontanus cum uxore sua, liberis, & familia moram * trahat Parisiis, nec spes sit quod recedere debeat, nec habeat extraneam societatem, nec solvat ultra montes tailliam, vel aliquas redevantias, seu onera villæ, gaudebit libertatibus antedictis.

* *Moram*] Dixi in cons. Par. in proœmio glos. 9. ver. *Bourgeois*, & §. 192. C. M.

LXXV.

Judicia, Consilia, & Arresta expedita in festo omnium Sanctorum anno Domini 1283.

Que quand parties sont contraires, ils peuvent hincinde *par procureur demander renovation de Commissaire.*

Que le Comte d'Auxerre n'a justice sur l'Evesque.

EPiscopus Altissiodorensis conquerebatur, quòd ea occasione, quia in justitia sua utendo jure suo quemdam hominem Comitis Altissiod. ceperat: idem Comes contragagiando ceperat 60. homines dicti Episcopi, in præjudicium & gravamen dicti Episcopi, quod facere non debebat, ut dicebat Episcopus, cùm idem Episcopus sit de gardia domini Regis speciali, & de omni temporalitate, fidelitatem faciat domino Regi, nec dictum Comitem in aliquo Superiorem suum recognoscit, nec aliquid tenet ab eo: sed è convèrso Comes est homo Episcopi: procuratore dicti Comitis ex adverso proponente, dictum Comitem hoc posse facere, & debere, & se & prædecessores suos sic usos fuisse, & esse conventum inter eos quod si aliquando Episcopi Altissiodorenses caperent de hominibus Comitis, & de bonis eorum, Comes Altissiod. contragagiando caperet, & accipere posset de hominibus, & de bonis Episcoporum Altissiodorensium. Auditis hinc inde propositis, & habita deliberatione diligenti dictum fuit per Arrestum, quod Comes liberè reddat homines Episcopi, quos cepit contragagiando, & emendabit hoc Regi & Episcopo. Et inhibitum fuit gentibus dicti Comitis, ne de cætero tales captiones contragagiando facere præsumant.

LXXVI.

Qu'un Baillif peut détruire la maison d'un Clerc receveur de bannis.

BAillivus Ambianensis justè, & rite diruere potuit domum Clerici *de Fretis* sitam in feudo laicali, pro eo quod idem Clericus, prout ipsemet confessus fuit, transgrediendo bannum domini Regis, receptaverat bannitos Regis.

LXXVII.

Que le seel de l'Archevesque de Bourges fait foy.

LIteræ sigillatæ sigillo Archiepiscopi Bituricensis, & officiarii sui facient plenam fidem * in Bituric. in Curiis secularibus, prout extitit consuetum.

* *Fidem*] Sed post. 2no. anno correctum fuit generaliter per Car. VIII. ut sup. par. 3. tit. 25. §. fi. adde sup. q. 10. Gall. 259. C. M.

LXXVIII.

Qu'en cas de Dismes infeodées, la partie doit faire foy devant l'Official de l'infeodation, & lors l'Official renvoyera les parties au Juge dont sont tenuës.

ITem si aliqua persona Ecclesiastica petat ab aliqua persona laicali in foro Ecclesiastico aliquam decimam, & ille à quo petitur, advoet eam se tenere in feudo, de plano ipse faciet fidem coram Officiali, & tunc Officialis tradet * Curiæ illius à quo dicta res movebitur.

* *Reddet.*] Quod adhuc fieri potest, sed inventa est alia via: quia prætendens infeudatã, statim adit tribunalem, ut an sit infeudata cognoscat, & interim esset judex Ecclesiastic. C. M.

LXXIX.

Item Officiales * currentes quod Archiepiscopus de nova instituit Bituric. removebuntur, & habebit suos Archipresbyteros, prout habebit consuetum.

* *Officiales*] Quia non debent multiplicari, ut in simili dixi in cons. Paris. §. 10. nu 23. C. M.

LXXX.

Qu'un lignager ne peut venir au retraict d'une terre vendue au Roy.

CUm dominus Baldonius *de Guynes* peteret admitti ad retrahendum per bursam Comitatum Guyenensem quem dominus Rex à patre suo * emerat gentibus domini Regis pro domino Rege multa proponentibus quare ad hoc recipi non poterat, auditis * hincinde propositis, pronunciatum fuit per Curiæ nostræ judicium, quod dictus Baldonius non habebat jus ad dictam retractionem veniendi.

* *sua*] Dicti Baldonii.

* *Auditis.*] Fuit ibi quoddã speciales alioquin eram in extraneos tenetur Rex ponere, ut dixi in cons. Par. §. 33 glos. 4. nu 3 & nomine proximitatis retrahentes agnoscere. Sed dictus Comitatus in Anglia diu occupatus nuper in mirio Januarii anno 1157. more Gallico Ducibus Guisio & Termæo valentissimis, recuperatus fuit. C. M.

LXXXI.

*Arrest, que bastards * peuvent tester.*

CUm executores Thomæ *Lucele Senalent* civis Paris. in Curia nostra proponerent quod bona ipsius Thomæ ad requæstam nostri Procuratoris jamdiu essent capta, & ad manum nostram posita fuerunt, & detinebantur, propter quod ordinatio ipsius testatoris adimpleri per eos non poterat, licèt ipse de bonis suis omnibus in ultima voluntate sufficienter ordinasset, petebant executores prædicti bona prædicta ei tradi, & ad plenum liberari, amota manu nostra prædicta, ut liberè adimplere possent ipsius testatoris voluntatem: nostro Procuratore ex adverso proponente, ac dicente, quod bona prædicta dictis executoribus tradi, & liberari non debebant, pro eo quod dictus Thomas erat Bastardus, & quod ipse decesserat sine liberis de corpore suo susceptis, propter quod ipsius bona, quia bastardus fuerat secundum patriæ consuetudinem notoriam, ad nos jure nostro regio pertinebant, ut asserebat Procurator prædictus, dicens, & proponens quod idem defunctus de bonis suis non potuit, nec poterat ordinare, dictis executoribus replicantibus, ex adverso, quòd licèt prædictus Thomas fuisset bastardus, & absque prole legiti-

* *Bastardi*] Non idẽ de exteris quos Albinos vocant, ut dixi in Consuet. Paris. §. 186. C. M.

ma

mà decessisset, ipse tamen testamentum suum sufficienter condiderat, in quo & aliàs in vita sua de bonis suis ordinaverat universis : & quod hoc potuit facere, & poterat tam de jure quàm secundùm patriæ consuetudinem, ut dicebant executores prædicti. Auditis igitur dictis partibus, viso etiam testamento, & ordinatione ipsius Thomæ prædicti, quia Curiæ nostræ non constitit de more, & consuetudine pro jure Regis allegata. Et etiam Curia nostra exitit sufficienter informata, quòd idem defunctus de bonis suis ordinaverat, tam in vita sua, quàm etiam in suo testamento : & quod secundum patriæ consuetudinem sibi licebat ordinare de bonis suis pro libito voluntatis, ac facere testamentum : propter quod per Arrestum Curiæ dictum fuit quod bona omnia ipsius testatoris, quæ ad requestam Procuratoris nostri ad manum nostram propter causam suprædictam posita fuerunt, dictis executoribus deliberabuntur, & tradentur, amotâ manu nostra ibidem appositâ ex causa prædicta, datum die 16. April. in Parlamento inceptο in crastino festi sancti Martini hyemalis, anno Domini 1327. sic signatum *Brunat.*

Bastardus potest liberè ordinare de bonis suis.

LXXXII.

Cum constitutis in nostra Parlamenti Curia dilectis nostris Magistris Ratione. *le Moist*, Archidiacono Pontini in Ecclesia Ambianensi, Joanne *de Tongues* in Artibus, & Theologia Magistro, Petro *Bontemye*, ut executoribus testamenti seu ordinationis ultimæ voluntatis defuncti Magistri Richardi *Boulart*, dum vivebat in Universitate Parisiensi Regentis, à dilecto & fideli consiliario nostro in dicta Curia nostra Magistro Philippo *des Plantes* appellantibus, procuratore dictæ Universitatis cum ipsis adjuncto ex una parte : & dicto consiliario nostro Magistro Philippo *des Plantes* appellato, ac Procuratore nostro generali intimato ex parte altera : dicti appellantes, & adjunctus proponi fecissent quod dictus defunctus Magister Richardus ante ipsius obitum suum testamentum condidisset, ac de bonis suis temporalibus disposuisset, dictos appellantes suos executores constituendo, & ordinando, sicut cuilibet liberæ personæ facere permittitur : attamen Procurator noster in Castelleto nostro Parisiensi ac receptor noster in præpositura, & vicecomitatu Parisiensi bona ex decessu dicti defuncti relicta tanquam nobis spectantia arrestare, & impedire fecerant : adversus quem dicti appellantes se opposuerant : ob quod certus processus coram dicto Præposito nostro Parisiensi, motus & introductus exiterat, in quo dictæ partes in tantum processerant, quòd per sententiam dicti Præpositi nostri Parisiensis manus nostra, & omne impedimentum in dictis bonis apposita, & appositum ad utilitatem dictorum executorum levata, & levatum exiterat : verùm his non obstantibus suprædictus consiliarius noster Magister Philippus *des Plantes* sub umbra quarumdam literarum à nobis subreptitiè per importunitatem obtentarum, suprædicta bona ad manum nostram realiter, & de facto reposuerat. Quare petiissent, & requisivissent dicti appellantes, & adjunctus suprædictum consiliarium nostrum malè expleasse, recusasse, & denegasse, & dictos appellantes bene appellasse : per Arrestum dictæ Curiæ nostræ dici, & declarari : nec non suprædicta bona sibi tradi, & deliberari. Quibus peractis cùm Procurator noster generalis expleta dicti *des Plantes*, virtute dictarum literarum facta sustinere non velle dixisset, & allegasset, ob quod dicti appellantes, & adjunctus suprædictas suas conclusiones sibi adjudicari petiissent. Super quo dicta Curia nostra appellantes, & adjunctum ad ponendum penes dictam Curiam nostram testamentum dicti defuncti Magistri Richardi, Arrestum, & alia expleta in hac parte facta, & ad consilium appunctasset, tandem visis per dictam Curiam nostram per dictos appellantes, & adjunctum productis, & consideratis considerandis, & quæ Curiam ipsam in hac parte movere poterant, aut debebant : per Arrestum dictæ Curiæ nostræ dictum fuit Magistrum Philippum *des Plantes* malè expletasse, denegasse, & recusasse, & dictos appellantes bene appellasse. Et insuper eadem Curia nostra omne impedimentum per dictum *des Plantes*, in & super bonis ex decessu dicti defuncti *Boulart* relictis appositum ad utilitatem dictorum executorum, ut de ipsis bonis ipsi executores juxta formam, & tenorem testamenti dicti defuncti ordinare valeant, levavit & amovit, levatque & amovet per idem Arrestum pronuntiatum 16. die Martii anno Domini 1467.

Cuilibet liberæ personæ permittitur facere testamentũ, nisi sit ei specialiter prohibitũ : ut C. & inst. quibus test. fac. licet.

LXXXIII.

Arrests donnez en la Cour de Parlement de Paris, l'an 1269. & autres données ensuivant.

*Que l'on peut venir au retrait d'un heritage vendu dedans l'an de saisine, * & investiture.*

* *Saisine.*] Dixi in cons. Paris. §. 173. C. M.

CUm Domina Isabelis de Anthono peteret per bursam à præceptore, & fratribus militiæ templi terram Bellomontis cum pertinentiis, tanquam proximæ in genere Joannæ uxori dom. Petri de Bellomonte militis, quam terram de Bellomonte dicti Petrus & Joanna vendiderant dictis præceptori, & fratribus. Et dicebat dicta Isabelis, quod ipsa requisiverat in judicio coram Baillivo Stampensi. Et obtulerat bursam dictis præceptori, & fratribus infrà annum, & diem à tempore saisinæ seu investituræ rei venditæ, consuetudine proposita ex parte dictæ dominæ Isabelis, videlicet secundum usus, & consuetudines Franciæ in rebus immobilibus venditis non currere tempus retrahendi contra aliquem retractorem, nisi à tempore saisinæ seu investituræ, per dominum feudi factæ in partibus illis, ubi res prædictæ venditæ consistunt. Audita confessione procuratoris dictorum præceptoris, & fratrum, qui confessus est quod dom. Petrus de Bellomonte emerat feudum dictæ terræ, & pertinentiarum : ita quod habebat in dicta terra tam feudum quàm dominium, quando eam vendidit dictis præceptori, & fratribus : & depositionibus testium hinc inde productorum diligenter inspectis, & auditis, pronuntiatum fuit dictam Isabelem dictam terram cum pertinentiis infrà annum, & diem à tempore saisinæ, & investituræ sufficienter requisivisse, & bursam obtulisse : & dictam terram cum pertinentiis habere debere. Actum in Festo Purificationis anno 1269.

LXXXIV.

*Que l'on peut contraindre gens d'Eglise à vuider * leurs mains de leurs acquisitions faites au dessus de quarante ans.*

* *Vuider.*] Latè dixi in cons. Par. §. 41. 12. C. M.

CUm lis mota fuisset coram certis auditoribus Castelleti nostri Paris. inter religiosum virum Camerarium S. Martini de Campis ad causam sui officii, ex una parte : & Petrum dictum *Lemire* ex altera, ratione gagiationis pro termino sexdecim librarũ tredecim solidorum octo denariorum Parisien. reditus annui super domo ad signum Crucis deauratæ, in vico S. Dionysii sita, dicto Camerario debiti, ut dicebat : contra quam gagiationem dictus *emire* se opposuisset : & ea de causa dumtaxat quod dictus reditus super dicta domo in censiva Episcopi Parisiensis per dictum

Camerarium perceptus nunquam fuerat admortisatus, ut dicebat. Et ea de causa fecerat dictus Episcopus dictum reditum arrestari, procuratore dicti Episcopi coram dicto auditore in judicio præsente, & dictum Arrestum advoante: tamdem dictus auditor certis ex causis dictam causam coram Præposito nostro Parisiensi remisisset. Et demum dictus Episcopus à nobis obtinuisset ut dicta causa in Curia Parlamenti nostri remitteretur: qua in dicta Curia remissa, partibus in eadem cõparentibus, ex parte dicti Religiosi fuisset propositum quod ipse ad causam sui officii de dicto reditu pacificè gavisus fuerat: & tanto tempore cujus initii memoria in contrarium non extabat, vel saltem à quadraginta * annis citrà, absque eo quòd per dictum Episcopum, vel aliud impedimentum aliquod sibi fieret in dicto reditu ob defectum admortisationis, vel aliàs: & nihilominùs dictus Episcopus indebitè, & sine causa dictum reditum arrestari fecerat ob defectum admortisationis, ut dicebat: quare petebat prædictus Religiosus quòd impedimentum, hive Arrestum per dictum Episcopum in dicto reditu appositum amoveretur, & quòd ad bonam causam contra dictum Arrestum se opposuisse diceretur, & pronunciaretur, & quod in expensis condemnaretur; quibus propositis per dictũ Camerarium, cùm fuissent à dicto Episcopo litem contestando negata fore vera: & quòd in suis expensis condemnaretur: super quibus inquesta facta ad judicandum in statu salvis contradictionibus contra literas: & salvationibus earumdem hincinde recepta, visa & diligenter examinata, per judicium dictæ Curiæ dictum fuit dictum Arrestum ad malam causam fuisse per dictum Episcopum in dicto reditu appositum, & quòd ad bonam causam contra dictum Arrestũ se opposuit dictus Religiosus. Et per judicium dicta Curia dictum Arrestum amovit & amovet: dictum Episcopum expensis hujus causæ condemnando earum taxatione dictæ Curiæ reservata. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrum jussimus apponi sigillum. Datum Parisiis in Parlamento nostro 18. die Febr. anno Dom. 1479. Et Regni nostri 16.

Sic signatum per judicium Curiæ. *Tenne.*

* *Quadrag.*] Quia Ecclesia contra Ecclesiam præscribit spatio 40. annorum authen. qui actiones C. de sac. sanct Eccl. Massuri. in pract. tit. de præscr. 5. item si Ecclesia loquens de hac q. dixi in cons. Paris. §. 41. n. 61. C. M.

LXXXV.

Renuntiatio Beneficii simoniacè facta an teneat vel non, & quid de resignatione facta in favorem certæ personæ in manibus legati.

LUdovicus Dei gratia Francorum Rex, &c. Cùm lis mota fuisset coram Præposito Parisiensi, aut ejus locumtente conservatore privilegiorum per nos, & prædecessores nostros Universitati Parisiensi, & suppositis ejusdem concessis, inter Magistrum Renatum *Valin*, tam suo quàm ut ad jus, & in locum Magistri Joannis *Bonnault* subrogatum, actorem & conquerentem in casu novitatis, & saisinæ ex una parte, & Magistr. Hardouinum *Fournier* defensorem, & opponentem ex altera: super eo quod dictus actor dicebat, & opponebat quod Magister Alexander *Fournier*, & dictus defensor fratres erant illegitimè nati, ex Presbytero videlicet, & soluta: dicebat etiam quòd dictus Magister Alexander *Fournier* duarum Ecclesiarum Parrochialiũ possessor existens, videlicet de Ulneio diœcesis Maleacensis, & de Deneya diœcesis Andegavensis, unâ & eadem die dictas duas Parrochiales Ecclesias in manibus defuncti consanguinei nostri Cardinalis de Ambasiano in regno nostro Apostolicæ Sedis Legati, in favorem dicti defensoris resignaverat, quodque dictus Cardinalis Legatus hujusmodi resignationem admiserat, dictasque Parrochiales Ecclesias eidem defensori, ad cujus utilitatem resignatæ exiterant, ipsum super incompatibilitate dictarum Ecclesiarum Parrochialium dispensando contulerat: dicebat ulteriùs prænominatus actor, quod cum patientibus defectum natalium, prout dictus defensor patiebatur, dictus Cardinalis Legatus facultatẽ dispensandi super pluralitate Beneficiorum incompatibilium non habebat: ea propter collationes, & provisiones per ipsum dicto defensori de dictis Parrochialibus Ecclesiis factæ nullæ extabant, & invalidæ, & nihilominùs quod dicta resignatio tanquam simoniaca m dicti Alexandri præjudicium tenuerat; dicebat insuper dictus actor quòd vacatione dictarum Ecclesiarum Parrochialium ad ejus notitiam perveniente, collationem seu provisionem per devolutionem de dicta Parrochiali Ecclesia de Deneya à dicto Cardinali Legato obtinere meruerat: cujus virtute in possessionem missus fuerat. Et similiter ex eodem genere vacationis dictus Magister Joannes *Bonnault* à dicto, & fideli Consiliario nostro Archiepiscopo Turonensi, seu ejus in temporalibus, & spiritualibus Vicario generali collationem per devolutionem de dicta Parrochiali Ecclesia obtinuerat, & virtute ipsius possessionem adeptus fuerat: dicebat adhuc quòd quamvis dictus defensor in dicta Parrochiali Ecclesia nullum jus haberet, nihilominus se pro rectore ejusdem gerebat, & fructus ipsius dictum actorem in sua possessione perturbando percipere satagebat. Quare ipse actor necnon dictus *Bonnault* tunc in dicta Universitate Parisiensi studentes virtute suarũ protectionum dictum defensorem coràm dicto Præposito nostro conservatore, seu ejus Locumte. in dicto casu novitatis, & saisinæ adjornari fecerant, & postmodum prænominatus actor ad jus, & locum dicti *Bonnault* subrogatus extiterat: Ex ex prædictis intentionem suam benè fundatam esse dicebat: nec obstabat quòd in contrarium dictus defensor proponere nisus fuerat, quod resignatio dictæ Parrochialis Ecclesiæ de Deneya purè, liberè, sine modo, pacto, & conditione in manibus dicti Legati, ut per ejus literas apparebat, facta extiterat: quia ad hoc dictus actor respondebat quod instrumentum procuratorium, cujus medio dicta resignatio facta fuerat, expressam clausulam ad resignandum in favorem * dicti defensoris non aliàs, nec aliter, nec alio modo continebat: quæ quidem clausula importat conditionem, nec potuit procurator quoad hoc constitutus à forma dicti mandati recedere, & resignationem aliter, nec alio modo admittere. Similiter non obstare dicebat quod dictus defensor proposuerat prædictum Cardinalem Legatum facultatem habuisse admittendi resignationes, quæ fiebant in favorem certarum personarum, & quod quamplures similes palàm, & publicè admiserat. Quia ad hoc prænominatus actor respondebat quod de dicta facultate non constabat. Dicebat etiam quod dictus defensor proponere satagebat, quod dictum instrumentum procuratorium continebat clausulam resignandi in manibus Papæ, aut Legati, aut alterius potestatem habentis: quod & dictus Alexander non intendebat resignare in manibus dicti Legati, nisi potestatem haberet dictam resignationem admittendi: dictus actor respondebat quod de contratio multipliciter apparebat, tum quia tempore pallationis dicti instrumenti, dictus Alexander quasi morti proximus ægrotabat: dictusque defensor timens mortem dicti Alexandri negotium dictæ resignationis prævenire posse, tanta celeritate curaverat hujusmodi resignationẽ fieri: ut ope Joannis de Bardi Bancarii, mediante pecunia in magna quantitate, de civitate Andegavensi, ubi die 4. Sept. pallatum fuerat dictum procuratorium apud Bonum Ebroicensis diœcesis, ubi tunc erat Legatus à dicta civitate Andegavensi 60. leucis distantem, sequenti die (quæ quinta erat ejusdem mensis) dicta resignatio extiterat expedita. Tum quia in dicto procuratorio nulli sunt nominati procuratores in Romana Curia degẽtes, nec albũ dimissum, sed dumtaxat Desiderius Varioti, & Petrus Vassoris, qui Cancellariã dicti Legati ordinariè

Duæ enim spiritualitates circa idẽ non possunt concurrere l. 1. C de jure dot.

* *Favorem.*] Quæst. Thol. 458. Nicol accr. decis. Burdega. 117. plenè dixi in tract. de reg. Cancel. Rom. in Regu. de infir. resig. n. 79. Et in reg. de publicandis. C. M. Quid contineat clausula ad resignandum in favorẽ defensoris, non aliàs, nec aliter.

Touchant le fait de retrait d'heritages patrimoniaux vendus.

En la main du Juge.] Vel coram arbitris, aut in ſequeſtrum delectum, & niſi Conſuetudo [illegible] diceret, venirent fructus etiam ſine contignatione ad jus oblationis, quia oportet offerentem ſemper eam pecuniam tenere paratam & otioſam. Art. 87.

De la nature des heritages acqueſtez, &c.

Le mary à la femme.] Scilicet donando, aliàs ceſſat inhibitio. *l. ſi ſponſus in fi. ff. de donation. inter virum & uxorem. Iaſon l. cum quæ num.* 6. *C. de Jur. & facti ignorantia.* Art. 89.

Des biens meubles, à qui ils doivent appartenir, &c

Art. 93. *Meubles catheux*] Istud ampliat, & punctus pro copula, & sic non solùm mera mobilia, sed etiam segetes, sed post mensem Aprilis : pendentes, ostia, fenestræ, singulæ partes molendini moventes, quæ mobilia jure censentur, licet non sint verè mobilia, quasi cadentia vel caduca, sed ista dominus fundi æstimationem dando, retinere potest.

Art. 95. *Reputez catheux.*] Id est, *meubles caduques*, quamvis hæreant solo vel ædificio.

Art. 105. *De leurs biens.*] Non intelligitur de immobilibus, & in reliquis non tollitur restitutio in integrum, *l. 2. C. de his qui veni. ætat. impetra. Alex. Paus. Jas. l. post litis. C. de pact.*

Comment femmes vefves se doivent conduire aprés le trépas de leurs maris, &c.

Art. 114. *A ses dépens*] Intellige si vidua nolit frui pro indiviso ; sed heredem patientem illum frui pro indiviso, aliàs debent hæ reales impensæ communes esse. Sed si vidua provocet sua libera tantum voluntate ; quia hæc divisio non est nisi ad vitum ejus, & sic gratia ejus tantùm justum est ut impensas has cognoscat, ut sui gratia factas.

Comment & à qui le creancier d'un trépassé se peut addresser, &c.

Art. 133. *L'heritage patrimonial.*] Et sic nihil aliud capiendo de bonis defuncti, potest prædium, sive Artesii, vel alibi situm, per patrem venditum, liberè vendicare, hic §. habetur in redactione facta per Carolum V. art. 189.

Touchant acquests de fiefs, &c.

Art. 144. *En toutes choses.*] Stulta & barbara Consuetudo, *per not. in l. uts. C. de verb. signific.* quomvis Carolus V. Imperator, in qualitate Comitis Artesii, §. 201. & ultimo, hanc errorem ad verbum sequutus sit.

Et a lieu double ligne,] Hæc est æqua, & fere generalis in Gallia. Art. 105.

Ne remonte point.] Ne labantur in diversam lineam, secus si parentes sunt de linea & proximiores. Art. 107.

Des biens meubles à qui ils doivent appartenir en succession, &c.

Disposer de leurs biens.] Etiam *propres* ; salva tamen restitutione in integrum, & remediis juris communis, ut dixi in secunda parte in Annot. Consuet. Drocensis. Art. 154.

Touchant acquest de fief, & quelles gens doivent droit de nouvel acquest.

Nous voulons.] Charles le Quint, Comte de Flandres & d'Artois. C'estoit chose trop longue & somptueuse, d'imprimer icy tout le discours de ses longues Lettres.

Six deniers.] Hæc est valde moderata, & non quæstuaria taxatio.

LES COUSTUMES DU PAYS ET Duché de Bourgongne.

CHAP. I.

De *Justice, & des droits d'icelle.*

DE *Bourgongne.* Redigées & accordées par les trois Estats dudit pays, sous l'authorité de Philippes dit le bon Duc, *anno* 1459. lequel avoit trois Parlemens; celuy de la Duché à Dijon, celuy de la Franche-Comté à Dole, & le tiers à Saint Laurent, à l'exemple de Charles VII. Roy de France, qui premier, l'an 1453. ordonna que les Coustumes de son royaume seroient redigées par écrit. Ledit Duc trois ans aprés fit & executa le pareil en sa Duché de Bourgongne: & ce fait environ trois mois aprés audit an 1459. il fit le pareil en sa Franche-Comté de Bourgongne.

CHAP. II.

De *confiscations.*

Ou par Coustume.] Scilicet etiam *la moitié de la communauté*: & quamvis aliter practicaretur Parisiis, tamen morem illum corrigi feci, & contra fiscales etiam per Arrestum judicari, anno 1532. Art. 10.

CHAP. III.

Des fiefs.

Ou après ledit an.] Sive ante, sive post non refert, sed non facit fructus suos, nisi post annum, & idem ab obitu vassalli & post prehensionem: idem in Consuet. Comitatus Burgund. §. 20. Art. 12.

Excepté les Religieux.] Istud infertur ad principium, scilicet quòd non succedunt, non autem quòd habent novum jus commissi. Art. 16.

Leur advient.] Qui contractus dependent à successione, eamdem habent immunitatem in fi. §. præcedentis. Sed adhuc hic §. longiùs porrigitur, & debet extendi, etiamsi plures ex legato vel emptione sunt domini feudi, & satisfacto de nova acquisitione, posteà dividant inter se, quia nulla nova jura debentur, nec est periculum commissi. Art. 17.

CHAP. IV.

Des droits & appartenances à gens mariez.

Actions personnelles.] Potest tamen uxor intervenire, etiam invito marito authorata à Judice, in propriis suis, ne colludatur, ut dixi in Consuet. Paris. §. 113. Art. 24.

LA SECONDE ET PLUS AMPLE publication des Coustumes generales du Comté d'Artois, &c.

Art. 12. M *Entre, larcin.*] Vetus editio, §. 10. habet *larcin.*

Ibidem. *En droit de confiscation.*] Confiscati nullo crimine, nec majestatis quidem, etiam divinæ excepto, à fisc alibus ortæ sunt exceptiones læsæ majestatis.

Seulement un denombrement.] Id est, in uno volumine continente distinctam singulorum feudorum descriptionem, id quod dominus directus justè exigere potest.

La maniere d'acquerir hypotheque sur heritages, des droits seigneuriaux pour ce deûs aux seigneurs, avec aussi d'acquerir droit réel en heritages patrimoniaux, de la condition & nature d'iceux heritages, tant en succession qu'en retrait, quand ils sont vendus.

Sont ven[illegible]] Quod est art. 43. in veteri.

Art. 72. *Ou personnelle.*] Passivè de quo posset inquietari.

Ibidem. *Droit reel ou personnel.*] Activè acquirendo feudum quem possidet, vel aditum quem superare exigat; Idem in veteri Consuetud. §. 47.

Art. 82. *Est capable.*] Passivè, id est, *poursuivable.*

Art. 87. *Est fiancée.*] Hoc ineptum, quum possit majus, videlicet discedere à sponsalibus. *ff. de sponsalibus, per to.*

Art. 88. *Ou hypothequaires.*] In consequentiam personalis mobilis : secus si principaliter agatur de reditu perpetuo reali qui facit partem fundi,

Art. 26. *Entr'eux convenu.*] Quod est valde captiosum ad recludendam dispositionem juris communis, & consuetudinis. Et certè licentiosa hæc conventio non debet passim admitti.

Art. 27. *Au doüaire coustumier.*] Nec possunt pacta, etiam dotalia futuri matrimonii huic consuetudini derogare, ergo nec donationem majorem facere, alias herret fraus de contractu ad contractum: sed codicilli non prohibentur per ultimam voluntatem.

Art. 28. *Frais funeraux reputez dettes.*] Quia spectant ad heredem, ut debita contracta in obitu, vel post obitum defuncti.

Art. 35. *Ne bailler à autruy.*] *Scilicet alienando: sed benè* en baillant à ferme, laquelle les heritiers ne peuvent prendre.

Art. 42. *Trépassé & elle.*] Vel etiam eo constante, si ipsa quoque contraxit.

Art. 44. *Sera suffisamment interpellé.*] Limita in heredibus suprà §. 35. Et nihilominus potest fors exigi, ut dixi *in tract. commercior, & usura.*

CHAP. V.

Des rentes vendues à rachapt & execution.

Art. 49. *Vent choisir.*] Id est, beneficium discussionis, vel ordinis sublatum, etiamsi de hoc nihil dictum sit in instrumento, jure subdito consuetudinis.

CHAP. VIII.

Des successions.

Art. 60. *La tierce partie des biens.*] Quia utitur verbo quotæ, & verb. bona, certum est quod prius omne æs alienum de tota massa deduci debet, & trens residui erit legitima.

Art. 61. *Ledit testament est nul.*] Habet locum sive in filiis, sive liberis, sed si supersint quinque naturales, & legitimi vel plures, tamen valet testamentum, sed ipso jure suppletur legitima usque ad semissem *l. omni modo, C. de inoffic. testa.* non enim loquitur consuetudo, quando est tantus numerus filiorum, nec est intelligenda, ut diminuat legitimam filiorum jure naturæ debitam. Et quod hic §. tantum loquatur de descendentibus, nec possit congruere collationibus, qui non reddunt testamentum nullum, latè probavi in consi. 46. Tom. I. contra Chassanæum hic.

Art. 62. *Esdites deux parts.*] Verum est in collateralibus, & etiam in filiis, quando non sunt ultra quatuor, aliàs filii saisiti sunt de semisse, quia legitima ipso jure testamentum rescidit *l. quoniam in prioribus, C. de inoffic. testam.*

Art. 63. *De derniere volonté.*] Secus inter vivos, de quo latè dixi in consi. 59. lib. 1.

Art. 64. *Paternels ou maternels.*] Respectivè est: mater non est inhabilis in maternis, vel avitis maternis; & §. sequens habet locum etiam in matre.

Art. 68. *Ou loingtain degré.*] Salvo quod testator potest dare, vel legare messem alii non succedenti: ut suprà §. 61. Salvo semisse filiorum, quod sunt ultra quatuor, ut ubi dixi.

Art. 69. *Enfans de plusieurs freres ou sœurs.*] Id est, aliquis ex fratre, vel sorore prædefunctis; alii ex alio fratre, vel sorore prædefuncti. Hæc erat opinio Accursii, quæ etiam de jure vera est, quicquid Zasius scripserit. Ideo expunxi verbum, *Latis*, quod erroneè in omnibus exemplaribus adusque exstabat.

Art. 70. *Et branche.*] Per hæc verba sæpe consului quod hic §. loquitur tantum de hæredis, & non corrigit jus commune nisi in hæredis in quibus repræsentationem statuit in infinitum.

Art. 71. *Descendans d'elle, tabl.*] Quidam magni nominis putant hanc consuetudinem intelligi suspensivè, non autem exclusivè: sed errant; ad futuras ergo successiones desinet hæc filia esse inhabilis, postquam defecerint masculi: sed non ad præteritas.

L'impetrer du Prince.] Sed in patria juris scripti nulla opus est impetratione, sed præscriptione solemni. Art. 71.

Collateraux.] Hæc sententia vicit, rejecto ubique prætenso privilegio Cisterciensium. Art. 74.

CHAP. XI.

Des retraits.

De quelque costé qu'il soit.] Et sic multo fortius excludit fiscum in præsidiis antiquis alterius linex. Art. 104.

CHAP. XII.

Des Censes.

Vins & autres choses.] Ergo vi tituli particularis, & non vi consuetudinis, ut *des reliefs à cher prix*, Blesis, dixi in consuet. Paris. §. 66. & per Arrestum obtinui. Art. 115.

* *Mouvans de cense.*] Intransitivè, id est, *censuels.* Art. 115.

CHAP. XIII.

Des advenx.

Emporte l'homme.] Id est, instantiam, *par renvoy*, etiam rei carceratæ: dummodo dominus ad quem, habeat debitum exercitium jurisdictionis, & tutos carceres; aliàs judex regius debet, & potest remissionem denegare, & lege agere per ea quæ dixi *in consuet. Paris. §. 2. gl. 4.* Art. 121.

Ou a ses Officiers.] Id est, ad judicem Regium ordinarium superiorem dicti domini: ad hoc Joan. *Lab. §. universitatis inst. de verb. divis.* Art. 124.

Qui est à present.] Car il ne ressortissoit au Roy ny au Parlement de Paris; il ne devoit que hommage au Roy à cause du Duché. Art 125.

COUSTUMES GENERALES du Comté de Bourgongne.

Bourgongne.] *Accordées par les trois Estats de ladite Franche-Comté, & redigées par écrit sous l'auctorité du bon Duc Philippes Comte de Bourgongne en Decembre* 1459. in quas Commentaria scribere etiam à primoribus Senatus dum ibi profiterer, antè rogatus fueram, & cœperam: sed à Rege Philippo delatoribus, & invidis infœlices aures præbente pulsus, & aliis negotiis occurrentibus, desistere coactus fui. Art. 1.

CHAP. I.

Des Fiefs.

D'hommage non fait.] Non dicit, *droicts ny devoirs*, quia hujusmodi pecuniaria jura ibi sunt in feudis jure publico consuetudinis. Art. 2.

Pour cause dite.] Id est, ex causa prædicta vulgo *faute d'homme.* Ex verba *delaissant hoirs*, stant ampliativè, etiamsi supersint, vel appareant hæredes, sive descendentes, sive collaterales, aut qualescumque; Idem fortius si feudum vacat. Art. 7.

Comme dit est.] Scilicet per viam ultimæ voluntatis, etiam si hic qualiscumque successor possessionem capiat vivo vasallo, dummodo ex titulo ambulatorio, & non sit penitus incapax, ut §. seq. in fi. Art. 6.

Les Religieux.] Qui quia incapaces feudorum non gaudent hac immunitate, de qua in hoc §. scio tamen Art. 9.

quod quidam etiam ex ordine rogato Sequanorum dicunt, quod monachi hîc excipiuntur, ut possint exercere jus commissi indistinctè, etiam in cives munificos, à quibus opulentas has fundationes acceperunt: & ideo legunt, *excepté des Religieux*, ut vidi in quodam solemni transsumpto. Sed hoc est durum & iniquum, & etiam contra se ex parte, *extra decensib.* Ideo puto retinendam communem literam, & intelligendum ut dixi.

Art. 10. *Et lignagers.*] Non solum unde procedunt hæredia, sed etiam ex diverso latere, quia possunt in defectum aliorum de linea succedere: nec etiam hic text. requirit quod sint proximiores in successione, quia etiam sunt habiles ad retractum proximitatis per hanc consuetudinem, & expressè per consuetudinem Ducatus, §. 4. dicti tit. & commissum est odiosum, & multo odiosius dicto retractu.

Art. 11. *De hoirie racheter.*] Id est, jure retractus cognationis retrahere, & sic sunt penitus extranei, & inhabiles ad succedendum, etiam omnibus aliis abstinentibus.

Art. 13. *Depuis trente ans.*] Secùs ergo si per triginta annos fuerunt in domanio, & sic deliérunt solere concedi.

Art 16. *Possession reelle.*] Secus de civili, ut ex constitutrò. Sufficit etiam tacitus consensus patroni, quia dictio, *sans*, omnem speciem consensus negat. Si ergo dominus fuerit hdejussor, vel mandator alienantis, vel acquirentis, cessat pœna. Adde quæ de interpretatione hujus Consuet. dixi *in consuet. Paris.* §. 56. *num.* 28. *cum seq.*

Ibid. *Du Seigneur dudit Fief.*] Ista pœna non habet locum in rebus censualibus, sed etiam ibi locus est laudimus, non in feudis.

Art. 17. *Des Religieuses.*] Cum ergo sint prohibitæ acquirere, multò facilius cadunt in commissum, domino etiam neglecto, & sic confirmatur hæc interpretatio mea, suprà, §. 7.

Art. 20. *Exprimez en droict.*] Scilicet in usibus feudorum, seu consuetudinibus Insubriæ, quas isti putabant esse de corpore juris, quem insulsum errorem correxi *in consuet. Paris. in rub. tit.* 1. *ed fi.*

Art. 23. *De ladite chose feodale.*] Hoc valde insulsum, & corrigendum per ea quæ scripsi *in consuet. Paris.* §. 1. *glo.* 3. §. 35. §. 41.

CHAP. II.

Des gens mariez.

Art. 24. *Entre les vifs.*] Nisi sit publica mercatrix in earn negotiationem competentibus contractibus, ut ibi etiam in judiciis observari vidi: quamvis consuetudo hoc expresse non excipiat.

Art. 25. *Demeure Seigneur des meubles.*] Sed non è contra, nec mulier paris est conditionis, ut infra §. 35. in fi.

Art. 26. *Et donée.*] Ita veteres libri etiam Lugduni impressi, pro quo recentiores malè habent, *donnée.*

Ibid. *A la tierce partie de son dot.*] Id est, de tanta summa, quanta tertia pars dotis viro datur, ostendit.

Art 27. *Sement faits.*] Hæc duo referuntur post verbum, *faicts*, nec excludunt mobilia undecumque venientia; sed tantum præteritos acquæstus, ut § seq. ubi vi consuetud. habet partem in mobilibus simpliciter, & sic undecumque, & §. 29. 30.

Art. 31. *On prend s'assigner.*] Et sic, *ja payez*, marito, non ut caderent in mobile, vel communionem, sed ut reddi debeant: sed quando est mora dotis per dotantem solvendæ, recipitur apud Sequanos, ut ibi vidi inter nobiles pactisci de septem in centum annuatim; quæ est ferè duplex centesima: de usuris autem dotalibus dixi *in tract. de contract. & usurar. num.* 525 538.

Art. 32. *Par convenance amenblez.*] Ut semper de aliqua modica parte facere solent, ut ibi vidi.

Art. 36. *Sera debt.*] Id est, etiam si soluto matrimonio fiat redemptio, debet superstes vel ejus hæres mediam partem pretii solvere quasi abjisset in creditum, ita etiam intelligitur, §. seq.

De fondit feu mary.] Scilicet si etiamsi ultimi filii succedunt patri, & si non succedunt, capit super parte hæreditatis quam illi habuissent, & si hi soli succedunt, capit super tota hæreditate, ut dixi in Consiliis meis Dolanis. Art. 40.

La renonciation ausdits biens.] Quæ capit ratione matrimonii; secus de his quæ capit ex pacto contractus matrimonii, vel etiam quæ capit ex legato mariti in quo est tanquam extranea. Art. 42.

CHAP. III.

Des successions.

Testamentaire institué.] Scilicet in quota vel asse: secus si in re tertia, nisi esset filius. Art. 43.

Et non par teste.] Nisi respectu legitimæ quæ semper in capita: ut dixi in consiliis Dolanis. Art. 45.

En quoy sera gardé le droit écrit.] Et sic duplex vinculum non excedet fratres, & filios fratrum. Art. 46.

Freres & sœurs.] Et sic non solum in directa: sed etiam in collaterali: quod est pro opinione Accur. & communi, contra Azo. & Zasium. Art. 47.

D'eux legitimes.] Secus de legitimatis, quia non possunt legitimari in præjudicium hujus exclusionis limitatæ sive consuetudinariæ, sive conventæ: adde quæ scripsi *in consuet. Paris.* §. 8. *glo.* 1. *q.* 8. Art. 48.

Ne d autres donations.] Inter vivos multominus, & testamentarias. Art. 50.

CHAP. IV.

De Prescription.

Iusques après trente ans.] Adde quæ super hoc §. dixi consi. 25. num. 10. 11. Tom. 1. Art. 52.

CHAP. VII.

Des Sects.

Sects.] Vincula, sunt bina quibus pedes, & manus includi solent. Art. 54.

Adjonster.] Id est, æquas facere, & consequenter iniquas rumpere, nisi quatenus non dolo, sed usu & interstimento minores factæ sint, & reduci possiunt. Ibid.

CHAP. XII.

Censes.

En échanges.] Et multò minus in donationibus, ut infra sequitur. Art. 65.

CHAP. XIII.

Rachapes.

Dés le jour de la possession Royalle.] Continuée & non clandestine: *Et satis infra*, §. *seq.* §. 70. Art. 67.

De droict de retenue.] Hoc juitum, quando constat *du bail fait à la charge de retenuë*, aliàs potior est contraria consuetudo ducatus. Art. 72.

Si l dit prix excede.] Ad hoc *l. Aristo. ff. de donatio.* Vide Andr. Tiraq. *in tract. de retract. proxs.* §. 33. Art. 72.

De la main-morte.

Main-morte.] Multa hac in re edita consilia Mont-Belgardi, & Dolæ quorum duo extant in primo Tomo consilio 16. 17. Art. 83.

Il y prend.] Vetera exemplaria habent, *Et il y prend*, quod melius quadrat. Art. 84.

Art. 88. *Main-morte advient.*] Ut suprà §. 87. infrà §. 89. 96. 98. hæc ergo qualitas ni negetur, probanda prius erit.

Art. 89. *Demeurans avec eux.*] Scilicet in communione, non enim sufficit quòd sub eodem tecto quod non attenditur, sed bonorum communio, §. 96. 97. 98.

Art. 101. *Considerée la chose.*] Ergo multo magis qualitate personæ testis.

LES COUSTUMES D'AUXERRE accordées par les trois Estats.

CHAP. I.

De *haute Justice, moyenne & basse, & des exploicts d'icelle.*

Art. 1. *Marquer.*] Contra *l. si quis in metallum C. de pœnis* quam Galli non servant, nec plures aliàs.

Ibid. *Deporter.*] Verba juris qui vicum, penitus exotica, Gallis: unde liquet hanc consuetudinem, ut pleraſque aliàs conscriptas esse à quibusdam leguleis jurium, & usuum Franciæ expertibus: deportatio quidem hodie comparatur perpetuo, Relegatio verò temporali exilio: sed hæc ridicula sunt in dominis locorum, qui non possunt ultra suum territorium, dixi *in consuet. Paris.* §. 198.

Art. 2. *Haut-Justicier.*] Imo hoc est mediæ jurisdictionis (quam rerum imperiti stultè vocant mixtum imperium) per omnes ferè nostras consuetudines: ut etiam patet per effectum sequentem.

Art. 5. *Du vieil bois.*] Idem de lapidibus, vel columnis lapideis, aut alio certo vestigio.

Art. 7. *Haut-Justicier.*] Erroneum & iniquum: quia tantum pars fisci debet illi accedere: ideo debet hic articulus restringi ad partem fisci: in quo apparet stupiditas nobilium Franciæ, qui ut ad epulas huc venerunt, & epulati sunt, & non prius de juribus suis consultarunt.

CHAP. V.

De *forfaiture & confiscation.*

Art. 30. *Ne paye nulles debtes.*] Sed non est justum quod perdat mediam mobilium, & conquæstuum quam extraneus socius non perderet, & quam maritus alienare non potest universaliter.

S'ensuit la Coustume de Varzy.

Art. 31. *La Coustume.*] Localis quæ generali interscribitur.

CHAP VII.

De *retraits.*

Art. 42. *En retraits.*] Quod est verissimum, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 57. *ut in tract. reditu. & usurarum.*

CHAP. VIII.

Des successions, partages & divisions.

Art. 63. *D'un costé.*] Et sic prærogativa duplicis vinculi sublata.

Art. 67. *Doivent proceder.*] Thios defuncti, & hæc pars verior, *per §. illud palam in Auth. de hæred. ab intesta.* & sic retinendus est art. 66.

Art. 75. *Droict de representation.*] Nisi parens contraxerit matrimonium spreto indignè parente, de cujus successione agitur, qui tanquam illud matrimonium approbavit: non eadem sors est obedientium, & inobedientium.

Compter & appartenir.] Et hoc verum: quia est in defectum parentum, nec est successio peregrini, sed civis. Art. 79.

CHAP. X.

De testament, institution d'heritier, &c.

Disposition testamentaire.] Igitur multò minus inter vivos, ut etiam patet infrà §. 12. Art. 94.

Se sont opposez.] Hæc oppositio nulla & abusiva. Ideo standum art. 106. Art. 105.

CHAP. XVII.

Des rentes foncieres, volages & hypothecques.

Nature de meuble.] Idem major pars consuetudinum, & justius, est ut probavi *in consuet. Parisi.* §. 57. *& in tract. reditu. & usurar.* Art. 385.

CHAP. XXI.

De doüaire prefix ou coustumier.

Ramené à la moitié.] Hæc indicat, *le doüaire coustumier*, etiamsi non aliter expressum in hac consuetudine juncta aliarum conformitate, & juncto §. 262. infr. eod. Art. 321.

GOUSTUMES DE NIVERNOIS.

CHAP. I.

De *Justice & droicts d'icelle.*

Nivernois.] Auparavant ces presentes y avoit anciennes Coustumes de Nivernois, & de Donziois faites par assemblée des trois Estats, par autorité du Duc de Brabant, & Comte de Nevers, ancien appanage de Bourgongne, le 23. jour de Juin l'an 1490. Depuis ratifiées & restifiées comme anciennes, le 2 Juin 1494. imprimées à Paris. Les Coustumes de saint Pierre le Moustier sont quasi toutes semblables aux presentes, & furent écrites par le mandement du Roy Louys XII. mais non pas homologuées: je les euſſe adjoustées aprés les presentes, si les Officiers du lieu ausquels en ay écrit, m'en eussent envoyé copie signée du Greffier. J'en ay bien mon extrait, mais je ne le repute pas suffisant pour imprimer, & comme du temps des Ducs de Bourbon & d'Auvergne, Mont-Ferrant enclavé dans Auvergne estoit siege Royal, aussi saint Pierre le Moustier enclavé dans le Nivernois est siege Royal. Nevers, *ab antiqua tantum erat Comitatus nuper in ducatum erectus.*

Toute espave.] Toute chose meuble ou soy mouvante trouvée, dont on ne sçay à qui elle appartient. Idem saint Pierre le Moustier, §. 1. Art. 1.

Luy peuvent advenir.] Cela aussi a esté defendu par l'Ordonnance du Roy Charles VIII. Et est ordonné mettre separément un Fermier ou Receveur des amendes. Art. 28.

CHAP. II.

Des confiscations.

Confisque les biens.] Sed an judex hujus Comitis, vel Ducis possit confiscare bona extra suum territorium sita dixi *in consuet. Paris.* §. 198. Art. 1.

CHAP. IV.

De Fiefs.

Art. 1. *Assignation derechef.*] Id est non obstante oblatione vasalli facta in loco dominanti, & est æquum nec inanis est oblatio, quia in hoc prodest, ut non possit feudum statim prehendi: sed mediante prævia interpellatione.

Art. 17. *Pour icelle faire.*] Etiam possessione capta, & hæc clausula videtur nova per finem, §. 19.

Art. 20. *Dudit Fief.*] Adde quæ dixi *in consuet. Parisi.* §. 8. *glos.* 1. 4. *q.* 8. *num.* 39.

Art. 50. *Partie presente ou appellée.*] In quo plus addit consuet. Aurelia. §. 91.

Art. 51. *Ou autrement.*] Etiamsi nec investitus sit, nec in fidem admissus, nec alias ullas oblationes fecerit, per ea quæ dixi *in consuet. Parisi.* §. 1. *glo.* 4. *q.* 2. *num.* 27.

CHAP. V.

Des cens, censives, & droicts d'iceux.

Art. 12. *Le Contract est nul.*] Scilicet quantum ad obligationem census, & jurium dominicalium, sed tamen valet in vim simplicis reditus, & propter errorem in quem concedens incidit contractum resolvere.

CHAP. VIII.

Des servitudes personnelles, tailles, &c.

Art. 9. *Divisions de biens.*] Ergo mater communis renubens alii, & ad eum vadens non facto inventario, non se separat, sed manet communis ut prius: Ergo filiæ morienti fratre succedit non dominus: facit §. 11. & quamvis mater quædam abstulerit, *sans forme de partage*, tota communio durat.

CHAP. XII.

De Dismes.

Art. 8. *Choses prophanes.*] Idem consuet. Blesensis, §. 63. sed est generale in toto regno, ut dixi *in consuet. Parisi.* § 46. *q.* 4. *num.* 16. *cum seq.* Idem etiam specialiter consuetur. Bituricensis, tit. *de droicts prediaux.* § 16.

CHAP. XXII.

Des communautez & associations.

Art. 4. *Point sur eux.*] Quod sequitur in isto artic. est additum de nova consuetudine seu moderatione, sed ante hanc ultimam redactionem factam anno 1554. sufficiebat simplex contractio, vel declaratio unius solius, & ita vidi probatum per sex turbas testium factas anno sesquimillesimo quadragesimo quinto; pars tamen adversa jactabat totidem turbas contrarias.

CHAP. XXIII.

Des droicts appartenans à gens mariez.

Art. 17. *Ou ayons cause.*] Hoc est indistinctè verum contra maritum, sed non respectu aliorum nisi e[illegible] assignatio annua, & sic habens vim immobilis.

Art. 24. *Par pere & mere vivans.*] Non requiritur utrumque esse viventem, nec eum quidem de cujus successione agitur ut sequitur.

Ibid. *Ne de l'un d'eux.*] Etiam præmortui, qui tamen huic donationi, ad hunc finem consensit; etiamsi aliàs filia expressè non renunciaverit.

Ibid. *Par leurs decés.*] Ergo si parens postea pauper fiat, non nocet filiæ: Sed si diteſcat, ei prodest, & est æquum.

Art. 26. *Si aucuns en ont.*] Sicut habens veniam ætatis non potest ea alienare sine decreto: sed non indiget curatore, *l.* 2. *C. de his qui veniam ætat. impetraverunt.*

Art. 31. *Et en montrant aussi.*] Istud non est intelligendum copulativè, quia sufficiunt præcedentia per se, & etiam sequentia per se.

CHAP. XXIV.

De Doüaire.

Art. 1. *Par la coustume.*] Debet esse, *de la moitié de tous:* quæ per errorem, vel dolum Bourgoïini fuerunt detracta & omissa, Tribuniani more rei suæ consulebat: multi interim fuerunt decepti, & concordare coacti: quia etiamsi alia probaretur consuetudo, qualem suppleo: tamen viduæ dicebant se deceptas: quia credebant ita esse, ut in libris compilationis Bourgoïini impressis, & quod hac spe nupserunt: sed dico quod etiamsi huic novo errori staretur: tamen filii prius detraherent legitimam, facit suprà tit. præced. §. 24. in fi. Tum. §. 8. in fra eo satis ostendit quòd doarium est minus hæreditate, ergo non comprehendit totum. Tum non est verisimile quod maritus nihil retineat prædiorum, & quod filii haberent omnia prædia paterna jure proprio, non adeundo hæreditatem patris, nec solvendo obolum creditoribus. præterea clarissimè probatur error per §. 5. infra eo ibi. [La premiere, comme dessus, *scilicet*, §. 1. la seconde du quart, la tierce du huitiéme, *Ergo* le Doüaire de la premiere, dont parle ce premier article, n'est que de la moitié, *etiam* eu égard à ceux que le pere posſedoit au jour du mariage.]

Art. 8. *Aprés le trépas du pere.*] Par Arrest aux enquestes du 14. Aoust 1510. au profit de Maistre Charles Berthier lors Advocat en la Cour, contre Pierre Berthier, Escuyer son pere. *Post obitum matris* fut adjugé *filio*, (*sub hac consuetudine,*) la proprieté du doüaire de la mere, reservé au pere l'usufruict. *Sed ego dico: nihilominus erat caduca si filius prædecederet patri. Et sic valde errabat quidam dicens*, que doüaire ne remonte, & *consulens* à Joachim Girard Seigneur de Chavenon, [vendicare contra cognatos suos germanos tanquam filius amitæ patris eorum, videlicet contra filios, bona patris quæ pater dederat primæ uxori in doarium, quæ reliquit Imbertum filium, qui triginta tantum diebus vixit post matrem, unde pater aliam duxit uxorem, & filios reliquit,]cousins germains du demandeur, qui par plus de 25. ans plaida folement, & furent données audit procés plusieurs folles interlocutoires pour raison des turbes de l'ancienne Coustume: car il estoit clair que les defendeurs enfans de Philippe de Platiere devoient estre absous.

Art. 9. *Usufruictiers n'ont droict.*] Per hanc consuetudinem derogatur tacito mandato quod aliàs hæc vidua haberet tacito nomine proprietarii sub qualitate doariæ, ut scripsi *in consuet. Parisi.* §. 1. *gl.* 1 *q.* 1. *ad fi. num.* 24. *secundum veterem, & num.* 36. *secundum novam editionem.*

CHAP. XXVI.

Quelles choses sont reputées meubles, &c.

Art. 13. *Descendu dudit acquereur.*] Et sic jus retrahendi, ut pote restrictum ad descendentes à stipite est strictius quam jus succedendi ab intestato per hanc cons. sed per consuet. [de S. Pierre le Moustier, & du Bailliage d'Auxerre, procham de Chateauchinon, c'est assez d'estre de la consanguinité & parenté du vendeur, ou de ceux dont meut & procede l'heritage, côme à Paris, sans ce qu'il soit requis estre descendu du vendeur, ou de l'estoc & ligne dont meut l'heritage, comme j'ay veu par plusieurs turbes.]

CHAP.

CHAP. XXVII.

De donations.

Art. 6. *Donation à cause de mort ne saisit.*] Etiamsi clausulæ precarii, vel constituti adponantur. Ad hoc Joan. Fab. *in §. alteri, inst. de inutil. stipul. secus* s'il y avoit tradition reelle.

Art. 10. *Des choses données*] Pater & mater dederunt filiæ terram, quæ matris tantum] en mariage : il advient qu'elle n'eſt pas heritiere de ton pere, mais ſeulement de ſa mere, ſes freres veulent qu'elle compte ladite terre entierement en la ſucceſſion de la mere? [Reſpondi mero jure rectè petunt, ſed filia poteſt offerre *de rapporter le tout* in ſucceſſione materna, dummodò ſibi detur legitima de bonis patris uſque ad valorem dimidiæ dictæ terræ, poteſt enim pater dotare de re aliena, & frater dotatæ patris hæres tenetur de evictione l. ult. C. de dot. promiſſ. ſecùs ſi fuiſſet vitricus.]

Art. 12. *Rapport ou collation de la chose donnée,*] Quia tunc ſuccedendo non tenetur conferre. Fallit quatenus aliorum liberorum legitima læderetur. Item fallit ut ſemper teneatur imputare in legitimam, ſi opus ſit *per not. in l. illam C. de collatio.*

Art. 11. *Et sont irrevocables.*] Si autem eſt donatio univerſalis, vel quotæ ſucceſſionis non impedit quin titulo particulari donator diſponere poſſit inter vivos, vel in teſtamento ſine fraude aliàs quam per inſtitutionem.

CHAP. XXXI.

De retrait lignager.

Art. 2. *Dedans dix jours.*] Id eſt ad decimam, & non longiorem diem, ſcilicet ſi emptor conqueratur; ſecùs, ſi non objiciat de minus longa dilatione, quia non poteſt per aliam, etiam concurrentem ad reditum objici ſi emptor nolit hunc defectum objicere, nec primum excludere.

Art. 3. *Sort principal y contenu.*] Niſi prætendat minoris væniſſe, & augmentum pretii ſimulatum eſſe : quia tunc poteſt offerre, vel conſignare verum pretium tantum: ſed hoc pendebit à probationibus, nec tenebitur inſtrumentum etiam publicum venditionis arguere de falſo: quia aliud merum falſum : aliud fraus : aliud ſimulatio.

Art. 8. *Et la cause simplement.*] Et non fructus, niſi à die litis conteſtatæ, *l. certum, C. de rei vendic.*

Art. 9. *A l'encontre du retrayant.*] Ad eum excludendum non quin interim, & ſtatim poſſit uti retractu ad onus, ut etiam explicat conſuetudo *de S. Pierre le Moustier.*

Art. 15. *Censier ou Bourdelier*] Docentibus ſe tales eſſe, ergo cauſa cognita ſeu parte vocata : ſed ſi tabellio eos noverit, poteſt tuto dare.

Art. 18. *Vendition de rente.*] Conformis eſt toti articulo Conſuet. *S. Pierre le Moustier*, §. 7. ſed tamen excipitur conſtitutio redituum duodecimæ, ut dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 57.

Art. 20. *En bourdelage.*] Idem conſuet. *de S. Pierre le Moustier*, §. 12. & §. 14.

Art. 25. *Religieux de quelque Religion.*] Intellige de ſecta quæ inducit incapacitatem habendi proprium in particulari, *ut in c. Monasterium, extra de ſtatu regular.*

Art. 29. *N'y a point d'eviction.*] Scilicet ex contractu iſto, ſed bene ſi trahatur ex alia vetuſtiore venditione.

CHAP. XXXIII.

Des teſtamens & codicilles.

Art. 5. *N'en a autrement disposé.*] Refertur ad proximum, videlicet ut executor poſſit tradere partem hæredi juſtè legati, ſi hoc teſtator diſpoſuerit, prout in hac clauſula, *Elle a voulu que sondit mary & executeurs le peuſſe prendre par ſes mains* : quod etiam valet de jure, *l. Titia. §. 1. de legat. 2.*

Art. 13. *Et deux témoins.*] Et ſic ſemper requiritur ſcriptura, etiamſi teſtamentum ſit nuncupativum, fallit in teſtamento militari, ſi fortè caſtra eſſent in hac regione. Item fallit tempore peſtis, ut in caſu de quo conſultus fui. Quidam *devant un Prestre Notaire d'Eglise*, fecit legata nepotibus ex fratre præmortuo, deinde frater ſuperſtes [traite tout ſeul ledit teſtateur en la peſte, lequel devant témoins dit pluſieurs fois qu'il revoquoit ce qu'il avoit fait devant le Preſtre, & connoit tout à ſondit frere qui le panſoit] Reſpondi quod valet hæc ultima voluntas, quia fit diminutio ſolemnitatis tempore peſtis, *l. ult. C. de teſtam.* tum quia ſolemnitas hujus §. non eſt eſſentialis, ſed probatoria: nec obſtat conſtitutio *de l'an 1539. de non legues aux gouverneurs*, quia non habet locum in hoc momentaneo, & tam neceſſario regimine, ne morientes auxilio deſtituantur : Tamen die Jovis 17. Martii anno 1565. hæc cauſa in Senatu acta ad conſilium remiſſa fuit.

CHAP. XXXIV.

Des ſucceſſions.

Art. 1. *Des ſucceſſions.*] Cum §. 1. & 2. conformatur conſuet. *S. Pierre le Moustier.*

Art. 8. *Posé qu'ils soient.*] Scilicet deſcendentes è collateralibus defuncti.

Art. 10. *Succede par ligne.*] Et ſic ſervatur opinio Accur. Et communis quæ juſtior, & verior eſt, quicquid Zaſius in novis ſuis intellect. ſcripſerit.

Art. 11. *A lieu in infinitum.*] Et ſic ſemper ſucceditur in ſtirpe etiam inter decurrentes in eod. gradu §. *cum filius inſtitu. de ſucceſſio. ab inteſt.*

Art. 41. *Sœur de leur pere.*] Stulta conſuetudo, niſi reſtringatur in favorem conjunctorum utrimque ex anno 1536. audiebam Bourgoinum ſic ſcribi curaſſe in rem ſuam, ut alios excluderet. Conſuetudo verò *S. Pierre le Moustier* hoc ti. §. 9. ſic habet. [En ſucceſſion collaterale le maſle forcloſt la femelle en pareil degré, ſauf au ſiege & reſſort de Cenquoins, & ès Seigneuries de Chaſtel-chinon & de Lorme, où le maſle ne forcloſt la femelle, ſinon entre nobles.]

Art. 15. *Fauxbourgs.*] Hæc enim Suburbia ſunt aliud territorium; aliæ juriſdictio quam in oppido, ut videatur oppidum ſeparatum, ut ferunt de oppido ſancti Germani pratenſis in ſuburbio occidentali Pariſiorum, & de ſuburbio Londini in Anglia.

Art. 16. *Freres Germains.*] Idem conſuet. *S. Pierre le Moustier*, §. 12.

Art. 17. *Ou par autres.*] Scilicet per carentes liberis inter collaterales.

Ibid. *Tient & vaut.*] Salva tamen legitima reſpectu deſcendentium, jux. *l. ſi cogitatione C. famil. erciſc. & ſup. tit.* des donations, §. 7.

Ibid. *Vestus & saisis.*] Tanquam hæredes ab inteſtato, unde portio præmorientis ſine liberis accreſcit aliis : ſed omnes ſolvunt debita viriliter, juxta *l. 2. C. ſi cert. peta.*

COUSTUMES ET USAGE DE LA Ville, Taille, Banlieuë, & Eſchevinage de l'Iſle, &c.

L'Isle.] Has clariſſimus dom. Joannes Ranz juris utriuſque Doctor è Bruxellis ad me miſit. Sed quia non pervenerunt ad me niſi poſt Nivernenſes jam impreſſas, non potui eas ſuo loco, id eſt, poſt Artheſienſes collocare; ſed quam potui, proxi loco.

recurrere ad Cancellariam quæstuariam, quæ ibi nulla est, quod est justum.

CHAP. LXXVII.

Coustumes de Fiefs. Et comment l'on devra succeder en iceux.

De leur grand-pere.] Hoc valdè iniquum quando filius non contraxit matrimonium spretis, parentibus, ut Esaü : sed de consensu parentum, ut Jacob. *Genes. 26. in fi. 27. tetigi. in consil. contra Trident. art. 46. Latino & Gallico.*

A celuy qui aura succedé.] Istud non est æquum, & insuper est contra art. præcedentem : longè satius haberi pro hæredio cum sint bona stirpis, *l. 3. ff. de interd. & relegat.*

CHAP. LXXXVIII.

Touchant bastards.

Aprés leur trépas.] Contrarium servatur in Francia, ubi liberè testari possunt, licet aliud sit de peregrinis.

LOIX, CHARTRES ET COUSTUMES du chef de la ville de Monts, &c.

CHAP. III.

L'échange d'oncle & tante.

PAr estoc.] Id est, in stirpes juxta opiniones Accursii & communem, sive Dini, Bart. Phi. Corn. in *Auth. cessante C. de legi. hær.* quæ est vera, & communis sententia, maximè in feudis, Albert. Bru. *consil. 76. inter cons. feudalia*, idem Jo. Fab. *in §. cæterum inst. de legi. agna. succeff.* Jacob. Alvarot. *c. 1. de succes. feuds in usi. feud.* latè Stephan. Bertrand. *cons. 2. viso consutationis lib. 1.* & latius Andr. Tiraq. *in tract. terra. proxim. §. 11. glos. 11.* dixi in annot. ad Alex. *consil. 35. nu. 4. li. 4.* & ad Phi. Deci. *in l. 3. C. und. legiti.* & plenè *in consuet. Paris. §. 146.* quamvis aliter scripserit Zasius *in novis suis intellect.* numium verbosè contra communem velitatus.

COUSTUMES ANCIENNES DE LORRIS, des Bailliages & Prevosté de Montargis, de S. Forgeau, pais de Pusaye, Châtillon sur Loing, & autres lieux ressortissans audit Bailliage de Montargis, Comté de Gien, &c.

CHAP. I.

Des Fiefs.

MOntargis.] Encores de present 1566. à tres-haute, tres-illustre, & tres-vertueuse Princesse Renée de France, fille du tres-illustre & tres-vertueux Louys XII. Roy de France tres-Chrestien, pere du peuple zelateur de Justice, Ducheſſe Doüairiere de Ferrare, Ducheſſe de Chartres, Comteſſe de Gisors, & Dame dudit Montargis.

Art. 1. *Hommage d'icelle rente.*] Aussi en cas de rachat il se payera sans déduire la rente, & si le Fief se vend à la charge de la rente, quint denier sera deub aussi du pris de la rente ou de l'estimation d'icelle, si elle n'est constituée par argent. Et en cas que le Seigneur faille les fruicts sieus, ce sera sans rien payer de la rente.

S'il est Chastelain.] Non alius, & nunquam Ecclesiasticus, nisi certis locis, §. 91. Art. 5.

Cy-aprés dit.] §. 17. §. 70. *Scilicet ut faciat fructus suos à tempore* de la saisie contre un autre que l'heritier: Mais contre un heritier, il faut que ce soit non seulement depuis la saisie : mais depuis les quarante jours, *adde infra*, §. 11 12. Art. 8.

Offres & significations.] Intellige etiam post 40. dies, ut suprà, §. 13. Et dummodo vasallus nihil sibi recondat de fructibus dicti anni, sed eos omnes capi permittat à domino. Art. 15.

De ladite garde.] Sub titulo gardiæ non titulari, vel administratorio, & eorum fidis testibus, vel tabellione infrà 40. dies, & hoc facto non requiritur declaratio judicialis. Art. 26.

De ligne directe.] Non solùm descendentis, sed etiam ascendenti, ut dixi in consuet. Paris. §. 2. Et expressim consuet. Trecensis, §. 25. Calvimontis, §. 16. 22. 25. 40. & Carnotensis, §. 16. quidam hanc immunitatem extendunt in fraterna, vel sororina successione, ergo & donatione in anticipatione successionis. Sed Alverniæ, & aliis locis de quibus dixi in consuet. Paris. §. 23. Nulla ullo casu jura pecuniaria debentur. Art. 33.

Interdiction.] *Voyez le procés verbal*, & idem sub consuet. Aurelianens. dixi in consuet. Paris. tit. 1. Sed longè durior est consuetudo apud Marpurgum Hessorum, ubi filii primi matrimonii habent omnia immobilia, filii verò secundi bona mobilia, ut testatur Joan. Ferrarius Montanus Marpurgensis Professor, quem ibi vidi *instit. de jure natur. gent. & ci. 9. ex non scripto.* Art. 39.

Donation faisant.] Scilicet donando genero, ut infrà, §. 77. 78. 84. Art. 41.

Peut acquerir.] Non tantum intelligitur de retractu feudali, sed etiam de voluntaria acquisitione, vel successione, vel legato. Art. 44.

Seigneur du Fief.] Strictius loquuntur consuet. Nivernensis, §. 50. 52. & Alvernensis, §. 91. dixi in consuet. Paris. §. 1. glo. 4. Art. 52.

De ladite faculté.] Scilicet 9. annorum, ut §. seq. Art. 77.

Pour une fois seulement.] Id est, per eumdem contractum, vel prorogando, non excedendo illud spatium. Secus si semel viderit, & redemerit infrà id temporis : quia potest iterum vendere sub simili facultate, & deinceps. Sed non ejusdem venditionis facultatem redimendi prorogare ultra an. 9. nec vendere sub dicta facultate cum pacto renovandi venditionem, vel prorogandi ultra id temporis, ut in simili dixi in annot. ad Alexan. *cons.* 165. *lib. 2. & cons.* 104. *lib. 3. in l. 1. ff. nunumissiones ff. de justi. & jure.* Petr. Anchar. *consil.* 57. Art. 78.

Profit de rachapt.] Idem consuet. Aurelianensis, §. 31. sed est iniquissimum, & restringendum ut procedat quando à principio nulli sunt gardiani : ita quod initio necesse est tutorem, vel curatorem deputari : satis est enim, quod vel momento supervixerit, *aucun gardien ou bailliſtre* : ut etiam restringit consuet. Aurelian. d. §. 31. 34. 35. Art. 34.

CHAP. II.

De droicts & cens censuels.

Censives.] Idem consuet. Aureli. §. 130. Blef. §. 119. Adde consuet. Calvimont. §. 59. Art. 14.

A son Domaine.] Idem consuet. Burgund. §. 5. eo. ti. Nivernens. §. 11. eo. ti. Art. 24.

Iusques à trente ans.] Non post, nec hypothecariè quidem. Art. 29.

Rachete dedans l'an.] Idem consuet. Borbo. §. 407. Victriaca, §. 30. Calvimont. §. 38. Art. 32.

Comté de Sancerre.] Qui est du Duché de Berry, & neantmoins se gouverne selon la Coustume de Lorris & Montargis. Art. 48.

CHAP. V.

Eſpaves & confiſcations.

Art. 3. *Où confiſcation a lieu.*] Jure ſocietatis, præmoriente marito per jus non decreſcendi.

CHAP. VII.

Du droict des gens, & comme enfans ſont faits à leurs droicts, &c.

Art. 2. *Ils acquierent.*] Etiam is qui demigravit, quantumvis dicatur furtum ſui feciſſe, *l.* 1. *C. de ſervis fugit.* quia de filius eſt jus commune quum prætendant ignorantiam, *l.* 2. *C. de præſcript. long. tempor. quæ pro libertat. lib.* 7.

Art. 3. *A leurs droicts.*] Id eſt, ſui juris: Idem conſuet. Victriaca, §. 143.

Art. 5. *Poſé qu'ils fuſent mariez.*] Sed hoc eſt contra §. 2. ſup. eod. niſi quod iſte limitat priorem.

CHAP. VIII.

De communauté d'entre homme & femme mariez.

Art. 2. *Obligez ſeulement.*] Hic debet eſſe hypoſtigma, id eſt, non ſolum ſuperſtes non poteſt executionem rectà niſi pro media, ſed etiam hæres defuncti non poteſt pro altera dimidia pati executionem rectà, niſi conſtet ipſum eſſe hæredem, *ou qu'il ſoit maintenu tel au peril du creancier executant*, ut infrà c. 20. §. 4. tamen ſi ſuperſtes ſolus ſe obligaverit, ſolus poteſt executionem pati, ſalvo ſibi ſuo recurſu, ut dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 116.

Art 8. *Aux creanciers.*] En traité de mariage convenu que la future épouſe ſurvivante pourra renoncer à la communauté, & ſoy tenir à ſes conventions, ce qu'elle fait: Les creanciers luy demandent la moitié de deux ſcedules de ſon mary: Elle dit qu'elle a renoncé: Le demandeur replique de cette Couſtume, & gagne ſa cauſe par le Juge du lieu: la vefve appelle en Parlement: Les gens du Roy en ce Parlement diſoient qu'il ne doit pas eſtre en la puiſſance du mary de charger les propres de ſa femme, & partant reſtraignoient cette Couſtume, quand c'eſt une vefve qui ſe remarie, laquelle ſe doit enquerir des mœurs & biens de ſon mary. Je ne tiens compte de cette raiſon, & dis qu'il avoit eſté mal jugé, & dis que cette Couſtume avoit plûtoſt lieu en une fille qu'en une vefve, & n'y fait rien cette Couſtume: car attendu que la vefve ne prend rien à la communauté, & n'y fait fraude, les craciers ne rapportent dommage de cette renonciation, ce qui eſt aſſez, combien qu'ils n'en rapportent profit: & ainſi ſelon mon opinion fut jugé pour la vefve, *etiam*, de ſon premier mariage: par Arreſt prononcé le Vendredy premier jour de Mars, l'an 1559.

Art. 10. *Si elles ſont rachepées.*] Faut entendre non pas des rentes acquiſes pendant le mariage, mais des rentes anciennes qui eſtoient propres à l'un des deux conjoincts ſeulement, deſquelles n'a pas eſté dit par contract de mariage qu'elles tomberoient en communauté, mais ſont demeurées propres à celuy auquel elles appartenoient.

Art 11. *De l'eſtimation.*] Tempore præſenti inſpecto juxta, *l. domos*, & ibi Alex. *ff. de leg.* 1. 1. Carol. Ruin. *conſ.* 117. *lib.* 3. *conſil.* 165. *nu.* 5. *lib.* 4 Hierony. Gratus *conſi.* 9. *nu.* 15. *lib.* 2. Idem Jacob. de Arenis. Bartol. Bal. Angel. Petr. Jo. Imol. *in d. l. domos. text. in l. unus modo* §. *imputari, videlicet, ita tamen, C. de inofficioſo teſta. dixi in conſuet. Pariſ.* §. 1. *gl.* 5. *nu.* 113.

CHAP. IX.

De ſocietez.

Art. 1. *Expréſſe, ou.*] Hæc alternativa ſtare debet pro copula: aliàs multa abſurda ſequerentur, ut dixi in conſuet. Pariſ.

Immeubles.] *Scilicet de mobilibus quibuſcunque*, & Ibid. des conqueſts faits durant icelle ſocieté ſeulement, *ſecus*, des precedens.

Art. 2. *Avec deux conjoincts.*] Scilicet ab initio, vel ſcienter cum talibus, ſecus ſi poſtea alter ſociorum uxorem forte pauperem ducit.

CHAP. XI.

De donations faites entre vifs.

Art. 6. *Et tenu en Fief.*] Ergo ne peut eſtre ſaiſi par faute d'homme, ſi donator interim eſt in fide, quod eſt æquum: vide quæ dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 22. *quæſt.* 46.

Cauſe de mort ne autrem.] Hæc conſuetudo, & ſimiles hodie correctæ ſunt per conſtitutionem Franciſ. I. anno 1539. & Henrici II. anno 1549.

CHAP. XII.

De donation faite en mariage.

Art. 8. *Ne revienſiſt.*] Id eſt, *Sauf ſi cela ne montoit juſques à la legitime*, & ſic hæc conſuetudo loquitur, etiam in expreſſa, & conventa renunciatione etiam in contractu matrimonii facta etiam auctoribus parentibus, & ſolemniſſimè, & tamen vult tria. Primò quod non poteſt lædi legitima. Secundò quod ea læſa, non tenetur filius, vel filia recipere ſupplementum legitimæ, ſed poteſt venire ad ſolidam virilis partis ſuæ ſucceſſionem ac ſi non renunciaverit. Tertiò quod inſpicitur tempus mortis an minus habuerit legitima, & non tempus donationis & renunciationis: quia verba illa, *Ne revienſiſt*, ſunt extenſiva, & ſic habent tractum temporis uſque ad obitum, *l. filius mater ff. ad Senatuſcon. Tertul. l.* Quod etiam reducit ad diſpoſitionem juris communis *l. cum quæritur C. de inofficioſo teſta.*

Art. 1. *Tenus rapporter.*] Scilicet pro tempore præterito, ſed bene à tempore obitus ejus de cujus ſucceſſione agitur.

CHAP. XIII.

De donations teſtamentaires, & pour cauſe de mort.

Art. 2. *Peut donner.*] Non dicit, *diſpoſer*. Et ſic non erat dubitandum ne legato uſusfructus dimidiæ, *des propres*, quamvis judex Nemorcenſis malè reſtrinxerit ad quartam, & quintam. Ad hoc *l. ſenſimus C. de donatio.* Saltem debebat addi clauſula niſi hæres malleret quintam in feudis, vel quartam in cenſu in proprietatem dare, ut dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 92.

Art. 3. *Appartient aux Juges Laics.*] Etiamſi teſtator eſſet Epiſcopus.

CHAP. XV.

Droicts de ſucceſſions.

Art. 2. *Au degré de la perſonne.*] Non dicit, *en la ligne*, & ſic non ſufficeret, *qu'ils ayent fait ſouche en la ligne dont eſt parent celuy qui veut ſucceder*: ſed requiritur quod ipſa perſona ſuccedere volens, ſit deſcendens de linea, vel gradu, *ou il eſt fait ſouche, ainſi doit eſtre propre reyable.* Idem de conſuetud. Aurelian. §. 251. idem de Pictavienſi. Aliàs etiam oſtendens, vel proximior ſuccedet, vel uterinus, ut etiam patet infrà eod. §. 7.

Art. 3. *Qui y ont interest.*] Sed heres eorum qui consenserunt & postea præmorientur, ligantur pacto, & intellige consensum eorum qui sint majores viginti quinque annis. Reliqua materia dixi *in Consuet. Paris.* §. 149.

Art. 8. *Audit deffunt.*] Hoc justum & generaliter observandum, & quamvis in quibusdam Consuetudinibus contrarium reperiatur, hoc errore irrepsit, & corrigendum est, prout vetus iniqua Consuetudo Meldunensis, art. 101. tacitè correcta fuit per novam, art. 268. 269.

Art. 9. *Est question.*] Hæc Consuetudo justior est Parisiensi, nisi in hereditis in quibus Consuet. Paris. justior est.

CHAP. XVII.

De prescriptions.

Art. 12. *Moindre de trente ans.*] Judicatum per Arrestum Curiæ Parisiensis, quòd hæc Consuetudo non tollitur per Constitutionem latam anno 1539. *des trente & cinq ans*: & bene quia illa Constitutio valde odiosa est, ergo idem de similibus Consuetudinibus, puta Alverniæ.

CHAP. XX.

D'executions de Lettres obligatoires.

Art. 1. *Heritier apparent.*] Idem si sit, sed est minor viginti quinque annis indigens tutore vel curatore, sine quo non potest esse heres, debet ergo apparere persona legitima quæ possit se defendere. Unde sufficit statim quòd creatus est curator hereditati jacenti vel bonis.

Art. 4. *Meubles non enlevez*] Id est, *non transportez*, etiamsi debitor, ut depositarius ea retinuerit, idem si tertius constituerit se depositarium, sed ea reliquit debitori; hoc enim facit suo ipsius periculo.

Art. 11. *Le Juge Laïc.*] Nisi aliàs sæcularis esset competens ut si sacerdos ille erat tutor minoris vel administrator; quamvis in cedula adjecerit, quod etiam proprio nomine promittit: hæc enim dependent ab officio sæculari, exorbitat à regula communi Consuetudinum.

Art. 32. *Profit de rachat.*] Hæc Consuetudo iniqua est & restringenda, quando ab initio nulli omnino sunt custodes; duo enim copulativè requiruntur: 1. quòd sit de gardia, secundò, quòd detur tutor extraneus ab initio: unde sufficit matrem custodem naturalem vel momento supervixisse. Idem si tutela matri decreta sit, qualitas tutelæ non impedit jus & favorem custodiæ. Et contra legem iniquam semper facienda est interpretatio. Bald. *in l. unic. C. de caduc. tollend. facit l. Salvius Aristo, ff. de legat. præstand.*

Art. 36. *Caution dessus-dite.*] Salvo quòd primogenitus viginti annorum, *les acquits*, per §. præcedentem, qui debet generaliter accipi. Item fallit si mater vel avia nolit acceptare commodum, sed rationem reddere ut protutrix, ad commodum filiorum vel nepotum.

Art. 40. *Doivent rachat.*] Iniqua Consuetudo, ut in simili dixi de Consuet. Paris. §. 32. fallit ergo primò si subest filius vel nepos viginti annorum, *qui les exempte*, ut suprà §. 35. & infrà §. 49.

Art. 41. *En leur premier mariage.*] Vide quæ dixi *in Consuet.* Paris. §. 10. q. 8. *Idem Consuet. Montis Argici, tit. 1. §.* 39. Et sic primum matrimonium intelligitur illud ex quo contingit superesse liberos.

Art. 44. *Entrer en foy.*] Potest enim contingere quòd tempore mortis donantis, hæc filia erit vidua, & sic nihil debebitur domino feudali.

Art. 72. *Et convenable.*] Aliàs non esset fructus capere, sed depopulare; non pecus tondere, sed deglutire, ut dicebat Tiberius, alioqui tyrannus immanis. Adde infrà, §. 81.

Art. 80. *De cent ans.*] Intellige domino feudi non possidente.

Art. 100. *Profit de fief.*] Præter fidem, infrà §. 103. & adhuc debet dari in provincia: secus si vendit.

CHAP. II.

Des cens & droits censuels.

Art. 103. *Est estimé.*] Not. quòd iste §. loquitur quantum ad laudimia, & de redditibus, *de bail d'heritage*, qui sunt multo majoris pretii quam pecunia constituti. Et etiam, ut simpliciter loquitur, de non redimibilibus: & sic videtur inferri quòd reddituum redimibilium pretium est longè vilius. Sed nihil loquitur, quia hic §. loquitur solùm quantùm ad taxanda laudimia, quæ sunt jura lucrativa & odiosa. Et sic in istis non attenditur præcisè labor verus & summus, sed potiùs quod minimum est. Et sic non infertur ad justum valorem reditus hujusmodi in se, pura quando agitur de dividendo vel vendendo, quia tunc vera communis æstimatio fieri debet.

CHAP. III.

De relevoisons à plaisir.

Art. 127. *Remunerations des services.*] Et consequenter etiam locus est retractui proximitatis: postquam enim officia sacrificulorum pecunia æstimantur, sequitur quòd sunt in commercio, & consequenter prophana, & quantumvis superstitione tecta, quod etiam vidit antiquitas, ut in hac antiqua Consuetudine.

Art. 129. *Detenteurs.*] *Nisi constet* de la cause speciale, veu le bail au contraire.

Art. 131. A *autre cens.*] Scilicet propriè portant *directe*, sed bene *à rente ou pension*, quæ impropriè vocatur census, ut dixi *in Consuet. Paris. tit. 2. in rubr.*

CHAP. V.

De pasturages, herbages, &c.

Art. 154. *Ledit heritage.*] Sed per Consuetudinem Laudunensem, licet damnum patio hæc parva animalia sibi ipsi applicare & jus sibi dicere, ut ibi dixi. Adde Joannem Fabrum *in §. avium, & §. gallinarum, inst. de re divis.*

COUSTUMES GENERALES DU Bailliage & Prevosté d'Orleans.

CHAP. I.

Des fiefs

Art. 14. *Or à toûjours-mais*] *Etiam mediante pecunia.* Ainsi a esté jugé selon mon opinion, par Sentence du Bailly d'Orleans, du 5. Janvier 1542. entre Guillaume Durant Notaire d'Orleans, qui avoit baillé le domaine de son fief à cens & rentes, moyennant son argent excedant lesdits cens & rentes, d'une part: & Florent Bourgoüin seigneur de Cleves, qui avoit saisi par faute d'homme, droits & devoirs, & demandoit le quint & requint, dont il fut debouté, & sa saisie declarée portionnaire, luy condamné és dépens de la cause, dommages & interests de la saisie: ce qui fut confirmé par Arrest, prononcé le 5. Fevrier, l'an 1543. Rapporteur Bermondet, & Presidens Degoüy & Spifame.

Art. 10. *L'un sur l'autre.*] Ista sunt intelligenda, ut scripsi in Consuetudine Parisiensi, §. 7.

Art. 12. *Seigneur de fief.*] Ad ejus domicilium: & de hoc facto non est opus adire locum dominantem: facit not. per Bart. *in l. si finita. §. 1. ulianus, ff. de damn. infect. & in l. in illa, ff. de conflit. prox.*

Ibidem. *Foy & hommage.*] Quid si etiam dominus exigat formale juramentum fidelitatis? Respondeo: Vasallus non tenetur ultra formam Consuetudinis, nec ad formas insolitas: & nihil ad nos de Consuetudinibus Longobardorum, de quibus *in usib. feud.* ut dixi *in rub. de feud. in Consuet. Paris. ad fi.*

Art 20. *Payer aucuns frais.*] Et multò magis absque aliqua ratione fructuum.

Art. 27. *En succession de mere.*] Si utriusque sit heres. Idem Consuetudo Dunensis, eod. tit. § 10. sed non debet fieri extensio ad successiones avi & aviæ, quia iste §.

CHAP. VIII.

Comme enfans ſont faits à leurs droits, &c.

Art. 165. *Maximè.*] Hoc adverbium abundat, & ſic alioquin judicium nullum, quia etiam ipſe cuſtos vel bajulus, ſi eſt minor viginti quinque annis, indiget curatore in judiciis.

CHAP. IX.

De communité entre hommes & femmes mariez.

Art. 176. *Confiſcation.*] Et ſi præſupponit quòd omnes conquæſtus & mobilia confiſcentur ſalvis pactis matrimonialibus, qui eſt vetus error, quem Pariſiis, & alibi correxi.

CHAP. X.

De ſocieté.

Art. 181. *Hereditaire.*] Et ſic liberi omnes mediam tamquam unum caput, ſcilicet illi qui ſunt heredes defuncti, & non alii quorum partes ſuccedentibus accreſcunt, & inter ſe dividunt in capita, abſque jure primogenituræ, quoad quod capiunt jure hujus communionis continuatæ.

Art. 185. *Et hereditaires.*] Ergo non curatur ſi unus eorum eſt conjugatus, alter celebs.

Art. 187. *Sans diviſion.*] Ergo idem reſpectu obligaci ſimpliciter, vel in ſolidum quoad ſe, ſalvo recurſu. Quid enim ad creditores, ſi tunc vel poſteà debitor habuit uxorem? Ad hoc *l. pacto debitorum, C. de pact.* Et ita reſpondi contra quoſdam Pragmaticos. Adde quæ dixi in *tract commer & uſur.* q. 38.

Art. 188. *Telle renontiation.*] Scilicet tacita, ſecreta vel occulta, per § ſeq. aliàs impediretur libera facultas contrahendi matrimonium, quod eſſet injuſtum, *l. penult. C. pro ſocio.*

CHAP. XI.

Des ſervitudes reelles.

Art 195. *Il peut.*] Hîc negativam expunxi cogente ratione, & ſtructura textus.

Art. 211. *D'iceux foſſez.*] Id eſt, præſumitur, talis eſſe juxta *not. in l. id quod poſt §. quod ff. de peric. & commodo rei venditæ*: quòd ſi æqualiter præſumitur æqualitas dominii. Alex. *conſil.* 54 *lib.* 5. & Bart. *in tract. Liberia.* & *not. in l. l. littera. ff. de contrahend. empt. & vendit. in l. prædia. §. ult. ff. de fund. inſtru. & inſtrum. legat.* Angelus Aret. *in §. flumina, & §. ſeq. inſtit. de rerum diviſ.* Jaſon *in repet. l. quominus col.* 11. *ff. de fluminib.* Alexand. *conſil.* 120. ubi in Annot. dixi *li.* 2. *conſ.* 212. *lib.* 7.

CHAP. XII.

Des donations faites entre vifs.

Art. 216. *Selon raiſon.*] Hoc non ſolùm refertur ad legitimam juris, ſed etiam ad prærogativas Conſuetudinis, ut primogenituræ. Nec obſtat, infra §. ſeq. in fin. quia ibi fit relatio, non ſolùm ſecundùm jus ſcriptum, ſed etiam ſecundùm beneficium Conſuetudinis.

Art. 218. *De Cour laye.*] Et dummodo ſit facta ſub hoc territorio: ſecus ſi Pariſiis de terris ſitis Aurelii.

Art. 220. *Aucuns enfans.*] Ergo non poſſunt legare invicem, etiam in teſtamento communi, niſi tranſeat in formam actus inter vivos, ut §. ſeq.

Art. 224. *Mariage que ce ſoit.*] Quid ſi habebant filium moribundum, & faciunt donationem mutuam in caſum quo ille præmoritur ſine liberis, prout contigit, an valeat donatio? Reſpondeo quod ſic, quia concurrit jus commune & mens Conſuetudinis.

CHAP. XIV.

Des donations teſtamentaires, &c.

Eſcrit ou] Hæc alternativa quamvis repetita §. ſequenti, valde captioſa eſt, & videtur reſolvenda in copulam, ut quæ ſcriptura habeat datam, ſaltem omninò probandum erit de veritate ſcripturæ, & quod fuit facta animo teſtamenti completi lege, ſi lib. Panorm. de teſtamentis. Art. 227.

Aux gens d'Egliſe.] Iſte eſt vetus error, quo Epiſcopi jure papali trahebant omnia ad forum ſuum, ideò non obſtante errore prædicto, etiam Aurelii Judex ſæcularis cognoſcet de hac re, etiam inter ſacerdotes, privativè ad Judices Eccleſiaſticos. Art. 234.

CHAP. XV.

Des douaires.

Eſt perſonel.] Non ſolum reſpectu mulieris, ſed etiam reſpectu hliorum ad quos non tranſit niſi expreſſim dictum ſit: tamen ſi conſtat in certa ſumma judicatum etiam per Arreſtum, quod non tenetur ſatisdare vidux. Art. 240.

Et s'il n'y a conqueſts.] Quid? *s'il n'y a conqueſts & meubles*; ſed vidua mavult habere quartam mobilium in perpetuum, quàm quartam acquiſitionum immobilium ad vitam? Certè videtur electio vidux, quia ſi nihil fuiſſet acquiſitum, & omnia manſiſſent in mobilibus, multò plus caperet. Art. 241.

CHAP. XVI.

Des droits des ſucceſſions.

D'iceluy trépaſſé.] Sanè intelige *quant aux meubles & conqueſts immeubles*: ſecus de herediis text. §. 251. infra eod. & generalitas Conſuetudinum Galliæ. Art. 249.

Repreſentation.] Intellige de ſimplici repræſentatione: ſecus quando cum illa concurrit duplicitas vinculi intra filios fratrum, ut ſuprà §. 245. Et notandum quòd qui ſemel conſéferunt, non poſſunt ampliùs pœnitere, niſi eum de cujus ſucceſſione agitur, pœniteat. *l. ult. C. de pact.* Art. 249.

Les neveux & nieces.] Ergo filia repræſentat patrem, etiam contra patruos in jure primogenituræ, ut dixi in Conſuet. Pariſ. §. 3. vel 4. Art. 250.

De ladite femme.] Intellige de mobilibus ubicumque ſitis, quia ſequuntur conſuetudinem loci in quo mulier habebat domicilium. Bald *in l. mercatores, C. de vectigal. & commiſſ.* ſed quoad immobilia quæſita, attendetur Conſuetudo loci in quo ſita ſunt. Art. 254.

Et poſterité.] Non ergo quibuſcumque, puta collateralibus à latere acquirentis: fac. infrà §. 276. 278. & ſi hæc Conſuetudo minus recedit à jure communi quàm Conſuetudo Pariſienſis §. 112. & Bleſenſis §. 153. Art. 258.

Aprés que la vigne eſt liée.] Non ſufficit eſſe ſepem legari; ſed ſi ſepta ſit, cenſetur mobile, quatenus eſt ligata, & non ultra. Jo. Ignetus, qui tempore Ludovici XII. fuit Doctor actu regens in Jure civili, in Academia Pariſienſi, & Conſiliarius Mediolanenſis, & ſub Franciſco I. Præſes in Senatu Rothomagenſi: *in l. 1. §. ſervi appellatione, num.* 145. *cum 2. ſeq. ff. ad Syllanian. per l. 1. §. hæc verba. ff. quod quiſque juris.* Art. 273.

CHAP. XVII.

Des matieres de retrait lignager.

Frere ou ſœur.] Idem Conſuetudo *de Lorris* eodem Art. 278.

tit. Meldunenſ. Borbonienſ. *De la Marche*, Niverneſ. eod. tit. Meldenſ. §. 88. Laudunenſ. Atrebat. & majos pars Conſuet.

Ibidem. *Souche & ligne.*] Idem infra §. 294. & Conſuet. Niverneſ. eod. tit. Phil. Dec. *conſ.* 275. *num* 10.

Art. 281. *Ses parens.*] Etiam natis vel conceptis poſt acquiſitionem, etiamſi non ſint heredes, quia ſola qualitas ſanguinis attenditur.

Art. 290. *De limiter*] Id eſt *amplier*: lis cœpta Aurelis ubi reus & partes: Reus *appelle de la reception de veuë*, & dum fruſtratur actorem: tandem *és grands jours de Tours, l'an 1547. à la premiere cauſe plaidée par Anelot, l'appellant eſt condamné en l'amende*: & bene; tamen quia actor erat Advocatus Parlamenti, *le principal de la cauſe eſt renvoyé aux Requeſtes du Palais à Paris*, ubi reus cavillator ante conteſtationem *tend le giron*: deinde dicit quòd per viginti quatuor ſequentes horas actor eſt excluſus. Ego reſpondi quòd iſta eſt captio affectata, & terminum prorogandum Judicis arbitrio, prout in ſimili reo fugitivo in Prætorio Pariſienſi, qui in cauſa appellationis in hoc Senatu videns actorem abſentem, in Neuſtriam repente tetendit *le giron*: Senatus decrevit octiduum ad refundendum: & bene.

Ibidem. *Ledit temps limité.*] Judex Aurelianenſis juſſit [rembourſer dedans huitaine aprés que les parties auroient convenu du lieu, & à refonder les loyaux couſts dedans huitaine aprés.] Reſpondi malè judicatum, præſertim cùm actor domicilium haberet tribus leucis ab hac urbe Aurelianenſi tantùm: tum Judex debet taxare tempus liquidum, videlicet trium vel octo dierum à Sententia, non autem non liquidum, ut hîc.

Art. 302. *Chet en retrait.*] Hoc non intelligitur de reditibus vulgaribus quæ loco ſunt uſurarum, quia eſſet iniquiſſimum, ut dixi *in tract. commerc. & uſurar. Latino & Gallico*). & *in Conſuet. Pariſ.* §. 57.

CHAP. XVIII.

Des Preſcriptions.

Art. 313. *Nourritures & inſtructions.*] Hæc recipiunt interpretationem æquitatis: contigit Aurelii filiam à matre expulſam in domum patrui ſe recepiſſe, à quo per biennium & ſemeſtre alita eſt ætatis 13. vel 14. annorum; poſtquàm nupſit, petit à patruo legatum ſibi factum ab avo: patruus voluit compenſare dicta alimenta, ſed condemnatus fuit ſalva actione ad alimenta: & bene, quia non erant liquida, ſed tamen ea petere poteſt, non obſtante lapſu biennii hujus Conſuetudinis, vel Conſtitutionum regiarum, quæ non excludunt æquitatem hujus caſus.

CHAP. XIX.

Des executions des louages ou rentes des maiſons.

Art. 327. *Des biens executez.*] Debet hîc eſſe dictio exceptiva, *ſinon.*

Art. 337. *Diverſes perſonnes.*] Pro diviſo; aliàs non eſſet dubium.

CHAP. XX.

De criées & ſubhaſtations.

Art. 343. *A ſon regard.*] Car chacun des oppoſans ſe peut faire ſubroger en ſon lieu, & le contraindre de luy bailler les exploits, en luy payant les frais d'iceux.

CHAP. XXI.

Des executions faites par Lettres obligatoires, &c.

Art. 349. *Toutes executions*] Non connuës; car il faut adjourner l'heritier, pour voir declarer executoire, *ut not. in c. quia. ex de judic.* ſed executio inchoata tranſit in beredem, qu'il ſuffit adjourner pour reprendre ou delaiſſer le procez, ſi le defunt eſtoit oppoſant.

Quel qu'il ſoit.] Etiam ſacerdos, ceſſante privilegio fori, ut in depoſito prorogato. Art. 338.

Quinquannion & ceſſion.] Etiamſi ipſe debitor ſe conſtituiſſet *acheteur de biens*: unde cùm per Sententiam] du Prevoſt, confirmée par le Bailly d'Orleans, *excluſus fuiſſet* de ſes Lettres royaux de repit à un an, *& appellaſſet ad Senatum*, fut dit: bien jugé, mal appelle, & l'amendera; le Mardy 16. Septembre, *poſt prandium*, és Grands-Jours de Moulins, *me præſente.*] Ibidem.

Qu'il y ait debitis.] Sic vocant Pragmatici vulgares Litteras ſub ſigillo Cancellariæ commiſſionis generalis: Ergo idem *des Lettres royaux de* committimus; *car elles valent autant & plus que le* debitis. Art. 962.

CHAP. XXIII.

Autres Couſtumes outre les chapitres precedens, qui ſont additions baillées par les Eſchevins de ladite ville d'Orleans.

D'Orleans.] Et approuvées comme Couſtumes, à la fin du procez verbal.

Dix livres tournois.] Scilicet more veteri, tandem ad rationem duodecimæ tantùm conceditur, ut dixi *in tract. commerc. & uſurar. q.* 10. Art. 176.

Veuë à l'œil.] Id eſt in bivia vel loco publico. Art. 179.

Peut eſtre entiercée.] Id eſt, *ſequeſtrée & miſe* in tertiam manum: de quo Jo. Imbert. *in inſtit. forenſ. pag.* 21. *Latina. & fol.* 37. *Gallica.* Ibidem.

TOME II.

COUSTUMES DU DUCHE' ET Bailliage de Touraine, &c.

CHAPITRE I.

De baſſe Juſtice, autrement dit baſſe voirie.

Adite cauſe ſera devolut.] Ad hæc quæ ſcripſi *in Conſuet. Pariſ.* § *gl.* 3. *num.* 8. *& gl.* 4. *q.* 2. *num.* 14. & §. 3. *q.* 47. in fin. gloſſ. Panormitani Feli. c. *cæterum de judic. Panorm. in c. verum num.* 16. *de for. compet.* Thoma Grammat. *Voto* 28. Art. 84.

Commiſſion generale.] C'eſt icy un erreur provenu de cupidité d'augmenter les Greffes, comme l'ay prouvé ſur la Couſtume de Paris, 51. 52. gl. num. 109. & autres ſuivans. Art. 190.

Les cauſes d'icelle.] Il ſuffit que cela ſoit declaré en l'exploit. Ibidem.

Foy & hommage.] Ad hæc quæ dixi *in Conſuet. Pariſ.* §. 1. *gl.* 4. *q.* 3. Art. 32.

Domanier.] Secùs, *ſi par faute d'homme*, quia tunc in æternum non præſcribit, ut ſcripſi *in Conſuetud. Pariſienſi*, §. *gloſ.* 4. *n.* 2. & §. 7. *n.* 9. *aliàs in novis, n.* 11. Art. 83.

En l'informant deuëment.] Sufficit quaſi parentelæ, Saly. *l. non epiſtolis in fin C. de probat. gl. ult. in l.* 2. *c. quorum bonor. Alex. conſ.* 51. *num.* 2. ubi in annot. dixi *lib.* 1. *conſ.* 90. *num.* 10 *lib.* 6. *conſ.* 88. *num.* 10. *lib.* 7. Phil. Dec. *conſ.* 54. ubi in annot. dixi. And. Alciat. *in Tract. de præſumpt. præſumpt.* 3. facit Socin. *conſ.* 89. *col.* 3. *lib* 1. Art. 326.

Seigneur du fief.] Habens latifundium: ſecùs ſi non haberet domanium, vel valde modicum. Art. 17.

De moyenne Juſtice appellée la grande voyrie.

Meubles du decedé.] Intelligo *de ſon domicilié & ſubjet*, adhuc hæc Conſuetudo tam brevi tempore, ut §. ſeq. non debet præjudicare heredibus non ſubditis hujus Conſuetudinis. Art. 44.

Des droits de Seigneur-Chaſtelain, non ayant droit de Comté, &c.

Art. 67. *Retraits & preſts d'eau.*] A ce qu'ils ne ſe puiſſent plus reſtraindre : *aliàs*, les robes qu'on en feroit, ſeroient inutiles.

Des droits de Baronnie.

Art. 72. *Moyenne & baſſe.*] In iſtis quæ non ſolum per errorem emerſerunt ; ſed etiam ſunt contra jus Regis & bonum publicum, non valet Conſuetudo, & certum eſt poſt Edictum Regis Caroli, §. de optand. quòd hæc Conſuetudo eſt abolita.

Des hommages & offres qui ſe doivent faire par le Vaſſal à ſon ſeigneur.

Art. 109. *Ledit ſeigneur peut lever.*] Sed utrùm *ſans ſaiſie*, præcedente. Vidi ante 20. annos quæſtionem de facto in Auditorio Libellorum ſupplicum Palatii, vaſſallus in iſtis propriis terminis negabat ſe debere fructus ; *car il n'avoit eſté ſaiſi.* D. Johannes *Prevoſt*, Præſes dicti Auditorii me conſuluit, & argumentabatur per hunc textum conformem veteri Conſuetudini §. 1. hoc tit. fructus deberi ex ſola negligentia, de qua hic, *ſans ſaiſie actuelle.* Ego verò dicebam hoc iniquum & odioſum contra circumvicinas Conſuetud. Tandem ei perſuaſi per textum in §. 19. in veteri Conſuet. tit. 1. ubi fit mentio de prehenſione actuali ex defectu hominis, antequam fiat mentio de commiſſo fructuum. Ille textus nunc apertiùs habetur *ſup.* 21. 22. per quos hic §. debet modificari. Plus dicebam quòd etiam ceſſantibus dictis §§. hæc verba textus: *Ledit ſeigneur pourra lever à ſon profit*, ſunt facultatis pœnalis ; & ſic dominus debet priùs declarare ſuam voluntatem ſuper commiſſo fructuum, & illam ſignificare : quæ ſignificatio non trahitur retrò, quemadmodum in emphyteoſi dominus debet priùs declarare ſuam voluntatem ſuper commiſſo dominii utilis, ut latè dixi *in Conſuet. Pariſ.* §. 30. *n.* 106. Quibus adde Alexand. *conſ.* 173. *col. ult. lib.* 2. Jo. Rymin. *in l. ult. col.* 4. *C. de pact.* Et ita ſecundùm conſilium meum fuit judicatum. Tunc enim, & ante triginta annos, etiá primores Senatus Præſides & Judices provinciarum, antequam multiplicata eſſet turpis, & perniciosa nundinatio Officiorum judicaturæ, ſolebant me conſulere in Sententiis à ſe ferendis : quod poſteà non potuerunt, & deſierunt, alligati quæſtuariis indoctis, ut ſæpe ad me queſti ſunt. Adde ſup. §. 20. ubi Conſuetudo vult prehenſionem probè ſignificari, antequam habeat effectum : quod eſt generale, ut dixi *in Conſuet. Pariſ.* §. 1. *gloſſ.* 4. *num.* 2. & §. 19. *num.* 1. *in fine.*

Art. 112. *Hommage.*] Et aprés ſaiſie ſignifiée, comme j'ay dit en l'Annotation precedente.

De rachats & rentes.

Art. 131. *Hommagée.*] Id eſt, non obſtante quòd uxor jam feciſſet fidem & homagium.

Art. 141. *Pour la nouvelle foy.*] L'Abbé de Bourgeuil tient une Baronnie en Touraine ; le Commiſſaire du Roy la ſaiſit, & autres fiefs. L'Abbé ſe preſenta & fut receu en foy & hommage, à la charge qu'il payeroit rachat : neantmoins depuis il ſe fait recevoir en foy & hommage en la Chambre des Comptes, dont il a mainlevée, & cela fait, ſe fait rendre cópte & payer par ſon fermier, qui eſtoit Commiſſaire ? *Reſpondi quod hæc calliditas vulpina ei non prodeſt*, & que la premiere ſaiſie tient par faute de rachat. *Die Lunæ 27. Julii anno 1551. dum cauſa agitetur in Senatu, Dupuys pro Abbate dicebat*, qu'il eſtoit amorty, le ſeul hommage reſervé. Mais quand ainſi ſeroit, il auroit perdu cette immunité de rachapt, pour ne s'eſtre opposé à la reduction de l'ancienne Coustume, ſemblable à cét article, qui eſt l'article 10. ſous ce titre d'ancienne. Ad hoc Ang. *in l.* 2. §. 1. *ff. quando appel. ſit.* fut mis au Conſeil.

De retraits.

Ou joüyſſance réelle.] Idem dico ſi poſteà tamen ante- Art. 158.
quam proximus veniat venditor, quoquomodo recuperaverit, ſive redemptione voluntaria, ſive permutatione, ſive ex donato, declarando per recuperatorem, quòd vult rem tenere, ut in ſua antiqua linea, non ut conqueſtum novum.

De ladite vendition.] Hunc caſum de facto habui è Art. 159.
Turonis : heredes uxoris concordaverunt cum viro relicto, ut haberet uſumfructum domus conſtante matrimonio quæſitæ, ſcilicet reliquæ dimidiæ, poſteà vendiderunt ei proprietatem dimidiæ domus, emptor coram Notario & duobus teſtibus capit poſſeſſionem, tamen proximi ignorant, quia putant virum ut fructuarium poſſidere, poſt cujus obitum veniunt infra annum ad retractum dimidiæ ei venditæ. Practici Turonicæ dicebant non eſſe locum retractui, & quòd hic §. qui eſt 4. hoc tit. in veteri Conſuet. & pro forma. Ego verò reſpondi quòd eſt factus favore proximorum, ergo contra eos non debet retorqueri. *l. nulla aquitas ff. de leg.* Ergo non ſufficit poſſeſſio capta coram duobus vicinis mentis. ſi ob id non exit in notitiam publicam. Tum illi erant vicini mentis : Conſuetudo verò potiùs loquitur de vicinis venditoris & poſſeſſoris. Tum hæc Conſuetudo ſymboliſat cum Conſuetud. Cenomanenſi, quæ requirit poſſeſſionem noram.

Selon les ſucceſſions.] Unde per Arreſtum prolatum Art. 161.
ſolemniter in purpura, per Præſidem Antonium Minardum, die Lunæ ſeptima Septembris, anno ſeſquimilleſimo quadrageſimo quinto, retractus integer totius fundi fuit adjudicatus ſoli primogenito, quia per hanc Conſuetudinem ſucceſſit in totum.

L'acheteur.] L'acheteur ſous forme de permuta- Art. 175.
tion *affirmat ſe non emiſſe, ſed permutaſſe* : aprés monitions par cenſures, revelations, & enqueſtes : la fraude découverte, *rem* acquieſce, le demandeur *non vult, ſed petit commiſſum ſundi & pretii.* Par Sentence des Preſidiaux y eſt condamné. Appel. D. Canaye pour l'appellant *obtinuit, quaſi pœnitere liceat uſque ad ſententiam ; ſed hoc eſt contra Conſuetudinem. Ibi* aprés conteſtation. *Ergo* l'Arreſt fut fondé *non ſuper jure, ſed ſuper odio* des Preſidiaux auſquels n'appartient de juger de l'interpretation des Coustumes.] Et ſic non debet trahi in conſequentiam : ſed ſervanda eſt Conſuetudo.

Le ſeigneur de fief.] Hoc factum eſt favore debito- Art. 180.
rum, ut emptores alliciantur ad pluris licitandum, ut liberiùs à lite vera diſcedatur.

De preſcriptions.

Poſſedé par cinq ans.] Adde infrà in Conſuetudine Art. 208.
Andenſi parte 15. §. 487. 491. & in Conſuetudine Cenoman. c. 479. 490.

De ladite rente.] Quid *en partage.* Ego repeto ta- Ibidem.
lem reditum fundiarium, quia datur ſeu ceditur fundus pro hoc reditu & ad onus ejus : verum eſt quod non totus fundus, ſed pars tantùm *l.* Celſus, *ff. de uſucap.* Tamen ex quo hoc fit ab initio, in ipſa traditione fundi ſatis eſt, & totus fundus eſt hypothecatus, & cenſetur reditus fundiarius. Secùs ſi pro ſecuritate reditus fundiarii alius fundus hypothecatur, quia quinque annis percipitur ſub his conditionibus, licet durum ſit.

Des choſes reputées meubles ou immeubles.

Eſtant en batteau.] Intellige ex mera facultate : ſe- Art. 221.
cùs ſi jure ſervitutis perpetuæ, quia tunc eſt aliquid immobile, ut alibi dixi.

Dumolin

Art. 222. *Moulin pendant.*] Scilicet ab ædificio sito in ripa, vel ab ædificio sito super aqua.

De donations.

Art. 238. *Le patrimoine.*] Adde Consuetudinem Pictavien sem, §. 190. in veteri, & §. 112. 123. in nova, & Engolismen sem §. 49. Cenomanensem §. 1. 2. Andensem §. 327.

Des successions entre Nobles, fors en Baronnie.

Art. 268. *Prenant lesdits meubles.*] *In vim* de la Coustume, ou par contract relatif à la Coustume. *secùs si caperet per merum contractum*, comme par plusieurs tourbes. Cette maniere d'user a esté prouvee par Ysabeau Chabot, veuve de feu Messire Jacques Crossay, contre François Fandettes, curateur de Charles Turpin, & ladite veuve par Arrest absoute d'acquiter les debtes.

De successions de gens roturiers ou coustumiers.

Art. 297. *De bourse coustumiere.*] Id est, *acquis par un roturier*, & sine pecunia; sed permutatione antiqui feudi.

Art. 310. *Les pere & mere.*] Vel alter eorum, idem de quovis ascendente.

Coustume locale.

Art. 369. *Messé ensemble.*] Hæc Consuetudo malè dicitur localis, quia est generalis ubique, ut dixi *in Consuetudin. Parisien.* §. 1. *glos.* 5. *q.* 1. *num.* 45.

COUSTUMES GENERALES DU Pays & Duché d'Anjou, contenant seize parties.

PARTIE PREMIERE.

De moyenne Iustice, laquelle moyenne Iustice, Grand-Voyer, & Iustice a sang est tout un.

Art. 42. *Abbards & aulbins.*] Albinatus non est mera incapacitas, nec mera indignitas, sed potiùs impedimentũ & occupatio quæ fit per Regem, deficientibus heredibus in regno suo. Quòd est intelligendum ubi Rex habet solus jurisdictionem, vel ubi inferiores dominum negligunt, quia secundùm antiquum usum Francorum, ut vidi in antiquis chartis, & processus verbalis hujus Consuetudinis satis testatur, Domini locorum habentes merum imperium, quod altam justitiam vocant, etiam alioquin simplices Castellani habent jus occupandi bona vacantia, sive eorum qui non possunt habere heredes, ut spurii carentes filiis legitimis, vel legitimi qui moriuntur sine agnatis & cognatis; vel si habeant, tamen sunt exteri, nec habiles ad succedendum in hoc regno, ut cognati eorum qui vocantur albini, id est peregrini. Sed nuper memoria nostra quæsiparii fiscales, jura dominor. contra veterem Consuet. restringere ceperunt in successionibus peregrinorum quos albinos, idest alibi natos vocant: & habuerunt multos emptitios Judices propitios. Deinde, ut vidi, cœperunt sensim restringere jura dominorum succedendi spuriis, nisi tribus concurrentibus: quamvis, etiam nostra memoria, & ab omni Francorum ævo tenerent in suo territorio jus succedendi in omnibus bonis, quoquo modo vacantibus, & ea, manu injecta, occupandi tanquam per obitum saisiti; ad onus testamenti validi per defunctum facti, traditione petenda a domino, ut ab herede. Secùs de bonis de facto in alium translatis per defunctum, quorum dominus non est saisitus, nec potest prehensione uti, contra tertium qui posset justè appellari, sed habet omnes actiones rescindentes & rescissorias, quas verus heres habet.

Des seigneurs Barons.

Souveraineté.] Hoc est iniquum, ut etiam tangitur infrà in processu verbali, & hodie correctum, ut dixi sup. in Consuet. Cenomanensi, §. 71. Art. 63.

LA SECONDE PARTIE.

Ne peut ottroyer.] Scilicet de iis quæ sunt meræ gratiæ, secùs de iis quæ sunt justitiæ, id est juris communis, quamvis fiscales regi conentur omnia ad suum forum trahere, ut nuper Papales ad suam tractinacem pratextu juramenti, vel quavis colorata tantùm occasione. Art. 80.

LA TIERCE PARTIE.

Sans autorité de justice.] Ergo sumptibus minorum. Quid enim ad debitorem seu redimentem? Sed tamen ipso jure valet & tenet redemptio privatim facta, nec superest nisi periculum pecuniarum, si malè sint vel periculosè solutæ culpa redimentis, qui non caruit, juxta consilium *l. aut Prætor ff. de minoribus.* de solutione faciendæ mentori. Art. 81.

Plusieurs coheritiers.] *Etiam* l'un des puisnez qui n'a qu'en bien fait: *ad hoc infrà*, §. 126. 232. 266. Art. 100.

De soy presenter au lieu.] Nisi alibi dominum congruè inveniat. Art. 102.

Rachat y appartient.] Quo casu non debet offerri sub conditione, *s'il est deû*, sed ut purè; tamen potest addi; *tel qu'il est deu par la Coustume du lieu*, & valet sine ulteriori significatione quam Consuetudo non requirit, & si requireret, ut Parisiis, si dominus priùs elegit *le rachat de l'année*, ut potest, sufficit consentire & offerre quòd illud capiat, nec ampliùs requiritur specificatio aliarum specierum *de rachat.* Ibidem.

LA SIXIE'ME PARTIE.

Aucune chose dudit fief.] Id est omnes subvassalli. Art. 191.

Duquel a esté consommé.] Ergo statim à dicta alienatione, sine alia declaratione. Ibidem.

L'emolument depuis.] Ergo non opus est aliqua sententia. Ibidem.

Que prescription.] Scilicet pro juribus futuri temporis, & particularibus. Art. 204.

Ladite consolidation.] Vassallus vendidit paulò ultra trientem feudi, creditor facit subhastari: dominus feudi vassallum persequitur *en desfaut de foy*: creditor emit jus vassalli, & jam habet ultra bessem? Respondeo quod potest se facere subrogari in processu subhastationis, loco vassalli proprietarii, faciendo alium subrogari loco sui, ad prosecutionem subhastationum. Præterea potest resumere processum *de desfaut de fief* contra dominum feudi, seque tueri pro futuro tempore, quia jam feudum habet ratum integrum, sed debet ei solvere laudimia. Art. 205.

Chet en action.] Id est non potest peti nisi via actionis, ut sequitur. Art. 206.

LA SEPTIE'ME PARTIE.

En chacun Bailliage ou Seneschaussée.] Id est, in diversis & distinctis provinciis, non autem in eadem provincia, in singulis localibus sedibus seu præfecturis ejusdem provinciæ, quod esset nimis durum, nec est de mente Consuetudinis, ut dixi *in Consuetud. Parisien.* §. 8. Art. 324.

Pour l'aisné.] Ergo necesse est quòd etiamsi sint omnes in pari gradu, tamen venient in stirpes & non in capita: nec est vera opinio Zasii in novis intellect. ut suo loco dixi. Art. 331.

Le lignage.] Et sic in infinitum: cujus sub hac & similibus, puta harmonica Consuetudine, ratio specialis Art. 332.

est; quia secundogeniti excluduntur à toto: & sic justum est ut in infinitum repræsentent: ut quandocumque via aperiatur, redeant.

Art. 229. *Issuë de leurs corps.*] Hîc subaudiendum est, *lors lesq.* &c.

Art. 234. *Et après l'an.*] Scilicet à die turbationis, ne nimiùm corrigatur jus commune.

Art. 241. *Mariée & emparagée.*] Non significat *partagée*; sed *mariée à son parti en noblesse & maison.* Idem ferè est statutum in civitate Tarvisii in Italia, ut testatur Lud. Roman. cons. 134.

Ibidem. *D'ayeul ne d'ayeule tant.*] Id est, quandiu: scilicet ut in perpetuum sit inhabilis, & amittat illas quandiu sunt masculi succedentes, ad quas non possunt redire; etiamsi masculi quibus cesserunt, postea deficiant sine liberis; sed in successionibus postea obvenientibus est habilis. Idem in bonis sitis in aliis locis ubi est similis Consuetudo, ut patet per Arrestum *de la Plastriere, seigneur de Bourdien, domicilié en Bourbonnois*, filia exclusa per totum, etiam ex Consuetudine Borbonensi, §. 35. Sed si domicilium esset *en Anjou*: filia absque enuntiatione expressa non fit inhabilis, nisi inter nobiles, ut hîc.

Ibidem. *Successions collaterales.*] Nisi is quoque renuntiaverit consensu eorumdem collateralium, quia tunc fit inhabilis, *l. ult. C. de pact.* nisi ab illis vocetur in Consuet. Arvernix, eod. tit. §. 25.

Art. 245. *A quelque personne que ce soit.*] Scilicet de bonis tunc præsentibus. Idem de Consuet. Cenoman. §. 258. sed quid si erant unus filius & una filia, quæ postquàm nupta, etiam expressè, quædam tacitè renuntiavit: filius est *marié comme aisné*, an possit filia revocari per patrem ad successionem, ut habeat trientem, videtur quòd non inspecto statu temporis matrimonii filii, quo filia nondum erat rehabilitata ad successionem. Contrarium dixi, videlicet, *qu'elle n'a peu estre rappellée*, etiam post nuptias illas fratris, quia *tel rappel*, trahitur retrò, prout erat perpetuæ facultatis; sicut enim expressa renuntiatio non impedit filiam iterùm vocari, ut dixi in Consuet. Borbon. §. 305. in commentario: Ita multominùs tacita renuntiatio hoc impedit: tum parentes novæ nurus bene sciebant filiam illam posse revocari ad successionem, & sic non fuerunt decepti, ut dixi *in tract. de revoc. donation.*

Art. 246. *Estre aliené.*] Scilicet de paucis acquisitis simpliciter, & de veteri tertia.

Ibidem. *De ce qu'est demeuré.*] Non tamen sequitur quòd tunc possit tertiam partem præsentium alienare in fraudem primogeniti.

Art. 248. *Survécu leurdit pere.*] Idem in Consuet. Cenomanensi §. 266. nec est ratio, nisi quod non collocantur ibi absque sumptu vel reditu diminuente successionem, & sic clausula sequens generaliter locum habere debet, quando nihil datum est tali filio vel filiæ, qui tunc pro merè prædefunctis habentur.

Art. 249. *Successions échenës.*] Quemadmodum dicitur de reliquis ejus bonis, quia non fit tacita dedicatio in hoc regno, nec recepta est *Authentica ingressi, cap. de sacrosanct. Eccles.* ut ibi tradit Joan Faber, ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 152.

Art. 261. *Il ne rapportera pas.*] Elegit ergo, & sic fortiùs inter nobiles eliget, quia minor est prohibitio *d'advantager* inter nobiles, & jus commune dat electionem minùs capiendi. *l. 1. §. jubet autem, vers. sed & si tantum ff. de col. bonor.* Jaf. *l. 2. §. mutui. dotis. col. ult. de fidei. pet.* Lud. Roman. *in l. si donatione, C. de collat.* & ibi Philip. Dec. *in fin.* ut in Annot. dixi.

Art. 268. *Deux lignes.*] Pater erat opponens [à la complainte formée par l'oncle maternel: le pere fut maintenu en l'usufruit seulement, dont il appella *à minima,*] dicens quòd non à parentibus aliis paternis debebat habere totum paternum contra extraneum remotiorem; Respondi patrem fovere justam causam, cùm etiam jure communi sua intentio nitatur.

La ligne defaillant.] Hæc Consuetudo iniqua est, & per errorem emersit, eodemque errore non fuit impugnata; interim tamen stat, donec in generali statuum confessu corrigatur: quæ etiam regium fiscum excludunt quicumque cognati, ut dixi *in Consuetud. Paris.* §. 147. Ibidem.

Autre possesseur.] Intellige de extraneo, vel herede alterius linex: secùs de consorte ejusdem linex, & vero coherede: quia coheres non censetur turbare, sed jure communi uti. *l. duos fratres*: & ibi Bal. *ff. de acquir. vel amit. hered.* Paul. Jaf. Phil. Decif *l. 1. 1. in fin C. qui test. facer. poss.* & possessio unius conservat possessionem aliorum consortium. Paul. *cons. 54. lib. 1.* ad hoc *l. merito, ff. pro soc.* & quæ dixi *in Consuetud. Parisiens.* §. 146. Art. 272.

Sera venu à son âge.] Hoc practicant tam contra coheredem, quàm contra tertium emptorem à coherede. Ibid.

Est cy-devant.] Et ad hoc hæc Consuetudo restringitur, ut procedat in quæsitis in eadem provincia, vel similis Consuetudinis: ut quando inter non nobiles alterum prædium *efloit en tierce foy*, & non alterum, & sic ad differentiam conquæstuum, qui dividuntur virilim pro prima vice; secùs ergo si permutetur cum prædio sito Senonis vel alibi, quia tunc bene sortietur qualitatem generalem heredii linex prædii compermutati, ut generaliter volunt Consuetudines, ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 279. Sed non quoad specialia hujus Consuetudinis localis. Unde cùm quidam permutasset *son fief en nature sous cette Coustume, ses heritiers* pro prima vice *le partageront comme fief*, & benè. Secundi heredes volunt idem facere & malè, quia *nature*: non obstat Consuetudo, quia respicit paterna paternis, & sic qualitatem extrinsecam, *pour estre propre ou conquest, & paternel ou maternel, & de telle ligne*, sed non qualitatem, *pour faire que fief soit nature*: quia hæ qualitates primò sunt intrinsecæ, secundò dependent à tertii potestate, tertiò sunt feuda Andibus moventia à Turonens. vel Britonibus, vel Pictavensibus, qui non sunt subditi huic Consuetudini. Non obstat Consuetudo *du Mans*, §. 290. Quia ut possit facere interpretationem Consuetudinis Andium, quia utraque provincia fuit olim sub eodem domino, & eadem Consuetudine. Tamen effectus ille extraordinarius consumptus fuit *au premier partage*, nec debet trahi in consequentiam. Art. 274.

LA NEUFIE'ME PARTIE.

Les enfans mineurs.] Et prioris matrimonii defuncti. Art. 283.

Et ce.] Scilicet istud ultimum quòd heredes non tenentur, quandiu durat usus fructus superstitis. Ita etiam observatur Parisiis, & generaliter. Art. 294.

Entre ledit mary & sa femme.] Idem generaliter, etiam Parisiis servandum puto: idem si recepta pecunia, quam constat ad augmentum communitatis impensam: secùs si in ludo aut inutiliter dissipata sit. Art. 296.

LA DIXIEME PARTIE.

Don de meuble & doüaire.] Sed quid? Quidam [outre le doüaire donne cinq cens escus, *deinde* tous ses meubles *uxori*? *Quidam dicebant* que c'est une dette, & qu'il la faut payer sur le reste des immeubles: *Ego contra*, que c'est une dette limitée, que la Coustume a voulu, que les immeubles viennent francs hors mis le doüaire. Ergo l'heritier des immeubles, aprés le doüaire, qui est le tiers, *liberas ædes habet* contre la veuve, & ne luy doit rien,] nec in subsidium quidem, quod est clarum, quando unus est heres mobilium, & filius remotus heres immobilium: sed idem in eadem persona, quia est debitum limitatum super mobilibus tantùm capiendum: & Consuetudo ita restringere Art. 310.

voluit. *Autrement il n'eust donné si grand doüaire sur les immeubles.*

Art. 313. *Autres detenteurs.*] Pourveu qu'il apparoisse qu'ils sont acquis de l'heritier ou du mary depuis le mariage: combien qu'ils n'ayent acquis à ladite charge. Et est cela sans doute, attendu cette Coustume; mais à Chaalons & Vermandois, où il n'y a telle Coustume, j'ay fait dire par Arrest sur le champ, moy plaidant pour la veuve, combien que la cause eust esté par les plus grands du Palais abandonnée, que la Sentence provisionale du doüaire seroit executoire contre le tiers acquereur, qui fut condamné es dépens: & le Président *Bertrandi*, lors premier Président.

Art. 316. *Quand l'heritiere.*] Id est, *la proprietaireſſe.* Idem quando aliàs ex facto vel mutatione contingente ex parte proprietatis, contingit relevium deberi, ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 22. *q.* 48.

L'onziéme partie.

Art. 322. *Donner seulement à l'un.* Qui tunc tenetur reliquis secundogenitis parte ususfructus eorum.

Ibidem. *Peut donner à sa femme.*] Non tamen econtrà nisi ambo reciproce, ut infrà §. 325. 326. 328.

Ibidem. *Pour en jouyr par usufruit.*] Non tam permittitur in extraneum, quàm in unum ex liberis: qui est in causa primæ successionis, nec alii permittitur in perpetuum, nisi liberis deficientibus.

Art. 322. *Tel don sera estaint & annullé.*] An ergo donator statim possit repetere? Quidam dicebant quòd sic. Ego verò contrà, quia illa Consuetudo tantùm respicit effectum successionis & divisionis faciendæ post obitum donatoris. Tum donatarius ille potest abstinere ab hereditate, & sic donationem retinet, vel potuit alienare, deinde mori sine liberis, vel cum liberis, qui renuntiant hereditati donatoris; non enim revocatur donatio nisi donatarius, vel suus representans vellet succedere. Hæc est mens Consuetudinis.

Art. 324. *Ne peut donner.*] Etiam extraneis, sed nec ad pias quidem causas.

Art. 325. *Faire mutuelle.*] Non ergo seorsim, etiamsi alter alteri donaret, sed separatim, & non mutua contemplatione.

Art. 332. *Fut validé de foy & serment.*] Et aliis clausulis constrictis; quia ex quo facta est in mutuo testamento, censetur facta ut ultima voluntas, & pars testamenti.

Art. 337. *On meilleure que de l'autre.*] Non dicit etiamsi sit heres; sed videtur intelligi per §. 3. 4. supra eod. ne hic superfluat.

Art. 341. *La possession.*] Non dicit *réelle & actuelle*, ut infrà, §. 45. ubi est casus magis odiosus, *l.* 1 *& per tot C. de naturalibus & legitimis liberis*; ideò ibi non sufficit possessio per actum fictum precarii constituti, vel retentionem ususfructus, quæ tamen hic sufficit.

La quinziéme partie.

Art. 349. *Dedans l'an.*] Scilicet infra annum, *du delaissement actuel fait audit premier sans retrayant.*

Art. 356. *Par simple faculté.*] Id est, liberam datam accipienti ad suam libertatem, ut non teneatur redimere.

Ibidem. *Et faction d'amortir.*] Id est, ut accipiens teneatur redimere, & pretium numerare; hoc casu statim locus est retractui: priori verò casu demum post redemptionem, ut inf. §. 358.

Art. 360. *Par ladite transaction.*] *l. nulli. ff. de transact. l. si prædium. C. eod. tit.* quod verum est ex forma contractus: sed si velit actor in se assumere onus probandi: quod verum jus competebat actori, qui accepta pecunia renuntiavit, tunc aliud est, ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 22. *q.* 21.

Art. 382. *Sont assises.*] Scilicet respectu rei fugientis, & ne actor excludatur: & sic §. 392. inf. eod. ad hunc §. non refertur. Actor invenit emptorem Parisius, qui in jus ibi vocatus non declinat, sed patitur condemnationem? Respondi quòd alter proximior potest victorem evincere per hunc textum; sed dominus feudalis non solùm non potest, sed etiam nulla jura habebit, quia non à volente, sed à cõacto & citato in vim legis vel Consuetudinis: quæ mutatio non parit novum jus lucrativum pecuniarium domino.

De ladite rente.] Et hic enim tum currit favore citerioris liberationis. Idem *si la rente estoit de bail d'heritage non rachetable.* Art. 394.

Les heritiers.] Scilicet *collateraux.*: hoc corroborat opinionem meam, de qua scripsi *in Consuet. Paris.* §. 23 *gl.* 1. *q.* 1. est hoc sup. §. 348. & certè hic retractus numquam fuit per Consuetudinem inventus, nisi ad finem reconsolidandi & reliniendi: & sicubi aliter dicit Consuet. ut Borbonii, error est & ambitio conscribentium, & ignavia assistentium. Art. 403.

Contre tous.] Scilicet respectu præscriptionis annalis, non autem respectu longi vel longissimi temporis. Art. 408.

S'il n'est subjet en resseant.] Scilicet non habens in hac provincia domicilium. Art. 411.

La treiziéme partie.

Demeure fermier ou detenteur.] Secùs si non remanet in possessione; sed emptor priùs sibi facit fieri *Bail à ferme à neuf ans*, postridie emit, & nomine suo incepit uti; statim currit tempus etiam retractus. Quòd si dicatur quòd se fecit colonum vel inquilinum, ut hac remota, refrigeret retrahentem? hoc non concludit ad cursum temporis, sed est argumentum disputandi de simulatione. Art. 429.

Dure jusques à trente ans.] Videtur hæc correcta per Constitut. Ludovici XII. utpote posteriorem, latam an. 1512. contra eum qui teneri potest, quia illa constitutio parùm est rationabilis, & æquius erat jus commune, quo tres ordines Statuum hujus provinciæ voluerunt sibi specialiter in hoc conservare, ut eis fuit licitum, imò etiam permissum ab eodem Rege, & homologatum à Senatu: nec de hac speciali Consuetudine sic confirmata, facta est mentio, juxta Bart. *in l. 3. Divus Adrianus, ff. de sepulchro violato.* Art. 431.

L'acquereur.] Non dicit *le preneur*, intelligit ergo de termo acquirente bona fide sine onere, continuando ad §. præcedentem: [mais le preneur n'a ne titre ne bonne foy, & ne peut commencer prescription de son temps.] Art. 438.

Jusques à ce qu'ils ayent vingt ans.] Adhuc nunc tantùm tollitur nullitas, non autem restitutio in integrum, quæ etiam in dubio censetur sublata. Jason, *in l. post quam liti. C. de pact.* ad hoc quæ dixi *in Consuet. Paris. q.* 5. §. 21. Art. 444.

Servitudes semblables.] Scilicet quando semper transit ut aliqua labi potest, ita restringi debet hæc odiosa Consuetudo, secùs [si par saisons, comme en vandanges seulement; car lors faut garder le droit commun, qui requiert temps immemorial,] aut saltem tempus duplicatum. *l. ult. c. de servit.* Idem probandum esset quòd jure servitutis, & non pro simplici commoditate quærendorum fructuum, vel decimarum colligendarum. Art. 454.

La quinziéme partie.

Du jour & date.] Hoc injustum, nisi propter corruptum populum falsitates committere solitum, præsertim per sacrificulos Andensis, ut dixi *in tract. contra abus. p.* 1. §. 2. *gl.* Aliàs ex quo actor ab executione incipit, debet integrè etiam diem edere. Art. 471.

Debtes personnelles.] Consuetudo videtur sentire etiam *hypothecarias*; sed hoc injustum, quia non debet licere frustrare priorem creditorem hypothecarium, qui etiam tantò favorabilior esse debet, quantò gratis mutuavit. Art. 480.

Art. 481. *D'execution à contribution.*] Hoc est iniquum, & dare ansam debitoribus denuò contrahendo, deteriorem facere conditionem prioris creditoris, & hypothecæ suæ.

Art. 490. *Pendant la huitaine.*] Après la vente, car la huitaine ne court devant icelle.

Art. 491. *Au creancier.*] *Sans autres criées*, sed hæc consuetudo est injusta respectu creditorum exterorum, & etiam respectu absentium, vel miserorum etiam indigenarum.

La treiziéme partie.

Art. 512. *N'acquiert communauté.*] Scilicet *par simple demande*, ut in §. præcedenti: sed bene per alios actus, ut de jure communi.

COUSTUMES GENERALES DU PAYS & Comté du Maine.

Maine.] Non mirum si multùm symbolisant cum præcedentibus, cum utraque provincia diu sub eodem domino fuerit in Ludovico Caroli V. fratre primo Andium Duce, & hujus Comitatus in appanagium, in cujus persona Comitatus Andium erectus fuit in Ducatum.

Art. 5. *Du tournois.*] Alias in dubio *de tournois*, etiam Parisiis.

Art. 8. *Tenu de luy bailler.*] Scilicet impensis domini; etiam si mutatio novi domini sit per obitum, vel aliàs, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 48. quamvis aliud videatur de conventu Andens. §. 17. in fin. ubi videtur inconsideratè scriptum.

Art 19. *En autre pouvoir.*] Tamen is qui emit à domino molendini, vel alio exempto non potest uti libertate venditoris, Bar. *in l. licitatio, ff. de publica*, sed hîc non est simile: quia emens ab extraneo non emit ab habente libertatem privilegio exemptionis, sed ab habente libertatem juris communis, non habente libertatem.

Art 41. *Pouvoir especial.*] Requiritur ergo clausula specialis recipiendi laudimia: etiam ab Ecclesiasticis hominibus, vel corporibus manus mortuæ: nec sufficeret clausula generalis, vel etiam universalis investiendi quoscumque.

Ibid. *Les recevoir.*] Quid si usufructuarius, vel doaria *les reçoit*, res non præjudicat domino qui debebit restituere, si velit cogere manum mortuam ad dimittendum fundum, de quo dixi in consuet. Paris.

De moyenne Justice.

Art. 48. *Appartiennent aux Seigneurs.*] Ce sont les droits anciens des nobles d'avoir generalement tout droict de confiscation en leurs terres, où ils ont haute Justice, comme il appert par le procés verbal de cette Coustume, & de celle d'Anjou sur l'art. 41. Et par les anciens registres & chartulaires des Coustumes: combien que depuis aucuns fiscaux Royaux questuaires, cherchans toutes nouvelles inventions pour augmenter le fisq du Roy, & diminuer les droicts des inferieurs, & mesmement de l'estat de noblesse, qui est le principe original, fondement, & defense de la Couronne: Et d'entrée se sont efforcez leur oster les aubins, & depuis de limiter la succession des bastards à certains cas: Il vaudroit beaucoup mieux reintegrer & maintenir les droicts anciens des Estats de France, sans lesquels la Couronne ne peut fleurir ne durer.

Des Seigneurs Barons.

Art. 54. *Ville close.*] Igitur eo ipso *que droict de Baronnie est donné à un Seigneur, il peut clorre sa principale Ville, & la munir avec tours & ponts-levis sans autre nouvelle impetration du Prince*, de quo per Jo. Fab. Et Angelum Aret. *in §. sanctæ instit. de rer. divis.* Bar. *in l. ex hoc jure col. 3. ff. de justitia & jur.* Et addito ad Bart. *in l. 1. col. 2. ff.* de colleg. *illicit. in l. urbe in fin. de verb. signif.* Bald. *in tract. de pact. const. in verb. civitates.*

Baron.] In reliquis autem metallis stabitur juri communi de quo *in §. Thesauros instit. de rer. division. & in l. unic. de thesaur. lib. 10. C.* rejecit. extravaganti Friderici Enobarb. *in c. quæ sunt regalia in usibus feudor.* de quo certum est quod nunquam potuit leges condere in Gallia. Art. 70.

Et en requeste.] Sçavoir est quand il y a faits contraires, ou quand ils sont appointez en droict, quand il n'y a faits contraires probatifs par temoins. Art. 75.

Si c'est matiere reelle] Tunc indistinctè. Ibid.

Est estager.] Id est domiciliaire, ou y residant & habitant. Ibid.

Renvoyant avant.] Sed non post. Ibid.

Ou anticipée.] Etiam solo domino tacente, quia suâ interest non perdere gradum jurisdictionis; quamvis in prima instantia non possit privatus sine domino declinare jurisdictionem superioris generalis & naturalis, quod etiam generaliter servatur in hoc regno. Ibid.

Tierce partie.

En l'enfant de l'enfant.] Et sic non debetur relevium in mutatione de patre in filium, de fratre in fratrem: sed deberur aliàs etiam de avo in nepotem, quod est ineptum, & correctione dignum, & multò magis debetur de donante in donatarium, quamvis pragmatici quidam hujus regionis dicerent non deberi, quia non cavetur: sed imò satis cavetur infrà, §. 100. 109. 126. 133. Art. 97.

Ou à ses filles.] *Scilicet* dudit pere ou mere, §. 97. sup. eod. Art. 109.

Est croist du bestial.] Idem consuet. Andium. §. 103. sed intelligendæ sunt quando fundus ad hoc principaliter destinatus est, ut de stagnis, & leporarus dicitur. Art. 116.

Second rachapt seulement.] Idem consuet. Andium, §. 123. sed vide quæ dixi *in consuet. Paris.* §. 22. *ad fin.* Art. 133.

Hommage.] Ad hoc Jo. Fab. *in §. fuerat. instit. de act.* & quæ dixi *in consuet. Paris.* §. 49. Art. 134.

Et couvrir le Fief.] Idem consuet. Andium. §. 129. & consequenter solvere, id quod ille solvere debebat, salvo recursu, Art. 136.

Pour le tout.] Hoc est æquum. Sed quid si non sit pecunia numerata, nec numerari promissa, sed est permissum accipienti redimere reditum pro tanta summa infrà sex annos, etiam singulis annis solvendo partem pretii redemptionis. Dux Guisanus qui erat dominus feudi, prætendebat jus retractus, sed consilio primariorum hujus Senatus Parisiensis, inter quos aderam, exclusus fuit: quia non sumus in terminis hujus consuetudinis, quamvis in ea hypothesi concedens non retinuisset fidem sive jus præstandi homagium: sed postquam de facto redemptus fuisset reditus, tunc locus esset consuetudini, & non priùs. Art. 137.

Quarte partie de la punition des crimes.

S'il le delaisse.] Secùs si pacto remittat accusato quod suâ interest, quia non dicitur mera desertio ex quo accusatus hoc acceptat, nec erit locus mulctæ, sicut nec pœnis in casu permissæ transactionis, de quo *in l. transigere, C. de Transact.* Jo. Imbert. in *Enchiridio in verb. accusator.* Art. 168.

Du demeur.] Idem consuet. Andium, §. 161. Sed quid circa tertium, & penultimum casum venditor intra dictos novem annos cedat jus redimendi tertio, qui infrà illud tempus redimit? Breviter duo deberi Art. 178.

laudimia, quia ex quo redemptio non fit per venditorem, nec per ejus heredem, perinde est ac si vasallus absolutè vendidisset, emptio etiamsi gratis, jus illud redimendi cesserit tertio. Sed si accepta alia summa pecuniæ, debebuntur laudimia tam de primo quàm de secundo pretio. Idem si venditor eidem emptori vendat, vel cedat facultatem hanc redimendi.

Septiéme partie.

Art. 239. *Ladite succession.*] En la Baronnie du Maine n'y a advantage en meuble entre personnes qui departent coustumierement, qui est à dire sans prerogative de noblesse.

Ibid. *Qu'en bien fait.*] Quod multis iniquum videtur, sed D. *Desloges* Cenomanus in hoc Senatu Consiliarius, plausibilem rationem mihi reddidit, quia mercatores artem exercent, sed nobiles non ideò si hi dividerent, fierent multi pauperes qui mutuò sese gravare possent, nec secundùm statum vivere. Ideò etiam secundogenitis inter nobiles utilior est hæc consuetudo, quibus utilius est potentem habere consanguineum, cujus auctoritate nobilem militiam, vel collocationem nanciscerentur: Alias cogerentur mercaturis, & mechanicis artibus se subjicere: quoniam status nobilitatis per minutulas partes non conservaretur. Addo hoc utile in locis limitrophis, ut sint qui possint tuitionem locorum suscipere.

Art. 241. *Et montrer lignage.*] Idem in effectu consuetudo Turonensis, §. 287. in quo multùm errarunt dicentes, beneficium repræsentationis esse in eodem gradu in quo sunt nepotes ex sorore etiam uterina defuncti, hoc enim falsum est; quia repræsentatio semper rectà procedit, non autem retrogradè. Et sic patrueles non possunt repræsentare contra nepotes ex fratre, nisi sese magis elongando, vel retrogradendo, quod non licet, ut patet in figura quam posui in consuet. Paris. eod. tit. Rursus nota quod repræsentatio nunquam est de persona vivente, sed est tantùm de parente mortuo naturaliter, vel civiliter, *l. si qua pœna ff. de his qui sunt sui, vel alien. jur.* Itaque matre repudiante, filii ejus non possunt venire per repræsentationem, etiam in linea directa: sed benè venient jure suo ex successorio edicto, si sint proximiores in gradu, vel æquè propinqui cum aliis succedentibus, vel repræsentantibus concurrendo.

Art. 246. *Issus de leurs corps.*] Hîc subaudiendus videtur articulus Græcogallicus, *les.*

Art. 252. *Ou devoirs.*] Idem Andibus, tamen non dicit, *la rente en foy*, sed quid si quis Andibus, vel hic constituit reditum ad rationem duodecimæ unà cum Titio fidejussore, qui se simul, ut principalem obligat, cui promittit infrà tres annos redimere, interim moritur, relicto quodam hærede mobilium, contra quem Titius agit ad redimendum; excipitur quod non est debitum mobiliare. Contrarium respondi: tum quia talis reditus sui natura mobilis est, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 67. tum quia etiamsi reputetur immobilis, tamen inter Titium, & heredem debitoris non est nisi obligatio ad mobile semel solvendum: quamvis videatur obligatio faciendi magis quàm dandi, ut dixi *in tract. dividui & individui*, quò remitto. Hæc procedunt etiamsi Titius esset civis Parisiensis, quia debet attendi domicilium principalis debitoris.

Art. 256. *Du meuble commun.*] Sine sumptibus suis, sine opesis alterutrius, vel alterius cui tenetur.

Ibid. *Saligne & costé.*] *Idem* des acquests anciens, qui ne sont de la communauté.

Art. 258. *Homme noble.*] Secùs videtur de matre, quia consuetudo non exprimit de utroque, ut solet quando de utroque intelligit, §. 267. 272. & 275.

Ibid. *Si ne peut elle.*] Scilicet rebus sic stantibus, secùs si hæres instituatur à patre vel matre, quia reducitur ad legatum: potest enim ei donari, vel legari usque ad tertiam partem, non potest directò instituì stante repræsentatione masculi, sed valet ut legatum.

Art 261. *Eust autrement renoncé.*] Audivi quosdam peritissimos dicentes non sufficere si dicat: Renuncio successioni, nisi dicat: Renuncio legitimæ, vel ejus supplemento, *per l. si quando, §. generaliter, C. de inoffic. testa.* Sed hoc est falsum, quia verba hujus consuetudinis non referuntur ad legitimam juris Romani, sed ad portionem virilem successionis consuetudinariæ, qui renunciando in totum excluditur. Amplio etiamsi fœmina sit minor 25. annis, dummodò sit major 14. ut infrà §. 455. quia non solent nuptum dari post 25. annos, & approbatio hujus consuetudinis habet vim decreti.

Art. 264. *Noble homme.*] Idem Andibus, §. 248. idem de matre, quia quod hic solus pater exprimitur, est causa frequentiæ, intellige respectivè, videlicet respectu successionis matris, in matre vidua; quamvis Jo. Papon. *lib. 17. tit. 3. §. 2.* alleget Arrestum in contrarium, sed est intelligendum, ut nuper dixi.

Art. 268. *Noble homme.*] Idem de matre, quia hîc de viro causa frequentiæ.

Art. 274. *En tierce foy.*] Exclusivè, sufficit enim patrem tenuisse, deindem filium post eum, postea nepotes dividentes dicuntur in tertia fide, sive facta sive facienda: sive actu, sive habitu; non enim requiritur quod pater, vel avus homagium fecerint, [la souffrance leur vaut foy, pourveu qu'ils en ayent joüy comme de Fief.]

Art 278. *Dudit don.*] | Die lunæ 17. Junii anno 1560. valde controversa fuit in Senatu Parisiensi hac quæstio: filiæ nubenti data erat terra, postea] après l'adjournement pour venir à partage le mary le vend, & offre rapporter, ou moins prendre l'estimation que valoit la terre lors de son mariage, neantmoins par Sentence du Senéschal du Maine, il est condamné rapporter [in specie, quasi alienatio sit nulla, vel fraudulenta, utpote post citationem multum variabant sententiæ. Præses & majors pars Curiæ, Procurator, & Advocati Regis sentiebant pro appellante, & quod etiam in dubio judicandum secundùm jus commune, appellatus videns causam suam periclitari,] met en fait *modum utendi*, parquoy fut dit par Arrest, que les parties informeroient *de modo utendi*, & que cependant par provision rapporteroit seulement ladite estimation.

Ibid. *Le retour veel.*] Quia jam non potest minus capere, etsi electionem non habeat.

Ibid. *Que de l'autre.*] Idem consuet. Andium §. 255. nuper vidi thema: mulier habens filium, & filiam ex primo, duas filias ex ultimo viro, vendidit filio prædium vili pretio sub pacto redimendi ad novem annos, mox soror germana avocat mediam jure retractus proximitatis, refundendo mediâ pretii juxta consuet. Andium post lapsum tempus redimendi mater moritur, filii primi matrimonii è divisione volunt eximere illud prædium? Respondi quod non possunt, sed tenentur illud conferre in commune, etiam in specie, quia res exstat in eorum potestate refundendo eis mediam partem pretii, quia erat vili pretio venditum, ter enim tantum valebat. Nec facultas redimendi consideranda: quia potuit apponi ad colorem ne viderentur latio, & mater non habebat intentionem redimendi, ut non redemit, sed prahonorandi, quod non potest.

Art. 284. *Ligne de mere.*] Super hoc habui pulchram quæstionem. Quidam obiit sine liberis, relicto fratre germano, & fratre consanguineo; certum est quod germanus jure scripto Romano alterum excluderet, sed in terminis hujus consuetudinis quærebatur de divisione mobilium, & prædiorum acquisitorum? Respondi quod germanus habet dimidiam, quæ defertur paterno in qua excludit alterum, qui non est maternus, & altera verò dimidia concurrit cum eo, quia non

minus est patruus quam ille, & sic totius cumuli habet dodrantem, ille quadrantem tantum : his enim consuetudinibus sublatum est beneficium duplicis vinculi jure novellarum tantum introductum.

Dixiéme partie.

Art. 325. *Depuis la formation*.] Quando per §. sequentem videatur requiri judicialis : tamen sufficere puto extrajudicialem, testato tamen juxta *l. qui Romæ*, §. *coheredes*, *ff. de verb. oblig.* id est testibus, vel publico instrumento adhibitis.

Onziéme partie.

Art. 334. *Perpetuité*.] Nil dicit *des propres*. Quid ergo si non sint mobilia nec conquæstus ? Videretur eis permitti dare tertiam partem patrimonii in perpetuum : sed contra puto quod consuetudo non dicit, nec hoc casu repetit, ut in præcedenti versiculo, & meritò quia carentes liberis sunt proniores ad transferenda heredia in alienam familiam, quod restringendum est, non indulgendum.

Art. 339. *Assigné ledit don*.] Quatenus potest onerare heredia, & non ultra.

Art. 340. *Au profit dudit mary*.] Non dicit è converso etsi videretur maritus posse donare uxori, contrarium verum est, ut patet infrà, §. 248. sument tamen quod maritus potest legare uxori ; adde consuet. Andium, §. 328.

Douziéme partie.

Art. 359. *Ou Fermier*.] Sufficit eum habere mandatum expressum, vel tacitum putà *pour recevoir les droicts Seigneuriaux*, *saisir & donner la saisine*, quia talis sicut investiendo præjudicat ita recipiendo : secus si esset deputatus ad recipiendum solutionem dumtaxat : quia intelligitur de debito certo & incommutabili, non autem de eo in quo requiritur liquidatio, declaratio, vel electio domini, quia illa non est mandata ; ideo debet dominus consuli, ut scripsi *in consuet. Paris.* §. 41.

Art. 362. *Adjournement de retraict*.] *Die Mart. 4. Maii anno* 1529. Le Seigneur de Chemant & de Moulins, acquist un Fief du Seigneur du Lude, lequel mort, son fils le dernier jour de l'an prit une commission en termes generaux pour adjourner en retrait lignager tous ceux qui avoient acquesté de son pere, le Sergent par son rapport, dit qu'aprés avoir fait diligence de chercher ledit Seigneur de Chemant, & qu'il ne l'avoit pû trouver, il saisissoit ledit Fief vendu : afin de faire interruption de l'an : deux mois aprés fut cét exploit notifié audit Seigneur de Chemant, & luy adjourné en cas de retrait lignager ; lors il appella de l'octroy de ladite commission, execution & saisie, comme de nouveau venu à sa connoissance, & conclud par Maistre François Alaigret son Advocat, qui depuis fut Advocat du Roy, le demandeur original & intimé par M. Noël Boulard, qui depuis fut Procureur General, disoit qu'il luy estoit licite par cette Coustume. Alaigret repliqua qu'elle s'entend quand l'acquereur est incertain : mais qu'au cas present il estoit certain, & partant qu'il falloit du commencement venir à personne ou à domicille, comme est la regle du Droict commun, & que ce n'a esté assez venir à la chose sous ombre de cette Coustume, laquelle *debet intelligi secundum jus*, *quando persona est incerta l. 2. C. de noxa. actio. c. cum dilectus de consuet. glo. in l. ult. § si de comparatione*, *C. de jure deliber.* Sur quoy gagna sa cause, & fut dit l'appel, & ce dont appellé, au neant : l'intimé condamné aux dépens, & consequemment debouté definitivement de son retrait.

Art. 373. *N'excede neuf ans*.] Hoc valdè durum : sed quod est id clausula sequenti, est injustum, si secunda pactio redimendi fiat post annum à priore finita : vide And. Tiraquell. *in tract. de Retract. proximit.* §. 1. *glos.* 7. *num.* 24.

Si le revend depuis.] Hæc consuetudo est odiosa & iniqua : ideo debet intelligi, & restringi, ut procedat quando emptor revendit alii, & ex intervallo, putà postquam per annum possedit : Sed si emptione facta, actiones suas tertio cederet etiam pretio recepto ? vel si incontinenti alii revendat ibi *depuis*, quod intervallum signat. Quod si venditori suo, vel ejus hæredi revendat, retinet hæc consuetudo indistinctè. Art. 376.

Depuis l'adjournement.] Diversum vult Andr. Tiraqu. *in tract. de retract. proximit.* §. 2. *gl.* 1. *num.* 15. sed justius idem esse contra emptorem morosum, quia necesse est actori pecuniam semper paratam tenere. Art. 390.

A la charge. dudit procés.] Indistinctè quia invitus litigat nisi probaretur collusio, sed non æquè si emptor ipse litem instituat : posset enim multas lites excitare ad deterrendos retrahentes : atque ideo non tam favetur agenti quam defendenti. Art. 395.

Devoirs ordinaires.] Quæ debentur annuatim à quocumque justè, vel injustè possidente, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 22. *q.* 49. Art. 399.

Des rentes & devoirs.] Id est de illis putè solvendis : secus ergo si eodem actu diceret se illa solvisse cuidam procuratori domini, nec probat, vel si exhibet apocham privatam non verificatam : quia tunc dominus non potest incipere eligere, & sic ei non currit tempus per 29. annos : Sed totum pendet à veritate, & validitate apochæ : nec est iniquum tempus tamdiu prorogatum, quia culpa est emptoris, qui dominum actu positivo decepit : & sic non debet esse melioris conditionis eo qui per meram negligentiam fraudavit, qui non est in tuto nisi post triginta annos. Art. 401.

Il n'y a point de retrait.] Imò hoc est generale, ut nunquam habeat locum retractus in mitiore, scilicet *d'une rente constituée à pris d'argent*, secùs *d'une rente de bail d'heritage*, in qua habet locum uterque retractus, dummodo respectu feudalis reditus ille fuisset infeudatus, nec aliàs redimibilis, ut dixi *in consuet. Paris. eod. tit.* Art. 405.

En luy payant les rentes.] Quas non tenetur reus deducere in dictis fructibus, quia spectabant ad eum jure proprio, & non nomine pœnæ. Art. 40.

Dudit debiteur.] Et quæritur domino directo jus retractus, vel laudimiorum, ut dixi in consuet. Paris. adde And. Tiraq. *tit. de retract. proximit.* §. 1. *glos.* 14. *num.* 14. Art. 421.

Pourroit faire.] Sacerdos fundum quæsitum legavit famulo in *recompense* serviciorum, & ad onus reditus videbatur non esse locum retractui, quia est legatum : ita censebant primores hujus Senatus ; sed contrarium respondi, quia donatio & legatum idem sunt, *l. quæ delegato ff. de lega.* 1. Cæterum non abs re timuerunt sacrificuli in processu verbali designati, ne huic §. locum haberet in legato facto Sacerdoti ad onus peregrinationis, vel certarum missarum, quæ non minus heri possunt per alium, & detractato abusu standum regulæ hujus §. Art. 451.

Treiziéme partie.

Autre titre particulier.] Nisi in quantum pars adversa, probaret ex parte sua possessionem, & esset conflictus probationum, quia tunc titulata, vel antiquior vincit, *ut not. in c. licet causam extra de probat.* ubi dixi in annot. ad Phil. Dec. Art. 441.

Iusques a trente ans.] Omnes putant hoc correctum per constitution. Ludov. XII. latam anno 1512. Sed non est ita, quia hæc consuetudo se restringit ad prædia, & sic magis specialis est, tum illa constitutio odiosa, & juris communis correctoria, & hoc est certum si hæc consuetudo nihilominus post constitutionem Ludovici observata fuerit, quia tunc constitu- Art. 447.

tio illa est ibi de illis, quæ moribus utentium receptæ non fuerunt; consuetudo verò non solùm per tres status, & ordines provinciæ, sic in perpetuum sancita fuit: sed etiam in Senatu Parisiensi homologata, quibus auctoritatibus bonus Rex Ludov. XII. non poterat, nec volebat, nec cogitabat derogare; sed potius unamquamque provinciam in suo sensu serio delecto relinquere.

Art. 453. *Moindre que de trente ans.*] Intellige sine titulo per §. præcedentem; etiamsi sit vassallus, vel censuarius.

Art. 455. *Comme les nobles.*] Tamen non tollitur restitutio in integrum per not. Alex. Paul. Jas. *in l. postquam hæc super glo. ult. C. de pact. Jas. l. 1. col. 6. num. 10. ff. de jurisd. omn. judic. dixi in consuet. Paris. §. 1. glo. 7. num. 6.* & insuper non sequitur quantum ad hanc consuetudinem quod filiæ nobiles reputantur majores annis ante 20. annos completos, nisi in casu speciali, §. 261. suprà part. 7.

Art. 465. *De retrait.*] Scilicet *de retrait lignager*, qui est stricti juris, ut in §. præcedenti.

Art. 466. *En matiere de retrait.*] Scilicet *lignager* per annum, secus in feudali, & in aliis, non per tres, sed per quinque annos tantum interrumpitur.

Ibid. *En foy comparoissant & prenant.*] Hîc copulativam loco alternativæ erroneè in textu substitui: non enim sufficit simplex comparitio, sed etiam contumacia est accusanda, id est, in actis reponendum non solum quod talis comparuit, sed etiam quod pars adversa non comparuit per tempus illud expectata, *l. properandum*, §. *& si idem C. de judi.* qui ita debet intelligi in praxi. & ibi Bald. Salyce. Alex. *cons.* 100. *col. 2. num. 6.* ubi in annot. dixi *lib. 50. Marth. de Affict. decis. Neapol. 3.*

Quatorziéme partie.

Art. 487. *Des expencions.*] *Id est*, renonciations, que les autres Coustumes dient guerpir ou deguerpir.

Quinziéme partie.

Art. 172. *Benefice de division.*] Idem si non renunciarunt, sed ex jure non sit locus tali beneficio.

Art. 498. *Ledit creditenr.*] Sed exterus aut forensis justam causam ignorantiæ habens hujus exorbitantis consuetudinis, poterit in integrum restitui juxta doctrinam Innocen. *in Rub. in fi. extra de consuet. Io. Pa. in l. cunctos populos, C. de Su. Trin. Pbi. Dec. consil. 19.* ubi in annotat. dixi.

Seizième partie.

Art. 588. *Par an & par jour.*] Id est, trahitur intrò ad diem nuptiarum.

COUSTUMES DES PAYS, COMTE' & Bailliage du grand Perche, & des autres terres & Seigneuries regies & gouvernées selon iceux, &c.

Des droicts de Baronnie, Châtellenie, haute, moyenne & basse Justice.

Art. 1. ET ressort.] Cét ancien ressort de la noblesse de France est nouvellement corrigé & reduit à une instance par un nouveau Edict de Charles IX.

Des Fiefs.

Art. 31. *De Fief.*] Quid de possessore? idem non apparente proprietario, & ita ut non ex persona utriusque, dixi *in consuet. Paris. §. 22. ad fi.*

La taxe & estimation des choses qui tombent en rachapt, &c.

Sans attendre la consolidation.] Hoc est durum per ea quæ dixi in consuet. Paris. ad fi. Tum quia donatarius potest præmori, & feudum ad hæredes, qui aliàs vocantur, devenire: & sic tria relevia debentur pro uno. Art. 69.

De Doüaire.

Ainsi vendus.] Non obstante quocumque lapsu temporis, & non obstante decreto; & subhastationibus interim interpositis, dummodò matrimonium sit publicum, & non clandestinum, ut dixi in consuetud. Paris. eod. tit. Art. 183.

De Testamens.

Ensemblement.] Ny aussi donataire par l'article suivant, & par l'article 150. Art. 143.

De 25. ans.] Valde æquum ad obviandum subhastationibus. Art. 151.

Des Successions.

Et non par testes.] Etiamsi sint in æquali gradu, quia sic est in linea directa virtute repræsentationis, §. *cum filius, instit. de hæredit. quæ ab intestat deferuntur*: ergo idem in collaterali per hanc consuet. quæ utramque lineam in hoc æquiparat. Art. 151.

COUSTUMES GENERALES ET USAGES de la Baronnie, Chastellenie, terres & Seigneuries de Chasteauneuf en Thimerais, &c.

Thimerais.] Gratiæ habendæ sunt clarissimo, & erudito viro domino Joanni Gaspari Barchino Mediolanensi honestorum studiorum amantissimo, qui me harum localium consuetudinum admonuit, & tradidit: alioquin prætermissæ fuissent: cum enim in processu verbali consuetudinum Pertici invenissem hujus Baroniæ officiales illic consuetudinum ergò vocatos fuisse, & comparuisse, nulla enim protestatione suarum consuetudinum facta, nunquam putassem hic esse separatas consuetudines locales, nisi vidissem.

CHAP. VI.

Des souffrances.

A donné souffrance.] Scilicet *à faire foy*: Secus *de souffrance de saisie*: ut quando dominus tantum permittit cessare à manu injicienda usque ad tempus intra quod fiet editio. Art. 41.

CHAP. X.

De mariage & de la puissance que le mary a sur la femme, & sur ses biens.

Article precedent.] Videtur ergo de immobilibus tantum: sed idem puto de mobilibus, si est enormis læsio, cum uterque sit in jure. Art. 93.

CHAP. XII.

De retrait lignager.

De ladite rente.] Non est intelligendum *des rentes volantes* ad rationem duodecimæ per ea quæ dixi *in tract. de commerc. & usur. & in consuet. Paris. §. 57.* Art. 86

CHAP. XX.

Amandes de fief & de cens.

Art. 144. *Les ventes.*] Cét article eſt generalement corrigé par tout ce Royaume par l'Arreſt fondé en raiſon generale, comme j'ay écrit ſur la Couſtume de Paris, §. 57. ſauf és cas que j'ay exceptez audit lieu.

COUSTUMES ET USAGES DONT on a accouſtumé uſer à Chartres, pays Chartrain, Baronnies & Chaſtellenies d'Alluie, Brou, Montmiral, & la Baſoche. Goüet, &c.

CHAP. I.

Des Fiefs & de leur nature, & des droicts & prerogative d'aiſneſſe.

Art. 1. *LE frere aiſné.*] Vel nepos ex eo, vel qui loco ab ejus extraneo emptori retraxit, dummodo retrahens ſit de eadem linea directa.

Ibi l. *De rachapt.*] Etiam filius, etiam pluries nubentes, vel invicem in collaterali linea ſuccedentes.

Ibid. *Aucun rachat.*] Scilicet ex mutatione, vel apertura antiqua: ſed bene de ſucceſſione fratris ſine liberis mortui, ut § ſeq.

Art. 5. *Comme Fiefs.*] Dixi *in conſuet. Pariſ.* §. & *gl.* §.

CHAP. II.

Des offres que le Vaſſal qui doit profit, eſt tenu de faire à ſon Seigneur feodal.

Art. 13. *Ne doit exploiter.*] Intelligo prehendendo de novo, vel ſibi applicando fructus, ſecus de ſimplici continuatione prehenſionis jam factæ.

Ibid. *Deſſi és 40. iours.*] Id eſt, poſt lapſum illorum, ut dominus habeat quadraginta dies ad deliberandum. Sed quid ſi vaſſallus tardat ultra duos menſes? Reſponde: ſemper, re integra poteſt hoc facere liberè: ſed interim poſt illos 40. dies poteſt dominus cum effectu manum injicere, & fructus ſuos facere ſine præjudicio excuſationis, ſi quam juſtam vaſſallus habeat, & domino notificaverit: facit conſuet. de Lorris, §. 13.

Art. 14. *Offres au lieu.*] Si nullus ſit eo loci habens poteſtatem recipiendi in fidem, non tenetur illam facere, quia nec heri poteſt parietibus, vel oſtiis, ut ſtulti putant: ſatis eſt offerre, & inſtrumentum referre oblationis.

CHAP. IV.

Quand le Fief chet en profit de rachat.

Art. 19. *Des Fiefs qu'il a acquis.*] Etiam nummis: quia ſub hac conſuetudine non eſt locus quinto pretii in feudis, ſed tantum relevio, ut in donatione infrà, §. 21. 22. quamvis in cenſu ſit locus duodecimæ pretii, ut Pariſiis infrà, §. 48.

Art 20. *Doit rachapt de l'heure.*] Non expectata redemptione; etiamſi numquam redimat, etiamſi non det pecuniam.

Ibid. *Retiendra à luy la foy.*] Et partem domanii feudi, quia ſi totum feudum daret ad reditum, vana, & illuſoria eſſet retentio fidei, ut dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 3. §. 41.

Art. 27. *Eſt du rachapt.*] Hoc eſt iniquum, & adhuc limitandum, ut procedat in diviſione voluntaria: ſecus in neceſſaria quæ fit per ſententiam.

CHAP. V.

Quand le Seigneur feodal peut ſaiſir & mettre en ſa main, &c.

Quand le.] Hic poſt §. 27. malè adhuſque numeratum articulum, quia non eſt §. ſed rub. ideo omnes numeri corrigendi fuerunt uſque ad finem.

Vaſſal quitte la foy.] Ergo etiam ſi vendidit, & tradidit retenta fide, & redemptione ad tempus permiſſum, dominus interim non poteſt manum injicere: idem ſi vaſſallus donavit feudum ad tempus tantum retenta fide, quia interpretandum quod donavit fructus tantum aliquot annorum. Tum in dubio ſit interpretatio contra jura onerosa, & pecuniaria.

Main-miſe.] Secus ſi mutatio præcederet ex parte Art. 35. vaſſalli, ut ſuprà §. 31.

CHAP. VI.

Si le Vaſſal peut impoſer aucune rente ou charge ſur ſon Fief.

Si le vaſſal.] Hic etiam malè collocatus articulus, quia debet eſſe rubrica ſexta.

CHAP. VII.

Des ſouffrances.

A donné ſouffrance.] Scilicet voluntarie ſecus ubi Art. 42. debita eſt, ut pupillo cui ſtatim debetur, & etiam nullo inſtrumento viſo dari poteſt, ideò ſi tutor nomine pupilli ſui feudum emit, & obtinet à domino directo inducias fidei, dominus non excluditur à retractu feudali per has inducias neceſſarias & debitas: ſed per lapſum temporis poſt notificationem emptionis, & inſtrumentum exhibitum: de quo dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 13. *gloſ. ult.*

CHAP. VIII.

De cens & du cenſier.

Dudit cens.] Pour les années dont le Seigneur fait les Art. 44. fruicts ſiens.

Rente recouvrable.] Quant aux rentes conſtituées, Art. 46. cecy eſt corrigé par Arreſt de Parlement du 10. May 1557. recours à mon annotation ſur la Couſtume de Paris article 58. lequel Arreſt a lieu generalement, ſinon és cas que j'ay excepiez en mon Commentaire ſur ledit article.

L'acheteur ſeul.] Aliud infrà §. 148. ſub conſuet. Art. 47. Drocenſi.

Au contraire.] Et non in vim conſuetudinis, ſed in Art. 48. vim pacti privati: ut me patrocinante, facta eſt emendatio Blefis, ut dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 53. *num.* 14. *cum ſequent.*

CHAP. X.

De communauté & diviſion de biens communs.

Et qu'il y ait lignage.] Conſuet. Drocenſis infrà §. Art. 61. 165. addit *affinité*. Duo fratres diu ſimul vixerunt, ſenior celebs; junior uxorem duxit, & bona communicavit, poſtea ſenior moritur relictis quinque fratribus quorum quatuor pereunt ab iſto diviſionem ſocietatis, & huic tantum quinta pars per ſententiam adjudicatur, appellat quia pro ſe, & ſua uxore debet habere duas partes, & ſic trientem totius ſocietatis. Sed opponitur quòd uxor non eſt hæres: deinde non eſt de parentela, & domicilium partium non erat

apud

apud Druidas, sed apud Carnutos Et sic uxor non debet in illa societate computari de hac consuetudine, nec etiam de jure, quia non est socia sociorum mariti. *l. nàm socii ff. pro socio l. consilio §. ult. de verb. signific.* sed soluto matrimonio ipsa, vel hæredes ejus habebunt partem in societate matrimoniali, quæ est alia & diversa, sed in prædicta alia societate superstes socius primo deducit virilem suam, id est dimidiam. Reliqua verò dimidia, quæ fuit defuncti viriliter, dividetur, & sic in illa habebit quintam partem tantum, ut hæres post deductam dimidiam, quam proprio nomine capit ut socius.

Ibidem. *De soy.*] Id est sui juris, per §. seq. & infrà §. 165. 167. omnia exemplaria nimis errabundè habebant *foy:* veteres libri §. 63. alias 64. habent *soy*, ut hic emendavi.

CHAP. XII.

De retrait par puissance de Fief.

Art. 72. *A découvert.*] Scilicet in judicio: quia hoc non requiritur hic in actu citationis, sed quod citatio sit libellata.

Art. 69. *On de ses enfans.*] Hic videtur contradictio in textu, sed debet intelligi quando superstes, qui non est de illo latere, habet filios communes, & sic spes est quod recuperabunt à parente, & reponent in suam lineam, sed intelligendo de filiis prioris cujusvis alterius matrimonii, absurdum esset, quia istis statim, ut extraneis currit tempus ad eorum commodum contra propinquos, & fortius contra remotiores: Quidam in territorio *de Bonneval* emit domum a cognato uxoris, quæ postea moritur, relictis duabus filiabus nuptis quarum mariti cum socero dividunt, *& ainsi en jouïssent* a divis, *plus de trente ans*, etiam postquam emptor ille secundam uxorem duxit, ex qua reliquit filios. Tunc generi illi agunt ex hac consuetudine contrà istos, qui absolvuntur in prima instantia, sed condemnantur, *par les Presidiaux de Chartres?* Respondi non solum nulliter judicarunt, quia non possunt, ut Præsidiales videlicet appellatione remota, cognoscere de causis retractus proximitatis: sed etiam iniquè judicarunt, quia annus currere incepit à die dictæ divisionis, ideo consului statim antequam causa processus scripti examinati possit in Curia Parlamenti, retinendas ab ea inhibitiones particulares, ne emptitii illi Præsidiales sententiam suam de facto exequantur.

Art. 76. *On a recouru.*] Alternativè notat hanc intellige de simili, ut *au denier 20.* quæ poterat esse non redimibilis *per l. 1. ff. de reb. dub.* & sic malè intelligitur de reditibus vulgaribus duodecimæ, qui non subsunt huic retractui, ut dixi *in consuet. Paris. §. 58. & §. 174.*

CHAP. XV.

De donation mutuelle.

Art. 87. *En propriété.*] Non repetit, *s'il se remarie*, & sic puto non repetendum, sicut nec illud de inventario, & satisfactione: quia illa, & etiam illud, *s'il se remarie*, sunt adposita favore liberorum communium tantum. Intellige tamen salva filiorum prædefuncti ex priore matrimonio legitima, ut dixi *in consuet. Paris. §. 55.*

CHAP. XVII.

Des legs & ordonnances testamentaires, & de derniere volonté.

Art. 90. *De nul effet & valeur.*] Hoc decretum territans favorabile est odio suggestionum.

CHAP. XVIII.

De succession.

Art. 93. *selon disposition de droict.*] Ergo cum jure duplicis vinculi in collaterali, quamvis hæc consuetudo non explicet, ut Drocensis explicat infrà, §. 203. quod tamen non habet locum in hæredibus, ubi sufficit conjunctio lateris unde procedunt: ut etiam satis ostendit consuet. Drocensis, § 199.

Art. 95. *Mais les freres*] Magna contentio fuit an hic textus restringeretur ad fratres, vel saltem inter eos, qui sunt verè, & naturaliter ejusdem cellulæ, & gradus; & cùm casus contigisset defuncto Guillelmo *Pilevoyne*, relicta sorore germana, & nepotibus masculis ex fratre germano prædefuncto, qui volebant amitam excludere in feudis; sed per sententiam præfectorum libellis supplicibus Palatii relatore, Francisco Alligreto judicatum fuit pro amita. Nepotes appellarunt, & vicerunt per Arrestum pro hac latum die Sabbati 10. Mart. 1547. & omnia feuda sub consuetudine sita eis adjudicata, exclusa amita. Idem priùs anno 1545. per Arrestum judicatum fuerat pro domino Dom. Et sic non est amplius dubitandum: secus dicerem si illi nepotes essent ex sorore defuncti; quia tunc concurrerent ad dimidiam cum altera sorore defuncti, non enim possent quantumvis masculi, potiores esse matre sua quam repræsentant.

Art. 97. *Hors le premier.*] Tantum dicitur primum illud ex quo supersunt seniores filii: omnia verò sequentia matrimonia dicuntur unum secundum. Vidi quæstionem valde controversam: Titius habet filiam quæ ex primo viro habet filios, & etiam ex secundo; deinde moritur relicto patre & filiis, qui non sunt hæredes matris ob ejus debita, postea moritur Titius avus: nepotes, ex primo viro volunt habere omnia feuda antiqua, quia tacitè videntur matri succedere: sed non est ita, quia omnes veniunt ex capite suo; verumtamen quia veniunt ex pluribus matrimoniis ejusdem filiæ, videtur eadem mens consuetudinis etiam in nepotibus. Porrò si hæc quæstio fuit valdè controversa in dicto casu simplici, multo magis fuit ambagiosa in casu mixto, Titio relinquente filios, & filias nepotes & neptes diversorum matrimoniorum filiæ prædefunctæ: Sed hic margo non capit, remitto ad mea commentaria. Sed ad intellectum text. advertо quod filia primi matrimonii in feudis antiquis excludet omnes masculos secundi. Vidi lepidam quæstionem: vidua habens unicam filiam hoc tacito, & ut virgo nupsit nobili, qui dedit ei dimidiam *de sa terre de Marcles, pour luy estre propre*, & ipsa in tractatu matrimonii vicissim dat mediam *de tous ses biens pour en joüyr par luy & les siens, à la charge que s'il n'y a enfans, il en joüyra seulement sa vie durant?* Respondi, ex hoc pacto quod *les siens* intelligitur de liberis hujus matrimonii, qui sunt vocati, ergo donatarii matris suæ; ergo si velint ei succedere, debent conferre, & consequenter omnia feuda, quæ fuerunt matris, relinquetо sorori uterinæ per §. 99.

CHAP. XX.

Amande de Fief & de cens.

Art. 111. *N'est requerable.*] Quia etiamsi certo loco, & tempore solvi debet, non tamen continuò præcisè: quia potest esse postulabilis, ut dixi *in consuet. Paris. §. 62. in fin.*

Coustumes dont on a accoustumé user en l'auditoire & Bailliage du Comté de Dreux, de tout temps & d'ancienneté.

Et d'ancienneté.] Quæ in multis differunt à Carnotensibus: quamvis eodem contextu adscriptæ sint.

CHAP. I.

Des Fiefs & de leur nature, & des droicts, & prerogatives d'aisnesse.

Art. 138. *Principal manoir.*] Id est, si illud accepit in successione communis patris: non debet rursus aliam principalem mansionem capere in successione communis matris, & è contra: Secus si parens in cujus successione accepit, non esset communis, sed alterius matrimonii.

CHAP. II.

Des offres que le vassal qui doit profit, est tenu faire à son Seigneur feodal.

Art. 184. *Dudit rachat.*] *Id est elegisse*, le revenu de ladite année.

Ibidem. *Desdits 40. jours reiterez.*] Scilicet ad hoc, ut privetur dominus electione. Sed si vassallus omittit reiterare, non amittit fructus, nec cadunt in commissum: quia non est scriptum, nec æquum, præsertim si vassallus & pupillus, quamvis non decesserit, qui contra opinarentur in favorem Nivernensis, tunc hujus ditionis domini.

CHAP. VII.

De souffrance.

Art. 143. *A donné souffrance.*] Intellige de voluntaria, ut dixi in consuetud. præcedenti: amplia, sive dederit inducias fidei præstandæ, sive relevii solvendi. Sed hæc omnia limita, ut procedunt, postquam prius facta est exhibitio instrumentorum acquisitionis, domino directo, qui deinde scienter has inducias dedit.

CHAP. VIII.

Du cens & du Seigneur censier.

Art. 146. *De luy vacans.*] Sive habeantur pro derelicto, sive quia hereditas jacet.

Art. 148. *En diverses Seigneuries.*] Hæc qualitas situs tantum refertur ad permutata, ut patet infrà eod. §. 151.

Ibidem. *Sans reventons*] Id est non debentur, licet vendiderit *francs deniers.*

CHAP. IX.

Du mariage, & de la puissance que le mary a sur sa femme, & ses biens.

Art. 167. *Et passer tous Contracts.*] Etiam alienando immobilia, sublatâ nullitate, & salva restitutione in integrum, & remediis juris communis: unde si est læsus infrà dimidiam, poterit restitui usque ad 29. annos: si vero læsus sit ultra dimidiam, poterit petere rescisionem usque ad 35. annum tantum.

CHAP. XVIII.

Des legs & ordonnances testamentaires, &c.

De la quarte partie en censif. Habuit hic, & quidam permutavit feudum cum censu, sed nihil est executum, nisi post mortem suam: interim legavit quicquid poterat de herediis suis legatario; petit quintum? Respondi nihil potest petere de feudo jam alienato, sed de censu debito, tantum partem quartam capit, quia actio ad heredia censetur heredium *L. qui actionem de reg. jur.* Art. 195.

CHAP. XIX.

De succession.

Au premier degré.] Scilicet in directa in infinitum, & in collaterali usque ad filios fratrum, ut sint in primo gradu secundùm jus pontificium: qui est secundus de jure civili; facit infrà, §. 92. Art. 196.

Les conquests.] Quid de feudis acquisitis per maritum de parte penus dotalis, ut essent propria uxoris juxta conventa matrimonii: num debeant cedere filiis secundi matrimonii uxoris? Videretur quod sic, quia non sunt heredia, nec propria nisi respectivè, contra maritum. Respondi contrarium quod tam jure communi *per l. cum aliis, C. de sec. nupt.* quod per hanc consuetudinem, quàm per tacitum pactum *l. tale pactum in fi. ff. de pact.* ubi dixi in meo consilio, quò remitto: *& in tract. de revoc. donat. & inoffic.* Art. 198.

Que d'un costé.] Hic §. habet locum etiam in filiis fratrum per interpretationem extensivam §. 196. suprà eod. ut ibi declaravi: sed fallit in heredis, in quibus non attenditur duplicitas utriusque vinculi per §. 99. suprà eod. Art. 199.

COUSTUMES GENERALES DU PAYS & Comté de Blois avec les Coustumes locales des Chastellenies, & Baronnies du ressort dudit Comté.

CHAP. I.

De l'estat des personnes.

A leurs droicts.] Id est, ut emancipati, nisi nupserint in familia, id est, manentes in domo, & priori administratione patris. Art. 1.

Faire majeurs.] Non tamen alienare immobilia, sine decreto, *l. 2. c. de his qui veniam ætat. impetr.* adhuc non tollitur restitutio, Paul. *consil. 163. non est dubium* Ludov. Roma. *consil. 91.* quamvis aliter sentiant Angel. Perus. *l. 1. in fi. C. si de moment. possess.* & Francisc. Aterin. *in l. more ff. de acq. vel omit. hereditate.* Art. 2.

En jugement.] Nec in civili, nec in Ecclesiastico foro, quamvis Jo. Fa. *in l. 1. de bon. matr.* tamen sufficit interponi, vel semel ab initio, Bal. *l. jubemus, C. de emancip. liber.* vel in litis contestat. Bald. *l. 1. in 3. oppos. C. qui ad mitt.* sed liberè testari potest, Bald. l 1. de leg. Fusta *Cani. toll. l. 1 testamentum bonor. possess. de testamen.* Alexand. *l. fœtum filii §. eum qui chirograph. delega. 1. & consil. 155. Vide lib. 2.* Jas. *l. non idcirco*, de codicil. Art. 3.

CHAP. II.

Des gardiens & bailliſtres.

Art. 4. *Garde & gouvernement.*] Hoc eſt cuſtodia, quaſi tutela *l. 3. in prin. verſ. nec putet ff. de admi. tutor. l. ult. C. de fenten. paſſis*, unde horum bona tacitè hypothecantur, quia ſunt protutores, *l. dabimus*, §. 1. *l. ſi quis negotium*, *ff. de privil. creditor. l. ult. ff. de tut. & curat. dat. ab his l. cum oportet*, §. *ſed cum tacitas C. de bonis quæ liber.* & iſtæ tutelæ conſuetudinariæ inſtar legitimarum ſunt. Bald. *conſil.* 145. *præmiſſis verbis lib.* 2. unde idem quod de tutelis juris communis niſi quatenus apparet diverſum.

CHAP. III.

De la juriſdiction des Juges du Comté de Blois.

Art. 28. *Eſtranges du lignage.*] Id eſt, indiſtinctè, hoc tantum excepto, ſi emptor haberet jus retractus proximitatis, ſi alii venditum fuiſſet.

CHAP. IV.

Des droicts Seigneuriaux.

Art. 33. *De leurs indemnitez.*] Aliàs non prodeſſet allegare tempus centum annorum, vel immemorabile, quia talis prætenſa præſcriptio non ſolum eſſet contra jus privatum, ſed etiam contra jus publicum hujus conſuetudinis, ut de facto conſului pro dom. *de Luxe* anno 1548.

Art. 37. *Denombrement non baillé.*] Secus ſi conſtaret quod non cœpit poſſidere jure feudi, ſed pro ſuo domanio, ut dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 7.

Art. 38. *Par la commiſſion.*] Latè dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 52. & in his quamvis ſit clauſula, *en cas d'oppoſition, iour.* tamen additur, *la maintenante.*

Art. 39. *Et s'il y a oppoſition.*] Idem dico ſi *appellation*: quamvis vulgo contrarium putent & malè: quia iſta manus injectio non eſt actus juriſdictionalis, ſed domanialis, & commiſſio judicis de ſe non eſt neceſſaria, ſed ut de ſcripto, & teſtato conſtet, ut dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 1. *gloſſ.* 4.

Art. 41. *Leurs mains.*] Sed an currant minoribus, latè dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 41.

CHAP. V.

Des Fiefs.

Art. 47. *Du vaſſal.*] Sed non per omnia æquiparantur, ut infrà §. 52.

Art. 52. *Empeſchement.*] Scilicet per manus injectionem, quæ manet impenſis domini, reſpectu antiqui vaſſalli.

Art. 54. *Preſentant la bouche.*] Id eſt, oſculum. Vidua vaſſalla præſens obtulerat fidem & homagium, poſtea dominus cavillabatur, quod non obtulerat, ſeu ſpeciatim præſentaverat *la bouche & les mains*? Reſpondi oblationem validam. Et ita judicatum fuit, & bene: quia hæc verba non debent ad captionem trahi.

Art. 61. *Devoir annuel.*] Supra parte infrà trientem alienata. Quid ſi trientem permutat cum reditu redimibili, & beſſem cum prædio, ut nuper vidi? Reſpondi pro rata trientis debentur laudimia: pro reſiduo verò relevium. & immunitas hujus §. intelligitur, quando trientem tantum alienat reſiduo retento: ſecus ſi totum alienat.

Art. 66. *Ledit acqueſt.*] Scilicet tacitè, niſi aliud ſit expreſſum: item inter ſcientes aliàs, qui ignoranti dat prædium ſerviens, poteſt conqueri.

CHAP. VII.

Des profits feodaux.

Pour la commiſſion.] Itaque defectu commiſſionis non lucrabitur fructus: ſed non debet ſumptus, nec damna, nec intereſſe, ſi ex juſta cauſa manum munus ſolemniter injecit. Art. 76.

Arriere vaſſaux.] *Idem reſpectu* des baux à cens ou rente. Art. 79.

Ou moiſonnier.] *Secus* du preneur à cens, fief, ou rente, *ſuprà*, §. 61. 62. Art. 75.

Tenu en fief.] Idem dico in terminis cenſus cari pretii ſuprà §. 116. Art. 82.

Le mary.] Hoc eſt contra *l. unic. C. de imponen. lucra. deſcriptio.* & iniquum per ea quæ dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 25. Art. 85.

N'en ſera deû qu'un.] Dixi *in conſuet. Pariſ.* §. 21. *qu.* 28. *nu.* 113. Art. 92.

CHAP. IX.

De cens & profits cenſuels.

D'aucun Seigneur.] Iſta conſuetudo non eſt prohibitiva nec negativa, ideo non excludit jus agentis ad cenſum, ſi non oſtendat imputationem ſuperioris: ſed poteſt à ſuperiore cogi, ut fidelitatem ſubeat. *Le chapitre de Levroux auparavant ſoixante ans avoit pris amortiſſement des francs Fiefs, & nouveaux acqueſts moyennant* 20. *livres.* Reſpondi quod hoc non poteſt adaptari ad hanc conſuetudinem, quæ loquitur de domino immediatè, non autem de emendicato, & procurato ab officialibus quæſtuariis Regis. Art. 108.

Qui ſont à cher prix.] Appel par les gens du tiers eſtat, comme s'enſuit au procés verbal: J'ecrivis pour la Ville & tiers Etat, & obtins par Arreſt douze ans aprés prononcé le 13. Iuin l'an 1535. l'appellation, & ce dont a eſté appellé, au neant, l'oppoſition receuë; ſurquoy les parties reglées, le tout ſans prejudice du droict de cens à cher prix pretendu par les gens d'Egliſe & Nobles, & autres intimez, & de la pourſuite, preuve & verification d'iceluy droict par tous autres moyens que par ladite redaction de Coûtume, à laquelle y a eu oppoſition, tout ainſi & par la forme & maniere qu'ils euſſent fait ou penſé faire auparavant ladite redaction: [Id eſt jure privato probando, & non jure conſuetudinis, nec fundatæ intentionis, de quo plenè ſcripſi] *in conſuet. Pariſ.* §. 53. *nu.* 12. *nu.* 31. Art. 109.

Empeſché.] Et malè: quia ſi vendo ad tempus, vel ſi vendo reditum decem annorum tantum, potius cenſetur alienatio fructuum. Art. 115.

En leur cenſif.] Id eſt, dummodò non moveant ab alio domino directo: ſed ſint in eorum domanio. Art. 118.

CHAP. XI.

Des ſucceſſions.

Heritiers preſomptifs.] Iſta eſt ſimplex declaratio, quæ fieri poteſt coram duobus teſtibus, vel aliàs, dummodò conſtet etiam ſine præſentia, ſcientia vel acceptatione partis quæ vocatur, & etiam hæc declaratio ſemper ambulatoria eſt uſque ad mortem. Art. 139.

Pareil degré.] Id eſt, ſive ſint in eadem cellula, vel diverſis, id eſt, ſive omnes nepotes ſint ex eodem fratre, vel ex eadem ſorore, vel ex diverſis: Iſta eſt mirabilis poteſtas unius ſoli ex ſua cellula, vel uni ex pluribus cellulis gratificandi: ſed etiam actus eſt revocabilis, vel communicabilis aliis pro libera voluntate ejus de cujus ſucceſſione agitur adusque ejus obitum. Art. 140.

Art. 141. *Point d'hoirs mâles.*] Sive primi gradus, sive nepotes ex masculo.

Art. 143. *Tel qu'il luy plaira.*] Pourveu qu'il soit destiné à la demeure & habitation du pere de famille : car le toict de musnier à eau ou à vent n'est pas manoir, ny pareilement une grange, ny un pressoir, encore qu'il fust couvert, & ne se pût choisir pour manoir, quand ores n'y en auroit d'autres, dixi *in consuetud. Paris.* §. 8.

Art. 147. *Expresse ou tacite.*] Hæc valuit sub regno Monachorum, sed ætate nostra consenuit, & contra tacitam sufficit allegare dissensum; contra expressam, probandus est cum aliquibus minis, & sic exeunt, & succedunt.

Art. 150. *Lesdits heritages.*] Etiam sinon descendant à stipite, vel primo acquirente, *ut in consuet. Paris.* §. 112.

Art. 152. *D'hoir mâle.*] Intelligitur de masculo descendente ex masculo, quod est clarum in hac consuetudine, per §. 141. sup. cod. quamvis non sit tam clarum in consuet. Paris.

Art. 155. *Ex uno latere.*] Intellige quando sunt in eodem gradu, ut per Sententiam Baillivi Dunensis judicatum fuit, confirmatum per Baillivum Blesensem: deinde in causa de *Villebrames* judicatum per Arrestum, quod non attenditur duplicitas vinculi ultra filios fratrum : sed tantum stirps lateris unde prædia descendunt : restringendo hunc §. ad limites novellæ *in Authent. de successionib. ab intestat.*

Art. 157. *Comme meubles.*] Idem consuet. Andegavens. §. 290. & omnes ferè consuetudines Gallicæ, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 57.

CHAP. XII.

Des donations faites tant entre vifs, comme par testament.

Art. 161. *Et conquests immeubles.*] Etiamsi minores sint viginti quinque annis : Non enim solent fœminæ expectare 25. annum, antequam sub hac consuetudine nubant : Et sic limitatur *l. prædia C. de præd. minor.*

Art. 164. *Soient premiers.*] Id est, super massa communi, non autem super portione hæredum tantum, & dico quod consensus iste fieri potest ex intervallo, etiam in testamento : quia est recognitio bonæ fidei : & ita per Arrestum judicatum fuit, etiam sub consuet. Paris.

Art. 167. *Enfans ou heritiers.*] Etiam *estrangers & collateraux* etiam inter vivos.

Art. 168. *Heritiers immediats.*] *L. nihil interest ff. de bon. libert.* quid si filius donatarius præmoritur relictis duobus liberis, alter est hæres patris, & abstinet ab hæreditate avi; alter non est hæres patris, sed vult succedere avo? Respondi quòd debet integrè conferre, aliàs esset fraus, & collusio : faciunt quæ dixi in annotat. ad Alex. consilio 24. lib 1.

Art. 169. *Ne vaut,*] Nisi in mutua, quæ etiam propriè donatio non est, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 160.

Art. 170. *Ne vaut rien.*] Nec ut legatum quidem, nisi fiat in forma testamenti, vel testamentum, aut codicillus confirmetur, quia tunc valet ad limites legati; quod autem nullo modo valet, quando est in forma contractus, justè institutum est odio suggestionum : ergo multò minus valebit legatum testamento inclusum, sed ad interrogationem legatarii factum, quia non procedit ex mero arbitrio testantis, vidi valde controversam quæstionem de donatione inclusa testamento. [Et par ce testament faisant je donne à tel le quint & le quart de mes propres, & mes conquests, le Notaire stipulant] de eadem infirmitate obiit : dicebat hæres esse donationem causa mortis, nullam; tamen judicatum fuit validam esse, quia saltem testamento confirmatur ; item intellige de infirmitate de qua timetur mors præsens, vel vicina, aliàs ut in febre quartana secus *L. quæritur ff. de re judic.* adde Philip. Corn. *consil.* 68. *littera M. lib.* 3.

Art. 172. *Est reputée propre.*] Scilicet contra conjugem, quia non cadit in communionem, ut plenè dixi *in consuet. Paris.* §. 56. *nu.* 38. *&* § 55. *gl.* 1. *nu.* 102. *nu.* 103. ubi quod si hæredium detur à conjuncto remanet antiquum ex latere illius.

Art. 176. *De bailler caution.*] Scilicet de donatione mobilium: prædia enim semper extant, & sufficiunt, *l. sciendum in prin. ff. qui satisda. cogant.*

Art. 177. *Des immeubles.*] Fortius consuet. Aurelia. §. 228. quid si legata domus? Respondi executores non possunt tradere, nisi vocatis hæredibus, quibus vocatis, si vitium, aut exceptio prompta non appareat, possunt tradere, & possessionem transfert per hunc text. *l. ult. C. de edict. di. Adrian. toll.*

CHAP. XIII.

De mariage.

Art. 185. *Par l'autorité de Justice.*] Hoc importat dandum curatorem filiis, sed non requiritur æstimatio, sive appretiatio : satis est constare descriptionem bona fide factam, ut consilio meo sæpè judicatum fuit.

Art. 186. *Acquest.*] *Interim tamen*, le survivant est saisi de sa moitié, & en fait les fruicts siens.

CHAP. XIV.

De Doüaire.

Art. 189. *Sa vie durant.*] *Non dicit*, qu'il soit propre aux enfans, & partant il est personel, & si le mary n'est saisi lors de son decés, il faut qu'elle vienne par le petitoire.

Art. 190. *Rien porte avec son mary.*] Nisi dotem promiserit, & fefellerit *Auth. sed quæ nihil, C. de pact. convent.* Stephan. Bertrand. *consil.* 24. *lib.* 1. *cons.* 90. *lib.* 3. *consil.* 120. *visis consultationis, libro* 3. Guid. Pap. *decis. Delphi.* 274.

CHAP. XVI.

Des retraits lignagers.

Art. 193. *A compter du jour d'iceluy.*] Intellige simul à die notitiæ in loco, juxt. *Clement. unic. in fi. de concess præb.* & ita tenendum ex quo hic non est verbum, *de la saisine.*

Consigné.] Et ita regulariter servatur in Gallia.

Art. 198. Art. 201. *Sera l'heritage divisé.*] *Quid* de vente de la couppe de bois de haute futaye : car ils tiennent qu'il y a retrait lignager. Respondi celuy des deux retrayans, qui veut le bois estre conservé à son parent vendeur, & qu'il ne soit coupé, doit estre preferé, *quia certat de conservando*, à la ligne, *quamvis aliter judicatum sit*, par le Bailly de S. Agnan en Berry, & mal confirmé par le Bailly de Blois, qui ont ordonné la coupe & division par provision, qui est encores une autre erreur : car jamais n'échoit provision de chose irreparable.

Art. 210. *Venir & representer.* Certum est quod citatio facta primo emptori, interrumpit : sed si non sit suspicio fraudis, vel collusionis, sufficit nominare novum proprietarium, & possessorem, si non est difficilioris, nec longioris conventionis per *no. in l.* 2. *C. ubi in rem actio.*

CHAP. XVII.

Des emphiteoſes.

Art. 212. *Ou laiz.*] Ad hoc fortius quæ tradit Alex. *conſ.* 14. *num.* 8. *lib.* 2. *retigi* ad Phil. Deci. *Auth. qui rem num.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſ. & conſ.* 176.

CHAP. XIX.

Des priſes de beſtes.

Art. 217. *Creu par ſerment.*] De modico ut infra §. 223. & judex deferens juramentum, poteſt ſummam taxare.

CHAP. XXI.

Des ſervitudes réelles.

Art. 230. *Eſgouſts.*] Intellige de ſimplici ſtillicidio in aere, id eſt, non quieſcente in fundo vicini, ſive pendeat ſupra fundum vicini, ſive non pendeat, ſed in illud ſtillat: ſecus de incorporato & inædificato viſibiliter, vel quieſcente ſuper fundo vicini. *per l. in vendendo ff. de contrab. emp. & vendit.* dixi *in Conſuet. Pariſ.* §. 80.

Art. 239. *Et fuye à pied.*] Intelligitur ſecundum modum loquendi regionis. *L. ſi ſervus plurium in fin. ff. de lega.* 1. Ideo non habet locum in elevato tribus vel quatuor pedibus ſupra aream: *Et ainſi a eſté jugé à Blois entre le Prieur de Campigny, pour un ſien vaſſal.*

CHAP. XXII.

Debtes perſonnelles & executions faites par vertu de lettres obligatoires, &c.

Art. 248. *Detenteur.*] Non intelligas de ſimplici colono vel inquilino: Sed de eo qui nomine & auctoritate domini eſt, ut tutor, maritus, fructuarius.

Art. 249. *Penſion.*] Intellige de ſimili, videlicet *de bail d'heritage*, ſecus de reditu impoſitivo: & ita judicati vidi.

Art. 258. *En ladite maiſon.*] Iſtud ab antiquiſſimo tempore obſervatur in Gallia, dicunt, ex privilegio regio: ſed non eſt ita: quia conſuetudo eſt antiquior quam poſtea Rex approbavit.

Art. 265. *A luy cedée.*] Iſte articulus valde ineptus: contrarium enim ubique obſervatur, & etiam actor non nomine proprio, ſed nomine cedentis, tanquam mandatis actionibus expertitur. Jus enim exequendi non mutatur nec amittitur ex parte creditoris, ſed ex parte debitoris: quo mortuo vocantur heredes, ut inſtrumentum declaretur executorium. Panor. & alii *in c. quia V. ext. de judiciis.*

Art. 270. *Rentes volantes*] Quarum appellatione non veniunt reditus ad rationem trientalis uſuræ, vel unius in triginta empti, ut *dixi in tract. redit. & uſur.* tamen in hac ſpeciali diſpoſitione, *faite en faveur des maiſons de la ville de Blois, comme il appert par le procez verbal, toutes rentes conſtituées à prix d'argent y ſont compriſes.*

CHAP. XXIII.

Des criées & ſubbaſtations.

Art. 275. *Rachetables.*] Id eſt, *l'heritage n'eſt pas vendu à la charge, mais la rente ſe prendra ſur le prix entant qu'il le peut porter.*

COUSTUMES LOCALES DU COMTE' & Bailliage de Dunois, Seigneuries de Marchenoir, & Freteval, &c.

CHAP. I.

Des fiefs.

Qu'un fief.] Et conſequenter heres vaſſalli debet relevium totius tanquam de domanio non tanquam de ſubfeudo dependenti, item niſi vaſſallus vel ejus heres velit ſubfeudum quæſitum extra manum ſuam ponere, ad quod etiam ſuperiori patrono invito, habebit dilationem ſaltem anni poſt interpellationem, & ſic ſubfeudum non ipſo jure unitur, ut etiam dixi *in Conſuet. Pariſ.* §. 23. *gloſſ.* 1. *q.* 13. Art. 15.

CHAP. II.

Des donations faites entre-vifs.

Ne peut avantager.] Scilicet de ſuo, quod ſi cautius cavendo, aut prævidendo, melius geſſit negotium, non eſt trahendum ad invidiam. Art. 64.

CHAP. XV.

En matiere de retrait.

Faire priſe.] Id eſt, ſi conduxit vel locari fecit tertio in fraudem retrahentis, ut ſæpe ſolent facere: contra quam fraudem hæc conſuetudo optimè providet, & generaliter obſervanda eſſet. Art. 48.

COUSTUMES LOCALES DE LA Chaſtellenie de Romorantin, Millançay, Villebroſſe & Billy.

CHAP. II.

De ſucceſſion de fiefs.

Que bon luy ſemblera.] Scilicet reſpectu feudorum ſitorum intra hoc territorium. Quid ſi pater & mater acquiſiverunt fundum feudalem in hoc territorio in quo manſionem conſtruxerunt, an integram habeat primogenitus heres utriuſque parentis? non enim eſt electio inter has partes æquales ejuſdem manſionis: & ſic cum verba hujus localis conſuetudinis non congruant, videtur recurrendum ad conſuetudinem generalem: Sed æqualitas filiorum favorabilis eſt *l. illam* ubi Phil. Dec. *C. de collatio.* Art. 61.

COUSTUMES LOCALES DE LA Baronnie de ſaint Agnan.

En matiere feodale.

Aucuns reliefs,] Sed non excluduntur laudimia in caſum venditionis de quo ad conſuetudinem generalem. Art. 14.

COUSTUMES LOCALES DE LA Barohnie & Seigneurie de ſaint Agnan.

De doüaires.

A vie durant.] Partant il eſt perſonnel, comme auſſi en la Couſtume generale, & auſſi en celle d'Orleans. Art. 11.

De ſucceſſions.

Art 20. *Empeſché.*] Mal empeſché : car cela eſt general quaſi par toutes les Couſtumes de Gaule, meſme ſous le Comté de Flandres & d'Artois, *quod peregrinorum ſucceſſio*, appartient au haut Juſticier, *quamvis novi fiſcales quæſtuarii controverſum fecerint.*

COUSTUMES LOCALES DE LA Baronnie de la Ferté Ymbaut.

Ymbaut.] Sous laquelle Ymbaut eſt le Bailliage de Samlbris qui uſe de la meſme Couſtume locale, comme j'ay veu.

COUSTUMES LOCALES DES Terres & Chaſtellenies de Leproux & Bouge.

De ſucceſſions.

Art. 6. *Lieu.*] Scilicet infrà terminos juris. Quid ſi quis *rappelle*, pronepotes ex ſorore cum nepotibus ex alia ſorore? Reſpondi quod iſti vocati veniunt jure legati tantum ; non veniunt ut heredes, nec ſunt ſaiſiti : quia conſuetudo prohibet, ſed non impedit quin valeat jure legati, quatenus legari poteſt.

Procez verbal des Couſtumes de Blois.

Demeurera pour couſtume.] Cecy a eſté depuis caſſé par Arreſt du 15. Juin 1555. comme j'ay dit cy-devant ſur le texte.

COUSTUMES GENERALES DES PAYS & Duché de Berry, tant de la Ville & ſeptaine de Bourges, que des autres Villes, &c.

CHAP. I.

De l'état & qualité des perſonnes.

Art. 1. *Par droit de ſuite.*] Non intelligitur de eo qui faciens furtum ſui ipſius *l. 1. C. de ſer. fugit.* fuiſſet hic latitans ; conſuetudo loquitur de eo qui factus eſt habitator : ſed urbs Pariſiorum non habet hoc privilegium: *Car le Seigneur de Chaſteauroux en Berry vendiqua ſon ſerf qui s'eſtoit retiré & fait Bourgeois de Paris, & obtint la proviſion* ? Quidam dicunt, *que pour le regard des ſerfs des Seigneurs qui ſont hors de ce Royaume, que le ſerf eſt fait franc par l'entrée de ce Royaume*, ſed non eſt expeditum.

Art. 33. *En viduité ſeulement.*] Sed pater per ſecundas nuptias hoc non perdit.

CHAP. II.

Des Juges, Jugements, veſcifions, eſpaves, amendes, & confiſcations.

Art. 8. *Au premier chef.*] Hic §. per ipſum Liſetum contra veterem uſum additus fuit, & ſic in hæreſi remanet vetus conſuetudo.

Art. 12. *Juriſdictions ſubalternes.*] Intellige inter regios, videlicet quando judex à quo, regius eſt : Secus ſi eſt judex domini temporalis. quia quemadmodum vincente appellante, dicitur malè judicatum, dominus loci ſolet in mulctam condemnari. Ita quando malè appellatur ab eo, mulcta frivolæ appellationis ad eumdem ſpectat, & ita fuit judicatum à Yſſoudun par l'opinion de tous les aſſiſtans ſur le champ, entre le Fermier des amendes du Roy, & un fol appellant executé pour l'amende par ledit Fermier : L'executé diſoit qu'il avoit payé l'amende au Seigneur du lieu auquel elle eſtoit deuë, & fut l'execution declarée tortionnaire, dont ledit Fermier appella & releva és grands Jours de Riom, l'an 1546. où il acquieſça. Je ſçay bien que depuis en ſemblable cauſe les parties furent receuës à informer, *de modo utendi*, de cette Couſtume, au moyen que les Gens du Roy ſe joignirent avec Fermiers & mal, c'eſt trop fouler les Seigneurs pour cuider enrichir le Roy.]

Art. 38. *La declaration.*] Sive publicum, ſive privatum ſit inſtrumentum, rejecto minus laxo *c. 2. extrà de probation.* Sed poſt biennium, non tenetur creditor formale quoddam juramentum ſubire, ſatis eſt quod juret deberi : ergo multò minus cogi poteſt ad interrogatoria particularia in quibus non ſibi deferretur, ſed exigeretur juramentum.

CHAP. V.

Des fiefs.

Sur le fief.] Hîc nominatim & ſpecialiter. Art. 5.

Art. 19. *Acte judiciaire.*] Hæc eſt additio Petri Liſeti pragmatici iniqua : quia ſemper ſufficeret teſtimonium honeſtorum virorum : Et puto quod rari dominorum velint hoc exigere : volebat ille augere fiſcum & quæſtum judicialem.

Art. 39. *Souffrance.*] Expreſſe ou taiſible.

Art. 52. *De ſon fief.*] Secùs in cenſu. inf. tit. ſeq. §. 21.

CHAP. VI.

Descens, rentes, & hypotheques.

Art. 1. *Droits ſeigneuriaux.*] Et ſic debet civiliter intelligi, ſcilicet de reditibus quorum facultas redimendi poteſt limitari : quia hi demùm fundis æquipollent, cum poſſint eſſe non redimibiles ; ſecus de his quorum facultas redimendi eſt eſſentialis & illimitabilis, ut [illegible] rationem duodecimæ, quia hi crebrius pro debito mobili hypothecario habentur : facit text. in §. ſeq. ubi æquiparat reditum fundo & ſic *per l. 1. ff. de reb. dub.* intelligitur de tali reditu qui poteſt gerere vicem fundi rei quæ immobilis & perpetuum facere præjudicium domino directo, ut dixi *in tract. commer. & uſurar.* & in *Conſuet. Pariſ.* §. 57.

Art. 246 *Comme deſſus.*] Adde quod debitor ſolvendo in pecunia ad rationem duodecimæ, liberandus eſt, ut dixi *in tract. red. & uſurar. Latin. & Gallic.* Et opinionem meam in formam legis reduxerunt Sequani ex Senatuſconſulto Dolano, & ad ſi. hujus §. adde inf. §. 35.

CHAP. VII.

De donations.

Art. 11. *Choſes données.*] Cecy fut adjoûté par Liſet au moyen de l'Ordonnance de l'an 1539. article 132. qu'il avoit n'agueres publiée.

CHAP. VIII.

Des mariages, doüaires, societez & communautez.

Art. 14. *Par teſtament.*] Iſtud de teſtamento non erat prohibitum veteri conſuetudine ; tamen non malè fuit additum propter pericula ſuggeſtionum, & non habet locum in caſu §. 8. inf. tit. 19. ubi conjux poteſt heres inſtitui defectu heredum.

Art. 23. *Comme meubles.*] Intellige prorata temporis quo fundi cœperunt coli sumptu communi: quia sumptus sunt prorata temporis, ideo secus de fructibus naturalibus, ut §. seq.

Ibid. *Part & portion.*] Prorata temporis, *excepté quant aux cens*, qui solvitur in recognitionem domini, in quo inspicitur cessio diei seu dies quo solvi debet: & totus ille articulus juncta annotatione generaliter observatur in regno.

CHAP. IX.

Des executions, criées, & subhastations.

Art. 9. *N'ont suite.*] Hæc generalis ut Berbo. §. 11. Claromonten. 16. *de Larris* eod. tit. §. 15. & ferè ubique ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 77.

Art. 23. *Dudit debteur.*] Juxta constitutionem anni 1539. Ideo servatur ubique in toto regno.

Art. 71. *Ou ses Fermiers.*] *Non sequitur*, que le Fermier soit chassé, mais un étranger sera Commissaire qui recevra dudit Fermier.

Art. 76. *En baillant caution.*] De la provision *transeat, sed de cautione non est justum gravari* le bailleur d'heritage qui est en possession, à la requeste des creanciers posterieurs, *non apparentibus antiquioribus creditoribus. Ideo dico quod hic §. debet restringi ut præcedat*, en baux faits depuis trente ans, eu égard à la saisie, *quia cum non sit regulariter præscriptum, possunt timere priores creditores infrà tit. 12. secus* si le bail est devant trente ans, *quia tunc verisimiliter non sunt timendi anteriores creditores, nec cautione opus est.* Le Seigneur de Chasteron voulant sauver ses rentes foncieres aprés le decret adjugé, mit en fait, que *per medium utendi hu us consuetudinis* les rentes foncieres sont reputées droits Seigneuriaux, & conservez sans opposition, suivant l'article 70. dont il fut debouté par le Juge de Berry: mais y fut receu par Arrest: mais j'estime qu'il n'a prouvé ledit fait, lequel aussi n'est vray-semblable: toutesfois si le bailleur avoit toûjours esté payé de sa rente par le Fermier delaissé & deputé par les Commissaires, ce seroit juste cause de luy conserver sa rente fonciere. Facit. *l. Pomponius ff. quemadmodum usufr. amitt.*

Art. 83. *Portée.*] Ad hæc quæ dixi *in Consuetudine Parisiensi* §. 18. quam opinionem meam ibi editam imitatus est Lisetus hic.

CHAP. X.

Des droicts Prediaux.

Art. 17. *Choses matrimoniales.*] Ut plenè dixi *in Consuetud. Parisiensi* §. 46.

CHAP. XII.

Des prescriptions.

Art. 4. *Vasselage affis.*] Hoc sumpsit & addidit Lisetus scriptis meis *in Cons. Paris.* §. 7. infrà 6. cum seq. adde *l. si viam in fin. ff. de usucapio.*

Art. 7. *Seigneur feodal ou censier.*] Sed interim benè incipit præscriptio illa triginta annorum, quia currit; quantumvis tituli non fuerint exhibiti & dominus ignoraverit, dummodo novus acquisitor naturaliter possederit: secus quandiu vetus vassallus ut usufructuarius, vel etiam ut colonus in possessione remanet.

Art. 13. *Prejudice.*] Intellige quando reus super toto convenitur & super toto proceditur, & hoc est valdè justum, quamvis sit contra jus scriptum in dividuis: secus si actor conveniat unum ex possessoribus pro parte sua tantum: quia tunc remanet immota regula juris communis quoad alios de qua *in l. 1. C. de long. temp. præscriptio.*

CHAP. XIII.

De la retenuë des choses vendues, &c.

Art. 1. *Pour le prix.*] Cecy ne doit avoir lieu és rentes du denier 12. ou 15. constituées pour l'usage du commun commerce, ny mesmes és rentes rachetables au denier constituées au gendre ou à la fille pour les deniers dotaux, par ce que j'en ay dit sur la Coustume de Paris §. 57. & au Traité des usures.

CHAP. XIV.

De retrait lignager.

Art. 4. *Qui les a acquis.*] Si ipsemet emptor vendit, tunc excluditur novus & futurus retractus, sed de præterito non dubitatur si temporis largiatur.

Ibid. *Acquis.*] Id est, si ille reliquerit filium vel filiam superstitem & heredem.

Ibid. *Venus.*] Scilicet post illum evertum & mediatè, non autem immediatè.

Ibid. *Retrait lignager.*] Vulgò putant si frater emptoris qui ei successit vendat extraneo quod soror (quæ nihil unquam in eo prædio habuit) posset retrahere; sed non est ita, quia illud non est jus acquisitorium, sed conservatorium, in familia, atqui illa nunquam fuit in familia, & ita nuper consului.

Art. 19. *Ses deniers propres.*] Intellige secundùm prædicta, quia etiamsi mutuo ceperit, satis est: Mutuatitii enim nummi proprii sunt *l. 2. ff. de reb. credit.* satis est quod non debet extraneo reddere prædium, sed pretium tantum: prædium verò in familia retinere.

Art. 25. *Sur soulte.*] Adde quæ dixi *in Consuet. Paris.* § 23. *quæst. 16. quæst. 18.*

Art. 30. *Chastellenie.*] *Non addit*, & ressort, *ut facit suprà tit. 8. §. 4.* Ideo hic §. *non extenditur*, aux heritages assis au ressort, mais seulement dans la Chastellenie qui n'a que deux lieuës d'estenduë: ainsi s'entend, *de eo quod immediatè est de proprio territorio castri: non autem de locis ei subditis* par ressort, *adeunt etiam si postea reuniverentur castro; tamen remanent sub veteri generali consuetudine, ut per Bart. in l. si convenerit. §. nuda ff. de pignor. action. hinc respondi* que la terre de Dyors, qui est de la Prevosté d'Yssoudun, *sed non* de la Chastellenie, estoit subjette à retrait, nonobstant qu'elle fust achetée par un Secretaire.

CHAP. XVIII.

Des testamens.

Art. 7. *Neantmoins.*] Addito non malè facta per Lisetum. Sed priùs solus veniens ab intestato erit in solidum saisitus.

Art. 7. *Pour le tout.*] Putà filiis ex liberis defuncti abstinentibus.

Art. 10. *Le testament.*] Etiam si sit in forma probante & indubitata, sed hoc addidit Lisetus ad augenda lucra fiscalia. Amplius etiamsi testator vivens publicare fecerit, potest enim revocatum esse, & hoc nisi sit tam modicum spatium inter publicationem & mortem, ut non sit verisimilis revocatio. Quorsum enim sine causa multiplicare lucra actuariorum forensium qui emunt & revendunt plus offerenti hujusmodi officia.

CHAP. XIX.

Des successions, ab intestat.

Art. 1. *Preferez au fisque.*] Etiamsi hoc non adderetur,

intelligitur niſi conſuetudo expreſsè negaret, ſucceſſionem dicendo quod non poſſint ſuccedere niti illi, *de la terre* : aliàs ut ſolet affirmativè, loqui intelligitur tantum per modum prælationis extendendo *legem de emancipatis Cod. de leg. hered.* etiam ad remotiores, ſi tamen reperiantur : aliàs etiam ex diverſo tantum latere conjuncti ſuccedunt. Non obſtat quod non venirent, *au retrait lignager*, quia jus retractus ſtrictius eſt quàm jus ſucceſſivum, & ideo non ſequitur : non poteſt retrahere, ergo non poteſt ſuccedere. Et ita judicavi contra eum qui per 35. annos poſſederat dicens ſe heredem maternum; quod non probavit, ſed actor probabat ſe heredem paternum & obtinuit: quamvis reus probaret bona eſſe materna, ſed non probabat ſe maternum; Procurator verò regius prætendebat illa jure confiſcationis, defectu heredis & malè per hunc textum, & per jus commune.

Art. 6. *Des propres.*] Et ſic multò fortius in aliis bonis indifferentibus.

Art. 7. *Ou de la femme.*] *Et ſeront les heritiers ſaiſis*, ut ſuprà tit. 18. §. 7. Tamen hoc caſu valebit legatum factum conjugi, non obſtante prohibitione, de qua ſuprà tit. 8. §. 1 quia etiam poteſt conjux heres inſtitui, & valet inſtitutio hoc caſu. Amplio, etiamſi defunctus reliquit ſuperſtites habiles ad ſuccedendum, ſi abſtinere malunt, quia tunc idem eſt ac ſi non eſſent in rerum natura.

Art. 9. *Du lieu.*] *Etiam* ſubalterne & non Royal, & n'eſt beſoin de Lettres Royaux ny de benefice du Prince, non plus qu'en Païs de Droict-Ecrit, attendu que la Couſtume le donne, comme auſſi le Droict-Ecrit le donne, *& fruſtrà patribus impleratur, &c. l. unic. C. de theſaur. lib.* 10.

Art. 11. *Maniere que ce ſoit.*] Et encores ſi celuy qui le precede, ne renonce formellement à la ſucceſſion, comme il fut jugé par Arreſt le Lundy 26. Novembre 1565.

Art. 16. *Les heritiers.*] Amplio: etiamſi iſti ſunt merè extranei priori defuncto & ſimplices heredes teſtamentarii ultimi defuncti heredis per inventarium, dummodò ille heres per inventarium fuiſſet habilis ab inteſtato ut ſuprà §. 23. quia iſti ſupervenientes ut ſint heredes ſimplices non debent eſſe melioris conditionis poſt obitum heredis qui fecit inventarium, quam fuiſſent eo vivente.

Art. 32. *Aux enfans.*] Etiam fœminas per ea quæ dixi *in Conſuet. Pariſ. §. 3. gl. 3. q. 5.*

Art. 33. *Des enfans.*] Et ſic ſive, ſint maſculi, ſive fœminæ.

Ibid. *Leſdits enfans.*] Et nepotes ex eis præmortuis; quia conſuetudo realis eſt, & ita judicatum, *contre Damoiſelles le 21. d'Avril 1564.*

Art. 34. *Supplément d'icelle.*] *Et ſic quamvis non noceat eis decrementum bonorum parentis, tamen prodeſt eis augmentum: quod eſt æquiſſimum*, toutefois l'on dit qu'es termes de cette Couſtume une fille qui avoit clairement prouvé la raiſon en la legitime, & pour laquelle avoit écrit M. Gabriel Marillac, Advocat fameux, depuis Advocat du Roy, fut deboutée de ſupplément par Arreſt; mais ſi elle avoit eſté mariée & renoncé depuis cette nouvelle Couſtume, l'Arreſt ſeroit inique, & n'y faudroit avoir égard.

Art. 38. *Eſt permis.*] Modo aliàs habilis propter ea quæ ſuprà tit. 1. §. 1 & 3.

cognitio ſeu jus appellationum (quod reſſortum vocant) ſpectat ad alium, ut latè ſcripſi *in Conſ. Pariſ. §. 1 gloſſ. 5. num. 45. cum ſeq.*

Dedans 14. heures.] Abſurdum videtur minus temporis poteſtati publicæ dari, quàm privato, cui dantur viginti horæ *l. capite quinto ad l. Iuliam ff. de adulteris.* Et abſurdum de capro initio noctis brumalis. Scio quod lib. manu ſcriptus dom. Sub-caſtellani habet 24. *heures.* Sed text. publicè receptum mutare non licet. Sed de his 14. horis deducendum puto impedimentum noctis, tempeſtatis vel periculi occurrentis. Art. 4.

En ces priſons. Scilicet angariando per modum ſervitutis, ut in his de quibus per Jacob. de S. Georgio *in tract. de operis* per Jaſ. *in l. divortio §. impendia ff. ſol. matrimo.* Nicol. Boërii. *deciſ. Burdeg.* 212 *col.* 1. Non tamen ſequitur quod electione præmiſſa, poſſit quis cogi munus commentarienſis, ut & lictoris ſub congruo ſtipendio ſubire, de quo dixi *in tract. de munerib. & honorib.* Art. 5.

De recuſation.] Hodie loco hujus & ſeq. §. ſervatur conſtitutio anni 1539. §. 10. cum 4. ſequentibus. Art. 7.

D'amende arbitraire.] Bar. *l. actor. ff. rem rat. haberi.* Jo. Fab §. *univerſitatis inſtit. de rer. diviſi* Guido Pap. *deciſio. Delphin.* 106. Art. 9.

CHAP. II.

Renvois.

Les frais.] Sive ſit judex regius ſive non regius, quem ſubalternum regii contemptim vocant, & tempore harum conſuetudinum nulli in hac provincia erant judices regii : ſed hic §. limitatur per §. 62. infrà eodem. Art. 11.

Aucun renvoy.] Favore victus & ne excedatur ab impenſis litis contra *l. Mediterranea de incol. lib.* 10. *C.* Jaſ. §. *ſuper eſt col.* 12. *inſtit. de action.* Art. 12.

CHAP. III.

Des preſcriptions.

Trente ans.] Intellige de fundo vendito & tradito, ut dixi *in tract. red. & uſurar. q.* 17. 18. Art. 20.

Quarante ans.] Niſi convinceretur habuiſſe titulos & veram ſcientiam. Art. 22.

De trente ans.] Etiam hypothecaria, ut in ſimili notavi ſuper conſuet. de Lorris. Art. 23.

Des majeurs.] *L. ſi in communem ff. quemadmodum ſervit. amittat.* Bal. *conſ.* 83. *lib.* 3. And. Sicul. *conſ.* 83. *lib.* 3. Jacobi de S. Georgio *in inveſtitura feudal. in verb. Marchi. col.* 8. *ad fin.* Art. 24.

Au contraire.] Ut Bituris, tenigi in conſuet. Bituricenſi in princ. Adde Guid. Pap. *quæſtion. Delphin.* 316. Chaſſan. *in conſuetud. Burgund. tit. des mains mortes §.* 2. Art. 25.

Par ſon mary.] Quia non habet legitimam perſonam ſine auctoritate ejus qui etiam fructus ſuos facit. Secus ergo à tempore quo eſt bonis ſeparata, vel forte data curatrix viro, ut quandoque vidi, adde Nicol. Boër. *deciſ. Burdegal.* 328. Art. 28.

Preſcription commence.] Bal. *c.* 1. §. *Sacramentum de conſuetud. vetti feudi. in uſibus feud.* Guid. Pap. *deciſ. Delp.* 316. Jaſ. *conſ.* 81 *lib.* 3. Art. 29.

Trente ans.] Ut ne hypothecaria quæ res ſuperſit adde infrà §. 334. Art. 31.

Poſſede.] Etiamſi emerit ut allodium. Et juri communi de quo in *L. Pomponius, ff. quibus mod. uſusfruct. amit.* hæc conſuetudo addit quod nec ipſo quidem jure currit præſcriptio nec opus conſtitutione. Art. 32.

Tuteurs.] Scilicet ſi habuerint tutores & ſint ſolvendo, aliàs reſtituuntur. Art. 33.

Ladite choſe.] Niſi actio limitata fuiſſet ad partem indiviſam rei tantum, ut tenigi in ſimili ſuper conſuet. de Lorris. Art. 35.

COUSTUMES GENERALES DU Païs & Duché de Bourbonnois.

CHAP. I.

De Juriſdiction & Juſtice.

Art. 1. *Vn autre.*] Imò etiam juriſdictio quandoque movetur in feudum ab uno. Et tamen ſuperior

CHAP.

CHAP. IV.

Exemptions.

Art. 36. *Cour laye.*] Idem dico in foro Ecclesiastico, diversitas enim fori non debet meritum causæ variare. Et etiam hic §. intelligitur ad effectum onerandi creditorem probatione, sed non à nullo genere probationis reus excluditur: potestque petere actorem interrogari non deferendo ei juramentum.

CHAP. V.

Reproches.

Art. 42. *Partie.*] Juxta *l. furti, ff. de his qui not. infam.* adde Petr. Anchar. *conf.* 25. Nicol. Boër. *Decis. Burdegal.* 321.

Art. 43. *Ordinaire.*] Petr. Anchar. *conf.* 246. *conf.* 398. tamen recipiuntur, quia diminuunt & elevant testimonium Andr. Bar. *conf.* 5. *lib.* 3.

Art. 44. *Declarez.*] Text. *in c. præsentium, de testibus in* 6. Lud. Roma. *consil.* 290. adde *decision. Tolosan.* 58.

CHAP. VI.

Declarations de serment.

Art. 48. *Defenses peremptoires.*] Joan. Imo. l. Dominus de S. Geminia. *in cap. cupientes*, & ibi glos. *de election. lib.* 6. Jason. *conf.* 86. *lib.* 1. Nicol. Boërii. *decision. Burdegal.* 243.

CHAP. VII.

Assuremens.

Art. 52. *En personne.*] *Scilicet*, quand il y a information, & non sous simple Requeste.

Art. 58. *Le Superieur.*] *Decisio Tolosa.* 489. Nicol. Boër. *decis. Burdegal.* 34.

CHAP. IX.

Respits & quinquenelles.

Art. 68. *Delits.*] Ad hoc Guillielm. Cunæus *in l. si ex parte §. quanquam ff.* quod cum eo. *in l. si rem, ff. de re judic.* Alberic. *in dicta L. si ex parte.* Ludov. Roma. *singul.* 279. adde Guido. Pap. *q. Delph.* 109.

CHAP. X.

Cessions de biens.

Art. 73. *Accessoirement.*] Hic est abusus: quia nec accessoriè quidem possunt Ecclesiastici cognoscere de separatione bonorum, sicut nec de restitutione dotis. Et tanquam ab abusu appellari potest; & quamvis tempore descriptionis hujus consuetudinis ab anno 1500. Duces Borbonii hoc permitterent, tamen non potuerunt præjudicare Regi, nec Ecclesiastici contra ejus jurisdictionem præscribere.

CHAP. XI.

Notaires.

Art. 74. *Notaires.*] Albericus *rub. de off. procons. & leg.* Bald. *cap.* 2. *ex. de fid. instrum.* Francisc. Zabar. *conf.* 41. Guid. Pap. *quæst. Delph.* 1. 22. Nicol. Boer. *decis. Burdegal. quæst.* 21.

Art. 76. *Le lieu.*] Philip. Corn. *consil.* 80. *lib.* 4. *decis. Tolos. q.* 491. Guid. Pap. *dec. Delph* 582 tamen instrumenta antiqua ante redactionem harum consuetudinum factam etiam loco omisso fidem faciunt, & ita ante 29. *ans* consului pro collegio xdis majoris Molinensis urbis.

Lettres perpetuelles.] Id est, quæ perpetuum habent præjudicium ad differentiam denuntiationum, vel protestationum quæ momentaneum interesse concernunt, ita etiam modificanda constitutio anni 1539. Ibid.

Pour la mort.] Idem de aliis officiis etiam gratis ut fieri debet, donatis, quamquam revocari possint ex causa honesta, non autem ex causa infamante, nisi causa cognita. Art. 83.

Et pour qui.] Guid. Pap. *decis. Delph.* 138. 404. *le dit* retulit, *se fait au nom du Garde Seel, le Notaire fait la grosse au long.* Art. 85.

CHAP. XII.

Des lettres, contracts de vente, revente, &c.

De restitution.] Scilicet majorum, sed non excluditur restitutio ex capite minoris ætatis. Art. 86.

N'a point de lieu. Scilicet in actione separata, ut in *c. 1. ext. de mutuis petition.* Secus si reconventio oriatur ex natura actionis intentatæ, vel ex mediis exceptionis, ut colonus conventus, *à fin de vuider*, allegant *relocation, se peut par le moyen de ses defenses constituer demandeur, à fin de luy en passer lettres, & que le demandeur soit condamné le faire jouir.* Sed hæc reconventio obscura non impediet jus fieri in prima liquida, hic non tollitur exceptio compensationis quæ potest liquidari infrà tempus instantiæ prioris, Ang. Perus. *in l. ille à quo §. si de testamento ff. ad Trebellia.* Paul. Castrens. *l. 2. C. de compensatio.* Alex. *consil.* 166. *in fin. lib.* 2. adde *decision. quæst. Tholos.* 363. Art. 88.

Par an.] Scilicet ante litem contestatam, sed non post. Art. 90.

CHAP. XIII.

Des executions.

Condamné.] Hoc est æquissimum & quamvis hæc consuetudo videatur concernere stilum, tamen non est correcta per constitutionem à Poyetio compilatam anno 1539. §. 20. quia constitutio illa non debet intelligi facta pro locis in quibus est alia justa consuetudo. Idem dico de damnis & interesse, adhuc dicta constitutio non tollit recursum in subsidium, ut dixi *in tract. divid. & individ. in* 2. *part.* 3. *partis qu.* 10. *num.* 514. Art. 99.

Commission aucune.] Tantò enim minores erunt sumptus, ideo appellans etiam in mulctam damnatus fuit per Arrestum, me præsente, latum Molinis in consessibus illis quos dies magnos vocant, die 12. Octobris post meridiem anno 1540. Art. 103.

Prisonnier.] Etiam cap. potest in templo, quia immunitas non habet locum ubi de jure privatorum agitur, & non de criminali coporali pœna: sed potest annum dilatio dari solet debitori, ne pauperum sit perpetua servitus nisi de dolo aut furto agatur, adde Jo. Fab. §. *ult. inst. de jur. pers.* Guid. Pap. *quæst. Delph.* 61. *& singul.* 865. Art. 104.

Expleitables.] Quod etiam voluit Angel. Aret. §. *eum quoque, inst. de act. per text. in* §. *quod autem in Auth. de fide: ussor. & mandato*; sed cautio vel satisdatio non sufficeret *quæst.* Jo. Galli. III. *part.* 5. *Styli Parlamenti.* Ibidem.

Aucune close.] An ergo excludatur à cessione bonorum, scio quandoque judicatum quod sic, ut Molinis an. 1531. *entre Pierre Manfrot, & Antoine Barillet.* quasi sit obligatus ad factum; & sic per Bar. *in l. 1. de cess. bon.* Ang. Aret. *in d. §. eum quoque ad fin.* sed hoc est frivolum & contrarium sentit & judicat doctissimus & æquissimus Molinensium prætor Andræas Fidæus, castellatium vocant. Art. 105.

Art. 108. *Est nul.*] Nisi rebus integris notificetur debitori, quia hæc forma magis respicit interesse tertii, adde Jas. *cons.* 8 *lib.* 1.

Art. 111. *Sont nulles.*] Nisi appareat de dolo & subreptione debitoris ut pro creditore excluso per rigorem hujus consuetudinis & appellante judicatum fuit per Arrestum, me præsente, in consessibus illis quos dies magnos vocant, die 5. Octob. 1540.

Art. 117. *Obligation par écrit.*] Etiam absque mandato judicis per primum servium; sed si reus neget se conductorem, vel quicquam tenere ab actore, nisi actor promptam fidem faciat, relaxabitur executio & convertetur in actionem: quia oportet qualitatem super qua fundatur executio, non revocari in dubium, vel statim probari.

Art. 119. *Innovation.*] Animo novandi facta, & sine clausula reservatoria, & sic rarò contigit.

Art. 120. *Sommation.*] Si de extrajudiciali supervacua est hæc clausula, ut pote consensu, sed si de judiciali, stat alternativè, quia in invitum fit permissio judicis.

Art. 124. *Vn an ferlement.*] Scilicet ipsa locatio, sed non instrumentum locationis executorium, ideò non potuit fieri executio in vim instrumenti, nisi in eo esset clausula promissionis solvendi, quandiu post tempus finitum conductor maneret. adde Guid. Pap. *dec. Delphin.* 480. Alexand. *consil.* 132. *col.* 3. *lib.* 5. Jas. *cons.* 49. *lib.* 3.

Art. 125. *A tous autres.*] Etiam emptoribus bonæ fidei, modò intra breve tempus & rebus extantibus. *De transfert.*

Art. 127. solent priùs citare debitorem ad notificandum cessionem, sed sufficit extra judicium testatum notificationem & exhibitionem cessionis factam paulò ante executionem, adhuc contra fugitivum & suspectum non est opus dilatione, nec notificatione, nisi in puncto executionis.

Art. 128. *Plus haut prix.*] D. And. Fid. æquissimus prætor Molinensium judicando dicere solet *au plus haut prix que communément ont valu*, & bene ut excludatur fortuita, & insolens trium circiter dierum caristia.

Art. 132. *Villanilles.*] Scilicet in foro publico argumento §. immediatè sequentis, & propter duritiam quæ aliàs non debet promiscuè admitti.

Art. 134. *Payer.*] Et sic in continenti non pro præterito.

Art. 137. *Le tiers possesseur.*] Lequel peut demander garend formel, & ainsi empescher l'effet de la saisie & criees, sinon qu'il y ait Sentence contre luy non suspenduë par appel. *ut inf.* §. 146.

Art. 149. *Encherissem.*] Tamen interim si iste non satisfecerit, præcedens licitator non liberatur, ut infrà §. 546. 551. Vide Franc. Crem. *singul.* 40. & mecum Bar. *in l. licitator. ff. de publica.* Bal. *consil.* 194. *modus & forma lib.* 1. Joan. Firm. aliàs Bertac. *in tract. de Gabel. col.* 18. Fabia de Monte sancti Sau. *in tract. de empt. & vend. col.* 78.

CHAP. XV.

Du droit & estat des personnes.

Art. 166. *Ayeuls ou autres.*] Hoc intellige quando datur eis habitatio seorsim, secùs si & quandiu retinentur in domo paterna, ut priùs, ut satis patet per hanc consuetudinem, & per locum à communiter accidentibus.

Art. 168. *Sans authorité.*] Scilicet specialiter ut expressa, sed tacita præsumitur hoc casu Bal. *in l. post mortem ff. de adop.* And. *cons.* 86.

Art. 169. *Peres ou mares.* Hîc duo tantùm casus excipiuntur, secùs ergo si sint sub tutore vel curatore quorum auctoritas requiritur.

Art. 170. *Son mary.*] Indistinctè; etiam si non sint communes in bonis, secùs facta separatione.

Art. 171. *Ne valent.*] Etiam juramento interveniente Andreas Siculus *consil.* 36. *lib.* 3. nisi ad eorum utilitatem *l. non eo minùs C. de procurat.* Jas. *consil.* 48. *lib.* 1. And. Sicul. *cons.* 5. *col.* 5. *lib.* 3. *de donat. causa mortis*, vide Pet. Anchar. *cons.* 384.

Faire relever.] Scilicet in mobilibus in quibus valet alienatio ipso jure, salva restitutione quæ nunquam tollitur, ut per Alex. Jas. *in l. postquam lites C. de pact.* ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 2. *gloss. num.* 6. & in hoc satis operatur consuetudo quæ non loquitur de immobilibus, in quibus tollitur decretum; aliàs non est locus restitutioni, sed nullitati. adde Lud. Rom. *consil.* 58. Art. 173.

CHAP. XVI.

Tutelles.

Inventaires.] Tamen hoc omisso, non desinit facere fructus suos, quia inventarium nihil habet commune cum reliquis. adde Jas. *cons.* 157. *lib.* 4. Art. 174.

Meurent.] Scilicet omnes sine liberis, quia quandiu unus filiorum vel è stirpe naturali & legitima superest, illi accrescit. Ibidem.

Qu'à la mere.] An ergo pater excluditur à tutela legitima? Respondi. Non, quia si filios emancipat, si sint minores annis, eo ipso hr & remanet eorum tutor naturalis & legitimus: alioquin cessante emancipatione, quæ etiam non præsumitur, sive matre viva, sive ea mortua, pater semper habet filios naturales & legitimos in sua potestate; & sic supervacuum est loqui de tutela, & hæc consuetudo refertur ad id quod crebriùs usuvenit & alio non suppositio. Art. 179.

Election de voisins.] Quia assiduè conversantur ut habeant notitiam *cap. quanto de præsump.*. Secùs de bono vicino qui non solet locum nec personas frequentare. Art. 180.

Inventaire.] Lud. Rom. *cons.* 28. *in fine, cons.* 106. *decis. Tholos.* 289. fallit, si sumptus excederent res describendas: quia tunc est idem quod de deputato ad paucas res certas, ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 6. *gloss.* 6. *q.* 2. *facit tit.* 2. §. *tractari in fin. P. ad Tertul.* Art. 181.

CHAP. XVII.

Bastarde & aubins.

Disposer.] Habet etiam actionem testamenti activam & passivam. adde Lud. Rom. *cons.* 43. nisi respectu passivæ, quando legitimi heredes etiam collaterales & remoti frustrarentur, ut §. seq. sed institutus excluderet fiscum. adde Lud. Rom. *cons.* 102. Guid. Pap. *decis. Delph.* 280. Art. 184.

Bourbonnois.] Nicol. Boër. *dec. Burd. quæst.* 13. *num.* 17. 51. *gl. pragm. tit. de collat.* §. *verumtamen Guil. Bened. in repetit. ut cap. Rayn.* in verb. *& uxor, nomine Adela. num.* 142. *ex. de testam.* Et sic non est jus reservatum Regi, nisi in locis ubi fiscales usurparunt. Art. 188.

CHAP. XVIII.

Tailles personnelles.

Des tailles.] Sur ce une grande Declaration de Henry II. donnée à Joinville en Juin l'an 1548. dont j'ay copie. Art. 189.

Soleil couchant.] Reservata tamen hora meridiana quietis, *l. medicus libertus ff. de oper. lib.* scilicet quando tempus illud est periculosum labori, ut in Italia, prout etiam *d. l. intelligitur.* Excipitur etiam tempus quo solent prandere. Art. 191.

N'eschointent.] Id est, non succedunt. Art. 192.

Leurs enfans.] Hostiens. *in summa de nat. ex lib. vent.* §. *ult.* Jo. Fab. §. 1. *instit. quibus mo. jus pat. pot. sol.* Guid. Pap. *dec. Delph.* 361. Guillelm. Bened. *in repet. c. Raynutius, in verb. & uxor. nom. Adela. num.* 953. Ibidem.

Transportent.] Hæc non potest imponere legem Art. 201.

aliis regionibus ; & contraria est consuetudo Bituricensis huic vicina tit. 1. §. 1. quam tamen ibi limitavi in fugiente & latitante ; & ita debet hæc consuetudo restringi, quam inhumanam & impiam censet hic dom. Jo. P. dignissimus & æquissimus Montis Brissonii Præfectus, in suis annot. in has consuetudines, cujus judicium laudo : nec etiam hæc consuetudo extra territorium observatur. Sed ultra illud restringitur *l. ult. ff. de jurisdict. om. jud.*

Art. 205. *Comme autres gens.*] Sunt enim liberi : scripsi *in cons. Paris. §. 2. gloss. 3. fa. inst. de interdic. §. retinendæ, col. 3.* tamen pro domino non admittuntur. Guil. Ben. *in repet. cap. Raynutius in verb. uxo. no. Adela, num. 972. de test.* Jas. *cons. ult. lib. 2.*

CHAP. XIX.

Donations.

Art. 211. *De tous biens.*] De præsentibus tantùm intelligitur, ut per præc. adde Guid. Pap. *dec. Delph.* 505.

Art. 215. *Dedans l'an.*] Contra donatarium vel ejus hæredem, vel etiam contra tertium qui acquisivit cum onere hujus resolutionis : secùs si acquisivit & possidere cœpit sine alto onere, quia ex tunc annus curreret ut pote qualitate possessionis resolutoriæ interversa : actus enim intermedius contrarius impedit conjunctionem extremorum, *ut not. in l. qui absentis, ff. de acq. vel amit. poss. in l. si soluturas, ff. de solut.* adde cons. Nivernensem §. 17. tit. de succell. & Arthes. § 55.

Art. 216. *Authorisée.*] Simul vel seorsim, hoc est etiam de jure commun *l. parentibus C. de in off. testam. l. si cogitatione. C. Fam. ercisc. l. si pater ff. eod. tit.*

Ibid. *Jusques à 40. jours.*] Hoc non solùm metu suggestionum : Sed ne dividens nimium vicinus morti facile erret in æquali distributione, sed per continuationem 40. dierum satis præsumitur errorem abesse. Quare si ante quadragesimum diem mente alienatus fuerit, deinde post 40. dies obierit, censetur quantum ad hunc §. ab ea die obisse, quia mentis impos factus est.

Ibid. *Diviser leurs biens.*] Non autem bona filiorum, nisi de eorum & majorum consensu : & hæc divisio permutationi similis est *l. cum pater, §. hereditatem. 2. ff. de legat. 2.*

Ibid. *Advenu moins.*] In quo tempus mortis inspicitur juxtà reg. juris communis, *l. cum quæritur. C. de inoffic. testam.* & quia ille magis est actus ultimæ voluntatis, ut pote ambulatorius.

Art. 217. *Le pere, mere.*] Idem de ascendentibus favore æqualitatis.

Art. 218. *Ladite donation.*] Non est tanta ratio extendendi constitutionem anni 1539. §. 132. ad illos qui non solent facile donare ; sed tamen extenditur, quia formam respicit.

CHAP. XX.

Donations, dons mutuels, & autres conventions, &c.

Art. 219. *Institutions.*] Quæ revocari non possunt. Jo. Fab. l. 1. *C. si mancip. ita venierit decis. Tholos.* 452. Guil. Benedic. *in repet. cap. Raynutius in verb. duas hab. fil. num.* 197. Nicol. Boër. *decis. Burdeg.* 155.

Ibid. *Droit de legitime.*] Tempore mortis parentis inspecto, ut dixi suprà §. 216.

Ibid. *A personnes étranges.*] Et sic corrigitur *lege hac edictali, C. de secund. nupt.* quia filii primi matrimonii non sunt minùs quàm extranei.

Art. 222. *Par ledit contrat de mariage.*] Scilicet si supersint, & conquerantur adhuc, non impeditur quædam particularia legare, manente institutione in sua quota.

Luy est permis.] Guil. Bened. *in repet. cap. Raynutius in verb. mortuo. 1. num. 408. 413. de test.* Nicol. Boër. *decis. Burdegal.* 53. Art. 213.

Du lignage.] Etiam collateralis excludendo filium venientem jure conventionis exorbitantis, nec tamen illi simpliciter stantis, secùs si filius vellet ab intestato succedere, omisso pacto, ut potest, quia utendo beneficio inventarii, non re excluderetur per collateralem, ut dixi *in Consuet. Paris. §. 145.* Ibid.

Survivans.] Intellige, *survenus & encores vivans,* ut patet in processu verbali, & ne superiora corrigantur, sed tantùm sit locus *l. si unquam C. de revoc. donat.* Art. 215.

Revocables.] Id est, cessat *l. si unquam, sed non l. si totas C. de inoff. donat.* ut salva sit legitima, idem consuetudo Alvernæ eod. tit. §. 33. Ibid.

Cy-aprés.] Sed non prohibetur legare. Art. 216.

Aucuns enfans.] Ex quocumque matrimonio vel alterius tantùm. Art. 227.

Sur tous.] Et sic super proprietate. Art. 228.

De l'autre.] Alex. *consil. 40. consil. 78. lib. 4.* fallit *in l. si ab hostibus ff. sol. matrimonio.* Art. 232.

D'inventaires. Adde Pet. Anchar. *consil. 365.* Alex. *consil. 57. lib. 3.* & potest dari cautio de habitante extra hanc provinciam in loco vicino.

CHAP. XXI.

Des gens mariez, duts & doüaires.

Separation de biens.] Ergo simplex separatio bonorum reddit mulierem separatam à potestate viri, ideò si est minor annis, dandus est ei curator ; intelligendum etiam de separatione facta publicè & auctore judice ordinario. Art. 232.

Consentement.] Dummodò etiam sit major 25. annis, aliàs opus est decreto, non autem curatore : quia decretum non potest fieri in rem viri, & sic non prohibetur auctorari. Art. 235.

Recompensée. Sanè intelligendum ne fiat ad motum viri, vel suorum, maritus etiam poterit ex intervallo bonam fidem agnoscendo recompensare uxorem. Art. 238.

Communauté.] Secùs, *si elle procede de son fait*, unde cùm mulier cum marito cuilibet in solidum vendidisset domum mariti, fuit illa vidua per sententiam & Arrestum condemnata etiam in totum, non obstante renunciatione societatis, salvo suo recursu contra heredes viri. Art. 245.

Dedans 40. jours après. Substrahi debet impedimentum necessarium, ut carceris, pestis, hostilitatis : maritus tempore pestis quo suspecti contagii prohibiti erant conversari, & sic viduæ non potuit accidere nisi post 40. dies. Respondi inf. 40. dies postquam licuit exire, & ita rectè judicavit dom. Andr. Fœd. proprætor, nec obstat quod potuisset mittere procuratorem, quia prohibitum erat conversari cum sanis, & excludi potuisset, & toto hoc tempore pendente sumptibus heredum vivet. adde Anch. *cons.* 254. Ibid.

On autrement.] Quæ pactio non valet contra credi- tores, sed bene contra heredes. Art. 246.

La moitié.] Secùs ergo si non est communis, quod est verum si non est communis ab initio quo derogatur societati ; secus si non est communis, quia vidua renunciat : non enim dotarium augetur, quia semel ab initio limitatum fuit. Art. 250.

N'a point de lieu.] De præfixo non loquitur : sed de consuetudinario, quando secunda uxor fuit decepta, alioquin non debet recursum neque pro convento, neque pro consuet. Art. 253.

Deterioration.] Alex. *consil. 118. lib. 5.* Paul. Pic. *l. Titia, cum testamento. §. Titia cum uxoret. col. 75. ff. de legat. 2. not. in Authent. qui rem. Cod. de sacros. Eccles.* Art. 267.

CHAP. XXII.

Des Communautez.

Art. 267. *Le moins.*] Ergo secùs de fratre 20. annorum cum sorore 17. annorum, imò etiamsi soror haberet 20. annos vel etiam esset senior fratre, quia etiam duæ sorores ad invicem majores annis, non continentur in hac tacita societate. Ergo nec soror cum fratre, quia consuetudo loquitur de masculis tantùm.

Art. 270. *Et le survivant.*] Cette nouvelle Coustume publiée l'an 1529. tost aprés Pasques : Parquoy fut conclud qu'elle n'avoit lieu en celuy duquel la femme estoit decedée un peu auparavant, & en furent d'avis les Advocats de Paris, de Moulins, & de Bourbonnois. Et faut noter que quand le survivant marie sa fille, & luy baille dot, c'est acte suffisant pour dissoudre la communauté : Quant à elle, combien qu'elle n'aye fait expressément renoncer à la communauté & autre partage, aussi a esté jugé sous la Coustume de Paris, semblable à ceste-cy en ce regard, contre la veuve feu M. de Nigron, mes-seal Procureur en Parlement, & ses filles mariées, au profit du fils d'icelle, auquel la communauté accreut depuis le mariage de ses sœurs.

Ibid. *Dedans 40. jours.*] Id est, nisi incipiat infrà 40 dies sunt enim inducix, ut infrà id tempus in commodo non sit societas, nec à die mortis quidem; aliàs durat usque ad initium legitimi inventarii vel alterius sufficientis actus.

Art. 274. *Par serve.* Id est, pro rata.

Art. 280. *L'un des deux.*] Loquitur in non sociis, & de hoc est casus *in l. duæ fratres, ubi* Bal. *ff. de acquir. vel amit. hared.* Paul. Jas. Philip. Dec. *in l. 2. in fin. C. qui testam. fac. pos.* dixi *in cons. Paris.* §. 146.

CHAP. XXIII.

Choses reputées meubles, conquests, ou heritages.

Art. 282. *Censez meubles.*] Scilicet quando sunt liberæ facultatis, secùs si annexum habeant jus servitutis, ut alii teneantur ibi molituram facere, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 8. *col.* 5. *num.* 7. 2. edit.

Art 283. *Aucune chose.*] Nisi essent socii omnium bonorum. Alex. *cons.* 66. *lib.* 4.

CHAP. XXIV.

Testamens, donations à cause de mort, legats, &c.

Art 292. *Traitt à mort.*] Id est, donatio causa mortis, ut patet ex verbis conjunctis, & ex rubrica quicquid opinionibus & sententiis variatum sit anno 1550. Unde cum duæ sorores mutuò mobilia dedissent & conquæstus ut superstiti, retento usufructu? Respondi Donationem in totum validam, nec erat reducenda ad quartam bonorum relictorum per præmortuam, quia in donatione sunt duo, dispositio & executio; dispositio verò hic statim ligat, nec suspenditur, & ab ea fit denominatio, ergo non dicitur *ayant trait*, licèt executio habeat tractum, confirmatur sententia mea per § 211. cum 4. seq.

Art. 299. *Juge ordinaire.*] Scilicet civili regio, vel non, sed coram Ecclesiastico, etiam inter sacerdotes, quia negotium istud non est Ecclesiasticum.

CHAP. XXV.

Des successions.

Art. 300. *Coustume contraire.*] Ut & Aureliis, & apud Montargicum, quæ fuerunt correctæ, ut scripsi *in consuet. Paris.* §. 10. *q.* 8. & hoc tantùm est respectu differentiæ inter filios primi & secundi, vel etiam ulterioris matrimonii, sed non excluditur repræsentatio in linea directa, in qua veniunt in stirpes, §. *cum filius instit. de hereditatib. quæ ab intest. deferuntur.*

Art. 304 *Fils aisné.*] Ergo aliud in filia, ut & §. seq. idem de cons. Burg. §. 141. 306. §. 92. variata, §. 106. dixi *in Consuetud. Paris.* §. 3. *tol.* 1. *quæst.* 5. *num.* 8. & latius. §. 134.

Art. 305 *Quarante toises.*] Intellige hexapedas quadratas, more agrimensorum, de quibus dixi *in Consuetudine Parisiensi*, §. 11. *num.* 6. non in directum seu in longum, sed in circuitu, & sic primogenitus ultra mansionem & ejus clausuram, debet habere mille quadringentos quadraginta pedes quadratos, si tantum terræ feudalis seu mobilis admetiri queat æqualiter in circuitu mansionis, ut plenius dixi in commentar. meo in has cons. anno 1550. rogatu primorum inclytæ urbis Molinensis incœpi, & mox videns clariss. dom. Jo. Papon. commentaria in hæc edidisse, decidi : sed cùm ille ut candidi est animi, & patriæ amantissimi, obnixè me rogavit ut nihilominùs pergerem, ut feci, donec anno 1552. propter jus publicum Galliæ, & Ecclesiæ à me propugnatum coactus sum in Germaniam 4. annos migrare.

Art. 306 *Droit d'aisnesse.*] Non tamen tollitur prærogativa juris communis, de qua *in l. ult. de fid. instr. l. cæteræ. fam. ercisc.* unde si quid sit indivisibile, primogenita filiarum non tenetur judicium sortis subire; sed si velit, jure majoris ætatis præferenda erit, sorores de æstimatione partium recompensando, idem in similibus, ut tetigi *in Cons. Paris.* §. 26.

Art. 305. *Appanée.*] Utrumque copulativè requiritur. Panorm. *consil.* 107. *lib.* 2. *Alex. con.* 13. *num.* 10. *lib.* 3. *ubi in annot.* dixit Philip. Dec. *consil.* 105. *consil.* 261. ubi tetigi, & hic gloss. 2. num. 4. ut mors parentis post tractatum, sed ante celebratas nuptias faciat deficere hanc exclusionem.

Art. 306. *Representation.*] Advocati & Juridici Borbonienses semper consuluerunt & judicarunt, *que les termes de representation s'entendent*, data inæqualitate partium & actuali repræsentatione, alioquin filia fororis nupta ut suprà, non excludatur per filium fratris in successione patrui vel avunculi, quia non indigent repræsentatione : Ego verò semper censui verba, *dans les termes*, intelligenda, id est infra metas, in quibus est vel esse potest repræsentatio, & verba, *hors les termes*, id est, extra metas vel gradus in quibus permittitur repræsentatio, ita ut in novissimo themate fœmina excludatur per patruelem vel consobrinum, etiamsi nullus patruorum vel avunculorum supersit, & ita pro domino Imberto *de la Plastriere*, domino *de Bordillon* obtinui per sententiam Præfectorum à Libellis Palatii die 23. Junii anno 1550. & per Arrestum hujus Senatus confirmatorium die 18. Julii anno 1551. relatore Andrea Tiraquello, & postquam ex officio Curiæ, quare nuper 1560. miratus sum audiens pragmaticos Molinenses in sua hæresi perseverare.

Art. 307. *Renonciation.*] Sive expressa, sive tacita, de qua suprà §. 105.

Art. 309. *Rapportant.*] Nisi datum sit in præcipuum suprà § 308. & quatenus non lædit legitimam aliorum.

Art. 310. *Nombre.*] Non solùm diminuendo partes singulorum, sed etiam augendo cumulum legitimæ de trient. & semiss.

Art. 312. *Audit cas.*] D'exheredation ou appanage tel qu'a voulu le pere ou mere. *Adde Franc. Cur. consil.* 39.

Art. 313. *Successions directes.*] Secundum jus commune intelligitur, ad quod tacitè refertur : Ideò ascendentes non conferunt, quia jure non cavetur : patet, quia concurrunt cum naturalibus, ut in §. sequenti, qui tamen non conferunt, ergo nec ascendentes.

Art. 315. *Collaterale.*] Si supersint & velint, aliàs accrescunt, etiam conjunctis alterius liberis.

Art. 316. *Par Contrat.*] Ergo idem si legato, & intellige de universitate, vel quota, vel ratâ quotæ, & quatenus sufficiunt: amplia, etiamsi donata sint, vel legata omnia mobilia, vel dimidia, sine onere solvendi debita, quia nihilominùs tenebitur totum, vel dimidiam solvere creditoribus, salvo sibi recursu contra heredes; secùs in legato, vel dono rei, vel summæ particularis.

Art. 321. *Portion hereditaire.*] Et sic præsupponit, quod non potest is esse heres, & legatarius etiam in collaterali: non potest etiam esse heres, & donatarius in directa, nisi in casu §. 308. sup. eod.

Art. 321. *Lignagers.*] Ergo videtur quod nec per hoc illis ut postea quæsitis succedant de quo *in l. 2. C. de bo. proscript. dixi in consuet. Paris.* §. 186.

Art. 323. *Estoc & ligne.*] Intellige hos præferendo, non autem alios excludendo, imò excludendo fiscum.

Art. 325. *Au contraire.*] Nisi in funeralibus, vel perituris, & intelligitur secundùm jus, *l. gerit. ff. de acquir. vel amit. heredit.*

Art. 328. *N'est habile.*] Intellige de inhabilitate absoluta, ut Monachus, vel spurius, ut legitimatus, ut succedat in mobilibus tantùm; aliàs maternus septimi, vel decimi gradus excludet fiscum in paternis, ut nuper retigi §. 323. rejecto vulgari errore.

CHAP. XXVI.

Des droicts Seigneuriaux.

Art. 331. *Ermes.*] Græcè, *herimos*, *Specul. de jurisd. am. jud.* §. 1. Guil. Bened. *in repet. cap. Raynutius in verb. & uxor. num. Adela. num.* 822. *ex. de testa.*

Art. 332. *Espaves.*] Bud. vocat, *adespota*, qui assertorem non habent: vid. Jo. Fab. §. *examen inst. de re. div.* Guil. Benedic. *in rep. dic. cap. Raynutius verb. & uxor. num. Adela. num.* 952.

Art. 335. *Trouvez.*] Etiam in loco sacro, quia nihilominùs est de jurisdictione, & territorio domin. loci, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 46. *num.* 25.

CHAP. XXVII.

Fiefs.

Art. 365. *Congé du Seigneur.*] In Delph. Italia, Germania, Hispania, & fere ubique idem, & finis, §. fallit in raris locis, de quibus dixi *in consuet. Paris* §. 56.

Art. 368. *Après le decés.*] Et adhuc non faciet fructus suos, nisi post alios 40. dies à prehensione.

Art. 369. *Dependans de luy.*] *Intellige*, des anciens vassaux: *secùs si aliàs*, y avoit ouverture, *ut dixi in consuet. Paris.* §. 47.

Art. 375. *Dedans le temps.*] Ergo interim tempus non currit, adde infrà §. 486. amplia non solùm in judiciis necessariis, quæ debentur pupillo, sed etiam in voluntariis, limita ut procedat si dentur ab initio, antequàm quid actum sit, secùs si dentur postquàm emptor jam exhibuit, & tempus currere cœpit.

Art. 385. *Suzeraine*] Scilicet superioris communis domini, vel judicis ordinarii, ideò non debent in expensis taxari sumptus eorum, qui hac de re mittunt ad Cancellariam Regiam, ut dixi *in consuet. Par.* §. 42.

CHAP. XXVIII.

Des censives, & droicts de directe Seigneurie.

Art. 392. *Rente constituée.*] Intellige non per emptionem sub pecunia, sed per concessionem feudi; aliàs consuetudo esset valdè stulta & inepta, dixi in tomo 1. consil. 30. in fin.

Venditions parfaites.] Intellige & ex intervallo, ut dixi *in consuet. Par. s. parag.* 13 *q.* 1. *&* 2. *parag.* 23. facit inf. parag. 457. Art. 397.

Trois années.] Plenè dixi *in consuet. Paris. parag.* 62. Art. 419.

Censive d'autruy.] Vel alias, quia est pactum legis commissoriæ generaliter prohibitum, latè dixi *in tract. commerc. & usurar. q.* 51. Art. 421.

CHAP. XXIX.

Retraits, retenues, & rachapts.

Esté investy.] Intellige de investitura facta in loco; unde potest innotescere, etiam appellatio frivola impedit tempus currere respectu tertii, ut per Arrestum Parisiis latum die Jovis 17. Julii l'an 1550. *præsidante* Bertrandi, *pour le Vicomte de Lautrame.* Art. 422.

De la cause.] Scilicet principalis instantiæ, quia in causa appellationis non opus est, sed nec in causa principali consignatione facta, & manente. Art. 428.

Monnoye.] Nisi notabile damnum patiatur venditor, & constet non esse in fraudem retractus pretium conventum, & solutum in auro: quid enim si emptor potest emere similem domum pro simili auro? sed non pro moneta aurea, dixi *in tract. monetarum Latino & Gallico.* Art. 434.

Soient tenus.] Unde etiam hodie non sunt reprehensibiles, sine cunctatione dando, quamvis post constitutionem anni 1539. parag. 77. cunctari possint, donec à judice decernatur. Art. 413.

Exclusivement.] Non tamen sequitur quin successio excedat decimum gradum. Art. 414.

Reputées nulles.] And. Tiraq. *in tract. de retract. proximit. parag.* 4. *glos.* 7. & hoc propter suspicionem collusionis, *l. data C. de collat.* Art. 444.

Excedant.] Sed bene laudimia pro rata, sup. parag. 396. facit parag. 472. Art. 453.

Baillé deniers.] Vel etiam minorem affirmaverit summam, ut cuidam accidit, etiam Præside Minardo cognato suo. Art. 456.

Est cessible.] Hoc non est multùm æquum, ut dixi *in conf. Paris. parag.* 32. *glos.* 1. *q.* 1. Art. 457.

Personniers.] Vide Andr. Tiraq. *in tract. de retract. proximit. parag.* 26. *glos.* 4. *num.* 35. Art. 464.

Aucune rente.] Scilicet *ancienne*, secus si de novo pro necessitate rei familiaris *vendant* super se, & bonis suis, ut dixi *in consuet. Paris. parag.* 57. facit inf. parag. 473. Art. 466.

Retrayable.] Hoc justum, ut faciliùs inveniat cui victum, & alimentum suum committat. Adde Andr. Tiraq. *in tract. de retract. proxim. parag.* 25. *glos. num.* 2. Art. 469.

D'ancienneté.] Et sic non sufficit constare fundum esse de censu Ecclesiæ, sed etiam probandum est, quod ab antiquo exegit laudimia, & ita anno 1559. judicatum *contre les Abbé & Religieux du Montet.* Art. 479.

Partie.] Novissima copula stat pro alternativa, & amplia sive actor sit hæres ante citationem libellatam, sive post, quicquid aliqui distinguant. Art. 485.

N'a lieu.] Generaliter observatur, & in eam rem vidi multa Arresta hujus Senatus. Art. 487.

CHAP. XXX.

Tailles reelles.

Audit seigneur.] Nisi acquirat antequam possessionem realem capiat, & dominum adeat. Art. 490.

CHAP. XXXI.

Servitudes reelles & rapports de Jurez.

Mur commun.] Scilicet pro indiviso, qui propriè Art. 503.

communis est, secùs de muro medio tantùm, id est, communi pro diviso, ut infr. §. 508. plenè dixi *in consuet. Paris.* §. 85.

CHAP. XXXII.

Prinses de bestes.

Art. 525. *Revivres.*] Restibilia, prata seu herba secunda, quæ sunt frequentia interemni regione Italiæ.

Art. 527. *Ioüyssant.*] Vel colono qui patitur damnum.

CHAP. XXXIII.

Des Moulins & Fours.

Art. 543. *Bannier.*] Jas. *consil.* 161. *lib.* 2. Nicol. Boët. *decis. Burdeg.* 125.

CHAP. XXXIV.

Des accenses & baux de fermes.

Art. 547. *Doublement.*] Habito semper respectu ad primam simplicem sortem.

CHAP. XXXVI.

La maniere de faire assiete.

D'aucun devoir] Scilicet erga tertium, vel quod extraordinarium.

Assieres] Quo casu intelligitur antichresis secundùm æstimationem communem; & non ad latorem hujus consuetudinis, nisi dictum sit *assieres comme dessus.*

Adjournemens.

D'appel.] Scilicet intra fines hujus consuetudinis: secùs si per appellationem causa extra provinciam devolvatur.

Defaut.

Gardé.] Et sic, [definitivement: mais ce stile a esté declaré abusif, & par Arrest dit bien appellé de tel jugement, par un defaut l'intimé condamné aux depens de la caute d'appel, & les parties renvoyées devant autre que celuy qui avoit jugé.] Et fere generaliter ab anno 1539. cœpit observari nova constitutio hoc stylo neglecto.

COUSTUMES GENERALES du haut & bas pays d'Auvergne.

CHAP. I.

Des adjournemens.

Art. 9. *Marchandise publique.*] Jo. Faber §. 1. *instit. quod cum eo.* qui in aliena potest. fac. Bal. *l. Macedonians C. ad Maced.* Alex. apud Bar. *l. ult. ad Senatusconsultum Maced.*

CHAP. IV.

Des Procureurs.

Art. 1. *Sans grace.*] Illud superfluit, quia respicit antiquam iniquam capturam fiscalem, quæ exolevit de deterioribus præsertim consignationum in prædictis.

CHAP. VI.

Des dilations.

Delais ordinaires.] Hodie in eis omnibus servandæ sunt novæ constitutiones, quia non est materia consuetudinis, sed stylí. Art. 21

CHAP. VIII.

Des objects & reproches de témoins.

Les procés.] Hæc est constitutio optimi Regis Ludovici XII. ad quam & similes constitutiones omninò recurrendum, ut dixi. Art. 3.

CHAP. XI.

Des Tuteurs.

A la mere.] Hoc rationabile sub consuetudine, in qua fœminæ non sunt communes, sed sunt quasi ancillæ, & rarò locupletes. Ibidem.

Gaings nuptiaux.] Hoc ultra pœnas juris additur, & habet locum, etiamsi mater sit minor 25. annis, quia lucra illa non sunt illi data, nisi sub hac scilicet tacita conditione, & sic non obstante, quæ notantur *in l. ult. C. si adversus delictum.* Ibidem.

CHAP. XII.

Des successions, testamens, & autres dispositions, &c.

Succedent.] Ergo mater non succedit filio hæredi patris etiam in mobilibus obventis filio a patre: & contrà pater non succedit filio etiam in mobilibus obventis filio ex successione materna: sed avus filio præmortuo, bene succederet nepoti; ex eo etiam in mobilibus, & acquisitis à filio patre nepotis: imò etiam in hæreditis obventis à linea istius avi, quia consuetudo volens ea conservare in sua linea, non excludit parentes, si sint de ista linea. Ibidem.

Forclos.] Præsumuntur enim bona quæsita à patre *l. quintus ff. de divers.* & non communio bonorum inter conjuges: & iste §. procedit inter collaterales: non enim corrigit §. 3. sup. eod. ut § 1. seq. Art. 6.

Pays coustumiers:] Amplia etiam inter æquales in gradu, quia idem est in directa: *per* §. *cum filius, Instit.* de hær. quæ ab intest. cui collateralis hic æquatur. Semper etiam servata fuit opinio Accursii contra Azo. quod in stirpes, quamvis Fortunius Garsias Hispanus *in l. Gallus, §. idem credendum de liber. & posth.* quem Zasius *in novis intellect.* eo tacito quod sequitur, contrarium tenuerit; sed communis opinio semper (nisi ubi est consuetudo, vel statutum in contrarium) observata fuit: ut per Guid. Pap. *decis. Delph.* 134. Steph. Bertrand. *cons.* 2. *lib.* 1. & late And. Tiraq. *in retract. de tract. proxim.* § *gloss.* 11. *super consuet. Pictav.* ut etiam dixi in annot. ad Alex. *cons.* 55. *num.* 4. *lib.* 4. & ad Philippum Dec. *in l.* 3. *C. unde legit. & plenè in consuet. Par.* §. 149. Id quod etiam discipulus Zasii Claudius Cantiuncula *in paraph. inst. de legit. agna. success.* communem sententiam, rejecta nova subtilitate præceptoris sui, laudat & sequitur: adde quæ dixi suprà in consuet. Belgic. Art. 91

Dedication.] Adhuc expressa dedicatio restringenda est, ut donatio causa mortis, vel legatum: ita ut etiam recuperet, si permittatur ei redire ad priorem statum. Art. 88

Morte.] Scilicet si nihil, vel modicum accepit, ut jure pontificio non licèt dare pro ingressu, alias computabitur, ad finem tamen augendæ legitimæ. Art. 144

Art. 15. *Oncle commun.*] Ad proximum tantùm refertur, nec requiritur quod frater, vel descendens sit communis.

Art. 16. *Consuetudinaire.*] De qua infrà tit. 14. §. 44.

Art. 25. *L'ayeul paternel.*] Ideò de solo avo paterno loquitur, quia solet filius, vivo patre, etiamsi habet uxorem, nihil habere, nisi forte quemdam usumfructum, & sic avus habet omnia in sua potestate: & neptes pro arbitrio elocat: Et sic solus avus paternus hoc faciet: adde Bal. *cons.* 257. *lib.* 2. Paul. *cons.* 29. *in princ. lib.* 2.

Ibidem. *Et la maison.*] Id est, quando retinetur in familia, mos loquendi patrix, de quo etiam in jure scripto.

Art. 26. *Dernier mourant.*] Id est, qui nunc moritur, postquàm defecerunt masculi, & sic non est rursùs ad præteritas successiones semel admissus.

Art. 27. *En premieres nopces.*] Et in ipso tractatu matrimonii, non post, ut inf. §. 29.

Art. 31. *Es mâles seulement.*] Nisi aliter dispositum fuerit in contractu, vel testamento parentis cujus sunt hæredes.

Art. 33. *Estoc maternel.*] Et sic in his corrigitur §. 25. sup. eod. ut ex §. seqq.

Art. 37. *Fille fiancée.*] Facit inf. tit. 14. §. 1. ubi est in potestate sponsi, & hunc §. intellige, quando neque renunciavit, neque dotata fuit; secùs si contractus matrimonii fuerit conclusus, & ipsa renunciaverit certa dote promissa, quamvis ante solutionem dotis, & matrimonii executionem, parentes mortui fuerint, tamen excluditur tam *per cap. quamvis de pact. in 6.* quàm per mentem hujus consuetudinis. Bal. *cons.* 1. 197. *lib.* 3. dixi ad Alex. *cons.* 15. *num.* 10. *lib.* 3. & ad Philip. Dec. *cons.* 105. *col.* 1. *& consil.* 261. *per totum* facit Angel. *cons.* 180. *promitto.* Paul. Alex. *l. sed hoc ita. ff. de re jud.* Cat. Ruinus *cons.* 122. 2. *lib.* 4.

Art. 40. *Constitué legataire.*] Scilicet respectu primo loco constituti, secùs de substituto, ut infrà §. 73.

Art. 41. *Des funerailles.*] Fallit si habet bona alibi, ubi potest ampliùs legare, quia reliquum capietur in bonis alibi sitis, scilicet immobilibus: quia ex quo habet domicilium, mobilia censentur hic esse; sed si habeat alibi domicilium, hæc consuetudo non habet locum, nisi pro rata prædiorum sitorum sub hac consuetudine.

Art. 47. *Dudit quart.*] Intellige nisi constet de contraria voluntate, quia testator potest institutionem illam limitare, ut quodvis legatum.

Art. 50. *Agrée en.*] Scilicet simpliciter, secùs si protestetur se dare, non solvere.

Art. 53. *Substitution.*] Intellige de fidecommissaria seu obliqua, quia vulgaris sub institutione continetur: amplia hunc §. etiam interveniente consensu hæredis legitimi, vel successuri ab intestato, vivo testatore, quia videtur extortus, & non valet, ut ante 25. annos fuit judicatum in Senatu Paris. in classe in quo erat dom. *Michael de l'Hospital*, nunc Cancellarius Franciæ dignissimus.

Art. 55. *Delaissez.*] Ainsi est reprouvée la coustume des Prestres pretenduë à S. Flour, que chaque Prestre mourant doit faire testament, & instituer l'Evesque son heritier, pour le moins en cinq sols: Car cela est en fraude de cette coustume generale, & en fraude la sepulture qui doit estre libre, & non questuaire: car ils souloient dénier sepulture aux decedez *ab intestat*, mesme dans Paris, ce qui a esté declaré abusif, comme aussi cela est contre les saints & anciens Decrets.

CHAP. XIII.

Des mineurs.

Art. 1. *D'Auvergne.*] Non est dubium quin hæc verba enunciativa in text. consuetudinis posita in text. legis *gloss. in l.* 2. C. qui admitt. ad bonor. possess. faciant plenam fidem de veteri consuetudine. Sed quid de enuntiativis positis, *au procés verbal*, & quod pariter plenè probat, judicatum fuit per Arrestum contra dom. *de Laval*, anno 1546. mense Augusti. Et de his statutis vide Philippum Decium *in rubr. ex de jud. num.* 3. & ibi Franc. Ap. *num.* 49.

CHAP. XIV.

Des donations, dots & mariages.

Art. 3. *Au prejudice d'icelle.*] Nec hæredum ejus, etiamsi maritus auctoraverit.

Art. 4. *Récompense.*] *Nonobstant la faculté de remeré*, & interim, *expirée*, quid ergo si alienet, *pour supplément de legitime de sa sœur?* Respondeo, Idem quod si mulier separetur à viro, *ut in l. ibi adhuc, C. de jure dot.* Respondi: statim incipit currere annus etiam vivo marito à quo est emancipata, & statim ad dotem agere potest, idem de civili morte mariti.

Art. 8. *Fiançailles.*] De futuro, nedum de præsenti per §. 2. sup. & §. 18. inf. eod. tit.

Art. 12. *Par la mort du disposant.*] Putà quando pendent in casum superviventiæ, etiamsi aliàs jure communi ligaret, nunc sub illa conditione secundùm communem sententiam de qua *in l. quæ dot. ff. sol. mat.* secùs si non pendent, quamvis resolvi possint in eventum certæ conditionis tantùm, ut inf. §. 24.

Art. 14. *Et ne faisissent.*] Non obstantibus illis constituti & precarii.

Art. 15. *Toutes.*] Adde quæ tetigi *in cons. Paris.* §. 170.

Art. 17. *Tant seulement.*] Ex quocumque matrimonio *l. placet ff. de liberis & posth.* quia non fit hic restrictio ad descendentes ejusdem matrimonii, nec inf. §. 25. & §. 26. nec inf. §. 1. tit. 1. clausulæ verò positæ extra hos contractus etiam declarationes ex intervallo factæ non habent hunc effectum, sed manent sub regula communi: quid de patre qui duos filios solos masculos instituit in contractu matrimonii, eorum postea alter sine liberis vivo patre, & fratre decedit? Respondeo. Quòd ipso jure, fratri superstiti accrescit, etiamsi in contractu desint verba, & eorum superviventem.

Art. 20. *Funerailles.*] Etiamsi non sit certa summa, ea intelligitur secundum qualitatem personæ, & bonorum, *l. cum testamento, ff. de verb. sign.*

Art. 26. *Traité de mariage.*] Etiamsi tractatus ille diu præcedat matrimonium, secùs si sequatur, ut contra Alexandrum dixi in amot. *cons.* 162. *ad fi. lib.* 2. nec sufficit quòd jam in favorem: sed quòd in ipso contractu, ut sint pars pactorum dotalium. facit Bartol. *l. alia §. eleganter, ff. sol. matrim. l. si filiusfamilias l. continuus parag. cum quis ff. de verb. oblig.*

Art. 28. *Puisse succeder.*] In totum vel in partem, nisi essent liberi communes.

Art. 31. *Quel qu'il soit.*] Non ergo potest dare cohæredem etiam particularem, nisi ut legatarium, vel donatarium certæ rei.

Art. 33. *De legitime.*] Hæc consuetudo est contra jus, ut dixi *in tractat. de donat. factis in tract. matrim.* & est intelligenda quando donatio fit legitimis, secùs si spurio, quia tunc locus est, *l. si unquam*, salvis alimentis spurii.

Art. 39. *Donner à sa femme.*] Secùs è contrà supra parag. 9. infrà parag. 46.

Art. 40. *Saisissent.*] Scilicet contra gravatos isto titulo possidentes, sed non contra extraneos emptores, qui sine hoc onere emerunt, saltem, quando per annum post obitum venditoris possederunt, sed superest petitorium.

Art. 41. *Valent & tiennent.*] Sed hodie necesse est servare constitutionem anni 1539. & edictum ann. 1549. & ita judicatum per Arrestum in terminis hu-

jus consuetudinis in causa dom. *Charon.*

Art. 42. *Dit est.*] Sed si sint heredes, tenentur conferre, nisi donatum sit in præcipuum.

Art. 46. *Succeder.*] Quid si ei donet de consensu fratrum suorum, qui essent ejus hæredes? Respondeo. Quod non valet, amplio etiamsi *ses freres promettoient garantir*, nisi esset donatio onerosa, vel mutua.

Art. 74. *De son bâtard.*] Compilatores non intellexerunt terminos juris, nec est ferendum quod Spurius plus habeat naturali, & legitimo; etiamsi Spurius ille esset legitimatus, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 1. *q.* 8. quæ nuper dixi, §. 33.

Art. 49. *Le pere survivant.*] Id est, durat contra hæredes maternos filii.

CHAP. XV.

Des associations.

Art. 1. *Prochain.*] Etiamsi aliàs inæqualis.

Ibidem. *Saisissent.*] Scilicet de prædiis sitis sub hac consuetudine, ut notant extra ejus territorium. Valet quidem pactio ubique, sed translatio possessionis, quæ fit in vim consuetudinis, non valet nisi intra ejus territorium *l. jubere cavere, l. ult. ff. de jurisd. omn. jud.*

Art. 8. *Lignagier.*] *Scilicet*, en se portant heritier simple, ou par inventaire, au cas que l'heritier conventionnel ne vouluſt estre heritier que par benefice d'inventaire. Car s'il est heritier simple, il exclud, & indistinctement tous les lignagers suivant la convention, & partant l'heritier conventionel ne peut user du benefice d'inventaire, sinon quand il n'a point de concurrence.

CHAP. XVI.

Des achats, lods & ventes.

Art. 5. *Plus valuë.*] Ut dixi *in consuet. Paris.* §. 23. *q.* 15.

Art. 6. *Ne ventes.*] Hoc enim habet vocem divisionis, cum fiat inter fratres, secus si cederent extranei, ut §. sequent.

Art. 11. *Prorogée.*] Intra tempus facultatis prorogatæ, *l. sed & si mavente, ff. de precar.* dixi *in consuetud. Paris.* §. 23.

CHAP. XVII.

Des prescriptions.

Art. 6. *Partie.*] Scilicet quando solvit sub nomine totius tanquam non plus debens, secus si sub commemoratione majoris census: quia tunc totum conservatur.

Art. 40. *Quotiens.*] Intellige de prædio à præscribente possesso, ut dixi *in tractat. commercior. & usurar. quæst.* 17. 18.

CHAP. XVIII.

Art. 3. ### *Des obligations, exceptions, solutions, &c.*

Art. 4. *Prouver.*] Hic est verus sensus cum §. seq. generaliter observatur in toto regno.

CHAP. XXI.

Des emphiteoses & loüages.

Art. 6. *Commis.*] Videtur iniquum, ut dixi *in consuetud. Paris.* §. 35. q. in fi. sed exponendum, ut dixi *in consuet. Paris. part.* 2. § 51. *gl.* 1. *q.* 2. *in fi.*

Art. 10. *Faire assener.*] Id est, realem manus injectionem etiam curatoribus appositis.

Art. 20. *De les prendre.*] *Hoc est injustum*, veu que le Seigneur est bailleur d'heritage, & que le preneur ne doit contracter à son prejudice, mesmement quand l'acquereur sçait la charge & condition de la chose, *quare dicendum erat, ut etiam inf. tit.* 22. 24. *in feudis.*

Art. 21. *Est cessible.*] Idem consuetudo Borbonensis, sed non est æquum, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 15. *gl.* 1. *q.* 2. & etiam dico quod casu retractus proximitatis resurget, & præferetur cessionatio domini directi, ut patet per §. 15. sup. eodem rectè ponderando.

CHAP. XXII.

Des Fiefs.

Art. 24. *Est requis.*] Intellige quando vassallus vult pendente lite, frui feudo, domino invito, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 31. sed sequens responsum hujus §. est iniquum, debent enim mutuo edere, ut dixi *in consuet. Paris.* §. 5. sed potest consuetudo intelligi ad finem provisionis, quia prehensio semper durabit ad usque finem litis sine præjudicio petendæ editionis.

Art. 61. *Sera tenu.*] Hoc non est æquum, ut dixi suprà tit. 21. §. 10.

CHAP. XXIV.

Des executions, ventes & subhastations.

Ibidem. *Ou en cour.*] Hoc intellige intra metas hujus consuetudinis tantùm.

Ante processus reib. *Matiere civile.*] Hæc indefinitiva æquipollet universali, sed in indifferentibus tantum. Amplio; etiam si sit condemnatus per Arrestum, & exequitur, & compellitur infrà metas hujus consuetudinis secus, si executio sit ex causa speciali habente speciale privilegium de jure, vel de consuetudine, ut si condemnatus est tanquam depositarius, cogetur in nundinis pro principali, sed non pro expensis, *l. penul. C. depo.* Sed an privata pactione renunciari possit huic consuetudini verius puto quod non favore nundinarum; hoc enim principaliter favore publico introductum est.

COUSTUMES LOCALES du pays d'Auvergne.

La Chastellenie de Menat.

En puel.] *Id est*, coupez par les rejettons seroient mangez par le bestail, & le bois rendu inutile à jamais: & une beste qui ne vaut pas trois francs, fera dommage de plus de cent livres en un an, comme porte l'Ordonnance de l'an 1516. art. 72. Or en la France le bois n'est reputé se pouvoir defendre des bestes de cinq ans: & icy suffisent trois ans, compris le mois de May ensuivant, parquoy la Loy resiste *specialiter*, & ne peut estre acquise possession de pasturer en taillis estans en puel, *quia lex resistens inficit possessionem, nedum præscriptionem, l. ubi lex de usucapi. c. 3. de præscript. in 6.*

De l'Eglise.] Sed non obstante hac protestatione, subsiciuntur istis consuetudinibus: & ita fuit judicatum per Arrestum Senatus Parisiensis, ut ibi die 27. Jul. anno 1551 testabatur dom. Dionysius Risius, tunc Regius Advocatus, postea Præses in eo Senatu.

COUSTUMES GENERALES DU haut pays du Comté de la Marche, &c.

CHAP. III.

Des renvois.

Art. 9. INformations.] Jo. Fab. *in l. legati. C. de offic. proconf. & lega.* ubi dicit quod Judex secularis, qui cepit Clericum, debet illum mittere Episcopo propriis expensis, scilicet ipsius Episcopi remissionem petentis, referendo ad proxima.

CHAP. XVI.

Des lods, ventes & achats.

Art. 116. *Folle-enchere.*] Bar. *in l. licitatio. ff. de publica.* Bal. *conf.* 194. *modus & forma. lib.* 10. Jo. Bertach. in tract. *de gabell. col.* 18. quamvis contrarium velit Franc. Cremen *sing.* 40.

Art. 118. *Point de lieu.*] Ita etiam vidi servari in hoc Senatu, ut *par l'Arrest du Bouchage*: sed quicquid dicant, est iniquum, & proprietario, & creditoribus injuriosum, nec in bona politia tolerandum est.

CHAP. XVII.

Des hommes francs, serfs, mortaillables, &c.

Art. 178. *Du seigneur.*] Inepta consuetudo, quia impensis domini fieri debet, quandocumque, per ea quæ dixi *in consuet. Paris. §. 5. in princ.* sed justum esset quod censurius semel in vita sua impensis propriis ostenderet quemadmodum tenetur impensis suis semel novam recognitionem dare.

CHAP. XVIII.

Des Fiefs.

Art. 201. *Droict de Fief.*] Intellige simul cum fundo dominanti, non aliàs, ut dixi *in consuet. Paris. § 1. glos. 3.* quia nec vassallus potest alium loco sui vassallum facere, retento fundo feudali.

CHAP. XIX.

Des testamens, successions testamentaires, &c.

Art. 222. *Aucun apport.*] Id est, nihilominus facit partem, & succedit in residuo bessis viriliter, trientem jure præcipui tanquam extraneus habens.

Art. 224. *Droict d'aisnesse.*] No. quod in tota hac consuetudine in libro quidem asservato *à Gueret*, urbe capitali nihil habetur de prærogativâ duplicis vinculi; ita etiam sentiunt pragmatici loci, ut vidi anno 1562. & anno 1564. Ita quod ad successionem fratris, exceptis hæredus alterius lineæ, pariter veniunt tam consanguinei quam uterini cum germanis.

Art. 226. *De lignager.*] Scio quod in libro, qui asservatur à *Gueret*, est circa hæc acti incipiens *entre parens qui sont communs* sub nu. 215. Sed ille articulus non est observandus, & contra illum fuit judicatum etiam à *Gueret*, anno 1564. & benè tamen ille articulus posset locum habere in societate ita expressè conventa.

Art. 230. *Descendans d'eux.*] Non dicit: redibit ad successionem renunciatam, & minus quod eam transmittat.

Art. 242. *Ou autrement.*] Jean Pernet *habens duas filias* en les mariant & dotant les fait renoncer à toute successionem paternelle, maternelle, fraternelle, & collaterale, en faveur de luy pere, reservée à elles la successsion future en defaut d'autres heritiers. Depuis *ex secundo matrimonio*, il a un fils & trois filles, & par son testament il instituë son fils heritier universel: & en cas que sondit fils decedera sans malles, veut que les trois filles du second mariage, & les deux filles du premier soient heritieres également en rapportant. Certè sine hac ultima clausula (quia masculus supervixit patri, & impubes obiit) filiæ primi matrimonii erant penitus exclusæ, quia filiæ secundi erant hæredes fratris germani. Tamen quia pater in testamento declaravit quod non vult renunciationem filiarum primi matrimonii habere locum in directa, cessante masculo, videtur declarasse quod non vult illam habere locum in collaterali, cessante masculo; Tum quia non renunciaverunt in favorem masculi, qui nondum natus erat, sed in favorem patris: & sic solius patris declaratio sufficit etiam tacita. Tum favore æqualitatis. Et sic succedant fratri æqualiter in mobilibus, acquæstis & paternis sitis *en la Marche*, ubi consuetudo non facit differentiam duplicis vinculi; sed in hæredus paternis, vel acquæstis sitis *en Limosin*, excluduntur per sorores germanas.

Art. 244. *Malles seulement.*] An ergo accrescat filiæ ipsius filii præmortui? Respondi non tum quia non conservat domum: tum quia non potest esse melioris conditionis, quam filiæ patris seu amitæ, & proximiores, *l. si viva, C. de bonis mater.*] Et consequenter facultas sequens non transmittitur nisi ad hæredes masculos, non autem ad fœminas.

Art. 245. *Legitimes.*] Iste §. est nu. 257. in libro pragmaticorum Marchiæ, quem vidi. Et de materia vide Nicol. Boër. *decis. Burdegal.* 140.

Art. 250. *Legataire.*] In hoc §. erat gravissimus error negativæ pro affirmativa quem correxi juxta exemplar libri consuetudinarii Marchiæ ad me delatum, & signatum, *le Moyne Greffier*, die vicesimo Octob. anno 1562. *à la Seneschaussée de la Marche, à Gueret:* in quo libro hic hic §. est num. 248.

Art. 251. *Les autres.*] Hic legendum *legataires au sol la livre, & ce au cas que les autres legats*, quæ verba deficiebant in libris impressis, & ea supplevi ex dicto libro ad me transmisso sub signo *du Greffier de la Seneschaussée de la Marche:* in quo lib. hic §. est nu. 149.

Ibidem. *Legataire.*] Directo *instituë:* sed obliquatur in legatum.

CHAP. XX.

De retrait lignager, & prelation de chose, &c.

Art. 263. *En principal.*] In quo fructus tanquam causa bonorum includuntur, per ea quæ dixi *in extricatione labyrinthi ex eo. quod interest*, & intellige à tempore litis contestatæ: quia §. sequens loquitur, ut veniant etiam ante litem contestatam à tempore consignationis.

Art. 276. *Ou bailler respit.*] *Id est*, souffrance de faire ou payer les droicts certains; *secus* s'il a baillé delay de saisir, ou delay de faire offres, lever & exhiber les Contracts.

Art. 269. 269] Les Officiers & Practiciens du pays de la Marche comptent icy le 272. article.

Art. 280. *Si bon luy semble.*] Ce qui est inique, *nisi conjuncto, ut dixi in consuet. Paris. §. 13. glos. 1. q. 1.* Mais lors de la redaction de cette Coustume, la tres-noble Anne de Bourbon, dite la sage Duchesse de Bourbonnois, estoit aussi Comtesse de la Marche, parquoy ses Officiers firent aisément apposer cet article à eux favorable, qui est aussi en la Coustume de Bourbonnois.

Art. 283. *Divers effects.*] Quod est æquum: tamen frequentiùs consuetudines dicunt quod retrahens jure proximitatis, tenetur etiam retrahere, quæ simul eodem pretio vendita sunt, volente actore, quamvis non sint

de linea actoris : quod est justum, quia retractus proximitatis est quædam gratia contra jus commune, & emptor reddi debet indemnis ; secus de retractu feudali, quia est de rigore, & competit jure conventionis, & investituræ feudalis. Amplio etiam, si emptor per decretum subhastationum emerit : quia ex quo partem emit ut feudalem, ad onera feudalia, huic oneri sciens sese subjecit, ut eo invito, dominus directus partem ad se contingentem retrahere possit.

CHAP. XXI.

Des donations, dots, doüaires, &c.

Art. 29. 296.] Sed est art. 289. in libro peculiari Marchionensium.

COUSTUMES GENERALES gardées & observées és terres, païs & Seigneuries de Lodunois, &c.

CHAP. I.

Des droicts de basse Justice.

Art. 2. *En ces assises.*] Non tamen incipiendo apprehensione, nisi post contumaciam, & si non habet jurisdictionem, provideat sibi coram Judice ordinario.

Art. 15. *Les causes.*] Il suffit les declarer en l'exploit, *ut latè dixi in consuet. Paris. §. 52. glos. 1.*

Art. 20. *Trente ans.*] Deducto tamen tempore minoritatis hæredum, vel captivitatis.

CHAP. V.

Des droicts de Seigneur Chastelain.

Art. 1. *Non rappeller.*] Non solum ipse judex de quo non dubitatur *l. judex, ff. de re judica.* sed nec ipse dominus loci, quia non est supremus, aliàs posset gratias concedere, adde quæ dicam infrà tit. seq. §. 1.

CHAP. IV.

Des droicts de Baronie.

Art. 1. *Se peut rappeller.*] Tam generaliter loquitur, ut videatur comprehendere non solum sententias in suo auditorio latas : sed etiam à judicibus suorum inferiorum, etiam quæ transierunt in rem judicatam : sed hæc omnia falsa sunt : consuetudo ista in hoc nulla est, quia reprobata est per constitutionem Ludov. XII. latam anno 1499. §. 70. ubi rex omne genus gratiarum sibi reservat, & aliis admit, contra quam constitutionem reservatoria, prohibitoria, negativa non potuit, nec vetus consuetudo sufficere, nec nova introductio, ut ab hac Baronis negligentia non solum regius procurator, sed etiam quis cujus interest appellari possit. faciunt quæ tit. præcedenti, §. 1. dixi.

CHAP. XIV.

De rachats & ventes.

Art. 1. *Finera le premier.*] Sed vide quæ dixi *in consuet. Paris. §. 22. q. 38. & §. 56. glos. 1. num. 21.*

Art. 16. *De 40. ans.*] Intellige palàm *continuez*, secus de occulta hypotheca, vel subsidiaria.

Art. 17. *Pendant ledit rachapt.*] Hoc est æquum, & juxta illud quod scripsi *in consuet. Paris. §. 22. q. 32.*

Art. 25. *Il y a ventes.*] Dixi plenè *in consuet. Paris. §. 35. & §. 42.*

CHAP. XV.

De retraits lignagers.

Art. 2. *En la ligne.*] Sive paterna, sive materna familia æquè consideratur à matre, sicut à patre : nec curatur duplicitas vinculi, & sic utrimque junctus *n'est pas le plus prochain*, patet §. seq. ubi repræsentatio excludit utrimque junctum, si est remotior, sive datur ei qui est ex latere uno tantum : scripsi latè pro dom. *de Malicorne*, anno 1564. in secundo tomo consiliorum meorum.

Ibidem. *De la grace donnée.*] Ita correxi, juxta §. 3. infrà eo. quamvis omnes antiqui libri haberent (divinè) & malè.

Art. 5. *Si bon luy semble.*] Intellige non in concurrentibus masculis quorum favore renunciavit, sed demum illis cessantibus.

Art. 15. *De 4. sols.*] Scilicet ad minus, augmentum enim arbitrarium est, ut quandoque vidi, Præside Antonio Minardo in hoc Parlamento condemnari hujusmodi emptorem *en 60. livres parisis.*

Art. 20. *Dudit retrait.*] Secus in retractu feudali, quia dominus directus venit ad rem suam jure contractus, qui non potest præjudicari per vassallum, vel censuarium : At retrahens venit per gratiam contra jus commune à consuetudine datam.

CHAP. XVII.

De retraits feodaux.

Art. 4. *Par l'acquereur.*] Et sic patet quod istud jus non est cessibile, quod est æquum, ut scripsi *in consuet. Paris. §. 13. glos. 1. q. 1.*

CHAP. XIX.

Des heritages defensables.

Art. 5. *Sans offence.*] Quia parva ista animalia plùs damni faciunt quàm valeant, & quàm sint sumptus persecutionis : ideo brevius, & utilius est ea occidi, & cedere lucro, damnum pasci *l. mediterraneæ. C. de anno & tribut. lib. 10.* id est, non est recurrendum ad auxilium justitiæ quæstuariæ, ubi consignationes, sportulæ, sumptus pluris sunt quàm quanti res est : sed practicanda sententia innocentiæ quam omnes ubique sequuntur *in c. olim ext. de restitutio. spolia. hîc fallit. l. unic. C. ne quis in sua causa*, & redditur ad jus naturale, & gentium, & meritò *per not. in l. ut vim. ff. deinst. & jur. & in c. si quando, ext. de offic. delegat.*

CHAP. XXII.

D'hypothecques comment elles se divisent, &c.

Art. 4. *Précompté & estimé.*] Id est, habet exceptionem distributionis, discussionis, & cessionis pro rata : idem etiam habet possessor fundi specialiter hypothecati : sed subsidiariè, sine præjudicio executionis realis, nisi inter plures possessores specialium hypothecarum, hi enim relabuntur in jus commune.

Art. 5. *De meuble.*] Iste articulus procedit secundùm veterem praxim fundatam *in l. a divo Pio. ff. ex re judica.* quæ hodie correcta est per constitutionem anni 1539. qua non curatur de perquisitione mobilium, ubi non agitur de distractione prædiorum minoris 25. annis.

CHAP. XXV.

Des donaiſons faites entre gens roturiers.

Art. 1. *De ſon ame.*] Hodie nihilominus valet ad pias cauſas, detracta falſa, & ſuperſtitioſa cauſa pro ſalute animæ, quæ à ſolo merito paſſionis Chriſti pendet, concurſus enim cauſæ turpis, vel falſæ, cum cauſa honeſta non vitiat, ſed vitiatur, gloſ. Bart. *in l. 1. & 2. ff. de condictione ob turp. cauſ.*

CHAP. XXVII.

De ſucceſſion de Fiefs, & autres heritages nobles, &c.

Art. 6. *Heritages.*] Iſtud non præjudicat alimentis præſertim pupillorum.

Art. 9. *De lignage.*] Scilicet lineæ inæqualis in qua judicium fit ex remotiore ſecundùm jus pontificium: quia idem de ſecundo, vel tertio ad quintum. Sed ſi reducatur in uſum, computatio juris civilis extunc, ſtabitur illi etiam in terminis hujus conſuetudinis.

Art. 18. *Repreſente.*] Igitur filiæ habent jus repræſentationis, & jus familiæ ſeu gentilis, ut hîc, & §. ſeq. & ſuprà eod. tit. §. 3. 4. 6. 7. 16. 18. & tit. de retract. proximit. §. 1. 5. & tit. *des ſucceſſions des roturiers*, §. 4. & in generali art.° repræſentationis 30. infrà eo. & ſic multo fortius dom. *de Malicorne*, filius Felicis *de Chourſſes*, repræſentavit patrem ſuum in ſucceſſione Philipp. *de Fay*, patrui ſui materni in hæreditis *Jacqueline de la Chappelle*, aviæ ſuæ matris communis Felicis Philippi; & ita per Arreſtum hujus Senatus pro domino *de Malicorne* obtinui.

Art. 23. *Enſemble.*] *Sans avoir ſubdiviſé*, ſuprà eod. §. 7. ſed filia quæ renuntiavit, pluſquam diviſit, §. 26.

CHAP. XXVIII.

Comme Baronie doit eſtre departie.

Art. 2. *Baronie.*] Aliàs ut ſimplex feudum dividitur.

CHAP. XXIX.

De ſucceſſions de gens roturiers ou conſtumiers.

Art. 23. *Pour ſa cottité.*] Aliis concurrentibus, & ſic duplicitas vinculi nihil hîc operatur.

CHAP. XXXI.

De doüaire de femme noble.

Art. 7. *Vſufruictier.*] *Non ſolum*, de neufves reparations, mais auſſi de reparations leguées, *ut practici Pariſienſes rectè loquuntur.*

CHAP. XXXIII.

Des Bails.

Art. 2. *Le Bail.*] Vidi titulos antiquos ante ducentos annos pingui minerva ſcriptos in quibus *ces baliſtres* vocantur bajuli, quaſi portatores ſeu geruli, Ruth. 4. 16.

CHAP. XXXVIII.

De perte de Fief à vie, ou à perpetuité.

Art. 2. *Seigneur.*] Si tamen commodè probare poteſt, non aliàs: gloſ. Franciſc. de Zabarell. *in cle. 1. de hæretic.* dixi in tom. conſil. conſ.

COUSTUMES DU COMTE' & pays de Poictou, anciens reſſorts, & enclaves d'iceluy.

Poictou.] Les dernieres redigées en l'an 1514. le ſeiziéme jour d'Octobre, avoient auſſi eſté homologuées par la Cour de Parlement, *teſte Joanne Imberto*, en ſon Inſtitution Françoiſe, *fol. 96. verſo*: ſans qu'il en appert par la publication ſignée Baillet, Bocane, Regnier. J'en ay veu de plus anciennes imprimées dés l'an 1486. quaſi tout conformes à la derniere. J'en ay auſſi veu un vieil Couſtumier de Poictou écrit à la main, diviſé en cinq livres; mais il ſe faut doreſnavant arreſter à certuy-cy.

Choſe immeuble.] *Située en Poictou*, quia inſpiciatur conſuetudo loci ſervientis, ut dixi *in Conſuetudine Pariſ. §. 7. in fine*, & ſecundùm opinionem meam dominus *Doyneau*, judicavit Pictavis anno 1543. *touchant la Baronie d'Angle*, ille erat probus, & doctus judex. Art. 24.

Speciale.] Ita rectè emendata fuit vetus conſuetudo, §. 19. inſequendo opinionem meam de qua ſcripſi *in conſuet. Pariſ. §. 58. & tract. redituum, & uſurarum quæſt. 6.* Art. 27.

En ſa ſaiſie] Non autem in commiſſione, ut latè ſcripſi *in conſuet. Pariſ. §. 52* Art. 89.

Fief à cens.] De multiplici acceptione cenſus ſatis ſcripſi *in conſuet. Pariſ. tit. 2. in Rubr.* Art. 101.

Qu'il vient de luy.] Fallit in feudo decimarum infeudatarum ante Concilium Lateranenſe, vel ante tempus immemorabile: quia vaſſallus non tenetur dare per declarationem, ut dom. *Doyneau*, judicavit Pictavis, referente Nicolao Tevenello doctore, & inſigni Pictavorum Advocato, in ſua paraphraſi ſuper hoc §. ubi addit doctiores Advocatos Pictavienſes ita tenere duabus rationibus: Prima quòd hic § refertur ad §. 99. ſed iſtud eſt ſomnium, quia §. 99. de omnibus feudis loquitur indiſtinctè: ergo continentur feuda decimarum. Præterea ſunt diverſi §§. nihil habentes commune. Secunda ratio adhuc pejor, quod aiunt hæc feuda per laicos teneri in feudum, ex privilegio, & non jure communi ſeu conſuetudinario. Iſta eſt ratio Canoniſtarum Doctorum Papalium, qui nituntur omnia ſubjicere decretalibus Paparum: in queis Panormit. *in c. prohibemus ext. de decim.* Atqui hæc feuda decimarum ſunt diu ante Concilium illud Lateranenſe; non ex privilegio, ſed ex contractu, & conventione publica *l. conventionum, §. publica, ff. de pact.* conceſſa, ut ipſemet Panorm. refert *in d. c. prohibemus.* Poſteà dictum Concilium ab Alexandro III. celebratum fuit Romæ ann. 1179. quod nullomodo potuit præjudicare nobilibus laicis in jure ſemel eis quæſito. Moventur etiam per §. ſanè *in c. ſtatuto de decim. in 6.* Sed ego dico quod illud non habet vim legis, niſi ubi Papa eſt ſupremus dominus temporalis, & ubi poteſt legem de temporalibus condere. Atqui in regno Franciæ nullam poteſt legem condere, ut dixi in annot. *ſuper d. c. ſtatuto.* Sunt ergo feuda, ut etiam expreſsè tenet Jo. Faber *in §. Item Servius inſtit. de action.* ſubjecta conſuetudinibus, & legibus Regni Franciæ, vel locorum, ut reliqua feuda: ut clarè ante annos triginta probavi *in conſuet. Pariſ. §. 46. q. 4.* Quæ miror doctos illos in praxi verſantes non vidiſſe tantum periculum ſemel imbutum eſſe papiſticis doctrinis: retinet enim odorem teſta diu. Ego quidem à pueritia uſque ad virilem ætatem diu his imbutus fui; ſed Dei gratia cum maximis laboribus me expurgavi, ut fierem vas in honorem coram Deo, & Sanctis 2. *Tim. 2.* non coram his quibus odio veræ pietatis magis odioſus fui. Quid? quod Sophi illi non viderunt Innocentium ſuum *in c. noverit, ext. de ſentent. excommunic.* ubi expreſsè tradit quod

etiam in ejusmodi feudis decimarum clerici censentur laici, nec subsunt Papæ, sed principi seculari loci. Rejicienda ergo deinceps dicta limitatio ad hunc §. 105. Idem in similibus; ut hæc feuda decimarum judicentur, ut reliqua patrimonialia.

De donations.

Art. 203. *Delivrement.*] *Id est, liberè, sine ullo onere: Ita ut donatarius* des meubles acquests, & tierce partie des propres *teneatur* acquiter l'heritier des deux tiers des propres, *non solùm* de toutes dettes mobiliaires à payer pour une fois: mais aussi de toutes rentes constituées, les racheter, & en décharger l'heritier des propres: comme il a esté jugé au Parlement de Paris, sur le champ, en la grande Chambre, plaidant Monsieur Brisson Advocat fameux, au profit du Seigneur de la Salmondiere, contre les Goulards.

Art. 209. *Toutesfois.*] Hæc clausula, & hujus §. residuum, novum statutum est non interpretativum, sed limitativum prioris. Et sic judicatum per doctos arbitros, quod quum vir ante hanc novam consuetudinem obiisset, relicta filia post donationem mutuam data, quod nisi constet de revocatione juxta veterem consuetudinem §. 202. valet donatio: quamvis vidua secundò nubat, & alios liberos suscipiat.

Art. 216. *L'un que l'autre.*] Ita ut succedentes non teneantur conferre, saltem postquam hoc expressum est in donatione, ut memini me consuluisse. Refert, & sequitur Do. Nico. Thevenellus in sua paraphrasi hujus §. in fi. Quod etiam liquet per consuetudinem veterem art. 199. valet ergo, nec est conferenda hujusmodi donatio, quamvis facta biduò ante initium reformationis ultimæ hujus consuetudinis: Et sic tempore veteris.

Des droicts appartenans à gens mariez, & communauté de biens, &c.

Art. 225. *Ou d'elle.*] Etiam postquam erit vidua, nec in præjudicium hæredum suorum, ut etiam super hac re in novissima consuetudine doctè latéque scripsit dom. And. Tiraq. ex text. ad finem legum connubialium.

Art. 240. *Retrayet.*] Immediatè præcedenti.

Art. 252. *Veut renoncer.*] Adde quod etiam locis in quibus non permittitur viduæ renunciare societati, tamen respectu debitorum in quibus se non obligavit, non tenetur, usque ad concurrentiam commodi, quod capit è societate etiam Parisiis: & hoc in vim consuetudinis qua maritus non potest onerare propria uxoris, ut sæpe judicatum, & nuper [au rapport de Monsieur le Sueur, au profit de Marie du Boullay, contre Roger, en vuidant l'appointé au Conseil en la grande Chambre, plaidant Monsieur Brisson.]

De retraict lignager.

Art. 322. *Temps & lieu.*] Veneris 14. Junii anno 1566. dom. Brissonius disertus, & doctus Advocatus pro actore in retractu appellante à Senescballo Pictavensi] qui l'avoit debouté sous ombre des formalitez, *hujus & 327. §. sequentis*, & qu'il n'y avoit specifique declaration des heritages, ne sommation formelle *obtinuit me præsente, per Arrestum hujus Senatus*, mal jugé, bien appellé, l'intimé condamné ès dépens de la cause d'appel, & en emandant le jugement, que l'intimé defendroit peremptoirement à ladite demande, sur quoy renvoyées à ladite Seneschaussée pardevant autre que celuy qui avoit jugé, [quia in effectu formulæ erant servatæ, nec reus deceptus erat propter aliquam omissionem; sed sciens volebat decipere actorem: atqui solennia legum non sunt ad finem captionum, & eadem die aliud Arrestum] contre le defendeur en retraict condamné, qui en execution alleguoit que l'assignation estoit donnée au jour de la Feste-Dieu, fut mise l'appellation au neant, & dit que tout ce dont avoit esté appellé, sortiroit son effet, & ledit appellant condamné ès dépens.

Art. 310. *Audit retraict.*] Hoc est iniquum, quia nostra interest, imò publicè interest non mutare creditorem benignum, & selectum: dico ergo requiri consensum debitoris, ut ab invito creditore retrahatur, tetigi *in consuet. Paris. §. 57.*

Art. 340. *De la mort.*] Quid si uxor reliquit liberos communes quorum pater facto inventario, mansit administrator quindecim, vel sexdecim annis. Postea filii offerunt patri *le mi-denier*: pater excipit eos non venire infrà tempus Nicol. Theu. hîc in sua Gallica exegesi contrarias opiniones refert, ut in re valdè ambagiosa, nec decidit. Ego dico clarum esse tempus non concurrisse: quia pater administrator debuit à se exigere, *l. atqui natura ff. de negot. gestis.* Ideo annus non incipit nisi post dictam administrationem finitam; & adhuc post titulos exhibitos.

De criées.

Art. 342. *Issuë de la grande Messe.*] C'est la grande & notable assemblée, & non la qualité d'icelle, qui se respecte pour la verisimilitude, la publicité & notice.

Art. 445. *Devoirs feodaux.*] Escheus pour cette vente, & non les precedens dont ne s'est opposé, *ut dixi, in consuet. Paris. tod. tit. Confirmatum Arresto latomense Julio 1544.*

COUSTUMES GENERALES GARDE'ES & observées en la Comté d'Angoulemois, & Seneschaussée d'icelle, &c.

CHAP. I.

De la distinction & qualité des Iurisdictions, &c.

Art. 5. *LE Seigneur Chastelain.*] In quadam Castellania hujus regionis aliquandiu tolerati fuerunt Notarii regii: tandem Castellanus voluit eos expellere, vel prohibere ne in suo territorio hoc officium exercerent juxta doctrinam Jo. Faber institutionib. de Attil. tuto. & ità obtinuit per Arrestum hujus Senatus, quamvis Ægidius Magister tunc regius Advocatus, & Jo. *Corlieu* pro dictis notariis causam agerent.

Art. 13. *Qui le forment.*] Id est, apertè recidit in contractum venditionis, infrà §. 19.

Art. 17. *Le vendeur baillait.*] Scilicet in solutum, & transferendo dominium: secus in simplici Annichresi: de qua dixi *in tract. commercior. & usura. q. 35.*

Art. 48. *Sommation.*] Et sic via actionis tantum.

Art. 128. *Derechef.*] Idem consuet. Pictavensis, quod videtur durum: quia tutor est plusquam procurator, tamen servandum.

Art. 55. *Est fondé.*] Adde suprà §. 20. & quæ dixi *in consuet. Paris. §. 46.*

CHAP. II.

Des Notaires & passemens de lettres.

Art. 58. *Ne sont valables.*] Idem consuet. Pictavensis eod. tit. vide nos. *in c. sicut extr. ne clerici vel Monachi*, dixi *in commentario super edicto Henrici II. in parvas datas.*

CHAP. III.

De communauté de biens.

Art. 90. *Benediction Nuptiale.*] Et sic excludit tempus nuptiarum clandestinarum.

CHAP. IV.

De donations.

Art. 49. *Ait patrimoine.*] Scilicet *notable*, non enim intelligitur de vili cespite terræ, verba cum effectu notabili accipienda, & ita ante viginti quinque annos mecum sentiebat & consulebat Dom. Matthæus Quadrigarius consultissimus.

Art. 50. *Estranger.*] Fallit si constet extraneum delectum propter insignem ejus bonam vitam, vel propter morositatem propinquorum.

CHAP. V.

De retrait lignager.

Art. 55. *Quand aucun vend.*] Intellige extraneo à linea, etiamsi text. non exprimat; tamen non est modicum dubium propter modum utendi si quando venditur remotiori de linea proximior possit ab eo retrahere, quæ est materia §. 61. & 62. infrà eod.

Ibid. *Rentes generales.*] Igitur est limitandum ut in simili dixi super cons. Pictavienſi de cons. debitoris in reditibus loco usurarum subrogatis ut dixi *in Consuet. Parisiensi* §. 57. *& in tract. rediti & usurarum Latino & Gallico.*

Art. 61. *Le plus proche.*] Hoc est clarum quod ab initio venditio facta est extraneo, ita quod jus retractus est omnibus apertum & firmatum: Sed quando ab initio venditur uni de linea, sed sunt proximiores vel concurrentes, an sit apertus locus retractui? pendet à modo utendi: sunt enim qui dicunt se habere tres sententias in simili pro affirmativa ad hoc consuet. Pictav. Et hæc consuetudo non dicit si extraneo; sed simpliciter & generaliter si venditur, ut supra §. 55. ubi tetigi & infrà §. 64. Tamen. consuet. Rupellana est similis art. §. 33. & sic non videtur quid commenticium.

Art. 66. *Commun entr'eux.*] *Sauf le retraict de mi denier*, ut in consuet. Pictavienſi quia huic symbolisat.

Art. 69. *Feodal & foncier.*] Nisi aliter specialiter cautum esset in prima investitura: non enim sufficeret in posteriori, sicut non valeret pactum in præjudicium cognatorum, postquam res jam est facta de linea.

Art. 72. *Transporté.* Scilicet extraneo vel uni de linea in præjudicium proximiorum.

Art. 74. *Et honneur.*] Et etiam jus retractus feudalis in defectum proximi, si pecunia præponderat, aliàs habet tantum laudimia pro rata pecuniæ & non jus retractus feudalis, quia non est fortior retractu proximitatis.

Art. 75. *Droict.*] Quantum ad hoc utpote gratia consuetudinis limitata, sed intra fines suos favorabiles sunt.

Art. 76. *Comme dessus.*] Imo infrà §. 80.

Art. 80. *Les notifications.*] Ante 25. annos Dom. *d'Aubeterre* petebat retractum post undecim annos in vim hujus consuet. contra Dom. *de Marneil* pro quo *Brulard*, & alii dicebant quod hæc consuetudo non fuit homologata, quod hic §. non fuit prius nec postea in usu, nec præscriptus & quod per modum utendi tempus currebat à die contractus, tum quod contractus ab initio fuerat insinuatus actori qui erat filius vendentis & sciens, &c.

CHAP. VII.

Des successions.

Art. 86. *Que biens meubles.*] Et sic in totum succedit: sed in omnibus exemplaribus erat verbum, *immeubles* quod meritò correxi & in aliis necessariis tantum.

Art. 90. *Par les succedans.*] Id est, per eosdem descendentes, qui sunt fratres defuncti qui cum succesſerunt & diviserunt in directa, relicto illi quinto.

Quintée & partie.] Ut dictum est & tunc ut in text. Ibid.

Fils ou fille.] Non dicit *entre cousins & cousines*, sed ampliat; etiamsi secundogenitus esset præmortuus relictis filio & filia qui repræsentant. Tum in fi. §. ibi in stirpes: & sic exceptio regulæ restringitur ut procedat tantum inter eosdem fratres & sorores, qui in linea directa succesſerunt quinto relicto primogenito suo: vel ut procedat inter filios fratrum vel sororum qui repræsentant, & quando succedunt primogenito qui quintum habuit.

Si ce n'estoit.] Plenius explicat exceptionem præcedentem, quæ in §. præcedenti superfluit: ibi *si ladite.* Art. 94.

Est descendue.] Et sic *le Vidame de Chartres qui est à present* 1566. *emportera un quint contre sa sœur.* Ergo exceptio restringitur primo ut procedat inter descendentes ab illis *qui ont fait le precedent partage quinté*: ita quod si primogenitus decederet ultimus fratrum & sororum sine liberis, & devolveret ad patrueles vel remotiores collaterales, locus esset quinto inter eos. Secundò restringitur exceptio ut procedat quando agitur de succesſione ejus qui quintum accepit. Sed non sumus in his terminis, quia exceptio duo requirit ut locum habeat; sed hic secundum deficit: ergo locus regulæ. Sed quid si prius genitùs obiit, prior, relicto filio qui postea obiit sine liberis relictis patruis & amitis, quibus pater ejus abstulit Quintum? Respondi. Nepos non restituit. Sed reliquit in sua succesſione, & senior succedentium capiet quintum, quia exceptio personalis est. Ibid.

Duquel est question.] Ergo de proxima & immediata succesſione tantum: nec attenditur quid factum sit in succesſione remota vel mediata vel intermedia tantum.

Ils sont issus.] Et sic non prodest conjunctio duplicis lateris, ut *par l'Arrest solemnel de Marueil, prononcé le 6. Aoust* 1543. adde Bartholom. Chassan. consil. 32. Nisi in mobilibus, & acquæstis ut infrà 51. in consuet. Rupellæ. Art. 94.

Contracter.] Nec in præjudicium quidem suorum heredum vel sui, postquam vidua erit: ut in simili tetigi super cons. Pictavi. & plenè *in consuet. Paris.* §. 105. quem Nuperus Juvenatus malè restrixit ut ibi dixi. Art. 98.

Sont.] Idem consuet. Pictav. cum hac symbolisans. Art. 100.

COUTUMES GENERALES gardées & observées en la Ville & Gouvernement de la Rochelle.

Rochelle.] Valde per Jarnacum oppressa anno 1536. sed 1549. priori honori restituta. Rursus oppressa 1565. vide Andr. Tiraq. in tract. *de retract.* proximitat. §. 10. ubi ait vocem Hebraïcam: sed dum quadrigarius anno 1542. dixit mihi nullo modo esse potuisse vocem Hebraïcam. Hæc consuet. suppleri solet per consuet. Pictav. & non per Xantonensem quæ est alterius Parlamenti.

CHAP. IV.

De saisir les choses de son subjet & autres.

Qu'il appartiendra.] De quo latè dixi *in Consuetudine Parisiensi* §. 42. Art. 8.

CHAP. V.

D'Offices de Sergens, &c.

De pieces.] Jo. Imb. in inst. for. lat. fol. 34. & 168. & in gal. fol. 91 & verso. Art. 131.

CHAP. VI.

Des executions, criées & ampliations.

Art. 18. *Debte Royal.*] Jo. Imb. in inst. for. Gallica fol. 15.

CHAP. VII.

D'adveux & contr'aveux.

Art. 20. *Ou appellations.*] Quæ tantum devolvunt; sed non suspendunt, quia periculum est in mora.

CHAP. X.

De donner Sentence par contumace, &c.

Art. 27. *Contestation.*] Hodie correctus est stylus quia post contestationem *ne faut plus juger par defaut, mais par forclusion*, vide Jo. Imbert. in inst. for. Gal. fol. 25.

CHAP. XI.

De plus demander qu'il n'est deû.

Art. 28. *De l'inconstance.*] Non habet locum in habente causam ignorantiæ, vide Jo. Imb. in instit. for. Gal. pag 40.

CHAP. XII.

Des retraits lignagers, & quand il est deû ventes.

Art 33. *Et notification d'icelle.*] Idem consuetudo Engolismensis §. 61. ubi tetigi causificationes dubitantium in favorem clientelorum.

CHAP. XIV.

De donations.

Art. 42. *Ou hoirs presomptifs.*] Et sic etiam de collateralibus quantum ad hæredia ann. 1557. penult. Decemb. vidi quæstionem controversam. Patruus vel avunculus qui dotare non tenetur, donavit nepoti suo partem hereditatis favore matrimonii: Dicebant primores quod non censetur mera donatio, sed ob causam, quia causa matrimonii: Ita quod non sit locus huic consuetudini; & sic nepos ille possit esse heres donatoris non conferendo, sed retinendo donata. Ego verò dixi hoc falsissimum, quia etiam in filiis & filiabus, quibus dos debetur, tenentur conferre *l. quoniam Novella, C. de inofficio. testam.* Ergo multò magis collaterales, ex quo hæc consuetudo inducit collationem etiam in collateralibus respectu hereditatum. Et sic deceperunt Locum-tenentem Rupellæ. Dico tamen quod hæc consuetudo limitanda est ut procedat quando donatarius vult esse heres; secus si abstineat contentus sua donatione & hoc ut tantò minus derogetur juri communi.

Art. 43. *Pourveu.*] Hanc clausulam vidi valde controversam ad hunc Senatum vel Juvenatum die 2. Augusti 1565. & die 21. Maii 1566. causificantibus hominibus cupidis hanc consuetudinem tempore Caroli VIII. fuisse redactam sine hac clausula quæ non servatur: ad hoc etiam vidi multa confusa testimonia & multas sententias contra hanc clausulam, contra filios & in novissima redactione anni 1514. appellatum fuisse ab hoc articulo, cives Rupellani scripsis congregati dixerunt se nihil scire nec processum verbalem habere, aut invenire posse. Nihilominus dico hanc clausulam justam & omnino retinendam, & si nunquam fuisset in veteri consuetudine, tamen addi debere.

CHAP. XV.

De dõuaire & onsclage.

Art. 46. *Onsclage.*] Id est, pro osculo, juxt. *l. si sponsa. C. de donatio. ant. nupt.* sed certè d. L. loquitur in absoluta & expressa donatione: & sic mulier condemnata fuit restituere per Arrest. Senat. Burdegalen. latum 4. Junii anno 1558. Adde Bal. *L. Deo nobis. C. de Episcop. & cleri.* Angel. Areti. §. *fuerat num.* 24. 26. *instit. de action.*

CHAP. XVII.

Des donations entre les conjoints.

Art. 49. *A vie & à mort.*] Id est, etiam ad heredes seu perpetuò: & de clausula *pourveu* in fine hujus §. controversa, ut dixi §. 43. multi tenent cessare controversiam, si est confirmata testamento.: verum hæc clausula refertur ad utrumque tam ad donationem mutuam quàm ad testamentum, quod etiam de linimentis novercalibus obnoxium esse lex testatur. *in l. non est consentiendum ff. de inoff. testam.*

CHAP. XVIII.

De succeder és intestats & collateraux ascendans & descendans.

Art. 51. *Preferez.*] Secus in hereditis sup. §. 94. in consuet. Engolismensi.

CHAP. XXV.

D'obligation à prise de corps.

Art. 66. *Suffisante.*] Facultatibus, sed non simili obligatione carceris, quia consuetudo non dicit.

COUSTUMES GENERALES DE LA Ville de Bordeaux, Seneschaussée de Guyenne, & pays de Bordelois.

CHAP. II.

De retrait lignager.

Art. 7. *Preferé.*] Arnold. Ferronius hîc format liquidam quæstionem: An emptor in retractu possit invito reo, discedere ab emptione: & pro affirmativa citat l. Sabinus quæ nihil facit; pronegativa verò quam tenet rationem nimis futilem. Nos ex regula juris communis distinguimus: Aut reus jam acceptavit, & non potest discedere invito reo: aut verò reus nondum acceptavit, & potest actor sive ante litem contestatam, sive post discedere, refusis tamen expensis adusque: Et ita practicari vidi in frequentissimo prætorio Parisiensi. Ea autem regula colligitur ex notatis per Doctores *in l. postquam Isti, C. de pact.* Et ex gloss. singul. *in c. cum venissent*, ubi Panorm. *de ea qui mit. in possess. can. rei serv.* Ludov. Roma. *fin.* 150. Alex. *consil.* 132. *num.* 20. *lib.* 5. *jus in l. qui Roma. §. Seia. col.* 1. *ff. de verb. oblig.* Phil. Dec. *in l. cum fundus §. servum tunm num.* 21. *ff. si cert. pet. in l. cum proponas* 2. *num.* 9. *C. de pact. in c. gratum col.* 3. ubi in annot. tetigi *ext. de offic. deleg.* Felin. *in c. capitulum col.* 13. *de rescript.*

Art. 8. *Seigneur du fief.*] Uter præferendus, & quid in emphyteosi latè scripsi ante 30. annos *in Consuetudine Parisiensi §.* 15.

Art. 19. *Heritier.*] Etiamsi est heres venditoris.

Art. 34. *Au traict.*] Hoc iniquum in reditibus vulgaribus, nisi de consensu debitoris, ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 57. & *in tract. commer. & usur. Latino & Gallico.*

CHAP. IV.

Des dot & doüaires coustumiers, &c.

Art. 47. *Ou terre.*] Sed tamen recuperabit suum secundum jus commune, sic hic casus videtur exceptus ab hac consuetudine & relictus in jure communi. Et sic è converso maritus non lucrabitur hujusmodi dotem; sicut nec lucraretur si conversa esset in prædia. Ita etiam hîc latè tenet Arnold. Ferron. & benè.

CHAP. V.

Des testamens, dernieres volontez & successions, tant entre nobles qu'autres.

Art. 73. *Au Roy.*] Sed quis solvet debita? Respondeo. Is qui succedit in universitate prius solvet omnia bona et iamsi non sit propriè heres glos. & Doctores *in l. 2. C. de vi pub.* & in subsidium tenebitur dominus feudi, quamvis potius vice reversionis titulo particulari succedit, per ea quæ dixi *in Consuet. Paris.* §. 30. *q. ult.*

COUSTUMES DE LA SENESCHAUSSE'E de Xaintonge au Siege & Ressort de saint Jean d'Angely, &c.

D'association & affiliation.

Art. 2. *Adoption.*] Qua etiam in hoc regno nullum jus tribuitur sine contractu expresso aliàs valido & permisso, vel ex legato ut extraneo ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 8. *gloss.* 1. *quæst.* 6.

Des droits de Jurisdiction, & autres droits Seigneuriaux.

Art. 40. *Pardevers luy.*] Idem è converso, ut scripsi *in cons. Paris.* §. 5. *num.* 4. 6. ita etiam consuet. Remensis, §. 128.

De retrait lignager.

Art. 50. *Notification.*] Idem Engolismi & Rupellæ.

Art. 53. *En fief.*] Quia dominus directus venit jure retractus: sed retrahens ex gratia contra jus commune, & debet reddere emptorem indemnem; dummodo tamen emptor hoc non fecerit in fraudem.

Des successions ab intestato *directes ou collateralles.*

Art. 105. *Du decedé.*] Si ab eo tempore fuit turbatus, aliàs à tempore turbationis.

COUSTUMES GENERALES DU Païs & Duché de Bretagne.

CHAP. X.

Des Iustices & Iurisdictions, Ministres & droits d'icelles.

Art. 1. *De nullité.*] *L. omnes dies festos C. de feriis.*

Art. 2. *Iuges d'Eglise.*] Reliquiæ sunt patriæ obedientiæ Papalis Armoricarum.

La delivrance.] Q. secularis executor Ecclesiastici. Ibid.

Du iuge d'Eglise.] Prius tamen visis actis ut per Bart. Art. 5 *in l. magistratus ff. de jurisd. omn. judic.*

CHAP. II.

Des droits du Prince & autres Seigneurs, & des aydes.

Seulement.] Id est, etiam *quand n'y écherroit vente, ny autre alienation*, quod est durum: quia datio usus-fructus, etiam longioris temporis, non facit locum laudimiis. Art. 64.

CHAP. III.

Des Procureurs.

Precedente datte.] Satis est si Procuratorium sequens ratificatorium, facit mentionem prioris datæ præcedentis deperditi. Art. 98.

CHAP. IV.

Des plegemens & attentats serieux.

Ne Arrest.] Non tolluntur actiones rei persecutorix per viam simplicis actionis; sive realis, sive personalis, vel mixtam causam habentis. Art. 109.

Desdites choses.] Quia quandiu communitas durat, seu non interrupta, semper sunt infrà annum, hæc est altera limitatio ad §. præcedentem. Art. 110.

Pleger.] Id est, spoliari potest *l. 3. ff. unde vi* nisi ex magno intervallo. Art. 111.

En cas de promesse.] Id est Prælationis in retrahendo res venditas jure proximitatis. Hoc vocabulum acceperunt Britones ab Italis, quos frequentant quæstum facientes Romæ, ut patet apud Bald. & Matt. de Affli. *in tract. de jure protomiseos.* Vide And. Tiraq. *in tract. de retract. proximit. in princ.* Art. 115.

CHAP. V.

Des Arrests & ostages.

Ostage. Id est, non exire altum locum; quod est minus quam carcer. Art. 119.

Les faire.] *L. ult. de re milit. lib.* 12. *C.* Joan. Fab. *§. ult. inst. de action.* Art. 123.

CHAP. VII.

Des Garends & Requestes.

Proceder.] *Nisi* comme Adjoint: car il n'y a pas garend formel, veu qu'il est personnellement obligé de son faict. Art. 151.

CHAP. VIII.

Des preuues & fermens.

Du delict.] *L. 1. §. Item illud ibi*: liquere igitur debet scelere interemptum *l. necessarios* § 1. *ff. ad Senatusconsult. Syllan.* & ibi Alberic. text. etiam *in l. 1. C. ubi caus. fisc. in l. qua action. in princip. in l. inde Neratius in fin. cum l. seqq. & l. proinde ff. ad leg. Aquil. l. ejus qui delatorem de jur. fisci l. maritus de quæst. in c. præterea ext. de test.* Petr. Anchar. *in c. felicis de pœn. in 6. & consil. 216. in fin.* Alex. *cons.* 19. *num.* 1. ubi in annot. tetigi *lib.* 7. Guid. Papæ *decis. Delph.* 339. Phil. Dec. *in c. juravit. col.* 3. *extr. de probat.* ubi etiam tetigi &c. cum *speculi §. porro, num.* 5. *de appellation.* Steph. Bertrand. *cons.* 15. & *ratio in fin. consil.* 257, *scripseram lib.* 3. Thom. Grammatic. *consil.* 60. Art. 174.

CHAP. XII.

Des donations.

Art. 220. *Heritage.*] Intellige de herediis tantùm, quia aliter de acquisitis inf. §. 223. Item intellige etiam in testamento per §. 225. 229. 230. & §. 576.

Ibid. *Ses hoirs.*] Scilicet odio injusto, aliàs semper diceretur esse consilium & eventum fraudis.

Art. 229. *Sa volonté.* Tam inter vivos, quàm in testamento.

Raisonnable.] Intellige tam inter vivos quàm in testamento, vel alia ultimâ voluntate.

CHAP. XV.

Des promesses & retrait lignager.

Art. 230. *Promesse.*] Non à prima emptione, sed à proximitate, ut dixi suprà §. 115. & sic non à Græco, sed à Gallico, ut inf. §. 305.

Art. 286. *Reputée valable.*] Ad excludendum proximiorem.

Art. 294. *Rente censive.*] Et le Seigneur qui est plus prés du fonds de terre, est preferé aux autres Seigneurs inf. §. 305.

CHAP. XX.

Des bastards & autres illegitimes, &c.

Art. 450. *Au Seigneur.*] Quia ut non succedunt parentibus naturalibus, nec parentes eis, infrà §. 454. vide quæ scripsi *in cons. Paris.* §. 8. *glos.* 1. *q.* 8.

CHAP. XXI.

Des mineurs & autres à qui l'on doit bailler administrateurs, &c.

A aucun.] Nisi probationibus factis & causa cognita, juxta *not. in l.* 15. *cui bonis ff. de verbor. obligat.* Art. 495

CHAP. XXII.

Des successions, & partages.

Par Court.] Id est, judicialiter quod est injustum maximè cùm sciret sic habere cohæredem, & fructus sunt pars successionis. Art. 558

De la mere.] Etiamsi sint inæquales in gradu, & in stirpes, non in capita. Idem Arvernix. Art. 559

Principal heritier.] Etiam ad seniorem fœminam isto latere junctam contra junctas utrinque, ut per Arrestum latum pro dom. Susan. *de Rieux.* Art. 562

CHAP. XXIV.

Des crimes, amendes & confiscations.

Crime.] Nec læsæ quidem Majestatis divinæ & humanæ, & judicatum vidi in causa *de Rets.* Art. 617

CHAP. XXVIII.

Les poincts & articles de l'assise, que doit jurer chacun Advocat à sa reception, &c.

Notaire Apostolique.] Nunc præcisè servandum est, Edictum Henrici II. contra *parvas datas* editum an. 1551. ut ibi in Commentario mihi damnosissimo scripsi. Art. 771

COMMENTARIA
CAROLI MOLINÆI
IN CONSVETVDINEM BORBONIENSEM,

QVÆ INCOEPIT ANNO M. DL. ET IMPERFECTA reliquit, vt ipsemet testatur ad §. 302. hujus consuetudinis, & epist. ad sinceros Iurisprudentiæ studiosos mense Decemb. 1561, prævia ad extricationem labyrinthi 16. legum.

---

§. 1.

Iurisdiction, ressort d'icelle, & fief n'ont rien de commun, & peut estre Iurisdiction & ressort à un, & fief à un autre.

DIxi latè *in Consuetudine Parisiensi*, §. 1 *gloss.* 5. *num.* 44. *cum seq.* unde abundè peti potest hujus materiæ declaratio. Sed ad breviorem & magis specificam explicationem; aliud est dicere quòd jurisdictio, & proprietas prædiorum, aliud quod jurisdictio & feudum nihil habent commune: Primum non dicit hæc consuetudo, sed ex littera tacitè satis illud præsupponit. Secundum id ipsum est quod propriè & adæquatè dividit textus paragraphi. Primum omni jure indubitatum est: Jurisdictio enim est publica potestas, *l. imperium ff. de jurisd. fisc. omn. judic.* fundus autem res privata, illud publici juris est, hoc autem privati *l.* 1. §. 1. *de just. & jure*, illud de se velut res sacra extrà commercium hominum, hoc autem in commercio, & ad hoc in singularibus etiam jure gentium approbante distinctum *l. hoc jure de just. & jure.* Ibi damna distincta, scilicet inter privatos; Publicæ verò res, quæ sunt publici juris, ut jurisdictio, & potestas Magistratuum, nullius in bonis esse concedantur, inquit text. in *l* 1. §. *hoc autem res, de rer. divis.* nisi per abusum, ut scripsi *in Conf. Paris.* §. 1. *gloss.* 5. *num.* 6. *cum seq.* Et quod jurisdictio, & proprietas prædiorum & fundorum nihil habeant commune tenent Oldrad. *quæst.* 176. Bald. *l. a Procuratore C. mandati.* Roman. *cons.* 444. & alii quos numeravi in dicta glos. 5. num 45.

2. Quantùm ad secundum, non est ita expeditum, quia ut habent vulgariter jura feudorum, feudum annexam habet jurisdictionem; quandoquidem inter duos vassallos dominus communis judex est, & de controversiis inter dominum & unum ex vassallis Pares communes judices sunt. *text. in c. unico de controvers. feudi apud Pares, text. cap.* 7. *in fine de investit. in maritum facta. l.* 1. *Imperialem* §. *ult. de prohib. feudi alien. per Fed. in usib. feud. cap. caterum, cap. novit de judiciis*, in tantum quod vassalli de feudo contendentes, non possunt prorogare jurisdictionem in præjudicium sui domini feudalis, vel Pariuin Curiæ suæ, sine consensu domini, ut norant omnes Feudistæ in dicta *l. Imperiadem* ad finem Bart. Paulus, Alex. & omnes in *l.* 1. §. *& post operis, de oper. novi nunt.* adeo ut non prodesset sententia cum patientia domini, cùm expressius consensus requiratur Ant. Butr. Francisc. Aret. *c. caterum col.* 2. *de judiciis*, Franc. Curt junior *tract. feud. parte* 7. *quæst.* 5. cum igitur feudalitas ipsa etiam jurisdictionem attrahat, inde concludi posse non videtur, quod nihil habet commune cum ea.

3. Contrarium tamen hîc deciditur, quod est generale, non solùm apud Borbonios, sed etiam in tota patria consuetudinaria, imo etiam in patria juris scripti, & toto Regno Franciæ; adeout sit jus conforme in regno. Jurisdictiones quidem sunt infeudatæ, & factæ sunt privati juris, & in patrimonio nostro per abusum incidunt, Alberic. Rozates in *l.* 1. §. *ult. de offic. ejus cui mandata est jurisd. l ult. de jurisd. omn. judic.* & Bald. *c.* 1. *col.* 1. *de feudo March. Duc & Comit.* Tamen nihil habent de se commune cum feudo: nam ut feudum est fundus, seu prædium, sed nec feudalitas ipsa, & hoc est quod vult dicere hæc consuetudo quod jurisdictio, & ejus superior gradus (quod Galli ressortum vocant, ut per Joan. Fab. *Instit. de Attilians tut. in princ.* Guid. Pap. *quæst. Delphin.* 518. hoc est sivè sumatur jurisdictio in primo gradu, vel instantia: sivè in superiore: sivè cùm jure primæ vel ulterioris appellationis nihil habet commune cum feudo, hoc nedum cum fundo feudali, vel domino feudi, sed nec cum feudalitate ipsa, seu nexu feudali (quod Galli vocant *tenure feodale*) sivè propinquo, sivè remoto, quod Galli vocant in primum feudum, vel retrofeudum; hic enim fiat antithesis, & fit oppositio, non solum inter jurisdictionem & feudum primum, sed etiam inter gradus, sivè propinquos, sivè remotos jurisdictionis & feudi, & idem multomagis intelligendum est de jure censuali, vel quovis alio jure, sivè dominicali, sivè paganico. *Authent. multamagis C. de sacros. Eccles.*

4. Et ista sunt magni effectus: infertur enim primò quod non sequitur prædium esse situm in territorio & sub jurisdictione Tiui à quo tenetur, vel mediate,

vel immediatè in feudum, vel in censum, vel aliter: nec contrà tale prædium movetur in feudum, vel in censum à Titio, quia est de ejus jurisdictione, sivè in prima, vel ulteriore instantia; etiamsi aliàs constaret Titium jurisdictionem habere, quia ex separatis non infertur *l. ultim. de collat. l. Papinianus, de minoribus.* Item si Castellanus tenet castrum in feudum à Titio, non continuò infertur quod etiam jurisdictionem ab eo teneat, & è conversò. Quod est verum etiam in terminis consuetudinis Insubriæ, de quibus suprà eodem numero 2. quia & ibi etiam castri, vel prædii feudum, vel feudalitas est unius, jurisdictio alterius. Bald. *cap. 2. §. contrario de invest. de re aliena facta & ibi Iacob. Alvarot. in usib. feud.* quamvis Pampo. ibi contrarium teneat, & sententiam Baldi sequatur Carol. Ruin. *consil. 14. lib. 1. idem* Paul. Castr. *consil. 56. lib. 2.* Alex. *consil. 76. col. 2. lib. 2.*

5. Quamvis enim in terminis dictorum jurium feudalium feudalitas attrahat jurisdictionem; tamen non est de se, nec ex virtute contractus, vel investituræ feudalis, quia privati juris est; sed ex accidenti, videlicet ex consuetudine, & lege Conradi Imperatoris, ut *in d. c. de controvers. feud. apud Pares termin.* ubi secundùm *legem Conradi & ex lege Federici cognomenti Ænobarbi in d. l. Imperialem in fine*, quæ leges locales sunt, ut dixi *in Consuet. Paris. tit. 2. in rub. num. 48.* Et adhuc illa jurisdictio non est data; nisi in negotiis feudalibus dumtaxat, & constituta quod sit feudum non constituendum, sed jam taliter constitutum, & relevans à domino, qui per se, vel Pares curiæ suæ vult cognoscere; aliàs recurrendum est ad judicem ordinarium *cap. 1. §. si autem inter, de leg. bus concordiæ l. Federicus §. si duo §. si tres de pace tenenda cap. 7. in princip. de investit. in mar. facta in usib. feud. Panorm. & omnes in cap. cæterum de judic. Curtius in tract. feud. part. 7. numer. 4. 7. 37.* Quamvis enim feudatarius, hoc est dominus directus feudi sub consuetudinibus Insubriæ fundet jurisdictionem sub insertis tantum partibus in controversiis feudalibus: tamen in Regno Franciæ nullo modo fundatur, sed omnis cognitio collocata est sub jurisdictione judicis ordinarii loci feudalis; Ergò apud nos non cognoscit de causis vassallorum, & feudorum suorum, nisi aliàs sit judex ordinarius.

6. Sequitur etiam quod domini locorum, seu territoriorum haberent ibi merum imperium (quod altam justitiam Galli vocant) ad quos jurisdictio spectat, sibi conficere possunt descriptiones prædiorum (quod terrerium, seu lingua Gallica, *papier terrier* vocant) ut decisum est Arresto Senatus Parisiensis in publicis disceptationibus.

---

§. 281.

Noms, debtes, actions pour choses mobiliaires, ou arrerages de cens & rente, sont reputez meubles.

Nomina, & actiones ad mobilia competentes, & reliqua censuum, & reddituum inter mobilia censentur.

Quid de reditibus ad tempus? Respondeo, aut sunt fœneratitii, ut in tractatu meo usurar. Latin. quæst..... & num .....Gallico quæst.....& omninò mobiles reputantur, etsi per contractum matrimonii ut suprà §. 233. cadunt in contractam communionem. Secus de reditibus fœneratoriis perpetuis, qui licet veriùs & subtiliter considerando sint mobiles, ut dixi *in tract. usurar. Latin. quæstion.* 37. num..... tamen non est discedendum ab recepto usu, quatenus reputantur immobiles, ut respectu contractæ societatis, etiam matrimonialis, donationum, vel legatorum: undè si quis legat mobilia omnia, etiam veniunt reliqua; sed non jus ipsum hujusmodi reditus; pariter reliqua cadunt in communionem viri & uxoris: sed non jus ipsum reditus in se. Sed quid de alio reditu ad tempus? Respondeo; si ad vitam, ut in tract. usurar. quæst..... reputatur immobile: si verò ad tempus modicum, mobile: si ad tempus longum, immobile. Et hoc procedit etiamsi tempus post contractum immutetur de dicto reditu; quia natura ab initio imposita attenditur. *fac. leg. clam. possidere in fine de acquir. vel amitt. possessione.*

---

§. 282.

Moulins assis sur bateaux és Rivieres, qui se peuvent mouvoir de place en autre, & pareillement Moulins à vent, sont reputez & censez meubles.

In textum. ibi batteaux. Intellige quando tenentur jure facultatis juris communis, secùs si jure servitutis perpetuæ; ut si quis impetravit à Principe ut in certo loco fluvii, quo aliàs non liceret, possit in perpetuum habere molendinum, sivè semel quid solvit, sivè non: sivè solvat ob id censum, reditum annuum, sivè non, ipsum enim jus particulare habere ibi molendinum perpetuum est quid immobile, & consequenter ipsum molendinum jure immobilium censetur, & tantò magis si in censum, feudum, vel reditum perpetuum tenetur. Item secùs si molendinum illud sit liberum, & fuisset ab initio ex mera facultate constitutum; sed acquisita sunt & adjecta servitus ibi habendi & construendi ibi aliud molendinum, ut ibi alii construere non liceat: vel servitus, ut vicini teneantur ad illud molendinum, & non ad aliud accedere in perpetuum: constat enim quod hæc servitus, vel jus adhærens sit quid immobile, consequenter molendinum illud inter immobilia censeri debere.

In textum. ibi à vent.] Videlicet ut etiam stipes in terram defixus quo sustinetur, teneatur mobilis, qua accessorius est, & consuetudo nihil excipit, imò generaliter loquitur, & sic de toto molendino, cujus stipes est pars. Intellige de stipite artificiali, & operà hominum infixo, secùs de naturali: si enim situm sit super cuspide rupis, servat cuspis contiguus naturam immobilis. Item limita si paries, vel domus constructæ sit, & superimpositum molendinum, quod paries & domus qualitatem immobilis semel adeptam retinet. Item limita, si servitutem perpetuam annexam habeat, ut dixi de molendino aquæ.

---

§. 283.

En la proprieté de chose immeuble donnée, ou leguée à l'un des personniers par contemplation de luy, le personnier n'y a aucune chose.

In proprietate rei immobilis data vel legata uni sociorum, ejus contemplatione, nihil socius habet.

In textum. ibi proprieté.] Non ponitur ad differentiam ususfructus formalis, sed fructuum qui cadunt in communionem.

§. 285.

Poiſſon en eſtang eſt reputé meubles aprés les deux premiers ans paſſez, à compter du temps qu'il a eſté appoiſſonné, auſſi eſt le poiſſon mis à ſerve, ou reſervé pour uſage & proviſion de maiſon. Toutefois avant leſdits deux ans entre communs & perſonniers, le Seigneur de l'eſtang eſt tenu de rendre & reſtituer à ſes communs perſonniers *pro rata* le prix qu'aura couſté ledit appoiſſonnement, ou de ſouffrir qu'ils prennent portion à la peſche dudit eſtang au choix du Seigneur d'iceluy.

Piſces ſtagni reputantur mobiles poſt duos annos à tempore ſtagni impiſcati. Pariter piſces in piſcinam miſſi, aut pro uſu domus reſervati, tamen ante illud biennium proprietarius ſtagni tenetur ſocio pro rata reſtituere pretium impiſcationis, vel pati eos capere partem piſcationis ſtagni ad ſui electionem.

In textum, Ibi meuble.] Scilicet inter ſocios & finita ſocietate in caſum diviſionis, & ſimile in §. præcedenti; non autem inter alios, nec ad alios fines extenditur. Non poteſt proprietarius veteres ſocios excludere à piſcatura, offerendo ſumptus & pretium impiſcationis & cuſtodiæ: ſed neceſſe habet eos admittere ad partem virilem futuræ piſcationis, conferendo ſcilicet per eos in ſumptibus rationabilibus futuris. Et dixi futuris, quia non tenetur ſtatim evacuare ſtagnum, ſi non eſt tempus opportunum & aſſuetum, tunc etiam cogetur differre.

§. 299.

Le mort ſaiſit le vif ſon plus prochain heritier habile à luy ſucceder ab inteſtat, *ſans apprehenſion de faict.*

Hæc conſuetudo generalis eſt in toto Regno Franciæ; non ſolum in locis qui conſuetudine, ſed etiam qui jure ſcripto reguntur; imo etiam in univerſa Gallia, etiam in locis juriſdictioni Regis Galliarum ſubſtractis, ut in Comitatu Burgundiæ, quem etiam francum Comitatum vocant.

Quæritur ubi non ægrè de legato extraneo facto, & hoc expreſſim adjecto quod à ſeipſo poſſit accipere, nec deciditur in textu an prælegatarius poſſit propria authoritate capere, vel non; ſed tantum quæritur an ea verba, volo eum à ſeipſo accipere, vitient legatum? Et deciditur legatum, ſeu fideicommiſſum illud non vitiari propter illam clauſulam, non quod augeat, vel plus proſit; ſed tantum deciditur quod non noceat, & ſic ille textus potius ſentit quod non obſtante dicta clauſula, prælegatarius debeat partem non à ſe, ſed à cohærede petere, & accipere velut fideicommiſſarius; textus enim diſertè vocat illum fideicommiſſarium, & prælegatum fideicommiſſum. Malè ergò & impertinenter ad uſque textus ille: pro inſtituto enim res certa adducitur, de quo nullo modo loquitur: ſed de alio, & ad alium finem. Sed eſto quod teſtator poſſit expreſsè, vel etiam tacitè etiam ſimplici legatario, & conſequenter inſtituto in re certa dare poteſtatem apprehendendi poſſeſſionem propria authoritate, ut tenuit gloſ. Bart. Bald. in d. §. 1. & *l. nemo poteſt de legat.* 1. Salicet *l. ult. C. commodat.* Jaſon. *l. quoties C. de hæredib. inſtit.* tamen hoc non procedit niſi ad vitandam pœnam, vel metum pœnæ *l. non eſt dubium C. de legat.* utque mox ab apprehenſione tanquam legitimè facta fructus ſuos faciat, non autem quod ipſo facto ſit poſſeſſor, & multominus quod poſſeſſio defuncti in eum ipſo jure tranſeat, quod eſt contrà jus, & à teſtatore fieri nequit, etiam in locis qui jure ſcripto reguntur, & in quibus ceſſat hæc conſuetudo: & ſic multominùs in locis in quibus viget hæc conſuetudo, quæ ipſo facto poſſeſſionem continuat in ipſum verum hæredem, non autem in alium, & ſic non in legatarium, nec in fideicommiſſarium, nec in inſtitutum in re certa, ſtante alio univerſali in quem pro ſolido transfertur per prædicta, adeò ut huic juri ſeu poſſeſſioni quam habet hæres, beneficio conſuetudinis non poſſit teſtator præjudicare, nec contrarium diſponere, nec expreſsè, nec tacitè, nec per obliquum, ut tradit Joan. Fab. *Inſtit. de inutilib. ſtipul.* §. *alteri col.* 3. & ita practicatur. Sed quid de ſubſtituto militari (quem caſum mirum eſt dom. Andræam Tiraquellum in tractu ſuo omiſiſſe.) Et videntur verba conſuetudinis convenire cùm directo ſuccedat, ſicut & ſubſtitutus pupillaris, vel exemplaris in quibus verificatur. Breviter contrarium dico: quamquam enim ſi caſus extet intra pupillaria, ſaiſitus ſit, utpotè verè & propriè univerſalis hæres bonorum patris & filii non ex privilegio militari, ſed jure communi, tamen ſecus ſi extet poſt pupillaria, cum tunc in vim militaris nullo modo ſit hæres ultimo defuncti, ſed primi teſtatoris tantùm, & in certis bonis, videlicet ſi ab illo obvenerit dumtaxat, deducta legitima, ſi prior inſtitutus erat filius, & ſic conveniat ad certum genus bonorum exiſtentium in hereditate alterius noviſſimè defuncti, & ſic in hereditate aliena ad alium ſpectante, & cujus univerſa poſſeſſio qualem noviſſimè defunctus habebat in alium verum & proprium hæredem noviſſimè defunctum tranſlata eſt, non poteſt eſſe ſaiſitus. Tum hujuſm. ſubſtitutum militarem lex fideicommiſſaria comparat in *l. precibus, in fine de impub. & aliis ſubſtit.* Tum & tertiò conſuetudo ſemel effectum ſuum operata eſt, & perfuncta in tranſlationem ſolidæ poſſeſſionis primi teſtatoris in primum immediatum hæredem cum effectu, & ſic abunde ſufficit vires ſuas cum effectu exercuiſſe argument. *l. bonis* §. *hoc ſermone de verb. ſign.* Et quamquam virtus directæ ſubſtitutionis quæ privilegio militari ex poſtfacto & poſt pupillaria directa manet ut in d. l. centurio poſſit excuſare à pœna vel culpa juris, de qua in *l. non eſt dubium C. de legat.* non tamen operatur acquiſitionem beneficii conſuetudinis quo cum nihil habet commune. Notandum tamen quod etſi in patria juris ſcripti, & aliis locis ubi conſuetudo nominatim hoc diſponit, hæc generalis conſuetudo locum habeat in hærede teſtamentario; tamen non ſolum hîc, ſed etiam in patria juris ſcripti & in dictis locis eadem conſuetudo fortius & penetrabilius operatur, & majorem habet energiam in hærede ab inteſtato, quam in teſtamentario; quia hæres ab inteſtato ſtatim à puncto obitus defuncti non ſolum æquè plenè, ſed etiam æquè liberè poſſeſſor eſt, diſponere & uti poteſt, ut erat, & poterat defunctus, nec alio adminiculo, vel alio præparatorio indiget ad executionem, ſeu exercitium ſuæ poſſeſſionis & proprietatis: ſecus in hærede teſtamentario, non ſolum nuncupativo, de quo non eſt dubium, ut in *l. publicati C. de teſtament.* Sed etiam ſcripto & ſolemni; debet enim prius aperiri, & publicari coram Judice competenti, ut in *l. teſtamenta omnia C. de teſtam.* & quamvis interim talis hæres ſit ſaiſitus habitu, vel etiam actu, quia conſuetudo ſtatim veritatem operatur, non tamen habet exercitium, ſaltem plenarium, nec ſe immiſcere debet aute

dictam publicationem, nisi ad honorum conservationem, vel in tempore peritutis, & not. in *l. pro herede in fine de acqu. vel omitt. hered.* vel nisi testamentum non esset clausum, sed apertum in instrumento patenti, publico & authentico, ut non esset opus remora, nec solemnitate publicationis, ut tradit Bart. & omnes *l. 2. in principio quemadmodum testam. aperiantur, & in l. 1. & l. publicati C. de testam.* Insuper nota quod virtus & effectus ejus consuetudinis nihil aliud est quam continuatio possessionis à moriente in ejus heredem, & sic non est nova, nec alia; sed omninò & idemticè eadem ipsa possessio numero & essentialiter quæ & qualis erat penès defunctum in puncto mortis, & hoc brevi gnomone infinitæ scribentium ambages & quæstiones ut supervacuæ amputantur. Cum quæritur an heres qui nondum apprehendit, possit interdictis retinendæ, vel recuperandæ contrà eum qui tempore medio occupavit, experiri? Dicendum est posse, prout posset defunctus si superstes esset; videlicet intrà tempora his interdictis aut aliis remediis possessoriis attributa. Et ita tenet Joannes Faber in §. 2. *col. 2. Instit. de hered. qualit. & differ. & in summa instit. de interdictis.* Guido Pap. *decis. Delph.* 552. ut etiam notorie practicatur, & bene.

Verbum *son plus prochain* non limitat ad personam ejus qui tempore mortis est in primo gradu successionis; sed etiam omnes subordinatè comprehendit ad quos sivè ex successorio edicto à priore in gradu repudiante fit devolutio, sive qui præmortuum repræsentando, cum proximiori concurrunt, sive quibus portio paris in gradu repudiantis accrescit, & sic illa verba non signant limitationem per se, sed ordinem prælationis, ut proximior, si velit, saisitus sit, eo vero repudiante proximior post eum; ut enim aditio, ita & repudiatio trahitur retrò ad punctum obitus defuncti *l. heres quoque de acquir. vel omitt. hæredit.* & in terminis quidem juris scripti retrò fingit, ut ait glos. in dicta *l. heres quoque*, nisi in suo vel necessario adeunte, sed in terminis hujus vel generalis consuetudinis Franciæ etiam retrò ab initio veritatem operatur, quemadmodum diceret in suo, vel necessario adeunte; imò multo amplius & fortius quam de juro quo dominium quidem seriatim à morte plenius continuatur in suum heredem, videlicet tamen in suos descendentes heredes; imò non absolutè, sed quasi continuatur, ut ait textus §. *sui autem instit. de hæred. quæ ab intestato defer.* & sic fictè secundum gloss. & Doctores ibi; possessio verò nullo modo, neque verè, neque fictè: At in terminis nostrarum consuetudinum & possessionis ipsius sit non ficta; sed vera, & idemtica, realis, & actualis continuatio & transfusio, & consequenter dominii, & omnis, & solidi juris defuncti; non in suos, vel descendentes heredes dumtaxat; sed in quoscumque etiam extraneos adeuntes, dum tamen sint habiles & vocati ab intestato, & in effectu succedunt.

Et sic in hoc regno omnes subtilitates, divisiones, distinctiones, intricationes juris transmittendi cessant, & supervacuæ sunt: non solum in patria consuetudinaria, sed etiam in patria juris scripti, ut tangit Bened. in repet. *cap. Raym. verb. mortuo itaque testatore num.* 188.

Hæc autem consuetudo hîc se restringit ad eum qui vocatur & venit ut heres ab intestato, & illi soli hoc suum beneficium confert; & sic nulli competere potest nisi heredi legitimo succedenti ab intestato: unde non fisco sivè regio, sivè habenti merum imperium in loco, sivè per maximam vel mediam capitis diminutionem bona amittenti, sivè nullo existente herede valent, fiscus saisitus non est, nec ipso facto possidet, sed apprehensione, vel manus injectione opus habet: magis enim bonorum confiscatorum, sivè jacentium successor & propriè heres, *l. inter eos in fine de fidejussorib. l. tutoris C. ad leg. Iul. de vi publica.*

§. 300.

Succession de pere & de mere se partage & divise *par testat*, & non point par licts, combien que par cy-devant il y ait eu Coûtume contraire.

Parentibus liberi cujuscumque matrimonii æqualiter succedunt, abrogata contraria veteri consuetudine.

In tex. Ibi & non par licts.] Ideò rejecta differentia natorum primi, secundi, vel ulterioris matrimonii: prius enim, hoc est ann. 1521. filii diversorum matrimoniorum succedebant eodem parenti differenter, quod justè remotum fuit.

Ex quibus apparet multa per errorem sive justo & legitimo civitatis & populi consensu inolevisse, quamprimum in cives seu municipes ad hoc congregati sunt, & animum adverterunt, & errores quantumvis vetustos correxerunt; quo manifestum sit olim non vero & legitimo consensu, sed veluti fortim errores illos irrepsisse; in successione enim ejus patris quid attinet filios esse diversarum matrum? Quod enim ad partem attinet, omnes sunt æqualiter filii, *ut in Authentica de nuptiis ad finem*: Quod ergò sint diversarum matrum, non huc pertinet, sed tunc cum de successione matrum agitur. Nam etiamsi quidam succedentes in invicem sint germani, quidam consanguinei tantum, ut hoc pertinens esse possit cum de collaterali successione cujusdam ex eis agitur, impertinens in directa successione ejusdem patris: quia ejus respectu sunt communes, & æquè communes filii, & eidem æquè conjuncti. Non tamen intelligas hîc statui ut semper in capita succedant, confusa vel sublata repræsentatione, verbum enim *par testat* opponitur verbo *par licts*, & sic antithesi ostendit hoc tantum agi ut inepta diversorum matrimoniorum differentia penitus abrogetur. Quod ergò hîc dicitur de patre & matre, idem de successione avi, aviæ, & ascendentium: nulla enim est deinceps differentia matrimoniorum, sed succedent liberi in stirpes, & cujuscumque matrimonii æqualiter, & secundum jus commune, videlicet filii primi gradus in capita, ulteriores in stirpes, & sic viriliter & æqualiter respectu singularium stirpium, nulla ratione habita diversorum quorumcumque matrimoniorum.

§. 301.

En succession de gens nobles, le fils aisné, ou son fils aisné aprés son trépas emporte pour son droict d'aisnesse le nom & les Armes du defunct, le Chasteau, ou maison principale en precipuité & advantage: Et peut ledit fils choisir & élire tel manoir que bon luy-semble, soit paternel, ou maternel, si lors du partage la succession de la mere est advenuë par fondit droict d'aisnesse.

In successione directa nobilium primogenitus, vel senior nepos ex eo præmortuo, jure primogenituræ cæpit nomen & insignia defuncti, & castrum, seu domum principalem jure præcipui, & plurium domorum eliget quam voluerit,

sive paternam, sive maternam: si tamen quoad electionem maternam successio materna tempore divisionis delata sit.

In text. Ibi ou son fils aisné.] Idem de pronepote, nepote mortui, & sic primogenitus præmoriens transmittit jus primogenituræ ad primum legitimum descendentem masculum; non autem ad filiam, nec ad masculos quidem descendentes ex ea, & sic filiæ non repræsentant patrem in jure primogenituræ; textus est in § seq. ibi *ou à son fils aisné comme dessus*: & consequenter filia non transferet quod non habet. Amplio, etiamsi primogenitus decesserit ante patrem postea morientem sine masculis, sed relictis filiabus tantum, quod filia masculi, vel etiam pronepos ex ea nullum habebit jus primogenituræ, non obstat quod pronepos est masculus, & cum hoc repræsentat avitum maternum in successione proavi, quia tantum repræsentat in portione virili, & æquali de jure communi, non autem in prorogatæ primogenituræ quam avus maternus non potuit remittere in filiam hujus juris incapacem, & sic nec in descendentes ex ea: neptis igitur, vel pronepotis ex ea non minus æqualiter dividet cum amittit quam cum patruus primi ordinis, vel magis. Quod tamen videtur absurdum, quia primogenitus transmittit ad filiam jus excludendi sororem jam nuptam, vel etiam nupturam, ut infrà §. 305. quod majus est: imò etiam transmittit jus excludendi sorores omnes nuptas à portione nuptæ, vel nupturæ, quæ accrescit etiam fœminæ descendenti ex masculo, ut infrà 310. & sic multo fortius videretur transmittere jus primogenituræ, quod sub hac consuetudine consistit in modico solut. In portionem filiæ nuptæ lex est expressa, etiam in favorem fœminæ ex masculo: sed in jure primogenituræ lex non est expressa, sed limitata ad masculum ex masculo, & sic non potest extendi.

In text. Ibi les armes.] Itaque integra & solida: ut enim secundogeniti, quin & filiæ non excluduntur à nobilitate personæ quæ communis est, ita nec & armis, sed eadem gerunt cum nota differentiæ à primogenito solida insignia gerentes.

In text. Ibi preciputé.] Id est jure prærogato, quod non tenetur conferre, nec æstimatur, nec ob id plus solvet de debitis hæreditariis, ut dixi in consuetud. Paris. §..... Intellige in prædio nobili, seu feudali dumtaxat. In prædiis enim censuariis, & aliis, quæ roturaria vocant, nullum est jus præcipui etiam inter nobiles.

In text. Ibi ou materiel.] Non intelligas quod in utraque successione singulas mansiones; & sic duas, alteram paternam, alteram maternam eligere possit: sed unicam tantum; videlicet in prædiis paternis feudalibus tantum, si divisio & electio fiat, viva matre; quod si prius, vel interim mater obierat, indulget consuetudo, ut primogenitus hanc mansionem eligere possit in maternis, dummodò sit hæres matris, & in hæreditate matris sit aliqua mansio feudalis, & non aliàs. Et ita intelligitur hæc consuetudo quod si divisio, & mansionis electio facta esset in bonis paternis, & ante delatam, vel aditam hæreditatem maternam, primogenitus non posset amplius variare, & sic tota hæreditas materna, sine ullo jure primogenituræ divideretur æqualiter. Quod autem requiro mansionem electam feudalem esse, hoc dico ad differentiam, & exclusionem prædiorum ignobilium: si enim essent quædam alaudia nobilia, posset in illis, si qua esset mansio, & jus primogenituræ, eligi.

Ex prædictis nota quod jus primogenituræ non habet vim nisi in linea directa, ex quo descendentibus tantum in linea ascendentium, & sic nec in linea directa ascendenti, sed in directa descendenti, & soli masculo, vel masculo descendenti per masculum, & adhuc non in omni directa, sed in successione patris..... Novissimè me præsente, in anno 1580. judicatum fuit in insigni præfectura Parisiensi per dominum Antonium *des Essarts* Proprætorem civilem secundum opinionem meam quam in §. 8. glos. 2. q. 4. tenui primogenito abstinente ab hæreditate, si tamen habilis est, non deferri jus præcipui secundogenito; sed æqualiter dividi: quia quod primus sit habilis, conservat, & gerit nomen, & insignia domus. Sed quid si primogenitus non erat inhabilis, sed præmortuus relicta filia, quæ non succedit in jure primogenituræ, ut dixi in glos. 1. an secundogenitus habeat jus primogenituræ? Videtur quod sic, quia nullum masculum habet antè se; sed fœminam tantùm, quæ non plus juris habet nata ex masculo quam si genita esset ex fœmina, ut in glos. 1. dictum est. Tùm iste secundogenitus gerit nomen domus, plena & solida insignia patris defuncti, idque jure successivo in linea directa: Igitur jus quoque præcipui habet, quod in hoc §. cum jure nominis, & armorum defuncti copulatur & jungitur. Contrarium puto partem jure donationis vel legati, vel præmoriendo, relinquens tamen alium hæredem loco sui quam si superesset, nihil capiendo prorsus abstineret; sed hic ex hypothesi etiam partem capit, quia eam transmittit: Igitur etiamsi non transmittat jus primogenituræ, tamen non minus obest primogenito quam si superesset, & voluntariè abstineret. Non obstat quod non transmittat soli ta arma, quia imo transmittit ea ad filiam, quandiu ea ipsa vivet: sed quia filia, cujus si qui sint liberi, sunt, vel futuri sunt de aliena familia, ad eos non potest hæc insignia transmittere, & cedunt secundogenito, qui spe perpetuæ successionis statim potest solida insignia gerere, veluti proprietarius neptis ex primogenito fructuariæ, propter jus insigniorum temporalis ad vitam litatum magis comparanda. Cæterum jus solidorum insigniorum non infert, nec attrahit per se hoc jus præcipui, ut patet in linea collaterali in qua senior succedens solida gerit insignia, non tamen habet jus præcipui, sed viritim bona dividuntur inter æquales in gradu. Hoc ergò jus præcipui cum sit strictum & exorbitans, locum non habet extrà casum, & personas à consuetudine expressas.

---

§. 302.

Droict d'aineſſe s'entend s'il y a un chaſtel ou place forte, & s'il y a foſſé ou foſſez, un, ou pluſieurs environnans ladite place, ou baſſe court, & ſi dedans la cloſture deſdits foſſez il y a granges, eſtables, ou autres choſes, ils demeurent à l'aiſné ou à ſon fils aiſné, comme deſſus eſt dit, & outre l'enclos deſdits foſſez quarante thoiſes de terre à prendre du bout deſdits foſſez de toutes parts par dehors, tant que leſdites quarante thoiſes ſe peuvent étendre à l'entour deſdits foſſez. Mais ſi en quelque endroit dudit chaſtel ou maiſon, leſdites thoiſes ne ſe peuvent trouver, il n'aura que ce qui ſe trouvera en chacun coſté, & n'en ſera ailleurs recompenſé. Et s'il n'y a point de chaſtel, ou place forte à foſſé ou foſſez, il aura la maiſon, & outre ce qui eſt enclos, ſoit de mur ou de pal ſervant à la cloſture de la baſſe-court, & quarante thoiſes tout à l'entour, à prendre de ladite cloſture ſoit de mur ou de pal; Et s'il n'y a mur, pal, ny autre cloſture en ladite maiſon, leſdites

quarante thoiſes prendront à icelle maiſon, le tout comme deſſus, & eſt la thoiſe de ſix pieds.

Caſtro ſeu Prætoriæ domui electa cedunt foſſata, cum corte, horreis, ſtabulis, & aliis incluſis: & ultrà quadraginta quadratæ hexapedæ terræ in circuitu foſſarum contigui, quantum undique circumveniendo ſumi poterunt, & ſi qua parte ſumi nequeunt, primogenitus reſiduum dumtaxat aliorum laterum habebit, & deficientibus foſſatis ſumetur hexapedarum pariete ſeptili, vel paliscortem claudentibus deficiente clauſura ab ipſa domo menſurabuntur.

In text. Ibi thoiſes.] Intellige hexapedas quadratas more agrimenſorum de quibus dixi *in conſuet. Pariſ. §. num. 6.* non in directum, ſeu in longum; ſed in circuitu, & ſic primogenitus ultrà manſionem, & ejus clauſuram debet habere mille quadringentos quadraginta pedes quadratos.

In text. Ibi de ſix pieds.] Non intelligas, id eſt ſex pedes tantum pro ſingulis hexapedis, quia ſic non haberet, niſi ducentos quadraginta pedes, & conſequenter non haberet ſeptem hexapedas, cum debeat habere quadraginta: multùm enim refert inter ſex pedes, & inter hexapedam geometricam; & hoc eſt quod textus non dicit quadrageſies ſex pedes, ſed ait *quarante thoiſes, & la thoiſe* ad rationem ſex pedum, & ſic hexapedam geometricam, quæ in quadro ad formam parallelogrammi ducta ex ſpatio intercluſo triginta ſex quadratos pedes producit; tot enim pedaneæ menſuræ reſultant, multiplicato uno latere hujus parallelogrammi per aliud

§. 303.

Toutefois ſi dans leſdites cloſtures & quarante thoiſes y avoit moulins, preſſoirs, ou fours banniers, l'aiſné les pourra retenir, en recompenſant l'heritier de leur part & portion dans l'an, autrement leſdits moulins, preſſoir, ou four bannier ſe partiront également. Mais s'il y a moulin, preſſoir, ou four qui ne ſoit bannier, ou l'un d'eux dans leſdites cloſtures, & quarante thoiſes, ils demeureront à l'aiſné pour ſondit droict d'aiſneſſe & advantage, ſans recompenſer ſes autres coheritiers, & pendant ledit an de recompenſe, les fruicts deſdits moulins, fours, ou preſſoirs banniers ſont communs.

Si tamen intrà dictas clauſuras, & quadraginta hexapedas includuntur molendina, torcularia, vel furni bannales, primogenitus ea retinere poterit, recompenſando coheredes pro portionibus eorum intrà annum; & interim donec recompenſentur, reditus eorum communes erunt: ſed ſi non ſunt bannalia, cedent primogenito jure præcipui.

In text. Ibi banniers.] Id eſt quibus debetur ſervitus à ſubditis, vel etiam aliis vicinis, ut teneantur ibi molere, premere, vel coquere, & non alibi niſi forte ſub pœna, vel lucrum molituræ, vel pœnæ ſolvendo. Et conſequenter ipſum molendinum, torcular, vel furnus non debet cedere lucro primogenito, ſed dividi æqualiter, ut jura vaſſallorum: & juriſdictio annexa de quibus dixi *in conſue. Pariſ.* §. 10. *q.* 5. *cum ſeq.*

In text. Ibi dedans l'an.] Hæc nova adjectio eſt in compilatione harum conſuetudinum facta. Annus autem currit à tempore diviſionis, & electæ manſionis, & interim fructus non ſimplicis ſoli, ſi forte ſubjecti ſoli ſunt aliqui fructus per ſe, qui cedunt primogenito: ſed ipſius molendini, furni, vel torcularis bannalis communes ſunt; videlicet quamdiu, & quatenùs recompenſatio differtur, quo tempore lapſo, niſi à cohæredibus prorogatum ſit, & non erit primogenitus admiſſibilis ad retinendum, ejuſve molendinum, furnum, vel tortular etiam recompenſando, ſed deducto tamen ſolo, dividentur.

§. 304.

Entre filles n'y a point de droict d'aîneſſe.

Inter filias ceſſat jus primogenituræ.

Non tamen tollitur prærogativa juris communis de qua *in l. ult. de fide inſtrum. l. cæteræ famul. erciſc.* unde ſi quid ſit indiviſibile, primogenita filiarum non tenetur judicium ſortis ſubire; ſed ſi velit jure majoris ætatis præferenda erit, ſorores de æſtimatione partium recompenſando. Idem in ſimilibus, ut tetigi *in conſuet. Pariſ.* §. 26.

§. 350.

Fille mariée, & appanée par pere, ou par mere, ayeul, ou ayeule paternels ou maternels, aprés les deceds de ſes pere ou mere, ayeul ou ayeule paternels ou maternels, ne peut demander legitime, ny ſupplément d'icelle, ny auſſi venir à ſucceſſion collaterale dedans les termes de repreſentation, tant qu'il y a maſle, ou deſcendant de maſle, ſoit maſle ou femelle heritant eſdites ſucceſſions, combien qu'elle n'y ait expreſſément renoncé: mais en ſucceſſion collaterale dans les termes de repreſentation, elle, ou ſes deſcendans ſuccedent avec les maſles ou les deſcendans, ſelon la prerogative du degré: Et en defaut de maſle ou deſcendant de maſle, ladite fille ou ſes deſcendans viennent à la ſucceſſion du dernier deſcendant deſdits maſles, ſelon ladite prerogative.

In text. Ibi & appanée.] Et ſic utrumque copulativè requiritur quod & nupta, & dotata ſit. Quid ergo ſi jam dotata, imò deſponſata erat jam nubilis & parata, ſola feſtivitate nuptiali cum nexu conjugali de præſenti in adventum ſorte omnium parentum, vel certi amici, ut fit, dilatis, & interim pater dotans inopina morte abripitur, videretur locum eſſe conſuetudini: tum & ex ejus mente, & ratione finali: nàm argumento *l. penult. de teſtam. milit.* ubi mox augendus pro cincto habetur, & pro facto habetur quod de proximo faciendum eſt *l. item legato §. item inteſt. de legat. 3. l. ſi quis cum ſciret pro tempore*, & quæ annullat Felin. *cap. cum adeò de præſcript.* Jaſon in lect. *l. admonendi col.* 10. *cum ſeq. de jurejurando, & in Auth. ſi quis mulier col.* 7. *de ſacroſ. Eccleſ.* Andr. Tiraq. *deleg. connub. l.* 15. *num.* 4. *cum ſeq.* Contrarium dicendum

est : quia tempore successionis delatæ (quod semper inspiciendum est) non est nupta, sed desponsata tantum, quod minimè sufficit. & ita decidit Panormit. *consil.* 107. *lib.* 2. cum quo transit Jason *in l.* 22. *Cod. de Pactis*, & bene : Primò quia non perficiuntur ; sed deficiunt verba consuetudinis vel statuti : Igitur cessat, nec potest extendi præsertim in odiosis & correctoriis : secundò quia ante matrimonium de præsenti contractum, filia neque nupta, neque dotata dicitur, cùm sine matrimonio dos esse non possit *l.* 3. *de jure dotium:* contractus autem præcedens non est proprie contractus, sed tractatus, donec sequuto matrimònio de præsenti.

In text. ibi par le pere, &c.] Advertе quod consuetudo sub simplicibus alternativis plures personas conjungit, non addito verbo, vel per alterum eorum pr tentem : consuetudo Arvernia addit : & sic hæc consuetudo propter dotationem unius non excludit ab omnibus, sed intelligitur respectivè : videlicet, ut nupta, & dotata à patre sit exclusa ab ejus successione, & collateralium descendentium ab eo ; non autem quod sit exclusa à successione matris, si eam nullo modo dotaverit, nec à successionibus collateralibus descendentium à sola matre respectivè : id est à matre & alio viro, & multominùs ab omnibus conjunctis per lineam maternam dumtaxat. Idem econtrà, & pariter de singulis ascendentibus respectivè, & sic nupta & dotata ab ascendente, non redditur inhabilis, nisi adunicam successionem, directam videlicet ipsius dotantis, & à successionibus collateralibus descendentium ab eodem ascendente tantum sub aliis limitationibus ejusdem consuetudinis ; quæ ità debet singulatim, & respectivè intelligi, nec trahi ad duriorem sensum quàm ex verbis necessario colligatur : Et ita etiam observatur in praxi, ut à peritissimis Togatorum Molinensium accepi.

COMMENTARIA
CAROLI MOLINÆI
IN CONSVETVDINEM BORBONIENSEM,

QUÆ INCOEPIT ANNO M. D. L. ET IMPERFECTA reliquit, ut ipsemet testatur ad *s.* 302. hujus consuetudinis, & epist. ad sinceros Jurisprudentiæ studiosos mense Decemb. 1561. prævia ad extricationem labyrinthi 16. legum.

Dubia aliquot quæ oriuntur ex sequentibus Capitibus consuetudinum Borbonensium.

AU premier article des renvois, qui est le 11. du Livre Coustumier. *An argumentum à contrario sensu habeat locum in specie proposita*, tellement que adveu ne soit requis en demandant renvoy en matiere civile, joint le 2. article au titre des renvoys ou stil dudit pays, car la matiere estant plaidée és derniers grands-Jours tenus à Molins en cause d'appel interjette par le sieur de l'Espine appellant de denegation de renvoy à luy faite par le Seneschal de Bourbonnois, sur ce que l'intimé dit que l'appellant n'avoit été advoüé, fut la cause mise au Conseil, nonobstant ledit stil, lequel est observé & pratiqué en ce païs.

1540. Molin. ad art. 202. hujus consuet.

Sur le 17. art. si dans les 3. ans y mentionnez les Greffiers peuvent contraindre les parties de lever & prendre leurs actes & Sentences, & en demander payement.

Sur les 33. 34. 36. & 176. articles, si contracts de ventes d'immeubles faits par les reputez majeurs par lesdites Coustumes sont nuls, ou s'ils peuvent faire telles alienations, *citra nullitatem*, sauf les remedes y contenus.

Sur le 38. *si liceat alteri partium impedire progressum litis* en alleguant transaction des choses contentieuses, *cum sint lites finitæ.*

Sur le 43. 44. s'il est loisible de proposer reproches non contenus audit article, & combien qu'elles ne concluent entierement, toutefois parce que *possunt reddere testem non omni exceptione majorem, si proponens non excusetur à dolo, an verò possit convenire actione injuriarum* à la requeste du témoin qu'il a ainsi reproché.

Sur le 48. si le serment referé & accepté, lequel toutefois n'a esté presté, peut estre revocqué, parce que *licet hoc id jure decisum* toutefois ont esté donnez sur ce Arrests contraires sur appellations interjettées du Seneschal de Bourbonnois

Sur le 68. si respits à un an seulement peuvent estre entermez, *invitis omnibus creditoribus, & si impetrant teneatur cavere juxta formam juris*

Sur le 73. parce qu'ordinairement aucuns Juges du païs reçoivent telle separation du mary & femme, *indicta causa ad eludendos creditores, cujus sit effectus talis separatio quam vulgus emancipationem appellat & quæ in ea requirantur.*

Sur le 99. *si illa tollatur* par le 20. articles des Ordonnances de Monsieur Poyet, *aut si sit utrique locus in suo casu.*

Sur le 124. *in favorem cujus est introducta illa consuetudo* en ce qu'elle contient continuation pour un an seulement, & si aprés ledit temps *conductor possit refricare quæstionem possessionis.*

Sur le 128. à quel temps doit commencer l'an du prix desdites choses, attendu qu'avant ledit an *non potest dici debitor moratus.*

Sur le 139. si le creancier ou tiers opposant doit payer les frais du depositaire, & pastures *& cui illorum id onus incumbat.*

Sur les 145. & 146. si les Ordonnances modernes y derogent. Ordon. des criées 1553.

Sur le 169. si au refus fait par le mary d'authoriser sa femme, elle l'est par Justice & pourveuë de curateur és actions d'injures & criminelles, au cas qu'elle succombera, si l'execution pourra estre faite sur les meubles de la communauté du mary & d'elle.

Sur le 236. *si uxor possit dare marito & è converso in testamento, cum verbum* contraxerunt *non referatur ad tempus mortis.*

COMMENTAIRES ET ANNOTATIONS DE Mᴱ CHARLES DV MOLIN,

SVR L'ORDONNANCE DV ROY FRANÇOIS I. du mois d'Aouſt mil cinq cent trente-neuf, verifiée en Parlement le 6. Septembre enſuivant.

Le tout ce que dessus sur peine de privation de leur Office, laquelle nous avons dés à present declarée & declarons par cesdites presentes és cas dessusdits, & chacun d'eux, & des dommages & interests des parties, & outre d'estre punis comme faussaires, quant à ceux qu'il apparoistroit y avoir delinqué par dol évident & manifeste calomnie, dont nous voulons estre diligemment enquis par tous nos Juges, & chacun d'eux, si comme à luy appartiendra, sur peine de s'en prendre à leurs personnes.

Atque requiritur declaratio, nec adhuc hæc constitutio servatur.

Quod si durum in procuratorio, & de quibus idem dominus constituens facere poterat, & voluit, & ex instrumento fecit instrumenta, tot quot erant receptitia.

Item in testamento *à chacune des parties*, id est, cuilibet legatariorum: Adhuc nec puto testamentum injustum, quia non soleat postea revocari, nec potest, & debet omnibus patere. Tum saltem ubi publica sunt: nec habet locum hæc constitutio, quia idem de actis.

ART. CLXXX.

De ne recevoir Contracts sans declarer situations, teneures, & charges des choses.

Nous deffendons à tous Notaires de quelque Jurisdiction qu'ils soient, de ne recevoir aucuns Contracts d'heritages, soit de venditions, échanges ou donations, ou autres, sans estre declaré par les contractans en quel fief ou censive, sont les choses cedées & transportées, & de quelles charges elles sont chargées envers les Seigneurs feodaux ou censuels, & ce sur peine de privation de leurs Offices, quant aux Notaires, & de la nullité des Contracts, quant aux contractans, lesquelles peines declarons dés à present, comme deslors au cas susdit.

Notaires. Etiam *non Royaux*, quod est clarum. Utrum de Ecclesiasticis? Puto secus, quia non congruunt verba de privatione officii. Tamen fortè respectu nullitatis contractus, ultimum dici potest; Imo dumtaxat enuntiantur contractus, qui faciunt metum Notariis, non autem illi qui sunt per scedulam, vel sine testibus, nec habent executionem.

Soit de venditions. Et sic in specie, vel etiam in genere, sed in corporibus secus, si in universa hæreditatis vel quotæ. Consult. fol. 180. *Chartier* mecum.

Ou autres semblables. Secus si hi reticentur.

Idem in Nivernensi p. 24.

Censuels. Scilicet alios, sicut si essent in censu donantis, qui non univerat. Cessata pœna, *si la chose est en France.* Item dicit si nulla mora debetur: Quid si de uno expressum sit, de alio non? Resp. In divisibili, ut in donatione videlicet, ut expressa in alio tantum vitiatur. Quid si quis vendit, & tradit sine onere, posteà vero vult condicere fundum tanquam sine causa ex contractu nullo traditum, sed vi sententiæ factæ post terminum an possit: videtur quod sic per hunc textum. Contra quia potest cogi ad conferendum instrumentum. Sed certè hic non instrumentum, sed contractus cassatur, & pro infecto, imo pro non declarato & nullo habetur. Hoc nullatenus non fit nisi favore dominorũ directorum, ergo illis non conquerentibus, & quatenus eorum interesse non tangit, non est nullitas, & bene, & ita per Edictum. Imo etiam hodie domino conquerente non est nullus contractus.

ART. CLXXXI.

Deffense de ne se méprendre en declarant lesdites situations, teneures & charges.

Deffendons à tous contractans en matiere d'heritages, de ne faire scientement aucune faute sur le rapport ou declaration desdites teneures feodales, ou censuelles, qui seront apposées en leurs Contracts, sur peine de privation de tout l'émolument desdits Contracts contre les coupables, c'est à sçavoir contre le vendeur, de la privation du prix, & contre l'acheteur, de la chose transportée, le tout applicable à Nous, quant aux choses tenuës de Nous, & aux autres Seigneurs, de ce qu'il en seroit tenu d'eux.

Fallit primo si non est *franc aleu*: fallit secundo si in genere vendatur, fallit tertio si contrahentes dicunt se ignorare, nec posse aliter declarare: ut sæpe *en Auvergne*, ubi non debent commoda, & ita etiam tempore ordinationis præcedentis servabatur. Fallit quarto etiamsi non dicant, quia hodiè non servatur amplius, ut videre est anno 1545. quod dominus apertè dixit esse iniquum, sed tamen valeat, quando apparet verisimiliter emptorem seductum, ut de muliere, à qua extorsit venditionem. Secus est, per scedulam, & promisit solvere, *pûis on luy presenta Lettres*, postea vult eum expellere, & in scedula non sunt onera feudi designata.

ART. CLXXXII.

Taxations de dépens & jugemens de deffauts ſe feront par les Iuges.

Que les taxations de dépens & jugemens des deffauts, ne ſe feront doreſnavant par les Greffiers, mais par les Conſeillers & autres Iuges ordinaires ou deleguez, auſquels la connoiſſance en appartient.

ART. CLXXXIII.

Salaires de Sergens Royaux ſeize ſols. pariſis par proviſion.

Que par maniere de proviſion, & juſques à ce qu'autrement en ait eſté ordonné, le ſalaire des Sergens Royaux taxé par nos Ordonnances à douze ſols pariſis, ſera augmenté de ſeize ſols pariſis, qui ſont ſeize ſols pariſis par jour.

ART. CLXXXIV.

Peine à ceux qui en prendront ou payeront plus.

Et où ils en prendront aucune choſe davantage, Nous les declarons dés à preſent privez de leurs Offices, & ſubjets à punition corporelle, encores qu'il leur fuſt volontairement offert par leurs parties, auſquelles neantmoins deffendons de non le faire ſur peine d'amende arbitraire.

ART. CLXXXV.

Confrairies de gens de meſtier abolies.

Que ſuivant nos anciennes Ordonnances & Arreſts de nos Cours Souveraines ſeront abbatuës, interdites, & deffenduës toutes Confrairies de gens de meſtier & artiſans par tout noſtre Royaume.

ART. CLXXXVI.

Que les choſes ſervans auſdites Confrairies ſeront portées par devers les Iuges Royaux dedans deux mois.

Et ne s'en entremettront leſdits artiſans, & gens de meſtier, ſur peine de punition corporelle, ains ſeront tenus dedans deux mois aprés la publication de ces preſentes faites en chacune de nos Villes, apporter & mettre pardevers nos Iuges ordinaires des lieux toutes choſes ſervans, & qui auroient eſté deputées & deſtinées pour le fait deſdites Confrairies, pour en eſtre ordonné, ainſi que verront eſtre à faire.

Que verront. Scilicet *les Iuges*, & ita in regiſtro.

ART. CLXXXVII.

Peine aux Maiſtres qui auront deſobey.

Et à faute d'avoir ce fait dans ledit temps, ſeront tous les Maiſtres du meſtier conſtituez priſonniers juſques à ce qu'ils auront obey, & neantmoins condamnez en groſſes amendes envers Nous pour n'y avoir ſatisfait dans le temps deſſuſdit.

ART. CLXXXVIII.

De ne ne faire dépenſe quelconque pour paſſer Maiſtre de meſtier.

Et pour paſſer les Maiſtres deſdits meſtiers, ne ſe feront aucunes diſnées, banquets, ne convis, ne autres dépenſes quelconques encore qu'on le vouluſt faire volontairement, ſur peine de cent ſols pariſis d'amende à prendre ſur chacun qui auroit aſſiſté auſdits diſnez, & banquets.

ART. CLXXXIX.

Incontinent aprés le chef-d'œuvre deuëment fait, on ſera receu Maiſtre.

Et ſans faire autre dépenſe ne prendre aucun ſalaire par les Maiſtres du meſtier, voulons qu'ils ſoient tenus recevoir à Maiſtriſe celuy qui les en requerra incontinent aprés qu'il aura bien & deuëment fait ſon chef-d'œuvre, & qu'il leur ſera apparu qu'il eſt ſuffiſant.

ART. CXC.

Peine à celuy qui fera dépenſe autre que de ſon chef-d'œuvre.

Lequel toutefois nous declarons inhabile & incapable de la Maiſtriſe, au cas qu'il auroit fait autre dépenſe que celle de ſon chef-d'œuure pour parvenir à ladite Maiſtriſe, & & en voulons eſtre privé & debouté par nos Iuges ordinaires des lieux auſquels la connoiſſance en appartient.

ART. CXCI.

Deffenſes aux gens de meſtier de ne faire monopoles ne aſſemblées quelconques.

Nous deffendons à tous leſdits Maiſtres, enſemble aux compagnons & ſerviteurs de tous meſtiers, de ne faire aucunes congregations ou aſſemblées, grandes ou petites, ne pour quelque occaſion que ce ſoit, & ne faire aucuns monopoles, & n'avoir ou prendre aucunes intelligences les uns avec les autres du fait de leur meſtier, ſur peine de confiſcation de corps & de biens.

ART. CXCII.

Injonction de garder ces presentes Ordonnances.

Et enjoignons à tous nos Officiers de faire bien & étroitement garder ce que dessus, contre lesdits Maistres & Compagnons, sur peine de privation de leurs Offices.

Si donnons en mandement par cesdites Presentes à nos amez & feaux les gens de nos Cours de Parlement à Paris, Tholose, Bordeaux, Dijon, Roüen, Dauphiné, & Provence, nos Iusticiers, Officiers, & tous autres qu'il appartiendra, que nosdites presentes Ordonnances ils fassent lire, publier & enregistrer, icelles gardent, entretiennent & observent, fassent garder, entretenir & observer de poinct en poinct selon leur forme & teneur, sans faire ne souffrir aucune chose estre faite au contraire : Car tel est nostre plaisir. DONNÉ à Villiers-Costerets au mois d'Aoust l'an de grace 1539. Et de nostre Regne le 25. FRANÇOIS. Et à costé, *Visa*. Et au dessous : Par le Roy, BRETON. Et scellé du grand Scel du Roy en cire verde pendant en lacs de soye.

Lecta, publicata, & registrata Parisius in Parlamento sexta die Septembris, anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono. Signatum LE BERRUYER.

EDICT,

CONTENANT ABROGATION, AMPLIATION, Correction, & Modification d'aucuns articles des Ordonnances faites en l'an mil cinq cens trente-neuf, avec l'Arreſt de la Cour, declaratif du dernier article contenu audit Edict, publié en Parlement le quatriéme May mil cinq cens quarante-ſix.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France, Sçavoir faiſons à tous preſens & à venir ; Que Nous ayans fait voir en noſtre Conſeil Privé, avec bonne & notable aſſiſtance, certaines Remontrances à Nous faites par nos amez & feaux les Gens de noſtre Cour de Parlement à Paris, ſur aucuns poincts & articles des Ordonnances faites par le feu Roy noſtre tres-honoré Seigneur & Pere que Dieu abſolve, à Villiers-Coſterets au mois d'Aouſt 1539. ſur le fait de la Iuſtice, & publiées en ladite Cour le 6. jour de Septembre enſuivant. Avons par advis & deliberation de noſtredit Conſeil Privé, declaré, ſtatué, & ordonné ; declarons, ſtatuons, & ordonnons, que les 72. 81. 125. & 126. articles deſdites Ordonnances, n'auront plus de lieu, & ne ſeront doreſnavant aucunement obſervez : mais ſe regleront les Iuges & les parties, ſelon & ainſi qu'ils faiſoient auparavant icelles Ordonnances : & meſmement entant que touche le jugement des procés pendans en nos Parlemens & Cours Souveraines, leſquels ne ſeront concluds, s'ils ne paſſent de deux voix & opinions, ainſi que d'ancienneté l'on avoit accouſtumé d'obſerver auparavant la publication deſdites Ordonnances. Et quant au 131. article faiſant mention des donations, Nous voulons & ordonnons, en interpretant ledit article, que toutes donations entre-vifs & teſtamentaires, qui ſeront faites par les donateurs ou teſtateurs, au profit de leurs Tuteurs, Curateurs, Gardiens, Bailliſtres, & autres Adminiſtrateurs, pendant leur adminiſtration, ſoient nulles & de nul effet & valeur, & telles les avons declarées & declarons par ces Preſentes : Enſemble celles qui frauduleuſement ſeront faites durant le temps de ladite adminiſtration, à perſonnes interpoſées, venans directement ou indirectement au profit des deſſuſdits Tuteurs, Curateurs, Gardiens, Bailliſtres, & Adminiſtrateurs : Et au regard du 132. article, faiſant mention des inſinuations, & enregiſtremens des donations ; Nous declarons & ordonnons, que ſous le nom de Donation ſeront compriſes & ſubjettes à inſinuation, les donations faites en traitez de Mariages, autres donations faites entre vifs, combien qu'elles ne ſoient ſimples, ains remuneratoires, & autrement cauſées, & non les donations faites à cauſe de mort, qui ſe peuvent revoquer par le donateur juſques à la mort, leſquelles ne ſeront ſubjettes à aucune inſinuation. Et en ce que ledit article porte que les donations ſeront inſinuées ès Cours & Iuriſdictions des choſes données, Nous entendons que ladite inſinuation ſe faſſe à la Iuriſdiction royale des lieux où leſdites choſes données ſeront aſſiſes, ſans prejudice toutesfois des procés pendans & indecis ſur l'intelligence & interpretation de ladite Ordonnance. Et quant au 133. article touchant encores leſdites donations, Nous voulons & ordonnons, en interpretant & modifiant ledit article, que les donations faites à perſonnes abſentes, ſe puiſſent accepter par les donataires en l'abſence du donateur, pourveu qu'icelle donation ſoit acceptée du vivant du donateur, & qu'icelle acceptation ſoit faite en preſence de perſonnes publiques, & témoins, ou de deux Notaires, & que l'inſtrument de la donation ſoit inſeré en la note, acte, & inſtrument de ladite acceptation. Et entant que touche le 138. article, Nous en modifiant iceluy article, entendons & voulons que les demandeurs en propoſition d'erreur, qui auront mis les procés ſur ladite propoſition en eſtat de juger dedans cinq ans, & fait leur devoir de le faire juger,

ne ſeront deboutez de leur requeſte, & demande en propoſition d'erreur, encore que ledit procez n'euſt eſté jugé pendant ledit temps, pourveu qu'ils faſſent deuëment apparoir des pourſuites & diligences par eux faites pour juger ledit procez : Continuans neantmoins à faire leur devoir leſdits cinq ans paſſez de le faire juger, tellement qu'on ne leur puiſſe quant à ce imputer que ce ſoit par leur faute, & par ce eſtre tenus & reputez en negligence notable. Et quant au 180. article, Nous avons par ceſdites preſentes en reſtraignant & modifiant ledit article, deffendu & deffendons tres-expreſſément à tous Notaires, de quelque Juriſdiction qu'ils ſoient, de ne recevoir aucuns contracts d'heritages, ſoit de vendition, échange, donation, ou autre, ſans eſtre declaré par les contrahans en quel fief ou cenſive ſeront les choſes cedées & tranſportées, & de quelles charges elles ſont chargées envers les Seigneurs feodaux ou cenſuels. Et ce ſous peine de privation de leurs Offices quant aux Notaires : & de privation du prix des contracts de vendition quant au vendeur, par faute d'avoir declaré les tenеures feodales ou cenſuelles. Et ſi malicieuſement ledit vendeur ſe trouvoit avoir obmis autres charges dont ſeront chargez leſdits heritages, il encoure ſemblable peine. Et quant aux autres contracts où il n'y aura prix, les contractans ſeront punis de telle peine que les Iuges verront eſtre à faire & à impoſer contre leſdits contrahans. Si donnons en mandement par ces Preſentes, & à nos amez & feaux les Gens de nos Cours de Parlement, & Grand Conſeil, & à tous nos Baillifs, Seneſchaux, ou à leurs Lieutenans, & autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, que nos preſens Edict, Declaration, Statut, Ordonnance, vouloir & deffenſes : Enſemble tout le contenu cy-deſſus, ils entretiennent, gardent & obſervent, faſſent de poinct en poinct inviolablement entretenir, garder & obſerver, lire, publier & enregiſtrer, ſans aller ne venir, ne ſouffrir eſtre allé ne venu directement ou indirectement au contraire, en quelque maniere que ce ſoit, en procedant contre les tranſgreſſeurs par les peines deſſus indictes, & autres qu'il appartiendra, ſelon l'exigence des cas : Car tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant quelsconques autres Edicts, Ordonnances, reſtrictions, mandemens ou deffenſes à ce contraires. Et afin que ce ſoit choſe ferme & ſtable à toûjours, nous avons fait mettre noſtre ſcel à ceſdites preſentes. Donné à Fontainebleau au mois de Février l'an de grace 1549. & de noſtre Regne le troiſiéme. Ainſi ſigné, Par le Roy en ſon Conſeil, Du THIER.

Lecta, publicata & regiſtrata audito Procuratore Generali Regis, & hoc requirente ſub modificationibus in regiſtro hodie judicialiter facto contentis Pariſiis in Parlamento quarto die menſis Martii anno Domini 1549.

Es nos Parlemens & Cours Souveraines.

Ergo idem in inferioribus ſi ibi ſint Conſiliarii quos Præſes tenetur ſequi, non alias.

Et autres Adminiſtrateurs.

In patria juris ſcripti pupillus factus in anno 15. infirmus in domo tutoris moritur, is donat cauſa mortis. Reſpondi, contra *Hugues de la Roche*, quod non valet : quia licet eſſet finita tutela, tamen non erat finita adminiſtratio, nec alius datus curator, nec rationes redditæ, quia non eſt minus quam protutor, vel ſimplex adminiſtrator, & ita per Arreſtum dictum. Et de facta per uxorem marito : ſed *pour Deladebors Procureur* judicatum per Arreſtum, Conſult. 649. §. 1.

Durant le temps de ladite adminiſtration.

Qui acquiſivit certa prædia & domos, dicit Do. quicquid acquiſivi à tutore Julio : & ſic inſinuatur ; & ſic incertitudo & fraus.

Sujette à l'inſinuation.

Certè juſtum eſt maximè in contractu matrimonii, ut mutui æquitas uſusfructus tantum valeat ſine inſinuatione. Et ſatis eſt ordinationem 1539. per hanc 1549. corrigi quantum ad proprietatem, vel quando uſusfructus inæqualis. Fallit in ſecundis nuptus quando ſunt liberi, & quando apparet de nimio exceſſu.

Patruus dedit fundum nepoti favore matrimonii cum Berta, quæ antequam nuberet, deceſſit. Quare patruus rurſus declaravit intentionis ſuæ fuiſſe purè & ſimpliciter donare nepoti, & inquantum eſſet de novo dedit, & deceſſit. Tempore medio *eſt ſurvenuë l'Ordonnance, les heritiers debatent la donation par faute d'inſinuation.* Donatarius excipit quod donatio ſua eſt ante conſtitutionem : Replicatur, quod illa erat ſub conditione quæ defecit : duplicatur quod illa conditio erat in favorem donatarii, & ſic non facit conditionem, ſed modum, quia erat tantum cauſa impulſiva, quod etiam patet per declarationem. Reſpondi, donationem validam, quia ante conſtitutionem, nec erat facta favore Bertæ, quæ erat extranea donatori, ſed ſolius donatarii qui erat nepos, cuique alioquin patruus erat donaturus, nec declaratio exigit inſinuationem ; & conſtitutio, quæ eſt odioſa, non debet extendi ad declarationem donationum etiam obſcurarum, ſed reſtringi ad donationes principaliter & de novo factas.

A Montlehery eſt Greffe d'inſinuations. Tamen reſpondi ſufficere inſinuari in loco Præſidiali *au Chaſtelet de Paris*, & ita per Arreſtum & nuper 20. *Decembre* pro filia dominæ *de Mornay*, contendente domino Jacobo *Canaye, ledit Canaye procedant pour Jean d'Auge Capitaine de Fontainebleau*, contra viduam & heredes domini *de Bourſon, Robert plaidant pour la veuve & heritiers appellans des Requeſtes*, & donatio erat tantum inſinuata *au Greffe de Melun*, & res donatæ ſitæ *en la Prevoſté de Moret, Siege particulier de Melun.*

Donations faites en traité de mariage.

Adde ad jus Codicis *l. Sancimus in princ. C. de Donat.* Adverte in hoc §. dicit *inſinuer : tellement que ſi le doüaire prefix eſt plus grand que le Coûtumier & perpetuel*, tunc excedit donationem propter nuptias, & tranſit in conſtitutionem, & debet inſinuari ut hic, & præſumitur fraus, de qua vide ad verbum legis *Data C. de Donation.*

Item, videtur quod debet inſinuatio fieri ante nuptias, fallit in promiſſione. Ita judicatum poſt 1550. *par le Lieutenant Civil, & en la Chambre de Picot bien jugé*, & per alia Arreſta : ſed per conſtitutionem 1566. *dit*, quod iſtæ inter vivos conjugum debent inſinuare.

Et enregiſtrement.

Ut copula & operaretur, dixerunt *les Gens du Roy*,

quod debebant legi ad acta, & judicando deinde registrari.

Quid *du don mutuel* conjugum ? dic non comprehendi : tum quod per consuetudines approbata, tum quia pactum *uniforme*, tum quia satis sciri potest & provideri : sed inter alios quam conjuges, quia caveri non posset, debet insinuari, quamvis multi dubitent.

Segnier mecum insinuavit, quamvis dubitaret an minor possit facere : sed ego dico quod sic, nisi erat valdè inferioris ætatis. Mecum etiam *Chartier & de Thou* (licet Liser. contra) quia non est donatio : Ego dico quod saltem respectu heredum, qui de lucro certant, non requiritur, quia est etiam solatium superstitis de mutua negotiatione : tum forte hac occasione magis lucraretur & augeret societatem : tum videtur latior societas sicut appendentia societatis, & hoc dico indubitatum, ubi donatio non excedit respectu immobilium : tamen favore censebat quod debet insinuari ; sed bene eo vivo, & jurato, sed non potest insinuari post obitum, verius puto, quia interim revocare potest, ut jure communi.

Quid post constitutionem hanc insinuata coram judice subalterno præsente & consentiente donatore, qui post vult revocare ? Resp. Ameline cum *de Thou* quod non potest, quia actis inserta satis est insinuata, ergo idem respectu tertii qui præsens fuit insinuationi factæ coram subalterno, vel etiam ut actuarius recepit.

A la Iurisdiction Royale.

Scilicet de Præsidiali tanquam insigniori : Tamen melius puto quod idem sit, *si devant le Prevost*, & sic melius *devant le Chastellain.*

Quid ergo si lite pendente, facta est insinuatio *au Chastelet de Paris*, sed donator *est sur le Fort-l'Evesque, exempt & qui ressortit au Parlement.* Resp. Tamen est in Diœcesi, ita quod valet judicatum contra subditos, si Episcopus *ne demande le renvoy.* Resp. Bonam esse insinuationem, licet *Gallus* dicat alios contra opinari.

Et que l'instrument de la donation.

Et sic inter absentes non potest fieri donatio valida nisi in scriptis, sed nec inter præsentes, quia non potest nisi scriptura insinuari, sed imo interim non potest revocari : Potest facta ob causam nondum insinuata.

1563. Obiit *Boulencourt* qui cum uxore & communi donatione in contractu matrimonii convenerant quod superstes *joüiroit de tous les conquests.* Respondi, Nullam esse, quia non insinuata, & contra heredem præsertim quod sit ex secundis nuptiis, ubi *les advantages odieux.*

EXTRAICT DES REGISTRES de Parlement.

SUr les Lettres Patentes du Roy, en forme d'Edict données à Fontainebleau au mois de Février dernier passé, signées sur le reply, Du THIER, par lesquelles le Roy abroge certains articles des Ordonnances faites par le feu Roy l'an 1539. publiées en la Cour de ceans le sixiéme jour de Septembre audit an 1539. & modifie autres articles d'icelles Ordonnances, aprés que lesdites Lettres ont esté judiciellement leuës, & que Marillac pour le Procureur General du Roy a requis que sur le reply fust mis qu'elles estoient leuës & publiées & enregistrées, & à ce que chacun pust avoir connoissance de l'abrogation & modification contenuës esdites Lettres. Icelles Lettres imprimées avec lesdites Ordonnances de l'an 1539. La Cour dit que sur le reply d'icelles sera mis *lecta, publicata, audito Procuratore Generali Regis & hoc requirente*, sous les modifications toutefois qui ensuivent, à sçavoir quant au dernier article mentionné esdites Lettres pour le regard du premier chef d'iceluy, contenant que le vendeur sera privé du prix de la vente, s'il n'a declaré en quel fief ou censive est la chose venduë, que ladite Cour entend ladite peine, quand le vendeur aura sciemment & malicieusement obmis à declarer en quel fief ou censive est la chose : & pour le regard du second chef dudit article, où il est dit : si le vendeur se trouvoit malicieusement avoir obmis les autres charges que ladite Cour entend ces autres charges estre seulement les charges foncieres : & outre s'il est question de fief de franc-aleu, en l'exprimant par le vendeur, ledit ne tombera en la peine contenuë en l'Ordonnance, & suivant la Requeste du Procureur General du Roy, Ordonne ladite Cour lesdites Lettres Patentes estre imprimées avec les Ordonnances publiées en icelle en l'an 1539. en Septembre, & la presente Declaration & modification. Fait en Parlement le quatriéme jour de Mars mil cinq cens quarante-neuf. Ainsi signé Du TILLET.

FIN.

AMPLISSIMO, SANCTISSIMOQVE ORDINI SENATVS

Parisiensis CAROLVS MOLINÆVS Iurisconsultus
in eodem Senatu Advocatus ὑπράτιον.

VT omnes Reipublicæ ordines summam & augustissimam authoritatem vestram P. C. Senatoresque gravissimi, jure meritoque suspiciunt & reverentur: ita singuli quoque cives quo magis εὐνομούμενα, & Reipublicæ studiosiores sint, eò impensiùs dignitatem authoritatemque vestram imprimis magni faciunt, sacrosanctamque & illibatam esse, haberique cupiunt. Constat autem hæc duo integritatem & authoritatem, Senatui ipsi peculiaria semper fuisse in omni Republica bene instituta, nec alterum sine altero diu stare posse. Ipsa sanè veritatis testis historia ostendit quàm prudenter & salubriter olim legibus 12. tab. de Romani Senatus authoritate & integritate cautum fuerit his verbis (ut autumat Cicero lib. 3. de legib.) *Ejus decreta rata sunto, is ordo vitio vacato. Cæteris specimen sunto.* Quamdiu enim stetit integritas & authoritas Senatus, tamdiu floruit Respublica, etiamsi potestas interim sive penès populum, sive penès magistratum aliquem, sive temporalem, ut Consulem vel Dictatorem, sive perpetuum, ut principem, fuerit. Quamprimum autem vitio & tyrannide stultorum & degenerum principum Senatus integritas, indignis suorum effectuum administris allectis fœdari cœpit, & authoritas imminuti, inque servilem adulationem conversi, mox sensim ea Respublica labefacta tamdemque eversa est. Quamobrem Plutarchus ille Cheronensis optimus Trajani politici principis (cui cognomen optimi à Senatu inditum est) præceptor & institutor, non minus omnigenæ philosophiæ disciplinis quam politicarum rerum scientia clarus mysticum Reipublicæ corpus describens in institutione civili, quam τελειοτάτην & appositissimè mihi visus est Senatum cordi contulisse. Vt enim Cor est fons vitæ, sanitatis & operationis in toto animali: ita Senatus integritas, authoritas & specimen, in toto mystico Reipublicæ corpore. Cum igitur ipse tamdudum post longum iuris, forensisque exercitationis studium, omissa rei faciendæ occasione qua in manibus erat, omnes innatas & acquisitas animi dotes viresque converterim, ut, quammaximè possem, de Republica bene mererer, Dignum & justum est, ut illustrissimo Ordini vestro tanquam totius Reipublicæ nostræ cordi clarissimo specimen istud laborum nostrorum dedicem. Cum enim solius Reipublicæ causâ elaboratum sit partum & editum, cur nam potius & justius, quam charissimo ipsius Reipublicæ cordi intimo, hoc est Ordini vestro sanctissimo consecrari debeat? Sed nec hæc sola causa est (quanquam justissima & gravissima) cur sub facilibus vestris auspiciis opus hoc publicum accipere debeat: Adeo plurima & justissima, nempe ordinis, materiæque subjectæ forma quoque & indicatura operis, nec non debita gratitudinis, simul concurrunt & ad id impellunt. Quum enim laborum meorum primitias velut protasin, regiæ tamdudum majestati (ut nostris) dicavero: nihil decentius quam medium hunc progressum velut epitasin, augustissimo Ordini vestro dicare, cujus prima & summa secundum regem est authoritas: Tum hæc pars iuris civilis quæ in hoc opere tractamus & repurgamus, quamquam non minus reliquis iuridica, sit, præ cæteris tamen maximè versatur in praxi forensi quippe quæ sit de sententiis de eo quod interest proferendis. Quare supremos & assiduos dicastas maximè decet cum sine notitia & experientia praxis rectè interpretari prorsus nequeat, sed tantum magis intricari, ut non minus supervacui quàm operosi scriptorum super hac re Labyrinti luculenter testantur. Tum huius nostræ tractationis & analyseos, ea est indicatura, ut ab omnibus scholasticis interpretibus quique de his hucusque scripserunt longissimè, tum ordine, tum stylo, methodo, scopo, sensuque discedat. Nova enim inventione, novo indicio, quo veram mentem, praxim & conciliationem harum omnium legum erueremus & detegeremus nobis perpetuò nitendum & incedendum fuit, quæ tantum abest ut in scholis gymnasiorum (quas septem annis ante quatuor & viginti annos celebravimus) aut è scholasticorum libris diligenter excussi didicerimus: ut quæ dum ibi & ab illis olim hac in parte didicisse videbamur, prorsus cum ad rem, cum ad manus conferendas, cum ad hunc vestrum solem ventum est, prorsus, inquam, & diutius dedisscenda fuerint. Quæ verò sententia magis & veritatis quàm lucri cupidus, in ipsis rerum experimentis forenses causas tractando, theoriamque & praxim jugi pertinacique studio conferendo & excutiendo, diuque versando & eluctando tandem assecutus sum, præcipuè in hac sub & hac amplissima longeque omnium locupletissima schola vestra didici. Quare iure optimo primus hic repurgationis legalis philosophiæ fructus primumque classicum ἐπινίκιον τρόπαιον, à nobis inchoatum (præsertim in hac parte quæ merito à Iustiniano indicantibus & in foro versantibus præscribitur) nobis debetur & consecratur. Accedit his non solum publica, sed privata quoque gratitudinis debitum officium: Vos enim P. C. prudentissimi, & aquissimi, iamdudum studia mea novistis & probastis, quin etiam tanti fecistis ut me ne cogitantem quidem, inter eos quos pro veteri sanctoq; instituto ut in augustissimum Ordinem vestrum asciscantur deligere soletis, non semel nominaveritis. Hic celeberrima ὑπερεύνου nominis tui memoria occurrit: ὁ illustrissime Senatus ejusdem primarie Præses Dom. Petre Lisete ὑπομόνου ψυχάνιμε quod ante septem abhinc annis, in medio Senatu classibus congregatis præsidens, primus proprio motu cum splendidissima commendationis elogio me nominasti, idque nullo privato affectu quippe qui nullo unquam à me affectus eras officio: sed (quod inter præcipuas tuas laudes iure meritoq; numerandum est) solo zelo Reipublicæ utilitatisque & doctrinæ (quam mihi plusquam ausim agnoscere) tribuebas. Sed illud multo magis animum meum confirmavit, & adversa tum valetudine laborantem recreavit, quod in theoria iuris utriusque praxisque consultissimus, sanctusque supremi Senatus Princeps in ea tanta doctissimorum & gravissimorum Senatorum corona, tam splendidum & longè quàm unquam spe-

Authoritas Senatus.

Schola fori.

rassem luculentius de primis illis lucubrationibus meis testimonium prabuisti, palã censens & confirmans quod exactius & eruditius in consuetudines scripsissem cæteris quæ prius in simili argumento commentaria edidissent: Addens etiam censensqs nomen meum Regi edendum sub eodẽ elogio & commemoratione præfati commentarii in consuetudines. Hæc paucis specialiter commemoranda fuerunt, ut me ab omni oblivionis, & ingratitudinis noxa alienissimum esse ostendam. Quare nec omittendum duxi quod illustris ille dem. Franciscus Ratmundus interioris illius aulæ consilii βουλευτὴς, primusque venerandi Rothomagensis Senatus Præses, tunc in hoc vestro Senatu fisci patronũ agens iussu vestro nomen meum remoratione studiorum meorũ per inopinatas temporum calamitates excusavit. Aliam subinde repetitam nominationem prætereo, non quominùs memorer gratumve habeam, sed cum brevitatis causa, tum ne id ambire videar, unde studio magis cõmodandi Reipublicæ abstinui. Testis es, clarissime in eodem Senatu inquisitionum Præses dom. Andrea Baldricie, qui amplissimi Cancellarii nomine sæpius & testatò (præsente videlicet inter alios dom. Guliel. Abotia doctissimo & integerrimo Senatore) significasti regios Senatoriæ dignitatis codicillos mox ad me perferendos, si tantum acceptare vellem, utque mihi nec invidiosum, ita nec Ordini vestro non honorificum esse posset, quod ut modestissimè, ita magno honoris vestri elogio respondi, me quidem paratum ad omnia juvandæ ornandæve Reipublicæ mihi possibilia, nihilque id genus recusare, quod sine fraude majoris Reipublicæ utilitatis facere queam diserte fassos nihil mihi magnificentius gratius, studiisque meis aptius obtingere posse munere Senatorio. sed quod nequeam simul exacte, ut decet, eo fungi, & inceptum meorum studiorum consummare, donet illud si Dominus dederit, absolvere. Cæterum quamquam mihi minoris laboris majorisque honoris esset munus Senatorium, majoris tamen esse necessitatis, opus etiam propriis stipendiis susceptum. Plures autem probos, graves & doctos (si deligantur) facile inveniri, qui munus Senatorium fideliter, splendidè & exactè obire possint & velint: quod autem operis molior tantæ molis esse, ut etiamsi facile reperiantur quim possint, quum longo & serio tum iuris studio, tum praxis exercitio, & utriusque cui collatione & discussione cæterisque reliquis dotibus quas alibi perstrinxi, præditi sint, non tamen ex his inveniantur qui simul & velint. Quis enim multis iam seculis prodiit qui post longum iuris forensisque exercitationis studium facultatem adeptus aureæ illius messis, reique ex præteritis laboribus deinceps faciliter cum splendore vitæ augendæ, his tamen neglectis ingenti paratæ messis fructu omisso, se rursus in majorum & prolixiorum laborum pistrinum βίου ἐπανορθωτικὸν τῶν πραγμάτων, præsertim stipendiis suis conjiceret? Cæterum qui hactenus sine longo rerum usu forensique exercitio tenuerunt, res ipsa ostendit quàm parum fœliciter, adeo ut vel novitii quidam qui vix scholarum limina salutaverunt, quigs aliorum dumtaxat, sed cõmodiores & plausibiliores sententias seligunt & aliis verbis aliove ordine edunt, magis promeycant quibusdam, qui in scholis diu multoqs labore molam versarũt, vel etiam præfuerunt: qui inventiones quidem proprias easqs elaboratissimas & diu meditatas promunt, sed non minus à vero legum, quàm à communi sensu remotas, & tanquã umbratiles concertationes cum ad solem & pulverem, cum ad seria, hoc est ad consulendum & iudicandum ventum est, penitus inutiles. Quoties audivi viros doctos & graves, id in tyronibus advocatis recens à scholis reversis deplorantes, quod olim in medicis conquerebatur Plinius dicens, quod hi soli periculis nostris discunt, experimenta per mortes agunt. Ita illi periculis civium & detrimentis causarum prius discant & experiantur. Quibus malis obviam iturus, consilio proprio nec quicquam reclamantibus amicis, iam ante decem annos in hoc pistrinum velut in opus publicum magno nientis impetu me devovi, postquam viginti annũ iuri operam dedissem, videlicet septem primis in gymnasiis legum, tribus verò sequentibus partim in schola prætoria Præfecturæ Parisiensis, *partim iam schola vestra: decem autem sequentibus, sub schola totum vestra, nec enim cõmentari cœpi, ut aliquid esse viderer, sed postquam studii & industria periculum feciissem, Reip. cõmodandi affectu, nec lucri nec valetudinis quidem ratione habita, veterumque Iurisconsultorum exemplo, qui non nudas meditationes privatis studiis umbratiles: sed qua multo rerum usu forensique exercitatione dolaverant, ipsisque rerum experimentis consulendo & iudicando cum iugi æquitatis studio, solida, æqua & usibus hominum accommoda exploraverant, scriptis demum mandabant. Eo vero consilio à consuetudinibus interpretandis inchoavi, partim ut essent progymnasma serioris commentationis, partim ut essent monumentum praxis & experientiæ prius à me diligenter didicitæ & excussæ, nihilque in hũ me excruciat quam remora illa, dum propter inopinatas nimiumqs crebras & diuturnas huius regni calamitates ad omissam strivam forensem, severiore studio idemtidem interrupto invitus redigor. Quicquid enim familiæ modica frugaliqs exhibitione superest & otii & temporis: id totum studiis hũ & instituto maturando tribuo.*

Experientia.

Magna mihi spes erat ab illustri illo Procancellario dom. Francisc. Montoloneo collega quondam vestro doctissimo, summi & excussi iudicii, qui ut erat Reip. studiosorumque serio & citra fucum amantissimus, studia mea noverat & summe probabat, omnemque favorem & opem proprio motu pollicitus erat; sed cum immatura mors Reip. nobisque præripuit. Cum autem P. C. primum illud exasciatum progymnasma in consuetudines, tam tam gratum & acceptum habueritis: certum habeo longè gratius & acceptius vobis fore hoc syntagma, quod non exasciatum modo, sed extrema manu absolutum sub fœlicibus vestris auspiciis prodit: Reliquas autem partes iuris, inventione iudicio & analysi inchoatas, partim etiam exasciatas, quantum Deus (cuius quidquid boni est donum est) dederit, & tempus & otium suppetet, maturabo. Suscipite interim eo candidissimo, quo in omnes de Republica bene mereri studentes prodentes propensissimo affectu, Senatores gravissimi, & æquissimi! munus hoc ὠφελιμώτατον, vobis Ordinique vestro augustissimo debitum & dicatum. Deus autem optimus maximus per quem Reges regnant, & legum conditores justa decernunt &c. amplitudinem dignitatemque vestram servet & prosperet. Datum Pariſ. idib. Iun. anno salutis sesquimillesimo quadragesimo sexto.

CAROLI

CAROLI MOLINÆI
PARISIENSIS
I. V. D. CONSVLTISSIMI,
FRANCIÆ ET GERMANIÆ I. C.
ET IN SVPREMO PARISIORVM
SENATV ANTIQVI ADVOCATI.
CONSILIA ET RESPONSA IVRIS ANALTTICA.

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO DOM. D.

ANNÆ DVCI MOMMORENCIO

PARI AC CONNESTABILI FRANCIÆ

DIGNISSIMO ET PRVDENTISSIMO,

CAROLVS MOLINÆVS Franciæ & Germaniæ Iurisconsultus : εὐπράτειαν.

IAmdudum heroïcæ tuæ virtutes, animi & consilii tui magnitudo, Connestabilis Illustrissime, me impulerunt ut in primis Commentationibus meis in Consuetudines Parisiorum publicum nomini tuo & summæ dignitati testimonium cum elogio darem. Quàm verò longè ab assentatione fuerim, sed simplicem veritatem, & zelum mihi innatum in fidelissimos proceres & propugnatores Coronæ Franciæ dumtaxat præ oculis habuerim, res ipsa & historia indicat. Cùm duos & viginti annos ne verbum quidem tuæ Celsitudini hac de re fecerim, aut fieri curaverim, quo dignius & justius nunc videtur hoc commemorare, non inquam, quo Consilia mea ἀναλυτικὰ illustrissimo nomini tuo dedico, ne fors quibusdam videat nunc primum de tua præcellenti magnitudine & virtute meminisse, aut nunc demum post tot ultra triginta volumina à me edita Celsitudinem tuam nunc demum honorare & observare cœpissem, non defuit animus præcipuum unum operum meorum illustrissimo nomini tuo dicandi, seu potius radiis dignitatis tuæ illustrandi : sed me variis interea casibus, varis regionibus & temporibus jactato, tandem διοιεστῶτος quasi divino virgula factum est, ut Consilia mea analytica jamdiu exoptatissima, tibi dicarentur, tibi inquam πολυμαθεῖ, rerum omnium politicarum scientissimo, experientissimo, prudenti & acri consilio prædito, tum politiæ & publicæ pacis amantissimo. Quàm scitè & graviter olim Isocrates ad Nicoclem regem pro coronide περὶ ἀρχῆς de rectè administrando regno scripsit, Cordatos & qui longiùs quàm alii prospicere possunt, magnifacito, colito, hoc sciens ὅτι πόλεως ἀγαθὸν quòd bonus Consiliarius utilissima est & rege omnium dignissima possessio. Hæc Isocrat. ad verbum. Sed à laudibus tuis quæ longè aliam dicendi facultatem & otium exquirunt, temperans, hoc tantùm dico opportunissimè cecidisse quòd non solùm Galli, sed etiam vicini & exteri, Consilia mea in variis regionibus tam principibus quàm civitatibus & privatis data, diuque exoptata à te πολίτῃ ἀγαθωτάτῳ & velut per manus tuas cupidiùs & jucundiùs accipient. Huic enim operi præcellens authoritas & dignitas tua pacis & politiæ studiosa multum addet splendoris & gratiæ. A summa enim regia majestate, nulla Conestabilis sublimior, magisque prærogata dignitas & potestas, nulla prior aut potior, quippe quæ ab ortu regni prima post regiam semper fuerit, multis etiam sæculis ante Illustrissimos Pares Franciæ, quos origine longa præcedit, tu quoque pro summis tuis in regiam majestatem & Coronam Franciæ meritis, Paris Franciæ dignitate decoratus es. Porrò ne quis absurdum putet, quòd coram tanta Celsitudine voce Conestabilis utar nec Græca nec Latina, cujus loco, Paulus Æmilius & Arnoldus Ferronus ei succenturiatus etiam in Chronicis Francorum semper utuntur voce Latina magistri equitum, ego multis probare possem hanc temporalem & militarem potestatem equitum magistri longè inferiorem, summa ac perpetua, & non in sago tantùm : sed in toga quoque præcellenti dignitate & potestate Conestabilis, quæ perennem quoque & latè in Regno & Imperio Francico patentem habet jurisdictionem in omnes præfectos, quos Mareschallos antiqua & genuina Francorum voce vocamus, ut majora tantæ dignitatis munia (quæ justum σώζυγα requirunt) omittam. Rursus longè splendidiorem & prophìs ardentem vocem accommodare poteram Præfectum prætoriorum, quem constat à veteribus & augustissimis illis veterum Romanorum Imperatoribus loco magistri militum (sed cum pleniori tum potestate, tum dignitate) institutum, ut Fenestella de magistrat. Romanis & Aurelius Archadius veteres authores authumant, ut etiam antecederet Consules, ac legum & belli haberet administrationem, ut testatur Justinianus magnus in novell. 24. cum duabus sequentibus. Verum ego plus emphaseos & energiæ, & insuper plus majestatis & dignitatis esse censeo in antiquissima illa & genuina Francorum propria & peculiari voce Conestabilis, quàm in aliis, ut in Consuetudine Parisiensi, §. 20. profligato contrario errore, asserui. Fateor me zelatorem esse Francici nominis & antiquæ Francorum nobilitatis, dignitatis, & virtutis : attamen hac in re judicio me magis quàm affectu duci scio. Superest, Illustrissime & optime Conestabilis, Par Franciæ, Duxque Mommorencius in Insula ipsa Franciæ, ut opus hoc meum, imò tuum & per te omnium bonorum & studiosorum, qui tibi acceptum ferre debent, optimo & benigno animo vultuque excipias, quo ante duodecim annos & semis, die 16. Novembris coram Regia majestate, unum è libris meis Gallicum tibi ipsi tanquam fidelissimo Regis & regni σωζύγῳ pacis & Reipub. zelatori, à me oblatum, de manu mea accepisti, meique etiam absentis & studia & innocentiam benignè propugnasti. Fœliciſſimè vale Heros Illustrissime, bene prosperare, καὶ εὐτυχῶν διάγειν, &, quod facis, pacem, rectam πολιτείαν, & bona studia amare & juvare perge. Datum Parisiis Calen. Junii, anno Jesu Christi unici Redemptoris sesquimillesimo sexagesimo.

CAROLI MOLINÆI

I. V. D. CONSVLTISSIMI ELOGIVM.

EX LIB. I. ELOGIORVM SCÆVOLÆ SAMMARTANI.

CAROLVS Molinæus Parisiensis, Jurisconsultorum suo sæculo doctissimus, omnes Supremæ Curiæ Patronos si non dicendo, (nam lingua nonnumquam hæsitabat) certè scribendo respondendóque facile superabat. Quo in munere tamdiu permansit, dum exardescente inter Henricum Secundum & Julium Pontificem Maximum bello, in Romanam Curiam ea scripsit, quæ cùm ad tuendam Ecclesiæ Gallicæ libertatem spectarent, à quibusdam ita sunt accepta, quasi authoritatem Pontificiam convellere videretur. Quo nomine voluntarius exul in Germaniam abiit, ubi tanto omnium Principum, civitatumque applausu exceptus est, ut certatim ab illis vel ad profitendum vel ad respondendum de jure propositis præmiis invitaretur. Insigni levitatis documento, cùm post aliquot annos mutatis ex Religionis dissidio animis, à nonnullis eorum in vincula conjectus indignissimè haberetur, nec nisi elusis custodibus, una cum uxore & liberis induta famuli persona evaderet. Nec verò in Galliam ex Regis decreto revocatus fortunam apud suos æquiorem expertus est, recrudescente in dies malevolorum invidia, per quorum tandem insidias vir innocentissimus in ipsa senectute carceris molestiam subiit. Sed ea fuit in illo ingenii vis & copia, quæ nec inter tot sævientis Fortunæ procellas à scribendo abstineret: ut non solum Romani Iuris plures locos, sed & multarum Galliæ gentium, maximeque ut bonum civem decuit, Parisiensium leges municipales non vulgari subtilitate interpretaretur. Quos industriæ suæ testes si quando in lucem produceret, his fere se Galliæ & Germaniæ Iurisconsultum inscribebat. Arroganter quidem, sed verè: cùm ex ejusmodi commentationibus, tanquam ex vivo & jugi quodam fonte perennes Jurisprudentiæ rivi ad omnes omnium nationum homines abunde profluerent. Obiit Lutetiæ anno salutis millesimo, quingentesimo, sexagesimo sexto.

CAROLI MOLINÆI
IVRISCONSVLTI,
ET IN SVPREMO SENATV PARISIORVM ADVOCATI
FAMOSISSIMI CONSILIA.

Thema valde prolixum, sed ab Authore abbreviatum.

ILLUSTRIS Theobaldus Dominus Novicastri, *d'Epinac*, & Castri super Mezellam, Marescallus Burgundiæ, condidit testamentum Dolæ die vigesimo octavo Octobris 1463. undecim relinquens liberos masculos & fœminas, quos particulariter instituit, duobus masculis exceptis.

1. Videlicet Henrico & Claudio, quos in residuo omnium bonorum heredes universales solos & in solidum instituit, videlicet Henricum in terris & domaniis de Novocastro, *Chastellot*, *Blacmont*, *Hericourt*, de quo ineptuli quidam Aulici adulatores nuper faciunt Principatum *Montbelgarde*, subalternum, *Clermont*, *Chamallon*, *le pont de Royde*, *Bourodque*, *Esthenand*, *Louze*, *la Garde*, *& la Justice du Lieu Croissant*, *& du Prieuré de Lanthenandz*, *Moutier*, *Chastel sur Mezelle*, *Espinat*, *Beauville*, *Chalmy*, *en la restitution de l'Isle*, *quand le cas aviendra selon le traité fait à Gray*, *&c.*

2. Et dictum Claudium in terris & domaniis *du Fay Bourguignon*, *Ponçon*, & in omnibus pertinentiis, reditibus, censibus, præeminentiis mero mixto imperio, feudis, subfeudis, & aliis quibuscumque, & in castro, oppido, terra & pertinentiis *de Grancey*, *&c.*

3. Et casu quo Henricus decedat sine heredibus de suo corpore, Claudius, vel primus ejus masculus per ordinem succedat in portione dicti Henrici.

4. Et si dictus Henricus decedat relicta unica filia, habeat illa decem millia francorum Burgundiæ per dictum Claudium, vel filium ejus solvendorum. Et si dictus Henricus relinquat plures filias, dentur pro illis omnibus simul per dictum Claudium heredem meum, vel suos liberos masculos quindecim millia francorum dictæ monetæ.

5. Et casu quo Claudius filius meus & heres, vel filius ejus masculus in defectum heredum masculorum Henrici, teneat portionem (partagium vocat) Henrici, ratione dictæ substitutionis, volo quod dictus Leonhardus filius meus (aliàs sacris destinatus) sit secularis, & possideat partagium Claudij, cui eo casu substituo Leonhardum.

6. Et si dicti Henricus & Claudius decedant sine heredibus masculis, instituo heredem meum solum & in solidum dictum Leonhardum (casu quo non sit Ecclesiasticus) in partagio dicti Henrici, & dictum Ludovicum filium meum in partagio dicti Claudii: & si dictus Leonhardus sit Ecclesiasticus, instituo dictum Ludovicum in omnibus bonis, & partagiis in quibus instituti & substituti dictos Henricum & Claudium.

7. Item si dictus Claudius relinquat unicam filiam, volo per dictum Leonhardum solvi ei pro omni jure octo millia francorum: & si plures filiæ sint, duodecim millia francorum pro omnibus.

8. Et mediantibus dictis summis volo filias Henrici, & Claudii, & quamlibet earum contentas esse de dictis bonis, successionibus & partagiis: de quibus eas privo, absque eo quod dicti Henricus & Claudius possint aliter, quam ut suprà, disponere.

9. Et si Henricus, Claudius, Leonhardus, Ludovicus decederent sine masculis, succedat uxor ad vitam: qua mortua succedat Antonius filius meus Episcopus Tulensis ad usumfructum: & post eum, vel eo deficiente, Jacobus alter filius ad vitam: & post eum, vel eo deficiente, Guilielmus alter filius ad vitam, velut usufructuarius.

10. Et omnibus illis deficientibus, dicta Joanna filia mea, vel ejus liberi succedant in partagio Henrici: & Margarita & Catharina aliæ filiæ meæ, vel earum liberi in partagio Claudii.

11. Item & in defectum omnium prædictorum, quamvis frater meus Joannes de Novocastro Dom. *de Montagu* mihi adversarius fuerit, &c. tamen in honorem, & reverentiam Dei, & quia meus est germanus frater, & etiam pro honore nominis de Novocastro ego illum substituo, & facio meum heredem universalem.

12. Et in defectum illius heredes ejus masculos seculares descendentes de suo corpore in recta linea.

13. Et casu, quo dictus frater meus, & dicti heredes sui decederent, sine heredibus naturalibus, & legitimis.

14. Vel etiam quòd dictus frater & dicti heredes sui adhuc superstitibus aliquibus de dictis meis liberis, vel de eorum heredibus, prout suprà.

15. Volo quòd loco dicti fratris, & dictorum suorum heredum veniat & succedat in dictis bonis meis cognatus meus Ferricus *de Cusance* dominus de Bellovisu, qui alitus fuit domi meæ, quem vel suos heredes substituo.

16. Et in defectum omnium prædictorum substituo Comitem, vel Comitissam de Mombeliardo, descendentes de linea defunctæ clarissimæ materteræ dominæ Henrietæ de Mombeliardo.

17. Et in defectum eorum instituo charissimum cognatum dominum Guilielmum Cabilonensem Comitem *de Tonnerre*, & heredes suos masculos.

18. Et in defectum prædictorum Comitem Vallemontanum.

Contigit Henricum & Claudium patri, ut suprà, succedere, & per obitum Henrici sine liberis omnia devolvi Claudio, qui decessit relictis Bona, & Elizabetha filiabus, quæ vel earum mariti Guillelmus Comes *de Furstemberg*, & Felix, Comes *de Vverdemberg* post obitum Guilielmi earum patrui, qui ex eodem testamento usufructuarius erat: deficientibus etiam filiabus testatoris, & earum liberis, dicta Bona occupaverant, quæ ex lege testamenti præmortuo dicto ejus fratre ad filios ejus masculos superstites Ferdinandum, & Joannem Novocastrenses devoluta erant. Ferdinandus anno sexagesimo quinto interdictum uti possidetis movit in senatu Dolano contra dictos Comites, vel earum uxores, contra quos auditos judicium realis sequestri obtinuit ann. sesquimillesimo decimo tertio. Rei verò armis impedierunt executionem, & anno sesquimillesimo decimosexto plenum possessorium Ferdinando adjudicatum, reis in sumptus, & in graves rebellionis mulctas condemnatis. Ferdinandus autem cum fratre, vel eo ratificante anno 1505. certo contractu facto Sturgardiæ cum Ulrico Vvirtembergensi, & Teccensi Duce, & Montisbelgardi Comite omnia hæc jura ei cesserat: & obiit non facta executione dicti Arresti, sine masculis, relictis quatuor filiabus tantùm: quarum una nomine Anna, anno 1522. reos eorumve heredes in jus in eodem senatu vocavit, ut Arrestum illud executorium declararetur. Pariter eodem anno 1505. Claudius *de Cusance* Dominus de Bellovisu, & Marcus *de Cusance* filii dicti Ferrici præmortui, vivo adhuc dicto Ferdinando, & ejus fratre, & sic ante substitutionem sibi apertam, vendiderunt omnia jura sua, vel ipsem substitutionis, eidem Ulrico, & novissimè circiter 30. annos post obitum dicti Ferdinandi, & fratris sui sine masculis, dicti Claudius & Marcus *de Cusance*, vel eorum filii novam cessionem fecerunt Christophoro Duci Vvirtembergensi, & Teccensi, & Montisbelgardi Comiti, qui de novo vult dicta bona vendicare, præsertim ditionis Novicastri, aut litem ab obitu Ferdinandi fere per novem, & triginta annos omissam, resumere. Hinc plurimæ quæstiones fluunt in prolixo themate. Cujus ordine non servato, potiores & nota dignas hîc ponam. Prima, An per obitum Claudii sine masculis. & deficiente linea masculina testatoris, & filiabus ejus, jus fuerit quæsitum Ferdinando. Secunda, An cessio per Ferdinandum facta Ulrico paulò post obitum dicti Claudii valuerit. Tertia, An cessio eodem tempore eidem facta per filios Ferrici *de Cusance*, valere potuerit, cùm nondum extaret, sed deficere posset conditio substitutionis eorum. Quarta, An deficiente posteà linea masculina dicti Joannis (prout deficit) ditiones, de quibus agitur, pervenerunt ad dictum Ferricum *de Cusance*, vel ejus liberos. Quinta, An præfato Duci, sive jure cesso, sive jure suo proprio obstet temporis ferè 39. annorum præscriptio. Sexta, An à & quo tempore veniant fructus. Septima, An præfatus Princeps excludatur ex eo quòd est ultra quartum gradum.

EPITOME.

1 *Abbreviatio thematis & quæstionum.*
2 *Quæstionis primæ ratio dubitandi.*
3 *Solutio pro filio fratris substituto. Neptes ex filiis perpetuò exclusæ.*
4 *Quæst. 2. Judicium possessorium non facit rem, sed possessionem litigiosam.*
5 *Quæst. 3. Novus intellectus §. ex asse. in l. si mulier. de jure dot. 6. 12.*
Aliud restitutio fideicommissi ex Trebellianica, aliud cessio. 13. 14.
7 *In fideicommisso particulari non habet locum formula Senatusconsulti Trebel. 8.*
8 *Heredes quantum ad prælegata, pro legatariis habentur.*
9 *Fideicommissario particulari non datur petitio hereditatis, nec directa, nec possessoria, nec civilis, nec prætoria: sed actio ex testamento, ut legatario.*
10 *Secundus etiam universalis fideicommissarius non indiget restitutione. 11.*
12 *Formula restitutionis ex Trebelliano, de qua in d. §. ex asse. exolevit.*
13 *Nec cedi tertio impediebat. 14.*
15 *Quæst. 4. Valde argumentosa.*
16 *Prior gradus substitutionis deficiens facit locum sequenti. 36. 37.*
17 *Verbum* hoirs, *stat pro herede sanguinis. 28. 29.*
18 *Verbum* filii *vel* liberi *ad masculos ex mente testatoris restringitur.*
19 *Verbum*, hoirs, *de masculis intelligitur, quando in eadem periodo de masculis tantum verificatur, ne sit difformitas. 20.*
21 *Verbum* Masculis *etiam in separata oratione censetur repetitum, contra num. 35.*
22 *Exclusio neptum in directa, arguit exclusionem neptum in collaterali. 23.*
24 *Aliud sermonem non esse brevem: aliud esse superfluum.*
25 *Quæ sunt in conditione, non sunt in dispositione: & quæ stant relativè, nihil novi inducunt. 26.*
27 *Substitutio limitatur ex causa finali.*
30 *Liberi semel superstites faciunt deficere substitutionem in perpetuum 33.*
31 *Fallit in conditione successiva in casum deficientium liberorum.*
32 *Favor agnationis non habet locum ultra personas expressas.*
34 *Idem Verbum quando refertur ad plura, difformiter capitur.*
37 *Verba censentur probata ab eo cui prosunt.*
38 *Qualitas rerum facit præsumi fideicommissum reale.*
40 *Quæst. 5. Quo tempore fideicommissis præscribatur.*
41 *Vsus afficit rem vitio reali.*
42 *Civilis interruptio cessionario prodest, ut habeat utiles actiones, & eidem nocet.*
44 *Præscriptio temporis, iniquorum præsidium, & ab arbitratore rejici potest.*
45 *Quæst. 6. Fructus percipiendi debentur ab anno retrò interdicti uti possidetis.*
46 *Quæst. 7. Novella 159. de restitut. fideicommissi non habet locum in graduali fideicommisso, quod potest in infinitum extendi, si sit voluntas testatoris. 47.*

CONSILIVM I.

VIsis, & diligenter examinatis testamento, seu ejus exemplari Gallicè scripto illustris quondam equitis Theobaldi domini Novicastri Mareschalchi Burgundiæ, figura genealogiæ, & themate plurium quæstionum in causa illustris Dom. Ducis Christophori Vvirtembergensis ratione præfati Novicastri, & aliarum ditionum.

1. Valde miratus sum tantam, tam operosam, tamque anxiam quæstionum, & ambagum prolixitatem infinitarum nedum antiquarum litium segetem, & ingeniorum miseram, & desperatam carnificinam, tam multos copiosè non tam scripsisse quàm intricavisse paucos, punctum eminus attigisse, nullos obtinuisse. Quare ego Carolus Molinæus Franciæ, & Germaniæ Jurisconsultus, disputatione nimis hactenus infelici omissa, resolutionis scopum rectà petendo, censeo hac in re omnia plana, & aperta esse ad intentionem præfati illustris Principis Vvirtembergensis, nullamque ex his quæ proponuntur, esse, aut superesse dubitationem.

2. Et ad primam quæstionem non ordine seu potius confusione Germanici thematis, sed ordine resolutionis, & intellectus à nobis in themate abbreviato positam, videri posset nullum jus fuisse quæsitum Ferdinando per obitum, sive Claudii, sive Guilielmi Novocastrensis, quoniam ex Claudio supererant, & adhuc hodie supersunt liberi naturales, & legitimi ex stirpe in recta descendenti linea testatoris. Porrò Joannes Novocastrensis pater Ferdinandi non fuit vocatus nec substitutus, nisi in defectum omnium prædictorum, ut patet in themate à me fideliter abbreviato clausula 11. Et sic omni stirpe & masculina, & fœminea testatoris deficiente: non solùm enim masculos, sed etiam eis deficientibus, filias proprias, & earum liberos substituit, & præposuit omnibus extraneis, & collateralibus substitutionibus, ut patet in clausula 10. Ubi clarissimum est filias testatoris, & earum liberos etiam fœminini sexus præpositos esse dicto Joanni, & ejus filiis masculis: igitur etiam neptes ex filiis masculis, & universalibus heredibus testatoris eidem prælatæ videntur: veniunt enim appellatione omnium prædictorum, cùm de illis prædictum sit. Et quamvis sint exclusæ, hoc verum est favore masculorum è masculis ejusdem testatoris legitimè descendentium, ut patet in clausula 4. 7. 8. & sic deficiente stirpe masculina ejusdem testatoris, non videntur exclusæ: sed forsan etiam filiabus testatoris in portione patris sui prælatæ, ut in clausula 10. ibi, & omnibus illis deficientibus, quæ verba universalia etiam neptes ex filiis, quarum sermo habitus est, includunt.

3. Quibus non obstantibus, contrarium dico: quia disertis verbis testamenti neptes filiorum universaliter institutorum penitus, & perpetuò ab omni successione exclusæ fuerunt, & nullo casu, vel gradu substitutæ, ut patet in clausula 4. 7. 8. & consequenter clausula 10. de substitutione filiarum testatoris, ibi, & omnibus illis deficientibus, non includit neptes filiorum exclusas, nec ad eas refertur: sed tantùm ad personas vocatas, & substitutas, & multò fortiùs clausula 11. qua collaterales masculi vocantur. Nullum ergo jus neptibus competiit, sed totum devolutum fuit Ferdinando, & ejus fratri, Joanne priùs sublato de medio, *l. unica, §. pro secundo, C. de caduc. tollend.*

4. Ad secundam quæstionem, videretur primò obstare vitium litigiosi: breviter contrarium verum est, quia nondum erat lis intentata, saltem non contestata. Tum erat actio personalis ex testamento, vel possessoria, quæ non facit rem ipsam litigiosam, sed tantum possessione. Ang. Perus. *Auth. litigiosa C. de litigios.* saltem non nisi post litem contestatam. Habuit ergo præfatus Ulricus verum jus ex dicta cessione. Secundò videretur (ut non parum multi imperitè putant) obstare quòd restitutio hujus fideicommissi nondum erat facta Ferdinando tempore cessionis per eum factæ, & sic quòd non poterat cedere l. *si mulier, §. ex asse, de jure dotium*, sed hoc nimis frivolum est per ea quæ novè, & plenè dicemus in quæstione sequenti.

5. Ad tertiam quæstionem: An alia cessio eodem tempore per filios Ferrici *de Cusance* facta valuerit: saltem conditionaliter, in casum quo substitutio ad eos devolveretur? mirum est hìc omnes qui ante me consulti sunt, aberrasse, & censuisse nullam esse, non propter vitium litigiosi, quia dicti *de Cusance* nullam unquam litem moverunt: sed propter intrinsecum vitium, nempe rei incessibilis, cùm secundùm eos jus fideicommissi universalis etiam puri, vel purificati, & nunc restituendi cedi, vel delegari non possit l. *si mulier, §. ex asse, de jure dotium.* Ergo multò minus spes fideicommissi conditionalis, & pendentis. Et certè restitutionem fideicommissi etiam puri, & hodie restituendi, nec delegari, nec cedi posse tenuerunt Bartol. & omnes in d. §. *ex asse*, glo. in l. *apud Iulianum, §. utrum*, in l. *restituta*, in l. *quamvis*, in fi. *ad Trebel.* Bartol. in l. *quisita*, §. 1. eod. titul. Bal. in l. *pen. C. ad Trebel.* in l. 2. *C. de pactis*, in cons. 8. lib. 1. Ang. Perus. in d. l. *apud Iulianum, §. utrum*, in l. *servo invito*, §. ult. *ad Trebel.* Philip. Corn. cons. 111. lib. 2. Jason in l. *quominus*, col. antepenult. versic. confirmo, ff. *fluminib.* & ne quid. Ubi dat rationem, quia hæc restitutio continet actiones activè & passivè, inseparabiles alioquin ab ossibus, l 1. in princip. *ad Trebel. l. 2. de hered. vel act. vendita*, per quam rationem idem tenet Carol. Ruinus cons. 104. col. ult. & cons. 126. lib. 3. Rubeus in repet. §. *morte*, in l. *non solùm*, num. 17. *de novi operis nunciat.* & omnes ubique, & quos cumulat, & sequitur And. Tiraq. in tractat. *de retract. proximit.* §. 26. col. 1. n. 45. 46.

6. Sed valde erraverunt, quia per d. §. *ex asse.* non corrigitur nec limitatur universalis regula l. ult. *C de hered. vel action. vendita.* Omne videlicet jus, omnem actionem non modò natam, sed nascituram, imò etiam incertam, & conditionalem cedi, & vendi posse. Aliud est formalis restitutio fideicommissi universalis secundum formam Senatusconsulti Trebelliani, quæ non potest fieri ante tempus, & multò minus ante conditionem, nec alii personæ quam cui fideicommissum acquisitum est, l. *filius familias, §. divus, 1. de legat. 1.* d. §. *ex asse.* quia non de alia persona, nec alio casu loquitur Senatusconsultum Trebell. transferens potestate legis actiones ipso jure, activè & passivè, & ipso jure eximens restituentem. Aliud cessio, vel venditio juris fideicommissi etiam pendentis nedum purificati, quæ liberè fieri potest, & cujus virtute cedens conditione extante, cogi potest petere sibi restitui ad commodum cessionarii, ut tetigi *in annot. ad Philip. Decium, cons. 614. num. 12. & in l. 1. C. de pactis, in lectura mea Tubingensi*: & ita novè debet intelligi d. §. *ex asse.* qui tantum probat quòd hæres gravatus fideicommisso non liberatur per promissionem, vel delegationem uni factam: sed nihilominus cogi potest formaliter, & solemniter restituere, quod nihil habet commune cum cessione, aut venditione per fideicommissarium interim facienda, nec illam prohibet, vel impedit d. §. *ex asse.* Hactenus ergo trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

7. Præterea dico quòd etiamsi communis error veritate niteretur, nullo tamen modo locum hìc habere posset: non enim sumus hìc in terminis fideicommissi universalis restituendi, nec an ejus spes cedi possit, sed in fideicommisso particulari certarum terrarum. Patet ex tenore expresso ipsius testamenti, quod

legem facit: verum est enim quòd Henricus & Claudius fuerunt soli instituti heredes universales, sed in hoc non perstitit testator: verùm certa prælegata singulis eorum divisim fecit, nec eis, aut alteri eorum ullam fecit substitutionem, nec directam, nec obliquam in aliqua quota hereditaria, nec in aliqua portione hereditatis universali: sed solùm eis substituit in illis bonis, vel rebus certis, quas expressim, & pro diviso singulis eorum prælegaverat in eodem testamento. Ergo hîc nulla substitutio universalis: sed omnes substitutiones, de quibus agitur, sunt particulares, & vera legata seu fideicommissa certarum rerum. Ad hoc non solùm testamenti tenor expressus est: sed etiam casus est rotundus in l. *ex facto*, ff. *de heredibus instituendis*. Ergo nulla quæstio, l. *ancillæ*, C. *de furtis*.

8. Si enim quantum ad prælegata separatim assignata habeantur pro legatariis, ut est textus in d. l. *ex facto*, & non est facta substitutio: nisi in prælegatis, sive in partagio cujusque, alludendo ad verba ipsa testamenti, quod partagium est in rebus certis designatum & limitatum: sequitur substitutiones de quibus agitur, esse fideicommissa particularia, quamvis testator promiscuè utatur non solùm verbis communibus successionis, & substitutionis, sed etiam verbis directis heredum, & in d. l. *ex facto*, & in l. *si certarum*, in princip. ibi, reliquæ omnes suas per præceptionem cuique legando distribuisset ff. *de testam. milit.* Nullum igitur dubium est, nulla opus fuisse verbali heredis, & multò minus reali restitutione: sed contrà certum est rectà dominium transiviſſe. Non est ergo dubitandum de cessione Ferdinandi, quamvis ante ullam restitutionem gravatorum fideicommisso facta sit. Nec etiam hac de causa dubitandum est de cessione filiorum Ferrici, etiam ante tempus facta.

9. Tum etiam præfatus Princeps Christophorus non agit petitione hereditatis in totum, vel in parte, *ut toto titulo de petitione hereditatis*, ff. & tit. *si pars hereditatis petatur*, & in tit. *de possessoria hered. petit.* quæ dantur pro directis universalibus, sive de jure civili, ut in duobus primis, sive de jure prætorio, ut in ultimo titul. Nec etiam agit fideicommissaria hereditatis petitione, quæ datur pro successione universali obliqua, seu pro fideicommisso universali, *ut ff. de fideicom. heredit petit.* Nec illis agere posset etiam, si rei non possiderent, nisi pro heredibus, vel pro possessoribus, quia non est vocatus ad hereditatem, nec ad quotam hereditatis universalis, nec directò, nec per obliquum, sed ad res certas specialiter in certis corporibus designatas ipso teste testamento: ita quod non potest agere, nisi particulari rei vendicatione, vel actione ex testamento cessis, prout rectè agit, vel executione judicati, ut infrà dicam.

10. Plus dico etiam stante communi errore, de quo suprà, num. 5. Id quod aliqui dicunt jus fideicommiss universalis cedi non posse, intelligitur respectu primi fideicommissarii universalis dumtaxat, cui debet fieri restitutio ab ipso directo universali herede, qui solus habet jus detrahendæ quartæ: non autem respectu secundi fideicómissarii etiam universalis, qui nullum habet jus detrahendæ quartæ, etiamsi primus fideicommissarius, & multò minus ulterior, *l. si patroni*, *§. qui fideicommissarium* l. *facta*, *§. qui suspecta*. ff. *ad Trebellian.* Et est textus apertus in l. ultim. *§. sin autem*, in princip. ibi, legatum, vel fideicommissum universitatis, vel speciale, vel substitutione, vel restitutione, & in fin. d. §. ib. sed in his omnibus casibus legatario quidem, vel fideicommissario omnis licentia pateat idem vendicare, & sibi assignare nullo obstaculo ei à detentoribus opponendo.

11. Ergo etiam fideicommissarius universalis, saltem secundus, vel ulterior nulla restitutione heredis, vel præcedentis fideicommissarii indiget, maximè quando non agit, aut convenitur personaliter, sed recta vendicat prædia, & res corporales, vel reditus, qui etiam vicem immobilium habent, & possessores extranei non possunt allegare restitutionem verbalem à priori fideicommissario, vel hærede (cujus jus jam expiravit, & in actorem transiit) non esse factam: & adhuc textus est expressior *in l. penult. in fin. C. ad SC. Trebellian.* ubi ipso jure sine ulla restitutione, & transmittuntur, & transeunt, & cum effectu competunt secundo fideicommissario omnia jura, & actiones utiles. Nos autem non sumus in primo, sed in decimo, quinimò in ulteriori fideicommissario, imò in mero legatario, seu fideicommissario certarum rerum, quod idem est: cujus spem nemo dubitat cedi posse, nedum donari, vel remitti, *l. spem*, *C. de donationibus*, *l. ult. C. de hered. vel act. vendita.*

12. Tum quod dicitur in l. *si mulier* §. *ex asse*. ff. *de jure dotium*, restitutionem fideicommissi universalis delegari non posse, qui solus §. pro hac sententia allegari potest, manifestum est quòd dumtaxat loquitur ad satisfaciendum formulæ, & subtilitati S. C. Trebelliani, & quantum ad actiones directas hereditarias, & personales activè, & passivè, in fideicommissarium universalem transferendas potestate legis, vel S. C. Et quia necesse erat heredem scriptum primùm, hoc est ante omnia, adire hereditatem: & si adire nollet, ad hoc cogi, aliàs omnia corruebant, l. *cum proponas*, *C. de hered. bus instituendis*, & toto testamento ad irritum redacto, res ad causam intestati recedebat: quæ scrupulositas, & formula ipso rerum usu tandem recessit ab aula.

13. Præterea etiam per eumdem §. *ex asse*. clarè probatur validam, & efficacem (quantum ad effectum) esse cessionem etiam fideicommissi universalis dodrantis totius hereditatis per primum universalem fideicommissarium factam: & quòd fideicommissarius, qui semel cessit, non potest pœnitere, sed tenetur jurare, ut sibi formaliter restituatur ab herede, ut satisfiat formulæ Trebelliani: deinde cessionarium mittat in possessionem, non in vim novæ, sed in vim antiquæ cessionis, quæ in quantum opus est per restitutionem sequentem confirmatur tex. in l. *filiam*, in fin. in l. *servo*, in fin. ff. *ad Trebel.*

14. Quinimo in d. §. *ex asse*. probatur quòd cessionarius ipse potest, quia sua interest contra heredem agere ut compellatur adire, si non adivit: deinde restituere suo cedenti, ut deinceps, sine ulla scrupulositate sua cessione frui possit. Non est igitur verum quod quidam putant, cessionem fideicommissi universalis etiam primi fideicommissarii, etiam ante omnem restitutionem nullam esse. Et adhuc non sumus in istis, sed prorsus in diversis terminis, ut satis dictum est.

15. Ad 4. quæstionem, An deficiente linea masculina dicti Joannis (prout defecit) res de quibus agitur, pervenerint ad Ferricum *de Cusance*, vel ejus liberos? Id est, an casus substitutionis dictorum *de Cusance* extiterit, & sic cessio eorum antiqua, vel nova locum habere possit? Hac in re multum variatum est sententiis. Doctores enim Italici crebrius censuerunt hanc substitutionem extinctam, ex eo quòd Ferdinandus non decessit sine liberis, utpote quatuor filiabus relictis. Doctores autem Germanici, & omnes Consiliarii Principis, quidam etiam Galli Divionenses tenuerunt, locum fuisse substitutioni per obitum Ferdinandi, & Joannis fratris ejus, sine masculis: & sic deficiente linea masculina fratris testatoris, contendebant illi, primam quidem horum *de Cusance* cessionem penitus inutilem fore, utpote ante tempus factam, per d. §. *ex asse*. Novam autem cessionem factam post obitum dicti Ferdinandi, & fratris sui sine masculis, validam esse, salvo scrupulo restitutionis fideicommissi nondum eis factæ.

16. Contendebant etiam præfatum Principem suo nomine, & ex capite proprio ad dictas ditiones venire,

venire, & vocatum esse, quasi dictis *de Cusance* immediatis præcedentibus substitutis repudiantibus, vel abstinentibus, & sic gradu illo de medio sublato, locum esse sequenti: quia præfatus Princeps, tanquam descendens è linea recta dictæ Henrietæ proavix suæ, & Comes Montisbelgardi, immediatè vocatus, & substitutus est post dictos *de Cusance*. Igitur per regulam l. *unicæ pro secundo*, C. *de caducis tollen.* & per Bart. in l. *quandin* 3. *de acquir. vel omitt. hered.* Et pro hac sententia (quæ certè menti testatoris conformior est) videlicet locum fuisse substitutioni dictorum *de Cusance*, deficiente linea masculina fratris testatoris. Precibus imò flagitationibus Consiliariorum dicti Principis, prolixius quàm pro more mihi solito sequentes scripsi rationes.

17. Et primò quamvis jure communi, & regulariter appellatione heredum naturalium, & legitimorum, sive liberorum, sive descendentium veniant etiam fœminæ, & nati ex eis; l. *ex facto*, in fin. ff. *ad Trebell.* ibi, videri enim de liberis, & in l. *liberorum de verborum signific.* tamen non sumus in his terminis: quia testator tam in dispositivis, quàm in conditionalibus clausulis, non est usus verbo heredum, nec verbo liberorum, aut simili: sed uniformiter hoc solo patrio, & nativo vocabulo *hoirs*, quod in sua lingua propriam habet emphasim, ut significet heredes sanguinis, nominis & familiæ, per quos ea conservatur, ut etiam tradit Salic. in l. 2. *C. de jure Emphyteut.*

18. Secundò, etiamsi testator usus esset simplici verbo filiorum, vel etiam verbo liberorum, quod de se fœminas, & masculos æquè comprehendit: tamen ex mente testatoris fit restrictio ad solos masculos, si mens illa ex verbis ejusdem testamenti concipi possit, juxta l. *gallus*, ff. *quidam recte de liber. & posth.* At hic non solùm ex verbis concipitur: sed ea mens necessariò demonstratur. Primò, in eo quod testator proprias neptes ex propriis filiis masculis universaliter institutis excluserit, ut fratrem & suos substituerent. Secundò, ex eo quod expressit, se fratrem alioqui male meritum propter honorem nominis, & familiæ Novicastrensis substituere.

19. Tertiò, in eo quod decedenti, vel deficienti fratri quandocumque substituit, non quosvis descendentes ex eo, sed masculos duntaxat, & adhuc sæculares ad exclusionem etiam masculorum descendentium ex masculis, si essent Ecclesiastici inhabiles ad conservandum nomen Novicastri. Jam ergo necessariò palam est testatorem noluisse fratrem substituere, nisi ratione conservandi nomen familiæ: nec etiam voluisse aliquos vocare, vel substituere ex descendentibus fratris, nisi solos masculos ex masculis descendentes, eosque sæculares, & sic ratione, & contemplatione nominis Novicastrensis servandi, & continuandi. Nihil ergo voluit relinquere filiabus, vel neptibus fratris, sed nec masculis descendentibus ex eo per fœminam, vel etiam descendentibus per sexum virilem, si essent Ecclesiastici, & non possent in sua posteritate naturali, & legitima conservare nomen familiæ.

20. Ergo clarissimè sequitur, imò demonstratur, quòd quando dixit Et casu quo frater, *& sesdits hoirs*, decederent *sans hoirs naturels & legitimes*, quod uniformiter intelligitur de masculis descendentibus ex masculis: quia idem verbum *hoirs* in eadem oratione non debet difformiter, sed conformiter intelligi l. ult. & ibi Bartol. Bal. Paul. *C. de sententiis, & interloc. omnium judicum*, l. *jam hoc jure*, & ibi omnes *ff. de vulgari, & pupill. substitut.* Jason in l. *miles*, §. 1. col. 2. *de re judicata.* Sed verbum *hoirs* primo loco in eadem oratione prolatum de masculis descendentibus ex masculis tantùm intelligitur, ergo idem de eodem verbo in eadem oratione mox reperito.

21. Quartò, & in fortioribus terminis, quod etiamsi verbum masculis etiam in separata præcedenti oratione positum censeatur, nihilominus in sequentibus in eodem testamento repetitum tenent Bald. cons. 85. lib. 1. cons. 304. in fi. li. 2. Paul. cons. 190. consil. 198. num. 3. lib. 2. Alex. cons. 52. lib. 4. Matth. Mates. *sing.* 130. Philip. Corn. *cons.* 146. *litera g. lib.* 2. *& cons.* 202. *in fin. lib.* 3. *cons.* 126. *lib.* 4. Guid. Pap. *decis. Delph.* 485. Philip. Decius *cons.* 15. *consil.* 445. *num.* 12. *cons.* 477. *cons.* 480. *consil.* 495. *col.* 2. *cons.* 514. *cum consilio sequenti. consil.* 545. *consil.* 567. *cum consil. sequenti.* Jas. in l. *Gallus*, §. *nunc de lege Vellæa*, num. 18. *de liber. & posth.* in l. *centurio*, col. 14. *de vulg. & pupill. & consil.* 140. *col.* 7. *cum consilio sequenti lib.* 1. *& consil.* 67. *in fin. consil.* 137. *lib.* 3. Franc. Curt. Senior. *consil.* 40. *consil.* 44. *col.* 1. *cum sequenti consil.* 51. *nu.* 12. *nu.* 15. *cum sequenti, & consil.* 63. *num.* 8. *cum sequenti, & cons.* 75. *col.* 7. Anto. Rubeus *consil.* 120. Aymo Craveta *consil.* 98. *num.* 8. *cum sequenti. & consil.* 146. *in fin.* Ex quibus patet hanc esse communem sententiam in fortioribus terminis: sequitur enim multò magis idem esse in una, & eadem oratione, ut hîc.

22. Præterea & quintò, concurrentibus insuper aliis rationibus, quoniam primò in prioribus substitutionibus, quæ semper sunt de masculis, filias proprias, & neptes in linea directa, & nepotes naturales, & legitimos, & ex eis descendentes favore nominis familiæ conservandi excluserit: ergo multò magis excluserit neptes ex fratre.

23. Rursus & sextò etiam in eadem oratione de qua agitur, adhuc fecit mentionem prædictorum liberorum suorum fœminei sexus, vel etiam masculini ex fœminis descendentium, & non obstante quod tempore linex masculinæ fratris deficientis supersint adhuc, rursus eos expressim excludit ab omni gradu substitutionis, etiam collateralis, & dictum dominum *de Cusance* substituit. Si igitur illum nominatim propriæ soboli naturali & legitimæ, sed fœmineæ, vel ex fœminis descendenti etiam superstiti prætulit: igitur multò magis prætulit stirpi fœmineæ fratris sui, l. *si unica*, C. *de bonis mater.* l. *Publius*, § *Titia de cond. & demonst.* Cùm ergo sensus testatoris hac in re ex verbis etiam in eadem oratione, imò etiam in eodem membro, seu commate expressis colligatur, nulla alia interpretatio admittenda est, l. 3. *C. de lib. præter. & exhered.*

24. Non obstat quòd verba substitutionis, si contingat fratrem meum ejusque supradictos heredes decedere absque heredibus naturalibus, & legitimis, essent superflua, & otiosa, imò repugnantia, nisi intelligerentur de heredibus non masculis, sed fœminis, ex quo jam provisum erat in infinitum, quoad istos heredes masculos. Hoc est primum argumentum diversæ sententiæ, quod facile dilui potest: Repetitio enim eorumdem heredum, scilicet masculorum, non magis est superflua, quàm ejusdem fratris repetitio, quæ non potest dici superflua. Verum est quòd breviore sermone dici potuerat, putà, & in defectum omnium præcedentium: sed nemo tenetur uti compendio, nec semper expedit, sive iterando, sive loquendo, vel aliud agendo. Aliud sermonem non esse Laconicum, aliud esse superfluum: ut non superfluit rhetoricus, fusior dialectico Laconismo. Porrò minimè superfluum est verba semel posita in dispositione conditionaliter, repetere ad finem sequentis dispositionis *l. stipulationes commodissimum, de verbo oblig.* cujus rei præsertim in materia substitutionum protrita sunt exempla in jure civili, in quo tamen nihil dicitur esse superfluum, *ut in l.* 1. *& 2. C. de veter. jur. enucle. in l. unic. C. de lati. libert. toll.* §. 1. *Instit. de legit. agnat. success.* ut omittam Novellas, imò necesse est in omni sequenti gradu substitutionis priorem gradum conditionaliter expressè, vel tacitè repeti. *l.* 1. *de vulgari, & pupillari.*

25. Imò fortiùs probatur quod in illa repetitione, sive in hypothetica substitutionis Ferrici, verba sine heredibus legitimis & naturalibus, non debent intelligi de nova dispositione, sed de existentibus in dispositione præcedenti: non enim stant dispositivè, sed conditionaliter, & relativè: & sic hîc concurrit duplex axioma juris indubitati. Primum, quòd ea quæ sunt in conditione, non sunt in dispositione, nec disponunt, nec dispositionem ingrediuntur, text. *in l. si quis sub conditione, ff. si quis omniss. causa testa. in l. 1. §. item si ad l. Falcid. l. obligationum fere, §. penult. de actionibus & obligat.* Secundùm axioma, quòd ea quæ stant relativè, nihil novi inducunt, sed intelliguntur secundùm omnes qualitates præcedentis dispositionis, prout relatum inest expressè, vel tacitè referenti cum omnibus suis conditionibus, & modis, *l. esse. toto de heredib. inst. l. si ita scripsero, de cond. & demonst.* Quando ergo in illa hypothetica dicitur, si contingat fratrem ejusque superstites heredes decedere absque heredibus, &c. non est intelligendum quòd faciat novam substitutionem, vel novum gradum heredum fratris: quia ista verba non stant dispositivè, sed conditionaliter, & relativè, prout si breviori compendio dixisset, & in defectum omnium prædictorum.

26. Non ergo repugnat intelligere ultima verba dictæ conditionalis hypotheticæ de liberis ejusdem qualitatis, videlicet masculis descendentibus ex masculis: sed concordat non solùm necessariò cum præcedenti dispositione immediata ad quam refertur, sed etiam cum universo ductu, & phrasi totius testamenti. Constat insuper, quod ita etiam Ferdinandus ipse intellexit, quamvis suâ maximè interesset, manus habere liberas, ut patet in quodam contractu, ubi disertè fatetur, quòd si careret liberis masculis, bona hæc erant affectata Comiti Montisbelgardensi.

27. Ad secundum diversæ partis argumentum, quod tale est. Nec ad rem facit consideratio nominis familiæ: quia videtur motus testator, quia dictus Ferricus substitutus in defectum heredum naturalium, & legitimorum heredum masculorum dicti Joannis de Novocastro, substitutorum in locum ipsius Joannis, non est de agnatione. Respondetur, satis esse quòd respectu Joannis fratris, & suorum constat ex ipsis verbis testatoris seriò, & graviter in ipsis verbis dispositionis expressis non solùm habuit rationem conservationis nominis familiæ, sed etiam propter illam tantùm, & non propter meritum, nec amorem personæ substituit non benemeritum, & quòd substitutionem fratris, & suorum limitavit in honorem nominis de Novocastro. Hoc ergo maximè facit ad rem, imò totum facit: quia est cardo, basis, fundamentum scopus, & causa finalis hujus substitutionis fratris, & suorum, ut patet etiam ex verbis in eadem substitutione expressis. Causa autem, & finis substitutionis Ferrici non est agnatio, nec nomen familiæ, quæ jam defecisse præsupponitur: sed qualitas benemerita, & amor personæ in ejus substitutione differtis verbis ejusdem testamenti expressa. Unde non est mirum, si deficiente nomine familiæ testator præferat dilectissimum, sibi & benemeritum Ferricum etiam neptibus fratris sui, cùm illum præferat etiam propriis neptibus filiorum suorum, & sic non gerentibus nomen nec familiam Novicastri. Et quæ quidem fundatior est sententia, contra quam tamen multa adduci possunt. Primò, quòd verbum *hoirs* Gallicum, propriè significat non quosvis heredes, sed sanguinis videlicet descendentes tantùm, sed non minus fœminas, quàm mares, nisi quando qualitas masculina additur. Secundò, quòd etiam in eodem testamento idem verbum *hoirs*, etiam fœminas sæpe comprehendit, imò sæpissimè, putà novies. Primò ibi. Heredes mei infrà nominati non haberent *hoirs masles*. Certum est enim quòd illud verbum *hoirs* continebat omnes descendentes legitimos, sicut verbum liberi, alioquin non fuisset additum *masles*, prout necesse fuit ad restringendum eo loci ad masculos tantùm. Secundò ibi: Et casu quo dicta Joanna filia mea decederet *sans hoirs*. Et certum est, & indubitatum quòd ibi verbum *hoirs*, omnes descendentes tam fœminas, quàm masculos indifferenter comprehendit. Tertiò in substitutione Catharinæ ibi. Et si decedat *sans hoirs*, &c. Idem dicendum necessariò ut suprà. Quartò ibi: Volo & ordino quòd dicta Joanna filia mea, *en ses hoirs procreez en loyal mariage*. Quintò ibi. Et dicta Margareta, & Catharina, *en leurs hoirs descendans de leurs corps*. Sextò ibi. Et quas filias meas, *en leurs hoirs procreez de leurs corps*. Septimò ibi. Excepto loco *de Clermont*, in quo substituo cognatum meum Ferricum *de Cusance*, dominum de Belloviso, *en ses hoirs*. Cùm enim non esset agnatus, sed cognatus, verbum *hoirs* stat pro omnibus descendentibus, ut in filiabus dictum est. Octavò ibi. Et casu quo frater meus, vel ejus heredes venient ad successionem, *en deffaut de mesdits hoirs*, verbum *hoirs* necessariò etiam filias testatoris comprehendit, & quosvis legitimè descendentes ex illis quos fratri prætulit. Nonò, dum onerat fratrem solvere omnia debita, ibi *De mesdits enfans & leurs hoirs*, &c. Ergo pariter in illa clausula. In casum quòd dictus frater meus, *& sesdits hoirs iroient de vie à trepas sans hoirs naturels & legitimes*, verbum *hoirs* ultimo loco absolutè, & sine restrictione, vel relatione positum, stat propriè pro legitimis descendentibus, sive masculis, sive fœminis, prout est de propria significatione vocabuli, & prout testator crebriùs usus est in toto testamento: quamvis verbum *hoirs*, in eadem oratione priore loco non simpliciter, sed cum relativo, *sesdits*, id est, dicti seu præfati, non stet simpliciter, sed restrictivè pro masculis tantùm, non vi sua, sed vi dicti relativi quod refert dictos heredes substituros, & non alios, & sic masculos tantum: quia in defectum fratris substituerat masculos ex eo tantùm, dicendo, *ses hoirs masles seculiers*, &c. Et generaliter ubicumque testator in eodem testamento de heredibus, vel descendentibus masculis tantùm disposuit, hoc expressit, vel specificè, vel relativè. Ubi ergo non addidit adjectivum masculos, nec relativum ad masculos, reliquit verbum *hoirs* in sua propria significatione, qua etiam crebriùs usus est tam pro fœminis, quàm pro masculis: igitur l. *non aliter in princ. de leg.* 3. Sequitur ergo verissimam esse doctorum Italicorum sententiam, dictum Ferricum non esse vocatum, sed ejus substitutionem in perpetuum defeciisse, eo ipso quòd Ferdinandus non obiit sine liberis, sed filias reliquit, quidquid posteà de illis contigerit, & consequenter perpetuò defecit spes substitutionum sequentium l. *filius-familias, §. cum quis de leg.* 1. *l. cùm uxori usus-fructus, C. quando dies leg. cedat.* Oldra, *cons.* 21. Joan. Andr. *in addit. Speculas. de testamentis, §.* 1. *in fin.* Non enim dixit testator: In defectum descendentium fratris: quo casu conditio esset successiva, nec deficeret spes in primo, secundo, vel ulteriori gradu, sed dixit: Casu quo dictus frater, & dicti heredes sui decederent sine heredibus, ut in themate, numero 13. quo casu substitutio momentanea est, & semel extantibus liberis in perpetuum deficit substitutio, Socin. in l. *solemnis*, in fin. *de cond. & demonst.* Alexand. *consil.* 43. *col. tertia, libro tertio consil.* rot. *col.* 3. *lib.* 7. Philippus Decius *consil.* 185. dixi *in annot. ad Alexand. consil.* 31. *numero primo, lib.* 3. *cons.* 539. *numero tertio, libro sexto.* Et sic non obstant allegationes factæ pro Ferrico, cui quemadmodum defecit conditio, ita & dispositio conditionalis. Nec obstat quòd testator proprias neptes excluserit: quia filias suas, & descendentes ex eis prætulit etiam fratri suo germano, & omnibus aliis agnatis, & sic non perpetuò consideravit nomen familiæ, & consequenter favore agnationis

non potest induci aliqua substitutio ultra personas expressas, Baldus in l. *si defunctus* C. *de suis & legit.* Alexand. *consi.* 80. *col.* 4. *libro primo.* Philippus Decius in cap. *si quis nec causam* in princ. num. 4. *si cert. petat.* lib. 2. C. *de in jus vocand. l.* 1. *num.* 3. ubi in annot. tetigi. C. *de succes. edicto.* Minus obstat quòd nihil voluit relinquere filiabus, vel neptibus fratris, quia verum est jure substitutionis: sed postquam frater, vel ejus masculi fideicommissum obtinuissent, voluit filiabus eorum relinquere jure successionis ab intestato: quia non substituit fratri, & ejus masculis simpliciter, nec in defectum masculorum, sed in defectum liberorum: & sic omnibus liberis reliquit jus successionis ab intestato l. *vel singulis de vulg. & pupill.* Nec est verum quod idem verbum debeat uniformiter intelligi, nisi quando semel tantùm est prolatum, ut in d. l. ult. C. *de sentent. & interl.* & in d. l. *jam hoc jure*, secùs si plures: quia tunc difformiter accipitur pro ratione cujusque clausulæ ubi opponitur, imò etiam idem verbum semel tantùm in eadem oratione prolatum, si refertur ad plura, difformiter accipitur secundum naturam relati, tex. in l. 2. & ibi glo. ff. *de offic. proconf. & legat. l.* 1. §. 1. Quando de pecul. actio est annal. l. *Plautius*, & ibi glo. *in verb. procuratorem*, *de procuratoribus*, l. *certi conditio*, in princ. & ibi glo. *in verbo non potero*, ubi Alber. col. 4. *si cert. pet. tex.* in l. *pater Severinam*, §. *conditionum*, & ibi Paulus *de cond. & demonst.* Jo. Faber in §. *retinendæ*, col. ult. *Instit. de interdict. text.* in cap. *consideravimus*, & ibi Panor. *de electione Vidari*, Zasius *in l.* 2. §. *ex his num.* 26. *de verb. obli.* Philip. Decius *in capitulo secundo*, *numero* octavo, ubi in annot. dixi *extra de rescriptis.* Nec est etiam verum quòd verbum masculis etiam ixpius positum censeatur in sequentibus clausulis repetitum, nisi alus sufficientibus conjecturis concurrentibus. Ad hæc quæ dixi *in annotatis ad Alex. consi.* 52. *num.* 35. *lib.* 4. & ad Philip. Dec. *consi.* 15. *consi.* 270. minus obstat: quòd si excluserit neptes ex filiis, ergo excluserit neptes ex fratre: quia fratri & ejus masculis non sunt substituti agnati, nec alii descendentes testatoris: sed merè extranei. Et sic objectio nullum colorem habet. Ad sextam rationem non obstat quod testator in substitutione Ferrici iterum excludit superstites de liberis suis, & eorum heredibus, ut vocet Ferricum: Ergo fortius excludit superstites de liberis fratris non substitutis, videlicet fœminas, & natos ex eis, ut faceret locum Ferrico: quia ut patet in clausula testamenti, num. 14. thematis, ea clausula longè habet alium sensum: non enim testator ibi facit novam, nec aliquam exclusionem posteritatis suæ, nec intendit illam postponere: sed præferre non solum fratri, & suis masculis, sed etiam Ferrico; & omnibus aliis deinceps substitutis. Verùm intentio testatoris fuit, quòd substitutio Ferrici, & suorum non fieret caduca, etiamsi frater, & sui masculi decedant sine heredibus, antequam substitutioni eorum locus sit: sed quòd Ferricus substitutus in locum fratris, & suorum heredum, non solùm fideicommissariè in casum quod frater, vel sui masculi pervenirent ad substitutionem, & postea sine heredibus naturalibus, & legitimis decesserint: sed etiam vulgariter in casum quòd frater, & sui masculi deficerent ante locum sibi apertum, videlicet superstitibus nàhuc aliquibus de dictis liberis testatoris, vel eorum heredibus substitutis, videlicet de stirpe filiarum testatoris, in cujus defectum frater, & sui masculi vocati erant ante Ferricum.

37. Ut juxta doctrinam Bar. & Imol. in l. *quandiu* 3. *de acquirenda vel omitten. hereditate*, caducitas intermedii gradus non excludat, sed intromittat sequentem: de quo dixi *in annotatis ad Phil. Dec. consi.* 238. Non obstat quod Ferdinandus ipse fassus est, si decederet sine masculis, bona fore affecta Comiti Montbelgardensi, quia hæc non sunt verba Ferdinandi, sed Ulrici, quia ambo in dicto contractu permixtim loquebantur. Et sic verba censentur in dubio ab illo prolata cui prosunt, ut per Bart. in l. *sæpè de verb. signific.* & in l. *liberorum*, col. 3. eod. tit. Raph. Fulg. l. *Labeo de contrab. empt. & vend.* Bald. *consi.* 40. *lib.* 1. Hiero. Grat. *consi.* 11. *lib.* 1. Tum sunt enunciativa. Et certè hæc 4. quæstio valde anceps est, nec argumentis hinc inde acierum vice instruendis, & collidendis finis esset.

38. Sed argumentorum altercatione omissa, nuda testamenti verba, eorumque tractum, num. 11. 12. 13. 14. 15. inspiciendo, fundatior est, ut dixi, prior pars pro substitutione Ferrici & suorum: quia apparet fratrem non fuisse prælatum Ferrico contemplatione, vel merito personæ, vel descendentium ex eo, sed solùm intuitu nominis de Novocastro, ergo Ferricus, & sui non debent excludi per descendentes dicti fratris ex fœminis, quia nisi fuisset honos nominis de Novocastro, Ferricus benemeritus & dilectus, prælatus fuisset Joanni, & omni ejus posteritati. Apparet etiam num 15. in themate, quod testator in locum fratris, & masculorum ejus, statim ponit Ferricum, & suos. Tertio apparet per tam multas subordinatas graduales substitutiones, quod voluit dicta bona jure substitutionis perpetuo devolvi, ad quod facit qualitas castrorum, & ditionum nobilium, Bart. in l. *filiusfam.* §. *divi.* num. 3. & ibi Alex. col. 7. *de leg.* 2. Cy. Bal. in l. *Voluntas* 1. C. *de fideicom.* Jas. l. *quoties ab omnib.* C. eo. Et verus consuetudo nobilium in dicta regione: & ferè ubique.

39. Et sic quaquaversum, & in omnem eventum semper remanet fundata intentio præfati principis. Aut enim filiæ Ferdinandi fecerunt deficere fideicommissum, & adhuc non sunt substitutæ, sed tantum veniunt ab intestato, cùm nullo modo sint in dispositione, sed tantùm in conditione: & sic præfatus princeps habet jus verum, & incommutabile ex cessione Ferdinandi, qui liberas manus habebat. Aut vero filiæ Ferdinandi non fecerunt deficere fideicommissum, & tunc acquisitum fuit dictis *de Cusance*, & sive per cessionem, sive per repudiationem eorum quæsitum est præfato principi qui causam habet omni disputationis alea superiorem.

40. Solùm superest Quinta quæstio, an circiter triginta novem annorum præscriptione excludi possit Dubium facit, quòd licet restitutioni legati, vel fideicommissi non præscribatur longo tempore l. ult. §. *fin autem C. communia de legat.* tamen longissimo tempore, saltem à die conditionis ex tantis præscribitur, secundum Bart. Paul. & omnes in d. §. *fin autem*, & in l. *filiusfam.* §. *divi. ff. de legat.* 1. Quia ut omittam detractionem temporis hostilitatis, quo præfatus Ulricus propter quoddam imperii oppidum vi occupatum fuerat, ultra duodecim annos expulsus, & omnibus ditionibus spoliatus à Ferdinando Archiduce Austriæ, & confœderatis Sueviæ: quo etiam tempore *Gabriel* Comes Ortembergensis thesaurarius generalis præfati Ferdinandi Stucardiæ, & Tubingæ loco dicti Ulrici Imperantis cistam, in qua testamenta, cessiones, & alia instrumenta ad hanc rem pertinentia reposita erant, subripuit ex archivo Stucardensi, ubi erat armarium instrumentorum, & titulorum præfati Ulrici tempore, pro bello pulsus, & spoliatus fuit, ut etiam omittam detractionem temporis minoris ætatis præfati Christophori post obitum Ulrici patris sui, tanquam in re non necessaria.

41. Dico non potuisse ullam temporis præscriptionem inchoari per filias Claudii filii testatoris, vel earum maritos præsertim Comites Ortembergenses: quia post obitum Claudii, sine masculis defuncti, Guillielmus frater ejus, tanquam substitutus, saltem ad usumfructum eas ditiones jure testamenti paterni, de

quo agitur, publicè & pacificè occupavit, & possedit usque ad obitum suum, qui fuit anno sesquimillesimo quinto, quo tempore subsitutione aperta Ferdinando Novocastrensi, Ortembergenses vi sese intruserunt, & statim judicio possessorio conventi fuerunt à Ferdinando in senatu Dolano, ubi judicium sequestri, deinde sententiam diffinitivam anno sesquimillesimo decimo sexto obtinuit contra eos vi, & armis executioni dictorum Arrestorum resistentes, quare multati sunt, & proscripti. Cùm ergo initium possessionis eorum fuerit violentum, nunquam propter malam fidem præscriptionem ullam inchoare potuerunt, rebus etiam ipsis vitio reali in omnem successorem transmissibili affectis, ut non potuerint usucapi, vel percipi antequàm in domini potestatem reverti fuerint, §. *furtivi*, §. *aliquando Instit. de usucapion. l. vitia possessionum C. de acquir. vel omitten. possession.* Et ultra malam fidem personalē, & vitium reale rerum concurrunt non solùm judicialis interruptio,

42. Sed etiam res judicata, quæ ad 11. annos perpetuavit. Et insuper anno sesquimillesimo vicesimo secundo, Anna Ferdinandi Novocastrensis filia tanquam hæres patris executionem dicti Arresti diffinitivi contra eos judicialiter petiit. Et sic nova interruptio, imò etiam nova perpetuatio: non solùm enim novalis contestata super instantia executionis, sed etiam Arrestum Dolæ latum pro dicta Anna: sed à tempore dicti novissimi Arresti non sunt quadraginta anni, ergo, &c. Et insuper paulò post novissimum Arrestum antequàm exequeretur, supervenit bellum, expulsio & spoliatio Ulrici, quæ ultra duodecim annos perseveravit; & tempore medio, facta est substractio titulorum, & instrumentorum per adversarium, quæ sunt non solùm accessiones, & pertinentiæ, sed etiam authoritates, & sic fundamenta ipsa prædiorum, & ditionum l. ult. in princ. ibi, Instrumentum authoritatis, *ff. de pignorat. action. fam. l. 1. C. de donatio.* deinde mors Ulrici, & minor ætas Christophori, quæ simul juncta nullum locum præscriptioni relinquunt.

43. Præterea etiam ultra prædicta certum est quòd prosecutio, & interruptio Annæ hæredis Ferdinandi, non minùs profuit, & prodest præfato Ulrico, & ejus filio, & heredi principali Christophoro, quàm persecutio, & interruptio ipsius Ferdinandi: quia omnia jura sua cesserat Ulrico, & ad ejus commodum, ejusque periculo, & impensis prosequebatur. Litis autem persecutio, & præscriptionis interruptio per actorem facta, non solùm prodest actori, sed etiam cessionem, vel causam habenti ab eo, vel ejus decessore, *l. sæpe ff. de re judica. l. cum vir. de usucapion. l. si maritus §. si voluntate solut. matr.* & consequenter præfato dom. Christophoro Duci Vvitembergico, & Comiti Montbelgardensi: sic interruptio facta per eum, qui habet directas, prodest ei cui competunt ut des, ut cessionario: & contra interruptio facta contra obligatum directo, vel primario perpetuat contra obligatum utiliter, vel secundario, Bar. *l. cum quis, §. si quis pro reo. de solution.* & in *l. cum hereditas, 2. ad Trebellian.* per illos text. ad hoc textus in l. ult. *C. de duobus reis*, in l. *si à colono, §. cum facit, ff. de fidejussoribus, l. si ex legati l. mora, ff. de verbor. obligatio.* Et pariter ad commodum sequentis substituti, qualis est præfatus Dux Christophorus d. *l. cum hereditas, 2. ad Trebellian.*

44. Accedit quod ejusmodi præscritionem temporis, lex vocat iniquorum, & impiorum hominum præsidium, in *Authen. ut Ecclesia Romana, §. habeat itaque*, colla. 2. per quem tex. ait Bal. in l. 1. *C. de præscriptione triginta, vel quadraginta annor.* quòd si causa cómissa est arbitratori, qui debet cognoscere, ut vir bonus & æquus quod poterit secundum Deum, & bonam conscientiam rejicere exceptionē præscriptionis, quia non est æquum, sed impium præsidium. Item, tenet Angelus in d. l. 1. & in *l. qui æquitate, ff. de exceptione dol.* & in l. 1. ad finem, *C. de judiciis*, & in *l. sequitur, §. si viam, ff. de usucapio.* Et sequitur Ludovicus Romanus in rubr. *de arbitris, col. 2. & in consilio 149. conclusionem primam col. 2.* ubi limitat procedere quando præscriptio saltem ab initio à mala fide incœpit, ut tunc nec hæres quidem defuncti etiamsi sit bonæ fidei, etiam ex suo capite uti possit hoc remedio tanquam nequissimo, & æquitati contrario. Sed hîc non solum à mala fide, sed & à violentia facti, ex instrumentorum substractione, & rebellione justitiæ incœpit. Et hæc ex abundanti dicta sint: quia certum est hîc nullum præscriptioni locum esse posse, & sic justitiam causæ prefati principis indubitatam esse.

45. Ad sextam quæstionem de fructibus, certum est omnes etiam percipiendos, id est, qui percipi potuerunt, deberi à tempore interdicti, uti possidetis, moti per Ferdinandum, & anni retro, & consequenter à tempore obitus Claudii ultimi filiorum testatoris, juxta naturam hujus interdicti possessorii. Et sic ab anno sesquimillesimo quinto usque ad annum sesquimillesimum vicesimum secundum, certum est omnes fructus etiam percipiendos debere restitui: quin etiam à tempore judicii super exequutione lati anno 1522. quandiu condemnati, & eorum heredes possederunt, & generaliter usque hodie solo tempore tertii bonæ fidei possessoris, cui nulla lis mora fuit, excepto per ea quæ dixi *supersyl. Parlamenti Parisiensis par. 7. Arresto 110.* Et latius *in consuet. Parisien. §. 30. g. 9. num. 36.* Adde dom. Andr. Tiraq. *in tract. de retract. proximitat. §. 15. gl. 2. nu. 17.*

46. Ad septimam quæstionem, an obstat illustrem Ducem & Comitem Christophorum distare ultra quartam generationem, vel fortasse fideicommissum hujusmodi ex parte heredum gravatorum, vel fideicommissariorum ambulasse ultra quartum gradum, & præfatum principem esse ultra quintum, vel decimum substitutionis gradum? Breviter respondeo, ineptum esse quærere, an præfatus princeps actor sit ultra quartum gradum ab illustri Henrieta: quia ex hypothesi non est nisi in quarto, sed quando esset in centesimo, adhuc idem esset: quantum enim ad gradus substitutionis licuit testatori facere quotquot voluit, nec est à jure prohibitum: quamvis enim simplex prohibitio alienationis facta in ultima voluntate non debeat extendi ultra quartam generationem, sed bene ultra quartum gradum, vel personam: in Authent. *de restit. fideicommissi.* Novella 119. Phil. Deci. *cons. 321. col. 1.* Paul. Paris. *cons. 39. an ipsa domina, lib. 3.* Socin. nepos *cons. 136. num. 43. lib. 3.* Patet ex genealogia infrà cod. consil. 4.

47. Tamen hîc non agitur de simplici prohibitione: sed nec de ulla prohibitione alienandi: sed de simplici graduali fideicommisso, in quo non est alia lex, quàm voluntas, & dispositio testatoris in Auth. *de nupt. §. disponat.* Quando enim constat fideicommissum esse in rem, ut hîc non habet locum dicta novel. ut ibi tenet Jac. Belvisi. §. *nos igitur.* Ut etiam consuluit collegium Bononiense, ut refert & sequitur Andr. Siculus in *l. cum acutissimi col. 68. C. de fideicom.* Soci. *cons. 249. col. 15. lib. 2. cons. 39. lib. 5.* Alex. *lib. 1. cons. 56. in princ.* Socin. nepos *cons. 136. in hac consultatione nu. 114. lib. 3.* Idem tenet Jason *in d. §. divi in lectura 1. nu. 113. & in l. ult. col. 2. nu. 5. C. de hered. instit.* Joan. de Montferrato in repetition. *d. §. divi charta vi.* & ibi Ferdinan. Loazes *col. 73. nu. 187.* Phil. Deci. *cons. 23. nu. 4. consil. 95. & cons. 196. col. 4. nu. 16.* Hiero. Gratus *cons. 31. nn. 24. cons. 133. ad fin. lib. 2.* & omnes ubique. Hæc est enim communis sententia, quæ etiam in praxi observatur, non solùm ultra, sed etiam citrà montes. Et ita quòd in infinitum excendatur, bis judicari vidi pro principe Uraniæ, videlicet primò in senatu Gratianopolitano, & iterum in magno consilio Francorum regis. Partes igitur prudentum, & bonorum judicum sunt in adjudicandis conclusionibus præfati principis secundum præ-

dicta. Et ita in omnibus, & singulis suprascriptis de jure censeo, & consulo ego Carolus Molinæus I. V. D. antiquis, Franciæ, nunc Germaniæ quoque Jurisconsultus, & primarius juris professor Tubingensis. Datum Tubingæ: die decimaquinta Decembris, anno Domini sesquimillesimo quinquagesimotertio.

EPITOME CONSILII II.

pro eodem principe.

1 *Scientia defuncti impedit heredem præscribere.* 2. 3. 4.

5 *Litis contestatio etiam annales actiones ad quadraginta annos extendit.*

6 *Res judicata pro veritate habetur, & victum in mala fide constituit.* 7. 8.

9 *Sententia non impedit, sed magis confirmat initium perpetuationis ad quadraginta annos.*

10 *Ex testamento competit hypothecaria, quadragenaria, quæ cumulari potest cum petitorio, vel actione ex testamento.* 11.

12 *Interruptio civilis prodest cessionario, præterito, & futuro substituto.* 14. 15. 17.

13 *Præscriptio non incipit antequàm agi possit.* 18. 19.

16 *Cessionarius potest petere executionem sententiæ pro cedente latæ.*

17 *Qui se adjungit liti, debet hoc facere in statu quo eam invenit.*

21 *Libellus principi datus non interrumpit, nisi in annalibus actionibus.*

CONSILIUM II.

LEctis & consideratis exemplaribus quinque instrumentorum, cessionum & venditionum factarum, tam anno 1507. per Claudium *de Cusance*, dominum de Bellovisu, & Marcum fratrem suum, & Emalphredum eorum patruum, illustrissimo principi Ulrico Duci Vvirtembergensi, & Comiti Montisbelgardi, quàm anno 1551. per Claudium *de Cusance* secundum, filium & heredem universalem dicti Claudii primi, & Marci patrui sui, tam suo, quàm Joannis *de Cusance* alterius patrui sui nominibus, illustri Principi Christophoro Duci Vvirtembergensi, & Comiti Montisbelgardi, insinuatione, & ratificatione facta in judicio, & punctis quæstionis è Germanico in Latinum versis per dominum Michaëlem Vaiium, ejusdem Principis legatum, qui ea omnia mihi sub scripto tradidit, ut quatenus factum narratur absolutè, quatenus autem circunstantia facti non explicatur, subjunctivè respondeam.

1. Quandoquidem tota impræsentiarum difficultas pendet ex eo quod ab obitu Ferdinandi de Novocastro, jam triginta anni lapsi sunt: breviter sentio, quoad Comites Ortembergenses, sive de *Vverdemberg*, & *Furstemberg* eorumve heredes; sive bona per eos possessa clarissimum, & indubitatum esse, nullum præscriptioni, etiam longissimæ locum esse posse, quoniam dictus Ferdinandus eos evicit per Arrestum in suprema Dolana Curia latum 20. Aprilis 1516. Hinc insurgunt duo certissima impedimenta præscriptionis.

2. Primum quia dicti Ortembergenses, sive eorum uxores, quæ erant filiæ, & heredes Guillielmi Novocastrensis, filii testatoris (à quo gravatus erat) non potuerunt præscribere, nec incipere præscriptionem, propter scientiam Guillielmi patris eorum, qui testamentum scivit, & illius publicationem approbavit: quæ quidem scientia in filias, & heredes defuncti descendit, ad effectum impediendi, ne possint præscribere, nec præscriptionem quidem inchoare, etiamsi fuissent ignorantes text. in *l. cum hæres* de diverſ. & temp. præscriptio. *l. vitia possessionum*, *C. de adquir. & retin. possess.*

3. Secundum, scientia ipsarum, & dictorum Ortembergensium: quia evicti, & exclusi fuerunt per Claudium de Novocastro, fratrem Guillielmi defuncti, qui tanquam substitutus ex testamento; totum quandiu vixit, possedit, in vim dicti testamenti, exclusis filiabus Guillielmi fratris, quæ non se passæ fuissent excludi à possessoribus paternis, qui in possessione mortuus fuerat, nisi viso & cognito testamento.

4. Tertiò, quia post mortem Claudii; sine liberis, rursus dictæ filiæ, & earum mariti Ortembergenses vocatæ fuerunt in jus citatione libellata per Ferdinandum vendicantem in vim dicti testamenti producti in judicio, & communicati reis, cujus necessariò notitiam etiam judicialem habuerunt. Quartò, quia sequuta est sententia definitiva, & Arestum præfatæ supremæ Dolanæ Curiæ in favorem Ferdinandi, cui bona etiam in possessorio etiam in fructibus, & impensis adjudicata fuerunt die vigesimo Aprilis, anno 1516.

5. Et sic jam non solùm mala fides ex præcedenti triplici, & ex quadruplici capite non solùm interruptio præcedens per contestationem litis cum Ferdinando factam, quæ ad quadraginta annos perpetuavit, etiamsi actio temporalis fuisset, quæ tamen erat perpetua *l. nam posteaquàm*, §. *si is qui temporali*, *ff. de jurejur.* l. ult. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum*, *l.* 1. §. 1. *anna. exceptio.* sed etiam sententia illa, & res judicata supremæ Curiæ non est petitoria, quæ reliquerit condemnatos possessores: sed possessoria, quæ constituit, & declaravit Ferdinandum solum, & verum possessorem, eumque effecit pacificum, utpote per Arrestum litem omnem, & controversiam abscindens.

6. Si igitur illi Ortembergenses, & eorum uxores declaratæ sunt non possessores per Arrestum quod pro veritate præjudicata habetur, *l. res judicata de reg. jur.* non potuerunt exinde præscribere, nec novam præscriptionem inchoare, non solùm ex multiplici defectu bonæ fidei, quinimo propter positivam malam fidem per illud Arrestum liquidatam, & verificatam: sed etiam ex defectu possessionis æquè liquidato, & judicato per idem Arrestum.

7. Sextò, per aliud Arrestum ejusdem Curiæ, die 28. Martii, anno 1522. latum in favorem heredum Ferdinandi, super confirmatione, & exequutione prioris Arresti: ergo etiam anno 1521. etiam post mortem Ferdinandi, dictæ filiæ Ortembergenses fuerunt,

sine bonâ fide, imò cum positiva mala fide, & quod plus est, sine possessione, & consequenter, sine ullo principio præscriptionis: & quod magis est, sine ulla potentia, capacitate, vel aptitudine inchoandi ullam præscriptionem, quam hoc respectu, & omnium bonorum, de quibus lata sunt illa Arresta, impossibile est posse inveniri per prædicta.

8. Et ultrà, quia etiamsi posset aliquando posteà præscriptio triginta annorum esse inchoata (quod non est possibile per prædicta) tamen non supereset tempus sufficiens. Et si daretur tempus sufficiens ad præscriptionem tricenariam, quod est impossibile à tempore dicti ultimi Arresti, consideratis prædictis circunstantiis, & inhabilitate termini à quo: tamen nos non sumus in præscriptione tricenaria, sed opus esset quadragenaria duplici ratione.

9. Prima, quia paulò ante ultimum Arrestum anni 1522. fuit quædam litis contestatio, quæ perpetuavit ad alios quadraginta annos: qui quadraginta anni non incipiunt à tempore litis contestatæ, sed post interruptionem, vel cessationem litis, si qua posteà contingat, quæ non potuit contingere, nisi aliquanto tempore, post dictum ultimum Arrestum anni 1522. qui nondum possent esse elapsi. Nec obstat, quod post contestationem intervenit Arrestum: quia illud non tollit perpetuationem quadragenariam adquisitam per litis contestationem, sed magis illam (si opus sit) confirmat: tum quia nemo post litem contestatam prosequendo, deteriorem suam litem facit *l. nemo prosequendo, de regu. jur. l. non solet deterior, ff. eod. tit.* tum quia res judicata non potest prodesse condemnato, ad tollendam, vel diminuendam illam perpetuationem, sed potiùs nocere, *l. evidenter, ff. de except. rei judic.* Nicolaus Boërius *decis. Burdegalensi*, 48.

10. Aliud fundamentum præscriptionis quadragenariæ requisitæ, est: quia ex testamento, de quo agitur, non solùm vendicatio, sed etiam hypothecaria competit l. ult. *C. communia, de legatis*, quæ quadraginta annos durat, non solùm contra heredem, sed etiam contra extraneum, si sit in mala fide, *l. cum notissimi, §. 1. C. de præscriptione triginta, vel quadraginta annor. l. 1. §. 1. C. de annal. exceptio.* Sed nondum sunt lapsi quadraginta anni à tempore ultimi Arresti, & adhuc non posset quadragenaria incipere ab ab illo Arresto, necdum post illud, non solùm propter tot capita malæ fidei: sed etiam propter defectum possessionis.

11. Illa autem hypothecaria cumulari potest in libello cum petitorio, imò cumulata intelligitur in vim clausulæ generalis & salutaris, super quibus & singulis, & inde resultantibus, pero justitiam ministrari, quæ est in fine libelli, ut no. in *l. 1. ff. de jurisd. omn. judic.* in *l. edita, C. de edendo.* Quòd si qui consiliariorum cavillentur per §. variis in *l. cum filius ff. de lega. 2.* responsiones habeo paratas è regestis meis, quas nunc exerere minimè opus est per prædicta, nec tempus patitur, spatio mihi multarum rerum defectu *a* intercluso.

a Defectu nempe domus doctoralis promissæ non præstitæ; hinc detinet amanuenses assiduè obedientes, & reliqua.

12. Illud autem proculdubiò certissimum est per primum consilium *b* à me redditum, omnes illas interruptiones, & omnia impedimenta præscriptionum prodesse præfato principi per cessionem, etiam ante illa Arresta factam à dicto Ferdinando, quæ absque dubio fuit valida, efficax & indubitata: tametsi Ferdinandus tempore cessionis nullam adhuc restitutionem, nec verbalem, nec realem haberet, quamvis contrarium erroneè consulentes, non solùm maximo damno præfatum principem affecerint in fructibus, & in jure exequutionis Arresti, in viam novæ ordinariæ actionis conversо, sed etiam dando occasionem lapsui temporis, & novis (in quibus nunc harent) præscriptionum difficultatibus, quæ tamen nullæ sunt, per predicta.

b Consilium suprà cons. 1. num. 43.

13. Nec novis cessionibus, aut libellis opus est. Adhuc ultra omnia prædicta, aliis rationibus non est præscriptioni locus. Primò, quia post obitum Ferdinandi sine liberis, substitutio fuit aperta, & jus delatum dicto Emalphredo, & Claudio primo, & Marco *de Cusance*, qui ante obitum Ferdinandi, sine masculis agere non potuerunt, cum nullum jus haberent: & sic cùm nondum esset jus eorum natum, non potuit contra eos incipere præscriptio ante obitum Ferdinandi, per notar. Alex. *in consil.* 101. *lib.* 6. Paul. Castrensis *consil.* 243. *lib.* 1. Philip. Dec. *consil.* 498. & *consil.* 468. Et adhuc non potuit statim à morte Ferdinandi incipere præscriptio, propter Arresta recentia, imò etiam diu post obitum ejus iterum lata ex eadem causa ejusdem testamenti.

14. Omnes autem interruptiones factæ per substitutum præcedentem in gradu etiam ejus nomine, & ad ejus commodum, prosunt substituto sequenti in gradu, per text. rotundum in *l. ex contractu, ff. de re judic.* & in c. *si vasallus de beneficiis, si de feu. controver. fuc. in usibus feud.* Alex. *consil.* 123. *num.* 3. *lib.* 1. Et quemadmodum prosunt secundo substituto, ita tertio & ulterioribus per eadem.

15. Porrò, non ad dubium quin æquè prosint cessionario, cui etiam prosunt omnia illa Arresta, tam ad commodum Ferdinandi, quam post ejus obitum ad commodum filiarum, & heredum ejus lata, etiam post cessionem ab eodem Ferdinando factam, per regulam quòd omne jus superveniens authori meo, mihi prodest, per text. in *l. cum vir*, & ibi Bart. Paulus, Imol. & omnes, *de usucapion. Bal. in c. 1. in fi. Qui succes. feuda in usib. feud.* Alex. *consil.* 1. *num.* 38. *lib.* 5.

16. Nec est dubium quin illustris Dux Ulricus potuisset petere executionem dictorum Arrestorum, sive illa exequi ad commodum suum: hoc enim tenebantur heredes Ferdinandi (prout & ipse Ferdinandus) facere & pati, & ad hoc fuissent condemnati, prolata cessione, quæ valida & optima erat, quidquid alii errabundè nimis, & stupidè contrarium dixerint, cùm cessio illa facta esset post jus cessum, & quæsitum Ferdinando, qui non indigebat restitutione verbali: tum quia ulterior fideicommissarius, tum quia particulare fideicommissum, tum quia distinctè non exigitur restitutio, ut valeat cessio, ut clarè docui in primo *c* consilio.

c Primo. q. 3. num. 10.

17. Rursus, omnia prædicta prosunt Claudio secundo *de Cusance*, & Joanni patruo, qui fecerunt ultimam cessionem anno 1551. Et quemadmodum illis prosunt, si agerent, ita prosunt cessionario agenti, etiamsi cedentes sese cum illo non adjungant, non nocebit: poterunt autem sese adjungere in extremo litis actu, & conclusione causæ in eo statu, in quo erit: & tantum proderit ad movendos quosdam judices, quantum ab initio, ut per Alber. in *l. sæpe, de re jud.* Oldrad. *q.* 254. Alexand. *consil.* 18. *num.* 6. *lib.* 1. ubi in annotationibus dixi. Imo sufficit quòd quandocumque declarent se cessisse, & sibi placere, quanquam jam plus, quàm declaraverunt: nec proderit declaratio, nisi ut aliqui vacillantes judices, dubitantes forte an mortui sint relictis aliis masculis, videant illos supervivere,

18. Similiter quantum ad Claudium secundum *de Cusance*, nova præscriptio esset inchoanda, & adhuc omnino, & in omnem eventum tempus minoris ætatis Claudii secundi post obitum patris esse deducendum, saltem via restitutionis quæ jure communi debetur l. ult. *C. in quib. caus. in integr. restitu. non est necess.*

19. Quòd si in libello contineantur alia bona, quæ non fuerunt possessa per condemnatos per dicta Arresta, nec per eorum heredes, sed per alios, adhuc non est locus præscriptioni. Primò, quia à morte

Claudii primi *de Cusance* non sint triginta anni. Secundò, Claudius secundus, patre vivo, interim agere non potuit, & sic non esset tempus sufficiens per Paul. Alexand. Deci. suprà allegatos. Sed quia plerique aliter tenent, *& §. fin. autem, l. ult. C. communia de legatis*, non loquitur, nisi de præscriptione longi temporis, non facio in hoc fundamentum præcisum.

20. Tertiò, quia saltem deducendum tempus minoris ætatis Claudii secundi, ut dictum est, & sic si non supersit tempus sufficiens, res est expedita. Sed hoc dependet à circunstantia facti mihi non expressa. Quartò, ergo non potest esse locus præscriptioni, quia ad summum non sunt quadraginta anni, qui tamen requiruntur propter concursum actionis hypothecariæ, quæ cumulari potest, ut dixi. Ex quibus undequaque ad amussim discussis, liquet nullo modo in hac causa timendum ab objectione præscriptionis, nec novis cessionibus, sed nec adjunctionibus quidem cedentium opus esse.

21. Cæterùm non est blandiendum per libellum imperatori oblatum, interruptam esse, si quæ aliàs fuisset, præscriptionem, quia hoc tantùm procedit in actionibus annalibus, *l. 2. C. Quando libellus principi datus*, & secùs in aliis, nisi citatio sequuta fuerit, *l. sicut*, §. *Nec sufficit precibus, C. de præscript. triginta, vel quadraginta anno.* Jas l. ult. *de eo per quem factum erit.* Franc. Balbus in tract. *præscription.* in 3. parte ultimæ partis, *num. 6. cum sequent.* Et ita in omnibus, & singulis prædictis sentio, & consulo ego Carolus Molinæus I. V. D. Franciæ & Germaniæ Jurisconsul. præfati illustris Ducis Consiliarius, primusque legum professor Tubingensis. Datum Tubingæ die 3. Aprilis anno M. D. LIV.

EPITOME CONSIL. III.

1 *Consuetudo Comitatus Burgundiæ.*
3 *Ad litis contestationem, & omnes ejus effectus juris communis sufficit petitio, & contradictio judicialis, non obstante stylo diverso.* 4.
5 *Feudum regulariter non amittitur ipso jure.*
6 *Et ubi amittitur, requiritur sententia declaratoria.*

CONSIL. III. THEMA TALE EST.

JOANNES *de Lanjoye* Dominus *de Barmont* carens liberis elocat Annam neptem, & promittit mille ducenta dotis, cujus loco promittit assignare sexaginta reditus super prædio *de Lanjoye*, quod in feudum tenetur à Comite Montisbelligardi. Anna & maritus possessionem prædii pro dote assignati, non requisita permissione dicti Comitis, ingrediuntur, qui vi armata eos expellit. Anna jura sua dicto Comite irrequisito, aliicedit, qui cum vendicare cœpisset, obiit, exinde Comes duobus & triginta annis pacificè possedit: nunc heredes cessionarii repetunt. Commes possessionem quadragenariam allegat.

VISO themate, signato *Rosselet*, & consuetudine Comitatus Burgundiæ. Ego subscriptus tam de jure, quàm de consuetudine, & stylo respondeo.

1. Ad primam quæstionem, omissum, vel neglectum consensum dicti Comitis domini feudalis nullum prætextum, nullam causam nec occasionem bonæ fidei, nec initium ullum præscriptionis dare potuisse, maximè attenta consuetudine Comitatus Burgundiæ, art. 8. quæ permittit in tractatu matrimonii feuda dare nepti, vel remotiori; & donatario possessionem apprehendere, sine consensu domini feudi, & periculo commissi. Et tic tria impediunt initium, & progressum præscridrionis: videlicet primum, mala fides per dictam consuetudinem, quæ in ditione Montbelgardensi, quæ à Comitatu Burgundiæ processit, notoriè observatur. Secundum violenta possessio. Tertium litis contestatio.

2. Ad 2. quæstionem non nocere vassallis, vel heredibus, aut cessionariis silentium triginta annorum post rem deductam in judicio. Et præposterum est allegare, illos destitisse à lite: minùs enim nocet, quàm si nullo modo prosequuti fuissent, *l. nemo enim prosequendo de reg. jur.*

3. Ad tertiam quæstionem litem fuisse satis contestatam ad effectum non solùm interrumpendæ omnis præscriptionis: sed etiam ad quadraginta annos perpetuandæ actionis, *l. 1. C. de annali exceptione.* & ad omnes alios effectus juris communis, per libellum in judicio datum, & responsionem factam, etiamsi nec ad rubricas, nec ad aliud processum sit, nec lis secundùm formam, & stylum loci contestata: quia omnia jura communia, quæ de litis contestatione loquuntur, intelliguntur de narratione petitionis actionis, & contradictione rei in judicio, *l. 1. C. de litis contesta.* Nec aliud ad omnes effectus juris requirunt, & mutando nomina rerum, non possunt res, nec effectus legum super rebus mutari.

4. Ut frustra consiliarii Principis caussificentur, & inculcent apud eos, & in eorum foris notorium esse, litem non esse contestatam, nisi tempore conclusionis in causa, & disputationum juris; quia non potest dici, nec negari quin per dictam conclusionem, & contradictionem judicialem lis dicatur contestata super rebus tunc controversis in terminis juris communis: & sic quoad omnes effectus juris communis quantum ad illa controversa, ut valde delirent, qui stylo, & formula particularis loci hac in re niti volunt, fateor litem nondum esse contestatam, quoad effectus, quia dicto stylo, vel à conclusione causæ dependent: sed non quoad effectus dependentes à jure communi, in quibus sufficit contestatio juris communis.

5. Cæterum exploratissimi juris est, feudum regulariter nunquam ipso jure: sed tantùm per sententiam amitti. Jacobus Alvaro. Præpos. in *l. Imperialem*, §. *præterea si quis col.* 1. de prohibita feudi alienat. per Federicum, *in usibus feudorum*, Petrus Jacobi, in tit. *de conditio. ex l. Imperialem*, & tit. seq. Jo. Petrus Ferra. *in pract.* Papi. in forma libel. quo agi. de reno. feud. in verb. *nec superstitibus ex eo liberis* col. 8. Card. Flor. in c. 2. col. 3. q. 7. *de feudis*, & pulchrè Alex. cons. 224. *omissis superstitibus*, col 1. lib. 1. cons. 92. num. 22. 23. lib. 6. Jacob. de Georgio in *investi. feudo*, in verb. *& promi. eidem do. sine. præsta. servi.* 9. ult. Plenè dixi *in consuet. Parisiensis*, §. 32. q. 6. *num.* 23. *cum. seq.*

6. Et insuper in paucis casibus specialibus, in quibus ipso jure feudum amittitur, tamen ante executionem requiritur sententia declaratoria, juxta c. *cùm secundum, de hæreticis, in sexto*, in *l. ejus qui delatorem, ff. de jure fisci*. Bald. & Alex. in *l. Si quis major.* col. pen. *C. de transactio.* Alex. in cons. 103. col. ult. num. 17. cons. 124. lib. 1. Guido Papæ super statu. *Si quis per literas maledixerit*, pag. 48. col. 3. Philip. Decius *in Authen. causa*, num. 14. *C. de sacrosanct. Eccle.* in *l. factum*, §. *in pœnalibus, ff. de reg. juris*, latè Panorm. in cons. 3. *Nitar. in præsenti.* col. 6. vers. ad octavam quæstionem lib. 1.

7. Ex quibus concludo, exploratissimum esse intentionem vassalli jure fundatam, & dominum feudi nullam justam defensionem habere, tametsi quidam insignis doctor Bisuntinus dicti Comitis stipendiarius consuluerit feudum vassallo sine fructibus, & compensatis impensis restituendum, solvendo per vassallum ducentas libras Burgundionenses relevii in homine: sed nescio adulari. Ego Carolus Molinæus I. V. D. Franciæ, & Germaniæ Jurisconsultus, ducalis consiliarius, & Tubingensis Academiæ jurium professor primarius. Datum Tubingæ vigesima Februarii anno sesquimillesimo quinquagesimo quarto à Nativitate.

THEMA ABBREVIATUM CONSILII IV.



ANno 1397. dictus Stephanus condidit testamentum, in quo si Henricus non rediret è Bello Turcico ex Bulgariâ, dictas quatuor neptes heredes universales instituit, juxta divisionem in eodem testamento factam: videlicet Henrietam in Comitatu, in castro, urbe & arce Montebelligardi, in castro, urbe & arce de Pourrentraco, in castro, urbe & arce de Grangia, & Destobonensi, & Salnatensi, & Clarevallensi ad Dubin, &c. Et dictam Ioannam in castro, burgo, & arce Montisfalconis, in castello, burgo & arce *de Badans*, in castro, burgo & arce de *Vuillafans le vieux*, &c. Et dictam Margaretam in omni terra ultra Iuram, &c. Et dictam Agnetem in urbe &c. Et decedenti sine liberis superstites substituit. Et quod aliter non possit ordinare nec disponere aliqua de minoribus nata, decedens sine heredibus è suo corpore naturalibus & legitimis, &c. Et quòd heredes dictarum filiarum successivè non possint per testamentum vel dispositionem dare, permutare, vel disponere de dictis terris, in aliam personam, nec cuivis de alia linea existenti, quàm unde venerunt & descènderunt dicta heredia & jura: sed debeant venire & reverti semper dictæ terræ, reditus, heredia & jura ad magis proximiores lineæ undè venerunt & descenderunt. Mortuo testatore Ioanna dictam terram *Vuillaffans* dedit vel legavit Theobaldo ex sorore nepoti, à cujus pronepotibus ex Claudio post obitum Renati, in quo 1544. proles Ioannæ defecit, Christophorus Dux Wirtembergensis vendicare cæpit.

CONSILIUM

CONSILIUM IV.

VIr amplissime! heri manè literas tuas cum fasciculo recepi: & mox relictis omnibus (nisi quòd lectiones meas, etiam cum meo apparatu analytico, nunquam intermittò) legi & excussi, ut quæ nuntio promisi, nunquam à me fallantur, promptissimè (si quisquam in orbe) expedio: nec minore judicio brevi, quàm si multo tempore, solitus breviori ardua quæque etiam principum in Gallia conficere: non enim ingenium, sed locum tantùm mutavi. Miratus sum, videns replicas in terra *Vuillafans le Vieux* contra Ludovicum *de Rie* invent apud me copiam defensionum & libelli illustris Ducis ante sex dies allatam, quas copias nondum legeram, cùm non opus esset:

1. Vidi causam malè inchoatam, adhuc peiùs fundatam ex facto quod inde resultat. Non enim plus juris habet actor contra Ludovicam, quàm ipsa haberet contra actorem, si actor esset ex stirpe legatarii: cùm ex hypothesi & prædicta genealogia uterque sit ejusdem lineæ, unde prædium processit, & in eodem gradu. Nec prodest tempore mortis Renati illustrem Uldricum superstitem & proximiorem fuisse, quia non egit, & minus litem contestatus est, quin nec potuisset.

2. Ratio enim proximitatis gradus non attenditur, nisi cùm res extra familiam alienata est: quo casu non proximiores modò, sed omnes vocantur, *l. pro §. fratre de legat.* 2. *l. is qui de leg.* 3. Quamvis pluribus concurrentibus, proximiori cæteris caveni deferendum sit. *d. §. fratre.* Ad hæc non ignoro arguari posse Joannam prohibitam non fuisse, nisi casu quo sine liberis decederet: sed admitto prohibitionem generalem (ex ratione expressa) ad omnes etiam has neptes institutas referri.

3. Tamen non prohibetur, nisi in exterum à linea ibi, *à autres personnes, ne d autres lignes.* Ubi negativa *non* æquipollet negativæ *neque*, nunquam hactenus audivi verbum de hac causa, etsi initio audivissem, idem promptè, quod nunc respondissem. Nihil moror quod alii dixerint, nihil me docere possunt, prout nemini sum cessurus. Jam dudum ostendi meam analysim superiorem esse.

4. Consului in duobus, primo ex testamento Theobaldi, & cessionibus Ferritiorum, & ostendi inveteratos plus quam viginti annorum errores & principem nostrum justissimam fovere causam. Secundò, consului super bonis quæ fuerunt Stephani, per eum distributis Joannæ nepti, & relictis per obitum Renati Uraniæ principis: & ostendi etiam justissimam principis causam, imò utriusque tam Ulrici quàm Georgii, tanquam proximorum vocatorum, & Ulricum transmissile in illustrem Christophorum, in quo nihil attinet, si ex linea Agnetis supersint in eodem gradu cum eo.

5. Aliud est enim transmittere (quod de semel jure proximioris gradus quæsito fieri potest) etiam in remotiorem. Aliud velle revocare ab eo qui est de linea, etiamsi sit remotior, & præsertim ferè post centum annos pacificæ possessionis Theobaldi, & legitimè descendentium ex eo à tempore legati dicti terræ *Vuillaffans*, per matertteram suam ei facti, & cùm descendentes ex ea nunquàm per tantùm temporis conquesti sunt.

6. Ad quos solos jus fideicommissi spectabat, si præposteto vestratium Doctorum argumento locus esset de prohibitione & fideicommisso restricto ad singulos dictarum filiarum seu neptum ramos, quasi singulas distinctas constituerent lineas, & non ad unam eandem ipsius testatoris lineam vel progeniem. Non tamen continuo cedendum reor: audaciores enim erunt judices in adjudicando æquo in aliis casibus, juxta proverbium. Quoad alteras replicas contra Joachimum *de Longny*, justissima causa est, & absque dubio ex his quæ dixi in primo consilio, & in secundo super præscriptione temporis.

7. Pauca addidi, ut circa malam fidem de cessionibus Ferdinandi, & Arretiis eadem curia latis contra neptes Theobaldi, si tamen hoc fuit allegatum, prout non amittere, sed latiùs hæc deducere expediebat in libello seu scripturis principalibus illustris Principis, quas non vidi, nec habeo. Poterit quod addidi, deleri vel relinqui, nec video opus esse aliud addere vel omittere. Si quod aliud opus sit, promptè faciam tametsi mecum pessimè agatur, quòd jam septimum mensem domo propria carere cogor, non dico mea (ne quis cavilletur) sed conducta. Ego antiquus jureconsultus, &c. Tubingæ. Calend. Maii, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto.

EPITOME CONSIL. V.

1. *Magis dilecta præsumitur mins gravata* 2.
2. *Verba negativa tollunt potentiam iuris & facti.*
3. *Verba testamenti coniunctim, non diuisim debent capi.* 4.
5. *Fideicommissum inducitur ab unica tacita ratione.*
6. *Verbum*, Semper, *præteritum, præsens, & futurum continet.*
8. *Prohibitio alienandi quædam personalis, quædam generalis.*
9. *Intellectus §.* fundum in l. pater filium de legat. 3.

CONSILIUM V.

QUantum ad testamentum illustris memoriæ Stephani Comitis Montisbelgardi, viso testamento, & consiliis datis super clausula prohibitionis factæ filiabus institutis, non potest eorum consilium subsistere, qui responderunt filias institutas, quæ heredes reliquerunt, nullatenus fuisse prohibitas alienare res & jura, in quibus fuerunt institutæ: quoniam eo solo casu nominatim & expressè prohibitæ sunt, quo sine heredibus legitimis de corpore suo decederent. Ut enim primùm tanquam in re clara omissis argumentis ex solo communi sensu & verbis testamenti agam cum eis qui sunt ejus sententiæ.

1. Quæro, An Henrieta magis quàm aliæ sorores, prohibita fuerit? Quis audeat affirmare, nisi se deridendum proponat? Erat enim Henrieta non solùm primogenita, sed etiam magis dilecta, ut patet in toto eodé testamento. Ergo non fuit magis, sed potiùs fuisset minùs, aut saltem æqualiter gravata & ligata. Atqui verba testamenti circa prohibitionem ipsius Henrietæ

sunt hujusmodi, *Et que ladite Henriete autrement n'en puisse ordonner ne disposer par quelque maniere.* Ergo certum est quòd absolutè, & omni casu prohibita est, sive non habuisset, sive habuisset liberos.

2. Verba enim illa absolura, imò etiam negativa, quæ potentiùs & universaliùs negant *l. hoc genus, ubi gl.* Bartol. & alii *ff. de condit. & demon.* Et negativa præmissa verbo *Potest*, quæ induxit necessitatem absolutam de jure & de facto, ut not. *in l. gallus de lib. & posth. Gloss.* Jo. Andr & alii in *cap. 1. de reg. jur. in sexto.* Et insuper alia verba universalia adduntur, videlicet: Per quemcumque modum. Ergo reliquæ prohibitiones aliis sororibus minoribus, minusque dilectis non minus tales & præcisæ censentur factæ.

2. In hoc autem præcipuè fuit error diversum opinantium, quòd putaverunt alias & diversæ speciei esse prohibitiones factas filiabus institutis, & prohibitiones deinde factas posteritati dictarum filiarum: & sic de facili paralogisati sunt divisim & non conjunctim ea considerando & judicando quæ testator uno & eodem consilio in eumdem finem concluſit & univit. Certum est enim quòd in institutionibus & substitutionibus dictarum filiarum connexis & dependentibus, unum & idem consilium fuit testatoris: videlicet ut bona conservaret in sua posteritate dictarum filiarum & descendentium ex eis, staretque divisio seu distributio per eum facta, ne extra suam lineam bona unquam transferrentur. Ad hunc enim solum & unicum finem filias ad invicem substituit, si quæ vel qua sine liberis decederent: & ad eum unicum finem tam filiabus, quam earum posteris omnem alienationem etiam in ultima voluntate prohibuit, & statuit semper uniformiter & perpetuò eadem bona reverti & manere proximioribus lineæ, unde processerunt.

4. Ergo in effectu unica est prohibitio, prout unicus est finis prohibendi, videlicet ne bona quovis modo devolvantur extra lineam suam: ergo dictæ juniores, vel secundò genitæ filiæ non solum prohibitæ sunt in casum quo non haberent, sed etiam in casum quo haberent liberos, quemadmodum Henrieta primogenita & prædicta erat in casum liberorum, & indistinctè prohibita.

5. Rursus à fortiori etiam ad finem fideicommissum inducendi valet argumentum ab unica etiam tacita ratione *gl. ult.* Alex. Phil. Corn. Jas. in *l. quamvis C. de fideicommiss.* Alex. *cons. 24. in fin. lib. 2. cons. 34. num. 8. lib. 5. cons. 86. num. 4. lib. 6. Cæpol. cautarum civil. cons. 75.* Sed hîc habemus rationem prohibitionis non tacitam, sed expressam; non solùm expressam, imò etiam generalem, absolutam, & universalem.

6. Quid plura? quando non solùm rationem, sed etiam dispositionem formalem habemus in ipsis dispositivis verbis testamenti, ibi: Sed debeant venire & reverti semper dictæ terræ & reditus, hæredia & jura ad proximiores lineæ unde processerunt. Quæ verba reguntur à verbo, *Item volo & ordino.* Et sic sunt verba merè dispositiva. Et sic in eadem oratione dictio, *Sed debeant*, non venit adversativè, sed augmentativè & ampliativè, & consequenter præsertim in vim verbi *Semper*, quod præteritum, præsens, futurum, & omnia comprehendit. Etiam filiæ secundò genitæ censentur absolutè prohibitæ, & ipsa etiam primogenita.

7. Summa, prohibitio incipiens à filiabus secundò genitis intelligenda est non minùs latè & absolutè, quàm prohibitio paulò pòst facta Henrietæ primogenitæ & magis dilectæ. Nec obstant verba incidenter addita: Quæ decederent sine hæredibus de suo corpore; non enim stant limitativè, sed ad designandum præsumptionem testatoris, qui non cogitabat opus esse prohibitione, si haberent liberos: & sic illa adjectio se etiam refert ad præsumptionem juris, de qua in *l. Lucius 2. de hæredib. instituen.*

8. Et in omnem eventum dato quod dici possit prohibitionem factam secundò genitis fuisse, factam contemplatione illius fideicommissi personalis dumtaxat: tamen succedit & sufficit alia prohibitio generalis & universalis facta universaliter favore & contemplatione totius lineæ, quæ non minus ligat secundò genitas quàm primogenitam. Aut ergo est una prohibitio uniformis & univoca, & indistinctè prohibitæ fuerunt etiam secundò genitæ: aut vero fuerunt duæ prohibitiones, prima personalis contemplatione personalis fideicommissi, secunda generalis contemplatione lineæ: & tunc cessant argumenta, quod generi per speciem derogatur. Et quod generalis clausula non extendatur ad ea super quibus specialiter & nominatim provisum fuit: quia sunt prohibitiones disparatæ, & diversa habentes objecta, si sunt diversæ hoc casu, & sicut una operatur specialiter: ita altera generaliter.

9. Minùs obstat §. *fundum Titianum in l. pater filium de legatis 3.* quia hic non subsequitur simplex generalis ratio vel illatio, ut ibi, quæ nil operatur: quia in testamentis non sufficit velle, nisi disponatur. *l. quidam cum filium de hæredib. institut.* Sed hic subsequitur nova, generalis & absoluta dispositio in verbis dispositivis testamenti, ibi, Item volo & ordino, &c. & ibi, Sed quod debeant venire & reverti semper, &c. Tum non solùm sumus in terminis novæ prohibitionis generalis & universalis, sed etiam in terminis novi fideicommissi generaliter facti & dispositi, ut bona semper remanerent in sua linea. Et sic quando verum fuisset secundò genitas decedentes cum liberis habuisse manus liberas respectu prohibitionis personalis, personale fideicommissum respicientis: non tamen habuerunt manus liberas respectu prohibitionis universalis in novi fideicommissarii favorem & conservationem totius lineæ facti. Ita censeo Carolus Molinæus Franciæ & Germaniæ Jureconsultus ducalis consiliarius & jurium professor Tubingensis primarius. Datum Tubingæ Calendis Augusti, anno sesquimillesimo quinquagesimo quarto.

EPITOME CONSILII VI.

Pro eodem principe in causa *de Myon.*

1. *Tria capita defensionum rei.*
2. *Substitutio aliunde fundata non restringit ad meras prohibitiones.*
3. *Substitutio gradualis impedit præscriptionem.* 4. 14. 15.
5. *Concursus juris cum facto hominis fortiùs operatur.*
6. *Demonstratio non restringit.*
7. *Prædilecta non præsumitur plus gravata, vel prohibita.*
8. *Proximus quisque priùs censetur invitatus, etiamsi omnes vocentur.*
9. *Præscriptio non incipit antequam agi possit.* 15. 16.
10. *Libellus principi datus, si inducat malam fidem, interrumpit.*

11. *Exempla non restringunt.*
12. *Clausula pro infectis retro omnia ipso jure abolet.*
13. *Verba universalia non patiuntur restrictionem.*
17. *Nondum natis non currit tempus petendi fideicommissi.*
18. *Præscriptio currit pendente conditione, quæ pendet à voluntate ejus, contra quem præscribitur.*

CONSILIUM VI.

VIso testamento illustris memoriæ Stephani Comitis Montbelligardensis, intellecta actione illustrissimi Principis Christofori Ducis Wirtembergensis & Teclzensis, & Comitis Montisbelligardi, ratione terræ & dominii *de Myon* : vilis etiam defensionibus datis per dominum Claudium *Requarte* equitem.

1. Omissis frivolis & fugitivis allegationibus rei, tria potissimùm allegat, & tertio principaliter nititur. Primum quòd domina Joanna non fuit prohibita alienare, nisi in casum quo decederet sine liberis, & adhuc probandum esse, quòd ea fuisset de secundò genitis, ut artic. 18. suarum defensionum. Secundum, quòd non valet prohibitio facta filiis Joannæ, artic. 2. Tertium, quod quadraginta vel quinquaginta annis præscripsit, artic. 14. & 27. suarum defensionum.

2. Quantum ad primum, illud nimis frivolum est: quia non solùm Joanna fuit personaliter & nominatim prohibita alienare: sed etiam gravata restituere sororibus superstitibus, si decederet sine liberis, & in casum liberorum est gravata restituere filiis suis, & filii nepotibus, & deinceps: & illi deficientes gravati restituere proximioribus lineæ, unde venerunt & descenderunt ea hæredia, & in clausula præfati testamenti facta de omnibus descendentibus dictarum quatuor filiarum, ita successive gravatis, & ad hunc finem alienare prohibitis. Quare non est amplius disputandum de limitatione prohibitionis, cùm sufficiat substitutio, quæ ex verbis & mente clarè colligitur. *l. gallus. §. quidam rectè ut eo casu valeat, qui ex verbis concipi possit ff. de liber. & posth.* deinde non contendit reus dom. Joannam alienasse, sed ejus liberos artic. 24.

3. Tertiò, etiamsi diceretur dominam Joannam alienasse (id quod non) adhuc sufficeret præfata substitutio, quæ gradualis est & realis, de certis antiquis familiæ hæredibus, juxta not. per Bal. *in l. precibus. C. de impubr. & aliis substit. in l. ab eo. C. de fideicommiss.*

4. Cùm accedit prohibitio legis ipso jure revocans, & titulum etiam justissimum reducens ad non titulum & non causam, nulla obstante temporis præscriptione, *l. ult. ad fin. C. communia, de legat.* Quin etiam huic prohibitioni legis accedit etiam expressa prohibitio hominis nempe testatoris.

5. Et sic concursus juris cum facto hominis longè fortius operatur, ut tradit Alex. *in l. quidam ita, §. vel col. 1 ad 3 rebellianum. & in consil. 93. num. 8. lib. 7.* Philip. Deci. in *l. 1. C. qui admitti in c. pastoralis col. 5. Extra de except.* Et in materia rei subjectæ restitutioni ex testamento. *Et Authent. res quæ C. comm. de legat.* Tenet Jas. *l. filiusfamilias §. divi, col. 5. num. 34. num. 66. in lectura prima. Et num. 100. in lectura 2. de legat. 2. Et in l. cum quid lectura 2. col. 1. ff. si cert. pet.* Franciscus Curtius senior *Consil. 45. in fi.* Guido Papæ in decis. Delphi. *q. 7. & consil. 140. col. ult.*

6. Nec est verum, prohibitionem esse aliquo casu limitatam cùm tam Dom. Joanna, quam ejus liberi omnes sint prohibiti. Nec obstat quod prohibitio facta filiabus minoribus natu, habet hanc adjectionem, decedens sine hæredibus, quia illa adjectio non respicit prohibitionem ipsam, sed demonstrationem personæ, seu casus, cujus contemplatione fit illa prima personalis prohibitio, videlicet substitutionem reciprocam & compendiosam filiarum alternativam. Et est sensus, quod altera filiarum decedens sine liberis, tunc demum est prohibita, quando supersunt personæ substitutæ & limitatæ, secùs illis deficientibus: quia tunc habet liberas manus. Non autem est sensus, quòd una filiarum moriens cum liberis possit liberè disponere: quia hoc non solùm est contra mentem illius primæ clausulæ prohibitionis, sive etiam contra mentem & verba aperta generalis prohibitionis & dispositionis: Ut semper dictæ terræ debeant venire & reverti ad magis proximiores.

7. Quinetiam est contra mentem alterius specialis prohibitionis factæ dominæ Henrietæ primogenitæ, ne possit disponere per quemcumque modum. Si igitur etiam primogenita magis dilecta & prahonorata per idem testamentum, nihilominus est generaliter & indistinctè prohibita: igitur multò magis secundò genitæ intelliguntur eodem modo prohibitæ. Non enim fuit primogenita magis vel gravata, vel prohibita reliquis: imò in omnibus dictis filiabus unum & idem consilium fuit testatoris, ne ulli earum liceret in extraneos transferre, sed ut in sua posteritate bona conservarent.

8. Ad secundum, error est in jure aperto uti longiori confutatione, ut pote contra textum in *l. pen. §. ultim. de legat. 2.* ubi res potest prohiberi alienari extrà familiam, non solùm primis institutis, sed omnibus sequentibus: & tunc ut proximus quisque est, ita primo loco censetur invitatus, ut ibi text. & in *l. cum ita, §. in fideicommisso, de legat. 2. in l. cum pater libertis §. hereditatem eodem tit. in l. filiusfamilias, §. divi, §. cum pater. ff. de legat. 1.*

9. Ad tertium quod in effectu est unicum rei effugium, prompta est solutio multiplex. Prima, quia non potest incipere cursus temporis ullius præscriptionis, antequam cum effectu agi possit *l. 1. in princip. & §. ult. C. de annal. exce. l. pure §. ultim. ff. de dolo mali except. gl. Cyn. l. ult. §. sed quia C. comm. de legat.* Bald. *cons. 38. in fin. num. 7. lib. 1. cons. 4. in fin. lib. 4.* secundùm novam impressionem. Et latè Step. Bertran. *cons. 15. ex themate col. 10. cum sequent. lib. 1.* Sed certum est quòd quamdiu Renatus Princeps Uraniæ & sui decessores in linea præfatæ Joannæ vivebant, præfatus Princeps & illustris memoriæ Ulricus pater ejus agere non poterant. Non enim fit transitus de linea unius dictarum sororum ad alteram, quamdiu descendentes supersunt ex linea à qua, ut pater per idem testamentum. Cùm igitur præfatus Renatus fuerit ultimus posterorum Joannæ non potuit incipere præscriptio, nisi post obitum illius, qui fuit circiter à decem annis.

10. Adhuc nullo modo potuit incipere, quia præfatus illustriss. Ulricus mox imperatorem adit, & jus sibi reddi postulavit etiam instrumentis editis cum libello imperatori dato: quæ in notitiam rei pervenerunt, eumque in mala fide constituerunt. Cúmque intra decennium lis de facto mota sit, nulla esse potest difficultas, nulla quæstio, cùm sit casus legis *l. ult. §. sin autem sub conditione, sub incerta die C. comm. de legat.* ubi conditione vel die impleta, addit lex: Sciat (scilicet venditor, emptor, aut quivis alius) quòd ab initio causa in irritum revocetur, quasi nec scripta, nec penitus fuerit celebrata, ut nec usucapio, nec longi temporis præscriptio procedat, sive his omnibus casibus legatario, vel fideicommissario omnis licentia pareat rem vendicare & sibi assignare, nullo obstaculo ei à detentatoribus opponendo.

11. Cùm igitur sit casus legis, nulla potest esse quæstio *l. ancillæ. C. de furtis.* Minus obstat si dicatur quòd lex non loquitur de præscriptione longissimi,

sed longi temporis tantum : quia quod lex in medio meminit usucapionis & longi temporis præscriptionis, clarum est quòd hoc facit non causa restringendi suam dispositionem, sed potiùs causa ampliandi & gratia exempli. Et sic dicta ad augmentum non operantur restrictionem *l. legato inutiliter. de legat.* 1. nec etiam exempla *l. damni infecti de damno infecto cum vulgaribus.* Propterea dicta lex non remanet in simplicibus terminis tollendæ usucapionis, vel longæ præscriptionis: sed ultra procedit habendo omnia retro pro infectis, & pro non scriptis nec celebratis.

12. Quæ clausula, de qua pariter in *l. non dubium in fin. C. de legibus in l.* 1. *C. qui pro sua jurisdictione judices dare, darive possunt in l. ultim. in fin. de decurion. lib.* 10. *C.* ita retro omnia ipso jure rescindit & abolet, ut non sit opus ulla restitutione in integrum, vel alio auxilio contra præscriptionem, vel aliud quoduis obstaculum: omnes alienationes medio tempore factæ annullantur. Philip. Dec. *cons.* 252. *ad fin.* Hier. Gratus *cons.* 21. *col.* 4. *lib.* 2. qui ambo loquuntur & decidunt etiam in præjudicium tertii in hac de qua agitur fideicommissorum materia. Ad hoc de eadem clausula pro infectis, *glos. in clem.* 1. & ibi Card. Floren. Panor. *de immunitat. ecclesiarum.*

13. Adhuc eadem lex ultra procedit subjiciendo clausulam universalem duplicem, ibi, Omnis licentia pateat, & ibi, Nullo obstaculo ei à detentatoribus opponendo. Universalis autem non patitur restrictionem, cùm falsa in uno, sit falsa in totum *l. si is qui de conta §. utrum de reb. dub.* imò facis ut comprehendatur casus, qui etiam non videbatur ex mente comprehendi. Alex. *cons.* 167. *lib.* 7. Philip. Dec. *consil.* 358. Francisc. Curt. junior. *l.* 2. *col.* 9. *num.* 50. *ff. de jurisd. omni. judic.* & ut casus etiam majores expressis contineantur, Jason. *consil.* 96. *lib.* 3. *consil.* 147. *lib.* 4. quantò magis ubi clausulæ universales geminatæ sunt, ut hic?

14. Minùs etiam obstat si datur longissimi temporis præscriptionem non tolli, eò quòd absque titulo currit. Tum quia si nominatim tollitur præscriptio longi temporis, quæ est favorabilis, ut per *gloss. & doct. in l. more C. de rei vendicat.* multò magis intelligitur excludi exceptio longissimi temporis, quæ est odiosa, *l. qui exceptionem in princ. ff. de condict. indeb.* Tum non solùm tacitè, sive etiam expressè verbis generalibus, universalibus, & geminatis dictæ legis est sublata: tum tertiò fortiùs retorquetur argumentum; quia si longissimi temporis præscriptio absque titulo currit ex sola negligentia non petentis, ergo nunquam in hoc casu currere cœpit: quia nunquam præfatus illustris princeps fuit negligens, numquam sibi fuit aperta via, nec quæsitum jus agendi, quin statim petere & prosequi cœperit.

15. Et in propriis terminis nostris, & vendicandi antiqui fideicommissi, quòd etiam longissimi temporis præscriptio non possit opponi agenti, nec incœperit nisi ex quo die idem actor agere potuit, decidit Paulus Castren. in *d. l. ult. in fin. C. comm. de legat. & omnes sequuntur.* Idem Alex. *cons.* 59. *Attentis verbis testamenti num.* 11. *lib.* 3. Anton. Rubeus *cons.* 98. Steph. Bertran. *consil.* 15. *col.* 9. *consil.* 23. *col.* 16. *lib.* 1. Andr. Alciat. *l. alienationis verbum, de verbor. signific.* Hinc est quòd etiam stante communi opinione, quòd currat præscriptio longissimi temporis, deduci debet tempus, quo alienator vixit: tum quia quæ tunc contigerunt, habentur pro infectis *d. §. fin autem.* Tum quia venditor poterat vendere jus suum, sive usumfructum temporis sui: & subitò rutus non debuit divinare quòd vendiderit absolutè, nisi postquam, eo mortuo, empror possidere cœperit: & tunc venditor, qui mala fide sine onere vendidit, tenetur ad damna & interesse, quia satis promiserat non contravenire.

16. Unde dato & non concesso quòd probetur venditionem vel aliam alienationem à filiis vel nepotibus dom. Joannæ ante triginta vel quadraginta annos factam, tamen nunquam incœpit nec longi, nec longissimi temporis præscriptio contra præfatum principem, quandiu vixerunt & superfuerunt aliqui eorum heredes vel successores de linea domin. Joannæ: quia ante eorum obitum vel defectum, non extitit conditio fideicommissi facti aliis proximioribus de linea dominæ Henricæ. Sed nulla potest incipere præscriptio, antequam actio competat. Bartol. in *l. Senatus ff. de officio præsid.* Emptor autem bene potest remere ad vitam venditoris vel ejus heredis, qui post illum vocatur *l. pete. §. prædium de legat.* 2. non autem post mortem eorum *d. §. prædium in fin. & d. l. ult. §. penultim. C. comm. de legat.* Et interim sequentibus in gradu qui tantùm post priores vocati sunt, *l. cum ita legatum §. in fideicommisso de legat.* 2. nulla interim potest incipere præscriptio.

17. Unde illud exploratum est secundum omnes, quod nondum natis nunquam currit, nec incipit tempus petendi fideicommissi. Alexander *consilio* 101. *col. penultim. lib.* 7. Paulus *consilio* 247. *col.* 3. *lib.* 1. *in novis.* Philip. Dec. *consil.* 468. *ad fin. consil.* 498. *col. penult* & latè Hiero. Gratus *consil.* 101. *col. antepenult. cum sequenti lib.* 2. imò etiam nec jam natis currere incipit, si agere non possint text. *l.* 1. *§. ult. C. de annal. except.* Bald. *in Authen. nisi tricennale versic. seu quid dices C. de bonis maternis.*

18. Et quamvis aliquando pendente conditione, currat præscriptio, id tunc demum verum est, quando implementum talis conditionis dependet à facto, potestate, & voluntate ejus cui præscriptio opponitur, *ut in l.* 2. *§. qui sub conditione, ff. si quis omissa caus. testam.* ut ibi Guillielmus Cuneus, & Bald. notant. Idem Baldus *l. cum qui C. eodem titul.* Ludovicus Romanus *consil.* 84. *col.* 2. Francisc. Bald. *de præscriptionibus in* 3. *quæstione principali quartæ partis.* Aliàs & nominatim fideicommissi conditionalis nunquam potest incipere currere ulla præscriptio, antequam existat conditio, & jus apertum & delatum sit. Baldus *cons.* 351. Item *ad illud lib.* 3. Bartol. *l. si cui legetur. in fine principii,* & ibi Baldus, Angelus, Alexand. Jason & omnes *de legat.* 1. latè Joannes de Montefertato in *repet. §. divi in l. filiusfamilias charta* 11. *de legat.* 1. Etiamsi interim fundus pluries venierit, & per plures manus ambulaverit, ut expressim decidit Hieronymus Gratus *consil.* 21. *num.* 37. *col.* 4. *lib.* 2. quibus clarum est nullum reo superesse fundamentum, & præfatum principem jure optimo fundatum, & obtinere debere. Et ita censeo ego Carolus Molinæus Franciæ & Germaniæ Jureconsultus, ducalis consiliarius, & jurium Professor Tubingensis primarius. Datum Tubingæ 23. Septembris.

EPITOME CONSIL. VII.

1 *Totius causæ cardo in tribus consistit.*

2 *Alienatio prohibita ad tempus, videtur post tempus permissa.*

3 *Prohibitio est stricti juris, nec extenditur de persona ad personam, nec de gradu ad gradum,* 4.

4 *Vniversale Nunquam est fortius universali Semper.*

5 *Voluntas testatoris verba prohibitionis extendit* 9. 11.

6 *Argumentum à contrario ſenſu eſt tantùm conjectura, nec valet contra veriſimilem mentem.*

7 *Nec procedit, niſi quando ſumitur à cauſa finali.*

8 *Minus dilecta non cenſentur minùs prohibita. 9.*

10 *Semper facienda interpretatio, per quam magis dilectus non eſt deterioris conditionis minus dilecto.*

12 *Quicquid eſt in termino relato, eſt in termino referente etiam propriè & ſpecificè.*

13 *Negativa præpoſita verbo* poteſt, *tollit omnem potentiam juris & facti.*

14 *Prohibitio legis accedens prohibitioni hominis fortiùs operatur. 15.*

16 *Omnes dicuntur ſecundo geniti reſpectu primi.*

17 *Intellectus*, §. fundum Titianum in l. pater filium, de legat. 3. 19. 20.

18 *Appellatione diſpoſitionis ſive permiſſæ, ſive prohibitæ, venit ultima voluntas.*

19 *Vt in contractibus aliud dictum, aliud promiſſum: aliud enuntiatum vel deſtinatum, aliud diſpoſitum: ita in ultimis voluntatibus.*

20 *Refert inter verba enuntiativa cujuſdam futuri eventus quæ non diſponunt, & inter verba prolata per modum rationis quæ diſponunt. 42.*

21 *Filii videntur in dubio potiùs in conditione, quàm in diſpoſitione poſiti.*

22 *Niſi ex levi conjectura. 28. 29. 30.*

23 *Vel ex prohibitione alienationis. 27.*

24 *Honoratus maximo honore non poteſt gravari, niſi ſit honoratus commodo pecuniario.*

25 *Qui vult conſequens, vult antecedens.*

26 *Legatarii ejuſdem fundi faciunt partes ab initio, non per concurſum.*

28 *Quando ſunt plures prohibiti, videntur vocati.*

29 *Vel quando concurrunt verba tendentia ad fideicommiſſum.*

31 *Poſiti in conditione, & gravati videntur ſubſtituti.*

32 *Prohibitio alienandi cum gravamine de toto reſtituendo inducit ſubſtitutionem inter prohibitos.*

33 *Quod in fideicommiſſaria ſubſtitutione omnes doctores tenent.*

34 *Maximè quando debet reſtitui proximioribus ejuſdem lineæ. 41.*

35 *Qui non ſunt honorati, non poſſunt prohiberi, nec gravari.*

36 *Quod minores conjecturæ ad fideicommiſſum ſufficiunt.*

37 *Prohibitus teſtari favore alicujus, videtur gradus eidem reſtituere.*

38 *Etiam favore tacito.*

39 *Prohibitio expreſsè facta, ut bona remaneant in familia, operatur fideicommiſſum graduale etiam citra contraventionem.*

40 *Fideicommiſſum inducitur per tacitam voluntatem, quæ ex conjecturis colligitur. 41.*

43 *Sed ſtat continuativè.*

44 *Qualitas rerum facit præſumi fideicomiſſum. 45. 47.*

45 *Et conſuetudo regionis. 46.*

47 *Membra de facili ad caput revertuntur.*

48 *Prædia fiunt gentilitia conſuetudine Francorum per Carolum Magnum ad Saxones extenſa.*

49 *Præſcriptio non incipit, antequàm cum effectu agi poſſit. 50.*

51 *Extraneus poſſeſſor lucratur fructus pro tempore ejus qui ceſſat vendicare.*

52 *Fideicommiſſarius non ſuccedit gravato, ſed teſtatori.*

53 *Pro infectis habentur contra fideicommiſſum attentata, eo extante.*

54 *Negligentia eorum qui priore loco vocabantur, non nocet ſequentibus.*

55 *Non eſt locus Trebellianicæ in fideicommiſſo certarum terrarum: quia vim legati ſeu fideicommiſſi particularis habet*

56 *Non prodeſt allegare jus tertii non conſequentis.*

57 *Trebellianica prohiberi poteſt per verba æquipollentia.*

58 *Etiam in filiis primi gradus.*

59 *Legitima & Trebellianica perduntur propter non confectum inventarium.*

60 *Subſtitutio reciproca favore deſcendentium facta non continet gravamen, ſed favorem, nec locus eſt querelæ nec detractionis alicujus quartæ.*

61 *Poſtquam filii ſimpliciter approbaverunt teſtamentum, & in ea voluntate deceſſerunt, non poſſunt eorum deſcendentes quicquam cauſificari de legitima.*

62 *Filius non poteſt rem certam eligere pro ſua legitima, ſed cauſa cognita.*

63 *Limitatio quatuor graduum, non habet locum in ſubſtitutione graduali.*

CONSILIUM VII.

VIſo & examinato proceſſu pendente in ampliſſimo Senatu ſupremæ Dolani Parlamenti Curiæ, inter illuſtriſ. Principem & dominum Chriſtoforum Ducem Vvirtembergenſem & Teckenſem, & Comitem Montbelgardenſem filium, & heredem univerſalem, & in ſolidum laudabilis memoriæ quondam Ducis Ulrici Vvirtembergenſis dum viveret Ducis Vvirtembergenſis, & Teckenſis & Comitis Montbelgardenſis, actorem in petitorio ditionis, & terræ *de Vvillaffans le Vieux*, & pertinentiarum, ex una parte: & dominum Girardum *de Rie* equitem, dominum *de Balanſon*, & dominam Ludovicam *de Longy* ejus uxorem, & quemque eorum, tam conjunctim quàm diviſim, & eorum adjunctos reos, & ex altera parte teſtamento illuſtris memoriæ Stephani, dum viveret Comitis Montbelligardenſis ſolemniter facto Montbelligardi ultima Octobris, anno ſalutis 1397. petitionibus, defenſionibus, replicis, duplicis, triplicis, partium concluſione, articulorum, ſeu allegationis factorum, & exceptionum à partibus facta Dolæ, die 23. Novemb. anno 1555. ſuper quibus quæritur, quid juris. Et omnibus diligenter expenſis,

præsuppositio themate resultante ex testamento, & processu non repetendo, nec transcribendo, ego subscriptus juris utriusque doctor invenio,

1. Totus causæ cardinem in duobus, aut ad summum in tribus consistere. Primò, an prædicta Joanna neptis testatoris prohibita fuerit alienare, etiamsi haberet filios? Secundò, an filii naturales, & legitimi Joannæ fuerint immediatè vocati ad ditiones, & terras matri suæ per idem testamentum assignatas, & distributas? Tertiò, an etiam hodie actor fuerit, & sit admissibilis, atque huic reo competat, non obstantibus factis, sive allegationibus eorum tam juris quàm facti.

2. Ad primum, prima facie videtur dominam Joannam nullo modo fuisse per avum suum paternum, & ejus testamentum prohibitam de prædiis sibi per avum suum divisim assignatis disponere, sive inter vivos, sive in ultima voluntate. Et hoc primò: quia non legitur nominatim, & expressim prohibita, sed tantùm una Henrieta nominatim, deinde in genere ipsæ posteriùs genitæ certo casu prohibitæ sunt: ergo Joanna non est prohibita, nec in specie (quia hoc de Henrieta dumtaxat invenitur) nec etiam in genere, quia Joanna non est de posterioribus, sed de priùs genitis, cùm essent quatuor neptes, Henrieta, & Joanna seniores, & priùs genitæ: Margareta verò & Agnes posteriùs, ut rei objiciunt, art. 38. suarum defensionum, & deinceps in suis allegationibus. Secundò, quia etiamsi Joanna computetur inter posteriùs genitas, tamen secundò genitæ non sunt prohibitæ generaliter, & absolutè: sed solùm casu quo decederent sine liberis: sed Joanna reliquit liberos, ergo non fuit prohibita. Tertiò, quia etiam in terminis prohibitæ alienationis in testamento prohibitus post tempus, non solùm non videtur esse prohibitus post tempus: sed etiam videtur ei alienatio post tempus permissa, *text. in l. pater filium*, § *fundum Titianum*, & ibi Par. & omnes *de legatis iii.* Et prohibitus alienare per actus inter vivos, non censetur prohibitus per testamentum, *text. in d. §. fundum Titianum*; ergo Joanna prohibita alienare, si decesserit sine liberis, non est prohibita, si reliquit liberos, prout fatente actore reliquit: ego in casum liberorum fuit ei permissa alienatio.

3. Nec obstat quòd liberi dictarum neptum successivè posteà prohibeantur: quia prohibitio est stricti juris, nec extenditur de persona ad personam, nec de gradu ad gradum: unde prohibitio facta filiis non extenditur ad nepotes, qui habent liberas manus, text. *in Auth. de restitution. fideicommiss.* §. *nos igitur*, ibi, neque longiore à filiorum vita, & ibi Bartolus, Angelus, Alex. *consil.* 37. *num.* 5. (*ubi in annotat. dix.*) *lib.* vi. Philip. Deci. *consil.* 377. *num.* 5. Ubi etiam in annotat. dixi: Igitur multo minùs de filiis extenditur ad parentes.

4. Nec etiam obstat quod in eodem testamento est clausula generalis, quod dictæ terræ debeant venire, & redire semper ad proximiores de linea, unde venerunt, & descenderunt: quia illa verba generalia non videntur extendere prohibitionem semel limitatam extra casum suum, ut est text. *in d. §. fundum Titianum*, ibi. Ita enim fiet ut fundus Titianus de nomine vestro nunquam exeat. Verba enim De nomine vestro, totam posteritatem agnationis comprehendunt: & adverbium Nunquam, non minùs est universale, quàm adverbium Semper, imò potentius, quia negativa potentius, & amplius negat, quam affirmatio affirmet, *l. hoc genus*, & ibi *gl. ult.* Bal. Paul. & omnes *de condition. & demonstr.* Oldr. *q.* 16. Alberic. *l. ult. col.* 5. *C. de sponsalibus*, *Bas. l. decem. col.* 4. *l. si sic*, *col.* 1 *de verb. obligat.* Ergo per dicta verba generalia testamenti, prohibitio limitata non extenditur: sed remanet intra cancellos suæ limitationis, sive respectu prohibitionis factæ Joannæ, si decederet sine liberis, ut non extendatur ad casum liberorum, propter dictam clausulam generalem nec prohibitio facta liberis extendatur ad matrem per eadem verba generalia per textum in simili in *d. §. fundum Titianum.*

5. Sed his non obstantibus, quantumvis urgere videantur, veritas est dom. Joannam in effectu prohibitam fuisse, non solùm favore sororum suarum, si non relinqueret liberos: sed etiam favore liberorum suorum, casu quo ipsa relinqueret liberos: sed etiam favore proximiorum in gradu, qui per testamentum successivè, & gradatim vocati sunt. Idque multifariàm ostenditur. Primò: quia certum est, & hoc totius testamenti tenor uniformiter ostendit, principalem imò unicam fuisse testatoris voluntatem, & intentionem finalem, ut heredia sua conservaret in sua posteritate juxta divisionem, seu distributionem à se factam: nec minorem habuit affectionem eam conservandi liberis suarum neptum, quàm neptibus suis: sed liberos earum absolutè, & indistinctè prohibuit; ergo eodem modo prohibuisse intelligitur ipsas neptes.

6. Et quamvis quandoque prohibendo neptes, addat verba: Sine liberis decedentes, tunc dumum hoc facit & addit, quando favore mutuo eas prohibet. Unde prohibitio, quæ fit sororibus in favorem sororum, intelligitur in casu quo non habeant liberos: quia testator intendit quòd sorores superstites per liberos sororum præmorientium excludantur: ideò tunc dicit sine liberis, non quòd intendat dare libertatem disponendi stantibus liberis in præjudicium liberorum: sed quòd non intendit sorores præferri liberis defunctæ, & alioquin esset arguere è contrario sensu contra mentem, & intentionem disponentis. Sed si quis ex ea clausula. *Et qu'autrement ne puisse ordonner ne disposer celle des moins nées, qui trépasseront sans hoirs*: vellet arguere, datam vel relictam liberam disponendi facultatem in casum relictorum liberorum legitimorum, & naturalium, ubi (prout rei argutantur) hoc argumentum nunquam valet contra mentem, etiam verisimilem, cùm non sit nisi conjectura, *l. apud antiquos.* Et ibi Jacobus Butr. Baldus, *C. de furt.* Et sic multò minùs contra mentem apertam, imò etiam expressam ad calcem principalis partis testamenti, ibi. Item, *veux & ordonne que les hoirs d'icelles*, & ibi. *Mais doivent venir & retourner toûjours icelles terres.*

7. Quinimò istud argumentum non procedit, nisi quando sumitur à causa finali; ut Alexand. & Jason. Philip. Deci. & omnes in l. 1. *de officio ejus cui mand. est jurisd.* Baldus *consil.* 190. *primo Statuto*, *consil.* 145. *lib.* 1. Hieron. Gratus *consil.* 104. *col.* 1. *lib.* 2. *dixi in annot.* ad Philip. Decium *consi.* 232. *col. ult. & in l. si pecuniam nu.* 3. *si cert. pet.* ergo minùs procedit, cessante finali intentione, & adhuc minus contra finalem intentionem, quæ erat conservare heredia in sua linea.

8. Secundò, quia etiam ipsæ neptes, maximè & nominatim Henrieta ipsa primogenita, & prædilecta, ut per totum testamentum apparet, nihilominus nominatim prohibetur & absolutè, sive habeat liberos, sive non, imò etiam per verba universalia. Quovis modo, prohibetur, ibi. *N'en puisse ordonner, disposer par quelque maniere.* Igitur reliquæ neptes secundò genitæ non minùs censentur prohibitæ, nec in majore libertate relictæ. *Authent. multò magis, C. de sacrosan. Eccles. l. Publius Mevius*, §. 1. *de condit. & demonst.* Si enim minùs liganda, & astringenda videbatur magis dilecta, & tamen absolutè omni casu, & quocumque modo prohibetur: igitur multò magis secundò genitæ, & minùs dilectæ eodem modo, & non minùs ligatæ videntur.

9. Et etiam ad hoc concurrit mens testatoris, quæ ex serie, & verbis totius testamenti colligitur, juxta *l. Gallus* §. 1. *ibi*, *quod ex verbis concipi possit*, *de liberis & posthum. l. ab omnibus*, *in fin. princip. de legat.* 1. ibi cùm

& significatio verborum non repugnet huic sententiæ, & voluntas testatoris congruat. Atqui hîc non solum congruit voluntas, non solum verba non repugnant prohibitioni generali: imo etiam utriusque, & voluntas, & series, seu verba totius testamenti urgent.

10. Tum, ut tradit Bart. *in l. gallus, §. etiamsi à parente, de liberis, & posthumis, in l. si mater, §. 1. de vulgari & pupill.* semper facienda est interpretatio, per quam magis dilectus non est deterioris conditionis, quam minùs dilectus, *per text. d. l. Publius, §. 1. & l. si viva matre, C. de bonis maternis, Roma. consil. 32. col. penul.* Alexand. *consi. 56. lib. 5. ubi in annotatio. dixi*, & omnes ubique sequuntur. Sed hoc inconveniens non solùm respectu sororum contingeret, sed etiam respectu liberorum: quia secundum distortam, & affectatam interpretationem reorum, sequeretur quòd liberi primi gradus essent deterioris conditionis nepotibus: quia certum est per testamentum, quòd nepotes dictarum sororum non possunt privari in aliquo per filios Joannæ, qui sunt disertè prohibiti per testamentum, & tamen filii Joannæ possent privari per matrem, & consequenter liberi deterioris essent conditionis nepotibus, vel filii sui: quod est absurdum, & contra textum *in d. l. si viva matre, versf. nam licet.* Et sic interpretatio reorum prorsus rejicienda, & intelligendum filiis quoque provisum, prout & nepotibus provisum esse nedum constat, sed etiam in confesso est.

11. Tertiò, etiam in specie de ipsa Joanna, quòd sit eodem modo absolutè, & quocumque modo prohibita, eodem testamento nominatim cavetur: ibi. *Et veux que cette ordonnance soit tenuë de l'aisnée à ladite Jeanne*, hoc est, quòd ordinatio facta in primogenita, sit repetita, teneat, & locum habeat in Joanna. Sed istam clausulam præcedunt immediatè duæ ordinationes testamentariæ, prima ibi. *Et que ladite Henriette auroient ne puisse*, &c. Quæ ordinatio notoriè, & tantùm loquitur de ipsa Henrieta, quæ per illam ordinationem absolutè, & indistinctè disponere prohibetur, etiam quovis modo. Secunda ordinatio ibi. *Et que ledit partage de ladite Jeanne*, &c. Quæ ordinatio nullo modo loquitur, nec disponit de Henrieta, nec de bonis seu partagio ipsius Henrietæ: sed tantùm loquitur de aliis neptibus, & de bonis aliis quàm Henrietæ assignatis: Et sic clausa de qua nunc agitur, quæ est personalis, & extendit dispositionem factam in persona primogenita ad personam Joannæ, non potest intelligi de ordinatione incipiente. *Et que ledit partage*, quia hoc nullo modo congruit Henrietæ, nec potest adaptari, nec quadrare. Et sic necessariò hæc clausula referenda est ad ordinationem immediatè præcedentem, quæ etiam est proximior ordinatio disponens nominatim de ipsa Henrieta, ibi. *Et que ladite Henriete*, &c. Nec potest ad aliud, nec ad propinquius, nec aliter congruens fieri relatio: ergo tenore expresso testamenti Joanna est prohibita disponere de suo partagio, vel terris sibi assignatis, eodem modo quo Henrieta, videlicet indistincte, & per quemcumque modum.

12. Ergo Joanna quemadmodum Henrieta prohibita fuit, etiamsi haberet liberos, idque nominatim & specificè, quemadmodum Henrieta nominatim prohibita: quicquid est in termino relato, est in termino referente, *l. esse toto ff. de hered. instituen. l. institutio talis de condit. inst. l. si ita scripsero de condit. & demonst. l. ubi autem non apparet, §. illud de verbor. oblig.* etiam verè, propriè, & specificè, ut tradit Baldus *in l. si defensor, §. qui interrogatus versic. nisi forte per illum textum de interrogat. actio.* Idem Bald. *consil. 212. lib. 5.* Aymo. Cravera. *cons. 45. num. 4.* Ergo Joanna prohibita nominatim & specificè vi dictæ relationis, quæ veritatem specificam operatur.

13. Et per negativam præmissam verbo *Potest*, ibi. *N'en puisse*, quæ inducit necessitatem absolutam, & tollit omnem potentiam juris & facti, ut not. per Bart. Jas. & alios, *in l. Gallus in princip. de liberis & posthumis*, Alexand. *in consil. 77. lib. 3. glosa*, & omnes Canonistæ, *in cap. 1. ver. non potest de reg. juris in sexto.* Et æquè specifice per illa verba generalia, & negativa, Cujuscumque modi, quæ restrictionem non patiuntur, sed falsa in uno, essent falsa in omnibus, *l. si is qui ducenta, §. verum, de reb. dub.* & maximè negativa, ut hîc. *l. hoc genus de condit. & demonst.*

14. Quartò, quia eadem Joanna per idem testamentum fuit gravata restituere liberis suis legitimis, & naturalibus, qui sunt vocati: ergo illa prohibita est à lege, etiamsi alìs non esset prohibita per testamentum, ut probabitur in secundo principali articulo. Et sic hoc casu duæ prohibitiones simul concurrunt, videlicet expressa & specifica hominis (ut dictum est) deinde legis, in consequentiam gravaminis, & liberorum substitutorum.

15. Sed quoties prohibitioni legis accedit etiam expressa prohibitio hominis, nempe testatoris, & sic duplex lex sive concursus cum facto hominis tunc longè fortiùs operantur, ut ait Alex. *in l. quidem ita §. ult. col. 1. ad Trebel. &. in cons. 93. num. 8. lib. 7.* Philip. Deci *in l. 1. C. qui admitti. in cap. pastoralis, col. 5. extra de exceptio.* Et ita & in terminis materiæ rei subjectæ restitutioni ex testamento, etiam in terminis *Authen. res quæ C. commu. de legat.* Et ad excludendum limitationes permissorias *d. Auth. decidit* Jas. in *l. filius-familias, §. divi. col 5. num. 34. num. 66. in lectura 1. & num. 100. in lectura 2. de leg. 1. & in l. cum quid lectu 2. col. 1. ff. si cert. pet.* Francis. Curt. senior, *cons. 45. in fin.* Guido Papæ *in decisi. Delphi. q. 611. in fin. & consi. 140. col. ult.* Si ergo Joanna non solùm generaliter, sed etiam specificè, nominatim, & absolutè, etiam omni modo prohibita erat (ut testamento constat) jam ergo nihil superest, nisi condemnando reos, qui testamento stante, ut stat, nullas prorsus defensiones habent.

15. Sed nunc ex abundantibus veniendo ad secundum principalem articulum, postquam paucis diluerimus contra primum allegata. Quod enim rei primo loco objecerunt dominam Ioannam non esse de posteriùs, sed de priùs genitis, atque ideo nec specialiter, nec ullo modo, nec in genere, in hunc casum prohibitam, nimis frivolum est: quia primò in toto testamento unica vocatur priùs nata, scilicet Henrieta. Deinde Ioanna ponitur ad differentiam priùs natæ, cui opponitur: ergo etiam secundùm modum loquendi testatoris in eodem suo testamento, Ioanna est de posteriùs genitis, & illarum appellatione venit: præter id quod est generalis modus loquendi, & intelligendi ubique, & in omnibus actibus, ut unica dicatur primogenita, sicut unicus primogenitus: sicut & omnes nuptiæ dicuntur secundæ respectu primarum, ut notant omnes doctores *in rub. C. de secund. nupt.* Præterea probatum est Ioannam specialiter, & nominatim, & omni modo, ut & Henrieta, prohibitam. Ad secundum objectum etiam reliquas filias prohibitas esse favore liberorum propriorum, & eis gravatas, tactum est, & mox latiùs probabitur.

17. Ad tertium objectum, *d. §. fundum Titianum*, nullo modo obstat, tum expressim loquitur, quando actus alienationum inter vivos dumtaxat prohibiti erant, & non dispositiones testamentariæ, patet in eo textu, ibi, vetuit venundari, donari, pignorari: quare illa cerrorum actuum prohibitio nullo modo extenditur ad legata, vel institutionem heredis, quæ prorsus specie, imò etiam toto genere differunt. Et sic ille textus non est ad propositum: nos enim loquimur in personis prohibitis ordinare, vel disponere, idque in testamento: & sic maximè legata prohiberi intelliguntur, ut phrasis istius testamenti evidenter ostendit.

18. Præterea aliàs generaliter lex ait certum esse, quòd appellatione dispositionis permissæ, vel prohibitæ, continetur etiam omnis dispositio ultimæ volun-

tatis, *text. in l. si quis prioris, §. certum esse censemus, C. de secun. nup. in l. 2. in fin. ff. de tab. exhib.* Alex. *in rub. soln. mat.* & ibi Lance. *Dec. 251.* Car. Rui. *conf. 153. num. 12. lib. 2.* Nec obstat quòd clausula generalis testamenti, ibi. *Mais doivent venir & retourner*, non debet extendere prohibitionem limitatam, tum quia prohibitio non est in hoc testamento limitata, prout in *d. §. fundum*, ad certos actus limitata erat.

19. Tum quia aliud est subjicere clausulam enuntiatoriam, sine simplex dictum, ut in *d. §. fundum*, ibi. Ita enim fiet aliud subjicere clausulam generalem dispositivam per verbum *Volo, & ordino ut veniant*, & revertantur semper, ut hic factum est: quia quemadmodum in contractibus aliud est dictum, aliud promissum, *l. faciendum, §. dictum de edil. edict.* aliud destinatio dispositionis, aliud dispositio, *l. cum de bonis, C. de donation.* ita in ultimis voluntatibus, *text. in l. si is qui de test. l. quidam cum filium de hær. inst.* ubi non sufficit testatorem velle (ut fortè volebat *in d. §. fundum*) nisi disponat, prout hic expressim exposuit, voluit & ordinavit perpetuò manere, & reverti debere non solùm ad lineam, sed etiam ad proximiores lineæ.

20 Tertiò & fortius respondet Bart. in *d. §. fundum*, & alii sequuntur, quòd ibi verticulo, ita enim fiet, testator non volebat hoc fieri, nec sunt verba enuntiativa voluntatis: imò quòd nec sunt verba enuntiativa rationis, nec per modum rationis prolata: quia testator non dixit: Ideo feci, quia volo hoc, sed sunt verba enuntiativa cujusdà futuri eventus, quem testator sperabat venire propter suam dispositionem, quæ verba nullo modo dispositionem inducunt: ut etiam est text. in *l. Titianus, §. ex his verbis*, & ibi Bart. *de legat. 3.* Et sic secundum Bart. & omnes, verba etiam generalia per modum rationis prolata disponunt, *l. cum pater, §. dulcissimis de leget. 2. l. hac actio ff. de de calumniat.* & sustinent in ultimis voluntatibus ad ampliandum onus legatum, vel fideicommissum. Ad hoc *text. in l. regula, §. si quis jus*, & ibi Bart. *de ver. & fact. ignor. l. ad Rom. conf. 174. col. 1.* Dominicus de sancto Geminiano *conf. 59. conf. 40. n. 5.* Et sic secundùm Bart. & omnes doctores etiamsi prafata clausula. *Mais doivent venir & retourner*, esset tantum apposita per modum rationis, adhuc disponeret. Et quòd verba prolata in testamento per modum rationis disponant, & inducant fideicommissum, text. est rotundus in *l. fideicommissa, §. hæc verba, ibi, ut possint ad suos pervenire, de leg. 3.* sed constat hic dictam clausulam appositam per modum dispositionis (ut statim probabitur:) igitur nullum dubium, nulla difficultas in intentione actoris.

21. Nunc ad secundum principalem articulum: prima facie videtur filios legitimos & naturales Joannæ non esse vocatos, nec matrem eis gravatam restituere: quia videntur tantùm positi in conditione: & sic non ob id sunt in dispositione, sed in dubio relinquuntur in successione ab intestato, juxta crebriorem sententiam in *l. Lucius 2. de hered. instit.* Sed his & aliis, quæ recitari non merentur, à reis objectis non obstantibus.

22. Liquet ex eodem testamento filios fuisse vocatos: quia primo non semel tantùm sunt positi in conditione, sed pluries, ter vel quater, ita ut ex geminatione enixa voluntas testatoris ostendatur, & dicta communis sententia limitetur, & vocati censeantur secundum quosdam non levis opinionis, qui tenent cum eo quod semel sint positi in conditione, sufficere tantum conjecturam, Phil. Cor. *l. ab eo. C. de fideicom. & in consi. 119. Circa primum col. pen. lib. 2.* Sed etiam apparet eos positos etiam in dispositione expressa, primò ibi. *Item, je veux & ordonne que les hoirs d'icelles.*

23. Secundò ex eo quòd in eodem testamento sunt prohibiti alienare, ergo vocati, & invirati dispositivè, aliàs prohiberi non potuissent: quia prohibitio est gravamen, & quod nullo modo potest imponi ei cui nihil relinquitur, *l. filiusfamilias, §. apud Marcellum, l. plane 2. in fi. col. seq. de leg. 1. l. ab eo C. de fideicom. l. 1. §. sciendum, l. sed etsi sic in fi. de leg. 3.* Et quòd hoc solum per se sufficiat, ut dicantur vocati & honorati, saltem quando præceptum non est nudum, & sic nullum: sed expressa causa ut maneat in linea, vel ut devolvatur de uno ad alium (ut hic utrumque concurrit) tenent expressè Ang. Aret. *Inst. de pupil. substit. §. vel singulis, col 2.* Nicol. Boërii, *decis. Burd. 155. nu. 25.* ubi plures allegat. Et ultra eùm idem tenent Phil. Cor. l. *ab eo C. fideicommissis, Socin. l. cum filiosfamilias, not. 2. de leg. & in consil. 249. col. 4. consil. 250. col. ult. lib. 2. & lib. 3. consil. 12. nu. 19.* Franciscus Curtius senior *consil. 58. col. 7.* cum seq. Joannes Curtius *repet. c. Raynutius ad fin. de test.* Udalricus Zazius *in tractatu substitutionum, in c. compendiosa.* Philip. Decius *consil. 23. consil. 83. consil. 242. col. ultima.* Lancellot. Galuan. *repetitione legis centurio, charta 24. col. 14. de vulgari & pupillari substitutione.* Ludovic. Cozadi *consil. 26. num. 23.* sed per testamentum in verbis dispositivis. *Item, je veux & ordonne que les hoirs d'icelles filles succedassent ne puissent par testament ou ordonnance donner, ou changer les dites terres, & droits desdits partages*, manifestè & necessariò apparet quod filii Joannæ fuerunt expressè prohibiti alienare partagium Joannæ matris suæ.

24. Ergo ad idem partagium (ut Gallicè loquar) fuerunt vocati & substituti, alioquin non potuissent prohibitione gravari, nisi vocati, & substituti, *dicta l. ab eo C. de fideicommissis, & juribus prælegatis, l. plane 2. in fi. cum l. sequenti de legatis. 1.* ubi etiam honoratus maximo honore, & beneficio libertatis non potest gravari, nisi etiam sit honoratus commodo pecuniario, vel patrimoniali. Igitur filii Joannæ censentur ad idem patrimonium vocati & honorati, alioquin non potuissent in eodem gravari & prohiberi.

25. Et qui vult consequens, vult etiam antecedens necessarium, *l. illud ff. de acquirenda hereditate, l. ad rem mobilem de procuratoribus.* Hoc etiam probat textus in *l. denique, §. interdum de peculio legato*, ubi is qui jussus, seu gravatus est de peculio dare centum heredi, videtur oneratus in peculio: quod eo ipso eidem legatum censetur, ut inquit textus ibi, testatorem voluisse eum retinere peculium interpretamur, videlicet ex eo quod de peculio eum jusserat centum inferre. Tertiò probatur per text. in *l. si pecunia, de legat. 1.* ubi depositarius, si gravatur depositum alii post mortem suam restituere, eo ipso censetur vocatus & honoratus, & res dispositæ eidem legata ad idem onus. Quartò probatur in *l. si ita stipulatio de operis libertorum.*

26. Quintò per *l. alio de aliment. lega.* Sextò per text. in *l. Titia Seio. §. Seia de legat. 2.* ubi est text. rotundus in duobus legatariis ejusdem fundi, quia certum est quòd non faciunt partes ex postfacto per concursum: sed faciunt partes ab initio text. in *l. plane 1. §. si conjunctim de legat. 1.* Et sic ab initio unusquisque est legatarius partis suæ tantùm, & tamen si unus gravetur de restituendo fundo: censetur eo ipso vocatus, & substitutus ad alteram partem fundi, quæ sibi legata non erat.

27. Stat ergo conclusio, quòd gravatus vel alienare prohibitus censetur ad idem in quo prohibitus est, vel aliter gravatus, honoratus, & substitutus. Et hæc est communis doctorum utriusque juris sententia, legibus & rationibus comprobata. Et ultra prædictos idem decidit Ant. Corset. *in singular. verb. testator in testamento.* Ita etiam decidit *glo. in l. codicillis, §. instituto verb. filiis suis ibi*, nam vetando alienare, vel obligare, videtur per fideicommissum vicissim relinquere, *ff. de legat. 2.*

28. Verum est quod doctores communiter limitent d. glos. procedere. Primò quando sunt plures prohibiti, ut tradunt Io. Imol. in *d. §. instituto.* Alex. in *l. qui Rome, §. coheredes col. 3. de verb. obl.* Hiero. Grat. *conf. 21. num. 13. consil. 22. lib. 2.* sed hic sunt plures prohibiti, videlicet omnes filii quotquot sunt dom. Ioannæ, quemadmodum, & omnes filii singularum neptum prohibiti alienare partagium, magis ergo omnes vocati, & substituti ad partagium matris suæ.

29. Fatemur

29. Fatemur etiam quòd doctores limitant *glo. in d. §. institutio.* ut procedat quando ultra nudam prohibitionem concurrit causa, vel concurrunt aliqua alia verba tendentia ad fideicommissum, ut tradit Alex. in *l. filiusfamilias, §. divi. in fi.* & ibi Ioan. de Monteferrato *col.* 1. Carol. Rui. *col.* 61. *notab.* 3. Alex. *d. l. qui Romæ, §. cohæredes col.* 3. Hier. Grat. *conf.* 21. *col.* 3. *lib.* 2. Sed etiam illa hîc concurrunt, quia hîc prohibitio est causata, ut bona, & partagia remaneant in sua quaque linea, nec in alium alterius linex transferantur.

30. Præterea est clausula dispositiva, quòd semper veniant, & redeant ad proximiores linex, igitur etiam ex solo capite dictæ prohibitionis factæ pluribus, & ex causa expressa probatum est fideicommissum factum ipsis prohibitis: ergo filii Ioannæ in toto partagio matris suæ vocati sunt, & substituti ad illud, secundùm communem omnium sententiam etiam in levioribus terminis.

31. Secundò principaliter liquet quòd filii Ioannæ fuerunt non modo semel, sed pluries positi in conditione, deinde gravati, ergo substituti: quia quoties hæc duo concurrunt quòd filii sunt positi in conditione, deinde sunt gravati, vel prohibiti eo ipso, satis in eisdem rebus censentur substituti, Phil. Cor. in *l. ab eo C. de fideicom.* Alex. *conf.* 64. *difficultas col.* 2. *lib.* 5. Stephanus Bertrand. *conf.* 113. *Tota difficultas ad fi. lib.* 3. Carolus Ruinus *conf.* 111. *num.* 6. *cum seq. lib.* 2.

32. Tertiò principaliter quoties duo concurrunt, videlicet prohibitio alienandi, deinde gravamen de restituendo totum, eo ipso primi prohibiti censentur ad totum vocati & substituti. Textus est rotundus in *l. Titia Seio, §. Seia libertis de leg.* 2. & ita tenent Bart. Bald. & omnes ibi Paul. *conf.* 24. *in princ. lib.* 1. Alex. *conf.* 91. *lib.* 1. Phil. Cor. *conf.* 273. *lib.* 4. Franc. Curtius senior *conf.* 42. *col.* 4. Franc. Cur. junior *conf.* 16. Soci. *conf.* 77. *col.* 5 *conf.* 8. *col.* 4. *conf.* 113. *col. pe. lib.* 1. Ias. *conf.* 33. *conf.* 41. *conf.* 89. *lib.* 1. breviter, omnes ubique ita tenent.

33. Et quamvis aliquid aliud sentiunt in directa substitutione, tamen in fideicommissaria qua de agitur, omnes consentiunt. Et Andr. Alciat. *tract. de verb. significat. lib.* 3. tenet idem tam in directis quàm in obliquis substitutionibus, ex quo substitutio facta est de toto, sed quod filii Ioannæ sint prohibiti, & gravati de toto partagio matris suæ patet in testamento ibi, *lesdites terres:* & ibi, *droits desdits partages*, tertiò ibi, *desdits heritages & droits*, & sic in vim tergeminæ relationis (quanquam unica sufficeret) sunt prohibiti de toto: ergo ad totum partagium matris suæ vocati, aliàs prohiberi non potuissent.

34. Præterea non solùm sunt prohibiti, & de toto gravati, sed etiam gravati restituere proximioribus ejusdem linex, ut in testamento ibi. *Mais doivent venir & retourner toûjours lesdites terres.* Bis ergo necessariò fuerunt ad easdem terras vocati, & substituti, & specificè ad dictam terram *de Villaffans* in vim relationis propriæ, & specificæ comprehensam per jura prædicta.

35. Ergo in ea substituti fuerunt matri, & aliàs non potuissent prohiberi, & multò minus gravari de restituendo proximioribus easdem terras. Illud enim relativum, *icelles terres*, integras sive totas terras comprehendit, *text. in d. l. Titiæ Seio, §. Seia liberiis*, ibi. Ne eum fundum, & ibi. Eumque scilicet fundum ex quibus verbis quamvis non sit adjecta dictio *Totum*, tamen satis intelligitur, & inest substitutio de toto secundum omnes.

36. Confirmatur, quia etiamsi ea omnia non concurrant quæ hic concurrunt: tamen multi tenent sufficere minores conjecturas ad inducendum fideicommissum, ut Paul. *conf.* 404. *Duo videnda lib.* 1. *conf.* 271. *Quanquam multis conf.* 321. *Visis col.* 2. *conf.* 433. *Præsupposit. lib.* 2. *Ioan. Ana. conf.* 22. Philip. Cor. *conf.* 97. *lib* 1. *conf.* 101. *lib.* 4. Franc. Cur. junior *conf.* 2. *col.* 3. & *col.* 5. *conf.* 16. *col.* 3. *conf.* 43. Sed hic sumus in fortioribus terminis, & insuper communem omnium sententiâ habemus.

37. Quartò, principaliter probatur dominam Joannam fuisse gravatam filiis suis, & eosdem matri luæ substituros, per text. in fortioribus terminis in *l. qui filium, & filium in princ. ad Trebellian.* ubi est text. quòd prohibitus condere testamentum favore alicujus, etiam tacitè videtur eo ipso rogatus, & gravatus de restituendo ei, cujus favore, vel contemplatione testari prohibetur. Et Bart. ibi dicit casum illum mente tenendum. Loquitur autem in filia habente fratrem, cujus contemplatione verisimiliter prohibita erat. Si igitur prohibitio facta etiam tacito collateralium favore operatur fideicommissum in favorem collateralis, ut est ibi text. & ita judicatum fuit per imperatorem, & sic etiam per magnum consilium jurisperitorum, qui illum sequuntur, *l. ult C. de legibus, l. omnia C. de test.* quanto magis prohibitio facta contemplatione, & favore liberorum, & descendentium ipsius testatoris? Sed Henrieta fuit absolutè, & omni modo prohibita, tam favore sororum, si decederet sine liberis, quàm, idque multo magis, favore filiorum, si quos relinqueret, & domina Joanna fuit eodem modo prohibita ex tenore ipsius testamenti, ut probatum est: ergo principaliter in favorem filiorum suorum, & descendentibus si quos relinqueret: ergo filiis suis, & descendentibus, si quos relinqueret (ut reliquit) restituere gravata fuit per text. in fortioribus terminis, in *d. l. qui filium*, in prin.

38. Confirmatur primo, quia in *d. l. qui filium*, favor ille erat tacitus, & verisimilis tantùm: sed hîc est expressus, & certus: quia testator per modum dispositionis, & rationis, & causæ finalis expressit, quod volebat dictas terras non solùm manere in linea, sed etiâ perpetuò venire, & redire ad proximiores de linea.

39. Confirmatur secundò: quia ubi non est simplex prohibitio, eaque valida, ut pote causata, sed est adjectum, ut bona remaneant in familia, vel in linea, vel in cognatione, aut parentela: tunc ea prohibitio non solùm inducit fideicommissum semel, non solùm illud inducit in casum, & eventû contraventionis: sed etiam absolutè, & perpetuò inducit fideicommissum reale, & graduale, *l. cum ita legatum, §. ult. l. peto. §. fratre de leg. 2. ult. versic. pen. C. de verb. sign.* Et ita latè decidit Bart. Socin. *conf.* 57. *lib.* 3 Philip. Dec. *conf.* 23. *conf.* 38. *conf.* 422. *conf.* 425. *conf.* 481. in quibus loquitur de simili clausula, & dictione *Semper*, de qua hic & rursus *conf.* 655. & *in duobus consilis sequentibus.* Idem Petr. Paul. Paris. *conf.* 88. *ad resolution. num.* 27. *lib.* 3. Fulgos. *conf.* 116. Joannes *num.* 1. Ludovic. Gozadi. *conf.* 102. *videtur prima facie.* Felin. *conf.* 27. *non insistendo num.* 13. Jas. *l. filius familias, §. divi. num.* 113. & ibi Andr. Alciat. *num.* 38. Francis. Ripa. *num.* 2. *de legat.* 1. Adde infra consil. 31. num. 34.

40. Confirmatur tertiò: quia si fideicommissum inducitur etiam per tacitam voluntatem, quæ ex conjecturis colligitur, *l. hoc modo ff. de condit. & demonst. l. & eo modo ff. de legat.* 1. *l. unum ex familia, § ult. de legat.* 2. *l. fideicommissa. §. hæc verba l. Pamphilo in prin. de legat.* 3. *glo.* Bart. & omnes in *l. pater filium, §. pater filios de leg.* 3. Bart. Alex. in *l. licet imperator per illum textum de legat.* 1. & *rex. in l. cum proponebatur in fi.* ibi in causa fideicommissi ubicumque precaria voluntas quæreretur, conjectura potuit admitti. Et ibi Paul. *de legat.* 2. Alex. *conf.* 14. *col. ult. lib.* 4. Franc. Curt. senior. *conf.* 41. *col.* 1. *conf.* 51. *col.* 1. & 7. *conf.* 75. *num.* 13. Jas. *conf.* 33. *conf.* 140. *cum seq. lib.* 1. Stephanus Bertrand. *conf.* 229. *ad omnem lib.* 2.

41. Quantò fortiùs hîc, ubi tam multa simul concurrunt, videlicet primogenita absolutè, & omni modo prohibita, & sic non tam sororum quàm filiorum quos haberet, contemplatione, eadem prohibitio ad dominam Joannam eodem modo, & pariter extensa. Et tertiò eadem prohibitio ad omnes singulares neptum liberos prorogata. Quartò eædem prohibitiones specificè relatæ ad easdem terras in divisione seu partagio singularum neptum comprehensas. Quintò causa apposita, ne in aliam personam, aut alterius linex alienentur. Sextò generali, & ratione, & dispos-

tione finali additâ; ut illæ terræ semper debeant redire, & revertì ad proximiores de linea.

42. Septimò quod hæc ultima clausula non tantùm est per modum causæ finalis seu rationis appositæ, quod ad inducendum perpetuum reciprocum, & reale fideicommissum inter heredes, & eorum descendentes plusquàm sufficeret per prædicta, & ut omnes doctores, ubique communiter tam legendo, quàm consulendo tenent: sed etiam est apposita per modum dispositionis expressæ, prout est vera, & expressa dispositio incipiens ab illis verbis. Item *volo*, & *ordino*: cum quibus verbis continuatur, & ab eisdem regitur in eadem oratione seu periodo, ita quod in testamento ibi. *Mais doivent venir & retourner toujours*, intelligitur volo, & ordino quòd debeant venire, & redire semper.

43. Liquet enim quòd conjunctio, *Sed*, ibi non stat adversativè, sed continuativè, videlicet continuando seriem ejusdem orationis, & dispositionis: igitur dubitari nequit quin sit fideicommissum reciprocum reale, & perpetuum heredibus institutis, & eorum descendentibus successivè, & gradatim impositum, etiamsi non esset nisi dicta ultima clausula, quantomagis tota serie testamenti in id perpetuo tenore præsertim respectu Henrietæ, & Joannæ, & descendentium ex illis conspirante.

Rursus quintò principaliter probatur ex qualitate ditionum, & terrarum in dicta prohibitione contentarum quæ erant majorum testatoris, & ad decus, & conservationem antiquæ nobilitatis, & dignitatis familiæ spectabant. Quæ qualitas sufficit, ut prohibitio etiam simplex non solùm valeat in se, sed etiam valeat in vim fideicommissi absoluti ad illos de ea familia. Ita decidit Bal. post Cy. in *l. voluntas, C. de fideicommiss.* Bald. in *l. 2. C. de usucapione pro empto.* Bal. Raph. Fulgos. Pau. Phil. Cor. Jason. in *l. quoties vel omnibus C. de fideicom.* Alex. in *l. filius-familias, §. divi. col. 1.* & ibi Jason. *nota. 2. in ultima lectura*, & Joan. Crotus *col. 3. de lega. 1.* Philip. Deci. *cons. 23. col. 3. cons. 38. col. 2.* Ergo sequitur quòd prohibitio facta Henrietæ, & ad dom. Ioannam pariter extensa, non solum valuit absolutè; & omni modo, ut facta est; sed etiam valuit, ut fideicommissum in favorem descendentium dictæ Henrietæ, & Ioannæ respectivè injunctum

45. Confirmatur ex consuetudine regionis in qua terræ controversæ sitæ sunt, quinetiam ipsius testatoris, qui in ea regione conservabatur, & ad eam consuetudinem respexisse censetur, *l. si servus plurium, in fi. de lega. 1.* Panor. in *c. prudentiam in prin. extra de offic. de legat.* quæ est quòd terræ, & heredia antiqua debent reverti ad lineam unde processerunt, & membra ditionis ad caput ditionis à quo processerunt, ut notum est in tota Burgundia. Quæ consuetudo tacitè inest, & omnem actum informat, ut inquit Petrus Ancha. in *rep. c. si propter tua debita in quarta oppositione de rescriptis in sexto*, & in *l. tres fratres, ff. de pactis*, & præcipuè in testamentis Alex. *cons. 15 lib. 4.* Ang. Aret. *in tract. de testa. verb. nolens decedere intesta. in fi.* Ias. in *l. post dotem col. 6. solut. matrim. l. 1. §. hoc autem lect. 2. in princip. ad Trebel.* Ioan. Imol. *cons. 27.* Philip. Corn. *cons. 283. lib. 1.* Socinus *cons. 51. num. 33. lib. 4.* Curtius senior *cons. 44. col. 4.* Philip. Deci. *cons. 627. num. 14. ubi in annotat. dixi.*

46. Et consequenter præfatus testor ad eam consuetudinem patriæ verisimiliter respiciens, prout ex tenore, & multis locis ejusdem testamenti apparet eum ad hoc respexisse, & disposuisse, quòd plura prædia legata reverterentur ad heredem, & successorem suum domi. Montisbelligardi nominati, & sic ad corpus ejusdem comitatus. Satis ergo apparet quod idem testator prohibendo neptibus, præsertim Henrietæ, & Ioannæ alienare, & disponere quovis modo, non solum hoc fecit animo gravandi illas fideicommisso in favorem descendentium, si quos relinquerent: sed præcipuè in favorem eorum descendentium, qui domini essent ditionis principalis, & capitis Comitatus Montbelgardensis, qui Comitatus erat caput, & cui tanquàm digniori reliquæ terræ, & ditiones censentur adhærere, sicut membra, vel accessorium principale, ut inquit Bald. in *usib. feud. in c. ad hoc col. 2. de allod.* post Ioan. Blau. in *summa feud.* Barto. *l. inter eos, de acquirendo rerum dom.* Petrus Anchar. in *repet. c. accessorium col 32. de regu. jur. in sexto.* Alex. *l. 1. col. ult. de jurisdict. omnium judic.* & in *cons. 35. col. 2. lib. 4.*

47. Sed notum est illustrem actorem esse in directa linea descendentem à dicta Henrieta primogenita, & à dominis, & Comitibus Montbelgardi, & verum Comitem Montbelgardensem: & sic non solum ratione gradus, & personæ suæ, sed etiam ratione primogenitæ prædilectæ à qua descendit, & ratione rei videlicet capitis domus, & ditionis, ad quod membra, ut ab antiquo erant, facile revertuntur, *l. si unus, §. pactus ne peteret in fi. de pactis*, & potiorem, & proximiorem, & favorabiliorem esse.

48. Et prædicta consuetudo quod heredia antiqua sint affecta lineæ seu gentilitati, & potissimùm capiti, quæ fuit originalis Francorum, & Burgundorum, per constitutionem Caroli Magni, primi Franciæ Imperatoris, prorogata fuit etiam ad Saxones, ut testatur Bald. *cons. 174. lib. 5. & dixi in tract. contra abusus in proœmio num. 2. in 2. editione facta Basileæ anno* 1552. Nunc intentione illustris domini actoris satis ex prædictis fundata, & confirmata, superest tertium, an quædam obsint, quominùs admissibilis sit.

49. Et quod ad hoc rei opponunt lapsum temporis circiter centum annorum, hoc valde frivolum est; nondum enim litis initio attento erant novem anni ab obitu illustr. Renati *de Chalon*, ultimi è linea dominæ Joannæ, per cujus obitum locus apertus est substitutioni illustris Ulrici Vvirtembergensis Ducis & Comitis Montbelgardensis, qui proximior erat in gradu sanguinis, ut pote rectà descendens ad Henrietam primogenitam, & dominus erat, & possessor principalis dignitatis, & capitis totius domus & familiæ: quæ omnia in dominum actorem filium, & heredem suum universalem transmisit: qui interim quandiu Renatus princeps Uraniæ, & sui decessores è linea præfatæ Joannæ vivebant, agere non potuit. Porrò nullius temporis præscriptio incipere potest antequam cum effectu agì possit, *l. 1. in prin. & §. ult. C. de annal. except. l. pure §. ult. ff. de dol. mali except. cum vulg.* & latè Stephanus Bertrand. *cons. 16. Ex themate col. 10. cum sequens lib. 1.*

50. Imò in rebus subjectis restitutioni ex dispositione testamenti, speciali lege cautum est, ut de conditione impleta, quæcumque interim alienatio facta fuerit, pro infecta habeatur, & retro ad irritum quasi nec scripta, nec penitus celebrata fuerit, revocetur, utque licentia pateat legatario, vel fideicommissario: his omnibus casibus rem vendicare, nullo obstaculo ei à detentoribus opponendo, *text. in l. ult. §. fin autem sub conditione C. communia de legat.* Et sic etiamsi rei probarent prætensum testamentum, vel alienationem per dominam Joannam eis, vel eorum decessoribus factam, non prodesset eis, sed pro infecta imprætsentiarùm haberetur respectu actoris.

51. Bene verum est quòd si ageretur de fructibus temporis præteriti usque ad obitum Renati, qui fuit ultimus de linea Joannæ, tunc illa prætensa alienatio posset reis quantumvis extraneis prodesse ad effectum lucrandi, & retinendi fructus, pro tempore quo vixerunt descendentes dictæ Joannæ priore loco vocati: qui quanquam successivè & gradatim rem vendicare potuissent, tamen quia maluerunt esse heredes mediatè, vel immediatè successivè dictæ Joannæ, non potuerunt contravenire: & sic pro tempore eorum potuerunt rei possidere, & fructus suos facere, quippe qui contra heredes vulgates seu patrimoniales Ioannæ haberent titulum, sed pro vita illorum tantùm, *l. pen. §. prædium*, ubi Bart. & omnes *de leg. 2.*

52. Sed eorum tempore finito, & extante conditione, qua præfatus Ulricus proximior in gradu vocatus fuit, & successit, non ut successor Joannæ, à qua nihil accepit, sed ut successor primi testatoris Stephani, & jure fideicommissi ab illo facti, *l. coheredi*, §. *cum filia de vulg. & pupill.* Alex. *cons.* 30. *lib.* 2. *consil.* 100. *lib.* 7. Phil. Deci. *consil.* 1. Anth. Kub. *consil.* 36. non solùm interim non potuit sibi ante jus suum natum, & purificatum tempus currere.

53. Sed omnia interim contra effectum hujus fideicommissi attentata, pro infectis habentur *d.* §. *sin autem.* Et ea clausula pro infectis de qua pariter in *l. non dubium in fine C. de legibus in l.* 1. *C qui pro sua jurisdict. judices dare.* omnia ipso jure retro abolet, ut dixi in consilio præcedenti, *num.* 17 *cum seq. non repeto.* Jam ergo a tempore extantis conditionis, qua præfatus Ulricus vocatus fuit, rei omni titulo, & omni jure (si quod interim habuerunt) ipso jure defecti sunt, nulla præscriptione actori obstante, sive longi temporis, quæ ex justo titulo, & bona fide currit, quia etiam prætensus titulus, & omnia inde secuta habentur pro infectis, *d.* §. *sin autem*, sive longissimi temporis, quæ ex sola negligentia non petentis currit: quia præfatus Ulricus, & actor non potuerunt esse negligentes ante jus suum natum, & conditionis eventum. Quid? quòd hoc etiam diserte rei fatentur in suis duplicationibus, scribentes se non præscripsisse contra actorem, qui agere non potuit, quod per actorem acceptatum fuit articul. 35 responsionum suarum ad dictas duplicas. Adde quæ scripsi in consil. præcedenti, num. 15. & num. 17. de nondum natis, quò brevitatis causa remitto.

54. Confirmatur etiam in fortioribus terminis: nam rei prætendunt, si domina Joanna non legasset contra testamentum avi Stephani extraneo (ut prætenditur) sed uni filiorum suorum, quòd hoc facere non potuisset: erat enim gravata filiis suis, ut clarè probatum est, & sic non poterat uni prælegare, nec gratificare, cùm omnes vocarentur, & non obstante dispositione facta favore unius è liberis suis quantumvis ille, & sui descendentes cæteris volentibus, vel invitis (quia heredes erant patrimoniales matris) possedisset, tamen quandocumque supervixissent heredes sanguinis, & non patrimonii Joannæ, illi non obstante quovis temporis lapsu potuissent facere partes, vel concurrere cum illo legatario, vel suis, si essent æquales in gradu, vel eos excludere, si essent proximiores.

55. Quod autem rei objiciunt de legitima, quia prohibitio est universalis, & non particularis, errant in suo fundamento: quia certum est quòd prohibitio, & substitutio, de qua agitur, est de certis corporibus terrarum, & sic particularis, & vicem legati seu prælegati particularis habet. text. rotundus in *l. ex facto l. grand. de heredibus instit. in l. si certarum, in princip.* ibi, resque omnes suas per præceptionem cuique legando distribuit *ff. de testa. militari.* Et sic verè, & propriè loquendo non devolvitur, non vendicatur hereditas, sed certum particulare corpus, ut nec Trebellianicæ (si qua fuisset) dudum in fructibus consumptæ, nec legitimæ locus esse possit, ut constat per facta articulata, & allegata per ipsos reos in eorum defensionibus, & duplicis, ubi articularunt quòd præfata Joanna ultra hanc terram *Villaffans*, quam extraneo legavit, plures alias ditiones, terras, & bona habebat, & retinuit longè multò amplioris valoris, quàm sit terra *Villaffans*, quod etiam verum est.

56. Et sic si quæstio esset de legitima (id quod non) cùm rei non sint heredes, neque eis competat, nec possit allegare jus tertii non conquerentis: certum est per confessionem, & articulata reorum, dictam Joannam, & ejus heredes multò ampliora, & majora retinuisse, & adhuc hodie tenere, & retinere, quàm sit terra *Villaffans*, & consequenter multò plus habere, quàm sit legitima dictæ Joannæ.

57. Præterea constat testamento illustris Comitis Stephani nunquam ab initio locum fuisse, nec esse potuisse Trebellianicæ: quoniam illa omnino prohiberi potuit text. in Authent. *sed cum testator C. ad l. Falcid.* prout prohibitam fuisse apparet per prohibitiones, & substitutiones præcisas de certis terris, & corporibus, de quibus agitur, integrè factas, & quòd neptes singulæ jubentur esse contentæ, & per verba etiam universalia prohibentur quidquam ultra petere, & integras dictas terras restituere. Ex quibus satis apparet prohibitam Trebellianicam, ut tenet Bart. in *l. centurio de vulga. & pupillar.* Et ibi Imol. & Alexand. *col.* 24. *& consil. num.* 14. *lib.* 3. *& consil.* 133. *lib.* 5. latè Antho. Corset. tractatu *de potestat. regia.* 473. *in* 2. *dubio, & in singular. verb. integrè* Alexand. *consil.* 201. *nu.* 5. *lib.* 6. Ioan. Croc. *in l. nemo potest col.* 13. *de legat.* 1. Carol. Rui. *consil.* 159. *col.* 4. *lib.* 3. Aymo Cravera *consil.* 174. *col.* 1. Steph. Bertrand *consil.* 158. *si honor. lib.* 3. Benedict. Capra *consil.* 83. Hieronymus Grat. *consil.* 103. *col. ultim. lib.* 2.

58. Nec est dubium quin etiam in filiis primi gradus prohiberi possit: quia text. dictæ Authen. non distinguit, imo potiùs quia Trebellianica est quid adventitium præter jus civile, & quando additur legitimæ (id est, ultra illam detrahitur) omnino etiam in filiis prohiberi potest. Paulus Castren. in *l. jubemus C ad Trebell. in l. quod de bonis*, §. *fructibus in fin. ad l. Falcid.* & Alexand. in *l. mulier*, §. *cum proponatur col.* 4. *ad Trebell. & in cons.* 67. *lib. cons.* 5. *lib.* 3. *cons.* 29. *lib.* 1 5. Philip. Deci. *cons.* 480. *num.* 13. Carol. Rui. *cons.* 118. *col. ult. lib.* 3. *cons.* 147. *cum duobus sequentibus lib.* 3.

59. Præterea tam etiam legitima, quàm Trebellianica utraque perduntur per non confectionem inventarii, ut tenet Baldus in *l. ult.* §. *ult. C. de jure deliberan.* quia præsumitur subtractio, *ut in auth. de hered. & Falcid.* §. *huic modis*, idem Oldra. *q.* 134. & alii quos supervacuum est referre, cùm non sit præsentis speculationis.

60. Et ultrà constat quòd substitutiones, de quibus agitur, factæ sunt in favorem neptum, & descendentium ex eis, & totius familiæ, & sunt reciprocæ, ita quòd non contineat gravamina, sed favorem, & consequenter non est locus querelæ, nec detractioni legitimæ, quanquam in aliis bonis satis repleta sit. text. in *l. si pater puellæ, C. de inofficioso testamento*, ubi est specialis decisio, cui per jura generalia posteà sequuta non derogatur, sed magis illis derogat. *lege in toto jure. de regulis juris*, ut hoc possit attentari etiam in *l. cum prioribus, C. de inofficios. testament.* cujus ratio finalis, & tenor non tendit a l derogatum, *d. l. si. pater eod. titul.* quæ etiam magis specialis est.

61. Et ulterius dictæ neptes post obitum testatoris solemniter idem testamentum, & substitutiones reciprocas in eo contentas specialiter approbaverunt, & perpetuò sine aliqua exceptione integrè observare vicissim promiserunt, & in ea voluntate vixerunt, perseverarunt, & obierunt ante annos ferè centum: & sic impossibile est querelam ullam facere de legitima, vel Trebellianica, de quibus etiam neptes ipsæ nunquam uti voluerunt.

62. Postremò etiamsi rei admissibiles essent ad excipiendum de legitima Joannæ, illud reservandum esset in executione Arresti, sed etiam ex suis allegatis, quæ contra eos retorquentur, constat heredes Joannæ plus habuisse, & retinuisse, quàm esse posset legitima. Præterea, verum non est in potestate esse filii, vel filiæ eligendi rem certam pro sua legitima, etiamsi hoc declaratset: hoc enim spectat ad judicis arbitrium coheredibus, substitutis, fideicommissariis, legatariis, & omnibus quorum interest, vocatis, causa cognita: nec potest quis esse judex, vel arbiter in causa propria, *C. ne quis in sua causa judi. per totum*, & in propriis terminis est text. in *l. potest autem ibi, vel legatarius consenserit, vel judex æstimaverit, de legat.* 1. *C. in* 2 *C. quando & quibus quartapars lib.* 10. Et ita in propriis terminis decidit Bart. in *l. suus quoque* in princ. *de heredibus instituendis*,

& in dicta l. 2. verſicul. *& hos puto. Et in l. in quartam col.* 3. Et ibi Alexand. *col.* 10. *ad l. Falcid.* Bald. in *l. ſeimus in princip. col.* 2. *C. de inofficioſo teſtamento, & in conſ.* 217. *lib.* 1. Alexand. in *l. Marcellus* §. *uſque in fine ad Trebellianum & conſil.* 134. *Attentis narratis lib.* 4. *conſ.* 117. *num.* 20. *num.* 22. (*ubi in annot. dixi*) *lib.* 6. Paul. *conſ.* 247. *num.* 4. *lib.* 1. Guido Papæ *deciſ. Delphin.* 606. Philip. Corne. *conſilio* 282. *lib.* 1. Philip. Deci. *conſ.* 236. *ubi in annot. dixi.* Ex his nihil ſupereſt ex objectionibus reorum, quin ſit plenè diſſolutum.

63. *De Auth. de reſtitut. fideicommiſ.* & quatuor gradibus nihil penitus, nec objiciunt multas eſſe promptas reſponſiones quæ dicuntur, non ut vel tantillum objicietur. Interim non opus eſt hæc ſatis onerata ſuperfluis onerare. Summa intentio actoris clariſſimè fundata eſt in tenore teſtamenti illuſtris Stephani à neptibus & heredibus approbati, & in eodem ſupremo Senatu Dolano exhibiti & ſolemniter tranſcripti & exemplati. Et ſic nihil ſupereſt, niſi ut rei condemnentur, ni velint pertinaces eſſe in petenda dilatione ad præxenſa facta, tam per teſtes, quàm inſtrumenta probanda; in quo conſultius facerent, ſi ſe ſumptibus & laboribus manibus non gravarent, *l.* 1. *de inoffic. teſtam.* Et ita in omnibus & ſingulis ſuprà ſcriptis cenſeo ego Carolus Molinæus Franciæ & Germaniæ Juriſconſultus 15. Decembris 1555.

EPITOME CONSILII VIII.

domini Bonifacii Amerbachi.

1. *Poſſeſſorio agere utilius eſt.*
2. *Sententia nec prodeſt nec nocet iis inter quos lata non eſt.*
3. *Actio judicati triginta annis finitur* 4.
5. *Niſi ſuper lite conteſtata lata ſit, quia tunc quadraginta annis.* 6.
7. *Idem ſi per reum ſteterit quominus conteſtaretur.* 8.
9. *Ceſſionarius executionem ſententiæ petere poteſt.* 10.
11. *Non refert directa, quis, an utili actione agat,* 12. 13.
13. *Interruptio facta contra eum qui tenetur directa, interrumpit contra eum qui tenetur utili, & contrà.*
14. *Sequentia lata pro priore ſubſtituto prodeſt ſequenti.*
15. *Etiam via executionis.* 16. 17.
16. *Jus ſubſtitutionis cedi poteſt.*
18. *Præſcriptio etiam cœpta dormit tempore pupillari.*
19. *Verba generalia porriguntur ad cogitata in genere.*

CASUS CONSILII VIII.

QUidam inſtituit filios ſuos heredes, quibus deſcendentibus ſine maſculis, ſubſtituit deinde in quibuſdam bonis Ferdinandum de Novocaſtro. Is ceſſit jus ſuum quondam illuſtri Duci Udalrico Wirtembergenſi, &c. pro certa pecunia: deinde idem Ferdinandus movit litem contra Gulielmum Comitem Furſtemberg. qui tunc temporis detinebat ejus bona, & petit ſibi decerni poſſeſſionem eorum, in quibus vigore teſtamenti inſtitutus eſt. Tandem fertur ſententia 7. Aprilis, anno, &c. quo facto, Ferdinandus moritur ſine maſculo herede, ita quidem ut illa bona jure ſubſtitutionis ad dominos *de Cuſance* & Bellovi-ſu devolvantur, ij enim in eodem teſtamento ſcripti heredes ſunt in præfatis illis bonis, de quibus priùs ſententiatum eſt, qui deinde jus omne ſuum etiam cedunt prædicto domino Duci Udalrico, &c. Jam quæritur, an illuſtriſſ. dominus Chriſtophorus tanquam heres patris ſui poſſit vigore ceſſionis eidem factæ per Ferdinandum de Novocaſtro, poſt annos triginta novem, qui interea effluxerunt, executionem petere ſententiæ, quæ pro cedente lata eſt anno quo ſuprà.

Et poſito quòd non poſſit, an competat dominis *de Cuſance*, &c. qui in proximo gradu ſubſtitutionis poſt Ferdinandum de Novocaſtro in iiſdem bonis ſcripti ſunt heredes, miſſionem in bona illa poſtulare, quam per ſententiam obtinuit Ferdinandus ille, quando quidem in ceſſione illa, quam fecerunt domini *de Cuſance* domino Chriſtophoro, illius juris non fecerunt mentionem.

Item, an poſſint iidem domini *de Cuſance* ratione hujus juris, novam facere ceſſionem principi Chriſtophoro, ita ut is ad executionem illius ſententiæ agere poſſit contra Comites Ortembergenſes, qui à prædicto Comite *de Furſtemberg*, pendente lite, illa bona, de quibus controvertitur, emerunt.

CONSILIUM VIII.

Domini Bonifacii Amerbachi.

IN nomine Chriſti conſervatoris. Amen. In quæſtionibus themati propoſito ſubjectis doctiorum & magis experientium juriſperitorum ſententiam audire ſequique mallem, quàm meam præponere: verùm cùm eorumdem reſponſa clariſſ. dom. Hocxlinus Procomes Montbelgardenſis in ſe facturum cœperat, non miſerit, quid ſentiam, ſalvo & illabefacto ſaniore judicio, paucis delineabo.

Circa primam quæſtionem, an illuſtriſ. princeps Chriſtophorus tanquam heres patris ſui Ulrici ceſſionarii poſſit vigore ceſſionis eidem per eumdem Ferdinandum factæ poſt annos triginta-novem, qui interea effluxerunt, executionem ſententiæ, quæ tum pro cedente lata eſt, petere.

1. Principio moneo, ſi quod quæritur ſuccedat, hoc non parum Illuſtriſſimo principi noſtro profuturum, & ſumptibus alioqui faciendis plurimùm deceſſurum. Conſulit enim Cujas Juriſconſ. *a* ut is qui deſtinarit rem petere, animadvertere debeat an aliquo legitimo modo poſſit nanciſci poſſeſſionem, longè commodiùs exiſtimans ipſum poſſidere, & adverſarium ad onera petitoris compellere, quàm alio poſſidente, petere. Et ad interrogata reſpondendo,

2. Videtur Dux illuſtriſſ. Chriſtophorus vigore ceſſionis executionem petere non poſſe: Ratio eſt quia res inter alios judicata neque emolumentum adferre iis qui judicio non interfuerunt, neque præjudicium ſolent irrogare, ut Gordianus imperator

a l. is qui deſtinavit ff. de rei vind. reſtituendæ, reſſ. & quæ longè commodiùs. Inſt. de interdictis,

61. res inter alios C. quibus res jud. non nocet. to. tit. Cod. res inter alios acta l. 1. & per constitutum. ff. de re judic. c. quamvis cap. cum super. extra eodem.

d l. nulles §. judicati, ff. de re judicata. d l. sicut C. de præscr. 30. ann. l. 1. §. ad hæc de annali excep. l. fin. Cod. ex quib. caus. in integrum rest. &c.

e l. unica C. de usu cap. transformanda. toto titu. de præscript. long. temp. & instit. de usucap. l. si de præscript. 30. ann. d. l. 1. C. de annali excep. & ibi Bald.

f fin. Cod. de præscr. 30. vel 40. ann.

reſcripſit. *b* Inde nihil vulgatius in foro, Sententiam de jure tertii latam, non prodeſſe nec obeſſe alteri.

3. Et quòd maximè ſententia hîc pro domino Ferdinando lata, duci Ulrico, aut ejus heredibus ob coſſionis neceſſitudinem prodeſſe deberet: obſtabit tamen tempus trigintanovem annorum jam elapſum. Nam licet actio judicati perpetua ſit, & rei perſecutionem contineat, inque heredem & heredi competat *c* perpetuò: tamen interpretabimur ut trigeſimum annum non egrediatur. Hic certe terminus, hæc meta hodie omnibus actionibus civilibus tam in rem, quam in perſonam factis conſtitutionibus præfinita eſt, *d* nili vel minore tempore tollantur, vel alioqui in certis caſibus in longius tempus protendantur. *e*

4. Itaque quemadmodum Ferdinandus in judicio poſſeſſorio victor poſt tempora præfinita actionem judicati negligentior intentans, cæteris paribus non exaudiretur: ita nec Dux Ulricus ceſſionarius, vel ejuſdem heres Dux Chriſtophorus ſeriùs venicns quicquam ordinario jure promoturus videtur.

5. Verùm poſito pro conſtanti quòd ceſſio valuerit, rem omnem diligentiùs expendenti, in mentem venit plurimum referre, an in actione judicati pro ſententiæ executione tum intentata ad litis conteſtationem deventum ſit. Et ſi quidem eò deventum eſt, etiamnum eam ab illuſtriſſimo principe Chriſtophoro ducis Ulrici ceſſionarii herede peragi poſſe credo: ita enim conſtituit Imperator Juſtinianus, *f* ut licet etiam perſonalis actio ab initio inſtituta fuerit, eam tamen ob interpoſita certamina judiciaria atque adeò litis conteſtationem in quadrageſimum annum extendi. Cùm (inquit) non ſimilis ſit qui penitus ab initio tacuit, ei qui & poſtulationem depoſuit, & in judicium venit, & ſubiit certamina, litem autem implere per quoſdam caſus præpeditus eſt, addens præterea ſi actor defecerit: tamen ſuæ poſteritati hujus cauſæ curſum cum relinquere poſſe, & ejus heredibus vel ſucceſſoribus licere eam adimplere nullo modo triginta annorum exceptione ſublata.

g l. 1. §. ad hæc in ver. exceptis omnibus actionibus Cod. de annali excep. h Alex. & alii in l. si eam §. qui injurias. ff. si quis cautionib. & l. ult. ff. de eo per quem factum erit l. constitutionib. in verb. quasi contestatas ff. de actionib. & oblig. & facit. l. 2. ubi in rem act. i Specul. in tit. de exec. sententiæ §. qualiter Bart. in l. intra dies. ff. de re jud. Bar. & Bal. in l. 1. C. de execut. rei judicatæ. k Jason in d. l. intra dies & in l. 2. ff. de jurejuran. l cum à matre C. de re judicat. l. successores C. de solution. l hæredem. ff. de regul. jur. & pœnitentia non debet ad hæredem transire, in l. qui Romæ. m Flavius Hermes ubi Alex. consen. vers. ultimus casus, & ibi Jas. ff. de verb. oblig.

cedente ab hinc annis trigintanovem lata eſt, executionem petere poſſe. Conſtat enim inducias quadraginta annorum ex eo numerandas eſſe, ex quo noviſſima præceſſit cognitio, poſtquam utraq; pars ceſſarit, ut nobis idem Juſtinianus Imperat. de ſcripto præit. *m*

11. Nec obſtat res inter alios judicatas aliis non emolumentum adferre: quia ut hoc perpetuum non eſt, *n* ita in ceſſionario probabiliter non recipitur, vel ob utiles actiones quas ſuo nomine intentare poteſt, & quòd non referat directa quis an utili, cæteris paribus, agat vel conveniatur, cum utraque actio pro Pauli ſententia ejuſdem poteſtatis ſit, eumdemque effectum habeat. *o* Eam ob cauſam parum forſitan obſtabit, ſi objiciatur utilem actionem in judicium tempore poſſeſſorii à Ferdinando inſtituri non venille, ſed directam, ut qui ſuo nomine egerit.

12. Quia earumdem actionum tanta videtur ex Paulo *p* neceſſitudo & cognatio, ut quod in alterutra obtentum ſit, alteri communicetur, quodque cedenti permittatur, ceſſionario cæteris paribus non denegetur. Quod ipſum juris interpretes non uno in loco voluerunt, ſi cui eorumdem doctrinas, ſive deciſiones (ut appellant) colligere vacet: & è quamplurimis unam ſpeciminis ergò adduxiſſe ſufficiat.

13 Nempe quod interruptione facta contra eum qui tenetur directa, interrumpatur etiam præſcriptio contra eum qui tenetur utili, & è contra. Ita Barthol. *q* omnium coryphæus ſenſit, cujus doctrinam Caſtrenſis, Imola, Alexander, & alii probant: motus autem ratione, quòd actio utilis & directa eadem videatur, quæ ſanè hîc quoque nobis patrocinari debet, litis conteſtatio in directa actione per cedentem factam ad utilem ſeſe porrigat, *r* valeat igitur (ut Cicero inquit) æquitas, quæ in paribus cauſis paria jura deſiderat.

14. Secundo faciamus, ut poſito quod illuſtriſſimus princeps Chriſtophorus vigore ceſſionis duci Ulrico parenti factæ, executionem ſententiæ petere non poſſit: Quæritur, an domini *de Cuſance*, vel *Belveoir*, qui in proximo gradu ſubſtitutionis poſt Ferdinandum de Novocaſtro ſive dominum *de Montagu*, in iis bonis heredes ſcripti ſunt, competat miſſionem in illa bona poſtulare, quam per ſententiam obtinuit Ferdinandus, quandoquidem in ceſſione quam fecerunt domini *de Cuſance* duci Chriſtophoro, illius juris non fecerunt mentionem. Reſpondeo, quemadmodum teſtatori liberum fuit plures heredum ſecundorum ſive ſubſtitutionis gradus facere: *s* ita omne quoque jus quod penes antecedentes ſubſtitutos fuit, eventu conditionis in proximè ſequentem devolvi, & velut curſu juxta proverbium, Lampada tradi. *t* Itaque Ferdinando ſecundum quem pro tribunali Dolano in poſſeſſorio judicio pronunciatum erat, ejuſque agnatione de medio ſublata cum proximè ſequens ſubſtitutionis gradus Ferricum *de Cuſance*, ſive *Belveoir* cum ſua agnatione vocaret, omne jus quod penès Ferdinandum & ſuos fuit, in dominos *de Cuſance* ſive *Belveoir* devolutum eſſe opinor.

15. Atqui cum Ferdinandus poſſeſſionem bonorum à Comite Guilielmo Furſtembergio detentatorum petens, cauſa ſuperior fuerit, & ſententiam pro ſe reportavit, ſententiam quoque pro ſe latam, ut executioni mandaretur (quando quidem ſententiæ nervus eſt executio) *u* petere potuiſſe, quemadmodum in confeſſo eſt: ita hoc quoque jus petendæ executionis cum reliquis ad dominos quoque *de Belveoir*, tanquam proximo gradu ſequentes, atque adeò ſuccedentes vigore ſubſtitutionis domino Novocaſtrenſi ſublata, vires jam ſuas recipientis devolutum eſſe rurſum opinor.

16. Nam utcumque ſententia ſtricti juris *x* & res inter alios judicata regulariter, aliis etiam non prodeſſe vulgo jactetur: quia tamen imperator Juſtinia-

m Ind. l. fin. in hac. n glosa in d. l. res inter alios C. quibus res judicat. non nocet, & in d. cap quamvis Alexand. ibi in d. l. sæpe constitutum. o l emptor hæreditatis C. de hæred. vel actione vendita & ibi Bald. Salycet. & reliqui l. action. ff. de negot. gest. Bart. in l. cunctatoris C. eo. col. 1. l. 1. ff. de actionib. & obligationib. p d. l. action. q Bartol. post glos. in l. cum quis. §. si quis pro eo. ff. de solut. tutori l. cum hæred. ff. ad Trebellian. & d. l. actio. & in d. l. 2. ff. de act. & obligat. fac. nov. per Bal. in l. per diversas in 10. quæst. C. Mandati. & fac. simile Bald. in d. l. emptor. in pen. ult. ff. de hæred. vel action. vend. de vite & propagine. r l. à Titio ff. de verbor. oblig. l. illud ff. ad l. Aquil. l non pollunt omnes. ff. de legibus.

s l. potest cum l. sequenti, ff. de vulg. §. 1. Inst. eod. tit. t l. ult. §. fin autem sub conditione. & §. quod similiter obtinere. C. communia de leg. l. cum hæredes ff. de acqui. possess. l. hæredito ff. reg. jur. §. sed quia nihil interest, Inst. de fideicom. hæredit. l. ult. C. de hæred. vel act. vend.

u l. 25. post originem, vers. per eos enim qui jurisdicendo præsunt. ff. de origine juris. x Notat. in l. 1. C. si plures una sententia glo. in l. Julianus verum ff. debitorem de condict. indeb. d. l. res inter alios.

nus in supra laudata Constitutione *f* actorem litem coeptam implere præpeditum, licet ipse defecerit: tamen suæ potentati hujus cursum eum relinquere posse, & ejus hæredibus, vel successoribus licere eum implere diserte verbis definivit nullo modo triginta annorum exceptione sublata illa causa, certè dominos *de Belvoir* proximo gradu à domo Novocastrensi venientes, hic successorum appellatione comprehendi puto. *g*

17. Proinde dominos *de Belvoir* omne quoque jus in se devolutum principibus Witembergen. cedere potuisse constat: *h* qui nec ejus cessionis nomine malè audire, nec redemptores litium alienarum videri debent, proximum à dominis *de Belvoir* gradum in substitutione habentibus, quorumque omnia salva remanere plurimum retulit. Minus etiam controversæ cessio novissima duci Christophoro facta, nunc habere videtur quoad id de quo hîc quæritur peragendum eo tempore facta quo ex domo Novocastrensi nemo superfuit: item quòd cedentes in sua quoque gente *Belvoir* soli superstites pro se & suis hæredibus cesserunt. *i* Quòd si prætendatur in cessione Duci Christophoro facta illius juris non factam esse mentionem, cogitabam cùm per mortem Ferdinandi ac reliquorum de agnatione Novocastrensi vigore substitutionis, omne jus quod iidem Novocastrenses habuerunt in dominos *de Belvoir*, & si existente conditione devolutum esset, in eo quoque jure potestatem perendæ executionis, quod Ferdinandus ac sua cognatio habuit comprehendi, ut ea quæ tacitè inessent ex verborum, & contractus generalitate naturaque exprimere nihil fuisset necesse. *k*

18. Porrò si lapsus temporis objiciatur, cogitabam an fortassis responderi posset vel tempus secundum supra dicta elapsum non esse, vel dominos *de Belvoir* cedentes tempore sententiæ pro Ferdinando Doctæ latæ nondum in humanis, aut impuberes fuisse, casu quo si de tempore legibus præfinito tantum detraharur, quanto ob pupillarem ætatem Justinianus *l* detrahendum sanxit, & Accur. præscriptionem etiam inchoatam tantisper dormire sensit ad spatium temporis tricenarii nondum perventum esse, mecum ipse, salva semper sanioris sententia, conjiciebam commentabarque.

19. Tertia quæstio à secunda pendet, quæ ut sustineri possit, constat verba generalia etiam ad ignorata seu incogitata in specie, cogitata tamen in genere porrigi: *m* Item abundantem cautelam non nocere. *n* Quin & ea quæ dubitationis tollendæ causa vel repetuntur, vel contractibus inseruntur, jus commune aut priora cæteris paribus non lædere. *o*

20. Et hæc quidem hactenus. Verùm cùm ipse mecum reputo, responsuris de jure non tam quid in scholis disputando sublineri, quam quid pro communibus doctrinis & juribus loci, in quo lis instituetur, obtineri possit, cogitandum esse, prudentiorum & vel maximè longo rerum usu illic tibi hæc tractabuntur exercitorum judicio, has primas easque immaturas meas cogitationes, in quibus nec ipse mihi (ut ingenuè fatear) per omnia satisfacio, sciens prudensque submitto, nec ullius lituras fastidio modo illustr. principis rebus rectè consulatur. Basileæ pridie calendas Octobris. Anno 1555. Bon. Amerbach.

EPITOME CONSIL. IX.

1. *An à judicio Spirensis camera supplicare liceat. Sententia intelligitur secundum limites libelli.*
2. *A sententia possessoria non appellatur.*
3. *Sed datur in integrum restitutio.*
4. *Respublica etiam inferior habet ius minoris.*
5. *Minor etiam culpa sua læsus restituitur.* 6.
7. *Acta litis notorium iuris faciunt.*
8. *Inhibitio petendi continet petitorium, & non possessorium tantùm.*
9. *Actor tenetur in libello perseverare.* 11.
10. *Error facto adversarii etiam post sententiam restituitur.* 12.
13. *Favorabilis est redemptio redituum in domibus urbanis.*
14. *Favore ædificiorum urbis privatur quis dominio rei suæ.*
16. *Petens redemptionem non turbat reum in possessione.*
17. *Reditus præsumitur temporalis, vel redimibilis.*
18. *Solitum pendi Ecclesiæ, præsumitur eleemosyna, nec obligat in futurum.*
19. *Nisi appareret depensum ex certa causa obligativa: quia talis præsumitur titulus, qualis probatur causa vel qualitas in qua continuata est solutio.*
20. *Ecclesia utitur iure communi.*
21. *Si constet reditum perpetuum, non tamen præsumitur fundiarius, sed imposititius.* 23. 27.
Quælibet res præsumitur libera.
22. *In dubio præsumitur quod est minus.* 23. 27.
24. *Etiam in legato facto Ecclesiæ.*
25. *Intellectus l. sunt personæ, de religiosis & sumptibus funerum.*
26. *Sacrificuli pro Ethnicis degenerant.*
27. *Et contra eos propter avaritiam præsumitur.*
28. *Constitutio imperialis de redemptione redituum super prædiis urbanis constitutorum.*
29. *Decretum Wormaciense ad rationem unius in viginti.*
30. *Ecclesiastici subsunt imperatori & eius decretis, etiam iure divino.* 31.
32. *Privilegiatus læsus utitur privilegio contra privilegiatum.*

CONSILIUM IX.

IN causa inter Clerum & Canonicos trium Conventuum Francofordiæ, actores: & Consules, Senatum, cives Francofordienses reos, pendente in executione sententiæ in camera imperiali Spiræ, visis, auditis, & intellectis instrumentis, meritis, & statu causæ, Dei nomine per Jesum Christum Redemptorem unicum pro veritatis & justitiæ inquisitione & defensione invocato.

1. Prima facie dicendum videretur, nullum reis superesse remedium, nisi in moderatione & interpretatione executionis sententiæ latæ anno sesquimillesimo quinquagesimo primo, quia est definitiva parte

f ind. l fi. ea fin. ff. de præscr. 30. vel 40. annorum & ibi Accur.

g l. quædam, §. nihil interest: ubi post dictos Iason. ff. de edendo. ea quæ Gui. ubi Panorm. & Felin de judicciis & licet huc l. si quando ff. de legatis 1.

h l. per diversas C. mandati. l. spem futuræ C. de donat. l. nulla C. de contrahen. empt. Bartol & alii in l. 1. de fideicom. C. de transact.

i l. pen. §. prædium quo nomine familiæ. ubi not. ff. de leg 2. d. l. fin. §. fin autem sub conditione C. communia. de leg. l. venditrici, ff. de reb alien. non alienandis, d. l. cum a matre.

k l. 1 §. generaliter, ff. de legat præstand. l. in convention.

& ibi Alciat ff. de verb sign. l. semper in stipul. ff. de regul. jur. l. sub prætexta. C. de transact. ubi doct. l. empt. §. Lucius pandia. §. ff. de pact. l. 6 infin. C. de dotis promiss. cum similibus l. l. sicut. versic. sed pupillari ætate. C. de præscript. triginta annorum.

m Doct. in d. l. sub prætexta 2. C. de transact. cum similibus.

n l. testamentum C. de testamentis. l. non solent. ff. de reb. cor. & loquitur etiam ff. l. quidam. ff. de regulis juris.

præsente & audita lata : igitur finem ultimum imponit negotio *l. 1. de re judicata.* Secundò, quia à judicio vel Arresto supremæ Spirensis Curiæ, unde non licet appellare nec provocare. Tertiò, quia nec semel quidem licet contra illius cameræ sententias supplicare, abrogata (ut ferunt) *l. si quis adversus eum Authent. sequentes C. de precibus imperatori offerend. & per edictum Augustæ latum.* Quartò, quia sententia est possessoria, sive super momentanea possessione lata, ut apparet per libellum conventionalem actorum Spiræ datum, in quo actores preces suas imperatori, anno 1541. oblatas ad petitorium concludentes restrinxerunt, seu potiùs converterunt in conclusiones possessorias, petentes se restitui in quasi possessionem censuum, in quibus fuerant injustè à reis turbati, sibique caveri de non turbando in futurum. Sententia autem intelligitur secundùm libellum, ut metas & limites ejus nullatenus excedat, *l ut fundus communis divi l. ultim. C. de fidricommiss. libertat. c. licet. extra de fimo.* Alex. *consil.* 8. (ubi in annota. dixi) *lib.* 2.

2. Sed à judicio momentaneæ possessionis, etiam ab inferiori lato non licet appellare secundùm communem sententiam, *l. unica Cod. si de momentanea possessione fuerit appellatum.* Nec obstat, quòd secundum glos. magnam *in d. l. unica*, & communem sententiam, habet locum restitutio in integrum : quia quamvis rei, qui sunt Respublica, habeant alioquin beneficium restitutionis in integrum : tamen non videtur habere locum contra actores quibus idem etiam beneficium competit : & sic cùm sint pariter privilegiati, videntur ad jus commune redacti, ut per Barthol. *in Authent. quas actiones C. de sacros. Eccles. in l. sed milites in princip. de excusat. tutor.*

3. His tamen & aliis quæ ex processu mihi exhibito resultant, non obstantibus, ego Carolus Molinæus J. U. D. Galliæ & Germaniæ Jureconsultus censeo præfatos reos seu inclytam Rempub. Francofordiensem in integrum restituendam adversus dictam definitivam sententiam Spirensis cameræ, ut legitimas suas exceptiones, seu defensiones tam adversus inadmissibilitatem libelli præfati conventionalis, quàm in meritis causæ ad finem absolutionis à conclusionibus dicti libelli, & in ea restitutione obtinenda & prosequenda, & ea obtenta, in principali lite præfatam Rempublicam justissimam habere causam. Certum est quod in integrum restitutio datur minoribus annis, etiam adversus sententias definitivas supremorum judicum, puta præfectorum prætorio, à quibus appellare non licet, *l. præfecti de minoribus*, quandoque & adversus sententias ipsiusmet imperatoris ore prolatas, *textus in l. minor. autem, §. si autem princeps de minor. cap. cùm ex literis extra de in integ. restitut.*

4. Hoc autem palam est & juris exploratissimi, Respublicas etiam inferiores jura & privilegia minorum habere, ut æquè possint auxilium restitutionis in integrum implorare, *l. Respub. C. ex quibus caus. major.* igitur magis florentiss. Respublica Francofordiensis, quia est præcipuum membrum Imperii. Superest igitur ostendere, justam esse causam restitutionis, & ex abundanti restitutione obtenta, eamdem Rempublicam justam causam habituram in principali.

5. Porrò ad restitutionem in integrum duo tantum requiruntur, videlicet minoritas vel similis prærogativa, & læsio, quam non exigitur contigisse dolo adversarii : sed sufficit quovis modo, sive re ipsa, sive facilitate, aut etiam culpa læsi contingat, *l. 1. de minoribus l. minor. Cod. de in integrum restitut.* Sed in causa præsenti Respublica non solum culpa administrorum suorum (quod sufficeret) non solum sui facilitate, quod etiam sufficeret,

6. Sed multò fortius calliditate, frustratione, facto & dolo actorum læsa & circumventa est, igitur indubitatum est restitutionem in integrum concedendam. Patet primò, quia cùm haberet legitimas exceptiones propter ineptitudinem & inadmissibilitatem libelli, nihil de eis opposuit, ita quòd etiam rigore juris sententia nullitatis argui possit, cùm Respublica in hoc nullo modo fuerit defensa. Secundo quia nec in principali re defensa fuit à suis, qui causam abjecerunt & penitus reliquerunt non jurando de calumnia, nec defendendo. Et de hoc est casus rotundus in *d. l. minor autem, §. si autem princeps*, ibi, dum ea quæ pro causa sunt non dicta allegat. ergo plusquam sufficiens est ad repetendam cognitionem, saltem beneficio restitutionis in integrum, etiamsi principe per seipsum & jure proprio cognoscente, lata esset sententia.

7. Porrò inadmissibilitas illa libelli conventionalis plusquam manifesta erat, & (ut vulgò dicitur) notoria notorio juris, quoniam etiam ex actis processus quæ notorium juris faciunt, ut per *Canonem in vestram. de cohabit. Clericorum & mulierum.* constat ipsos actores primò Imperatori libellum obtulisse, quo supplicabant,

8. Et petebant reis inhiberi ne redemptionem censuum & redituum de quibus agitur, peterent, & sic in effectu ut omni jure & facultate redimendi privarentur : quæ erant conclusiones non possessoriæ, sed petitoriæ, & ipsum jus principale penitus perimentes & absorbentes, *l. si a te, & ibi glos.* Bald. Salycet. & omnes. *Cod. de pactis inter emptorem & vendit.* Qui quidem libellus non solùm principi fuit oblatus per ipsos actores, sed etiam judicibus vel arbitris ab ipso Imperatore datis, videlicet Episcopo Moguntinensi, & Comiti Palatino electoribus insinuatus & reis editus, & quod fortius causa per illos primos judices & arbitros cognita & examinata.

9. Igitur actores non erant admissibiles ad dandum & prosequendum alium libellum, sed in priori libello tenebantur ad finem usque perseverare. *Text. in Authent. Qui semel.* ibi, sub precibus principi oblatis, judicique insinuatis, vel per eum adversario cognitis necesse habet, &c. *C. quomodo & quando judex.* Si igitur non tenebatur procedere in secundo conventionali libello, nec tamen hoc rei allegaverunt : sua culpa vel facilitate læsi sunt, ergo restituendi.

10. Quinimò etiam facto actorum læsi sunt : ea enim mutatio actorum facto processit, & eorum facto in hunc errorem & captionem inducti : ergo restituendi etiam post sententiam definitivam, idque etiam jure communi, etiamsi essent majores, nec alias privilegiati *l. quæsitum & ibi glos. magna in fin.* Barthol, Paul & omnes, *quando de pecul. actio annal. est, facit lex. 2. §. si omnes*, ibi vel, ipsa eum illexerat, ut crederet quòd constante matrimonio hoc fingebatur, æquissimum erit hoc ignoscì marito, ff. *de vent. inspic* Barth. Alexander, Socin. *in l. 1.* per illum text. de eo per quem factum erit. Panorm, c. *ab excommunicato. col 4. extr. de rescript.* Alexander consil. 47. num. 15. lib. 1. ubi dixi & consil. 80. num. 14. lib. 2. consil. 239. num. 12. lib. 6. Paul. consil. 342. in fin lib. 1. *in novis.* Angel. Aret. & Jas. in *§. Si quis agens* col. 2. *de act.* Jas. in l. *error.* col. penult. C. *de juris & facti ignor.*

11. Sed quod fortius est, hoc processit dolo & fraude actorum, quia primò cum scirent se non habere probationes, ad finem sui petitorii, & proinde fore ut rei, etsi nil ipsi præstitissent, absolverentur. l. ult. C. *de rei vendic.* idque non solum scirent, sed & experti essent tentata lite & judicii alea, coram præfatis Moguntinensi Episcopo, & electore Palatino, ubi nil promoverant : tantùmque abest ut eis succesisset, ut in periculum se incidisse sentientes, prosequutionem illam remiserint, deinde libellum mutaverunt, & in speciem momentanei possessorii deformaverunt, ut sic deformato libello, reis imponerent, eosque minùs de momentanea possessione sollicitos circumvenirent, & de reis actores facerent, prout ipsis actoribus hac dolosa sua arte succesit.

12. Cùm igitur rei non solùm suorum facilitate,

& errore, sed etiam adversariorum calliditate, variatione, & fraude læsi sint, omnino restituendi sunt. Si enim actores coacti fuissent perseverare in priore petitorio libello (ut cogi poterant & debebant) non solum in probatione defecissent, sed rei absoluti fuissent. Præterea quas adversus hujusmodi possessorium legitimas defensiones rei habebant, non sunt allegatæ,

13. Nempe quòd redemptio ejusmodi censuum vel redituum, præsertim super domibus tam præcellentis urbis Constitutorum favorabilis est, nec præscriptibilis quocumque temporis spatio, etsi competeret privatis ad privatam utilitatem, & multò magis quando competit ipsi Reipublicæ & multò fortiùs quando ipsi Reipublicæ ex causa & utilitate publica competit, & sic est juris publici, ne tanta urbs ruinis deformetur.

14. Quam ob causam etiam domini rerum suarum dominio, etiam sine facto suo & culpa sua privantur, §. *cùm in suo Institut. de rerum divis. l. adeò*, §. *cùm in suo de acquiren. rerum domin.* Deinde cùm ante omnem litem eadem Respublica hoc ab Imperiali majestate impetrasset, videlicet ut omnis census vel reditus urbanis prædiis impositus, de cujus origine non constaret, vel qui pecuniâ constitutus esset, redimeretur. Quod etiam est de jure communi, & si cessaret favor Reipublicæ vel deformationis civitatum, ut statim dicetur.

15. Apparet etiam neminem respondisse falsis allegationibus facti actorum, nec falsis allegationibus juris: ita quòd secundum crebriorem calculum, sententia nulla est ipso jure, ut tradit Bartholus *in l. divus, de re judic. & in l. 1. Cod. si ex fals. instrument.* Panorm. *in c. licet causam col. 10. de probat.* Stephanus Aufreri *in addit. ad decis. Tholos. quæstione* 283. & saltem etiam in minore vel aliàs privilegiato legitimè comparente, locus est restitutioni in integrum secundùm omnes.

16. Præterea actores in suis scripturis inter alia multa captiosè & falsò allegata *articulo* 16. pro fundamento suæ intentionis & prætensæ turbationis allegaverunt, quòd rei volentes dictos census & reditus redimere, eo ipso turbaverunt actores in sua quasi possessione, quod falsum est: quoniam petens ejusmodi redemptionem, eo ipso fatetur eum à quo vult redimere jus illud, quod redimere vult habere: igitur nullo modo in eo jure, nec in illius quasi possessione turbat, *l. si proponas* §. 1. *& ibi Bald. ff. de inofficioso testament. Bald. in l. si certis annis col. 4. C. de pactis.* Bald. Salic. *l. non idcirco C. de juris & facti ignor.* Philippus Decius *l. super eo. col. 1. de officio delegati. c. Cum venerabilis numer.* 38. *de exceptionibus.* Nullam autem aliam turbationis vel spoliationis causam actores probare poterant, & consequenter nullam turbationem, ita ut nullum possessorium judicium eis competeret, ut per Bartol. *in l. si duo uti possidetis.*

17. Præterea *articulo* 19. pro alio fundamento allegarunt quòd jure communi omnes census in dubio sunt perpetui, nec redimibiles, nisi probentur temporales vel redimibiles, quod falsum est: & adhuc si verum fuisset, non sufficiebat ad obtinendum in actione possessoria, quæ pro primo fundamento requirit turbationem, quæ probata non fuit, sed nec pertinenter articulata. Quæ omnia & plura alia non fuerunt in reis allegata, sed nec exceptiones contra actores datæ vel articulatæ, more solito: igitur in integrum restitutioni locus per prædicta. Quòd autem census hujusmodi vel reditus in dubio temporalis vel redimibilis præsumatur, quanquam non sit præsentis speculationis, sed in principali reservandum priusquam restitutione obtenta actores à novo libello fraudulenter mutato & deformato repulsi intentionem suam primi petitorii libelli si queant, fundaverint, tum ut obiter ostendatur quàm ineptè actores falsis mutationibus & depravationibus libelli & allegationibus illuserunt.

18. Tantum abest ut census vel reditus consuetus præstari Canonicis vel alicui Ecclesiæ præsumatur perpetuus & non temporalis, ut in dubio nec temporalis quidem præsumatur, hoc est obligativus ad aliquod tempus in futurum: quia in dubio præsumitur datus causa eleemosynæ, & tantùm præsumptionem donationis facit pro solutis in præteritum, non autem in futurum, ut per Bartolum *in l. solent, super glos. ult. ff. de officio proconsulis & legati & in l. cum de in rem ver. ff. de usuris.* Baldus & omnes *in l. si certis annis Cod. de pactis.* Panormitanus *in c. pervenit. extra de censibus.*

19. Nisi aliter appareat præstationes esse factas ex certa, specifica & legitima causa obligativa perpetua vel temporali, quia tunc probata solutione ex ea causa per longum tempus præsumitur titulus allegatus, qualis est causa ex qua probatur solutio facta & continuata, & non aliàs, uti expressè Salycetus *in d. l. si certis annis. col. ult. & ibi Alex. col. 3.* Joannes Matia Ruminald. *col. 2. & 3. Baldus in d. l. cum de in rem verso col. 3. & 5. q. 4.* Antonius Butrius in repetitione *c. pervenit. col. 9. de censibus*, Bald. & Alvarotus §. *si quis per triginta col. 2. si de fundo defuncti fuerit contentio inter dominum & agnatos, in usibus feudo.* Ludovicus Romanus *l. qui aliena in princip. de acquirenda hereditate in l. 1.* §. *denique ad fin de aqua pluvia arcenda.* Latè dixi *in tractatu commerc. & usurarum Latino, q. 17. & q. 20. & Gallico q. 3.*

20. Et ista habent locum etiam contra Ecclesiam, quia Ecclesia utitur jure communi, nisi de contrario appareat: glos. & Canonistæ *d. c. pervenit. de censibus.* Imò in Ecclesia strictiùs accipitur, cùm debeat esse cultrix & auctrix justitiæ: unde minus ei licet regulas juris excedere, *c. 1.* §. *sed divisum in usibus, feudorum.* Capola *in tractatu de simulat. contractuum col. 11. Paulus cons. 76. Quia frustra col. 4. num. 7. lib. 1. in novis*, quem sequitur Matthæus de Afflictis *in constitut. Neapol. in proœmio, pagina 24. num. 8.* Et in istis terminis quòd Ecclesia utatur jure communi, tenet Salycetus in d. l. *cùm de in rem verso col. 5. q. 7.* Jas. in d. l. *si certis annis num. 14.*

21. Ex his clarissimè sequitur quòd etiamsi constet censum vel reditum longissimo tempore solutum & debitum ex causa obligativa & perpetua: tamen in dubio non præsumitur fundiarius seu prædialis, id est, ex concessione fundi vel domus in censum vel reditum: sed præsumitur adventitius & impositivus, & non naturalis: quia quælibet res præsumitur libera *l. ult.* § *penult. de servitut. l. altius. si in ædibus l. si tibi Cod. eodem*, in tantum quòd etiamsi probatur aliqua servitus, subjectio seu suppositio fundi continentis censum seu reditum esse perpetuum: tamen in dubio non præsumitur originalis & naturalis subjectio per concessionem rei ad illud onus, sed adventitia impositio & accessoria per modum simplicis hypothecæ, quæ naturam reditus non mutat ut tradit Bartolus, & ibi Lancelotus, Decius *in l. fundus quem de annuis legatis*, Matthæus de Afflictis *decis. Neapolit.* 162. Hiero. Gigas *in tractatu de pensionibus, quæst.* 51.

22. Cùm igitur redituum plura sint genera, quidam ex mera liberalitate, quidam temporales, quidam perpetui, & horum quidam impositivi, quidam fundiarii, in dubio semper præsumitur quod est minus. *l. si ita fit adscriptum l. apud Julianum* §. *Seia. de legatis 1. l. nummis l. qui concubinam* §. *cum ita. ff. de legatis 3. l. ultim. de prætoria stipulatione, l. semper in obscuris de regulis juris, c. in obscuris*, & ibi lata Dynus *de regulis juris in sexto.*

23. Unde si non probetur de certa causa specifica obligativa, præsumitur liberalitas quæ non obligat in futurum. Si verò constet de certa legitima causa obligativa, non præsumitur perpetua, nisi causa

obligationis

obligationis probata perpetuam causam habeat. Et si constet de obligatione perpetua, adhuc omnino præsumitur impositicia, nisi etiam probetur de origine, quòd sit fundiaria, seu prædialis.

24. Et quòd in obligativis præsumitur quod est minus, etiam contra Ecclesiam tenent in locis præfatis, & Baldus *novel. tract. de dote parte sexta privilegiorum*, 73. Imola, Jas. *in l. si ita sit adscriptum, col. ult. de legatis.* 1. Philippus Decius dicta l. *semper in obscuris*, num. 3. & est text. in individuo in l. *Titia*, §. *Seia. de auro & argento legatis*, ubi cùm in certo templo non essent nisi aurea & argentea tantùm dona: tamen illi legatum factum intelligitur non in auro, sed in argento, ut inter ea quæ consuetudo loci exigit, accipiatur quod est minus, non quod est majus: de quo est textus rotundus in jure canonico *in c. ex parte, in fine extra de censibus.* Et is est verus intellectus *dicti* §. *Seia* Contra quem præposterè intellexerunt Bartolus & alii, ibi Ludovicus Romanus singulari 515 Petrus Ancharanus, Imola, Panormitanus *in c. judicante extra de testamentis*, & malè (ut dixi) *in dicto tractatu commerciorum, & usurarum num.* 222.

25 Non obstat l. *sunt personæ in fine, de religiosis, & sumptibus funerum.* Ibi summa est ratio quæ pro religione facit: quia intelligitur in his quæ sunt propriæ, & veræ religionis, ut de restauratione, & conservatione doctrinæ verbi Dei, & Sacramentorum, & ministerii Ecclesiastici ad hoc secundum regulam fidei ordinati, non autem de iis quæ spectant ad rem pecuniariam Ecclesiarum, ut tetigi *in Consuetud. Parisien.* §. 22. *num.* 130. quia salus etiam corporalis, rebus Ecclesiasticis, & dedicatis, & consecratis præfertur, *l. sancimus*, C. *de sacrosanct. Ecclesiis.* Et quod non sit accipienda summa, sed minor ratio, & minor mensura, ubi de censibus, & reditibus Ecclesiarum agitur, est textus in d. c. *ex parte.*

26. Imò etiam Ethnicorum exempla hoc docent. Cùm enim olim Senatus populi Romani Pontificum suorum Ethnicum collegium consuli jussisset, & ex Senatusconsulto ad Pontifices rejecisset, num onus à civibus in hoc collatum in ludos magnos Jovis insumendum foret? Responderunt Pontifices quantumvis Ethnici, minimè ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos illos magnos fieret, ut testatur Livius *lib.* 7. *dec.* 4. & tamen constabat totum illud aurum centum pondo in eam rem oblatum, & donatum fuisse à civitatibus, & nihilominus à Pontificibus Ethnicis judicatum non esse religiosum, nec ad religionem pertinere, an tantum, vel minus de summa (quam constabat in eam rem collectam, & oblatam esse) acciperetur: quantò igitur magis præ Ethnicis degenerant, qui religionis prætextu quæstum, & rem pecuniariam augere satagunt.

27. Tenentur igitur actores etiamsi essent rei, clarè probare reditus esse obligativos, & hoc probato, esse perpetuos, & hoc probato, esse fundiarios, alioqui præsumuntur esse impositicii. Imò multò magis hoc præsumitur in illis Ecclesiasticis quàm in aliis, propter qualitatem, & consuetudinem personæ, ex qua præsumitur, *l. plenum*, §. *equitii de usu*, & *habitat. l. si servus plurium in fin. de legat.* 1. Solent enim illi non dare, & contra eos præsumitur, ut latè Socinus *consil.* 15. *col.* 10. *lib.* 1. Philip. Dec. *cons.* 329. *in fin. cons.* 474. *num.* 10. Hinc Albericus ait *in l. si quis in fin. C. de inoffic. testa.* quòd hujusmodi sacerdotes regulariter sunt avari, sicut mulieres. Et quòd non soleant ipsi prædia dare in censum, vel reditum, sed census, vel reditus liberaliter ab initio sibi datos, & constitutos recipere, non solum res ipsa clamat, & allegationes actorum, qui dicunt se prohibitos, & insolitos alienare: sed etiam est text. apertus *in dict. ex parte de censibus*, ubi disertè probatur quod ejusmodi census, & reditus sunt gratuitæ obligationes ab initio illis factæ: igitur non fundiarii, sed impositicii, & adventicii, ut probat textus ille clarissimus, quo etiam jubentur benignius in illis exigendis se gerere, ne videantur lucris temporalibus inhiare. Tantum ergo abest actores fundatam habere intentionem, ut non solùm jura civilia, sed etiam jura ipsa canonica eis hac in parte resistant, intentionem autem civium, & reorum confirment.

28. Nihilque ab actoribus probatum, sed nec propositum quidem esse quominus locus esse debeat constitutioni Imperii anno sesquimillesimo quadragesimo, favore præcipuè Rerumpublicarum latæ, ut omnis census, vel reditus, de cujus origine non constabit, vel qui pecunia constituturus apparebit super prædiis urbanis, redimi possit: quæ non est res nova, sed valdè antiqua, ut pote ante multa sæcula à Regibus Francorum in suo regno ex magna æquitate statuta, & etiam novissimè edicto Francisci primi, anno sesquimillesimo trigesimonono ad omnia etiam parva oppida regni sui extensa, ut quæ ad rationem quindecim pro uno reditus annui redimere liceat, nisi de majori originis pretio appareat. Loco quidem suo statuta Gallica clauduntur, sed non æquitas, & ratio ipsa, quæ ubique viget, *l. cum ratio de bon. damna.* Cicero *in lib. de Republica.*

29. Cùm autem pretium redemptionis in eo decreto imperiali non sit expressum, standum est solemni totius Germaniæ decreto Vvormatiæ habito ad rationem viginti pro uno: quæ est & communis, & approbata judicatura in tota Germania, de quo dixi in *tract. commercior. & usurar. q.* 5. *num.* 127.

30. Superbè vero nimis, & insolenter jactare ausi sunt actores, se non subesse nec alligari dictis decretis imperialibus, cùm juris sit exploratissimi ipsas Ecclesias, & omnes Ecclesiasticos in omnibus rebus, & bonis temporalibus subjectos esse imperatori, & ejus decretis, & legibus, & jure canonico, c. *quo jure* 8. *distinct.* c. *quoniam* 10. *distinct.* c. *cum verum*, 96. *distinct.* c. *cum per venerabilem*, & *ibi canon. extr. qui filii sint legitimi.*

31. Præterea id quod jura divina absolutè jubent. *Petri* 2. *Subditi igitur estote*, &c. *Ad Roma.* 13. *ibi. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et ibi latè Johan. Chrysosto. qui nec Apostolos quidem, nec prophetas excipi vult. Et hic extat veritas perspicua, & indubitata, & patet solutio ad omnia allegata in contrarium.

23. Excepto ultimo de pariter privilegiatis. Ad quod dicendum, id procedit quando concurrunt in privilegio, in ipso eodem casu: secus quando non concurrunt in individuo, de quo agitur, ut hic, in quo alter tantùm est læsus, videlicet Respublica, & sic sola est in præsenti specie privilegiata, & sola habet beneficium restitutionis, quo potest uti etiam contra minorem, vel Reipublicæ causa absentem, *text. in l. in causæ*, 2. §. *ultim. cum l. sequenti. de minoribus text. in l. ultim.* (& ibi Barto. ita solvit) *ex quibus casu. major.* idem Alexand. *consil.* 51. *in fin. lib.* 5. Philip. Deci. c. *in præsentia num.* 50. *de probat. & in Authen. qui rem. non.* 21. *C. de sacrosanct. Eccles.* & omnes ubique. Et ita censeo ego Carolus Molinæus I. V. D. Franciæ & Germaniæ Jureconsultus, ducalis Consiliarius, & Tubingensis Academiæ jurium Professor primarius. Datum Tubingæ idibus Julii, anno 1554.

EPITOME CONSILII X.

1. *Restitui quis non potest, ut omisso petitorio, agat possessorio, nisi refusis impensis.*
2. *Nulla est possessio, nec quasi possessio non redimendi reditus non fundiarios.*
3. *Litigans de iure non turbat possessionem.* 4 5.
5. *Proprietas & possessio nihil habent commune.*
6. *Respublica etiam inferior iure minoris gaudet.*
7. *Reditus non præsumuntur antiqui, nisi probentur.*
8. *Fundans intentionem in certa qualitate, tenetur eam præcisè probare.*
9. *Et maximè quando allegatur circumstantia temporis.*
10. *Reditus præsumitur constitutus crebriùs solito tunc pretio, aliàs minori pretio, & ad summum ad rationem quinenarii.*
11. *Possessio præsumitur continuata, & qualificata in qualitate tituli.* 18.
12. *Nemo potest etiam successor causam possessionis mutare, vel alienare.*
13. *Canonici præsentes sunt iidem cum antiquis.*
14. *Et contra proprios titulos nunquam potuerunt inchoare præscriptionem.*
15. *Veritas iuris absorbet possessionem facti.*
16. *Iuri redimendi cum iure excipiendi conjuncto nunquam præscribitur.*
17. *Nec iuri offerendi.*
18. *Eadem vis tantí, & expressi, veri & præsumpti.*
19. *Præsumptiones legis sunt liquidissimæ probationis.*
20. *Reditus bene potest esse prorsus irredimibilis contra privatos, sed non contra Rempublicam.*

CONSILIUM X.

COnsideratis mediis, & circumstantiis causarum inter clerum, & canonicos trium capitulorum Francofordiæ ex una parte: & consules, Senatum, & cives Francofurd. actores ex alia parte, tam in causa restitutionis in integrum dictæ Reipublicæ, quàm possessorii, & petitorii actorum. Primò ad finem dictæ restitutionis in integrum sufficiunt ea quæ in priore consilio dicta sunt.

1. Secundò quantum ad possessorium, jam dictum est clerum, & canonicos non fuisse admittibiles propter libellum petitorium datum, & communicatum, Auth. *qui semel Cod. quomodo & quando judex.* Quòd si restitui possint, ut omisso, vel suspenso petitorio, agant possessorio, non priùs id facere possunt, quàm omnes impensas super illa instantia petitoria priùs factas refundant, juxta not. in l. *edita C. de edendo.* Quas expensas primitus refundere debent tanquam præjudiciales, id est, priusquam super libello emendato, vel mutato procedatur, ut notat glos. & Doctor. *in d. l. edita*, aut saltem de indemnitate satisdare debent. Et talis est stylus judiciorum notorius, qui pro lege servandus est, l. *ultim. in fin. ibi:* mos judiciorum, qui hactenus obtinuit, & in posterum servetur intactus, *Cod. de judic. not. in l. de quibus ff. de legibus.*

2. Tertiò etiam hoc facto injustam habent causam in possessorio. Aut enim concludunt pro omnibus censibus, & reditibus, & non solùm injusta, sed etiam inadmissibilis (quia nulla est) possessio, nec quasi possessio non redimendi in aliis à fundiariis, idque in confesso est. Aut suum possessorium restringunt ad prædiales, & fundiarios, & in istis nulla adhuc prætenditur redemptio, & consequenter nulla fit turbatio. Nec obstat, quòd certorum reddituum facta est oblatio, & consignatio sortis, & petita redemptio, quos reditus canonici prætendunt prædiales origine fundiarios: cives autem prætendunt imposititios.

3. Quia prompta est solutio duplex. Prima, quia illud non est turbatio, sed juris sui prosecutio quæ non habet injuriam *l. qui jure suo de regul. juris*, *l. injuriarum*, §. 1. *de injuriis*, etiamsi singuli proprium jus privatum prætendant, quod non tenentur relinquere indiscussum, *l. illud de petition. hereditatis.*

4. Secunda, quia non jure privato, sed publico cives nituntur, & ea maximè juris præsumptione, qua omnes census, & reditus præsumuntur imposititii, & sic redimibiles. Cùm igitur jure publico utantur, & jure communi, in quo fundatam habent intentionem, non censentur vim, nec turbationem, nec injuriam facere, *d. l. injuriarum*, *ibi*, (*is qui jure publico utitur*) *de injuriis.* Tertia, quia actores non agunt possessorio pro singulis certis reditibus, sed in genere: ergo non pro certo fundiario individuo, sed in genere pro fundiariis, in quibus, si qui tales inveniantur, redemptio non prætenditur. Agunt etiam simul pro omnibus, etiam non fundiariis, in quibus manifestè injustam causam habent. Quarta, etiamsi egissent pro certis reditibus in individuo, quorum redemptio oblata, & quos fundiarios esse affirmarent, adhuc non fieret eis turbatio: quia qui dicit fundum possessoris etiam pacifici suum esse, vel sibi debitum, vel redimibilem, etiamsi agat vendicatione, vel Publiciana, vel personali ad tradendum, aut ad redimendum, nullo modo dicitur turbare, nec locus esse potest interdicto uti possidetis.

5. Quia nil habent commune proprietas, & possessio, *l. naturaliter*, §. *nihil commune*, *de acquirend. vel amitten. possession.* & multò minùs habent commune personalis obligatio, vel legitima exceptio, & possessio: quia sese compatiuntur unum esse possessorem, alterum esse dominum, alteri eamdem rem esse debitam, vel legitimam habere actionem, vel exceptionem: quibus vel aliquo eorum remedio utendo, nullo modo dicitur turbare possessionem, sed illam potiùs integram agnoscere, ut in consilio priore dictum est.

6. Quintò principaliter advertendum quòd sententia lata in possessorio nulla est, quia in rempublicam indefensam, quæ jure minoris gaudet. Quòd si sententia aliqua sit, respublica etiam inferior omnino restituenda est, l. *Respublica*, C. *quibus ex causis major*, *& ibi Jacob.* de Aret. Alber. Bart. Bald. idem Alexand. *in l. si finita*, §. *si de rectiga. col.* 3. *de*

damno infecto. Paul. Castren. *conſ.* 37. *lib.* 2. Philip. Corn. *conſ.* 284. *lib.* 4. Jaſ. *l. prætor ait*, §. *deinde de oper. novi nuntiat.*

7. Quantum ad petitorium clerus, & canonici nullum habent fundamentum. Aut enim agunt in genere pro omnibus reditibus, & cenſibus ſuis, ut omnes declarentur non redimibiles: & manifeſtè injuſtum eſt, ut per ſe liquet, & mox dicetur. Aut agunt pro certis reditibus, & illos deſignare prius tenentur, *l. ſi rem aliquis*, *ff. de rei vendica.* Quo facto tenentur probare illos eſſe fundiarios ſive ex conceſſione prædiorum ad cenſum perpetuum, nec redimibilem adquiſitos: quod nunquam probaturi ſunt in reditibus, quorum redemptio oblata eſt: quinimò tenentur probare illos eſſe conſtitutos ante prætenſam tranſactionem per Epiſcopum Moguntinenſem factam anno 1407. de qua in libello ſuo, articulo 20. 21. & 22. Quoniam ſatis fatentur reliquos poſteà conſtitutos, vel acquiſitos reditus redimibiles eſſe: ſed reditus non præſumuntur antiqui, niſi probentur.

8. Et fundans intentionem ſuam in certa qualitate, tenetur illam præcisè probare: alioquin ſuccumbit *text. in l.* 4. §. *docere*, *ff. ut bonorum rapt. l* 1. §. *aut prætor*, *ff. ne quid in flumine publico*, & ibi Bartolus, Baldus *in l. ſi quis non dicam rapere*, *C. de Epiſcopis & clericis* Joan. Andreas, Petrus Anch. Gemma Philip. Franc. *cap.* 1. *de homicidio in ſexto* Alex. *conſ.* 19. *num.* 3. *lib.* 1. *col.* 1. *c l.* 2. *lib.* 2. Jaſon *l ſi extraneus*, *in fin. ff. de condict. cauſa data l. non ſolum*, §. *ſciendum col.* 1. *de operis novi nuntiatione*, Philip. Deci. *l. ult. col.* 11. *de edicto divi Adria. tollen. & in c. poſſ ceſſionem col.* 2. *de probat.*

9. Et maximè quando circumſtantia temporis allegatur, vel eſt fundamentum intentionis, vel limitatio intentionis, aut actionis, debet tempus præcisè probare, *text. & ibi gloſ.* Bart. Paul. Alex & omnes *in l. non ſolum*, §. *ſed ut probari*, *de operis novi nunciat. text. l. ultt.* & ibi Bald. Salic. *C. ne ſervus ex ſuo facto gloſ. pen. in c. venerabilibus*, *de ſentent. excommunicat. in ſexto*, Philip. Deci. *cap. conſtitutus num.* 2. *extr. de reſcript. in c. in præſentia*, *num.* 13 *de probat.* Alexand. *conſ.* 100. *num.* 2. *lib.* 1. Soci. *conſ.* 42. *col.* 3. *lib.* 1. *conſ.* 283. *col. lib.* 2. Sed non probabunt eſſe conſtitutos, & ſibi debitos ante 147. annos, quorum probatio (ſi quam habent) facilis eſt, & prompta: quoniam non eſſent teſtes inquirendi, ſed inſtrumenta edenda, quæ facile edi poſſunt, ſi qua habeant.

10. Præterea aut edent inſtrumenta authentica de aliquibus cenſibus, aut reditibus ante 247. annos, & tunc aut per illa apparebit cenſum illum eſſe fundiarium, & de illo non erit quæſtio, quia talium non prætenditur redemptio: aut per eadem inſtrumenta apparebit eſſe reditum impoſititium, vel pecunia conſtitutum, & tunc erit redimibilis eodem pretio, ſive certo quoque pretio appareat, vel ſi non appareat de certo pretio, erit redimibilis pretio quo tempore originis, ſeu conſtitutionis ſolebat crebriùs conſtitui reditus: quia præſumptio ſumitur ab eo quod frequentius fieri ſolet, ſi appareat, alioquin de minori pretio præſumitur, *l. ſemper in ſtipulationibus*, *l. ſemper in obſcuris*, *de regulis juris*: & ad ſummum ad rationem centum in quinque, vel viginti in unum, juxta edictum Vvormacienſe. Nec dicitur turbare redemptionem offerens, vel petens, ſed jure ſuo uti, vel jus prætenſum diſcutere velle: quod licitum eſt, nihilque ad poſſeſſionem commune habet, ut dictum eſt.

11. Nec obſtare poterit lapſus cujuſcumque temporis: quia ex quo apparet de initio, & origine conſtitutionis, ſemper præſumitur, imò liquidò probatur poſſeſſio acquiſita, formata & qualificata ſecundùm qualitatem, & naturam tituli, de quo apparet, & in eadem qualitate ſemel formata, & impreſſa etiam per mille annos ſemper eadem, & in eadem qualitate continuata præſumitur.

12. Quia non poteſt quis ſibi ipſi cauſam poſſeſſionis, vel quaſi mutare, *l. cum nemo*, *C. de acquir. vel retin. poſſeſſ. l. non ſolum*, *de uſucap.* Nec eſſent admiſſibiles, nec audiendi clerus, & canonici dicendo quòd poſſeſſionem à majoribus quæſitam immutaverunt, aut alteraverunt, aut ſibi ipſis interverterunt. Et quod ſucceſſores nequeant qualitates poſſeſſionum etiam vitioſas immutare, ſed qualitates antiquæ maneant, & eis & in eos continuentur, *text. eſt in l. vitia poſſeſſionum*, *C. de acquir. & retinen. poſſeſſ. l. cum hæres ff. de diverſis, & temporalibus præſcrip.* etiamſi qualitates illæ vitioſæ ſunt: igitur multò magis manent, & continuantur, ſi non ſunt vitioſæ, ſed legitimæ, & tantum jus minuant.

13. Sed hic in fortioribus terminis ſumus, quia actores non ſunt ſucceſſores, nec alii, ſed iidem ipſi qui acquiſiverunt, & idem corpus, *l. proponebatur*, *ff. de judiciis*, & dixi in *conſuet. Pariſi.* §. 41. *q.* 12. *in principio.* Illud autem indubitatum eſt.

14. Quod contra proprios titulos nunquam potuerunt aliquam temporis præſcriptionem inchoare, *c. veniens*, *c. vigilanti extra de præſcript. c. dudum*, ubi Innocent. *text. de decim.* Scriptura ſemper vigilat, ſemper loquitur, & ſic ſemper adhuc hodie ſumus in initio, imo nunquam potuerunt acquirere ullam quaſi poſſeſſionem non patiendi redemptionem, nec contra proprios titulos, nec contra naturam rei, nec contra diſpoſitionem, vel præſumptionem juris communis, præſertim cùm nunquam cives prohibiti, vel impediti fuerunt redimere, niſi nunc quo jus ſuum non neglexerunt, ſed proſequi cœperunt *l. ult. ff. quemad. ſervi amit. l. qui luminib. & ibi gloſ.* Bart. Ang & alii *de ſervitud. urban. prad.* Alex. *conſ.* 136. *col. pen. conſ.* 174. *num.* 3. *lib.* 2

15. Præterea quod fortius eſt, etiamſi prohibiti acquieviſſent & quæſita fuiſſet actoribus quaſi poſſeſſio prohibendi redemptionem, adhuc eis non prodeſſet: tum quòd injuſta, & malæ fidei, tum quòd etiam per eorum titulos appareret de contrario, & ſic veritas juris abſorberet quaſi poſſeſſionem facti, quia petitorium abſorbet poſſeſſorium, etiam verum & reale: igitur multò magis fictum, vel quaſi, Bart. Paul. Alex. & omnes *l. naturaliter*, §. *nihil commune ff. de acquir. vel amit. poſſeſſ.* Oldrad. *conſ.* 149. *incipiente*, *Bonifacius in fine.*

16. Confirmabatur, quia iſtud jus redimendi non ſolùm conſiſtit in agendo, vel jure actionis, ſed etiam in excipiendo, & in facultate offerendi, vel excipiendi: quod eſt indubitatum in reditibus, & ſimilibus juribus incorporalibus, qui de manu aliena videlicet debitoris percipiuntur. Unde quemadmodum natura exceptionis perpetua eſt, & nullo temporis ſpatio tollitur, *l. pure in fin. de dolo mali exception.* ita & jus redimendi exceptionis, vel retentionis proponi poteſt, ut hic. Et quemadmodum proceſſerunt cives agendo, offerendo, & conſignando.

17. Item quemadmodum juri offerendi, quod juri excipiendi conjunctum eſt, nullo tempore præſcribitur, ut tradit. Bart. *in l. pignori*, *de uſucap* Anto. Negufan. *tract. pignor. part.* 3. *memb.* 3. *in fin.* Franc. Bal. *tract. de præſcrip.* 4. *parte* 5. *partis q.* 2 Philip. Dec. *conſ.* 164. *num.* 4. *ubi in annot. dixi*, & ita tenet dominus Andreas Tiraquellus *in tractatu de retractu conventionali*, §. 1. *gloſ.* 2. *num.* 30. *cum ſequenti*, & latè dixi *in tractatu meo uſurarum*, *& redituum Latino*, *q.* 7. *& Gallico q.* 3.

18. Si verò per eorum titulos, aut probationes non appareat an ſit reditus fundiarius, vel impoſititius, adhuc idem eſt: quia præſumitur impoſititius, ut dictum eſt in priore conſilio, & ſic in eadem qualitate, videlicet reditus per redemptionem reſolubilis conti-

suatus, & quasi possessus est: quia eadem vis est taciti, & expressi, veri vel præsumpti, *l. cum quid*, & ibi Bart. Alex. Jas. Philip. Dec. & omnes. *Si certum petatur.* Philip Dec. *c.* 1. *lectura*, 1. *col.* 18. *de judiciis*, Franc. Curt. junior *cons.* 4. *num.* 17. maximè quando est tacitum, vel præsumptum legis.

19. Quia præsumptiones legis sunt liquidissimæ probationes, *glos. magna in fin. in l. si tutor, C. de periculo tutorum vel curat.* Baldus *in rubr. extr. de præsumptio. & in additionibus. Speculi tit. de præsumptionibus*, Paul. Jason. *l. licet imperator. col.* 2. *per illum text. de legat.* 2. *& text. in l. si quis locuples in fine de manumiss. testa.* Jaso. *l.* 1. *C. de testam. milit.* Philip. Deci. *consil.* 222. *num.* 8.

20. Rursus advertendum quòd etiam quoad fundiarios, & sui natura non redimibiles, non est simpliciter consentiendum illos declarari non redimibiles, sed salva & excepta utilitate Reipublicæ, & legitimo privilegio, vel ordinatione politica, aut alia justa causa: quamvis enim aliqui reditus possint esse absolutè irredimibiles contra privatos, vel in præjudicium privatorum, non tamen contra privatos, vel in præjudicium privatorum, non tamen contra rempublicam, nec in præjudicium reipublicæ, ut quando agitur ne civitas ruinis deformetur, vel ut propugnaculum, aut locus judicii, aut aliud in usum publicum construatur. Sunt enim casus, è quibus quis potest dominio rei sux privari, & cogi xstimationem accipere, *l. in rem*, §. *tignum de rei vendicat. l. venditor* §. *si constat ff. communia prædio. l. Lucius de eviction.* etiam modico pretio honoris causa dato, *l. item si verberatum* §. 1. *in fine, de rei venditione.* Carolus Molinæus Franciæ & Germaniæ I. C. &c. Tubingæ 4. Nonas Augusti, anno 1554.

EPITOME CONSILII XI.

1. *Clerus tenetur contribuere ad muros, & munitiones civitatis.* 2.
3. *Etiam clerici metropolitani, vel Romani tenentur ad excubias, & vigilias murorum, & multo magis eorum facultates.*
4. *A ratione in jure expressa licet arguere, etiam in correctoriis.*
5. *Clerici & Ecclesia tenentur contribuere in generibus, & collectis ad publicam utilitatem impositis.*
6. *Clerici ut cives tenentur contribuere in oneribus communibus civitatis.*
7. *Adversus hæc nulla est exemptio.*
8. *Munus ad construenda, vel reparanda publica non est sordidum.*
9. *Intellectus* §. publicis in l. maximarum de excusat. mun. l. 11. C.
10. *Constituti in dignitate cogi possunt ad personales operas eis convenientes.*

CONSILIUM XI.

IN quæstione, 1. An clerus & Ecclesia Francofordiensis teneantur conferre, seu contribuere una cum reliquis civibus ad muros, & munitiones ejusdem civitatis instruendas, & fortificandas? Videretur quòd non, propter exemptiones Ecclesiasticis, & clericis datas *toto tit. de immunit. Ecclesiarum in Decretalibus in sexto, & Clementinis.* Tum secundò, quia ita tenet *glos. pen. in l. ad Instructiones, C. de sacr. Ecclesiis*, faciens differentiam inter instructiones itinerum, & pontium, sive de novo faciendorum, sive reficiendorum, ad quæ tenentur clerici & Ecclesiæ, nec sunt exemptæ: & inter constructiones, seu fortificationes murorum civitatis, ad quod non tenentur. Tertiò, quia ita tenet Joan. Calderic. *consil.* 2. *sub. tit. de censibus*, & Panor. *in c. non minus* extra de immu. Ecclesiarum ubi dicit se bis ita consuluisse, & judicatum fuisse Senis. Quartò, quia secundum *glos.* 1. *in l. ulti. C. de quibus muner. nemini liceat se excusare lib.* 11. Istud est munus sordidum, *ut in l. maximarum*, §. *publ. de excusat. munerum lib.* 10. *C.* ergo Ecclesiæ excusantur *per l. placet C. de sac. Ecclesiis.*

2. Quibus non obstantibus ego Carolus Molinæus juris utriusque doctor, Franciæ & Germaniæ, Jurisconsultus ducalis consiliarius, & Academiæ Tubingensis primarius jurium professor, censeo prætatum clerum, & Ecclesias omnino teneri, primò *per text. in l. ult. C. de quibus mun. nemini licet se excus.* ubi in murorum constructione omnis immunitas, & omnis cujusvis dignitatis prærogativa tollitur, & sic jam necesse esset clericos, & Ecclesias specialem exceptionem habere contra *d. l.* quod nullo jure cautum invenitur.

3. Secundò *per text. in d. c. pervenit extra de immunit. Eccles.* ubi statuitur nullum scilicet clericum, vel Sacerdotem, de quibus loquitur etiam in dignitate Ecclesiastica constitutum, prætextu Romanæ, vel etiam alterius Metropolitanæ Ecclesiæ, aut alio modo excusari à murorum excubiis, & vigiliis, sed ut omnes generaliter ad hoc compellantur. Ergo si personæ eorum non sunt immunes à custodia murorum, & civitatis, multò minus facultates, & bona eorum sunt immunia, sed pro rata contribuere tenentur.

4. Tertiò per rationem, & causam finalem in *d. c. pervenit. expressam*, ut melius valeat custodiri civitas: quæ eadem ratio locum habet in constructione, reparatione, & fortificatione murorum, ergo idem jus. Hac enim ratione in jure expressa arguere licet etiam in correctoriis, *Bart.* & omnes *in Auth. quas actiones, C. de sacr. Ecclesiis.*

5. Quartò, quia Ecclesia, & clerici tenentur contribuere in muneribus & collectis, quæ imponuntur ad publicam utilitatem, Luc. de penna *l. si divina*, C. *de exact. trib. l.* 2. *in quibus muneri inemini se liceat excusare, lib.* 10. C. *in* §. *ad hæc in Auth. de Eccles. tit. l. ad instructiones*, C. *de sacr. Eccles. lib.* 2. *de quibus muneribus se excusare non licet, lib.* 10. C. *text. in Auth. de mand. ætis princip. sive in novella de præceptis præsid.* §. *ipsis verò.* Jac. de sancto Georgio *in tractatu feudorum charta* 29. *col.* 3. *Jas. l. si ex toto in princ. num.* 15. *de legatis*, 3. Philip. Deci. *in c. Ecclesia sanctæ Mariæ in fine text. de constitut.* Franc. de Ripa. *sub tit. de rescript. responso.* 20. *cum duobus responsis sequentibus*, Andræas Alciat. *l. placet. glos. pen.* C. *de sacr. Eccle.* sed istud onus est hujusmodi. Igitur, &c.

6. Quintò, quoties est onus toti reipublicæ clericis, & laicis, pariter utile & necessarium, clerici tanquam cives, vel incolæ ejusdem civitatis (quæ tuenda est, & conservanda) tenentur, ut cæteri contribuere, ut ad reparandos muros, vel cogendum exercitum necessarium ad defensionem. Lucas de Penna *l. ult. C. de exact. tributorum, l.* 2. *de quibus muneribus nem. excusar. se licet, lib.* 10. C. Ange. Clavasius *in summa in verbo immunitas.* Pet. Anchar. *cons.* 96. Bart. *in l. nullus de cursu publico,*

*lib.*12. C. Panor. *in c.* 2. *de immun. Eccles.* Phil. Cor. *conſ.* 6. 72. *col. ult. lib.* 4. Franc. Rip. *tract. de peſte charta* 112. *in parvis.* Thom. Parpaſius *alia repetit. l. placet num.* 24. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Carol. Rui. *conſ.* 219. *num.* 12. *lib.* 1. Ultimò ita in individuo tenent ibi Jo. Fab. Bald. Franc. Are. & omnes *in d. l. ad inſtructiones.* Lucas de penna, *l.* 2. *de his qui ſponte munera ſubeunt lib.* 10. C. quod eſt intelligendum de utili aut neceſſaria conſtructione, aut reparatione, non autem ad ſimplicem ornatum.

7. Non obſtat primum, quia hic nulla exemptio, nec dari potuiſſet in præjudicium reipublicæ. Non obſtat ſecundum, quia illa gloſ. eſt ſuppoſititia in negativa. Non, quæ non eſt in quibuſdam aliis libris & appareret futile malè appoſitam, quia text. allegatus in gloſ. probat affirmativam: & ſic gloſ. illa non decidit, ſed remittit: & ſi decideret negativè, falſa eſſet, prout opiniones quorumdam etiam contradicentium falſæ ſunt. Et ſic ſolutio ad tertium.

8. Ad quartum, falſa eſt illa gloſ. quia imò non eſt munus ſordidum *per text. in d. l. ad inſtructiones & in d. cap. pervenit*, & ſic Eccleſiæ non excuſantur, nec ſummæ dignitates, nec obſtat *d. §. publicis*, quia primò non loquitur de muris.

9. Secundò non dicit munus ad conſtruendum vel reparandum publicas, vel ſacras ædes eſſe ſordidum, ut omnes adùſque malè intellexerunt: ſed dicit quædam onera perſonalia operarum humilium & ſordidarum puta capitalis & temonis eſſe munera ſordida, etiamſi imponantur pro reparatione publicarum, vel ſacrarum ædium, & ita debet ille textus intelligi.

10. Sic in propoſito clerici & alii in dignitate conſtituti, cogi poſſunt ad perſonales operas non ſordidas, ſed qualitati perſonæ non dedecoroſas, puta ad vigilandum & errandum per vices: ut latomi, fabri, aurigæ, bajuli ſine mora faciant opus: non autem ut ipſimet ſint bajuli, vel inſideant temoni ad agēdum equos, trahentes materias neceſſarias. Ex quibus ſtat veritas clarè elucidata & propugnata. Carolus Molinæus Tubingæ, Nonis Auguſti 1554.

EPITOMÆ CONSIL. XII.

1. *Clerici non habent privilegium fori in muneribus patrimonialibus vel obligatione legali, à qua non ſunt exempti 2. 3. 7.*
3. *Inſtantia judicii non debet dividi.*
4. *Clerici ſunt cives & pars corporis reipublicæ, & tenentur de his quæ ſpectant ad cives ut cives.*
5. *Palatini non habent privilegium fori in his muneribus, nec veterani, nec alii.*
6. *Clerici non habent privilegium fori in feudis & juribus feudalibus.*
8. *Clerici in actione reali ſunt de foro ſeculari.*
9. *Idem in materia depoſiti.*
10. *Munus inſtaurandi muros urbis non eſt ſordidum.*

Nec munus vigiliarum & portarum urbis, quod eſt commune Laicis & Clericis.

CONSILIUM XII.

IN quæſtione dependente à conſilio præcedente de contributione ad reparationem murorum advertendum

1. Longè aliud eſſe quando clerici conveniuntur non ex aliquo munere patrimoniali, nec ex debito legati: ſed ex obligatione facta ex propria voluntate, ſen liberali oblatione clerici, quia tunc verum eſt quòd debent coram propriis Eccleſiaſticis judicibus conveniri, & ab illis compelli: Secùs quando agitur de muneribus patrimonialibus, à quibus nec Eccleſiæ, nec Clerici ſunt exempti, vel de alia obligatione legali, à qua etiam non ſunt exempti, quia tunc nullum habent privilegium fori: ſed coram magiſtratibus ad illa onera vel munera deputatis debent conveniri, & ab illis compelli, *text. in l. ult. §. patrimoniorum verſ. ab hujuſmodi.* Ibi nec pontifex excuſatur de muneribus & honor. quæ lex loquitur indiſtinctè, & ſi nec à ſolutione, nec à foro: quia in his nullam, neque non ſolvendi, neque fori habent exceptionem. *Idem text. expreſſior in l. de his Clericis C. de Epiſcopis & Clericis*, ubi per præfectum prætorio debent Clerici perurgeri ad ſolvenda munera patrimonialia, alioqui tranſlationes pati, id eſt, venditiones bonorum ſuorum vel Eccleſiæ.

2. Tertiò probatur *per text. in l. ad portus & in l. omnes provinciarum C. de oper. publ.* ubi jubentur omnes, non obſtante cujuſcumque dignitatis privilegio, conferre ad portum, aquæductum, & murorum inſtaurationem ſive extructionem. Et *in d. l. omnes* ſtatuitur ut rectores provinciarum literis ſeu mandatis præfecti prætorio, moneantur, ut cogant omnes ordines atque incolas urbium ſingularum, muros, vel novos facere, vel veteres firmiùs renovare pro viribus & facultatibus ſingulorum. Ergo non ſolùm Clerici tenentur (quod eſt liquidum) ſed etiam per judicem ſæcularem loci compelluntur quia in hujuſmodi oneribus patrimonialibus nullam habent exemptionem.

3. Quartò, quia alioquin inſtantia judicii atque hujus diſtributivæ juſtitiæ divideretur contra ſanctionem utriuſque juris *in l. nulli, C. de jud.* 3. *quæſt.* 8. *c. cujus in agendo c.* 1. *de mutuis petit.* Et alioquin confunderentur libri, cenſus, & rationes publicæ de hujuſmodi muneribus patrimonialibus. Quintò ita nominatim tenent Guiliel. Cuneus, Bald. & alii *in l. de his C. de Epiſcopis & Cleric.* videlicet, quòd in cenſibus, tributis, & aliis muneribus patrimonialibus Clerici debent & poſſunt coram judice ſæculari conveniri, nec habent privilegium fori. Et ita etiam ſervatur Pariſius, & in toto regno Franciæ.

4. Sexta ratio manifeſta eſt: quia Clerici non urgentur ad hoc, quia Clerici, ſed quia cives & pars corporis Reipublicæ & agitur de onere communi vel uniformi civibus. Et turpis eſt pars quæ non congruit cum ſuo univerſali 8. *diſtinct. c. primo c. an non liceat de præſcript. c. ult. de ſpon. duo.* Quòd autem Clerici ſint in univerſitate populi & pars civitatis, ſicut & magiſtratus, *text. in l.* 1. §. 1. *verſ. Jus publicum ff. de juſti & jure.* & tenet Oldra. *quæſt.* 32. *quæſt.* 74. Bald. *c.* 1. *de milit. vaſſal. qui arma bellic. depoſ. in uſibus feudo.* Paul. *conſ.* 292. *col.* 2. *num.* 3. *lib.* 1. *conſ.* 1. *conſ.* 151. *in princ. lib.* 2. *in novis.* Alex. *conſ.* 41. *lib.* 7. uti in annot. dixi. Philippus Decius *c. Eccleſia ſanctæ Mariæ de conſtitut. c.* 5 *de præbend.* & conſequenter in his quæ ſpectant ad cives ut cives. Et ſic ad Clericos tanquam cives, ut ſunt munera patrimonalia, nullum habent privilegium fori, ſed debent procedere, & cogi, ut reliqui cives.

5. Sic etiam Palatini Aulici ipſius imperatoris qui habent privilegium fori, coram illuſtribus comitibus

aulx, non possunt uti illo privilegio, ubi agitur de ædificatione domorum & aliis muneribus civilibus, *l. viros C. de palatin. sacra. larg. lib.* 12. sicut nec veterani, aut alii quovis privilegio subnixi. §. *patrimoniorum in d. l. ultim. ff. de munerib. & honor.*

6. Septimò, eadem ratione in materia feudali nullum habent Clerici privilegium fori; quanquàm non solùm de re immobili agatur, vel officio infeudato, sed etiam quandoque de servitio personali, & juramento fidelitatis. Et quia hîc non tanquam Clerici, sed tanquam vassalli conveniuntur, nec possunt uti privilegio, nisi velint renunciare feudo, *c. caterum. de judiciis cap. ex transmissa. cap. verum. extra. de foro competenti.*

7. Igitur multò fortiùs cum hîc non agatur de servitio personali, nec de districtione personæ, sed de rebus & bonis quæ possident in civitate, si tanquam cives conveniuntur ad functiones publicas, vel munera patrimonialia, ad quæ cives tenentur, non possunt declinare forum, nisi velint renuntiare, non solum civitati, sed etiam bonis quæ habent in illa civitate vel republica, ut etiam ex text. *in cap. quo jure 5 distinct.*

8. Octavò, quia in actione reali certum est quòd Clerici debent procedere coram judice sæculari, idem in oneribus realibus vel inde dependentibus, vel de reliquis censuum, ut tenet Joannes Faber *Institut. de satisdat.* §. ultim Guillelmus Cuneus, Baldus *Authentic. Clericus C. de Episcopis & Clericis.* Et ita notoriè servatur in regno Franciæ. Porrò Judices sæculares Germaniæ non minorem habent potestatem, quàm judices sæculares Galliæ: munera autem patrimonialia sunt realia, & ratione patrimonii vel rerum præstantur, *l. rescripto l. ultim. de muneribus & honoribus.* Bart. *in l. unica, C. de muneribus in quo loco. lib.* 10. *l. placet C. d. sacrosanctis Ecclesiis.*

9. Nonò pariter in materia depositi Clericus potest compelli per judicem sæcularem Bald. & Salic. *in l. acceptam. C. de usuris* Jason *in l.* 1. §. *qui mandatum. col. ult. de officio ejus cui mand. est jurisd. l. si fidejussor.* §. *ult. col.* 1. *qui satisdare cogantur*, etiamsi sit res mobilis, quia ratione rei agitur.

10. Quod autem hoc onus contribuendi pro instauratione & fortificatione murorum urbis sit munus patrimoniale civile non sordidum, *textus est in d. l. adportus in l. omnes provinciarum C. de operis public. in l. ultim. de quibus muneribus nemini licet se excusare lib.* 6. *Cod.* sicut nec munus vigiliarum & custodiendarum portarum civitatis, *cap. pervenit. text. de immunit. Eccles.* idem consequenter in his quæ proponuntur de defensione & protectione communm ipsius civitatis, in qua versatur periculum commune Laïcis & Clericis, tum quia eadem & communis omnium causa est, & idem pro omnibus liber rationum, idem receptor & compulsor. Et ita de jure & praxi censeo ego Carolus Molinæus Franciæ & Germaniæ Jurisc. consultus, Ducalis consiliarius, & Tubingensis Academiæ jurium Professor primarius. Datum Tubingæ, anno sesquimillesimo quinquagesimo quarto, vigesimo primo julii.

EPITOME CONSIL. XIII.

1. *Aliud mercem extare, aliud in creditum abisse.* 3.
2. *Aliud pecunia, aliud merx.*
3. *Simile consuetudinis præstat simili legis.*
4. *Mensa, officina, peculium, taberna, sunt quid universale.* 7. 9. 10. 11 13.
5. *Consuetudo tantum habet de effectu, quàm de usu.*
6. *Nec requiritur modum utendi esse præscriptum.*
7. *Modica varietas facti facit magnam varietatem juris.*
8. *Aliud sunt res singulæ, aliud res certo corpori destinatæ.* 9. 10. 12.
9. *Merces invectæ domui conductæ non hypothecantur in specie, sed in genere.*
10. *Interpretatio consuetudinis Argentinensis.* 11.
14. *Contractus ante conclusionem potest pro infecto haberi, etiam in præjudicium tertii.*

THEMA EX ARGENTINA TRANSMISSUM.

ARgentinæ ea huc usque fuit, & hodie consuetudo, & jure municipali ita statutum est, quando quis cum aliqua matrimonium contraxerit, quod omnia bona quæ maritus ad uxorem attulerit sive in censibus, redditibus, mobilibus & immobilibus, item ea quæ hæreditario jure, stante matrimonio, ad eum devoluta forent, eo durante non fuerint vendita, permutata, vel alienata tunc uxore mortua manebunt marito inalterata & illæsa, adeò ut nihil teneatur uxoris heredibus ex illis dare. Sed si stante matrimonio fuerint, vendita vel alterata, tunc ex illis venditis & alteratis, ita bonis uxoris heredibus tertiam partem tenetur maritus præstare. Alterare autem dicitur hîc si vendidero domum, censum, reditum, supellectilia, vel vasa argentea, & id generis alia, ubi ex pecunia illa emero alias ædes, census, reditus, supellectilia vel vasa argentea, & alias res, sive mobiles, sive immobiles. Hæc omnia dicuntur res alteratæ, de quibus marito duæ, & uxoris heredibus tertia pars debentur. Item si argenteum scyphum quis liquefecerit, & ex illo argento alium novum per aurifabrum facere curaverit, sic & omnia quæ in aliam formam vel materiam, quàm anteà fuere, transmutata erunt, dicitur alterare. Sic etiam in aliis rebus quæ destructæ & iterum restauratæ fuerint, observatur. Pari ratione cum omnibus uxoris ad maritum delatis bonis, eo mortuo cum matrimonio durante alteratæ fuerunt, servatur: & de illis duas partes mariti heredibus tenetur uxor reddere, quæ tertiam tantum partem retinebit; præterea omnia quæ stante matrimonio conjuges per eorum industriam, operas suas, vel artificia mechanica, negotiationes, sive mercantias, ea omnia dicuntur alterata. Si autem quis uxoris ædes quas ante contractum matrimonium habuit, eo durante non fundum usque destrueret, nec funditùs totas

novas redderet, sed tantummodò altiùs tolleret vel ædificaret, aut in illis expensas aliquas utiles sive necessarias ampliandi vel restaurandi ad voluntatis suæ libitum gratis impenderet per hoc jure municipali non dicuntur alteratæ ædes, sed uxore mortua, marito tantùm duæ partes ex pecunia illa exposita ab uxoris heredibus dantur, & proprietas earum ædium tota uxoris heredibus inalterata manet, & ita ædificium cedit solo.

Seius mercator antequàm Argentorati duxerit uxorem, habuit publicam officinam sive negotium emendi & vendendi in valore 1200. florenorum. Deinde cum Berta matrimonium contraxit, eo durante nihil ad hanc summam 1200. florenorum sui mercimonii, nec ab uxore adventitiis paraphernalibus, nec ex aliis suis acquisitis bonis adjecit, nec accumulavit. Posteà annis duobus elapsis Berta mortua, cujus heredes à superstite marito tertiam partem dictorum 1200. florenorum sui mercimonii petunt ea ratione, quod stante matrimonio, ista summa sit alterata. Nam cùm illa negotiaverit sive mercimonium exercuerit, jam illas, jam alias res comparaverit, eas res suas vendiderit, pecuniam illam exinde acceptam nunc in aurum, nunc in argentum hujus aut alterius monetæ generis & speciei mutaverit, mutuò etiam dederit, ubicunque res aut temporis commoditas expostulaverit.

E diverso autem maritus Seius prædictam sui mercimonii summam, quia inalteratam, propriam & illæsam atque ad eum solum spectantem esse jure conatur defendere, & quòd ab uxoris demortuæ bonis, durante matrimonio, nihil penitus ad talem summam sui mercimonii collocatum sit, sed hæc summa & mercimonium eo ipso statu adhuc esse quo priùs fuerit, antequam cum uxore mortua matrimonium contraxerit.

ALTER CASUS.

SEius eo tempore quo matrimonium cum Berta contraxit, habuit ædes proprias: quas stante matrimonio vendidit pro trecentis florenis, hoc pacto, ut ea reservata conditione, si emptor aut ejus heredes in posterum eas iterum vellent vendere, quod tunc licitum sit Seiò & suis heredibus, quando tantum quantum alius quispiam pro illis ædibus dare vellet, præstare velint, hanc optionem præ cæteris acceptare & reservare, & hoc casu jus congruum obtinere. Cùm autem post initum contractum Berta morte decedens, prædictus emptor hoc venditionis reservatum pactum negare volebat: E contrario autem Seius venditor emptori nullum emptionis titulum, neque super hoc instrumentum dare voluit, imò propter emptoris inconstantiam sibi suas ædes retinere, & eas inemptas esse voluit: sic venditio, Berta vivente, inita suum effectum non est sortita, & ædes priùs venditæ redditæ sunt inemptæ, donec post aliquot menses, & id venditoris uxore jam mortua, is qui prædictæ retractatæ venditioni & emptioni interfuit, tandem suo studio, intercessione & opera emptorem eò impulerit, & venditorem precibus rogavit, ædes in modum ut priùs erant venditæ (reservata sibi reemptione & præexhibitione) emptori restitueret. Ex hoc elicitur suprà allegatam venditionem, vivente Berta, nullam fuisse, sed post ejus mortem tandem transactionis viâ ad effectum productam esse. Quæritur an illa venditio, quæ ante uxoris obitum verbis tantum modò celebrata & propter abnegatum pactum reemptionis non fuit firmata, possit dici venditio, an non potius illa quæ post uxoris mortem transactionis viâ approbata, & ad effectum perducta in jure vera possit appellari venditio & priorem tollere?

CONSILIUM XIII. IN CAUSA ISRAELIS MINKEL CIVIS ARGENTINENSIS.

DOmini Jesu Christi Redemptoris nostri unici nomine invocato, Lecto & considerato themate, & quæstionibus.

1. Ad primam, quamvis sit admodum disputabilis, facti tamen magis, quàm juris est quæstio. Utcumque vero species facti plenè sit comprehensa, tamen tota consuetudinis Argentinensis ὑπόμνημα non ex explicata. Cujus consuetudinis ratio, quæ γνώμων est interpretationis, non ex aliquot particularibus tantùm articulis, sed ex toto complexo seu corpore integro, & observantia communi quærenda est, *l. in civile, de legibus l. bona fides depositi.* Sed ut fontes argumentorum aperiantur, pro affirmativa, videlicet summam alteratam, & heredibus uxoris tertiam dictæ summæ deberi, facit primò, quòd etiam in materia hujusmodi mercium, & mercantiarum, non est idem, etiamsi summa maneat eadem: sed merce mutata, aliud est, *textus in l. procuratoris §. plane versiculo, sed & si dedi de tributoria actione*, ubi aliud est mercem datam vel allatam extare, aliud venditam esse, & in pecuniam vel alias merces conversam, ita quòd, quamvis primo casu competeret actio rei vendicationis prærogatæ, quæ omnes vincit, & omnibus præfertur: tamen secundo casu, non habetur ratio prioris dominii, quod abiit in creditum, & sic translatum & perditum est; nec prioris actionis & vendicationis, quæ amissa est, sed ille qui mercem suam dedit, etiamsi pretium non recepit, tamen non præfertur: sed æqualis est omnibus etiam posterioribus creditoribus, & cum illis vocatur in tributum ad æs & libram, hoc est pro rata sui cujuscumque debiti, non habita ratione prioris status, qui mutatus est. Et quod ibi dicitur in mercibus mutatis, idem in pecunia.

8. Nec obstat quod pecunia natura sua non est destinata ut maneat & servetur, sed ut illà cæteræ res æstimentur & comparentur, *l. 1. de contrahenda emptione*,

ne & venditione, tamen aliud est pecunia numerata, aliud merx inde comparata *l. 1. & per totum ff. de condict. ex lege triticaria*. Tum hoc probat text. *in dicto §. plane in princ.* ubi creditor qui numeravit pecuniam suam, non habet prærogativam in merce ex ea immediatè empta, quam haberet in sua pecunia, si extaret: igitur non solùm alteratio, sed totius rei & substantiæ mutatio est, quod etiam probat textus *in l. quidam fundum, ff. de in rem verso*, ubi servus habens mandatum etiam speciale boves arationi minùs idoneos vendendi, & ex nummis, qui inde recepti essent, alios comparandi: si hoc fecerit, deinde conturbaverit: tamen non censetur in rem domini versum quanti boves ultimi redempti sunt, sed quanti priores venierunt; & sic alii sunt priores, alii posteriores, quantumvis ex speciali mandato & destinatione priorum loco subrogati. Et ita etiam tenent omnes doctores *in l. si cum dotem in fine soluto matrimonio*, videlicet res ex aliis comparatas non esse easdem, sed alias & aliusmodi & alterius juris, etiam alioqui homogeneas, ut pecuniam pro pecunia, pannum pro panno. Dynus, Philippus Decius, Andræas Alciatus *in l. si cum servum, ff. si certum petatur*, Jason. *in l. creditor. eodem titulo. & in consilio centesimo undecimo, col. 1. lib. 4.* Et hinc est quod fidejussor acceptus in pretium, vel æstimationem rei principalis, non obligatur tanquam in aliam rem intercesserit: quia aliud est res, aliud pretium vel æstimatio *l. Græce, §. si quis Stichum. de fidejussoribus*, & contra fidejussor acceptus in mercem cum pecuniam principalis debeat, non tenetur, quia in aliam rem intercessit *l. si ita fidejussorem de fidejussoribus.*

3. Rursus probatur per eamdem consuetudinem, idque etiam per locum à fortiori: quia quamvis de jure eadem domus, eadem navis sit, si animo reficiendi funditus demolita fuerit, & rursus constructa, *l. quires, §. aream, ff. de solutionibus*, tamen ut narratur, aliud est secundum hanc consuetudinem, quia non obstante animo reficiendi, censetur alia res, sive alterata non solùm in domo, sed etiam in scypho & quovis vasculo: igitur multò magis in mercibus, quarum incerta erat conversio & reparatio, nec animus & destinatio impedit rem subrogatam aliam esse. Tum valet argumentum à simili consuetudinis, & præfertur simili juris in eadem tamen ejusdem consuetudinis materia, *ut hic d. l. de quibus.* Confirmo, quia fieri non potuit quin uxoris diligentia & industria aliquid in conservando, saltem ne merx diminueretur, adjecerit, aut saltem in aliis maritum relevaverit. Tum è contra eadem esset lex, si uxor non communis in bonis, antequam mercaturam suam per se ipsam administrasset.

4. In contrarium pro negativa arguitur *per l. cum pater, §. mensa de leg. secundo*, ubi mensa numularia censetur unum quoddam universale, ut ibi notant Bartolus, Imola, & alii. Paulus Castrensis *cons.* 285. *lib.* 2. Petrus Ancharanus *cons.* 184. Philippus Decius *cons.* 255. *num.* 2. uti in annotationibus tetigi. Igitur idem videtur de mensa vel officina mercantili, saltem cùm maneat semper intra fines ejusdem summæ. Confirmatur quia peculium servi, mercaturæ vel cujusvis rei quæstuariæ præpositi, semper unum & idem dicitur, sive augeatur, sive diminuatur, *l. peculium nascitur, ff. de peculio.* igitur per locum à fortiori, si intra eamdem summam maneat eadem res dicitur, nec mutata nec alterata. Rursus pro prima parte replicatur hanc esse fictionem quæ non debet ad alios casus, & multò minus contra alias personas extendi, & ut tradit Socinus *cons.* 154. *in fin. lib.* 2. ea fictio non procedit nisi in his, quæ servando servari possunt, sed merces mercantiles negotiationi quæstuariæ destinatæ, non sunt hujusmodi; sed subinde mutantur, & alterantur, non solùm per hominis industriam, sed etiam per sui destinationem.

5. Pro solutione ego Carolus Molinæus multa, imò plurima si cuiquam doctorum offundere possem, sed quia longissimo usu exercitatus sum, dico consuetudinem tantum habere de viribus & effectu, quantum de usu unde oritur, & à quo interpretatur *l. de quibus, ff. de legibus.* Baldus *in l. illud C. communia utriusque judic.* Alber. Brunus *in tractatu de augmento, col.* 114. atque ideo, si de certa uniformi observantia constet, in simili quæstione, quæ sæpissimè usu venire potuit, illi standum erit, nec ulterius disputandum.

6. Nec illam interpretationem, aut modum utendi, requiritur esse præscriptum, quia est simplex declaratio. Paulus Castrensis *cons.* 34. *Quia circa col. ultima lib.* 4. Alexander *cons.* 8. *num.* 7. *lib.* 6. Franciscus Aretinus *cons.* 11. *c. l.* 3. Philippus Corneus *cons.* 188. *col. ult. lib.* 4. Socinus. *cons.* 111. *col. vers. lib.* 1. Philip. Decius *c. cum Martinus Ferrariensis col.* 2. *de constitut. in l. ut liberis num.* 19. *Cod. de collatio.* Aymo Cravet. *cons.* 118. *num.* 2. Quòd si cesset certus uniformis utendi modus, vel dubium sit.

7. Ante omnia diligenter consideranda & perspicienda sunt substantia, natura, definitio, limites ipsius rei controversæ, quando quæritur ut sciatur an ad terminos dictæ consuetudinis transitum fecerit, an vero sub terminis juris communis & antiqua dispositione sua remanserit, hîc enim versatur cardo totius & quæstionis & decisionis in quo modica unius circumstantiæ varietas totum plerumque jus immutat. *l. si ex plagis §. in clivo.* ubi Albericus, *ff. ad leg. Aquil.* At hîc non agitur de simplici mercatore habente certam publicam officinam, sive mensam, sive tabernam. Nec quæritur de omnibus bonis, nec de quibusvis vel indifferentibus ejusdem mercatoris, sive de bonis in confuso promiscuè, vel in genere: sed de certo fundo seu summa capitali certæ mensæ seu tabernæ institoriæ & mercantilis, cui ea summa velut pro sorte principali & fundo limitato destinata est.

8. Aliud ergo sunt bona in genere seu promiscua & indifferentia, id est nulli certæ mensæ vel tabernæ destinata, & tunc quia per se singula censentur, seu singulatim secundùm propriam cujusque naturam & qualitatem considerantur, *ut est textus in l. hac edictali, §. is illud C. de secund. nupt. & in Authentic. de nup. §. si vero permixtæ constitut.* 22. Angel. Perus. *in l. 2. in princ. de verbor. obligat.* ideo in singulis per se vel seorsum inquiritur & consideratur an mutata vel alienata fuerint. Aliud verò sunt bona sepositia, & velut in separatum à reliquo communi patrimonio peculium collata & destinata, & præsertim ad certam summam vice fundi seu capitalis limitata, hæc enim non considerantur singula per se: sed totum corpus seu peculium sic destinatum, vel mensa, aut taberna quæ vicem unius totius corporis integralis, vel etiam unius universalis, *habet textus dict. §. mensæ dictæ l. comparatur de legatis secundo.*

9. Et in his non attenduntur singula corpora vel res per se, sed totum corpus integrale, vel universale quod non censetur recipere mutationem vel alterationem: sed idem ipsum & actu, & substantia, & re & nomine manere & perseverare, etiamsi singula corpora mutentur & quotidie varientur, ut est textus in dicta *l. peculium nascitur. & per totum ff. de peculio. & text. in l. proponebatur de judiciis l. 2. in fi. de rei vendicatione, in l. si greg.* & ibi Jason *de legatis primo. in l. grege. l. cum tabernam.* & ibi Bartolus *de pignoribus & alibi passim in jure.* Unde Udalricus Zasius. *§. item serviam. institut. de actionibus.* concludit quòd merces vænales invectæ per inquilinum, obligantur non in specie, vel in particulari quoad individua: sed in genere & universaliter, quod satis est ut non mutata, sed eadem dicatur manere officina mercium. Sed hic plus est, quia non de mercibus promiscuis agitur, sed de certo fundo, mensa, seu capitali limitato & destinato, quod minus mutatur quàm universitas rerum adjectionibus, vel detractionibus corporum.

10. Nec

10. Nec istud (videlicet de capitali vel mensa) procedit ex fictione, nec ex sola dispositione legis, sed lege approbante, ex dispositione & destinatione hominis seu patrisfamilias, qua certi etiam fundi & domus non fictè, sed vere constituuntur & definiuntur, *l. quod in rerum natura, de legatis primo.* In reliquis ergo bonis matrimonialibus, etiam in mercibus & rebus promercalibus confusè & promiscuè habitis, potest habere locum dicta consuetudo in singulis corporibus, prout quodque eorum mutatum vel alteratum fuerit: sed non in bonis certo uni corpori destinatis, nisi corpus ipsum universale destruatur, mutetur vel alteretur. In primo verò & indiscreto genere bonorum loquuntur & procedunt allegata pro parte affirmativa, *ut patet in d. § plane & in d. l. quidam fundum*, ubi non de fundo, nec de parte fundi mensæ, vel tabernæ institoriæ agitur, sed tantum de certis singularibus rebus per se venditis, non dependentibus à certo corpore integrali vel universo unius mensæ vel tabernæ, de quo nullum verbum in legibus pro affirmativa allegatis.

11. In his etiam promiscuis bonis procedit tacita & verisimilis ratio dictæ consuetudinis, quod uxor vel conjux sua saltem diligentia & industria aliquid conservando vel augendo contulit, & quod liberum erat, à novo negotio instituendo vel mutando abstinere: secùs in bonis de quibus agitur, in quibus uxor nihil contulit, nec operata fuit, & circa quæ nullum novum negotium fuit institutum, nec mutatum, nec variatum, constante matrimonio: sed tantùm specialis illa mercatura, mercimonium, & institoria exercitatio dictæ officinæ, mensæ vel tabernæ, ante matrimonium instituta, cœpta & destinata, imò etiam certo fundo seu sorte, vel summa capitali concluſa & limitata. Illa, inquam, deinceps tantùm fuit in statu suo veteri continuata & exercitata, fundo non destructo, vel ad aliud negotium transfato, sed nec secto, nec diviso, nec aucto, nec diminuto. Et sic idem corpus integrale semper in statu suo priùs instituto & destinato permansit, ergo non cecidit, nec cadere potuit in terminos & dispositionem consuetudinis, sed in veteribus suis & juris communis terminis permansit.

12. Et consequenter in casu de quo agitur, vera est & indubitata pars negativa, videlicet defunctæ uxoris heredes nihil in eo fundo, mensa & officina petere posse, est enim quid ab aliis bonis separatum, *l. hinc quæritur versic.* an verò separamus causas, quasi in duobus peculiis. *ff.* de pecul.

13. Confirmatur vel palpabili paradigmate: fac fundum illum fuisse societatè particularem coitam cum uno vel pluribus mercatoribus socijs in ea specie mercantiæ, certum est quòd unus sociorum ducendo posteà uxorem nihil mutat, nec variat ex eo telo, de illo fundo vel illa societate semel contracta, quę remanet in statu suo, prout sine consensu sociorũ non recipit mutationẽ, nec alterationem. Idem ergo si mercator in ea mensa vel officina non contraxerit societatem, nec alios socios asciverit, sed per proprium suum institorem illam nomine suo solo exercuerit & continuaverit: quia conjugium subsequens per se nihil ea in re mutat, variat, nec alterat, nisi dominus ipse fundum suum disjunxerit, vel mutarit, ut non amplius sit eadem mensa vel officina.

14. Quantum ad secundam quæstionem, illa est indubitata: multa enim tractantur, quæ non perficiuntur. *l. si ex causa. § nunc videndum. de minoribus.* & tota vis in conclusione consistit. *l. contractus. C. de fide instrumentorum. l. si voluntate.* & ibi Baldus *C. de rescind. empt. & vendit.* quæ re integra, pro infecta haberi potest, etiam in præjudicium tertii. *l. 1. & per totum C. quando licerat ab empt. disc.* & ibi Joannes Faber. *& in l. 2. C. communia de legat.* sed hic sumus in fortiori: quia emptor vivâ Bertâ non habuit venditionem pro clausula quæ individua est. *l. cum ex causa, de verb. oblig.* & hoc propter discessum clausulæ, & sic omnia fuerunt in fieri, & in suo antiquo, immutato & libero statu, donec posteà contractus concluſus fuit, quod non contigit, nisi post mortem Bertæ. quare ejus heredes nihil in dicta domo habent. Et ita consulo & censeo ego Carolus Molinæus J. U. D. Franciæ & Germaniæ Iureconsultus, Ducalis Consiliarius, Iurium Professor Tubingensis Primarius. In quorum fidem & testimonium manu hæc subscripsi, & insigniorum meorum sigillum apposui. Datum Tubingæ, Nonis Augusti, M. D. LIIII.

EPITOME CONSIL. XIV. DE TRAJECTU RHENI.

1. *Epistola, Thema & quæstionem continens.*
2. *Iure gentium flumina & usus eorum publica sunt.*
3. *Insuper jure privato spectat ad dominum ripa, pro modo latitudinis.*
4. *Consuetudo antiqua dat jus liberè trajiciendi.*
5. *Odiosa sunt & vetita nova fluminum vectigalia. 6.*
7. *Pro simplici facultate trajiciendi impedita, potest agi injuria, sed pro jure vel quasi possessione, vendicationibus & interdictis.*
8. *Et nihilominus possessionem jure & facto tueri. 9.*
10. *Iuramentum extortum non valet, sed condici potest. 12.*
11. *Iuramentum contra jus superioris non valet.*

CONSILIUM XIV. DE TRAJECTU RHENI.

AD præstantissimum Iureconsultum Carolum Molinæum, Comes de Vvirtemberg superioribus diebus jussit, ut quidam ex ministris suis unà cum supellectili & familia sua apud arcem Sponeck, juxta Rhenum positam ibidem transmitterent flumen, ea ratione quòd ejusdem arcis possessores multis jam ante annis in eodem illo loco pro se & sua familia usi sunt trajectu, excepto eo tempore, ubi Rex Germanorum Ferdinandus & eamdem arcem propter Ducis Ulrici malè navatam operam in bello Germanico nuper confecto *a* occupavit, & detinuit. Superiori anno Rex Ferdinandus restituit dicto Duci Christophoro prædictam arcem unà cum pertinentiis suis, à quo jam nunc possidet dictus Princeps noster. Cum verò ille minister Comitis suam supellectilem, ita ut jusserat dominus curru veheret, & perveniret in pratum prope arcem Sponeck ad ipsam dominii jure pertinens, adorti sunt illum cives Burckheimenses jussu Magistratus eorumdem, & reduxerunt hominem vinctum in oppidum Burckheim, ibique in vinculis detinuerunt in quartũ usque diem, quasi iniquè fecisset, & quodammodo vectigal committeret, quòd apud ipsos Burckheimenses Rhenum non trajecerit. Quo cognito, dictus Comes literis petiit à Burckheimensibus, ut suum ministrum à vinculis missum facerent, neque eumdem in itinere quod ad se instituerat, impedirent. At illi detentum quidem vinculis solverunt, eò tamen adegerunt hominem, ut jurejurando ut perduellio ipsi objectus fuerat quod Carol. Molinæum latebat, donec Cancellarius Montbegardensis strochilen ebrius hocci, aliis amicis tingentibus revelavit, ut post finem huius consilij.

a Confecto) quia 1519. Vlricus ob occupatam Rutelingã urbem Imperialem ditionibus suis

& sanctè pollicitus sit se non tantum eam, quæ sibi illata est, injuriam & capturam (ut moris est) non vindicaturum, sed etiam expensas in eam rem factas laturū, nec apud dictam arcē Sponeck, sed apud ipsos Burckheimenses trajecturum esse Rhenum. Quia verò ista res forsasse Principi nostro præjudicio esse potest, eò quòd ille qui juravit, in famulitio ejusdem sit, hactenus ille jussu Principis neque expensas refundere, neque apud ipsos Burckheimenses etiamnum transmittere flumen voluit: obtulit tamen se apud Judicem Regium *b* in Ensisheim tanquam ordinarium civium Burckheimensium easdem depositurum. Iudex ille depositum quidem recipere vult, ei tamen relaxationem juramenti præstare etiam ad affectum agendi non vult, imò initat ut ille minister Principis sui promissis & juramento firmatis satisfaciat: quod satis durum esse videtur. Proinde quæ tua hac in re sit sententia, & quod opus facto putes velim ut paucis significes. Vale bene. Tuus ad quævis paratissimus Chasparus ad Campam. Cancellarius. Quo ad primum jus Comitis.

b Scilicet Ferdinandi Regis Romanorum.

2. Primò est jus gentium perpetuum & immutabile ubique locorum, quo flumina omnia publica sunt, id est in publico usu, ut est textus in §. *flumina. cum* §. *sequenti.* ibi *usus publicus juris gentium est sicut ipsius fluminis.* Ergo usus quoque fluminum publicus est. *instit. de rerum division. l. quædam. l. riparum. ff. de rer. divis.* Licet ergo jure gentium enavigare & transmittere, & flumine jure gentium omnibus communiter uti, non impediendo navigationem aliorum.

3. Secundò, non solum habet jus gentium commune: sed etiam jus privatum proprium & peculiare, propter dominium ripæ ejusdem fluminis, cujus proprietas & arbores, si quæ sint ibi natæ, spectant ad proprietatem præfati Comitis pro latitudine frontis prædiorum dictæ arcis Sponeck, quibus ripæ fluminis adhærent. *l. riparum quæque. ff. de rerum divis. l. insula. est nata. l. adeo.* §. *insula. ff. de acquir. rerum domin.* Etiamsi via publica esset inter ripam fluminis & prædia Principis. *gloss. & Doctores in dictum* §. *instit. de rerum divisio.* Cum igitur sit dominus & proprietarius ejusdem ripæ ad locum quo trajicere consuevit, tantò magis eò per se & suos trajicere potest.

4. Tertio, quasi possessio & consuetudo antiqua, quæ etiam per se sola sufficit ad jus conferendum. *l. 1. §. ult. ibi vetustatem vicem legis tenere. l. 2. in princ. ver. ff. de aqua plu. arcend. l. apparet* §. *si quis de itinere actuque privato. l. hoc jure* §. *ductus aqua ff. de aqua quotid. & æstiva.* Quartò, confirmatio sive approbatio Regis *c* qui relictam arcem una cum omnibus suis juribus & pertinentiis præfato Principi restituit, prout ab antiquo cum suis decessoribus possedit, & usus est, & deinceps possedit & possidet. Cum ergo notissimum sit præfatum Principem suamque familiam & ministros ad locum & frontem dictæ arcis solitos ab omni ævo liberè cum rebus suis flumen trajicere, non est dubium quin hoc ei & suis liceat, non solùm jure communi, sed etiam jure privato, & speciali ratione dictæ arcis & proprietatis ripæ, pro fronte prædiorum ejusdem arcis. Tum ratione possessionis, etiamsi possessio vel ejus antiquitas non probaretur.

c Regis, scilicet Ferdinandi Cæsaris & Romanorum Regis.

5. Quod autem ad jus dictorum civium Burckheimensium, certum est non esse jus commune, imò jure communi vetitum, & prohibitum per leges & sanctiones Imperiales, per jura prædicta, *& C. nova vectigalia imponi non posse per totum.* Est ergo jus privatum, imò etiam jus odiosum: ut pote contra publicam libertatem, & ad locum ejus destinatum limitatum, quod nullam recipit extensionem. *l. in agris ff. de acquir. rerum domin.* imò potiùs debet restringi. *l. commodissimè. de liberis & posthumis. c. odia. de reg. jur. in 6.* Quanquam Princeps non vult jus eorum tollere, sed illud intra fines & limites suos solitos conservari & manere, nihil agit nec intendit quam ut cuique jus suum & possessio sua servetur.

6. Quod si prætenderet novum jus trajecti quæstuarii erigere ad frontem prædictæ arcis suæ, & vectigal à trajicientibus aut vectoribus exigere, esset equidem quod prædicti cives, imò potiùs prædictus Rex, Camera Imperialis, & ejus Procurator generalis conqueri possent; sed cùm hoc minimè prætendat, nihil contra jus commune gentium & Imperii faciat, imò intentionem fundatam in jure gentium & legibus Imperialibus habeat, nec jus privatum prædictorum civium impediat, sed illud liberum illis relinquat, nec metas juris sui & possessionis suæ pro se & familia & domesticis suis egredi velit: sequitur quòd prædicti cives indebitè conqueruntur & iniquè, ac de novo turbare moliuntur prædictum Principem

7. Porrò si idem Comes haberet jus simplicis facultatis duntaxat, *de quo in cap. 2. d finèt. 1.* tantùm agere posset injuriarum, vel actione in factum ad damna & interesse: sed quoniam habet etiam jus proprium & privatum ratione dominij & possessionis dictæ suæ arcis & ripæ fluminis, pro latitudine prædiorum suorum: habet etiam judicium tam confessoriæ quàm negatoriæ prædiorum suorum ergò, & interdictum uti possidetis pro sua possessione vel quasi asserenda & conservanda, & pro omnibus damnis, interesse & expensis. Quare infra annum turbationis factæ prædicto ministro suo, potest contra prædictos cives, vel contra particulares ex eis turbatores, si civitas ratum non habeat, nec eos defendere velit, intentare interdictum uti possidetis, pro speciali turbatione facta prædicto ministro suo, & recuperare omnia damna hac occasione incursa vel incurrenda, cum omnibus expensis, & cum cautione de non turbando, nec impediendo in futurum

8. Et nihilominus primò hac speciali turbatione neglecta, poterit pro quibuscumque aliis deinceps de novo agere, si quæ aliæ turbationes fiant. Secundò, debet interea etiam lite non motâ (quam movere non tenetur) vel etiam eâ motâ à se, sive ab alio illatâ, possessionem suam interim semper tam de jure, quàm de facto conservare. cap. 2. & ibi Panorm. & omnes Canonistæ *extra. ut lite pendente.* Compostel. in cap. *C. cum Martinus Ferrariensis. de constitut. Innocent. in c. 2. in verb. inhibentes. extra. de restitut. in integ.* Ioannes Faber in *l. appellationes col. 1. C. de appellat.* Floria. de Sancto Petro in *l. alienationis, numero 4. vers. adde etiam. ff. familiæ erciscundæ.*

9. Et ad hoc poterunt in Cancellaria Comitis literæ expediri, quibus, audito si opus sit Procuratore generali Principis, præcipietur eidem Præfecto, ut illam supellectilem, & alias Principis vel ministrorum suorum transmitti curet, jus & possessionem Principis conservando, utque in eis conservandis proinde & fideliter vigilet, ut debet. Præterea Comes quando voluerit, si opus sit, agere poterit, & si in jus imperatur, justissimam defensionis causam habebit. Quod autem attinet ad ministrum impeditum & carceratum, non solùm ipse nomine suo, sed etiam Princeps nomine proprio, quia sua principaliter interest, agere poterit.

10. Et illo quidem privato ministro agente, nullo modo oberit juramentum extortum, quia non est liberum & spontaneum. Et sic non nocet cap. *quamvis.* & ibi gloss. Petr. Anchar. Geminian. *de pactis in sexto.* imo laborat duplici vitio. Primo violentiæ, quia à captivo non aliter relaxando. Secundo, doli, quia fraudulenter extortum in fraudem juris, & recursus ad superiorem. Et ultra tertio, quia turpiter exactum, & sic ejus remissio per condictionem ob turpem causam condici potest. *l. 2. & per tot. ff. & C. de condict. ob turpem causam.* Felin. in cap. *debitores extra. de jurejurando.*

11. Præterea & quarto, juramentum in fraudem juris communis, vel in præjudicium juris superioris non valet. cap. *venientes.* cap. *eam te. extra de jure-*

jur. in capitulo *constitutus.* & ibi Felinus. *col.* 5. *extra. de rescript.* Ioannes Firmian. in tractatu *de gabellis. col.* 38. Oldradus *quæst.* 97. Et sic juramentum præfati ministri carcerati, quod est contra jus superioris & præfati Principis, est ipso jure nullum. Et in quantum concernit jus vel interesse privatũ ipsius ministri capti & incarcerati, præfatum juramentum pro nullo habetur respectu illorum qui extorserunt, vel quorum nomine extortum fuit: quia illis agentibus vel excipientibus de hujusmodi juramento, excipi vel replicari potest de vi, meru, vel dolo. Et quod ipsi relaxare tenentur, ut tradit Felinus in c. *debitores, extra. de jurejur.* Nec sunt admissibiles ad commodum capiendum de juramento taliter à se extorto, nec adutendum illo cap. ad suæ iniquitatis vinculum. *inter cætera* 22. *quæst.* 4. *cod. quanto. versf. si falsam, extra. de jurejur.* Et ita censeo ego Carolus Molinæus J. U. Doctor, Franciæ & Germaniæ Iureconsultus, Illustrissimi Ducis Witerbergensis Consiliarius. Datum Montisbelgardi, sub signo & sigillo meo 3. nonas Decembris. M. D. LIV.

EPITOME CONSILII XV.

1. *Decem quæstiones ex specie facti resultantes, quarum duæ tantum.*
2. *Quæstionis primæ cardinalis ratio dubitandi.*
3. *Altera ratio dubitandi ex sententia & authoritate doctorum.*
4. *Pactum ne succedatur cùm sit universale, in totum vitiatur.*
5. *Nullo iure est prohibitum pactum renuntiationis futuræ, nisi in legitimis descendentibus.*
6. *Novi iuris eò facilius valet renuntiatio, si per eam fiat recursus ad pristinum.*
7. *Ius quo mater liberis succedit, strictum est, ergo nec extendendum.*
8. *Cur in hac specie valeat pactum ne succedatur.*
9. *Pacta nuptialia rescindi judex non patietur, quæ vali vel iniqui exempli forent.*
10. *Nam magni sunt favoris, & specialem præ cæteris habent firmitatem.*
11. *Et ex doctorum sententia ignobilis renuntiatio in favorem nobilioris valet, etiam perfecto & constante matrimonio.*
12. *Minor filia etiam sine curatore potest renuntiare. Habilis enim ad nuptias, est habilis ad omnia pacta congrua & solita.*
13. *Quæ ex utriusque iuris doctorum sententia juramento omninò confirmantur, adeò ut in praxi, nec si læsio quidem in legitima postea appareat, eius habeatur ratio, eo quòd futura successio incerta sit.*
14. *Qui enim iure scripto reguntur, ex communi sententia huiusmodi pacti negativi iurati irrevocabilitatem observant.*
15. *Quæstionis secunda explicatio.*
16. *Et ex Germanorum consuetudine etiam sine iuramento valet pactum, ne secunda uxor etiam honesta succedat, stantibus filiis prioris matrimonii: ergo multo magis in concubina id obtinebit.*
17. *Quæstionis secunda cardinalis ratio dubitandi.*
18. *Leosthenes hic contrahendo præcipuè agebat, ne sua bona à concubina diriperentur.*
19. *Et ne in alium familiam hereditas & bona paterna devenirent. Ex qua clausula videtur dispositisse non de ipsa hereditate, sed de eius parte & quota, qua maximam inter se habent differentiam.*
20. *Iure enim communi approbatur conventio certa rei vel certi generis bonorum, & de eis in contractibus possunt fieri substitutiones conventionales & graduales, sicut in testamentis tam directa, quàm obliqua universales de ipsa hereditate vel eius quota fiunt.*
21. *Cum à mente verborum intellectus sumatur, nil mirum si verba etiam universalia restringantur ad mentem & verisimilitudinem.*
22. *Consuetudo efficere potest ut valeat pactum de futura hereditate universali liberorum. Licet minui non possit legitima, nec ladi etiam dispositione lucrativa inter vivos.*
23. *Tamen lex, statutum, vel consuetudo hoc potest: imò etiam ex communi sententia eam in totum tollere.*
24. *De facili fit reditus ad ius antiquum.*
25. *Quando habeat locum Auth. res quæ.*
26. *Quæstionis quintæ solutio, Monasterium non habetur pro filio, maximè si restituendum sit filiis, vel posteritati testatoris.*

Filiorum enim favorabilior est causa, quàm Ecclesiæ & pauperum.

27 §. Sed & hoc præsenti, *non habet locum nisi in dubio.*

Nec Monasterium excludit, sed excluditur.

28. *Dictus §. non habet locum quando hæc qualitas adjicitur legitimis & naturalibus. Appellatione enim simplicis non venit qualificatum. Item nec habet locum in contractibus dictus §.*
29. *Quæstionis sexta ratio dubitandi dissolvitur ex contraria consuetudine.*

Item, eò quòd moniales debent carere omni spe lucri & bonorum.

30. *Quæstionis septima & octava solutio.*

Nam Monasterium quod privatur lucro bonorum quæsitorum, multò magis quærendorum fruitione privabitur.

31. *Monasterium succedens cavere debet de restituendo, extante conditione.*
32. *Quæstionis nona solutio.*

Et qui se contractu suo, vel per factum suum inhabilem fecit à successione, non debetur ei legitima, etiamsi esset de liberis.

33. *Quibus ea magis debetur, quàm ascendentibus.*
34. *Dos non compensatur: sed alia lucra compensantur.*

THEMA CONSILII XV.

LEcosthenes concubinam nomine Reginam uxorem duxit sub pacto, ne succederet liberis, & aliis pactis brevitatis causa hîc omissis. In tertio principali pactorum dotalium articulo conventum fuit, ut soluto matrimonio, protinus dos cum paraphernis (quæ nulla vel modica erant) ad Reginam redeat. Dein Leosthenes eidem Reginæ pro munere nuptiali, sive largitate centum aureos Rhenenses, ex suis bonis cum duodecim poculis argenteis, de quibus liberam disponendi pro moribus Germaniæ potestatem dedit, & reditum annuum 40. aureorum & sex medimnorum tritici, & totidem vini in singulos annos solu. matri. quoad ipsa vixisset: hoc adjecto, ut post mortem Reginæ hujusmodi reditus annui ad liberos ex se & Regina natos devolvantur. Quæ omnia Regina non solum mortuo Leosthene marito in familia erciscunda accepit, & reditibus annuis utitur, fruitur: sed & ejusdem verbis sibi præterea quædam à marito (quæ valorem 500. aureorum excedunt) donata affirmantis, à tutoribus Leuconis & Aretiæ jam mortuæ liberorum, fides habita est, & quod affirmavit, recepit, ut in summa Leosthenis bonis ad Reginam (vel in sola sorte) supra 1500. aureos Rhenenses pervenisse certum sit, &c.

CONSILIUM XV.

DEi omnipotentis, per Christum mediatorem unicum, nomine invocato, Viso & diligenter examinato themate.

1. Decem inde resultant quæstiones. Prima, an pactum illud negativum de futura successione jure communi valeat? Secunda, an vigore consuetudinis? Tertia, an pactum affirmativum futuræ successionis liberorum inter eos valeat? & an fideicommissum resultet? Item, an etiam nepotes gravati sint? Quarta, si sic: quatenus filii Reginæ testari vel deducere de paternis possunt? Quinta, an Monasterium faciat cessare illud fideicommissum, vel onus in persona dictæ professæ? Sexta, si cessare non facit? an statim bona, seu portio professæ, sint restituenda. Septima, an professa seu Monasterium pro ea sorori defunctæ succedat cum Leucone? Octava, si sic, an Monasterium interim de restituenda portione dictæ infantis, post mortem professæ cavere debeat? Nona, an liberi Aretiæ sint substituti in omnibus bonis paternis post obitum omnium ex Regina natorum? Decima, si sic, an Regina legitimam, vel aliud detrahere possit? Sed duæ sunt cardinales & *aureæ* quæstiones, à quibus reliquæ omnes dependent. Prima: an matris renuntiatio futuræ liberorum successioni valeat? Secunda, an sit substitutio, vel fideicommissum inter liberos?

2. Ad primam, Prima facie videretur renuntiationem nullam esse, nec pactionem subsistere, utpote pactis super futuris successionibus devolvendis reprobatis. Hæreditates enim lege propinquis, extraneis verò testamento dantur, non pactis, etiam nuptialibus & favore matrimonii contractis, *text. l. hereditas, C. de pactis conventis*, ubi ampliatur etiamsi fieret favore ipsorum nubentium, vel alterutrius eorum. Igitur multò minùs valent favore aliorum, quàm ipsorummet contrahentium. Quando quidem aliorum favore difficiliùs admittantur, etiam quæ aliàs legitimæ essent pactiones, *l. 1. in fin. de pactis dotalibus.* Ad hoc *l. ex eo C. de inutilibus stipulationibus pact. C. de collat. l. pact. l. licet, l. ult. C. de pact.*

3. Secundò, quia hujusmodi pactum valde exorbitans est & generale, & (ut ita loquar) universalissimum: non enim est limitatum ad certa bona, vel res certas, nec ad partem quidem hereditatis. Quibus casibus vel altero eorum, solent doctores hujusmodi pacta tolerare, quæ tunc demum valida esse intelligunt, & contrarias juris communis regulas limitant, & ita intelligunt, restringunt, & salvant praxim & consuetudinem multorum, præsertim nobilium, quæ alioquin præfatis legibus in bonis moribus fundatis, & contrarias pactiones tanquam etiam improbas, & bonis moribus obviantes reprobantibus, repugnare videntur, ut per Philippum Decium *in l. pactum dotale C. de collation.* Oldra. *quæst.* 139. Angel. Perus. *cons.* 179. Alex. *cons.* 84. *lib.* 2. *cons.* 20. *col.* 2 *lib.* 3. Egidius Bellamera *cons.* 17. Philippus Decius *cons.* 516. *num.* 3 578 *num.* 9. *cum seq. cons.* 613. Steph. Bertrand. *cons.* 4. *Visis in* 2. *dubio cons.* 78. *lib.* 3. Caro. Rui. *cons.* 126. *Visis præditis instrumentis lib.* 1. latè Lud. Gozadi *cons.* 87. Aymo Craveta *cons.* 19. *num.* 7. dixi *in annotat.* ad Alex. *cons.* 26. *ad fin. lib.* 3. *& in annot.* ad Philippum Decium *cons* 225. *col.* 3. *cons.* 236. *num.* 19. *cum seq.*

4. Sed ex hypothesi hujusmodi pactum omnia comprehendit: est enim factum præcisè in omnibus bonis, ut in prima clausula, & in secunda ibi tum omnia, seu universa mortuorum bona, & sic non potest esse magis universale vel exorbitans, nec restrictionem recipit. Quoniam universalis falsa in uno, falsa est in totum, *l. si is qui ducenta, §. utrum, de reb. dub.* Hinc in hujusmodi pactis secundum communem doctorum sententiam, non fit restrictio ad rem seu portionem, aut genus bonorum in quo valere possent: sed cum sint universalia, in totum vitiantur. Bart. Alexand. & omnes *in l. stipulatio hoc modo concepta, de verb. obligat. & in l. ultim. C. de pact.* Bart. *cons.* 76. Angel. Perus. *cons.* 360. *Quædam domina magna* Philippus Corneus *cons.* 176. *l. b.* 2. *cons.* 252. *lib.* 3. reprobata communiter opinione Matth. Matthesil. *in singul.* 137. ut expressè per Franciscum Purpur. *in l. ultim. num.* 238. *num.* 242. *num.* 247. *C. de pact. &* Hieron. Cagnol. *num.* 205. Ludovicus Roma *cons.* 171. *in princ.* Panor. *cons.* 48. *lib.* 1. Petrus Anchar. *cons.* 231. ubi ampliat, communem sententiam etiamsi in favorem Ecclesiæ pactum esset. Tertiò quia dicta Regina tempore contractus, erat minor vigintiquinque annis.

5. Quibus non obstantibus, contrarium censeo, hujuscemodi conventionem, & renuntiationem legitimam & validam fuisse, & esse servandam: quia nullo jure prohibitum invenitur pactum negativum, seu absolutæ renuntiationis futuræ successionis, nisi in filia legitima, *d. l. pactum. dotali & in filio legitimo l. si quando §. illud. C. de inoffic. testamento*, & consequenter in omnibus legitimis descendentibus, quibus hereditas non solum à l. defertur, sed etiam debetur, *l. ult. §. 1. C. d. curator. furio.* In exteris autem cum non sit eadem, saltem non tanta ratio, standum est regulæ juris communis, pactis standum præsertim nuptialibus quæ majori solemnitate, magisque seriò fiunt, & speciali favore pollent.

6. Secundo, quia de facili fit recursus ad statum & jus pristinum, *l. si unus, §. pactus ne peteret, de pactis c. statutum de præbendis in sexto ubi gloss. & omnes doctores* notant eam dispositionem etiam correctoriam, esse

favorabilem. Sed olim jure communi mater non succedebat filiis, sed novo jure posteà introductum fuit tempore Adriani Imperatoris. *Instit. de Senatusconsult. Tertul. in princ.* ergo si mater huic novo juri renuntiet, saltem renuntiatione contenta, de facili admitti debet non solum: quòd jure communi non prohibetur hæc renuntiatio, sed etiam per eam fit recursus ad jus pristinum, ita ut etiam favorabilis videatur conventio per prædicta.

7. Confirmatur quia jus novum quo mater ad successionem filiorum vocata est, strictum erat, nec extendendum, ut pote veteris juris correctorium, ita quod non extendebatur ad aviam: sed opus fuit speciali nova constitutione ad illam extensionem, ut est text. *& ibi glos. in verb. avia Instit. de Senatusconsult. Tertul. in princip.* Non obstant allegata suprà in contrarium, quia loquuntur in terminis conventionis affirmativæ de futura successione acquirenda, vel illius spe anticipanda, quæ sunt contra bonos mores; vel de conventione negativa filiorum in successionibus futuris suorum ascendentium, sive præcedente, vel futura justa ingratitudinis causa. Et sic omnia illa, & singula procedunt præsuppositâ, & stante prohibitione juris communis, & in propria hypothesi ipsius prohibitionis à jure introducta, quæ hic cessat.

8. Præterea ista conventio nullo modo est contra bonos mores, in quibus jura in contrarium allegata fundatur: sed conformis bonis moribus, & utilis in politia, & republica, & valde favorabilis. Inspicienda enim est veritas, æquitas, & qualitas ipsius hypothesis, quæ est totius causæ fundamentum, ex qua resultat. Primò fuisse actum magnæ misericordiæ, & valde favorabilem, *c. inter corporalia, extra de sponsalibus*, nempe ut concubina fieret uxor, atque vilis, & abjecta, imò vilior omni ancilla, ut pote etiam turpis (quæ jure civili nubere honoratis prohibetur, *l. humiliem, §. humiles vero, C. de incestis, & inutilib. nupt.*) fieret honesta materfamilias, & de illicito, & probroso concubinatu transiret ad statum legitimæ conjugis. Hæc misericors metamorphosis tanti momenti est, ut etiam solo titulo conjugii eidem ibi Reginæ, & magnificè, & honorificè consultum dicatur etiamsi nulla ei facta esset donatio propter nuptias, & nihilominus spes successionis filiorum eidem adempta esset, cùm alioquin nihil prorsus lucra esset, sed in dedecore, & paupertate concubinæ mansura, nec filiis successura, nisi inopibus, & quorum alioquin nihil habentium, nec patri succedenti capacium (præsertim stantibus aliis legitimis) hereditas nullius commodi fuisset.

9. Quam igitur pium fuit hanc vilem, & pauperem concubinam in tantum honorare, tam impium, & nefarium eadem ipsa pacta nuptialia, sine quibus in peccato, dedecore & inopia mansisset, velle rescindere. Hoc ergo boni, & æqui judices admittere non debent, prout passim in jure prohibentur admittere, quæ mali, vel iniqui forent exempli, *l. observandum de judiciis l. 1. ad Macedonianum, cum similibus.* Quis autem vellet deinceps, præsertim legitimos habens filios ex honesta prædefuncta uxore vilem, & inopem concubinam in uxorem assumere, si pactis nuptialibus præsertim in favorem filiorum legitimè ex priore uxore natorum) posteà contravenire liceret? Si boni saltem admissibilis exempli est etiam prolem legitimam habenti, superinductam, posteà vilem concubinam ad prolem eius spuriam legitimandam in uxorem sub certis (uti decet) restrictivis conditionibus: quàm mali imò nefarii, & prorsus inadmissibilis exempli est nuptialium pactorum contraventionem admittere.

10. Confirmatur quia conventiones factæ in contractu matrimonii magni sunt favoris, & specialem præ cæteris habent firmitatem, ut tradunt Joannes Faber, Baldus, Salicetus, *l. 2. C. si mancipium ita fuerit alienatum, ne prostituat.* Guilielmus Benedict. *in repet. cap.* Raynutius, verb. duas habens filias, & uxorem nomine Adelas. *num.* 160. Jacobus de sancto Georgio, *l. ult. num.* 44. C. *de pactis*, & in Francisc. Purpura, *num.* 221. Panorm. *cap. nulla, de concessione prebenda*, Bald. §. *filii nati si de feudo defuncti contentio sit inter dominum, & agnatos, in usibus feudorum*, Raph. Fulg. *consilio* 33. *col.* 3.

11. Rursus confirmatur communi doctorum sententia *per glos. 2. & Bartolum.* quem omnes sequuntur *in l. si voluntate*, C. *de dotis promiss.* Quòd si ignobilis ducat nobilem, vel contra, valent pacta, donationes, remissiones, concessiones, renuntiationes in favorem personæ nobilioris factæ per ignobilem, non solùm tempore contracti matrimonii, re integra, sed etiam posteà, non obstante prohibitione juris communis de donationibus inter virum, & uxorem. Quia ignobilis non dicitur lædi, nec pauperior fieri, etiamsi de jure suo dimittat: quia compensatur cum honore splendidioris conjugii assequendo, vel assequuto, & sequitur Jason. *l. si divortio, de verbor. obligation. l. ult. col. 3.* C. *de verbor. significat.* Guid. Pap. *decisio. Delphinali*, 363. *& cons.* 112. Alexand. *cons.* 209. *num.* 7. *lib.* 6. Francisc. Curtius senior *cons.* 54. *col.* 3. Matthæus de Afflict. *decis. Neapolit.* 61. Francisc. Purpura, *l.* 2. §. *ult. num.* 36. *si cert. petat. & omnes ubique.* Quantò magis quòd illa Regina omni respectu tam vitæ, salutis, honoris, quàm bonorum, & liberorum, meliorem suam conditionem fecit sic contrahendo, & quòd hujusmodi pacta facta sunt initio, rebus integris, & in ipsis solemnibus, & instrumentis dotalibus? Et præterea cùm amplam fuerit assecuta, & receperit propter nuptias donationem, de qua liberè disponere potest. Et quæ etiam sine ulla donatione multùm honorabatur, ut dictum est.

12. Et eisdem rationibus non obstat minor ætas Reginæ, tum quia nihil amisit, sed magis acquisivit quod aliàs numquam acquisivisset, tum in fortioribus terminis minor ætas non impedit renuntiationem filiæ, de qua *in c. quamvis de pactis, in sexto.* Et otiosa erat curatoris authoritas, qui non potuisset utiliùs consulere: tum habilis ad nuptias est habilis ad omnia pacta congrua, & solita, *l. quoties, ff. de pactis dotalibus, glos. pen. l. ult.* & ibid Bald. Joan. Faber. *C. de legitima tutela.* Bald. *l. unic.* §. 1. *C. de rei uxoria actione.* Lancelotus, Decius, *l. si constante in princ. col.* 7. *& ibi Jason. col.* 31. *ff. soluto matrimonio.*

13. Confirmatur ex communi omnium utriusque juris doctorum sententia, qui tenent in fortioribus terminis hujusmodi pacta negativa futurarum successionum juramento omnino confirmari, etiam in filia legitimè nata ipsi paternæ successioni renuntianti. De quo *textus in c. quamvis de pact. in sexto*, & in filio Bal. Jason. *l. fi. quando* §. *illud* (quem §. limitant interveniente juramento) *C. de inofficios. testam.* Alexand. *l. in ratione* 2. *ad legem Falcid.* Jas. *l. stipulatio hoc modo concepta de verbor. obligation.* Nicolaus Boërius *decis. Burdegalens.* 14. Quantò magis in matre (etiamsi prædicta omnia cessarent) cùm ipsa solemniter juraverit, & hæc communis sententia ubique in praxi observatur, usque adeò, ut nec læsionis ratio etiam in filia renuntiante habeatur, cum futura successio sit incerta, ut etiamsi posteà appareat, tam tempore contractus matrimonii filiæ, quàm obitus patris ipsam læsam fuisse etiam in legitima, ut in tota ferè Francia judiciis supremorum tribunalium practicatur, & observatur, *ut dixi in annotat. ad Alexand. consil.* 29. *lib.* 3.

14. Præterea communis illa sententia de validitate, & irrevocabilitate hujusmodi pacti negativi jurati observatur quoque in praxi, etiam in Italia, Germania, Provincia, & regionibus Galliæ, quæ jure scripto (hoc est communi, & imperiali) utuntur, ut patet per decisiones, & consilia Guidonis Papæ, & recentiorum consilia numerosissima Philipp. Deci. & Ste-

plan. Bertrand. ut etiam Uldaricus Zazius in consiliis sequitur, quantò magis validum est in matre, quæ de concubina facta est uxor, & valde ampla, respectu sui, & indebita donatione propter nuptias locupletata? Confirmatur consuetudine, qua in Germania hujusmodi pactiones frequentantur, & in fortioribus terminis inconcussè observantur.

15. Et simul explico quæstionem secundam in qua nulla est difficultas, cùm nemini dubium sit quin hujusce modi consuetudini standum sit *l. de quibus l. diuturna de legib. & longa consuetudine* Bald. *l. cum Archimedoram. C. ut in possessionem legatorum*, etiamsi aliàs ista pactio, & renuntiatio esset jure communi improbata: quod verum non est, etiamsi non esset juramento, nec aliis rationibus prædictis, quæ clarè concludunt, confirmata. Et sufficeret constare talem esse communem observantiam, cùm sit rationalibus, & regimini politico utilis. Nec opus esset præcisè probare consuetudinem introductam: communis enim observantia eo ipso fidem facit, de judicio, & omnium sensu, & doctiorum, & præcellentiorum totius provinciæ, *ut not. in cap. prudentiam in prin. extr. de off. delegat.* & turpis est pars, quæ non congruit suo universali, *cap. quæ contra mores*, 8. *distinct. c. ult. extra de spon. duorum*, nec est à communi stylo, & observantia recedendum, *l. illud usitatissimum*, & ibi Bald. *de excusa. tuto.* dixi *in Consuetud. Parisi. §. 31. q. 3. in prin.*

16. Præterea fuit Germanis præsertim Francis vetus consuetudo de longè fortioribus terminis, quod habens filios ex priore nobili conjuge, si ducat non concubinam, aut aliam vilem, sed honestam, quamvis minùs nobilem, poterat pacisci ne ipsa, & ejus filii nascituri succederent in hereditis, & prædiis antiquis, vel etiam ut nullo modo succederent stantibus filiis prioris matrimonii: sed tantùm in aliqua certa summa in pactis sponsalitiis comprehensa: & valebat hujusmodi conventio etiam sine juramento, vel alia solemnitate de consuetudine Germanorum, ut probat textus in *c. unico in princip. de filiis natis ex matrimonio ad morganaticam contracto in usib. feud.* Illi enim ritus, & voces Latinis peregrinæ, quæ sunt in dicto libro, fuerunt à Longobardis in Insubriam invectæ. Longobardi verò à Germanis, apud quos diu versati sunt, & pars Germanorum diu fuerunt, consuetudines illas, & voces acceperunt, ut probat Paulus Diaconus ipse Longobardus in princip. de gestis Longobardorum Franc. Irenicus *lib. 1. cap. 32. Germanicæ exegeseos.* Multò igitur magis viguerunt apud Germanos, unde etiam Franci redeuntes in Gallias pleraque similes consuetudines invexerunt, quæ etiamnum servantur, ut plerisque manifestum est in Gallia. Si ergo consuetudo etiam matrem secundam conjugem, & filios ex ea excludere potest, multo magis solam secundam conjugem, filius illius vocatis ad æqualitatem cum liberis prioris, & splendidioris matrimonii. Et sic jam probatum est consuetudinem & conventionem, de qua agitur antiquis moribus, & consuetudinibus Francorum & Germanorum convenire. Et hæc satis de prima cardinali quæstione.

17. Transeo ad alteram æquè principalem. Et prima facie videretur nullam esse, aut invalidam omnem hujusce modi substitutionem, cùm nullum factum sit testamentum. Deinde cùm omnes hujusce modi substitutiones sint universales de omnibus bonis, & sic de totis futuris successionibus in universo, quæ pactis, & conventionibus deferri non possunt per jura prædicta, cumque hoc respectu non sint pacta negativa, sed affirmativa diserte legibus prohibita, ut nec juramento firmari queant, etiam secundùm communem sententiam; reprobantur enim à jure tanquam contra bonos mores *l. ex eo C. de inutilibus stipulatis*, & sic non videntur defendi per solutiones prædictas, nec elabi posse, *per l. licet vel. l. ult. C. de pact.* aut alium specialem limitationis casum, cum non simus in terminis illarum exceptionum, ut pote nondum natis his de quorum successione pacisebatur. Tertiò quia tolletur liberis istis libera testandi facultas contra *l. stipulatio hoc modo concepta de verborum obligationibus.*

18. Quibus non obstantibus, in præsenti themate standum omnino conventis censeo. Quia primò quantumvis prima facie conventionis verba universalia videantur, tamen re vera non sunt, sed particularia: ut enim phrasis & scopus totius contractus, & thematis ostendit, hoc solum agebatur, ne bona ipsius Leosthenis à concubina per conjugium potentiore facta, & legitimorum primi matrimonii noverca diriperentur, cùm certum esset de his quæ ad illam pervenirent, nihil unquam rediturum ad filios primi matrimonii: ideò diligenter cautum fuit, non ut filii concubinæ nati, & nascituri deterioris essent in aliquo conditionis filiis primi matrimonii, nec ut aliquantum minus haberent: sed ne filii prioris matrimonii privarentur omni spe successionis virilis portionis bonorum paternorum: per hoc secundum conjugium præsertim cum verisimile esset majorem longè partem hereditorum paternorum perventuram ad filios concubinæ, quàm ad liberos Aretæ legitimæ filiæ, ut eventus docuit, quia sive Aretia præmortua, sive supervixerit patri, non tollit nisi vilem, scilicet trientem tantùm, cùm in universum fuisset successura, cessante secundo hoc conjugio.

19. Cùm ergo id solum, & præcipuè ageretur, ne heredia, & bona paterna ad extraneos, & in alienam familiam devenirent, sed in posteris conservarentur: clarum in hac clausula non fuisse actum de omnibus bonis filiorum sine liberis decedentium, sed nec de eorum hereditate, vel successione propriè sumpta, sed de portione bonorum paternorum eos contingente dumtaxat, & sic de certis rebus, vel certo genere bonorum tantùm. Porrò longè aliud est disponere de ipsa hereditate, vel ejus parte, aut certa quota, ut in *l. si quis servum in fine de legatis secundo, & toto titul. de heredibus instituendis, & de vulgari, & pupillari substitutione*, longè aliud disponere de certis rebus, vel de parte rerum, vel de certo genere bonorum, putà de obventis à parte tantùm, vel maternis tantum, aut obventis à patruo, vel alia certa persona, *l. ult.* & ibi Bartolus, Lancelotus, Decius, *de usu & usufructu legato* Alexander *cons. 2. col. pen. ubi in annotationibus tetigi, lib 2.* Philip. Decius *cons 337. & cons. 387.* Jason. *cons. 61. lib. 1.* Priore quidem casu, est disponere propriè de ipsa hereditate, & successione, & tunc demum loquuntur, & procedunt jura in partem oppositam allegata. Secundo verò casu non est disponere de aliqua successione futura, sed de certis rebus, vel certo genere bonorum tantùm.

20. Quæ conventio non solùm non reprobatur, sed approbatur etiam jure communi, *l. legem*, C. *de pactis*, C. *de donation. quæ sub modo per totum*, *l. ut heredib. ff. de legat. secundo Instit. de singulis rebus per fideicommiss. relictis in princ.* Quemadmodum enim in testamentis solemnibus possunt fieri substitutiones tam directæ, quàm obliquæ universales, de ipsa hereditate, vel ejus quota: ita in contractibus possunt fieri substitutiones conventionales, & graduales de certis rebus, de certo genere bonorum, *dicta l. ut heredibus, cum similibus*, Paulus Castrensis *consilio trecentesimo quadragesimo-septimo, quia circà, col. 2. consil. quadringentesimo octuagesimo-quarto. Si quæritur lib. 1.* Baldus *consilio ducentesimo quadragesimo nono. Verba investituræ, col. 2. lib. 2.* Aymo Cravetæ *consil. decimo-nono, num. 8.* sed in ejusmodi pactione non intelligitur actum de bonis obventis à matre, vel aliunde, sed de bonis paternis: & consequenter pactum valet, etiam jure communi, & actio est utilis, id est efficax, quæritur liberis, sive natis, sive nascituris, in quorum commodum factum est, prout fieri potuit *l. parte pro filio*, C.

de pactis conventis, *l. Caius*, *soluto matrimonio*, *l. si quis operas*, *l. cum patronus*, §. *si libertus de operis liberior.*

24. Nec obstant verba generalia, aut universalia istius substitutionis: quia intellectus verborum non ab eorum formula, sed à mente tumendus est, *l.* 3. *& ibi latè Jason* C. *de liberis præteritis*, *vel exheredatis*, *c. intelligentia*, *de verborum significatione*, Baldus, *consilio quadragesimo-sexto*, *lib.* 1. & ad mentem, & verisimilitudinem verba quantumvis generalia, & universalia restringuntur. Oldradus quæstione centesima quadragesimaoctava, in fine. Albericus *in prima parte statutorum*, *quæstione decima-sexta*, *in fine.* Joannes Andreas *in Mercuriali c. in generali*, *de regulis juris in sexto*, latè Jason. *lib.* 1. *col.* 3. *cum sequenti*, *de legatis primo*, sed mens non fuit comprehendere bona undecumque, vel à matre obventa, sed paterna, & sic certum genus bonorum tantùm. Quare valet pactum etiam jure communi.

22. Secundò, etiamsi intelligeretur de omni specie, & genere bonorum, & de ipsa futura hereditate universali liberorum etiam nascituorum, adhuc valeret pactum in contractu matrimonii appositum in vim consuetudinis, quæ potest dare robur hujusmodi pactis: quemadmodum etiam in Gallia sunt quædam consuetudines (ut in Alvernia) ubi etiam certi heredis institutio universalis facta in contractu matrimonii valet irrevocabiliter, & ita observatur, & judicatur in omnibus bonis mobilibus, & nominibus ubicumque sitis, & in prædiis suis intra fines loci ipsius consuetudinis. Non obstat quod tollatur testandi facultas: quia primò cessante dicta consuetudine, remanet libera in omnibus bonis aliis quàm paternis, & adhuc in paternis ad usque legitimam. Quæ dispositione hominis lucrativa etiam inter vivos lædi non potest, C. *de inofficiosis donationibus*, *& de inofficiosis datibus per totum dixi in tractatu de donationibus*, *& inofficiosis.* Stante verò dicta consuetudine non est inconveniens quòd nihil de proprietate & substantia bonorum diminuere, aut deducere possint, & satis est quòd ad vitam frui possint, & de fructibus disponere.

23. Quia tamen si parens non possit in aliquo minuere legitimam, *l. quoniam in prioribus*, C. *de inofficioso testamento* tamen lex, statutum vel consuetudo hoc possunt: & communis est sententia quòd in totum tolli potest per statutum, vel consuetudinem, Alexander, *l. quod de bonis*, *in fine ad legem Falcidiam cons.* 3. *num.* 9. *cons.* 168. *num.* 3. *lib.* 7. *Guid. Papa consilio centesimo quadragesimo*, *col. quarta*, *consilio ducentesimo quadragesimo-quarto*, *in fine.* Philippus Decius, *l. jura sanguinis*, *numero septimo*, *cum sequente de regulis juris*, *decisio. Tholosa quadringentesima trigesima septima*, & ibi latè Stephanus Aufrerius, *in additionibus.* Et quamvis multi tenent non posse in totum tolli, sed bene minui, ut Angelus Aretinus *tractatu de testamentis verb. nolens decedere intestatus col. ultima* Alexander *consilio septuagesimo-quinto*, *num.* 11. *lib.* 1. *ubi in annot. dixi*: tamen horum opinio militat pro sententia nostra. Tenent enim sufficere rectum esse ad alimenta. Bald. *l. ult.* §. *ipsum*, C. *de bonis quæ libe. Alb. d. l. quoniam in prioribus*, *& alii.* Cùm ergo intacta relinquatur fruitio ad vitam sufficiens ad alimenta, & libera facultas disponendi de fructibus, nihil possunt disponere, nec minuere de substantia, & proprietate bonorum, stante dicta consuetudine.

24. Præterea de facili fit reditus ad jus antiquum, quo etiam tempore primæ editionis Codicis hoc reciprocum fideicommissum, vel onus æquale nullum dicitur continere gravamen, etiam in filiis nullam læsionem, nullam inofficiositatem, *l. si pater puellæ* C. *de inoffic. testa.* nec est dubium quin possit reduci per consuetudinem id quod fuit jure primo, C.

25. *Cæterum de Authent. res quæ* non habet locum in dispositione inter vivos, sive per viam contractus, ut hic Bald. *l. nulla ad fin.* C *de jure dot.* Jason. *l. filius familias*, §. *divi. col.* 9. *de legat* 1. Alexand. *cons.* 103. *col.* 5. *lib.* 2. Socinus, *cons.* 75. *col.* 3. *l.* 1. & multò minus concurrente vinculo, & dispositione consuetudinis quia d. Authen. loquitur in simplici dispositione hominis, in testamento, vel codicillis. Adhuc communiter limitant dictam Authen. stante prohibitione expressa testatoris: quod ultimum tanquam impertinens non est opus impræsentiarum attingere. Ex quibus concluditur, ultimum natorum Reginæ, sine liberis è legitimo matrimonio procreatis decedentem teneri, seu in effectu gravatum omnia dicta bona restituere liberis Aretiæ, ut in simili *in l. Titia Seio*, §. *Seia liberis de legat.* 2. & sic ad tertiam, & quartam quæstionem solutio patet.

26. Ad quintam respondeo, Monasterium nullo modo haberi pro filio, etiam secundùm communem sententiam Canonistarum Panor. Felin. Philip. Decii, & aliorum *in c. in præsentia*, *extra de probatis.* Bar. *Authent. si qua mulier*, C. *de sacrosanct. Eccles.* Bal. *l. filium de his qui sunt sui*, *vel alieni juris*, & nullo modo facit deficere hanc conditionem propter quique. Primò, quia §. *sed & hoc præsenti in Authent. de sanctiss. Episc.* non habet locum quando est restituendum filius, vel posteriati testatoris, ut hic, ut tenet Bald. *cons.* 196. *lib.* 1. Socin. *l.* 1. *col.* 3. *de rebus dub. & in repet. l. cum avus col.* 22. *de condition. & demonstra.* & probatur *in c. ult.* 17. *q.* 4. Causa autem filiorum non solùm Monasterio, sed etiam Ecclesiæ præferenda est Philip. Dec. *l. licet col.* 2. C. *de pact. l. generaliter col.* 4. C. *de institution. & substitutio. & in c.* 1. *num.* 19. *de probatio. & cons.* 391. Philip. Cornel. *cons.* 31. *lib.* 2. Jason. *cons.* 212. *lib.* 2. *cons.* 141 *col.* 5. *lib.* 4. & favorabilior quàm causa pauperum, Bald. *repetitione legis* 1. *col.* 3. C. *de sacrosanct. Eccles.*

27. Secundò, quia verba conditionis necessariò excludunt Monasterium duplici modo: quia primò dicitur. Si sine heredibus in matrimonio: deinde. Procreatis ex ipsorum corpore: quæ duo resistunt Monasterio, & sic nullo modo impedit conditionis eventum, ut etiam tenent Joan. Petr. de Ferrarus *in libello quo agitur ex substitutione*, *in verb. Ex suo corpore*, etiam propter sola verb. Ex suo corpore: sed hic sunt duo, videlicet matrimonialiter, & ex ipsorum corpore. Tertiò, quia *dictus* §. *sed & hoc præsenti*, non loquitur, nec habet locum, nisi in dubio: secus quando ex verbis apparet disponentem etiam in testamento voluisse excludere Monasterium, ut quando dixit nullum alium admittendum, quàm substitutum, ut hic, ibi, nec quisquam alius, quia Monasterium non excludit, sed excluditur, Philip. Dec. *c. in præsentia col.* 30. *num.* 58. *extra de probation. cons.* 259. *per totum cons.* 426. Philip. Corne. *cons.* 18. *col.* 5. *cons.* 254. *lib.* 4. Laurentius Calneus *cons.* 20. *col.* 3. *in fin. cons.* 69. *col.* 1. *&* 2.

28. Quartò, dictus §. est exorbitans, nec habet locum, nisi in simplici conditione deficientium liberorum: unde non debet extendi ad conditionem qualificatam: quæ appellatione simplicis non venit, *l. vim passum*, §. *præscriptione de adulter. c. statutum*, ubi Gemimanus, & omnes Canonistæ *de electio in* 6. Bart. Alexand. & omnes *in l.* 2. *in princ. de verb. obligation.* unde non habet locum quando adjicitur qualitas legitimis & naturalibus, ut decidit Philip. Corne. *Authent. nisi rogati col.* 2. *C. ad Trebel. cons.* 8. *& cons.* 53. *lib.* 4. Præterea non habet locum in contractibus secundum Matth. de Afflict. *decision. Neapolitana*, 83. *col. ult.*

29. Ad sextam videretur Monasterium non posse cogi statim restituere portionem professæ, sed demum post mortem illius naturalem, ut est communis sententia *in c. in præsentia*, *extra de probatis.* Sed contrarium in hac specie dicendum est, quod est indubitatum in locis, quibus de consuetudine per professionem Mo-

nasticam non sit tacita bonorum dedicatio, ut in tota Gallia. Cessante verò dicta consuetudine, adhuc clarum est bona nullo modo transire ad Monasterium, sed statim debere restitui: quoniam puella quatuordecim annorum blanditiis, & persuasionibus monialium, reclamante tota cognatione, allecta fuit, & inducta ad professionem, & sic debent moniales carere omni spe lucri, & bonorum quæ statim debent heredibus restitui, 16. q. 7. c. pen. 20. q. 3. c. ult. Antho. Corset. in singulari in verb religio. Et ita disertè fuit statutum in Germania in Concilio generali habito Moguntiæ, c. 33. authore Carolo Magno Imperatore, qui etiam inter suas Constitutiones seu Capitularia, lib. 1. c. 80. & c. 83. districtè prohibuit, ne clerici, vel Monachi reciperent aliquas oblationes bonorum in præjudicium heredum, ad quos eadem bona pervenire debent. Probata autem persuasione, vel illectatione blanditiarum, etiam statim heredibus restitui debent per præfatos textus, & talis etiam est omnium Doctorum utriusque juris concors sententia.

30. Et sic patet solutio ad septimam quæstionem: quia si Moniales propter dictas persuasiones, & blanditias Canonibus, & Conciliis, & imperialibus sanctionibus veritas, privantur lucro seu fruitione bonorum jam quæsitorum illi puellæ: igitur multo magis bonis quærendis privantur, & sic non opus est recurrere ad consuetudinem, quæ est fere ubique, quod professi in Monasteriis amplius non succedunt cognatis, ut incapaces, nec Monasterium pro eis. Tum clarum est ex phrasi totius contractus, quod contrahentes non tenserunt de talibus professis, qui familiam ab dicaverunt: sed dumtaxat providere, & consulere voluerunt posteris retinentibus, & conservantibus familiam, vel cognationem Leosthenis. Et sic evacuata est octava quæstio.

31. Tamen casu quo Monasterium succederet, causa deberet de restituendo, extante conditione per verba generalia, l. 1. in princ ut legatorum, seu fideicommissorum nomine caveatur, ibi. Semper autem satisdare cogitur cujuscumque sit dignitatis, vel facultatum quarumcumque, & ibi, non solum autem omnibus legatariis satisdare oportet, sed & successoribus legatariorum. Quæ jura loquentia in legatis habent etiam locum in contractibus, in quibus esset eadem ratio, ut hîc *per textum, l. de legato, de legat.* 1. *facit l. in omnibus de judiciis.*

32. Ad nonam quæstionem, juris exploratissimi per prædicta est, omnia bona restituenda liberis, seu per legitimum matrimonium descendentibus Areiæ post obitum omnium, vel postremi omnium filiorum Reginæ: quæ cùm non sit instituta à filiis, nihil potest deducere ratione legitimæ, vel alterius quartæ per prædicta, tum quod ei, qui se contractu suo; vel per factum suum inhabilem fecit à successione, non debetur legitima, etiamsi esset de liberis, ut no. *in l.* 1. *de acquiren. vel amittent hereditat.* & expressè Alex. *cons.* 3. *num.* 10 *cum seqnent. cons.* 168. *num.* 3. *lib.* 7. Socinus *cons.* 49. *col. ultim. lib.* 4. Philippus Corneus, *cons.* 290. *lib.* 3. Caro. Ruinus *cons.* 17 *num.* 8. *lib.* 2. *cons.* 27. *lib.* 3. Philippus Decius *cons* 296. *num.* 2. *cons.* 505. *num.* 3. *cons.* 526 *num.* 4. Aymo Cravetta *cons* 11. *num.* 13. Non obstat quòd fortè non sit specialiter renuntiatum legitimæ, *l. si quando, §. & generaliter, C. de inoffic. testa.* quia ille text. loquitur post legitimam debitam, & acquisitam, ut tradit Philip. Decius *cons.* 505. *in fi.* & de simplici apocha ejus quod in deductionem legitimæ datur, & accipitur, nec renuntiatur supplemento: loquitur enim in filio tacitè renuntiante post obitum parentis, & post legitimam quæsitam.

33. Quæ magis debetur descendenti quàm ascendenti, in quo magis locus esse debet regulæ, quod excluſus à successione, censetur excluſus à legitima. Alex *cons.* 3. *num.* 10 *cum seq. cons.* 168. *num.* 4. *lib.* 7. Philip. Corn. *cons.* 290. *lib.* 3. Soci. *cons.* 89. *col. ultim. cons.* 127. *num.* 2. *lib.* 4 Carolus Ruinus *cons.* 17. *num.* 9. *lib.* 2. Philipp. Decius *cons.* 296. *num.* 2 Aymo Cravet. *cons.* 11. *num.* 13. Et ad summum deberet prius omnia præter dotem quam attulit, imputare, & de datis eo in eodem contractu non est dubium, cum sint reciproca, sed idem dicendum de datis posteà: quia verisimiliter non fuissent data, vel relicta, si illa contravenisset pactis nuptialibus, & sunt à bonis Leosthenis profecta.

34. Tum extra casum dotis quam recepit, stat regula, & edictum Prætoris, quòd non debet utrumque consequi, sed compensare, *l. unica, §. sciendum itaque, C. de rei uxoriæ actione*, & Baldus *l. quoniam in prior. Lus, col. ultim. C. de inoffic. testamen.* Et sic soluta sunt omnia. Et ita in proposita specie concludendum, & judicandum censeo ego Carolus Molinæus I. V D. Franciæ & Germaniæ Jurisconsul. Ducis Virtembergensis Consiliarius. In quorum fidem propria manu his subscripsi, & gentilitorum insignium sigillum apposui. Actum Montbelgardi mense Decembri, anno sesquimillesimo quinquagesimo quarto.

IVDICIVM ET COMPROBATIO CLARISSIMI ET ERVDITISSIMI IVRECONSVLTI DOMINI BONIFACII AMERBACHII BASILIENSIS, DE CONSILIO PRÆCEDENTI,

ex ejus αὐτογράφῳ ad authorem missio. S. P.

INcomparabilis Molinæe, responsum juris tuum nuper huc allatum est. Pro quo qualiter condignas tibi (quod meis intimis, cùm mei, tum justitiæ contemplatione gratificatus es) gratias agere debeam, ut calamo, vel lingua exprimere non possum, ita animo saltem habere, atque adeò quadamtenus concipere mihi posse videor. Et si verò beneficium acceptum nulla pecunia diluatur, aut paria accipiat: tamen ut saltem ex animi tui sententia præfiniendum honorarium velut gratitudinis speciem exhibeatur, pro virili curabo, quod proximo nuntio nobis indicare pro tua humanitate ne graveris, vehementer rogo. Si quæras quid de responso sentiam? Et quid respondebo, quàm hoc in tua officina procusum, hoc est doctum, elegans, æquitatis plenum: & quid plura Molinæi, hoc est viri omnium integerrimi, prudentissimi, & experientissimi esse? Supereſt, vir clarissime: ut de honorario nos proximo nuntio certiores reddas, quamprimùm oblata istud occasione transmittendo. Christus conservator tibi nobisque

nobisque omnibus semper, & ubique adsit, in quo perpetuùm vive & vale. Basileæ, pridie Idus Februarii, anno M. D. L. V.

Tuus ex animo Bonifacius Amerbachius.

Ἀντίγραφον scriptum est. Magnifico & incomparabili Iurisconsulto, D. Carolo Molinæo, Illustriss. Princip. Vvirtembergen. à consiliis, domino & amico honorando.

Montbelgardum.

EPITOME CONSIL. XVI.

1. *Qui nascuntur cives, non servi nascuntur, & contra libertatem clarissima probatio exigitur.* 9. 11.
2. *Natum esse in loco manus mortuæ non probat ei conditionis obnoxium.*
3. *Reipublicæ magis quàm propriis parentibus nascimur.*
4. *Non loci, sed uteri materni servitus servum facit.* 6. 17.
5. *Tempus attenditur partui utilius.*
7. *Non sufficit quasi possessio, vel matris professio ad probandam servitutem.*
8. *Præscriptio non est contra libertatem, sed bene pro libertate.*
9. *Iuramentum necessarium non defertur pro servitute.*
10. *In terris imperii non sunt servitutes personarum.* 12.
13. *Quæ sunt reliquiæ antiquæ barbariei, & servitutis, quæ in Christianismo cessant.*
14. *Domicilium constituens in loco libero Imperii, liber fit à servitute manus mortuæ.*
15. *Servitus parentis ante quinque annos defuncti non obest filio in quasi possessione libertatis existenti.* 16.
18. *Pretensus adscriptitius, qui potest agere prædiudiciali utilius faciet agere ex l.* diffamari tanquam reus. 19.
20. *Favor libertatis etiam agendo.*
21. *Causa favorabilis probatio favorabilis est.*
22. *Diffamator conveniendus est coram iudice ubi diffamatus debebat conveniri.*
23. *Causa status agi debet in domicilio rei.*

NOta quòd thema sequens non fuit datum ex veris, quia Montbelgardum non est feudum imperii, sed Comitatus Burgundiæ, quod ante mortem Caroli Burgundi indubitatum erat, & olim habitantes Montbelgardi, erant servi manus mortuæ, seu coloni, & adscriptitii: sed anno 1283. per Reynauldum à Burgundia Comitem Montbelgardensem, & Guilielmam ejus uxorem Comitissam manumissi fuerunt, & civitate donati sub certis conditionibus, quarum ergò multæ lites erant inter cives, & Comitem Georgium, quas idem Carolus Molinæus illic existens, confectis articulis æquabilibus concordiæ, terminavit mense Martio, anno sesquimillesimo quinquagesimo-quarto ante paschа more Gallico.

CONSILII XVI. THEMA TALE EST IN MATERIA MANUS MORTUÆ

IOannes Carray natus Dolæ in prædio sito in quodam feudo Austriæ, quod prædium dominus seu vassallus prætendit subjectum conditioni manus mortuæ: is (inquam) migravit Montbelgardum locum francum, & feudum imperii, [a] & ultra triginta annos ibi moram traxit, domicilium habens, & juribus civium, & libertate utens, uxorem inibi duxit liberam, ex qua filium superstitem, & heredem reliquit. Quæritur primò de statu Ioannis, an fuerit natus liber, vel conditioni adscriptitiæ obnoxius, & casu quo consuetudo, & servitus manus mortuæ locum haberet Dolæ (quod incertum est, nec verisimile, cùm sit feudum immediatum Austriæ, & subfeudum imperii) an ex eo solo Ioannes pater judicandus sit homo manus mortuæ fuisse, an verò alia etiam probari debeant: & postremò an omnibus probatis, exemptus sit ab ea servitute, transmigrando ad locum liberum imperii, & ibi in possessione libertatis standо per viginti annos juxta *l. 2. C. de long. temp. præscript.* quæ pro libertate, an saltem spatio temporis plusquam longissimi? Secundò principaliter quæritur de statu filii. Tertiò, qualem actionem habeat filius contra dictum vassallum, falsò jactantem dictum filium esse suum hominem manus mortuæ, an plagii, an ex l. diffamari? an alias? Quartò, quomodo & quibus mediis experiri debet, ut liber cum sua posteritate declaretur. Quintò, si dictus vassallus conveniri queat coram illustrissimo Comite, vel suis consiliariis Montbelgardi, cujus ille filius injuriam, seu diffamationem passus est, subditus, & civis apud Montbelgardum, idque non obstante, quòd antequàm heredium prædecessorum suorum situm sit in feudo Austriæ, dictusque vassallus domicilium habeat extra jurisdictionem dicti Comitis, quanquàm ejusdem Comitis vassallus, sit ratione aliorum prædiorum, quæ possidet Dolæ de feudo *Blamont.*

[a] Imò Comitatus Burgundiæ.

CONSILIUM XVI.

CHristi Servatoris nomine invocato.

Quod ad primam quæstionem attinet subscriptum consilium censet, nihil proponi quominùs Joannes ille liber natus fuerit, & manserit, prout jure communi, & imperiali in toto imperio, sive orbe Romano omnes non solùm liberi, sed etiam cives imperii nascuntur, & sunt, *l. in orbe Romano ff. de statu hominum.* Ad hoc sunt jura omnia etiam protrita, & vulgaria, quòd pro libertate præsumitur, & quisque liber censetur, nisi contrarium dilucidis probationibus ostendatur, quæ probationes in hac causa gravissima, quæ morti comparatur, *l. servitutem, ff. de reg. juris*, luce meridiana clariores, & necessariò concludentes esse debent, *l. ultim. C. de probatio. l. non hæc, C. unde legitimi*, Jason. *cons.* 167. *col.* 3. *lib.* 4. Philippus Decius, *cons.* 429.

2. Potrò quem natum esse in loco, vel prædio manus mortuæ non arguit, nec continuo probat esse servituti, vel conditioni manus mortuæ obnoxium. Loca enim non dominantur personis, sed personæ locis & rebus, quibus sunt, & superiores, & digniores, *l. justissimè, & ibi glos.* 3. *ff. de ædilitio edicto l. Sancimus in fi. de sacrosanct. Eccles.* Albericus *in prima parte statutorum, q.* 156.

3. Et quicumque nascuntur, ipsi Reipublicæ, & imperio nascuntur, *l.* 1. §. *& generaliter, ff. de ventre in poss. mitten.* Bald. *in lege Federici primi incipiente, hæc edictali*, §. *primo in principio, ff. de pace tenenda, & juram. firman. in usibus feudorum.* Imò nascitur magis Reipublicæ, quam propriis parentibus, *dict.* §. *& generaliter, l. postliminium*, §. *filius, ff. de cap. & postlimin. reversis, l. minimè de religion. & sumptibus funerum.* Igitur multò minus nascitur uni privato, seu particulari domino loci.

4. Et in toto jure certum est nativitatem loci nihil facere ad statum personæ, sed nativitatem sanguinis videlicet uteri materni, si quis natus sit ex ea quam alicujus ancillam esse constet, *l. & servarum, & per totum tit. de statu hom.*

5. Imò non sufficit probari quem natum esse ex ancilla, si probetur quòd tempore conceptionis, vel aliquo momento, quo partus fuerit in utero, mater fuerit libera: quia si postea facta sit serva, & serva pepererit, calamitas matris non debet nocere ei, qui in utero est, quia etiamsi tempore servitutis nascatur, nihilominus liber nascitur, & ingenuus, text. *in d. l. & servarum*, §. *ingenui de statu. homin.* Qui enim in utero est, statim pro nato habetur quantum ad situm commodum, *l. qui in utero est, ff. de statu ho.* Alberic. *in prima parte statutor. quæst.* 133. Hippolytus Marsilius singulari 410. Et sic sufficit ad libertatem partus matrem liberam fuisse aliquo momento, dum gerebat uterum, & generaliter tempus illud, vel momentum inspicitur quod est partui utilius, text. *in l. nuper legem, in fin. C. de naturalibus liberis.* Joan. Faber *Authent. Ex complexu, in princ. C. de incestis, & inutilibus nuptiis.*

6. Priùs igitur ille vassallus probare deberet præfatum Joannem natum esse ex ancilla vel serva, & illam fuisse servituti suæ, vel manui mortuæ suæ obnoxiam, illamque fuisse talem toto continuo tempore, quo gessit uterum.

7. Et ad hoc non sufficeret probare matrem Joannis servilia exercuisse, vel in possessione servitutis fuisse, etiamsi simul hoc probaretur, & fratribus parentibus illius, *l. ad probationem servitutis*, C. *de probationib. l.* 2. C. *de ingenuis manumiss.* Imò nec ipsius matris professio, sive recognitio sufficeret: quia patris, vel matris factum nocere filiis non debet, *l.* 1. C. *de liberali causa, etiam transactione solemni, l. transactione matris*, C. *de transactio, l. post certi temporis* C. *de liberali causa.* Quinimò ipsiusmet Joannis professio non præjudicaret, nec statum ejus mutasset, text. *in l. liberos*, C. *de liberali causa etiam quantumcumque sponte, vel etiam proprio motu facta sit, l. nec si volens*, C. *eodem titul. etiamsi in judicio, & apud acta, l. interrogatam, & professam*, C. *eod. tit.* sed requiritur clara, & concludens ipsius veritatis probatio. Nec sufficerent quævis conventiones privatæ, & actus administrationis, seu quasi professionis, *l. liberos privatis*, C. *de liberali causa.*

8. Nec cujusvis lapsus temporis: quia nulla est præscriptio contra libertatem, sed bene pro libertate, *l. ultim. C. ubi causa stat.* duo ergo clarè, & concludenter ante omnia, & de ipsa veritate, non de confessione, cognitione, vel conventione probare debet ille vassallus. Primùm se verè habere, & habuisse jus manus mortuæ in eo, scilicet prædio, in quo Joannes natus est. Secundò statutum, & conditionem servilem matris illius, eamque suam servam fuisse toto tempore quo in utero gestavit, & peperit dictum Joannem in eo prædio.

9. Et uno deficiente, vel unica unius circumstantia requisita deficiente, nihil ager, nec etiamsi plusquàm semiplenè ea probasset deferri, posset juramentum necessarium in supplementum probationis, quia non habet locum in causa gravi, & præsertim in causa status, ut tradunt Bartolus, Alexander, & omnes *in l. admonendi, ff. de jurejurando.* Baldus, Salicetus, & omnes *in l. bonæ fidei. C. de rebus tradit.*

10. Præterea attendo quod prædium illud est in feudo movente ab Archiducatu Austriæ, quòd immediatè movetur ab Imperio præsumpto, degenerat contra præfatum vassallum, quia in terris (maximè in feudis Imperii) nullæ sunt hujusmodi servitutes personarum, seu manus mortuæ, sed omnes nascuntur liberi, & cives, *dicta leg. in orbe.* & dicta prætensa consuetudo servitutis manus mortuæ, non solum est exorbitans, & odiosa, sed etiam specialiter contra constitutionem Divi Antonini, de qua in *dicta l. in orbe Romano*, & est contra honorem, & splendorem imperii.

11. Et sic cùm ille vassallus non solum jura communia, & leges imperiales contra se habeat, sed etiam consuetudinem generalem, & præsumptionem Imperii, tantò durior, & major probatio ab illo exigeretur, ita ut non solum apertas, sed etiam apertissimas prorsus indubitatas probationes adferre deberet, textus *in l. non est verisimile in principio, & ibi Bartolus, ff. de eo quod metus causa in capit. quia verisimile, & ibi Panormit.* Felinus *extra de præsumpt.* Franciscus Curtius junior *cons.* 52. *col.* 2. Hipp. Marsil. *singul. quingentesimo vigesimo octavo.* Aymo Craveta *consilio centesimo vigesimo nono in fine.*

12. Accedit (ut fertur) novella Imperatoris Maximiliani, per quam etiamsi quæ jura, vel consuetudines manus mortuæ dictus vassallus habuisset, abolita, & abrogata sunt: igitur cùm sit subditus imperii, & prædium illud de imperio, & (quod majus est) feudale, & de feudo imperii: tantò magis eo nomine à sordibus, & barbarie hujusmodi manus mortuæ mundum esse debet.

13. Sunt enim hujusmodi servitutes reliquiæ antiquæ barbariei personalis servitutis, quæ in toto Christianismo cessat, ut tradit Barrolus *in l. hostes de capt. & postlim. reversi.* Nec amplius locum habent nisi apud Turcas, & Barbaros infideles, ut dixi *in consuetudinibus Paris.* §. 2. *glos.* 3. *num.* 3.

14. Quod si etiam sunt in Gallia consuetudines locales, ut omnes ad loca dictarum consuetudinum accedentes liberi efficiantur perpetuò, & ab

omni nexu manus mortuæ eximantur, & vim legis habeant in Gallia, ubi præcisè observantur : quantò magis observari debet generalis consuetudo imperii, ut in loco libero, & feudo imperiali habitans liber efficiatur, etiamsi prius adscriptitiæ conditioni manus mortuæ subditus esset : igitur tantò magis post domicilium in urbe Montbelgardensi (quæ imperiale feudum est) quæsitum, & ibi liberè, & pacificè ultra viginti annos continuatum, & multò magis post tempus triginta annorum, & prolixius

15. Ultimò cùm præfatus Joannes ultra triginta annos in possessione libertatis in civitate libera, & feudo imperii non solum manserit, domicilium, migratione nulla facta sit querela status : sequitur jam liberam conjugem, liberos habuerit, sine ulla status inquietatione ; sed etiam ultra quinque annos ab illius nullam status personæ dicti defuncti Joannis querelam fieri potè, etiam per fiscum seu Procuratorem generalem imperii, & multò minùs per quemvis alium text. *in l. si pater tuus, & in ipsa rubric. & per tot. C. ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur.* Ex quibus reliquæ quæstiones ferè supervacuæ sunt.

16. Tamen speciatim ad secundam principalem quæstionem de statu filii dicti Joannis nulla prorsus quæstio est, etiamsi de bonis, quæ fuerunt dicti Joannis, agatur, cum exploratum sit præfatum Joannem liberum fuisse, & civem imperii, vel civitatis imperialis, & in ea possessione mortuum esse : nec per quinquennium ab obitu secutum, statum illius inquietatum ; aut controversum fuisse. Et consequenter amplius controverti non potest, etiamsi uxor fuisset conditionis manus mortuæ : quia etiamsi dictus vassallus potuisset, aut posset hoc clarè probare, nec dictum Joannem ab illa conditione exemptum fuisse per dictam migrationem, & civilitatem Montbelgardensem : tamen non amplius esset admissibilis, aut audiendus, etiamsi jura regalia, & ipsius fisci imperialis jus haberet.

17. Adhuc etiamsi omnia prædicta, & singula cessarent, quæ sunt plusquàm concludentia : tamen liquet præfatum Joannis filium esse liberum, nulli adscriptitiæ colonariæ, seu (quam manus mortuæ vocant) conditioni obnoxium, cùm sit natus in loco franco, & ex matre libera, idque tam jure communi, *l. ultim. C. de agricol. & censit. libro undecimo*, quàm per ipsasmet consuetudines, virtute quarum (si quæ sint) jus manûs mortuæ prætenditur. Et sic dicti filii, & suæ posteritatis status integer est.

18. Ad tertiam quæstionem, competeret utilis præjudicialis, ut aic Joannes Fab. quem Angel. Aret. Jason. & omnes sequuntur *in §. præjudiciales, Instit. de action.* sed minimè expedit ei ullam actionem movere, cùm non solum liber sit, sed in possessione libertatis, non solùm propria, sed etiam paterna. Tamen quia diffamatur, potest (si velit) cogere diffamantem ad agendum intra terminum à judice præfigendum : quo lapso, perpetuum silentium ei imponatur juxta sanctionem *l. diffamari, C. de ingenuis manumiss. l. ultim.* ubi Baldus, Salicet. *C. de usuris pupil.*

19. Et sic solutio patet ad quartam quæstionem : quia si agendum sit, non expedit, ut tanquam actor, sed tanquam reus futurus, ut videlicet diffamatus agat, tanquam etiamsi diffamatus, tanquam actor ageret, haberet intentionem fundatam per omnia prædicta, & reo nihilominus incumberet onus probandi.

20. Quia tantus est favor libertatis, ut non faveatur reo, quia reus, eo actori incumbat probatio quia actor : sed ei qui servitutem prætendit, sive sit actor, sive reus, *textus in l. lege Iunia, ff. de manumission. l. Pomponius, l. inter partes, ff. de re judic. in c. ex literis in fi. extra de probat.* Libertas enim omnibus rebus favorabilis est, *l. libertas, ff. de reg. juris.*

21. Et prout ea causa favorabilis est, ita probationes, quæ fiunt pro libertate, favorabiliores, & fortiores sunt. Et in concursu, vel conflictu probationum vincunt probationes factas pro servitute, *textus in dicta l. lege Iunia. Specul. in titul. de teste, §. 1. numero vigesimo primo, & §. duodecimo, incipiente, postquam in fine.* Alexand. *consilio centesimo nonagesimo, lib. 6. Iason. l. de die. in fine princip. ff. qui satisdare cogantur, in l. imperatores, col. 1. ff. de re judica.* Philippus Decius in *c. primo, col. vigesima quarta de probationib.*

22. Ad quintam quæstionem, veritas juris est, quod in terminis dictæ *l. diffamari, & d. l. ultima, C. de usuris pupillaribus* : diffamator convenitur, & trahitur coram judice, ubi deberet reum diffamatum convenire : tum quia provocatur, ut agat, non autem, ut reus sit : tum quia sua diffamatio non debet ei lucrum, & alii incommodum adferre.

23. Præterea specialis est provisio legis, ut in causa status ille, qui est in possessionem libertatis debeat conveniri in suo domicilio ubi est, non obstante etiam privilegio fori prætendentis servitutem, etiamsi sit senator, *l. si in possessionem, C. ubi causa status agi debeat.* Sed oporteret hoc fieri remedio, & literis superioris communis domini, alioquin cùm nullo modo subditus sit Comiti Montbelgardensi, facile citationem ejus floccipenderet. Esset igitur obtinendum rescriptum Imperiale à Curia, vel Cancellaria Spirensi, vel a Cancellaria Regis Ferdinandi, directum judicibus Montbelgardensibus, quo secundum formam juris communis, *dicta l. diffamari*, juberentur, vocato dicto vassallo diffamato, terminum competentem illi præfigere, infra quem tanquam actor actionem suam instituere teneretur : alioquin perpetuum illi silentium imponeretur, tam virtute juris communis, quàm virtute dicti rescripti in forma juris communis impetrati, quod facile concedi potest, & debet in simplici Cancellaria : quia sunt literæ justitiæ, & non gratiæ, ut dixi in lectione mea Tubingensi, *C. in titulo de precibus Imper. offerendis.*

24. Sed si territorium Montbelgardi non esset magis liberum, quàm Comitatus Burgundiæ, tunc bona paterna dicti filii periclitarentur. Si enim dictus Joannes probaretur fuisse conditionis manus mortuæ, hereditas ejus spectaret ad dictum vassallum, juxta consuetudinem manus mortuæ, nec posset agnosci per filium, nisi cum onere, & continuatione ejusdem servitutis. Et ita sentio ego Carolus Molinæus, juris utriusque Doctor, Franciæ & Germaniæ Jureconsultus, illustrissimorum principum Consiliarius. Datum Montbelgardi, Idibus Martiis, anno Domini sesquimillesimo quinquagesimo quinto.

EPITOME CONSIL. XVII.

1. *Remittentibus iura sua non datur recursus.*
2. *Libertati favor cæteris præcellit.*
3. *Declaratur consuetudo Burgundiæ.* 22. 24.
4. *Generalis dispositio non extenditur ad casus habentes specialem dispositionem.*
5. *Novum ius restringitur, ut metum corrigat vetus* 11. 22.
6. *Consuetudo informat omnem actum.* 25.
7. *Lex nova non extenditur ad præterita.* 8.
9. *Verba obliqua non operantur ipso iure.* 10. *fol.* 19.
13. *Limitata causa limitatum parit effectum, etiamsi de libertate agitur.* 14. 15. 16.
17. *Verba executiva non ampliant principalem dispositionem.* 31.
18. *Iuris declaratoria trahuntur retro, nisi quando agitur de præiudicio tertii.* 21.
19. *Verbum obliquum tendens ad conservandum operatur ipso iure.*
20. *Resolutio pro reo.*
23. *Verba apposita ad ampliandum, non operantur restrictionem.*
24. *Liber homo acquirens prædia manus mortuæ, cogi potest ut intra annum ponat in homines eius conditionis.*
26. *Non est regressus ad iudicium possessorium amissum.*
27. *Possessio perditur etiam ex actu nullo.*
28. *Sententia etiam erronea habet titulum, & causam usucapiendi.*
29. *Pendente appellatione, res conservandus est in possessione.*
30. *Sententia iure publico nititur.*
32. *Quo tempore, & ubi orta servitus manus mortuæ.*

Thema Consilii xvii.

IN statutis ordinum Comitatus Burgundiæ sancitis ab imperatore Carolo quinto Augustæ vigesima sexta Iulii, anno sesquimillesimo quadragesimo octavo, homologatis in Curia Parlamenti Dolani decima qbinta Iulii, anno sesquimillesimo quadragesimo nono, cautum est inter cætera, ut sequitur: *L'heritage main-mortable, qui sera acquis à l'advenir par homme franc, retournera au Seigneur de la main morte, si ledit homme franc decede sans delaisser hoirs de son corps, ou en commun avec ceux, qui par droict luy doivent succeder.* Quidam Hubertus habitans sub Prioratu vallis de Omorto manumissus fuit à priore anno 1545. & acquisitis in eodem loco prædiis manus mortuæ usque ad valorem decem millium francorum, Burgundiæ obiit anno 1549 sine liberis, aut aliis secum communibus in dictis prædiis. Fratres defuncti qui non erant communes, cum eo bona occupant, & intercedunt literis manutentionis à Priore impetratis. Sed in dicta manumissione est clausula, quod dictus Hubertus, heredes, successores, vel causam habentes in certo manso confinato liberè habitabunt perpetuò, sine ullo onere manus mortuæ, &c.

CONSILIUM XVII.

DIligenter visis & examinatis instrumento solemni & authentico manumissionis, decreto, & approbatione superiorum executione iudicum præsidialium factis & exactis in favorem defuncti Huberti & suorum heredum, causam habentium quorumcumque de consensu geminato Conventus Prioratus *de Mortau*, constitutione nova lata die octava Iulii 1549. libello actionis & executionis possessorialis impetratæ à præfato Priore, oppositione facta per heredes dicti Huberti, longa & exacta narratione facti & quæstionum, matura deliberatione habita, summum videtur ex multis non parum urgentibus: nullum ius nec in petitorio, nec in possessorio, nullam actionem, nullum remedium præfato Priori in bonis de quibus agitur, competere, sed reos absolvendos.

1. Primò propter generalem renuntiationem & abdicationem in contractu manumissionis: quia remittentibus iura sua non est dandus regressus, *l. quæritur. §. si venditor, ff. de ædilit. edicto etiam prætextu erroris iuris l. 2. & ibi* Paul. Castrensis Jason. *C. de iuris & facti ignorantia.* Sed hîc nullus fuit error, sed certa scientia, inquisitio tractatus, causæ cognitio & omnia iuris solemnia, superioris decretum, ita quòd de validitate & solemnitate contractus dubitari non potest.

2. Tum contractus est factus ex causa onerosa, datis & traditis per defunctum optimis prædiis, quæ sunt adhuc & manent in patrimonio Ecclesiæ: tum favor libertatis qui major omnibus rebus, *l. 1. libertas: de reg. iuris. tum favor iuris communis.* Secundò, per executionem, imò definitivam manutentionem judicialiter per Præsidem Provinciæ factam consensu dicti Prioris & Conventus, per quam defunctus fuit manutentus & immunis declaratur specialiter & expressè in bonis sitis in territorio dicti *Mortau*, sive illa bona essent franca & libera, sive conditionis manus mortuæ, & cujuscumque qualitatis, & speciei esse inveniantur. Et sic apparet præsentem quæstionem jam in individuo decisam ad commodum heredum, quia bona, de quibus agitur, sunt expressè comprehensa in verbis dispositivis dictæ sententiæ, à qua non est appellatum, neque reclamatum, sed & manet in rem judicatam. Et sic præfato Priori obstat finis inadmissibilitatis, imò præjudicialis, etiam litis ingressum impediens, *l. ult. C. de re judica. cap. 1. de litis contestat. lib. 6.*

3. Tertio obstat consuetudo & antiqua observantia: quia certum est quod articulus sextus consuetudinis Comitatus Burgund. sub tit. manus mort. non loquitur, nisi de servo moriente, non autem de libero moriente etiam heredia manus mortuæ possidente, & nunquam practicata fuit nisi in servo & contra heredes servi, non autem in libero, nec contra heredes liberi hominis, ita quod in heredibus liberis etiam extraneis, nec communibus defuncto, nunquam fuit observatum jus manus mortuæ: sed in contrarium

semper fuit practicatum, nullum jus dominis competere per mortem hominis liberi, etiamti constaret prædia esse conditionis manus mortuæ: igitur jus commune, contractus, res judicata, consuetudo, antiquus usus, libertatis prærogatus favor, & omnia resiliunt intentioni actoris, & fundant intentionem reorum.

4. Non obstat refugium unicum actoris in novo edicto, quatuor annis post illum solemnem contractum & rem judicatam, anno 1549. supervento, quia primò est dispositio generalis & indeterminata, & consequenter non refertur ad casus habentes certam suam specificam dispositionem, *l. doli clausula, ff. de verb. oblig. l. coheredi*, § *qui partem*, & ibi Alex. Jason *de vulgar. & pupillari substit.* Alber. *in quarta parte ff. num.* 458. Paul. *cons.* 21. *col.* 1. *lib.* 1. Sed casus noster habet specialem suam & specificam determinationem in dicto contractu & in dicta sententia: ergo ad hunc casum non traditur edictum illud generale.

5. Secundò, quia est novum jus & exorbitans, & correctorium usus & observantiæ prioris & satis & multum operatur in hominibus liberis, quia cum nihil fuit gestum, neque contractum per dominos, ergo hactenùs debet restringi, nec extendi ad homines liberos immunitatem habentes ex ipso contractu & negotio gesto cum domino, *l.* 4. § *prætor. ait, ff. de damno infecto.* Alexand. Jas. *l. si constante in princ. col.* 4. *ff. soluto matrimonio.* Alexand. *cons.* 49. *in fin. lib.* 1. *ubi in annotat. dixi.*

6. Tertiò quia consuetudo informat omnem actum, ut inquit Petrus Ancharanus, in repeti. *c. quia propter in fine quartæ oppositionis, de rescriptis in sexto*, etiam si non dictum, vel ut tradit idem Petrus Anchar. *cons.* 433. *Posiquam col.* 1. & omnis contractus intelligitur secundum consuetudinem, quæ est & viget tempore contractus, *l. quòd si nolit*, § *quia assidua, ff. de ædilitio edicto, l. circa, C. de loca. cum similibus*, & inest contractui tanquam ejus pars & natura. Bald. *l. contractus C. de fide instrum.*

7. Sed tempore quo defunctus ex causa onerosa permutationis acquisivit suis heredibus immunitatem perpetuam, & liberum jus successionis vigebat consuetudo & usus, ut liberè succederent etiam in bonis manus mortuæ defuncti liberi hominis, etiam domino excluso: igitur censetur emisse & acquisivisse jus secundum terminos & amplitudinem consuetudinis vel observantiæ, quæ tunc erat, imò inerat & sciebatur ab utroque contrahentium, & intelligebatur, & illius contemplatione defunctus verisimiliter majora & meliora prædia dedit, quæ non fuisset vel minùs daturus: & sic non debet nec potest conditio sua vel heredum suorum fieri deterior per edictum postea secutum, quàm si nunquam secutum fuisset, ex quo illa conditio fuit taliter & sub illa amplitudine legitimè acquisita per contractum onerosum, nec potest tolli nec diminui per edictum postea sequens, ut per text. Barto. Jas. & omnes *in l. quoties C. de precibus imper. offerend. Canonist. in c. quæ in Ecclesia, extra de constit.*

8. Quartò, quia legis est natura, ut futuros actus respiciat, non autem præteritos, vel ab illis dependentes, *l. leges C. de legibus.* præsertim quando dependent à viribus contractus immutabilis & irrevocabilis. Panor. Felin. *extra de constit. & text. in Auth. ut cùm de appellatione cognoscitur in princ.* Quintò, quia edictum expressim se restringit ad casus futuros, ergo multò magis excludit casus dependentes & debitos in vim contractus præteriti, vel rei judicatæ præteritæ.

9. Sextò, quia etiamsi hoc edictum posset trahi ad actus factos in vim, ipe, & confidentia contractus præteriti, tamen non reciperet nisi petitorium & non possessorium, duplici ratione. Prima, quia non loquitur per verba directa, sed per verbum obliquum *Revertatur*, quod nunquam operatur ipso jure, sed per viam actionis, & in vim ferendæ & non latæ sententiæ, cùm etiam sit futuri temporis. Barba. *in cap. ultim. col. penultim. verficul. tu adde, extra de donation.*

10. Tum natura verbi obliqui est, ut quis non debeat à se vel ipso jure capere, sed alieno ministerio & per manum alterius: & verbum *Revertatur* est hujusmodi, ut tradit Bartolus, quem omnes sequuntur *in l. centurio, col. penult. de vulgar. & pupillari substitut. & in l. eam quam ad fin. C. de fideicommiss. Bald. in rubr. C. de impuberum & aliis substit.* latè Andreas Tiraquellus *in repetit. l. si unquam, in verb. Revertatur, num.* 5. *C. de revocan. donat.*

11. Septimò, quia novum statutum semper intelligitur, ut minus corrigat jus commune, etiam in propriando, ut notant doctores *in l. ultima.* § *in computatione. C. de jure deliberandi.* Salicetus & alii *in l.* 2. *C. de noxalibus. Canonista in c. cum dilectus extra de clericis non resid.* Igitur in omnem eventum eo ipso quod actor sese fundat in hujusmodi edicto loquente per verbum obliquum, seipsum excludit: quia agit possessorio, à quo per idem edictum excluditur: igitur prorsus inadmissibilis.

12. Rursus & quartò principaliter alia ratione non potest esse admissibilis in possessorio, etiamsi haberet jus in petitorio: quia jam rei habent rem judicatam pro se in possessorio comprehendente mansum & prædia de quibus agitur, à qua nunquam fuit appellatum, nec provocatum, & adhuc hodie actor non est appellans, nec reclamans à dicta sententia: igitur etiamti quod jus haberet, necesse haberet, stante dicta sententia (prout stat) agere petitorio, & non possessorio.

13. Sed quantumcumque hæc urgere videantur (prout plurimum urgent) in contrarium dicendum videtur intentionem actoris fundatam etiam ex tenore contractus & manumissionis limitatæ: fuit enim datio libertatis limitata ad personam defuncti & suorum successorum respectu rerum ad certum mansum, domum, & locum confinatum in eodem contractu, ita quòd libertas & abolitio juris manus mortuæ non fuit perita, neque data, nisi pro persona defuncti, & successorum, & pro certo loco confinato: igitur non extenditur ad alia loca vel prædia acquisita vel acquirenda, quæ essent de jure manus mortuæ actoris, ut illa alia loca per defunctum quæsita vel quærenda, ut efficiantur liberæ conditionis: sed remanent onerata servitute & consuetudine manus mortuæ dicto solo manso confinato excepto dumtaxat.

14. Contractus autem ab initio limitatus, postea non recipit extensionem, *l. Rutilia Polla. ff. de contrahend. emptione & venditione*, & in agris limitatis non fit extensio etiam per alluvionem, *l. in agris, ff. de acquiren. rerum dominio*, & forma & voluntas tempore contractus impressa postea non ampliatur. Bald. *in l. cùm quid, ff. si certum petatur & consil. penult. lib.* 1. Socinus *cons.* 6. *col.* 1. *lib.* 1. Alexand. *cons.* 25. *col.* 1. *lib.* 7. *ubi in annotat. dixi.*

15. Et sic clausula generalis de libera facultate succedendi, acquirendi, disponendi de omnibus bonis ubicumque sitis, tam intra territorium *de Mortan*, quàm alibi, intelligitur de bonis liberæ conditionis, non autem de prædiis manus mortuæ: quia licet sæpe loquatur de prædiis sitis intra territorium *de Mortan*, tamen nunquam loquitur de sitis intra idem territorium & simul existentibus de manu mortua: & sic non intelligitur de illis quæ sunt de manu mortua ejusdem actoris, quia per contractum liquet quòd nullum prædium voluit eximere à manu mortua, nisi mansum illum confinatum.

16. Ut patet per verba taxativa exemptionis dicti mansi, & per aliam clausulam reservatoriam, in qua dicitur quòd si defunctus manumissus, vel successores dimisso manso liberato, acquirant mansum manus mortuæ in eodem territorio, & ibi maneant ultra annum & diem, sine licentia Prioris, quod recident in servitutem manus mortuæ: ergo prædia postea ibi

quæsita per defunctum (si erant de manu mortua) remanserunt sub eadem conditione, à quo non fuerunt exempta, quia non fuit intentio eximendi, nisi dictum mansum confinatum.

17. Non obstant verba generalia apposita in executivis, & consequenter sententia executiva, & verba in ea contenta: quia verba executiva non addunt, nec augent, nec ampliant principalem dispositionem. *Cle. 1. in fine* ubi omnes Canonistæ *de prebend.* Bartol. *l. hereditas per illum text. heredibus institut.* Alex. *l. tutela, col.* 3. & ibi Jason. Philippus Decius *de jurisdict. omnium judic.*

18. Imo & dici posset actorem habere jus non solum in quæsitis à defuncto post edictum novum, sed etiam ante edictum: quia illud edictum videtur declaratorium, ut patet in supplicatione trium statuum, qui supplicant fieri simplicem declarationem, & Imperator tanquam Comes Burgundiæ remisit ad supremam Curiam Dolanam, ut provideret per formam declarationis, & eadem Curia simpliciter respondit, sibi videri dictam declarationem faciendam: ergo articulus ille nihil aliud est quam declaratio ex mente expressa tam supplicantium, quàm statuentis, quàm etiam censuræ vel decreti Senatus: jura autem declaratoria trahuntur retrò ad præterita, ut not. per Innoc. & Panormitan. *tit. ultimo, extra de constitution.*

19. Et quamvis edictum loquatur per verbum obliquum, tamen expressè se refert ad conservationem jurium dominorum, & ne aliquot incommoda incurrant: ergo ad conservationem possessionis in casum devolutionis, cùm possessio sit magnum commodum, § *retinenda. Inst. de interdict.* & consuetudo in casum devolutionis manus mortuæ dat etiam possessionem: ergo etiam jus possessionis conservatur per edictum; aliàs domini non redderentur indemnes.

20. Sed his non obstantibus concludivè loquendo, dicendum est actorem nullum jus habere in quæsitis per defunctum ante novum edictum: non enim est declaratorium, sed novi juris introductorium, & pro futuris acquisitionibus dumtaxat, ut patet *in textus edicto, ibi, pour l'advenir.* Non obstant nuper allegata, quæ sonant in declarationem: quia omnia illa præcedunt conclusionem & institutionem edicti, & licet judicare, sed secundum ipsas & ipsam formam institutionis, non attento eo quòd dum lex esset in fieri, tractabatur textus, *in c. in istis distinct. quarta.* Et multa tractantur quæ non, vel alio modo perficiuntur, *l. si ex causa,* §. *nunc videndum, ff. de minoribus, l. si voluntate C. de resciden. emption. & venditio.*

21. Adhuc etiam constitutio expressè declaratoria non tamen trahitur retro, quando agitur de præjudicio juris quæsiti tertio. Philippus Decius *cap. ult. col.* 5. *de constitutionib.* Alexander *consilio undecimo num.* 14. *lib.* 7. & ubique in annotationibus dixi, præsertim quando jus est quæsitum ex speciali titulo contractus vel sententiæ, ut hic per edicta supradicta in primo & secundo argumento primæ partis: unde prudenter abstinet actor à præteritis.

22. Quantum autem ad quæsita post edictum, quæ sola petit, nec in illis fundatam intentionem habet in specie præsenti: sed rei absolvendi sunt, quia edictum non loquitur, neque intelligit de illis qui jure vel occasione justi & specialis tituli, putà contractus vel sententiæ acquisiverunt, sed tantùm loquitur de illis qui acquisiverunt, domino manus mortuæ ignorante, vel sine aliquo titulo ab illo vel cum illo obtento: non ergo extenditur ad acquisitiones factas per defunctum, qui facultatem illam generalem habebat per contractum justum & onerosum, & adhuc per sententiam contra eumdem priorem pronuntiatam.

23. Præterea edictum non intendit dare plus, quàm consuetudo Comitatus Burgundiæ scripta: sed ea consuetudo expressè excipit habentes titulum validum: ergo defunctus ille & sui successores sunt exempti à novo edicto, nec comprehensi in illo, quod etiam non intendit tollere, nec tollit jus specialiter quæsitum. ut dictum est. Nec obstat quòd contractus fuit limitatus ad certum mansum in eo confirmatum: quia verum est, quantum ad exemptionem fundi ab omni jure & servitute manus mortuæ, & ab omni alio jure & præstatione, etiam censûs & laudimiorum, prout in omnibus & per omnia eximitur ille mansus confinatus, ut patet in exemplo contractûs, *pagina decima, in princip.* Sed quantum ad alia, videlicet facultatem acquirendi, succedendi, disponendi, non est limitatus: sed generalissimè loquitur tam in personis communibus, vel non habitantibus in dicto territorio *de Mortau*, vel alibi sive in loco Franco & libero vel in loco manus mortuæ, prout bis expressè & specialiter cavetur in dicto contractu.

24. Nec illa verba restringuntur per alia generalia adjecta videlicet faciendi & habendi omnia quæ homines liberi & liberæ conditionis nati habitantes in principalibus urbibus Comitatus Burgundiæ, & aliis locis francis possunt & soliti sunt facere: tum primò, quia ex ipso contextu apparet clausulas illas appositas esse ad ampliandum, & sic non possunt operari restrictionem vel diminutionem, *l. legata inutiliter, ff. de legatis primo l. legata inutiliter & ibi Bart. ff. de adimendis legatis*, & esse apposita in favorem manumissi & suorum, & sic non possunt retorqueri & interpretari in eorum odium vel incommodum, *l. nulla, in fine ratio, ff. de legibus l. quod favore, C. eod. tit.*

25. Præterea constabat quod tempore dicti contractus, non erat locus devolutioni seu commisso prædiorum manus mortuæ quæsitorum per homines liberos, nec cedebant lucro domini, nec dominus hoc jure committi poterat uti contra liberos: sed tantum contra servos proprios. Et adhuc contra liberos solam viam actionis habebat, ut eos cogeret intra annum vel aliud congruum tempus eadem prædia in homines ejusdem conditionis transferre, ne perderent pretium vel æstimationem rei acquisitæ, ut in simili tradit Spec. *in tit. de locat.* § *nunc aliquo versic.* 117. Henricus Bohic. *in c. ex literis col.* 2. *de Consuet. & dixi in Consuet. Paris.* §. 41. *quæst.* 12.

26. Hæc autem libertas & facultas, quæ generaliter inerat tempore contractus, informavit illum, & fuit acquisita & radicata perpetuò in vim contractus, & rei judicatæ: & sic nullo modo tolli nec diminui potuit per edictum sequens, etiam pro tempore futuro. Præterea etiamsi actor haberet hoc jus devolutionis & lucri seu commissi per obitum, saltem in vim edicti novi, & in acquisitionibus factis post edictum (id quod est impossibile per prædicta;)

27. Tamen etiam in omnem eventum non posset actor agere possessorio, sed rei ab hoc judicio absolvendi facit, quia defunctus non solum acquisivit illam generalem facultatem acquirendi & succedendi in vim consuetudinis & observantiæ generalis tunc vigentis, sicut quilibet ex liberis hominibus: sed eam specialiter acquisivit ex contractu oneroso & ex sententia diffinitiva pro se & suis in perpetuum, & per eumdem contractum ac per prædictam sententiam nominatim & expressim fuit constitutus & manutentus in possessione vel quasi taliter, liberè acquirendi, & ad suos successores transferendi sine onere vel periculo dictæ, vel devolutionis, vel commissi: ergo impossibile est actorem esse in possessione contraria, quam prætendit; sed si quam habuit, perdidit illam facto suo: & sic non est amplius regressus ad possessionem, sive justè, sive injustè perditam: quia facti est, *l.* 2. §. *uti possidetis.*

28. Quinimò sive titulus sive contractus sit validus, sive invalidus, nihilominus tamen perditur possessio, *l.* 1. §. *si uxori.* & ibi Bartol. & omnes, *ff. de acquirenda vel amittenda possessione.* etiam per pupillum

vel Ecclesiam. *l. possessionem pupillum*, & ibi omnes doctores, *ff. eod. titu.* Et ulterius etiam quando prior ille nihil fecisset circa possessionem amittendam, tamen satis esset quòd est amissa per illam sententiam, à qua non est appellatum, & quæ transivit in rem judicatam.

29. Quia per sententiam etiam erroneam & injustam datur justus titulus, & etiam usucapiendi conditio, *l. si per errorem*, & ibi Bartol. *ff. de usucapio.* ergo & justa possessio, & maximè quando per sententiam declaratus est possessor: igitur res est absque dubio pro reis, cùm actor ab illa sententia appellare non possit.

30. Imò etiamsi hodie posset appellare, & appellaret: tamen rei deberent manere in possessione per defunctum quæsita & in eo transmissa, per text. *c. laudabilem ut lite pen. nihil innovet.* & ibi Panorm. & omnes Canonistæ. Innoc. *in c. 2. versic. inhibentes, extra de restit. in integrum.* Compostella *in c. cùm Martinus extra de constit.* Florianus de sancto Petro *in l. alienationes num. 4. ff. familiæ erciscun.* Joan. Fab. *l. appellatione col. 1. de appellatio.* Alexand. *cons. 99. lib. 5. num. 5.*

31. Nec obstant quæ supra dicta sunt, quòd posita in verbis executivis non ampliant: quia rei non fiunt antur in verbis executivis, sed in verbis dispositivis dumtaxat, tam contractus, quàm sententiæ: & sententia licet sit executoria, tamen est dispositio per se stans, & publica non privata authoritate subnixa, & clausula illa sententiæ: *Tant en biens assis viere le territoire dudit Mortau: qu'aucun soit franc ou mainmortable de quelque qualité & espece que lesdits biens se trouveront*, est posita in verbis dispositivis ipsius sententiæ.

32. Et notandum, quod servitus ista manus mortuæ differt à veteri posteriorum Romanorum colonaria & adscriptitia conditione. Posteriores voco à tempore imperii in Græciam per Constantinum Magnum translati, quo tempore Græci Romanos se se in publicis etiam programmatis vocare cœperunt, anno Domini trecentesimo trigesimo quo etiam tempore, instar quodammodo herorum Lacedæmoniensium frequentari cœperunt colonarii illi & adscriptitii glebæ, de quibus *lib. 11. C. de agricolis & censitis per totum.* Servitus autem manus mortuæ sub Francis eodem ferè tempore inventa, non semper à barbarie vel bellica & hostili captivitate cœpit, sed quandoque ab humanitate, ut sub Francisco primo, & Henrico secundo magna multitudo Gallorum (Fransos vocare pudet) præsertim è Picardia & Neustria ingentibus illis intimatarum collectarum exactionibus oppressa & expilata in Comitatum Burgundiæ, quem Comitatum Francum à tempore Hugonis Capeti vocare cœperunt, sensim demigrans, ultra decem millia hospitio susceptæ sunt in sylvis ad culturam reducendis sub conditione manus mortuæ. Cæterum Comitatus ille Franci nomen retinet, ab immanium illarum collectarum immanitate, quarum metu numquam subdi voluit successoribus exoletæ stirpis Caroli Magni. Sed ex supradictis liquet reos in omnem eventum à judicio possessorio absolvendos. Et ita censeo ego Carolus Molinæus J. U. D. Franciæ & Germaniæ I. C. Datum Montbelgardi, pridie nonas Maii 1555.

PRÆFATIO
DOM. CAROLI MOLINÆI
IVRIS VTRIVSQVE PROFESSORIS

Consuetudinumque Parisiensium Interpretis & in supremo Parisiorum Senatu Advocati consultissimi, in quatuor ejusdem consilia in causam Illustriss. Principis Landgravij Hessiæ, Parisiis edita, tempore magni certaminis Authoris, mense Maio, anno sesquimillesimo quinquagesimo secundo, & denuò Marpurgi in arce Principis, anno 1553. mense Novembri recognita & aucta.

EPITOME PRÆFATIONIS.

1. *Genealogia Landgraviorum, & Comitum Katzen-Elnbogensium.*
2. *Elymon Landgravij, & descriptio Hessiæ.*
3. *Comitatus Katzen-Elnbogen quomodo venit in domum Landgraviorum. 7. 13.*
4. *Laus Ludovici Landgravij.*
5. *Transactio, & simultanea investitura.*
6. *Pacta detalia.*
8. *Prima sententia.*
9. *Secunda sententia anni 1523.*
11. *Conventiones fraternitatum in Germania 12.*
14. *Dux Saxonia & Landgravius ob libertatem Germaniæ, & Religionem, in captivitatem inciderunt. 15.*
16. *Qua arte Landgravius apud Austrasium circumventus. 17. 18.*
19. *Sententia tertia iniqua.*
20. *Revisio.*

T clariùs consilij sequentis argumentum innotescat, primùm Landgraviorum Hessiæ & Comitum Katzen-Elnbogensium, & actorum, & rei 1°. genealogiam, quatenus ad rem facit dumtaxat, oculis subjiciam: deinde clausulas investiturarum, & seriem facti, quantum thematis & quæstionum perspicuitas exigit, ut sequitur.



A hunc laudans Æneas Silvius in Europa cap. 37. Franc. Irenic. German. exegef. lib. cap. III.

B hic duxit Annam filiam magni Ducis Mecklzalburgensis.

C hic anno 1557. fraude captivatus, litibus urgetur in Curia Austriaci.

D hic primogenitus cum soror ie ad patriam & patrem liberandum in armis 1552.

E hic duxit Annam filiam Comitis, & morte fratre uxoris sine liberis, simul cum socero investitur, anno 1570.

F hic transigit & simultaneè investitur cum Vvilhelmo II. patruele suo.

Si igitur hi nati ex fœminis male petunt feuda masculina, & alia bona masculis per fraternitates affecta.

H obiit ad 7. Desiderium istius glebi, mense Iuly 1544. magno Reipublicæ Christianæ damno.

Vides duos stipites, prior seu dexter Landgraviorum Hessiæ, sinister Comitis Katzen-Elnbogensis, à quo Comitatus ille cum aliis feudis venit in domum & familiam Landgraviorum Hessiæ.

2. Germanorum lingua gravior Comitem significat, Land, regionem: unde Landgravii regionum Comites ex Etymol. Cùm Landgravij sint quatuor, Landgravius Hessiæ potior & præcellentior est. Hessia autem inter Vvestphaliam, & Franciam Orientalem sita, ut inquit Æneas Sylvius in Europa cap. 37. præter multa oppida duas habet præcipuas urbes, videlicet Casellas, ubi curiam & residentiam habere solent Landgravij, & Martpurgum, ubi celebris Academia. Genealogiam verò Landgraviorum latiùs describit Sebastianus Munsterus Cosmographus *lib.* 3. *pag.* 703. *cum seq.* Sed hîc ea tantum adscribo quæ ad rem: quare in sinistro stipite non excedam Philippum. Omisso ergò Joanne ejus patre & aliis superioribus,

Etymon. Landgravij.

Hessia.

3. Iste Philippus Comes Latzen-Elnbogensis tenens illum Comitatum Dietz, Darmstat, Bising, Clappach, Eschelburg cum pertinentiis, titulo beneficij, seu feudi masculini, pro se, & liberis masculis ab Episcopo Vvirtzburgensi, vulgò Herbipolensi, habuit filium Philippum, & Annam filiam, quam nuptum dedit Henrico Landgravio: deinde, filio suo sine liberis defuncto, ne per obitum suum sine masculis Comitatus & reliqua feuda rediret ad Ecclesiam, egit cum Episcopo, & Ecclesia Vvirtzburgensi, ut Henricus gener suus investiretur de dicto Comitatu, & reliquis feudis pro se, & masculis ex corpore suo beneficiariis heredibus, quod anno 1440. factum est, adjecta clausula, quòd si dictus Henricus sine filiis masculis feudalibus heredibus decesserit, heredesque suos prædicta feuda possidere contingat, Ecclesia redimere poterit decem millibus florenorum Rhenensium. Hæc est prima investitura ad decisionem faciens.

Investitura.

4. Præterire tamen nolo laudes Ludovici primi, quem celebrat Æneas Sylvius in Europa capite 37. quòd suis temporibus ad Imperium vocatus, imparem se esse dixit, qui tantæ rei molem sustinere posset, maluitque parvo Imperio à parentibus sibi relicto utiliter præesse, quàm magnum accipiens dissipare, id quoque sibi obstare quòd literas ignoraret: fuit tamen legum cultor, quas sibi patrio sermone exponi jussit. Addit Franc. Irenicus *Germaniæ exegesi. lib.* 3. *cap.* 3. eum tanta animi præstantia fuisse, ut omnes Principum fluctus solus compescuerit.

Laus Ludovici Landgravij.

5. Ludovicus Secundus reliquit Vvilhelmum Secundum (seu medium ad differentiam Vvilhelmi Primi, seu Senioris, de quo non est quæstio) filium impuberem sub tutela Henrici, qui postea decessit, relicto Vvilhelmo Tertio & duabus filiabus, videlicet Mechtilde & Elizabetha. Vvilhelmus Tertius tanquam heres patris conventus fuit ab Vvilhelmo Secundo patruele suo, tutelæ actione ad redditionem rationum, & reliqua administrationis paternæ: sed consensu & interventu consanguineorum, & illustrium Principum Hermani Archiepiscopi Colonienſis, & Eberhardi Comitis in Vvirtemberg & in Monte Beliardi, senioris, qui postea à Maximiliano Rege Dux creatus est, ita transegerunt anno 1495. ut ambo jure simultaneæ investituræ de dicto Comitatu, & reliquis feudis ab Episcopo investirentur, hoc est, ut Vvilhelmo Tertio seu juniore moriente sine liberis masculis, Vvilhelmus Secundus vel medius illa jure investituræ obtineret: quod factum est consensu & approbatione Herbipolensis Episcopi directi feudalis domini, & confirmatione Imperatoris Maximiliani. Et hoc modo Vvilhelmus 3. se, & coheredes suos liberavit à dicta actione tutelari,

Simultanea investitura.

quam Vvilhelmus Secundus hac contemplatione remisit.

6. Deinde Vvilhelmus Tertius seu Junior anno 1498. duxit Elizabetam filiam Philippi Comitis Palatini Electoris, & in dotem accepit duo & triginta millia florenorum Rhenensium, & donationem propter nuptias vicissim ejusdem summę fecit: sponsalitiam quoque largitatem, quam Germani vocant *Morgengab*, decem millium florenorum, adjecta etiam alia clausula in favorem sponsæ, quòd casu contingente, quòd per obitum sponsi sine liberis masculis, prædicta feuda redimi vel recuperari possent ab Episcopo Herbipolensi, solvendo decem millia florenorum Rhenensium heredibus defuncti, quòd ea summa non solveretur heredibus Vvilhelmi junioris, sed Elizabethæ futuræ conjugi, vel heredibus ejus, in computationem tamen seu deductionem dotis & sponsalitiæ largitatis, & horum hypothecæ consensit Episcopus Herbipolensis. Tandem Vvilhelmus Junior sine liberis obiit anno 1500. relictis duabus prędictis sororibus, & Palatina vidua, quæ possessionem Darmstad, & reliquorum jure dotali adepta, nupsit Philippo Marchioni Badensi, à quo Vvilhelmus medius juxta tenorem prefatæ simultaneæ investiturę ab Episcopo investitus possessionem recuperavit, luendo hypothecas, & solvendo Palatinæ omnia quæ ei ratione dotis & sponsalitiæ largitatis debebantur. Exemplaria prefatarum investiturarum transactionis & confirmationum Imperialium vidi, ex quibus prefatas clausulas excerpsi.

Morgengab

7. Liquet ergò prefatum Comitatum, & feuda militaria jure prędictæ primæ investituræ pervenisse ad Henricum Landgravium, & per ejus obitum ad Vvilhelmum Juniorem ejus filium, exclusis Mechtilde & Elizabetha filiabus, quæ propter naturam feudi & tenorem investituræ inhabiles erant. Deinde per obitum Vvilhelmi Junioris sine liberis perveniſſe ad Vvilhelmum medium ex lege dictæ transactionis, & posterioris, ac simultaneæ investituræ, consensu immediati domini directi, & Imperiali confirmatæ: prædictas autem Mechtildim & Elizabetham nihil in his vendicare posse, sed Landgravium ab eis, vel heredibus earum condicere posse, quod pater ejus, prefatæ Palatinæ pro restitutione dotis suæ, & sponsalitiæ largitatis solvit, dissolvendo æs alienum heredum Vvilhelmi Tertij, qui tenebantur luere ejus hypothecas: quinetiam Vvilhelmus Tertius bona de quibus agitur, hypothecare non potuerat in prejudicium prefatæ simultaneæ investituræ, & substitutionis gradualis prefati Vvilhelmi Secundi, quin eveniente conditione substitutionis hypothecæ resolutæ fuerint per prædicta.

Iura Landgraviorum.

8. Mechtildis autem, quæ Clevensi Duci nupsit, nullam unquam litem movit: sed Elizabetha, quæ Comiti Joanni à *Nassau* nupserat, petiit primò paternam & maternam hereditatem ab Vvilhelmo medio, qui absolutus fuit, & meritò, cum nihil de illis hereditatibus attigisset, nec ad eum devolutæ fuissent. Et sic Philippus Decius cons. 316. num. 17. incautè dicit Elizabetham per Vvilhelmum fratrem suum à successione patris sui exclusam: quia imò non fuit exclusa à successione, sed à dicto Comitatu, & certis aliis feudis: quia non erant hereditaria, sed jure contractus, & investituræ devolvebantur. Fuit tamen Elizabetha declarata heres Philippi Primi avi sui materni pro semisse: & bene, nempe mediante matre, deinde fratre sine liberis mortuo.

Prima sententia.

9. Postea Elizabetha ab eodem Vvilhelmo medio petiit fraternam hereditatem, & obiit pendente lite: quâ resumptâ per Vvilhelmum Comitem à *Nassau* ejus filium, & heredem, per sententiam

Secunda sententia.

Episcopi Augustani, & Episcopi Constantiensis a Cæsare delegatorum Tubingæ tunc à Ferdinando Austriaco occupatæ, anno sesquimillesimo vicesimo tertio, nona Maij pronuntiatum est, Elizabetham (exceptis feudis masculinis, & illis bonis, quorum fœminæ non sunt capaces) heredem esse fratris sui, scilicet pro dimidia: & benè, ut etiam refert Philippus Decius in *dicto consilio* 516. & *cons.* 517. ubi super effectu & executione dictæ sententiæ consultus, per multa jura, & solidas rationes, quas non transcribo, rectè respondi, Elizabetham nihil in vim dictæ sententiæ petere posse in dicto Comitatu Katzenelnbogensi, & aliis feudis, & bonis, de quibus in dictis investituris; sed eam per dictam sententiam ab illis exclusam esse.

Philippus Decius.

10. Et insuper, quòd ea verba exceptiva sententiæ: Et bonis quorum fœminæ non sunt capaces non solùm intelliguntur de jure communi, videlicet respectu feudorum, quorum fœminæ jure communi sunt incapaces, sed etiam de jure speciali fraternitatum seu conventionum simultanearum, ut non solùm à feudis excludatur, sed etiam ab allodiis, quæ per conventiones quas fraternitates vocant, masculis affecta sunt, & consequenter à machinis, & munitionibus castrorum dictorum locorum, licèt aliàs jure communi fœminæ in his succederent. Idem etiam consuluit Carolus Ruinus, quem refert & sequitur Philippus Decius *cons.* 655.

Carolus Ruinus.

11. Sunt autem hujusmodi conventiones fraternitatum ad conservationem domorum solemnes inter Principes Germaniæ, quas sua lingua vocant (*die bruder einigung*:) & sunt validæ de jure per ea quæ decidit Bartol. *in cons.* 72. Philip. Dec. *in dict. consil.* Jacobus de Sancto Georgio *in l. uls. col. uls. num.* 44. *de pactis* & ibi Philippus Decius *col. uls.* Franciscus Purpuratus *num* 221. & *ceteri in annotat. ad Alex. consil.* 83. *lib.* 2. *consil.* 28. *lib.* 3. Et plures ejusmodi fraternitates ab antiquo contractæ sunt inter Duces Saxoniæ, & Landgravios Hessiæ, qui etiam connubia semper pene cum Saxoniæ Ducibus contraxerunt: ita scribit Franciscus Irenicus German. exegef. *lib.* 3. *cap.* 111.

Fraternitates.

12. Et duas hujusmodi fraternitates contractas inter dictas domos Saxoniæ, & Hessiæ refert Philippus Decius *in dict. cons.* 516. *num.* 16. unam factam anno 1370. confirmatam à Carolo IV. Imperatore: alteram anno 1431. confirmatam à Sigismundo Imperatore. Et hæc est ratio, propter quam pater Philippi Landgravij Wilhelmus vocabatur Secundus, vel Medius, videlicet ad differentiam alterius Wilhelmi Senioris, de quo non est quæstio. Wilhelmus autem filius Henrici vocabatur Tertius, seu Junior, tanquam natus ex fratre juniore, ad differentiam seniorum, & ad designandum ordinem graduális seu conventionalis substitutionis, qua masculi ex tenore dictarum investiturarum, & fraternitatum ordine successivo vocantur ad Landgraviatum, Comitatum, & feuda in dictis investituris, & fraternitatibus comprehensa. Ex quibus sequentes clausulæ hìc adduntur, videlicet ex fraternitate contracta anno 1373. Fridericus, Balthazar, & Wilhelmus Landgravius Turingiæ, & Marchiones Missniæ, cum Principibus Henrico & Hermano Landgravijs Hessiæ per pactum fraternitatem pro se & heredibus, occasione Principatuum utriusque familiæ cum dominiis, jurisdictionibus, & omnibus territoriis quæ tunc habebant, & in futurum quæsituri erant, eò ut altera familia alteri assisteret, tuerentur & adessent, & decedentium sine masculis Ducatus, Comitatus, dominia, territoria, &c. ad superstites Principes alterius domus seu eorum masculos heredes devolverentur, ad eosque jure proprietatum pertinerent. Deinde eodem anno Carolus IV. Imperator hanc confraternitatem & juris hereditarij successionem & communionem tanquam inter fratres præsentia Principum & Procerum Imperij confirmavit, & dicti Principes ex utraque parte pro suo quoque jure investivit, eisque vicissim eadem in feudum concessit legem sub pragmatica sanctione ferendo, quòd altera domus alterius sine masculis decedentis, ut legitimi fratres, confratres & successores censeri, haberi, & esse debeant, ac si naturali natalium serie fratres nati & una progenitorum agnatione producti essent, cum derogatione jurium in contrarium facientium, & Imperiali decreto pro ejusdem legis firmitate interposito. Postèà anno 1433. Fridericus, Sigismundus, Wilhelmus fratres, & Fridericus eorum nepos, omnes Duces Saxoniæ, & Landgravij Turingiæ, & Marchiones Missniæ, cum Ludovico Landgravio Hessiæ ex certa scientia, & præhabito consilio pro se & heredibus, dictam confraternitatem super universis eorum Ducatibus, dominiis, & bonis quæ tunc habebant, seu in futurum acquisituri essent, renovarunt, hoc addito, quòd testamenta rata essent usque ad decem millia florenorum, & quòd fœminis cuilibet viginti quatuor millia florenorum, seu alia prodigo in dotem, &c. Anno sequenti confirmata à Sigismundo Imperatore, qui respectivè, ut suprà in feudum concessit. Rursus anno 1457. medio juramento confirmarunt Fridericus, Wilhelmus, fratres Duces Saxoniæ, Landgravij Turingiæ, Marchiones Missniæ, & Ludovicus Hessiæ ex una parte, & Fridericus Elector Marchio Brandemburgensis, & Joannes, Albertus & Fridericus Junior, similiter Matthias Brandemburgensis ex altera parte: Anno 1471. Fridericus Tertius Imperator dedit Regalia Ludovico Hessiæ pro ipso & fratre, & dictam confraternitatem confirmavit. Anno 1495. Maximilianus Imperator Wilhelmo Medio & Tertio Landgravijs concessit in feudum simultaneum, non solùm Landgraviatum Hessiæ, sed etiam omnia feuda Comitatus Katzen-Elnbogensis. Hinc Wilhelmo Tertio mortuo sine masculis, Wilhelmus Medius anno sesquimillesimo quinto, à Maximiliano Imperatore confirmationem & Regalia obtinuit.

13. His ergò investituris, fraternitatibus, & confirmationibus, Wilhelmus Medius, & post eum Philippus ejus filius Comitatum Katzen-Elnbogensem, & Dietz, Darmstat, Bising, & reliqua feuda, quæ fuerunt Philippi Comitis soceri dicti Henrici, ultra septem & quadraginta annos, videlicet ab anno sesquimillesimo, quo Wilhelmus Tertius sine liberis obiit, usque ad litem post captivitatem Philippi intentatam pacificè possederunt, accedente etiam præjudicio dictæ Sententiæ anni sesquimillesimi vicesimi tertij, donec Philippo Landgravio captivo, Nassavienses heredes Elizabethæ, occasione sumpta captivitatis Philippi, & odij quod in eum Carolus Austriacus conceperat, cœperunt statim anno primo dictæ captivitatis calumniosam litem inferre, sub prætextu executionis sive liquidationis dictæ sententiæ anni 1523. & quamvis contra eos pro Landgravio faceret, tamen hoc cavillamento apud Judices sibi propitios abusi sunt, ut longissimam quadraginta septem annorum præscriptionem elidere viderentur.

Libertas politica Religio.

14. Hujus autem captivitatis occasionem dedit libertatis Germanicæ non popularis, sed politicæ, & Religionis suscepta propugnatio: Cùm enim Henricus Junior Dux Brunsvicensis tranquillitatem Germaniæ violenter turbaret, & Goslariam, & Brunsvigam civitates tyrannicè vexaret, commeatus & bona civium hostiliter diripiendo, captis, & contra fidem pubicam crudeliter interfectis verbi Dei Ministris, dissimulante Austriaco, tametsi Spiram transiens anno 1541. proscriptionem (vulgò bannum vocant, hoc est prædæ cædique expositionem)

Bannum Imperiale.

præfatę Groſlariæ civitatis iniquo Camerę ſuæ judicio editam ſuſpendiſſet, illuſtriſſimi Principes Joannes Fridericus Dux Saxoniæ, Romani Imperij Elector, Landgravius Turingiæ, Marchio Miſniæ, & Burggravius Magdeburgenſis, & Philippus Landgravius Heſſiæ, Comes in Katzenelbogen, Dietz, Ziegenhaim, & Nidda, anno ſeſquimilleſimo quadrageſimo ſecundo defenſionem ſuſcepiſſent, & anno ſeſquimilleſimo quadrageſimo quinto præfatus Dux Brunſvicenſis cum filio ſuo, à Philippo Landgravio captus, & carceratus fuiſſet.

Dux Saxoniæ.

15. Anno ſequenti Carolus Auſtrius, diſſimulatione derecta, bellum præfatis Principibus, & eorum fœderatis indixit, & anno ſeſquimilleſimo quadrageſimo ſexto præfato Saxoniæ Duce captivato, tandem partim vi, partim arte ſatis nota, Landgravium quoque coegit arma ponere, & ſupplicem ad ſe venire ſpe veniæ, præfatumque Brunſvicenſem Ducem liberum dimittere: ſed articulos deditionis tam callidè compegit, unius literulæ apice variato, ſcilicet tertia litera verbi *Einige*, ubi loco *n*, ſuppoſuit *m*, ut dum Landgravius putaret ſe liberum & ſine cuſtodia abiturum, ſcriptum eſſe, poſtquam ſubſcripſiſſet, inventum eſt illum ſub cuſtodia detinendum ſcriptum eſſe. Sic enim lingua Germanica ſecundùm conventa (& ut Landgravius intelligebat) ſcribendum erat, *ohn einige gefengnuſſ*, id eſt, ſine ulla captivitate.

Philippus Landgravius.

Fraus plus quàm Punica.

10. Imò ita jam ſcriptum erat in charta fœderis conventa, & à Landgravio lecta priuſquam ad præſentiam Cæſaris accederet, & ſub illius fœderis fiducia ſupplex ad eum acceſſiſſet, quod aliàs nunquam feciſſet: ſed interim dum ſupplex coram Auſtriaco indictas ceremonias peragit, unus interim ex potioribus arcani conſilij Auſtralij de dicto, *n*, fecit *m*, videlicet de *Einige Ertige*. Cúmque Auſtriacus dixiſſet ſe in gratiam recipere juxta fœdus contentum in eadem charta, quæ tunc ſubſcriptionis causâ oblata fuit Landgravio: qui videns eamdem eſſe chartam quam nuper legerat, & minimè gentium ſuſpicatus fraudem interim (præſertim in publicis & Cæſareis fœderibus, atque in præſentia ipſius Cæſaris, & tam brevi momento) irrepſiſſe, & multo minùs falſitatem, quæ etiam tam ſubtilis erat, licet maximi momenti, unius apiculi inverſione, ut vix Argus, niſi maximè attentus percepiſſet, quanto minùs gravi mœrore perturbatus? ſubſcripſit.

17. En artem, de qua, licet pudenda, multùm (ô facinus!) gloriatur ſcriptor illius hiſtoriæ Auſtriaci fautor egregius libro ſecundo ad finem, nempe juxta illud Virgilianum, *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* Dum ergò confideret Landgravius ſaltem ſe liberum, mox eadem die videns ſe plus quam quingentis militibus, carceris vice circundari, exclamat contra fœdera fieri: proferfur charta fœderis ab eo recens ſubſcripta, ubi ſic ſcriptum apparet, *Ohn einige gefengnuſſ*, id eſt ſine perpetua cuſtodia, & ſic nihil contra fœdera fieri, ſi ad tempus cuſtodiatur. Et hoc modo circunventus Landgravius, cogitur miſeram & inopinatam captivitatem pati: quod ſi futurum cogitaſſet, nunquam ſupplex Auſtriacum adiiſſet.

18. Sed aliud miſerius acceſſit, quòd dum utcunque lenitur ea ſpe, quam verba etiam flagitiosè variata ſonant, ut temporaria dumtaxat & levis eſſet captivitas, paulò poſt tam infeſtè cum eo agitur, ut non ſolùm dura & inopinata militari cuſtodia, etiam ſuis impenſis cingatur, ſed etiam Mechliniam uſque, centum circiter Gallicis leucis à terris ſuis perpetuæ deportationis vice transferatur, ut nullum cum ſuis habere poſſit commercium, & quæ ad ſummum temporaria dumtaxat eſſe poterat captivitas, fiat & perpetua, & in locis remotiſſimis, quali ſic illuſo, & capto, Sarcaſmos ille hoſtilis exprobretur. Quid niſi victis dolor?

19. Tumque Naſſawienſes præfati Auſtriaci perpetui miniſtri, tam calamitoſam Landgravij conditionem in opportunitatem rei ſuæ gerendæ rapientes, prodeunt nunc in Aulam Cæſaris, nunc in ordinarium Spirenſe judicium, nunc in extraordinarias Commiſſariorum notiones, & omnem in captivum & abſentem moventes lapidem, nihil aptius ſuis affectibus inveniunt, quam executionem, ſeu liquidationem dictæ ſententiæ anni 1523 urgere, & ita in longè abſentem & captivum rem præcipitare, falsò contendendo præfatum Comitatum, & alia feuda proavi materni non fuiſſe feuda militaria, ſed mera allodia, ut ſpretis antiquis inveſtituris, & conventionibus fraternitatum, per ſententiam ſuper dicta liquidatione infra annum dictæ captivitatis, videlicet anno ſeſquimilleſimo quadrageſimo ſeptimo Auguſtę Vindelicorum, ſeu potius Rhetiæ in Curia Auſtriacæa præcipitatam, adjudicata fuerint heredibus Elizabethæ, etiam cum fructibus quadraginta ſeptem annorum, videlicet ab obitu Wilhelmi Tertij fratris Elizabethæ, quæ anno ſeſquimilleſimo obierat, idque non pro ſemiſſe dictæ Elizabethæ, ſed in aſſem: quia Naſſauvienſes videntes & tempus, & Judices ſibi, utpote perpetuis Auſtriaci miniſtris, propitios, cauſæ verò Landgravij quantumvis juſtæ, infeſtos, redemerunt alterum prætenſum ſemiſſem ab heredibus Mechtildis, qui ſemper tacuerant.

Tertia iniqua ſententia.

20. Adverſus hanc ſententiam conceſſa eſt reviſio, quæ etiam denegari non poterat, cùm de his non fuiſſet actum niſi ſemel, non autem in alia priore inſtantia. In hac autem cauſa reviſionis, quę horum bonorum reſpectu erat ſecunda tantum inſtantia, illuſtris & generoſus Princeps Wilhelmus Landgravius ſupra vires ætatis curam agens patris captivi, tranſmiſit ad me menſe Novembri anno ſeſquimilleſimo quinquageſimo exemplaria præfatarum inveſtiturarum, & confirmationum Imperialium, ſive clauſularum pertinentium, & conſilio omnium ferè juridicarum Academiarum Germaniæ, & locorum vicinorum, videlicet Lovanienſium, Friburgi in Briſgoia, Tubingenſium, Ingolſtadienſium, Colonienſium, Heidelbergenſium, Lipſienſium, necnon Andreæ Alciati, Petri Amici, & aliorum concorditer ſentientium malè fuiſſe judicatum per illam ſententiam anni 1548. & Landgravium omninò abſolvendum, rogans ad adverſariorum pervicaciam & jactationem retundendam, aliquot inſignium Senatus Pariſienſis Advocatorum cenſuram, nec non rationes juris ad diffindendum judicium carceris, ſeu cuſtodiæ militaris ergô.

Reviſio.

21. Cùm igitur in præſentia Nuntij præfati Principis totius rei ſeriem, & ſingula puncta inde reſultantia expoſuiſſem conſultiſſimo illi, totiuſque togati noſtri ordinis Coryphæo domino Matthæo Quadrigario, & inclytæ memoriæ domino Gabrielli Marillaco, Fiſci Patrono doctiſſimo conſilio à me per puncta deciſiva, nec ſequendo ordinem, & multiplicitatem quæſtionum ad me tranſmiſſarum, ſed breviter & dilucide ἐξ ἀϕαιρέσεως more meo compoſito idem omninò cenſentes ſubſcripſerunt. Cæterum de exceptione carceris mecum ſenſerunt ſupervacuum quicquam ſcribere, cùm ex prædictis inveſtituris res eſſet clara & expedita, & in vado diffinitivæ abſolutionis præfati Principis. Quare ſuper hoc nihil tunc ſcribere volui, ſed dumtaxat conſilium in principali ſubſcriptum tranſmiſi, cujus tenor ſequitur.

EPITOME CONSILII SEQ.

1. *Investitura simultanea quatenus jura contractus.* 3 4. 5 6.
7. *Heredes alii communes seu vulgares, alii feudales.* 8.
9. *Possidens inre contractus non potest conveniri petitione hereditatis.*
10. *Sententia anni millesimi quingentesimi vigesimi tertii.*
11. *Sententia anni sesquimillesimi quadragesimi octavi. Erronea.* 12. *nulla.* 23.
14. *Feuda non veniunt in petitione hereditatis.*
13. *Nisi contra simplicem detentorem sine titulo.*
15. *Sententia prorsus contraria non valet.*
16. *Feuda hereditaria fiunt militaria per novam investituram.* 17.
18. *Sororibus non competit querela inofficiosi.*
19. *Heres non venit contra factum defuncti, etiamsi non tenetur de evictione.* 20.
21. *Jus retentionis.* 22. 25.
24. *Nullitas evidens impedit executionem etiam triplicis sententiæ.*
26. *Transactione rescissa restitutio æqualis fieri debet.*
27. *Auth.* Res quæ, C. communia de legat. *non habet locum in contractibus.*
28. *Præscriptio quadraginta annorum parit plenissimam securitatem.*
29. *Conclusio.*

CONSILIVM PRIMVM ANALYTICVM DOMINI CAROLI MOLINÆI *Juris utriusque Professoris, Consuetudinumque Parisiens. Interpretis, & in supremo Parisiorum Senatu Advocati consultissimi in causam Illustriss. Principis Landgravii Hessiæ, à clarissimis & doctissimis Jureconsultis Dom. Matthæo Quadrigario totius Togati Ordinis Coryphæo, & inclyta memoria Gabriele Marillaco Regio Patrono probatum, & subscriptum.*

CONSILIUM. XVIII.

VIsis & diligenter excussis clausulis investiturarum transactionis, literarum dotalium, sententiarum, in causa apud Cæsaream Majestatem pendente inter Vvilhelmum Seniorem à *Nassau*, & curatores Vvilhelmi Principis Auriaci, & Comitis à *Nassau* Junioris actores: & illustrem Philippum Landgravium Hessiæ Principem, reum conventum: Medius revisionis à dicta Majestate per eumdem Principem obtentæ, exceptionibus dilatoriis custodiæ militaris ergò, plurium Doctorum & juridicorum Collegiorum consiliis in favorem præfati Principis emanatis, & audita relatione Caroli Molinæi Jurisconsulti subscripti.

1. Visum est Jurisconsultis Parisiensibus infrà scriptis, videlicet Gabrieli *de Marillac* Regio in supremo Parisiensi Senatu Advocato, & Matthæo Quadrigario, & præfato Carolo in eodem Senatu Advocatis, civitates, castra, & feuda Comitatus Katzenelbogensis, de quibus in literis reversalibus Comitis Ioannis anni millesimi quadringentesimi tertii, & in investitura Rudolphi Episcopi Wirtzburgensis, sive Herbipolensis, facta à Philippo filio præfati Joannis, anno millesimo quadringentesimo sexagesimoseptimo: & in literis simultaneæ investituræ eorumdem feudorum, per eumdem Rudolphum anno millesimo quadringentesimo septuagesimo factæ, inter illustres Principes, videlicet præfatum Philippum Comitem in Katzenelbogen, & Dietz, & Henricum Landgravium Hessiæ generum dicti Philippi: & in investitura Vvilhelmi Tertii seu Junioris, filii dicti Henrici, facta anno millesimo quadringentesimo nonagesimo, per Laurentium Vvirtzburgensem Episcopum, Franconiæ Ducem: & in transactione anni millesimi quadringentesimi nonagesimi quinti, fuisse & esse vera feuda masculina, ad solos masculos (quos heredes beneficiarios seu feudales vocant) jure investituræ transmissoria, defficientibusque masculis ex masculis descendentibus, ad Ecclesiam (à qua in feudum rectum & immediatum dependent) reversibilia: filias autem, descendentesque ex eis nullo modo vocari ad dicta feuda, partemve eorum jure investituræ.

Investitura

Episcopus Herbipolen. Franconiæ Dux.

2. Quamvis in dictis investituris, tam Henrici quàm Vvilhelmi Tertii prædictorum, expressè dicatur, quòd si investitus sine filiis masculis feudalibus heredibus de corpore suo natis decesserit, & alios heredes, ut in prima, sive simpliciter heredes suos, ut in secunda investitura, prædicta feuda possidere, & detinere contingat: quod ex tunc præfatus Episcopus, successoresque sui, & Ecclesia Herbipolensis facultatem habebunt prædicta feuda ab heredibus redimere pro decem millibus florenorum Rhenensium: Et licet fœminæ, sive descendentes, sive collaterales, appellatione dictorum aliorum, vel simplicium heredum veniant: tamen primò non vocantur ullo modo jure investituræ, sed ut quicumque heredes universales ab intestato. Secundò, non vocantur ad ipsa feuda, nec eorum dominium: sed tantùm ad summam decem millium semel solvendam, utque interim fructus suos facere possint. Nec adhuc istud habent jure investituræ, sed mero jure hereditario.

Heres feudalis datus.

3. Quemadmodum si feudum, vel emphyteusis concessa sit alicui, & filiis, & nepotibus: & illis deficientibus, vel linea finita, usque ad quinquaginta novem annos, vel, ut dominus recuperare possit, certam summam heredibus ultimò morientis solvendo, singuli quidem de linea veniunt successivè jure contractus, & ex lege investituræ, etiam si aliter non sint heredes primi recipientis: text. in *c. unico.* ibi per investituram patris & avi. ubi text. illum ad hoc not. And. Sernia. Iac. de Bell. Bald. & omnes de feudo Marchiæ Ducat. & Comitat. text. *in c. unico.* & ibi Bald. Alvar. Præpo. *de grad. succes. in feud. c. §. 1. hoc quoque. & ibi gl. in verb. investire. de succes. feudi. c. unico.* & ibi Bald. Alvar. *de succes. feud. in usib. feud.* Bart. in *l. si mihi & Titio.* & ibi Alex. *col. 5. de verbor. oblig.* Sed post illos de linea, heredes sequentes non veniunt jure contractus, sed mero jure hereditario: ideo ultimus de illa linea, sive inter vivos, sive in ultima voluntate de illo jure heredibus reservato disponere potest.

4. Et consequenter per mortem Philippi Comitis Katzen-Elnbogensis sine masculis, dicta feuda redituræ erant ad Episcopum, exclusâ Annâ filia Comitis, & descendentibus ex ea, nisi reversioni obviatum fuisset per simultaneam investituram ejusdem Comitis,

& Henrici generi sui. Eodem modo si Henricus objisset sine masculis, reditura erant ad Episcopum, exclusis filiabus Henrici, & descendentibus ex eis. Et quamvis per investituram Henrici reservatum sit ejus heredibus ita fruendi usque ad refusionem decem millium: tamen Henricus de hoc jure disponere poterat in præjudicium filiarum propriarum, salva tamen legitima eis debita, & absolutè in præjudicium heredum collateralium, quibus non debetur legitima.

5. Eodem modo Vvilhelmus tertius qui nullos reliquit liberos, poterat de illo jure disponere liberè & absolutè in præjudicium sororum, & heredum suorum, quibus nulla debetur legitima, & quibus nulla competit querela inofficiosi testamenti. Et sic, etiam cessante simultanea investitura Vvilhelmi tertii & Vvilhelmi secundi patruelis sui, poterat in præjudicium sororum etiam in testamento de illo jure heredibus reservato disponere, & multò fortiùs inter vivos: & nihilominus dicta feuda ad Episcopum erant reditura.

6. Ex eo autem quòd Vvilhelmus tertius inter vivos disposuit transigendo ex causa onerosa, ex qua per eandem transactionem permisit Vvilhelmum secundum simultaneè investiri, cujus investituræ casus evenit ad commodum Vvilhelmi secundi, sequuntur duo. Primum, quod eadem feuda jure contractus, & investituræ immediatè devoluta sunt ad Vvilhelmum secundum, eique acquisita. Secundum, quòd heredibus Vvilhelmi tertii, videlicet sororibus ejus non debentur illa decem millia, nec jus fruendi, donec ea refundantur, etiamsi aliter specificè dictus Vilhelmus tertius inter vivos non disposuisset, prout disposuit: tum quia satis inter vivos disposuit per dictam transactionem, & simultaneam investituram, quæ est facta liberè & sine onere restituendi heredibus Vvilhelmi tertii dicta decem millia.

Heredes communes seu vulgares.

7. Tum quia non est cautum heredibus communibus de illa summa decem millium, & fruitione usque ad ejus refusionem, nisi sub duplici conditione: Prima, si ultimò mortuus sine masculis decesserit: Secunda, si alios heredes suos prædicta feuda possidere, & detinere contingat, id est, si ea reliquerit in universitate bonorum aliter de illis non disponendo. Cujus contrarium evenit: quia Vvilhelmus tertius obitum suum prævenit, & inter vivos consensu domini directi disposuit in favorem patruelis sui, & per ejus obitum dictæ sorores, & heredes non possederunt, nec detinuerunt dicta feuda: & sic tanquam deficiente conditione, nullum jus habuerunt in fruitione temporaria dictorum feudorum, nec in dicta summa decem millium.

8. Quantò minùs ubi Vvilhelmus III. specificè de illa summa decem millium disposuit in commodum Palatinæ uxoris suæ. Sorores autem heredes contra factum defuncti venire non possunt, cùm sint heredes communes, nec aliud, nec plus juris habeant quàm simplices heredes ab intestato, quos Germani apto verborum discrimine, vocant heredes vulgares seu proprietarios, ad differentiam feudalium, qui jure investituræ, & non jure hereditario, veniunt. Cùm autem Vvilhelmus II. non excesserit terminos transactionis, & investituræ suæ, nec acceperit alia bona per mortem Vvilhelmi III. nisi ad quæ vocabatur jure contractus per dictam transactionem, & investituram sibi factam,

9. Sequitur quòd malè & ineptè conventus fuit petitione hereditatis per dictam Elizabetham, & non solum à dicta petitione absolvi debuit respectu dictarum successionum, à quibus absolutus fuit, sed etiam pari ratione à successione fraterna & collaterali dictæ Elizabethæ. Tum quia non erat ejus cohæres, tum quia nihil possidebat jure hereditario Vvilhelmi tertii, sed jure & titulo particularis contractus, & investituræ. Unde nullo modo conveniri poterat petitione hereditatis, sed ab initio litis absolvendus erat, salvis aliis competentibus actionibus, si quas Elizabetha haberet, juxta, *l. Sabinus Marcellus in fin. de pactis dotal. l.* Et sic, si dictus Princeps in prima instantia non asseruit, nec contendit se esse heredem universalem patrui sui, sed tantum (ut res est) jura sibi competentia jure contractus, & investituræ paternæ deduxit,

Sententia anni 1583.

10. Malè judicatum fuit per primam sententiam anni sesquimillesimi vigesimitertii: Primò in hoc, quòd Elizabetha actrix non fuit repulsa à petitione injusta. Secundò in hoc, quòd reus fuit condemnatus restituere hereditatem Vvilhelmi tertii, cujus non erat heres, nec ut heres quicquam possidebat, nec ut heres liti se obtulerat. Tertiò in hoc, quod condemnatus est restituere fructus eadem ratione. Quartò in hoc, quòd damnatus est eos restituere à tempore mortis Vvilhelmi tertii, licet justum titulum particularem & bonam fidem haberet. Quintò in hoc, quòd temeraria actrix non fuit condemnata in expensis. Tamen in effectu prior illa sententia, licet parum æqua, non nocebat præfato Principi, nisi in amissione expensarum: quia in executione cùm per sententiam sint excepta feuda masculina, & alia bona, quorum fœminæ non sint capaces, necesse erit actoribus ostendere quænam bona ex successione universali Vvilhelmi tertii, tempore mortis ejus relicta possidebantur per præfatum principem. Id quod ostendere non potuerunt, quia princeps nihil possidet de feudis, & terris, quæ fuerunt Vvilhelmi tertii, nisi titulo particulari transactionis, & investituræ, de quo docet: & sic sententia executione carebit contra dictum Principem.

Sententia anni 1548.

11. Sed inexcusabilis est sententia ultima super executione prioris lata, tertia Augusti, anno sesquimillesimo quadragesimooctavo, & nimis apertè fuit malè & iniquè judicatum. Primò, in quantum condemnatur pro dimidia restituere castrum *Darmstad*, & civitatem cum accessoriis, item Bissingen, Arheilgem, & alia Ecclesiæ Vvirtzburgensis feuda, & bona, cum eorum pertinentiis, nec non regesta & libros rationum cum fructibus. Secundò in hoc, quòd tantùm reservata fuit actio præfato Landgravio solutæ dotis, doralitii, & sponsalitiæ largitatis: & consequenter in eo, quòd actores non fuerunt condemnati in expensis.

12. De primo liquet multifariàm. Primò, quia illa sententia est directò contra acta, & clarissimè probat, videlicet directò contra præfatas investituras Herbipolenses ex quibus constat ea feuda, quæ præfatus Princeps nominatim condemnatus est restituere, esse feuda masculina, quorum fœminæ & consequenter actores ex fœmina descendentes sunt prorsus incapaces. Secundò, quia ejusmodi feuda non sunt hereditaria, nec veniunt in petitione hereditatis, nec in executione sententiæ, per quam possessor hereditatis universalis condemnatus est hereditatem restituere: quia nihilominus in executione poterit ejusmodi feuda deducere, & retinere, eorumque restitutionem impedire, ex eo quòd non sunt hereditaria, nec de trunco hereditatis, sed jure & titulo particulari contractus & investituræ deferuntur.

Feuda non veniunt in petitione hereditatis.

13. Ista est decisio protrita glossæ ordinariæ *in l. item videndum in fin. de pet. her.* in quantũ loquitur de fœmina vel descendente ex ea, qui egit, & vicit in petitione hereditatis, ut nullo modo veniant feuda: & in hoc omnes ubique glossam sequuntur, prout etiam est indubitata: sed multò fortius tenent omnes Doctores, quòd indistinctè sive etiam masculus, sive etiam agnatus agat si tantùm agat, & vincat in petitione hereditatis, in ea non veniunt feuda, quia sunt separata à trunco hereditario. Et ita decidit Bartol. *in d. item videndum*, §. *fin.* Jo. Bap. *de Caccialu. in rep. c. 1. de feud. cond.* Jas. *in l. gal. §. 1. lectura 1. in fin. de liber. & posth. in l. si post mortem in princ. ff. de leg. 1. in cons. 87. col. 1. lib. 1.* Bald. *cons. 437. lib. 1.* Phil. Dec. *l. 1. num. 41. si cert. pet. & in cons. 269. num. 14.*

14. Unica tantum est limitatio, videlicet quando peterentur à simplici detentore, qui nullum habet jus, nullum titulum ea detinendi *per l. & non tantùm in princ. de petit. hered.* Barto. *in l. si dus patroni. ff. ad Trebell.* Alexand. *cons. 91. col. fin. & ibi in annotat. lib. 1.* Jas. *in prælud. feudo. col. 13. & cons. 138. lib. 4.* Jacob. de sancto Georg. *in tract. feudor. ver. & cum pacto quod ipsa feudo possit col. 2.* Sed hic reus non detinebat, sed possidebat, idque titulo particulari, de quo docuit: & adhuc per dictas investituras constabat, & constat de non jure actorum, & de jure optimo dicti Principis in dictis terris, quas iniquè condemnatus est restituere.

15. Tertiò quia illa sententia est directò contraria præcedenti sententiæ diffinitivæ: per quam feuda masculina, & alia bona, quorum fœminæ non sunt capaces, expressè sunt excepta, à qua sententia non fuit appellatum nec proclamatum: & sic secunda sententia directò priori contraria (cùm constet hæc feuda in ea nominatim expressa, esse masculina) non solùm iniqua & injusta est, sed etiam nulla ipso jure, *l. 1. C. quando provoc. non est necesse.*

16. Quartò, etiamsi ista feuda non essent masculina, vel talia, quorum fœminæ essent incapaces, & sic sententia non esset directò contraria priori, & nulla ipso jure (quòd tic ut clarè ostensum est) tamen esset iniqua, utpote contra acta & probata, videlicet contra dictam tranlactionem, & investituram Vvilhelmi secundi inde sequutam de omnibus & singulis feudis, quæ Vvilhelmo III. à Comite in Katzenelnbogen avo suo materno hereditariè obvenerunt, aut aliunde acquisita sunt: & contra investituras Maximiliani, & aliorum Principum & Præsulum, à quibus Vvilhelmus II. de dictis omnibus feudis investitus fuit jure contractus dictæ tranlactionis.

17. Et consequenter etiamsi in feudis, quæ spectabant ad Vvilhelmum tertium per dictam transactionem, & simultaneam investituram, postmodùm translatis in Vvilhelmum secundum erant quædam feuda non masculina, etiam quorum fœminæ erant capaces & merè hereditaria: tamen præfato Vvilhelmo tertio disponere licuit, prout authoritate & consensu dominorum directorum disposuit. Atque ita desierunt esse de bonis & hereditate Vvilhelmi tertii, & sorores ejus, etiamsi fuissent masculi, fuerunt exclusæ: quia illa bona justo contractu alienata, non potuerunt reperiri in hereditate, quæ duntaxat est universum jus, quod defunctus habuit, & reliquit tempore mortis, & reliquit, inquam, transmissorium, non autem morte finiturum, ut *in l. hereditas, ff. de regul. jur.* Quantò magis excluduntur actores, qui tantùm petunt jus fœminæ?

18. Quintò etiamsi Vvilhelmus tertius in testamento tantùm disposuisset, adhuc sorores fuissent omnino exclusæ, etiamsi essent feuda impropria vel bona propriè hereditaria, in quibus non habent locum ordinaria jura feudorum: quia illis non debetur legitima, nec possunt arguere testamentum de inofficioso, *l. fratres Cod. de inoff. testam.* Igitur multò minùs rumpere possunt dispositionem inter vivos, præsertim onerosam. Aut verò dicta alia feuda, & bona non erant merè hereditaria, & fœminæ erant magis incapaces per jura ordinaria feudorum, *c. 1. §. hoc autem notandum*, qui feudum dare possunt.

Heres non venit contra factum defuncti.

19. Sextò, quia heres non potest venire contra factum defuncti, sed illud præstare debet, *l. heredem, ff. de reg. juris*, etiamsi lucrativum sit, nec de evictione obliget. Septimò, dicta sententia est contra textus juris vulgares & rotundos, *in l. cum à matre. Cod. de rei vendic. l. venditrici. Cod. de reb. alien. non alienan. l. vendicantem de evict. cum infinitis similibus:* ubi quem de evictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio: sed dicta transactio implicat obligationem evictionis. Igitur etiamsi Elizabetha docuisset se habere jus, etiam non tanquam heres, sed jure proprio & ex capite suo, titulo particulari certæ investituræ, vel contractus: tamen ex quo est heres ejus, qui alienavit & disposuit, repellitur exceptione ex regula. Quem de evictione tenet actio, &c. Sed non docuit de aliquo titulo vel jure particulari & proprio, imò nec allegavit quidem: Igitur multò fortiùs omnino excludenda.

20. Octavò, etiamsi allegasset, & docuisset de jure quodam proprio & particulari in dictis feudis vel aliquo eorum, adhuc etiamsi reus non docuisset eam esse heredem: tamen eo ipso quòd ipsa non egit actione particulari ex jure contractus vel investituræ, sed egit tanquam heres judicio universali petitionis hereditatis, repellenda erat, & eliminanda ab ingressu judicii: prout hodie repellendi sunt actores tanquam inadmissibiles per regulam. Quem de evictione tenet actio, eumdem agentem, &c. Eo enim ipso quod ut heredes egerunt, & agunt eo ipso sese excludunt, etiamsi interim docuissent de alio jure proprio aliunde quàm ex hereditate, vel ut heredes Vvilhelmi tertii.

21. De secundo verò alio gravamine liquet, quia per eamdem sententiam dicitur dictas dotes, dotalitia, & sponsalitias largitates fuisse per sententiam præcedentem adjudicatas domino Landgravio: ergo non debebat Landgravius per eadem sententiam condemnari præcisè restituere (prout condemnatus fuit) reservata ei sola actione, & sic excludendo eum à jure retentionis ratione dotis, dotalitii, & sponsalitiæ largitatis per eum, vel patrem ejus ratione & occasione eorumdem feudorum, & bonorum solutorum, & quorum solutio incumbebat dictis sororibus & heredibus agentibus.

22. Cumque solutiones illæ non solùm erant liquidæ, sed etiam per sententiam adjudicatæ, & consequenter jus retentionis liquidatum per sententiam, à qua non fuit provocatum, & quæ transivit in rem judicatam: Sequitur quòd ista sententia anni sesquimillesimi quadragesimi-octavi, non solùm iniqua est & injusta, sed etiam ipso jure nulla, in quantum in jure retentionis denegato, & præcisa condemnatione restituendi, contraria est priori sententiæ, quæ in rem judicatam transierat. Quinimò in sese repugnantiam continet, eo ipso quòd narrant priorem illam sententiam, & se refert ad eam: ex qua necessariò sequitur jus retentionis, & tamen hæc ultima sententia illud excludit, solam actionem priùs per sententiam relatam adjudicatorum reservando, & ad præcisam restitutionem condemnando, & sic eadem sententia repugnantiam continet in seipsa, & consequenter alio quoque modo nulla est, *l. ubi repugnantia de reg. juris.* Repugnantia.

23. Est igitur hæc sententia non solum injusta, sed etiam tripliciter nulla. Tum primò propter evidentem iniquitatem, *c. inter cæteras*, & ibi Panor. Feli. *de re judic.* Jas. *l. si is ad quem col. 3. de acquir. vel omitt. hered.* Franc. Curtius senior *cons. 59. col. 6.* Joan. Amicus *cons. 128.* ubi ampliat etiamsi priùs in rem judicatam transivisset: quia ex quo non liquet de manifesta iniquitate, nulla est, nec nomen quidem sententiæ meretur: quantò magis ubi nunquam transivit in rem judicatam propter revisionem mox concessam? Tum secundò propter repugnantiam, prioribus judicatis, quæ in res judicatas, transierant. Tum tertiò propter repugnantiam in seipsa.

24. Nullitas autem evidens etiam unica, impedit sententiæ executionem etiam summariam, imò etiam triplicis sententiæ, ut tenent Franc. Zabarel. Bonifac. de Vitali. *in cle. 1. de re judic.* Bald. in *l. C. ne liceat tertiò provocare.* Imol. in *l. de pupille, §. qui opus dè ope. no. nunc.* Alex. in *l. 4. § condemnatum col. 2 de re judic.* Franc. Curtius *l. sub prætext. C. de transact.* Dominicus de sancto Geminiano *cons. 24. col. 3. cons. 95. col. 1.* Hieronym. Gratus *cons. 72. cons. 80. cons. 85. lib. 2.* Nullitas evidens impedit executionem etiam triplicis sententiæ.

25. Ex quibus etiam liquet quod pendente causa revisionis, non potest, nec debet hæc ultima sententia exequi per prædicta, maxime propter evidentem iniquitatem. Quòd si de facto exequeretur, posset præfatus Princeps petere executionem dictæ sententiæ anni 1528. adjudicativæ doris, dotalitii, & largiratis solutorum non simpliciter, sed provisionaliter, hoc est sine præjudicio jurium suorum in principali: & hoc si dicta sententia anni 1528. non contineat absolutam adjudicationem horum solutorum, sed mediatè alio onere, vel condemnatione præjudiciali facta adversus dictum Principem. Aliquin si dicta sententia anni 1528. contineret liberam & absolutam per se adjudicationem dictorum solutorum, non esset periculum illius executionem simpliciter petere.

26. Præterea dicta ultima sententia continet aliud tertium principale gravamen, de quo ex actis & dictis liquidò constat videlicet in quantum dominus Landgravius condemnatus est simpliciter & nominatim restituere hæc feuda cum fructibus, sine onere tutelarium actionum, & reliquorum debitorum Vvilhelmo secundo per Vvilhelmum tertium, qui ut se suasque coheredes, videlicet dictas sorores, nec non heredes suos inde liberaret, dictam transactionem fecit: & dictæ simultaneæ investituræ consensit. Si igitur quoquo modo dicta transactio, & investitura, resolvi & aboleri debent (id quod non) sed quoquo modo id fieri posset, vel fieret, necesse erat præfatum quoque Vvilhelmum ejusque secundum filium & heredem reintegrari in pristinis juribus, & actionibus rationum tutelarium reddendarum, & reliquorum solvendorum, *l. unica C. de reputa.* quæ fiunt in judic. quinimò cum de voluntate Vvilhelmi tertii, & dominorum directorum, & contemplatione remissionis horum jurium hæc bona, & castra particularia devenissent in manus Vvilhelmi secundi: sequitur quòd etiam Vvilhelmo secundo, præfatoque Principi ejus filio competit jus retentionis pro dictis rationibus reddendis, & reliquis solvendis, saltem donec in dictis juribus redintegratus esset, deque eorum securitate æque idoneè cautum, prout cautum & tutum erat tempore dictæ transactionis, per text. & not. Bart. in *l. si non sortem, §. in centum. de condict. indeb.* Et tamen per dictam sententiam nullum verbum de jure retentionis, cautionis, vel redintegrationis horum jurium, sed nec actio quidem ad illa reservatur: imò hoc respectu purè, liberè, & absolutè, & sine hoc onere restituere condemnatur: quæ est alia evidens iniquitas ex actis, & productis liquidò apparens, & consequenter alia iniquitas & nullitas per prædicta.

Reputatio.

27. Et ulterius super his advertendum quòd ex quo præfatus Princeps fundatam habet intentionem in feudis & terris, de quibus agitur jure investiturę & contractus particularis transactionis, quæ est facta anno 1495. sine opere pactionum dotalium Vvilhelmi tertii, postea post tres annos contractarum, & de quibus tunc non erat quæstio: si ea transactio & simultanea investitura facta est ad onus dumtaxat, quòd Vvilhelmus secundus teneretur prædictas actiones tutelares, & reliqua sibi debita remittere, quod & fecit: sequitur clarissimè quòd postmodum Vvilhelmus tertius non potuit in præjudicium dictæ transactionis & simultaneæ investituræ contrahendo matrimonium cum Palatina anno 1498. hypothecare bona & feuda de quibus agitur: & sic Vvilhelmus secundus secura posteà conditione suæ investituræ, videlicet mortuo Vvilhelmo tertio sine masculis: imò sine ullis liberis, nihil tenebatur solvere, nec recognoscere pro dote, doralitio, & sponsalitia largitate, ejus viduæ Palatinæ, sed ea debent solvi & dependi per heredes Vvilhelmi tertii, qui tenebantur luere: & consequenter Vvilhelmus secundus grande æs alienum non à se, sed ab heredibus Vvilhelmi tertii, debitum solvit, & potest ab eis repetere jure proprio actionis, etiam citra dictam adjudicationem anni 1528. quingentesimi vigesimi octavi, alioquin bis emisset, seu titulo oneroso bis acquisivisset hæc feuda. Primò in vim transactionis, remittendo tutelares actiones & reliqua sibi debita: quæ nisi remisisset, dictæ sorores & heredes deberent ea solvere. Secundo luendo & solvendo septuaginta quatuor millia aureorum pro dote, & sponsalitiis juribus dominæ Palatinæ, quæ debebantur per dictas sorores & actores: utque per eos debebant solvi & dependi, ita per eos debent (nisi forsan temporis præscriptio, vel aliud in actis transmissis non contentum obstet) restitui domino Landgravio, etiamsi in vim transactionis, & in vim simultaneæ investituræ vincat, & absolvatur, prout absolvi debet, à petitionibus actorum.

Hæc clausula postea detracta fuit usque ad num. 28. in conf. dato tempore dictæ captivitatis.

28. Cæterum in quantum actores in executione dictæ sententiæ potentiores forsan sese dicto Principe propter longam & remoram ejus detentionem ipsis impari arbitrantes, cedi sibi fecerunt jus prætensum, & hactenus neglectum dominæ Mechtildis, quæ semper tacuit, censent præfati subscripti Jurisconsulti dictis actoribus cessionariis ea omnia obstare quæ hactenus de portione Elizabethæ dicta sunt. Et his amplius exceptionem præscriptionis quadragenariæ, quæ plenissimam, in quantum opus est, parit securitatem, *l. omnes, l. ult. C. de præscript. triginta vel quadraginta annorum.* Adeò ut adversus illam nulla sit concedenda, nec speranda in integrum restitutio, ut tradit Alex. *cons. 151. incip. V. so themate suprascripto in fi. cons. 163. v so processu col. 3. lib. 2. & in l. 3. §. Labeo. in fin. de acquir. vel am.* Philip. Dec. *l. 2. C. qui admit. & cons. 29. cons. 554.* tantum abest ut illo edicto potuerit Imperator illam retro (ut fertur) abolere, ejusve, si quod inde jam quæsitum esset, tollere: quanquam hoc remedio in re clara minimè opus est.

29. Sed in quantum actores in vim dictarum sententiarum deducere conantur in jus prætensum, & ex ea nova cessione quæsitum in executione sententiæ, id non solum ineptum, sed impossibile est, cùm nunquàm fuerit in judicium deductum, nec in libello, nec in litis contestatione, nec in sententia comprehensum: & sic omnino necesse esse eos per viam novæ petitionis in prima instantia venire per jura, & rationes latè contentas in consil. Dom. Andreæ Alciati super hoc edito: quæ abundè ad hoc sufficiunt nihil repetendo aut transcribendo. Censemus itaque præfatum illustrem Landgravium æquissimam & justissimam causam favere, & ab impetitionibus actorum tam prioribus quàm novis liberè absolvi debere, nec aliter, salvis veritate & justitia, judicari posse. In quorum fidem propria manu his subscripsimus. Parisiis mense Novembri anno sesquimillesimo quinquagesimo. Sic signatum, *G. Marillac, M. Chartier, C. du Moulin.*

Præfato consilio signato, & sub sigillo meo præfati Principis nuntio tradito, rursus ad finem Martii tunc proximè sequentis, præfatus Princeps primogenitus illustrissimi Philippi sub durissima militari custodia Mechliniæ detenti, duram patris captivitatem conquerens ab adversariis in occasionem rapi negotium suum gerendi, & quibuscumque artibus favoris & potentiæ, quibus prævalebant in aula Cæsaris, ejusque odium in præfatum Principem captivum urgendo ad judicium præcipitandum adeò ut periculum immineret rem non haberi cum justitia, sed cum ejus noverca (præsertim cùm pater in tam remotis, tam infestè à suspectis, & adversariis faventibus detentus, non posset causam instruere, nec plenè defendi) jussit ut omnino & quam copiosè scriberem rationes juris super dicta exceptione carceris, & judicio sustinendo. Jussit etiam me rationes & puncta juris quàm copiosè & concludenter conscribere, quibus evidenter probaretur saltem à restitutione fructuum patrem suum absolvendum: jactabant enim adversarii vix Hessiam & Landgraviatum ipsum sufficturum ad dissolvendum fructus

quadraginta

quadraginta octo, vel quinquaginta annorum. Remisit etiam exemplar præcedentis consilii, detracta periodo incipiente: Et ulterius, à num. 27. usque ad num. 28. versic. Cæterum, ut remota illa clausula (qua tunc uti nolebat) rursus subscriberetur: quod fieri curavi. Sequitur tenor consilii mei, quod licet invitus feci super dicta exceptione carceris, & duplici quæstione.

Idem in effectu consuluerunt octo præcipuæ, imò decem academiæ, videlicet Lypsiensis, Tubingensis, Coloniensis, Heidelbergensis, Ingolstadiensis, Friburgensis, Lovaniensis, Patavina, Aurelianensis, Bituricensis, tempore dictæ captivitatis.

EPITOME CONSILII SEQUENTIS, de exceptione carceris.

1. Carceratus in remotis habetur pro absente indefenso 4. 15. 18.

2. Aut iudex scit impedimentum, & non valet iudicium; Aut nescit, & datur restitutio.

3. Adhuc indistinctè non valet, si nolit admittere excusatorem probare offerentem, & facit litem suam 8.

5. Et quandocumque admitti debet. 10. Sic omnis exceptio reddens iudicium retro nullum. 6. vel annullandum. 7. etiam via exceptionis. 9

11. Defenditur opinio Bar. contra Ias. & Paul. 12. 13. 14.

16. Carcer species torturæ, & gravamen continuum.

17. Etiam in causa capitali carceratis licere debet sub custodia advocatos, forum, & judices adire, instruendæ defensionis causâ.

19. Quamvis sua culpa carcerati sint.

20. Impedimentum excusat, licet incursum culpa; non ad hoc ordinata.

21. Non sufficit quòd quis defendere possit per procuratorem, nisi idoneum, & commodè. 22. 27.

23. In causis arduis nemo tenetur procuratorem mittere. 26.

24. In causa ardua locus esse debet tutus tam domino quàm procuratori.

25. Quando dicatur causa ardua.

28. Bene præsumendum de Principe, & judicibus ab eo commissis.

29. Æqualitas inter litigatores servanda.

30. Mandatum revocatur statu mutato in deterius.

31. In arduis non præsumitur procurator idoneus facilis inventu.

DVPLEX QVÆSTIO.

Vtrum Princeps Romani imperii custodia militari detentus, teneatur litem priùs cœptam vel recens dictatam defendere?

Vtrùm procurator custoditi Principis possit sese prosequendis litibus exonerare post litem ab aliis contestatam?

CONSILIUM XIX.

Visis & diligenter examinatis allegationibus copiosis, & eruditis super exceptione carceris illustris Domini Landgravii Philippi Hessorum Principis Comitis in Katzenelnbogen, consideratis etiam notoriis personarum, & causarum circumstantiis, quæ in dictis allegationibus plenius narrantur, apertissimi & exploratissimi juris esse censemus

1. Hanc exceptionem tam ex persona præfati Principis, quàm procuratorum suorum admittendam esse, judicumque omnino distindendum. Est enim certissima & immurabilis divini & naturalis juris lex, nihil contra absentem, & indefensum disponi posse, nullumque judicium contra eum exerceri: sed quicquid gestum fuerit sive ab inferiori judice, sive etiam à supremo Principe, ipso jure nullum esse, non obstante quavis clausula de plenitudine potestatis, quę nulla est. *c. 1. de causa possess. & proprietat. cle. pastoralis de re judicata*, nec hujusmodi defectus suppleri possunt, Bartol. *in extravag. ad reprimendum in vers. videbitur.* Carceratus autem in remotis detentus absens est, & indefensus, sive procuratorem mittere non teneatur, sive teneatur, sed idoneum habere, & mittere non possit: & hæc est non solum communis, sed etiam concors sententia omnium, & glos. & Doctorum utriusque juris.

Distinctio communis.

2. Qu. an processus & judicium nullum sit vel annullandum? distingunt. Aut judex scivit impedimentum, & ipso jure non valent processibus & sententiæ; aut ignoravit, & tunc per appellationem, vel restitutionem in integrum rescindi debent. Ita glos. Bartol. Paul. Castr. & omnes in *l. quæsitum in verb. judicata, ff. de re judicat. in l. contra pupillum cod. titul.* Bart. in *l. 2. in fine*, & ibi Iason *num. decimo de in jus vocan. & in l. 2. §. qui in judicio*, ubi etiam Angelus, Romanus, Paulus, Alexander, & omnes, *si quis cautio.* Bartolus, Baldus, Salicetus, Paulus in *l. penultima, & quomodo & quando judex.* Matthæus de Afflictis *in decision. Neapol. 182. incipient. Quia regia majestas, num. 7.* Paulus Castrensis *cons. 321. Visis aliis, & allitatis in causa Thomasi, in fin. lib. 1. ad hoc l. 1. in fin. princip. de feriis.*

3. Adhuc etiamsi judex ignoravit impedimentum, si excusatorem illud probare offerentem admittere noluit, processus & sententia ipso jure non valent, ut expressim decidit Bartolus *in dicta l. quæsitum num. 5.* quem alii sequuntur.

4. Et nominatim de incarcerato, quòd processus factus, & sententia lata contra eum ipso jure non valeant, si judex scivit illud impedimentum: alioquin per restitutionem in integrum rescindantur, decidit Bartolus in *l. 2. in fin.* & ibi Paulus & Jason numero decimo de in jus vocando. Bartolus, Baldus, Angelus, Paulus, Alexand. in *l. 2. §. si quis in judicio, si quis cautio. per illum textum à fortiori, qui loquitur in adversa valetudine*, ibi, *qui adversa valetudine impeditus est.* Igitur multò fortius in carcerato, & subdit textus ibi, quòd etiam lex duodecim tabularum jubet diem judicii dilatum esse: Et de constituto in vinculis, vel publica custodia, etiam publica authoritate, textus est in *l. succurritur, & in l. sequenti*, ex quibus causis majores textus in *l. 2.* ibi, *quia sub custodia militari jussu Præsidis detinebaris, idque in veritate esse Præsidi provinciæ probaveris, accipies causæ instaurationem C. ex quibus causis majores.* ubi textus ibi, *Præsidi probaveris*, satis innuit judicem ignorasse impedimentum, & tamen causam instaurandam statuit: & sic apertè sentit ipso jure nullum fuisse judicium, nec

ulla restitutione opus fuisse, si judex tale impedimentum sciviſſet.

5. Imo generaliter lex definit, ubicumque quis ex necessitate non ex voluntate abfuit (prout præfatus Princeps & invitus, nedum in carcere, sed ad semota detrusus est) ei subveniri oportere, text. in *l. sed etsi per Præconem in fine, ex quibus causis majores.* Liquet igitur quòd exceptio hujusmodi carceris, & impedimenti semper opponi potest, & omnino admittenda est: idque necessariò, quia reddit processum, & judicium retro nullum.

6. Omnis autem exceptio, quæ reddit judicium retro nullum, semper opponi, & admitti potest, & debet, ut notatur per Baldum, Salicetum, Paulum, Alexand. in *l. licet. C. de procurator. l. non idcirco, §. fin. de judic. l. 2. C. si à non competen. judic. l. in caus. §. cæterùm de procurator.* Semper enim censetur ab initio opponi: quia inde ab initio nihil actum est, ut inquit glos. 3. *in dicta l. licet.* & ibi Doctores, *C. de procurator.* Alexand. *cons.* 8. *num.* 4. *lib.* 2.

7. Idem in casu quo judicium non esset ipso jure nullum, sed annullandum: quia judex non debet partes sumptibus inanibus vexare contra *l.* 1. *in fine de inoffic. testam.* sed cavere ne faciat judicium inane & elusorium, *l. ultima, ne quid in loco publico.*

8. Quinimò hac exceptione opposita, etiamsi non esset notoria, nisi eam, vel probationem oblatam admitteret, litem suam faceret: quanto magis nisi supersedeat post eam probatam? imò plusquàm probatam, utpote notoriam, idque notorio facti permanentis, adeò ut sciri sufficiat, nec allegari opus sit: quantò fortiùs dum allegatur, & notoria ostenditur?

9. Præterea non solùm jura volunt hujusmodi processum & judicium, data notorietate, vel scientia, nullum esse, alioquin per appellationem, vel restitutionem in integrum rescindi debere, sed etiam sine præsidio appellationis, & sine beneficio restitutionis, dant exceptionem legitimam ad impediendum executionem judicati: text. est rotundus in *l. si Prætor in fin.* ubi Paulus notat, si aut morbo impeditus, aut reipublicæ causa vocatus adesse non potuit reus, puto vel actionem judicati in eum hoc casu denegandam, vel exequi Prætorem ita judicatum non debere, de judiciis.

10. Ex quibus liquet, quod hujusmodi exceptio non merè dilatoria est, sed impræsentiarum peremptoria, imò pluspuam peremptoria: quia reddit omnia retrò nulla, & sic quandocumque opponi potest, etiam in causis jam incœptis, *glos. fin. & Doctores in l.* 2. *C. ex quib. caus. majores.*

11. Cæterum ei quod dictum est processum & judicium factum contra carceratum, esse nullum, si judex sciebat, aliàs per restitutionem annullandum, nullo modo obstat quod Jas. in *d. l.* 2. *num.* 10. *de in jus vocan.* dicit, quòd ipsemet Bar. contrarium tenet in *l. is qui reus c. l. ult. de pub. judic.* videlicet quòd imò carceratus potest citari, & debet comparere per procuratorem: & ad hoc Jas. citat Paul. Castr. in *d. l.* 2. *& in d. l. quæsitum de re judica.* quia Jas. copiæ studens non expendit scripta. Bart. & Paul. quibus immeritam injuriam facit. Bart. enim nullo modo hac in re sibi contrarius est, sed ubique ὁμόφωνος, suique similis: quia in *d. l. is qui reus ad fin. nu.* 26. colligit *ex glos. quod ille*, qui detinetur in carceribus communibus propter aliquam condemnationem, si citatus ibi non comparet, imputet sibi, cùm possit procuratorem mittere: & adhuc Bart. ibi hoc non habet pro absoluto: subdit enim, hoc tangam in *l.* 2. *circa fin. de custod. reor.* quò remittit ubi *in §. qui exhibendi num.* 4. eamdem distinctionem firmat, quam tradiderat in *d. l.* 2. *in fin. de in jus vocan. & in d. l. quæsitum. post glos. & in l. contra pupillum. de re judica.*

12. Nec Paul. in *d. l.* 2. *& in d. l quæsitum.* dicit Bart in hac re sibi contrarium esse: sed dicta ejus pulchrè concordat, & ad usum & praxim reducit, dicens quòd dictum Bart. in *d. l. is qui reus ad fin. de pub. judic.* locum habet duobus concurrentibus, videlicet quòd reus justè in carceribus detineatur, & quòd facultatem habeat mittendi procuratorem: quorum altero deficiente, decidit locum habere sententiam Bart. in *d. l.* 2. *in fi. de in jus vocan. & in d. l. quæsitum,* & ubique videlicet, ut judicium latum à sciente impedimentum, nullum sit ipso jure, alioquin per restitutionem annullandum: quæ concordia bona est.

13. Sed inspiciendo scripta ipsa Bart. in *d. l. is qui reus. num.* 26. *vel sic item per hanc glos. major & plenior apparet concordia*: quia Bart. ibi primò loquitur in detento in carceribus communibus, hoc est ipsius municipii. Secundò, propter aliquam condemnationem, puta multam, quam solvendo exire potest. Tertiò quando reus ibidem, & sic in eodem municipio citatur. Quartò, concurrente facultate mittendi procuratorem idoneum, à quo defendi potest.

14. Ita etiam explicat Paulus in *d. l.* 2. *ad fin.* ubi dicit, quòd Florentiæ procedetur contra eos, qui sunt in carcere communi pro debitis, dicit tamen se vidisse dubitari, an processus & judicium valerent propter præfatam opinionem Bartoli & communem: sed tenet non esse dubitandum, cùm sint diversi casus, & bene.

15. Nos autem hîc notoriè sumus in primo casu, de quo loquitur Bart. in *d. l.* 2. *de in jus vocan. & in d. l. quæsitum de re judica.* & omnes Doctores ubique concorditer, non autem sumus in secundo & particulari casu, de quo tangit Bart. in *d. l. is qui reus ad fin. num.* 26. Præfatus enim Princeps non detinetur in carceribus loci, in quo judicium peragitur, sed in loco ultra quinquaginta milliaria Germanica remoto: non citatur ubi detinetur, sed à loco remotissima, nec habet facultatem mittendi, & instruendi procuratores, nec consultandi, literas & munimenta excutiendi, & ad producendum præparandi, nec alia defensionum subsidia, quibus privatus est. Igitur sumus in priore casu, in quo secundùm omnes glos. & Doctores ubique locum habent prædicta: & sic necesse est subveneri judicium.

16. Quinimò sumus in durioribus & fortioribus terminis: Præfatus enim Princeps non simpliciter carceratus est, quod sufficeret, cùm etiam simplex carcer sit species torturæ, & gravamen continuum, ut inquit Baldus in *l.* 2. *col.* 2. *C. de Episc. audien.* & æquiparatur morti per Baldum *in cap.* 1. *§. denique quæ fuit pri. causa benefi. amit. in usib. feud.* sed ultra hoc cinctus est custodia militari, & ultra hæc, custodia exploratrice, & omnem liberam facultatem consultandi, * susque negotiis interessendi præripiente. Simpliciter carceratus esse, si tantum sub commentariensi servaretur in carcere, turri, vel castro sive stricto, sive amplo, non refert. Simpliciter custodiretur à militibus, si illis comitantibus liceret quò vellet commeare: saltem utilibus, & necessariis, & propriis negotiis intendere, & interesse in loco judicii, tam erga judices, quàm erga suos advocatos, & causam instruere, & superesse instructioni, & defensioni jurium suorum:

17. Prout sæpe in locis ubi jura juridicè & more majorum redduntur, ut Parisiis & in toto regno Franciæ permitti solet etiam ob accusationem capitalem accusatis & carceratis, sub uno, vel pluribus apparitoribus in forum venire, judices adire, cum advocatis & procuratoribus consultare, causam instruere, & his omnibus, quinetiam ipsius causæ actioni interesse, ne veritas opprimatur, & justitia denegetur illic præsertim, unde jura nasci debent, & ne processus & judicium ob defensionem denegatam, vel omissam nullum sit, vel annullandum.

18. Rursus idem Princeps esset tantùm & carceratus, & custodia militari simul detentus, si liberè adiri, audiri à suis, saltem consultoribus & procuratoribus instrui, moneri vicissimque eos instruere turò, & liberè, semotisque arbitris posset: sed cùm omnia cum illo velut in hostico, & in remotissimis agente gerantur,

Carcer gravamen continuum.

* Ut Authori fecit Comes Georgius etiam recens gen. Phil. Landgravii ipsius appellationibus & omnibus judiciis remediis, Montbelgardi, 1556.

& à pluribus eidem infestis, adversariis verò notis, & amicis exploretur, nullus locus est, nec esse potest instruendæ defensioni. Sed nedum unum carceris (quod sufficeret) imò tria, imò quatuor impedimenta, videlicet carceris, secundò custo dix armatæ, tertiò in loco remotissimo, quartò libertatis consulendi, & instruendi per tot, eosque suspectos, & exploratores, ademptæ. Cùm igitur non sit simpliciter carceratus, sed in loco remotissimo, & sub præcura, & exploratrice custodia, in eoque statu, ut defensionis instruendæ non sit illi copia: certum est, & necessariò concludendum hunc exceptionem nunc locum esse, necnon à tempore talis impedimenti locum fuisse, & deinceps quandiu tale durabit, locum futurum esse.

19. Magis obstat quod adversarii causificantur præfatum Principem sua culpa detentum esse: tum quia nullam culpam admisit adversus eos, & sic eorum respectu nulli pœnæ obnoxius est, nec ei ab illis improperari potest: tum quia etiamsi quis sua culpa carceri mancipatus sit, & taliter impeditus, nihilominus hanc habet exceptionem, & locum habent omnia prædicta, text. in *l. 2. C. ex quib. caus. major.* ibi. Si idcirco præsentiam tuam facere non potuisti, quia sub custodia militari jussu Præsidis, detinebaris: ergo ex causa justa, eaque cognita detinebatur, prout juris præsumptio est, quòd judex hoc non infligat, nisi debitè causa cognita, & ex culpa vera, & probata, *l. 2. ibi. Quod non arbitramur. C. de offic. civilium judicum.* Tum alioquin omnia jura prædicta supervacua essent, cùm non soleat talis carcer infligi, sine culpa. Et text. expressior, & in fortior bus terminis in *l. sed & si quis in princ. si quis caut.* ubi loquitur in impeditо comparere, quia rei capitalis damnatus est, & tamen ei propter impedimentum hujusmodi ignoscendum dicit. Igitur multò magis carcerato non condemnato, & quam maximè carcerato non propter crimen, non propter condemnationem, vel punitionem aliquam futuram, sed favore ipsius detinentis, qui proinde putat se facilius, & rutius quædam alia sua negotia confecturum, ut hic. Tum etiam quantumvis alioquin culpabili, defensio etiam commoda, & opportuna non debet, imò non potest denegari, nec coarctari, sed esset contra jus divinum, & naturale.

Distinctio.

20. Tum ita nominatim decidit Guilielm. de Cuneo in *l. 2. § si quis in judicio*, & ibi Bald. *col. 1. si quis caution*, ubi distinguit, quòd aut culpa ordinatur ad impedimentum, & tunc non excusatur quis propter impedimentum, ut pote procuratum, & collusorium, *ut in l. item hi. & in l. & qui data opera, ex quib. caus. major.* & ita dicunt loqui, & debere intelligi, *l. Papinianus, de minoribus.* Aut verò culpa non ordinatur ad impedimentum, & tunc nihilominus excusatur quis propter impedimentum culpa incursum, & idem decidit Bald. ibidem, *col. 2. vers. hoc verum, si talis culpa tendebat ad impedimentum, & sic erat affectata, & procurata.* Idem decidit Angel. Perusi. *in disput. incipien. Bononiensis, co. 8. in quarta quæstione.* Idem expressè decidit Paul. Castren. in *l. sed & si quis, in princ. si quis caution. per illum text.* ad hoc rotundum. Maria Socin. *in tract. de citation. artic. 18. q. 5. num. 8.* & ita in simili decidunt Archidiac. Dominicus de sancto Gemma. Philip. Francus *in c. statutum § cùm verò, vers. non audiens de rescript. in sexto*, ubi tenent quòd etiam relegato propter culpam suam indulgetur spatium: ad hoc etiam text. *in c. quia diversitatem ibi, à qua etsi fuerit sua culpa suspensus, extra de concess. præb.* & ibi Panor. & omnes Canonistæ, quod culposum excusat impedimentum ob culpam inflictum: quia non procedit immediatè ex culpa, sed à pœna culpæ. Idem Geminian. *cons. 42. in fin.* & omnes ubique.

21. Præterea non sufficit quòd quis defendere possit per procuratorem, nisi possit defendere per procuratorem idoneum, & commodè, etiam in casibus, in quibus morbo contico, aut carcere detentus tenetur mittere procuratorem, ut in non arduis ita decidit Bart. in *l. idemque erit per illum text. pro socio.* Angel. & Imol. in *l. si quis instituatur de hered. inst.* Paul. Castr. in *l. 2. §. si quis judicio vers. item: intellige hoc, si commode. si quis caution*, & ibi etiam Angel. Ludovic. Roman. Alex. Jason. *num. 10.* & omnes; Jason. in *l. num. 10. de in jus vocan.* non enim quis tenetur expedire privata negotia per alium etiam ex contractu præcedenti, nisi valde sit idoneus, & æquè commodè text. in *d. l. idemque erit, in princ. ibid.* sed hoc non aliàs, nisi fuerit valde idoneus socius, aut facilis sit abfuturo etiam societatis administratio. Igitur multò minus tenetur quis publica negotia, & judicia experiri, & subire per alium, nisi valde idoneum, plenéque instructum, & æquè commodè, ut omnes Doctores ubique tenent. Ad hoc etiam text. in *l. apos, Proculo de verbor. significa.* ubi non dicimur aliquid posse facere, nisi quatenus commodè possumus, *c. faciat, 22. q. 2. glos. fin. in c. si verè extra de sent. excommunicat.* Paria enim sunt non invenire procuratorem, aut invenire, sed non idoneum: & tunc carceratus, vel etiam bannitus excusatur, ut decidit Angel. Perusi. in *d. disputat. Bononiensis, in quarto quæsito.*

22. Si igitur etiam in casu quo impedimentum, & negotium, de quo agitur, non sit tale, ut impeditum excuset, quin saltem procuratorem mittere teneatur, & tamen excusat, si non potest mittere idoneum, & commode: quantò magis in tanto impedimento carceris, & militaris, & exploratricis custodiæ captivo infensæ, & adversariis favorabilis, & in loco remotissimo, & in causa ardua, in qua nullo modo quis tenetur constituere procuratorem, nec per procuratores tantum comparere.

In arduis non tenetur quis procuratorem mittere.

23. Omnes enim, & canonum, & legum professores ubique tenent, quòd in causis arduis nemo tenetur procuratorem mittere, Bald. in *l. 1. §. usus autem de procurat.* & in *l. 2. §. si quis in judicio, col. 2. si quis caut. & in l. ab eo col. secunda, versiculo quæro utrum absens, C. quomodo, & quando judex text. in l. ultima, C. de procurator. in cap. si pro authoritate, & ibi glos. de offic. delegat. in sexto*, idem Bald. in *l. ab eo, C. quomodo & quando judex.* Imo. & Alexand. in *l. recusare, §. ultimo ad Trebellianum.* Imol. in *l. quæsitum ad Trebellianum*, Bart. in *l. Idem quæritur ff. pro socio.* Aretin. *consil. 16.* Petr. Paul. Parisi. *consil. 102. lib. 4. etiam filiis erat cœpta.* Jason. in *d. §. si quis in judicio num. 12.* etiam nec ad unum quidem articulum, ut ibi Jason. *ad fin. text. in cap. querelam, extra de procurat.* ubi Imol. Joan. Andr. *in novell.* Nicola. Tudisc. & omnes Canonistæ. Matthæus de Afflict. *decisio. Neapolitana. 50. incipien. Judices magnæ curiæ numero quinto.* Marianus Socinus *in tractatu de citatione art. 18. q. 5. num. 6.* ubi proinde

24. Infert quòd in causa ardua locus debet esse tutus utrique, videlicet tam domino quam procuratori. Idem Joan. Imol. in *d. c. querelam, & in l. quæsitum de re judica.* nec obstat quod Jason. in *d. §. si quis in judicio, num. 13.* in contrarium citat. *c. cum olim de testi.* quia Jason. ad apparatum, & copiam id fecit: cæterum stat cum communi omnium sententia: & etiam dictum c. cum olim, non est ad propositum: quia in toto d. c. cùm olim, nullum verbum de impedimento, vel detentione alterutrius partium: & nihilominus ibi text. vult locum esse pariter tam utrisque partibus, quàm eorum procuratoribus securum, & idoneum.

25. Arduum autem dicitur negotium, si agatur de magnis dignitatibus, prout hic agitur de dignitatibus, & imperiis, & regalibus castris, oppidis, Comitatibus, &c. quinetiam inter privatos dicitur

ardua causa, si agitur de toto patrimonio, vel majori parte, *l. propter litem, de excus. tut. c. frequens, de restitut. spoliat. in sexto.* Host. Joan. And. *in d. c. querelam.* Tertiò dicitur arduum, & grave negotium, quod sit intricatum secundum Innocen. & Joan. And. in d. c. querelam, vel causæ ita intricatæ, & involutæ, quòd de facili per procuratorem expediri non possint, ut tradit glos. magna ad fin. *in cap. si agrotans, 5. q. 3. vel* inquit Bald. *in d. §. si quis in judicio. col. 2* quando non plenè cadit in notitiam procuratoris

26. His autem casibus, vel aliquo eorum nunquam tenetur quis comparere per procuratorem, etiam ubi aliàs tenetur suec impedimentum sufficiens est ad prorsus excusandum: quantò magis in impedimento de quo agitur? quod tale est, ut quis indistinctè non teneatur mittere procuratorem, ut decidit glos. Bartol. Imol. & omnes in l. quæsitum de re judic. & in locis præfatis: & adhuc multò minus concurrente non una gravitatis litis causa, sed omnibus causis gravitatis, periculi, & involutionis litis simul concurrentibus, ut non solum præfatus Princeps non possit pro dignitate sua, qualitate, & securitate causæ procuratorem constituere, juxta l. nepos Proculo. de verborum significat. quod sufficeret, etiam ubi aliàs teneretur: sed nullo modo potest idoneum, & sufficienter instructum procuratorem instituere, etiamsi maximè velit.

27. Non enim sufficeret posse constituere procuratorem, nisi posset æquè idoneus, & commodus instrui, & ultra hoc nisi æquè liberè, & ad singulos actus, & terminos litis plenè instrui, *text. in l. rectissimè*, ibi, qui non ultro instruxit, de liberali causa, & adhuc constituturus procuratorem debet priùs poni in plena libertate, in qua liber existens procuratorem liberè ordinare, hoc est, delegare, & instituere valeat, qui suam justitiam prosequatur, text. in c. accedens, de procura.

28. Cùm igitur desit libertas, & facultas plenè instruendi, & multò minùs ad singulos actus, & terminos plenè instruendi, & æquè tutò, æquè securè, sicut in libertate, & præsentia in loco judicii: sequitur necessariò nullam esse copiam defensionis in eo statu, & tam gravi impedimento, quod, etiamsi per se non sufficeret ad excusandum de vadimonio, prout per se sufficit per jura prædicta, etsi nihilominus teneretur præfatus Princeps per procuratores litigare: nihilominus, cùm tam gravis, tam ardua, multiceps, & implicita causa sit, tamque longinqua absentia, tam arcta, & prædura custodia, ut non solùm nequeant æquè idonei defensores constitui, sed nec plenè instrui, sequitur locum esse præfatæ exceptioni impræsentiarum notoriæ, & peremptoriæ. Quare nullo modo diffidendum est imperialem majestatem, cui clementia, & humanitas ipsa præcipuè peculiaris est, *l. imperialis, C. de nuptiis, l. fi. in fi. C. de donatio. inter virum, & uxorem*, hanc exceptionem admissuram, nec aliter facturos existimandum est judices ab ea commissos, *l. nunc. in fin. de offic. præfect. prætor.* nec passuros aliquid contra minùs defensum decerni, præsertim in sua Germania, & adversus Principem illustrem imperii, & in regalibus, & imperialibus dignitatibus, in queis quantò majus est periculum, tantò cautius agendum, *l. 1. §. sed etsi quis de Carbonian. edicto. versi. nam vel magis consulendum est his*, quibus majus periculum intenditur, qualis est notoriè præfatus Princeps, quem omnibus dignitatibus, oppidis, & ditionibus paternis spoliare moliuntur: nam si aliter observetur, inventa erit ratio (inquit ille textus appositissimus) quemadmodum audacissimus quisque (videlicet actores pro conditione temporis superiores) hac occasione abutentes, injuria captivum nullo modo, aut saltem minùs defensum afficiant contra omnia jura divina, naturalia, & humana.

29. Et præsertim contra leges ipsas imperiales, quæ in controversiis judicialibus districtè sanxerunt æqualitatem litigatoribus servari, *l. in factis, §. & quoniam de proximis sacror. scrinior. lib. 12.* C. Spreta autem hac exceptione, nulla esset æqualitas, sed intolerabilis inæqualitas, cùm actores liberi non tolùm plenè, & liberè suos procuratores instruant, quibuscum, & quoties volunt, tutò & secretò consultant, & producenda recognoscunt: sed etiam amicis stipati, judicibus ipsis, & ad omnem occasionem imminent, omnia expiscantur, omnia capiant, prævident, explorant, cavent & omnem invadendi, insidiandi, obrependi lapidem movere possunt, & assiduè movent: quæ omnia, & singula in reo longissimè, & arctissimè detento deficiunt. Cùm igitur in re tam gravi, & periculosa non teneatur reus tam arctè, & longè detentus procuratores constituere, nec in eorum fiducia recumbere: cumque nec eos plenè possit instruere, non tenentur, nec possunt iidem procuratores ulterius in tam gravi, & periculosa causa, præsertim rerum statu tam in deterius mutato, procedere.

30. Ex nova enim causa superveniente, præsertim statu mutato in deterius, mandatum tacitè revocatum censetur, *l. si hominem manda.* etiamsi esset mandatum factum per viam contractus, & à contractu irrevocabili descendens, nec aliàs irrevocabile, *text. in l. cùm quis in princip. de solution.* ibi, tacitè enim hæc conventio inesse stipulationi videtur, si in eadem causa maneat. Jason. Philippus Decius, & omnes in *l. rogasti, §. si fugitivus, si certum petatur.* Franciscus Ripa, *in repetitione legis ultimæ, quæstione quinquagesima, C. de revocandis donationibus*, quantò magis mandatum ad lites sui natura revocabile, præsertim cùm procuratores ad lites non possint, nec debeant in causa procedere, nisi plenè, prout qualitas causæ poscit, instructi: quia instructione deficiente, mandatum hujusmodi sui natura cessat: nec debent, aut possunt procuratores cogi anceps subire periculum, *l. videamus de in litem jurando.* Tum etiam in dubio non præsumitur procurator idoneus, & instructus in gravi causa. Et impeditus etiam aliàs obligatus mittere procuratorem, ut in non arduis, non præsumitur invenire de facili procuratorem idoneum; sed actor contumaciam accusans tenetur hoc probare, ut decidit Bart. in *l. idemque erit, pro socio.* Philippus Decius, *in consilio quadringentesimo trigesimo, numero secundo*, quantò magis in arduis, & in tam arctè, & odiosè in remotissimo lòco detento? Ex quibus clarissimè concluditur præfatæ exceptioni carceris impræsentiarum locum esse, nec procuratores rei posse, aut debere ulterius in causa procedere, & multò minùs cogi posse, tali impedimento durante. C. M. I. C. P.

EPITOME CONSILII SEQUENTIS, super bona fide.

1. *Bona fides præsumitur in possessore, nisi contrarium probibeatur.*
2. *Etiamsi lucrativam causam habeat.*
3. *Etiamsi errore justo.*
4. *Etiamsi nec de titulo, nec de errore, appareat, si triginta annis possidit.*
5. *Præsumitur bona fides interventu consanguineorum.*
6. *Et in his, quæ fiunt palàm.*
7. *Et in his, quæ fiunt authoritate superioris.*
8. *Et intervenientè authoritate sententiæ.*
9. *Tum propter opiniones, & consilia Doctorum.*
10. *Tum in his, quæ solita sunt fieri.*
11. *Valet pactum inter nobiles, quòd fœminæ certis eorum terris non succedant.*

CONSILIUM XX.

QUamvis supervacuum sit jura, & authoritates allegare pro adserenda bona fide illustrium Principum Landgraviorum, attentis simultaneis investituris Vvilhelmi secundi, & Vvilhelmi junioris transactione ex causa onerosa, consensu, & interventu consanguineorum, & illustrium Principum facta, rursus consensu, & approbatione Herbipolensis Episcopi directi, feudalisque domini, investitura, & confirmatione strenuissimi Imperatoris Maximiliani, & temporis plusquàm longissimi continua possessione: tamen ut adversariorum protervia retundatur, & quàm sit ridicula nulli non liqueat, juxta *l. jam dubitare in fin. de hæred. instit.* prodeant vulgares, & probatæ juris regulæ.

1. Prima, Bona fides præsumitur in possidente, nisi contrarium evidenter probetur: *text. in l. pen. C. de evicti l. super servis, C. qui militare possunt, vel non lib.* 12. *l. versus de probatio. glos.* Imol. Panormit. & omnes in *c. si diligenti, de præscriptio.* Alexand. *cons.* 200. *Viso & discusso. col.* 1. *lib* 2. *cons.* 75. *Visis & ponderatis col. pen. lib.* 4. Franc. Curtius senior *cons.* 82. *col.* 2.

2. Etiamsi possessor lucrativam causam habeat, & de sola longi temporis præscriptione agatur, text. ibi glos. & Doctores in *l. super longi, C. de præscript. longi temp.* Etiamsi verum titulum non habeat, sed putativum tantùm, Bart. & omnes in *l. Celsus, de usucapio glos.* Imol. & omnes canonistæ in *d. c. si diligenti.*

3. Etiamsi ex errore injusto, *l. igitur §. potest de libera causa*, Bart. & alii in *d. l. Celsus.* Felin. & alii in *d. c. si diligenti.* Bald. in *l.* 1. *C. ubi causa stat.* Alexand. *cons.* 125. *col.* 3. *lib.* 4. Felin. *c. cum contingat. col* 5. *de rescript.* Jas. *l. si quis id quod not.* 7. & ibi Philip. Decius *col.* 5. *de jurisd. omn. ind.*

4. Etiamsi nec de vero, nec de putativo titulo appareat, nec de aliquo errore justo, vel injusto: si tamen est possessio triginta annorum, ex ea sola bona fides præsumitur, ut tradit Bart. *in l. fin. C. unde vi* quem omnes sequuntur limitando, *d. l. fin. lib.* 7. Jas. *cons.* 57. *col. fin. cons.* 72. *col.* 2. *lib.* 1. *cons.* 109. *lib.* 2. Anto. Rubæ. *cons.* 75. Matth. de Afflict. *dec. Neapol.* 40. *num.* 12. Philip. Deci. *cons.* 266. *in fin. cons.* 558. *in fin.* Quantò fortius hic ubi etiam de quadragenaria possessione, & ultra constat? & adhuc de titulo non putativo, sed vero, & adhuc geminato, imò tergeminato? & adhuc non lucrativo, sed oneroso? Nemo autem prædo est, qui pretium numeravit, inquit text. in *l. etiam §. si quis sciens de petit. hæredita. in l. nemo prædo. de reg. juris.*

5. Et adhuc cum interventu consanguineorum, amicorum, & illustrium principum: unde vel omnis suspicionis causa ab initio sublata est, *l. transactionem*, & ibi Bald. Salic. & omnes, *C. de transact.* Alexand in *l. si cùm dotem, §. eo autem tempore col.* 3. *soluto matrim.* Bart. & alii in *l. frater à fratre col. pen. de de condict. indeb* Bald. Paul. Jas. in *l. Paul. C. de his quib. ut indig.* Bald. in *c.* 1. *col.* 8. *qui fend. dare possunt.* Curtius senior *cons.* 43. *col.* 4.

6. Et adhuc palàm, & sub vexillis; quod autem palàm factum est, præsumitur bona fide, & licite factum, etiamsi gestum sit à persona prohibita, *l. cum ipse, C. de contrab. emptio. & venditio.* Bart. *l. pen. de condit. indeb.* Bald. *l. quod autem de donat. inter vir. & uxor.* Joan. Andr. *in additione ad Speculat. de instrum. edito, §. nunc verò aliqua in ver. §.* 1. *num.* 77. *in fin.* Joan. Imol. *l.* 2. *§. tutor. de usucap. pro empto.* Philip. Deci. *l. singularia, num.* 8. *cum seq. si cert. peta.* quanto fortius inter non prohibitos, ut hic?

7. Et adhuc fortiùs concurrente authoritate, & approbatione tum patroni, dominique directi, tum supremi judicii, & imperialis majestatis, adeò ut etiamsi esset actus recens, & possessio etiam unius diei, tamen bona fides non solùm præsumeretur, sed etiam probata esset ex parte Landgraviorum: ita quòd non essemus in terminis simplicis præsumptionis bonæ fidei, sed in terminis veræ & probatæ bonæ fidei.

8. Quæ etiam multò magis præsumitur, imò probatur interveniente authoritate rei judicatæ, pro qua non solum præsumitur, sed etiam est præsumptio juris, & de jure, quæ etiam dispositionem, & titulum inducit, ut tradit Alexand. & omnes in *l. Pomponius, §. si jussu judicis, de acquir. vel amit. possess* habetur enim pro veritate, *l. res judicata de reg. juris, l. ingenuum de statu hom. l.* 1. *cum l. seq. de lib. agnos.* Sed per sententiam anni sesquimillesimi vicesimitertii, à qua non est provocatum, sed partes conveniunt in illis verbis dispositivis. Exceptis feudis masculinis, & illis bonis, quorum fœminæ non sunt capaces. Terræ de quibus agitur, fuerunt adjudicatæ Langgravio, exclusis adversariis, sive sint feuda masculina, ut esse constat per investituras, sive etiam essent allodia, sed per investituras simultaneas, vel conventiones fraternitatum masculis domus Landgraviorum affecta.

9. Cum autem ea exceptio apposita sit in verbis dispositivis, disponit: & sicut Elizabetha vocatur ad bona communia, & merè hereditaria fratris sui, ita excluditur ab aliis bonis, sive fœminæ sint incapaces jure communi ob qualitatem feudi, sive jure contractus: non solum enim à feudis excluditur, sed etiam ab aliis bonis quoquo modo masculis affectis. Ibi, & illis, ubi copula, &, juncta relativo, vel demonstrativo, illis, auget, & ampliat, *l. ea tamen adjectio de legat.* 3. Lancel. Deci. *l. omnes populi, col.* 2. *de justit. & jure.* Alexand. *cons.* 80. *col. ult. cons.* 120. *col.* 1. *lib.* 1. *cons.* 14. *num.* 1. *lib.* 7.

10. Accedit quòd cùm etiam unius Doctoris insignis opinio justam causam bonæ fidei inducat, ut tradit Imol. in *Clem.* 2. *de reb. Eccles. non alienan.* Philip.

Corneus, *conſ.* 138. *in præſentia*, *col. ult. lib.* 2. multò fortius opinio unius collegii, ut tradit Parnom. in *c. prudentiam*, *in princ. mor.* 3. *de offic. deleg.* Lancel. Galiaula in *repl. centurio*, *col.* ci. *de vulg. & pupil.* Curtius ſenior *conſ.* 56. Philip. Deci. 615. *col.* 2 ſed non unus ſolus And. Alciat. & Petrus Amicus, & quàm plures celeberrimi: unicum collegium, ſed omnia fere totius Europæ juridica collegia cenſuerunt præfatum illuſtriſſimum Landgravium, non ſolum bonam fidem, ſed etiam juſtiſſimam cauſam habere.

Simultanea inveſtitura.

* 11. Præterea dicta ſimultanea inveſtitura non fuit exemplum recens, & inſolens, ſed ab antiquo ſolitum, & uſitatum inter principes, & magnates Germaniæ; quinetiam in eadem domo, familia Henrici Langravii, & ſoceri ſui. Quod autem ſolitum eſt fieri, non ſolam malam fidem, dolum vel delictum excluſit, ut per gloſ. Panor. & alios in *c. cùm venerabilis*, *de conſuetud.* Bald. in *c. 1. ad fin. de feuds cognition. in uſib. feudo*, *& in rubr. extr. de fide inſtr. col.* 1. Alexand. *conſil.* 59. *lib.* 3. Jaſ. *l.* 1. *in princ. quod quiſque juris.* Hier. Gratus *conſil.* 49. *col.* 2 *num.* 16. *lib.* 2. ſed etiam omnem culpam excluſit, Bar. *l. ſi pignore*, §. *fin. per ibi tam text. de pignerat. actio.* Bald. Salicet, *in l. pignus C. eod. imò etiam actum ab initio validum facit*, *l. vel univerſorum*, *de pignor. actio.* Ludovicus Romanus *conſ.* 94. *Viſis his*, *col. fin.* Philip. Decius in *l. pactum curatoris in fi. C. de pact. quinetiam conſuetudo familiæ obligat.* Jaſ. *l. ſi quis à filio*, §. *fin. de legat.* 1. *conſ.* 46. *col.* 2. *lib.* 1. & facit actum validare, Joan. Andr. in *additio. ad Specul. de inſtrum editio*, §. *compendioſè*, *verſic. ſed nunquid*, Angel. Imol. in *l.* 3. *de teſtam.* Guido Papæ *conſ.* 131. *col.* 8. Carol. Ruinus *conſ.* 38. *num.* 8. *lib.* 1. Albert. Brunus in *tertio vol. ſtatuto in verſic. parentela.* Franc. Curtius in *tract. feudo par.* 3. *num.* 10. Et in terminis, quòd non ſolùm conſuetudo.

Conſuetudo familiæ.

12. Sed etiam pactum nobilium quòd fœminæ non ſuccedant in eorum terris, non ſolùm introducat bonum finem, ſed etiam ſtatim valeat, & liget, tradit latè Bart. in *conſil.* 72. Ex facto proponitur Carolus Ruinus *conſil.* 40. *lib.* 1. Philip. Dec. in *l. pactum*, quod dom. *tal. C. de pact. conſ.* 184. *conſ.* 225. *col.* 3. Oldra, *d. q.* 19. Angelo Pecuſin. *conſ.* 179. *Viſis prædictis inſtrumentis*, *col.* 2. ubi loquitur de mutua hujuſmodi conventione fraternitatis inter milites Germanos: Egidi. Bellamera *conſ.* 17. & latè Ludovicus Gozadi *conſ.* 87. Doct. And. Tiraquel. *de jure primigenio*, *q.* 6. *num.* 13. Hactenus ſcripſi, & ſub ſigno, & ſigillo meo tranſmiſi.

13. Sed paulò poſt renuntiatum mihi præfatum Principem rurſus cauſa cecidiſſe in eadem Curia Auſtriaca Auguſtæ, & etiam ad reſtitutionem fructuum ab anno ſequimilleſimo condemnatum, Auguſtæ Rheticæ die 14. Martii, anno ſeſquimilleſimo quinquageſimoprimo, incipiendo à Nativitate Domini. At optimus maximus Deus opem feret, & verſiculo Pſal. 82. reſpondebit verticulus penult. ejuſdem Pſalmi, & fraude partam captivitatem, gloria majore commutabit, ut interim præteream, quæ Leo I. & Anthemius ſanxerunt in *l. decernimus*, *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* illuſtriſſimum quoque illum heroa Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem dignitati, ditioniquæ ſuæ, unde religionis, & libertatis Germanicæ cauſa ad tempus, (ut probaretur) cecidit, reſtituet. Ecquis tantum fortitudinis, patientiæ, & conſtantiæ in ejus pectore ſediſſe, qui mortem potiùs, & ignominiam, & quidvis (quàm verbum Dei, vel tantillum relinquere, vel prodere) ſubire voluit, exiſtimaſſet, niſi in calamitoſa illa captivitate tam urgens tentatio toties victa docuiſſet? Tantus eſt ſplendor virtutis, ut inimici etiamnum ſummis eam laudibus vehant, ut præteream quàm heroïcis encomiis patrem ejus proſequatur (quanquam de Carolo Auſtriaco nimis meritum teſtetur) Magnus Eraſmus Epiſtolarum *lib.* 3. *Epiſt.* 4. *incip.* eximir. Rurſus cùm paulò poſt prædicta tranſmiſſa, quidam amicus præfati Principis, ejus vicem erga me queſtus, dixiſſet Naſſavienſes jam de tribus ſententiis conformibus gloriari, videlicet de ſententia anni ſeſquimilleſimi vigeſimi tertii, lata rebus integris, & ante captivitatem Principis, quam (velut exceptione per liquidationes captivitatis tempore factas non congruente) computant ſibi pro prima, quamvis expreſsè contra eos militet, ut patet etiam per conſilia Philip. Decii, & Carol. Rumi, & aliorum, de quibus in *præfat. num.* 8. ſecunda verò anni 1548. de qua in *præfat. num.* 19. *& conſ.* 1. *num.* 11. Tertia verò etiam Auguſtæ, in eadem Curia Auſtriaca lata decimaquarta Martii, anno ſeſquimilleſimo quinquageſimo primo, incipiendo à Januario, quamvis ſecunda illa ſit prima per nor. ſuprà in præfat. num. 20. illico vocato amanuenſi ſequentia ex tempore, & ἐξ ὑπογραφῆς dictavi, & tradidi, ſi fors adverſus imminentem injuriam uſui eſſe poſſet, ut ſequitur.

Joannes Fridericus Dux Saxoniæ.

EPITOME CONSILII SEQUENTIS.

De ſuſtinenda executione.

1. *Sublata appellatione, non eſt ſublata reſtitutio in integrum.*
2. *Etiam per tres diffinitivas conformes.*
3. *Et earum executionem, ſi liquida eſt, impedit.*
4. *Præſertim ſi executio non eſt reparabilis.*
5. *Etiam poſt tres diffinitivas de nullitate excipi poteſt.*
6. *Nullitas evidens eſt ſive ex actis, ſive ex aliis indubitatis.*
7. *Manifeſta iniquitas nullitatem inducit.*
8. *Judex ſciens impedimentum rei, nulliter procedit.*
9. *Sententia lata contra vaſſallum non nocet agnatis, vel alijs jure contractûs ſuccedentibus.*
10. *Idem de tranſactione.*

CONSILIUM XXI.

De ſuſtinenda executione.

Etiamſi (ut fertur) tres ſint ſententiæ conformes, à quibus non licet appellare: tamen hac in re ex materiæ ſubjectæ circumſtantiis plura ſuperſunt legitima remedia.

Reſtitutio in integrum.

1. Primum reſtitutionis in integrum, quoniam licet appellatio ſublata ſit, etiam non ſpeciali reſcripto, ſed jure communi, putà propter tres ſententias conformes: tamen non eſt ſublatum remedium reſtitutionis in integrum, quod etiam nunquam auferri cenſetur, ut tenent Jaſ. Philip. Deci. Alciat. *in l.*

postquam liti, super glos. fin. C. de past. Ludovic. Roma. *cons.* 325. quoad primum, *col. fin.* Socin. *l. qui duos col. 6. de reb. dub.* Jas. *l. si infans, in fin. C. de jure deliber. l. 1. col. 6. num. 10. de jurisd. omn. judic.*

2. Et nominatim, quòd non sit sublata propter tres diffinitivas, tenent Bald. Salicet & alii *in l. unica, C. ne liceat in una eademque causa tertiò provoc.* ubi tenent, quòd si causæ restitutionis in integrum sint liquidæ, vel prompte probari queant, executionem sententiarum impediri. Idem tenent Imol. Cardin. Panor. & alii *in Clc. 1. de re judica.* Porrò causa restitutionis in integrum est detentio carceris rei minùs ob id defensi, & hæc in corpore juris continetur, & approbatur specificè *in l. jucenrritur, cum l. seq. ex quib. caus. maio. & aliis juribus, & rationibus contentis suprà cons. xix. super exceptione carceris.*

3. Et quòd hujusmodi restitutio ex hac causa impediat executionem rei judicatæ, text. est rotundus, *in l. si Prætor, in fi. de judici.* Ita etiam tenent omnes Doctores in locis præfatis, & ubique. Atqui non solum ex hac causa restitutio competit, sed etiam ex multis aliis simul concurrentibus, quæ in præfatis consiliis: ita ut in præsenti non solum dicatur, si qua aliqua mihi justa causa videbitur, in integrum restituam (quòd tamen Prætori ipsi, & omnibus Jurisconsultis, & summo legum latori Justiniano Imperatori sufficiebat) sed etiam dici potest, multæ simul concurrunt justæ causæ; ita ut æquitas non solum suggerat, sed etiam exigat restitutionem.

4. Præsertim cum periculum subsit ne executio sit irreparabilis propter castra, & loca munitissima: igitur per no. in fortioribus terminis per Paul. & Alex. in *l. naturaliter, §. nihil, commune, col. 11. de acquirend. vel amittend. possess.* Cæpola cautis criminalibus, *cons.* 60. Anton. Rube. *in repet. §. morte, l. non solum, num. 478. de operis novi nunciation. & cons.* 13 *col. ult.* Alber. Brun. *cons.* 12 *col.* 11. *cons.* 22. *in fin.* Caro. Rui. *cons.* 38. *lib. titii retigi in consuet. Parisi. tit. iii. in rub. num.* 20. *& super stylo Curiæ Parlamenti*, c. 18. §. 10. Nicol. Boeri. *decisio. Burdeg.* 238. *col. iv.* Et in sustinenda executione rei judicatæ Uldaricus Zasius, *l. iv. §. condemnatum, ff. de re judica.*

Nullitas. 5. Secundum remedium nullitatis: quia de nullitate excipi, vel etiam agi potest, etiam post tres diffinitivas, ut est text apertus *in d. Clc. 1. de re judicat.* & nullitas evidens, vel quæ in continenti probari offertur, impedit executionem, ut decidunt omnes Doctores, *in d. l. unic. C. an. liceat una eademque causa tertiò provoc. & in d. Clc. 1.*

Evidens. 6. Nullitas autem evidens est primum quando ex actis resultat: secundò quando ex aliis indubitatis ostenditur. Sed hic etiam ex actis, & tenore investiturarum liquet: & sic non est dubium etiam executionem impediri posse, ut nominatim tenent Joan. Imol. *in l. de pupillo, §. qui opus de op. no. nuntia.* Oldra. *cons.* 108. Geminia. *cons.* 24. *col. iii. cons.* 75. *col. i.* Philip. Corn. *cons.* 204. *lib. ii.* Alex. *lib. iv. §. condemnatum col. ii.* & ibi Jas. & alii *de re judica.* Fran. Curtius *in l. sub pretextu, C. de transac.* Jac. *cons.* 44. *col. 1. lib. iii.* Philip. Franc. *in c. dilecto, q. ii. in fi. de appellatio.* Alcia. *de verbor. significat. lib. 1. pag.* 21. Hieron. Grat. *cons.* 80. *cons.* 85. *lib. ii.*

7. Præter nullitatem ex actis, & investituris, quæ manifestam iniquitatem arguunt, ex qua insurgit nullitas, ut est text. *in c. inter cæteras, de re judic.* ubi omnes Canonistæ, & Franc. Curtius senior *cons.* 59. *col 6.* Ioan. Ant. *cons.* 124. est alia nullitas notoria.

8. Sciebant enim judices impedimentum plusquam sonticum rei: & tamen eo sprero, processerunt, & sic nulliter, text *in l. quæsitum*, ibi, res non videtur judicata, *de re judicat.* & ita tenent omnes glos. & Doctores ubique, & dixi suprà *cons.* 19. *super exceptione carceris, num.* 2. Et ultra ibi citata: ita tenet Robert. Maranta Hispanus *in tractatu de ordine judicii, part. sexta num.* 107. *num.* 114.

Intercessio. 9. Tertium remedium intercessionis illustris domini Vvilhelmi, & aliorum filiorum masculorum Principis. Feuda enim militaria, & masculina sunt, & sic filii vocantur, ut filii masculi: quod si fors excluderentur, ut filii condemnati, tamen admittuntur de integro, ut agnati, quibus sententia lata contra vassallum non nocet: quoniam non habebat potestatem alienandi, nec disponendi, cum non essent feuda hereditaria, sed jure contractus, & investituræ deferantur, textus in capitulo unico, de feudo Marchiæ, vel Ducatus, vel Comitatus. Ibi per investituram patris vel filii, quem notant omnes Feudistæ ibi, quod non ut hæres, nec jure hereditario, sed jure contractus, & investituræ filius succedit. Igitur sententia lata contra patrem, filiis non nocet. Franciscus Curtius senior *cons.* 48. *col. tertia.* Alexander *cons.* 29. *numero tertio, cons.* 44. *numero tertio, libro primo, dixi etiam super consuetud. Parisi. nf. §. 22. q. 25. num.* 85. Meritò igitur possunt intercedere, ne ea feuda, præsertim regalia, occupentur.

10. Quid quod etiam suo jure vendicare possunt? Cùm igitur actionem habeant ad vendicandum, multò fortius exceptionem, *l. 1. de superficiebus*, cum etiam vivo patre domini esse, & possidere censeantur, *ut gl. fi. & omnes Feudistæ, in c. unico de feudi cognitione, in usibus feudorum*, & quòd nec agnatis quidem sententia, vel transactio præjudicet tradunt Andreas de Isernia, & Alvarotus in *§. si vassallus*, si de feudo contentio fuerit inter dominum, & agnatos vassalli Iacobus de sancto Georgio in *investitura feudali, ver. & cum pacto.* Hactenus dumtaxat, & adhuc nimium scripsi: quia non favore adversariorum rationes meæ quantumvis concludentes, & apertæ, non fuerunt exauditæ: sed mox alia solaque potenti, & efficaci, nempe virgula sua divina, Deus succurrit, Landgravii dumtaxat domum, sed universalem Germaniam diuturno jam tyrannidis jugo liberaturus, pristinæque politiæ libertatem longe augustius unà cum Ecclesiæ suæ amplificatione *& τὰς πρώτας πολιτείας* restituturus.

Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli sapienti Deo honor, gloria in sæcula sæculorum, Amen. Isque exercituum Dominus det Christianissimo Francorum regi Henrico II. suisque illustrissimis confœderatis, gratiam, & pacem, suæque Franciæ, & Germaniæ sanctissimis, & antiquissimis amicitiæ cognationisque nexibus invicem devinctis pacem fœlicitatemque perpetuam.

EPITOME CONSILII XXII.

2. *Copula, Et addit &, auget æquè principaliter aliud de dictione, cum.*
3. *Copula* Et, *non stat expositivè, sed copulativè.*
5. *Plus est factis quàm verbis dicere.*
6. *Res clara non sit dubia negatione, aut sophisticatione frivola.*
7. *Sententia intelligenda est secundùm acta probatoria.*
8. *Qui de innocentia confidit, festinat ut veritas inquiratur.*
9. *Verba sententiæ secundum ius intelliguntur.* 10.
11. *Et maximè ne ea quæ sunt iuris publici lædantur.*
12. *Dignitates imperii non sunt in commercio, nisi per investituras.*
14. *Vulgare notoriorum Italiæ dubium Latinè exponendum est.*
15. *Phrasis linguæ in quam, & non ex qua servanda est in versione.*
16. *Sorori non debetur legitima, nec competit querela inofficiosi, nisi contra turpem personam.*
17. *Non requiritur consignatio, nisi ad finem liberationis ipso iure.*
18. *Feuda non sunt hereditaria, nec veniunt in petitione hereditatis.*
19. *Filius qui non potest capere feudum, nisi adeat hereditatem, tamen non habet feudum tanquam hæres, nec pro portione hereditaria, sed viriliter iure feudorum.*
20. *Heredes militares, & patrimonii differunt.*
21. *Feuda dignitatum imperii non transeunt ad fœminas, nec ea quæ data sunt generi, vel posteris.*
22. *In quibus patre remoto de medio statim fuit locus filio.*
23. *Alienatio feudi non tenet ad vitam vassalli sed statim redit ad dominum, vel ad agnatos.*

CONSILIUM XXII.

VIsis & diligenter examinatis prolixis allegationibus actorum, & defensione rei, cedentibus actoribus quòd ad feuda masculina nulla supereſt controversia, nisi de feudis, comitatibus, dominiis, & terris quæ jure publicarum conventionum, fraternitatum, consuetudinis, transactionum, confirmationum, & investiturarum imperialium adfecta sunt agnatis, & masculis domus Hesicæ, quas conventiones, fraternitates, consuetudines, &c. dicunt actores abolitas, & resecatas esse per sententiam,

1. Non impugnant dictas conventiones, fraternitates, &c. ex defectu potestatis, aut voluntatis disponentium, nec ex defectu materiæ vel formæ, nec ex alio vitio intrinseco, vel extrinseco: sed dumtaxat per superventum judicium sententiæ, in qua sola nituntur. Atqui nullum fundamentum habent in sententia, quæ planè, propriè & simpliciter, sine sophisticatione lecta, & inspecta, etiam dictas publicas conventiones, fraternitates, &c. approbat, & ab omnibus ditionibus in eis contentis, nedum à feudis masculis eos excludit, ibi. Exceptis feudis masculis, & bonis quorum fœminæ non sunt capaces: quæ sola est clausula controversa.

2. Atqui clarum est quòd copula. *Et*, addit & auget, idque æquè principaliter, Et, quamvis conjunctio *Cum*, non semper æque principaliter, sed sæpius accessoriè conjungat: tamen conjunctio *Et*, semper æquè principaliter, ut tradunt Bar. Bald. & alii *In l. Titiæ textores, §. nihil interest in l. si cui legetur de leg.* 1. Ergo necesse est esse duo capita æquè principalia, sive duo membra, vel duo genera bonorum æque principaliter excepta.

Copula, Et. 3. Confirmo: quia natura, proprietas, & ἐφεξῆς copulæ *Et*, est ut non stet declarativè, seu expositivè, sed copulativè, tanquam inter diversa gl. Bar. Albe. in *rub. de jur. & facti ignor. tex. in l. si is qui quadringenta in princ.* & ibi Bar. *de reb. dub.* Cæpol. *cons.* 17. *col.* 4. Nicol. Everar. in *locis leg. in loco a natura cepulæ col. pe.* And. Alc. in *l. sæpe. ver. conjunctis de ver. sig.* mera ergo, & palpabilis sophistia est, velle hîc exponere, &, per id est, id est corrumpere partem sententiæ, & verba superflua facere. Sunt ergo necessariò duo genera bonorum à quibus actores excluſi sunt per dictam sententiam, ut eis necesse esset in executione probare quænam bona ex successione universali Vvilhelmi tertii tempore mortis ejus relicta possidebantur per Philippum Landgravium, id quod ostendere non potuerunt, quia princeps nihil possidet de feudis & terris, quæ fuerunt Vvilhelmi tertii, nisi titulo particulari transactionis, & investituræ, de quo docet. Docere ergo debent actores, vel ostendere bona ex dicta successione universali Vvilhelmi prætensa ibi gl. & Doctores in §. *curare Instit. de actio. gl. l.* 1. *verſ. & perinde ver. in prima*, & ibi Bars. Bald. Sali. Alex. Jaſ. *ff. de eden.* Pe. Jac. in *prac. tit. de petit. har. col.* 4. *text. l.* 1. *§. si quo tempore de pet. hered. l.* 1. *§. ult. pars hered. pet.* Bal. *l.* 2. *col.* 1. *C. de sentent. quæ sine cert. quanti. profer. glos.* Panor. in *c. significantibus de lib. oblat.* ut ergo actores non possunt niti in instrumentis dictarum contentionum, &c. nec in meritis causæ: multò minùs fundari possunt in dicta sententia, quæ contra eos, & pro reo clarissima est.

4. Et tamen jam victi authenticorum instrumentorum documentis, & meritis causæ, & ipsa plena luce veritatis, & juris quod suberat ante sententiam, solam sententiam attrectant, imò unicum verbulum, & monosyllabum *Et*, quòd è sententia eradere nituntur, & hac arte clarissimum ejus sensum invertere. Ad quod duplici arte utuntur. Primò operosa, & affectata prolixitate, ut sensus judicum partim aliorsum tracti, partim nimio fastidio obruti, tenebris involvantur sepulta, vel saltem in discrimen abrepta veritate. Sciunt enim actores superflua altercatione veritatem amitti, aut his tenebris offusis minùs cerni.

5. Secundò, subdolis, & accersitis cavillis, hisque non à rei veritate, nec à merito causæ tractis, sed à sola captatione verborum sententiæ, imò unius monosyllabi. Atqui scopum rectè, & apertè petendo, aut ea clausula sententiæ clara est pro intentione actorum, aut est clara pro intentione rei, aut est dubia. Primum dici non potest, ut res ipsa, & veritas sese ostendit, idque etiam actores, si non verbis, tamen factis ipsis prolixè, & operosè, & luculentissimè fatentur, quod plus est, quàm verbis dicere, *l. si tamen §. ei qui de adilit. edict.* Bald. *l. non ignora. col.* 1. *C.*

qui

qui accusat. non poss. Quorsum enim quatuordecim præsuppositiones, deinde tam operosa, & affectata verborum, cavillorum, & formalitatum fundatio, & redundantia, si res pro eis clara esset? Sufficeret enim nudum textum sententiæ, vel dictæ clausulæ proponere. Clara enim veritas sese ostendit, nec ullo verborum adminiculo indiget, *l. 1. C. si minor ab hered. se abstinuerit*, *l. 1. de minorib.*

6. Quòd autem secundum dici possit, & debeat, res ipsa clamat. Legatur textus dictæ clausulæ, & sufficit ad intentionem rei: non enim textus tam clarus, & apertus sit dubius, aut curvus negatione, vel sophisticatione frivola actorum: glos. & Doctores, *l. plures apochis, C. de fide instrument. glos. in l. pater de dolo excepti ne*, Bald. *l. unic. col. 2. C. de sententiis quæ pro eo quod ante rest.* & appositissimè ait Salicetus in *l. cum te. C. de probation.* quòd per sophisticationes verborum non immutatur dispositio juris. Joannes Andreas in *c. infamibus de regul. juris, in sexto, in mercuria.* Tertio casu non ad sophisticationes, impropriationes, & inversiones verborum (ut actores hoc tantùm faciunt) recurrendum,

7. Sed ad ipsam rei veritatem, id est ad ipsum jus, quod erat ante sententiam, ad instrumenta, & documenta meritum causæ continentia, & ostendentia, quantumvis ab aliis actores sibi malè conscii, velut à severo, recto, & bene instructo judice noxii refugiant. Sententia enim intelligenda est secundum acta, scilicet probatoria text. & glos. in *l. si quis ad exhibitionem de except. rei judicat. in l. quotiens in princ. de suspect. tutor. & meritum concernentia.*

8. Tum qui de innocentia confidit, festinat ut per ea veritas inquiratur, ut inquit Baldus *de crimine, C. de adulter. & in c. licet causam, col. ultim. extra de probatis.* Non autem confugit ad alia emendicata suffragia, nec è campo cognoscendæ veritatis, & æquitatis ad aucupia verborum refugit, ut per hæc aucupia actores præclusam esse volunt cognitionem veritatis dictarum conventionum, fraternitatum, &c & nihil esse ex illis legendum, audiendum. sed nec admittendum quidem.

9. Atqui verba sententiæ debent intelligi secundum jus, & ne justitia lædatur, Bal. Paul. *l. nota. 3. Cod. de negotiis gestis*, ut etiam ipsi actores expressim fatentur, addentes legem 1. & ibi Bald. *C. de furtis*, & Philippus Decius *cons. 43. ad finem, quæ contra eos retorquentur.* Quæ autem esset justitia, vel æquitas abolere dictas publicas conventiones, transactiones, confirmationes imperiales, & jus inde domui Hessicæ quæsitum, tollere? Ergo non debet sententia intelligi, ut tollere voluerit, sed conservare. Omnia enim jura dicunt eas conventiones, transactiones, &c. servandas: Ergo sententia debet ita intelligi, ut excipiantur, & conserventur.

10. Item flagitiosum est sententiam velle detorquere ad iniquitatem, sive ad tollendum jus alteri quæsitum quod actores facere noluissent sola verborum sententiæ captatione, ut amplius nihil audiatur, nihil admittatur de illo jure, ex dictis conventionibus, transactionibus, & confirmationibus imperialibus. Hoc autem non est tolerandum, *l. ex facto ad fi. ff. de vulgari, & pupillari substitutio.* Sed quòd benignius est (videlicet jus quæsitum conservatum non ablatum esse) præferendum, *l. semper in dubiis, de reg. juris.*

11. Quæ vera sunt etiamsi tantum de jure cujusvis privati ageretur: quantò magis hîc, ubi de jure publico concernente statum imperii, & ejus integritatem, quæ principaliter consistit in conservatione Ducatuum, Landgraviatuum, Comitatuum, Marchionum, & hujusmodi membrorum integrorum imperii, quæ propriè sunt juris publici imperialis, *§. ultim. Instit. de justit. & jure l. 1. §. 1. ff. col. 11su. l. eum qui vestigal. de verbor. signific.*

12. Hæc autem membra, quæ jura regalia, & imperialia habent annexa, non comperunt, nisi per investituras imperiales, nec sunt in commercio, nisi per easdem investituras solemnes sub vexillis imperii factas: ergo ad limites earumdem investiturarum, quæ consequenter sunt juris publici, & non juris privati: igitur nullo modo possunt infringi per sententiam inter privatos latam, sicut nec pactis privatorum, *l. jus publicum, ff. de pact.* Cùm autem investituræ imperiales de membris imperii, seu dignitatibus regalibus habeant vim legis publicæ, *l. pen. Cod. de donation. inter virum, & uxorem* Bald. *in fortioribus terminis, l. ea lege Cod. de condit. ex lege* sententia contra illas lata, ipso jure nulla est, utpote lata non contra jus privati, sed contra jus legis, seu constitutionis publicæ, *l. 1. §. Item cùm contra facias, ff. quæ sentent. sine appellat. rescindunt, l. 2. Cod. quando provocare non est necesse.*

13. Rursus allegant actores repugnantias, sed quas solo verborum tectorio pingunt. Nihil enim magis inter se, & cum ipsa veritate, & merito causæ consentaneum, quàm reum absolutum in feudis masculinis, & in reliquis immobilibus Hessicæ domui affectis per dictas conventiones, fraternitates, &c. Elizabetham verò heredem in dimidia residui, cujus capax esse potest, & in legitima in mobilibus, & in pecunia, ut reus semper obtulit. Et sic nulla repugnantia: sed repugnantia esset, & contorsio in verbis dictæ sententiæ secundùm sensum seu perversionem, quam actores verborum profluvio, & captione inducere nituntur. Pariter allegant, & cumulant absurditates, sed verbales, & ineptè confictas. Atqui nulla major absurditas, quàm sic interpretari sententiam, ut contineat iniquum non solum contra veritatem, & justitiam facti, & juris, sed etiam contra veritatem actorum, & productorum, ut actores faciunt.

14. Nimis absurdum est quod ad suam contorsionem colorandam dicunt ex Bald. in *l. de quib. col. 3. de legibus*, quod ubi sermo in vulgari est dubius, debet transferri in Latinum, & tunc habebitur significatum vulgare: quia primò verba dictæ clausulæ non sunt dubia, sed clara. Secundò Baldus loquitur de vulgari notariorum Italiæ, quod à Latino dependet, & magnum habet symbolum, quia de Latino transferunt in grossum vulgare, & contra sic unum per aliud intelligitur, secus de Germanica dialecto, quæ nullam habet communionem cum Latina, vel altera lingua.

15. Tertiò, etiamsi dictum Baldi hîc posset adaptari (quod non) tamen non sequitur quod in eodem genitivo casu transferri debeat in Latinum: sed servanda phrasis est linguæ, in quam, & non è qua transfertur, ne è bono Germano malum Latinum fiat: quòd etiam pueri derident, & sic nova, & distorta transactio agentium rejicienda est, retenta antiqua, propria, & quæ hactenus etiam inter utramque partem obtinuit translatione dictæ clausulæ.

16. Frustra verò dicunt fraternitates, & consequenter infeudationes illarum gratiâ factas non debere attendi: id enim nullo modo probant. Sed idem est ac si dicerent legitimas conventiones, & transactiones etiam juramento, & multis Imperialibus decretis confirmatas, non debere servari, & sic plus licere sorori collaterali quàm filiæ ipsius Vvilhelmi junioris, quæ non posset deducere, nisi nudam legitimam. Hæc autem Elizabetha vult totum auferre, cum nihil penitus de bonis fraternis (de quibus tantum contendit) petere possit. Quatenus frater, sive in re, sive inter vivos, sive in ultima voluntate, non in turpem personam disposuit, cùm sororibus nulla debeatur legitima, nec supplementum nullaque competat inofficiosi querela, nec ad supplementum actio. *l. fratres, C. de inoffic. testam. dixi in tract. de inoffic. num. 3.*

17. Magis ineptè caussificantur Vvilhelmum se-

cundum non consignasse, quia nullo jure consignatio requiratur, nisi ad finem consequendæ liberationis ipso jure à re deposita, vel consignata, & transferendi culpam, & periculum in adversarium, ut plenè dixi *in contractu commercior. & usurar. num.* 297. *q.* 59. Cæterùm qui offert etiamsi recusante adversario teneat, implevisse dicitur, *l. Julianus*, §. *auferri de act. empt. l. jure civili. de condition. & demonstration.* etiam ad finem implendæ conditionis de certa quantitate solvenda, quæ tamen debet in forma specifica impleri, *l. Mevius de cond. & demonst.* imò eo ipso quod actores fatentur Vvilhelmum secundum liberatum fuisse pro jure, si consignasset, necessariò fatentur illum saltem ope exceptionis, & in effectu liberatum congrua oblatione, cujus etiam effectus est ut adversarium recusantem in mora constituat, & tunc omnem omnium usurarum, vel pensionum, vel reddituum cursum, & omne interesse, & incrementum cessare faciat, ut latè habetur in dicto tractatu usurar. *q. quadragesima-quinta, cum seq.*

18. Satis etiam audacter & impudenter contra jura imperii loquuntur actores, dum asserunt Comitatum Katzenelnbogensem esse hereditarium. Cùm enim sit in confesso feudum esse, ergo non est hereditarium: quia feuda, etiam privata suâ naturâ non sunt hereditaria, sed devolvuntur jure suæ investituræ, *text. in c. unico*, & ibi Baldus Alvaro Præpo. *de gradib. succ. in feud. c.* 1. §. *hoc quoque*, & ibi gl. *in verb. investire de success. feud. c. unico*, & ibi Baldus, Alvarotus, *de nat. success. feud. in usib. feud.* nec veniunt in petitione hereditatis: sunt enim separata à trunco hereditario; Bartolus *in l. item veniunt*, §. *nunc videamus de petitio. hereditat.* Joannes Baptista de Cacciolup. *in rep. c.* 1. *de feudi cognition.* Bald. *cons. quadringentesimo trigesimoseptimo, lib.* 1. Franc. Zabarel. *cons. sexagesimoquarto.* Jas. *l. si post mortem in princ. de legat.* 1. *cons. octuagesimo-septimo, col.* 1. *cons. centesimo quinquagesimosecundo, col.* 3. *cons. ducentesimo-septimo, col.* 3. *lib.* 2. *Philip.* Deci. *l.* 1. *num. quadragesimo-septimo, si certum pet. cons. ducentesimo sexagesimo-nono, num. decimoquarto*: nec veniunt in alienatione, vel hypotheca bonorum, vel hereditatis, ut in locis prædictis, & latè Matth. de Afflictis §. *in generali, si de feudo defunct. contr. sit inter dom. & agna. in usib. feud.*

19. Et quamvis quandoque filius non possit habere feudum privatum, nisi sit heres, tamen non habet illud tanquam heres, sed jure feudorum, seu investituræ. Unde quamvis non sit heres, nisi in quota inæquali, vel in re certa, tamen capiet totum feudum, si est solus masculus: vel capiet æqualiter cum fratribus etiam in majori parte institutis, idque sororibus, & extraneis heredibus exclusis, Barth. Alex. Jason. *l. si non sortem*, §. *libertus, de condition. indebit.* Bart. *in l. jusjurandum*, §. *si libers, de operis libertor.* Baldus *in c. unico, col.* 3. *an agnatus, vel filius defuncti in usib. feudor.* & sive filius sit heres patris ex testamento, vel ab intestato, non dicitur succedere in feudo ex testamento, nec ab intestato, sed jure feudorum, Bald. & omnes feudistæ *in c.* 1. *in princ. col.* 2. *vers. quæro ergo quo jure de success. feud. in usib. feud.*

20. Quantò magis feuda regalia, & imperialia, quæ non sunt privatorum, sed principum imperii, & membra ejusdem, & quæ non sunt in commercio, nisi juxta formam, & tenorem investituræ Imperialis sub vexillis publicè, & Imperialiter factæ: & quæ sunt juris publici (ut dictum est) non possunt aliquo modo esse, nec censeri hereditaria.

21. Nisi prout dicuntur ad qui heredes sanguinis, vel heredes militares ad differentiam heredum patrimonii, quibus diametraliter opponuntur: Sunt enim hujusmodi principes de talibus dignitatibus investiti, consiliarii Imperatoris, tanquam senatores Imperii, ut *in l. Imperialem circa principium*, ibi consilio Ducum, Marchionum, & Comitum *de prohibita feudi alienat. per Fridericum in usibus feudor. & in l. Imperialis*, §. *hortatu itaque, & consilio de prohibita feudi alienat. per Lotharium in usib. feud.* Quod si feuda inferiora, & privata prohibentur alienari, & aliter quàm per formam suæ investituræ devolvi, ut in dictis legibus,

22. Quantò magis feuda dignitatum Imperii, quæ sunt præcipua, & immediata ejus membra, & ex quorum alienatione sequeretur non simplex attenuatio virium Imperii, ut in dicta, *l. Imperialis* dicitur de feudis privatis, sed ruina, & destructio Imperii, nullo modo possunt transire ad fœminas, nec ad alios quàm ad masculos in investitura Imperiali comprehensos, & in convention. publicis fraternitatum ab Imperatore solemniter approbatis: & sic nec sunt de hereditate, nec de patrimonio propriè loquendo: sed sunt de his quæ generi, vel posteris data sunt, quæ ad eos, qui ex fœminis nati sunt, non pertinent, inquit text. *in l.* 1. *in fine de jure immunitat. & in l.* 3. ubi latè Bart. de interdictis, & relegatis, ideo nec in fiscum quidem transeunt, sed generi ipsi manent incolumia, *dicta l.* 3. *Oldrad. q. nonagesima-quarta.*

23. Ita ut patre cedente, vel naturaliter, aut civiliter moriente, filius ejus locum ingrediatur, non solùm jure communi, *ut in l. si qua plena ff. de his qui sunt sui, vel alieni juris:* sed etiam jure prærogato, & principali, hoc est, lege Imperiali, seu investituræ, publico Imperii jure, & authoritate factæ, quæ vim legis Imperialis habet (ut satis dictum est) adeò ut sententia contra hujusmodi confraternitates, & investituras lata contra aliquem noceat sequenti in gradu, sed statim locum ei aperiat.

24. Non est enim simile de legatis, & fideicommissis privatorum alienare prohibitis, quorum ad vitam alienantis tenet alienatio, *l. pen.* §. *prædium de legatis* 2. *l. ult. C. communia, de legatis.* Sed quemadmodum in feudis privatorum, alienatio facta contra leges feudorum non tenet, etiam ad vitam alienantis, nec momento quidem, sed vel statim ad dominum revertitur in feudo novo, ut in *c. unico, de vassal. qui contra constitutionem Lotharii feudum alienav. & in l. Imperialis de prohibita feudi alienat. per Lotharium, & in l. Imperialem*, §. *callidè de prohibita feudi alien. per Fredericum in usibus feudorum, vel in feud.* paterno avito, vel antiquo, ut hic statim revertitur ad agnatos, omnibus aliis exclusis, text. in c. 1. §. *hoc quoque*, & ibi glossa magna Jacob. Belvi. Andre. de Hernia in §. *si vassallus, si de feudo controver. fuerit inter dom. & agnato*, Baldus in c. 1. §. *denique quæ fuit prima causa beneficii ami. in usibus feudorum* Alexand. *cons.* 2. *lib.* 5. Carolus Ruinus *cons.* 166. *num.* 5. *lib.* 1. Hæc *viva voce* dictabat Carolus Molinæus, Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, Vvormaciæ propter insidias adversariorum aliquot dies domi se continere à Vvilhelmo Landgravio jussus, mense Junio, anno sesquimillesimo quinquagesimoquinto: quo tempore idem princeps diffinitivam quatuor principum arbitrorum judicio obtinuit contra Comites à *Nassau*, & principes Auriaci, & totam fere cameram Spirensem, aulicos, & consiliarios Caroli quinti Imperatoris, qui illuc ad Arresta sua defendenda magnâ pompâ confluxerunt.

THEMA CONSILII XXIII.

LAndgravius Heſſiæ conceſſit duobus fratribus pratum ſub penſione annua, poſtèà diviſerunt: deinde alter fratrum obiit, relicta filia nupta Petro, quæ mortua eſt, relicto impubere, qui paulo poſt obiit, pater ei ſuccedit, ſed cognati attinentes avo materno, & avunculo magno defuncti, volunt ſuccedere in illa dimidia parte prati. Quæritur quid juris? Jacob Larſeneur vir bonus, & doctus Landgravii Heſſiæ fidelis conſiliarius teſtabatur conſuetudinem eſſe Heſſiæ, quod ſi conjunx moritur ſine liberis, ſuperſtes ei ſuccedit, exceptis bonis avitis in quibus deſcendentes ab avo præferuntur, ſed quod aliàs nihil cautum de conſuetudine Heſſiæ, nec ſcitur hac in re ulla conſuetudo.

EPITOME CONSILII XXIII.

Paterna paternis, avitina avitinis, quomodo intelligantur.

CONSILIUM XXIII.

VIſo præcedenti themate, & inquiſito quantum colligi poteſt de moribus, & conſuetudine loci videlicet illius urbis Caſſellarum,

1. Solutio facilis eſt, patrem præferendum. Is enim proculdubiò ſolus, & in ſolidum vocatur jure communi & Imperiali, & in quo habet intentionem clariſſimè fundatam: nec eſt verum cognatos impuberis defuncti eſſe de familia primi acquirentis reſpectu partis, de qua agitur. Duo enim fuerunt acquirentes, nec agitur de parte pacificè poſſeſſa ab actoribus, quæ ſpectavit ad eorum ſtipitem, de cujus familia ſunt: ſed de parte alterius fratris: qui non eſt ſtipes actorum, qui etiam non ſunt, nec fuerunt de illius familia, qua nec deſcenderunt ab illo, nec fuerunt in illius poteſtate: igitur ei ſive quantum ad illum fuerunt, & ſunt extranei, *l. pronuntiatio. §. familiæ, l. familia appellatione de verborum ſignificatione, l. ult. C. eodem titulo*, ita quod etiamſi allegaretur, & probaretur hic eſſe conſuetudinem paterna paternis, materna maternis, etiam ultra fratres fratrumque filios, ita quod heredia deberent reverti ad eos etiam remotiores, qui ſunt de linea, adhuc actores nullum jus haberent, quia non ſunt de linea illius alterius fratris, qui erat avus defuncti.

2. Cum enim ab initio fuerunt duo fratres acquirentes, unuſquiſque fuit principium ſuæ lineæ, & duas diverſas lineas fecerunt, & ſic nulla conſuetudo, nullus uſus etiam Francorum poteſt actoribus patrocinari: ſed nec uſus quo conjunx ſuccedit conjugi liberis carenti, exceptis bonis avitis, in quibus deſcendentes è linea avi præferuntur: quia præter id quod ea particularis conſuetudo non recipit extenſionem ad correctionem juris communis, illi actores non ſunt de linea avi ipſius defuncti, nec ab illo deſcenderunt, & illa conſuetudo intelligatur ſecundum rationem juris, *in l. de emancipatis ad finem de legitimis heredibus in l. quod ſcitis, & l. ſequenti, C. de bonis quæ liberis, ut planè dixi in conſuetud. Pariſienſ.*

3. Minus juvantur ex forma, vel tenore contractus, quia non eſt feudum cum deficiat juramentum fidelitatis, & homagii quod eſt de ſubſtantia: & ſi eſſet feudum, adhuc non prodeſſet eis, per cap. 1. *de duobus fratribus de beneficio inveſtitur. in uſibus feudor. nec etiam eſt emphyteuſis*, ſed ſimplex conceſſio ad reditum, prout in dubio præſumitur, ut dixi in *conſuetudinibus Pariſienſibus, § decimotertio, gloſſa & titulo ſecundo, in rubrica. Si eſſet emphyteuſis, eis non prodeſſet per not.* Baldi, Alexandri Jaſonis in *l. ſi mihi, & Titio. de verb. oblig.*

4. Quod in contractibus non eſt locus juri accreſcendi, & ſic ſoluta ſunt omnia contraria, & res remanet clara pro parte, & caſu quo dubia eſſet (quod non) adhuc in dubio judicandum eſt pro eo pro quo facit jus commune. Et ita de jure cenſeo, & concludo ego Carolus Molinæus, I. V. D. Franciæ, & Germaniæ Juriſconſultus. Actum Caſſellis ſeptimo Idus Auguſti, anno Domini ſeſquimilleſimo quinquageſimoquinto.

EPITOME CONSILII XXIV.

1. *Caſus contingens ex parte ejus cui debetur, impedit pœnam, & moram.*
2. *Vaſſallus non perdit feudum, ſine culpa.*
3. *Et poteſt reſtitui in integrum.*
4. *Et actionem habet contra dominum ad inveſtituram.*
5. *Et fructuum reſtitutionem.*

CONSILIUM XXIV.

Pro principe Landgravii Heſſiæ.

VIſo & examinato themate, ad primam quæſtionem juxta ea quæ proponuntur, reſpondeo vaſſallum non eſſe privatum, nec privandum feudo.

1. Diligentia enim ſua eum excuſat à pœna commiſſi tam ipſius feudi, quam fructuum, idque etiam mero jure. In omnibus enim pro impleto habetur quoties per eum non ſtat, qui facere debet, ſed per caſum contingentem ex parte, vel ex perſona ejus cui implen

debetur, etiam in obligationibus dandis, *l. jure civili, ff. de conditon. & demonst.* & multò fortiùs in obligationibus faciendis, ut hîc: in quibus impedimentum etiam ex parte, & in persona solius debitoris contingens excusat non solùm à pœna (de qua nemo dubitat) sed etiam à simplici mora, & ab omnibus effectibus moræ, *l. continuus*, § *illud*, *& ibi Bartolus de verbor. oblig.*

2. Hîc autem constat de diligentia vassalli, & insuper de domini, sive absentia, sive impedimento: quinquam possit ipsi domino objici culpa, quod abfuit non relicto procuratore idoneo in loco dominanti ad renovationes investiturarum faciendas, vel offerentibus dandum inducias, aut congruum responsum, *l. cum quidam* § *si pupillo de usur.* verùm non opus est de culpa domini inquirere, cùm sufficiat vassallum non fuisse in culpa, per regulam feudalem in *rub. & per tot. de feud. sine culpa non amitten. in usibus feudorum*, non enim sufficit lapsus temporis petendæ investituræ, ut vassallus feudo privetur, sed oportet lapsum esse culpa vassalli: unde non currit contra pupillum, *c. 1. quæ sit prima causa beneficii amit. in usibus feudorum*, & sic nec contra illum, qui diligentiam fecit, aut justum impedimentum habuit.

3. Etiam nulla diligentia facta, & cessante impedimento juris, sed dato aliquo impedimento facti, posset restitui in integrum, *l. & Aulicinus, ff. de servitut. rustico. prædio.* quia certat de damno vitando, ut dixi in *consuetud. Paris.* § 1. *glos.* 7 *&* §. 21 *in fin.* Sed hîc propter præfatam diligentiam mero jure tutus est, nec indiget restitutione in integrum.

4. Ad secundam quæstionem, primùm debet vassallus a lire dominum, fidem & homagium consuetum offerre, & investituram petere, juxta notata per Bart. & omnes in *l. quidam Hyberus ff. de servitutibus urbanorum prædiorum*, idque testator faciat: quo recusante, vel differente, libellum dabit judici, ut dominus teneatur eum investire etiam præcisè *c. 1 in fine, qui successores feudo. dare teneantur in usibus feudorum*, & an non solùm utilem, sed etiam directam actionem habet, videlicet condictionem ex lege, vel consuetudine feudali. Quòd si dominus occupaverit feudum, petet sibi restitui, etiam cum fructibus à tempore occupationis.

5. Et si dominus non fuerit in dolo, nec in culpa lata, tenebitur restituere fructus sub æstimatione communi, deductis impensis. Sed si appareat dominum se studiosè subduxisse, vel captasse occasionem ad vassallum intercipiendum, tenebitur restituere fructus non solùm perceptos, sed etiam percipiendos sub æstimatione quanti plurimi, nullis deductis impensis, nisi gratiâ fructuum factis, qui etiam prædoni deducerentur, *l. fundus ff. familiæ erciscundæ.* Et ita censeo ego Carolus Molinæus I. V. D. Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus. Datum Ricquevillæ secunda Septembris, anno sesquimillesimo quinquagesimoquinto.

EPITOME CONSILII XXV.

1. *Sententia stricti juris est.*
2. *Omnes actiones cedi possunt, etiam officium judicis, & executionis sententiæ.*
3. *Emptor etiam sine nova cessione, habet actiones etiam superventas venditori.*
4. *Cessio non transfert possessionem.*
5. *Sententia lata contra vassallum non præjudicat domino, etiam scienti.*
6. *Sententia lata contra authorem nocet habenti causam scienti.*
7. *Sententia potest statim exequi contra eum qui emit pendente lite.*
8. *Actio judicati durat quadraginta annis.*
9. *Non solum personales actiones lite co. 8 lata perpetuantur ad quadraginta annos, sed omnes quæcunque actiones.*
10. *Declaratur cõsuetudo Comitatus Burgundiæ* 11.
11. *Perempta instantia, adhuc superest actio.*

CONSILIUM XXV.

Visis dubitationibus, & objectionibus dom. Claudii Belini fiscalis, & imperialis in superiore Sequanorum præfectura advocati, & aliorum doctorum, & advocatorum è consiliis Ducis Virtembergensis, & Comitis Montbelgardensis.

1. Ad primum, quòd sententia est stricti juris respondeo, verum est, ut satis retigi in annot. ad Alexand. *cons.* 46. *col.* 1. *lib.* 1. *cons.* 164. *num.* 2. *lib.* 12. & ad Philip. Deci. *cons.* 43. *num.* 4. Sed nullo modo obstat, quia non agitur de unico quidem apice addendo rebus judicatis, sed dumtaxat de expressis non excedendo in aliquo. Secundò, non obstat præfatum ducem non esse nominatum in Arresto, hoc enim concluderet, si ex capite proprio executionem peteret: sed cum veniat jure cesso, sat est docere de cessione victoris.

2. Omnes enim actiones, & persecutiones tam reales quàm personales, & aliæ cedi possunt, & consequenter actio, vel officium juris, & jus executionis sententiæ, *l. ult. C. de hered. vel actione vendita.* Quin etiam jura futura, & actiones competituræ cedi possunt, gl. magna Bald. Jo. Faber, Salic. & omnes in *d. l. ult.*

3. Hinc si venditor qui evictionem promisit, persequitur jura vendita, & obtinet sententiam, certum est emptorem, sine nova cessione executionem ipso jure vendere posse, etiam nomine suo: habet enim omnes utiles omnium directarum actionum authoris, sine nova cessione, *l. emptor. C. de hered. vel act. vend. l. 2. C. de act. & oblig. l. si cum emptor. ff. de pactis.* Quod autem in dictis juribus habetur de emptore, idem de cessionario, maximè quando pretium numeravit, ut præfatus dux, vel Ulricus pater ejus fecit: tunc enim verus est emptor, ut formula cessionis non indigeat: præterea clausulæ generales, quæ sunt in dicto contractu cessionis, omnia comprehendunt, Bar. in *l. si ager. ff. de rei vendic.*

4. Minùs obstat vulgare dictum pragmaticorum, quòd cessio, vel contractus non saisinat, quia verum est: sed hîc non agitur de possessione retinenda, tanquam per dictum contractum quæsita, sed adipiscenda per executionem Arresti, in quo proculdubio cessio sufficit, cujus virtute habet nomine proprio omnia jura utilia: quantum verò ad directa, procurator est in rem suam irrevocabilis, text. *l. illam, C. de donationibus.*

5. Ad quartum non obstant, quæ ex commentariis meis in *consuet. Paris.* §. 30. *num.* 18. allegantur tria requisita, quorum hîc primum deficit, quia non agebatur de petitorio, sed possessorio. Quoniam quæ ibi allegavi, tendunt ad reprobandam opinionem Ulderici Zasii, qui tenebat quòd sententia lata contra vassallum, præjudicat domino feudi scienti per dictum §. *sed scientibus.* Quod ego reprobavi per eumdem textum ponderando singula in eodem textu contenta: sed non sequitur, quòd omnia omni casu sint requisita.

6. Quòd enim in dicto §. agebatur de rei vendicatione, est contingentia facti, & exemplum quod non restringit, imò est exemplum in fortiori & indubitabiliori quòd fortius ampliat in judiciis. Si ergo sententia lata contra authorem, sciente illo qui acquisivit ab illo, præjudicat etiam in petitorio: multò magis præjudicat in momentaneo possessorio, vel alio minus præjudiciali judicio. Et sic sufficiunt duo videlicet scientia & judicatum esse contra authorem, ut noceat habenti causam & scienti, etiamsi habeat jus ante omnem litem: ista verò hic concurrunt, ergo extra omnem dubitationis aleam.

7. Imò sumus in longè fortioribus terminis, quia non est opus via actionis, nec remedio *dictæ l. sæpe §. sed scientibus.* Quia adversarius non emit bona fide ante omnem litem, sed mala fide, & post litem contestatam, ad eludendum judicium, & sic recta via potest & debet arestum contra eum vel heredem ejus exequi.

8. Minus obstat triginta annos à secundo arresto lapsos esse, quia respondetur primò quod actio judicati (quando sententia lata est post litem solemniter contestatam) durat quadraginta annis à tempore sententiæ: vel ultimi actus post illam computandis, per ea quæ dixi in consilio, non repeto. Secundo, quod intervenit persecutio & instantia super executione per secundum arestum, & sic nova interruptio perpetuans ad alios 40. annos, & alia perpetuatio ante duodecim annos facta coràm arbitris.

9. Minus obstat quod *l. ult. C. de præscript. triginta vel quadraginta annorum*, non habet locum nisi in actione personali, ut tenet Philippus Corneus in *cons.* 111. *num.* 12. *num.* 13. *l.b.* 1. quia magis standum est glossæ ordinariæ in *l. ult. in verb. Extendimus*, quam Cyn. Bart. Joan. Fab. Bald. ibi sequitur & Jason §. *penales num.* 112. *Instit. de action.* quod d. l. ultima habet locum etiam in aliis actionibus. Nec sunt allegandi doctores, sed dumtaxat vertatur folium, & invenietur pagina sequenti textus rotundus in *l.* 1. §. *ad hæc in fin. C. de annali except.* decidens quòd omnes actiones etiamsi sint personales in judicium deductæ, & quæ cognitionalia acceperunt certamina, & posteà silentio traditæ sunt non 30. sed 40. anni expectandi, sunt computandi à tempore quo novissimè litigatores tacuerunt. Igitur non est amplius locus ulli disputationi, vel dubitationi; etiamsi solus Sal. in *d. l. ult. C. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann. & in l. cum notissimi*, §. *illud col. ult. eod. tit.* aliter senserit non advertens ad text. sequentem, *d. l.* 1. §. *in fin. de annal. except.* Quòd si Ferdinandus velejus heres resilire poterat instantiam executionis sententiæ, ut est in confesso: igitur & dux cessionarius, utpote procurator in rem suam irrevocabilis per prædicta.

10. Nec obstat consuetudo allegata per Dom. *Chappuis in consuetudine Comitatus Burgundiæ*, §. 52. *qui et* §. 2. *tit. de præscription.* quod instantia non perimitur, nisi 30. annis: quoniam dicta consuetudo non tendit ad coarctandum, sed ad prorogandum tempus præscriptionis in favorem jurium deductorum in judicium: alioquin instantia triennio perimeretur, *l. properandum C. de judiciis.* Quod triennium per dictam consuetudinem de duplo & ad triginta annos extenditur, ergo militat pro nobis.

11. Præterea multum refert inter instantiam & actionem, quia perempta instantia, adhuc ipsa actio durat annos quadraginta, si fuerat lis contestata, ut tenent glos. & doctores in *dicta l. probandum*, & est communis, imò concors & uniformis omnium legistarum & Canonistarum sententia. Tum quòd fortius est, dicta consuetudo loquitur & intelligitur de instantia propriè sumpta, quæ currit à lite contestata usque ad sententiam difinitivam, non autem de instantia super executione sententiæ difinitivæ, quia in executione rei judicatæ non est propriè instantia, nec habet locum *in d. lege properandum*, nec consequenter dicta consuetudo, sed perpetuo durat instantia vel quadraginta annis à die ultimi silentii. Jason *in d. l. properandum in Princ.* Bald. *in l. 2. C de execut. rei judicatæ l. contentanem in fin. C. quomodo & quando judex.* Alexand. *cons.* 181. *in fin. lib.* 6. & in omnem eventum semper superest actio, &c. Datum Blancmonti, mense Aprili. M. D. LVI.

THEMA CONSILII XXVI.

Le cas est tel.

1. FEu d'illustre memoire Estienne * Comte & Seigneur de Montbeliard, & de Montfalcon, &c. l'an mil trois cens nonante-sept, par Testament institua ses quatre filles ou filles de son fils mort en Hongrie contre les Turcs en ses seigneuries & hoiries, c'est à sçavoir, chacune en sa propre portion & part.

2. Lesquelles filles aprés le decez de leurdit pere, qui fut l'an immediatement suivant, accepterent ledit Testament & institution.

3. Toutefois leurdit pere *substituendo & providendo*, ordonna à sesdites filles avec les modifications & clausules testamentaires, mesmement à sa fille aisnée Henriete, comme s'ensuit, c'est à sçavoir.

4. Ladite Henriete en la Comté, Chastel, Ville & Forteresse, rentes, appartenances, Seigneuries, Noblesses & droits de Montbeliard, ou Chastel, Ville & Forteresse de Porrentruy, ou Chastel, Ville & Forteresse de Granges, ou Chastel, Forteresse Destobon, en la Ville & Chastel de Saulnot, ou Chastel, Ville & Forteresse de Clerevaux sur Doubs, ou Chastel, Ville & Forteresse de Passavant, & en toutes les Terres, Chastellenies, Villages, Fiefs, riere-Fiefs, Noblesses, Seigneuries, & toutes appartenances, appendices & droits quelsconques desdites Villes, Chastels, & Forteresses de Montbeliard, de Porrentruy, de Granges, Destobon, de Saulnot, de Clervoaux & de Passavant: & veut que le Fief de la Roiche soit dudit Montbeliard.

5. Semblablement à chacune des autres trois filles, & entr'autres propos en l'institution de la seconde, quant à la Seigneurie de Versel, dit-il, au Chastel, Bourg & Forteresse de Versel, si de droit & de raison, il m'appartient & non autrement.

6. Lesquelles Seigneuries ainsi delaissées à sesdites filles notoirement ont appartenu audit Seigneur testateur, soient comme francs-allos ou Fiefs, dont selon les Coûtumes du Comté de Bourgogne, faction de testament a lieu.

* *Estienne*, Iste Burgundus erat, & hæc omnia Burgundiæ ditionis quà vocant *la Franche-Comté*, dont à paucis annis, *ceux de Virtemberg s'efforcent distraire la Comté de Montbeliard, & la faire ressortir à Spire, Chambre Imperiale.*

7. Et aprés les institutions singulieres à chacune desdites filles faites ; adjoûte par clausule expresse ce que s'ensuit.

8. *Item*, veut & ordonne que les hoirs d'icelles filles successivement ne puissent par testament ou ordonnance donner, changer, ordonner lesdites terres, & droits desdits partages à autres personnes, ne d'autre ligne qui ne sont venus ne descendus desdits heritages & droits: mais doivent venir & retourner toûjourrs icelles terres, rentes, heritages, & droits és plus prochains de la ligne, dont ils sont venus & descendus.

9 Or est que devant cent ans ou environ, la fille aisnée contre la disposition & prohibition mentionnée au precedent article, a transporté la Seigneurie de Porrentruy à l'Evesque, Chapitre ou l'Eglise de Basle, de laquelle ils ont joüy pacifiquement jusques à present.

10. Maintenant, aprés ledit temps passé, les descendans en ligne directe de ladite Henriete en vertu dudit testament & clausule prohibitive, substitution & fideicommis, &c. pour le recouvrement de ladite Seigneurie pretendent action contre les detenteurs d'icelle.

Duquel cas posé resultent les questions suivantes.

1 PRemierement, si une telle ou semblable substitution, fideicommis, & prohibition s'étend *in infinitum*.

2. *Secundò, si non in infinitum*, jusques au quantiéme degré.

3. *Tertiò*, par quelle raison & allegation du Droict Civil & Canon.

4. *Quartò*, sinon à chacun des descendans d'une mesme ligne son droit separément soit reservé & d'entier, sans avoir aucun égard, combien il avoit des precedens, tout ainsi comme s'il estoit le premier ou second aprés la premiere née, attendu les mots de la substitution & fideicommis.

5. *Quintò, quid juris*, si ledit descendant par ligne directe estoit heritier de ses predecesseurs, *& teneretur ad præstandum factum defuncti, vel defunctorum.*

6. *Sextò*, mais s'il n'estoit par heritier, ains avoit renoncé, ou pour le moins non accepté les hoiries de ses predecesseurs, si iceluy se peut aider de ses fideicommis, substitution & prohibition, comme chose d'autres biens & alienez de ceux de ses predecesseurs, attendu les mots declarez en ladite substitution.

7. Et finalement, depuis que notoirement on tient que les Seigneuries en ladite substitution mentionnées, ont esté audit Seigneur testateur, & mesmement que ladite Dame Henriete premiere née a donné à ceux de la Ville & Terre de Porrentruy leurs franchises, dont ils en ont joüy jusqu'au present. Veu aussi la qualité du testateur, des témoins & Notaires pour lors presens, ayans bonne connoissance de tout l'affaire, si non parce il appert de preuve suffisante, ou pour le moins semipleine, que ledit testateur du temps de son trépas fut Seigneur proprietaire & immediat de ladite Seigneurie de Porrentruy.

EPITOME CONSILII XXVI.

1. *Quæstiones septem ad quatuor puncta reducuntur.*
2. *Emptor non per hoc fatetur rem venditoris, fallit si docet se aliunde habere ius.*
3. *Verba enuntiativa probant inter contrahentes & causam habentes ab eis.*
4. *Testamentum debet omnibus edi, idem in codicillis, etiamsi publicata non sint.*
5. *Non solùm negans possessionem, sed etiam qualitatem possessionis, si convincatur, possessio debet in adversarium transferri.*
6. *Dominium per indicia probatur in antiquis.*
7. *Etiam per famam etiam secundùm omnes, quando agitur de dominio ante memoriam hominum. 8.*
10. *Verba quòd res debeant semper venire ad proximiores lineæ, important substitutionem realem.*
11. *Prohibitio alienandi causata inducit fideicommissum; etiam tacitum favor, ut quando descendentes ab aliqua successivè alienare prohibentur. 12. 39.*
13. *Vulgata Authentica authoritate præstant nova editione Haloandri.*
14. *Limitatio dicta a Auth. ad quartum gradum non habet locum, quando testator expressit se velle bona perpetuò manere in sua stirpe.*
15. *Filius non potest rem certam eligere pro sua legitima, etiam alienando. 16. lib. 44.*
17. *Quæ vendicari possunt, non confundantur in aliquo facto inventario.*
18. *Præscriptio non incipit currere ante singularum substitutionum eventum.*
19. *Adhuc contra singulos substitutos non currit longi, sed longissimi temporis præscriptio quadraginta annorum à tempore minoris ætatis. 20.*
21. *Nec incipit contra nondum natos.*
22. *Vera est distinctio Pauli in* l. ult. §. sin autem, ff. communia de legatis.
23. *Contra valentes agere ad declarationem currit præscriptio. 31. 38.*
24. *Præscriptio centum annorum seu immemorialis habet vim constituti.*
25. *Et nonquam censetur excludi, & habet vim*

tituli non hominis, sed legis. 25. 28. 32.

27. Et omnes prohibitiones, & omnia impedimenta antecedit. 30.

29. Præscriptio quadraginta annorum est universalis.

31. Post centum annos omnia vacillant.

32. Heres gravatus non præscribit longo tempore contra fideicommissarium, secus in tertio possessore. 34.

35. Creditor etiam hypothecarius potest cautionem exigere.

36. Etiam in contractu juris.

37. Et etiam pendente conditione legati vel fideicommissi.

39. Declaratur §. fratre in l. peto, de legatis 2. 40.

41. Infinitus reprobatur.

42. Gravatus fideicommissi potest alienare usque ad legitimam, quæ tempore mortis testatoris attenditur. 43.

44. Et rem certam alienando videtur eam eligere pro legitima, si non habet socium. 45.

46. Et si non posset eligere, nisi vocato fideicommissario, per longissimum tempus confirmatur electio.

47. Jus excipiendi transit ad singularem successorem.

CONSILIUM XXVI.

VIso & diligenter examinato themate ad me transmisso per Comitem Georgium Comitem Wirtembergensem & Montbelgardensem, super oppido, arce, & ditione de Pourrentraco.

1. Præsuppositâ specie facti in eo themate contenta & septem quæstionibus : causa certè gravis est, utque Christi Redemptoris unici nomine priùs invocato, ad discussionem & resolutionem analyticam, multiloquio omisso, me accingam, totius caulæ & litis futuræ cardo ad quatuor puncta, ex his quæ impræsentiarum proponuntur, reducitur : ad quæ septem illæ quæstiones in effectu reducuntur. Primum si possessores seu rei futuri negent se habere titulum, possessione immemoriali dumtaxat nitentes (ut facere solent qui de jure diffidunt, & longissimam possessionem præexunt) an tam per testamentum Stephani quondam Comitis Montbelgardi, & Domini Montisfalconis, quàm per immunitates seu libertates subditis Pourrentraci datas à Dom. Henrieta præfati Stephani nepte præfati Comitis Georgii proavia, & per famam sufficienter probetur dictum Stephanum testatorem fuisse, dominum & possessorem dictæ terræ & ditionis de Pourrentraco. Secundum an in dicto testamento sit substitutio gradualis in infinitum extensa, & in ea comprehendatur & vocetur præfatus Comes Georgius. Tertium, an heres universalis mediatus vel immediatus dictæ Dom. Henrietæ ab hac substitutione, & à vendicando excludatur? Quartum, si actor non sit heres, an præscriptione temporis immemorialis excludatur? cum rei futuri, jam (ut in themate dicitur) ultra centum annos pacificè possederint.

Secundum punctum.

Tertium punctum.

Quartum punctum.

2. Ad primum, certum est quòd si constet de præcensâ donatione vel legato per dictam dominam Henrietam facto Episcopo, Capitulo, & Ecclesiæ Basiliensi satis probatum erit (etiam in præsenti gravissima causa) de dominio & jure præfati Stephani testatoris, & multò magis si rei titulum illum allegent, & producant, quanquam enim aliàs *glos. 4. in princ.* & expressiùs ibi Angel. Perus. in *l. 1. ff. de Publiciana in rem action.* teneant quod etiam emens ab aliquo non videtur fateri rem esse venditoris, & sequitur Alex. *cons. 92. Perspectis ibi num. 1.* ubi in annot. retigi, *lib. 1. cons. 43. num. 9. lib. 4. cons. 185. num. 5. lib. 5. cons. 115. lib. 6.* Franc. Purpura, *l. 2. num. 103. C. de edendo*, & dixi & limitavi *in Consuet. Paris. §. 3. glos. 6. num. 3.* tamen hoc sanè intelligendum est, quatenus habens causam ab aliquo, dicere potest non de jure authoris, sed se aliunde jus habere, vel ad alium spectare.

3. Aliàs interim & in dubio certum est quod verba etiam enunciativa in contractu vel alia dispositione posita fidem plenam faciunt inter ipsas easdem partes, earumve successores, vel causam habentes. text. in l. optimam C. de contrahenda & committenda stipulat. & dixi *in Consuet. Paris. §. 60. quæst. 2. & in annot. ad Alex. cons. 11. num. 1. lib. 6. ad hoc quod fortius tradit Sal. in l. cum res. C. de probat.* quantò magis dispositiva verba, vel dispositioni necessariò vel immediatè conjuncta, plenam fidem facient? Quamprimum ergo de dicta donatione vel legato constabit, satis fundata erit intentio domini Comitis quantum ad illum primum punctum.

4. Quod si rei non edant titulum, sed utantur cautela Inn. qui ait in c. dudum extra de decimis melius esse non edere titulum, quam edere, sed nullum resolutum vel retorquendum. Dico primò quòd si est testamentum, tenebuntur rei exhibere testamentum dominæ Henrietæ, etiamsi dominus Comes non dicat se illius heredem *text. l. 1. ff. quemadmodum testamenta aperiantur*: omnibus (inquit) quicumque desiderant, tabulas testamenti inspicere, vel etiam describere, dispiciendi describendique potestatem facturum se prætor pollicetur, sive suo, sive alieno nomine petant, ut ibi, & sive testamentum valeat, sive non, sive ab initio, sive postea ruptum, sive etiam falsum vel ab inhabili conditum dicatur, & indistinctè *l. 1. §. sive autem, §. proinde ff. de tabul. exhib.* Idque speciale est in testamentis vel codicillis, etiamsi publicata non sint quia de publicatis non est dubium cùm in publica acta & monumenta transierint, *l. publicati C. de testam.* & dixi *in l. 1. C. de edendo in lectura Ubingensi.* tenebuntur ergo edere, vel se juramento purgare.

5. Secundò dico quòd si juraverint se non habere, nec dolo desiisse, si dominus Comes possit aliunde probare, & bene utiliter faciet, nec sibi præjudicabit quasi approbet contenta : quia non facit adhuc finem, sed ad finem probandi de jure primi testatoris, & de contraventione facta per Henrietam. Tertiò dico quòd si rei negaverint se habere testamentum, donationem, vel alium titulum, sive se accepisse & possedisse illo titulo, & postea convincantur illo tantum titulo accepisse : possessio transferenda erit penes dictum Comitem *l. ult. ff. de rei ven.* quæ quamvis loquatur in possessore negante se possessorem, tamen idem in negante qualitatem possessionis de qua agitur, & quæ est pertinens & decisoria, si tamen reus dolo vel lata culpa negasse convincatur, quia decisio & æquitas *d. l. ultim.* principaliter fundatur in dolo, & in odium tergiversationis & illusionis judicialis. Ad hoc Bald. in *c. 1. si de feud. fuc. controver. inter domi. & agnat. col. 1. in usib. feud.* Lud. Rom. *cons. 70.* Guid. Papæ. *cons. 3.* Jas. *Inst. de action. §. omnium numer. 86.* Hyppol. Marsil. *sing. 242.* Matth. de Afflictis. *decis. Neapol. 18.*

6. His autem cessantibus, nihilominus puto tam per testamentum illustris Henrici, quàm per dictas immunitates datas civibus & incolis dicti loci, quàm per famam publicam, satis probatum iri de jure & possessione tam primi testatoris domini pleni, & indubitati, quàm dictæ Henrietæ dominæ temporalis, ad

onus fideicommissi : quæ enim non prosunt singula, multa juvant. Tum in antiquis dominium per hujusmodi indicia simul juncta etiam plenè probatur. Bal. Sal. & alii in *l. judicia C. de rei vend.*

7. Imò etiam quòd per solam famam plenè & concludenter probetur dominium in antiquis tradit Ang. in *l. æquinatura, §. cum me absente. ff. de neg. gest.* Bald. in *l. proprietatis* & ibi An. *C. de proba. in l. conventiculum. co. pr. C. de Epis. & cle. in Auth. quas actiones ad fin. de sacrosanct. Eccles. in l. cum super C. de rei vendic. in l. bonæ fidei in ultima col. C. de rebus creditis : & est communis sententia doctorum, ut tradit* Alexand. *conf. 6. num. 22. conf. 24. num. 21. conf. 116. col. 2. lib. 5. conf. 139. num. 11. cum sequent. lib. 6. & in l. rem quæ nobis, col. ult. de acquir. possess.* Francisc. Areti. *conf. 37. in princip.* Franc. Curtius senior *conf. 69. num. 5.*

8. Imò etiam est optimo omnium quando duo concurrunt. Primum quòd non agatur de probando domino præsenti actoris, sed tantùm de probando domino antiquo. Secundò quando agitur de tempore excedente memoriam hujusmodi, ut centum annorum. Hæc autem duo simul concurrunt, & sic stat præjudicata opinio omnium doctorum etiam solam famam & communem opinionem plenam fidem facere in hoc puncto. Alexan. *conf. 139. num. 11. 12. 13. lib. 6. & conf. 24. num. 12. conf. 108. num. 17. lib. 7.* Philip. Dec. *in c. dilecti, col. 4. de appellat. & in conf. 428.* Cùm autem præter id concurrat, & secundò testamentum præfati Stephani, & tertiò qualitas personæ, qui erat princeps optimæ famæ & optimæ opinionis, bonæ & timoratæ conscientiæ, ut etiam apparet per idem testamentum, ubi circa castrum & oppidum *de Versel* opponit clausulam & limitationem bonæ & innocentis conscientiæ testem, dicendo si de jure & de ratione ad me pertinet, & non aliàs : quam clausulam non apposuit circa arcem & ditionem de Pourrentraco.

9 Quartò concursus amoris & honoris quem fecebat Henrietæ nepti suæ primogenitæ, quam perhonoratam voluit : & omnino certum est quòd illam & suos ab ea descendentes, & consequenter præfatum Comitem Georgium proneporem illius deceptum iri noluit, & omnino multò minùs decepi, quàm secundò genitas, in quibus religiosè & ex simplici suspicione dictam clausulam apposuit : quam proculdubio, & multò magis apposuisset circa dictam terram de Pourrentraco portioni primogenitæ assignatam, nisi certum habuisset illam ad se pleno jure pertinere. Quintò concursus immunitatum civibus, & habitantibus dicti loci per dictam Henrietam posteà concessarum, quod est antiquum publicum monumentum & notorium tabellione non solum publico, sed etiam populari & permanenti. Sextò concursus aliorum contractuum vel actuum dictæ Henrietæ de eadem terra vel pertinentiis. Septimò concursus aliorum instrumentorum quibus apparet dictam Henrietam fuisse neptem in linea directa dicti Stephani & primogenitam ex Henrico patre Stephani filio, ex quibus primus iste articulus est indubitatus.

10. Ad secundum principale punctum non est dubium quin clausula illa testamenti, ibi, item volo & ordino quòd heredes dictarum filiarum successivè, &c. juncta clausula, sed debeant venire & reverti semper ad proximiores lineæ, unde processerunt, importent substitutionem, eamque gradualem & realem, in infinitum, per jura & rationes quas in aliis consiliis, super eodem testamento, sed in aliis causis dedi, non transscribendo, sed brevitatis causa ; cùm etiam idem Comes vel Dux nepos ejus ea penes se habeat pro repertis hîc habendo.

11. Præterea per aliam clausulam ejusdem testamenti Henrieta est nominatim, specificè, specialiter, & absolutè prohibita alienare, nec est prohibitio nuda, sed causata, ut bona maneant in linea, quæ importat fideicommissum secundum Bartol. Alexand. & omnes in *l. filiusfamilias §. divi. de legat. 1. & omnes ubique.* Item liquet quòd ea prohibitio sic facta est, non solùm favore sororum (si Henrieta prædecederet sine liberis) sed etiam favore liberorum & descendentium ex Henrieta gradatim & successivè, si quos relinqueret, vel per relictos ab ea relinqueretur : sed prohibitio facta favore alicujus, etiamsi favor ille sit tacitus, tamen eo ipso ea prohibitio importat fideicommissum & gravamen de restituendo personæ vel personis, quorum favore vel contemplatione ea prohibitio etiam tacitè & verisimiliter facta est. text. rotundus in *l. qui filium & filiam*, & ibi Bart. *ff. ad Trebellian.* Et ita judicatum fuit sententia imperiali, ut ibi refert Jurisconsultus, ut sic etiam ex eo solo probata est substitutio.

12. Quæ etiam probatur ex eo quòd descendentes ab ea successivè alienare prohibentur, idque ex causa honesta & perpetua : ergo necessariò vocati censentur, & eidem Henrietæ substituti, etiamsi Henrieta non fuisset nominatim & simpliciter prohibita, *l. ab eo, de fideicom. l. planè, 2. in fin. cum l. sequent. de legat. 1. l. denique, §. interdum, de pecul. legat. l. Titio Seio, §. Seia, de leg. 2. l. alio de aliment. leg. l. si ita stipulatio, de oper. lib. cum vulgaribus.* quantò magis triplici vinculo simul concurrente : Primò prohibitione expressa & absoluta Henrietæ facta : Secundò prohibitione descendentium illius successivè : Tertiò dispositione & affectatione expressa & reali ipsorum herediorum, ad proximiores luiex successivè per relationem specificatam, ibi, *icelles terres*, affectatione expressa & reali ipsius terræ de Pourrentraco : relatum enim est in referente etiam propriè, *l. si defensor, §. qui interrogatus*, & ibi Bald. *ff. de interrog. act.* Igitur certum est & indubitatum præfatum Comitem Georgium pronepotem Henrietæ proximiorem de linea illius esse substitutum & vocatum ad omnia heredia, terras, ditiones, in quibus dicta Henrieta fuit instituta, & nominatim ad dictam terram de Pourrentraco.

13. Nec obstat novella 159. de restitut. fideicom. quæ in tit. habet μέχρι ἐνὸς βαθμοῦ, id est, usque ad unum gradum, ut vertit Gregor. Haloand. quia dico non esse in hoc standum literæ novæ editionis Haloandri, quæ est apocrypha, non prototypus novellarum, sed thapsodia corrupta cujusdam scholastici : sed in substantialibus standum authenticis nostris communibus, quæ sunt veræ, authenticæ, & ab antiquo tempore Justinianæ ex ipso archetypo κατὰ πόδας (juxta præceptum Justiniani in *l. 2. col. pen. C. de veter. jur. enucl.*) translatæ, partim etiam Latinæ ab ipso Justiniano editæ, ut novè docui in *trac. commer. & usurar q. 1. num. 67.* & plenius nuper interpretando, *l. Lucius Titius, de vulgar. & pupillar. in academia Dolana, & in meo commentario in novellas.* Standum ergo literæ vulgatæ & communi & in usum receptæ, quæ habet quòd usque ad quartum gradum, ut etiam antiquam hanc translationem probat Andr. Alciat & reprehendit Haloander, lib. 4. παρέργων *c. 2. in fin.* dicens quòd liber novellar. Haloand. corruptus fuit in tit. ubi pro μέχρι ἐνὸς βαθμοῦ, legendum erat ἐν δ. βαθμῷ, id est in quarto gradu. Præfatus autem Comes Georgius qui est pronepos Henrietæ directò institutæ, & sic tertius ab illa, non solùm est infra quartum, sed etiam infra tertium gradum, quia est tertius ab ipsa primariò instituta & primò gravata, quæ non debet computari, ut decidunt Jacob. de Belvis. & Ang. in *d. Authent. de restit. fideicom. §. nos autem* Alex. *conf. 56. in princ. lib. 1.*

14. Præterea limitatio dictæ Authent. locum habet in casu suo & suis circumstantiis, ut in alio consilio nuper in carcere Blancmontano in alia materia reddito dixi, non autem quando testator expressit se velle bona perpetuò manere in sua linea, ut hîc disposuit quod debeant semper venire & redire ad proximiores lineæ, quo casu fideicommissum in infinitum extenditur, ut decidit Jacob. de Belvisio in *d. Authentic. de restitut. fideicommiss.*

fideicommiſſ. Alexander *conſ.* 56. Andræas Barbat. in *l. cum acutiſſimi col.* 68. *C. de fideicommiſſ. dicens ita conſultum per collegium Bononienſe.* Idem Alexand. *conſ.* 59. *num.* 4. *lib.* 4. Jaſon *l. ultim. col.* 2 *C. de heredib. inſtit. & conſ.* 4. *numer.* 3. *libro primo*, *l. filiusfamilias* §. *divi. lectiu. i. in fin. de legat.* 1. Philipus Decius *conſ.* 481. *num.* 9 *conſ.* 516. *num.* 16. Joan. de Monteferrato in *repet. d.* § *divi. chart.* 6. *col.* 2 Hieron. Gratus *conſ.* 31. *numero* 24. *conſ.* 133. *ad fin. lib.* 2. Jaſon *conſ.* 4. *num.* 3. *lib.* 1.

15. Nec prædictis obſtat ſi dicatur quòd dicta dictio de Pourrentraco non excedebat legitimam dictæ Henrietæ, ut magnitudo dictionum (quæ in themate artic. quarto, & plenius in teſtamento d. Stephani narrantur) ſatis oſtendit, quia filius non poteſt rem certam eligere pro ſua legitima. Bartol. in *l. ſuus quoque, in princ. ff. de heredib. inſtituend.* Bald. in *l. jubemus C. ad Trebell.* latè Alex *conſ.* 117. *numero* 22. *ubi in annotat. dixi lib.* 6. & ultra ea quæ ibi dixi, ita tenet Ruminal. *conſ.* 57. *num.* 5. *lib.* 2. Carol. Ruin *conſ.* 57. *col. ultim. lib.* 2 Petr. Paul. Pariſienſ *conſ.* 52. *num.* 32. *lib.* 2. quamvis pater ſeu teſtator hoc poſſit. Alexand. *conſ.* 12. *lib* 5. ubi in annotat. dixi, Carol. Ruin. *conſ.* 57. *num.* 24. *lib.* 2.

16. Ita ut etiam alienando de facto non videatur. nec poſſit filius eligere rem alienatam pro legitima, ut tenet Baldus *conſ.* 217. *lib.* 1. Paulus Caſtrenſis *conſ.* 247. *num.* 4. *lib.* 1. Bulgari. *conſ.* 1. *col.* 1. Guido Pap. *dec. ſup.* Delphin. 606. Philip. Corneus 182 *col.* 2. *lib.* 2. Philippus Dec. *conſ* 236. *num.* 15. uti in annot. tetigi.

17. Ad tertium nulla difficultas eſt juris, ſed facti, quia ſi prædictus princeps eſt heres, non dico ſanguinis; ſed ipſius hereditariæ ſucceſſionis, mediatè univerſalis, in totum excluditur, niſi eſſet heres per beneficium inventarii, quia tunc non excluderetur in aliquo: quia ea quæ ſunt, in vendicando non confunduntur, facto legitimè inventario, ut not. in *l. debitori, C. de pactis, l. ult. de jure deliber.* ſed uſque ad vires inventarii teneretur in id quod intereſt. Quod ſi eſſet heres in parte, idem dicendum pro rata illius partis, *l. cum à matre. C. de rei vendicat. l. venditrix, C. de rebus alienis non alienandis.*

18. Ad quartum communis ſententia eſt, in ſingulis ſubſtitutis vel ſingulis gradibus, ſingulas & novas requiri præſcriptiones, prout in ſingulis novum jus quæritur ex nova conditione & commiſſione ſubſtitutionis ſuperveniente, quia ante illam ſupervenientis conditionis exiſtentiam, nec jus, nec actio oritur *l. cedere diem de verb. ſign. ff. & C. quando dies legat. vel fideicom. cedit, per totum.* Et ſic non poteſt præſcriptio incipere contra quemlibet, ante ſubſtitutionem ſibi apertam, & antequam cum effectu agere poſſit. *l. cum notiſſimi* §. *illud C. de præſcript. triginta vel quadraginta an. num.* l 1. *in princ. & § ult. C. de annal. except. l. puer.* §. *ult. ff. de dol. mali except. cum vulgarib.*

19. Adhuc aperta ſubſtitutione, non currit ſubſtituto (qui jam agere poteſt) longi temporis præſcriptio, quia illa in hac materia ſublata eſt, utpote deficiente titulo, & eo ipſo jure reſoluto & decreto irritanti legis pro infecto & non ſcripto habito, *l. ultim.* §. *fin autem C. communia, de legatis.* Saltem quando, ut hîc poſſeſſor non habet titulum niſi à perſona prohibita, ut per Bald. in *l.* 2 *C. de uſucapion. pro empt.* Et ſic tantum relinquitur præſcriptio longiſſimi temporis, ut in *d.* §. *fin autem*, expreſsè decidit Paul. Caſtrenſis & Alexand. *conſ.* 59. *lib.* 3. Socin. *conſ.* 251. *col. pennlt. lib.* 2. Philippus Corneus *conſ.* 38. *Placet col.* 4. *lib.* 1. *conſ.* 304. *rem arduam col.* 4. *lib.* 3. Jaſ. in *l. filiusfamilias* §. *divi*; *lectu. 1. col. ult. de legat.* 1. Quæ contra quemlibet ſubſtitutum incipit demum à tempore ſubſtitutionis ei apertæ, ut dictum eſt, & ſic præfatus Comes non poteſt excludi niſi longiſſimo tempore à die ſubſtitutionis ſibi apertæ.

20. In quo non triginta tantum anni ſunt computandi, ſed quadraginta anni propter concurſum hypothecarum *l. 1. C. communia, de legatis*, de quo tempore quadragenario deducenda eſt pupillaris ætas ejuſdem principis ipſo jure, & reliquum tempus minoris ætatis per beneficium reſtitutionis in integrum, *l. ult. C. in quib. cau. in integ. reſt. non eſt neceſſ. l. ſicut.* §. *pen. C. de præſcript. triginta vel quadraginta an.*

21. Unde contra nondum natos nunquam incipere poteſt ulla præſcriptio. Alexand. *conſ.* 101. *col. pen. lib.* 7. Paulus *conſ.* 247 *col.* 3. *lib.* 1. *in novis.* Philip. Decius *conſ.* 368. *ad fin. conſ.* 498. *col pennlt.* & latè Hieronym. Gratus *conſ.* 101. *col. antepenult. cum ſequent. lib.* 2. imò etiam nec contra jam natos concurrere incipit, ſi agere non poſſint. Bald. *in Auth. niſi triennale verſic ſed quid dices, C. de bon. mater.*

22. Non obſtat quod Bart. in *l. filiusfamilias* §. *divi. col. ult. de leg.* 1 tenet rem etiam per teſtamentum alienari prohibitam præſcribi poſſe, ut etiam ibi firmat Alex. *col. ult. &* Jaſ. *in lect.* 2. Idem Bald. *l.* 1. *C. de ſervis fugitivis*, Et ſequitur Franciſc. Bald. *tractat. de præſcrip. in quarta parte quintæ partis principal. quæſt.* 4. *num.* 4. dicens eſſe veriorem & magis communem ſententiam, ut etiam longo tempore cum titulo & bona fide præſcribi poſſit, rejecta diſtinctione Paul. in *d.* §. *fin autem*, quia imò verior & communior eſt opinio & diſtinctio Pauli; quia quamvis teſtator ipſe non poſſit annullare titulum & præſcriptionem ſequentem, tamen *lex poteſt, ut l. aperte facit in d.* § *fin autem.* Et hæc vehementer intentionem Comitis Montbelgardenſis juvant & confirmant.

23. Sed in contrarium urget. Primò quod interea temporis etiamſi ſubſtituti non poterant petere vel vendicare, tamen poterant agere ad declarationem, videlicet ut bona per extraneos poſſeſſa declararentur ſubjecta & hypothecata fideicommiſſo in caſum & eventum dictarum ſubſtitutionum, & ſic interrumpere omnem præſcriptionem: quod ſi neglexerint, in negligentia fuerunt, & ſic ſaltem longiſſimo tempore triginta, vel ad ſummum quadraginta annorum ſpatio excluſi ſunt etiam à futura ſucceſſione. Ita decidit Philippus Corneus *conſilio* 304. *col.* 11. *lib.* 3. *facit text. in l. ſi contendat*, ubi Bart. & alii, *de fideiuſſ.* ut hanc ſententiam refert Aymo Craveta *conſ.* 67. *in fin.* ubi non audet firmare, nec ego (etiamſi meminero aliàs ita in ſupremo Senatu judicatum Pariſiis) niſi prout infrà dicam.

24. Secundò fortiùs urget quia hic non ſolùm eſt tempus longiſſimum, ſed etiam immemoriale pluſquàm centum annorum, quòd ſecundum communem doctrinam dicitur tempus immemoriale, ut tradit Cyn. Bald. in *l.* 2. *C. de ſervit. & aqua, Cæpol. in d. tract. de ſervitut. urban. prædior. c.* 119. Franc. Bald. *in tractat de præſcript. in ſecunda part.* 3. *q.* 6. *num.* 24. & dixi *in Conſuet. Pariſ.* §. 5. *n.* 6. hujuſmodi verò tempus habet vim conſtituti *l. hoc jure* §. *ductus aquæ. de aqua quotid. & eſtiv.* Nec dicitur præſcriptio, ſed titulus, qui quidem titulus non eſt abolitus, nec reſolutus per *dictam l. ulti.* §. *fin autem C. communia de legatis*, nec per aliam legem.

25. Quia hujuſmodi exceptio temporis immemorialis nunquam cenſetur excluſa etiam per legem prohibitivam, nec per quæcumque verba univerſalia, quamcumque præſcriptionem excludentia, ut tenent Panorm. Felyn. & alii *in rubr. extra de præſcript. text. junctâ gloſ. & ibi Angel. in Authent.* ut de cætero commutationes non fiant. Bald. Angel. in *l.* 1. *C. ne rei dominicæ, vel templorum in l. omnes C. de præſcript. triginta vel quadraginta annorum* Bald. *l. col ſecunda, C. de annali except.* Alex. *l. nemo poteſt col. ultima, de legat. primo.* Franc. Bald. *in tractatu præſcriptionum in quinta parte quintæ partis quæſt.* 9. *dixi in Conſuet. Pariſ.* §. 7. *num.* 12. & §. 80.

26. Nec obſtat ſi dicatur quod licet tantum temporis habeat vim legitimi tituli, tamen non debet major eſſe vis taciti illius vel præſumpti tituli, quam expreſſi. Et quòd nulla præſcriptio temporis incipit antequàm agi poſſit, quia reſpondetur quòd compara-

tio tituli tacìti & expreſſi locum habet in titulis eiuſdem generis, puta ab homine vel præſumptione hominis, ſive à præſumptione legis de titulo hominis: non autem in heterogeneis, unde non valet argumentum ad titulum legis, ſive expreſſum, ſive tacitum: Quippe lex longè prævalentior eſt, ut notant doctores in l. non impoſſibile, de pactis Alex. apud Bart. *in rub. de decretis decurio. libro decimo*, C & ibi Lucas de Penna. Franc. Curtius ſenior *in tract. de ſequeſtris. q. 22. in fin.* Alex. *conſ.* 120. *in fin. libro ſexto*, Philippus Decius *l. nec ex prætorio. in fin. de reg. juris in c. primo, lect. on ſecunda num. 6. de conſtitut. extra.*

27. Præterea titulus iſte conſtituti, qui reſultat & datur à lege ex tempore immemoriali. *d. l. hoc jure, §. ductus aquæ. ſuper quibuſdam. § præterea extra. de verbor. ſignific.* non intelligitur de titulo prohibito vel à perſona prohibita, ſed de titulo legitimo & à perſona non prohibita, vel extra omnem caſum prohibitionis. Præterea titulus ille legalis non refertur ad certam perſonam, nec ad certam ſpeciem tituli, ſed ad illas perſonas & ad illas ſpecies tituli quæ fuiſſent legitimæ & validæ ſtatim in ſui initio, ſi de illis conſtitiſſet, & conſequenter habens jus ſive conſtitutum legale ex tempore immemoriali, cenſetur habere jus vel titulum ab omnibus quæ potuerunt conſtituere, ſequitur quòd iſtud jus conſtituti ſive tituli legalis antecedit omnes prohibitiones & omnia impedimenta, nec inquiritur de origine, ſed præſumitur talis, qualis ad effectum debuit eſſe.

28. Et ſic clariſſimum eſt quòd iſte titulus à lege datus & conſtitutus nullo modo aboletur per dictam *l. ultimam. C. communia. de legat.* quæ etiam dumtaxat loquitur de præſcriptione longi temporis, & de habente titulum à prohibito, aut etiam ſecundùm quoſdam de præſcriptione longiſſimi temporis in eo qui nullum habet titulum neque à lege, neque ab homine: ſed quando utrumque concurrit, videlicet tempus immemoriale, de quo dicta lex ultima nunquam diſpoſuit, nec cogitavit: deinde titulus conſtituti à lege datus, concurrente etiam præſumptione juris & de jure pro tempore immemoriali, impoſſibile eſt dicere locum eſſe limitationi. *d. l. ultima, §. ſin autem.*

29. Sed primò locus eſt regulæ juris communis de præſcriptione triginta, vel quadraginta annorum quæ eſt non ſolum generalis, ſed etiam univerſalis. text. *in l. omnes nocendi quibuslibet modis artes. C. de præſcript. triginta, vel quadraginta annorum. ibi quidquid autem. & ibi, vel ſi qua actio. & ibi, quorumdam tamen vel ex fortuita vel excogitata interpretatione. & ibi, huic ſalubertimæ noſtræ ſanctioni ſuccumbat, & quadraginta annorum curriculis procul dubio ſopiatur, nullumque jus privatum vel publicum in quacumque cauſa vel in quacumque perſona. & ibi, pleniſſima munitionis ſecurus.* Quæ regula confirmatur per textum in dicto §. ſin autem. ibi, ut nec uſucapio, nec longi temporis præſcriptio. Hæ ſunt enim duæ exceptiones, quæ regulam in contrarium firmant *in Authen. de non alienand. aut permut. §. ut autem lex. l. quæſitum. §. denique Neratius, de fund. inſtruct. doctores in rubr. de regulis juris in ſexto, & in l. prima, ff. eodem.*

30. Secundo hoc ſpeciali caſu locus eſt præſcriptioni centum annorum, ſeu conſtituti legalis. Cùm igitur iſte caſus non ſit exceptus *in d. §. ſin autem.* & ſit prærogatus, imò præjudicatus in jure, nullo modo excipitur, nec excluditur, ſed omnia excludit non ſolùm privata, ſed etiam publica, per text. *à fortiori in d. l. omnes. C. de præſcript. triginta vel quadraginta annorum.*

31. Facit quod inquit Bald. *in l. prima. C. de annali præſcriptione, in l. data opera. col. 10. C. qui accuſa. non poſſ.* quod poſt centum annos omnia vacillant. Atqui hic non ſolùm centum, ſed centum quinquaginta anni præteriere pacificæ poſſeſſionis ex titulo juſto, etiam inter præſentes, vel ita vicinos, ut in proſpectu cùm etiam in confeſſo ſit præfatum comitem & ſuos anteceſſores ſemper penès ſe dictum teſtamentum habuiſſe, & ſæpiſſime in variis cauſis verſatile in judiciis & extra: Quibus argumentis reſiſtere nequeo, nec video reſponſum. Itaque concludo etiam ſi præfatus comes vel ſui anteceſſores jus habuerint, tamen poſt tempus immemoriale deſiiſſe habere, & impræſentiarum inadmiſſibiles eſſe.

32. Non obſtat quòd ſuprà in quarto articulo dictum eſt ſingulis ſubſtitutis vel gradibus, ſingulas novas requiri etiam longiſſimi temporis præſcriptiones: quia ad hoc duplex eſt reponſio. Prima, quòd hoc procederet in ſimplici præſcriptione ordinaria. At tempus immemoriale non eſt hujuſmodi, ſed eſt conſtitutum, ſive titulus legitimus præſumptione juris & de jure, ut dictum eſt.

33. Secunda, quia illud procedit & intelligendum eſt contra ipſos heredes & heredum heredes, in quos deſcendit obligatio ex teſtamento, & qui perſonaliter tenentur ad implenda contenta in teſtamento ſui deceſſoris, ſive ſint obligati purè, ſive in diem, ſive ſub conditione: quia pendente die vel conditione nunquam incipiunt præſcribere. Et ita loquitur & intelligitur *l. 1. in fin. C. de annali exceptione, & ſimilia jura.* Quæ adhuc limitantur ſi heres etiam univerſalis haberet titulum particularem à ſingulari ſucceſſore, *l. an vitium in fine, ff. de diverſis & temporal. præſcription.*

34. Secus quando agitur contra tertium bonæ fidei poſſeſſorem in quem non deſcendit obligatio, & qui non tenetur actione ex teſtamento, nec alia actione vel obligatione perſonali: ſed ſola hypothecaria vel reali, text. *in l. 1. & 2. C. ſi adverſus creditorem, lib. 7.* quæ indiſtinctè loquuntur, ſive illa hypotheca eſſet pura, ſive in die, ſive etiam conditionalis. Prout etiam indiſtinctè loquitur & intelligitur, *l. ſi eo tempore. C. de remiſſio pignoris & l. ultima. C. de cenſibus libro undecimo*, de quo tetigi ad Alexandrum *conſ.* 106. *col. prima, libro quinto*, & plene dixi *in conſuet. Pariſienſ* §. 189.

35. Quod etiam evidenti demonſtratione & legibus probo, quia pendente die vel etiam conditione conditionalis hypothecæ, agi poteſt ad cautionem ſeu ſatisdationem interponendam, textus eſt rotundus in *l. grege. §. ſi ſub conditione. ff. de pignor.* ubi certum eſt quòd lex in primo reſponſo indiſtinctè loquitur & intelligitur, ſive contra principalem debitorem, ſive contra tertium poſſeſſorem agitur: loquitur enim de actione hypothecaria. Igitur clarum eſt, quod ſi verſiculus, ſed ſi præſens immediatè continuatus in eodem textu loquitur, tam de tertio poſſeſſore, quam ſi de ipſo debitore ut interim peti & exigi poſſit cautio, ſi conditio extiterit, nec pecunia ſolvatur, reſtitui hypothecam: Igitur creditor hypothecarius etiam hypothecæ conditionalis & pendentis, poteſt non ſolum contra principalem: ſed etiam contra poſſeſſorem agere ad ſatisdationem, & ſic multò fortius ad ſimplicem cautionem: & conſequenter ad omnis præſcriptionis interruptionem, *l. cum notiſſimi. §. imò, verſiculo, ſed & ſi quis. C. de præſcriptione triginta vel quadraginta annorum.*

36. Quamvis enim ſatisdatio non ſemper exigatur, ſed ex juſta cauſa judicis arbitrio, *dicto §. ſi ſub conditione.* Ibi, *ideoque arbitrio judicis, ff. de pignoribus & hypothecis. l. in omnibus ibi ex juſta cauſa, ff. de judiciis*, ubi Bartolus & Angelus tenent non eſſe differentiam inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris. Idem Baldus *conſ. quadringenteſimo decimo tertio, libro tertio.* Jaſon *l. ſi conſtante. in principio. col. nona, num. quingenteſimo octavo. ſoluto matrimonio.* Matthæus de Afflictis *deciſio. Neapolitan. centeſima octava*, tamen ſimplex cautio ſeu recognitio, ſive poſſeſſor ſit ſuſpectus, ſive non, indiſtinctè poteſt exigi: quæ tamen

æquè ad interrumpendam præscriptionem sufficit. Bartolus *in l. si prius. §. 1. de aqua pluvia arcenda*, Franciscus Aretinus *l. secunda, §. ex his col. prima, de verborum obligationibus.*

37. Probo secundo, quia in legatis & fideicommissis in listinctè pendente conditione peti potest etiam satisdatio non solum ab herede gravato, sed etiam ab eius quovis successore, & consequenter à quovis tertio causam habente, ut isti possessores causam habebant à gravata, idque edicto perpetuo prætoris, ut legatorum seu fideicommissorum nomine caveatur, *l. 1. §. non solum eodem titulo.*

38. Et sic clarissimè liquet quòd multis nominibus licebat præfato domino Comiti intra decem annos inter præsentes, aut viginti inter absentes, aut infra tempus immo longissimum præscriptionem interrumpere: igitur etiam citra tempus immemoriale cucurrit contra eum cum effectu præscriptio respectu tertii bonæ fidei & iusto titulo publici possessoris, quamvis contra heredes universales personaliter obligatos non cucurrisset, nisi à die sibi apertæ substitutionis, sive conditionis suæ extantis, & ita arestum supremæ curiæ Parlamenti Parisiensis, de quo supra memini (quod in causa *Pompadour* in favorem tertii possessoris latum fuit) intelligendum est.

39. Præterea manifestissime apparet prohibitionem illam in testamento Stephani Comitis Montbelgardensis factam esse in favorem familiæ, & familiæ relictam, *l. cum ita §. in fideicommisso de leg 2. l. ult. C. de verb. signif.* atque ut sufficiebat uni de familia relinquere, *l. filiusfamilias, §. cum pater.* ibi, *verum est enim in familia reliquisse, licet unus reliquisset. ff. de leg 1. l. is qui complures* ibi, *satis illum facturum, & si alius reliquisset, de leg. 3.* ita mox quùm res egreditur familiam, omnes & singuli de familia fideicommissum petere possint, *l. peto. §. fratre de legat. 2.* Et quamquam pluribus concurrentibus proximior præferatur, tamen cavere debet se familiæ restituturum, *d. § fratre ver. sed ita l. unum ex familia, §. quod si talia de legat. 2.* & sive caverit ex ea cautione familiæ ipsi quæritur, *glos. d. §. fratre in verb. cavere.*

40. Quæ non bene dicit utilem actionem competere familiæ, quia per iura quæ allegat, patet directam competere ex cautione vere interposita, utilem verò ex facta, in casibus dictorum iurium ubi fingitur interposita: sed in hoc casu *d. §. fratre*, si cautio non fuerit interposita, nulla eo nomine (id est ex cautione quæ non est) nascetur actio nec directa nec utilis: quia non est de casibus iuris, in quibus stipulatio fingitur, quos enumeravi in *l. 1. §. si quis ita in lectura Tubingensi de verborum obligationibus*, sed sufficit fideicommissi petitio, quæ mox ut res ad externum pervenit, statim familiæ competit, text. *d. §. fratr. eversion.* quòd si cautio, ergo una & eadem est actio familiæ competens, quæ orta est statim quod domina Henrieta alienavit, & ex tunc tota familia agere potuerit: ergo ex tunc familiæ præscriptio currere cœpit.

41. Nec in iure dubius est processus in infinitum etiam favore iuris divini, vel publici, vel sacrosanctarum Ecclesiarum, aut redemptionis captivorum, text. *l. ut inter divinum. ibi, sed ne videamur in infinitum hanc extendere. C de sacrosanct. Eccles. l. ult. in fi.* ibi, *ne in infinitum causæ retractentur, C. de fide instrum. l fratris. C. de transact. l. qui bona, § ult.* ibi, *neque enim in infinitum obligatus esse debet ff. de damno infect.* Ex quibus præfatus Comes (etiam si ius initio habuit) non est impræsentiarum inadmissibilis.

42. Verum alia quoque urgenti ratione, nec ab initio quidem videtur habuisse ius, etiam si nec in totum, nec in parte esset heres: quia certum est quòd præfata illustris Henrieta nullo modo gravari potuit in legitima, quæ erat triens portionis suæ Authent. novissima. *C. de inoffic. testa.* & sic usque ad tertiam partem portionis suæ liberè, & sine ullo onere dictarum subsitutionum & fideicommissorum alienare potuit, *l. quoniam in priorib. C. de inoffic. test.* imò etiam secundùm communem, & in omnibus curiis & iudicis receptam sententiam alienare potuit usque ad dimidiam portionis suæ, cum illæ substitutiones essent fideicommissariæ & conditionales, & sic etiam Trebellianicæ locus esset. *c. Raynaldus extra de test.* quæ Trebellianica una cum legitima semper ascendit ad dimidiam, *ut dixi in annot. textuali. d.* c & ibi glos. *verb. licet ipsas.* Philip. Decius *consil.* 219. & ita ubique observatur, nisi quando apparet Trebellianicam prohibitam esse, *ut dixi in annot. ad Alexand. consil. 43. in fin. lib. 2* & dato quòd dici possit per testamentum illustris Stephani Trebellianicam prohibitam, tamen hoc ad minimum certum & indubitatum est, quòd omninò liberè alienare potuit usque ad tertiam portionis suæ, sive ad usque tertiam quartæ partis bonorum defuncti testatoris, sive duodecimam, vel unciam universorum. Sed dicta terra de Pourrentraco non ascendebat duodecimam omnium bonorum testatoris, ut satis indicat series & catalogus bonorum & ditionum in dicto testamento contentus.

43. Et quantum video negari nequibit dictam terram de Pourrentraco non excessisse tempore obitus præfati Stephani, quod tempus debet attendi. *§. ult. Instit. de leg. Falcid. l. in quantitate. ff. ad legem Falc. l. cum quæritur* ubi latè Jas. *C. de inoff. test.* legitimam seu simplicem portionem legitimæ, præfatæ Henrietæ debitam.

44. Atqui filius rem certam alienando videtur eam eligere pro legitima, Alexand. *conf.* 125. *col. ult. lib.* 1. Franc. Aretin. *conf.* 18 *& conf. sequent.* Jas. *conf.* 69. *col.* 5. *lib.* 1. *conf.* 161. *lib.* 4. Franciscus Purpura, *l. 1. in fin. C. de pact.* Ludovic. Roman. *conf.* 277. *non est dubium col* 2. Nec obstat (ut suprà allegatum est in fine secundi puncti) quòd post Bar. *in l. suus quoque in princ. ff. de hered. instit. & in l quartam. col. 1. q. 4 ff. ad leg. Falcid.* Crebrior est sententia quòd filius non potest eligere rem certam pro legitima, quia verum est, quando habet coheredes, & quandiu res illa est communis: tunc enim (ut divisio & portionum assignatio) communi consensu vel iudicis arbitrio fieri debet, ut etiam loquuntur, text. *in l. non amplius in fin. cum l. sequens ff. de leg* 1. & in *l.* 2. *C. quando & quibus quarta pars lib.* 10. & reliqua iura, in quibus illa communis opinio fundatur, quæ consequenter ita debet intelligi, ita etiam procedit quod scripsi *in annotat. ad Alexand. consil.* 127. *num.* 22. *lib.* 6. *& ad Philip. Deci consil.* 235. *num.* 15.

45. Secus quando filius nihil habet commune cum alio, vel postquàm divisio facta est, prout facta erat etiam à præfato Stephano: tunc enim filius qui est dominus & possessor pleno iure, *l. generaliter. ff. qui & à quibus manumissi liberi non fiant, l. 1. § servi appellatione ad Sillanianum, l. non ideo minus de rei vendicat.* potest pro sua legitima rem unam (saltem quando constat quod est infrà legitimam) alienare: igitur hoc potuit dicta Henrieta.

46. Et dato quòd ab initio non posset eligere nisi vocato fideicommissario, tamen alienando, & secuta non clandestina, sed manifesta traditione, deinde reali longæva possessione. & gradualiter substitutorum successiva patientia per multos annos sine ulla querela. saltem post longissimum tempus, electio illa satis dicitur perfecta & comprobata.

47. Illud etiam exploratissimi iuris est, ius excipiendi transire etiam ad singularem successorem, *l. dolia. §. 1.* & ibi Bar. *de contrahend. empt. & vend.* text. *l. emptori, de heredit. vel action. vendit.* Bar. Alexand. Iason. *l. ait prætor, 2. col. 1. de iureiurando.* Dynus in *c. siquis in ius, de regul. iuris. in sexto.* Andr. Tiraquel. *in tract proximita. § 13. glos. 1. num. 19.* Nico. Boëri. *decision. Burdegalensi.* 43. Cùm ergo etiam actor ipse & alii successores dictæ Henrietæ majorem bonorum

illius partem poſſideant, quinetiam partem legitimæ, cùm dicta Henrieta uſque ad partem legitimam non alienaverit, reis competet exceptio, etiamſi tantum longiſſimum tempus lapſum eſſet: ſed poſt illud quater elapſum, & tempus immemoriale, nebus & utilius conſilium juridicè dari nequit præfato Comiti, quàm Ulpiani *in l. 1. de inoffic. teſtam.* ne ſumptibus inanibus ſe divexet. Et ita cenſeo ego Carolus Molinæus Juris U. Doctor. Franciæ & Germaniæ Juriſconſultus, antiquus in Curia Franciæ Advocatus. In quorum fidem propria manu his ſubſcripſi, & gentilitio apoſphragiſmate communivi. Datum Montbelgardi, nonis Junii, anno ſalutis ſeſquimilleſimo quinquageſimo-ſexto.

EPITOME CONSILII XXVII.

1. Circumſtantiarum dinumeratio.
2. Qualitas appoſita præcipuè attenditur. 29. 30.
3. Et maximè qualitas perſonæ, quæ eſt magis ſubſtantia quàm qualitas.
4. Valet argumentum à nomine appellativo officii, quæ qualitas totum actum qualificat.
5. Qualitas in principio appoſita, videtur in ſequentibus repetita.
6. Sive reſtringendo, ſive ampliando.
7. Relatio fieri debet ad proxima, & ſpecificè includit quicquid eſt in termino relato.
8. Talia ſunt ſubjecta, qualia permittunt judicata prædicata.
9. Antecedens declaratur per conſequens, & contrà.
10. In dubio videtur quis facere vel contrahere nomine proprio.
11. Fit interpretatio contra eum qui ſe fundat in verbis teſtamenti.
12. Verba contra ſtipulantem interpretanda ſunt ſive in tacita, ſive in expreſſa.
13. In dubio pro debitore contra creditorem.
14. Relatio fieri non debet ad narrativa vel incidentia, ſed ad diſpoſitiva.
15. Relatio non fit ad omnia, quando non eſt tanta ratio de uno ſicut de alio, ſed ſolùm refertur ad illud de quo eſt major & plenior ratio.
16. Alia eſt obligatio primaria, alia eſt ſecundaria.
17. In dubio depoſitum potius præſumitur.
18. Obligatio quæ re contrahitur, non poteſt extendi ultra limites rei.
19. Aliud nomenclatura inſtrumentorum, aliud ſunt inſtrumenta.
20. Traditio inſtrumenti originalis rei pro traditione habetur, ſecus in traditione inventarii.
21. Non præſumitur ceſſio.
22. Quem non ſequuntur lucra, non ſequuntur onera.
23. Ex qualitate rei & perſonæ præſumitur induſtria.
24. Et in dubio præſumitur electa.
25. Et qualitas perſonæ attenditur ad ampliandam vel reſtringendam diſpoſitionem.
26. Patronus fiſci excuſationem habet à tutelis.
27. Propoſitum in mente patentium nihil operatur.
28. Verba narrativa etiam in executionibus poſita declarant.
31. Contrahens cum aliquo cenſetur ſcire ejus qualitatem.
32. Doctor iuris non præſumitur errare.
33. Contrahens ſuper re ad minores ſpectante cenſetur ſe eis obligare. 34.
35. Reſolutum, inſpiciendum eſt, quid actum ſit. 36.
37. Enuntiativa probant inter eoſdem ad finem actus cui inſeruntur, non ſi de enuntiatis poſteà per ſe quæratur.
38. Niſi ſemiplenè.
39. Mandatum ſpeciale derogat generali, niſi ex juſta cauſa domino ignota.
40. Procurator generalis, ſtante alio ſpeciali, dicitur falſus in ea ſpecie.

CONSILIUM XXVII.

PErſpecto rurſus poſt originale conſilii mei in mea captivitate ſubtractum & accuratius conſiderato themate, in quo non ſolùm prima facie gravis eſt difficultas in deciſione, ſed etiam circunſtantiæ facti minùs ſunt explicatæ, de quibus apud vos exiſtens propter importunitatem ſollicitorum Wirtembergentiorum diſceſſum meum (ut ſcitis) urgentium conſultorem (pro more mihi ſolito) interrogare non potui, ſed nec ſpeciem facti coram legere, vel integram audire.

1. Prius itaque circunſtantias illas deficientes notabo, quàm ad examen quæſtionis veniam. Prima eſt initio chirographi domini Theobaldi, ibi, *Receveur, Procureur, & ayant charge des enfans & heritiers, &c.* Nòn enim dicitur à quo hoc mandatum accepit, an à dicto *Poly*, an verò à tutore, an ab alio puta curatore adultis dato, vel ab ipſis majoribus factis; jam enim lapſi erant quindecim anni à decreta tutela. Secunda circumſtantia, quia non exprimitur an eſſet generalis receptor, an vero ad certum negotium limitatus, an nunc vel olim: an ad hoc vel ad diverſum conſtitutus. Tertia circumſtantia quia non dicitur an dominus Theobaldus vel ejus heredes eſſent de illis quos tutor fecit citare ad redditionem rationum, an vero à ſolo Anatholico vocati fuerint. Quarta nec dicitur à quo heredes Theobaldi petiti & perſecuti fuerint, an à tutore, an verò ab Anatholico, & utri eorum condemnati.

2. Nunc Dom. noſtri Jeſu Chriſti unici Redemptoris & mediatoris nomine invocato, primò accipiam articulum juris, an ab initio per illud chirographum dominus Theobaldus obligatus fuerit de ipſis nominibus contentis in libris rationum, rationem reddere, & dictum *Poly* exonerare non ſolum à reſtitutione corporis ipſius, vel inſtrumenti dictæ copiæ: ſed etiam à reſtitutione & rationibus nominum in ea copia deſcriptorum? Videtur quòd ſic. Primò à qualitate in qua contraxit, ibi, *Receveur*, &c. Cùm ergo contraxerit in qualitate receptoris dictorum minorum heredum, videtur contraxiſſe ad finem recipiendi nomina & jura eis tanquam heredibus debita. Cujuſque enim rei principium potentiſſima pars eſt. *l. 1. de origin. juris*, & qualitas initio appoſita & impreſſa præcipuè attenditur, *l. claim poſſidere in principio de acquirend. vel amittenda poſſeſſ. l. ſi procuratorem in princip. mandati.*

3. Et maximè quando est qualitas personæ vel cujus nomine geritur : hæc enim substantialis est : mutat enim personam agentem, & actum facit alium, ut quis censeatur modò proprium, modò alienum gerere negotium, modò unam, modò alteram representare personam, *l. procurator qui pro evictione de procurat. l. ult. de institoria actione, l. multum interest. C. si quis alteri vel sibi.* Faciunt quæ dixi *in Consuetudine Parisien. §. 37. glos. 10 num. 14. num. 15.* Ergo ex illis verbis in initio appositis, ibi, *Receveur, Procureur, & ayant charge des enfans & heritiers*, satis apparet quòd non contrahebat pro se, sed pro minoribus, non ad suam, sed ad minorum utilitatem. Et consequenter quòd illam copiam recepit, non ut se pro suo commodo instrueret, sed ut rem minorum curaret. Cum enim non pro sua, sed pro minorum utilitate acceperit, quænam erat utilitas videndi & perscrutandi, nisi etiam eodem domino prosequeretur & exhiberet ? ergo ad hoc sese obligavit.

4. Secundò, valet argumentum à nomine officii dignitatis vel appellativo. text. in *l. annua. §. 1. de annuis legatis in l. nonnumquam ad Trebell. in l. si communis servus sta, de stipulat. servor. in c. quoniam abbas de offic. de l. g. in c. requisisti extra de testam.* in quibus omnibus juribus probatur quod qualitas officii expressa totum actum qualificat & determinat. Sed dominus Theobaldus in qualitate receptoris minorum contraxit : ergo censetur contraxisse, ut nomina eisdem debita persequeretur & reciperet. Ad hoc latè Nicol. Everardus Lovaniensis Doctor & principalis quondam consiliarius *in locis legalibus, loco* 81. nomine officii dignitatis, vel appellativo.

5 Et ultra eum probatur, quia ea qualitas receptoris & procuratoris minoris in principio dicti chirographi apposita est : ergo ad omnia sequentia videtur repetita, *l. Seia, §. Gaio.* & ibi Bart. *de fundo instrum. l cum servus de cond. & demonstra.* Dominicus de sancto Geminiano *cap. mandato de prab. in sexto.* Franciscus Aretinus *cons.* 137. Antonius Corsetus *in repertorio, in verb. Qualitas.* Philippus Decius *c. 1. lect. 1. col. 4. de judi. extra & cons.* 480. *num.* 4. Etiam in diversa oratione vel dispositione, ut prædicta loquuntur. Sed in eadem oratione non est dubium repetitam censeri. Alexand. *cons.* 100. *lib.* 6. Nec in his quæ reguntur ab eodem verbo. Alexand *cons.* 34. *ubi in annot. dixi num. 6. lib.* 6. Sed hic utrumque concurrit, quia eadem oratio, eadem periodus, ab eodem verbo, ibi, *le quitte & promets acquitter*, regitur : igitur tam in confitendo quàm in promittendo qualitas receptoris repetita, seu potiùs continuata censetur, ergo ad finem recipiendi, & hanc curam minoribus præstandi.

6. Ut enim qualitas restringit, ita ampliat. Angel. Perus. *l. 1 si quis testam. liber esse jussus fuerit.* Tum tertiò alioquin qualitas initio opposita, impertinens esset & supervacua : quod est absurdum. Tum quartò cur opus fuisset tot annis illam copiam retinuisse, si tantùm eam legere voluisset ? Quintò principaliter probatur in ipsis verbis dispositivis, ibi, *dont je quitte & promets acquitter & décharger ledit Poly* : quæ verba referuntur ad immediatè præcedentia, quæ sunt talia, *pour recouvrer les debtes y contenuës.* Igitur clarè & apertè se obligavit ad exonerandum dictum *Poly* à recipiendis & prosequendis dictis nominibus.

7. Tum sextò in vim relationis quæ semper fieri debet ad proxima, & illa includit, *l. esse toto. de hered. instit. l. si ita scripsero de condit. & demonstrat.* Et quicquid est in termino relato, est in referente termino, etiam propriè & specificè. Bald. *l. si defensor. §. si interrogatus. versicul. nisi forte per illum text. de interrog. action.* & dixi *in Consuet. Paris. §. 45. num. 18.*

8. Septimò talia sunt subjecta, qualia permittunt seu ostendunt prædicata *l. 3. in princip.* & ibi Bartol. *de fundo instruct. vel instrum. legat. glos. ult. in c. dudum,* & ibi Panor. & omnes Canonistæ *extra de decimis.* Jason *in l. stipulatio ista habere, §. bi qui de verborum obligat.* Ant. Corsetus. *in singulari verb. libellus* Bald. in *c. unico de natura succes. feud.* & e contra à *d. l. 3.* Alexand. *d. l. stipulatio ista, §. sicut autem.*

9. Si ergo sufficit antecedens declarari per consequens, vel contrà per prædicta & per *l. utrum de petit. hæredit.* quantò fortiùs quando utrumque clarum est, & neutrum indiget declaratione, sed utrumque reciprocè, ad mutuò corroborandum concurrit hic ubi principium & qualitas substantialis est liquida, ibi, *Receveur, Procureur*, & etiam verba dispositiva velut prædicatum, ibi, *dont je quitte, &c.*

10. In contrarium quod dumtaxat promiserit & se obligaverit ad restitutionem ipsius copiæ vel exemplaris. Primò, quia (ut in themate narratur) defunctus Theobaldus non rogavit illam copiam ad minorum, sed ad sumptus commodum, nec hoc est confictum. Tum quia habebat interesse ratione uxoris, cujus jura tenebatur excutere & prosequi, & constat quòd ejus uxor erit hæres unius dictorum minorum, saltem pro parte. Secundò etiamsi de hoc non constaret, tamen præsumptio juris talis est, ut videatur quis facere vel contrahere nomine proprio, & non alieno, & pro se, & non pro alio, *l. & magis puto. de solution. l.* 1. quod quisque juris, *l. frater a fratre de condict. indeb.* & ibi Jason, *col. 5. l. si negotia mea mandasti, l. quoties tutor. §. si tempori alii, l. cum hereditas de administr. tutor. & curat.* Alexand. *cons.* 132. *col. 2. ubi in annot. dixi lib. 5.* Decius *cons.* 446. *ubi etiam in annot. dixi.*

11. Tertiò, quia in dubio fit interpretatio contra eum qui se fundat in verbis instrumenti, *l. veteribus de pact. l. Labeo scribit. de contrab. empt. & vendit.* Bartol. *l. sæpe. in princ. de verborum significat.* Alexand. *l. si pactiscenda C. de pactis cons.* 204. *col. 3. col ult. ubi in annot. dixi lib. 2. dixi etiam nuper in annot. ad Dynum c. contra eum de regulis juris in sexto.* Sed totum & unicum fundamentum contra heredes Theobaldi sumitur ex solis verbis chirographi, ergo contra adversarios interpretanda sunt.

12. Tum etiam in expressa stipulatione verba contra stipulatorem interpretanda sunt, *l. stipulatio ista habere, §. in stipulationibus, de verborum obligationibus.* Igitur multò magis in stipulatione tacita vel præsumpta, ut hic ex verb. promitto, *§. si scriptum. Instit. de inutil. stipul.*

13. Tum in dubio pro debitore contra creditorem, *l. Arianus de actio. & oblig.* Decius *cons.* 313. *num.* 4. & pro reo contra actorem. *l. favorabiliores de regulis juris, c. ex literis, de probat. saltem in fine & in decisivis ut hic glos.* 2. & omnes Canonistæ in *c. cum ad sedem, extra de restit. spolia.* Sed hæc omnia simul juncta concurrunt pro heredibus Theobaldi, contra adversarios : ergo per locum à fortiori, quia singula sufficerent.

14. Quartò, quia relatio non debet fieri ad narrativa vel incidentia, quando sunt verba dispositiva ad quæ potest referri : sed hîc constat præcedere verba dispositiva, de quibus principaliter agebatur, ibi, *Confesse avoir retiré la copie du Livre de raison.* Ergo verba dispositiva sequentia, ibi, *dont je quitte, & promets acquitter*, ad illa præcedentia & priora dispositiva dumtaxat referuntur, non autem ad alia quæ non sunt dispositiva. Clausula verò, *laquelle copie avoit esté mise es mains dudit Poly pour recouvrer les debtes y contenuës*, non est dispositiva, sed enuntiativa de præterito : ergo ad eam clausula sequens quæ est dispositiva non est referenda, sed referenda est ad primum & principale membrum dispositionis, quod est de instrumento copiæ recepto, velut prædicatum ad subjectum suum, & non ad aliud referendum est. Ex quibus patet ad sextum responsio.

15. Quintò & fortius etiamsi præcedant plura subjecta & membra principalia, tamen relatio non refertur ad omnia, quando non est tanta ratio de uno

ſicut de alio: ſed ſolùm refertur ad illud de quo eſt major & plenior ratio, ut decidit text. in *l. ſi in lege in princip. junctâ gloſ. 2. loca.* Alexand. *conſ.* 158. *numer.* 11. *lib.* 6. Anto. Rubeus *conſ.* 49. *num.* 4. Sed hic non eſt tanta ratio de contentis in copia quæ promittens non reo piebat, ſicut de ipſo copore quod recipiebat, ergo dumtaxat ad corpus receptum facienda eſt relatio, maximè cùm non ſit facta mentio de nominibus contentis, niſi incidenter propter aliud enuntiativæ demonſtrationis cauſa, videlicet ad deſignandum & ſciendum quale eſſet illud corpus de quo promittens intelligebat ſe obligare.

16. Sextò, quia jam tempus recipiendi vel exigendi nomina per dictum *Poly* dudum lapſum erat, ita quòd dictus *Poly* in moram & obligationem jam inciderat propter temporis lapſum & moram ſuam, quæ eſt obligatio ſecundaria alia à prima, ut notatur per omnes doctores in *l.* 3. §. *heres, ff. commod. & in l. ſi duo. ff. depoſi.* & per omnes doctores in *l.* 4. §. *Cato. de verbor. obligat.* & dixi *in tractat. dividui & individui. parte* 1. *num.* 20. Igitur ad ſummum dictus Theobaldus non videtur cogitaſſe de ſe obligando ad exonerandum dictum *Poly* ab eo in quo lapſu temporis mora vel facto ſuo inciderat, ſed ſolum à re quam ab ipſo recipiebat. facit *l. centum Capuæ, de eo quod certo loco l. ult. de fideiuſſ.*

17. Septimò, quia hujuſmodi contractus non eſt emptio nec locatio, ſed commodatum, vel depoſitum, & in dubio depoſitum (quia minus obligat) magis præſumitur, ut per *gloſ. omnes doct. in l. cùm quid ſi cert. pet.* Alexand. *conſ.* 28. *conſ.* 184. *lib.* 7. Philip. Dec. *l.* 2. *num.* 24. *de reb. cred.*

18. Sed depoſitum vel ad ſummum commodatum re contrahitur. *Inſt. quibus modis re contrah. obligat.* & ſic ad limites rei traditæ & receptæ, nec ultra poteſt extendi, *l. ſi tibi decem in princip.* Ibi, *re enim non poteſt obligatio contrahi, niſi quatenus datum ſit. ff. de pact.* ſed non eſt traditum nec receptum ſeu commodatum niſi ipſum corpus inſtrumenti: ergo ad aliud non extenditur obligatio, nec ultra teneri poſſunt heredes Theobaldi, nih quatenus re ipſa defunctus vel ipſi aliquid exegerint.

19. Octavò, quia aliud eſt ἀπογραφὴ, ſive deſcriptio aut inventarium chirographorum ſive inſtrumentorum originalium ſingulorum nominum; & aliud ſunt ipſa chirographa ſive inſtumenta originalia, ut per gloſ. Bar & omnes in *l. chirographis in princ. de admin. & peri. tut.*

20. Unde quamvis per traditionem ipſorum chirographorum ſive inſtrumentorum originalium continentium jus ſpecificum ipſius rei, ut quandoque per traditionem talis inſtrumenti videatur res ipſa transferri, videlicet quando præcedit valida ceſſio, venditio, aut alius titulus ad tranſlationem habilis, & in executionem præcedentis tituli & obligationis fit ea traditio, ut in *l.* 1. *C. de don. & non aliàs.* Bal. & uterque Imo in *l. Mevia. in princ. ſoluto ma.* Alex. *l.* 3. *col.* 3. *de acq. vel ami. poſſ.* Phil. Dec. *l. pacto ſucceſſorum in fi. C. de pactis.* Secùs eſt in traditione ſimplicis deſcriptionis vel inventarii, & adhuc minus in traditione copiæ inventarii, atq; minus nullo præcedente nec interveniente titulo ad tranſlationem, ſed nec præcedente aliqua obligatione ad onus curæ, ſolicitudinis, vel obligationis exigendi.

21. Nonò, quia nihil actum nec conventum fuit de ſalario, nec in totum, nec in parte: ergo nullo modo cenſetur Theobaldus ſe obligaſſe ad exigendum, quia actum fuiſſet quòd ſalarium viceſimæ partis pro tota, ſeu pro reſiduo recipiendorum lucrari debuiſſet, & non dictus *Poly*: qui etiam non cenſetur voluiſſe remittere nec cedere nec transferre ſalarium ſibi debitum, & ex ſuo contractu quæſitum, præſertim cùm ſit pactus de eo ſalario non ſolum de nominibus quæ ipſe exigeret, ſed etiam de nominibus, quæ per tutorem ipſum exigerentur, ut paret in contractu inter tutorem & dictum *Poly* facto. Cùm ergo de dicto contractu nulla ſit facta mentio, nec ſit facta, nec promiſſa traditio inſtrumenti dicti contractus, nec aliqua ceſſio, & ceſſio in dubio non præſumatur, *l. ut fideiuſſ. ff. de fideiuſſ. l. cum alter C. eo.* & *ſuper dixi in l. Modeſtinus num.* 838. *de ſolution. in prima lectione Dolana*, & ſic dictus Theobaldus nullum acquiſiverit jus ad illud ſalarium exigendum & perſequendum, ergo non cenſetur ſe obligaſſe ad exigendum nec ad exonerandum dictum *Poly* ab exigendo & proſequendo etiam in futurum.

22. Quia quem non ſequuntur lucra, non ſequuntur onera: ſed hoc eſſet abſurdiſſimum, quod unus videretur obligatus ad onus & periculum exigendum, & alius haberet ſalarium. *l. ſecundum naturam de regulis juris, l. manifeſtiſſimi*, §. *ſed cum in ſecundam in fin. C. de ſur. l. unic.* §. *pro ſecundo. C. de caduc. toll.*

23. Decimò, quia ex qualitate negotii & perſonæ ſatis apparet induſtriam perſonæ dicti *Poly* ad hoc electam fuiſſe, & ſic curam receptam in alium transferre nequiviſſe, *l. inter artifices de ſolution.*

24. Et in dubio præſumi induſtriam perſonæ electam decidunt ibi Alberi. Bald. & alii, Alexand. *conſ.* 106. *num.* 22. *lib.* 3. *conſ.* 132. *num.* 7. *lib.* 4.

25. Undecimò, quia qualitas perſonæ attendenda eſt etiam ad ampliandam vel reſtringendam diſpoſitionem text. in *l. plenum*, §. *equitis de uſu & habitatione, l. ex militari. in princ.* & ibi Bart. *ff. de milit. teſt. l. ſed & ſi ſuſceperit*, §. *ſi liberis*, §. *ſed & ſi proponas. de judic. l. pen. in princip. de alimen. legat.* Bart. Alex. *l.* 1. *in princ. col.* 2. *ad l. Falcid.* Dominic. Philippus Francus *c.* 1. *col.* 4. *de teſt. in ſexto.* Philippus Decius *l. & militibus. col.* 1. *C. de teſt. milit. & conſ.* 11. *in fin.*

26. Sed ex hypotheſi conſtat quòd etiam tutor ipſe, quanquam juris & praxis conſultiſſimus & famoſus Advocatus, & ratione officii tutelaris jam ad hoc obligatus: tamen ab obligatione jam incurſa, qua jura & commoda minorum proſequi tenebatur, exoneratus fuit, propter honorem ſuæ perſonæ: ergo multò minùs ad hæc alligatus cenſetur ſpectabilis dominus Theobaldus fiſcalis & imperialis (idque in ſupremo & ampliſſimo Senatu Dolano) Advocatus, tum primò propter majorem dignitatem, tum ſecundò propter majores & publicas occupationes, tum tertiò quòd nondum erat ad hoc oneris obligatus ut tutor ipſe, qui tamen propter unicam ex illis eamque minorem cauſam exoneratus fuit, tum quartò quòd etiam à tutela & cura excuſationem habet. *Inſtit. de excuſat. tutor* §. *item divus Marcus, l. adminiſtrantes in princ. ff. eo.*

27. Sed certè iſta qualitas publicæ dignitatis quantumvis prius nominata eſt impertinens ad actum, ut conſtat. Contrà verò conſtat qualitatem ſequentem procuratoris & receptoris eſſe pertinentem, atque ideò ſolam conſiderandam, ergo illius contemplatione contractum ſeu tanquam, receptori, & procuratori, & curam gerenti minorum datum illud inſtrumentum ſive copiam illam: ergo ad curam illam exercendam. Et ſic non obſtat primum pro heredibus Theobaldi allegatum: quia eſt quid extrinſecum, de quo non conſtat: & ſi conſtaret, fuit propoſitum in mente retentum ex parte domini Theobaldi quod nihil operatur. *l. ſi repetendi*: & ibi Bald. Salic. *C. de condict. ob cauſam l. quod quis ſciens. ff. de cond. indeb. c. ſicut* 32. *diſtinct.* 2. Franc. Curtius junior, *l. cùm quid num.* 13. & ibi Franciſcus Purpuratus *num.* 107. *ſi cert. pet.*

28. Non obſtat ſecundum & tertium, quia ea qualitas procuratoris & receptoris expreſſa, quæ eſt intrinſeca & pertinens, & cujus contemplatione dictus *Poly* veriſimiliter inductus fuit ad tradendum inſtrumentum, ſatis probat quo nomine contractum ſit, & rem certam relinquit. Ad quartum, verum eſt quòd ea clauſula, *Laquelle copie, &c.* eſt narrativa: ſed tamen eſt etiam declarativa: quia verba narrativa, etiam in executivis poſita declarant: ergo fortius poſita in

medio dispositionis, Bald. *l. eam quam col. 9. C. de fideicom. & conf. 93. lib. 1.* Jason. *l. ex pupillari de vulga. & pupilla. & conf. 56. col. 2. l b. 3.* Franciscus Curtius *junior conf. 3. post tract. feudo.* Franc. Ripa. *l. qui Romæ, §. duo fratres num. 84. de verbor. oblig.* declarat ergo (& argumentandi causa dico) ut quo fine datum fuit instrumentum dicto *Poly*, eodem ab eo traditum sit domino Theobaldo in qualitate procuratoris, & receptoris eorumdem minorum.

29. Ad quintum illud retorqueri potest, quia prædicta qualitas pertinens, & forma contractus arguit traditum instrumentum domino Theobaldo non proprio nomine, sed tanquam procuratori, & receptori: ergo ad commodum minorum: ergo hæc erat major, & potior ratio, ut res minorum curaret, pro quibus etiam eorum favore magis præsumitur: ergo ad hunc finem magis facienda relatio. Ad sextum non quæritur, an Theobaldus deberet obligari ad interesse, usuras, vel aliud incrementum causatum mora dicti *Poly*: quia certum est quòd Theobaldus ad hoc non tenetur, sed quæritur, an pro tempore futuro dictus Theobaldus receperit onus dictæ curæ in non exactis per dictum *Poly*, & sic de principali tantùm obligatione quæritur, nec verum est impossibile esse, aut multum difficile probare quid per dictum *Poly* receptum sit: ipse enim debet reddere rationem de receptis, & ea nominare. Quòd si de non nominatis à dicto *Poly*, appareat debitores habere apocham dicti *Poly*, ad sumptus, & interesse tenebitur.

30. Ad septimum, octavum, nonum, & undecimum, qualitas in qua contractum est, respondet, nec est simplex commodatum, vel traditio catalogi, sed conventio contenta in chirographo de quo constat, & dici potest tacitè ex natura actus conventum, ut oneri sustectum sequatur salarium pro rata. Nec obstat quòd dominus Theobaldus non se obligavit tutori, & minoribus, sed tantùm dicto *Poly*: tum quia ex quo tanquam procurator, receptor, & onus habens minorum contrahebat, satis sese eisdem obligabat.

31. Tum quia contrahebat cum tutore minorum, & sic sciebat obligationem illis quæsitam iri, & talem esse sciebat dictum *Poly* eo ipso quòd cum eo contrahebat, *l. qui cum alio contrahit, de regulis juris.*

32. Præsertim cùm dominus Theobaldus esset Doctor juris, & praxis peritissimus, & sic errorem causari non potuisset, ut per Bald. Salicet. & omnes in *l. 1. C. qui & adversus quos, l. 2. §. Servus Sulpitius cum in causis erandis, &c. ff. de orig. juris*, tum non præsumitur ignorasse quæ nota erant in eadem civitate, *c. quosdam c. quanto, extra de præsumption.*

33. Tum quia ex forma contractus contrahebat super re ad minores spectante, ergo sciebat illis obligationem acquiri, & utilem saltem actionem, etiamsi dictus Theobaldus fuisset extraneus. Cùm autem esset procurator, & receptor minorum, & in ea qualitate contraheret, sciebat etiam directam obligationem, & actionem minoribus acquiri, *l. curator. C. arbitrium tutelæ, l. 2 ff. quando ex facto tutoris agatur, l. si ut proponis, C. de rei vendica.* & ibi Bart. Bald. Salic. Paul. & omnes, Alex. Philippus Decius, Jason. *l. si pecuniam, ff. si cert. pet.*

34. Ad decimum non procedit, nisi quando agitur de exonerando, seu liberando primo debitore erga creditorem, etiam alio debitore, vel vicario subrogato, creditore invito: de quo hîc non quæritur, sed tantùm agitur de novo debitore accumulando, saltem, ut erga primum debitorem ad eum exonerandum obligetur, quod per dictam regulam de industria personæ electa non prohibetur, nec impeditur. Et consequenter tam ex natura rei, quàm ex qualitate contrahendi, quam etiam ex privilegio minorum, eis quoque, si velint, rectà obligatus fuit. Ex quibus apparet quàm multa faciant pro sententia, & quàm periculosa sit appellatio, si aliud non consideretur quam quod in præfato themate continetur.

35. Pro resolutione circumstantias facti plenius considerando, distinguendum puto. Aut dictus *Poly* promisit dicto Domino Theobaldo etiam copiam aliorum instrumentorum, & monimentorum dare, & originalia nominum communicare, quoties opus esset: vel hoc inter eos actum fuit, & quòd tutor ea pro tempore futuro in eum finem præstaret Domino Theobaldo, quæ præstare tenebatur dicto *Poly* per contractum inter dictum *Poly*, & tutorem factum die decima Martii 1550. & tunc Dominus Theobaldus ad persequendum, exigendum, & rationem reddendam obligatus fuit, & pro rata salarium habere debuit. Idem si constat quod dictus *Poly* originale dicti sui contractus mandati, & commissionis dicto Domino Theobaldo, ut eo deinceps uteretur tradiderit, qui receperit: censetur enim tunc idem onus pro tempore futuro, & quod exigendum supererat, & consequenter sub eodem salario recepisse, & tunc verba, *Dont je quitte & promets acquitter*, ad proxima, & ad omnia referuntur.

36 Aut verò dictus *Poly* non tradidit, sed retinuit instrumentum dictæ sitæ commissionis, nec illud dare promisit, nec etiam promisit reliqua instrumenta, & monimenta tradere, & originalia nominum quoties Theobaldus opus haberet communicare, nec actum fuit inter eos quòd ea communicatio ei fieret per dictum *Poly*, vel per tutorem: vel de his nullo modo constat, & tunc puto dictum Theobaldum ad aliud obligatum non fuisse, quàm ad corpus exemplaris recepti. Id etiam ipsa rei æquitas ostendit. Si enim non fuit actum de tradendis, vel communicandis aliis instrumentis, ad persecutionem, & exactionem requisitis, quomodo dici, vel intelligi potest intellectum esse, ut dictus Theobaldus ad illam persecutionem se obligaret, præsertim cùm id & dignitati suæ publicæ, & necessariæ, & occupationibus sublimioribus non quadraret, & omnino ei multò minùs quadraret, quàm dicto tutori. Quod si ex chirographo, & contentis in themate non adquirendo (ut decet) de circunstantiis more Scevolæ abruptè, & concisè respondendum esset, illius exemplo responderem nihil (id est non satis) proponi, ut Dominus Theobaldus ad persecutionem, & rationem reddendam nominum contentorum in eo exemplari obligatus fuerit.

37. Confirmo, quia quamvis verba enunciativa qualitatis procuratoriæ, & receptoriæ dicti Theobaldi in principio chirographi plenam fidem faciant inter easdem partes, & consequenter pro minoribus, qui sunt alieni, propter qualitatem personarum, *l. optimam, C. de contrab. & commit. stipul.* hoc est verum ad finem obligationis contentæ in chirographo: non autem si aliàs principaliter quæreretur an dictus Theobaldus verè fuisset procurator, & receptor minorum, vel non, ut decidit Hostiensis, Anto. Butri. Panor. Feli. *in c. illud per illum textum extra de præsumpt.* Matth. Matheslla *singul.* 80. Alexand. *conf. 21. lib. 1. ubi in annot. dixi.* Philippus Decius *l. ex his num. 31. Cod. de testam. milita.* Lancelotus Decius *in Auth. si quis in aliquo documento*, ibi Francis. Aretin. *in princip. Cod. de edendo.* Egidi. Bellamera. *decis. 125.*

38. Nisi quod semiplenam probationem facit Ludovic. Roma. *singul. 446.* Felin. *in cap. per tuas*, & ibi Philippus Decius *num. 7. in fin. ubi in annot. dixi, extra de probat.* Sed utcunque etiam plenè constaret Dominum Theobaldum fuisse procuratorem, & receptorem in genere: tamen quantum ad persecutionem, & exactionem nominum contentorum in dicta copia; dictus *Poly* habebat mandatum speciale, & in indi-

viduo, ut patet per contractum inter se, & tutorem factum.

39. Sed mandatum speciale derogat generali, nisi ex justa nova causa, quam dominus ignoravit l. *si hominem, ff. mandat. c. 1. de rescriptis, c. studuisti extra de offic. delegat.*

40. Sed procurator generalis, ubi mandatum speciale requiritur, vel stante alio procuratore speciali, quantum ad hanc speciem, dicitur falsus, vel nullus procurator. Bal. *in l. falsus C. de furtis.* Et sic, nisi de alio appareat, sequitur quòd dominus Theobaldus nullo modo erat procurator, vel receptor, nullam curam habebat minorum quantum ad contenta in dicta copia, & mandatum specialiter datum dicto *Poly*, & *Soly*: sed quantum ad hoc erat merè extraneus, quod sufficit ad enervanda omnia argumenta contra ejus heredes allegata junctis prædictis. Et ita censeo, & concludo ego Carolus Molinæus J. U. D. Franciæ, & Germaniæ Jurisc. in quorum fide propria manu subscripsi & τὸν στεφανίδα gentilitiam impressi. Actum Montisbelgardi primùm die xviij. Januarii, anno 1555. & denuo priore substracto repertum penult. Maii, die tertia ab exitu carceris Blacmontensis, anno 1556.

Carolus Molinæus.

EPITOME CONSILII XXVIII.

De eadem re.

1. *Depositum & commodatum re contrahuntur, nec excedunt limites rei.* 2.
3. *Relatio fit ad dispositiva, nec ad incidentia.*
4. *Et ad principale, non ad accessoria.*
5. *Relatio fit ad id de quo major est & plenior ratio.*
6. *Non ad repugnantia.*
7. *Argumentum à repugnantia cæteris potentius est.*
8. *Verba præsumuntur causâ demonstrationis.*
9. *Relatio debet adaptari materiæ subjectæ.*
10. *Relatio sæpe fit ad superiora, non ad proxima.*
11. *Variæ circumstantiæ facti,* 13. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. & 26.
12. *Relatio non fit ad absurda.*
14. *Præsumitur electa industria personæ.*
15. *Rationalis excusatur à tutelis.*
16. *Verba ampliantur, aut restringuntur secundum qualitatem personæ.*
17. *Ubi versatur magis periculum, cautius agi solet.*
20. *Principium potentissima pars est cuiusque rei.*
24. *Videtur quis nomine proprio, & non alieno contrahere.*
25. *Interpretatio fit contra eum, qui se fundat in verbis, & contra creditorem.*
27. *Præsumitur contra eum, qui differt agere, donec probatio rei deficiat.*

CONSILIUM XXVIII.

Quod heredes spectabilis quondam Domini Revoberti *Thiebault* Procuratoris fiscalis ex chirographo defuncti dato vigesima prima Februarii, anno 1545.

1. Non teneantur ad aliud quam ad restitutionem corporis ipsius catalogi, vel instrumenti in eodem chirographo designati, non autem ad omnia descripta, vel enumerata in dicto catalogo, clarissimum est, & suprà omnem disputationis, & dubitationis aleam, vel sola hypothesi, & specie facti sincerè & integrè considerata. Primum non est aliud quàm commodatum dicti catalogi, seu copiæ inventarii re contractum, seu potius confessio commodati re contracti ante annum datæ dicti chirographi, vel confessionis, & consequenter impossibile est natam, seu probatam esse aliquam obligationem, nisi ad limites rei: & sic ad restitutionem ipsius corporis commodati, vel depositi dumtaxat, text. *in l. si tibi, in princip. ff. de pact.*

2. Commodatum autem, & depositum re tantum contrahuntur, *l. 1. §. is quoque de action. & obligat. Instit. quibus modis re contrah. oblig. per tot.* & sic limites corporis in commodatum, vel depositum excedere nullo modo possunt, & sydera potius caderent de cœlo. Doctores *in d. l. si tibi in princip. post. Pet. Perticum.* Partant, la clause. *Dont ie le quitte, & promets acquitter & décharger ledit Poly*, refertur necessario, & dumtaxat ad ipsum corpus commodatum, & hoc probat.

3. Primò virtus, & natura relationis, quia relatio non debet fieri ad narrativa, vel incidentia quando sunt verba dispositiva ad quæ potest referri: sed hic constat præcedere verba dispositiva de quibus principaliter agebatur ibi; *Confesse avoir retiré la copie du livre de raison*, &c. Ergo verba dispositiva sequentia ibi, *Dont ie quitte & promets acquitter*, ad illa præcedentia, & priora dispositiva dumtaxat referuntur, non autem ad alia, quæ non sunt dispositiva. Causula verò; *Laquelle copie avoit esté mise ès mains dudit Poly, pour recouvrer les debtes y contennes*, non est dispositiva, sed enunciativa de præterito: ergo ad eam clausula sequens, quæ est dispositiva, non est referenda, sed referenda est ad primum, & principale membrum dispositionis, quod est de instrumento copiæ recepto, velut prædicatum ad subjectum, & non ad aliud referendum est.

4. Et quòd relatio tantùm fieri debeat ad dictum, & membrum ipsum principale, & non ad aliud, text. est *in l. à filio, §. Titia. de alimen. legat. & in ult. §. Titia. de liberatione legata*, ut per illum textum ita decidit Bartolus, & ita textum epilogat, quod in dubio relatio fit ad id quod principaliter in oratione ponitur. Ita etiam decidit Bar. *in l. centuria. in 3. quæst. prin. de vulg & pupillari. Paul. Castr. cons.* 283. *Visis & consideratis num.* 4. *lib.* 1. *Philipp. Deci. in l. diem functo. col.* 2. *ff. de offic. assess. & cons.* 593. Jas. *l. si quis filium col.* 3. *C. de inoffic. testam.*

5. Secundò, quia etiamsi præcedunt plura subjecta principalia, tamen relatio non refertur ad omnia, quando non est tanta ratio de uno, sicut de alio; sed solùm refertur ad illud de quo est major, & plenior ratio, ut decidit text. *in l. si in lege in princ. juncta glos.* 2. *locat.* Alexand. *consil.* 158. *num.* 11. *lib.* 7. Anton. Rubeus *consil.* 49. *num.* 4. Sed hic non est tanta ratio de contentis in copia, quæ promittens non recipiebat, sicut de ipso corpore quod recipiebat: ergo dumtaxat ad corpus receptum facienda est relatio, maximè

maximè cum non sit facta mentio de nominibus contentis nisi incidenter propter aliud, enuntiativæ demonstrationis causâ, videlicet ad designandum & sciendum quale esset illud corpus de quo promittens intelligebat se obligare.

6. Tertiò probatur fortiùs ratione impossibilitatis & repugnantiæ etiam ad intentionem Anatholii *Poly* partis adversæ: quia dictus *Poly* per clausulam dispositivam dicti chirographi, ibi, *Dont je quitte*, non prætendit sese debere exonerari à receptis per eum, quæ mille & ducentarum librarum summam excedunt, ergo impossibile est dictam clausulam dispositivam, *dont je quitte*, referri ad clausulam incidentem & enuntiativam, ibi, *laquelle copie*: quia illa clausula parentheseos, quæ incidens est & enuntiativa, comprehendit omnia debita & nomina in dicto catalogo vel inventario enumerata, & omnia per eum recepta: ergo ad illam clausulam enumerativam clausula obligatoria & dispositoria non refertur, sed est impossibile & repugnans non solùm scripto & tenori chirographi, sed etiam intentioni & confessioni diserti dicti *Poly*.

7. Atqui non est majus nec potentius argumentum interpretandi, quàm ab impossibilitate & repugnantia: istud enim omnia alia argumenta prosternit & vincit, ut tradit Phil. Dec. *in l. ubi repugnantia, ubi in annot. dixi. de reg. jur.*

Quartò probatur: *car ladite clause enuntiative, laquelle copie &c.* fuit apposita causâ demonstrationis, ut sciretur quæ & qualis esset illa copia, quæ commodabatur: plures enim copias & instrumenta dudum receperat dictus *Poly* à tutore minorum, nec omnia tradidit aut accommodavit dicto Theobaldo, sed unicam tantùm copiam; ut ergo sciretur quæ & qualis esset copia commodata, apposita est illa clausula, non ad obligationem augendam, sed ad demonstrandum corpus commodatum. Est enim vice parentheseos, ad demonstrandum apposita: ergo verba obligativa ad eam clausulam incidentem & demonstrativam non referuntur, sed duntaxat ad corpus demonstratum, quod solùm in obligationem deductum est.

9. Relatio autem debet adaptari materiæ subjectæ de quâ agitur. Ias. *l. divortio, in princip. col. 4 solut. mat.* ergo debet hîc tantùm adaptari ad corpus instrumenti de quo tantùm agebatur, non autem ad res enumeratas in dicta copia, de quibus non agebatur, & quarum instrumenta & monimenta non fuerunt tradita domino Theobaldo, nec etiam res integra erat.

10. Nec est novum quòd sequens oratio non ad proximum, sed ad superiora referatur, Ias. *l. eius qui in provincia, §. ult. in princip. ff. si cert. pet.* Paul. Castr. *consil.* 14. *lib.* 2. ut quando ratio subjectæ materiæ hoc exigit, vel quando necessitas repugnantiæ vel absurditatis cogit, ut hîc.

11. Quintò, quia tempore commodati dictæ copiæ, & tempore chirographi post annum de dicto commodato facti, lapsi erant quatuordecim vel quindecim anni ab obligatione, cura & sollicitudine susceptæ per dictum *Poly* solum de prosequendis & percipiendis infra annum omnibus nominibus, & debitis activis minorum & rationem reddendam eorum tutori: à quo tempore dictus *Poly* non solùm moram fecerat plusquàm tredecim vel quatuordecim annorum, sed etiam sua culpa permiserat nomina per eum non recepta, nec persecuta, quæ tempore dicti commodati & chirographi restabant, præscripta esse, vel aliàs inania & deteriora, & inde tenebatur dictus *Poly* ad magna damna & interesse nec res integra erat: quare dictus Theobaldus non videtur cogitasse de se obligando in futurum ad exonerandum dictum *Poly* ab eo, in quo temporis lapsu mora vel facto suo dictus *Poly* inciderat, nec ad ingentia illa damna & interesse, in quæ dictus *Poly* sua culpa & diuturna mora inciderat, sed solùm à re quam ab eodem recipiebat.

12. Ergo nec pro futuro quidem tempore potest aut debet clausula obligatoria ad dictam clausulam enunciativam vel ad enumerata in dicto catalogo referri, cum hoc absurdum, iniquum & captiosum esset: igitur tantùm ad corpus ipsum. Relatio enim non fit quando sequeretur absurdum. Franc. Rip. *in l. in princ. num.* 69. *de verb. oblig.*

13. Sextò, *dés l'an* 1530. *ledit* Poly *restoit luy seul solemnellement obligé envers le tuteur desdits mineurs de poursuivre & recouvrer dedans un an de toutes personnes les debtes actives desdits mineurs, moyennant le prix & salaire du vingtiéme denier, & bailler caution de ladite recepte & administration. Aussi il recent ladue copie en papier du Livre de raison & inventaire des debtes deues au deffunt pere desdits mineurs, & outre luy furent baillez les autres papiers convenans à ladite recepte, & communication des originaux, par lequel contract* apparet quòd electa fuit industria personæ *dudit Poly*; *comme aussi appert tant par la qualité de sa personne qui estoit & est Notaire diligent, & entendu, & experimenté. Et aussi par la qualité de ladite recepte qui requeroit personnage industrieux de telle qualité, diligence, & experience, que ledit* Poly: *partant il n'eust pû quand il eust voulu aucunement transporter sa recepte, cure & charge à un autre, mesmement sans le consentement exprés dudit tuteur & desdits mineurs ja adultes, l. inter artifices, de solut.*

14. Et adhuc in dubio præsumitur electa industria personæ, ut Albet. Bald. & alij ibi decidunt, Alexand. *consil.* 106. *num.* 22. *lib.* 3. *consil.* 132 *num.* 7. *lib.* 4. *Or en ladite scedule jamais n'intervint le consentement ny dudit tuteur, ny desdits mineurs, ou aucuns d'eux, qui est claire demonstrance que jamais ne fut entendu*, imò frustrà *eust esté entendu que ledit* Poly *se fust aucunement déchargé de ladite sollicitude & recepte, ny que ledit Thiebault en eust esté chargé.*

15. Septimò, *attendu aussi la qualité dudit Thiebault Procureur Fiscal au Bailliage de Dole, lequel au moyen de sa dignité & de ses plus grands empeschemens publics, & outre pour son ancien âge; car il estoit dés lors âgé de soixante ans, mesmes à cause de ladite dignité avoit excuse legitime de tutelle & curatelle,* l. administrantes. in princ. ff. de admi. tut. §. Item divus Marcus, Instit. eod. titul. *Parquoy tant moins est à presumer qu'il eust volontairement pris, & sans cause, & sans aucune contrainte la cause & la charge d'autruy, qui luy estoit non seulement indecente, mais impossible, & telle que le tuteur mesme Messire François du Champ, qui n'estoit (lors qu'il accepta ladite tutelle) que simple Avocat, & à cause de son office de tuteur estoit obligé à ladite charge, neantmoins en a esté excusé & receu à depuser un vicaire idoine, qui est ledit* Poly: *dont par plus forte raison ledit Thiebault Procureur Fiscal en eust esté excusé, encore qu'il eust esté tuteur, que non: parquoy il n'est ny à entendre, ny à presumer que ledit* Poly *se soit voulu décharger d'une charge à laquelle il s'estoit voulu obliger, & qui estoit indecente à son estat & personne, ny que ledit Thiebault se fust obligé à une charge dont il n'estoit tenu, & qui luy estoit indecente.*

16. Verba enim contractus vel dispositionis intelliguntur secundùm qualitatem personæ quæ ad ampliandam vel restringendam dispositionem attendenda est, text. *in l. plenum, §. equitij, de usu & habit. l. ex militari, in princip. & ibi Bartol. ff. de milit. test. l. sed etsi susceperit, §. si libertus, §. sed etsi proponas, ff. de ind. l. pen. in princ. de ann. leg.* Bartol. Alex. *l. 1. in princ. col. 2. ad l. Falcid.* Domini Phil Franc. *c. 1. col. 4. de test. in sexto.* Phil. Dec. *l. & militibus, col. 1. C. de testam. milit. & consil.* 11. *in fin.*

17. Octavò, ex modo faciendi, quia quantò versatur majus periculum, tantò cautius debet & solet agi. *c. ubi periculum. de elect. in sexto. Authent. si quis velit cautè deponere. C. qui potiores in pign. hab.*

Partant si ledit Poly *eust entendu se décharger de sa recepte, & en charger ledit* Thiebault, *premierement il ne se fust contenté d'une simple scedule, mais eust pris instrument public de Notaire avec témoins, ou à tout le moins il eust adjousté trois témoins avec ladite scedule*, ut in dicta Auth. si quis velit cautè deponere: *& n'en eust pas moins fait qu'il avoit fait envers le tuteur: Aussi il eust promis bailler les autres papiers, lettres obligatoires, & instrumens servans à ladite recepte, ensemble l'original de sa commission, ou copie duëment collationnée à icelle, afin que ledit Thiebault eust sceu ce qu'il devoit faire, & qu'il eust instrument & moyen de quoy contraindre le tuteur à luy exhiber les originaux, comme ledit tuteur estoit tenu audit* Poly, *lequel davantage eust baillé par declaration les debiteurs qu'il avoit exigez, ou rendus non solvables, ou dont autrement il avoit satisfait envers le tuteur, à ce que ledit Thiebault sceust en quoy il devoit travailler, & davantage il eust exigé caution dudit Thiebault, comme ledit* Poly *en avoit baillé audit tuteur. Aussi eust declaré que ledit Thiebault eust eu le profit du vingtiéme denier, & luy en eust fait cession, ce qui encor n'eust esté assez.*

18. *Pareillement ledit Thiebault de sa part eust voulu avoir la commission dudit* Poly, *& parce que n'eust esté assez, il eust voulu avoir la commission ou consentement du tuteur, ensemble les autres papiers, lettres & originaux; & si eust dû avoir plus grand salaire que le vingtiéme denier. Car lesdits* Poly *en avoit ja receu le plus liquide & facile jusques à plus de mil ou douze cens francs, & ne restoit plus que les parties vongneuses, deteriorées & égarées, prescrites & non solvables par la negligence dudit* Poly: *surquoy il falloit bien plus grands frais & labeur, & plus grand salaire. Toutes lesquelles choses n'ont esté faites ny dites, ny escrites, ny conventionnées, ny requises, ny executées ny d'une part ny d'autre: claire demonstrance que jamais ne fut entendu faire ny promettre aucune chose de la charge ny décharge d'icelle recepte*, sed solùm de corpore & restitutione instrumenti commodati.

19. Nona; *Qui pis est, ledit* Poly *n'a pas commencé à une simple scedule qui ne se peut adapter, & à laquelle toute presomption resiste: mais a commencé à un simple prest* commodati, re ipsa tantùm contracti, de simplici corpore unius instrumenti, *& est bien demeuré un an en ces termes. Par lequel prest, & par lequel temps de l'an suivant, il est certain que n'a esté contractée aucune obligation de le charge ou décharge d'icelle recepte, mais seulement de la restitution dudit prest. Or la scedule depuis intervenue n'a pas esté faite pour contracter nouvelle obligation, mais seulement pour simple confession & reconnoissance, & conservation de la preuve dudit prest pour en conserver la memoire, comme appert par le commencement de ladite scedule*, ibi *certifie & confesse, &c. Et partant*, nulla additur obligatio, sed simplex conservatio memoriæ vel probationis, ut in *l. Publia. § Titius Sempronio.* ibi, respondi ex epistola de qua quæreretur obligationem quidem nullam natam videri: sed probationem dispositarum rerum impleri *ff. depositi.*

20. Sed cujuscumque rei principium potentissima pars est, *l. 1 de reg. jur.* à quo quod sequitur intellectum accipit *l. clam possidere. in princ. ff. mandati* & ad primordium tituli posterior formatur eventus, *l. unica ad fin & ibi gloss. C. de imponenda lucrativa dese. lib. 10. Parquoy la scedule n'est pas plus que le prest fait environ un an auparavant, sinon que c'est un memoire ou confession par écriture privée, dont ledit* Poly *ne se fust jamais contenté, s'il eust esté question de le décharger & garentir de sa recepte, à quoy ledit Thiebault ne se fust jamais obligé. Et quand il eust pensé s'obliger, il eust aussi pensé & fait écrire pour le moins les semetez, contenues cy-dessus au huitiéme argument.*

21. Decimo, *ledit* Poly *estoit obligé dans un an qui estoit passé quatorze ou quinze ans auparavant, depuis lequel an par faute d'avoir satisfait à sa charge, il estoit par sa faute & demeure encouru en grands interests envers lesdits mineurs, tant pour le fort principal, que pour les profits & autres dommages encourus: car si ledit* Poly *eust fait son devoir de ladite recepte dans l'an, les deniers eussent esté employez au profit desdits pupilles, où par faute de ce, tant le fort que lesdits interests ont esté perdus. Parquoy ledit Thiebault n'eust jamais esté si dépourveu de sens, de s'obliger en garentir & décharger ledit* Poly *apres les choses non-entieres, deteriorées, & égarées par l'espace de plus de treize ou quatorze ans.*

22. *N'y fait rien que ledit Thiebault par ladite scedule prend qualité de receveur, procureur & ayant charge desdits enfans: car cela est vray, mais n'a rien de commun à la charge & recepte dudit* Poly, *qui dés l'an mil cinq cens trente fut commis à exiger les debtes actives sous certaines pactions du tout differentes à la commission dudit Thiebault, lequel l'an mil cinq cens trente-cinq fut commis par le mesme tuteur pour relever & percevoir les cens, rentes & revenus, tant de bled, vin, qu'autres provenans des biens desdits pauvres pupilles, & entretenir les heritages en dû état & culture, & luy fut promis bailler par ledit tuteur les manuels & papiers dudit Eustache du Champ, ou les copies, ensemble les admodiations: & parce que pour ce faire il luy falloit Clercs & gens étrangers, luy suivre donner douze francs par an, toutes choses assez differentes à la commission dudit* Poly, *laquelle commission dudit* Poly *n'est pas pour les fruits des rentes & admodiations, qui ont certaine regle ordinaire, mais pour les debtes à une fois payer, qui n'ont certaine regle ny forme ordinaire.*

23. *Parquoy la commission dudit Thiebault n'avoit rien de commun avec celle dudit* Poly, *& la copie qu'il empruntoit dudit* Poly *n'avoit rien de commun en la charge, commission & recepte dudit Thiebault. Parquoy n'est pas à presumer que ledit Thiebault ait emprunté ladite copie en qualité de receveur; car elle ne servoit rien à la recepte, non plus qu'il n'est pas à presumer que lesdites parties ayent voulu permuter & changer leur commission & recepte. Ce qu'aussi ils n'eussent pû faire quand ils eussent voulu. Partant ledit Thiebault a pris ledit prest* tanquam privatus, *& pour son affaire particuliere, & non pas pour la recepte dont il n'estoit chargé, & qu'il n'y avoit rien de commun. Aussi il est certain que ledit Thiebault, à cause de sa femme, heritiere en partie de l'un desdits pupilles, avoit interest sçavoir combien il y avoit ou restoit de debtes desdits mineurs. Parquoy est à presumer qu'il l'a seulement empruntée pour cette cause privée, & pour s'informer de son fait privé, & non pas pour s'obliger* ultra restitutionem instrumenti commodati accepti.

24. *C'est aussi une maxime en droict*, quòd in dubio etiam alia causa non apparente, videtur quis facere vel contrahere nomine proprio, & non alieno, & pro se, non pro alio. *l. & magis puto. de solut. l. 1. quòd quisque juris. l frater à fratre. de condict. indeb.* & ibi Jason *col. 5. l. si negotia mea mand. l. quoties tutor. §. si temporalis. l. cum hereditas. de admin. tutor. & curator.* Alexand. *cons.* 132. *col.* 2. *ubi in annotat. dixi lib.* 5. Decius *consil.* 446. *ubi etiam in annotat. dixi. Partant il est indubitable que lesdits heritiers dudit Thiebault*, reddendo corpus dicti instrumenti, *sont en voye d'absolution.*

25. *Davantage* & undecimo fit in dubio interpretatio contra eum qui se fundat in verbis instrumenti. *l. veteribus. de pact. l. Labeo scribit. de contr. empt. & vend.* Bartol. *l sepe in princip. de verbor significat.* Alex. *pactscenda. Cod. de pact. cors. il.* 204. *col* 3. *col. ult. ubi in annotat. dixi, lib.* 11. *dixi etiam nuper in annot. ad Dinum. c. contra eum, de reg. jur. in* 6. Sed totum & unicum fundamentum contra heredes Theobaldi sumitur ex solis verbis chirographi,

ergo contra adversarios interpretanda sunt, tum etiam in expressa stipulatione verba contra stipulatorem interpretanda sunt, *l. stipulatio ista habere §. in stipulationibus de verb. oblig.* Igitur multo magis in stipulatione tacita vel præsumpta ut hic ex verb. promitto. §. *si scriptum. Instituta. de inutil. stipulat.* Tum in dubio pro debitore contra creditorem. *l. Arrianus. de action. & oblig.* Deci. *consil.* 313. *num.* 4. Et pro eo contra actorem, *l. fœnerabiliores. de reg. jur. c. ex literis. de probation.* Saltem in fine & in decisivis, ut hic *gloss.* 2. & omnes Canonistæ in *c. cùm ad sedem, de rest. spol.*

16. Duodecimò: *car ledit* Poly *mesme l'a reconnu, non seulement hors jugement, en faisant ledit prest plus d'un an sans prendre obligation ny décharge: mais aussi depuis iudiciairement* 1549. *pardevant monsieur le Commissaire de ladite Cour, où ledit Thiebault dit qu'il n'estoit tenu rendre compte du contenu au catalogue du livre de raison, comme apparoissoit par ladite scedule. Surquoy ledit* Poly *fut luy seul condamné rendre compte au tuteur desdits mineurs, suivant la forme de son obligation: qui en appella, & par Arrest de ladite Cour fut debouté de son appel, & condamné és despens envers ledit Thiebault. Aussi pardevant ledit Commissaire ledit* Poly *se soubsmit de rendre son compte du tout entierement au tuteur: ce qui fut accepté par les parties, & passé en forme & force de chose jugée, en suivant ladite obligation, comme il appert par appointement du* 18. *de May* 1553. *pardevant ledit sieur Commissaire de la Cour.*

17. *Et si ledit* Poly *cuyt entendu que ledit Thiebault cuyt esté obligé le décharger de la recepte dudit* Poly, *iceluy* Poly *en cuyt pris plus expresse obligation, & en cuyt fait plus grande poursuitte alencontre dudit Thiebault du vivant d'iceluy, ce qu'il n'a fait.* Sed præsumitur contra eum qui differt agere, donec pars vivat, vel defensio obscurior fiat, ut not. in *c. nullos ext. de præsumpt.* Et omnis qui de jure confidit, non differt, nec vadit per mendicata suffragia, sed festinat ut veritas inquiratur, ut it Bald. *in l. de crimine. Cod. de adulter. & in c. licet causam. col. ult. ext. de probation.* Ex quibus firmiter concludo clarissimum & exploratissimum esse, heredes præfati domini Theobaldi ad aliud non teneri, quam ad restitutionem corporis dicti instrumenti seu copiæ, & absolvendos esse. Ita censeo ego Carolus Molinæus J. U. D. Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, & Legum Professor Dolanus. Actum Dolæ die decimo septimo mensis Junij, Anno Domini sesquimillesimo quinquagesimo sexto.

EPITOME CONSIL. XXIX.

1. *Aliud legitima, aliud hereditas.*
2. *Exclusus ab hereditate, sive testamento parentis, sive propria renuntiatione, non est exclusus à legitima.*
3. *Jus accrescendi, portioni non personæ accedit.*
4. *Portio legitimæ accrescit consortibus in legitima æqualiter, etiamsi sint heredes inæqualiter. 16.*
5. *Legitima non est beneficium parentis, sed legis.*
6. *Parens non habet potestatem in legitima, quam nec in qualitate quidem potest deteriorem facere. 7. 11. 14.*
7. *Pater non potest facere quin legitima cæteris æqualiter accrescat. 11 14.*
8. *Interpretatio passiva in omni dispositione locum habet.*
9. *Dispositio augens intelligitur secundùm naturam dispositionis auctæ.*
10. *Renuntians in favorem censetur adire & cedere 12. 15.*
13. *Dispositio legis tantum pollet, quantum dispositio eius de cuius bonis agitur.*
14. *Contra Nicol. Boerium decis. Burdegal.*

CONSILIUM XXIX.

Hortatu clarissimi & nobilissimi viri domini Claudij Montfortij & Montisfortis Baronis, summi Senatus Dolani primarij equitis, confirmando aliud authoris responsum prolixa & laboriosa obiecta breviter diluendo factum.

QUandoquidem præfatus dominus Doctor, & in supremo Senatu Advocatus eruditissimus multijugæ lectionis & memoriæ, conclusionem nostram super tertia quæstione in causa nobilissimæ dominæ Matthiæ *de Clermont* oppugnat, testimoniis & authoritatibus fultus classicorum Doctorum.

1. Paulò altius ea res de jure accrescendi legitimam ab ipsis fundamentis nobis repetenda est, & *αὐθεντικῶς* nostra super hoc explicanda non emendicatis suffragiis, sed vivis & resolutivis rationibus. Primum in confesso est aliud esse legitimam, aliud hereditatem: ita aliam esse portionem legitimæ, aliam portionem hereditatis, ut notant omnes in *l. 1. ff. de acquir. vel omit. hered.*

2. Et exclusus ab hereditate, vel bonis, sive testamento parentis, excepto casu justæ exheredationis, sive propria renunciatione, non est exclusus à legitima, vel ejus supplemento, *l. si quando. §. & generaliter. C. de inoffic. testam.*

3. In jure autem accrescendi portio accedit portioni, & non personæ: non enim personam respicit, sed rem, *l. si totam*, & ibi Bart. *ff. de acquir. vel amit. hered.* Bart. *in leg. re conjunctis. in 5. quæst. 1. partis principalis, de legatis 3.*

4. Quod ergo masculus solus sit heres universalis, imò solus propriè heres, cum cæteri loco legatariorum sint, *l. quotes de her. instit.* nihil ad rem quantum ad jus accrescendi legitimam, cùm legitima non sit hereditas, nec portio hereditatis: accrescit ergo portio legitimæ, cæteris ejusdem legitimæ portionibus, etiam non habenti hereditatem, nisi quatenus concurrit in legitima & pro virili sua. Hæc est ergo regula jure aperto & ratione viva fundata.

5. Rursus & fortius legitima non est beneficium parentis, sed legis, text. *in auth. de trien. & semis.* & quæ latè probavi *in Consuet. Paris. §. 8. glos. 3. num. 7.* hereditas quidem universalis à parente dari vel demi potest.

6. Sed non legitima: in qua nullam prorsus habet potestatem, adeò ut nec conditionem, vel dilationem, vel modum, aut aliud gravamen, vel ullum remotum statum legitimæ deteriorem facientem apponere possit, & quatenus apponeret pro non scripto habetur, *l. quoniam in prioribus. de inofficioso testamento.*

7. Quod si nec una quidem qualitate liceat parenti legitimæ filiorum conditionem deteriorare: multo minus in substantia vel corpore ipsius legitimæ: sed de conditione & utilitate ipsius legitimæ est, ut in ea locus sit juri accrescendi, quæ commoditas & utilitas etiam substantiam ipsam ipsius legitimæ concernit, ut patet ad sensum: Ergo jus illud accrescendi in legitima, quod non minus competit liberis communiter quam ipsa legitima, non potest impediri, nec deterius fieri, quanquam acto machinamento vel dispositione ipsius parentis.

8. Porro quanquam Novella de triente & semisse angens legitimam liberorum, non det eis expressum jus accrescendi, tamen satis ex passiva interpretatione legum inest ex regula antiqua & vulgata, *l. 1. C. quando non petentium partes, l. qui repudiatis. ff. de inoffic. testam.* & passiva interpretatio in omni dispositione præsertim in legibus locum habet, nec est extensio, sed intrinseca comprehensio inexistens, *l. ideo quia antiquiores ibi.* & semper quasi hoc legibus-inesse credi oportet, *ff. de legibus.* Ideò locum habet indistinctè. Bart. *in l. omnes populi, in quarta quæstione sexta quæstionis principalis, de justitia & jure*, Alex. & omnes, *leg. 1 §. 1. ut & ibi text. ad l. Falcid. & text. l. 1. §. 1. de muneric. & honorib.* Canonist. *c. 1. extra de constitutionibus. dixi in tract. regul Cancell. in reg. 23. de infirm. resign.*

9. Præterea dicta Novella de triente & semisse, est additiva & augmentativa, & sic intelligitur secundùm naturam veteris quartæ, in qua locus erat juri accrescendi, *l. inter socerum, §. cum inter. ibi, nec separabitur portio quæ data est additamenti causâ ff. de pactis dotalibus.* per Philippum Decium *consil. 141. consil. 255. consil. 331.* ubi dixi in annotat.

10. Bene verum quod masculus potest habere hoc jus, quod abstinentis vel renuntiantis portio legitima sibi soli, & non cæteris liberis accrescat, quando abstinens vel renuntians hoc expressè facit in commodum & favorem solius masculi, vel quando lex, statutum vel consuetudo loci hoc facit vel disponit: & isti duo casus dumtaxat excipiuntur à prefata nostra regula.

11. Cæterum nil circa hoc potest ulla dispositio parentis, nec in diminutione, nec in delatione, aut jure accrescendi legitimam., & ut solùm ipso jure nulla esset, tanquam in ære alieno & beneficio legis, non suo, sed etiam prorsus pro non scripto haberetur, *d. l. quoniam in prioribus.*

12. Priore verò casu portio non deficit, sed agnoscitur & ceditur, prout in jure & portione suæ legitimæ unusquisque libertimam habet dispositionem, cedens autem alicui ipso facto agnoscit, *l. si ut vim. C. de jure deliberandi.* Et si tunc nil deficit, nec accrescere potest. Franc. Ripa, *rep. l. ut conjunctis. num. 210. de legat. 3.* Alex. *consil. 149. num. 5. lib. 7.* ubi in annot. dixi, & idem de renuntiatione in favorem certæ personæ: quia implicat cognitionem sive acceptationem & cessionem, ut in filia, mediante dote renuntiante in favorem certæ personæ. Bald. *l. pactum quod dotali. quæst. 8. C. de collat.* Paulus Alex. Philipp. Dec *l. si alienem, col. 1 C. de pact.* Socin. *cons 14. Visa renuntiatione. lib. 14. ut dixi in consuetud. Paris. §. 9. glos. 4 num. 7.*

13 Idem in secundo casu excepto, quia dispositio legis tantùm pollet, quantum dispositio illius de cujus jure agitur, & ad quem spectat: unde quod Nicol. Boërius *decision. Burdegal. 104. num. 1.* ait, quòd talis filia quæ sic renuntiavit, computatur & numeratur inter liberos, & facit partem, licèt non admittatur ad partem.

14. Hactenus quidem verum est indistinctè, tam de portione hereditatis, quàm de portione legitimæ. At in quantum subdit, sed ejus portio remanet, & accrescit heredi cùm pater providisse videtur, hoc quidem verum est in portione hereditatis, de qua pater potest providere, salva legitima, & omni legitimæ commoditate: sed non est verum in portione legitimæ, de qua vel ejus delatione & commoditate parens nullatenus disponere potest. Et sic necesse est quòd portio legitimæ remaneat omni jure communi, & secundùm illud prorsus libere devolvatur circumscripta, & pro non scripta habita quacumque dispositione vel provisione parentis. *d. l. quoniam in prioribus.*

15. Aut ergo renuntiatio talis filiæ est per eam sponte facta in favorem masculi, & tunc ille jus habet in portione legitimæ sororis, non à dispositione parentis, sed à dispositione & cessione sororis; non jure accrescendi, sed jure cesso. Idem si dicta filia non renuntiavit expressè in favorem masculi, sed consuetudo, vel statutum loci hoc supplet, ut censeatur factum in favorem masculi: aliàs quantumvis statutum vel consuetudo approbet renuntiationem simplicem talis filiæ dotatæ, non disponendo in favorem masculorum vel certæ personæ, ut in terminis cap. *quamvis, de pactis, libro sexto*, portio renuntiata remanet in terminis & dispositione juris communis: & tunc quanquam pars de portione hereditaria citra legitimam disponere possit, tamen de portione legitimæ, vel ejus devolutione aut accrescendi jure nullo modo potest disponere, nec facere quominus accrescat reliquis portionibus ejusdem legitimæ.

16 Et consequenter si quæ propter ingressum Religionis incapax sit, vel voluntariè abstinet, quod de legitima ejus supersit, non heredi universali accrescit, sed omnibus venientibus ad legitimam accrescit, idque viriliter, prout legitima viriliter defertur, ita etiam viriliter accrescit, etiam necessariò, non obstante quacumque dispositione testatoris. Itaque Doctores in contrarium allegati, aut in diversis terminis, aut erroneè loquuntur. Et hæc pro analytica nostra resolutione sufficient, majore commentariorum & librorum meorum in jus utrúque portione, adhuc à truci & avaro illo barbaro & Montisbelligardi tyranno vi detenea. Et ita censeo ego Carolus Molinæus Juris utriusque Doctor, Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, Legum Professor Dolanus. Datum Dolæ pridie Idus Augusti, anno 1556.

EPITOME CONSILII XXX.

1. *Hypotheſis ejus quod quæritur.*
2. *Diſpicienda conditio & qualitas rei, quæ aut venditæ aut permutatæ dicitur.*
3. *Pretij quantitate taxatâ, propria & formalis eſt venditio, etiam ſtrictè ſumpta.*
4. *Si fundi non vænalis datio pro pretio fundi vænalis cedat, ut ſic perficiatur contractus emptioni & venditioni ſimillimus, multò magis id obtinebit ubi compermutati fundi æque publicæ venditioni expoſiti ſunt.* 2.
5. *Vbi eo ſunt animo emptor ut emat, venditor ut vendat, & certum pretium contractus emptionis & venditionis eſſe cenſetur.*
6. *Si certum pretium, conſenſus & res certa interveniat, emptio eſt & venditio.*
7. *Aliud eſt promiſſio de vendendo, aliud venditio, niſi cum ſubſtantialia venditionis de præſenti interveniunt.*
8. *Venditio in diem pura non eſt, perfecta tamen & irrevocabilis eſt de præſenti.*
9. *Venditio eſt non permutatio, etiamſi intra id tempus executioni mandetur quod in contractu præfinitum erat.*
10. *Quomodo perventum ſit ad executionem & purificationem venditionis, & qua via impediatur venditio.* 11.
12. *Simulata permutatio fuit, vera tamen venditio & perfecta, ut fraudentur jura dominicalia ſub imagine fictæ permutationis.* 13.
14. *Nemo præſumitur jactare ſuum.*
15. *Nunquam præſumitur voluntas mutata.*
16. *Cùm venditio realiter executa fuerit, nec unquam prædia viciſſim tradita fuerint, non poterit probari permutatio.*
17. *Res aliena non permutatur.*
18. *Neque fiſcus, neque Officiales Juſtitiæ fidem habent aut habere poſſunt de pretio.*
Plus valet quod agitur, quam quod ſimulate concipitur.
19. *Ad primordium tituli poſterior formatur eventus.*
20. *Ex vicinitate temporis præſumitur unus actus contemplatione alterius actus, etiamſi fierent in diverſis inſtrumentis.*
21. *Ad probandam ſimulationem vel fictionem contra formulam contractus inter ipſos contrahentes, non ſufficiunt conjecturæ, niſi quando tertius læderetur.*
22. *Vrgentes ſunt ſimulationis conjecturæ, cl. ſulæ inſolitæ.*
23. *Subhaſtatio & decretum adjudicationis adl pendens impediunt effectum permutationis.*
24. *Ex figmento permutationis & veritatis venditionis feudum incidit in fideicommiſſum & jure commiſſi, domino directo acquiritur.*
25. *Res libera ad directum dominum revertitur, reſoluto omni alio jure intermedio, ubi res eſſet verè cenſualis.*
26. *Burgundi abutuntur, uſurariorum more reditus impoſititios deformantes in fundiarios.*

CONSILIUM XXX.

Viſis & diligenter examinatis thematis tacti nobilis viri Henrici *Colin* domini *Darcon*, exemplis venditionis in diem, villæ *de Montrond* dictæ quinta Octobris 1554. per Philibertum & Franciſcum *Colin*, tam ſuo nomine, quam Guillermi *Colin* Preſbyteri fratris eorum nomine, nobili viro Claudio Francheto quarta Decembris 1554. ſententiæ diſcuſſionis & ordinis, in ſubhaſtatione certorum prædiorum (quæ defunctorum Joannis *Colin* & ejus uxoris fuerunt, inter quæ dicta villa continetur) latæ tertia Novembris 1554. per laudabilis memoriæ dominum Robertum *de Bergieres*, & dominum Joannem *Cervoiſe* Doctores utriuſque Juris, Senatores graviſſimos in ea cauſa delegatos ampliſſimi Ordinis & ſupremi Senatus Dolani.

1. Proceſſus executionis proviſionalis per eoſdem Senatores & delegatores facti die tertia & quarta Decembris 1554. doctorum virorum reſponſis ſuper quæſtionibus dictorum thematum redditis, totius rei cardo in hoc præcipuè verſatur, an dicta permutatio ſit ſimulata de contractu ad contractum, & velata venditio ſeu æquipollens venditioni dictæ villæ Montiſrotundi: & omiſſa brevitatis causâ, prolixitate alterutrimque argumentandi, rectà ſcopum, in nomine Domini Jeſu Chriſti unici Redemptoris, petendo, & ſolis deciſivis inhærendo, totius negotij initium, tractus & eventus, & perſonarum & rerum, quæ eidem negotio conjunguntur juxta, *l. bona fides depoſiti.* clarè oſtendunt præfatam permutationem per arreptam, imò de induſtria præparatam, & accerſitam occaſionem ſimulatam fuiſſe. Cæterùm veram venditionem ab initio intentam & contractam, & tandem ſub eo prætextu & colore accerſito conſummatam & executam fuiſſe.

2. Primùm diſpiciatur conditio & qualitas rei, ſcilicet dictæ villæ Montiſrotundi. Certum eſt quòd erat res venditioni expoſita: non fictè & ſimulatè, ſed verè & ſeriò: non privatim, ſed publicè per omnia ferè compita & tribunalia hujus Comitatus, tam in Præfectura Davalenſi, quàm in ampliſſimi Senatus curia: idque non ſemel, aut momentaneo actu, ſed continuo & diuturno tractu ad ſolam veram venditionem, & nullo modo ad permutationem ordinato, ut liquet ex toto proceſſu ſubhaſtationum anno 1555. in dicta Præfectura inchoato, & ſine intermiſſione continuato, conteſtato, & ad curiam ſupremam devoluto; quin ex ipſis actis etiam ipſa eadem die dictæ ſententiæ, inter eaſdem partes factis, adeò ut ſit notorium juris & facti permanentis, & judiciale & extrajudiciale. Sed quando duorum certorum fundorum ad invicem permutatio ſit, etiam pura & ſimplex, ſine aliqua pretii vel rei mobilis ſuppletione: tamen ſi tunc non uterque, ſed alter tantùm fundus ſit venditioni etiam extra judicium ſemel expoſitus, & alter non venditioni expoſitus, tamen ſimpliciter loco pretij (licet non taxata quantitate) datus, talis contractus non eſt permutatio, ſed contractus æquipollens emptioni & venditioni, text. *l. 1. ibi, ad exemplum exempt. actionis. C. de rerum permutat.* & ibi Bald. Salic. Franciſc. Purpurat *in l. 2. in principio,*

num. 42. *ff. si cert. pet.* Jason *in leg. rogasti. col.* 1. *eodem titulo.*

5. Quod si etiam pretij quantitas fuisset taxata, propria & formalis esset venditio, etiam strictè sumpta, *leg. pretij. C. de rescind. vendit. gloss.* 2. & omnes Doctores *in d. l.* 1. *C. de rerum permutat.* & in locis præfatis. Ergò dicta villa Montisrotundi non fuit permutata, sed vendita, vel per contractum venditioni æquipollentem alienata: & ille contractus non est, nec fuit vera permutatio, sed venditio, aut venditioni æquipolliens per text. rotundum in *d. l.* 1. Quod rursus probatur per tenorem ipsum dicti contractus, ubi etiam in verbis dispositionis fuit mentio dictarum subhastationum & decreti adhuc in dicta suprema curia pendentis, ubi dicitur, & omnes contrahentes confitentur, dictam villam Montisrotundi in dictis subhastationibus & decreto comprehendi, & sic omnes contrahentes in ipso eodem contractu fatentur dictam villam fuisse, esse, & adhuc eodem instanti perseverare non solùm vendibilem, sed etiam venditioni expositam; ergò dictus contractus non poterat esse permutatio, sed vera venditio, vel contractus venditioni æquipollens.

4. Secundò, principaliter quia sumus hîc in multò fortioribus terminis quàm in *d. l.* 1. ubi alter tamen fundus erat venditioni expositus. Sed hîc etiam alij fundi compermutati erant, æquè publicæ & notoriæ venditioni expositi, ut per omnia acta dicti processus liquet, & per eumdem fictæ permutationis contractum. Ergo multò minus hic esse potuit permutatio, quàm in *dicta lege* 1. *si vera venditio.*

5. Tertiò principaliter, quia constat quod dicti fratres Colinæi habebant intentionem vendendi dictam villam Montisrotundi præfato Claudio Francheto pro certo pretio, in pecunia, & quod dictus Claudius habebat intentionem emendi ab eis pro eodem certo pretio, ut apparet per alium contractum priùs inter eos initum, perfectum & conclusum die quinta Octobris eodem anno 1554.

6. Quartò, quia planè per dictum priorem contractum apparet inter eos venditionem dictæ villæ ex tunc fuisse factam & conclusam: fuit enim ex tunc conventio facta & concluſa per easdem partes, & earum juramento firmata, & pretium certum 50. librarum, & sic omnia substantialia venditionis intervenerunt consensus, res etiam certa, pretium certum. *Instit. de empt. & vend.* §. 1. *& intra quæstiones domino directo.* Guil. Guneus, Alber. Bald. Angel. & omnes in *l. ab emptione, ff. de pactis.* Bald. *l. si constante, C. de donat. ante nuptias.*

7. Nec obstat si dicatur quòd in eo contractu non est venditio, sed promissio de vendendo, quæ aliud est, ut tradit Jas. *l. quoties. col.* 7. *C. de rei vend. & consil.* 117. *col.* 1. *l.* 1. Paul. *consil* 93. *lib.* 2. Matthæus Matheſil. *singul.* 46. Anton. Corset. *in singul. in verb. Statutum.* 2. *& dixi in consuetud. Parisiens.* §. 55. *gloss.* 1. *quæst.* 3. Quia respondetur primò quod illud non est verum, quando omnia substantialia venditionis de præsenti interveniunt, prout ibi intervenerunt: quia tunc pactum de vendendo transit in venditionem de præsenti, & est actualis venditio. Et ita etiam in fortioribus terminis decidit Lud. Gozad. *in rep. leg.* 2. *col.* 6. *C. de pact. inter empt. & vend.* facit quod Ioan. And. *in addit. ad Specul. tit. de obligat. & action* decidit. Quod si promitto me tibi obligaturum ad dandum decem, quod statim donatio perfecta est, & possum recta via conveniri, ad decem, causâ vitandi circuitus, & sequitur Alexand. *in leg. cùm fundus*, §. *servum unum.* & ibi Jas. *ff. si cert. pet.* Jas. *in leg. dominus testamento. de condict. indeb. in l. si filiusfam.* §. *meminisse. col.* 1. *de leg.* 1 *consil.* 70. *in fin. lib.* 1. Fabia de Monte Sanct. Savi. *in tract. de empt. & vend. col.* 70. Matthæus de Afflict. *decision. Neapol.* 61.

8. Respondetur secundò quòd in quantum partes ibi utuntur verbis futuri temporis, hoc faciunt quia venditio non erat pura, sed in diem: venditio autem in diem quanquam non sit pura, nihilominus statim est vera, perfecta & irrevocabilis venditio de præsenti *gloss.* 1. & omnes Doctores *Institut. de empt. & vend.* statim enim cessat dies, & nata actio est, *l. cedere diem, de verb. signif.* Et maximè cùm dies illa esset brevis, nempe intra finem mensis immediatè sequentis, tum dies non est apposita substantiæ, sed executioni: facit not. Alex. *l. qua dotis, ff. soluto matrimonio.*

9. Quintò principaliter, quia etiamsi venditio dictæ villæ Montisrotundi facta & concluſa inter eosdem partes per dictum contractum die quinta Octobris 1554. non fuit executa infra modicum tempus in eodem contractu designatum, tamen nihilominus interim vera venditio fuit per prædicta, & intra tres vel quatuor dies post illum brevem terminum in dicto contractu contentum purè & absolutè executa fuit, nempe die quarta Decembris. Ergò permutatio esse non potuit *l.* 1. *ex. de rer. permut.* sed vera venditio per allegata in primo argumento, & vera, realis, & pura & absoluta executio venditionis ejusdem villæ inter eosdem nuper & apertè contractæ, nempe nondum bimestri lapso, & sic intra modicum tempus, *l. si arbitri, & ibi gloss. ult. ff. de judicis.*

10. Sextò probatur ex modo perveniendi ad executionem & purificationem dictæ venditionis contractæ quinta Octobris: quia postquàm infra mensem, videlicet die tertia Novembris facta est, eisdem partibus præsentibus & consentientibus, imò etiam præsentibus & prosequentibus, discussio & ordinis prioritatis & posterioritatis collocatio inter creditores, super pretio quod procederet ex subhastatione & venditione dictæ villæ Montisrotundi, & aliorum prædiorum longè minoris valoris, & quæ sine venditione dictæ villæ nullo modo sufficiebant creditoribus, & per eosdem supremi Senatus delegatos lata sententia venditionis dictæ villæ & reliquorum prædiorum. Et ad realem & vacuam possessionem emptoribus faciendam mandatum Edictum unum peremptorium publicè præfigi, secuta est infra mensem (videlicet die tertia Decembris ejusdem anni 1554.) dies & hora realis executionis per eosdem Senatorios viros & delegatos ad loca ipsa eisdem partibus præsentibus & comparentibus ad hoc ipsum realiter exequendum profectos.

11. Sed tunc dicti Colinei fratres, & dictus Claudius Franchetus ad impediendũ ne fortè dicta villa Montisrotundi jam plures annos subhastata, publicæ venditioni exposita & proscripta, mox plus offerenti adjudicanda, jamjam peremptoriis elapsis & judicialiter exhibitis, & instante hora realis adjudicationis & decretalis traditionis, caderet in alias manus quàm dicti Francheti, cui jam ferè à bimestri per dictos fratres vendita erat, ideò communi consilio & concordi voto prius inter sese deliberato & concluso, dixerunt corã eisdem dominis d[illegible], primò, dicti Colinei quod sui commodi causâ consentiebant prædiola declarata in primo, secundo & quarto articulis præscriptionis peremptoriæ hastalis, videlicet mansum ubi defunctus Joannes Colineus habitabat, & circiter sexdecim jugera terræ, & grangiam *de Suans* vendi & tradi promptè dicto Claudio Francheto præsenti, pro pretio omnium summarum contentarum in præcedenti sententia & judicio discussionis, & sumptuum cõmunium mox taxandorum restitutione: quod dictus Franchetus

illicò acceptavit, & se ad omne solvendum submisit, offerens ad hoc promptè numerare mille & quingentos aureos pro dictis tribus prædiolis, quæ prædiola dicti Colinei & dictus Franchetus communi consilio & proposito affirmaverunt sufficere ad solutionem omnium debitorum dictæ discussionis, collocationum, & sumptuum communium, offerentes addere pretio, si summa illa oblata non sufficeret.

12. Dicti tamen Colinei petierunt supersederi in distributione pecuniæ. Præfati delegati jusserunt partes in crastinum comparere, visuras taxari impensas communes, & calculum iniri summæ collocationum, sive distributionum, &c. die verò sequenti facta est prorogatio in diem Martis post Epiphaniam (& sic ultra mensem) ad pecuniam realiter numerandam per dictum Franchetum, eadem verò die, quæ erat quarta Decembris 1554. Et sic nulla executione reali facta, sed ultra mensem dilata dicti Colinei & dictus Franchetus seorsum, clam judicibus & omnibus exteris partibus, dictam simulatam permutationem fecerunt, in qua dictus Franchetus dicit se dare puræ permutationis causâ dictum mansum, & dicta sexdecim jugera dumtaxat pro dicta villa Montisrotundi, quam cum pratis & terris dicunt præfati Colinei, se mero permutato & sine aliquo pretij supplemento dare dicto Francheto pro dictis duobus prædiolis.

13. Ex quibus luce meridiana clarius apparet hunc novissimum contractum esse meram venditionem dictæ villæ Montisrotundi, sub imagine fictæ permutationis velatam, ad fraudandum jura dominicalia, & jus prælationis & retentionis præfati domini *Darcon*, domini directi, & veram executionem venditionis ejusdem villæ inter eosdem partes conventæ, & conclusæ nondum bimestri exacto. Primò, dicta duo prædiola non valebant dimidium summæ creditoribus solvendæ, quæ circiter 3300 libras ascendit. Secundò, falsò affirmata sunt in judicio tantum valere & sufficere, de qua affirmatione meritò Judices non inquisierunt, cum tanta pecunia offerretur per dictum Franchetum. Tertiò, aliud simulabant dicti Colinei rei & dictus Franchetus, coram Judicibus & partibus, dicendo dicta duo prædiola sufficere, & pro tota tam grandi summa omnibus creditoribus debita adjudicanda dicto Franchetо, qui consentiebat sibi venditi & adjudicari tam vilia pro tanto pretio fictè postulabat, aliud verò inter sese agebant, videlicet ut dicti Colinei rei dicta duo vilia prædiola retinerent, villa verò Montisrotundi, quæ duplo supervalebat, remaneret dicto Francheto, pro pretio per ipsum numerando, prout eadem die inter se concluserunt, exequendo venditionem ejusdem villæ nondum bimestri exacto concludam.

14. Quartò, quia nemo præsumitur jactare suum, *l. cum de indebito. de probat.* præsertim ille qui venit ad emendum & acquirendum, ut venerat dictus Franchetus, text. *in l. si voluntate. C. de rescind. empt. & vendit.* ergò nolebat, sed fingebat velle emere dicta vilia prædiola pro duplo supervalenti summa. Sed re vera volebat acquirere, & sic emere dictam villam Montisrotundi, prout illam jam emerat ab eisdem, quam emptionem sub accersito colore fictæ permutationis exequi volebat.

15. Quintò, non præsumitur voluntas mutata, *l. cùm tacitum. l. cum qui de probat. l.* Statius Florus *in princip. de jure fisci.* Alex. *consil.* 81. *num.* 4. *ubi vide* lib. 5. sed certò constat de voluntate dicti Francheti emendo dictam villam à dictis Colineis, & de voluntate verò semò mutata nunquam apparuit, nisi inter se clam Judicibus & exteris partibus de die quarta Decembris 1556.

16. Sextò, dicta colorata, seu potius discoloratissima, & merè verbalis & momentanea permutatio nunquam fuit executa, sed dicta venditio in qua semper perseverabant, benè fuit realiter executa: nunquam enim dicta duo prædiola fuerunt tradita dicto Francheto, nec per eum retradita dictis Colineis, qui semper, ut priùs, illa retinuerunt, & adhuc retinent & possident, ut semper fecerunt. Dictus autem Franchetus nihil dedit nisi pecuniam, & non aliud, nihil ei abest, nec unquam abfuit, quam pecunia numerata, quam & dicti Colinei a dicto Francheto sibi, vel suo commodo suis creditoribus numeratam receperunt, nihil autem dederunt, nihil tradiderunt, nihil de suis alienarunt, nisi dictam villam Montisrotundi, quam solam exteris prædiolis longè prævalentem & præstantem dictus Franchetus affectabat.

17. Septimò, quia res aliena permutari non potest, *l. 1. ad fin. ibi. alienam rem dantem nullam contrahere permutationem. ff. de rer. permutat.* igitur multò minus res neque sua, neque à se possessa, sed tempore dictæ verbalis, momentaneæ & simulatæ permutationis dictus Franchetus non erat dominus dictorum prædiolorum, quæ fingebat permutare, nullum jus in illis habebat. Nec obstat quòd eadem die fuerint consensu dictorum fratrum Colineorum secum colludentium verbaliter vendita, quia venditio illa nullum transtulit jus in re, nec dominium, *l. traditionibus. C. de pactis.* Nec verbalis quidem traditio: præterea venditiones & adjudicationes quæ fiunt in illis publicis subhastationibus, intelliguntur sub conditione, si pretium realiter & integraliter solvatur. *l. licitatio in princ. & §. 1. ff. de public.*

18. Neque actus, neque officiales justitiæ fidem habent, aut habere possunt de pretio, ut ibi not. & est text. in *l. si procurator, in fin.* & ibi gloss. & Bart. *de jure fisci.* Bart. Alex. & omnes in 1. *l. à divo Pio, §. sed si emptor. ff. de re jud.* Jas. *cons.* 39 *lib.* 1. ita quod etiam realis traditio nullum jus unquam transferet, & multò minus verbalis, quæ etiam conditionalis est, nisi pretium ea de causa realiter numeretur: igitur quando dicti Colinei & dictus Franchetus permutare se dixerunt, nihil permutarunt: quia constat quod ipso jure nulla permutatio fuit, & tamen fuit aliquid inter eos gestum, videlicet venditio dictæ villæ Montisrotundi, quæ tacitè & verè agebatur, imò dudum acta perficiebatur, ita quòd sumus in terminis expressis tituli plus valere quod agitur quam quod simulatè concipitur *lib.* 4. *C. omninò enim aliquid agebant, sed non permutationem: quia non poterant, nec etiam volebant.* ergò venditionem dictæ villæ Montisrotundi quam constat eos semper voluisse, & tum de venditione in diem, venditionem puram fecisse.

19. Ita quod ad primordium tituli venditionis expressæ in diem factæ quinta Octobris, posterior formatus est eventus, prout etiam *l. præsumit, l. unica. versic. nulla enim. & ibi gloss. in verb. primordium.* Bart. & alij *C. de imponend. lucra. descriptio. lib.* 10. Franc. Curt. senior. *cons.* 69. *col.* 1. quia hodie constat dictum Francherum dictam villam Montisrotundi possidere, dicta verò prædiola nunquam accepisse, nec possedisse, eumque nunquam tradidisse aut numeravisse dictam pecuniam, & sic supra omnem dubitationis aleam exploratissimum esse dictam terram Montisrotundi nullo modo permutatam, sed verè venditam fuisse, ut ad hoc semper exposita fuit, imò expressè vendita dicto Francheto, ita ut cùm veritas sit clarissima, non opus sit argumentis.

20. Nonò, quia ex vicinitate temporis præsumitur unus actus contemplatione alterius factus, & sic mutua correlatio & idem contractus, ut not. Bald. in *l. petens. in fin. Pervs. col. pen. C. de pact.* & Philip. Dec. *col.* 4. Philip. Corneus *cons.* 36. *col.* 2 *lib.* 2. *cons.* 57. *col.* 5. *lib.* 3. *Socyn. consil.* 272. *in præsenti col. lib.* 2. Jas. *in l. Titia. col* 8. *ff de pact.* etiamsi fierent in diversis instrumentis, etiam aliquot diebus interpositis: quoniam non obstante hujusmodi modico intervallo & diversitate instrumentorum præsumitur mutua correlatio actuum, & sequentem factum

esse contemplatione præcedentis per *d. l. lecta. l. si ventri. §. fin. ff. de privil. credit.* Et ita in simili decidunt Bald. *in l. pen. §. mulier. ff. solut. matrim.* Angel. *cons.* 141. *super primo puncto.* Lud. Rom. *cons.* 91. *Visis & percunctatis col.* 3. Alex. *cons.* 43. *Celeberrima. lib.* 1. & dixi in simili in *consuet. Paris. §.* 23. *num.* 80. *secunda editionis.* & sic contractus iste permutationis infra bimestre & modicum tempus secutus, præsumitur idem contractus cum contractu venditionis de eadem re paulò ante facto, & ad ejus executionem velatam in fraudem jurium dominicalium, quæ denegare & fraudare volebant, ut patet per dictam venditionem, & per omnia ferè acta processus subhastationis in suprema curia facti.

21. Decimò confirmatur, quia quamvis aliàs inter ipsos contrahentes non sufficiant conjecturæ ad probandam simulationem vel fictionem contra formulam contractus inter se initam, ut tradit Bald. *in l.* 3. *vers. quæro. C. plus valere quod agitur.* Bart. *cons.* 81. *incip. Martin. Formerius. col. ult.* Franc. Aret. *cons* 65. *cons.* 159. *col.* 4. tamen respectu tertij, qui læditur, potest simulatio probari per conjecturas verisimiles, ut tenent Doctores in locis præfatis. Petr. Ancharan. *cons.* 27. *col.* 2. Io. de Imo. *cons.* 138. Fely. *in rubr. extra. de probation.* & ibi Hypol. Marsi. *char.* 5. *char.* 37. *in parvis.* ita ut sufficiant probationes, quales haberi possunt. *c. ult. de renunt. in sexto.* Ang. Ias. *l. si quis ex argentarijs. in fin ff. de edendo. l. cum ea quæ de transact.* Lapus de Castello, *allegat.* 84. Alex. *cons.* 24. *cons.* 53. *lib.* 2. Philip. Dec. 543. *num.* 14. Io. de Amicis *cons.* 106. & secundùm Bart. Cæpolam. *in tractat. de simulat. contract. in sexto casu principali, col.* 2. sufficiant tres præsumptiones, imò etiam duæ, si altera sit valde intensa, ut dixi in *tract. commercior. & commercio & usura. num.* 389. *cum sequent, & est text. in c. illos vos. extra. de pignorib.* quantò fortius in casu præsenti, ubi non sunt præsumptiones nudæ, sed demonstrationes, non tres tantùm, sed ultra novem, ut patet ex prædictis.

22. Adhuc ex abundanti multæ aliæ urgentes simulationes conjecturæ concurrunt: nempe clausulæ insolitæ & valde de se suspectæ, ut illa quâ in ipso simulato contractu permutationis promittunt invicem nullam confessionem facere, aut aliquid aliud præjudiciale, id est veritatem non revelare, sed invicem celare: ergo invicem conscij erant fraudis, ad quam celandam sese mutuò obligarunt. Ex quo satis fraus & simulatio præsumitur, quia qui malè agit, odit lucem. *c. consuluit. de offic. & potestat. ind. deleg.* & tantò magis quando apparet tenebras & occultationes exquisitas invicem stipulatas & promissas esse. Item, ex eo quòd non solum incontinenti, sed etiam eodem instanti dictus Franchetus addidit & numeravit dictis Colineis septingentas libras, & quanquam dicant ei constituere reditum quadraginta novem francorum, tamen valde suspectum est; numeratio enim realis est, ut per instrumentum contractus contra eos non pro eis faciens fidem, constitutio verò reditus ex confessione verbali.

23. Item in eodem instrumento fatentur dictas subhastationes & decretum adjudicationis adhuc manere in pendenti in suprema curia: ergò dictus Franchetus nihil acquisierat de dictis terris subhastatis: ergò nihil ex illis permutare poterat, sed permutatio nulla. Item ex alia clausula dicti instrumenti, ubi fatentur dicta duo prædiola adhuc esse vendibilia, & venditioni exposita: ergò non verè adjudicata, saltem ex quo erant adhuc venditioni exposita, non poterant permutari, *l.* 1. *C. de rer. permutat.* clausulæ autem insolitæ dolum, fraudem & simulationem arguunt, *l. si quis sub conditione.* & ibi Ang. *ff. de condit. institutio.* Bald. *c. ex literis. in fin. col.* 2. *extra de consuet & in l. testamentum. in princ. C. de testam.* ubi ait quòd ubi evidentior cautela, ibi evidentior fraus, & in *c. quia verisimile. de præsumpt.* Jason. *in d. l. testamentum.* Matth. de Afflict. *in tract. de jure protomiseos. gloss. in verb. ubi quæ. col.* 5. Alex. *cons.* 54. *num.* 2 *lib.* 6. Curt. senior. *cons.* 63. *num.* 33. Petr. Paul. Paris. *cons.* 55. *num.* 51. *lib.* 1.

24. Ex quibus omnibus satis superque & plusquàm notoriè liquet detectum esse figmentum permutationis, & veritatem venditionis dictæ villæ, & consequenter dictam villam in commissum cedidisse, & jure commissi acquisitam esse præfato domino directo, tam in vim Edicti antiqui Comitum Burgundiæ, quam consuetudinis Burgundiæ, ad hoc expressè in tit. *des Cens*, articulo pènultimo, & rursus in commissum cecidisse, & eidem directo domino acquisitam esse in vim novæ constitutionis anni 1544. defectu declarandi jura & onera dominorum. Dicti enim Colinei vendendo dictam villam Montisfrundi dicto Francheto quinta Octobris 1554. affirmaverunt illam esse liberam, & ab omnibus oneribus quibuscumque immunem: quod tamen falsum esse sciebant, nempe juri dominicali, censui, laudimijs & retentioni obnoxiam esse præfato domino directo, idque non solùm ex contractu utriusque parentis, sed etiam ex propria etiam judiciali recognitione per eos facta nondum annus erat, videlicet decima Martij 1553. & sic ex proprio judiciali facto convincuntur habuisse notitiam & scientiam jurium dominicalium: quæ tamen aperte negaverunt, aut saltem obscurè & conditionaliter: ergò satis ad pœnam dictæ constitutionis, præsertim in scientibus: ergò locus commisso. Præterea circa finem bimestris in dicta ficta permutatione, eamdem notitiam jurium dominicalium habentes non exprimunt ea clarè, sed conditionaliter, & potiùs negant, & sic idem ac si non expressissent: quia obscurè vel nihil declarare partia sunt. *l. de ætate. §. nihil interest,* & ibi Bart. *de interrogat. act.* Bald. *cons.* 86. *lib.* 1. & sic in vim novæ constitutionis ex duobus actibus sive conventionibus locus est commisso, quanquam sufficit commissum in vim antiqui edicti & consuetudinis.

25. Per quod res libera ad directum dominum revertitur, resoluto omni alio jure intermedio. *l. lex vectigali, ff. de pign. l. si is cui via. in fin. ff. quemadmodum servitus amittatur.* Bald. Salicet. Paul. *l. & in Provinciali. C. de servitut. & aqua.* Bald. *l.* 3. *in fin. C. de jure dot. l. ult. §. sed quia. C. communia. de legatis.* Alexand. *consil.* 189. *col.* 3. *lib.* 2. Et intelligerem verè censualem, ut in facto præsupponitur.

26. Secùs de reditu imposititio, quem Burgundi vulgò vocant censum, more Canonistarum de quo dixi *in Consuet. Paris. tit.* 2. *num.* 18. Quia etiamsi dictum esset in contractu quòd subesset laudimijs, retentioni, & commisso, non valeret nisi res esset libera: adhuc si esset libera, & creditor, data pecunia, ita stipularetur, non valeret tanquam usurarium, si pretium non excederet sortem legitimæ usuræ, ut docui in *tract. commerc. & usur. q.* 57. adhuc etiamsi pretium esset justissimum, non valeret nisi secundùm modum quem dixi *in Consuet. Paris. §.* 1. *glos.* 5. *num.* 21. adhuc nullo modo valeret in præjudicium habentium jura vel hypothecas anteriores, & consuetudo & edicta dicti Comitatus intelliguntur de censu fundiario & verè domunicali. Et ita censeo ego Carolus Molinæus Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, & Legum Professor Dolanus. Datum Dolæ Calendis Augusti 1556.

EPITOME

THEMA CONSILII XXXI.

1. *Teſtamentum altero dictante, vel interrogante tantùm ab infirmo factum non valet, ut ſuggeſtum.* 2. 9.
3. *Teſtes debent eſſe rogati, etiam in codicillis.* 5.
4. *Omiſſio conſueta ſolemnitatis reddit actum nullum.*
5. *Teſtes non præſumuntur rogati.*
6. *Legatum manu legatarii etiam teſtatore dictante, falſum eſt & nullum, niſi teſtator ſpecialiter ſubſcripſerit.* 9. 14.
7. *Captationes, & ſuggeſtiones teſtamentorum odioſiſſima.*
8. *Propter quas olim monachi, & clerici heredes inſtitui prohibiti.*
10. *An paria ſint totum ſcribere, vel ſubſcribere.* 13.
11. *Subſcriptio in actu nullo non valet, niſi ad puniendum notarium.*

Senatuſconſultum Libonianum de quaſi falſo habet locum etiam in teſtamento nuncupativo & codicillis.

15. *Intellectus verſic. ſi tamen in l. divus de falſ.*
16. *Clauſulæ inſolitæ reddunt inſtrumentum ſuſpectum.*
18. *Suſpectum eſt teſtamentum coram exteris teſtibus factum.*
19. *Ubi non de ſolemnitate, ſed de effectu quæritur, inſpicitur domicilium diſponentis, & non locus diſpoſitionis.*
20. *Uxor ſortitur domicilium mariti, quod erat tempore contracti matrimonii.*
21. *Habitatio occaſionalis etiam decem annis non facit, nec mutat domicilium.*
23. *Confeſſio facta in teſtamento, vel codicillis non valet niſi per modum legati.*
25. *Statutum corruptorium juris communis non ligat ſubditum pro bonis alibi ſitis.*
26. *Non ſolum verbis, ſed etiam menti ſtatuti, ſatisfaciendum eſt.*

CONSILIUM XXXI.

VIſo themate anonymo mihi oblato, & ſingulis quæſtionibus perſcrutatis, Chriſti unici Redemptoris nomine invocato, ad primam quæſtionem, juris eſt exploratiſſimi hujuſmodi codicillum non poſſe ſubſiſtere, & ipſo jure nullum eſſe multis rationibus.

1. Prima, ratione ſuggeſtionis, cum priuſquam defuncta aliquid de eo juſſiſſet, aut diſpoſuiſſet, ab alio ſcriptus fuerit, & moribunde ſcriptura ab alio confecta oblata, & lecta ſit, ad quam (notario prius per eam non vocato, nec rogato) interrogata an illa eſſet ſua poſtrema voluntas, reſpondit *etiam*. Hujuſmodi enim codicillus non eſt ſpecies ultimæ voluntatis, quæ debet à proprio motu diſponentis proficiſci, & non pendere: & multò minus proficiſci ab alieno arbitrio, *l. nonnunquam ff. de cond. & demonſtra. l. illa inſtitutio*, ibi teſtamentorum jura ipſa per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno pendere arbitrio, *ff. de hered. inſt. l. captatorias eod. tit.* Et quòd teſtamentum hac forma factum non valeat, decidit expreſsè Joan. Andr. *in addit. ad Spec. de teſtam. in rub.* Lud. Rom. *conſ.* 306. *propoſita conſultatione in fine.* Alexand. Jaſon. *in l. jubemus in fine, C. de teſtamentis.* Phil. Cor. *conſ.* 1. *conſ.* 314. *lib.* 4. Jaſ. *conſ.* 196. *col.* 3. *lib.* 2. Carol. Ruinus *conſ.* 8. *cum duobus ſeq. lib.* 2. *ubi conſ.* 10. loquitur etiam quando prius eſt facta ſcriptura ab ipſo notario in præſentia unius teſtium. Hipp. Marſ. *nota.* 449. *incipiente, teſtamenta.* Aymo. Cravet. *conſ.* 117. & ita ſemper tenui legendo, & conſulendo tam in Gallia, quam Tubingæ anno 1553. & in hac Academia, & in annotat. ad Alexand. & Philip. Decium.

2. Et quamvis aliqui teneant valere teſtamentum ab alio ſcriptum, & ad alterius interrogationem, tamen loquuntur quando conſtat quòd teſtator principaliter deliberavit, & cœpit teſtari, & juſſit ſcribi ita quòd priuſquam adferretur, & legeretur, conſtat id factum de ejus voluntate, ut per ſcribentes *in d. l. jubemus.* At illa non adfuerunt in propoſito, & ſic etiam ſecundum ſententiam omnium iſte codicillus prorſus nullus eſt. adhuc illi, qui tenent valere perſcriptum ab alio conſcio, & volente teſtatore, intelligunt dummodo ſcriptum ſit à perſona non prohibita, & non ab eo qui cepit commodum.

3. Secunda ratio, quia hodie jure novo *in Auth. de teſt. §. & licet. verſ. hæc autem inania in novell. conſt.* 90. teſtes debent ſemper eſſe rogati, aliàs nulla modis omnibus ratione valere decernuntur, ſed mania eſſe, & apertè ſuſpecta, nullius ſigna fidei, & ſic jura vetera, & *l. ult. in fi. C. de codicil.* corriguntur in hoc per verba univerſalia, & negativa novellarum, & per rationem ſuſpicionis *in l. expreſſam*, quæ eſt vera antiquorum ſententia, quam refert Acurſ. *l. ad finem in fi. ff. de teſt.* quæ etiam uſu invaluit: ſolent enim ſemper etiam in quibuſvis modicis actibus rogari teſtes.

4. Omiſſi autem ſtili conſueti, vel ſolemnitatis conſuetæ actum, vel inſtrumentum ſuſpectum, & nullius fidei reddit *c. quam gravi* & ibi latè Joan. de Anania. *col. pen. & ult. de crim. falſ. l. Labeo.* ibi morem agentium ſequi debemus, & ibi Bened. de ſanc. Plumb. *ff. de ſtat. liber.* Ang. *in l.* 4. *C. de teſt.* latè Franc. Curt. ſenior *conſ.* 6. *num.* 10. *conſ.* 17. *col.* 3. *conſ.* 73. *col. antepen.* uſque ad finem Panorm. Felin. *in c. cauſam de teſtib.* Lud. Rom. *conſ.* 376. *quæſtionum col. penult. verſic. ſecunda ratio.* Jaſon. *in l. teſtamentum, C. de teſtamentis.*

5. Et generaliter quòd jure novo in omni materia teſtes debeant eſſe rogati, latè tenet, & propugnat Joan. *Igneus in l.* 1. §. *hæc autem num.* 66. 69. 70. *& num.* 72. *ff. ad Syll.* ſed neque Notarius, neque illi teſtes fuerunt à defuncta rogati, vel adhibiti, nec id præſumitur. Alexand. *l.* 1. *col.* 3. *C. de edendo.* Bonifacius *de Vitalinis Clem. unic. §. dudum col. ult. de jurejurando.* Jaſon. *in l. hæc conſultiſſima col.* 1. *in princ. C. de rei vind. & conſ.* 68. *col.* 2. *lib.* 1. Ang. *conſ.* 202. *ad hæc. in princ.* ergo codicillus ille nulla ratione ſubſiſtere poteſt, tanquam modis omnibus inanis, ut inquit text. novellarum.

6. Tertia, ratione falſitatis: fuit enim ſcriptus propria manu mariti, & ad ipſius dumtaxat utilitatem: & ſic non ſolùm codicillus ipſo jure nullus eſt, ſed etiam falſus, præſertim cum maritus proprio motu, uxore non petente, nec jubente, nec prænonita, ſed penitus ignorante, ita per ſe ſcripſerit, & etiam in totum ſolus perſcripſerit, & ſic omnino incidit in legem Corneliam de falſ. ut ſunt text. in fortioribus terminis, *l. ſi quis legatum in l. filius emancipatus in l. divus Claudius, in princ. ff. ad leg.* Cornel. *de falſis, & in l. quæ in teſtamento, C. de his qui ſibi aſcrib.* Quamvis enim etiam teſtator ipſe, vel codicillator loquatur, legatumque faciat alicui, cui dictat teſta-

mentum, vel codicillos, & ille scribit etiam testatore volente, sciente, dictante, tamen primo, præter nullitatem legati tanquam falsarius tenetur, perinde atque si in legem Corneliam de falsis committeret, adeò ut nec ei venia danda sit prætextu ignorantiæ, si dicat se severitatem legis ignorasse, text. *in d. l. divus in princ.*

7. Et ratio legis, & constitutionum principalium ad legem illam ampliandam adjectarum est in odium suggestionum, & captationum, quæ fiunt in testamentis, vel codicillis, & ne quis obrepat, & capiat voluntatem alienam, præsertim laborantis in extremis, cum in eo statu captationibus, & subreptionibus obnoxii sint, & lex vult testamentum, & codicillos manare, & nasci è proprio, & libero motu testantis, codicillantis, & nihil odiosius hujusmodi captationibus.

8. Ut etiam censet B. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum, *Epist. 2. tom. 1.* ubi propterea laudat legem à Christianis imperatoribus, videlicet Valentiniano, & Gratiano suo tempore latam, ne Clericos, & Monachos, propter frequentes suggestiones heredes instituere liceret: ita ad obviandum hujusmodi suggestioni sanctæ sunt *dictæ ll. & d. l. quæ in testamento, C. de his qui sibi adscrib.* quæ loquitur in marito suæ manu sibi legatum unum uxore dictante, adscribente, & vult non solùm pro non scripto haberi, sed etiam maritum legis Corneliæ de falsis pœna plecti, nisi fortè delicti veniam ab imperatore impetravit.

9. Et hæc procedunt etiamsi testator ipse manu sua testamentum, vel codicillos subscripserit: nihil enim valet, nisi testator ipse specialiter sua propria subscriptione declaraverit se ita dictasse illud legatum, & se velle illud dari, & præstari, *d. l. divus*, §. *planè*. Quantò fumus hic in fortioribus terminis: quia primò defuncta non est locuta, dum fieret prætensus codicillus. Secundò non dictavit illum. Tertiò, non dictavit marito, qui tamen solus totum perscripsit. Quartò, non jussit nec intellexit priùs fieri aliquem codicillum Quintò, ignoravit à marito perscriptum, & fabricatum. Sextò, propter ægritudinem vix dixit verbum hoc *etiam*. Septimò, neminem rogavit, nec notarium, nec unum quidem testem. Octavò, non subscripsit, nec generaliter, nec specialiter. Nonò, non de particulari legato per maritum sibi ascripto agitur: sed de totali dispositione, & integro codicillo per eum non solùm scripto, sed proprio motu in totum fabricato, & perscripto, & ad sui solius utilitatem. Quare dubium esse non potest quin pro non scripto habeatur, & ipse non solùm famæ, sed etiam status, & personæ periculum, & pœnam legis Corneliæ de falsis incurrerit.

10. Nec obstat si dicatur quòd notarius ille (qui scripturam illam obtulit, & legit defunctæ) statim ut illa respondit *etiam*, vel sic uno monosyllabo, statim ipse notarius eidem scripturæ subscripsit, & sic videtur totum scripsisse: quia paria sunt totum scribere, vel subscribere, ut tradit Bartol. *in l. emptor*, §. *Lucius ff. de pact. & in l. divus*, §. *idem senatus*, *ff. ad leg.* Corn. *de falsis*, latè Jason. & Philippus Decius *in Authen. si quis in aliquo documento*, *col. secunda*, *C. de edendo*, Alexand. *consilio* 147. *num.* 4. *lib.* 2. Quia respondetur primò hoc esse per fictionem, quæ jure non probatur, & Bald. in *de Authen.* & alii ibi, *& in cap. ultim. extra de fide instrument.* contrarium tenent.

11. Respondetur secundò, quòd si hoc esset verum, adhuc non posset procedere, nisi subsistente actu vero, secùs nullo actu subsistente, vel in casu nullitatis, quæ hîc duplex, aut triplex est. Prima, quia est actus factus ad interrogationem alterius solius, defuncta non præmonita, nec jubente, & sic nullus, per primo loco allegata. Secundò, quia scriptura facta est à persona non solùm suspecta, sed etiam prohibita, cum clausula legis irritantis, sive scribens aliàs bonâ, vel mala fide fecerit, vel etiam sit puniendus, ut falsarius, *d. l. divus in princip. l. si quis legatum*, *ff. ad leg.* Corn. *de falsis. l. qui in testamento*, *& per totum C. de his*, *qui sibi adscrib.* & consequenter subscriptio super actu nullo nulla est, nisi ad puniendum notarium, qui actui prohibito, & ipso jure à lege falsi damnato scienter se immiscuit: sciebat enim scripturam totam à marito solo honorato, & prohibito perscriptam, & sic nullam, falsam, reprobatam, & punibilem, & sic ipse quoque notarius pœna dignus est, *l. jubemus*, §. *his tabellionibus*, *C. de sacrosanct. Ecclesiis.*

12. Et insuper dato quòd pœna evitaretur, videlicet quando per testes non suspectos idem scilicet testatorem, sic per seipsum disposuisse: ita ut sufficeret ad excusandum tabellionem à pœna falsi, vel quasi falsi, vel aliàs esset venia danda adscribenti: tamen hoc non sufficeret ad capiendum istud legatum quod quis sibi, vel ei in cujus est potestate, vel per eum quem habet in potestate, adscripsit, quod legatum remanet nullum, *l. filius*, §. *sequens ad legem Corneliam de falsis.* facit *l. si quis legatum*, §. *si patronus*, & ibi glos. *verific. impetrata*, *l. divus Claudius*, §. *plane in fin. ad leg. Corneliam de falsis.* est enim pro non scriptum text. *in leg. 1. & l. ult. de his quæ pro non script. haben. in l. penult. C. de his qui sibi adscrib.* & ita in propriis terminis decidit Bald. *in cons. incipiente. Dispositio codicillaris*, quod est consil. 386. lib. 2. secundum veterem impressionem Brixiæ, & consil. 92. lib. 5. secundum novam impressionem Lugdunensem: & istud falsum, seu quasi falsum, ut vocat text. cum glos. *in verb. quasi falsi in l. 1. in fine*, *ff. ad legem Corn. de falsis.* Et additamentum ad leg. Cornel. factum, & introductum primò per Senatusconsultum Libonianum, deinde per constitutiones imperatorum, ut patet *in rub. ff. ad legem Corneliam de falsis.* & habet locum etiam in testamentis *l. 1.* §. *ad militum testamenta eod. titu. l. pen. C. de his qui sibi adscrib. l. ult. ff. de his quæ pro non script. haben.* & non solum in scriptis, sed etiam in nuncupativis testamentis, vel codicillis. Bald. *in d. cons. Dispositio*, *& cons.* 137. *Quando est num.* 3. *lib.* 1. *cons.* 96. Siculus *libro tertio*, Ang. Aret. *tract. maleficior. verb. falsario col.* 16.

13. Respondetur tertiò, quòd etiamsi vera esset illa allegatio in se, deinde si in casu suo particulari non esset facta in actu nullo reprobato, & damnato, adhuc non procederet, nisi respectu ejus qui habet interesse, & ad eum obligandum ad aliquid licitum, & jure communi concessum: iste enim si scienter subscribat, cèsetur approbare, & se obligare, æquè ac si ad longum scripsisset, nisi quòd in toto scribendo major est deliberatio, & ita expressè, & non aliter loquuntur Doctores omnes *in d. objectione allegati* & Jas. *d.* §. *Lucius*, *& in l. si ita stipulatus fuero*, *si Titius*, §. *Chrysogonus*, *ff. de verb. oblig.* Alex. *cons.* 147. *col.* 2. *lib.* 2. tunc enim demum verum est quod parem vim habet subscriptio, quam holographa scriptura, inquit Alciat. *in l. procurator. glos. ultr. col.* 2. *C. de edendo*, videlicet in præjudicium subscribentis: sed hîc non agebatur de præjudicio notarii, & de eo obligando ad contenta in ea scriptura, & sic impertinentes sunt illæ allegationes de subscribente. Præterea delictum jam erat consummatum per maritum, & ipse factus erat inhabilis, & alligatus pœnæ falsi, & sic non potuit purgari per subscriptionem notarii.

14. Ultimò & fortissimè per subscriptionem propriæ manus ipsius defunctæ nullo modo potuisset purgari, nisi fuisset subscriptio specialis, quia ipsa defuncta non simpliciter, nec generaliter scripsisset, sed manu sua scribendo declarasset hoc & hoc dictasse marito suo, & se velle ea præstari *d. l. divus*, §. *planè. Scriptura* enim mariti, vel alterius legatarii penitus nulla est, & pro non scripta, ita quòd opus est non solum nova subscriptione, sed etiam nova ac specifica subscriptione, ut nova dispositione ipsius

testatoris, vel codicillatoris prima scriptura non valente, etiamsi ipsemet dictasset. Si igitur generalis subscriptio ipsius defunctæ nihil fecisset, nec valuisset, quantò minus generalis subscriptio per præfatum notarium facta, & præsertim cum facta sit neque rogante neque jubente muliere.

15. Non obstat *d. l. divus*, §. *& quatenus vers. si tamen*; cum quia loquitur non in generali, sed in speciali subscriptione, ibi subscribentis se ea dictasse, & recognovisse, & sic ea specificando. Secundò præcesserat jussus testatoris. Tertiò, quando ipse testator eidem scribenti dictaverat. Quartò, quando scribens erat servus dictantis, cui juberi poterat, & cui necesse erat parere. Quintò, ubi erat favor libertatis, quæ est favorabilissima præ rebus omnibus, *l. libertas, ff. de reg. juris*, & tamen non valet etiam, nec per fideicommissum, si illis quatuor simul concurrentibus: quantò minùs valere potest relictum pecuniarum, ubi non solum ea non concurrunt, sed singula deficiunt.

16. Quarta ratione ex abundanti non valet prætensus codicillus propter clausulas insolitas, & affectatas præter usitatum modum, per dictum notarium appositas, ut quando dicit & inserit, quod defuncta bene & rectè loquebatur, bona mente, & memoriâ prædita, ut apparebat in ipsa cum gratia Dei, quamvis bene parum ægrotaret corpore. Clausulæ autem insolitæ reddunt instrumentum suspectum de falso, Ang. *in l. si quis sub condit. ff. de condit. instit.* Bal. *in c. quia verisim. de præsum.* Matt. de Affli. *in tract. de jure protomiscos gl. in ver. nisi quis col.* 5. Pet. Pau. Pari. *cons.* 55. *num.* 51. *lib.* 1. & ubi abundantior cautela, ibi evidentior fraus, Bal. *c. ex literis in fi. col.* 2. *extra de consuetud. & in l. testament.* & ibi Jas. *C. de test.* Sed certum est quòd dictæ clausulæ non solent eo modo apponi, & sic sunt exquisitè & studiosè accersitæ, & consequenter etiamsi alia deficerent, instrumentum prætensum de falso suspectum, & consequenter nullam fidem faciens, *l. ult. C. ad leg. Cornel. de fal.*

17. Quinta ratione adhuc ex abundanti, quia apparet de vero, & formali, & inexcusabili falso: non solum enim illa verba insolita posit obitum defunctæ notarius ex capite suo, & transverso raptus affectu apposuit; sed etiam alia verba, & alias assertiones penitus falsas, videlicet dum audet scienter in eo instrumento dicere, & affirmare quòd dicta defuncta loquuta est, & dixit se velle conscientiam suam exonerare, & de sua plena & libera voluntate, absque ulla coactione, vel persuasione, prout ipsa dicebat, & declaravit, ut sequitur: quæ omnia, & singula sunt prorsus falsa, & tam falsa quàm verum est, post obitum dictæ defunctæ conficta fuisse: nunquam enim loquuta, nunquam unum verbum emisit de sua conscientia, nunquam dixit se habere conscientiam circa hoc oneratam, nunquam dixit se velle de hoc exonerare, nunquam mentionem fecit de sua libera, & plena voluntate, nunquam dixit se, nec coactam, nec persuasam, ut notorium est ex hypothesi: & tamen notarius omnia illa, & singula affirmat fuisse tunc, & eo instanti ab illa defuncta dicta, & pronuntiata: & consequenter instrumentum tale prorsus falsum est, nullo modo proficere valens, nisi ad damnationem, & pœnam etiam utentis, & producentis maximè scienter nedum fabricantis, *l. 2. C. de fid. instrum. l. si falsos codicillos, & per totum tit. C. ad leg. Corn. de fal.* Certum est enim quod notarius hoc casu non poterat facere instrumentum de locutione, & dictamine defunctæ, ut falsò fecit: sed tantum de scripto alieno, hoc est mariti honorati, à se dumtaxat lecto, & quod illa interrogata tantum respondit: *Etiam*, & omnino non potuit plus scribere, & affirmare, sine perpetratione manifesta criminis falsi. Longe enim aliud sunt disponere per se ad longum, vel tantum alio interrogante respondere: *Etiam*. Ergo falsitas inexcusabilis, & intolerabilis, per ea quæ scripsi *in cons. Paris.* §. 5. *num.* 51.

18. Sextò, adhuc alia gravi suspicione laborat, quod cum præsto essent & multi, & consanguinei defunctæ, nullus saltem in testem vocatus est, sed more eorum, qui malè agentes, ideo lucem fugiunt, contra quos ipso facto malè præsumitur, *c. consuluit, & ibi gl. f. de offic. legat.* clam accersito unico filio cujusdam castellani, ne videlicet deessent testes, non solum de suggestione, falsitate, fraude, nullitate præfatis, sed etiam de incapacitate dictæ defunctæ agentis animam, & quæ omnino post horam obiit, & sic non præsumitur fuisse sensus integer in illo instanti male & fraudulenter exquisito, & captato: & sic res indubitabilis est pro heredibus defunctæ.

19. Ad secundam quæstionem, casu quo hæc omnia cessarent, & essent veri codicilli rite confecti: adhuc non valerent, nec ullam utilitatem marito adferrent, sive consuetudinem Axellanam, sive Antuerpiensem consideremus: statuto enim & consuetudine Axellana neque maritus, neque uxor ullo modo venire queunt contra pactum dotale, nec per testamentum, nec per codicillos sibi invicem donare possunt. Clarum est autem consuetudinem Axellanam debere attendi, cùm non hîc de solemnitate, sed de effectu, & juribus agatur: & sic domicilium disponentis, non locus dispositionis inspiciendus, quod proculdubio erat Axellis.

20. Ubi tempore matrimonii contracti maritus habebat domicilium, uxorem deducturus erat, & mox deduxit, & consequenter eò loci uxor domicilium fortita est, *l. exigere dotem, ff. de judic. l. de jure*, §. *ultim. ff. ad municip.* Bald. Ang. Paul. *in l. si uxor. ff. de judic.* ubi dicunt primum illud domicilium semper inspiciendum. Ant. But. Panorm. Felin. *in c. 1 col. pen. extra de sponsal.* Franc. Curt. junior *d. l. exigere col. ult. num.* 19. Baptista Caccialupus, *l. 1. charta verific. quartus casus, C. de summa Trinit.* & ibi Jas. *lectio. 1. num.* 26. *& lectio. 2. num.* 61. Philipp. Deci. *cons.* 19. *ubi in annotat. dixi, & cons.* 283. Hieronym. Gratus *cons.* 113. *lib.* 11.

21. Porrò quamvis postea maritus propter lites quasdam commodiùs prosequendas Antuerpiæ habitare cœperit, non ob id tamen eò domicilium transtulit, nec etiam lapsu decem annorum, de quo *in l. 2. C. de incol. libro* 10. transisse dicitur domicilium, quandiu constat de occasione temporaria, & animo revertendi Bar. Joan. de Platea, Lucas de Penna *in d. l. 2.* Cardin. Florenti. *in superscriptione decretalium* 9 *in verb. Gregorius col.* 3. Maria Socin. *c. ult. col.* 7. *de foro comp. & cons.* 35. Felin. *c. dilectus 2. col.* 11. Alexand. *cons.* 91. *num.* 8. *lib.* 7. & quando transtulisset, tamen semper primum domicilium primæ habitationis quoad hujusmodi pacta, & eorum firmitatem, & leges dicti loci debent attendi per prædicta.

22. Præterea etiam Antuerpiensem consuetudinem inspiciendo, adhuc eâ cavetur conjuges non posse mutare, novare, vel ampliare pacta dotalia, nisi super eis testamentum, aut codicillus à viro & uxore simul fiat: sed hîc constat non esse factum mutuum, vel simultaneum ab utroque testamentum, vel codicillum, & sic omnia pacta dotalia immota manent, & quicquid in codicillis solius uxoris (etiamsi legitimè, & rite facti essent) continetur in favorem mariti, prorsus nullum est, resistente utraque utriusque loci lege, & consuetudine tam primi domicilii, & habitationis, quam etiam domicilii tempore codicillorum, quod idem erat: quia non fuerat mutatum, nec transsatum (ut dictum est) quàm etiam statuto, & consuetudine Antuerpiensi.

23. Præterea quicquid in dictis codicillis narretur, etiamsi esset proprio motu defunctæ, & ab illa scriptum: tamen ea narratio, vel confessio non solùm non potest valere, nisi per viam legati, secundùm doctrinam Bart. & communem *in l. cùm quis decedens de leg.* 3. sed etiam ex tenore expresso, & limitatione contenta in eisdem prætensis codicillis, in illis verbis, *Idque per modum codicillorum*: quæ sunt verba restrictiva, quæ apertè designant legatum gratiosum esse, & confessionem gratiosam, & liberalem animo donandi, vel legandi, quemadmodum codicilli aliter non valent, quàm per modum donationis, vel legati ultimæ voluntatis: & sic nihil ibi continetur, quod spectet ad aliquam confessionem, vel recognitionem tanquam inter vivos, sed omnino limitari per modum codicilli, & sic voluntariæ liberalitatis ultimæ voluntatis voluntariæ, & ambulatoriæ.

24. Tamen supervacuum est differere, cùm etiam actus inter eos utriusque loci consuetudine prohibiti sint, ut sic nec confessiones, nec recognitiones ullæ valeant, nec inter vivos, nec in ultima voluntate. Balt. *l. si fortè ff. de cestrensi pecul.* Bart. Alexand. Philipp. Cor. Jas. Phil. Dec. *in l. si donatione, C. de collation.* Et sic clarissimè concluditur maritum nihil aliud ultra pacta dotalia petere posse, nec ullum fundamentum in prætensis codicillis facere posse. Dimidium ergo mobilium, receptis vestibus suis, capiet, sed nullo modo recuperabit, nec deducet bona sua mobilia, quæ in initio attulit, vel posteà acquisivit, sed totius massæ fiet æqualis divisio, in quibus ut nomina ad mobilia competentia continentur: ita minimè domus Antuerpiensis, cùm sit res soli, & consequenter ratione litium inchoatarum ante matrimonium ex persona uxoris, & generaliter ad omnia ad quæ teneretur, vel limitaretur ex pactis dotalibus, si prædicti codicilli non supervenissent, qui prorsus nulli, & pro non scriptis sunt.

25. Insuper quantum ad aliam quæstionem, cùm per statutum Axellæ, ubi maritus habet domicilium, neque vir, neque uxor possunt pactis dotalibus ullo modo contravenire per testamentum, aut codicillos. Sed Antuerpiæ ubi sunt bona uxoris, statutum permittit contravenire: ita demum si maritus, & uxor simul faciant testamentum, aut codicillos. Breviter respondeo quod uxor existens Antuerpiæ etiam fortuitò, nec habens ibi domicilium, non ligatur statuto Axellano, quin possit legare de bonis immobilibus sitis Antuerpiæ, sed ligatur statuto Antuerpiensi: quia in quantum statutum Axellanum est correctorium juris communis, nempe prohibens uxorem legare marito, & contra, non porrigit vires suas ad prædia sita extra suum territorium per not. *in c. 1. extra de constitution. & in l. cunctos populos, C. de summa Trinit.* Sed quia proculdubio ligatur statuto Antuerpiensi pro bonis ibi sitis, necesse est servare formam statuti Antuerpiensis: ideo ipso jure nihil valet, nisi maritus & uxor simul fecerint hujusmodi testamentum, vel codicillos: quod non fuit factum, & fieri non potuisset, cùm maritus ex hypothesi non haberet bona Antuerpiæ.

26. Et adhuc si fuit factum, non sufficit verbis tenus satisfecisse statuto, nisi etiam satisfactum fuerit menti, quæ est potior verbis, utpote anima statuti. Dyn. *c. ult. de reg. jur. in sexto.* Bald. *in l. doli, de quibus ed.* 13 *ff. de leg.* ubi aut quod est ipsa illius essentia. idem Bald. *in Auth. post fratres, C. de legit. hered. bonus text. in l. impuberem*, §. *qui liberti.* ibi non verbis, sed sententiâ Senatusconsulti tenetur, *ad leg. Cor. de fal.* Sed statutum non videtur requirere simultaneum testamentum, vel codicillum sine effectu simultaneo; sed cum reciproco, & simultaneo effectu, ut tantum maritus leget uxori quantum uxor marito, præsertim legando, aut disponendo de rebus dotalibus in quibus lex vult omnino virum & uxorem esse æquales, & reduci ad æqualia, *l. ex morte, l. leonis Auth. æqualitas, C. de pact. conven.* & quia tam personæ ipsæ, quam hujusmodi pacta sunt correlativa, *l. cum multæ C. de donat. ant. nupt.* ergo statutum intelligitur de testamento, vel codicillo simultaneo cum effectu, id est, æquali hinc inde: de quo tamen ultimo recurrendum censeo ad modum utendi ejusdem loci, juxta minimè mutandam *l. si de interpretatione, ff. de legib.* Et ita sentio ego Carolus Molinus, J. U. D. Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, legum Professor Dolanus. Actum Dolæ, Nonis Augusti. 1556.

EPITOME CONSILII XXXII.

DE EADEM RE DOCTORVM LOVANIENSIVM.

1. *Senatusconsultum Libonianum non solum in testamento in scriptis: sed etiam in nuncupativo locum habet.*
2. *Sed non quando in mundum per alium, etiamsi prima scriptura facta sit per legatarium,* 3. *quia recitatio Notarii videtur nova dispositio.* 5.
4. *Subscriptio Notarii non habet vim specialis subscriptionis.*
6. *Senatusconsultum Libonianum non habet locum in testamento merè nuncupativo, etiam alio interrogante.*
7. *Concordia opinionum.*
8. *An valeat testamentum ad interrogationem alterius?* 9. 10. 11. *valet tribus concurrentibus.* 12. 14.
13. *Non dicitur articulatè loqui, qui unum tantum monosyllabum pronunciare potest.*
15. *Notarius non præsumitur rogatus.*
16. *Non temerè licet provocare testatorem blando sermone.*

CONSILIUM XXXII.

DVORVM DOCTORVM LOVANIENSIVM.

ACutissime per dominos prius consultos scripta, & in unum collecta sunt omnia, quæ ad improbationem, & impugnationem ultimæ voluntatis, seu codicillorum N. uxoris facere videntur, ut supervacua quodammodo futura sit opera nostra. Rogati tamen quid de utraque via (duæ enim per eos propositæ sunt) sentiamus, & an perinde ex utroque capite obtinendi sit par ratio paucis sententiam nostram proferemus, meliore semper salva.

1. Posteriorem itaque rationem primo loco arripientes, arbitramur vere quidem dici, & sustineri posse, parem esse rationem senatusconsulti Liboniani,

& edicti divi Claudii de his qui sibi ascripserunt, sive voluntatis testatio per solam scripturam absoluta sit: *a* sive per nuncupationem, de qua certioris probationis causa confecta sit scriptura seu instrumentum etiam publicum. *b* Nam ut in illa antecedens testationem falsi suspicio Senatusconsulti & edicti causam continet *c* ita in hac nuncupatione subsequens similis falsi suspicio. *d* Quid enim vetat notarium semotis testibus testamentariis, nuncupationi testatoris, quæ vult adjicere, cujus instrumento fidem adhiberi, mortuis etiam omnibus testibus, communiter receptum est. *e*

2 Cæterum ad præsentem facti speciem id accommodari non posse putamus: quod instrumentum à notario editum sola ejusdem notarii manu sit scriptum & subscriptum, nullo sibi ascripto commodo, & ratione mariti, cujus utilitatem respiciunt omnia quæ hoc codicillo continentur, nihil possit dici pro non scripto ex dicto Senatusconsulto, seu edicto, quia scilicet fundamentalis ratio illius hîc cessat, scriptura *f* scilicet dicti mariti. Ita ut oculos in solum instrumentum, quo maritus utitur, & ex cujus fide dicta ultima voluntas dependet ac sustinetur, dirigentes inveniamus, & mentem & verba Senatusconsulti cessare. Nam qui scripsit, utilitatem nullam ex eo spectat: & rursus ad quem codicillorum commodum refertur, nihil in eis scripsit verè vel interpretativè, hoc est per se aut eum quem in potestate habet, aut cui per patriam potestatem conjunctus est: *g* cum alioqui utriusque concursus sit necessarius.

3. Quod si extra instrumentum proponatur (quo præsupposito domini priore loco consulti *h* respondisse videntur) actum testandi hîc aliter explicatum fuisse de quo tamen nobis aliter quam ex narratione consulentium non constat, conscripta scilicet hac voluntate per maritum testatricis ante conventionem testium, & notarii adhibitionem, eademque charta sic conscripta assentiente testatrice, per eumdem notarium subscripta, nihilo amplior erit occasio trahendi eam speciem ad Senatusconsulti pœnam, non quidem propter subscriptionem notarii.

4. In qua consentientes cum nominis prius consultis, non existimamus eam esse vim, ut sic per omnia loco specialis subscriptionis, quæ à pœna Senatusconsulti excusare solet, nam nulla est ratio cur simplici subscriptioni notarii major vis attribuatur, quàm subscriptioni testatoris septemque testium, additis eorumdem signis. *i* In testamento solemni in scriptis condito tot oculis spectato & in thto locato manibus. *k* Cùm alioqui tabulari subscriptio frequenter non plus ponderis & momenti habeat in testamento, quam unius alterius cujuscumque, *l* neque, plus ad perfectionem hujusmodi instrumenti operari debeat, quam septem testium ad testatoris privatam scripturam.

5. Testamentum enim testibus adhibitis confirmatur, *m* ut non sit mirum si dicatur ab hac pœna non excusare generalem notarii subscriptionem septem testium subscriptiones ac signa. *n* Sed propter illius scripturæ (uti etiam præsupponitur) in præsentia testatricis ac duorum fide dignorum testium audientium ac intelligentium per dictum notarium lectionem & recitationem. Ea enim recitatio propter sequentem notarii interrogationem (an ita testari vellet testatrix) & ejusdem testatricis affirmativam responsionem, hoc efficit, ut non scripta, sed ab initio nuncupata ore testatricis videatur, *o* & mariti scriptura hac nuncupatione velut innovata seu transformata ex vi interpretativa pro nullo hîc reputetur, & probandi vim nullam habeat.

6. Neque subscriptio notarii ad eam scripturam mariti manu scripram, rèferatur ut ad scripturam, sed velut ad nuncupationem *p* non involutè & per relationem, *q* sed realiter & una voce, omni voluntatis declaratione recitata per notarium velut testatricis organum, quod hîc propter prædictam interrogationem & responsionem sic accipiendum est quasi proprio ore testatricis omnia nuncupasset *r* eoque casu omnis vis probationis est in subscriptione notarii qui attestatur hîc recitatam non in ipsa scriptura *s* ut minime mirum videri debeat si dicamus cessare pœnam Senatusconsulti, quæ in simplici nuncupatione (pro qua hanc testandi formam accipimus) ex communi sensu, & per rerum naturam non potest intelligi locum habere.

7. Eaque ratione conciliari possunt discrepantes Doctorum sententiæ, circa pœnam Senatusconsulti in testamento nuncupativo, de quo facta est scriptura, ut locum habeat si non recitata scriptura, simpliciter & generaliter subscribat notarius, jubente etiam testatore. Cùm alioqui ex sola etiam omissione lectionis imperfectionem testamenti plerique sustinere velint, sic ut nec codicillorum jure sustineri posset hujusmodi scriptura, *t* sin recitatæ & relatæ subscribat propter causas prædictas eadem pœna cessat. His igitur rationibus moti, arbitramur prætactum ultimæ voluntatis instrumentum ex edicto seu Senatusconsulto de his qui sibi ascripserunt, propter factorum circumstantias, non rectè impugnari.

8. An verò ex priore capite per dominos consultos propositum, quòd scilicet hoc testamentum hîc conditum ad interrogationem notarii, emissa simplici eaque monosyllaba responsione affirmativa testatricis, impugnari possit hæc ultima voluntas, dubitationem habet. Nam si rursus ad instrumentum prætactum respiciamus, non magis hoc quàm posterius illud (ut diximus) asseverare licebit. Nam in eo interrogationis aut responsionis nullum est verbum, ut frustra suspici videatur inquisitio, qualitates & vires ejus quod non est. *u*

9. Cæterùm cùm in facti narratione proponatur conscripta priùs à marito scriptura quadam, eaque relecta interrogatam testatricem an ea sua esset voluntas, respondisse quòd sic, operæpretium erit cum dominis priore loco consultis inquirere quis status, & quæ vires erunt hujusmodi testationis? Et sanè imprimis, cùm plurimum interfit hoc an illo modo testata sit testatrix, & in facti quæstione primum versetur causa, fit ut propter has dissidentes conditiones eodem propè relabamur, quò domini priùs consulti hanc causam deduxerant ex posteriore sito supratacto fundamento, ad falsi scilicet quæstionem, & quidem veri falsi: nam in Senatusconsulto de his qui sibi ascripserunt, non tam falsum versatur, quàm quasi falsum. *x*

10. Si enim verum est, ut in facti narratione proponitur, ad interrogationem testatam esse testatricem: sequitur hoc instrumento quod nunc pro testamento testatoris profertur, falsa referri non tantùm quia quæ verè acta sunt, in eo non recitentur, *y* sed etiam & præcipuè, quòd alia quàm quæ & quemadmodum acta sunt referantur, *z* ita ut maritus falso hoc instrumento ad suum commodum utens ultra generalem pœnam falsi, hujus quo instrumenti emolumento carere *a* debeat: atque sic cùm nullius alterius utilitas contineatur eo instrumento, nec de aliquibus aliis capitulis aut articulis loquatur, ex defectu personæ utentis per se, si concidat.

11. Quòd si verè ad id quod verè gestum dicitur, respiciat, omissa quæstione veri meritique falsi, fatendum est cum dominis priore loco consultis vitium latere in ipsa hac testandi forma, secundùm quam hæc testatio explicata dicitur, non quidem ob id solùm & simpliciter quia ad interrogationem alterius sic testata dicitur propter communem opinionem, qua sic testamentum confici receptum est: *b* sed eo quia circa eum testandi modum pleraque concurrunt, quæ arguunt nullam, vel saltem non eam (quæ in ea scriptu-

a L. Senatusconsulto C. de his qui sibi ascrib. l. divus §. plane de fal.
b Bart. cons. 61. l. filiusfa. Salvian. de his qui sibi asc. Bal cons. 96. consil. 250 lib. 2.
c d. l. Divus Claudius in prine.
d l. si testator C. de his qui sibi ascr. d. l. divus §. 2. glos. doct. in l. 2. C. de test. in Auth. C. de fideicom.
e Per jura supernus allegata, & arg. d. l. divus, §. Senatus.
f Bal in l. diffantib. in fi. C. de test.
f l. si quis legatum, in pr. de fal. d. l. divus §. scribere l. de eo. de fal.
g l. de eo ff. fin. l. uxori de fal. d. l. Senatusconsulto.
h Scilicet Carolus Molinæus.
i Alex. cons. 147. num. 6. lib. 2. d. l. divus §. plane.
k l. hac consultissima in fi. C. qui test. fac. poss.
l d. l. hac consult. §. sed quia.
m d. l. si ita scripserit. de reb. dub.
n d. l. si quis legatum, in princip.
o Zasi. cons. 3. vol. 1. nu. 17. Jason in l. jubemus. per d. l. hac consul. §. actum humana.
p Exemplo testamenti quod à cæco per nuncupationem ex scripto prius recitato coram testibus voluntate confirmatur d. l. hac consult.
q Ut in l. asse toto ff. de hered. instit. in l. si ita scripsero, & ibi Bart. de cond. & demonst. Castren. in l. hac consul. §. per nuncupationem C. de testam. & l. ubi autem §. fundum, de verb. oblig.
r Per jura supernus allegata, & arg. d. l. divus, §. Senatus.
s Bal in l. diffantib. in fi. C. de test.
t Angel. Aret. in tract. de test. gl. verb. lectum & perfectum.
u l. non oportet, de legat. 2. l. pen. de testi. & tut. distrah. l. verum est, in fin.
x Angel. de malef. in glos. falsario. verb. qui sibi in testam. facit. l. 1. ff. de falsis.
y l. eum qui celavit. C. de falsi. l. qui testam. l. si quis obtexerit. ff. eod. & ne quis 22. q. 2.
z l. quid sit falsum, ff. de falsi.
a si falsos. C. de falsi. l. si adversus C. de fide instrum.
b cum impositionib. versic. idem fiet de jurejuran. lib. 6. Doctores in d. l. si adversus.

ra per notarium subscripta dicitur) hic fuisse mentis testationem, hoc est voluntatem sic testandi, sine qua nec testamentum, nec codicillus, neque ultima ulla voluntas intelligi potest. *a* Id quod deprehenditur ex circumstantiis rei gestæ per dominos prædictos diligenter animadversis, & sic annotatis, ut non admodum necessarium sit in eo immorari.

12. Hoc solum addamus, tria illa quæ ex domini Zalis elegantissima doctrina *b* in testamento ad alterius interrogationem condito requiruntur, hic omnino deliderari. Requirit enim ille ex Bald. *c* Cornæi, *d* Socini, *e* Romani, *f* Castrensis, *g* & Jasonis, *h* ad hujusmodi interrogationis testationem. Primò ut articulatè loqui possit testator; tunc enim interrogatur. Secundò ut sic in testante adsit testandi animus, qui ex eo deprehenditur si notarius aut tertius aliquis qui interrogaturus est ad hoc sit specialiter à testante vocatus & adhibitus, ut eum actum explicet. Et tertiò ut nulla adsit præsumptio quod infirmus ad complacentiam eorum qui præsentes sunt, vel ad importunam eorum instantiam interrogetur, quorum omnium concursus non tantùm hic non est, sed ex adverso singulorum defectus conspicitur.

13. Nam in primis facultas articulatè loquendi defuisse tempore interrogationis non ex eo tantùm colligitur, quòd articulatam interrogationem nullam protulisse dicatur: (quis enim dicet articulatam orationem esse, quæ unico monosyllabo absolvitur?) verumetiam ex eo quòd gravi infirmitate oppressa ea facultate caruerit, gravem infirmitatem colligentes non ex eo solùm quòd testatrix ea decesserit, *i* sed quòd paulò post, hoc est biduo decesserit, & præsertim quòd hic lecto testamento illatum omnium sensuum deserit esse compos, sic ut monosyllaba hæc responsio ex affectu morbi fortè erumpens in incerto sit, an ex destinata testatricis voluntate ad interrogationem sit relata, ideóque nisi evidentiore probatione adjuvetur, nullum effectum habitura.

14. Rursus quoad secundum supra dictum requisitum, constat illius defectum hic subesse quòd de testandi voluntate aliunde hic appare e non possit quàm ex ipsa responsione ad interrogationem, in qua sola (ut dictum est) non consistit fundamentum sustinendi hujusmodi testamentum, quia extrinsecus alia signa & argumenta ex doctorum supra relatorum sententia requiruntur ad hujus voluntatis apparentiam, & quidem inter cætera specialiter, quod qui ex scripto voluntatem recitat, ad id sit à testante rogatus, quod nunquam præsumitur, *k* nec quidem si notarius id dicat, *l* nisi aliunde probetur.

15. Et præterquam quod id hic non constet, vehemens est præsumptio non esse rogatum notarium per testatricem. Primò propter morbum illius, quo miserè afflicta erat. Deinde quòd probari possit per maritum convocatos testes & notarium. Et tertiò, quod præparatio testamenti non uxoris aut notarii manu sit facta, sed mariti, ad cujus utilitatem spectabat tota hæc machinatio: ita ut propter interventum & præcipuas partes personæ in eo prohibitæ, aut quæ saltem ab intestato successura non erat nisi deficientibus omnibus cognatis *m* res sit suspicione plena.

16. Quantum sanè quòd in hoc genere testandi impedimentum adfert, hic nimis manifestè apparet maritalia delinimenta, maritalis reverentia, illiusque importuna instantia. Et si enim criminosum non sit postremum uxoris judicium maritali sermone provocare, *n* illicito tamen & fraudulento modo id facere non licet, *o* illicitum modum in eo constituendo si importunè, si intempestivè, si tunc cùm minimè negare marito convenit, aut cum iteratas mariti preces vel morbus vel alia ratio uxori graviissimas facit, & omnium maximè si testamentum antea à marito fuit dictatum, conceptum aut scriptum: in quibus terminis loquitur Albertus Papiensis à Joanne And. relatus, *p* videlicet de testamento dictato & scripto ab affinibus & consanguineis testatoris ægritudine oppressi. Decidens ideo hujusmodi testamentum non valere, quemadmodum hæc per clarissimum Dominum Carolum Molinæum graphicè & ad vivum sunt descripta & congesta. Ita videtur nobis Gabrieli Mudæo Joanni Cameſio Juris. Utrisq. Doctor. de jure interrogatis secundum ea quæ proponuntur respondendum, aliorum meliori judicio semper salvo.

a Gl. & Doctores in l. jubemus, C. de testam. Alex. cons. 82. lib. 1. Jas. cons. 124. Paſi. cons. 1. vol. 1 Joannes dilectus in auct. sit. 1. subsit de her. instit. omnem latissime Laurentius Sylvanus cons. 54.

b l. 1 de test.

c D. cons. 5. num. 17.

d In d. l. jubemus.

e Consil. 74. in 1. vol & 241. in 4. vol.

f Cons. 229.

g Cons. 106.

h In d. l. hæc consilia sim & cons. 367.

i In d. l. jubemus.

k Bald. in c. 1 de post per text. in l. alur. de adim. legat.

l Alex cons. 90. vol. 1 Bal. cons. 100. in 4. vol.

m Barbat cons. 52. vol. 1

n C. unde viri per tot. & l. ult. C. si quis alt. test. prohib.

o Ang. l. qui intest. C. de his qui sibi ass.

p In add. ad Spec. tit. de test. §. in primis & post eum Laurent. Sylvanus d. cons 55. num. 20.

EPITOME I. CONSILII XXXIII.

DE EADEM RE.

1. *Pœna sibi ascribentium in testamento, habet locum etiam in nuncupativo, de quo facta est scriptura. 3. 4. etiam privata. 10.*
2. *Secus in penitus non scripto.*
3. *Extensio fit ut vitetur occasio falsi.*
4. *Subrogatum sapit naturam ejus in cujus locum subrogatur.*
7. *Nec excusat generalis subscriptio testatoris, & multò minus notarii. 9. 11.*
8. *Subscribens censetur scripsisse, fallit in testamentis.*

CONSILIUM XXXIII.

LUD. BOYSSEL, DOCTORIS DOLANI.

TItius sua manu ad suam utilitatem scriptos codicillos notario obtulit legendos testatori morienti, qui ad notarii interrogationem an ea esset sua voluntas, respondit esse, & notarius solito more subscripsit. Quæritur, an Titius inciderit in pœnam legis scriptæ adversus eos qui in testamento vel codicillis sibi ascribunt, & relictum haberi debeat pro non scripto

1. Respondeo certi juris esse eum qui in alterius testamento, vel codicillis aliquid ad suam utilitatem etiam dictante & jubente testatore ascripserit, privari relicto, & teneri pœna falsi: *toto titulo C. de his quæ sibi ascrib. l. 1 §. ad testamentum, l. si quis filius, l. impuberem. cum similib. ff. ad leg. Cornel. de falsis.* Idque sine dubio procedit in testamento quod fit scripturâ, ita ut vis, & forma ejus pendeat ex scripto. Sed controversum est, an idem sit dicendum in testamento nuncupativo? & alia non apparente, fatendum est idem esse, cùm regulariter dispositio in testamento facta in scriptis, trahatur ad nuncupativum, *l. fin. C. de bonor. possession. secund. tab.*

2. Diversitatis verò ratione inter utrumque existentè, aliud esse, putà cum quis ritè voluntatem suam exposuit coràm septem testibus nullo de ea re facto publico instrumento: jam enim dicemus dispositionem Senatusconsulti in hujusmodi testamento verifi-

cari non posse in quo nulla intervenit scriptura, cum subjectum nusquam sit, cui aliquid ascribi possit. Relinquitur ergo Senatusconsultum non extendi ad testamentum nuncupativum, in quo non interceßit scriptura, in quo etiam Doctores omnes consentiunt. Bart. *d. l.* 1. §. *ex illa.* Bald. *l. dictantibus C. testam.* Cynus *l.* 1. *C. de his qui sibi ascriben.* existimantes ita Odofredi sententiam intelligendam, simpliciter tenentis (ut iidem referunt) Senatusconsultum non procedere in testamento nuncupativo.

3. Quid igitur juris esse dicemus in eo testamento nuncupativo, de quo factum est publicum instrumentum ad rei probationem & memoriam, prout hodie semper fit, cui de consuetudine generali fides adhibetur, etiamsi testes omnes in eo descripti decesserint, ut per Bartol. *in d. l.* 1. an si quis in eo sibi quid adscripserit, locum habebit Senatusconsulti dispositio? Et licet *specul. titulo de instrumentorum editione, §. infura. verf. quid ergo.* dicat locum non habere: magis tamen placet communis Doctorum opinio, in hac specie pœnam Senatusconsulti locum habere. Et ita sentit Cynus *dict. lect.* 1. *C. de his qui sibi ascriben.* dicens apertè id procedere in omnibus quasi testamentis, quæ secundùm generalem consuetudinem rediguntur in publicam formam, cum in his (ut ipse ait) possit adesse materia & occasio falsi fabricandi. Idem etiam tenet Dynus ab eodem Cyno relatus, & Bartol. *d. §. ex illa*, & Baldus *in d. l. dictantibus*, qui etiam consuluisse fertur *in consilio suo* 387. *Dispositionem* referente Joanne Andrea *in additione ad Specul. loco præallegato*, ubi etiam dicit dominum quemdam rusticanum post disputationem ita definivisse istam quæstionem, & in ea opinione etiam transit Castrens. *in d. l. dictantibus*, referendo & approbando sententiam Bartol. *in d. §. ex illa.*

4. Verum est quòd Bartol. & Bald. *in locis præallegat.* videntur dissentire in eo in quo versatur quæstio, de qua nunc agimus: videlicet cùm heres testamentum scripsit, vel legatarius legata aut codicillos sua propria manu, & ad suam utilitatem, ita quòd notarius tantùm subscripserit, & in hoc casu tenuerunt Senatusconsultum locum non habere. Mihi tamen videtur eorum opinionem non esse veram, & conclusionem illam superiorem procedere indistinctè, nec referre an qui in testamento sibi ascripsit, idem etiam subscripserit: an verò à legatario scriptum, notarius subscriptione confirmet, nam multis rationibus & argumentis videtur Senatusconsultum offendere, qui sibi ascripsit.

5. Principio enim satis esse arbitror, quòd constet heredem aut legatarium aliquid sua manu ad suam utilitatem ascripsisse instrumento testamenti, ad hoc ut sit locus pœnæ Senatusconsuti, cùm semper militet eadem ratio & occasio falsi fabricandi, quod facile per scripturam propriam tam ipsi notario qui ascribit, quàm etiam testatori cui recitatur (mortis fortitan angustiis & timore multas res minùs memoria tenenti, ut *in l. hac consultissim. C. qui testamen.* facere possunt) imponi possit. Itaque subsistente eadem ratione, non mirum est si idem jus dici oporteat, *l. illud ad l. Aquil. l. à Titio de verborum obligationibus.* Quod etiam tenet Cynus *in d. l.* 1. nihil distinguens: suadentque hoc omnes leges loquentes in hac materia, quæ non distinguunt, unde neque nos distinguere debemus *l. de pretio de Publicia.* præsertim cùm nulla subsit ratio diversitatis, & regulariter (sicut initio dictum est) dispositio loquens de testamento scriptura confecto, extendatur ad nuncupativum de quo constat per publicum instrumentum: *glos. ordinaria in l. fina. C. de edict. divi. Adrian. tol. in ver. Depositionibus*, dicens decretalem bonorum possessionem ex edicto divi Adriani locum habere, & extendi ad publicum instrumentum testamenti, idque hodie sic observari videmus. Alioqui sequeretur quòd in generali illa consuetudine ab omnibus approbata, ut testamentum hodie non alia forma fiat quàm publico instrumento, nullum esse effectum nec Senatusconsulti, nec legum positarum sub titulo de falsis: quæ cùm tanto studio summaque ratione manarunt, absonum fuerit eas antiquari unico verbo unius vel alterius doctoris arg. *l. si quando C. de inoff. testam.* Præsertim cùm extensione earum facta ad publicum instrumentum ab alio scriptum, & à notario subscriptum, præcludatur omnis via falsi fabricandi, quo nihil in jure magis odiosum reperitur. *l. ubi, C. de fal.*

6. Huc accedat & illud vulgare surrogatum sapere naturam ejus in cujus locum surrogatur, *l. si cum*, §. *qui injuriarum*, *ff. si quis cautio.* Atqui instrumentum publicum testamenti nuncupativi per consuetudinem generalem surrogatur in locum testamenti in scriptis, unde debet sapere, & assumere ea quæ sunt testamenti in scriptis & per consequens pœna Senatusconsulti debet in eo habere locum etiamsi legatarii scripturæ notarius subscribat.

7. Postremò & finaliter rem extra controversiam ponere videtur *l. divus Claudius*, *ff. de falf.* ubi apertè dicitur subscriptionem testatoris generalem, id est, dum vel simpliciter subscribit, vel subscribendo generaliter quæ scripta sunt approbat is ad quem maximè res spectat, & ad cujus mentem referri solet omnis testamenti controversia, nihil prodesse ei qui quid sibi adscripsit quominùs ex Senatusconsulto teneatur: quantò igitur minus prodesse ei debet generalis & vulgaris notarii subscriptio, quæ fieri solet instrumentis omnibus publicis?

8. Quinetiam illa lege ostenditur, etsi regulariter verum sit eum qui scripturæ alterius subscribit, sic rem approbare ut eam sua manu fecisse existimetur, *d. l. divus ibi*, *videri enim domini manu scripta*: cui etiam astipulatur Justinianus *in* §. 1. *Instit. de empt. & vend. l. datis fructus*, § *plane*, *de jure dot. l. sicut*, §. *non videtur quib. mod. pignor. vel hyp. fol.* illud tamen non procedere in causa testamentaria quoad extraneas personas, in quas testator nullum jus habet, hoc extendi non debuit. Cùm enim testatoris subscriptio in hoc casu nihil possit, nec ergo notarii subscriptio proderit, sic ut concludamus speciali quodam jure & favore testamenti, in quo lex quantum potuit nedum fallitatem: sed etiam occasionem & suspicionem falsitatis abesse voluit, l. fin. C. de fideic. generali subscriptione, quæ in facto de quo nunc agitur, sola interceßit facta per notarium, non excusari eum qui sibi in testamentis vel codicillis aliquid ascripsit, etiamsi millies appareat ei scripturæ testatorem vel notarium generaliter tantum subscripsisse.

9. Atque ex his resolvitur principale fundamentum Baldi contrarium sentientis (ut dixi) dum refert & putat non teneri eum Senatusconsulto, qui testamentum aut codicillos scripsit manu propria, dummodò notarius subscripserit, quasi per hoc non ipse, sed notarius eos scripsisse intelligatur: quia (ut jam annotavi) proprio & speciali favore ultimarum voluntatum nihil prodest ejus generis subscriptio, *d. l. divus.* Non obstat etiam Bart. sententia *in d. §. ex illa*, & Bald. *in d. l. dictantibus*, ubi fere ponunt eamdem facti speciem, quæ est in nostro themate, dum putant eum qui sibi ascripsit, non teneri Senatusconsulto, si notarius ei subscripsit per publicum instrumentum, nam ex his quæ dicta sunt, apparet illorum opinionem esse erroneam, cum qua dicunt sibi placere Cyni opinionem, & tantum faciendo illationem ex dicto Cyni contrarium ejus inferunt quòd Cynus voluit, ut ex ipso Cyno patet, *in fin. d. l.* 1. *C. de his qui sibi aferib.*

10. Tum quia ratio qua utuntur, inepta est, & juri contraria, dum aiunt ideo defendi suam sententiam, quòd Senatusconsultum habeat locum dumtaxat in ea scriptura, quæ ex se & sola (ut Bartolus ait) fidem facit. Et ita voluit exclusa scripturam privatam

ejus qui sibi ascribit, quoniam pro se fidem non facit quasi verò scriptura ejus qui sibi ascribebat, dictante etiam testatore, sola etiam per se sufficerit ad probationem, neque opus fuerit subscriptione testatoris, item signaculis & subscriptione testium, absque aliis similibus solemnitatibus, de quibus agitur sub titulo Institutionum, de testam. ordin. ad probationem & confirmationem ipsius scripturæ, quod asserere ineptissimum esset.

11 Cæterum & in omnem eventum si vera esset Bartoli & Baldi opinio (quod non existimamus) procederet solum ubi notarius qui subscripsit, fuisset à testatore rogatus de conferendo testamenti aut codicillorum instrumento, sed id factum non apparet ex facti specie initio proposita, & propterea his rationibus supra allegatis concludimus eum qui propria manu & ad suam utilitatem codicillos scripsit, non obstante notarii subscriptione & recitatione, teneri pœna falsi, aut saltem privandum esse omni commodo & emolumento codicillorum. Et ita videtur mihi Ludovico *de Boysset.* J. U. D. & professori ordinario apud Dolanos.

EPITOME CONSILII XXXIV.

1. *Veritas non est nisi id quod in re est. Definitio veritatis.*
2. *Interpositio personæ fraudem auget.*
4. *Verè facit qui per alium facit.*
5. *Subscriptio notarii minus est, quam subscriptio testatoris.*
6. *Non valet testamentum vel codicillus factus ad simplicem interrogationem alterius.*

CONSILIUM XXXIV.

DE EADEM RE CONFIRMATUR CONSIL. XXXI.

ITerum rogatus super priore consilii nostri parte è Senatusconsulto & Constitutionibus principalibus, quid censerem explicare, post erudita scripta doctissimorum Lovaniensis Academiæ, contrarium in ea parte censentium, Vitis eorum elaboratis rationibus, salva eorum pace, in sententia persisto.

1. Quod enim primò objicitur, sequentem notarii interrogationem & testatoris responsionem novum esse negotium de integro gestum, & præcedentem mariti scripturam, quæ ut pote privata fidem nullam faciebat, minimè considerandam, & subscriptionem notarii non ad mariti scripturam referendam, sed ad novam nuncupationem. Hoc, inquam, & fictionem & fraudem continet. Primò enim fingit id quod compositum & perscriptum fuit à marito, fuisse à defuncta compositum & nuncupatum, quod evidenter falsum est: ipsa enim numquam nuncupavit, & multò minus composuit, & veritas facti habet nihil fuisse recitatum, nisi quod à solo marito clam vel seorsim in eam captionem vel suggestionem compositum erat.

2. Si defuncta proprio motu, judicio, & ore eadem nuncupasset, quæ vir priùs ut vates scripsisset, dici posset cessare fictionem, & per anticipatum seu præventum delictum mariti, veritatem posteà secutam non fuisse impediram. Sed cum veritas non sit nisi quod in re est, quia ut definit beatus Augustinus *in l. b.* soliloquiorum, veritas est id quod est, ut tradit Bald. *cons.* 352. *materia feudorum, ad fin. lib.* 1. Veritas est, verum esse, & verum dici. Thomas Aquinas *in quæst. de veritate quæst.* 1. & ex parte defunctæ nihil in re fuerit, sed res contra jus composita à marito & suggesta fuerit, mera fictio (ne dicam mendacium) est dicere illam nuncupasse quod nec ab illius ore nec ab illius judicio profectum fuit, & nemo dixisse videri potest quod prius mente non agitavit, *l. Labeo ad fin. ff. de supellect. legat.* quantò minus quando prius & compositum & scriptum ei obtrusum fuit à persona sub pœna falsi prohibita. Hæc ergo argutia non tam est fictio, quàm falsitas.

3. De fraude nimium liquet, notarius enim ille non erat, neque esse poterat organum testatricis, à qua numquam rogatus nec adhibitus fuit: sed à solo marito, sub pœna falsi prohibito rogatus & adhibitus, ergo in fraudem *l. pupillus*, §. *sed etsi per interpositam, ff. de authorit. tutor.* & simulata æquitas duplex est iniquitas, *glos. Clem.* 1. *verb. sanctitatis de relig. dom.* Joan. And. *c. avaritiæ in fin. de elect. in sexto.* Præterea hujusmodi interpositione notarii adhibita, non solum fraus fieret Senatusconsulto & Constitutionibus, sed etiam materia falsitatis & suggestionum augeretur. Non est ergo simplex nuncupatio testatricis, cùm defuncta nihil unquam nuncupaverit, sed verè fuit nuncupatio mariti, vel recitatio scripturæ ipsius mariti per ipsius organum ab illo solo delectum.

4. Facta tanquam qui per se ipsum per alium à se solum delectum non fictè, sed verè solus facit *cap. mulieres in fi. ibi. his committat vere, cujus authoritate vel mandato, extra de sentent. excommunicat.* Bald. *in l. singularia col.* 2. *ff. si cert. pet.* Saly. *in l.* 1. *C. de seditios.* Vincent. inter consilia Alexandri *cons.* 65. *lib.* 4. Philip. Dec. *cons.* 604. *in fin.* Jas. in *l. si is qui pro emptore col.* 67. *ff. de usucapion.* Atqui notarius ille nihil jussu defunctæ, sed rerum mandato mariti fecit: Non ergo fuit, neque esse potuit organum defunctæ, sed solius mariti, qui per illum à se adhibitum fecit, imò perfecit falsitatem illam, aut saltem nullitatem à jure meritò damnatam, & in recta praxi & judiciali sede nullo modo recipiendam vel comprobandam.

5. Censemus ergo non solum è sententia, sed etiam è verbis Senatusconsulti prædicti nullitatem, quin etiam falsitatem præfatæ recitationis codicillo inesse, ut omittamus ad pleraque alia nostra non responsum præsertim, ad id quod subscriptio generalis notarii maximè à defuncta non rogati, non potest tantum operari, quantum subscriptio specialis manu ipsius testatoris. Porrò minus vanum est dicere hic aliud esse, quia non apparet nec producitur scriptura mariti, sed solius notarii. Veritas enim facti respondet, ex quo constat matricem à marito conscriptam, & notario oblatam.

6. Imò etiamsi sine ulla scriptura morientem quis interroget, num hoc vel illud sibi det? qui velle, vel *Ita* respondet, non valet, nisi in rebus modicis, & concurrente verisimilitudine seriæ & spontaneæ intentionis: ut per Ludov. Roman. *cons.* 306. *in fin.* Paul. *cons.* 155. *Viso puncto. col.* 2. *lib.* 1. Philip. Cornel. *cons.* 2. *col.* 2. *cons.* 319. *col.* 2. *lib.* 3. Matthæus de Afflictis *decision. Neapolitana* 143. Socynus *cons.* 20. *col.* 1. *cons.* 28. *col.* 5. *cons.* 92. *col.* 8. *lib.* 3. Jason *cons.* 196. *col.* 3. *lib.* 2. Hippoly. Marsil. sing. 449. Carol. Rumus *cons.* 8. *lib.* 3. *cum duobus sequentibus*, ubi in fortioribus terminis loquitur, videlicet quando scriptura priùs facta erat à notario in præsentia unius testis. Aymo Cravera *cons.* 117. ubi decidit non valere ultimum testamentum mulieris, quæ priùs fecerat testamentum,

in quo

in quo fratrem heredem instituerat, ut bona in domo & agnatione manerent : postea tam infirma ut parochus denegarit Eucharistiam, fecit testamentum in quo fratrem & sororem heredes instituit, & probatur quòd ad interrogationem notarii antea non rogati. Sic signatum Carolus Molinæus, &c. Actum Dolæ, septimo Idus Novembris millesimo quingentesimo quinquagesimo-sexto.

THEMA ABBREVIATUM CONSIL. XXXV.

THomas *de Plaine*, Cancellarius Archiducis Austriæ decessit, relicta Ioanna *le Gre* vidua, & Gerardo & Humberto filiis, & Philippa filia. Gerardus fecit testamentum, in quo Thomam filium heredem universalem instituit in omnibus bonis suis immobilibus, & in omnibus bonis mobilibus & immobilibus per obitum matris suæ, sibi vel dicto Thomæ & aliis liberis suis eum (si matri præmoreretur) repræsentantibus obventuris. Et statim sequitur hæc clausula : *Et si de ma femme me naissent un autre ou plusieurs masles, je veux & entens que tous & quelsconques mesdits biens immeubles, & aussi l'heritage de madite mere se partiront entr'eux, & mondit fils Thomas par égalle portion : & esdites portions ie les institue mes heritiers universaux, & les substitue l'un à l'autre, moyennant que mondit heritier ou heritiers universaux payeront à ma fille Anne la somme de cinq mille livres pour son partage & dot de mariage, & outre ce, ses habillemens nuptiaux convenables à son estat : & à chacune de mes autres filles nées ou à naistre, la somme de quatre mille livres pour leur partage & dot de mariage, outre ce leurs habits nuptiaux. Et és sommes susdites ie institue chacune de mesdites filles respectivement mes heritieres, & veux qu'elles en soient contentes.* Testator obiit in ea voluntate, superstite matre, relicto dicto Thoma & Claudio post testamentum nato, & quatuor filiabus. Deinde dicta Ioanna mater instituit Humbertum filium in semisse, & duos nepotes masculos ex Thoma filio prædefuncto in altero semisse, & de consensu Humberti & tutoris neporum fecit divisionem suorum & defuncti mariti bonorum, & quædam prælegavit Maximiliano nepoti ex dicto Humberto, & Thomæ nepoti ex defuncto Gerardo, sed nec filiam nec neptes ex filio instituit. Hinc multæ quæstiones.

EPITOME CONSILII XXXV.

8. Contra bonos mores est instituere in portione futuræ successionis.

2. Sed non vitiat alias partes testamenti.

3. Legitima refertur ad bona quæ sunt tempore mortis.

4. Legitima non renuntiatur nisi specialiter. 18.

5. Præsumitur pater consulere liberis.

6. Pacta matrimonialia cæteris fortiora.

7. Clausula codicillaris. 8. 17.

9. Filii contenti in legatis faciunt partem in legitima.

10. Et alii qui non abstinent ab hereditate gratis. 12.

11. Sed abstinens ab omni etiam donatione vel legato, non facit partem in legitima.

12. Idem de abstinentibus à repræsentando.

13. Jus accrescendi quandoque per occasionem diminuit.

14. Omnia recepta sunt in legitimam imputanda, nisi lucra ex mera legis providentia.

15. Voluntariè repudians hereditatem, privat se legitima. 18. 19.

16. Nisi abstineat sequendo judicium parentis. 17.

20. Legitima detrahenda est non solùm de his quæ supersunt, sed de his quæ sive in testamento, sive inter vivos donata sunt. 21. 22. 23.

24. Etiamsi donationes diversis temporibus factæ sint. 25.

26. Nepotes tenentur imputare in legitimam successionis aviæ consumptam per patrem, cujus non sunt heredes.

27. Inspicitur valor & quantitas bonorum tempore mortis eius, de cujus successione agitur.

Nunc quo nova subtilis hæc legitimæ subductio facilius intelligatur, genealogiæ gradus & ordo superstitum oculis subjicitur.

Thomas & Ioanna avus & avia.

Thomas avus prior obiit, deinde Gerardus, ultimò Ioanna mater, reliquis superstitibus. { Humbertus Maximilianus.

Gerardus — Philippa

Thomas — Claudius — Anna — Philiberta — Iohanna — Margareta.

CONSILIUM XXXV.

Visis & diligenter examinatis instrumento authentico contractus matrimonii nobilis Gerardi *de Plaine*, equitis Archiducalis Camerarii sub data decimatertia Novemb. 1502. Copia testamenti ejusdem quinta Julii 1522. Copia testamenti dominæ Joannæ *le Gros*, dominæ *de Magny, de Gobervans*, matris prædicti domini sub data die decima sexta Julii 1529 Instrumento authentico donationis eidem domino per eamdem ejus matrem factæ de terra *de Courcelles*, vigesima quarta Julii 1515. Instrumento authentico contractus matrimonii Philibertæ *de Plaine* decima quarta Martii 1538. Instrumento authentico apochæ, & acceptationis institutionis particularis testamenti paterni dictæ Philibertæ, marito authorante, & renuntiationum contentarum in dicto suo contractu matrimonii & renuntiationis, successionis & legitimæ & supplementi, in bonis dicti Gerardi *de Plaine* patris sui, sub data decimanona Maii 1539. Instrumento authentico alterius ratificationis & renuntiationis ejusdem secunda Augusti 1540. cujus simile in effectu reliquæ sorores fecisse dicuntur. Omissa prolixa singularum quæstionum in utramque partem disputatione, ne lectionibus & aliis commentationibus detraham, ad decisionem analyticam, Christi unici Redemptoris nomine invocato, procedo.

1. Ad primam quæstionem, certum est institutionem & omnem dispositionem portionis futuræ successionis matris testatoris Gerardi prorsus nullam & pro non scripta esse. Primum, quia est de futura hereditate viventis sine ejus consensu : quod est improbum & contra bonos mores. l. ultim. C. de pactis. Secundò est de bonis futuris post mortem in quibus nullum jus habet, nec habiturus est. Tertiò de bonis quærendis heredi, sed non ex causa hereditaria. Nec obstat quod saltem jure fideicommissi valere potest, quatenus hereditas testatoris patitur. *l. filius fam. Las*, §. *ut quis heredem de legat.* 1. *l. cùm pater* §. *Titio, ibi, tam suam, quam Sejі hereditatem de legat.* 2 quia ibi est expressa dispositio de re, vel parte bonorum vel hereditatis ipsius heredis, qui scienter adit hereditatem rogantis cum tali onere, cui adeundo ex tali testamento consentit, & sese obligat, & sic nihil est improbum & contra bonos mores : secus in præsenti.

L. filius fam. §. ut quis heredem de legat. 1.

2. Ad secundam quæstionem, clarum est prædictas quatuor filias sorores domni Thomæ & Claudii *de Plaine* nullum prorsus jus habere in bonis vel successione defuncti patris, sed sunt tam ex testamento quam ab intestato exclusæ de testamento patris; quamvis clausula institutionis de bonis futuræ successionis mortis vitietur, *l. ult. C. de pactis*, tamen in reliquo non vitiatur respectu bonorum patris testatoris, præsertim cùm constet adjectionem illam futuræ post obitum suum alienæ successionis non fuisse mala fide nec fraudulenter appositam Nulla ergo fuit nullitas in eo testamento paterno, & sic filiabus in dotibus suis institutis nulla querela, nullum remedium rumpendi testamenti competere posset, sed tantum conditio *ex l. omnimodo, C de inoff. testamento*, ad supplementum legitimæ supereſſe potuisset si minus habuissent legitimi.

3. Inspectis bonis relictis in hereditate patris tempore mortis ejus, prout tempus illud inspici debet, *l. cum quæritur*, & ibi Jason *Cod. de inoff. testament. in l. si quando*, §. 1. *Cod. eod. & in cons.* 212. *col. libr* 2. Paul. *cons.* 210. *lib.* 1. Francisc. Ripa. *in c. cum M. Ferrariensis charta* 4. *extra de rescriptis.* Anthon. Rube. *cons.* 34. dixi in annotatio. Ad Alexand. *cons.* 280. *numero* 2. *lib.* 5. sed duo hîc simul primò quod (ut narratur) inspectis bonis quæ pater reliquit, filiæ habuerunt plusquàm legitimam, quæ non poterat esse singulis nisi duo decima pars assis : pater autem moriens non habebat duodeces tantumdem in bonis : præsertim oneribus deductis, ut ante omnia deduci debent, *l. subsignatum, ff. de verb. significat.*

4. Præterea & 2 etiamsi habuissent minus legitimi, tamen iterum post obitum patris agnoverunt ejus judicium non solum generaliter : sed etiam specialiter, imò etiam in individuo renuntiantes non solum omni alio juri, sed etiam nominatim & in individuo ipsi legitimæ, & sic illius supplemento non in verbis narrativis, sed in ipsis verbis dispositivis dictarum apocharum & renuntiationum quod etiam semel factum sufficit ad excludendum omne prætensum, vel etiam certum & manifestum supplementum legitimæ ut est text. *in l. si quando* § *generaliter versic. nisi hoc specialiter, C. de inoffic. testam.* quantò magis cum reiteratis vicibus ea specialis & individualis renuntiatio fuerit repetita & ratificata, authorantibus maritis etiam in majori ætate.

5. Quod si in minori jamdudum lapsum est tempus, de quo in l. 1. C. si major factus alienationem factam ratam habuerit præsertim cum præsumendum sit pro consilio & dispositione patris. Bald. *l. pactum dotali quæstion.* 21. & ibi Alexand. Philipp. Dec. & alii *C. de collatio.* d. Philipp Dec. *cons.* 180. *col.* 1. in annotat. dixi.

6. Cessante autem testamento patris, & sic etiam ab intestato nihilominus per dictas renuntiationes conventas & juramento firmatas excluderentur, *c. quamvis de pactis in* 6. quantò magis utroque, imò triplici vinculo concurrente & excludente, videlicet, pacti etiam matrimonialis quod fortius & favorabilius est cæteris pactis, ut tradit Joannes Faber *in l. ultim. C. de pactis* Joann. Faber. Bartol. Salicetus *in l.* 1. *C. si mancipium ita fuerit alienatum ne prostituat.* Philippus Decius *cons.* 578. ubi in annotat. dixi Dom. And. Tiraquel. *in tract. de jure primogen. quæst.* 5. *numer.* 7. tum juramenti, tum limitationis & prohibitionis paternæ in testamento solemni & ultima voluntate in qua processit.

7. Quantum autem ad testamentum aviæ paternæ, quamquam quod attinet ad institutiones heredum sic nullum præteritione filiæ & neptum novissimo jure *in Authentica, ut cum de appellationibus cognoscit.* tamen non solum in reliquis valet dispositione legis ejusdem novellæ, *& in Authent. ex causa, C. de liberis præteritis & exheredatis*; sed multò magis valet dispositione expressa testatricis, quæ specialiter apposuit clausulam codicillarem, per quam quicumque heredes venientes ab intestato sunt jure fideicommissi gravati de observandis & præstandis omnibus contentis in testamento, excepta dumtaxat quarta, nisi prohibita sit prout prohiberi potest heredibus extraneis *Authent. sed cum testator. C. ad leg. Falcid.* vel sola (quæ prohiberi nequit) legitima in liberis.

8. Et quanquam ad hunc effectum sufficerent verba generalia emissæ voluntatis, *ut est textus in l. ex ea scripturâ*, §. 2. *ff. de testament.* ibi ταυτὸν τῷ διαθήκην βούλεσθαι ὅταν ποιεῖται ὁτιοῦν ἐξουσίαν, id est testamentum valeat quovismodo, tamen ex abundanti abest clausula specifica codicillaris unà cum multis aliis specificis & generalibus : idque non in fine aut verbis executivis, sed in ipso capite & principio, quod est potentissima pars testamenti *lege* 1. *de obligat. jurejuran.* & ipso initio verborum dispositivorum : & sic nullum dubium esse potest, quin ab intestato valeat jure fideicommissi, ita quod dictæ neptes, sorores dempta sola sua portione legitimæ jure

naturali debitæ in omni residuo parere debent voluntati & dispositioni aviæ, præsertim cum etiam voluntas & intentio avi paterni concurrat, quin etiam authoritas Maximiliani imperatoris: & illud supra omnem disputationis aleam exploratissimi juris est.

9. In cujus executione considerandæ sunt quinque & partim novè explicandæ, primò, quod quamvis solæ illæ neptes sint heredes cæteris donationibus & relictis suis contentis, tamen fideicommissarii illi qui fuerant instituti, faciunt partem ad diminutionem legitimæ petentis supplementum, sive contra actorem in legitima *l. si mater tua* (ibi ut quartæ partis dimidium) *l. de inofficios. don. l. parentibus, C. de inoffici. s. testam. l. Papinianus, §. si quis mortis causa, ff. eodem titul.* Scio quam miserè se in hoc torqueant Doctores in locis præfatis, & præcipuè Alexand. Jason. *in l. plane, §. duobus, l. hu usmodi, §. si 2 tio de legat. 1.* sed veritas est (ut dixi) ut etiam plenè docui *in Consuetudine Parisiensi, §. 127.* ita quod in proposito si æstimatio bonorum in hereditate aviæ relictorum tempore mortis ejus erant duodecim millia, tota legitima erant quatuor millia, in qua Humbertus filius facit partem pro tertia, & Philippæ filia quia dotata fuit & portione accepta exclusa, facit partem pro alia tertia. Superest tertia illius integri trientis, quæ est 1333. & tertia pars unius integri, in quo residuo prædicti Thomas & Claudius faciunt partem pro tertia, & sic non superessent 887. pro illis quatuor neptibus, quarum quælibet non haberet 222.

10. Sed hic adverte, quia res non est tam expedita inter liberos Thomæ inter se: respectu enim patrui, amitæ, videlicet Humberti, & Philippæ non est dubium quin illi (licet non sint heredes matris) tamen partem faciunt in legitima, quia non abstinent gratis, sed propterea quòd in testamento vel inter vivos acceperunt, retinent quod alias conferre tenerentur si pro herede gererent, & sic in legitima in qua alias concurrerent, partem faciunt quatenus eorum interest ad repellendum vel restringendum agentem ad legitimam vel supplementum. Quòd si eorum non interest, ut quia satis superest actori vel agere non vult, cessat quæstio.

11. Sed si unus filiorum, putà Philippa nihil habuerit de bonis matris nec capere velit, sed omnino abstinere, & si quid habuerit restituere: tunc portio ejus tam hereditatis quàm legitimæ cæteris respectivè accresceret, videlicet portio hereditatis gerentibus pro herede, & portio legitimæ omnibus quorum interest legitimam capere vel retinere. Itaque stante in reliquis prædicto themate, nihil hereditarium de novo accresceret his heredibus, quia jam omnes alii hereditatem repudiarunt, & solæ neptes adeunt: sed legitima in duas partes divideretur, quatuor mediam seu duas uncias caperet vel retineret Humbertus: duas verò uncias liberi Thomæ. Et sic hæ neptes loco sextæ, haberent tertiam unius unciæ ad minus.

12. Sed hic argumentari potest quòd nepotes non faciunt partem neptibus sororibus suis in hac legitima, cujus non sunt capaces, nisi repræsentando patrem in successione aviæ, ut possunt, & tamen nolunt, sed repudiant: ergo tota repræsentatio paterna accrescit neptibus, & consequenter solidum jus legitimæ paternæ in bonis aviæ, quemadmodum solidum jus successionis quod haberet pater in bonis aviæ, his neptibus accrescit. Solve, nepotes non repudiant repræsentationem gratis: sed quia habent quod conferre tenerentur. Et sic quamvis non agendo tamen retinendo, & excipiendo concurrunt in legitima, & partem faciunt. Et sic quamvis nemo partem faciat in legitima nisi concursu: tamen satis est excipiendo vel retinendo quadamtenus concurrere.

13. Secus si quis totum repudiat, nec alii cedit, & sic prorsus deficit, quia tunc accrescit, & quandoque in consequentiam decrescere facit quantitatem legitimæ, ut quando quinque liberorum unus qui nihil accepit vel restituit & prorsus abstinet, facit de semisse reduci ad trientem, quicquid controvertant in *Auth. novissima C. de inoffici. s. testam.*

14. Secundò considerandum quòd si dictæ neptes aliquid habuerint de bonis aviæ, debent illud ante omnia deducere pro dicta portione legitimæ: in quo nulla est difficultas, excepto tantum si quid non providentia parentis, sed solius legis caperent, ut per *l. hac edictali, C. de secund. nupt. d. xi in tract. de inofficioso num. 78.*

15. Tertiò, considerandum quòd si dictæ neptes nolint esse heredes aviæ (cùm de bonis ejus supersit) nec ejus hereditatem ab intestato adire, præstando & solvendo omnia contenta in dicto testamento in codicillum converso, sola portione sua legitima modo prædicto retenta, videntur seipsas facto suo excludere, & nihil nec nomine quidem in legitimæ bonis & hereditate aviæ petere posse per not. *l. 1. de acquirend. vel amittend. hereditate.* Etiamsi non propterea testamentum directò confirmetur, per not. *in l. filio præterito de injusto rup. & irrito fac. testam.* & per Alexand. Jason Philippum Decium, *in l. posthumo, C. de bonorum possession. contra tab. in l. sicut certi, C. de testamento militis.*

16. Sed hoc non obstante, dicendum has neptes posse abstinere ab hereditate, & solam legitimam, vel ejus supplementum petere: quod enim jure novissimo novellarum cautum est, præteritionem etiam filiarum vel neptum, etiam matris vel aviæ testamentum nullum esse, earum favore factum est, quæ judicium parentis comprobando non sunt reprehendendæ, facit quod dixi *in tract. de inofficio. num. 6.*

17. Quid quod etiam secundùm communem sententiam hoc procedit etiam in filiisfamiliàs præteritis à patre, quando subest clausula codicillaris, per text. *in l. generaliter, §. ex testamento de fideicommiss. libertat. in l. si patronum, §. ultim. ad Trebellia. in l. codicillis, §. ultim. de leg. 2.* Angel. *cons.* 508. *ista quæstio.* Ludov. Roma. *cons.* 104. Alexand. *Authentic. ex causa col. 3. Cod. de liberis præteritis vel exheredat. & consil.* 37. *consil.* 41. *libr. 1.* Socinus *consil.* 169. *libr. 1.* Francisc. Curt. senior *consil.* 75. *col. 7.* Philipp. Dec. *in l. posthumo, col. 3. C. de possession. contra tab. & cons.* 142. ubi in annot. dixi. tunc enim indistinctè etiam jure novissimo locus esse debet æquitati, *l. filio præterito, de injusto rup. & irrito facto testam.* qui verò voluntariè abstinet ut judicium parentis etiam è clausula codicillari resultans comprobet, nec est reprehendendus, nec legitima privandus, secus si præter judicium parentis voluntarè abstinet: quia tunc etiam jure petendæ legitimæ vel supplementi sese privat.

18. Nec hoc casu obstat quòd supplementum legitimæ semper debetur, & nunquam excludi censetur, *l. quando, §. & generaliter. C. de inoffic. testam.* quia verum est quando alio universaliter instituto & adeunte, filius particulariter institutus non potest esse heres universalis etiamsi velit, vel si possit, mavult verecundè obsequi, vel quando nihil supereset in hereditate, putà quando omnia donationibus inter vivos exhausserat, & nihil reliqui fecerat, saltem quod ad legitimam sufficeret: quia tunc filius (& idem de quovis ex liberis qui aliàs vocaretur ab intestato) non tenetur gerere pro herede, nec testamentum impugnare, etiamsi possit; sed mavult judicio parentis obsequi verecundia à jure approbata, ut *in l. omnino, C. de inoffic. testam.* etiamsi nulla causa expressa, exheredatus sit. Unde potest condictione de inofficiosis donation. petere legitimam vel ejus supplementum, ut dixi *in tractatu de inofficio. donat. & test.*

19. Secus quando aliquid supereſt ſufficiens ad legitimam videlicet debitis & funeralibus deductis: vel nihil ſuperſit, hoc non eſt propter donationes inter vivos, ſeu propter fideicommiſſa vel legata, quia hæc ipſo jure reſcinduntur per legitimam, *l. quoniam in prioribus C. de inof. teſtam.* hoc ergo caſu ſi jacentem parentis qui exheredare voluit, hereditatem repudiat, ſeipſum excludit juxta not. per Bart. Paul. Alex. Jaſ. *in l. 1. de acquirenda vel omitt. hæredit.*

20. Quartò, conſiderandum in quo legitima aviæ conſiſtat & unde detrahatur: & prima facie non videtur conſiſtere, nec detrahi niſi in & de bonis quæ erant in dominio & poteſtate aviæ tempore mortis ſuæ derelicta in ejus hereditate, ut ſic quæcumque inter vivos donavit ſive domino Humberto, ſive domino Girardo, ſive aliis quibuſcumque, aut aliàs alienavit, non computentur in bonis dictæ aviæ, nec poſſint aut debeant conſiderari ad augendam legitimam ex bonis dictæ aviæ debitam, cùm ea vivente de bonis illius exiviſſent: nec tenentur fideicommiſſarii ſive hæredes inſtituti qui non veniunt ex inſtitutione directa, ſed ex fideicommiſſo aliquid conferre de bonis ſibi donatis ab avia. Tum, ut nuper diximus in ſecunda quæſtione, in metienda vel ſupplenda legitima debet attendi quantitas bonorum quæ invenitur tempore mortis ejus de cujus ſucceſſione agitur: quod confirmatur duplici ratione.

21. Prima, quia non ſunt hæredes dictæ aviæ, ſed fideicommiſſarii, nec veniunt jure inſtitutionis, ſed jure fideicommiſſi: fideicommiſſarii vero nunquam quicquam conferunt ſicut nec legatarii. Secunda ratio, quia ſaltem in donatione matrimoniali facta defuncto Girardo, apparet factam eſſe ſub expreſſa prohibitione collationis. Tertia ratione ex abundanti, quia per teſtamentum de voluntate expreſſa apparet quòd nihil vult à filio & nepotibus maſculis conferri, ſed illis omnino præſtari quicquid omnino & quoviſmodo diſponere poteſt: ergo etiamſi eſſent hæredes, nulli tamen collationi locus eſſet, ut *in Authent. de trien. & ſemi. §. illud quoque col. 3. & in Authent. ex teſtamento*, & ibi per gloſ. & omnes Doctores *C. de collation.*

22. Sed his non obſtantibus dicendum eſt legitimam harum neptum metiendam & detrahendam non ſolum habito reſpectu ad ea quæ ſupererant tempore mortis aviæ, non ſolùm habito reſpectu ad omnia relicta ſine jure directæ inſtitutionis, vel fideicommiſſi, vel legatorum in teſtamento aviæ: ſed etiam habito reſpectu ad donationes inter vivos factas Humberto & Girardo vel nepotibus ex eis, etiamſi reſpectu nepotum Girardi illi non eſſent hæredes patris ſui, qui conſumpſiſſet omnia ſibi donata à matre. Plus dico, habito etiam reſpectu ad id quod ex cauſa onerosa dotis de bonis aviæ datum eſt dictæ Philippæ, etiamſi dictæ donationes factæ eſſent diverſis temporibus, ut mox probabo; quod enim ad relicta in teſtamento ſive directo, ſive per obliquum, hoc eſt indubitatum, cùm ipſo jure defalcentur per legitimam jure naturæ debitam.

23. Dico ergo quòd ad augendam legitimam, non ſolum debent in unum cumulari omnia, de quibus avia quo quomodo diſpoſuit in teſtamento cum his de quibus non diſpoſuit: ſed etiam ſimul cum his cumulari debent omnes dotes & donationes inter vivos per eamdem aviam factæ filiis vel filiabus ſuis, vel nepotibus ex eis, quibus nihil nec inter vivos quidem donare potuit in præjudicium legitimæ unius ex liberis *toto tit. C. de inoffic. donat.*

24. Et non ſolum ultima donatio actu lædens legitimam, dicitur inofficioſa: ſed etiam per eam priores fiunt aut dereguntur inofficioſæ *gloſ. mag. quæſt. 6. & 7. in l. 3. C. de inoffic. donat.* etiamſi ſint diverſis temporibus factæ. Paul. Caſtren. *in Authen. unde ſi parens. col. 2. C. de inoffic. teſtam.* ubi dicit conſuluiſſe, & habetur *conſ. 356. dubitatio*, quæ ſit contra iſtam neptem *lib. 2.* Idem tenuit Franc. Rip. *lib. 3. de donation. & gratiis revocan. reſpon. 10. col. ult.* Stephan. Bertran. *conſ. 71. lib. 1. conſ. 69. lib. 2.*

25. Etiamſi una donationum eſſet facta penitus extraneo, quæ per ſe non eſt, ſed bene cum aliis, vel cum circumſtantiis fraudis inofficioſa, ut quando hæredes inſtituti metuentes detractionem legitimæ & Trebellianicæ ſtipulantur donationem à ſene infirmo. Paul. *d. conſ. 356.* quod refert & comprobat *in d. Authen. unde ſi parens col. 2.*

26. Quod autem ratio habenda ſit etiam conſumptorum per patrem nepotum, qui mortuus eſt ante patrem ſuum, cujus etiam nepotes non ſunt hæredes: ſcio hoc eſſe contra communem ſententiam, ſed tamen veriſſimum: quia cum hæ neptes non veniant, nec venire poſſint ſive ad ſucceſſionem, ſive ad ſimplex ſupplementum legitimæ, in bonis aviæ, niſi per repræſentationem patris ſui: ergo non in plus, nec in pinguiorem ſive hereditatis, ſive legitimæ partem, quam pater earum ſi ſuperſtes eſſet, habiturus erat: ad hoc enim de jure limitatum jus repræſentandi text. *in Authent. de hæredibus ab inteſt. in princ.* ibi quantam eorum parens ſi viveret, habuiſſet: *& §. 1. & 2.* Quare dico, tametſi contra Bart. & omnes. *in l. poſt decem. ſoluto matrimonio, in l. in quartam ad legem Falcid. in l. illam C. de collation.* hoc verum eſſe. & procedere etiamſi neptes nullo modo erant hæredes patris: imò etiamſi, nec donatariæ quicquam ab illo habuiſſent, ut plenè & novè docui *in conſuet. Pariſ. §. 125.* quo remitto, nec brevitatis cauſa tranſcribere volo, nec promptum eſſet cum eam partem commentariorum meorum reliquerim Pariſiis.

27. Quintò, conſiderandum quod in hac ſupputatione & detractione legitimæ ſemel & ſemper inſpicitur quantitas & valor bonorum, qui erat tempore mortis ejus, de cujus bonis agitur, *§. ultim. Inſtit. ad legem Falcidiam, l. in rationem l. in quantitate, ff. ad leg. Falcidiam*, non ſolum quoad actu relicta in bonis aviæ, ſed etiam quoad omnia donata in certis corporibus filio, nepotibus, vel etiam extraneis, vel bona filiis diſtributa, ut putà certæ ditiones, prædia, ædificia: nec inſpicietur æſtimatio præſentis temporis quo agitur; ſed valor & æſtimatio dumtaxat quæ erat tempore mortis ad metiendum & æſtimandum quanti tunc erat legitima, an ſatis ſuperfuerit, & quantum nomine legitimæ detrahendum fuerit per jura prædicta, & *l. cum quæritur, C. de inofficioſo teſt. falcid. l. 2. l. ſi patronum, ff. de bonis libertor.* deducto tamen augmento, ſi quod ſumptu vel induſtria poſſeſſoris contigit, ita quòd augmentum quod ſpatio temporis, vel aliàs apud defunctam contigiſſet, omnibus prodeſt, ut & decrementum omnibus detraheret, eadem contrariorum diſciplina, *l. ultim. de legat. 3.* Et ita cenſeo ego Carolus Molinæus Juris Utriuſque Doctor. Franciæ & Germaniæ Juriſconſultus, legum Profeſſor Dolanus. Datum Dolæ 4. Calend. Septembr.

THEMA CONSILII XXXVI.

VEzulæ ſuperiori præfectura Sequanorum Ioannes *du Boys*, habens unicum filium Claudium in nuptiis, & contractu matrimonii filii ſui cum Barbara *Millot*, anno ſeſquimilleſimo decimotertio, favore dicti matrimonii apponit hanc clauſulam: Item *a eſté traité & accordé entre leſdites parties, que ledit Iean du Boys, dés maintenant & pour toûjours, a fait bon & tiche ledit Claude ſon fils, de la tierce partie de tous & ſinguliers ſes biens tant meubles que heritages, preſens & advenir, acquis & à acquerir, quelconques.* Pater mortua ſua uxore, duxit ſecundam, ex qua tres maſculos, & totidem fœminas ſuſcepit. Deinde Claudius obiit, relictis ex dicto ſuo matrimonio filio Franciſco, & duabus filiabus. Poſteà Ioannes anno 1543. condidit teſtamentum, in quo nulla mentione facta de dicta clauſula dicti contractus matrimonii, inſtituit tres filios ſuos maſculos, unà cum dicto Franciſco nepote ex Claudio prædefuncto heredes univerſales æqualiter, filias verò & neptes in certis rebus, vel ſummis. Et in hac voluntate deceſſit, & teſtamentum ejus apertum, & publicatum Veſuntii, anno 1545. Franciſcus poſt obitum avi manſit in communione cum patruis ultra ſeptem annos, donec anno ſeſquimilleſimo quinquageſimo-ſexto, lites inter nepotem, & patruum exarſerunt tam in poſſeſſorio, quàm in diviſione hereditatis, & ſocietatis, dicto Franciſco actore, & intentante pro ſtylo loci, *une garde ou maintenuë poſſeſſoire, à l'execution de laquelle les autres enfans dudit Iean du Boys s'oppoſerent, entant que ledit François voudroit pretendre ladite troiſiéme partie des biens avant tous partages des biens dudit ſ.u Iean.* Conſulti Advocati, & Iuriſconſulti Veſuntini, Dolani, & Vezulani, contraria invicem ſentiunt, & magno molimine certant patroni ſuorum quique clientum, cauſam omni ſtudio urgentes, nihil invicem cedere parati, aliis oppugnantibus dictam clauſulam matrimonii, ut nullam, aliis bonam, & validam contendentibus, aliis interpretantibus illam eſſe donationem inter vivos, aliis verò donationem cauſâ mortis, vel ſpeciem inſtitutionis, aliis trahentibus illam ad partem bonorum, aliis ad quotam hereditatis, aliis reſtringentibus illam ad vera mobilia, & immobilia, juribus & actionibus excluſis, aliis ampliantibus, ut & hæc includeret. Nec minùs controvertebant ſuper teſtamento: alii nullam, alii validam cenſentes, alii interpretantes inſtitutionem teſtamentariam omnia bona complecti, non deducta donatione, vel diſpoſitione dicti contractus matrimonii. Alii eam reduci volebant, alii in poſſeſſorio, alii in petitorio, alii in utroque actorem excludentes, vel foventes. In eo tam vario, & ancipiti fervore placuit litigantibus explorari judicium famoſiſſimi Iuriſconſulti dom. Caroli Molinæi, tum jura publice magno, & auditorum, & conſultorum concurſu Dolæ profitentis, qui primùm rem omnem ad quæſtiones reduxit, & reſolvit, ut ſequitur in reſponſo Latino. Et mox olfaciens [illegible] partium in invicem vincere, imò ſupergredi fata gentium, & arma potius ad pugnam, quàm boni & æqui veritatem quærentium, ſuppreſſo tunc diſputationis juris reſponſo, Gallicum ſubſcriptum, & ſigillatum dedit, ut eos à litium anfractibus deterreret, & ad pacem, & concordiam impelleret. Sequitur primò reſponſum Latinum.

EPITOME CONSILII XXXVI.

1. *Pactum affirmativum ſuccedendi non firmatur juramento.*
2. *Nec favore matrimonii, vel conſuetudinis.* 3.
4. *Nec gener hoc pacto receptus agit ad intereſſe, niſi quatenus hac ſpe minorem juſto dotem habuit.*
5. *Valet donatio quota bonorum præſentium, & futurorum, nec eſt donatio quota hereditatis.* 6. 14.
7. *Donans hereditatem ſuam, intelligitur de bonis præſentibus, ut valeat.*
8. *Affirmatio ſeriò poſita in contractu, tranſit in contractum.*
9. *Vt in contractu nuptiali talem eſſe dotem de tertia parte bonorum donatio eſt.*
10. *Valet donatio facta filiofamiliàs, propter nuptias, vel causâ dotis.*
11. *Quando donatio facta cenſetur, ut futuro heredi.* 13.
12. *Legitima eſt quaſi debita, etiam vivo patre, & poſt obitum ipſo jure quæſita.*
15. *Promittens facere bonis, obligat ſe de evictione.*
16. *Quando nomina ſub mobilibus, & immobilibus includuntur.*
17. *Hodie valet inſtitutio filiifamilias ſub conditione fortuita, quia de legitima rejicitur.*
18. *Sive ab inteſtato, ſive ex teſtamento, filius conferre debet.*
19. *Societas transfert poſſeſſionem, & habenda eſt ratio ejus, qui plus laboravit.*

CONSILIUM XXXVI.

SEptem ex themate propositò oriuntur principales quæstiones.

Quæst. 1. 1. Prima, an & quomodo valeat dicta clausula, matrimonii? Videtur enim tam nulla, quàm à jure exorbitans multis rationibus. Prima, quia est pactum futuræ successionis à jure penitus reprobatum, qua hereditas in toto, vel pro parte pactis relinqui non potest, *l. hereditas C. de pactis conven.* Alexand. Jason. *in l. stipulatio hoc modo ff. de verb. obligation. & in l. licet, & in l. pactum quod dotali, & lege ultima, C. de pactis.* Et maximè cùm non sit pactum negativum, sed affirmativum, quod est contra bonos mores. Quamvis enim pactum negativum de non succedendo tolleretur, certo casu contra severitatem juris civilis, & juramento confirmetur, ut *in c. quamvis de pactis in sexto*, tamen pactum de succedendo tanquam directo contra bonos mores nullo modo roboratur, etiam jure Canonico, nec juramento quidem (quod hoc casu vitiosum esset, *c. non est obligatorium de regul. jur. in sexto.*) confirmatur, ut tenent omnes Canonistæ *in dicc quamvis*, & omnes legistæ *in l. pactum quod dotali, C. de collation.*

2. Secunda per text. apertum *in l. cùm donationis*, ibi nec ad implendum promissum hereditatis propriæ pollicitatione quisquam astringitur, *C. de transact.* ubi etiam favore liberationis, nec favore quidem transactionis non valet, nec obligat. Et dicunt Bart. Bald. Salicet, Alexand. Jason. ibi hoc esse, quia est contra bonos mores, & sic nec favore quidem matrimonii subsistere potest, ut sunt text. rotundi *in l. pactum quod dotali, C. de pact. in l. hereditas, C. de pactis conventis*, tam super dote, quæ loquuntur in pactis nuptialibus.

3. Hinc pulchrè ait Bald. *in l. Archimedorum col. 2. C. ut in possessione legata*, quòd si quis dolo quem induxerit ad desponsandam filiam suam promittens eam æqualiter instituere cum aliis sororibus, quod pactum non valet, nec obligat in aliquo. Et subdit ibi Bald. quod hoc pactum non potest confirmari consuetudine: sed stultum esse, sibique debere imputare, qui taliter contrahit, & sequitur ibi Alex. in addition.

4. In tantum ut gener taliter deceptus, nec ad interesse quidem agere possit, nisi ad supplendam dotem incongruam quatenus ipse talis pollicitationis minori dote quam justum esset, contentus fuit, ut dixi *in annotation. ad Philipp. Dec. in d. l. pactum quod dotali, C. de pact.* quæ actio ut dotis pars in filiam transferretur, ut *l. nobis adhuc, l. in rebus, C. de jure dot.* Tertia, quia est facta per patrem filiofamilias in potestate, & sic nulla *l. antepen. C. de donation. inter virum, & uxorem l. 2. C. de inofficiot. donat.*

5. Quibus non obstantibus, dicendum dictam clausulam, quæ non est simplex pollicitatio, sed conventa pactio, ibi. Item, *& est convenu & accordé*, validam esse etiam jure communi: quia non est promissio, nec donatio futuræ successionis, nec quotæ hereditatis: sed promissio, & donatio certæ partis bonorum, quæ non est à jure prohibita, sed permissa: quia donatarius non est futurus hæres etiam in illa parte, quamvis non sit capturus aliquam partem, nisi prius deductis oneribus, & omni ære alieno, *l. subsignatum de verbor. sign.* Ang. Petrus *in disputat. incip. In refulgenti.* Joan. Calder. *consil. 7. sub titul. de donation.* & ante eos Oldr. *consil. 139. ad habendam*, quem seq. Joan. And. *in addi. Spec. de instrum. edition. §. punct. col. ultim.* Jason. *in l. stipulatio hoc modo de verbor. oblig.*

6. Et quod valeat hujusmodi donatio, & etiam universalis inter vivos partis bonorum text. est apertus *in l. si quis argentum; §. si quis universitatis.* & ibi Bald. *C. de donation.* hinc necessariò sequitur quòd donatio quotæ bonorum non est trahenda ad quotam hereditaris, ut vitietur: sed relinquenda est in quota bonorum, ut valeat *l. quoties, ff. de reb. dub. & text. in d. §. si quis universitatis.*

7. Imò (quod fortius est) tenent communiter Doctores quòd donans hereditatem suam intelligitur facere donationem de bonis præsentibus, ad hoc, ut donatio valeat: & valet, ut expressim tradunt Paul. Castr. *consil. 347. lib. 1.* Egid. Bellomera *cons. 48. col. 6.* Philipp. Dec. *l. ultim. col. ult. in. C. de pactis.* Aymo Craveta *consil. 138. num. 6.* Et sic non obstant duæ primæ rationes, quia non sumus hîc in pacto de succedendo: sed in donatione certæ partis bonorum; adhuc quod non potest pactum, hoc potest consuetudo. Jason. *in l. pactum quod dotali versic. quarò limitat.* ubi malè pro se citat Bal. *in d. l. cum Archimedorum.* & hujusmodi pacta in hac regione frequentantur. Ad tertiam mox facilè respondebitur.

8. Nec obstat quòd quidam dicunt illam clausulam nullum continere verbum donationis, necesse promissum, sed dictum, ut *in l. faciendum, §. dictum de ædil. edicto*, imo nudam affirmationem, vel enunciationem. Tum quia de contrario apparet, quoniam clausula non incipit ab illis verbis. *Il fait bon & riche*: sed à verbis. *Item, est convenu & accordé*, &c. Tum quia etiam, sine illis verbis expressis conventionis, & promissionis, simplex affirmatio posita in contractu, si est apposita, ut fiat vel præstetur (ut fuit dicta clausula) transit in conventionem præcisam, nec remanet in terminis dicti, sed nec in terminis pollicitationis, text. *in d. l. faciendum, §. dictum in fin. de ædilit. in leg. 1 in fin. de action. emp.* Tum potest fieri donatio sine verb. Dono. l. *qui sexum, l. in ædibus in Princ. l.* Aristo. *l. ult. in princ. de donat.*

9. Tum eo ipso quod dictus Joannes paciscendo expressit se filium suum Claudium facere bonum, & divitem de dicta tertia parte bonorum, sequitur dicta bona pro illa portione acquisita Claudio donatario per text. *in l. pretia rerum, §. nec enim ff. ad legem Falcid. ibi præpositerum est nos ante locupletiores dici, quàm acquisierimus: & qui de patrimonio suo deposuit, pauperior fit, l. si sponsus, §. si maritus hæres, ff. de donation. inter virum & uxorem.* Et è converso, *qui acquirit, locupletior fit.* Tum valet favore matrimonii. Nicolaus Boeri. *decis. Burdeg. 353. num. 10. cum seq.*

10. Quo etiam favore valet donatio facta à patre filio, vel filiæ in potestate, ut causa dotis, vel donationis propter nuptias, *l. Pomponius Philadelphus, familiæ erciscundæ glossa. & Doctores in l. 2. C. de inofficios. donat.* Bal. *in l. cum oportet, C. de bonis quæsitis.* Guid. Pap. *consil. 113.* Jas. *consil. 147. col. 2. consil. 171. col. 3. vol. 4.* Quanto magis in Galliis (ut hic) in quibus patria potestas nunquam fuit ita severa, quo ad bona recepta, ut jure Romano gl. Jo. Fab. *inst. de patria pote.* Guid. Pap. *dec. Delph. 145. & 410.* Alex. *cons. 99. lib. 6. ut in annot. dixi.*

Quæst. 2. 11. Ad secundam quæstionem. An dicta donatio fuerit revocabilis, & revocata per testamentum patris, quidam tenebant quod sic, per allegata pro parte negativa præcedentis quæstionis. Addo aliam rationem: quia donatio, vel stipulatio facta uni proximo heredi, videtur facta contemplatione quod sit futurus hæres, *l. tale pactum in fin. ff. de pactis* bonus text. *in l. cum quis, de pecu. in fin. ibi quia vivus videtur heredi futuro providere, ff. ad l. Fal.* sed ex hypotheti pater tempore dicti

matrimonii filii sui, non habebat alios liberos, nec verisimiliter alios sperabat, quia jam plus 25 annis ex uxore sua nullos alios liberos habebat, nec postea unquam ex ea suscepit: & sic quod affirmabat, & donabat, videtur fecisse, ut futuro heredi.

12. Confirmatur, quia cum unicus esset è liberis, legitima sua triens erat de quo triente pater illum divitem affirmavit, & merito, quia etiam vivo patre, legitima est quasi debita, cum donationibus, vel confessionibus inter vivos non possit fraudari, nec diminui, *C. de inoffic. donat. per totum.* Mortuo vero parente, non quasi debita, sed vere & necessariò debita, imò plusquam debita: quia realiter, & ipso jure in bonis filii, *l. quoniam prioribus, C. de inoffic. testam.* Imò etiam attenta generali consuetudine Gallicarum, non solum dominus est, sed etiam professor bonorum pro rata suæ legitimæ, ut dixi *in conf. Paris.* §. 122. & tetigi *in tract. de inoffic. num.* 9. Cùm ergo res donata congrueret legitimæ, inspecta qualitate personarum, & rei donatæ, & quotæ, satis apparet datum pro legitima, vel ejus contemplatione, ergo supervenientibus postea sex aliis liberis naturalibus, & legitimis, donatio nedum revocabilis, sed revocata fuit, seu reducta ad modum, & virilem legitimæ, saltem tempore mortis patris, quo sex liberi ex secunda uxore extabant, quia in legitima tempus mortis inspicitur, cùm quæritur, *C. de inoffic. testam. l. Papin.* §. *quarta ff. eo.* Et fortiùs revocata per testamentum ejusdem patris, qui masculum è Claudio cum tribus aliis filiis suis æqualiter instituit. Tum hujusmodi donatio facta filio, contemplatione legitimæ quasi debitæ, intelligitur rebus sic stantibus, igitur, &c.

13. Confirmatur iterum, quia in dubio stipulatio facta à patre filio, videtur facta, ut heredi futuro, & non ut filio, *gl. mag. in fin. in l. si tibi,* §. *si pactus ff. de pactis* Bar. Alex. *in l. quod dicitur, col.* 21. *de verb. oblig.* Joan. Imol. *in c. præsentia extra de prob. & in l. quod dicitur* Alex. *in l. gallus* §. *quidem recte col. ult.* & ibi Ant. Rub. *col.* 1. *col.* 56. *de lib. & posthum.* Alex. *cons.* 87. *num.* 10. (ubi in annot. tetigi) *lib.* 6. Soc. *cons.* 127. *num.* 20. *lib.* 3. Steph. Bert. *cons.* 73. *lib.* 2. quod amplat Joan. Amicus *cons.* 100.

14. Quibus non obstantibus, dicendum prædictam donationem non fuisse revocabilem nec revocatam: fuit enim donatio partis indivisæ bonorum, quæ facta extraneo irrevocabiliter valeret, ut probatum est sup. *num.* 5. igitur non minus quàm cùm facta est filio, præsertim in contractu matrimonii, ita quòd etiam aliorum nempe soceri, & nurus & posterorum interest, qui non debent fraudari. Non obstat quòd sit facta tanquam futuro heredi, quia imò tanquam ipsi: longè enim aliud est, quando quis ab alio, & de alieno alii stipulatur. Tunc enim si ille sit in proxima causa successionis, videtur adhibitus, ut futurus hæres, *d. l. tale pactum in fin.* vel ei stipulatum, ut heredi, *d. l. si tibi de pact.* ut tantò fortiùs valeat actus, nec vitietur per regulam, *l. stipulatio ista habere licere,* §. *alteri de verb. oblig. l. quacumque gerimus de action. & oblig.* nisi in casibus specialibus, ut *in l. quidcumque,* §. *si quis ita de verb. oblig.* longè verò aliud, quando quis de suo alicui dat, vel promittit: quia tunc semper videtur facere, ut ipsi salvo tamen jure collationis, vel imputationis in Falcidiam, ut *in l. cum quis, de peculio. in fi. ff. ad l. Falcid.* Aliàs actus ut agitur, non valeret. Cùm ergo ut agitur; valere possit, ergo valet, ut agitur, ut nuper latè docuimus *in l.* 1. §. *si quis ita de verb. oblig.*

15. Igitur dicta donatio, nec fuit revocata, nec posset revocari *per l. si unquam C. de revoc. donat.* quia pater nunquam conquestus fuit, nec ex eo capite conqueri potuisset, propter articulum consuetudinis dicti comitatus sub titulo *des successions, art.* 3. *quæst* 45. *totius consuetudinis*, per quam Claudius, vel ejus repræsentantes non in virilem, nec in trientem, sed in semissem totius hereditatis vocantur, nec posset revocari, aut diminui *per l. si totas, C. de inoffic. donat.* quia non lædit legitimam aliorum, ut modò dictum, & sic *d. l. si totas*, obstare nequit, nec secundùm putativum omnium: nec secundùm novum nostrum verum intellectum, de quo *in tractat. nostro de inoffic.* imò non solùm dicta donatio non potuit revocari per dictum annem, sed etiam obligavit eum de evictione: quia promissio de faciendo bonum interpretatur pro donatario, & obligat donatorem non solùm, ut faciat illud esse donatarii, sed etiam ut teneatur de evictione, ut decidit Philip. Corn. *cons.* 141. *quanquam, col. ult. lib.* 2. Et sic non obstant allegata in contrarium. Ex quibus etiam patet solutio ad tertiam quæstionem, an hæc donatio transmissa sit ad filium Claudii, præmortuo patre. Cùm enim esset ius purè quæsitum, dubio procul transmissum est: quia etiam conditionale ex contractu transmitteretur, §. *ex conditionali Instit. de verbor. oblig.* Sed advertendum quòd non ad solum Franciscum, sed etiam ad sorores suas (si sunt heredes patris) & ad omnes heredes Claudii virtualiter transmissa fuit, nisi Claudius aliter inter vivos, vel testamento disposuerit.

16. Ad quartam autem quæstionem. An jura, & actiones includantur? Quidam censuerunt quòd non, per jura vulgata, de quibus *in l. à divo Pio,* §. *in conditione, ff. de re judic.* Sed in hac hypothesi nimis ineptum est, cùm dispositio sit universalis, mobilia vero, & heredia sint expressa causâ exempli. Et sic non est dubium nomina includi. Andr. Alciat *l. moventium de verbor. sign.* Quæst. 4.

17. Ad quintam quæstionem. An testamentum, sit nullum præteritione Sebastianæ? Quidam nullum censebant: quia testator voluit quòd Sebastiana filia alatur, donec sit ætatis nubilis: & si perveniat ad statum matrimonii, ex tunc prout ex nunc, constituit ei dotem divisim quadringentarum librarum cum mundo muliebri, instar aliarum filiarum, in quo illam heredem instituit. Videtur ergo quòd si non nubat, non est hoc casu instituta, nec exheredata: ergo testamentum ex tunc nullum, saltem si contingat illam non nubere, imò etiam ab initio obitus patris, cum non sit instituta sub conditione voluntaria, vel potestativa, nec exheredata, *l. suus quoque ff. de hered. instit.* Sed ut hoc verum esset jure, *ff. & C. ut dixi super l. commodissimè, num.* 25. *de lib. & posth.* ita falsum est jure novissimo, quo omnis conditio usque ad tertiam legitimæ detrahitur, *novell.* 115. *ut cum de appel. cog.* §. *cæterùm*, dos autem succedit loco legitimæ, ut in propriis terminis tenuit Rich. Malumb. quem refert. Cyn. *in l. sancimus, C. de nup.* & sequitur Paul. *in l. quoniam in prioribus, col.* 2. *num.* 6. *C. de inoffic. test. & dixi super d. l. commodissimè, num.* 30. Et sic concludo testamentum validum, nisi si qua fortè neptis filiæ præmortuæ penitus præterita esset. Quæst. 5.

18. Ad sextam quæstionem. An Franciscus sit saisitus, hoc est possessor per obitum avi? Breviter dico quòd in vim dictæ donationis non est saisitus de dicta tertia parte donata, cùm nunquàm ipse nec pater ejus habuerint traditionem expressam, nec tacitam: sed bene posset esse saisitus de quarta parte in qua institutus fuit, quia consuetudo loci transfert possessionem etiam in heredem testamentarium; *tit. des successions artic.* 1. sed sive ex testamento, sive ab intestato non poterit habere utcumque, sed conferre tenetur, text. est rotundus *in l. illam, C. de collat.* ubi nepotes tenentur in successione avi paterni conferre patruis, & avitis suis donationem propter nuptias (qualis ista est) datam ab eodem avo patri nepotis prædefuncto. Quod non solùm ab intestato, sed etiam in casu testamenti locum habet, uno solo casu excepto, videlicet, si parens expressè prohibuerit, vel Quæst. 6.

dixerit se nolle donationem conferri *Authen. ex testamento, C. de collation.* quo i non fuit factum in prædicto valido, & solemni testamento : & sic absque dubio non potent esse hæres, & donatarius : sed si velit institutionem agnoscere, debet conferre, vel ab institutione abstinere : abstinendo verò ab institutione, non erit saisitus, seu possessor dictæ partis donatæ, neque de jure, neque de consuetudine, nec per dictum contractum matrimonii, in quo nulla clausula constituti : imò etiamsi hæres esset, & prohibitus conferre adhuc non esset saisitus ultra partem, in qua fuit institutus, & hoc respectu bonorum paternorum.

19. Bona verò in communione quæsita non sunt paterna, nec hereditaria, sed acquisitionem, quarum pro modo sub parte societatis possessor est, *l. 2. ff. pro socio.* nisi si quæ proprio unius nomine quæsitæ nondum sint communicatæ, sed communicandæ, *l. si patrus, C. communia utriusque judicii, l. si socius, ff. si certum petat.* Alexand. *consil. 49. lib. 2. ubi in annotat. dixi*, sed in divisione habenda est ratio eorum, qui notabiliter plus laboraverunt, vel auxerunt, ut per Bald. *in l. si paterna, C. de negotiis gestis.* Petrus de Hubal. *in tract. de duobus fratribus par. 4. q. 6. cum seq. & par. 4. q. 23 Et sic soluta* est 7. *quæstio.*

Responsum ejusdem de eadem re Gallicum.

LE Conseil soubscript qui a veu les traitez de mariage d'entre feu Claude du Bois, & Barbe Millot, de l'an mil cinq cent treize : testament de feu Jean du Bois pere dudit Claude, du vingt-troisiéme Novembre mil cinq cent quarante-trois, publié à Besançon le troisiéme de Novembre mil cinq cent quarante-cinq : exploicts de complainte, & nouvelleté faits à la requeste de François du Bois, fils & heritier dudit Claude, & institué pour un quart également par ledit feu Jean, avec les autres enfans masles d'icelluy. La coustume du Comté de Bourgongne, les memoires & consultations d'une part & d'autre.

1. Est d'advis que les parties sont en danger de tomber en une grande, longue, & dommageable involution de proces, s'ils suivent la voye qui est commencée de l'execution de complainte, & garde generale, en laquelle le demandeur a tort en partie quant à la forme touchant la donation du tiers, dont il n'est saisi par le traité du mariage de son pere, qui ne porte saisine.

2. Et combien qu'il y eust droict de saisine és autres chefs mentionnez en ladite garde, il ne faut avoir égard ausdites formalitez, & maniere de proceder : car mesmes ne faudra pas avoir égard à la forme & evenement du possessoire, mais au fonds, & à la justice du droict, & proprieté : autrement adviendroit, que celuy qui gagneroit au possessoire, ne feroit que des dépens, & en aprés perdroit au Petitoire. Parquoy je trouve que le meilleur moyen est de venir droict à la racine, & mettre fin és choses par bonne paix & équité, selon l'origine du droict.

3. Or il n'est plus ancienne origine, & plus vray droict en ce pays, que la Coustume generale & ancienne, laquelle baille & attribuë aux enfans du premier lict la moitié, & aux enfans du second, l'autre moitié. Cela nous doit sembler aussi bon & raisonnable, comme il a semblé à nos bons predecesseurs. Davantage je trouve & connois par lesdites pieces, que le défunct Jean du Bois, pere desdites parties, a esté de mesme intention.

4. Car sçachant, comme il estoit encores de bonne memoire, qu'il avoit donné le tiers audit feu Claude, il a institué ledit François son representant dudit Claude en un quart seulement, qui est avec ledit tiers la juste moitié : & les enfans de son second lict, és autres trois quarts du residu, qui font aussi la juste moitié contre ledit tiers, & un quart du residu, tellement que l'on vòit, & en fin se trouvera, que le pere commun des parties a ensuivy l'intention de la Coustume ancienne, & generale du pays : de sorte que, quoy que fassent les parties litigantes, si elles entrent en procés, & que l'une perde ou gagne d'un costé, & l'autre d'un autre, certainement les parties en fin viendront, & devront venir à ce but, de l'union, & conformité de l'intention de ladite Coustume, & dudit defunct testateur concurrents ensemble, & pendant lesdits procés se peuvent trouver aucunes nullitez ou inconveniens, qui seroient dommageables tant à l'une qu'à l'autre desdites parties.

5. Parquoy suis d'avis, & leur conseille, qu'ils partissent par moitié selon l'intention de ladite ancienne Coustume, & aussi de leurdit pere, comme dit est, tant la succession & biens d'icelluy, que ce qui est depuis accreu par leurdite communauté, sauf que je suis d'advis quant à ladite communauté,

6. Qu'attendu, que les enfans masles du second lict sont trois, qui ont vray-semblalement plus travaillé & augmenté, qu'un seul du premier lict, qu'à l'arbitrage de gens de bien connoissans de leur estat, on adjuge certaine somme moderée par chacun an, ou pour une fois depuis le decés dudit feu Jean du Bois pere commun, aux enfans du second lict, jusques au partage & separation de ladite communauté, ayant égard qu'ils ont esté trois contre un travaillans à ladite communauté, ou autre mediocre recompense, selon la qualité des personnes, & l'âge d'icelles plus longue absence ou presence, à l'exercice & augmentation d'icelle communauté, & du profit & augmentation, qui en est advenu en icelle.

7. Et à celuy qui voudroit suivre cet advis, je conseille qu'il en faisę offre à la partie qui en fera difficulté, & qu'il proteste de tous dépens, dommages & interests, advenus, & qui adviendront, pour n'avoir suivy ladite offre conforme à raison & équité, & à l'intention tant de ladite Coustume, que dudit testateur pere des parties. Et tel est d'advis de moy soubscript Charles du Moulin, Jurisconsulte de France, & de Germanie, Docteur regent és Loix en la noble Université de Dole. Et en témoignage de verité ay signé ces presentes de ma main, & seellé de mes armes. Fait à Dole le premier jour d'Octobre 1556.

EPITOME CONSILII XXXVII.

1. *Commenda est temporalis commissio.*
2. *Intellectus, c. qui plures. 21. q. 1.*
3. *Corruptis veteribus canonibus, cœpit Papa commendare in favorem personarum.*
4. *Commenda perpetua est titulus dispensatorius.*
5. *Beneficium sic commendatum potest Ordinarius liberè per cessum, aut decessum Commendatarii conferre.*
6. *Etiamsi tempore commendæ beneficium vacabat in Curia.*
7. *Potest hujusmodi commenda cum beneficio titulato permutari ab Ordinario.*

CONSILIUM XXXVII.

Viso eruditissimo consilio plurium simul subscribentium Doctorum pro domino Laurentio *Saulee*, professo Monasterii *de Goile*, Rectore Hospitalis divi Bernardi ad Salinas, actore in possessorio novitatis contra dominum Joannem *de Blonray*, dictum à sancto Paulo, præpositum sancti Anatolii Salinarum, Curatum *de Bussy*, & *de Licle*, & alios opponentes, paucis agam, ut in re clara, & exactissimè, & doctè discussa.

1. Et quia tota disputatio ad duo puncta reducitur, videlicet, an commenda perpetua sit titulus, & an ea per obitum, vel alias vacante, possit Ordinarius conferre, in quibus totius litis cardo versatur. Ad primum certum est quòd commenda ab origine sua tam ex ethymo, & propria significatione, quàm ex communi usu loquendi, & utendi veteris Ecclesiæ, nihil aliud erat quàm commissio, vel administratio temporalis, ad nutum revocabilis, imò ipso facto, & ipso jure revocabatur repleto beneficio: tantisper enim dum vacaret, & donec provideretur, durabat commenda, ethymologia vocabuli cum significatione vulgari penitus concurrente, *l. condemnare, ff. de verb. sign.*

2. Et ita loquitur, & intelligitur *c. qui plures* 21. *q.* 1. quod est Leonis Papæ Romani IV. cujus tempore nondum penitus exoleverant antiqua decreta, & disciplinæ Ecclesiasticæ severitas, ne quis in duabus Ecclesiis conscriberetur clericus: quod erat à consuetudine Ecclesiæ prorsus alienum, *c.* 1. & 2. 21. *q.* 2. Ideo nolebat bonus ille Leo, ut liceret retinere duos Episcopatus, vel duas Parrochias, alteram titulatam, alteram commendatam: sed ut vacantis Ecclesiæ custodia, vel administratio interea dum de idoneo Prælato commendaretur, non in favorem personæ commendatarii, sed in favorem Ecclesiæ vacantis, & futuri prælati.

3. Sed posterioribus sæculis sensim irrepente multiplicitate beneficiorum incompatibilium in favorem personarum, cœperunt practicari commendæ perpetuæ, significatione verbi alterata, & à sua origine, & ethymo degenerante. Perpetua enim commenda verus est titulus, & nihil aliud est quàm collatio dispensatoria. Cùm enim datur, ut sit perpetua, & cum plena dispositione fructuum, idem est omnino quàm collatio, & titulus collatorius: & meritò quando Papa dispensat cum aliquo ad plura incompatibilia, solet unum statui collatarii congruens dare in titulum, reliqua in commendam, ut si non rei saltem verborum sono reverentia fiat antiquis canonibus, & ostendat se contra illorum prohibitionem dispensare.

4. Quòd autem hujusmodi commenda perpetua sit titulus, tenent omnes ferè Doctores ubique, & est communis, & vera scientia, ut copiosissimè in præfato consilio allegatum fuit, & tetigi *in annotat. ad Alexand. cons.* 95. *num.* 2. *lib.* 4. & *ad Philippum Dec. cons.* 149. *num.* 5. & *latius in tract. meo in regulas Cancellariæ, in regula de publicand. q.* 15.

5. Hinc ad secundum punctum, quòd occurrente vacatione præbendæ per obitum commendatarii, possit Ordinarius liberè sua potestate uti, & conferre in titulum, tenent omnes allegati in præfato consilio: quibus addo ita tenere Lud. Roman. *cons.* 350. refert & sequitur Socin. *cons.* 32. *col.* 5. *lib.* 1.

6. Quod est verum & indubitatum; etsi tempore creationis commendæ beneficium vacabat in Curia: quia illa vacatio repleta fuit per hujusmodi commendam perpetuam, qui est verus titulus, & alioquin inventa esset via quâ regentes Cancellariæ Romanæ mutatione, vel abusu unius voculæ omnium Ordinariorum potestatem in perpetuum absorberent, & impedirent utendo verbo Commendæ, loco Collationis: cùm tamen re vera eadem res esset, & idem effectus. Addo quod potest Ordinarius resignationem hujusmodi commendatarii admittere, & tam per cessum, quàm per decessum conferre.

7. Quod autem beneficium commendatum hoc genere commendæ possit cum titulato permutari, renet Federicus de Senis *in tract. permutat. q.* 15. Joannes Imola. *in c. ult. extra de rer. permut.* quod est verum etiam solius ordinarii authoritate, dummodo conferat in titulum, & habili, secundum jus commune, vel rite, & canonicè dispensato, & habilitato per Papam, vel legatum in facultatibus habentem, ut dixi *in d. reg. de publ. resign. num.* 233. *cum seq.* sive ergo beneficium commendatum vacet per obitum, sive per cessum, sive per privationem canonis, vel hominis, & quovismodo, potest ordinarius liberè conferre, prout de collatis à Papa in titulum. Et ita indubitati & exploratissimi juris esse censeo ego Carolus Molinæus, Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, legum Professor Dolanus. Datum Dolæ idibus Junii. Anno sesquimillesimo quinquagesimo-sexto.

EPITOME CONSILII XXXVIII.

1. *Tituli collatorii non electivi possunt cumulari.*
2. *Bullæ faciunt notorium iuris & facti.*
3. *Materia obiectiva odiosa est.*
4. *Regula Cancellariæ de publicandis, tria copulativè requirit.*
5. *Obiiciens contra notorium, notoriam probationem adferre debet.*
6. *Regulæ Cancellariæ non concernunt ius nec titulum, sed modum conficiendi Bullas.* 13. 14.
7. *Nec de illis curatur, quando de titulo, & iure beneficii indicatur.*
8. *Solo verbo Collatoris ius in beneficio quæritur.*
9. *Regulæ Cancellariæ non sunt temporales, & morte Papæ expirant.* 11.
10. *Simplex exemplum contra producentem plenam finem facit.*
12. *Prohibitum ad tempus: videtur post tempus admitti.*
16. *Et sufficit pœna à lege expressa.* 18.
15. *Non est locus pœnæ, nisi in casibus scriptis à iure.*
17. *Defectus solemnitatis ex intervallo requisitæ non vitiat actum.*
20. *Ex singulis clausulis signaturæ possunt seorsim confici bullæ.*
21. *Quibus statur, nisi de falso cum inscriptione accusentur.*

CONSILIUM XXXVIII.

VIsis Bullis sub plumbo in forma, rationi congruit de provisione canonicatus, & præbendæ Bisuntinæ Ecclesiæ facta à Pontifice Romano, domino Claudio *Naturel* per resignationem defuncti Stephani *Naturel* in manus ejusdem Pontificis factam, 5. Calendas Octobris, anno Incarnationis Domini 1549. instrumento publicationis prædictarum Bullarum in forma rationi congruit in capitulo Bisuntinæ Ecclesiæ capitulariter congregato die 15 Junii, anno Domini 1550. processu executoris, & ejus executione die 11. Junii 1550. copia regulæ Cancellariæ Pauli III. Pontificatus sui anno 1. in Cancellaria Romana editæ.

1. Ego subscriptus J. U. D. & professor censeo præfatum dominum Claudium resignatarium verum jus habere in dictis canonicatu, & præbenda præfatæ Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntinæ, & tam in petitorio, quam in possessorio obtinere debere, & non obstante provisione per obitum defuncti Stephani *Naturel* resignantis: qui infra sex menses dictæ resignationis in Curia Romana facta obiit, sive dicta provisio per obitum facta fuerit per ordinarium, sive per novum Pontificem successorem Pauli III. Julium III. etiam quovismodo, etiamsi per utrumque prout tituli collatorii, præsertim in possessorio possint cumulari, ut per Lappum de Castelho alleg. ult. Quamvis aliud in verè electivis, *cap. ut qui duas de elect. in sexto*, ubi Gemin. Philippus Franciscus & omnes canonistæ.

2. Constat enim de resignatione canonicè facta, & admissa in manus Papæ Pauli III. & per eum admissa, & de collatione, & provisione per eumdem etiam cum omnibus opportunis, & consuetis clausulis facta dicto Claudio, & extant Bullæ in forma quæ non solum plenam fidem, sed etiam notorium juris & facti faciunt, per not. *in c. vestra de cohabitation. clericor. & mulier.* ut per Anto. But. *ibi col* 20. *cum seq.* Itaque notoriè constat ex tunc videlicet, à data dictarum Bullarum 28. Septembris 1549. verum, integrum, plenum, & canonicum jus, & titulum fuisse præfato Claudio statim, & nulli alii adquisitum, & ex solemni, & authentico, & opistographo earumdem Bullarum constat de consensu resignantis, vel procuratoris sui specialis resignationi, & expeditioni Bullarum legitimè præstito secundum antiquas regulas Cancellariæ Romanæ Innocentii VIII. constat etiam de capacitate, & soliditum jus dictæ præbendæ, & nulli alii jus quæsitum, & ex tunc desit vacare, & à quoquam possit impetrari: & hoc certum, & indubitatum est.

3. Hoc autem solido notorio & indubitato fundamento jacto, dominus Joannes *de Lizonde* nullum jus acquisivit, nec acquirere potuit in dictis canonicatu, & præbenda impetrando postea per obitum præfati Stephani. Non enim vacavit per obitum, nec aliàs quovismodo, morte dicti Stephani: sed priùs vacaverat in Curia, & repletum erat de persona dicti Claudii, ita quod necesse est præfato domino *de Lizonde* venire per viam objectivam, objiciendo, vel contra personam præfati Claudii, vel contra jus, provisionem apostolicam: & sumus in materia objectiva, præsertim cùm notoriè fundata sit intentio præfati Claudii notorio juris & facti, necesse est præfato dom. *de Lizonde* adferre probationes, easque æquè claras, dilucidas, & notorias non de suo prætenso titulo, qui nullus est, nullum (præsertim tempore datæ suæ) locum vacuum reperiens, nisi prius prædicta notoria provisio Papalis, vel capacitas personæ dicti Claudii destruantur per objectiones dicti Joannis, quæ tam odiosæ sunt, quàm materia objectiva odiosa est stricti juris, ut not. *in c. 1. de elect. lib. 6.* præsertim veniens contra notorium, & à Pontifice Romano factum.

4. Cæterum contra personam nihil objicitur at contra notorium provisionis Papalis duo tantùm objiciuntur. Primò regula antiqua Cancellariæ Romanæ 34. *de pub. resig.* sed illa intentionem objicientis divertit, quoniam prærequirit tres conditiones, quarum una, nec duæ sufficerent, sed omnes impletas esse, & concurrere prius notoriè probandum esset ab objiciente. Prima conditio, quod resignans mortuus fuerit. Secunda quod mortuus fuerit post sex menses à die resignationis in Curia Romana admissæ computandos. Tertia, quòd post illud tempus decesserit in antiqua sua possessione reali, & effectuali beneficii resignati. Quibus conditionibus, vel aliqua earum deficiente, sive non clarè, & liquidè extenta, non est locus clausulæ pœnali, & resolutivæ tituli dictæ resignationis, & provisionis Papalis, ut tenent omnes scribentes tam super præfata regula Cancellariæ, quam alibi.

5. Atqui nulla dictarum conditionum notoriè probatur extitisse, prout objiciens contra notorium (ut præfatus

dominus *de Lizende* notoriam quoque probationem adferre debet. Prima enim etiamsi notorie probata esset, tamen eadem probatione, & pari notorietate probatum esset, mortem illam secutam fuisse infrà sex menses à data dictæ provisionis Papalis præfati Claudii: & sic eadem probatio, imò illa ipsa eadem objectio domini objicientis eumdem evertit, & ab omnibus aliis objectionibus, & conditionibus excludit. Debent enim omnes præfatæ conditiones simul concurrere & probari juxta *leg. si heredi plures, ff. de heredibus instituendis.* Sed jam ex facto, seu proposito objicientis secundum, & sic omnia defecisse constat. Cum enim præfatus resignatis non fuerit postmodùm, & post illos sex menses mortuus, nec postea tempus mortuus in possessione, nullus locus esse potest resolutioni provisionis, & juris quæsiti, etiamsi probetur resignantem ante illud tempus mortuum esse in possessione, id quod jus, & titulum resignatario magis confirmat, & corroborat.

6. Secundò objicitur nova quædam prætensa regula Cancellariæ Pauli III. Sed primò, nova illa regula Cancellariæ nullo modo concernit titulum, & jus inde ortum & acquisitum, sed dumtaxat concernit modum scribendi, expediendi, conficiendi, & sigillandi literas Papisticas, prout natura est omnium regularum Cancellariæ non concedere jus novum, nec jus perpetuum: sed tantum formulas, & modos observandos à Scriptoribus & Bullatoribus, & aliis versantibus in Cancellaria Romana, circa confectionem Bullarum & Literarum Papalium, in forma probante sub plumbo, ut tradunt Cardinalis Florent. *in capitul. pastoralis, quæst. ultima extra de fide instrumentor.* Geminianus, Philippus Franceus *in capit. duobus, col. secunda de refeript. in sexto*, Philippus Decius *in l. 1. ff. si certum petat. & in cap. 1. num. 40. extra de postulation. prælator.* Et sic de hac dicta prætensa regula, nihil ad rem: quia non amplius agitur de Bullis conficiendis in Cancellaria, nec sumus in Cancellaria ad visitandum, & corrigendum Officiales, & Ministros Cancellariæ Romanæ, aut ante, & diligenter functi fuerint officio.

7. Sed sumus in judicio ordinario insignis Curiæ Metropolitanæ, & ibi de titulo ipso, & jure partium agitur: & sic de regulis illis Cancellariæ dictas formulas concernentibus nihil ad rem: quia nec domini de Rota in Curia Romana secundùm illas judicant, quando de titulo partis, & non de culpa, vel correctione officiariorum dictæ Cancellariæ agitur.

8. Aliud enim est jus partis statim vivæ vocis oraculo Romani Pontificis eidem parti irrevocabiliter quæsitum, ut tradunt omnes Canonistæ *in præmiis libri sexti, & Clementi.* Baldus & alii *in l. humanum, C. de legibus*, & dixi super regulam Cancellariæ, aliud culpæ prætensæ negligentiæ, vel factum Officialium Cancellariæ, quod non potest alteri adferre præjudicium per regulas utriusque juris, *capit. non debet de regulis juris in sexto.* Præsertim habenti jus à principe: decet enim concessum à principe beneficium esse mansurum, *cap. decet de regulis juris in 6.* & jus nostrum non est posteà sine facto nostro nobis auferendum, *l. jus nostrum ff. de regulis juris.*

9. Præterea, dicta prætensa regula temporalis est facta pro tempore præfati Pauli III. dumtaxat pro tunc natorum est hujusmodi regularum Cancellariæ, ut sint temporales, & morte Papæ concedentis expirent, ut tenent Joannes Andreas, Felinus & alii *in cap. primo extra de constitutionib.* & ibi Philippus Decius *lectura secunda, in principio*: Felinus *in cap. secundo, col. penultima, in fine*: & ibi Franciscus Ripa *col. ultima, de rescriptis*, Felinus *in cap. penult. col. septima de rescript.* Jason. *in l. 1. col. 4. ff. si certum petat.* & ibi Philippus Decius *in fin. d. l. 1. ubi in annotationibus dixi.* Sed Bullæ & Literæ præfati Claudii fuerunt scriptæ, & confectæ post obitum Pauli III. & tempore Julii III. & sic non fuerunt faciendæ, nec conficiendæ secundùm regulas Cancellariæ, & formam præscripturam à Paulo III. sed secundùm veterem antiquum stylum, vel secundùm novam formam à Julio III. si quæ fuerit ab eo de novo confecta. Et sic de prætensa regula Pauli III. non est ad propositum, etiamsi Bullæ de quibus agitur, non essent factæ, sed faciendæ, & adhuc in fieri.

10. Tertiò de hoc constat etiam allegatione, & facto ipsius domini objicientis, etiam in ipso capite, & initio prætensi transsumpti per eum producti, quod contra ipsum producentem, & non contra alium plenam fidem facit, ut dixi *in consuetudin. Parisiens.* §. 5. *num.* 36. in quo quidem transsumpto legitur, & habetur, ut sequitur, cujusdam olim per felicis recordationis Paulum Papam III. prædecessorem nostrum editæ constitutionis, quam suo tempore observari voluit hactenus e transsumpto.

11. Ergo ex eo contra producentem retorso constat prætensam illam regulam temporalem fuisse, ut pro vita tantum præfati Pauli III. duraret, pro Bullis, & aliis literis conficiendis in sua Cancellaria à tempore suæ vitæ, & Pontificatus tantum: ergo nihil pertinet ad Bullas, vel quascumque Literas Papales posteà conficiendum.

12. Quia quod de uno dicitur, de alio negatur *c. nonne benedicimus nos, extra de præsumptionibus l. cum prætor ff. de judiciis*, & prohibitum ad tempus post tempus permissum est. Jas. *l. ita quis ff. de cond. & demonst. & pupil. & conf.* 145. *col. bononf.* 180. *col. 1. lib.* 1 & text. *in l. si unus*, § 1. & ibi Bald. *& in l. Epistol. § ultim.* & ibi Paulus Castren. *ff. de pact. text. c. ad honorem*, & ibi Bald. *extra de authorit. & usu pallii, c. de causis de officio delegati c. quoniam frequenter*, §. *si vero*, & ibi Bald. *extra ut lite non contest.* & sic tantum abest ut dictæ Bullæ per prætensam regulam infirmentur, ut potius confirmentur, & in jure communi relinquantur.

13. Quartò, etiamsi præsentes Bullæ non essent factæ à successore, in forma tationi congruit, sed vivente præfato Paulo III. adhuc prætensa regula non esset ad propositum: quia nullo modo concernit jus, nec titulum, nec ejus resolutionem, sed modum literas conficiendi, de quo in judicio ordinario, in quo sumus, nec etiam in judicio supremæ rotæ Romanæ, curandum est, quando de titulo, & jure parti quæsito tantum agitur, ut hic.

14. Præterea dicta regula, nec ipsum quidem consensum à resignante præstandum, vel præstitum concernit, sed dumtaxat simplicem annotationem prædicti consensus in regestro Cancellariæ posteà faciendam. Post consensum autem, & ejus præstationem (quoad partes attinet, & jus illis quæsitum) relinquitur in jure communi, & in antiquis regulis, ut liquet etiam confessione judiciali, & productione ipsius objicientis, ibi. *In annotatione consensus in Cancellaria*, & ibi. *In libris Cancellariæ*, & ibi. *Debeat per eosdem notarios*, & ibi. *Infra quindecim dies post missionem harum supplicationum ad registrum*, *vel summissam*, & ibi. *In ordinariis, & authenticis libris scribi, & annotari.* Et sic nihil ad corpus ipsum Bullarum: sed tantum ad formam conficiendi regestra. Et si quid jubeatur de data missæ, scribi in calce supplicationum, hoc neque supplicationem, neque Bullam inde conficiendam annullat, nec revocat; nec est ibi clausula annullatoria, nec revocatoria.

15. Ergo non est somnianda, quia pœna est: & pœnæ nunquàm locus esse debet, nisi quatenus scripta in jure apparet, ut decidit *glos. ordinaria in c. ultim. glos. pen. in fin. extra de jure patronat.* & ibi Panor. & omnes Canonistæ sequuntur Jason. *l. quod te, col. decima ff. si certum petatur.* Philippus Decius *in cap. primo, col. sexta de offic. delegat. & in rub. col.*

extra de judiciis. Alexand. *conf.* 103. *num.* 15. *lib. primo, ubi in annot. dixi; ut etiam dixi super consuetud. Parisiens. §. 54. numero tertio, & præsertim quando ageretur de puniendo tertio ignorante & insonte, & de jure illi auferendo, à præfertima principe concesso, quod stare deberet. c. decet. de regulis juris in sexto.*

16. Præterea in d. prætensa regula Cancellariæ expressè providetur de alia pœna quàm ambitionis, aut resolutionis tituli vel juris, & de sola pœna ipsorum notariorum, & ministrorum Cancellariæ Romanæ, qui soli ibi puniuntur videlicet excommunicationis latæ sententiæ in illos tantùm latæ, prout illis tantùm præcipitur, & non partibus, illi soli, & non partes puniuntur. Extra quoque pœna designata. Et sic non est recurrendum ad aliam pœnam juxta not. *in l. non dubium, C. de* [illegible], *l. si ita stipulatio in fin. de verbo. obligat.* ita quod etiamsi hoc esset præceptum impositum ipsis partibus resignantibus, & resignatarius, tamen non incurrerent aliam pœnam, nec amitterent titulum, nec jus suum: quantò minùs hic, cùm ea solemnitas non sit imposita partibus, sed aliis, & nihil ad partes.

17. Tertiò illa solemnitas non est de faciendis ante impetrationem, & concessionem gratiæ, sed de posteà, & ex intervallo faciendis: & sic etiamsi non fierent, etiamsi scienter negligerentur, non annullant gratiam factam, nec tollunt jus etiam gratiosè quæsitum Bar. Pau. & omnes *in l. universa C. de precibus imperatori offerend.* Panor. *in c. quoniam frequenter col. 6.* & ibi latè Felinus *col. 5. extra ut lite non contestata.* Ludo. Rom. *conf.* 303. Panor. *in c. nomine domini, col. 2.* & ibi Philip. Decius, *num. 12. ubi in annotat. dixi extra de testibus*, & ultra etiamsi illa solemnitas esset ipsis partibus imposita (de quo etiam per productionem objicientis notorium est quòd non) etiamsi constaret præfatum resignatarium scienter omisisse, vel fuisse in culpa (de quo certum est quòd non.)

18 Adhuc ex quo provisum fuit de alia pœna, non habet locum alia, nec locus est privationi, aut resolutioni juris quæsiti, Felinus *in c. venerabili, col. 5. extra de judiciis*, Philippus Decius *in c. de causis, col 9. de offic. delegat.* Geminianus, Philippus Franc. *in c. statuemus, de sententiis excommunicat. in sexto.* Matthæus Matthesil. *singul.* 78. ubi etiam Theologos allegat. Cæpola *cons. Civil. cons.* 13. *num.* 4. Philip. Cornæus *cons.* 89. *litera l. lib.* 5. Sed ibi de alia certa limitata pœna provisum est, ergo aliæ pœnæ non est locus. Plura alia occurrunt, quæ tanquam supervacua, prætereo, cum manifestum sit prætensam regulam temporariam fuisse, nec extendi ad literas, aut Bullas posteà tempore successionis conficiendas, & multò minùs ad jus quæsitum tollendum. Et in fortioribus terminis judicati vidi, & obtinui in supremo Senatu Parisiensi, ut scripsi super de reg. *de publicandis num.* 206. cum multis sequentibus.

19. Præterea mors Papæ collatoris post dictam collationem superveniens, turbatio Curiæ, & Cancellariæ, & impedimenta electionis, & coronationis novi Papæ, superveniëntia ante dictas Bullas confectas, satis sunt etiam plusquàm notorium, & justum impedimentum de quo nihil ad rem, cùm prætensa illa regula temporaria fuerit, & cum auctore suo expiraverit. Porrò minus judicium, & puerile foret objicere deformitatem Bullæ, & prætensæ signaturæ, ex eo quòd in prætensa signatura sunt tria beneficia, sed in Bulla unum, quia resignatarius non vult Bullas nisi pro dicto canonicatu *de Poly.*

20. Solent autem pro singulis articulis in signatura, vel supplicatione contentis, singulæ Bullæ etiam diversis temporibus confici, prout fieri potest, cùm tot sint gratiæ, quot beneficia, & sic nulla deformitas. Quo etiam supervacuum est confutare, cùm nec de prætensa signatura, quæ privata scriptura est, constet: nec illius qua deformitas esset, sed solis Bullis in forma sub plumbo, quæ solæ authenticum sunt instrumentum, fides adhibenda sit, ut notant omnes *in prælud. lib. sexti. & Clement.* Et sic casus est indubitatus pro domino resignatario, maximè cùm ex Bullis authenticis, & consensu resignantis authentico notoriè constet verum & authenticum mandatum præfati resignantis adhuc eo vivente, prout aliquot mensibus superyixit, & hunquàm revocavit, fuisse tempore regnationis, admissionis, & collationis ejusdem canonicatus *de Poly* allatum, ostensum, & exhibitum in Curia, & Cancellaria Romana, ubi beneficium vacavit, nec per alium, nec alii conferri tunc potuit, quod dicto resignatario, ut legitimè factum fuit.

21. Et sic quæcumque dominus objiciens allegat, non concludunt, qui etiam deberet prius de falso sub formâ inscriptionis, & pœnæ talionis judicè dictas Bullas, & inscriptionem authenticam consensus arguere: quod cùm non faciat, inadmissibilis est: & ubi admissibilis esset, objecta non sunt admissibilia, ut pote nullo modo concludentia, & multo minus probata. Et ita præfatum dominum Claudium verum, & canonicum jus habere, & sive in petitorio, sive in possessorio obtinere debere censeo ego Carolus Molinæus J. U. D. Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, antiquus in supremo Parisiorum Senatu Advocatus, & in universitate Dolana legum Professor. Datum Dolæ 12. Octobris 1556.

EPITOME CONSILII XXXIX.

1. *Valet donatio facta futurò aliorum liberò.* 9. 10. 11.
2. *Qui jus capient à donatore, non à parente.*
3. *Facienda interpretatio contra fideicommissarium, & donatarium.*
4. *Quando verba sient restrictivè, vel ampliativè.* 6.
5. *Verba debent uniformiter determinari.*
7. *Argumentum à contrario sensu, locum habet in contractibus.*
8. *Insinuatio quando & ubi requiritur.* 12.
10. *Potest quis legem apponere in traditione rei suæ etiam in favorem absentis.* 11.

THEMA CONSILII XXXIX.

IN contractu matrimonii Iodoci *Dafuel* & Isabellæ *de Mandres* Philiberta amita sponsæ dedit multa prædia futuris conjugibus, adjecta clausula, quòd si habeant liberos communes, deinde alter prædecedat, quòd omnia illa prædia *reviendront & demeureront auſdits enfans, ſuppoſé que ledit Ioſſe & ladite Damoiſelle Iſabel convolent à autres Nopces, & ayent autres enfans.* Contigit Iodocum præmori, relictis communibus liberis & vidua Isabella, quæ nec renupsit, nec habuit alios liberos. Sed dum bona Iodoci & Isabellæ à creditoribus eorum venduntur, liberi intercedunt propter dictam clausulam matrimonii, quam creditores defeciſſe dicunt, ex eo quod Iodocus nec Isabella convolaverunt ad alia vota, nec alios habuerunt liberos, & magna contentione res agitur.

EPITOME CONSILII XXXIX.

QUantumvis acri contentione disceptent, mihi clarum videtur & expeditum, filios justam causam habere in prædiis à Philiberta donatis.

1. Quamvis enim primo loco parentibus eorum donatum fuerit, tamen secundo loco datum est liberis communibus: nec est dubium quin futuris aliorum liberis ab extraneo donari possit, nec text. citare opus est, cùm hæc donatio sit gradualis, de qua casus est totus in *l. quòties C. de donation. quæ sub modo*, ubi secundo donatario, etiam qui non contraxit, quæritur utilis actio. Apparet etiam ex dicto contractu, non fuisse in effectu donatum futuris conjugibus nisi pro tempore constantis matrimonii, & utroque vivente, & adhuc sub præfato onere statu constante matrimonio injecto, & in actum prodeunte & executo in puncto soluti matrimonii, ita ut non solùm res donatæ pro parte præmorientis, sed etiam pro parte superstitis vel divisim ei donatæ, ab eodem avocentur: & statim in solidum & pleno jure acquirantur filiis communibus jure proprio & titulo particulari dicti contractus matrimonii.

2. Etiamsi non sint ullo modo hæredes prædefuncti parentis, nec postea superstiti succedant: si quidem à neutro parente jus accipiunt, sed à sola Philiberta donatrice, ut simile not. doct. *in l. coheredi*, §. *cum filia, in principio, de vulgar. & pupillar. l. mortis causa capitur, de donat. causa mortis.* Et ibi Bartol. Franc. Aret. c. *in præſentis col. 7. de probation. & conſ. 53.* Philippus Corneus *conſ. 307. litera l. conſ. 309. col. penult. lib.* Item est datum liberis in perpetuum, & pleno jure sine onere; ergò fuerunt & sunt principales donatarii principaliter considerati, intenti, & honorati, quemadmodum magis dicitur principalis legatarius is ad quem totum emolumentum devolvitur, licet ad alium primo loco verba dirigantur *l. ſervis legato*, §. *ſi teſtator. de leg. 1. l. ſi ſervus legatus*, §. *quo magis ita, eod. tit. l. fideicommiſſa*, §. *interdum de leg. 3.*

3. Nunc tota epitasis versatur in illis verbis, *ſuppoſé que ledit*, &c. quæ creditores urgent. Et hoc tantùm volunt verbum illud Gallicum, *Suppoſé*, stare restrictivè & conditionaliter, ac si dictum esset, proviso, vel dummodo, vel si. Et volunt dicere sensum esse, ut si contingat Jodocum vel Isabellam alios ex aliis nuptiis suscipere liberos, quòd tunc illa prædia remanere debeant præcipua & donata filiis primi matrimonii: si verò dicti conjuges non convolent ad alias nuptias, vel ex futuris nuptiis non suscipiant alios liberos, tunc dicta prædia spectare possint ad liberos dicti matrimonii, tanquam hæredes, ut relicta in jure communi. Et pro hac interpretatione facit quòd fideicommissum odiosum est, & favorabilis ejus restrictio & extinctio. Angel. Perus. *in l. qui Romæ*, §. *duo fratres*, & ibi Alexand. *col. 11. de verb. obl.* Et quòd contra donatarium, qui se fundat in verbis, faciendæ, est interpretatio, *l. de veteribus pactis.* Bartol. *in l. ſæpe de verb. ſignific. dixi in annot. ad Dinum c. contra eum de reg. jur. in ſexto*, & ad Alexand. *num. 204. col. 3. col. ult. lib. 2.*

4. Breviter resolvendo dico quòd hæc interpretatio non solùm est fallacia principii, sed etiam est mera perversio & contortio. Verbum enim Gallicum, *Suppoſé*, hic non stat restrictivè & conditionaliter, sed ampliativè, pro, Etiam posito, vel, etiam suppositio. Et sensus est, quòd si supersint filii dicti matrimonii, hæc prædia illis solis donantur, ita ut soli habeant, etiamsi alter conjugum ex aliis postea nuptiis alios liberos suscipiat. Hæc enim donatio ut incipit à favore dicti matrimonii & liberorum ex eo: ita ad solos filios ejusdem matrimonii limitatur, & in omnem eventum restringitur, consequitur hujusmodi filios vocari non ut hæredes, sed ut filios dicti matrimonii. Quòd autem verborum, magis quàm sententiarum pondere contendunt creditores hos filios non vocari hoc casu, nisi ut hæredes: non solùm alienum est à directo & plano sensu verborum, sed etiam absurdum, imò impossibile. Probo, quia verba illa Gallica, *Reviendront & demeureront auſdits enfans*, id est revertentur & remanebunt filiis dicti matrimonii.

5. Referuntur pariter & uniformiter ad omnia bona utrique conjugum donata per dictam Philibertam, quamvis esset data pars sponso & pars sponsæ divisim: ergo non debent difformiter, sed uniformiter determinari, hoc est, eodem titulo & jure deferri ad dictos filios per reg. de qua *in l. ultim. C. de ſententiis & interloc. omnium judicum in l. jam hoc jure utur. de vulgar. & pupill.* dixi in annotat. ad Philip. Dec. *conſ. 456.* Atqui certum est quòd præmortuo Jodoco, prædia eisdem seorsim donata, statim adquisita sunt dictis liberis, etiamsi non essent hæredes, non jure hereditario patris, sed jure donationis amitæ matris. Ergo prædia donata sponsæ eodem jure donationis & non jure hereditario matris spectant ad eosdem liberos, & statim à morte Jodoci spectare debuerunt, quicquid postea ex parte matris contigerit, etiamsi alios ex secundo viro suscipiat liberos.

6. Illud ergo contentiosum verbum, *Suppoſé*, à quo ea clausula ampliativa incipit, tantum valet quantum verbum Gallicum *Poſé, ores*, vel *quant, ores*, vel *ſuppoſé ores.* Nec potest stare restrictivè: esset enim absurdissimus sensus contrarius intentioni apertæ & omnibus aliis clausulis dicti contractus, ut clausulæ immediatè sequenti, ibi, *Et ſi ledit Ioſſe*, &c. ubi stantibus liberis primi matrimonii superstes excluditur à dictis prædiis à Philiberta donatis indistinctè, sive neptis superstes iterum nubat, sive non, & alios filios habeat, sive non: ergo liberi dicti primi matrimonii

indistinctè vocantur, sivè parens superstes alios posteà liberos habeat, sive non: Ergo dictum verbum, *Supposse*, stat implicativè.

7. Item, in sequenti clausula, ubi in casum deficientium liberorum communium quædam singulis conjugibus eorumque heredibus vel causam habentibus remanent. Ergo per locum in contrario sensu, qui locum habet in contractibus, *l. pecuniam*, & ibi Jason *col. 1. de reb. creditis*, & maximè *in pactis nuptialibus*, *l. inter socerum*, §. *cum inter*, *de pactis dotalibus*, eo ipso quod extant liberi dicti matrimonii, omnes alii sive priorum sive posteriorum nuptiarum sunt exclusi: quinetiam omnes alii heredes, vel causam habentes: ergo soli filii dicti matrimonii vocati sunt, & sic necessario jure contractus.

8. Tum primi illi donatarii futuri conjuges prohibuerant alienare, quod non erat nisi favore liberorum communium secundorum donatariorum: ergo indistinctè vocati sunt jure contractus ad omnia dicta prædia utrique conjugum à Huliberta donata resolutis hypothecis dictorum consugum, *l. lex vectigali. de pignoribus.* etiamsi creditores dicta pacta matrimonialia ignoraverint, debuerunt enim scire cum quibus contraherent, *l. qui cum alio*, *ff. de re. jud.* verum est quod hodie in parte Galliæ, quæ paret Regi Franciæ, opus est insinuatione in hujusmodi donationibus, etiam matrimonialibus à tempore edicti ibi publicati anno sesquimillesimo quadragesimonono, quod non ligat Francos nostros Sequanos, qui veteribus Francorum Regibus parebant: sed huiente stirpe Caroli Magni, noluerunt Capetis subjici, aliquid semper veteris Francorum libertatis retinentes.

9. Sed quia creditores dictam secundariam donationem, ut nondum natis ab extraneo factam impugnant, quod sit valida & efficax ultra vulgaria. *Paulus*, *de bonis libert.* textus est *in l. pater pro filia col. de pact. conven.* ubi pactum lucri dotis seu donationis propter nuptias: collatum in futuros liberos dicti matrimonii valet, & eis postquam nati sunt, utilis actio quæritur. Verum est quod glossa ibi valde sese intricat, quomodo pater idemque sponsus possit promittere vel obligari filius nascituris, qui futuri sunt in sua potestate: sed ea intricatio valdè pudenda est & frivola, quoniam d. l. recipit interpretationem passivam à *l. 1. C. de bon. mater. a l. cum a iis*, *C. de secund nupt. Et ab omnibus ll.* quæ volunt in adventitiis patriam potestatem non obstare quominùs quæratur filius. Hæc autem bona non erant profectitia dicti jodoci.

10. Sed à dicta Huliberta sibi extranea, quæ legem quam voluit in datione rei suæ apponere, potuit, prout decidit text. rotundus & appositissimus, loquens *in pactis dotalibus in l. legem*, *C. de pactis*, quæ est lex Alexandri Severi, qui centum ferè annis præcessit Diocletianum & Maximilianum authores *d. l. pater pro filia* & sic etiam ante eos licebat quævis pacta in nuptialibus apponere, & erant servanda etiam in favorem tertiorum absentium vel nondum natorum: quia *d. l. legem*, non distinguit, sed decidit indistinctè pacta servanda. Præterea non est arguendum à tempore editionis originalis singularum legum, vel ab authoribus earum, quia fuerunt omnes simul & pariter editæ & renovatæ in editione Codicis Justiniani, & sic eadem renovatam originem & invicem recipiunt interpretationem passivam, ut etiam declarat Justinianus *in l. 2. C. de veteri jure enucle.* & sic dubitatio & intricatio glos. in d. l. pater pro filia valde est inepta & impertinens.

11. Rursus fortiùs probatur per text. *in sortitionibus terminis in l. 3. C. de donation. quæ sub modo*: quæ loquitur in simplici donatione extra contractum, & in substitutione contractuali facta non in favorem liberorum communium, sed in favorem alterius extranei absentis, & qui nec stipulatus est, nec pepigit: & tamen decidit ibi substituto vel secundo donatario competere utilem actionem ipso jure sine aliqua cessione: ergo istis filiis competit jus utile, & actio ipso jure sine cessione & alio hominis ministerio, idque tanto fortius, quanto pacta matrimonialia sunt exteris actionibus fortiora & favorabiliora, ut tradit Joann. Fab. *in l. ult. C. de pact.* Bald. Alvarot. *in c. 1. de matrim. ad effect. contracto in isto feudo. & maximè quando sunt in favorem filiorum dicti matrimonii.*

12. Porrò de insinuatione non est dubium quin sit valde legitimè facta: quoniam fieri potest ad instantiam solius donatoris. text. *in l. in hac C. de donatio.* sed facta est ad instantiam & donatricis & primi donatarii, nec obstat quòd donatrix retinuit aliquid plus in modica summa, quia de hoc non agitur, & totum manet insinuatum, firmum & incommutabile: nec opus est nova insinuatione pro filiis, nec eorum nomine insinuari: tum quia hoc casu ut filiis nascituris secundo loco quæratur, non est opus aliquem pro his stipulari vel acceptare, sed sufficit acceptatio vel stipulatio ejus, cui primo loco sub eo onere donatur, *d. l. legem*, *d. l. pater pro filia. d. l. 3. Cod. de donat. quæ sub modo*, & consequenter sufficit insinuatio facta ei cui primo loco donatum est, quinimò sufficeret insinuatio per solam donatricem facta, *d. l. in hac*, quia non fit nisi ad vitandum captiones tertiorum creditorum vel contrahentium, ut apud acta scire possint facultates ejus qui contrahunt, & an hypothecæ tutæ sint. Et ita censeo Carolus Molinæus, Franciæ, & Germaniæ Jurisconsult. legum Professor Dolanus. Dolæ postridie Idus Junii 1556.

THEMA ABBREVIATUM CONSILII XL.

PEtrus *Bontemps* Decanus *Deherboü* in Comitatu Burgundiæ, 6. Maii 1528 testatus instituit heredes universales Claudium & Guidonem fratres suos, proviso quod tenebuntur omnia debita solvere, & omnia in testamento contenta complere, faciendo omnes fructus suos, absque eo quod vendere non possent nec alienare quævis prædia, ut post eorum obitum remaneant eorum filiis masculis in legitimo matrimonio procreatis, & non aliàs. Et ibi sequitur immediatè hæc clausula: *Et au defaut desdits enfans masles, j'ordonne que mesdits biens à eux delaissez comme heritiers, demeurent après leurs decez (s'ils ont tant seulement des filles) que la moitié demeure à leursdites filles, & l'autre moitié à mes plus prochains parens fils de feu mon frere Guillaume Bontemps, & au fils de ma sœur Ieanne Bontemps nommé Pierre Boudran: Et si mon frere Guyod Bontemps n'a point d'enfans, que le tout qui luy sera demeuré comme heritier pour la moitié, demeure à mon nepveu Iean Bontemps, fils de feu mondit frere Guillaume Bontemps.* Mortuo testatore, dicti Claudius & Guido adierunt hereditatem ex testamento. Et tunc Claudius habebat filium qui mox ante patrem duobus filiis masculis relictis, obiit. Deinde Guido coheres obiit sine liberis, sed Ioannes filius prædefuncti

Guilielmi dicto Guidoni ſubſtitutus obierat etiam ante teſtatorem. Verum ex dicto Guilielmo ſuperſunt duo alii maſculi, videlicet Alexander & Philibertus. Noviſſimè moritur dictus Claudius, relictis duobus nepotibus, Ioanne & Claudio ex dicto filio ſuo prædefuncto. Sed dictus Guido teſtamentum fecerat, in quo multa legavit uxori ſuæ, & inſtituit heredes dictos Ioannem & Claudium pronepotes ex Claudio fratre, & Petrum nepotem ex ſorore æqualiter. Quam inſtitutionem dicti Ioannes & Claudius repudiant, ideo Petrus *Boudran* totum acceptat ſub beneficio inventarii, & poſſedit, pariter vidua dicti Guidonis ſua legata habuit & poſſedit, donec dictus Claudius teſtatorum frater, nomine dictorum nepotum ſuorum ex filio, in Curia Dolana reſtitutionem bonorum petiit à dicta vidua, & à dicto Petro *Boudran*, qui tranſigendo reſtituerunt actori immobilia Guidoni obventa ex teſtamento dicti decani, retentis mobilibus & paucis prædiis in tranſactione deſignatis. Hinc multæ quæſtiones oriuntur.

EPITOME CONSILII XL.

1. *Vniverſalis falſa in uno, falſa eſt in totum.*
2. *Sufficit fideicommiſſum vel animum diſponendi reſultare ex verbis teſtamenti.*
3. *Fideicommiſſum reſultat ex eo quod quis honoratur ad vitam ſuam tantùm.*
4. *Prædilectum cenſetur efficacius vocari.*
5. *Prohibitio alienationis cauſata inducit fideicommiſſum ad limites cauſæ expreſſæ.*
6. *Fideicommiſſum inducitur ex conjecturis.*
7. *Inſtitutio natorum ex tali uxore, non extenditur ad natos vel naſcendos ex alia.*
8. *Subſtitutiones odioſæ & reſtringendæ.*
9. *Subſtitutio plurium factæ pluribus intelligitur diviſim & reſpectivè num. 12. 19.*
10. *Generalis ſubſtitutio non extenditur ad caſum in quo ſpecialiter proviſum eſt.*
11. *Cauſa expreſſa ampliat ſubſtitutionem ad limites cauſæ.*
12. *Nepotes ingrediuntur locum & gradum filii præmortui. 18.*
14. *Inſtitutus in uſufructu magis eſt fideicommiſſarius quam heres.*
15. *Et vocati ad ſolidam proprietatem habent ius tranſmittendi, adcreſcendi & non decreſcendi.*
16. *Subſtitutio acceſſoria intelligitur ſecundùm præcedentem.*
18. *Valet argumentum à ratione finali unica etiam tacita.*
20. *Pluralitas reſolvitur in ſingularitatem.*
21. *Indefinita æquipollet univerſali ex propria verborum ſignificatione in negativis.*
22. *Qualitas maſculinitatis facit ut poſiti in conditione ſint in diſpoſitione.*
23. *Conjuncti verbis habent ius accreſcendi, niſi teſtator aliter diſponat. 26.*
24. *Nepotes veniunt appellatione filiorum.*
25. *Subſtituti capiunt ius à ſolo teſtatore.*
27. *Pater poteſt ſine decreto prædia filiofamiliàs vendere in caſibus à iure permiſſis, non alàs, nec filius indiget reſtitutione in integrum.*
28. *Etiamſi ſit heres patris in quantum pater ut adminiſtrator contraxit. 29.*
29. *Et cum eo contrahentes ſunt mala fidei.*
30. *Et omnes clauſulæ acceſſoriæ nullæ.*
31. *Inſtantia non tranſit in tertium, ſed vocari poteſt ut liti adſit.*

CONSILIUM XL.

VIſis & diligenter examinatis exemplis teſtamenti dictæ tranſactionis factæ per dictum Claudium tam ſuo quam adminiſtratorio, nepotum nomine Chriſti Redemptoris unici nomine invocato.

1. Ad primam quæſtionem, an dimidia hereditatis dicti decani, in qua Claudius fuit inſtitutus per obitum unici filii ſui maſculi liberè & ſine onere remanſerit Claudio, an verò tranſlata fuerit ad nepotes ex dicto filio prædefuncto. Omiſſa diſputationis pompa, cum eam propter lectiones ordinarias non vacat profixè dictare aut ſcribere: cenſeo dictos nepotes maſculos ſubſtitutos & vocatos ſeptem rationibus ſimul concurrentibus ex verbis expreſſis & diſpoſitivis teſtamenti primi reſultantibus. Prima quia Claudius & Guillo fratres decani teſtatoris ſunt inſtituti ad onus implendi omnia contenta in teſtamento ſub ea clauſula univerſali, *Tout le contenu*, quæ nullam patitur exceptionem, ſed falſa in uno eſſet falſa in toto *l. ſi is qui ducenta, §. utrum ff. de rebus dubiis.* & conſequenter ad onus (quod eſt primum contentum in dicto teſtamento poſt inſtitutionem heredum,) quod poſt obitum inſtitutorum omnia prædia & immobilia remanebunt filiis maſculis eorumdem.

2. Et ad onus non alienandi nec diſponendi aliquid in contrarium, ut patet in prohibitione expreſſa, cui ratio & cauſa finalis immediatè ſubjicitur, videlicet ut poſt obitum inſtitutorum remaneant bona filiorum maſculis, & ſic non requiritur expreſſior formula ſubſtitutionis, vel fideicommiſſi, quod ſatis eſt reſultare ex verbis expreſſis & diſpoſitivis teſtamenti, *l. gallus §. 1. de liber. & poſthum. l. cum proponebatur. de leg. 2. l. quamvis l. cum virum Cod. de fideicommiſſ.* Et quod in formonibus terminis tradunt Paul. & alii in *d. l. cum proponebatur. & in l. licet Imperator. de legat. 1.* Et quæ reſultant ex verbis, dicuntur propriè contineri, *l. nominis, §. verbum ex legibus de verb. ſignif. l. tutela. in princ. de legit. tutor.* Nimis ergo frivolum eſt quod objicitur, non ſufficere teſtatorem velle, niſi diſponat, *l. quidam cum filium, de hered. inſtit.* quia tacita diſpoſitio ex verbis reſultantis ſufficit. Sed hic adeſt expreſſa diſpoſitio: quia inſtituti juſſi ſunt expreſſim implere omnia contenta in teſtamento, & ad hoc onus & non aliàs ſunt inſtituti. At in teſtamento continetur quòd bona perveniant ad eorum liberos maſculos: ergo ſi expreſsè ſubſtituti ſunt, & heredes expreſsè de reſtituendo eis gravati. Non ergo remanſit

testaror in terminis simplicis expressionis voluntatis, quæ sufficeret per prædicta, sed reduxit eam in formam expressæ & obligativæ dispositionis.

3. Confirmatur, quia expresè dixit se velle fratres institutos facere omnes usufructus suos: igitur ad vitam suam tantùm, unde fideicommissum resultat. text. *in l. Titia*, §. *Titia cum nuberet de legat.* 2. Quin ex toto progressu testamenti testator aufert institutis omnem facultatem non solùm disponendi, sed etiam relinquendi venientibus ab intestato: quia deficientibus liberis masculis, aliós subrogat & substituit: igitur non potest intelligi quòd dicti masculi venire debeant ab intestato, quia primò sunt vocati tanquam masculi privativè ad filias & quoscumque alios heredes. Secundò heredes instituti sunt limitati ad vitam. Tertiò prohibiti vendere vel alienare. Quartò totum hoc factum est principaliter in favorem dictorum masculorum, ut bona ad eos perveniant & remaneant. Quintò in defectum masculorum testator de eisdem bonis variis modis subordinatè disponit, & nullam facultatem disponendi relinquit institutis heredibus suis, nisi de fructibus in eorum vita.

4. Sextò nemo dubitat filias in defectum masculorum vocati jure testamenti, ergo multò magis eodem jure vocantur masculi, qui erant prædilecti. Quia testator in eadem dispositione non potest censeri minùs validè, aut minùs totò, aut minùs firmiter disposuisse pro personis magis & amplius, & priore & prærogato loco dilectis, quàm pro minus dilectis, *l. Publius*, §. 1. *de conditionib. & demonst.*

5. Septimò principaliter, quia prohibitio alienationis causata, maximè causa specifica, inducit dispositionem & fideicommissum ad limites causæ expressæ, ut norant omnes doctores *in l. filiusfamilias*, §. *divin. de legat.* 1. Et est text. rotundus & appositissimus *in l. fideicommissa*, §. *hæc verba. de legat.* 3. ubi hæc verba, *Te fili ergo ut prædia quæ ad te pervenerint, pretua diligentia diligas: & curam eorum agas, ut possint ad filios tuos pervenire*, decidit text. quòd habent vim fideicommissi, ut prædia nepotibus post mortem patris eorum debeantur. Quantò fortiùs in terminis nostris, quia in d. §. hæc verba, non erat prohibitio expressa, nec dictum absolutè quòd pervenirent ad filios: sed ut possent pervenire ad filios. At hic est expressa prohibitio & præcisa ne alienent, deinde expressa causa & intentio finalis quod vult pervenire ad filios masculos. Ergo indubitanter sunt substituti & vocati per illum textum in fortioribus terminis.

6. Et insuper quòd substitutio fideicommissaria inducatur etiam ex conjecturis, tenent Paulus Castrensis *in l. cùm proponebatur, per illum text. de legat.* 2. Alexander. *conf.* 14. *col. ultim. libro quarto.* Franc. Curtius *senior. conf.* 73. *numer.* 13. Jason *conf.* 33. *conf.* 42. *conf.* 104. *cum sequenti. libro primo.* Stephan. Bertrand. *conf.* 222. *ad finem lib.* 2. Verùm hic non sumus in conjecturis, sed in evidenti voluntate, imò in aperta dispositione per prædicta, & maximè postquam fideicommissum est introductum: tunc enim sufficiunt conjecturæ ad illud ampliandum, & sic ut censeantur vocati ad omnia, non ad portionem patris sui tantùm, sed etiam patrui vel patrui magni. Philippus Decius, *l.* 1. *Cod. de institut. & substitut. sub conditione factis & conf.* 15. Alexand. *conf.* 52. *col.* 6. *libro quarto.* Id quod secundam quæstionem respicit.

7. Quantum ad secundam quæstionem, si dicti pronepotes sunt vocati non solùm ad portionem avi sui paterni, sed etiam ad portionem patrui magni, & sic ad bona utriusque heredis, & ad universalem successionem. Prima facie videtur quòd non, multis rationibus. Prima, quia substitutio eorum potest in totum revocari in dubium ex tenore testamenti, ibi, *Après leur decez demeure à leurs enfans masles procréez en loyal mariage, & non autrement.* Cùm ergo loquatur de filiis procreatis ex matrimonio certarum personarum videlicet Claudii & Guidonis, sequitur quòd substitutio non loquitur de filiis procreatis ex alio matrimonio aliarum personarum, quemadmodum institutio natorum vel nascitorum ex tali uxore non porrigitur ad natos vel nascitos ex alia. text. *in l. filius a patre*, §. *si quis eo tempore de liberis & posthumis*, ad hoc *l. cum vir. de condition. & demonstrat.* simile *in l. servis legatis, de legat.* 3. ubi nomen Vir vel Mulier adjectum alicui individuo, restringitur per illud individuum, & ita tenent Bartol. Alexand. & omnes *in l. placet de liber. & posthum.* Sed certum est aliud esse matrimonium Claudii instituti, aliud matrimonium filii sui: ergo de natis ex uno matrimonio fieri nequit extensio ad natos postea ex alio matrimonio. Ergo quamvis filius procreatus ex matrimonio Claudii instituti, in parte fuerit substitutus: tamen nepotes procreati ex matrimonio hiu non sunt substituti nec vocati. Quod argumentum omnes quæstiones absorbet & cessare facit.

8. Secunda, quia etiamsi dici posset appellatione filiorum procreatorum ex legitimo matrimonio heredis, venire nepotes procreatos ex legitimo matrimonio filii, quod non est expeditum, cùm sint diversa, & aliarum personarum matrimonia, & substitutiones sint odiosæ, non extendendæ, sed restringendæ. Angel. Perus. *in l. qui Romæ*, §. *duo fratres*, & ibi Alexand. *col.* 11. *de verbor. obligationib.* Rota, *decis.* 864. *testator. in fin. in antiquis.* Socin. *cons.* 113. *col.* 10. *libro primo.* Aymo Craveta. *cons.* 180. *col.* 1. Et multò minùs de persona ad personam, quæ nunquam fit. *text. cap. sane extra de privilegiis, cap. petitis* 7. *quæst.* 1. Rapha. Cuma. *in l. communissimè*, & ibi Jason *num.* 8. *de liberis & posthum.* Philippus Decius *cons.* 85. *cons.* 211. *ubi in annotat. d xi*, & *ad Philippum Decium in l. illam col.* 2. *C. de collationib.*

9. Tamen hoc non esset nisi pro parte Claudii avi paterni, non autem pro parte Guidonis. Tum quia substitutio indefinita, ibi, *Demeure à leurs enfans*, non adjecto signo utriusque, intelligitur divisim & respectivè, videlicet ut liberi masculi unius sint respectu illius substituti, & pariter liberi masculi alterius, respectu alterius: non autem quòd liberi alterius tantùm ad portionem utriusque sint vocati, text. *in l. Lucius*, §. *Caio. ad Senatusconsult. Trebellian. in l. pen. Cod. de impub. & aliis substitut.* Alexander. *cons.* 38. *lib.* 1. *cons.* 165. *lib.* 5. *ubi in annot. dixi.* Et sic dicti pronepotes nihil juris habere possunt in portione quæ fuit Guidonis, qui decessit sine liberis ex aliquo matrimonio procreatis: & sic in persona & portione Guidonis non congruit nec verificatur substitutio horum pronepotum Claudii.

10. Tertia, quia in parte & portione Guidonis, si decederet sine liberis (prout contigit) est specialis & particularis substitutio de persona Joannis *Bontemps* neporis testatoris ex Guilielmo ejus fratre prædefuncto, ut patet ex hypothesi. Ergo clausula generalis primæ substitutionis, ibi, *Et au deffaut desdits enfans masles*, non debet extendi ad portionem Guidonis, quæ habet specialem suam substitutionem, & particularem dispositionem text. *in l. coheredi*, §. *qui pater, ff. de vulgat. & pupill. in l. cùm in testamento in fin. ff. de heredit. instituend.* Francisc. Curtius senior *consil.* 63. *col.* 8. Jason *cons.* 142. *col.* 6. *cons.* 153. *col.* 3. *lib.* 1. *cons.* 53. *col. lib.* 3. *Ad hoc l. dolè clausula, ff. de verb. obligat.* Alexand. *cons.* 17. *num.* 5. *lib.* 7. Confirmatur, quia oratio est substitutio fideicommissaria, & sic satis est illam intelligere respectivè, ut liberi cujusque parenti suo sint substituti, non autem liberi unius extraneo.

11. Quibus

11. Quibus non obstantibus, quantumcumque urgere videantur, dicendum dictos pronepotes substitutos & vocatos ad novam hereditatem Decani patrui magni, non solùm ad portionem eorum avi patrui, sed etiam ad portionem dicti Guidonis, idque ex primo capite & gradu substitutionis, quo ambo instituti jubentur esse usufructuarii, & prohibentur alienare, idque hac finali expressa causa, ut post eorum obitum perveniant bona (scilicet omnia dicti Decani) ad liberos masculos dictorum institutorum, procreatos in legitimo matrimonio: quæ causa operatur extensionem ad limites causæ. Cum ergo constet hanc primam substitutionem factam esse dumtaxat favore masculorum nominis & agnationis testatoris, sequitur primò quòd si utriusque instituti supererent impari numero masculi, vocarentur ordine successivo in stirpes, videlicet ad portionem sui quisque parentis, etiamsi plures essent filii ex uno, quàm ex altero: idque jure substitutionis, etiamsi non essent heredes patrum. Sequitur secundò quòd si non supersuerint masculi nisi ex uno, quòd illi vocantur ad portionem utriusque, tum eadem causa & ratione expressa agnationis & masculinitatis.

12. Tum quia verba, *ad istos infans*, non intelliguntur divisim, nisi in casu quo [illegible] masculi ex utroque herede: aliàs verum est dicere quòd masculi ex alterutro sint masculi ex eis, & sic in masculis ex uno tantùm (deficientibus ex altero) verificantur verba primæ substitutionis in totum. Præterea duo sequentes substitutionum gradus non habent locum nisi in defectum dictorum masculorum, & consequenter quamdiu supersunt masculi sive ex utroque, sive ex altero tantùm, non est arguendum à sequentibus substitutionum gradibus, quorum dies neque cessit, neque venit.

13. Sequitur tertiò, quòd si masculi primi gradus præmoriantur, si tamen relinquant masculos ex legitimo matrimonio procreatos, illi parentis locum & gradum ingrediuntur, per text. *in l.* 1. & ibi Bald. Salyc. Paul. Philip. Corn. & omnes *Cod. de condit. insert.* per Alexandrum *in consil.* 9. *lib.* 1. *ubi in annot. dixi.* Et per hanc rationem dissolvitur prima ratio in contrarium inducta; tum quia verba, *Ex legitimo matrimonio*, ut non restringuntur ad certum matrimonium: sed restringunt ad prolem per legitimum matrimonium continuatam.

14. Ad secundam verò contrariam rationem respondeo primo, quòd inquantùm hæc prima substitutio facta est solo probabili favore prolis legitimæ masculinæ, hoc respectu favorabilis est, & sic hoc respectu non debet restringi ad sensum divisum. Plus dico, quòd eo ipso quòd primi instituti jubentur esse usufructuarii: filii verò eorum masculi absolutè, præcisè, & sine aliquo onere vocantur, cessentur priore loco in proprietate heredes instituti ad onus usufructus erga patres suos, qui magis videntur fideicommissarii, quam heredes. Et quamvis testator non fuerit usus verb. *Institutionis* circa dictos filios primo loco substitutos, hoc non curatur in linea collaterali, in qua non requiritur formula institutionis. Satis est ergo quòd voluit eos esse omnium bonorum suorum dominos & proprietarios absolutè, perpetuò, & sine onere, & sic veros dominos, juxta definitionem dictos vero Claudium & Guidonem usufructuarios; quod vero dominio opponitur, *l.* 1. & 2. *ff. de usufruct.* §. 1. *Instit. eod.* igitur filii masculi, quos dominos universæ hereditatis esse jussit, sunt veri heredes per notata, Bald. Paul. Castrens. Christophor. de Castel. Jas. *in l. filius à patre. ff. de liberis & posthum.* Bald. *in l. id quod, pauperibus*, q. 14. *C. de episcop. & cleric.* Philip. Cornel. & Jas. *in l. extraneum*, *C. de hæred. instituend.*

15. Ita quòd illi masculi habent jus adeundi & transmittendi, ut hæc tenet Paulus Picus *in l. Titia. in repet.* §. *Titia cum nuberet*, q. 26. & q. 50 *charta.* & ante eum item voluit Jas. *in l.* 1. *lect* 2. *col. secundo cum seq. ff. ad Trebellian.* Ad hoc etiam Paul. Castrens. *consil.* 239 *cum seq. lib. primo.* Ita etiam fere in simili tenui in annotationibus ad Alexandrum, *consil.* 162. *lib.* 2 *in addition* 2. *in fin.* Igitur ex consequenti necessariò habent jus tam accrescendi, quàm non decrescendi, puta sive alterius partis non sint masculi, sive sint, & nolint.

16. Minus obstat tertia ratio in contrarium allegata: quia particularis illa clausula, *Et si non frere Guiod Bontemps*, est appendix substitutionis factæ in defectum masculorum, tam Claudii, quàm Guidonis. Et casu quo habeant filias, certo modo disponit, & dividit: deinde subdit, quòd si Guido non haberet filios neque filias seu nullos penitus liberos, quòd portio sua remaneat Ioanni *Bontemps* filio defuncti Guillielmi: & sic hæc appendix intelligitur in casum substitutionis præcedentis, cui accedit, videlicet in casum, quo nulli supersint masculi ex Claudio & Guidone: qui casus defecit, & consequenter illa appendix quia regulatur à principali, *l. etiam principalis ff. de regulis juris*, *l. coheredi*, § *qui discretas, de vulgari & pupillari*, *l. ultim. ad Trebellianum.* Alexand. *consil.* 24. *col. tertia*, *lib. tertio*, *consil.* 284. *numero* 18 *lib.* 6.

17. Rursùs ineluctabilius solvo quòd dicta appendix est caduca & nullius momenti, quia ex hypothesi dictus Joannes obiit, non solùm ante Guidonem, sed etiam ante testatorem, & consequenter perinde est ac si nunquàm fuisset apposita. Confirmatur, quia testator ad nullam omnino substitutionem processit, nisi in casum deficientium dictorum masculorum, quos dominos omnium bonorum in perpetuum liberè & sine onere esse voluit.

18. Quod autem pronepotes masculi jus & locum filii prægnorum subintrent, & quòd sufficiat illum vel hos ab altero fratrum de legitimo matrimonio progenitos, ut ad universum vocentur, probatur ultra prædicta: quia ratio finalis unica & expressa substitutionis primi gradus, æquè congruit & verificatur in filiis masculis alterutrius dictorum fratrum institutorum respectu utriusque instituti, sicut in filiis unius dictorum fratrum respectu patris sui tantum. Quòd si in fideicommissis valet argumentum à ratione finali unica & tacita, text. *in l. quamvis, & ibi gloss. magna in fin.* ubi latè Philippus Corneus, Jas. & alii, *C. de fideicommiss.* Quantò fortius & indubitanter secundum omnes valet à ratione unica & expressa, Alexand. *consil.* 24. *in fin. libro secundo*, *consil.* 34. *numero* 8. *libro quinto*, *consil.* 89. *num. quarto*, *libro sexto.* Barthol. Cæpola *cautela cavi. consil.* 74. Hinc necessariò sequitur quòd si alter dictorum fratrum decesserit, relictis liberis masculis, alter verò sine masculis, vel sine ullis liberis, quod iste liberis carens non est melioris conditionis, nec habet manus liberiores præ illo qui reliquit masculos. Sed quemadmodum pater relinquens masculos, tenetur ejus bona dicti testatoris integra relinquere, vel restituere, nec potest ullo modo, nec inter vivos, nec in ultima voluntate aliter disponere: ita decedens orbus tenetur ejusdem generis bona (scilicet quæ à primo testatore habuit) dictis masculis integra relinquere vel restituere, nec potest ullo modo, nec inter vivos, nec in ultima voluntate aliter disponere.

19. Non enim à primo testatore vocantur filii masculi unius fratris tantum, sed filii masculi utriusque instituti, hoc est tam hujus, quam alterius fratris: non enim possunt esse filii utriusque simul. Et

tantum consideravit testator quot essent masculi & descendentes per legitimum matrimonium ab instituris, vel ab altero eorum, si contingeret unum tantum ex dictis fratribus habere filios masculos. Secundo probatur brevi & evidenti demonstratione: quia certum est testatorem noluisse alterum dictorum fratrum, maximè dictum Guidonem decedentem sine masculis, vel sine liberis, habere liberas manus, sed substitutione ligatas & gravatas. Atqui primus ordo substitutorum & honoratorum, qui ante omnes est qui liberè & sine onere vocatur, & quo stante nemo vocatur, sunt filii masculi dictorum duorum fratrum, ergo filii masculi alterius ex eis necessariò ad totum & ante omnes vocantur, si soli sint.

20. Et in hoc articulo pluralitas illa, *Desdits enfans masles* resolvitur in hanc singularitatem, id est filii unius dictorum fratrum, quia non possunt esse filii utriusque, ergo necessariò filii masculi unius dictorum fratrum sunt vocati & substituti in dictis bonis alteri fratrum patruo suo morienti sine masculis, & multò magis morienti sine ullis liberis. Tertio hoc probat forma, conditio, initium & progressus secundi gradus vel ordinis substitutionum dicti testamenti, ibi, *Et au deffaut desdits enfans masles*: ubi certissimum est quod illa verba, *Desdits enfans masles*, tantum significant, quantum verba, *De tous lesdits enfans masles*, vel quantum, *Des enfans masles de chacun desdits freres*: stant enim universaliter.

21. Et quanquam aliàs indefinita æquipolleat universali ex interpretatione etiam in testamentis, tradit Bartolus *in l. si pluribus de legatis 2. infr. qui ædificium de servitut. urbanorum prædiorum*, Jason *in l. 2. in fin. de liberis & posthum.* tamen hic æquipollet universali, non ex simplici interpretatione: sed ex aperta necessitate, & vi propria verborum, quæ negativè sive defectivè proponitur, ibi: *Et au deffaut*, &c. Negativa enim fortius negat, quàm affirmativa affirmat, nec restrictionem recipit, sed vi propria generaliter accipitur, & vim universalis habet, glossa, Bartholus, Paulus *l. hoc genus de condition. & demonstration.* Oldra. *quæstione* 16. Albericus, *l. ult. col. 5 C. de sponsalibus.* Philippus Decius, *l. 1. num.* 13. *ubi in annotationib. dixi C. de pactis.* Quandiu ergo supersunt masculi ex uno fratrum institutorum, sive superstite, sive præmortuo, si alter institutus moriatur sine masculis, & relictis fœminis, non est locus secundo gradui vel ordini substitutionis, sed primo gradui tantum, quo soli masculi substituuntur, & omnibus præferuntur: ergo masculi unius fratrum institutorum excludunt fœminas alterius fratris, & omnes alios eisdem fœminis per testamentum conjunctos, & multò magis deficientibus liberis, excludunt omnes alios: Et partem illam defuncti à primo testatore obventam contra omnes & ab omnibus vendicant, ut est planus & apertissimus sensus testamenti.

Sed de hoc vide quæ pleniùs scripsi in cons. pro dom. Villehermose Hispano.

22. Quartò etiam ex abundanti: quia qualitas masculinitatis propter peculiarem vim masculos includendi, & alios excludendi: tantæ est efficaciæ, ut operetur verba posita in conditione, dispositionem, & veram substitutionem eorundem masculorum inducere ad limitationem glossæ & communis regulæ de qua *in l. Lucius 2. de hered. instit.* Albericus *l. 1. C. de condition. inserta.* Philip. Corneus, *l. ab eod. C. de fideicommissis & consil. 146 col 2. lib. 2.* Franc. Curtius junior, *l. 1. num. 14. dicens sæpè consuluisse*, & ita judicatum & sententiam per consilium Venetorum confirmatam, *C. de pactis*, & ibi Philip. Decius, *num. 16. & consil. 230. consil. 318.* Guido Papæ Decision. Delphinatus, *quæst. 124.* Iason *consil. 232. libro 2.* Socin. *consil. 33. lib. 4.* Aymo Craveta *consil. 150. num. 1.* Ergo omnes masculi cujuslibet fratris sunt priùs & ante omnes vocati & substituti.

23 Plus dico, quod dicta clausula post duos ordines substitutionum apposita sub his verbis Gallicis: *Et si mon frere Guyod Boniemps n'a point d'enfans, que le tout qui luy sera demeuré comme heritier de la moitié, demeure à mon neveu Jean Boniemps*, non est alius tertius ordo substitutionis, sed limitatio secundi ordinis dictarum substitutionum, in quo dictum erat quod si Claudius & Guido decederent sine masculis, & tantum relinquerent filias, quòd media pars hereditatis spectaret ad eorum filias, & altera dimidia ad filios Guillielmi *Boniemps* fratris prædefuncti, & ad Petrum *Boudran* filium sororis testatoris. Hæc dispositio secundi ordinis substitutionum limitatur respectu Guidonis, adeò ut si nullos relinquat liberos, neque masculos, neque fœminas, portio ejus spectet Ioanni *Boniemps* nepoti ex Guillielmo fratre prædefuncto. Hoc autem non est factum sine mysterio: quia certum est quòd in terminis secundi ordinis substitutionum deficientibus masculis, & stantibus filiabus, seu neptibus, illæ conjunctæ erant pro media cum filiis dicti Guillielmi *Boniemps*, & cum dicto Petro filio sororis pro altera dimidia, in quo omnes sunt conjuncti non re, sed verbis, *l. re conjunctæ versi. item verbis, de legatis.* Et consequenter deficiente primo ordine substitutionum, videlicet masculis Claudij & Guidonis, & loco aperto secundo ordini, certum est quòd si dimidia fratrum seu nepotum quoquo modo defecisset, illa dimidia accrevisset filiis Guillielmi & filio sororis ut conjunctis verbis, *d. t. re conjunctis*. Quod animadvertens testator volens præferre filium fratris Guillielmi filio sororis in portione Guidonis, quam videbat carere liberis, addidit illam appendicem, ut filius fratris filio sororis præferretur, satis ostendens quam mallet masculos è masculis filiabus præferri, natis ex eis, & sic dicto Petr. *Boudran*: tantum abest ut dicta clausula actoribus noceat, quæ etiam duplici ratione vacat. Prima, quia stantibus masculis è dicto Claudio deficit. Secunda, quia præmortuo Ioanne *Boniemps*, caduca est, ut ex ea nullum possit argumentum duci contra actores.

24. Quantum ad tertiam quæstionem, si pronepotes ex Claudio vocati sint, & alios excludant? Hæc quæstio jam soluta est ex præcedentibus: quoniam appellatione filiorum veniunt nepotes, quando habent qualitatem contemplatam in testamento, ut quia sunt masculi legitimè descendentes ex masculis, & sic nihil impedit quin teneant locum patris, quando in proximo gradu inveniuntur extante conditione substitutionis, ut hic *l. ista, l. liberorum, de verborum significatione.* Et ita in propriis terminis tenet Alexander *in consilio nono, libro primo.* Et generaliter quòd appellatione filiorum veniant nepotes ad eorum commodum in testamentis & substitutionibus, tenet Ludovicus Romanus *consil. 129.* Alexand *consil. 5. consil. 26 (ubi in annotat. dixi) lib. 3. consilio 56 lib. 5. consil. 7. libro sexto*, & maximè quando filii in nomine plurali sunt vocati; ut hic Bald. *consilio 186. quidam magni, libro quarto*, & plenè docui in annotation. ad Alexand. *consilio primo, libro primo.* Et sic non est dubium quin omnes alios excludant, quemadmodum parer eorum excluderet, & perindè atque essent filii primi gradus Claudii instituti: semper enim tam moriente Guidone quàm Claudio, soli primum locum filiorum masculorum tenuerunt.

25. Et sic tam ad partem dicti Guidonis, quàm ad partem dicti Claudii substituti sunt, & omnia liberè vendicare possunt, etiam si neutrius heredes sint: quoniam in istis bonis dicti testatoris ab illo

solo causam & jus immediatè capiunt, & non à patre nec ab avo paterno; nec à patruo magno, *l. coheredi, §. cùm filia,* & ibi Bartol. Alexand. & omnes, *ff. de vulgari & pupillari substitutione. l. ultima, C. communia de legat.* Alexand. *consil.* 30. *num.* 5. *libro secundo, consil.* 100. *num.* 4. *libro tertio.* Anton. Rub. *consil.* 36. Philippus Decius *consil.* 1.

26. Quantum ad quartam quæstionem, an Guido liberè testari potuerit, ex eo quòd Joannes *Bontemps* substitutus sine liberis prædeceſſit, suprà responsum est. Et insuper si dicti masculi defecissent, defectus caducæ substitutionis Joannis filii Guillielmi contingens per obitum dicti Joannis fecit locum juri accrescendi, aliis substitutis verbis conjunctis. Et consequenter dictus Guido non poterat aliter disponere, nec heredem habere ex testamento, vel ab intestato.

27. Quantum ad quintam quæstionem, an dictus Claudius potuerit facere dictam transactionem cum dicta vidua & Petro *Bondram*, eisque quædam prædia Guidoni ex testamento dicti Decani obventa relinquere, & an ea sine in integrum restitutione vendicare possint nepotes Claudii transigentis? Respondeo transactionem nullam, utpote de prædiis nomine minorum sine decreto factam & rectè vendicari posse, *l. non solùm, C. de prad. minorum*, præsertim cùm sit facta ab avo habente usumfructum dictorum adventitiorum, ut secundum jus observatur in Comitatu Burgundiæ, & cui specialiter omnis alienatio & hypotheca prohibetur, *l. cùm oportet, §. non autem, C. de bonis quæ liberis, l. 1. & 2. C. de bonis materni.* Non est enim facta est transactio propter æs alienum, nec propter alimenta nepotum, quibus ex causis tantùm permittitur patri, mobilibus non sufficientibus, prædia filiorumfamiliàs vendere, *l. cùm non solùm, §. sin autem æs alienum, C. de bonis quæ liberis*, etiam sine decreto, secundùm Bald. ibi Azo. *in summa tod. tit.* Andreas Alciat. *in l. præses, C. de transact.* Philippus Decius, *in l. pactum ad finem, C. de collation. ubi in annotation. citati.* Carol. Rui. *consilio* 101. *col.* 2. *libro* 5. Decius *consil.* 209. *libro* 3. Andr. Tiraq. *de legib. connubia, glos.* 3. *num.* 34. Sed cùm nulla causa permissa subsit, nec expressa sit in transactione, remanet funditùs nulla. Quamvis enim patet vel avus paternus haberet legitimam administrationem liberam à redditione rationum & cautione fructuaria, *d.l. cùm non solùm, §. sin autem*, in judicio agere, tamen non potuit transigere nisi retinendo totum, *l. nulli ff. de transact.* non autem relinquendo partem etiam modicam prædiorum: & tantum abest necessariam esse restitutionem in integrum, ut nec sub Rege quidem Franciæ, cujus Cancellaria valdè quæstoria est, opus esset litteris Regiis, cùm constet de nullitate, nec agatur de actorum facto, ut in Senatu Parisiensi præsens *ἐγκυρίευσα* bonæ memoriæ domi. Ioanne Selva Præside primo judicari vidi.

28. Amplio prædicta, etiamsi hi nepotes sint heredes avi transigentis, & qui tam suo proprio, quàm nepotum nomine se obligavit: quia in quantum avus nomine suo contraxit, videlicet ratione ususfructus ad se pertinentis, non possunt nec debent nepotes contravenire, nec aliquid petere de fructibus tempore vitæ avi collectis, & hoc modo satisfaciunt transactioni, inquantum avus nomine proprio contraxit: non enim intelligitur proprio nomine se obligasse, nec fidem suam adstrinxisse, nisi in quantum negotium ad se pertinebat, ex quo pertinebat in parte, videlicet ratione ususfructus: in reliquo verò nil censetur fecisse, nisi tanquam administrator, & sic nulliter quoad prædia, de quibus agitur.

29. Et sic non obstante dicta transactione, possunt nepotes liberè vendicare cum fructibus à die mortis avi, propter malam fidem viduæ & Petri, qui contraxerunt cum legitimo administratore extra casus à jure permissos, & sic nulliter & mala fide, *l. 1. C. de instrumento, & jure hastæ fiscal. lib.* 10. *c. qui contra jura, de regulis juris, in sexto*, & propter nullitatem nulla descendit obligatio in heredes. Bald. Salic. Paul. *in l. cùm à matre, C. de rei vendit.*

30. Et consequenter omnes clausulæ accessoriæ ut promissiones evictionis & ratificationis nepotum, nullæ, qui etiam nunquam ratificarunt, ut non tenentur, quamvis essent heredes, *gloss. l. si patronus, §. patronum verb. Fabianc ff. si quid in fraud. patron. text gloss. in capitulo secundo, extra de precariis.* Cynus *in l. 1. C. si quid in fraudem patron.* And. de Isernia *de prohibita feudi alienatione per Lotharium, in usib. feud. consilio* 32. *in princip. libro secundo, uti in annotat. dixi.* Philippus Decius *consil.* 488. *in fine.*

31. Possunt etiam hi nepotes resumere litem cœptam ab avo contra dictam viduam & Petrum eorum heredes, in statu quo erat tempore dictæ transactionis: in totum tamen avus agebat eorum nomine, videlicet non pro fructibus collectis in vita avi, & gratiam habere peremptæ instantiæ pro stylo loci. Nec obstat quod quidam censuerunt necessarium esse venire per viam novæ actionis, saltem contra tertios emptores & possessores, qui à vidua & Petro emerunt, cum in singularem successorem non transeat instantia, *l. si constante in fin.* soluto matrimonio, quia remedium est quod resumatur vetus instantia contra viduam & Petrum & eorum heredes, cui avus renuntiare non potuit, in quantum nomine nepotum agebat: & tunc citabuntur possessores ut causæ adsint, dicant & faciant quicquid voluerint, quominus sententia quæ contra authores feretur, sit in eos executoria. Quæ praxis in jure optimo fundatur. Primò *in l. sæpe de re judica. in l. cum filiusfamilias*, ubi latè Socinus *de verb. obligat. in l. 2.* ubi Philippus Decius, *num.* 44. *C. de edendo*, Decius *consil.* 187. *col. ult.*

32. Ad septimam quæstionem de detractione legitimæ vel Trebellianicæ nullus est hìc locus, nec legitimæ, quia collateralibus non debetur, nec Trebellianicæ, quia prohiberi potest Auth. *sed cum testator. C. ad legem Falcidiam*, quæ satis expressè prohibita est, ex quo fratres tantum in usufructu instituti fuerunt, imo non erant veri heredes nec capaces Trebellianicæ, ut nuper dixi, tum propter alias præcisas clausulas testamenti. Et ad summum Trebellianica illa absorbetur fructibus per Guidonem & suos perceptis, *l. mulier. §. si heres, in fin. ff. ad Trebellian.* Et ita censeo ego Carolus Molinæus I. V. Doctor, Franciæ & Germaniæ Iurisconsl. legum Professor Dolanus, in quorum fidem propria manu subscripsi, & gentilitiam *στεγανίδα* apposui. Actum Dolæ Kalendis Augusti, anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto.

EPITOME CONSILII LXI.

1. *Fructus pignoris debent in sortem principalem imputari.*
2. *Non obstante pacto quo agitur de fructibus non cõputandis in sortẽ, quia tale pactũ est usurarium.*
3. *Omnis pœna apposita dationi quantitatis est usuraria.*
4. *Usurarius nunquam præscribit, nec creditor possidens pignus mille annis.*
5. *Venditori re tradita currunt usuræ pretii, etiamsi res non ferat fructus.* 9.
6. *Quoties sunt permissæ usuræ, valet pactum de fructibus non imputandis in sortem.* 12.
7. *Contractus innominati regulantur secundum naturam contractuum nominatorum, quibus assimilantur: valet pactum taxans usuras dilatæ solutionis.*
8. *Valet pactum taxationis usurarum dilatæ solutionis.*
10. *Princeps ligatur contractu etiam cum subdito, suo facto.*
13. *Usuræ quædam lucratoriæ, quædam recompensatoriæ, & hæ non sunt usuræ.*
14. *In pacto oneroso valet pœna acquisita dationi quantitatis.*

CONSILIUM XLI.

ILlustris utriusque Siciliæ Rex Renatus & Provinciæ comes luere cupiens castrum Raynardum, quod magnificus miles Ioannes Arlatam pro certa pecuniæ quantitate impignoratum possidebat. Quod idem Rex propter occurrentia diversarum impensarum oneta, nequiret aliter illud recuperare, nisi magnificus Ludovicus de Bernam officium visitationis gabellarum fluminis Rhodani ex justo & legitimo titulo & continuata possessione ad se pertinens purè & simpliciter designaret in manus ejusdem Regis consetendum, & datum præfato Ioanni Arlatam, pro tuitione & recuperatione dicti sui castri: præfatus Ludovicus dictum suum officium cessit, & resignavit: quod cum effectu nactus est dictus Ioannes, & sic castrum Regi restitutum: Rex autem dedit, dare & solvere promisit præfato Ludovico & suis heredibus ac successoribus quibuscumque, loco, & in compensationem dicti officii, summam mille ducatorum auri boni & justi ponderis, quam summam exhausto ærario præsentialiter solvere non valens, ne dictus Ludovicus damnum interim pateretur, idem Rex dicto Ludovico, suis heredibus & successoribus quibuscumque pignoravit, & loco pignoris pro dictis mille ducatis dedit, tradidit, & assignavit omnia ramagia, herbagia, & alia pascua quæcumque territorii villæ Ariarum & eorum jura, ita quòd ipse Ludovicus, & sui heredes & successores ex tunc possint liberè ita tenere, possidere, vendere, locare, ac eorum ità fructus, proventus, ad quamcunque pecuniæ summam annuatim ascendant, recolligere, donec ipsi Ludovico aut suis heredibus fuerit integra solutio facta dictorum mille ducatorum auri, cum clausula & pacto expressis, quòd dicti fructus & proventus non deberent deduci nec computari in sorte principali, nec in totum, nec in parte, cum clausulis ex certa scientia, & in verbo regali, & aliis derogationibus opportunis, ut constat authentico instrumento sub signo & sigillo præfati Regis, die 17. Iunij anno 1438. vi cujus concessionis, pacti, & conventionis, præfatus Ludovicus dictorum ramagiorum, herbagiorum & pascuorum fructibus, juribus, & commodis usus est, & integrè, publicè & pacificè possedit ipse & Carolus filius ejus & heres universalis per spatium 37. annorum, & donec idem Carolus in præsentia & de assensu dicti Regis, dictam impignorationem & omnia jura, & actiones reales & personales cessit & transtulit nobili viro Girardino Boucherio Præfecto ærarij & Secretario dicti Regis, & ejus heredibus quibuscumque, simili summa mille ducatorum auri, de qua amicabiliter concordatum & conventum fuit. Et prædicta cessio fuit à præfato Rege, ex certa scientia & deliberatione sui consilij acceptata & confirmata, unà cum reiterata confirmatione & approbatione primæ impignorationis, & concessionis, & pacti, de non imputandis fructibus in sortem. Et ultra in quantum opus esset idem Rex præfato Girardino de novo, in quantum opus esset, dedit, cessit, & remisit dicta ramagia, herbagia, & jura de certa scientia, motu proprio, & deliberatione sui consilii, volens quòd dictus Girardinus vita sua durante, illa habeat, possideat, locet, & fructus colligat, ad quantamcumque summam ascendant: & de illis ut dominus de re sua propria disponat, cassando subrepticiam concessionem cuidam alii factam, & derogando omnibus obstare volentibus, promittendo non contravenire sub verbo, honore, & fide regalibus, & ad hoc heredem sub benedictionis obtentu adstringendo, ut de his constat authentico instrumento, sub signo & sigillo præfati Regis Renati, anno Dom. 1475. die 9 Decemb. Vi cujus concessionis & confirmationis dictus Girardinus publicè possedit, & usus est dictis ramagiis & pascuis, quandiu vixit, & post eum nobilis domicella Magdalena *Boucher* ejus filia & heres: quæ nunc & ab anno 1501. cœpit inquietari ab officialibus præpotentis Regis Francorum, heredis dicti Renati Regis & Comitis Provinciæ.

1. Quæritur an dicta Magdalena possit inquietari & privari jure & possessione dictorum ramagiorum, & pascuorum, non soluta sorte principali dictorum mille ducatorum auri? Et prima facie videretur dicendum, quòd sic: quia constat quòd concessio dictorum ramagiorum & pascuorum fuit vera & mera pignoratio, pro summa mille ducatorum auri debita & promissa à dicto Rege, dicto Ludovico de Bernam, & suis successoribus. Sed juris est indubitati, fructus rei pignoratæ nedum perceptos à creditore, sed etiam qui ab eo percipi potuerunt, imputari sorti principali, & ipso jure illam extenuare, ut sunt text. aperti in *l. 1. & 2. C. de pign. action. in l. si dominium, C. de pignor in l 2. C. de pact. pign. in l. 1. C. de distract. pign. text. in c cùm contra extra. de pign. c. exquestus de usuris*, ergo dicta Magdalena nedum tenetur liberè restituere dicta ramagia & pascua, sed etiam eorum fructus & reditus tam ab ea, quàm à suis decessoribus perceptos, & qui percipi potuerunt, quatenus excedunt dictam summam ducatorum auri.

2. Non obstat pactum de fructibus non computandis in sortem: quia tale pactum est usurarium, nec valet, ut tenet Bald. in *l. 1. C. de distr. pign.* & in tantum est reprobatum, quòd etiam non valeret consuetudo & statutum de lucrandis fructibus pignoris, tanquam contra jus divinum, & in fraudem usurarum, ut tenet Bart. *in l. si finita*, §. *Iulianus. col. ult.* & ibi sequuntur August. Joan. de Imol. *de damno infecto.* Non obstat confirmatio & reite-

ratio dictæ concessionis facta ab eodem Rege dicto Girardino post 38. annos: quia nihil aliud est, quàm pignorationis continuatio, & eodem vitio laboraret, quo primum pactum: ergò non potuit operari lucrum fructuum, quia hoc esset usurarium.

3. Tum constat quod principale debitum in certa quantitate pecuniæ consistebat & consistit, ut in mille ducatis auri. Ergo omnis pœna, seu omne pactum lucrativum appositum in defectum vel dilationem dictæ quantitatis, est usurarium & nullum: ut indistinctè tenent contra omnes Doctores utriusque juris, & omissis diffusis concordantius. Ità latè decidit Alex. *cons. 41. incip. Paucis utar. lib. 4.* Joan Andr. *in addit. Specul. de oblig. & solut. in princ. numer. 4.* Salyc. *in l. cum allegas. C. de usur.*

4. Non obstat lapsus temporis plusquàm longissimi, & per idem tempus continuata possessio, tum quia in materia usuraria nunquam ullo tempore currit præscriptio, ut notat Alex. *cons. 46. incip. Circa præsentis consilij materiam. vol. 3. in 1. & col. 2. & in cons. 14. vol. 6.* tum quia creditor possidens pignus, nullo unquam tempore præscribit contra debitorem. Ratio, quia oblatio debiti, vel illius cum fructibus compensatio, & pignoris repetitio, est meræ facultatis, cum nunquam præscribatur, text. ubi omnes notant in *l. cum notissimi, §. eodem iure. C. de præscriptione triginta vel quadraginta annorum.* Et quòd possit debitor pignus vendicare, debito in fructibus compensato, non obstante lapsu temporis, est text. in *l. ult. C. de pignor. action.* Et quod hoc possit etiam post tempus longissimum, & quandocumque tenent glos. Bart. Joan. Faber. *in dicto §. eodem iure.* Panorm. *in c. quoniam frequenter. §. ult. col. 27. ut lite non contest.* & ibi Bald. *col. ult.* & Bald. *in rub. col. 4. extra de præscript.* Nec valent dicere quod dictus Girardinus fuit tertius acquisitor dictorum jurium, tum quia acquisivit sub eadem qualitate pignoris & crediti, tum quia per prafatam confirmationem factus est creditor dicti Regis in dicta quantitate mille ducatorum: ergò contra eum & contra dictam Magdalenam ejus heredem vendicant sibi locum omnia præfata jura pro nullo pacto, & nullo temporis lapsu, tenetur jura pignorata restituere, fructibus in sorte computatis. Ita etiam post Canonistas tenet Philipp. Decius *cons. 119. col. 3. in 2. disputatione.* Quod etiam tenent Theologi, ut Gabriel Biel *in 4. Sentent. distinct. 15. quæst 11. col. 17.*

5. Sed tamen prædictis non obstantibus, contrarium de jure & æquitate verius puto, quòd domina Magdalena fecerit & faciat fructus suos cum effectu, tam perceptos, quàm percipiendos in futurum de dictis ramagiis & pascuis, & quòd non possit nec debeat expelli, nec turbari, nec restituere illa teneatur, nisi integra soluta summa mille ducatorum auri, secundùm formam & tenorem prædictarum concessionis, pacti & confirmationis regiarum. Quod probo: quia juris est exploratissimi, quod quando quis vendit rem suam ex qua fructus & reditus annuos percipit, & illam tradit, si pretium sibi non solvatur, tunc absque alia interpellatione statim quod rem tradidit, debentur sibi usuræ pretij non soluti, & licitè potest eas exigere, quandiu differtur solutio pretij, text. est in *l. curabit. C. de action. empt. in l. fructus. in fine. C eod. tit. l. Julianus. §. ex vendito. ff. eo. in l. ult. ff. de peric. & commod. rei vend. l. evictis in fin. ff. de usur. l. 2. C. eod.* Et hujusmodi usuræ mero jure debentur eo ipso, quod venditor implevit ex parte sua, etiamsi emptor nullos fructus ex se percepit, si hoc sua culpa contigerit, sive casu, aut natura rei peremptæ, aut sterilis: quia debentur ratione implementi, & fidei præstitæ, quod est statim re tradita, ut expressè notat Bald. in *l. usuras. C. de usuris.* Et sequitur Paul. *de Cast. in d. l. curabit.* Idem Petrus Anchar. *in repet. cap. peccati venia. de reg. int. in sexto.* Ioan. de Ana. *in c. conquestus, extra. de usur.* Alexand. *in consil. 147. num. 2. col. 5.*

6. Similiter expeditum est de jure, quod isto casu & aliis similibus, quibus sunt permissæ & debitæ usuræ, valet pactum quod fructus rei pignoratæ pro pretio vel sorte principali debita cedant & remaneant creditori loco usurarum, text. est in *l. si ea lege. C. de usuris.* Et in tantum est validum illud pactum, quòd non potest infringi, nec dici usurarium, ut est textus rotundus in *d. l. si ea lege*: quia ut ibi dicunt glos. Bart. Bald. Salic. & omnes, tempore pacti est incertum quantum futuri fructus pignoris debeant ascendere. Et sic ratione incertitudinis valet conventio de illis lucrandis: quia sicut poterit lucrari creditor si fructus excedant usuras, ita poterit perdere si fructus minus ascendant, & de incertis lucris & damnis videtur per hujusmodi pactum esse transactum. Et isto casu limitatur, & non procedit *d. c. conquestus de usuris.* & similia jura, ut statim latius dicetur. Quod autem dictum est in venditione, idem dicendum est in permutatione.

7. Idem contractu, *do ut des*, & aliis contractibus innominatis, in quibus traderetur vel redderetur res ferens fructus annuos pro alia certa re vel quantitate. Et sic quantum ad id de quo quæritur, haberent eamdem similitudinem & rationem cum contractu venditionis & emptionis. text. sunt in *l. 1. §. si quis rem suam. ff. depositi in l. naturalis. §. at cum do. §. sed si facio, ff. de præscript. verb.* & ubique notant Bart. & omnes sequuntur, quod contractus innominati regulantur & judicantur secundùm naturam contractuum nominatorum quibus assimilantur. Cardo autem & punctus quæstionis præsentis vertitur & consistit in illis terminis, quia constat quòd dictus Ludovicus *de Bernam* resignavit, dedit, cessit, & dimisit officium suum visitationis gabellarum prafato Regi, ad ipsius Regis utilitatem, pro dicta summa mille ducatorum auri, quam sibi promisit dare & solvere idem Rex. Itaque liquet quòd fuit vera venditio officij pro pretio dicta summæ, cum hic reperiantur omnia substantialia emptionis & venditionis, videlicet res, pretium certum in pecunia, & consensus. Aut saltem non potest absque manifesta tergiversatione negari quin sit contractus, *do ut des*, vel *facio ut des*, seu *do & facio ut des*. Quodcumque eorum sit non refert, ut dictum est, quia ex quo constat quod ex officio cesso, dato & dimisso, fructus, reditus, honores, stipendia annua, menstrua, & quotidiana percipiebantur, sequitur quòd statim ut prafatus Ludovicus pro parte sua implevit dando, & dimittendo de facto in manus Regis dictum officium, fuerunt sibi debitæ, & cœperunt eo ipso currere usuræ, donec dicta summa mille ducatorum auri in locum & recompensam dicti officij, & jurium ejus solveretur per pura jura prædicta.

8. Super quo est notandum quod valet pactum & taxatio usurarum de illis, quandiu differtur solutio pretij aut sortis principalis, & solvendis & exigendis usque ad quantitatem, ad quam ascendunt fructus, reditus, & emolumenta rei, ex causa venditionis, & alia simili onerosa causa cessa & tradita, ut eleganter in terminis not. Paul. de Cast. *in l. Julianus, §. ex vendito, ff. de actionib. empt.* Saly. *in dict. l. C. de usuris.* Alex. *cons. 69. num. 14. lib. 1.* Cùm igitur simus in casu in quo usuræ sunt debitæ & exigibiles ex dilatione solutionis sortis: sequitur quòd valuit & valet pactum de quo agitur, ut fructus rei pignoratæ cedant & remaneant penès creditorem in locum usurarum debitarum, & sic non possunt ullo modo imputari in sortem principalem, sed in solas usuras imputantur. Et quamvis non sit certum an fructus rei pignoratæ æquivaleant fructibus officii cessi & traditi, & sic legitimæ usurarum quantitati, illa dubietas & incertitudo nullo modo vitiat pactum istud, sed illud

justificat, & per text. in *d. l. si ea lege, C. de usuris.* Ex his liquet quod de mera juris dispositione, & rigore, fructus & reditus dictorum ramagiorum non possunt imputari in sortem principalem, nec in totum, nec in partem.

9. Ulterius quod nec de æquitate rationis possint imputari ostenditur: quia ratio propter quam contractum ex parte sua implenti debentur usuræ à non implente, est, quia implens non debet carere re, fructibus & pretio: & is cui impletum est, non debet retinere rem, & fructus percipere, & etiam retinere pretium absque onere usurarum, aut alterius recompensationis. Hoc enim esset valde inæquale, & sic contrarium æquitati, quæ æqualitatem desiderat, sic naturali rationi, quæ vult neminem locupletari cum jactura aliena. *l. nam hoc natura, ff. de reg. jur.* Et hoc est quod dicit text. in terminis *d. l. Julianus, §. ex vendito.* quod cum re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretij impendere. Igitur cum præfatus illustris Rex fructus sit dicto officio ad libitum, & mediante illo, recuperaverit castrum suum Castri Renardi, aliàs nullo modo recuperandum, & eodem castro ejusque fructibus & reditibus liberè fruitus sit, æquissimum fuit ipsum impendere usuras pretii dictorum mille ducatorum, quandiu solvere differret: ergò æquissimum fuit dictum pactum de fructibus pignoris in usuras impendendis: ergò illud rescindere esset iniquissimum, & majestate regia indignum. Et hæc juris, æquitatis, & æqualitatis ratio in causa fuit, quòd idem æquissimus Rex ex deliberatione matura sui consilii fecit, & repetita deliberatione renovavit, & confirmavit prædictum pactum de fructibus pignoris in sortem nullo modo imputandis. Et quòd hæc fuerit causa & ratio finalis, patet ex tenore, & verbis expressis præfati Regis, in præfatione clausulæ pacti de quo agitur, ubi expressè dicit se istud pactum facere ne dictus Ludovicus intuitu majestatis ipsius Regis, patiatur damnum, propter carentiam relignati officii, & pretii dictorum mille ducatorum.

10. Ulterius & tertiò quòd nec salva fide & honestate majestatis, Regis posset istud pactum infringi, clarum est, quia Princeps suo contractu ligatur, etiam inito cum subdito, & præcisè tenetur ad observationem, ut in *c. 1. de probat. in l. digna vox est. C. de legib.* & utrobique notant Doctores. Et nihil præclarius in Principe quàm fidem servare, text. in *authen. inter claras, §. de Sanct. Trin. & fide Cath.* Sed præfatum pactum in fide & verbo regio bis firmatum est, ergo nullo modo violandum, etiamsi secundùm vigorem & subtilitatem juris pactum non subsisteret: quia pacta facta cum Principibus sunt lex, & habent vim & robur legis, text. in *l. pen. & ult. C. de don. inter vir. & uxor.* not. Bart. *in text. l. cessat. per illum text. ff. de public.* Bald. post Cyn. *in l. ea lege. C. de condic. ob causam.* & eleganter ait Bald. in *consil.* 418. *incip. Petita venia, col.* 1. quod non debet inter Principes de apicibus juris disputari, nec versuti juris angustiæ trutinari, sed sola veritas, quam colit jus gentium.

11. Ulterius & quartò, pro irrevocabili firmitate dicti pacti facit longinquitas temporis ferè centum annorum à dicto pacto, quod plus sexaginta annis à præfato Rege & suis successoribus, & scienter absque contradictione toleratum fuit, ex quo tam longo tempore facta, nunc commovere nimiæ esset tergiversationis, ut inquit text. in *Authent. de non alien. aut permutand. §. nos igitur, in fin.* Facit repetita confirmatio & approbatio dicti pacti ex scientia certa, & consilij deliberatione facta post multum intervallum, videlicet 37. annorum, quæ quidem solemnis geminatio multum debet operari per not. Bartol. in *l. cum scimus. C. de agricol. & cens. lib.* 11. Facit sententia & arestum latum pro dicto Girardino patre dictæ Magdelenæ, ad confirmationem dicti pacti: ex quibus dubio procul concludendum est dictum pactum fuisse validum, & ratum esse debere. Superest ad allegata in contrarium respondere.

12. Ad primum, videlicet ad regulam *l. 1. & 11. C. de pign. action. c. conquestus. de usuris.* & similium jurium; respondetur, quod illa vulgaris regula procedit regulariter, sed limitatur in casu præsenti in quo usuræ sunt licitæ & debitæ, & factum est pactum de fructibus pignoris retinendis pro usuris: quia tunc nullo modo debent extenuare sortem principalem, ut prolatum est per *d. l. si ea lege. C. de usuris.* Et quod tali casu fructus non extenuant sortem, tenent expressè glos. ult. in *d. l. 1. C. de distract. pignor.* & ibi Bald. dicens usuras esse permissas in casu nostro, etiam de jure Canonico: & quòd quandocumque sunt licitæ usuræ de jure Canonico, validum est tunc pactum de fructibus pignoris non computandis in sortem, sed retinendis pro usuris. Et idem tenent expressè glos. Pan. Fely. & omnes Canonistæ in *d. c. conquestus.* ubi ita limitant regulam dicti capituli. Et per hoc respondetur ad secundum, in quo dicebatur illud pactum esse usurarium: quia falsum est, imò est justum & legitimum omni jure in isto casu speciali.

13. Et hîc notandum secundùm quod inquit Bald. & Saly in *l. 2. C. de usur.* quod usuræ quædam sunt lucrativæ, quædam recompensatoriæ. Lucrativæ sunt illæ, quæ non habent ullam sortem specialem cui commensurentur, sed in sola & nuda temporis dilatione fundantur. Et istę propriè usuræ dicuntur, quia sunt omninò ultra sortem, & sine sorte, & sunt omni jure reprobatæ & damnatæ, & in illis procedunt pro contraria parte supra allegata. Recompensatoriæ autem non dicuntur propriè nec simpliciter usuræ, sed solùm secundùm quid, videlicet respectu sortis principalis, tamen non sunt verè usuræ, quia non sunt sine sorte: sed habent propriam & specialem sortem cui adæquantur, & commensurantur, & in qua fundantur, ut patet in usuris debitis venditori post rem traditam, quia illę respiciunt usum & fructus rei, quibus caret venditor, & habent pro sorte interesse illius usus & commodi, quod abest. Sic in casu præcedenti lucrum fructuum dictorum ramagiorum & pascuorum non fundantur in dilatione temporis, sed in interesse & damno dimissi dicti officii, & redituum & stipendiorum ejus: & sic non potest dici usura nec lucrum, sed onerosa recompensatio dicti interesse licita & debita. Et quod hujusmodi usuræ recompensatoriæ sint omni jure civili, Canonico & divino permissæ & approbatæ, tenet glos. in *l. 1 verb Petrum Apostolum*, & ibi omnes Doctores, *C. de Sum. Trin. glos. in d. l. curabit. in verb. Ratio.* & ibi Bald Saly. Joan. Fab. *C. de action. empt. glos. in d. l. Julianus, §.* Papin. *in verb. Excedit. in fin.* & ibi Part. *ff. eod. glos.* & omnes Canonistæ *in d. c. conquestus.*

14. Ad id quod dicebatur omnem pœnam aut pactum oppositum dationi quantitatis esse usurarium, vel in fraudem usurarum: respondetur quòd hoc procedit in pacto lucrativo, quod non respicit aliam sortem, quam principalem, & temporis dilationem: secus in pacto onerosò, quod habet suam sortem specialem, & aliud debitum à principali cui commensuratur, quia non est usurarium, sed legitimum. Et sic satis liquet responsio ad omnia reliqua quę obstare videntur: quia loquuntur in materia usuraria, & sic non possunt militare in casu præsenti: quia nullo modo in materia usuraria. Itaque concludo præfatam dominam nullo modo debere inquietari, nec turbari, contra tenorem dicti pacti & confirmationis regię, de juris utriusque rigore & dispositione, tum de æquitatis naturalis ratione, tum ex intuitu fidei, & honestatis majestatis regiæ. Et hanc esse veritatem sentio ego Carolus Molinæus Juris Utriusque Doctor, & in supremo Parisiorum Senatu Advocatus. Datum Parisiis die vicesima octava Decembris, anno Domini sesquimillesimo trigesimo primo.

CONSILIUM XLII. DATUM FLAGITANTE DOMINO Theocreno, filiorum Francisci Primi Franciæ Regis Pædagogo, Grassensi Episcopo, ad indicandum Niciam esse de Comitatu Provinciæ, & Regem Franciæ spectare.

a cum hoc consilio explicandum interpolato.

EPITOME CONSILII XLII.

1. *Sex de substantia publici instrumenti.*
2. *Quod Nicia sit de Comitatu Provinciæ.* 3. 8.
4. *Qualitas præsumitur ex nomine dignitatis expresso.* 5.
6. *Verbum mandamus, & præcipimus idem sunt.*
7. *Valet argum. ab eo quod utplurimum fieri solet.*
9. *Subiecta materia præpolleat expressioni nimiùm propriæ.*
10. *Qualitas accidentalis non attenditur.* 11. 12. 14 15.
12. *Crimen læsæ maiestatis non committitur nisi per subditum.*
16. *Subiecta materia præpollet propriæ verborum significationi.*
17. *Communis modus loquendi & scribendi attenditur.*
18. *Iasón donatione sibi facta à Rege Franciæ pereius nititur frustratus Cancellarius non opitulante.*
19. *Verba enuntiativa pertinentia fidem faciunt.*
20. *Examen recenti actu semiplenè probant.*
21. *Et plenè in antiquis.*

CONSILIUM XLII.

ISTud instrumentum factum anno millesimo, trecentesimo septuagesimo tertio, plenissimam & integram de se, & in se facit fidem utpote authenticum, & in forma probante patet.

1. Quia primò inest data anni Domini, mensis & diei. Secundò indictio. Tertiò locus celebrationis, imò etiam locus loci, ibi, Actum Antipoli ad portalem, ubi fit macellum. Id quod evacuat difficultatem, de qua *in decisione Thesf. quæst.* 491. Quartò numerus & inscriptio duorum testium rogatorum. Quintò, subscriptio Notarij publici, & eius solemnis authenticatio. Sexto Notarij ejusdem signum. Et sic tale instrumentum est absque dubio authenticum, & per glos. in *l. generaliter* & ibi Bart. Joan. de Platea, de tabula, *lib.* 10. *Specul. de instr. edit. in princ.* Bert. de Ferra. *in forma probat. instrum. in verb. Exhibens & producens.* & plenè probat text. *in c.* 1. & ibi glos. *verbo Authentica. & in c.* 2. *& per totum, de fide instrumentorum.*

2. Per dictum instrumentum directè & manifestè probatur Niciam tunc fuisse & esse de Comitatu Provinciæ Narbonensis, & de Senescallia Provinciæ, de dominio, jurisdictione & districtu Comitis, seu Comitatus Provinciæ, & subditam Senescallo dicti Comitis vel Comitatus Provinciæ: patet per discursum & tenorem dicti instrumenti. Primò ibi agitur de dispositione certorum prædiorum, jurium & bonorum immobilium sitorum in Comitatu Provinciæ, & de eorum possessione, de restitutione, & de mittendo vel reponendo in eorum possessionem, vel non. Secundò, inquisitio & diligens indagatio super certis factis & causis recipiendæ vel restituendæ possessionis dictorum bonorum, & ipsa realis missio in possessionem, & actualis restitutio dictorum bonorum, & executio fuit commissa Subvicario civitatis Niciæ. Tertiò, commissio dictæ inquisitionis, informationis, & cognitionis causæ, & missionis in possessionem, & executionis realis fuit facta per Senescallum Provinciæ, & dicti Comitatus Provinciæ. Quartò, dicta commissio non fuit rogatoria, sed præceptiva, & mandatum directum à domino & superiore isto subdito & inferiori. Quintò, dicta commissio plenum sortita est effectum, & fuit adimpleta & nulla reali executioni per dictum Subvicarium, & tanquam subditum obediendum mandato dicti Senescalli fuit domini & superioris, & tanquam commissio, præceptum & mandatum emanans à Senescallo Provinciæ & sub illis qualitatibus.

3. Ista quinque clarè & notoriè apparent per textum & tenorem dicti instrumenti: & ex illis necessariò concluditur, quod tunc Nicia erat de Comitatu Provinciæ subdita Comiti & Senescallo dicti Comitatus Provinciæ, saltem quod Comes Provinciæ, suus Senescallus, & sui officiales erant in possessione superioritatis, jurisdictionis, territorij, & districtus Niciæ. Patuit & secundum patet per totum discursum instrumenti, ubi agitur de temporalitate Episcopatus Grassensis, quæ consistit in prædiis & bonis immobilibus suis in Comitatu Provinciæ, ut notoria facti permanentis evidentia ostendit. Et in eodem instrumento inseruntur verba dispositiva dictæ commissionis, & mandati directi directo subvicario Niciæ.

4. Tertium indubitanter patet, primò in illis verbis in prima linea, Angelus de Senis Subvicarius civitatis, & Commissarius magnifici domini Provinciæ Senescalli: ergo erat commissus à Senescallo Provinciæ, tanquam à tali, quia solum nomen dignitatis Senescalli Provinciæ exprimitur, & nulla alia qualitas adjicitur. Et sic non potest esse dubium per textum & omnes Doctores, *in c. quoniam Abbas, de officio delegati.* Secundò, in secunda linea, ibi, per prædictum dominum Provinciæ Senescallum, ergò in ista & in alia qualitate fuit facta commissio. Tertiò in 37. linea, ibi; *Et à præfato domino Senescallo aliud contra hoc præceptum habuerint in mandatis,* ubi fit mentio de jurisdictionali prehensione temporalitatis dicti Episcopi, & de præcepto facto per dictum Subvicarium, de non parendo nec respondendo ratione illius temporalitatis præfato Episcopo, vel suis Vicarijs, donec idem Episcopus restituerit quemdam captivum, vel donec à præfato domino Senescallo aliud fuerit mandatum vel ordinatum. Et sic liquet quod dictus Subvicarius procedebat in vim mandati Senescalli, & quod commissio emanavit à potestate & dignitate Senescalli Provinciæ.

5. Quartò in 38. linea, ibi; *Duo similia instrumenta, quorum unum destinetur ad præfatum dominum Senescallum, ubi dictus Subvicarius jubet fieri plura instrumenta sui processus, quorum primum dirigatur præfato Senescallo.* Et sic procedebat virtute mandati Senescalli Provinciæ, quia ad illum in qualitate curavit relationem fieri sui processus. Quinto in 44. & 45. lineis, ibi, *Dictus Subvicarius volens obtemperare & obedire reverenter, prout decet, & mandata dicti domini sui, domini Provinciæ Senescalli juxta seriem atque mentem dictarum literarum per dictum dominum Senescallum eidem Angelo*

destinatarium, & contenta in ipsis literis executioni mandare, &c. Ex quibus necessario apparet quod quamvis subscriptio dictarum literarum fuerit talis, videlicet, *Nicolaus Cancellarius Regni Siciliæ, Provinciæ Senescallus, & Rector Pedemontis*: tamen non scribebat, nec mandabat seu committebat tanquam Cancellarius Siciliæ, nec tanquam Rector Pedemontis, sed solùm tanquam Senescallus Provinciæ. Et in hac sola qualitate fuerunt receptæ, & executioni mandatæ literæ fuæ commissionis.

6. Quarum patet in tenore dictæ commissionis in sexta linea dicti instrumenti, ibi, *Placet nobis, & mandamus*, quæ sunt verba præceptiva & superioris ad inferiorem, *ut in Authent. de mandat. princip. col.* 3. & ibi glos. *in verb. mandasis*, *c.* 1. *de officio deleg.* ubi mandatum appellatur præceptivum. Philippus Decius *in c. etiam is, consil.* 2. *nota* 3. *de rescript. & in linea* 9. ibi, *Obtulit se idem Angelus reverenter obedire, & omnia alia & singula in ipsis literis adimplere.* Patet etiam in locis punctuatis, & maxime in dicta 44. linea, ubi dictus Subvicarius vocat præfatum Senescallum, dominum suum, & dicit dictas literas esse mandata domini sui Provinciæ Senescalli, & se illis obtemperare, & obedire reverenter. Ex quibus etiam necessariò infertur quintum, & hæc patent ex ipso tenore & verbis dispositivis instrumenti.

7. Ex quibus apparet Niciam fuisse & esse de Comitatu Provinciæ: tam quia alioquin Senescallus Provinciæ non potuisset dirigere talia mandata Subvicario Niciæ, nec dictus Subvicarius paruisset & obedivisset mandatis præfati Senescalli, tanquam domini & superioris sui. *c. pastoralis, in princip. de offic. deleg. c.* 1. §. *de foro competent. lib. sexto.* tum quia alioquin talia mandata de mittendo in possessionem bonorum situatorum in dicto Comitatu, nunquam emanarent directa dicto Subvicario, si fuisset de diverso dominio, jurisdictione vel districtu: sed fuissent directa judicibus & officialibus ejusdem Comitatus Provinciæ. *l. omnium*, §. 1. *ff. de bon. quib. iuss. possid.* Betr. Anchar. *in rep. c. postulasti. col.* 3. *de foro competent.* Et negotia unius Provinciæ non solent, nec debent per officiales alterius Provinciæ tractari, nec illis expedienda committi, sed officialibus ejusdem Provinciæ. Et valet argumentum ab eo quod ut plurimum solet fieri. *l. certe*, §. *ult. l. quotidie enim*, *ff. de precar. l.* 2. §. *merito, ibi & ita solet. ff. ne quid in loco pub. l. si quis donaturus, in fin.* & ibi latè Jas. *de coll. & in l. certi. cond.* §. *si nummos. ff. si certum per.* glos. Bald. Sal. *l. neque natales. C. de probat.* Quantò fortiùs ab eo quod semper solet & debet sic & non aliter fieri.

8. Ulterius apparet per tenorem alterius commissionis in dicto instrumento descriptæ, per quam præfatus Nicolaus, tanquam Senescallus comitatus Provinciæ & Forcalquerij, commisit dictum Subvicarium ad partes jurisdictionis, districtus, & loca dictorum Comitatuum, ad arcendum latrones & malefactores à dictis Comitatibus, & enumerando, specificando districtus & loca dictorum Comitatuum, expressè designat & nominat Niciam: ergò Nicia fuit & est de districtu Comitatuum Provinciæ & Forcalquerij, qui non sunt nisi unus Provinciæ Comitatus. Et cum verba sint aperta, nulla potest esse ambiguitas. *l. ille, aut ille enim cum in verbis, de leg.* 3.

9. Et sic nullo modo obstat quod in subscriptione literarum dicti Senescalli primò ponitur ejus nomen proprium, deinde sequitur expressio dignitatis Cancellariatus Siciliæ, antequam exprimatur dignitas Senescalli Provinciæ: tum quia materia subjecta, quæ spectat ad officium Senescalli, & non ad officium Cancellarij, facit quòd intelligitur facta commissio & mandatum in qualitate Senescalli Provinciæ: tum talis actus nullo modo poterat committi nec geri, nisi in qualitate Senescalli Provinciæ, ut constat ex prædictis. Igitur per notata Cardinal. Panorm. Felin. Philip. Decius in *d. c. quoniam Abbas.* tum cujus verba dispositiva executionis dictæ commissionis hic referunt solùm ad qualitatem & officium Senescalli Provinciæ, qualitatibus omissis. Igitur, &c.

10. Minus obstat quod in quibusdam locis dicti instrumenti quandoque dicatur Subvicarius Regnalis Niciæ, & quandoque Regnalis Curiæ Niciæ: & sic videretur Niciam non esse de Comitatu Provinciæ, nec de ejus pertinentiis, sed de Regno Siciliæ: aliòquin si non spectasset ad Reginam Siciliæ in quantum Regina, pellet abusus in dicto verbo *Regnalis*. Respondetur hoc nullo modo esse in consideratione, quia verbum *Regnalis* apponitur ibi, non ad designandum jus, proprietatem, vel jurisdictionem regiam, vel regneam, in dicto loco Niciæ, & illius officialibus, sed solùm ad denotandum culmen & eminentiam dignitatis regiæ: quia domina dicti Comitatus Provinciæ & suarum pertinentiarum præfulgebat tunc temporis, quia erat Regina Siciliæ.

11. Quod patet clarissimè ex discursu & tenore dicti instrumenti. Primò in linea 15. ibi, *harum tenore, regnali authoritate, qua fungimur, committimus & mandamus, &c.* Et tamen notorium est quod illa commissio nullo modo poterat fieri authoritate regnali: quia ibi mandatur inquirere & capere malefactores per loca & districtus Comitatus Provinciæ, & eorum processus facere, usque ad sententiam, etiam inclusivè, si periculum supervenat in mora: & præcipitur singulis officialibus & hominibus obedire, assistere, & auxilium dare: sed fuisset impossibile hoc fieri authoritate Reginæ, in quantum Regina Siciliæ, sed solùm in quantum erat Comes & Domina dicti Comitatus. Et sic illa verba, *Authoritate Regnali*, intelliguntur, id est, authoritate Dominæ & Comitis Provinciæ, quæ etiam regnali dignitate fulget.

12. Similiter in linea 19. ibi, *capias regnalibus carceribus mancipare*: & tamen certò certius est quod in dicto Comitatu ad quem restringebatur dicta commissio, nulli erant, nec sunt carceres spectantes ad Reginam Siciliæ, in quantum Regina, sed solùm in quantum Comes Provinciæ. Similiter in linea 29. ibi, *spiritu rebellionis assumpto contra sacram regnalem majestatem*: quia certum est quod dictus Episcopus Grassensis, qui nihil possidebat in toto Regno Siciliæ, nec erat ullo modo subditus dictæ Reginæ in quantum Regina, non poterat vere & propriè dici reus criminis lesæ Majestatis, quia tale crimen nunquam potest committi, nisi per subditum supremi Principis non recognoscentis superiorem, & in quantum est subditus, ut tenent Cyn. Ang. in *l. quisquis. C. ad leg. Jul. majestat.* late Sozin. *consil.* 275. *col.* 2. *& sequent. lib.* 2.

13. Similiter in linea 35. ibi, *sub juramento fidelitatis, quo tenentur excellentiæ regnali*, ubi per præfatum Subvicarium procedentem ad executionem literarum dicti Senescalli, factum est præceptum hominibus, syndicis & universitati de Antipoly, in eodem loco in pleno consilio existentibus ad pœnam perditionis aris & personæ, & sub juramento fidelitatis, quo tenebantur excellentiæ regnali, ut non pateretur, nec responderent dicto Episcopo super sua temporalitate fallita (verba sunt instrumenti.) Et tamen notorium est quod homines, syndici, & universitas Antipoleos nullo modo subsunt, & nullo fidelitatis juramento tenebantur, nec tenentur Regi vel Reginæ Siciliæ, sed solùm Comiti Provinciæ.

14. Pariter in linea 39. ibi, *ad curiam regnalem Aquensem.* Sed ea res nec dubitationem habet, nec unquam habuit, ut inquit jurisconsul. *in l. quæritis. ff. de rei vend.* quin exploratissimum sit curiam Aquensem non esse, nec fuisse unquam de se regiam nec regnalem, nec erat curia dictæ Reginæ Siciliæ, in quantum Regina, sed solùm in quantum Comes & Domina Provinciæ. Similiter in linea quadragesimâ

secunda,

secunda, ibi. *Notarij publici authoritate regiali. in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerij.* Et tamen æquè exploratum est dictum Notarium non fuisse Notarium in dicto Comitatu, authoritate Regiæ, in quantum Regina, sed in quantum Comes Provinciæ, quia Regina vel Rex Siciliæ non possent creare Notarios, nec aliquid disponere in Comitatu Provinciæ.

15. Ex quibus satis superque liquet dictum verbum *Regnalis*, non facere quin præfatus Subvicarius fuerit officialis Comitatus Provinciæ in Nicia, & subditus Seneschalli Provinciæ, & sub illo in illa qualitate commissus, & quin Nicia & curia Niciæ sit & fuerit de Comitatu Provinciæ, quamvis fuerit vocata Regnalis: non quod hæc fuerit sua qualitas intrinseca, sed propter accidens extrinsecum inhærens non rei, sed personæ dominæ dicti Comitatûs, quæ erat Regina, ad quam personalem, & accidentalem, & extrinsecam excellentiam denotandam, etiam ipsa curia Aquensis (quæ est major & superior totius Comitatus Provinciæ) vocabatur tunc temporis regnalis.

16. Et licet hoc sit abuti terminis, tamen ut pulchrè inquit Jurisconsultus in *l. cum de Lanionib. § 1. ff. de fundo instruct. l.* non semper convenit propriam verborum significationem scrutari: sed imprimis quid loquens demonstrare voluerit. Et ad sciendum quid demonstrare voluerit, subjecta materia attenditur, secundùm quam verba debent intelligi etiam impropriando. *l. si uno, in princ. ff. locati, cum vulg.* Hinc dicit Bald. in *c. ad hoc, in fin. de postul. prælat.* si materia dicat unum expressè, & verbo contrarium, non credatur simplici verbo.

17. Et iste est communis modus loquendi & scribendi sub uno Rege vel supremo Principe, qui est dominus alicujus loci, tituli & dignitatis inferioris etiam à Regno separati, quod in his quæ concernunt dominium & regimen loci minus digni, assumitur titulus & nomen dignitatis excellentioris, non propter exigentiam materiæ subjectæ, quæ nihil habet commune: sed ad majorem reverentiam & laudem dominantis personæ. Et in reliquo talis commemoratio dignitatis nihil operatur. Et hunc communem & honorificum modum loquendi observavit Jason sub Ludovico Rege duodecimo, qui Ducatum Mediolani jure & armis vindicavit ab illicita occupatione Sfortianorum: patet in lecturis dicti Jasonis, qui dum sub dicto Rege & Duce legeret infortiatum apud Ticinum in *l. sumptus, in fin. ff. de legat* 1. scribit quod magnus magister Franciæ anno superiore, quo legebat propter bellicos Germanorum motus, potuit non solùm jure belli, sed etiam de jure communi ponere custodes & munitiones in fortalitiis illius patriæ & in Ligusticis. Ibi, Jason honoris gratiâ vocat defunctum dominum *de Boysy* magnum magistrum Franciæ tantùm, & non vocat eum Locumtenentem Ducis Mediolani, qui erat Ludovicus duodecimus, Rex Franciæ, quamvis ille actus fieret solùm in hac qualitate.

18. Idem Jason ferè eodem tempore, videlicet annò 1500. mense Junio, in epistola quam dirigebat Guidoni de Rupe forti, Cancellario Franciæ super recuperatione, & pacifica fruitione Castri Priperæ in regione Transpadana Ducatus Mediolanensis: quod castrum fuerat sibi datum à dicto Rege tanquam à Duce Mediolanensi, favore studii & lectuæ juris, nullam fecit mentionem de dignitate Ducali, quæ sola informabat actum, sed tanquam illa offuscata radiis luminis majoris, fecit solùm mentionem de Rege Franciæ, & dignitate Regia: patet in dicta epistola, quæ est inter consilia Jasonis, in *vol. 3. consil.* 93.

19. Ex his resultat multipliciter & clarè probatum per dictum instrumentum Niciam esse de pertinentiis Comitatus Provinciæ. Nec obstat si dicatur quod non probatur nisi per verba enuntiativa instrumenti, quia in illo non agebatur principaliter an Nicia esset de dicto Comitatu, vel non. Respondetur enim: verba enunciativa dicti instrumenti, ex quibus apparet Niciam esse & fuisse de dicto Comitatu, sunt probata & descripta propter se, saltem sunt pertinentia & facientia ad negotium quod principaliter gerebatur.

20. Et hic si tale instrumentum esset novum & de recenti, quamvis non faceret plenam fidem, nisi ad effectum negotii principalis, juxta *l. optimam, C. de contrahend. & commit. stipul.* Math. Matheslila, *nota* 80. Philipp. Dec. *cons.* 148. *in fin. cons.* 360. *col.* 3. tamen etiam ubi seorsum de ipsis enunciatis per se & principaliter ageretur, faceret saltem fidem semiplenam, ut notant Doctores in *c. illud, de præsumption.* Lud. Rom. in *nota* 146. *numquid per instrumentum, in fin.* Alex. *consil.* 21. *volum. 1.* Felin. *c. per tuas, col.* 3. *de probation.* & ibi Philippus Decius *col* 4.

21. Sed agitur de instrumento nedum antiquo, sed antiquissimo & valde solemni, & quod excedit spatium centum sexaginta annorum: quo casu verba enuntiativa fidem plenam & probationem absolutam faciunt, ut tenet Antho. de Ben. in *c. cum dilectus, de success. ab intest. & in cle. si summus Pontifex, per illum tex. de sentent. excommun.* Alexand *in consil.* 75. *visis & ponderatis narratis, vol.* 4. Alex. Jason. *l cum aliquis, C. de jure deliber.* Franc. Aret. in *consil.* 36. *casus talis, col. ult.* Guido Papæ in *consil.* 88. *Attendant, col.* 1. *& consil.* 24. *quadraginta annis, & in decision. Delph. q.* 175. Corne. in *consil.* 333. *fol.* 1. Jason. *consil.* 65. *col.* 2. *fol.* 3. Et quod fortius est, propter magnam antiquitatem etiam simplex exemplum probaret; ut tenet Franciscus Aret. in *d. cons.* 38. Raphael Cuma in *consil.* 158. *Visis instrumentis, col* 3. Et latè Philip. Decius in *consil.* 36. Ego verò nullum aliud instrumentum vidi, ideo subsisto. C M. Multa id genus consilia quidam Aulici suo astu extruserunt, sibi & laudem & præmia, tacito authore, attribuentes, sed huic novissimo consilio subscribere nolui, donec aliis quoque instrumentis perspectis, plenius deliberassem.

THEMA CONSILII XLIII.

ANno sesquimillesimo quadragesimo secundo, Francisco Rege Perpinianum obsidente, sacrificuli quidam Parisiis concionantibus quibusdam conjuratis ad multorum familias everrendas, & bona fisci nomine in petitores eorum redigenda, suadebant, urgebant mense Julio, & censurarum fulminibus percitos quoslibet, etiam filios & filias in parentes, famulos & ancillas in dominos, de hæresi, vel minima suspicione deferendos, ita ut matres quædam superstitiosæ deferrent filios ob aquam lustralem minori pretio habitam, & deplorati quidam clam simplicibus affingerent & persuaderent errorem, ut haberent quo testimonio suo convincerent. Dum autem multi etiam è bonis & gravibus, quibus non

decerant inimici, aut invidi, aut quorum optima prædia vel officia appetebantur, periclitarentur, ita ut vulgo jactaretur tempus advenisse quo idoneum esset adversarium creditorem aut inimicum ulcisci, Rex tam indignum facinus execratus, acribus & minacibus literis subitò compescuit initio Augusti, tranquillitatem publicam restituit, periculo etiam seditionis sublato. Interim autem dum graves aliquot & laudatiores Senatus præceptorem meum consuluissent, an liceret simulatoribus indulgere, eorum testimonium recipere, rationes & authoritates sequentes ab eo impetrarunt.

EPITOME CONSILII XLIII.

1. *Simulatio Pauli semper illicita*, 7. 28.
2. *Regnum Dei non indiget mendaciis & simulationibus hominum*, 7.
3. *Provocans ad jurandum falsum, graviter peccat.*
4. *Laudare malum, corrumpere est.*
5. *Delatores lingua & capite plectendi*, 6.
7. *Sanctus Petrus de simulatione reprehensus, & convictus à sancto Paulo.*
8. *Simulatio facti & vocu, vel facti & iuris meritum deserunt.*
9. *Simulatio Petri erat de se indifferens.*
10. *Et ad vitandum scandalum infirmorum*, 11.
12. *Petrus peculiaris minister Iudæorum.*
13. *Sed reprehensibilis erat propter circumstantias facti*, 15.
Scandalum activum & passivum.
14. *Non tamen mortaliter peccavit, nec in fide erravit*, 15.
15. *Insidiari fingendo contra fidem, est proprium opus diaboli.*
16. *Paulus Act.* 11. *non simulavit, sed docuit se non esse hostem legis.*
17. *Hostes Evangelii venantur calumniis & falsis testibus.*
18. *Huiusmodi impostores falsis testibus Christi, & Stephani similes.*
19. *Declaratur locus Lucæ* 24.
20. *Paulus non est mentitus, dicens se natum civem Romanum.*
21. *In eodem actu bonum à malo separandum*, 23.
22. *Solius scripturæ sacræ exempla non sunt trahenda in consequentiam & argumentum.*
25. *Delatorum & simulatorum testimonio non credendum, nec ei cui potest laus aut vituperium inde ascribi.*

CONSILIUM XLIII.

AMplissimi & optimi Senatores, quandoquidem non sufficit vobis breve & conclusivum responsum meum, simulationem illam planè impiam esse, & impostores illos (utcumque religionis falso & præpostero zelo, & non à diabolo agitati sese putent) non minus Dei & hominum hostes esse, quàm falsi illi fratres, de quibus præ cæteris queritabatur beatus Paulus 2 *Corinth.* 11. *ad finem*, & gravi pœna dignos esse: sed insuper rationes & authoritates divini & humani juris super hoc à me flagitatis, non quòd de responso meo dubitetis, sed ἀνεμόπτερα νοήματα quosdam stupidos & vecordes, (quos beatus Paulus 2. *Thessal.* 3. *in princip.* ἄτοπους & πονηρούς, absurdos ac perversos vocet) facilius doceatis, aut saltem retundatis, ut æquitati & τῇ φιλανθρωπίᾳ vestris, Christianè pro virili satisfaciam, sequentia non tam in disputationis (ut in re satis clam) quàm in demonstrationis formam præscripsi.

1. Semper illicita est simulatio ejus quod malum & peccatum est: quia simulator talis efficitur, quale est id quod simulat, & eodem peccati laqueo irretitur. Alexand. de Ales. *secunda secundæ, titulo de hypocrisi.* Tum hujusmodi simulatio & mendacium est vera inductio in tentationem: quod est verum & proprium opus diaboli, prorsus execrandum, & quod Dominus jubet à Deo Patre semper deprecari. Igitur necesse est prorsus fugere & execrari, nisi quis & doctrinam & præscriptum Christi abnegare velit.

2. Tum promovendæ religionis causâ, nulla superstitio invehenda est, nullum mendacium dicendum, quod Deus, qui est lux & veritas, non vult his artibus regnum suum promoveri: & blasphemia est dicere, quod Dei veritas, aut vera religio indigeat ullo hominum mendacio. Hoc etiam est contra primam & secundam Decalogi tabulam, & in fortiori-bus terminis ait Augustinus de verbis Apostoli, *Sermon.* 29. Cùm humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaras. Ego hinc infero duplici nomine fieri peccatorem, qui religionis nomine mentitur. Primò enim mendax est, deinde blasphemus.

3. Tum provocans ad jurandum falsum, peccat plusquam homicida, quia occidit animam, imo duas, *c. ille, c. qui exigit* 22. *q.* 5. igitur & provocans ad hæresim asserendam. Et cum non liceat etiam pro vita hominis salvanda mentiri, *c. ne quis arbitretur; c. si quis ad te*, 22. *q.* 2. multò minus in doctrina religionis, in qua præ cæteris capitale & deterrimum est mendacium *c. primum* 22. *q.* 2.

4. Hujusmodi simulatores non solum in crimen delatorum, sed etiam in crimen corruptorum liberorum hominum incidunt. Corrumpere enim est etiam laudare: non enim oportet laudando augeri malitiam, *l.* 1. §. *sed utrum*, *ff. de serv. corrupt.* Igitur major corruptio est etiam instigare & persuadere, quod est plus quam violentia & coactio ad malum, *d. l.* 1. §. *persuadere de serv. corrupt.* Nec illæ leges restringuntur ad corruptionem servorum: dicunt enim majus delictum esse in corruptione liberorum, *l. dolo verbum*, §. *si quis*, *ff. eodem titulo.* Primo igitur corrumpunt, deinde insidiantur, vænamur, & captant quod deferant:

5. Igitur longè plus sunt, quam delatores: quod crimen erat etiam ethnicis execrabile, *l. ex varia*, *C. de delatori. lib.* 10. *C.* & ut inquit glossa ultima in *l. omnes*, *C. eodem*, caput & lingua eis amputantur, ut in Theodosiano Codice habetur, ubi etiam extat ea constitutio Constantini, *lib.* 10 *tit.* 5. *C. Theodosiani*, quæ pœna non est sublata: quia jubet text. in *d. l. C. de delator.* contra delatores severitatem

judicum implorare ferro districtam : & sic crimen ferro & morte puniendum. Quantò magis in illis delatoribus, in quibus, non est simplex crimen in delationibus, sed corruptio cum mendacio, perfidia, & insidiis præmeditatis, reiteratis, & successivis.

6. Istud tolerare nihil aliud est, quam permittere alterum alteri, etiam cum maxima & deterrima perfidia insidiari : quod jure divino, naturali, & civili nefas est, *l. ut vim ff. de just. & jure.* Et nihil aliud esset, quam seminarium dissensionum ad eversionem & exitium Reipublicæ quæ amicitia & fidelitate maxima continetur, *l. si quis ingenuam, §. in civilibus, ff. de capt. & post reverf.* quod maximè cohibendum est, ut ait Bald. *d. l.* 1. §. *quies quoque, ff. de offic. præf. urb.*

7. Petrus à pernicioſa simulatione à Paulo revocatur, Authore Augustino, *epistola* 8. *ad Hieronymum, de loco Galat.* 2. *Restiti ei in faciem : quia reprehensibilis erat.* Hæc autem Petri simulatio sic reprehenditur, ne (inquit Augustinus *lib. contra mendacium, cap.* 12.) tunc noceret, & ne posteris ad imitationem valeret. Qui potest excusari in Christiano simulata impietas? cùm etiam simulata æquitas sit duplex iniquitas, authore eo, in *Psal.* 63 *qui lib. de mendacio, cap.* 14. *& 21. & lib.* contra mendacium, dicit : In doctrina religionis nulla occasione admittendum mendacium, quod habetur 22. *quæst.* 2. *c.* 1. At hæresis simulari non potest, nisi ea verbis exprimatur, quæ tamen mente non concipitur. Quod quid, quæso, aliud est, quam in religione mendacium, nulla conditione admittendum ?

8. His non obest *quod* 22. *q.* 2. *cap. utilem*, desumitur ex commentariis Hieronymi *in* 2 *Galat.* cum præter sententiam Ecclesiæ solus Hieronymus excusset Petrum contra scripturam, in quo illi non assentiendum : deinde quod facti sit simulatio Petri, quam excusat Hieronymus : utcumque excusatione magis digna est, quam simulatio hæresis, quæ in religione est mendacium : quia facta non tam sunt conceptuum indices, quam voces, ad id potissimum institutæ, ut illis mentis conceptus aperiatur.

9. Sed pressius advertendum quod simulatio Petri non erat de re de se mala & illicita, sed de re de se indifferenti. Patet, quia ibi non simulabat se negare Christum, vel non credere Evangelio, nec alias verbo aut facto negabat gratiam Christi & Evangelii, quod fuisset planè illicitum & impium : sed simulabat se non comedisse cum Gentibus cibos communes. Hoc autem, videlicet non edere cum aliquo, vel non edere de tali cibo, non est malum de se, sed ejus malitia vel bonitas pendet à circumstantiis, potest enim bene & malè fieri. Et sic habetur primò, quod ea simulatio non ferebatur super malo & illicito, sed super re de se indifferenti. Secundò, non solum ea simulatio habebat subjectum, vel objectum non illicitum, sed etiam non fiebat malo animo cuiquam nocendi.

10. Sed ex causa & motu consuetæ charitatis & tolerationis infirmorum, videlicet ad vitandum scandalum infirmorum, juxta doctrinam ipsiusmet Pauli *Rom.* 14. ibi, *Verum si propter cibum frater tuus contristetur*, (id est ad relinquendum Christianismum, & ad Paganismum vel cultum idolorum redeundum provocetur, ut series textus indicat) *iam non secundum charitatem ambulas, &c.* Non est enim regnum Dei cibus aut potus : omnia quidem sunt pura, sed malum est homini, qui per offendiculum vescitur. *Et* 1. *Corinth.* 8. *in fin. Si esca offendit fratrem meum, non edam carnes in æternum, ne fratri sim offendiculo. Et* 1. *Corinth.* 10. ibi, *Conscientiam dico, non tuam, sed illius alterius, scilicet, infirmi : tales estote ut nullum præbeatis offendiculum, neque Iudæis, neque Græcis.*

11. Quod autem Petrus ad vitandum infirmorum passivum scandalum duntaxat, & an fide hoc fecerit, patet ex contextu historiæ, & circumstantiis facti : qui dum accumberet Antiochiæ cum Gentibus, ex improviso supervenerunt Iudæi missi a Beato Iacobo, Hierosolymorum Episcopo. Ideo subduxit se Petrus fingens non edere cibos communes cum Gentibus : quod ideo fecit ne scandalizaret Iudæos ex abrupto venientes, quos sciebat infirmos, & quòd licet fidem & doctrinam Christi susciperent, tamen erant adhuc æmulatores legis & legalium, ut patet *Actuum* 21. ubi Paulus ipse ob eandem causam similem, imò majorem & longiorem simulationem fecit in templo consilio Iacobi Hierosolymorum Episcopi & seniorum.

12. Præterea Petrus erat generalis & peculiaris minister sive Doctor & Prædicator Iudæorum, ut habetur *ad Galat.* 2. & sic tantò majorem Iudæorum infirmorum rationem habere debebat, nec dare offendiculum suo ministerio : & nihilominus ea simulatio Petri quantumvis de re per se licita, & ex causa bona & honesta, tamen reprehensibilis erat : Et meritò reprehensa fuit palam à Paulo,

13. Quia erat indiscreta & intempestiva ob circumstantias loci, temporis, & aliarum personarum. Non enim malè faciebat Petrus in quantum satagebat vitare scandalum passivum quorundam Iudæorum infirmorum : sed quia interim non advertebat quòd majus scandalum inurebat majori & potiori multitudini Græcorum & Gentium ad fidem conversorum, inter quos tunc versabatur Antiochiæ, ubi libere florebat Ecclesia & Evangelium, præsertim præsente Paulo & sociis, qui ibi palàm prædicaverant abrogationem legalium, quorum prædicationem coram Gentibus pudefaciebat Petrus hac sua intempestiva simulatione, in scandalum activum propter hanc culpam degenerantem quem ideo meritò ibi reprehendit Paulus, prout & ipsum Iacobum si ibi fuisset, & idem fecisset, reprehendisset.

14. Quos tamen non reprehendisset Hierosolymis, prout *Actuum* 21. Hierosolymis existens, acquievit Iacobo dissimulans in actibus licitis se abrogationem legalium docuisse, quam tamen inter Gentes latè docuerat. Non est ergo dicendum quòd Petrus in ea simulatione peccaverit, saltem mortaliter, ut quidam non minus injuriosè, quàm imperitè ausi sunt docere : sed quòd sua simulatio erat eò loci & temporis indiscreta & intempestiva, quamquàm aliàs esset de re per se licita, sed etiam quandoque (videlicet suo tempore & loco) necessaria, & de præcepto, ut habetur *Roman.* 14. *& Corinth.* 13. *&* 10. Cæterum quævis ἀδιάφορα, junctis opinione necessitatis & occasione impietatis fiunt ἀφορισμένα, & necessaria. Et sic nihil potest colligi ad defensionem simulationis hæresis, vel alterius improbitatis, aut rei illicitæ, aut de se malæ, quæ ut nunquam potest licitè fieri, ita nec licitè fingi.

15. Vt ergo turpiter & injuriosè erraverunt qui docuerunt Beatum Petrum in ea simulatione peccasse mortaliter, & errasse in fide, ut fertur antiquus articulus Sorbonæ : ita periculosiùs errant, qui exemplo Petri sibi licere putant fingere in materia fidei, asserendo aliquid contra fidem, vel verbo, aut facto, inducendo contra fidem, vel bonos mores, quod est proprium opus diaboli, qui hoc modo totum genus humanum occidit ab initio, *Geneseos* 3. Sed putabat Petrus supervenientibus Iudæis infirmis sibi faciendum inter eos ut solitus erat, multa hujusmodi connivere Hierosolymis, & sic non errabat in jure, sed in circumstantiis

facti : qui error propter circumstantias loci & temporis, personarum, & authoritatis Petri valde perniciosus promotioni Evangelij, atque ideo reprehensibilis erat. Quantò magis reprehensibilior & damnabilior impia illa & diabolica simulatio de qua agitur.

16. Frustra verò impostores, imò plagiarii isti crimen suum tegere nituntur simulatione (quam vocem ut) Beati Pauli *Act* 21. ubi consilio Beati Iacobi Hierosolymorum Episcopi & seniorum cum quatuor Iudæis forsan è secta Nazaræorum habentibus votum orationis & oblationis in templum sumptus communes faciendo se adjunxit, ut simile votum habens & observans dies purificationis secundum legem Mosis, ut observator legis appareret. Primò enim Paulus non simulabat, sed quod agebat, verè agebat, etiamsi imperitis videretur plus agere, quam ageret. Secundò ita se submittebat ad ceremoniam, non alias necessariam, nec illicitam, ut infirmos supportaret, & falsos de se per hostes Christi apud infirmos jactatos rumores elevaret. Non enim oblatio illa erat de vitulo, agno, vel alio sacrificio venturi Christi, quod jam erat illicitum & blasphemum, & Paulus cum Iacobo & suis centies potiùs mortui fuissent: sed erat simplex oblatio gratiarum actionis & orationis ad Deum.

17. Vt enim contigit Christo docenti verum usum ceremoniarum legis, nec in illis finem & salutem constituendam: quare ab hostibus Evangelii calumniabatur ut eversor & corruptor legis, qua de re palàm se purgavit edicens, *Non veni solvere legem, sed adimplere. Matth. c. 5.* ita & Beato Stephano, qui quamvis non potuisset majori honore afficere Mosem & ceremonias legis, quàm docendo illum verè scripsisse, & veritatem in Christo exhibitam esse, & ceremonias illas externas Christo & veritati exhibitæ cedere debere: tamen ab hostibus fidei, tanquam blasphemus in Mosem & Deum accusabatur, & hostibus Evangelii placebant hujusmodi accusationes, quas falsas & calumniosas esse sciebant: sed hoc flagitium idoneum reputabant ad dementandam imperitam plebem eamque contra fideles & moratos Christi ministros armandam. Quas calumnias cùm diluisset & latè purgasset Stephanus in publico generali & summo totius Iudaïcæ Gentis concilio, mox arcem ipsam causæ fidei petivit aperto marte, quia tum sibi pro testimonio Iesu Christi gloriosè moriendum erat: *Act* 6. 7. Paulo verò similes & atrociores calumnias passo sufficiebat in eo actu de quo *Act* 21. ostendere se per publicam, non illicitam, nec Evangelio contrariam ceremoniam, non esse blasphemum in Mosem, & legem: sed niti imperitam plebem à falsa de se ut execratoris Mosis & legis opinione (qua plebs à conjuratis hostibus imbuta erat) liberare, & simul novitios & rudes ex Iudæis conversos supportare.

18. Non ergo Beato Paulo hac in re similes sunt hujusmodi impostores, sed similes sunt falsis illis testibus & delatoribus Christi & Stephani, quibus non caruit Paulus, nec alii præcones Christi. Qui verò hujusmodi delationibus & testimoniis fidem adhibere volunt, similes sunt Caïphæ & cæteris Principibus Iudæorum, qui Christum, deinde Stephanum, Paulum, & alios Apostolos hujusmodi delationibus & testimoniis vexarunt, & damnaverunt: ut valde demirer patienter inter Christianos audiri etiam in tanto Senatu quosdam primores dicere & censere falsos & pecuniâ corruptos testes, quorum falso testimonio innocentes ut hæretici damnati & combusti sunt, tamen etiam convictos in tanto judicio favore fidei dimittendos, ut quandoque dimiserunt. Sed cujus fidei, veræ, an fucatæ, res ipsa indicat, permittit etiam Christus ex operibus eorum eos cognoscere & judicare, itanè serviliter pauciis indoctis servitur?

19. Illud autem nimis ridiculum, & à proposito alienum, quod horum impostorum impii, saltem imperiti excusatores, dicunt etiam Christum ipsum quandoque finxisse se longiùs ire, *Luc* 24. ut enim omittam Lucam Evangelistam scripsisse προσεποιεῖτο, id est ad verbum, præ se ferebat: non enim fingebat nec simulabat Christus, sed apertè ostendebat se mox abiturum (ut omnino facturus erat & fecisset, nisi ferventioribus precibus eum adhuc retinuissent) ut nimis *ἀκριβόδικαιοι* sunt quæ recentiores Theologi eò loci de simulatione & fictione prolixè involvunt. Et inexcusabiliores sunt hujusmodi impostores (sacrificuli enim omnes ferè sunt) qui nec horarii quidem officii sui meminerunt, aut de murmurando nimia battologia non intellexerunt: ait enim Gregorius magnus super illud Lucæ vigesimo quarto, & in eorum breviariis habetur, simplicem veritatem nihil hîc duplicitatis habuisse sed talem se ostendisse in corpore, qualis erat in eorum mente, nempe peregrinus in fide, ideo finxit, id est composuit se longius ire: fingere enim componere est. Vnde luti compositores, figulos vocamus. Ego verò ut hanc tropologiam laudo, maximè in concionibus, quales homiliæ illæ Gregorii: ita ubi non de genere laudativo, aut suasorio, sed de probationibus, & serio agitur, malo literam ipsam pedetentim sequi.

20. Porrò ut nec istud, quia ad injuriam Beati Pauli perperam objectum est omittam, injuriam faciunt Beato Paulo, qui cum ad torturam injustam & flagra vitanda mentitum blatterant, dum *Actum* 22. in fine, se nativitate civem Romanum esse asseruit, cum nondum in Italia nedum Romæ fuisset, necdum lata esset lex in orbe Romano, *ff. de statu hominum*, cujus constitutionis author Antoninus Pius octoginta quatuor annos valde modestè imperare cœpit post illam afflictionem Pauli de qua *Actum* 22. quæ ultimo anno Claudii Imperatoris contigit, anno Passionis Christi vicesimo tertio; Paulus autem natus fuit ex patre Iudæo quidem, sed civitatem Romanam adepto, & in urbe Tharcensi quæ Romani Imperii erat, & sic nativitate civis Romanus: unde etiam binonymus, videlicet Saülus Iudæorum, & Paulus Romanorum more. *In tract. de dign. magistrat. & civi Ro. ejusdem auctoris.*

21. Quod autem in tempore asserit Hieronymus assumendam simulationem exemplo Iehu Regis Israël, qui simulans sacrificia Baal, congregavit & occidit omnes sacerdotes Baal, non tam grata Deo fuit Iehu simulatio, quam idololatrarum ex edicto Domini punitio; quam præmio dignam Dominus arbitratus, eidem Regi dedit filios sedere in Regno, in quartam generationem. Quare scripta Hieronymi sunt sanè & diligenter perpendenda. Illud enim exemplum simulationem non confirmat, sed sacerdotum Baal interemptionem Deus mendacio obstetricum Ægyptiarum, & Raab, non habuit gratam, sed conservationem infantium Iudæorum, & nunciorum Israel tam gratam habuit, ut propter eam præmium reddiderit & obstetricibus, & Raab. Vnde beatus Augustinus *in libro contra Mendacium, c. 15 Non est*, inquit, *in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, & non iniquitas mentientis.* facit quod scribit Ioan. Gerson. *in tractat. de contractib. propositione 20. ad fin. Compatiendum est*, inquit, *humanæ fragilitati, quæ varò producit granum vitiosæ charitatis, sine multiplici palea vanitatis.* Hæc autem, non illa peribit.

22. Cæterum ut post Alexand. *de Ales* & alios Theologos tectè scribit Ioan. de Imol. *in l stipulatio hoc modo concepta, col. 4. de verb. obligat.* solius Scripturæ exemplo, præsertim veteris Testamenti,

non sunt trahenda in consequentiam & in argumentum. Multa enim ibi historicè recensentur, quæ sunt prorsus mala & omninò fugienda, multa omninò bona & imitanda: quædam partim mala, partim bona, in quibus discernendum est malum reprobandum à bono approbando, ut in prædicto exemplo obstetricum scitè separavit Augustinus bonum à malo, quod multò magis faciendum in facto Jehu. De eo enim dicit apertè Scriptura *Secundi Regum*, x. *quod non ambulavit in lege Dei in corde suo, nec recessit à peccatis Hieroboam*, & sic in peccatis.

23. Separanda ergò fictio impia à facto pio. Quod enim simulavit se velle, etiam amplius quam Achab fecisset, colere Bal, & solemnitatem idololatricam indixit, impiè fecit, quia erat simulatio rei impiæ, ergò impia & mala. Quod autem postea Idolorum Sacerdotes & idololatriæ authores occidit, factum justum & debitum fuit: tenebatur enim tanquam Princeps, idololatriam publicam manifestè verbo Dei repugnantem delere, & authores tantæ impietatatis occidere, ut erat præceptum in lege. Quod autem Dominus temporali beneficio factum justum & debitum remuneravit, id nil habet commune cum impia rei malæ simulatione, nec eam ullo modo justificat.

24. Confirmantur prædicta ex scriptis Beati Augustini in libro *contra mendacium*, ubi asserit non licere Catholico simulare Priscilianistam, ut Priscilianistam deprehendat. Ut enim non licet adulterari ut adulterum deprehendas, ita nec mentiri, cum unius Dei sit eadem lex, quæ adulterium prohibet & mendacium, quod Augustinus *libro de Mendacio*, *capit.* 5. & 12. nomine falsi testimonii comprehendit. Cùm igitur simulatio hæresis mendacium sit, quod malum est, ea simulanda non est ut hæresis deprehendatur: alioqui facienda essent mala contra doctrinam Apostolicam Pauli, *Roman.* 3. ut inde evenirent bona. Sed quid prodest homini animæ detrimento universum mundum lucrari? cum etiam ad sempiternam lucem nullus ducendus opitulante mendacio, authore Augustino *ultim. cap. libro de Mendacio.* Rursus Augustinus *contra Mendacium libro unico*, c. 1. ait non minus illicitum fingere se hæreticum ad deregendum hæreticum, quàm adulterium: vel furtum committere ad detegendum adulterium, vel contra mendacium cap. 7. solvuntur objectiones eorum, qui putant simulandam hæresim, ut hæreticum deprehendant, ubi tandem concludit Augustinus pejus factum simulantis, quàm hæretici. Pejus enim est, inquit, quod ago quàm quod capio: ut enim corde creditur ad justitiam, ita oris confessio est ad salutem, alioqui licuisset martyribus suam fidem ementiri tyrannis.

25. Ex quibus etiam sequitur nullam fidem adhibitam hujusmodi delatoribus, nec eos capaces esse testimonii, tum quia delatores, tum quia affectati, tum quia per suum testimonium criminosi, & pœna digni, *l. ultima*, *C. de accusat.* tum quia voluntarii participes ejusdem criminis. *c. 1. de testibus in sexto.* tum quia laus vel opprobrium potest eis in idem adscribi, igitur Joan. And. *in addit. ad Spec. tit. de test.* §. 1. Imo. *in c. ex literis, de transac.* Ant. Butr. *in c. cùm à nobis de testib.* & in consil. 8. Alex. *consil.* 141. *num* 9. *lib.* 1. Jas. in *l fanum meum C. de transact. l. si duo patrem*, §. *idem Jul. scribit, c.* 3. *de jurejur. in l. fœnum, in fin. col.* 1. *C. qui testam. fac. possunt.* tum quia res probrosa & pessimi exempli, tum ex parte judicum, ne incidant in sententiam Christi. *Joan.* 19. *Majus peccatum habet qui me tradidit tibi.* Et in censuram Pauli *Act.* 23. *Percutiet te Deus, paries dealbate!* Hæc sunt Senatores amplissimi & æquissimi, túque in primis domine Guilielme Abori cordatissime & integerrime! quæ abunde sufficere reor, sive ad imperitos quosdam revocandos, sive ad protervos vestrâ potissimùm authoritate retundendos. Datum Parisiis, Idibus Julii, anno salutis sesquimillesimo quadragesimo secundo, sub propriæ manus subscriptione. Carolus Molinæus J. U. D. & in eodem amplissimo Senatu Advocatus.

CONSILIUM XLIV. IN MATERIA UNIONIS PRO FRATRE Joanne *du Leux* Syndico Abbatiæ *de Branthonne* in Diœcesi Petragoricensi, actore, contra Joannem *Chesneau* reum.

EPITOME CONSILII XLIV.

1. *Unio ex spatio longissimi temporis solemnis præsumitur.* 5. 6. 8.
2. *Etiamsi non sit datus defensor.*
3. *Etiamsi non appareat de consensu Capituli, contra quod Episcopi præscripserunt.*
4. *Ex longo tempore præsumitur consensus Capituli.*
7. *Ex lapsu triginta annorum omnia præsumuntur.* 11.
9. *Contra nullitatem unionis quadraginta annis præscribitur.*
10. *Tituli in judicio producti sunt utrique parti communes.*
11. *Quando unio abusiva est, cessat etiam septuaginta annorum præscriptio.*

CONSILIUM XLIV.

COnstat de unione facta per Episcopum Petragoricensem an. 1467. post informationem & cognitionem de causis utilitatis & necessitatis unionis. Constat etiam de continua & pacifica possessione rei unitæ per 54. annos & ultra, ante impetrationem dicti opponentis. Igitur non est dubium unionem esse validam, utpote factam per Episcopum diœcesanum, ad quem de jure hoc spectat, *cap. sicut venit, de excessib. prælat.* saltem nec potest post tam longum & plusquàm longissimum tempus revocari.

2. Non obstat quòd præpositatus de Capella tempore dictæ unionis vacabat, nec fuit datus defensor: quia hoc non erat requisitum, imò etiamsi non vacasset, potuisset dicta unio fieri Rectore non vocato & non consentiente, text. est *in Clementinam*, *si una*, *de rebus Ecclesiasticis non alienandis.*

3. Non obstat quod non apparet dictum Episcopum habuisse consensum sui Capituli faciendi dictam unionem: tum primò, quia valet consuetudo præscripta, quòd Episcopus & cæteri Prælati non teneantur in negotiis tam judicialibus, quàm extrajudicialibus per eos gerendis, requirere consilium vel assensum suorum Capitulorum. text. est in *c.* 3. *de const. in 6. in cap. ea nascitur, in fin. de his quæ fi. à prælat. sine consen. cap.* & dicunt ibi Scribentes quòd Prælati communiter istud præscripserunt, quod est satis notorium in hoc Regno.

4. Tum secundò, quia ex quo dicta unio fuit per actualem incorporationem missa executioni, & realiter observata, & sortita effectum diutinum, nemine

reclamante vel opponente, præsumitur consensus Capituli dicti Episcopi, si requisitus fuit intervenisse, nisi de negativa in contrarium probetur, ut est casus in *d. c. ea nascitur.*

5. Et in fortioribus terminis decidit Dominic. de S. Gemi. *in cons.* 86. *incip. Apparet quadam unio*, quòd ex quo Ecclesia per Episcopum unita, fuit sic possessa per triginta annos pacificè, quod præsumitur consensus sui Capituli intervenisse & omnia solemniter acta, ita quòd defectus dicti consensus aut alterius solemnitatis, non potest amplius opponi, nec allegari per impetrantem Apostolicum venientem post triginta annos. Idem Alexand. *cons.* 219. *lib.* 6. tetigi etiam in *annot. ad. Philippum Decium*, *in l.* 1. *num.* 8 *C. qui admitt.* Sed dictus opponens venit post 54. annos: igitur nullo modo audiendus.

6. Hinc etiam in terminis de lapsu quinquaginta annorum decidit Soci. *in consil.* 15 *visis*, *col.* 2. quòd ex tanta diuturnitate præsumitur consensus interv nisse, & omnis solemnitas etiam extrinseca, etiam non enuntiata in instrumento alienationis, & præsumitur plus esse gestum quàm scriptum. Idem tenet Francisc. Aret. in *cons.* 56. *talis casus*, *col.* 3.

7. Et fortius, quod per lapsum quinquaginta annorum cum continua & quieta possessione purgatur omne vitium & omnis defectus, etiam solemnitatis & causæ, ut nihil possit objici, etiam contra dismembrationem bonorum monasterii monialium in penitus extraneum, tenet Petr de Anchar. in *cons.* 636. ex consiliis, & sequitur Philip. Dec. in *cons.* 529. *col ult & in consil.* 638. Quantò fortiùs in simplici unione, de qua est quæstio, quæ longè facilius conceditur quàm dismembratio, ut patet in *d. Clem si una*, & ibi notat Card. Fel. & per Petr. de Peru. in *tractatu union. c.* 5. & maximè quando non unitur monasterio extraneo, sed suo Capiti, à quo dependet, ut in casu præsenti.

8. Non obstat quod non appareat de veritate informationis & causæ inchoatæ in dicta unione, nisi per assertionem Episcopi, & quod sibi soli non est in hoc credendum: quia solum longum tempus sufficeret ad probandum solemnitatem enunciatam in instrumento, ut not. in locis præfatis: multò fortiùs post tempus plusquàm longissimum non est opus aliter probari.

9. Præterea etiamsi dictus opponens clarè probaret verum defectum solemnitatis, & causæ dictæ unionis, ita quod omnis locus præsumptionis excluderetur, & constaret de nullitate originali dictæ unionis, quod non, adhuc nullo modo posset allegari: quia præscriptum fuit spatio quadraginta annorum, & plus. Et clarum est quod cum titulo sufficiunt etiam solùm quadraginta anni, text in *c.* 1. *de præscript. in sexto.* Et ad præscribendum sufficit titulus de se invalidus & insufficiens, ut not. *glos. in c. de quarta. de præscript. in gloss.* 2. *in fin. & in c. si diligenti*, *in glos. ult. c rea medium eod. tit.* glos & Ioan And. in *c.* 2. *in verb. præscribendi*, *de reb. Eccles. non alien. in sexto.* Ludo. Roman. *cons.* 275. *cons.* 254. *col.* 1 *quoad primum.* Bart Brixien. *in quæst. dominicali.* Anchar. *cons* 162.

10. Igitur quocumque se vertat dictus opponens, non potest ullo modo impugnare, nec revocare dictam unionem tamdiu observatam: de qua unione & ejus titulo satis apparet ex productione dicti opponentis: quia eo ipso quod instrumenta & tituli producuntur, communes efficiuntur, ut per Innoc. & alios in *c. cum in jure perstus*, *de offic. deleg. extra.* Ita censeo ego Carolus Molinæus I. V. D. & in supremo Parisiorum Senatu Advocatus. Parisiis 1534.

11. Et ita judicatum fuit Arresto Magni Consilii Regis Parisiis die Lunæ 24 Maij, 1535. & beneficium actori adjudicatum; reus verò oppositione sua tanquam injusta exclusus, & condemnatus ad restitutionem fructuum, & in sumptus litis, relatore fœlicis memoriæ Dom. Vido Breslæo viro integerrimo in dicto Consilio Consiliario, deinde Præside meritissimo & dignissimo. Et paulò post ad finem ejusdem anni, die Veneris 24. Martii, anno 1535. more Gallico.

12. Contra unionem aliis causis concurrentibus judicavi pro impetrante, non obstante quod Parochia *de Sezve*, in Sequanis Comitatus Burgundiæ unita Capitulo Bisuntino per Papam Pium anno 1494. fuisset in proprietatem per dictum Capitulum possessa per septuaginta annos, & hoc quia unio erat abusivè facta per Papam, quamvis deberet fieri per commissionem ad partes & sine causæ cognitione contra Concilium Constantiense, tum ex productione tituli unionis apparebat de vitio & nullitate, & sic non potuit solemnitas, nec validus titulus præsumi, cessante etiam præsumptione, quia de contrario apparebat ex titulo, igitur ut dixi *in Consuet. Paris.* §. 5. *num.* 62.

EPITOME CONSILII XLV.

1. *Rationes dubitandi.* 2.
3. *Heres non tenetur de his quæ in fraudem sui facta sunt à defuncto.*
4. *Peccant qui legitimos heredes defraudant.*
5. *Theoriæ generales non illuminant intellectum, nec concludunt.*
6. *Collateralibus non debetur hereditas, nec legitima, nec competit querela inofficiosi, nisi turpi personâ instituta.* 7.
8. *Quando refert an inimicitia facto testatoris, vel legatarij causetur.*

THEMA CONSILII XLV.

COnsuetudo loci vult ne quis ultra tertiam partem bonorum donare possit, nec facere quin duæ partes ad heredes legitimos perveniant. Titius carens liberis, & qui præsumitur non susceptutus, defertur prodigalitatis ab herede præsumpto, & per ordinarium talis declaratur: appellat, & per Arestum nostri Senatûs vincit, & declaratur homo frugi, & decernitur, ut per proclamationes fiat notum. Posteà Titius tertiam hereditorum partem donat Sempronio. Ut tamen in casum futurorum liberorum resolvatur donatio, post aliquot dies, putà viginti, aut triginta, quia Titius & ejus pater plures reditus ad trecentas libras annui reditus super eorum bonis constituerant, Sempronius dictos reditus redemit à compluribus, & in eorum locum suffectus est, eosque permutat cum Titio ad certam ejus terram, sub pactu quod Titius quandiu vivet, percipiet fructus tam reddituum quàm terræ, eosque lucrabitur si decedat cum liberis: sed si decedat sine liberis, heredes sui tenebuntur restituere fructus dictæ terræ tantùm eidem Sempronio, qui eos ad vitam Titij intendebat donare, vel remittere in casum liberorum Titii, & non aliàs.

1. Hinc duæ quæstiones oriuntur. Prima, An donatio valeat? Secunda, An etiam dicta permutatio valeat? Quidam enim dicunt donationem non valere, quia in fraudem legitimi heredis, & in ejus odium, quod præsumitur ob accusationem prodigalitatis; tum quia Titius multis passim dixit, etiam ipsi donatario, quod dictus heres nihil haberet de successione sua, tum quia constat quòd extantibus liberis, resolvitur

ergò videtur in fraudem lateralis heredis. Tum gedemptio redituum, & permutatio post modicum tempus facta, addunt præsumptionem fraudis & odii. Tum attenta restitutione fructuum, non extantibus liberis, & sic in necem legitimorum tantùm.

2. Alii etiam practici dicunt contractus valere. Primò, quia consuetudo confideravit inimicitias, quæ vel ex levi causa cadere possunt erga heredes præsumptos, propter quas in totum privaret odiosos, ideò cohibita est talis facultas, ut non posset nisi ad tertiam partem, & sic donatio tertiæ partis non potest rescindi prætextu odii etiam injusti heredum: quantò minùs hic, ubi subest probabilis causa odii propter accusationem prodigalitatis injustam, quam si contraret dolo factam, possent heredes, ut indigni, in totum privari, *arg. l. ult. C. de revocand. donat.*

3. Viso & considerato præfato themate, ista quæstio nullam mihi videtur habere difficultatem: quare omissâ disputatione, concludo pro parte affirmativa, nec ignoro multa ex variis locis juris pro negativa coloratè adduci posse, ut quod in fraudem heredum facta non tenent, nec illum obligant, quin contravenire possit, quamvis aliàs tam de jure, quàm de consuetudine, de factis & obligatione defuncti teneantur, per not. in *l. 1. & 2. C. si in fraudem patris.* Et ibi Cy. & Bald. in *l. 1.* & ibi Sal. *quæst 9. C. de inoff. donat. de quo dixi in Consuetudine Parisiensi, § 8. gloss. 3. n. 23.*

4. Tum illud vulgatum, peccare parentes, & consulentes modos fraudandi legitimos heredes bonis & successione, de quo per Bartolum in *leg. hereditariam, ff. de bonis authoritate Judicis possidendis*, per Alber. *in suo diction. in verbo Testamentum*, 2. ad hoc a Ivocat Thomam Aquin. in quodliberis seu in quæstionibus Problematicis, & comprobat Iason. in *consilio centesimo quadragesimo primo, col. 5. lib. 4.* Erroneè tamen allegant Thomam, quia in Problematibus nil de hoc dicit, quamvis art. 12. sexti Problematis ad hoc faciat: sed debuerunt allegare Thomam in *Comment. super quartum Sententiarum, distinct. 15.* ubi tractat de ordine charitatis. Plura alia à remotis deduci possent.

5. Sed ad decisionem quæstionum & casuum particularium non sum solitus adducere rationes seu theorias generales, quæ, ut inquit Baldus in *cap. cùm accessissent, col. 6. de constitut.* non illuminant intellectum practicum, qui consistit in singularibus, & multò minùs argumentari soleo à remotis, & his quæ non concludunt. Assumendo igitur ea quæ sunt punctualia ad decisionem, præsupponо quòd

6. De jure collateralibus non debetur hereditas & legitima, *l. ult.* & ibi gloss. *in verb. Agnationis. C. de jure codicill.* quam gloss. & omnes Doctores illi sequuntur, reprobata opinione Placentri. Idem cum gloss. & communi tenet Lud. Roman. in *consil. 125. incip. Mater si soror.* Hinc est quod nullo jure repertur collaterales etiamsi sint fratres, debere exheredari vel institui, in tantum quod non solùm donat. omnibus factis inter vivos, nulla competit eis querela inofficiosæ donationis: sed etiam in testamento extraneis institutis nulla competit fratribus querela inofficiosi testamenti, nisi in uno casu, videlicet cum turpis persona fuerit institua, ut *l. fratres, C. de inoff. test.* & adhuc hæc querela non competit nisi ipsis fratribus vel sororibus dumtaxat, non autem filius fratrum, vel sororum, vel remotioribus, ut est text. in *l. fratres, C. de inoffic. testam.*

7. Et adhuc inter fratres si sit ab altero turpis persona instituta, si frater præteritus commiserit unam de tribus causis ingratitudinis, de quibus in §. *ingratitudinem, in Authent. de nuptiis, collat. 4.* poterit institutus, etiamsi sit turpis persona, excludere fratrem defuncti, excipiendo & probando de causa ingratitudinis, quamvis de ea nulla sit facta mentio in testamento: quia in collateralibus cessat differentia exheredationis & præteritionis, nec requiritur solemnitas exheredationis nec expressionis causæ in testamento, ut notant Doctores in *dict. l. fratres*, ubi Salyc. in *q. 2. & 3.* & Ias. *in col. ult. versic. decimo.*

8. Et sic exploratissimi juris est licere non solùm inter vivos per viam contractus, sed etiam per viam testamenti, extraneum præferre in omnibus bonis etiam germano fratri, sive eum ex justa causa odiosa habeat, sive non, non distinguendo sive inimicitia facto & culpâ donatoris vel testatoris processit, sive facto aut culpâ illius qui excluditur, prout aliàs in tacita ademptione legati distinguit Bartolus in *leg. cum tabulis, § quoniam, ff. de his quib. ut indig.* quem sequitur Ludovicus Romanus *in sing 196. incipien.* Tu habes quod propter. Philippus Decius *in c. 1. in lettur. 2. col. 10. de judic.* Licet alii controvertant, tenentes indistinctè revocari legatum ex superveniente inimicitia, etiamsi ex facto & culpa testatoris tantùm superveniat, quod nunc non discuto, cùm de hoc non sit quæstio.

EPITOME CONSILII XLVI.

1. *Testamentum quando nullum defectu præteritionis.*
3. *Interpretatio consuetudinis Burgundiæ, 8. 9. 11.*
4. *Verba*, veri heredes, *intelliguntur de liberis. 5. 7.*
5. *Collaterales non veniunt ad successionem, nisi mero jure positivo.*
6. *Fratribus non debetur legitima de consuetud. Burgundiæ. Contra Chassan. 8. 9.*
10. *Valet argumentum à conjunctione duarum legum.*
12. *Consuetudo potiùs debet intelligi ut conformetur iuri communi.*
13. *Absurdum est habentem liberos liberiùs testari posse, quàm carentem liberis. 14.*

THEMA CONSILII XLVI.

COnsuetudo Burgundiæ titul. *des successions. §. 3.* sic habet: *Un chacun habile à faire testament & ordonnance de derniere volonté, est tenu de laisser à ses vrais heritiers ladite legitime, c'est a sçavoir la tierce partie de tous ses biens par droit d'institution, ou autrement ledit testament est nul.* Domin. Franciscus Viennensis eques, carens liberis, habens duas sorores, Annam primam, & Annam secundam monasterium ingressam, sed non Professam, & duas neptes ex Francisca sorore præfuncta, & tres nepotes ex Anna prima: instituit Antonium *de Beaufremont* primogenitum sororis Annæ primæ, heredem suum universalem: & sunt verba, *En tous ses biens desquels il pourra disposer de droit & de loy, & du surplus il institue ses nièces filles de feue Françoise avec les puisnez de ladite sœur Anne premiere*, cui nil penitùs reliquit. Annæ verò secundæ legavit trecenta annua ad vitam ut se alat in monasterio. Quæritur an testamentum valeat. Prima facie videtur testamentum nullum.

1. Ex defectu formæ substantialis à consuetudine requisitæ, cum sint duæ sorores præteritæ: quia seniori nihil relictum, juniori verò non est relictum jure

institutionis. Consuetudo verò duo copulativa requirit. Primùm relinqui veris heredibus : secundum relinqui jure institutionis, idque pro forma. Patet: quia consuetudo vult testamentum aliter factum esse nullum : Non obstat si dicatur quòd soror senior non conqueritur, sed forsan expressum approbat testamentum, quod consequenter remanet firmum, juxta not. glos & Doctor. in *l. si præterito, de injust. rupto & irrito testam. in l. maximum, C. de liber. præterit. & exhered. in leg. posthumo, C. de bon. poss. cont. tab.* Quia dato quod hæc sit æquior & crebrior sententia, quam multi controvertunt,

2. Superest alia nullitas evidens testamenti propter præteritionem junioris, quæ conqueritur, & sic totum testamentum etiam respectu aliorum ad causam intestatæ lucrit, *l. posthumus, §. si quis ex his, ff. de inof. test.* Minùs obstat si dicatur quòd testator existimabat juniorem illam ut pote Religioni monachæ destinatam, incapacem successionis : & sic non ex contemptu, sed bona fide ad alimenta tantùm illi reliquit, quia hic error non adjuvat, sed magis annullat testamentum, quemadmodum præteritio filii, quem testator ignorabat, *l. Titius, ff. de liber. & posthum.* quia multo fortius vitiat, si sciebat.

3. Verum re tota maturiùs perspecta, dicendum dictum testamentum, non obstante prædicta præteritione, validum esse. Et quia totius rei cardo versatur super dicta consuetudine, provocandum est ad veritatem, germanũ & æquabilem ejus intellectum, qui est, quòd non loquitur de quibusvis heredibus, puta extraneis, quibus non debetur legitima, nec congruit querela inofficiosi, nec exheredatio, sed de filiis, sive descendentibus legitimis & naturalibus, qui demum veri, hoc est, antonomasticè heredes & sunt & dicuntur, quibus debetur legitima, quibus congruit querela & exheredatio. Et quòd hic intellectus non solùm conveniat verbis & menti dictæ consuetudinis, sed etiam sit necessarius, liquet:

4. Primò ibi, *vrais heritiers*. Et sic jam liquet quòd non loquitur de quibuslibet heredibus, sed de certis, quos per excellentiam vocat veros heredes. Hi autem sunt filii, sive descendentes, qui solùm per excellentiam tales meritò vocantur. Tum quia prima & excellentior & verior causa successionis est filiorum, qui jure & divino & naturali vocantur. Tum quia sunt plusquam heredes in jure, nec vocantur heredes simpliciter, sed sui heredes, quia magis ad rem suam continuandam, quam ad alienam acquirendam venire dicuntur, §. *sui autem, Inst. de hered. quæ ab intest. l. in suis, ff. de liber. & posthum.* Ita consuetudo ibi, per veros heredes, intelligit filios.

5. Ad differentiam extraneorum, qui ut remotiores sunt à sanguine & naturali successione : neque enim jure divino, nec jure naturali succedunt, sed mero jure positivo, ideò respectu filiorum minùs verè dicuntur heredes, & minùs participant de jure debito & efficacia succedendi. Hinc in jure dicitur hereditas filiis debita, non solùm civiliter, sed etiam naturaliter, *l. pen. §. omnia, ibi naturalia debita, C. de adopt. l. ult. §. 1. C. de curat. furio. l. fin C. de imponenda lucrat. descript. lib. 10. l. cum ratio naturalis, in princ. ff. de bonis damnatorum.* Hinc ex quocumque capite succedant, semper vocantur à jure sui heredes simpliciter, text. *sing. in l. de bonis, §. hinc autem.* ibi quoniam sui sunt, vel ex illa quæ cognatis datur, *ff. de Carb. edict.*

6. Secus in extraneis, vel collateralibus, quibus hereditas nullo modo debita, nec quasi debita censetur, ut ita dicantur certare de lucro captando, filii autem de damno vitando, text. *in l. ult. ad fin. C. de codicill.* Quare non immeritò si dicta consuetudo per veros heredes non quoslibet : sed filios & descendentes tantum intelligit, quamvis contrarium ibi dicat Chassaneus, qui putat extendi ad fratres, sed non ultra. Atqui fratribus non debetur legitima, & sic nec verba, nec mens consuetudinis. Tum si consuetudo congrueret fratribus, pari ratione congrueret omnibus collateralibus saltem agnatis, & tamen inter agnatos & cognatos dicta consuetudo non facit differentiam, & sic congrueret omnibus cognatis sive proximioribus, sive remotissimis, prioribus, repudiantibus : quod esset absurdum, quia verbum *vrais* esset otiosum.

7. Secundò ibi *vrais legitimes*, quæ verba non congruunt nisi filiis, quibus verè debetur legitima : extraneis autem non solùm non conveniunt, sed disconveniunt, quippe quibus nulla debetur legitima per prædicta, & in *l. fratres, C. de inof. test.* Ponderandum etiam est verbum, vera, quod auget & qualificat, & non modicam habet emphasim. Quod si extraneis nulla debetur legitima, multò minùs vera, quæ solis filiis verè congruit & debetur.

8. Tertiò ibi, *sa*, hoc est sua. Et sic consuetudo manifestè præsupponit quod loquitur & intelligitur de his qui habent suam propriam & peculiarem legitimam sibi debitam, quales sunt filii, & non extranei, qui nullam habent. Quartò ibi, *la tierce partie*, quæ taxatio seu demonstratio liberis congruit regulariter & communiter, *ut in Auth. de triens. & semis. collat.* 3. quod non congruit collateralibus, quibus núquam congruit triens, etiamsi sint instituti : quia quarta non est aucta in extraneis, consequenter non potest consuetudo intelligi de extraneis : quia illis nulla quarta debetur, & si quando debetur, non debetur triens. Consuetudo verò loquitur de illis heredibus, quibus competit sua & propria legitima, non quælibet, sed quæ est trientis. & sic non potest verificari, nisi in solis liberis.

9. Quintò ibi, *de tous ses biens, junctis §. 10. tit. dicta consuetudinis.* Ex quibus apparet quod in hoc §. consuetudo non potest intelligi de collateralibus absolutè. Patet, quia consuetudo hic loquitur de heredibus quibus uniformiter debetur sua legitima uniformis, videlicet triens omnium bonorum : quod non potest uniformiter verificari in collateralibus, quia non succedunt uniformiter, sed difformiter, videlicet ad heredia linearum suarum, unde procedunt, ita quod aliqui habent multum, alii parum.

10. Et sic cùm non vocentur uniformiter ad omnia bona, non potest in eis inveniri illa uniformis legitima trientis omnium bonorum, quam consuetudo subesse præsupponit, quæ solis liberis uniformiter congruit, etiamsi sint diversorum matrimoniorum, ut in eadem Consuet. eod. tit. §. 9. ejusdem tit, qui est §. totius. Est autem optimum argmentum à conjunctione duarum legum vel dispositionum, ut not. in *l. cum quis, §. pen. in fin. ff. de jurejurand. in l. gallus, §. fin.* ubi Iaf. *col. 1. ff. de liber. & posthum.*

11. Sextò probatur per conformitatem §. præcedentis in ea consuet. cui iste §. immediatè continuatur, ubi loquitur de exheredatione, & de causis exheredationis expressis in jure, quæ non congruunt collateralibus nec extraneis. Et sic sicut dictus præcedens §. per veros heredes intelligit filios, ita & iste §. ratione continuationis & materiæ subjectæ.

12. Septimò, ut magis conformetur juri communi, ita debet consuetudo intelligi ut suprà : contrarius verò intellectus, ut inducens juris communis correctionem multiplicem, rejiciendus est per not. in *l. ult. §. in computatione, C. de jure deliberandi in l. 4. §. Prætor ait, ff. de damno infecto.*

13. Octavò per locum ab absurdo. Si enim etiam de collateralibus intelligeretur, sequerentur infinita absurda, quia nullus pollet turò testari, nisi omnes agnatos & cognatos cognosceret, & memoriter teneret, quo eos institueret. Et adhuc non esset satis, sed necesse esset eum divinare, & certo providere eis qui futuri essent in proxima causa successionis tempore mortis suæ. Quia inter testamentum & obitum multæ mutationes collateraliter attinentium accidere pollunt, & solent : & sic etiam

10

In ſucceſſione collaterali ſuſcitandus eſſet vel ab inferis Gallus Aquilius, imò multi Aquilii, & multò plures Scevolæ, qui nova quædam conſilia & cautiones comminiſcerentur ad obviandum nullitatibus teſtamentorum, & adhuc non ſufficerent: quod eſt abſurdiſſimum.

14. Item aliud abſurdum, quòd ejus qui caret liberis, ſtrictius eſſet & minùs liberum teſtandi arbitrium, quàm habentis liberos: quod eſt abſurdum & injuſtum per not. in *l. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ. in l. ſi quis ad declinandam. C. de Epiſcopis & Cleric. 17. quæſt. 4. c. ult.* Ex quibus remanet validitas teſtamenti indubitabilis. Et ita cenſeo ego Carolus Molinæus, &c. Datum Pariſiis, menſe Novembri, anno 1544.

EPITOME CONSILII XLVII.

1. *Pœna compromiſſi non debetur ſi laudum ſit iniquum, & §. ſtari in l. diem proferri de arbitris, non ſervatur in Gallia.*
2. *Appellatio an ſuſpendat vel extinguat indicatum.*
3. *Confirmare ſententiam ex noviter factis & productis infirmare eſt. 5.*
4. *Liquidò conſtare debet in pœnis.*
5. *R fert ſententiam confirmari ex cauſa de novo orta vel ex antiqua de novo detecta. 6. 7. 11. 13.*
8. *Fruſtratio facti citrà dolum, facit locum pœnæ compromiſſi. 9. 11. 12.*
10. *Æquitas veritatem, non ſolemnitatem reſpicit.*
14. *Præfecti libellorum palatii non agnoſcunt de appellatione etiam incidenti.*

THEMA CONSILII XLVII.

GVlielmus & Ioannes litigabant coram præfectis libellorum ſupplicum palatio Pariſiis, & compromiſerunt in quatuor arbitros ſub pœna mille aureorum mediatim acquieſcenti, & mediatim fiſco applicanda. Gulielmus victus ad Curiam Parlamenti appellat, ubi appellatio recipitur, & in cauſa appellationis ab utraque parte concluditur. Poſteà per Arreſtum interlocutorium dicitur quòd priuſquàm judicetur, partes inquirant etiam per turbas ſeu confulis teſtimoniis de modo utendi conſuetudinum: quod factum fuit, poſtremò per definitivum Arreſtum in vim noviter factorum & productorum dictum fuit ut Gallicè ſequitur, *L'appellation au neant, & la Sentence deſdits Arbitres ſortira ſon effet.* Nunc Ioannes victor petit pœnam ex compromiſſo, quæſitum fuit an debeatur.

CONSILIUM XLVII.

VIſo & conſiderato præſcripto themate, prima facie dicendum videretur

1. Pœnam non deberi, quia pœna appoſita in compromiſſo, implicitam habet conditionem, ſi rectè arbitratum fuerit: ſin ſecus & laudum ſive arbitramentum revocatum vel annullatum fuerit, non debetur pœna per not. in *l. qui Roma, §. ultim. ff. de verb. oblig.* Nec obſtat quòd ſententiæ ſtari arbitri debet, ſive æqua, ſive iniqua ſit. *l. diem proferri, §. ſtari autem, ff. de arbitr.* quia diſpoſitio dicti §. *ſtari autem*, non habet locum. nec obſervatur in hoc Galliarum regno, ut eſt notorium, & ſatis conſtat ex Conſtitut. Ludov. XII. promulgata anno 1512. art. 34. ubi nedum ab arbitratore, ſed etiam à vero arbitro in forma & figura judicii procedente permittitur cuicumque appellare, ſeu verius ad judicium provocare, prout à præfata arbitrorum ſententia provocatum fuit ad ſupremam Curiam Parlamenteam, & provocatio admiſſa. Et ſic juncto themate liquet quod præfata ſententia duplici modo fuit infirmata ſive annullata.

2. Primò per appellationem legitimo tempore interpoſitam & admiſſam, quæ judicatum extinguit, *l. 1. in fin. ff. ad Senatuſ. Turpi.* latè Jaſon in *l. 1. gloſ. 3. ff. de re judicat.* Iſto tamen primo modo potius eſt ſuſpenſio quàm extinctio: ſed ſecundo modo verè fuit reſciſſa, & perempta per Arreſtum dictæ Curiæ, per quod appellatio fuit annullata, & in vim noviter factorum & productorum dictum quòd præfata ſententia ſuum ſortiretur effectum. Ex quo apparet primò non fuiſſe rectè judicatum per dictos arbitros, qui tenebantur judicare ſecundùm allegata & probata coram eis. *l. illicitas, §. veritas, ff. de offic. præſid.* Sed ex allegatis & probatis coram eis non poterat ſic judicari. Patet duplicitèr. Primò, quia alioquin Curia ſimili modo judicaſſet, & ſimpliciter confirmaſſet, & non protuliſſet dictum primum Arreſtum interlocutorium. Secundò quia Curia definitivè judicando, ſe fundavit in noviter factis & productis, & non in antiquis, ut patet per ultimum definitivum Arreſtum. Igitur perperàm & abſque debitæ cauſæ cognitione fuerat judicatum per arbitros, prout etiam eadem ſententia fuit in ſe revocata & annullata per Arreſtum:

3. Quia judex ſupremus idem judicans, ſed in vim noviter factorum & productorum, & ea cauſa expreſſa tacitè infirmat priorem ſententiam prout eam præſupponit malè latam, quare hujuſmodi Arreſtum non confirmat præcedens judicium, imò illud infirmat, quamvis idem diſponat, ſed ex nova cauſa & tanquam per novum & rectum judicium, non autem per modum confirmationis, ſed potiùs per modum reprobationis prioris ſententiæ tanquam non rectè latæ. Ex quibus patet primò malè, & minùs rite judicatum fuiſſe per arbitros, dictumque Joannem non obtinuiſſe victoriam per ſententiam arbitrorum, nec per Arreſtum illius confirmatorium, ſed per novum judicium infirmatorium ſententiæ arbitralis, & non judicii ex nova cauſa inductivum. Igitur non poteſt petere pœnam ex præfato compromiſſo & in vim ſententiæ arbitralis, quæ in ſe infirmata fuit, & cujus virtute non obtinet victoriam, quamvis ſortiatur effectum, non tanquam ſententia arbitralis per ſe, vel tanquam hujuſmodi ſententia Arreſto confirmata, ſed tanquam novum Arreſtum, ex nova & juſta cauſa noviter factorum & productorum latum.

4. Confirmatur, quia in pœnis liquidò conſtare debet locum eſſe pœnæ, cui in dubio locus non eſt text. & ibi

Bal. *in l. testam. primas ibi, sin autem voluntas ejus ignoraretur, pœnam quidem nullam vim habere, ff. de condit. & demonstr. text. in l. pen. ff. de pœnis.* Bald. *in l. 1 etius in fi. de lib. & posth.* Jas. *in l. si is qui pro empt. col. 62. de usucap.* Philip Dec. *in l. factum. §. in pœnalib. num. 2. de reg. jur. & cons. 299.* Alex. *cons. 33. col. 1. lib. 2.* Cùm igitur hîc sit anceps judicium de pœna, non est pœnæ locus. Rursus confirmatur, quia Senatusconsultum sustulit pœnam publicam fisco debitam, annullando appellationem: igitur fortius tegere voluit pœnam privatam & conventionalem.

5. Sed quia hanc quæstionem video magna utrinque contentione agitari, placet veluti ferro viam aperiendo, juxta Bal. in *l. penult. col. 1. 110. C. de imp. & aliis subst.* etiam pro parte affirmativa fortiter argumentari, ut omnibus penitus discussis, veritas lucidiùs appareat, *c. grave. 35. q. 9.* Quod igitur pœna compromissa sit, & optimo jure petatur, sic ostenditur. Primò, quia permultum interest ex qua nova causa præcedens judicium, tametsi quadamtenus infirmatum sortiatur effectum. Quædam enim est nova causa, de novo & orta & probata, ut superveniens juris acquisitio, de qua fit fides in secunda instantia. Quædam est causa antiqua, & orta ante primum judicium in illo non probata, vel non plenè, cujus in secunda instantia supervenit plenaria probatio. Primo casu præcedens judicium nullo modo confirmatur, nec confirmari debet: de quo hactenus, quia non sunt termini nostri. Secundo verò casu præcedens judicium in se est justum, nec peccat, nisi quantum ad formam imperfectæ causæ cognitionis & probationis.

6. Probatio autem superveniens in secunda instantia nihil de novo inducit, nec disponit, sed tantùm id quod ab initio fuerat, declarat, & manifestat: ut per doctores *in rub. de probat. extra in definitione probationis.* Quare eo temperamento debet uti judex superior, ut non expressim & formaliter judicatum confirmet, ne videatur eidem defectui in forma se conformare, vel errorem formæ approbare: nec etiam debet expressè informare, sed potiùs confirmare, ex quo sententia erat in se justa & rationabilis: prout etiam nova probatio, vel causæ cognitio nullum detegit vitium in sententia ipsa in se, sed potiùs ostendit & corroborat justitiam & veritatem sententiæ, licet arguat culpam judicis, à quo in forma & modo procedendi ad definitivam, nondum plenè & sufficienter, vel non satis solemniter cognito quid esset definiendum: quandoquidem vitium non est in sententia, neque in judicato, sed in præpropero modo procedendi ad judicandum, & istud vitium separabile est à sententia.

7. Et sic inspecta veritate & effectu, prior sententia remanet confirmata, prout etiam sonant verba Aresti in his suis verbis dispositivis: *La Sentence des Arbitres sortira son effet.* Si igitur per sententiam Arbitrorum justè & rectè fuit judicatum, prout verum est, inspecta ipsa veritate negotii & meritorum causæ, & inspecta sententia ipsa in se (quicquid sit de separato errore in forma, de quo non est curandum) sequitur pœnam esse debitam per appellantem, qui sententiæ in se justæ contravenit, & acquiescere noluit, donec sequeretur Arrestum illi *conforme.*

8. Et omninò satis est, quòd præfata sententia in se & effectu suo in totum confirmatur, & jubetur plenum suum sortiri effectum: nec in aliquo corrigitur vel emendatur, ad hoc ut sit locus pœnæ: quia clarè verificantur verba stipulationis pœnalis, cùm non fuerit paritum sententiæ arbitrali in se justæ & omninò in effectu suo tandem post victorem nova lite vexatum confirmatæ. Tum appellans re vera sine interesse appellavit, ut declaratum est per exitum Aresti, ergo injustè appellavit, & pœna debetur.

9. Tum ut sit locus pœnæ compromissi, non requiritur dolus in non parente, sed sufficit sola cessatio, vel frustratio facti quæ hic intervenit. *d. §. sed an autem, l. cum pœna, cod. tit.* Tum pœna apponitur, ut ejus metu desinat victus molestare, & in jus actorem trahere. Cùm ergo eum molestaverit, etiam sine vero interesse, ut eventus docuit, pœna debetur, aliàs liceret impune frustrari.

10. Non obstant supra in contrarium allegata, quia magis in nuda & colorata subtilitate consistunt, quam in ratione sive utilitate, & reali effectu, ut in simili inquit *Gloss. in l. stipulatione 1. §. si pluribus verb. ex stipulatione ff. ad leg. Falcid.* Quare hujusmodi subtilitas & nimis scrupulosa inter sententiam arbitralem & Arrestum diffinitivum differentia, non est à judicibus admittenda, *l. sicut, §. qui debitori, ff. de distrib. pig. vel hypoth. sol.* quæ æquitatem præ oculis habere debent, *l. quod si Ephesi in fi. de eo quod cert. loco.* Bal. *in c. ult. de transaction.* Æquitas autem circa merita, & veritatem negotii, & effectum rei versatur, non autem circa formam verborum & simplicem procedendi modum, ut not. in *c. dilecti, de judic.* Igitur attento quod inspecto effectu rectè & justè fuit per arbitros judicatum, & per Arrestum confirmatum, idque ex causa & veritate præexistenti, & antiqua, quamvis forte noviter plenius probata & cognita, non autem ex aliquo jure de novo quæsito victori, sequitur pœnam esse debitam. Quid dicendum?

11. Resolvendo concludo pro affirmativa pœnam deberi duplici ratione. Prima, quia in secunda instantia non fuit de novo inquisitum de aliquo novo articulo, vel quæstione facti, partes nihil articulaverunt de novo, nec aliquid novi de se fecerunt aut produxerunt, sed tantum parendo Arresto interlocutorio supremi Senatus, cui non satis liquebat de modo utendi dictarum consuetudinum, vel forsan causa legis perpetuæ statuendæ, placuit inquiri de usu & interpretatione consuetudinum, hoc tantùm de novo factum fuit, sed primò non processit facto vel culpa victoris; secundò, ea inquisitione nihil inventum fuit, quominùs rectè judicatum esset per arbitros: igitur victus qui sua frustratoria appellatione occasionem dedit, his novis sumptibus, damnum hoc dedisse videtur, *l. qui occidit. §. in hac ad l. Aquil.* Cùm ergo damnum dederit victori, & eum frustratus fuerit, etiam subjiciendo illum alex judicii contentiosi, non debet hac sua culpa & frustratione lucrari pœnam compromissi facti, nec victor teneretur subire sumptus, labores, & aleam judicii contentiosi, quos tamen subiit facto victi: ergo pœna debetur. Satis est enim contra rigorem juris civilis pœnam remitti, quando invenitur arbitros malè judicasse: sed non est tolerandum quando invenitur eos bene judicasse.

12. Secunda, quia quatuor illi arbitri erant insignes jurisperiti, praxis & consuetudinum callentissimi, præcipuè in hoc à partibus delecti: quia longo usu sciebant consuetudines, modumque utendi & practicandi, ut eorum præsidio non opus esset sumptibus & laboribus confusorum testimoniorum, quas turbas vocant: & tamen victus contra fidem compromissi provocavit, & subjecit adversarium sumptibus, laboribus, & periculo dictarum turbarum, & nihilominùs inventum est rectè judicatum: ergo pœnam conventam debet: à peritissimis enim & selectis arbitris voluntariè & frustratoriè provocavit ad juvenes imperitos, pecuniis in Senatum allectos, quorum forte studium otiosum fuit cornicum oculos configere. Quod si non potuerunt, si sumptibus partium discere voluerunt, ut de juvenibus medicis inquit Plinius senior in præfatione naturalis Historiæ, quid ad victorem? Nonne hoc imputandum est victo, qui non contentus delecto prudentum arbitrio, experiri voluit aleam juvenum judicum expertium, & pecuniâ sordidè promotorum?

13. Et sic non obstant allegata in contrarium, quæ procedere possent, si ex antiquis actis & probatis fuisset malè judicatum, & actor vicisset in vim novorum articulorum & novarum probationum.

14. Quòd autem quidam dicebant præfectos libellorum ſupplicum debuiſſe de hac provocatione cognoſcere, ſupervacuum eſt, & ineptum. Quamvis enim hæc provocatio non ſit propriè appellatio, ſed ſpectet ad judicium ordinarium per *not. in c. Quintavallis extra de jure jurand.* tamen illi præfecti non ſunt judices ordinarii, ſed judices delegati ad certas cauſas mandati particularis, ſuæ cujuſque delegationis, & ſic nullæ provocationes etiam incidentes ad eos ſpectant. Et ita cenſeo ego Carolus Molinæus J. U. D. & in ſupremo Pariſ. Senatu Advocatus. Pariſiis anno M. D. XXXVIII.

EPITOME CONSILII XLVIII.

1. *Qualitates prælationis non conſiderantur in menſibus graduatorum ſimplicium, ſed tamen inter nominatos.*
2. *Si ordinarius infra ſemeſtre nulli gratificaverit, remanet requiſitio & impetratio primi requirentis valida 3.*
4. *Libera poteſtas conferendi aut præſentandi non tranſit ad capitulum: ſecùs quando non eſt libera, quia tunc etiam ſub generali mandato tranſit.*
6. *Declaratur conſtitutio Ludovici XII. in materia harum requiſitionum. 7.*
8. *Per quas requiſitiones præventiones Papæ impediuntur.*
9. *Simplex graduatus non tenetur lapſum ſemeſtris expectare.*

THEMA ABBREVIATUM CONSIL. XLVIII.

VAcante Abbatia, Conventus conſtituit quatuor Vicarios de corpore ejuſdem Conventus, videlicet, Priorem Clauſtralem, Infirmarium, Armarium, & alium ad omnia bona, & jura, etiam ſpiritualia. Tum contingit vacare beneficium ad præſentationem Abbatis in mente graduati, plures requirentes concurrunt, quorum unus debitè qualificatus, prior, hoc eſt, ante alios, requiſivit à duobus ex illis Vicariis, videlicet à Priore clauſtrali & Infirmario, à quibus non admiſſus eſt etiam prior in adeundo ſuperiore immediato, & in collatione ad refutationem. Cæteri verò deinceps per ſimilem refutationem collationes obtinent, quorum unus reſignat in Curia Romana, ubi providetur Titio cum clauſula, quovismodo. Quæritur cui horum quatuor Beneficium adjudicandum?

CONSILIUM XLVIII.

PRima facie videretur ultimo adjudicandum, ut multi cenſent, propter majorem authoritatem Papæ, & propter dubium priorum proviſionum, quæ etiam ſeſe impediunt. Tum quia omnes illi requirentes ab inferiore proviſi, properè habuerunt recurſum ad ſuperiorem, ut pote intra ſemeſtre, & ſic ante refutationem: quia cùm ordinarius habeat jus gratificandi, non dicitur in mora, ergo nec refutatur ante lapſum ſemeſtris, niſi pendente ſemeſtri præſentet minùs qualificatum. quod non eſt factum: igitur vincit proviſio Papæ facta in omnem caſum per clauſulam quovismodo vacet. Sed his non obſtantibus,

1. Breviter veritas eſt, verum jus, & canonicum titulum ſpectare ad eum qui eſt potior in dicta requiſitione & collatione, etiamſi poſteriores forſan ſint vel antiquiores, vel alioquin potioris gradus, putà doctores, aut κεχειροτονημένοι, ſeu licentiati, etiam in utroque: ille verò ſimplex Bachalaureus in altero jurium. Ratio eſt evidens, quia antiquitas nominationis, vel gradus, vel potioritas gradus, & reliqua ſimilia non conſiderantur niſi inter nominatos, & in menſibus nominatorum, *text. in concord. de collation. §. quo verò ad beneficia in menſibus.* Ubi adverſativa *vero*, oſtendit quòd qualitates pinguioris qualificationis non conſiderantur, niſi inter nominatos in menſibus eis deputatis dumtaxat.

2. Non autem inter graduatos ſimplices vel etiam nominatos, ſed qui ut graduati veniunt in menſibus graduatorum ſimplicium, quia inter eos ſufficit eſſe idoneum & qualificatum, cætera locus eſt gratificationi. Cùm autem Ordinarius nulli gratificaverit, remanet requiſitio primi requirentis valida, præſertim cùm ſit prior in collatione, & conſequenter in gratificatione, ſi ſuperior ad quem fit devolutio, gratificare potuit in defectum ordinarii eodem modo quo ordinarius poterat, juxta *clem. quia regulares de ſupple. neglig. prælat.* ſive primo ordinario ceſſante non ſit locus gratificationi in ſuperiore, ſequitur quòd collatio illius primi eſt tanto fortior, quia ſi ſuperior non poterat gratificare, ſequitur quod præcisè tenebatur ei conferre, & ſic quod collatio tantò magis fuit ei debita & neceſſaria, conſequenter tantò magis valida.

3. Cùm igitur ſit in confeſſo ordinarium nemini habili gratificaſſe infra tempus debitum, ſequitur quod remanet collatio prima primi requirentis valida in omnem caſum, ſive ſuperior potuerit gratificare (quod tunc fecit conferendo) ſive non potuerit gratificare, quia tunc debuit primo requirenti & recurrenti conferre neceſſariò, prout fecit.

4. Supereſt unicum objectum videlicet, quod requiſitio illius primi non eſſet bona, nec ſufficiens, ex eo quod vel non eſſet facta, hoc eſt, petita ab habentibus poteſtatem, ſaltem non eſſet facta in abſentia ordinarii, videlicet conventus qui debebat congregari & requiri. Sed hoc nullo modo obſtat, quia certum eſt quod hujuſmodi collatio & præſentatio in menſibus graduatorum eſt debita & neceſſaria, & conſequenter licèt aliàs libera poteſtas conferendi aut præſentandi non tranſeat ad Capitulum, Sede vacante, *c. 1. ne ſede vacante in 6. c. cùm ultim. de majorit. & obed.* tamen ſicut poteſtas inſtituendi, quia neceſſaria tranſit. *cap. ex frequentibus*, & ibi Panormitanus *de inſtitut. cap. 2. de inſtit. in ſexto.* ita & poteſtas præſentandi in caſu quo eſt neceſſaria & debita. Et ita in his terminis nominatorum & graduatorum decidit *gloſſ. prag. tit. de collat. §. item voluit, in verb. Vicarium.*

Joan. de Selva *in tractatu de benef. parte 2. quæst.* 14. Igitur transit ad vicarios conventus, cùm sint generales in spiritualibus & temporalibus.

5. Nec obstat c. ultim. de offic. vicarii in sexto, ubi etiam requiritur speciale mandatum ad conferenda beneficia, quia verum est in collationibus liberis, quæ sunt donationes, prout loquitur ille text. qui expressè fundatur in hac ratione expressa, quod potestas donandi non transit in generali mandato: secùs ergo si collatio vel præsentatio sit debita, vel necessaria. Et ita decidit & limitat ibi Gemin. & Panor. in d. c. ex frequentibus glossa pragm. Joan. de Selva in locis prælegatis.

6. Quapropter minùs obstat si dicatur quod requisitio non est facta in absentia, sed in præsentia conventus: quo casu Constitutio Lud. XII. anno 1512. art. 4 non admittit requisitiones factas ab officialibus, vel Prioribus claustralibus: quia hoc est verum si tantùm essent officiales etiam generales ad jurisdictionalia, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ tantùm: vel si tantùm essent Priores claustrales ad regularis disciplinæ custodiam, aut hujusmodi quia non haberent potestatem in beneficiis, nec administrationem generalem: quia tunc licèt hi possint requiri in absentia ad finem impediendi præventiones Papæ, non tamen requiri possunt in præsentia, ubi cessat ea necessitas.

7. Sed longè aliud in vicariis, unde dicta constitutio dum loquitur de vicariis, non exigit requisitionem fieri absente ordinario: sed uniformiter approbat requisitionem factam ab ordinario vel suo vicario, sive ordinarius sit præsens, sive absens indistinctè & meritò, quia potestas vicarii non revocatur per præsentiam ordinarii: sed hi qui fuerunt requisiti, non erant simplex Prior claustralis, vel simplex infirmarius, sed veri vicarii, prout de vero vicariatu constat; & de jure constat quod ille vicariatus generalis administrationis omnium bonorum & jurium etiam spiritualium extenditur ad hunc casum, utpote debitum & necessarium sine alio ullo speciali mandato per prædicta.

8. Consequenter non solùm statim ab illa requisitione etiam circa absentiam ordinarii, cœpit non esse locus ampliùs præventioni Papæ: sed etiam cœpit beneficium esse debitum & affectum primo requirenti, ex quo ordinarius non gratificavit alii idoneo intantum quod etiamsi iste primus debite requirens esset posterior in collatione, vel provisione superioris, adhuc obtinere deberet. Cùm autem sit prior, & in debita requisitione, & in provisione, habet jus indubitatum.

9. Ex prædictis etiam liquet non obesse quod primus ille requirens non expectavit lapsum semestris, quia ut festinando non potest præjudicare ordinario, quin uratur jure suo, ala infra semestre gratificando: ita si ordinarius non fuerit validè usus jure suo, remanet requisitio, diligentia, & collatio primi requirentis valida. Et ita censeo ego Carolus Molinæus, &c. Hoc autem consilium visum fuit & confirmatum in supremo amplissimo Senatu Parisiorum referendario Dom. Bartholomæo Senatore gravissimo, & per Arestum pronunciatum ad finem Novembris anno sesquimillesimo quadragesimo sexto, non simplex fiduciaria possessio, quam recredentiam vocant, sed plenum possessorium dicti beneficii dicto primo requirenti, pro quo consului, adjudicatum fuit.

EPITOME CONSILII XLIX.

1. *Verba contractus non debent esse superflua. 4.*
2. *Cur & quoniam venditor qui non tenetur de evictione, tenetur ad restitutionem pretii.*
3. *Genus quod non potest verificari nisi in una specie, pro specie habetur.*
4. *Clausula generalis non refertur ad habentia specialem dispositionem.*
5. *Venditor non tenetur instrumenta feudi dare emptori.*
6. *Emptor non habet actionem contra authores venditoris nisi sibi cessa sit.*
7. *Traditio perpetua instrumentorum importat cessionem actionum.*
8. *Emptor vendens alii suam, non tenetur ad restitutionem pretii.*
9. *Cedens nomen, non tenetur illud facere bonum. 13.*
11. *Refert inter primitivum venditorem, & inter secundum, qui ura sua eodem pretio transfert in alium.*
12. *Et inter cessionem quæ fit commodo cedentis vel cessionarii: hæc enim videtur datio in solutum. 14.*
13. *Dictio*, pro, *denotat causam finalem.*

THEMA CONSILII XLIX.

ANno 1539. Quidam vendit nobili Petro Feidæo domino *de Clasors*, domum sitam Molinis pro 225. libris, nec solùm cavet, sed etiam sub idoneo fidejussore satisdat evictionis nomine. Deinde anno 1543. emptor vendit & cedit dictam domum eodem pretio Bibliopolæ Molinensi, sub hac clausula: *Et a promis de luy garantir de son fait tant seulement. Et pour tout autre droict de garantage, ledit Feideau a baillé & delivré presentement audit achepteur les Lettres d'acquisition qu'il a faite de ladite maison de sondit vendeur*, Anno 1536. mortuo primo venditore, vidua ejus, quæ venditioni dictæ domus, quæ sua erat, non consenserat communioni bonorum mariti renuntians vendicat à secundo & ultimo emptore, quid? Ioannem Feidæum filium & heredem primi emptoris & venditoris sui de evictione petit ad restitutionem pretii in eventum evictionis, heredes autem primi venditoris & sui fidejussoris in totum. Quæritur an Feidæus in aliquo teneatur?

CONSILIUM XLIX.

VIso themate & instrumentis, Christi unici redemptoris nomine invocato, breviter & resolutivè censeo actorem non esse contra Fedrum admissibilem, saltem in præsenti, eo modo quo absolutè concludit ad restitutionem pretii in casum evictionis.

1. Totum enim actoris fundamentum in duabus clausulis ultimæ venditionis consistit. Prima, qua Fedrus promisit defensionem, & evictionem de facto suo dumtaxat. Secunda, qua pro omni alio jure defensionis, & evictionis dedit, & tradidit purè, & eodem præsenti actu, emptori suo literas, & instrumenta acquisitionis dictæ domus factæ à suo, vel primo venditore. Nec in alio potest actor fundari. Sed quamvis per primam clausulam evictio, seu restitutio pretii non sit exclusa: tamen exclusa est per secundam, quæ aliquin prorsus inutilis esset sine ministerio quicquam operandi, contra naturam contractus, & clausularum dispositivarum, qualis est illa biceps Gallicè in themate transscripta, Bal. *in Rub. C. de contrab. emp q 9. in l. falsus, col. 2. C. de furtis.* Prima clausula est apposita ad obligationem limitatam secundi venditoris. Secunda verò ad ejus commodum, & ejus exonerationem: ergo necessariò debet operari novum commodum, & novam exonerationem ejusdem.

2. Porrò certum est quòd in vim prioris clausulæ, si in ea statum esset, nec ultra processum, reus non teneretur de hac evictione, quæ non est de facto suo, nec posset ullo modo teneri, nisi ad restitutionem pretii, quæ sola obligatio supereresset per æquitatem, *§ qui autem in l. emptorem de act. emption.* quæ ad æquitas de qua *in l. si & me & Titium de reb. cred.* ne venditor lucrum retineat, & emptor damnum ferat, quæ æquitas in nostra hypothesi non congruit, quia reo quoque pretium abest, & in damno versatur. Sed per secundam clausulam reus ab omni onere, & omni specie evictionis eximitur, & liberatur. Cùm igitur propter præcedentem clausulam non supereresset, nisi obligatio restituendi pretium.

3. Sequitur quòd clausula sequens illam etiam specialiter abolet: genus enim quod non potest verificari in una specie, pro specie habetur: text. *in l. si duo de legat 1. in c. heres de opt. legat. in c. ex part. 1. & ibi gl. alt. Panorm. Fely. & omnes, de offic. deleg.* Bart. *in l. quæsitum de fun. instruct. & instr.* legat. Bald *Autb. hoc inter liberos C. de rest.* Franc. Aret. *l. 1. col. 5. num. 8. de vulg. & pupil.* & ibi Jas. *col. 4.* Jas. *l. 2. cons. 1. de lib. & postb. & in l. gallus, §. 1. lect. 1. col. 1. eod. tit.* Nec obstat quod superaverat obligatio ad evictionem præcedentem ex facto rei, quia clausula secunda non ad hoc, sed ad aliud refertur.

4. Clausula enim generalis etiam simpliciter posita non refertur ad casus habentes specialem dispositionem, *l. dotis clausula de verbor. oblig. l. cohæredi § patrem, de vulg. & pupilla substit.* maximè in eadem dispositione, *l. nam ad ea de cond. & demonst.* quantò minùs clausula generalis non simpliciter, sed exclusivè ad præcedentia posita, ut hîc: igitur non refertur, nisi ad casum evictionis contingentis absque facto, & culpa rei, ut hîc, & sic ut nec de pretio quidem tenentur, aliàs nihil operaretur, cùm tamen sit expressè apposita in favorem, commodum, & exonerationem rei, ergo novam exonerationem operari debet, saltem ampliorem quàm quæ jam acquisita erat ex priori clausula.

5. Præsertim cùm posteriorem clausulam stipulatus sit Feidrus non gratis, sed mediante reali traditione, & cessione instrumentorum, quam alioquin non tenebatur facere: poterat enim authoritates, & instrumenta domus, & acquisitionis suæ retinere, nec tenebatur ea dare, nec cedere emptori, text. *in l. Julius 2. l. creditor. in princ. de action. empt. l. instrumenta, C. de fideicom.* & utrobique per Bart. Bald. Paul. & omnes.

6. Præterea de jure emptor nullam habet actionem contra authores venditoris sui, nisi sibi à suo venditore cessæ fuerint: text. *in l. si res quam de evict.* Cùm ergo ab initio secundus venditor cesserit actiones contra authores, & hanc cessionem secundus emptor acceperit pro omni alio, & residuo jure evictionis: sequitur necessariò quòd omne aliud jus, & residuum evictionis contemplatione dictæ cessionis, & instrumentorum traditionis remisit.

7. Quòd autem in hac hypothesi instrumentorum traditio cessionem actionum in illis contentarum contineat, text. est *in l. nominis & rei, C. de action. & obligat.* Hæc enim hypothesis est de contractu venditionis, cujus appendix est dicta clausula traditionis instrumentorum acquisitionis: ergo ipso jure in secundum emptorem transierunt actiones utiles dictæ acquisitionis, præsertim cùm hæc conditio instrumentorum non fieret ad tempus, sed in perpetuum: non titulo precarii, vel locationis, vel commodati, seu dispositi, sed titulo proprietatis: non in procuratorem, & rationarium, sed in procuratorem in rem suam: & sic implicat cessionem perpetuam utilium actionum, & mandatum irrevocabile directarum, *l. 1. l. illam, C. de donatio.* Ut ergo secundus emptor acquisivit præter naturam venditionis, ita remisit de jure suo præter naturam venditionis: & nisi aliquid remisisset, cessionem illam non obtinuisset.

8. Imò etiam veritas est actorem nihil remisisse de jure suo, quia non sumus in quæsitis, sed in quærendis, imò (ut jam tactum est) ista non est venditio corporis, sed juris: non certæ rei, sed alex, videlicet juris per Feidrum à venditore suo quæsiti, cujus loco secundum emptorem subrogavit, detracta omni obligatione, & specie evictionis, nisi quatenus ex facto ipsius Feidri procederet. Transegit ergo de residuo evictionis futuræ, quod non erit nisi restitutio pretii, cum dicta cessione actionum, & traditione instrumentorum, contra primum venditorem, & ejus fidejussorem, & heredes, & bona eorum.

9. Porrò certum est, eum qui cedit, vel vendit nomen, non teneri præstare locupletem esse debitorem, sed dumtaxat debitorem esse, text. *in l. si nomen, de heredit. vel actione vendita*, ubi Bald. vetus pragmaticorum dictum citat, quod cedens non tenetur facere nomen bonum Bal. *cons. 270. lib. 1.* Paul. *cons. 170. lib. 2.* Alex. *cons. 242. in fin. lib. 6.* Vbi *in annot. dixi.* Imò text. ait *quod cessionarius ipse nomen bonum facit*, id est, pro tali suo periculo accipit, ut inquit text. *in l. inter causas, §. abesse, ff. mandati*, ibi quia nomen bonum facit creditor, qui admittit debitorem delegatum, id est accipit in solutum pro bono qualecumque sit.

10. Quanto fortiùs hîc, ubi actor cessionarius, vel ejus heredes dicta cessione usi sunt, agendo contra heredes primi venditoris, & fidejussoris contra quos jure cessio in vim dictorum instrumentorum traditorum litem contestati sunt: nec illud nomen, & ejus cessio, aut delegatio in dubium revocatur: igitur saltem interim, & de præsenti non sunt admissibiles contra cedentem, vel ejus heredem, qui alioquin circumveniretur facto actoris, quia non facta dicta cessione, & originalium instrumentorum traditione reus, & ejus decessor vigilassent, quod non potuerunt, sed hac sollicitudine exonerati sunt facto actorum, & decessorum ejus, qui dictam cessionem, & instrumenta acceptaverunt, & possederunt.

11. Summa, multùm differt inter venditorem primitivum, qui absolutè vendit, & de evictione promittit sine ulla exceptione: & inter secundum vendi-

torem, qui tantùm quod acquisivit, eodem pretio revendit, & secundum emptorem in suam acquisitionem loco sui subrogat, nec se de evictione obligat, nisi de facto suo tantùm, & pro omni alia defensione, vel evictione, & cedit ac transfert literas suæ acquisitionis.

12. Hujusmodi enim cessio non fit in gratiam, & commodum cedentis, nec ut cessionarius ei rationem reddat, sed sit in jus, & commodum perpetuum cessionarii: & consequenter præsumitur ejus periculo facta cessio, ut pulchrè distinguit Ang. Perus. *in l.* 3. *C. de novat.* Egidius Bellamera *in c. mandato, col.* 4. *num.* 5. *extra de procuratoribus.* Tunc enim cessio ad commodum cedentis, quando actum est, quicquid exigitur plus aut minùs, spectat ad lucrum, & commodum cedentis, & tunc cedens tenetur de evictione cessionis, sive ex eo quod debitor non est solvendo, sive alias, quia tenetur facere nomen bonum: & ad hoc cessionarius habet actionem mandati: quia non tantùm suum, sed etiam cedentis negotium gerit. Nec est delegatio, sed simplex mandatum directarum utilibus retentis per cedentem. text. rotundus, *in l. si mandavero, §. interdum, ff. mandati.* Secùs quando cessio fit ad commodum cessionarii, ut hic:

13. Qua ampliùs non quæritur quid exigatur, sed totum est lucro, & periculo cessionarii, etiamsi cedens promiserit de evictione hujus cessionis: quia tunc tenetur facere nomen verum, sed non bonum, *l. si nomen de hæredit. vel action vendita.* Sed quando non promittit de evictone cessionis, ut hic nullo modo cedens promisit, sed cessit jura qualia habet, & tradidit instrumenta qualia habebat, quæ cessionarius acceptavit, censetur cessio facta ejus periculo, quia secutus est nomen sibi cessum: ergo liberavit cedentem, ut inquit text rotundus *in l. si mandatum in fi. ff. mand.*

14. Tunc enim vera est delegatio, & datio in solutum. Ita etiam decidunt Jacobus de Arena, & Bart. *in l si cum emptore, in prin.* & ibi Jason. *ff. de pactis.* Bald. *l.* 1. *q.* 5. & ibi Salicet. *q.* 12. *C. de act. on. & obligation.* & expresè Egid. Bellamera *in d. t. mandato.* Anton. Negusanus *in tract. de pignor. par.* 2. *membro* 3. *num.* 17. Et insuper etiamsi esset simplex cessio ad commodum cedentis, videlicet retenta proprietate juris cessi, adhuc non esset actor admissibilis, nisi prius discussis his contra quos cessionem, & mandatum simplex habuit, quia non posset agere, nisi in eo quod minùs servare, vel consequi potuerit. text. rotundus, *in d. l. si mandavero, §. interdum in fine, ff. mandati.* Et adhuc minùs admissibilis lite jam per eum contestata, & pendente, qui jus ipsum cessum non revocavit in dubium. Prius etiam deberet offerre, & restituere jura, & instrumenta sibi cessa non deteriorata, sed qualia erant tempore cessionis.

15. Quod adhuc non teneretur reus acceptare, cùm dicta cessio sit pars contractus nominati irrevocabilis, nec aliter primus emptor fuerat contracturus, & gratis, hoc est, eisdem conditionibus, nec aucto pretio, secundum emptorem subrogatus, nisi ut à sua acquisitione quam cessit, indemnis abiret, sine periculo, nec pretii quidem (quod etiam sibi aberat) restituendi, dando in solutum dicta jura, & instrumenta. Dictio enim *pro*, à qua incipit dicta secunda clausula, causam finalem denotat. Bald. *in l. in arrhali, C. de action. empt. in l.* 1. *col. pen. versic. venio ad secundam, C. per quas personas dixi in consuet. Paris. §.* 13. *glos.* 1. *n.* 27. *§.* 51. *glos.* 3. *num.* 9. *& ad Philip. Dec. cons.* 46. Et ita dico, & consulo ego Carolus Molinæus, &c. Parisiis 5. Calend. Martii. Anno Domini 1557. more Gallico.

EPITOME CONSILII L.

1. *Quando feudum dicatur hereditarium, vel ex pacto.*
2. *Quando præsumitur hereditarium.* 4.
3. *Quando debent esse filii, & hæredes.*
5. *Consuetudo familiæ attenditur.* 6. 38.
7. *Jus feudorum non est jus primogenitura, sed succeditur æqualiter.* 19. 21. 44. 45.
8. *Feuda jure Romano incognita.*
9. *Feudorum origo Francorum est, sed Longobardi primi in Insubria, & Italia usum invexerunt.*
10. *Carolus Magnus regnum Longobardorum armis sibi quæsivit, & tunc cæperunt feuda ibi esse perpetua.*
11. *Lotharius primus Imperator, Caroli Magni nepos, Magistratus instituit Romæ & ibi coram Papa, & universo populo multas leges sanxit.*
12. *Imperium Francorum centum viginti fere annis duravit.*
13. *Et post ducentos annos Conradus secundus leges Principum Francorum de feudi transmissione redintegravit.* 14 15.
16 *Fœminæ nunquam succedunt in feudo, nisi ex speciali pacto, & deficientibus masculis.*
17. *Pacta contra naturam feudorum apposita non extenduntur* 18.
18. *Vasallus non potest testari, nec disponere de feudo, etiam ad commodum aliquorum de suis descendentibus.* 23. 34. 36.
19. *Sed omnes debent æqualiter succedere, salva repræsentatione.* 20 21.
22. *Verba hæredibus, & successoribus de masculis tantùm intelliguntur.* 27.
24. *Relatum est in referente etiam propriè & specificè.* 25. 26.
29. *Verba, ex* luo corpore descendentibus, *comprehendunt pronepotes, & ulteriores.* 33.
30. *Feuda debent esse perpetua.* 31. 42.
32. *Investitura prima non potest in præjudicium descendentium, vel agnatorum, etiam consensu principis derogari.* 34. 36.
35. *Clausula in fine posita refertur ad omnia.*
37. *Investitura prima semper in feudis attenditur.*
38. *Talis præsumitur titulus præcessisse, qualis apparet usus, & possessio.*
39. *In regno Siciliæ ultra generalem feudorum consuetudinem, est una specialis consuetudo succedendi, more Francorum.*
40. *Consuetudo familiæ non valet in his quæ spectant ad decisionem causarum.*
41. *Dispositiones feudi factæ à vassallo non nocent his qui non consenserunt.*
42. *Allodium præsumitur, Feudum non præsumitur merè hereditarium.*
43. *Filius non potest recusare hereditatem patris absque feudo, quod tamen non est hereditarium.*
44. *Filius heres in re certa, vel in uncia, nihi-*

lominùs ſuccedit æqualiter in feudo, nec locus eſt primogenituræ. 45.
46. *Filius non ſuccedit in feudo iure teſtati, vel inteſtati, ſed iure feudorum, vel inveſtituræ.* 49. 50.
47. *Niſi in feudo merè hereditario.*
48. *Feudum conceſſum pro ſe, & liberis, nullo modo eſt hereditarium.*
50. *In feudis non eſt locus iuri accreſcendi, ſed legi inveſtituræ.*

CONSILIUM L.

VIſis & examinatis exemplis donationum, & inveſtiturarum ab illuſtr. Ludovico & Joanna Rege, & Regina Hieruſalem, & Siciliæ, Comitibus Provinciæ, Forchalcherii, & Pedemontis, anno 1359. duodecima Octobris conceſſarum, & factarum nobili, & generoſo Franceſchino de Bolleris, de Caſtro, & territorio *Roſqueſpreverie*, & quinque aliis Caſtris Pedemontis, pro ſe & ſuis heredibus, & ſucceſſoribus in perpetuum, necnon alterius donationis, & infeudationis anno 1376. factæ per eamdem reginam, Provinciæ & Pedemontis Comitem, eidem Franceſchino de Caſtro de monte, in Provincia pro ſe, & ſuis heredibus utriuſque ſexus, ex ſuo corpore, & legitimè deſcendentibus, natis, & naſcituris, confirmationis Mariæ reginæ & Comitis, filiæ præfatæ reginæ, necnon donationis, & infeudationis per eam anno 1380. factæ nobili Freylono de Bollieris fratri dicti Franceſchini de Caſtro, & territorio *Centul*, in Comitatu Pedemontis, pro ſe, & ſuis heredibus, & ſucceſſoribus ex ſuo corpore legitimè natis, & naſcituris, privilegii à rege Renato, anno 1442. dati Ludovico primo nepoti ex primogenito præfati Franceſchini, teſtamenti præfati Ludovici, & Joannis ejus filii primogeniti, & Ludovici ſecundi, tranſactionibus, & aliis in themate facti narratis, Domini Jeſu Chriſti, unici Dei, & hominum mediatoris nomine invocato. Omiſſa ſingularum quæſtionum prolixiori diſputatione, ſcopum ipſum reſolutiva noſtra analyſi petendo.

1. Ex tribus potiſſimùm viderentur hæ ditiones hereditariæ, & conſequenter dominum Franciſcum *de Boulliers*, qui ſolus ex ſeptem filiis Ludovici II. patris ſui ſupereſt, teneri ſtare teſtamento, & tranſactionibus deceſſorum ſuorum, & his quæ ſibi relicta ſunt à patre, ſalvo (ſi res exigat) ſupplemento legitimæ. Primò ex tenore dictarum conceſſionum, & inveſtiturarum. Prima enim facta eſt dicto Franceſchino pro ſe, & ſuis heredibus, & ſucceſſoribus in perpetuum. Hæc eſt forma inveſtituræ quoad perſonas ipſas attinet. Ergo quamvis dicta prima conceſſio facta ſit in feudum, tamen eſt feudum hereditarium. Quoties enim feudum eſt conceſſum pro ſe, & ſuis heredibus, dicitur hereditarium. Si verò ſit datum pro ſe, & pro liberis deſcendentibus, tunc non dicitur hereditarium, ſed appellatur feudum ex pacto, vel ex providentia concedentis. Ita declarat Andr. Iſern. *in cap.* 1. §. *& olim col.* 1. *in fine de ſucceſſor. feudi, & in cap.* 1. *qui ſucceſſor. feudum dare tenentur in fin. & in cap.* 1. *de reſignation. feudi paterni. & in cap.* 1. *an agnatus, vel filius in uſibus feudorum.* Et ſequitur Alexand. *in l. quædam*, §. 1. *col.* 2. *de edendo in conſ.* 55. *col.* 4. *num.* 6. *lib.* 4. & ibi ſequitur Andreas Barbatus, *col. penult. ſui conſilii ad conſilium Alexandri continuati.* Idem Alexand. *conſil.* 26. *col.* 2. *lib.* 5. Philipp. Dec. *conſ.* 445. *in fin.* Jacobus de S. Georgio *in inveſtitura feudali verſic.* Ita quod ipſi inveſtiti habeant Franc. Curt. junior. *in tractatu feudorum part.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 19. *verſic. quarto ſub hac, & in conſ.* 1. *num.* 12. *conſ.* 32. *conſ.* 78. Albertus Brunus inter conſilia feudalia, *conſ.* 10. *col.* 3. *conſ.* 11. *col.* 4. *conſ.* 24.

2. Imò etiam in dubio præſumitur feudum hereditarium, ut ait Alexand. *conſ.* 26. *col.* 2. *lib.* 5. Carolus Ruin. *conſ.* 15. *num.* 6. *conſ.* 17. *lib.* 1. Franciſcus Curtius junior. *conſ.* 3. *num.* 4. Ex quibus in illa prima conceſſione videntur feuda planè hereditaria.

3. Quoad ſecundam verò, & tertiam inveſtituram, quia addita ſunt verba: Ex ſuo corpore legitimè deſcendentibus, natis, & naſcituris, hæc quidem verba bene operantur, ut feuda illa ſint affectata liberis primi gradus, ita tamen ut debeant eſſe filii, & heredes, tunc enim propter illa verba requiritur concurſus utriuſque qualitatis, ſecundum communem ſententiam, ut tradunt Alexand. *in dicta l. quædam*, §. 1. *col.* 2. *de edendo in l. quod dicitur col.* 14. *de verbor. obligat.* Jaſon. *l.* 2. *num.* 188. *C. de jure emphiteuticor. in l. ſi non ſortem*, §. *libertus de condict. in deb.* Bal. *conſ.* 70. *lib.* 2. *conſ.* 475. Bartholomæus *lib.* 5. Paul. Caſtrenſis *conſ.* 461. *viſis col. ult. lib.* 1. Alexand. *conſ.* 44. *ubi in annot. dixi lib.* 1. Philipp. Corn. *conſ.* 13. *lib.* 3. Philipp. Dec. *conſ.* 185. *conſ.* 390. *col.* 3. *conſ.* 445. Franciſcus Curtius Junior. Albert. Brunus in locis nuper allegatis.

4. Sed tamen illa adjectio utriuſque ſexus, vel deſcendentium, eſt limitata ad deſcendentes ex proprio corpore recipientis, ſive primi inveſtiti, & conſequenter in ulterioribus deſcendentibus remanent feuda planè hereditaria. Secundò principaliter propter privilegium liberè diſponendi per Ludovicum I. primi inveſtiti nepotem à Rege Renato impetratum.

5. Tertiò principaliter propter conſuetudinem familiæ ultra ſexaginta annos continuatam, & præſcriptam, qua dationes illæ ſemper jure teſtamentario, & ſubſtitutionum ad unum, & primogenitum tantùm devolutæ ſunt, reliquis excluſis. Et ſic videtur Joan. Ludovicus ex teſtamento avito, proavito, & abavito ſolus ad omnia vocatus, Franciſco excluſo, niſi in ſibi relictis à patre, & ſupplemento legitimæ. Ita enim in propriis, imò fortioribus terminis decidit Andreas Iſer. *in l. Imperialem de prohibita feudi alienatione per Federicum*, §. *præterea ducatus col.* 2. *in verſic. feudorum*, dicens quod ſi probetur quod inter plures filios vaſalli primogenitus tenuit ſolus feudum per triginta annos, tanquam primogenitus, ſcientibus, & patientibus aliis fratribus, quod inter plures filios ejuſdem primogenitus eodem jure uti poteſt. At hîc ſunt plus quàm ſexaginta anni talis uſus, & conſuetudinis de primogenito in primogenitum. Et illud dictum Iſerniæ refert, & ſequitur Guido Papæ *conſ.* 131. circa proceſſum reviſionis *col.* 2. ubi in propriis terminis decidit quod illud nudum factum quatuor teſtibus probatum, quod prædeceſſores fratrum contendentium de certo caſtro, & terra feudali ſemper, ſaltem per quadraginta annos obſervarunt, quod primo natus eorum ſolus obtineret illud feudum, ſufficere ad probandam efficacem hujuſmodi conſuetudinem introductam. Sed hîc ſunt ſexaginta anni: & ultra illud factum procedit veluti titulus, authoritas, & privilegium Regis Renati liberè diſponendi de eiſdem feudis.

6. Quod cùm conſuetudo ejus familiæ hoc faciat, & ſit obſervanda, tenent Joan. Andr. *in additionibus Speculi titulo de inſtrumentorum editione*, §. *compendiosè verſiculo, ſed nunquam etiam in modo ſacerdotali.* Jaſon. *in l. omnes populi*, *col.* 9. *verſic. an autem una progenies*, & ibi Joannes Crotus *in repetit. col.* 4. *de juſtitia, & jure.* Jaſon. *in l. ſi quis à*

filiis, §. *ultimo de leg.* 1. *& conſ.* 46. *col. ult. lib.* 1. *conſ.* 192. *col.* 3. *lib.* 2. Albertus Brunus *in tract. feudorum in verb. parentela in fin.* Philippus Dec. *conſ.* 515. *num.* 18. Et in terminis primogenituræ, de qua agitur, Socinus *conſ.* 47. *col. ult. verſic. capio.* 4. *q. lib.* 3. Joan. Spiritus *in tractatu de jure primogenituræ, lib.* 3. *q. ult.* Petrus Paulus Pariſinus *conſ.* 7. *ad veram col.* 2. *&* 3. *lib.* 4.

7. Sed his non obſtantibus, quantumvis urgere videantur, contrarium cenſeo videlicet præfatum Franciſcum in prædictis divisionibus feudalibus æqualiter cum nobili, & generoſo Joanne Ludovico nepote ex fratre ſuccedere debere, deductis tamen portionibus fratrum, & ſi quas legitimè ab eis Antonius, & Joannes Ludovicus pater & filius acquiſierunt. In ſumma, nec dictum privilegium, nec dicta teſtamenta, & ſubſtitutiones obſtant quominùs præfatus Franciſcus dictorum feudorum virilem ſuam partem jure conſuetudinis feudalium, & dictarum inveſtiturarum petere poſſit, & hoc nomine ad diviſiones, cùm non ſint de regalibus, provocare. Et moveor cùm ex natura, & conſuetudine feudorum, tum ex tenore inveſtiturarum.

8. Feuda enim non reguntur jure communi Romano, cui prorſus fuerunt incognita, ut ſcripſi *in conſuetudine Pariſienſi, titul. de feud. in rubrica num.* 2. *cum ſeq.* Andr. Iſern. *in proœmio feud. quæſt.* 4. & ibi Jacobus Alvar. & alii *in quæſt.* 7. *& in tit. de contentione inveſtituræ inter dominum, & vaſallum, col.* 11. *notabili* 4. Joannes Bapt. Caccialupus *in repetitione capituli* 1. *de feud cognitione.* Claudius Seiſel *in ſpec. feud. in pr.* Sed proprio, & peculiari jure, & conſuetudine veterum Francorum, & Longobardorum orto, qui in Inſubria 204. annis regnarunt, & dixi *in conſuetudine Pariſienſi tit.* 1. *in rub. num.* 26.

9. Prima enim feudorum origo Francorum eſt, poſteà verò Longobardi uſum feudorum in Inſubriam, & Italiam primi omnium invexerunt. Et quamvis ante Longobardos feuda apud Francos eſſent perpetua, tamen novi reges & duces Longobardorum initio regni ſui in Inſubria prædia ab Imperio Romano, & à devictis rapta non ſolebant initio infeudare, niſi ad beneplacitum, revocabilia ad nutum, deinde annuam dare firmitatem, deinde illam uſque ad vitam vaſſalli producere, ut nec ad filios quidem tranſiret. Poſteà lentim extenſum in unum filiorum vaſſalli, quem dominus eligeret, tandem receptum, ut ad omnes filios æqualiter devolveretur, ſcilicet ad filios maſculos primi gradus tantùm, ut inquit text. *in capite* 1. §. *& quia vidimus in princip. in uſib. feudorum.* Item ſub regno Longobardorum.

10. Quo per Carolum Magnum, hortatu, & precibus Adriani I. Papæ, anno 776. ſuppreſſo, vel potiùs ſibi acquiſito (cœpit enim ex tunc ſe Imperatorem, & Longobardorum Regem dicere, receptum fuit in Inſubria, ut feuda ad omnes deſcendentes maſculos in infinitum devolverentur, ut patet *in c. ſi quis miles in tit. conſtitutio feud. domini Lotharii Imperatoris*, ubi à dicto cap. *ſi quis miles*, uſque ad cap. *ſi quis ſine filio*, incluſivè recitantur plures conſtitutiones feudales.

11. Quas circa annum Dom. 825. Lothatius I. Imperator Ludovici Pii Francorum Regis, & Romanorum Imperatoris filius in conſortium imperii aſſumptus, Caroli Magni nepos, poſtquàm tempore Paſchalis I. Papæ Romam ingreſſus, & die Paſchæ coronatus, Magiſtratus Romæ inſtituiſſet, qui populo Romano jus diceret, mortuo Paſchali, & Eugenio II. ſua authoritate à clero, & populo Romano electo, & ab eodem Lothario confirmato: idem Lothatius in civitate Romana coràm eodem Eugenio Papa, & univerſo populo, in ipſis valvis, & ante januas templi beati Petri multas leges ſanxit, è quibus novem capitula rem feudalem concernentia recitantur ab Oberto de Orto inter dictos uſus feudorum, ſub titulo: Conſtitutiones feudales domini Lotharii, &c.

12. Sed quia poſt 80. annos deficiente ſtirpe, & Imperio Caroli Magni, quod per decem imperatores, centum & ferè viginti annos duravit, Berengarii à Longobardis oriundi regnum avorum armis repetentes, Inſubriam occuparunt, & per quinquaginta annos, tacente imperio, Italiam vexarunt, uſque ad Othonem I. re & nomine Magnum, qui debellatis Berengariis in Roma, & Italia, Imperii majeſtatem, & ſplendorem reſtituit, & teſte Platina, & aliis Chronographis, tres Papas Romæ ob eorum ſcelera ſucceſſivè depoſuit, & alios inſtituit.

13. Vacante verò in Italia ſub illa Berengariorum tyrannide imperio, leges quoque præſertim feudales, quæ militantibus magis inſerviebant, præfati Lotharii I. Imperatoris, & aliorum Carolinæ ſtirpis Imperatorum facile (ut fit) exoleverunt, ita ut renovatione indiguerint. Quo factum eſt dum Conradus II. Imperator electus circa annum ſalutis 1025. Romam (ubi à Joanne Papa XX. coronatus fuit) proficiſceretur, rogatus fuit a vaſſallis, qui eum comitabantur, ut lege promulgata non ſolùm ad filios ſuos, ſed etiam nepotes ex filiis ſuis feuda tranſmitterent, utque inter filios, & nepotes per lineam maſculinam primi inveſtiti deſcendentes, eſſet etiam collateralis ſucceſſio. Quod Conradus edixit, redintegrans hac in parte feudales leges ante ducentos annos latas, & promulgatas Romæ à præfato Lothario I. ut eſt text. *in uſibus feudorum tit.* 1. §. *cùm verò Conradus.*

14. Quem textum impoſſibile eſt intelligi de Conrado I. nepote ex fratre Ludovici III Imperatoris, cui in imperio ſucceſſit ultimus Carolinæ Francorum ſtirpis, poſt cujus obitum in duces Saxoniæ tranſlatum fuit imperium: quia is Conradus I. ultimus Francorum Imperator ſeptem tantùm annis utcumque regnavit in Germania, nunquam Berengariorum metu Italiam auſus eſt attingere. Non etiam poteſt intelligi de Conrado III. & ultimo Saxoniæ Duce, qui Lothario III Saxoniæ Duci in imperio ſucceſſit anno 1038. & cum Ludovico IX. Francorum rege in Saracenos arma duxit, quia etiam tempore Lotharii III. deceſſoris ſui, qui multas leges feudales in Italia etiam Romæ ſanxit, ut *in l. imperialis de prohibita feudi alienatione per Lotharium, & cap.* 1. *in princ. qualiter olim poterat feudum alienari in uſibus feudorum* ſupervacuum fuiſſet quod jamdudum receptum erat, & obtinebat à tali Conrado ultimo, qui etiam nunquam Romam profectus eſt, nec in Italia dominatus, precibus impetrare. Neceſſe eſt igitur intelligere dictum §. cùm verò Conradus, de præfato Conrado II. cujus etiam ſunt leges illæ, & capitula Conradi, de quibus in dictis uſibus feudorum, ut clariſſimè docui *in conſuetudine Pariſ. titulo* 1. *rubrica in ſecunda editione.*

15. Stetit ergo, & ſtat à plus mille annis perpetua lex, & conſuetudo feudorum in Inſubria abſque ulla interpellatione, ut feuda devolvantur in legitimè deſcendentes maſculos primi inveſtitiin infinitum, fœminis, & deſcendentibus ex his, excluſis: ita ut pluribus maſculis concurrentibus, feudum ad omnes æqualiter pertineat: illis autem quandocumque deficientibus, ad dominum liberè revertatur. Hæc eſt perpetua lex, & conſuetudo feudorum, præſertim in Inſubria inconcuſſim abſque ulla interruptione à plus mille annis notiſſimè obſervata, ut etiam omnes gloſſæ, & Doctores uniformiter, uno ore, unoque calamo cenſent.

16. Niſi

16. Nisi ſicubi ſpeciali pacto inveſtiturę aliter cautum appareat, putà fœminas admitti: quo caſu intelligitur, ut non niſi deficientibus maſculis admittantur, utque ſemel excluſæ nunquam deinceps admittantur, *cap.* 1. §. *quia etiam Epiſcop. vel Abbat. cap.* 1. §. *filia verò, de ſucceſſ. feud. cap.* 1. *de gradibus ſuccedendi in feudo, cap. unico, de feudo fœmina, cap. in princ. de natura ſucceſſionis feudi. cap. unico, de his qui ſibi vel heredibus ſuis maſculis & fœminis inveſtitur. accept.* ubi in fine textus probat idem eſſe reſpectu ipſius domini directi, cujus maſculi, & non fœminæ debent recognoſci, adde text. *in cap.* 1. §. *ſimiliter. de capital. qui curiam vend. cap.* 2. *in fin. in quibus cauſis feudum amittitur, in uſibus feudorum,* pulchrè Paulus Caſtrenſ. *Authent. Itaque, C. communia, de ſucceſſ.*

17. Idem de cęteris pactis contrà regularem feudorum naturam appoſitis, ut quantum fieri poteſt, reſtringatur, quominùs ab ordinaria feudorum natura & conſuetudine recedatur, ut notant omnes Feudiſtæ, *in cap.* 1. *de feudo non habente propriam feudi naturam, in uſibus feudorum. Et text. in cap.* 1. §. *feminæ ea lege, ſi de feudo defuncti contentio ſit inter dominum & agnatos, & in cap. unico, de feudo fœmina.*

18. Prima verò inveſtitura facta Francheſchino, pro ſe & ſuis heredibus & ſucceſſoribus, in perpetuum, non intelligitur de quibuſlibet heredibus & ſucceſſoribus, ſed de filiis legitimis, maſculis dicti Franceſchini, item & de maſculis ex his in infinitum, legitimè per lineam maſculinam deſcendentibus dumtaxat: i. a quod ſi non ſupereſſent niſi fœminæ, vel etiam maſculi deſcendentes ex his, finitum eſſet feudum, & ipſo jure ad dominum reverſum, non obſtante quacumque diſpoſitione, ſive teſtamentaria, ſive inter vivos præfati Franceſchini, vel deſcendentium ex eo, & non obſtante quacumque temporis præſcriptione, *cap.* 1 §. *rurſus, quibus mod. feud. amittat. c.* 1. §. *præterea, de capit.* Conradi; ſalva tandem ampliatione facta per privilegium Regis Renati.

19. Præterea eſt vis & natura præfatæ inveſtiturę, & omnium feudorum ſub ea contentorum, ut omnes filii æqualiter ſuccedant, & pariter inter deſcendentes maſculos, & per ſexum maſculinum primi inveſtiti, ut inter plures maſculos concurrenter, ſive in linea directa deſcendentes, ſive in linea collaterali, ad omnes æqualiter feudum pertineat, §. 1. *in fin. de his qui feud. dare poſſ. cap.* 1. *in princ. de ſucceſſ. feudi, c.* 1. §. *omnes filii, ſi de feudo defuncti contend. ſit inter dom. & agna. cap.* 2. *de prohib. feud. alien. per Lothar.* Carolus Ruinus *conſil.* 11. *lib.* 1.

20. Ita tamen ut nepotes ex filio illum in ſtirpem repræſentent, *cap.* 1. *in princip. de ſucceſſ. feudi capit. de gradibus ſucceſſ. in feudo.* Et ut qui ſunt diverſarum linearum veniant, in ſtirpes, videlicet ſingulæ lineæ loco unius, *cap. unico, in fine, de natura ſucceſſ. feud.* & ibi Jacobus Alva. & Præpoſitus Mediolanenſis, & latè Signorellus de Homedeis *conſ.* 93. *factum ſic ſe habet.* quem ſequitur Joannes Campenſis inter conſilia feudalia. Alberti Bruni *conſ.* 11. *col. penultima.*

21. Sequitur ergò quod etiamſi non eſſet aliud in iſta prima inveſtiturâ, tamen dictus dominus Franciſcus debet æqualiter in dictis feudis cum domino Antonino fratre ſuo, & aliis fratribus ſuccedere, & tam ex capite ſuo, quàm ex capite fratrum ſine liberis defunctorum, æqualiter dividere cum domino Ioanne Ludovico dicti Antonini, idque tam ex lege, natura, & conſuetudine feudorum, quàm ex lege dictæ inveſtiturę.

22. In qua certum eſt quod verba, *heredibus & ſucceſſoribus*, de maſculis dumtaxat ex maſculis legitimè deſcendentibus, ad omnium aliorum excluſionem, intelliguntur, *cap.* 1. § *ſed diverſum, de alienatione feudi, cap.* 1 §. *ſimiliter, verſic. profectò de lege Conradi. in uſibus feudorum,* & omnes Feudiſtæ. Joannes Calderinus *conſ.* 8. *de feudis, conſ.* 15. *de verbor. ſignif.* Franciſcus Curtius ſenior *conſ.* 25. *col.* 1. Joan. Baptiſt. Caccialup. *in repet. cap.* 1. *de regul.* 13. *de feudi cognition. in uſib. feudor.* Jacobus de S. Georgio *in inveſtitura feudali, in verſic. & unus ex dict. vaſſal. refuta. feudum, col.* 2. Philip. Decius, *conſil.* 208. *col.* 3. *conſil.* 445. *col.* 3. *conſ.* 516. *col.* 2. *conſ.* 555. *num.* 3. Iaſon. *conſ.* 155. *col.* 1. *lib.* 2.

23. Idque non obſtantibus omnibus teſtamentis & ſubſtitutionibus, quæ ipſo jure non valent in feudis, *cap.* 1. *in princ. de ſucceſſ. feudi.* ibi, nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente, in *uſib. feudorum.* Nec obſtant etiam tranſactiones deceſſorum, quorum dictus Franceſchinus non eſt heres. Prædictis adde textum in cap. unico, *de duobus fratribus à capitaneo inveſtitis,* ubi appellatione heredis veniunt deſcendentes tantùm, etiam fœminæ, vel ex fœminis ſi de illis cautum ſit, & regula quòd unuſquiſque ſibi ſuiſque heredibus videtur proſpexiſſe, non intelligitur de extraneis quibuſque, ut in patrimonialibus, *leg. pactum, de probationibus:* ſed intelligitur de legitimè deſcendentibus tantùm, ſecundùm naturam materiæ ſubjectæ feudorum. Ad objectum verò de privilegio Regis Renati, & de conſuetudine familiæ infra reſpondebitur.

24. Sed eſt aliud longè fortius & ineluctabilius in eadem inveſtitura, quæ verbis diſertis in ipſis clauſulis diſpoſitivis refertur, limitatur, & reſtringitur ad prędictos antiquos feudales uſus Inſubrię, ibi, donamus, tradimus, &c. juxta obſervantiam, uſum & conſuetudinem dicti Comitatus Pedemontis obtentos, & in talibus obſervatos. Et rurſus ibi, *Servire teneantur immediatè,* & in capite de ſervitio proprio conſueto, ſecundùm obſervantiam & conſuetudinem patriæ memoratæ. Ecce quod etiam bis originalis ipſa inveſtitura refertur ad prædictos uſus feudorum Pedemontis, qui notiſſimè non ſunt alii quàm jura illia feudalia, quæ habentur in uſibus feudorum, quæ ad unguem obſervantur in tota Inſubria, in qua ſitus eſt Comitatus Pedemontis.

25. Igitur perinde eſt ac ſi eadem jura uſuum feudalium eſſent nominatim recitata in dicta inveſtiturâ, quia quicquid eſt in termino relato, eſt in termino referente, *l. inſtitutio talis, de condit. inſtitutio. l. aſſe toto. de heredib. inſtit. l. ſi ita ſcripſero, de condit. & demonſt.* Etiam propriè & ſpecificè Bald. *in l. ſi defenſor,* §. *qui interrogatus, verſic. niſi forte, per illum textum de interrogatoriis actionib.* Bald. *conſ.* 212. *eaque, lib.* 5. Philipp. Dec. *conſ.* 47. *& in cap. quoniam contra falſam, num.* 37. *extra de probationibus, ubi in annotat. dixi & ſcripſi in conſuet. Pariſ.* §. 45. *num.* 18. *& in regula cancellariæ de infirmis reſignantibus, num.* 413. Igitur virtute dictæ relationis, etiamſi eſſet ſimplex, perinde eſt ac ſi in eadem inveſtitura expreſſim & ſpecificè cautum eſſet quòd verbum, *heredibus*, intelligitur de maſculis & legitimis deſcendentibus ex eis tantum, & quòd non obſtante aliquo teſtamento, vel alia diſpoſitione vaſſalli, ſeu vaſſallorum, in ultima voluntate vel inter vivos venirent maſculi æqualiter & viriliter, ſalvo jure repræſentationis nepotum & linearum, & ſuprà eodem numero. Hæc enim omnia ſunt ex natura feudi, & ex prædictis uſibus feudalibus, ad quos fit expreſſa relatio.

26 Igitur perinde eſt ac ſi uſus illi relati ſpecificè deſcripti eſſent in inveſtitura, etiam in Gallia patrię conſuetudinariæ facta, quantò magis quando facta eſt in Inſubria, ſeu ab habentibus domi-

cilium vel dominationem in ea, & de feudis in ea fitis, quæ est tacita relatio ad usus ejusdem loci, *l. si servus plurium. in fin. de legatis* 1. & insuper accedit gemina expressa relatio, quæ tergemina est ex prædictis, quę jam nullam habent dubitationem.

27. Secunda verò investitura eisdem facta ab eadem Regina anno salutis 1376. de Castro de Monte in Provincia, pro se & suis heredibus utriusque sexus ex suo corpore legitimè descendentibus natis & nascituris, necessariò per prædicta eodem modo intelligatur quo & prima, supra eodem num. 22. hoc dumtaxat excepto, quod in prima cessante alio ampliationis auxilio, sed masculi legitimi & legitimè descendentes ex eis vocantur, quibus deficientibus, feudum ad dominum revertetur: in hac vero secunda, etiam fœminæ vocantur, & descendentes ex fœminis: quod necessario intelligitur deficientibus masculis ex linea masculina, & non aliàs, per not. suprà eodem num. 22. repetendo.

28. In reliquis autem etiamsi non esset facta relatio ad dictos usus feudorum, tamen intelliguntur reservati quatenus ex eis expressim in eadem investitura non derogatur, *l. præcipimus, C. de appellat. cum vulgaribus, & per notata supra eod. num.* cùm notissimum sit eosdem usus feudorum in rebus feudalibus in eadem Provincia observari. Idem dicendum de tertia investitura Marię Reginæ facta Freylloni de Bollieris de Castro Cantali, sito in Comitatu Pedemontis, per prædicta.

29. Nec obstat quod hæ duæ ultimę investiturę videntur limitatæ ad liberos primi gradus investitorum per illa verba in dispositivis apposita, *ex suo corpore legitimè descendentibus*, quia filii filiorum nec descendunt, nec nascuntur ex corpore avi, sed ex corpore proprii patris: quoniam triplex est prompta responsio. Prima, quod argumentum procedere posset in terminis usuum feudalium, qui erant apud Insubres initio Regni Longobardorum, qui tunc erant in perpetuo motu, & strepitu, & periculo belli, propterea rarò infeudabant nisi ad beneplacitum, vel ad vitam recipientis: & sic dum concedebant etiam pro filio, intelligebatur de uno quem dominus eligeret: & dum infeudabant pro recipiente & ejus filiis, intelligebatur de filiis primi gradûs tantùm, ut suprà eod. num. 4. quę patrimonia pace per Carolum Magnum Italię datâ, exolevit, & cœperunt feuda ad descendentes masculos in infinitum extendi, quod lege Lotharii primi firmatum, rursus per Conradum primum ante mille triginta annos redintegratum fuit, & abinde hactenus inconcussè servatum.

30. Itaque dictæ investiturę intelliguntur secundùm receptam feudorum consuetudinem, quę est ut feuda sint perpetua, cap. 1. in fine, ibi in perpetuum pertineant, in quibus casibus feudum amittatur. Ioannes Baptista Caccialupus in repetitione *capitis primi, in regula tertia de feudi cognitione, in usibus feudorum.* Tum verba illa, *Utriusque sexus*, non sunt apposita ad restringendam, sed ad ampliandam investituram, videlicet, ut etiam fœminę & descendentes ex illis includantur, deficiente tamen stirpe masculina, ut suprà numero vigesimo secundo.

31. Secunda responsio per textum ipsum earumdem investiturarum, quibus liquet eas non esse factas ad vitam certarum personarum, vel graduum, sed in perpetuum, ut in dicta secunda investitura, ibi, *Vicem legis habere censeantur, & stabilitate perpetua sint mansura:* & in tertia investitura, ibi, *In perpetuum concedimus & donamus*, & ibi, *incommutabiliter perpetuò sint reales.* Porrò ut leges perpetuas esse decet, ita beneficia Principum.

32. Minùs obstant verba, *Ex suo corpore legitimè descendentibus, vel natis*, quæ sunt in secunda & tertia investitura: quia illa verba sunt apposita ad exclusionem filiorum adoptivorum, vel naturalium tantùm, & illegitimorum, quanquam legitimatorum, qui dominum non excludunt, quin ad eum feudum liberè revertatur, non obstante qualibet legitimatione vel derogatione, etiam supremi Principis, sine consensu domini feudalis apposita, cui nullo modo præjudicat, ut novè dixi *in consuetud. Parisiens. tit. de feudis*, §. 8. *col.* 3. *num.* 39. *& in annotationibus ad Philippum Decium*, 65. *num.* 1.

33. Cęterum verba, *De proprio corpore natis, vel descendentibus*, non excludunt nepotes & pronepotes, quia propter continuationem sanguinis dicuntur de eodem corpore, sicut & in eodem sanguine, ut tradit Bald. *in l.* 1. *C. de condit. insertis.* Ang. Perusi. *in l Lucius* 2. *de hered. instituendis*, Stephanus Bertran. *conf.* 23. *lib.* 1. Andreas Alciatus *in l. non est sine liberis, & in l. liberorum, in fin. de verb. signif.* Etiam ad exclusionem Ecclesię substituręe. Socin. *conf.* 17. *casus super quo, lib.* 1. & in propriis nostris terminis investiturarum feudalium tradidit Baldus, quod posteri dicuntur descendere ex corpore primi parentis, *in cap.* 1. *de eo qui sibi & heredib. suis, col.* 3. *per illum text. in usib. feudorum.*

34. His quæ diximus dominum Franceschinum non teneri testamentis & substitutionibus prædecessorum, non obstat dictum privilegium Regis Renari: quia primò non est aliud quam confirmatio, & in quantum opus esset, nova donatio prędictarum trium investiturarum, necnon renovationis tertiæ investiturę, quę per obitum dicti Freylloni sine masculis legitimis extincta erat, & ad illustrissimam Reginam Mariam Comitem Provinciæ, vel alium tunc quo tempore Comitem Provinciæ reversa, & per eumdem Comitem præfato Franceschino data & concessa, ut in secunda pagina dicti privilegii recitatur: cui confirmationi ad ampliandas dictas concessiones & investituras, idem Rex Renatus addit & concedit Ludovico primo, proavo domini Franceschini, ut non superstite sibi prole legitima, possit liberè tam per testamentum, quam inter vivos de dictis feudis & ditionibus disponere, dummodò in personas amicas, & nullatenus suspectas concedenti & suis fœderatis, & cum clausula. Quòd si dictus Ludovicus non disponeret, & absque liberis decederet, feuda hujusmodi ad concedentem & suam curiam revertantur. Ex quibus liquidò apparet privilegium illud non esse concessum in aliquam diminutionem vel derogationem prædictarum investiturarum, nec eorum qui per illas ad eadem feuda vocantur. Nulla enim ibi datur facultas disponendi sive inter vivos, sive in ultima voluntate, nisi in casum deficientis prolis legitimæ, videlicet masculinæ, respectu feudorum contentorum in prima & tertia investitura, vel etiam fœminæ respectu contentorum in secunda investitura.

35. Verba enim, *Non superstite sibi prole legitima*, quæ sunt posita in fine dictæ clausulæ ampliativæ, quæ incipit, *Concedimus*, referuntur ad omnia & singula in eadem præcedenti oratione contenta. Nihil ergo concedit, nisi in casum deficientis prolis legitimæ, scilicet per easdem investituras vocatæ. Clausula enim in fine apposita, refertur ad omnia præcedentia, *l. heres meus*, §. *uxori, de legat.* 3. Bartol. *in l. Plautius de auro & argento legato.* Doctores *in l. petens, C. de pactis.* Alexander *conf.* 48. *in principio, lib.* 1. ubi in Annotationibus dixi.

36. Præterea etiamsi præfatus Rex voluisset prædictis decessorum investituris derogare, etiam de consensu dicti Ludovici, ad quem, utpote tunc unicum masculum è stirpe dicti Franceschini avi sui

superstitem, omnia illa feuda devenirent, non potuisset in præjudicium agnatorum etiam collateralium, si qui tunc erant, nec in præjudicium nascturorum ex eis, & consequenter in præjudicium descendentium, vel nascturorum ex dicto Ludovico. Imò etiamsi vassallus vellet inter filios disponere, & uni eorum feudum prælegare vel donare: non posset, etiam consensu domini, nisi de consensu aliorum filiorum, ad eorum vitam tantum: quia posteris suis, nec agnatis quidem præjudicare possunt. Bald. *in l. Imperialem, col. 2. versic. quæro quid si vassalli, & versic. quæro ergo, & col. 3. versic. quæro utrum pater, de prohibita feudi alienatione per Fœdericum*, ubi omnes feudistæ sequuntur in usibus feudorum Ioan. Baptist. *pag. 9. eod.*

37. Et hoc est perpetuum in feudis, quòd semper respiciunt primum stipitem, & primum consensum domini, cui non potest derogari, Bald. *in cap. unic. col. 1. in prima oppositione, de eo qui sibi & heredibus suis, &c. in usibus feudorum.* Et prima investitura tanquam radix semper attenditur, nec mutari potest in præjudicium tertii. Bald. *in cons. 375. quando constat, lib. 2.* Bald. & alii *in cap. 1. de feudo guardiæ & castaldiæ, in usibus feudorum.* Bald. *in l. 1. col. penult. C. quando non petentium partes.* Paul. *in cons. 191. visis & diligenter, col. 2. lib. 2.* Alexand. *cons. 9. n. 12. col. 5.* Alvarotus *in cons. 1. post lecturam suam feudorum.* Franc. Zabarel. *cons. 92. favendo pupillis.* Iacob. de S. Georgio *in investitura, in verb. dictique vassalli promiss. recog. dict. feud. col. 4. versf. insuper quæro.* Matthæus de Afflictis *in decisionib. Neapolit. 195. n. 5. & 6.* Franc. *cons. 193. cons. 263. cons. 185. col. 2.* ibi in annotat. dixi. Albertus Brunus *in fine consil. 25. in fin. inter cons. feudalia.* Et in propriis terminis quod non possit alterari etiam per Principem, decidit Ludovicus Gozadinus *cons. 84. num. 8.*

38. Non obstant quæ supra numer. 5. & 6 dicta sunt de consuetudine familiæ: quia Andreas Isernia *in dict. §. præterea Ducatus, col. 2.* non dicit nec intendit per consuetudinem familiæ posse immutari naturam vel qualitatem primæ investituræ, si de illa constat: sed tantùm dicit quod quando de illa non apparet, vel quatenus dubia est, declaratur, vel interpretatur per longævum modum utendi & consuetudinem familiæ, juxta regulam communem, quòd talis præsumitur præcessisse titulus, qualis apparet usus & concessio. Bartol. Ioannes Platearius *in l. Iubus. Cod. de agricolis & censitis, lib. 11.* Bald. *in l. 1. col. 3. C. de fideicommiss.* Ang. Perus. *in l. qui aliena, §. 1. de acquirenda hered.* Alexand. *cons. 107. lib. 1.* Philip. Dec. *in l. si certis annis, n. 14. C. de pactis.* Albertus Brun. *in tract. de augmento, col. 113. cum sequent. & cons. 44. col. 1.*

39. Hoc tantùm, nec aliud intendit Andreas Isern. Patet, quia loquitur in Regno Siciliæ, ubi Galli diu dominati, usum feudorum Galliæ invexerunt, ita quod ubi ultra generalem & regularem consuetudinem feudorum, qua omnes veniunt æqualiter, quædam specialis consuetudo Francorum, videlicet à Francis invecta viget in plerisque locis, quâ succeditur in feudis more Francorum, & sic primogenitus in feudo quandoque totum, quandoque majorem partem habet. Si ergo dubitetur de aliquo feudo, an generali feudorum, an verò speciali Francorum consuetudine regatur, dicit Andr. Isern. & bene, quod attenditur si illi de domo sint in quasi possessione sic vivendi, id est, jure Francorum succedendi, & non generali jure feudorum: ita etiam necessariò intelligitur consilium Guidonis Papæ 131. tum quia intelligitur secundùm authorem quem citat, tum quia in Delphinatu Galliis contiguo non minùs degenerant feuda, quàm in Sicilia. Quæ verò citantur suprà num. 6. *vide* ego *inter*, quia partim loquuntur de interpretatione voluntatis patrisfamilias, *juxta l. si servus plurimum, in fin. de legat. 1.* partim per alios Doctores reprobantur, ut per Angel. *in l. ult. col. 2. de testamentis.* Raphaël Cuma. *in l. 3. de Pandectis, eod. tit.* Alexander *in l. si non specialis. Cod. de testam. col. 2.*

40. Nec etiam procedit nisi illa familia haberet potestatem condendæ legis, ut per Iasonem in *si quis à filio, in §. ult. n. 4.* & ibi Uldaric. Zazius *de legat. 1.* per Carolum Ruinum *cons. 38. Quoniam, col. 3. cons. 40. pro evidentia, col. 8. cons. 226. prætermittendum, col. 1 lib. 1. cons. 108. col. 4. lib. 7.* Ita etiam interminis feudorum non valere consuetudinem domûs nobilium contrariam juri, vel titulo, aut investituræ Principis, decidit Bald. *in cons. 247. Quæro: quidam nobiles*, quod consilium nonnulli incautè pro contraria parte citant. Idem tenet Rochus Curt. *in repetitione cap. 1. quæst. 8. extra de consuetud.* ut videlicet in his quæ pertinent ad decisionem causarum, non valeat consuetudo familiæ. Unde infert, & bene, non valere consuetudinè familiæ, quod fœminæ non succedant. Ius enim publicum privatorum pactis expressis tolli non potest, ergo nec tacitis, *l. jus publicum, de pactis.* sed eos dumtaxat, qui contraxerunt aut consenserunt, ligant, *l. si unus, §. ante omnia, de pactis.*

41. Præterea ex hypothesi rectè intuendo, nulla est consuetudo familiæ, quia non sunt nisi duo testamenta. Primum Ludovici primi, quod non habuit effectum, nisi de consensu filiorum. Secundum verò anno 1475. factum à Ioanne primogenito Ludovici, statim controversum fuit à filiis qui transegerunt anno sesquimillesimo quinto, & sic nihil valuit, nisi in vim transactionis & consensus in ea præstiti, qui non potest alios ligare, *l. si unus, §. ante omnia, de pact. cap 1. §. præterea, quibus mod. amitt. §. Titius si de feudo defuncti contentio sit inter dominum & agnatos, in usibus feudorum.* Porrò dominus Franciscus non est heres eorum qui jura sua transigendo cesserunt, nec aliter approbavit tertium illud testamentum Ludovici II. patris sui, filii primogeniti dicti Ioannis: & sic nulla cõsuetudo familiæ, nullum testamentum, nulla transactio, nullum pactum officere potest domino Francisco, quominùs virilem suam portionem feudorum à patre suo relictorum petat, juxta communes leges feudorum, & primas investituras.

42. Non obstat quod supra num. 2. dictum est, in dubio præsumi feudum hereditarium: quia est idem ac si diceretur potiùs præsumi allodium, quàm feudum, quod verbum est, ut dixi *in consuet. Paris. §. 46. n. 5. & in annot. ad Alex. cons. 126. lib. 1.* Cæterùm constito quòd sit feudum, non præsumitur simpliciter vel merè hereditarium: quia idem esset quod præsumere allodium & patrimoniale, quod minus esset absurdum, sed præsumitur feudum perpetuum pro se & heredibus, scilicet illis ad quos de sui natura feudum transit, videlicet ad masculos tantùm, nisi nominatim cautum sit de fœminis, per notata suprà num 16.

43. Utque filius recusare non possit hereditatem patris absque feudo, agnatus autem possit, *§. filius, de capitaneo qui curiam vendidit, cap. unico, an agnatus, vel filius defuncti possit retinere in usibus feudorum.* Hactenus feudum simpliciter vel pro se & heredibus concessum, dicitur hereditarium, tamen in veritate non est res hereditaria, ut pulchrè Franc Zabarel. *in cons. 64.* quod dicta vera nec venit in alienatione vel hypotheca bonorum, vel hereditatis, nec transit ad heredes.

44. Quin hoc casu ut filius ad ejusmodi feudum hereditarium admittatur, sufficit quod sit heres in re certa, & sic capiet hujusmodi feudum in totum, herede extraneo universaliter instituto, vel etiam

filia universaliter instituta penitùs à feudo etiam hereditario exclusis, ut per Bart. in *l. jusjurandum, §. si liberi, de operis libert.* Alexand. *cons.* 19. *num.* 17. *cons.* 22. *num.* 5. *lib.* 5. Paul. *in l.* 1. *C. de condit. insertis.* Imola, *cons.* 69. *visis, in fin.*

45. Quodsi primogenitus sit institutus universaliter, secundogenitus institutus in sextante, vel in re certa, nihilominus æqualiter in feudo succedit, & non pro quota hereditaria. Bartol. Alex. Ias. in *l. si non sortem, §. libertus in fin. de condict. indebiti.* Bald. *in cap. unico. col.* 3. *an agnat. vel filius defuncti.* Alex. *cons.* 19. *num.* 17. *l.b.* 5. Item de filio exheredato vel præterito, qui non vult testamentum dicere nullum, Bald. *in dicto cap. unico, col.* 3.

46. Quin etiam in hujusmodi feudo filius universaliter institutus non dicitur succedere ex testamento respectu feudi, sed jure successorio feudorum, & idem est si heres patris ab intestato. Ita expressim Baldus, quem omnes sequuntur *in capite* 1. *in principio, col.* 2. *versi. quæro ergo quo jure, de success. feud. in usib. feud.*

47. Quòd si feudum esset merè hereditarium (ut quod potest alienari, legari, & in quoscumque heredes transferri) tunc magis diceretur res patrimonialis, quàm feudum, ut in regno Franciæ, ubi feuda sunt patrimonialia. Joan. Faber, *Institut. de legitim. patronorum tutela, circa fin. de rerum div. in fin. princ. de empt. & vendit. col.* 1. *de action. §. item Serviana. col.* 12. *& in Auth. ingressi, col fin. C. de sacrosanct. Eccles.* Petrus Iacobinus *in summa de cauf. ex quib. feudum amit. col* 5. *vers. hodie verò.* Guido Papæ *in decisionibus Delphin. quæstion.* 59. 133. *& in consil.* 18. *super casu col.* 2. *versi. sed nulla sunt hujusmodi exempla, in usib. feudorum, de quibus agitur.*

48. Quod si constaret feudum esse concessum pro se & liberis, tunc dictus §. filius non haberet locum, nec dictum caput an agnatus vel filius defuncti, ut ibi tradit Bald. *col.* 3. *versic. ex quo colligitur casus*, sed diceretur feudum ex pacto, vel providentia, ut filius etiam repudiata hereditate patris testati, vel intestati posset feudum, vel virilem suam portionem cum aliis filiis succedentibus accipere.

49. Quando verò apparet concessum pro se & heredibus vel simpliciter tunc locum habet dictus §. filius, & hoc tantùm respectu dicitur feudum hereditarium, eò quòd non est liberum filio illud capere, repudiata hereditate: tamen in veritate hereditarium non est, nec illud capit ut heres, sed jure feudorum, vel per investituram patris, avi, vel proavi, primò investiti, ut est textus *in cap. unico*, ibi, *per investituram patris & avi*, & ibi ad hoc notat Andreas Isernia, Jacobus de Belvis. Bald. & omnes *de feud. Marchio, Ducatus & Comit. text. in capitulo unico*, & ibi Bald. Alvar. Præpo. *de gradib. successionum; in feudis, cap.* 1. *hoc quoque*, & ibi glos. *in vers. investituræ de successione feudi. cap. unico*, & ibi Bald. Alvar. *de natura successionis feudi, in usib. feudorum.* Alexand. *consil.* 29. *numero tertio, consil.* 44. *numero tertio, lib. primo.* Francisc. Curtius senior *consil.* 48. *col.* 3.

50. Et hinc est quod in hujusmodi feudis non est locus juri accrescendi, sed dicitur jus successorium virtute primæ investituræ, imò non dicitur novus vassallus succedere ultimo vassallo, sed primò investito, & capere jus à domino concedente in vim primæ investituræ. Bald. Alvar. & alii in *cap.* 1. *§ de his qui feudum dare possunt. Et de feudo Marchiæ, Ducatus & Comitatus.* Salicetus *in l. unic. quæst.* 12. *C. quando non potentium partes.* Alex. *dict. consil.* 29. *lib primo.* Andr. Sicul. *c.* 2. *col.* 6. *extra de feudis.* Francisc. Curt. senior *in tractatu feudorum, in secund. parte secundæ partis principalis, num.* 74. censeo ego Carolus Molinæus I. V. D. Franciæ & Germaniæ Iurisconsultus, & in supremo Parisiorum Senatu antiquus Advocatus, in quorum fidem propria manu subscripsi, & gentilitio apposphragismate sigillavi. Parisiis, Idibus Iulii, anno salutis sesquimillesimo quinquagesimo nono.

THEMA ABBREVIATUM CONSILII LI.



IOannes Cabilonensis Princeps Vraniæ Dominus Arelati;

1. Instituit dictum Ludovicum primogenitum suum heredem universalem, & ubi decederet sine liberis masculis è suo proprio corpore matrimonio procreatis, vel ejus masculi sine masculis de proprio corpore in matrimonio procreatis, quocumque tempore substituit eidem Ludovico & ejus masculis, dictum Ioannem tertium filium, & ejus liberos masculos, & masculorum liberos masculos in omnibus quæ reliquit Ludovico, sine detractione alicujus quartæ.

2. Et si dictus Ludovicus, vel sui masculi, aut masculorum ejus masculi reliquerint filias è legitimo matrimonio, reliquit singulis earum decem millia librarum pro omni jure & portione suæ successionis, & in hoc eas instituit heredes. Sequitur in eodem testamento.

3. *Item si ledit Iean decede sans masles, ou les masles d'iceux sans laisser masles en quelque temps que ce soit, nais de leur propre corps en loyal mariage, je leur substitue ledit Hugues & ses enfans masles, & les enfans masles d'iceux. Et lors le partage de Hugues retournera à Louys.*

4. *Et où ledit Hugues decederoit sans enfans masles, ou les masles d'iceux sans enfans masles, en quelque temps que ce soit, je substitue audit Hugues ledit Louys & ses enfans masles, & les enfans masles d'iceux sans detraction de quarte. Et où ledit Hugues ou ses enfans masles, ou les enfans masles d'iceux laisseroient vne ou plusieurs filles, l'aisnée aura dix mille florins, & chacune des autres huit cens florins, que ledit Louys, ou sesdits hoirs masles, ou hoirs masles d'iceux seront tenus de payer.*

5. *Et où ladite Marie ma fille decederoit sans laisser hoirs procréez en mariage de son propre corps, je luy substitue ledit Louys & sesdits enfans masles, & les enfans masles d'iceux & leurs hoirs.*

6. *Et si lesdits Louys & Iean decedoient sans laisser masles, ou les enfans masles d'iceux enfans masles procréez en loyal mariage, je leur substitue ledit Hugues, les enfans masles d'iceluy, & les enfans masles de sesdits enfans procréez en loyal mariage, sans detraction de quarte, & marieront les filles comme dessus.*

7. *Et où je decederois sans enfans masles, ou mes enfans masles sans masles, ou leursdits enfans sans masles procréez de leurs corps en loyal mariage, j'ordonne mon heritiere & substitue ladite Alix ma fille en tous mes biens de France, par telle condition, que où mesdits enfans, ou leurs enfans masles, ou les enfans masles d'iceux enfans masles laisseroient aucunes filles, ladite Alix en rapportant partagera également. Et au cas que mesdits enfans ne leursdits enfans masles ne laisseroient aucunes filles, j'ordonne que ladite Alix & sesdits hoirs procréez en mariage, succedent en tous lesdits biens.*

8. *Item & en mes biens estans en l'Empire, je substitue Hugues de Chalon, fils de feu Louys Comte de Tonnerre, & au deffaut de luy ses enfans masles, & au deffaut de sesdits enfans masles, Louys frere dudit Hugues, & apres luy ses enfans masles, c'est assauoir l'aisné premierement, & en apres les autres enfans masles du puisné portans les armes de Chalon. Et est à sçauoir que l'aisné fils succedera, & seront tenus porter mes armes, sur peine de priuation de ladite hoirie, & apres luy le puisné: Et ainsi successiuement de l'aisné & de sesdits enfans, tant du second comme du tiers, & pareillement des autres en gardant l'aisnesse.*

Item, & où je, ou mes enfans maſles decederoient ſans enfans maſles, & leſdits Hugues & Louys (collaterales erant) *ſans maſles, en ce cas j'inſtituë & ſubſtituë leſdites Alix & Marie & leurs enfans maſles, voulant porter les armes de Chalon, ſur peine de privation. Et s'ils ne les vouloient porter, ou ſi meſdites filles n'avoient enfans, je ſubſtituë Ieanne de Montbeillard femme de mon aiſné, & ſes hoirs en loyal mariage, parmy ce qu'elle & ſes hoirs porteront mes armes & nom de Chalon, autrement je ſubſtituë celuy ou celle qui ſera Comte ou Comteſſe de Montbeillard, deſcendant de feu Henry de Montbeillard, & portant le nom & armes de Chalon, & s'ils les refuſoient, ou differoient porter, je ſubſtituë le plus prochain de mon lignage, c'eſt à ſçavoir celuy ou ceux à qui il devra avenir par ligne. Et ſeront toutes leſdites ſubſtitutions de l'vne à l'autre, ſi les cas y avoient, ſans detraction de quarte.*

10. Dicta verò Maria *de Veaux* inſtituit dictum Dominum primogenitum ſuum heredem univerſalem, & addit. *Et où ledit Louys decederoit ſans enfans maſles de ſon propre corps en loyal mariage, ou ſes enfans maſles ſans laiſſer enfans maſles, & enſuite pluſieurs d'enfans maſles en enfans maſles je ſubſtituë audit Louys, & à ſeſdits enfans maſles, & aux enfans maſles d'iceux, & enſuite toûjours d'enfans maſles en enfans maſles Iean mon fils, & les enfans maſles, ou les enfans d'iceux, & enſuite toûjours d'enfans maſles en enfans mâles ſans detraction de quarte, & ſi ledit Louys ou ſes enfans mâles, ou les enfans males d'iceux mâles laiſſoient filles, ſerons dotées, &c.*

11. *Et ſi ledit Iean decedoit en quelque temps que ce ſoit ſans enfans mâles, ou les enfans mâles d'iceux, & enſuite toûjours d'enfans mâles en enfans mâles, je ſubſtituë Hugues, & ſes enfans mâles, & les mâles d'iceux, & enſuite toûjours d'enfans mâles en enfans mâles. Item & où ledit, &c. Item ſi je decede ſans mâles, ou mes enfans mâles ſans laiſſer enfans, & enſuite toûjours d'enfans en enfans, je ſubſtituë ladite Alix, & enſuite toûjours d'enfans en enfans*; Ergo per obitum Philiberti ſine liberis, ſaltem per obitum Renati ſine liberis, *Longueville eſt Prince d'Orange*, ut in fine Conſilij.

EPITOME CONSILII LI.

1. *Subſtitutio recipitur vltra quartum gradum, in linea directa, quando de expreſſa diſpoſitione conſtat.*
2. *Subſtitutio non extenditur de vno caſu ad alium.*
3. *Niſi ad ſimilem, qui ſit de natura ſubſtitutionis.*
4. *Nunquàm à verbis receditur, niſi conſtet de mente teſtatoris.*
5. *Nomina graduum conſanguinitatis non extenduntur de gradu in gradum.*
6. *Ex præſumpta mente fit extenſio de caſu ad caſum, vel de perſona primi gradus.*
7. *Sed nunquam de gradu in gradum*, 21.
8. *Appellatione filii non venit nepos etiam conſervandi teſtamenti.*
9. *Nepotis appellatione non venit pronepos*, 11.
10. *Verbum* familia *non ultra quartum gradum extenditur.*
12. *Deſcendentes per fœminam non ſunt de familia.*
13. *Subſtitutio non tranſmittitur.*
14. *Ethnicum eſt, nomen ſuum ſubſtitutionibus perpetuare.*
15. *Subſtitutiones conjunctæ debent pariter determinari.*
16. *Verbum* hoirs *intelligitur de deſcendentibus, ut verbum* heres, 17.
17. *Etiam in infinitum, licet addatur procreatis ex proprio corpore*, 18.
19. *Inter deſcendentes verba intelliguntur ordine ſucceſſivo.*
20. *Filiorum appellatione veniunt omnes deſcendentes ad eorum commodum.*
22. *Verbum* filii, *&* liberi, *in quo differant, & Gallico correſpondeant*, 30.
23. *Subſtitutio de liberis liberorum extenditur in infinitum*, 32.
24. *Natorum appellatione veniunt omnes deſcendentes.*
Græca lingua Gallicæ adſinior, quàm Latina.
25. *Filiorum appellatione veniunt omnes deſcendentes, niſi ubi gravantur*, 26 31.
27. *Conditione liberorum ſemel deficiente, perit ſubſtitutio, niſi teſtator ad eventum deficientis poſteritatis reſpexerit.*
28. *Qualitas maſculinitatis facit præſumi habitum reſpectum ad continuationem ſanguinis*, 29. 33.
34. *Onus nominis deferendi & ſtemmatum, facit ſubſtitutionem præſumi ſucceſſivam, non momentaneam*, 36.
35. *Conjecturæ ad extenſionem fideicommiſſi ſufficiunt.*

CONSILIUM LI.

Viſis genealogia, themate & teſtamentis prolixis, Chriſti Redemptoris unici nomine invocato, diſputatione omiſſa, ubi non opus eſt,

1. Quantum ad teſtamentum ataviæ, clarum eſt actorem verbis ſubſtitutionis comprehenſum & vocatum, & ſubſtitutioni ſuæ conditionem extitiſſe, & teſtatricem voluiſſe etiam ultra quartum gradum & in infinitum providere, quod in linea directa uſu receptum eſt in Inſubria & Gallia, quæ jure ſcripto regitur, ubi clarè de mente & verbis conſtat. Quantum autem ad teſtamentum atavi magni ſeges eſt utrimque diſputationis, ſed neceſſaria tantùm reſolutivè attingendo, præſuppoſitis, nec repetitis clauſulis teſtamenti, quæ ſunt in themate, multa contra actorem militant.

2. Primò, quod ſubſtitutio concepta in unum caſum, non extenditur ad alium, ſub verbis diſpoſitivis

non comprehensum: sed relinquitur in jure communi, *l. commodissimè. ff. de liberis & posth. l. pater Severinam de condit. & demonst.* Maximè ubi de persona in aliam personam Barthol. *in l. gallus in princip. vers. præterea illud de liberis & posth.* Alexand. *in l. 1. vers. itaque de vulg. & pupill.* vel etiam quando agitur de extensione unius temporis ad aliud Barthol. in *d. l. 1. versic. hoc præmisso, quæro. & in l. si quis ita* Imol. *in l. mater*, § 1. *ad vulg. & pupil.*

3 Secùs. si tantum quæstio esset de casibus similibus, qui essent de materia ejusdem substitutionis, ut substituto Titio, si heres esse noluerit, extenditur, si non potuerit, quia paria sunt nolle & non posse, *l. 1. in fin. ff. de procurat.* Sic substitutus sub conditione, si posthumus non nascetur, veniet si impubes moriatur, *l. sic. Cod. de institut. & substitut.* Unde substitutio facta ad unum specialem casum favoris, extenditur ad alium similem: Bald. *in l. humanitatis, q. 4. C. de instit. & substit.* Iason. *in l. 1. ff. de vulg. & pupillar.* quia in his & similibus bene fit extensio ex præsumpta mente: sed non ubi agitur de extendendo de persona ad personam, quia non fit etiam ex tacita mente. Rapha. Cuma. *in l. commodissimè.* & ibi Iason *n. 8 ff. de liber. & posth.* Franc. Aretin. *in d. l. gallus*, §. *& quid si cautum, col. 2. textus est in l. Titius, in princ. de liber. & posth. in c. sanè extra de privileg. in cap. petisti 7 q. 1.* Ioan. Imol. *in l. si verò*, §. *de viro. ff. solut. matrim.* Panorm. *cons.* 57. *col. penult. lib.* 1 Philip. Dec. *in l. illam. col. 2. ubi in annot. dixi, Cod. de collat. & cons.* 85. *col. 4. consil.* 3. Iason *in l. cùm res, col.* 3. *de leg.* 1. *& consil.* 210. *col.* 3. *consil.* 218. *col.* 2 *lib.* 2. *cons.* 22. *col.* 2 *consil.* 56. *col.* 7. *lib.* 3. quamvis contrarium dixerit consilio 154. col. 4 lib. 4. ubi malè consuluit.

4. Rursus ultra alias rationes dubitandi per Machinenses adductas, addo quòd nunquam à verbis recedituri, nisi constet de mente testatoris, text. *in l si alij, ff. de usufruct. legat. l. non aliter. de leg.* 3. *l. Labeo, ac suppellect leg. l. in ambiguo, de reb. dub.*

5. Certum est autem nomina graduum consanguinitatis non extendi de gradu in gradum per verborum significationem, *l. liberorum ff. de verborum obligationibus, l. quid si nepotes, de test. tut.* ubi text. ait, *aliter enim filios, aliter nepotes appellamus, & text. l. gallus*, §. *instituens, & §. illud. credend. ff. de lib. & posthum.*

6. Bene concedituri ex præsumpta voluntate testatoris, quæ semper dominatur, fieri extensionem verborum de casu ad casum, *d. l. gallus*, §. *& quid si tantum, l. Titius*, §. *Lucius, eod. tit. & de persona primi gradus, l. ult ff. de heredib. instit.* quamvis non semper, *l qui filiab. ff. de legat.* 1. ubi filia posthuma in legato non comprehenditur, nisi appareat testatorem id voluisse, & sic loquitur Ang. *in d. l. gallus*, §. *& quid si tantum.*

7. Sed de gradu in gradum nunquam *d. l. gallus, per tot. l. quæ aliàs esset inutilis*: & si fiat extensio à gradu in gradum, hoc non reperitur in jure, nisi à filio in nepotem, in quo dicit lex quòd sæpè hoc fit *d. l. liberorum.* sed non semper, & hoc quidem fit unico casu in jure, nec alius text. qui hoc apertè dicat, quàm *l. Lucius*, 2. *ff. de heredib. instit.* in quo militat specialis & aperta ratio, quia non est verisimile testatorem voluisse præferre libertum, qui extraneus est, proprio sanguini, scilicet filio, vel nepoti fratris, *l. cùm avus. de condit. & demonst. l. cùm acutissimi, C. de fideicommiss.*

8. Imò ubi versatur maximus favor, scilicet conservandæ ultimæ voluntatis per heredis institutionem, quæ latè interpretanda est *l. in testamentis, de reg. iuris in rand. c. cùm dilecti. de appellat*, tamen nomine filii non continentur nepotes, *d. §. instituens.* Si dicatur quòd ibi instituerat certas personas: sed quando trahitur institutio vel substitutio ad casum futurum & incertum latior fit interpretatio, ut dicunt scribentes in *d. §. instituens, allegantes d. l. Lucius*, & non aliam, facile esset respondere per rationem specialem supra dictam, & ultra eam, quia si voluisset testator, non esset usus verbis angustis, & gradus ipsos signantibus, sed & brevius & faciliùs dixisset, *quandocumque posteri mei masculi deficient, vel liberi*: sed semper signavit filios & nepotes, & toties gradus illos repetit, ideò non est existimandus cogitasse quod non dixit, & quod facillimè potuisset dicere, *d. l. Labeo.*

9. Præterea demus appellatione filii nepotem contineri, non item nepotis nomine veniet pronepos, Ang Perusinus expressè *in d. §. illud credendum omnes contra.* Bart. *in d. §. instituens*, quia nunquam à persona in personam fit extensio, *l. si unus*, §. *ante omnia. ff. de pactis.* si opponatur de affectione testatoris, qui voluit conservare nomen & familiam suam: & sic in infinitum responderetur.

10. Quod etiam si familiæ nomine usus esset, quod latè paret, tamen non ultra quartam generationem extenderetur, & Bartol. in *Authent. de restit. fideicommiss.* etiam si prohibuisset alienari, ut perpetuò res in ejus familia remaneret, quod si voluisset illud egredi gradum quartum, debuisset dicere se velle ut res perpetuò in familia & posteritate sua remaneret omnibus posteris, vel liberis, vel descendentibus, alienationem prohibendo, ut ibi dicit Bart.

11. Accedit quod in prohibitione alienationis, nomine filii non comprehenditur nepos, ut Bart in *l. filiusfam.* § *diui. de legat.* 1. Bald. *in l. voluntatis, (. de fideicommiss text. in d. authent. de restit. fideicommiss.* Ideò propiùs ad rem nostram decidit Paul. Castren. in *cons* 97. *ne improprijs, num.* 2. *lib.* 2. quod appellatione filii in substitutione fideicommissaria quæ est gravamen, *l. c. heredi*, §. *cum filia, ff. de vulg. & pupill.* ideò odiosa, non venit nepos, multò minùs appellatione nepotis veniret pronepos. Secundò respondetur quod si testator voluit consulere familiæ, non tamen egreditur gradus enumeratos, *l. cum ita*, §. *in fideicommisso de legat.* 2. ibi, *nisi spectaluer defunctus, ad ulteriores voluntatem suam extenderis.*

12. Tertiò respondetur quod descendentes per fœminam non sunt in familia, *l. familiæ, ff. de verb. signif. l. pronunciat. in fin. eod. tit. Instit. de legit. agnat. tut.* §. 1. Quod si ad gradus respiciamus, & ad præsumptam dilectionem defuncti, æquè dilexisset Comitissam *de Nassau*, & dominum nunc Ducem Uraniæ, quia illa à masculis suis, ille à fœmina descenderat, & in gradu æquali, nisi ipsa Comitissa sit proximior.

13. Quartò ex hypotesi in bonis Franciæ & Burgundiæ vocata est Alix & sui filii, non autem ulteriores, sed spes substitutionis non transmittitur, *l. si pluribus, ff. de suis & legitimis heredibus.* Et non potest dici quod hîc appellatione filiorum veniant nepotes, quia hoc cessante, hereditas non veniret ad extraneum, & sic cessaret ratio *d. l. Lucius.*

14. Ultimò si opponatur quòd filii essent gravatiores, quàm nepotes, vel pronepotes, qui non essent gravati hac restitutione contra *l. si vivo matre, C. de bonis maternis.* Respondetur, quod prudens consilium testatoris est hereditatem suam in suis remanere ad tempus aliquod, non in perpetuum, quia in Deum ipsum, & naturæ revolutiones giganteo more contendunt, qui se ipsos, vel nomen suum in perpetuum victuros statuunt, ut fecit Nembrod de turre Babel, Genesis x. & contra legem divinam, quæ prohibet ne nostra nomina adscribamus terris, & ut potiùs in cœlis æternitatem expectemus, ut non nostram memoriam æternitati consecratam putemus per terras de nostro nomine denominaras, quod non solùm vanum, & nimis curiosum est, sed planè ethnicum. Et in hac ratione fundatur illa constitutio de restitutione fideicommissi, & leges quæ dicunt consanguinitatem non extendi ultra certos gradus, putà, septimum,

l. non facil. ff. de gradibus affinitatis. Naturale est enim & nostræ infirmitatis tandem oblivioni & vicissitudini rerum perire.

15. Nunc in contrarium arguitur pro Duce Longævillæ actore, quia ex hypothesi numero octavo substitutio testamenti collateralium masculorum est in infinitum, & in eodem testamento, numero nono, substitutio masculorum descendentium conjungitur cum masculis collateralibus ex eis: igitur pariter determinatur in infinitum, ut sit uniformis quidem clausulæ determinatio. *l. jam hoc iure, de vulg. & pupill. l. ult. C. de sententiis & interlocution. omnium judicum.* Etenim multitudo subordinationis graduum & testamentum aravi eodem tempore factum hoc arguunt, videlicet descendentes Alexiæ vocatos esse quandocumque deficientibus descendentibus Ludovici & fratrum, ut hodie contingit: quia linea masculina testatoris, & tota Ludovici defecit, & pariter filiæ, & omnes descendentes è filiis testatoris, quo casu Alexia & sui descendentes è proprio corpore & legitimo matrimonio hoc est, descendentes legitimi Alexiæ vocati sunt expressè ad omnia bona Franciæ & Burgundiæ. Enimvero deficiente linea masculina testatoris, relictis filiabus è legitimo matrimonio procreatis, Alexia non sola, sed cum illis conferendo, in dotem paternam æqualiter vocaretur, ut *in them. n. 7.* At hodie cum nulli supersint descendentes à masculis, nec fœminæ quidem, non solùm Alexia (si superstes esset) sed etiam descendentes ex ea è legitimo matrimonio manifestè vocantur ad omnia dicta bona, ut in themate *n. 7. in fin.*

16. Ubi verbum, *& fesdits hoirs*, etiam alio non adjecto, intelligitur de omnibus legitimis descendentibus, qui tunc videlicet extante conditione reperiuntur, sive sint heredes, sive non, text. rotundus in *l. ex facto, §. ult. ff. ad Trebel.* Et in propriis terminis quòd verbum Gallicum *hoirs*, prolatum in lingua vernacula intelligatur de herede sanguinis decidit Salic. in *l. 2. q. 20. Cod. de jure emphyteot.* Alexand. *in leg. quod dicitur, ff. de verb. obligat.* Et fortiùs cùm verbum *Hoirs*, etiam Latinè prolatum, etiam cum dictionibus aliis restrictivis

17. Putà dictis heredibus superstitibus, nihilominùs intelligatur de descendentibus, decidit expressè Bartolus, *in consilio quinquagesimo secundo, incip. Salonienses Ioannelli*, ubi verba, *de suis heredibus*, exponit hoc esse de suis descendentibus, addens quod ita se habet etiam in Italia vulgaris locutio & communis modus loquendi, secundùm quem descendentes ex aliquo vocantur heredes, qui quidem modus loquendi promiscuus est & manifestus, præsertim inter nobiles.

18. Nec obstat adjecta esse hæc verba, *procréez de son propre corps en loyal mariage*: quia hæc adjectio non facit restrictionem ad filios primi gradus immediatè procreatos ex corpore primi substituti, sed facit restrictionem ad descendentes per eamdem continuatam sanguinis propagationem, ad exclusionem extraneorum, sed non descendentium dumtaxat, seu ad exclusionem adoptivorum. Cæterùm nepotes & alii deinceps in linea directa descendentes dicuntur ex corpore avi vel atavi, & superioris procreati, propter ejusdem sanguinis continuationem. Unde immediatè dicitur quicquid per rerum naturam continuativè est unum & idem. Ita decidit Bald. *in l. 1. col. 1. vers. quid si dicatur sine filijs ex suo corpore, &c. C. de condit. inserv.* & ibi Salycet. Paul. Philipp. Corneus, *col. 3. & omnes ubique sequuntur.* Ang. *in l. Lucius. 2. ff. de hered. instit.* Socin. *consil. 17. incip. casu super quo lib. 4.* Et est textus apertus, & in forrioribus terminis *in l. Lucius 2. ff. de hered. instit.* ubi hæc verba *ex se natum, natamve*, quæ æquipollent prædictis verbis, *ex proprio corpore procreatum procreatamque*, etiam ad filium & filiam primi gradus nominatim relata, non operantur restrictionem ad filios primi gradus: sed verba, *filius, filiave* quamvis singularis numeri, nihilominus de omnibus liberis & descendentibus intelliguntur: igitur multò magis verbum, *enfans*, aut verbum, *hoirs*, quæ sunt pluralis num. & latioris significationis.

19. Illud autem certum est quòd ea verba, *lad. Alix & fesdits hoirs*, cùm sit de descendentibus testatoris, intelliguntur ordine successivo sive subordinato, videlicet Alexia primo loco si vivat tempore conditionis extantis, vel ea præmortua descendentes ejus, qui tunc erunt in rerum natura, scilicet proximiores, ut præfatus Dux actor, ut est concors omnium sententia in descendentibus, *in l. gallus, §. de liberis & posthum.* Igitur intentio Ducis actoris omni disputatione superior est, cùm veniat appellatione *des hoirs de ladite Alix* avaviæ suæ, ex quo verbum, *hoirs*, non restringitur ad liberos primi gradus, sed omninò intelligitur de omnibus per legitimam sanguinis propagationem descendentibus.

20. Confirmatur quia appellatione filiorum veniunt nepotes, & deinceps descendentes, quando testator promiscuè utitur verbo Filiorum & Liberorum, ut hic Franc. Curt. junior, *cons. 3. cons. 116. col. pen.* Aym. Crave. *cons. 155. num. 3.* Idem quando sub nomine plurali substituuntur. Bald. *cons. 186. quidam magnus cons. 321. lib. 4.* Rursus confirmatur, quia appellatione filiorum veniunt non solùm nepotes, sed omnes descendentes ad eorum commodum, ut sint honorati & substituti. Alexand. *cons. 5. cons. 26. lib. 3. cons. 56. lib. 8* quamvis non veniant ad eorum incommodum, videlicet ut sint gravati. Alex. *cons. 185. n. 21. lib. 2.* Philip. Corn. *cons. 122. lib. 3.* Phil. Dec. *cons. 567. in fin. ubi in annos. dixi, & ad Alex. cons 1. lib. 1.*

21. Superest unicum objectum, videlicet, quòd substitutio dictæ Alexiæ, *& de fesdits hoirs*, ad omnia bona Franciæ & Burgundiæ, non est facta nec concepta in casum deficientium descendentium ex masculis testatoris quandocumque: sed est facta & concepta in propriis terminis, de quibus *in them. n. 7.* Et adhuc concepta est in casum, *que mesdits enfans masles, ne leursdits enfans masles, ne laisseront aucunes filles procreées, comme dessus.* Et sic quod dicta substitutio concepta est & extensa ad tres gradus tantùm, videlicet ad filios, nepotes & pronepotes, & quod limitata est ad illos gradus, ultra quos nullum potest habere effectum, ita si nec testator, nec sui filii masculi, nec masculi ex eis decesserint sine masculis, sed masculi è masculis reliquerint masculos naturales & legitimos sibi superstites, prout contigit, quod ex tunc dicta substitutio, & omnis spes ejus perpetuò defecit, per prædicta, & per Alex. *cons. 139. lib. 6.* nec ullum aliud superest quod intentioni domini Ducis actoris obest, quam illud objectum fundatum in regula vulgari, in materia substitutionum non fieri extensionem de persona ad personam, & multò minùs de gradu ad gradum, sed ea regula nequit impræsentiarum adaptari, nisi propter illud verbum, *enfans*, accipiendo illud pro filiis: & quod appellatione filiorum non veniunt nepotes, nec appellatione neporum pronepotes, & sic deinceps. Et in summa, totum objectum est, appellatione filii non venit nepos.

22. Ad quod in præsenti specie multæ sunt solutiones. Prima, quod testator non fuit in dicta substitutione usus verbo, *filius*, sed verbo, *enfans*, quod generalius est. Notum est enim quòd vulgare Gallicum correspondens propriè limitatim, & adæquatè verbo Latino *filius*, est hoc Gallicum, *fils*. Longè aliùd de verbo Gallico, *enfans*, quod non sic adæquatè correspondet verbo *filius*: sed capitur largiùs, propriè & indifferenter significat omnes descendentes, prout verbum Latinum *liberi*, ut plenè scripsi in *consuet. Paris. §. 9. glos. 1. & glos 4. in fin.* & in tota lingua Gallicâ nullum est verbum substantivum correspondens verbo Latino, *liberi*, præter verbum Gallicum *enfans*. Sed testator non fuit usus verbo *fils masle, & fils masles de fesdits fils*; sed fuit usus verbis *enfans masles*

maſles & enfans maſles de ſeſdits enfans. Quare non eſt dicendum teſtatorem ſe reſtrinxiſſe ad filios, nepotes & pronepotes, quia non eſt uſus his nominibus: ſed nominibus liberorum vel æquipollentibus, quorum appellatione veniunt omnes deſcendentes in infinitum.

23. Et ſic ſuccedit opinio Bartol. *in l. centurio, ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* quam omnes communiter ſequuntur, quod valet ſubſtitutio facta in caſum quo liberi liberorum decedant ſine liberis, & protenditur in infinitum, & eo caſu quandocumque contingente, efficax eſt tanquam primus inſtitutus ſub pluribus ſubordinatis conditionibus gravatus ſit, videlicet ſub conditione, ſi inſtitutus deceſſerit ſine liberis: & interdum ſub conditione, ſi filii ſui deceſſerint ſine liberis, & rurſus ſi filii filiorum ſine liberis, & ſic deinceps. Et valet talis ſubſtitutio etiam dato quòd filii ſucceſſivè venientes non ſint poſiti in diſpoſitione, ſed in conditione, nec ſint invicem ſubſtituti, ſed veniant ab inteſtato, ſive aliàs tanquam ſubordinatè vocati, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ut dixi *in annotatio. ad* Alexand. *conſ.* 105. *num.* 4. *lib.* 1. *conſ.* 184. *lib.* 2.

24. Confirmatur, quia certum eſt verbum Gallicum, *Enfans* non eſſe ſtrictioris, imò latioris ſignificationis verbo, *Natus* Latino, ſive vocabuli etymologiam, ſive communem & promiſcuum loquendi modum attendamus. Natorum verò appellatione propriè veniunt etiam nepotes, & cæteri deſcendentes, *l. naturum, ff. de verborum ſignific.* quæ lex, quia Græca eſt, aliud addicitur argumentum ex lingua Græca, cui in phraſi & multis lingua Gallica magis conformatur, quàm Latina, prout multis ſæculis apud Gallos prùs floruerunt, & in pretio frequentique uſu fuerunt linguæ Græcæ, quàm apud Romanos. Atqui verbum *Enfant, ou enfans* Gallicè, non eſt ſtrictioris ſignificationis Gallicè quàm ὁ παῖς, vel τὸ παιδίον, Græcè. Porrò certum eſt quod τὸ παιδίον appellatione etiam nepotes & omnes deinceps deſcendentes veniunt, etiam propriè ſumpto vocabulo, maximè quando plurali numero effertur *d. l.* τὸ παιδίον, *ff. de verborum ſignificatione.* Accedit quòd verbum Græcum ἔκγονος, quod eſt in dicta lingua Græca non ſolùm nepotes, ſed etiam omnes deſcendentes propriè ſignificat: igitur manifeſtum & expeditum relinquitur quòd verbum *Enfans* Gallicum, maximè in plurali numero omnes deſcendentes propriè ſignificat. Et hæc prima copioſa ſolutio ad illud objectum.

25. Secunda principalis & uberior ſolutio, quòd etiam teſtator uſus fuiſſet verbo, *Filius*, (id quod non) vel ſi verbum Gallicum *Enfant* quo uſus fuit, deberet de propria ſignificatione reſtringi ad filium vel filios primi gradus (id quod non) adhuc in hac hypotheſi pluribus rationibus, appellatione filii venirent nepotes, & cæteri deſcendentes, quia inquit text. *in l. filii ff. de verborum ſignificatione* filii appellatione omnes liberos intelligimus. Et hic ponderandum quod ille textus loquitur in voce ſingulari numero prolata: igitur multò magis quando plurali numero proferatur, ut in præſenti.

26. Illud verum eſt, quod regulariter in ſubſtitutionibus, appellatione filii non venit nepos, ubi de gravamine agitur: ſed hoc locum habet quando verbum filii ſingulariter refertur vel ad certas perſonas, *ut in l. gallus per tot. & uterque.* Imol. & omnes *ff. de liberis & poſthum.* poſt Bartol. qui ita ſolvit & reſpondet *ad l. Gallus, & jura ſimilia, & l. liberorum, col.* 2. *ff. de verborum ſignificat.* ſecùs quando ſubſtitutio facta filio non eſt collata in tempus præſens, nec in certas perſonas dumtaxat: ſed in futurum eventum, & maximè quando etiam ad futuros nepotes & pronepotes refertur, ut in præſenti ſpecie, quia tunc appellatione filii neceſſariò veniunt. Imola *in dicto §. inſtituens.* Alexand. *conſ.* 5. *num.* 6. *lib.* 3. Franc. Aretin. *conſ.* 145. *reſpondendo.* Stephan. Berth. *conſ.* 196. *viſo conſultationis, lib.* 2. *conſ.* 113. *conſideratis, lib.* 3. *primò impreſſorum.*

27. Etſi dicatur quòd etiamſi appellatione filiorum veniant nepotes, & alii deſcendentes, quinetiam ſi verbum, *Liberis* expreſſum ſit, quod ſufficit eos ſemel ſupervixiſſe, ut in perpetuum deficiat ſubſtitutio; *l. filiusfamilias, §. cum quis de legat.* 1. *l. ex facti. §. ſi quis ad Trebell.* Oldradus *conſ.* 21. *incip. Thema tale eſt.* reſpondetur hoc procedere quando ſubſtitutio eſt limitata ad tempus certæ perſonæ, vel certarum perſonarum, vel quando eſt unica conditio, putà ſi filius meus, vel ſi Titius heres inſtitutus deceſſerit ſine liberis, prout dicta jura loquuntur, & exemplificant. Secùs quando apparet teſtatorem progreſſum eſſe in futurum ad alios futuros gradus & caſus, vel plures ſubordinatas conditiones, ut in præſenti: ita quod appareat teſtatorem conſideraſſe eventum deficientis lineæ, vel poſteritatis ſuæ.

28. Præſertim quando ſubſtitutio ſit maſculis & filiis maſculorum è maſculis deſcendentibus, ut in præſenti: quia qualitas maſculinitatis adjecta, præſumit habitum eſſe reſpectum ad ipſam continuationem vel deſitionem maſculinitatis, in ſe & non ad certas perſonas vel gradus tantùm, & tendit ad extenſionem ſubſtitutionis, quamdiu ſunt maſculi. Rapha. Cumanus *conſ.* 220. *col.* 1. Guid. Pap. *deciſ. Delph.* 184. Philip. Dec. *conſ.* 170. & latiùs *conſ.* 270. & *in l.* 1. *C. de pact.* & tantò magis quo qualitas maſculinitatis frequentiùs (ut hic) eſt repetita, *gloſ. in clem.* 1. *in verb. Dioceſanus, de jure patronatus.* Geminianus, Philippus Francus *in c. duobus ſuper gloſ. in verb. Præſentavit de reſcript. in ſexto.* Sed impræſentiarum teſtator non mantit in terminis unius momentaneæ vel ſolius conditionis ut filii maſculi decederent ſine filii ſui maſculis: ſed præter id quòd uſus eſt verbis Liberorum, progreſſus eſt ultrà, caſu quo maſculi maſculorum decederent ſine liberis maſculis, & ſic ceſſant prædicta jura, & dictum conſilium Oldrad. 21. cum ſimilibus de conditione momentanea.

29. Sed hic tot verba multiplicata recidunt in conditionem ſucceſſivam, ſi liberi, & liberi liberorum decedant ſine maſculis, & ſi quandocumque deficiant, locus eſt ſubſtitutioni: quia cenſetur habitus reſpectus non ad certas perſonas, nec ad certos gradus, ſed ad totam poſteritatem, præſertim maſculinam, quando eſt ſemper facta mentio de maſculis deficientibus ſine maſculis. Et ſic quandocumque deficiunt, locus eſt ſubſtitutioni, ut decidit Alexand. *in conſ.* 33. *col ult. lib.* 6. *& in conſ.* 101. *col.* 4. *num.* 15. *lib.* 7. Philippus Decius *conſ.* 480. *col.* 2. Quòd ſi hoc habet locum quando teſtator uſus eſt verbo *Filiorum*, multò fortiùs locum habere debet quando uſus eſt ſemper *de ces mots Enfans, qui ſont* plenioris ſignificationis, ut dictum eſt.

30. Nec obſtaret dicere quod in ſecunda conditione ſubſtitutionis, de qua in themate, *num.* 7. illa ſecunda conditio incipit per hæc verba, *Ou mes enfans maſles*: & quod pronomen *Mes*, reſtringit ad immediatos tantùm, & pariter quod reſtringitur per hæc verba, *Ou leurſdits enfans*: quod relativum *leurſdits* refertur ad nepotes: & ſic quod ultima, ſeu tertia conditio apponitur nepotibus dumtaxat, & conſequenter defecit, quia nepotes reliquerunt filios maſculos, quia dantur plures ſolutiones. Prima ſupradicta quod verbum *Enfans* æquipollet Latino *liberi*, vel *nati*, vel *deſcendentes.* Et ſic dicta ſubſtitutio appoſita liberis liberorum, ſeu natis natorum extenditur in infinitum per prædicta, ita quod ea verba, *Mes enfans, ou leurſdits enfans*, æquè propriè verificantur in ulteriotibus, prout omnes propriè ſunt liberi vel nati, nec propterea tertia conditio ſuperfluit: quia ſtat ad oſtendendum propenſiorem & exuberatiorem voluntatem providendi deſcendentibus Alexix, & eos ſubſtituendi,

quandocumque deficerent liberi masculi, & liberi liberorum.

31. Secunda solutio, etiamsi verbum, *Enfant* æquipolleret verbo Latino *Filius*, nec latiùs pateret, adhuc hic idem esset, quia ponitur in plurali. Et sic appellatione filiorum, omnes liberi intelligintur, *l. sicut appellationes, de verborum significatione.* Et talis est communis modus loquendi & intelligendi, qui probatur *in l. liberorum, ff. de verborum significatione.* ubi dicitur quòd verbis liberorum & filiorum promiscuè utimur, & quòd filiorum appellatione omnes qui ex nobis descendunt, continentur. Et talem esse communem usum loquendi testatur Bald. *in consilio incip. Ad evidentiam*, quod est *consilium* 170. *lib.* 1. *secundum veterem, & consilium* 303. *lib.* 2. *secundùm novam impressionem.* Ubi dicit quòd hæc non solùm est extentio, sed largus modus significandi.

32. Tertia solutio, quia prima dictarum conditionum ad quam duæ sequentes referuntur, intelliguntur indifferenter de liberis masculis, & quibuscumque descendentibus masculis. Certum est enim quòd verba thematis numero septimo. *Et au cas que ledit heritz de vie à trépas, sans laisser enfans masles*, verbum Gallicum, *Enfans*, non intelligitur de filiis primi gradus tantùm: sed verificatur de omnibus descendentibus masculis in quocumque gradu reperiantur, ad hoc textus *in l. Lucius* 2. *ff. de heredibus instituendis.* igitur in aliis conditionibus sequentibus intelligitur etiam de descendentibus cujuscumque gradus: & sic referuntur ad continuationem vel defectum posteritatis in infinitum.

33. Quarta solutio, quia posteri Alexiæ per aliam clausulam, ut in themate, num. 9. vocantur in casum deficientis posteritatis filiorum, & quorumdam collateralium masculorum, & substitutio ejus facta refertur in casum & eventum deficientis posteritatis masculinæ: qui casus contigit. Et sic locus apertus actori, qui est proximior descendentium Alexiæ. Quinta omnes particulares substitutiones concipiuntur sub verbo *Liberorum*, vel æquipollenti, & in defectum liberorum, sive ex parte honoratorum, sive ex parte gravatorum, & sic utrimque intelligitur in infinitum.

34. Sexta quia substitutiones factæ sunt ad onus deferendi nomen, insignia, & stemmata testatoris in perpetuum, ex quibus continuatio substitutionis intelligitur, *per not. in l. precibus C. de impuberum & aliis substit.* & deficiente omni posteritate, vel recusante nomen & insignia, vocat plures extraneos ad idem perpetuum onus nominis & stemmatum testatoris assumendi & continuandi: igitur ex toto contextu & progressu testamenti liquet testatorem noluisse condere substitutiones ad certos gradus limitatas, sed in infinitum protensas, quandocumque posteritas primorum instituorum & proximè substitutorum sive in nepotibus, sive in pronepotibus, vel ulterioribus deficeret. Et ait Bald. *in l. prima Cod. pro socio*, quod in armis & nomine nobilium remanet principalis domus, memoria, & splendor genturæ. Cùm ergo testator voluerit perpetuò conservare, noluit substitutiones in tertio, quarto, vel ulteriori gradu expirare, maximè cùm gravet descendentes in infinitum nomen & stemmata Cabilonensia deferre sub privationis pœna.

35. Igitur noluit dispositionem suam limitare ad quartum vel ulteriorem gradum: igitur intentio actoris fundatur non solùm in mente testatoris quæ ex verbis & toto progressu testamenti concipi potest, quod sufficeret, *l. Gallus, §. quidem recte de liberis & posthum.* sed etiam quæ necessariò concipitur & in expressa voluntate, quanquam leges etiam conjecturas in fideicommissis admittant text. *in l. cùm proponebatur.* ibi conjectura potuit admitti, *ff. de legat.* 2. *in l. unum ex familia in §. si immissa in fi. eod. tit. l. Cæs. §. imperator.* ibi tamen hanc fuisse defunctæ voluntatem & cogitationem interpretor. *ff. de alimen. & cibo legat.* Igitur multò magis ad fideicommissum introductum extendendum Franc. Curtius senior *cons.* 42. *col.* 1. *cons.* 51. *col.* 1. *& 7. cons.* 75. *col.* 2. Jason *cons.* 140. *lib.* 2.

36. Imò absque interpretatione necessariò demonstratur, quia nulli sunt amplius de posteritate filiorum & collateralium masculorum testatoris qui possint deferre nomen & stemmata, & deficiente posteritate filiarum testatoris quandocumque, vel recusantibus deferre nomen & stemmata, vocantur extranei ad idem onus: ergo necesse est prafatum ducem actorem proximiorem posteritatis Alexiæ volentem nomen & stemmata ferre, vocatum esse: ne eo deficiente vel recusante, locus aperiatur substitutioni extraneorum, quos constat deficiente omni posteritate, vel recusante nomen & stemmata ferre, vocatos esse. Ex quibus facile est allegata in contrarium diluere, ut his finem imponam. Datum Parisius in fine Februarii, anno sesquimillesimo quadragesimo sexto.

EPITOME CONSILII LII.

1. Repetitio dotis præfertur omnibus etiam prioribus creditoribus tacitam hypothecam habentibus.

3. Pactum faciens deteriorem conditionem dotis mulieris superstitis non valet. 6. 8. 10. 18. 19. 21. 22.

4. Non expressum relinquitur in dispositione juris communis. 11. 15.

5. Relatio fieri debet ad totum, & non ad partem dispositionis. 12.

7. Nec potest ratificatio sponsæ.

13. Sensus clausulæ controversæ, & exemplum. 14.

15. In omni dispositione conditionali prius constare oportet conditionem impletam.

16. Verba posita in executivis non ampliant. 27.

17. Valent quæcumque pacta dotis in casum mulieris præmorientis sine liberis.

20. Argumentum à contrario sensu quando procedit. 23.

21. Privilegiis dotium renuntiari non potest.

24. Dos est proprium patrimonium filiæ.

25. Duo specialia actionis dotis.

26. Quando actio dotis quoad exercitium, est communis patri & filiæ.

28. Filia jure proprio habet actionem de dote.

29. Dos quando dicatur profectitia.

30. Correctio non præsumitur in eadem dispositione.

31. Simplex consensus filiæ nuptæ non præjudicat ei in exercitio actionis dotis.

32. Doarium in Gallia est loco antipherni & donationis propter nuptias.

33. Dos non recipit compensationem. 35. 36.

34. Morgengab Germanicum, non taxativum arbitratur.

36. Quando legatarius non tenetur ad onus legati acceptati, ultra ejus vires.

THEMA CONSILII LII.

ANtonius Dux Lotharingiæ filiam Annam nuptum dedit Renato Cabilonensi Principi Vraniæ filio Henrici Comitis Nassauviensis, & in contractum matrimonii pater in dotem dat decem myriadas florenorum auri sub his verbis; *Qu'elle est dotée de cent mille florins, & que ladite Dame les aura & emportera pour tout dot, apartenement, hoirie, ou succession acquise & future de pere & mere, ausquels elle renonce au profit de ses freres, & leurs descendans, & à tout droit de legitime & supplément.* Postea in eodem contractu dicitur: *Qu'advenant le decez de ladite Anne sans hoirs dudit mariage ou defaillans iceux, les heritiers & ayans cause dudit Seigneur Prince d'Orange seront tenus & efficacement obligez rendre & restituer reellement & de fait audit Seigneur Duc pere de ladite Anne, ou aux hoirs, ou ayans cause dudit Duc, les deux tierces parties desdits cent mille florins d'or seulement, & ce dans l'an du trépas dudit Prince où il auroit survescu, & si ladite Anne l'auroit survescu, dedans l'an du trépas d'icelle.* Item in eodem contractu est clausula; *Que ladite Dame emportera la moitié de tous meubles, debtes, actions & acquests, en payant la moitié des debtes: ou qu'elle aura le quart desdits meubles & actions profitables & acquests faits constant le mariage franchement déchargé de toutes debtes & charges à son choix & élection.* Dictus Princeps Vraniæ in dicto testamento reliquit Annam uxorem suam *Vsufruitiere tant qu'elle sera en viduité, de tous meubles & immeubles en payant toutes debtes passives & prenant à son profit toutes debtes actives, à la charge de vingt mille florins par an envers l'heritiere testamentaire, jusques à ce que l'usufruit soit finy par le trépas ou mariage de ladite Dame, auquel cas de mariage elle aura tel droit & traittement qu'il luy est ordonné par ledit traité de mariage.*

CONSILIUM LII.

VIsis exemplis contractus matrimonii inter illustrem olim dominum Renatum Cabilonensem, Principem Vraniæ Comitem Nassauviensem & Dominam Annam Lotharingiæ filiam illustris olim Antonii Ducis à Lotharingia, sub data nona Augusti anni Domini millesimi quingentesimi quadragesimi, & testamenti dicti Principis in Castris Richemontis 20. Iunii 1544. duobus contractibus factis per dictam viduam cum D. Guliel. Comite Nassauviensi patre & tutore filii sui heredis testamentarii dicti Principis Vraniæ Christi unici Redemptoris nomine invocato, resolutivè procedendo dico & censeo.

1. Quod attinet ad dotem centum millium florenorum auri, præfatum heredem præcisè teneri restituere quidquid inde receptum fuit per defunctum Principem Vraniæ, & dictam viduam præferendam omnibus defuncti creditoribus, etiam priorem, sed tacitam hypotheam habentibus.

2. Idque non obstante clausula dicti contractus matrimonii, quia inter patrem viduæ & futurum ejus generum conventum fuit quod adveniente obitu dictæ Annæ sine heredibus dicti matrimonii, vel deficientibus dictis heredibus, heredes, vel habentes causam dicti Renati tenebuntur restituere socero, & ejus heredibus, vel causam habentibus bessem dictorum centum mille florenorum dotis tantum infra annum obitus dicti Renati, si superviveret sponsæ: sed si sponsa superviveret, tunc infra annum obitus sponsæ. Ex dicta clausula ruditer & superficialiter sumpta videretur primò heredem sponsi lucratum esse, & perpetuò retinere posse trientem dotis, privativè ad sponsam superstitem & ad omnes alios. Secundò, quod dictus heres non teneretur restituere bessem dictæ dotis, vivente dicta Anna, sed solum post ejus obitum, & adhuc post annum ab ejus obitu.

3. Duæ ergo sunt quæstiones. Prima an insit tacitum pactum de lucranda per virum tertia parte dotis. Secunda, an ea stipulatio præjudicet filiæ, quominus dotem & etiam illum bessem petere possit, etiam statim & in hilarè, attento quod patri supervixit. Quantum ad primam, videtur quod sic. Primò per illam taxativam tantum. Secundò, quia vel eodem contractu dat doarium, seu donationem propter nuptias myriadem annuam florenorum, & quartam partem mobilium & nominum activorum sine ullo onere, quod non est de jure: & sic cedit in compensationem lucri tertiæ partis. In contrarium videtur per textum *in l. si cum dotem, in principio, soluto matrim.* quia non est expressè dictum, quod sponsus lucrabitur reliquum: ergo manet in jure communi.

4. Non obstat dictio, *Tantum*, quia refertur ad suam dispositionem, videlicet ad stipulationem quæ fit soli patri, & sic triens remanebit de jure communi. Non obstat l. de doario, quia de jure debetur in locum antipherni seu donationis propter nuptias, cujus loco subrogatur. Non obstat clausula, *Dudit quart*, quia est aliud liberare pactum quod nihil habet commune cum dote, nec censetur factum animo compensandi, ex quo non fuit expressum, *l. unica § sciendum, C. de rei uxoriæ actione.* Confirmatur per jura sequentia, per quæ nec expressè quidem paciscì licet in præjudicium uxoris superstitis, igitur multò minus tacit.

5. Quantum ad secundam quæstionem, breviter dico eam stipulationem nullo modo præjudicare filiæ, septem argumentis. Primò quia dos initio est acquisita & radicata filiæ ut in contractu, ibi, *Aura & emportera*; & sic postea in clausula separata non potuit pater sibi ipsi stipulari in præjudicium filiæ. Secundò, quia ista dos est nata non solùm ex debito officio paterno, sed etiam ex causa onerosa pro & loco omnis successionis acquisitæ & acquirendæ videlicet maternæ & ad onus renunciandi dictis successionibus, & pro omni supplemento maternæ quæsitæ & paternæ futuræ legitimæ, cui non poterat pater præjudicare. Tertiò, quia de jure stipulatio statim censetur interposita ad commodum filiæ de dote restituenda, idque non simpliciter, sed velut à prudentissimo fieret stipulatio, hoc est, quammaximè ad commodum uxoris, *l. 1. §. sicut enim, C. de rei uxor.* actio igitur statim dote constituta, etiam per stipulationem quæ inest, statim fuit radicata & acquisita in totum dictæ Annæ.

6. Quartò, quia de jure non valent pactiones, per quas dotis conditio fit deterior, saltem uxore superstite, quæ non debet remanere indotata: quod esset contra publicam utilitatem, *l. 2. soluto matrimonio l. 2.*

de jure dotium. ideo omnes hujusmodi pactiones non valent saltem muliere superstite, sive de substantia dotis, sive de simplici longiore dilatione agatur *l. 2 l. de die, ff. de pactis dotalibus.* Quintò per textum *in l. quamvis, C. de pactis conventis*, in fortioribus terminis de pacto facto per patrem ut genero, superstitibus filiis communibus prædecedente, pars dotis nomine liberorum communium retineretur, quod est favorabile propter liberos: tamen decidit nullo modo nocere filiæ quominus integram dotem repetere possit. Sextò per text. *in l. si convenit. Cod. de pactis conventis.* ubi exprimitur hoc habere locum etiam in dote profecticia à patre, nisi in casum quo patri soli repetitio competeret, videlicet præmortua filia.

7. Non obstat quod filia expressè ratificavit contractum matrimonii: tum quia ea pactio nulla est, ut quæ fieri non potuit, ita nec ratificari: tum quia erat minor annis, & sic restituenda *l. 3. §. sed utrum, ff. de in integrum restitut.* Dy. Bald. *in l. quoties soluto matrimonio.* tum quia non sufficit generalis ratificatio vel renuntiatio in legitimo, & sic nec respectu dictæ dotis, quæ loco legitimæ subrogatur; sed necesse erat quod specialiter & nominatim, *l. si quando, §. & generaliter, C. de inoffic. testam.*

8. Non obstat *l. quoties versic.* planè solut. *matrim.* quia debet intelligi secundùm alia jura, videlicet in casu quo permissum est pactum, putà filia prædecedente: non autem in casu quo pactum est expressè prohibitum, videlicet ea superstite, etiamsi pactum esset factum ante nuptias, *d. l. quamvis l. 2. C. de pact. dotal.* Septimò, quia etiam in casu quo pactum valet, & stipulatio de restituendo patri: tamen tenetur pater eam dotem filiæ secundò nubenti reservare, *Authentica, sed quamvis, C. de rei uxoriæ action.*

9. Cùm super hoc primo & principali dubio ita breviter ἐξ ἀπροόπτου responsum meum concussissem & obsignatum dedissem, rogatus sum fusiùs & popularìs scribere: quòd non solùm cum Lotharingis & Flandris, sed etiam cum Germanis res tractanda & disputanda foret, quibus brevis argumentosa solutio suspectior est verboliore, qua magis gaudent, & persuadentur oratione, tum quòd major pars Jurisperitorum non solùm apud Germanos & Flandros, sed etiam Parisiis contrariam mihi sententiam tuerentur. Quare importunitate flagitantium victus, contra morem meum copiosiùs eadem iterum alia metho lo scripsi, præsuppositio eodem themate, & duobus punctis, seu dubiis, de quibus *sup. eodem num.*

10. Duæ sunt principales & peremptoriæ solutiones. Prima, quod non fuit ita conventum, nec sensus ille bessis retinendi, colligi potest ex verbis relatis ad materiam subjectam & naturam rei, prout referri debent, & secundùm illam etiam impropriando intelligi, *l. si uno in princ. ff. de vulg.* Secunda etiamsi ita expressim conventum fuisset, ut adversarii intelligunt, non valeret conventio in casum mulieris superstitis, ut in fortioribus terminis videlicet, liberis communibus superstitibus, quorum favor non parum considerabilis est, decisum fuit responso & præjudicio Papiniani ad consultationem Juliani prætoris & pro lege perpetua, *ff. inferto in l. 2. de pact. dotal.* Cùm ergo sit casus l. non est locus quæstioni nec disputationi, l. ancillæ, de furtis.

11. Quanto minùs quando nec pactum quidem fuit trientem dotis ullo casu lucro fore aut remanere debere heredibus defuncti, nec marito quidem si superviveret, nec ad ejus vitam quidem, & multò minùs in perpetuum. Si igitur non sit cautum in favorem mariti superstitis: igitur multò minùs in favorem ejus heredis, præsertim non descendentis ex eo matrimonio, sed penitùs extranei. Cùm igitur nihil sit conventum de illo triente dotis, necessariò remanet in jure communi, *l. si cum dotem, in princip. ff. soluto matrimonio*, ut videlicet restituatur vidux intra annum obitus viri, *l. unica, §. exactis, Cod. de rei uxor. act.*

12. Non obstat taxativa *Seulement*, quæ residuum excludit, & sic videtur illud attribuere non solùm marito, si supervivat: sed etiam eo prædecedente, heredibus ejus etiam extraneis, ut argutantur adversarii. sed resupinè & distortè capiendo dictam taxativam à textu truncato, videlicet referendo illam ad bessem dotis tantùm, & non ad totam & integram orationem præcedentem in eadem clausula, ut necessariò fieri debet, *l. incivile, ff. de leg.* sed oratio vel dispositio cui supponitur illa taxativa *Seulement*, est de restituendo besse dotis patri ipsi sponsæ: igitur illa taxativa refertur ad totam orationem, videlicet ad totam stipulationem factam à patre.

13. Et est sensus clarissimus quòd illa stipulatio quâ pater sibi ipsi cavet, restringitur ad bessem tantùm, quo pater contentus fuit relicto triente in natura sua, & in dispositione juris communis: igitur nullo modo, nec per locum quidem à contrario sensu, etiamsi illud argumentum locum hic habere posset (quod negatur, utpotè contra jus commune) colligi potest actum vel conventum trientem seu reliquum dotis non debere restitui vidux secundùm dispositionem juris communis, & quin ipsa posset exigere etiamsi pater viveret. Sed solùm a contrario sensu colligi posset, quòd pater etiamsi superviveret, & adhuc minùs heredes ejus vel habentes causam non possent in vim dictæ clausulæ & stipulationis petere trientem illum: igitur nihil hic nec directo, nec a contrario sensu: nec expressè, nec tacitè cautum est in favorem magis etiam superstitis, & multò minùs in favorem heredum mariti præmortui, & minimè in favorem extraneorum. Sensus clausulæ controversæ.

14. Quinimò (ut hoc paradigmate res oculis exposita clarior fit) etiamsi maritus supervixisset, dictam Annam præmortuam sine liberis, & illa reliquisset alios heredes à patre & heredibus patris, putà condito testamento extraneis institutis, ut illa facere potuisset: tunc superstes maritus quanquam quandiù viveret, tutus esset in eo besse dotis adversus socerum, eo tamen vivente (propter ea quæ infrà dicentur) & pariter tuti essent heredes mariti adversus præfatum Ducem Antonium, quamdiu viveret ratione dicti bessis infra annum obitus mariti tantùm: tamen quantum ad reliquum trientem, nec ipse quidem maritus superstes tutus esset erga heredes etiam extraneos vel legatarios defunctæ uxoris, à quibus post annum obitus uxoris cogi posset restituere, quia per dictam clausulam nihil omninò disponitur de triente dotis. Quantò magis ipsa Anna superstes exigere potest, & heredes extranei mariti nullam prorsus post annum defensionem habent, nec ullum colorem detrectandi aut lucrandi trientem illum dotis, sed claris etiam demonstrationibus omnes adversæ cautificationes profligatæ sunt. Sed adhuc

15. Quantum ad secundum punctum & quæstionem de retentione bessis ad vitam viduæ, res non minùs clara est ad commodum viduæ in præsenti qui contigit casu, videlicet, quo Dux prædecessit, superstite Anna filia sua, quia tota clausula controversa, & stipulatio in ea contenta defecit, ut potè non contracta, nec concepta ullo modo in eo qui contigit casu: sed in casu oppositio qui defecit: est enim concepta, imò limitata, adveniente casu quo dicta Anna decederet sine liberis dicti matrimonii, vel illis deficientibus, quo solo casu Dux pater sibi cavet & stipulatur de bessi dictæ dotis tantùm sibi restituendo infra annum obitus mariti, si maritus uxorem superviveret, & illa supervivente, deinde sine liberis dicti matrimonii moriente infra annum obitus dictæ Annæ. Atqui ille casus non contigit, sed oppositus: igitur cessat tota illa clausula, & stipulatio in ea contenta, & quicquid inde dependet. Nihil igitur impedit quominùs vidua prompte queat (utpotè post annum obitus viri) lege agere,

& dotem integram repetere nedum trientem non comprehenſum in dicta caduca clauſula, ſed etiam beſſem de quo in dicta caduca clauſula quæ defecit: idque nuda verba dictæ clauſulæ conſiderando, circumſcripto eo quod accedit, imò tacitè meſit extra tuta materiæ ſubjectæ, & diſpoſitione juris communis. Hæreant verbis, & illa ſola vigeant Naſſauvienſes quantum voluerint, tota illa clauſula, & ſtipulatio conditionalis eſt, & ab expreſſa conditione incipit, ibi: *Advenant le decés de ladite Anne ſans hoirs dudit mariage*, quo ſolo caſu pater recidi ſtipulatus eſt illum beſſem: igitur ante omnia priùs conſtare oportet impletam conditionem ſtipulationis in forma ſpecifica, quam ex ea ſtipulatione agi poſſit, *l. qui heredit. in princ. l. medius de condit. & demonſt. l. cedere, de verbor. ſignif.* Igitur vivente Anna, tota dicta clauſula nihil eſt, etiam nuda verborum forma inſpecta.

16. Nec obſtant ultima verba dictæ clauſulæ, ibi. *Et ſi ladite Dame l'auroit ſurveſcu dedans l'an du trépas d'icelle*, tum quia dicta verba non ſunt poſita in verbis diſpoſitivis dictæ clauſulæ, & ſtipulationis, ſed ſolùm in verbis executivis, ibi. *Et ſi dans l'an.* Quæ non reſpiciunt niſi deſignationem temporis ſolvendi, & executionem. Et ſic (juxta not. *in cler. 1. de præb.*) nullo modo ampliant effectum, & vires ſtipulationis, qua pater de parte dotis tantùm, & certo caſu tantùm, ſibi ſoli cavit, extra quem caſum nihil ſibi cavit, nihil ſtipulatus eſt, nec voluit conditionem dotis filiæ ſuæ deteriorem facere, niſi ſub uno ſolo caſu qui defecit, & ſic extra illum caſum reliquit jus filiæ, & jus commune dotium intactum.

17. Minùs obſtat, ſi dicatur quòd canda dictæ clauſulæ, ibi. *Et ce dans l'an*, duos caſus, vel duo tempora implicat reſtituendæ beſſis dotis. Primum infrà annum obitus ſponſi, ſi ſupervivat ſponſa. Secundum infra annum obitus ſponſæ, ſi ipſa ſupervivat, & conſequenter quemadmodum in primo caſu, & primo tempore i l agitur, ut maritus ſuperſtes fruatur beſſe dotis uſque ad tempus reſtitutionis: ita ſecundo caſu i l agitur, ut heredes mariti fruantur aduſque tempus reſtitutionis, videlicet, aduſque annum ab obitu ſponſæ: quoniam magna, & diametralis diſtantia eſt inter utrumque caſum. Prior enim caſus præſupponit ſponſam præmortuam ſine liberis, quo caſu ceſſat omnis favor dotis, & nihil impedit quin pater, qui in eodem caſu heres eſt filiæ, diſponat de tota dote, vel parte, tam in perpetuum, quam ad tempus pro ſuo arbitrio, *l. ſi pater in princ. de pactis dotalibus, l. de dote prælegat. l. ſi convenit, C. de pactis conventis, l. unic. §. illo procul dubio, C. de rei uxo. actio.*

18. Cujus oppoſitum eſt in ſecundo caſu, videlicet, Anna ſupervivente: quia tunc non valet pactum, etiam expreſſum, ſive de tota dote, ſive de parte lucranda per maritum, ſive de differenda reſtitutione totius, vel partis ultra annum, *l. 2. l. de die l. Attilicinus, de pactis dotal. l. quamvis C. de pactis conventis.* Igitur multo minùs tacitum. Tum priore caſu non verſatur, niſi privatum intereſſe patris heredis filiæ, qui juri ſuo renunciare poteſt; ſecundo verò caſu verſatur ratio publicæ utilitatis, & favor dotium, ne mulieres remaneant indotatæ, & legis prohibitio.

19. Unde quamvis priore caſu tacitè intelligatur pactum ne dos interim reddatur patri cujus ſolius intereſt, tamen ſecundo caſu non poteſt intelligi tacitè pactum ne interim etiam pro illo beſſe reddatur mulieri: quia id etiam expreſſè paciſci non poſſet jure reſiſtente: igitur ſuperveniente Anna ſemel, & perpetuò defecit condicio totius dictæ clauſulæ, & ſtipulationis cum omnibus appendicibus, & effectibus ſuis, ita ut heres mariti præmortui non poſſit impedire reſtitutionem dotis, etiam pro illo beſſe, nec ex verbis expreſſis dictæ clauſulæ, quæ deficiunt non extante conditione.

20. Et multo minùs ex tacita mente, vel argumento à contrario ſenſu: tum quia deficit in præſenti, tum quia non habet locum contra juris diſpoſitionem, etiamſi aliàs locum habeat in pactis dotalibus, *l. inter ſocerum, §. cum inter, ff. de pactis dotal.* ſcilicet favore dotis, non contra dotem, vel mulierem: nec quando reſultaret intellectus contra jus, *lib. 2.* & ibi Bal. Salicet. Paul. Phil p. Corn. *C. de condition. inſert.* Alexand. & omnes *in l. 1. ff. de off. ejus cui mand. eſt juriſdict.* tum quia etiamſi dubium eſſet juris vel facti, & data quavis ambiguitate, tamen pro reſtitutione dotis judicandum eſſet, *l. in ambiguis, ff. de jure dotium, & ff. de reg. jur. l. 1.* ubi omnes *Doctores ff. ſol. matr.* Ex prædictis liquet quod ſecunda dictarum duarum ſolutionum videlicet juris reſiſtentia, procedit dictis duobus punctis, & quæſtionibus, tam de triente dotis relicto in jure communi quam de beſſe deducto in pacto ſub conditione quæ defecit, & ſic relabente ad jus commune.

21. Imò etiamſi expreſſè cautum eſſet quod Anna ſuperſtes in totum, vel in aliqua parte privaretur dote quovis caſu, non valeret pactio jure reſiſtente propter publicam utilitatem, ne mulieres remaneant indotatæ, *l. 2. ff. de jure dot. l. 1 ff. ſolut. matrim.* Nec huic juri renunciari poteſt per jura prædicta. Quod ſi nec expreſſa, multo minùs tacita contraria pactio ſubſiſtere poteſt. Et ita tenent Salicet. *in d. l. quamvis. C. de pactis conventis,* & conſulit Bart. *in conſ. 126. incip.* Titius maritavit Jaſon. *in l. 2. in princ. col. 2. ſoluto matrim.*

22. Nec obſtat ſi diceretur patrem minorem dotem conſtituere potuiſſe putà de triente dictarum decem myriadum: igitur potuit aliter ad commodum matri, vel heredum ſuorum diſponere de reliquo: quia ſuppoſito, ſed non conceſſo aſſumpto: quoniam forſan fuiſſet dos inofficioſa, nec tam vili dote renunciaſſet dicta Anna ſucceſſionibus acquiſitis & futuris, reſpondetur ad conſequentiam dupliciter. Primò, quod non valet, quia ſatis eſt quod pater ſemel eam doravit de centum millibus florenorum, ut ea dotatio ſemel facta recipiat interpretationem paſſivam juris communis, utque verificentur verba omnium legum prohibentium etiam patrem paciſci poſſe de aliqua parte dotis, etiam ad longius tempus relinquenda de marito, ſuperſtite filia, etiamſi pactum hat re integra in ipſo tractatu matrimonii ante nuptias, ut *in l. quamvis, C. de pact. convent.* etiamſi ſuper dote merè profectitia à patre *d. l. quamvis, & ſi convenit ea ut.* etiam in ſimplici longiore dilatione, *d. l. de die, l. Attilicinus.*

23. Reſpondetur ſecundò, quod etiamſi conſequentia valeat (id quod non) adhuc non ſumus in terminis conſequentiæ, quia nihil fuit expreſſè actum de reſtitutione dotis debita ipſi filiæ, ſuperſtite viro, nec intelligitur tacitè actum, quia verba non ſunt trahenda ad abſurdum intellectum: vel juri contrarium, *l. 2. de cond. inſert.* Sed potiùs (ſi opus ſit) impropriandæ, ut juri communi, materiæ æquè ſubjectæ conveniant, *l. ſi uno in princ. ff. locati cum ſimilibus,* & præſertim in materia privilegiata, qualis eſt dos.

24. Præterea dari poteſt alia, & tertia ſolutio ad dictam clauſulam controverſam, videlicet, quod debet intelligi ſecundùm intellectum, & interpretationem juris, & ſic non de proprietate, ſed de exercitio actionis dotis, ſaltem ſine præjudicio conſolidationis in filium morte patris, ſecundùm jus quo dos eſt proprium patrimonium ipſius filiæ, *l. 3 §. ſed utrum in fin. de minor.* Et ſi ſit merè profectitia à patre in tantum quod de jure.

25. Duo ſunt ſpecialia. Primum quod dote etiam merè profectitia à patre data ſimpliciter, tamen actio non eſt propria patris, ſed communis patris & filiæ: filiæ (inquam) quod ad proprietatem, *d. §. utrum*

patris autem quoad concursum exercitii, quia non potest exigere, sine consensu filiæ, nec filia sine consensu patris, *l.* 2. §. 1. soluto matrimonio. Et iste concursus exercitii actionis reservatus est patri duplici ratione. Prima propter authoritatem patriæ potestatis. Secunda ne pater saepiùs dotare cogatur, ut inquit gloss. *in d. l.* 2. §. 1. *verb. dos est*, & ibi Alexand. *col.* 4. Philippus Decius *cons.* 35. *col.* 1. Et hinc est quod deficiente prima ratione, videlicet filia emancipata, cessat ille concursus: quia totum exercitium consolidatur filiæ, etiam sine consensu patris, *l. si cum dotem*, §. *eo autem tempore*, *l. si socer. in princ. ff. soluto matrimonio*, *l.* 2. §. *videamus*, *C. rei uxor. act.* Et idem deficiente secunda ratione, patre, qui non transmittit ad heredem actionem de dote, sed tota consolidatur in filiam superstitem, *l. si cum dotem*, §. 2. *in fin. ff. soluto matrimonio*, *d. l. un.* §. *videamus*, §. *& hoc C. de rei uxor. action.*

26. Bene verum est, quod jure ff. & C. (ante novissimam Cod. editionem) illud intelligebatur in rei uxoriæ actione, videlicet, quando aliter actum non fuerat, vel si actum à patre, pater nudo tantùm pacto convenerat, quod non sufficit ad immutandum naturam prædictam rei uxoriæ actionis, *l. avia C. de jure dotis*, secùs interveniente expressa stipulatione patris, facta re integra, videlicet ante nuptias, *ut in l. quoties*, ff. *soluto matrimonio*, quia tunc actio ex stipulatu non solùm non erat communis, sed solius patris in exercitio, *d. l. quoties*, sed etiam ad heredes patris in viriles transmitti poterat, *l. si genero*, *C. de jure dot. l. unica*, §. *videamus*, §. *& hoc C. de rei uxor. actione quod Justinia. in d. l. unica*, quæ est una de suis peculiaribus quinquaginta decisionibus emendavit, non in primo capite de exercitio actionis spectante ad patrem stipulatorem, & hoc propter reverentiam paternam, & onus dotandi patri incumbens: sed in secundo capite, videlicet transmissionis ad heredes, & sanxit quod non solùm actio legalis, seu dativa rei uxoriæ, quando pater non fuit stipulatus, sed etiam actio conventionalis ex stipulatu, quando pater expressè sibi stipulatus fuit, consolidetur in filiam, etiam exheredatam morte patris, filia superstite, etiamsi pater cœperat agere ad restitutionem dotis, & litem contestatus fuerat text. *in d.* §. *videamus*, *&* §. *& hoc*. Ex quibus sequitur quòd ad summum dicta clausula debet intelligi respectu exercitii ipsius actionis dotis, ad hoc ut pater etiam sine consensu filiæ posset agere, & exigere bellem, vel relinquere heredibus generi, quandiu pater stipulator viveret, etiam filia superstite: ita tamen ut sive exegisset, sive non, consolidetur morte sua tota dos, vel actio in filiam superstitem.

27. Nec obstat dictam stipulationem factam esse patris heredibus, & habentibus causam ab eo, tum quia dicta verba, *Heritiers*, *& ayans cause*, quæ veniunt accessoriè, & in consequentiam ex stylo consuetudinis, non impediunt prædictam juris communis interpretationem, præsertim juris prærogati, & prohibitivi. Tum quia dicta verba *Heritiers*, *& ayans cause*, possunt verificari sine offensione naturæ dotis, & juris communis, videlicet in casu à jure permisso, ut filia præcedente patri, & sic eo casu debent intelligi, scilicet ut demùm patre superstite bes dotis ad eum liberè, & heredes suos, & causam habentes spectet, etiamsi filia præmortua priùs testata fuisset, vel aliter legitimè disposuisset de dote, cujus dispositio eo casu non valeret, nisi pro tertia parte in mero jure communi relicta, non autem quin patre prædecedente superstite filia tota dos in eam consolidetur secundum jus.

28. Et maximè attento quòd filia habet actionem de dote ex capite proprio, sine ulla stipulatione, vel pactò patris, videlicet jure antiquo actionem rei uxoriæ, ex constitutione Justiniani actionem ex stipulatu tacitam vel legalem, ac si instrumenta dotalia essent à prudentissimis viris commodo filiæ studentibus confecta, quæ habet omnia privilegia, & favores antiquæ actionis rei uxoriæ, *d. l. unic.*

29. Et fortiùs attento quòd in præsenti filia habet dotem ex causa onerosa, nempe eo quòd realiter, & de facto renunciavit omni successioni acquisitæ, & futuræ, & omni legitimæ, & supplemento in favorem fratrum & sororum ejusdem patris, & sic cedendo illis jura sua, juxta not. *in l. si actionem*, *C. de pact.* Et quæ dixi *in consuetudine Parisiensi*, §. 9. *num.* 4. *& ad Alexand. cons.* 149. *num.* 5. *lib.* 7. Ex quo sequitur primò quòd dicta dos centum millium florenorum non est profectitia à patre, quia non est propriè de bonis, & facto patris, ut *in l. profectitia in princip. ff. de jure dotium*, sed ex bonis ipsius filiæ ei jam quæsitis, & ex facto ejusdem filiæ renuntiantis successionibus quæsitis & quærendis, & omni legitimæ, & supplemento in favorem aliorum filiorum patris.

30. Secundò quòd dicta clausula controversa non intelligitur, nisi pro simplici exercitio actionis, ut pater superstes possit usque ad bellem agere, vel non, sine consensu filiæ (ut dictum est) non autem ut pater lucretur, & ad heredes, vel causam habentes transmittat: quia hoc non solùm esset contra jus commune (ut dictum est) sed etiam contra clausulam expressam dicti contractus matrimonii, qua cautum quòd dicta Anna habebit, & auferet decem myriades pro omni dote, & successione, portione, legitima, & supplemento. Quæ pactio non lucrativa, sed onerosa corrigeretur, si portio resecaretur: & multò magis, si major pars urbes auferretur Annæ, & adhuc durius etiam ea vivente, & superstite. Sed in una, & eadem dispositione nunquam censentur disponentes velle sese corrigere, *l. nam ad ea*, *ff. de condition. & demonstr.* & præ cæteris evitandus est intellectus per quem inducitur correctio, vel repugnantia in eadem dispositione *l. nam ad ea l. ubi repugnantia ff. de reg. jur.* Alexand. *cons.* 141. *num.* 5. *lib.* 2. *cons.* 59. *num.* 15. *lib.* 3. Philippus Decius *cons.* 562. *num.* 5.

31. Minùs obest ratificatio dictæ Annæ post dies nuptiarum facta, quia non magis obest, quàm ratificatum, quod nullo modo obstat per prædicta, tum quia simplex consensus filiæ post nuptias, & sic post jus quæsitum, & radicatum in dote non præjudicat, etiam in simplici exercitio actionis dotis, nisi filia perseveret in consensu. Casus est rotundus *in l. post dotem ff. soluto matrim.* Minùs etiam obstat quòd causificantur justum esse jus diminuendi, vel compensandi partem dotis ratione donarii myriadis annuæ florenorum, & ratione communionis mobilium, & quæstuum datæ, vel quartæ partis acquirendorum mobilium, & actionum activarum, ad electionem dictæ Annæ.

32. Quia quantum ad doarium, quamvis non sit de jure in forma specifica qua utimur, tamen est de jure in genere suo: quia est species donationis propter nuptias, quæ de jure debetur, *in l. ex morte C. de pactis conventis in Authen. dos data donationem propter nuptias meretur C. de donatio. ante nuptias.* Tum ut dixi *in consuetud. Paris. tit.* 12. *in rub. donarium hujusmodi est veri antipherni*, *hoc est*, *contraria dos seu donatio propter nuptias.* Tum non est, nisi ad vitam viduæ. Præterea de consuetudine locorum ultra restitutionem dotis statim viduæ competit doarium consuetudinarium, nisi de certo præscripto doario specialiter conventum fuerit. At in præsenti specie doarium præfixum minus est consuetudinario, quod pinguius, & utilius fuisset, & sic ea conventione non fuit datum, sed demptum dictæ Annæ.

33. Quòd autem ad communionem mobilium, & acquirendorum mobilium, id uxori competit de consuetudine locorum æqualiter, & pro dimidia: &

sic ea conventione non fuit aliquid datum, sed demptum dictæ Annæ, tantum abest ut aliquid subsit quod cum diminutione dotis compensare possit, præter id quod dos compensationem non recipit, *l. unic. §. fciendum, Cod. de rei uxoriæ actione.* Et hæc satis superque etiam ad curiosos explendos, & pervicaces retundendos sufficiunt.

Morgengab. 34. Quantum ad donum quoddam gratiosum, Germanicè *Morgengab.* si communis observantia regionis, & domicilii mariti saltem inter nobiles ita habeat, non est remissum per clausulam generalem ad finem dicti contractus matrimonii, quamvis æstimatio, vel taxatio ad bonam voluntatem sponsi remissa fuerit, & sic debet æstimari arbitrio boni viri, quia verba dictæ clausulæ non important liberam, & absolutam libertatem, igitur per not. Bart. *in ultim. ff. de præscr. stipul. in extravag. ad reprimend. quo modo in læsæ majestat. crim. proc. in verbo* prout.

35. Quantum ad legatum per dictum Principem Uraniæ uxori suæ factum supra, ad finem thematis, validum est, & utile. Et quamvis adsit clausula: Solvendo omnia debita testatoris, & capiendo omnes actiones activas, tamen dicta Anna legataria non tenetur solvere debita defuncti de suo proprio, & multò minùs dotem suam confundere cum dicto usufructu morte, vel secundis nuptiis finituro: debet enim legatum intelligi, ut adferat utilitatem legatario: alioquin nullum esset, & maximè quando sit conjunctæ, & dilectæ personæ, in qua magis præsumuntur animus honorandi, & minùs gravandi legatarium, *l. cum alienam, C. de leg.* Et maximè cùm testator expressè voluerit quòd si alii nubat, nihilominùs habeat omnia jura ei attributa in dicto tractatu matrimonii: igitur non intendebat quòd accepiendo dictum legatum, illa quæreretur, & præter dotem suam quartam mobilium activum, & alia jura contractus matrimonii ad eam spectantia.

36. Præterea dispositione juris expressa *in l. imperator, §. si centum cum §. seq. l. cum pater §. Titio ff. de legat.* 2. Quando legatarius non gravatur de aliquo certo corpore, sed in quantitate, sive certa & limitata, ut *in d. §. si centum; sive incerta, & in §. sequenti, § I tio.* non tenetur legatarius ad onus indictum, nisi usque ad vires legati, etiamsi simpliciter agnovit legatum: tum quo i legatum à marito factum uxori, non censeatur factum animo compensandi cum dote, sed ut utrumque comequi debeat, textus est in §. *sciendum, in l. unico. C. de rei uxor. actione.* Et ita censeo ego Carolus Molinæus J. U. D. & in supremo Parisiorum Senatu Advocatus. Parisiis anno 1546.

CONSILIUM LIII.

1. *Tria puncta totius consilii.*
2. *Societas semel contracta complectitur bona ubique sita.*
3. *Non in vim consuetudinis localis, sed in vim taciti pacti quod intest.*
4. *In dependentibus à voluntate partium non dicitur oriri tale ex consuetudine, sed ex tacito pacto.*
5. *Consuetudo quædam realis, quædam personalis.* 10. 11 13.
6. *Factis reciprocis societas contrahitur.*
7. *Coniuges possunt de novo contrahere societatem bonorum invicem?*
9. *Consuetudo loci attenditur quoad solemnitatem actus ibi gesti.*
12. *Consuetudines sunt locales, nec vi sua extenduntur ad bona alibi sita, sed benè vi pacti ex facto hominis.* 13. 16.
14. *Filia propria renunciatione communiter approbatâ, exclusa excluditur ubique, sed quatenus in vim consuetudinis à successione excluditur, non excluditur, nisi in bonis suis sub dicta consuetudine.* 15.
17. *Universitas falsa in uno, falsa est in totum.* 19.
18. *Clausula expositoria non restringit.*
20. *Donatio mutua æqualis inter coniuges valet.*
21. *Stylus locorum iuris scripti.*
22. *Laus politia Bernensis.*

THEMA CONSILII LIII.

DOminus Ioannes *de Gancy* (qui posteà Cancellarius Franciæ dignissimus fuit) & domina Ioannes *Boyleauë* uxor ejus, donationem mutuam invicem fecerunt sub hac forma: *Font grace mutuelle, & don égal de tous les biens meubles, & acquests immeubles, quelsconques qu'ils ont acquis, & acquereront durant & constant leurdit mariage: dont & desquels ils seront tenans, & possidans au iour & heure du trépas du premier mourant, voulans & expressément accordans & ordonnans chacun endroit soy, que par vertu de cette presente grace mutuelle & don égal, le survivant iouisse & use, peut & puisse tenir, iouir & posseder, c'est à sçavoir de ceux estans en la Comté de Beaulmont, estant des anciens ressorts du Bailliage de Senlis en proprieté & à toûjours, en ensuivant la Coustume dudit Bailliage, & des autres estans en la Ville, Prevosté & Vicomté de Paris, & Prevosté d'Orleans, en autre part, à usufruit, durant le cours de sa vie, ainsi que la Coustume desdits lieux où lesdites choses sont assises, situées, & trouvées, le veut, & permet, de toute sa part & portion du premier mourant, sauf & reservé de cinq cent livres tournois pour faire testament, que le survivant sera tenu faire & accomplir. Privant leurs heritiers contredisans de toute part de succession desdits meubles & acquests immeubles, qui sera audit cas distribuée aux pauvres.* Contrahentes autem habebant domicilium Parisiis, & acquisierunt prædia in provincia Lugdunensi patria juris scripti. Præmortuus est Cancellarius, vidua possedit jure donationis, post cujus obitum heredes viri vendicant mediam prædiorum constante dicto matrimonio quæsitorum. Et non contenti parte sitorum sub Parisiensi, & simili consuetudine, pl extendunt sita ubique, & in patria juris scripti, utque negotium facesserent heredibus viduæ; cesserunt jura sua cuidam Ioanni *Petit* civi Bernensi.

CONSILIUM LIII.

Visis contractu, narratione facti, & quæstionibus.

1. Tota disputatio consistit in tribus. Primùm, an societas, & communio mobilium, & conquæstuum immobilium tacitè contracta inter conjugales Parisiis medio consuetudinis Parisiensis ita disponentis articul. 110. habeat effectum etiam in bonis sitis extra territorium Præsidiatus Parisiensis, putà in prædiis acquisitis per alterum conjugum in patria juris scripti. Secundum, an donatio mutua de qua agitur facta Parisiis per conjuges ibi domicilium habentes comprehendat etiam bona conjugum sita quocumque loco extrà Prælidiatum Parisiensem, putà in patria juris scripti. Tertium, si ea comprehendat, an intelligatur per modum ususfructus, an vero jure proprietatis perpetuæ.

2. Primum in sano intellectu, nullum habet dubium, quin societas semel contracta complectatur bona ubicumque sita, sine ulla differentia territorii, quemadmodum quilibet contractus, sive tacitus, sive expressus ligat personam, & res disponentis ubique. Non obstat quòd hujusmodi societas non est expressa, sed tacita, nec oritur ex contractu expresso partium, sed ex tacito, vel præsumpto contractu à consuetudine locali introducto: igitur non debet egredi fines & limites consuetudinis localis, nec porrigere effectum ultra locum consuetudinis argum. *l. 1. §. Iulianus ait quoadusque, ff. de itin. actuque privat.* Et quòd non potest esse plus efficaciæ & virtutis in causato, quàm in causa: igitur non potest hujusmodi societas operari in rebus & locis in quibus consuetudo à qua causatur, nihil potest.

3. Respondetur. Primò hæc objecta procederent, si hujusmodi societas ab ipsa sola consuetudine per se causaretur, sed non ita: quia causatur, & introducitur ab ipso vero partium consensu: qui enim simpliciter contrahunt in loco sui domicilii, intelliguntur eo ipso contrahere, & pascisci secundum mores, & consuetudinem notoriam illius loci, nisi aliter expressè caveant, *l. quod si nolit, §: quia assidua de ædil. edict. l. fi. fundus, ff. de eviction. l. semper in stipulationibus, ff. de reg. jur.* Et sicut natura non separatur à proprio subjecto, ita nec communis usus, & consuetudo à contractu, cui naturâ inest, inquit Baldus *in l. contractus, col. 3. C de fidei instrumentor.* & consuetudo informat omnem dispositionem, etiamsi non sit dictum, *l. excepto, C. de loca.* Petr. Anchara. *in repet. cap. si propter tua debita in fin. 4. oppo. de rescript. in 6.*

4. Et advertendum quòd quando consuetudo inest contractui, non inest tanquam lex publica, sive tanquam jus ipsum consuetudinarium, nec per modum legis, consuetudinis, vel statuti, juris publici: sed tanquam pars contractus, & lex privata, & conventionalis a contrahentibus volita, inducta, & disposita. Patet, tum quia non inesset, nisi contrahentibus placeret, quia posset aliter liberè disponere: sed solùm ideò inest, quia censentur contrahentes ita ad invicem pepigisse, & convenisse eo ipso quod aliter non disponunt, per text. optimum *in l. adoptivum, §. 1 de jure dotì. fa.* Jason. *Autem. si qua mulier. num. 11. C. de sacros. Eccles.* Tum quia ad illud consuetum tacitè conventum, & inexistens non competit condictio ex statuto, & moribus, nec alia actio dativa à lege, vel consuetudine, sed competit ipsa actio dativa ex contractu tanquam ex negotio privatim, sic gesto & placito inter partes, text. est *in d. §. quia assidua, & in d. l. ex conducto cum vulg.* Igitur necessariò fatendum est quod illa societas, quæ tanquam consueta inest contractui matrimonii Parisiis inter Parisios commorantes celebrato oritur, & causatur propriè per se, & immediatè à vero & libero consensu, & contractu partium; igitur tanquam contractus, & lex privata, & conventionalis debet habere effectum in personas, & bona contrahentium ubique locorum sita sint.

5. Ad hoc pulchrè facit doctrina Petri Petticani Galli, *in repet. l. 1. Cod. de summa Trinitate*, ubi æquiparat consuetudinem, quod primogenitus habeat totum in Anglia, sed ubi filii sint æquales, & consuetudinem Angliæ quòd uxor, mortuo viro, nihil capiat, sed consuetudine Galliæ capit dimidium bonorum. Et quòd si contingat aliquem relinquere bona in utraque regione, quòd Gallicana dividentur æqualiter inter filios, & inter viduam, & inter heredes mariti: in Anglia verò vidua nihil habet, sed primogenitus totum secundùm quosdam, quos Petrus Petticanus ibi refert, & subdit: Advertatis (inquit) istud concedo verum ubi est consuetudo realis: nam cùm sit realis, tunc non inspecta ligat res Gallicanas, & Anglicanas, non personas cùm onera realia ligent res secundum consuetudinem, & statutum loci; licèt personalia non respiciant res, sed personas, *C. ne masculis, & in quo loco lib.* 10. Hactenus Petrus. Et sic sentit quòd ista consuetudo, quòd conjuges sint communes in mobilibus & quæsitis, sit personalis, quia respicit actum personæ, & contractum.

6. Respondetur secundò ad objectum si prò numero secundo, notoriè constare per allegata & probata in processu, quod prædicti conjuges communicaverunt invicem bona sua mobilia, & conquæstus immobiles indifferenter, & ea tanquam communia possederunt, & tanquam in illis socii, & communes promiscuè se gesserunt, quamdiu vixerunt: igitur non solùm tacita, & legalis, sive consuetudinaria, sed etiam factis ipsis expressa, & conventionalis contracta est inter eos societas, quæ non minùs, imò magis factis reciprocis, quàm simplicibus verbis contrahitur, *l. si tamen, §. ei qui ff. de ædil. edict.* tradit Bartolus *in l. Titiem & Mævium, §. altero ff. de administrat. tutor. in l. 1. §. si quis hoc interd. 6to, ff. de itinere actuque privat. C.* Baldus Salic. *in l si patruus, C. communia utrinsque jud.* Bart. *in tract. de duob. fratrib.* & Petrus Petus. *in eodem tractat.* Igitur cùm à vero contractu, & consensu partium etiam circumscripta consuetudine sit introducta, & causata hujusmodi communio & societas, nemo sanæ mentis dubitare potest quin æquè ad quæcumque loca pertendat effectum.

7. Quod autem etiam inter jam conjugatos possit contrahi nova mutua societas, etiam circumscripta consuetudine, & cessante communi, & solito usu, nulla est quæstio, cùm sit casus legis *in l. cùm hic status, §. si inter virum, ff. de donat. inter virum & uxor. in l. alimenta, §. qui societatem, ff. de alimentis, & cib. leg.* & Baldus. Ex his plenè satis, & firmissimè fundatur veritas hujus partis, & radicitus evelluntur omnia argumenta; & objecta adversariorum, tamen ut clariùs liqueat quàm inepta sint, & quàm nihil ad rhombum faciant.

8. Non obstat quod voluit Joan. Andr. *in additione. ad Spec. de instrum. edit. §. compendiosè numero decimosexto in verficul. opponunt. in fin. de consuetudine Gallicana*, qua uxor supervivens lucratur partem bonorum mariti, dicens quòd illa consuetudo est directò super bonis & rebus, & non super actu, & dispositione hominis: ideò bona quæ sunt extra locum consuetudinis non includuntur, nam re ipsa responsio patet Joannem Andr. non intellexisse, nec habuisse notitiam consuetudinis nostræ, quæ non est directò super bonis, sed est primariò, & directò super actu, & dispositione personarum contrahentium matrimonium, ut tali contractui, & inter ipsos contrahentes insit contractus societatis mobilium, & conquæstuum, patet per textum consuetudinis Parisiensis in dicto articulo 110. & sic principaliter, primariò & directò disponit in personas

sonas subjectas, & in actum & informationem actus qui ab eis geritur. Unde non est inconveniens quod in consequentiam, & per indirectum habeat effectum ubique, etiam in bonis, & rebus sitis extra locum consuetudinis, & domicilii partium, prout in loco prafato expressè vult, & decidit Joannes And. cujus decisio in adversarium velut sagitta in oculos perpetàm argumentis reflectitur, ut inquit Baldus *in leg. ultim. col. 2. C. de fideicommiss. libert.*

9. Non obstat consilium Oldradi 247. *præsupposita*, tum quia malè, & in diversis terminis refert consuetudinem Parisiensem, tum quia loquuntur in extero alibi uxorato, & alibi habente domicilium: quia postèa causa simplicis negotiationis accessit Parisios cum uxore animo retinendi vetus domicilium, & ad illud redeundi: sed antequàm rediret, mortuus est Parisiis, condito ibidem testamento: unde non est mirum, si in bonis illius non habeat locum consuetudo Parisiensis, & sic illa decisio nihil facit ad propositum. In quantum tamen Oldrad. ibi in 2. quæst. tenet in prædicto testamento non sufficere servatam esse solemnitatem consuetudinis Parisiensis, reprobatur per Bart. Bald. Paul. Jas. & omnes Legistas *in l. cunctos populos, C. de sum. trn. & in l. omnes populi, ff. de justit. & jure.* & per Anton. Panor. Fel. & omnes Canonist. *in cap. 2. de sponsa.* Et est omnium Doctorum sententia, ubicumque consuetudo, vel statutum locale disponit de solemnitate, vel forma actus: ligari etiam exteros ibi actum illum gerentes, & gestum esse validum, & efficacem ubique etiam super bonis solis extra territorium consuetudinis, vel statuti.

10. Non obstat quod Petr. Ancha. consulit *in cons. 265.* Visis, & diligenter, non deberi vigore hujus consuetudinis bona sita extra illius locum, putà Florentiæ, tum quia Anch. ibi præsupponit hanc consuetudinem principaliter concernere ipsa bona. Patet *in col. 1.* ibi, quandoque consuetudo concernit principaliter bona, & ita consuetudo de qua quæstio loquitur in partibus Gallicanis, &c. Et sic erravit in facto, prout etiam ibi recitat nullam sibi fuisse factam fidem de dicta consuetudine. Et sic patet quòd eam ignoravit: & si scivisset qualis est, & quòd principaliter in personas, & actum personarum disponit, contrarium consuluisset. Tum quia ibi non dicit matrimonium Parisiis fuisse contractum, nec quòd illi de quorum bonis agebatur, habuissent ibi domicilium, & fuissent subditi consuetudini Parisiensi, sed potiùs loquitur in casu opposito, videlicet in Florentinis habentibus domicilium Florentiæ, & non Parisiis, & qui non erant Parisiis, nisi causa mercantiarum, licèt eò cum uxore accessissent: & sic non erant subditi statutis, & consuetudinibus Parisiensibus, patet per totum discursum illius consilii. At nos loquimur in casu contrario, nempe in domiciliariis, & subditis urbis Parisiensis, & in contractu matrimonii ibi celebrato secundum mores, & consuetudinem ejusdem urbis.

11. Quòd si pertinaciùs instetur consuetudinem hanc esse realem: ut falsò, & malè informatus putavit Ancha. in dicto cons. quod apertissimè convincitur per textum in d. artic. 120. ubi principaliter, & primariò disponit in personas, & actum à personis gestum, non autem disponit in res & bona, nisi saltem in consequentiam: quod ex omnium Doctorum sententia fieri potest: Et est textus *in l. propter lites, §. licet, ff. de excus. tutor. in l. 2. C. eod. in l. magis puto, §. illud quæro, ff. de rebus eorum qui sub tut. vel cura. in l. cum unus, §. is qui cum gl. ff. de bo. auth. ind. possid. cum aliis allegg.* per Ludov. Rom. qui ita tenet in *cons. 39. in proposita col. penult.* sequitur Philip Dec. *in l. ult. col 3. ff. de jurisdic. omnium judicum.* Idem voluit expressim Bald. *in cons. 267. in fin. lib. 5.* & omnes Scribentes *in d. l. cunctos populos, & locis prælleggatis.*

12. Non obstat quòd per Arresta supremæ Curiæ consuetudines sint locales, & suis quibusque locis claudantur, nec extra ea extendantur: quia verum est inquantum est mera consuetudo, & in quantum aliquid merè, & immediatè, ab ipsa sola consuetudine producitur. Et ut clarùs loquar, ibi de mero jure consuetudinario in se vi, & potestate ipsius consuetudinis agatur, tunc enim *per l. extra territorium, ff. de jurisdic. omnium judic. &c.* secùs quando non agitur de mera consuetudine, sed de contractu, vel qualitate contractus, mediante consuetudine inter ibi commorantes, & contrahentes introducto, & ubi jus agendi non fundatur immediatè, & per se in consuetudine, vel statuto alterius loci, sed in contractu, vel alio actu gesto in certo loco, & à consuetudine illius loci informato, ut in casu præsenti: tunc enim consuetudo per indirectum, & per quamdam consequentiam remotam habet effectum extra locum suum; tamen propriè loquendo non est verum quòd ipsa consuetudo egrediatur locum suum, nec quod disponat de rebus alibi sitis; sed solùm quòd disponat de actu à suis subditis intra locum suum celebrato, quòd potest: deinde verum est quòd ille actus sic celebratus habet effectum ubique inter contrahentes, etiam quoad bona alibi sita: quod etiam nemini prudenti fuit unquam dubium.

13. Et hoc est quod voluit dicere Masuerus antiquus, & doctus Practicus *in titulo de successionibus ab intestat.* quòd si agatur de actu qui dependet à vi consuetudinis tantùm, & sine facto, aut ministerio hominis, ut quòd in Anglia primogenitus succedat in solidum, secùs in Francia: tunc si defunctus habeat ubique bona, servanda est quæque consuetudo in his quæ ibi sita sunt: quia tunc consuetudo adhæret rei, & nihil habet personalitatis. Si verò agatur de actu dependente à facto, vel ministerio hominis, ut quando filia maritatur à patre in patria Alverniæ, & sic per consuetudinem Alverniæ à successione excluditur, non solùm enim excludetur à successione quoad bona sita in dicta patria Alverniæ, & dictæ consuetudinis, sed etiam quoad bona in patria juris scripti, vel alibi ubicumque sita

14. Quod est verum intercedente expressa renuntiatione præsente, vel consentiente, & perseverante eò de cujus successione agitur, juxta *c. quamvis de pactis in sexto, & l. ult. C. de pactis*, quia extenditur ad bona ubicumque sita: nec filia quæ sic excluditur, vigore solius consuetudinis, novum jus locale inducentis excluditur, sed in vim pacti, & juris communis: secùs quatenùs virtute solius consuetudinis localis excluditur, ut à successionibus fratrum absentium, vel aliorum, quia non consenserunt. Et ita in supremo Senatu Parisiorum judicatum fuit per Arrestum latum in successione Magistri Ludovici *Dourelle*, ejusdem Curiæ Senatoris, & Canonici Parisiensis.

15. Et idem in simili sensit, & decidit Jacob. de sancto Georgio *in investit. feud. in verb. Marchio, in fin.* ubi dicit quòd filius primogenitus Marchionis, vel Baronis, si succedat ab intestato, non habebit solus omnia castra & feuda, nisi sita in locis, ubi viget talis consuetudo: & hoc, quia non potest intentionem suam fundare, nisi in sola consuetudine præcisè, & immediatè, unde non est dare aliud medium quàm vim, & jurisdictionem consuetudinis, quæ extra locum suum nullas vires habet: sed si succedat ex testamento, in quo solus in omnibus sit institutus, succedet in castris, & feudis ubicumque sitis, etiam in locis, quæ jure scripto, & communi regantur, quamvis illud testamentum non fuerit factum secundùm formam requisitam de jure communi; sed solum secundùm solemnitatẽ consuetudinis loci in quo tunc erat testator. Et ratio, quia hic non agitur immediatè de viribus, & effectu testamẽti, & intentio primogeniti principaliter in testamento, & non in consuetudine fundatur; ideò in bonis ubicũque sitis obtinebit.

EPITOME CONSILII LIV.

1. *Regula, qui tacet non fatetur, nec negat.*
2. *Fallit in vocato ad consentiendum, vel dissentiendum.*
3. *Et in vocato ad præsentationem.*
4. *Et in eo qui suos ad hoc accersivit. 6.*
5. *Tacitus consensus, pro expresso habetur in judicialibus.*
6. *Facta verbis potiora.*

THEMA CONSILII LIV.

QVidam furti convictus erat, & ob id ad perpetuos carceres condemnatus. Ejus frater pro liberatione Cæsari scilicet Ferdinando, in Curia sua Alsatiæ, quæ est Gallia Belgica, supplicavit, & inter cætera falsè exposuit judices reum erronèè, & contra jus condemnasse, & confessiones criminis per vim, & cruciatus fuisse extortas, &c. Et exemplum porrectæ supplicationis transmittit. Iudices videntes se falsissimè apud Cæsaream Majestatem delatos, vocato ad se supplicante, qui cum magna propinquorum, & familiarium copia comparuit, in præsentia publici Notarii, & testium ad hæc vocatorum in pleno Concilio Colmariensi, quod ex viginti quatuor, aut circiter personis constare solet, proponi fecerunt se à supplicante apud Cæsaream Majestatem falsò delatos fuisse, & ad singulos articulos, in quibus erant gravati, expresè addiderunt, hoc à supplicante non veraciter, sed mendaciter fuisse expositum. Supplicans verò, tum ne uno quidem verbo objecta diluit, vel excusavit, neque etiam ad hoc usque tempus, cùm quinque intereà anni, & ampliùs effluxerint, quinimò ejusdem frater furti condemnatus, illum injussu suo Cæsari supplicasse respondit, ipsiusque supplicantis prædicti propinqui publicè in pleno consessu recitari fecerunt prædictum supplicantem in punctis præmissis judices nolle injuriari. Et super his omnibus petitum est à judicibus publicum instrumentum, & à Notario in forma consueta obtentum. Contigit autem post quadriennium, vel quid rixarum inter unum ex tali concilio, & dictum olim supplicantem fuerit subortum. Tunc ille prior provocatus, & injuriatus coram Domino, sive Barone, cujus tunc ambo erant officiales, respondit se virum esse quàm ipse supplicans sit, probiorem sive meliorem, & nondum recantasse, sive revocasse, ut ipse coram pleno Senatu Colmariensi fecisset. Ad hæc alter in hæc verba prorupit: *Si tu dicis me revocasse, mentiris tanquam desperatus, & infamis vir*, &c. Quæritur an hæc dicenda sit revocatio. An reus hodie carceratus, qui objecit recantationem, bene objecerit.

CONSILIUM LIV.

PRima facie dicendum videretur quòd non.

1. Ex regula vulgari, qui tacet, non fatetur; quamvis verum sit eum non negare, *l. qui tacet. ff. de reg. jur. c. sù qui tacet. eod. tit. in sexto.* Breviter in præsenti specie, præsertim in odiosis ut hîc, veritas est in contrarium. Illa enim regula multas habet limitationes, quæ omnes ferè hîc concurrunt, quanquam una illarum sufficeret.

2. Et primò non procedit in eo, qui vocatus est ad consentiendum, vel dissentiendum: tunc enim omninò locum habet regula contraria, quòd qui tacet, consentire videtur, etiam in sui præjudicium *cap. qui tacet. de reg. jur. in sexto*, etiamsi sit vocatus ad actum extrajudicialem, ut expressim tenent Dinus, Jo. Andr. Philip. Franc. *in d. c. qui tacet.* Hinc est quod verba infinitiva, ut nolo, vel volo adire, quæ aliàs non disponunt, transeunt in dispositiva, ut in vocato ad adeundam, vel repudiandam hereditatem, Bart. Paul. *pro herede col. 3. de acquirenda, vel omittend. heredit.* Ang. Paul. *l. qui se patris, Cod. unde liberi.*

3. Et in vocato ad consentiendum præsentationi ad sacerdotium, vel non. Roch. Curtius *in repet. rub. extra de jure patron.* & in factioribus terminis etiamsi quis non sit vocatus, sed sit ei seriò, & testatò denunciatum, si tacuerit, censetur in sui præjudicium consentire, & agnoscere, *l. 1. §. pena. de liber. agnoscent.* Tertiò non procedit, cùm quis tacet in judicio, vel in negotio dependente à judicio, *l. 2. §. voluntatem*, ibi. *nisi evidenter contradicat, videri consentire, ff. soluto matrim.* scilicet quando ad hoc assistit, vel vocatus est, Anton. Rub. latè *in repetitione, §. morte, l. non solum num. 332. de oper. no. nunti.*

4. Quartò non procedit in eo, qui venit, amicis, cognatis, vel clientibus accersitis: tunc enim verba infinitiva, quæ aliàs nihil operantur, disponunt, *l. Pamphil. §. propositum est, de leg. 3.* Socin. *l. 1. §. si quis ita col. 1.* & ibi Francisc. Ripa. *de verb. oblig.* Et qui sic paratus, & comitatus venit ad actum dum geritur, censetur non solùm consentire, sed etiam seriò consentire, ut tradunt Doctores in locis præfatis, Canonistæ *in c. ea nascitur, extra de his quæ fiunt a prælat. sine consens. capituli.*

5. Quintò, quia in judicialibus hoc plus est, quòd tacitus consensus habetur pro expresso, quando est præsens, expresè vocatus & tacens, ut notant Canonistæ *in c. ult. de confes. in 6.* ubi tenent hoc procedere ipso jure, nec aliam sententiam requiri, ut tenent Dominic. de sancto Gemin. & Phil. Franc. *in d. c. ult. Felinus in c. Rodulphus col. 24. extra de rescri.* & est text. etiam in præjudicialibus, & ad obligandum *in l. cum ostendimus, §. fidejussores, ff. de fidejuss. tut.* ubi nominatus præsens, & tacens non solùm censetur expresè loqui, sed etiam per stipulationis solemnis & judicialis formulam sese obligare.

6. Confirmatur ex abundanti per taciturnitatem temporis subsecuti: debuit enim provocare, si sibi factus displicuisset, *l. 1. C. si sæpiùs in integ. rest. postul. fuerit.* Verissimè igitur dictum est istum recantasse, sive revocasse, & sic cessare injuriam, quod est indubitatum, cùm non sit objectum eum expressè recantasse, unde sufficeret probari quod tacitè revocavit: tamen etiamsi objectum esset eum expressè recantasse, adhuc idem est, cùm & vocatus, & sciens, & ad actum serium, & accersitis, & adductis amicis, & cognatis, & in judicio venerit, & ad ultimam usque periodum permanserit, & non solùm non contradixerit evidenter.

7. Sed evidenter, & solemniter consenserit factis ipsis, quæ sunt potentiora verbis, *c. dilecti filii, 1.* & ibi gloss. Panorm. Philippus Dec. & omnes extra de appellation. & multò amplius sit facere quam pronuntiare, *l. si tamen, §. ei qui, de adil. edict.* Bald. *l. non ignorat. col. 1. C. qui accusare non pos.* Jason. *l. si ita legatum, §. illi si volet in princip. de leg. 1.* Philippus Dec. *l. non omnes col. 2. si certum pet.* Quantò magis factis solemnibus iisque judicialib. verbis ad eumdem reum directis sæpiùs repetitis, & geminatis? Non est igitur deinde passus, sed fecit injuriam. Et ita censeo ego Carolus Molinæus J. U. D. Franciæ, & Germaniæ Jurisconsult. in quorum fidem, &c. Datum Montbelgardi, decimo Calend. Januarii anno 1555. à Christo nato, ad enixas preces l. Schrotisen domino *de Addincourt* pro amico suo Colmarii carcerato.

EPITOME CONSILII LV.

1. *Filia quæ renunciavit futuræ successioni juxta c. quamvis de pact. in sexto, an ex enormi læsione possit restitui.* 8.
2. *Talis renunciatio non fit, nisi præsente, & consentiente eo de cujus successione agitur.*
3. *Aliud renunciatio, aliud pactum de renunciando.*
4. *Tamen in materia de c. quamvis idem sunt.*
5. *Et refertur ad statum, & bona quæ erant tempore mortis.*
6. *Et non solum per filios institutos, sed etiam per venientes ab intestato excluditur, sed non per abstinentes.*
8. *Sub Parlamento Parisiensi non curatur de læsione talis filiæ in legitima, quando hoc cessit judicio parentum asciendentium.* 9.
10. *Nec curatur de juramento, sed de ratione politica.*

CONSILIUM LV.

Viso & considerato suprascripto themate, prima facie dicendum videretur præfatam dominam Franciscam *de Clermont* habilem esse ad succedendum defunctæ dominæ Annæ *de Thouars* matri suæ.

1. Non obstante renunciatione per eam facta in tractatu sui matrimonii, attenta enormi læsione ultra dimidium justi pretii, quæ est justa causa, ut juramentum possit, & debeat relaxari per Episcopum, ut decidit Guido Papæ *in decision. Delph. quæst.* 224. Philippus Dec. *in c. causam matrimonii col. 2. de offic. delegat. & in cons.* 551. Petr de Anchara, & communiter Doctores *in c. quamvis de pactis in 6.* Et novissimè ita consuluit Stephanus Bertrandi *in cons.* 337. *Vide consultationis lib.* 2. prioris impressionis per Vincentium factæ; sed in præsenti adest dispensatio Papæ.

2. Præterea non videtur debite facta renuntiatio respectu successionis ipsius matris de qua agitur, quantum ad validitatem, & substantiam hujus renuntiationis requiritur præsentia, consensus, acceptio illius de cujus futura successione renuncianda agitur. Ita decidit Alexand. de Imol. *in l. stipulatio hoc modo concepta, col. 6. ff. de verbor. obligat.* Petr. de Anchar. Imo. Gemini. *in d. c. quamvis,* & ibi Georgius Natt. *in rep. col. 15. versic. denno limita hanc decretalem.* Et ita per plura Arresta judicatum fuit, ut in successione defuncti Ludov. *Deresl.*

3. Sed quamvis mater fuerit præsens in tractatu matrimonii, tamen non fuit tunc facta illa renunciatio, sed solùm promissum fuit de renuntiando, deinde secuta fuit renuntiatio in præsentia patris dumtaxat, & sic non videretur excludi à successione materna, nec per renuntiationem: quia tunc non erat mater præsens, nec consentiens, nec per pactum de renuntiando, quia aliud est renuntiare, aliud facere pactum de renuntiando, sicut promissio de vendendo, non est venditio, & nihilominùs remanet venditio in fieri, donec actualiter fiat, ut notatur per Jacob. Butr. Baldum, Angelum in *l. 1. C. de pact. pign.* & latè scripsi *in consuet. Parisien. §. 51. gloss. 1. quæst. 5.*

4. Sed his non obstantibus, puto præfatam dominam exclusam esse nedum à successione paterna, sed etiam materna, quia dicta clausula pacti de quittando, vel renuntiando in dicto tractatu matrimonii, implicat expressum pactum de non succedendo patri & matri in præsentia illorum, & illis acceptantibus. Et sic cùm adjectum fuerit juramentum, remanet exclusa per dict. cap. quamvis: quod observatur in hoc regno contra dispositionem juris civilis, nec debet inspici forma subsecutæ renuntiationis, quæ nihil aliud est quàm executio, & confirmatio præfati pacti de non succedendo, quod per se sufficit ad exclusionem, ita etiam nuper per duo Arresta supremi nostri Senatus judicari vidi circa annum Domini 1546. uno contra dominam Agnetem *Davangour* pro D. *de Cantalin* ejus fratre, altero contra dominam Antoniam de Ursinis.

5. Nec obstat quod præfatum pactum de non succedendo est factum favore liberorum masculorum, & heredum institutorum, nec in eo fit mentio de instituendis, nec de bonis futuris, seu competituris, quia hujusmodi pactum per hoc non restringitur ad bona tunc competentia patri vel matri; sed refertur ad bona competentia patri vel matri, tempore devolutæ successionis, & eorum mortis, ad quod tempus illud pactum refertur, comprehendit.

6. Et tam masculos tunc institutos, quam instituendos, quoniam institutus propriè is est, qui tempore mortis instituentis talis invenitur, cùm hæc voluntas sit ambulatoria *l. 4. ff. de adi. legat.* imò illud pactum non restringitur ad liberos masculos institutos: nec verb. Institutis aut Instituendis ibi ponitur ad hunc finem, ut debeant esse instituti ad hoc, ut excludant sororem renunciantem: sed ad ostendendum quod renuntians non erit exclusa per liberos masculos exheredatos, prout etiam non excluditur per aliàs incapaces, vel abstinentes, ut tenent omnes Canonistæ in dicto capitulo quamvis, Baldus *in l. jus agnationis, ff. d. pactis* Cæpol *causa civil. cons.* 49. *num.* 52. Guido Papæ *decisio. Delphi.* 192. Philippus Decius *cons.* 370. *in fin. & cons.* 90. ubi in annotat. dixi Alexand. *cons* 29. *numero nono, libro tertio,* ubi etiam *in annot. dixi & consuetud. Paris. §.* 122. Et sic non obstat quòd mater decessit ab intestato, sed satis quòd non videtur mutasse voluntatem.

7. Non obstat læsio ultra dimidiam justi pretii quia secundum communem non tempus mortis, sed tempus pacti vel renuntiationis inspicitur, ut per Franc. Curt. seniorem *in consil.* Alexand. *cons.* 181. *lib.* 5. ubi in annotat. dixi. Philippus Corne. *in cons.* 1. *col. sexta, libro quarto.* Jason *in Authent. novissima, numero* 10. *C. de inoffic. testam.*

8. Et adhuc in hoc regno hoc non attenditur, ut per plura Arresta judicatum fuit : quoniam ex quo tempore renunciationis possunt parentes ditiores, vel pauperiores multis casibus fieri, non censetur filia læsa, quæ competenter secundùm dignitatem domus & familiæ semel dotata fuit, & quæ aliàs & forsan nunquam nupta & dotata fuisset : plura Senatus nostri Parisiensis Arresta recitavi *in annot. ad* Alexand. *consilio* 29. *lib.* 3 Addo aliud contra dictam Agnetem *Davaugour*, quæ probaverat læsionem etiam in legitima.

9. Quod receptum fuit ad conservationem familiarum accedente judicio propriorum parentum : secùs si filiæ per collaterales elocarentur.

10. Nec curatur de juramento expresso vel omisso, quia non per dictum cap. quamvis (quod non habet vim legis in hoc regno) sed per rationem politicam. Ita observatur sub hoc Parlamento Parisiensi, nisi ubi consuetudo vult legitimam talis filiæ suppleri, ut consuetudo Senonensis & consuetudo *de Lorris.* Et ita censui ego Carol. Molinæus J. U. D. & in supremo Parisiorum Senatu Advocatus, Parisiis anno 1548.

EPITOME CONSILII LVI.

1. *Substitutio facta pluribus, intelligitur postremo eorum deficiente.*
2. *Substitutio compendiosa comprehendit pupillarem expressam, & vulgarem tacitam.*
3. *Relatio ad masculos facit locum substitutioni, etiam stantibus fœminis.*
4. *Verbum* heredibus *non refertur ad filiam in re certa institutam.*
5. *Comparatio legitimæ & Trebellianicæ.*
6. *Substitutio pupillaris non continet nisi bona paterna, quando testator dixit de bonis suis tantùm.*
7. *Compendiosa substitutio non est quando fideicommissariam tantùm continet, ideò fieri non potest in codicillis.*
8. *Substitutio fideicommissaria nullam directam continere potest.*
9. *In fideicommissis conditio debet impleri in forma specifica, nec extenditur etiam ob verisimilitudinem.*
10. *Fideicommissum est onus & restringendum.*
11. *Posthumi appellatione venit posthuma.*
12. *Verba, si talis heres erit, intelliguntur, & hereditatem adierit.*
13. *Filia instituta in re certa venit appellatione liberorum heredum.* 24. 25. 26.
14. *Pater non præsumitur fratrem filiæ præferre.* 15.
16. *Conditio collectiva debet verificari in persona omnium.*
17. *Oratio disjuncta convertitur in conjunctam, ut hereditas descendentibus conservetur.*
18. *Non fit transitus de uno casu ad alium contra personam magis dilectam.*
19. *Substitutio concepta casu quo filia nasceretur, non porrigitur ad casum quo filia non nascitur.*
20. *Quando dispositio testatoris non convenit æquitati vel bonis moribus aut statutis, non debet extendi.*
21. *Conditio voluntaria debet impleri in forma specifica.*
22. *Simplex vulgaris complectitur omnes casus.*
23. *Substitutio inutilis non potest facere aliam utilem.*
27. *Relatio substitutionem interpretatur.*
28. *Mos loquendi Aquitaniæ.*
29. *Hoc consilium Arresto confirmatum.*

THEMA ABBREVIATUM CONSIL. LVI.

CLausula testamenti. Ego Franciscus *Maudonier* habitator villæ Yciodori, &c. heredes meos facio & instituo : ac ore proprio nomino, videlicet Annetum & Robertum *Maudonier* charissimos filios meos impuberes, ac charissimæ Catharinæ *du Mur* conjugis meæ naturales & legitimos, nec-non posthumum seu posthumam, de quo seu de qua credo eamdem Catharinam conjugem meam ex me fore prægnantem.

1. Quæ si sit posthuma, seu sexus muliebris, eamdem instituo heredem meam particulariter in quinque centum libris Turon. cum lecto munito, ac vestibus honestis, secundùm statum ipsius posthumæ, quæ eidem constituo in dotem & pro dote cùm apta fuerit matrimonio copulari, cùm & pro quibus quingentis libris Turon. lecto munito, & vestibus eidem posthumæ filiæ meæ per heredes meos universales semel solvendis, pro quibus volo & ordino ego præfatus testator eamdem posthumam contentari de rebus & bonis meis prædictis.

2. Si verò posthumus, seu sexus virilis, veniatque in rerum naturam, ac vivat, eumdem cum prædictis filiis meis Anneto & Roberto, volo & ordino quòd potiatur, & succedat mihi universaliter in hereditate mea. Ipsos enim Annetum, & Robertum, ac posthumum (si virilis conditionis sit) & eorum quemlibet æquis portionibus, nec-non superviventes seu superviventem ipsorum pro toto seu in solidum, si & casu quo unus vel duo ipsorum filiorum meorum & posthumi in pupillari ætate, aut aliter, & aliàs quovis modo sine libero, vel liberis, uno vel pluribus, ab eo vel ab eis legitimo ex matrimonio progeniti, decederet,

vel decederent ab humanis, heredes seu heredem mihi facio, instituo ac ordino, ac ipsis, seu ipsi (sicut jam dictum est prædecedentibus) ipsos seu ipsum superviventem substituo ac nomino universales seu universalem, & hoc in omnibus & singulis bonis, & rebus meis mobilibus & immobilibus, nominibus, debitis, juribus, actionibus, & aliis quibuscumque suprà declaratis; exceptis illis, de quibus aliter inferius dabo vel legabo, aut aliàs distraham ex eisdem.

3. Insuper volo & ordino ego ipse testator, quòd si contingat me & dictos liberos meos simul vel successivè ab hoc mundo transire, nullis ex me aut dictis liberis & heredibus meis, aut altero ipsorum relictis liberis naturalibus & legitimis ex legitimo matrimonio progenitis, quod eo casu contingente, liberi & heredes defunctæ sororis meæ Ioannæ *Maudonier* uxoris dum viveret Roberti *Marnac*, habeant super & de bonis & rebus meis prædictis 50. libras Turon. & cuilibet aliarum sororum mearum Margaretæ & Gabrielæ *Maudonier* alteras, quinquaginta lib. Turon.

4 Clausula codicilli eiusdem postea facti. Ego Franciscus *Maudonier* ad meam reducens memoriam testamentum, quo institui filios & liberos meos, scilicet Annetum & Robertum *Maudonier* naturales & legitimos, nec posthumum, de quo credo meam conjugem à me fore prægnantem, si virilis sexus sit, & in naturam veniat, & vivat, & quemlibet ipsorum scilicet Anneti & Roberti & posthumi æquis portionibus, & superviventem seu superviventes ipsorum in solidum præmorienti seu præmorientibus eorumdem in pupillari ætate, vel aliàs quovis modo sine liberis legitimis uno vel pluribus substituerim, mihi verò fecerim heredem seu heredes universales, & hoc in omnibus & singulis bonis, & rebus meis mobilibus & immobilibus, & aliis in litteris testamenti mei declaratis, illis exceptis, de quibus legata & ordinationes in dicto testamento declaratas feci.

5. Nullam aliam substitutionem faciendo dictis liberis & heredibus meis, si omnes simul vel successivè, sine quibuscumque aliis liberis ab hoc migrent sæculo, prout per literas hujusmodi testamenti mei plenius potest apparere: igitur codicillando, & meos codicillos hos faciendo.

6. Addo dicto testamento, quòd eo casu contingente quòd omnes liberi ac posthumi heredes mei in pupillari ætate, vel aliàs quovis modo sine liberis legitimis, ex eis vel altero eorumdem progenitis, uno vel pluribus, simul vel successivè deficerent, & hoc Francisco & Antonio *Maudonier* nepotibus meis filiis quondam fratris mei Pauli *Maudonier* supervivent ibus, aut altero ipsorum nepotum meorum supervivente, alio eorumdem præmortuo, nullis sibi relictis liberis legitimis, in eo casu volo & ordino ego ipse testator, ut jam dicti nepotes mei, aut supervivens ipsorum reliquo modo proximè facto præmortuo dictis liberis & posthumo meis, sic ut præcavetur prædecedentibus succedant sive succedat in omnibus & singulis bonis & rebus meis universaliter. In hoc enim casu eosdem nepotes meos, aut superviventem ipsorum eisdem posthumo & liberis ac heredibus substituo, mihi verò facio & nomino heredes seu heredem, universales seu universalem in eisdem rebus & bonis meis, illis exceptis, de quibus aliter in dicto testamento meo dedi, legavi, legaboque, & donabo per hos meos codicillos.

7. Demum codicillando & his præsentibus codicillis addo, quòd si contingat casus suprà designatus, & omnes liberi & posthumi mei ac heredes præfati ab hoc sæculo migrent, dictis nepotibus meis, aut altero ipsorum eis succedentibus in bonis prædictis, sic quòd eadem bona ipsi nepotes mei teneant, aut alter eorum teneat, eo casu stante, volo & ordino ultrà legata, &c.

8. Contigit eadem die codicilli facti, testatorem peste mori, relictis dictis masculis, & uxore prægnante, quæ post duos menses peperit filiam Ioannam. Et post quinque annos objerunt filii masculi sine liberis, videlicet Robertus impubes, deinde Annetus jam adultus. Et paulò post dicti Franciscus & Antonius *Maudonier* substituti obierunt, unus post alium, videlicet dictus Franciscus relictis duabus filiabus Asturga & Antonia: Antonius verò relicta unica filia Anna, novissimè obiit dicta Ioanna *Maudonier* filia testatoris: sed ante ejus obitum dictus Antonius substitutus & tutor filiarum Francisci alterius substituti cœperunt vendicare bona à dicta Ioanna filia & Stephan. *le Court* ejus marito, quasi substitutione sibi aperta per obitum duorum filiorum testatoris. Nunc redintegratur ardua quæstio inter filias & heredes substitutorum collateralium actores, & maritum & heredem institutum filiæ testatoris reum.

9. Hactenùs summa thematis quòd judex, nondum enim circumvallatus erat miseris assessoribus aut præsidialibus pecunia sordidè & infœliciter creatis, unà cum processu & actis ad me transmisit, ut unà cum pesitioribus Iurisconsultis nostri ordinis consulerem, quænam essent partes ejus in judicando. Ego censui reum absolvendum, cæteri verò omnes etiam primarii nostri ordinis conclusiones actorum adjudicandas censuerunt. Ego solus in sententia mea perstiti, & cum sententiis aliorum consilium meum seorsim conscripsi, & ad judicem cum processu & actis remisi, ut sequitur.

CONSILIUM LVI.

Visis & examinato processu, &c. Christi Redemptoris unici nomine invocato, quoniam causa hæc valde controversa fuit, potiores rationes utriusque partis breviter perstringam.

1. Pro parte actorum, seu filiarum dictorum substitutorum: quòd locus fuerit præfatæ substitutioni facit quod quando substitutio fit pluribus etiam sub nomine collectivo, sub hac conditione, si decesserint sine liberis: postremo eorum sine liberis deficiente, succedit substitutus. De hoc est textus ad literam *in l. heredes mei, §. cum ita ff. ad Trebellian.* Ergo in hoc casu substituti vocati fuerunt ad substitutionem filiorum masculorum, cùm dici possunt postremi defecisse, cùm nullus posthumus masculus eidem supervixerit, sed nec natus quidem fuerit.

2. Facit etiam quòd substitutio facta pluribus filiis impuberibus per partem eorumdem sub hac conditione, si in pupillari ætate vel aliàs decesserint (qualis est ea de qua contenditur) compendiosa est, quæ comprehendit pupillarem expressam, & vulgarem tacitam, quæ tacita vulgaris habet in se conditionem subintellectam, si filius heres esse nolit, aut esse non possit *l. ultim. C. de instit. & sub.* Et sic substituti videntur posse venire ad substitutionem præfatam, tam masculorum qui decesserunt sine liberis, quàm posthumi masculi non nati. Item facit quod hæc loquutio pluralis numeri, si omnes liberi, & posthum. &c. potest & debet resolvi in suas singularitates, *l. falsa demonstratio, §. ultimo, ff. de condit. & demonst.* Rursus facit quod hoc videtur voluisse testator ratione agnationis conservandæ, quam in nepotibus ex fratre conservaram & continuatam iri putabat.

3. Tum in vim relationum, quæ ad masculos tantùm fiunt tam in testamento, quàm in codicillis, ut multi doctissimi viri censent, qui in hoc præcipuè pro actoribus fundantur, ut in testamento, suprà in themate, numero 3. ibi, quod si contingat me & dictos liberos meos, &c. relativum *dictos*, non refer nisi duos filios, & posthumum: & sic posthuma non ponitur in conditione, nec facit deficere substitutionem neporum ex fratre germano testatoris, qui sunt de nomine & agnatione sua, quam præcipuè consideravit. Et rursus in codicillis suprà in themate, numero 5. ibi nullam aliam substitutionem faciendo dictis liberis & heredibus meis, &c. Unde contendebant quòd hæc verba referuntur ad dictos liberos institutos, & nullo modo ad fœminam, & sic quod tantùm voluit testator providere de substitutione dictis liberis masculis quos compendiosè & reciprocè substituerat, & sic quod verba sequentia intelliguntur tantùm de liberis masculis, ad quos refertur clausula sequens dispositiva suprà in themate, numero 6. ibi, eo casu contingente quod omnes liberi ac posthumi heredes mei, &c. Et sic ex quo refertur ad præcedentem casum, videtur continere masculos tantùm, tum quia dicit, heredes mei: sed dicta filia propriè non est nec fuit heres, utpote instituta in re certa tantùm, & sic pro legataria habetur *l. quoties, C. de heredibus instituend.* igitur hæc filia posthuma non est comprehensa in institutione universali, nec in substitutione reciproca testamenti, nec in conditione substitutionis codicillaris: tum semper ab omnibus substitutionibus fuerunt filiæ exclusæ, tum testator protulit nepotes ex fratre germano filiabus propriis & testator seriosè semper locutus est de posthumo, non de posthuma, nisi semel eam particulariter tantum instituendo, & ad hoc limitando. Ex quibus videtur omninò pro actoribus judicandum salvis detractionibus legitimæ & Trebellianicæ.

5. Super quibus priùs erit inquirendum, an uterque filiorum masculorum testatoris obierit post puberratem: quo casu Joanna soror superstes, vel ejus heres dimidium bonorum restitutioni subjectorum detrahere poterit jure legitimæ & Trebellianicæ fratrum dictæ Joannæ *Mandonier*, quæ non tenebitur in hoc compensare, nec deducere relicta sibi à patre. Sed casu quo alter fratrum prior in pupillari obierit, deindè alter post pupillaria, tunc dicta Joanna vel ejus heres nil legitimæ nomine deducet ex capite vel parte pupilli, sed tantùm ex capite adulti, videlicet dimidiam portionis adulti, & insuper simplicem Trebellianicam in portione pupilli, tanquam heres fratris, quæ pupillo superstes fuit.

6. Adhuc in dicta substitutione (quia limitata ad bona testatoris) non veniunt etiam ex capite pupillaris, bona filiorum masculorum aliàs quàm ex successione patris ad eos pertinentia, per id quod tenent Bald. *in l. precibus, col. 2.* & ibi Salic. *col. pen.* Philipp. Corn. *col. 3. C. de impub. & ali. substit.* Franc Rip. *in l. centurio. num. 100. num. 105. num. 120. ff. de vulgar. & pupill. substit. dixi in annot. ad* Alexand. *cons. 12. num. 17. lib. 5. & ad* Philipp. Dec. *d. l. precibus, & cons. 371. in fin. cons. 642.*

7. Nunc pro parte rei heredis filiæ testatoris, videtur priùs esse considerandum quæ sit substitutio de qua contenditur. Et quamvis fuerit concepta sub verbis quibus compendiosa substitutio fit; attamen compendiosa dici non potest, cùm compendiosa substitutio sit quæ sub compendio verborum plures substitutiones apta est comprehendere, videlicet vulgarem tacitam, & pupillarem, & exemplarem expressas, tum etiam reciprocam. At hæc substitutio nullam in se continet præter fideicommissariam, non vulgarem, nec pupillarem, quia est in codicillis facta: sed vulgaris & pupillaris substitutio quæ sunt directæ substitutiones, in codicillis fieri non possunt, & si quæ fiant, obliquantur, *l. Scævola, ff. ad Trebellian.*

8. Est igitur dumtaxat fideicommissaria, quæ nec tacitam vulgarem comprehendit: nec præsupponit quòd institutus heres adeat, ita quòd hereditate non adeunte, deficit fideicommissum, *l. ille à quo, §. si de testa-, in fin. in his verbis, ne prius heres decedens fideicommissarium decipiat. ff. ad Trebellian.* nec etiam continet pupillarem tacitam, nam hæc substitutio fideicommissaria ex obliqua transiret in directam, quod numquam fit: igitur nullum alium effectum quàm substitutionis meræ fideicommissariæ dumtaxat habet.

9. Cùm ergo sit tantùm fideicommissaria substitutio, attendenda est maximè illius conditio: nam in fideicommissis conditiones adimpleri debent in forma specifica, nec aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifestum est aliud sensisse testatorem, & nemo æstimandus est dixisse quod non mente cogitaverit *l. Labeo ff.* de suppellectile legata in tantum ut non sufficiat verisimilitudo ut recedatur à verbis quando per hoc locus esset fideicommisso: sed bene, quando per hoc perimitur fideicommissum, textus est singularis, qui ita per hanc rationem in qua fundatur, debet intelligi *in l. heredibus, in princ. ff. ad Trebell.*

10. Et meritò: quia substitutio fideicommissaria est onus, & odiosa, & cujus resolutio favorabilis est, & ad hoc fieri debet interpretatio, ut tenet Angel. Perus. *in l. qui Romæ §. duo fratres*, & ibi, Alexand. *col. 11. ff. de verbor. obligat. dom. de Rota, decision. 864. testator in antiquis.* Socin. *cons 113. col. pen. lib. 1.* Aymo Craveta *cons. 18. col. 1.* Et hæc vera & punctualis ratio, *d. l. heredibus in principio*, quamvis Bartol. novam aliam rationem affingat.

11. His præsuppositis, dicendum videtur pro parte heredis filiæ testatoris, quòd ista substitutio fideicommissaria defecit. Primò, quia fuit facta sub hac conditione, si omnes liberi & posthumus heres decesserint

sine liberis. Et sic si vox *Posthumus* hic accipiatur, ut etiam comprehendat posthumam, certùm est conditionem defecisse, quia filia testatoris posthuma substitutis supervixit. Si verò accipiatur pro posthumo masculo tantùm, certum est conditionem non evenisse, quia masculus natus non est, non venit in rerum naturam, non vixit, & non fuit heres.

Verba, si talis heres erit.

12. Pro hoc facit quod dicit Alexand. *in conf.* 1. *in primo volum.* Videmus (inquit) quòd illa verba prolata à testatore: *Si talis heres erit*, intelliguntur, id est, si talis adjerit hereditatem: non autem intelliguntur. Si talis fuerit scriptus heres à testatore. text. est quem ad hoc notat & ponderat Bartol. Joan. de Imol. *in l. servus alienus*, quæ est lex 5. §. *si quis ita ff. de hered. instit.* Et dicit hanc fuisse rationem dubitandi in illa lege. Et ad hoc facit quòd not. Bart. *in l. gerit. ff. de acquirenda heredit. col.* 2. ubi vult quod quando in dispositione fit mentio etiam enuntiativè de herede, intelligitur de herede per aditionem hereditatis. Bald. *in l. pen. C. de jure deliber.* Ergo hæc verba, Si posthumum heredem decedere contigerit, intelliguntur de posthumo herede per aditionem hereditatis.

13. Item prædicta filia testatoris est comprehensa in conditione, sub hac dictione, *si omnes liberi.* Non enim est sine liberis, cui vel unus filius, vel una filia supereſt. text. *in l. sine liberis, ff. de verbor. signif. & in l. agnoscere, §. liberorum, eod. titul. & l.* 1. *C. de condit. infert.* Et etiam sub hac conditione, heres ex re certa est verè heres, & est text. & ibi Bartol *in l. ex facto, ff. de hered. instit.*

14. Rursus facit, quòd si è ventre uxoris posthumus masculus natus fuisset, & non fœmina, & tandem mortuus fuisset cum præfatis duobus filiis masculis, omnis linea descendentium testatoris defecisset. Et præfata conditio, si omnes liberi, &c. videtur facta fuisse in casum quo omnis linea descendentium deficeret. Et hæc videtur fuisse mens testatoris, quæ colligi ex illa conditione potest. Et quod intellexerit nepotes ex fratre vocare ad suam successionem in casum dumtaxat quo descendentium linea deficeret: quod tamen non evenit, quoniam supervixit filia substitutis.

15. Confirmatur hæc sententia ex mente testatoris, quæ non præsumitur talis, ut voluerit filiam propriam excludere contemplatione filiorum fratris, *l. cùm avus, ff. de cond. & demonstr. l. cùm acutissimi. Cod. de fideicommiss.* sive detur id ex verbis fideicommissi in quo apparet quod si liberi masculi instituti decessissent relictis filiabus fœminis, fuissent substituti exclusi. *l.* 1. *C. de cond. infert.* Sicut ergo testator voluit eos à nepotibus fœminis, multò fortiùs à propria filia, quamvis fœmina, quam ipse testator magis dilexisse præsumitur, quàm neptes ex filio, quæ remotiores sunt in gradu, *l. si vivâ matre. C. de bon. mater.* Bartol. *in l. ultim. ff. ad Trebellian.* Paul. de Castr. *conf.* 77.

16. Item facit quòd præfata conditio est facta sub nomine collectivo, *Omnes*: sed quando conditio est facta sub nomine collectivo, debet verificari & adimpleri in persona omnium, aliàs deficit. Et quòd vox *omnes*, sit dictio collectiva, est gloss. & Bartol. *in l. si pluribus, ff. de legat.* 2. Et ultra hæc quòd præfati duo masculi & posthumus masculus fuerunt conjuncti re & verbis, & per dictam dictionem copulativam *omnes*, fuerunt etiam conjuncti per reciprocam substitutionem factam inter eos in testamento. Quare omninò dicti duo filii masculi & posthumus masculus fuerunt collectivè comprehensi: & quia fuerunt comprehensi copulativè, debet conditio adimpleri in personis omnium.

17. Item facit pro hac parte *l. si is qui ducenta, §. item si pater, ff. de reb. dubiis.* Ubi oratio disjuncta convertitur in conjunctam, ut successio patris filio vel filiæ conservetur. Et in ultimis verbis sic inquit text. Sed proclivius est sententiam testatoris sic esse interpretandam, ut sive filius, sive filia nati fuerint, extraneis non admittatur, nisi specialiter hoc testator expresserit. Sed hic non expressit, sed omisit, imò si interrogatus fuisset, quid de filia in casum mortis filiorum fieri vellet, verisimile est illum declarasse se nolle jus legitimarum successionum filiæ suæ tollere, vel forsan etiam illam masculis substituisset, aut ad minus dotis augmentum ei fecisset. Cùm autem nihil horum fecerit, putandum est illum casum omisisse: ut in dispositione communis juris remaneret.

18. Item facit quòd nata posthuma filia, casus est omninò omissus à testatore in ipsis substitutionum gradibus, & ad hoc quod substituti admittantur ad substitutionem, oportet quòd fieret transitus de casu expresso, videlicet (si posthumus masculus nascereturr) ad hunc casum omissum. Sed transitus de uno casu ad alium quantumcumque verisimilem, nunquam fit, quando est in medio persona aliqua à testatore magis dilecta, quàm sint substituti. Et ita salvat subtiliter Bartol. & gloss. *in l. si mater, §. ultim. ff. de vulgar. & pupillar. substitut.* quem refert & sequitur Alexand. *in conf.* 1. *lib.* 1. Sed hic filia testatoris fuit in medio, quæ fuit profectò magis dilecta à testatore (non est enim amor, qui vincat paternum) & illum suum amorem declaravit: nam in institutionibus filiorum amplam dotem filiæ dedit, cùm nihil reliquerit substitutis. Et notabiliter & appositè dicit *l. generaliter, C. de instit. & substit.* Cui enim ferendus est intellectus, propter verborum angustias liberos fructu paterno defraudari, & tandem *d. l.* vocat eam viam ne lum injustam, sed etiam impiam tanquam contra jura humana & divina nitentem.

19. Item facit in fortioribus terminis quod consuluit Petr. Anchar. *conf.* 356. quem refert & sequitur Gulielm. Benedict. *in repet. c. Raynutius, in verbo. si absque liberis* 2. *num.* 39. *extra de testam.* ubi sic inquit: Testator instituit filios masculos nascituros; & si eos sine liberis mori contingeret, eo casu uxorem suam substituit vulgariter & per fideicommissum, subdens quòd ubi filios masculos nasci non contingeret, sed filiam unicam vel plures: eo casu dictam ejus uxorem heredem universalem instituit filiabus pro dote jurè institutionis reliquit, id quod dicta ejus uxor declaraverit, & cum hoc jussit eas taciras & contentas. Fratri verò suo legavit quinque solidos. Contingit quod nec filii nec filiæ nati fuerint, ex quo quæstio resultabat non modica, an ea institutio eo casu concepta quòd filiæ nascerentur, porrigeretur ad casum quo filiæ non nascerentur, ut hîc, ut sic mater tanquam substituta vocetur: an verò frater testatoris ab intestato admittatur, quasi ille casus quo filiæ non nascerentur, à testatore omissus remanserit in dispositione juris communis, caduca facta substitutione ex defectu conditionis. Et post longam discussionem concluſit matrem ut substitutam non admitti in casu omisso, sed fratrem testatoris ab intestato vocari.

Extensio non fit contra æquum aut solitum.

20. Subdens quod quando testatoris ordinatio non convenit æquitati, nec bonis moribus, nec legibus aut statutis, vel consuetudini, nullatenus extendi debet; sed solum includi intra eum casum quo loquitur argum. *l. cum quidam ff. de liber. & posthum. in cap. odiosa, de reg. jur. in sexto.* Et dicit etiam hoc probari ex natura casus omissi, quando relinquitur dispositioni juris communis, sive omittatur à contrahente, ut *in l. si cum dotem. ff. soluto matrimonio.* sive omittatur à testante, ut *in l. commodissime, ff. de liberis & posthum.* sive à principe & rescribente, ut *in c. suscepium. de rescript. lib.* 6. Et semper periculosum est à verborum significatione recedere, nisi manifestum sit aliter sensisse disponentem.

21. Et addit Petr. Anchar. quod ad præmissa facit optima ratio, quia dum quæritur an casus omissus habeatur pro omisso, concluditur quòd quando expressus est per modum conditionis voluntariæ, talis

casus

casus expressus debet impleri in forma specifica, *l. qui heredis. & l. Mævius, ff. de condict. & demonstrat.* secundum Bart. Bald. *in d. l. Gallus, §. & quid si.* Sed casus quo filiæ nascerentur, fuit conditio substitutionis voluntaria ex mera testatoris voluntate adjecta, ergo impleri debet in forma specifica scilicet, si filiæ nascantur.

22. Non obstat *l. penultim. ff. de vent. inspiciens. & l. Thais § spondophorus. ff. de fideicommiss. liber.* quæ loquuntur in vulgari substitutione simpliciter concepta, quæ (ut dictum est) complectitur omnes casus. Vel loquuntur in vulgari concepta in unum casum, cum non superest persona cui lex magis faveat, aut æquitas, quàm substituto. Ut in nostro casu (scilicet apud Petr. Anchar) supererat frater testatoris. Redeundo ad nostrum casum, si frater testatoris potuit impedire ne unus casus ad alium extendatur, quanto magis filia testatoris?

23. Inquit insuper præfatus Benedictus in loco prædallegato, quod congruè applicatur huic decisioni alia quæ fuit Joan. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de testament. §. imprimis in fin.* ubi casum novissimè occurrentem sic narrat & decidit: Testator sanus testari volens ventrem uxoris, id est filium primò nasciturum instituit heredem, cui decedenti intra pubertatem substituit filium ex uxore secundò nasciturum, & hunc si infra pubertatem vel post decesserit sine prole, substituit Caïum fratrem suum. Testatore mortuo, natus est posthumus, qui demum infra pubertatem decessit: mater & Caïus de hereditate contendunt. Quæritur quid juris? Decidit substitutionem de filia nascituro factam inutilem, ipso non nato, ff. *de reb. dub. l. utrum in princ. & de legat. 1. l. si duabus, §. ultim. & ff. unde cognat. l. 1. §. si proximior.* Ipsa ergo inutilis substitutio, aliam utilem facere non potest argum. *l. nullus. Cod. de Decurio. libr.* 10. *& l. si in venditione. ff. de periculo & commo. rei vendit.* Præterea dictus Caïus non fuit substitutus filio testatoris primò nascituro. Cùm ergo secundus natus non fuerit, & sic nunquam hereditatem habuerit, dictus Caïus eidem succedere non potuit. Et hæc decisio fuit prius Oldrad. *cons.* 177. *incipit. Testator in suo testamento.*

24. Ad hoc etiam pulchrè facit decisio Alexand. *cons.* 17. *lib.* 7. ubi etiam in fortioribus terminis patet instituerat duos filios masculos universaliter, & invicem vulgariter, pupillariter & per fideicommissum, substituerat; eis verò quandocumque decedentibus sine liberis, nullo ipsorum filiorum testatoris superstite: tunc & eo casu sorores suas substituit in usufructu omnium bonorum suorum. Post mortem verò earum, in usufructu & proprietate dictorum omnium bonorum, substituit proximiores agnatos, vel cognatos, & in hac voluntate obiit, relictis dictis filiis & filia particulariter instituta. Deinde omnes filii masculi decesserunt sine liberis, superstite sorore & amitis. Amitæ sorores testatoris petunt usumfructum omnium bonorum, deducta legitima filiorum. Consultus Alexander per sex pulchra fundamenta decidit filiam absolvendam & fratrum suorum in omnibus heredem, quia amitæ non sunt vocatæ, nisi nullo filiorum testatoris superstite: sed hîc supererat filia, quæ venit appellatione filiorum: & consequenter quòd respectu omnium aliorum substitutorum defecit fideicommissum: igitur multò magis defecit in casu præsenti.

25. Et adhuc in fortioribus terminis facit consilium Carol Ruin. quod est consil. 140. Viso & bene intellecto. ubi testator habens duos filios masculos, & uxorem prægnantem, instituit primogenitum universalem, secundogenitum in duobus mille florenis: & casu quo uxor pareret masculum, destinavit illum militiæ Rhodiensium: & si pareret fœminam, voluit ei dare mille florenos pro dote & omni jure. Si verò primogenitus in pupillari vel pòst quandocumque sine prole decederet, substituit secundogenitum, eoque pariter sine prole decedente, substituit dictum posthumum. Quod si omnes filii & posthumus in pupillari, vel quandocumque sine prole decederent, voluit omnia bona devenire ad Antonium de Villanova fratrem testatoris. Mortuo testatore, nata est posthuma, dein decesserunt dicti duo masculi sine liberis. Concludit Ruinus eam vocatam in defectum posthumi masculi. Ego verò dico quòd venit liberè ad successionem ab intestato, tanquam deficiente conditione gravaminis: quia non est verum omnes filios defeciſſe, quandiu superest filia. Et ita dico & concludo in proposito dictam Joannam fuisse fratrum suorum liberè heredem ab intestato, & substitutionem dictorum Francisci & Antonii defeciſſe, eosque nihil ad heredes suos transmittere potuisse.

26. Non obstant allegata in contrarium, quia tota vis objectorum consistit in relativo *dictos* liberos, suprà numero 3. Ad quod respondeo primò quòd quamvis relativum *Dictis* vel *Dictos*, sit in clausulis præcedentibus & sequentibus substitutionem, de qua agitur: tamen non est in clausula controversa substitutionis de qua agitur, quæ talis est (ut in themate numero 6.) Casu contingente quo omnes liberi ac posthumi heredes mei, &c. non dicit *Dicti liberi*, sed indefinitè, imò universaliter *Omnes liberi*. Atqui etiam sine signo universali, appellatione liberorum ac posthumorum heredum venit filia vel posthuma etiam particulariter tantùm instituta, saltem quando agitur de favore descendentium testatoris ad exclusionem collateralium vel extraneorum substitutorum, ut hic, & per Petr. Anchar. & Alexand. *in locis allegatis, sup. num.* 19. *num.* 24.

27. Tum (& istud est ineluctabile) clausula controversa in qua sola fundantur actores, expressè refertur ad clausulam ultimam testamenti, in qua testator nullam aliam substitutionem fecerat dictis liberis & heredibus suis, si omnes simul vel successivè sine quibuscumque aliis liberis, &c. Hæc relatio est in themate, numero quinto: relatum verò est in themate numero tertio, ibi, quod si contingat me & dictos liberos meos simul, vel successivè decedere, nullis ex me aut dictis liberis & heredibus meis aut altero ipsorum relictis liberis. Atqui illud relatum continet omnes quoscumque alios liberos ipsius testatoris, ibi, *Nullis ex me*: ergo non sufficit filios & posthumum universaliter institutos decedere sine quibuscumque liberis: sed necesse est omnes alios liberos testatoris decedere sine quibuscumque liberis, priusquàm locus sit ulli collateralium substitutioni. Et certè quicquid omnes alii dixerint, istud est ineluctabile.

28. Nisi fortè dicant quòd in Alvernia appellatione liberorum non veniunt fœminæ quæ non computantur sub vulgari *Enfans*, ut in Aquitania apud Vascones, & etiam Lemovicos: igitur per *l. si servus pluribus in fin. de legati.* 1. Sed dico primò quòd illud est factum, non allegatum in processu, & minùs probatum. Secundò, quòd etiamsi esset allegatum & probatum, tamen testamentum & codicilli non sunt facti Gallicè, sed Latinè. Quum ergo testator non sit usus Gallico *Enfans*, sed Latino *Liberi*, debet propriè intelligi, quia poterat dicere liberos masculos, si voluisset restringere ad masculos. Et quamvis in veritate testator loquutus sit Gallicè, seu Alvernicè, & notarius imperitus scripserit Latinè: tamen notarius ille satis erat peritus Gallicè, & si cognovisset testatorem intelligere de liberis masculis tantùm, addidisset filios masculos. Dico tertiò, quòd etiam per ipsos codicillos apparet testatorem sensisse de quibuscumque legitimis & naturalibus

liberis, & sic etiam de fœminis, supra in themate, ibi, sive quibuscumque aliis liberis.

29. Reus verò articulavit in processu, quòd tempore dicti codicilli testator laborabat peste, qua mox obiit, & urgebatur à substitutis, qui curarunt per notarium sacrificulum scribi in Latino, cùm testator Latinè non intelligeret: Sed omnibus perspectis censeo minimè opus esse interloqui an inquirendum de veritate hujus facti, sed reum definitivè absolvendum. In quorum fidem ego Carolus Molinæus Juris utriusque Doctor, & in supremo Parisiorum Senatu Advocatus his subscripsi. Datum Parisiis mense Decembri, anno sesquimillesimo quadragesimo primo. Cæteri omnes contrariam sententiam suam & subscriptionem eidem judici transmiserunt; at judex secúdùm consilium meum judicavit. Actores appellaverunt, & tandem causa in hoc Senatu plenè cognitâ, sententia confirmata fuit Arresto lato, dom no Potierio viro integerrimo relatore, præsidente verò domino Nicolao Clerico, tanquam ejus classis antiquiore, & pronuntiatum fuit die Sabbati, mense Aprili, anno sesquimillesimo quadragesimo quinto.

EPITOME CONSILII LVII.

1. *Sex effectus oblationis.*
2. *Consignatio non requiritur ad purgandam moram: sed bene ad impediendum cursum usurarum inchoatum secundùm communem.* 3.
4. *Sola oblatio sufficit ad vitandam pœnam, & ad pignoris liberationem in judicio, sed non extra.* §. 9.
6. *Sola oblatio sufficit ad transferendum periculum.*
7. *Differentia inter obligationem generis & speciei secundùm communem.*
8. *Ad liberationem requiritur consignatio.*
9. *Oblatio sufficit in immobilibus.*
10. *Quid absente creditore.*
11. *Oblatio nocturna vel incongrua non valet.*
12. *Oblatio vel compensatio impedit cursum usurarum inchoatum, vel reditus redimibilis, nisi creditor justam habeat ignorantiam facti.* 13.
14. *Facultas redimendi reditum non præscribitur.*
15. *Intellect.* l. si residuum Cod. de distract. pignorib.

CONSILIUM LVII.

Ad interrogationem novi Senatoris.

1. OBlatio fit ad moræ purgationem. Vel secundo ad usurarum prohibitionem. Aut tertiò ad evitandam pœnæ commissionem. Aut quartò fit ad pignoris liberationem, vel ad agendum pignoratitiâ. Aut quintò ad transferendum periculum in adversarium. Aut sextò fit ad debiti liberationem.

2. Primo casu, quando fit oblatio ad moræ purgationem, tunc sola sufficit absque depositione seu consignatione *l. illud. ff. de periculo & commodo rei vendit. l. si servum*, §. *ult. ff. de verbor. obligat.* Ideo datur remedium ad hoc, ne creditor constituatur in mora. Bartol *in l. penultima c reasin. ff. de distract. pign.* quia quando debitor dicit, Sum paratus solvere, debet creditor respondere, Sum paratus recipere. Quod remedium pro singulari commendat Jas. *in l. 2. col 62. C. de jure emphy.* Alexand. *in l. si mora col. 5. ff. soluto matrimonio versicul. omnes.*

3. Secundò, quando fit oblatio ad usurarum prohibitionem, tunc aut quæritur de prohibendo cursu earum incipiendo, aut de jam incœpto. Si de jam incipiendo, tunc sola oblatio impedit, *l. si per te. & l. ex prædiis. C. de usur.* Sed de cursu jam incœpto, tunc sola oblatio non prohibet, sed requiritur consignatio & depositio, *l. si creditori. C. de usur.* Paul. *in d. l. acceptum. 3. columna post.* Bald. ibidem, cujus dicta ad hoc multùm commendat.

4. Tertio casu, quando fit oblatio ad evitandam pœnæ commissionem, tunc sola oblatio sufficit. *leg. Celsus in fin. ff. de arbit. l. trajectitiæ, ff. de actionibus & obligationibus.* Et sic in quolibet debito conditionali, *l. si post diem* §. *item si qua, ff. quando dies legat. cedat.*

5. Quarto casu, quando fit ad pignoris liberationem. Tunc aut fit in judicio, & tunc sola oblatio operatur, itaque nascitur pignoratitia actio, *l. si rem.* §. *ultim. cum l. sequent. ff. de pignoratitiis action.* Aut fit extra judicium, & tunc aut quæritur nihil quid operetur quantum ad jus actionis pignoratitiæ, aut quantum ad jus excipiendi: Si quantum ad actionem, tunc sola oblatio non operatur absque consignatione & depositione. *d. l. acceptam, l. nec creditores in fin. Cod. de pignorib. action. l. invicem Cod. de compensat. l. si residuum. Cod. de distract. pignor.* Quantum ad exceptionem opponendam contra hypothecariam, tunc sufficit *l. item liberatur*, §. *qui patitur, ff. quibus mod. pign. vel hyp. sol.*

6. Quintò, quando fit ad transferendum periculum in adversarium, tunc sola oblatio congruo locò & tempore facta, *ut in l. si soluturus*, ff. *de solution.* sufficit non solum ad eximendum à periculo: sed etiam ad transferendum illud si creditor recusaverit vel aliàs in mora constitutus fuerit, etiamsi prius offerens fuerat in mora, quia ultima attenditur, text. *in l. illud.* ff. *de peri. & commo. rei vend. text. in l. qui decem in prin.* ff. *de solution. l. si debitor. eodem tit. l. si ex legati causa* ff. *de verborum obligationib.*

7. Et secundùm communem glos. Bartol. & omnium doctrinam *in d. l. qui decem.* debitor generis summa oblata perempta, liberatur ope exceptionis, debitor verò speciei ipso jure. Idem in debitore generis ex causa doris & sequi. Philippus Decius, *l. quod tenum. 26. col. ult. ff. si certum petat.*

8. Sexto & ultimo casu, quando fit ad debiti liberationem, tunc sola oblatio non sufficit, sed requiritur depositio & consignatio *l. si debitor offeret. junctâ glos. ff. de solution. & l. obsignatione. Cod. eo tit.* Petr. Anchar. *cons. 331. in cap. Visis diligenter col. 2. in princ.* Bart. *in l. prætor ait. §. si quis paratus, ff. de oper. novi nunt.* Rom. *cons 163. incip. constitutio curiæ in fin. & cons. 204. incip. pro discutienda. 2. col.* Bald. *inc. licet in tit. si de feud. fuer. cont.*

9. Sed quid si debitor non offert neque deponit,

ſed ſe dicit paratum ſolvere,& ſolo verbo offert ? Dicit Bart. *in d. l. acceptam*, quod in rebus quæ offerri non poſſunt realiter ut in immobilibus, dicta verba habent vim validæ oblationis. *in Auth. dos data. C. de donatio. ante nup.* aliàs nullum haberent effectum, niſi poſt talia verba non acceptata creditor vendat pignus, quia tunc poteſt debitor petere venditionem reſcindi *l. ſi reſiduum, C. de diſtrac. pig. l. penult. ff. de reſcin. vend.* Bart. *in d. l. prætor ait. §. ſi quis paratus.*

10. Sed quid ſi dominus vel creditor non eſt præſens, nec aliquis pro eo an valeat conſignatio & depoſitio ſine oblatione ? Paul. de Caſtr. *in d. l. acceptam col. 4. in fin.* dicit quod debet adire judicem, & ibi proteſtari quod eſt paratus ſolvere, *d. l. ſi creditori. in fin. & expreſſius in l. ult. ff. de lege commiſſ.* Et talis proteſtatio habet vim realis oblationis ſecundùm eumdem Paul. *in l. 2. ff. de naut. fœne. l. pupillo. §. ſi quis ipſi prætori. ff. de oper. nov. nun.* aliàs autem non ſufficeret debitori propria authoritate facere depoſitum, licet creditor abeſſet, nec propterea purgaret moram. Et ſic ſecundùm eumdem Paul. debet intelligi *text. l. pecuniam in fin. & l. cum quidam, §. ſi pupillo. ff. de uſur.* Etſi non poteſt habere copiam judicis, deberet ſecundùm eum facere iſtam proteſtationem coram honeſtis perſonis & rogare notarium ſuper eo *d. l. fin. C. de his qui propter met. jud. non appell. & d. §. ſi quis ipſi prætori.*

11. Eſt etiam ſciendum quòd ad hoc ut ſit obligatio valida, debet fieri loco & tempore congruis, *l. ſi ſoluturus, ff. de ſolutio. gloſ. in d. l. obſignatione, C. eo tit. l. mora ff. de uſur. l. qui Romæ, ff. de verb. oblig. cum ibidem not. præſcribentes*, ideo fieri debet de die, & non de nocte, ut dicit Pet. de Bella Pertica *in repetit. d. l. acceptam.* Hæc ſcripſi anno 1524. rogatus à juvene ſenatore reſolutionem hujus materiæ dare ſecundùm communem doctrinam, quod feci.

12. Sed poſteà maturiùs cogitans, diſpunctione facta, inveni communem illam ſententiam, de qua ſup. *num. 2.* inveteratum eſſe errorem, quem plenè confutavi *in tract. com. & uſur. quæſt. 39. cum duabus ſequentibus in Latin. & in lib. Gallico. quæſt. 21. num. 276. cum ſeq.* ſi enim compenſatio ipſo jure impedit curſum uſurarum, quæ incœperunt currere, etiamſi compenſatio non opponatur ab homine *l. cum alter. cum. l. ſeq. ff. de compen. l. ſi conſtat. l. etiam. C. eod. tit. & tenent. gloſ. Bar. Bal.* Ang. Paul. Fulg. & omnes *in d. l. ſi conſtat.* & generaliter ubicumque defectus ſolutionis poſſet afferre præjudicium vel damnum debitori Alexand. *conſ. 45. num. 4. lib. 3. conſ. 74. num. 4. lib. 5.* Socin. *conſ. 130. ad fin. lib. 4.* Franc. Curt ſenr. *conſ. 70 col. ult.* Jaſ. *§. in bonæ fidei. Inſtit. de action.* Soc. *in l. Iulianus col. 2. num. 9. de condit. & demon. ubi ampliat.* Quantò fortiùs oblatio congrua facta ab homine, quæ plus eſt quam compenſatio non oblata ab homine.

13. Et ad jura in contrarium ab omnibus allegata, ſolutionem dedi cum multis novis intellectibus *in d. tract. uſur. Latin. quæſt. 39.* ubi ampliavi etiam ad reditus redimibiles, quæ ampliatio debet intelligi quando liquidum eſt reditum eſſe redimibilem : ſecus ſi creditor habet juſtum errorem facti & putandi reditum non eſſe redimibilem, quia non tenetur dimittere jus indiſcuſſum, nec propterea ſubire periculum, *in l. illud. ff. de pet. hered* ergo nec perdere interim reliqua, niſi facta conſignatione per debitorem, vocato creditore, *juxta. d. l. acceptam. C. de uſuris l. obſignatione, C. de ſolution.*

14. Sed error juris hujuſmodi creditorem non excuſaret, ſecundùm novam noſtram & veram ſententiam, putà ſi creditor putaret 30. vel 40. annis præſcriptam facultatem hujuſmodi reditus redimendi, contra ea quæ novè ſcripſi *in d. tract. uſur. Latino, quæſt. 17. Galli. quæſt. 3.*

15. Pariter quod ſup. num. 5 ſecundùm communem ſententiam, de ea tantùm à mox futuro Conſiliario rogatus reſpondi ſolam oblationem extra judicium non ſufficere ad pignoris liberationem, ad agendum pignorativa : falſum & ineptum eſt, quia libellus pignoratitiæ oblationem etiam judicialem continet, tum ſine actione, & extra judicium ſola realis & congrua oblatio impedit ipſo jure pignorum venditionem. text. *in l. ſi reſiduum in 1. reſponſo, ibi, ſive oblato ſuperfluo. C. de diſt. pign.* quod intelligitur etiam extra judicium, prout indiſtinctè loquitur, quamvis *princ. d. l. ſi reſiduum*, loquatur de oblatione judiciali, etiam non reali. Et ita debet *d. l.* rectè intelligi, & in utroque reſponſo diſtingui, quamvis nemo ante nos animadverterit.

EPITOME CONSILII LVIII.

1. *Geſta per procuratorem revocatum, etiam ignorantem, nulla ſunt.*
2. *Mandatum, non obſtante pacto vel juramento, revocari poteſt.*
3. *Sed in beneficiis Eccleſiaſticis revocatio procuratori vel ſuperiori notificanda eſt.*
5. *Sufficit alterutri, etiam clàm notificatum.*
6. *Et ſine notificatione ſufficit perveniens ad notitiam.*
7. *In mandato ad reſignandum in favorem Titii ſufficit notificare notificationem Titio. 8.*
9. *Clem. 1. de renuntiat. non habet locum in xenodochiis, leproſariis, & ſimilibus quæ non ſunt propriè beneficia. 10.*
11. *Patronus Laïcus non poteſt variare niſi accumulando.*
12. *Rex non habet nominationem ad monaſteria iure patronatus, ſed indulti temporalis.*
13. *In electivis & collegiatis non eſt locus iuri patronatus.*
14. *Sed hæc nominatio eſt tantùm quoddam præparamentum, nec ullum ius ſpirituale tribuit.*
15. *Patronus liberè revocare poteſt, & alium præſentare ante præſentationem primi admiſſam.*
16. *Quia non eſt præſentatio niſi poſtquam pervenerit, & admiſſa fuerit ab eo cui fit.*
17. *Aliàs dicitur tantùm quædam deſtinatio.*

THEMA CONSILII LVIII.

LUdovica *de Felins* Abbatiſſa monialium theſauri in Neuſtria ordinis Ciſtercienſis diœceſis Rothomagenſis, cupiens reſignare in favorem Claudiæ *de Felins* neptis ſuæ, impetrat breve voluntatis Regiæ.

1. Quod Aulici vocant *le placet*, eò quòd hujuſmodi ambitionis ſervus ſerva-ve ſupplicat

Regi, ut sibi placeat authorem esse hujusmodi corruptelæ, id est, ut præsentet vel nominet Papæ, vel ei supplicet resignationem admittere, & providere supplicanti. Quod cùm Rex concessit, Secretarius ejus breviculum placiti Regis conficit, super quo expediuntur posteà literæ regiæ sub sigillo præsentationis, nominationis, vel supplicationis Regis ad Papam, vel inventa breviori praxi, breve illud Romam mittitur ad legatum regium, qui mox ut tanquam vero brevi subscripserit: Papa non minorem fidem adhibet quàm literis patentibus regiis, ejus sigillo munitis.

2. Breve autem illud factum anno 1532. sed post octo annos 1540. Rex illud revocavit, & revocatio significata dictæ Ludovicæ, nihilominus illa in vim dicti brevis resignavit die vicesima Frebruarii anno 1542. in manus Papæ: qui admisit & contulit dictæ Claudiæ anno 1542. deinde duodecima Martii 1542. fit edictum Regis generale publicatum & registratum in magno Consilio Regis, hujusmodi placita, seu brevia pro monasteriis vel prioratibus virorum vel mulierum declarantur nulla, nisi sint infra semestre datæ expedita, hoc est admissa, & provisio facta per Papam: in quo edicto fit mentio præcedentis declarationis factæ suo legato apud Papam, qua legato suo prohibuit expedire vel expediri curare aliquas bullas vel provisiones super hujusmodi brevibus vel nominationibus regiis annum excedentibus.

3. Item edictis regiis prohibitum est possessionem capere alicujus Monasterii vel beneficii ad nominationem Regis spectantis nisi prius bullæ papales consilio regio exhibeantur, & tunc si non displiceat, permittitur & expediuntur literæ commissionis sub sigillo Cancellariæ regiæ ad judicem regium loci, vel alium delegatum ad exequendum dictas bullas, & mittendum impetrantem in possessionem, aliàs per procuratorem regium in magno Consilio tanquam ab abusu appellatur ab executione bullarum, seu quavis alias fulminatione & possessionis apprehensione.

4. Præterea hujusmodi brevia non possunt per Papam retenta pensione, ipsi resignanti expediri, nisi in eodem brevi mentio facta sit de dicta retentione pensionis, & consensu Regis, alioquin bullæ Papales pro nullis & abusivis habentur.

5. Per obitum dictæ Ludovicæ Ioannes Gaignæus famosus Sorbonicus, primarius Regis Franciſci Eleemosynarius impetravit breve hujusmodi à Rege pro sorore sua, quod statim Romam transmisit Ruthenorum Episcopo regio apud Papam Legato, qui ei rescripsit decima Aprilis 1544. Papam nolle amplius, ut solitus erat, concedere Monasteria Monialium ad hujusmodi brevia, eò quòd Monasteria Monialium non comprehendantur in concordatis. Ideo non vult signaturæ hujusmodi negotiationis subscribere prætextu clausulæ pro qua scripsit Rex Christianissimus, sed loco illius clausulæ ponenda est clausula de consensu majoris partis Conventus dicti Monasterii, seu de consensu medietatis.

6. Et quod mediante hac clausula, exhibitis etiam literis dicti brevis regii manu dicti Legati subscriptis, expediuntur omnes provisiones hujusmodi Romæ, alio non requisito nisi bullarum pretio. Nunc anno 1545. lis pendet in magno Consilio Regis super dicto Monasterio inter dictam Claudiam *de Felins* resignatoriam & sororem dicti Gaignæi Sorbonici provisam per obitum.

CONSILIUM LVIII.

VIsis bullis utriusq; partis edicti, themate, factis & quæstionibus, breviter resolvendo dico potiores esse partes ultimæ provisæ per obitum, ut pote resignatione non subsistente.

1. Nec obstat breve illud & nominationem Claudiæ præsentatam fuisse Papæ, & quod superveniens revocatio & mutatio voluntatis Regis non fuit notificata Papæ nec dictæ Claudiæ *de Felins*, quia etiamsi breve illud mandato comparetur, certum est in jure quod gesta per procuratorem revocatum, etiamsi ignoravit revocationem, sunt nulla. *text in l. si pater in princ. ff. de manumiss. vindict.*

2. Ratio in promptu est, quia mandatum non dependet à voluntate duorum, sed à voluntate solius mandantis, in tantum quod non valet pactum, nec juramentum, nec revocari possit, sed hoc non obstante, revocari potest. text. *in l. cum precario. ff. de precario.* Et usque adeò dependet à sola voluntate mandatis, ut ea finita, putà morte civili vel naturali mandantis, finitur vel revocatur *l. mandatum. C. mandati, cum vulgaribus.*

3. Verum est quod in beneficiis & personis Ecclesiasticis dicta regula singulariter limitatur *per cle. de renuntiat.* ut non valeat revocatio mandati nisi notificata procuratori, vel superiori, apud quem mandatum resignationis exequendum est, nec requiritur notificari utrique, sufficit alteri. Sed hic notificatio facta erat dictæ Ludovicæ, cui breve illud datum erat: igitur aliud non requiritur, etiamsi esset verum mandatum ad resignandum. Atqui breve illud non est mandatum de quo *in d. cle. unica.* sed simplex permissio facta dictæ Ludovicæ: igitur revocari potest, prout de jure communi sine forma *d. clementinæ unicæ.*

4. Confirmatur, quia dicta revocatio notificata fuit dictæ Ludovicæ, rebus omnino integris, imò biennio & sesquimense ante ullam executionem: igitur perinde est ac si dicta Ludovica nullum unquam breve, nullam permissionem habuisset, & consequenter nulla resignatio, nulla admissio, nulla provisio dictæ Claudiæ ex tanto intervallo facta.

5. Præterea etiam in terminis specialibus. *d. clem. de renuntiat.* sufficit revocationis notificationem fieri soli procuratori, etiam clàm, ut decidit Felynus *in capitulo, capitulum sanctæ crucis, in ampliat. 2. extra de rescription.* & probatur per text. *in d. clem.* quæ contentatur notificatione facta soli procuratori, qui potestatem recipit dumtaxat, nec distinguit: igitur indistinctè debet accipi sive clàm sive palàm revocetur & notificetur, alioquin non esset verum fatis esse notificari ipsi soli procuratori, ut vult. text. *in dicta clementina unica.* tum de facili fit recursus ad dictam

regulam & jus commune, *l. si unus, §. pactus ne peteret, ff. de pactis.* utque minùs corrigatur jus commune, *c. statutum, & ibi gloss. Geminia. Philip. Franc. de prob. in sexto.*

6. Fortiùs confirmatur, quia per d. cle. limitantem regulam juris communis, non requiritur revocantem ipsum nomine suo, vel per certum nuntium, aut epistolam procuratori destinatam revocare, sed sufficit revocationem quoquo modo pervenire ad notitiam procuratoris revocati, ut patet per text. d. clem. per quam relinquitur locus regulæ & juri communi à tempore dictæ simplicis notitiæ, sine alia notificatione, quamvis jure communi notificatio, nec notitia quidem requireretur, ut per gloss. & Doctores in dict. Clem. sed hic non solùm dicta revocatio pervenit ad notitiam dictæ Ludovicæ, sed etiam ipsimet notificata fuit nomine Regis, idque non clàm, sed palam in præsentia monialium dicti monasterii ad hoc congregatarum: igitur non dubium quin valuerit revocatio.

7. Præterea cùm illud breve datum fuerit dictæ Ludovicæ, non ad resignandum simpliciter, sed ad resignandum in favorem dictæ Claudiæ, sequitur non fuisse necessarium dictam revocationem notificare dictæ Ludovicæ; sed satis esse notificari dictæ Claudiæ tantùm, vel dictæ Ludovicæ tantùm, vel quod alias sine notificatione dicta revocatio perveniret ad notitiam alterius earum. Et quod in mandato resignandi in favorem, sufficiat notificatio revocationis alterutri facta, vel etiam simplex notitia alterutrius, tenent expressim Ioannes Monachus *in rubr. de renunciat. lib. 6.* Dominicus de S. Geminiano *in c. nis. in fin. de procurat. in sexto.* Socin. *in cons. 164. col. 2. lib. 2.* Io. de Selva *in tractat. de benefic. part. 2. q. 16.*

8. Et ita, videlicet sufficere revocationem pervenisse hoc casu ad notitiam alterutrius, sæpius judicatum fuit, & maximè solemni Arresto supremi hujus Senatus, lato relatore domino Petro Matthæo, antiquo Consiliario, solemniter in purpura pronunciato die decima octava Maii Veneris ante Pentecosten, anno sesquimillesimo vigesimo sexto. Atqui hujusmodi revocatio non solùm pervenit ad notitiam utriusque, videlicet Ludovicæ & Claudiæ, sed etiam nomine regio notificata ipsi Ludovicæ, præsentibus & ad hoc vocatis & congregatis omnibus monialibus dicti monasterii publicè & re omnino integra, tam respectu dictæ Ludovicæ, quàm respectu Claudiæ.

9. Rursus confirmantur prædicta, quia *d. Clem. 1. de renunciat.* secundùm glos. & omnes Doctores, ibi continet jus singulare, quod non debet extendi, *l. jus singulare, ff.* Hinc decidit Cardinalis Florentin. *in d. Clem. unic.* quòd ejus decisio non habet locum in procuratore constituto ad resignandum hospitale, leprosariam, vel xenodochium; sed quod tunc simplex revocatio absentis & ignorantis, sine notitia procuratoris vel superioris impedit actum & reddit resignationem nullam. Et movetur, quia dicta Clementina exigens notitiam ultra simplicem revocationem exorbitat in hoc à regula juris communis, & sic strictè debet accipi. Cùm igitur loquatur expressè de beneficio, tenet Francisc. Zabarel. quod non debet extendi ad resignationes hospitalium, leprosariarum, vel xenodochiorum.

10. Quia non sunt proprie beneficia, cùm non conferantur in titulum. *Clementin. literas de prab.* Et eadem ratione non deberet habere locum in beneficiis monialium, quia non loquitur de beneficiis virorum. Igitur cùm sit exorbitans, non debet extendi. Facit c. *indemnitatibus, de elect. in 6.*

11. Minùs obstat si diceretur quod saltem esset variatio, & quod Rex tanquam patronus laïcus non potuit variare, nisi saltem accumulando, juxta notata *in c. quod autem, in c. cum autem, de jure patron.*

12. Tum quia Rex hoc non facit tanquam patronus, sed in vim alterius Indulti, vel Bullæ extensivæ concordati, quæ Bulla vel Indultum morte Regis vel Papæ finiuntur.

13. Tum in electivis non potest esse locus juris patronatus quoad præsentationem, sed hæc repugnarent. Tum præsentatio non habet locum in Ecclesiis Collegiatis. Panorm. *c. sacrosancta, extra de elect. & in c. nobis extra, de jure patron.* Rochus Curt. *in rep. rubr. de jure patronatûs, in verbo, in* Ecclesia, *num. 4.*

14. Hæc ergò nominatio, quæ de se merè spiritualis est, non est jus patronatûs, nec præsentatio. Quod si dicas, quomodo ergò hæc nominatio cadit in laïco contra dictum *c. sacrosancta, de elect. & c. decernimus, extra de iudic. & omnia jura pontificia?* Quidam ausus est dicere quòd Rex & Papa sunt supra omnia illa jura ut positiva, *c. innotuit. de elect. c. proposuit, de concess. prab.* sic ergò essent supra Concilia totius Ecclesiæ, quod nimis absurdum est. Ego verò dico, quòd hæc nominatio non est nisi quoddam præparamentum, nec ullum spirituale tribuit.

15. Tum etiam in terminis simplicis beneficii patronati, objectum illud non potest procedere nisi post præsentationem actualem, & jus semel quæsitum superiori per præsentationem sibi factam, quam acceptavit & admisit, seu pro bene præsentato habuit, quamvis nondum providerit, ut in terminis *dict. cap. quod autem, & d. c cum autem*, secus est ante præsentationem factam superiori, & per eum admissam, non repulsam: quia tunc certum est quòd patronus potest mandatum liberè revocare, juxta regulam juris communis, saltem juxta prædicta, ut hic factum fuit.

16. Et in jure certum est & pervulgatum quòd præsentatio non dicitur præsentatio, nisi pulsaverit aures superioris seu ordinarii, imò non est satis quòd ejus aures pulsaverit, nisi admiserit præsentatum, seu habuerit pro ritè præsentato. Præsentatio enim de necessitate requirit exhibitionem fieri sensibus corporeis ejus cui fit præsentatio, *glos. in Clem. dudum, in verbo, Præsentari, de sepul.* Io. Imol. Panorm. *in c. ea noscitur, in 2. puta. de ijs quæ fiunt à Prælat. sine cons. Cap. in ecomparari, col 1. de appel.* Rochus Curt. *in rep. rub. extra. de jure patronat. in princ. num. 6. cum seq.* Et tunc demùm & non prius dicitur esse facta repræsentatio, dummodo is cui fit, acceptet; saltem habeat pro præsentato, secus si refutet: quia tunc in ejus præjudicium non impeditur etiam patronus laïcus variare, per not. *in c. cum venissent, extra, de eo qui mit. in possess. causa rei servan. & ibi glos. in verbo*, obtulit.

17. Sed ante præsentationem factam, exhibitam & executam sensibus illius cui fit, non dicitur aliqua præsentatio facta: sed tantùm quædam destinatio, *l. qui absenti, in princ. ff. de acquirenda vel amittenda possess.* & sic non dicitur nec dici potest esse aliqua variatio, ut notant Doctores in locis præfatis. Patet, quia is qui revocatione facta de priori nondum superiori præsentato, & per eum admisso præsentatur superiori, dicitur solus præsentatus & nominatus, nec dicitur habere concurrentem, cùm sit primus & solus præsentatus, quia prior præsentatio non erat præsentatio, nec nominatio, sed simplex destinatio ante actualem præsentationem, & sic prorsus revocabilis & resolubilis, ut etiam rebus integris revocata fuit. Ita censeo ego Carolus Molinæus Juris utriusque Doctor, & in amplissimo Senatu Advocatus. Parisiis. Anno sesquimillesimo quadragesimo quarto.

EPITOME CONSILII LIX.

1. *Aliud dare in anticipationem ſucceſſionis, aliud jure præcipui, primum, non ſecundum confertur.*
2. *Collatio tacitè prohiberi poteſt : tamen dicitur ſpecialiter expreſſa per relationem ad aliud,* 3.
4. *Aliàs donatio ſimplex vel non indiſtinctè conferenda eſt,* 5. 6.
7. *Mentio ſervitiorum vel immeritorum in genere, non facit donationem ob cauſam.*
8. *Renuntians ſucceſſioni non donatum ſub quota ſucceſſionis.*
9. *Legata fieri poſſunt in Codicillis.*
10. *Dos indiſtinctè confertur.*

CONSILIUM LIX.

VIſo & conſiderato themate, & ſeptem quæſtionibus meo contentis, exemplis tractatus matrimonii Baltazaris *de Cuicens*, & Margaretæ *de Silly*, contracti die 7 Februarii, anno 1541. & donationis eidem Baltazari eadem die per patrem factæ, literis originalibus tractatus matrimonii Antoniæ *de Cuicens*, facti die 1. Junii, anno 1544. & donationis die ſequenti eidem Antoniæ per patrem factæ, & exemplo teſtamenti Joann. *de Cuicens* & conſuetudine Comitatus Burgundiæ.

1. Quantum ad primam quæſtionem, ego ſubſcriptus Juris utriuſque Doctor cenſeo ceſſare collationem, & dictum Baltazarem, vel ejus heredes minimè teneri conferre prædia vel res in tractatu matrimonii donatas Baltazari, duplici ratione. Prima, quia apparet per ipſum tractatum matrimonii, donationem illam eſſe factam eo pacto, ne donatarius teneretur aliquando conferre, ibi, *irrevocablement & en prevention.* Aliud eſt enim dicere, *en avancement ou anticipation*, aliud dicere, *en prevention*; quod importat ut jure præcipui vel præceptionis ultra partem virilem, vel ultra alios habeatur, & ſic ne conferre teneatur.

2. Et dato quod aliam forſan vel dubiam recipere poſſet interpretationem, tamen verba teſtamenti diſerta & clara ſunt, quibus pater declaravit ſe nolle donata in eo tractatu matrimonii conferri : & quamvis nominatim ſeu formaliter non voluerit Baltazarem conferre, utendo verbo collationis reſpectu ipſius Baltazaris : tamen ſatis eſt quod ex verbis ille ſenſus colligitur, *leg. gallus, §. quidem rectè, ff. de liberis & poſthumis.* Præterea etiamſi formalis prohibitio requireretur (id quod verum non eſt) tamen eſſet ſatisfactum, ex quo per relationem ad collationis prohibitionem in aliis perſonis præcedentem, apparet de collationis ſublatione in eo de quo agitur.

3. Quod enim per relationem ad aliud exprimitur, cenſetur ſpeciatim exprimi, etiam ubi ſpecialis expreſſio pro forma requiritur de appell. & ibi Petrus Ancharan. Card. Flor. *de appellat.* & quod per relationem ineſt, dicitur non ſolùm ſpecificè, ſed etiam propriè & non fictè ineſſe. Bald. *in l. qui interrogatus, ff. de interrog. action. ad hoc, l. aſſe toto, ff. de hered inſtit. l. ſi ita ſcripſero, de condit. & demonſt.* Philip Dec. *conſil.* 29. *ubi in annotat. dixi.* Sed in eo teſtamento primò prohibet collationem dotis & mundi muliebris filiæ Barbaræ, deinde ſimilem prohibitionem facit Elizabetæ & Antoniæ filiabus ſuis, ne teneantur conferre pecunias eis datas in contractibus ſuorum matrimoniorum : deinde immediatè addit, *comme le ſemblable demeurera le traité de mariage de Baltazar.* Si ergò jubet tractatum matrimonii Baltazaris pariter & ſimiliter ut præcedentia ſtare : pariter ergò per relationem ad immediatè præcedentia prohibetur collatio de contentis in tractatu matrimonii Baltazaris, idque clarum eſt.

4. Aliàs indiſtinctè conferendum eſſet, ſive donatio ſimplex, vel non; ſive emancipatio, vel non, *ex Authent. ex teſtamento, C. de collation.* ubi dixi in annotat. ad Philipp. Dec. Ad ſecundam quæſtionem primâ facie videretur idem dicendum, cùm ſit donatio facta eodem die. & contemplatione ejuſdem matrimonii, cujus videtur appendix, & ſic eodem jure cenſenda, nec ſeparanda, *l. inter ſocerum, §. cum inter, ff. de pact. dot.*

5. Sed his non obſtantibus, dico hanc omninò conferendam eſſe : quia aliud eſt tractatus matrimonii, aliud donatio ſeorſim, quamvis eadem die & contemplatione facta, ſed præfata relatio ad tractatum matrimonii dumtaxat ordinatur : ergò non eſt in teſtamento prohibita collatio donationis ſeorſim factæ, prout nec in ea donatione ullo modo prohibetur.

6. Ad tertiam quæſtionem, dictus Ioannes paret non potuit Antoniæ donare niſi mediam partem dictæ manſionis & pertinentiarum, & hoc ſtante donatione dimidiæ bonorum factę Baltazari, prout ſtat, ſi nepotes non ſint heredes avi; ſed ſi ſint heredes, quoniam conferenda erit, ſi ſuccedant, & ſic non ſtabit Confirmabitur (ut ſtare poſſit) donatio manſionis facta Antoniæ, dummodò etiam abſtineat ab hereditate, quia ſi ſuccedat, omninò tenebitur illam donationem poſtridie tractatus matrimonii ſui factam conferre.

7. Ad quartam, ea donatio, non obſtantibus illis conditionibus, non eſt oneroſa donatariæ, ſed magis lucratoria, & ſic conferenda, & mentio bene meritorum vel ſervitiorum in genere nihil relevat, nec facit donationem ob cauſam. Oldra. *conſ.* 295. *col.* 3. *verſ. tertius caſus, lib.* 2. & latè Socin. *conſ.* 295. *col.* 3. *verſ. tertius caſus, lib.* 2. & latè dom. And. Tiraquellus, *in repet. l. ſi unquam, C. de revocandis donat. in verb. donatione largius, num* 85. *in prima editione, & in ſecunda editione num.* 93. *num.* 97. ubi reprobat contrarium conſilium Philippi Decii *conſ.* 20. *ubi etiam in annotat. reprobavi.*

8. Ad ſextam, hæc à precedentibus dependet, quia pars futuræ ſucceſſionis in dotem data, non eſt aliud quàm quota ſucceſſionis, quæ haberi nequit niſi ſuccedat, *l. ſi prior, ff. ſoluto matrimonio.* Et ſic ſi renunciet hereditati, non retinebit illam quotam bonorum, ſed dumtaxat donationem particularem dictæ manſionis & pertinentiarum, & dotem mille centum librarum, nec non ſupplementum legitimæ, ſi fors opus ſit.

9. Ad ſeptimâ, nihil ultra neque titulo legatariæ, neque titulo donatariæ, quia legatum non fit niſi in teſtamento, vel etiam in codicillis, ut dixi in *l.* 1. *§ ſi quis ita, de verb. oblig. in fin. Tubingenſi, non autem in contractu.*

10. Donatio verò futuræ portionis ſucceſſionis nihil aliud eſt quàm pactum quod ſuccedet pro ſua virili, & ſic tanquam heres conferendo & confundendo in ſucceſſione, ſive hereditario jure, & in ſumma nihil aliud quàm quod portio futura & hereditaria legitima caderet in dotem, dos autem indiſtinctè confertur, *leg. unum novella, C. de inoffic. teſt.* Et ſic nulla hic prodeſt ſubtilitas. Et ita cenſeo & reſpondeo ego Carolus Molinæus J. U. D. Franciæ & Germaniæ Juriſconſultus, Wirtembergenſis Ducis & Comitis Montbelgardenſis Conſiliarius, in quorum fidem manu propria his ſubſcripſi Dolæ die 18. Novembris. Anno 1555.

EPITOME CONSILII LX.

1. *Donatio facta absenti & ignoranti non valet.*
2. *Notarius non potest acceptare pro absente & ignorante, & non ratificante.*
3. *Nec etiam judex.*
4. *Ratificatio fieri non potest post obitum donatoris.* 8.
5. *Mortuo disponente, non perseverat ejus consensus.*
6. *Quando in donatione reservatur potestas revocandi, non potest dici donatio inter vivos.*
7. *Reservatio testandi & legandi, & ad pias causas, generalis est, nec ad pia restringitur.*
9. *Tabellio ut servus publicus potest alij stipulari, tam in judicialibus quàm extrajudicialibus.*
10. *Et est vetus practica totius mundi.*
11. *Sed privatus nomine alterius stipulando nihil agit, nisi secuta ratificatione infra tempus quo actus geri potest.*
12. *Sed Notarius acquirit absenti & ignoranti statim sine cessione.*
13. *Etiam dominium & possessionem nedum obligationem personalem.*
14. *Nec contrahens potest ante scientiam, & ratificationem absentis pœnitere.*
15. *Reservatio testandi super rebus donatis intelligitur de parte, ut non vitiet donationem.*
16. *Clausula per se stans refertur ad omnia præcedentia.*
17. *Intellectus* leg. ea tamen adjectio, ff. de legatis 3.
18. *Reservatio facultatis testandi, non de omnibus, sed secundum dignitatem personæ intelligitur.*
19. *Valet donatio inter vivos cum pacto revocandi in certo casu vel eventu tantùm.*
29. *Secundus donatarius non potest vendicare, sed agere condictione ex donatione vel* l. quoties, C. de donation. quæ sub modo.
21. *Non curatur de formula & nomine actionis.*
22. *Multa Arresta lata contra opinionem Philippi Decij in consilio 226.*
23. *Resolutio in jure & praxi.*

CONSILIUM LX.

QUod præfata donatio non valeat & sit inefficax, probatur multis rationibus.

1. Primò, quia dicta Ioanna de Ancediva secunda donataria, in defectum Ioannis primi donatarii, erat absens, & non fuit certificata per nuntium vel epistolam, nec aliàs per Ludovicum de Navis donatorem, imò semper ignoravit quandiu vixit donator, & nunquam acceptavit illo vivente, & sic donatio remanlit nulla & in nihilo, ex defectu concursus simultanei consensus, in quo consistit substantia donationis, & cujuslibet contractûs, *leg.* 1. *ff. de pact. l. consensu, ff. de action. & obligat.*

2. Non obstat quòd Notarius expressè recepit, acceptavit & stipulatus est pro dicta Ioanna: quia acceptatio & stipulatio Notarii non facit quòd absenti jus vel actio acquiratur, nisi demum secuta ratificatione, quâ secutâ, actio acquiritur absenti sine alia cessione, ut decidit Paulus de Castro *in conf.* 196. *visis his quæ narrantur, lib.* 2. Steph. Bert. *in conf.* 116. *in fin. lib.* 2. *& in conf.* 304. *incipien. donatio. lib.* 3. *primi impressorum per Simonem Vincentium.*

3. Facit quòd idem in fortioribus terminis vult Bart. videlicet in judice *in l.* 4. §. *hoc autem judicium, col.* 2. *perfic. credo tamen, ff de damn. infecto.* ubi dicit quòd si judex officium suum interposuerit pro absente, non habet effectum nisi secuta ratihabitione.

4. Ratificatio autem semper debet fieri intra tempus quo actus debet & potest fieri, *l. bonorum possessionem*, & ibi Angel. *ff. rem ratam haberi, glos. in verb. ab quem fit in fin. de election. in* 6. Alex. *in conf.* 135. *lib.* 2. Et sic hujusmodi ratificatio debet fieri vivo donatore, & non potest fieri post illius obitum, quia tunc non posset amplius actus geri. Et ita in terminis donationis non obstante acceptatione Notarii, ut non possit ratificari post obitum donatoris, vel jus tempore medio alteri quæsitum, decidit Philipp. Dec. *in leg.* 1. *col.* 6. *num.* 22. *C. de pactis, & in l. contractus, numer.* 16. 17. *ff. de reg. jur. & conf.* 226. *mag.* Ioan. de Albineo, *conf.* 246. *& in conf.* 247. *in causa magnifici Baronis, & in conf.* 242. *in fin. & in conf.* 464. *& in conf.* 131. *in fin. in conf.* 598. *in fin.*

5. Et quòd non possit acceptari nec ratificari concessio vel dispositio alicujus, etiam Imperatoris post illius mortem, decidit Alex. *in conf.* 24. *ponderatis his, col.* 3. *lib.* 5. Ubi reddit rationem, quia mortuo disponente vel scribente, non potest dici quòd ejus dispositio vel scriptura loquatur, sive quia perseveret ejus consensus, prout etiam decidit Anton. de Burri. quem ibi sequitur Ioan. de Imo. *in c. ult. de confes.*

6. Secundò, quia dicta donatio revocata fuit per subsequens testamentum dicti Ludovici, prout haberet expressam clausulam revocabilitatis in hunc eventum. Nec obstat quòd præfata donatio intitulatur inter vivos & irrevocabilis. Tum quia illi titulo derogatur per clausulam revocabilitatis sequentem, *l. pacta novissima, C. de pact.* Tum quia ille titulus intelligitur excepto casu, in quo in eadem donatione reservatur expressa potestas revocandi, videlicet testando vel legando.

7. Nec obstat quòd si dicatur quòd dicta clausula debet intelligi de dispositione testamentaria facta ad pias causas dumtaxat, quia in dicta clausula verbum *legare ad pias causas*, non ponitur simpliciter, sed cum copula: & sic stat augmentativè, *l. ea tamen adjectio, ff. de legat.* 3. unde non potest inducere restrictionem reservationis testandi præcedentis per regulam *l. legata inutiliter, ff. de leg.* 1.

8. Et quod donatio non possit acceptari post obitum donantis, nec valeat, nondum octo anni, per Arestum hujus Senatus obtinui in hac specie: Ioannes *Morhier* coram Notario & testibus terram *de Villiers le Moyer* in Præsidiatu Carnotensi sitam donavit uni filiorum Ludovico *le Moyer*, qui post obitum patris volebat dictam terram sibi donatam accipere, & ab hereditate abstinere; sed quia vivente patre, non acceptaverat, dictum fuit per Arestum pronunciatum die 26. Maii, anno sesquimillesimo quinquagesimo trigesimo primo, quòd terra dicta inter alios filios (pro quibus scripsi) ut hereditaria divideretur, salvo quod si donatarius succedendo posset in divisione hereditatis concurrere.

9. Quibus non obstantibus, contrarium dicendum est præfatam donationem validam esse: quia licet privatus non possit alteri stipulari directò, sed possit sibi

ſtipulari nomine alterius, quo caſu requiritur ceſſio & ratificatio tempore debito, ut per Bartol. & communiter Doctores, *in l. ſtipulatio iſta, §. alteri, ff. de verbor. obligat. Juſt. in l. huiuſmodi. in princ. col. 4. ff. de l.* 1 Tamen illud fallit in Tabellione, quem Notarium vocant, qui ratione officii, & quia eſt ſervus publicus ad hoc deputatus, poteſt alteri abſenti & ignoranti ſtipulari, & acquiritur jus & actio ſine ceſſione, ut docet Bartol. & omnes *in d. l. ſtipulatio iſta, §. ſi ſtipuler. per l. non aliter, ff. de adopt. l. 1. §. eligere. ff. de magiſtratib. conve. l. 2. C. de magiſtra. conveni.* & latè Alex. *in dicto § ſi ſtipuler, col. 3. idem concludit Bart. in l. nec ei, §. nec eorum, verſic. quero nunquid Tabellio, ff. de adoption. in l. 2. ff. rem pupilli ſalv fore.* idem tenet Bald. *in l. Caius Seius, ff. de uſur. verſic ult. per illum textum ſive in judicialibus, ſive in extraindiciabilibus.* Et idem decidit *in conſil. incip. verba Cyn. quod eſt conſil 63. lib. 1 in veteri. Brixia, & conſ. 200. lib. 2. in nova Lugdunenſi impreſſione.*

10. Addit Bald. in d. l. Caius Seius, quod iſtud approbatur per practicam totius mundi, & ante eum hoc ſcripſit Albericus *in l. non enim aliter, in princ. ff. de adoption.* quod totus mundus ſervat quòd Tabellio poſſit alteri ſtipulari: & citat gloſ Accurtii ubique, & Bald. *conſil. 146. præmiſſis verbis in fin.* dicit quòd hæc conſuetudo ſervatur quaſi per totam Italiam Bald. in *l. 1. §. exigere, in verb ſervus. ff. de magiſtra. convenien.* idem Salycet. *in l. 2. C. de adopt.* & notarium poſſe alteri ſtipulari latè tenet Baldus *in l. non enim aliter, de adoption. in l. 1 col. penult. C. per quas perſ.* Ludovic Roman *in conſ. 513. incipien. in caſu propoſito, verſic. item erit etſi Notarius.* Steph. Bertrand. *in conſil 12. incip. quidam, lib. 1.* Et eſt ratio, quia in quantum eſt ſervus publicus, cenſetur habere mandatum a lege vel ab ipſa univerſitate acceptandum & ſtipulandum pro quolibet de univerſitate. Idem tenet Carolus Ruinus *conſ. 119. primo per ordinem, numer. 6. cum ſequent. lib. 1. conſil. 116. primo videndum eſt. num. 10. conſil. 172. non eſt dubium. numer. 16 17. lib. 1. conſil. 41. num. 5. & conſil. 47. lib. 9.* ubi oppoſitum dicit eſſe communem: loquitur autem de opinione Philippi Decii, id quod Joannes Fab. Gallis conſuetudinum & praxis Franciæ callentiſſimus teſtatur quòd hæc opinio, Notarium poſſe cuivis ſtipulari, ſemper practicabatur, *Inſtitut. de ſatisdat. §. ſi verò aliquis in princ.*

11. Et ſic non requiritur vera & propria ratificatio, quæ debet fieri infra tempus quo actus geri poſſit, ſed ſimplex approbatio juris acquiſiti, quæ poteſt fieri quandocumque: quia hîc non agitur de jure acquirendo per ratificationem, prout agitur in ſtipulatione nomine alterius facta per privatum, ſed agitur de jure acquiſito conſervando: & ſic ſufficit non repudiare, & poteſt approbari quandocumque.

12 Idem & in proprus terminis de donatione recepta per Notarium decidit Bald. *in l cum à ſocero, C. de jure dotium.* quod ſtatim ſine ceſſione acquiritur jus abſenti & ignoranti in tantum quod non licet diſponere pœnitere in præjudicium ejus quo Notarius accepravit & ſtipulatus eſt.

13 In tantum quod nedum perſonalis actio, ſed etiam dominium, mediante conſtituto vel ſimili etiam acquiritur, & transfertur in donatarium abſentem ignorantem, ut decidit Guido Papæ *in deciſion. Delphic. 49.* quod procedit etiam ante ſcientiam & ratificationem.

14. Ita ut non poſſit interim ante hanc ratificationem pœniteri, nec res alteri dari vel vendi, ut decidit latè Philip. Corn. *in conſ. 60. videtur in hac col. 3. 4. 5. lib. 1 & in conſ. 2. col. 1. lib. 4.* Et hæc eſt communis & vera opinio, unde non eſt curandum de præfata contraria opinione Philippi Decii, quæ tanquam contra communem & minus bene fundatam rejicienda eſt per not. *in c. 1. extra de conſtit.* Et per hæc, eſt fundata intentio dictæ Joannæ cum reſponſione ad primum objectum.

15. Non obſtat ſecundum, quia dicta reſervatio teſtandi, non eſt facta de omnibus bonis donatis, ſed ſuper bonis donatis, & adhuc non ſimpliciter ſub certo modo, videlicet & in quantum teſtaretur vel legaretur ad pias cauſas, qui quidem caſus non contingit, & ſic remanet donatio non revocata, quod probatur rectè ponderando verba dictæ clauſulæ, in qua non fit reſervatio diſponendi de omnibus bonis donatis, ſed ſuper eiſdem bonis donatis; & verbum *ſuper bonis* æquè, imò proclivius ſe habet ad partem quàm ad totum, & ſic aſſumendo partem ſecundùm quam actus principalis valet, & non vitiatur, prout heri debet, *leg. in ambigua, ff. de legibus, leg. quoties, ff. de reg. jur.* illa verba *ſuper bonis*, debent intelligi de parte donorum donatorum, & non de toto.

16. Tamen in hoc non facio vim, ſed in illa particula *ad pias cauſas*, quæ per ſe ſtatim eadem oratione & conceptione verborum, & ſic ad omnia præcedentia debet referri, & conſequenter ne lum ad verbum *legare*, ſed etiam ad verbum *teſtari*, *leg* 3. §. 1 *ff. de liberis & poſthumis, in c. ſecundo requiris, in fin. principis, extra de appellat. l. heres meus, § uxori. ff. de legat.* 3. Et ſic verus ſenſus hujus clauſulæ eſt quod donator reſervat ſibi poteſtatem teſtandi & legandi ſuper bonis donatis ad pias tamen cauſas, & non aliter.

17. Non obſtat copula & *l. ea tamen adiectio, ff. de legat.* 3. quia ille textus non loquitur de copula, ſed de relativo ſtanti cum copula, vel ſine. Et ſic non facit ad propoſitum, ſed ſumus in terminis quòd qualitas vel determinatio ſequens ad plura verba, refertur ad omnia.

18. Non obſtat quod donatio per dictam clauſulam habebat facultatem omnia donata per teſtamentum legandi Eccleſiæ; tum quia non eſt verum, ſed intelligitur non de omnibus, ſed de portione, ſecundùm qualitatem & dignitatem perſonæ, & conſuetudinem regionis, juxta *leg. quæro. ff. de jure dot.* Et talis & veriſimilis eſt mens & modus loquendi & intelligendi, qui in omnibus prædominatur, *l. Labeo,* & ibi Bart. *ff. de ſupellect legat.*

19. Tum dato & non conceſſo, quòd illud objectum ſit verum, tamen donatio non vitiatur niſi caſu eveniente, nec propterea recidit in donationem cauſâ mortis, ſed remanet vera donatio inter vivos, ſaltem in dictis locis qui jure ſcripto reguntur: quia de jure poteſt fieri donatio inter vivos, cum pacto revocandi in certum caſum vel eventum dumtaxat, & tunc remanet donatio inter vivos, & ſortitur effectum, ceſſante caſu reſervato, argument. *leg ſi alienum, §. ſi alienam. ff. de donation. cauſâ mortis.* Igitur attento quòd conſtet per diſpoſitiva verba in principio & fine dictæ donationis actum eſſe quòd eſſet donatio irrevocabilis & inter vivos, remanet donatio inter vivos, dato quòd aliquando certo caſu retenta ſit poteſtas revocandi. Et illo caſu ceſſante, prout hîc ceſſat, quoniam ſupponitur non eſſe teſtatum vel legatum ad pias cauſas, donatio plenum ſuum & irrevocabilem ſortiretur effectum.

20. Supereſt videre quâ actione poſſit dicta Joanna agere, in quo dicendum quòd ſi in perſona Joannis valuerit donatio, eò quòd fuerit debitè legitimatus, nunc poſt obitum dicti Joannis ſine liberis, dicta Joanna non poteſt venire viâ rei vendicationis, ſed ſolùm condictione ex donatione, juxta notat *in leg. quoties, C. de donat. quæ ſub modo.* Si verò donatio non valuit in perſona dicti Joannis tanquam non debitè legitimati, & ſic incœpit valere donatio in perſona Joannæ, competit illi rei vendicatio, ſicut competiſſet Joanni, ſi fuiſſet habilis.

21. Tamen quia non curatur de formula & nomine actionis, debet concludere ad finem quòd poſſeſſores

teneantur

teneantur se desistere ab occupatione & detentione rerum & bonorum comprehensorum in dicta donatione, & pati dictam Joannam possidere & frui in vim dictæ suæ donationis: & sic omittendo in conclusionibus hæc verba, tanquam de re ad se pertinente, idque ex causa, utque possit valere I bellus in utroque capite, tam personalis, quàm realis actionis, prout in fine litis à judicibus inveniretur.

22. Non obstat nova opinio Philippi Decii *in leg. contracta, num.* 22. *de regulis juris, in l.* 1. *num.* 2. *C. de pact. & in consil* 226. quia idem Philippus Decius *in l. quo tutela, in fin. ff. de regulis juris*, tenet veterem, communem & usitatam sententiam, pro qua etiam consuluit *in consil.* 239. *num.* 5. *& consil.* 293. *col.* 2. nec sibi contradicit in dicto consilio 226. Magister Ioannes de Albaneo, quia in dicto consilio secundus donatarius erat prior in possessione reali & naturali ante scientiam & ratificationem primi, ut ibi in annotat. dixi. Et sic non obest in casu præsenti, ut dixi à I Philippum Decium *in lege prima, in penultim. annot. in fin. C. de pactis*, ubi de hoc consilio mentionem feci.

23. Et pro communi veteri sententia judicatum fuit in hoc Senatu, in causa domini *de Harlus*, & deinde anno sesquimillesimo trigesimo octavo, die Mercurii ante Pascha pronunciatum fuit per Arestum pro quodam *Tabone*, super domo sita in vico Cythara hujus urbis, & approbata donatio facta per maritum nepti suæ uxoris absenti, Notariis stipulantibus, & rursus pro nepte domini *de Vé*, ubi curator stipulatus erat pro nepte absente, & pariter Notarii, nec curatum fuit de stipulatione curatoris, quia erat curator ad lites inter tutorem & pupillam, & non ad alia: sed facta fuit vis in stipulatione Notariorum, & donatio confirmata.

24. Quæ Aresta non sunt contraria constitutioni publicatæ postea in eodem Senatu, anno sesquimillesimo trigesimo nono, articulo centesimo trigesimo tertio, quia illa constitutio non loquitur de minoribus qui sibi stipulari non possunt, hoc est, commodè non possunt, etiamsi sint puberes: quorum minorum respectu servatur antiqua consuetudo & praxis; sed respectu majorum servatur dicta constitutio & nova opinio Philippi Decii: Et meritò, quia utilitatis causâ, & sic via cujusdam dispensationis receptum est favore pupillorum, ut servus publicus pro eis stipulari possit, & utilem actionem eis quarere, *l. non aliter cum leg. sequent. ff. de adoption. l.* 2. *cum duabus leg. sequent. ff. rem pupilli salvam fore, l. quoties, in princ. ff. de administratione tutorum.*

25. Quod adhuc intelligendum est dummodò actus fiat seriò, & relinquitur instrumentum penès Notarios publicos, vel penès amicum donatarii, extra donantis potestatem: secus si donator omnes schedas, etiam protocolla penès se trahat in sua potestate: quia tunc apparet quòd donatio non est conclusa, sed vult donator eam pendere à sua potestate, quod est repugnans: & sic donatio non valet etiam in terminis juris, nec opinio communis procederet, ut de facto consului, & obtinui de patre, qui filio absenti, Notariis stipulantibus, dedit quinquaginta jugera retento usufructu: sed matricem à Notariis acceptam penès se servavit, non valet donatio, etiamsi donatarius nolit esse heres: quia hujusmodi donatio clandestinitate affectata suspecta est, & multò magis stante consuetudine quòd donare & retinere non valeat, ut dixi *in Consuetudine Parisiensi* §. 160. Et ita censeo ego Carolus Molinæus Juris utriusque Doctor, & in supremo Parisiorum Senatu Advocatus. Datum Parisiis anno sesquimillesimo trigesimo nono.

tempore extantis conditionis. 108
88 *Aliæ sunt conditiones, quæ imponuntur instituto vel substituto, & aliæ sub quibus quis instituitur vel substituitur.*
100. *Positi in conditione non sunt in dispositione, etiamsi ad plures gradus substitutionum processum sit.* 101. 102. 103. 104 105. 106. 107.
109 *Argumentum à conservanda agnatione, non extenditur ultra gradum & personas expressas,* 110 113. 114.
111. *Prohibitio alienandi, favore masculorum facta, non impedit relinquere filiabus ab intestato.* 112.
114. *Unica & expressa ratio non sufficit ad extendendum contra jus commune.*
Dispositio hominis facilius restringitur, quàm dispositio legis.
118. *in novell.* de restitution. fideicommiss. *quatuor gradus computantur ex parte gravati, & non fideicommissarij.*
121. *In odiosis, appellatione heredis, non venit heres hæredis.*
122. *Vulgatæ Authenticæ sunt, antiqua versio, temporis spatio corrupta.*
123. *Vera hypothesis Authent.* de restitution. fideicommiss. 124.
Antiochia, cur Theopolis dicta.
125. *Collatio nostræ hypothesis cum illa.*

FACTUM SUPER QUO CONSILIUM PETITUR, TALE EST.

IOannes Franciscus de Arinyo, dominus de Cabanas & Figuervelas, in Regno Aragonum exist. tens, habens uxorem Catharinam *de Atur*, prægnantem, condidit in extremis testamentum, in quo post quædam legata, instituit heredem universalem posthumum nasciturum, sub his verbis patriâ suâ linguâ.

» TOdos los otros bienes mios, sitios mobles & » se movientes, drechos, vozes, & actiones à mi » perteneſcientes, & perteneſcer podientes por qual- » quiere causa, via, » rason, lexo al posthumo que » mi muger tiene enel vientre, si empero masclo sera, » el qualquiero, ordeno y mando sia heredero mio » universal, con las condiciones empero & vinclos » infrascriptos. Asaber es, que aquel » qualquiere » otro heredero, o succeſſor mio, no pueda vender, » alienar, o transportar los dichos lugares, o alguno » dellos: & si lo fara, tal vendition, alienation, o » transportation sea ipso facto nulla & invalida, & no » resmeno spierda la dicha herencia, laqual pervenga » al mas cercano pariente de mi nombre, & de mis » armas, que en aquel caso se trobera el qual con la » mesma condition haya de acceptar la dicha herencia » mia, & aquel quiero é ordeno sea mi heredero uni- » versal. Et si el dicho posthumo no fera mi hijo, o si » sera hijo, é morra sinse filios legitimos masclos, & » de legitimo matrimonio procreados, en cada uno » de los dichos casos substituesco & à mi heredero » universal instituesco el dicho Galceran de Arinyo » mi hermano, con las conditiones suso dichas.

» Hoc est latinè, non vidi & ruditer,

» Omnia autem reliqua bona mea mobilia & immo- » bilia, ac se moventia, jura & actiones mihi perti- » nentia, ac pertinere valentia, ex quacumque causa, » via aut ratione, relinquo posthumo quem uxor » mea habet in ventre, seu de quo est prægnans, si dic- » tus posthumus masculus erit; quem ordino & mando » esse heredem meum universalem, cum conditioni- » bus tamen & vinculis infrascriptis. Videlicet, quòd » dictus posthumus, aut quicumque alius heres aut » succeſſor meus, non possit vendere, alienare, aut » transportare dicta loca, aut aliquem illorum: & si » faciet, talis venditio, alienatio, aut transportatio » sit ipso facto nulla & invalida, & nihilominus amit- » tat dictam herentiam & succeſſionem, quæ perve- » niat ad propinquiorem consanguineum de meo no- » mine & de meis armis, qui in tali casu reperietur: » qui quidem cum eadem conditione teneatur accep- » tare dictam meam herentiam. Et illum volo & or- » dino esse meum heredem universalem. Et si dictus » posthumus non erit filius, aut si erit filius, & morie- » tur sine filiis legitimis masculis, & de legitimo ma- » trimonio procreatis, in quolibet dictorum casuum » substituo, & mihi heredem universalem instituo D. » Galcerandum de Arynio fratrem meum, cum condi- » tionibus supradictis. »

Mortuo testatore, vidua peperit filiam vocatam Guiomaram; quare Galcerandus frater testatoris ex substitutione succeſſit, posteà vendidit dicta castra Dom Petro de Vacca; & propinquiores agnati, qui tunc erant, videlicet Petrus, Joannes, & Franciscus de Arinyo, consenserunt dictæ venditioni. Emptor per multos annos possedit. Dictus autem Galcerandus post dictam venditionem genuit Dom Manuelem, qui dicta castra vendicare cœpit à filiis emptoris, tanquam propinquior consanguineus venditoris & testatoris, & de ejus nomine & armis, excipientibus reis, Manuelem non fuisse conceptum tempore dictæ venditionis & contraventionis, nec tempore quidem laudationis factæ per dictos Petrum, Joannem & Franciscum: & quod verba testamenti vocant dumtaxat propinquiorem qui in tali casu reperietur, id est, tempore contraventionis in rerum natura erit. Tandem transactione, amicis intervenientibus factâ, Manuel renuntiavit in favorem Dom Alphonsi ab Aragonia, qui jura reorum emerat, eique Manuel omnia jura & actiones suas cessit. Et diu post, Dom Manuel genuit Franciscum de Arinyo, qui mortuo patre, eamdem litem movet illustrissimo Dom Martino ab Aragonia dicti Alphonsi filio, tanquam vocatus ad eadem castra ex capite renuntiationis & cessionis factæ per Manuelem patrem suum, quasi ex nova alienatione seu contraventione, dicens patrem suum, deinde se, vocatos fuisse quandocumque nascerentur. Paul. Castr. *cons.* 247. *lib.* 1. Franc. Ripa. in *l. Filiusfamilias*, §. *divi*, *num.* 17. *de legat.* 1. Socin. junior *cons.* 172. *lib.* 2. Philip. Dec. *cons.* 38. Contrà Martinus eamdem exceptionem in utrumq; casum repetit, videlicet nec Manuelem, nec Franciscum actorem fuisse natos, nec conceptos tempore prætensarum alienationum & contraventionum. Et insuper, quòd si Manuel fuit vocatus ex contraventione Galcerandi patris sui, & laudatione facta per dictos Joannem, Petrum, & Franciscum: tamen tempore contraventionis factæ per Manuelem, vivebant alii agnati dicti testatoris & Manuelis de nomine & armis dicti testatoris, qui fuerunt vocati ex contraventione Manuelis, & non actor diu post natus & conceptus.

Replicat actor, quòd statim ut natus, vocatus fuit, licet non esset conceptus tempore dictæ renuntiationis: præcipuè quia omnes agnati testatoris & masculi de suo nomine & armis sunt mortui, & nullus

masculus de nomine & armis prędictorum in rerum natura supereſt, niſi dictus Dom Franciſcus de Arinyo actor. Et verum eſt: tamen nullus contravenit niſi dictus Galcerandus de Arinyo ante nativitatem dicti Dom Manuelis, & Manuel de Arinyo ante nativitatem dicti Dom Franciſci, & prædicti Joannes, Franciſcus & Petrus de Arinyo, qui laudaverunt venditionem Galcerandi, & ſic diu ante nativitatem Manuelis.

Punctus eſſe videtur, an oportuiſſet dictos Dom Manuelem & Dom Franciſcum de Arinyo reſpectivè ſingula ſingulis referēdo, fuiſſe natos aut conceptos tempore contraventionis per eos prętenſæ, ſtantibus verbis dictę prohibitioni, & verbis vocationis conſanguineorum, qui in eventum contraventionis eſſent in rerum natura: & an verba illa, *Tali caſu*, idem importent ac ſi dictum fuiſſet, *Tali tempore*.

Ex ſupradicta facti narratione ad elucidandam juſtitiam illuſtriſſimi Ducis Villæ Hermoſæ, & Comitis Ripacurtiæ, ſequentia dubia oriuntur.

Primum, an actor jus habeat ex perſona patris Manuelis ex clauſula prohibitionis alienationis contenta in dicto teſtamento, propter alienationem factam à Galcerando?

Secundum, eſto quòd ex perſona patris non habeat (prout non habet) jus petendi dicta loca & caſtra, an illa vendicare poſſit ex perſona propriæ?

Jam quò res ſit dilucidior, Genealogiæ figura hùc ſubjicitur.





QUàm ardua & argumentoſiſſima hæc conſultatio, tam utilis eſt ejus diſcuſſio & reſolutio latiſſimè quidem patens, ſed *αὐτοσχεδίως* peculiari more noſtro neceſſaria tantùm & ut lis deciſionis puncto veritatis & juſtitiæ tum inquirendæ, tum propugnandæ cauſa, ut litteris ad me cum themate & genealogia è Cæſarea Auguſta miſſis rogatus ſum, perſequar: præmiſſo in gratiam juriſprudentiæ noſtræ candidatorum, themate ut à me ſuprà habetur, abbreviato.

1. Invocato nomine Dei, patris luminum, & Spiritus ſancti gratia, per Jeſum Chriſtum unicum Redemptorem & mediatorem noſtrum.

Tres articuli. Totus hujuſce diſputationis cardo in tribus articulis conſiſtit.

Primus, an dictus Franciſcus de Arinyo actor, jus habeat ex perſona Manuelis patris ſui?

Secundus, an ex perſona propria?

Tertius, an ex perſonis patruorum Galcerandi avi ſui paterni aut remotiorum agnatorum in figura genealogiæ deſignatorum, vel cujuſvis aut ultimi eorum, ſive jure tranſmiſſo, ſive per eventum conditionis fideicommiſſi ab ipſomet teſtatore quæſito? Sed brevitatis ergò, neve doctoribus ſcrupuloſa curioſitate ſingula non tam diſtinguere quàm fruſtulatim ſecare videar, omnes articulos ſub eodem diſputationis tractatu (facile ab attentis oculo mentis diſcernendos) includam.

2. Primùm ergo pro actore militant & verba & mens teſtamenti. De verbis liquet ibi: Poſthumus, aut quicumque alius heres aut ſucceſſor meus non poſſit vendere; & ibi: Et ſi faceret, amittat dictam herentiam: quæ perveniat ad propinquiorem, &c. Liquet ergo ex ipſa vi & tenore verborum, quod non ſolùm primo loco inſtitutus, non ſolùm ſubſtitutus, ſed etiam quicumque ſucceſſor prohibitus eſt alienare, & ſi faceret, præter nullitatem actus, gravatus eſt fideicommiſſo, & propinquior conſanguineus de nomine & armis vocatus. Sed conditio fideicommiſſi extitit primò in perſona Galcerandi, qui primus extraneo vendidit, & iterùm extitit in perſona Manuelis ejus filii, qui in effectu idem fecit. Ergo actor vocatus eſt, quia eſt proximior de nomine & armis, utpote filius naturalis & legitimus Manuelis filii primi venditoris, qui erat frater & immediatus heres teſtatoris.

3. Nec obſtat, ſi dicatur quòd ſi actor videatur per dicta verba teſtamenti vocatus: tamen apparet per alia verba ejuſdem teſtamenti excluſus ibi, Qui in tali caſu reperietur, quæ ſint verba reſtrictiva, quæ ſubſtitutionem diſpoſitoriam limitant ad propinquiorem, qui tempore dictæ contraventionis vel extantis fideicommiſſi reperietur, hoc eſt, in rerum natura erit, quia triplex ſolutio datur.

Prima, quòd verba, *in tali caſu*, non referuntur præciſè ad tempus contraventionis, quia eſſet facere relationem ad magis remota: ſed referuntur ad verba proxima & immediata delationis nominis & armorum: ut verba, *In tali caſu*, idem ſint quod verba, *in tali cauſa*, ut ſcilicet is demum ſit vocatus qui reperietur in ea cauſa, conditione vel ſtatu deferendi nomen & arma. Quæ verba & qualitas proculdubio verificantur in perſona actoris, qui hodie reperitur, & eſt propinquior, imò etiam ſolus conſanguineus deferens nomen & arma teſtatoris. Illud autem exploratiſſimi juris eſt, quòd relatio fieri debet ad proxima regulariter, & non ad remota. De quo remitto ad ea quæ ſcripſi in *Conſuetudine Pariſienſi*, §. 37. *gloſſa* 1. *numero* 9.

4. Secunda ſolutio, quòd ſaltem verba, *Tali caſu*, non debent referri ad verba orationis præcedentis

nimis remota, sed ad verbum ejusdem orationis incipientis, quæ perveniat ad propinquiorem, &c. ut non præcisè tempus extantis conditionis ibi penderetur, sed tempus executionis, & quo res de facto & cum effectu pervenire debet ad propinquiorem, & per eum vendicari, sed hoc tempore inspecto, in confesso est ea verba verificari in persona actoris. Quia hoc tempore quo vendicat, ut res ad se perveniant, est propinquior, imò solus reperitur de nomine & armis.

5. Tertia solutio, quòd hæc verba restrictiva, *Qui in tali casu reperietur*, sunt posita & stant (ut phrasis verborum ostendit) quamdiu sunt plures consanguinei, ad designandum quòd is qui proximior in ea qualitate reperitur, præferendus est cæteris. Et sic clausula illa vacat, quando accidit totam stirpem & agnationem testatoris ad unum solum devenisse, ut hodie ad solum actorem devenit; tunc enim cessat ratio delectus & prælationis & consequenter dicta clausula restrictiva vacat, cùm unus solus de agnatione supersit, & sic non potest fieri restrictio ad unum ex consanguineis, nec electio, cùm unicus supersit: & sic ille necessariò vocatus est.

6. Rursus & secundò, principaliter actorem esse vocatum ex verbis ejusdem testamenti probatur, quia non solùm in vim clausulæ prohibitæ alienationis & in contraventionis eventum vocatur, ut dictum est: sed etiam in vim fideicommissi gradualis, etiam alienatione & contraventione cessantibus. Patet, quia masculi cujusque instituti, sunt per fideicommissum successivè vocati. Sunt enim in ipso tenore & verbis formalibus, & dispositivis testamenti duo instituti, videlicet posthumus masculus primo loco, sive primo gradu, & Galcerandus vulgariter exp esse, & pupillariter tacitè, & compendiosè & fideicommissariè expressè substitutus. Et à vulgari, quæ verè & propriè est secunda & directa substitutio, *institut. de vulgar. substitut. in princ. l. mulier. §. ultim. de condition. Institution. l. Gallus in princip.* & ibi gloss. 3. *de liber. & posthum* (utpote deficiente postumo) incœpit testamentum. Sed ut posthumus masculus, si nasceretur & superviveret, gravatus erat ergo filios suos masculos successivè, si quos relinqueret, ita & Galcerandus: patet ibi, *Instituo Galcerandum fratrem meum, cum conditionibus suprascriptis*, id est, cum omnibus qualitatibus & oneribus adjectis primæ institutioni, & posthumo priore loco instituto.

7. Quæ sunt in duplici specie & differentia. Prima species onerum est prohibitio alienationis & onus fideicommissi in casum contraventionis. Secunda species est fideicommissi gradualis in favorem masculorum descendentium, etiam citra alienationem, quæ duæ species multùm differunt.

8. Quia prima, si sola sit, id est, per se & vi sua non concurrentibus aliis sufficientibus ad inducendum fideicommissum graduale, non inducit fideicommissum, nisi in casum & eventum alienationis, seu contraventionis. Aliàs & interim res jure intestati, non autem jure substitutionis devolvitur, & gravatus potest in testamento & inter vivos quomodo voluerit, dummodo non contra prohibitionem (videlicet in extraneos) disponere, *l. filiusfamilias cùm pater.* versic. *Sed si omnes filii, de legat. 1. voluntas. C. de fideicommiss.*

9. Etiamsi testator in ea prohibitione adjecerit causam expressam & finalem sonantem in fideicommissum, putà si dixerit, quia volebat posteris consulere. text. in *d. l. Filiusfamilias §. divis.* versic. *quòd si liberis, de legat. 1* vel si adjecerit hæc verba: *Ita enim fiet ut fundus de meo nomine, vel de nomine vestro nunquam exeat.* text. in *l. pater filium, §. fundum de legat. 3. in l. cùm pater. §. cum autem.* (secundùm verum intellectum.) *de legat. 2.*

Per quos text. tenent communiter omnes Doctores ubique, & est vera & communis sententia, quòd prohibitio alienationis quâcumcumque causâ, etiam causa sonante in perpetuum, & graduale fideicommissum, non tamen inducit fideicommissum nisi in casum contraventionis, id est, non inducit fideicommissum successivum de uno ad alium gradatim, sed fideicommissum casuale in eventum conditionis dictæ contraventionis duntaxat. ita Alexand. & alii communiter in *l. Filiusfamilias, §. divi. de legat. 1.* & in *l. qui Romæ, §. coheredes col. 3.* ubi etiam Socin. *de verbor. obligat.* Socin. in *l. si cognatis de reb. dub.* Philip. Dec. *cons. 218. num. 14. col. 5. & col. ultim. cons. 377. num. 6. & num. seq. cons. 422. num. 7. cons. 623.* Franc. Curt. Junior. *cons. 22.* Jason *cons. 94. lib. 4.* etiamsi testator addiderit expressam rationem, quia volebat semper remanere in masculos descendentes. Socin *cons. 227. col. 7. libro 2.* Carol. Ruinus *cons. 227. num. 12. lib. 1. cons. 96. num. 14. cons. 190. num. 20. cons. 134. num. 3. num. 16. libro 2.* Decius *d. cons. 377. numero septimo, col. penult.*

10. Et quamvis Bart. *d. l. pater filium, §. fundum, de legat. 3.* motu contrarii *§. dulcissimis in l. pater, de legat. 2.* distinguat inter verba prolata per modum rationis, & inter verba prolata per modum enunciationis cujusdam futuri eventus: ut priora verba disponant ampliando & inducendo fideicommissum: posteriora vero forma non disponat nec ampliet: tamen ea distinctio legem verbis imponens, contra *l. ult. C. de usurar. l. 2. C. communia de legat.* non est vera: sed idem dicendum de priore verborum formula, nisi aliud ut dixi, concurrat. Quia verba etiam per modum rationis apposita, non augent nec extendunt fideicommissum: quia veniunt accessoriè, & sic non ampliant dictum: *Clem. 1. in fin. de præben.* Sed restringuntur ad casum dicti præcedentis. Deci. d. consil. 337. numero 6. Intellect. §. dulcissimis contra Bar.

11. Non obstat *d. §. dulcissimis*, facilis enim & vera solutio est quod ratio ibi apposita tendit ad restringendum legatum & onus, quod est favorabile & præsumptioni juris conforme, *l. apud Julianum, §. scio de legat. 1.* Sed in *d. l. pater. §. fundum.* rendit ad augendum onus, quod est odiosum: & sic in dubio non auget, nec disponit, sed ad limites dicti cui accedit, restringitur. Et sic *d. §. dulcissimis*, nullo modo discordat, ut putavit Bart. sed concordat cum *d. §. fundum.* quia in utroque §. dicitur quod illa verba etiam per modum rationis adjecta, debent potius favore liberationis, & ad restringendum onus, quàm ad illud ampliandum, intelligi.

12. Secunda verò species onerum adjectorum posthumo primò instituto, est verum fideicommissum graduale & successivum, in quo non est expectanda conditio vel eventus contraventionis, ut sit locus fideicommisso, sed continuum gravamen inest, & sequenti in gradu debetur fideicommissum tanquam res alienum, non inspecto tempore alienationis seu contraventionis, de quo in hac specie [illegible]: quia huic graduali fideicommisso non aperitur locus nisi per obitum præcedentis in gradu.

13. Ad priorem speciem spectant *l. Filiusfamilias, §. divi, §. cum pater, de legat. 1. l. peto, §. fratre de leg. 2.* Quod etiam vivo alienante statim, non expectata ejus morte devolvitur jus ad proximiores qui tunc reperiuntur, prout etiam loquitur & disponit testator in ea clausula testamenti, in qua de hac priori specie loquitur. Ad secundam verò speciem spectant, *l. ult. §. fin autem, Cod. communia de legat.* & similes, quòd interim tenet alienatio in via alienantis respectu sequentis vel secuturi in gradu, quia extante conditione fideicommissi gradualis per obitum alienantis: tunc sequens in gradu in rerum natura existens ipso jure vendicat, quantumvis interim respectu sequentis in gradu emptor plenum jus & dominium habeat. *l. non ideo minus de rei vendic. l. generaliter qui & à quib. manu liberi non fiunt, l. 2. §. servi appellatione, ff. ad Syllanian.*

14. Quamvis ergo Manuël non esset in rerum natura, nec conceptus quidem tempore alienationis factæ per Galcerandum patrem suum, & sic allegari possit, quòd ex capite alienationis, & ex prima clausula onerum testamenti non sit vocatus: tamen satis est quòd tempore obitus Galcerandi erat natus naturalis & legitimus filius, & sic comprehentus & vocatus ex secunda specie, quæ est fideicommissi gradualis, & ex secunda clausula onerum testamenti, quæ incipit, Et si dictus posthumus, quæ etiam in Galcerando repetitur ibi, *Cum conditionibus supradictis.* Pag. 7. linea 6. Et pariter quamvis Franciscus de Arinyo actor non esset conceptus tempore renuntiationis & cessionis factæ per Manuelem patrem suum: tamen satis est, quòd tempore obitus Manuelis erat ejus naturalis & legitimus filius masculus, & sic in substitutione graduali masculis, & de masculis facta, comprehentus & vocatus.

Relatio relatum implicat. 15. Non est enim dubium quin illa formalis & expressa relatio, ibi: *Cum conditionibus supradictis*, ex vi & proprietate verborum contineat & repetat formaliter & specificè quidquid est in termino relato, videlicet in omnibus conditionibus suprascriptis in eodem testamento, *l. Si ita scripsero. l. Asse toto de hered. instituend. l. Institutio talis de condition. & demonstra. l. In summa. de reqndic. l. Ubi autem non apparet, §. illud de verbor obligat.* decidit Bald. in *l. Si defensor. §. qui interrogatus*, versic. *nisi forte* per illum text. *de interrog. actio.* & in cons. 212. Ea quæ lib. 5. cons. 338. l b. 2. Philip. Dec. cons. 47. ubi in annota. dixit, & in consuetud. Parisiens. §. 45. num. 18.

16. Quòd autem clausula illa testamenti: *Si erit filius, & moriatur sine filiis legitimis masculis*, importet fideicommissum graduale in favorem filiorum masculorum, probatur: quia inclusione masculorum excluduntur fœminæ. Quod non potest esse, nisi masculi vocati sint, & sic in dispositione. Atque ita quamvis, aliàs secundùm crebriorem sententiam liberi positi in conditione, non sint in dispositione, sed relinquantur ab intestato, *l. Lucius Titius* 2. & ibi glos. ult. Bart. Imol. & alii *de hered. instituend.* Quamvis multi adversus illam communem sententiam contrarium teneant multis rationibus, de quibus per Alex. consil. 185. lib 2. & per Anton. Corser. In repertorio, in verbor. *substitutio.*

Verb. masculi. 17. Tamen quando liberi non sunt simpliciter & indifferenter positi in conditione, sed differenter & cum expressa adjectione masculinitatis, quòd tunc non sint in simplici conditione, sed etiam in dispositione, nempe vocati & instituti, decidit Guido Papa, q. Delph. 184. & movetur per decisionem Bart. in *l. Liberorum col. pen. de verb. signif. & in l. 2. §. videndum. ad Tertyllian.* quod in terminis statuti dicentis, quòd filia extantibus masculis non succedat, masculi vocati sint & in dispositione: Et opinionem Guidonis Papæ refert, & sequitur Philip. Dec. in l. 1. col. 3. num. 16. & ibi Franc. Cur junior. num. 14. dicens ita fuisse judicatum, *C. de pact.* Idem Curt. junior, cons. 43. col. 3. cons. 48. col. 4. cons. 69. col. 2. cons. 87. in princ. cons. 128. num. 16. Carol. Rui. cons. 167. num. 9. libro 3. Ludovic. Gozadi. cons. 16. num. 22. cons. 64. num. 7. cons. 87. col. 4. Jason cons. 232. lib. 2. Hieron. Gratus cons. 48. col. ult. libro 1. consil. 31. num. 19. lib. 2. Aymo Craveta cons. 130. num 2. Anto. Rube. cons 120. col. 1 & ante omnes istos idem tenuit Philip. Corne. consil. 146. col. 2 consil. 174. lib. 2. cons. 272. lib. 4. Philip. Dec. cons. 170. cons. 270. cons. 318.

18. Et dato, quòd hæc opinio sit controversa multis contrarium tenentibus, videlicet quòd ut filii positi in conditione, censeantur vocati & in dispositione, non sufficit quòd sint positi in conditione, sub qualitate & contemplatione masculinitatis: Tamen quando cum hoc aliæ conjecturæ simul concurrunt, tunc communis est sententia quòd sint vocati, & in dispositione: per not. Pauli & Philip. Corn. in *l. ab eo. C. de fideicommiss.* Petr. Anchar. in repetitione c. si pater in 12. notabili, de testam. in 6. & in consilio 74. incipiente, Contra Philippum Alexand. cons. 64. lib. 5. Soci. in *l. cum filiofamilias in primo notabili de legat.* 1. Carol. Rui. consil. 167. col. 3. lib. 3. & ita in substitutione facta decedente sine filiis masculis, quòd datis aliis conjecturis, illi masculi sint vocati, decidit expressè Hieron. Gratus cons. 32. lib. 2. & inter potiores & ad hoc sufficientes conjecturas tres insignes à Doctoribus in variis locis dantur.

19. Prima, quando onus restitutionis est eis injunctum. Cùm enim sint gravati, igitur honorati. *l. ab eo.* & ibi Philip. Cor. *C. de fideicommiss.* Soci. in *l. cum filio. in not. 2. de legat.* 1. & in consil. 249. col. 4. consil. 250. col. ult lib. 2. consil. 12. num. 18. col. ult. lib. 3. Franc. Curt. senior, consil. 51. col. 7. cum sequent. Joan. Crotus in repetitione capit. Raynutius. ad fin. de testam. Udalricus Zasi. in tracta. substitut. In rub. Compendiosè. Philip. Dec. consil. 242. col. ult. ubi post Philip. Corne. consil. 119. col. penult. lib. 2. etiam levem conjecturam admittit. Lancelot. Galiau. in repetition. *l. Centurio* fol. 24. col 4. *de vulgar. & pupil. substit.* Steph. Bertrand consil. 113. tota difficultas lib. 3. in prima editione facta anno 1532. per Simonem Vincentium Ludovic. Gozadi consil. 26. num. 23.

20. Secunda, quando testator ad plures gradus substitutionum processit, ita expressè Petr. Anchar. consil. 74. Alex. consil. 64. lib. 5. Carol. Rui. consil. 118. num. 11. lib. 2 Nicola. Boëri. in decisi. Burdeg. 155. num. 13. num. 28.

21. Tertia, quando deficientibus prædictis masculis in conditione positis, vocantur masculi remotiores, uti expressè vult. Carol. Rui consil. 4. col. 3. lib. 1. Sed impræsentiarum omnes illæ conjecturæ simul copulativè concurrunt, etiam in ipsis verbis & tenore testamenti.

22. Posthumus enim masculus primo loco institutus, nominatim gravatus est, si sine filiis masculis legitimis decesserit, restituere Galcerando fratri testatoris, & rursus Galcerandus sub eisdem conditionibus gravatus est in favorem. propinquiorem consanguineorum de nomine & armis testatoris, qui quidem proximior cum eadem conditione jubetur dicta castra acceptare. Ergo filii masculi non in nuda conditione sunt positi, sed etiam gravati: idque non semel, sed per plures gradus, ita ut etiam remotiores masculi de agnatione vocentur, & sint in dispositione. Ergo multò magis descendentes masculi ex dicto posthumo, & pariter descendentes masculi ex Galcerando sunt vocati, & in dispositione, præ remotioribus collateralibus vocatis, & in dispositione positis. Igitur actor, utpote masculus, nepos ex filio masculo Galcerandi, per obitum Manuelis patris, graduali & successiva substitutione vocatus est.

23. Tertiò principaliter probatur quòd non solum ex hoc capite statim ab obitu patris vocatus fuit, sed etiam ex alio capite statim quòd natus fuit, & in lucem productus, videlicet ex capite contraventionis factæ per patrem suum. Quamvis enim tunc nec conceptus quidem esset: tamen ex capite contraventionis omnibus de familia & agnatione quæsita fuit actio. *l. Filiusfamilias §. divi de legat. 1. l. Peto §. frater de legat. 2.* Et quamvis proximior posset remotiores pro tempore suo excludere, verum est, dando cautionem de restituendo sequentibus de agnatione. text. in *d. §. frater.* versic. *Sed ita.* facit *l. unum ex familia. §. sed etsi fuerit. dum in fin. de legat. 2.* Et quamuis tunc ille solus esset, nec supereſſet alius: nihilominus ad hanc cautionem tenetur. Et sic etiam nascituris & nondum conceptis fideicommissum debitum iri potest. text. in *d. §. frater.* in versic. *cautionem autem.* Et si cautio non fuerit interposita, quamvis ex cautione, quæ non est, actio dari non possit: tamen ex fideicommisso actio dabitur

ei, qui erit de familia : text. in *d. §. fratre* versic. *quòd si cautio.*

24. Ex quibus liquidò apparet quòd quamvis nemo alius ulterior ex familia illa supersit (verba sunt *d. §. fratre*) *tamen non potest irrevocabiliter alienare.* Sed ei qui posteà nascetur, & concipietur, actio & jus vendicandi acquiretur, sive ex cautione quam ille debuit præstare, sive ex fideicommisso, etiam cautione omissa. Et quòd posteà concepti, & nati admittantur ad petitionem fideicommissi, probat ibi text. apertus in versic. cautionem autem, & ita ibi tenet glos. in verb. ex familia illa supersit, & expressim in propriis terminis Franc. Ripa. in *l. filiusfamilias*, §. *divi. num.* 17. *de legat.* 1. Quamvis ergo Galcerandus non præstiterit illam cautionem, sed alienaverit : tamen facere non potuit quin nascituro, qui esset proximior, jus fideicommissi quæreretur, prout quæsitum fuit Manueli, qui postquam fuit in rerum natura, cùm esset proximior de nomine, & armis, potuerat vendicare ab emptoribus eorum, vel heredibus, prout vendicare cœpit.

25. Et quamvis non præstiterit dictam cautionem, sed contraveniendo cesserit liti, non potuit tollere jus nasciturorum; hujusmodi enim fideicommissum non consumitur per primam vendicationem, quia non est in personam, sed in rem : & sic perpetuò durat. Bart. in *d. l. Petro.* §. *fratre, versic. venio ad 4. in fin. de legat.* 2. Et sic Manuel non potuit facere quin Francisco actori filio suo quamprimùm natus fuit, jus vendicandi quæsitum fuerit ex fideicommisso, cùm ex tempore nativitatis suæ proximior fuerit, & sit de nomine, & armis testatoris. Igitur non superest dubium, quin vendicare possit, nec apparet aliquid quo ei objici queat, nisi defectus dictæ cautionis, quam præstare non tenetur, nisi petatur, juxta not. per glos. & Doctores in *l. universa, C. de precib. imperat. offer.* Bart. & Paul. Castren. in propriis istis terminis in *d. l. Petro*, §. *fratre de legat.* 2. Alexand. cons. 96. lib. 4. ubi in annot. dixi. De qua cautione si objiciatur, facile illam præstabit. Cæterùm nec patris, nec avi qui alienaverunt, nec alicujus eorum, qui alienationi consenserunt, mediatè, vel immediatè hæres est.

26. Quartò, principaliter probatur per textum in *l. Cum ita*, §. *fideicommisso, de legat.* 2. ubi in fideicommisso relicto familiæ, vel agnationi, vel cognationi, requiritur illos de familia, agnatione, vel cognatione subsistere, & illam qualitatem habere tempore testamenti, aut saltem tempore mortis testatoris. text. in *l. si cognatis in fi. de reb. dub.* & in *d. §. in fideicommisso, in princ.* nisi testator specialiter caverit se velle voluntatem suam, & dispositionem extendi ad ulteriores, ut inquit text. in *d. §. in fideicommisso.* in fi. Et per ulteriores intelliguntur posteri, etiam post obitum testatoris nati, ut probat text. in *d. §. divi.* versic. *quòd si liberis, aut posteris*, & in *d. §. fratre*, ubi sanciunt hanc voluntatem servandam, & etiam cautionibus renovandam. Sed hic constat testatorem ad ulteriores, etiam post obitum suum nascituros voluntatem suam dispositivam extendisse, imò à nascituris incœpisse: & tandem ad alios nascituros progressum esse. Si ergo natus, & conceptus post obitum testatoris, non ob id minùs habet voluntatem dispositoriam testatoris, si est proximior de sanguine, nomine & armis : igitur non minus habebit, si concipiatur, & nascatur post contraventionem proximi alienantis.

27. Et alioquin quilibet proximior existens, majorem haberet potestatem fraudandi voluntatem testatoris, & privandi sequentes in gradu inter vivos, quàm in ultima voluntate, quod est absurdum. Si igitur Galceradus, & Manuel differendo contravenire usque ad mortem, non potuissent privare posteros suos masculos, & legitimos : igitur nec accelerando maturiùs contraventionem suam in sua vita.

28. Porrò non est dubium quin nondum nati suosti-tui possint, & eisdem substitui quandocumque nascentur, *l. substituti, de vulg. & pupill. substit.* Ut & legari, *l. qui filiabus in princ.* & in *fi. de legat.* 1. Igitur de testatoris & potestate, & voluntate constat, quæ sunt duo fundamenta omnium actionum humanarum. Quorum altero deficiente, nihil fit, & utroque concurrente, quidlibet fit, *c. cum super abbatia, extra, de offic. delegat. l. Si filio de donat. ante nup. l. omne verbum, C. communia de legat.* ubi Bald. hoc not. & in consil. 326. col. 1. consil. 456. col. 2. lib. 1. Alexand. consil. 52. num. 30. consil. 123. lib. 4. Stephan. Bertrand. consil. 1. in prin. lib. 1. editionis primæ Simonis Vincentii.

29. Et in propriis terminis, quòd etiam in simplici fideicommisso resultante ex prohibitione alienationis expressè, vel tacitè causata, admittantur concepti, & nati post alienationem, seu contraventionem, tenent Raphael Fulgo. Philip. Corneus, & Jason. num. 2. in *l. Quoties ab omnibus, C. de fideicommiss.*, per *d. §. fratre.* Idem sentit Joan. de Anania consil. 47. Ratio manifesta est : quia non est tanta, saltem non major difficultas, substitutionis, quàm institutionis. Atqui nondum etiam extraneus potest hæres directò institui. *Instit. de hæred. qualit. in princ. §. posthumus. Instit. de legat.* uterque Imo. & alii in *l. Gallus in princ. de liber. & posthu.* Igitur potest directò substitui, & multò faciliùs per fideicommissum, quo fieri possunt, quæ directò, nec per legatum quidem fieri poterant. *Instit. de fideicommiss. hæreditat. in princ.* Ergo multo magis per fideicommissum particulare, quale est id de quo nunc agitur.

30. Nec obstat quod vulgò dicitur, substitutum debere vivere tempore quo advenit conditio substitutionis : Quia illud verum est de substituto, qui aliquando vixit, quia si pendente conditione substitutionis, decesserit, substitutio prorsus expirat quoad eum, *l. unica*, §. *sin autem sub conditione, C. de cadu. toll.* Non solùm enim non est in rerum natura ; non solùm non speratur amplius aliquando fore : sed certum est illum nunquam futurum esse, nunquam rediturum in hoc sæculum. Illa enim ethnica, & prophana Pythagoricorum, seu μετεμψυχωσις, seu μετεμψυχωσις nunquam in jure nostro, nunquam in republica, aut *mente* Ecclesiastica, vel civili recepta fuit, meritò statim respectu ejus qui præcessit, habet locum, *d. §. sin autem sub conditione*, & omnes regulæ, quòd jura conditionalia ultimarum voluntatum non transmittuntur.

31. Sed secùs est in eo, qui nunquam vixit, nec natus est ; speratur autem posse nasci & vivere : quia tametsi nondum sit in rerum natura tempore extantis conditionis : non tamen substitutio, legatum vel fideicommissum fiunt caduca vel quasi : sed pendent, donec substitutus, legatarius, vel fideicommissarius nascatur : & interim res remanet penès gravatum, vel ejus successorem, cum onere quamdiu spes est aliquem nasciturũ. Ita in propriis terminis decidit Steph. Bertran. cons. 101. visis duobus testamentis. num. 2. lib. 2. editionis expensis propriis factæ per Simo. Vincent. & exemplificat in fortioribus terminis, videlicet in eo qui heredem uxorem instituit : cui post ejus mortem substituit filios naturales & legitimos ex Sylvestro filio spurio testatoris, & decidit quòd quamvis uxor supervixerit & heres fuerit, postea obierit, nondum natis aliquibus filiis ex Sylvestro, quod non extinguitur substitutio, sed pendet : & quandocumque nascentur filii legitimi ex Sylvestro, etiam ex matrimonio postea cõtrahendo, quòd statim illis natis locus erit substitutioni, bonis interim cum illo onere manentibus penès heredes dictæ uxoris, & hoc non habet dubium, quando per spem nascituri testamentum non pendet, sed semel confirmatum fuit, ut hic, ut not. omnes doctores in *l. Substit.* & in *l. Si pater filium, de vulgar. & pupill.*

32. Quintò

32. Quintò probatur, quia certum est quod testator in prohibitione facta posthumo suo masculo, & substitutione propinquioris magis, imò propriùs sensit de propinquioribus descendentibus ab eodem filio suo, quàm de aliis collateralibus aut remotioribus. Igitur in prohibitione, & simili substitutione repetita in persona Galcerandi secundo loco instituti, & à quo testamentum incœpit, magis & per prius sensit de proximioribus masculis legitime & per lineam masculinam descendentibus ab eodem Galcerando, quàm de aliis agnatis remotioribus & collateralibus. Cùm ergò verba propinquioris competierint Manueli filio Galcerandi, & nunc competant & naturaliter & legitimè Francisco actori Manuelis filio, & ad hoc mens ipsa testatoris (& privatè ad alios) protensa fuerit, sequitur, Manuelem primo loco post patrem vocatum fuisse, deinde actorem post Manuelem.

33. Et actorem respectu testatoris esse in tertio gradu: quia Galcerandus, à quo testamentum incœpit, non potest facere alium, quàm primum gradum. Cùm ergò actor tum ex ipsa natura & veritate facti immutabili, tum ex verbis & mente testatoris sit tantùm in tertio gradu, omninò vocatus est, & nihil est quod ei obstet, ut frustra obtrudi posset novella 159. in Authentic. *de restit. fideicommiss.* ultra quartum gradum non porrigenda, cùm iste sit in tertio gradu.

34. Quòd mens ipsa testatoris pro actore militet, jam ex prædictis satis liquet. Sed ex abundanti clarè ostenditur. Primò, ex eo quod idem testator proprias filias excluserit, & eis filios suos masculos, & masculos ex masculis descendentes prætulit. Secundò, ex eo quòd non solùm posteritatem suam masculinam filiabus suis prætulit, sed etiam fratrem suum, & masculos legitimè ex eo descendentes. Tertiò, ex eo quod eisdem filiabus suis in istis castris prætulit in defectum filii & posteritatis suæ masculinæ, & in defectum fratris sui quem unicum habebat, & posteritatis fraternæ masculinæ, quosvis remotiores collaterales qui reperirentur esse de agnatione sua, nomine & armis. Quartò, ex eo quod sicut filias proprias omninò etiam favore remotiorum collateralium exclusit: ita proprias neptes sive ex filio suo, sive ex fratre suo, pariter exclusit.

35. Portò tam præcisa, perpetua & continua exclusio fœminarum, nihil aliud est quàm præcisa & perpetua inclusio masculorum, quorum favore fit illa exclusio, Bart. *in l. liberorum, de verb. signific.* & in *l. 2. §. videndum, ad Tertyll.* Bald. *in l. maximum vitium, col. 1. C. de liber. preterit. vel exhered.* Sed hic filiæ, neptes, & omnes fœminæ & descendentes ex eis, primùm favore posteritatis masculinæ ipsius testatoris excluduntur. Secundò, favore posteritatis masculinæ fratris testatoris. Tertiò, favore aliorum quorumcumque remotiorum propinquiorum masculorum de gentilitate testatoris. Ergò quandiu supersunt de posteritate masculina fratris testatoris, illi soli vocantur, prout illis solis quamdiu supersunt, competunt verba & mens testatoris. Ergò Manuel mox ut natus fuit, solus vocatus fuit, & secundum gradum fecit, prout in primo gradu fuit patri, & consequenter actor vocatus est, & in tertio tantùm gradu, tum ex verbis, tum ex mente testatoris, quæ nunc in solo actore, & tanquam solo in tertio & propinquiori gradu existente verificantur.

36. Secundò, principaliter colligitur mens etiam à fortiori: quia hujusmodi prohibitio alienandi & substitutio facta est sub expressa commemoratione & onere non solùm deferendi, sed etiam jure sanguinis jam habenti nomen & arma, & sic contemplatione familiæ & gentilitiæ dignitatis in omnibus de agnatione conservanda. Et consequenter prohibitio & substitutio non est personalis, sed in rem. Quo casu, secundùm communem Doctorum sententiam, non est personalis, sed perpetua in rem, & maximè in præsenti casu, in quo testator hanc suam voluntatem extendit expressè, non solùm ad posteros filii sui masculi, non solùm ad posteros fratris sui, sed etiam ad alios quoscumque de sanguine, nomine & gentilitiis insignis.

37. Ex quibus duo ad intentionem actoris fortiter decisiva colliguntur. Primum, quòd ea verba testamenti, *qui in casu reperietur*, non sunt apposita ad excludendum posteà nascituros, cùm fideicommissum sit in rem, & non in personam, sed tantùm apposita sunt ad præferendum proximiorem qui tunc est. Cum ergò actor sit nunc proximior & solus, non de tertio, sed de secundo ordine, utpote nepos fratris, non est dubium quin dè voluntate & intentione testatoris sit vocatus, etiam de voluntate, quæ ex verbis ipsius testamenti colligitur, juxta *l. Gallus, §. quidam recte, de liberis & posthumis.*

38. Quamvis enim non sufficiat testatorem velle, nisi disponat, *l. quidam cum filium, de hered. instit.* Fallit quando voluntas ex verbis concipi potest, quia tunc satis censetur in dispositionem deducta, ut expressè tradit Bald. in repetit. *l. cùm post tres, col. 5. vers. sed quid si tantùm, si quis cautè*, & in *l. etiam col. 2. C. de jure dot.* in *l. unica, col ult. C. de his, qui ante apertas tabulas*, in *l. cum virum, col ult. C. de fideicommiss.* & in *c. secundò requiris, extra de appellation.* & est text. *in l. Ab omnibus, in princ. de l* 1. ibi, *cùm & significatio verborum non repugnet huic sententiæ, & voluntas testatoris congruat, de legat. 1.* & pulcher text. in *l. unum ex familia, §. pen.* ibi, *si omissa fideicommissi verba sint, &c. quæ leguntur, cum iis quæ scribi debuere, congruant, recte datum & missus scriptum, exemplo institutionis, legatorumque intelligetur, de legat. 2.*

39. Ideo quamvis testator non expresserit nunc natos, vel postea nascituros, tamen quia hoc congruit cum mente & cum cæteris quæ in eodem testamento leguntur, ad ulteriores quoscumq; de sanguine, nomine & armis protensa, pro scripto habetur id de quo si testator interrogatus fuisset, verisimiliter respondisset, prout verisimiliter respondisset pro isto masculo nepote ex fratre si interrogatus fuisset an vellet eum vocari, etiamsi post contraventionem à patre suo factam ex legitimo matrimonio conciperetur & nasceretur, text. in *l. cum testamentum, de reb. dub.* Alexander, consilio centesimo trigesimo lib. 2. ubi in annotat. dixi. Franc Curt. senior, cons. 29. col. 1. & latè cons. 51. col. 2. col. 10. & col. ult. Jas. in *l. Lucius, §. in princ. de liber. & posthum. in l. 1. col. 4. de vulg. & pupill.* Matthæus de Afflictis *decision. Neapolitan.* 141. Steph. Bert. cons. 134. ponitur in facto col. 2. cum seq. lib. 1. In prima editione per Simonem Vincentium facta. Facit *l. ult.* ubi Salic. *à διήγησιν C. de posth. hered. instit.* glos. & Doctores *in leg. tale pactum, in fin. de pactis.*

40. Secundum quod colligitur ex secunda ratione mentis suprædictæ num. 36. num. 37. est, quod cum prohibitio & fideicommissum non sint in personam, sed in rem, non limitantur ad quartum gradum, sed protenduntur in infinitum, quamdiu reperitur de dicto sanguine, nomine & armis testatoris, ut tenent omnes ferè Doctores in *l. filiusfamilias, §. divi. de legatis 1. & in Authent. de restitution. fideicommiss.*

41. Tertiò principaliter colligitur eadem mens ex qualitate rerum quæ alienari prohibentur, & ad proximiores de nomine & armis devolvi jubentur: sunt enim castra antiqua & nobilia, & feuda dignitatum, quæ etiam suos possessores nobilitant per text. in c. 1. *Quis dicatur Dux, Comes, Marchio.* Et quæ de feudis nobilibus traduut Andr. Isert. Bald. & alii

Qualitas rerum.

Feudà quæ nobilitant.

Doctores ibi, & in c. 1. *in princ. col.* 1 *de Capitaneo qui cui. vendit. in usibus feudorum.* Guido Papæ in diction. Delphic. 335. & 386. Et quòd castrum habens jurisdictionem annexam cum territorio & subditis, sit nobile & nobiliter possessum, decidunt Luc. Penna Doctor Parthenopæus, in *l. mulieres, col.* 2. *in quarta causa nobilitatis, de dignitat. lib.* 12. Curt. in tractat. nobilit. part. 3. num 200. cum seq. Chas. in consuet. Burgund. tit. de Feud. §. 7. col. 3. versi. inter alias, & in cons. 64. col. 4. & dixi in consuetud. Partis. 9. glos. 3. num. 3.

42. Præterea, hujusmodi castra non solùm sunt per se nobilia, & nobilitant: sed etiam sunt antiqua heredia nobilium de Arinyo. Ex quibus apparet duplex affectionis ratio mista cum favore ejusdem agnationis de Arinyo, cùm essent castra nobilia & antiqua heredia nobilitatis antiquæ domus de Arinyo. Quę nobilitas non nascitur in nictu oculi, ut inquit Bald. in Præludiis feudorum, in pen. divisione. Jacob. de Sancto Georgio in investit. feudal. vers. in feudum, in 8. divisione: per *l. Stemmata*, aliàs *Schemata*, *de gradib. & adfinit.* quæ per dignitates & divitias antiquas conservatur. Et sic non est verisimile quòd testator voluerit hæc castra antiquæ dignitatis & nobilitatis domus suę ad exteros unquam pervenire: sed perpetuò in illis de sanguine, nomine & armis suis conservari.

43. Et hoc modo in terminis multò debilioribus arguit Philip. Dec. fideicommissum censeri in rem & perpetuum, & cõcludit ex qualitate rei presumi fideicommissum in favorem proximioris de familia: in cons. 33. col pen. & in cons. 38. col. 2. vers. *Quinò etiam ex qualitate rei.* Bart. in dict. §. *divi, num.* 3. Bald. post Cynum in l. *voluntas* 1. *C. de fideicommiss.* Cyn. in l. *Ea lege, col.* 4. *vers. Et ut hæc omnia, C. ad condict. ob caus.* Bald. in l. 2. *ante fin. C. de usucap. pro empto.* Cyn. Bald. Raphael Fulg. Philip. Corn. Jas. in l. *quoties ab omnibus, C. de fideic.* Paul. in l. *filiusfam. §. divi, col.* 1. & ibi Alex. Jas. num 8. not. 2. & Ferdinandus Loazes, doctus Hispanus, col. 29. num. 58. vers. sext. & ult. & col. seq. num. 60. *de legat.* 1. Facit quod ex qualitate rei in qua est affectio (ut quia fuit majorum) prohibitio facta heredi, non restringitur ad heredem scriptum, sed extenditur ad heredem heredis. Alex. in d. § *divi*, col. 7. in fi. vers *quid autem*, ut etiam sentit ibi Bart. *n.* 3. Jas. *n.* 8. *not.* 2.

44. Præterea, hæc castra antiqua & nobilia habent vassallos censuarios, seu alios non solùm ratione territorii & jurisdictionis: sed etiam ratione feudi vel censûs, vel alterius juris fundiarii seu clientelæ subditos aut clientes, & sic ex qualitate rei prohibitę alienari, prohibitio semper valet, non solùm ratione affectionis rei ipsius quæ ad hoc sufficit, sed etiam ratione clientelarum & subditorum inde dependentium. Ita decidit Bart. in d. l. *filiusfam. § divi, col.* 1 *num* 3. exemplificans in vassallis, & addens quòd ea prohibitio videtur etiam facta favore vassallorum, & aliorum clientum: & ibi sequitur & commendat Jason in lectur. 1. col. 2. n. 26. ubi addit & ampliat quòd ex quo talis prohibitio censetur facta etiam favore & commodo vassallorum, quorum interest non mutare dominum antiquum, quòd in casu alienationis & sic contraventionis videtur relicta liberatio vassallis. Quia illi quorum favore facta est prohibitio, sunt fideicommissarii: tamen Jason ibi num. 17. non sequitur hanc suam ampliationem, sed confirmat & amplificat prædictam singularem illationem Bartoli, quòd ex qualitate rei & subditorum dependentium, prohibitio alienandi semper valet, & censetur perpetua.

Qualitas personarum.

45. Quartò principaliter eadem mens colligitur ex qualitate personæ instituentis, prohibentis, & fideicommittentis, qui erat nobilis, & ex qualitate institutorum, prohibitorum, & gravatorum, & substitutorum, qui omnes sunt de eadem nobilitate, & de eisdem nomine & armis gentilitiis. Et sic ex qualitate hujusmodi personarum præsumuntur prohibitio & fideicommissum perpetua in rem, ut est communis Doctorum sententia.

46. Quintò, ex qualitate masculinitatis, sub qua instituuntur, & substituuntur, & in favorem masculorum tantùm facta est prohibitio & devolutio. Ex quo colligitur testatorem voluisse non semel, nec ad certos gradus tantùm, sed perpetuò conservare in sua agnatione, quandiu essent aliqui masculi de eadem agnatione, nomine & armis: per masculos enim conservatur familia, quæ in fœminis finitur, *l. pronuntiatio, §. familia, de verb. significat. l. Iurisc. 9. de gradib. & affinit. l.* 1. *§. penult.* ibi, *ut ordinum dignitas familiarumque salva sit, de ventre inspiciend.* Philippus Decius consil. 352. numer. 6. versiculo sexto & ultimo. Qualitas masculinitatis.

47. Sextò, principaliter colligitur ex consuetudine generali omnium nobilium, præsertim Hispanorum, qui cupiunt nomen suum, insignia & arma immortalia fieri. Quod autem omnibus aut pluribus communiter rectum videtur vel aperitur, videtur etiam à singulis ejusdem conditionis rectum haberi & aperiri, *c. prudentiam, extra, de offic. delegat. l. si servus plurium, in fin,* ibi, *consuetudo patrisfamil. Deinde regionis, de legat.* 1. Confirmantur hæc, quia fere semper & ubique etiam juribus & moribus antiquis hęc affectio ad agnationem & nomen familiæ conservandum & perpetuandum, visa fuit honesta & utilis, & moribus hominum conveniens, ut patet ex vetusta Lege XII. Tabularum; & *Institut. de hereditat. quæ ab intestato deferunt. § item vetustas. de legitima agnat. success.* in princip. & *§. quoad fœminas.* Cõsuetudò nobilium.

48. Septimò colligitur ex eo quòd hîc non agitur de institutione directa in universitate bonorum, & hereditate propriè in terminis juris sumpta, in quibus procedit glos. ult. & communis sententia Doctorum in *l. Lucius, de heredib. instit.* sed de certis heredibus, nempe de certis antiquis castris. Et sic in effectu de certa re legata, & alienari favore agnatorum prohibita, cum onere, ut mox alienatione facta, ad proximiorem agnatum devolvatur. Quo casu posito in conditione, intelliguntur substituti & vocati, & fideicommissum graduale inest, prout inesse & fieri potest in legatis particularibus, facilius quàm in universalibus juris successionibus, *l. ut hered.* ibi, *Quod magis est, de legat.* 2. & ita in materia hujusmodi prohibitionum alienandi, decidit Jason consilio quarto, lib. 1. col. pen. vers. quarto, ad idem, lib. 1. ubi citat Ang. Perus. ad literam in *l. in legat. C. de legat.* in lectura Florentina.

49. Confirmantur prædicta per decisionem in fortioribus terminis Petri Ancharan. cons. 27. non servato ordine, ubi in substitutione facta filiis decedentibus sine liberis, de duobus antiquioribus de domo & progenie de Calcagnis, decidit hanc substitutionem non esse restringendam ad duos antiquiores proximos, sed extendendam ad ulteriores sequentes antiquiores de dicta progenie: quia nomen agnationis fuit expressum, & suppressa nomina personarum, prout hîc actum fuit post Galceranum. Igitur fideicommissum successivum & perpetuum, quod consilium refert & valde celebrat Andreas Siculus, vulgò Barbatias, in cons. 18. lib. 6.

50. Jam unum tantum obstare posset, videlicet novella 159. in Authent. *de restitut. fideicommiss. ut usque ad quartum gradum tantùm.* Sed ex prædictis apparent duæ claræ solutiones. Prima, quòd hîc actor non est ultra quartum, sed in tertio gradu tantùm: incœpit enim testamentum à Galcerando, cujus actor est nepos ex masculo in directa descendenti linea, & sic in secundo gradu respectu avi

sui primi heredis & alienatoris, & in tertio gradu respectu ipsius testatoris. Igitur per notata suprà numero trigesimo tertio.

51. Secunda solutio, quòd etiamsi actor esset ultra quartum gradum, tamen limitatio dictæ novellæ non habet locum hoc casu, quo prohibitio non solùm est in rem, sed etiam facta favore agnationis & familiæ, utque res perpetuò maneant penès proximiores, etiam collaterales de sanguine, nomine & armis testatoris, ut est communis sententia Doctorum in locis præfatis per Iacob. Belvisium in Authent. *de restit. fideic. § nos igitur*, quem refert & sequitur Alex. cons. 56. lib. 1. consil. 39. col. 2. lib. 3. Ita etiam consulunt Collegium Bononiense, ut refert & sequitur Andreas Siculus in *h cum acutissimi, col. 68. C. de fideicom.* Idem tenet Ias. in d. §. *divi*, in lectura 1. num. 113. & in *l. ult. col. 2. num. 5. C. de hered. instit.* Ioan. de Monte Ferrato in repetition. d. § *divi*, charta 6. & ibi Ferdinand. Loazes col. 73. num. 187. Philip. Dec. cons. 23. num. 4. cons. 95. & cons. 196. col. 4. num 16. Hieron Gratus cons. 31. num 24. cons. 133. ad finem lib. 2. & omnes ubique.

52. Et insuper nonnulli, ut Alex. in d cons. 56. col. 1. lib. 1. post Bart. (qui Iacob. de Arenis refert) in *l. Lucius, §. Sempronia*, seu potius in princ. *d. l. de legat. 3.* Philip. Dec. in dictis locis ampliant, ut etiam porrigatur ad omnes successores ex eo solo quòd testator non prohibuit heredem nominatim, dicendo, *prohibeo te ne alienes*, sed prohibuit indefinitè: dicendo, *prohibeo heredem ne alienet.* Sed hìc sumus in fortioribus terminis: quia non indefinitè, sed universaliter omnem heredem & successorem prohibuit, addendo in dicto testamento, *aut quicumque alius heres, aut successor meus non possit vendere, &c.* & adhuc sunt magis pregnantia verba, ut dictum est.

53. Confirmatur, quia hujusmodi prohibitio in præsenti specie, cùm sit manifestè facta in favorem & conservationem familiæ, favorabilis est, prout etiam statuta excludentia fœminas favore agnationis conservandæ, sunt favorabilia. Joan. And. in addit. ad Specul. in Rub. de succession. ab intest. saltem (& tunc secundùm omnes) quando non agitur de exclusione filiarum à testatore descendentium in linea directa, ut per Bald in *leg. maximum vitium, col. 1. C. de liber. prater. vel exhered.* & in *l. 2. C. qui non possunt ad liber. pervenì.* Alex. latè in *cons. 141. num. 9. num. 10. lib. 7.* Franc. Curt. senior *cons. 9.* Curtius junior *cons. 9.* Philip. Dec. in *l. 2. C. de in jus vocand. & in locis, col. 1. C. unde legitimi.* & latè Albertus Brunus in tractatu de *statutis excludentibus fœminas, art. 4. col. ult.*

Descendentium testatoris.

Sed jam hìc sumus in transversalibus, quos hìc constat etiam vocatos, & sic etiam secundùm omnes favorabilis est prohibitio, cum nullius descendentium odium versetur: sed merus favor, & sic tantò minùs debet hæc universalis prohibitio ad quartum gradum restringi: saltem non potest restringi in actore, qui est nepos è masculo linex directæ in secundo gradu primi heredis.

54. Et sic quantò proximior, tantò favorabilior, quia causa immediata, & quantò proximior, magis influit. Bald in *l. ex placito, col. 1. C. de re permutat.* Imò nepos iste censetur procreatus de proprio sanguine & corpore ipsius primi heredis, text. in *l. 1.* & ibi per omnes Doctores *C. de condit. inser.* Igitur magis & præ cæteris participare debet de effectibus & favoribus ejusdem testamenti, cujus non solùm verba & mens, sed etiam totius juris πανσοφία, & (ut de opere Dyni in regulas juris, dicebat Cynus) tota juris civilis synodus causæ actoris assistere videtur. Et hæc quidem non parum multis non solùm plausibilia; sed etiam vera fortasse videbuntur. Hactenus sufficiat quæcumque pro actore induci possunt, diligenter, & bona fide in apertum eduxisse, & nihil intactum reliquisse, ne de tam ardua & argumentosa quæstione obiter, & non nisi re penitissimè perspecta & discussa, censuisse videamur.

55. At cùm tandem ad verum ventum est, prædictis, quantumvis urgeant, non obstantibus, reum absolvendum fore censemus. Et quia, juxta vetus proverbium, brevis est veritatis oratio: insinuatio enim & prolixior disputatio etiam lurisconsultis, nedum Oratoribus malam tantùm, vel suspectam, non autem bonam causam decent, breviter, perspicuè & decisivè, a sufficienti partium enumeratione, & quaquaversum res verti queat, actorem nullum jus habere ostendam. Deinde sylvam argumentorum pro actore conquisitorum, velut secum Phocionis prolixas, & artificiosas Demosthenis orationes, concidam. Assumo ergò totius causæ cardines, nempe tres illos articulos suprà num. 1. Resolutio.

56. Et ad primum, quod actor nullum jus habeat ex persona Manuelis patris, hypothesis ipsa facti ostendit: quia non est heres patris sui: & si esset heres, sepium etiam, si quod jus ex persona sua haberet, penitùs & perpetuò excluderet, per regulam vulgatam *l. vendicantem, de eviction.* Pater enim renuntiavit, transegit, & cessit. Igitur *l. cum à matre, C. de rei vendicat. l. venditrici, C. de reb. alien. non alien.* Cùm ergò nec patris, nec avi, nec mediatè, nec immediatè sit heres, nullum jus ex eorum personis vel jure transmisso, habere potest, nec ex personis proparruorum, vel aliorum remotiorum, quorum etiam se heredem esse non dicit: agit enim jure proprio & ex persona sua. Et sic de jure transmisso nihil amplius inquirendum, nisi quòd ad finem consilii ad abundantiorem confirmationem aliquid dicam. Cùm ergò tantùm supersit inquirendum, an actori quæsitum fuerit jus per eventum conditionis fideicommissi, sive ex persona patris sui, sive ex persona sua, sive ex persona alterius: dico breviter, & per singula luce clarìs ostendo.

57. Primò, quòd ex eventu conditionis dicti fideicommissi in persona Galcerandi, videlicet quando Galcerandus vendidit, nullum jus competit nec competere potest actori; quia per eventum dictæ conditionis nullum jus fuit quæsitum nec quæri potuit Manueli, nec actori ejus filio: cùm eo tempore neuter eorum esset in rerum natura, nec conceptus quidem. Sed jus fuit quæsitum, & fideicommissum devolutum ad Petrum, Ioannem & Franciscum de Arinyo fratres, & patruos Galcerandi venditoris, qui erant proximiores de sanguine, nomine & armis testatoris. Et sic illi soli, & non alii illud fideicommissum secundo loco vel gradu vocati sunt, ut ipsa rei evidentia tenore testamenti & genealogiâ inspectis oculatiùs & velut palpabiliter demonstrat. Ita ut nec ratione quidem opus sit, cùm sensus sufficiat, & in eo quòd sensus ipse demonstrat dubitantes, non argumentis, sed verberibus erudiendi essent, ut post Aristotelem passim ait Baldus.

58. Nec obstat quod illi patrui non acceptaverunt fideicommissum ad se devolutum, sed repudiarunt consentiendo venditioni Galcerandi, quia nihilominus fecerunt secundum gradum: legatum enim vel fideicommissum, etiam quoad dominium, statim extante conditione, transfertur, & ipso jure vel ignoranti quæritur, *l. cum pater, §. surdo, de legat. 2. l ult. §. ult. C. commun. de legat.* Non enim prædecesserunt Galcerando nepoti ex fratre, sed superstites ei fuerunt: & sic fideicommissum eis factum, non est factum caducum, vel quasi: sed eis ut tempore contraventionis Galcerandi superstitibus, & proximioribus ipso jure quæsitum. Non enim Galcerandum ad vendendum extraneo provocaverunt; sed cùm vendidisset, aut saltem illi vendenti & contravenienti, ad secundatem contractûs & emptoris, consenserunt, approbaverunt, laudaverunt.

59. Hic autem consensus, hæc laudatio & approbatio necessariò sequitur venditionem approbandam & laudandam, saltem ordine intellectûs, qui sufficit,

ut unus actus prior, alter posterior dicatur, text. in *l. 2. in fin.* & ibi Alex. *de vulg. & pupill.* Bald. *in l. Arethusa, ad fin. de stat. homin.* & *in l. exception. col. 4. C. de probation.* & in procœmio Cod. *col. ult.* quem sequitur Panorm. in *c. 1. extra de lit. contestat.* Idem Ang. Petrus. §. 1 *col. 1. versic. Et per hoc dicebam.* in Authent. *de exhibend. reis.* Felin. in *c. inter monasterium, col. 4. extra, de re judic.* Ergò dicti patrui laudando & approbando remiserunt jus suum sibi quæsitum in favorem primi emptoris, & sic secundum interea fecerunt gradum, & in effectu fuere secundi venditores, seu alienatores & contravenientes. Quare locum fecerunt tertio gradui dictæ substitutionis vel fideicommissi in persona Gasparis de Arinyo, qui tunc vivebat, & erat frater patruelis dictorum patruorum, & post eos proximior de nomine & armis testatoris.

60. Quibus temporibus Manuel pater actionis nec conceptus quidem erat, & sic nihil illi devolvi potuit ex dicto fideicommisso, nullum penitus gradum facere potuit; quia ex non ente nihil fit, & non entis non sunt qualitates nec differentiæ, *l. ejus qui in provincia*, & ibi Paulus Alexand. *de rebus credit.* & multò minùs impedire potuit quin ad alios de nomine & armis, qui tunc reperiebantur & superstites erant, fieret devolutio, & quin illi gradus inter se facerent, prout dictus Gaspar fecit tertium gradum, & deinde filii ejus quartum gradum, & nepotes ex eo quintum, & tandem pronepos ex eo sextum gradum, cujus persona & cellula ultima fuit in exaratione genealogiæ brevitatis causa, omissa.

61. Constat ergò nullum unquam jus quæsitum fuisse actori ex persona Galcerandi, sive ex eventu conditionis in ejus persona, nec solùm non fuisse quæsitum: sed impossibile esse quæri potuisse actori vel ejus patri. Pariter constat non fuisse, nec possibile esse quòd fuerit jus quæsitum actori, nec ejus patri, ex personis patruorum Galcerandi, vel ex eventu conditionis contingentis in personis eorum. Sed jus fideicommissi necessariò devolutum fuit Gaspari de Arinyo, qui tunc superstes erat, & propinquior de sanguine, nomine & armis, & in tertio devolutionis gradu. Et consequenter multò minùs actor prætendere potest jus sibi apertum ex persona dicti Gasparis. Tum quia ille non contravenit: Et sic quidquid juris fuit vel esse potuit, transmisit ad filios suos, qui sunt in quarto gradu. Tum quia si Gaspar vivens contravenisset, fideicommissum fuisset ex ea contraventione apertum, & quæsitum filiis naturalibus & legitimis dicti Gasparis de Arinyo, qui erant proximiores de sanguine, nomine & armis de Arinyo, & in quibus, utpote existentibus in quarto gradu, tota virtus & omnis effectus dictæ prohibitionis, & omne jus prætensi fideicommissi extinctum & resolutum fuit, per text. in fortioribus terminis in Authent. *de restit. fideicom.*

62. Et sic quaquaversùm rotetur actoris intentio, nullum potest nec fundamentum, nec locum invenire, etiam ambulando per personas omnium fideliter in dicta figura descriptarum, etiamsi usque ad decimum gradum descenderetur, quod nimis esset supervacuum, cùm sufficiat discurrere usque ad filios Gasparis: Quos ex hypothesi constat, etiam antequam actor natus vel conceptus esset, quartum gradum tenuisse, & consequenter ante nativitatem & conceptionem actoris ad quartum gradum perventum esse, atque ita omnem vim & spem dictæ prohibitionis & fideicommissi suppressam, extinctam, & in perpetuum resolutam fuisse, diu antequam actor in rerum natura esset.

63. Minùs obstat si diceretur quòd Manuel actoris pater, vivebat tempore quo vivebant filii Gasparis, & forte quòd natus, vel conceptus erat tempore mortis dicti Gasparis. Tum quia dictus Gaspar non contravenit, & sic in ejus persona, nec in vita, nec in morte extitit casus prætensi fideicommissi: & consequenter transmisit ad filios suos, in quibus tanquam in quarto gradu, prohibitio & fideicommissum extincta sunt. Tum quia, si conditio extitisset in persona Gasparis, non fuisset apertum nec devolutum jus Manuelis, qui distabat à Gaspare filio propatrui suis ex gradibus: sed apertum & devolutum fuisset filiis Gasparis uno tantùm gradu ab eo distantibus, ut proximiores esse non potuissent. Tum quia, si quod jus apertum fuisset Manuelis, actor non posset ex eo niti, cùm non sit ejus heres: & si heres esset, adhuc alia ratione fortiùs excluderetur, ut dictum est per d. l. *vendicantem.* Tum, quia Manuel de facto contravenit antequam actor esset natus vel conceptus; & sic, si quod jus habuit, resolutum fuit & delatum; tam ex lege legis communis, quàm ex lege expressa & speciali testamenti ad dictum Gasparem, vel filios ejus, qui viventes & proximiores erant tempore renunciationis & cessionis factæ per Manuelem.

54. Nec obstare potest si dicatur, quòd jus quod competierat Manuelis, fuit delatum actori postea nato, utpote tempore nativitatis suæ proximiori alienanti, quamvis post alienationem natus & conceptus fuerit, per notata suprà numeris tertio, vigesimo quarto & vigesimo quinto. Quia multiplex solutio prompta est. Prima, quia antequam conciperetur Manuel, jus omne fideicommissi devolutum fuerat patruus primi venditoris, deinde ab illis avulsum & devolutum prædicto Gaspari, & consequenter Manuel nullum unquam jus habuit: ita quod nihil vendidit, nihil renuntiavit, nihil cessit, nisi jus prætensum. Nunquam enim fideicommissarius fuit, quia alii vocati erant: ad quos usque ad Gasparem, qui non contravenit, jus fideicommissi devolutum fuit: à quo, etiam si contravenisset, nihil apertum, nihil devolutum fuisset Manuelis, sed filiis Gasparis in quarto gradu existentibus, in quo totum istud fideicommissum suppressum & extinctum fuit. Secunda solutio, quòd in terminis testamenti & fideicommissi quo de agitur, non sufficit aliquem esse tunc & ex postfacto proximiorem, si tempore conditionis existentis non erat in rerum natura, saltem si tunc aliqui de sanguine, nomine & armis superant, quorum proximiores soli vocati sunt, & eis solis jus fideicommissi ex lege testamenti quæsitum fuit, ut clariùs demonstrabitur in dilutionibus allegatorum pro actore.

65. Tertia, quia etiamsi actor fuisset natus & conceptus tempore renuntiationis, & cessionis factæ per Manuelem patrem suum, tamen nullum jus fuisset apertum nec quæsitum actori, nec cuicumque alii ex hac contraventione: quia Manuel non erat fideicommissarius, nullum jus habebat, nihil renuntiabat, nihil cedebat, nisi de facto: quia diu antequam fuisset in rerum natura, jus fideicommissi fuerat ad alios devolutum, apud quos remanebat. Et sic contraventio Manuelis non fuit contraventio, nec fecit aliquam conditionem fideicommissi existere. Testamentum enim loquitur de contraventione heredis instituti vel substituti, seu veri fideicommissarii habentis jus ex testamento, & verè prohibiti & gravati dumtaxat, nec possunt verba, nec dispositio testamenti alteri personæ adaptari, nec in alio verificari.

66. Sed Manuel non erat, nec fuit unquam heres, nec substitutus, nec successor testatoris, nec mediatè, nec immediatè, ne Galcerandi quidem patris sui. Quia si fuisset ejus heres, non potuisset litem movere, & dato etiam quòd fuisset heres patris sui, tamen non potuit esse heres testatoris, nec mediatè quidem, quia ex hypothesi constat quòd diù antequam Manuel esset natus, vel conceptus, dictus Galcerandus pater ejus erat privatus omni hæreditate & hereditate testatoris, & nominatim castris, & rebus, de quibus agitur, quæ omnia erant ad alios devoluta & acquisita. Ergò sive postea Manuel fuerit heres patris sui, sive non, nihil ad rem: quia nunquam fuit heres, nec

ſucceſſor teſtatoris, nec filius aut heres heredis: quia antequam conceptus eſſet pater ejus, dicta hereditate in alios ſtatim ipſo jure tranſlata, penitus & irrevocabiliter privatus fuerat.

67. Et conſequenter etiamſi actor fuiſſet natus & conceptus tempore dictæ renuntiationis, & ceſſionis factæ per Manuelem patrem ſuum, nihil ad rem: quia nec hoc quidem caſu dici poſſet aut cenſeri heres aut ſucceſſor, mediatè vel immediatè ipſius teſtatoris, nec ab eo vocatus aut cognitus: cum jamdudum, etiam ante patrem ſuum conceptum, hereditas eſſet in alios tranſlata.

68. Quarta ſolutio, quia poſt fideicommiſſum ſemel propter contraventionem commiſſum, & proximiori qui tunc repertus fuit, acquiſitum, nunquam rurſus hoc fideicommiſſum aperiri poteſt, niſi per novam contraventionem: quia poſt ſubſtitutionem Galcerandi, nullum eſt fideicommiſſum in toto illo teſtamento, niſi in conſequentiam prohibitæ alienationis & in caſum contraventionis eidem prohibitioni per ipſum prohibitum factæ duntaxat. Sed poſt primam contraventionem Galcerandi inſtituti & nominatim prohibiti, & poſt ſecundam contraventionem patruorum ejus, qui erant proximiores vocati & prohibiti, nulla facta eſt contraventio, nec per dictum Gaſparem, ad quem per contraventionem dictorum patruorum, tanquam ad proximiorem tunc exiſtentem, jus devolutum fuit, nec per alium. Igitur non fuit, nec eſt amplius locus ulli fideicommiſſo.

69. Et ſic liquet actorem prorſus inadmiſſibilem eſſe. Non enim poteſt admitti ex dictis duabus contraventionibus Galcerandi & patruorum ejus: Tum quia, tunc non erat in rerum natura: Tum quia alii vocati fuerunt quibus jus quæſitum fuit & in quibus fideicommiſſa ex dictis duabus contraventionibus orta, ſortita ſunt ſuum effectum, & ſemel conſumpta fuerunt. Nec etiam admitti poteſt ex aliquibus aliis contraventionibus, quæ non fuerunt, nec ſequutæ ſunt. Contraventio, enim Manuelis patris actoris non fuit contraventio pertinens, ut demonſtratum eſt: & ſi fuiſſet pertinens contraventio, fideicommiſſum fuiſſet devolutum, radicatum, & conſumptum in perſonis dicti Gaſparis, vel filiorum ejus. Et ſic quaquaverſum ſe vertat actor, admiſſibilis eſſe nequit.

70. Quinta ſolutio, quia fideicommiſſum ſemel apertum, & ei qui tunc proximior erat, quæſitum, non poteſt reſolvi, niſi de contraventione ejus appareat. Et ſic ex novo conditionis eventu, & novo fideicommiſſo infra quartum gradum contingenti auferri, etiam in favorem alterius nunc proximioris, de nomine & armis teſtatoris, ſed concepti & nati poſt eventum conditionis, & jus ſemel alii quæſitum. Quia primo ex forma & tenore ipſius teſtamenti ſolus ille vocatur, qui tempore extantis conditionis proximior reperitur. Secundò, quia ſemel vocatus nunquam gravatur, nec teſtator vult ab eo ullo modo avelli, niſi in caſu contraventionis, non autem vult avelli propter ſupervenientem nativitatem alicujus proximioris, qui poſtquam natus eſt, proximus quidem apparet. Sed ex poſtfacto poſt fideicommiſſum jam commiſſum & devolutum ad alium, à quo non eſt auferendum niſi contraveniat, ut dictum eſt. Et hæc eſt ipſa veritas tam clara & aperta, ut verborum adminiculo non indigeat. *l.* 1. *C. ſi ima. fact. hær. ſe abſtinue.* Quid enim argumentis opus eſt, ſtante evidenti demonſtratione?

71. Nihilominus adhuc & ex abundanti ſextam do ſolutionem & inadmiſſibilitatem actoris: quia etiamſi poneretur in facto, & verum eſſet (ſuppoſitivè loquendo) quòd dictus Gaſpar poſt fideicommiſſum ſibi apertum contraveniſſet, & quòd tempore ſuæ contraventionis, & ſic novi fideicommiſſi exiſtentis, dictus actor fuiſſet natus, aut ſaltem conceptus, adhuc nullum jus haberet, nihil petere poſſet, quia nullo modo vocatus eſſet ex contraventione Gaſparis, utpote excluſus à filiis naturalibus & legitimis ejuſdem Gaſparis, tempore dictæ contraventionis patris ſui propinquioribus de nomine & armis, & in quibus tanquam in quarto gradu exiſtentibus prohibitio illa & omne fideicommiſſum inde dependens ſupprellum fuit, & finem accepit: ut in *Authent. de reſtitut. fideicommiſſ.*

72. Non enim attenditur proximitas reſpectu ipſius teſtatoris, ſed reſpectu ultimi contravenientis, ſeu gravati, vel perſonæ ultimò ad fideicommiſſum admiſſæ. Quod quanquam ſupervacuum ſit diſcutere; tamen ad majorem actoris convictionem, & veritatis & juſtitiæ propugnationem oſtendere non gravabor. Primò, per text. in *l. cum ita, §. in fideicommiſſ. de legat.* 1. ibi. *Et qui ex his proximo gradu procreati ſunt*, ut legit Accur. in gloſſ. ordinaria, & eſt communis lectio, vel, *Et qui ex his primo gradu procreati ſunt*, ut legitur in Pandectis Florentinis, quod idem eſt: & ſic eſt ibi text. rotundus quòd in fideicommiſſo relicto familiæ, vel favore familiæ teſtatoris, poſt nominatos à teſtatore, & poſt illos, qui de nomine & familia teſtatoris fuerunt eo tempore quo teſtator moreretur, veniunt & vocantur proximi, quique procreati ex iſtis ultimo loco, de medio ſublatis & gravatis. Et ſic proximitas attenditur, reſpectu ultimi gravati, vel ultimi fideicommiſſo excluſi. & ita decidit ibi Bal. in 2. notab. Joan. Imol. in *l. heredes mei. §. cum ita ad Treb.*

73. Et ſic quemadmodum per contraventionem & privationem Galcerandi vocati ſunt ejus patrui, & per contraventionem & privationem eorum vocatus eſt dictus Gaſpar, ut clariſſimè & neceſſariò demonſtratum eſt: Ita ſi contigiſſet Gaſparem contravenire vel privari, acquiſitum fuiſſet fideicommiſſum filiis ejus naturalibus & legitimis ab eo procreatis, & non aliis, nec actori quidem, etiamſi actor poſt fideicommiſſum devolutum Gaſpari, & eo contraveniente, inventus fuiſſet in rerum natura, ſtantibus filiis dicti Gaſparis, à quibus excluſus fuiſſet per illum text. ibi. *Et qui ex his* (ſcilicet noviſſimè gravatis, & de medio ſublatis) *primo gradu procreati ſunt.* Et non modò ſemel fuit excluſus actor per filios Gaſparis: ſed etiam in perpetuum, remotâ & peremptâ in illis (utpote in quarto gradu exiſtentibus) omni virtute, ſpe, & effectu dictæ prohibitionis & fideicommiſſi.

74. Et ita quod hoc caſu debeat attendi proximitas reſpectu ultimò gravati, à quo fideicommiſſum evellitur, & non proximior reſpectu teſtatoris, poſt ſeriam & exactam diſcuſſionem, decidit Bartol. Socinus in *l. ſi cognatis*, col ultim. num. 40. verſ. *ſexta & ultima concluſio de reb. dub.* Quamvis enim in ſubſtitutione vulgari debeant præferri proximiores teſtatoris, & non ejus cui facta eſt ſubſtitutio, & etiam in fideicommiſſis & legatis, quando capiuntur immediatè de manu teſtatoris, antequam alius acquirantur; tamen poſt primam illam acquiſitionem, attenditur proximitas per reſpectum, non ad teſtatorem, ſed ad perſonam illius, de cujus manu accipitur, videlicet ultimi gravati, ut eſt de mente Bartoli, in *l. re conjuncti col. pen. q.* 3. *de legat.* 3.

75. Et ſubdit Socin. in *d. l. ſi cognatis in fin.* ſe ita pluries conſuluiſſe Senis, Piſis, & in curia Romana, & in regno Majoricarum, ſeu apud Baleares inſulas, & teſtatur idem conſuluiſſe Alexand. Imol. & Joannem Baptiſtam de ſancto Severino præceptores ſuos, & ſibi etiam ſubſcripſiſſe Bal. de Bartolinis, & Philip. Corneum. Et addit ita per doctiſſimum Advocatum cui cauſa commiſſa fuit, judicatum Florentiæ, citat etiam *conſ.* Paul. Caſtr. non impreſſum. Ita etiam rurſus decidit Socin. in *l. heredes mei. §. Cum ita col.* 7. *num.* 16. *in fin. ad Trebel.*

76. Ita etiam latè conſuluit idem Socin. *conſ.* 249. *col.* 13. *cum trib. col. ſeq. lib.* 2. ubi loquitur in fortioribus terminis, videlicet contra deſcendentem ab ipſo teſtatore, & proximiorem in gradu ipſi teſtatori: Cui tamen ſenſit præferri remotiorem reſpectu teſtatoris,

qui est proximior ultimò gravato Quantò fortius hic, ubi actor non est de descendentibus, sed de collateralibus testatoris. Et insuper ubi Gaspar de Arinyo & ejus filii non solùm sunt proximiores ultimis gravatis: sed etiam sunt multò proximiores stipiti communi domus & agnationis de Arinyo: à qua castra & loca de quibus agitur, processerunt, ita etiam latè consuluit idem Socin. consil. 86. col. 4. num. 11. cum seq. & in consil. 73. col. 3. num. 14. cum sequentib. lib. 4.

77. Ita etiam decidit Anton. Rubeus in *l. Gallus* §. *quidem vetè*, *col.* 35. *de liber. & postbum.* & in cons. 36. eximii col. 2. col. ult. num. 6. 7. 8. & consil. 36. Memini col. ult. num. 4. & consil. 40. circa dubium, col 2. num. 4. num. 5. & consil. 82. viso eleganti num. 1. & num. 5. idem Lud. Gozadinus cons. 4. col. 5. num. 17. ubi dicit se habere multa in eam rem consilia non impressa, & ante eos idem voluit Philip. Corneus consil. 22. col. 6. lib. 2. & expressè in materia substitutionum, Carol. Ruinus, consil. 191. num. 7. lib. 2. Ita etiam Steph. Bertran. (qui fuit vir magnæ eruditionis & recti judicii, ut dixi in tract. *de donatio. facta. vel confirma. in tractu matrim. num.* 67.) decidit in consil. 300. col. 2. num. 2. lib. 3. in prius impressis per Simonem Vincentium. Faciunt not. in c. 1. & ibi Andr. Iser. *de natura successionis feudi, in usib. feudor.* ubi quamvis alias in feudis semper respiciamus primum stipitem. Bald. in c. 1. col. 1. ad fin. & ibi Marti. Laud. col. 2. de eo qui sibi & suis heredibus, & in c. 1. §. ult. col. 2. *de successione fratrum, vel gradibus succedentium in feudo, in usib. feudo.* tamen etiam inter descendentes ab illo inspicitur proximitas ultimi vassalli, & non primi acquirentis. Philip Corneus consil. 37. col. 2. consil. 190. lib. 3. Philip. Dec. cons. 445 num. 19. Et quanquam aliqui contrarium teneant: tamen hæc pars crebrior est & fundatur. Sed ut dixi, hæ sexta, quanquam juridica, solutio supervacua est, sufficientibus, imò superabundantibus dictis quinque solutionibus, & aliis prædictis mediis ineluctabilibus, & quæ neminem contradicentem habent.

78. Adhuc, pauci illi qui tenent in substitutionibus proximitatem respectu testatoris attendi, loquuntur in aliis quàm hujus testamenti terminis, videlicet quando testator dispositit descendentibus suis tantùm, ut quando vocavit proximiorem è descendentibus suis, vel posteritate sua, vel si vocavit etiam collaterales, quando restrinxit ad suum, vel sibi proximiorem: & sic referendo ad se, sive ad proximiores sui ipsius, prout certum est quòd pronomen Suus, vel Meus, restringit, *l. Stichum qui meus erit, de legat. 1. l. Si ita legatum, de auro & arg. legat. l. ult. in princ. eo. tit. l. nuper. de legat. 3.* imò etiam quando incerto corpori additur, ut hic, facit taxationem, ut decidit Bart. in *d. l. nuper.* Alexand. cons. 76. lib. 1. Ita loquitur Francisc. Ripa in *l. Ex facto in princ. num. 6. ad Trebel.* Quod est longè diversum à terminis hujus testamenti: ubi testator in casum contraventionis non vocavit propinquiorem posterorum suorum, nec propinquiorem suum, restringendo ad proximos respectu sui ipsius: sed in genere vocavit propinquiorem consanguineum, de suo nomine, & suis armis. Et consequenter, etiam alio non expresso, intelligitur de propinquiore qui tunc est respectu ultimi fideicommissarii vel gravati. Quantò fortius, ubi testator addidit: *Qui in tali casu reperietur*: & sic expressè restrinxit ad proximiorem tunc existentem, & ad illum solum & non ad alium, & voluntatem suam, & verba direxit: ergo actor & verbis & voluntate testatoris destituitur & excluditur.

79. Imo etiam non solùm communi, sed etiam concordi omnium Doctorum de hac re scribentium sententia excluditur. Quia etiam ex illis paucis, qui volunt in substitutionibus proximitatem respectu testatoris attendi, nullus est qui loquatur in favorem proximioris nondum nati vel concepti tempore conditionis fideicommissi extantis: Sed omnes loquuntur de proximioribus tunc jam natis, quorum unus est proximior respectu testatoris, alter proximior respectu gravati, seu personæ ultimò admissæ. Sed quandò proximior respectu testatoris nondum natus est, nec conceptus, omnes ubique tenent nullam penitus de illo rationem habendam, etiamsi testator dispositionem suam non limitasset ad propinquiorem tunc existentem, prout hic expressè restrinxit. Multò plura adducere pollem pro Illustriss. Duce, nisi temporis & aliorum urgentium negotiorum angustiæ vela contrahere cogerent.

80. Nunc igitur breviter & succinctè diluendo objecta: ad primum. Quòd actor sit ex verbis testamenti vocatus, sup. num. 2. solutio ex verbis ejusdem testamenti apparet. Quia non est institutus, nec substitutus, nec in dispositione nec in conditione quidem positus. Quid quòd nec patris quidem proprii, nec avi sui & multò minus testatoris heres est? Fideicommissum autem in casum contraventionis, quo solo nititur actor, ei non congruit, nec adaptari potest. Vult enim testator & expressè disponit quòd posthumo suo, vel Galcerando fratre suo ei substituto alienante, statim hereditas ab eo recedat, & ipso jure transeat & perveniat ad propinquiorem consanguineum. Nunc etiam alio non dicto, nec Manuël qui nondum conceptus erat, & multò minus actor vocari potuit: sed statim hereditas à Galcerando evulsa, ad patruos ejus transivit, qui soli proximiores erant, & ab illis ad Gasparem, qui solus erat proximior, etiam non solùm respectu gravati, sed respectu quoque testatoris, ita quòd utraque proximitas in eis qui concurrentibus carebant, concurrebat: quantò fortius, quando testator addidit etiam hanc qualitatem personæ designativam, qui in tali casu reperietur? Ergo Manuël qui tunc non reperiebatur, & fortius actor non solùm non vocatus, sed disertis verbis perpetuò excluſus. Extitit ergo conditio fideicommissi in persona Galcerandi, sed non ad commodum Manuelis, & multò minus actoris; sed ad commodum patruorum, & rursus in horum personis contravenientibus mox ad commodum Gasparis de Arinyo extitit. Diluitur objectorum.

81. Quod autem obiter sup. num. 2. dicitur, iterum extitisse conditionem in persona Manuelis, recitatio est objectionis actoris falsa & ridicula, per not. suprà, num. 65. non repetendo: Quia Manuel nunquam vocatus fuit, nunquam jus habuit, nunquam inter heredes vel etiam successores fideicommissarios testatoris computari potuit, & sic nec in prohibitione, nec in gravamine: & cum nihil haberet, nihil alienare, nec in aliquo contravenire potuit. Nec valet quod sup. num. 3. dicitur verba, *Qui in tali casu reperietur*, non ad tempus, sed ad causam seu qualitatem referri: quia imò ad utrumque referuntur, videlicet ad tempus, & ad qualitatem requisitam, videlicet ut tunc sit in rerum natura, & talis, nempe de nomine & armis, & proximior. Cùm ergo actor & ejus pater non essent in rerum natura, non solùm eis deficit tempus; sed etiam substantia, & qualitas, quia non entis nullæ sunt qualitates: suprà, num. 59.

82. Quod autem suprà, num. 4. dicitur, ea verba ad executionem referenda: contra actorem facit, quia testator voluit statim executionem fieri, & non pendere: sed statim perfici, ibi, *Perveniat*, quod verbum rem consummatam & executam cum effectu significat *l. 2. §. pervenisse, de hered. vel action. vend.* & sufficit vel momento pervenisse, *l. pervenire, de verb. signific.* & sic necesse est jus quæsitum & radicatum fuisse ei qui tunc erat proximior de sanguine & armis, etiam ignoranti, *l. cum pater, §. furdo de legat. secundo.*

83. Rursus contra actorem facit, quod sup. *num.* 5. dicitur, ea verba, *Qui in tali casu reperietur*, ad hoc esse apposita, ut pluribus stantibus, proximior qui in ea qualitate tunc reperitur, cæteris præferatur. Hoc enim

in se verum est. Sed primò bene sequitur, præfertur cæteris existentibus: ergo multò fortiùs præfertur non existentibus. Secundò, quòd perpetuò & cum effectu ad talem, & non ad alium hereditas pervenit, cæteris omnibus, etiam jam natis & multò fortiùs nascituris perpetuò exclusis, nisi contingat illum qui vocatus & admissus est, contravenire, quo casu contingente inspiciendum erit quis tunc sit proximior, & in ea qualitate. Cæterùm, nisi vocatus contraveniat, nullo fideicommissò, nullo deinceps onere gravatus est, sed perpetuò pro se & suis habet.

84. Tum verba illa, *Qui in tali casu reperietur*, denotant extremitatem temporis, sive certum determinatum tempus alienationis & contraventionis. Ergo succedunt duæ regulæ. Prima, quòd inspiciendum est illud tempus, text. in *l. 4. in fin. de conditio. & demonstr.* Jason, seu verùs Alexand. in *§. rursus. Instit. de action.* Jason in *l. substitutione. col. 1. de vulg. & pupilla.* Secunda, quòd qualitas juncta verbo, vel certo tempori aut eventui, debet inesse tempore illius verbi vel eventus *l. in delictis. q. si extraneus, de noxal. action. l. ex facto. §. si quis autem*, & ibi Alexander in Trebel. *l. Titius de testamento militis.* Alexander *conf.* 143. *num.* 1 *lib.* 6. ubi in annot. dixi, & in *Consuet. Pariſ.* §. 58. *num.* 56. Et sic necesse est dicere quòd dicta verba referre ad aliud tempus, quàm ad tempus contraventionis & extantis conditionis, mera est contorsio & cavillatio. Tum, dicta verba sunt manifestè appolita gratiâ demonstrationis restrictivæ, non autem gratiâ extendendi vel prorogandi fideicommissum illud casuale, sed gratiâ restringendi. Ergo non possunt operari ampliationem substitutionis, nec interpretari ut extendantur ad personas, quæ tunc non erant in rerum natura, *l. legata inutiliter, de legat. 1. l. legata inutiliter de aliment. legat. l. cum tale, §. ult. de condit. & demonstr.* Sed sic est quod absque illis verbis non continebantur nondum nati, nec concepti tempore extantis conditionis. Ergo multò minùs continentur adjectis illis verbis restringentibus ad eos, qui tunc non solùm erant in rerum natura, sed etiam jam erant debitè qualificati.

85. Confirmatur, quia illa verba adjiciuntur per modum conditionis, quæ inducit formam, utpotè per relativum *Qui*, junctum verbo futuri temporis, quod inducit conditionem, text in *l. Stichum qui meus erit.* & ibi Bart. Alex. & omnes, *de legat. 1. l. nuper in fin.* & ibi Bart. *de leg. 3. l. si debitor, §. verisimile est*, & ibi Bart. *de contrab. empto. & vendit.* sive referat personam, sive qualitatem vel accidens, glos. in *l. C. de sentent. quæ pro eo quod inter.* Bart. *in l. 1. col. 6. de condit. & demonstr.* Bart. Imola, in *l. si Titius. Cum, ita de leg. 2.* Jason in *d. l. Stichum qui meus erit not. 1.* Porro nulla conditio levis est solemnitatis, Alex. in *l. 1. in fin. de lib. & posthum.* Philip. Dec. *1. ex parte M. de appellat.* Sed formam inducit Bald. in *Authent. Matri & aviæ col. 1. C. quando mulier tutel. off. fungi poss.* Alex. *d. l. 1. in fin.* Maria Soc. *c. si diligenti. col. 3. de foro comp.* Philip. Dec. *conf.* 532. *num.* 4. Forma verò non potest impleri per æquipollens Angel. Petrus. Alex. in *l. ubi autem non apparet. §. illud de verb. oblig.* Jason in *l. Gallus, §. Idem credendum, de liber. & posth.* Jason, Phil. Dec. in *l. certum*, ubi in annot. dixi. *Si certum pet.* Et sic illis qui non erant in rerum natura, tempore alienationis Galcerandi, non solùm verba & mens testamenti, sed etiam substantia, Forma, qualitas & accidens, & omnia deficiunt.

86. Rursus confirmatur: quia certum est de jure, quòd quamvis in substitutionibus non semper requiratur substitutum esse in rerum natura tempore testamenti, vel mortis testatoris: tamen requiritur quòd sit in rerum natura, saltem tempore extantis conditionis, ut latè Alexand. *conf. 26. in fin. lib.* 3. Socin. *conf.* 10. *num.* 12. *lib.* 3. & omnes ubique. Et cùm hoc concurrit expressa voluntas & dispositio testatoris qui censetur illam clausulam, *Qui in tali casu reperietur*, apposuisse ad corroborationem juris communis & communis sententiæ, prout etiam in dubio se illi conformare censetur Alexand. Jason, & omnes in *l. col. 9. de vulg. & pupil.* Alex *conf.* 55. *num.* 2. ubi in annot. dixi *lib.* 4. Matthæus de Afflict. *decision. Neapolit.* 44. *num.* 20. Philip. Dec. *conf.* 257. *col.* 2. ubi in annot. dixi. Concursus autem juris cum facto patris vel testatoris, multò fortiùs operatur. Alex. in *l. quidam ita. §. ult. col. 1. ad Trebellian.* & in *conf.* 93. *num.* 8. *lib.* 7. ubi in annot. dixi Philip. Dec. in *l. 1. C. qui admitti.* Et in *conf.* 43. *col.* 3. ubi in annot. tetigi. Liquet ergo ex prædictis, quòd actor nec ex suâ, neç ex patris sui persona, nihil omninò præterire potest in vim clausulæ prohibitæ alienationis & fideicommissi casualis in eventum contraventionis, & multò minùs prætextu fideicommissi gradualis: Quia (ut patet ex tenore ipsius testamenti)

87. Confutando aliud secundum principale objectum suprà, *num.* 6. unicum tantùm fuit fideicommissum graduale, semel tantùm factum, videlicet si posthumus nasceretur, & superstes posteà sine masculis decederet, quo casu substitutus est Galcerandus, cui nulla facta est substitutio, nullum gravamen: nisi in casum alienationis in vim prohibitionis in eo tacitè repetitæ, & adhuc nulli fideicommissò graduali fuit locus. Defecit enim casus & conditio, & a vulgari testamentum incœpit in persona Galcerandi. Quòd autem Galcerandus nullo fuerit fideicommissò graduali gravatus, sed dumtaxat fideicommisso casuali in eventum contraventionis, patet per verba testamenti, in quibus nullum aliud onus vel fideicommissum injectum est Galcerando.

88. Ea enim verba, *Cum conditionibus supradictis*, substitutionem Galcerandi appositæ, referuntur ad onera & conditiones impositas institutioni posthumi primo loco instituti, videlicet ad eamdem prohibitionem alienationis, & ad idem fideicommissum casuale, statim in favorem proximioris qui tunc reperietur, exequendum in casum contraventionis, & mox ea facta: non autem referri possunt ad conditiones sub quibus idem Galcerandus est posthumo substitutus: hoc enim esset non solùm absurdum, sed etiam impossibile: quia aliæ sunt conditiones quæ imponuntur ipsi instituto, vel substituto: & aliæ sub quibus quis instituitur vel substituitur: & diametraliter differunt, cùm illæ necessariò sequantur institutionem vel substitutionem & ejus eventum: hæ verò necessariò præcedant institutionem vel substitutionem & ejus eventum. Illas testator in eodem testamento aptè vocat conditiones & vincula: has autem vocat casus. Patet ibi, *Cum conditionibus & vinculis infrascriptis.* Ita enim vocat quando loquitur de oneribus quæ imponit instituto vel substituto. Et contra patet ibi, *In quolibet dictorum casuum substituo* &c. ubi conditiones sub quibus aliquem vocat ad institutionem vel substitutionem, vocat casus, & non conditiones. Et rursus ibi, *Qui in tali casu reperietur*, casum vocat eventum quo aliquis substituitur.

89. Sequitur ergo necessariò, quòd verba *cum conditionibus suprascriptis* institutioni Galcerandi appositæ, referuntur dumtaxat ad conditiones & vincula suprà imposita posthumo primo loco instituto videlicet ad prohibitionem alienationis, privationem & fideicommissum casuale, non autem referuntur ad casus, in quorum eventum Galcerandus fuit substitutus, quia non solùm verba & modus loquendi, quo testator usus est, sed etiam mens repugnarent: imò esset præposterare, & etiam in eadem dispositione repugnantiam introducere, contra *l. Nam ad ea de condit. & demonstr.* & actum nullum reddere, *l. ubi repugnantia de reg. jur.*

90. Sequitur ergo quòd quamvis posthumo impositum sit fideicommissum graduale pro uno gradu vel eventu tantùm, si superstes posteà sine masculis moreretur: tamen tale fideicommissum non est impositum

Galcerando; sed dumtaxat ei impositæ sunt conditiones & vincula prohibitæ alienationis, privationis & translationis ipso jure in alium tunc proximiorem, si contraveniret. Cùm igitur actor non possit niti ex fideicommisso casuali aliis acquisitio ex capite alienationis factæ per Galcerandum: multò min is niti potest ex prætenso fideicommisso gradual per obitum Galcerandi, quia Galcerandus nullo tali fideicommisso gravatus fuit.

91. Et dato, præsuppositivè loquendo, quòd tali gradual fideicommisso gravatus fuisset, intelligeretur casu quo interim non alienasset, aliàs fideicommissi gradualis spes præcepta esset. Nihil enim per obitum Galcerandi supereſſet, nihil inveniretur, utpotè omni hereditate jam ad alios per privationem Galcerandi translata, & sic solutio est ad omnia contenta suprà, *num.* 7. 8. 9 10. 11. 12. 13. 14. & 15.

92. Et sic impertinens est, quod suprà *num.* 16. dicitur, qualitatem masculinitatis operari ut filii masculi in conditione positi, censeantur vocati in dispositione. Tum, quia etiamsi verum esset, non idem sequitur de filiis masculis Galcerandi, quia hi nullo modo sunt, nec in conditione quidem, & de eis nulla prorsus facta est mentio. Ergo per locum à convertione argumenti & eadem contrariorum disciplina, sequitur & concluditur filios vel alios descendentes Galcerandi vocatos non fuisse, nec ei per obitum gradualiter substituros. Ergo nec actor, nec ejus pater ullo fideicommisso graduali niti possunt.

93. Tum, quia illa opinio, de qua suprà *num.* 17. falsa est, & communiter reprobata. Nullâ enim lege, nulla concludenti ratione fulcitur, sed in falso & ruinoso, imò reprobato fulcro phantasiæ. Guido Papæ *quæst. Delphin.* 184. Et quàm hæc opinio sit falsa patet: quia est contra regulas juris, in *l. si quis sub conditione*, si quis omiss. caus. testam. in *l.* 1. §. *Item si ita*, *ad legem Falcid. in l. obligationum fere*, §. *pen. de action. & obligat.* cum similibus & etiam contra omnes textus in toto corpore juris de hac re loquentes, ubi positi in conditione remanent invitati ab intestato tantùm, si hoc eis contingat: non autem sunt in dispositione nec vocati in testamento, text. in *l. vel singulis*, *in fin. de vulgat. & pupill.* in §. *vel singul. instit. eod. text.* in *l. Lucius* 2. *de heredit. instituend.* in *l. si quis ita instituatur heres*, *si legitim.* & ibi gloss. *de heredit. instituend. in l. potest*, cum l. seq. *de vulgat. & pupil. substit.* in *l.* 1. *C. de pact.*

84. Ad hoc etiam text. in *l. filiusfamilias*, §. *Cum quis*, *de leg.* 1. ubi dicitur impertinens esse an liberi sint heredes, vel non, quando quis gravatus est restituere, si sine liberis decesserit, & sic apertè innuit liberos gravati in conditione positos, non propter hoc esse vocatos, & nihilominùs sive aliàs sint heredes, sive non, hoc est etiamsi gravatus bona alienaverit, vel aliis reliquerit, deficere conditionem fideicommissi, quamdiu supersunt aliqui liberi, etiamsi neque bona habeant, neque actionem ad illa, ut tenent Bart. Bald. & omnes in *d.* §. *cum quis*, latè Philip. Corn. *conſ.* 180. *col.* 4. Laurent. Calca. *conſ.* 69. *col.* 3. Alexand. *conſ.* 139. *lib.* 6. & est text. in *l. jubemus.* § *sin autem is C. ad Trebell.* Et in tantum verum est filios positos in conditione, non tamen esse in dispositione, nec vocatos, ut procedat sive in conditione expressa ab homine, ut in præfatis juribus, sive in tacita à lege, ut in *l. cùm avus de condit. & demonst.* in *l. cùm antissimi. Cod. de fideicommiss.* in *l. generaliter. Cod. de inst. & substit. sub condit. factis.*

95. Et quamvis illi text. non loquantur expressè sive qualitas masculinitatis expressa sit, sive non: tamen satis est quòd generaliter & indistinctè loquantur, & sic generaliter & indistinctè debent intelligi. *l.* 1. §. *generaliter autem, de legat. præstan. l. de pret. de Publicia in rem action.* Ita etiam intellexit, docuit, scripsit & consuluit fidelis antiquitas, ut patet apud Oldradum etiam in longè fortioribus terminis, in *conſ.* 21. Thema tale est, *testator.* quem ad verbum sequitur Joan. Andr. in *addition. Specul. tit. de testam.* §. 1. *in fin.* Albert. Rosates *in rub. de vulg. & pupilla.*

96. Et generaliter quòd hæc procedant, etiam addito in substitutione verbo *Masculis*, tenuerunt omnes antiqui usque ad præfatum Guido. Papæ. Cujus primùm fuit nova opinio, sed in ipso ortu suo bis etiam in judicio contradictorio, etiam authore suo præsente, qui eam defendere non potuit, reprobata, ut ipsemet Guido. Papæ testatur *q. Delphin.* Coo. Arresto Senatus Gratianopolitani contra judicatum, quòd liberi masculi in conditione positi, etiam qualitate masculinitatis bis expressa, non essent vocati nec substituti, sed ab intestato relicti, etiam inter nobiles, & in testamento nobilis, & rursus in revisione ejusdem processus ita fuisse se præsentè, & quidquid potuit allegante, judicatum.

97. Et quamvis à tempore Guidonis Papæ pauci quidam consulendo in favore clientum suorum novam illam opinionem Guidonis Papæ, non tam ferè approbando, quàm pro tempore & occasione utendo, sequi videantur: tamen omnes reprobant in Lecturis, ubi sine affectu privato loquuntur, ut Alexand. in *l. ex facto ad Trebell.* Andr. Alciat. *in l.* 1. in verb. *sine liberis C. de pact. & in tractatibus.* ut Angel. Aretin. in tractatu *de testam.* verb. *Si decesserit sine liberis masculis.* Imò etiam major & sanior pars, & ferè omnes consulendo, ut Alexand. *conſ.* 105. *lib.* 1. *conſ.* 185. *lib.* 2. Socin. *conſ.* 72. *lib.* 3. Philip. Corn. *conſ.* 146. *col.* 2, *lib.* 2. Franc. Curt. senior *conſ.* 42. Philippus Decius *conſ.* 287. *conſ.* 296. *in fin.* Jason *conſ.* 89. *conſ.* 140. *lib.* 1. *conſ.* 35. *lib.* 2. Stephan. Bertran. *conſ.* 22; *lib.* 2 Ludovicus Gozadinus *conſ.* 14. *num.* 8 Petr. Paul. Parisi. *conſ* 87. *num.* 28. *cum seq. lib.* 2. Hieron. Gratus *conſ.* 3. *col. ult. lib.* 1. ubi dicit minimè curandum de decisione Guidon. Papæ *quæst.* 184 quia etiam contra sententiam reportavit.

98. Quinetiam Doctores illi suprà, *num.* 37. pro actore citati, qui obiter dictam novam opinionem Guidon. Papæ, tanquam in rem clientuli facientem citaverunt, eamdem melius scribendo & consulendo in fortioribus terminis reprobaverunt, ut Philippus Corneus, & Philip. Dec. Jason. Ludov. Gozad. Hieronym. Grat. in locis nuper allegat. Carol. Ruinus in locis infrà, *num.* 104. citandis. Aymo Cravetta, *conſ.* 98. His addi possunt, quæ contra dictam opinionem ante quindecim annos scripsi in *annot. ad* Philip. Dec. *in conſ.* 270. *conſ.* 318. *& ad Dec. in l.* 1. *col.* 3. *num.* 16. *C. de pact.*

99. Ad conjecturas de quibus sup. *num.* 18. 19. 20. 21. 22. impertinens est disputare, cùm filii Galcerandi nullo modo sint nec in conditione quidem, ut suprà, *num.* 83. Et sic multò minùs nepotes. Præterea, nulla dictarum conjecturarum potest filiis Galcerandi adaptari. Non prima, suprà, *num.* 19. quia non fuerunt gravati, nec ulla de eis mentio facta fuit, nec in honore, nec in onere, quanquam nec illa quidem concludat, ut dixi in *annot. ad* Alexand. *conſ.* 64. *lib.* 5. & per Curt. seniorem *conſ.* 42. *col.* 5. Stephan. Bertran. *conſ.* 82. *lib.* 1 *conſ.* 223. *lib.* 2. in prius impress's per Simonem Vincentium, & latè Joan. Imol in *c. Raynutius*, in materia compendiosæ, *de testam.* & in *l. Centurio.* ubi respondet rationibus in contrarium adductis, *de vulg. & pup.* Nec secunda, suprà *num.* 20. quia eorum respectu testator ad nullum gradum substitutionis processit. Imò substitutionis fideicommissariæ unum tantùm gradum vel casum fecit, videlicet de posthumo ad Galcerandum primum, ultimum & unicum substituendum. Cæterùm, prohibitionis extensio gradus non facit, nec fideicommissum, nisi in casu contraventionis, de quo satis profligatum est.

100. Adhuc illa secunda conjectura, sup. *num.* 20. meritò reprobatur per antiquos, medios, & novissimos.

De antiquis patet per Oldrad. *q.* 21. ubi testator habens fratrem & ex altero fratre præmortuo nepotem, & ex altero fratre præmortuo tres nepotes, instituit eos in stirpes, deinde dixit: Si aliquis heredum meorum sine filiis aut nepotibus, aut deinceps descendentibus & masculis decedat, ejus portio devolvatur ad coheredes superstites, vel eorum heredes: dum tamen sint masculi, & ex masculis secundum rectam lineam descendentibus. Mulieres autem & ex mulieribus descendentes penitùs exclusit, quibus certas summas pro dote dari voluit. Deinde statuit, quòd si omnes prædicti heredes nollent dictas dotes fœminæ vel fœminarum defuncti earum patri sólvere, quòd tunc ea portio devolvatur ad Ecclesiam Romanam, quam cum eodem onere substituit. Rursus & tertiò statuit quòd si nec Ecclesia, nec dicti heredes, scilicet masculi legitimè requisiti, noluerint solvere dotem vel dotes, tunc ea portio devolvatur ad filiam vel filias defuncti sine masculis, quas substituit ut nubant si voluerint cum ea portione. Quartò & ultimò statuit quòd si contigerit omnes prædictos heredes absque filiis aut nepotibus, vel deinceps masculini sexus descendentibus ex masculis mori, ut bona sua devolvantur ad Ecclesiam Romanã.

101. Ecce primò, quòd facta est septies mentio masculorum, deinde linex masculinæ gradualiter, & omnes fœminæ & ex fœminis descendentes perpetuò excluſi. Et non computata institutione masculorum in stirpes, processit testator ad quatuor gradus substitutionum: & tamen postquam contigillet, testatorem in ea volũtate mori, superstitibus dictis fratre & nepotibus, & posteà unus nepotum decessisset, relictis quatuor filiis masculis, quorum duo posteà sine liberis obierunt: tertius autem relicta unica filia: & quartus sine prole, instituta dicta nepte, à qua masculi descendentes ex aliis masculis institutis vendicabant ex substitutione, offerentes dotem testamentariam: decidit Oldrad. hanc neptem seu proneptem absolvendam, & quòd omnis illa substitutio expirasset in persona avi dictæ neptis instituti, qui decessit quatuor liberis masculis superstitibus, quicquid posteà de illa contigerit: quia non est verum instituros obiisse sine liberis masculis, & sic defecta prima substitutione, reliquæ omnes inde dependentes corruerunt, quia licèt masculi fuerint, etiam septies repetita hujus qualitatis mentione, & fœminis expressim exclusis, positi pluries in conditione: tamen non sunt positi in dispositione, & sequuntur Joan. Andr. & Alberic. & omnes antiqui in locis prædictis.

102. Idem in similibus etiam fortioribus terminis Doctores posteà sæculo altero sequuti, in queis potissimùm Alex. *conſ.* 185. visis *tit. lib.* 2. in hac specie, Richardus testator carens filiis, instituit Simbaldum agnatum suum ex fratre nepotem, & ejusdem Simbaldi liberos masculos. Et si Simbaldus decederet sine filiis masculis ex ejus corpore legitimè descendentibus: aut si decederet cum filiis masculis, deinde omnes ejus filii decederent quandocumque sine filiis legitimis & naturalibus, & tunc & in quolibet dictorum casuum suos heredes esse voluit, & dicto Simbaldo & filiis masculis Simbaldi, substituit Philippum. Contigit quòd Simbaldus successit testatori, & reliquit Antonium & Julianum filios, Antonius autem reliquit Jacobum. Nunc isse Jacobus non vult heres esse Antonii patris sui, nec Juliani patrui sui sine liberis masculis defuncti; sed vult vendicare bona jure substitutionis tanquam substitutus patri suo & patruo suo, sive tanquam per mortem eorum, sive aliis masculis mortuorum vocatus. Et Alex. ibi copiosissimè & eruditissimè allegat quæcumque adduci possunt pro Jacob. per 13. undamenta: & nihilominus contrarium decidit per 10. vel 12. alia, & omnibus contrariis respondet, & omnes ubique sequuntur, & ipse Alexand. ad illud consilium se remittit in *conſ.* 12. *num.* 10. *lib.* 3.

103. Quòd si sub tot tantisque clausulis tamen dictus Jacobus toties in conditione masculorum positus non est vocatus: igitur in præsenti themate filii masculi dicti posthumi si natus fuisset & supervixisset, & masculos reliquisset, nullo modo fuerunt vocati, sed relicti ab intestato, & multò minùs vocati filii Galceranді, de quibus testator nullum verbum fecit. Idem decidit Alex. *conſ.* 108. *visa themate lib.* 1. de quadam Lucia, quæ prætendebat se substitutam ex testamento avi sui, & in *conſ.* 199. de quadam domina, quæ se substitutam prætendebat ex testamento proavi sui. Quin (quod notabilius est) idem Alexand. rogatus ut pro nepote ex masculo consuleret, tanquam ex testamento avi substitutus esset paruo, etiam ingenti honorario oblato, recusavit: quamvis dictus nepos esset bis positus in conditione, & rationes consilii denegati ad consultorem transmisit, quæ habentur *conſ.* 202. *lib.* 7.

104. Et adhuc in fortioribus terminis idem decidit Alex *conſ.* 139. *lib.* 6. in substitutione, in qua post multos gradus erant verba, quòd bona remanerent propinquioribus, & sic semper de gradu in gradum, & quòd nunquam recederent dè parentela: & tamen decidit quòd defecto primo gradu, omnia deficiunt: & quòd omnes gradus sunt facti & limitati in casu quo eveniat conditio primæ substitutionis, *l. post aditam C. de impub. & aliis substit. l. ex facto. §. pen. ad Trebell.* Idem Socin. *conſ.* 62. *in fin. conſ.* 104 *num.* 8. *cum seq. conſ.* 26. *col. ult. lib.* 3. Lauren. Calca. *conſ.* 20. *col.* 1. Francisc. Curt. Junior. *conſ.* 45. *num.* 19.

105. Et ex novissimis recentis memoriæ iidem decidunt Jason in *l. si quis, num.* 5 *cum seq. C. de instit. & substit.* Thiliip. Dec. in *l. post aditam, num.* 2. *C. de impub. & aliis substit. & consil.* 218. & aliis multis consiliis, quæ brevitatis causa prætereo. Ita etiam in similibus, imò fortioribus terminis expressè consuluit Carolus Ruinus *conſ.* 92. *incipient.* Casus dè quo lib. 2. ubi mater filios suos masculos instituit, & post eorum mortem voluit bona pervenire ad filios seu nepotes masculos descendentes ex eis: sed casu quo masculi non extarent, eosque deficere contingeret, voluit pervenire ad fœminas, quas hoc casu substituit. Quæritum fuit, an nepotes essent gravati erga pronepotes masculos, vel adinvicem? Videbatur quòd sic, quia non solùm positi sunt in conditione: sed etiam saltem novissimi gravati, & sub verbo *masculis*, & digressum erat ad plures gradus substitutionum. Tum, quia aliàs pronepotes & aliæ descendentes fœminæ, vel alii causam habentes, non admitterentur quandiu extaret unus masculus de linea, exclusis filiabus cæteris, & generaliter concurrebant omnes rationes quæ in præsenti pro actore allegatæ sunt.

107. Quibus non obstantibus, decidit Carol. Ruinus quòd quamvis primi descendentes qui reperiuntur extare post obitum filiorum primi gradus instituorum, sint vocati: tamen non sint gravati erga masculos ex se descendentes, sed quòd ad introducendum fideicommissum successivum inter singulos descendentium, non sufficiebat expressè substituere nepotes descendentes masculos, vel etiam simpliciter quoscumque descendentes masculos: sed necesse erat addere: Et post obitum eorum nascicturorum substituo quoscumque nepotes masculos ex eis nascituros, & successivè de gradu in gradum quoscumque descendentes masculos in infinitum, prout exemplificat idem Carol. Ruinus *conſ.* 175. postquam Angel. *lib.* 3. Et secundùm eum, non obstat quòd sub illis verbis, putà: Moriente Guliermo, omnes ejus liberos masculos substituo, comprehendantur omnes cujuscumque gradus descendentes masculi deficientibus primis. Quia verum est vulgariter & semel tantùm: sed prioribus semel admissis ulteriores excluſi sunt, *l. post aditam C. de impuber. & aliis substitut.* Et quamvis faciant deficere alteris fideicommissum: tamen non sunt vocati, ut etiam decidit Raphaël Cumanus in *l. cùm ista §. in fideicommisso, de legat.* 2. Socin. *in l. Gallus, §. quidem recte, de liber. & posthum.*

107. Adhuc in prædicto casu Ruini omnes erant descendentes testatoris, quanto minùs igitur vocati videntur, quando non sunt descendentes? prout etiam in forrioribus terminis Philip. Dec. *in cons.* 422. ubi filii filiorum non solùm erant positi in conditione : sed etiam gravati, & adhuc simul concurrebat prohibitio cautata cauta expressa, quia voluit dicta bona durare in ejus familia : tamen nihilominùs decidit quòd non videntur invicem gravati : sed quòd possunt interim filiabus relinquere. Imò multò fortiùs decidit quòd licèt bona subjacerent fideicommisso de restituendo hospitali deficientibus filiis & filiorum filiis, tamen interim pendente tali conditione non prohibentur alienari : tantùm abest ut invicem dicantur substituti, ut erga descendentes masculos, etiam in conditione positos gravati, & idem omnes ferè Doctores ubique.

108. Ex quibus etiam liquet solutio ad objecta, suprà *num.* 21. 22. Ad tertium verò principale objectum, suprà *num.* 23. 24. 25. & etiam suprà *num.* 29. patet solutio, non solùm ex limitatione juris communis ad natos tempore conditionis, sed etiam ex limitatione testatoris, sup. *num.* 78. 80 84. Quartum verò principale objectum, sup. *num.* 26. non probatur in *d. l. cum ita.* §. *in fideicommiss.* nec alibi : quia *d.* §. bene probat non extendi fideicommissum ad ulteriores, nisi quatenus expressum sit : sed nullo modo probat extendi ad eos qui non sunt in rerum natura, tempore fideicommissi cedentis & conditionis existentis, sed hoc relinquit in aliis regulis juris, quibus adhuc opus non est stante expressa limitatione testatoris ad eos qui tunc reperiuntur. Et imaginarium absurdum de quo sup. *n.* 27. præsupponit fideicommissum graduale ad ulteriores, quale hîc nullum est. Ad allegata sup. *n.* 30. si satis est nos non esse hîc in terminis hujusmodi fideicommissi, & insuper stare limitationem testatoris ad tunc existentes, & consilium Bertran. sup. *num.* 31. speciales habere rationem ex qualitate personarum : quia Sylvestrum spurium non poterat instituere, ideò instituit uxorem velut custodem ut restitueret posteris testatoris legitimè nascituris ex spurio suo. Ad quintum principale objectum, sup. *num.* 32. 33. dico quòd non procedit, nisi dato concursu eodem tempore conditionis extantis, qui ex hypothesi defecit.

109. Ad primum argumentum de mente testatoris suprà *num.* 34. quia filias & neptes proprias favore masculorum, etiam collateralium exclusit : Respondeo quòd illud argumentum à ratione & favore agnationis conservandæ non potest trahi, nec extendi ultra gradum & personas expressas, unde non sequitur: Proprias filias excluſit, ergo excluſit neptes, nisi in eodem gradu & casu quo filiæ sunt excluſæ, ut in *l. si vivus*, §. *in nepotibus. C. de bon. mater.* unde si posthumus natus fuisset, & supervixisset habens filias & non filios, vel neptes ex filia vel filio præmortuis, & alienasset in extraneum : sicut excluderentur ejus filiæ si viverent, per proximiorem de nomine & armis, tunc existentem & vocatum : ita & neptes, quia est idem gradus & etiam sunt eædem personæ gravati & honorati, sicut essent stantibus filiabus primi gradus. Pariter si posthumus superstes non alienasset, sed mortuus fuisset, relictis neptibus ex filia vel filio præmortuis, & superstite Galcerando : quemadmodum filia posthumi superstes, salva legitima & Trebellanica, excluderetur per Galcerandum : ita & neptes, quia respectu gravati & honorati, identitas est gradus & personarum.

110. Secùs, si posthumus non contravenisset : filias tamen vel neptes reliquisset præmortuo Galcerando : quia tunc filiæ vel neptes patri vel avo suo in dictis locis & castris liberè succederent : non enim excluderentur ex capite alienationis seu contraventionis, quæ facta non fuit, nec per substitutionem Galcerandi, quæ caduca fuisset, nec ad filios quidem masculos Galceranli transmitti potuisset, *l. unic.* §. *fin autem aliqui. d. C. de cad. tol. l. fulsit. qua nondum competit, de acquir. rer. dom. l. is cui in princ. de action. & obligat.* reprobata glos. 1. in fin. Ibi per omnes Doctores in *l. 2. C. de his qui ante apert. tabul.* Alexand. *in l. cum ex filio, col. 1. de vulg. & pupil. & cons.* 165. *num.* 4. *lib.* 5. *cons.* 150. *num.* 2. *cons.* 252. *num.* 1. *lib.* 6. Socin. *cons.* 74. *lib.* 4.

111. Unde quemadmodum fideicommissum quantumcumque præcisum non transmittitur, nec ad filios quidem, etiam in linea directa ipsius testatoris, ut dictum est, & imò minùs in linea collaterali, nisi quatenus & quousque præmortuo substituto descendentes ex eo, vel alii eodem casu vocati sunt : ita prohibitio alienationis quantumcumque præcisa, non impedit prohibitum habere filias heredes ab intestato, vel quibuscumque sibi succedentibus ab intestato relinquere, vel etiam eosdem heredes instituere, ut tenent Doctores in *l. voluntas. 1. C. de fideicom.* Alex. *cons.* 55 *lib.* 1. *cons.* 155. *lib.* 2. *cons.* 55. *cons.* 59. *lib.* 3. Socin. *cons.* 227. *col.* 7. *lib.* 2. Franc. Curt. senior, *cons.* 46. *col.* 14. Philip. Dec. in *l. 2. num.* 92. *de reg jur.* In *consil.* 287. *num.* 12. Matth. de Afflict. *in const. unt. Neapolit. l b. 3. de revoc. alienation. num.* 5 17 21. *& constit. seq. num.* 8. nisi testator eodem casu providerit & expresserit se velle bona ad agnatos devolvi, non solùm in casum alienationis, sed etiam in casum successionis ab intestato : ut tenet glos. & Doctores *in l. peto*, §. *frater de leg.* 2. Doctores in *l. filius familias*, §. *divi, de legat.* 1. *in l. Si ita quis*, §. *ea leg. de verb. obligat.*

112. Sed hîc ut solam personam Galcerandi, & nullum alium substituit, ita tantùm heredem suum alienare prohibuit : non autem prohibuit relinquere venientibus ab intestato. Ergo filiæ posthumi liberè ei succederent, exclusis etiam filiis masculis Galcerandi præmortui, & pariter si posthumus superstes, relictis filiis obiisset, etiam superstite Galcerando, in perpetuum expiraret substitutio, etiamsi posteà filii posthumi, superstite adhuc Galcerando, sine liberis decessissent, vel relictis filiabus, quæ liberè patri in dictis castris successissent, per prædicta, quæ juris sunt exploratissimi & indubitati, juxta verba Scævolæ in *l. quæris, de nat. restitut.*

113. Et sic non valent argumenta à favore agnationis etiam expresso, & ab inclusione masculorum & exclusione fœminarum sup. *num.* 35. *num.* 36. quia restringuntur ad gradus & personas expressas & specificatas. Bald. in *l. si defunctus, C. de fuis & legit.* Alexand. *cons.* 80. *col.* 4. *lib.* 1. Philip. Dec. in *c. si quis nec causam, in princ. num.* 4. *si cert. pet. in l* 2. *Cod. de in jus voc. in l.* 1. *num.* 3. ubi in annot. tetigi, *C. de success. edict. & in cons.* 71. *cons.* 287. *num* 7. *cons.* 346. Jason *cons.* 163. *col.* 2. *lib.* 1. Ant. Rub. *cons.* 94. *in fin. cons.* 98. *cons.* 120. *in fin.* Hieron. Grat. *cons.* 27. *in fin. lib.* 1. Nec obstant allegata Bart. sup. *num.* 35. quia Bart. in *d. l. liberorum*, & in *d.* §. *videndum*, loquitur de dispositione legis & statuti. Ideò non debet facile extendi ad dispositionem hominis, ut vult Hieron. Gratus *cons.* 3 *col.* 3. *lib.* 1.

114. Quinimò ipsemet Bart. in *d. l. liberorum*, *col.* 4. *num.* 13. vult expressè quòd etiam unica vel expressa ratio statuti non sit sufficiens argumentum ad faciendam extensionem contra jus commune. Et quòd statutum exclusivum fœminarum, restringatur ad personas in eo nominatas, latè tradit Phil. Dec. *in cons.* 625. *& cons.* 628. Igitur multò facilius restringitur dispositio hominis, in qua non tam de facili fit extensio, ut in dispositione legis : ut latè tradit Joan. Imol. in *l. si verò*, §. *de viro, solut. matrim.* Carol. Ruinus *cons.* 49. *num.* 4. *lib.* 1. Alciat. *de verb. signif. lib.* 1. dixi in annot. ad Philippum Decium, *c. transl. lect.* 2. *in fin. de constitution. & in Consuet. Paris.* §. 57. *num.* 27.

115. Ex quibus etiam patet solutio ad objectionem secundam tacitæ mentis, sup. *num.* 36. de commemoratione & contemplatione nominis & armorum : quia non inducit dispositionem ultra personas nominatas, nec operatur fideicommissum in rem, nisi quatenus disponendo expressum est, & non aliis personis, nec

aliis casibus ab eis expressis. Imò etiamsi de voluntate constaret, non sufficit, nisi disposuerit, *l. quidam cùm filium, de hered. instituend.* & Bald. & Imola ibi. Paul. Socin. *l. in ambiguo. de reb. dub.* Et quod testator non loquitur, velle non præsumitur, *d. l. in ambigue. Labeo in fin. de suppellect. legat.* Bald. *in l. 1. §. fin autem ad deficientes. C. de caduc. tol.* quia si gradualiter substituere cogitasset, & id voluisset, facile expressisset: & quia non expressit, noluisse colligitur, *c. ad audientiam, in fin. de decimis* Philip. Dec. Franc. Curt. *in l. cùm quid, col. 3. si cert. pet.* Dec. *cons. 5. cons. 89. cons. 211. in fin.* & ubique. Ex quibus etiam junctis not. sup. *num.* 83. patet solutio ad objecta, sup. *num* 37. 38. 39. 40.

116. Et patet ad objecta, numeris sequentibus de qualitate rei, personarum, & consuetudine regionis nobilium, quæ non concludunt nec disponunt. Præterea constat nullum esse fideicommissum graduale: fideicommissum autem casuale in casum contraventionis limitatum esse ad illum qui tunc erit in rerum natura, in qualitate requisita, conformiter ad communem sententiam & juris communis dispositionem, & ad textum, & ibi Bart. ὁ ὀδυγατῶ in *l. pater filium*, §. *filium de legat.* 3. & per eadem patet responsio ad allegata suprà *num.* 53. 54. Ad septimum, *suprà num.* 48. de opinione Jasonis, *cons. 4. lib. 1.* Illa falsa est & Saturnina, hoc est, nusquam relata, nec recepta, ut in simili pungit Bald. in *l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. per l. 1. in fin. de Senator.* & quem Jason citat Angeli locum, nusquam reperitur. Quid? quòd illa decisio est formaliter contra textum rotundum in *l. 1. §. Item si ita, in fin.* ibi. *Si heres penum non dederit, decem dato*, quia hic penus non est legata ad legem Falcid. Ergo etiam in legatis particularibus positi in conditione, non sunt in dispositione: ut somniavit Jason.

117. Ad consilium Ancharani 27. suprà *num.* 49. ejus decisio falsa est, etiam per argumenta quæ col. pen. contra se citat ad probandum quòd substitutio de duobus antiquioribus de domo de Calcagnis debet restringi ad duos proximos, & non extendi ad duos alios ulteriores de familia. Et sic quòd ex quo duo primi antiquiores post agnitionem repudiarunt, non debet fieri devolutio ad duos alios ulteriores de dicta domo, sed tanquam illa substitutione extincta, debent bona remanere penès filiam vel alios heredes, aut causam habentes heredum testatoris sine onere, prout in ipso eodem themate rectè & juridicè consuluit Bal. *cons. 46.* verba institutionis, *& cons. 47.* Andriolus de Calcagnis *lib. 1.* ultimæ impressionis Lugdunensis, ubi in eodem testamento & eadem substitutione duorum antiquiorum de domo & progenie sua de Calcagnis & eisdem oneribus, decidit fideicommissum extinctum in duobus primis antiquioribus, & bene. Et sic graviter erravit Anchiranus, qui in lecturis, & consiliis ubique solet doctrinam Baldi præceptoris sui admirari & sequi, & verisimiliter dicta consilia Baldi non viderat, à quibus non fuisset ausus discedere. Et sic quicquid pro actore laboriosè allegatur, facile contra eum retorquetur.

11. Ad ultimum suprà *num.* 50. ridicula est prima solutio seu potiùs evasio ad novellam 59. *de restitut. fideicommiss.* quòd actor sit tantùm in tertio gradu. Tum, quia ex hypotyposi genealogiæ liquet quòd respectu testatoris est in quarto: respectu verò filiorum Gasparis in octavo: respectu pronepotum Gasparis in decimo gradu. Tum, quia satis perspicuum est: & text. est rotundus dictæ novellæ, quòd hi gradus numerentur ex parte gravati dumtaxat, & non fideicommissarii, seu actoris, qui in hypothesi dictæ novellæ erat in primo gradu filius & heres immediatus testatoris: & tamen excluditur. Imò ridiculum esset, gradus illos mire ex parte fideicommissarii, qui potest esse extraneus, nec curatur quoto, an millesimo gradu, an nullo modo attineat testatori, vel primo instituto, ut in dicta novella mulieres illæ rex, pen. cùs extraneæ erant. Atqui Manuel pater actoris nunquam fuit heres vel successor mediatus vel immediatus testatoris, nunquam habuit jus, numquam gravatus. Et sic necesse est computare gradus per eos ad quos fuit jus devolutum, videlicet à testatore ad Galcerandum: à Galcerando propter suam contraventionem ad ejus patruos, & ab illis propter contraventionem ad Gasparem, qui tertium gradum fecit, & ab illo ad ejus filios, qui fuerunt in quarto gradu, & in quibus bona fuerunt libera, & omne fideicommissum extinctum: & sic nulla supersit quæstio.

119. Ad secundam autem evasionem suprà *num.* 51. dico falsam esse decisionem dicti Jacobi Belvisii. Nullo enim jure probatur, imò est contra text. dictæ novellæ in fortioribus terminis, & eam ante quindecim annos reprobavi in annotationibus meis ad Alexand. *cons. 56. lib. 1. & in annotat. ad* Philip. Dec. *cons. 481. num 9.* tametsi multi gravatim & coturnatim (ut temerè aliorum opinionem sequentibus, graum morem exprobrat. Feli. in *c. extrà de constitution.*) sequuti sint, & graviori flagitio Angelum Perus. *in d. novel.* & alios, qui nunquam de hoc loquuti sunt, tanquam erroris sui falsos contestes adducunt.

120. Et turpiùs quidam, ut sup. *num.* 52. ampliant ex eo solo, quòd impersonaliter dixerit testator, *Prohibeo ne alienes*, post Bart. in *l. Lucius, in princ. de leg.* 3. & sequitur Jason in *l. filiusfamilias. §. divi. lect.* 1. *nu.* 110. *q.* 11. *& lectu.* 2. *num.* 148. 149. Sed Bart. *d. l. Lucius*, hoc non intendit: & quamvis citet Authent. *de restit. fideicom.* tamen non sequitur quòd intendat porrigere ultra tertium gradum. Ideò Jason in hoc sanius loquens in *l. ult. num.* 5. *C. de hered. instit.* restringit illud dictum Bar. infra quartum gradum.

121. Adhuc illud dictum Bart. falsum est: Quia in odiosis, appellatione heredis non venit heres heredis, textus in *l. sciendum, versic. Item in lege*, & *versic. item dicitur de verb. signif.* sed hujusmodi prohibitio est odiosa, *l. dudum C. de contrahen. & emptio. l. 2. si a parente quis manumis. fuerit.* Ergo etiam indefinita prohibitio heredis restringitur ad primum, quemadmodum prohibitio facta filiis indefinitè, restringitur ad filios primi gradus: contra regulam *l. justa appellatione l. filii, de verb. signific.* & est text. *in d. novella*, & ubi Ang. Perus. Alex. *cons. 1. num.* 13. *lib. 1. cons. 137. num. 5. lib. 6.* ubi in annot. dixi: & ad Philipp. Dec. *cons. 377. num. 5.* ita etiam in simili de pœna mulctæ consuluit Philip. Corn.

122. Et quia vetus & generalis versio Novellarum fere à mille annis, præsertim, etiam dum per puellas libri nostri scriberentur, & liber ille non legi, sed negligi soleret, adeò corrupta fuit, ut quidam falsò putarent esse recentem versionem, quod clarè & novè convici in *tractat. commerc. & usura, q. 1. num. 67.* & clariùs super *l. Lucius, de vulg. & pupill. num.* 20. cum seq. in tertia lect. Dolana.

123. Libet breviter ex veris hypothesin dictæ novellæ explicare, ubi Angel. putavit esse septem filios, sed erant tantùm quatuor, videlicet Constantinus, Anthemius, Callipius, & Alexander, filii Hierii testatoris ab eo instituti, & certa sibi prælegata loca è nomine & familia alienare prohibiti, jussique filiis & nepotibus suis relinquere. In codicillis autem ampliata est alienandi prohibitio, respectu suburbii Constantinopolitani, in quo Hierius nepos ex Constantino filio specialiter substituitur, cum prohibitione specifica alienandi facta, non solùm eidem nepoti, sed etiam eis qui ex eodem testaméro vel codicillis, vel ex testamento dicti nepotis, in eodem suburbio successerint, addita hac expressa ratione. Propterea quòd hoc ipsum suburbium per omnia & perpetuò velim permanere in familia mea, neque unquam de nom ne meo egredi. Rursus eidem nepoti, si sine liberis ante patrem decederet, patrem substituit sub hac eadem conditione, ne unquam de familia mea, meoque nomine abalienentur. Mortuo testatore relictis dictis filiis, obut

Constantinus, relicto Hierio juniore, qui alienata domo Theopoli, hoc est Antiochiæ sita (Hæc enim in honorem primi Christiani nominis à primis Christianis Imperatoribus ita vocata fuit, ut patet in consiliis universalibus, Constantinopolitano I. Ephesino I. & Chalcedonensi, & in novell. Justiniani) domum & suburbium Constantinopolitanum, transmisit filio Constanti, qui posteà obiit, relicta Maria uxore prægnante: scripto testamento, in quo sive infans non nascereretur, & impubes obiret, tam uxorem quàm alteram Mariam matrem suam instituit & substituit.

124. Contigit nasci filiam, cui impuberi morienti, mater ejus & avia paterna ex pupillari substitutione successerunt, à quibus præfatus Alexander primi testatoris filius dictæ filiæ propatruus suburbium vendicabat in consistorio Imperiali, in quo ambæ Mariæ absolutæ sunt, & ea sententia ad necessitatem legis generalis redacta, ne hujusmodi dispositiones & prohibitiones quarram excederent, ideſt, attingerent vel obligarent generationem, nec ad commodum quidem filii primi gradus ipsius testatoris. Jam quàm in fortioribus terminis simul, palàm est: quia nihil est in testamẽto Joannis de Arinyo, faciens pro actore, nec substitutio quidem cum repetita prohibitione, quin sit in testamento dicti Hierii, in quo multa erant militantia pro Alex. actore, quæ non sunt in hoc testamento.

125. Primò, quia ibi actor erat filius testatoris, hic autem est pronepos ex fratre. Secundò ibi, actor erat in linea directa, hic in collaterali: ibi in primo gradu testatoris, hic in quarto gradu. Ibi erat heres immediatus testatoris, hîc verò non est illius heres, nec heres heredis. Quintò fideicommissa gradualia dicti suburbii prorendebantur adusque pronepones testatoris successivè, hic verò unicum fideicommissum unius casus & unius gradus de posthumo in Galcerandum tantùm. Sextò, ibi prohibitio facta erat cum ratione expressa, ne ea res unquam de familia & nomine testatoris abalienaretur, & rursus pressiùs & expressiùs apposita & expressa per verbum, *Volo* dispositivum, per omnia & perpetuò permanere in familia mea neque unquam de nomine meo egredi. Septimò, ibi, Actor erat in rerum natura, tempore testamenti & mortis testatoris patris sui, & adhuc tempore mortis proneptis fratris sui, sive tempore extantis contraventionis nepotis, si qua fuisset per institutionem pupillarem extranei. Testamentum enim Constantii, testamentum erat dictæ pupillæ, *l. patris. l. ex pupillari. de vulgat. & pupill. substitutio.* Quæ omnia hic deficiunt, quia talis causa non fuit expressa in hoc testamento. Et dato quòd tacitè intelligeretur, tamen non intelligitur cum tali perpetuitate, quòd perpetuò permaneat in nomine & familia, & nunquam de illa exeat: & sic intelligetur, id, quod non. Vel etiamsi expressum fuisset, ad huc non posset extendi usque ad quartum gradum inclusivè, respectu rei seu gravati: sed in quarto gradu res libera est, in quocumque gradu vel qualitate actor sit: quia non respectu actoris, sed respectu gravati gradus computantur. Igitur hic septupliciter sumus in fortioribus terminis.

126. Ità etiam pluries in supremo Parisiorum Senatu, & Curia Franciæ judicatum fuit etiam in substitutionibus gradualibus, ut pro nobilissimo & generosissimo Principe Borbonio Rupis Guyonis, contra potentem dominum Trimollium. Et in debilioribus terminis ita respondit Bonifacius Amerbachius Jurisconsult. Basiliensis & elegans, nec prece nec precio adduci potuit à Christophoro Duce Wirtembergensi, ut contra text. evidentem dictæ novellæ consuleret. Ego verò cùm in quibusdam injustis causis præfati Christophori, nec subscribere quidem voluissem, & tandem etiam Comiti Georgio patruo ejus perfidiosissimo, suisque administris præsentibus, & dira comminantibus, me mori malle, quàm malis causis scienter subscribere professus essem, in carceres conjectus sum, bonis & libris (quos posteà uno, De muneribus & honoribus, à me compositio furtivè retento mihi vendiderunt) nedum stipendiis debitis spoliatus. Sit illis perfidia, & rapina eorum in perditionem, vindice Deo, qui me defunctæ conjugis ministerio, mense captivitatis barbaricæ quinto eripuit. Quod autem nuper *num.* 123. aliter quàm vetus vulgata, & Haloandri versio habeat, verti infantem, consultò feci: Quia τεκνίον, cùm neutrius generis sit, tam fœminam quàm marem propriè comprehendit: & in confesso erat ambas Marias substitutas esse puellæ ex patris ejus testamento.

127. Cæterùm in allegatis pro actore non repetii consilia quæ pro eo in themate citantur. Ad quæ breviter respondeo quòd loquuntur duobus concurrentibus. Primò, quando tota familia fuit in perpetuum successivè in dispositione posita & vocata. Secundò, quando constat nascituros, etiamsi tempore conditionis extantis non essent concepti: nec proximiores, tamen præ exteris ordine genituræ vocatos, & quando non est aliis jus quæsitum, quæ omnia hic deficiunt, ut patet in d. cons. Paul. 247. lib. 1. ubi testator vocavit filios filiorum gradatim: col. 1. & col. 5. Ideò filii consentientes non potuerunt hoc facere in præjudicium filiorum suorum nascicturorum. qui expressè & soli vocabantur. Ita etiam loquitur Philip. Dec. in *d. cons.* 38. videlicet, in fideicommisso & prohibitione facta sine consensu suorum filiorum, & descendentium ex eis, utque bona semper sint apud suos filios, nepotes & descendentes, & sic eant de herede in heredem descendentium testatoris: ut patet ex contextu dicti consilii. Ita etiam intelligitur Franc. Ripa. in d. §. *divi num.* 17. Socin. junior in loco allegato. Sed hîc non descendentes nascituri, sed promiscuè & indifferenter, ille solus qui in tali casu proximior inveniretur, vocatus est, & sic dicta consilia non sunt ad rhombum. Præterea præfati Doctores non dicunt nascituros vocari usque ad quartum gradum; sed loquuntur & intelliguntur secundùm jus, videlicet infra tertium gradum inclusivè. Loquuntur etiam de descendentibus testatoris tantùm. Actor autem extraneus est, & venit diu post fideicommissum ad alios expressa dispositione testatoris vocatos translatum, & qui tertium gradum expleverunt: & nunquam potuerunt in eo, nec in ejus patre verificari verba testamenti, in quibus fundari nititur.

Ex quibus liquet, causam illustrissimi Ducis & Comitis omni dubitatione superiorem esse, nec opus esse de Trebellianica præfato Galcerãdo venditori (ut primi gradus heredi) debita, nec prohibita, nec de temporis plusquàm longissimi præscriptione, à tempore dictæ venditionis, ejusque laudatione & approbatione disputare, & omninò partes bonorum & prudentum judicum esse in absolvendo.

Et ita censeo. In quorum fidem propria manu subscripsi, & gentilitiam σφραγίδα apponi jussi. Parisiis Calend. Martii, anno τῆς χειρογονίας sesquimillesimo quinquagesimo nono. Sic signatum cum sigillo.

Subscripserunt doctissimi & consultissimi in eodem Senatu causarum Patroni.

ANNAS TERRERIUS, Chapparum & Pisontii dominus.
FRANCISCUS PORTANUS. JACOBUS CANAYUS.
FRANCISCUS MARILLACUS.

Cùm præcedens consilium mense Maio M. D. LIX. à quibusdam pravis & vecordibus combustum fuisset, mox bonorum & cordatorum Hispanorum favore revixit: qui rursus ad eumdem Auctorem pro consilio sequenti & ampliore juris satisfactione contra consil. 27. Petri Ancharani miserunt.

CONSILIVM SECVNDVM ANALYTICVM EIVSDEM AVTHORIS, DE EADEM RE.

EPITOME.

1. *Consil. Anchar. loquitur quando sequentes duo antiquiores erant nati tempore extantis conditionis: aliàs sectans, & sic impertinens est, 2. 4. 5. 7. 9. 11.*
3. *Indefinita æquipollet universali in testamentis.*
6. *Petr. Anchar. malè consuluit.*
8. *In fideicommissis & legatis locus est substitutioni vulgari.*
10. *At hic non de vulgari, sed de fideicommisso agitur.*
12. *Verum thema consil. Anchar.*
13. *Duæ potissimæ quæstiones in consil. Anchar.*
14. *Priorem prætermisit Anchar. utramque decidit Baldus. Impuberis renunciatio jurata nulla est: adulti verò per in integrum restitutionem resolvenda.*
15. *Fideicommissum non aperit his qui non extant tempore extantis conditionis. 21.*
16. *Error Petr. Anchar. 19. 20. 33.*
19. *Locus ab authoritate.*
18. *Laus Bald. Perusini.*
20. *Aliud substituere descendentes vel seniores, aliud & descendentibus vel senioribus substituere. 23.*
22. *Fideicommissum non præsumitur: sed odiosum & restringendum.*
24. *Fallacia petitionis principii.*
25. *Aliud relinquere familiæ vel generi: aliud certis vel incertis de familia vel agnatione. 33.*
26. *Relictum familiæ, intelligitur vulgariter & non per successivum fideicommissum. 27.*
28. *Valet relictum incertis personis.*
29. *Nomen progeniei vel officii, est demonstratio limitata.*
30. *Declaratur reg. Propter quod unumquodque tale, &c.*
31. *Favor agnationis restringitur ad personas expressas.*
32. *Fideicommissum caducum remanet sub onere sibi impositio.*

REPETITA consultatione pro Illustrissimo Ducæ Villæ Hermosæ super puncto transmisso propter adversum consilium Petri Ancharani, quod argumentando citavi in priore consilio, *num.* 49. & breviùs, quàm pro tantæ rei mole videatur, *num.* 117. perstringendo dilui: equidem fateor dictum consilium Ancharani non fuisse allegatum in themate consultationis, super qua copiosè satis, ut mihi videtur, respondi. Sed omnem lapidem movere rogatus eram, veritatis & justitiæ penitùs & liberè discutiendæ gratiâ. Nunc ergo pleniorem super hoc juris satisfactionem edere jussus.

1. Dico primò dictum cons. Ancharani, etiamsi verum, non erroneum esset, nihil impresentiarùm concludere, sed prorsus à nostro themate & præsenti quæstione distare. Patet primò, quia in themate & casu in quo Petr. Anchar. dicto cons. 27. consuluit, duo illi sequentes antiquiores, de quibus ibi quærebatur, jam erant nati, & in rerum natura, tempore quo priores duo antiquiores per propriam repudiationem excluſi sunt. Quamvis enim sequentes illi non essent nati tempore mortis testatoris, ut imperfectum thema Ancharani supplerur ex scriptis Baldi super eodem them. *cons. 46. in fi. lib.* 1. tamen illud constabat, eos esse natos tempore repudiationis, seu contraventionis & abdicationis priorum antiquiorum. Et sic locus erat disputationi, an sequentes illi essent vocati vel non; & prioribus substituti vel non?

2. At si nec tunc quidem nati fuissent, nulla fuisset quæstio, nulla dubitatio, quin nec vocati essent, nec substituti: ut patet in cons. Anchar. & Bald. Atque hic liquet ex hypothesi, actorem non solùm non fuisse conceptum, nec natum tempore contraventionis factæ per Galcerandum: sed nec Manuelem quidem patrem ejus fuisse tunc conceptum, sed diu pòst. Igitur, etiam secundùm sententiam & mentem præfati Petri Ancharani, & omnium doctorum ubique nunquam fuit, nec est dictus actor vocatus, nec substitutus.

3. Secundò quia in themate Petri Ancharani substitutio eorum antiquiorum de domo, facta erat simpliciter, absolutè & indefinitè: & sic verba substitutionis convenire poterant & adaptari antiquioribus, non solùm primi, sed etiam secundi vel ulterioris gradus, prout indefinita omnes comprehendit etiam in testamentis. *l. si plur. in princ.* ubi Bart. Imol. & omnes *de leg.* 1. *l. si plur. gradus de leg.* 3. Meritò poterant ibi disputari, & locus esse quæstioni, an pòst duos primi loci antiquiores succederent & vocarentur sequentes secundi loci duo antiquiores?

4. Cui quæstioni aut disputationi nullus locus esse potest in casu quo de agitur. In quo secuta alienatione prohibita, vel contraventione, non substituitur aut vocatur proximior consanguineus simpliciter, absolutè & indefinitè, sed limitatè, videlicet. Is demum propin-

quior, qui in tali casu reperietur, ideſt, qui tempore fideicommiſſi exantis in rerum natura erit & proximior erit conformiter ad jus commune: *in l. ſi cognatis de rebus dub.* Igitur non ſolùm de jure communi, ſed etiam ex tenore teſtamenti limitatio exigitur, ut is proximior, qui ſe vocatum contendit, fuerit talis & in rerum natura tempore conditionis extantis.

5. Multùm ergo abſumus à caſu thematis & mente Petri Ancharani, qui etiamſi verum ſcripſiſſet in eo articulo *d. conſ.* 27. tamen nullo modo congrueret, nec ſuffragaretur actori, quin potiùs illam excluderet, utpote cui non congruunt, ſed diſconveniunt in præſenti caſu verba ſubſtitutionis, ibi: *Qui in tali caſu reperietur*: & ſic nec diſpoſitio congruere poteſt. *l. ita autem in princ. de adminiſt. tut. l.* 4. §. *toties de dam. infect.*

6. Quòd ſi verba congruere poterant in themate Ancharani, & tamen ille in caſu ſuo malè conſuluit ſequenter admitti, quantò minùs admitti poſſunt in præſenti caſu, in quo etiam verba ſubſtitutionis diſconveniunt, imò repugnant? Illud in jure exploratiſſimum eſt, teſtatorem non voluiſſe, ſaltem non diſpoſuiſſe, quod non dixit. Igitur multò minùs: contra quem dixit *l. Labeo. ff. de ſuppel. l. g. l.* 3. *de reb. dub. l. quoties in princ. l. quidam cum filium, de hæred. inſt.* Atqui ſic teſtator non dixit de quovis proximiore, ut in themate Ancharani, ſed de proximiore, qui in tali caſu reperietur: ut ſic non ſolùm de alio non dixit, ſed quemvis alium qui in tali caſu non reperietur, excluſit. Igitur actori non ſolùm deeſt, ſed etiam repugnat diſerta diſpoſitio teſtatoris.

7. Tertiò rectè inſpiciatur punctus quæſtionis & dubitationis Ancharani in dict. *conſ.* 27. *col.* 3. *art.* 6. ibi, poſtquàm igitur. Unde tota prætenſa objectio fluit: & clarè apparebit Petrum Ancharanum ibi non dubitare nec diſputare de ſubſtitutione fideicommiſſaria, de qua hîc tantùm agitur, ſed ſolùm de ſubſtitutione vulgari, de qua nullo modo agitur, & ſic deciſio Ancharani, tametſi non eſſet falſa, ſed vera, tamen prorſus eſt impertinens.

8. Patet, quia juris eſt exploratiſſimi, non ſolùm in directa hereditate univerſali vel ejus quota, ſed etiam in fideicommiſſis univerſalibus & particularibus, quin etiam in ſimplicibus legatis fieri poſſe ſubſtitutionem vulgarem, & pariter in donationibus cauſa mortis, videlicet, ſi ille non capiat: ſive quia nolit, ſive quia non poſſit, ſive quia præmoritur, talis capiat, & idem de tali. Deinceps text. *in l. ut heredib.* ubi Bart. Imol & omnes *de legat.* 2.

9. Quòd autem Ancharanus ibi in eo ſexto articulo, non tractet de ſubſtitutione fideicommiſſaria, ſed de vulgari patet, quia loquitur, quærit & diſputat non in caſum, quo illi duo priores antiquiores acceptaſſent cum effectu, quo caſu expiraſſet vulgaris, nec locus eſſe poſſet, nec fideicommiſſariæ ſubſtitutioni, ſi tamen de ea conſtaret. *l. poſt edit C. de impub. & aliis ſubſtit.* Sed Ancharanus loquitur, quærit, & diſputat in caſu, quo contigit duos illos primos antiquiores repudiaſſe ſubſtitutionem vel fideicommiſſum, de quo agebatur. Patet in dicto *conſ. col. in princ.* 5. *articuli* ibi, Quæritur in ordine dubiorum, ſcilicet de viribus repudiationis factæ per Nicolaum & Franciſcum antiquiores, qui erant illi duo antiquiores: ut patet in toto conſ. Rurſus, patet initio dicti art. ibi, *poſtquam igitur propter dictam repudiationem iſti ſunt excluſi.* Loquitur autem de duobus primis antiquioribus: & phraſis totius conſ. oſtendit, & tertiò ibi, *per repudiationem Nicolai & Franciſci, eſt devolutum ad ſequentes*, id eſt, per vulgarem ſubſtitutionem. Quartò ibi, per repudiationem priorum. Ergo in vim vulgaris, quæ in his fideicommiſſis quantumvis obliquis locum habere poteſt. Igitur conſ. illud Petri de Ancharano [illegible], ſed prorſus [illegible] ad caſum & thema de quo quærimus.

10. In quo nullo modo de vulgari, ſed de mero prætenſo fideicommiſſo agitur. Galeranda enim non repudiavit, ſed acceptavit: & quandiu voluit, ſuus fuit, nec fuit excluſus vulgariter per repudiationem, ſed per alienationem dudum poſt jus quæſitum factam. Cùm ergo actor nullo modo veniat ex vulgari, ſed ex mero prætenſo fideicommiſſo,

11. Præfatum conſilium Ancharani nihil prorſus in rem ejus facit: ut potè penitus diſparatum, & in prorſus diverſo caſu loquens. Nec enim allegatum fuit eò quòd obſtaret, aut neceſſe foret illud diluere, ſed quòd plenior eſſet diſcuſſio: nec his quidem omiſſis, quæ à remotis accidere videntur: tametſi prorſus diſſideant: quæ cauſa fuit, ut in eo (quippe minùs pertinenti) diſcutiendo brevior fuero. Nunc, ut ex abundanti oſtendam deciſionem illam Petri Ancharani falſam & erroneam eſſe,

12. Præmittenda eſt ſpecies facti, ſuper qua Ancharanus conſuluit: quæ talis eſt, ut ex ejus conſilio, & duobus conſiliis Baldi præceptoris ſui, reſultat: Andriolus de Calcagnis, quatuor habens filios maſculos, & duas filias, tentatus eſt: & Anaſtaſium, Thiberucium, & Macrobium, filios ſuos naturales & legitimos heredes univerſales æqualiter inſtituit, & invicem ſine filis legitimis & naturalibus deſcendentibus ſuperviventes vel ſuperſtitem ſubſtituit. Supponitur etiam quòd quartus filius fuit in aliquo inſtituendus: & fratribus, ſi ſuperſtes eſſet, ſubſtitutus, & filiæ particulariter inſtituendæ. Poſtremò addita hæc clauſula. Item legavit, quòd in caſu, quo omnes dicti filii maſculi ipſius teſtatoris decedant, nullis relictis filiis legitimis & naturalibus, tunc & eo caſu adveniente, fecit & inſtituit ſibi heredes univerſales in omnibus & ſingulis ſuis bonis mobilibus & immobilibus, & rationibus, duos antiquiores de domo & progenie illorum de Calcagnis. Deinde mortuo teſtatore deceſſerant omnes ejus filii maſculi poſt aditam hereditatem & ſine liberis. Duo autem extabant antiquiores de domo & progenie de Calcagnis, videlicet Nicolaus & Franciſcus de Calcagnis, qui hereditatem adeunt. Deinde repudiarunt tanquam damnoſam, reſervatis ſibi debitis, & particulariter legatis in teſtamento: & promiſerunt non contravenire dictæ renuntiationi coram Notario recipiente pro his quorum intereſt. Poſteà Joanna & Martha filiæ teſtatoris, mediante certa quantitate pecuniæ, renunciaverunt omnibus juribus realibus & perſonalibus in bonis Andreoli patris: nec non matris & fratrum ſuorum, & ea ceſſerunt prafatis Nicolao Franciſco, cum juramento. Sed una dictarum filiarum pupilla erat, quæ jura ſua vendicabat à dictis Nicolao & Franciſco ceſſionariis, ſeu emptoribus hereditatis, & ſimul inſurgunt duo de domo & progenie de Calcagnis, qui ſunt antiquiores, ſcilicet præfatos Nicolaum & Franciſcum, qui fideicommiſſum repudiarunt.

13. Hinc multæ ortæ ſunt quæſtiones: quas ad ſeptem revocat Petrus Ancharanus in dicto conſil. 27. Duæ erant *veræ*.

Prima an dicta filia quæ tempore ceſſionis pupilla erat, poſſit tanquam heres patris, matris, & fratrum bona vendicare?

Secunda, an duo poſteriores antiquiores debeant ad fideicommiſſum admitti, duobus primis antiquioribus per repudiationem ſuam excluſis? hæc eſt vera ſpecies facti & ſumma quæſtionum, quam ex præfatis duobus conſiliis Bald. & dicto conſil. Ancharani fideliter collegi.

14. Et priorem quidem quæſtionem ſilentio tranſmittit Ancharanus, ut potè exinanitatem per ſecundam, ut hanc pro poſterioribus antiquioribus decidit. Utraque verò attingit & decidit Bald. videlicet, dictam filiam debere admitti propter nullitatem juramenti, & ceſſionis, cùm eſſet impubes. Et inſuper ſi adulta fuiſſet, debere in integrum reſtitui: quia in dicta ceſſione non fuit certiorata de beneficio reſtitutionis in integrum, de quo fieri debet mentio ſingularis, *l. illud*, §.

si talis, de minoribus. Dynus *in l. si tendum, de verborum obligat.* Citat etiam Joan. Andr. & dicit hanc esse communem opinionem.

15. Ad secundam verò quæstionem decidit contra dictos sequentes proximiores, & eos & sequentes post eos penitus exclusos: quia tempore mortis non erant proximiores. *l. si. cognatos de reg. jur. & arg. not. in leg. 3. in fin. de leg. 3.* ut patet apud Bald. *cons.* 46. 47. *lib.* 1. novissimæ impressionis Lugdunensis, per Vincentium de Portonariis.

16. Contrarium ex diametro censuit Ancharanus, videlicet, duobus primis antiquioribus exclusis, fideicommissum devolvi ad sequentes duos alios antiquiores. Et insuper addit, sic esse observandum in infinitum de secundis duobus antiquioribus, in tertios, & deinceps, quasi sit fideicommissum relictum familiæ, in quo proximi successivè & gradatim videntur invitati. *l. cùm ita, §. in fideicommisso de legat. 2. l. Petro. §. fratre. verse. quid ergo cod. tit.* Nunc videndum est uter justiùs arma induerit & consuluerit.

17. Quòd si locus ab antiquitate valeat, quem Theologi passim admittunt, nec apud Jurisconsultos spernitur, nemini dubium erit quin excellentissimo illi Philosophiæ, Jurisprudentiæ, praxisque peritissimo Baldo Perusino deferendum sit, qui, etsi tardiùs (ut ab antiquariis accepi) ad jus nostrum exprimendum venerit: tamen eò instructior advenit, nempe Philosophicis Ethicorum, Politicorum, quin etiam Phylicorum, & Mathematicorum doctrinis imbutus (quo nullus nostrûm *συνεστώτερος*) ut ejus scripta testantur. Quòd quòd si unquam authoritas præceptoris præstet discipulo, maximè hic præcellit authoritas Baldi Perusini Petro Ancharano Bononiensi discipulo suo? qui etiam in lectionibus suis passim authoritate Baldi, ut longè præcellentis, semper suspicit & sequitur.

18. Vixit autem Baldus usque ad annum Domini 1140. cùm ante quinquaginta annos tempore Bartoli, ingenii sui acumen ostendere cœpisset. Quare multos eximios habuit discipulos, in quibus Paulus Castrensis, qui cons. lib. 2 cons. 164. incip. in præsenti causâ, quæ vocatur Majorix Hispalensis, *nn.* 1. testatur, eum multo tempore vixisse, & magnorum etiam regnorum consuetudines scivisse, sèque discipulum ejus fuisse, & ejus prærogatam esse authoritatem in judicando, tenet *in cons.* 152. *num.* 3. *lib.* 2. Idem tenet. Alex. *in leg.* 2. *in prin. col.* 4. *de vulg. & pupil.* & ait Raphaël Fulgosius *cons.* 26. *in fin.* Judicem utrò & sine reprehensione Sententiam Baldi sequi in judicando. Idem Philip. Dec. *cons.* 283. *col.* 2. ubi addit. Nescio quisnam viventium sit, qui quantum ad authoritatem simpliciter Baldo adæquari possit, &c. ut præteream quod Ludo. Rom. singulari 355. Jas. *l.* 1. *C. de Summa Trinit.* & alii alibi de authoritate & præcellentia Baldi tradunt. Fuit autem Petrus Ancharanus longè inferior, imò ejus discipulus, ut ex suis scriptis liquet.

19. Sed etiam si pares essent, ut missam faciamus authoritatem, Baldus brevibus & concludentibus rationibus & textibus nititur: Contra vero Ancharanus longo verborum molimine, sed nullo textu, nulla concludenti ratione: Baldus certo & iterùm deliberato, nempe geminato consilio. At Ancharanus semel tantùm consultus dubitanter & vacillanter respondit. Testatur enim se valde dubitare, an illa substitutio restringatur ad duos antiquiores solummodò: an verò duobus primis antiquioribus exclusis devolvatur ad sequentes. Cùm ergo ipsemet dubitaverit, imò etiã valde dubius fuerit, quis sanæ mentis poterit super eo certum judicium fundare? sed priusquàm singulas ejus rationes sigillatim excutiamus, quæstionem ipsam in rem præsentem (fidelibus & sequestris oculis expositam) adducamus: Nudam ipsam veritatem sine omni affectu, sine argumento circumscripto vel suspenso intuentes.

20. Testator ait. *Decedentibus filiis meis sine liberis, substituo duos antiquiores de domo & agnatione mea.* An duo primi tantùm videantur semel substitui, an verò post eos etiam duo alii, & deinceps gradatim & in infinitum? Quis non videat semel tantùm duos priores vocatos, nec gravatos esse sequentibus, sed liberas manus habere? Quemadmodum si quis eodem casu. vel deficientibus quandocumque descendentibus suis, substitueret descendentes fratris sui, vel patroni sui? An dicemus, descendentes descendentium substitutos, & in infinitum semper futuris descendentibus gravatos. Absitimò postquàm semel extante conditione fideicommissi descendentes proximiores dicti fratris vel patrui, qui tunc erant in rerum natura, vocati fuerunt, & fideicommissum obtinuerunt, impletum fuit & consumptum, & illi liberè habent, & liberè disponere possunt: nec remotioribus descendentibus ex se, vel ex aliis ex dicto fratre, vel patruo restituere tenentur. Et hoc sensus communis ostendit, & ipsa lucidissimæ veritatis evidentia, ut si quis dubitat, non tam ratione indigeat, quàm sensu. Atqui in præsenti quæstione eadem ratio est.

21. Idem, si testator dixerit, Substituo heredes Titii, vel filios Titii. Quamvis enim benigna interpretatione admitti possit, ut præmortuis heredibus primis, vel filiis primi gradus censeantur invitati heredes heredum, vel nepotes, scilicet qui tunc sunt, & reperiuntur in rerum natura, quando extat conditio fideicommissi, *l. secundum, l. justa. in verb. signif.* tamen semel tantùm intelligitur, videlicet, ut tantùm qui tunc sunt, invitati sunt, non autem deinceps successores eorum, vel descendentes ex his: quia testator non addit: Et heredes heredum, vel filios filiorum: & sic unum tantum substitutionis gradum, & non plures fecit, semel tantùm heredes vel filios filii, qui tali casu vel extante conditione reperiuntur, substitutio autem eos gravavit, nec subsequentes vocavit: quia non disposuit.

22. Nec disposuisse præsumitur, nisi ex verbis ejus clarè colligatur, substitutio enim fideicommissaria onus est, & odiosa, nec præsumitur: Alex. *cons.* 17. *num.* 5. *lib.* 3 Philip. Dec. *cons.* 89. *col. ult. cons. ult. cons.* 339. *in fin.* ubi in annot. dixi. Et favorabilis est ejus extinctio vel solutio: ut in dubio contra fideicommissum judicandum sit. Ang. Perus. *in l. qui Romæ, §. duo fratres* & ibi Alex. *col.* 11. *de verb. oblig.* Rota *decis.* 864. *testator. in fin. in antiq.* Socinus *cons.* 113. *col.* 10. *lib.* 1.

23. Idem si testator substituit suos: quia semel tantùm intelligitur de his qui in tali casu reperiuntur, etiamsi de consanguineis proximioribus intelligatur: ut apud Paul. *cons.* 404. *lib.* 1. Idem si dixit, Substituo proximiores de parentela: ut apud Paul. *cons.* 392. *lib.* 2. Idem ergo cùm dixit, *Substituo duos antiquiores de domo & agnatione*, vel progenie, ut hic. Item si dixit: Substituo seniorem de tali domo, ut memini me in provincia consuluisse in fortioribus terminis: videlicet, Testator instituit Domptum: cui si sine liberis decesserit, substituit Hugonem: & si sine liberis Hugo decesserit, substituit Jacobum: cui sine liberis decedenti substituit seniorem de tali domo. Domptus heres fuit, & mortuus sine liberis, & Hugo accepit bona, sed vivente Hugone, obiit Jacobus absque liberis: postèà similiter absque liberis moritur Hugo. Tum ille senior tunc inventus, petiit bona ex fideicommissaria substitutione. Respondi, quòd bene: & obtinuit quia non defecit, sed extitit ejus conditio, quamvis enim fideicommissum sit factum caducum in persona Jacobi: tamen remansit apud Hugonem cum onere. Sed postquàm substitutio pervenit ad seniorem, cessavit, nec fuit ille gravatus aliis senioribus, quamvis substitutio à multis præcedentibus subordinatis gradibus penderet.

24. Superest, rationes seu potiùs occasiones dubitationis Ancharani speciatim diluere. Prima est unum præsuppositum, quæ præsupponit istud esse fideicommissum relictum familiæ, in quo proximi successivè & gradatim videntur invitari, ut in *l. cùm ita, §. in fideicommisso, l. petro. §. fratre verse. quid ergo de leg.* 2. & sic

per repudiationem Nicolai & Franciſci devolvitur ad ſequentes, & deinceps in infinitum. Solve, quòd ea ratio eſt *captiosa* quam Logici vocant fallaciam petitionis principii. Debuit enim priùs probare, & non ut probatum aſſumere quod præſupponit, videlicet, ſubſtitutionem qua de agitur, eſſe fideicommiſſum relictum familiæ, hoc enim falſum eſt.

25. Quia aliud eſt reliqui familiæ vel generi, aut agnationi: ut *in d. §. in fideicommiſſo* aliud relinqui certis vel incertis perſonis de familia & agnatione. Priore caſu legatum fuit corpori per nomen collectivum: ut *in l. ult. C. de verb. ſignif.* Secundo vero caſu, relictum ſit perſonæ ſingulari, vel perſonis ſingularibus per nomina ſingularia: ut quando legatur primogenito vel antiquiori filiorum fratris, vel duobus antiquioribus filiis fratris: vel duobus antiquioribus nepotibus patrui, vel fratris: tunc enim nihil reliquitur familiæ vel agnationi, ſed aliquibus perſonis de agnatione, & conſequenter nullum inſurgit fideicommiſſum graduale, prout nullo jure cavetur, & nullus gloſ. & Doct. tenuit.

26. Secundò dico, quòd etiamſi conſtaret hîc (videlicet in themate Ancharani) relictum eſſe familiæ, tamen intelligeretur vulgariter inter proximos de familia tempore conditionis exantis, non autem deinceps jure fideicommiſſi gradualis in infinitum, quandiu eſſent aliqui de familia: niſi ultra illa verba, eſſet additum vel expreſſum a teſtatore, quòd volebat bona perpetuò remanere in familia: ut ſignanter loquitur: & addit tex. *in l. pato. §. fratre*, ib i, *Petiit ne domus alienaretur, ſed ut in familia relinqueretur. de leg. 2.* per quem limitari debet & declarari, text. *in d. § in fideicommiſſo in l. cùm ita. eod. tit.* Ita tenet Raph. Cu. *in d. §. in fideicomm.* Socin. *in l. cognatis. col. 7. nu. 17. de reb. dub.* Ant. Rub. in repet. *§. quidem rectè. col. 24. in l. Gallus. de lib. & poſt.* Car. Ruinus. *conſ.* 52. *lib.* 2.

27. Hinc in fortioribus terminis decidit Steph. Bertrand. *conſil.* 328. Venio ad ſecundum, *l.* 2. Teſtator dixit: Inſtituo heredem ſeu heredes, univerſalem & in ſolidum primogenitum meum, & poſt eum, Petrum & Joannem fratres ejus, filios nepotes teſtatoris. Cenſuit Bertrand. quòd hi nepotes ſunt tantùm ſubſtituti vulgariter, ſive ordine ſucceſſivo per modum vulgaris inſtituti. Secùs, ſi teſtator dixiſſet: & poſt eum quandocunque, &c. quia tunc poſſet intelligi nepotes eſſe ſubſtitutos, nedum vulgariter, ſed etiam vocatos per fideicommiſſum in vim compendioſæ, ratione verbi habentis tractum temporis. Idem tenet Steph. Bertrand. *conſ.* 357. viſo conſultationis, eodem libero. Et hæc ex abundantia dicta ſunt.

28. Secunda ratio Ancharani: quia relictum eſt duobus de progenie, ſine expreſſione nominum, ergo progeniei relictum eſt: quia nomen agnationis ſunt expreſſum & ſuppreſſa nomina perſonarum. Sed hæc ratio non concludit. Poteſt enim relinqui perſonis incertis vel certis ſuppreſſo nomine: & tamen non eſt relictum factum corpori, ſed perſonæ, §. *incertis autem inſt. de leg.*

29. Tertia, quia hoc caſu teſtator videtur magis conſideraſſe domum & progeniem ſuam, quàm perſonas legatariorum, quas non expreſſit. *l. qui habebat, de reb. dub.* Solve, non concludit eſſe relictum progeniei: ſed tantùm concludit quòd niſi ſint de progenie, non ſunt vocati, etiamſi nomina eſſent expreſſa. text. *in l. ſi pater. C. de hered. inſt. in l. eam, quam. C. de fideicomm.* quia nomen *progeniei*, eſt demonſtratio limitativa: ut & in dicta, *l. qui habebat.* nomen officii, eſt demonſtratio limitativa, & ſemper eſt relictum factum perſonæ, ut etiam probat. *d. l. qui habebat.*

30. Quarta ratio, Propter quod unumquodque tale, & ipſum magis tale. Authen. *multò magis. C. de ſacroſanctis Eccl.* non procedit, niſi quando infertur de cauſa in cauſam, vel contra: & ibi Jacob. Buttrigar. Vel quando diſponitur dumtaxat ad commodum ejus, cujus favore & contemplatione fit, aliàs ſecùs. Unde ſi quis amore ſororis leget ſingulis ejus liberis centum, non tamen tantumdem cenſetur ſorori legaſſe: nec legata ſorori quæruntur, ſed illis dumtaxat, quibus relicta ſunt liberè & ſine alio onere.

31. Quinta ratio quòd affectio agnationis & domus conſervandæ, viſa fuit utilis & moribus hominum conveniens. *Inſt. de hered. quæ ab inteſtat. deferunt. §. item vetuſt. & de legit. agnat. ſucceſſ. in princ. & § quod feminas*, quia deeſt minor. diſpoſitio enim & favor agnationis reſtringitur ad perſonas de quibus teſtator locutus eſt. Jacob Buttrigar. Bald. in *l. 1. C. de ſucceſſorio edicto.* Phil. Dec. *conſ.* 261. *conſ.* 290. *conſ.* 668. Tum quo magis agnati remotiores ſunt, eò minor eſt in illis ratio. Bald. Alex. *l. 3. C. de ſucceſſ. edicto.* Alex. *conſ.* 67. *lib.* 2. Philippus Decius *conſ.* 261. *col. penult.*

32. Sexta ratio, à qualitate oneris fideicommiſſo ſubjuncti. Cùm ergo legatum ſit perpetuum reſpectu pauperum, ſimiliter debet eſſe perpetuum reſpectu duorum antiquiorum de progenie: quæ perpetuitas non poteſt in duobus primis conſiſtere, niſi inducto graduali fideicommiſſo. Sed hæc ratio perquam ridicula eſt. Cùm enim onus dandi perpetuò ſingulis menſibus medimnum frumenti pauperibus non ſit impoſitum nominatim, ſed ſimpliciter ipſi fideicommiſſo, hujus fideicommiſſo pariter exiſtit conditio, & conditio legati pauperum. Et ſic quantumvis fideicommiſſum non ſit graduale: nec devolvatur ad ſequentes, ſed extinguatur per repudiationem fideicommiſſariorum, & ſic remaneat heredibus: tamen remanet cum dicto onere alii reſtituendi: ipſi & eorum heredes perpetuò manent obligati, & res fideicommiſſi hypothecatæ ad illud legatum pauperum.

33. Reliquæ cauſificationes Anchar. ſpecificam dilationem non merentur: quam quivis ſtudioſus ex prædictis facile ſuppeditare poteſt. Nimis ergo in hoc articulo delipuit Ancharanus, quem nominatim reprehendit Aymo Craveta, *conſil.* 180. in ſubſtitutione facta de proximiore generis in gradu parentelæ: quæ cùm ſemel effectum habuiſſet, deinde ſequens in gradu ex teſtamento vendicaret, & in prima inſtantia obtinuiſſet prætextu *d. conſil.* 27. Ancharani: reſpondit Aymo, malè judicatum, & reum abſolvendum, dicens quòd refert dicere, Subſtituo illos de genere, vel de parentela, ſeu genus, parentelam, vel familiam: vel, Subſtituo proximiorem mei generis in gradu parentelæ. Quia primo caſu ſunt nomina collectiva, & non ſolùm affectio, ſed etiam diſpoſitio habetur ad omnes. Ideò veniunt ſucceſſivè, & per fideicommiſſum: ſecùs in ſecundo caſu, ubi nomen appellativum refertur ad unum propinquiorem. Et ſic quamvis poſſint plures ejuſdem gradus concurrere ſimul: ut per eumdem Cravetam *conſil.* 161. *col.* 1. vel primo repudiante, ſequens admitti vulgariter, non tamen per fideicommiſſum, ſive uni proximiori, ſive duobus proximioribus relictum ſemel acceptatum conſumatur, inter gradualem habetur ſucceſſionem.

E quibus veritas ptioris noſtri conſilii ſatis eſt propugnata, & ſatis ſuperque vel criticis & ſcrupuloſis ſatisfactum, tergiverſantibus autem & ignaris nunquam ſatisfieri poſſit.

Et ita cenſeo. In quorum fidem, propria manu ſubſcripſi, & gentilitium ſigillum infixi. Pariſiis 15. Calendas Januarii 1559. C. M.

CAROLI

CAROLI MOLINÆI,
FRANCIÆ ET GERMANIÆ I. C.
ET IN SVPREMO PARISIORVM SENATV ANTIQVI ADVOCATI.
CONSILIA DVO.

I. Super facto Concilii Tridentini.
II. Super commodis vel incommodis novæ factæ, seu factitiæ Religionis Iesuitarum.

Beatus vir qui non abiit in Consilio Impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in lege Domini voluntas ejus, & in ea meditatur die ac nocte. Psal. 1. vers. 1.

SVPER FACTO CONCILII TRIDENTINI CONSILIVM.

COnsultus subsignatus, qui 7. 8. & 9. Sessiones Tridentini Concilii Parisiis cum Regio privilegio editas, ibi 13. Februarii 1563. à prudentibus, eximiis & illustribus sanctioris consilii viris, quærentibus num admittendum vel dimittendum & repudiandum esset illud Concilium, exhibitas accepit & perlegit: nec-non sex ejusdem Concilii Tridentini Sessiones Coloniæ anno 1551. postea item Antuerpiæ excusas: tum res subjectas harumque circumstantias diligenter expendit, censet Tridentinum illud Concilium in Franciæ regno non posse, nec ullo modo debere admitti. Quod fieret contra Deum, veteres sanctas Synodos, Majestatem Regiam, jura Regni, Constitutionum & edictorum auctoritatem, Parlamentorum dignitatem, decreta Franciæ, Ordinum jura, privilegia & immunitates Gallicanæ Ecclesiæ. Quoniam verò, in re tanti momenti, Rempublicam spectante, non simplici responso, sicut in privatis consultationibus utendum est: rationes etiam expetitas addere consulto visum est, quæ illius Concilii Tridentini nullitates, abusus, & rejectionem demonstrant.

I.

Adrian. VI. Conventus Noriberg. ann. 1523.

Papa Adrianus VI. quum anno 1523. per Franciscum Cherogatum Legatum à Latere in Conventu Noribergensi agnovit & fatlus est, Ecclesiæ Romanæ sedem esse corruptam, depravatam, omnino immutatam & inversam: à Romanis Pontificibus Ecclesiæ corruptionem profectam, & inde in omnes Ecclesiæ Romanæ Prælatos effusam esse: jampridem Ecclesiasticos viros à via discessisse, nec inter illos quemquam esse qui faceret bonum: à sede Romana initium, castigationem & reformationem inchoandam esse. In eam rem Chrysostomi judicium proponens, nempe, Servatorem nostrum de Jerosolymorum salute cogitantem, & à templo fecisse initium, unde vendentes & ementes ejecit, sacerdotum peccata primùm aggressus. Ideo Adrianus Oecumenici & liberi Concilii Ordinibus imperiorum spem fecit: in quo per consequens Pontifex Romanus & Romanæ Ecclesiæ addicti præsidere non debuerunt: alioqui vanum & irritum fuit Adriani promissum.

I. Concilii liberi promissum.

II.

Clemens Adriani successor (à quo Germaniæ Principes & Civitates liberæ ad futurum Oecumenicum Concilium provocarunt anno 1530. Augustæ, proposita fidei suæ confessione & Ecclesiasticæ reformationis formula) expresso diplomate Germanis Concilium Oecumenicum & liberum intra biennium est pollicitus. Quod ni indiceretur, potestatem eis fecit, ut juxta fidei confessionem & reformationem Conventui Augustano exhibitam viverent.

II. Concilii liberi promissum.

III.

Pauli III. artes.

In cujus provocationis, coram Cæsare anno 1540. Wormatiæ Vangionum renovatæ, nec-non in promissionis Adriani, Clementis, item & promissionis ab eodem propositæ, contemptum, Paulus III. horum successor, motu proprio Concilium suum, quod œcumenicum falsò nominavit, Mantuæ, quæ urbs est Italiæ, multis nominibus suspectæ, indicere ausus

est. Deinde, re infecta, Vicentiam, Venetorum oppidum ne quicquam illud transtulit: imo in incertum tempus & locum rejecit. Tandem, ut tutius rem gereret, ex Italia Tridentum usque Venetæ ditionis & Italiæ finitimum oppidum Concilium istud transilire jussit, & patente diplomate assignavit 13 Decembris 1545. unica voluntate sua fretus. Initium ut facerent, tres Cardinales Papatui planè addicti, qui Pauli locum tenerent, missi sunt. Et sanè duo priores tandem Pontifices Romani creati sunt: tertius sedem illam suo tempore conscendisset, sed repulsam passus est sycophanticis artibus Cardinalis Caraffæ, qui sedem occupavit, excluso illo tertio, nempe Reginaldo Paulo, qui dictis & scriptis acerrimum, quo in reformationem & doctrinam Evangelicam ferebatur, odium abunde professus, Angliam patriam suam repetens anno 1558. è vivis sublatus est.

IV.

Item Paulus III. tribus illis Vicariis suis duos alios Cardinales Legatos à Latere adjunxit, & misit, non ut hac in parte veterum Conciliorum formam observaret, in quibus Rom. Ecclesiæ Episcopus nunquam præfuit, sed veluti privatus, aut novus Patriarcha, Patriarchas antiquiores, aut Imperatoris Legatos in sede celsiore, Romani autem Præsulis Vicarios imis subselliis locatos intuebatur: sed ut tantùm procuratores & rerum inspectores immitteret.

V.

I Nullitas Concilii Tridentini. His de causis Concilium istud nullum est. Solo enim Rom. Pontificis decreto nititur. Is autem reus est, accusatus vocatus ad reformationem, & à quo provocatum est. Non ejus ideo fuit Concilium indicere proprio motu: multò minus in eo præesse: cùm impossibile sit, & jus omne divinum, naturale, humanum evertat, quicumque reus in propria causa judex esse præsumit.

VI.

Quicumque etiam Ecclesiasticæ historiæ: veterumque Theologorum scripta extant, nec non Conciliorum tomi duo priores, Coloniæ anno 1550. editi, perspicuè demonstrant, Romanum Episcopum nunquam Conciliis Oecumenicis præfuisse, sed sub præside Cæsareo interfuisse: nec hujusmodi Concilia unquam Romani Episcopi authoritate vel mandato, sed Cæsarum & summorum Principum edictis fuisse coacta: alioquin Congregationes & Synodi nullius momenti habitæ sunt, teste Hieronymo, qui Rufino Concilium obtendenti respondit: In primis indica à quo Cæsare Concilium illud sit indictum anno 560. Justinianus Imperator, in Novella 123. de Conciliis Ecclesiasticis leges tulit.

VII.

II. Nullitas Altera Nullitas. Provocatores, nempe sacri Imperii Electores nonnullos, & liberas civitates Germanicas prætermisit Rom. Pontifex. Non advocatis autem advocandis, nullitas est, quæ jus divinum, naturale, humanum, impugnat.

VIII.

III. Nullitas. Non modò autem prætermissi & neglecti, quinimo exclusi sunt, ad Concilium admissis Papæ & Ecclesiæ Romanæ conjuratis: ideo nomine Concilii cœtus hic indignus censetur, quum sit authorum mali totius conspiratio, dedecus & depravatio. Illi enim, ceu capita, priores ad emendationem vocabantur, voce directa Adriani VI. Dein aperta ejusdem Concilii Tridentini confessione, à primæ sessionis apud Colonienses editæ principio.

IX.

IV. Nullitas. Hæc porrò nullitas est notoria, quòd ad istud Tridentinum Concilium quicumque vocati sunt, ut deliberativam seu simpliciter consultivam vocem haberent, provocatorum aliorumque reformationem postulantium omnium, item obnixè petentium ut Concilium illis concederetur, hostes erant infensissimi. Inimicorum autem & adversariorum cœtus Concilium dici non potest: eorumque decreta omni jure nulla sunt.

X.

V. Nullitas. Illud autem non ferendum, quòd hostes eorum qui reformationem postulant, judices fuere, verum etiam Rom. Pontifex solus præses & unicus rerum arbiter per Legatos adfuit, quemadmodum ex initio, progressu, & Concilii fine apparet. Quæ nullitas est manifestissima.

XI.

VI. Nullitas. Alia sequitur, duobus Conciliis, Constantiensi nempe & Basiliensi, damnata nullitas. Hæc Concilium supra Papam & Ecclesiam Romanam esse statuerunt, secùs sentientibus hæreseos & schismatis notâ insectis, eorum demque sententiâ, ceu erronea & falsa, palam rejecta, nec non Pontifice & Ecclesia Romana Decretis Concilii Oecumenici severè obligatis. Inde sequitur, Concilium Tridentinum hæreticum & schismaticum esse, quoniam Papam supra Concilium esse pronuntiavit, & in omnibus summum statuit. Quapropter quicumque Concilium istud admittit, hæreseos & schismatis labe polluitur.

XII.

VII. Nullitas. Præterea, quum Tridenti Concilium istud per biennium hæsisset, sex Sessionibus tantùm habitis, ab eodem Paulo III. Bononiæ translatum est, ubi suspensum & derelictum jacuit, ante & post Pontificis illius obitum: adeo ut interruptum & sine effectu permanserit. Qui interfuerunt tunc temporis, ex quorum numero fuit D. Espensæus, vir nobilis & eruditus, ingenuè tum viva voce, tum scriptis, fassi sunt, omnes ad Concilium Bononiæ vocatos otio tantùm indulsisse.

XIII.

VIII. Nullitas. Addo, Concilium istud mansisse nullum, extinctum, finitum: quum enim neque Cæsaris, neque Regum & Principum Christianorum, neque Ecclesiæ, vel præcedentis alicujus Concilii nomine, sed unius Pauli III. præsidis & omnia in eo disponentis, & à cujus nutu pendebant omnes, esset indictum: in Pauli III. morte mortuum esse constat. Prout, utriusque juris censurâ, voluntas morte finitur. *l. 4. ff. loc. at. c. ex literis in fin. ext. de constitut. c. si gratiosè, de rescript. in 6.* Dominic. de sanct. Geminian. in c. *si delegatus, de offic. deleg. in 6.* Florian. de S. Petr. *in l. 4. ff. de servit.* Ludov. de Gozadinis, *cons.* 22. Philip. Dec. *cons.* 108. ubi in annotat. dixi, & super *regul. Cancell. 18. de infirm. resignant. num.* 359.

XIV.

Quinetiam, stante isto Tridentino vel Bononiensi Concilio, Papæ qui Paulo III. successit electio neque ad Cardinales neque ad eorumdem Collegium, sed ad Concilium pertinuisset. Quum enim supra Papam & Ecclesiam Romanam Concilium Oecumenicum emineat, interveniente (quamdiu Concilium illud celebratur) Pontificis obitu, sedeque Romana vacante, novi Papæ electio, provisio, institutio, non ad Collegium Cardinalium, ut qui inferiores sint, sed ad Oecumenicum Concilium pertinet. Nec enim Cardinales à seipsis hac potestate gaudent, neque olim usi sunt: sed tandem eis à Concilio tributa est, sicuti constat *ex Clem. neque Romani, de election.* Nec momento talem authoritatem impetrarunt, sed gradatim, initio facto circa annum 1059. teste decreti *distinct. 23. cap. 2.* Durante igitur Concilio, jus illud non ad Cardinales, sed ad Concilium pertinet. Et ita sentiunt Theologiæ Doctores omnes, ut Jacob. Alm. *in sermone de potestate Eccles. cap. 9. sequent.* Joan. Gerson. *in tract. de potestat. Eccles.* & rursus *in tractat. de auferibilitate Papæ ab Ecclesia*, ubi & concorditer alii tenent, quòd stante verò generali Concilio, illius solius (& non Cardinalium) est electio, quovis modo vacet. Nec est mutum: quia tale

Concilium est supra Cardinales, imò etiam supra Papam, & primitivam habet potestatem immediatè à Christo, secundum Theologos: prout etiam definitum est in Concilio Constantiensi & Basiliensi: & habetur *in Pragmat. tit. de authorit. & potest. sacror. Conciliorum.*

XV.

IX. Nullitas. Præter eam Theologorum sententiam, idem definitum est à Concilio Constantiensi Sess. 14. & 39. accidente verò Pauli III. morte, & toto trimestri sede vacante, nullus tamen Bononiam, Italiæ & patrimonii papalis oppidum, ad novi Pontificis electionem accessit: neque Concilium Bononiense de ea re cogitavit, quod minimè præter nusisset, si verum fuisset & mansisset Concilium. Quum verò nullum esset, ipsomet Paulo III. spirante, extinctum autem jaceret, isto jacente, qui vivens Tridento Bononiam suos delectos transportarat, quum neque huic Concilio finem imponere, neque disertis verbis sedem aliam indicere vellet, hac translatione & desertione tacitè revocavit. Sin minus, vocantis & transferentis morte finitum & planè extinctum est. Ideo ad illud Concilium confugere nec decuit, nec possibile fuit. Unde illud omnino suppressum & abolitum esse constat. Nihilominus tamen anno 1551. Julius III. Tridenti Concilium continuavit, ut ex Bulla Pontificia, 14. Novembris 1550. apparet. Hinc nova nascitur nullitas, circa finem tertii tomi Conciliorum, anno 1552. cura & studio Pontificii mancipii cujusdam Franciscani, qui nomen suum initio præfixit, collectorum & editorum, satis apertè detecta.

XVI.

X. Nullitas. Quum enim Concilium Tridentinum finitum & mortuum esset, continuari non potuit: & quicquid super eo constructum est, ædificium sine fundamento apparet nullaque sunt quæcumque in eo decreta fuere: *c. principatus, 1. q. 1. l. egi tecum, ff. de except. rei judicat.* De novo erigendum fuit, non supra fundamentum eversum continuandum: *l. sed & si manente precario ff. de precar.* Canonist. *in c. hi qui authoritate de præbend. in 6.* Speculat. *in tit. dilation. §. nunc videamus, vers. scias.* Bald. *in l. 1. in fin. C. de temporib. & reparat. appellation.* Joan. Andr. *in addition. ad* Specul. *tit. de appell. §. 7.* Bald. *cons. 50. lib. 5.*

XVII.

Etsi verò novum istud Concilium Tridentinum ex capite nullæ & vitiosæ continuationis, nullum haud esset, prædictis aliis nullitatibus, quæ novo ut & veteri conveniunt, evertitur.

XVIII.

Occurrit alia nullitas, Henrici II. edicto promulgata. Is enim regni sui, Delphinatus item & Provinciæ Episcopos retinuit, ne Tridentum irent: neque Legatos suos ibi adesse voluit. Imò verò Trideuti & passim in Germania per delectos varios anno 1551. protestatus est, & palam dixit, novum Concilium, à Julio III. Tridenti renovatum, nullum & frustra instauratum, illegitimum, nec publicum, nec œcumenicum esse, sed cœtum privatum, in quorumdam commoda, non in publicam salutem, collectum: cujus decretis Franci minimè tenerentur: ac propositum sibi esse remediis, quantum foret opus, à suis antecessoribus in ejusmodi casibus adhibitis uti. Ideo Concilium Tridentinum nullo modo admittendum: alioquin edictis, protestationi, nomini Serenissimi Regis Henrici II. injuria, post ejus obitum, gravis inferretur.

XIX.

Pontificis fœdus contra Franciæ Regem. Notum est etiam Julium III. cum Cæsare adversus Franciæ Regem iniisse fœdus: Regi item bellum indixisse & intulisse Mirandulæ & alibi: præterea multos sibi addictos in ipso Franciæ Regno subornasse, ut Regis dignitatem & edicta palam convellerent, atque Pontificis authoritati subjicerent: tum ut Nobilium ordinem & populum rumore perculerent, & ab officio solito averterent, ut Regi militare & Pontificis ambitionem, atque invasionem retundere vellent: quemadmodum Parisiis hoc accidit anno 1551. & 1552.

XX.

Julius iste III. qui solus per Legatos præerat & imperabat Concilio suo Tridentino, quicquid libuisset in Regis & regni Galliæ, nec non Ecclesiæ Gallicanæ præjudicium constituere, & seditiones in Regem, experientia teste, excitare potuit. Quamvis autem nulla sessio facta vel publicata sit in eo Concilio, dum vixit Julius III. non cessarunt tamen factiones Pontificiæ. Exempli gratia: Laudatæ memoriæ D. Jacobus de Ligneris, Senator integerrimus, postea magnæ Curiæ Præses, quum Tridenti Legatus à Rege adesset mense Maio 1550. accepit à Julii vices gerente commentaria, quæ plurimos articulos de caribus variis adversus Pontificem gregalesque suos Tridentinos, jurisdictionem & Curiam Romanam, ut conquerebantur, per Regis edicta, regalia jura, aliaque scita conscriptos, continerent. Quæ oblata idem de Ligneris constanter repudiavit, dicens herum suum Regem minime teneri, nec velle istis Tridenti congregatis deferre obedientiam.

XXI.

Non unus de Ligneris, sed plures alii restati sunt, & memoria recens est, subdoli cujusdam artificii, quod in eodem Concilio, Paulo III. regnante apparuit, anno 1546. Articulus de Episcoporum & Curionum residentia quum restitutus esset, ut ex jure divino conflatus statueretur, ita ut de eo Pontifex Romanus dispensare non posset, Pauli istius Legati, Concilio præfecti, quorum unus fuit Reginaldus Paulus Anglus, quum viderent Franciscum I Franciæ Regem decretum illud maximè probare, cui etiam Hispani quidam Episcopi conscientiæ sensu quopiam tacti assentiebantur, ad Pontificem scripserunt, auxilium petentes adversus decretum. Ille verò ad sesquimentem decreti conclusionem amplari jussit. Quod quum fieret, interea temporis constituti sunt & collecti à Pontifice circiter 40. levis armaturæ milites, seu tenues Episcopi in Apulia & Sicilia, navibus celeriter impositi, & Tridentum usque, fidi ducis operâ translati, quos Concilium necessariò reciperet, & corporis sui membra, sub Papa Romano capite faceret. Isti verò aliorum omnium Episcoporum nomine quamprimùm vociferati sunt, nihil aliud sumus præterquam creaturæ & mancipia sanctissimi Patris, unici pastoris, & solius veri Episcopi, solummodo vocati ad particulam quamdam sustinendam sollicitudinis quæ illum premit, quantum voluerit: nec enim possumus aut debemus ei ponere legem.

XXII.

Ita numero vincentes & freti favore Legatorum, penès quos conclusio, nomine Pontificis erat, sanctum de residentia decretum repudiatum est; contrarium verò receptum, quo jubentur singuli placitis & dispensationibus Pontificiis dare locum. Hac via non solùm antiquorum Conciliorum decreta residentiam præcipientia, antiquata violataque sunt, verumetiam jus divinum abrogatum est, ex quo hujusmodi residentia sub pœna peccati gravissimi injungitur, Levitic. 8. *ad fin. ibi, die ac nocte manebitis in tabernaculo, observantes custodias Domini, ne moriamini: sic enim mihi præceptum est.* Sed ut facilius perspiciat lector, veritati & piæ libertati aditus omnes hoc in Concilio fuisse clausos, Episcopus quidam repertus est, qui auditis superbissimis & blasphemis concessis Papæ titulis, monuit, & alios ad saniorem mentem revocare studuit, unico prælato ex 17. cap. Joannis testimonio, quo Pater Domini nostri Jesu Christi sanctus cognominatur. Atqui (ille inquiebat) nihil pontificiis familiarius quàm suum Papam nomine sanctissimi compellare: quod de vero Deo in

tota scriptura dictum haud apparebit. Ideo decebat nomen Sancti, non sanctissimi, Papæ tribuere, nec ampliorem titulum, quàm Deo ipsi, concedere. Atqui exigua illa restrictio exclusa est, & Papa de re tota certior factus, Episcopum illum Romæ vocatum satellitibus suis de gradu dejiciendum & duriter tractandum propinavit.

XXIII.

Idem Paulus Cardinalis, Legatorum à Latere tertius, librum evulgavit de Concilio, quod omni spoliat authoritate, uni Pontifici tributa, dicendo quæstione quinta, Catholicam Ecclesiam in Concilio partem vel authoritatem nullam obtinere, sive ad prohibendum, sive quod à Concilio in deliberationem positum est, definiendum sit: omne ad unum Pontificem, Christi Vicarium, & in medio dispersatum ovium constitutum, obtinere: quæst. 14. 15. 16. Nihilominus tamen Concilium illud œcumenicum vocari, quòd Ecclesiam repræsentet Catholicam: & in ea vocem obtinere deliberativam quocumque privilegio à Romano Pontifice donantur. Et ille est spiritus Bullæ 13. Decembris 1545. emissæ, quia Paulus III. Concilium suum œcumenicum nominat, quòd in eo sedeant illi quibus & quatenus sedere permisit. Quandoquidem verò tenentur omnes diem illum festum celebrare humilibus & devotis precibus, jejuniis, eleemosynis, iis cunctorum peccatorum plenariam remissionem, ubique locorum concedit, quam diebus Mercurii, Veneris, Sabbati bullæ promulgationem proximè sequentibus, lucrabuntur.

XXIV

Quæstione verò septuagesima prima, idem Paulus Cardinalis subjicit, Christum magnifica quidem Petro, nec non Petri successoribus, esse pollicitum, quæ in Petri persona non adimplevit, sed post trecentos annos illius mortem consequuros, quando Petri cathedra supra thronos omnium Cæsarum, Regum, Principum & Magistratuum mundi coràm omnium oculis Romæ scilicet erecta est. Verba etiam Christi ad Petrum, homines vivos capies, posthac, in Sylvestri Constantinum lucrantis persona completa fuisse. Subjicit præterea Paulum ipsum fateri, 1. *Corinth.* 1. sui temporis Ecclesiam ex pusillis & infimæ conditionis hominibus constitisse, paucos tunc in ea fuisse sapientes, potentes, nobiles: contrarium autem apparuisse Sylvestri sæculo, sicuti refert quæst. 64. substratis fundamenti loco, commentis de lepra, ablutione & donatione Constantini, quibus restitutionis nomen tribuit, repudiatis tamen ceu fabulosis à Platina nec non aliis Pontificum fautoribus vel tantillo præditis judicio. Hac ratione Paulus Cæsares, reges, principes omnes, servulos & pedissequos Pontificis constituit.

XXV.

Decretum etiam primæ Sessionis Concilii Tridentini, Coloniæ ad Rhenum editæ, & 7. Januarii 1545. habitæ jubet ut soli Episcopi Sacerdotes, aliis explosis, Concilio intersint: hinc sequitur Theologos & cunctos qui oleo Pontificio non perunctisunt, excludi: ex unctis autem admitti, qui Legatis à Latere gratierunt: horum enim in singulis sessionibus occurrit mentio, ne quis aliam authoritatem & voluntatem in Concilio, præter Pontificiam, cogitet.

XXVI.

Non potest igitur Concilium dici vel reputari, sine veritatis abnegatione manifesta, & Scripturæ sacræ falsificatione. Etenim Concilium illud, in sessione tertia die quinta Aprilis 1545. ante Paschatis festum habita, scriptis canonicis Prophetarum & Apostolorum admiscet & æqualia facit agrapha quædam, quæ traditiones non scriptas appellat. Sed tametsi Apostolorum sæculo verbum Dei viva voce traderetur, nec scriptis ita consignatum esset, ut tandem fuit ab ipsis Apostolis, ad quos Ecclesiæ recurrebant: Act. 10. & 15. cap. universa tamen eorum doctrina, & quod de verbo Dei tradendum erat ab ipsis & ab Evangelistis à Christo delectis est litteris consignatum, novique Testamenti Codici, libris Canonicis Testamenti veteris adjunctum: in quibus quæcumque Deus nos scire vult ad salutem, & omnis Apostolica doctrina, continentur, extra hanc sacram scripturam ab annis 1500. nulla quærenda est Divina vel Apostolica doctrina. Idem communi consensu docuerunt S. Ecclesiæ primitivæ Doctores martyres, inter quos Divus Cyprianus occurrit, anno post Christum 250. lib. 2. epist. 3. ubi quasvis consuetudines & traditiones rejicit, Scripturæ sanctæ nos prorsus adhærere jubens, quod refertur à Gratiano, dist. 8. c. si solus. Et ante eum Tertullianus, nec non alii.

XXVII.

Hieronymus item in *Psalm.* 86. Deus nos alloquitur per scripta Apostolorum quos elegit. Videte quid dicat, qui fuerunt, non qui sunt, ut exceptis Apostolis quodcumque postea dicitur, abscindatur, nec habeat posthac authoritatem. Quamvis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos, quamvis disertus sit, non habet authoritatem. *In 5. cap. Oseæ*, transferunt principes Juda terminos, quos posuerunt patres eorum, quando immutant mendacio veritatem, & aliud prædicant quàm ab Apostolis acceperunt. Refertur à Gratiano, *causa* 24. *quæst.* 3. *can.* 33. *in* 1. *&* 29. *Esaiæ* istius modi impostores cauponibus aquam vino admiscentibus assimilat: *& in* 23. *cap. Ieremiæ* furibus paleam cum frumento confundentibus. Augustinus autem eos comparat malis viris qui stateras, pondera, mensuras dolosas adhibent, subjiciens nihil in Religione mensurandum vel ponderandum præterquam ex scripturis: *lib.* 2. *cap.* 6. *contra Donatist. tom.* 7. & à Gratiano refertur *causa* 24. *quæst.* 1. *cap.* 22. *& Dist.* 9. *cap. Ego solis*, *ex epist.* 29. *ad Hieronym. tom.* 2. Idem occurrit *epist.* 48. *ad Vincent.* & ibi subjicit multos nomen Apostolorum mentitos, varia finxisse, solis autem Scripturis sanctis esse inhærendum. Quod passim repetit, præsertim *lib.* 3. *contra Maxim. Arianum*, *lib.* 2. *de Bapt. contra Donatist. cap.* 3. *lib. de Unit. Ecclesiæ*, *cap.* 16. ubi alias revelationes, narrationes & miracula explodit. Idem præstat Chrysostomus *Homil. in Matthæum*, docens Ecclesiam per solas scripturas quærendam & cognoscendam esse. Idem sæculis sequentibus scripsit Gregorius cognomento magnus, Romanus Episcopus *commentariis in Ezechielem & Iobum*, asserens hæreses labe inquinatos qui extra Scripturas sanctas aliquid in Ecclesia docent, aut proferunt. Traditiones externas de politia Ecclesiastica, ad fidei & doctrinæ substantiam minimè pertinentes excipio, quæ etiam conscientiis vinculum injicere nequeunt. Nec enim conscientia obligari potest præterquàm à solo Dei verbo Scripturis sacris plenè comprehenso, sicuti rectè docet Joannes Gerson, præstantissimus Theologus Parisiensis, qui ante 130. annos floruit, *lib. de vita spirituali animæ*, *lect.* 4. *Corall.* 1.

XXVIII.

Canonistarum principes, tametsi Pontifici Romano prorsus addicti, coguntur dicere in rebus fidem spectantibus, sententiam privati & merè Laïci, ipsius Pontificis & Concilii opinionibus esse præferendam, quatenùs melioribus rationibus ex utroque Testamento desumptis nitiur. Hæc est decisio Abbatis & Archiepiscopi Panormitani in c. significasti, *col. penult. extr. de electione.* Hac de causa in Conciliis docti quilibet, etiam Laïci, sunt admittendi, quemadmodum in antiquis Conciliis observatum fuisse liquet.

XXIX.

Ideo rejiciendum est Tridentinum Concilium ex solis unctis & conjuratis Papæ conflatum, à solo illo Rom. Pontifice, cui omnia defert, cæteris Episcopis exclusis, omnino pendens, sacris & Canonicis

scripturis, traditiones Evangelistis & Apostolis ignotas admiscens & adrquans. Decretum & Concilium hujusmodi hæreticum est: quod sufficit ad plenam ejus rejectionem, nec necesse est in præsentia, ne prolixiores simus, multos errores quibus scatet, annotare: sicut ad finem primi decreti quartæ Sessionis 17. Junii 1546. pro fidei articulo necessario decernunt, concupiscentiam Spiritui sancto repugnantem non esse peccatum.

1. Decret. 4. Sess.

XXX.

Sess. 5. art. 9.

Sessione quinta, 13. Januarii 1546. habita, Coloniæ edita anno 1551. artic. 9. pro fidei articulo decernunt neminem, quandiu in hac mortalitate vivitur, nisi ex speciali revelatione scire posse sibi per gratiam Dei peccata esse remissa, quorum 30. articulo, purgationem aliam extra Christi sanguinem constituunt.

XXXI.

Sess. 6. c. 9.

At Sessione sexta 3. Martii sequentis, Can. 9. tit. de Sacramentis, articulum fidei asserunt, quod Dei gratia ex opere operato conferatur, nempe operis humani merito, minimè verò per fidem. Et Can. 1. de baptismo, eorum sententiam qui baptismo Joannis, ut Christi, peccata remitti docent, juxta orthodoxam veritatem Evangelio comprehensam, injusto anathemate feriunt.

XXXII.

Eadem Sessione Can. 9. de Sacramentis, & septima quæ post 17. annos est habita, nempe 15. Julii 1563. cum Regio privilegio Parisiis & Antuerpiæ excusa, Can. 4. temerarium & impium anathema pronunciant in multorum veterum & celebrium Theologorum sententiam, qua characterem esse delebilem affirmant, Curiæ supremæ statuto confirmatam anno 1549. Nam edicente Curia, Clericus quidem Tholosanus, sigilli regii corruptor, patibulo affixus & strangulatus est, in Augustinianorum Parisiensium crepidine, nulla characteris Clericalis ratione habita. Hunc autem; nonnulli, ut Aquinas, in mente: alii in voluntate cum Scoto, alii (velut Alexander Alensis & Bonaventura in 4. Sent. dist. 6.) in tota anima: quidam cum Biele ibid. dub. 2. in essentia animæ constituunt. Alii habitum vocant, alii qualitatem: nec mirum quòd ita dissideant & dubiis opinionum fluctibus ferantur. Nullo enim Scripturæ sanctæ nituntur firmamento: hæreticisque familiare illud est, pro articulo fidei substernere, quod non perspicuè in Sanctis Scripturis continetur, teste Gregorio Magno, commentar. in Ezechielem.

XXXIII.

2. Nullitas.

In eadem porro Sessione septima, duabusque sequentibus alia manifesta nullitas est observanda. Sicut enim Tridentini Concilii continuatio, post ejus abolitionem, triennio toto elapso, renovata, studio Julii III. per diploma Romæ datum 14. Novembris 1550. nulla est, rationibus supra productis: eò magis nulla est ejusdem Concilii prætensa continuatio cum tribus postremis Sessionibus sub Pio IV. habitis. Quamvis enim per legatos ille solus præfuerit, & ut judex pronunciaverit, nulla tamen ibi continuatio, vel nova erectio, vel expressum diploma, multò minus Cesaris, Regum & Principum auctoritas, aut mandatum apparet. De nova Concilii indictione nullum verbum. Quod si Concilium à Julio III. legitimè instauratum esse demus, tamen ejusdem Julii morte intervenente mense Aprili 1555. extinctum est. A quo tempore regnarunt alii duo Pontifices, Marcellus II. & Paulus IV. per quatuor annorum, & trium mensium spatium, quibus superstitibus, nulla Concilii mentio audita est, nec audiri potuit, quum planè sublatum esset Julii excessu. Quapropter, annis & mensibus illis elapsis, nova erectio convocatioque fuit inchoanda, quod omnium rem totam nullam esse pronuntiat. Id verò ex Concilii conclusione patefecit, solis nominibus Pauli III. Julii III. Pii IV. subjectis. Fatentur enim per totum Marcelli II. & Pauli IV. quadriennium nulla authoritate, consensione, vel appobatione valuisse: erectione verò & approbatione nova caruisse, per consequens quicquid actum est, manifestò nullum est.

XXXIV.

12. nullitas.

Ut ad nullitates & errores particulares revertar, quod Concilium Tridentinum, cap. 4. statuit in Episcoporum, Presbyterorum & aliorum Ecclesiæ ministrorum ordinatione, non vocandum esse populum, Regem Cæsarem, neque horum consensum authoritatemve requiri allerit veteres Canones Caroli Magni, & Ludovici Pii, Franciæ Regum, & Cæsarum, capitula, Episcopos à Clero & populo, non alia ratione eligendos & ordinandos statuentia, directè impugnat. Nomen populi Magistratus complectitur, sicuti tum in primitiva Ecclesia, tum sæculis sequentibus observatum est, id testantibus Canonibus & Synodis, à Gratiano collectis anno 1160. Statutum illud refert Gratianus, Can. sacrorum, distinct. 63. Idem refert Ansegisus Abbas, lib. 1. c. 77. Capitularium seu Decretorum Caroli Magni & Ludovici Pii.

Capitula Caroli Magni & Ludovici Pii de Episcoporum ordinatione.

XXXV.

Quinetiam Leo I. Romæ Episcopus Epist. 87. al. 89. edicit referente decreto Grat. dist. 63 cap 27. Vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum in ordinationibus Sacerdotum expectentur (verba Epistolæ Leonis sunt) teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur, addit Gratianus, per pacem & quietem Sacerdotes qui præfuturi sunt, postulentur: teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Idem vult Cælestinus I. paulò ante Leonem, Epist. 2. cap. 5 quæ à Gratiano repetitur, dist. 63. cap. 26. Cleri, plebis, & ordinis, consensus & desiderium requiratur. Gelasius I. qui triginta annos post Leonem sedit Romæ, dist. eadem 63. cap. 11. in electione Episcopi populum adesse jubet: quod sæculis sequentibus observari curavit Gregorius Magnus, Epist. lib. 2. cap. 69. Epist. 30. Grat. teste, dist. 63. cap. 10. Quanto, ubi inter alia legimus: defuncto Laurentio Ecclesiæ Mediolanensis Episcopo, sua nobis relatione clerus innotuit in electione sc. filii nostri Constantii Diaconi unanimiter consensisse. Sed quoniam eadem non fuit subscripta relatio, ne quid, quod ad cautelam pertinet, amittamus, hujus ideirco præcepti auctoritate fieri fultum, Genuam te proficisci necesse est. Et quia multi illic Mediolanensium coacti barbarica feritate consistunt, eorum te voluntates oportet, convocatis eis in commune, perscrutari. Etsi nulla eos diversitas ab electionis unitate determinat, siquidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates, atque consensum perducare cognoscis, &c. Textus Gregorii antea fuerat depravatus: nam pro convocatis ex (scilicet civibus & Laïcis fugitivis) in communi, scioli quidam reposuerat convocatis Clericis in communione, quod ex archetypo falsum deprehendi, & nova mea editione anni 1552. restitui. Præterea patet ex Eccles. historiis electione populi Ambrosium Mediolani Præfectum, nec dum per baptisma fidelium communioni adjunctum, ad Episcopalem sedem evectum fuisse.

Cælest. I. Gelasius I. & Gregorius Magn.

XXXVI.

Testatur idem Gregorius Magnus lib. 4. cap. 99. Epist. 15. consensum Imperatoris, ut & plebis requiri: sicut extat in ea l. dist. c quia igitur, & c. Salernitanæ. Vide etiam lib. 2. c. 58. Epist. 34. & in eandem sententiam 12. Synodum Toletanam, c. 6. repet. dist. 63. c. cùm longe, in Hispania observatam, teste M. Guilelmo *de Mont-Serat* Hispano, Comment. in Pragmatl.

cam Sanctionem, folio 37. col. 3. advertsus ista, jus item & privilegia populi Christiani, nec non Principis authoritatem: conspirat Tridentinum illud decretum, & Canon. 7. Sessionis.

XXXVII.

Jure divino, Ecclesiæ primitivæ constitutione, & seculis aliquot sequentibus, certum est populos & Magistratus Christianos, jure & potestate eligendi suos Pastores Ecclesiasticos communibus suffragiis usos fuisse. Id nobis eripere studet Tridentini Concilii decretum, ut Romano Pontifici, vel servis ejus, aliis quibuslibet exclusis, omnia deferantur. Hac via isti in alieno regno congregationem & politiam hominum Regem maximè audientium, imò in regni subditos potestatem usurpantium, erigunt, & ad suas partes pertrahunt. Quod est intolerandum.

XXXVIII.

Quinimo, non tantùm jus divinum Canones isti feriunt: verumetiam usum & consuetudinem veteris Ecclesiæ, primitivæ & sequentium ætatum acriter oppugnant. Demde, veutiores Canones comminuunt: Caroli Magni & Ludovici Pii capitula lacerant: Christiani populi libertatem tollunt; jura & Privilegia regni Franciæ annihilant, in regiam Majestatem insurgunt, & speciatim adoriuntur statutum celebre, regni tribus ordinibus solemni modo convocatis & id postulantibus, assentientibus regiæ prosapiæ Principibus & sanctioris Consilii Senatoribus Aureliæ congregatis, anno 1560. sancitum, in summa Curia approbatum & publicatum die 13. Septembris 1561.

XXXIX.

Hac trium Regni Ordinum constitutione, & Pragmatica Sanctione regia, cap. 1. artic. 1. præcisè statutum legimus, ut Episcoporum, Archiepiscoporum per consequens Primatuum & quorumvis Diœcesanorum electio ab Ordinibus, & Majestate Regia, deinceps hac ratione fiat: nempe Archiepiscoporum per Episcopos Provinciæ & Capitulum Archiepiscopalis Ecclesiæ, convocatis duodecim nobilibus, à Diœcesis nobilium ordine toto delectis: convocatis item duodecim honestis civibus in municipali curia civitatis Archiepiscopalis, aut Episcopalis, vel Primatialis. Hîc tres ordines concurrunt. Præterea, vult constitutio illa solemnis, ut certa die conveniant delecti, & tres homines idoneos, veterum Conciliorum canonibus approbatos, non autem ad Tridentini conciliabuli formam adornatos, nominent, & per legatos fistant Regiæ Majestati, quæ ex tribus unum eligit, futurum functionis vacantis administrum.

XL.

En tibi! Lector, trium regni Ordinum & supremæ Majestatis Regiæ consentientium constitutionem, Pragmaticæ modis omnibus absolutæ, & Bituricensem Pragmaticam, à summa Curia receptam, longè superantis, forma stabilitum, quam biennio nondum absoluto diffringere, tollere de medio, ad nihilum redigere Tridentini studuerunt, si eorum decretis locus est in Francia. Sed aliquid gravius sequitur. Nam hac via publica fides, in Regia Majestate justitiaque subsistens, ab ipso regni principio violatur & exscinditur: unde procedit incertus status, & regiæ dignitatis contemptus, atque ideo interitus: quum decreta regia firmissima & veluti stella poli Arctici esse debeant: teste Bald. consil. 327. pridie, num. 4. lib. 1. secundùm novam, & consil. 277. lib. 3. secundum veterem impressionem allegans illud Psalm. *quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita*: & illud Davidis 2. Reg. 19. fixum est quid loquutus sum; præsertim autem sub initium regni, quo constantiæ suæ spem luculentis exemplis facere tenetur. His de causis Tridentina decreta sunt inadmissibilia, nisi quis primum Majestati justitiæque regiæ, quam constantissimam & perpetuam esse oportet, vim inferat, trium Franciæ Ordinum authoritatem, supremæ Curiæ dignitatem, Christiani populi libertatem, capitularium Caroli Magni, Ludovici Pii & successorum veritatem, Canones veteres, antiquarum Ecclesiarum formulas & consuetudines, juraque divina pedibus superbè conterere velit.

XLI.

Eodem Canone tertiò Decreti septimæ Sessionis ad Presbyteratum promovere eum qui 25 annum attigerit, conceditur. Atqui ante triennium Ordinum Francicorum decreto, in summa Curia publicato, 30 annis præscriptus est. Quod si Tridentini audiantur, fileant regni Ordines, Regis & Parlamenti solemnis convocatio atque sanctio taceat. Decret. 5. Sess. 7.

XLII.

Quarto ejusdem septimæ Sessionis decreto Concilium illud involat in reditus Fabricæ Ecclesiarum, jus Prælatis tribuit, jubetque partem reditnum rapiant: qua ratione fundatorum consilium evertunt, Regis Magni Eleemosynarii, judicum regiorum cognitionem, & veterû edictorum regiorum præscripta convellunt. Inter hæc extat edictum Caroli VI. anno 1385. à me repositum 3. parte stili Curiæ Parlamenti, tit. 37. extant etiam ejusdem Curiæ decreta, quorum nonnulla vetusta parte 5. q. 387. q. 227. & 16. part. art. 37. recitantur. His omnibus Fabricarum & reparationum Ecclesiasticarum cognitio regiis judicibus (ad quos pertinet) defertur, eorumdemque censuram Prælati subire debent: idque jure divino, 4. Reg. 12. & 2. Paralip. 24. Decret. 4. Sess. 7.

XLIII.

Decreto quinto Concilium duobus Episcopis, totidemque sui Capituli Canonicis & Presbyteris vel Clericis, potestatem facit usurpandi partem reditus Xenodochiorum & decimarum feudalium ad Laïcos pertinentium. Qua in re dignitatem Regiam, magni Eleemosynarii jurisdictionem, constitutionum Regiarum in summa Curia publicatarum & acceptarum authoritatem manifestè invadit. His enim, rerum ejusmodi cognitio, ratio, decisio, ad regios judices defertur, simulque prohibetur, ne quis fructus, ad usus alios transferat: & si qua fiat provocatio, ab eadem Curia immediatè judicetur: idque ex Francisci I. edicto: ad Fontembellaqueum dato 9. Decembris 1543. in summa Curia promulgato pridie Kalendas Januarias, ex alio item edicto Sangermano 15. Januarii 1545. in eadem Curia 4. Februarii publicato: nec non tertio, 19. Maii 1544. & quarto 16. Februarii 1546. in Curia promulgatis. Præterea ad Fontembellaqueum mense Aprili 1561. aliud edictum Caroli IX. ejusdem formæ sancitum est. Quarum ad decimas attinet, isti in facultates atque dominia tertii ordinis, & privilegia Nobilibus à Philippo Augusto concessa rapaces manus injiciunt.

XLIV.

Quoad puerorum institutionem, Tridentini in aliorum, præsertim Laïcorum, facultates involant, & hujus materiæ cognitionem Episcopis deferunt: posthabito trium regni Franciæ Ordinum statuto, à Carolo IX. rege sancito, & Curiæ summæ approbatione 9. art. rata habito, quo jubetur urbium majoribus, scabinis, Consiliariis & Capitaneis, ut ibi interfint. Id autem Tridentini infringent, si audiuntur: & Regis est authoritas omnis & jurisdictio totius reformationis in Gallia. Nec sub reformationis specie potest illud Concilium leges, vel decreta promulgare, alioquin in Majestatem Regiam, in tres Regni Ordines, nec non in Ecclesiæ Gallicanæ libertatem conspirat. Crimen est Majestatis, Ecclesiasticos seu regulares, vel seculares hujus regni clericos, à regia jurisdictione, statutorum edictorúmque obedientia subducere, quod ita Concilio placeat & Pontifici Romano, quem unum Tridentini dominum venerantur. Hac ratione vetera Concilia à Francis recepta tollunt, & re-

cens illud ut ſtabiliant, alia quæcumque ſepelire conantur.

XLV.

Seſſione octava, Can. 7. gravi cum injuria D. Ambroſii Eccleſiæ Doctoris ut & veterum, nec non doctiſſimorum hujus ſæculi Theologorum, nominatim Eraſmi, & Thomæ de Vio Cardinalis Caietani, ſententiam, quamvis textui Evangelico, Matth. 19. analogam, anathemate feriunt. Nec enim tantummodo de thori ſeparatione, tunc ignota, verumetiam de toto divortio loquitur. Cæterùm ſuperſtitioſa hæc opinio, partem offenſam, in caſu adulterii, non poſſe heri liberam, & ad alias nuptias accedere, ſcandala graviſſima invexit, quæ Tridentini meritò deteſtati fuiſſent, niſi eos ſuperſtitionis cultus à veritatis & æquitatis amore detertuiſſet.

XLVI.

Ejuſdem Seſſionis decretum 1. de conjugiorum reformatione, monſtrum parit, conjugia filiorum & filiarumfamiliàs, clandeſtina, ſine conſenſu, contra parentum authoritatem, in laudatarum & antiquarum legum civilium dignitatem & honeſtatem publicam contracta & ritu ſolemni peracta comprobant. Contrà *l. 4. ff. de ritu nuptiar. l. nec filium. C. de nupto §. 1. inſtit. eod. tit.* item in Reipublicæ contemptum & veterum doctorum ſententiam, nec non M. Joannis Coraſii, in Parlamento Tholoſano Conſiliarii, *comment. in l. Paulus, ff. de ſtatu hom.* & in *miſcellan. lib. 1. cap. 17.* Ita jubent etiam Canones antiqui, *c. non omnis*, & *c. honorantur parentes*, 32. *q. 2* quos Concilium Tridentinum imitari, non depravare debuit. Isaci Patriarchæ filius Eſaii, quamvis impletos annos quadraginta natus, quod non conſentientibus parentibus uxorem duxiſſet, indignationem eorum incurrit. Moſe teſte, *Geneſ. 26. & 27. cap.* quod ei peſſimè ceſſit. Contrà Jacobus, voci parentum auſcultans, & totidem vitæ ſpatio jam emenſo, juſſu Iſaaci & Rebeccæ de nuptiis ineundis cogitavit, & ſanè particeps factus eſt fœderis cum Abrahamo iniri. *Geneſ. 28.*

XLVII.

Pars media decreti ejuſdem de conjugiorum reformatione, Galliæ pacificationis edicta violat, quæ conjugia in Eccleſiis reformatis ſolemni ritu ſancita, probant. Tridentini verò nulla jubent eſſe, quòd benedictione ſacrificali Pontificis caruerint. Ita pacificatoriis edictis iſti refragantur, bellum civile redintegrant, & recens ſopitam miſeriarum noſtrarum flammam excitant, ſi decretis novis fidem addimus.

XLVIII.

Capite primo reformationis Eccleſiaſticæ, Seſſ. 8. Concilium Tridentinum proviſiones Epiſcoporum & Prælatorum Rom. Pontifici in conſiſtorio ſuo ſedenti defert, quod directè veteres Canones, Synodos, Caroli Magni & filiorum ejus conſtitutiones, Ludovici IX. cognomine ſancti Pragmaticam, in tertia parte ſtyli ſummæ Curiæ, tit. de election. deſcripram, & trium Galliæ Ordinum ſanctionem convellit: nec non ejuſdem articulum 2. impugnat, qua ne quis aurum argentumve Romam ex Gallia transferat, ſedulò cavetur.

XLIX.

Ejuſdem reformationis c. 3. Archiepiſcopis & Epiſcopis ſuæ Diœceſeos Eccleſias & Parœcias per generalem ſuum Vicarium, ſi forte ipſi non poſſunt, viſitare Concilium concedit: juxta decretarium Sexti, & Clementinarum leges. Atqui triennium antea, regni Ordines ſtatuerant, ut præſentes Epiſcopi hanc viſitationem perficerent, cautione adhibita de impenſarum moderatione. Quorſum autem hæc conſtitutio, ſi jus Pontificium reponentes Tridentini audiantur?

L.

Præterea Concilium iſtud & jus Pontificium Ordinariis nullam auctoritatem concedit viſitandi vel coërcendi eos qui immunitatibus donati dicuntur: quod & conſtituunt atque jubent Regni Ordines art. 11. cunctis oppoſitionibus & provocationibus rejectis, quarum ſine cujuſquam præjudicio, retinet, & ad ſanctum Conſilium Rex cognitionem evocat. Atqui hæc omnia, nec non auctoritas & regia Majeſtas, admiſſo iſto Concilio, tolluntur.

LI.

Caput quintum reformationis Eccleſiaſticæ multas continet uſurpationes in veterum Canonum regiæ dignitatis, Gallicanarum Eccleſiarum libertatis, Pragmaticæ Sanctionis & Concordatorum præjudicium manifeſtum. Veterum Conciliorum Canones, *6. q. 4. c. ſi quis Epiſcopus*, & 1. & 2. *ſi inter Epiſcopos*: & *c. ſi quis Epiſcopus criminaliter accuſatus*: & *c. ſi Epiſcopus*, 11. *q. 3.* actionum criminalium cujuſvis Epiſcopi, in caſu hæreſeos, exauctorationis, degradationis primam cognitionem deferunt vel Epiſcopis regionis, vel Synodo Provinciali, non autem Epiſcopo Romano, præterquam in ſua Diœceſi, quæ non longè ultra Romæ de ſuburbia extenditur. Quos veteres Canones Petrus de Alliaco, Cameracenſis Cardinalis in tractatu de reformat. Eccleſ. Conſtantienſis Concilii tempore conſcripto, conſid. 3. renovandos & ad uſum revocandos eſſe cenſuit. At novum Conciliabulum Tridentinum Epiſcopo Rom. in ſolidum; & omnino, cæteris omnibus Epiſcopis, & Synodis exclusis, jus illud tribuit; ſancta decreta, pollriam antiquam, & Eccleſiæ libertatem hoc artificio planè abrogans.

LII.

Nec valet quod objicitur Caroli VII. Pragmaticam Biturigibus conſtitutam, & concordata, titul. de cauſis, magnarum actionum ſeu cauſarum, earum nominat quæ in jure exprimuntur, reſervationem ſpecialem continere. Etenim cauſas Epiſcoporum, ſi perſonæ ſpectentur, hæc reſervatio complecti non poteſt, præſertim in hæreſeos crimine. Et decreti illius de cauſis interpretatio ex Baſilienſis Concilii contextu, ad quem expreſsè refertur, petenda eſt. Atqui Baſilienſe Concilium nullas cauſas, quàm Eccleſiarum immunium, & uni Romano Epiſcopo immediatè ſubjectarum, præcipuas de earumdem privilegiis quæſtiones excipit; cauſas autem gravioris vel levioris momenti perſonarum Eccleſiaſticarum, ſive de earum fortunis, ſive fama vel capitibus agatur, minime gentium. Ita cenſet gloſa Pragmaticæ tit. eod. de cauſis, in verb. devolvit, ubi refert, quamvis per decretales libri ſexti, quem collegit Bonifacius VIII. Franciæ capitalis hoſtis. in c. quamvis, & in c. cupientes, de elect. quævis cauſæ de electionibus Eccleſiarum Cathedralium, reputentur inter maximas, quarum cognitio ad Curiam Romanam defertur: attamen illud minimè obſervari præterquam in Eccleſiis immunitate gaudentibus. Et certè nimis notum eſt, ferraginem illam Bonifacii VIII. in Francia nunquam receptam fuiſſe, quatenus libertatem & immunitatem Eccleſiæ Gallicanæ ejuſdemque membrorum libertatem, Regis jura ſæculareque juriſdictionem impugnat. Quinimo, ſemper obſervatum eſt, perſonarum immunium reſpectu, neque Eccleſiaſticos, neque Laïcos Francos, extra regnum quamvis ob cauſam debere vel poſſe abſtrahi. Ita judicatum in cauſa Poncherii Pariſienſis, Hangeſti Noviodunenſis, Pamerienſis Epiſcopi, & aliorum: quos dum Pontifex Romam citare ſtuduit, ab hujuſmodi conatu, tanquam abuſivo, diſertis verbis conſtat provocare. Horum appellationes receptæ ſunt à Franciæ Parlamentis, unde manarunt decreta provocationes confirmantia, & Canonibus œcumenicæ Synodi Conſtantinopol. & Carthag. nec non Gratiani 3. q. 8. per totum conformia.

LIII.

Tomo primo Conciliorum legimus Maximum Valentiæ Epiſcopum, à Clericis Urbis & provinciæ graviſſimis ſceleribus & hæreſeos crimine Romæ accuſa-

rum coram Bonifacio I. qui cognitionem causæ illius respuit, ne sancta decreta violaret & Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis adferret præjudicium. Sed literis ad Galliæ Episcopos scriptis, non per legatum, neque jussa ferens, sed monens, petit ut Synodum provincialem convocarent, cujus auctoritate dissidium illud in Provincia, quæ est Delphinatus pars, componeretur. Gratianus Bonifacii Epistolam retulit caus. 3. q. 9. c. 10 quam Canonistæ corruperant, legentes, decernimus nostrum, sed falsò. Nam ita scripsit ille, decrevimus vestrum debere intra provinciam esse judicium: quemadmodum ex ejusdem Thomi Archetypo, Coloniæ anno 1551. edito pag. 492. non autem ex Pontificis judicio, delegatione, decreto vel auctoritate, colligere facile est.

LIV.

Idem disertis verbis statuit secunda Synodus œcumenica Constantinopoli habita, eodem Rom. 1. pag. 406. Patres uno consensu definiunt & statuunt, si quid incidat in provinciis, Ecclesias & Ecclesiasticos respiciens, id finali provincialis Synodi judicio esse terminandum. Idem constitutum legitur à Milevitano Concilio, cui D. Augustinus interfuit, art. 22. sicut refert Tomus ille 1. Concil. pag. 484. Actis Milevitani Augustinus Hypponensis Episcopus, & alii Episcopi omnes subscripserunt. Concilia Aphricana, quibus idem Augustinus adfuit, eamdem tulere sententiam. His Sanctorum Patrum constitutionibus veteres Romani Episcopi honorem deferebant, nec de harum mutatione vel depravatione cogitabant; c. *contra*, c. *prima salus*, c. *consona*, c. *ideo permittente*, 25. c. q. 1. Imò profitebantur & solemni juramento Franciæ Regibus, eorumve legatis præstito, promittebant, se leges constitutiones diligenter observaturos, c. *jurandum*, 25. q. 1. Sed præsertim pollicebantur observationem Concilii illius Constantinopolitani, quod inter quatuor universalia numeratur, ut à Gregorium Magnum & sequentia sæcula, priusquam cathedram suam conscenderent, admittebant & observandum maxima cura jurabant, sicut quatuor Evangelistarum scripta, teste ipso Gregorio Magno, Gratiano item, c. *sicut sancti*, *dist.* 15.

LV.

Quapropter Tridentini Concilii reformatio, difformatio turpis apparet: ut quæ non modò veteres Synodos & Canones corrumpit, sed etiam toti Ecclesiastico ordini maculas & labes infert. Id autem neque Pontifex ipse potest, multò minus Concilium, quod se Pontificis mancipium profitetur. Neque verò malè versantes Episcopos emendaret, quin potius eorumdem peccatis effrenique licentiæ fores panderet. Episcopus enim si reprimi, & propter scelus admissum puniri non debet, præterquam à Pontifice curiaque Papali; si scelere gaudet, ad omnem nequitiam patrandam facile devolvetur, posthabito omnium hominum pudore, Magistratus item cujuscumque reverentia securè neglecta. Dummodo Papæ vel alicui Romano aulico placeat, feliciter omnia cadent: si verò frugi est, & meliori conditione dignus, Pontifici pontificisque subjicietur; & applaudet tamdem, nisi malè audire, Romam trahi, & sycophantarum artibus opprimi velit. Hac ratione, impunitas & audacia malos evehit, dum probi territi in servitutem rediguntur. Nemo nescit quàm graviter Curia Romana in eos, quos vel tantillum habet suspectos, sæviat.

LVI.

Deinde non tantùm eripitur Ecclesiæ Gallicanæ, quam obtinet, in Synodo supra cuivis provinciæ regni Episcopos authoritas & jurisdictio: verum etiam juri regio, nec non ejusdem Majestati vis infertur. Nec enim qua fruitur in regni sui Episcopos potestate Canones veteres Regem spoliarunt: præsertim in casibus læsæ Majestatis, & privilegiatis: sed tantummodo rigorem temperarunt: nempe ut ex provincialium Episcoporum sententia, rex judicium ferat in reos Episcopos, sicuti Galliæ historiæ referunt: inter quas Gregorii Turonensis occurrunt monimenta. Is enim lib. 10. cap. 18. refert Chilpericum Clodovei V. successorem, in carcerem conjecisse Rhemensem Episcopum Ægidium, majestatis reum, Metumque misisse, ubi Episcoporum convocatorum sententia de gradu dejectus & Argentoratum relegatus est.

LVII.

Idem factitatum de Prætextato Rothomagensi Episcopo sub eodem rege. Similiter Guntramus Burgundiæ Rex, Chilperici patruus, duos alios Episcopos in vincula conjectos, atque Laodunum deductos, per Synodi provincialis sententiam exauctorari curavit. Desiderius Viennensis Archiepiscopus, in Provinciali Synodo Cabillonensi ad Ararim, ab eodem Guntramo Rege convocato exauguratus, & in ejus sedem aliud evectus est: neglecto atque omisso Romano Episcopo, ad quem neque Synodus confugit, neque Archiepiscopus, ante vel post ejectionem provocavit. Eamdem viam calcavit Ludovicus Pius, Episcopos qui in ipsum conspiraverant, persequens. Deinde filius & successor ejus Carolus, cognomine Calvus, ita Laodunensem Episcopum excepit. Testes nobis sunt Aimoinus Monachus. Ado Viennensis, & Vincentius Bellovacensis in historiali speculo.

LVIII.

Idem præstitit Constantinus in Imperio, quum de litium & dissidiorum inter Ecclesiasticos Episcopos præsertim judicio ageretur. Nec enim tantùm per præfectos limitaneos: proconsules & provinciarum administratores, prima cognitio excutiebatur: verumetiam si qua provocatio fieret à Synodalibus sententiis, Imperator ipse de re tota inquirens, vel judicium præcisè ferebat, vel per delectos, quos nominaret, litem componebat omnem. Adeò ut Episcopus Romanus, cum aliis ab eodem Imperatore delegatis, munus commissum & acceptum exercuit, atque postea passus est ut à sua sententia ad Constantinum provocaretur, qui per eumdem vel alios nominatos de summa negotii decerneret. Id Ecclesia probavit Catholica: Augustinus item, Ecclesiæ doctor, centum annos post Constantini obitum hujus Principis actiones, decisionesque describit & approbat, asserens Constantinum harum rerum idoneum fuisse judicem: sicuti constat ex ejusdem Augustini epist. 68. 162. 163. 164. 165. tom. 2. & retract. lib. 1. cap. 21. Illud ipsum Nicephorus lib. 7. cap. 43. anno 220. post Constantinum testatur. Anno autem Christi 562. idem præscripsit Justinianus Imp. de personis, privilegiis & rebus Ecclesiasticis leges sanciens, quæ in Codice & Novellis continentur. Ibi de Clericorum promotionibus, beneficiis, residentia, mulctis, beneficiorum privationibus, si constitutiones imperatorias violant, prolixè agitur, ut & de exemptionibus causas ob peculiares concessis, sed non in actionibus criminalibus, in quibus coràm Cæsareis judicibus adstare Ecclesiastici tenebantur. His legibus autem tum Romani, tum Constantinopolitani Patriarchæ parebant, teste Gregorio Magno Romæ Episcopo, qui diu post Justinianum vixit, & Cæsaris legibus obtemperavit. Quæ de re plura qui cupit, librum quem de origine, progressu, præcellentia regni Franciæ scripsi, perlegat, num 160. 161. 162.

LIX.

Similiter Carolus Magnus præter quinque Concilia quæ in Gallis instituit & haberi jussit (ut constat ejusdem libri numero 100.) insigne celebravit Francofurti, anno Christi 794. regni sui 16. Ibi damnata est conspiratio quæ Nicææ in Bithynia, ante quinquennium, sub Irene Constantini VI. matre facta fuerat. Hæc autem Irene, in contemptum septimæ Synodi Oecumenicæ Constantinopoli, circa annum 754. habitæ, suam illam factionem Concilium universale septimum appellavit.

appellavit. Constantinopolitana Synodus juxtà sanctum Scripturarum mandatum, & primitivæ Ecclesiæ authoritatem, imagines Dei, Sanctorum, Sanctarum, religionis ergo erectas & cultas, improbaverat & è templis ejecerat. Illam verò idololatriam Irene restituit Conciliabuli istius auctor, ipsa Synodum Oecumenicam tollens, quod iconolatras dilectis verbis improbaret; sicuti colligimus *ex tertia Conciliabuli Irenici Sessione, pag. 495. ad finem col. 1. Tom. 2. Conciliorum, Coloniæ editorum. Sessione 6.* veræ causæ impulsivæ Synodi 7. recitantur in manifestis scripturæ locis, & veterum Theologorum testimoniis fundatæ, nihilominus tamen à Conciliabulo, putidis nugis, mendacibus miraculis, & insulsis narrationibus improbatæ. Irenes factum turbas maximas Ecclesiæ dedit: & inter cætera notum est eam vulpinis & leoninis artibus usam, Imperii Græci exercitum collegisse, ut Arabes Asiam ingressos repelleret. At repente iconoclastas & idolorum hostes armis spoliatos ejecit ex Græcia: deinde Conciliabulum indixit, quemadmodum Paulus Diaconus, quamvis superstitiosus, qui tum vivebat, refert lib. 22. & 23. Tanto huic scandalo Carolus Magnus ut occurreret, in Synodo Francofurtensi Irenes Conciliabulum improbari damnarique, septimam verò Synodum Oecumenicam approbari, & in pristinum ordinem atque honorem restitui curavit. Quæ omnia Monachus quidam pervetustus Monasterii Prumiensis in Diœcesi Leodiensi retulit lib. 2. de temporibus. Præterea Carolus Magnus, ad evidentiorem Synodi notitiam & approbationem opus eximium, quatuor libris distinctum inscripsit, & edidit adversus istud Conciliabulum in Græciæ partibus pro imaginibus adorandis stolidè & arroganter gestum. Imagines approbat Carolus, sed historicas, & tantùm ad memoriam, non fabulosas neque superstitiosas. His libris autem errores, hæreses, commenticia miracula, falsæ narrationes Irenici Conciliabuli, quamvis à Rom. Pontifice, Adriano I. comprobati (cujus Legati interfuerunt, non autem præfuerunt, Tharasius enim Constantinopolitanus Patriarcha, Præses in eo fuit, ut acta demonstrant) prolixè ac solidè refelluntur. Porrò Claudius Episcopus Taurinensis reipla Synodi Francofurtanæ decretum exequens, tota Diœcesi sibi commissæ stavrolatriam & imaginum cultum abolevit. Circa illud tempus idem constitutum est in Eliberitano Concilio, nempe Eliberis provinciæ Granatensis, civitate habito.

LX.

Carolus VII. regio diplomate Decembris 19. anno 1440. à Curia Parisiensi promulgato, narratis censuris & interdictionibus variis Papæ Eugenii IV. & Concilii ab eodem erecti, quibus munerum Ecclesiasticorum in Gallia cessationem & vacantiam inducere studebant: regni sui quibuscumque judicibus edixit, ne bullas ullas monitionis, suspensionis, interdictionis, declarationis de inhabilitate, & vacantis beneficii provisione adversus Franciæ Prælatos publicari & secundùm illas agi permitterent. Secus agentes declaravit tanquam perduelles & pacis corruptores punitione dignos.

LXI.

Ejusdem Curiæ Concilio, Ludovicus XI. edictum emisit prolixum adversus plurimas usurpationes ac iniquitates Pontificum & Curiæ Romanæ 1664. mense Septembri, quod innovavit & amplificavit mense Augusto 1478. Curiæ autem Parisinæ constitutione solemni, mense Decembri 1468. instante generali Procuratore regio, & Carrel quodam in actione de Nivernensi Decanatu, prohibitæ sunt bullarum impetrationes & exhibitiones pro beneficiis, ut vocant, Ecclesiasticis. Quoniam verò Lorillus, Carrei adversarius, à Nivernensi Diœcesi, & oppido interdictum obtinuit, fecit Curia interdictum illud abusivum ac nullum esse, simulque constituit ut Lorillus & Vesuntius Officialis, interdicti præco, in carcerem conjiceretur.

LXII.

Arqui Concilium Tridentinum Regi, regiis Magistratibus, nec non regni Episcopis, Conciliis provincialibus, totique Ecclesiæ Gallicanæ omnem jurisdictionem, & animadversionem in Franciæ Episcopos & Clericos apertè eripit: adeò ut Episcopus omnium scelestissimus, vel hæretiarcha, Pontifice vel tantillum adversante, maneret intactus & sacer: contrà pietatis & justitiæ cultor, scientia, vita, exemplo illustris, si quis in pontificiis superstitionibus & opinionibus emendandum, vel in privilegiis regiis omni ex parte approbandis, beneficiorumque conferendorum jure custodiendo quidpiam aliter faceret, primæ cognitionis Romanensis Curiæ se sistere cogeretur, ubi tanquam hæreticus damnatus tolleretur de medio.

LXIII.

Pugnant etiam Tridentini contra decretum de causis in Pragmatica & concordatis, ex Basilicensis Concilii constitutione statuentibus ne quis Romam pertrahatur, sed ut lites in regionibus suis decidantur. Unam de interlocutoriis, duas in sententiis definitivis provocationes permittit. Actiones criminis autem, Episcoporum respectu ab hac constitutione nullo modo sunt immunes: ideo in suo statu relinquendæ, nec Rex, Episcopi, regni Magistratus & Ecclesia Gallicana suis privilegiis fuerunt exuendi.

LXIV.

Præterea, certum est Franciæ Reges, ab omni ævo, longe priusquam Pontificiæ decretales extarent (sicuti in consuetudines Parisienses ad art. 37 finem scripsi anno 1555. jus Regalium obtinuisse non modò in maximam partem Cathedralium Ecclesiarum regni, ut sede vacante pleno jure munera Ecclesiastica conferrent in sequens triennium, Ludovici XII. renovato edicto: verumetiam in plurimas alias Ecclesias jus plenum & perpetuum potuisse conferendarum dignitatum, præbendarum, functionum omnium: jus item summæ jurisdictionis obtinuisse circa pertinentia & possessoria eorumdem, Curia Romana planè exclusa. Ecclesiasticis item & Pontifice ipso ita repudiatis, ut de præventione vel devolutione nihil quicquam obtendere possent, atque ab omni cognitione petitionis vel possessionis beneficiorum, ut vocant, prorsus arcerentur. Habuerunt item Reges nostri de possessione aliorum omnium beneficiorum, privilegiorum & rerum Ecclesiasticarum regni cognitionem plenariam, cunctis judicibus Ecclesiasticis dejectis & silere jussis. Hæc autem Regalium jura tollerentur & evanescerent in regiæ Majestatis, justitiæ sæcularis, & Parlamentorum regni præjudicium, si Tridentinum Concilium admitteretur.

LXV.

Rex Philippus, cognomine pulcher, de decimarum infeudatarum & insolitarum, quarum cognitionem suis tribuit judicibus, edictum protulit, quo tempore Ægidius Romanus, Bituricensis Archiepiscopus & Theologiæ Doctor, solidis rationibus, quæ in summæ Curiæ regestis leguntur, ostendit jus illud ad Ecclesiam Gallicanam pertinere, quod Pontifex Romanus violare nequit: si quid autem difficultatis suboriatur, Synodorum Provincialium sententiâ terminandum esse: Pontificem Romanum verò tantùm monere & hortari posse, ex Concilii Constantinopolitani, aliorum item Conciliorum & Canonum supra citatorum præscripto asserit.

LXVI.

Franciæ statutis, quæ in Curiæ regestis extant, legati Pontificii arcentur à regno, nec mandatorum suorum diplomatis authoritatem conciliare possunt, nisi prius impetrata à Rege venia, quam scripto confirmant nihil se effecturos, nisi cum bona ejus venia,

& quoto temporis spatio decreverit. Praterea curiam diplomata illa visuram & tuo tuturo confirmaturam, quod his conditionibus apponitur, ut privilegiis regni, Ecclesiæ Gallicanæ & Francorum immunitatibus nullum fiat præjudicium. Ista verò obliterarentur, ut & provocationes omnes ad supremam Curiam, Concilium Tridentinum si admitterentur.

LXVII.

Cap 12. Concilium istud ad regimen Parœciarum & aliarum functionum Ecclesiasticarum homines 25. annorum admittit. Atqui ex Ordinum regni constitutione, art. 12. anni triginta impleti requiruntur, cum sacrarum Literarum peritiâ conjuncti, cujus apud Tridentinos illum silentium? Horum verò decretum si admittas, non modò corrigitur, sed corruit Ordinum, Regis, Curiæ supremæ authoritas.

LXVIII.

Cap. 13. Concilium idem Pontifici concedit, ut simplicia beneficia, quæ vocant, Episcopatibus uniat: quod Constantiensi & Basiliensi Concilio, pragmaticæ Sanctioni, Concordatis, multisque summæ regni Curiæ Arrestis repugnat, quæ Ordinariis hanc potestatem tribuunt, neglecto Pontifice, pontificioque Legato, etiamsi rehideret in loco cujus mentio fit. Contra, ejusmodi conjunctiones ratæ habentur à Concilio Tridentino.

LXIX.

Cap. 19. indulta, quæ Rege rogante, Parlamentis Franciæ, Collegiis, Academiis & quibusvis regni subditis concessa sunt, abrogantur: ut & mandata in eum finem concessa & concedenda, quamvis à Pragmatica & concordatis comprobata.

LXX.

Cap. 20. Academiarum Conservatores Ecclesiastici & privilegiis regni gaudentes sepeliuntur, omnique causæ cognitione remittuntur, si Tridentinis adhibetur fides. Tantùm causæ merè personales adversus laïcos, de quibus isti Conservatores, & regni privilegio cognoscunt, excipiuntur.

LXXI.

Sessionis nonæ Canon 2. de Regularium, ut vocant, reformatione, arcet eos à quacumque declaratione & dispositione facultatum acquisitarum, mobilium vel immobilium: sed indiscriminatim istæ traduntur Abbati vel Abbatissæ, Conventuique Monachorum vel Monialium propriæ fiunt: quod evidenter abrogat & evertit constitutionem Ordinum Francix, art. 19. qua statuitur licere masculis Monachatum ante 25. annos professis, Monialibus ante 20. annos, professos istos Monachos vel Moniales de sua portione hereditaria, quæ jam accidit aut postea accidet, in linea directa vel collaterali, posse scripto cavere, in commodum eorum consanguineorum, quos nominare libuerit, non autem Conventuum. Quod cum veteribus Canonibus adversus vitæ monasticæ professores, divitum liberos ad se pellicientes, satis convenit. Nam horum facultatibus isti Monachi abstinere jubentur, sicuti Caroli Magni temporibus statutum est in Concilio Moguntino, quod Gratianus retulit 16. *quæst.* 7. *cap. Constituit*, & 20. *quæst.* 3. *ad finem.*

LXXII.

Capite 3. ejusdem reformationis. Sess. 9. Monachis mendicantibus bonorum immobilium, ut vocant, proprietatem & possessionem Tridentini permittunt: quod nunquam in Gallia receptum est, imò non tantùm Concilii Viennensis decreto, ann. 1310. verum etiam summæ Curiæ veteribus pronuntiatis est prohibitum Inter quæ occurrit unum, 24. Martii 1385. quo Mendicantium quatuor ordinas annuum ex prædio proventum petentes, ut incapaces & non admittendi excluti, & pecuniæ litis persolvendæ mulctati sunt, extat pronuntiatum illud inter vetera Curiæ decreta, *part.* 5 *quæst.* 26. Nuper, nempe anno 1558. aliud decretum in Franciscanos Cenomarenses, judicii quod Præfecturæ Monarchiæ, in Franciscanorum commodum reddiderat die 9. Februarii 1556. à Præsidiali Curia Cenomanorum confirmari, editum est: & judicium istorum sententiæ ad nihilum redactæ sunt, regio Procuratore, qui ad Parlamentum provocaret, & acceptus fuerat, instante: simul tamen constitutum est, ut Julianus Malletus, qui ad Parlamentum appellaverat, summam controversiam, eleemosynæ nomine persolveret. Atqui Concilio Tridentino recepto, statuta, decreta, constitutionesque regni necessariò abolentur: quòd ne à legitimo quidem Concilio fieri potest.

LXXIII.

Canone 6. prædictæ reformationis Regularium, eadem Sessione 9. Concordata & dominationis jura ad Regem pertinentia illi eripiuntur. Septimo Can. Ordinum constitutio de triennali administratione Abbatissarum & Priorum Monialium, irrita fit.

LXXIV.

Istius reformationis Canon 8. corroborat, multiplicat, adauget Synodos & generalia Monachorum capitula, ac quicquid in eis statuetur, non sine manifesto periculo confirmat. Nam ejusmodi homines in ordinum suorum commoda conveniunt & conspirant, ut jugo judicum ordinariorum, Regis, & quorumvis magistratuum excusso, Romani Pontificis, quem unicum & summum Monarcham constituunt, stabilant imperium. Atqui multis tum Parlamenti, tum majoris Consilii decretis ejusmodi Capitula abusiva pronuntiata sunt. Et sanè superstitionem ingentem ferunt, factionemque inexplebilem. Adeo, ut quum anno 1538. non pauci Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Nissæ (oppidum est Sabaudiæ Ducis, ad Provinciæ fines) congregati, rigidis monitis & censuris Pauli III. adjurati essent ut liberè disformationum Ecclesiæ causas & remedia proponerent, unanimes responderunt, Monachos, ordines & Conventus Monasticos, tanti mali esse primariam scaturiginem: remedium in eo consistere, ut de medio Ordines illi tollerentur: inferentes nullum deinceps ad ejusmodi professionis admittendum, viam olim professis aperiendam, si vellent: Colloquia & capitula generalia illorum esse etiam prohibenda.

LXXV.

Canon 12. alium continet abusum, jus Episcopo concedens dies festos novos instituendi: id quod multis summæ Curiæ decretis, & provincialis Synodi Senonensis, apud Augustinianos Parisiis ann. 1527. Antonio *Du Prat*, Archiepiscopo Senonensi, Pontificio Legato, habitæ sententia, reprobatum est. Nec enim solius Episcopi, sed etiam totius populi & superiorum est, id constituere, sicuti factum legimus 1. *Machab.* 4. ad capitis finem.

LXXVI.

Canon 15. Monachis professionem ad finem sexdecim annorum permittit, obliterans Ordinum regni constitutionem, art. 19. qua triennium ante Sessionem illam 9. professionis tempus viginti quinque annorum impletorum circulo, quoad masculos, & viginti, fœminarum respectu, terminatur. Canon 16. novam Jesuitarum religionem admittit, contra generalem Synodum anni 1215. & cap. postremi. Extr. de religios. domib. prohibitionem, contra Francia statuta, nec non Parlamenti Parisiensis nuperum Arrestum, consultationem item & resolutionem Nissæ factam anno 1538. Petrus de Aliaco Cardinalis, qui antea floruerat, in lib. de Ecclesiæ reformatione, consider. 4. scripsit, nullam religionem Monasticam admittendam esse: imò jam receptos, præsertim mendicantium Ordines explodendos. Nihilominus tamen Jesuitæ hoc anno 1563. & 1564. Parisiis nidulantur, atque ædes in Curia Lingonensi ad Divi Jacobi vicum construunt, ibi illicita sua celebrant Conven-

ticula, diſertis verbis quaſcumque ſuperſtitiones Pontificiaſque idolomanias evulgantes, eo prætextu, quod à Concilio Tridentino probati ſint & commendati: cujus etiam decreta executioni mandare, ad praxim ducere, & Francis obtrudere, atque veneni efficaciſſimi poculum deguſtandum propinare ſtudent, ad Edictorum pacis abolitionem, ſeditionum recens extinctarum redintegrationem, in regiæ authoritatis & quorumvis ejus Magiſtratuum perniciosum contemptum.

LXXVII.

In eum finem, Canon poſtremus reformationis iſtius Regularium, præcipit cunctis Regibus, Principibus, Rebuſpublicis & Magiſtratibus, ut, obedientiæ virtute, Concilii decretis omnibus pareant, eorumdem authoritatem promoveant, & illud ipſum exequi conentur Epiſcopi, Abbates, Ordinumque regularium Magiſtri. Hac ratione Tridentinum non modò Pontifici ſuoque Concilio, verumetiam Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Magiſtris generalibus, vel particularibus omnium regni conventuum Regis ſubditorum non dominorum, jure divino Rom. 13. & 1. Petr. 2. deſcripto, Regem ipſum ſubjiciunt, pernicioſo miniméque ferendo errore acti, nec enim tantummodò ſtatum Eccleſiaſticum à Regis ſubjectione divellunt, ad minores Clericos ſuam illam authoritatem extendentes, ut novum regnum ſub Pontificis Monarchia erigant: verumetiam Regem, regnum, regnique Miniſtros huic ordini Eccleſiaſtico ſubjiciunt, nempe Francos Papæ mancipiis, ejuſdemque ſervorum ſervis ſubditos eſſe jubent.

LXXVIII.

Gravior in Canone 2. decreti reformationis generalis in eadem poſtrema, nempe nona Seſſione, error occurrit, cunctis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque omnibus, qui jure vel conſuetudine ſententiam dicunt in provinciali Synodo, præcipiens ut quamprimum palam recipiant quicquid definitum & conſtitutum eſt à Tridentinis Patribus, & hæreſeos damnent quicquid illi pronunciarunt hæreſeos labe pollutum: dein anathemate feriant quicquid Canones Papales, & Concilium deteſtantur atque anathematizant, profeſſioneque publica veram Romano Pontifici jurare obedientiam urgeant.

LXXIX.

Ita ſub larva reformationis latet omnium teterrima deformatio: nec in tot Seſſionibus Tridentinis error ullus emendatur, ſed plus quam antea confirmantur & multiplicantur ſinguli abuſus, appoſito Concilii abuli ſigillo. Atqui ad eam rem & ad eum finem Concilium iſtud inſtitutum eſt ab Imperatoribus & Principibus nullo modo convocatum, neque eorumdem præſentia & præſidentia confirmatum, quemadmodum in veuſtioribus Conciliis obſervatum eſt, ubi Romanus Epiſcopus frequens adfuit, nunquam præfuit. Contrà præfuit ſolus in Tridentino, per tres propontifices & multos Legatos, unde major facta eſt inclinatio rerum. Nullus enim inter iſtos Cardinales, Præfectos & Legatos interfuit, niſi Papæ juratus, regni Pontificii traditionumque Romanenſium promotor pervicax. Nec enim cuiquam eorum animus defuit conſcendendi thronum Pontificium: etenim duo Concilii præſides eò pervenere. Abſit igitur ut Concilium illud reformationis nomine dignemur: quin potius deformationis augmentum & incrementum appellamus.

LXXX.

Præterea, reformandarum Academiarum delectis præcipit, ut quanta fieri poterit diligentia, decretorum Tridentinorum per Academias omnimodam receptionem procurent: Magiſtri Doctores in eis doceant & interpretentur de Catholica fide juxta Concilii decreta, & ſolemni juramento ſingulis annis Kalend. Januarii præſtito aſtringant. Deinde in omnibus templis Concionatores non aliter populum inſtruant. Res non modò pernicioſa: ſed etiam vulgus ad ſeditionem & perduellionem concitans in Regem, niſi Papæ Papaliſque Concilii ſervus fiat, quemadmodum multi Concionatores, Pariſiis palam periculosè & perniciosè prædicarunt. Ita Papiſticum Concilium Regem & ſupremum dominum noſtrum in Francia ſervum, apparitorem, & lictorem Pontificium eſſe jubet, quem eò adigit ut fidem à Papa propoſitam admittat & ſequatur, nec ultrà ſapere cogitet: quicquid ex oppoſito Regibus præcipiatur, Deuteron. 17. 18. Joſ. 1. 8. & Salomon Rex ſapientiſſimus, Proverb. 25. 2. teſtetur honorem Regum in eo conſiſtere, ut verbum (Dei) perveſtigent.

LXXXI.

Sequitur alius error Canonis tertii, permittentis & decernentis monitiones & excommunicationes ad ea revelenda & recuperanda quæ amiſſa vel furto ablata ſunt. Contra Parlamentorum regni ſanctiones innumeras. Atqui Concilio Tridentino admiſſo, pronuntiata illa reſcindenda ſunt, abuſus autem (nempe quæ nigra ſunt pro albis ſupponentes) excipientur, in regiæ ſeculariſque juriſdictionis diminutionem & præjudicium. Concilium verò neque abuſus emendat, imò verò, quotquot præterita tria vel quatuor ſæcula, rejecerant, inſtaurat & reponit. Regnante enim Philippo Valeſio, cauſam agente M. Petro de Cugneriis, regiarum cauſarum Patrono, Curia pronuntiavit in Cardinales & Epiſcopos ſententiam, eò quòd in Regem & ſtatum ſecularem multa auſi eſſent minimè ferenda.

LXXXII.

Canone ſequenti occurrunt alii errores: concedit enim univerſis judicibus Eccleſiaſticis ut Laïcos condemnare, mulctis pecuniariis agere, bonorum mobilium ablatione & venditione, perſonarum ipſarum incarceratione, per Epiſcoporum, Prælatorum, Officialium & aliorum apparitores. Atqui in Francia Eccleſiaſtici in ſuos ſodales, multominus in Laïcos talem juriſdictionem haud obtinent.

LXXXIII.

Canon ſequens alium errorem continet, univerſis Eccleſiaſticis, tum ſecularibus, tum regularibus permittens, & in generalem catalogum, quem fidelium probrosè cognominant, innumera penè ſervitia & anniverſaria, quæ decantare nequeunt, reponere poſſint: fundationibus, prædiis, reditibus occupatis, neglectis hæredibus ſeductis. Atqui cellantibus donationum cauſis, cellant earumdem effectus: ex Civilis & Canonici juris diſpoſitione, *l. 1. & 2. C. de donation. quæ ſub mod. l. ult. C. de revocand. donat. & l. verum in fi. extr. de condition. appoſit.* ubi verba tali conditione, tam de tacita, quàm de expreſſa intelliguntur, & glolla in C. verum, addit quod etiamſi eſt facta ſub modo, quamvis non revocetur, quandiu ſervatur modus, tamen poſtquam non ſervatur, poteſt revocari. Atqui neque functio, neque modus ſervatur, ſi in catalogum, quem Fidelium vocant, reponatur.

LXXXIV.

Canon 8. in Regis magni item ejus Eleemoſynarii, & judicum regiorum juriſdictionem peccat, de Xenodochus & Noſocomiis titularibus, & aliis adminiſtrationum rationibus, contra Laïcos, quibus adminiſtrationem eripit, pro arbitrio ſtatuens. Judicum regiorum autem, & Magni Eleemoſynarii juriſdictio, non tantùm Laïcos, ſed etiam Eccleſiaſticos ex conſtitutionem Regiarum præſcripto, complectitur, quæ à Tridentino Concilio fiunt irritæ.

LXXXV.

Canone nono generalis illius reformationis, Concilium falcem in patronatus Laïcos immittens eos exſcindit, niſi patroni Laïci authentico ſcripto comprobent præſentationes continuatas & ad effectum per

annos quinquaginta perductas esse: aliasque probationum species rejiciens, patronos istos neque vocatos, neque auditos jure suo tam petitorio quam possessorio spoliat. Atqui Concilium ista minime tractare, multo minus judicare debuit. Insuper definitivè & absolutè, tum in possessorio, tum in petitorio quosvis patronos Laïcos aliis omnibus privilegiis & commodis mulctat, etiamsi jure fundationis, constructionis, vel expressæ dotationis ea retinuissent. Hac ratione non modò bona Nobilium aliorumque regnicolarum temporalia, quorum jus patronatus ejusdemque emolumenta partem constituunt, verumetiam in jurisdictionem sæcularem civitatum, nobilium, judicum regiorum & Parlamentorum, manus injiciunt Tridentum: quod nullo modo, ut omni ex parte à recto discedens, ferendum est.

LXXXVI.

In pejus proficiens, ad finem Canonis illius novi Concilium universis ordinariis & Officialibus Ecclesiasticis, in hac parte judicibus Papæ delectis, authoritatem, & jus tribuit cognoscendi de patronatuum Laïcorum jure & possessione, qui ab annis quadraginta per fundationem, dotationem, vel constructionem acquisiti sunt, & deinceps acquirentur. Hos autem permittit aboleri, nisi delectis non omnino necessarii videntur: non obstantibus privilegiis, constitutionibus, consuetudinibus, vel quibuscumque vetustissimis possessionibus. Omnium certè usurpationum Jurisdictionis & Monarchiæ regiæ, adeoque totius status sæcularis, hæc est absurdissima, nec non gravissima.

LXXXVII.

Canone decimo novos judices delectos, cognomine Apostolicos, in unaquaque Diœcesi Concilium erigit, Ordinariisque Ecclesiasticis eos eligendi facit potestatem, inscio, neque approbante Rege: quorum nomina & conditiones ad Papam mittantur. Huic (si modò ei grati sunt) ante omnia, juramento fidelitatem promittent adversus omnes. Ennovum commentum, Papalium que judicum & mancipiorum, non regiorum subditorum, multiplicatio.

LXXXVIII

Canone duodecimo declarat Concilium decimas Ecclesiasticis deberi jure planè divino, ac si adhuc viveremus sub lege ceremoniali & politica Mosis, sub qua Levitis haud licebat terræ, vel minimam possidere particulam, jure hæreditatis, emptionis, aut alio modo. Decretum illud non tantùm adversatur Theologorum sententiæ, sed etiam communem Canonistarum & Doctorum Papalium opinionem impugnat, confitentium decimas consuetudine deberi, cap. in aliquibus, extr. de decimis. Concilium Tridentinum si sequeris, decimæ ubique & de omnibus persolvendæ sunt, alioquin anathema expectandum: nec minuendæ propterea fundationum, seu institutionum piarum, ut vocant, Anniversariorum, & aliorum exactionum persolutiones.

LXXXIX.

Decimo septimo Canone Episcopos jubet esse elato animo, vetat humiles esse, nec vult Regibus & Principibus se submittant: jubet gradus & dignitatis Episcopalis non tantùm in templis, sed in plateis & palatiis esse studiosos. Principibus aliisque omnibus præcipit, Episcopos ut patres revereantur. Antea item, nempe ejusdem Sessionis Canone sexto, idem Concilium constituit, ut Episcopis cunctis in locis primarius honor, & quidvis agendi potestas deferatur: contra dictum Christi, Matth. 23. & Luc. 20. ubi Christus nos vitare docet consortium luporum, qui Religionis larvâ tecti rerum administrationem omnem usurpant. Hac via Romani Episcopi, mutatis prioribus vestimentis humilibus, purpuram induerunt, & arrepto sceptro, honores summos, salutationes, cathedras, & rerum habenas ambiverunt, tanquam de rebus dubiis consulti sententiasque dicturi. Concilium tandem in mandatum transformarunt; & ita urbis, imperii, atque Italiæ dominium usurparunt.

XC.

Canone 19. edictum Philippi, cognomine Pulchri, de duellis Concilium abrogat, quamvis in Parlamenti regestis & titulo, cap. 16. insertum, & Commentario Guidonis Pap. in Decision. Gratianopolit. 517. illustratum. Alium abusum Tridentini invehunt, Regi jurisdictionem, regiam authoritatem, majestatem, dominationem: supremum gradum in eo loco, ubi necessaria & inevitabili de causa duellum permiserit, juxta majorum suorum placita, auferentes. Etsi vero permissionem nullam esse datemus, non possunt Concilia Regem, Cæsarem, Principem vel dominum ullum sua jurisdictione & dominatione spoliare: idem enim esset ac si ex Rege nihil fieret. Attamen ita procedit Concilium Tridentinum, Papæ mancipium, cujus potestatem adhuc ampliorem agnoscit. Quod si admittitur, stat illud tatum, in manu Papæ Regis jurisdictionem, potestatem, dominationem, coronam, regnum ita consistere, ut vel omninò suppeditare, vel ei alium Regem substituere possit. Ita diplomate aperto, & Romæ publicato, die 28. Septembris 1563. Papa Navarræ Reginam coram tribunali suo personaliter citavit, & ni justis pareret, regno abdicavit, bonis mobilibus & immobilibus universis quocumque in loco sitis, ac positis primo occupanti concedit: sicut idem nimium abusivè patratum fuerat à Julio II. adversus ejusdem regiæ avum. Hic conatus iniquus ad finem duceretur, si Tridentinis haberur fides: & ita Regis Caroli IX. justa protestatio & apposita admonitio nulla esset atque abusiva: Rex etiam & Franciæ regnum Papæ subjicerentur.

XCI.

Vicesimo Canone cunctis Principibus & dominis Concilium edicit decretorum & Conciliorum in favorem Cleri & jurisdictionis Papalis antè habitorum. Adversus eos decretales & constitutiones Pontificias, in Conciliis suis scriptas renovat. Ita Tridentini quasvis machinationes & sanctiones usurpatorias Romanorum Pontificum, ipsidem in Francia Regum edictis, Ordinum constitutionibus, & summæ Curiæ pronuntiatis, abrogatas instaurant. Eadem manu decreta Bonifacii VIII. Franciæ hostis, jura regia imminuere, Clericorum, Sacerdotum, Prælatorum Gallicanorum immunitates stabilire studentis, ne scilicet Regi decimas aut subsidia suorum beneficiorum vel patrimoniorum persolvant, audacter reponunt, constitutionem Ordinum Aurelix factam sub Carolo IX. regni Consilio sanctiore adstante, reddunt inutilem, ejusdemque Bonifacii decretalem de superioritate & præeminentia Papali in Franciæ Regnum, atque quasvis Pontificias usurpationes confirmant.

XCII.

Tandem Canone vigesimo primo, qui est postremus, quicquid per octodecim annos à Paulo III. ad annum 1564. gestum est, Concilium authoritati Pontificiæ, quæ est & erit, planè subjicit: adeò ut quamvis in Papatu cleroque Pontificio impunitæ corruptelæ, & usurpationes appareant, de quibus observanda correctio sperabatur: tamen Concilium nullam emendavit: imò verò priores omnes confirmavit, & in integrum restituit.

XCIII.

Quinetiam potentiam & dominationem pontificiam majorem efficit, Papam supra Concilia, dein supra quosvis Imperatores, Reges, Principes indiscriminatim & absolutè exaltat. Attamen ex omnibus historiis abundè constat, sub Ecclesiæ primitivæ initius, & seculis aliquot sequentibus, Romanos Episcopos Cæsarum, Regum, Principum mandatis paruisse.

Quòd si postea celsiorem dignitatis gradum conscendere-runt, in Evangelii contemptum, per usurpationem, fallacias, multiplicem hypocrisim, tandem vi aperta torum id perpetratum est. Regibus & Cæsaribus Francis, deinde Germanicis Cæsaribus, Ottboni I. II. III. Henrico I. II. V Conrado, subditi fuere. Quamvis autem postea, seditionibus & armis imperium Germanicum oppresserint, tamen Franciæ Reges nunquam Pontificibus Romanis obedierunt, præterquam in eo quod conforme fuit primis Oecumenicis Conciliis, quorum curam, & libertatis Ecclesiarum Gallicanarum protectionem susceperunt, neque constitutiones & decretales Pontificias, Concilia que dein habita receperunt, nisi quatenus cum Ecclesiæ Catholicæ constitutionibus convenerunt, absque privilegiorum & immunitatum Ecclesiæ Gallicanæ præjudicio. Itaque qui Tridentinum Concilium censent admittendum esse, il antiquum Franciæ & Gallicanæ Ecclesiæ statum à fundamentis everunt. Omitto quòd in eodem Concilio, Regis Caroli IX. legati de gradu dejecti, neglecti, & probrosè Tridento ejecti fuere. Regis & Ecclesiæ Gallicanæ propositiones ibi neque lectæ, neque auditæ, neque intellectæ sunt. Rex dignitate & majestate tua, qui ab omni memoria ad eum pertinet, spoliatus est: nec auditi sunt ipsi extranei & Doctores Italici, inter alios eximius Bal lus, qui *Consil.* 418. *lib.* 1. *veteris editionis*, *nova autem*, *Consil.* 218. *lib.* 3 asserit Franciæ Regem, supra omnes Reges Christianos libertatis & gloriæ gestare coronam. Consilio 417. vel 217 affirmat vexilla Francica esse priora, quæ nulla alia honore præcedere nequeunt. Quinetiam Romanæ Rotæ vel Curiæ auditores, vel Bonifacius de Vitalinis in Clementinarum præfatione fatentur si de Rege fermo fiat, de Francico, non de alio quocumque, tunc agi. At Conciliabulum illud Tridentinum Regem antiquo suo honore spoliare studuit, eum alii postponens, qui seculis multis post diadema Francicum erectus & à Sarracenorum tyrannide ereptus est, ut ad fidem Catholicam per auxilium & magnam Magni Caroli manum adduceretur. Quod utinam Nobilitas & plebs Francica diligenter observet.

XCIV.

Præterea, si Tridentinis fides adhibetur, Philippi cognomine Augusti & sanctioris Francix Consilii factum irritum fuit, quo provocatio facta est de Innocentio III. ad futurum Concilium. Qua ratione Rex Aquitaniam, Turonensem ditionem, Northmaniam recuperavit ab Anglis, quibus Innocentius ille favebat. Concilii Tridentini autem determinatione, Oecumenica Synodus Papæ subjicitur: à Papa verò ad inferiorem provocatio nulla fieri potest.

XCV.

Extincta item esset Academiæ Parisiensis de Pio II. ad futurum Concilium sub Ludovici XI. inita provocatio, cujus Robertus Gaguinus, qui tunc florebat, meminit. Altera etiam ejusdem Academiæ in Bernardinorum Collegio sub finem anni 1517. congregatæ à Leone X. ad Concilium Oecumenicum proximum provocatio. Eadem præterea provocatio Capituli Parisiensis tunc temporis interjecta. Quæ omnes nullæ manerent, provocantibus minimè auditis, si Concilium Tridentinum admittitur.

XCVI.

Ad idem Concilium Oecumenicum provocatio à Papa Clemente VII. in Comitus Augustanis anno 1530. facta per Saxoniæ Ducem sacri Imperii Electorem, Marchionem Brandeburgicum, Ducem Luneburgensem, Landgravium Hessiæ, aliosque Principes, civitates & Ordines Imperii Coronæ Franciæ fœderatos, quando Cæsari & Papæ Legatis suæ fidei & formulæ reformationis, quæ Augustana dicta est, confessionem, postea solemni quadam ratione, anno 1540. Wormatiæ repetitam, obtulerunt.

XCVII.

Concilium illud qui admittet, non modò summam Regis Majestatem, verumetiam Franciæ Ordinum authoritatem, populi jura & privilegia, Ecclesiæ Gallicanæ libertatem abrogabit, & Franciam obedientiæ Papalis provinciam constituet, Regem in Germaniæ Principes, protestantes Franciæ, regnorumque vicinorum (à quibus pristina libertas & potentia cum reformatione Evangelii adversus Pontificis curiæque Romanæ usurpationes receptæ sunt) veteres confœderatos armabit. Ideo quicumque Regi receptionem Tridentini Concilii suadent, neque Regem respiciunt, neque Deum reverentur, neque Dei verba & præcepta observant. Si verò Regis subditi dicuntur, perduelles sunt & rei majestatis.

XCVIII.

Illud quidem notatu dignum est: sed aliquid amplius addendum, Papæ subditos, vel juramento, vel beneficiis impetratis aut impetrandis, vel superstitione propria devinctos, numquam se majestatis reos arbitrari, quòd Regis sui jura asserant, quæ Romano Pontifici largiantur. Papam enim Regem majorem & superiorem putant, & se isti potius quàm Regi adstrictos opinantur; Regem minorum quemdam Principem, qui per vices dominetur ex Virgilii versu dicentes, nempe,

Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet.

Papam suum eremum pro Jove habent, & Papali sententiæ, atque Viennensi Concilio in Clem. Pastoralis, de rejudic. nituntur. Ibi dicitur imperii vasallos crimine rebellionis & majestatis haud esse reos, si pro Pontifice Romano adversus Imperatorem ipsum pugnant. In eadem sunt sententia quotquot Canonistæ dicuntur, Bartolus etiam Juris Civilis interpres, in extravag. Qui sunt rebelles, in verb. rebellando, col. 2. sed excusatum se haberi petit in prooemio digestorum quod hæc in Papali ditione scripserit. In Gallia multi vivunt juris Pontificii, sive Canonici Doctores, qui nunquam victoriâ adeptâ triumphum canent, admisso à Rege Concilio Papali. Inde etiam oritur majus quàm putatur periculum, in animarum & Gallici status politici, perniciem. Status ille verò Regis solius est, cujus rotunda corona fidem facit se individibilem esse & manere: cui si rimula fit, tandem (quod Deus avertat) distringetur & ad nihilum redigetur.

XCIX.

Concilii istius receptionem quicumque adeò urgent, & Regem ad id patiendum impellunt, se tentatores, insidiatores & Papæ procuratores esse demonstrant. Concilii enim Tridentini conclusio haud Conclusio, sed suspensio dicenda est. Nam ultimo Canone, quum omnis illa cohors, exigua numero, Papam judicem appellasset, ejus Legati responderunt, se Concilio imponere finem, cujus confirmationem à Papa quamprimùm peterent: ac si dicerent, omnia suspensa, manere, atque pendere ab absoluta Romani Pontificis voluntate: sed interea temporis omnes discederent, & apud suos se reciperent.

C.

Hæc nova & planè inaudita est agendi formula. Quid igitur isti faciunt, Regem Carolum IX. (tunc juvenem) de novitatis imperfectæ receptione (id est corpore, capite & vita privato) sollicitantes? Nec enim confirmationem ostendunt à Pontificis arbitrio pendentem: ille verò quando & quomodo volet, eam denegare vel in aliam formam mutare poterit. Nonne hæc est Regis tentatio? Ab his tentatoribus Rex liberetur: Amen. His omnibus expensis, Consultus subsignatus concludit, Concilium illud Tridentinum neque posse, neque debere recipi, receptionem illius & approbationem oppugnare Deum, Jesu Christi in Evangelio beneficium, antiquissima Concilia, Majestatem Regiam, jura Regalia & edicta regia vetera & recentia, libertatem & privilegia

Ecclesiæ Gallicanæ, Ordinum, Parlamentorum Franciæ, & jurisdictionis secularis auctoritatem. Consultum Parisiis circa Februarii finem, anno Domini M. D. LXIII. juxta Francicam computationem: per me D. Carolum Du Molin, sacrarum Literarum Professorem, utriusque Juris Doctorem, Reginæ Navarræ Consiliarium & à Libellis supplicibus Magistrum.

Sic signatum, C. DU MOLIN.

CAROLI MOLINÆI,
FRANCIÆ ET GERMANIÆ I. C.
ET IN SVPREMO PARISIORVM SENATV ANTIQVI ADVOCATI.
CONSILIVM.

Super commodis vel incommodis novæ sectæ seu factitiæ Religionis Jesuitarum.

CONsultus super commodis vel incommodis novæ sectæ seu factitiæ Religionis Jesuitarum: an sit è Republica eam in hoc regno & præsertim in alma Universitate Parisiensi admitti: Attentis variis hujus rei circumstantiis, maximè ut nova opera ædificent: novas lectiones & lecturas instituant: Collegium novum erigant: quin etiam Ecclesiam novam, non paucos interim otiosos exteros, præsertim Italos & Hispanos, sub suæ sodalitatis professione alliciendo & alendo: Christi unici Redemptoris nomine imprimis invocato, breviter & conclusivè, ut in re satis clara, respondendum duxi: Non solùm id non esse è Republica: sed contra Rempublicam & utilitatem communem hujus Regni præsertim Universitatis Parisiensis, quæ omnium Academiarum primaria est.

Primùm Jesuitæ illi novam Religionem & instituunt contra antiquos Canones etiam Conciliares: quibus vetitum est novam ullam Religionem erigere, sed receptos & approbatos Conventus subire: alioquin non esset finis novarum sectarum & adinventionum, ad expilationem populi Christiani, turbationem & confusionem Ordinis Ecclesiastici, qui certis in statis suis finibus contineri debet. Ut est text. *in cap. ultim. de Religios. domibus.* Quod desumptum est de Concilio generali sub Innocentio III. Romæ habito anno millesimo ducentesimo decimo quinto.

Secundò, & nominatim, hoc est contra Arresta supremi Parisiorum Senatus: quibus prædicti Jesuitæ jam non semel repulsi sunt, non solùm ut ignoti, sed etiam ut peregrini: Imo etiam ut incapaces totius & Juris & tituli collegialis hujusmodi secta & Religione factitia à tanto Senatu rejecta.

Tertiò, contra solemne Concilium & conclusionem longa & matura deliberatione facta Niceæ mense Julio anno sesquimillesimo trigesimo octavo, à novem selectis præstantissimis & doctissimis viris. Quorum quatuor erant Cardinales, reliqui Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, à Paulo III. Pontifice Romano congregatis & diris adjuratis, ut absque ulla dissimulatione veritatem ederent, & consilium darent ad judicandum & corrigendum abusus & medendum morbis Ecclesiæ: Qui inter alios abusus corrigendos, censuerunt prohibendam esse admissionem novorum Religiosorum etiam in conventualibus jam receptis Ordinibus: Sed omnes qui tum nondum erant professi, abigendos & expellendos: & multò minùs novos Conventus erigendos, etiam Ordinum vel Religionum approbatarum: & multò minus novas factitias Religiones admittendas. Idem ante eos censuit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in suo libro de Reformatione Ecclesiæ, edito in Concilio Constantiensi considerat. 3. Idem ante eos censuerunt Archiepiscopus Armacanus & Gulielmus de S. Amore sacræ Theologiæ Doctor insignis quondam in Schola Sorbonæ hujus Academiæ, quem Joannes Gerson ejusdem Academiæ & Scholæ Doctor excellentissimus summis laudibus evehit.

Quartò contra bonum publicum totius regni nimis jamdudum multitudine conventuum gravati, ut res ipsa clamat. Quod si nova hæc secta ad novum unum Conventum erigendum admissa fuerit, mox per totum regnum serpet non solum sumptu & onere populi, sed etiam Ecclesiarum regni detrimento & gravamine luculento. Cujus rei recens extat exemplum quod à leviori principio nondum 70. anni, ortum habuit. Anachoreta ille Franciscus à Paula, qui sub obitum Ludovici undecimi venit in agrum Turonensem, ubi cùm sex jugera terræ emisset, obiit: famuli ejus peculio magistri non contenti quanam arte intra viginti annos tam multa novæ suæ Minimorum sectæ Monasteria amplè dotata in Gallis ædificarunt? Jesuitæ, isti ut majus & augustius sese habere principium gloriantur, ita majores spiritus colligunt, & majora sese brevi facturos sperant & jactant. Principiis igitur potissimùm obstandum.

Quintò non solùm tam est contra commoda publica, sed etiam vergit in magnum periculum Regni, nempe deregendorum & revelandorum passim secretorum exteris. Multos enim non solum commorantes, sed etiam idemtidem communicantes alliciunt & alunt Italos & Hispanos, & quosvis exteros: Nimis opportuna res exploratoribus secretis regni revelandis: quod ut suspectum & periculosum, omni animadversione & prohibitione dignum censuerunt antiquæ & politicæ leges, *l. omne delictum*, §. *Exploratores. ff. de re milit. l. mercatores, C. de comm. & mercat.* Adeò ut hac ratione etiam rite electi Episcopi repelli possint, ut post Innocentium, *in c. cum superis tradunt.* Ibi Panor. *col.* 3. Fel. *col.* 4. *extra de appell.* Innoc. *in c. quod sicut.* & ibi Panorm. *extr. de Elect. & in c. cum terra. eo. tit.* Dominic. de S. Gemin. *in c. in novo. col. ultim.* 21. *dist.* Angel. *in extravag. execrabilis in verb. diversorum Regnorum sub tit. de præb.* Quantò fortius excludi possunt novi Monachi?

Sextò, istud est contra jus publicum, quo novorum collegiorum erectio prohibetur. Et in summa omne collegium illicitum est, nisi specialiter approbatum appareat, *l.* 1. *l. collegia.* §. *In summa de coll. illic.*

Potrò collegium illicitum usurpans non minori pœna tenetur, quàm tenentur hi qui hominibus armatis loca publica vel templa occupant. *leg.* 2. *ff. de colleg. illicit.*

Et collegium non specialiter approbatum, nec passivam quidem testamenti factionem habet, *l. col. legium. C. de hæred. instituend.* Non obstat *l.* 2. *C. de sacrosanct. Eccles.* quia loquitur de publico & ordinario ministerio Ecclesiæ, seu collegio Catholico, sive Romæ, sive alibi per universalem Ecclesiam Christianam, cui ante Constantinum non licebat aliquid legare, nec Ecclesiam Christianam heredem instituere, quod cum Lucina matrona fecisset, Maxentius qui tum ante adventum Constantini Romæ rerum potiebatur, eam relegavit: teste Platina in Marcello. Quod Constantinus devicto Maxentio, factus Imperator correxit, d. l. 1. ad populum lata, quæ non est facta nisi in favorem Ecclesiarum Christianarum, & ministerii ordinarii. In Ecclesia nulla erant cœnobia: nulla collegia: nisi Episcoporum & Parochorum, qui in locum Apostolorum & Discipulorum Christi successerunt, quod nullo modo dici potest de cœnobiis seu Monasteriis postea institutis, quæ manent sub Regula prohibitiva, & sub genere Collegiorum illicitorum, nisi de speciali approbatione appareat. *l.* 1. & 3. *de colleg. illicit.* Et sic nullo modo includi possunt, nec contineri sub gratia & promissione d. l. 1. quæ adhuc propter abusum Clericorum Ecclesiæ Romanæ, facultatibus morientium insidiantium, revocata fuit per Valentinianum, & Valentem Imperatores, tempore beati Hieronymi qui eam legem laudat, propter sordidam & insatiabilem avaritiam Clericorum & Monachorum Ecclesiæ Romanæ: quam avaritiam valde deplorat & detestatur in Epistola secunda ad Nepotianum, tomo primo Epistolarum suarum: qui si viveret non minus deploraret & execraretur sordidum quæstum & avaritiam dictorum Jesuitarum, qui preces suas & suffragia venditant. Non enim alium habent reditum: & tamen nec manibus operari volunt, ut exemplo Beati Pauli jubet S. Augustinus in libro suo de opere Monachorum: Nec se aliis antiquis approbatis Conventibus submittere, ut sacri Canones jubent. *cap. ultim. de religios. domibus.* Sed tibi solis novum regnum erigere, idque stipe simplicium, quod vetat & maledicit Christus *Matth.* 23.

Septimò, quod in medio ipsius Academiæ, sine ejus permissione, de facto construant novam Ecclesiam, novum collegium, novos lectores, & novas lectiones: Nec volunt eidem Academiæ subjici, sed novum Collegii & exercitii caput erigere. Quod non solum monstruosum est, sed seditiosum & contra Jus publicum, *l.* 1. § *hujus studii. ff.* de justit. & Jur.

Octavo, Academia Parisiensis abundat multis congruis & approbatis Collegiis, & ab antiquo fundatis, etiam plusquam sufficientibus. Imò quædam superflua sunt: Et sic multò minus admitti & tolerari debet Collegium novum Jesuitarum.

Nonò, sine authoritate Episcopi, & approbatione Doctorum Theologiæ concionantur, & novum suum Catechismum quasdam superstitiones continentem, plebi & etiam mulieribus, & omnibus promiscuè obtrudunt, ut de industria sese ingerere videantur ad dandam occasionem infringendi pacificationis edicta: qua re nihil perniciosius esset, & periculum irreparabile secum trahit.

Quibus consideratis, Procurator generalis ejusdem almæ Universitatis Parisiensis justam causam habet, & pro debito officii debet prædictis Jesuitis novum opus nunciare: eosque ut ab indebitis illis novitatibus desistant per legitimos tramites compellere. Et ita censeo ego CAROLUS MOLINÆUS Franciæ & Germaniæ Jurisconsultus, & in supremo Parisiorum Senatu antiquus Advocatus.

CONSVLTATIONS ET PIECES DE Me CHARLES DV MOLIN,

EXTRAITES DV LIVRE DE IASON, APPARTENANT à Me Auguſte Galand, qui avoit appartenu audit du Molin.

VEV les memoires & oüy le recit du faict, & des productions de Maiſtre Guillaume de Calvimont demandeur, contre Marguerite de Farges deffendereſſe. Le Conſeil ſouſcrit eſt d'avis que ledit demandeur eſt bien fondé, & doit obtenir à ſon intention, nonobſtant les objects de la deffendereſſe. Conſtat enim primò eum ipſa primitiva origine fuiſſe verum naturalem filium, videlicet ex unica ſoluta non prohibita, ex ſoluto & non prohibito, & ex unica in domo retenta, & ſic verè, ſtrictè, propriè & antonomasticè naturalem, non autem ſpurium nec nothum, quo caſu legitimatio eſt favorabilis; ſaltem duobus aliis concurrentibus. Primò, quod tempore legitimationis mater obierat, & ſic non amplius ſupperebat remedium legitimandi per ſubſequens matrimonium: Secundò quod tempore legitimati nis non ſupererat alia proles legitima: quæ omnia ſimul concurrunt: & ſic iſta legitimatio valet, & favorabilis eſt, & quodammodo debita, & hinc plenè, verè, & non fictè reſtituens natalibus, & antiquæ ingenuitati, ut talis legitimatus nihil prorſus à legitimis filiis differat: Nec iſta legitimatio eſt diſpenſatio, nec nova gratia, ſed eſt diſpoſitio juris communis conformis textibus ipſis jurium, & beneficium à jure communi datum, *Text. in Authent. Quib. mod. natural. effic. legit. Collat. 6. §. ſi quis vero non habens filios legitimos* (*ibi*) *Damus ei fiduciam*, (*& ibi*) *licet igitur ſicut prædiximus patri, ſi legitimam non habeat ſobolem, filios* (*ſcilicet iſtos verè naturales in quibus tria illa concurrunt*) *reſtituere naturæ & antiquæ ingenuitati & legitimorum juri, ut ſub poteſtate ejus conſiſtant, nihil à legitimis filiis differentes.* [*Ce ſont les propres termes de la Loy, conformément à laquelle eſt ſurvenuë la legitimation du Prince avec clauſes tres-amples & favorables de pleine puiſſance & autorité Royale, non ſeulement du conſentement du pere, mais auſſi luy pourſuivant, minutant, & faiſant expedier le reſcrit Royal, le faiſant homologuer en la Chambre des Comptes, & payant finance, parquoy ne faut douter,*] quin ex tunc filius ille verus naturalis in quo tria illa de jure communi requiſita concurrebant, concurrentibus inſuper aliis prædictis circumſtantiis, factus fuerit verus filius legitimus, & verè tranſierit in patriam poteſtatem, & jura fuitatis verè aſſecutus fuerit, ſucceſſibilis patri, & pater conſucceſſibilis, ita ut non potuerit amplius fraudare patrem, text. in d. §. *ſi igitur licentia, ibi, & neque fraudare poſſe.* Eſt enim hoc caſu duplex vinculum, & donum, ſcilicet donum patris & donum Principis, ſeu naturæ ſimul & legis, inquit textus § *ſi vero ſolummodo. Quib. mod. natural. effic. legit.* Quod autem ſemel conceſſum, ut eſt, non poteſt amplius revocari, nec per ipſum Principem ſupremum, capit. *Decet conceſſum. De re judic. in ſext.* & multò minùs per inferiorem, ſed quamplenisſimè interpretandum, *l. g. ultim. ff. De Conſtitut. Princip.* Igitur multò minus revocari poteſt per patrem, qui eſt inferior, quique ſpecialiter prohibetur abdicare filium. *Or comme ce poinct de Droict eſt clair & indubitable pour ledit demandeur. Auſſi eſt la verité du faict tres-clairement verifiée au procez, partant les objects de la deffendereſſe ſont faux & impertinens: car tout ce qu'elle allegue de droict pour l'odieuſeté & reſtriction de la legitimation, parle en autres termes tous divers & contraires: c'eſt à ſçavoir*, vel de legitimatis per oblationem Curiæ, qui ſoli patri agnaſcuntur, §. *filium vero, in Authent. Quib. mod. natur. effic. ſur Collat. 7.* Quibus non poteſt plus relinqui quam relinquatur uni ex filiis cui minus relinquitur. §. *Et quoniam varie Eod. tit.* vel in legitimato per reſcriptum extra caſum à jure introductum, & ſic legitimatio per viam gratiæ, videlicet quando legitimatus non habebat qualitates illas, non verè naturalis, ſed erat ſpurius, vel quando ſuberant alii legitimè nati, vel quando tempore reſcripti poterat fieri legitimatio per ſequens matrimonium, ita quod opus eſt clauſula derogatoria & correctiva ad dicta jura; quo caſu legitimatio eſt vera diſpenſatio & non beneficium à jure communi inventum & conceſſum; meritò iſta ut exorbitans à jure odioſa eſt & reſtringenda. Ad hoc reducuntur omnia quæ de jure ex adverſo reallegat, putà quod eſt diſpenſatus & exorbitanter legitimatus, & quod ideo non efficitur verè legitimus, ſed ſolùm fictè. Et quod, ad quid textus in dicto. §. *filium vero, ibi per machinationem.* Atqui horum & ſimilium objectorum oppoſitum eſt ex diametro, *an cas de preſent*, quia legitimatus per reſcriptum conforme præfato juris communis beneficio (*comme ledit demandeur*) is non fictè, ſed verè & propriè fit legitimus, nedum patri, ſed omnibus aſcendentibus, agnatis & cognatis, & propinquis per textus rotundos, in §. *Illud tamen. In Authent. Quib. mod. natural. effici ſui. Collat. 7. Et in §. ſit igitur licentia. In Authent. Quib. mod. natural. efficiant. legitim. col. 6. ibi nihil à legitimis differentes. Et in §. Reliqui igitur, in Auth. Quib. mod. natur. effic. 5. Collat. 7. ita tenet. Specul. in Tit. De ſucceſſ. ab inteſt. verſic. Quæſt de legitimatis? Et ibi Ioan. Andr. in Addition. Antonius Roſel. in d. Tractat. Chart. penultim. verſic. Sed quæro an legitimatus per reſcriptum adnaſcatur. Ludovic. de Sard. eo tractatu. Chart. 15. quæſt 8.* Eſt enim ſemel reſtitutus illi legitimitati quam legitimè nati habent, ſicut libertus qui reſtituitur natalibus, redditur naturali ingenuitati, & verus legitimus efficitur, ut in textibus prædallegatis: & ut decidit *Bartol.* in repetitione *l. ſi is qui. Pro empt. Collat. 8. num. 17. Et ibi Iaſon. Collat. 47 & ſeq. ff. De Vſucap. Bald. in l. Manumiſſiones. Coll. 1. ff. De juſtit. & jure*, & patri adnaſcitur ſuus heres ſibique debetur legitima, & de neceſſitate debet inſtitui, alioquin tanquam præteritus rumpit teſtamentum. *Alex. Iaſon in Rubr. ff. De liber. & poſthum. & in l. 2. Collat. 4. ff. De Vulg. & pupill. Alexand. Conſul. 2. l. b. 1. conſil. 87. Collat. 5. lib. 20.* Ubi in Annotationibus dixi. *Franciſc. Curt. Senior. conſil. 16. num. 3. conſil. 17. col. 1. conſil. 35 & l. 1.* cum ſequenti. *Petr. Anchar. conſ. 290. Iaſon l.* Cùm acutiſ-

ſimi

simi C. *de fideicommiss. & in Authent. si qua mulier col.* 10. *C. de sacrosanct. Eccles.* & latè *Cons.* 202. *Coll.* 5. *lib.* 2. *in l. qui se patres, Col.* 5. *Vide liber. Philipp. Decius in l. Liberis. C. de Collat. & Consil.* 399. *col.* 5. ibi in annotat. dixi: Et velit postea vel nolit pater, qui non potest revocare nec pœnitere: comprehenduntur illi in omni dispositione loquente de filio vel filiis simpliciter, vel etiam addito verbo, legitimo vel legitimis, vel etiam verbo, naturalibus & legitimis: sive enim sit testamentum continens substitutionem, si quis decesserit sine filiis naturalibus & legitimis, legitimati per rescriptum faciunt deficere fideicommissum, & in totum excludunt substitutum, ut tenent Jacob de Arenis quem sequitur Joan. Andræas in Addit. speculi de succeff. ab intest. ad finem, Alberic. Alex. Jason *in tit. Generaliter, §. cum autem. C. de instit. & substit. sub condit. fact.* Angelus in disputatione incipiente, Nobilis quidam genere col. 2. 3. Petr. Anchar. In Repetit. c. Canonum statuta q. 14. col. 37. ubi dicit se bis ita consuluisse, ut patet in tuo Consil. 225. Prima facie Joan. de Imola, *in l. Ex fideic. §. si quis rogatus. ff. ad SC. Trebell.* ubi attestatur hanc esse communem sententiam. Latè Alexand. Consil. 2. Visis codicillis lib. 1. quod est repetitum in Consil. 87. lib. 2. Consil. 121. num. 16. lib. Consil. 92. Viso themate in fine lib. 4. Consil. 5. Attentis narratis, lib. 7. Philipp. Decius Consil 258. Consil. 284. num. 9. ubi in Annotat. dixi. Idem tenet Cardinalis Alex. post Anton. de Bruxis in cap. *Per venerabilem, §. quod autem, num.* 102. *col.* 89. & seq. *qui filii sint legitimi. Et quant aux faicts que la desfendresse allegue au contraire, ils sont confutez par la verité clairement verifiée au contraire.* N'y *fait rien*, quod in rescriptis, *& a ce moi Nous dispensons. Car il s'entend*, quando nunquam interveniisset consensus patris, quia tunc in reliquis dispensatur per Principem: *comme ces mots.* Et de heredum consensu, *s'entendent*, quando defunctus numquam consensit, quia si semel consensit, heredes non possunt pœnitere, *l. Nec revocari, l. si ego. §. sed bene, ff. de tut. dat.* Longe aliud, *au regard de ceux*, qui semel consenserunt, *& mesmement du pere*, & maximè omnium, *au cas de present que le fils auparavant la legitimation avoit toutes les qualitez requises de droict en un vray fils naturel, qui sont les trois susdits*, Ut in Auth. Quib. mod. natur. effic. legit. per Joan. Andr. in Additione speculi. Qui filii sunt legitimi in Rubr. Et Anton. Butr. in c. per venerabilem. col. 27. & ibi Panor. num 27. qui fil. sint legit. Bald. in addit. ad specul. in tit. de succeff. ab intest. & Consil. 406. lib. 1. Oldrad. qu. 194. Ludov. de Sard. In Tract. de legitim. col. 9. Glos. Prag. in tot. de Concub. in verbo, Concubinæ, & verb. Asseretur, Alex. Cons. 60. num. 8. Ubi in Annotat. dixi, lib. 2. & Consil. 174. num. 5. lib. 5. Ludovic. de Sard. in d. Tractatu de legitimat. col. 9. Steph. Bertrand. Consil. 135 Quia scienti, lib. 1. Consil. 31. Viso consultationis lib. 3. Ita quod iste jam habebat beneficium juris & capacitatem de qua in Auth *Quib. mod. natur. efficiant. legit. §. Si quis vero. §. liceat igitur. §. sit igitur licentia. §. si vero solummodo Constitutione* 74. *confirmée*, per constitutionem, seu Novellam. 89. §. Reliquit igitur. Quib. mod. natur. effic. sui. col. 7. *Tellement que*, statim, *que le pere & le Prince ont donné leur consentement & octroy conforme à ladite disposition & benefice*, juris communis, ex tunc jus filiationis legitimæ fuit irrevocabiliter quæsitum *audit demandeur*, quod nullo modo revocatur, nec restringitur per supervenientiam aliorum filiorum legitimorum & naturalium, nisi eo modo quo jure prius legitimè natorum, cessante prorsus in hac materia, *l. si unquam. C. de Revoc. donat.* Et latè decidit Francisc. Rip. In d. l. *si unquam, qu.* 23. & latius ibi Dom. Andræas Tiraquellus Senator amplissimus. *Parquoy moins faut avoir égard à une procuration dudit demandeur, car elle ne porte quoy que ce soit*, præjudicium habilitatis vel succedendi, *& encore moins pour prejudicier*, in aliquo, *audit demandeur*, & juri sibi quæsito: *parquoy s'entendroit en consentement honorable à ce que ledit demandeur prist tel party, ou tel estat du consentement de son pere, & non pas d'un consentement onereux derogatif* juri quæsito. *Aussi pareant moins faut avoir égard à la procuration du pere*, ut pote *advenuë*, tempore prohibito & valde suspecto, nempe novercalibus delinimentis instigationibusve corrupto: *car la disposition & presomption de droict est telle*, text. *in l. Non est consentiendum ff. de inoffic. testam. ubi* dicit Angelus Perusinus quod valet argumentum à communiter accidentibus, & quod sufficientem facit probationem in casu d. l. ubi etiam Paul. Castr. ait quod præsumptio juris est ex circumstantia temporis, id esse factum novercalibus delinimentis & instigationibus, *& qu'il n'y faut autre preuve*: idem tenent Philipp. Dec. Cons. 279. num. 3. Steph. Bertrandus Cons. 21. col. ult. lib. 3. Pariter de nullitate testamenti paterni, *appert*, per prædicta, tum ex defectu institutionis, tum propter animum corruptum novercalibus delinimentis, *dont resulte qu'il faut que le demandeur ait sa part de la succession paternelle comme fils aisné naturel & legitime*, cum fructibus à tempore obitus, ut pote, *ayant tel droict d'aisné legitime, & estant en celle qualité, & quasi possession longtemps auparavant la naissance de ses puisnez, & longtemps auparavant que son pere ja fort âgé se fust remarié.* Nimis insulsum esset, *d'avoir aucun égard au jugement de Bordeaux, car ce seroit participer & communiquer aux vices & nullité, donnés par suspects & mal affectez, & sans aucune connoissance de cause, sans aucune contestation, sur le champ, la premiere instance à cette fin par eux évoquée, sans avoir oüy, ny encore n'admis ledit demandeur à prouver ses faits, & en le deboutant contre tout ordre & raison, Ordonnance, stile & pratique usitée.*

Deliberé à Paris le premier jour de Fevrier l'an mil cinq cens soixante.cinq.

AUTRE CONSULTATION ET DISCOURS en suitte sur le faict des legitimations.

PATER Sacerdos dedit filiæ legitimatæ in matrimonio, in quo valet, quod alias non liceret, facit text. *l. Qui liberos ff. de incest. nupt.*

Spuriis donare possunt pro alimentis, *& encore plus*, favore matrimonii *l. Cum post. §. genet. de jur. dot.* Etiamsi essent immensa, heredes non possunt repetere à marito bastardæ *Bart. l. ult. §. si a fecero. De his quæ in fraud. cred. Cons.* 119. *Chassan. De success. bastar. d. §. 3. verb. Accepti. in Consuet. Burgund.* Tum quod sit facta filiis natis & nascituris, *dudit mariage*, qui sunt legitimi ut capiant donationem, *l. ult. ubi glos. C. de Natur. liber. Specul. l. de succes. ab intest. & ibi Joann. Andræas in Addit.* Et sic maritus ut extraneus donatarius potest capere. *Joann. Andr. in Add. nu.* 4 *Verb.*

Veu le memoire & precedents faicts, le Conseil soussigné est d'avis que ledit Loüis Davier Escuyer sieur de

12. Tunc ad Græcos translatum est summum imperium, æri apud Danielem, capit. 2. assimilatum, & Alexandro mortuo in quatuor regna divisum, quæ tandem Romanorum potentiæ subjecta sunt.

Quarta Monarchia, nempe Romanorum.

13. Quartam illam Monarchiam Daniel pedibus

ferreis, & digitis, partim ex luto figuli, partim ex ferro compositis, similem esse tradit. Hujus initia Romulo planè ignota fuerunt, ut qui Romæ limites vix excesserit. Tandem, anno urbis conditæ 244. Regibus decernente populo Româ exactis, paulò post Respublica mirum in modum aucta est, quamvis anno 344. nihil extra Italiam (cujus mediam partem nondum obtinebat, Livio teste) possideret. Paulò post Franci in Gallias arma sua intulerunt. Quarta igitur Monarchia, quum populus Romanus Africæ, Macedoniæ, Græciæ, Asiæ imperium obtineret, non Galliæ (cujus vires semper formidavit) neque Germaniæ multò minus Franciæ Orientalis, quam Antenor Francorum seu Sicambrorum Rex regebat, cœpit initium, anno urbis conditæ 608. ante Christum natum 144. devicto & ad tributum adacto Antiocho magno. Tunc verò Romani terrarum orbis Domini nominati sunt, ut refert Livius, Dec. 4. lib. 7.

Decad. 3. lib. 7.

Hujus inclinatio.

14. Maximum illud Imperium ad occasum inclinavit anno Christi nati 400. Theodosius etenim, cognomine magnus, filios duos juniores reliquit, Arcadium nempe Orientalis Imperii, cujus sedes Constantinopolis, Honorius Occidentalis in urbe Roma dominos, quorum tutelam, relicto Senatu.

Eversio.

15. Strenuis, sed extraneis viris, Rufino & Stiliconi, commisit. Illi verò Imperium suis liberis ambientes, obliquis modis eò rem deduxerunt, ut Constantinopolis obsessa, Roma verò expugnata direptaque fuerit ab Alarico Gothorum Rege, anno Christi 422. Capta tunc est Placidia, Theodosii magni filia, Cæsarum soror, paulò post in uxorem data barbaro Ataulpho, post Alarici in Cosentiæ urbis direptione exsi obitum, Gothorum Regi delignato. Conjugium equidem Romæ fructuosum, quam Ataulphus delere, ut novam urbem, nomine Gothiam, ædificaret, animo constituerat: nisi Placidiæ monitis & precibus placatus mutasset consilium, quod ei malè cessit, à Gothis interfecto, quoniam uxoris intercessione Gothicarum victoriarum de Romanis parrarum felicem cursum abruperat, id referente Paulo Orosio, horum temporum oculato teste, circa historiæ suæ finem: cui succinunt Platina in Zosimo, Sabellicus, alii Chronographi, & Volaterranus, 2. Geographiæ libro, cap. de Gothis.

Idolatrarum scandalum acceptum.

16. Quum tam fœda tamque subita tanti Imperii labes indoctos homines multùm afficeret, idolorum sacrificulis objicientibus tot malis Rempublicam fuisse afflictam, quòd Romani antiquam Deorum religionem, sub qua natum fuerat & auctum imperium, neglexissent & immutassent, D. Augustinus hunc scandalo occurrens, errorem detexit atque confutavit 22. libris de Civitate Dei adversus Gentiles conscriptis.

De Antichristo prædictum D. Augustini.

17. Lib. 20. cap. 19. de futuro Antichristo, prophetico spiritu ductus, juxta Scripturæ Sacræ analogiam, asserit eum fore qui in Ecclesiam Catholicam, tanquam illius caput, insurget. 2. *Thessal.* 2. Eodem tempore Paulus Orosius, Augustini discipulus, historiam conscripsit, ut illorum sententiam everteret, qui orbem terrarum gravius oppressum esse post susceptum Christianismum, quàm antea, vociferabantur.

Pontificum Rom. artes & primordia.

18. Sub idem tempus Romani Episcopi, rudera Imperii in commodum suum mundanum atque Satanicum converterunt. Quum enim sanis consiliis suis civitatem & patriam, absentibus aut parum potentibus Orientis Imperatoribus, juvare velle viderentur, paulatim dominatum invaserunt: rebus eò tandem deductis, ut Imperatorum auctoritatem (cui semper subditi fuerant) superbè rejicientes, populum Romanum & Italicum, ne Cæsaribus vectigalia persolveret, impedierint, ipsosque Cæsares anathematis fulmine percusserint.

His reclamant Ecclesiæ Africanæ.

19. Eadem manu rerum in Ecclesias Italicas & Africanas dominatum, nec non Cismarinas appellationes usurparunt, Zosimo, Bonifacio I. & Cœlestino I. per Legatos in nationalibus Africæ Conciliis, Carthaginensi V I. præsertim, anno 420. ubi D. Augustinus interfuit, negotium illud fortiter promoventibus. Porro ut spe sua potirentur, corrupta quædam Niceni Concilii decreta protulerunt, quorum falsitate detecta repulsi sunt, atque paulò post iterum in Concilio Milevitano cui idem Augustinus præfuit, teste Conciliorum collectore, tomo primo.

Idololatria Romanum Imperium pessundedit.

20. Ita Romanæ Monarchiæ curriculum sexcentos annos haud absolvit. Qui verò diligenter historias persequetur, hujus exitium ex idololatria, & Senatus Romani superstitione, quam veterem religionem appellabat, propugnantis pertinacia, fluxisse deprehendet. Honorii & Theodosii junioris Arcadii F. Cæsarum leges dissimulatrices iram Dei provocarunt. Nam circa 12. vel 13. annum post Theodosii magni excessum, Christi 411. suis rebus dum bene consultum putant, edicto statuerunt, ne Christiani Judæis & Ethnicis pacificè viventibus, neque adversus leges & Rempublicam peccantibus, damnum ullum inferrent. In Codice Justiniani, tit. 10. de Paganis, eorumque templis & sacrificiis, ea lex extat, cujus verba: Christianis, qui verè sunt, vel esse dicuntur, specialiter demandamus, ut Judæis ac Paganis quietè degentibus, nihilque tentantibus turbulentum legibusque contrarium, non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi, &c.

Vana Cæsarum consilia malum auxerunt.

21. Nationalis item Synodus Africana, sub his Imperatoribus habita, Can. 76. pudendæ legis meminit, quæ cuique Christianissimum amplecti vel repudiare liberum relinqueret. Fuerunt equidem tunc temporis Principes illi juvenes, & improbis ac perfidis tutoribus commissi, qui malis artibus imperium affligere & usurpare moliebantur.

Tandem Roma oppressa est à Gothis.

22. Sed anno sequente, anno urbis conditæ 1164. Romam captam diripuit Alaricus Gothorum Rex, publico jubens edicto, ut quicumque ad Christianorum templa confugissent, illæsi dimitterentur: secus autem, qui essent idolorum delubra ingressi: sicuti Augustinus, Orosius, & Socrates hist. tripat. lib. 7. c. 10. coætanei testantur, quibus consentiunt cæteri omnes historici. Paulò post, Romam iterum expugnavit & spoliavit Ataulphus Alarici successor. At si quis collationem instituat propheriarum Ieremiæ, & historiæ Regum, sub quibus ille propheravit, eadem causas comperiet, quæ Deum ad Judæos & Romanos justo peculiarique quodam judicio puniendos compulerunt.

Regnum Ægyptium variis mutationibus obnoxium.

23. Regnum Ægyptium Monarchiam Babylonicam proximè sequutum est, variis interruptionibus & mutationibus discerptum. Thebani illud occuparunt, ab Ægyptiis postea ejecti, quibus Assyrii prædam abstulerunt: quam iterum Ægyptii vendicavere. Illos Alexander Macedo debellavit, atque Monarchiæ Græcæ adjunxit, quæ velut in fumum abiit, exiguo quidem momento. Tandem anno 284. post Alexandri interitum, 28. ante Christi nativitatem, Octavianus Cæsar, solus ex Triumviris superstes, devicto Marco Antonio & Cleopatra Imperii æmulis, Regnum extinxit Ægypti, quam in provinciam Romanam redegit.

Hispaniæ.

24. Regnum Hispaniæ recens est admodum, nec certa extat historia, quæ Regis aut stirpis Regiæ in Hispania ante Romanum imperium meminerit.

Romanum negotium facessunt Hispaniæ.

25. Nulla verò provincia Hispaniarum fortitudinem contra Romanos pro libertate certantium superavit. Nam ante Christum natum anno 25. nempe 200. annis à prima Scipionum adversus Hispanos expeditionne, Augustus Cæsar obstinato animo Cantabriæ, partem Septentrionalem, quæ nunc Gallicia, Biscaïa, Navarra dicitur, armis expugnavit. Quo bello peracto, in signum pacis Jani templum denuò clausit. Quater igitur ab urbe condita, Eutropio teste, templum illud, belli pacisque gratiâ, apertum & occlusum est.

26. Ita

Tandem subactæ.

26. Ita Imperii Romani nomine per 450. annos usque ad Honorii finem Hispaniæ partes omnes sub Cæsarum præfectis pacis publicæ beneficio gavisæ sunt. Circa Honorii finem Gothi & Vandali Hispanias ingressi leguntur.

A Gothis depravatæ

27. Qui diffusis Alphonsi Tostati, Hispani doctoris, operibus Epistolam præfixit, nobiles omnes & Hispaniæ Reges à Gothis oriundos esse asserit, non sine jactantia, quemadmodum ipse palàm profitetur. Parum honorificè de sua gente, de Principibus Hispanis sentit, qui stirpem, gloriam, nobilitatem illorum hausit ex sanguine Gothico. Sed peccat in historiam:

A Saracenis sub jugum redactæ, quod Carolus Magnus dissipit.

28. Nam etiamsi Hispaniam occupaverint, & in ea regnaverint Gothi circa annum Christi 450. atque adeo hæresis Arianæ veneno Hispanos infecerint: Regno tantùm ad 260. annos potiti sunt. Anno etenim 714. Hispaniarum maximam partem occuparunt & retinuerunt, ad annos 80. usque ad Carolum Magnum. Is ab Adriano Romæ Episcopo rogatus, quum in Italia Regnum Longobardicum, quod 204. annos duraverat, armis oppressisset, Alphonsi II. Castellæ Regis precibus pertractus, cum Francorum exercitu valido Hispanias ingressus, Saracenos debellavit, aliquot provinciis Alphonso restituris, sicuti horum temporum affirmant historiæ.

Quid Hispani Francis debeant.

29. Toletanus quidam contrarium asserit, referente Volaterrano, lib. 2. Geographiæ, cap. de Saracenis. Ita Hispanis nonnullis magis placet suos extollere, quòd à Barbaris Gothis & hæreticis Arianis devicti sint, quàm fateri eosdem nobilium Francorum auxilio, sanguine, opibus fuisse liberatos. Quinimo Gothi præterquam quod tyrannica usurpatione, pestilenti contagio hæreseos, & Gothicis legibus scripto traditis atque constitutis circa Christi annum 420. Hispanias vastarunt, tandem nefariis pollutionibus Saracenicum Regnum stabiliverunt, quòd longiùs perduraret, nisi Francorum armis Saraceni fuissent debellati.

Gothicæ leges in Hispania jus civile Romanis damnant.

30. Inter leges Gothicas Hispanis datas, prima (jus civile abrogans) hæc est, Quicumque coram judicibus legem Imperialem citaverit, more moriatur: sicut refert Oldrad. q. 679. & Ioann. Andreas in Novella sua, lib. 3. cap. ultim. Nuper etiam Ioan. Lopes Hispanus initio cap. *Per vestras*, num. 19. Non sine causa Gothi legem hanc proposuerunt. Prima enim Theodosii Magni Constitutio (quam post 143. annos Justinianus primo titulo sui Codicis adfixit) Arianos oppugnat, ut in omnibus Imperii sui ditionibus sacta tecta maneat de Sacrosancta Trinitate orthodoxa confessio, quam Gothici Reges Hispaniæ impugnarunt.

Franci Hispaniarum liberatores.

31. Clodovæus primus Francorum Rex, Gothos fortiter repressit Aquitaniâ & Occitaniâ pulsos, & in Hispanias veluti relegatos, quæ Arianissimi & Mahumetissimi morbo laborarunt, donec Caroli Magni auxilio sunt liberatæ. Hispanias multùm celebravi in commentariis ad Consuetudines Parisienses à me editis, artic. 29.

Sicilia Regnum.

32. Siciliæ Regnum, Hispanico recentius, per 2000. annos tyrannide ferè perpetua oppressum, Carthaginiensibus qui illud invaserant, ereptum est à Romanis, & in provinciam atque horreum populi Rom. reductum.

Orientis Imperatori datum & ereptum.

33. Carolus Magnus Occidentis Imperator constitutus, Calabriam, Apuliam, Siciliam Orientis Cæsari sorte reliquit. Postea, nempe anno Christi 914. Siciliæ magnam partem Saraceni occuparunt, donec tandem circa annum 1008.

Ad Normannos pervenit.

34. Gulielmus Normannus, cognomine Ferrebrachius, Tancredi filius, conjunctis viribus Constantinopolitani Cæsaris præfectum Malocum adjuvit, ut Saracenos Siciliâ pelleret. Quoniam verò Malocus (Platina teste) in præda dividenda parum fidelis appa-

ruit, Gulielmus collecto Francorum & Normannorum numeroso, nempe 40000. bellatorum, exercitu, Calabriam, Apuliam, Siciliam, occupavit, tunc à Græcis translatam ad Normannos.

Francorum consuetudines in Siciliam illatæ.

35. Quorum opera, ante Carolum Andegavensem, Francorum consuetudines de feudis & successionibus Siculis traditæ sunt, apud quos etiamnum multis in articulis observantur, quemadmodum in Commentariis ad Consuetudines Parisienses demonstravimus. Ita paulatim Tancredi & Gulielmi Ferrebrachii successores Siciliæ dominatum, primò Comitum, deinde Ducum, tandem Regum titulo, atque nomine retinuerunt.

Pontificum Rom. astutia avaritia & ambitio.

36. Ut amplius sibi caverent, à Pontificibus Romanis titulos obtinuere. Sub initio Pontifices quod illorum non erat, nempe feudi largitionem gratis concesserunt. Sed anno 1267. quum auxilium Caroli Andegavensis, Provinciæ Comitis, Ludovici IX. Regis Franciæ fratris auxilium impetrassent, pro Siciliæ feudo 40000. coronatos annuos impetrarunt, Platina scriba Pontificio teste.

Angliæ fabulosa historia.

37. Fabulosum est quod nonnulli referunt in Angliæ Regno centum Reges ex Bruti, Æneæ abnepotis, prosapia alios alios ordine successisse, 100. ann. ante Davidis Regnum, nec non ab eo successivè alios, partim Anglos, partim Saxones, vel aliarum gentium ad nostra tempora, tres mundi ætates & 2500. annorum complectentes curriculum. Quum anno 1555. mense Novembri Pandectarum legem *Lucius* interpretarer publicè, veterum illarum Angliæ historiarum figmenta refutavi.

Severus Angliam Romanis subjecit.

38. Quòd ita sit, Alexandrum Severum Cæsarem aiunt Angliam armis acquisivisse, Eboraci fato functum, ex Anglicana muliere suscepto filio Bassiano Caracalla, post patris excessum Angliæ Rege, dein Imperatore Romano in Italia. Severus equidem anno Christi 210. cum potenti exercitu Angliam ingressus, totam primus sibi subjecit, in expeditione sublatus è vivis. Hujus filii & præfecti insulam in Romanæ provinciæ formam redegerunt.

Nullus Rex in Imperio Rom.

39. Neque Severus igitur, neque ejus filii, Angliæ Reges facti vel dicti sunt. Lex enim Romana est, Evangelico dicto firmata. Ioan. 19. c. eum contradicere Cæsari, nempe Imperii dignitati atque Majestati, qui se Regem constituit: quoniam nulla regio Regem acceperat, sed extrà Imperialem sedem, quævis in provinciæ formam reducta videtur.

Bassianus in Africa, non in Anglia natus.

40. Nec verisimile sit, Severum in Anglia ex patricia muliere suscepisse Bassianum, quandoquidem 80. annos natus erat, priusquam in Angliam penetraret, non necessitate, sed dolore ductus, quòd Bassianum & Getam filios dissidentes ab odiis & rixis domesticis per longinqua bella avellere cuperet. Angli, tunc Britanni, manus Severo accedenti porrigentes, repulsam passi sunt: voluit enim Severus ferro decernere, novi tituli acquirendi gratiâ, nec non ut filios ab intestinis simultatibus averteret. Bassianum natu majorem, ex Africana Leptensi, legitima uxore, prius quàm esset Imperator, susceperat: quem in Imperio collegam adscivit, ut annotat Capitolinus, qui eo tempore scripsit, Codex item Cæsareus, plures leges Severi & Bassiani simul complectens.

Geta ex meretricenia tus.

41. Severus jam Imperator ex formosissima meretrice Julia, vivente uxore, Getam spurium habuit: nec alios postea: nam octogenarius Angliam aggressus, podagra afflictus, in lectica vectus, bello difficili implicitus, de nova prole minimè cogitavit: paulò post & inter armorum strepitum morte sublatus, Herodiano teste, libro tertio.

Bassiani scelera.

42. Bassianus, qui in Anglia vitam Severo patri auferre conatus erat, Romæ Getam fratrem in gremio Juliæ matris interfecit, & Papinianum Jurisconsultum eximium trucidari jussit, quòd fratricidium Bassiani excusare recusasset. Impius ille paulò post Iuliam

hovercam uxorem duxit, neque in Italia cæsus, sed in Mesopotamia, fœdissimas ob tyrannides varias trucidatus est.

Angliæ nomen à quibus acceptum.

43. Falsissimum & illud est, Bassianum in Angliæ Regno successores habuisse. Permansit enim Anglia Romanorum provincia, ad annum Christi quadringentesimum quadragesimum nonum sub Honoriani Imperii finem. Tunc enim Picti & Scoti Angliam, Britanniæ nomine designatam, invaserunt: neque Romanis neque Britannis propugnantibus. Italiam etenim & Hispanias Gothi Vandaliqne premebant, Franci verò majorem Galliarum partem occupaverant, Romanis vi depulsis. Britanni auxiliis destituti, Saxones (qui & Angli dicti sunt) accersivere. Illi verò, Britanniam invadentes Angliam seu Anglorum terram appellaverunt.

Armorica, Galliarum pars hodie Britanniæ ducatus.

44. Incolæ autem tyrannidis Angliæ pertæsi navibus conscensis, Armoricam occuparunt Occidentalis Galliæ partem, quæ in hunc usque diem à profugis istis Britanniæ nomen retinuit. Claudianus profectionis hujus meminit, in adulatorio carmine ad Stilichonem perfidum Honorii præfectum, nempe ejus patrocinio Britanniam Romanorum provinciam à Pictonum, Scotorum, Saxonum incursionibus fuisse conservatam: Aliter autem sentiunt Historiæ.

Angliæ Regnũ quando inchoatum.

45. Quando verò provinciæ Romanæ nomen amisit insula, (quæ Albion & Britannia olim dicta, tandem Anglia vocata est ab Anglosaxonibus) Reges habuisse, nisi post Caroli Magni tempora, constat ex probatis historicis. Abhinc Regibus parent ad hunc diem. Caroli Magni sæculo multis tenebris circumfusa est Anglicana historia, ut & præcedentibus aliquot sæculis, Anglorum ipsorum confessione: magis fabulosa antiquior descriptio censetur. Quid enim insulsus figmento illo de Severi & Bassiani dominatione Britannica?

Figmenta de Cohele Rege.

46. Nihil equidem minus verum, quàm quod asserunt Cohelem magnæ Britanniæ septuagesimum octavum Regem Constantii Cæsaris, Hispaniarum domitoris arma victricia formidantem, tributum promisisse, paulò post autem morte oppressum unicam filiam Helenam apud molitorem aquarium reliquisse, latitantem, ne interficeretur à Constantio, qui Rex Britanniæ coronatus & acceptus Helenam rapuit, concubinam habuit, dein quum audisset filiam Regis Cohelis esse, duxit uxorem, quæ filium peperit ei Constantinum, cognomine Magnum, divæ Catharinæ, Constantis Cyprii Regis filiæ patruum.

Constantius Chlorus an Rex Angliæ fuerit.

47. En mendaciorum voraginem. Constantius Chlorus (quem isti Constantis Cyprii patrem fuisse somniant) patricius Romanus, & juxta Eutropium libro secundo Romanæ Historiæ illustris cujusdam Senatoris filius matrem habuit nobilissimam matronam ex stirpe optimi atque fortissimi Cæsaris Claudii secundi oriundam. Absit autem ut dicamus Constantium illum crimine Majestatis laborasse, & in provincia Romana Regnum usurpasse. Talis autem fuit Constantis sæculo, & toto sequente, Britannia, nempe Imperii Romani provincia.

Idem Imperator creatus, Diocletiano & Maximiano exauctoratis.

48. Creatus equidem Imperator Constantius Chlorus cum Galerio Maximo, quo die Diocletianus Nicomediæ Bithinicæ in Asia, Maximianus Mediolani, Imperii per viginti annos inter cædes horrendas immanesque Christianorum lanienas occupati, habenas reliquerunt. Quum enim frustra Christum oppugnassent, neque nova crudelitatis facies vel machina carnificibus istis cæde fractis occurreret amplius, meritas pœnas veriti, quòd sacrificulis idolorum cultoribus fidem adhibuissent, Imperium abdicarunt. At Constantius Hispanias minimè devicit, ante trecentos triginta annos in provinciæ Romanæ formam redactas.

Constantini cogn. Magni natalis.

49. Fuit Certè Constantinus filius nothus ex Helena, neque Angla, nec Angliæ incola, multò minus Regis filia: neque in Anglia Constantinus ortus ex Regio sanguine, sed Drepani (quod est Asiæ minoris oppidulum, promontorium & Propontidis maris portus, juxta Nicomediam Bithiniæ) natus.

Helena Constantini mater nunquam in Anglia fuit.

50. Ibi quum Constantius appulisset, à Diocletiano delegatus, non Cæsar, ut cum Persis, Parthis, aliisque populis in Oriente Imperii limites invadentibus, de pace ageret: nactus est hospitem, qui filiam Helenam, non in uxorem (nec enim conjugium ejusmodi inire voluisset vel potuisset Constantius, Constitutionibus Romanis in lege Julia, lib. 25. *Pandect.* titulo secundo, & Cod. libro quinto comprehensis, impeditus) sed in concubinam ad aliquot dies ei concessit, sibi oprimè consultum putans Ethnicus infelix, si primarium virum inter Romanos ita exciperet.

Constantius Heracliani privignam duxit.

51. Neque Constantius fuit Gallià oriundus, ut quidam fabulantur, sed Romæ natus, ad quam alia via tandem reversus est. Tunc Diocletianus collegam assumpsit Herculianum, & Constantius ab iisdem Cæsar est nominatus, cui uxorem dederunt Theodoram Herculiani privignam.

In aula Imperatorum Constantinus educatus.

52. Tandem Constantius certior factus se ex Helena concubina Drepanensi filium eximia forma suscepisse, matrem & puellum Romam accersivit. Ne verò in Theodoræ zelotypiam incideret, Helena dimissa, puellum in aula Diocletiani & Galerii Maximini Nicomediæ residentium educari curavit, teste Nicephoro, libro septimo, cap. 18. & libro octavo, capite secundo.

Cur eo nomine insignitus.

53. Hospes Drepanensis maternus & Helena, Constantii nomen integrum tribuere non ausi, quòd puellus non esset legitimus, Constantinum, id est pusillum Constantem vel Constantium appellarunt.

Helenæ cõditio.

54. Quod autem Helena diversorium seu hospitium equitibus commodum tenuerit, colligitur ex funebri concione Theodosii, quæ tomo ultimo operum Divi Ambrosii continetur. Et quamvis ex Erasmi censura tomus ille Divo Ambrosio falsò tribuatur: nil aliud sequitur quàm quod longè post D. Ambrosii obitum, multis haud ignotum fuit, Helenam in diversorio fuisse concubinam. Et hoc nomine notatur à Blondo, Romæ triumphantis libro tertio.

Supinus error fabulatorum.

55. Hinc sequitur falsum & ridiculum esse quod inertes illi rhapsodi (ex quorum grege Galfredus Monumetensis) ut Angliam illustrarent, de priore Constantii conjugio cum Regis Cyprii filia confinxere, Cyprum alii in Græcia, alii in Persia collocantes, nempe ut Europæ & Asiæ Indicæ terminos insulsè miscerent.

Regnum Cyprium injustè à Romanis oppressum.

56. At quidem ex historiis & Geographis apparet longè ante & post Constantii sæculum Cyprum Romanorum fuisse provinciam. Quidam Alexandri magni successores, regni titulo Cyprum possederunt, ad annum 54. ante Christi nativitatem, quo populus Romanus, procurante Clodio, decreto publico, sed iniquo, Ptolomæi Cyprium Regnum facultatesque cunctas fisco adjudicavit. Id autem Clodii actibus confectum est, ut Catonem Uticensem, cui Decreti exequutio commissa fuit, Senatu ejiceret.

Romanorũ anthropolatria.

57. Invitus expeditionem illam suscepit, vir integer vitæ, scelerisque purus, virtutis antiquæ custos, rigidusque satelles, atque Reipublicæ amantissimus: quam domi & foris Romani unicam respiciebant. Equidem Reipublicæ salus illis suprema lex, summum bonum fuit, & Numen: id fatente Cicerone in oratione ad Quirites & Senatum, quos reputat atque

veluti in numerum Deorum relatos reverentur. Ejusmodi blasphemiis impuri homines delectabantur: at tantum nefas haud impunè tulerunt, bellis civilibus, & Reipublicæ suæ casu tandem attriti.

Cyprus subacta, & in provinciam redacta.

48. Interea dum Cato manum operi admovet, Ptolomæus Cypri Rex manus sibi ipsi intulit: inde status mutatio, & insula, rege, atque auxilio destituta, in perpetuæ Provinciæ populi Romani formam redacta est. Ingentes regis defuncti divitias sedula cura reconditas Cato Romam advexit, cui velut triumphabundo populus, Senatus, Magistratus occurrerunt: teste Valer. Max. lib. 4. cap. 1.2.3.4. & lib. 8. cap. 16. Plutarcho in Catone, Sabell. Ennead 6. lib 5.

Ad Venetos, & ab iis ad Turcas pervenit.

49. Provincia Romana Cyprus ab eo tempore remansit, ad Imperii excidium, neque Regem agnovit: ante Ricardum Anglum, qui in Syriam navigans anno 1181. ab Insulanis superbè repulsus, Cyprum occupatum in regnum erexit, quod post varias calamitates ad Venetos pervenit anno 1470. [iisdem ereptum anno 1570. & 1571. à Turcis; qui etiamnum insulam totam possident.] Qui aliter sentiunt, & fabulis pascuntur, sacram ignorant vel corrumpere conantur historiam. Nam ex capit. 23. Actuum Apostolicorum apparet Cyprum fuisse provinciam Romanam.

Maxentius nullam in Ægypto persecutionem movit.

60. Falsum item est, quod illi narrant, Maxentium in Alexandriam fugisse Constantino petente Romam, & in Ægypto persecutionem instituisse adversùs Christianos, quos interfecit, nominatim Divam Catharinam, quam Regis Costi seu Constantini Romæ regnantis neptem, eruditam virginem, Græcos philosophos in Ægyptum ex Constantini regionibus adductos confutantem somniant. Illud quidem certum est, Maxentium, quum Constantinus ex Gallia Romam proficisceretur, imperii capessendi gratiâ, anno 311. in Ægyptum non aufugisse, priusquam enim Constantinus Romam ingrederetur, Maxentius prælio victus & interfectus est. Neque igitur in Ægyptum abiit, neque post imperium adeptum, ex Italia movit pedem.

Christianis favet Constantinus.

61. Præterea Constantinus victor toto Imperio persecutiones in Christianos excitatas pacavit: & patris exemplo, Christianis fecit otia, favitque, debellatis omnibus adversantibus Ethnicis fidei Christianæ hostibus infensissimis.

Helenopolin & Constantinopolin ædificat.

62. Solus Imperator relictus, Drepanum oppidulum in civitatem, nomine Helenopolin, transmutavit, juxta quam dum Constantinopolin ædificare cogitat, quòd inculta esset Regio & aridum solum, in opposita parte, Thraciam versùs, clementiore solo & cœlo, supra Byzantii à Severo deleti rudera, ad superum littus maris Propontidis, nobilem illam urbem construxit, novamque Romam, veteris æmulam, Orientalisque imperii sedem nominavit.

Samaria & Judæa tributaria.

63. A morte Herodis Agrippæ secundi, & paulò post excidium Hierosolymitanum, nullus in Samaria Rex extitit, ut nec in Græcia: neque Samaria populorum multorum Græcorum privilegiis unquam gavisa, sed provincia tributaria facta est. Judæam & Palestinam in duodecim præfecturas Romani distinxerunt: teste Blondo, libro tertio de Roma triumphante.

Miserà eorum conditio, qui Scripturas sacras cõtemnunt.

64. Extra oleas vagari non fert animus, alioquin facile figmenta mendaciaque confutarem in hunc usque diem recepta, & Sacrarum literarum veritati antepositа, justo quidem Dei judicio, in efficaciam erroris eos relinquente, qui doctrinæ cælesti repudiatæ, Christo, quem Pater dederat, atque obsignaverat, derelicto, mendaciis suis adhæserunt. 2. *Thessal.* 2. Quum Argentinæ essem, à fide dignis hominibus accepi, beatæ memoriæ principem Eduardum sextum Angliæ Regem flammis ultricibus, fabulosas istas Commentationes adjudicasse, quod pridem factum erat ab Ephesiis, qui audito Apostolo sacras conciones & disputationes per biennium in primarii cujusdam viri ædibus habente, curiosarum artium com-

portatos libros exussemint in omnium conspectu: quorum suppuratis pretiis, repererunt denariorum quinquaginta millia. Act. 19.

Ante Christum natum Franci floruerunt.

65. Quicquid est de Francorum origine & antiquitate, nec non de Regum Francicorum prosapia, libris consignatum, tanquam fide dignum, si recipiendum sit, jam 2000. anni effluxerint. Sed certam temporis designationem ex probatis auctoribus collectam prosequi sufficit. Vulgata sententia est Francum hujus nominis secundum, Francis quibus imperavit anno ante Christi nativitatem 37. Romanos idem variis prælis attrivit, Galliæ nec-non populos, quam ingressus est, ponte ad Mosam constructo. At longè falluntur, qui ab hoc Rege Francos nomen mutuatos esse putant.

Gallias subigere Cæsar studet.

66. Longè antea id factum, Romana historia teste: Julio enim Cæsare Galliis ingresso, ut Hedus Romanorum confœderatis ferret suppetias, regionem totam Romanis subjicere cogitavit, anno ante Christum natum quinquagesimo sexto. Francorum nomen & fama ad Senatum populumque Rom. jamjam pervenerat, teste Cicerone, qui in Epist. ad Att. Gallorum, nec-non legationis Gallicæ meminit.

Francorum vim experiuntur.

67. Quales viri essent Cæsar expertus, libro sexto ingenuè faretur. Cogunt (inquit) equitum duo millia Sicambri, primos Eburonum fines adeunt, multos ex fuga dispersos excipiunt, magno pecoris numero potiuntur, invitati prædâ longius procedunt. Quid postea sint ausi Sicambri, quos Germanos appellat, castra Cæsaris invadentes, & Romanos terrore replentes, prædaque onusti iter repetentes refert idem author. Equidem Sicambri, ij fuere, quos Roma Ciceroque Francos tunc temporis appellavit. Horum Rex fuit Antharius, anno ante Christum septuagesimo secundo. Inde colligimus Regnum Francorum à sua origine ad annum 1561. quo nolter Commentarius scriptus est, 1632. annos adimpletos numerare. Nullum aliud regnum, nullam Rempublicam tam diu perdurasse legimus. Veneta enim nondum 1200. annos implevit.

Regnum Franciæ in interregno minimè abruptum.

70. Quamvis autem, scriptore Hunibaldo, post mortem Marcomiri Francorum Regis, ex Antharii stirpe, Franci denique ejusdem filii, in bello contra Valentinianum primum interfecti, Rege per 25. annorum spatium Franci caruerint, à Ducibus gubernati; stirpe regia oriundi illi Duces fuere, qui populum conservarunt, donec assumptis viribus, & trajecto Rheno, receptaque à Romano præsidio Trevirorum urbe, tota etiam Gallia usque ad Sequanam,

Pharamundus in Galliis regnavit.

71. Pharamundum elegerunt, qui Francorum primus Rex thronum regium in Galliis fundavit, anno Domini 420. Et quidem Pharamundus ille directa linea & prosapia Francorum Regum fuit oriundus, neque ullum fuit interregnum, tametsi dominationis nomen per aliquot annos immutatum sit: ut nec quando Pipinus, cognomento Brevis, Ordinum Regni consensu, Rex creatus, & Childerico IV. stirpis Merouei postremo, post Pharamundum tertio, propter mores Regio munere prorsus indignos suffectus est.

Pipinus recta linea ortus à Pharamundo.

72. Illa enim electione non interveniente, Regnum Franciæ ad Pipinum pertinebat, ut qui masculina stirpe rectà ortus esset à Rauchario Clodionis Comati, Pharamundi F. majore natu filio. Meroueus autem, non filius, sed Clodionis consanguineus, & filiorum ejusdem tutor constitutus, Raucharium legitimum Regem regno expulit, quod Rauchatii successores recta linea masculi 300. anno post Raucharium ejectum, recuperarunt.

Caroli Martelli temporantia.

73. A Rauchario originem duxit Carolus Martellus Palatii magister, & Regni Francorum præfectus anno 719. Is autem quum legitimè posset Regnum accipere, tanto tranquillitatis publicæ zelo flagravit, ut præfectura regni contentus eos ordine reges instituerit, quos jure destituere sceptroque privare potuit. Et

sanè tandem cum alta pace, magnoque splendore, felicique successu regni jus & diadema tandem, nempe anno 751 ad Pipinum Martelli filium rediit.

Duratum Francorum Regum stirpes.

74. Porrò, qui Pipinum, Caroli Magni filium novæ stirpis (quam vocant Carolovingiorum) constituunt conditorem, à via veritatis deflectere videntur. Pipinus enim recta linea à majoribus & prima Regum nostrorum stirpe, à Pharamundo vel ejus antecessoribus ducebat originem. Duas tantummodò numeramus Regum Franciæ prosapias: priorem, veterum Francorum, qui longè ante Christi nativitatem usque ad Ludovicum V. stirpis Carolinæ postremum Regem, anno Christi 989. extinctum, perduravit.

Robertus Capeti filius, Rex Franciæ.

75. Tunc desinente priore illa antiquissima prosapia, quæ ab Authario Franci II. filio perduraverat per annos 1060. & post Pharamundum per annos 568. Ordinum regni consensu, Hugo Capetus Rex adscitus, non sibi tamen, sed filio suo Roberto regni diadema Aurelix imposuit. Hæc est posterior stirps, quæ etiamnum perseverat per annos 572.

Regni firmitas.

76. Nec enim Regni Franciæ corona, quam vocant, ad alios principes quam verè Francos unquam pertinuit. Priorum verò accisa masculà prole, quæ per mille & amplius annos regnaverat, Princeps à Francis eximius ab Ordinibus regni,

Legis Salicæ antiquitas.

77. Sub conditionibus & limitationibus legis Salicæ, sub qua veteres Francorum Reges alii aliis successerant, electus est. Nec Pharamundus sub lege Salica natus & corona insignitus, eam legem instituit, sed confirmavit. Ante priores Francorum Reges extitit, nec alios Franci quam masculà prole principes Francos agnoverunt.

Hæc fœminas & fœminarum filios à regno excludit.

78. Ad exteros Regnum nunquam translatum est, in linea sua constitutum permanuit, à patre ad filium, seu à masculo ad masculum proximiorem, legitimum successorem, perveniens, nec ulla ratione ad fœminas, seu ad fœminarum filios, unquam pervenit. Hæc perpetua peculiarisque fuit lex Francorum ab initio Regni, quam Pharamundus renovavit & confirmavit; posterior autem stirps iterum stabilivit & continuavit.

Alioquin Anglus Regnum Francorum obtinuisset.

79. Quâ lege antiquissimâ, fundamentali, nec non inviolabili, sublatâ, Eduardus Angliæ Rex, Elizabetæ Franciæ, Philippi Pulchri filiæ primogenitæ filius, extincta prole masculà Philippi, Rex Franciæ creatus esset: sed intercedente lege Salica Philippus Valesius Caroli Comitis Valesiani filius, quamvis gradu remotior, sed masculus, masculo oriundus, Rex agnitus & tandem coronatus est, acquiescente Eduardo.

Sed Philippo Valesio cessit.

80. Qui anno sequente 1329. tanquam legitimo Franciæ Regi pro Aquitaniæ Ducatu homagium Ambiani Veromanduorum Philippo Valesio præstitit. Postea tamen Eduardus malo consilio impulsus, non sine justo Dei peccata Francorum ulciscentis judicio, Regnum Franciæ, cujus se Regem asserebat, invasit, & per centum annos sua successorumque suorum manu graviter afflixit. Tandem verò Angli spe sua frustrati, à lege antiquissima Salica dejecti sunt.

Franci & Davidici Regni collatio.

81. Altera nunc occurrit consideratio, Regnum videlicet Francorum, præ aliis, Judaico & Israëlitico Regno, quod Deus in Davide fundavit an. mundi 2891. juxta Hebræorum calculum, simile esse & fuisse: nempe jure successionis ad primogenitum Regis, deinde ad prolem masculam, & legitimè natam.

82. David equidem, tum ex Dei dono peculiari, tum spiritu prophetico præditus natu minorem primogenito prætulit, 1. Reg. 1. speciali oraculo impulsus, 1. Chr. 28. Verum instituto & confirmato Salomone filio legitimo, & successore, regnum in sobole masculà, & primogenito, ordine continuo permansit.

Legis Salicæ origo.

83. Quæ lex juramento Dei: Psal. 132. sancita viguit semper. Huic conformis apparet Salica, primitiva Regia Monarchiæ Francorum, qua cum nata & confirmata est, ad Davidici Regni exemplar.

84. Salomone mortuo, divisum quidem est Regnum illud, & partes decem Jeroboamo illegitimo domino concessæ sunt; idque Dei iratî justo judicio per Semeiam Prophetam promulgato, 1. Reg. 12. & 2. Chron. 11. cui Roboamus, ad bellum accinctus cum suis, acquievit, duas tantùm tribus integras retinens.

Tribus Levitica officium.

85. Levitica quidem, per reliquas omnes dispersa est, ut populum erudiret, doctrinam divinæ legis sartam tectam conservaret, sabbata celebraret, oppidatim & vicatim ritus sacros observaret, Dei verba & præcepta piis inculcaret diligenter. Sacerdotes autem in templo Jerosolymitano in tribu Judæ constituto & ædificato, ministrabant,

86. Duodecim tribus Israëlis Davidi ejusdemque posteris masculis Deus concesserat, & donum illud sanciverat jurejurando: sed ea conditione, si fœdus divinum servarent, nec vero Deo relicto, confugerent ad idola: neque tantisper dum Messias appareret, veram Religionem, traditam Mosis manu, illibatam conservarent. 2. Chron. 6. 7. Quoniam verò Salomon senex, mulierum multarum blanditiis irretitus, idola coluerat, superstitiosum atque impium cultum invehens, jure potuit Deus illum cum posteris regno spoliare. Verùm, propter Davidem, qui veræ pietatis cultum retinuit, filiis & posteris ipsius masculis Regnum Judæ Deus conservavit: quæ quidem ratio diserte verbis in historia sacra exprimitur.

Jeroboami apostasia.

87. Eadem promissio, Dei jussu, Jeroboamo post Salomonis lapsum proposita est, 1. Reg. 11. Quòd si Jeroboamus veram Religionem à Deo constitutam observasset, divinarum promissionum fructus collegisset uberrimos: sed incredulus & impius hominum respectu perculsus, & rebus caducis nimium attentus, ut terram retineret, cælum amisit, in idololatriam prolapsus. Inde Levitarum, Jerosolymam petentium electio, 2. Chron. 11. novorum sacerdotum & rituum institutio, 1. Reg. 12. Dignitatem regiam, quam divinæ Majestati prætulerat, paulò post amisit.

Davidis pietas.

88. Contra, pius David atque sinceræ religionis amantissimus, Dei gloriam regio suo diademati antepositit. 2. Sam. 15. Quum ab Absalomi facie fugienti Sacerdotes & Levitæ dominici fœderis Arcam sactam, regni illi æmulatici thesaurum maximum offerrent, eam ut Jerosolymis referrent præcepit Rex pius his verbis, Reducite arcam Dei in civitatem: si invenero gratiam in oculis Domini, is utique reducet me, & faciet ut revisam se & habitaculum suum. Quòd si ita dixerit, non delector te, faciat mihi prout bonum videtur in oculis suis.

89. Ideo testatur Deus præceptis suis Davidem paruisse, & quod rectum erat coràm oculis Dei diligenter observasse. 1. Reg. 11. Saül verò, de gravissima culpa monitus, neque vera resipiscentia ductus, neque Deo supplex factus est: illud tantùm exoptans ut Samuëlem placaret, & propitium haberet coram populo. Ideo aspera voce exceptus audivit, Quia sprevisti verbum Domini, sprevit similiter te, ne sis Rex. Inde Regnum Saüli, tum ejusdem posteris ablatum est. 1. Sam. 15. 16. &c.

90. Quinetiam ereptum legimus Jeroboami filiis à Baasa extis, propter idololatriæ crimen. Quoniam verò Jehu Baalitas interfecerat, templa & idola succenderat, Regnum illi posterisque in quartam generationem conservavit Deus. 2. Reg. 10.

91. Tandem quum decem tribus Israëliticæ ardentius quàm antea idolorum cultum essent amplexæ, Samaria Regni caput triennalem obsidionem quum toleràsset, capta, & populus in captivitatem ductus est à Salmanassare, anno post Salomonis excessum ducentesimo quadragesimo tertio. 2. Reg. 16. Anno autem 290. idem Salmanassar reversus, Samariam expugnavit, & Israelitas omnes abductos, nec non strenuos bellatores Ephraimitas, anno sexto Regni Ezechiæ, in Mediam deportavit. 2. Reg. 17. Ita Regnum

Regnum Israëliticum planè eversum.

Israëlis idololatrix causâ planè eversum est, juxta Esaiæ vaticinium, cap. 7.

Judaici Regni status & duratio.

92. Israëlitico Regno exciso, Judaïcum per octoginta annos stetit. Quum enim pii & docti viri Jerosolymam potius quàm Samariam incolerent, tardius corrupti sunt Judæi; ita ut post illam multorum annorum crudelissimam Manassis Ezechiæ filii lanienam, temporibus Josiæ tum juvenis admodum,

Cancellarius sapiens.

93. Sacerdos quidam Jerosolymitanus divinæ legis librum repertum tradiderit Saphani Regis Cancellario; Is autem indicavit Regi quid acciderat; unde religionis instauratio, populique ad meliorem mentem reductio: 2. Reg. 22. Qua propter sub Josiæ regno vindictam Deus cohibuit. At verò post Josiæ exdem,

Pius Rex.

Infipientes Reges.

94. Jehojaximus in regno successor, quòd prophetiarum Jeremiæ volumen combussisset, Jerosolymâ expugnatâ, interfectus est, & cadaver ejus asini sepulturam habuit, æstui diurno & gelu nocturno projectum. Jerem. 22. & 36. Jechonias in captivitatem abiit. Ejus successor Sedecias in idololatria perseverâs, jugum Nebucadnezaris excutere conatus, excidium urbi attulit, & sobole sua coram jugulata, oculis erutis occæcatus in Babylonem cum populo tractus est, Regno Judaïco in posterum extincto.

Idola Regnum Judaicum pessundant.

95. Quod non accidisset, si modò Judæi Propheticis sermonibus attentas aures præbuissent. Longè antea crassam supinamque populi inscitiam Esaias damnaverat, quòd dicere recusassent se in religionis negotio Dei vocem per Prophetas declaratam sequuturos: nec Regis vel sacerdotum mandata impia audituros. Quoniam verò scientiam veram populus repudiaverat, in captivitatem deductus, Rege, templo, tabernaculo, sacrificiis, politia destitutus, per septuaginta annos miserrima sorte, veluti in sepulchro latens, visus est.

96. Ex Babylone in Judæam reversus, Regnum terrenum à Deo minimè recepit, cujus gratiâ toties rebellis fuerat, & Prophetas quamplurimos interfecerat: sed sacerdotium externum & Mosis sacros ritus, usque ad Messiæ adventum solummodò obtinuit. Quicumque etenim post Macabæorum arma, contra Antiochum Epiphanem & ejus posteros pro Judæorum patrocinio & Religionis libertate justè susceptâ, Reges Judææ dicti sunt, nomen illud injustè usurparunt: ideo à Romanis & ab Herode Idumæo quamprimum oppressi sunt. Herodem verò Antonius Triumvir, dein Augustus, modò Romanis pareret, Regem Judææ constituit. Et Augustus Judæos tanquam sibi subditos per Cyrenium recensuit, quo tempore ex Virgine Beata Iesus-Christus unicus Ecclesiæ Dei Servator & Mediator natus est.

Qua ratione ira Dei vitari possit.

97. Neque Regno Israëlitico, neque Judaïco idolorum stercoribus polluto Deus, gloriæ suæ (quam statuis & simulacris concedere recusat) zelotes, vindictam in ira sua sumens de iis qui Filium ejus unicum Servatorē & Mediatorē recipere detrectaverant, ullo modo perpeti: absit igitur ut Franciæ Regnum, propterea quòd durationem Regni Israëlitici & Judaici per repetita annorum sæcula bis superaverit, sibi applaudat; quinimo Ezechiæ Iosiæque, piorum Regum in Judæa, Religionem ex Dei verbo instaurantium, idololatriam & idolorum sacrificulos expellentium imitetur exempla, nec alia ratione imminens ira Dei vitari potest. Psal. 2.

Res Ecclesiasticas Franciæ Reges constituerunt.

98. Si quis objiciat munus illud ad Principes & Reges minimè pertinere, is authoritatem Principibus ac Regibus à Deo commissam convellit, in Majestatis crimen incurrit, in Deum blasphemus apparet, quem calumniæ profanæ telis adoritur. Hujus authoritatis exempla passim in historiis sacris occurrunt: Regnumque Francorum domesticis in eam rem testimoniis abundat.

99. Jamdudum enim Franciæ Reges statuta, leges, edicta de rebus Ecclesiasticis promulgarunt, præsertim ad compescendas Ecclesiasticorum nomina, imò verò Episcoporum & Pontificum Romanorum pessimas artes. Nam ante 1250. annos Clodoveus Francorum Rex primam Synodum Gallicanam Aurelix indixit, & jussit haberi: in qua triginta tres Episcopi convenerunt, atque triginta tres Canones Ecclesiasticos conscripserunt, quos Gratianus Monachus Italus fere omnes decreti sui compilationibus inseruit: & ad finem prioris partis Conciliorum additos legimus. Vincentius historicus, lib. 12. hujus Synodi meminit: Gratianus item, dist. 16. c. 1. annot.

Clodoveus primam Synodū Gallicanam indixit, & haberi jussit.

100. Ante annos 800. Carolus Magnus Francorum Rex, postea Occidentis Imperator (vel, teste Alberto Crantzio histor. Eccles. lib. 1. cap. 2. titulos ejusdem ex antiquis diplomatibus describente, Imperii Romani gubernator, dominus & Rex Francorum ac Longobardorum, Saxonumque dominator) non modò leges politicas, in hunc usque diem à Saxonibus observatas, constituit, verumetiam per Gallias quinque Concilia haberi curavit: primum Moguntiæ, alterum Rothomagi, tertium Rhemis, quartum Catalauni ad Ararim, quintum Arelatæ: in quibus Clero leges & regulæ præscriptæ sunt.

Caroli Magni nomina, leges inditæ, Concilia.

101. Ludovicus Pius Concilium Aquisgrani habuit, in quo præter Ecclesiasticarum Constitutionum libros, anno 830. promulgatos, vestes pretiosas & artificio multo confectas Clericis abstulit, Platina in Gregorio quarto, Roberto Gaguino, ac Paulo Æmilio testibus.

Ludovici Pii Constitutiones Ecclesiasticæ.

102. Iterum Carolus solus, dein cum Ludovico Pio Imperii consorte: postea Ludovicus per se, tandem adscito Lothario filio natu majore, varias leges Ecclesiasticas tum de doctrina Christiana & Sacramentis, tum de Episcopis & Clericis sancivit.

103. Quibus legibus Ecclesia paruit, quemadmodum ex Capitulis Caroli Magni, Ludovici Pii, Clotharii, & Gratiani decreto facilè colligitur. In decreto autem quamplurimæ leges ex iisdem Capitulis collectæ leguntur: Ansegisus autem Abbas Capitulorum Caroli Magni & Ludovici Pii libros quatuor edidit etiamnum extantes. Quorum summam his verbis idem Abbas in præfatione sua complexus est. Hoc notum sit lectori, quia prædicta capitula, quæ per intervalla temporum à præfatis sunt principibus edita, in quatuor distinxi libellos. Illa scilicet quæ Domnus Karolus Imperator fecit ad ordinem Ecclesiasticum pertinentia in primo adunavi libello. Ea verò Ecclesiastica quæ Domnus ac piissimus Ludovicus Imperator & Lotharius Cæsar filius ipsius ediderunt, in secundo descripsi. Illa autem quæ Domnus Karolus in diversis fecit temporibus ad mundanam pertinentia legem, in tertio adunavi. Ipsa verò quæ Domnus Ludovicus præclarus Imperator & Lotharius Cæsar filius ejus fecerunt, ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarto congessi.

Caroli Magni capitula.

104. Priore libro cap. 78. edicit Carolus lege sancta & Catholica, ut in Ecclesia libri Canonici sacræ Scripturæ tantùm legantur. Idem statuerat Concilium Carthaginense tertium, can. 47. subjuncto Canonicorum librorum veteris novique Testamenti catalogo. Docet præterea Carolus, c. 82. Ecclesiarum pastores (mendicantibus & aliis Monachis pulpitum conscendentibus, nondum natis) quid agendum sit, his verbis. Summopere vobis videndum est, dilectissimi & venerabiles Pastores & Rectores Ecclesiarum Dei! ut Presbyteri quos mittitis per Parochias vestras ad regendum & prædicandum per Ecclesias populum Deo servientem, rectè & honestè prædicent: & non sinatis nova vel non Canonica aliquos ex suo sensu, & non secundum scripturas sacras figere & prædicare populo, sed & vosmetipsi utilia honestè & rectè, & quæ ad vitam ducunt, æternam prædicate, aliosque instruite, ut hæc eadem prædicent. Proposito deinde Symboli Apostolici, Decalogi, dominicæ item orationis com-

De sincera verbi Dei administratione.

Novis apocryphis scriptis excludis.

pendia, tandem subjicit: Ideo, dilectissimi, toto corde præparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere: & divina donante gratia, verbum Dei crescat, & currat, & multiplicetur in profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & salutem animarum vestrarum, laudem & gloriam nominis Domini nostri Iesu Christi. Pax Prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino nostro Iesu Christo. Amen.

De collatis Ecclesiæ dividendis, & non dividendis.

105. Ejusdem libri 1. capitulo 87. Statutum est (inquit Carolus) ut quicquid tempore imperii nostri à fidelibus Ecclesiæ sponte collatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in usus pauperum, tertiam in stipendia cedere Clericorum aut Monachorum, in minoribus verò locis æquè inter Clerum & pauperes fore dividendum: nisi fortè à datoribus, ubi specialiter dandæ sint, constitutum fuerit.

106. Cap. autem 83. Quia juxta sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vota esse Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: cuique non solùm habita conservare, verumetiam Deo opitulante, conferre optamus. Tamen ut multa ab Ecclesiasticis de non dividendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris, neque filiorum & (Deo dispensante) successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, nullam penitus divisionem aut jacturam patiatur. Synodus Moguntina Capitulum illud sequuta est, adversus Abbatum & Monachorum avaritiam turpisque lucri cupiditatem, à Gratiano repressam, caut 20. quæst. 3. c. ult.

107. Eodem libro piam Christianamque legem de verbi Dei prædicatione sancit Carolus, cap. 109. his verbis: Episcopos monemus, ut sive per se, sive per Vicarios, pabulum verbi divini sedulò populis annuntient: quia, ut ait beatus Gregorius, iram contra se occulti judicis excitat sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit, & ut ipsi Clerum sibi commissum in sobrietate & castitate nutriant, divinisque officiis imbuant, qui ritè ad sacrosanctos Ecclesiasticos ordines promoveri possint. Paulò post: Et ut superstitiones quas quibusdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent. Postrema hæc verba Christi præcepto conveniunt, Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: Luc 9. 60. Dicto item Mosis, Levit. 21. 1. 11. & Apostoli, 1. Thessal. 4. 13. & Ambrosii, lib. 1. de Abrahamo Patriarcha, c. 9. scribentis in dictum illud Genes. 23. 3. Surgens verò Abraham, quum recessisset à facie mortui sui; Docemur, inquit, non diu adhærere mortuis, sed eis deferre quod humanitatis officio sufficit. Dictum verò Gregorii à Carolo citati, extat in ejusdem libro de cura Pastorali, parte 2. cap. 4. primo item Epistol. lib. cap. 24. à Gratiano postea in decreti volumine comportato, dist. 43. can. 1.

De mortuorum sepultura.

Preces funebres veteres: unicus Psalmorum cantus, in spem resurrectionis admissus.

108. Toletana Synodus tertia, c. 22. statuit ut in Christianorum sepultura nullæ usurparentur ceremoniæ, præterquam Psalmorum cantus: precesque funebres omnes rejicit, ad spem resurrectionis cantum illum Psalmorum revocans. Ex Evangelicis autem literis & Pauli doctrina Canonis sui ratione reddita, tandem infert, per universum orbem Christianorum corpora eo modo esse inhumanda. Fuit equidem Synodus hæc planè orthodoxa, quæ Arianam hæresim anathemate feriit, atque quamplurimos, nominatim Presbyteros & Episcopos ab Arianismo ad veram fidem revocavit. Et extat in Decreto Gratiani 13. q. 2. c. Quia divina.

109. Ludovicus autem Pius, Caroli Magni Francorum Regis & Romanorum Imperatoris filius: Clotharius item Ludovici filius, Ansegisi lib. 2. Christianissimam & sanctissimam legem de sacro Cœnæ Dominicæ sacramento statuerunt, cap. 40. his verbis, In perceptione Corporis & Sanguinis Dominici magna discretio adhibenda est. Cavendum est enim ne si minùm in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis. Si verò indiscretè accipiatur, timendum est illud quod ait Apostolus, Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Juxta ejusdem ergo Apostoli documentum probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere, ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamque suam, præparet se ad percipiendũ tantum Sacramentũ exemplo David, qui nisi confessus fuisset se abstinuisse ab opere conjugali ab heri & nudius-tertius, nequaquàm panes propositionis à sacerdote accepisset. Et cap. 45. Ut si non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent, nisi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur.

Caroli Magni sæculum usum sacramenti sub utraque specie laicis mandari retinuit, teste Joachimo Vadiano, qui in Europæ descriptione varia decreta Germanicarum Synodorum, à Caroli Magni excessu habitarum, profert edita, quæ describere non fert animus.

Communio sub utraque specie.

110. Manifestum est communionem sub utraque specie laicis utriusque sexus publicè & semper in Gallia, usque ad Synodum Constantiæ habitam, observatam esse. Paulò post Basiliensis Synodus eamdem communionem Bohemis horumque vicinis concessit. Quinimo Epistolæ decretales Pontificum, non ita corruptæ ut sextus, Clementinæ & Extravagantes, quæ postea successerunt, communionem eamdem haud improbant; & parœciarum Sacristæ hujus rei curam gerere præcipitur, ut ægroti ipsi panem & vinum sacrum petentes sumerent, quemadmodum refertur lib. 1. Decretalium, capite secundo & tertio tituli 24. de Archipresbyteri officio.

Cardinalium origo.

111. Cæterum loco Cardinalium Presbyterorum nomine intelliguntur Curiones, ita dicti, quòd parœciæ præcipuam curam gerant. Illo etiam sæculo & prioribus ab omni ævo, Romæ nominatim, Cardinales nihil aliud fuere quàm parœciarum curiones, sicuti Gregorii Magni Romani Episcopi Epistolæ testantur. Idem affirmat Cardinalis Florentinus Canonistarum princeps, qui ante 180. annos floruit, consiliisque suis admiscet, consil. 65. Cardinales Romanos asserens parœciali jure niti in locis titulorum suorum.

112. Clotharii autem Cæsaris, atque Caroli Calvi Franciæ Regis & Imperatoris, Ludovici filiorum, sæculo, Leo quartus Romæ Episcopus de gradu dejecit sancti Marcelli Cardinalem, quòd per quinquennium in parœcia sua non resedisset: teste Platina in Leone quarto.

Cardinalitii galeri.

113. Postquam verò Innocentius IV. Fridericum II. Imperatorem anno 1247. armis, debellavit, ex ejus spoliis (ut refert Platina) Cardinalibus rubros galeros tribuit: ex quo relictis parœciis suis Curiones isti Principes & Regum cognati facti sunt.

114. Plures alias Constitutiones Ludovicus & Clotharius evulgarunt de ministris & disciplina Ecclesiæ, quæ paucis attingam. Priore libro Capitulorum Caroli Magni, cap. 2. Eorum, inquit, qui ad ordinandum veniunt, fides & vita prius ab Episcopo diligenter discutiatur, & postea Ordinentur. Cap. 142. Presbyteri non Ordinentur, priusquam examinentur, & excommunicationes passim ac sine causa non fiant. Cap. 19. Non oportet Episcopum aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari. Utrique deponendi sunt, & qui ordinat, & qui ordinatur, nec non qui mediator est inter eos. Item de eadem re in Canonibus Apostolorum legitur; Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse, & ordinator ejus, & à communione abscindatur; quam hæresim jam ipse princeps Apostolorum in Simone Mago terribiliter damnavit.

Episcoporum electio ad quos pertineat.

115. Præterea Carolus Magnus & Ludovicus Pius

ediderunt capit. 84. lib. 1. Ut Episcopi per electionem Clericorum & populi, secundum statuta Canonum de propria Diœcesi, remotâ personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant, quam constitutionem Gratianus fideliter inseruit C. Sacrarum distinct. 63.

116. Alibi verò liberos homines vetant ad Monachatus professionem admitti, nisi per Regem eis liceat: Relatum enim (inquiunt) nobis est, quosdam non tam devotionis gratiâ, quàm ut belli labores aliudve Regi debitum obsequium vitarent, illud vitæ genus ambivisse: alios autem avaritiâ nonnullorum hæreditatum eò fuisse inductos & adactos. Servilis conditionis homines à dominorum suorum arbitrio pendere jubent.

117. Quæ lex honesta sanctaque damnat Valentis edictum, post Valentiniani fratris mortem promulgatum, quo (relatu Pauli Diaconi lib. 12.) Monachi ad bellum proficisci jubebantur.

De sacerdotum officio.

118. Lib. 2. cap. 37. edicunt, ut juxta Apostoli vocem sacerdotes irreprehensibiles sint, moribus ornati, & nequaquam turpibus lucris deserviant, juxta illud quod ait Scriptura: Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. Et cap. 41. Quia constat in Ecclesia diversarum conditionum homines esse, ut sint nobiles & ignobiles, servi, coloni, inquilini, & cætera hujuscemodi nomina, oportet, ut quicumque eis Prælati sunt, clerici sive laici, clementer erga eos agant, & misericorditer eos tractent, sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis & quibusdam debitis, sciantque eos fratres suos esse, & unum secum patrem habere Deum, cui clamant, Pater noster qui es in cælis: & unam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima, & gubernatio opportuna adhibenda est: disciplina, ne indisciplinatè vivendo auctorem suum offendant: gubernatio, ne in quotidianis vitæ commeatibus Prælatorum adminiculo destituti fatiscant.

De Monachis & Monialibus.

119. Præterea lib. 2. capitul. suorum, sequentes articulos conscripserunt, quos Ansegisus lib. 1. suæ compilationis adjunxit his verbis, cap. 101. [postremæ editionis Parisiensis, quam sumus sequuti,] Ne pueri verò sine voluntate parentum tonsurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum est: & qui hoc facere tentaverit, mulctam, quæ in Capitulis legis mundanæ à nobis constitutis continetur, persolvere cogatur. Et cap. 107. Ne verò puellæ indiscretè velentur, placuit nobis etiam de sacris omnibus qualiter observandum sit, hîc inferre. De tempore velandarum puellarum in Africano Concilio, cap. 16. continetur, ut non ante 25. annos consecrentur.

De sepulturis.

120. Et cap. 120. Ut nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat. Quod antea constitutum fuerat à Graciano, Valentiniano, & Theodosio Imperatoribus, circa annum Christi 380. &c. ut refertur *l. 2. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis*, postea item in aliis Caroli Magni Capitulis, nec non in Comitiorum Wormatiæ habitorum lege Carolina, quam Decretalium Pontificiarum compilatores, auctoris nomine suppresso, sibi tribuunt, C. 1. extra, de censibus, quemadmodum in annotat. ad contextum attigi, tum. in 3. part. Styli Curiæ Parisiensis, titulo 90. & in notis ad Gratiani Decretum. *C. Sanctum est, 23. quæst. 28.*

121. Idem Carolus Magnus in edicto Martii mensis, regni sui anno 11. priusquam Augustus salutaretur, anno 22. cap. 8. homicidas alioſve reos, mortis supplicio jure afficiendos, ad Ecclesias confugientes, immunitate privat: quod Justinianus Magnus longè anteà constituerat, nempe circa annum Christi 540. sicut in annotationibus ad Alexandri Consil. lib. 7. cons. 145. observavi.

122. His multisque ejusmodi Constitutionibus quarum descriptionem, brevitatis gratiâ subjicere nolo, non tantùm laici, verumetiam Clerici, Sacerdotes, Episcopi, atque adeo Pontifices ipsi paruerunt, juxta S. Pauli doctrinam, Romanis veteribus Christianis traditam, Roman. capite decimo tertio: *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto. πᾶσα ψυχὴ*, inquit Chrysostomus, Apostoli verba referens, *Omnis anima*, ut demonstraret neminem ab hac subjectione esse immunem; etiamsi Apostolus, Propheta, Evangelista, Presbyter, Monachus nominaretur: quum etiam hæc subjectio pietati nequaquam obsit. Sanctus Petrus etiam, prima Epistola, cap. 2. Subjecti estote, inquit, cuivis humanæ ordinationi, propter Dominum: sive regi, ut qui supereminet, sive præsidibus, ut qui per eum mittantur. Episcopi & Clerici legibus Regis obedierunt.

123. Historia autem testatur, totam Ecclesiam, Romanosque Pontifices, principibus fuisse subjectos, ut disertis verbis traditur C. *De capitulis*, 10. dist. ubi Leo quartus (inter sanctos Romanos Episcopos relatus) expresè humiliterque pollicetur Lothario primo, Ludovici Pii filio, se Imperatoria capitula & jussu, tum etiam Caroli Magni & Ludovici Pii præcepta, diligenter, inviolata fide, indesinenter, perpetuò modisque omnibus observaturum: mendacem appellans eum qui secus dixerit, vel in posterum dicet. Romani pontifices regibus subjecti.

124. Quæ postrema clausula observatu dignissima videtur, tanquam censura prophetico spiritu concepta, subjunctaque contra futuram Pontificum ambitionem atque usurpationem, Canonistarum item impostoras & fraudes, præsertim Archidiaconi & Alexandrini Cardinalis, qui in Canonem illum *de Capitulis* scribentes Leonem quartum pusillanimem appellarunt, ac si pavore pressus hujusmodi professionem edidisset. Atqui Leo ipse mendacii arguit istos, sicut ante Gratianum Yvo Carnutensis Episcopus, Decretorum suorum libro secundo testatur. Iterum cap. ultimo ejusdem distinctionis Leo IV. ad Lotharium scribit, Clementiam vestram supplices rogamus, sicuti hactenus lex Romana (ab Imperatoribus Francicis edita) vim suam sine ullo tumultu obtinuit, nec auditum sit eam in alicujus gratiam vel tantillum violatam esse, ut etiamnum vestra auctoritate facta recta maneat.

125. Idem Leo, postquam Lotharius cucullam, induit, à sycophantis crimine majestatis insimulatus, nempe quòd Imperium Græcis restituere molitus esset, in judicio stetit coram Ludovico secundo Lotharii filio, cujus judicio est absolutus, ut refert C. Nos si incompetenter aliquid egimus, 11. quæst. 7. Leo IV. coram Ludovico II. capitis causam dicit.

126. Idem Leo rationem prolixè reddidit Ludovico secundo, quod pro Italiæ & urbis defensione arma induerat, feliciterque contra Saracenos pugnaverat, quod refertur *C. Igitur*, & sequenti 23. quæst. 8. quemadmodum in annotationibus meis ad eumdem locum attigi, teste etiam Platin. in Leone IV. res ita habuit. Saraceni quum Ostiæ urbem & portum invasissent, ut ex improviso Romam (belli suspicione liberam, præsidiario milite destitutam, præsentia subsidioq; Cæsaris quem in tanto periculo implorare cives non poterant, nudatam) sine labore expugnarent atque diriperent, Leo Episcopus Romanus strenui bellatoris & Imperatoris personam induens, populum ad arma convocatum, urbe excedens, duxit adversus Saracenos, quos alacri pugna aggressos prostravit, fudit, fugavit, multis in prælio desideratis, aliis captis, in servitutem adactis, vel justo mortis supplicio affectis. Captivos autem coëgit ad instaurationem profanorum & sacrorum urbis locorum, quæ Saracenorum majores olim diruerant. Deinde Leo per nuncios apud Imperatorem in Gallia degentem, factum excusavit, periculi improvisi necessitatem causatus, & rem totam explicuit, ne in Imperatoris auctoritatem, & Jurisdictionem vel tantillum sibi tribuere velle vide- Et de armis contra Saracenos indutis reddit rationem.

Roma non ad Pontificem, sed ad Cæsarem pertinet.

retur. Id contextus C. *Igitur* asserit : ubi glossa prior præposterè & ridiculè, pro more Canonistarum, infert urbem Romam ad Pontificem, non ad Cæsarem, pertinere.

127. Atqui contrarium planè sequitur, & inferendum est : quorsum enim Leo negotii causas Cæsari aperuisset, vel tanquam subditus & Imperii legibus adstrictus, imò reus, judicio steterisset, sicuti diximus? Præterea videt Lector, quàm imperitè Canonistarum temeritas Leonem timiditatis arguerit; quum prompta manu acies belli commeatu munitas fortiter profligaverit : & quàm iniquè dicta factaque Leonis, inter Divos relati, nebulones isti vellicent. Sed, quid miramur istorum audaciam, quum etiam in Christo & Apostolis improbent quicquid dictum in novo Testamento legitur, quod suorum Pontificum ambitiosæ tyrannidi repugnet?

Joannes VIII.

128 Pontifex Joannes VIII. eamdem obedientiam Ludovico secundo Francico Imperatori detulit. C. *Videt*, 10. distinct. ubi de iisdem legibus agitur, sicuti personarum, temporum, & aliarum circumstantiarum historia demonstrat, & infrà prolixius declarabitur.

Ludovicus IX. cognomine Sanctus.

129. Ludovicus IX. Francorum Rex, anno 1228. antecessorum suorum exemplo, juxta veteres Canones, legem promulgavit adversus novas Curiæ Romanæ technas, reservationes, exactiones, præventiones: qua statuit ut Franciæ Episcopi & Prælati, Patroni item omnes ac beneficiorum collatores, jure suo plenè fruerentur: cuique sua Jurisdictione conservata: Cathedrales item Ecclesiæ, nec-non Collegiales, immunitatibus, decimis, aliisque proventibus gauderent, atque juxta juris communis dispositionem, Conciliorum S. Ecclesiæ statuta, sanctorum Patrum institutionem, promotiones, collationes, provisiones & constitutiones Prælaturarum, dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum in Franciæ Regno fierent.

Præventiones Romanæ à prima Gallicanæ Ecclesiæ Synodo damnatæ.

130. Hæc Sanctio in gratiam libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, conservationis Canonum & Conciliorum, nominatim primi Gallicani, promulgata est. Etenim Can. 19. quem Gratianus interuit, 16. q. 7. c. *Omnes Basilicæ*, quotquot Ecclesiæ tum erant, præsentes, tum futuræ, Diœceseos Episcopo subjiciuntur. Præterea Ludovici lex sartam tectam custodit Synodi Nicenæ constitutionem, C. 6. & Antiochenæ, C. 9. qui extat apud Gratianum, causa 9. quæst. 3. C. *Per singulas* : conservat item veteres Cæsareas & Regias Constitutiones contra abusum reservationum, annatarum, præventionum, & novorum Pontificum technas quæstuarias. Porro legem hanc Ludovici in Stylo Parlamenti Galliæ supremi, part 2. tit. 5. art. 1. describere & inserere visum est. Anno 1228. idem Ludovicus IX. aliam legem tulit adversus Simoniæ crimen pestiferum eidem partis 3. titulo additam art. 39.

Pragmatica Sanctio Ludovici IX.

131. Anno autem 1268. idem Rex in solemni Conventu legem Ecclesiæ Gallicanæ privilegia conservantem scripsit, quæ S. Ludovici Pragmatica-Sanctio dicta est. Hac lege Romanæ Curiæ exactiones omnes jugulantur. Ex regestis supremæ Curiæ articulum sequentem, vel potius ejus summam descripsi. *Exactiones*, inquit, *& gravissima pecuniarum onera Gallicanæ Ecclesiæ à Curia Romana, in regni nostri perniciem imposita nullo modo colligi volumus, nisi sit honesta, pia planè necessaria causa, necessitasque prorsus inevitabilis : accedente expresso mandato, proprioque nostro, nec-non Ecclesiæ nostri Regni, motu.* In hujus legis expositionem regium Parlamentum varia pronuntiavit Senatusconsulta.

Philippus Bellus.

132. Anno 1303. Philippus cognomine Pulcher, nobilem legem, quæ *Philippina* dicitur, promulgavit, qua vetat Episcopis, Curionibus, & quibusvis aliis Regni Franciæ Clericis, seu Ecclesiasticis hominibus, novarum decimarum, primitiarum, onerum insolitorum exactiones : decimas usitatas, nullas alias autem, permittens. Partem suæ Jurisdictionis ab Ecclesiasticis usurpatam, Philippus Valesius repetiit.

Carolus V. Sapiens.

133. Carolus V. cognomine Sapiens adversus Pontificum fastum, tabularumque pontificiorum falsas opiniones *Somnium viridarii*, Dialogum, in quo eques Clerici sophismata refellit, conscribendum curavit. Biblia sacra etiam Gallico idiomate, tum Lutetiæ Parisiorum, tum in Gallia Belgica, Normannia & aliis Regni partibus evulgavit, ut quisque nativa lingua sua sacris Literis frueretur. Veteres illæ interpretationes etiamnum extant, cum inscriptione, *De mandato Regis Caroli V.* non modò nomine, sed re ipsa Principis sapientissimi.

Adversus interdicta & anathemata Pontificia.

134. Præterea anno 1369. quinta die Januarii, idem Rex edicto prohibuit ne Episcopi aliive Franciæ Prælati, horum item Officiales, ut vocant, censuræ notam vel anathematis interdictum in civitates, oppida, collegia, communitates ullas Regni sui promulgarent. Edictum illud inter veterum Curiæ Parlamenti Supremi Constitutionum regesta legitur, folio 62.

Carol. V.

135. Anno 1395. Carolus VI. edicto publico Pontificum & Cardinalium collectores tota Gallia expulit, extraneos dignitatibus Ecclesiasticis exuit, Cardinalium atque Pontificum promotiones irritas & nullas esse declaravit. Iterum anno 1388. potestatem Pontificiis exactoribus concessam revocavit, jussitque Regni sui Ecclesiasticis quæcumque ipsis eo nomine facultates ereptæ fuerant, restitui.

130. Edicto etiam, in Stylo Parlamenti, parte 3. tit. 37. art. 1. à capite ad calcem addito, contra Cardinales aliosque Pontificis emissarios, munerum Ecclesiasticorum, quæ in Regno possidebant opima spolia extra Galliæ fines auferebant, collectores etiam qui Episcoporum, Prælatorumque morientium facultates corradebant, mandavit ut omnium beneficiorum Ecclesiasticorum Regni sui, quæ à Cardinalibus cæterisque extraneis possidebantur, reditus & pensiones à Commissariis per judices præsidiales delectis colligerentur, distribuerentur in necessarios & legitimos usus; quod autem reliquum esset, iis ad quos ex judicum arbitrio pertineret, à Commissariis persolveretur. Episcoporum etiam, Abbatum, Priorum, Xenodochiarum & Leprosiarum morientium facultates, à regiis Commissariis tractarentur, & mortuorum hæredibus legitimis conservarentur, vulturibus illis Pontificiis exclusis.

Obedientia Pontificia ablata.

137. Paulò post Franciæ Regnum & Delphinatus à Pontificis obedientia recessit, quemadmodum ex ejusdem Curiæ regestis colligere licet. Franciæ historiographi illud omiserunt, nempe Pontificis stipendiarii, qui plura beneficia sperabant, suisque commodis arte adulatoria cavebant. Contrà extranei viri, nobiles magna authoritate præditi, inter quos Baldus eximius Jurisconsultus, in Academia Patavina tunc temporis Legum professor, scribit Regem Franciæ, nempe Carolum sextum, anno 1390. neque Benedicto 13. Avenioni, neque Bonifacio IX. Romæ sedenti, obedivisse: denique idem Jurisconsultus satis superque demonstrat illam obedientiæ substractionem justam fuisse.

Baldus.

Pontificum Picturæ.

138. Bonifacium bovi, Benedictum efferæ bestiæ comparat : utrumque testimonis Scripturæ sacræ reprobans, subjectis ex Psalmo 100. juxta vulgatam editionem his verbis, *Ambulans in via immaculata ministrabit mihi.* Quoniam verò uterque prava via incedebat, concludit Baldus nullum istorum esse Dei ministrum. Ad expositionis suæ confirmationem glossam ordinariam in eumdem Psalmum citat, in pronomen *Mihi* ubi glossa, *Mihi*, inquit, *non sibi*, & continuò subjicit Baldus, *Sicut faciunt isti*, in prælectionibus & scriptis publicis digitum intendens in Pontifices, sibi non Deo, neque Ecclesiæ Dei ministrantes. Id expressis verbis testatur in C. *Olim.* col. penult. *De rescriptis in Decretal.*

139. Circa finem hujus lecturæ, scribit Pontificia

jurisdi-

Intrusi acta, etiam priusquam deponatur, esse vitiosa: quum verò Canonica ratione probataque via ingressus est, ac postea destituitur: quod antè exequutus est, stat, post destitutionem sit irritum. Præterea, contra Pontificem abutentem, primùm verbis, secundò herbis & remediis, tertiò lapidibus & violentia utendum esse ait. Non interfuit Constantiensi concilio Baldus; antea enim decesserat: sed ejus authoritas multis in Constantiensi, dein Basiliensi synodo congregatis profuit.

Remedia contra Pontificium factum.

140. Pontifex anathemate percussit Regem, Principes, & horum assecias: quum autem bullas suas neglectas videret, famosum emisit libellum, quo populum, sacerdotes & Monachos contra Regem excitaret. Quidam libelli tabellarius, se Tholosatem nuncium asserens, Curiæ Parisiensis Senatusconsulto, Iulii 16. anno 1401. libellum palàm laceratum conspexit.

Anathemata Pontificia.

141. Die vigesimo sexto ejusdem mensis & anni lictores ex arce Lupara duos Bullistas, qui diplomata Pontificis attulerant, eduxerunt. Ij verò ignominiosè traducti, mitris chartaceis redimiti, plaustro stercorario per urbis compita pertracti sunt: jussitque Senatus in seditiosos, & à regiis edictis provocantes, tanquam majestatis reos, inquisitionem fieri.

Pontificis emissarii duriter excepti.

142. Deinde Pontifex, sive Cardinales ac cameræ Romanæ servi, coram Parlamento Parisino accedentes, & auditi, judicium subierunt anno 1406. die 12. Septembris, quo jussi sunt ab Annatum proventibus manus abstinere, & exactos restituere nummos.

In eosdem Senatusconsultum.

143. Neque heri, vel nudiustertius Pontifices sacrificulorum, & Monachorum operâ invaserunt (ab iis enim juramentum adversus quoscumque exigunt) & contra regem in Regno ipso excitarunt tumultum. Circa annum 1300. Bonifacius VIII. contra Philippum, cognomine Pulchrum eumdem movit lapidem. Conatus est autem jura regalia, Prebendarumque, ut vocant, collationes ad Regem, propter summam in Gallia dignitatem pleno jure pertinentes, evertere. Deinde majora ausus, quum adscripsisset se in temporalibus & spiritualibus dominum in universo mundo, atque adeo Franciam studeret sibi subjicere, Joannem Monachum Canonistam & Cardinalem legatum misit à latere, qui non tantùm exploraret, verumetiam Episcoporum atque Prælatorum animos in Regem accenderet, convenitusque cum assectis suis clandestinos haberet, in quibus Rex perduellis & hæreticus pronunciaretur, Franci à fidelitatis juramento Regi præstito absolverentur, Rex toto regno pelleretur, vel regia jura coactus relinqueret, Pontificemque dominum agnosceret, quemadmodum id antea factum fuerat à Joanne Sine-terra, Angliæ Rege.

Francię Regnum turbare Pontifices conati sunt.

144. Animadversis his artibus, fugâ Monachus sibi consuluit: Bonifacius autem agens aperto marte, Alberto Cæsari electo Regnum Franciæ dono dedit, coronam Imperii & Galliarum ei offerens, si modò Philippum armis aggrederetur: nec sumptibus ullis deinde pepercit, ut Franciam pessundaret. Elogium illi Bonifacio ab Italis ipsis magnique nominis scriptoribus adpictum est, *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis.*

Bonifacii VIII audacia summa.

Bal. de 1. de nat. feud. col. 1. in usib. feud.

145. Martinus V. à Constantiensi synodo Pontifex electus, Papatus possessionem pacificam quamprimùm adeptus est, cumulatis Monarchiæ suæ proventibus non acquiescens (etiamsi per triginta tres annos duo antipapæ horum proventuum subsidio fulti vixissent in deliciis, & armis certassent: ante sexennium verò tres, dein quatuor simul Pontifices sese commodè sustentassent) omnes & singulas Ecclesias stipendiarias reddere, & veteres reservationes à synodo Constantiensi damnatas instaurare studuit. At frustra; molitiones enim omnes, durante schismate quadragenario, præsertim in Franciæ Regnum, conflatæ, tunc evanuerunt. Quod ut commodius absolveretur, anno secundo Pontificatus Martini, Franciæ Ordines tres Parisiis convocati statuta atque edicta antiqua adversus Pontificum gravamina & usurpationes Ordinum communi consensu & edicto anno 1418. Maio mense renovata sunt. Ex Ordinum præscripto, quicquid super eo negotio constitutum fuit: ipsi Martino significatum, cui plenè acquiesceret, alioquin Pontifex non agnosceretur.

Martini V. impiæ artes, irritæ.

146. Quoniam verò id præstare Martinus & Cardinales detrectarunt, quinetiam interdicto Lugdunensem Ecclesiam obligare ausi sunt, supremæ Curiæ Arresto, 1422. anno interdictum illud nullius momenti & tanquam abusivum declaratum atque neglectum fuit. Procuratore autem Regio id requirente, inquisitum est in quosdam Pontificios seditiosos, præsertim in Universitatis Rectorem qui ab edictis regiis ad Pontificem provocaverat; tanquam in læsæ Majestatis reos, sicuti ex ejusdem Curiæ regestis colligere licet.

Ejusdem audacia repressa.

147. Eodem tempore Ecclesia & natio Germanica, jamdudum oppressa & expilata quæstorum Pontificiorum artibus, quamplurimis supplicibus libellis onerum sublevationem postulaverat. Pontifices contrà regerebant se spiritualia spargere temporalibus longè pretiosiora: Germanos centuplum per indulgentias pridem recepisse. Æneas Sylvius, tunc temporis agens, id luculenter in Epistolis testatur.

Gravamina nationis Germanicę.

148. Qui quidem synodum Basiliensem quamvis antea laudasset & valde probasset, postea tamen abolitam cupiens, in Pontificatus gratiam tot formas assumpsit, ut tandem voto potitus Germaniam ad Pontificis obedientiam pertraxerit, Friderici Austrii Cæsaris armata manu adiutus. Ideo, quum Amedeus Sabaudus in eadem synodo electus, & Felix nominatus vi coactus esset Romano Pontifici sedem vacuam relinquere, Fridericum illum Imperatorem coronavit Pius Pontifex.

Æneas Sylvius versipellis.

149. Carolus septimus anno 1437. Regni Franciæ Prælatis profectionem Ferrariensem interdixit, quamvis eo citati essent ab Eugenio quarto Martini successore. Anno autem 1438. Pragmaticam-Sanctionem Biturigibus scripsit contra annatas, reservationes & artes Pontificias. Anno 1440. diplomata publica, in Curia Parisiensi perlecta & probata promulgavit, quibus rescripta Pontificia, citationes, præventiones aut censuras Romanas Regno suo eliminabat, secùs facientes ut perduelles supplicliis adjudicans.

Caroli VII. gesta adversùs Pontificem.

150. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, Ludovicus undecimus Edictis publicis vetuit ne Francorum quisquam Romæ pecunias mitteret, vel deferret, aut inde bullas adferret quæ Edicta renovavit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, (sicuti longè antea idem præstiterat Philippus cognomine Pulcher) vigiles autem ad itinerum stationes certas constituit: beneficiarios quoscumque jussit residere, secùs facientes proventuum perceptione privavit.

Ludovicus XI. parum æquus Pontifici.

151. Quum verò Æneas Sylvius ad Pontificatum pervenisset, Ludovicus tum blanditiis Pontificiis illectus, tum Sixti quarti Ænex successoris fraude captus, Pragmaticæ abolitionem promisit: sed optimo viro N. Sanromano, Procuratore generali, reclamante, Rex malè promissum revocavit.

Procuratoris Regii egregium facinus.

152. Armis multas Italiæ urbes acquisitas Ludovicus duodecimus Julio II. concessit: at ingratus Pontifex optimum Regem sanis exceptum Italia tota expulit, atque in eumdem Hispanos, Germanos, Heluetios, Anglos qui Galliam vastarent, Pontificiis artibus excitavit: Synodum Pisis indictam ferro profligavit Mediolanum usque, inde Lugdunum, Philippi Decii, Jurisconsulti, qui pro synodo sententiam dixerat, ædes & musæum diripi jussit. Quoniam verò idem Julius dignitate Pontificia ad tempus Lugduni privatus fuerat, Gallos non tantùm communione privavit, sed

Iulii II. ingratitudo in Ludovicum XII.

etiam diplomata plenæ remissionis peccatorum concessit omnibus qui Francum occurrentem interficerent.

Ioannes Castellæ administrator Navarræ Regnum invadit.

153. Et quoniam primo occupanti Franciæ & Navarræ Regna dederat, Joannes, cogn. Gipponus, Regni Castellæ administrator, Pampilonam maximamque Regni Navarræ partem occupavit, spoliatis absentibus Joanne Albretio reginaque Catharina ejus uxore, Gastonis Navarræ Regis filia & hærede, nihil quicquam ejusmodi cogitantibus: neque invasoris istius successores alio jure nituntur, sicuti pridem in commentariis ad Consuetudines Parisienses articul. 29. demonstravi. Quicumque historici quadringentos annos ante Castellam in regnum erectam vel natam scripserunt, Augusti Cæsaris sæculo Pampilonam & regionem circumvicinam à Vasconibus habitatam & possessam fuisse affirmant. Vide Strabonis Geographiam lib. 3.

Iulius Albigensium reliquias ferro & igne persequitur.

154. Quo autem spiritu Ludovicus XII. pius Princeps, populique & justitiæ amantissimus, impulsus fuerit, ut exercitum mitteret, qui igne & ferro Merindolenses & Caprarianos, Albigensium ab Innocentii tertii sæculo reliquias deleret, non est obscurum. Vociferabantur Pontificii Merindolenses esse sortiarios, incestuosos, Regem multa merita & divitias à Deo Sedeque Romana impetraturum, si sceleratos illos deleret, nec horum legatis præberet aurem. Respondit Rex optimus, etiamsi mihi bellum esset adversùs Turcam, aut diabolum, quid dicere optarent intelligere haud recusarem.

Piorum hominum legatio.

155. Merindolensium & Caprarianorum legatus liberè dixit Ludovico: Non proprio motu, Domine, nobis bellum inferes, sed à Pontifice falso accusatore nostro impulsus. Hunc minimè agnoscimus qualem se jactat, nec audimus, quoniam erroribus suis nos seducere nititur. Credimus autem Evangelio, verbo Dei in bibliis scripto, Symbolum amplectimur Apostolicum, sicuti Rex & populus ejus profitentur. Hoc nomine infantes baptisamus, Dei præcepta admittimus & observamus: nec mortis supplicia detrectamus, si aliter vivimus, obnixè rogantes ut priusquam vitâ privemur, an res ita necne se habeat, diligenter inquiratur.

Ludovicus Valdensium privilegia confirmat.

156. Rex N. Fumeum supplicum libellorum Magistrum, & Sorbonicum Doctorem Dominicanum Gulielmum Parui, Regi à confessionibus, ad eos misit. Perlustratis parœciis & templis, nullæ imagines, nulla Missarum vestigia, vel indumenta, nullæ cerimoniæ Pontificiæ apparuerunt. Accurata inquisitione habita, criminum quæ Albigensibus istis imponebantur, ne umbra quidem visa, vel audita est. Contra, liquidò constitit Merindolenses cum sociis Dominicæ diei pios esse observatores, infantes apud eos baptisari juxta primitivæ Ecclesiæ ritum, rectè institui in doctrina symboli Apostolici & divinæ legis. Audita Fumei & Patrui relatione, Rex jurejurando affirmavit Valdenses illos esse Francorum omnium optimos: eorumdem privilegia & immunitates confirmavit, copiasque ad bellum paratas dimisit. In fasciculo temporum, Coloniæ edito anno 1541. variæ de Albigensium religione disputationes leguntur.

Horum cõditio sub Francisco I.

157. Sub Francisco I. calumniæ in Merindolenses & Caprarianos acrius quàm antea renovatæ. Ut se tuerentur, Confessionem fidei suæ Regi obtulerunt, his verbis è Gallico sermone expressam.

Confessio fidei Valdensium.

1. Credimus unum tantùm esse Deum, qui spiritus est, rerum cunctarum conditor, pater omnium super & per omnia, in nobis omnibus, adorandus in spiritu & veritate, quem solum exspectamus, datorem vitæ, alimentorum, indumentorum; prosperæ item valetudinis, infirmitatis, commodorum & incommodorum: hunc diligimus, tanquam omnis bonitatis authorem, & ceu cordium inspectorem timemus.

2. Jesum Christum credimus esse Patris filium & imaginem, in quo omnis plenitudo deitatis habitat, per quem cognoscimus Patrem, qui noster est Mediator & Advocatus: nec ullum aliud sub cœlo nomen hominibus datum est, per quod servari nos oporteat. In hujus nomen solum invocamus Patrem: nec ullas preces effundimus coram Deo, præter eas quæ in Scriptura sancta continentur, aut cum ejusdem sensu planè conveniunt.

3. Credimus nos habere consolatorem Spiritum sanctum, à Patre & Filio procedentem, cujus inspiratione precamur, & efficacia regeneramur. Is in nobis omnia bona opera efficit: atque per eum in omnem deducimur veritatem.

4. Credimus unam sanctam Ecclesiam, omnium electorum Dei à constitutione ad finem mundi Congregationem, cujus caput est Dominus noster Iesus Christus. Hanc verbum Dei gubernat, Spiritus sanctus ducit. In ea sinceri Christiani omnes versari tenentur: pro omnibus etenim indesinenter orat, grata Deo ad quem confugit, & extra quam nulla est salus.

5. Illud apud nos est constitutum, ministros Ecclesiæ, Episcopos nempe & Pastores, in moribus & doctrina irreprehensibiles esse debere: alioquin deponendos, aliosque substituendos qui eorum locum & officium impleant. Nemo autem hunc sibi honorem assumat, nisi à Deo vocatus, ut Aaron, gregem Dei pascens, non turpe affectans lucrum, vel ut Cleri dominans, sed prompto animo exemplum piis præbens, in sermone, conversatione, charitate, fide & castitate.

6. Reges, Principes & Magistratus confitemur à Deo institutos esse ministros, quibus parendum sit: nam gladium gestant ut innocentes tueantur, & malos puniant. Propterea honorem eis deferre, tributaque persolvere tenemur. Nullus autem ab hac obedientia sese eximere potest, si modò Christianus dici velit, Iesu Christi Domini & Servatoris nostri exemplum sequens. Is enim tributum persolvit, nec Jurisdictionem dominationemve temporalem usurpavit, in statu illo humiliationis gladium verbi cœlestis exerens.

7. Credimus aquam in Baptismi sacramento esse signum visibile & externum, nobis repræsentans illud quod virtus Dei intùs in nobis operatur, nempe Spiritus renovationem, & in Christo Iesu Carnis nostræ mortificationem: per quem etiam Christum sanctæ Dei Ecclesiæ membra efficimur, in qua fidei nostræ professionem & vitæ emendationem demonstramus.

8. Sanctum mensæ vel Cœnæ Domini nostri Iesu Christi sacramentum credimus esse sacrum memoriale & gratiarum actionem ob beneficia per Christi mortem nobis collata, in cœtu piorum, in fide, charitate, suique ipsius probatione celebrandam: & ita panem & poculum sumendo Christi Carni & Sanguini communicare, sicuti in sacris Scripturis edocemur.

9. Conjugium esse bonum, honorabile, sanctum & à Deo institutum profitemur: nemini prohibendum, nisi Dei verbum intercedat.

10. Pios & Deum timentes credimus Deo se probaturos ut bonis vacent operibus, quæ præparavit, ut in eis ambulent. Hæc autem opera sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, probitas, modestia, temperantia, aliaque opera in Scripturis commendata.

11. Contra, fatemur cavendum nobis esse à pseudoprophetis, quorum scopus est, populum ab adoratione religiosa, uni Deo & Domino debita, revocare, creaturis adhærere & confidere: bona opera in Scripturis mandata relinquere, & hominum figmenta sequi.

12. Regulam fidei nostræ vetus & novum Testamen-

um retinemus, symbolumque sequimur Apostolicum. Quisquis autem dixerit nos aliam profiteri doctrinam, longè eum falli & fallere demonstrabimus, si modò per judices ordinarios nobis liceat.

Merindolensium & Capratianorum lanienæ.

159. Alii, inter quos Sleidanus, prolixè describserunt Merindolensium & sociorum crudelem lanienam anno 1545. Quoniam verò regium edictum Pontificii obtendebant, Judæorum more, Cardinalis quidam, qui tunc primarius rerum administrator habebatur, eadem illam damnavit: præterea Merindolensium innocentiam in summa curia, publica actione patefieri curavit: Franciscum I. Henrici II. parentem tantum scelus nullo modo mandasse affirmans. Actio tantùm inchoata est ad finem Septembris 1551. bello adversus Pontificem & Cæsarem indicto, Tridentinaque Synodo à Rege improbata. Tamen carnifices & rei tanti criminis, evaserunt incolumes. Quod in actione illa præclarum apparuit, in confessione fidei Merindolensium palam recitata (cui etiam tunc interfui) auditum est.

In causis Ecclesiasticis Pontifices legibus Cæsareis parebant.

160. Ut ad propositum revertamur, ipsum jus civile Romanorum leges varias continet, à Christianis Imperatoribus latas de personis & rebus Ecclesiasticis, atque ita tota domus Dei disciplina: quemadmodum in Codice titul. de sacris Ecclesiis, de Episcopis item & Clericis; & tit. de obedientia Episcopali. In novellis etiam Constitutionibus Justinianeis, const. 3. de Clericis ad certum numerum reducendis, constit. 5. de Monasteriis & Monachis. constit. 6. de Episcoporum & Clericorum promotione. constit. 16. ne Episcopus Presbytero, vel Diacono defuncto, alium promoveat, quamdiu alii jam promoti apparent, beneficiis excluſi, vacantisque beneficii capaces, constit. 47. de Africanarum Ecclesiarum regimine. constit. 56. quà curiones & alii sub primaria Ecclesia constituti quicquam percipere in novorum Clericorum & sacerdotum receptione prohibentur; nisi suis beneficiis privari velint. Deinde jubet Imperator ut ministerium Ecclesiasticum purè administretur, gratis, absque simonia turpisve lucri cupiditate. const. 58. de clericis Ecclesiam suam deserentibus, jubet ut beneficia aliis conferantur, absque redintegrationis spe, constit. 59. mercedem pro sepultura, & pro defunctorum funere exigi vetat. constit. 67. residentiam præcipit Episcopis. Secus agentes reditibus & impensis privat, aliisque applicat ultibus.

Clericorum privilegia.

161. Constit. 83. rogatus ab Episcopo Constantinopolitano, clericis, quoad res tantùm civiles, modò etiam Episcopus iis non distrahatur, Jurisdictionis privilegium concedit. Causas autem criminales Jurisdictioni seculari omnino relinquit, quidquid Episcopus obtendat vel polliceatur. Hanc constitutionem veteres Canonistæ probarunt & Decreto suo inseruerunt, 11. quæstion. 111. in C. *Si quis cum clerico.* constit. 123. de variis capitulis Ecclesiasticis, inter cætera, ad præscriptum sancti Apostoli, 1. Corinth. 14. Episcopi & sacerdotes jubentur sublata voce sacras preces lingua populo fideli cognita pronunciare: quod postea Gregorius Magnus approbavit, sua in Prophetam Ezechielem præfatione. Præterea, constitu. 133. idem Justinianus Monachorum & Monialium conversationem ordinat. & constit. 146. de Judæis, quomodo sacras Scripturas legere debeant.

Preces publicæ, qua voce & lingua pronunciandæ.

Legibus Cæsarei parueruntveteres Ecclesiastici.

162. Porrò, certum est, Justiniani aliorumve prædecessorum Imperatorum Christianorum leges valuisse, legitimasque fuisse, sicuti constat tum ex Joannis secundi Epistola & confessione in lege *Inter claras, C. de summa Trinitate*, repositæ, verumetiam ex veteris historiæ veritatis testis certissimæ, relatione fida, nec non ex historiis Ecclesiasticis consentientibus, quibus ut ex nominatissimis Ecclesiæ doctoribus, pateſit ridicula vanitas (ne dicam indocta & adulatoria impietas) Canonistarum, qui denuo sycophantico leges sacras Cæsarum arrodere ausi sunt: ac si nulla vel impiæ essent. Nec expendunt vel propter ingentem cordis cæcitatem observant, sese primitivæ Ecclesiæ sanctissimæ judices constituere, ab ea divortium facere, & à Christi Corpore mystico separare.

Canonistarum insania.

163. Quum enim nemo (nisi mente captus vel fidei hostis) eat inficias, Ecclesiam primitivam, sanctam, illuminatam & gubernatam fuisse à spiritu Sancto, sæculique novissimi Ecclesias longè antecellere: idem fatearur oportet, leges ab Ecclesia sancta circa politiam externam latas, cum gratiarum actione susceptas, tanquam Dei dona, quibus juxta doctrinam Apostolicam obedivit, legitimas & efficaces fuisse. Quinimo, non tantùm Justiniani Magni, sed etiam antecessorum ejus tum Christianorum, tum Ethnicorum, qui Religionem verè Christianam crudeliter persequuti sunt, quatenùs de fide & præceptis Dei non agebatur, legibus & edictis Episcopi veteres, adeoque Romani Pontifices, fideliter paruerunt.

164. Ita factum est ut Cæsares idololatræ patientiâ & sincerâ Christianorum obedientiâ fracti devictique fuerint. Horum industria in magni momenti negotiis usi sunt, re ipsa experti nullos in toto Imperio Christianis justitia & fide præstantiores vivere. Id testantur Ecclesiasticæ historiæ: Marcus item Aurelius, circa annum Christi 170. Senatus denique Romanus ab Aurelio doctus; referente Tertulliano in Apologetico contra gentes.

Marcus Aurelius.

165. Quid verò indocti Canonistæ respondebunt de Constantino Magno, quem laudibus evehunt supra nubes, tanquam Ecclesiæ fulcrum & servuum? Is coram Tribunali sæculari lites Ecclesiasticas componebat, non tantùm per præfectos, proconsules, alioſvè Provinciarum judices ordinarios: verumetiam ab illis inferioribus judicibus, nec non ab Episcopis, quin etiam à septuaginta Episcoporum synodo provocationes audivit, vel per seipsum, vel per delectos judicavit.

Constantinus Magnus

166. Hac ratione Romanorum Episcopum & alios Constantius delegit judices: Romanus autem paruit, atque passus est à se provocari ad Cæsarem, qui num benè vel malè judicatum esset à Romano & aliis per se ipsum, aut per delectos in eam rem pronuntiavit. Nunquid tanti Principis, ipsismet testibus, factum damnabunt? Id si fecerint, nunquid litem Episcopis, Pontifici Rom. movebunt, ideoque totam Ecclesiam primitivam accusabunt? Objicient fortasse, hujus temporis Episcopos & Pontifices, vivente Constantino, quicquam movere minimè ausos fuisse. Absurda nimis & explodenda cavillatio: quid enim respondebunt Augustino, veterum omnium Theologorum præstantissimo, qui anno post Constantini obitum ferè centesimo, liberè scribens acta judiciaque tanti Principis recitat & approbat, competentem judicem eum agnoscens: ut constat ex Epistol. 88. 162. 163. duabusque sequentib. & cap. 21. lib. 1. Retractationum: testimonio item Nicephori, Græci Monachi, lib. 7. cap. 43.

Provocatio à Pontifice ad Cæsarem.

D. Augustinus.

167. Atqui suismet libris, multisque argumentis, (quæ est variis colliguntur contextibus excipiuntur) imò ipsis vulgatis contextibus falsitatis arguuntur: ut *C. Principes sæculi*: & *C. Administratores*, causa 13. quæst. 5. quibus constat Principes & potestates sæculares sæpius in Ecclesiæ sinu in personas & res Ecclesiasticas, ad instaurandam & conservandam Ecclesiæ disciplinam potestatem suam exercuisse. Strictius quidem Canonistæ textus illos exponunt, nempe si perfunctoriè agunt clerici, vel munere suo abuntur, aut si brachium (ut vocant) sæculare in auxilium suum accersunt. Novis vocibus autem securè ludunt ac si Regia Cæsareave majestas, dignitas, authoritas, potestas, curiaque Senatoria nihil aliud esset quàm sinistrum brachium ab istis Clericis dependens, & Ecclesiasticorum mancipium, quorum Rex, aut Cæsar est Dominus & Princeps summus in terris, à Deo jureque divino constitutus. Magni decreti Canones haud in-

Canonistæ suis telis transfodiuntur.

contemptim loquuntur: nam de potestate & dominatu Principum sic sentiunt, ut Ecclesiasticos Principibus, tanquam iis inferiores, non superiores, subjiciant.

168. Frustra studeut nuperi isti Canonistæ frivolis restrictionibus ludere, latebras in planicie captantes. Nam in ipso Gratiani Decreto, dist. 10. *C. de capitulis*, & *C. Vides*, & *C. Quòd autem*, & C. ult. ut suprà num. 123. (ne quid repetamus) expressa extant testimonia, de præcipua Regum & Cæsarum potestate, de eorumdem legibus & constitutionibus in personas & res Ecclesiasticas, non subsidiariò, vel ut negligentiam & abusus quosdam emendent, aut in adjutorium vocati, vel per accessorium quoddam manum operi admovendo, sed præcipuè, tanquam primarii Legislatores, jure suo directo, vi suarum legum ab Ecclesia Orientali, Occidentali, Romanaque: neque modò vetustissimæ Ecclesiæ Apostolicæ sæculo, sed longo temporum sequentium intervallo, postquam Cæsarea sedes Constantinopolin delecta est, deinde post divisum Imperium.

169. Peccant etiam in contextum *C. Ecclesiæ*, & *C. Victor.* 97. dist. C. 1. in qua Pontifex Bonifacius primus, per libellum supplicem Honorium tunc temporis Italiæ Regem, & Occidentis Imperatorem, rogavit, lege perpetua statuere vellet, ne Episcopus Romanus unquam ambitiosis artibus promoveretur. Id præstitit Honorius, constitutione publicata de Romani Episcopi electione, qua ambitiosæ artes ab omnibus nominatim Clericis & Ecclesiasticis excogitatæ damnantur. Quòd si duo Romani Episcopi (quod nonnumquam ambitiosorum factionibus accidit) eligerentur, uterque ut de gradu dejiceretur, edixit: novaque electione qui Ecclesiæ acceptus foret, eidem præficeretur, hanc Constitutionem Gratianus inseruit eodem *C. Victor*, omissis vocibus ad dispositionem pertinentibus, quas antea transcripserat, distinct. 79. *C. Si duo.*

Lex Cæsarea de Pontificis electione.

170. Alium Canonem, longè post ea, nempe Imperio pessundato, & quum Imperatores in Italiam redire palàm non audebant, sed tantùm Exarchum Ravennæ residentem habebant, quòd Romæ subsistere non posset, conditum addimus, dist. 53. *C. Legem* quo Gregorius Magnus Romanus Episcopus anno 600. leges Cæsareas in Ecclesiasticorum causis & negotiis agnoscit, curatque observari. Inter cæteras extat Mauricii Novella, quæ milites aut ærarii publici quæstores à Monachatus professione, ministeriisque Ecclesiasticis arcet. Hanc Constitutionem Gregorius ad Italos & Siculos Episcopos observandam mittit: sicut legimus Epistolarum lib. 1. Epistola 11. unde C. ille *Legem* desumptus est. Adde, quod idem Gregorius sæpius & seriò in Epistolis se Constantinopolitanorum Imperatorum, Exarcharumque Ravennatensium, qui horum nomine Italiam regebant, subditum agnoscit, eosdemque dominos suos appellat.

Canon Gregorii Magni, Jurisdictionem Cæsaream temporalem agnoscentis.

171. Præterea Gelasii primi, centum annos ante Gregorium Magnum Romani Episcopi Canonem subjicio, dist. 54. Quis aut leges principum, inquit Gelasius, aut patrum regulas, aut admonitiones modernas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum æstimet transire commissum? Actores siquidem filiæ nostræ illustris & magnificæ Maximæ, peritorii nobis insinuatione conquesti sunt, Silvestrum atque Candidum Originarios suos (id est servos dominatos) contra constitutiones (adversus servos latas) & contradictione præeunte à Lucerino pontifice Diaconos ordinatos. Ideo, fratres charissimi (Rufinum & Aprilem Episcopos alloquitur) tantæ prævaricationis excessus noveritis sagacius inquirendos: & si constiterit querelam veritate fulciri, continuò qui contradictione præeunte non legitimè sunt creati, à sacris officiis repellantur. Verum est quidem interdictum illud fuisse postea Justiniani jussu moderatum, Novel. 23. in varias regulas Ecclesiasticas conscriptâ, nec non à multis Episcopis admissa, teste C. *Si servus fecerit*, &c. distinct. 54. cujus superscriptio Gratiani est, amanuensium vel typographorum errore Leoni I. Imperatori tributa. Sed ex Novella titulus Justiniani esse constat: ideo emendandam censeo superscriptionem illam, quam & in meis annotationibus ad Canonem illum restitui. Ideo videmus Justinianum Gelasii primi Canonem prohibitorium illum castigasse.

Gelasius I. juxta leges principum, regulis patrum antepositas, servos à muneribus Ecclesiasticis arcet.

172. Alium Canonem profero paulò ante Gregorii Pontificatum, 63. distinct. *C. Principali*, scriptum, quo constat novellam in Italia ipsa parœciam, non Diœcesani, neque Pontificis, sed Imperatoris statuto erectam esse. Exempli gratia, Principali (inquit Gelasius) devotissimorum militum, qui illic in civitate Centumcellensi consistunt, relatione ad nos directa, sacram insinuant se clementissimi principis impetrasse, quæ eis Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum fieri debere præcepit. Ideo hortamur dilectionem tuam, ut personas ipsas videas, & diligenter inquiras ne aliquid contra Canones commisissent: & si eos inculpabiles repereris, & vitæ ipsorum laudabile testimonium videris, veniente mediana septimâ Paschæ, si Dominus voluerit, & si vixerimus, unumquemque per officia, quæ prædiximus, non differas promovere.

Gelasius sacram Epistolam Imperatoris in rebus Ecclesiasticis & sacris audit & sequitur.

173. Canonem alium post Imperii ad Francos translationem, subjicio *C. Decretalem*, causa 24. quæst. 3. Est autem Synodi Parisiensis Constitutio, regnante Ludovico Pio, in qua verbatim novella 123. Justiniani *C. omnibus vero* pro lege recitatur, & caus. 2. quæst. 1. *C. Nemo Episcopus*, his verbis expressa est à Gratiano: Nemo Episcopus, nemo Presbyter, excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam Ecclesiastici Canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus eam excommunicaverit aliquem: ille quidem qui excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat: is autem qui non legitimè excommunicavit, in tantum abstineat tempus sacrosanctæ communione, quantum majori sacerdoti visum fuerit: ut quod injustè fecit, ipse justè pariatur. C. autem *Illicitas*, Synodus Parisiensis attestatur legem istam à Catholica Ecclesia probari & observari. Atqui legis illius author magnus Justinianus tunc temporis ante trecentos annos fato functus erat.

Synodi Parisiensis Canon adversus tyrannidem Pontificiam.

Titulus est, De libro constitutionum nempe Justiniani, cujus nomen isti dissimulant.

174. Porro certum est Franciæ Regem, in regno suo supremum dominum, non minori potestate, quàm Justinianus aut alii Cæsares in Imperio suo, pollere. Et certè Synodus Parisiensis, Regis Francorum jussu, habita (ut refert *C. Secundum*, ad finem caus. 23. quæst. VIII.) redovavit & observandam proposuit Ludovici Pii legem in capitulis extantem de collectionibus, decimis & oblationibus cujusque Ecclesiæ.

Regis Francorum Cæsaræ auctoritas.

175. Ante annos 360. Honorii tertii Romani Pontificis sæculo, paulò ante Decretalium partum, nulla Romæ quæstio fuit, num Clerici, Episcopi, vel ipsemet Pontifex legibus Cæsareis obligarentur ad res spirituales factas, ut supra; juramentis: etiamsi in genere, non speciatim de personis Ecclesiasticis agerent. Is est contextus C. 1. titul. *De juramento calumniæ*, in Pontificum decretalibus, quo constituitur ut lex secunda Codicis Cæsarei, titul: *De juramento calumniæ*, in omni curia & Jurisdictione, quin etiam in Romana à quibusvis Ecclesiasticis observetur, nisi alia lege, nempe Martiani Imperatoris, cujus initium *Clericos*, §. *Quòd si ii C. De Episcopis & Clericis*, excipiantur. De hujus legis autem interpretatione disceptatum est: quam nonnulli ad clerum Constantinopolitanum, (quem propriè respicit, & cujus tantùm meminit) restrinxerunt, inferentes inde legis exceptionem & privilegium alios Ecclesiasticos non amplecti, quos Justinianea Constitutio retinebat. Alii verò dubii hæserunt, quum Justinianus Martiani legem in Codicem

Honorius tertius.

Martiani lex.

suum comportarit : ideo jure communi, non autem Constantinopolitanis clericis peculiari, videri repositam.

Henrico Cæsari cedit Honorius III.

176. Huic quæstioni respondere Honorius III. Pontifex minimè præsumpsit, sed jure Henrici Cæsaris Germanici sentium sequutus est. Is verò Martiam legem, quibusvis omnium Ecclesiarum ministris generalem esse censuit, ut & Justiniani : nullo modo verò restrictam. Agit enim de speciali casu, in causa certa justaque juramentum exigente. Henricus igitur ut utrique legi satisfaceret, atque sine offensa confirmaret, nec recederet à lege divina, perpetuo sancivit edicto, ut Episcopi, Abbates, Ecclesiasticive alii, neque ore neque nomine suo amplius coram judicibus sæcularibus agerent, sed per idoneos Syndicos & Patronos, qui juramentum calumniæ præstarent, ea tamen conditione, ut si Ecclesiarum commoda præsentiam suorum Prælatorum in judicio requirerent, tunc ipsimet juramentum illud ad præscriptum legis Justinianeæ præstarent.

177. Et hæ quidem sunt veterum Imperatorum Christianorum, Ethnicorum, tum in Oriente, Occidente, & Germania ipsa leges obligatoriæ, non tantùm Romæ, verumetiam in Pontificum Curia observatæ, à Canonibus & Decretis eorundem confirmatæ ipsarum Decretalium, ante 400. annos collectarum, sæculo, donec liber nomine Sextus & Clementinæ apparerent. Tunc paulatim omnia in peius ruere & retro sublapsa referri visa sunt, Pontificibus ipsis Cæsarum & Regum majestatem usurpantibus. Plura alia exempla & testimonia probatorum authorum facilè proferre possem : sed superiora dicta ex ipsorum libris descripta sufficiunt.

Scripturæ S. testimonia & exempla.

178. Veruntamen ut divinis os eorum obturetur, qui clarissima luce veritatis convicti, sophismatum nebulis tecti semper cavillantur, superioribus dictis Scripturæ sacræ testimonia & exempla suffragari asseto. David Rex ad senium vergens Sacerdotes & Levitas descriptos in ordines certos & 24. classes distribuit, ut unaquæque familia per suas vices in perpetuum ministerio sacro inserviret : Chron. lib. 1. cap. 23. 24. 25. 26. quem ordinem Ecclesiastici liber, cap 47. apprimè laudat.

Politia legalis quomodò conservata.

179. Politiam illam Ecclesiasticam sub lege laudatissimus Princeps Ezechias instauravit. Is enim quod rectum erat coram Domini oculis diligenter præstitit, Davidis patris sui vestigia sequutus, excelsaque sustulit & statuas confregit. 2. Reg. 18. constituit item Sacerdotum & Levitarum ordines, prout uniuscujusque munus postulare videbatur.

Ordinis continuatio.

180. Hæc Davidis institutio, per ejus successores continuata ad Christi adventum usque perseveravit: sicuti Lucæ 1 cap. fertur his verbis : Quum Zacharias sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum secundùm ritum functionis sacerdotalis. Erat autem ex vice Abia, quæ octava fuit, juxta Davidicam institutionem, 1. Chronic. 24. Josephus etiam in vita sua, se natum sacerdotem ex vice prima gloriatur.

Regum magna auctoritas inter Ethnicos & Judæos.

181. Ethnicorum mitto exempla, quorum Reges sacerdotale munus exercuerunt. Plato lib. de Regno, Ægyptiis, Isidorus etymolog. lib. c. 1. has partes tribuit. Omissis variis exemplis & rebus gestis sanctorum Regum circa collationes oblationum templi, instaurationes ejusdem, remotis sacerdotibus, sacrâ pecuniâ regibus commissâ, 2. Reg. cap. 12 sub Ioan cap. item 22. sub Iosia. Salomon duodecim tribuum Rex authoritate sua fretus Abiatharum summum Pontificem loco removit, Sadoco substituto. 2. Reg. 2. & cum populo templum quod ædificaverat, dicavit, atque tori Ecclesiæ benedixit : 1. Reg. 8. Judas Machabæus sanctos Sacerdotes elegit, divinæ voluntati addictos, ut sacra loca polluta, templumque Dei à Gentilibus & idolorum cultoribus prophanatum mundarent : 1. Machab. 4.

Pii reges falsam religionem profligarunt.

182. Pii certè regni Judaici Reges pseudoprophetas, idolorum sacrificulos profligarunt, corruptam religionem restauraruut, juxta verbi Dei præscriptum nitori suo restituerunt. Ezechias excelsa diruit, statuas evertit, lucos superstitioni aptatos succidit : serpentem æneum à Mose jussu Dei erectum, comminutum in pulverem redegit, ne Judæi ad idololatriam eo amplius abuterentur. 2. Reg. 28. Sacerdotes & Levitas congregavit, quibus sinceram legis divinæ custodiam & observantiam commendavit. Peccaverunt, inquit, Patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum : averterunt facies suas à tabernaculo Domini, & obverterunt dorsum. 2. Chr. 29. c. His non acquiescens pius Rex, ad Israëlitas post cladem à Salmanassare editam, & decem tribuum transmigrationem, misit literas exhortatorias per cursores, regis jussu proclamantes, Filii Israël ! revertimini ad Dominum Deum Abraham, Isaaci & Israëlis, ipseque reverteretur ad reliquas quæ effugerunt manus regis Assyriorum. Nolite fieri sicut patres & fratres vestri, qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, & tradidit eos in desolationem, quemadmodum vos cernitis. 2. Chron. 30. Ideo dicitur Ezechias fiduciam suam collocasse in Domino Deo Israëlis, 2. Reg. 18. qui ei adfuit, ita ut in omnibus prosperè ageret, devictis Assyriis & Philisthæis. Iosias, princeps pissimus, Rex Juda, religionem ex divini verbi præscripto, sublatis traditionibus humanis, in integrum restituit. 2. Reg 23 & 2. Chron. 35.

Munerum politicorum & Ecclesiasticorum distinctio.

183. Certissimum est igitur, etiam in Ecclesia & Dei populo Israëlitico, reges in ipsos summos sacerdotes & clerum universum, dominium, auctoritatem & jurisdictionem habuisse ; Constitutiones & Canones de disciplina & politia Ecclesiastica promulgasse : idque jure, justè, laudabiliter : nec propterea sacrificiorum mysteria sacra ceremoniasve legales Sacerdotibus & Levitis à Deo commissas tractarunt. Ozias Rex, quum arrepto thuribulo adolere vellet fustitum super altare thymiamatis, minareturque sacerdotibus, statim orta est lepra in fronte ejus. 2. Chronic. 26. Aliud enim est sacrificare, & res sacerdotibus Ecclesiæque ministris commissas exercere : aliud sacerdotiorum titulos distribuere, disciplinam Ecclesiasticam restituere & in ordinem idoneum conservare : quæ munera Deus distinxit, confundi autem minimè voluit. Iterum Iosaphati Regis Judæ, laudatissimi principis, exemplo statutisque confirmatur. Elisæo Prophetæ percarus ille princeps, 2. Reg. 3. in Regno suo judices constituit in omnibus munitis civitatibus, idque oppidatim, quorum officium ad Normam Mosi præscriptam, Exod. 18. revocavit. Sed & Ierosolymis constituit quosdam ex Levitis & sacerdotibus, & ex principibus familiarum, qui controversias Ecclesiasticas judicarent : præcepitque eis, dicens, Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. Quæcumque causa venerit ad vos de fratribus vestris, habitantibus in civitatibus suis, inter sanguinem & sanguinem, inter legem & præceptum, inter statuta & judicia, moneatis eos ne delinquant contra Dominum, ne ira Domini veniat super vos & super fratres vestros. Hoc si feceritis, non delinquetis. Et ecce habetis vobiscum Amariam summum sacerdotem in omni negotio Domini : ad hæc Sebadiam filium Ismaëlis, principem domus Judæ in omnibus negotiis regis : denique Levitas, executores coram vobis. Fortes igitur estote & satagite : eritque Dominus cum eo qui bene egerit. Monitionis nomine institutiones intelligit ad legis divinæ præscriptum reformatas. Ita pius Rex sacrificia & merè divina sacerdotibus reliquit : politiam verò tum civilem, tum Ecclesiasticam adornat, & regiæ auctoritatis nomine administrari curat à judicibus delectis, qui in Ecclesiasticos & res judiciarias jus coercitionis haberent.

Verbi divini discipulus & observator Rex esse oportet.

186. Et certè princeps, magistratus, præfectus, quem Pontificii sæcularem appellant, Custos est utriusque tabulæ, rerum externarum respectu, idque Dei mandato peculiari: Deuteron. 1. Iosu. 1. Quapropter de externis operibus, utramque tabulam respicientibus, judicium ferre potest ac debet. Nec enim posterior tantùm, sed etiam prior Decalogi tabula ad vitam corporalem & temporalem, disciplinæ respectu, pertinet, dummodo ex lege divina statuat, neque addat, minuat, vel perverterat in judicando. Etenim si eo respectu Episcopus ipse, vel quispiam alius Ecclesiæ minister, tantùm dispensator & executor dicendus est, multò magis Magistratus ipse. Et circa finem tractatus de pace Constantienli prudenter Baldus annotat, in rebus juris divini vel naturalis, summum principem nihil posse contra veritatis præceptum: alioquin quicquid fecerit, nullum esse, quemadmodum quod a Commissario vel procuratore contra mandatum committitur.

187. Nec Iurisdictione litigiosa in rebus ad religionem pertinentibus sacerdotes gaudebant. Ad eos unus tantùm religionis articulus & apex pertinuit, cognitione alia de extero spoliatos, teste Cicerone in oratione pro domo sua ad Pontifices: & T. Livius decad. 4. lib. 9. refert Collegium Pontificum Senatui respondisse, de sumptibus ad religionis & deorum cultum pertinentibus cognitionem atque judicium pertinere ad Pontifices.

Principum Christianorum auctoritas.

188. Quis autem in Ecclesia Christiana contendet, pios Reges Israëliticis inferiores esse? Num Christus illos è gradu dedit præcipites? Sed quis alius? Non Christus equidem, qui regnum sibìà turbis oblatum respuit: Ioan. 6. Coram Pilato etiam Regnum suum esse de hoc mundo negavit constanter: Ioan. 18. Non Apostoli, non Apostolici viri, non veteres Theologi. Extant Sanctorum Petri & Pauli Epistolæ, occurrunt aliorum scripta, præsertim Ambrosii & Chrysostomi quibus adde *C. Magnum*, caus. 111. quæst. 1. Uno ore omnes Regibus & Magistratibus, Dei ministris, obediendum esse præceperunt, i lque non tantùm ob iram, sed & propter conscientiam: Rom. 13. & 1. Petr. 2. modò ne quid contra Dei verbum instituant vel præcipiant.

Eorumdem officium.

189. Præterea Christianorum Principum officium in eo consistit, ut passim & in cunctis suarum ditionum locis præcepta Dei observari curent: sicuti Hieronymus in commentar. ad Ierem. cap. 22. scribit, & refert Gratianus *C. Regum officium*, caus. 23. quæst. 5. Id colligitur ex Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Iosiæ, piorum Iudæ regum historiis. Hos ideo laudibus effert Spiritus sanctus, & in exempla proponit, Ecclesiastici cap. 47. 48 49. Augustinus item Epist. 15. & Gratianus dist. 9. C. 1. Evanescant igitur præstigiæ, fallitates, & fabulæ Canonistarum quorumdam, nempe Innocentii tertii & aliorum in *C. Licet in suscepto, de foro competenti.* Hæc supradicta satis superque murmurantium & irrisorum ora obturant, si qui fortasse supersint qui summam Regum auctoritatem allatrare velint.

Auctoris ad Henricum II. Epistola.

190. Hîc commodum occurrit, ad Henricum II. Regem, Calend. Ianuarii 1551. Epistola nostra, quum paulò ante edictum promulgasset contra parvas datas & Romanæ curiæ abusus. Hanc Gallicè scriptam, & ab omnibus avidè lectam, Cardinales, Sorbonici doctores, Curiæ Parisiensis Senatores, regiarum causarum patroni, precibus & minis impugnarunt, petentes ut à me improbaretur, vel saltem paterer è commentarii mei primis pagellis eam expungi. Ego vero non æqua vota respuens, Epistolæ meæ suscepi patrocinium coram Curia, Camera, & sanctiore consilio Catalauni habito, ubi auditus sum, die 15. Maii. 1552. Epistola tunc scripta, postea ex Gallico in Latinum sermonem conversa, hæc est.

Authoritas regia à Deo.

» Quo semper affectu ductus sum, Domine, ut honorem vestrum, nobilissimi regni vestri Reipublicæque Francicæ commoda procurarem, eodem impulsus = Prov. 8. Rom. 13. C. quæst. 23.
scripsi, vobisque consecravi novum hunc, imò perveterem, quoad argumentum, & res in eo tractatas, commentarium. Agit enim de regia authoritate vobis, nobilissimis etiam atque fortissimis antecessoribus vestris à Deo

191. Collata, conservata, sanctis legibus & constitutionibus statum, administrationem, & gubernationem rerum Ecclesiasticarum, tum ipsas Ecclesias, tum Ecclesiarum ministros, Franciæ nempe Episcopos atque Prælatos respicientibus, observata: sicuti constat Carolum cognomine Magnum, Ludovicum Pium, ejusdem filium, principes illustrissimos, Franciæ Reges, aliosque quamplurimos eorum successores qui cum Diademate Sceptroque Regio, Majestatem eamdem & auctoritatem (individuo nexu colligatas) ad vos transmiserunt.

Carolus Magnus. Ludovicus Pius.

192. Veterès horum principum, præsertim Caroli Magni & Ludovici Pii Constitutiones, in hunc diem, summæ vestræ Curiæ, regiarumque Rationum Cameræ regestis, aliis item authenticis libris & scriptis commissæ, partim etiam in Gratianici decreti compilatione vetusta insertæ reperiuntur. Has Constitutiones Ecclesiasticas etiam humiliter admisit & respexit Ecclesia, quemadmodum ex Anseglsi Abbatis, Gregorii Turonensis, Pauli Diaconi, Aimoini historiis, nec-non sanctis veterum Theologorum & Synodorum Canonibus colligere licet.

193. Nobiles illas antiquitates proferre necesse fuit, non ut novam auctoritatem Regiæ Vestræ Majestati cuderemus, sed ut eamdem illam, solidam, perfectam, quam vestri majores obtinuerunt & exercuerunt, pro virili tueremur, atque ostenderemus omni tempore viguisse, adversus sciolorum & tenebrionum quorumdam nebulas, queis vestræ dignitatis & auctoritatis Regiæ splendorem obscurare nituntur.

Pontificiorum artes impiæ.

194. Hujusmodi naevis jamdudum Francia inquinata est: nec defuerunt sycophantæ qui novis commentis & fallacibus verbis primarium R. V. Maj. membrum ac decus, summum nempe vestrum Imperium, atque leges statutaque condendi potestatem vobis, tanquam Regni Franciæ summo Domino concessam, discerpere conati sunt. Ante 240. annos, Jurisdictionem vestram regiam tanta violentia isti usurparant, maximamque Francorum partem à suo seduxerunt officio, ut neque audire vellent, neque statutis judiciariis acquiescere. Rescripta, dicta, gesta Majorum vestrorum adeo superbè deleverant, summo jure vestro sublato, omnes Franciæ Regem in Ecclesiasticos homines, quos vocant, nullo jure agere posse statuerent, nisi impetrata ab eis venia, vobis, ceu mandatorum Ecclesiæ executori tantùm concessa.

Audacia profana.

195. Clericos item, nec-non etiam simplici tonsura distinctos (quamvis nullo Ecclesiastico ministerio ornatos, sed privatos, sæculares, mechanicis artibus addictos, & merè laicos) neque potestati Iurisdictionique vestræ, neque regiis edictis putabant esse obnoxios, verùm ab iis planè immunes, haud ullo vestro antecessorumque vestrorum privilegio, sed proprio suò jure, utpote novos terræ filios, qui gentem & Monarchiam à vestra separatam constituerent.

Phillippus Valesius. Petrus de Cogneriis.

196. Enimverò intra regni vestri viscera novum regnum haud vobis subditum, regni legitimi legibus obedire nescium, potestatis regiæ mandatis minimè adhærens, isti erexerunt: quinimo regni vestri cives & incolas ad se pellexerunt, adeo ut Philippi Valesii laudatissimæ memoriæ Regis, trinavi vestri, tempore, M. Petrus de Cogneriis, Consiliarius & Advocatus Regius, vir laudatæ memoriæ, non sine gravi labore atque ingenti conatu vestram ad Iurisdictionem reduxerit usurpationes nonnullas à Galli-

canæ Ecclesiæ Episcopis eorumdemque ministris & assectis contextas, multosque R. V. M. subditos ad debitam obedientiam pertraxerit, quos isti vel prorsùs, vel variis prætextibus, proprios sibi fecerant, exclusa Regia Vestra potestate, magno cum ejusdem detrimento, dedecore, præjudicio.

Tyrannis intolerãda.

197. Subditorum item regiorum distractione & oppressione: Hos enim ad sua tribunalia rapiebant, provocantesque Romam amandabant, ubi tum subditi vestri, tum Franciæ thesauri deportabantur.

Decretaliũ & Canonistarum hæresis.

198. At priusquam nova hæc Pontificum jura, quæ Decretalia dicta sunt, apparuissent, innovationes illæ & Constitutiones in Majestatem Vest. silebant: sed Decretalibus succedentibus, horumque prælectionibus in Academiis Francicis permissis, eam sibi licentiam Pontifices tribuerunt, quæ Vestræ Majest. auctoritatem Jurisdictionemque penè devoravit, ac subditos vestros distraxit. At Philippus Valesius sana sequutus consilia, doctis item præclarisque Advocati sui generalis actionibus excitatus, manum reformationi quadantenùs admovit.

Insciitiæ eorumdem.

199. Quum verò certum sit, Pontificios illos scriptores, Canonistas seu Decretalistas, qui ejusmodi fragmenta probatis & veteribus legibus, nec non vestris Constitutionibus præferunt, indoctos esse, Sacrarum Literarum, historiarum, antiquitatum, probatorum auctorum, sacrorum Canonum, vetustissimarum Ecclesiæ Synodorum planè rudes & ignaros, in eodem errore versantes, sycophantas agere, sacræ vestræ Constitutioni obloqui ac resistere audiens officio meo defuissem, si dubiorum quæ in singulos Constitutionis illius articulos incidunt, ad consultantium & judicantium institutionem, explanatione contentus, in præclaras illas antiquitates, sanctiones & Synodos Ecclesiæ non penetrassem: quibus summa vestra potentia & auctoritas, circa res istas, conspicua fieret, atque adeo sycophantis & sophistis indicereturque silentium.

Caroli Magni præclaræ Constitutiones.

200. Rem gratam præterea me vobis, fidisque Consiliariis, & bene erga vos affectis viris fecisse confido, quòd detexerim, explicaverim, ac in memoriam lucemque revocaverim sacras illas Constitutiones & leges Majorum vestrorum de rebus, Ecclesiasticis, sacris sanctionibus & vetustissimis Ecclesiæ Synodis, eas præsertim quas Carolus Magnus de sincera verbi Dei Sacramẽtorumque administratione edidit, in Capitulis seu Canonibus Ecclesiasticis Episcopos compellans, ut verbum Dei populis diligenter annuntient, absque cujus sono incedere nequeunt, quin justi judicis iram provocẽt: Clericos etiam sobrios & castos esse curent: præterea præcipiens omnibus ut corde toto in scientia veritatis ambulare satagant, ad contradicentium confusionem: qua ratione verbum Dei crescat, currat & multiplicetur in profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & salutem (inquit) animarum nostrarum, ad laudem & gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi. Quam sacram Constitutionem clausulâ admodùm commendabili obsignavit, subjiciens: Pax Prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino nostro Jesu Christo. Amen.

Religionis dignitas.

201. Noverat ille sapientissimus & invictus Heros, puram Religionem, quæ Christiana vera atque unica est, à Dei institutione & verbo omninò pendere, non ab ulla secundaria causa, nec homini, Angelo, vel qualicumque causæ aut creaturæ concessum esse, ut huic verbo quicquam addat vel detrahat, teste Psalmista, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Psal. 115. Cælum hoc cæli, religionis veræ doctrina, res illa supercælestis dispositioni divinæ atque constitutioni in verbo inclusę reservata est.

Verbi Dei auctoritas.

202. Res verò terrestres, Monarchiæ nempe, Respublicæ, sæcularia negotia, quamvis à summo Dei nutu pendentia, etiam ab hominum consiliis, & aliis causis secundis quadam ex parte dependent, quatenùs iis causis ea Deus alligavit. Ideo cultus ab Ethnicis excogitati falsitate, nullitate, multiplici errore laborant: sicuti quęcũque privatus quispiam in rebus ad Principem proprie pertinentibus & Majestatis judiciis tractaverit, aut regiis vestris diplomatibus addiderit, vel detraxerit. Nec enim tantùm crimine falsi, verumetiam sacrilegii & læsæ Majestatis reus teneretur.

Christianissimi perfectio.

203. Sanctus Joannes Evangelista de Christi doctrina ejusdemque certitudine ac perfectione agens, testatur eam æterni Dei magno sigillo fuisse obsignatam, nempe in Christo Jesu, qui in cruce pro nobis oblatus clamavit sublata voce, *Consummatum est*, Quis igitur huic doctrinæ vocalem ferre, vel auferre audeat, quin crimine falsi, sacrilegii & læsæ Majestatis divinæ se alliget? Idem sub veteri testamento severè prohibuit Moses, damnarunt Prophetæ.

Caupones mercatores.

204. Hieronymus in ea capitis prioris Esaiæ verba, *Caupones tui vino aquam miscent*, damnat refellitque traditiones humanas, pro lege in religionis negotio constitutas. In sincera & immota Dei veritate, ceu vino puro, vera religio tantùm consistit. Explodit igitur ceu caupones falsarios quotcumque qui suis commentis vel aquis sinceritatem vini illius corrumpere tentant. Ejusdem Prophetæ cap. 29. verba extant, dein à Christo repetita, Matth. 15.

Regum auctoritas.

25. *In vanum me colunt doctrinis & mandatis hominum.* Quod de religione intelligendum est, non autem de Constitutionibus quas tuis subditis, Rex! potes præscribere, quarum observationi per Apostolos suos Deus nos adstrinxit, non tantùm ut vestræ potestatis, in hunc finem à Deo institutæ, timore percellamur, sed & propter conscientiam.

Palea & triticum.

206. Quoad doctrinæ cœlestis præconium, per Hieremiam Prophetam cap. 24. Hæc dicit Dei Spiritus, *Quicumque verbum meum profert, verè loquatur. Quid paleæ cum tritico?* In hunc locum scribens Hieronymus, paleæ nomine traditiones humanas intelligit, non modò vulgares, verumetiam eorum qui domini, doctores & omnium præstantissimi videntur.

Scripturæ S. stateræ.

207. Paulò post D. Augustinus Donatistas hæreticos oppugnans, dicebat. Non affectamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave, hoc leve est: sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis, & in illa, quid sit gravius appendamus, immo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Hoc vult Augustinus, eos dolosas stateras proferre, qui religionem non ex solis Scripturis sanctis: verumetiam ex hominum statutis & traditionibus librare atque ponderare student. Augustinus hæc habet lib. 2. contra Donatistas, cap. 6. tom. 7. & referuntur à Gratiano, causa 24. quæst. 1. can. 21. *Non afferamus.* Alios prætereo locos perspicuos & expressos, ne actum agere velle videar.

Ludovici Pii Constitutio.

208. Præterea, ne aliud exemplum ex piis Ludovici Pii Constitutionibus ad religionem pertinentibus omittam: is non sensu humano impulsus, sed juxta Dei verbum, de Sacrosanctæ Domini Cœnæ sacramento, instituit, ut ter in anno, ad minus, Corpori & Sanguini Christi devotè laici communicent.

Aliorum item Franciæ Regum.

209. Alia Constitutione vestes pretiosas & luxu diffluentes Episcopis & Prælatis eripit, eos humilibus vestimentis contentos esse jubens. Ingentem illum Constitutionum acervum omitto, ut nonnulla de Ludouici Pii posteris attingam: inter quæ Divi Ludovici antecessoris vestri pragmatica occurrit, qua pius Rex Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis adversus Pontificum nova jura & usurpationes expressè cavit. Hæc verò recepta multisque summæ Curiæ vestræ solemnibus sanctionibus anno 1463. promul-

gatis suffulta est. Adde Philippi Pulchri, Caroli V. Sapientis Caroli VI. Constitutiones, & hujus etiam, nempe Caroli VI. edictum, & summæ Curiæ statutum adversus Annatas, exactiones, & Curiæ Romanæ molitiones.

Philippi Augusti provocatio ad Synodū Oecumenicam.

210. Præcipuè verò inter tot heroïca gesta, ad Oecumenicam Synodum Philippi Augusti, cognomine Conquestoris, provocationem, adversus Innocentium tertium & ejus legatos: qua via conatus minasque Pontificis cum hoste conjurati repressit, & reipsa fortiter exequutus est quod à Parlamento constitutum erat de restitutione in integrum atque reunione ducatuum Aquitaniæ & Normanniæ, Comitatuum item Andegavensis, Manii & Turonensis, qui à Franciæ corona divulsi fuerant.

Epilogus libelli.

211. Hic sisto gradum, ne prolixius agam. Epistolam meam vernacula lingua scribere conveniens dixi, quamvis Commentarium ad edictum contra parvas datas evulgaverim Latinâ linguâ. Nam tibi, Domine! fidisque Francis omnibus meus ille labor consecratus est. Etenim inter multos primi nos librum de Franciæ Regno Francica lingua conscriptum Regiæ T. Majestat. vereque Francis omnibus, commodi, honoris, nominis Reg. T. Majest. studiosis dicatum exoptavimus. Deus Omnipotens, exercituum Dominus, omnis boni fons unicus, tueri, conservare Regiam T. Majestat. evehere in dies dignetur, ad nominis sui laudem & gloriam. Lutetiæ Parisiorum Calendis Januariis 1551. Stylo Francico.

Molinæi hostes & defensio.

212. Anno autem 1552. hæc Epistola horrendis modis traducta est à Sorbonicis concionatoribus, qui clamoribus tribunitiis populum ad seditionem concitare studuerunt. Cardinales accessêre, inter quos quidam qui tunc rerum habenas tractabat. Auctor verò Catalauni causam egit coram illustrissima Regina Regnum tunc administrante, & judicialia obtinuit diplomata ad Curiarum Regni Senatores, Provinciarum præfectos, Diœcesanos, Sorbonæ Doctores, Episcoporum Officiales, fidei Inquisitores & alios quoscumque, usque ad Regis absentis & de re tota certioris adventum, coram cujus Majestate Principumque sacro consessu auctor adversus cunctos accusatores & oppugnatores audiri supplex postulabat. Agebatur enim præcipuè de jure Regni, nec propositionem ullam erroneam malevoli in ea quam impugnaverant Epistola, neque in Commentario contra parvas datas, annotare poterant: sed collationem omnem detrectantes, inauditum hominem clamoribus Stentoreis opprimere conabantur.

Quæ tandem fuerit ejus coactio.

213. Neque sanctioris consilii decretum, neque diplomata patentia, pro more significata, quibus summa Curia manum admovere recusavit, adversariorum effrenis potentia, factiones & artes adeò invaluerunt, ut auctor Regno excedere coactus sit. Inserviit autem juniori Hassiæ Landgravio, cujus nomine obtinuit cunctas, ditiones, urbes, arces & dominia, quibus pater ejus Philippus, Cameræ Imperialis Arrestis tribus, dum captivus viveret, pronunciatis gravatus, tandem spoliatus fuerat. His peractis, auctor in Franciam reversus est, ut se Regi, quem ex bellica profectione reversum esse noverat, sisteret. Sed Cardinalium & Pontificiorum legatorum technis auctor longius quàm antea in Germania latebras captare coactus, Principibus Regis Franciæ confœderatis operam suam accommodavit, lautissimis stipendiis quæ Regis Romanorum aliorumque Principum nomine ei deferebantur, constanter refutatis,

FINIS.

NOTÆ
CAROLI MOLINÆI
IN COMMENTARIA
BARTHOLOMÆI DE CHASSENEUZ
SUPER
CONSUETUDINIBUS BURGUNDIÆ

NUNC PRIMUM PRODEUNT OPERA ET STUDIO
FRANCISCI PINSSONII DES RIOLLES, FRANCISCI *Filij*,
causarum in Senatu Patroni.

CLARISSIMO

DOCTISSIMOQUE VIRO DOMINO D.

LUDOVICO NUBLÆO

CAUSARUM IN SENATU

PATRONO.

VIR DOCTISSIME,

Fruſtra juri operam hucuſque dediſſem, ſi præcepta quoque, quæ totius vitæ ac ſocietatis civilis præcipua ſunt fundamenta, ignorarem: quid enim convenientius poteſt excogitari, ſive ad nominis amplificationem, ſive ad conſervationem, quàm tria illa, honeſte vivere, alterum non ladere, ſuum cuique tribuere, quæ Juſtinianus in ipſo Inſtitutionum limine magnopere commendat. Hæc, ut opinor, à teneris excoluiſti, nec me fallit conjectura; ſi quidem tam altas egit radices exurgens fama, ut tibi tùm conciliarit ſummorum Magiſtratuum animos & benevolentiam, quæ deinde ita magis ac magis in dies crevit, ut nunc omnibus fere Magiſtratibus ſit admirationi. Tacere etiam nequaquam poſſum, quantam apud Doctiſſimos quoſque tibi comparaverint non modo littera, verum etiam honeſta vita, ut inter illos jamdiu primos tibi detulêre honores, etiam invito atque reluctanti: teſtes certe ſunt locupletiſſimi, Sirmundus, Florentius, Puteani Fratres, Gaſſendus, Racanus, Fabrotus, Bignonius, Valeſius, Launoius, alii denique benemulti, viri quidem omni ſcientiarum genere inſtructiſſimi, & in arte ſua dum viverent facile Principes. Nec inter vivos quoque deſint ejuſdem nominis & notæ; at tantorum excellentiſſimorum virorum, tuaque, VIR OPTIME, connexa modeſtiâ, innominatos ſinit & jubet, quibus parere, ſemper mihi propoſitum eſt. Majora igitur tùm eruditionis, tùm ſincerioris vitæ argumenta referre vanum eſt; inutile quoque pacatæ atque tranquillæ mentis dotes diutius commemorare. Supereſt jam voluntatem tuam conſtantem atque perpetuam ad ſuum cuique tribuen-

dum expendere. Fateor quidem vaſtiſtißimum eſſe dicendi locum, at ne modeſtiæ tuæ minus parere videar, reticebo libenter quicquid hac in re ad gloriam nominiſque tui commendationem dici poteſt, ut quàm doctis ſtudioſiſque manuſcriptorum indagatoribus, patronis, toti foro, cunctis denique litteratis jam jam tribuis, referam. Apprime Imperator ad rem noſtram, naturalem æquitatem ſecutus, theſauros, quos quis invenit in fiſcali loco vel publico, dimidium inventoris, & dimidium fiſci eſſe ſtatuit. Prudentißima ſane conſtitutio, qua proſpectum voluit communi utilitati, quam ſupra modum, VIR DOCTISSIME, obſervaſti; qui in loco publico muſis licet doctiſque dicato, inventi theſauri necdum dimidium retineas, ſed totum in uſum communem, utilitatemque publicam tradas. Maximum illud quidem beneficium quod ad publicum ſpectat? Utinam condignas grates rependat, noſtras ſane, quamvis maximas ſemper ſimus exhibituri; minores ſemper profitebimur. Tuum itaque, VIR BENEVOLE, theſaurum ſuſcipe, benignius adjunctam huic operi manum ad utilitatem publicam reſpice, & me ut cœpiſti amare perge, Vale,

VIR CLARISSIME,

Tuus ad omnia in æternum paratus,
FRANCISCUS PINSSONIUS
DES RIOLLES Advocatus Pariſienſis.

FRANCISCUS PINSSONIUS
DES RIOLLES
CAUSARUM IN SENATU PATRONUS,
LECTORI, S. D.

CUM fortè fortunâ in manus Doctiſſimi Viri Ludovici Nublæi omni laude digniſſimi, deveniſſet Manuſcriptus Codex, continens notas Summi apud nos Viri Caroli Molinæi, in Commentaria Barthol omæi *de Chaſſeneuz* * ſuper Conſuetudinibus Burgundiæ, hactenus nedum editus, verum & omnino ignotus; certuſque Vir ille Beneficus tanti Viri opera prope diem emiſſura patris amantiſſimi ſtudio & noſtro libenter ſubminiſtravit. Dubitavêre exinde quidam opus illud, verum eſſe Molinæi fœtum multis de cauſis, tùm quia proferebatur tantum exemplum deſcriptum manu aliena, tum quia Vir clariſſimus Julianus Brodæus qui accuratiſſimè Molinæi vitam ſcripſit, de eo ne minimam quidem mentionem fecit: facilis ad hæc omnia reſponſio; quo ad primam, non ſupereſt hodie dubitandi locus; ſi quidem eâdem fortunâ exemplar quoque autographum in manus noſtras venit Bibliopolæ ſolertia ac vigilantia; quod vero effugerit Brodæum Virum alioquin peritiſſimum, ſimul ac operum Molinæi ſolertiſſimum indagatorem, non mirum! libros tantum editos retulit, quoſque edendos paraverat, aut quos Molinæus ipſe quoquo modo laudat. Notæ ſatis ad probationem procellæ graviores, bibliothecæ, domuſque expilationes, infortunia; peregrinationes denique, quibus ipſe jactatus fuit variis temporibus, ut facile quiſque ſibi perſuaderi poſſit, opus illud non adſcriptitium, quod & aliundè ſtilus, characteres, & manus vindicant, tempuſque prælectionis, nomenque pluribus locis appoſitum, ut videre eſt in fine hujuſce opellæ, invitis periculis anniſque ſervataæ. Multum ſanè debemus ſtudioſo doctiſſimoque illi Viro, qui non ſolum tam diligenter ac ſedulo notas illas ex autographo detexit, & in ſuam utilitatem fœliciter deſcripſit; verum etiam quædam correxit vel addidit, (quæ ut tibi paterent magis inter parentheſim clauſimus) ut facilè ex eo judicandum ſit de Anonymi illius deſcriptoris & doctrina & perſpicaci mente, ac in evulgandis Veterum libris rectèque dijudicandis ſolertia, comprobata à Viro etiam doctiſſimo ac perſpicaciſſimo Franciſco *de Launay* Andino, Cauſarum in Senatu Patrono, antiquioris litteraturæ ac recentioris peritiſſimo, de litteris & re litteraria bene merito, qui attentè & libentiſſimè opus illud legit ad publicum commodum, & noſtri auxilium. Ut autem appoſitè habeas ad manum has notas, quod

* Is autem fuit Advocatus Regius Heduenſis, deinde in Curia Pariſienſi Senator omnium ſuffragio cooptatus ac tandem apud Aquenſes Praeſes; ſcripſit praeter Commentaria ſuper Conſuetudinibus Burgundiæ, Catalogum gloriæ mundi, & Conſilia.

difficillimum ſanè judicavimus, niſi moneremus prius, multas huc uſque Commentariorum Chaſſenæi ſuper Conſuetudinibus Burgundiæ editiones in lucem editas, auctas, & cum autographo Molinæi anni 1523. minus convenientes. Ea autem uſi ſumus, quæ prodiit Genevæ ſumptibus Samuelis Criſpini anni 1616. ut autem conciliaremus tot tamque varias editiones inter ſe diſcrepantes, indicavimus Rubricam, Paragraphum, Textum, Numerum, & horum ſingulorum prima verba, & ea in quæ Molinæi nota ſubjecta eſt. Quædam certè effugerunt, quæ nulli quantumvis & perſpicaci & docto innoteſcere potuerunt ut conjecimus; præmiſimus ſermonem ſequentem, quem ope & induſtria ejuſdem Clariſſimi Viri Franciſci *de Launay* excuſſimus, cujuſque impulſu verum nomen *de Chaſſeneuz* gallicum poſuimus, ut error plurimorum, qui Chaſſanæum, gallicè *Chaſſanée* legunt, pro Chaſſenæo *&* *Chaſſenée*, & melius *de Chaſſeneuz*, ut patet in memorata editione gothica prædicti anni 1523. ad quam Molinæus prædictas notas adjecit, confutaretur. Iis utere Lector ſecundum legem, Vale.

SERMO SEQVENS CAROLI MOLINÆI *manu propria ſcriptus, repertus eſt in calce Commentariorum Bartholomæi Chaſſenæi ſuper Conſuetudinibus Burgundiæ, unde ſumma fide, prout hic legitur, ad uſum publicum eruimus.*

IEAN de Vallée Eſcuyer Seigneur de Paſſay, Loys de Vieux Commandeur du Blizon, & Jehan de Vieux Eſcuyer ſon frere, demandeurs en exécution d'une Sentence proviſionale donnée par le Prevoſt de Paris ou ſon Lieutenant, à l'encontre de Frere Chriſtofle le Boulleur Receveur & Procureur du commun threſor dudit Ordre, deffendeur & appellant. L'appellant n'eſt recevable quant ores il y auroit appointement en droit, *quia inhabilitas perſona poteſt opponi in quacunque parte litis etiam poſt litem conteſtatam etiam coram eodem Judice, quia reddit omnia acta retro nulla.* leg. licet. cod. de procuratoribus. leg. licet ff. de judiciis. leg. lis nulla. leg vix certis. eodem titulo. *Si ergo etiam poſt litem vere conteſtatam, poteſt & ante omnia coram eodem judice proponi, quod aliter non habet legitimam perſonam ſtandi in judicio, & de hoc in civili parte litis agnoſcendum eſt etiam in quacunque cauſa ſummaria. Alexander. Jaſo. per textum in leg. ultima. cod. de edicto Divi Adriani tollendo.* ſequitur qu'il ne faut venir par voye d'appel meſmement *quando hoc nondum fuit allegatum, & judex nondum gravavit.* Encore moins eſt-il recevable à appeller de l'appointement de mettre, car ledit appointement n'emporte aucune conteſtation ny aucun reglement ny limitation, & ſi s'entend à toutes fins, & ſeroit autant que d'appeller de ce que le Jugé y veut penſer & deliberer, ou d'appeller de l'appointement d'eſtat ou d'avis, ou d'abſence de ce preſent à huitaine.

Quin imo les intimez & meſmement les gens du Roy auſquels on en pourra communiquer, ont meilleure cauſe d'appel comme d'abus de la demande & pourſuitte dudit Procureur du Threſor, car par ſa qualité meſme il appert qu'il pretend un droit de dépoüille dans ſon Royaume pour en emporter les biens hors le Royaume, qui eſt choſe abuſive, prohibée & défenduë, quand meſme il ſeroit queſtion d'un vray Religieux profez de l'un des quatre Ordres reguliers, car cela eſt prohibé par les anciens Edits & Arreſts meſme l'Edit du Roy Charles VI. de l'an 1385. *in Stilo Parlamenti. parte* 3. *titulo* 37. & l'Arreſt ſolemnel de l'an 1406. 11. Septembre *& contra abuſus. parte* 2. *in verbo. defunctorum.*

Si cela eſt prohibé aux vrays Reguliers *multo fortius* ſur les Prelats ſeculiers, & encore plus és Commandeurs & Chevaliers de ſaint Jehan de Jeruſalem qui ne ſont pas Religieux reguliers, mais font profeſſion de certaine diſcipline militaire, & ne ſont appellez Religieux, ſinon parce que leur Ordre & diſcipline a eſté inventée & inſtituée par la Religion Chreſtienne, & non parce qu'ils eſtoient de l'eſtat Monachal ou d'aucune Religion ſeculiere incapable ou inhabile d'avoir ou acquerir biens & propres, ny d'en diſpoſer, car meſme les Religieux Preſtres, & Religieux ſergens dudit Ordre n'en ſont pas incapables, car ils ſont vrays ſeculiers, & *multo magis* des Reguliers. Et quant au fonds il eſt certain que les demandeurs intimez *habent legitimam perſonam ſtandi in judicio, quin etiam contrahendi & acquirendi extra judicium*, & pour eſtre Chevaliers de l'Ordre de ſaint Jehan de Jeruſalem *non perdunt predicta* car ils ſont vrays ſeculiers & non reguliers *ſtricte & proprie loquendo* & ce ſi on dit qu'ils ſont Religieux de ſaint Jehan de Jeruſalem, ledit Ordre *non eſt niſi certus modus vivendi ſub juramento vel profeſſione certæ regulæ ſeu diſciplinæ militaris, & falſum eſt dicere quod profitentur regulam beati Auguſtini qui nunquam fuit miles nec inſtituit ullam regulam militarem.*

Encore moins ſaint Baſile & ſaint Benoiſt de Caſſin ou François d'Aſſiſe qui ſont les quatre regles reguliers & n'en y a point d'autres reguliers ſi non *Panormitanus, & omnes in rubrica de regularibus. in Clementina unica de ſupplenda negligentia Prælatorum. & in Clementina prima. de decimis. & in ſpecie quod Hoſpitalarii ſancti Joannis Hieroſolimitani qui tantum habent votum certæ diſciplinæ militaris cis & ultra mare propter quod non poſſunt recedere, & conſequenter non ſe uxoribus alligare qua continuam illam militiam impedirent, non veniunt appellatione Religioſorum propriè & ſimpliciter, ſed laiſſimè capiendo, puta appoſitè, ſignè univerſalis cujuſcunque Religioſi, vel ubi tantum de favore agitur ut tenet Ang. Clav. in verbo. Religioſus. § 1. nec obſtat quod faciunt tria vota ſubſtantialia Religionis regularis, quia falſum eſt, cum primo non faciunt ſecundum aliquam de quatuor approbatis, ergo non ſunt Religioſi proprie. Secundo etiamſi de facto fieret mentio voti paupertatis, debet intelligi ſecundum conditionem & qualitatem perſonæ. ad quam refertur lex penult. §. equidem. ff. de uſu & habitatione, ubi Bartholus Ludovicus Romanus conſilio* 15. *Baldus Alexander. leg.* 1. *in principio. columna.* 2. *ad leg. Falcidiam. Dominus Philip. Franc. tit.* 1. *col.* 4. *de teſtamentis. in* 6. *Felinus. cap. cauſamque. col.* 12. *de reſcriptis. Decius. leg. & militibus. cod. de teſtamento militari.*

Il eſt certain que leſdits Chevaliers qui ont à militer tant deçà que delà la mer, ont neceſſairement affaire d'armes, de ſerviteurs, de chevaux, de vendre & achepter tout equipage par terre & par mer, de vendre, achepter & changer, meſtre à la banque, & partant il eſt certain qu'ils ont & doivent avoir *legitimam perſonam omnia hæc & dependentia faciendi tam in judicio quam extra.* partant ledit vœu de pauvreté s'entend de n'eſtre point proprietaire de leur vie ny de leurs biens pour en faire à leur liberté abſoluë, mais d'employer leur vie & leurs biens toutefois & quantes ſi leur diſcipline militaire

le requierr pour la défense de la Chrestienté, cela ne les exclud pas, mais includ necessairement capacité d'acquerir & avoir propre & en disposer, pourveu qu'il ne soit contre & au prejudice de l'intention finale de ladite profession militaire, qui est de défendre la Chrestienté, pais & limites d'icelle, *praterea verba intelliguntur secundum communem modum utendi & maxime secundum Consuetudinem patrisfamilias.*"

Ores il est accoustumé & toleré que lesdits Reguliers peuvent acquerir, vendre & achepter, *agere & defendere in judicio & multo fortius* les Commandeurs, & qui peuvent jouer leur revenu *& multo magis* en disposer à gens honnestes & capables, *& multo fortius* quand c'est à ceux dudit Ordre, car *presumptio est juris & de jure in milite* si tout cela se fait *contemplatione ejusdem militiæ. cod. de Senatusconsulto Macedoniano.*

Porro militia ista non est cœlestis, nec monachalis, sed armata, non destinata ad claustra, nec ad orationes, vel sacrificia, sed ad arma gerenda & exercenda ce qui ne se peut faire *sine habilitate acquirendi & disponendi & sine pecuniis quas Cicero in Orationibus ad Senatum populumque Romanum dicebat esse nervum belli, & per hoc, ordinem publicarum summis laudibus extollebat & Equestri Ordini dignitate & utilitate conjungebat.*

„*Quid ergo stultius vel ineptius* si sous ombre d'attraper ladite Cour dépoüille abusive desdits Chevaliers & Commandeurs militaires de la vouloir abbatre & reduire *in Ordinem & Capitium* des Freres Mineurs Mendiants ou autres Religieux profez *qui servis comparantur. Innocentius. in cap. cum olim. 2. de privilegiis. Bartholus. in leg. 1. §. finitanus. de stipul. servorum.* & sous ombre de s'appliquer & mettre en jugement toutes les decisions qui sont faites *de veris Prælatis & Regularibus unam ex quatuor religionibus professis universaliter, quod non possunt habere proprium quod non possit acquirere, nisi monasterio vel capiti Ordinis, quod non habent velle & nolle*, & par tous lesquels discours *de quibus in leg. immobilium. cod. de Episcopis & Clericis, & cum in officiis & testamentis* ne sont à propos, il n'est pas icy question de tels Religieux, mais de vrays gens d'armes, lesquels pour tout vœu ont certaine discipline militaire, & sont moins Ecclesiastiques que Prelats seculiers, *& quod non sunt Ecclesiastici sed simplices seculares & laici. decidit Oldradus. consilio* 128. *quoniam ad investigationem. col. ult. loquens de Conventu Hospitalis Hierosolimitani. Idem decidit Panormitanus in cap. quamvis num. 3. extra. de decimis. dicens quod Fratres sancti Joannis sunt laici, quamvis sint quasi Religiosi ut juste teneant Ecclesias, & percipiant decimas, tamen debent Ecclesias regere per Clericos, & non per seipsos, quia sunt laici, idem late decidit in consilio* 104. *libro primo.*

NOTÆ

NOTÆ
CAROLI MOLINÆI
IN COMMENTARIA
BARTHOLOMÆI DE CHASSENEUZ
SUPER CONSUETUDINIBUS BURGUNDIÆ.

IN Proœmio, in textu. *Consuetudines.* numero 9. in hæc verba. *Et stilus Curiæ est servandus.*

Marsilius Singul. 118.

Ibidem numero 10. in hæc verba. *Et quando est quæstio de stilo Judex potest se informare in Camera, nemine citato.*

Idem de Contuetudine notoria. Oldradus consil. 294.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *In quo tamen novissime Jason Maynus.*

Et bene.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Quia durant tantum anno.*

Hoc esset verum solum in pœnalibus, adhuc non procedit nisi in officialibus annalibus, secus in perpetuis. Jason. §. Sed istæ. col. 5. de actionibus.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Quod licet notorium relevet ab onere probandi.*

Dico hoc verum in his quæ sunt facti, seu de jure privati, secus [illegible] t sunt juris id est legis, quia ea tenetur Judex suppiere. cod. Ut quæ desunt advoc. part. jud. suppl.

Ibidem num. 30. in hæc verba. *Ideo videtur quod Jason bene dixerit.*

Imo malè.

In Textu. *Generales.* num. 21. in hæc verba. *Aliam divisionem tradit Baldus.*

Sed hæc est merum factum.

In Textu. *Philippes.* in hæc verba. *Sint datas Ducatus Burgundiæ per se, & suis masculis.*

Ergo ad Regem Franciæ est reversus, tamen Imperator illud prætendit, res non subdita legibus & stilo, sed armis & gladio.

In Textu. *Par la grace de Dieu.* num. 1. in hæc verba. *Quia omne Imperium à Deo.*

Verb. à Deo mediatè Principem, immediatè Papæ. gloss. c. 1. de temporibus ord. lib. 6.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Vbi ponit an Princeps possit concedere.*

Puto quod non.

Ibidem num. 3. post hæc verba. *Alteri regalia.*

Non.

In Textu. *Du saint Empire.* num. 3. in hæc verba. *Et non Imperium.*

Vana ratio solo nomini innixa.

In Textu. *De nos Parlements.* num. 5. in hæc verba. *Quod Magistri Parlamenti.*

Non habent ita amplam potestatem, tamen possunt facere aliqua edicta ad conservationem politiæ, & eorum quæ statuta sunt, sed non de novo statuere.

In Textu. *Auſquels avons octroyé.* num. 1. in hæc verba. *Quod populus potest.*

Non.

In Textu. *Auſquels nous avons octroyé de les nommer.* num. 1. in hæc verba. *Sed quicquid sit, veritas est in contrarium.*

Imo puto quod sit verum.

In Textu. *Messire Ferry de Cluny.* num. 13. in hæc verba. *Dicitur ergo Augustodunum ab ἀγὸ.*

[illegible] & mera nugamenta anilibus prope deliramentis conferenda.

Ibidem num. 33. in hæc verba. *Si Plutarchum lib. de viris illustribus legas.*

Nescio quomodo tantum virum laudandæ patriæ libido ac pruritus extra mentem suam adduxerit, ut tot nugas inter seria effutiret.

In Textu. *Que par mort.* num. 9 in hæc verba. *Quod satis ab hærede probatur mors producendo testamentum.*

Falsum.

In Rubrica prima. *Des justices & droits d'icelles.* In Textu. *Justices.* num. 20. in hæc verba. *Quia solum intelligitur concessa jurisdictio in specie.*

Adde quod hæc dicta sunt vera, quando jurisdictio conceditur Officiali ad exercitium, secus si in proprietatem per viam doni, vel investituræ. Felin. cap. quod sedes. de offic. Jud. ordin. unde si Princeps det castrum, videtur omnem jurisdictionem dare etiam merum Imperium. Bartol. lib. 1. in fine. de jurisd. omnium Jud. Bald. leg. Beneficium. ff. de constitutione Princip. Oldrad. consil. 251. vide Lud. Romanum. consil. 444. idem tenet Corset in verb. Princeps, & de Ferra. in lib. Quando agitur pro servitute.

Ibidem num. 23. in hæc verba. *Quod si vendatur castrum cum omnibus juribus suis.*

Hoc verbum intellige quando vendit aliquam partem prædiorum castri, quia tunc solum proprietas eorum cum dependentibus à proprietate videtur vendita, non autem jurisdictio quæ nihil habet commune cum proprietate prædiorum, secus si castrum vel pars castri vendatur, quia tunc etiam omnis jurisdictio transit, ita eleganter tenet Roman. consil. 444. potest enim jurisdictio & superioritas vassallo.

tum cum Curia vel parte Curiæ transferri. Alexand. consil. 25. 5. vol.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Vide Ludov. Rom. in consil. 21. incip. vis tota præsentis dubitationis.*

Ubi tenet quod sic virtute clausulæ generalis aliis regalibus prius expressis.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Et dare ei omnia.*

Idem Ludovic. Rom. Singul. 449.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Nec obstat si dicatur quod etiam pluralitas verificari possit in uno.*

Hoc verum ubi esset eadem ratio, secus si diversa. Felin. cap. 2. col. 1. distinct. 1.

Ibidem num. 30. in hæc verba. *Dic tamen quod contrarium est verum.*

Cap. Cui quod plus est 54. de regulis juris. in 6.

Ibidem num. 34. in hæc verba. *Alexand. consil. 78. vol. 2.*

Idem quæstione Tholosana 324.

In Textu. *Et droits d'icelles.* num. 5. in hæc verba. *Quod non requirit statutum dolum.*

Falsum.

Ibidem in hæc verba. *Faciat quod habeam nova de tali.*

Vide Corset. verb. *Perceptum.*

Ibidem in hæc verba. *Alios 23. ponit Albertus de Gandino.*

Vide omnes accumulatos in repetit. §. Famosos. in leg. Capitalium. ff. de pœnis, quos viva voce audivi Aureliis à D. Jacobo *Boulaine* jurisperitissimo, nunc Senatore Parisiensi in prima Classe Inquestarum.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Et vide Alexandrum in consilio suo 15. incip. viso processu.*

Imo Alexand. & Jason. illud solum dicunt quod in consuetudinibus & statutis non habet locum extensio. dicta leg. Is qui cum telo.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Primo quia in assassinamento.*

In cap. pro humani. de homicid. lib. 6.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Vbi dicit quod probatur per juramentum vulnerantis.*

Hoc dicit glossa dicta leg. 1. cod. de sicariis. & loquitur de juramento purgationis, ratio intelligi debet, quando ex circunstantiis verisimile est defuisse animum, aliàs secus, cum esset præsumptio contra eum per not. Bart. l. inter omnes. §. Item rectè. ff. de furtis. vide in cap. cognoscentes. de constitut Principum. Felin.

Ibidem in hæc verba. *Si mors secuta est, tenetur de homicidio.*

Hoc verum quoad pœnam irregularitatis quæ incurritur ex culpa & vera morte ob eam sequente.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Non fuit ad mortem damnata.*

Sed indulgentia fuit, non justitia.

Ibidem paulo inferius. *Et dicit ibi Dominus meus Jason etiam à multa.*

Leg. Igitur. ff. de lib. causa.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Quia actualiter suspendendus est furca.*

Hoc verum si appareat quod animo deliberato sanæ mentis hoc fecerit, quia in dubio præsumo talem facere, vel quadam amentia correptum, & super hoc nota eo ipso quod constat aliquem se occidisse, non est fundata intentio Officialium Regiorum contra hæredes legitimos, nisi probent quod fecit conscientia criminis digni morte, vel publicatione, vel quod hoc deliberata voluntate in se commisit, sed etiam si appareat quod numquam fuerat ut erat amentia detentus, sed quod voluntarie sæviit in seipsum, ex hoc est fundata intentio Officialium Regis, nisi ira, seu impatientia, aut timor tyranni, aut alia causa, quæ dolum purum excluderet & homicidam, & pœna mortis liberaret.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Quod delinquens ad exhortationem magnatis mitius punitur.*

Hoc esset verum antiquitus in servis, & hodie in his quibus aliis grave periculum immineret à mandante, & hoc ut excusentur à tanto sed non à toto quum sint atrociora delicta.

Ibidem num. 32. in hæc verba. *Vel si sit vasallus sciens de morte Domini, & non revelans.*

Hæc opinio Bartoli est veritas & æquitas, & intellige quod revelari vel obviari debet eo modo quo potest sine periculo obligationis peremptæ, ut scripsi in libro meo peculiari quæst. juris. quicquid velit Marsil. in singul. 164. debet tamen mitius puniri, quam si participasset.

Ibidem num. 39. in hæc verba. *Adverte quia Papa non potest includere Monialem invitam. Oldradus. consil. 96.*

Et malè, imo possunt Superiores cogere, & debent, quia clausura est de regula, & ad regulam servandam debent arctari, licet non in excedentibus regulam, ita est textus c. 1. in princip. de statu regul. lib. 6. & ibi glos. & in glos. & summa Ang. verbo *Religiosus.* §. 29.

Ibidem num. 40. in hæc verba. *Vbi dicit quod requiritur traductio de loco ad locum.*

Truffa est, dicas quod sufficit violentia.

Ibidem paulo inferius in hæc verba. *Vt dicit ibi.*

Imo.

Ibidem num. 47. in hæc verba. *Et ita etiam tenet Bartholus.*

Adverte hoc verum in terminis quando loquitur Bartholus, ibi videlicet quando statim protestans arripit iter ad Principem vel Judicem. cod. Dilecti. de appellat. aliàs non puto hanc simplicem protestationem habere vim salvæ-gardiæ, quia requiritur jussus Superioris.

Ibidem num. 53. in hæc verba. *Item ille qui in bello mandata Iudicis, vel capitanei non servat, etiam si bene gessit.*

Nisi ex supervenientia novæ causæ inopinatæ non prævisibili tempore mandati. per leg. si homines. ff. mandati.

Ibidem num. 57. in hæc verba. *Nam istos licet extrahere.*

Imo.

Ibidem paulo inferius in hæc verba. *Idem de homicida ex proposito.*

Adde & ex insidiis, ut Exodi. cap. 21.

Ibidem num. 59. in hæc verba. *Item Dei blasphematores.*

Soliti.

Ibidem num. 65. in hæc verba. *Item adde quod qui se gerit pro notario qui non est.*

Non est, nec aliàs fuit, alias secus. Marsil. singul. 35.

Ibidem num. 70. in hæc verba. *Adverte etiam quia Ecclesia potest bannire Clericum suum. cap. in Synodo. 63. distinct.*

Si intelligas à territorio seu proprie hoc est falsissimum, quia talis pœna debet ad requisitionem Ecclesiæ infligi per sententiam & manum potestatis secularis. ut textus in authent. de sanctiss. Episc. in fine. tex. c. 2. de Cleri. excommunic. minist. & tenet Felin. cap. cum non ab homine. col. 3. de judiciis.

Ibidem num. 81. in hæc verba. *Idem dic in locum tenentibus dictorum Balliverum. qui proprie dicuntur vicarii, & habent illam eandem jurisdictionem quam habent Rectores Provinciarum.*

Quia ab eodem fonte sicut Principes capiunt & sunt ordinarii.

Ibidem num. 94. in hæc verba. *Fallit 3. quando quis præscriberet jurisdictionem in loco.*

Idem quæstione Tholosana. 324.

Ibidem num. 97. in hæc verba. *Qua sunt ultra 300. aureos.*

Imo potius sive de 2. gradu simplicis jurisdictio-

nis, videlicet magnæ.

Ibidem num. 107. in hæc verba. *Et dicit quod non.*

Hoc servamus, & intellige nisi judex esset superior immediatus pupilli, quia potest ei tutorem dare, & extenditur ad bona ubicumque sita. leg. jurisperitos. ff. de excusat. tut.

Ibidem in hæc verba. *Et videtur quod non.*

Hoc verum in litteris seu mandatis Parlamenti secus judicum inferiorum.

Ibidem num. 109. in hæc verba. *Secus autem in Clerico non uxorato.*

Quia contra talem cognoscitur de casu & articulo privilegiato, & super principali remittitur ad suum judicem Ecclesiæ.

Ibidem in hæc verba. *Dixi in casu emergenti, & consului.*

Videtur quod non, quia non potest suam sententiam exequi Ecclesiasticus, imo videtur quod posset quando de quasi possessione omnino incorporali agitur, ubi non requiritur executio realis afficiens territorium, tamen dixerunt mihi Advocati, quod nullo modo potest ullo casu, & hoc servatur.

Ibidem num. 110. in hæc verba. *Sed ipsemet dicit contrarium.*

Quod procederet ubi dubitaretur de jure, secus si solum esset quæstio facti.

Ibidem in hæc verba. *Item etiam cognoscunt de delicto commisso in præsentia Judicis.*

Bene quidem potest honorem suum deffendere, sed ultra procedere ad principalem delicti punitionem, puto quod non possit.

Ibidem in hæc verba. *Vbi dicunt quod illa lex non habet locum in Clerico.*

Imo ut ibi dixi.

In §. 1. *Espaves.* In Textu. *Espaves.* num. 1. in hæc verba. *Sed mihi videtur quod talis res potest dici & debet pro derelicto.*

Et in hoc sensu puto intelligendam hanc consuetudinem, & sic non fiunt occupantis, sed à capiente superior aufert, & ab eodem auferet Dominus probans rem suam, si non constet pro derelicto habitam.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Numquid virtute hujus nostræ Consuetudinis acquiratur Domino habenti altam justitiam.*

Non puto, quia non est res oberrans, & hæc Consuetudo est distinguenda.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Et tunc est Domini directi.*

Imo emphyteotæ quoad utile dominium sicut ipse fundus.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Quod reddatur ei thesaurus.*

Falsum est quia numquam fuit in dominio venditoris, & jure gentium quæsitus est emptori.

Ibidem in fine num. in hæc verba. *Quoniam dicta pecunia non videretur vendita.*

Hic secus quia non est thesaurus, sed pecunia.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Ideo non est multum insistendum.*

Hoc falsum puto quia iste acquirendi modus non est jure civili introductus, ergo juri gentium statur quo invenienti & apprehendenti quæritur.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Sed contrarium tenent Alvarotus & Cardin. Alexandrinus.*

Idem summa Angelica verbo *inventa.*

Ibidem in Textu. *Advenuës & trouvées.* num. 1. in hæc verba. *Requirit apprehensionem & captionem.*

Falsum ut tenet Bald. leg. Et servorum. ff. de statu hominum.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Et non sufficit sola inventio.*

Ego contra omnes istos audacter teneo contrarium, quia ipsa mens debet attendi quæ essentialiter est ipsum statutum, ut dicit Baldus l. 1. ff. si cert. petat. & per not. Alexand. consil. 75. vol. 5. non obstat. leg. si barbaroram. quia ibi mens promissionis inventionem effectualem requirebat, unde attenditur & sic facit pro me & hoc tenuit Ang. de Malefic. fol. 128.

Ibidem in hæc verba. *Dixi quod non.*

Et malè.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Nisi personaliter citatus.*

Hoc satis congruit menti.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Nisi probet dolum abfuisse.*

Idem per Jasonem in leg. quod te mihi. ff. si certum petatur.

Ibidem in Textu. *An territoire.* num. 15. *Item adde quod per solutionem census probatur subjectio.*

Verum est de subjectione censuali seu rei ipsius respectu proprietatis, sed subjectio personæ nullo modo, nec etiam subjectio rei quoad jurisdictionem.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Propter illas dicitur habere territorium.*

Falsum ut not. leg. Episcopalis. cod. de Episcop. & Cleric. cap. si quis contra. de foro comper.

Ibidem in Textu. *Haut justicier.* num. 2. in hæc verba. *Le droit de indire.*

Quia appellatio dominii est æquivoca, & sic refertur ad subjectam materiam.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Habet confiscationem.*

Scilicet mobilium omnium vide Rom. singul.

In §. 2. *Le Seigneur haut justicier.* In Textu. *Par l'espace de 40. jours.* num. 2. *Idem Alexand. in consilio suo 34. in 5. vol.*

Imo in consilio 135. adest ultimum in 4. vol.

Ibidem in Textu. *Et la preuve.* num. 7. in hæc verba. *Nam etiam requirit bonam fidem.*

Imo quia actus positivus requiritur in præscribente. cap. Possessor. de reg. jur. lib. 6.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Et sic non intelligitur in his quæ sunt per Principem in privilegium concedenda.*

Taliter quod aliàs non solum, non prosit homini possessio, vel non possit haberi possessio, ultra hoc quod persona sit incapax. ut Marsil. sing. 180.

Ibidem num. 13. in hæc verba. *Laicus per tale tempus non præscribit decimas.*

Nisi teneat eas in feudum ab Ecclesia, & alleget titulum infeudationis ante tempus Lateranensis Concilii, quia hoc sufficit, licet non probet aliter jus de hoc sit fama, ut not. in quæst. Tholos. 439. talis enim titulus hoc casu est satis verisimilis, ex quo communiter habetur concessus, sed in aliis materiis ubi non est communiter concessum tale privilegium, non putarem sufficere illud allegare, probato tempore immemoriali, quando persona est incapax nisi forte probaretur fama de privilegio quod sufficeret. ut tenet Felin. c. causam quæ. col. 1. de præscriptionibus.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Videtur tenere contrarium.*

Et malè.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Item etiam probatur dominium per famam antiquam.*

Hoc puto verum si de 100. annis, vel tempore immemoriali, aliàs non.

Ibidem n. 17. in hæc verba. *Item dic quod testis interrogatus super fama, nesciens quid sit fama, non probat.*

Id est si nesciat ipsum factum, non autem vocabulum. Bald. in rubric. ff. si cert. per.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Tertio ergo casu est quando testis est interrogatus super causa criminali.*

Falsum.

. Ibidem num. 20. in hæc verba. *Quia tunc hoc casu dictum ejus non probat.*

Hoc dictum est falsum.

Ibidem in hæc verba. *Sed juramentum suppletivum non est propria probatio.*

Ego dico quod istud procedit quando per statutum requiritur probatio ad consequendum aliquid exorbitans à jure communi concessum sub ea conditione per statutum, quia tunc debet fieri stricta interpretatio, sed in casu nostro probans nil petit contra, imo secundum jus commune non sufficit probatio juris communis: plus dico quod probatio per verisimiles conjecturas sufficeret, ubi alias contra tertium possessorem, scilicet Dominum asserentem non sufficeret, quia plus favendum est in re dubia actori quam adventitio lucro. leg. non solet. ff. de reg. jur. quare iste bonus pater sub prætextu subtilitatis errat. leg. ii servum. §. 1. de verb. oblig.

Ibidem in Textu. *En payant les dépens.* in hæc verba. *Sed bene compensantur cum fructibus.*

Si tamen interim sunt fructus, qui si ascendant usque ad impensam alimenti illam confundent si ultra hoc si perceptum fuerit restituendum est.

In §. 3. *Celuy qui trouve espaves.* num. 2. in hæc verba. *Potero retinere donec damnum fuerit mihi emendatum.*

Secus est in animalibus quæ licet possint retineri ut moneatur Dominus, non tamen possunt pro damno retineri, quia faciliter pereunt per l. quamvis alienum. ff. ad l. Aquil. ita Barth. dict. leg. hoc amplius. ut Cæpol. d. tractat. de servit.

In §. 4. *Le droit de indire.* num. 22. in hæc verba. *Etiam inconsulto Romano Pontifice.*

Facit quod not. Hugo. in lib. 2. de Sacramentis. ut refert Aug. de Anchona. in tract. de potestate Ecclesiæ. quæst. 73. art. 3. quod temporalia data Ecclesiæ nunquam sic separantur à terreno illo Domino quin si egeant sit conferendum.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Ex quibus & pluribus aliis motivis, Christianissimus Francia Rex noster Franciscus primus.*

Heu quam graviter angariata, ne dicam deprædata est Ecclesia sub regno ejus, idque ut nulla rationabili causa persæpe factum, ita nullo rationabili effectu fere exhaustum & absorptum, marcente populo, Rege captivo, periclitante Regno.

Ibidem num. 32. in hæc verba. (*Ut dictum est supra*) *venire aut dispensare.*

Hoc verum in totum tollendo secus in aliquo casu, & ex rationabili causa, ut tenet Aug. de Anchona. de potestate Ecclesiæ. quæst. 73. art. 3.

Ibidem in Textu. *Mariage d'une fille.* num. 5. in hæc verba. *Sic etiam pro filia naturali, & spuria Domini maritanda.*

Hoc falsum puto, quia hæc Consuetudo est strictissimè interpretanda, ideo non intelligitur de naturalibus, non obstat quod pater tenetur eam dotare, quia verum est modice, modo sine penuria possit vivere, non autem magnifice, ut oporter legitimam, & sic ratio Consuetudinis cessat, quia cessat gravis sumptus Domini.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Alexand. in dicto consil. 35. in 2. vol. supra allegato.*

Et malè.

Ibidem num. 9. In hæc verba. *Qua ratio habere posset locum in fratre.*

Certe ista ratio multum stringit pro hac parte, quia videtur hæc fuisse ratio consuetudinis, tamen quando ista non est expressa, ut colligitur ex aliis verbis, non est nostrum illam conjecturare præcise, quia etiam aliæ rationes potuerunt esse. leg. si vero. §. de vito. ff. sol. matrimonio. Ideo sto in terminis consuetudinis, quod non possit exigi pro filia, postquam mortuus est pater, quia cessant verba, ergo dispositio. leg. 1. ff. de exercit. act. etiamsi disposuisset exigere quod antequam exactio sit imposita non est debita, sed in potentia ut debeatur, sed si filia maritata est, indicto imposito, vel etiam declarato, quod istum casum eligebat, decedat pater, unde poterit post exigi, quia impleta conditione, & secuta declaratione debitum est.

Ibidem in hæc verba. *Et petiit istud munus.*

Et sic statim cœpit deberi.

Ibidem in hæc verba. *Posset dici quod filius ejus posset istud munus petere & exigere.*

Hoc satis verum puto, quia ex quo moritur, & sic verificatur quod non potest aliam filiam habere, apparet quod non est opus declaratione pro qua filia eligat hoc indictum.

Ibidem in hæc verba. *De qua filia volet.*

Ideo quia quando sunt plures filiæ vel esse possunt ad conditionis implementum, requiritur matrimonium, & ejus electio.

Ibidem in hæc verba. *Quando casus ei accidit.*

Quia generat filias, & maritat.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Quod quando relinquitur pro dote seu matrimonio.*

Secus si pro ea maritanda, quia tunc ante petitur data cautione de impendendo in nuptiis, quod sufficit, licet non sequantur Bart. ibi. Alexand. consil. 77. vol. 5.

Ibidem in hæc verba. *Quod non sufficit quod fuerit ei assignata dos.*

Imo quod illo casu sufficiat. tenet ibi Bart. & est verum.

Ibidem in hæc verba. *Et non fuerint secuta nuptia.*

Sed post mortem patris sequentur.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *In casu tamen veri ultramarini videretur secus.*

In hoc credo sufficere destinationem, ut exigatur cavendo de implendo, & sufficit in hoc impendi, licet per casum deficiat quo casu quod non fuerit in hoc bona fide impensum, debebit restitui tanquam datum ob causam.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Possint illud quod solverunt repetere ab hæredibus dicti captivi.*

Ego dico quod sic tanquam datum ob causam non secutam.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Ergo predicto matrimonio homines non tenentur.*

Hoc verum nisi malitia suppleat ætatem quia requiritur & sufficit verum & substantiale matrimonium.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Ita etiam tenet per multa Dominus meus Jason.*

Imo Jason. ibi. co. 21. tenet quod pater tenetur dotare. idem quæst. Tholos. 290. ideo dic aut filia nubit non turpiter indigno, etiam invito patre, & non potest exhæredari, sed debet dotari sive dotem promisit, sive non; aut nubit turpiter indigno sine consensu patris, & ante 25. annum. & potest exhæredari per §. si alicui. 11. in fine in Auth. ut cum de appell. cognos. & licet in masculo jure digestorum hæc esset justa causa exhæredandi, puta si turpi personæ se conjunxerit. vide Cujacium ad novel. 18. fol. 1702. in prioribus. jure novo secus. Bart. leg. non tamen. §. si emancipatus. ff. de bon. possess. contra tabul. sed in filia sic, & per consequens non debetur ei dos, sed post 25. annum non imputatur filiæ sed parentibus.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Et dixerit se & suo genere maritum indignum.*

Turpi indignitate.

Ibidem in hæc verba. *Et sic an possit ei denegare dotem.*

Sic si sumatur propter indignum, licet matrimonium reveat.

Ibidem in hæc verba. *Et dicit quod hodie ista non est justa causa exhæredandi filiam vel privandi dote.*

Imo si turpem personam accipiat.

Ibidem in hæc verba. *Tamen adhuc potet tenetur eam dotare.*

Hoc verum si non turpiter indigno, nec distinguo promiserit dotem, necne.

Ibidem in hæc verba. *Cautela est quod promittat.*

Hoc nihil facit.

Ibidem in hæc verba. *Et hoc credo esse verum.*

Et est respectu filii, sed non filiæ, ut potest per textum d. §. causas. in fine.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Quia invitus non compellitur.*

Et bene, quia potest hoc onus remittere hæredibus suis.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Verum possit pro se maritanda istud munus exigere.*

Non, sed pro sua filia potest, & etiam in primo & ultimo casu, sed non in secundo, quia non potest cadere in eam.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *An præsentatus ab uxore.*

Iste tenet quod præsentatus ab uxore. Idem Jason. leg. divortio. §. si fundo. ff. solut. matrimonio. Felin. cap. cum Bertholdus de re jud. sed dic contra.

Ibidem in Textu. *Nouvelle chevalerie.* num. 3. in hæc verba. *Videtur primo dicendum quod sic.*

Ego dico quod non.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Quod non valet Consuetudo, vel statutum in contrarium.*

Imo valet.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Quod privilegium concessum militi, & Doctoribus concedi videtur.*

Proportionabile.

Ibidem in Textu. *Et sur les hommes sujets.* num. 2. in hæc verba. *De quo homagio personali ratione jurisdictionis.*

Licet nullam terram teneat ab eo.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Quam adventitio lucro in dubio.*

Non debet.

Ibidem num. 42. in hæc verba. *Quod potest esse justa causa.*

Idem Aug. de Anchona. de potestate Ecclesiæ. quæst. 73. art. 3.

Ibidem num. 43. in hæc verba. *Teneret concessio.*

Nisi status Ecclesiæ deformaretur.

Ibidem num. 66. in hæc verba. *Videtur quod sic.*

Hoc non esset verum in hoc casu, quo negatur subjectio quæ est fundamentum jurisdictionis, sed in aliis erit Ballivus, vel præpositus judex inter suum Dominum & servum, licet possit recusari, & tunc alii delegabit. fa. not. Panorm. in cap.

Ibidem in Textu. *De haute justice.* in hæc verba. *Mihi videtur dicendum quod non per textum nostræ Consuetudinis.*

Iste elucidator hallucinatur, ego audacter dico quod imo possunt per formalem textum Consuetudinis, qui solum altam justitiam ponderat, & non requirit quod sint absolutè homines sui, sed quod sint homines sui in alta justitia ergo hoc sufficit, & etiam alias sequeretur absurdum quod subditi mediati numquam hæc munera subirent, & melioris essent conditionis quam subditi immediati.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Homo enim hominis mei, non est homo meus.*

Hæc ratio hîc non quadrat, quia respectu altæ justitiæ sunt præcisè homines mei, tum etiam hæc ratio propriè procedit in juribus discretis & non derivatis à primo Domino, alias subditi secundi, sunt subditi primi non simpliciter, sed saltem mediate.

Ibidem in hæc verba. *Tamen homines ipsorum Barones, non sunt homines ipsius Regis.*

Scilicet absolutè & immediate, sed mediatè sic.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Non sufficit quod sint subjecti in alta justitia.*

Imo quia hoc est jus altæ justitiæ.

In §. 5. *Si aucun commet simple larcin.* num. 2. in hæc verba. *Sed credo quod errat in hoc.*

Imo non errat, quia verba sumenda sunt propriè. leg. non aliter. de leg. 3. sed in homine est plagium si liber est, & secundum quod frequenter accidit. leg. nam ad ea. de legibus.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Ita notanter dicit Bartholus.*

Corsetus verbo *Extensio.*

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Numquid autem denegatio restitutionis rei dicatur furtum.*

Sic sed non putarem hoc comprehendi, nisi secundum communem usum loquendi. leg. Labeo. §. 2. de suppel. leg.

Ibidem in Textu. *Si aucun.* num. 2. *Quia in materia pœnali & odiosa masculinum concipit fœmininum.*

Nisi odium esset irrationabile. nor. leg. quisquis. cod. ad leg. Jul. majest.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Potest Judex secularis forbannire.*

Imo quod non habet jurisdictionem in personam, nisi in casu privilegiato.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Nisi sit infamatus.*

Hoc falsum, quia jure non probatur, ut tenet Panor. cap. gravis. de depositio. Felin. cap. olim. de rescriptis. licet sibi contrarius sit in cap. at si Clerici. de judiciis. & malè.

Ibidem in Textu. *Simple larcin.* num. 8. in hæc verba. *Quæ quidem pœna æquiparatur pœnæ banni.*

Si pro delicto impositi, vide quæ not. ad Bartol. meum. ff. de cap. min.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Quam extendo etiam si de delictis alibi commissis fuissent punitus.*

Illa enim punita, iterum non puniuntur, sed ultimum qualificatum punitur.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Nunquam fuisset perjurus.*

Falsum indistinctè, etiamsi non esset infamis per not. cap. testimonium. de testibus.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Redit per recidivationem.*

Falsum.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Priora delicta redeunt.*

Imo numquam redeunt, sed per ea ultimum qualificatum, ita quod est gravius.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Et Felin. in cap. cum te. in 2. col. ff. de re jud.*

Imo quoad pœnam criminalem, & etiam civilem. leg. qui ea mente. ff. de furt.

Ibidem in Textu. *Pour la premiere fois il sera puny.* num. 1. in hæc verba. *Dic quod pro furto quæ non debet mori.*

Idem Jason. §. pœnales. inst. de act. vide in repetit. §. famosos. leg. capitalium. ff. de pœnis.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Sed non video quod dicant quod pro defensione res tantum licitum sit occidere.*

Et hoc verum, quod non licet nisi subsit probabile periculum personæ, & sic tunc pro persona, ita tenet Joan. de Anag. cap. suscepimus. de homicidio. vide in repet. d. §. famosos.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Quia pro illo potest furca suspendi.*

Certe vi statuti non posset pro uno quantumcumque enormi suspendi, quia statutum in forma debet servari, sed vi Consuetudinis derogantis juri communi, & arbitrii judicibus dati, procedit dictum Bald.

Ibidem in Textu. *Ou mutilation de membres.* num. 4. in hæc verba. *Ita tenuit Angelus, Aretinus.*

Et placet.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Intelligitur de ambabus manibus.*

Falsum puto.

Ibidem in Textu. *A l'arbitrage du Juge.* num. 2. in hæc verba. *Quæ dicit quod sic.*

Et puto glossam veram & illam intelligo quando circunstantiæ & gravitas exigunt.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Non potest arbitrari pœnas mortis.*

Imo potest si proportionetur delicto.

Ibidem in Textu. *Et s'il renchiet.* num. 1. in hæc verba. *Et possint intelligi de continuatis.*

Ego puto quod intelligatur de distinctis furtis quia quod est verisimilius debet prius attendi quam assimatur minimum. cap. in obscuris. de reg. jur. lib. 6.

Ibidem in hæc verba. *Quod per ista verba, sex vicibus, intelliguntur sex furta.*

Et placet si dicat de diversis rebus & temporibus.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Capitulo quia suspectos.*

Idem Corsetus. verb. *testis.* 13.

Ibidem in Textu. *Il en perdra la vie.* num. 3. in hæc verba. *Nec est verum quod sit major pœna, quam pœna abscissionis capitis.*

Imo & ignominiosior.

Ibidem in Textu. *S'il n'a grace.* num. 19. in hæc verba. *Quod stipendiarii in bello licito licite depradantur pro victu.*

Falsum, nisi stipendiis & aliis deficientibus.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Qui tempore famis eorum hæritagia vendunt.*

Falsum est contra leg. non idcirco. cod. de contrahend. emptione.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Secundum Scotum in 4. distinct. 15.*

Summa Angelica. verb. *Furtum.* §. 37.

Ibidem num. 28. in hæc verba. *Dicunt quidam quod non.*

Idem summa Ang. verbo. *Furtum.* §. 37.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *In casu necessitatis permissum est confiteri laico.*

Sed non est sacramentalis.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *Vt inde faciat eleemosynam existenti in extrema necessitate.*

Idem summa Angel. verb. *Eleemosyna.* §. 7.

Ibidem num 39. in hæc verba. *Et ista mihi videtur verior.*

Nisi concurrant aliæ conjecturæ. vide Marsilium singul. 22.

Ibidem num. 41. in hæc verba. *Nisi essent aliqui assasini mala conditionis & fama qui confiterentur.*

Dic hoc non sufficere, nisi de delicto aliqua appareant indicia in specie per not. ad Ang. de Malefic. fol. 125.

Ibidem in hæc verba. *Piscatum fuit corpus & non inventum.*

Adde Angel. de Malefic. fol. 63. & 125.

Ibidem in hæc verba. *Tamen condemnatus fuit ad mortem dictus Masserius.*

Et bene, quia erant de delicto in specie indicia verisimilia & propinqua.

Ibidem num. 47. in hæc verba. *Vbi Papa ex causa daret uni Principi potestatem judicandi de Clericis certi loci vel territorii.*

Et certis casibus, & modo limitato.

Ibidem num. 48. in hæc verba. *Privilegium de jure divino.*

Hoc verum quando exemptionem personarum Clericorum Deo servientium in aliis, & quoad reliqua, est de jure humano.

Ibidem num. 50. in hæc verba. *Seu quavis alia persona Ecclesiastica.*

Etsi non dimiserit habitum & tonsuram.

Ibidem num. 51. in hæc verba. *Ita est textus in cap. 1. de Apostat.*

Intellige quod immiscear se sævis & enormibus, ut ibi. & cap. ex parte. de privileg. alias non ipso facto, sed trina monitione vel peremptoria cum debito intervallo perdit. cap. contingit. cap. in audientia. de sententia excommunicationis.

Ibidem num. 54. in hæc verba. *Nisi exerceat arma, vel sæva.*

Et hoc verior vero.

Ibidem num. 55. in hæc verba. *Tenent contrarium dicentes.*

Et malè.

Ibidem in hæc verba. *Qui secundo vel tertio monitus non desistit.*

Infra annum, sed post annum sine monitione, & in hac infami arte non referat, an habitum & tonsuram ferat.

Ibidem num. 57. in hæc verba. *In omnibus illis casibus per Judicem Ecclesiasticum est degradandus.*

Imo in casibus quibus ipso jure omne perdit privilegium, non requiritur degradatio ad perditionem privilegii, tamen satis puto quod quodad eos qui sunt constituti in sacris, requireretur priusquam fieret corporalis executio.

Ibidem in hæc verba. *Ego crederem quod semper in casibus præcedentibus.*

Sed non est verum.

Ibidem in hæc verba. *Si tempore commissi delicti habuerit habitum & tonsuram.*

Quid si post delictum reassumpserit habitum & tonsuram, puto non prodesse.

Ibidem in hæc verba. *Imo videtur adhuc tenere quod requiratur tertia monitio.*

Et malè.

Ibidem num. 59. in hæc verba. *Quod cognitio an habitus sit Clericalis.*

Vel non, idem Auffrer. fol. 35. & bene.

Ibidem in hæc verba. *Requiritur trina monitio.*

Nisi sævis & enormibus se immiscear. cap. ex parte. de privileg. cap. 1. de apostat. cap. perpendimus. de sententia excommunicationis.

Ibidem num. 60. in hæc verba. *Quia uxor est de foro viri.*

Scilicet temporali domicilii habitationis viri, non tamen de spirituali, quia nulla ratione aut jure cavetur.

Ibidem in hæc verba. *Vndecimo fallit propter defectum justitiæ seu negligentia judicis Ecclesiastici.*

Hoc verum quum non potest consuli per recursum ad superiorem, & credo super hoc fundantur multæ vix abusus.

Ibidem num. 63. in hæc verba. *Sicut in lenonibus.*

Hoc plus placet.

Ibidem num. 65. in hæc verba. *Credo tamen quod opinio Benaguida sit verior.*

Imo.

Ibidem num. 66. in hæc verba. *Videtur quod sic.*

Dicas quod non.

Ibidem num. 68. in hæc verba. *Cum votum trahatur retro.*

Truffa est.

Ibidem num. 70. in hæc verba. *Etiamsi alii sint laici.*

Hoc est falsum, & rationes sequentes non concludunt, ideo sto juri communi, licet istud late teneat. Marsil. singul. 180.

Ibidem in hæc verba. *In casu emergenti.*

Et malè, & est societatem in delictis provocare.

Ibidem num. 71. in hæc verba. *Curia secularis consuevit illos civiliter punire.*

Hoc est indubitanter verum, quando ante Cleri-

tatim jam erat ratiociniis obnoxius. leg. si quis curialibus. cod. de Episc. & Cleric. Joan. Fab. leg. quisquis. cod. eod. sed si post cœpit administrare, non est verum de jure quod ob hoc subsit judici sæculari, tamen quod hic dicitur, est satis rationabile, & per Consuetudinem induci potest, quia in hoc non divina, sed positiva tantum exemptio restringitur, & ita servatur.

Ibidem num. 72. in hæc verba. *Et quod debebat.*

Hoc verum jure positivo Canonum.

Ibidem num. 81 in hæc verba. *Quod detinentur in carceribus Episcopi Parisiensis usque ad satisfactionem emendæ.*

Adde Joan. Galli. quæst. 3.

Ibidem num. 88. in hæc verba. *Fallit in Clerico in artificio delinquente.*

Nota quod Clericus solutus mercator publicus forte nec habitum gerens, nullum perdit privilegium fori de jure canonico, & etiam trina secuta monitione, solum perdit in rebus. cap. final. de vita & honest. Clericorum. tamen quod Clericus solutus, etiam & publicam negotiationem exercens, perderet fori privilegium in civilibus, & extra materiam delicti, esset multum rationabile, ut sicut excedit suos terminos, à non suis excederetur, & posset hoc per Consuetudinem vel statutum non recognoscentis in temporalibus superiorem hoc loco induci, quia non est hoc contra jus divinum, quo solum personæ Clericorum ordine & effectu sunt exemptæ, & hoc servatur. paret in arrest. fol.

Ibidem num. 92. in hæc verba. *Eo quod temporalia Clericorum subjiciuntur legibus.*

Hoc probat Oldrad. consil. 17.

Ibidem num. 95. in hæc verba. *Quando terrena fuit parva.*

Et metus.

Ibidem num. 96. in hæc verba. *Sed tantum in solvendo.*

Attendatur Consuetudo.

Ibidem num. 99. in hæc verba. *Ut sciunt multi quos docuit experientia.*

Credo quod iste aliquid fuit expertus mali, cum etiam in 2. parte dicat se uxoris stimulis impeditum.

Ibidem num. 101. in hæc verba. *Ipse reus condemnatus liberabitur.*

Idem Corsetus. verb. *Cardinalis.*

Ibidem num. 102. in hæc verba. *Est scilicet intrando Religionem.*

Falsum, quia etiam baptismus subsequens eum non eximeret.

Ibidem num. 105. in hæc verba. *Sed ex aliquo defectu juris.*

Imo solum ubi jure exprimitur. Panorm. cap. 2. de apostat.

Ibidem in hæc verba. *Satis potest dici quod valeret talis ingressus.*

Et hoc dummodo non appareat quod sit in fraudem, sed ubi semel & per Judicem præmentur, non prodest subsequens mutatio. Oldrad. in quæst. 4. Bald. leg. officiales. cod. de Episc. & Clerc.

Ibidem num. 111. in hæc verba. *Scilicet ut citetur & fiat missio in bonis.*

Et hæc vera. Panorm. cap. inter alia. de immunitat. Eccles. vide Oldrad. quæst. 54.

Ibidem num. 113. in hæc verba. *Non gaudet immunitate, nec etiam privilegio Clericali.*

Dic quod immunitate non gaudeat, est de jure divino. Exod. 21. cap. sed privilegio Clericali omnino gaudebit sicut in aliis delictis.

Ibidem num. 114. in hæc verba. *Poterit eum extrahere ab Ecclesia.*

Falsum est.

Ibidem in hæc verba. *Tunc non potest ad mortem puniri.*

Hoc verum si illicite est extractus, alias quoquo modo possit apprehendi pœna debita plectetur.

Ibidem num. 115. in hæc verba. *Sed etiam extra per 40. passus.*

Hoc verum, si illi passus sint Ecclesiæ dati, & religiosi facti, quia Reges non dederunt immunitatem nisi loco sacro.

Ibidem num. 119. in hæc verba. *Et forte posset dici hodie in eo qui confugit ad personam Principis.*

Hoc verum ut nihil fieri possit contra authoritatem Principis si velit gratiam facere, sed potius debet justitiam exercere.

Ibidem num. 120. in hæc verba. *Decimus nonus casus est in eo qui confugit ad Corpus Christi.*

Idem Henricus Boich. cap. sane. de immunit. Ecclesiarum. summa Ang. verb. *Immunitas.* §. 28.

Ibidem num. 121. in hæc verba. *Sed credo quod contrarium observaretur.*

Hoc placet, licet contradicat Oldrad. quæst. 54.

Ibidem num. 130. in hæc verba. *Quia habebitur pro confesso.*

Falsum ubi transactio est licita.

Ibidem num. 137. in hæc verba. *Debet interpretari & intelligi secundum jus commune.*

Hoc verum nisi repugnet propria significatio. per leg. non aliter. ff. de leg. 3. ut hic.

Ibidem num. 138. in hæc verba. *Et tunc isto casu bona retractantur.*

Et hoc placet, quia Princeps intendit adversus sententiam restituere, & sic quicquid virtute illius factum est recuperatur; & ita tenet Felin. cap. inter quatuor. de major. & obed. & hoc tenet iste infra. fol. sequ.

Ibidem num. 140. in hæc verba. *Quod non intelligitur in fructibus.*

Imo.

Ibidem in hæc verba. *Et nunc putat posse tenere contrarium.*

Et hoc verum puto.

Ibidem num. 146. in hæc verba. *In verbo plenitudine gratiæ nostræ.*

Imo puto quod sunt verba executoria quæ non ampliant principale dispositum, ideo videndum an sit indulgentia, an restitutio.

Ibidem num. 147. in hæc verba. *Non recuperat officium.*

Hoc placet.

Ibidem num. 148. in hæc verba. *Iason. in leg. si tibi decem. ff. de pactis.*

Non si sit alii collatum.

Ibidem num. 149. in hæc verba. *Et in casu ubi condemnatio non excedit summam 25. librarum Turonensium.*

Hodie 50. libras Turonenses.

Ibidem num. 158. in hæc verba. *Non est opus in impetratione beneficii facere mentionem de nobilitate.*

Hoc verum, sed etiamsi illam non habens exprimat, mentitur & deterior & falsa expressio, quam omissio defectus. per not. cap. super litteris. de rescriptis. iste hallucinatur.

Ibidem num. 163. in hæc verba. *Secus in omittendo.*

Idem Corset. verbo....

Ibidem num. 166. in hæc verba. *Nisi rescriptum esset geminatum.*

Etiamsi esset geminatum pro ultimo delicto, non puto prodesse, quia non plus hoc operatur, quam motus proprius, qui tamen non valet ultra intentionem concedentis. glos. Clement. si Romanus. de præbendis.

Ibidem num. 172. in hæc verba. *Videtur primo quod Princeps non possit facere.*

Hoc verum quando de facto per probationem constat de delicto.

Ibidem in hæc verba. *Sed tamen in hoc casu videtur quod Princeps possit facere.*

Hoc verum puto quoad evitandum condemnationem criminalem ubi de culpa & quatenus dolo fuerit clam non constat, quia quantum ad civilem condemnationem præsumitur in dubio contra eum quem facto offendisse constat, ut not. per glos. leg. 1. §. cum arietes. ff. si quad. paup. fec. dicat.

Ibidem num. 175. in hæc verba. *Et quid si creditor laceravit instrumentum debiti, quomodo probetur delictum.*

Vide Petrum Gerardum. singul. 16.

Ibidem in hæc verba. *Decimus quartus ad probandum Judicem sibi suspectum fore.*

Hoc verum jure civili, sed jure canonico oportet probare coram arbitris. cap. super quæstionum. de officio & potest. jud. delegati.

Ibidem in hæc verba. *Vicesimus quando in contumaciam.*

Nihil est.

Ibidem in hæc verba. *Ad probandum Capitula.*

Spiritualia.

Ibidem in hæc verba. *Et quod sunt modica.*

Et verisimiles.

Ibidem in hæc verba. *Dicit se emisisse votum.*

Falsum nec verum prodest.

Ibidem num. 193. in hæc verba. *Super quo est hodie regula Cancellaria Romana, quæ est octava in ordine incipiens.*

Et ibi vide in glos.

Ibidem num. 185. in hæc verba. *Videtur quod non.*

Tum quia authoritate propria non potest capi, tum quia non potest sine Bullis expeditis processus fulminari. reg. canc. 29. idem Calder. consil. 13. vide in libro meo pract. quæst. 73. ideo in veritate juris est concludendum abusum esse notorium à temporalibus nostris judicibus recipi partes in possessorio beneficiali super signatura, & ad illam verificandam, quia constat de non possessione partis. Et tamen nostri Judices sæculares de facto in possessionem mittunt sua authoritate usurpantis institutionem realem quæ ad Archidiaconum spectat jure communi saltem ad Ecclesiam, & est abusus notorius & periculosus, quia solum possunt legitime captam possessionem conservare, dic quod non est abusus ex quo mittitur, habet titulum à superiore qui de jure divino & naturali sufficit.

Ibidem num. 193. in hæc verba. *Aut in bonis incorporatis.*

Imo si sit restitutio.

Ibidem num. 194. in hæc verba. *Dicit quod non.*

Dic ut supra.

Ibidem num. 196. in hæc verba. *Impetrans gratias à Rege Franciæ.*

Et bene ob confiscationem bonorum temporalium spectantem ad Dominum temporalem. Oldrad. quæst. 17.

Ibidem in Textu. *Du Prince.* num. 14. in hæc verba. *Quoad subditos eorum.*

Falsum.

In §. 6. *Messiers & Sergens sont crûs.* in Textu. *Messiers & Sergens.* num. 10. in hæc verba. *Auro his nostris diebus ordinantur & creantur.*

Et hac veluti contagione infecta marcet respublica.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Tunc hoc casu actus est nullus.*

Hoc hodie non procedit, ut not. Felin. cap. Rodulphus. de rescriptis.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Tit. des confiscations.* §. 1. *versic.* 67.

Imo nisi condemnetur de hæresi.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *Quod non possit sine consensu Episcopi.*

Imo consensus Episcopi non sufficit.

Ibidem num. 37. in hæc verba. *Quod essent privati privilegio Clericali.*

Imo spiritualis monitio requiritur. Panorm. dicto cap.

Ibidem num. 41. In hæc verba. *Sed mulierem non potest esse testis in causis criminalibus. cap. Mulierem.*

Verum est jure canonico, sed civili secus. leg. ex eo. ff. de testib.

Ibidem num. 97. in hæc verba. *Et credo quod non in diebus feriatis in honorem Dei.*

Imo.

Ibidem num. 99. in hæc verba. *Quod quis non potest se obligare sub vinculo excommunicationis.*

Directè se non obligat, sed subit præceptum Judicis sub illa pœna, in quo multi fiunt abusus. vide quæ notavi ad cap. Petro & G. de offic. jud. deleg.

Ibidem in Textu. *Sont crûs.* num. 3. in hæc verba. *Nisi sit Cardinalis cui creditur sine literis.*

In concernentibus ea quæ sunt legationis generalis

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Probatio per unum testem, vel per famam.*

Falsum.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Non admittitur probatio per testes, nisi sint quinque.*

Contra.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Et ita vidi judicare in materia beneficiali in recredentia.*

Solum est suspensus ab executione simplici suspensione.

Ibidem in Textu. *De leurs rapports.* num. 5. in hæc verba. *An sit post modum illi standum quod sit falsa.*

Non quia suo officio perfunctus est.

Ibidem in Textu. *En messaige.* num. 3. in hæc verba. *Quod non potest recuperare à militibus.*

Imo potest per glos. ibi & per leg. si vero. §. cum autem. ff. de his qui dejecerunt.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Per leg. si bovem. ff. ad leg. Aquiliam.*

Intellige semper inciviliter expellendo & culpabiliter.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Non tenetur Dominus ad hujusmodi emendam.*

Corporaliter tamen puto quod semper teneatur civiliter ad damnum vel dandum pro noxa ad exemplum actionis de pauperie. leg. 1. ff. si quadr. paup. fecisse dicat. ibi non probatur. vide Henric. cap. si lxserit. de injuriis & damno dato. 317

Ibidem in Textu. *Insques à sept sols tournois.* num. 13. in hæc verba. *Quod etiamsi petierit centum solidos.*

Idem quæst. Tholosana. 208.

In §. 7. *L'amende de simple recousse.* in Textu. *L'amende.* num. 4. in hæc verba. *Quod pœna etiam in foro conscientiæ debetur.*

Vide Corset. verb. *Pœna.* summa Ang. verb. *Ex.*

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Quod ad primum spectabat emenda.*

Idem tenet Joan. Sainson. tit. 1. glos. 1. nisi pœna esset arbitraria.

Ibidem in hæc verba. *Licet tamen Guid. Pap. decis. sua 535. videatur tenere contrarium.*

Et hoc placet, quia non dicitur deberi illa mulcta sive pœna, nisi post sententiam. per not. leg. rescriptum. ff. de pactis. pag. 16. & 219. vide Benedict. fol. 159.

Ibidem in Textu. *De simple recousse.* num. 2. in hæc verba. *Non potest quis aliis demandare.*

Glos. leg. non fundum. ff. de vi, & vi armata. singularis secundum Felin. cap. quæ in Ecclesiarum. de constit.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Si autem injuste executus.*

Intellige

Intellige excedendo limites officii sui vel mandati, vel solemnitatis, secus si rite exequatur, licet injustè idem in judice.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Quod judici male exequenti.*

Hoc verum quando procedit ut privatus, videlicet excedendo jurisdictionem suam, vel mandatum, vel ordinem juris requisitum omittendo Panor. cap. conquerente. de restit. spol. alias secus.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Cum in Gallia omni appellationi sit deferendum.*

Sed hoc realem monitionem non impedit in instrumentis executivis & sententiis, non obstante appellatione executivis, alias sic.

Ibidem in hæc verba. *Et ideo credo quod spretis pradictis remediis non possit officiali exequenti, etiam injuste resisti.*

Nisi omnino ut privato procedenti.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Et ideo transeat cum cæteris erroribus Canonistarum.*

Error inemendabilis & pernitiosus.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *Puta quia dicit & refert quod citatus respondit se nunquam venturum.*

Dic quod creditur imo. Joan. de Anag. Felin. cap. ad petitionem. col. 9. de accusat.

Ibidem in hæc verba. *Bartholus tamen in leg. sciendum. ff. de verb. oblig. tenuit contrarium.*

Et plus placet.

Ibidem in Textu. *Suffisamment prouvée.* num. 3. in hæc verba. *Videlicet quando testificatur de facto suo proprio.*

Hoc est dictum. Panorm. leg. quicumque. de servis. fugit. & sequitur Alexand. consil. vol. sed reprobat hoc Jason. leg. admonendi. & bene.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Quod etiam non valet probatio per juramentum.*

Si simplex non autem intelligas de probatione suppleta per juramentum in causis modicis. juxta leg. in bonæ fidei. cod. de rebus cred. quia talis est legitima & vera, quia pro tali recipitur à lege.

In §. 8. *Quand le signe.* in Textu. *Le signe.* n. 19. in hæc verba. *Et in hoc videtur dicendum quod non.*

Ego puto quod sic, quia prioris signi remanet & sic non potest dici in totum corruisse.

Ibidem in hæc verba. *Nihil dico quia pendet processus.*

Putarem quod non est signum in totum erat sublatum.

Ibidem in Textu. *Le Seigneur haut justicier.* num. 3. in hæc verba. *Et sic hoc casu videretur, quod omne jus quod Princeps haberet ratione jurisdictionis, tali præscriptione esset amissum.*

Imo jus superioritatis, non.

Ibidem in Textu. *Et jour.* num. 8. in hæc verba. *An dies resignationis computetur in termino.*

Sic.

Ibidem in hæc verba. *Secundo an sufficiat quod ultima dies sit incœpta.*

Non, sed ita debet computari à momento resignationis, ut sint 20. dies naturales usque ad momentum mortis.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Et ea hora die 21.*

Computando diem resignationis.

Ibidem num. 22. in hæc verba. *In hoc jacent leges & Prophetæ.*

Si quoad hanc quæstionem, tamen clarissimum est, quod ortus solis tunc incipit quando sol est supra orizonta sive illius regionis seu climatis, videlicet simul atque videri potest, & radiis suis terra attingi, sed hoc non est in hoc climate in medio mensis Maii, nisi post horam tertiam à media nocte: unde dicendum quod defunctus decessit duabus horis ante solis ortum, unde quantumcumque albesceret, nominatio non spectabat ad Archusium,

& sic concludo pro Ludovico *Ferdenult.*

Ibidem num. 23. in hæc verba. *Quæ est quod non currit ignorantia.*

Imo contra videtur per not. Bald. d. leg. & tenet fol. seq. col. 2.

Ibidem num. 28. in hæc verba. *Sed in amittendo jus jam quæsitum non currit.*

Imo etiam quod currat. tenet Bald. dict. leg. fi. & videtur communis.

Ibidem in hæc verba. *Et videtur quod sic.*

Et placet.

Ibidem in Textu. *Sans congé & licence.* num. 6. in hæc verba. *Non posset cogi ad dandum & concedendum hanc licentiam.*

Imo posset cogi per superiorem, nec est verum dominum esse privatum per hoc.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Faciendo id quod non est signum patibulare signum.*

Hoc esset verum, si præpositis Marescallorum, seu alius hoc esset reservatum in proprium jus ac peculiare, alias jure communi liceret.

Ibidem num. 13. in hæc verba. *An debeant iterum causam examinare.*

Non ad plenum & via judiciali, sed bene se informando extrajudicialiter, ut not. in cap. cum contingat. de rescriptis.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Qui hoc modo erigunt furcas sine licentia Principis.*

Contra, quia illud non caret primordio veritatis, Marsil. singul.

In Rubrica 2. *Des confiscations.* in §. 1. *Qui confisque le corps.* num. 2. in hæc verba. *Possit bona ejus confiscare.*

Sic.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Cogita ex infra dicendis.*

Illi cui publicanda fuissent, quia illi fraus est facta.

Ibidem in hæc verba. *Quod omnia scelerate quæsita fisco applicantur.*

Tamen illa lex non bene probat, & Dominus de Stella insignis Doctor Aurelianensis præceptor meus tenebat contrarium dicens nihil applicandum fisco, nisi casibus a jure expressis, sed communis opinio est rationabilior.

Ibidem in hæc verba. *Sed fiscus.*

Imo venientes ab intestato. glos. leg. si quis mihi bona. §. 1. ff. de acquir. hæred.

Ibidem num. 40. in hæc verba. *Quoniam ut jam dictum est.*

Puto quod regulariter omnis confiscatio ad Dominum talis loci spectet omni casu.

Ibidem in Textu. *Qui confisque le corps.* num. 1. in hæc verba. *Et decis. Tholosana. quæst. 150. Tenens quod sic.*

Idem Bart. leg. 1. cod. de privat. delictis.

Ibidem in hæc verba. *In casu in quo bona veniunt confiscanda.*

Sed si sunt confiscanda, puto quod spectet ad Dominum altum justitiarium.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Qui confiscat corpus, &c.*

Hoc placet.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Retinet ea quæ sunt juris communis.*

Hoc verum, nisi pro delicto diffinitivè imponeretur bannum, ut terminus pœnæ, quia tunc debet attendi effectus banni, & tunc comparatio fieri, vide quæ notavi ad Bart. meum. d. leg. amissione.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Hodie etiam nullo jure confiscantur.*

Imo nunquam infligitur bannum, nisi cum expressa publicatione.

Ibidem in Textu. *Il confisque les biens.* num. 3. in hæc verba. *Et ibi omnes, videtur tenere contrarium.*

Et melius, quia sola administratio perditur. leg. penul. cod. ad leg. Jul. Majestatis.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Et ideo melius faciunt Itali quam nos.*

Imo nos melius, ut terreantur mali.

Ibidem in Textu. *Et appartient la confiscation.* num. 13. in hæc verba. *Et illam decis. Baldus refert & sequitur Alexander.*

Dic quod sententia secundum jus commune publicationis bonorum ubique extenditur, & immobilia applicantur fisco, in cujus territorio sunt, mobilia vero fisco judicio condemnantis. Ludov. Rom. singul. 578. Et hoc puto verum, etiamsi confiscatio fiat per consuetudinem, vel statutum particulare modo importet annihilationem status personæ.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Ubi non viget lex specialis.*

Imo si status personæ sit annihilatus per sententiam.

Ibidem in hæc verba. *Qui quidem annuus reditus est constitutus super aliqua re existente in alio territorio alicujus Domini qui habet potestatem habendi & levandi confiscationes.*

Quidquid iste diffusè involvat, dic breviter quod reditus annui super rebus constituti immobilibus, sive per dationem fundi, sive pecunia empti, tamen censentur pars rei, ideo illi reditus in se & futuris pensionibus spectant ad fiscum loci, ubi res affectæ reditui sunt, sed pensiones jam cessæ, & nomina mobilibus comparata, tanquam res mobiles spectant ad fiscum loci sententiæ, quocumque sint res vel debitores, ut tenet Alexand. consil. 111. vol. 4.

Ibidem in hæc verba. *Et non Domino illius loci ubi res est sita super qua debetur.*

Imo.

Ibidem num. 22. in hæc verba. *In hoc casu est, & minus dubium.*

Imo idem ut spectet ad Dominum loci rei tanquam pars fructuum rei quæ est affecta illi oneri, sed quid si debitor alterius territorii debet annuum reditum super se & bonis suis nulla re specialiter affecta, tunc dubito, sed magis puto quod debet spectare ad fiscum loci sententiæ, quia propriè ille est cui debetur confiscatio, & aliis fiscis non debetur, sed ipsi ratione territorii occupant bona affixa suo territorio; *Ores* hic reditus licet perpetuus, & ob hoc immobili comparandus in personali obligatione consistens, nulli territorio est affixus, nec dici potest loco circumscribi; ergo debet spectare ad fiscum loci sententiæ, & ita nunc dicerem, salva pleniori indagine. C. du Moulin.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Et non Domino altæ justitiæ.*

Ego dico quod domino altæ justitiæ quoad immobilia sita in suo territorio non obstat appositio manus Regiæ, quia nullius jus nec possessionem tollit, non obstat quod sententia trahat accessorium, quia fateor quod trahit mobilia & omnia non affixa, sed territoriis affixa manent habentibus jus confiscationis in territorio, quia ista sunt nimis gravia, nec possunt volare cum persona.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *Quæritur an ejus bona debeant confiscari secundum hanc consuetudinem.*

Ego dico quod confiscantur ubique, inspecto statuto loci ubi res sunt, quia hoc fit per annihilationem personæ quæ concurrit hic: sed successio hæredum fit per repræsentationem legitimam personæ, quæ nulla est, quia servus mortuus unde proprium hæredem habere non potest, & licet statutum Mediolani deferat ad hæredes specialiter non habet locum hîc, unde quæ hîc sunt, vacant, & sic in fiscum deferuntur.

Ibidem in Textu. *Haut Justicier.* num. 1. in hæc verba. *An ad proprietarium.*

Ad istum, sed interim in confiscato habet usufructuarius usumfructum.

Ibidem in §. 2. *Et est à entendre.* num. 1. in hæc verba. *cum maritus contra fiscum omnes actiones habeat omnino.*

Hoc satis verum puto quamvis uxor civiliter moriatur, quia ita est de jure, sed quid, si postea mulier moritur naturaliter, vel ob delictum fuit morte naturali affecta, certum est apud nos quod ejus dos, vel bona non transeunt ad hæredes, sed potius haberet fiscus, sed an remaneant marito. glos. in d. leg. quinque legibus. dicit quod lucratur maritus, tanquam culpa uxoris, soluto matrimonio, sed an sit verum apud nos?

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Sed per se non potest.*

Et sic si est annexum prædio transit cum eo, alias non, sed remanet Ecclesia libera.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Ita Doctores.*

Alias non, nisi ad vitam rei.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Quia qua non sunt transitoria ad hæredes extraneos non transeunt in fiscum.*

Hanc rationem non considero, sed jus ipsum emphyteoseos vel feudi limitatum in contractu.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Ergo si vassallus delinquatur, & bona publicentur, non publicatur feudum.*

Hodie cum sint patrimonialia transeunt in fiscum.

Ibidem num 14. in hæc verba. *Bona ad mortem damnati.*

Singul. 542.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Non veniunt ea qua subjacent restitutioni per fideicommissum.*

Hoc verum si casus restitutionis evenerit, alias transeunt cum onere.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Ita not. in leg. 1. cod. de bonis qua liberis.*

Nisi vivente reo.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Etiam naturaliter, vivente usufructuario.*

Sed extinguitur.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Quod veritas est in contrarium.*

Mentiris contra textum. §. fin. instit. de usufruct. ubi maxima & media capitis dim. finitur.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Quod talia alimenta non deberent confiscari cogita.*

Quod placet, quia etiam servis relicta tenent, quorum status nullus est.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Peculium profectitium & adventitium.*

Quod apud nos, confiscato corpore, filii famil. omnia ejus jura confiscarentur, salvo jure usufructus, si pater aut alius, ut *le bailliste*, vel alius jus habeat.

Ibidem num. 22. in hæc verba. *Consilio 59. in 10. & 11. col.*

Antequam sit quæsita reo non debetur nec confiscatur, tunc enim post, quia deficit postquam est quæsita censetur ut cætera bona.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Secus si mixta, vel potestativa. leg. in facto. §. fiscus. ff. de condit. & demonst.*

Iste non bene dicit, die quod jura conditionalia in ultimis voluntatibus non transeunt in fiscum activè, nec passivè quæcumque sit conditio, per leg. 1. §. sin autem. cod. de cad. toll. sed in contractibus transeunt activè & passivè, limito in conditione affirmativa in potestate confiscati qui non potest illam implere in præjudicium fisci. ita Bald. leg. fin. cod. de contrahenda empt. leg. executorem. cod. de execut. rei jud. vide in libro meo peculari.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Ut est textus ad literam.*

Imo in contrarium in §. uxores. ubi habetur quod dotes earum non confiscantur, nec etiam donatio-

nes eis à viris factæ, etiam matrimonio constante, nisi quando sunt filiis reservandæ.

In Rubrica 3. *Des fiefs.* num. 2. in hæc verba. *Et nihil ignoravit.*

Melius dixisset pauca.

Ibidem in §. 1. *Le Seigneur du fief.* in hæc verba. *dedans l'an & jour.*

De consuetudine Paris. *dans* 40. *jours.*

Ibidem in hæc verba. *Videlicet quod etiam hæres Domini.*

Hoc casu in consuetudine Paris. oportet venire 40. dies post proclamationem Domini.

Ibidem in Textu. *Pour cause de devoir.* num. 5. in hæc verba. *Bartholus dicit in d. leg. de pupillo. §. si plurium. in fine.*

Dig. de operis novi nunt. sed dicas quod sufficit præstare uni, videlicet antiquiori. glos. Bald. Card. Alexand. si de feud. fue. conten. inter Dominum & Acqui. Felin. c. 2 de major. & obed. Boer. etiam de consu. feud. §. 10. vide infra eod. §. 7. tit. 125.

Ibidem in Textu. *Dedans l'an & le jour après le trépas.* num. 1. in hæc verba. *Super investitura in possessorio.*

Falsum est.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *An vero illud solum tempus quod supererat defuncto.*

Ego dico indistinctè quod hæres in ætate faciendi homagii, habet solum tempus quod supererat defuncto, non obstant rationes seqq. quia dico quod est major ratio quæ præponderat ex potestate Domini cujus interest quod ei abest homagium, ideo à lapsu temporis præfiniti faciet fructus suos.

Ibidem n. 15. in hæc verba. *Primo videtur quod sic.*

Et hoc verum de nostra consuetud. Paris.

Ibidem in hæc verba. *Et allegat ibi consilium Panormitani, de Comite Fuxi.*

Consil. 3. vol. 2.

Ibidem in Textu. *Faire les fruits siens.* num. 5. in hæc verba. *Adverte etiam quomodo.*

Imo respectu Domini qui utitur jure suo.

Ibidem in Textu. *Ou à la personne de son principal Officier* num. 2 in hæc verba. *Quod licet institutio beneficii vacantis, per mortem sit nulla.*

Imo annullan la per cap. quod sicut. de elect. secundum communem causam. quæst. Tholos. 107. Corset. verbo. *Patronus.*

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Et tunc secus arg. leg. 1. ff. de cond. sine causa.*

Hoc placet.

Ibidem in hæc verba. *Nec illos cogitur restituere.*

Hoc verum si nullum esset gestum negotium inter Dominum & possessorem, sed hic filius, per conditionem sine causa fuit vassallo obligatus.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Et dicit quod inimicitiæ sunt considerandæ.*

Quando non fuerunt ad hoc affectatæ.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Ita quod statim post reconciliationem incipiat currere tempus.*

Ita si sit probabilis securitas veniendi arbitrio judicis.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Numquid vassallus debeat petere investituram ab utroque, an ab uno.*

Apud nos peteret à superiore.

Ibidem num. 30. in hæc verba. *Quia tale juramentum sufficit.*

Hoc est falsum ex parte ipsius vassalli seu jurantis, quia eo mortuo debet iterum jurare hæres, sed tamen ex parte Domini, si ipsi & successoribus sit juratum, non debet idem vassallus de novo jurare successori. Imo Panorm. Hentic. Boich. d. cap. veritatis.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *Nullum alium hoc dicentem legi præter Ludovicum Romanum.*

Falsum est.

Ibidem num. 33. in hæc verba. *Dicunt quod sic.*

Falsum puto, sicut sola oblatio non liberat debitorem.

Ibidem num. 39. in hæc verba. *Antequam respondeat suo libello.*

Hoc verum, quando absque eo non potest reus plene deliberare. vide quæst. Tholos.

Ibidem in §. 2. *Et en tels que touche les pupilles.* in hæc verba. *Dedans le terme d'un an.*

De consuetud. Parisiensi. *Le Seigneur baille saisine jusqu'à 20. ans aux masles, & quinze aux filles.*

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Et hoc est restituendus.*

Adverte de consuetud. Paris. ad homagium faciendum, masculus 20. annorum, & fœmina 15. reputantur majores, ideo dico quod tales quantum ad hoc non possent restitui jure minoris.

Ibidem in §. 3. *Le Seigneur du fief.* in eadem verba. *Le Seigneur du fief.*

Idem servamus.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Ex eisdem vassallus potest feudo privari.*

Intellige de causis in perniciem personæ commissis.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Imo requiritur quod Dominus fuerit conquestus in vita.*

Dummodo sciverit & vixerit per tempus sufficiens ad conquerendum secundum Panor. consil. 3. vol. 3.

Ibidem in Textu. *Et hommage.* num. 6. in hæc verba. *Homo hominis mei non est homo meus.*

Istud sine scrupulo procedit quando jura Dominorum sunt separata non dependentia ab invicem, sed ubi jus primi Domini ab ulteriore & superiore Domino derivatur, istud non est simpliciter verum, imo homo hominis mei est meus homo mediatus, & homo Baronis magis & primordialis est homo Regis.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Ergo ex præditis quod tria requiruntur.*

Imo istud primum solum.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Quem ex eis teneatur potius adjuvare.*

Quod primum. Rom. consil. 47. de Ferra. in lib. quando agitur ad renov. feud. glos. contra debitum fidelitatis.

Ibidem in §. 4. *Le vassal est tenu.* in eadem verba.

Idem de consuetud. Paris.

Ibidem in Textu. *Après ledit hommage, fait son denombrement & declaration.* num. 10. in hæc verba. *Et in suo integro custodietur.*

Falsum, s'il ne desavoue.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Primævo jure naturali omnis persona & omnis res erat libera. can. jus gentium. 1. distinct.*

Hoc specialiter falsum in Regno Franciæ ubi Rex est superior ratione jurisdictionis, & ratione dominii directi terræ, nisi aliquibus particularibus fundis allodialibus, quorum Domini habent directum dominium juris gentium, & cum istud sit contra universalem naturam Regni debet offendi.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *In qua quis habet jurisdictionem.*

Hoc falsum, sed bene ipsa jurisdictio quæ est jus discretum à fundo potest dici esse feudalis, quia à solo Principe habetur.

Ibidem num. 23. in hæc verba. *Sed an vassallus præscribere possit.*

Non.

Ibidem in Textu. *Sans faire les fruits siens.* num. 3. in hæc verba. *Remediis ad hoc opportunis.*

Imo mere privatus sua authoritate potest saisire per famulum suum, & poterit etiam manum suam roborare per appositionem manus justitiæ, sed sua authoritate solum non potest privatus resistenti vim facere. leg. non est singulis. ff. de reg. jur. sed in judicio experietur.

Ibidem in hæc verba. *Cui statuto standum est.*

Per naturam Consuetudinis Parisiensis nulla præscriptio potest procedere in ipso feudo, sed bene quoad jura particularia cessa, & sic offerendo denombramentum, potest perpetuo petere feudum vassallus, sed quid de fructibus qualiter præscribentur, quia in illis caret Dominus titulo?

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Et ad manum suam ponere.*

Imo potest ad manum suam ponere, sed interim possidebit vassallus, & litigatur super appositione manus, & ex eventu justificabitur vel annullabitur.

Ibidem in §. 5. *En choses feodales.* in eadem verba.

Idem servamus.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Quia omne feudum quocumque modo acquisitum sit hæreditarium.*

Nisi de novo acquireretur pro se & filiis, quia tenor investituræ est servandus.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Per hanc nostram Consuetudinem.*

Sed de Consuetudine Paris. non habet locum illa authoritas, itaque nec attenditur illa conjunctio.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Per not. in §. naturales. si de feudo fuerit controversia.*

Imo quia per Consuetudinem Franciæ nullo modo tales succedunt, & potius succederet fiscus.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Et illud tenet in specie Guido Pap.*

Et placet.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Cum feuda sint vedalia ad instar patrimonialium.*

Sed de Consuetudine nostra numquam succedunt conjuges invicem.

Ibidem num. 32. in hæc verba. *Et istud refert & sequitur Dominus meus Ioson.*

Et in §. æquè si agat. inst. de act.

Ibidem num. 64. in hæc verba. *Alienatio vassallagii & rerum feudalium.*

Idem Alexand. consil. 25. vol. 4.

Ibidem num. 70. in hæc verba. *Quod si avus prohibeatur.*

Et prohibetur, videlicet exstante legitima parte. Idem Alexand. consil. 74. vol. 3. & facit. authent. licet. cod. de naturalibus lib. licet Marsil. contra singul. 143. & male.

Ibidem num. 71. in hæc verba. *Ita nec natus ex ea.*

Hoc verum ubi fœmina perpetuo excluditur, secus quando uno tantum casu excluderetur, ut apud nos in linea collaterali in pari gradu in feudo, quia nihilominus filius fœminæ si sit cum aliis in pari gradu succedet, & hoc veritas, ut notavi in libro meo peculiari praxis quæst. 69.

Ibidem num. 77. in hæc verba. *Sed contrarium tenet in alia lectura.*

Hanc tenet Rochus de Curt. cap. finali. de consuetud. col. 63. quod non potest inducere in decisionib. contrarium & est verius.

Ibidem in Textu. *Ab intestat.* in hæc verba. *Et ideo instituatur hæres extraneus in feudo.*

Quod solum licet in patria juris scripti.

Ibidem in hæc verba. *Tenetur habere consensum Domini, antequam possessionem adipiscatur.*

Hoc puto verum.

Ibidem in hæc verba. *Numquid teneatur requirere consensum Domini.*

Non.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Quod non potest filius possessionem feudi apprehendere sine consensu Domini.*

Hoc non procedit apud nos, ubi potest sine Domini consensu alienari, salvis juribus Domini.

Ibidem in Textu. *Et prendre la possession.* num. 1. in hæc verba. *Et videtur quod ista Consuetudo faciat differentiam.*

Imo non facit.

Ibidem in hæc verba. *Non intelligitur de possessione corporali.*

Imo habet possessionem naturalem & civilem, ita quod statim habet interdictum retinendæ, vel unde vi, & cessat omnino interdictum adipiscendæ.

Ibidem in Textu. *Excepté les Religieux.* num. 8. in hæc verba. *Imo per Clericatum amittit feudum.*

Hoc verum de jure in Clerico in sacris vel professo, cui non est liberum ad sæculum redire, sed communiter apud nos idem est quod in cæteris patrimonialibus.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Quod ista fallentia non sit vera.*

Imo.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Papa potest dispensare Monachum ut recipiat uxorem.*

Contra.

Ibidem in hæc verba. *Oldradus. consil. 96.*

Imo supra.

Ibidem in hæc verba. *Sexto limitate quando pater vel alii agnati.*

Contra.

Ibidem in hæc verba. *Septimo limitate, nisi Clericus de novo investiretur a non sciente ipsum Clericum.*

Contra.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Barbatius in Rubrica de feudis.*

Et ita servatur in hoc Regno, quod non succedunt ut hoc anno 1531. in prima parte dictum est per arrestum magni Consilii *contre un Chevalier de Rhodes, & le Grand Prieur de l'Ordre joint avec luy, qui furent déboutez de leur demande de partage & division, & le défendeur absous* cum expensis tamen, *en une terre où l'usufruit avoit esté donné audit Chevalier*, titulo particulari, *ledit usufruit luy fut reservé, & dit qu'il bailleroit caution jurateire de n'en user sinon comme bon pere de famille.*

Ibidem in §. 6. *En partage & division.* in eadem verba.

Idem servamus.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Quia de divisione nulla jura debentur.*

Adde ad quæst. Tholos. 75.

Ibidem in §. 7. *Partage ou division.* in ead. verba.

Hoc servamus.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Quod vassallus potest eligere unum.*

Imo antiquiori.

Ibidem in Textu. *Et selon la nature d'iceluy.* numero 1. in hæc verba. *Et non natura feudi à quo dependet.*

Et placet, etsi quoad ipsum feudum serviens inspicitur Consuetudo loci servientis.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *In contrarium facinnt quæ dicit Alexander.*

Et hoc placet, quia privilegium est strictum & debet stare in terminis suis.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Et Alexand. in d. §. legatum. tenent contrarium.*

Et hoc placet, quia loquitur privilegium per verba naturalia & ortus naturalis, sed natura fictionem non recipit.

Ibidem in §. 8. *En alienation & transport.* in hæc verba. *N'a point de lieu Si.*

Ista dictio est exceptiva, & sic stat pro nisi, non pro si vel quamvis.

Ibidem in hæc verba. *Sans consentement du Seigneur du fief.*

Non habet locum de Consuetud. Paris.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Quod feudum nobile non potest vendi in non nobilem.*

non servatur.

Ibidem in Textu. *En alienation & transport.* num.

10. in hæc verba. *Teneas quod non valet donatio.*

Hoc de jure in feudo.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Nescio quid fieret in judicio contradictorio.*

Ergo minime mutandum.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Quod hoc casu Dominus lucrabitur fructus.*

Hoc verum quatenus concurrunt in æstimatione ad servitium quod remittitur, ideo communiter in Francia non haberet locum. d. cap. 1. ut notavi in libro meo peculiari. juris quæst.

Ibidem num. 21. in hæc verba notæ marginalis. *An vassallus possit transigere super feudo.*

Sic apud nos indistinctè instar patrimonialium.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Ita etiam dare in emphyteusim.*

Non potest de jure nisi retinendo fidem.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Doctrina Doctorum communiter approbata, est quod sic.*

Et est verum sive de toto, sive de parte, sive in quota, sive in re particulari, nec dicitur ex hoc dismembrare feudum, quia semper remanet vassallus pro toto feudo, & si per suum factum, aut quovismodo feudum aperiatur, infeudatio per eum facta sine Domini consensu omnino cessabit. leg. ex vectigali. ff. de pignor. secus si Dominus consentisset, sed quid si vassallus non infeudet alii, sed partem feudi simpliciter alienet, quam recognoscet emptor à Domino an possit, puto quod sic, & sic non dicetur esse dismembratio respectu ipsius feudi servientis, sed respectu capitis attenditur si ab illo separetur recognoscendo alium Dominum, quia non potest hoc fieri per vassallum], & *se desmembrer* non dicitur separatio membri à membro, sed membri à capite.

Ibidem num. 28. in hæc verba. *Sed adverte quia Baldus illam reprobat.*

Et bene, quia tunc præsumitur fraus per Alexand. consil. 165. vol. 2. & 104. vol. 3. Cardin. Clem. 1. de rebus Eccles. non alien. Jason. leg. manumissiones. ff. de just. & jur.

Ibidem num. 37. in hæc verba. *Secus si reverteretur ad eum ut privatum.*

Idem puto si velit retinere quando venditur solvendo prætium, quia pro emptore habetur, & non erat venditor aliàs venditurus quam suis factis firmis manentibus, licet Guido Pap. teneat contra. in decis. 575 & malè, imo bene quia debet tunc esse ejusdem conditionis cujus fuisset emptor.

Ibidem num. 41. in hæc verba. *Vbi videntur concludere quod non.*

De jure & consuetudine secus.

Ibidem num. 47. in hæc verba. *Dixi quod sic.*

Alias poterit Dominus saisire, sed si Dominus taceat, nullum est periculum.

Ibidem num. 49. in hæc verba. *Quia posset evenire in facto.*

Et sunt milites quos excusat error juris.

Ibidem num. 50. in hæc verba. *Quod ita judicaretur.*

Est enim mere falsum.

Ibidem num. 51. in hæc verba. *Ita etiam Dominus non potest alienare vassallum sine consensu ejus.*

Nisi alienet cum Curia, videlicet totum. Alexand. consil. 25. vol. 5.

Ibidem in Textu. *Commise n'a point de lieu.* num. 1. in hæc verba. *Vbi dicit quod spectat ad proprietarium.*

Verum est quoad proprietatem, sed usufructuarius in eo quod accrevit, habebit usumfructum, quando ususfructus est sibi simpliciter concessus in principali & dependentiis, secus si limitativè in certis tempore concessionis existantibus, per leg. in agris. ff. de acq. ter. dominio.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Sed opus est sententia Declaratoria.*

Ibidem in Textu. *Ne prend la possession.* in hæc verba. *Vbi determinat necessariam esse traditionem.*

Corset. verb. *Alienatio.*

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Istud in terminis decidit Alvarotus.*

Idem Matsil. singul. 2[illegible]

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Non perdit beneficium Ecclesiasticum.*

Hoc falsum, vide infra. col. seq. & quæst. Tholos. 240.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Et ibi Dost. in cap. si vassallus. si de feudo fuerit controversia.*

Sed ibi ignorans vendidit, & sic non erat privatus nec privandus.

Ibidem in Textu. *Reale.* num. 1. in hæc verba. *Quod non sufficit possessio qua transfertur per constitutum.*

Hæc opinio vera, ut scripsi super consuetud. Parisiens. §. 13. gloss. 5. num. 4. & 5. in verbo *Vendu.*

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Et tunc non transfertur possessio.*

Imo transit civilis. leg. & habet. §. placet. ff. de prec.

Ibidem in hæc verba. *Cujus receptor recepit redditus & deveria.*

Dic quod sic. tex. in leg. certe. in princip. ff. de precario.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Tenet quod sic.*

Idem de Ferrato in libro quando agitur ad revocationem feudi.

Ibidem in Textu. *Sans consentement.* num. 5. in hæc verba. *An Dominus possit retinere, adhibito consensu.*

Puto quod non.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Præsentia cum taciturnitate operatur.*

Vide cap. nonne. de præsumpt.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Licet glossa ibi & male.*

Imo bene.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Et similiter de acquirente.*

Imo de acquirente, non.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Similiter ab ipso Domino revocante.*

Imo quia suum vendicat.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Per dispositionem hujus statuti.*

Dic indistinctè, quod directa veniendo agere potest.

In Rubrica 4. *Des droits & appartenances à gens mariez.* num. 3. in hæc verba. *Quod delicta carnalia sunt minus punibilia.*

Sed cæteris paribus magis infamia.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Puta suo servitori.*

Ante 25. annum sine patris consentu

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Quarta & ultima ratio dicitur perfecta laudis.*

Laudes cumulatissimæ conjugii & bona desiderabilissima, sed heu formidabiliora mala quæ ponit Joan. Pet. de Ferra. in libro quo agit. mulier. ad do. gloss. verbo. *Vxor quondam.*

Ibidem num. 13. in hæc verba. *A Domino autem proprie uxor prudens.*

Veritissima sententia.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Secundum Paridem de Puteo in tractatu de Syndicatu.*

Panorm. cap. quemadmodum. de jure jur.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Tam premitur magno conjugis cupta minor.*

Conjuge nupta minor.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *Et valet.*

Hoc falsissimum, nec glossa hoc ibi dicit quod

credatur Sacerdoti, ſed ſoli confitenti.

Ibidem num. 32. in hæc verba. *Et non poteſt reſcindi per dolum.*

Non removentem conſenſum à contractu.

Ibidem in §. 1. *La femme ſois qu'elle ait un pere.* in hæc verba. *N'ordonnance de derniere volonté, diſpoſer. de ſes biens.*

De conſuetud. Pariſ. non eſt in poteſtate viri, nec reperitur in poteſtate mariti, ideo omnia ut mater familias faciet extra per illam conſuetudinem Pariſienſem diſpoſita, unde faceret teſtamentum.

Ibidem in hæc verba. *Pour le fait de ſadite marchandiſe.*

Sed non teſtando.

Ibidem in Textu. *En la puiſſance de ſon mary.* num. 4. in hæc verba. *Contrarium tamen eſt veritas.*

Quia ipſæ filiæ habebunt, ſed an filii filiæ habebunt, videtur quod ſic, ob verbum deſcendentibus quod in eis verificatur, ſecus eſſet. de verbo poſteris vel genetis. leg. 1. ff. de jure immunitatis.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Et videtur quod non.*

Hoc placet quantum ad conſuetudinem Pariſienſem per quam conjugati ſui juris efficiuntur non per iſtam.

Ibidem in Textu. *Contrats entre les vifs.* num. 1. in hæc verba. *An mortuo marito teneat.*

Puto potius quod non, & eſt verum.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Ita etiamſi ab illa diſcedatur de conſenſu partium.*

Hoc falſum quia non eſt novus contractus, ſed licita diſceſſio à primo. leg. 2. cod. quando liceat ab empt. diſced. & ſic non debentur iterato, ſed ſemel tantum; idem puto ſi ex neceſſitate part. præcedentis de retrovendendo fieret reſolutio, ſecus ſi ex voluntate, & jam conſummato contractu.

Ibidem in hæc verba. *Ioan. And. in addit. ad Specul. ibi.*

Vide infra. *des cenſes.*

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Vt tenet Dominus Iaſon. in leg. Barbarius Philippus.*

Et §. fuerat. inſtit. de actionibus.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Primo quia eadem ſolemnitas debet intervenire in conſtitutione procuratoris.*

Quia conſtituere procuratorem eſt contrahere.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Vide Dom. meum Iaſonem in §. omnium. inſtitut. de actionib. in princip. in 6. col. quæriſ. col. 4.*

Col. 4.

Ibidem in hæc verba notæ marginalis. *Ad donationem cauſa mortis.*

Panorm. conſil. 40. vol. 2.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Item extende quod etiam intelligitur ſi fiat in re minima.*

Salvo eo quod ſecundum conſuetudinem permiſſa ſit.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Limita hanc noſtram conſuetudinem non habere locum in datione vel acceptatione pignoris.*

Imo & libere vindicabit maritus, quia non poteſt mulier ſine eo diſponere etiam in proprijs.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Quando mulier eſſet tutrix ſuorum filiorum.*

Hoc putarem verum ſi poſſet eſſe tutrix. quod non ſervamus, ſed potius tutor eſſet vitricus ipſe, ſed ſi ipſa eſſet, puto quod non requireretur conſenſus viri, ut valeret contractus mulieris inter pupillos & creditores, quod eſt clarum, ſed quando inter ipſam & pupillos obligaretur ex geſtione facta, matrimonio conſtante ſine conſenſu viri, putarem quod ſic, ſi geſtio incœpit ante matrimonium vel cœpit ſemel legitime, videlicet viri conſenſu, quia in initio eſt ipſe quaſi contractus qui interim eſt conditionalis, & tutela finita oritur actio ex quaſi contractu primo ad rationem reddendam medio geſtionis.

Ibidem num. 22. in hæc verba. *Limita tertio conſuetudinem noſtram non habere locum in contractu vel obligatione ad pias cauſas.*

Falſum eſt.

Ibidem num. 23. in hæc verba. *Et ideo idem ſi mulier mercatur aut contrahit in his quæ concernunt alimenta.*

Non eſt ſimile, quia tunc in rem mariti vertit qui tenetur alere.

Ibidem num. 28. in hæc verba. *Licet ſit evidens utilitas pupilli vel Eccleſia.*

Hoc verum ad hoc, ut poſſit pupillus vel Eccleſia conveniri, ſed alter non.

Ibidem num. 33. in hæc verba. *Vide quæ in ſimili dicit Nicol. Boerius in conſuetud. Septem Bituricenſis. tit. de juriſd. omnium Judicum.*

Fol. 38. cap. 3.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *Quia tunc mulier adſtringitur, etiam non ſervata ſolemnitate.*

Hoc ſatis placet, tamen dicunt quod in foro ſeculari non ſervatur, ut ſi dixerit injuriam, quod non poterit agi contra maritum ad reparationem utilem, ſed tamen poterit proſequi in Curia Officialis per cenſuras ipſa mulier. Adverte periti Advocati michi dixerunt, quod cum damnabitur per ſecularem ad emendam utilem ſimiliter in omnibus delictis ad ipſam pœnam pecuniariam ſi incidat, ſed executio illa quandiu vivet non fiet, quia fieret in reb. mariti, ſed ſoluto matrimonio fiet in bonis uxoris vel ejus hæredum, & puto hoc verum eſſe & æquum, & ſic quod non poterit per cenſuras proſequi, nec erit locus, imo etiam cenſuris locus, quia poteſt cogi ad cedendum bonis. infra. part. 10.

Ibidem in hæc verba. *Qui prædicta allegat. ff. de pactis.*

Et in d. §. omnium. col. 6. de actionibus.

Ibidem num. 37. in hæc verba. *Quia tunc valet contractus.*

Falſum puto.

Ibidem num. 39. in hæc verba. *Poteſt donare cum juramento.*

Falſum, quia ſuperioris authoritas irritat obligationem, & temerarium eſt juramentum, quia ut plurimum uxor non poteſt ſervare, quia ſubtraheret viro ſuo.

Ibidem num. 40. in hæc verba. *Et quod ex quo fuit excommunicata.*

Et malè.

Ibidem num. 43. in hæc verba. *Ad impediendum effectum guarentigia.*

Imo quando non eſt ſuper quo exequatur.

Ibidem num. 46. in hæc verba. *Quod tamen tenetur in foro conſcientiæ.*

Falſum eſt niſi ex parte ſua dolus interveniret, & ſic non peccat non implendo quod non poſſet, ſed peccavit dolum faciendo.

Ibidem num. 51. in hæc verba. *Vide ſupra in ult. ampliat. in hac gloſſa.*

Falſiſſimum eſt.

Ibidem in Textu. *N'auſſi par teſtament.* num. 1. in hæc verba. *Quid fiendum.*

Puto quod factum ſine eo valeat.

Ibidem in Textu. *Sans la licence.* num. 1. in hæc verba. *Intelligitur de expreſſa.*

Poteſt tamen longo tempore præſumi expreſſam intervenire.

Ibidem in Textu. *Et authorité.* num. 2. in hæc verba. *Dic quod non.*

Non puto quod hoc ſervari ſit neceſſe.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Videtur conceſſum ſimilis vel melior.*

Sed ibi reſpectu juris creditoris, quod non magis

ex uno lædituꝛ quam ex alio, hic in authoritate quæ lædituꝛ nisi in forma pareatur ideo secus puto.

Ibidem in Textu. *Si elle n'est marchande.* num. 7. in hæc verba. *Requirantur omnia supradicta.*

Non.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Possit ipsa mulier convenιri.*

Non puto si præsens sit maritus qui jurium est dominus.

Ibidem in §. 2. *Femme mariée* in hæc verba. *Constante le mariage de fondit mary & d'elle.*

Et è contra idem Parisius.

Ibidem in Textu. *Femme.* num. 4. in hæc verba. *Habet locum in matrimonio putativo.*

Imo & solum inspicietur jus commune, videlicet quatenus est reciprocè communicatum, ut in quæst. 22. in libro meo peculiari.

Ibidem in hæc verba. *Non habet locum in matrimonio putativo.*

Et hoc placet.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Quia tunc lucra matrimonialia.*

Altero sciente.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Bartholus in leg. nihil. ff. rerum amotarum. tenet quod sic.*

Etiam dispositio hujus consuetudinis est reciproca, unde non poterit dici odiosa. Summa Angel. verb. *Lex.* §. 4. vide Panorm. Felin. cap. 3. loco. de præsumpt. Marsil. singul. 106.

Ibidem in Textu. *Mariée.* num. 3. in hæc verba. *Pro certo istud quod hic tenuι, videtur esse de directo contra textum ad litteram in §. finali. incip. illud quoque.*

Ille textus loquitur in lucris conventionalibus, non in legalibus, ideo malè se corrigit.

Ibidem in Textu. *Au Duché de Bourgogne.* num. 5. in hæc verba. *Et ideo cum destinatione matrimonii videatur esse contractum in domicilio mariti.*

In domicilio habitationis viri. Alexand. cons. 100. vol. 3.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Et ideo non comprehenduntur bona quæ sunt extra locum consuetudinis.*

Ista consuetudo inducit tacitum contractum societatis. leg. quod si nolit. §. quia assidua. ff. de ædil. edict. & ille tacitus contractus extenditur ad omnia bona ubicumque, nec tollitur ex simplici migratione in locum diversæ consuetudinis, ut notatur in libello praxis. quæst. 16.

Ibidem in Textu. *Selon la generale Coustume.* num. 1. in hæc verba. *Dicit quod non.*

Hæc est communis, sed contra teneo, ut in quæst. in meo libro pecul. juris.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Decidetur secundum statuta contractus loci.*

Iste nescit quid dicat, etiam infra se corrigit, dic indistinctè quoad effectum & decisionem jurium matrimonii ubi non fuit specificatum, nec facta relatio ad alium certum inspicietur locus domicilii habitationis viri destinatæ tempore matrimonii, sed quæro forensis qui alibi habebat domicilium & habitationem, huc venit accipere uxorem, & promisit ei socer eum alere hic cum uxore per biennium, vel circa, quod factum est, modo quis locus inspicietur? supra.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *An in bonis mariti existentibus in Ducatu Burgundiæ debeat servari Consuetudo Nivernensis.*

Sic.

Ibidem in Textu. *Est participante.* num. 6. in hæc verba. *Numquid in ista acquisitione sit translatum dominium in uxorem ipso jure pro media parte.*

De natura Consuetudinis Paris. maritus constante matrimonio, est dominus mobilium & conquestuum, ideo totum sibi acquiritur & societas quæ est interim est solum in jure communicandi, sed non fit hæc rerum communicatio, nisi matrimonio soluto, unde videtur quod si maritus generaliter bona sua obligaverit, quod pars quæ postea redibit ad uxorem, manebit æque obligata.

Ibidem in Textu. *De tous meubles.* num. 16. in hæc verba. *Dic quod est immobilis, & inter immobilia communeratur.*

Idem Summa Ang. verbo *Alienatio*, Ludov. Rom. sing. 103. de Cremata. sing. 59. sed dicas contrarium post Felin. cap. cum adeo. col. 2. de rescriptis. tract. de beneficio. parte 2. quæst. 6.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Quod appellatione mobilium non comprehenderetur pecunia in emptionem prædiorum destinata.*

Ego limito in casu scripto per me infra. col. 4. quando talis pecunia esset redacta, ex venditione facta per alterum conjugum de suo proprio ea intentione ut surrogaretur de ea aliud prædium, quia hic duo sunt, videlicet origo & destinatio.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Qui inter mobilia computantur.*

Donec reluantur, censentur immobilia. de consil. Panorm. art. 56.

Ibidem in Textu. *Et acquests.* num. 4. in hæc verba. *Quando alias erat obventura marito.*

Imo non sufficit quod titulo lucrativo, acquiratur à quolibet consanguineo, sed ab eo à quo casus declarat, quod michi obvenisset alias.

Ibidem num. 5 in hæc verba. *Quod si quis acquirat illud quod erat sibi ex successione venturum.*

Dic quod si emptione seu onerosо titulo negociativo acquiratur indistinctè est verus conquestus, probatur etiam per art. 184. consuet. Paris., tamen in se fundus est proprius, ut infra.

Ibidem in hæc verba. *Debebat habere dimidiam partem.*

Totius & dimidiam alterius dimidiæ.

Ibidem in hæc verba. *Quod hæreditas non communicatur.*

Dicas quod mobilia simpliciter, & undecumque sint semper communicantur.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Sed mihi videtur quod contrarium est verius.*

Hoc verum si vendatur proprium eo animo, ut de pecunia acquiratur aliud surrogandum in proprium, quia si fuerit surrogatus fundus, non est dubium quod est proprium, & antequam surrogatio fiat, talis pecunia ratione originis & destinationis manente eadem voluntate, censetur proprium, adeo quod altero moriente non communicatur, secus si fuerit mutata voluntas, quod præsumitur si pecunia fuerit alio applicata, vel cum aliis extra separationem mixta, vel longo tempore nulla mentione & memoria surrogandi, ipsa enim pecunia de seipsa sine destinatione in fundum non potest censeri surrogatum, quod non est ejusdem naturæ. leg. cum in fundo. §. si fundus. de jure dot. adeo quod etiamsi in venditione proprii sui diceret vir cum emptore, quod pecunia esset sibi in proprium nihilominus puto quod communicabitur, nisi communionis futuræ ex eo consentiendo renuntiaverit, quod potest, quia non dat sed non acquirit, alias non possunt vir & emptor facere quin in tali pecunia sicut in eorum facto habeant locum jura communicabilia moribus undecumque sint. C. du Moulin.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Quod declaret in præsentia Judicis.*

Puto sufficere declarari extrajudicialiter in ipso contractu, & sic ante quæsitum jus communionis in pecunia vel obligatione illius quæ est mobiliaris, & etiam si in continenti fiat surrogatio alterius fundi, puto sufficere ad probandam destina-

tionem si allegetur.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Secus si ex præcedenti ultima voluntate.*

Quia inspicitur tempus quo dies legati cedit. leg. quæ legata. ff. de reg. jur.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *An vero debeat habere dimidiam tantum.*

Quod verum puto, nisi de animo surrogandi appareat, sed moneo numquid mulier simpliciter sine pacto surrogandi, consentiendo facit advantagium viro per obliquum quod est prohibitum, & sic vir per potestatem quæ non communicatur vel æquipollens, posset mulier condicere sine causa ab hæredibus viri, certe esset cogitandum.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Quid si aliquid pervenit marito vel uxori per consolidationem.*

Ego dico breviter, quod si consolidatio fiat ex causa de antiquo, seu ex natura rei ipsius, censetur eodem jure cum ipsa re, si autem fiat aliunde ex causa extrinseca, tunc *de* per se consideratur & inspicitur modus acquirendi.

Ibidem in hæc verba. *Tunc non haberet.*

Adhuc idem

Ibidem in hæc verba. *Qua nihil de dote dedit.*

Falsum est.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Decisionibus antiquis.*

De consuetudine.

Ibidem in hæc verba. *Secus si post.*

Imo idem modo non sibi diminuat in quæsito, sed solum in quærendo ut docuit.

Ibidem in hæc verba. *Quæ fide conjugii violata commisit adulterium.*

Quod perdat doarium non dubito, sed quoad medietatem mobilium & conquestuum dubito, quia non debentur eodem jure, sed eam spectant jure societatis, sed advertè quod etiam perdit bona parafernalia. glos. singul. cap. plerumque. de donat. inter vir. & uxor. Ludov. Rom. sing. 311. Per. Gerard. singul. 48. Felin. cap. pastoralis. col. 3. de judic. sed ex hoc sequeretur quod perderet omnia bona etiam propria, quia omnia sunt tradita viro in dominio vel administratione, & sic dicerentur sua vel parafernalia per not. Baldi. leg. maritus. cod. de procuratoribus. tamen hoc videtur durum. satis putarem pro nunc, quod perderet mediam juris communionis, quia pendet à matrimonio, à quo pendet societas: sed in lege matrimonii peccavit, secus de propriis quæ habet aliunde, quia jure non reperitur nec pœnæ extendendæ. leg. pœnæ. ff. de pœnis. non obstat d. glos. quia parum approbatur à Doctoribus, & ibi dicit Panorm. dic quod comprehenditur pars media ad eam spectans.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Solvere mediam partem condemnationis.*

Hoc verum si condemnatio fiat post mortem quia tunc incipit deberi. leg. rescriptum. ff. de pactis. sed si durante vita mariti sit facta condemnatio & executio, non poterit tamen uxor imputare, quia licuit viro alienare, sed si vir exactione nondum facta moriatur, videtur quod posset mulier imputare hæredibus. per leg. si fratres. in fine. ff. pro socio. sed non puto verum, quia dicitur indistinctè quod mobilia & debita mobiliaria active & passive communicantur, nec distinguitur undecumque procedant; sed mortuo viro ante sententiam, an possint prætendi expensæ contra viduam in parte media pro tempore quo agitatus est processus in matrimonio, puto omnino quod non, ubicumque instantia principalis non durat contra eam, quia non incipiunt deberi expensæ, nisi post sententiam, & verum puto, licet ab aliquibus aliter practicari videro.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Et in leg. 1. cod. de fideicommissis.*

Quia etiamsi plurima acquisivisset non plus habitura erat.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *An debeat esse præcipua illo filio.*

Dic quod in solidum ad filium spectat quemadmodum si alienasset extraneo, quia de illis omnino potest disponere, tamen sine fraude, sed an eo ipso quod dat filio, videtur facere in fraudem secundæ præsentis uxoris, videtur quod sic, per leg. data. cod. de donat. ideo cogita? puto eo ipso fraudem præsumi, si sit notabilis qualitas sive ex qualitate doni.

Ibidem §. 3. *Le mary constant le mariage.* in eadem verba.

Petrus Anchar. consil. 102. Bald. col. 103. num. 1.

Ibidem in hæc verba. *Ou par l'un d'eux.*

Idem Parisius.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *An hæredes sui mariti teneantur eadem luere ad utilitatem uxoris.*

Non, si sit specialiter obligata.

Ibidem in Textu. *Par donation.* num. 1. in hæc verba. *Sed de donatione quæ fit tantum bene merito. arg. leg. si Pater. ff. quæ in fraudem credit. & leg. verius. ff. si quid in fraud. patr.*

Imo etiam de gratuita.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *An hoc casu videatur omnia mobilia & acquisita donare.*

Quod videtur, quia constante matrimonio est dominus & potens alienare in solidum, tamen quia media est uxori debita, satis puto quod excepta videatur, quia verba hanc restrictionem possunt pati, secus si certas res transferret, imo puto quod si donet omnia mobilia, & acquestuum præsentia, quod statim videlicet in totum si inter vivos, secus si in ultima voluntate legaret, etiam secus si causa mortis, sed quid si pure inter vivos det omnia mobilia & conquestuum præsentia & futura? satis puto quod non valeat, quia licet possit administrare non tamen destruere, & licet possit dare, hoc tamen civiliter est capiendum, non ergo potest totum jus societatis absorbere, & esset fraudatio apertissima.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Videtur quod veniat pars redempta.*

Imo solâ pars quæ erat dantis tempore donationis.

Ibidem in Textu.. *Des meubles effans communs.* num. 3. in hæc verba. *Et ideo etiam maritus potest affranchisare hominem suæ uxoris.*

Falsum si sit adstrictus fundo proprio uxoris.

Ibidem in Textu. *Des heritages acquis.* num. 2. in hæc verba. *Sed adverte, quia videtur quod hæc donatio tanquam fraudulenta.*

Et placet.

Ibidem in Textu. *Soit que lesdits acquests.* in hæc verba. *An intelligitur de eorum filiis in illo matrimonio natis.*

Sic.

Ibidem in hæc verba. *Et omnia dare vellet.*

Esset actus meræ prodigalitatis.

Ibidem in hæc verba. *Ita scilicet ne egeat.*

Hoc placet.

Ibidem in hæc verba. *Secus vero si sit expressa societas & communitas contenta in contractu matrimonii.*

Imo idem esset omnino, & nihil operaretur expressum tacitè existens. leg. non rectè. cod. de fidejusso. leg. 3. ff. de leg. 1.

Ibidem in §. 4. *Le mary ne peut grever sa femme.* in hæc verba. *Ne aussi semblablement au droit de son doüaire.*

Idem Parisius.

Ibidem in Textu. *Ne peut.* num. 1. in hæc verba. *Verum ex ea quæ conferitur dispositio aliquid acquiratur.*

Puto

Puto quod si in testamento, sive in morte faciat de eis donationem inter vivos, quod eo ipso præsumitur in fraudem, & sic non valebit ultra valorem medix viri.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *De istis bonis disponere.*

Et hoc verum puto, *car elle avantageroit directement son mary, ce qu'elle ne peut faire.* secus esset si juri non satis quæsito renuntiaret, ut infra dixi.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *In suo testamento faciat contractum donationis.*

Ego omnino puto hoc eo ipso in fraudem mulieris factum, nisi rei modicitas vel qualitas aliud suaderet: ideo competent uxori actiones revocatoriæ, imo quia apparet factum à persona prohibita, & ad excludendum providentiam legis, talis alienatio est ipso jure nulla. leg. si libertus. de jure patron. Jason. §. item si quis. col. 2. de actionibus.

Ibidem in hæc verba. *Non valet dispositio.*

Ludov. Rom. consil. 293.

Ibidem in Textu. *Ne aussi semblablement au droit de son donaire.* num. 8. in hæc verba. *Ita quod non habeat uxor post mortem mariti dotalitium in illis.*

Certum est quod non omnino per Consuetudinem Parisiensem.

Ibidem in §. 5. *Le mary sans procuration de sa femme.* in hæc verba. *Et en actions personnelles.*

Et mobiliaires secundum Consuetud. Paris. & intelligе suo nomine.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Tantum importat, si fiat marito.*

Hoc puto falsum circa ea quæ sunt propria uxori, & in quantum proprietatem seu perpetuitatem concernit.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Habendo licentiam à marito.*

Falsum.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Sine mandato tanquam affinis.*

Marsil. singul. 133.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Vsque ad decimum gradum.*

Imo usque ad quartum. Felin. d. cap. nonnulli. in fine.

Ibidem num. 33. in hæc verba. *Videtur mihi facta.*

Ad quandam affectionem & suspitionem, non quantum ad actionem.

Ibidem nu. 49. in hæc verba. *Imo vetat contrarium.*

Hoc verum si esset res futura propria uxori.

Ibidem num. 50. in hæc verba. *Quando constituit ipsum maritum procuratorem.*

Puto quod sic.

Ibidem num. 52. in hæc verba. *Et tunc maritus non tenetur.*

Si ad interesse tamen si quid accepit debet reddere.

Ibidem in Textu. *Es droits possessoires.* in hæc verba. *Et leg. maritus. cod. eod. qua loquitur de agendo.*

Ego puto quod omnem actionem mulieri competentem potest maritus nomine uxoris intentare ostendendo mandatum, vel cavendo de rato. per d. leg. maritus. etiam potest uxor auctorisata à viro agere suo nomine, & procuratorem constituere, & noster §. loquitur de personalibus & possessoriis, & apud nos de mobiliariis quorum dominus est maritus, & suo nomine agit, reliqua sunt sub jure communi.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Quæ dicuntur rei vendicationes.*

Hoc per significationem verborum.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Communiter tamen observatur quod in actionibus.*

De proprio uxoris sed oppono, maritus habet illarum administrationem, ergo censentur paraphernalia, & aget sine alia satisdatione, licet de expresso mandato non doceat, quia habet tacitum. leg. fin. cod. de pactis conventis.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Et quod maritus in istis non admittitur ad agendum pro uxore.*

Hoc placet.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Licet contrarium teneat glossa in cap. cum pridem. de pactis.*

Sed ibi reprobatur per Panorm.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Et dico magis præsumendum.*

Imo quia hæc est virtus heroica, communem virtutem excedens.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Secus si infra relegationem*

Vel in relegatione.

Ibidem in hæc verba. *Communiter tenetur opinio glossæ & sequacium.*

Et hanc tenui in examine Doctorum super illo §. publicè. Imo secus contrarium cum Bartholo.

Ibidem num. 29. in hæc verba. *Admittitur defensor absque mandato per dict. §. publice.*

Tanquam quilibet.

Ibidem num. 34. in hæc verba. *Sed hoc consilium esset salubre.*

Sed non puto illud procedere secundum usum moderni temporis, quo numquam nisi per procuratorem litigatur, etiam cessat ratio quia semper fertur sententia in ipsam personam principalem.

Ibidem num. 37. in hæc verba. *Textus est quod non.*

Estque verum in propriis uxoris, secus in possessoriis & mobiliaribus, sed in his suo nomine, ideo istud est verum simpliciter.

Ibidem in §. 6. *Femme mariée selon la generale Coustume du Duché de Bourgogne.* in eadem verba.

Parisius *est la moitié des heritages que le mary avoit lors du mariage, & qui depuis échéent en ligne directe.*

Ibidem in Textu. *Mariée.* consil. 1. in hæc verba. *Nec carnaliter cognita.*

Videtur quod non per ea quæ notat Panorm. cap. tertio loco de præsumpt. Marsil. singul. 105. tamen quicquid dicatur ibi de restringendo, ubi dispositio est odiosa, dico quod ubi verborum significatio est clara, non est decedendum. leg. non aliter. ff. de leg. 3. quare dico quod eo ipso quod matrimonium est contractum legitimè per verba de præsenti, omnia jura sive contractuum, sive statutorum loquentia, de viro & uxore habent locum, ideo locus est juri communionis & doarii; tamen istud limito dummodo matrimonium sit contractum legitime, idest publice, secundum morem regionis, secus si clandestine, quia tale matrimonium est prohibitum per jura. cap. finali. de cland. desponſ. & licet sit verum matrimonium in se & in vinculo tamen nullo favore juris fruetur, unde jura disponentia circa ejus favorem vel honorem, cessant in tali illicito, nec de eo intelliguntur, quia esset absurdum, & etiam captiosum ob pericula quæ oriri possent, sed quid si post debitè publicetur & solemnisetur, certè latis puto tunc omnia jura locum habere & trahi retro ad tempus contracti. per cap. 2. de clandest. desponſ. adeo quod ex tunc à tempore contractus, locum habebit communio & prohibitio donationis, & ita sentio. C. du Moulin.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Sicut integrè contrahendo secundas nuptias.*

Non puto verum, nisi de præsenti imo.

Ibidem in Textu. *Selon la generale Coustume du Duché de Bourgogne.* num. 3. in hæc verba. *Secundum taxationem decimæ antiquæ.*

Hic est multum diversum, quia ipsum relatum est necessarium isto casu ad dispositionem, unde debet constare de relato.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Et bona ejus confiscantur.*

Imo si damnetur in metallum per perpetuam carcerem.

Ibidem in Textu. *Sur la moitié des heritages.* num. 3. in hæc verba. *Videretur quod non.*

Et bene. per not. Jason. leg. divortio. §. si vir in fundo. ff. soluto matrimonio. sed est dubium per not. quæst. l. 293. (hîc variavit Molin.) dic quod transit per Rochum. fol. 89. cap. 2. (pone quæstionem 28. in fine. fol. 80. variavit dico, quia in fine §. in verbo *transportare.* adjunxerat quod semper spectet ad proprietatem,) delevit.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Videtur quod sic.*

Summa Ang. verbo *Consuetudo.*

Ibidem num. 30. in hæc verba. *An possint tunc cogi.*

Puto quod sic, quia decimæ prædiales sunt de jure divino in se, sed non quoad quotam, sed contra *per la Philippine.*

Ibidem in Textu. *Anciens.* num. 2. in hæc verba. *Quidam tamen Advocati Burgundiæ voluerunt dicere.*

Hoc est de nostra Consuetudine Paris. sed præcedens est verius ex quo contra non disponitur hîc.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Et ideo hoc casu non comprehenduntur in dicta nostra Consuetudine.*

Vide in libro meo pecul. praxis. quæst. 124.

Ibidem in Textu. *Dont il est mort vestu & saisy.* in hæc verba. *Videtur quod maritus potuit alienare antequa.*

Hoc verum hîc, Parisius secus.

Ibidem in Textu. *Pour en jouyr la vie durant.* num. 5. in hæc verba. *Videtur tenere contrarium.*

Quia non finitur, nisi morte naturali, & bene.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Statim mortua matre ipsius mariti.*

Sed ea vivente, puto quod debet mediam mediæ ususfructus qui remanserat viro.

Ibidem in hæc verba. *Posset dici quod sic.*

Falsum & ridiculum.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Dico talem mulierem debere laudemia.*

Pro sua media.

Ibidem in Textu. *Et supporter la moitié des charges.* num. 10. in hæc verba. *Sed ratione personæ eventus.*

Et ideo puto quod non debeat refundi.

Ibidem in Textu. *Et sera tenu.* num. 1. in hæc verba. *Guido Pap. in specie decidit quod sic.*

Puto quod apud nos non tenetur dare cautionem in dote consuetudinaria.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Qui de commoditate fructuum respondebit usufructuario.*

Hoc verum, si persona sit suspecta, alias puto sufficere cautionem juratoriam secundum Bart. dicta leg. 4.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Tenetur stare locationi facta per maritum.*

Hoc verum puto causativè, quia tenetur de hoc dare cautionem. dict. leg. si filio familias. 25. in fine.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Et dicit glossa.*

Illa glossa veritate juris est falsa, tamen dic ut dixi supra eodem §. 2. in fine, quod non perdit uxor sua propria, sed bene mediam communitatis.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Opponendo ei exceptionem adulterii.*

Hoc verum si maritus scivit & habuit tempus opponendi per not. Panorm. vol. 2. consil. 3. puto etiam sufficere apparere de voluntate viri volentis illam privari, sed non scandalisati revelatione.

Ibidem in hæc verba. *Et vide plene Lud. consil. 23. in 2. col.*

Consil. 286.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Tenet cum glossa.*

Et melius, caveat ergo pater, ut sibi expresse stipuletur.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Dos non applicatur secundo viro,*

Illa scilicet dos quæ erat primi mariti & sic spectabit ad filios primi per actus proximiores.

Ibidem num. 30. in hæc verba. *Alexand. in leg. capite quinto. ff. de adulteriis.*

Vide Ang. de Malefic. fol. 87.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *In omnibus actibus inter vivos.*

Idem Alexand. consil. 99. vol. 3.

Ibidem in Textu. *De maintenir en bon & convenable estat.* num. 6. in hæc verba. *Videtur quod sic.*

Dic contra.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Dominus meus Jason voluit tenere quod non.*

Hoc placet.

Ibidem in §. 7. *Le mary & la femme.* num. 2. in hæc verba. *Quoad commodum unius.*

Idem in Consuetudine Parisiensi.

Ibidem in Textu. *Donations.* num. 7. in hæc verba. *Dum tamen bene merita vere probentur.*

Non puto hoc verum inter virum & uxorem, qui invicem non possunt contractus etiam onerosos ad utilitatem alterutrius facere.

Ibidem in Textu. *Ne autres contracts.* num. 9. in hæc verba. *Cum consentiendo quod alienetur, perdit dominium.*

Dico quod ipse vir, & sui hæredes.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Nisi alienans participaverit de fraude.*

Dico ex eo solo fraudem præsumi.

Ibidem in Textu. *Constant leur mariage.* in hæc verba. *Virum valebit talis confessio.*

Puto quod sic, si ipsa vere sit excellentior viro.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Et non quota hæreditatis.*

Hoc placet.

Ibidem in Textu. *Par testament ne ordonnance de derniere volonté.* num. 3. in hæc verba. *Non prohibetur substitutio aut alia ultima voluntas.*

Imo formaliter.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Ea ratione quod magis accedit contractui.*

Contrarium late tamen tenet Jason. in leg. sciendum. ff. de leg. 1. mirandum quod hic oblitus est allegare.

Ibidem num. 22. in hæc verba. *Ne fiat fraus statuto.*

Et hoc placet, licet Joan. Galli. quæst. 57. alleget contrarium.

Ibidem in Textu. *De l'un en de l'autre.* num. 1. in hæc verba. *Quia nec habet uxorem in potestate.*

Sic, nisi alia præsumptio fraudis accedat, quia non sufficit hæc conjunctio.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Quod socer non potest dare nurui & è contra.*

Nunc hoc solum non procederet, quia per matrimonium eximuntur filii à potestate parentum, de Consuetud. Paris.

Ibidem in Textu. *Si ce n'est du consentement.* num. 2. in hæc verba. *Sed debet intervenire tempore actus.*

Et nota, quod si talis est actus qui solo consensu fiat, quandiu utriusque disponentis consensus seu voluntas durat, authoritas seu consensus censetur interponi in ipso actu.

Ibidem in hæc verba. *Licet postea sequatur ex intervallo.*

Etiam dissentiente & revocante disponente, quia non est de forma, secus ubi est de forma.

Ibidem in hæc verba. *Quod consensus parentum sequatur etiam ex intervallo.*

Et illud verum dico quicquid infra dicat, quia ex quo consenserunt, non possunt postea ex sua per-

ſona ad propriam utilitatem convenire. Adverte, hoc verum puto, dummodo ſequatur conſenſus, durante adhuc diſponentium voluntate, quia ſi ante conſenſum illorum diſponens pœniteat & revocet, non puto quod firmetur, licet alii conſentiant, & ſic bene conſiderando, eſt de forma (variat Molin. quod dixit ſupra.)

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Dicit quod non.*

Secus in viro. Brentius. tit. 1. §. 8. non quia ejus patientia intervenit cum longo tempore, ergo per leg. ſi filius. cod. de pet. hæred. ſecus in parentibus qui ſunt abſentes & ignorantes.

Ibidem num. 13. in hæc verba. *Quia eſt de ſolemnitate actus, ut tenet Baldus. in dicta. leg. 1. cod. qui admit.*

Baldus ibi loquitur quando requiritur præſentia, quo caſu verum eſt, quod ficta præſentia per procuratorem non ſufficit, ſed hic ſolus conſenſus ſufficit, ideo poteſt per alium declarari, quia eſt verus conſenſus.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Vt requiratur conſilium ejus qui debet eſſe præſens.*

Secundum materiam ſubjectam.

Ibidem num. 33. in hæc verba. *Requiſitum à lege vel ſtatuto.*

Falſum.

Ibidem num. 42. in hæc verba. *Puta conceſſa eſt per ſuperiorem religioſo.*

Vel uxori per virum.

Ibidem in hæc verba. *Illi cui conceſſit.*

Faciunt not. Oldradi. conſilio 229. in fine.

Ibidem num. 47. in hæc verba. *An ſufficiat.*

Dico quod ſic, quia actus fundatur in perſona procuratoris. leg. quæcumque gerimus. de oblig. & act. alias ſecus ut in nuntio, non enim obligatur mulier ex contractu ſequenti, ſed ex mandato quod verum.

Ibidem in Textu. *Des prochains parens.* num 2. in hæc verba. *Et videtur quod non.*

Quod puto verum, niſi ſint idonei, videlicet majores & ſui juris.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Videtur quod ſic.*

Et verum puto & valebit, modo authoritas ſit debite interpoſita, non in donatione notabili, quia non valeret. leg. non omni. cod. de adminiſt. tut. & etiam poterit læſus minor reſtitui.

Ibidem in hæc verba. *Non ſpectant ad tutorem vel curatorem pupilli.*

Ego quod concernit patrimonium, bona & intereſſe, ideo poteſt intervenire.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Non poteſt tunc expediri actus ſine ejus conſenſu.*

Quia de eorum intereſſe agitur, alias poſſet Judex auctorari. not. leg. tranſactionem. cod. de tranſact.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Nec quod revelaret per quaſcumque monitiones querimoniales quæ fieri poſſent.*

Dic quod hoc non relevet in foro conſcientiæ.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Igitur hoc caſu iſte mercator non excuſabitur à perjurio.*

Credo quod ſi errore putavit donationem valere, quod excuſetur à perjurio, ſed non à reſtitutione, poſtquam veritatem agnoſcit.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *An ſufficiat quod habeat conſenſum illius qui debet ſuccedere in immobilibus.*

Puto quod ſic.

Ibidem in Textu. *Suppoſé que leſdits contraux ayent eſté vallez par ſerment* num. 3. in hæc verba. *Prout dixi in hunc qui ſequitur modum.*

Dominus Commentator duo dicit, primum quod donatio inter virum & uxorem non firmatur juramento, & hoc eſt veriſſimum, ſicut quilibet alius contractus contra legem text. leg. non dubium. cod. de legibus. dicit ſecundò quod juramentum eſt nullum, ita quod non requiritur abſolutio, ſed in hoc dicit falſum contra cap. cum contingat. de jure jur. cap. licet mulieres. eodem lib. 6. ratio, quia juramentum eſt juris divini, & ejus materia non poteſt jure humano illegitimari; tenenda eſt opinio quarta infra. fol. mihi 776. quod contractus non valet, ſed juramentum ſic, ſed poteſt & debet abſolutio à ſuperiore dari eo ipſo quod contra legem humanam rationabilem intervenit, quia ſic fuit turpiter receptum, unde poteſt recipiens cogi ad relaxandum, ut opin. Frideric. & Vincent. de qua Panorm. cap. cum contingat. de jure jur.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Sed ſic eſt in caſu noſtro qui continet turpitudinem ex parte juranris.*

Falſum eſt.

Ibidem num. 46. in hæc verba. *Iſtud non eſt verum.*

Imo eſt verum directa via.

Ibidem num. 47. in hæc verba. *Imo pro non appoſito habeatur.*

Falſum quia non poteſt illegitimare naturam juramenti.

Ibidem num. 51. in hæc verba. *Tunc tenens omnes quod tale ſtatutum valeret.*

Et eſt verum, concurrente etiam juſta cauſa ſimulationis præſumendæ. Ludov. Rom. conſil. 12. ſumma Ang. verbo. *Juramentum.* & §. 26. Panorm. cap. cum contingat. col. 15. de jure jur.

Ibidem num. 54. in hæc verba notæ marginalis. *Opinio quarta.*

Et veritas quam tenui alias revolvendo. Panorm. in cap. cum contingat. de jure jur.

Ibidem in Textu. *S'autrement par traitté de mariage il n'eſtoit entre eux convenu.* in hæc verba. *Numquid iſta conventio facta in contractu matrimonii de jure valeat.*

Imo etiam apud nos non valet.

Ibidem in hæc verba. *An valeat hæc promiſſio.*

Non.

Ibidem in §. 8. *Si conſtitution de douaire.* in Textu. *Sera ramenée & reduite.* num. 3. in hæc verba. *Quia ſimilis morbus, ſimilem exigit medicinam.*

Si qualitate & quantitate virtutis, ſed ſubſtantia & effectu contrarium.

Ibidem in §. 9. *La femme qui eſt participante.* in Textu. *Qui eſt.* num. 1. in hæc verba. *Videtur quod ſic.*

Ego dico quod videtur, quia in ſocietate poſſunt partes eſſe inæquales, ſaltem ex aliqua ratione, ut quia mulier multa attulit mobilia. leg. ſi non fuerint. ff. pro ſocio.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Quod debet intelligi de acquiſitis & acquirendis.*

Hoc fallum, quia debet dubia conventio ſemper intelligi ſecundum morem regionis. leg. ſemper in ſtipulationibus. ff. de reg. jur. leg. quod ſi nolit. §. quia aſſidua. ff. de ædil. edicto.

Ibidem in Textu. *Ou par elle.* num. 4. in hæc verba. *Sen per fructum ſubſtractarum.*

Dic quod ſic, & durante matrimonio poteſt ab ea ſolidum auferre maritus, eo ſoluto confunditur media.

Ibidem in hæc verba. *Videretur adhuc quod uxor non teneretur.*

Imo.

Ibidem num 5. in hæc verba. *Etiam in quæſtibus in præjudicium mulieris.*

Si fiat per modum aſſignationis partium futuræ ſucceſſionis, certum eſt hoc jure ultimæ voluntatis cenſeri, unde ſi non excedat in valore mediam mobilium & conqueſtuum, valet omnino & puto quod tenetur mulier accipere partem ſuam in reſiduo pro diviſo, quia licuit viro dividere, ſi vero excedat

dumidiam, est eatenus de singulis assignationibus deducendum, si autem fieret per modum singularium & particularium donationum, puto quod omnino valeret, nisi alia fraus probaretur.

Ibidem in Textu. *Et frais funeraux.* num. 10. in hæc verba. *Non est ante omnia restituendus.*

Idem placet Panormitano, & notatur ut lite pendente. in antiquis.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Seu redditum venditorum per maritum super omnibus bonis.*

Et non super re certa, super hoc alias tenui, quod pro tempore futuro non tenetur mulier, unde ut in libro meo post. quæst. 13. sed nunc videtur mihi absonum ideo cogita.

Ibidem in hæc verba. *Et inter mobila computantur.*

De Consuetud. Paris. computantur inter immobilia donec fit facta redemptio.

Ibidem in §. 10. *Et semblablement est tenu.* num. 5. in hæc verba. *Tenetur ad funeris impensas.*

Falsum.

Ibidem in Textu. *De toutes debtes.* num. 8. in hæc verba. *An mulier teneatur.*

Non.

Ibidem in hæc verba ad finem. *Et constante matrimonio.*

Sed intelligitur tamen de mobiliaribus.

Ibidem in §. 11. *Et peuvent les creanciers.* in hæc verba. *Si bon leur semble.*

Idem servamus.

Ibidem in Textu. *Contre la femme.* num. 7. in hæc verba. *Quod est ex dispositione juris illa utilis actio.*

Dico quod habent actiones pro socio, quia debitum cadens in societatem solverunt, imo negotiorum gestorum, quia istud est factum post societatem finitam.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *In eo quod unus ex correis habet actionem contra alium.*

Negotiorum gestorum.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Tamen si voluntarie solvit, quod potest accidere.*

Habet actionem negot. gest.

Ibidem in hæc verba. *Et duo correi debendi.*

Imo non sunt correi, nisi simul contraxerint, & hoc actum fuerit.

Ibidem in §. 12. *Et si les creanciers.* in hæc verba. *Et pour la moitié de debte à ladite femme.*

Idem servamus.

Ibidem in hæc verba. *Nihil disponit Consuetudo nostra in aliquo casu.*

Non disponit hoc casu de bono renunciandi, ideo standum in communi jure communionis.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Quod duo rei debendi videntur invicem fidejubere.*

Falsum.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Glossa & Doctores. in leg. eris alieni. cod. de donat.*

Hoc falsum de jure.

Ibidem in Textu. *Agissent pour le tout.* in hæc verba. *Qui videntur ad invicem fidejubere.*

Falsum est.

Ibidem in §. 13. *Et si lesdits mariez.* num. 2. in hæc verba. *Et ideo hic nos distinguere debemus. leg. de pretio. ff. de public. in rem act.*

Et istam teneo, quia verbis standum. leg. 1. §. is qui navem ff. de exerc. act. leg. non aliter. ff. de leg. 3. sed Consuetudo nostra Paris. in art. 115. non loquitur ita late, i leo ubi ipsa est obligata renunciatio, non prodest sibi apud nos.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Quod tale ædificium non cedit solo.*

Imo jure gentium cedit, sed impensa ipsa, quia non est donabilis, est repetibilis.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Et hoc credo verum.* Scilicet quod creditores solidum exigunt, sed si contra virum aut uxorem regressus habeantur, tenebuntur quatenus facere possunt.

Ibidem in §. 14. *La femme mariée.* in hæc verba. *Du decez de sondit feu mary.*

Idem è converso, idem Parisius.

Ibidem in Textu. *Meubles.* num. 4. in hæc verba. *vel aliquas terras.*

Aut jam erat facta divisio, & tunc præsumuntur de sua parte acquisivisse, nisi constaret illam non esse diminutam, & non esset verisimile tam citò tantum per se quæsivisse à tempore matrimonii soluti, quia est modicum intervallum, quia tunc nisi aliud ostendatur, præsumo pecuniam omnem tempore divisionis absconditam, aut non erat facta divisio, & tunc si ex notabili intervallo à tempore soluti matrimonii acquisivit, præsumo quod de suo acquisivit, aut in continenti seu tam breve tempus quod verisimile non esset tantum pecuniæ obtigisse, tunc præsumo de pecunia communi emptum, non tamen est communis, nec communicanda res empta suo nomine, quia extra causam communionis, sed pecunia est restituenda vel imputanda.

Ibidem §. 15. *La femme douée.* in hæc verba. *Et saisie de son coustumier douaire.*

Idem Parisius, & hoc verum si maritus res tempore mortis possidebat, alias secus.

Ibidem in Textu. *De son douaire coustumier.* num. 1. in hæc verba. *Quod ex identitate rationis licita est extensio.*

Falsum, nisi esset ratio expressa, vel constaret quod illa esset sola ratio & subintellecta.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Quod autem sit divisum.*

(Molinæus corrigit & cancellat verbum divisum & dicit,) consuetudinarium & est verum, tum quia conventio non est apposita animo novandi, secus si expresse actum esset novari, quia tunc apparet quod voluerunt illud esse præfixum.

Ibidem in §. 16. *La femme ne peut.* in hæc verba. *Sa vie durant seulement.*

Hoc non est de Consuetud. Paris.

Ibidem in Textu. *Ne peut mettre hors de ses mains.* num. 9. in hæc verba. *Secus si ignoraverit.*

Imo idem, quia considerandum est quod actus de se est nullus, quia contra legem, & tenendo opinionem istam, non potest firmari contra juramentum à quo solo dependet, ergo oportet omnino illud juramentum esse validum.

Ibidem in hæc verba. *Ne sentientis aliquod interesse.*

Imo indistincte.

Ibidem in Textu. *Douaire coustumier.* num. 2. in hæc verba. *Et nihilominus remanet consuetudinarium.*

Hoc verum puto si surrogatum sit ejusdem naturæ, ut si assignetur ei ususfructus certi fundi, quia dico quod licet sit douarium præfixum, tamen ejusdem juris censetur cujus est consuetudinarium, per leg. cum in fundo. §. si fundus. ff. de jur. dotium. & mulier erit salsita, secus esset diversæ conditionis & naturæ.

Ibidem in Textu. *Des heritages.* num. 2. in hæc verba. *Quoniam sermo simpliciter prolatus.*

Tamen hic intelligo de omnibus, quia ratio est uniformis & eadem.

Ibidem in Textu. *Et en leur refus.* num. 4. in hæc verba. *Tu non poteris etiam variare.*

Non est servatum.

Ibidem in §. 17. *La femme après le trépas de son mary.* in Textu. *Par son mary.* in hæc verba. *An debeant computare in sortem.*

Dic quod non, imo est perpetuo, sua si fuit data in solutum juris ad mulierem spectantis, ut in libro meo quæstione 132.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Quæ fortiuntur naturam hæreditagii.*

Tunc puto quod sit vera dos in terminis juris, & posset fieri hæc conventio.

Ibidem in hæc verba. *Tu dic, aut re vera apparet.* (Molinæus legit non apparet.)

Ibidem in hæc verba. *Non valet dicta assignatio.*

Nisi etiam illi creditores solum concessione mariti niterentur. Jason. §. fuerat. instit. de actionibus.

Ibidem in Textu. *Et fait les fruits siens.* num. 28. in hæc verba. *Quod isti minores ratificaverant dationem factam per alios hæredes.*

Si adhuc minores ratificaverint minus solemniter non puto eis nocere, alias secus.

Ibidem num. 30. in hæc verba. *In hac Civitate nostra Heduensi.*

Ego dico quod non, quia annuus reditus fuit acquisitus filiis justo pretio.

Ibidem in §. 19. *Entre gens nobles, la femme qui voudra demeurer quitte de payer la moitié des debtes.* in eadem verba.

Consuetudo Paris. simpliciter dicit quod mulier nobilis renunciando communitati, liberatur à debitis mariti.

Ibidem in Textu. *Entre gens nobles.*

Dico quod nobiles naturalibus, quia hîc est communis usus loquendi, qui ante omnia attenditur. leg. Labeo. ff. de suppell. leg.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Quem dicit in hoc litteris aureis scribendum.*

Sed non dicit ille textus, quod illa tria requirantur.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Licet etiam sit virtuosus.*

Sed falsum est.

Ibidem num. 33. in hæc verba. *Quia ex quo lex non distinguit.*

Hoc placet.

Ibidem in Textu. *Qui ne se voudra entremettre.* in hæc verba. *An vero eo sit privata.*

Quicquid hic dicat, quod talis renunciatio est nulla. per leg. per servum. §. denique. ff. de usu & habit. unde tenetur ad debita, & habet dotium & cætera, non obstante substractione.

Ibidem in Textu. *Faire la renonciation.* num. 1. in hæc verba. *Dic quod sic.*

Non puto quod constante matrimonio possit renunciare.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Videtur primo quod non.*

Et hoc verius puto, imo alia opinio videtur æquior.

Ibidem in §. 20. *Entre toutes autres gens.* in Textu. *Et avec ce.* in hæc verba. *In bonis existentibus in Burgundia.*

Non est dubium quin possint, sed an fecerint? & dico quod ex quo hæc renunciatio est distractus tacitæ societatis quæ est de contractu, debet censeri de contractu & secundum eum regulari.

Ibidem in §. 21. *Et s'il est trouvé.* in Textu. *Des biens communs.* num. 1. in hæc verba. *Non sunt dotalia.*

Et hoc verum, nisi fuisset conventum in contractu matrimonii, ut supra eod. §. 7. fol. mihi 722. col. 4.

Ibidem in §. 22. *La femme ne prend point de douaire.* in hæc verba. *Super quibus fuit assignata dos.*

De Consuetudine solum reputatur usufructuaria.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Reputari antiqua hæreditagia.*

Hoc verum si surrogatio fuerit secuta in continenti, vel si cum destinatione facta est venditio.

Ibidem in hæc verba. *Quia illa pecunia succedit in locum dotis.*

Hoc puto verum.

Ibidem in §. 23. *Deniers de mariage.* in hæc verba. *On permis d'assigner.*

Secus ergo de simplici sive promissa dote reddenda solum, quia starur juri communi. . . .

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Quod posset sufficere ad onera matrimonii supportanda.*

Sed non sequitur, quia perdit emolumentum dotis, & alio applicaret fructum industriæ suæ.

Ibidem num. 33. in hæc verba. *Sit contractus usurarius.*

Dic quod non servatis debitis circumstantiis. summa Ang. verbo. *Usura.* §. 44. Guillel. Bonet. in suo quodlibeto. Pet. de Ancharan. in sua disp. super impress. modo processu.

Ibidem num. 38. in hæc verba. *Dic pro limitatione usuram esse licitam.*

Dic quod nullo casu permissa est usura, & omnes hæ limitationes sunt declarationes usuræ cessantis.

Ibidem num. 39. in hæc verba. *Tunc licite percipit fructus.*

Hoc verum quando fructus habent proportionem aliquam pro servitio quod remittitur interim, unde istud cessat apud nos, quia feuda sunt patrimonialia, ut dixi in libro meo peculiari quæst. 107.

Ibidem num. 42. in hæc verba. *Quod singuli sunt usurarii.*

Sibi contractu participantes.

Ibidem num. 44. in hæc verba. *Ergo non debet extendi de feudo ad emphyteusim.*

Et sic malè dixit Ludov. Rom. sing. 325.

Ibidem num. 45. in hæc verba. *Quia per beatum Lucam Evangelistam in initio per Dominum dictum est.*

Cap. 10.

Ibidem num. 62. in hæc verba. *Et tunc in hoc sunt quædam jura extravagantia.*

Nec in libro meo, nec usquam illa vidi.

Ibidem num. 66. in hæc verba. *Capitale suum detrahere possit.*

Imo hoc placet ipso jure.

Ibidem num. 67. in hæc verba. *Quod quotiescumque sit paltum, quod capitale sit salvum.*

Solvitur in damno quando totum deperditur.

Ibidem num. 68. in hæc verba. *Debet habere dimidiam partem fructuum.*

Hoc placet.

Ibidem in Textu. *On permis d'assigner.* num. 5. in hæc verba. *Aliud est vendere.*

Matthæus. singul. 46.

Ibidem in Textu. *Et qui ne sont payez.* in hæc verba. *Ratione quarum bona erant hypothecata.*

Hoc placet.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Intelligitur apponere clausulas consuetas.*

Jason. consil. 153. col. 2.

Ibidem in Textu. *Dés le terme qu'ils ont promis de payer.* num. 2. in hæc verba. *Igitur extemplo post decessum non incipiunt currere dicta arreragia.*

Ego dico quod illa lex magnam. procedit etiam quando dies fuit incerta, quando ex quo certum erat debitum iri, & sic jam obligatio & actio cesserat, licet dies non venerat. leg. cedere diem. ff. de verborum significat. qua adveniente, commissa est mora, saltem terminus solutionis transiit, & sic currunt arreragia per formalem decisionem hujus Consuetudinis.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Et non est mirandum si nunc mutaverim opinionem.*

Sed malè mutatti. (vide an hoc sit verum.)

Ibidem in Textu. *Sera suffisamment interpellée.* num. 3. in hæc verba. *Qui non constituitur in mora, nisi elapso termino.*

Non interpellitur.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Quod est dictum singulare.*

Sed Falsum puto.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Quod sola interpellatio in judicio sufficiat.*

Hoc placet.

Ibidem in hæc verba. *Quia contrarium tenuit Alexander.*

Et verius.

Ibidem in hæc verba. *Tunc illa interpellatio extrajudicialis non constituit debitorem in mora.*

Non est verum in debito quantitatis.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Habet vim interpellationis extrajudicialis.*

Hoc placet.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Et ita tenet Rom. singul. suo 429. incip. Ego dixi.*

Imo ibi tenet quod sufficit unica. idem Felin. dict. cap. ex litteris. col. 5. de constit. & est verius.

Ibidem in §. 24. *Deniers de mariage.* in Textu. *sont assignez ou promis d'assigner.* num. 1. in hæc verba. *Et hic non repeto.*

Dic ut supra fol. mihi 665. & limita ut ibi.

Ibidem in §. 25. *La femme ne participe point.* in eadem verba.

Parisius contrarium servamus.

Ibidem in Textu. *On demander és deniers du prix.* num. 6. in hæc verba. *Libere illam recuperare debet.*

Vide infra fol. mihi 943. & limita ut ibi dixi illud tenendo.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *An dicatur antiquum haredagium.*

Puto quod sic, & etiam hoc casu putarem quod esset proprium viri, ut prius licet faceret refusionem prætii de pecunia communi.

Ibidem §. 26. *S'il advient que le mary retraye.* in hæc verba. *Vendus par aucuns des parens de la femme sont retraits.*

Idem effectu Parisius.

In Rubrica 5. *Des rentes venduës à reachept.* §. 1. *Rentes venduës.* in hæc verba. *Durant le temps du reachept.*

Secus de Consuetud. Paris.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Puta est datum tempus ad redimendum.*

Dic quod reditus annui, si habent tempus præfixum durationis, si ad modicum tempus censentur mobilia, si ad longum immobilia, idem si apta sunt durare longo tempore, vel perpetuo, ut quando est facultas redimendi.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Quando incœpta erat præscriptio contra hæredes.*

Petr. Gerard. singul. 18.

Ibidem in hæc verba. *Ratio est in promptu.*

Hæc ratio est falsa ad hunc casum.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Quo casu præscribitur.*

Hoc falsum tene decisione Parlamenti Parisiensis & authoritate & veritate prævalentis.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Sed nomen ejus ignoratur.*

Puto quod sit Guillel. Bont. (vel Bout.) in suo quolibeto.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Et modicitas prætii.*

Dic quod adhuc una præsumptio requiritur. Expol. de simulato contractu. in 5. casu princip.

Ibidem in Textu. *Rentes.* num. 26 in hæc verba. *Quia casus mihi amplius non occurrit.*

Quod non.

Ibidem in hæc verba. *Secundum quem consului.*

Ego teneo opinionem Bartoli, Rochi à Curt. & Jaso. ibi.

Ibidem in hæc verba. *Videlicet quod possit dictus venditor.*

Iste inculcat terminos quæstionis, quia movet quæstionem in jure incorporali vendito cum pacto redimendi, quo casu licet non posset debitor reditus vi illius pacti agere contra secundum emptorem, tamen si conveniatur, potest excipere, quia exceptio rei cohæret. leg. apud Celsum. §. de auctor. 27. ff. de doli excep. sed disputatur super venditione rei capitalis, quo casu non potest agi contra secundum emptorem, sed solum contra primum ad interesse, & hoc de jure sed de consuetudine servatur, quod hæc actio sit in re scripta, & tenetur opinio Pano. leg. si cum venderet. de pignerat. actio.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *Non resolvitur jus accipientis.*

Bald. ibi hoc non dicit, tamen istud michi multum placet, & puto verissimum etiam si post contractum & ante pignus contractum detur hæc gratia, quod tamen non resolvitur patet, quia si promittis michi rem tuam vendere, si interim post obligas, deinde etiam coactè vi præcedentis pacti michi vendas, non restituitur hypotheca, ratio quia nulla est hic resolutio juris contractus seu juris datoris, sed idem est in casu isto & sumus in his terminis, non obstante quod prius tibi vendideram, quia illa venditio fuit ad effectum perducta, & nulla ejus vestigia restabant, nec erat in consideratione tempore istius pacti ex intervallo appositi, & sic non potest dici quod resolvatur, sed quod simpliciter & noviter venditur, si vero fuisset istud pactum appositum in continenti sine causa ob quam post resolvitur, inerat tempore contractus, tunc dicitur fieri vera resolutio contractus & juris datoris, etiamsi fiat per viam contractus & revenditionis, quia licet revenditio sit nova venditio, tamen etiam est prioris resolutio, quando fit ex causa quæ priori inerat & tunc distinguatur, an fiat de voluntate mera emptoris primi, & durat pignus, an de necessitate, & non durat. leg. si res. cod. quibus modis. pig. vel hypoth. fol. & quia hanc distinctionem omnes tenent, eam sequor, tamen ego non video ullum textum qui mihi probet quod quando resolvitur prima venditio per viam novi contractus, resolvatur pignus, ideo forte posset dici quod nec tunc resolveretur, sicut non resolveretur translatio domini totius rei, vel pactis aliud esset discutiendum. C. du Moulin. Videtur quod indistinctè inspiciendum an pactum de retrovendendo sive in continenti, sive ex intervallo appositum præcesserit hypothecam, & tunc illam resolvat vi prioris hypothecæ, si promittens revendere subjecerit clausam hypothecæ communem.

Ibidem num. 39. in hæc verba. *Sit tutus in possessorio.*

Sic.

Ibidem in hæc verba. *Quæritur an talis emptor possit cogi ad retrovendendum prædictam partem dicta domus.*

Leg. Julianus. §. si quis communi. ff. de act. empt.

Ibidem num. 44. in hæc verba. *Ita tenet in quæstione sua 516. in fine.*

Ubi allegat. leg. si ita fuerit 41. ff. de man. testament. quæ nihil facit sed est l. libertas quæ. §. 3. quæ videtur probare quod infra totum decennium potest redimi, & non post.

Ibidem in §. 2. *Le creancier peut poursuivre.* in hæc verba. *Lequel qu'il veut choisir.*

Nos servamus jus.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Ut per ipsum reus conservetur indemnis.*

Tex. leg. cum vendente. cod. ubi causa fiscalis. & dixi in libro meo pecul. praxis. quæst. 104.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Ita notabiliter tenet Baldus in leg. frustra opinaris.*

Textus in authent. de fidejussor. in fine.

Ibidem num. 13. in hæc verba. *Per glossam in leg. 3. §. tutores. ff. de susp. tut.*

Text. ibi istud non probat etiam per hoc obligatio personæ sive corporis nihil operaretur, sed posset dici quod operaretur non requiri personam, excussionem puta immobilium, sed saltem eorum quæ prostant & ex quibus potest haberi prompta solutio, dic quod nullo modo requiritur, & statim ni solvat capietur ad corpus & ita servatur, tenet Panorm. consil. 40. vol. 2.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *An interim pendente illo judicio possit creditor convenire fidejussorem.*

Puto quod sic, si renunciavit beneficio excussionis.

Ibidem in hæc verba. *Quia specialis obligatio minorem continet ut litatem.*

Imo attentis Consuetudinibus, majorem quia obliget possessorem.

Ibidem num. 23. in hæc verba. *Baldus vero in quodam suo consilio quod incipit quidam Titius de Ariminio tenet contrarium.*

Et hoc satis placet, quia non omnes solutiones acceptantur, sed solum oblatio ultimi plus offerentis, unde oblatione secundi erat recessus, & ipse etiam recessit antequam reacceptaretur.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Vide Dom. Guid. Pap. ibi qui plenius determinat.*

Sed ibi ego istud reprobavi, quia non habet in omnibus vim sententiæ.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *Pront tenet per plura Dominus meus Jason. in dicta authent. quas actiones. & in authent. non licet. in 2. & in 3. col. de lib. prat.*

Et in leg. de quibus. ff. de legibus.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *Quia agendum est contra quemlibet possessorem pro rata.*

Imo quilibet etiam minimæ partis tenetur in totum.

Ibidem num. 36. in hæc verba. *Quia tunc pro rata sunt hypothecata.*

Imo in totum.

Ibidem in §. 3. *Meubles n'ont point de suitte* in hæc verba. *Idem in sui principio in prapositura Parisiensi.*

Imo Parisius solum habetur, *meuble n'a point de suite par hypotheque.* quod semper interpretatus sum, quod hypothecaria non sequitur possessorem rei mobilis obligatæ, nec potest contra eum intentari, & sic possessione pignorum existente penes debitorem remanent omnia jura pignoris, & si servantur illa, quod non potest prævenire in pignore prætorio, seu per arrestum vel saisimentum. leg. final. cod. de bon. auct. jud. possid. quia per hoc non dicuntur pignora transiata in alium, quia dominium & possessio adhuc remanet debitoris. Bart. Panorm. Alex. Jaso. leg. interelle. ff. de acquir. possess. unde habens jus, potest adhuc arrestare seu se opponere & audietur, & ita practicavi secus si jam essent adjudicata seu data in solutum, quia à tertio possessore non possunt avocari.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Qui prior est tempore, potior est in jure.*

Istud est falsissimum & contra tex. leg. si & jure. ff. qui potior. in pig hab. quia pignus conventionale prius semper vincit prætorium, & judiciale posterius. Adverte, est hic falsa allegatio, quia Bart. ibi dicit expresse quod in pignore judiciali habet locum regula, qui prior est tempore potior est jure, quod est verum, & sane intelligendum quando concurrentes prætendunt solum pignus judiciale, quia conventionale semper vinceret.

Ibidem in Textu. *Quand ils sont mis hors de la puissancé du debteur.* num. 1. in hæc verba. *Collocarentur secundum prioritatem temporis.*

Hoc servamus.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Non amplius poterunt alii creditores se opponere.*

Sed apud nos sic.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Poterunt etiam capi hæredes debitoris.*

Non servamus.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Potest opponi exceptio rei non traditæ.*

Tamen interim fiet executio, & manus regiæ appositio.

Ibidem in Textu. *Sinon en tant qu'ils seront de plus grande valeur.* num. 5. in hæc verba. *Quia licet fiat novatio instantiæ.*

Stilus. fol. 28.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Videtur inclinare in partem Rogerii.*

Et hæc vera & procedit in liberto, ut ibi, secus in subdito litigante, quia superiori etiam scienti non fit præjudicium etiam in possessione, si possessionem habeat. Panorm. d. c. cum super.

In Rubrica 6. *Des enfans de plusieurs lits.* in hæc verba. *Sed omnes pœna introducta.*

Imo sola infamia de veritate juris, ut not. leg. 1. cod. de secundis nuptiis.

Ibidem in §. 2. *La femme du fils.* in Textu. *Ne participe point és biens dudit pere.* num. 3. in hæc verba. *Quod debent dotari de bonis communibus omnibus.*

Falsum, ut notat. leg. si socius pro filio. ff. pro socio.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Et communiter tenetur.*

Falsum, sed tene quod pars attribuitur pecuniæ, pars industriæ, secundum qualitatem negotii.

Ibidem in hæc verba. *Ut tenet ibi Dom. Socinus.*

Secundum Bald. ibi.

Ibidem in §. 3. *Le fils ou fille estans hors d'aage.* num. 4. in hæc verba. *sed pro certo mihi videtur quod erret.*

Tu malè eum reprehendis.

Ibidem in §. 4. *Entre gens nobles.* in hæc verba *Le fils de 14. ans.*

Parisius *le masle à 20. ans, les filles à 15.*

Ibidem in hæc verba. *Et de ce faire baillera suffisante caution.*

Nobilis non dat cautionem Parisius.

Ibidem in Textu. *Si par le pere n'y est autrement pourveu.* num. 15. in hæc verba. *Præscriptiones minorum 30. annorum non currunt pupillis.*

Non incipiunt.

Ibidem in Textu. *Et fait ladite femme tous les fruits siens.* num. 3. in hæc verba. *An vero ad filios.*

Puto quod ad filios, per not. cap. cum Berthol. de re jud.

Ibidem in Textu. *Vestir & habiller.* num. 7. in hæc verba. *Poterunt petere alimenta præterita.*

Puto quod non, si ratione illorum non sunt obligati.

Ibidem in §. 5. *Et aussi entre gens nobles.* in Textu. *Et separez de leur pere.* num. 2. in hæc verba. *Licet sint mortui.*

Falsum est.

Ibidem in §. 6. *Entre bourgeois.* in Textu. *La femme.* in hæc verba. *Rota. singul. suo 224. incip. tu habes. leg. sciant.*

Quod sic.

Ibidem in Textu. *Par inventaire.* num. 12. in hæc verba. *Quid ergo nunc dicendum.*

Dic secundum Consuetudinem nostram, quod iste filius assumet mediam partem mobilium & conquæstuum remanentium ex parte patris jure so-

cietatis ex capite ſuo & in alia media quæ eſt quarta totius quæ remanet in ſucceſſione, ſuccedet in virili cum aliis filiis, vel dicendum melius quod omnium tertiam habet vidua, & tertiam filius primi matrimonii jure ſocietatis, & alia tertia inter omnes filios dividetur.

Ibidem in §. 8. *La femme qui eſt bailliſte.* num. 4. in hæc verba. *Aut conſequi poſſet ex bonis mariti.*

Non tamen puto quod tunc deberet perdere mediam mobilium & conquæſtuum, quæ jam pleno jure eſt ſua, ſecus ſi adulteraretur vivo viro, ut ſup. fol. mihi 630.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Videtur quod non.*

Contra poteſt, ſi fit cauſa cognita, jam ceſſante periculo .... leg. fundatur.

In Rubrica 7. *Des ſucceſſions.* in §. 1. *La mort ſaiſit le vif.* in hæc verba. *Son plus prochain heritier habile à luy ſucceder.*

Unde ſi proximior ad quem devoluta eſt hæreditas repudiet, vacat poſſeſſio, & ſumus in terminis juris. leg. cum hæredes. ff. de acquir. poſſeſ. & aliorum jurium, ſed de Conſuetudine Pariſ. hæc difficultas ceſſat, quia ſimpliciter & indiſtinctè eſt ſaiſitus hæres, imo indiſtinctè puto hæredem & remotum proximiori amoto eſſe ſaiſitum.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Poteſt intentare remedium.*

Imo quia efficitur verus & realis poſſeſſor ſicut erat defunctus.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Quod tamen non eſt verum.*

Quia antequam ab alio poſſit apprehendi, eſt continuata in hæredem ab inſtanti mortis, ideo non vacat.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Appellat artificialem.*

Verum eſt quod per actum arte civili fictum transfertur, tamen datur vera poſſeſſio.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Niſi hæreditate adita.*

Imo quia & ipſi ſunt per Conſuetudinem ſaiſiti de mobilibus defuncti uſque ad annum.

Ibidem in hæc verba. *Dixi hic ante non repeto*

Sed eſt falſum.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Habet naturalem poſſeſſionem uſusfructus.*

Imo ipſius fundi & ipſum uſumfructum quaſi poſſidet civiliter & naturaliter.

Ibidem in hæc verba. *Sexto limita non habere locum in legitimato.*

Imo habet locum, quia ei verba conveniunt, quia eſt hæres proximus habilis.

Ibidem in Textu. *Saiſit.* num. 1. in hæc verba. *Contrarium tamen videtur tenere.*

Et verius, quia eſt vera poſſeſſio.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Et credo quod textus in d. leg. quiſquis. eſt valde contrarius.*

Imo expreſſe concordans.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Nec de futuro acquiſito.*

Gloſ. leg. 1. ff. pro ſocio. Pet. de Anchar. in tract. de duobus reis.

Ibidem in hæc verba. *Retentus & laudatus.*

Hoc verum quoad ipſum Dominum, ut ſup. eod. fol. mihi 1044. ſed contra omnes alios dico quod ſic.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Quod una impedit aliam.*

Imo una ſecundum aliam intelligitur.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Quod abſenti non acquiritur poſſeſſio.*

Falſum puto.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Sed noluit decidere.*

Dico quod dohatarius, quia eſt vere poſſeſſor.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Quod ſit ſuper donatione nihil operantur.*

Imo quia tranſit poſſeſſio ſi res eſt præſens aliter dicitur poteſtas ingrediendi. Bart. leg. prædia. ff. de acquir. poſſeſ.

Ibidem in Textu. *Heritier habile.* num. 2. in hæc verba. *Licet ſint proximi, ſed ſucceſſores in beneficiis.*

Imo de mobilibus in quibus ſunt habiles ſuccedere erunt ſaiſiti.

Ibidem in §. 2. *On ne peut exhereder.* in Textu. *Du trépaſſé.* num. 4. in hæc verba. *Ipſe tamen Baldus more ſolito ſibi contrarius tenuit contrarium.*

Et plus placet.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Et ibi Bartholus. cod. de ſacroſanct. Eccleſiis.*

Tenent quod poſt mortem patris, & hæc eſt veritas, & hoc niſi eſſet monaſterium incapax bonorum, ut Mendicantium.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Si extreverint facultates illius prædefuncti.*

Et taliter quod emergat læſio ultra dimidiam, certè hæc opinio videtur colorata, ſed ego dico quod eſt falſa, quia talis renunciatio facta cum juramento ab initio, ipſo jure tenuit, per dict. cap. quamvis receptum in uſu, unde an ſit leſina (forte læſio) debet contractus inſpici. leg. ſi voluntate. cod. de reſcind. empt. non autem quod poſt incerto eventu emergit, quia poteſt ſe habere ad lucrum & damnum. leg. de fideicommiſſo. cod. de tranſact. ſed etiam cogita numquid tempore renunciationis (quod inſpicitur ſolum) debeat legitimè menſurari nedum ſecundum quantitatem præſentium bonorum, ſed etiam ſecundum veriſimilitudinem eorum quæ pater ſperatur habere tempore mortis. Ego dico omnino quod non, ſed ſolum quantitas præſentium bonorum, nec poteſt eſſe veriſimilitudo futuri augmenti quæ ſit probabilis vel conſiderabilis, ob duplicem imo triplicem incertitudinem, videlicet mortis patris, fortunæ patris & vitæ filiæ. Hoc etiam tenet Alexander. conſil. 181. vol. 5. C. du Moulin. (Filius Molinæi ſcripſit imo opinio contraria æquior & vera, ut dixit pater ad Boërium. quæſt. 62.)

Ibidem in Textu. *Sans charge de legats & frais funeraux.* num. 1. in hæc verba. *Pet. de Anchar. de conſtit. dicit quod non.*

Ego dico quod imo videtur.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Etiamſi diviti.*

Falſum. Bald. leg. illud. cod. de ſacroſ. Eccleſ.

Ibidem in Textu. *Pour aucune des cauſes d'exheredation.* num. 2. in hæc verba. *Tamen idem Alex. contrarium tenuit in conſulendo.*

Idem Marſil. ſing. 78. & verius puto.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Tenet quod ſic.*

Non puto verum.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Poterit pater eum exhæredare.*

Hodie non eſt ſufficiens cauſa in filio, ſed in filia. ſic dixi ſupra fol. mihi 144.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Et ſecundum hanc opinionem conſuluit.*

Ro. ibi loquitur in aliis terminis, ego puto quod teſtamentum etiam ab ingrediente Religionem ſit nullum quoad exhæredationem, niſi ſervata ſolemnitate. authent. non licet. tamen in effectu remanet opinio Bartholi vera, quia ſi monaſterium eſt capax, habet bona, & filia ſolam legitimam capiet patre mortuo. authent. ſi qua mulier.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Non poteſt ex illa cauſa exhæredari à patre.*

Dummodo etiam patri ſit reconciliatus, quia videtur pater remiſiſſe.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Non abolitur cauſa ingratitudinis ante commiſſa.*

Et patrem concernens, ut Bald. leg. Deo nobis.

col. 3.

col. 5. tamen cap. ult. 19. quæſt. ult. dicit indiſtinctè purgari.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Textus eſt notabilis in leg. filio pater.*

Molin. corrigit filio quem pater.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Dominus Iaſon in leg. furioſum. cod. qui teſt. facere poſſunt.*

Puto quod non.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *Nunquid poſſit amplius petere legitimam.*

Non.

Ibidem in §. 3. *Vn chacun habile à faire teſtament.* in hæc verba. *Sa vraye legitime.*

Ergo intelligitur de filiis ſecundum jus, & contra debetur legitima, unde non habet locum in collateralibus, patet etiam in §. priori ubi *les vrays heritiers* de filiis tantum intellige, licet Chaſſen. contra teneat. fol. 252. col. 2. conſult. fol. 187.

Ibidem in Textu. *Vn chacun.* num. 5. in hæc verba. *Quod omnia bona.*

Immobilia.

Ibidem in Textu. *A faire teſtament.* num. 1. in hæc verba. *Ad primum quod eſt inductum de jure civili.*

Poſſet non modica ratione teneri contrarium quod eſſet de jure gentium, & quod non poſſet per jus civile tolli, licet bene limitari.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Vide Romanum in conſil. ſuo. 350.*

In col. 5. tenet quod ſi commenda eſt facta ad utilitatem perſonæ.

Ibidem in hæc verba. *Item quæro an baſtardus ſit habilis ad teſtandum.*

Sic.

Ibidem in hæc verba. *Teſtamentum ſit nullum.*

Non.

Ibidem in Textu. *Sa vraye legitime par droit d'inſtitution.* num. 1. in hæc verba. *Et in tranſverſalibus in primo gradu.*

Imo jam habet locum in fratribus, quia eis non debetur legitima.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Non ſuſtinetur per clauſulam codicillarem.*

Imo ſuſtinetur per clauſam codicillarem, ut ibi notatur, ſed non per authoritatem ex cauſa quæ loquitur inter liberos & parentes.

Ibidem in Textu. *C'eſt à ſçavoir la tierce partie.* num. 1. in hæc verba. *Quam eſſet habiturus ab inteſtato.*

Hic eſt verus intellectus.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Per textum notandum.*

Hæc veritas & ſecundum hoc debet hæc Conſuetudo intelligi.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Sed opinio Bartholi communiter reprobatur.*

Quia eſt conditio ex lege perpetua.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Et ſi renunciaverit, an valeat teſtamentum.*

Quod videtur ſi renunciat expreſſe.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Non poterit amplius querelare de legitima ſibi non relicta.*

Falſum.

Ibidem in Textu. *Par droit d'inſtitution.* num. 7. In hæc verba. *Baldus dicit quod non.*

Hæc enim non eſt declaratio, ſed nova diſpoſitio.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Sed an ſufficit relinquere legitimam titulo inſtitutionis.*

Vult dicere ſubſtitutionis.

Ibidem in Textu. *Autrement ledit teſtament ou ordonnance eſt nul.* num. 2. in hæc verba. *De jure non eſt dubium quod ſic.*

Puto Conſuetudinem ſecundum jus intelligendam.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Et in hoc non credo dubium.*

Non eſt iſti credendum, quia eſt levis judicii.

Ibidem in §. 4. *Si le teſtateur diſpoſe.* in hæc verba. *Vſque ad quantam partem.*

Idem Pariſius.

Ibidem in Textu. *Et ſont ſaiſis.* num. 9. in hæc verba. *Verum poſſeſſio, mortuo Caio, ſit translata penes Sempronium.*

Non.

Ibidem in Textu. *Par ſon teſtament valablement fait.* num. 4. in hæc verba notæ marginalis. *Quod teſtes ſint rogati.*

Non puto hoc neceſſe, de Conſuetudine Pariſ. quia non dicit & novam omnino dat formam.

Ibidem in Textu. *Selon raiſon.* in hæc verba. *Se referat ad jus commune.*

Imo fol. mihi 1759. in fine. ſed alias in ....

Ibidem in hæc verba. *Vt dicit Ioan. Fab.*

Qui hoc non dicit.

Ibidem in §. 5. *Le teſtateur par teſtament.* in Textu. *Ne ordonnance de derniere volonté.* num. 2. in hæc verba. *Cenſentur vocati ex teſtamento.*

Dic ab inteſtato. gloſ. Bart. Joan. de Imol. leg. Lucius. ff. de hæred. inſtit. Guido Pap. quæſt. 39. Alexand. conſil. 185. vol. 2.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Deductis bonis donatis.*

Et puto quod debeat conferre.

Ibidem num 12. in hæc verba. *Dic quod non.*

Dic imo quod ſic per Conſuetudinem hanc.

Ibidem in Textu. *Et qui ab inteſtat luy doivent ſucceder.* num. 1. in hæc verba. *De Conſuetudine generali Franciæ.*

Ego ſemper hoc intellexi ſecundum jus commune, ſcilicet quatenus eſt hæres.

Ibidem in Textu. *Meilleur de l'autre.* num. 15. in hæc verba. *Sed tamen uſusfructus proprietatis debet conferri.*

Scilicet temporis præteriti.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Non debet computari alteri fratri in partem ſuam*

Imo.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Lud. Rom. tamen conſuluit puncualiter contrarium.*

Et verus.

Ibidem num. 32. in hæc verba. *Præſumitur contracta ſocietas.*

Scilicet illarum negotiationum non omnium niſi aliud ſit.

Ibidem num. 52. in hæc verba. *Quod meditatur lucri detur perſonæ, pecunia alia.*

Hoc verum in dubio, alias debet attendi qualitas actus. Bald. dict. leg. non oportet.

Ibidem num. 60. in hæc verba. *Et credo quod teneantur conferre.*

Hoc eſſet verum ſecundum iſtas Conſuetudines de acceptis per ultimam voluntatem, ideo ille malè notat præcedentem opinionem.

Ibidem num. 62. in hæc verba. *Vt pulchre dicit Dominus meus Juſo. in leg. 1. §. Item acquiramus. col. 3. ff. de acquirenda poſſeſſione.*

Alexander conſil. 75. vol. 5.

Ibidem num. 70. in hæc verba. *Seu filiis hæredum teſtatoris.*

Videtur fieri in fraudem, ſed quod iſta ſola præſumptio ſine aliis non ſufficeret.

Ibidem num. 71. in hæc verba. *Et prohibet ne de hujuſmodi donatione fiat collatio.*

In terminis hujus conſuetudinis valet donatio inter vivos, & de ſe non ſubjacet collationi collateralibus, ideo illa prohibitio nihil operaretur, nec nocet, ſimiliter non prodeſſet in actu ultimæ voluntatis quin eſſet conferendum. leg. nemo poteſt. de leg. primo.

Ibidem num. 74. in hæc verba. *Item prohibitum in termino prohibetur in vita.*

Notatur in cap. tuæ. de procuratoribus.

Ibidem in §. 6. *Succeſſion en ligne directe.* in hæc verba. *Idem in prapoſitura Pariſienſi. art.* 138. & 139.

Eſt longe divertum.

Ibidem in Textu. *Ne ſuccedent point.* num. 1. in hæc verba. *Quod ſtatutum per quod mater privatur à ſucceſſione filii eſt iniquum.*

Hoc puto verum, ſi omnino privetur, & extranei ſuccedant.

Ibidem in Textu. *Mais le pere ſuccedera ſeul & pour le tout.* num. 2. in hæc verba. *Vide infra tit. de manu-mortuis.* des mains mortes. §. 27. *in fine.*

In dubio pubes præſumitur ſignificaſſe impubes, ſecus. leg. cum pubere. ff. de rebus dubiis.

Ibidem in Textu. *Et au regard des autres biens.* num. 1. in hæc verba. *De quo hic ante dixi in gloſ. præcedenti.*

Sed hoc caſu apud nos reputantur illa propria, quæ ab eo cui ſucceſſimus, fuerunt acquiſita.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Ita etiam tenet Bald. in authent. defuncto. in* 14. *col. cod. ad Tertyl.*

Imo Bald. & Fab. ibi cum gloſ. tenent contrarium, & quod proximiores domini quos nulli præcedunt.

Ibidem in Textu. *Et les enfans de ſes freres.* num. 2. in hæc verba. *Iſta quæſtio videtur deciſa per text. tum. in leg. ex facto.*

Ubi probat tex. quod tenentur pro æquis portionibus, quia ex æquis partibus ſunt hæredes, ſed officio judicis judicio famil. erciſc. res ſingulis attributæ eis aſſignantur, tamen ſervatur quod hæres acqueſtuum & mobilium ſolvit debita omnia. Alexander conſil. 3. vol. 4.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *An pater debeat in totum ſuccedere.*

Puto quod ſic in terminis hujus Conſuetud.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Et quia ſemel excluſus ſemper videtur excluſus.*

Ideo placet quod Dominus ſuccedat, alias fiſcus.

Ibidem in §. 7. *Quand l'homme.* num. 1. in hæc verba. *Quia ſunt propria ipſius uxoris.*

Credo quod iſte non vidit Bald. ſed ſolam allegationem ubi eſt ſimilis error, quia Bald. ibi movet quæſtionem de 500. & dicit quod ſunt propria mulieris & eſt verum, de mille vero non loquitur, ſed dubium non eſt, quod tanquam deficiente conditione, repetuntur ab hæredibus viri filiis primi matrimonii. authent. cui relictum. cod. de jud.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Quem dicit ita conſuluiſſe.*

Conſil. 493.

Ibidem in hæc verba. *Vbi ample.*

Et textus. d. authent. cui relictum.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Tenet quod ſic.*

Modo etiam filii primi matrimonii conſentiant.

Ibidem in §. 8. *Les heritages.* in hæc verba. *Sois en prochain ou loingtain degré.*

Idem de Conſuetud. Paris.



Ibidem num. 2. in hæc verba. *Verſ. unde ſcio quæſitum. ff. de hæred. inſtit.*

Ubi videtur probari quod pro virilibus ſeu æquis partibus, & hoc puto verum quando ſunt in eodem gradu ſeu æquali, tamen facit contra quod notat Alexand. conſil. 111. vol. 4.

Ibidem in Textu. *En prochain.* in hæc verba. *Quia Ex quo agitur de ſucceſſione Titii.*

Dico quod ſic.

Ibidem in hæc verba. *Ex trunco conſanguineorum ſeu parentum ex latere patris.*

Adverte, quia quæſtio eſt pulchra & quotidiana, ego quod non debemus plus requirere quam tex. leg. gallus. §. penult. ff. de lib. & poſth. ſed noſtra Conſuetudo non requirit quod deſcenderint à trunco ſeu ſtipite cognationis, ſed dicit ſimpliciter quod propria procedentia à latere patris ſpectant ad omnes qui ſunt cognati ex latere patris, ſed iſta verba conveniunt in caſu noſtro & verificantur, ergo debet habere locum diſpoſitio. leg. 4. §. totiens. (de damn. infect. ut à verbis non recedatur l. ſi is qui navem.) ff. de exercit. act. & non diſtinguatur ubi lex non diſtinguit. leg. de pratio. ff. de publ. in rem act. & ſic eo ipſo quod prædia ſunt antiqua decedentis & ſibi obvenerunt à patre qui forte emit, ſpectant ad cognatos patris, ſed in quantum ſibi obvenerunt à matre quæ potuit habere mediam in acquiſitione illorum; illa media ſpectet ad cognatos matris.

Ad præcedentem quæſtionem dum latius cogito, adde quod multa eſt differentia agnationis & cognationis in ſpecie, ſed generaliter conſanguinei ſeu cognati proximiores admittuntur, & adverte quod in terminis noſtræ quæſtionis ubi antiquitas à parte cœpit, quicumque proximior ex omnibus cognatis patris ille admitteretur; ſed ſi antiquitas prædii altius cœperit, & diverſi ſunt cognatorum rami, illi ſoli admittuntur qui ſunt cognati ex parte illius qui primo acquiſivit, non autem alii qui ex alio capite ſunt cognati defuncti, & ſic ſemper debet attendi truncus non à quo cœpit cognatio, ſed à quo cœpit antiquitas prædii de quo quæritur ſeu orta eſt. C. du Moulin.

Imo non eſt differentia, ſed idem quod in præcedenti caſu, quia tam in jure ſuccedendi quam in jure retrahendi ſufficit cognatum eſſe defuncto, & etiam illi à quo res obvenit defuncto, ideo mea prima opinio eſt veritas per Conſuetudinem noſtram ubi *du coſté & ligne*, & etiam per Conſuetudinem Burgundiæ; itaque ſi non ſint de linea, illi poſtremum etiam veniunt cæteri parentes ex parte acquirentis, & alios excludunt, ſed illis acquirentibus ſufficit, quod dixi in utroque tam ſucceſſionis quam retractus per conſultationem fol. 105.

Ibidem in Textu. *Loingtain degré.* in hæc verba. *Videtur quod non.*

Sed alia quæſtio non minus pulchra mihi in mentem nunc venit quam ſcribo in libro meo pecul. praxis. quæſt. 165.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Et conſanguinei excluduntur in tali caſu.*

Et eſt veritas, quia tales non ſunt conjuncti ex parte patris, nec ex parte ejus à quo cœpit antiquitas, ſed ſunt eis omnino extranei nec affines, nec conſanguinei, unde ſequeretur quod antiqua hæredia apud omnino extraneos tranſirent, quod eſt contra communem mentem & diſpoſitionem Conſuetudinis generalis quicquid iſte ſomniet licet eadem verba inſerat. in conſil. 32.

Ibidem in hæc verba. *Quid de acqueſtibus factis.*

Si filia poſt mortem matris.

Ibidem in hæc verba. *Qua deceſſit relictis duabus ſororibus.*

Materteris.

Ibidem in hæc verba. *Quod ex quo non exierunt à trunco.*

Ego dico quod non requiritur quod exierit ab illo, à quo cœpit antiquitas & acquisitio, sed sufficit quod sint cognati duplici qualitate, videlicet defuncto, & illi à quo cœpit acquisitio: dic quod iste in hoc tamen dicit in terminis hujus Consuetudinis & similis puta *de Loris* eodem §. 3. per not. consule. fol. mihi 105.

Ibidem §. 9. *S'ils sont plusieurs enfans.* in hæc verba. *De plusieurs lits.*

Non debet esse hoc verum, ut infra glos. Alex.

Ibidem in hæc verba. *Et non par teste.*

Et imo contra jus.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Et non in capita.*

Imo.

Ibidem in hæc verba. *Et duos aut tres ex latere patris.*

Et sic fratre medio mortuo superstites licet fratres vel sorores sint defuncti hæredes ex parte matris, alii ex parte patris, tamen invicem non sunt affines nec consanguinei, tamen secundum Consuetudinem in capita succedere debent, quia non est unus junctus magis defuncto, quam alter.

Ibidem in hæc verba. *Sed dixi quod prædicta hic ante non bene probant.*

Et non est verum.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Tunc quia sunt pari agnatione.*

Melius cognatione quam alii sint agnati, alii cognati.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Et debeat tantum esse, aut debeat dici.*

Hoc placet.

Ibidem in Textu. *Qui viennent.* in hæc verba. *Aut sororum ex utroque latere.*

Quæ conjunctio de Consuetud. Paris. non attenditur.

Ibidem in §. 10. *En toutes successions.* in hæc verba. *Que ce qui eschoit.*

Eschoit, id est *fust eschen*, in præterito plusquam perfecto. infra fol. mihi 1217.

Ibidem in hæc verba. *In Prepositura Parisiensi representatio habet locum in linea directa.*

Tantum.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Quia representatio non extenditur ultra personas nepotum.*

Hoc verum in linea collaterali, sed in directa in infinitum.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Et fuit consilium magistri Petri Bonifidelis Divionensis.*

Ita duobus verbis complexus tum, dum interpretatur arborem Aureliis anno Domini 1521. dicendo quod ascendentes nunquam repræsentant descendentes, & quod descendentes linea directa in infinitum repræsentant, & quod collaterales non repræsentant ultra fratrum filios; lecturam illam §. lectionib. in scholis decretorum absolvi brevi stilo, seb ubere, raro tantum auditorio ob contemptum imberbis ætatis mex.

Ibidem in Textu. *En toutes successions.* num 1. in hæc verba. *Videtur quod sic.*

Hoc falsissimum.

Ibidem in §. 11. *Double ligne a lieu.* in hæc verba. *Au regard de tous leurs biens.*

Sive hæredia, sive non. §. 8.

Ibidem in hæc verba. *Desdits freres & sœurs germains.*

De Consuetud. Paris. non attenditur conjunctio. De jure in linea collaterali usque ad filios fratrum inclusive habet locum conjunctio, repræsentatio, & stirps; sed sine ullo delectu proximior cognatus succedit, & istud est de Consuetud. Paris. omnino servatum, etiam in ipsis fratribus, nec haberur ullus delectus in linea collaterali, nisi solum bonorum propriorum quæ ab aliqua linea provenerunt.

Ibidem in hæc verba. *Sauf le droit des heritiers maternels.*

Illud de conjunctione fallit, quando agitur de succedendo nepoti, seu filio fratris mortuo, quia non attenditur conjunctio hic descendendo. Bart. leg. post consanguineos §. legitima. ff. de inis & leg.

Ibidem in §. 12. in hæc verba. *Et à laquelle est constituée dot & mariage divis.*

Paritus succedit conferendo.

Ibidem in hæc verba. *Idem in comitatu Nivernensi.*

Falsum quia ibi....

Ibidem in Textu. *Et à laquelle est constituée dot & mariage.* num. 6. in hæc verba. *Dicit quodsic.*

Ego dico quod in terminis hujus Consuetudinis sufficit dotem suppleri, sed in terminis juris, rescilla renunciatione, succederet.

Ibidem in Textu. *Vivans ladite mere.* num. 1. in hæc verba. *Dic quod de bonis maternis.*

Contra de Petr. in 5. effect. jura. leg. 1. ff. de jure jur.

Ibidem in hæc verba. *Articulo primo in fine.*

Uterque mentitur, quia contra textum & contra jus Decius ibi.

Ibidem in Textu. *Ne retourne point à la succession* num. 11. in hæc verba. *Imo potest.*

Falsum.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Propter paternam affectionem.*

Sed veritas probata evacuat præsumptionem.

Ibidem num. 21. in hæc verba. *Et in locis hic ante allegatis.*

Non placet esse differentiam inter patrem & alios.

Ibidem num. 23. in hæc verba. *De cujus hæreditate agitur.*

Hoc satis placet, quia sic succedit loco legitimæ, & non intervenit renunciatio expressa, ut supra fol. mihi 1063.

Ibidem in hæc verba. *Tempus mortis debet attendi.*

Sed hæc dos pro legitima habetur.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Sed finaliter tenet contrarium.*

Et malè.

Ibidem num. 29. in hæc verba. *Cod. de inofficiosa testamento.*

Puto quod sic, quia in dote percipit æquivalens legitimæ.

Ibidem num. 37. in hæc verba. *Quod filia renunciaverit cum juramento.*

Vide quæ dixi ad Gemin. in cap. quamvis. de pactis. lib. 6. & supra fol. mihi 1063.

Ibidem num. 38. in hæc verba. *Quando non extarent tale statutum.*

Imo idem puto.

Ibidem num. 40. in hæc verba. *Dicitur renunciasse feudo.*

Hoc verum si deferantur jure hæreditario, secus si jure contractus, quia tunc vera est opinio Jaso.

Ibidem in Textu. *Ne les descendans d'elle.* num. 2. in hæc verba. *Guid. Pap. decisione sua 228.*

Teneo quod sic si prædecesserit, & nepotes non sint hæredes ejus.

Ibidem num. 23. in hæc verba. *Et an talis renunciatio præjudicet nepoti.*

Sic si sit hæres patris, alias non, ut dixi ad Gemin. d. cap. quamvis.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Comprehendat successionem ab intestato.*

Ego dico quod sic, quia ita videtur actum, tum vi exceptionis, tum quia non solent esse alia jura, tum quia ille solet esse modus intelligendi communis.

Ibidem in Textu. *Tant qu'il y a fils.* in hæc verba.

Adeo quod licet postea mutiatur.

Et post mortem patris, alias secus esset.

Ibidem in hæc verba. *Barb. in consil. suo 2. in antepenult. & penult. col. in 1. vol.*

Benedict. fol. 213. col 4.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Sed pone quod sit tantum frater uterinus.*

Non puto differentiam, an sit consanguineus vel uterinus, vel utrinque conjunctus, dummodo habuerit dotem ab eo de cujus successione agitur.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Videtur quod sic.*

Ego puto quod sic, quia tali verba conveniunt.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Ergo videtur cessare ratio nostræ Consuetudinis.*

Et istud posset teneri.

Ibidem in Textu. *Ou enfans masles descendans dudit fils.* num. 6. in hæc verba. *Numquid ad filiam suam transmittat.*

Dicas indubitanter quod sic, quia nondum jura fructus transmittet ut infra, sed etiam vi juris quæsiti, quia attento quod per Consuetudinem hæres est saisitus, dicendum est quod sibi statim etiam ignoranti est quæsita hæreditas, sicut dicitur de legato. leg. cum patre. §. surdo. ff. de leg. 2. unde ad quoscumque etiam transmittit, & sic filia non est excludenda sed exclusa, alias de jure esset valde dubium quicquid infra dicatur.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Quæro numquid frater patris possit excludere.*

Puto quod non, si dicat statutum existantibus filiis, vel simpliciter existantibus masculis, quia debet intelligi de filiis, ut conjunctio facit ejusdem quantitatis, secus si diceret existantibus hæredibus masculis, quia puto quod quicumque agnatus excluderet eam.

Ibidem. *S'il ne luy est expressement reservé.* in hæc verba. *Contrarium tamen tenet idem Baldus.*

Et melius.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Non potest revocari.*

Falsum est.

Ibidem in hæc verba. *Quærit an valeat pactum.*

Puto quod non, sed bene Consuetudo

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Possit præjudicare filiæ in illa parte reservata.*

Ego dico quod imo potest disponendo sicut erga alium ex filiis, quia hæc reservatio solam habilitatem succedendi operatur, ideo etiam succedendo deberet conferre.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Constitutionem precarii de nihilo operari.*

Et est verum, dico enim quod ipsa simplex reservatio habilitativa succedendi est valida, sed obligatio ad relinquendum jure successionis totam hæreditatem, vel partem non valet, quia pacto non potest dari hæreditas nec tota nec quota. leg. hæreditas. cod. de pactis convent. sed bene possent inter vivos bona dari titulo particulari contractus aliquo reservato.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Qui tenet quod non.*

Et placet, quia pacto non datur hæreditas, tamen bene potest eam instituere, vt etiam col. seq.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Vt dictum est.*

Ego indistinctè dico, quod viro decedente statim ei succedit referendo quod ab eo habuit.

Ibidem num 15. in hæc verba. *Quod non tenebitur conferre cum fratre dotem.*

Falsum puto.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *In favorem quorum etiam contrahens stipulatus fuerat.*

Hoc falsum puto.

Ibidem in Textu. *Et n'entend on point priver la femme.* num. 5. in hæc verba. *Non habet locum in isto casu quam in filia renunciante patri in favorem sui patris.*

Certe de jure hæc est veritas, etiam non tenet illud cap. quoad firmandam renunciationem extra temporalem jurisdictionem statuentis, nisi in quantum est usu receptum, ergo si etiam usu est receptum, ut posset renunciare successioni fratrum tranieat, si observantia probetur.

Ibidem in hæc verba. *Non videtur dubitandum.*

Imo non excluditur si ei relinquitur.

Ibidem in Textu. *Collaterale.* in hæc verba. *Femina non succedant.*

Dic quod non.

Ibidem in Textu. *Sans titre d'hoirie.* in hæc verba. *Videtur quod non.*

Eodem modo quod infra. Panorm. consil. 458. num. 2.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Prohibetur relinquere filiæ dotatæ in ultima voluntate.*

Scilicet jure substitutionis, non alias.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Quia videtur quod sic.*

Et est verum.

Ibidem in hæc verba. *Consulnit talem Consuetudinem corrigere.*

Adverte communiter solet distingui, an loquatur in rem an in personam, sed ego alias dixi ad Bart. dicta leg. cunctos populos. col. 15. quod conceptio verborum non debet attendi, sed effectus; unde cum hoc casu effectus versetur principaliter in rebus, puto ut dixi, quod extra territorium non extendatur lex ipsa sive consuetudo loci, etiam ubi partes habent domicilium, quia quod iste effectus principaliter causetur à virtute jurisdictionali legis vel statuti extra territorium vim habet, cum non afficiat personam. leg. fin. de jurisd. omnium jud. ego puto quod sit inspicienda quælibet Consuetudo ubi res sunt, vide quæst. pecul. 166.

Ibidem in hæc verba. *Et dicit quod magis communis opinio est in contrarium.*

Hoc plus placet.

Ibidem in §. 13. *Si aucuns se veulent porter pour heritiers.* num. 1. in hæc verba. *Quamvis non sint scripta.*

Si semper & indifferenter solebant apponi.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Credo tamen quod contrarium observatur.*

Nescio si ista observantia sit verum, quia istud mihi videtur in se falsum.

Ibidem in Textu. *Par benefice d'inventaire.* num. 12. in hæc verba. *Possint mitti executiones ad requestam & instantiam hæredis creditoris.*

Sic, sed non contra hæredem debitoris, quia Consuetudo nostra dicit quod non est executorium instrumentum contra hæredem, ergo sumus in jure communi, ergo sequitur absonam esse practicam eorum qui petunt declarari executorium contra hæredes, quia quod non est, declarari non potest, imo est valde rationabile.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Quomodocumque ejus interfit.*

Imo cujuscumque causam habentis.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Vbi dicit quod debet fieri per Curiam secularem.*

Dicunt indistinctè quod debet fieri per potestatem secularem, quia hoc territorium concernit.

Ibidem in §. 14. & ultimo. *Au regard des gens de religion profez.* in hæc verba. *Idem in Ballivatu Meldensi.*

Et Parisiensi.

Ibidem in Textu. *Coustume du Royaume.* num. 1. in hæc verba. *Ita quod nec per professionem eorum bona Ecclesiæ dedicantur tacite.*

Imo fit dedicatio.

In Rubrica 8. *Des successions des bastards.* in §. 1.

Si un baſtard. In Textu. *Et payant les debtes.* num. 1. in hæc verba. *Quia difficilis conventionis.*

Hoc non præſumitur, ideo excutiuntur devoluta in fiſcum.

Ibidem in §. 2. *Si les enfans legitimez du baſtard.* in Textu. *Les heritages procedans du tronc du pere baſtard.* in hæc verba. *Pone quod filius ipſo vivente.*

(Molinæus legit filius ſe ipſo errat.)

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Et in ea conſului.*

Ego dico quod nullo modo ſuccedit pecunia loco immobilium. vide not. ſupra fol. mihi 621.

Ibidem in hæc verba. *Et ideo quod tanquam hæres matris debebat habere.*

Iſte bene dicit.

Ibidem in hæc verba. *Quia fuit vendita hæreditas patris.*

Imo certa bona filiæ viventis, quod fieri potuit etiam in præjudicium fiſci qui non poteſt prætendere fraudem, quia non eſt creditor, nec ſuccedet prætium loco rei, ideo ad alios hæredes ſpectabit.

Ibidem in §. 3. *Le baſtard ou baſtarde.* num. 3. in hæc verba. *Sed quoniam hoc eſt verum de jure.*

Sic etiam puto.

Ibidem in hæc verba. *Non extenderetur extra Ducatum Burgundiæ.*

Imo extenditur ſi ibi etiam eſt recepta.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Quod tales ſuccederent patri.*

Falſum dic breviter naturales vere patri non ſuccedunt, niſi ut ſupra, ſed matri ſuæ, & ad invicem idem de ſpuriis ex non damnato coitu, niſi mater ſit illuſtris. quia tunc nec ei ſuccedunt; ſpurii autem ex damnato coitu nec matri nec invicem ſuccedunt. Alexand. conſil. 174. vol. 5. & ſic in cognatione materna non eſt differentia inter naturales & ſpurios ex damnato coitu.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Quod ſpurii ſunt infames infamia facti.*

Alexand. conſil. 67. vol. 1.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Et ex adulterio.*

Mentiris, quia poſtquam acceperat David Berſabeam in uxorem ejus, in vero matrimonio natus eſt Salomon.

Ibidem in hæc verba. *Qui cæteros in ſcientia legali excellit.*

Ex innumeris improbis pauci admodum probi leguntur, è contra non tot improbi in majori & potiori numero proborum.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Et intellige quod naturales.*

(Molinæus legit ſpurii ex damnato coitu.)

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Qui quidem eſt legitimus & naturalis.*

Dic ut ſupra fol. mihi 518. quod not. Alexand. conſil. 74. volum. 3. Joan. Fab. auth. licet. cod. de naturalib. liber. licet Marſil. contra. ſingul. 143.

Ibidem num. 23. in hæc verba. *Deſcenderunt Joannes de Borbonio Dux.*

Ab iſto deſcendit ille Carolus *de Montpenſier* quem apud hoſtes profugum inſecutus Rex noſter captivatus eſt, heu proh dolor fractus Martius ille Gallorum & retuſus acer ille conſiliorum vigor, omnes in eadem navi corpore eodem ſtertunt.

Ibidem in hæc verba. *Et habuit in uxorem Dominam Annam de Francia.*

Iſta eſt *Anne la Sage.*

Ibidem in Textu. *Ab inteſtat.* in hæc verba. *Dixi ſupra quod non.*

Secus in vero naturali, qui deficientibus legitimis & parentibus, poteſt in totum inſtitui exſtantibus parentibus, eis relicta legitima.

Ibidem num. 18. in hæc verba. *Contrarium tenet Ludov. Romanus.*

Imo idem quod filius qui legitimatum non contradicat.

Ibidem num. 28. in hæc verba. *Et quia non eſt præſentis qualitatis non inſiſto.*

Puto quod ſic.

Ibidem num. 30. in hæc verba. *Non vitiatur per hoc legitimatio.*

Imo quia reſcriptum gratiæ. leg. etſi legib. cod. ſi contra jus vel utilitatem publicam. cap. 1. & 2. de filiis Preſbyterorum. lib. 6. Clement. 1. de præbendis.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *Qui conſulunt per ſex fundamenta quod non.*

Puto quod imo, quia maſculinum concipit fœminum. leg. ſi ita ſcriptum. ff. de leg. 2.

Ibidem in §. 5. *Quand le Preſtre baſtard.* in Textu. *Et au regard des biens meubles.* in hæc verba. *Prima copia legitimationis Gallica, moyennant toutefois & parmy ce que ledit ſupplyant ſera tenu de rendre, & payer pour nous la ſomme de cent eſcus d'or.*

O inſignem quorumdam Prælatorum luxuriem, quos uſque adeo non pudeſcit ſpurios habere, ut illos etiam in ſanctuario Dei primoribus dotent titulis, propalam oſtentantes ſuæ Veneris monumenta nefandæ.

Ibidem in hæc verba. *Quoad fieri poſſet hæc ſcribenda cenſui.*

Legitimatio aliquando fit per ſubſequens matrimonium, & tunc eſt legitimus omnino quoad omnia, aliquando fit per oblationem curiæ, & iſta non eſt in uſu, eſt etiam ſtrictiſſimi juris, quia per eam non avo nec aliis agnatis patris, ſed ſoli ipſi patri agnaſcitur. §. filium. in authent. quibus modis natur. efficiantur ſui. & adhuc ſi ſunt alii filii legitimi, oportet quod oblatio fiat per patrem, alias ſi quis ſe offerat, non prodeſt nec præjudicat legitimis niſi conſentiant; aliquando fit per reſcriptum & beneficium Principis, ut hic & tunc in tantum legitimatur quantum exprimitur, & late interpretatur contra concedentem, ſtrictè contra tertium.

Ibidem in hæc verba. *Chriſti nomine invocato.*

Sequitur prolixa diſceptatio plus habens verborum quam ſuci: ego quidem quoad præſentem quæſtionem puto, quod hæc Barbara non poſſit patri ſuo ſuccedere, quia ſua legitimatio eſt ſurreptitia, ſed ſi eſſet non ſubreptitia nec obreptitia, dico omnino quod patri ſuo ſuccederet, quia ſatis de ejus voluntate conſtitit.

Ibidem num. 12. in hæc verba. *Etiamſi poſtea legitimantur.*

Imo quia verum eſt dicere quod ſupervenit naturalis & legitimus.

Ibidem in hæc verba. *Non comprehendantur legitimati.*

Imo quamvis ſecus ſi diceretur legitime natis. Alexand. conſil.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Quod primogeniti ſint in Regno præferatur in ſucceſſione.*

Imo ſi fuit effectus legitimus antequam naſceretur, alius ſecundus & legitimus & naturalis. Joan. in mercur. reg. ſine culpa.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Et dicit quod non quærimus.*

Illud placet.

Ibidem in hæc verba. *Quod legitimati per ſubſequens matrimonium.*

Hoc placet.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Quia nunc conſtat de ejus voluntate.*

De voluntate patris ſat conſtat.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *Et tamen dicit ſe tantum eſſe naturalem.*

Hoc nihil eſt, quia ex quo narratur ſufficienter factum, quoad ſatis conſtat de ſcientia Principis, cui non poteſt imputari error juris.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *Et natum fuisse ex nefario coitu.*

Hoc puto nocere gratiæ per infra scriptâ.

Ibidem num. 38. in hæc verba. *Quod vassalli teneantur pro maritanda filia Domini.*

Sed hoc falsum puto.

Ibidem num. 42. in hæc verba. *Glossa est multum notabilis.*

Debet intelligi secundum textum quem allegat, videlicet in legitimato per oblationem curiæ qui soli patri agnascitur.

Ibidem num. 43. in hæc verba. *Et dicit Baldus in leg. 1. cod. de summa Trinitate & Fide catholica.*

Et leg. 1. ff. de Senatoribus.

Ibidem num. 49. in hæc verba. *Quia Clerici etiam in minoribus jurisdictioni laicorum non subveniunt.*

Hoc nihil est, quia legitimatio Principis sola temporalia concernit, in quibus origine & veritate ipsa Clerici subsunt Principi. can. 8 10. distinct.

Ibidem num. 63. in hæc verba. *Et in beneficiis in quibus habent successorem.*

Imo servatur.

Ibidem num. 65. in hæc verba. *Naturales etiam legitimati sunt infames.*

Falsum puto.

In Rubrica 9. *Des mains mortes.* in §. 2. *L'homme de main morte.* in Textu. *Par quelque laps de temps.* num. 5. in hæc verba. *Et ad hoc vide Ang. in leg. 1. cod. ne rei dominicæ vel templorum.*

Vide Felinum in rubrica de præscriptionibus.

Ibidem in Textu. *Hors du lieu de main-morte.* num. 1. in hæc verba. *Quod ex quo nihil erat dispositum quando morabatur.*

Imo quia verba *hors du lieu* veniunt ampliativè, & sic implicant.

Ibidem in Textu. *Quelque part que ce soit.* num. 3. in hæc verba. *Quantum ad alia bona, quæ sunt in loco habente immunitatem & privilegium franchisiæ.*

Secus est.

Ibidem in §. 3. *En lieu & condition de main-morte.* num. 4. in hæc verba. *Quod Leonardo Domino Gallinæ.*

Quia traduxit in novem speciem non reducibilem, sed hoc, traductio non ....

Ibidem in §. 4. *Vn meix assis en lieu de main-morte.* in Textu. *S'il n'y a titre.* num. 1. in hæc verba. *Intelligitur tam de futuris quam de præsentibus.*

Puto quod tamen de præsentibus. per leg. si ita. ff. de auro & arg. leg.

Ibidem in §. 5. *L'homme franc.* in Textu. *Et devient par convention homme de ladite condition.* num. 1. in hæc verba. *An talis simplex confessio præjudicet.*

Non.

Ibidem in §. 7. *La femme de main-morte.* num. 3. in hæc verba. *Si nupta sit viro legitimo & naturali efficitur legitima.*

Falsum est.

Ibidem in §. 8. *Et si une femme franche.* in Textu. *Et après le decez.* num. 6. in hæc verba. *Ego teneo totum contrarium.*

Sed ego teneo cum Henric. quia velit nolit, mulier sequitur domicilium, conditionem & fortunam viri, super qua se fundat hæc consuetudo indistincta.

Ibidem in §. 9. *L'homme de main-morte.* num. 2. in hæc verba. *Quod in hoc non liberatur cedendo rem & renunciando.*

Non servamus.

Ibidem in Textu. *Et se doit faire ledit desaven.* num. 4. in hæc verba. *Quod adhuc ei non creditur.*

Scilicet si contrarium non appareat.

Ibidem in hæc verba. *An per hoc probetur præsentatio.*

Dic quod non.

Ibidem in Textu. *Lesquels en ce cas sont, &c.* in hæc verba. *Quod non possunt se desavohare.*

Ut est quæst. 2.

Ibidem num. 23. in hæc verba. *Ut tenet in terminis Archid. 12. quæst. 2. cap.*

Imo non est necesse. Panorm. cap. unico. de syndico.

Ibidem num. 36. in hæc verba notæ marginalis. *Amortisatio efficit res feudales allodiales.*

Falsum puto.

Ibidem num. 38. in hæc verba. *Dicta manumissio operata fuit effectum in possessorio.*

Satis puto quod non ex contractu inutili, sed ex vera traditione transierit possessio, & sic fuit bene judicatum, quia erat manumissus in quasi possessione libertatis.

Ibidem in §. 10. *L'homme de main-morte.* num. 1. in hæc verba. *An alienatio sit nulla.*

(Legit Molinæus aliqua.)

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Quæ est facti.*

Hoc placet.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Quod si talis consanguineus sit forensis poterit acquirere.*

Sed an possit retinere, videtur enim quod cogatur vendere civibus.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Si tamen eis relinquantur possint vendere.*

Glos. cap. 1. de relig. domib. lib. 6. Corset. in singul. verbo *Mendicantes.* & intellige quoad Minores, quando legatur pro modo licito. Bart. in suo mino. lib. 2. di. 4.

Ibidem num. 30. in hæc verba. *Quod est juridicum.*

Sed puto deberent dare æstimationem creditoribus.

Ibidem num. 38. in hæc verba. *Quod locatio ad novem annos cum pacto de renovando est alienatio.*

Alexand. consil. 165. vol. 2. consil. 104. vol. 3. est enim in fraudem alienationis.

Ibidem num. 39. in hæc verba. *Et non est alienatio.*

Nisi sit prohibita alienatio, quia tunc etiam & illa locatio quæ videtur in fraudem per tex. dicti §. neque illud.

Ibidem num. 42. in hæc verba. *Et glossa ibi opponit dict. leg. in quorum. ff. de pignoribus, & solvit.*

Ibi in verb. *Venditionis* secus.

Ibidem num. 46. in hæc verba. *Qui illam tenuit & possedit per multos annos.*

Non est verum, quia non fuit alienata, nec dominium est translatum.

Ibidem in hæc verba. *Dat omnia sua bona immobilia in dotem.*

Hoc est falsum, si se transferat in domicilium viri liberi, secus si vir veniat cum uxore & efficiatur similis conditionis. sup. eodem §. 6.

Ibidem num. 56. in hæc verba. *Sacerdotium non liberat quem à conditione servili.*

Id est adscriptitia semper enim persona ipsa est libera, & servitutem rei re alienata potest excutere.

Ibidem in §. 11. *L'homme de main-morte.* in Textu. *Ne peut disposer.* num. 1. in hæc verba. *Dicatur mori intestatus.*

Dicas quod sic, saltem secundum communem usum qui debet attendi. Ludov. Roman. consil. 4. tamen dominus huic probro succedet, quia habet jus speciale.

Ibidem in Textu. *Sans consentement de son Seigneur.* in hæc verba. *Dixi in casu emergenti.*

Quod non verum.

Ibidem in §. 12. *Gens de main-morte.* in Textu. *S'ils se séparent & divisent.* num. 1. in hæc verba.

Debent super communitate solvi & accipi.

Falsum est.

Ibidem in Textu. *Ne se peuvent reunir & remettre.* num. 1. in hæc verba. *Cum à pari judicentur.*

Et placet.

Ibidem in §. 15. *Le Seigneur quand eschoit & succession a lieu.* in Textu. *Et les heritages estans en lieu franc.* in hæc verba. *Ubi est nomen debitoris obligatum.*

Dic quod Dominus loci ubi est debitor, quia per §. sequent. is debet mobilia sui loci habere.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Talis confiscatio non extenditur ad bona sita.*

Et affixa ut immobilia & reditus super immobilibus constituti, secus de mobilibus seu mobiliaribus quæ semper sequuntur personam. Ludov. Rom. singul. 572. vide supra. fol. mihi 415. quod fallit in nostro casu per §. seq.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *An scilicet nomen debitoris sit de loco ubi est debitum.*

Sic.

Ibidem in §. 16. *L'une des Seigneuries.* in hæc verba. *Et ce qui est en franc lieu*

Sub eadem tamen Consuetudine.

Ibidem in hæc verba. *Il est homme ou femme originellement.*

Et dicitur *saisy*, idem Consuetud. Paris. art. 12.

Ibidem in Textu. *Va demeurer en autre lieu de main-morte.* num. 1. in hæc verba. *Videtur primo dicendum quod non.*

Hæc veritas quia etiamsi origine omnino liber de novo acquirat res huic conditioni subjectas, subjicitur quoad illas res.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Et videtur primo dicendum quod sic.*

Hanc teneo, quia ut not. per Bart. Bald. leg. 1. cod. de summa Trinit. habilitatio vel inhabilitatio personæ subditæ extenditur extra territorium, quia inhæret personæ, & in personam agit dicta quæst. leg. 182.

Ibidem num. 13. in hæc verba. *Et inter alios hanc tenuit opinionem Dominus Philip. Decius, qui in hoc casu consuluit.*

Et male.

Ibidem in hæc verba. *Contrariam tamen partem.*

Et bene ut hîc col. 31. fere eadem verba per leg. 3^2.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Sed ille qui habet subjectam.*

Est verum, ut patet in dispensando super residentia quæ concernit jura ipsius beneficii, sed hic fit respectu impedimenti & tituli ipsius personæ inhærentis; etiam jam beneficiatus est subditus superioris beneficii ratione illius beneficii, secus de beneficiando, ut in dict. quæst. 182. lib. meo.

Ibidem in hæc verba. *Sed ex parte rei.*

Non censeo quod ipsum impedimentum debeat in se considerari, sed illud afficit personam, & in illa residet.

Ibidem in hæc verba. *Fit respectu personæ tantum.*

Quicquid ipse dicat, quia dispensatus nullo modo agit in rem, sive in interesse rei terminatur, sed agit in personam, & ejus effectus in jure personæ terminatur, videlicet in titulo quod est jus personæ cohærens.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Ita ut habilitatio operetur alibi.*

Ibi loquitur Felin. de inhabilitatione quæ est contra jus.

Ibidem num. 32. in hæc verba. *Salvo saniori consilio, & ita obtinuit.*

Et malè.

Ibidem in hæc verba. *Videtur etiam quod non sint illius Domini ubi sunt bona.*

Imo per princip. §. nostri, *que l'une n'acquiere point sur l'autre.*

Ibidem in hæc verba. *Quod quilibet Dominus acciperet id quod esset penes eum.*

Hoc contrarium.

Ibidem in hæc verba. *Quod nota.*

Hoc puto falsum.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *An dicta nomina competant pro re mobili.*

Hoc puto verum, quia ex quo quæritur de effectu, debet attendi an comparentur mobilibus, an immobilibus.

Ibidem in Textu. *Tant en meubles.* num. 2. in hæc verba. *Quod bona mobilia concernunt personam.*

Hæc vera.

Ibidem in §. 17. *Quand gens de main-morte.* num. 1. in hæc verba. *Videtur quod sic.*

Et bene, quia ab initio mortis est quæsitum jus parentibus ejusdem gradus, & fuerunt saisiti, ideo non potest post eis auferri, imo accrescit.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Alias eo abstinente tenetur ad legata omnibus.*

Ratio est quod id beneficium non est quæsitum ab initio instituto, sed demum præterito contratabulante, sed ab initio est bene quæsitum jus agnoscendi bon. possessorem contra tabulas.

Ibidem in hæc verba. *Numquid soror vocetur per istos fratres patrueles.*

Ego teneo quod non.

Ibidem in hæc verba. *Numquid ad minus isti fratres patrueles succedere debeant, ea sorore exclusa.*

Ego dico contra istum & ejus coadvocatum, quod succedunt, sorore manente exclusa, quia regula est quod si proximior sit inhabilis aut incapax, successio obveniens non devolvitur ad eum nec in fiscum, sed ad remotiores capaces, sed filia proximior de se & incapax, & patrueles sunt capaces, ut in casu patet, ergo ipsi succedunt, filia autem non vocatur nec habilitatur per eos, quia illa vocatio & habilitatio non fit nisi per hunc §. ideo non habet locum nisi in terminis hujus §. qui non conveniunt & deficiunt in casu præsenti, qui loquitur quando superest proximior capax, ut tunc fiat aliorum vocatio & habilitatio quæ alias de jure, sed hic non subest proximior capax, ergo cessat hic §. nec fit vocatio, sed remanet jus regulare ita sentio. C. du Moulin.

Ibidem in hæc verba. *Et istud resultat ex solutione aliorum.*

Ego teneo quod non.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Vel quod statuta proprie intelligerentur absque aliqua interpretatione.*

Idem Ludov. Rom. singul. 417. ubi hoc reprobavi, quia per communem intellectum qui jamdudum inest, nihil de novo additur.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Verificantur & habent locum in patruis istius filia.*

Imo quia non sunt proximi.

Ibidem in hæc verba. *Item sunt proximi istius defuncti.*

Falsum.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Non obstat modo si diceretur quod imo non est verum.*

Imo obstat.

Ibidem in §. 18. *Gens de condition main-mortable.* in Textu. *Taillables haut & bas.* num. 11. in hæc verba. *Circa hanc materiam tailliarum quæro de una quæstione.*

Puto quod nobiles ad nullas tallias teneantur, secus de præstantiis quæ non sunt per modum tallix, quia Princeps se obligat ad restituendum.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Tunc exemptio concessa uni aggravat alios.*

Scilicet facta à testatore disponente, secus si à

legatario creditore.

Ibidem num. 17. in hæc verba *Non poterit fieri quod obligentur ad onera eis invitis.*

Hi qui jam venerunt.

Ibidem in hæc verba. *Quantum possint supportare prædia per eum acquisita.*

Et hoc verum puto quando onus imponitur habito respectu ad prædia, secus si indifferenter ad omnia bona, quia prætium domini in bonis subditi, successit loco prædii.

Ibidem in Textu. *Corvеables à volonté.* num. 26. in hæc verba. *Et tunc debent præstari sumptibus & expensis ipsius hominis & subditi.*

Nisi sit inops, quia tunc sumptu domini, vel debet relinqui spatium ad quærendum victum. leg. penult. ff. de operis lib. glos. d. leg. suo victu.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *Possit illam imponere etiam Clericis prima tonsura.*

Non de jure, nisi sint conjugati. cap. 1. de Clericis conjug. lib. 6.

Ibidem in §. 19. *Le Seigneur de main-morte.* in Textu. *En lieu franc.* num. 1. in hæc verba. *Dicentem se alias obtinuisse quod sic.*

Et bene, quia non locus, sed jus domini attenditur.

Ibidem in §. 20. *Le Seigneur prend la succession.* in hæc verba. *Videtur quod hæc Consuetudo non debeat in Beneficiatis locum habere.*

Imo habet locum, nisi specialiter Episcopus habeat usum in Clericis Beneficiatis etiam manus-mortuæ.

Ibidem in Textu. *Demeurans en communion avec luy.* in hæc verba. *Dicunt dicta filia quod vocantur per eos.*

Et bene dicunt, quia sunt in pari gradu.

Ibidem in §. 21. *Es lieux où on a accoustumé.* in hæc verba. *Nondum tamen vidi in facto.*

Nescio si hæ Consuetudines sunt veræ, tamen non procedunt secundum istam.

Ibidem in Textu. *Au choix de ladite femme.* num. 2. in hæc verba. *An in beneficiis seu gratiis alternativis sit electio debitoris.*

Quod sic.

Ibidem in §. 22. *Gens de main-morte qui s'absentent.* in Textu. *Demeurent au Seigneur.* num. 2. in hæc verba. *Ex quo ergo purgavit moram.*

Sed dominus non tenetur admittere ad moram purgandam.

Ibidem in hæc verba. *Credo ergo quod veritas sit in contrarium.*

Hoc verum antequam receperit dominus purgationem moræ.

Ibidem in hæc verba. *Si dicatur quod non.*

Quod puto verum, non obstante quod non sunt servi corpore, & est verum, tamen sunt obligati in persona ob res quas habuerunt.

In Rubrica 10. *Des retraits.* in §. 1. *Quand l'homme ou femme.* in hæc verba. *En rendant le prix & les frais raisonnables.*

Parisius inter agnatos est locus præventioni per citationem libellatam, & non habet locum nisi vendatur extraneo.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Adde quod usque ad hæc tempora non viderim.*

Nec unquam vidi, sed credo quod si mulier à Principe impetraverit restitutionem à lapsu anni, quod rescriptum admitteretur. Contra puto ex capite minoritatis, sed bene ut quilibet major si fuisset occulta venditio, & venditor per totum annum in possessione mansisset, quia tunc tota fraudatur cognatio.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Tamen plenitudo potestatis nunquam præsumitur, nisi expresse dicatur.*

Marsilius in singularibus.

Ibidem in Textu. *L'homme ou femme.* num. 7. in hæc verba. *Et credo quod non.*

Ego dico quod imo potest ut interpretatur Chassenæus. consil. 23.

Ibidem in Textu. *Vendu.* in hæc verba. *Quid si dederit in solutum.*

Scilicet pro debito pecuniario, vel æstimatione facta sub ratione valoris tantæ pecuniæ.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Quid si detur una species inæstimata pro alia æstimata.*

Et sub ratione tanti valoris data.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Quia dicitur venditio.*

Hoc verum si ex una parte sit pecunia, vel pecunia sub ejus ratione æstimatur datum, & sit inter data proportio.

Ibidem in Textu. *Son heritage.* in hæc verba. *Et ideo alias voluit dicere.*

Et malè.

Ibidem num. 1. in hæc verba. *Quia non dicitur proprie dominus.*

Hoc falsum.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Videtur quod sic.*

Ego dico contrarium, quia venditio in tempus separationis confertur, unde videtur tunc facta, quo casu nullo modo sunt pars fundi, & fundus integer manet, unde cessat retractus, & etiam jus laudemii, secus puto si venderetur ususfructus.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Baldus dicit quod debet judicari mobile.*

Quicquid sit ego dico quod illud prætium debet spectare ad hæredem immobilium cui fuit acquisitus fundus, & qui ab eo redimitur.

Ibidem in hæc verba. *Videtur quod sic.*

Et verum puto si comperant ad longum tempus, alias secus.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Et dicit quod sic.*

Et hoc verum puto, tamen de Consuetud. Paris. est secus, ut art. 181. si autem quid venderet reditum supra fundum proprium, credo quod cadit in retractum etiam de Consuetud. Paris. quia illud jus posset esse perpetuum.

Ibidem in hæc verba. *Et Franciscum de Crema. sing. suo 58. incip. testator legavit.*

Quod poterit retrahi proprietas.

Ibidem in Textu. *Ancien.* num. 1. in hæc verba. *An possit illam retrahere pro dimidia parte tantum.*

Dic quod mero jure non potest retrahere nisi pro dimidia tantum si emptor velit, cogitur totum redimere per tex. leg. tutor rerum. §. 1. ff. de minoribus.

Ibidem in hæc verba. *Agnatus in hac secunda venditione habebit jus retractus.*

Si simpliciter esset venditum, & lapso anno voluntario contractu emeretur ab eodem vel alio consanguineo, non puto quod recuperet priorem naturam, sed quod sit metus conquestus, licet locus contra. in leg. unicuique. de proximis sacr. scrin. lib. 12. cod. quæst. 266.

Ibidem in hæc verba. *Et tenui quod non.*

Ego constanter dico contrarium, quia revertitur non per viam novi contractus, sed per viam resolutionis prioris, unde ejus resolvitur effectus, & redit prior natura, ita sentio. C. du Moulin.

Ibidem in Textu. *Le plus prochain.* num. 2. in hæc verba. *Contrarium tamen est verius.*

Idem puto in hærede quod non possit.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Et quod cognominentur sub cognomine domus.*

Hoc falsum quia nec succedunt.

Ibidem num. 13. in hæc verba. *Videtur quod imo filius.*

Idem inter consil. Chassen. 23. consil. 4.

Ibidem in Textu. *Le peut rachepter.* num. 1. in hæc verba.

verba. *An reàli an mixte.*

Dic conditione ex lege quæ est personalis in rem scripta, ideo videtur quod coram Judice rei ubi res sita, sicut in regalibus secundum Consuetud.

Ibidem in Textu. *Dedans l'an & jour.* num. 1. in hæc verba. *Nam licet citatio die feriata fieri non possit.*

Oportet citationem libellatam esse factam intra annum & diem, & sufficit licet assignetur dies ulterior.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Non potest consensu partium prorogari.*

Imo potest.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Credo quod non.*

Et placet, quia dedit ex voluntate, secus si vendens non esset ad hoc adstrictus, & frater etiam habebat portionem in domo, & ratificavit mediante prætio, quia tunc dicitur vendere, & illud est pars prætii, secus si nihil in domo haberet, sed hoc acciperet ne ipse retraheret, quia tunc illud non dicitur prætium rei, nec venit refundendum.

Ibidem in Textu. *Le prix.* num. 1. in hæc verba. *Tamen hic non continetur datum proxeneta.*

Imo illud & in convivio erogatum si omnia temperatè, & pro laudabili modo regionis facta sunt, quia sine his contractus forte factus non fuisset.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Quod tunc impeditur rescissio contractus.*

Non puto hæc verba extendi ad læsionem ultra dimidiam, quæ est nedum magna, imo maxima.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Sed ut interesse seu partem rei sic.*

Idem Boer. fol. 90.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *An sufficiat pecuniam afferre in sacculo.*

Non.

Ibidem in Textu. *Les frais raisonnables.* num. 5. in hæc verba. *An proximus teneatur solvere.*

Imo.

Ibidem in §. 3. *Si l'heritage est vendu à un du lignage.* num. 2. in hæc verba. *Textum nostræ Consuetudinis cogita.*

Puto quod teneatur.

Ibidem in §. 5. *Ledit an & jour est à compter.* num. 2. in hæc verba. *An ista summa debeat restitui per consanguineum retrahentem.*

Dico quod sic, nec currit tempus ante ratificationem.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Math. de Affflict. in comment. constit. super jure protomiseos, in §. ut intra 30. dies.*

A quo iste transcripsit.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Et istam opinionem tenet Boerius in suo comment. Consuetudinis Bituricensis.*

Fol. 83.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Scilicet contractus perfecti.*

Imo.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Sed an quis possit purgare moram post breve tempus.*

Non.

Ibidem in hæc verba. *Et plura ad hoc allegat.*

Imo.

Ibidem in §. 8. *Semblablement retrait a lieu.* in hæc verba. *Et autres prix & charges tels qui feront.*

In hoc ultimo, secus de Parisiensi Consuetudine, quæ solum loquitur in casu venditionis.

Ibidem in Textu. *Et aussi si un.* in hæc verba. *Quoad dictas duos francos annui reditus.*

Hæc veritas vide supra in notam in Textu, *Ancien.* numero primo.

Ibidem in §. 9. *En vendition d'heritage.* num. 1. in hæc verba. *Quod adhuc ab isto consanguineo debet solvi laudemium.*

Dic quod consanguineo retrahente non debetur novum laudemium, quia non dicitur nova venditio, sed prioris in aliam personam translatio.

Ibidem in hæc verba. *Albericus in d. loco facit quandam distinctionem.*

Fol. 221. col. 2.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Quod ex alienatione necessaria non debetur laudemium.*

Hoc non est verum.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Nec solvi debet laudemium.*

Imo ut practicamus.

Ibidem in hæc verba. *Non solvit laudemium.*

Imo dico quod solvet, quatenus fit adjudicatio pro pecunia, quia est venditio. leg. 1. cod. communia utriusq. jud. secus fierent adjudicationes in ipso solo pro alia parte soli non debentur, quia hoc accedit permutationi. vide quæst. Tholos. 75.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Aut sit necessario.*

Imo hoc nullo modo consideratur, sed solum cum datio fiat ob debitum in pecunia, ut tunc sit locus retractui & laudemiis, alias secus nisi daretur in solutum speciei debitæ ex causa venditionis, quia videtur loco ejus surrogari, & in primam venditionem cadere.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Ita etiam datio in solutum.*

Falsum.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Comprehendit etiam permutationem.*

Falsum.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Dicit quod non.*

Imo dico quod habet locum si traditur fundus æstimatus sub ratione valoris, vel etiam non æstimatus, quando ab alio non datur, nec relinquitur fundus, & sic traditio fundi habet similitudinem venditionis, sed ex quo transactio fit super incerto quid restituet, retrahens forte poterit se liti offerre, sed an cogatur vel desiderio litigantis satisfacere, puto quod sic, quia jus litigantis non potest minoris quæ velit se ipso invito æstimari. Adverte in casu quo habeat locum retractus, videtur quod retrahens solum justam æstimationem fundi deberet reddere, quia ex quo datus est fundus pro lite videtur tanti æstimata lis quanti est fundus, sed certe hæc ratio est fantastica, colorata, quia secundum eam posset inferri in omnibus contractibus esse locum retractui, dicendo quod id quod cõfertur, tanti æstimatur, quanti est fundus, sed hoc est falsum, nisi alias de tali æstimatione appareat, item possibile est partim suum interesse singulare, vel etiam meram affectionem fundi considerasse.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Et in partem prætii vult debitum compensare.*

Dic idem quod supra dixi in datione in solutum.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Qua comprehendet etiam reditus ante emptos.*

Istud videtur satis coloratum, tamen subtiliter considerando, nova & ultima venditio comprehendit solum fundum cum onere & diminutione præsenti, non autem in integra bonitate, confuso prius & compensato onere, quia hoc non agitur sic, ergo si retrahatur solum quod venditur tantum fundus cum onere retrahetur, sicut si dudum ante portio fundi pro indiviso vendita sit, & elapsum tempus anni, & sic illa confirmata postea simpliciter venditur fundus, veniunt in retractum solum partes quæ erant reliquæ & ultimo venditæ, tamen decisio ista videtur satis æqua.

Ibidem num 19. in hæc verba. *Item queritur quid in divisione an habeat locum jus retractus.*

Dic ut dixi in nota superiori. num. 14.

Ibidem in §. 10. *An reacheps & retraction des he-*

virâges. in Textu. *An Seigneur feodal.* num. 4. in hæc verba. *Posito quod sit res feudalis.*

Non potest esse quod res eadem sit feudalis & censualis eodem saltem respectu, quia dico quod feudum ipsum in suo universo est feudale, nullo modo censuale, res autem particulares feudi possunt esse censuales vassallo, & si res illæ particulares à censuariis vendantur, jus laudemii vel retentionis ad solum vassallum dominum immediatum pertinet.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Quod si antequam fieret oblatum pretium.*

Imo etiam illo oblato re integra puto quod possit emptor suo venditori restituere invito consanguineo, quia per actum retrosimilem resolvitur prior contractus & ejus effectus, adverte hoc posset esse verum, quia venditio non fuit ultro citroque impleta, sed si sic omnino impleta non restant amplius ejus vestigia, & sic amplius non potest resolvi, sed dicitur nova venditio quam non puto quod emptor possit facere etiam in primum vendentem in præjudicium ejus qui per citationem sibi jus quæsivit de Consuetud. Paris. vel in terminis istius Consuetud. per oblationem seu per interpellationem & moram, quia hic non est opus certificari personam. Sed in terminis Consuetud. Paris. si postquam unus per citationem pervenit, & sibi jus quæsivit emptor venderet alii consanguineo quam primo venditori non præjudicaret primo citanti, sed primo solum offerenti.

Ibidem in Textu. *Le vendeur & l'acheteur.* num. 3. in hæc verba. *Sed est innominatus.*

Falsum quia nullus est omnino actus, deficiente conditione. per leg. final. cod. de cont. empt. & vend. alias secus.

Ibidem in Textu. *An prejudice du lignager.* num. 3. in hæc verba. *Post argumenta hinc inde concludit quod sic.*

Sed falsum est, quia obstat sibi exceptio.

Ibidem in §. 11. *Le lignager qui veut faire la retraitte.* in Textu. *Contre l'acheteur.* in hæc verba. *Ego tamen vidi in contrarium judicare.*

Et bene ratio, quia jus & probatio creditoris est prompta & liquida, sed intentio debitoris agentis longæ indagini subjecta est.

Ibidem in Textu. *On detenteur.* num. 4. in hæc verba ad finem. *Dixi quod etiam poterat agere primus venditor contra secundum emptorem.*

Et hoc practicatur.

Ibidem in §. 12. *Pour ce que souvent advient.* in Textu. *Font échange.* num. 2 in hæc verba. *Vbi tenet quod non.*

Sed contrarium est verum de Consuetud. Paris. quia fundus surrogatus & sortitur naturam propri.

Ibidem in Textu. *Et après rachepteur l'échange.* num. 2. in hæc verba. *Quod neque venditor neque emptor tenebantur jurare in vim hujus Consuetudinis.*

De æquitate contrarium putarem, per leg. manifestæ turpitudinis. ff. de jure jur. & quia judex potest ab eis exigere. l. ubicumque de interrog. in jure faciendis.

Ibidem in Textu. *Si la fraude est prouvée.* num. 8. in hæc verba. *Quando quis vult probare contra tenorem instrumenti.*

Sed non servatur quin semper sufficerent testes & bene.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Quæ possunt fieri in quacumque parte judicii.*

Martil. sing. 110.

Ibidem num. 13. in hæc verba. *Quod instrumentum non potest reprobari nisi per tres testes.*

Ibi erat unus testis deponens pro instrumento, alias sufficiunt duo. Panorm. Felin. d. cap. cum Joannes.

Ibidem in hæc verba. *Quod ad valetudinem instrumenti requiruntur tres testes.*

Imo non dicit requiri tres, nec est verum.

Ibidem num. 16. in hæc verba. *Licet dicat de permutatione, probata esset semiplene.*

Imo plene.

Ibidem in Textu. *On par le serment des contrahans.* num. 4. in hæc verba. *Tamen est potens ad probationem faciendam.*

Falsum est, ut per not. tit. de probationibus. in antiquis.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Jaso. in repet. leg. admonendi. in 58. col.*

Matheſil. singul. 13.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Aut in manibus Notarii, vel per dæmonem, vel alias.*

De dæmone non admitto, sicut nec per fidem cavit, ex quibus communiter intelligitur deficere animus jurandi.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Et dicit quod secundum utramque communem opinionem non punitur de perjurio.*

Imo quia est nocivum & offensivum alterius, secus si solum Deum offenderet, ut quando juravit se fuisse ad sanctum Jacobum vel se iturum, quia tunc ad forum humanum non spectat eum punire, & hoc solo casu procedit. leg. jurisjurandi. cod. de reb. cred.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Quod Judex secularis potest declarare quem esse perjurum.*

Ludovicus Romanus. singul.

Ibidem num. 29. in hæc verba. *Et plenius in leg. in arenam. cod. de inoff. test.*

Quod sic.

Ibidem num. 30. in hæc verba. *Quia perjurus ab agendo repellitur.*

Falsum.

Ibidem num. 35. in hæc verba: *Quod etiam doctor propter perjurium potest deponi à doctoratu.*

Intelligo de insigni perjurio.

Ibidem num. 36. in hæc verba. *Quia collatio beneficii Ecclesiastici facta perjuro est mere jure nulla.*

Sed est falsum, ut per Felin. cap.

Ibidem in Textu. *Qui seront tenus à en jurer.* in hæc verba. *Quia hoc casu etiam est exclusus à probatione per juramentum. leg. in contractibus. §. illo cod. de non num. pec.*

Ille textus non probat, & non puto verum.

In Rubrica 11. *Des censes.* num. 1. in hæc verba. *Quando quis vendit vel alienat jus quod habet in re.*

Hujusmodi contractu nunquam utimur, sed quia semper concedenti directum & originarium dominium remanet, & dicitur census quando ipsa prima præstatio vilissima & emphyteosis id quod reditum vocamus, vel melius maneat in terminis juris quando datur ad meliorandum, ut solet ab Ecclesia.

Ibidem in §. 1. *An regard des censes.* num. 2. in hæc verba. *Sunt tamen quædam loca.*

Hic indistinctè Remigii.

Ibidem in Textu, *Lots.* num. 6. in hæc verba, *Videtur quod non.*

Dic quod sic.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Judex secularis debet esse Judex in hac causa.*

Et ita servamus, idem in omnibus cæteris actionibus personalibus dependentibus à realitate, ut si agatur ad arreragia præteriti reditus assignati super fundis.

Ibidem num. 13. in hæc verba notæ marginalis. *Arreragiorum quæstio est personalis.*

Sed à realitate dependens.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *Sub gratia redemptoris non debentur laudemia.*

Imo deberentur ab initio, sed non quando redimitur ut utimur.

Ibidem in Textu. *Retenuit.* num. 2. in hæc verba. *Si dominus laudaverit.*

Id est consenserit quod tu emptor habeas & retineas.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Videtur quod quilibet utatur jure suo.*

Et verum puto, & dico quod emptor si velit poterit ab emptione tota resilire.

Ibidem in hæc verba. *Quod non potest.*

Imo potest quia utitur jure suo, & nichil ad eum generaliter subditi suos contractus concipiant, nec est simile in d. §. Celsus. ubi volens addicere secundo plus offerenti, solum habebat hoc jus à contractu, ideo secundum contractus naturam est limitatum.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Extenditur ad reliquum.*

Hoc esset verum nisi reperitur jam aliud in uno decisum, quia correctio non potest fieri per hunc tacitum subintellectum.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *In vim pragmaticæ Sanctionis.*

Quæ non extenditur ad Comitatum qui non est de Regno.

Ibidem in Textu. *Amende.* num. 1. in hæc verba. *Et adde quæ dicam infra in §. 2.*

Quod non.

Ibidem in hæc verba. *Realiter dictum censum habuerat à dicto tenementario.*

Ergo debet obtinere.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *A die compuli facti incepit possidere.*

Sed alter prius possidebat per casum.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *An emenda debeatur integraliter.*

Dico quod debetur tantum una emenda & integra illis dominis quibus non fuit solutum.

Ibidem in hæc verba. *Etsi debeo partem.*

Pone recipio partem.

Ibidem in hæc verba. *An aliis non solventibus, præjudicetur solventi.*

Sic.

Ibidem in §. 2. *Et semblablement.* num. 8. in hæc verba. *Primo casu quantum ad tempus 30. vel 40. annorum.*

Puto quod ad inducendam obligationem debet allegari titulus. Bart. d. leg. cum. de in rem verso.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Sufficit tempus 30. annorum.*

Imo quod etiam debet titulus allegari, ut infra fol. 2.

Ibidem num. 19. in hæc verba. *Et iste est casus: qui plus præticatur quam quicumque alius.*

Et not. quod requiritur probare præstationem decennalem, & quod ex causa allegata fuerit facta secundum Salicet. dict. leg. si certis annis. Alex. consil. 113. Bart. dict. leg. cum. de in rem verso. in fine. Infra fol. 401. cap. 3. Bald. fol. 22. cap. 1.

Ibidem in hæc verba. *Quod requiritur tempus 40. annorum.*

Et hoc est verum contra Ecclesiam.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Ergo etiam minori tempore non inducitur præsumptio tituli.*

Hoc verum puto.

Ibidem in hæc verba. *Vt etiam locum habeat in Ecclesia.*

Imo contra; ipsa non inducitur præscriptio, nec per consequens tituli præsumptio minore tempore 40. annis.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *Puta ad jus vassallagii seu subjectionis.*

Licet Alexand. consil. 124. vol. 4. contrarium.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Quod ista præstare consuevit ratione talis rei.*

Hoc verum si esset tempus longissimum.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Dicit textum esse juris civilis.*

Cap. 2. §. si vero vassallus quid sit investitura. in usibus feud. & verius puto.

Ibidem num. 28. in hæc verba. *Guid. Pap. hanc materiam multum bene explicavit in quæst. sua 629.*

Ut tenet quod sic.

Ibidem num. 29. in hæc verba. *Vt possit agi contra eum annuis. leg. fin. §. fin. ff. de contrab. empt.*

Nisi quando debetur fisco. leg. 1. cod. de fundis patrimonialibus. lib. 11. idem hodie in privatis per Consuetudines nostras non ergo agitur contra eos confessoria, sed personali ad solutionem, vel hypothecaria ad rei distractionem.

Ibidem in hæc verba. *Ita ut etiam teneatur possessor ad onera præterita.*

Scilicet hypothecaria.

Ibidem num. 30. in hæc verba. *Quod videtur quod sic.*

Ego indistinctè dico quod non.

Ibidem in hæc verba. *Quam Baldus ibi ad finem, commendat in fine cod. de fide instrumentorum.*

Marsilius in lib. sing.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *Per textum in leg. placuit. cod. de fundis patrimonialibus. lib. 11.*

(Molinæus tollit de fundis patrimonialibus, & reponit de collatione feud. patrimonialium.)

Ibidem num. 33. in hæc verba. *Vbi videtur tenere opinionem Martini.*

Quæ de jure verior.

Ibidem in hæc verba. *Annuæ præstationes præscribi spatio 30. annorum.*

Et hoc servatur & sic 30. annis præscribitur ipsum jus originale & principale, quo extincto etiam extinguntur omnia dependentia canonum particularium, secus in censu vel emphyteosi, nisi dominium directum interveteretur, ut infra.

Ibidem num. 34. in hæc verba. *Sic etiam si censuarius deneget domino petenti solutionem.*

Tanquam possidens allodium, adverte censuarius vel emphiteota ex simplici non solutione in æternum non præscriberet dominium directum, quia illius possessionem non habet, & sic dominus in æternum illud non perderet, dato etiam quod perderet ejus possessionem. leg. si de vi. §. est differentia. ff. de acquir. poss. ideo potest dominus cum semper cogere ad recognitionem directi dominii, sed an & possit etiam post 30. annos cogere ad recognitionem & sommationem census vel canonis est magnum dubium; dico tamen quod quoad præstationes ante 30. annos lapsas, non potest & est certum, sed de futuris & lapsis à 30. annis citra hæc est quæstio: & certe considero quod ipsum originale & principale jus dominii directi non est præscriptum & ab eo dependent istæ præstationes; quare dico quod non sunt præscriptæ, nec cætera jura accessoria, sed vi principalis juris durantis conservantur, & vigore illius de novo producuntur quolibet termino, secus dicendum puto de aliis præstationibus annuis super fundis constitutis, quæ dependent ab obligatione contractus appositi, non à translatione dominii, quia ipsum jus principale talis obligationis est præscriptibile per solam non solutionem & negligentiam longissimi temporis, & ideo per consequens omnes particulares accessoriæ præstationes tam præteritæ quam futuræ sunt extinctæ; aut vero censuarius vel emphyteota intervertunt possessionem dominii directi, quod est quando se gerunt pro dominis directis seu pro non censuariis & tunc aut eorum possessio & intentio non est contra jus commune Franciæ, puta quia dicunt se tenere illas terras in feudum, & tunc cum justo titulo possunt præscribere longo tempore etiam contra dominum,

ſecus in vaſſallo ſine titulo tempore longiſſimo, aut eorum poſſeſſio & intentio eſt contra jus commune, ut quia dicunt quod tenent in allodio, tamen communiter in Francia omnia prædia dominum directum recognoſcunt Regem, & nunc dico quod ſi habent titulum à Rege ſcilicet declarationem quod terra eorum eſt allodialis forte longo tempore, præſcribent ipſum jus cenſus & dominii directi privatum per leg. juſte poſſidet. ff. de acquir. poſſeſ. aut titulum non habent, tunc dico quod non præſcribent niſi tempore immemoriali. cap. 1. de præſcriptionibus. lib. 6. Si vero ipſi cenſuarii aliis dominis ſolverunt, tunc nihil præſcribunt, ſed dominus cui ſolvitur poſſet contra verum dominum præſcribere ipſum jus dominii directi & cenſus longo tempore, non titulo; vel longiſſimo, ſine titulo: ſentio. C. du Moulin.

Ibidem in hæc Verba. *An vero tantum ſit præſcriptum pro annis elapſis per 30. annos.*

Hæc vera ut ſcripſi.

Ibidem num. 36. in hæc verba. *Eſt tutus præſcriptionis contra omnes quoſcumque.*

Ego dico quod 10. annis inter præſentes præſcripſit, quia tanto tempore potuiſſet præſcribere dominium, ergo iſtud jus habens ſimbolum in emolumento dominii à fortiori probo, quia actioni hypothecariæ eſſet præſcriptum. leg. 1. & per tex. leg. cod. ſi adverſus cred. & etiam perſonali quoad ipſum tertium detentorem, quia quatenus ſuos terminos excedit, excediturr à non ſuis ut in ſimili dicitur de actione quod metus cauſa. leg. ſi vi vel metu. cod. quod metus cauſa. non obſtante quod per venditorem penſio ſemper fuit ſoluta, quia hoc non impedit præſcriptionem reſpectu tertii poſſeſſoris. leg. Pomponius. ff. quando uſusfruct. amit. Miror iſtum alioqui peritiſſimum adeo in hoc conſilio hallucinatum fuiſſe, ut de illa leg. non meminerit.

Ibidem num. 37. in hæc verba. *In ſupradicto caſu tenui & conſului.*

Sed peſſimè & tota via errat, excutit, hallucinatur.

Ibidem num. 44. in hæc verba. *Requiritur ſcientia adverſarii.*

Fallit in ſervituribus perſonalibus & habentibus ſimbolum cum dominio. leg. fin. cod. de præſcriptionibus longi temporis. leg. Pomponius. ff. quibus modis uſusfruct. amittatur.

Ibidem num. 46. in hæc verba. *Velut per nobilem & egregium juris utriuſque doctorem.*

Cæcus cæcum duxit in foveam.

Ibidem in Textu. *Bleds, vins, & autres choſes.* num 1. in hæc verba. *Sed de cenſuario.*

Secus.

Ibidem in §. 3. *On ne peut mettre cenſe ſur cenſe.* in Textu. *Et s'il advient que l'on y vende rente.* n. 2. in hæc verba. *Dominus debet præferri proximiori.*

Imo per textum.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Quam reditus eſt nisi non poſſit imponi.*

Imo ſed ſoluto imponentis jure reſolvetur.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Agretur ad rem conditione ob cauſam.*

Falſum puto.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Quod mihi videtur verius.*

Tamen vix eſt ut non obtineat, quia Princeps ut communiter retinet dominium directum, & ſic jus in re.

Ibidem num. 24. in hæc verba. *In caſibus aliis à jure permiſſis.*

Sed hoc non eſt virtute pacti.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Si quid contra factum fueris.*

Non puto verum, & etiam videtur contra tenere. Bald. d. leg. ea lege.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Quod nullo modo poſſit alienari.*

Falſum eſt.

Ibidem num. 29. in hæc verba. *Limita non habere locum in pacto de retrovendendo.*

Falſum eſt.

Ibidem in hæc verba. *In obligatione primi contractus.*

Vide ſcripta per me ſupra notam ad rubricam 5. §. 1 num. 26. in hæc verba, videlicet quod poſſit venditor.

Ibidem num. 31. in hæc verba. *Limita quando fuit pactum appoſitum de non alienando.*

Et ſatis placet per ſequentes.

Ibidem in hæc verba. *Quia videtur quod Panormitanus voluerit tenere contrarium in cap. verum. in penult. col. de foro compet.*

Ibi loquitur in aliis terminis.

Ibidem num. 32. in hæc verba. *Sublimita hanc limitationem tantum procedere in hypotheca ſpeciali.*

Quando videlicet ſpecifice res hypothecatur pro obſervantia pacti, & hoc etiam operatur, quia ſingularis ſucceſſor teneatur ſtare colono & quamvis de jure idem eſſet in hypotheca generali, tamen illa generalis hypotheca quoad hunc effectum non ſolet attendi, ut audivi à domino *Montholon* imo quantum ad atomum.

Ibidem num. 35. in hæc verba. *Quo finito revertitur dominus in ipſo jure ad concedentem.*

Hoc tenet Bald. leg. ea lege. cod. de condict. ob cauſam.

Ibidem in §. 4. *Et ſi on met rente.* in Textu. *Sur l'heritage.* num. 4. in hæc verba. *Ita quod ex ea debeantur laudemia domino.*

Puto quod non, quia Conſuetudo non dat illa niſi in venditione.

Ibidem in Textu. *Rendant.* num. 2. in hæc verba. *C'eſt à ſcavoir dix pour cent.*

Hodie 11. *pour* 120. id eſt *au denier* 12.

Ibidem in §. 5. *Le Seigneur cenſier.* in hæc verba. *Par faute de tenementier & de cenſe.*

Pro aut.

Ibidem in Textu. *Et de cenſe à luy non payée.* num. 2. in hæc verba. *Præſumantur ſoluta fuiſſe laudemia.*

Puto quod ſic ſi facta eſt exhibitio contractus domino dic quod non, quia cenſus ab iſto poſſeſſore etiam injuſto exigi poteſt, ideo non præſcriberetur propter hoc niſi ſint 30. anni.

Ibidem in Textu. *Et les dix ans paſſez.* num. 5. in hæc verba. *Quod de conſuetudine cenſuarius cadit à jure ſuo.*

Falſum niſi fuerit dictum.

Ibidem in Textu. *Demourant au Seigneur cenſier.* num. 2. in hæc verba. *Vt alter non teneatur.*

Non credo. leg. ſi judex. ff. de minoribus.

Ibidem in §. 6. *Le Seigneur cenſier ou tenetier.* in Textu. *Contre le tenementier.* num. 5. in hæc verba. *Puta mulier pro jure dotalitio.*

Credo quod non tenetur creditori ſed proprietario ad eum exonerandum. vide in lib. 2. 8. quæſt.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Tenementarii dicitur judex competens.*

Hoc verum de jure, ſed de Conſuetudine peritur remiſſio coram judice loci in actione reali.

Ibidem in hæc verba. *Pro arreragiis eſcheutis.*

Hoc eſt perſonale ideo forte conſiderabitur domicilium.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Hujus rei hypothecata omnes ſunt convenienda.*

Imo licet exigere unum.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Secus in generali.*

Sed ante agitur contra debitorem, vide pract.

de Ferr. in lib. in act. hypot.

Ibidem in hæc verba. *Licet habeam à te causam.*

Dummodo prætendam & probem jus alia causa.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Sed ad agendum interdicto Salviano sufficit probare possessionem.*

Imo idem quod in Serviana.

Ibidem num. 13. in hæc verba. *Vt quia dicatur quod obligatio est nulla.*

Eo quia absolutoria lata in uno parit exceptionem rei judic. in alio dic tamen ut supra.

Ibidem num. 23. in hæc verba. *Dixit quod non.* (Legit Molinæus *sic.*)

Dic quod de area potest facere domum & etiam prædium fructiferum vel nemus in aliam culturam utiliorem convertere, nisi mutaret fructum de quo solvi debet canon. Cæpol. de serv. rust. præd. cod. de montib. col. 5.

Ibidem num. 26. in hæc verba. *Quandocumque etiam post litem contestatam.*

Hoc satis verum est, si fidejussit non simpliciter, sed sub conditione, ut hic.

Ibidem in Textu. *Contre le principal obligé ou ses hoirs.* num. 1. in hæc verba. *Habeas etiam locum contra hæredes obligati.*

Sic de jure, sed Consuetud. Paris. dicit quod non est executorium contra hæredes, & sic videtur omnino via ordinaria servanda contra eum, tamen aliqui practicant contrarium faciendo hæredem citari ad declarandum executorium quod videtur contra text. Consuetudinis.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Sed quoad testamentarium.*

Qui recognitionem sub sigillo non fecit.

Ibidem in hæc verba. *Et ab ea potuit appellari.*

Imo oppositio formali.

Ibidem num. 8. in hæc verba. *Dicit quod sic.*

Et tamen vide Marsil. singul. 26. Ludov. Rom. consil. 38.

Ibidem in §. 7. *En échange de chose.* num. 1. in hæc verba. *Quod de jure debeatur laudemium ex permutatione.*

Et est verum, sed de Consuetudine non debetur laudemium, sed solum saisina.

Ibidem num. 4. in hæc verba. *Si à contractu recedatur de consensu partium.*

Sic quia licet liceat pœnitere, non tamen in præjudicium domini cui jus quæsitum simul atque perfecta est conventio.

Ibidem in hæc verba. *Et tunc nihil habet Dominus.*

Imo saltem habet semel pro primo contractu, sed non pro resolutione à primo pendente, ut servatur, secus si post contractum perfectum, & hinc inde impletum resolveretur, quia tunc omnino est pura nova venditio.

Ibidem in hæc verba. *Vt dicit ibi Albericus per textum. in leg. 1. & 2. si liber. ff. de condict. ob causam.*

Non dicit.

Ibidem in hæc verba. *Vt idem Joannes Fabri in d. leg. 2. dicit.*

In fine, & non debentur nova laudemia, sed etiam prima domino debent esse salva.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Vbi concludit per doct. Bald. & Ang. in d. leg. ab emptione. quod sic.*

Sed non servatur quod debeantur nisi semel.

Ibidem in hæc verba. *In addit. opposita post ult. vers. illius glossæ.*

Vide in lib. meo pecul. praxis. quæst. 154.

Ibidem in Textu. *Et s'il y a soulte.* in hæc verba. *Et dantur centum & alia res pro complemento pretii.*

Non tamen æstimatæ loco pretii taxati seu in solutum debiti pretii, quia nihilominus esset vera venditio. leg. cum proponas. cod. de dolo.

In Rubrica 13. *Des forests, pasturages, & rivieres.* §. 1. *Le bois acquiert le plain.* num. 1. in hæc verba. *Et ideo quod non amisit dominium per evolationem.*

Imo per evolationem sine reversione perditur, secus de naturaliter domesticis.

Ibidem num. 5. in hæc verba. *Quod dicta avis est extra custodiam dicti* de Sully *per evolationem.*

Nisi appareret quod conclavi in domo *Sully* illum accepisset.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *De Falconibus videatur idem.*

De jure.

Ibidem in hæc verba. *Qua non licet accipere.*

Ibidem vel quandiu in propinquo vagantur reditura, secus postquam animum ibi redeundi perdiderunt.

Ibidem in §. 2. *On ne peut avoir usage en bois.* num. 8. in hæc verba. *Quin aquam deducerent quo vellent.*

Quia faciunt jure suo, imo etiam in suo, & nihil faciunt nec immittunt in alienum, ergo eis licet, secus si non jure suo facerent, sed à Principe impetrato, ut in flumine publico & navigabili, quia concessio Principis intelligitur modo alteri non fiat præjudicium. leg. 2. §. merito. ff. ne quid in loco publ. & considero damnum intrinsecum veluti diminutionem aquæ sufficientis, non autem extrinsecum ut est concursus hominum, ut not. ad Bart. meum in lib. quo minus. col. 2.

Ibidem num. 13. in hæc verba. *Vel per tempus cujus initii memoria non existat in contrarium.*

Quia est discontinua.

Ibidem num. 17. in hæc verba. *Quam in molendino sua jurisdictionis.*

Non puto verum, imo male facit si non præscripserit.

Ibidem num. 20. in hæc verba. *Sed solum non usum.*

Imo habentem factum implicitum, quia iverunt ad alia molendina, ideo si tunc fuisset molendinum antiquum in sua forma, poterat præjudicium fieri, sed quia erat inhabile. quod homines fecerunt non fuit animo possessionem intervertendi, sed tunc demum cœperunt intervertere quando illo reparato requisiti renuerunt, & tunc cœpit interdictum uti possidetis competere.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Probantur titulus & servitus constituta.*

Not. etiam quod hoc casu opus est probare scientiam & patientiam adversarii, & se usum ex causa allegata, ut infra fol. mihi 1738.

Ibidem num. 27. in hæc verba. *Et illi qui Consuetudinem prætenderet, præferendus est dominus.*

Nisi usuarius haberet causam onerosam à domino qui ei teneretur usum bonum facere.

Ibidem num. 29. in hæc verba. *Joan. Fab. in §. minus autem. inst. de usu & habit. dicit quod sic.*

Et malè.

Ibidem in Textu. *Par quelque laps de temps.* num. 1. in hæc verba. *Tale tempus & titulus æquiparentur.*

Et puto verum modo titulus allegetur.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Joan. Fab. inst. de leg. fusia can. tol. dicit quod sic.*

Tamen puto quod solvendum est ei aliquid rationabile si velit accipere.

Ibidem in §. 5. *Les habitans d'une ville ou village.* in Textu. *Simon par parcours.* num. 5. in hæc verba. *Cogita quia credo hoc esse verum.*

Sed falsum est ob malam fidem. cap. possessor. de reg. jur. in lib. 6.

Ibidem num. 7. in hæc verba. *Secus autem si solvant pratium pro usu & memoria & pascuorum.*

Adhuc idem puto, quia eorum causa est particularis.

Ibidem num. 9. in hæc verba. *Tunc indistincte*

singuli administrantur.

Falsum est.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Committunt falsum.*

Vide Marsil. singul. 76.

Ibidem in §. 6. *Gens de poete.* in Textu. *Gens.* num. 5. in hæc verba. *Et credo quod tales non sint gentes despota* gens de poete.

Ideo puto quod *gens de poete* dicuntur homines tantum simul habitantes non habentes communitatem approbatam, nec administratores nomine communitatis, quia tales non possunt usurpare jus vel factum communitatis sine superioris licentia, secus de his qui jam habent communitatem approbatam, quia nihil novi dicuntur facere tractantes ad causam spectantia.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Et alia necessaria facere qua servitium Dei concernunt.*

Hoc enim non faciunt jure communitatis, sed tanquam singuli.

Ibidem in Textu. *Sans l'autorité ou licence.* num. 3. in hæc verba. *Describantur nomina Consiliariorum.*

Notat Panormit. cap. 1. de sindic.

Ibidem in §. 7. *Au regard du fait de la chasse de gruerie.* num. 5. in hæc verba. *Et pisces in stagno vel vivario.*

Quod non, imo esset furtum quamdiu manent vel redeunt ad vivarium ubi faciliter à domino possunt capi, quia non sunt in naturali laxitate, sed in dominio & possessione domini, & intelligo vivarium sive piscinam, locum omnem arte clausum & destinatum ad continendas feras vel pisces, sic quod nequeunt libere extravagari nec enatare, sed ad libitum capi: unde saltus Vincennarum est vivarium; stagnum autem vel silvam habentem aquam naturalem, vel arbores, non clausum nec destinatum per dominum custodiæ & nutritioni certorum piscium vel feratum, quia licet ibi prout est natura loci sint pisces vel feræ sunt in naturali laxitate & jure communi scripto, locum habet jus gentium ut fiant occupantis, & ita in terminis etiam juris intelligo. §. item feras bestias. leg. 3. ff. de acquir. poss. C. du Molin.

Ibidem in hæc verba. *Quia aut fructus fundi consistit in venatione.*

Ad hoc destinati & clausi, & sic nulla prohibitio requiritur, quia est furtum sicut de qualibet re necessaria.

Ibidem in §. 8. *De toutes choses prescriptibles.* in Textu. *Prescriptibles.* num. 2. in hæc verba. *Vbi dicit esse bonam cautelam ad impediendum præscriptionem.*

Sed non videtur, vide Petr. Gerard. sing. 18.

Ibidem num. 3. in hæc verba. *Est sublata actio negatoria.*

Ego teneo quod non est sublata, nisi sublata causa actionis, scilicet libertate per perfectam præscriptionem servitutis, proprie enim actiones reales non præscribuntur, sed jura ob quæ competunt.

Ibidem num. 6. in hæc verba. *Possit Princeps quempiam relevare, videtur quod sic.*

Puto verum ex justa causa, ut est ignorantia justa, per Alexand. consil. alias non nisi deroget legi.

Ibidem num. 10. in hæc verba. *Primo scilicet in omnibus rescissionibus seu restitutionibus.*

Secus de nullitate.

Ibidem in hæc verba. *Nisi intra annum à tempore exitus à servitio suorum magistrorum.*

Et adhuc solum trium annorum ultimo lapsorum.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Quod tales ordinationes generales non tollunt.*

Imo tollunt quando sunt in specialibus casibus, unde generi per spem derogatur.

Ibidem num. 14. in hæc verba. *Quod tamen mihi videtur non esse verum.*

Imo est verum, quia in omni præscriptione etiam immemoriali ubi requiritur factum ex parte præscribentis requiritur bona fides de jure canonico, quod in hoc prævalet ad evitandum peccatum. cap. possessor. de reg. jur. lib. 6. ubi autem nihil fit ex parte præscribentis, procedit dictum Bart. in leg. sequitur §. si viam. ff. de usucap. quod non requiritur bona fides, id est, opinio & credulitas libertionis, sed si competitur cum simplici scientia veritatis, puto tamen quod non debet adesse mala fides quæ sit actus positivus malæ voluntatis, quia ille actus est peccatum, nihilominus dico quod currit ipso jure præscriptio, quia non oritur ex illo naturali actu, sed lapsu temporis & negligentia alterius, vide quæst. Tholos. 74.

Ibidem num. 15. in hæc verba. *In quibus currit præscriptio.*

Quæ est minor 10. annis.

Ibidem num. 25. in hæc verba. *Quod unus præscriptione si salvas potest repetere.*

Tamen per errorem facti. Bald. leg. cum quis. cod. de juris & facti ignor.

Ibidem in Textu. *Sans uniformes.* num. 1. in hæc verba. *Bart. in leg. 1. §. 2. in fine. ff. de edendo.*

Facit Matheslil. singul. 95.

Ibidem in §. 9. & ult. *On ne peut faire aucun colombier.* in Textu. *Sans licence du Seigneur.* in hæc verba. *Bald. in leg. observare. §. fin. in fine. ff. de off. Proconf. & Legat.*

Vide Corsetum verbo. *Licentia.* & istum supra. tit. 4. §. 7.

Ibidem in hæc verba. *Sed tamen ibi venit in illo casu contrarium.*

Et est verius.

Ibidem num. 2. in hæc verba. *Quia licentia debet dari in scriptis.*

Non est verum nisi ubi est expressum.

Ibidem in hæc verba. *Sed an requiratur licentia domini habentis altam justitiam*

Hoc verum puto.

Ibidem in Textu. *Et avec ce abolir toutes autres.* num. 1. in hæc verba. *Contra jus extenditur ad alium actum.*

Facit consilium 75. Alexand. vol. 5.

Ibidem in hæc verba. *Ias. in leg. de quibus. in 3. & 4. col. ff. de legibus.*

Teneas quod simile legis.

Ibidem in Textu. *Qui ne fussent comprins.* num. 2. in hæc verba. *Et si casus eveniret tenerem contra Curtium.*

Imo tene Curtium. ut infra col. 4.

Ibidem in Textu. *Interpretées selon le droit écrit.* num. 9. in hæc verba *Sed etiam quando unica tantum ratio potest assignari in statuto correctivo.*

Et constat quod unica tantum, ideo ad istud elidendum sufficit ostendere quod statuens poterit etiam aliis rationibus finalibus moveri.

Ibidem in hæc verba. *Sed debet præsumi oppositum.*

Et hoc verum est quando illæ rationes adaptari possunt statuto.

Ibidem in hæc verba. *Simul non extenditur ex identitate rationis.*

Imo puto quod extendatur quando est eadem non similis ratio. per not. Alexand. consil. 75. vol. 5. facit infra col. 11.

Ibidem num. 11. in hæc verba. *Felinus in cap. pastoralis. in 3. col. extra. de rescriptis.*

Glos. leg. 1. cod. de condict. indeb.

Ibidem in hæc verba. *Videtur facta & in aliis.*

Secundum proportionem mensuræ.

Ibidem in hæc verba. *Extenditur propter identitatem rationis.*

Imo similitudinem rationis, quia si sit identitas, fiet etiam in pœnalibus & odiosis, quia non di-

citur extenſio.

Ibidem in hæc verba. *Et quando agitur de favore publico.*

Antonius Corſet. verbo. *Extenſio.*

Ibidem in Textu. *Et pour ce auſſi qu'il eſt vray-ſemblable.* num. 1. in hæc verba. *Credo quod per iſtum textum debent allegari & proponi.*

Imo dico quod non requiritur illas proponi cum non ſint Conſuetudines alterius loci. Bart. leg. omnes populi in fine. ff. de juſtitia & jure. & etiam tenetur judex illas ſupplere, quia faciunt jus commune.

Ibidem in Textu. *Sous les ſceaux de la Cour de la Chancellerie.* num. 14. in hæc verba. *An per hoc debeat excuſari.*

Dic quod non.

Ibidem num. 22. in hæc verba. *Primo quod ſecundus offerens ſi non ſit ſolvendo, non liberat primum.*

Imo liberat, primus enim non fuit obligatus, vide ſupra fol. mihi 953.

Perlegi ego Carolus anno Domini 1525. quarto Calendas Julias.

C. DU MOLIN cum ſigno.

ΘΕΩΔΟΣΙΑ.

Nota ante Prafationem Chaſſenai

Romani & Gallici juris Κτῆσις Δημοσίας.

ΚΑΡΟΛΟΣ

C. DU MOULIN cum ſigno.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google